Google

DE PROBATIS

SANCTORVM VITIS

Quas tam ex MSS. Codicibus, quam ex editis Authoribus

R. P. Fr. LAVRENTIVS SVRIVS CARTHVSIÆ COLONIENSIS PROFESSVS Primum edidit, & in duodecim menſes diſtribuit.

NOVEMBER

Hac poſtrema editione multis Sanctorum vitis auctus, & notis marginalibus illuſtratus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Ioannis Kreps & Hermanni Mylij

ANNO CIↃ IↃC XVIII.

Digitized by Google

DE PROBATIS SANCTORVM VITIS

Quas tam ex MSS. Codicibus, quam ex editis Authoribus

R. P. Fr. LAVRENTIVS SVRIVS
CARTHVSIÆ COLONIENSIS PROFESSVS
Primum edidit, & in duodecim menſes diſtribuit.

NOVEMBER

Hac poſtrema editione multis Sanctorum vitis auctus, & notis marginalibus illuſtratus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Ioannis Kreps & Hermanni Mylij

ANNO CIↃ IↃC XVIII.

Digitized by Google

14-33-G 6

INDEX SANCTORVM NOVEMBRIS

quorum vitæ, martyria, & acta, partim hoc menſe, partim alijs aliorum menſium Sanctorum vitis inſertæ, continentur.

NOVEMBER.

I. S. Benigni presbyteri & martyris hiſtoria, *ex MS. Codice.* 1

De eodem, *ex Gregorio Turonenſe, de gloria martyrum. cap. 51.* 2

S. Cæſarij diaconi martyrium, *ex MSS. Codicibus.* 3

S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi vita, *authore Fortunato Epiſcopo.* 4

S. Mariæ virginis & martyris hiſtoria, *ex Vincentij ſpeculo hiſtoriali. lib. 11. cap. 86. & 87.* 6

S. Vigoris Epiſcopi Baiocenſis vita, *ex MSS. Codicibus* 7

De S. Auſtremonio Epiſcopo Aruerno *ex Gregorio Turonenſi de gloria confeſſorum. cap. 30* 8

II. SS. Acindyni, Pegaſij, Anempodiſti, Aphthonij & Elpidephori martyrium, *ex Simeone Met.* 9

III. S. Huberti Epiſcopi Leodienſis vita, *ab eius quodam diſcipulo ſcripta.* 13

S. VVenefridæ virginis & martyris vita, *authore forte Roberto Abbate Salopien.* 20

SS. Acepſimæ Epiſcopi, Ioſephi presbyteri, & Aithalæ diaconi martyrium, *habetur 22. Aprilis*

*S. Pyrminij Epiſcopi vita, *deſcripta per Othlonum monachum Fuldenſem.* 21

S. Malachiæ Epiſcopi Hyberniæ vita, *authore S. Bernard. Abbate Claraual.* 27

De eodem, *ſermo eiuſd. S. Bernardi.* 41

IV. SS. Agricolæ & Vitalis martyrium, *ex adhortatione S. Ambr. ad virg.* 43

De iiſdem, *ex Gregor. Turonenſi de gloria martyrum cap. 44.* ibid.

S. Iohannicij Abbatis vita, *ex Sim. Metaphraſte.* 44

S. Amantij Epiſcopi Rutenenſis vita, *authore, vt videtur, Fortunato.* 54

* B. Perpetui Leodienſis Epiſcopi vita, *ex libris Eccleſiæ Dionantenſis collecta à Ioanne Chapeauillo Canon. Leodienſi.* 55

De S. Luſore puero, *ex Gregorio Turonenſi de gloria confeſſorum cap. 92.* 61

S. Emerici, S. Stephani Hungarorum regis filij vita, *ex MS. Codice.* 62

S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis vita, *authore Carolo à Baſilica Petri Generali congregationis clericorum regularium S. Pauli.* 63

* B. Henrici a Zvviſaltaci Prioris Ochſenhauſani vita, *ſcripta a monacho Ochſenhauſano.* 157

De S. Modeſta Abbatiſſa Treuerenſi, *lege vitã S. Gertrudis. 17. Mart. cap. 9.* 159

V. SS. Galactionis, *al. Galaction*, & Epiſtemes vita & martyrium *ex Sim. Met.* 158

* S. Læti Leuitæ, monachi Miciacenſis vita, *ab anonymo ſcripta* 161

S. Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ vita *ſcripta per Epiphanium Conſtãtiæ Cypri Epiſcopum, ac aliis prophetar.* 165

De eodem *ex D. Baſilij homilia de humana Chriſti generatione.* ibid.

De eodem, *ex Gregorij Nyſſeni oratione in feſto natiuitatis Domini.* ibid.

De SS. Felice & Euſebio martyribus *lege hiſtoriam S. Cæſarij diaconi 1. Nouembr. cap. 4. & 5.* 4

VI. S. Leonardi vita, *ex MSS. Codicib.* 165

S. VVinoci Abbatis vita, *ex MS. Cod.* 168

VII. SS. Hieronis & ſociorum martyrium, *ex Simeone Met.* 173

De S. Amaranto martyre *ex Greg. Turonenſe de gloria martyrum cap. 57* 175

S. VVilibrordi Traiectenſis Epiſcopi vita, *authore Albino Flacco.* ibid.

* De eodem, *homelia & liber 2. carmine cõſcriptus ab eodem Alcuino.* 180

S. Florentij Epiſcopi Argentinenſis vita, *ex MS. Codice.* 184

B. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis vita & miracula, *authore Cæſario monacho Heiſterbacenſi.* 185

VIII. SS. Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij & Simplicis, itemq; quatuor Coronatorum martyrum, *ex Adonis martyrologio.* 200

S. Matronæ vita, *ex Simeone Meta.* 201

S. VVillehadi primi Epiſcopi Bremenſis vita, *ex MS. Codice.* 207

De eodem, *ex Canonici Bremenſis hiſtoria Eccleſiaſtica cap. 8. 9. & 10.* 208

S. Godefridi Epiſcopi Ambianenſis vita *authore Nicolao monacho Sueſſionenſi* 209

IX. De S. Vrſino primo Epiſcopo Bituricẽſi, *ex*

ex Greg. Turon. de gloria conſ. cap. 80. 227

De S. Theodoro tyrone martyre, *oratio Greg. Nyſſeni.* 228

Eiuſdem martyrium, *ex Sim. Met.* 230

De eiuſdem feſto in I. Sabbato ieiuniorum, *oratio Nectarij Archiepiſcopi Conſtantinopol.* 231

De imagine Domini noſtri IESV Chriſti in Beryto crucifixa, *libellus S. Athanaſ. Epiſcopi Alexand.* 234

S. Victoris, *al. Vitonis,* Virdunenſis Epiſcopi vita, *ex MS. Codice.* 236

S. Areſtæ *al. Oreſtis* martyrium, *ex Sim. Met.* 237

X. S. Theoctiſtes Lesbiæ vita, *ex Simeone Metaphraſte.* 238

De S. Tryphæna, *vide in actis S. Theclæ 23. Septenbris ex Baſilio à cap. 10. vſq. ad ca. 22. ex Met. cap. 9. 10. & 11. ex Adone ca. 2. 3. & 4* 246

XI. S. Menæ, *al. Mennæ,* Aegyptij martyrium *ex Sim. Met.* 241

De eiuſdem miraculis, *authore Timotheo Archiepiſcopo Alexand.* 243

S. Martini Turonenſis Epiſcopi vita, *authore Seuero Sulpitio eius diſcipulo* 246

*De eiuſdem tranſlatione, *ex Greg. Turonenſis lib. 1. c. 6. miracul. S. Martini.* 61

* De eiuſdem reuerſione à Burgundia, *authore Odone Abbate Cluniacenſi.* 262

XII. S. Liuini Archiepiſcopi & martyris vita, *ex Breuiario Eccleſiæ Gandenſis.* 256

S. Martini Papæ vita, *ex MSS. Codicib.* 267

S. Cuniberti Epiſcopi Colonienſis vita, *ex MSS. Codicibus.* 274

Miraculum ad eiuſdem reliquias, *à Sigevvino Archiepiſc. Colonienſi litteris mandatum.* 275

SS. Matthæi, Benedicti, Ioannis, Iſaac, Chriſtini, fratrum Breunouienſium, & Barnabæ contubernalis eorum vita & martyrium, *ex Iohannis Dubrauij hiſtoriæ Bohemicæ lib. 6.* 276

S. Lebuini presbyteri vita, *ſcripta ab Hucbaldo Elnonenſi monacho.* 277

De eodem, *ecloga S. Radbodi Traiectenſis Epiſcopi.* 282

De eodem, *eiuſdem S. Radbodi ſermo.* ibid.

*S. Didaci Complutenſis ex ordine Minorum vita, *à Petro Galeſinio Protonotario Apoſtolico deſcripta.* 284

*De eiuſdem canonizatione, *literæ decretales Sixti Papæ V.* 309

XIII. SS. Antonij presbyteri, Zebinæ, Germani, & Ennathæ virginis martyrium, *ex Euſebij hiſtoriæ Eccleſiaſt. li. 8. c. 19. interprete Ioanne Chriſtophorſono.* 314

De S. Merria, *al. Metra,* martyre, *ex Greg. Turonenſi de gloria conf. cap. 71* 315

S. Bricij, *al. Britij,* Epiſcopi Turonenſis vita, *authore Grego. Turonenſ. lib. 2. hiſt. Francorum cap. 1.* ibid.

S. Quintiani primo Ruthenæ, deinde Aruernæ ciuitatis Epiſcopi vita, *authore Gregorio Turonenſi de vita patrū cap. 4.* 316

S. Maxellendis virginis & martyris vita, *ex MSS. Codicibus,* 317

S. Homoboni ciuis Cremonenſis vita, *ſcripta à Canonicis Eccleſiæ cathedralis Cremonenſis.* 319

De eiuſdem canonizatione, *diploma Innocentij Papæ III.* 321

*S. Abbonis, *al. Albonis,* Abbatis Floriacenſis vita, *ab Aymonio Floriacenſi monacho eius ſocio conſcripta.* 322

XIV. S. Laurentij Archiepiſcopi Dublinenſis vita, *auctore quodā e collegio Augenſi.* 331

S. Serapionis martyrium, *habes in certaminibus SS. Epimachi & Alexandri 12. Decembr. cap. 5.* 231

XV. SS. Samonæ, Guriæ & Abibi martyrium; *ex Simeone Met.* 339

De iiſdem, *oratio Arethæ Archiepiſ. Cæſareenſis.* 345

S. Maclouij, *al. Machutij* Epiſc. vita *authore Sigeberto Monacho Gemblacēſi.* 349

De S. Leopoldo Auſtriæ marchione, *oratio Franciſci Patauii aduocati conſiſtorialis.* 345

S. Eugenij primi Toletani Epiſc. & martyris hiſtoria, *collecta à Flobario presbytero.* 360

XVI. S. Othmari Abbatis vitæ liber 1. *authore VValafrido Abbate Augienſi,* liber 2. & 3. *authore Iſone monacho S. Galienſi.* ibi.

S. Margaretæ Reginæ Scotiæ vita, *habetur 10. Iunii.*

S. Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis vita, *ex Adonis martyrologio.* 368

S. Edmundi, *al. Eadmundi,* Archiepiſcopi Cantuarienſis vita, *ex MSS. Cod.* ibid.

XVII. †S. Amoni Aurelianenſis Epiſcopi vita, *ex actis Eccleſiæ Aurelianenſis per Carolum Sauſſeyum conſcripta.* 374

S. Gregorij Turonenſis Archiepiſcopi vita, *per clericos Turonēſes deſcripta.* 376

S. Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi vita *authore Anonymo.* 381

S. Gregorij Thaumaturgi, Epiſcop. Neocæſareæ vita *per S. Gregor. Epiſc. Nyſſe. ſcripta, interprete Gentiano Herueto.* 390

S. Eugenij Archidiaconi Florentini hiſtoria, *habetur in vita S. Zenobii Epiſc. Florentini 25. Maii c. 14. vſq. ad c. 20.* 301

XVIII. S. Romani Diaconi martyriū, *ex Euſeb. Cæſar. l. 8. c. 12. interp. Ioāne Chriſt.* 401

S. Maximi Epiſcopi Moguntini vita, *à Ioanne Trithemio Abbate conſcripta.* ibi.

†S. Odonis, *al. Ada,* Abbatis Cluniacenſis vita, *authore Ioanne monacho Cluniacēſi, eius diſcipulo.* 405

*SS. Oriculi, & ſororū eius Oriculæ & Baſilicæ martyrium, *ex Flodoardi hiſtoriæ Eccl. Remenſis lib. 1. cap. 8.* 422

XIX. De S. Barlaam martyre, *homilia S. Baſilii Magni.* ibid.

S. Patrocli Abbatis vita, *authore S. Greg. Turonenſi de vita Patrum cap. 9.* 423

†S. Elizabeth Andreæ Hungarorum regis filiæ, vita, *authore Theodorico de Apoldia Ord. Prædicat.* 424

De S. Maximo presbytero, *lege geſta S. Anthimi marty. 11 Maii. c. 1. 3. & ſeqq.* 136

S. Ead-

XX. S. Eadmundi regis Angliæ & martyris hiſtoria, *authore Abbone Abbate Floriacenſi.* 440
De S. Syluestro Cauillonenſi Epiſcopo, *ex Gregorij Turonenſis de gloria Confeſſorum, cap. 85.* 444
†S. Bernvvardi Hildesheimēſis Epiſcopi vita, *authore Tangmaro presbyt.* ibid.
*De translatione eiuſdem. 460
*De canonizatione eiuſdem, *Bulla Cæleſtini Papæ III.* 466
S. Agapij martyrium, *ex Euſebij Cæſarieñſis hiſt. Eccleſiaſt. lib. 8. cap. 16. interprete Ioanne Chriſtophorſono.* 467
XXI. †S. Columbani Abbatis vita, *authore Iona Abbate.* ibid.
XXII. S. Cæciliæ virginis, & SS. Valeriani, Tiburtij & Maximi vita, & martyrium, *ex Simeone Metaphraſte.* 480
*De inuentione corporum eorundem, *literæ Paſchalis Papæ.* 484
XXIII. S. Clementis Papæ & martyris vita, *ex Simeone Metaph.* ibid.
De miraculo eiuſdem in puerum facto, *narratio S. Ephræm Epiſcopi & martyris ex Sim. Metaph.* 485
S. Felicitatis & VII. filiorum martyrium *habetur 10. Iulij.*
S. Gregorij Epiſcopi Agrigentini vita, *ex Simeone Metaph.* 487
* S. Amphilochij Iconij Epiſcopi vita, *ex Simeon. Metaph.* 501
De eodem, *ex Sozomeni hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 6. interprete Suffrido Petri.* 503
S. Trudonis presbyteri vita, *à Theodorico Abbate S. Trudonis conſcripta.* ibid.
De eiuſdem & S. Eucherij translatione, *ſermo eiuſdem Theodorici.* 515
S. Fauſtinæ Auguſtæ martyrium, *quære in paſſione S. Catharinæ, 25. Nouemb. cap. 16. 17. 19. & 20.* 531
XXIV. S. Chryſogoni martyrium, *quære in geſtis S. Anaſtaſiæ 25. Decembr. ab initio vſque ad cap. 8.*
S. Creſcentiani martyrium, *lege in actis Marcelli Papæ 16. Ianuar. cap. 11.* 251
S. Portiani Abbatis vita, *authore S. Gregorio Turonenſi de vita Patrum cap. 5.* 517
*S Firminæ virginis & martyris vita, *ab Antonio Maria Gratiano Epiſcopo Amerino ſcripta.* ibid.
*De eiuſdem & S. Olympiadis martyris inuentione, *eodem authore.* 519
* SS. Floræ & Mariæ virginum vita & paſſio, *authore S. Eulogio lib. 2. memorialis Sanctorum, cap. 8.* 520
De S. Romano Burdegalenſi presbytero *ex S. Gregorii Turonenſis de gloria confeſſorum, cap. 46.* 523
Inuentio & translatio S. Gereonis martyris, *à Rudolpho Abbate S. Trudonis conſcripta.* ibid.
SS. Porphyrionis & CC. ſociorum martyrium, *vide in paſſione S. Catharinæ, 25. Nouembr. cap. 16. 17. & 20.* 531
XXV. S. Mercurij martyrium, *ex Sime[...]taphraſte.*
S. Petri Epiſcopi Alexandrini mar[...] *ex MSS. Codicibus.*
S. Æcaterinæ, *al. Catarinæ,* virginis [...]tyrium, *ex Simeone Metaphr.*
XXVI. *S. Syluestri Abbatis Auximatis, fu[...]toris ordinis Syluestrinorum v[...] *authore Andrea Iacobi Fabrianenſe [...]ſdem ordinis Abbate Generali.*
*S. Conradi Epiſcopi Conſtantieñſi[...]ta, *ſcripta ab Vdalrico Conſtantienſi [...]ſcopo.*
*De canonizatione eiuſdem, *Bulla Ca[...]xti Papæ II.* 548
S. Alypij Cionitæ vita, *ex Sim. Met.* ibid.
S. Alexandri Epiſcopi & martyris vita, *ex Adonis martyrologii.* 551
* S. Baſioli vita, *à Flodoardo presbyt. lib. 2. hiſt. Remenſis cap. 2. conſcripta.* 552
XXVII. *SS. Barlaam & Ioſaphæ Indiæ regis vita, *authore Ioanne Damſceno, interprete Ioanne Billio.* 553
De S. Maximo Epiſcopo Rhegienſi, *homilia Fauſti ſucceſſoris eius* 608
Eiuſdem vita, *authore Dinamio patricio.* 611
*S. Virgilij Salisburgenſis Epiſcopi vita, *ſcripta à diſcipulo S. Eberardi eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi.* 614
* S. Siffredi Epiſcopi Carpentoratenſis, *al. Vendacenſis* vita, *ex MSS. Cod.* 620
*De eodem, *ſermo ex MSS. Codic.* 621
*Translatio eiuſdem à Vendaco Carpētoratum, *ex MSS. Codicibus.* 624
De S. Simeone Metaphraſte, *oratio Pſelli ex ipſo Metaphraſte.* 625
S. Iacobi Interciſi paſſio, *ex MSS. Codicibus.* 627
De eodem, *ex Nicephori Calliſti hiſtoria Eccleſiaſtic. lib. 14. cap. 20.* 628
S. Bilhildis viduæ & ſanctimonialis vita, *ex Breuiario Moguntino.* 629
*S. Niconis Armeni monachi vita, *ab Abbate monaſterij S. Niconis conſcripta, interprete Iacobo Sirmundo Soc.* I E S V. *ibid.*
XXVIII S. Stephani iunioris vita, *ex Reginæ matris Bibliotheca, interprete Ioanne Billio.* 633
XXIX. S. Saturnini primi Epiſcopi Toloſani & Martyris hiſtoria, *ex MSS. Cod.* 650
De eodem, *ex Gregorij Turonenſis de gloria martyrum, cap. 48.* 651
SS. Saturnini & Siſinnij Diaconi martyrium, *quære in geſtis S. Marcelli Papæ, 16. Ianuar. cap. 2. vſq. ad cap. 7.* 249
S. Radbodi Vltraiectenſis Epiſcopi vita, *ex MS. Codice.* 651
XXX. S. Andreæ Apoſtoli paſſio, *per presbyteros & diaconos Eccleſiarum Achaiæ ſcripta.* 653
De S. Troieno Santonicæ ciuitatis Epiſcopo, *ex Gregorio Turonenſi de gloria confeſſorum, cap. 59.* 656

NOVEMBER.

HISTORIA S. BENIGNI PRESBYTERI ET MARTYRIS, EX QVODAM SANE ANTIQVO MS. CODICE, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM, MVTATA NONNIHIL, VBI EXPEDIRE VISVM EST, STYLO DESCRIPTA. CONSENTIVNT vetuſtiſſima Martyrologia, niſi quod à Terentio Comite eum omnia pertuliſſe aiunt.

An. 150.

I. EODEM tempore * Aurelius Imperator ad caſtrum, quod Diuionem vocant, aduenit, vt videret muros nouos, quos illic conſtruxerant. Cumque fuiſſet ingreſſus, ait: Bene muros hos conſtructos video. Ædificate nunc templum Ioui, Mercurio & Saturno, nec patiamini vllum, qui ſe Chriſtianæ legis affirmat, in locis iſtis reſidere, nè eorum vana religione populus noſter euertatur. Audiens hæc Terentius Comes loci illius, ait: An Chriſtianus quiſpiam hîc ſit inuictiſſime Imperator: nos non nouimus. Vidi autem quendam hominem peregrinum capite tonſo, cuius habitus differt ab habitu noſtro, vitaque eius noſtræ diſſimilis eſt, deorumque ceremonias refutat: populum noſtrum abluit aqua,[a] & balſamo linit: ſigna multa in populo facit, nouum Deum patriæ noſtræ annunciat, & poſt mortem aliam vitam illi Deo credentibus promittit. His auditis, Aurelius, Quantum audio, inquit, hic, quem dicis, Chriſtianus eſt. Inquirite eum, & alligatum in conſpectum meum perducite. ſi enim hunc dimiſerimus, magnum malum regioni noſtræ accedet, & deorum noſtrorum deſpectio exiſtet. Non enim placet diis noſtris iſta conuerſatio, nec miſcetur lex Chriſtianorum legibus deorum noſtrorum: ſed[d] vbi diis noſtris oſtenſum fuerit ſignum illius Crucifixi, ilico tabeſcunt & fremunt dentibus, nec ſignum illud intueri ſuſtinent.

1. Nov.

Codex habet * Aurelian. ſed mendoſe, vt facile in talibus accidit ſub M enim Aurelio paſſus eſt.

a Ecce antiquitatem ſacræ vnctionis in baptiſmo.

d Ecce quæ olim etiam ethnici nouerunt, Crucis ſignum formidare dæmones.

II. His ab Aurelio dictis, Terentius Comes inquiri iuſſit ſanctum Benignum: cumque repertum in villa, cui nomen eſt Spaniaco, vbi verbū Dei gentilibus prædicabat, vinctum ac cæſum in conſpectu Aurelij exhiberi præcepit. Eo viſo, Aurelius ait: Crucicola, ſiquidem Chriſtianæ legis te profiteris eſſe doctorem, me perſecutorem habebis. Quod [b] ſi ad interrogationes meas non lacinioſo ſermone, nec verborum argumentis, ſed antiquæ legis & ſacrificiis deorum offerre nolueris, diuerſis te pœnis interimi iubebo, & non eripiet te de manibus meis Chriſti tui auxilium. Sanctus Benignus reſpondit: Sacratiſſima vox Chriſti eſt, vbi ait: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Aurelius ait: Ex qua regione es, & quod eſt tibi nomen? Sanctus Benignus reſpondit: Ab Oriente venimus ego & fratres mei, quos tu iam occidiſti, à ſancto Polycarpo miſſi, vt verbum Dei & nomen Chriſti incorruptum gentilibus prædicemus: vt lux, quæ illuminat omnem hominem, id eſt, Chriſtus de cœlo miſſus, omnibus innoteſcat. Aurelius ait: Si Sermonibus meis obtemperaueris, magnum te ſacerdotem deorum meorum conſtituam, & muneratum ex ærario publico, primum te in meo palatio eſſe iubebo. S. Benignus reſpōdit: Aurum & argentum tuum tecum ſit in perditionem, lupe rapax: primatum aut ſacerdotium à te promiſſum non accipio, quia interitus æternus eſt, & damnatio pleniſſima. Me vero non abduces à Chriſto, cui ego ſeruio, qui eſt verbum patris, & vita, & lux inenarrabilis, margarita ſplendens: qui eſt à patre miſſus cœlitus, credentibus annunciatus: qui in ſe credentibus vitam tribuit æternam. Ipſe eſt, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos: tuamque deteget inſaniam, qua in Chriſti ſeruos debaccharis, & tum, velis, nolis, eum, quem negas, eſſe ſcies Deum tuum & omnium gentium.

b Locus obſcurus & mendoſus.

Matth. 10.

Iohan. 1.

S. Benignus contemnit tyranni promiſſa.

III. HÆC vt audiuit Aurelius, neruis duriſſimis eum cædi præcepit, dicens: Niſi hodie ſacrificauerit, diuerſis eum pœnis affligite. Cumq; Terentio Comiti traditus fuiſſet, ad [a] trochleas extenſus eſt, & cum cæderetur, ait: Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte, quod propter nomē tuum hæc pati merui. Præſta Rex gloriæ, vt ſuſtineam omnem pœnam, quam iniquiſſimus Cæſar me pati vult. Cum ergo cæſus eſſet, & carceri mancipatus, Angelus eum confortans adeò priſtinæ reddidit ſanitati, acſi prorſus nihil læſus fuiſſet. Altera die Aurelius ſuis eum iuſſit conſpectibus præſentari, & ait: Benigne, ſacrificas diis, an non? Sanctus Benignus reſpondit: Non ſacrifico. Agnoſce miſer, quod dij tui nihil ſunt: qui ſignum authoris noſtri Ieſu Chriſti ſi viderint, ſtatim tabeſcent. ſunt enim idola ſurda & muta: neque vident, neque audiunt, neque ambulant, neque greſſus habent. ſimiles autem illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Tibi verò quomodo ſubuenient, qui ſibi ſubuenire non poſſunt? Tunc iratus Cæſar, ad fanum eum quoddam adduci præcepit, & inuito carnes immolatitias in os ingeri, perſuaſum habens, ſi eas carnes comederet, deinceps eum talia minime locuturum, ſed deos illum ſuo ſeruitio adhibituros. Cum autem id fieret, ille ſigno crucis contra illas carnes edito, cordeque ſurſum ſuſpenſo, & oculis in cœlum ſublatis:

Cæditur neruis.

De hoc genere torquendi Greg. Turon hiſtor. Franc lib 4 c. 49 lib. 6. c 8. & 35. lib. 7. c. 32. & de glor. cōfeſ. cap 83.

Pſalm. 113. & 135.

Nota vim signi Crucis.

latis: Domine Ieſu Chriſte, mundi instaurator, deſtructor dæmonum, lux æterna, adſpice in hac hora, vt confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & gloriantur in ſimulacris ſuis, & ſciant, quia tu es Deus æternus. Cum hæc dixiſſet, & Crucis expreſſiſſet ſignum, mox idola omnia lignea & lapidea, & vaſa, in quibus ſacrificia offerebantur, inſtar fumi euanuerunt. Tum vero ſanctus Benignus gaudio magno affectus, ait: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte quod me ſacrificiis mutis contaminari non ſinis. ad Aurelianum autem dixit: Agnoſce miſer, quo redacta ſint figmenta deorum tuorum, vt ad ſignum ſalutis euanuerint. Cognoſce infelix creatorem cœli & terræ. Aurelianus ait: Tu cognoſce Benigne, vt dij noſtri tuam cupiant facere voluntatem. Si tu illis velis præbere aſſenſum, magnum te apud nos videbis. Sanctus Benignus reſpondit: Stultum habes cor, nec oculis vides, quanta ſit virtus Chriſti, quæ deos tuos ſic comminuit. Iam dixi tibi, diabole, auctor criminum, me non ſeruire dijs tuis, nec dæmonum ſimulacra adorare.

Traditur in carcerem. Vexatur tormentis.

His verbis commotus iniquiſſimus Imperator, in carcerem eum includi præcepit, & grandem ſaxum idemque perforatum adduci, atque in eo pedes eius plumbo liquefacto inſeri, & in digitos manuum eius calentes ſubulas longiores defigi, atque per ſex dies nullum ei nec cibum nec potum præberi: porro etiam includi cum eo duodecim canes ſæuiſſimos, fame & ſiti affectos, vt ab illis dilaceraretur: carcerem quoque cuſtodiri à militibus. Itaque ſubulas acutiſſimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remiſſo pedes eius incluſerunt, caneſque ferociſſimos cum illo in carcere incluſerunt. Cum autem ad carcerem duceretur, ait: Audite me Comites & tribuni: credite in Ieſum Chriſtum redemptorem noſtrum, quia ipſe ſpes & ſalus eſt in ſe credentium, vt deleantur peccata veſtra. Ipſe eſt lux mundi huius, cuius odore mortui reſurgunt, cuius tactu confortantur infirmi: cuius gloria replet cælos, miſericordia replet terram. Ingreſſus vero in carcerem, per ſex dies illic manſit, orationi vacans: Angeloque eum conſeruante, canes manſuefacti ſunt, ita vt nec pilum capitis eius, nec fimbriam veſtimenti attingerent. Idemque Angelus Domini ei alimentum, id eſt, panem cæleſtem præbuit, & diſcutiens ſubulas de manibus & plumbum à pedibus eius: Accipe, inquit, Chriſto dilectiſſime. Ille vero accipiens panem, gratias egit, & manducauit. Sexto die Aurelianus ait ad ſuos: Aperite carcerem, & videte num ſit à canibus dilaceratus, nec ne. Aperta itaque cuſtodia, inuenerunt eum ita illæſum, & tam integrum, vt ne vna quidem plaga in eius corpore appareret. Quod cum Aureliano renunciaſſent, ille ait: Recte ferreo collum eius in ipſo carcere contundite, & lancea cordis [illegible] crudeliter extinguere, ne vel nobis, vel dijs noſtris pergat irrogare iniuriam. Id cum factum eſſet, columba niuea ex carcere à Chriſtianis euolare viſa eſt vſque ad nubes, ſatis indicans, precioſam martyris animam ad cælos proficiſci. Tantæ autem ſuauitatis odor eorum compleuit nares, vt in Paradiſo ſibi verſari viderentur. Poſt [illegible] autem Aurelianus inde receſſit. Leonilla beatiſſima matrona nutu Dei eo veniens, ſanctum corpus [illegible] condiuit, & non longe ab ipſo carcere condidit in ſepulcro: vbi multis ſe virtutibus & miraculis [illegible] declarauit. Acta ſunt hæc circa ſanctum Dei Benignum presbyterum Calendis Nouembris, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Angelus cũ [illegible], & cibum ei præbet.

Migrat ad Dominum.

Miracula ad ſepulcrum eius.

De hoc eodem Martyre habentur quædam in paſſione Tergeminorum martyrum, quæ eſt 17. Ianuarij. Extant etiam nonnulla apud S. Gregorium Turonenſem, in laudem Martyrum, Cap. 51. quæ hic ſubijcere viſum eſt.

BENIGNVS autem Dominici nominis teſtis, apud Diuionenſe caſtrum martyrio conſummatus eſt. Et quia in magno ſarcophago poſt martyrium conditus fuit, putabant noſtri temporis homines, & præſertim beatus Gregorius Epiſcopus, [illegible] quem poſitum fuiſſe gentilem. Nam ruſtici vota ibi diſſoluebant, & quæ petebant, velociter impetrabant. Ad hoc ergo beati ſepulchrum quidam, dum exinde multa beneficia perciperet, cereum detulit, quo accenſo domum rediit. Puerulus enim paruulus hæc obſeruans, illo abeunte, deſcendit ad tumulum, vt ardentem cereum extingueret & auferret. Quo deſcendente, ecce ſerpens miræ magnitudinis de alia parte veniens, cereum circumcingit. Puer autem timens, ſurſum rediit: & bis aut tertio cereum auferre tentans, obſiſtente angue non potuit. Talia & his ſimilia beato pontifici nunciata, nullo modo credebat, ſed magis, ne ibidem adorarent, fortiter teſtabatur. Tandem aliquando Dei martyr beato ſe confeſſori reuelat, & dicit: Quid agis, quod non ſolum tu deſpicis, ſed meetiam honorantes me ſpernis? Ne facias, quæſo, ſed tegmen ſuper me velocius præpara. V.

Item miracula ad ſepulchrum eius.

Sancti honorandi & inuocandi.

Ex qua ille viſione concuſſus, beatum ſepulchrum adit, ibique diutiſſime pro ignorantia cum fletu veniam deprecatur. Et quia crypta illa, quæ ab antiquis ibi tecta uoluta fuerat, diruta erat, rurſum eam beatus Pontifex reædificauit, eleganter tranſuoluens opere: ſed ſanctum ſepulchrum, neſcio qua cauſa faciente, foris euenit. Quod ille intus transferre cupiens, conuocauit ad hoc obſequium Abbates atque alios religioſos viros, in quo conuenientes grande miraculum beatus martyr & populis, & ſuo præſtitit confeſſori. Erat quippe validum, vt ſupra diximus, illud ſarcophagum, vt tale in iſto tempore nec tria paria boum trahere poſſint. Cumque diutiſſime morarentur, nec inuenirent qualiter ipſum intus inferrent, ſanctus Gregorius illuminatis cereis, cum grandi pſallentio apprehendens à capite martyris ſarcophagum, duo presbyteri ad pedes mouentes, illud in cryptam habiliſſime detulerunt, & vbi ipſi fuit placitum, compoſuerunt: quod non minimum populis ſpectaculum fuit. Poſt paucos autem annos ab euntibus in Italiam, paſſionis eius hiſtoriam allatam beatus confeſſor accepit. Sed & deinceps ſanctus martyr multis ſe virtutibus manifeſtauit in populis. Nec moratus, ſuper cryptam illam baſilicam magnam iuſſit ædificari. VI.

Sarcophagum [illegible]. Nota de cereis ardentibus.

In proximo autem eſt & alia baſilica, in qua Paſchaſia quædam religioſa veneratur. Nam viſum eſt eo tempore conſtructoribus, quandam anum egreſſam fuiſſe ab ipſa baſilica, nigra veſte, cygneo capite, vultuque decoro, quæ ſic affata eſt ſtructores: Eia dilectiſſimi, perficite opus bonum: eleuentur machinæ, quibus erigitur hæc ſtructura, & merito acceleratur, quæ talem habet executorem. Nam ſi permitteretur, vt veſtrorum oculorum acies contemplaretur, nempe videretis vobis operantibus ſanctum præeſſe Benignum. Hæc effata, baſilicam, de qua egreſſa fuerat, ingrediens nulli vltra comparuit. Autumabant enim eius temporis homines, beatam ibi apparuiſſe Paſchaſiam. Super lapidem vero illum, in quo cum plumbo remiſſo pedes eius confixi fuerunt, ſi in loculis vinum aut ſicera à multis infundatur: vnde ſi aut oculi lippitudine grauati, aut qualibet vulnera [illegible] perunctа, protinus fugata infirmitate ſanantur. Quod ego celeriter expertus ſum. Nam cum mihi [illegible] lippitudine oculi grauarentur, ex hoc lacu vnguine tactus, dolore protinus caruí. VII.

S. Paſchaſia apparet quibuſdam.

Nota lectorem [illegible] lacu [illegible] & [illegible].

Cum autem ad Aruernam regionem lues illa inguinaria adueniret, quæ S. Galli Epiſcopi oratione depulſa eſt, [illegible] ſubito [illegible] parietes domorum atque eccleſiarum ſignarentur, atque caraxarentur, [illegible] VIII.

appare-

apparuit in viſu noctis, quaſi vinum, quod in apothecis noſtris habebatur, ſanguis eſſet effectus. Cui lamentanti ac dicenti: Væ mihi, quia & ſignata eſt plaga domus mea: ait ei vir quidam: Noſti, inquit, quod poſtridie, quod erit in Calendis Nouembris, paſſio Benigni martyris celebrabitur? Noui, ait. Vade, inquit, & vigila totam noctem in honore †, ac reuoca Miſſas, & liberaberis à plaga. Expergefacta autem à ſomno, impleuit quæ ſibi fuerant imperata: ſignatiſq; vicinorum domibus, domus noſtra inuiolata permanſit.

† eis, deeſſe videtur.

De translatione corporis S. Benigni presbyteri & martyris habes in vita S. Annonis Archiep. Colonienſis lib. 1. cap. 38. 4. Decemb.

MARTYRIVM S. CÆSARII DIACONI, EX VETVSTIS SANE LIBRIS MSS. PER F. AVR: SVRIVM PRESSIVS DESCRIPTA. SVFfragatur antiquiſſimũ Martyrolog.

An. 160.

I. TEMPORE illo, quo Claudius necauit gladio matrem ſuam, furore arreptus, toto orbe Romano edicta propoſuit, vt quicunque deos colere nollent, aut acerrimis ſubderentur pœnis & ſuppliciis, aut ſolita offerrent ſacrificia. Erat tunc Taracinis, quæ eſt Campaniæ ciuitas, [a] Firminus pontifex. Is ſatanico impulſus ſpiritu hortabatur ignaros & veri Dei notitia deſtitutos, vt pro ſalute reipublicæ nomen ſibi immortale compararent, fidelitate & audacia. Proponebat autem eis delitias & ornamenta, vt iis ineſcati, cum equis phaleratis & armis militibus è monte ſe in mare præcipitarent, tanquam hoc crudelitatis genere patriam expiaturi. Et id quidem faciebat ille quotannis Calẽdis Ianuarijs pro ſalute reipublicæ & principum, & in laudem eorum, qui Taracinis morabantur. Erat autem in vrbe illa iuuenis formoſus, Lucianus nomine; qui deliciis & laſciuiis diffluens, ad Calendas Ianuarias huic præcipitio deſtinabatur.

1. NOVE. S. Caſariũ non ſub Claudio, neque ſub Nerone paſſũ probat Baron. 1. Nouembr. in notis Martyrol. Rom.

[a] Firminus dæmonum pontifex quid perſuaſerit quibuſdam.

II. EVM iuuenem conſpicatus Cæſarius Diaconus, qui tum ex Africa reuertebatur, ſciſcitatus eſt ex ciuibus, quid ſibi vellet ille ornatus. Reſponderunt illi: Sic ille ornatus eſt in ſuum exitium. Et Cæſarius: Per Deum, inquit, omnipotentem vos adiuro, vt huius rei mihi rationem explicetis. Reſponderunt ciues: Ad ſex vel octo menſes nutritur hîc quiſpiam pro illius voluntate. Iis exactis menſibus, armatus aſcendit in montem, & pro ſalute reipublicæ, & principum ciuiumq; ſalute, atq; vt immortale ſibi paret nomen, cum equo ſe agit è monte præcipitem. Eius vero cadauer honorifice admodum colligitur, & ad templum Apollinis perductum concrematur, cinisq; eius in templo pro ciuiũ & reipublicæ ſalute reconditur. Hæc vt audiuit Cæſarius Diaconus: O vos infelices, inquit, & miſeros, qui hominum innoxiorum animas offertis dæmonibus, neq; hîc, neq; in futuro ſeculo vera vita potituri. Deinde latuit ea in vrbe vſque ad Calendas Ianuarias apud quendam Chriſtianum Dei ſeruum, in precibus & vigiliis cum illo ſeruiens Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Vide morẽ plane barbarum.

III. VBI ventum eſt ad Calendas illas, ciues ad templum Apollinis conuenêre, Lucianumque iuuenem ſpecioſiſſimum adduxerunt, vt offerret ſacrificium. Obtulit ergo porcam pro ſalute ciuitatis & ciuium. Id cernens Cæſarius Diaconus, exclamauit: Viri ſapientes, cur tanto vos ſcelere obſtringitis? Itáne æquum vobis videtur, hominem innoxium pro vita veſtra in mortem præcipitare? Oblato ſacrificio, iuuenis Lucianus conſcendit equum, & furoris quodam œſtro percitus, vbi in montem peruenit, inde ſe præcipitem dedit, & mortuus eſt. Rurſus ergo exclamans Cæſarius Diaconus: Væ reipublicæ, inquit, & principibus eius, qui lætantur alienis cruciatibus, & ſanguine fundendo paſcuntur. Quid ita perditis animas impoſturis & perſuaſionibus malorum dæmonum? Hæc dicentem illum Firminus pontifex iuſſit ſummo ſtudio comprehendi, & in cuſtodiam publicam abduci. Porro corpus Luciani collegit, & pro more in templum Apollinis importatum combuſſit, templumq; ſacrificiis ornauit. Inde poſt dies octo Luxurius, vir primarius eius ciuitatis, & Firminus pontifex Cæſarium Diaconum è cuſtodia in forum adduxerunt: rogaruntque Leontium conſularem, qui per id tempus in Fundana ciuitate erat, vt Taracinas veniret. Et venienti, triduana inedia marceratum Cæſarium in ipſo foro tradiderunt. Is vero per præconem ſciſcitatus eſt ex Cæſario, quis vocaretur. Reſpondit ille: Cæſarius peccator vocor, Diaconus immeritus. Leontius conſularis dixit? Seruus es, an ingenuus? Cæſarius reſpondit: Seruus ſum Domini mei Ieſu Chriſti. Leontius conſularis dixit: Audîſti, quid iuſſerint Imperatores? Cæſarius Diaconus reſpondit: Iuſſa illorum ego neſcio. Leontius conſularis ait: Vt ſacrificium offeras diis immortalibus. Cæſarius dixit: Pl ne iuſſerunt illi, vt infelices. Leontius conſularis ait: Quid nia pro ſalute reipublicæ? Cæſarius reſpondit: Illa alus, non niſi, exitium eſt. Leontius conſularis dixit: Et ta‑ nibus ſalutifera eſt. Cæſarius ait: Et quænam a ſal s eſt, qua ſic intereunt homines, vt vitæ compotes eſſe non

Lucianus quidam pro ſalute vt putabat patriæ è monte ſe præcipitat.

S. Cæſarius in cuſtodiã ducitur.

IV. LEONTIVS Conſularis dixit: Fac, quod dico, & ſacrifica diis, alioqui mox daturus pœnas. Cæſarius Diaconus reſpondit: Pœnæ tuæ nihil me mouent, ſed vos illa æterna ſupplicia mouebunt, quæ ſine fine perſentietis. Leontius Conſularis dixit: Eamus vſque ad Apollinis ſacratiſſimum templum. Ductus eſt autem Cæſarius vinctus, & quidem nudus ante carpentum Leontij: cumque templo appropinquaret, in medio militum dixit: Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui es in æternum: tibi omnia cognita ſunt: noli me derelinquere, ſed reſpice ſeruum tuum ſperantem in te. Hoc cum dixiſſet, ſubito corruit templum & pontificem Firminum oppreſſit. Tum vero accurrens Luxurius primus ciuitatis, Audióne, inquit, Conſularis perfidum hunc Cæſarium magica carmina promentem? Leontius Conſularis reſpondit: Et nos id ſcimus: verſuſque ad Cæſarium Diaconum: Hodie, inquit, in te exardeſcet ira mea. Cæſarius Diaconus ait: Ego vero neque te, neque principem tuum timeo. Vt enim dixiſti, ira tua hodie exardeſcet, & cras euaneſcet: cumque mortui fueritis, nihil vlterius eritis. Exclamans autem Luxurius, dixit: Audis hunc in principum iniuriam verba iactantem, & adhuc ceſſas eum tollere è medio? Leontius Conſularis reſpondit: Et quanam pœna mulctandus eſt? Luxurius ait: Conuocetur vniuerſa ciuitas ad templum, vbi ſuam magiam exercuit. Id cum factum eſſet, erecto Firmini pontificis cadauere, ita ad populum locutus eſt Luxurius: Videtis perfidum hominem, qui nec deos timet, nec principem: qui pontificem extinxit, & incantationibus ſuis antiquitatis euertit templum?

Cæſarius nudus & vinctus ad templũ trahitur.

Ad preces eius templũ corruit, & Firminum opprimit.

V. EXCLAMANS autem Cæſarius Diaconus, ait: A um ne eſt, fratres, hominem potius timere, quam rerum omnium præpotentem Deum, humanoque ſanguine ve am expiari vrbem? Admoneo igitur vos, vt agatis pœnitentiam ob effuſum innocentem ſanguinem, credatiſque in Chriſtum filium Dei, eumque timeatis. Exclamauit omnis populus: Bonus homo iuſta loquitur. Tum vero Luxurius eum è populo eductum, rurſus in carcerem coniecit, vbi fuit annum integrum & menſem vnum. Deinde iuſſit Luxurius eum è carcere produci, miſſaque ad Leontium legatione, perquiſiuit ex eo, quo pacto eum necandum cenſeret. Prodiit autem è cuſtodia beatus Cæſarius, macie confectus & nudus, ſed capillis ſuis tectus. Angelus enim Domini nocte ac die cuſtodiebat eum. Adductuſque in medium forum, ait ad milites, qui eum catenis vinctum tenebant: Quæſo, parumper me relaxate, vt

Rurſus in carcerem conijcitur.

[illegible] Domino nostro Iesu Christo, [illegible] [illegible] Domine [illegible], pater Domini nostri Iesu Christi [illegible] [illegible] Id cernens Leontius Consularis, magna voce dixit: [illegible] Deus [illegible], quem [illegible] Cæsarius [illegible] & induit eā beatum Cæsarium [illegible] Dixit [illegible] beatus Cæsarius [illegible] accepta aqua, baptizauit eum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti [illegible] perrexit corpus [illegible] Christi. C[illegible] beato [illegible] reddidit [illegible]

IV. [illegible] & [illegible] Diaconum, [illegible] Post Leontium [illegible] ignibus [illegible] Kalendas Nouembris. Post [illegible] Cæsarius Diaconus [illegible] beatus Cæsarius dixit [illegible] Me qui [illegible] vt me nunc [illegible] cum patre meo Iuliano [illegible] Christianum. Te vero [illegible] vt cognosceret omnis hæc [illegible] quibus con[illegible] Deinde [illegible] Cæsarius Diaconus [illegible] lites eorum [illegible] percussus. [illegible] que [illegible] vnde ad [illegible] iacebat [illegible] Angelis, & [illegible] porta [illegible] rum [illegible] Cæsarij [illegible] ponte [illegible] abluerat, collegit, [illegible] que [illegible]

V. [illegible] dies [illegible] condiderat beatus martyres, ieiunans, & [illegible] Taracienses [illegible], qui non longe ab vrbe esset [illegible] Felice presbytero baptizabantur. Vbi [illegible] Leontius Consularis [illegible] ob [illegible] milites, qui tenerent Felicem presbyterum & [illegible] populi conspectu [illegible] tenerent [illegible] Felix presbyter respondit [illegible] Domini nostri Iesu Christi. Leontius dixit: Dicite qui vocemini. Responderunt [illegible] Felix & Eusebius appellamur. Leontius ait: Quid [illegible] principum, [illegible] Felix [illegible] respondit [illegible] non prædicamus, sed [illegible] vera [illegible] Deus [illegible] cognoscatur [illegible] vobis [illegible] æternam. Leontius dixit ad populum: quid vobis videtur? Alij clamabant, [illegible] alij [illegible] Si ergo [illegible] Leontius eos [illegible] Sed [illegible] dentes & contem[illegible] Leontius eos capite damnauit, [illegible] Eusebius vero per flumen [illegible] quidam presbyter Caprinus, Quartus nomine, cum exiret ad agrum [illegible], inuenit truncata [illegible] corpora, [illegible] & posuit in vehiculum, duxitque in domum [illegible] Quæ quidem postea luce [illegible] incorrupta [illegible] corpus beati Cæsarij Diaconi [illegible] martyris. Vbi [illegible] diem, [illegible] gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat [illegible] seculorum. Amen.

Vide [illegible] Cæsario Acta SS. Nerei et Achillei 12. Maij. [illegible] Antonini [illegible] Episcopi [illegible] cap. 4. [illegible] Vincentio Beluacensi [illegible] lib. 4 [illegible]

VITA S. MARCELLI PARISIENSIS EPISCOPI, AVTHORE FORTVNATO EPISCOPO.

PRÆFATIO AVTHORIS AD S. GERMANVM EPISCOPVM Parisiensem.

An. 320. Pontifex Marcellus 9. Parisiensis Episcopus in tab. [illegible] mochatus. 3. Nou. [illegible]

I. D[illegible] & meritis [illegible] Apostolico [illegible] in Christo [illegible] Germano [illegible] Fortunatus. Facundissima [illegible] [illegible] vile [illegible] [illegible] habere. Vnde [illegible] Verum [illegible] quicunque angu[illegible] ne [illegible] per quem vel [illegible] vel suæ [illegible] apparere, verumetiam si quid [illegible] in [illegible] ab aliis [illegible] Sed sicut torrens [illegible] & [illegible] dare formidat.

II. C[illegible] [illegible] vero [illegible] Marcelli [illegible] Gal[illegible] [illegible] queda [illegible] & [illegible] mento. Cum [illegible] [illegible] compa[illegible] [illegible] indicent [illegible] ingenij

CERTAMEN SANCTORVM ET GLORIOSORVM MARTYRVM ACINDYNI, PEGASII, ANEMPODISTI, APHTHONII ET ELPIDEPHORI: *ex Simeone Metaphraſte. Habetur in tomis Aloyſii.*

An. 350

I. ETIAMSI Perſæ primi Chriſtum natum ex Virgine adorarunt, & donis eum honorarunt, ij tamen poſtea Chriſti ſeruos propter ipſum inhumane punierunt. Hoc autem cum ex multis aliis eſt euidens, tum ex argumento, quod nunc eſt propoſitum. Nam cum ſuperbus ille Sapores ſceptra teneret Perſica, & declinaſſet ad Tyrannidem, & ad Chriſtianos, qui erant in eius poteſtate, perſequendos fuiſſet incitatus, magna quædam caligo Chriſti fuit offuſa Eccleſiæ, & ea repleta fuit tumultu & confuſione. Nullus autem ea Perſis erat negligens in acriter defendenda ſua religione. Quamobrem eos, qui Chriſtum colebant, quotidie criminantes, manui regiæ tradiderunt. Inter quas beatum quoq; Acindynum, Pegaſium & Anempodiſtum, qui latebant in quadam domuncula, Regi indicauerunt, vt qui & Chriſtianorum tenerent opinionem, & multos ex iis, qui ad ipſos ventitabant, Chriſti dogma docerent, & perſuaderent, vt regia deſpicerent decreta. Ille autem valde iratus, iuſſit ſtatim ſanctos comprehendi, & coram ſe ſiſti.

2. Nouemb.

Sapores rex Perſarum perſequitur Chriſtianos.

II. CVM vero adfuiſſent, iram ſtatim illinens ficta moderatione: Filioli, inquit, (quos paulo poſt erat excarnificaturus) dicite mihi, quænam eſt vobis patria, vnde genus ducitis, quodnam eſt vobis ſtudium? Sancti autem reſponderunt: Et patria, & genus, & ſtudium eſt fides in Trinitatem, quæ eſt vnus Deus, à quo ad omnes, qui ſunt, eſſentia: & ad eos qui viuunt, vita, tanquam à fonte aliquo perenni, deriuatur. Hæc cum audiuiſſet Tyrannus, Vt videtur, inquit, mea lenitas & quod non ſim procliuis ad ſupplicia, vos reddidit contumaces & audaces ad reſpondendum. Dixit vero ſtatim Acindynus: Quænam reſponſio facta fuit a nobis, quam oportet: aut quid tibi videmur non reſpondere vt conuenit? Quoniam, inquit, alia reſpondiſtis, quam de quibus fuiſtis interrogati, ſed niſi accedentes cito ſacrificaueritis, pœnitentia ducti fruſtra flebitis. Sanctus Anempodiſtus libero verborum fluento dixit Tyranno: Oportebat quidem, ô Rex, nos de hoc verbo ne minimum quidem reſpondere, ſed ferre ſilentio tuam in nos contumeliam: ſed quoniam feruor fidei in Chriſtum, non ſinit nos tacere, audi nos hæc tibi dicentes: Cur de patria genere & ſtudio curioſe inquiris? Hæc enim omnia, vt prius diximus, eſt nobis Trinitas omnium architectatrix. Deos autem, quibus nos iubes ſacrificare, nec nouimus, nec ſunt omnino. Oportet enim amare veritatem, dæmones vero ſcimus eſſe deceptores, & animis afferre interitum. Qui cum à Deo creati eſſent, & ab eo qui fecerat defeciſſent, igni æterno ſunt damnati. Tyrannus autẽ his ad iram accenſus, eis mortem minatur acerbiſſimam. Cui ſancti perinde ac ſi bona eſſet pollicitus, non autem tormenta minatus, reſponderunt: Vix tandem agnouiſti id, quod eſt nobis vtile & ſalutare.

Blanditur ſanctis martyribus.

Mox intentat minas.

Dæmones animarum interemptores.

III. TVNC ergo iubet eos à quatuor viris extenſos per totum corpus virgis cædi. Illi autem cum totam mentem ad Deum extuliſſent, ita affecti erant, cum virgis cæderentur, perinde ac ſi patientibus aliis, ipſi adeſſent ſpectatores. Propterea plagas quidem negligebant: conueniens autem canticum ad Deum pſallebant, dicentes: Vidiſti Domine, ne ſileas, & ne diſcedas à nobis. Deinde qui eos torquebant lictores, defeſſos iam, quod diutius producerentur tormenta alij recentes excipiunt. Cum autem hanc, quæ erat ſupra hominem, vidiſſet Tyrannus martyrum tolerantiam, & eos tanquam inane quidpiam ferre plagas citra dolorem, in maximam adductus admirationem & correptus vertigine, ſtatim cadit ſupinus, adeo vt, qui aderant, putarent eum eſſe mortuum. Deinde cum ad ſe rediſſet, licet non ad id, quod oportebat, & veritatem, cum ex athletarum, quæ ſuperabat hominem, tolerantia oporteret eum deduci ad pietatem, apparuit ille magis ab ira ſuperatus: & iubet martyres funibus extendi in aëre, & ignem ſubter eis accendi: vt duplici tormento eorum animæ celerius erumperent. Ille autem quouis ferro & quouis adamante fortiores, tanquam ad tormentum recentius etiam recentiorem oſtentantes tolerantiam, & non in viuente corpore & dolorem ſentiente, ſed in quodam inanimo ſupplicium ſuſtinentes, ipſum quidem negligebant: ad preces vero linguam & mentem conuertebant, dicentes: Qui es illuminatio noſtra, Chriſte Deus noſter, qui propter nos paſſus es iniurias, & in ligno fuiſti extenſus, & precatus es pro iis, qui te interimebant, patientiæ & tolerantiæ decreta nobis proponens, adſpice ad humilitatem noſtram & afflictionem, & libera nos à machinationibus ſcelerati animi huius tyranni. Sciant omnes nos te habere Deum in cælis, qui poteſt omnia, & qui eſt ſine principio, tuũ Patrem, & adorandum tuum & ſanctiſſimum Spiritum in ſecula, Amen.

Sancti martyres virgis cæduntur.

Pſal. 34.

Sapores corruit.

Igni aduruntur martyres.

Eſa. 53.
Luc. 23.

IV. CVM ſic eſſent precati, in noſtra forma apparens Dominus, ſoluit quidem vincula: ignem autem irrorat, quomodo pueris olim in Aſſyria: & ſic ſancti illæſi & ſalui producti ſunt in conſpectum Regis. Ille autem cum eſſet valde craſſus & inſipiens, neque admirabili ſpectaculo obſtupefactus, neque martyrum inuicta motus patientia. Quid, inquit, vobis videtur, eos appellans nominatim, num hæc vobis patua perſuaſerunt tormenta, vt à precioſo quidem veſtro errore diſcedatis, noſtris autem edictis cedatis? an adhuc vultis permanere in errore, veſtris freti præſtigiis? Reſpõdit beatus Acindynus: Præſtigias quidem neq; ſcimus, neq; vnquam didicimus, neq; vnquam talibus vti ſumus impoſturis. Sed quoniam Dei vires * inſeparabiles, & quæ ſunt ſupra naturam ſigna diuina, putas eſſe præſtigias, viſioneq; & non te vera hæc fieri ſuſpicatis, eris deinceps mutus & lingua impeditus, vt ex teipſo teſtimonium feras Dei virtutis. Si potes ergo dicere, dic, quibuſnam diis nos iubes ſacrificare? Non erat autem vox, neq; auditio, ſed erat mutus, non ſecus atq; dij eius. ſolo nutu indicans animi voluntatem. Cuius amentiam Chriſti ſerui arguentes & irridentes, dicebant: Recedimus, tu autem nihil nobis omnino dicis.

Chriſtus apparet.

Dan. 3.

* *for. inſeparabiles.*

Sapores fit mutus.

V. CVM autem finxiſſent ſancti ſe recedere, erat Rex mutus ſimiliter, crebro defigens oculos in eos, qui circumſiſtebant, & nutu iubens, vt ſancti comprehenderentur. Deinde cum miniſtri quod volebat, non poſſent intelligere, præ ira & dubitatione effectus ſemiinſanus, rupit chlamydem, & id quod fibulatorium dicitur, humi diiecit, & ſic eos, qui aderant, vocabat ad miſericordiam. Chriſti autem milites & ipſos & Tyrannum miſerati propter amentiam. O hominum cæcitatem! dixerunt, quod ſua ſponte claudentes oculos, intueri nolunt lucem veritatis. Sed aperi Domine oculos cordis eorum, vt illuminentur luce Dei cognitionis, & tua conſiderent miracula, & adorandum & ſanctum tuum nomen ſignificent. Cum hæc autem eſſent precati, eis apparet exercitus angelorum, quorum ſplendorem ferre non valentes, qui oculis animæ caligabant, humi ceciderunt. Sancti vero cum Dei conſuetum ſenſiſſent auxilium, ei obtulerunt gratiarum actionem, dicentes: Deus noſter, refugium & virtus, adiutor in afflictionibus, quæ inuenerunt nos valde: ſed ſurge, & nobis fer adhuc auxilium, & libera ab iis, quæ nos circundant vexationibus propter nomen tuum.

Angeli apparẽt martyribus.

Pſalm. 45.

VI. FILTVS autem interitus ne tunc quidem intelligens, nec ſe effectus melior, ſed quaſi à ſe diſceſſiſſet, gemitus & ſuſpiria emittebat, & faciem pulſabat, & ſimilis erat ei, qui eſt animo perplexo, & neſcit quid agat. Quem

cum

cum benig[illegible] Chriſti [illegible] diſcipulus ſic affectum [illegible] Acyndinus [illegible] dolore oppre[illegible] effuſis propter eius cord[illegible] lachrymis, conuerſus: Quoniam, inquit, neque Dei diſciplina, ô homo, fecit te eas [illegible] [illegible] ſed tua ſponte ſic manes [illegible] gaude [illegible] impera[illegible] & amplectens [illegible] tibi [illegible] citra impedimentum, & [illegible] quod tuæ linguæ [illegible]. Illi autem pro[illegible] quidem [illegible] [illegible] linguæ, oculi [illegible] à uobis, quæ [illegible] ſed [illegible] nihil noui [illegible] que [illegible] paſſus, [illegible] quæ prius, exequi [illegible] & in eos, qui circumſiſtebant, præ animi d[illegible] vt [illegible] animus eſſet plenus de corde: A[illegible] vnus quidem, [illegible] [illegible], & Pegaſius & Anem[illegible] po[illegible] quem [illegible] incipient: Porro autem vos quoque [illegible] [illegible] nequaquam [illegible] & [illegible] in pœnas, quas veſtra mereretur inobedientia. [illegible] ergo [illegible] [illegible] & igni [illegible] qui adſpergatur [illegible] & pice & [illegible], & ſanctos recumbere [illegible] cādentes grabatos. Illi autem [illegible] in quodam [illegible] eſſent recubantes, [illegible] vultu magno [illegible] & excelſo animo [illegible] grabatos. Deinde cum [illegible] horis extendiſſent, canebant Pſalmum [illegible] conuenientem, dicentes: Igne probâſti nos, ſicut probatur argentum. Poſuiſti afflictiones ſuper dorſa noſtra. & [illegible] D. , vt [illegible] & [illegible] animo ferant [illegible] qui adſunt, [illegible]. Da [illegible] circumſiſtentibus, vt agnoſcant nomen [illegible] tuum, quibus & tuam virtutem, & tua [illegible] feciſti miracula.

VI. Cum [illegible] dixiſſent, audita eſt vox è cœlis, dicens: Quoniam factis veſtris fidem confirmâſtis, veſtræ petitiones deducentur ad effectum. Hanc ergo diuinam vocem effectus ſtatim eſt conſecutus. Nam quicunque ex circumſtantibus digni ſunt habiti, qui eam audirent, exclamauerunt: Vnus ſolus eſt verus Deus, quem colunt martyres, vnus [illegible] & præter ipſum non eſt Deus. Vos ergo eſtis beati, qui aduentus eius in terram [illegible] teſtes, & propter eius deſiderium animas ad mortem tradidiſtis, mortem, quæ vitam æternam conciliat. Cæterum vt nobis quoque manum præbeat, & nos extrahat ex profundo interitus, eum rogate. Martyres autem cum eorum preces [illegible] rationem, & oculos in cœlum ſuſtuliſſent, Altiſſime Deus, dixerunt, adſpice ad ſeruos tuos, qui nomen tuum inuocant in veritate, & voluntariam irrigationem attribue nouæ tuæ hæreditati [illegible], [illegible] qui [illegible] crediderunt in nomen tuum, vel [illegible] eis medicina [illegible] quæ à te proficiſcitur, id quod [illegible] morbos [illegible] te ſolum eſſe Deum, & omnia o Rex, [illegible] obedire potentiæ. Simul autem cum [illegible] oratione [illegible] fulgura, & erumpunt fulmina, & vehemens cadit pluuia, adeo [illegible] metu correpti aduerſarij, hinc & illinc [illegible] ſolis, qui Chriſto crediderant, relictis ſolis cum ſanctis [illegible] ad quos [illegible] Ne timeatis, dixerunt, qui vos Chriſto dedicaſtis. nam hæc propter vos extiterunt.

VII. Cum ergo vna voce Deo cum [illegible] glorificationem, acceſſit multitudo angelorum, candidis eos induens veſtibus, quæ forte oſtendebant purgatam eſſe animam fide & aquis. Rex autem, cuius cohiberi non poterat [illegible] nia, [illegible] par erat, dixit ſanctis: Quod veſtræ iuuentuti parcerem & ſpeciei, id vos fecit mea [illegible] contemnere potentiam: ſed re ipſa omnino faciens, vt [illegible] ea facere, quæ ſunt inutilia & vobis non expediunt. Sed quoniam non [illegible] nobis [illegible] patientia, quam potentia, adhuc veſtram tolerante ſtultitiam, conſulimus vt pareatis, & hunc dulcem ſolem lucrifaciatis, & non mortem præmaturam & acerbam attrahatis: ſed accedentes, dominis [illegible] ſacrificetis. Sanctus autem [illegible] Acyndynus: Nos vnum nouimus Deum, qui eſt in cœlis, & ei ſoli ſeruimus, qui poteſt corpus & animam damnare igne æterno. Ad hæc Rex: Ego quoque, inquit, volo vos vnum ſolum Deum adorare. Et quomodo, dixerunt martyres, nos [illegible] ſacrificare? Me, inquit, ſequentes facite, quomodo me videritis facientem. Sed tu quidem, dixerunt martyres, facies ſicut [illegible] nos autem rurſus conſequenter faciemus, vt diximus.

VIII. His lætatus Rex, Et ecce hoc, inquit, non diu [illegible] feciſtis ſed me [illegible] egiſtis ad hoc, quod eſt præter naturam, vt [illegible] quod [illegible] non [illegible]. Vos [illegible] tanquam [illegible] te, qui vos [illegible] præter ſententiam. His dictis, [illegible] & accerſitis ſanctis, vt in templo conſiderent [illegible], Abſit dixerunt, o Rex, vt [illegible] eo procedamus dementiæ, vt tecum audeamus conſidere, & tuam potentiam [illegible] contumelia. Sed [illegible], inquit, [illegible] contumeliæ e[illegible] eſt mihi [illegible] & [illegible] in templo, vno ex [illegible] manu apprehenſo, ſimul cum eo eſt ingreſſus. [illegible] magna diffuſo lætitia: Magna eſt [illegible] potentia, clara voce exclamauit. Deinde ad ſanctos conuerſus: Quid, inquit, vobis videtur? [illegible] vt ipſi primi ſacrificium an nos id [illegible] faceremus? Quomodo veſtra voluerit potentia, Sancti reſponderunt. Rex autem permittit ſanctis primum precari. Cum ipſi ergo genua inclinaſſent, & preces Deo [illegible], totum templum fuit terræmotu concuſſum, & quæ in eo erat ſtatua, cadens fuit confracta. Rex itaque territus, è templo exilijt. Deinde [illegible] ſanctis ab oratione, & veſtigia lachrymarum [illegible] apparerent in eorum vultibus. Hæc ſunt veſtra Deo [illegible] promiſſa, dixit Rex, hacne ſpe vos adduxi in templum [illegible] Sancti autem: Nos, dixerunt, in nullo mendacio deprehendiſti, o Rex, ſed quod polliciti fuimus, hoc fecimus. Ille vero: Si ad talem [illegible] veſtra, vt vos dicitis, promiſſa [illegible], nec omnino quidem attendiſſemus ea, quæ a vobis dicebantur. Reſtat ergo, vt vos pro meritis factorum [illegible].

IX. Dixit, & ſtatim iuſſit tres afferri lebetes, & in eos [illegible] plumbum, & maximum ignem in eis accendi: ex vtraque autem parte lebetum ſtylos infigi, quibus capita & ea [illegible] per quæ [illegible], & lumbis ſanctorum comprehenſis, [illegible] in lebete [illegible] & [illegible]. [illegible] ergo [illegible] ſubeuntes, canebat vnuſquiſque ſanctus, & ſuo [illegible] & [illegible] conuenientem. Nam beatus quidem Pegaſius: Quoniam apud te eſt fons vitæ, dicebat: In lumine tuo videbimus lumen. Magnus autem Anempodiſtus: Pedes mei ſteterunt rectitudine, & lucerna pedibus meis lex tua, & lumen [illegible]. Diuinus vero Acyndynus: Comprehenderunt nos dolores mortis, Pericula inferni inuenerunt nos: ſed etiamſi per [illegible] transiuimus, [illegible] Domine eduxiſti nos in refrigerium. Quæ erat autem [illegible] excæcatus Imperator, cum [illegible] ſanctos [illegible] plumbo nihil [illegible] accedens: Non, inquit, veſtras præſtigias, & cum catenas [illegible] manibus [illegible] lebetes [illegible] collum. Quorum ſubuerſione plumbum effuſum [illegible], eos [illegible] vacuos. [illegible] Tyrannus: Tu quidem cum tua [illegible] nobis [illegible], Deo nos [illegible] caput [illegible] & [illegible] quidem & diſſolutæ [illegible].

XI. V[illegible] admirabili obſtupefactus ſpectaculo, exclamauit: Magnus eſt Deus Chriſtianorum, [illegible] dixit. O [illegible] vexat, iubent nos [illegible] Non enim, [illegible], videmus [illegible] quem Chriſtiani [illegible] repente [illegible] num, [illegible] el [illegible] in quo [illegible] lebetibus. Ille vero [illegible] atque [illegible] fornace, repente emergentes acceſſerunt ad Imperatorem. [illegible] confirmaui [illegible] Rex, quod [illegible] colant Chriſtiani, & ſoli [illegible] & me [illegible]

ſanctis

Sapores [illegible] pit loquendi [illegible]. Vide [illegible] plenius.

Pſal. 65

Multi credunt in Chriſtum

Angeli nouis [illegible] induunt Chriſtianos albis veſtibus.

Matth. 10

Stultus Rex putat ſanctos velle [illegible] ſacrificare

Statua Iouis ad orationes ſanctorum corruit.

Immani ſupplicio affecti martyres Deum laudant

Pſal 35

Pſalm. 18.

Pſalm. 17

Pſalm. 65

Vnus ex miniſtris Regi conuertitur

[illegible]

ſanctis adiungo. Ille aũt magna eius audacia & fiducia obſtupefactus, bonis verbis & honorum promiſſis eum conabatur potius inducere, dicens: Ego tibi cauſa fui huius mutationis, qui te tamdiu reliqui in ea, in qua fuiſti collocatus, militia, & non ſum te maioribus dignatus honoribus: ſed ſi quid hucuſq; defecimus, id iam implere ſtudebimus. Nihil ergo veritus, dic libere, quaſnam cupias dignitates, tuam enim petitionẽ nequaquam omnino renuemus. A Christo autem recens electus miles, Deſidero, inquit, ô Rex, eam accipere militiam, quam ipſe non potes præbere: ſed ſolus Rex immortalis, qui ſcit etiam dona largiri immortalis. Cum ergo eius firmam & ſtabilem didiciſſet ſententiam, eum ſtatim condemnat, vt ei caput feriatur gladio, pro ſupplicio ea largitus, quæ erant ei maxime optanda. Qui cum lubenter eam accepiſſet ſententiam, Ago tibi gratias, inquit, Domine, quod me ſeruas, qui ſum indignus, propter magnam tuam & ineffabilem miſericordiam. Propterea anima mea te laudabit, & nomen ſanctum tuum glorificabit, nunc & in ſecula, Amen.

S. Aphthonius cædi capite iubetur.

XII. DEINDE ad ſanctos conuerſus: Ego quidem, inquit, ô Domini mei dilecti, ingredior vitam mihi propoſitam. Rogo autem veſtram benignam & miſericordem animam, ne recordemini eorum, quæ iuſſus in vos feci: potius vero pro me rogetis cõmunem Dominũ, vt ſit mihi clemẽs & propitius, & ne me ſeparet à veſtra portione. Cui ſancti martyres: Bono animo dixerunt, ô frater, beatam vitam ingredere. Beatus enim es propter tuum deceſſum, quod primus noſtrum ſiſteris coram optata Trinitate, & tui laboris accipies remunerationes, æternam lucem conſequens & gloriam ſempiternam. Quocirca tu potius memento tuorum ſociorum, & precare, vt cum quod ſupereſt certaminis perfecerimus, abſq; vllo impedimento eadem, quæ tu, præmia & eandem adipiſcamur hæreditatem. Hæc cum ſancti dixiſſent, eis diuinus circunfuſus Apthonius, cum & in eorum colla deſiderij effundiſſet lachrymas, & iucũde illorum membra eſſet amplexus, ducebatur ad mortem. Deinde cum ad locum perueniſſet definitum, beatum caput eiam putatur, & apud Deum beatam deponit animam. Qui autem forte aderant Chriſtiani, cum veluti ad quendam theſaurum accurriſſent, & mundis ſindonibus precioſas eius reliquias inuoluiſſent, in loculo depoſuerunt, conſummationem ſociorum eius adhuc expectantes, vt maiores diuitias ſic ſibi reconderent.

Commendat ſe ſanctorum martyrum precibus.

Caput eius amputatur Eius ſacræ reliquiæ colligũtur.

XIII. POST hæc ſanctis dicit Rex: Ne exiſtimetis, inquit, me vobis æque leuem ac facilem mortem allaturum, atque male perdendo Aphthonio. Nam paulatim acerbiſſimis tormentis carnes veſtras conſumens, miſerabilem vobis mortem afferam. Hæc cum dixiſſet, bubulos iubet afferri culeos, & ſanctos in eos iniici martyres: Deinde in aquam immitti. Hoc autem cum factum eſſet maxima celeritate, eis beatus apparet Aphthonius ſimul cum tribus, indutus candidis veſtibus, quorum diuina virtute diſrumpuntur culei, & terræ illæſi redduntur ab eis martyres. Cum ſic ergo conſ[pe]cti fuiſſent à tyranno, arbitrans ille non fuiſſe factum, quod ipſe iuſſerat, ſtatim ſurrexit ad ſupplicium ſumendum [de lic]toribus, & ſta[tim] iuſſit eorum manus amputari gladio, erant autem quatuor numero. Deinde eos ſic pro ſanctis [proiici] in profundum maris. Quod quidem cum fieret, & mari traderentur, exclamabant: Domine, excipe noſtros [anima]s, & cum ſanctis tuis martyribus nos, etſi ſimus indigni, connumera. Deo autem inuiſus & plane dæmon Sapo[re]s, cum ſtatim beatos viros, Acindynum, inquam, & Pegaſium, & Anempodiſtum iuſſiſſet includi in carcere, ipſe [tota nocte] grauiſſime cruciabat, anxius propter res præſentes, & magnis animi fluctibus agitatus, & nec cibum quidem [vllo] [mod]o ſumere ſuſtinens.

Apparẽt martyribus Sumit tyrannus ſupplicium de lictoribus.

XIIII. IIS ergo, qui primas partes apud eum obtinebant, conuocatis: Cur me ſolum, inquit, reliquiſtis in his, quæ ſunt propoſita, laborare: ipſi autem ocioſum delegiſtis ſilentium, nec verbo, nec facto vllam opem mihi ferentes? Sed ſi aliquid quidem noui & inſoliti velim afferre, vos ſtatim habeo reſiſtentes & reluctantes. Nunc autem cum nihil noui introducatur, ſed patrum noſtrum dogma deſpiciatur, & ne cadat, veniat in periculum, & nulli veſtrum veniat in mentem, ne vultu quidem dolorem præ ſe ferre, de ſumma rei planè venio in dubium, & mœrore [ex]ecor. Ad hæc Elpidephorus, qui tunc erat primus ſenatus, & fidei Chriſti ardens amator, & ad ſummam quidam Nicodemus, & CHRISTI occultus diſcipulus: Et quam tibi, inquit, ô Rex, hac in re opem ferre poſſumus? Neque enim potentia tua nobis indiget, quæ rerum experientia omnibus antecellit, & habes poteſtatem voluntati conſequentem. Copia autem inſtrumentorum, quæ ſunt comparata ad torquendum, eorum quæ ſunt facienda, aperte ſuggerit tibi deliberationem. Rurſus dicit Tyrannus: Quid vero? Ego ne ſolus poſſum luctare aduerſus hos impios? Sanctus vero reſpondit: Si hoc tibi videtur operoſum ac difficile, ſine, inquit, eos ſua abire voluntate. Immaniſſimus vero Sapores: Sed quantum inquit, das ex tuis verbis coniiciendum, videris illis potius, quam nobis, adhærere. Nam mihi verba communiter ad omnes facienti, ipſe ſolus das reſponſa: & ſuggeris, vt impios relinquam impunitos.

Elpidephorus inſignis vir.

XV. HIS ſic à Saporio dictis cum ſuſpicione, beatus Elpidephorus, Quoniam ſum, inquit, princeps ſenatus, hi mihi merito concedunt primum dicendi locum, Sed ij quoq; dicant, quod videtur vnicuique, quoniam vis, ô Rex, omnino verum audire. Quidam autem vnus ex ſenatoribus, habens animam diuina gratia illuminatam: Quid res ea mirum eſt, inquit, ô Rex, ſi Elpid. phoro, qui eſt princeps ſenatus, & nihil inſipiens reſpondet aut indecorum, nos diſcere concedimus? Rex autem cum id, quod erat, re vera deprehendiſſet: Video, inquit, veſtram mentem non recte affectã in noſtrã potentiam. Quidam vero, nomine Philologus, ætate iunior, ingenio acutiſſimo, zelo ardentiſſimus: O Rex, inquit, mala, quæ tuum animum de nobis inuaſit coniectura, non nobis in bonum exitum deſinet. Es enim plenus ſuſpicione, vt qui cogites omnibus tua condemnatione afferre exitium. Tyrannus autem ira repletus propter repentinam Philologi loquendi libertatem: Quis, inquit, te delegit, vt dares tam duram & aſperam ſententiam? Ad hæc vir ille egregius, nõ iram tyranni reueritus, nec de eius poteſtate ſolicitus: Quid vero, quando verum dixerit quiſpiam, ô Rex, te ne oportebit ilico iraſci? Deinde etiam intuens ad omnes, qui aderant, ſenatores: Per ſalutem, inquit, veſtrũm omnium, tali viro nihil oportet reſpondere. Quomodo enim veram acciet orationem, quæ furore repleta eſt, anima? Propter hæc Tyrannus ira repletus, ira, inquam, ad ſimilitudinem ſerpentis, vt dicit diuinus Dauid, milites iubet ſtare pro foribus, vt eos, qui ei repugnabant, & primum omnium Elpidephorum, enſe conficeret. Quidam autem Calliſtratus, cum eſſet Regi amiciſſimus, eum collo amplexus, orabat vt iram reprimeret. Omnes vero ſimul libere loquẽtes: Miſerrime Regum, dicebant, pulchre ſcies nos non eadem quæ tu, ſentire, neque ſimiliter tueri impietatem. Et hæc cum dixiſſent, exierunt eo ſic relicto. Sed ille, cum eſſet nox, & ad ſummam filius tenebrarum, habuit noctem, opem ferentem rebus peſſimis, & cum primum illuxiſſet, ſedens pro tribunali, iubet tres foſſas effodi, & in eas immitti beſtias & ſerpentes, & ſanctum Acindynum cum ſuis in eas iniici.

Philologi dicendi libertas.

Pſalm. 57.

Ecce tibi ingentem tyrannum.

Martyres in foſſas mittuntur.

XVI. POSTQVAM ergo ſanctos eo immiſiſſent, Deus Deus noſter, ad te de luce vigilamus, pſallebant martyres. Sitiuit te anima noſtra, ſitiuit Deum viuum & fortem. Sed tu fac nobiſcum conuenienter tuæ manſuetudini, & educ nos de lacu miſeriæ. Quoniam benigna eſt miſericordia tua, & bonitas quæ non poteſt exprimi. Interim autem dum precarentur, ſplendidi accellerunt angeli, veluti quibuſdam virgis ferreis beſtias abigentes, & vnumquenque è ſanctis manu accipientes, eos illæſos è foſſis eduxerunt. Sed Rex cum oporteret rurſus Chriſti intelligere potentiam, & ceſſare aliquando aggredi, quæ non poſſunt effici, ille iuſſit ſanctos rurſus ſuſpenſos cædi. Cum autem vidiſſet eorum carnes multis horis conſcindi, fortique & generoſo animo reſiſtere certaminibus, iubet eos è lignis deponi, & eis capita amputari. Ipſe enim magis erat defeſſus increpans ſupplicia, quam mar-

Pſalm. 62.

Angeli eos inde educunt.

Caduntur crudeliſſime.

tyres

Condemnantur [illegible] proph. [illegible] Pſal. 5.

tyres [illegible] ſtabant [illegible] & ſumma fortitudine vicerunt [illegible] infinitam crudelitatem. Cum iam autem ad [illegible] ab eis illuminati fuerant ad pietatem, ſimul cum ſenatu, Dimittis nos, dicebant, ô doctores [illegible] peſtilentiæ, in medio Eccleſiæ malignantium, cum ad menſuram ætatis in Chriſto non- dum [illegible]. [illegible] reſponderunt: Qui docet hominem ſcientiam Chriſtus Deus noſter, qui eſt [illegible] naturam noſtram, [illegible] illuminabit & reddet intelligentes, firmosque faciet & ſtabiles fundamento [illegible].

[illegible] fuit [illegible] quod magna multitudo ſequeretur ſanctos, eorum cædes prohibens. Ille autem [illegible] qui ſequebantur ſanctos, cui iuſſum fuerat vt eos expelleret, ſed ergo illi viri, qui XVII.

Milites cæduntur [illegible] ad [illegible] Chriſti.

ad [illegible] nihil facientes, maluerunt potius mori cum ſanctis. Quorum [illegible] tantus [illegible] omnes ſimul [illegible] ſanctis interfici, ſuæ occidendi [illegible] cupiditatis prætextum accipiens eorum [illegible] pietatem. Cum autem ſuggeſſiſſent quidam, quorum erat magnus zelus in ſimulacra, quod [illegible] ſenatus cauſa [illegible] malorum iubet beatum adduci [illegible], vt qui apud eum ferret primos honores. Ille autem [illegible] qui [illegible] erant conſummati, Rogate, inquit, pro me patres [illegible] Chriſtum [illegible], vt ego quoque a veſtro cœtu non excidam. Cui ſancti: Eſto bono animo, dixerunt ô frater, [illegible] o, & ne ſis animo anxius, vos enim præcedes, primus ſiſtendus coram cæleſti Domino. Cum eos ergo [illegible], ducebant ad tyrannum [illegible] autem tres quoque alij conſequebantur, qui erant eiuſdem animi [illegible].

[illegible] autem, Quid vobis, inquit, accidit ô ſtulti, vt deorum quidem patriam dimitteretis [illegible] XVIII
nem, adh[illegible] his [illegible] citò reſipiſcentes, ad [illegible] redieritis, vos excipiet acerbus vitæ finis. [illegible] inter [illegible] conſtanti [illegible]. Notum tibi ſit, inquit ô Rex, quod deos, qui non ſunt, non colimus, [illegible] pigramus. Fac ergo id, quod tibi videtur. Quoniam hoc vobis placet, inquit Tyrannus, ſequendo [illegible] quoque [illegible] ſocios, neque nos vos veſtro fruſtrabimur deſiderio, ſed veſtra capita iubeo gladio amputari. Cum autem ſancti hanc [illegible] ſententiam, lætique & exultantes ducerentur ad [illegible], [illegible] militibus qui erant numero circiter trecenti, qui cum diuino, inquam, Acindyno & [illegible], & [illegible] ad Chriſtum, cuius miſericordia eſt ſupra vitas, mortem gladio acceperunt, magnam animi alacritatem eis afferente Acindyno, & excitante, animoſque addente ad martyrium.

S. Epiphanius [illegible] Pſal. 62. Senatores [illegible] milites occiduntur

[illegible] autem interfectis [illegible] & ſenatoribus, quamprimum accerſit Tyrannus [illegible] Acindynum, XIX.
Pegaſium que & Anempodiſtum. [illegible] vulpina pelle [illegible] clementiam que & manſuetudinem ſimulans percontatur. Quæ [illegible] eſt, dicebat, [illegible] veſtra [illegible], vt [illegible] prodigi, & [illegible] com[illegible] tetis. [illegible], quis [illegible] propter veſtram mentem [illegible] & anima. Miſereor enim veſtræ [illegible] que pulchritudinis, cuius vel [illegible] eretur [illegible], & ei parceret. Credite ergo mihi, qui veſtri [illegible] & conſulo quæ ſunt vtilia. Videtis [illegible] nulli pepercerit [illegible] ſenatori, nec [illegible]. Veſtri autem [illegible] gero, & vos amplector, vt qui veſtram didicerim virtutem & [illegible] ex [illegible]. Si enim mihi parueritis, vos primus dignabor honoribus, & conceden[illegible] veſtra [illegible]. [illegible] autem, Nec tibi [illegible], nec nobis [illegible] labores exhibe. Sed nec tu nobis parcas, [illegible] miſericordia, mentem enim noſtram nunquam flectes, aut bonorum promiſſis, aut [illegible] malorum [illegible] quæ [illegible] tibi terribilis. Quomodo enim mortem [illegible], quos hoc magis [illegible] moleſtum, quod [illegible] non millies [illegible] pro Chriſto? Fac ergo citò id, quod [illegible] eſt iudicatum. Non enim expectant [illegible] ſanctorum, [illegible] etiam magis tibi agamus gratias propter celerem conſummationem.

Tyrannus blanditur.

Martyres eum contemnunt.

Traduntur in cuſtodiam.

Ille autem [illegible] pietate [illegible] ficta ablata manſuetudine: [illegible] per deos, inquit, non aſſequemini id, quod deſideratis, [illegible] Ipſe autem cum tota nocte conſideraſſet, quanam [illegible] acem ignis [illegible] martyres, vt [illegible] ſanctorum corporibus, ne [illegible] quidem [illegible] Chriſtianis deſiderij [illegible] ſolatium. Qui cum mox educti [illegible] cuſtodia, ei magna voce acclamauit tyrannus: Ecce [illegible] obedientiæ, oſtendens manu fornacem: quam [illegible] ſed [illegible] ipſi accendiſtis. Audiens ergo beatus Chriſti martyr eum intellexiſſet, quam [illegible] & [illegible]: Fortè, inquit, [illegible] impoſuit mater, id enim patrem dæmonum ſignificat. Tu autem non pater dæmonum, ſed [illegible] aperte [illegible] eius, qui fuit homicida ab initio, quoniam eius opera imitatus, vt qui hominum ſanguine ſicut ipſe delecteris. Ille vero, cum verbi acerbitas eius animum momordiſſet, matre ſua accerſita: Quid [illegible], inquit [illegible], nomen ſibi vult? [illegible] autem: Scio, inquit, hoc eſſe [illegible] paternum. Quidnã vero poſſit ſignificare, neſcio. Sapores autem: Sed [illegible], inquit, cacodæmones dicunt hoc ſignificare patrem dæmonũ. Quod ſi habeant [illegible] in hoc [illegible] ſtigantem, non illos, ſed te primus tradam morti acerbæ. Illa vero ſubridens: Omnino inquit, [illegible] non ita [illegible] loqui multis præſentibus. Hinc factum eſt, vt ira, quæ [illegible] non poterat [illegible] exercendum ſtatim [illegible] ſimul cum Deo communem abnegaſſet naturam, & nec ipſum [illegible] reuerſus, quod vel ipſis feris & animalibus rationis expertibus [illegible] matrem, & matrem iam vetulam, & filius matri impingit alapam, egregiam ei reddens [illegible] potius lubenter dixeris, qui maiorem iure erat redditurus. quod [illegible] tale malum [illegible] autem [illegible] ad pedes ſanctorum, Seruate meam ſenectutem, dixit cum multis lachrymis [illegible] ipſum ego genui.

Interpretatio nominis tyranni. Ioan. 8.

Sapores matri impingit alapam.

[illegible] autem [illegible] & repellens, intuens ad martyres: Veſtra, inquit, in malis perſeuerantia, XXI
efficit, vt vobis [illegible] amplius [illegible] vero. Tua mater, aiunt, curæ tibi ſit in præſentia. Quid enim animi habeamus, [illegible]. Tyrannus [illegible]: Quid ea, inquit, ſit mihi curæ? Si tibi, inquiunt, [illegible] mitteretur ſcelus [illegible] iniuſtas [illegible]. Sed ſi pro filio, [illegible] mater precata fuerit [illegible] ignoſcent. Illa [illegible] Chriſte vnigenite, inquit, Dei [illegible], filio meo ne [illegible], neque [illegible] hoc [illegible] Ille [illegible] Longa, inquit, vt videtur, & mul[illegible] noſtrum ſenectus tuam [illegible] & [illegible] bis male [illegible]. Ad hæc [illegible] ſapiens: Sed [illegible] ergo, inquit, [illegible] quomodo ſal[illegible] mentem [illegible] bere eſtimabens? Non ergo [illegible] T[illegible] quod dec[illegible] aberrauit [illegible], [illegible] eiuſmodi, tal[illegible] tibi alapam impingens [illegible] tibi, inquit, teſtificor, quod Dei [illegible] omnia ad [illegible] oculum & iuſtum illius iudicium non effugies.

Mater ſecundum iuſtitiam Dei orat, at ipſi non ſancti, vt eruditi, ita [illegible].

C[illegible] ea ſic reſpondiſſet, [illegible] tandem autem [illegible] qui aderant: Hinc tollantur X
[illegible], & [illegible] quoniam contendunt non pa[illegible] iuſſis. Hanc vero, quæ abiurauit [illegible] eam eſſe matrem, & [illegible] naturæ, relinquite [illegible] ambulare. Illa autem beata: Deum [illegible] hac trinitate martyrum, & neque [illegible], neque illa re alia me vnquam ab his eſſe

Mater Saporis [illegible] ſe velle mori cum ſanctis.

eſſe ſeiungendam. Tyrannus vero, bonæ terræ malum germen præter expectationem: Hæc res, inquit, non eſt mihi magnæ curæ: fac, vt tu volueris. Cum ergo martyres fornaci appropinquaſſent, tollentes in cælum oculos, dixerunt: Domine Ieſu Chriſte, vera lux, quæ ante ſecula è paterna effulſit gloria, agimus tibi gratias, quod nos corroboraſti, vt ferremus pro te certamen: & non permiſiſti, vt cõprehenderemur à laqueo venantium: ſed tanquam paſſerem animam noſtram ex eo liberaſti. Et nunc confirma noſtros animos, vt poſſimus aduerſus hunc ignem nos fortiter gerere. Nobis quoq; adſis in tempore exceſſus ex hoc abiecto corpore, & defende noſtras animas. Te enim freti & tua virtute, hanc flammam, aſcendimus.

XXIII Cvm itaq; fuiſſent milites prope os fornacis, & intolerabilem eius ardorem non poſſent ſuſtinere, ſancti qui eos viderant territos: Quid ſtatis, dicebant, quod iuſſi eſtis, non facientes? Si hic, qui eſt conſeruus & eſt ad tempus ignis, vobis viſus eſt tam terribilis: ignis ille gehennæ, qui nunquam deſinit, & nunquam extinguitur, quemadmodum à vobis tolerabitur? Et quomodo, dixerunt illi, poterimus effugere, quod vos dicitis, ſupplicium? Niſi abnegato cultu idolorum, dixerunt ſancti, Chriſto vero Deo vere credideritis, non poteritis illa effugere ſupplicia. Ad hæc milites: Quando, dixerunt, Regis iuſſimi ſeruientes, vobis inferebamus ſupplicia, contremiſcebamus & timore afficiebamur, vt qui expectaremus nos aliquid graue eſſe paſſuros. Nunc autem veſtram conſecuti doctrinam & admonitionem, ſumus tranquillis animis, aliquam ſpem ſalutis, vt par eſt, expectantes: ſed vos cum in nos feceritis, quæ oportet & vult veſtra fides, ad Regem æternum adducite, hunc enim, in quem cadit interitus, iam ſumus abominati. Propter hæc martyres repleti lætitia, Dominum, dixerunt, vna voce laudemus, quoniam bonus: & ſuauis euadat ei noſtra laudatio, qui ædificat animas eorum, qui ad ipſum fide accedunt, gaudio propter eorum ſalutem implet cæleſtia. Excipe Domine eos, quos hora vndecima conuocaſti ad vineam tui martyrij: & da eis mercedem dignam tua bonitate, eos referens in numerum priorum tuorum decertatorum.

Alij milites credunt in Chriſtum.

XXIV Milites ergo veluti quibuſdam armis inexpugnabilibus, Chriſti muniti ſignaculo, ſimul cum ſanctis Acindyno, Pegaſio & Anempodiſto fornacem ingreſſi ſunt, cum eſſent numero viginti & octo, ne ipſa quidem tyranni matre relicta, ſed cum eis ſimul ingreſſa. Chorus autem Angelorum circa fornacem ſanctos videbatur excipiẽs, & cum eis hymnum canens. Martyres autem cum ſacras animas apud Deum per ignem depoſuiſſent ſecundo die Nouemb. locum repleuerunt odore ineffabili: adeo vt qui illic aderant Chriſtiani, quæ dici non poteſt, voluptatem ſenſerint, & eum laudarint, qui re ipſa implet quæ dicit diuinus David, & in ſanctis ſuis ſe oſtendit mirabilem. Quorum ſacræ & precioſæ reliquiæ depoſitæ ſunt in loco, qui dicitur Ireneſſus, ex quibus manat maxima gratia ad eos, qui accedunt: Ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti: Quem decet maieſtas & laudatio cum eius principio carente Patre, & viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

28 milites cũ regis matre & martyribus in fornace ardẽti reddũt animas.

Pſal. 67.

VITA S. HVBERTI XXX. EPISCOPI LEODIENSIS, AVTHORE QVODAM EIVS DISCIPVLO VEL FAMILIARI, VT IPSA HISTORIA SATIS INDICAT. EXTAT IN ANTIQVIS M.S. codicibus.

An. 686.

3. Nov.

I. POſt glorioſum beatiſſimi ac præcellentiſſimi antiſtitis Lamberti à rebus humanis exceſſum, qui Pontificalem apicem apud vrbem Tungrenſem quadraginta annis ſtrenue ferens, vitæ quidem exẽpla poſteris dereliquit: mortis autem acerbæ viriliter ferendo diſcrimina, & ſummi paſtoris veſtigiis inhæſit, & quantum amoris circa Dominicas oues haberet, aperuit: vtpote quibus & viuens vitæ cõtulit paſcua, & pro quibus non meruit mortis ſubire diſpendia: Hubertus venerandus præſul eius ſedi ſubrogatur Epiſcopus, cui non erat virtute ſecundus. Namq; paſtor ille pius, qui deuicto mortis Tyranno, oues ſuas conſolari dignatus eſt, dicendo: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi: eidem gregi talem ac tantum præſulis paſtorem, per cuius opera, vera eſſe ſua verba oſtenderet, virtuſq; in eo pollens, Chriſtũ in ſe & loqui, & operari clamaret. Ergo q;, vt aſſolet, diuina promiſſio, vt quia optimi paſtoris deſtituebantur ſolatio, non rictibus luporum territæ, per diuerſa diſpergerentur, dentibuſq; lacerarentur: ſed ſuccederet paſtor qui humilis gregis curam gerens, feſſas ſubleuaret, fractas alligaret, emaceratas ſanaret, luporumq; rabiem ab eorum inſectatione procul proturbaret: nec iam eccleſia Dei fieret luſtrum ferale, ſed expiatum à ſorde nocentium, & ſerenatum ab angore luporum, redderetur Domino templo herile.

S. Hubertus S. Lamberti ſucceſſor.

Matt. 28.

Anno 697. S. Hubertũ Romã edeuntem Traiectenſis eccleſiæ poſſeſſionem iniiſſe, ab eoq; anno anno 727 ſupputari annos Epiſcopatus eius tradit R.P. Ægidius Bucherius S.I. in Chron. Epiſcop. Tungrenſ. Conſecrationis eius à Sergio Papa factæ meminit Molan. in Indic. SS. Belg. & in Natal. 3. Octob. & ex eo Baron. in annal. an. vbi ſup.

II. Ivvabatvr nanq; prædictus Domini famulus non modo Chriſti exemplis, ſed & prædeceſſoris ſui nuperrimis inſtitutis: quia & humanam mentem non tam inſtruunt priſca, quantum præſentia: nec eo infirmi conualeſcũt exemplo multo ſibi ſuperiorum, quo ad æmulationem prouocantur ex viſione coæqualium. Vnde actum eſt vt idem vir venerandus & lectione ſcripturarum, quæ ſibi agenda forent, addiſceret, opuſq; lectionis, paterna æmulando opera, perageret, * operibuſq; paſtoralis non ſegnis executor exiſteret, atq; ideo officij Epiſcopalis non incongruus miniſter fieret. Igitur vt vox veridica, veritatis ore prolata, compleretur, dicentis: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, cõſenſu vnanimi fidelium, talis ac tantus vir cathedra, vt dictum eſt, præſulatus Dominici gregis donatur: vt qui eatenus ſibi tantum profuerat, & ſub ſchemate priuatorem degens delituerat, candelabro Dei quaſi quidam clariſſimus lychnus imponeretur, quatenus eius exemplo cũctis in domo Dei poſitis, luminis claritas præberetur.

Exẽpla præſentia quã priſca iũ proſunt.

for. * operum.

Matth. 18.

III. Sciens nanq; memoratus & ſæpe memorandus vir, aliam legem eſſe ſubditorum, aliamq; prælatorum: ſcilicet vt ſubditus quiſque curet, ne pereat, ne ve ſuo exemplo alios perdat: prælatus autem non ſolum intendat ſuæ ſed & iudex prouiſorque cogatur vitæ fieri alienæ: non ei ſufficiebant ea, quæ ſibi olim ſectanda propoſuerat: ſed in arctiora tendens, magnopere ſtudebat antiquorum patrum ſectari veſtigia. Vnde non * quælibet ſibi in æmulatione propoſuit, aut virtutum ignobilitate degenerem, aut inſcientia vecordem, aut mollitia ſegnem: ſed illos potiſſimum, qui voce Domini audita, dicentis: Si vis perfectus eſſe, vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me: ſtuduerunt nihil mundiale appetere, ſed exploſis terrenis cupiditatibus, ſi quid rei familiaris ſuperfuit, curauerunt ſub vno congerere, & ſingulis pro neceſſitate ſubminiſtrare. Vnde factum eſt, vt initium eius præſulatus talibus tantiſq; dedicaretur auſpiciis, in quibus non initium bonæ intentionis, ſed perfectio fulgeret operis. Diſtractis igitur, ſi qua ei ſuperfuere in re priuata, ſtudebat ea nõ ſub cauo terræ ceſpite abſcondere, aut ærugini conſumenda tradere, furibuſq; diripienda derelinquere: ſed amicos Euangelicos de his conquirere, qui in æterna tabernacula valerent recipere.

Alia prælatis, alia ſubditis curanda.

for. * quemlibet.

Matt. 19.

Epiſcopatũ a quãta perfectione auſpicatus ſit S. Hubertus.

Luc. 16.

Eccli. 4. Vacat miſericordiæ operibus.

IV. ERAT nanque largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperum, & ſecundum ſcripturam pater orphanorum, & pro viro matribus eorum. Oppreſſis adminiculabatur, inopum miſerebatur, ſuaque pro Domino derelinquentibus pio affectu patrocinabatur. Tribulationem patientibus ſtrenuus conſolator aderat, & carcere præcluſis, nec non diualium pœna ſubactis, eius viſitatio atque ſubminiſtratio non deerat: ſed & quocunque pedem ferre libuiſſet, in manu illius eleemoſyna deſudabat, quouſque pauper occurreret, cui eam tanquam Chriſto committeret. Et quia moris eſt proficientium, prætenta boni operis exercitia à mentis acie ſubducere, quo acutius ad ea, quæ ſunt arctiora, mentem valeant defricatam ignire, atque iamiamque feſſam, appetitu noui operis recreare: viro beato non ſatis erat, talibus ac tantis virtutum inſignibus * cluere, ſed reminiſcens perfectionis deceſſoris ſui, ardebat cupiditate martyrij, minus ſe deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino tradidiſſet morti etiam officia corporis. Doloris nanque illius interni amaritudiniſque animi, quo flagrabat amore martyrij, teſtes erant lachrymæ, quæ ſolent prodere intima conſcientiæ, quas in recordationem beati Lamberti ſolitus erat dolor elicere, genarumque orbes aſſidua humectatione alluere. Vnde inter pias exuberationes fletuum alta ſuſpiria pulmonum crebro talia conqueſtus eſt: O me infelicem, terque miſerandum, cuius ſe peccata in tantam ſuſtulêre congeriem; vt non idoneus dignuſque poſſim reperiri conſortio tanti viri, martyrij triumphum ſubeuntis, palmamque victoriæ inuadentis. Sic ſic nimirum imperfectionis ſeſe arguebat, vt quo magis perfectus, eo ſibimet videretur exiguus: minuſq; oculum mentis tendebat in his, quæ in ſe iam & victore Chriſto ſubegerat, & ſatore bona nutriuerat: ſed ad ea capeſſenda irreuerberato tendebat obtutu, quæ nondum, ob conſeruationem humilitatis, Chriſti eidiſcreta largitas attribuerat, attendens illud, quod à ſancta Scriptura præcipitur: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. His igitur & talibus exercitiis in gymnaſio ſanctæ Eccleſiæ per annos duodecim exercitatus, his paleſtricis certaminibus contra carnis hoſtes, aeriſque principes eſt præliatus.

* *clarere.* Flagrat martyrij deſiderio.

Eccli. 3.

Huc refer c. 14 vitæ S. Lamberti 17. Septem.

d Crebræ ei offeruntur viſiones de transferendis S. Lamberti reliquiis.

V. ANNO d autem ordinationis eius duodecimo crebras ſibi prodidit oblatas ſub noctis quiete viſiones, quibus ſe commonitum fatebatur, vti à Traiectenſi oppido oſſa ſancti leuaret Lamberti, & in loco, quo celebratam eius paſſionem noſſet, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæſtimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio poſitus, cum neque viſioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret, quod ſibi occultum erat, iudicauit à Domino quærendum. Nam indicto cunctis tam monaſterialibus, quam & ciuitatis clericis, nec non à laicis ieiunio, quæ ſibi voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere ſtuduit. Tandemque edoctus, ancipiti ſubmota ſententia, tertiodecimo anno ſui præſulatus cætu clericorum ſibi adiuncto, nec non populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Epiſcopis & ſacerdotibus, tumulũ venerandi viri adiit: ibidemque ſpirituales obſeruantes excubias, diuinitatemque pulſantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, vt qui antiſtiti ſuo facienda mandauerat, quo perficerentur, cœptis annueret, ſecundoſq; prouentus attribuendo, ſuam voluntatem vt taliter fierent, cunctis palam oſtenderet. Quorum piis votis omnipotentiæ Diuinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione vrnam, qua ſanctiſſimus cinis conditus ſeruabatur, adeuntes, abſque aliqua difficultate buſta beati viri ex loculo protulêre. & cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo paſſus eſt, terræ mandauêre. Quantis autem, qualibuſve miraculis ſuum velle Dominus in tali facto per omne iter reuerſionis eorum commendarit, ſchedula geſtorum eiuſdem ſancti pontificis annotata continet.

Buſta, pro oſſibus.

Anno 710. S. Lamberti ſacra oſſa transfert.

Vide Sigiber. anno vbi ſupra. Ægidius Bucherius in Chron. Epiſcop. Traiectenſ. eandem tranſlationem ad annum 709. refert. Conſule eiuſdem diſputationem de primis Traiectenſ. Epiſcop. cap. 6. §. 102

VI. Fabrica autem eiuſdem baſilicæ, qua beati viri conditæ ſunt reliquiæ, qualiter ab eodem ſancto viro Huberto ordinata ſit, quia oculis videntium ſe offert, de ea aliquid dicere ſuperſedi. His peractis, vir Domini Hubertus, vt Scriptura clamat, de virtute in virtutem proficiſcens, ardebat videre Deum deorum in Sion. Et ſciens dictũ ab Apoſtolo. Ea, quæ retro ſunt, oblitus, in ea verò, quæ antè ſunt, extendens me, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis: magis magiſque ieiunio & vigiliæ, caſtitatique animi & corporis operam dabat: & ſubditorum curam gerens, tanquam fideliſſimus diſpenſator verbi triticum conſeruis ſuis toto niſu ſubminiſtrabat: nec tamen Dominici immemor exempli, de quo legitur: Cœpit Ieſus facere & docere: ea quæ diſcipulis obſeruanda voce prædicabat, qua diligentia operanda eſſent, ſuis actibus prætendebat. Inſtabatque, iuxta Apoſtoli mandatum, prædicans opportunè, importunè: tantaque eum gratia verbi, & dulcedine ſermonis virtus Spiritus ſancti donauerat, vt non modo è vicinis, verum etiam è longinquis, & à ſe valde remotis locis, ad eum populi concurrerent, ac de poteſtate faucibuſque diaboli ſe erui, atque in regnum Chriſti, gremiumque ſanctæ Eccleſiæ per baptiſmi gratiam transferri gauderent: idolorumque cultum, necnon profanum eorum obſeruationis ritum, cum authoribus eorum reſpuerent: atque olim ſibi veneranda templa, terræ coæquarent, puluerem que eorum veluti immunditiam deteſtantes, per diuerſa diſpergerent. Omnem nanque Arduennam, hiſce cultibus hactenus mancipatam, in breui ſacrilega ſeruitute liberam, famulitio Domini ſubiugauit. Si qui autem, faceſſenti generali idolorum cultu, ſupereſſent, qui more ſacrilego aut pulueris eorum reuerentiam haberent, vel cætera huiuſmodi obſeruari debere vſu nefando putarent, hos ad ſe deductos, triennij pœnitentia plectebat: ſicque præliator Domini ſtrenue aduerſarias inſequendo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longe lateque ampliauit, ita vt Taxandria & Brachbantię, eorum detegendo inſidias, eos penitus annullaret, effigieſque eorum populi, Chriſti gratia illuminati, confringerent, & penitus abdicarent. Ab iis autem, à quibus deorum, immo dæmoniorũ, templa ſubuertebantur, Chriſto Domino præclara in honore ſanctorum martyrum templa, per S. Hubertum conſtruebantur, & honorabantur. Sicque vir Domini circunquaque Chriſti prædicando myſteria, populos ab atra cæcitate leuatos, lumine ſcientiæ reddidit conſpicuos: vt de eis veraciſſimè dici poſſet: Populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis: regnoque Francorum à Deo donatus lucerna luminis, ei ſuperadderet ornamenta salutis.

Pſalm. 83.

Philip. 3.

Luc. 12.

Act. 1.

2. Tim. 4.

Multos ad Chriſtum traducit.

Itemque totam Arduennam.

Bracbbãte pro Brabãtia.

Eſai. 9.

VII. INTEREA dum ſacratiſſimus Domini famulus curam gregi gerens, parochiamque ſuam circumiens, ouili ſibi commiſſo inuigilaret, ne qua luporum verſutia aditum in eo inueniret, & in villam, cui * Viuoch vocabulum eſt, deueniſſet, & ſecunda Dominica tẽporis Quadrageſimalis adeſſet, mulieris cuiuſdam pulſatus eſt neceſſitate, vt & cum quanta reuerẽtia dies reſurrectionis Dominicæ coli debeat, Dominus oſtenderet, & cuius ſanctitatis idẽ præſul eſſet, declararet. Nam cum iam dicta mulier, poſthabita Dominici diei reuerentia, panificio, quanquam iuſſa, deſeruiret miniſterio, manus illæ, quæ ſacram ſolennitatem inſolenter temerare tentauerant, ſubito obriguêre: areſcentibuſque à ſanguinis humectatione venis, ac neruis ſiccitate contractis, adeò ſtupidæ ſunt redditæ, vt vngues eius palmis ambabus viderentur infixi. Quæ tanta neceſſitate adſtricta, vnum ſibi ſolummodo reſtare remedium credidit, vt virum Dei adiens, cuiuſmodi vrgeretur neceſſitate, exponeret: atque eas, quas ſibi temeritas abſtulerat, per eius orationem ſibi reddi manus flagitaret. Neque ſpes eam fefellit. Nam exeunti viro Dei ab eccleſia, obuia mulier ad pedes proruit: quæ eam neceſſitas vrgeret, expoſuit: ſubſidiumque, quô ab eo

* VVyock.

Punitur mulier, laborans die Dominico.

poſſit

poſſit eru, poſtulauit. Cui vir Dei: Vade, inquit, & deinceps tali præſumptione ab[illegible]ſtinero, & emendationem [illegible] ſanitas conſequetur. Cuius promiſſionem non Dominus in longum diſtulit, ſed [illegible] ſtatim opere compleuit. Nam manus illius, dudum pallido perfuſæ colore, in genuinum ſunt reuocatæ repente, [illegible] cecitaſque peregrina ſoſpitati ceſſit: & recepta ſanitate priſtina, creatori omnium benedixit, atque Dei famulo pro [illegible] ſe oranti, gratias reddidit.

Eam C[illegible] [illegible] Hubertus.

VIII. Hvic muando operi ſucceſſit aliud, veterrimus Eliæ atq; Eliſei miraculis con[illegible]ferendum. Nam cum operi cuidam in vico Gabelio inſtaret, atque ſiccitate ſua flumius Moſa curſum nauibus de[illegible]negaret, vtpote tempore autumni inſtante, quo maxime ſolent fluuiales aquæ detrimenta ſentire, difficultate ſibi operis cœpti nunciata, primum paululum mœroris concepit: ſed deinceps in omnipotentia diuina cõfiſus, diſcip[illegible] [illegible]it: Nôſtis ne quiſnam ille fuerit, qui tribus ſemis annis clauſos cœlos verbo aperuit, aridumque aerem pluui[illegible] humectauit, ac terram, diu negata prole fœcundauit? Tunc vnus diſcipulorum ſe bene noſſe reſpondit, Eliam[illegible]que id feciſſe confeſſus eſt. At vir Dei: Equidem ipſum & nos Deum colimus, ipſiuſque virtus, quæ in veteribus potenter emicuit, nequaquam noſtro tempore vetuſtate aut impotentia emarcuit. ideoque nos ieiunio atque orationibus eius omnipotentiam pulſemus, & eius miſericordiæ, quæ ſibi fuerint viſa, de his agenda relinquamus. Igitur mox vt poplitibus curuatis orationem fudit, cœli ſerenitas tetra caligine obducitur, coactoque in nubes aere, ſenſim pluuia cœpit demitti. Poſt vero paulatim & per incrementa gliſcendo, in tantam nimborum excreuit magnitudinem, quoad uſque flumius, qui dudum etiam bidentibus tranſmeabilis erat, ripas aluei ſui ad ſummum v[illegible]ſque compleret, voluntatique ſerui Dei adeo famulatum præberet, vt opus, quod cœperat, abſque vllius rei difficultate lætus perficeret.

3. Reg 17.

Illuſtre miraculum, ſubito imperrata pluuia.

IX. Alio itidem tempore cum ieiunium triduanum, quod more ſanctæ Eccleſiæ vniuerſaliter celebratur, & Græco vocabulo Litaniæ, Latine vero Rogationes nominatur, inſtaret, glorioſus Domini pontifex iuxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ per oppida & caſtella cœpit diſcurrere, ſemenque verbi Dei in agro cordis audientium ſeminare: Veniensque Traiectum, iuxta conſuetudinem, cum clericis populique agmine, & victorioſiſſimis Saluatoris inſignibus, Crucis videlicet vexillis, necnon & ſanctorum piis reliquiis ab oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, vt Deum tanto precaretur ambitioſius, quanto id faceret humilius. Cum igitur ſolito verbum Domini ſeminator egregius in agro cordis humani iaceret, intonando ſalubriter: Si me, inquit, ſuperni iudicis præconem attenta cordis aure audieritis, & ea, quæ vobis, authore Deo, ſupernaque gratia adminiſtrante, dixero, ſanctorum operum executione compleueritis, nulli dubium, quin æternæ patriæ hæreditatem ſorte feliciſſima mecum adepturi ſitis: repente inuidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditus, volucrum more rapere, aut certe ei zizania ſolet interſerere, quantum ſibi ea, quæ à ſeruo Dei gerebantur, diſplicerent, coactus eſt, inui[illegible] [illegible]a cogente, monſtrare. Nam ſubito vas olim ſibi appetibile, mulierem ſcilicet, per præuaricationem primam amiciſſimam, ingreſſus, magnis inconditiſque vocibus cœpit perſtrepere, & ſilentium, quo verbum Dei audiebatur, ſui importunitate clamoris perturbare. Hac itaque vociferatione tetrica, vir Dei, audita cognita, ad ſe quidem accurrenti primo ſignum Crucis obiecit: deinde alapam eidem impreſſit, atque ſilentium impoſuit. Statimq; mulier in terram corruit, ita vt crederetur exanimis. Sed cum diutius iaceret, ab ore eius quædam ſanies diu profluxit, atque poſt hæc dæmone caruit.

Ieiunium triduanum diebus Rogationum. Nota hunc antiquum morem.

Matth 13. Dæmon eius ſacram prædicationem perturbat.

X. Inde autem Dei famulo diſcedente, & in villam, cui [*] Hauuala nomen eſt, adueniente, cum iam ſolis iubar terras deſereret, atque ſui receſſu vmbris tellurem obduceret, artus diurno labore defeſſos voluit releuare lectulo ſuperpoſitos: cûm ecce quidam eius puerorum, foris venientes, nunciant cœli faciem à ſolito mutatam, ignearumque acierum rubore perfuſam. Quod ille audiens, intima domus liquit, acieſque illas diu conſiderauit: & alta ſuſpiria trahens, dixit: En ſignis euidentibus ruinam mundi iamiamque imminere elementa teſtantur: diemque extremi examinis ea etiam, quæ voce carent, proloquuntur. O beatum illum, quem tantum examen non reperit imparatum, & qui, conſcientia ſe defendente, ſecurus operietur illum vltimum maximumque conuentum. His dictis, alij adſunt nuncij, qui dicerent domum illius incendio conflagrare. Quo audito, vir Domini concite illuc pergit, obiceniq; ſe igni intrepidus oppoſuit, ita dicendo: Si diuinæ voluntatis eſt, vt hoc cremandus occumbam incendio, in poteſtate eius, cui nemo mortalium reſiſtere poteſt, fore non ambigo. Eleuatiſque manibus, ſignum Crucis iniecit, Deumque ſibi adiutorem futurum inuocauit, canendo: Deus in adiutorium meum intende, &c. Mirum in modum ignis ille permaximus, qui aduenienti ſacerdoti aditum oſtij flammas vomendo negauerat, repente eius ſuffragantibus meritis vires perdidit: ſubitoque in ſoporem conuerſus, nil detrimenti aut læſionis eidem dereliquit. Tunc vir Dei addidit: quod inuidus ille totius bonitatis, qui hodie auditorio noſtro turbationem excitauit, nunc nos nec pauliſper quieti indulgere ſinit. His dictis, officium completorij cecinimus cubitumque ſeceſſimus.

S. Hubertus dæmoniacam ſanat.

[*] Harmalia

Signo Crucis & precibus ingens incendium extinguit.

[*] forte vaporem.

XI. Post hæc cûm opus Apoſtolis familiare, id eſt, capturam piſcium, in prædio quodam [*] Neuella cognominato, conſtrueret, & ipſe cum cæteris eidem operi inſtaret, ſudeſque cum multa vt, vtpote ſilicum denſitate & duritia obſtâte, infigerentur, vir Domini ad momentũ ſuper vnam earũ manu ſuperpoſita ſuſtentari voluit. Vnus autem famulorum, toto niſu ictum eidem ſtipiti librauerat: cuius impetum ſuſtinere non valens, manui illius illiſit, digitoſque confregit. Talique læſura ſuſcepta, domum ſub celeritate rediit: in craſtinum vero, ei operi curam nobis impendere atque inſtare præcepit. Cuius dicto parentes, conſcenſa naui, adnauigauimus, eaſdem fixuri ſudes. Sed paululum à terra ſecretis, mox violentia venti nimborumque procella obuiam ſeſe tulit, vadoque nauim ſui impetus violentia contorſit, intimoque gurgiti demerſit, omneſque, qui in eadem aduecti fueramus naui, ilico profunditas miſerabiliter obſorbuit pelagi. Sed pius ſacerdos, noſtri periculum naufragij audiens, ægre tulit, ſuſpirans ingemuit, lachrymis oculos oraque rigauit, Deumque his vocibus exorauit: Tu Domine Ieſu Chriſte, cui calcanti mare ſicca dorſa præbuit, æſtumq; ſuum tuo verbo coercuit: nimbus etiam fremens, tumorem depoſuit, atque ſpiritus violentia, tui imperio oris ceſſit: quæſo, ſuccurre famulis tuis naufragia patientibus, ſaluenturque tua potentia, quos iamiamque obſorbuere procelloſa diſcrimina. Mihi quoque, qui hæc ſcripſi, in eodem naufragio tale quid accidit: Cum eiuſdem periculi particeps, ſub aquarum mole preſſus huc illucque violentia voluerer: pars tunicæ meæ palo cuidam inhæſit, libertatem exeundi bis terque conanti denegauit. Subitoque ad memetipſum conuerſus, dixi: Succurrat mihi, quæſo, per interceſſionem patris mei virtus tua, cuius manus formauit mare & aridam. Hiſque dictis, ab impactione illa ſum ſolutus, & cum omnibus condiſcipulis meis à profunditate pelagi liberatus, atque luci redditus. Sacerdos Domini interea grauiter accepti vulneris doloribus cruciabatur, ita vt nec ſomni quiddam, dolore inſtante, percipere permitteretur, tribuſque menſibus è digitis eius tabo fluente, acerrimo cruciatu vexaretur: nec tamen dolor, quanquam acerrimus, eius impediebat intentionem, ſed magis magiſque in laudibus Domini atque pſalmorum occupatione ſeſe detinebat, illum pœnitentiæ pſalmum crebris iterationibus lachrymoſiſque rugitibus humiliter canendo: Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Vna autem noctium, dum tribulationis magnitudine preſſus, in ſoporem membra dediſſet: quidam cælitus nuncius adſtitiſſe viſus eſt, & talia protulitſe: In tribulatione

Hic habes Authoris ætatem

[*] Nouella.

Pelagi, pro fluminis

Matth. 14.

Matth. 8.

Rurſus Author prodit ætatẽ, qua hæc ſcripſit. Nota miraculum.

Habes hic argumentũ ex miræ virtutis.

Pſal. 50.

Viſio ſancti viri.

Pſal.17. *Iohann.14.* *Tempus ſui exitus ei reuelatur.*

one inuocaſti me, & liberaui & exaudiui te. Et ſimul hæc dicendo, oſtēdit illi prægrandem aulam, nouitate atq; pulchritudine præſtantē, & ait: Multis equidem manſionibus pollet domus patris mei, è quibus omnibus iſta delecta eſt tuæ habitationi, vt cedat tibi perpetua hæreditate. Exceſſum verò eius, in hæc verba prædixit: Poſt anni vertētis circulum, ſoluam tribulationis tuæ vinculum, & eripiam te, & magnificabis me. Hoc vir Dei oraculo percepto, alta mētis indagatione conſiderabat viſionis magnitudinem, vimq; dictorum. Sed & tempus & horam ſolicite corde notabat, quo ſibi hæc delata ſuſceperat. Viſionem autem eandem quibuſdam diſcipulorum ſuorum tunc temporis enarrare curauit. Sui autem non immemor, quo propinquiorem ſui cognouit reſolutionem, eo ſeruituti diuinæ reddidit prōptiorem. Inſtabatq; in orationibus attentius, in vigiliis enixius, in eleemoſynis profuſius per ſpatium prænunciati ſibi anni totius.

In quibus ſtudiis vir ſanctus ad mortem ſe præparat.

Igitvr cum ſciret imminere tempus, quo anima eius ergaſtulo corporis abſoluenda foret, diſcurrens per memoriam ſanctorum, & loca orationum, per eorum interceſſionem Domino commendabat ſuam reſolutionem. Nam veniens ante ſepulcrum beati Lamberti in baſilicam, quam ipſe condiderat, & pia oſſa inibi terræ mandauerat, orationi diutiſſime incubuit, ſolitoque fonte lachrymarum genas rigauit, oculis lachrymis perfuſis, aramque deoſculans, fratribus circunſtantibus ſemet humiliter commendauit. Progredienſque inde, baſilicam, quam ipſe ſub honore beati Petri principis Apoſtolorum Domino dicauerat, oraturus adiit. Inde etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem baſilica Domino conſecrauerat, diutius curuatis genibus orationem profudit: Moxque ab oratione ſurgens, dixit: In memoria æterna erit iuſtus &c. Conuerſuſque ad parietem, & protenſis per eum brachiis, locum ſepulchri ſui permenſus, ait: Hic de foſſa humo locus meæ ſepulturæ paretur. Nam iſtud corpus miſerrimum iſtic collocari diſpoſui, precorque vt meæ migrationi veſtris precibus adminiculemini. Inſtat enim tempus, quo hæc torpentia membra ſpiritus relinquat, iudicique ſuo præſentandus occurrat. Non multum igitur temporis interfluxit, iuxta quod vir Dei ſuper ſepulturæ ſuæ celebratione ore præſago actitandum fore diſpoſuerat, nos fideliſſimi ac deuotiſſimi eius famuli flebiliter executi ſumus: quoniam triginta dierum ſpatio euoluto, ſpiritu eius in aſtra feliciter ab Angelis euecto, ſacrum corpus eius ad eundem tumulandum aduximus locum. Per idem vero tempus, licet vocationis ſuæ haud neſcius, rogatu tamen quorundam illuſtrium virorum Brachbantum pertexit, baſilicam nouo opere conſtructam Domino dedicaturus. Cumque quò rogabatur, vtpote nomen laudemque Domini propagaturus, lætabundus aduenisset, & domum illam ſicuti petebatur, ſanctificaturus eſſet, diſcipulorum quidam officio præpoſitus, eius voluntatem atque poſſibilitatem requirere ſtuduit, dicendo: Vis ne pater, longe protrahi officij moras, an ne ſuccingi? At ille, cuius cor perfectionem ſemper deſideraret: Nil, inquit, remaneat imperfectionis: quin prout vales, & moroſe, & cum integritate cuncta compleantur. Cœpto ergo officio inſiſtens, adiunctis presbyteris & diaconibus, necnon omni Eccleſiæ gradu, cum magno illud honore & reuerentia, ſicuti & reuera idem officium poſtulabat, ad finem vſque perduxit, domumque illam tam in hoſtiarum oblatione, quam & ſacerdotali benedictione, necnon incenſi ſuper aram thurificatione acceptabilem Domino prorſus reddidit. Sciens autem illud potiſſimum charum eſſe Domino templum, quod non latomorum diligentia compactum, nec cæmentariorum arte litum, ſed virtutum exercitiis eſt conſpicuum, de quo ipſe dixit: Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & de quo per Prophetam dicitur: Inhabitabo in eis, & inambulabo: & de quo Apoſtolus: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, & iterum: Corpora veſtra templum ſunt Spiritusſancti: & multa his ſimilia admonendo, ſermonemque exhortationis ab hora tertia vſque in horam ſextam protrahendo, ſatagebat verbo ſuæ prædicationis parare in cordibus credentium Domino templum decoris, dicens cum Iohanne: Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius. Itemque: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Admonebat etiam vnumquenque attendere vicinitatem mortis, & mortalium curſum labilem, & conſilium ſalubre ſuggerebat, dicendo: Quiſquis veſtrum, ô chariſſimi filij, criminis cuiuſcunque ſe ſentit perpetratione maculatum, atque fouea maioris peccati abſorptum, cito ſalubre medicamentum ſuo ſuperponat vulneri, dum iudex manum miſericordiæ porrigit pœnitenti. En patet, dum adviuitur, ianua miſericordiæ, quæ poſt mortem obſtruetur, ſola patente, quæ contemptores præceptorumque Dominicorum deſertores puniendos ſuſcipiat, porta gehennæ. Alta quiſque conſideratione, quid fuerit, quid ſit, quidve poſt modicum futurus ſit, perpendat, & in quo ſe à præceptis Domini exorbitaſſe perſpexerit, digna pœnitentia opera faciendo, diuinitatem ſibi conciliet. Nam & mihi non mediocris inſiſtit angor, reminiſcenti, miniſterij mihi iniuncti quanta debeat eſſe perfectio: & econtra, quam ſit contemptibilis vitæ meæ inofficioſa correctio. Ecce iudicis mei iamiamque conſidero à nuptiis reditum, cum tamen mihi deſint lampades, repletæ bonorum operum perfectione, charitatiſque luce irradiatæ, quibus eius terribili atque ſplendifluo digne valeam occurrere aduentui. En rationem poſiturus de talentis, redit: mihique timeo dici, quod ſeruus negligens audiuit, Redde rationem villicationis tuæ. Itemque: Serue male & piger, oportuit te pecuniam meam committere nummulariis, vel ad menſam, & ego veniens recepiſſem vtique, quod meum eſt, cum vſuris. Gregis mei te poſui paſtorem, exercituſq; Eccleſiaſtici ducem: Lactis eorum vbertate famem, lanarumque tegmine frigoris propellere conſueuiſti algorem. Præſentes ergo neceſſe eſt eorum ſaluationem, quorum te præpoſui præſulem.

Iohann.14. *Leui.21.* *1.Cor 3 6.* *Eſa.40.* *Luc.3.* *Matth.3.* *Saluberrimæ eius admonitiōes* *Salubriter ſibi timet vir ſanctus.* *Matt 25.* *Luc.16.* *Matt.25.* *Pſal.111.* *Eligit ſibi locum ſepulturæ.* *Dedicat eccleſiam admodum reuerenter.*

XII.

Perpendite, quæſo, quod mihi reſponſum, quæve reſtet excuſatio coram iudice tanto, cuius aduentum comitabuntur angelorum archangelorumq; agmina, ſanctorum ſpirituum præclaræ phalanges. In cuius aduentu cælum vt liber plicabitur: terra ignis ardore concremabitur, iniuſtiſque pereuntibus, iuſtorum chorus miſericorditer ac ſublimiter ſe à Domino coronatum gratulabitur. Nempe ſi qui ex vobis fuerint inuenti digni cœtui illi cæleſti connumerari, hos iudici meo præſentaturus, dicam: En Domine, iſti ſunt, qui me in vi verbi perſonante, in procinctu fidei contra aduerſarias virtutes tui nominis amore ſe armauerunt, atq; triūphantes tibi victorioſiſſimo Domino, per quē vincere quiuēre, coronas ſuæ reportant victoriæ. Tunc quiqui illi fuerint, læti ſuos offerent Chriſto venienti manipulos, mecumq; illa gratulatoria honorabuntur ſententia, qua dicitur: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Et item: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. In quod regnum ille vos inducat, qui pro vobis ſanguinem ſuum fudit, & vt vos ad cælū leuaret, terrena periuit: Cuius vos hodie miſericordiæ cōmendo, vt quia hactenus illo opem ille ferente, vos, prout potui, rexi, ab eo deinceps regamini, & feliciter coronandi, in paradiſi amœnitates inducamini. His & talibus adhortationibus, cæleſtis curiæ acerrimus atque facundus orator, concionis ſuæ populos adhortatus eſt intentoſq; ad audienda cælica iura reddidit, atq; benedictionibus confirmauit: explicitoq; officio, ad prandendum, ſe cum ſociis ſuis & diſcipulis vertit. XIII.

Apoc.6. *Matt.25.* *Ibidem.*

Habes exemplum ante cibum orādi, eſcaſque benedicēdi.

Ingressvs conuiuij domum, oratione ſuper menſam fuſa, epulas benedixit, eulogiaſque omnibus dedit. Ipſe autem ad prandendum, quaſi pranſurus, diſcubuit: ſed cibo carnali non indulſit. Cum vero pranderetur, oculis creberrime ad aſtra ſubrectis, ſuperorum inferorumque creatorem tam animi intentione, quam verborum proſecutione, aſſidue benedicere ſtuduit. Interea die ad veſperam vergente, occaſuque Phœbeæ lampadis tenebras XIV.

vocan-

vocante, vir Domini à menſa ſurrexit, iterque carpere delegit. Cum ecce vnus anachoritarum, duodecim iam habens in eo ſe in habitu annos, ſuggerendum ei arbitratus eſt, vt paululum adhuc mero indulgeret. *Sed ipſe his illius precibus renuens, reſpondit: In regno Dei te videre merear. Scito vero certiſſime, nequaquam hodie me amplius hîc potui induciturum.* His dictis, nauim aſcendit, ab eodemq; loco ſecundo milliario ſecedit. Exeunte autē illo de naui, protinus omne corpus eius frigore corripitur, & ſitis ardore valde aduritur, & quieturo lectulus, loco delecto, aptatur. Sed dum altus ſopor feſſus illius irrigat artus, inter eius pueros repente inexorabilis ſe diſcordia ingerit, ita vt enſibus diſtractis, alterutram quiſque mortem peteret: & qui citius poſſet, comparis ſui animam ereptam ſuperis, dimittere gauderet inferis. Sed hiſce perturbationibus, viri Domini ſopore ſoluto, protinus faceſſit omne litigium. Indeque equo conſcenſo, & vſus clientum ſuſtentatione tandem domui propriæ inducitur, noctis tranſacta non minima parte. Quo perueniens, conſuetis orationum ferculis, lachrymarumq; poculis refi..., ſanctique altaris cornua deoſculatur, & nimia preſſus grauedine, lectulo ſuperimponitur. Sicque à prima feria vſque ad ſextam eius febre augmenta capiente, expers ſomni, ſolummodo ſemet ſolabatur decantatione pſalterij. Sed cum infuſus corpori dolor nullo fine coërceretur, ſacerdos Domini, ſecundum Apoſtolum, quó amplius infirmabatur, eo fortior reddebatur: & quo citius ſe videbat lucem mortalium relicturum, eo indefeſſius à Domino poſcebat auxilium, vt ſcilicet citius ærumnis præſentis vitæ exemptus, intereſſe mereretur angelicis ciuibus.

Sacius Epiſcopus febre corripitur.

2. Cor. 12.

XV. QVADAM autem nocte, cùm eum flagellorum ardor amplius adureret, ſubito inimica humano generi fraus diaboli affuit, minaſque & figuras ſibi competentes prætendit, & pueris illius dormientibus, vocibus belluinis frequenter increpuit. Sed athleta Domini huic non paruam terrorem obiecit, nec contum vibrauit, ſpiculumve contorſit: ſed pſalmi vnius decantatione verſutiam eius perculit. Cantabat enim: Qui habitat in adiutorio altiſſimi, &c. Tunc puerorum quendam aduocans, noctis horam requiſiuit, & quia media nox eſſet, audiuit, atque adiecit: O vtinam tanta mora noctis iam ſubduceretur, & lux diurna noſtris ablata conſpectibus, reueheretur. His etiam adiecit: Ne dubitemus hac in domo ſatanæ adeſſe præſentiam, qui humani exitus auidus, diuini operis ſemper ſe inſidiatorem ac perſecutorem aſſiduis probat incurſibus. Cui puer: O, inquit, paſtorum optime, quorſum iſta proſequeris, cum certum ſit, eum tuæ virtuti obuiare non poſſe, noſque omnes tui præſentia ab eius incurſibus ereptos & ſaluatos, eorum tartareis vocibus eiulantes, coram te adductos, tuamque præſentiam ferre non valentes, pro tuis ſanctis meritis ex diu obſeſſis corporibus abſtractos, & caligini æternæ damnatos. Et licet ſua ſubtiliſſima ac ſagaciſſima calliditate vſus, aliquid tuæ Deo amabili innocentiæ impugnationis ingerere conatus fuerit, tamen fidente in illum, qui dixit: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: nihil prorſus ſui iuris inuenit. Cui venerandus pontifex: Hæc, inquit, optime locutus es, quoniam quæ corde dubitaſti, ſermonis officio proſecutus es. Cæterum iam nunc vade, aqua, quæ ſacerdotali conſecratione ſale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute imprægnata eſt, liquorque olim itidem Apoſtolica authoritate benedictus, huc deferatur: quorum aſpergine atq; litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, vt amplius non ſua audeat inferre machinamenta. Quo facto, ipſe conſueto orationem operi conſtanter inſiſtebat, ſacrumq; officium, ſepteno numero dicatum, antequam lux diurna fieret, Domino perſoluebat.

Pſal. 90.

Semper maligni dæmones hominibus inſidiantur.

Iohann. 14.

Vide quid vir ſanctus tribuat aquæ benedictæ.

Nota de VII. horis Canonicis.

XVI. IAMQVE ſe aurora diei ſexta feria, paulatim decreſcentibus furuæ noctis tenebris, roſeo repræſentabat ſplendore, cum nos totum ipſius circum ambientes, vnaque nobiſcum egregius filius eius Florbertus, præſtolabamur glorioſam ipſius migrationem. Conuerſus autem ſacer pontifex, circunſtantibus ita proloqui cœpit: Mei prædilecti atque amantiſſimi filii, apud Chriſtum iam nunc pro meis interuenite fragilitatibus. Iam enim terminus irreuocabilis vitæ meæ adeſt, quo iubeor luteum hoc habitaculum linquere, & rationem ante iudicem actuum meorum poſiturus apparere. Et quia tanto impatem me examini, obſiſtente meorum mole peccaminum, perſentio, vtpote cui exeunti vitiorum acies phalangeſque triſtes occurrent: precor, precum veſtrarum clypeos opponite, & vt piam Chriſti maieſtatem propitiam habere merear, depoſcite. Hæc beato viro, iuxta quod ſcriptum eſt, Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui, proloquente, perſentiens pallidæ mortis proximam iam eſſe præſentiam, manibus ad cælum eleuatis, & veſte rigata oculis à lachrymarum fonte ſiccatis, dixit: Oppandite ori velamen, quia depoſitum animæ, quod nunc vſque fragili vaſe retentum eſt, oportet tandem reſolui, atque ab eo liberum egredi. Canebatque ſymboli verba, quo continentur fidei ſacramenta, dicendo: Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. Itemque orationis Dominicæ verba ferendo, Pater noſter, qui es in cælis. Inter quæ verba ſpiritum efflauit, angelicíſque admixtus cœtibus, & euectus manibus, cælum penetrauit, ſanctorum iungendus agminibus. Eius autem migratio intulit ſuperno conuentui gaudium: eis autem, qui eius conſortio eatenus fruiti fuerant, grauem & pene interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, & paſtoris ſe conquerentium deſtitutos opima præſentia: monachorum quoque greges, ieiuniis pallida ora gerentes, incultoque habitu deſpectum mundum proteſtantes, ad viri Dei inferiarum exequias deducendas concurrere, quamq; pie & ſancte pontificis ſui vita decurrerit, ſedulum officium eorum altaq; deuotio teſtabatur. Sane eo ſpiritum reddente, euangelium Chriſti perlegitur: & eo perlecto, quæ mortuis, piè officia ſepulturæ præſtantur. Etenim corpus eius ablutum lymphis, atque circundatum peplis, loculo ſuperponunt, atque elatum è loco eius obitus, qui vocatur Fura, Leodium transfertur. Quæ loca à ſe differunt millibus triginta. Sane per omne corpus reuerſionis, piæ oues funebria exuuiaſque ſui audientes deferri paſtoris, ex omnibus villis & locis confluentes, vltimum vale dicturi, adueniunt. Omnis ætas, vterq; ſexus, curuus arator, pannoſusq; bubulcus dolorem lachrymis confeſſi, accedentes atque eminus ſalutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant. Heu heu, quid nobis iam nunc reſtat ſalutis? En deſtituimur periclitantes benigniſſimo periculorum noſtrorum propulſatore, qui doloribus noſtris conſolator aderat, inopiæque miſerator, orphanorum altor, defenſor viduarum, doctrinæque cæleſtis eximius doctor. Huius præſentia fugabatur diaboli ſæuitia, ſeculi calcabatur pompa, & in vno iſto omnia nobis erant doctrinæ atq; operis ſancta emolumenta. Hiſce vocibus planctibusque ſimiles iungebantur querimoniæ, quouſque ſupraſcripto emenſo ſpatio, in locum deſtinatum ſancti oſſa aduexere præſulis.

Florbertus ille poſt patrem eligitur Epiſcopus.

Prou. 18.

Anno 735. feliciter è cælos proficiſcitur, teſte Sigeberto. Ægidius Bucherius in Diſputatione ſua hiſtorica de primis Tungrorum Epiſcopis caſ 100 probat eum an. 727. è vita exceſſiſſe.

Omnibus mire dolet obitus eius.

XVII. CVM autem prope eundem locum aduentarent, plebis multitudo graduſque omnis Eccleſiaſticus, cum reuerendo habitu obuiam ſanctis proceſſere exequiis, ferentes Crucis vexilla, ſanctorumque patrocinia, necnon candelabra lumine radiantia, ſed & aromata in † thymiamateriis redolentia, pſallentes, quæ moris eſt talibus officiis decantari, carmina. Dum autem feretro viri Dei ſe iunxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, & luctum indixit, ita vt à fletu nemo poſſet temperare: ſed conquerebantur de ſui paſtoris, dolore magiſtro dictante, intempeſtiua ſubtractione. O bone, inquiunt, paſtor, † nunc te conſolatorem miſeriæ agnoſcimus noſtræ: dum in viri Dei perfectionem animique robur euaſeras, etiam tui fraudamur præſentia. Te doctore, inſipientiæ locus non erat: te medicante, morbo cuiquam noſtri ſedibus animi adſpirare fas non erat. En quid nobis reſtat, niſi lachrymæ noſtræ ſolummodo teſtes degeneroſitatis animi, qua præualente, caruimus tanto paſtore miſerrimi?

Vide antiquã Chriſtianorum deuotionem.

† timiateriis.

† nec ſola ſt tes miſeriæ agnoſcimus noſtri. MS. Codex.

mi? En tibi pro meritis iam redduntur cælici honores: nos autem grex tuus orbati patre, proſtituimur cunctis diripientibus velut inutiles oues. Sed petimus, vt tua interceſſio pia nos iuuet Chriſto adhærens, quæ nos cunctis bonis imbuit, terra conſiſtens. His & ſimilibus dolori ſatisfacientes, ſanctiſſima membra in B. Petri baſilicam intulêre, quam ipſe beatus vir ſua conſtruxit munificentia: ibique facibus accenſis, peruigilem noctem ducentes, Dauidicisque canticis operam dantes, vſquequo ſol iubare ſuo poli terræque faciem perfunderet, perſeuerauêre pſallentes. Poſt hæc autem induunt eum, prout erat ſolitus indui, diuino altari aſſiſtens, ſubucula ſcilicet, atque linea planeta. Tanta autem vultui eius inerat pulchritudinis gratia, vt potior videretur atque venuſtior mortuus, quam olim fuerat viuus. Quæ cum fierent, diſcipulique eius vultum ſibi dudum optabilem atque amantiſſimum oculis perluſtrarent, internum amorem animi non ferentes, lachrymis teſtabantur, amicumque dolori luctum aſſumentes, hæc permixta ſingultibus verba reddebant: O columna & tutamen, decuſque Eccleſiæ, ſed & animarum noſtrarum cuſtos egregie, tuam exoptatam atque ſubtractam ſitimus præſentiam: & quia in præſenti noſtris profectibus inimicam tui ſuſtinemus abſentiam, neque datur nobis ſuauiſſimam ac mellifluam tuam audire eloquentiam, queſtus noſtros lachrymis reſtat ſolari vberrimis, atque pietatem tuam ſubmiſſis obſecrare precibus, vt qui hactenus te, prauitatis noſtræ exigente miſeria, contempſimus docentem, te apud Chriſtum intercedente, mereamur videre faciem noſtri iudicis propitiam atque miſericordem. Omnes etiam adſtantes, genibus curuatis, ceruicibuſque ſubmiſſis, plantis eius grata oſcula libant, & quia doctrinæ eius ſegnes executores fuerint, proclamant, ob idque ſibi indulgentiam dari ſuppliciter poſtulant. Deinde officia, prout res poſtulat, ſuper eum peragunt, cantionemque aptam depromunt, odoramentiſque & lampadibus cum omni honeſtate, vt res funebria poſtulat, præeuntibus, loculo quo ipſe prædixerat, humandus inducitur. Vt autem diuinitas cunctis palam oſtenderet, ſemper apud ſe viuere, quem ab oculis hominum occulerat, terra ſub arido cæſpite lucum ſepulcri eius tali dignata eſt miraculo venuſtare. Virga namq; ſuper ſepulcrum eius inciſa eſt: quia ita res exigebat, contractior tamen, quam vtilitas popoſcerat: ſed poſtea inuenta eſt duorum palmorũ longitudine ſupercreuiſſe. Quã nos ob ampliandam Chriſti gloriam & ſancti viri perpetuam memoriam, ab eodem loco leuatam, parieti inſeruimus conſeruandam.

Decor vultus iam defuncti.

Luctus diſcipulorum eius.

En rurſus antiquũ ſepeliendi ritum.

Inſigne miraculum.

Poſt hæc autem cœperunt ſancti viri reliquiæ virtutibus florere, locuſque eius ſepulturæ crebris miraculis enitere. Nam creberrime quidam inter diurnum nocturnumque officium inibi peragentes, crebro ſe confeſſi ſunt voces exaudiſſe de tumulo. Quas, vti humanæ imbecillitati moris eſt, audientes, timore nimio perterriti, fugæ ſeſe credidêre, timoriſq; magnitudinẽ mutatione loci declinauêre. Quod nos audiẽtes, innumeras Chriſto Domino perſoluimus grates, qui tali modo voluit commendare precioſam mortem præſulis ſui, videntes quod eum alta beatitudine donauerat, quem tanta prærogatiua ſignorum commendabat. XVIII

Miracula ad ſepulcrũ eius.

Matth, 10.

Anno autem decimoſexto feliciſſimi eius exceſſus, vt vox Saluatoris vera probaretur, dicentis, Nihil opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non ſciatur: paſtor paſtorum vicarium ſuum, quanti apud ſe eſſet meriti, voluit oſtendere, quatenus lux virtutum eius coram hominibus fulgeret, & populi perfruentes ſuauitate ſignorum glorificarent Deum, patratorem tantorum operum: & quia membrum parſque magna erit ciuitatis ſupernæ, noluit eum Dominus delitescere, ſed cunctis eius ciuibus in exemplum proferre. Nam Carlomanno Rege, tertio iam anno regni Francorum ſceptra regente, æditui baſilicæ, qua ſancti viri membra tegebantur, detexere ſibi mandatum fuiſſe equitus, vti corporis beati viri buſta inde leuarentur: nec ſoli illi talia ſibi referebant mandata diuinitus, ſed & aliæ complures perſonæ ſpectabiles, & nobilitate humi præſtantes. Quique ad alterutrum ea, quæ viritim viderant, conferentes, quæſitu ne opus eſſet dicebant, quod ſibi in talibus conſilium, quid ve foret agendum. Et diu quaquauerſum ſententiam potuere, trutinantes, ad id tandem conſilij ventum eſt, vt diuinitas ſuper his conſuleretur, & ſuper hac re eius voluntas atque ſententia præſtolaretur. Igitur ad amica ſibi ſubſidia ſe vertentes, orationi atque ieiunio ſeſe triduano mancipauere, vtque voluntatem ſuper hoc negocio Domini noſſe poſſent, ab eo totis niſibus popoſcere. Ac tertio tandem ieiunij die inſtante, duos libros ſuper altare depoſuere: quorum vnus ſacratiſſimi Euangelij retinebat textum, alter vero benedictiones atque conſecrationes, quibus Miſſarum peragunt ſacramentum, ſcilicet vt à diuinis libris addiſcerent, quæ ſibi de his agenda forent. Reſeratum euangelium hanc primum legenti ſententiam obtulit: Ne timeas Maria: inueniſti gratiam apud Dominum. Liber etiam ſacramentorum in ſui apertione hoc primum videndi obiecit: Dirige viam famuli tui. Quibus peractis, noctem ſuperuenientem vigiliarum celebratione, hymnorumque decantatione reddunt feſtiuam. Adueniente autem die, ſacerdotes quique, ſibi iunctis aliorum Eccleſiaſticorum graduum turmis, itemque populi ac procerum palatij agminibus, primo mane Dominica illuceſcente, baſilicam beati Petri adeunt, vbi ſanctiſſimi viri membra ſilicea continebat vrna, ferentes in manibus vexilla Crucis & candelabra, ſed & diuerſa odoramentorum genera. Quo peruenientes, operculum à ſarcophago ſuſtulere, attamen grauitate pauorem cum reuerentia indicente, non audebant plenius locum ſepulturæ eius oculis viſitare. Putabant nanque, more mortalium, illud ſacratiſſimum corpus à ſoliditatis compage ſeiunctum, & pulueri redditum. Ne tamen, quia tantum opus cœperant, ſi relinquerent, imperfectionis argui poſſent, grauitate magiſtra, leniter quoque acceſſerunt, & introſpicientes, glorioſum eius corpus nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione atque putredine repererunt, & pro tabo atq; putredine, quæ mos eſt mortaliũ corpora defuncta contrahere, aromatum more illud ſenſerunt odorifico odore feruere. Caput aũt illius perluſtrantes oculis, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile eſt) ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis. Coronam vero capillorum alienam prorſus ab omni læſione, cæſariemque auctam & prolixitate & pulchritudine. Neque enim candore ſenili albebat, ſed colore & viſione ſui, iuuenis caput repromittebat. Quod videntes omnes, qui aderant, gaudio inæſtimabili corde concepto etiam vocibus conclamabant: O mundi fabricæ inæſtimabilis conditor, ô fili Dei, generis humani in initio mundi, patris ſocia virtute factor, eiuſdemque in fine redemptor, quiſnam tibi ſimilis in miſericordia, qui non ſolum animas ſeruorum tuorum in paradiſi ſedibus collocans, æternam eis felicitatem attribuis, ſed etiam corpora eorum, naturæ quodammodo vim afferens, illibata cuſtodis? Ecce enim ad augmentandam tui nominis magnificentiam, non modo corporis integritas, vultuſq; venuſtas, ſed & indumentorum eius conſeruata eſt pulchritudo, & quodammodo antiqua nouitas. XIX.

Per buſta ſacra eius oſſa intelliguntur.

Frequens apud veteres, ieiunijs & precibus inquirere Dei voluntatem.

Luc. 1.

Eccleſiaſticorum graduum, id eſt ordinum.

Poſt multos annos S. Huberti corpus integrum cernitur. Vide rem miram.

Indumenta eius apparent incorrupta.

Eodem vero die huius rei fama circunquaque decucurrit, & per cunctorum ora volitans, ad palatium vſque peruenit. Venit enim & illuc nuncius, referens beati viri corpus in conditorio, quo olim exanime eſt conditum, nunc oculis viſentium ſe offerri, ab omni prorſus corruptela alienum, veſteſque illius tanquam miraculi participes, nequaquam reperiri aliqua deformitate degeneres. Quod poſtquam, fama vulgante, per cunctorum aures diſſeminatum eſt, certatim tam proximi, quam & longinqui quique viri ſtuduerunt illuc aduentare, & miraculum, quod Chriſtus in ſerui ſui corpore monſtrauerat, intueri. Vt autem in tanto miraculo Domini potentia potiſſimum magnificaretur, & virtus nota redderetur, pars permaxima princeps clariſſimus atque orthodoxus extitit, Carlomannus. Qui talibus auditis, regali ſolio exiliuit vna cum vxore & primoribus palatij ſui & ad viri Dei corpus peruidendum acceſſit: Et admirans potentiam Domini, virtutem eius magnificauit, miſericordiam collaudauit, XX.

dauit, & quia in diebus ſuis talia oſtendere dignatus ſit, glorioſum nomen eius benedixit: nimioque gaudio permotus, inter pias laudes & gratiarum actiones gaudio eliciente lachrymas fudit. Sed & aduenientium itidem quiſque fecit: gaudebantque oſculari manus & pedes beatiſſimi viri, quem Dominus honorare dignatus eſt tanti prærogatiua miraculi. Rex interea memorabilis Carlomannus vna cum optimatibus ſuis proceribuſque ſui palatij, ſanctiſſimi viri membra, ſuauiſſimis &(vt ita dixerim) inenarrabilibus odoribus redolētia, ſuſtulit ex vaſe ſepulcri, & loculo impoſuit, & cum magna lætitia atque honore, necnon hymnorum decantatione, ſed & candelabrorum lumine, aromatumque ſuauiſſimo odore detulit ante ſacrum altare, ibidemq; maxima munera deuouit atque attribuit, vaſa ſcilicet argentea, & pallia peregrino opere elaborata, necnon fundos fundorumq; redditus, itemque ſeruos prædiorumque dederat incolas. Quæ ſingula teſtamento mandauit, & Eccleſiæ, in quam ſanctum corpus intulit, in perpetuam hæreditatem delegauit, ſanctique viri oſſa nobiliter ibi collocauit. Per cuius interceſſionem, piamque interuentionem tuam, Domine, ſupplices expoſcimus pietatem, vt qui noſtris grauamur exceſſibus, tua gratiſſima opitulatione à reproborum numero ſecerni, iuſtiſſimaque damnatione liberati, atque in electorum conſortio mereamur connumerari: cui eſt honor & imperium, poteſtas ſumma, pietas immenſa, bonitas inexhauſta: quem decet laus & gloria per cuncta ſeculorum ſecula. Amen.

Nota priſcorum principum & Chriſtianorum religionem. Eiuſque munera offert princeps Carlomannus S. Huberto.

XXI. Hæc de vita & mirabilibus beati Huberti antiſtitis almi, & de his, quæ circa corpus eius ob ipſius reuerentiam & Domini immenſam gloriam prædicandam, priſcis temporibus celebrata ſunt, quanquam infacundo, fideli tamen, ſtylo exarata, ad nos ſcripta cōmeârunt. Abhinc aūt quomodo qualiterve, monente, immo compellente Chriſti honore & amore, creſcente etiam atque flagrante erga diuinum cultum piiſſimamque ſanctorum Dei venerationem fidelium deuotione, ſub piiſſimo Deique amantiſſimo Ludouico Imperatore, in transferendo memorati & ſæpe memorandi ſanctiſſimi viri corpore ſit actum, breuiter fideliterque conſtare eſſe ſubnexum. Anno ſiquidem octingēteſimo vndecimo feliciſſimæ incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, exēpto rebus humanis famoſiſſimo Imperatore Carolo, victorioſiſſimo piiſſimo Auguſto, qui regni Francorum ſpatia longe lateque dilatauit, & Chriſti gloriam in ſuis finibus ampliauit, inſuper & multarum gentium cæcitatem quanta potuit virtute perculit, ereptaſque profundis tenebris, lucis claritate conſpicuas reddidit: Ludouicus glorioſus filius eius, ſceptra imperialia ſibi debita atque ab eo tradita, poſt eum feliciter ſuſcepit. Decebat quippe Chriſtum talem ac tantum imperio ſuo præficere principem, in quo non modo auiti ſpecimen eluceret imperij, ſed & qui mentis nobilitate inſignis, prudentia ſingularis, moribuſque innocuus, cunctis ſibi ſubiectis fieret tot virtutum excellentia imitabilis.

Caroli Magni obitus incidit non in annum 811. ſed 814. menſe Ianuario, teſte Eginhardo in vita eius, ai geberto in Chron. Baron. in Annal an 814. & alii.

XXII. Hic ergo imperij ſui primordia talibus tantiſque dedicare inſtituit auſpiciis, vt incorrecta corrigerentur, bona collapſa erigerentur, & quiſque ordo in regno ſibi tradito non paſſim leuitate iactatus à propria regula exorbitaret: ſed laicus ordo iuſtitiæ deſeruiret, atque armis pacem ſanctæ Eccleſiæ defenderet: monaſticus ordo quietem diligeret, orationi vacaret, & qui ſe à ſeculi faſtibus ſecreuiſſet, eiſdem iterum nec voluntate, nec neceſſitate ſemet ſubderet: Epiſcopalis autem ordo, vt his omnibus ſuperintenderet: ſcilicet, vt ſi qui ab his aut voluntate, aut neceſſitate deuiarent, eorum ſolerti iudicio prudentique conſilio ad lineam rectitudinis correcti redirent. In quibus, vt reuera decet, cum multi imitatione digniſſima talibus eius monitis præberent obtemperantiam, pars horum non minima extitit Vualcandus venerandus Epiſcopus. Is enim partim diuinitatis inſtinctu, & mercedis intuitu: partim vero huius ſacratiſſimi principis talibus monitionibus incitatus, ſtudebat magnopere plebem ſibi à Domino traditam, bonorum operum exercitiis nobilitare, & de bonis ad meliora ſemper euehere, ac ſi quid in epiſcopio ſuo reſediſſet, emendatione dignum, totis niſibus in meliorem ſtatum recuperare. Vnde inter cætera, quæ emendationem poſtulabant, obtulit ſe eius munificentiæ cella quædam, antiquo nomine vocata * Andagium, quæ olim quidem inhabitatoribus pene fuerat annullata. Hæc ergo ſe materiam quandam obtulit eius munificentiæ, in qua liberalitatis ſuæ laxatis habenis, quā vacuus tenacitate eſſet, nō inanibus verbis, ſed executione operis oſtendit. Nanque hanc pene à fundamentis reſtauratam, in melioremque ſtatum denuo renouatam, poſthabita auaritia, nobiliter eius ſtatum compoſuit, ædificiis honeſtis nobilitauit, & exemptis prædiis, quæ olim religio ſanctorum virorum largitate poſſedit, alia de epiſcopio ſuo ſuperaddidit, incolaſque loci illius, monachos eſſe voluit. Qui ne nullius rei inopes, indigentiæ manus darent, atque à propoſito ſancto deficerent, vt dictum eſt, præuidit & nobiliter ordinauit. Egit nanque, vt quæ vitæ forent neceſſaria, nulla deeſſent: procurauitque vt quia vſibus eorum neceſſaria ſubminiſtrabat, ipſi quoque, quæ diuinæ forent grata voluntati, peragerent, & quantum ſibi poſſe diuinitas conferret, nequaquam ab ea declinarent. Adductis namque regularis vitæ optimis præceptoribus, monaſticæ ordinē vitæ eos edocuit, & bonorū operum exercitiis operam dare, tam voce propria, quam & lectione diuina ſuaſit. Vnde factum eſt, vt eius ſtudium non inani labore caſſaretur: ſed ſuper optimam terram iactato verbi ſemine, citius centuplicato verbi fœnore fructus multiplicaretur.

Prima initia imperij Ludouici Pij valde præclara. Vualcandi zelus Epiſcopi Leodienſis encomium. † Andainū. Andagium monaſterium Vualcandus Epiſcopus conſtruit.

XXIII. CæPERVNT a igitur vndiquaque in eundem locum religioſitatis cultores cōfluere, & maxime nobiles viri ex monaſterio ſancti Lamberti, qui Apoſtolicæ vitæ deſiderio accenſi erant, illuc conuolare, viriliter eius ordinis vitam morū actuumque probitatē tenere. Qui poſtquam detrita ſanctæ conuerſationis via, quæ olim ſibi fuerant aſpera, Chriſto ductore cœperunt fieri leuia, augmenta ſuæ perfectionis & deuotionis requirentes, adierunt præfatum venerabilem antiſtitem Vualcandum, vti beatiſſimi Huberti præſulis oſſa eis à loco ſepulturæ permitteret trāsferre, & in cellam ſuæ habitationis ob ſui conſolationem, & confeſſoris Domini ampliorem honorem, tranſportare. Qui vocis eorum petitionē, vt pius pater, clementer audiuit, indignumq; locū, in quo ſancta membra iacebant, tanto confeſſore iudicauit. Sed piam petitionem eorum impleri poſſe atq; debere, non abnuit: attamen ne incaute ac paſſim, leuitatis errore, dictante, id feciſſe videretur, ferme tribus annis eorum petitionem diſtulit. Sed cum ab ipſis venerandis viris magnopere, vt id eis concederet, exigeretur, prudenti conſilio cuncta peragens, * Adebaldum venerabilem virum metropolitam ſuum ſuper hac re conſuluit. Qui & ipſe in tanta re conſiliū ſuum, vt decebat ſummæ humilitatis virum, reputans minimum, ratum duxit, vt vna Chriſtianiſſimum atque orthodoxum principem Ludouicum Imperatorem adirent, & quæ eos pulſaret fratrum petitio, pariter ediſſererent. Qui & ipſe glorioſus atque inuictus Auguſtus, conſiderans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine ſui tranſcendentem, ad concilium venerabile Epiſcoporum, quod tunc temporis apud Aquas congregatum erat, ſtatuit conferendum, & quid eis eſſet gerendum, à ſententia ſancti conuentus magnopere flagitandum. Idem autem venerabilis, ac prorſus Deo amabilis conuentus, conſideratis vndique partibus, ſcilicet qui & quare peterent, ſed & reuerentia Domini confeſſoris, ſanxerunt tot religioſorum virorum voto, ſancti viri oſſa * omitti, & in monaſterio ſupradicto, vbi religioſius honorarentur, collocari. Quorum ſententiæ ſæpedictus pōtifex obedientiam præbuit, conſilio aſſenſit, & petentibus iam dictis viris venerandis, ſanctiſſimi viri Huberti corpus attribuit. Nam anno ordinationis ipſius decimoſexto, qui eſt incarnationis Dominicæ octingenteſimus viceſimusquintus, XI. Calendas Octobris, ad beatiſſimi confeſſoris ventum eſt venam, atque à ſacerdotibus cum maxima reuerentia

a Monaſticā vitam, dicit Apoſtolicam, quia imitatur eā vitam, quā Hieroſolymis inchoarunt Apoſtoli. * Hadabaldum. Hildebaldū & Hildeboldum. b Ecce quā olim reuerenter habitæ ſunt Sanctorum reliquiæ etiā ab Imperatoribus, & in Concilium Aquiſgranenſe. * for. dimitti. Anno 825. S. Lamberti.

transfertur Sigebertus refert ad annũ 824 Chron. monaſterij Audaginꝰ ſis ad annum 316 teste Ægidio in horis ad cap 34.

à loco ſepulturæ eius effoſſa, inde cum religioſi populi graduſque Eccleſiaſtici frequentia, in beati Lamberti Eccleſiam, ſancti oſſa ſunt viri tranſuecta. Vbi triduo orationibus & vigiliis proſecuta, vndecimo Calendas Octobris ad memoratum monaſterium cum loculo ſuo ſunt perlata, ibidemque Chriſto annuente, vt tanto confeſſori competebat, mirifice condita.

Rurſus poſt annos multos incorruptum S. Huberti corpus inuenitur.

SED quoniam inſignia Chriſti miracula, quibus multifariè ſanctos ſuos glorificat, nullo modo ſunt occulenda, ſed magis magiſque, quantum mortalibus fari datur, ob eius gloriam & laudem propagandam fideliter prædicanda: valde indecens indignumque iudicauimus, vt eius magnificentiam, quæ noſtro ſeculo circa memorati ſancti viri cadauer mirabiliter effulſit, ſilentio tegamus. Verum, ſicut dicti venerabilis antiſtitis Vualcandi, & quorundam aliorum religioſorum virorum veraci relatu didicimus, prorſus ab illa corruptione, quæ ob præuaricationem primi parentis iuſtiſſimè humanæ naturæ pœnaliter inflicta eſt, eiuſdem beatiſſimi viri totius corporis compago ita aliena immuniſque eſt reperta, quemadmodum tempore Carlomanni Regis legitur inuenta fuiſſe, & terræ mandata. Quod quantum ſub ipſius principis tempore, erga præfati ſancti viri corpus, per tot elapſa tempora incorruptè ſeruatum virtus diuina claruerit, ſeriem huius libelli paulo ſuperius repetendo perſpicaciter legar, ibique quanto honore, quantaque illæſione & incorruptione protectio diuina illud donauerit, rationabiliter comprehenſum fideliterque annotatum, perfacile colligere quibit. Cum igitur nil detrimenti, nilque corruptionis in corporis eiuſdem ſancti viri prima tranſlatione, quæ facta eſt ſub memorato principe, compertum fuiſſe didicerit, nullo modo, quod in hac ſecunda, quæ facta eſt à Vualcando præſule ſub piiſſimo Deoque amabili Ludouico Cæſare, ſæpedicti ſancti viri corpus ſolidum illæſumque, eadem Chriſti gratia protegente, inuenire quiuerit, dubitabit. Ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatiſque perſpicuæ luce perfuſus, nil niſi quod miretur, & vnde diuinæ potentiæ multiplices grates dignè perſoluat inueniens, Deum proculdubio mirabilem glorioſumque, ſicut in cæteris ſanctis ſuis, ita quoque in huius fideliſſimi ſerui ſui corpore, tot tantorumque donorum prærogatiuis, legi naturæ vim inferentibus, honorato & glorificato, toto niſu prædicandum ceruis vocibus exclamabit. Interfluxit autẽ ſpatium temporis à prima vſque ad ſecundam tranſlationem, annorum circiter ſeptuagintaquinque, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & pollicente ſuis ſe vſque ad conſummationem ſeculi affuturum fidelibus, eorumque agonibus miſericorditer opitulante, triumphoſque feliciter atque ineffabiliter remunerante: Qui viuit cum Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. XXIV.

Pſal. 67.

Matth. 28.

Chriſtus S. Huberto apparet inter cornua cerui. S Hubertũ Bertrandi

HACTENVS ex MS. vetuſto codice. Sunt autem, qui ſcribant beatum Hubertum filium fuiſſe Bertrandi ducis Aquitaniæ, & ei adhuc pagano venationi operã danti, inter cerui cornua Chriſtũ apparuiſſe, & vt ad Lambertũ Epiſcopum iret, admonuiſſe. Ab eo vero humaniter acceptum, fide inſtructum, atque vndis ſalutaribus expiatum eſſe. Inde Romam profectum ad viſitanda Apoſtolorum limina. Interim vero peremptum ſanctum Lambertum, atque in eius locum beatum Hubertum, ſubrogatum. XXV.

Ducis Aquitaniæ filium fuiſſe teſtatur Molan in Indic. SS. Belg. & in Natal. 3. Octob & ex eo Baren an. 699.

AN. 660. VITA S. VVENEFRIDAE VIRGINIS ET MARTYRIS, PER F. LAVR. SVRIVM COMPREHENSIVS CONSCRIPTA. DE HVIVS SANCTÆ VIRginis vita ſcripſit Ropertus Abbas Salopien & niſi fallor, is eſt author eius vitæ, quam nos hic mutato ſtylo aliquanto breuiorem edimus. Clarùit autem Ropertus Abbas anno 1140 ad cuius monaſterium, huius virginis oſſa tranſlata ſunt anno 1138.

3. Noue. Beunous vir ſanctiſſ:

BEVNOVS vir ſanctiſſimus, multis clarus virtutibus, in Occidentali maioris Britanniæ regione enituit. Is contempto paterno ſolio, pauper aufugit, factuſque monachus, breui in perfectum euaſit virum. Cumque diuerſis in locis monaſteria condidiſſet, fratreſq; in iis Chriſto ſeruituros congregaſſet, diuinitus admonitus, alio profectus eſt, à Domino ipſi deſtinatam quæſiturus habitationem. Tandẽ ad prædium Teuithi hominis potentiſſimi peruenit, orauitq; illum, vt portionem quandã poſſeſſionum ſuarũ Deo & ipſi largiretur, in qua eccleſiam extruere, atq; in ea Deo ſeruire, & pro eius ſalute quotidie Dominum deprecari poſſet. Ille vero non difficulter annuit, immo etiam vnicæ filiæ ſuæ Vuenefridæ mores conformandos illi commendauit. Eam vir ſanctus quando ad populum concionabatur, ad pedes ſuos ſedere iuſſit, & ſermones ſuos diligenter auſcultare. Vnde factum eſt, vt in dies ſeipſa melior effecta, auctaque ſapientia, ab omni viri toro prorſus abſtinere conſtitueret. Sed cum id parentibus indicare reformidaret, ad virum Dei acceſſit, ait ſibi deliberatum eſſe virginem ſe Chriſto conſeruare incontaminatam: orauit, vt à parentibus id ipſe ſibi impetraret. Aſſenſit vir ſanctus, dicit ſe accuratè ea de re cum parentibus acturum. I.

S. Vuenefrida ab eo inſtruitur. Vuenefrida ſtatuit virgo permanere. Parentes libenter aſſentiunt.

VENIT ergo ad parentes puellæ, iiſque cognito virginis propoſito, fundunt lachrymas, laudant Deum, & libentibus animis aſſentiuntur. At illa ſedens identidem ad pedes viri Dei, ardenti deſiderio hauriebat, quæ ille dicebat de gloria ſponſi cœleſtis, nec quicquam in ſuum pectus admittebat terrenum, crebro noctibus in Eccleſia vigilabat. Solebat nonnunquam etiam importune petere à ſancto viro, vt ſermonem texeret de vita & moribus ſponſi immortalis, audienſque de illius excellentia, decore & maieſtate, contemptum omnis terrenæ iucunditatis concipiebat, & ſpiritalis lætitiæ indeficientem materiam ſuo in pectore colligebat. Etſi autem ætate adhuc eſſet tenera, moribus tamen & animo cana erat, prauas cupiditates omnes plane contemnens. II.

Cadocus Regis filius eam ad cõcubitum prouocat

Minatur ei mortem.

CVM autem quodam Dominico die parentes eius iuiſſent ad Eccleſiam, & illa neceſſario domi ſola remanſiſſet, Cadocus Alani Regis filius iuuenis, in eius ædes aduenit, eamque ad focum ſolam ſedentem inuenit. Illa cernens Regis filium, ſurgit ocyus, ſubmiſſe rogat, ecquidnam ſibi velit. Tum ille: Scis, inquit, me eſſe Regis filium, multis opibus & honoribus conſpicuum, & qui te quoque magnis poſſim augere diuitiis, ſi meæ velis parere voluntati. Sentiens virgo pudica de concubitu illum verba facere, paululũ demiſſo vultu & rubore ſuffuſa, primo quidem præ ſe fert, grauiter ſe dolere, quod tam parum cultam ipſam inueniſſet, atq; ad eum: Cum tu regio ſis ortus ſtemmate, & Deo volente, regni gubernacula ſuſcepturus, non dubito me diuitem & beatam poſſe fieri, ſi tuo coniugio aſſentiar. Sed quæſo te, parumper ſuſtine aduentum parentis mei. Interim ego ingrediar in cubiculum, moxq; ad te reuertar. Dixit hoc, vt poſſet ab illo ſe ſubducere, quem videbat libidinis flamma incenſum, præ amore prope amentem fieri. Permiſit autem iuuenis, vt in cubiculum ſe reciperet, putans illam bene comptam ilico redituram. At illa per aliud cubiculi oſtium exiens, præpeti curſu ad Eccleſiam properabat. Quod vbi ſenſit iuuenis, magno furoris œſtro percitus, diſtricto enſe eam celeriter inſequitur, toruiſque eam luminibus intuens: Olim, inquit, te amaui, mihique te coniungere volui: & tu nunc ad te venientem fugis & habes contemptui. Notum ſit ergo tibi, niſi mihi ſponte tui modo copiam feceris, confeſtim me ablaturum caput tuum. III.

Reſpondet illa cõſtanti & infracto animo: Ego vero Regi æterno, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, matrimonio iuncta ſum, nec vllum alium admittere poſſum: & ne diu ſuſpenſum te teneam, noueris, dum ſpiritus hos reget artus, neminem me admiſſuram præter illum. Fac ergo quicquid erit libitum, & quanta maxima potes, in me feritate incurre. Me enim neque terrores tui, neque blanditiæ, nec promiſſa, nec munera ab illius amore ſuauiſſimo poterunt ſeparare, cuius caſtis amplexibus adſtricta ſum. Cernens inceſtus iuuenis ſe contemni à virgine, libidinis impotentia victus, caput ei præcidit. Simul aũt atque corpus virginis humi collapſum eſt, fons illic mire perſpicuus & ingens erumpit, qui hodieque manare non deſinit, multis morbidis per merita ſanctæ virginis ſalutem adferens. Caput autem, quod in monte præciſum eſſet, facile à monte deuoluebatur in ipſam vſque Eccleſiam, magnoque terrori fuit cunctis illud adſpectantibus. Cumque omnes dicerent tam immane ſcelus vlciſcendum eſſe, eiuſque authorem deteſtarentur, parentes virginis internum animi dolorem luctu & eiulatu teſtabãtur.

Illa con-temnit.
Ab illo interficitur.
Fons in loco martyrij erumpit, adferens corporibus ſalutem.

IV. INTERIM homicida cruentus tergebat gladium ſuum ad herbas, & quia filius Regis erat, aiebat ſe nihil in eo perpetrando facinore Deum timuiſſe. At vir Dei Beunous, eius ſuperbiam & animi obſtinationem non ferens cum in manibus haberet caput virginis, acceſſit ad eum, & ait illi: O te ſceleſtum, qui regiæ dignitatis puellam crudeliter iugulaſti, cur te non pœnitet tantum admiſiſſe flagitium, quo ipſam quoque Eccleſiam contaminâſti, & Deum prouocâſti? Quando ergo nec Eccleſiæ pepercisti, nec diei Dominico reuerentiam præſtitiſti, oro Deum meum, vt reddat tibi in præſentia, quod mereris. His dictis, iuuenis repente corruit & expirauit, corpuſque eius colliqueſcens diſparuit, multis aſſerentibus, illud in tartarum cum anima deſcendiſſe. Porro vir Dei caput virginis crebro deoſculans, à lachrymis abſtinere non potuit. Deinde corpori illud apponens, & ſuo pallio tegens, ad altare acceſſit Miſſam celebraturus. Ea finita, redit ad corpus virginis, luculentum ſermonem habet ad populum, dicit inter cætera, ſanctam virginem votum Deo nuncupaſſe, ſed illud morte impediente reddere non potuiſſe: itaque orandum eſſe Deum, vt eam vitæ reſtituat. Cumque diu oratum eſſet, vir beatus ſurgit à terra, manibus in cœlum ſublatis, Domine Ieſu Chriſte, inquit, pro cuius amore hæc virgo terrena reſpuit, cœleſtia concupiuit: exaudi nos piis animis te inuocantes, vt quamuis non ignoremus eam pro tuo nomine paſſam, in cœlis degere, nec noſtro egére contubernio, animam tamen eius iubeas redire in corpus, vt magnificet nomen tuum, & poſt longa vitæ ſpatia, multiplicato bonę conuerſationis feruore, ad te redeat ſponſum ſuum vnice charum. Vbi ab omnibus dictum eſt, Amen, puella, quaſi à ſomno ſurgens, puluerem & ſudorem à facie detergit, omneſque illic adſtantes gaudio & admiratione afficit. Manſit autem in collo eius quoad vixit, tanquam candidi fili ſpecies, locum ſectionis obtegens, aiuntque viri regionis illius inde eam Vuenefridã dictam, cum antea, vt ipſi affirmant, Breuna appellaretur. Vuen enim Britãnica lingua, idem eſt, quod Latine candidum. Porro euphoniæ cauſa, prioris vocabuli duabus literis mutatis, dictam Vuenefredam.

Diuina vltione repẽte perit Cadocus.
Beunous ad vitã reuocat S. Vuenefridam.

V. LOCVS autem ille, vbi ſanguis eius fuſus eſt, non longe abeſt à monaſterio Baſinguuercko in Nouallia, & anteà quidem dictus eſt Siccauallis: poſt eius vero obitum vſque in præſens, Fons Vuenefridæ appellatur. Lapides quoque tam in fontis ſcaturigine, quam in riuo illius, ſeu vtriuſque margine, eius adſperſi cruore, & ſanguinis eius tanquam congelati manifeſta veſtigia retinent, vt neque temporis diuturnitate, neq; aquæ præterfluentis alluuione ea aboleantur. Muſcus autem lapidibus illis inhærens, thus redolet. Homines regionis illius, qui Deum necdum cognouerant, virginem rediuiuam, fontem aquas manantem, & petras ſanguine adſperſas videntes, ad pedes beati Beunoi ſe abiecerunt, & ab eo baptizati ſunt. Tandem autem ſancta virgo ab eodem viro Dei ſacrũ velamen accepit. Ille autẽ, ſolo ſcipione aſſumpto, omnem domus ſuæ ſupellectilem & quicquid fideles ei donauerant, ſanctæ illi virgini & eius ſociabus reliquit, atque alio commigrauit. Porro beata Vuenefrida nobilium filias congregans, docebat eas amare caſtitatem, cunctiſque mundi ſpretis illecebris, leui iugo Chriſti colla ſupponere, & regulari conſectanda diſciplina, illius ſe ſeruitio mancipare.

Multi ea excitata crediderũt in Chriſtum.
S. Vuenefrida multas nobiles filias Chriſto deſpondet.

VI. DEFVNCTO autem beato Beunoo, ſancta virgo, Deo ipſam admonente, ad ſanctum virum Deiferum acceſſit. Erat enim is magnus coram Domino, ferturque fontẽ è terra excitaſſe, multos depellentem morbos. Cumque ad eum iret Vuenefrida, nocte oranti cœlitus hæc vox facta eſt: Dic chariſſimæ filiæ meæ Vuenefridæ, vt ad Saturnum (hoc enim viro nomen erat) ſeſe conferat, ab eoque diſcat, quo in loco omne reliquũ vitæ tempus exigere debeat. Vbi ſancta virgo ad Saturnum venit, ille ait ad eam: Eſt locus, quem Vuitheriacum vocant, ab omni populo admodum reuerenter habitus. Eum te iubet Deus adire, in eo donec vixeris, commorari, tuiſq; exemplis aliis prælucere. Eſt illic Abbas Elerius, multis ornatus virtutibus, quem perpetui gemitus & aſſiduæ preces adeo ab omnibus mundi huius curis abalienarunt, vt nihil iam terrenum ſapiat, nihil rerum labentium expetat, totus cœleſtibus intentus. Fecit virgo ſancta, vt erat iuſſa: Venienti autem Abbas Elerius, per Spiritum ſanctum eius cognoſcens aduentum, obuiam proficiſcitur, eamque honorifice excipiens, in virginum monaſterium introducit, earumque curam ei demandat. Ibi ſane quiſquis ad illam æger acceſſit, incolumis ab ea receſſit: mœrentes omnes, animi lætitiam reportarunt. Tandem nocte quadam oranti Ieſus Chriſtus apparuit, indicauitque propediem ipſam è corpore deceſſuram. Itaque quarto Nonas Nouembris, plena virtutibus & operibus bonis, ſpiritum Deo reddidit, ſepultaque eſt iuxta ſanctum Chebeum & Senanum. Multa vero per illam præpotens Deus effecit miracula, inter alia fabri cuiuſdam filiam, ab ipſo ortu cæcam, illuminans.

Abbatis Elerij laus
S. Vuenefrida virginibus præficitur.
Feliciter migrat ad Dominum:
Miracula.

VII. SI pueri tenelli, aliquo corporis incommodo affecti & morbo correpti, in ipſius fontis ſcaturiginem mittantur, à matribus incolumes reportantur. Alia miracula præterimus. Poſt annos multos, puta à Chriſto nato anno milleſimo centeſimo triceſimooctauo, beatæ huius virginis oſſa Solopiam in monachorum monaſterium admodum honorifice tranſlata ſunt.

Martyrium SS. Acepſimæ Epiſcopi, Ioſephi presbyteri, & Aithala diaconi, quorum feſtiuitas in tertium diem Nouembris incidit, habetur 22. Aprilis.

Quæ in hiſce Actis de perenni fonte & miraculis illic fieri ſolitis deſcribuntur, maiora his accepiſſe ſe à fideliſſimo & oculato teſte Reuerendiſſ. D. Thoma Epiſcopo Aſaphenſi, Romani Pontificis in obeundis Epiſcopalibus functionibus Suffraganeo teſtatur Cardinalis Cæſar Baronius in not. Martyrolog. Rom. 3. Nouemb.

S. PYRMINII EPISCOPI VITA ET RES GESTÆ, DESCRIPTA PER OTHLONVM FVLDENSEM MONACHVM, EDITA ET ILLVSTRATA PER R. P. CHRISTOPHORVM BROVVERVM Societatis Ieſu.

Vixit Othlo circa annum 1050, vt habet Brouuer.

PROLOGVS AD LIVDVLPHVM ARCHIEPISCOPVM.

Prædicandus liberalis in Sanctos Deus.

* Treuireſem hũc putat Epiſcopum Brouuerus.

3. Nouem. IN omni creaturarum multimoda vniuerſitate, opifex earum Deus magnificus atque mirabilis perpenditur: &, cum ſolus lucem habitet inacceſſibilem, ideoque ab homine nullo qui mortali tegitur carne, videri poſſit; per ea tamen, quę condidit, æſtimari ſe concedit. In quibus omnibus, dum potens & mirificus cui-

eus euidenter appareat, perſpicacius, pulchrius, atq; dulcius in ſanctis hominibus magnificentia ipſius irradiat. H de-
tuq; voluntati eius morem gerendo, præceptorum diſciplinæ ſemel penitus ſubmittendo, Conditorem ſuum adeiſ-
cunt ſibimet intimum habitatorem: hunc que habentes cooperatorem, quam mirandus, quam potens, quam bonus
Pſal.67. Iſrael ſit Deus, cæteris clarius oſtendunt. Quod egregius Prophetarum Dauid, ingenio ſagaci contemplans, Mirabi-
lis, inquit, Deus in Sanctis ſuis, ipſe dat virtutem & fortitudinem, ac ſi diceret. Vos, qui Sanctorum virtutes admi ra-
mini; magis illum qui dat, contemplamini. Idem in vltimis pſalmorum, vbi omnem creaturam, in Dei laudes ordi-
Pſal.149. nat, electe atq; ſingulariter canendo inuitat: Cantate Domino canticum nouum: laus (enim) eius (præcipua) in Eccle-
Pſal.150. ſia Sanctorum. Et iterum Laudate Dominum in Sanctis eius. Hymnos quoque trium puerorum, immaniſſimæ for-
nacis diuinitus igne ſopito, concelebratus, omnia Domini opera ad ipſum benedicendum ordine incitat: incipiet-
Daniel.3. namque à ſummis, id eſt Angelis & Cœlis, deſcendit ad infima, id eſt terram & maria, inque his naſcentia, atq; habi-
tantia. Quibus omnibus decurſis, ita claudit, Benedicite Spiritus & animæ Iuſtorum Domino, Benedicite Sancti &
humiles corde Domino, ac ſi huiuſmodi verbis, cantilenæ vim exponat: Omnia quidem opera Domini benedicen-
dum illum ſignificatis, quē in vobis miramur, ineffabiliter tamen Sancti & humiles corde præbetis mirabilē, quē vo-
bis promeruiſtis cooperantem. Idcirco nullum oportet ambigere, quin in Deum tranſmittatur honor, qui Sanctis ex-
hibetur. Et omnis, qui geſta & virtutes eorum ſcribit, aut prædicat, operantem in eis Dominum magnificat.

Hvivsmodi ergo rei conſideratione animatus, ſimulq; Fratrum benigniſſimorum atq; in Chriſti charitate
feruidorum petitione pulſatus, vitam & actus ſanctiſſimi Patris eximiique Pontificis Pyrminij, deſcribere conabor.
Nam, etſi temeritatis verear eloginm, quod lingua minus limata, eloquio inculto, verborum inops, tam Reuerendæ
dignitatem materiæ aggredi præſumo, tamen fiducia robur ingerit, quæ de Dei gratia nullo modo deſperare, permit-
tit. Ipſe enim cordis ſcrutator & examinator, plus ruſticitatis beneuolentiam, quam periti ſermonis probat affluen-
tiam: vnde etiam Regni ſui Euangeliū magis incultis piſcatoribus, quam facetis commiſit oratoribus. Quod tamē o-
pus, tibi Reuerendiſſime Archipræſul Ludolphe, conſiderandū & examinandū cōmitto: quia fides & veritas te cō-
poſuerūt, cæteræq; virtutū cæteruæ tam firma tutela muniunt, vt liuore careas & ab omni vētoſitate immunis exiſtas.

Precor ergo, vt ſi qua fuerint inſulſe prolata, in melius fingas, ſuperflua reſeces, nec ante in aures publicas, p-
dire ſinas, quam iuſti examinis libra perpenſum, tuæ ſagacitatis fuerit lima probatum. Quamuis enim mihi non inſit
cornea fibra, potius tamen iudicio, à prudentibus corrigi, quam adulatorum falſiloquio commendari.

Sed iam tempus eſt, ad explicanda memorati Præſulis geſta vertere ſtylum: cuius, quæ fuerint ab ineunte ætate
rudimenta, quibus in adoleſcentia ſanctitatis rutilauerit floribus, vel quibus per omnem iuuentutem vſq; ad promo-
tionem Pontificatus, excreuerit virtutum inſignijs, nimium culpanda Scriptorum incuria, notare neglexit. Pauca
duntaxat, quæ ſub Pontificatus tempore geſſit, obſcure exarata reperimus ipſa, ſi Chriſtus opem dederit, euidentius
atq; operoſius exprimere ſtudebimus.

Verum tamen quod magnifica fuerint in ſanctitatis feruore, quæ Scriptores non fecerunt cognita, manifeſta-
Hier 30. uit quam poſt operatus eſt miraculorum eminentia: nam ipſe, qui ait. Ego glorificantes me glorificabo, à conſequen-
tibus donauit argumentatis, quanta fuiſſent, quæ præceſſerunt.

S. Pyrminius fueritne Meltēſis an Metenſis Epiſcopus, vide quæ ad hoc caput notat Brouerus in Syderibus Sanctorum.

Igitvr vir beatiſſimus Pyrminius obtinuit ſedē Epiſcopatus in caſtello [a] Meltis appellato, tempore, quo Theodo- I.
ricus Rex Francorū ſceptra tenebat. Vbi, tāto vigore tātaq; ſapientię vbertate, eloquijq; dulcedine, veritatis ſemina
ſpargebat, vt quiſq; eū audierat, cōpūctionis rore debriatus, ad reddēda pietatis germina effi eretur fœcūdus. Nā non
ſolū vicinos, verū etiā longè remotos, mirifica prædicationis eius efficacia, fama vulgāte, attraxerat. &, ſicut apes ad al-
ueare melle referti, ita ad eum confluebant examina populorū, ſaporatiſſimi verbi ipſi° dulcedinē haurire geſtientiū.
a Meltis caſtellum.

Sintlaz inter Alemaniæ primores.
Ad S. Pyrminiū in Galliam venit.

Erat aūt eodē tempore quidam vir inter Alamāniæ Primates opinat°, nomine Sintlaz, diuino cultui ſtudioſa II.
deuotione intētus, qui loca Sanctorū circūquaq; ſiſtentia luſtrando, precūq; vota vberrim ſoluēdo, animæ ſuæ lucra
ſumopere quærebat. Cūq; huiuſcemodi officio ſedul° inſtaret, cōtigit eū ad locū, quo ſacratiſſimus Pōtifex Pyrmini°
māſitabat deueniſſe. Cuius dū infatigabilē in Dei famulatu vidiſſet ſudorē, quodq; nō magis nocte quā die, requiei
quicquā cōcederet, ſimulq; cōſiderans morati nobiliterq; educati ordinē Cleri, nec nō & totius ſibi cōmiſſi cōueniē-
tiam populi, ammiratione grandi perculſus eſt, ob magnifice diſpoſitā ſapientiſſimi Salomonis familiā. Cū vero præ-
dicationis ſermoni eius aures mentemq; adhiberet, tum ſuauitatis affluentia, tum ex efficaci in excolendis cordibus
3. Reg. 10. potentia, ſupra modum attonitus, vice Æthiopum Reginæ, non habebat vltra ſpiritum.

Eū inuitat in Alemaniam.
Thren. 4.
Alemanę & Sueuicę Eccleſię ſtatus.

Qvapropter eū ſecreto aggreſſus, ita eſt allocutus. O ſerue Dei fideliſſime, ac myſteriorū eius diſpēſator pru- III.
dētiſſime, beati qui aſſiſtunt tibi aſſi due, oris tui gratiam ſentire meriti, de inopia illorum eruti de quibus ſcriptum eſt.
Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, quia tu viuidus Paſtor, peruigili cura credentium cæleſtis talē-
tum ipſis diſpenſas, quos pabulo vitæ crebro ſatias, lucis exemplo indeſinenter ædificas. Væ autem meæ gentis ſterili-
tati, cui nullus cælica propinat fluenta, cuius Rectores torpori indulgent, negligentiæ manum dant, Chriſto nihil lu-
crari meditantur, quia ſibi viuentes, pecuniā Domini ſui ſanctę vſuræ accommodare non conantur. Quo ſi tu ite, atq;
aliqd gratiæ, qua tu redūdas, irrorare velis, centuplo auctū in futuro præmiū, puenite tibi gaudebis. Audi quæſo, vt an-
nuas ſupplicāti, atiditatiq; noſtrę pro cordis affectu cōpatere, nā niſi celeri ope ſubuenire cōtēdas, nc ſtrateſcūt s poſ-
ſidebit iterato errore Paganiſmi°. His à præfato viro prælibatis, comites illi°, conqueſtione imēnſa eadem replicabant.

S. Pyrminius recuſat falcem mittere in meſſē alienam.

At vir eximius, conſulto ſagaciſſimi animi ſecreto, ita reſpōdit. Pia equidem ſunt, ô viri Deo deuoti, quæ poſtu- IV.
latis, ſed in omni re, ſicut ipſi noſtis, plurimū valet cautela conſilij prudētis. Sancitū profecto cōſtat Canonibus ſacris,
ne quis ſibi aliquid arroget in alterius Diœceſi Pontificis. Et quomodo me cogitis illuc migrare, quo neq; à Præſulib°
illarū partiū ſum euocat°, neq; ab Apoſtolicę Sedis Antiſtite deſtinat°? Quare, quē perſuadere certat s, vt ego mihimet
cæleſtis accumulem brauij lucra, vos eadem intentione, mecum laborare delectet, quatenus itineris Romani laborē
ſimul aggredientes, à ſummo ſedis culmine deſiderati cenſuram ſtudeamus perquirere. His dictis, animos eorum ad
conſentiendum ſibi reflexit. Sintlaz domum repedabat, ac ea, quæ itineri conducto forēt neceſſaria, parare ſatagebat.

Romæ petit prædicandi Alemannis poteſtatem.
Fuit is Gregorius II vt ex Voltio notat Brouerus.

Beatvs Pyrminius nimio pietatis zelo ſtimulat°, acri feruore inſtabat, vt opus Dñi, quod aggredi fuerat perſuaſus, V.
cōſumaret, ad Apoſtoliçaq; properās limina, lōge ante quā præfatus vir venit in vrbē Romanā. Vbi, dū apud quēdam
hoſpitij humanitatē impetraſſet, quotidie orationis incēſo faciē Dñi placare cōſueuit. Atq; dum huiuſcemodi ſtudio
frequēter inſiſteret, die quadā Beati Petri Apoſtolorū principis domū ingreſſus, cūctas ibi cōſiſtē es aras cōtriti cordis
imolatione fumigabat. Vbi quoq; ab Apoſtolico Pręſule primo eū videri cōtigit. Quia cęteris perquirēs ſecreto, ſi noſ-
ſēt quis eſſet, aut vnde veniſſet, reſpōſo didicit hūc Præſulē eſſe, & de Galliæ finib° illuc aduenīſſe. At Apoſtolic°, mul-
tū, inqt, deſipitis, quod aliūde veniētes min° caute obſeruatis. A talibus deniq; plura ſępe perperā geſta fuiſſe, percepim°.

Pedum Epiſcopale S. Pyrminij ſtat per ſe nulli rei innixum.

Interim Beato Pyrminio ſingula perluſtrāte Altaria, accidit, eū ad ſacratiſſimā Beati Petri tūbā deueniſſe. Vbi, cū VI.
orationis gratia genua flectere in voto haberet, pedū paſtorale limpido cōmiſit pauimēto. Qui nulli adhærēs materiæ
trectabili, tādiu, intrū dictu imobilis perſtabat, donec ab oratione ſurgētis recipiētiſq; manus ſe vltro immitteret. Quod
ideo fieri miraculū, prouida Chriſti voluit clemētia, vt liquido pateret, quāta apud ſe meritorum polleret ſublimitate,

qui erat ignotus Patria & gente, hocq; voluit Euangelium eius initiari ſigno quod cumulato diſpenſaturus erat lucro. Motus autem hoc Apoſtolicus euentu, intimam cœpit habere pœnitudinem, quod ante oſtenſionem huiuſcemodi ſigni, vllam de Beato viro mali geſſiſſet ſuſpicionem: celeriterq; ad eius ſe prouoluens veſtigia, huiuſce reatus obnixe poſtulauit indulgentiam. Cumq; vir Beatus humiliter eum ſuſciperet, dulcibus oſculis ſanctiſq; amplexibus magnopere ſe commendantes mutuo, ad miſcenda pietatis colloquia, pariter conſederunt.

Pontifex S. Pyrminium recipit antea ſuſpectum

VII. Verum, vbi ſe plurimũ cæleſtis vitæ recreauerũt pabulis, cœpit Papa Beatũ cõſulere Pyrminiũ, qua de cauſa illò venire diſponeret: at ille cũcta ordine pãdit, quomodo videlicet egreg.ˀ vir Sintlaz de Alemañia ad eũ in Frãciã deuotionis cauſa veniſſet, ſuę gẽtis defectũ referret, quia Doctores eiˀ dormitarẽt, commiſſos negligerẽt, denuoq; in Paganiſmũ caſurã, niſi aliquis diuino zelo inſtinctˀ ſuccurrere properaret: quomodo etiã idẽ Sintlaz ſemel id opˀ aggredi ſuaderet ſuiq; eũ reſponſum accepiſſe, quod non eſſet licitum aliorum Præſulum Parochias diſcutere, ſiue corrigere, niſi aut illorum rogatu, aut Apoſtolicæ auctoritatis iuſſu, pariterq; condicerent Romam properare hac de cauſa. Addidit quoq; ſe mirari oppidò, quænam prædictam Sintlazem præpediret occaſio, quod non adeſſet ex condicto.

Cauſam aduentus Pyrminius Põtifici exponit.

VIII. Talia referẽti Beato Pyrminio, Sintlaz ſuperingerẽs præſentiã, cunctis eius aſſertionibus teſtificatus eſt, tũ votiuo aduentu, tũ veraci relatu. Tunc Papa perpendens in Sintlace ſinceriſſimæ intentionis feruorem, in beato autem Pyrminio fidei conſtantiam, animi induſtriam, ſapientiæ plenitudinem, ſermonis affluentiam, ineffabili exultabat gaudio, ac intimo cordis laudes Chriſti parturit iubilo: qui ad lucranda populorum agmina, talium cooperatorum inflammare dignatus eſt pectora, veritusque ſe negligentiæ næuo notari, coramque Deo reum detineri, ſi quod ipſum decuit, agere omitteret, accitos viroſque ſanctæ exhortationis animauit eloquio, ſuæque auctoritatis roborauit iudicio, vt opus, quod diuina inſpiratione inchoarent: fiducialiter certarent implere.

Gregorius II. S. Pyrminio dat ius Apoſtolatus.

IX. Denique epiſtolã cum beato viro, abſq; dilatione per venerabilẽ virũ Sintlacem ad Regem Francorum Theodoricum direxit, monens, ſuadens, & imperans, vt reſpectu diuinæ remunerationis, viri Dei votum pia opitulatione duceret ad affectum, edocens hoc ita demũ ſagaciter fieri poſſe, ſi cunctis, tam Alemanniæ quam Franciæ Præſulibus conuocatis, imputaret neglectus ipſorũ deſidiã, reatus notificaret pondus, quod nequirẽt euadere, niſi beatiſſimũ Pyrminium ad ſuas Diœceſes ducerẽt, pereuntiumq; gregis damna reſtaurare flagitarẽt. Porro Rex, Epiſtola perluſa, honorifice ab Apoſtolico ſuſcepit directos, ac cũcta, quæ mãdata ſunt, libẽti animo perficere curauit. Nã coadunatis Epiſcopis, cæteraq; Cleri ac plebis caterua, miſſũ à Papa Sintlacem videlicet in medio ſtare iuſſit, palamq; referre, quomodo Papa reuerendus illorũ Pontificũ inertiã doleret, quomodo labefactari populi diſpendia lugeret, ſuaq; iuberet auctoritate, vt inclytˀ Pyrminius ab eis gratãter ſuſciperetur, gemẽdę iacturæ futurus efficax reſtaurator. Põtifices, talibˀ auditis, cõpunctionis ſtimulo ſunt ſalubriter acceñſi, Vtrũq; [a] Dei in ſua adſciſcẽtes, oẽm opportunitatẽ ac libertatẽ ſe ei paraturos, ſpoponderũt, ad peragẽda, quæ diuinitˀ ſunt inſtituta, & ab Apoſtolico imperata. Accepta igitur iã cõgruæ occaſionis facultate, vir Dei primo ad Alemannorũ gentẽ proficiſci diſpoſuit: quo, dũ perueniſſet, veluti cæleſtis imber diffuſus, omniũ ad ſe venientiũ corda, fęcũdiſſimo ſalutaris verbi rore maritauit, cõmoranſq; in loco qui vocatur [b] Sintlacis Owa, venienti viã [c] parauit Dño, praua mutans in directum, & aſpera in vias planas, & ex duris impolitiſq; lapidibus filios Abrahæ quadrans. Cumq; non modicum tempus in huiuſmodi exercitio deſudaret, Vir eximius Sintlaz, cuius etiam filium Pater ſanctiſſimus de ſancti Lauacri fonte leuauit, humiliter adiit eum, dicens. O Sacerdos inclite, in tuo aduẽtu, omnia mortua reuiuiſcunt, arida virent & florent, tellus noſtra germine vitalis fructus grauida facta eſt, rogamus nunc, vt pio conſilio ſuggeras, quo in loco, poſtquã hinc forſan diſceſſeris, cõſtruere queamus domum orationis.

Epiſtola ad Theodoricum regem data hortatur vt ſuſcipiat Eccleſiæ curam. Synodus Epiſcoporũ Franciæ & Alemanniæ ſuper reformatione, cuius S. Pyrminio cura demandata. [a] S. Pyrminius ab Auſtraſiæ & Alemaniæ Epiſcopis receptus Alemaniã adit. [b] Sintlacis Owa id eſt Augia. [c] Iſaia 40.

X. At Beatus Pyrminius, videre, inquit, videor, Inſulam prope quã celeriter nauigãdo quimus attingere, properemus ad eam, fortaſſis ibi benignus Dñs ſuam nobis exprimet gratiam. Reſpondens autem prædictus vir ait. Abſit abſit hoc Domine mi, quia in illa Inſula ſerpentium extat vermiumq; horrendorum poſſeſſio, nec hominis vlla ibi poterit eſſe habitatio. Tunc Pater almus: quid, inquit, loqueris modicæ fidei? Nonne Chriſtus retulit ſibi donatam eſſe omnem poteſtatẽ in cælo & in terra? Nonne electis ſuis conceſſit ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare Leonem atq; Draconem? His auditis ſupradictus vir Beato viro annuere, ipſiq; nauigij opportunitatem præbere, non tardauit. Mox autem, vt Sacerdos Sanctus Inſulam attigit, omnis illa venenatorum turba, veluti nimia contrarietatis vi vrgente, fugiendo, Inſulam deſeruit, tantaque multitudo eorum abire viſa eſt, vt tribus diebus ac noctibus tota ſuperficies maris per quod natando tranſierunt, cooperta videretur, nuſquam vero poſtea comparuit.

Augiam inſulam repurgat à ſerpentibus & venenatis animantibus.

XI. Tunc egregius Chriſti agricola, tam horribili hoſtilitate anathematizata, ſociatiſq; fideliũ adminiculis, ſtirpes inutiles, ſpinas, tribulos, fruticumq; inculta præcidere curauit, nec deſtitit, donec omni fœtori atq; vligini abſceſſum pararet, ſoli vero ac iocundo aeri locum faceret, atq; ita ſub celeri dierum momento, facta eſt apta hominum habitatio, vbi ante conſtiterant immanium viperarum cubilia. Deinde in Chriſti honore, Oratoriũ conſtruere aggreſſus eſt, ad quod plures fidei ardore animati, prædia ſua cõferre decreuerunt, præcipue tamẽ deuotiſſimus Sintlaz, qui in ambitu ipſius loci, multa hęreditario iure poſſidebat. Chriſti domicilium amplificare ſtudebat: vbi poſtea plures coadunati, ſeculi huiˀ trãsfugæ, religionis ſanctæ facti ſũt aſſeclæ, procelloſi mũdi vitãtes inquietudinẽ, tutiſſimi portus obtinẽt ſtationẽ.

Eam ornat oratorio & monachorum aptat habitationi.

XII. O quondam ſterilis & horrida, nunc amœna & fertilis Owa, olim vepribus & ſpinis obſita, nũc fructiferis arboribus fœcunda, vineis vberibus ſpecioſa, vt paradiſus emicas ſeper delicioſus. Gaude, & lętare imẽnſo cordis iubilo, grates Chriſto indeſinenter referendo, qui te per talem & tãtum Patronum ſic exaltauit, ſic glorificauit. Erat quondã [e] cubile draconum, nunc in te oritur viror calami & iunci: via ſancta eſt in te, per quã non tranſibit mala beſtia: quondã ſonabant in te ædes habentes vlulæ, nunc filij Sion commorantes & exultantes in Rege ſuo, ſuauiſſimũ præcinunt Halleluia. Pro quibus iocunda & lætabunda in corde tuo iuxta propheticũ drama ſermocinari poteris: Quis mihi genuit iſtos? ego ſterilis & non pariens: & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta, ſed in manibus Domini Sabaoth deſcripta, in cuius oculis muri mei permanent ſemper. Iſte ergo primus locus eſt, quem venerabilis Sacerdos conſtruxit ad laudem & ad Chriſti commodum congregationis Chriſto famulantium, in quo ab ipſo tempore vſque in finem ſeculi, cæleſtes fouentur alumni, cæleſtis Ieruſalem futuri ciues æterni.

Augiæ Elogium. [e] Eſaiæ 35. Eſaiæ 49.

XIII. Post hæc vero nullo modo deſiſtens à ſancti feruoris propoſito, cum prædicationis inſtantia, tum ſignorũ virtutumq; magnarum efficacia, id comparauit, vt patrimonia ſua fidelibus pluribus conferentibus, alia quoq; nobilia ędificaret Cœnobia. quorum [d] nomina hæc ſunt. Altaha, Scutera, Gengenbach, Suurzaha, Murbach, Moreſmuniſter, Nouuenvvilare. Quod non ſine magna miraculorum patratione, effici poterat, quamuis, quæ illa miracula, vel quot & quanta eſſent, Scriptorum deſidia notificare neglexerit. Verum his omiſſis, moneamus ſtylum noſtrum tenere, quibus beneficiorum geſtis Horbacenſe Cœnobium orditus fuerit atque conſummauerit.

[d] Monaſteria paſſim alia erigit vel inſtaurat. eorum catalogum vide apud Brouerum in notis ad hoc caput. * Werinharius Wicellio

XIV. Fuit igitur vir quidam * Werinherus nomine, alta Francorum nobilitate propagatus. Hic cor ſuũ inclinauerat, ad faciendas iuſtificationes Dñi propter retributionem mercedis æternæ: hic nempe odoratus odorem ſuauiſſimæ opinionis Beati Pyrminij, quam feruidus ſcilicet deſudaret in prædicationis opere, quam efficax eſſet in animarum lucrificatione, quam ſedulus in ædificandis Monaſteriorum habitaculis, quamq; ſtudioſus in coadunandis Religioſorũ cateruis, & quod nimio zelo Regulam S. Benedicti obſeruare quoſque accenderet, pietatis æmulatione repletus legationem direxit, rogans obnixius, Præſulem eximiũ ad ſe venire dignari. Cui ſeruus Dei morem gerere non renuit, quia

Werinharius Auſtraſiæ dynaſta S Pyrminiũ euocat in Weſterichi tractũ,

Deo

Deo placita eum procurare perpendit; veniensq;, cum omni honore ab eo ſuſceptus eſt. Cumq; aliquãdiu ſimul morarentur, præfatus vir ſic eũ allocutus eſt: Pater ſanctiſſime ac Sacerdos venerande, cuius merita longe lateq; magnarum virtutum ſunt teſtificatione notificata, tibi ſummiſſius ſupplico; vt ꝙ æſtuanti corde parturio votũ, deſideratum adiũues adipiſci effectum. Habeo nanq; diuina largiente gratia, plurima in circuitu cõſiſtentia prædia: ex quibus aliqua in Dei honorem & ad cõmodum ipſi ſeruientiũ conferre cupio; vt videl. aptus quæratur & eligatur locus, in quo Dei famuli continuo manentes, idoneum ei poſſint perſoluere ſeruitium. Hanc rem tuis initiari cõſilis volo; te duce, te inſtructore ad vltimũ, te ipſo fabricatore, perfici opto. Cui Pater almus, nõ nos, inquit, tam pio ſubtrahim⁹ operi; imo vltro præbemus promptos & paratos ad obſequendum tuæ voluntati; quia ſentimus, Deo inſpirante, agitari. His dictis, præcipuus athletarũ Chriſti aduerſus oẽm robuſtus difficultatẽ, à nullo, licet grandi, temperabat labore, quia ſummæ præuentus benedictionis dulcedine acriter inuigilabat ad cõparandam de pretioſo lapide coronã. Quærens itaq; inibi locum orationibus ſacriſq; exercitiis opportunũ; modicum[a] primo cõſtituit tuguriũ, ad euitandas duntaxat ſolaris æſtus moleſtias aptũ. Contigit aũt, ruſticum quendam odoriri eum ac dicere: O Pater eximie, quem cuncti nouimus, huius negotia declinare ſæculi, delitiarum luxus fugere, diuitias ſpernere, animarũ lucris deſeruire, eaq; ſolũmodo, quæ Dei ſunt die noctuq; curare: ſi ſuggeſtioni meæ exiguitatis aſſenſum præbere dignatus fueris cõciliatam tuis deſideriis propalabo manſionẽ. Eſt deniq; in contiguo[b] locus, quẽ ob* duorũ confluentiã riuulorũ Gamundium appellant: hunc, ſi velis inuiſere, diuino cultui dignũ duces mancipatũ iri: poterisq; in ipſo tam tuæ ſanctitati quã noſtræ ſaluti modis omnibus proſpicere. His perceptis, Pater almus nõ deſtitit ad indagandũ ipſum locũ pergere. Quo cõſiderato, dũ teſqua peragrat et inculta, offendit venatorũ illuſtris viri prædicti videl. Werinheri magalia: illaq; introiens, & ſurſum manibus erectis, Dauidici modulaminis verſũ præcinuit dicens: Hæc requies mea[d] in ſæculũ ſæculi, hic habitabo quoadusq; Dñs Ieſus, in iuſſu & voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlis: ac cum cæteris reſurgentibus eius gratia vſis, rapiar in[e] nubibus obuiã ipſi in aëra. Poſt hæc à ſordidis venatorũ vſibus emundãs locum, ſicuti feruentibus animis efficacius obſequũtur quælibet inchoata opera, celerrime conſtruxit orationis ædẽ, quam in honore & memoria Sanctiſſimæ Dei genitricis perpetuæq; Virginis Mariæ conſecrare, nõ diſtulit. Tunc Fidelium deuotione ſibi alacriter opitulante, pulcherrimũ[f] conſtruxit Cœnobiũ; vbi ſæculo huic renunciantes, Deoq; ſe ex integro mancipantes cõmodiſſimis vterẽtur habitaculis. Mutata ſunt ergo in breui praua in directa, inculta in amœna, fœda in ſpecioſa; &, quo pri⁹ fiebat venatio animaliũ, ad delitias tranſitorij luxus præbẽdorũ, ibi felici captura poſtea trahebantur animæ cœleſtis conuiuij dapibus ſaturandæ. Impletum videtur vaticinium carminis Eſaiæ nobiliſſimi inter prophetas, ita præcinentis. Lætabitur[g] deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo lætabunda, & laudans: quia gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron. Aperiuntur enim nunc ibi oculi cæcorum, patent aures ſurdorum; ſalit claudus vt ceruus, aperta eſt lingua mutorum, quoniam ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.

VVerinheri opulentia & in Religionẽ liberalitas.

Prædia hæc VVicelius in Choro ſanctorũ lib. 12 ſolo aſſignat VVaſcho. reſcribo Voſago & forte. vbi circa Saram adhuc ſaltus a VVernero VVarnetvvalde.

a Horbacẽſis Cœnobij exordia.

b Gamũdiũ.

** Saræ ſcilicet & Bliſæ.*

d Pſal. 131.

e 1. Theſſal. 4.

f Cœnobij ſtructura.

g Iſa. 35.

XII. Sanctissimvs igitur vir, more ſolito, ardentiſſimæ inſtabat prædicationis officio: omniumq; ad ſe venientiũ corda, melliflua debriauit Sophia. Vnde multitudo vtriuſque ſexus numeroſa, non ſolum ex illa prouincia, verum ex aliis ẽt regionibus, ſanctæ opinionis odore attracta confluere non ceſſabat, quæ non ſolum exhortationis eius virtutem deſiderabat, verum etiam ſaluiferæ impoſitionis Confirmatione vngi flagitabat. Sed, quia locus erat arctus, duorum videlicet fluminum concurſibus adſtrictus: præſertim cum religionis cœtui ægre ferret fœmineum ſexũ miſceri, ceſſit ad priora loca tabernaculorum: quatenus ibi commodius atque opportunius poſtulatum expleret miniſterium. Cumq; huic feruentius inſiſteret, Sacerdotis ſui beneuolentiam cœleſtis gratia glorioſo illuſtrauit miraculo. Nam cum ſanctæ confirmationis opus ob nimiam multitudinem prolixius exerceret, contigit oleum ſacratiſſimi Chriſmatis, euacuatis ampullis iam deeſſe. Vnde anguſtiatus vir eximius, curre, inquit miniſtro, velocius; ampullas deporta ad cœnobium, vt eas iterato implens referas nobis ſancti liquaminis vſum. Ille, vt iuſſis morem gereret, agili motu arripuit ampullas: ſed mox vt eas eſt intuitus, offendit ſancto liquore vſque ad ſummum ditatas.

Confirmationis ſacramentum ardenti ſtudio Chriſtiani frequentant.

Chriſma deficiens de cœlo ſuppletum.

XIII. Hic in promptu eſt cõſiderare: quam fidelis Dñs in verbis ſuis exiſtat. Sic.n. promiſit obſecutoribus: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi. Inuenit profecto cor ſerui ſui iuxta cor ſuũ, cui dignatus eſt cooperari. Elucent merita Præſulis almi, per quæ mirabilis & magnificus oſtenditur Deus. Exprimitur quoq; euidentius miſericordiſſima & efficaciſſima Spiritus ſancti potẽtia: quæ fidẽ noſtram adhuc inſtruit & ædificat, vt certiſſime credamus, eũ nos inuiſibilis gratiæ vnctione à peccati næuo lauare: qui viſibilis olei liquore exhauſtas ampullas voluit & valuit replere. Ideo nos iugiter aptare & conformare oportet apparatæ Deitatis gratiæ: quia nullo modo vult deſerere, quos ſibi prõptos cernit exſiſtere. Contẽplans igitur miniſter tã euidẽtis miraculi virtutẽ: nõ diſtulit manifeſtare ſancto Põtifici exhibitã gratiã. Aderat adhuc maxima plebis cõcio, quę tãti ſigni admiratione perculſa, nõ eſt facile dictu, quãta mentis iubilatione, quanta corporis exultatione, præconia Chriſto ſoluebat. Fundũtur ex intimis præcordiis grata ſuſpiria: tripudiant lætifico geſtu corpora cunctorũ, non valentiũ inuenire, quibus motibus exprimãt percepta gaudia.

Matth. 28.

Confirmationis gratia.

Præsvl aũt venerandus huiuſmodi verbis Dño gratificabat: Domine Deus omnipotens, qui es factor nõ exiſtentiũ, reparator pereuntium; tu tempore priſco eſurientẽ in deſerto populũ cœleſti mãna recreaſti, ſitientẽ de petra manante riuo potaſti: tu iterum tempore recentiori, quina hominum millia, quinis panibus biniſq; piſcibus ſatiaſti, tibi gratias referimus, laudes præcinimus, eo ꝙ inpræſentiarum non dedignatus es noſtræ quoq; exiguitati, tuæ largifluæ bonitatis ſigna monſtrare, impendẽs ſubito oleum, ꝙ non exſtitit, vt mundares & ſanctificares ꝙ immundum & perditum conſtitit: tibi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. His dictis Præſul almifluus non ceſſauit confirmare cunctos, qui ſuperuenerant. Nam eo copioſius & deuotius affluebant, quo ſe cœlitus dato nectare initiãdos ſciebant, nec antea ſanctum potuit peragi miniſteriũ, quam conſummato diei tempore immineret veſperũ. Quo minitãte noctis tenebras offundere mundo, vniuerſi ſacra benedictione muniti, remeabant ad propria, pleni gaudij refectione ditati. Illuſtriſſimus autem vir Wernherus, quę pij cordis deliberatione ſpopondit, omni alacritate implere curauit. Nam & ampliora, quam vouerat ſoluere certauerat, vt non ſolum obligationis minime fieret reus, verũ etiam ſuperadditis erogatorum numeris, æternum remuneratorẽ ſibi potius faceret debitorem. Inter plurima deniq; quæ liberali animo deprõpſerat, obtulit quoq; maximos limites in ſaltu qui Vogeſus dicitur, in quo villa extat, habens vocabulũ * Pyrminishuſua; eo, ꝙ ibi prouiſores gregum Cœnobij ſancti viri primo ſua metati ſunt tuguria. Subſequentia ẽt tempore directi ſunt à Præpoſitis atq; ab aliis ſanctiſſimi monaſterij miniſtris, tam ſeruilis quã liberæ cõditionis, viri, qui loca prædicti ſaltus perſcrutãtes, nec non inutilia eius arbuſta exſtirpantes, plurimarũ[h] parauere cõmoda villarum, in quarum ambitu quæq; excolentes diu infertilia, gratiſſima ex eis reddidere noualia, quorũ redditibus vtentes in præfato degentes Cœnobio, tam carnali, quam ſpirituali tripudiant beneficio. Æmulantes autem liberaliſſimum præfati Wernheri exemplum poſteri eius quam plurimi, multique alij benignitatis affectu repleti, ad ſuſtentandas vineæ Domini vites, vltro ſe ſuaque præbuerunt.

S. Pyrminij gratiarum actio ob chriſma cælitus acceptum.

VVernheri dynaſtæ donatio Hornbacenſi Monaſterio facta.

** Pyrminiſhuſa.*

h Poſſeſſiones prædiorum auctæ.

XIV. Deniqve ex vtriuſq; præfati ſaltus partibus, plurima condonauẽre prædia; quorum nomina proponere ſuperſedemus. Proinde penſanda mira gratiæ ſupernæ diſpenſatio, quomodo ſe diligentibus his, qui ſecũdum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperari tribuit in bonum. En cernere poſſumus, qualiter iſte Præſul Deo deuotiſſimus, ad præparandos cœleſtis vſuræ fructus inſtigat excolere cultura terreſtris vſus; &, dum ſummorum intentus meditatur lucrum, infimorum accipit famulitium.

Rom. 8.

Qva

Qvæ licet tranſeundo finem habeant, his tamen qui eis recta vſi ſunt intentione, fructificant ſemper manentis gaudii diuturnitatem. Quid verò his præparent qui in eis aliter, quam à Deo ſit conſtitutum, verſari geſtiunt, ex aduerſo colligi poteſt. Rationales quidem animæ in id conditæ ſunt ordinis, vt famulantem infimorum habeant vſum; ſummorum verò appetant fructum. Hunc ergo obſeruantibus ordinem, omnia cooperantur in bonum. Econtra, qui ſumma pro nihilo penſant, imis autem delectantur vt ſummis, omnia cooperantur in malum. Et ratione id cadit, vt illis in præmio cumuletur vitæ æternitas, iſtis in ſupplicio perpetuæ mortis atrocitas: illis exſultationis immenſitas, iſtis mœroris immanitas: illis honor perpes & gloria, iſtis opprobrium indeficiens & ignominia.

Temporalia bona quomodo ſpiritalibus ſubſeruire debeant.

Obsecrare nunc iuuat, te beatiſſime Chriſti Sacerdos, vt piis apud eum obtineas interuentibus, quo ſua nos illuſtret gratia, quæ terrenos in nobis affectus interimat, cæleſtium appetitus incitet & augeat, quicquid tranſitoriæ facultatis ſe ſubiicit, ad vſum diſpenſare doceat, non ad fructum, teq; ducem & præuium noſtrum ſequentes, per temporalia quæ nobis præparaſti commoda, æterna procuremus præmia.

XIII. Post hæc Præſul egregius iter ſuum ad locum iocundiſſimum, qui vocatur Wizeburg deſtinauit, ibiq; gratiam, qua redundabat plurimis impertiens, à ſæcularis vitæ ſcoria purgatos, religioſæ diſciplinæ excudit æmulos. Hic quoq; ſicut in reliquis eius conſtructionibus efficaci comparatione adſtitit Chriſtus, qui corda multorum eo igniuit ſtimulo, vt prædia poſſeſſioneſq; ampliſſimas eidem loco ſubrogarent. Præparatumq; eſt in breui cœnobium Dei ſeruitio aptiſſimum, & ſæculo renuntiantibus tutiſſimi ſtadio portus, vbi non paucis fratribus ſpiritalis exercitii feruore coadunatis, honeſtiſſimam atque diſcretiſſimam B. Benedicti regulam obſeruare Pater almus inſtituit, & ſic ad Horbacenſe cœnobium reuerſus eſt per ſuam ſemitam, quæ ob piæ priuilegium memoriæ ad inpræſentiarum vocatur Sancti callis Pyrminii.

Wizeborg Monaſteriū inſpicit.

S. Pyrminii callis.

Ex huiuſcemodi ergo piorum operum ardoribus, fama beati viri longe lateq; percrebuit, adeo, vt eximius Antiſtes Bonifacius, qui tunc Moguntinæ Metropolitanæ videlicet vrbis ſedi præerat, & à primæuæ ætatis pueritia digno exſequi ſtuduit opere quod præfigurauit in nomine, viſitandi eum gratia adire diſponeret, & ad ipſum Gamundii locum venire nón omitteret. Quem beatus excipiens Pyrminius, magno gratulabatur affectu, quod à tanto meruit viſitari Sacerdote. Æſtimare datur, quanta in vtrorumque cordib. extitit lætitia, quam copioſæ exultationis affluentia, ex ſancti Spiritus manans inundantia, dum vterque alterum conceſſa participat gratia, vterque docet & diſcit, vterq; Chriſtum indit & haurit: & quanto prolixioribus mutuo ſe donant colloquiis, tanto ſtrictioribus in Chriſti amore connectuntur vinculis. Felices iudicandi, qui tantorum Antiſtitum intuebantur amplexus, fide & veritate grauidos, puritate conditos, ſanctitatis vigore fœcundos, quorum oſcula dulciſſima, charitatis nectare redolentia, ſancti Spiritus irrorabant chariſmata. Amoris itaq; diuini inſtinctu aliquantulum temporis pariter tranſigere decreuerunt, vt ſaluberrima collationis efficacia, de ſtatu Eccleſiarum ſanctarum de vniendo in vera pacis concordia ritu, plebium cõmiſſarum, multa proponerent, vtiliſſima quæque deliberarent. Hinc ſalutiferæ exhortationis munere ditari, imo fraternæ conſolationis manu roborati, lætiſſimo congratulabantur affectu.

Apud Gamundiū S. Bonifacius & S. Pyrminius mutuo officio & alloquio cõuenientes fruuntur.

XIV. Sanctvs autem Bonifacius Deo multimodis gratificans; quod in Beato Pyrminio ampliorem vulgato reperiſſet gratiam, mutua benedictione data & recepta rediit ad ſua: De cuius meritorum viuacitate aliqua huic inſerere opuſculo, animus parturit, quibus decurſis, terminum materiæ, noſtro conſecrabimus Pyrminio. Præfatus namque Sacerdos, vt athleta bellicoſus, in Chriſti militia decertans, ſe nauiter exſerere, ferociſſimam gentem Freſonum aggredi conamen habuit, vt ſi quos ibi ſpurciſſimo Dæmonum cultui ſubtrahere poſſet, ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubderet. Erat quippe adhuc magna ipſius gentis pars veræ fidei extorris, fœdiſſimis Paganiſmi ritibus dedita, & barbarica immanitate multimodis effera atque profana. Cum autem illuc per Rheni fluminis alueum iam proficiſceretur, contigit eum ad quendam deueniſſe locum, in quo piorum operum commorabatur fœmina, quæ & ipſi grata præbuit hoſpitii commoda. Hæc etiam habuit Capellam manſioni propriæ contiguè adhærentem, in qua orationis penſum iugiter ſoluere conſueuerat. Ibi quoddam pendebat vas fuſile, mediocris videlicet ponderis, vulgaris hoc vſus Scellam nominat, quod miræ ſonoritatis dulcedine, audientium ſenſus afficiebat. Illud vir almus, ſi quando à propoſiti operis labore Deus ſe remeare concederet, ſibi dari à prædicta Deo dedita poſtulauit. Verum illam ſciens nil tanti viri precibus negare oportere; liberaliſſimo mentis affectu reuertenti ſe præbituram fore ſpopondit.

S. Bonifacii in Friſiam expeditio. Vide vitam eius 5. Iunii.

Matrona S. Bonifacii hoſpita.

Cãpana minor Scella.

XV. Miles vero Domini ſtrenuus inde profectus, ſicut animo propoſuit, Freſiam venit. Vbi tenaciſſimo fidei trilice armatus, ac inſuperabilis fiduciæ galea munitus, limatiſſimo Euangelicæ veritatis cuſpide, hoſtes acerrimos terebrandos aggreditur. Proinde ſuperus Imperator agonizanti opitulans Militi, multorum cordibus infixit ſalutaris verbi ſpicula: quorum acumine ſalubriter ſaucii, lucis fomite ſuccenſi, prioris nebulam deteſtantur erroris, ac intima compunctione deuicti canere incipiunt: Sagittæ tuæ acutæ Regum potentiſſime. Deinde ſiniſtræ partis abdicant conſortium, dexteræ adſciſcunt contubernium, ac in omnibus ſacri Præſulis obſequuntur dogmati. Qui eos efficiens almo Baptiſmate candidatos, perfectam Chriſtianæ religionis obſeruantiam perdocuit, peruigilique inſiſtens cura effecit, vt qui ante fuerant infeſtæ hoſtilitatis armigeri, electæ ciuilitatis fierent manipli. Alii vero Freſonum, qui Babylonicæ conſpirationis caſtra deſerere noluerunt, potiuſque ſub Nemroth militare, quam Chriſti iugo ſubdi cenſuerunt, declinantes in obligationes, inuidiæ ſe ſquamis armant, peſſima conſtruunt molimina, tempus operiuntur opportunũ, quo virum Dei ſibique adhærentes, inuadere atque obruere valeant. Conceptum itaque vipereo ſemine ſcelus, celeriter parere geſtiunt. Nam conglobato impiæ ſocietatis agmine, Antiſtitem ſanctum omni crudelitatis rabie inſequi properant. Quem pii operis exſecutionibus inſtare oſtendentes, ſine mora vna cum pluribus ipſi adhærentibus trucidant. Quod ideo mira Dei diſpenſatio fieri permiſit, vt famulum ſuum inſigniret triumpho Martyrii, & in die iuſti examinis ſeuerius puniret contemptores oblatæ ſalutis. Ille namque trucidatus in terra, limatior cæli fulget in aula. Momentaneam paſſus eſt pœnam, per quam perpetis gloriæ nactus eſt palmam. Iſti vero miſeri ignorantes ſcriptum: Omnis qui accipit gladium gladio peribit, perpetrati ſceleris horrore omni hora torquentur, cõmiſſi piaculi conſciẽtia tamdiu confunduntur, donec ipſius ſcripturæ ſententiam ſuis operibus interpretati ſunt. Denique hoc ex diuina vltione promeruerunt, vt proprii furoris rabie conuerſa, in ſemetipſos inſurgerent ac ſe inuicem mutuo, extractis gladiis perimerent. Quibus nullus ſuperfuit, vno excepto, qui ab huiuſmodi pernicie exemptum ſe putauit, ſed alio mortis genere vlciſcentem manum non effugit. Nam morbo intercutis inuaſus, totus cœpit ſcaturire vermibus, donec artubus miſerabili peſte reſolutis, digna conſummatus morte cunctis perpendere daret, quod Deus vltionum Dominus, retributionem reddit ſuperbis, & quod vindictam expetit à Deo ſanguis Sanctorum qui effuſus eſt.

Pſa. 119.

S. Bonifacii & ſociorum Martyriũ.

Matth. 26.

Interfectores mala morte puniti.

Exquiſita vnius mors.

Post hæc, quicunque beati viri familiarium ſuperſtites necis extiterant, cohortabantur quos pietate poſſeſſos repererant, vt ſe benignitatis ſolatio adiuuarent, Præſulis almi reliquias componere, & ad regionem, ex qua illuc venerant reportare. Eius rei dum eos diuina gratia compotes efficeret, ſacra oſſa recolligunt, feretro imponunt, hymnidicis concentibus canori, per eandem viam, qua venerant remeare cæperunt. Cumque itineris tantum exegiſſent, vt per diei vnius interuallum eo venire facultas eſſet, quo Dei Ancilla beato viro accommodabat hoſpitiũ, ecce tintinnabulum, quod habebat deſponſum, nulla re, quæ videri poſſet impellente, vltro ſe cæpit agitare, plectrique ſui pulſu monita ſolitam ſonitus dulcedinẽ propinare, nec ante mirum dictu, reboare quieuit, quam beatæ reliquiæ in ipſum

Translatio S. Bonifacii verſus Fuldam.

Tintinnabuli ſonus ſpõtaneus.

Deo placita eum procurare perpendit; veniensq;, cum omni honore ab eo ſuſceptus eſt. Cunq; aliquãdiu ſimul morarentur, præfatus vir ſic eũ allocutus eſt: Pater ſanctiſſime ac Sacerdos venerande, cuius merita longe lateq; magnarum virtutum ſunt teſtificatione notificata, tibi ſummiſſius ſupplico; vt quod æſtuanti corde parturio votũ, deſideratum adiuues adipiſci effectum. Habeo nanq; diuina largiente gratia, plurima in circuitu cõſiſtentia prædia: ex quibus aliqua in Dei honorem & ad cõmodum ipſi ſeruientiũ conferre cupio; vt videl. aptus quæratur & eligatur locus, in quo Dei famuli continuo manentes, idoneum ei poſſint perſoluere ſeruitium. Hanc rem tuis initiari cõſiliis volo; te duce, te inſtructore ad vltimũ, te ipſo fabricatore, perfici opto. Cui Pater almus, nõ nos, inquit, tam pio ſubtrahim[a] operi; imo vltro præbemus promptos & paratos ad obſequendum tuæ voluntati; quia ſentimus, Deo inſpirante, agitari. His dictis, præcipuus athletarũ Chriſti aduerſus oẽm robuſtus difficultatẽ, à nullo, licet grandi, temperabat labore, quia ſummæ præuentus benedictionis dulcedine acriter inuigilabat ad cõparandam de pretioſo lapide coronã. Quærens itaq; inibi locum orationibus ſacriſq; exercitiis opportunũ; modicum[a] primo cõſtituit tuguriũ, ad euitandas duntaxat ſolaris æſtus moleſtias aptũ. Contigit aũt, ruſticum quendam adoriri eum ac dicere: O Pater eximie, quem cuncti nouimus, huius negotia declinare ſæculi, delitiarum luxus fugere, diuitias ſpernere, animarũ lucris deſeruire, eaq; ſolũmodo, quæ Dei ſunt die noctuq; curare: ſi ſuggeſtioni meæ exiguitatis aſſenſum præbere dignatus fueris cõciliatam tuis deſideriis propalabo manſionẽ. Eſt deniq; in contiguo [b] locus, quẽ ob[*] duorũ confluentiã riuulorũ Gamundium appellant: hunc, ſi velis inuiſere, diuino cultui dignũ duces mancipatũ iri: poteriſq; in ipſo tam tuæ ſanctitati quã noſtræ ſaluti modis omnibus proſpicere. His perceptis, Pater almus nõ deſtitit ad indagandũ ipſum locũ pergere. Quo cõſiderato, dũ teſqua peragraret inculta, offendit venatorũ illuſtris viri prædicti videl. Werinheri magalia: illaq; introiens, & ſurſum manibus erectis, Dauidici modulaminis verſũ præcinuit dicens: Hæc requies mea [d] in ſæculũ ſeculi, hic habitabo quoaduſq; Dñs Ieſus, in iuſſu & voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlis: ac cum cæteris reſurgentibus eius gratia vſus, rapiar in [e] nubibus obuiã ipſi in aëra. Poſt hæc à ſordidis venatorũ vſibus emundãs locum, ſicuti feruentibus animis efficacius obſequũtur quælibet inchoata opera, celerrime conſtruxit orationis ædẽ, quam in honore & memoria Sanctiſſimæ Dei genitricis perpetuæq; Virginis Mariæ conſecrare, nõ diſtulit. Tunc Fidelium deuotione ſibi alacriter opitulante, pulcherrimũ [f] conſtruxit Cœnobiũ; vbi ſæculo huic renunciantes, Deoq; ſe ex integro mancipantes cõmodiſſimis vterẽtur habitaculis. Mutata ſunt ergo in breui praua in directa, inculta in amœna, fœda in ſpecioſa; &, quo pri[*] fiebat venatio animaliũ, ad delitias tranſitorij luxus præbẽdorũ, ibi felici captura poſtea trahebantur animæ cœleſtis conuiuij dapibus ſaturandæ. Impletum videtur vaticinium carminis Eſaiæ nobiliſſimi inter prophetas, ita præcinentis. Lætabitur [g] deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo lætabunda, & laudans: quia gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron. Aperiuntur enim nunc ibi oculi cæcorum, patent aures ſurdorum; ſalit claudus vt ceruus, aperta eſt lingua mutorum, quoniam ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.

Werinheri opulentia & in Religionẽ liberalitas.
Prædia hæc VVicelius in Choro ſanctorũ lib. 12 ſolo aſſignat VVaſecho, ſcribo Voſago & forte, vbi circa Saram adhuc ſaltus a VVernero VVarnervvalde.
a Horbacẽſis Cœnobij exordia.
b Gamudiũ.
** Saræ ſcilicet & Bliſſæ.*
d Pſal. 131.
e 1. Theſſal. 4.
f Cœnobij ſtructura.
g Iſa. 35.

SANCTISSIMVS igitur vir, more ſolito, ardentiſſimæ inſtabat prædicationis officio: omniumq; ad ſe venientiũ corda, melliflua debriauit Sophia. Vnde multitudo vtriuſque ſexus numeroſa, non ſolum ex illa prouincia, verum ex aliis ẽt regionibus, ſanctæ opinionis odore attracta confluere non ceſſabat, quæ non ſolum exhortationis eius virtutem deſiderabat, verum etiam ſaluſeræ impoſitionis Confirmatione vngi flagitabat. Sed, quia locus erat arctus, duorum videlicet fluminum concurſibus adſtrictus: præſertim cum religionis cœtui ægre ferret fœmineum ſexũ miſceri, ceſſit ad priora loca tabernaculorum: quatenus ibi commodius atque opportunius poſtulatum expleret miniſterium. Cumq; huic feruentius inſiſteret, Sacerdotis ſui beneuolentiam cœleſtis gratia glorioſo illuſtrauit miraculo. Nam cum ſanctæ confirmationis opus ob nimiam multitudinem prolixius exerceret, contigit oleum ſacratiſſimi Chriſmatis, euacuatis ampullis iam deeſſe. Vnde anguſtiatus vir eximius, curre, inquit miniſtro, velocius; ampullas deporta ad cœnobium, vt eas iterato implens referas nobis ſancti liquaminis vſum. Ille, vt iuſſis morem gereret, agili motu arripuit ampullas: ſed mox vt eas eſt intuitus, offendit ſancto liquore vſque ad ſummum ditatas. XII.

Confirmationis Sacramentum ardenti ſtudio Chriſtiani frequentant.
Chriſma deficiens de cœlo ſuppletum.

HIC in prõptu eſt cõſiderare: quam fidelis Dñs in verbis ſuis exiſtat. Sic. n. promiſit obſecutoribus: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi. Inuenit profecto cor ſerui ſui iuxta cor ſuũ, cui dignatus eſt cooperari. Elucent merita Præſulis almi, per quæ mirabilis & magnificus oſtenditur Deus. Exprimitur quoq; euidentius miſericordiſſima & efficaciſſima Spiritus ſancti potẽtia: quæ fidẽ noſtram adhuc inſtruit & ædificat, vt certiſſime credamus, eũ nos inuiſibilis gratiæ vnctione à peccati nexu lauare: qui viſibilis olei liquore exhauſtas ampullas voluit & valuit replere. Ideo nos iugiter aptare & conformare oportet apparatæ Deitatis gratiæ: quia nullo modo vult deſerere, quos ſibi prõptos cernit exſiſtere. Contẽplans igitur miniſter tã euidẽtis miraculi virtutẽ: nõ diſtulit manifeſtare ſancto Põtifici exhibitã gratiã. Aderat adhuc maxima plebis cõcio, quę tãti ſigni admiratione percuſſa, nõ eſt facile dictu, quãta mentis iubilatione, quanta corporis exultatione, præconia Chriſto ſoluebat. Fundũtur ex intimis præcordiis grata ſuſpiria: tripudiant lætifico geſtu corpora cunctorũ, non valentiũ inuenire, quibus motibus exprimãt percepta gaudia. XIII.

Matth. 28.
Confirmationis gratia.

PRÆSVL aũt venerandus huiuſmodi verbis Dño gratificabat: Domine Deus omnipotens, qui es factor nõ exiſtentiũ, reparator pereuntium; tu tempore priſco eſurientẽ in deſerto populũ cœleſti mãna recreaſti, ſitientẽ de petra manante riuo potaſti: tu iterum tempore recentiori, quina hominum millia, quinis panibus biniſq; piſcibus ſatiaſti, tibi gratias referimus, laudes præcinimus, eo quod in præſentiarum non dedignatus es noſtræ quoq; exiguitati, tuæ largifluæ bonitatis ſigna monſtrare, impendẽs ſubito oleum, quod non exſtitit, vt mundares & ſanctificares quod immundum & perditum conſtitit: tibi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. His dictis Præſul almifluus non ceſſauit confirmare cunctos, qui ſuperuenerant. Nam eo copioſius & deuotius affluebant, quo ſe cœlitus dato nectare initiãdos ſciebant, nec antea ſanctum potuit peragi miniſteriũ, quam conſummato diei tempore immineret veſperũ. Quo minitãte noctis tenebras offundere mundo, vniuerſi ſacra benedictione muniri, remeabant ad propria, pleni gaudij refectione ditati. Illuſtriſſimus autem vir Wernherus, quæ pij cordis deliberatione ſpopondit, omni alacritate implere curauit. Nam & ampliora, quam vouerat ſoluere certauerat, vt non ſolum obligationis minime fieret reus, verũ dein ſuperadditis erogatorum numeris, æternum remuneratorẽ ſibi potius faceret debitorem. Inter plurima deniq; quæ liberali animo deprõpſerat, obtulit quoq; maximos limites in ſaltu qui Vogeſus dicitur, in quo villa exſtat, habens vocabulũ [*] Pyrminishuſaa; eo, quod ibi prouiſores gregum Cœnobij ſancti viri primo ſua metati ſunt tuguria. Subſequentia ẽt tempore directi ſunt à Præpoſitis atq; ab aliis ſanctiſſimi monaſterij miniſtris, tam ſeruilis quã liberæ cõditionis, viri, qui loca prædicti ſaltus perſcrutãtes, nec non inutilia eius arbuſta exſtirpantes, plurimarũ [h] parauere cõmoda villarum, in quarum ambitu quæq; excolentes diu infertilia, gratiſſima ex eis reddidere noualia, quorũ redditibus vtentes in præfato degentes Cœnobio, tam carnali, quam ſpirituali tripudiant beneficio. Æmulantes autem liberaliſſimum præfati Wernheri exemplum poſteri eius quam plurimi, multique alij benignitatis affectu repleti, ad ſuſtentandas vineæ Domini vites, vltro ſe ſuaque præbuerunt.

S. Pyrminij gratiarum actio ob chriſma cœlitus acceptum.
VVernheri dynaſtæ donatio Horbacenſi Monaſterio facta.
** Pyrminiſhuſa.*
h Poſſeſſiones prædiorum auctæ.

DENIQVE ex vtrouſq; præfati ſaltus partibus, plurima condonauẽre prædia; quorum nomina proponere ſuperſedemus. Proinde penſanda mira gratiæ ſupernæ diſpenſatio, quomodo ſe diligentibus his, qui ſecũdum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperari tribuit in bonum. En cernere poſſumus, qualiter iſte Præſul Deo deuotiſſimus, ad præparandos cœleſtis vſuræ fructus inſtigat excolerẽ cultu; æ terreſtris vſus; &, dum ſummorum intentus meditatur lucrum, infimorum accipit famulitium. XIV.

Rom. 8.

QVA

Qvæ licet tranſeundo finem habeant, his tamen qui eis recta vſi ſunt intentione, fructificant ſemper manentis gaudii diuturnitatem. Quid verò his præparent qui in eis aliter, quam à Deo ſit conſtitutum, verſari geſtiunt, ex aduerſo colligi poteſt. Rationales quidem animæ in id conditæ ſunt ordinis, vt famulantem infimorum habeant vſum; ſummorum vero appetant fructum. Hunc ergo obſeruantibus ordinem, omnia cooperantur in bonum. Econtra; qui ſumma pro nihilo penſant, imis autem delectantur vt ſummis, omnia cooperantur in malum. Et ratione id cadit, vt illis in præmio cumuletur vitæ æternitas, iſtis in ſupplicio perpetuæ mortis atrocitas: illis exſultationis immenſitas, iſtis mœroris immanitas: illis honor perpes & gloria, iſtis opprobrium indeficiens & ignominia.

Temporalis bona quomodo ſpiritalibus ſubſeruire debeant.

Obsecrare nunciuuar, te beatiſſime Chriſti Sacerdos, vt piis apud eum obtineas interuentibus, quo ſua nos illuſtret gratia, quæ terrenos in nobis affectus interimat, cæleſtium appetitus inciter & augeat, quicquid tranſitoriæ facultatis ſe ſubiicit, ad vſum diſpenſare doceat, non ad fructum, teq; ducem & præuium noſtrum ſequentes, per temporalia quæ nobis præparaſti commoda, æterna procuremus præmia.

XIII. Post hæc Præſul egregius iter ſuum ad locum iocundiſſimum, qui vocatur Wizeburg deſtinauit, ibiq; gratiam, qua redundabat plurimis impertiens, à ſæcularis vitæ ſcoria purgatos, religioſæ diſciplinæ excudit æmulos. Hic quoq; ſicut in reliquis eius conſtructionibus efficaci comparatione adſtitit Chriſtus, qui corda multorum eo igniuit ſtimulo, vt prædia poſſeſſioneſq; ampliſſimas eidem loco ſubrogarent. Præparatumq; eſt in breui cœnobium Dei ſeruitio aptiſſimum, & ſæculo renuntiantibus tutiſſimi ſtadio portus, vbi non paucis fratribus ſpiritalis exercitii feruore coadunatis, honeſtiſſimam atque diſcretiſſimam B. Benedicti regulam obſeruare Pater almus inſtituit, & ſic ad Horbacenſe cœnobium reuerſus eſt per ſuam ſemitam, quæ ob piæ priuilegium memoriæ ad inpræſentiarum vocatur Sancti callis Pyrminii.

Wizeburg Monaſteriū inſpicit.

S. Pyrminii callis.

Ex huiuſcemodi ergo piorum operum ardoribus, fama beati viri longe lateq; percrebuit, adeo, vt eximius Antiſtes Bonifacius, qui tunc Moguntinæ Metropolitanæ videlicet vrbis ſedi præerat, & à primæuæ ætatis pueritia digno exequi ſtuduit opere quod præfigurauit in nomine, viſitandi eum gratia adire diſponeret, & ad ipſum Gamundu locum venire nō omitteret. Quem beatus excipiens Pyrminius, magno gratulabatur affectu, quod à tanto meruit viſitari Sacerdote. Æſtimare datur, quanta in virorumque cordib. extitit lætitia, quam copioſæ exultationis affluentia, ex ſancti Spiritus manans inundantia, dum vterque alterum conceſſa participat gratia, vterque docet & diſcit, vterq; Chriſtum indit & haurit: & quanto prolixioribus mutuo ſe donant colloquiis, tanto ſtrictioribus in Chriſti amore connectuntur vinculis. Felices iudicandi, qui tantorum Antiſtitum intuebantur amplexus, fide & veritate grauidos, puritate conditos, ſanctitatis vigore fœcundos, quorum oſcula dulciſſima, charitatis nectare redolentia, ſancti Spiritus irrorabant chariſmata. Amoris itaq; diuini inſtinctu aliquantulum temporis pariter tranſigere decreuerunt, vt ſaluberrima collationis efficacia, de ſtatu Eccleſiarum ſanctarum de vniendo in vera pacis concordia ritu, plebium cōmiſſarum, multa proponerent, vtiliſſima quæque deliberarent. Hinc ſalutiferæ exhortationis munere ditati, imo fraternæ conſolationis manu roborati, lætiſſimo congratulabantur affectu.

Apud Gamundiū S. Bonifacius & S. Pyrminius mutuo officio & alloquio cōgaudentes fruuntur.

XIV. Sanctvs autem Bonifacius Deo multimodis gratificans; quod in Beato Pyrminio ampliorem vulgato repetiſſet gratiam, mutua benedictione data & recepta rediit ad ſua: De cuius meritorum viuacitate aliqua huic inſerere opuſculo, animus parturit, quibus decurſis, terminum materiæ, noſtro conſecrabimus Pyrminio. Præfatus namque Sacerdos, vt athleta bellicoſus, in Chriſti militia decertans, ſe nauiter exſerere, ferociſſimam gentem Freſonum aggredi conamen habuit, vt ſi quos ibi ſpurciſſimo Dæmonum cultui ſubtrahere poſſet, ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubderet. Erat quippe adhuc magna ipſius gentis pars veræ fidei exſortis, fœdiſſimis Paganiſmi ritibus dedita, & barbarica immanitate multimodis effera atque profana. Cum autem illuc per Rheni fluminis alueum iam proficiſceretur, contigit eum ad quendam deueniſſe locum, in quo piorum operum commorabatur fœmina, quæ & ipſi grata præbuit hoſpitii commoda. Hæc etiam habuit Capellam manſioni propriæ contiguè adhærentem, in qua orationis penſum iugiter ſoluere conſueuerat. Ibi quoddam pendebat vas fuſile, mediocris videlicet ponderis, vulgaris hoc vſus Scellam nominat, quod miræ ſonoritatis dulcedine, audientium ſenſus afficiebat. Illud vir almus, ſi quando à propoſiti operis labore Deus ſe remeare concederet, ſibi dari à prædicta Deo dedita poſtulauit. Verum illam ſciens nil tanti viri precibus negare oportere; liberaliſſimo mentis affectu reuertenti ſe præbituram fore ſpopondit.

S. Bonifacii in Friſiam expeditio. Vide vitam eius 5. Iunii.

Matrona S. Bonifacii hoſpita. Cāpana minor Scella.

XV. Miles vero Domini ſtrenuus inde profectus, ſicut animo propoſuit, Freſiam venit. Vbi tenaciſſimo fidei trilice armatus, ac inſuperabilis fiduciæ galea munitus, limatiſſimo Euangelicæ veritatis cuſpide, hoſtes acerrimos terebrandos aggreditur. Proinde ſuperus Imperator agonizanti opitulans Militi, multorum cordibus infixit ſalutaris verbi ſpicula: quorum acumine ſalubriter ſaucii, lucis fomite ſuccenſi, prioris nebulam deteſtantur erroris, ac intima compunctione deuicti canere incipiunt: Sagittæ tuæ acutæ Regum potentiſſime. Deinde ſiniſtræ partis abdicant conſortium, dexteræ adſciſcunt contubernium, ac in omnibus ſacri Præſulis obſequuntur dogmati. Qui eos efficiens almo Baptiſmate candidatos, perfectam Chriſtianæ religionis obſeruantiam perdocuit, peruigilique inſiſtens cura effecit, vt qui ante fuerant infeſtæ hoſtilitatis armigeri, electæ ciuilitatis fierent manipli. Alii vero Freſonum, qui Babylonicæ conſpirationis caſtra deſerere noluerunt, potiuſque ſub Nemroth militare, quam Chriſti iugo ſubdi cenſuerunt, declinantes in obligationes, inuidiæ ſe ſquamis armant, peſſima conſtruunt molimina, tempus operiuntur opportunū, quo virum Dei ſibique adhærentes, inuadere atque obruere valeant. Conceptum itaque vipereo ſemine ſcelus, celeriter parere geſtiunt. Nam conglobato impiæ ſocietatis agmine, Antiſtitem ſanctum omni crudelitatis rabie inſequi properant. Quem pii operis exſecutionibus inſtare oſtendentes, ſine mora vna cum pluribus ipſi adhærentibus trucidant. Quod ideo mira Dei diſpenſatio fieri permiſit, vt famulum ſuum inſigniret triumpho Martyrii, & in die iuſti examinis ſeuerius puniret contemptores oblatæ ſalutis. Ille namque trucidatus in terra, limatior cæli fulget in aula. Momentaneam paſſus eſt pœnam, per quam perpetis gloriæ nactus eſt palmam. Iſti vero miſeri ignorantes ſcriptum: Omnis qui accipit gladium gladio peribit, perpetrati ſceleris horrore omni hora torquentur, cōmiſſi piaculi conſcientia tamdiu confunduntur, donec ipſius ſcripturæ ſententiam ſuis operibus interpretati ſunt. Denique hoc ex diuina vltione promeruerunt, vt proprii furoris rabie conuerſa, in ſemetipſos inſurgerent ac ſe inuicem mutuo, extractis gladiis perimerent. Quibus nullus ſuperfuit, vno excepto, qui ab huiuſmodi pernicie exemptum ſe putauit, ſed alio mortis genere vlciſcentem manum non effugit. Nam morbo intercutis inuaſus, totus cœpit ſcaturire vermibus, donec artubus miſerabili peſte reſolutis, digna conſummatus morte cunctis perpendere daret, quod Deus vltionum Dominus, retributionem reddit ſuperbis, & quod vindictam expetit à Deo ſanguis Sanctorum qui effuſus eſt.

Pſal. 119.

S. Bonifacii & ſociorum Martyriū.

Matth. 26.

Interfectores mala morte puniti.

Exquiſita vnius mors.

Post hæc, quicunque beati viri familiarium ſuperſtites necis extiterant, cohortabantur quos pietate poſſeſſos repererant, vt ſe benignitatis ſolatio adiuuarent, Præſulis almi reliquias componere, & ad regionem, ex qua illuc venerant reportare. Eius rei dum eos diuina gratia compotes efficeret, ſacra oſſa recolligunt, feretro imponunt, hymnidicis concentibus canori, per eandem viam, qua venerant remeare cœperunt. Cumque itineris tantum exegiſſent, vt per diei vnius interuallum eo venire facultas eſſet, quo Dei Ancilla beato viro accommodabat hoſpitiū, ecce tintinnabulum, quod habebat deſponſum, nulla re, quæ videri poſſet impellente, vltro ſe cœpit agitare, plectrique ſui pulſu monita ſolitam ſonitus dulcedinē propinare, nec ante mirum dictu, reboare quieuit, quam beatæ reliquiæ in ipſum

Tranſlatio S. Bonifacii verſus Fuldam.

Tintinnabuli ſonus ſpōtaneus.

C deporta-

deportatæ ſunt Oratorium, in cuius cacumine fuerat appenſum. Vere Deus Omnipotens Angelica id agitari iuſſit
adminiſtratione, vt perſpicue intelligere daret, quam ſuauibus Anima illa in cœlo frueretur melodiarum cantibus,
cuius in terra defuncto corpori, inanimatæ materiæ † aggaulizaret ſonus. Pro tanti ergo ſigni beneficio laudibus
Deo celebratis, oſſa venerandi Præſulis Moguntiam deportabant, ad ſuæ videlicet Diœceſis ſedem. Ibi adunato
copioſo Cleri plebiſq; cætu, ad Vuldam vſq; cum omni honore tranſtulerunt, Vbi, ſicut ipſe corpore viuens iuſſerat,
eum cum hymnis & pſalmodiis collocauerunt. Vt autem pius Dominus exprimeret meritorum Martyris ſui vigo-
rem, multitudinem populi, qui ob prolixum iter oppido fatigatus erat, magno gratiæ ſuæ releuauit impendio. Nam
riuus ibi decurrens tantam ſubito fertur eructare piſcium copiam, vt quamuis innumerabilis caterua adeſſet, omni-
bus tamen ſatiem plenam inferret. Cunctorumque corda grandi ſtupor percelluit admiratione, quod ipſe, qui o-
lim in deſerto ex duobus piſcibus ſatiauit quinque millia hominum, nunc eodem benignitatis fonte redundante,
ſubito propter Antiſtitis ſui dilectionem, tantam fieri iuſſit piſcium copioſitatem, quæ maximæ turbæ mederetur in-
digentiæ. Tanto igitur munere Dei refecti, tam viuaci Martyris interceſſione muniti, in ſua quique ſunt regreſſi.
Condonantur quoq; in ipſo loco ex tunc vſq; in præſentiarum multa beneficia quærentibus, poſcentibus & confi-
dentibus in beati viri ſuffragia: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui perpes gloria manet in ſæcula.

† αὐλί-ζειν tibia canere.

Apud Fuldã improuiſa piſciũ copia pia multitudo reficitur.

Ex occaſione ſiquidem aduentus S. Bonifacii ad Beatum Pyrminium, extra inchoatæ materiæ ſemitam digreſ- XVI.
ſi ſumus. Attamen non offendet iſta digreſſio, cum ad noſtrum redeuntibus Pyrminium, occurrit referendum per i-
pſius declaratum merita, ſimile miraculum.

Widonis in Horbacenſe Cœnobiũ munificentia.

Vvido nempe de ſtirpe ſupra memorati VVetinheri progenitus, Cœnobium Horbacenſe propria tenens in
ditione, deuotus erga id nimium extitit, qui & plurima conferens donaria, oratorii ſancti faciem ſtructuris eminentio-
ribus ornauit, amplo auri & argenti ſplendore poliuit, & vbicunque facultas ſuppeditauit, ſagaciter & ſtrenue pro-
mouit.

Idem æs campanum transfert in Locuvilare.

Restituit animaduerſo miraculo.

Verum aliquando non boni conſilii veſtigio actus, contra hæc agere non eſt reueritus. Quoddam itaq; cam-
panum, quod ob electæ materiæ maſſam, & rite mixti metalli temperaturam, magnam ſonoritatis habuit elegantiam,
Oratorio almo auferri, & ad locum, qui Locvvilare nominatur, præcepit transferri. Sed quia in hoc perperam, atq;
contra Sanctum Pyrminium egerit, celerius recognouit, non experientia vltionis, ſed clementi euentu ſigni mirabi-
lis. Nam prædictum fuſile, poſtquam in loco prædicto eſt ſuſpenſum, nullum omnino valuit edere ſonum, peni-
tuſque mutum manens & inhabile, perſtrinxit omnes grandi ſtupore. At, vbi præfatus Vuido tremore & horrore
perculſus ad almum illud referre iuſſit Cœnobium, iuxta priſtinæ ſuauitatis dulcedinem, iocundum cunctis & dele-
ctabilem recepit & edidit ſonum.

Hinc euidens viri beatiſſimi diuulgata eſt ſanctitas, hinc certior ſpes & fiducia maior fidelibus exorta eſt ad e-
ius poſcenda ſuffragia, cuius apud Deum tantum cernunt ponderare merita. Hinc eius vegetatior tutela Cœnobio,
cuius res non audent appetere, quas norunt tam robuſto protegi defenſore.

Qvi patronus eximius, poſtquam ab eo receſſit Beatus Bonifacius, alacrius in ſancto feruebat opere, & quaſi XVII.
antea nil egiſſet, quæ retro ſunt obliuiſcens in anteriora ſe extendit, omni vigilantia & ſtrenuitate.

Philip 3.

Monaſteriorum ſtatus quem S. Pyrminius formauit.

Cvmqve iam locorum à ſe constructorum prouectus bene vidiſſet compoſitos atque ſtabilitos, filioſque ſuos,
quos abſque numero genuerat, vitalium operum perpendiſſet edere fœtus, tempus eſſe taxans à practicæ laboribus
deſiſtere, in Thoricam totam mentis conuertit aciem, ac multifariam Liæ ſollicitudinem deuitans, toto animi feruo-
re in Rachelis flagrabat amore. Huius cupitis amplexibus iam gliſcens adhærere, non noctibus, non diebus adolere
ceſſabat orationis thymiama, crebræ lachrymarum effuſioni, ſubiiciens alimentum ab irriguo ſuperiori. Huiuſcemo-
di intentioni deſeruiens agone infatigabili, perpendit iam tempus imminere, quo immarceſcibile deſudationis ſuæ
præmium recipere deberet.

Obituri Pyrminii ad fratres exhortatio.

Tvnc accerſitis in vnum cætibus filiorum, nonne hac breui videtur eos exhortari admonitione? Noſtis Fra- XVIII
tres dilectiſſimi, quomodo à primo mei ad vos tempore aduentus, prouidentiam veſtræ ſalutis exſequutus fuerim, nil
met mihi reſeruauerim, nil pepercerim, veſtrum meditans profectum, veſtram verſans vtilitatem. Nunc igitur, quo-
modo opitulante Chriſto, certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem impertitæ gratiæ ſeruaui, veſtrum
decreui commonefacere ſtudium, vt eum, qui vos ad ſuam, inuitauit gratiam, firma fide colatis, ſpe ad ipſum certa
tendatis, in eius charitate feruida, bonorum operum exſecutione proficere ſtudeatis. Recolite, quod ad ſuſtentan-
dos vos, & in Dei ſeruitio corroborandos, poſſeſſiones amplas, & prædia vobis prouidi. Adſtitit enim mihi ſuperna
gratia, & ad hæc eroganda multorum animauerat corda. Conſulite vobiſmetipſis, conſulite: vt per terrena, quæ
vobis præparaui commoda, æterna procuretis lucra animarum veſtrarum. Nam ſi, quod abſit, egeritis contra, cre-
dite mihi, credite, mutabitur in diſpendium, quod proficere debuit in emolumentum. Scrutamini igitur Scripturas
diuinitus allegatas, in quibus cõſiderare poteritis, quid facere iubeat Deus, quid prohibeat, quid ſummum ſit bonum,
quid medium, quid infimum, quo vti oporteat, quo frui & delectari conueniat. Sedeat vobis animo, præcipue in
humilitate verſari, patientiam amplecti, & in fraternitatis amore, abſque fuco ſimulationis manere. His, ſi attende-
ritis, erit vobis Sanctorum omnium interceſſio præſentior, Chriſtus placabilior, optatorum prouentus efficacior, do-
nec mereamini in cæleſti regno, æternæ felicitatis compotes fieri.

His dulciter prolatis, artubus corporis iam ſe in primordia ſui reſoluentibus, animam cæleſti viatico armauit, XIX.
atque omnigena virtute redimitam, ac meritorum diuitiis plenam, tertio Nonas Nouembris ſidereis ſedibus im-
miſit.

Moritur.

Cvivs exitus, licet non eueniret ſanguinis effuſione, martyrii tamen non caret honore, qui ſemetipſum peni-
tus abnegans, omni vitæ ſuæ tempore, mortificationi Crucis Chriſti carnem ſubigebat, ac totis animi inceſſibus
Chriſtum ſequebatur. Nempe, ſi crudelitas perſequentium fortaſſis immineret, gaudens ſupplicia quamuis imma-
nia ſubiret. Non ergo Abraham ideo obedientia minor, neq; Iſaac immolationis merito indignior, quia de cælo
veniens Angelus prohibuit effici, quod voto affectabatur impleri.

Corpvs autem ſanctiſſimi viri à fidelibus eſt collectum, & in ſui Cœnobii oratorio cum omni reuerentia con-
ditum, vbi iugiter ſanitatum beneficia abſque numero impenduntur. Denique cæci lumen recipiunt, claudi greſ-
ſum, ſurdi auditum, & quocunque iniquitatis genere veniunt vitiati, compotes incolumitatis effecti, re-
deunt læti, obtinentibus hoc Præſulis ſacratiſſimi meritis apud potentiſſimum reſtauratorem
totius boni auctorem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spi-
ritu ſancto manet vna Deitas, par poteſtas, incomprehenſibilis
maieſtas per infinita ſæcula, Amen.

Miracula poſt mortẽ edita.

VITA S. MALACHIAE EPISCOPI HYBERNIAE, EDITA A BEATISSIMO BERNARDO ABBATE *Claræuallenſi.*

An. 1100.

Prȩfatio.

Nov. 3. iuxta Martyrol. Rom.

Hiſtoriæ ſanctorũ quid conferant.

SEmper quidem operæ precium fuit illuſtres ſanctorum deſcribere vitas, vt ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam poſt mortem viuunt, multoſq́; ex his, qui viuentes mortui ſunt, ad veram prouocant & reuocant vitam. Verum nunc maxime id requirit raritas ſanctitatis, & noſtra plane ætas inops virorum. Quam ſane inopiam ſuper nos adeo inualuiſſe ſentimus, vt num ſit dubiũ illa ſententia nos feriri: Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Et vt ſuſpicor ego, aut præſto, aut prope eſt, de quo ſcriptum eſt: Faciem eius præcedet egeſtas. Ni fallor, Antichriſtus eſt iſte, quem fames & ſterilitas totius boni, & præit, & comitatur. Siue igitur nuncia iam præſentis, ſiue iamiamq́; adfuturi prænuncia, egeſtas in euidenti eſt. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum huius ſeculi multitudinem: in ipſas Eccleſiæ columnas, volo, oculos leues. Quem mihi oſtendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de ſublimi fumantem, quam flãmantem? Et ſi lumẽ, quod in te eſt, inquit, tenebræ ſunt, quantæ ſunt tenebræ? Niſi tu illos forte (quod non credo) lucere duxeris, qui quæſtum æſtimant pietatem, qui in hæreditate Domini, non quæ Domini, ſed magis quæ ſua ſunt, quæritant. Quid dico quæ ſua ſunt? Perfectus ſit & ſanctus etiam ſua quærens, ſuaq́; retinens, ſi ab alienis cor manuſq́; contineat. Meminerit tamen, qui ſibi vſq; huc forte perueniſſe videtur, eundem exigi ſanctitatis gradum & ab ethnico. An non milites ſuis iubentur contenti fore ſtipendiis, vt ſalui fiant? Magnum vero Eccleſiæ doctori, ſi ſit ſicut vnus militũ: aut certe (quod ad illorum improperium propheta loquitur) ſi vt populus, ita ſacerdos fuerit? O deformitatem! Iſtane ſummus merito reputandus erit, qui à ſummo corruens gradu, hærebit vix infimo, ne abyſſo abſorbeatur? Quam rarus tamen iſte ipſe in clero? Quem item das mihi contentum neceſſariis, contemptorem ſuperfluorũ? Lex eſt tamen præfixa ab Apoſtolis Apoſtolorum ſucceſſoribus: Victum & veſtitu habentes, inquiunt, his contenti ſimus. Vbi forma hæc? In libris cernimus eam, ſed non in viris. Habes vero de iuſto: Quia lex Dei eius in corde ipſius, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere & neceſſariis paratus eſt. At gratis iſtud. Vtinam ſuperfluis ponatur modus: Vtinam non cupiamus in infinitum. Sed quid? Forte reperias, qui hoc poſſit. Id quidem difficile. Sed vide quid egimus. Quæramus virum optimum, multorum liberatorem, & ecce laboramus in inueniendo, qui ſeipſum ſaluum facere poſſit. Optimus hodie eſt nimis malus. Vnde quoniã à terra defecit ſanctus, videor mihi non ſuperuacue ex his, qui empti ſunt de terra, reuocare ad medium Malachiam Epiſcopum, virum vere ſanctum, & noſtrorum quidem temporũ ſingularis ſapientiæ & virtutis. Iſte erat lucerna ardens & lucens, nec extincta eſt tamen, ſed ſubmota. Quis mihi iure ſuccenſeat, ſi re admouero eam? Immo vero non eſt, quod mihi ingrati eſſe mei ſeculi homines debeant, & omnis deinceps generatio ventura, ſi quem conditio tulit, reuocem ſtylo: ſi mundo reſtituam, quo dignus non erat mundus: ſi ſeruẽ memoriæ hominum hominem, cuius memoria in benedictione ſit omnibus, qui legere dignabuntur: ſi me excitante amicũ dormientem, vox turturis audita fuerit in terra noſtra, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad cõſummationem ſeculi. Deinde ſepultus apud nos eſt, nobis ſpecialiter hoc opus incumbit. Quid quod me inter ſpeciales amicos ſanctus ille habebat, & eo loci, vt nulli in hac parte gloriæ ſecundum fuiſſe me credam? Nec mercede vacat mirantæ familiaritas ſanctitatis. Primitias iam accepi. In extremis poſitus erat, immo in principiis, iuxta illud: Cũ conſummatus fuerit homo tunc incipit. Accucurri ego, vt benedictio morituri ſuper me veniret. At ille cum iam mẽbra alia mouere non poſſet, foris ad dandam benedictionem, eleuatis ſanctis manibus ſuper caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditare poſſideo, & quomodo ego illum ſilere queam? Poſtremo tu id mihi Abba Congane iniungis, reuerendus frater, & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (vt ex Hybernia ſcribis) veſtra illa omnis Eccleſia ſanctorum. Libens obedio, præſertim quod non eloquium exigitis, ſed narrationem. Dabo vero operam, vt ea ſit pura & luculenta, deuotos informans, faſtidioſos non onerans. Sane narrationis veritas ſecura apud me eſt, intimata à vobis, haud alia proculdubio proteſtantibus, quam quæ certiſſime comperta ſunt vobis.

Matth. 24. Iob 41. Matth. 6. Phil. 2. Luc. 3. Eſa. 24. 1. Tim. 6. Pſalm. 36. Iohan. 5.

S. Malachias Epiſcopus lucerna lucẽs.

Matth. vlt.

S. Bernardus S. Malachię chariſſimus.

Eccl. 18.

Hiſtoriæ huius fides.

I. MALACHIAS noſter, ortus Hybernia de populo barbaro, ibi educatus, ibi literas edoctus eſt. Cæterum de natali barbarie traxit nihil, non magis, quam de ſale materno piſces maris. Quã vero ſuaue, quod inculta nobis barbaries tam vrbanũ protulit ciuẽ ſanctorum, & domeſticũ Dei? Qui producit mel de petra, oleumq́; de ſaxo duriſſimo, ipſe fecit hoc. Parentes tamen illi fuere genere & potẽtia magni, iuxta nomen magnorũ, qui ſunt in terra. At mater mẽte, quã ſanguine generoſior, ſatagebat in ipſo initio viarum ſuarum, notas paruulo facere vias vitæ: hanc pluris exiſtimans ventoſa ſcientia literaturæ ſecularis. Ad vtranq; tamen huic nõ defuit ingenium pro ætate. In ſcholis literas, domi timorem Domini docebatur, & quotidianis profectibus reſpondebat ambobus ſatis, magiſtro & matri. Nempe à principio ſpiritum ſortitus eſt bonũ, per quem erat puer docilis, & amabilis valde, mire admodũ omnibus per omnia gratioſus. Bibebat aũt pro lacte de pectore materno aquas ſapientiæ ſalutaris, & fiebat in dies ſeipſo prudentior. Prudentior, dicam, an ſanctior? vtrunq; ſi dixero, non me pœnitebit. Veritatẽ enim dicam. Agebat ſenem moribus, annis puer, expers laſciuiæ puerilis. Cumq́; ex hoc cunctis eſſet reuerentiæ ac ſtupori, non tamen inde vt aſſolet, inſolentior inueniebatur, ſed magis quietus & ſubditus in omni manſuetudine. Non impatiens magiſterii, non fugitans diſciplinæ, non lectionis faſtidiens, non ludorũ deniq; appetens: quod vel maxime illa ætas dulce ac familiare habere ſolet. Et proficiebat ſupra oẽs coætaneos ſuos in ea quidẽ literatura, quæ illi competebat ætati. Nam in diſciplina morum, profectuq́; virtutum, & ſuper omnes docentes ſe in breui enituit, non tam matre tamen, quã vnctione magiſtra. Hac ſolicitante, haud ſegniter & in diuinis exercebatur, petere ſecretum, anticipare vigilias, meditari in lege, refici parcius, orare frequentius. Et quia eccleſiam frequentare nec vacabat propter ſtudium, & pro verecundia non libebat, leuare puras manus in omni loco, vbi tamen ſecrete id poſſet. Iã tunc ſiquidẽ cautius fuit declinare virus virtutũ, inanẽ gloriam. Eſt vicus prope ciuitatẽ, in qua diſcebat puer, quo magiſter eius frequenter pergere ſolitus erat, ipſo ſolo comite. Illo euntibus ambobus pariter, ipſe (vt poſtea referebat) retrahebat pedẽ, ſiſtebat gradũ, & ſtans à tergo magiſtri, illo quidẽ non comperiente, expanſis ad cælũ manibus, raptim quodãmodo, ac veluti iaculatã emittebat orationẽ: & ſic diſſimulans, magiſtrũ denuo ſequebatur. Iſtiuſmodi pio furto puer ſæpius illudebat comitẽ & magiſtrũ. Non eſt dicere omnia, quæ eius principia colore bonæ indolis decorauere: ad maiora, atq; vtiliora currendũ. Vnũ tamen refero adhuc, quod hoc, meo quidẽ iudicio, non modo bonæ, ſed & magnæ in puero dederit inſigne ſpei. Excitus aliquando opinione cuiuſdã magiſtri, (erat enim famoſus in diſciplinis, quas dicũt liberales) adiuit illũ diſcẽdi cupiditate. Quippe extrema iã pueritiæ captans, ad eas literas anhelabat. Intrans vero domũ, vidit virum ludentẽ ſubula, crebriſq́; ſulcantem tractibus neſcio quo notabili modo parietẽ. Et ſolo viſu offenſus puer ſerius, quod leuitatẽ redoleret, reſiliuit ab eo, ac deinceps illum nec videre curauit. Ita cũ eſſet ſtudioſiſſimus literarũ, præ honeſto tamen ſpreuit eas virtutis amator. Tali quodã præludio puer præparabatur ad eũ, qui ſe manebat in fortiori ætate, conflictũ: iamq́; ipſe aduerſariũ prouocabat. Et Malachiæ quidẽ pueritia ſic erat. Porro adoleſcentiam ſimili tranſiuit ſimplicitate, & puritate: niſi quod creſcente ætate, creſcebat ſimul illi ſapientia & gratia apud Deum & homines.

Patria S. Malachiæ. Natus eſt teſte Baronio An. 1094.

Deuter. 32.

Parentes.

Diſcit literas.

Sancta eius pueritia.

Vana gloria, virtutũ virus.

Eſt puer ſanctus impatiens omnis leuitatis.

C 2 Hinc

II. Hinc iam, id eſt, ab ineunte adoleſcentia eius, cœpit manifeſtius apparere, quid eſſet in homine, & gratia Dei in illo vacua non videri. Videns enim induſtrius adoleſcens, quod in maligno mundus poſitus ſit, & cogitans qualem ſpiritum accepiſſet, dicebat intra ſe: Non eſt ſpiritus huius mundi iſte. Quid iſti, & illi: Non eſt ſocietas alteri ad alterũ non plus quam luci ad tenebras. Meus ex Deo eſt, & ſcio quæ in illo donata ſunt mihi. Inde mihi interim adhuc innocentia vitæ, inde continentiæ decus, inde iuſtitiæ fames, inde quoq; illa eo ſecurior, quo ſecretior, gloria mea eſt teſtimonium conſcientiæ meæ. Nil horum mihi tutum ſub principe mundi. Deinde habeo theſaurum hunc in fictili vaſe. Verendum ne impingar, & frangatur, & effundatur oleum lætitiæ, quod porto. Et quidem non impingere inter ſaxa & ſcopulos diſtortæ & anfractuoſæ viæ & vitæ huius, difficillimum. Itane in momento perdam ſimul omnes, quibus ab initio præuentus ſum, benedictiones dulcedinis? Reſigno illi potius, à quo ſunt, & me pariter. Et ego enim ipſius. Perdo ipſam ad tempus animam meam, ne perdam in æternum. Et quod ſum, & quæ habeo omnia, vbi mihi æque ſalua, vt in manu authoris? Quis ita ad ſeruandum ſolicitus, ad retinendum potens, ad reſtituendum fidelis? Seruabit tuto, reſtituet opportune. Sine retractatione me do ad ſeruiendum illi de donis ſuis. Non poteſt mihi perire ex omnibus, quæ in opus pietatis expendero. Forte & ſperare plus aliquid licet. Solet reddere cum vſura, quæ dat gratis. Ita eſt. Etiam cumulabit, & multiplicabit in anima mea virtutem. Hæc cogitauit, & fecit ſciens abſque facto vanas eſſe cogitationes hominum. Erat homo in ciuitate Ardmacha, (ipſa eſt, in qua altus eſt Malachias) & homo ille ſanctus, & auſteræ admodum vitæ, inexorabilis caſtigator corporis ſui, cellam habens iuxta eccleſiam. In ea manebat, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte. Ad hunc ſe contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui viuum ſe tali damnauerat ſepultura. Et vide humilitatem. A primæua ætate in ſancta arte magiſtrum (quod dubium non eſt) habuerat Deum: & ecce factus eſt denuo diſcipulus hominis, homo mitis & humilis corde. Si neſciebamus, hoc vel ſolo nobis ipſe probauit. Legant hoc, qui docere, quæ non didicere, conantur, diſcipulos ſibi coaceruantes, qui nunquam diſcipuli extitere, cæci duces cæcorum. Malachias doctus à Deo, doctorem nihilominus quæſiuit hominem, & quidem caute & ſapienter. Quid ſimile, quæſo, afferre quibat, in quo æque daret caperetq; experimentum profectus ſui? Si Malachiæ exemplum eis pro minimo eſt, Pauli opus attendant. Nonne Euangelium ſuum, quod non ab homine acceperat, ſed à Chriſto, cum hominibus tamen cenſuit conferendum, ne fortè in vacuũ curreret, aut cucurriſſet? Vbi ille ſecurus non eſt, nec ego: Si quis hoc facit, viderit, ne non tam ſecuritas ſit, quam temeritas. Sed hæc alterius temporis. Nunc vero ſonuit in ciuitate, quod factum eſt, & commota eſt vniuerſa ad inopinatam nouitatem. Stupebant autem omnes, & virtutem mirabantur, eoq; amplius, quo minus vſitatam in gente fera. Videres tunc reuelari ex multorum cordibus cogitationes. Plerique humano affectu penſantes factum, plangere & dolere, quod dilectus omnibus, delicatusq; adoleſcens, duris ſe adeo laboribus mancipaſſet. Alii ſuſpicati leuitatem propter ætatem, diffidere de perſeuerantia, timere de caſu. Nonnulli temeritatem cauſantes, indignari & fremere in eum, quod ſupra ætatem & vires inconſulte rem arduam fuiſſet aggreſſus. Verum ille ſine conſilio egit nihil. Nam habuit conſilium à propheta, qui ait: Bonum eſt homini, ſi portauerit iugum ab adoleſcentia. Et addit. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe. Sedebat ſibi iuuenculus ſecus pedes Imarii, (hoc enim nomen viro) & aut diſcebat obedientiam, aut ſe didiciſſe docebat. Sedebat vt quietus, vt manſuetus, vt humilis. Sedebat, & tacebat, ſciens ſecundum prophetam, cultum iuſtitiæ eſſe ſilentium: ſedebat vt perſeuerans, tacebat vt verecundus, niſi quod ſuo illo ſilentio in Dei auribus loquebatur cum ſancto Dauid: Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Et ſedebat interim ſolitarius, quia & ſine ſocio, & ſine exemplo. Quis enim ante Malachiã diſtrictiſſimum viri propoſitum vel cogitaret attentare? Nempe mirabile omnibus habebatur non imitabile. Malachias imitabile perſuaſit, ſedendo duntaxat, & tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, prouocatos exemplo ſui. Ita qui primo ſolitarius ſedit, & vnicus patris ſui, fit iam vnus ex multis, fit ex vnigenito primogenitus in multis fratribus. Et vt prior in conuerſione, ita in conuerſatione ſublimior: & qui ante omnes venit, omnium iudicio ſupra omnes emicuit in virtute. Et dignus viſus eſt Epiſcopo pariter & magiſtro, qui ad Diaconii gradum promoueretur. Et coëgerunt eum. Hinc iam Leuita Domini publice ſe ad omne opus pietatis accinxit, plus vero ad eas res, in quibus aliqua iniuria videretur. Deniq; cura erat ei maxima in ſepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc ſibi non minus humilitatem ſaperet, quam humanitatem. Nec defuit nouo noſtro Tobiæ rediuiua à muliere tentatio, immo à ſerpente per mulierem. Germana eius indignitatem (vt ſibi videbatur) officii exhorrens: Quid facis (inquit) ô inſane? Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat. Sed reſpondebatur mulieri ſtultæ iuxta ſtultitiam ſuam: Miſera, tu eloquii caſti vocem tenes, ſed virtutem ignoras. Ita miniſterium, ad quod coactus acceſſerat, deuotus tenuit, indefeſſus exercuit. Vnde & cenſuerunt etiam ſacerdotale officium imponendum illi. Et factum eſt ita. Erat autem, cum ſacerdos ordinatus eſt, annos natus quaſi vigintiquinque. In qua eius vtraque ordinatione, ſi quid præter canonum formam proceſſiſſe videtur, vt vere videtur, (ſiquidem infra viceſimumquintum annum Leuiticum miniſterium, infra triceſimum adeptus eſt ſacerdotii dignitatem) donandum ſane tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego vero iſtud nec in ſancto redarguendum, nec vſurpandum conſulo ei, qui ſanctus non fuerit. Nec contentus Epiſcopus, etiam vices ſuas committit ei, ſeminare ſemen ſanctum in gente nõ ſancta: & dare rudi populo & ſine lege viuenti, legem vitæ & diſciplinæ. Suſcepit ille mandatum in omni alacritate, ſicut erat ſpiritu feruens: nec talento incubans, ſed inhians lucris. Et ecce linguæ ſarculo cœpit euellere, deſtruere, diſſipare, de die in diem factitans praua in directa, & aſpera in vias planas. Exultabat vt gigas ad diſcurrendum vbiq;. Diceres ignem vrentem in conſumendo criminum vepres. Diceres ſecurim, vel aſciam in deiiciendo plantationes malas, exſtirpare barbaricos ritus, plantare Eccleſiaſticos. Veteres noſas omnes (neque enim paucæ inueniebantur) abolebat ſuperſtitiones ſeu quaſlibet, vbicunque deprehendiſſet, malignitates, immiſſis per angelos malos. Denique quicquid incompoſitum, quicquid indecorum, quicquid diſtortum obuium habuiſſet, non parcebat oculus eius: ſed velut grando groſſos è ficubus, & ſicut puluerem ventus à facie terræ: ſic coram facie ſua eiuſmodi nitebatur totum pro viribus exturbare, ac delere de populo ſuo. Et pro his omnibus tradebat iura cæleſtia optimus legiſlator. Leges dabat plenas iuſtitiæ, plenas modeſtiæ & honeſti: ſed & Apoſtolicas ſanctiones ac decreta ſanctorum patrum, præcipueq; conſuetudines ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in cunctis eccleſiis ſtatuebat. Hinc eſt, quod hodie in illis ad horas canonicas cantatur & pſallitur, iuxta morem vniuerſæ terræ. Nam minime id ante fiebat, ne in ciuitate quidem. Ipſe vero in adoleſcentia cantum didicerat: & in ſuo cœnobio mox cantari fecit: cum necdum in ciuitate, ſeu in Epiſcopatu vniuerſo cantare ſcirent, vel vellent. Deinde vſum ſaluberrimum confeſſionis, ſacramentum confirmationis, contractum coniugiorum, quæ omnia aut ignorabant, aut negligebãt, Malachias de nouo inſtituit. Et de his iſta pro exemplo ſufficiant. Nam & per totum hiſtoriæ textum, breuitatis ſtudio plurima prætermus.

1. Iohan. 5.

2. Cor. 1.

Periculoſiſſimum iter vitæ huius incedentibus.

S. Malachias adiungit ſe ad quendam virum ſanctum.

Gal. 1. & 2.

Vitam viuit duriſſimam.

Thre. 3.

Ibidem.

Eſa. 32.

Pſal. 118.

Ordinatur Diaconus.

Studiũ erga ſepeliendos mortuos.

Initiatur ſacerdotio.

Epiſcopus mandat ei vices ſuas.

Vide quam ſtrenue ſe geſſerit in hoc officio.

Nota quãti fecerit Romanæ Eccleſiæ conſuetudines.

III. Cvm eſſet illi ſtudium & zelus maximus circa cultum diuinorum, & venerationem ſacramentorum, ne fortè de his aliquid conſtitueret, vel doceret ſecus quam ritus haberet vniuerſalis Eccleſiæ, ſubiit animum adire Epiſcopũ Malchum, qui ſe plenius de omnibus informaret. Hic erat ſenex plenus dierum & virtutum: & ſapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hybernus, ſed in Anglia conuerſatus fuerat in habitu & propoſito monachali in Vintoniensi monaſterio, De quo aſſumptus eſt in Epiſcopum in Leſmor ciuitate Mumoniæ & ipſa nobilior inter cæteras regni illius.

Vt vnanimes attenderent nouatores noſtri.

[...]mus. Ibi tanta ei deſuper collata eſt gratia, vt non modo vita & doctrina, ſed & ſignis clareret. Quorum duo pono ex[em]pli cauſa: vt omnibus innoteſcat, qualem in ſcientia ſanctorum Malachias habuerit præceptorem. Puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum ſacra vnctione ſanauit. Hoc ita notum certumque fuit, vt illum mox conſtituerit oſtiarium domus ſuæ: vixeritque idem puer incolumis in eo officio vſque ad virilem ætatem. Surdo auditum reſtituit: in quo idem mirabile quiddam confeſſus eſt: quod cum ſanctus vtrique auriculæ hinc inde digitos immiſiſſet, duos quaſi porcellos ex ipſis exire ſenſerit. Pro his, atque huiuſmodi fama crebreſcente, nomen grande adeptus eſt: ita vt ad eum Scoti, Hyberniique confluerent, & tanquam vnus omnium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergo Malachias, accepta benedictione patris Imarii, & ab Epiſcopo miſſus, cum proſpere perueniſſet, benigne à ſene ſuſceptus eſt. Qui annos aliquot cum eo manſit, vt per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore veterano, ſciens ſcriptum, Quia in antiquis eſt ſapientia. Sed nec hoc quoque ad cauſam defuiſſe reor: quod magnus ille prouiſor vniuerſorum, voluit ſeruum ſuum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat non eſſe gratus, quibus notus fuiſſet. Deniq; vnum interim accidit, per quod ex aliqua parte, quod notum Deo erat in illo, manifeſtum fecit hominibus. Inter Regem Mumoniæ (quæ eſt Hyberniæ pars Auſtralis) & germanum eius orta ſimultate, & fratre facto ſuperiori, Rex pulſus regno, confugit ad Epiſcopum Malchum. Non tamen, vt ope illius regnum recuperaret: ſed magis princeps deuotus dedit locum iræ, & neceſſitatem in virtutem conuertit, priuatam eligens ducere vitam. Cumque Epiſcopus Regem ſuſcipere debito honore pararet, abnuit ille, ſe malle inquiẽs tanquã vnũ ex illis eſſe pauperibus fratribus, qui illi adhærerent: regium faſtum deponere, & communi paupertate fore contentum, expectate potius Domini voluntatem, quam per vim recipere regnum: nec velle pro ſuo honore terreno ſanguinem humanum effundere, qui contra ſe clamet ad Deũ de terra. Quo audito, exultat Epiſcopus: & admiratus deuotionem, ſatisfacit voto. Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, & Malachias in magiſtrum, ad victum panis cum ſale & aqua. Porro ad delicias ſufficiebat Regi, Malachiæ præſentia, vita atque doctrina: ita vt diceret ei: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Ad hæc per ſingulas noctes lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat: ſed & quotidiano aquæ frigidæ balneo male calentem extinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum Rege dicebat: Vide humilitatem meam & laborẽ meũ, & dimitte vniuerſa delicta mea. Et non amouit Deus orationem eius, & miſericordiam ſuam ab eo. Et exaudita eſt oratio eius: etſi ſecus, quam intenderet. Nam is quidem ſolicitus erat pro anima ſua: ſed vindex innocentiæ Deus, hominibus oſtendere volens, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico, parabat interim facere iudicium iniuriã patienti, quod ille penitus non ſperabat. Et ſuſcitauit Deus ſpiritum vicini Regis: (neque enim vnum eſt Hybernia regnum, ſed diuiſa in plura) Hic itaque videns quæ facta ſunt, repletus eſt zelo: & hinc quidem indignans prædonum libertati, & inſolentiæ ſuperborum, inde vero miſerans regni deſolationem, & Regis deiectionem, deſcendit ad cellulam pauperis: ſuadet reditum, ſed non perſuadet. Inſtat tamen, ſpondet opem, de effectu non diffidere monet, Deum affuturũ promittit, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarii eius. Proponit etiam oppreſſionem pauperum, patriæ vaſtationem, & non proficit. Cæterum accedente mandato Epiſcopi, & Malachiæ conſilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquieſcit. Sequitur Rex Regem, & iuxta verbum Regis, ſicut fuerat voluntas in cælo, tota facilitate pulſis prædonibus, reducitur homo in ſua cum exultatione ſuorum, regnoque reſtituitur ſuo. Dilexit ex tunc Rex ille, & ſemper veneratus eſt Malachiam: eoque propenſius, quo plenius in ſancto viro digna veneratione & amore compererat. Cuius enim tantam meruit in ſua aduerſitate familiaritatem, ſanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in ſua proſperitate perpetuis illum amicitiis, deuotiſq; colebat obſequiis: & libenter audiebat eum, & audito eo, multa faciebat. Et de his ſatis. Veruntamen non fortuitu factum reor, quod ita iam tunc magnificauit eum Dominus in cõ-

III. ſpectu Regum: ſed quia vas electionis ſibi erat ille, portaturus nomen ſuum coram Regibus & principibus.

Malchi Epiſcopi duo miracula.

S Malachias adhæret Malcho Epiſcopo.

Iob 12.

Rex Mumoniæ pellitur a fratre ſuo.

Exemplum pii Regis.

Nota victũ regis huius.

Pſal. 118.

Pſal 6.

Pſal. 24.

Pſal 36.

Rex pius in regnum reſtituitur.

MORTVA eſt interim ſoror eius illa, quam præfati ſumus. Nec prætereundæ viſiones, quas vidit de ea. Huius ſiquidem ſanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt ſe deuouerit non viſurum eam in carne viuentem. At illa carne ſoluta, ſolutum eſt votum: & cœpit videre in ſpiritu, quam in corpore noluit. Quadã nocte audiuit per ſomnium vocem ſibi dicentis, ſororem eius ſtare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil guſtaſſe. Qui euigilans, cito intellexit, cuius eſcæ inedia marceret. Et diligenter diſcuſſo numero dierum, quem audiẽrat, ipſum eſſe reperit, ex quo pro ea panem de cælo viuum non obtuliſſet. Tum ille, qui ſororis non animam oderat, ſed peccatum, beneficẽtiam, quam intermiſerat, rurſum adoritur. Neque id fruſtra. Non multo poſt viſa eſt illi perueniſſe ad limen eccleſiæ, needum tamen poſſe intrare: apparere etiam in veſte pulla. Cumq; ille perſeueraret, curans ne qua die ſolita ſtipe fruſtraretur: ſecundo vidit eam in veſte ſubcandida, admiſſam quidem intra eccleſiam, ſed altare contingere nõ permitti. Tertio tandem viſa eſt aggregari cœtui candidatorum, & in veſte candida. Vides lector, quantum valeat deprecatio iuſti aſſidua? Vere regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. Nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuiſſe cæleſtibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod ſuis meritis negabatur? Hanc vim, Ieſu bone, tu qui pateris, facis, validus & pius ad ſaluandum, faciens miſericordiam, & potentiam in brachio tuo & in ſacramento tuo ſeruans ſanctis, qui in terra ſunt, vſque in conſummationem ſeculi.

IV. Hoc plane ſacramentum potens peccata conſumere, debellare obuias poteſtates, inferre cælis reuertentes de terra.

Soror defuncta apparet S Malachiæ

Obſerua quid conferant defunctis Miſſæ & preces.

Matth. 11

Nota Euchariſtiam.

ET Dominus quidem in regione Leſmorenſi ſic præparabat dilectum ſuum Malachiam ad gloriam nominis ſui. Verum qui miſerant eum, minime iam ferentes abſentiam eius, miſſis epiſtolis reuocant illum. Quo reddito ſuis, & quidem inſtructiore de omnibus, quæ oportebat: en opus à Deo paratum, & ſeruatum Malachiæ. Vir diues & potens, qui locum Benchor, & poſſeſſiones eius tenebat, inſpiratus à Deo, confeſtim in manu eius ſua omnia dedit, & ſe quoque. Et is auunculus eius Sed Malachiæ ſpiritus, quam carnis, propinquitas pluris fuit. Ipſum quoque locum Benchor, de quo cognominabatur, tradidit ei princeps, vt ædificaret ibi monaſterium, vel potius reædificaret. Nempe nobiliſſimum extiterat ante ſub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monaſteriorũ caput. Locus vero ſanctus fœcunduſq; ſanctorum, copioſiſſime fructificans Deo, ita vt vnus ex filiis ſanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum ſolus monaſteriorum fundator extitiſſe feratur. Quod idcirco dixerim, vt ex hoc vno coniiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hyberniam, Scotiamq; repleuerunt genimina eius, vt ea potiſſimum tempora Dauidici illi verſiculi præcinuiſſe videantur: Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam Flumen Dei repletum eſt aquis. paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio eius. Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in ſtillicidiis eius lætabitur germinans. Et in hunc modum cæteri, qui ſequuntur. Nec modo in præfatas, ſed in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſe ſanctorum examina effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas partes ſanctus Columbanus aſcendens, Luxouienſe conſtruxit monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolennia diurnorum ita vt ne momentum quidẽ diei aut noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta ſint Benchorenſis monaſterii gloria. Hoc olim deſtructum à piratis, ob inſigne dignitatis antiquæ Malachias, velut quandam replantaturus paradiſum, amplexus eſt, & quia multa corpora ſanctorum dormitent ibi. Nam vt taceam illa, quæ in pace ſepulta ſunt, ferunt nongentos ſimul vna die à piratis occiſos. Erat quidem ingens loci illius poſſeſſio, ſed Malachias

Benchorinſigne monaſterium inſtauratur.

Luanus monachus 100 monaſteria condit.

Pſal. 64.

S Columbanus & eius monaſteriũ Luxouienſe.

900 monachi vno die

[margin: ...eciſi à piratis.] chias ſolo contentus loco ſancto, totas poſſeſſiones & terras alteri ceſſit. Siquidem à tempore, quo destructum eſt monaſterium, non defuit, qui illud teneret cum poſſeſſionibus ſuis. Nam & conſtituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, ſeruantes nomine, & ſi non re, quod olim extiterat. Cumque ſuaderent multi non alienare poſſeſſiones, ſed totum ſimul retinere ſibi, non acquieuit paupertatis amator, ſed fecit eligi iuxta morem, qui eas teneret, loco (vt prædiximus) retento ſibi, & ſuis. Et fortaſſis conſultius, vt poſt apparuit, integrum retinuiſſet, ſi non magis ſuæ proſpexiſſet humilitati, quam paci. Itaque ex mandato patris Imarii aſſumptis ſecum decem circiter fratribus, veniens ad locum, cœpit ædificare. Vbi quadam die cum in ſecuri ipſe ſecaret, caſu ex operariis vnus, illo vibrante in aëra ſecurim, locum incaute occupauit, quo ictus deſtinabatur: & cecidit ſuper ſpinam dorſi eius, tanto vtiq; impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille: accurrẽte omnes, putantes aut percuſſum, aut mortuum. Et tunica quidem ſciſſa à ſummo vſque deorſum, homo vero illæſus inuentus eſt, iã modice & ſummatim perſtricta cute, vt vix in ſuperficie veſtigium appareret. Stabat homo incolumis, quem ſecuris proſtrauerat, intuentibus & ſtupentibus, qui circumſtabant. Vnde & facti alacriores, promptiores exinde ad opus inuenti ſunt. Et hoc initium ſignorum Malachiæ. Porro oratorium intra paucos dies conſummatum eſt, de lignis quidem læuigatis, ſed apte firmiterque contextum, opus Scoticum, pulchrum ſatis. Et exinde ſeruitur Deo in eo, ſicut in diebus antiquis, ſimili quidem deuotione, etſi non pari numero. Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre Imario ita conſtituente: ipſe rector, ipſe regula fratrum. Legebant in vita eius, quomodo conuerſarentur, & ipſe ante illos præibat in iuſtitia & ſanctitate coram Deo: niſi quod præter inſtituta cõmunia, multa ſingulariter faciebat, in quibus potius præibat omnes, & aliorum nemo illum poterat ad tam ardua ſequi. Eo temporis, & eo loci quidam infirmabatur. Cui aſſiſtens diabolus, & aperte loquens, ſuggerebat, ne vnquam crederet monitis Malachiæ: ſed ſi intraret ad ſe, cultello eum peteret, & occideret. Quo cognito, qui illi miniſtrabant, ipſo infirmo prodente, verbũ proferunt ad Malachiam, præmunientes. At ille ſolita arma orationis arripiens, impauidus hoſtem aggreſſus, & infirmitatem fugat, & dæmonem. Erat autem nomen viro Malchus. Frater eſt iſte ſecundum carnem Chriſtiani noſtri Mellifontis Abbatis. Ambo enim ſuperſtites adhuc ſunt, ſibi in ſpiritu modo germaniores. Nam ille, vt literatus eſt, continuo non ingratus, loco eodem conuerſus ad Dominum, habitum ſimul animumq́; mutauit. Et cognouêre fratres malignum inuidere bonis eorum, & ædificati ſunt, facti de reliquo cautiores.

[margins: Reſtaurat Malachias Benchorẽſ monaſteriũ. — Magnum miraculũ. — Malachias præeſt monaſterio Bẽchorenſi. — Vide malignitatem Satanæ.]

[margin: S. Malachias curat dyſenteriam.] CLERICVM nomine Michaelem, dyſenteria laborantem, & deſperatè, mittens ei aliquid de menſa ſua, eodem loco ſanauit. Secundo eundem ipſum grauiſſima infirmitate correptum, & corpore pariter curauit, & mente. Ilico enim adhæſit Deo, & Malachiæ ſeruo eius, timens ne deterius aliquid ſibi contingeret, ſi denuo ingratus tanto inueniretur & beneficio, & miraculo. Et nunc, vt audiuimus, præeſt cuidam monaſterio ſito in partibus Scotiæ: & hoc nouiſſimum omnium, quæ ille fundauit. Pro huiuſmodi augeſcebat in dies & opinio, & congregatio Malachiæ, & grande ei nomen intus & foris, non tamen re grandius. Nempe ibi demorabatur etiam factus Epiſcopus, quod locus eſſet vicinus ciuitati.

VACABAT tunc temporis Epiſcopalis ſedes, & iam diu vacârat, Malachia nolente aſſentire Siquidem ipſum e- V.
legerant. Perſiſtentibus tamen illis, tandem aliquando ceſſit, accedente ad vim faciendam mandato magiſtri ſui, necnon & Metropolitani tricesimo fermè ætatis ſuæ anno, Malachias conſecratus Epiſcopus introducitur Connereth: hoc enim nomen ciuitatis. Cum autem cœpiſſet pro officio ſuo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines ſe, ſed ad beſtias, deſtinatum. Nuſquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nuſquam repererat ſic proteruos ad mores, ſic ferales ad ritus, ſic ad fidem impios, ad leges barbaros, ceruicoſos ad diſciplinam, ſpurcos ad vitam. Chriſtiani nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire coniugia, non facere confeſſiones, pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inueniri. Miniſtri altaris pauci admodum erãt. Sed enim quid opus plurium, vbi ipſa paucitas inter laicos propemodum ocioſa vacaret? Non erat, quod de ſuis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in Eccleſiis aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculoſe certandum. Sed qui ſe paſtorem, & non mercenarium agnoſcebat, elegit ſtare, quam fugere: paratus & animam ſuam dare pro ouibus, ſi oporteerit. Et quanquã oẽs lupi, & oues nullæ, ſtetit in medio luporũ paſtor intrepidus, omnimodis argumẽtoſus, quomodo faceret oues de lupis. Mouere cõmuniter: ſecreto arguere: flere per ſingulos: nunc aſperè, nunc leniter conuenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profeciſſet, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas peruigiles duxit, extendens manus in oratione? Et cum venire ad eccleſiam nollent, per vicos & plateas occurrebat inuitus: & circumiens ciuitatem, perquirebat anhelus, quem Chriſto acquireret. Sed & foris rura & oppida nihilominus ſæpius percurrebat, cum ſancto illo comitatu diſcipulorum ſuorum, qui nunquam deerant lateri eius. Ibat, & erogabat vel ingratis cæleſtis tritici menſuram. Nec vehebatur equo, ſed pedes ibat, & in hoc virum ſe Apoſtolicum probans. Ieſu bone, quanta paſſus eſt pro nomine tuo bellator tuus à filiis ſceleratis? quanta ſuſtinuit ab hiſipſis, quibus, & pro quibus loquebatur bona tibi? Quis digne exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus ſit contumeliis, quibus iniuriis laceſſitus. quoties laſſatus inedia quoties afflictus in frigore & nuditate? Attamen cum his, qui oderunt pacẽ, erat pacificus, inſtans nihilominus opportune, importune. Blaſphematus, obſecrabat: iniuriatus, opponebat ſcutum patientiæ, & vincebat in bono malum. Quidni viciſſet? Perſeuerauit pulſans, & ſecundum promiſſionem, tandem aliquando pulſanti apertum eſt. Quomodo poterat non ſequi, quod veritas prænunciauerat ſecuturum: Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum eſt veritatem. Ceſſit duritia, quieuit barbaries: & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere diſciplinam. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur. Recipiuntur vbique Eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ reiiciuntur. Reædificantur baſilicæ ordinatur clerus in illis: ſacramentorum rite ſolennia celebrantur. Confeſſiones fiunt, ad eccleſiam conueniunt plebes, concubinatus honeſtat celebritas nuptiarum. Poſtremo ſic mutata in melius omnia, vt hodie illi genti conueniat, quod Dominus per Prophetam dicit: Qui ante non populus meus, nunc populus meus.

[margins: An. 1124. Creatur Epiſcopus Conerethẽſis, teſte Baron. — Verũ ſe declarat paſtorem inter ſubditos peſſimos. — Pſal. 119. — Luc. 11. — Romanas leges & Eccleſiaſticas conſuetudines apud illos introducit. — Oſee 2.]

CONTIGIT poſt annos aliquot deſtrui ciuitatem à Rege Aquilonaris partis Hyberniæ quia ab Aquilone panditur omne malum. Et forte malum illud bene vtentibus bonum fuit. Quis ſcit enim, ſi tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi ſui? Iſtiuſmodi Malachias neceſſitate compulſus, & ipſe exiit cum turba diſcipulorum ſuorum. Nec ocioſus exitus eius. Hac occaſione monaſterium Ibracenſe conſtructum eſt, eunte illo Malachia cum ſuis numero centum viginti fratribus: Ibi occurrit ei Cormacus Rex. Ipſe eſt, qui olim regno pulſus, ſub cura Malachiæ de miſericordia Dei conſolationem accepit. Et locus ille ſitus in regno eius. Gauiſus eſt Rex viſo Malachia, ſe & omnia ſua exponens ei, & his, qui cum eo erant: vt pote non ingratus, nec immemor beneficii. Adducta in continenti animalia multa ad vſus fratrum: multa inſuper in auro & argento ad ſumptus ædificiorum pro regia liberalitate collata. Ipſe quoque erat intrans & exiens cum eis ſedulus & officioſus habitu quidem Rex, ſed animo diſcipulus Malachiæ. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiã. Et in breui factus eſt magnus rebus, poſſeſſionib. & perſonis. Vbi velut de nouo inchoans, legem & diſciplinam, quam aliis imponebat, magis ipſe portabat. Epiſcopus & magiſter. Ipſe in ordine

[margins: Ierem. 1. — Vide Regis optimi inſignẽ pietatẽ. — Humilitas S. Malachiæ.]

ordine vicis ſuæ, coquinæ miniſterio inſeruiebat: ipſe fratribus, cum recumberent, miniſtrabat. Inter ſuccedentes inuicem fratres ad cantandum, legendumvé in Eccleſia, non ſe præteriri patiebatur, ſtrenue implens & ipſe officium loco ſuo, tanquam vnus ex illis. Sanctæ paupertatis non modo participem, ſed & principem ſe exhibebat, ipſius præcipue ſuper omnes abundantius æmulator exiſtens.

VI. Dvm hæc ita aguntur, contigit infirmari Archiepiſcopum Celſum: Et ipſe eſt, qui Malachiam in Diaconem, Preſbyterum, Epiſcopumque ordinauit. Et cognoſcens quia moreretur, fecit quaſi teſtamentum: quatenus Malachias deberet ſuccedere ſibi, quod nullus alius videretur dignior, qui epiſcoparetur in ſede prima: Hoc præſentibus indixit, hoc mandauit abſentibus, hoc ſpecialiter ambobus Mumoniæ Regibus, & maioribus terræ ſancti Patricii authoritate præcepit. Cuius reuerentia & honore, tanquam Apoſtoli illius gentis, qui totam patriam conuertiſſet ad fidem, ſedes illa, in qua & viuens præfuit, & mortuus requieſcit, in tanta ab initio cuncti veneratione habetur: vt non modo Epiſcopi, & ſacerdotes, & qui de clero ſunt, ſed etiam Regum ac principum vniuerſitas ſubiecta ſit Metropolitano in omni obedientia, & vnus ipſe omnibus præſit. Verum mos peſſimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potentum, ſedem ſanctam obtentum iri hæreditaria ſucceſſione. Nec enim patiebantur epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu & familia ſua. Nec parum proceſſerat execranda ſucceſſio, decurſis iam in hac malitia quaſi generationibus quindecim. Et eouſq; firmauerat ſibi ius prauum, immo omni morte puniendam iniuriam, generatio mala & adultera, vt etſi interdum defeciſſent clerici de ſanguine illo, ſed Epiſcopi nunquam. Denique iam octo extiterant ante Celſum viri vxorati, & abſque ordinibus, literati tamen. Inde tota illa per vniuerſam Hyberniã, de qua ſuperius diximus, diſſolutio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſuræ eneruatio, religionis euacuatio. Inde illa vbique pro manſuetudine Chriſtiana, ſæua ſubintroducta barbaries, immo paganiſmus quidam inductus ſub nomine Chriſtiano. Nam quod inauditum eſt ab ipſo Chriſtianitatis initio, ſine ordine, ſine ratione mutabantur & multiplicabantur Epiſcopi pro libitu Metropolitani, ita vt vnus Epiſcopatus vno non eſſet contentus, ſed ſingulæ pene Eccleſiæ ſingulos haberent Epiſcopos. Nec mirum. Nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent? Pro his Celſus, atque huiuſmodi malis populi ſui vehementer dolens, (erat enim vir bonus & timoratus) curauit omnimodo habere ſibi ſucceſſorem Malachiam: quod per ipſum confideret poſſe explantari male radicatam ſucceſſionem: qui charus eſſet omnibus, & quem omnes æmularentur, & Dominus erat cum eo. Nec fruſtratus eſt à ſpe ſua. Nam illo mortuo, ſubſtitutus eſt Malachias, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de ſemine nequam, qui occuparet locum, Mauricius nomine. Is per quinquennium, fretus potentia ſeculari, incubauit Eccleſiæ, non Epiſcopus, ſed Tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam conuenerant. Denique ſuadebant eum ſubire onus iuxta conſtitutionem Celſi: ſed ille, qui omne ſublime haud ſecus quam ſuum præcipitium declinabat, bonam ſibi videbatur nactus occaſionem excuſandi, quod per id temporis introitus eius pacificus eſſe non poſſet. Inſtabant tam ſancto operi, & ſollicitabant omnes: duo potiſſimum Epiſcopi Malchus & Gillebertus. Quorum prior, ipſe eſt ſenior Leſmorenſis, de quo ſupra mentio facta eſt. alter, quem aiunt prima functum legatione Apoſtolicæ Sedis per vniuerſam Hyberniam. Qui triennio iam decurſo in hac præſumptione Mauricii, & Malachiæ diſſimulatione, non ferentes vltra Eccleſiæ adulterium, dedecus Chriſti, conuocatis Epiſcopis & principibus terræ, vno ſpiritu adeunt Malachiam, parati vim facere. At ille renuere primum: prætendere ſiquidem difficultatem rei, nobilis illius proſapiæ multitudinem, fortitudinem, ambitionem: multum eſſe ad ſe pauperculum opponere, ſed tot, tantis, talibus, taliter radicatis: qui iam annos ferme ducentos, quaſi hæreditate poſſediſſent ſanctuarium Dei, & nunc quoque id præoccupaſſent: non poſſe illos extirpari, nec cum mortibus hominum quidem: ſua non intereſſe, fundi humanum ſanguinem occaſione ſui. poſtremo iunctum ſe ſponſæ alteri, quam dimittere non liceret. Verum illis è contrario inſtantibus, & clamantibus, quia à Domino ſermo egreſſus eſt: ſed & tota authoritate iubentibus ſubire onus, atque intentantibus anathema: Ad mortẽ, inquit, ducitis me: ſed obedio ſpe martyrii, hac tamen cõditione, vt ſi iuxta fidem veſtram res in melius cedat, & vendicet ſibi Deus ſuam hæreditatem à diripientibus eam, tunc demum omnibus conſummatis, & Eccleſia pacem habente, liceat redire ad priorem ſponſam meam, & amicam, de qua rapior, paupertatem: & pro me illic aliũ ſubſtituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit. Nota lector virtutem viri, & animi puritatem, nec honorem ſollicite affectantis, nec formidantis mortem pro Chriſti nomine. Quid hoc animo purius, quidve fortius, vt ſe exponens periculo & labori, alteri fructum cedat, ipſam in loco principatus ſecuritatem & pacem? Facit hoc, cum liberum ſibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem, pace & libertate Eccleſiæ reſtituta. Spondentibus illis, demum acquieuit voluntati eorum, vel potius Dei: à quo ſibi iam olim præoſtenſum recordabatur, quod de ſe modo dolebat fieri. Nempe iam ægrotante Celſo, apparuit Malachiæ, & quidem longe poſito & neſcienti, mulier proceræ ſtaturæ, & reuerendi vultus. Percontanti quænam eſſet, reſponſum eſt eſſe vxorem Celſi. Quæ tradens ei virgam paſtoralem, quam manu tenebat, diſparuit. Paucis decurſis diebus, Celſus moriens miſit baculum ſuum Malachiæ, tanquam ſibi ſucceſſuro: quem vt vidit, agnouit ipſum eſſe, quem viderat.

Celſus Archiepiſcopus rogat ſibi ſubſtitui S. Malachiã in Epiſcopatu.

Nota de authoritate Archiepiſcopi Hyberniæ.

Obſerua cauſam multorum malorum in Hybernia.

S. Malachias Archiepiſcopi ſedẽ recuſat.

Cogitur à principibus & Epiſcopis prouinciæ acceptare eam.

Vide inſignem beati viri virtutẽ & animi puritatem.

Viſio Malachiæ.

Hvivs præcipue recordatio viſionis terruit Malachiam, ne, ſi quod diu ſatis diſſimulãrat, vltra renueret, diuinæ iam videretur reſiſtere voluntati. Veruntamen ciuitatem non intrauit, quamdiu ille incubator vixit: ne hac occaſione contingeret mori quenquam ex his, quibus vitam magis miniſtraturus veniebat. Ita per biennium (nam id temporis ſuperuixit ille) agens extra vrbem, ſtrenue in vniuerſa prouincia opus Epiſcopale exercuit. Illo igitur celeri morte ſublato de medio, rurſum Nigellus quidam, immo vero nigerrimus, ſedem præripuit. Et in hoc animæ ſuæ Mauricius adhuc viuens prouiderat, vt hunc haberet hæredem: in quo quaſi damnandus exiret, operibus adiicere damnationis perſiſteret. Erat enim & ipſe ex damnata progenie cognatus Mauricii. Cæterum Rex, & Epiſcopi, & fideles terræ nihilominus conuenerunt, vt introducerent Malachiam. Et ecce conſilium malignantium ex aduerſo. Quidam de filiis Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate, ſciens locum, vbi pariter conuenire decreuiſſent, multis aggregatis ſibi, latenter vicinum occupat collem eminentem è regione: vnde illis tractantibus alia repentino impetu ſuper incautos irruerent, & interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Epiſcopo trucidare, vt non eſſet, qui vindicaret ſanguinem iuſtum. Res innotuit Malachiæ, & intrans Eccleſiam (erat enim propè) eleuatis manibus orauit ad Dominum. Et ecce nubes & caligo, ſed & tenebroſa aqua in nubibus aëris diem verterunt in noctem. Fulgura quoque & tonitrua, & horribiles ſpiritus procellarum, diem vltimum minitantur, vicinamque elementa intentant omnibus mortẽ. Et vt ſcias lector, quod oratio Malachiæ concuſſerit elementa, ſolos intercepit tempeſtas, qui quærebant animam eius. ſolos turbo tenebroſus inuoluit, qui parauerant opera tenebrarum. Denique ipſe, qui princeps extiterat tauri mali, fulmine perculſus interiit cum tribus aliis: & fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris. Quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora ſemiuſta, & putrida, hærentia ramis arborum, vbi quemque ſpiritus eleuans alliſiſſet. Alii quoque tres ſemiuiui inuenti ſunt. Cæteri omnes circunquaque diſperſi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quamuis proximos loco, tempeſtas omnino non tetigit, nec quicquã moleſtiæ intulit. In facto iſto recens capimus experimentum

Nigellus quidã Archiepiſcopatũ tanquã hæreditario ſibi vendicat.

Ad preces S. Malachiæ vide quid cõſecutũ ſit.

 veritatis

non illius delicto, his præſertim, qui eorum nouerant ſuperbiam atq; potentiam. Multa quidem & alia ſigna fuêre, quibus Deus glorificauit nomen ſuum, & ſeruum ſuum inter ſudores & pericula confortauit. Quis digne commemoret? Non tamen omnia præterimus, etſi non ſufficimus ad omnia. Propter ſeriem autem narrationis, ne impediatur, aliqua, quæ dicturi ſumus, reſeruamus in finem.

VIII. Igitvr Malachias intra triennium reddita retributione ſuperbis, & libertate Eccleſiæ reſtituta, pulſa barbarie, & reformatis vbiq; moribus Chriſtianæ religionis, videns omnia in pace eſſe, cœpit cogitare de ſua pace. Et memor propoſiti ſui, conſtituit pro ſe Gelaſium virum bonum, & dignum tali honore, conuenientibus clero & populo, quin potius ſuſtinentibus propter pactum. Nam alias durum viſum omnino. Quo conſecrato, Regibuſque ac principibus attentius commendato, ipſe clarus miraculis & triumphis, ad ſuam parochiam redit: non tamen Connereth: & audi cauſam dignam relatu. Diœceſis illa duas fertur habuiſſe antiquitus Epiſcopales ſedes, & duos extitiſſe Epiſcopatus. Id viſum melius Malachiæ. Itaque quos ambitio conflauit in vnum, Malachias reuocauit in duos, partem alteri Epiſcopo cedens, partem retinens ſibi. Et propterea non venit Connereth, quod in ea iam Epiſcopum ordinaſſet, ſed Dunum ſe contulit, diſterminans parochias, ſicut in diebus antiquis. O purum cor. O oculum columbinum! Locum tradidit nouo Epiſcopo, qui videretur paratior, principaliorem habere: illum locum, in quo ſederat ipſe. Vbi ſunt, qui de terminis litigant, pro vno viculo perpetes adinuicem inimicitias exercentes? Neſcio ſi quod genus hominum magis, quam iſtos, antiquum vaticinium tangat: Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos ſuos. Sed hoc alias.

Habes exẽplũ eximiæ perfectionis, dũ pace obtenta, altero ſit ſub ſtitutus Epiſcopus. Item aliud.

Amos 1.

IX. Malachias factus Dunenſis Epiſcopus, confeſtim more ſuo curauit aſciſcere ad ſolatium ſibi de filiis ſuis conuentum regularium clericorum. Et ecce rurſus accingitur quaſi nouus Chriſti tyro ad ſpirituale certamen: rurſus induitur arma potentia Deo, ſanctæ paupertatis humilitatem, rigorem diſciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, orandi aſſiduitatem. Quæ tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quam actu. Etenim vniuerſi confluebant ad eũ: nec modo mediocres, ſed & nobiles & potentes, illius ſe ſapientiæ & ſanctitati inſtruendos, corrigendos ac regendos committere feſtinabant. Et ipſe interdum ibat, & exibat ſeminare ſemen ſuum, diſponens & decernens tota authoritate de rebus Eccleſiaſticis, tanquam ex Apoſtolis vnus. Et nemo illi dicebat: In qua poteſtate hæc facis? videntibus ſignis & prodigia, quæ faciebat: & quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Viſum tamen ſibi, non tute ſatis actitari iſta abſque ſedis Apoſtolicæ authoritate, & Romam proficiſci deliberat: maximeque quod metropolicæ ſedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallii vſus, quod eſt plenitudo honoris. Et viſum eſt bonum in oculis eius, ſi Eccleſia, pro qua tantum laborarat, quem hactenus non habuerat, ſuo acquireret ſtudio & labore. Erat & altera metropolica ſedes, quam de nouo conſtituerat Celſus, primæ tamen ſedi, & illius Archiepiſcopo ſubdita, tanquam primati. Et huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique authoritate ſedis Apoſtolicæ prærogatiuam, quam beneficio Celſi adipiſci meruerat. Innoteſcente propoſito, diſplicuit fratribus, necnon & magnatibus, & populo terræ. Omnes enim intolerabilem ſibi iudicabant tam diutinam omnium pii parentis abſentiam, & quod metuerent de morte ipſius. Contigit interea mori germanum eius, Chriſtianum nomine, virum bonum, plenum gratiæ & virtutis. Epiſcopus erat, illi quidem ſecundus in celebri opinione, ſed vitæ ſanctimonia & iuſtitiæ zelo forte non impar. Huius deceſſus magis terruit vniuerſos, & diſceſſum Malachiæ reddidit moleſtiorem. Dicebant autem nullo modo aſſentiendum voci peregrinationi patroni, vt non deſoleretur omnis terra, ſi duabus tantis columnis ſub vno momento temporis deſtitueretur. Ergo omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cum ille diuinam vltionem minatus eſt. Non tamen deſtitere illi, niſi miſſa ſorte, prius Dei voluntas ſuper hoc interrogaretur. Prohibente illo, nihilominus mittunt: ſed illa pro Malachiæ parte ter reſpondiſſe inuẽta eſt. Nec enim vna contenti vice fuere, cupidi retinendi eum. Demũ cedentes, dimittunt illũ, non tamen ſine ploratu & vlulatu multo. Sed ne quid imperfectum relinqueret, tractare cœpit, quomodo defuncti fratris ſemen ſuſcitaret. Et accerſitis ad ſe tribus diſcipulis ſuis, anxius æſtuabat quiſnam dignior ad hoc opus, ſiue vtilior videretur. Et diligenter intuitus ſingulos, Tu, inquit, ô Edane, (ſic enim vocabatur vnus) ſuſcipe onus. Illo cunctante, & flente: Ne timeas, ait: Tu enim mihi à Domino deſignatus es: quia annulum aureum, quo deſponſandus es, iam nunc præuidi in digito tuo. Acquieuit ille, & Malachias eo conſecrato, proficiſcitur. Cumq; egreſſus de Scotia, peruenifſet Eboracum, ſacerdos quidam Sycarus nomine, intuitus eum agnouit. Nec enim faciem eius viderat ante: ſed cum haberet ſpiritum prophetiæ, reuelatũ fuerat ei iam pridem de illo. Et nunc incunctanter circumſtantibus digito eum demonſtrans: Hic eſt, inquit, de quo dixeram: quia de Hybernia ſanctus veniet Pontifex, qui ſcit cogitationes hominum. Sic non potuit latere lucerna ſub modio, prodente eam per os Sycari Spiritu ſancto, qui illam accenderat. Nam & multa ſecreta dedit ſe ſuo ſuorumq; dicta ſunt ei à Sycaro, quæ ita eſſe, vel fuiſſe, omnia recognouit. Sed & ſociis Malachiæ percontantibus de ſuo reditu reſpõdit Sycarus incunctanter, (quod poſt rei probauit euentus) paucos videlicet admodum de numero illo cum Epiſcopo redituros. Illi audito hoc, ſuſpicati ſunt mortem: ſed Deus aliter adimpleuit. Nempe rediens ab Vrbe, quibuſdam apud nos, quibuſdam & in aliis locis ad diſcendam conuerſationis formam relictis, iuxta verbum Sycari, cum paucis admodum repatriauit. Hæc de Sycaro. In ipſa vrbe Eboracenſi acceſſit ad eum vir nobilis ſecundum ſeculum, Vualdelus nomine, tunc Prior in Kyrkeham regularium fratrum: nunc vero monachus, & monachorum pater in Mailros monaſterio ordinis noſtri: qui deuotus Malachiæ ſe orationibus ſatis humiliter commendauit. Is aduertens multos habere Epiſcopum ſocios & equos paucos, (nam præter miniſtros, & clericos alios, quinq; cum eo erant presbyteri, & equi non niſi tres) obtulit ei ſuum, quo ipſe vehebatur, hoc ſolum dolere ſe inquiẽs, quod eſſet runcinus dure portans. Et addit: Libentius dediſſem, ſi melior fuiſſet: ſed ſi dignamini, ducite qualemcunque vobiſcum. Et ego (ait Epiſcopus) eo libentius accipio, quo prædicas viliorem: quia non poteſt mihi vile eſſe, quicquid tam precioſa voluntas obtulerit. Et conuerſus ad ſuos: Hunc, inquit, ſternite mihi, quia commodus ſatis, & ſufficiens erit in longum. Quo facto, aſcendit: & primo quidem durum, vt erat, ſentiens, poſtmodum mira mutatione valde commodum ſibi & ſuauiter ambulantem inuenit. Et ne caderet ſuper terram de ſermone, quem dixerat, vſq; ad nonum annum, quo mortuus eſt ipſe, non defecit ei, factus optimus & precioſiſſimus palefridus. Quodq; euidentius miraculum cernentibus fecit, de ſubnigro cœpit albeſcere, & non multo poſt vix inueniebatur albior illo. Mihi quoque in hac via datum eſt videre virum: & in eius viſu & verbo refectus ſum, & delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Et ego viciſſim, peccator licet, inueni gratiam in oculis eius ex tunc, & deinceps vſque ad obitum ipſius, ſicut in procemio præfatus ſum. Ipſe etiam dignatus diuertere ad Claramuallem, viſis fratribus, cõpunctus eſt: & illi non mediocriter ædificati in præſentia & ſermone eius. Et acceptans locum, & nos, atq; intimis viſceribus colligens, valedicit nobis, & abiit. Qui trãſalpinans, cum veniſſet Iporiam ciuitatem Italiæ, hoſpitis ſui paruulum filium qui male habens moriturus erat, continuo ſanauit.

Dunenſi Eccleſiæ præeſt.

2 Cor 3.

En [illegible]

Chriſtianus S. Malachiæ frater obit.

Edanus loco Chriſtiani defuncti, ordinatur Epiſcopus

S. Malachias Romam proficiſcitur.

Sycarus presbyter propheta

Walldelius.

Equus ex incõmodo fit cõmodiſſimus S. Malachiæ.

Nota miraculum.

Venit in Claramuallem.

Sanat puerũ moribundũ.

X. Erat tunc temporis in ſede Apoſtolica felicis memoriæ Innocentius ſecundus Papa: qui eum benigne ſuſcepit, humane ſatis illi ſuper longa peregrinatione compaſſus. Et primo quidẽ Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lachrymis implorabat, licere ſibi viuere, & mori in Claraualle, permiſſu & benedictione ſum̃i Pontificis:

An 1137. S. Malachiã Romã venientẽ tradit Baron.

Et petere

Romę ſacra loca inuiſit.

Et pedit hoc, non oblitus ad quod venerat, ſed affectus, quo venerat, deſiderio Claræuallis. Non autẽ obtinuit, quod vir Apoſtolicus lucris potius vberioribus occupandum decerneret. Nec tamen omnino fruſtratus eſt à deſiderio cordis ſui, cui mori ibi, etſi non viuere, donatum eſt. Menſem integrum fecit in Vrbe, loca ſancta perambulans, & frequentans cauſa orationis. Cumq; per id temporis ſæpe ac diligenter ab eo, & ab his, qui cum eo erant, ſummus Pontifex inquiſiſſet, eſſe patriæ, mores gentis, ſtatum Eccleſiarum, & quanta in terra Deus per eum operatus fuiſſet: paranti iam repatriare commiſit vices ſuas, per vniuerſam Hyberniam legatum illum conſtituens. Significatum ſiquidem erat ei ab Epiſcopo Gilleberto, qui, vt ſupra memorauimus, tunc legatus extiterat, quod iam non poſſet præ ſenio & debilitate corporis villicare. Poſt hæc petit Malachias confirmari nouæ metropolis conſtitutionem, & vtriuſq; ſedis pallia ſibi dari. Et confirmationis quidem priuilegium mox accepit: De palliis autem (ait ſummus Pontifex) oportet ſolennius agi. Conuocatis Epiſcopis, & Clericis, & maioribus terræ, celebrabis generale concilium: & ſic conuenientia & communi voto vniuerſorum per honeſtas perſonas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitrã de capite ſuo, impoſuit capiti eius: ſed & ſtolam cum manipulo dedit illi, quibus vti inter offerendum ſolebat. Et ſalutatum in oſculo pacis dimiſit eum, Apoſtolica fultum benedictione & authoritate. Qui reuertens per Claramuallem, ſuam ſecundã nobis largitus eſt benedictionem. Et alta ſuſpiria trahens, quod nõ liceret ſibi pro ſuo deſiderio remanere: Hos, inquit, interim pro me, oro, vt retineatis, qui à vobis diſcant, quod nos poſtmodum doceant. Et infert: Erunt nobis in ſemen, & in ſemine iſto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachũ non viderunt. Et dimiſſis quatuor à latere ſuo, abiit. Qui probati, & digni inuenti, monachi facti ſunt. Poſt aliquod tempus, cum iam ſanctus eſſet in terra ſua, miſit alios, & de illis factum eſt ſimiliter. Quibus per aliquantum temporis inſtructis, & eruditis corde in ſapientia, dato eis in patrẽ ſancto fratre Chriſtiano, qui erat vnus ex ipſis, emiſimus eos, adiungentes de noſtris, quanti ſufficerent ad numerum Abbatiæ. Quæ cõcepit, & peperit filias quinq;: & ſic multiplicato ſemine, augeſcit in dies numerus monachorum, iuxta deſiderium & vaticinium Malachiæ. Nunc iam repetamus ordinem narrationis.

Sũmi Pontificis erga eũ humanitas.
Reuertitur in monaſterium Claræuallen.
Sex Abbatiæ Ord. Ciſtercien. inſtituuntur in Hybernia.

Malachias profectus à nobis, proſpere peruenit in Scotiam. Et inuenit Dauid Regem, qui adhuc hodie ſupereſt, in quodam caſtello ſuo: cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingreſſus, honorifice à Rege ſuſceptus, & humiliter exoratus, vt ſanaret filium ſuum: aqua, cui benedixit, adſperſit iuuenem, & intuens in eum, ait: Confide fili, non morieris hac vice. Dixit hoc: & die ſequenti, ſecundum dictum prophetæ ſecuta eſt ſanitas, ſanitatem lætitia patris, clamor & ſtrepitus totius exultantis familiæ. Exiit ſermo ad omnes: nec enim quod in domo regia, & Regis acciderat filio, latere potuit. Et ecce vbiq; reſultans gratiarum actio, & vox laudis, tum pro ſalute domini, tum pro miraculi nouitate. Henricus eſt iſte: nam viuit adhuc vnicus patris ſui, miles fortis & prudens, patrizans (vt aiunt) in ſectando iuſtitiam & amorem veri. Et amauit vterq; Malachiam, quandiu vixit, tanquam qui illum à morte reuocaſſet. Rogabant eum manere per aliquot dies: ſed ille declinans gloriam, moram non ſuſtinuit: & mane carpebat iter. Tranſeunti igitur per villam, nomine Crugeldum, occurrit puella muta. Orante illo, ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Dehinc villam ingrediens, quam nominant Eccleſiam ſancti Michaelis, oblatam ſibi mulierem phreneticam, & vinctam funibus, coram omni populo curat: & dimiſſa incolumi, proficiſcitur. Perueniens vero ad portum Lapaſperi, tranſitum ibi per aliquot dies præſtolabatur: ſed mora minime tranſiit ocioſa. Conſtruitur interim de virgis in ſeptem textis oratorium, ipſo iubente, ipſo operante pariter. Conſummatum circumdedit vallo: atq; interiacens ſpatium in cœmeterium benedixit. Sane merita benedicentis, miracula ſatis declarant: quæ vſq; hodie ibi actitari feruntur. Inde eſt, quod de finitimis locis infirmos & male habentes, illo portare conſueuerunt: & ſanantur multi. Mulier totis diſſolutis membris, plauſtro vecta illuc, pedibus ſuis remeauit domum, vna duntaxat nocte non fruſtra in loco ſancto præſtolata miſericordiam Domini. Alia quædam ibidem pernoctabat in oratione: quam forte reperiens ſolam homo barbarus, accenſus libidine, & ſui minime compos, irruit rabioſus in eam. Conuerſa illa, & tremefacta ſuſpiciens, aduertit hominem plenum diabolico ſpiritu, Heus tu, inquit, miſer, quid agis? Conſidera vbi es: reuerere hæc ſancta: defer Deo, defer ſeruo eius Malachiæ, parce & tibi ipſi. Nõ deſtitit ille furiis agitatus iniquis. Et ecce (quod horribile dictu eſt) venenatum & tumidum animal, quod bufonem vocant, viſum eſt repens exire de inter femora mulieris. Quid plura? Terrefactus reſiliit homo, & datis ſaltibus feſtinus oratorio exiliit. Ille confuſus, abſceſſit: & illa, intacta remanſit, magno quidem & Dei miraculo, & merito Malachiæ. Et pulchri operi fœdo & abominando, fœdũ interuenit & abominabile monſtrum. Non prorſus aliter decuit beſtialem extingui libidinem, quam per frigidiſſimum vermem: nec aliter temerarium frenari auſum, fruſtrari conatum, quam per vilem inutilemq; beſtiolam. Et hæc loco iſto ſufficiant, pauca de pluribus. Nunc iam reliqua proſequamur.

Aqua benedicta ſanat filium regis Scotiæ.
Sanat mutã.
Item phreneticam.
Nota miracula in cœmeterio benedicto.
Hiſce hinc deferẽdum locis ſacratis.

Ascendit Malachias nauem, & proſpere nauigans, applicuit monaſterio ſuo Benchorenſi, vt primi filii primã XI. reciperent gratiam. Quid animi putas geſſiſſe illos, ſano de via tam longa recepto patre, & illo patre? Nec mirum, ſi ſe tota in gaudium effuderunt viſcera eorum in reditu eius, quando & exteris circumquaq; gentibus incredibilem mox lætitiam velox rumor inuexit. Deniq; de ciuitatibus, & caſtellis, & vicis occurrunt ei: & quocunq; diuertat, ſuſcipitur exultatione vniuerſæ terræ. Veruntamen non ſapit honor: opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conuentus multi, ne qua regio, ſeu portio regionis, legationis fructu & vtilitate fraudetur. Seminatur ſuper omnes aquas: non eſt qui ſe abſcondat ab opera ſolicitudinis eius. Non ſexus, non ætas, nõ conditio, non profeſſio reputatur. Vbiq; ſemen ſpargitur ſalutare: vbiq; intonat tuba cæleſtis. Vbiq; diſcurrit, vbiq; irrumpit, euaginato gladio linguæ ad faciẽdam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Terror eius ſuper facientes mala. Clamat iniquis, Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Religio vbiq; plantatur, propagatur, fouetur. Oculi eius ſuper eos, & cura eius ad neceſſitates eorum. In conciliis, quæ paſſim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuiſſe conſtiterit, abolitas vero negligentia ſacerdotum. Nec modo vetera inſtaurantur, cuduntur & noua. Et quæcunq; promulgauerit, tanquam cælitus edita acceptantur, tenentur, ſcripto mandantur ad memoriam poſterorum. Quidni cælitus miſſa crederentur, quæ tot cæleſtia confirmant miracula? Et vt fidem dictis faciam, perſtringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quanquam libentius, fateor, imitandis immorer, quam admirãdis. Et meo quidem iudicio primum & maximum miraculum, quod fecit, ipſe fecerat. Vt enim taceam interiorẽ hominem eius, cuius pulchritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius & vita: ipſum exteriorem ita vno ſemper modo, ipſoque modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, vt nil prorſus appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. At vero in Malachia quis vnquam, etiamſi curioſius obſeruarit, deprehendit ocioſum non dico verbum, ſed nutum? Quis manum, pedemvè mouentem fruſtra? Immo quid non ædificans in eius inceſſu, adſpectu, habitu, vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuſcauit mœror, nec leuigauit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed non auſterus. Remiſſus interdum, diſſolutus nunquam. Negligens nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans. Quietus ſæpe ſed minime aliquando ocioſus. A die primo conuerſionis ſuæ vſque ad extremum vitæ, ſine proprio vixit. Non ſeruos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquam redituum eccleſiaſticorum ſecularium ve, vel in ipſo habuit Epiſcopatu. Menſæ Epiſcopali nihil prorſus conſtitutum, vel aſſignatum, vnde Epiſcopus vi-

Præclare exercet munus Legati.
Pſal. 149.
Pſal. 74.
Religio Chriſtiana vbique per eũ plãtatur & reformatur.
Nota de optimis moribus eius.
Iacob 3.
Inſignis eius paupertas voluntaria.

pius vinceret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pene inceſſanter circumiens parochias omnes, Euangelio ſeruiens, & de Euangelio viuens, ſicut conſtituit ei Dominus, Dignus eſt, inquiens, operarius mercede ſua. Niſi quod frequentius ipſum Euangelium ſine ſumptu ponens, de laboribus ſuis ſuorumque ferebat, vnde ſe & alios, qui ſecum laborabant in opere miniſterii, ſuſtentaret. Porro ſi interdum quieſcere oporteret, in ſanctis hoc faciebat locis: quæ ipſe per Hyberniam ſparſerat vniuerſam. Apud quos vero moram facere libuiſſet, illorum ſe conformauit moribus & obſeruantiis, communi contentus vita & menſa. Non fuit in victu, non fuit in veſtitu, in quo potuiſſet Malachias dignoſci inter cæteros fratres. In tantum cum maior eſſet, humiliauit ſe in omnibus. Denique cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipſe ibat, Epiſcopus & Legatus. Forma Apoſtolica hæc: & inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profecto Apoſtolorum hæres eſt iſte, qui talia agit. Sed aduertere eſt, quomodo diuidat hæreditatem cum fratribus ſuis, æque nepotibus Apoſtolorum. Illi dominantur in clero: iſte dum eſſet liber ex omnibus, omnium ſe ſeruum fecit. Illi aut non euangelizantes manducant, aut euangelizant vt manducent: Malachias imitans Paulum, manducat, vt euangelizet. Illi faſtum & quæſtum æſtimant pietatem: Malachias hæreditate vendicat ſibi opus & onus. Illi felices ſe credunt, ſi dilatauerint terminos ſuos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, vnde onerent menſas: Malachias colligit in deſerta & ſolitudines, vnde impleat cælos. Illi cum accipiant decimas, & primitias, & oblationes, inſuper & de Cæſaris beneficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos: ſoliciti ſunt nihilominus, quid manducent, & quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec ſolicitudinis vllus eſt finis: Malachias cupiens nihil, non nouit tamen cogitare de craſtino. Illi à pauperibus exigunt, quod dent diuitibus: iſte ſolicitat diuites pro pauperibus ſuſtentandis. Illi marſupia vacuant ſubditorum: iſte pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hoſtiiſque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres ac mœnia ad cælos leuant: Malachias non habens vbi caput reclinet, opus facit Euangeliſtæ. Illi equos aſcendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non ſuum: Malachias ſeptus ſanctorum fratrum collegio, pedes circumit, portans panes Angelorum, quibus faciet animas eſurientes. Illi plebes ne agnoſcunt quidem, iſte erudit. Illi potentes & tyrannos honorant, iſte punit. O virum Apoſtolicum, quem tot & talia nobilitant ſigna Apoſtolatus ſui. Quid ergo mirum, ſi mira eſt operatus ſic mirabilis ipſe? Immo vero non ipſe, ſed Deus in ipſo. Alioquin tu es Deus, inquit, qui facis mirabilia.

Luc. 10.
Eximia humilitas.
Viuit ſecundum formam Apoſtolorum.
1. Cor. 9.
Opus facit Euangeliſtæ.
Pſal. 76.

XII. Erat mulier in ciuitate Culratim, dæmonium habens. Vocatus eſt Malachias: orat pro addicta: vrget inuaſorem: exit. Sed nondum exaturata nequitia eius, miſeram inuadit mulierculam, quæ forte prope aſſiſteret. Et Malachias: Non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, vt hanc peruaderes: exi & ab ea. Paret: ſed repetit priorem. Qua de nuo pulſus, recurrit in alteram. Ita per aliquod ſpatium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc ſanctus indignans ſibi illudi à dæmone, colligensq́; ſpiritum, infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in aduerſarium, ab vtraq; fugauit: & quidem non minus vexatum his, quas vexauerat ipſe. Cæterum quod moram fecit ſancto, non putes lector fuiſſe virtutis eius, ſed diſpenſationis diuinæ, vt videlicet ex hoc manifeſtior fieret, & maligni præſentia, & victoria Malachiæ. Deniq; audi quid alibi fecerit, non autem per præſentiam ſuam. Et vtiq; potuit præſens, quod abſens valuit.

Vide nequiſſimum dæmonem.
Expellit eum ab obſeſſis.

In regione Aquilonaris partis Hyberniæ iacebat infirmus in domo: nec dubium, quin dæmonum maleficio. Nam quadam nocte audiuit eos loquentes, dicentes alter ad alterum: Vide, ne miſer iſte hypocritæ illius ſtratum, ſtramenvé contingat, & ſic effugiat manus noſtras. Cognouit homo, quod Malachiam loquerentur, quem non multo ante in eadem domo meminerat pernoctaſſe, & adhuc ſtramen in loco. Sumptaq́; fiducia, & quo potuit conatu, cœpit repere debilis corpore, ſed fide fortis. Et ecce in aëre clamor & vociferatio: Prohibe eum, prohibe: retine eum, retine: Amittimus prædam. Verùm is, quem portabat fides & deſiderium euadendi, quanto plus clamabant illi, tanto magis genibus manibuſque nitens, ad remedium feſtinabat. Et perueniens aſcendit lectulum, voluratur in ſtramine, audit vlulatum plangentium: Heu, heu, ipſi nos prodidimus: decepti ſumus: euaſit. Et dicto citius receſſit ab eo dæmonum terror & horror, quem patiebatur, & omnis pariter ægritudo. In Leſmor ciuitate homo à dæmonio vexatus, per Malachiam liberatus eſt. Item tranſeunti aliquando Plaginiam, oblatus illi infans habens dæmonium, ſanus relatus eſt. In regione eadem ligatam funibus phreneticam ſolui iuſſit, & in aqua, quam benedixit, lauari. Lota eſt, & ſanata eſt. Alteram quoq; in Saballo regione Vlydiæ, membra propria dentibus laniantē, orando & tangendo curauit. Amentem hominem multa prædicentem futura, amici & propinqui adducunt ad Dei hominem vinctum funibus fortiter, quod fortem ad nocendum rabies, ipſa feciſſet, & terribilem valde. Orat Malachias, & incontinenti æger ſanatur & ſoluitur. Factum eſt hoc loco quodam, cuius nomen tacemus, quod nimis barbarum ſonet, ſicut & alia multa. Alio tempore in præfata ciuitate Leſmor puellam mutam parentes eius in media platea offerunt tranſeunti, cum multa ſupplicatione rogantes, vt ei ſubuenire dignetur. Stat Malachias, & facta oratione, tangens digito linguam eius, ſputum miſit in os eius, & loquentem dimiſit.

Miracula eius.
Nota mirabilē gratiā Dei in ſanctis eius.
Sanāt furioſum vatem.
Muta loquitur.

Exiens de quadam eccleſia, obuium habuit hominem cum vxore ſua, quæ non poterat loqui. Rogatus, vt eius miſereatur, ſtat in porta populo circumſtante: & data benedictione ſuper eam, iubet Dominicam dicere orationem. Dixit illa: & populus benedixit Dominum. In ciuitate cui nomen Oenthreb, decumbens lectulo quidam diues, iam dies duodecim priuatus linguæ officio, ad viſionem viſitantis ſe ſancti, loquelam recuperat, Euchariſtiam ſumit: & ita munitus, extremum in bona confeſſione efflauit ſpiritum. O oliua fructifera in domo Dei, ô oleum iucunditatis, vngens & lucens! Et ſplendore miraculi illuſtrauit ſanos, & ſuauitate beneficii vnxit infirmum, cui mox morituro ſalutatem confitendi & communicandi obtinuit facultatem. Intrauit ad eum quidam de nobilibus, habens ei aliquid dicere. Qui inter loquendum fide plenus, tres iuncos pie furatus de lectulo, in quo ille ſedebat, tulit ſecum: & multa Deus de furto pietatis eſt operatus, fide illius, & præſulis ſanctitate. Forte venerat in ciuitatem, nomine Duenuania. Et cum ſederet ad menſam, ingreſſus vir nobilis de ciuitate ipſa, humiliter ſupplicat pro vxore prægnante, quæ iam ſolenne præteriiſſet tempus pariendi, ita vt mirarentur omnes: & nemo, qui aliud quam vitæ periculum, crederet imminere. Rogat & cum eo Neemias Epiſcopus illius ciuitatis, qui iuxta eum ſedebat: rogant & cæteri, quotquot aderant ſimul diſcumbentes. Tum ille: Compatior ei, inquit, quod bona mulier ſit, & pudica. Et porrigens viro poculum, cui benedixerat: Vade, inquit, da illi bibere: ſciens eam ſumpto benedictionis potu, & ſine mora, & ſine periculo parituram. Factum eſt quod præcepit, & nocte ipſa ſubſecutum eſt, quod promiſit. Sedebat in campo cum Comite Vlydiæ aliqua tractans: & multitudo copioſa circa eos. Venit mulier grauida: & vere grauida: Indicat ſe contra omnes naturæ leges retinere partum iam quindecim menſibus & diebus viginti. Compaſſus Malachias ſuper nouo & inaudito incommodo, orat, & mulier parit. Et qui aderant, lætati ſunt & mirati ſunt. Omnes enim viderunt, in qua facilitate & velocitate loco eodem enixa ſit: & triſte negati partus periculum, miraculo commutatum iucundiori. Accidit ibidem quiddam pari quidem miraculo, ſed ſorte diſpari. Vidit hominem, qui publice tenere diceretur concubinam fratris: & hic erat miles miniſter Comitis. Et publice conueniens inceſtuoſum, alterum ei Iohannem exhibuit: Non licet tibi, inquiens, concubinam

Mutus moribundus loquitur, confitetur, ſumit Euchariſtiam.
Nota.
Nota vim benedicti poculi.

habere

habere fratris tui. At ille alterum ipſi nihilominus Herodem redhibens, nõmodo nõ audiuit eum, ſed & ſuperbe rẽſpondit, & coram omnibus iurabat nunquam ſe dimiſſurum. Tum commotus Malachias, ſicut erat pro iuſtitia vehementer zelans: Et Deus, inquit, te ab illa ſeparet vel inuitum. Paruipendens ille, ex inſtanti abiit indignabundus. Offendenſq; mulierem non longe à turba conſtituta in loco, vi oppreſſit eam, ſicut erat ſatanæ totus, cui paulo ante traditus fuerat. Nec latuit flagitium. Ancilla, quæ dominam comitabatur, recurrens domum, (nempe haud procul aberat loco) nunciat anhela, quid mali acciderit. Ad quam vocem germani illius, qui domi erant, zelantes ſororis ſtuprũ, tota illo feſtinantia peruolant, pudicitiæ hoſtem ipſo in loco & opere ſceleris depræhenſum, multis confoſſum vulneribus interimunt. Necdum conuentus ſolutus erat, cum ecce armiger illius, quod euenerat, nunciauit. Et mirati ſunt vniuerſi, quod ſententia Malachiæ tam celerem habuiſſet effectum. Timuerunt quique flagitioſi, audito hoc verbo: (nam multi erant in terra) & territi, purgati ſunt, lauantes manus ſuas in ſanguine peccatoris.

Terribile Dei iudiciũ in contemptorem S. Malachiæ.

Diramitium Comitem multo iam tempore decumbentem lecto, duriter quidem increpans, quod malus homo eſſet, immoderatius ſeruiens ventri & gulæ, benedicta adſperſum aqua, ſurgere fecit ſine mora, & ita valentem, vt equum aſcenderet illico, & vtiq; præter ſpem ſuam ipſius & ſuorum.

Repentina Comitis curatio.

In vrbe Caſelenſi venit homo ante eum cum filio paralytico, rogans illum ſanari. Qui orans breuiter: Vade, inquit, filius tuus ſanabitur. It, & craſtino redit cum filio, ſed minime ſanato. Tum ſurgens Malachias, & ſtans ſuper eum diutius orauit, & ſanatus eſt. Et conuerſus ad patrem: Offer, inquit, illum Deo. Annuit homo, ſed non tenuit: & poſt aliquot annos ille iam iuuenis recidit in idipſum, ſine dubio propter inobedientiam patris, & pacti tranſgreſſionem.

Pœna non ſeruantis promiſſa.

Alius quidam veniens de longinquo, cum eſſet Malachias in finibus Mumoniæ, attulit ad eum filium, pedum penitus officio deſtitutum. Percontatus quonam modo illi accidiſſet: Vt ſuſpicor, inquit, dæmonum malignitate. Et addit: Ludenti in prato ipſi (ni fallor) immiſêre ſoporem: euigilanſq; puerulus, ſic ſe inuenit. Hæc dicens, cum lachrymis precem fundit, efflagitat opem. Miſertus eius orauit Malachias, iubens ægrum interim dormire ibidem ſuper ſolium. Dormiuit, & ſurrexit ſanus. Hunc ipſe, quia de longe venerat, aliquandiu in comitatu ſuo retinuit: & erat ambulans cum eo.

Claudus ſanatus.

In monaſterio Benchorenſi pauper quidam fratrum eleemoſynis ſuſtentabatur. Et erat quotidianam accipiens ſtipem, aliquid officii factitans in piſtrino. Is claudus ab annis duodecim, humi manibus repens, poſt ſe trahebat pedes emortuos. Quem die quadam ante cellam ſuam Malachias mœſtum & mœrentem inueniens, cauſam percontatur. Et ille: Vides, inquit, quam ex longo miſellus affligor, & manus Domini ſuper me: & ecce ad cumulum ærumnæ, homines, qui miſereri debuerant, irrident me potius, miſeriæ exprobrantes. Quem vbi audiuit, pietate motus ſuſpexit in cælum, manus pariter leuans. Facta autem breui oratione, ipſe intrauit cellam, & ille ſurrexit. Et ſtans ſuper pedes ſuos, mirabatur, ſi vere eſſet quod erat, penè ſomnium ſuſpicatus. Cœpit tamen ſe pedetentim mouere: neq; enim poſſe ire ſatis credebat. Tandem quaſi è graui ſomno euigilans, cognoſcit miſericordiam Domini ſuper ſe: firmiter graditur; & in piſtrinum reuertitur, exiliens & exultans, & laudans Deum. Viſo eo, qui ante viderant & cognouerant, repleti ſunt ſtupore & ecſtaſi, phantaſma putantes.

Item alter.

Virum item hydropicum orando ſanauit, qui illico permanſit in monaſterio, paſtor ouium factus.

Item hydropicus.

Civitas Hyberniæ, nomine Coreagia, vacabat Epiſcopo. Tractatum eſt de electione: diſſenſere partes, quibuſque, vt aſſolet, præſulem volentibus conſtituere ſuum, non Dei. Venit illuc Malachias, audita diſſenſione. Conuocato clero & populo, etiam corda & vota diſcordantium vnire curauit. Et perſuaſis illis totum negotium ſibi debere credi, cui potiſſimum ſolicitudo incumberet illius, ſicut & aliarum per Hyberniam Eccleſiarum, incontinenti nominat eis non quempiam de nobilibus terræ ſed magis quendam hominem pauperem, quem ſciret ſanctum & doctum: & hic erat alienigena. Quæritur ille: nunciatur decumbere lecto, & ita debilis, vt nullo pacto exeat, niſi in manibus portatus miniſtrantium. Et Malachias: Surgat, inquit, in nomine Domini: ego præcipio, obedientia ſaluum faciet eum. Quid faceret ille? Parere volebat, ſed imparatum ſe ſentiebat: quod etſi poſſet ire, Epiſcopari reformidabat. Ita cum voluntate obediendi, pugnante gemino hoſte, pondere languoris, & metu oneris, vicit illa tamen, data ſibi in adiutorium ſpe ſalutis. Itaque conatur, mouet ſeſe, tentat vires, inuenit ſe ſolito fortiorem. Creſcit pariter fides cum viribus, & rurſum facta fortior fides dat viciſſim viribus incrementum. Iam ſurgere per ſe valet, iam meliuſcule gradi: iam nec ſentire in ambulando laſſitudinem, demum expeditus & alacer peruenire ad Malachiam ſine hominis adiutorio. Qui aſſumens eum, miſit in cathedram, clero & populo collaudante. Hoc ita in pace factum eſt, quia nec illi auſi ſunt Malachiæ voluntati in aliquo obuiare, videntes ſignum, quod fecerat: nec ille parere dubitauit, tam euidenti argumento factus ſecurior de Domini voluntate.

Ecce quãta viro Dei cura ſit de Eccleſiis ſibi commiſſis.

Sanat morbidũ, & conſtituit Epiſcopum.

Mulier quædam fluxum ſanguinis patiebatur: & hæc nobilis chariſſima Malachiæ, plus tamen ob morum, quam generis, nobilitatem. Quæ ex toto deficiens, (nimirum cum ſanguine exhauſtis viribus) iam poſita in extremis, miſit ad Dei hominem, vt, quod ſupererat, animæ ſubueniret, qui ſe iam non eſſet viſurus in corpore. Audiens Malachias, moleſte tulit, quod mulier virtutis foret, & vita eius fructuoſa opere & exemplo. Et videns ſe non poſſe ſatis accurrere tempeſtiue, accito Malcho, quod iuuenis eſſet, & expeditus: (ipſe eſt, cuius ſupra meminimus, frater Chriſtiani Abbatis) Accelera, inquit, fer illi tria poma hæc, ſuper quæ nomen Domini inuocaui. Confido in ipſo, quod, vbi ex eis guſtauerit, non guſtabit mortem, priuſquam nos videat, etſi tardiuſcule ſecuturos. Feſtinat Malchus ſecundum mandatum, & veniens, intrat ad morituram, alterum ſe exhibens puerum Eliſei, niſi quod huius efficacior opera fuit, Iubet miſſam ſibi à Malachia benedictionem accipere, & guſtare, ſi quo modo valuerit. At illa exhilarata, audito nomine Malachiæ, vt obedire poſſit, nutu ſignat, pauliſper ſe erigi velle: nam verbo non poterat. Erigitur, guſtat: guſtato confortata eſt: loquitur, & gratias agit. Et immiſit Dominus ſoporem in eam, & ſuauiſſime requieuit in eo, cuius vſu diu caruerat, ſicut & eſu. Stetit interim ſanguis, & poſtmodicum expergefacta, ſanam ſe reperit, niſi quod longa inedia, & ſanguinis imminutione adhuc debilis erat. Si quo minus, die ſequenti deſideratus Malachiæ aduentus adſpectuſq; perfecit.

4. Reg. 4.

Nota rẽ mirã in pomis benedictis à Malachia.

Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorenſis monaſterii. Cuius vxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias vt deſcenderet, priuſquam moreretur, infirmam vncturus oleo: deſcendit, & intrauit ad eam. Quo viſo, exultat illa, ſpe animata ſalutis. Et cum pararet vngere eam, viſum eſt omnibus differendum potius vſque mane. Erat enim veſpera. Acquieuit Malachias, & data benedictione ſuper ægram, exiuit cum his, qui ſecum erant. At vero poſt modicum ſubito clamor factus eſt planctus & ſtrepitus multus per totam domum. ſiquidem inſonuit, quod mortua eſſet. Accurrit Malachias tumultu audito, & ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et accedens ad lectum, vt certo comperit expiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quod fraudata gratia ſacramenti obiiſſet. Et eleuatis in cælum manibus: Obſecro Domine, inquit, inſipienter egi. Ego, ego peccaui, qui diſtuli: non iſta, quæ voluit. Hæc dicens, conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam, tota nocte laborabat in gemitu ſuo: & pro oleo ſancto largo imbre lachrymarum perfundens mortuam, vicem illi vnctionis, quam poterat, exhibebat. Ipſe quidem ſic: Ad ſuos autem: Vigilate, inquit, & orate. Itaque in pſalmis illi, ille in lachrymis, noctem duxere peruigilem. Et mane facto exaudiuit Dominus ſanctum ſuum, quia ſpiritus Domini erat poſtulans pro eo, qui poſtulat pro

Nota quantum doleat tantus vir, quod ſine extrema vnctione obierit fœmina.

lat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperuit oculos, quæ fuerat mortua, &, vt ſolent, qui de graui ſomno euigilant, fricans ſibi manibus frontem & tempora, ſuper lectum ſe erigit, & agnito Malachia, inclinans deuotè ſalutat eum. Et verſo luctu in gaudium, ſtupor apprehendit omnes, & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et vnxit eam nihilominùs, ſciens in hoc ſacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei ſaluet infirmum. Poſt hæc abijt ille, & illa conualuit, & viuens incolumis tempore aliquanto; vt gloria Domini manifeſtaretur in ea, peracta pœnitentia, quam ſibi Malachias iniunxerat, in bona confeſſione iterum obdormiuit, & migrauit ad Dominum.

Mortua reuiuiſcit. *Iacob* 5. Extrema vnctio, ſacramentum eſt.

FVIT itē mulier, cui ſpiritus iracundiæ & furoris in tantùm dominaretur, vt non ſolùm vicini & cognati fugerent conſortium eius, ſed filij quoq; ipſi vix ſuſtinerent habitare cum ea. Clamor, & rancor, & tempeſtas valida, vbicunq; fuiſſet. Audax, & ardens, & præceps, metuenda lingua & manu, importabilis omnibus, & inuiſa. Dolentes filij tum pro illa, tum pro ſeipſis, trahunt illam ad præſentiam Malachiæ, lachrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem ſanctus & periculum matris, & incommodum miſerans filiorum, ſeorſum aduocat illam: Fueritne confeſſa aliquandò peccata ſua, ſolicitè procontatur. Reſpondit, Nequaquàm. Confitere, inquit. Paret. Et ille iniungens pœnitentiam confitenti, oranſque ſuper eam, vt Dominus omnipotens det ei ſpiritum manſuetudinis, in nomine Domini Ieſu, nè vltrà iraſcatur, iubet. Sequitur tanta manſuetudo, vt pateat omnibus non eſſe aliud, quàm admirabilem mutationem dexteræ excelſi. Fertur adhuc hodiè viuere, & tantæ eſſe patientiæ & lenitatis, vt quæ omnes exaſperare ſolebat, nullis modò exaſperari damnis, contumelijs, afflictionibus queat. Si licet me, iuxta Apoſtolum, abundare in ſenſu meo, accipiat quiſq; vt volet: ego iſtud ſuperiori ſuſcitatæ miraculo mortuæ cenſeo præferendum, quòd exterior quidem ibi, hic verò interior reuixerit homo. Et nunc curramus ad reliqua.

Nota de confeſſione & ſatisfactione. Præſtantiſſimum miraculum. *Rom* 14.

VIR ſecundum ſeculum honorabilis, ſecundùm Deum timoratus, veniens ad Malachiam, queſtus eſt ſuper ſterilitate animæ ſuæ, ſupplicans vt ſibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lachrymarum. Et ſubridens Malachias, quòd gratum haberet in homine ſeculari deſiderium ſpiritale, ſuam maxillam maxillæ illius quaſi blandiendo coniungens: Fiat, inquit, tibi, ſicut petiſti. Tantos exindè, & penè continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud Scripturæ ei poſſe aptari videretur: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.

Verè mirabilis Deus in ſanctis ſuis. *Cantic.* 4.

EST inſula maris in Hybernia, ab olim fœcunda piſcium: & mare ibi piſcoſum valdè. Peccatis (vt creditur) habitantium adempta copia ſolita: quæ multos habebat filios, infirmata eſt, & à tanta funditùs ſui commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & iacturam grauem populis ægrè ferentibus, reuelatum eſt cuidam mulieri, precibus Malachiæ poſſe afferri remedium. Idque innotuit omnibus, ipſa prodente. Nutu Dei contigit adeſſe Malachiam. Dum enim circumiret, & repleret Euangelio regionem, diuertit illuc, vt & ipſis eandem gratiam impartiret. At Barbari, quibus erat maior cura de piſcibus, omni inſtantia flagitant, vt potiùs reſpicere dignetur ſuper ſterilitatem inſulæ ſuæ. Qui cum reſponderet ſe minimè ad hoc veniſſe: hominum magis, quàm piſcium deſiderare capturam: videns tamen fidem eorum, flexis in litore genibus, orauit ad Dominum, vt, licet indignis, indultum olim beneficium tanta fide repetentibus non negaret. Aſcendit oratio, aſcendit & piſcium multitudo, & fortè vberior, quàm in diebus antiquis, & ipſa populo terræ perſeuerans vſque in hodiernum diem. Quid mirum, ſi oratio iuſti, quæ penetrat cœlos, penetrauit abyſſos, & de profundo maris tantas piſcium copias euocauit?

Nota vim precū eius.

VENERVNT aliquandò tres Epiſcopi in villam Fochart, quem dicunt locum natiuitatis Brigidæ virginis, & quartus erat Malachias. Ad quem presbyter, qui hoſpitio ſuſceperat eos: Quid faciam, inquit, quòd piſces non habeo? Quo reſpondente, vt quæreret à piſcatoribus: Biennium eſt, ait, quòd non inueniuntur piſces in flumine, vndè & piſcatores prorſus diffiſi, etiam arti ſuæ renunciauerunt. Et ille: Præcipe, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum eſt, & capti ſunt ſalmones duodecim. Secundò miſerunt, & captis totidem, inopinatum inferunt menſis & ferculum, & miraculum. Et vt clarè liqueat, Malachiæ meritis hoc datum fuiſſe, alijs quoque duobus ſequentibus annis eadem nihilominus ſterilitas perdurauit.

Capiuntur præter ſpem piſces iubente Malachia.

FVIT quidam clericus in Leſmor, probabilis, vt fertur, vitæ, ſed fidei non ità. Is ſciolus in oculis ſuis, præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantummodò ſacramentum, & non rem ſacramenti, id eſt, ſolam ſanctificationem, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia ſecretò, & ſæpè conuentus, ſed incaſſum, vocatus ad medium eſt: Seorſum tamen à laicis, vt, ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia reſpondendi. Cumque totis ingenij viribus, quo non mediocriter callebat, aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia contrà diſputante & conuincente, iudicio omnium ſuperatus, de conuentu confuſus quidem exijt, ſed non correctus. Dicebat autem ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum authoritate: Et tu (inquit) ô Malachia ſine cauſa me hodiè confudiſti, aduerſus profectò veritatem locutus, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Eccleſiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet, vt reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epiſcopis, & vniuerſo clero, cùm non acquieſceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic euigilans: Omnes, inquit, fauetis homini potius, quàm veritati. Ego perſonam non accipio, vt deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans ſanctus: Dominus, inquit, faten te veritatem faciat vel ex neceſſitate. Quo reſpondente, Amen, ſoluitur conuentus. Tali ille inuſtus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus ferre non ſuſtinens. Et continuò ſua tollens exibat, cùm ecce ſubita correptus infirmitate, ſiſtit gradum, viribuſque deficiens, eodem loco iactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus, offendit hominem: quidnam ibi agat, percontatur. Reſpondet, graui ſe infirmitate teneri, & neq; procedere, neq; redire valentem. Et ille: Infirmitas iſta haud alia, inquit, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit à ſemetipſo: ſed pulchrè Dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſilijs ſenſatorum. Et addit: Reuertere domum: ego te iuuabo. Deniq; ipſo duce, reuertitur in ciuitatem: redit ad cor, & ad miſericordiam Domini. Eadem hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas: abijcitur error, confeſſus reatum, abſoluitur, petit viaticum, datur reconciliatio, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ità mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ, & ſcripturæ pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum auditui.

Vtinā hæc aduertant hæreticiſacramentarij. S. Malachias docet verum corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia. O miſeros, quos hoc non terret exemplū, & inuitat ad Pœnitentiā. *Eſa.* 28.

INTER populos quarundam regionum orta aliquandò grauis diſcordia eſt. Interpellatur Malachias de componenda pace inter eos. Et cùm eſſet aliàs impeditus, iniungit negocium hoc vni Epiſcoporum. Illo excuſante, & negante, & dicente, Malachiam, non ſe, quæſitum: ſe contemptum iri, fruſtrà fatigari nolle: Vade, inquit, & Dominus erit tecum. Et ille: Acquieſco, ſed ſi me non audierint, ſcito me ad tuam paternitatem appellaturum. Subridens Malachias: Fiat, inquit. Tunc Epiſcopus conuocatis partibus, dictat formam pacis: acquieſcunt, reconciliantur adinuicem: fide hincindè data, ſtabilitur pax: & ſic dimiſit eos. At pars vna videns hoſtes factos ſecuros, imparatos eſſe: quippe qui pace facta mali nihili ſuſpicarentur: loquebatur mutuò, & dicebat homo ad proximum ſuum: Quid volumus facere? Victoria præ manibus eſt, & vltio de inimicis. Et cœpêre inſequi illos. Innotuit Epiſcopo, quod fiebat: & accurrens conuenit ducem eorum ſuper iniquitate & dolo: ſed ſpretus ab illo eſt. Inuocauit nomen Malachiæ aduerſus eum, & nihilipendit. Irridensq; Epiſcopum: Putáſne, inquit, propter te amittere debeamus

 male-

maleſactores noſtros, quos Deus tradidit in manus noſtras? Et recordatus verbi ſui Epiſcopus, quod habuerat cum Malachia, flens & eiulans verſo vultu ad monaſterium eius: Vbi es, ait, homo Dei? vbi es? Nónne hoc eſt, Pater mî, quod tibi dicebam? Heu, heu veni, vt facerem bonum, & non malum: & eccè per me omnes, illi in corpore, iſti in anima, pereunt. Multa in hunc modum loquebatur lamentans & plangens, & quaſi præſentem ſolicitans & compellans Malachiam aduerſus malignantes. Interim verò impij, cum quibus fecerant pacem, inſequi non deſiſtebant ad perdendum eos. Et eccè ſpiritus mendax in ore quorundam virorum, qui eos deciperet. Et occurrerunt illis in via viri nunciantes, factam irruptionem in terras ipſorum ab aduerſarijs: in ore gladij conſumi omnia, & diripi bona eorum: vxores quoque ac liberos tolli & abduci. His auditis, reuerſi ſunt feſtinanter. Sequebantur vltimi primos, quò irent, aut quid accideret, neſcientes. Nec enim omnes audierant viros loquentes. Cumque veniſſent, & inueniſſent nihil horum, quæ nunciata erant, confuſi ſunt, deprehenſi in malitia ſua. Et cognouerunt ſpiritui erroris ſe traditos propter nuncium Malachiæ, quem deceperunt, & nomen eius, quod ſpreuerunt. Porrò Epiſcopus audiens fruſtratos proditores in iniquitate ſua, quam cogitauerant, cum gaudio remeauit ad Malachiam, referens omnia per ordinem, quæ acciderant ſibi. Sciens Malachias eiuſmodi occaſione pacem eſſe turbatam, nactus opportunum tempus, pacem per ſemet inter ipſos denuò reformare curauit, & firmare reformatam, datis & receptis altrinſecus fide & iuramento. Verùm illi, quibus antè pax fracta fuit, iniuriæ memores, neglecto pacto & præcepto Malachiæ, tractauerunt de vice reddenda. Et congregati omnes in vnum, ibant vt imparatos præoccuparent, redderentque in caput eorum malum, quod ſibi facere cogitâſſent. Et magno flumine, quod intererat, facilimè tranſuadato, fluuiolo, quem non procùl ab illo offendêre, retenti ſunt. Neque enim iam fluuiolus, ſed planè fluuius ingens apparuit, vbiq; ſui tranſire volentibus tranſitum negans. Mirari omnes tantum nunc eſſe, tantillum antehàc fuiſſe ſcientes, & loqui inter ſe: Vndè inundatio hæc? Aër ſerenus eſt, imbres non ſunt, nec proximè fuiſſe meminimus. Et ſi multùm pluiſſet, quis noſtrûm vnquàm hactenùs meminit in quantacunq; illuuie ità intumuiſſe, vt operiret terram, ſata & prata peruaderet? Dignus Dei eſt iſte: & Dominus ſepit vias noſtras propter ſanctum ſuum Malachiam, cuius ſumus præuaricati pactum, tranſgreſſi mandatum. Ità & hi infecto negocio, ad ſua æquè confuſi repedauerunt. Diuulgatum eſt verbum per vniuerſam regionem, & benedicebant Deum, qui comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & confringens cornua peccatorum, ſublimauit cornu Chriſti ſui.

Miro modo impedi- untur ſce- leſti homi- nes à cæde deſtinata.

Magno miraculo alij à ſimili facinore retardantur.

Exod 8.

Iob. 5.

Aliqvis de nobilibus infenſus Regi, reconciliatus eſt per manum Malachiæ. Nec enim Regi ſatis fidebat ille, vt pacem cum eo faceret, niſi mediante Malachia, aut quem Rex æquè reuereretur. Nec immeritò, vt pòſt apparuit. Nam factum ſecurum, & minimè iam cauentem ſibi, captum truſit in vincula, odio antiquo captus plùs ipſe. Requiritur homo à ſuis de manu mediatoris. Nec enim aliud amici expectare, quàm mortem. Quid faceret Malachias? Non eſt quod poſſit, niſi vt recurrat ad ſuum illud ſolidum vnicumque refugium. Congregato exercitu forti nimis, turba magna diſcipulorum ſuorum, adit hominem, requirit vinctum, negatur. Et Malachias: Iniquè, inquit, agis contra Dominum, & contra me, & contra teipſum, pactum præuaricans: ſi diſſimulas tu, ſed non ego. Credidit ſe homo fidei meæ: ſi contigat mori, ego prodidi eum: ego reus ſanguinis eius. Quid tibi viſum eſt me proditorem, te præuaricatorem conſtituere? Nóueris me, donec liberetur, nihil guſtaturum, ſed neque iſtos. Sic locutus, intrat eccleſiam: Deum omnipotentem ſuis, ſuorumque anxijs gemitibus interpellat, vt iniuſtè addictum, dignetur eripere de manu præuaricatoris & iniqui. Et ea die cum nocte ſequenti, in ieiunio & oratione perſtiterunt. Perlatum ad Regem, quid fieret: & magis indè induratum eſt cor eius, vndè emolliri debuerat. Init fugam, verius homo carnalis, nè ſi propè remaneret, orationis non poſſet ſuſtinere virtutem: Quaſi verò vel abſconditum non inueniat, vel non perueniat ad remotum. Tu metas ponis miſer orationibus ſanctorum? Num eſt oratio iacta ſagitta, vt fugias à facie arcûs? Quò ibis à ſpiritu Dei, qui eam portat? & quò à facie eius fugies? Denique fugientem inſequitur, inuenit latitantem. Eriſque cæcus, & non videns, vt meliùs videas, & intelligas, quoniam durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Denique ſenti vel nunc, quia ſagittæ potentis acutæ peruenerunt ad te: quæ etſi reſiliêrunt à corde, quia ſaxeum eſt, ſed non ab oculis. Vtinàm per feneſtram ſaltem oculorum perueniant vſque ad cor, & vexatio det intellectum cæcirati. Cernere erat Saulum denuò ad manus trahi, & duci ad Ananiam, ad ouem ſcilicet lupum, vt refunderet prædam. Refudit, & recepit viſum: quòd Malachias vſq; adeò ouis eſſet, vt ſit miſertus & lupo. Diligenter ex his aduerte, lector, cum quibus habitatio Malachiæ, quales principes, & quales populi. Quomodò non & is frater fuit draconum, & ſocius ſtruthionum? Et ideò dedit ei Dominus virtutem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, alligare Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Deindè audi, quid ſequatur.

Vir ſanctus obiurgat regem pacti violatorē.

Stultus Rex credit ſe fuga latere poſſe Dominum.

Act. 9.

Rex orbatur lumine, redditque captiuum.

Iob 30.

Pſal. 149.

Is, cui Benchorenſis monaſterij ceſſerant poſſeſſiones, ingratus beneficio, ex tunc & deinceps inſolentiſſimè XIII.
ſemper ſe habuit aduerſus eum & ſuos, in omnibus infeſtus eis, vbique inſidians, detrahenſq; actibus eius. At non impunè hoc. Erat illi vnicus filius, qui imitator patris, audens aliquid & ipſe in Malachiam, eodem anno mortuus eſt. Mortuus autem ſic: Viſum eſt Malachiæ debere conſtrui in Benchor oratorium lapideum, inſtar eorum, quæ in alijs regionibus extructa conſpexerat. Et cùm cœpiſſet iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati ſunt, quòd in terra illa necdùm eiuſmodi ædificia inuenirentur. Verùm ille nequam (ſicut erat præſumptuoſus & inſolens) non modò miratus eſt, ſed indignatus. Ex qua indignatione concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et factus ſuſurro in populis, nunc ſecretò detrahere, nunc blaſphemare palàm: notare leuitatem, nouitatem horrere, ſumptus exaggerare. Iſtiuſmodi venenatis ſermonibus ſolicitans & inducens multos ad prohibendum. Sequimini me, inquit, & quod non niſi per nos fieri debet, contra nos fieri non ſinamus. Itaque cum pluribus, quibus ſuadere valuit, deſcendit ad locum, repertum conuenit hominem Dei, primus ipſe dux verbi, qui erat principium mali: O bone vir, quid tibi viſum eſt noſtris hanc inducere regionibus nouitatem? Scoti ſumus, non Galli. Quænam leuitas hæc? Quid opùs erat opere tam ſuperfluo, tam ſuperbo? Vndè tibi pauperi & inopi ſumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid iſtud præſumptionis, inchoare quod non queas, non dico perficere, ſed nec videre perfectum? Quanquàm amentis magis eſt, quàm prudentis, conari quod modum excedit, vincit vires, ſuperat facultates. Ceſſa, ceſſa, deſine à veſania hac. Alioquin nos non ſinimus, non ſuſtinemus. Hoc dixit, prodens quid vellet, non quid poſſet, conſiderans. Nam de quibus præſumebat, & ſecum adduxerat, viſo viro, mutati ſunt, & iam non ibant cum eo. Ad quem vir ſanctus, tota libertate vtens: Miſer, inquit, opus, quod inchoatum vides, & inuides, ſine dubio perficietur: perfectum videbunt multi. Tu verò quia non vis, non videbis: & quod non vis, morieris: attendito tibi, ne in peccato tuo moriaris. Ità eſt: ille mortuus eſt, & opus completum eſt: ſed ille non vidit, qui, vt præfati ſumus, anno eodem mortuus eſt. Interim pater audito mox, quid de filio vir ſanctus prædixiſſet, ſciens verbum eius viuum & efficax eſſe: Interfecit, inquit, filium meum: Et inſtigante diabolo, tanto furore exarſit in illum, vt coram duce & maioribus, inuidiæ, falſitatis & mendacij arguere non vereretur hominem, qui veraciſſimus eſſet, veritatis & diſcipulus, & amator: & conuicium intulit, ſimiam appellans. Et Malachias quidē doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os ſuum, dum conſiſteret peccator aduerſus eum. Sed non Dominus oblitus ſermonis ſui, quem dixerat: Mihi vindictam, & ego retribuam. Eadem die domum

Vltio Dei in Malachiæ obtrectatores.

Prædicit obtrectatori quòd morietur.

Vir ſanctus ad conuiciū non reſpondet.

Deut. 32.

reuerſus

reuerſus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipſo vltore, quo inſtigatore laxârat. Arreptum in ignem proijcit dæmon: ſed mox manibus aſſidentium extractus eſt, aduſtus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum inſaniret, vocatus Malachias venit: reperitque maledicum ſpumantia ora torquentem horrendis vocibus & motibus torrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix poſſe teneri à pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus eſt, ſed ex parte. Nam ilicò quidem ſancto orante, ille aperuit oculos, & ſenſum recepit. Relictus eſt autem ei ſpiritus Domini malus, qui eum colaphizet, vt diſcat non blaſphemare. Credimus eum viuere vſque adhuc, & vſque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccauit in ſanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum eſſe. Porrò prædictæ poſſeſſiones, cùm iam pro ſuî imbecillitate & inutilitate eas tenere non valuit, in pace ad locum, cuius extiterant, redièrunt. Nec renuit Malachias poſt multam demùm vexationem, pacis obtentum. Sed iam ad opus ædificij, quod Malachias aggreſſus eſt, ſermo recurrat. Et quidem non erat Malachiæ, non dico vndè perficeret, ſed vndè faceret quicquam. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino. Dominus verò prouidit, vt, etſi non ſperanti in pecuniæ theſauris, pecunia non deeſſet. Quis enim alius fecit, vt theſaurus eo loci reponeretur, repoſitus non reperiretur, vſque ad tempus & opus Malachiæ? Inuenit Dei famulus in Dei marſupio, quod defuit ſuo. Meritò quidem. Quid enim iuſtius, quàm vt cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret conſortium, & marſupium vnum eſſet amborum? Fideli denique homini totus mundus diuitiarum eſt. Et quid eſt ille, niſi quoddam marſupium Dei? Denique ait: Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Inde eſt, quòd Malachias repertos argenteos multos non repoſuit, ſed expoſuit. Nam totum munus Dei, in Dei opus iubet expendi. Non ſuas, non ſuorum conſiderat neceſſitates, ſed iactat cogitatum ſuum in Domino: ad quem vtique recurrendum non dubitat, quoties neceſſitas poſtulârit. Nec dubium Dei opus eſſe, quod Deo reuelante Malachias præuidit. Contulerat primùm cum fratribus de opere illo: & multi præ inopia minus libenter aſſentiebant. Indè anxius dubiuſque quid ageret, cœpit inter orantem vehementer inquirere, quænam foret voluntas Dei. Et die quadam de via regrediens, cùm iam loco appropiaret, proſpexit eminus: & ecce oratorium apparuit magnum lapideum, & pulchrum valdè. Et intuens diligenter ſitum, formam & compoſitionem, cum fiducia arripit opus, priùs quidem indicata viſione ſenioribus fratribus, paucis tamen. Sanè totum, quod attentè notauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obſeruauit, vt peracto opere, factum viſo ſimillimum appareret, ac ſi & ſibi cum Moyſe dictum audierit: Vide, vt omnia facias ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Eodem viſionis genere id quoque, quod in Saballino ſitum eſt, antequàm fieret, præoſtenſum eſt illi, non modò oratorium, ſed & monaſterium totum. Tranſeunte illo per quandam ciuitatem, & multitudine magna concurrente ad eum, caſu vidit iuuenem inter alios videndi ſe curioſum. Aſcenderat lapidem, & ſtans ſuper ſummos articulos extento collo, oculis & animo intendens in eum, quendam ille de nouo Zachæum exhibebat. Nec latuit Malachiam, ſancto quidem ſpiritu reuelante, verè illum veniſſe in ſpiritu & virtute Zachæi. Diſſimulauit tunc tamen, taciturſque pertranſijt. Cæterùm in hoſpitio nocte ipſa narrauit fratribus, quomodò illum vidiſſet, & quid præuidiſſet de illo. Die autem tertia, en ille cum viro quodam nobili, domino ſuo: Qui aperiens votum, & deſiderium iuuenis, rogabat, vt à ſe commendatum recipere dignaretur, & habere decæterò inter ſuos. Et Malachias agnoſcens eum, Non eſt opus, inquit, vt, quem iam Deus commendauit, homo commendet. Apprehenſumque manu ſua tradidit Abbati Congano noſtro, & ille fratribus. Ipſe verò iuuenis adhuc (nî fallor) viuens, primus conuerſus laicus Surienſis monaſterij, teſtimonium habet ab omnibus, quòd ſanctè conuerſetur inter fratres ſecundùm ordinem Ciſtercienſem. Et cognouerunt diſcipuli, etiam in hoc Malachiam prophetiæ ſpiritum habuiſſe. Non ſolùm autem, ſed & in eo, quod ſubiuncturi ſumus. Cùm ſacramenta offerret, & appropiâſſet ei Diaconus, facturus aliquid pro officio ſuo, intuitus eum ſacerdos, ingemuit, quòd ſentiſſet penès illum latere, quod non conueniret. Peracto ſacrificio, ſecretò percontatus de conſcientia ſua, confeſſus eſt, & non negauit illuſum ſibi per ſomnum nocte ipſa. Cui iniungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodiè miniſtrâſſe, ſed verecundè te ſubtrahere ſacris, & deferre tantis, tamque diuinis myſterijs, vt hac humilitate purgatus, digniùs exindè miniſtrares. Item alia vice ſacrificante illo, & orante hora ſacrificij, ea quidem ſanctitate & puritate cordis, qua ſolitus erat, adſtante diacono, viſa eſt columba intrare per feneſtram in claritate magna. Ea ſacerdos perfunditur totus: ea ſubobſcurior baſilica tota refulget. Columba verò aliquandiù circumuolitans, tandèm reſidet ſuper Crucem ante faciem ſacerdotis. Obſtupuit diaconus, & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, quòd illa ſit rara auis in terra, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans, ſeſe erigere auſus eſt, vel quandò officij ſui neceſſitas poſtulauit. Poſt Miſſam ſeorſum conuentus à Malachia, ſub periculo vitæ iubetur nullatenùs ſecretum prodere, quod vidiſſet, quoàd viueret ipſe. Aliquandò cùm in Ardinacha eſſet cum quodam coëpiſcopo ſuo, de nocte ſurgens, cœpit memorias ſanctorum, quæ in cœmeterio ſancti Patricij multæ ſunt, orando luſtrare. Et eccè vnum de altaribus ſubitò ardere conſpiciunt. Ambo enim viderunt viſionem hanc magnam: ambo mirati ſunt. Et Malachias intelligens ſignum eſſe magni meriti illius, vel illorum, quorum ſub altari illo corpore requieſcerent, currens, & ſe medijs immergens flammis, expanſis brachijs ſacram amplexatus eſt aram. Quid ibi fecerit, quidve ſenſerit, nemo qui ſciat: ſed quod ampliùs ſolito, cæleſti igne ſuccenſus, ex illo igne exiërit, fratrum, qui cum eo tunc erant, reor neminem eſſe, qui neſciat.

Diabolus eum maledicentem inuadit.
Extruit egregiū oratorium ſiue monaſterium S. Malachias.
Pſalm 49.
S. Malachias inuenit multam pecuniam.
Viſio eius.
Exod. 25.
Luc. 19.
Claret Prophetiæ ſpiritu.
Vide rē admirandam ſub Miſſæ ſacrificiō.

XIV. HÆC dicta ſunt, pauca quidem de pluribus, ſed multa pro tempore. Non enim ſignorum tempora hæc, ſecundùm illud: Signa non vidimus, iam non eſt propheta. Vndè ſatis apparet, Malachias meus quantus in meritis fuit, qui tam multis in ſignis extitit, & in raritate tanta. Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si bene aduertimus pauca ipſa, quæ dicta ſunt, non prophetia defuit illi, non reuelatio, non vltio impiorum, non gratia ſanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum ſuſcitatio. Per omnia benedictus Deus, qui ſic amauit & ornauit eum: qui & magnificauit eum in conſpectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Amor probatur in meritis, ornatus in ſignis, magnificatio in vltione inimicorum, glorificatio in præmiorum retributione. Habes diligens lector in Malachia quid mireris, habes & quid imiteris. Nunc iam quid tibi ex his ſperandum ſit, ſtudioſius attende. Nam finis horum, precioſa mors eſt.

Pſalm 73.
Malachiæ nullū genus veterū miraculorū defuit.

XV. PERCONTATVS aliquandò, quonam in loco, ſi optio detur, extremum mâlit agere diem, (de hoc ſiquidem fratres quærebant inter ſe, quem ſibi quiſq; deligeret) cunctatur, & non reſpondet. Inſtantibus illis: Si hinc migro, inquit, nuſquàm libentiùs, quàm vndè vnà cum noſtro Apoſtolo reſurgere poſſim. (Dicebat autem ſanctum Patricium.) Si peregrinari oporteret, & ità permittit Deus, Claramuallem delegi. Requiſitus item de tempore, diem reſpondit ſolennem omnium defunctorum. Si ſimplex votum putatur, impletum eſt. Si prophetia, ne iota præterijt. Sicut audiuimus, ſic vidimus de loco pariter, & de die. Dicamus breuiter, quo ordine illud, quave occaſione proueuerit. Ægrè ſatis ferebat, Hyberniam vſque adhuc pallio caruiſſe, vtpotè æmulator ſacramentorum: quorum ne vno quolibet gentem ſuam vellet omninò fraudari. Et recordatus ſibi à Papa Innocentio fuiſſe promiſſum, indè magis triſtari, quòd dum adhuc ille ſuperfuit, non fuit miſſum pro eo. Et nactus occaſionem, quòd Papa Eugenius ſummam regiminis teneret, & eo temporis vſq; in Franciā appropiâſſe nunciaretur, opportunitatem requiren-

S. Patricius Hyberniæ Apoſtolus.
Dies ſolennis omniū defunctorum.

Ex quanti facit palliũ vir ſanctiſſimus.

di ſe inueniſſe gauiſus eſt. Præſumebat autem de illo, vtpote viro tali, & de tali aſſumpto profeſſione. Magis verò, quòd ſuæ Claræuallis ſpecialis filius extitiſſet, nec timeret apud illum ſe vllam ſuſtinere difficultatem. Itaque conuocantur Epiſcopi, concilium cogitur: tractata triduò, quæ tempori imminerent: die quarto aperitur conſilium de pallio requirendo. Placet, ſed ſi per alium requiratur. Tamen quia breuior via, & ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit, qui eius obuiare præſumeret conſilio & voluntati. Et Malachias, ſoluto concilio, arripit iter. Proſequuntur eum, qui conuenerant fratres, vſque ad litus, non multi tamen, ipſo nimirùm prohibente. Ad quem vnus illorum, Catholicus nomine, flebili voce & fletu: Heu tu abis, inquit, & in quanta penè quotidiana vexatione me deſeris, non ignoras, nec fers opem miſertus meî. Si ego dignus qui patior, fratres quid peccauerunt, qui vix diem, noctémve vllam à tam laborioſa cura & cuſtodia mei feriatam habere ſinuntur? His verbis & lachrymis filij (flebat enim) paterna viſcera concuſſa ſunt, & amplexatus eſt eum blandiendo, impreſſóq; pectori eius ſigno Crucis: Certus eſto, inquit, te eiuſmodi nil paſſurum, donèc redeam. Erat autem epilepticus, & cadebat frequenter, ità vt interdùm non ſemel, ſed ſæpiùs pateretur in die. Hoc iam per ſex annos morbo horrido laborabat, ſed ad verbum Malachiæ, perfectè conualuit. Ab illa hora nil tale perpeſſus eſt, nil tale (vt confidimus) deinceps perpeſſurus, quia Malachias deinceps rediturus non eſt. In ipſo aſcenſu nauis accedunt duo ex his, qui illi familiariùs adhærebant, audentes, & petentes aliquid ab eo. Quibus ille: Quid vultis? Non dicimus, inquiunt, niſi ſpondeas te daturum. Spondet. Et illi: Volumus nobis certo promitti à tua dignatione, te in Hyberniam incolumem reuerſurum. Inſtare & cæteri omnes. Tum ille parumper deliberans, pœnitere primò, quòd ſe alligaſſet, quà exiret, non inueniens. Anguſtiæ vndique, dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo, voti videlicet, aut promiſſi. Viſum eſt tandem id potiùs eligendum, quod inpræſentiarum plùs vrgeret, reliquum ſupernæ committendum diſpoſitioni. Annuit triſtis quidem: ſed magis illos noluit contriſtare: & reſpondens eis, vt volunt, aſcendit nauem. Et cùm iam ferè medium iter æquoreum peregiſſent, ſubitò contrarius ventus nauem repellit, & reducit in terram Hyberniæ. Deſcendens de naui, in ipſo portu in quadam ſua eccleſia pernoctauit. Et lætus, gratias egit diuinæ conſilio prouidentiæ, quo factum eſt, vt iam fecerit ſatis pro ſua promiſſione. Manè verò intrans nauem, ipſa die proſpero curſu transfretauit, & venit in Scotiam. Die tertia peruenit ad locum, qui Viride ſtagnum dicitur, quem fecerat præparari, vt ibi ſtatueret Abbatiam. Et relicto illic de filijs ſuis fratribus noſtris, monachorum conuentu & Abbate, (nam ſecum ad hoc ipſum eos adduxerat) valedicens eis, profectus eſt. Et cùm tranſiret, occurrit ei Rex Dauid, à quo receptus cum gaudio, & retentus per aliquot dies, multaq; operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertranſiens Scotiam, in ipſo introitu Angliæ diuertit ad eccleſiam Giſisburnenſem, vbi habitant viri religioſi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro ſua religioſitate & honeſtate. Ibi adducta eſt ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgò appellant, ipſo horrendum viſu, & ſanauit eam. Nam vbi aqua, cui benedixit, adſperſa ſunt vlcerum loca, dolorem non ſenſit. Die verò ſequenti vix vlcera apparebant. Abiens indè, ad mare venit: ſed negatur tranſitus. Cauſa (ni fallor) fuit, orta ſimultas quædam inter ſummum Pontificem & Regem Angliæ, quòd Rex neſcio quid mali ſuſpicaretur de bono illo homine, ſi tranſiret. Nam neque alios Epiſcopos tranſire ſinebat. Quod quidem impedimentum, etſi fuit contrarium Malachiæ voluntati, ſed non voto. Dolebat differri à deſiderio ſuo, neſciens magis per hoc impletum iri. Nam ſi incontinenti tranſiſſet, oportebat tranſire etiam Claramuallem, vt ſummum Pontificem ſequeretur. Iam enim abierat, & erat Romæ, aut propè Romam. Nunc verò intercedente dilatione factum eſt, vt tardiùs transfretans, ad locum & horam ſanctiſſimi ſui obitûs opportunè occurreret.

Curat epilepticum facilimè.

Vide quantam agat Deus curã ſeruorum ſuorum.

Mulier aqua benedicta ſanata.

S. Malachias venit Claramuallem.

Qvi à nobis ſuſceptus eſt, tanquàm verus ab Occidente veniens, viſitans nos oriens ex alto. O quantùm no- XVI.
ſtræ Claræualli irradians ſol ille claritatis adauxit! Quàm iucundus ad eius introitum dies feſtus illuxit nobis! Hæc dies, quam fecit Dominus, exultatum & lætatum in ea. Quàm celer & ſaliens, tremulus ac debilis mox ipſe occurri. Quàm lætus in oſcula rui: Quàm lætis brachijs miſſam mihi cælitùs amplexatus ſum gratiam. Quàm alacri vultu & animo, mi pater, introduxi te in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ. Quàm feſtiuos deindè tecum duxi dies, ſed paucos. Quid verò ille viciſſim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem peregrinus noſter omnibus ſe præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quàm bonum, & quàm iucundum agebat hoſpitem apud eos, quos nimirùm videre venerat à finibus terræ, non auditurus Salomonem, ſed exhibiturus. Denique audiuimus ſapientiam eius, tenuimus præſentiam eius, & tenemus. Iam quatuor aut quinque dies huius noſtræ ſolennitatis defluxerant, cùm eccè die ſolenni beati Lucæ Euangeliſtæ, Miſſa in conuentu ſua illa ſancta deuotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit, & nos cum illo omnes. Extrema gaudij noſtri mœror occupat, moderatior tamen, quòd leuior interim febris eſſe videretur. Videres diſcurrere fratres, dandi auidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? cui non dulcius miniſtrare illi? Vtrunque ſuaue, vtrunque ſalutare. Et humanitatis erat præbere obſequium, & profectûs cuiq; ſui, cùm gratiam reportaret. Aſſiſtere omnes, omnes ſoliciti erant circa frequens miniſterium: medicamenta perquirere, adhibere fomenta, vrgere ſæpiùs ad guſtandum. Ad quos ille: Sine cauſa, inquit, hæc: ſed charitate veſtri facio, quicquid iniungitis. Sciebat enim imminere tempus ſuæ migrationis. Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentiùs inſtarent, dicentes, non oportere diffidere de vita: nec enim ſigna mortis in eo aliqua apparerent: Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert: Ecce appropinquat dies, quem, vt optimè noſtis, optaui ſemper ipſum fore diem reſolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus ſum: non fraudabor reliquo deſiderij mei, qui partem iam teneo. Qui me ſua miſericordia perduxit ad locum, quem petij: terminum, quem æquè volui, non negabit. Quòd ad hoc corpuſculum attinet, hic requies mea: quòd ad animam, Dominus prouidebit, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Nec parùm ſpei repoſitum mihi in die illa, qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Nec longè aberat dies ipſa, cùm talia loqueretur. Intereà iubet ſe ſacro oleo vngi. Exeunte conuentu fratrũ, vt ſolenniter fieret, non ſuſtinuit vt ad ſe aſcenderent: & ipſe deſcendit ad eos. Iacebat ſiquidem in ſolario domo ſuperiori. Vngitur, & ſumpto viatico, fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur. Alto de ſolio deſcendebat pedibus ſuis, & rurſum nihilominùs ſuis pedibus aſcendebat & dicebat mortem eſſe in ianuis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipſe, & Deus id ſcire poterat. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non aduſti dentes, non collum exeſum & gracile, non curui humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultûs eius, quæ non euacuatur, ne morte quidem. Talis quoàd vixit, talis & mortuus apparebat viuenti ſimilior.

Cant. 3.

Dies ſolennis S. Lucæ.

Prædicit mortis ſuæ imminere diem.

Pſal. 16.

Nota quid ſentiat tantus vir de ſuffragijs defunctorum, & extrema vnctione.

Cvcvrrimvs vſq; huc, ſed modò hæremus, quia Malachias curſum conſummauit. Stat ille, & nos pari- XVII.
ter ſtamus cum eo. Alioquin quis libenter curtat ad mortem? Præſertim tuam, Pater ſancte, quis referre poſſit? quis velit audire? Attamen dileximus nos in vita, in morte non ſeparabimur. Fratres, non relinquamus in morte, quem in vita proſequuti ſumus. Ab vlteriori Scotia vſq; huc cucurrit ille ad mortem: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet, oportet dicere, quam cernere neceſſe fuit. Adeſt omnium ſanctorum clara vbiq; celebritas: ſed iuxta veterem ſententiam, Muſica in luctu importuna narratio eſt. Adſumus, canimus, vel inuiti. Flendo cantamus,

Omniũ ſanctorum celebritas.

Eccli. 22.

tamus, & cantando flemus. Malachias etſi non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus: ſolus Malachias feſtum facit. Quod enim non poteſt corpore: facit mente, ſicut ſcriptum eſt: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Deficiente illi corporis inſtrumento, ſilente organo oris, officio vocis ceſſante, reliquum eſt, vt mentis iubilo ſolennizet. Quid ni ſolennizet ſanctus, qui ſanctorum ducitur ad ſolennitatem? Exhibet illi, quod mox ſibi debebitur. Adhuc modicum, & ipſe vnus ex ipſis eſt. Sub noctis crepuſculo, cùm iam vtcunque dies à nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquauerat non crepuſculo, ſed auroræ. An non illi aurora, cui nox præceſſit, dies autem appropinquauit? Itaque febre inualeſcente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere ſudor, vt quodammodò tranſiens per ignem & aquam, educeretur in refrigerum. Iam deſperatur de vita eius: iam quiſque ſuum iudicium reprehendit: iam nulli dubium, Malachiæ ſententiam præualere. Vocamur: adſumus. Et ille oculos leuans in circunſtantes: Deſiderio deſideraui, inquit, hoc paſcha manducare apud vos. Gratias agò ſupernæ pietati: Non ſum fraudatus à deſiderio meo. Vides hominem ſecurum in morte, & necdùm mortuum; iam certum de vita? Nec mirum. Videns adeſſe noctem, quam expectauerat, & in ipſa dieſcere ſibi, quaſi de nocte triumphans, videtur inſultare tenebris, & quodammodò loqui: Iam non dicam, Forſitan tenebræ conculcabunt me: quia hæc nox illuminatio mea in delicijs meis. Et blandè nos conſolans: Habete, inquit, curam mei: Ego veſtri, ſi licuerit, non obliuiſcar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia poſſibilia credenti. Amaui Deum: amaui vos: & charitas nunquàm excidit. Et ſuſpiciens in cælum: Deus, inquit, ſerua eos in nomine tuo: Non ſolùm autem eos, ſed & omnes, qui per verbum ac miniſterium meum tuo ſe mancipauère ſeruitio. Deindè imponens manus ſingulis, & benedicens omnibus, pauſatum ire iubet, quia nondùm venerat hora eius. Imus, redimus circa medium noctis. nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur. Impletur domus: adeſt congregatio tota: Abbates quoque multi, qui conuenerant. Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus proſequimur amicum repatriantem. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, loco & tempore, quo prælegit, & prædixit Malachias Epiſcopus, & Legatus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, velut è manibus noſtris aſſumptus ab Angelis, feliciter obdormiuit in Domino. Et verè obdormiuit. Vultus placidus, placidi exitûs indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui quandò exiuit, aduertere potuiſſet. Mortuus viuere, & viuens mortuus putabatur: adeò nil intercidit, quod alterutrum diſtermina ret. Eadem viuacitas vultûs, ſerenitas eadem, qualis apparere ſolet in dormiente. Diceres mortem nil horum tuliſſe, magis auxiſſe plurimùm. Non eſt mutatus, ſed ipſe mutauit omnes. Mirum in modum luctus & gemitus omnium ſubitò conquieſcit: mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cœlum voces, infertur oratorio Abbatum humeris. Vicit fides: triumphat affectus: res in ſuum deuenit ſtatum: cuncta geruntur ex ordine: cuncta ex ratione procedunt.

Pſal. 75.
Malachias ſecurus in morte, necdùm mortuus
Pſal. 118.
Marc. 9.
1. Cor. 13.
Anno 1148. feliciſſimè vit ſanctiſſimus obdormit in Domino.

VIII. Et reuerà quid rationis habet immoderatiùs plangere Malachiam, quaſi non ſit precioſa mors eius, quaſi non ſit magis ſomnus, quàm mors: quaſi non ſit mortis portus, & porta vitæ? Malachias amicus noſter dormit, & ego lugeam? Luctus iſte vſu ſe, non ratione, tuetur. Si Dominus dedit dilecto ſuo ſomnum, & talem ſomnum, in quo hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris: quid horum videtur fletum indicere? Egóne fleam illum, qui fletum euaſit? Ille tripudiat, ille triumphat: ille introductus eſt in gaudium Domini ſui, & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi inuideo. Interim parantur exequiæ: offertur pro eo ſacrificium: conſummantur ex more omnia cum ſumma deuotione. Stabat eminùs puer, cui emortuum pendebat à latere brachium, magis illi impedimento, quàm vſui. Quo comperto, innui, vt accederet. Et apprehenſam aridam manum, applicui ad manum Epiſcopi: & viuificauit eam. Nempe viuebat in mortuo gratia ſanitatum: & manus eius fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Eliſeus. Puer ille de longè venerat, & manum, quam pendentem attulerat, ſanam in patriam reportauit. Iam omnibus ritè peractis, in ipſo oratorio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo ſibi benè complacuit, Malachias traditur ſepulturæ, anno ab incarnatione Domini milleſimo, centeſimo, quadrageſimooctauo, * quarto Nonas Nouembris. Tuum eſt, Ieſu bone, depoſitum, quod nobis creditum eſt: tuus theſaurus, qui reconditur penès nos. Seruamus illum reſignandum in tempore, quo repoſcendum cenſueris, tantùm vt abſq; contubernalibus ſuis non egrediatur: ſed quem habuimus hoſpitem, habeamus ducem, tecum & eum ipſo pariter regnaturi in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalm 126.
En offertur pro eo ſacrificium.
Miraculum defuncti.
4. Reg. 13.
Feſtum eius ob commemorationē defunctorum tranſ-

* latum eſt in tertium Nouemb. quo celebrius agi poſſit teſte Baron in not. Martyrol. Rom.

DE EODEM S. MALACHIA SERMO B. BERNARDI ABBATIS.

I. LIQVET, dilectiſſimi, quòd dum corpore retinemur, peregrinamur à Domino: ac per hoc luctum magis, quàm gaudium, miſerandum nobis indicit exilium, & conſcientia delictorum. Quia tamen Apoſtolico ore gaudere cum gaudentibus admonemur, in omnem nos ſuſcitat lætitiam, tempus & cauſa requirit. Nam ſi verè, quod Propheta ſentit, exultent iuſti in conſpectu Dei: exultat ſine dubio Malachias, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus. In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo miniſtrauit. placuit miniſteriū, placuit & miniſter. Quid nì placueri? Poſuit ſine ſumptu Euangelium, repleuit Euangelio patriam, ſuorum maximè feralem edomuit barbariem Hybernorum, leni iugo Chriſti in gladio ſpiritûs exteras ſubdidit nationes, vſq; ad extrema terræ reſtituens hæreditatem ſuam illi. O miniſterium fructuoſum, ô miniſtrum fidelem! Nunquid non per ipſum filio eſt paterna adimpleta promiſſio? Nunquid non hunc olim intuebatur pater, cùm ad filium loqueretur, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ? Quàm libens Saluator recipiebat, quod emerat, & emerat precio ſanguinis ſui, ignominia Crucis, horrore paſſionis? Quàm libens de manibus Malachiæ, pro eo quòd gratis miniſtraret? Ergò in miniſtro quidem gratum erat munus gratuitum, in miniſterio autem placita conuerſio peccatorum. Grata, inquam, & placita in miniſtro ſimplicitas oculi, in miniſterio autem ſalus populi.

Pſal. 67.
Rom. 12.
2. Cor. 5.
Pſal. 2.

II. QVANQVAM etſi miniſterij quidem minor efficientia ſequeretur, nihilominùs tamen ad Malachiam & ad opera eius ille meritò reſpexiſſet, cui amica puritas, cui familiaris ſimplicitas: cuius iuſtitiæ eſt de intentione penſare opus, & de oculi qualitate totius æſtimare corporis ſtatum. Nunc verò magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates & ſtudia Malachiæ, magna & multa & bona valdè, etſi pro bona caſtæ intentionis origine meliora. Quod opus pietatis præterijt Malachiam? Pauper ſibi, ſed diues pauperibus erat. Pater orphanorum, maritus viduarum, patronus extitit oppreſſorum. Hilaris dator petitor rarus, acceptor verecundus. Pacis reformandæ inter diſcordantes fuit illi cura maxima, & efficacia multa. Quis æque pius ad compatiendum, ad ſubueniendum promptus, ad corripiendum liber? Nam & zelans erat, nec deerat ſcientia, zeli ipſius moderatrix. Et quidem infirmus infirmis, ſed nihilominus potentibus potens, ſuperbis reſiſtebat, tyrannos verberabat, Regum magiſter ac principum. Ipſe eſt, qui Regi orando viſum & malignanti tulit, & humiliato reſtituit. Ipſe eſt, qui pacis, quam fecerat, violatores

Deus opera de intentione penſat.
Scientia zeli moderatrix.

ſpiritui erroris traditos, fruſtratus eſt in malo, quod facere cogitabant: ac denuò coëgit ad pacem, confuſos quidem & ſtupefactos in eo, quod ſibi contigerat. Ipſe enim eſt, cui aduerſus alios pacti æquè præuaricatores riuus officioſiſſimè adfuit, nutu modo obiectu ſuî euacuans molimina impiorum. Imbres non erant, non illuuies aquarum, non concurſus nubium, non liquefactio niuium, cùm ſubitò factus eſt in fluuium magnum, qui riuulus erat, & tumus ibat, & intumeſcebat inundans, & negans omninò tranſitum volentibus malignari.

Riuulus ex celeri ſubitò in fluuium.

QVANTA audiuimus & cognouimus ea de zelo viri, & vltione inimicorum, cùm tamen eſſet ſuauis & mitis, III.
& multæ miſericordiæ omnibus neceſſitatem patientibus. Qui quaſi vnus omnium parens, viuebat omnibus: quaſi gallina pullos ſuos, ſic fouebat omnes, & in velamento alarum ſuarum protegebat. Non ſexus, non ætas, & non conditio diſcernebatur, aut perſona: deerat nemini, expanſo omnibus gremio pietatis. De quacunq; tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat, niſi quòd in ſua patiens, in aliena compatiens erat, plerunque & impatiens. Nonnunquàm ſiquidem repletus zelo, pro alijs in alios mouebatur, vt eripiens inopes, & reprimens fortes, conſuleret proindè omnibus in ſalutem. Itaque iraſcebatur, ſed ne iraſcendo peccaret, iuxta illud de Pſalmo: Iraſcimini, & nolite peccare: non ita illi, ſed ipſe animo dominabatur. Erat ſuimet potis. Sanè victor ſuî, ita ſuperari non poterat. Ira eius, in manu eius. Vocata veniebat, exiens, non erumpens: nutu, non impetu, ferebatur. Non vtebatur illa, ſed vtebatur. Magna illi tam in hoc, quàm in cunctis vtriuſq; hominis ſui motibus regendis vel cohibendis, cenſuræ diligentia, & circunſpectio multa. Non ita omnibus intendebat, vt ſe ſolum exponeret, ſolum curiæ exciperet generali. Erat & ſuî ſolicitus. Seipſum cuſtodiebat. Ita denique totus ſuus, & totus omnium erat, vt nec charitas à cuſtodia ſui, nec proprietas ab vtilitate communi eum impedire vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem medijs immerſum turbis, & implicitum curis, diceres patriæ natum, non ſibi. Si videres hominem ſolum, & ſecum habitantem, putares ſoli viuere Deo & ſibi.

Gallinæ et angelicæ comparatur Malachias Epiſcopus.

Pſal. 4.

Ira vt vſus ſit S. Malachias.

Et ſibi, & alijs intentus eſt totus.

SINE turbatione verſabatur in turbis: ſine ocio tempus, quod ocio dederat, tranſigebat. Quomodò ocioſus, IV.
quandò exercebatur in iuſtificationibus Domini? Nam etſi habebat tempus liberum à neceſſitatibus plebium, non tamen à ſanctis meditationibus feriatum, non orandi ſtudio, non ipſo ocio contemplandi. Sermo illi in tempore ocij aut ſerius, aut nullus. Adſpectus eius aut officioſus, aut demiſſus, & cohibitus intra ſe. Nempe (quod non mediocri laudi inter ſapientes ducitur) oculus eius in capite eius, nuſquàm auolans, niſi cùm virtuti paruiſſet. Riſus aut indicans charitatis, aut prouocans: rarùs tamen & ipſe. Equidem interdùm eductus, excuſſus nunquàm: qui ità nunciaret cordis lætitiam, vt ori gratiam non minueret, ſed augeret. Tam modeſtus, vt leuitatis non poſſet eſſe ſuſpectus: tantillus tamen, vt hilarem vultum ab omni triſtitiæ næuo vel nubilo vendicare ſufficeret. O munus perfectum, ô holocauſtum pingue, ô obſequium gratum mente & manu. Quàm bonus odor Deo in orationibus ocioſi, quàm bonus hominibus in ſudoribus occupati.

Mag. a perfectio.

Eccli. 2.

Riſus eius

PRO huiuſmodi ergò dilectus à Deo & hominibus, non immeritò hodiè Malachias in conſortium Angelo- V.
rum recipitur, res adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem antè Angelus erat non minùs puritate, quàm nomine: ſed nunc felicius glorioſi in eo interpretatio nominis adimpletur, quandò pari cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Congratulemur itaque fratres, congratulemur, vt dignum eſt, patri noſtro: quia & pium eſt, defunctum plangere Malachiam: & pium magis, Malachiæ congaudere viuenti. Nunquid non viuit? Et beatè. Nimirùm viſus eſt oculis inſipientium mori: ille autem eſt in pace. Denique iam conciuis ſanctorum & domeſticus Dei, pſallit pariter & agit gratias, dicens: Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Tranſiuit planè viriliter, & feliciter pertranſiuit. Verus Hebræus paſcha celebrauit in ſpiritu, & nobis tranſiens loquebatur: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare apud vos. Tranſiuit per ignem & aquam, quem nec triſtia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Lætemur, quòd Angelus noſter aſcendit ad ciues ſuos, pro filijs captiuitatis legatione fungens, corda nobis concilians beatorum, vota illis intimans miſerorum. Lætemur, inquam, & exultemus, quia celeſtis illa curia ex nobis habet, cui ſit cura noſtri, qui ſuis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, miraculis confirmauit.

Sancti immediatè poſt mortem in conſortium Angelorum recipiuntur.

Sap. 3.

Pſal. 65.

Vide quid Sanctum cælis præſtent nobis

SANCTVS pontifex, qui in ſpiritu humilitatis hoſtias pacificas cælis frequenter innexerat, hodiè per ſemet- VI.
ipſum introiuit ad altare Dei, ipſe hoſtia & ſacerdos. Migrante ſacerdote, ſacrificij ritus in melius mutatus eſt, fons lachrymarum ſiccatus eſt, holocauſtum omne conditur in lætitia & exultatione. Benedictus Dominus Deus Malachiæ, qui tanti pontificis miniſterio viſitauit plebem ſuam, & nunc aſſumpto eo in ſanctam ciuitatem, tantæ recordatione ſuauitatis noſtram non deſinit conſolari captiuitatem. Exultet in Domino ſpiritus Malachiæ, quòd leuatus pondere corporeæ molis, nulla iam fæculenta vel terrena materia prægrauatur, quò minùs tota alacritate ac viuacitate corpoream omnem & incorpoream tranſiens creaturam, pergat totus in Deum, & adhærens illi, vnus ſit cum eo ſpiritus in æternum.

1. Corinth. 6.

DOMVM iſtam decet ſanctitudo, in qua tantæ frequentatur memoria ſanctitatis. Sancte Malachia, ſerua VII.
eam in ſanctitate & iuſtitia, miſertus noſtrî, qui inter tot & tantas miſerias memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructamus. Magna eſt ſuper te diuinæ diſpenſatio pietatis, qui te paruum fecit in oculis tuis, magnum in ſuis, qui magna fecit per te, ſaluans patriam tuam: magna fecit tibi, introducens te in gloriam ſuam. Feſtiuitas tua, quæ meritò tuis virtutibus votiua impenditur, tuis nobis efficiatur meritis & precibus ſalutaris. Gloria ſanctitatis tuæ, quæ à nobis frequentatur, continuatur ab Angelis, ſic erit nobis dignè iucunda, ſi fuerit & fructuoſa. Liceat nobis aliquas, te migrante, retinere reliquias de fructibus ſpiritûs, quibus onuſtus aſcendis, qui in tuo hodiè tam delicioſo conuiuio congregamur.

Obſerua, vt vir ſanctus in uocet S. Malachiam.

S. Malachiæ feſtiuitas.

ESTO nobis, quæſumus, Malachia ſancte, alter Moyſes, vel alter Elias, impartiens & tu de ſpiritu tuo nobis: VIII.
ipſorum ſiquidem in ſpiritu & virtute veniſti. Vita tua, lex vitæ & diſciplinæ: mors tua, mortis portus, & porta vitæ: memoria tua, dulcedo ſuauitatis & gratiæ: præſentia tua, corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliua fructifera in domo Dei, ô oleum lætitiæ vngens & lucens, fouens beneficijs, coruſcans miraculis: fac nos eius, qua frueris, lucis ſuauitatiſque participes. O odoriferum lilium, in æternum ante Dominum germinans & florens, & ſpargens vbique viuificum ſuauitatis odorem: cuius apud nos memoria in benedictione eſt, apud ſuperos præſentia in honore: da canentibus te tantæ plenitudinis participio non fraudari. O luminare magnum, & lux in tenebris lucens, ſignorum radijs & meritorum illuminans carcerem, lætificans ciuitatem: fuga de cordibus noſtris, virtutum ſplendoribus tenebras vitiorum. O ſtella matutina, eò cæteris clarior, quo Deo vicinior, ſimilior ſoli, dignare præire nobis, vt & nos in lumine ambulemus, quaſi filij lucis, & non filij tenebrarum. O aurora dieſcens ſuper terram, ſed ſuperiores cæli plagas lux meridiana perluſtrans: recipe nos in conſortio luminis, quo illuminatus, & latè foris luces, & intùs ſuauiter ardes: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Num. 11.

4. Reg. 2.

S. Malachiæ encomion

Exſtant S. Bernardi ad S. Malachiam Epiſcopum Epiſtola. 315. 316. & 317.

HISTO-

HISTORIA BREVIS SANCTORVM MARTYRVM AGRICOLÆ ET VITALIS, EX ADHORTATIONE *B. Ambroſij Epiſcopi ad Virgines.*

An. 296.

I. QVi ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta ſecum referre conſueuerunt. Ego ad Bononienſe inuitatus conuiuium, vbi ſancti martyris celebrata tranſlatio eſt, apophoreta vobis plena ſanctitatis & gratiæ reſeruaui. Apophoreta autem ſolent habere triumphos principum: & hæc apophoreta triumphalia ſunt. Chriſti enim noſtri principis triumphi, ſunt martyrum palmæ. Nec verò huc dirigebam iter: ſed quia petitus à vobis ſum, debui mecum deferre, quæ alijs parabantur, ne minor ad vos venirem: vt quod in me minùs eſt, quã præſumebatur, in martyre plùs inueniretur. Martyris nomen Agricola eſt, cui Vitalis ſeruus fuit antè, nunc conſors & collega martyrij. Præceſſit ſeruus, vt præuideret locum: ſecutus eſt dominus, ſecurus quòd fide ſeruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Paſſio enim ſerui, domini diſciplina eſt. Hic inſtituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodò enim minui poteſt, quod Chriſtus donauit? Egregiè & ille, qui homini ſeruiuit, ſeruiendo didicit, quomodò Chriſto placeret. Hic tamen geminam laudem acquiſiuit, in illo magiſterij, in ſe martyrij. Certauerunt tamen inter ſe inuicem beneficijs, poſtquàm æquales eſſe meruerunt. Hic illum ad Martyrium præmiſit, ille iſtum acceſſiuit.

4. Nov.

Chriſti triumphi, martyrum palmæ.

II. NVLLVM ergò ad commendationem hominis conditio affert impedimentum: nec dignitas proſapiæ meritum, ſed fides, affert. Siue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus: & vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Nec ſeruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide, ad eam rem quàm nihil in conditione momenti ſit. Seruus, inquit, vocatus es? non ſit tibi curæ. Qui enim vocatus eſt in Domino ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Vide, inquam, vim Apoſtoli. Plus putatur dediſſe ei, qui ſeruus, quàm ei, qui liber vocatus eſt. Ex ſeruo enim libertus Chriſti fit, ex libero ſeruus. Sed nulli plus dedit, verùm vtrique æqualem menſuram dimiſit. Apud Chriſtum enim ſeruitus & libertas æqua lance penduntur, nec vllo diſcriminulo bonæ ſeruitutis & libertatis merita diuiduntur: quia nulla maior eſt dignitas, quàm ſeruire Chriſto. Denique Paulus ſeruus Chriſti Ieſu. Hæc enim ſeruitus glorioſa eſt, in qua gloriatur & Apoſtolus. An non ſumma gloria eſt, quandò tali precio æſtimati ſumus, vt ſanguine Domini redimeremur? ſed pergamus ad cætera.

Epheſ. 6.

1. Cor. 7.

Chriſto ſeruire, ſumma dignitas.

Rom. 1.

III. CVMQVE ſanctus Vitalis cogeretur à perſequentibus, vt Chriſtum negaret, & ille ampliùs profiteretur Dominum Ieſum Chriſtum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, vt non eſſet in corpore eius ſine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte, ſaluator meus & Deus meus, iube ſuſcipi ſpiritum meum: quia iam deſidero, vt accipiam coronam, quam Angelus tuus ſanctus mihi oſtendit. Et completa oratione, emiſit ſpiritum.

S. Vitalis omne genus tormentorum experitur.

IV. SANCTVS verò Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipſis etiam inimicis diligeretur. Ideoque differebant eius paſſionem. Sed hæc perſecutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quæ inuidebat martyrium. Denique vbi non acquieuit ſanctus Agricola, crucifixus eſt: vt aduertamus illas blanditias eorum, non ſedulitatis fuiſſe, ſed fraudis. Supplicio ſerui, dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Chriſtus in gratiam, vt martyrio ſerui, dominus inuitaretur. Vtriq; nomen aptum martyrio, vt deſignati ad martyrium ipſis vocabulis viderentur. Ille, Vitalis dictus eſt, quaſi qui contemptu iſtius vitæ, veram illam vitam æternam ſibi haberet acquirere: iſte, Agricola, qui bonos fructus ſpiritalis gratiæ ſeminaret, & ſacri ſanguinis effuſione, meritorum ſuorum omnium virtutumque rigaret plantaria. Sepulti autem erant in Iudæorum ſolo inter ipſorum ſepulcra. Ambierunt Iudæi cum ſeruulis ſepulturæ habere conſortium, quorum Dominum negauerunt. Sic & aliquandò Balaàm dixit: Moriatur anima mea pro animis iuſtorum: & tamen non communicauit eorum operibus, cùm viueret, quorum in animis cupiebat mori. Et iſti, quos viuentes perſecuti ſunt, mortuos honorabant.

S. Agricola crucifigitur.

Num. 23.

V. ILLIC igitur martyris exuuias requirebamus, tanquàm inter ſpinas roſam legentes. Circumfundebamur Iudæis, cùm ſacræ reliquiæ eueherentur: aderat populus Eccleſiæ cum plauſu & lætitia. Dicebant Iudæi: Flores viſi ſunt in terra, cùm viderent martyres. Dicebant Chriſtiani: Tempus inciſionis adeſt. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij ſeminauerunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterùm audientes Iudæi voces plaudentis Eccleſiæ, dicebant inter ſe: Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Vnde benè lectum eſt: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam: Dies diei, Chriſtianus Chriſtiano: nox nocti, Iudæus Iudæo. Indicabant ergò Iudæi quòd haberent ſcientiam martyrum, ſed non ſcientiam verbi: id eſt, non ſecundùm illam ſolius boni, & ſolius veri ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & volentes ſe iuſtificare, iuſtitiam Dei non receperunt. Detuli ergò vobis munera, quæ meis legi manibus, id eſt, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoſcitis. Certè & ipſi dæmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant precioſa monilium ſerta. Temporalis ille theſaurus eſt, & ſæpè habentibus pernicioſus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, vt plura fuerint vulnera, quàm membra. Clamare martyrem diceres ad populum Iudæorum, cùm clauos eius colligeremus: Mitte manus tuas in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Collegimus ſanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua ſancta eſt Iuliana, quæ hoc Domino templum parauit atque obtulit, quod hodiè dedicamus: digna tali oblatione, quæ in ſobole ſua templa iam Domino pudicitiæ atque integritatis ſacrauit.

Cant. 2.

Iohan. 4.

Pſalm. 18.

Rom. 10.

Ecce virtutis etiã clauos martyris colligit.

Iohan. 20.

Item crucis eius lignũ.

DE IISDEM SANCTIS MARTYRIBVS, EX GREGORIO TVRONEN. DE GLORIA MARTYRVM, CAP. 44.

I. AGRICOLA & Vitalis, apud Bononiam Italiæ vrbem pro Chriſti nomine crucifixi ſunt: quorum ſepulcra, vt per relationem fidelium cognouimus, quia nondùm ad nos hiſtoria paſſionis aduenit, ſuper terram ſunt collocata. Quæ cùm à multis, vt fit, vel tangerentur manu, vel ore oſcularentur, admonitus eſt æditus templi, vt immundi ab ijs arcerentur. Quidam audax atque facinoroſus opertorium vnius tumuli remouet, vt ſcilicet aliquid de ſacris auferret cineribus: miſſoque introrſùm capite, oppreſſus ab eo, vix ab alijs liberatus, confuſus abſceſſit: nec accipere meruit, quod temerario auſu præſumpſit: ſed cum maiori deincèps reuerentia, ſanctorum adiuit ſepulcra.

Pœnas temerarij.

II. ALIVS quoquè tributa publica deferens, ſacculum pecuniæ dum iter ageret, negligenter amiſit. Appropinquans autem ciuitati, recognoſcit ſe amiſiſſe publicum, quod ferebat. Tunc proſtratus corã ſepulcris beatorum, cũ lachry-

lachrymis deprecatur, vt perditum, eorum virtute reciperet, nè ipſe, coniunxque ac liberi, ob id captiuitati ſubige-
Nota miraculum. rentur. Egreſſus autem foràs in atrium, virum qui hanc pecuniam in via iacentem repererat, nactus eſt: ſcrutatusque
diligenter, illius horæ tempore hic ſacculum inueniſſe ſe dixit, quo iſte martyrum auxilium flagitauit.
HORVM reliquias Namarius Aruernorum Epiſcopus deuotè expetijt, vt ſcilicet eas in eccleſia, quam ipſe III.
conſtruxerat, collocaret: direxitque vnum illud presbyterum, qui abiens, cum Dei gratia, quæ perierat, detulit: re-
greſſusq́, cum ſocijs, in quinto ab Aruerna vrbe milliario reuertentes, metatum accipiunt, & ad Epiſcopum miſſos
Obſerua veterum erga ſanctorũ reliquias ſtudium, venerationem & cæremonias. dirigunt, vt eis, quid agant, iubeat ordinare. Manè autem facto, ſacerdos, admonitis ciuibus, cum Crucibus & cereis
ad occurſum ſanctarum reliquiarũ deuotiſſimus properat. Cumq́; ei presbyter offerret, vt beatas reliquias adſpice-
ret, ſi luberet: & ille, Mihi, inquit, magis eſt hæc credere, quàm videre ſic enim in ſcripturis legimus ſanctis, quia
ipſe Dominus eos beatos iudicat, qui eum cùm non viderint, crediderint. Hac itaque ſacerdotis fide pollente, Do-
minus ſanctos ſuos glorificat in virtute. Nam venientibus illis, ſubitò contenebratum eſt cælum, & eccè imber vm-
broſus atque teterrimus ſuper eos deſcendit: & tanta pluuia ibidèm eſt diffuſa, vt flumina per vias illas currere
cernerētur. Veruntamen circa ſancta pignora per vnum valdè iugerum neque vna gutta viſa eſt cecidiſſe. Et abeun-
Beati qui non viderunt, et crediderunt. Iohan. 20. ribus illis, pluuia eos à longè quaſi præbens obſequium, ſequebatur populum fouens, geſtatores autem pignorum
non attingens. Hæc videns pontifex, magnificauit Dominum, qui fidei ſuæ ſic fauens, talia ad ſanctorum gloriam
operari dignatus eſt Congregatis verò ciuibus, cum magno gaudio atque deuotione ſanctam eccleſiam, his illu-
ſtratam pignoribus, dedicauit.

AN. 800. *VITA, RES GESTÆ, ET CERTAMINA SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNICII ABBATIS: SINCERISSIME, TESTE BAronio, ſcripta ex Simeone Metaphraſte.*

4. Nov. Via virtutum ardua. VIAM, quæ ducit ad virtutem, ſciunt omnes eſſe aſperam, arduam & difficilem, idque apertè ipſa di- I.
ſcunt experientia. Et ideò multis quoquè indigent, quæ ad ipſam excitent, partim quidem exhor-
tationibus, partim autem vitæ quoque hiſtoria eorum, qui in illa priùs ſunt ingreſſi: quod etiam ma-
gis ad eam attrahit ſine moleſtia, & efficit, vt non deſpondeant animum propter difficultatem itine-
ris. Ei enim, qui viam eſt ingreſſurus aſperam & difficilem, ſuadens & adhortans quiſpiam minùs
perſuaſerit, oſtendens autem multos eam iam cōfeciſſe, & ad optatum tandem finem perueniſſe, ſic magis perſuaſe-
rit, vt prompto & alacri animo iter aggrediatur. Talem eſſe exiſtimo magni quoquè patris Iohannicij vitam, & lon-
gè iucundiſſimam, & longè vtiliſſimam, & quæ ipſa quoquè poteſt vel valdè ſocordem excitare ad ſtudium virtu-
tis. Dicantur ergò res illius, quoàd eius fieri poterit, & vobis pijs ac religioſis in medium proferantur, vndè ſcilicet
cœperit, & ad quem finem tandèm peruenerit. Sic autem habet:
Anno 819. QVARTODECIMO anno tyrannidis Leonis filij Conſtantini, qui etiam generis ſeriem traxit ex Iſauria, ad- II.
S. Ioannicij patria. mirabilis Iohannicius procedit ex maternis thalamis. Cui patria quidem fuit prouincia Bithynorum: vicus autē, qui
Parentes. vocatur Marycati, ſitus ad Borealem partem Apolloniadis: Parentes, qui factis ipſis veram reddebant appellatio-
nem, Myritzicius & Anaſtaſo. Erant enim tanquàm pulchram roſam iuſtum Iohannicium edituri pietati, qui à vita
2 Cor. 2. ad vitam, vt dicit Apoſtolus, euocabat multos vnguento pietatis, & à lapſu peccati faciebat ſurgere, & viam oſten-
debat ſalutarem, vt iam oſtendet oratio. Statim ergò ab ineunte ætate; cum ſenſilibus cibis aleretur & educaretur
vt puer, non diſciplinarum orbem & mundanam elegit ſapientiam: ſed eam, quæ ad eum adducit, & ei reddit fami-
Pſalm. 110. liarem, quæ eſt initium ſapientiæ, nempe Dei timorem, & eius mandatorum inſiſtere vigilijs. Proficiebat ergò in
Prou. 1. & 9. dies in virtute & diuina diſciplina, & pulchro augebatur incremento. Quid autem Dominus, qui eſt velox ad bono-
rum remunerationem? Nondùm magnus Iohannicius è prima ætate exceſſerat, & munus obiens, quod ei fuerat
Nota hic vim & efficaciam ſigni S. Crucis. mandatum à parentibus, in conſueta paſcua porcos immittens, ille quidem eos ſignabat figura Crucis, & ipſe con-
ſuetas preces Deo reddebat: Illi autem permanebant indiuulſi, nullo nec hominum, nec beſtiarum damno omni-
nò affecti, donèc veſperè reuerſus ſanctus, eos domum rursùs ageret.
CVM autem ille quidem iam exceſſiſſet ex ephebis, tunc cùm eſſet & corpore agilis, & adſpectu præ ſe fer- III.
ret ſpeciem hominis non ignaui, haberetur verò accuratus militum delectus iuſſu eius, qui tunc rerum potiebatur:
tunc hic quoquè vir admirandus, relatus fuit in numerum excubitorum. Erat autem exercitui quidem iucundus
propter moderationem: inimicis verò terribilis propter fortitudinem, vt qui eos ſæpè vel ſolo adſpectu in fugam
In militia viuit religiosè. verteret. Cùm ſe ergò ſic gereret, & tanti fieret ab exercitu, apud Deum adhuc pluris fiebat, quatenùs eius præcepta
ad vnguem obſeruabat. Hoc ergò videns malignus, & cùm aliam virtutem, tum eius cum Deo familiaritatem &
coniunctionem ei inuideret, in eum latenter comparabat inſidias. Quamobrèm cùm aliquandò hominibus com-
Labitur in hæreſin Iconomachorum. munem offudiſſet caliginem, vt non diuinis imaginibus eum, quem par erat, honorem tribuerent, peruenit etiam
vſque ad Iohannicium: capitque & expugnat hunc virum præclarum inter exercitatores, & inducit eum ad perni-
cioſam ſectam Iconomachorum. Ab illo autem tempore diuinis imaginibus non modò quem par erat, multi ho-
Hæreſis Iconomachorũ durat annos 57. norem non tribuebant: ſed nec earum quidem auditionem auribus omninò admittebant. Totis verò quinquagin-
ta ſeptem annis, figura à Chriſto ſuſceptæ humanitatis, crimini dabatur & contemptui habebatur ab ijs, qui pugna-
bant aduersùs imagines. Cum quibus fuit abductus & captus hic quoquè vir admirandus, & pauci fuerunt, qui ma-
ligni laqueum effugerint. Atque hæc quidem ſic ſe habebant: & Chriſti figura noſtræ ſimilis, proh dolor, deſpicie-
batur, & nihil omninò putabatur.
POSTQVAM autem huius † ſceleris operatores cum impietate miſerabiliter perierunt, & Roma- IV.
Irene Imperatrix reſtituit eccleſijs vſum imaginum. norum imperium tranſijt ad coniugem eius Irenem, quæ res Chriſtianorum tuebatur & habebat in honore,
etiamſi propter metum mariti, non poterat eo ſuperſtite liberè eloqui veram religionem. Cùm ea verò in im-
perio fuiſſet conſtituta, tunc ipſe quoquè Chriſtus, qui propter nos carnem induit, rursûs honorabatur figu-
ris, & exoptatæ ſanctorum imagines, in Eccleſijs, in foro, in populo cernebantur. Sed ne ſic quidem multi
huius Iconomachorum hæreſis acerbitatem eluērunt ex animis, ſed cùm temporis diuturnitate ad mali habi-
tum perueniſſent, ægrè ferebant ſe ab eo liberari. Quorum vnus erat hic quoquè præclarus Iohannicius: qui
non erat promptus nec velox ad mutationem, neque omni vento conuertebatur aut circumferebatur, ſed mo-
rum oſtendens grauitatem, etſi in re non laudabili, permanebat in ijs, quæ ſibi rectè opinari videbatur, &
diuinis imaginibus nullum cultum tribuebat. Deindè quid fit? Eum venatur egregius agricola, qui nouit ter-
ram animi vniuſcuiuſque, & is accipit ſemina fidei orthodoxæ. Quomodò autem?

† *Leonem Iſauricum, Conſtantinum Copronimum, & Leonem IV. eius filium Imperatores eorumq́; aſſeclas intelligit. Leoni enim IV. in Imperio ſucceſſit Irenes eius coniunx cum Conſtantino filio, quæ imagines Eccleſiis reſtituit. Vide Baron. an. 780.*

V. MITTITVR ab Imperatore ad Occidentem cum toto exercitu. Illinc autem reuertens, tranſijt per quandam partem Olympi, & nutu diuino iter fecit prope quendam ex monachis, qui in eo monte exercebantur. Deindè ille apparens ex ſylua, O fili, inquit, Iohannici, ſi magnum tibi eſt, inquit, Chriſtianum eſſe & nominari, cur Chriſti imaginem deſpiciens, efficis vt labor virtutis à te fruſtrà ſuſcipiatur? Hæc audiuit vir diuinus, & miratus eſt, quod ei euidentiſſimè dixiſſet de omnibus. Humi itaque cadens, petijt veniam, quòd ille ignorans fuiſſet ingratus in Dominum, & affirmauit ſe deincèps Chriſti imaginem & omnium, qui ei placuerunt, honoraturum cum omni propoſito. Ab illo ergò tempore, beatus ille ſatellitis officio fungens in veſtibulo regiæ, recubabat in nudo ſolo, eratque orationi intentus in ieiunio. Nam etſi conuiuia inibat cum alijs, cibum tamen non ſumebat vſque ad ſatietatem, ſed eatenùs, vt illis quidem non videretur ieiunare: corpus autem ei conſiſteret, & ad pernoctem illam inſeruiret ſtationem.

Iohannicius reſipiſcit ab errore Iconomachorum.

Humi cubat, orat, ieiunat.

VI. CVM ille ergò totos ſex annos his vacaret, egreditur gens Bulgarorum, Thraciam depopulans. Aduerſùs eos autem ducit exercitum, qui tunc erat Imperator Romanorum, magna & valida manu coacta, in quorum numero erat hic quoquè pietate planè iuuenis. Magnum itaque prælium fuit inter eos commiſſum, & ex exercitu Romanorum cadit magnus numerus. Quid ergò ille inter viros fortes magnus, & inter exercitatores pietatis maior Iohannicius? Erat tanquàm alius Dauid, alienigenas quidem perrumpens cum multis millibus: pluri̇mos autem liberans ex ijs, qui erant eiuſdem generis, adeò vt quidam ex illuſtribus Romanis machina quidem ex loris contexta caperetur à Bulgaris, is verò ea gladio diſſecta, à manu hoſtili hominem liberauerit. Hæc cùm tunc ipſe adſpexiſſet Imperator, & eius eſſet virtutem admiratus, cupiebat ſcire patriam, & quod eſſet ei nomen. Ille autem præter hæc docuit etiam ordinem militiæ. Imperator verò omnia ſtatim, nè memoria exciderent, ſcribæ iubet mandare ſcriptis, & magnificentia remunerationum, confirmauit defeſſam manum huius egregij militis. Hinc magis incitatus, vnum quendam ex inimicis, qui ſteterat in via anguſta, & multos occidebat ex Romanis, vir ille ſtrenuus, facto in eum impetu, illum priuauit capite, qui multis alijs capita abſtulerat. Sic aduerſùs hoſtes qui videntur, præclara facinora, erant ſignum trophæorum, quæ erat erecturus contra inimicos, qui non apparent.

Bulgari cæduntur exercitum Romanorum.

Iohannicij ſtrenuitas.

VII. VIDE autem, quomodò hinc ſuit deductus ad ſuſcipiendum contra illos certamen: & iam ad luctandum eſt aggreſſus, & grauis armaturæ mentem, abſtinentia à cibis & oratione pulchrè armauit. Nam cùm à pugna aduerſùs eos, qui cernuntur, hoſtes ſe ſenſim & paulatim dimouiſſet, & ſe deincèps collegiſſet, verſabat animo ea, quæ Dei virtute aduerſùs hoſtes fortiter geſſerat, & ſe poſteriori tempore dicebar acerbum illud damnum accepiſſe, quo Chriſti ſui imago in honore ab eo non habebatur, & telis pœnitentiæ ſauciabatur eius animus, & in hunc modum ſecum loquebatur. Oportuit me tali Domino ſeruire, & non ſolùm aduerſùs hos, qui cernuntur, inimicos: ſed etiam armari in eos, qui non cadunt ſub adſpectum. Quod quidem ergò habeo maximè in votis, nempe dari mihi tempus, in quo poſſim carnem ſubijcere ſpiritui, & ſoli Deo animum adhibere. Hinc ſe dedit totum ſolitæ orationi, & cùm vidiſſet montem, qui ſupereminet à dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam & amantem ſolitudinis.

Concipit animo vitæ melioris inſtitutum.

VIII. CVM veniſſet ergò in vrbē regiam, & valere iuſſiſſet ea, quæ ſunt in ipſa, oratoria & emigrationis poſtremam reddidiſſet adorationem, deſpicit quidem referri in numerum procerum Imperatoris: deſpicit autem maxima adipiſci, & pluris fieri, quàm vulgus. Deſpicit paternam affectionem, poſtponit viſcera matris, & cùm parùm congreſſus eſſet cum parentibus, profectus eſt ad iucundam quietem & ſilentium, cùm ſolos vigintiquatuor annos ſe pulchrè geſſiſſet in hac inferiori & mundana militia. In tranſitu verò cùm acceſſiſſet ad Agaurorum monaſterium, accipitur ab ijs, qui illic erant, monachis: & monaſterij Præfecto Patri Gregorio aperit ſuum animum, quòd ſcilicet amet vitam quietam, & quòd velit ſolus ſub Deo viuere, omnem humanam vitans conſolationem. Ille autem laudat quidem propoſitum: ſed hæc dicebat conuenire ijs, qui verſati ſunt in diuturniori exercitatione, & ad eius habitum quodammodò peruenerunt. Ego verò tibi conſuluerim, non eam primò vitam eligere, quæ eſt remota ab omni hominum ſocietate: ſed cum viris pijs & monachis te priùs coniungere, & diſcere tempus & ordinem orationis. Deindè obedientiam doceri & modeſtiam: & ſic ad vitam accedere anachoreticam, nè ſi ad eam irrueris priuſquàm didiceris, cùm te oporteret ferire, feriaris: & cùm ſuperare, ſupereris miſerabiliter.

Anachoreſis & ſolitudo quibus expetenda.

IX. HÆC cùm ille monita audiuiſſet, illinc quidem receſſit: cùm veniſſet autem veſpera, hoſpitio excipitur à quodam viro pio & religioſo, vt qui pulchrè cognoſceret huiuſmodi habitacula, & caueret, nè vnquàm diuerſaretur in ædibus alicuius, qui eſſet diuerſæ à recta ſententia. Cui cum animum aperuiſſet, quoniam erat adhuc omninò ignarus literarum, abducitur ab eo in quoddam propinquum monaſterium, quod vocabatur Vrotelas: & cùm in eo didiciſſet ſolam elementorum inſtitutionem, cùm intellexiſſet hoc monaſterium eſſe tumultu plenum, aſcendit ad aliud monaſterium, quod dicitur Antidij: & cùm illius Præfecto ſuum declaraſſet propoſitum, docetur ab eo, cuiuſmodi ſit palæſtra in diuinis certaminibus, deprimere ſcilicet cogitationes, & omnem altitudinem, quæ extollitur aduerſùs Dei cognitionem. Cùm duos autem annos in eo perſeueraſſet, & Dei patris Dauid hymnorum triginta pſalmos didiciſſet, & oſtendiſſet ſatis validas eſſe eorum anſas aduerſùs omnem inſultum aduerſarij, paulò poſt inceſſit eum deſiderium tranſeundi ad montem, qui ſupereminebat. Totos ergò ſeptem dies vacans orationi, petebat vt ſibi appareret certus dux viæ, quam deſiderabat. Septimò autem die, audit hic nouus noſter Moſes vocem deſupèr iubentem, vt parùm accedat ad montem, & aſſequatur id quod deſiderat.

Diſcit prima elementa Iohannicius.

Audit vocē diuinitùs lapſam.

X. CVM ergò ille hanc audiuiſſet, acceſſit ad montem, & quemnam locum inueniret aptum ad ſuam habitationem, vndiquè circumſpiciebat. Aſcendens ergò in montem, incidit in duos monachos, quibus tunicæ quidem erant confectæ ex pilis, victus autem erat ex herbis, quæ illic naſcebantur, & tantus, vt ſolùm poſſent viuere, & vt tanquàm angeli in terra viuerent cum corpore. Eis ergo communicauit ea, quæ animo verſabat & meditabatur. Illi autem poſtquàm preces ſolitas Deo pro eo obtuliſſent, ſigillatim narrârunt de omnibus, quæ interrogabat, adijcientes quod poſt quinquageſimum annum exercitationis, & circa ipſum finem vitæ, ei inferetur tentatio: eſſe autem inuidos & malignos eos, qui eam ſunt illaturi. Sed illis quidem labor in caput eorum conuerteretur: Tu autem, dicebant, nihil graue patiens, quod etiam poſteà deductum eſt ad effectum, quomodo etiam ſuo tempore declarabit oratio. Sed cùm hæc prædixiſſent, & tunicam (eam lebetonarium vocat lingua illius regionis: eſt autem ex pilis contexta) ei tradidiſſent, receſſerunt. hoc aduerſùs omnes inſidias & inſultus fuit ei arma inexpugnabilia & fortiſſima, vt ille narrauit poſteà. Deindè cùm illinc emigraſſet in montem, qui vocatur Cichalix, degebat ſub dio & abſque vllo tabernaculo.

Duo monachi egregij Prædicant Iohannicio futuras tentationes eius.

Iohānicius viuit ſub dio.

XI. CVM Gregorius autem, de quo priùs diximus, Sancto rude excitaſſet habitaculum, vt eſſet ei paruum tegumentum ab imbribus & niuibus, ſe in eo incluſit. Sed quoniam multi illuc accedebant, eum conuenire cupientes, & illi gratum & familiare ſilentium interrumpentes, illinc diſcedens in quendam vicum Helleſponti, in quodam monte nemoroſo & aditu difficili ſe collocat: in quo cùm foramen quoddam anguſtum & profundum ſub terrà fodiſſet, in eo manebat, nuſquàm progrediens, non habens coruum cibi ſuppeditatorem, ſicut Elias: ſed cuidam caprarū paſtori hoc committens, vt ille viciſſim ab eo maiora acciperet. A quo quidem paſtore ipſe ſingulis menſibus

Degit in ſpecu. 3. Reg. 17.

panegy

Mira eius abſtinentia.

panem & aquam tanquàm quoddam planè nouum accipiebat epulum. Tres totos annos ſilentio in eo tranſigens, precationis quidem curam gerebat & hymnorum ad Deum noctù & interdiù Erat autem hoc eius opus, deliciæq́; & conſolatio. Hæc verba in ore habebat veluti quoddam condimentum, quæ aſſiduè ab ipſo canebautur: Spes mea Deus, refugium meum Chriſtus, protectio mea Spiritus ſanctus. Quocircà licet videre multos hoc pulchrum dictum ab illo acceptum, in ore ferre perpetuò.

Agnoſcitur à quodam ſibi familiari.

Fugit ad alias latebras, nolens agnoſci.

Cvm ſic ergò ſe haberet, & extolleretur talibus cordis aſcenſionibus, voluiſſet autem aliquandò venire in XII.
quandam domum oratoriam ex ijs, quæ illic erant, in qua multi erant congregari ex prædijs, quæ erant circumcircà, accidit vt conueniret etiam quidam ex eius commilitonibus, qui cùm hunc magnum vidiſſet inter exercitatores, & ipſum non ampliùs eſſe exiſtimâſſet, ſtatim eſt recordatus veteris illius ſui familiaris & amici Iohannicij, illius vultûs effigiem & ſtaturæ magnitudinem reputans, etiamſi longa illa inedia, & voluntaria in lacu incluſio, multa deſtruxiſſet ex ijs, quibus poterat cognoſci. Stabat ergò, illum perfectiùs memoria repetens: is autem ei magis magiſque ille eſſe videbatur. Poſtquàm verò in eum oculis curioſiùs coniectis, re vera cognouit hunc illum eſſe amicorum & familiarium amiciſſimum Iohannicium, eius ſtatim collum circumdans ardenter complectebatur: apertè oſtendebat, ſe pendere ab illius anima, ei lachrymæ diſtillabant præ gaudio, & in memoriam reuocabat veterem conſuetudinem. Deindè ille quidem excurrit, reliquis ſocijs rem volens ſignificare: Iohannicius autem volens magis latére, peruaſit in montes Contutiæ, in quibus degebant feræ, ſeorsùm cum Deo congrediens.

Nota ſancti viri cultum externum.

Tranſit flumen, nihil madefactus.

Cvm tunc autem fortè fortuna veniſſet in ædem oratoriam, incidit in virum quendam & mulierem, qui conuenerant vt feſtum patrium peragerent. Qui cùm ſanctum vidiſſent, in primo occurſu, illo inſolito & terribili eius ſpectaculo obſtupefacti, ne potuerunt quidem interrogare quiſnam eſſet, nec omninò cum eo conferre ſermonem. Erat enim vir ſatis quidem iuſtæ magnitudinis: pannis autem obſitus, & nudis incedens pedibus, & totus capillatus, & coma mirandum in modum promiſſa. Illi ergò cùm ſanctum ſic vidiſſent affectum, affecti ſunt timore. Ille autem placida & miti voce iuſſit eos eſſe bono animo, & ab illo timore recreauit Deinde eos rogauit, quænam eſſet via, quæ rectà ferret. Illi verò dixerunt antè fluuium fluere, qui non erat tranſitu facilis, & tunc maximè, cùm tam multi imbres ad eum affluxiſſent. Tunc enim acciderat, vt vehementer plueret, & ideò reſtagnaret fluuius. Ille autem cùm circa mediam noctem ſurrexiſſet, (O pedes ſpecioſos, ô ingreſſum illum admirabilem!) aquam aſcendit, nec fuit madefactus, & tranſmittit in continentem, quæ erat ex aduerſo. XIII.

Nota res miras.

Illinc autem venit in templum magiſtro Chriſto dilecti diſcipuli, quod erat Epheſi: ei autem ſtatim ſua XIV.
ſponte apertæ ſunt portæ illius templi. Ille verò ingreſſus, cùm Domino ſuas preces reddidiſſet, rursùs egreditur: & cùm eſſet egreſſus, protinùs clauduntur portæ, & rursùs conuertitur in Conrutiam, & conuenit quaſdam monachas, matrem, inquam, cum filia. Quarum filia quidem iam erat deſeſſa libidine: mater autem ſtudebat admonitionibus motus eius carnis comprimere. Cùm in eas incidiſſet ſanctus, & propter puellæ vitium eſſet animo perturbatus, puella ad ſe vocata, iubet eam manum ſuam collo illius imponere. Quod quidē cùm factū fuiſſet vt iuſſerat, rogauit vt puella quidem liberaretur à malo, quod eam vexabat: in ſe autem graue illud malum recideret. Atq; illa quidem liberata à bello carnis, ordini monacharum ſe, vt priùs, reſtituit: In ſanctum autem graue illud bellum excitabatur. Cùm autem intelligeret turpes cogitationes eum ad facta non honeſta impellere, inuenit draconem quēdam ex ſerpentibus in quadam, quæ illic erat, ſpelunca, & ſeipſum ſtatim præbet ab eo exedendum, vel per vim cogens inuitum eius corpus tangere. Malebat enim mori, quàm animi ſui nobilitatem voluntati carnis eſſe mancipatam. Atque ille quidem ſe præbuit draconi: malæ autem cogitationes, quæ ſunt ſemina draconis, qui cadit in intelligentiam, protinùs receſſerunt: & ſi qua voluntas carnis ei exhibebat moleſtiam, ea quodammodò tota flacceſcebat & morte afficiebatur. Simul autem morte quoquè affectum fuit ſtatim ipſum animal: & exhinc aduersùs omne genus feras, tam quæ ſub adſpectum cadunt, quàm quæ non cadunt, data eſt poteſtas decertatori.

Liberat monacham a carnis tentationibus, & eas in ſe recipit.

Nouum genus domādæ libidinis.

Interficit maximum ſerpentem.

* ſor. dracone.

Aliqvando enim ille quidem Dauidis pſalmos dicebat memoriter: mouebatur autem quidam aceruus XV.
lapidum, & ſancti ad ſe attrahebat oculos. Cùm ergò quendam maximum ſerpentem punicei coloris ex eo vidiſſet apparentem, & quam in manu habebat, virga eum percuſſiſſet, eum nihil ſpirantem reddidit, & morte affecit. Deindè rursùs quoquè tempore hyberno ille quidem ſubterraneam quandam & obſcuram ſubit ſpeluncam: In ea autem habitabat draco, vt qui ſpelunca vteretur pro cauerna Lucebant verò draconis oculi, & videbatur beatus pater ignem intueri. Neque enim priuſquàm eſſet expertus, putâſſet vnquàm draconem ineſſe in ſpelunca. Cùm ergò viſum ſibi eſſet ignem in ſpelunca accendere, ligna collegit, & draconis oculis impoſuit, ea volens accendere propter tempus hybernum. Cùm is autem excuſſiſſet ea, quæ fuerant impoſita, intelligens pater eſſe beſtiam, non fuit ignauo nec abiecto animo, nec vllo timore eſt affectus, ſed paululùm declinans ad dexteram ſpeluncæ, nullum malum paſſus, verſabatur ſimul cum * dæmone.

Induit habitu monaſticum cum ſolitis precibus.

Agebatvr verò iam duodecimus annus, ex quo morabatur in ſolitudine homo Dei: venit autem ad eum XVI.
à ſuperis prædictio, vt illinc quidem migraret, habitaret autem in monaſterio, quod vocatur Eriſte, & habitum indueret monaſticum. Nam cùm tanta eſſet virtute, nondùm veſtem induerat monaſticam: ſed adhuc magnorum monaſtici habitûs certaminum erant ea, quæ dicta ſunt, præexercitationes. Venit itaque æſtate ad prædictum monaſterium, & Stephano Præfecto monachorum, qui in eo erant, aperit reuelationem. Ille autem poſtridiè nihil cunctatus, ſolitas fundit preces, & ſacras dicit orationes, & eum veſte induit monaſtica. Tali ergò habitu monaſtico indutus, qui erat monachus vel ante habitum, aut etiam ſupra monachos, & à certaminibus ſe parabat ad certamina, & à laboribus procedebat ad labores, ſe includit in loco, qui vocatur Critama, & ſe ligat catena, quæ erat longa ſex vlnas.

Signo Crucis & precibus interficit draconē.

Nouit cogitationes ſuorum fratrum.

Iam autem erat tertius annus, ex quo in eo degebat, & cùm ei viſum eſſet ire ad Chelidonem, vt conueniret XVII.
virum quendam virtute inſignem, (erat autem is magnus Georgius) veniſſet autem ad fluuium Goram, incidit in draconem; qui cohibebat aquæ fluentum, & tranſitum ei irrumpebat. Et eum quidem precatione & ſigno Crucis mortuum ſtatim tradit aquis. Tres autem annos cum magno verſatus Georgio, cùm ab eo totum didiciſſet Pſalterium, abit rursùs ad paſtorem Antidij, cum Pachomio diſcipulo. Et cùm illinc rursùs veniſſet in monaſterium Agaurotum, aſcendit cum alijs monachis in montem prope ſitum, vt eſſent ſpectatores domus, quæ in eo ædificabatur. Conſtruebatur enim in eo monte quoddam habitaculum ijs, qui erant in monaſterio, quod & volentibus maiorem conciliabat quietem & ſilentium, & perfectiorem cum Deo coniunctionem. Cùm ergò veniſſent in montem, hircus inſignis magnitudine, alicunde è gregre apparuit. Iraque qui cum hoc beato patre erant monachi, cùm vidiſſent hircum, & eos inuaſiſſent humanæ quædam cogitationes, animo verſabant, quonam modo eum caperent, & vt illius pellem in vtrem transmutarent, maximi faciebant. Cùm in eo ergò inhabitante ſpiritu cognouiſſet pater ea, quæ erant in mente monachorum, vnum ex ijs, cui nomen erat Sabas, ad ſe vocans, iubet hircum ad ſe adducere. Illo verò interrogante, ſi in fugam fuerit conuerſus, quomodò eum comprehenderet: Vade ſolùm, ô frater, inquit ille magnus: ille autem lubens veniet, & te ſequetur. Conuerſus verò ad alios monachos, rogauit an hirci pellis eſſet apta ad vtrem componendum. Illi autem, Maximè, inquiunt: & antequàm hoc diceres,

nos

nes id cogitabamus. Interim autem ductus fuit hircus à mona..ho S..., & pater vel in verbis oſtendens benignitatem, tranſmittit rurſùs pecudem ad ſua paſcua, non ſolùm hunc commiſcrationem, ſed etiam amputationem docens ſuarum voluntatum.

XVIII. In hoc autem monte verſans, ijs etiam, qui genere attinebant ad Imperatorem, (Nicephorus verò tunc Romanum adminiſtrabat imperium) prædicit eius mortem paulò pòſt eſſe venturam. Nono ergò anno eius imperij erumpentes Hunni, Thraciam populabantur. Satis autem magno coacto exercitu, Imperator quidem eos priùs vicit: Poſt hæc verò, coactis copijs, Hunni vexauêre Romanos. Quo tempore ipſe quoquè Imperator ſauciatus, cum imperio ipſam quoquè finit vitam: ſceptrorum autem & imperij hæredem filium relinquit Stauracium. Cum eſſet ergò Stauracius in imperio conſtitutus, ij, quibus de morte Imperatoris Nicephori ab admirabili Iohannicio priùs fuerat ſignificatum, paulò pòſt quàm Imperator deceſſerat, recordati eorum, quæ prædicta fuerant, acceſſerunt rurſùs ad hunc magnum patrem, & rogârunt de filio eius Stauracio, an ſit longo tempore victurus in imperio. Ille autem prædixit rurſùs quoquè celerem mutationem, & vt aiunt, rem eſſe in acie nouaculæ. Breue tempus interceſſit, & imperio tranſlato ad Michaëlem generum, euenerunt ea quæ prædicta fuerant. Hic autem Michaël antequàm perueniret ad imperium, dignitatem habebat procuratoris palatij. Non multo itaque pòſt tempore Hunni rurſùs in Thraciam faciebant incurſiones. Itaque Imperator erat valde ſolicitus, quonam modo & eos graui inuaderet exercitu, & quemadmodùm eos malè haberet. Interim autem ille quidem Leonem Armenium præfecit orienti: Leo verò, qui iamdiù maximo amore tenebatur imperij, hoc ſolum animo verſabat, quomodò eo potiretur: & quicquid non ad id tendebat, id paruum exiſtimabat & non magni momenti.

Anno 811. Anno 811. Nicephorus Imperator ab Hunnis occiditur, vide Baron. anno vbi ſupra. Michaël Curopolates obtinet imperium, vide Baron. anno vbi ſupra.

XIX. Cvm ergò rurſùs bellum exortum eſſet aduerſùs Hunnos, & nec primò quidem cum eis conflixiſſet Armenius, ſua ſponte tergis datis, Romanos affecit dedecore: vt ſimul quidem & Michaël maculam inureret, & eum graui afficeret animi ægritudine. Cùm ergò Leo hoc conſilium cepiſſet, & id feciſſet, fraudeq́; & ſimulatione conciliâſſet animos militum, perſuaſit vt eum ſolum ſpectarent, & in eo ſolo ſpem ſalutis collocarent, vt qui imprudentiùs & inconſideratiùs in his rebus ſe gererent, & bonis, quæ habebant in manibus, ſtultè præferrent ea, quæ expectabantur. Leo ergò cùm induiſſet perſonam beneuolentiæ in Imperatorem, ſimulabat ſe eum maximi facere & colere. Poſt illam autem cladem ab ipſo de induſtria & voluntariè conceptam, cùm reuerſus eſſet Michaël Byzantium, illo tēpore proferens, quod iamdiù parturierat, & qui intùs erat, Leonē aperiens, ijs relictis, qui Romanorū agros populabantur, quam maxima potuit celeritate armatur aduerſùs ſuos, & ab ijs, qui aderāt, renūciatur Imperator, & ad omnium clariſſimā peruenit ciuitatē. Michaël verò vel inuitus ei cedit imperio, cū iureiurādo ab eo accepto ſibi priùs cauiſſet, & fide dignis, vt putabat, promiſſis ſe muniuiſſet, quòd ei cum vxore & liberis permitteret agere vitā priuatā. Idem teſtatur Cedrenus in Annal. conſule Baron. anno vbi ſupra.

Anno 813. Leo Armenius fraude occupat imperium.

XX. Ille autem cùm primùm aſcendit ad imperium, veluti omnium oblitus, & nihil curans eorum, quæ Deo teſte iurauerat, primùm quidem Michaëlem & eius coniugem condemnat exilio: paulopòſt verò, habitu monachorum vel inuitos induit. Non euſquè autem conſtitit: ſed etiam paucis pòſt diebus eos à ſe inuicèm ſeparauit, nec eos ſimul habitare ſiuit in regione, ſed illum quidem in vnum locum, hanc verò in alium relegauit. Vide autem, quò procedat improbitas poteſtatem conſecuta. ſtatim enim qui & nomine & moribus erat bellua, in ipſum, proh dolor, Chriſtum & eius imaginem rabie exagitatur, multis afficit ſupplicijs veræ pietatis adoratores, ab ijs, quæ habebant, alienans & exterminans, quòd non Chriſti & eius ſanctorum imaginem cum ipſo conculcare in animum induxiſſent. Quamobrèm Nicephorum quoquè ſanctiſſimum Patriarcham, ſi non à ſacerdotali deponeret functione, graue eſſe putabat, & ſua amentia indignum & importunitate. Propterea ergò tum à ſede dimouet, qui verè erat dignus qui regeret, quoniam nec luci quidem conueniebant tenebræ. Theodoto autem ex Natolia, cui erat cognomen Meliſſenus, vt qui eſſet eiuſdem ſententiæ & moribus ſimilis, introducto, replet Eccleſiam magna abominatione.

Perfidia eius in Michaële, &c. Anno 814. Perſecutionem mouet, teſte Bar. in ann. Theodotus Meliſſenus Iconomachus, fit ab eo Epiſcopus Conſtantinop. Vide Baron. anno vbi ſupra.

XXI. Illo autem tempore cùm per montes Pruſenſium magnus hic pater ſe exerceret, Gurias quidam, qui ipſe quoquè erat vnus ex ijs, qui vitam ſuſceperant anachoreticam, & videbatur præſtare alijs in monachorum certaminibus, & ſummus exercitator & amator virtutis ab omnibus exiſtimabatur & nominabatur, & cùm quis dixiſſet Guriam, adijciebat etiam exercitatorem, vtpotè quòd hinc magis agnoſceretur, quàm ex nomine proprio. Is cùm videret ſe longè abeſſe à vera virtute Iohannicij, & venerandam illam exercitatoris appellationem ad eum tranſire, et diſſecabatur & laniabatur animus inuidia. Dum autem inuidiam parturiret, cædem peperit. Quomodò autem, declarabit oratio. Ea enim verſans in animo, & quærens ad effectum deducere id, quod meditabatur, cum ſancto de induſtria ſtudet vitam agere. cùm magnus Iohannicius propter maximam animi ſimplicitatem, Guriam ſupinis, vt dicitur, manibus accepiſſet & foueret. Ille autem in principio quidem magnam ſimulat pietatem, & erat virtutis hiſtrio præſtantiſſimus. Cùm non aliò autem ſperaret, quàm vt latenter inuidiæ gratificaretur, ſub ſpecie propinandi, ſancto venenum porrigit, cùm ipſe priùs bibiſſet longè acerbius inuidiæ & malitiæ. Inſidioſum autem ſic epotum poculum, ſanctū multis affecit doloribus: ſed qui per eum colebatur Dominus, non paſſus eſt eum diù vexari, nimis gloriaretur vitium aduerſus virtutē. Sed in ſomnis miſſo præclaro inter martyres Euſtathio, ei donat priorem habitum & ſanitatem. Ille autem in honorem eius, quod tunc factum fuerat admirabiliter & præter opinionem, ædem oratoriam extruxit & monaſterium: quod quidem extat vſque in hodiernum diem. Neq; enim ad liberationem ſolum à doloribus fuit ille dulcis ſomnus, & lætus ille aduentus martyris, ſed ad maiorum miraculorum ſimul & rerum principium & fundamentum.

En quid pariat inuidia. Extruit vir ſanctus eccleſiam S. Euſtathio martyri.

XXII. Aliqando enim in quadam nocte ille quidem volebat neceſſariò dare corpus quieti, vt ſe recrearet, promptiorique & alacriori animo rurſus labores aggrederetur. In quodam autem loco, qui illic vergebat ad Orientem, non in ſomnis, ſed re vera videt aquam emitti copioſam & perſpicuam, & multas cæcas pecudes illic ſtare, & ex ea bibere. Et ille quidem deſiderauit ſcire, quidnam ſibi vellet viſio. hoc verò ſolum reſciuit ab ijs, qui in ea regione habitabant, quòd in eo loco prius ædificatum fuerat templum Dei genitricis. Cum itaque veniſſet ad locum, qui ſibi apparuerat, aquæ quidem fontem non inuenit: cum eum autem vidiſſet benè eſſe ſitum & pulchrum, & alioqui aptum ad Domini domum ædificandum, in eo pulchrum templum excitat, & conſtruit monaſterium, cum non pauci illic ſe totondiſſent, & ad certamen ſpiritale ſe prompto & alacri animo præparâſſent, & ab illo erudirentur ad virtutem. Sanctum ergò non fefellit viſio. Non enim oſtendit id, quod factum fuerat, ſed id quod erat futurum. Nam quòd in loco quidem, qui apparuerat, fuerit habitaculum matris Domini noſtri, teſtabantur multi, qui ipſis hoc viderant oculis. Oues autem & aqua ſcaturiens, illæ quidem ſignificabant ſanctos, qui templo aſſidebant: hæc autem ſuauiſſimum illud fluentum eius doctrinæ. Quòd eæ verò eſſent orbatæ oculis, id oſtendebat animæ eorum cæcitatem.

Viſio S. Iohannicij. Conſtruit templum & monaſterium.

XXIII. Interim autem dum Dei excitabatur habitaculum, erupit quidem pluuia: ſerpentes autem emiſſi è terra, morſibus prohibebant eos, qui in illo laborabant. Sed ille quidem ſtatim manus tollit ad cælum, Deum rogans: nubium autem craſſitudo mutata eſt in ſummam ſerenitatem, & qui operi erant intenti, manebant illæſi à nocu-

Præclara miracula edit.

mento

mento morſuum. Quo quidem tempore, ſancto quoquè pro viribus opem ferente iјs, qui ædificabant, & ad tollen-
dum lapidem manum porrigente, vipera emerſit è lapide, & manum apprehendens, ab ea diù pependit, & immiſit
Actor. 28. ei totam veneniaceitatem. Sed nobis apparuit alter Paulus, etiamſi non primus chori Apoſtolorum, ſed eorun-
dem, quibus ille, donorum poteſtate præditus. Nam ille quidem manum concutit: acerba verò illa vipera humi ca-
dit, & erat ei manus illæſa, adeò vt non appareret, an fuiſſet omninò percuſſus. Sed non eouſquè conſtitit vehemens
eius contentio & ſtudium, in ædificandis ædibus oratorijs, ſed etiam opem tulit iјs, qui ædificabant, & poſt ædifica-
Pſal. 24. tionem conſeruabat omnino ſuis precibus illæſas ædes quas ædificauerat, habens perpetuò oculos ad Dominum,
qui eſt eorum, qui ipſum timent, vires & firmamentum, euellens quidem è laqueo pedes eorum, non tradens au-
tem in manus eorum qui affligunt, neq; dedecore afficiens eos, qui ſuſtinebant: quomodo licet videre in eo, quod
eſt nobis propoſitum ad narrandum. Ipſum enim eduxit in tantam latitudinem ab afflictione, & ita leuauit grauita-
te corporis, vt quodam tempore ſuæ orationis, in ſancto templo mentem ſuam omnino intendens ad ſublimiorem
Inter orandū corpus eius ſurſùm attollitur. contemplationem, ſublimis cerneretur & elatus, & ne terram quidem omnino tangens, tanquàm qui ad ſupernam
vocaretur conuerſationem, quam ille deſiderabat.

QVIDAM enim Euſtratius nomine, qui eandem vitam quam beatus exercebat, magno in eum erat zelo af-
Euſtratius ſtudet eius imitari vitā. fectus, & incitabatur ad eius imitationem: & maxim faciebat videre ea, quæ fiebant à ſancto. Eum ergo aliquandò
ſecutus cùm eſſet, preces conſuetas Domino redditurus, cùm ſe, vt potuit, abſcondiſſet, nè ab illo videretur, & ibi
permanſiſſet toto tempore precationis, ſtupuit quidem, quòd adeò ardenter & vehementer eſſet intentus oratio-
ni: ſtupuit autem etiam, quòd res diuina in eum oſtenderetur: & quòd non ſolum ſpiritu, ſed etiam corpore ſub-
limis ab eo cerneretur, & aſſurgens à rebus terreſtribus. Hoc ergò cùm cognouiſſet ille beatus, tantum abſuit, vt
eum propterea laudauerit, vt eum etiam curioſum aliquid feciſſe ſit ſuſpicatus, & grauiter increpauerit, dicens:
Pſalm. 5. Non habitabit iuxta te malignus. Ita ſtudebat ſeorsùm inuocare Dominum. Quænam autem fuerint deincèps præ-
clarè ab eo geſta, ad ea iam tranſit oratio.

MVLIER quædam cum eam in orbem multi circumdediſſent & inuaſiſſent dæmones, & eam ad turpia irri- XXV.
tarent deſideria, cùm neſciret quanam ratione vitaret periculum, confugit ad Iohannicium, qui erat promptus ac
paratus ad eam defendendam: & ei renunciat dæmonum inſidias, & eo vtitur adiutore contra aduerſarios. Ille au-
tem precatus eſt Dominum, nè mulier amplius vexaretur à dæmonibus: bellum verò in ſe conuerteretur, & illa li-
beraretur ab animi perturbatione. Confidebat enim ſe poſſe eorum ſuſtinere impetum, cùm haberet manus doctas
Magna vis precū eius contra dæmones. ad bellum, & ad arcum æneum compoſita brachia. Ille ergò ſtatim quidem precibus tanquàm telis dæmones con-
fixit, cùm nec primum quidem eius impetum ſuſtinuiſſent. Mulier autem fuit liberata ab animi perturbatione, &
domum reuerſa, Deo vniuerſorum, & eius ſeruo Iohannicio, acceptam aſſcribebat ſalutem.

QVID ergò, qui omnia audent, improbi & malitioſi dæmones? Non ſatis duxerunt ſe fuiſſe ſemèl affectos i- XXVI.
gnominia, nec eis ſuffecit ſemel fuiſſe victos: ſed miſſis inſidijs, quæ ſtructæ fuerāt in fœminam, ſanctum aggrediun-
tur, & quæ aduersùs illam fabricantur, ea per turpes cogitationes ei contrà inferre conabantur. Quibus cum is ab
initio dominari, non ſeruire, didiciſſet, vt qui eſſet vndiquè munitus armatura iuuenilium certaminum, eos ruſsùs
vincit, & eorum machinas ad nihilum redigit. Non hic autem ſolùm, neq; propter ea, quæ priùs diximus, decertat
aduersùs malignum genus dæmonum: ſed etiam puerum, qui aliquando ab iјs intempeſta nocte in montibus ne-
Nota tem ... morofis & inuijs deducebatur & trahebatur, & iamiam erat ab eis è præcipitio deturbandus, apparens Sanctus (erat
enim, ſi vel ſolùm eis appatuiſſet, terribilis) liberauit ab inſidijs, & deduxit in viam rectam.

CVM ergò ſic peragerret exercitationem, & inimicos, qui intelligentia apprehenduntur, facilimè proſterne- XXVII.
ret, erat in ore omnium, alio quidem narrante eius, quæ in exercitatione verſabatur, vitam laborioſam: alio autem
ſimplicitatem, & in ſermonibus ſoliditatem, & magnam vtilitatem: in exercitatione verò grauitatem & conſtan-
tiam: alijs autem enunciantibus eam, quam in dæmones habebat poteſtatem. Ille enim & verbis multa efficiebat,
& valebat precibus. Cùm ergò hæc ſe ſic haberent, & tam multa de eo dicerentur, multos habebat illuc acceden-
1 Theſ. 5. tes & interrumpentes exercitationem. Deus enim eum poſuerat ad acquiſitionem ſalutis, vt magnus dicit Apoſto-
lus, vt qui in ipſo viueret, & vigilaret & dormiret. Quamobrem aliquandò quidem liberabat accolas à nocumento
Signo Crucis interficit ſerpētes & feras. ſerpentum & ferarum, eas interimens & de medio tollens, partim quidem virga ſua, partim autem ſigno Crucis:
aliquandò verò à dæmonum inſidijs & tyrannide liberabat eos, qui in eos incidebant, vt qui à Deo accepiſſet con-
currentem cum voluntate potentiam. Cùm ergò didiciſſet, quòd quæ eſt in ſolitudinibus moleſtia, parùm aut ni-
hil differt ab vrbium tumultibus, diligenter, conuenienter Domino, bonum perſequens ruſsus migrat in montem
Thricalicis, ardentiùs & fortiùs adhuc ſeipſum recreans, & ipſe ſeipſo quodammodò effectus magis ſtrenuus ad
certamina ſpiritalia.

NEMO autem hæc audiens de magno inter exercitatores, inaniter cogitet, quòd non eſt veriſimile eum vbi- XXIIX.
què adeò refulſiſſe, qui animo præceperat in ſanctas imagines impietatem, & eas aliquo tempore noluerat honora-
re. Si quis hoc admiratus fuerit tanquàm incredibile & contra opinionem, is quoquè prodigioſa exiſtimauerit, quę
Actor. 9. facta ſunt à piſcatoribus orbis terræ, & præ cæteris à Paulo, qui priùs fuit perſecutor Eccleſiæ. Ad gratiam autem vi-
Iohan. 14. debitur etiam dictum eſſe à Domino illud, Qui credit in me, opera quæ ego facio, ille quoquè faciet. Vbi autem po-
Matth. 17. nes illud quoquè: Si habetis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti: Tranſi, & tranſibit: Si hæc ergò ſunt
euidens & certa veritas: ea etiam, quæ ſunt omninò facta ab hoc viro admirabili, ſunt aliena à mendacio. Sed e-
Viuit ſub dio. nim redeamus, vnde digreſſi ſumus. Cùm fuiſſet in hoc monte Trichalicis, non extendit tabernaculum, non fixit
tugurium, ſe ſub dio & ſine domo vitam agere conſtituit, vt qui magnifico tecto vteretur cælo. Sed ne ſic qui-
dem viuens latuit, ſed Euſtratius quidam ex monaſterio Agaurorum, eius amore captus, cum non poſſet manere in
regione, (eum enim cogebat amor ille diuinus, & quod valdè eum inflammaret ſtudium ſanctarum imaginum)
cum ad eum acceſſiſſet, & nihil amplius expectâſſet, quàm conſuetam precationem, ſtatim eſt ſciſcitatus, an diù du-
raturum eſſet imperium Leonis. Ille autem videns eum magna animi affectione commotum, quod pro diuinis
imaginibus maximum caperet dolorem, (in eas enim erat impius hic Leo, vt ſi quis alius) & ideo properâſſe ad in-
terrogationem, non ſubſtitit, neque reſponſionem eſt meditatus, ſed vt ſpiritùs profunda ſcrutaretur, & haud ità
Anno 820. Leo Armenius tollitur è medio. vide Ba. hoc anno. a Michaël Balbus imperat. diu [illegible] futuram præſignificauit eius euerſionem, & prædixit futura. Nam non multò pòſt eo de medio ſubla-
to, Michaël a arripuit imperium, qui non auxit quidem perſecutionem aduersùs Chriſtianos: fuit autem Eccle-
ſiaſticis ſub hæreticis, vt qui neque Iconomachorum hæreſi omninò acceſſerit, ſed in eius zelum effectus ſit mol-
lior, vt etiam multis videretur benignus: neq; vllum Orthodoxum dogma prior inceperit, adeò vt contingeret ne-
que ipſum à vitio abſtinere, neq; ſalutem defendere: ſed malitioſè potiùs hæreſim quidem ſiuit creſcere, fidem au-
tem Orthodoxam minui & diffluere. Et hoc quidem ità ſe habebat.

POSTQVAM autem Leo fuit interfectus, venit rurſùs cum quodam alio Euſtratius, diuino huic viro renun- XXIX.
cians euentum eorum, quæ ipſe prædixerat. Contritum eſt autem ab eis aliquantum temporis in ſermone. Quidam
verò Elias nomine, qui exercebatur non procul à ſancto, ipſum magnum Iohannicium excepit conuiuio, & eos qui
vene-

venerant ſimul cum Euſtratio. Diuinus autem Iohannicius huius vitæ accuſans vanitatem, & verbis oſtendens quàm eſſet inſtabilis & infida, communiter iubebat, vt ſe procul remouerent ab vrbibus & vicis. Eliæ autem dicebat hoc magis conuenire, quàm alijs. Is verò, De hoc, inquit, o pater Iohannici, eſto bono animo, [illegible] autem huius rei fidem faceret, dicebat, quod in totis annis præcedentibus fuiſſet ſolitarius, & ſe remouiſſet ab hominum congreſſione. Vnus itaque & alter dies prætereierat, ex quo hæc dicta fuerant. Ille verò monachus [illegible] ad eum accedens, poſtulabat eius preces vt propter morbum, qui eum inuaſerat, iret ad quoddam prædium, quod emittebat aquas calidas. Cùm autem ille quidem nollet, hic verò inſtaret: & poſtremo ad imbecillitatem fratris ſe demittens ſanctus eum emiſiſſet, vix potuit ad aquas calidas accedere. Cum eum autem liquiſſet animus, & ab ijs qui illic erant ſublatus, in quadam cella, quæ erat ad montem, fuiſſet locatus, circa mediam noctem exceſſit ex hac vita, prioribus bonis ſuæ exercitationis hanc ſolam habens gratiam, quòd in hac extrema cogitatione ductus eſſet pœnitentia, quòd omninò ceſſiſſet curationi corporis. Sed nobis reuertendum eſt ad magnum Iohannicium. *Docet vir ſanctus procùl mouendum eſſe à vicis & vrbibus. Elias monachus recedit è vita.*

XXX. HIC vir diuinus ſolebat obire cum virga, etſi ſermone potiùs, quàm virga, opùs haberet aduerſùs ſuum gregem. Cùm is ergò aliquandò tranſiret per loca quædam tranſitu difficilia, accidiſſet autem, vt ea illi è manu excideret, angebatur animo, quòd virga perijſſet, nec eius inueniendæ vllam inueniebat rationem. Deindè cùm in ea quærenda deſpondiſſet animum, flexis genibus conſuetas preces reddebat Domino. Illa autem rursùs venit per aërem, & in ſancti manum fuit impoſita: & ille quidem ſtatim per quoddam arbuſtum antrum ſubijt, vt qui ſibi quoddam gratum accipuiſſet habitaculum. Id autem erat breue admodùm, & habitabatur à dæmonibus: qui poſtquàm viderunt ſanctum virtute quadam, quæ ſub adſpectum non cadebat, roboratum, &, vt dicit Paulus, in die malo, thorace iuſtitiæ & fidei clypeo glorianiem, fuerunt ita omninò accenſi, & ab ipſo aliquid paſſi, ei quoquè par pari reſerunt. Cùm verò obſcuris omnibus inſultibus fuiſſent propulſati, eo valdè munito precibus, tandèm mille aduerſùs animam machinationibus, apertè aggrediebantur, ridebant, vociferabantur, pulſabant, fugiebant, expectantes fore, vt ei afferrent terrorem: rugiebant, in faciem inuadebant, mouere videbantur ſpeluncam. Cùm autem ille nihil oſtendiſſet, quod eſſet puſilli & abiecti animi: illi verò moto omni rudente ſuæ calliditatis & malitiæ, poſtremò omnem ſpem abieciſſent aduerſùs tanti viri virtutem & conſtantiam, miſerabiliter victi & in fugam conuerſi. Quid nobis & tibi? Veniſti ad nos torquendos ante tempus? ij quoquè ad ipſum clamabant, quomodò etiam meo Ieſu ij, qui aduentum illius non ſuſtinebant. Cùm autem ſpeluncam vel inuiti reliquiſſent, non poterant inuenire aliam quam habitarent. Vbiquè enim adeſſe ſanctum viſione apprehendebant, perſequentem & fugantem, & eos increpantem, tanquàm feras aliquas arundinis. Sic ſine iniquitate currens dirigebatur, & excitatus ad occurrendum inimicis, inueniebat Deum præuenientem, ipſum quidem circumdantem miſericordia, malos autem malè perdentem. Et à quanta quidem turba & moleſtia, dæmonum fuga liberauerit eos, qui erant in monte, in quo habitare, vt dicit Pſalmographus, ipſi Deo complacuit, illis ſcribendum & beneficium literis mandandum relinquamus. Nos autem conuertamur ad ea, quæ deincèps ſequuntur. *Nota temptationem. Epheſ. 6. Vide dæmonum ineptam procacitatem. Matth. 8. Profligat eos vir ſanctus de ſuis locis. Pſalm. 67.*

XXXI. CVIDAM Senatori ægrotabat vna ex ſuis filiabus, membraque erant ei ſoluta, cùm eſſet pia, & Chriſtianam ſeruaret religionem. Qui autem ſancti ſororem duxerat vxorem, aduerſùs Chriſti imagines grauiter furebat, & in eas inuehebatur. Accedens autem beatus, illam quidem precibus & ſigno Crucis à graui morbo liberauit: hunc verò, cùm admonens non poſſet perſuadere, vt à graui illa abſtineret inſania, tradidit diſciplinæ, & viſcerum deſpecta cognatione, & ſui ſanguinis oblitus propter veram religionem, precibus eum orbat oculis. Ità zelus pietatis & veri Dei cultûs, gloriatur etiam contra ipſam naturam: & verum in Deum deſiderium, eſt validius neceſſitate cognationis. Nam illam quidem, etiamſi genere ad eum non attineret, quoniam tamen Chriſtianam obſeruabat religionem, à morbo liberauit: hunc autem, etſi ſororem duxiſſet in matrimonium, quoniam cum diuinis pugnabat imaginibus, viſu priuauit, & æquum cenſuit, vt oculi qui erant manifeſti, caſtigarentur pro ijs, qui non cernebantur oculis. His par eſt illud addere. *Precibus & ſigno Crucis ſanat paralyticã. Nota miraculum in cõtemptorem ſacrarũ imaginum.*

XXXII. HVIC magno patri erat ſtudio, ſi quos ad ſe audiebat aſcendere, è monte deſcendere, & eis obuiàm procedere. Cur hoc faciens? Magnam in aſcenſu reſecans vexationem eorum, qui ad ipſum aſcendebant. Eſt enim aſper & accliuis ad montem aſcenſus, & non facile nec expeditum iter præbens aſcendentibus. Aliquandò itaque is, cui obtigerat Chalcedonis pontificatus, &, cui Niceæ, Petrus, & Theodorus, Præfectus inſignis gregis * Studij, cum Ioſeph & Clemente ad ipſum aſcendebant. Hoc autem cùm cognouiſſet ſanctus, volens eorum magnam leuare viæ moleſtiam, ad eos deſcendit è monte. Cùm verò hominis Dei eſſent partes & facere & dicere ea, quæ eſſent Deo grata, in ſermone, quem ad ipſos habuit, cenſebat humilitatem eſſe præferendam omnibus virtutibus. Poſtquàm autem ad cibum ſumendum iam acceſſiſſent: Nè contuiberis, inquit, frater Ioſeph, ſed ſis paratus ad exitum. Hoc quidem tunc ſic dictum, quidnam ſibi vellet, dubitabatur ab ijs, qui audiuerant. Cùm autem poſt decem & octo dies Ioſeph è vita exceſſiſſet, rectè intellexerunt quid ſibi vellet, quod magnus dixerat. Diuinus ergò hic pater ſic ſe habebat, & tantam gerebat curam fratrum vtilitatis, vt omnia ei parua viderentur & nullius precij, niſi etiam ſuam animam poneret pro fratribus: in hoc quoquè meum imitans Dominum, qui, cùm eſſet Paſtor, & non mercenarius, animam ponebat pro ouibus. *Anno 823. vide Bar. in annal. * id eſt, Theodorus Studites. Prædicit cuidã obitum eius. Iohan. 10.*

XXXIII. IAM agebatur quidem quintus annus imperij Michaëlis: quattuſdecimus autem, ex quo Bulgari fecerant expeditionem & deceſſerat Nicephorus: à quo tempore multi Romanorum, cum patria libertate amiſſa, detinebãtur captiui manibus Bulgarorum. Venit itaque in mentem illi benignæ & clementi animæ, ſi quo modo eos poſſet educere à laborioſa illa & afflicta vita. Interrogãs autem, accepit carcerem illum, in quem illi erant coniecti, eſſe obſcurum & tenebricoſum, adeò vt eis vſuuenitet ægrè ferre, quòd non cum patria vitam quoquè amiſiſſent: quod quidem eum magis angebat. Huic ergò propoſito omnibus poſtpoſitis, relinquit quidem illam gratam & ſolitam viuendi rationem: & via, quæ intercedit, confecta, non curauit cuſtodes, qui eos circumſidebant: ſed non viſus ad eos accedens, ſtatim pro omnibus copijs vſus eſt figura Crucis: & ea perfractis vinculis & clauſtris portarum, tanquàm ab inferis & vmbra mortis, quomodò meus Ieſus, reuocat eos, qui illic ſedebãt: & potat nõ aquis, ſed ſermonibus ſalutaribus viuificæ doctrinæ, admonens, nè eſſent ſicut patres eorum, generatio peruerſa & exaſperans: ſed deinceps ſpem in Deo ponerent, & non obliuiſcerentur eius remunerationum: prætereà autem filijs quoquè nota facerent illius mirabilia. Deindè cùm in luce, ſicut Moſes, tota nocte eos traduxiſſet, vſq; ad noſtros fines eos tranſmiſit & conſeruauit. Cùm autem vim afferrent & vrgerent ij, qui ſeruati fuerant, & quis es, ô homo Dei, ſæpè rogarent, non celauit quidem nomen: dixit autem, ſe hanc gratiam ſoli Deo aſcribere. *Anno 815. Vide Baro. in annal. Charitas eius in proximum quanta. Notabile & ſanè admiratione digniſſimum. Exod. 13. 14. Pſalm. 77.*

XXXIV. CVM hoc neſcio an ſit conferendum id, quod vſuuenit ijs, qui fugiebant ex Ægypto. Nam illorum quidem inimicos aqua obruit: hi autem conſecuti quod optabant conſequi, nulli fuerunt cauſa calamitatis, ſed & hi domum redeunt, & ſanctum rursùs excepit grata illa quies & ſilentium in monte Thricalicis. Illo autem tempore Inger ille, non ſecùs ac vernis floribus, florebat laboribus exercitationis. Hinc factum eſt, vt crearetur Antiſtes Nicenæ eccleſiæ. Ceterùm is non habebat fructum rectæ fidei Huius deceſſum cùm præſciuiſſet Pater, quodam monacho ex

Inger Nicææ Epiſcopus Iconomachus.

Eliæ aliiſ̄q; (is erat Baſilius) ad ipſum emiſſo, mendacio & vmbra dimiſſa, iuſſit eum tandem adhærere veritati, etiamſi illuſtriſſimus ille Inger, in improba Iconomachorum hæreſi commori ſtatuerit miſerabiliter.

Sed cùm ad hunc locum peruenit oratio, illud mihi venit in mentem. Nauigauit aliquandò ſanctus, adoraturus S. Theophanis tabernaculum, quod eſt in Sigriana. Illinc reuertens, & lacum prænauigans, qui eſt ad borealem partem Apolloniadis, appulit Thaſo. Qui in illa autem vitam ſuſceperant monaſticam, & omnes accolæ grauiter vexabantur à ſerpentum, qui in ea erant, multitudine. Iis enim repleta erat inſula, non paruum afferens damnum habitatoribus. Cùm ergò ſanctus in ea eſſet, veniunt ad eum omnes, qui habitabant inſulam, & ſupplices ei procidunt, poſtulantque & rogant, vt eis opem ferat, vt eos, quoàd eius fieri poterit, liberet à nocumento ſerpentum. Et ille quidem miſeretur eorum calamitatis, & veluti quædam tela, quæ torquentur in ſerpentes, emittit preces: illi autem protinus proſiliunt è ſuis cauernis, & relicta inſula, ſe in maris profundum proijciunt. Atque noſter quidem Ieſus in aquis contriuit capita draconum: Illius autem diſcipulus, & quoàd eis fieri poterat imitator, per illas ipſas eos ſuffocauit. XXXV.

Precibus liberat inſulam à ſerpentibus. Pſalm. 73.

Ab hoc tempore profectus eſt ad alium locum quietis ac ſilentij: ſimul autem cum eo profectus quoquè eſt Daniel, qui præerat monachis, qui erant in Thaſo. Erat verò etiam frater monachus, cui erat nomen Euthymius, cui etiam dicitur pater prædixiſſe non multò pòſt futurum deceſſum, ſic dicens: Frater Euthymi, ſis paratus. mox enim ad ſupernam proficiſcens peregrinationem. Et ſic quidem dixit Euthymio. Ipſe autem cùm voluiſſet ingredi antrum quoddam breuiſſimum, & quod vix ſufficiebat ad habitandum, incidit in dæmonem, qui erat prioribus longè ſceleratior. Ab illo enim ſpelunca appellabatur Toparcha. Qui cùm non ferret habitare cum Iohannicio, niger & terribilis acceſſit ad Danielem, vt eum quidem terreret: ille autem accepto quoquè Iohannicio recederet. Sed ij, vt qui ibi confiderent, erant interriti, & illius fugam potiùs expectabant. Cùm ergò vidiſſet malignus eos adeò fortes & conſtantes, Danielis quidem pedibus circumuolutus, admirabilis autem Iohannicij lateri plaga impoſita, ei quidem tantum dolorem attulit, vt eſſet mutus totos ſeptem dies: ille verò ſtatim euanuit. Sed ſanctum quidem rurſùs accipit mons Thricalicis. XXXVI.

Dæmon magnum illi dolorē affert.

Si quid autem, poſtquàm illinc abierat, moleſti aliquid acciderat ijs, qui erant in monte, id rurſùs totum de medio ablatum eſt eius aduentu. Et nunc quidem eruca, quæ nocumentum afferebat oleribus, precibus & ſigno Crucis fugabatur à circuitu: nunc autem ijs, qui illuc accedebant, mors præſignificabatur. Et illi quidem rebus ſuis prouidebant, & ſe parabant ad exceſſum: malignus autem & hoſtis humani generis, lupus erat, vt dicitur, fruſtrà hians. Itàetiam cuidam viro Iſacio, qui fœminæ inſeruiebat monachæ, quoniam prædictum fuerat à ſancto, fore vt mox ad eum veniret vitæ finis, & ideò oporteret eum ſe parare ad deceſſum: ille autem negligenter viueret & remiſsè: deindè etiam rurſùs ad ipſum Dei hominem aſcendiſſet: Cur, inquit, adhuc mundanis occupatus ſolicitudinibus, nullam futuri curam geris? Sed ille quidem partim à domina coactus: partim autem etiam ſua ſponte inductus (in poſſeſſionum enim cura gerenda, erat valdè vtilis) ad nihil eſt excitatus eorum, quæ oportebat, neque ſibi vltimum parauit viaticum. Non multò pòſt autem morbus & neceſſitas, quæ eum inuaſit, fecit vt & monaſticùm indueret habitum, & ei, pròh dolor, mortem attulit è veſtigiò. Sed quòd attinet quidem ad Iſacium, neceſſitati, non voluntati, quiſpiam id acceptum tulerit: huic autem magno patri verè paternam adſcripſerit affectionem, quòd ei mortem prædixerit, etiamſi ille nihil mutatus, in priori ſocordia ſit mortuus. XXXVII.

Precibus & ſigno Crucis erucam, fugat.

Cuidā mortem prædicit, is q; non ſe corrigēs, ſubitò moritur.

Sed enim hinc quoque nota fiunt omninò ea, quæ iuſtus faciebat vel per tranſitum. Iſacij domina, cùm eſſet & monacha, ſicut à me dictum eſt, & vetula, & præfecta monaſterij Clubiorum, ad ipſum aliquandò aſcendit ſimul cum filia precationis gratia & benedictionis. Ille autem accepto baculo, quem mater manu tenebat, tradidit in manum filiæ. Conturbata ergò mater puellæ, dixit: Mihi, pater, magis conueniebat baculus, qui corpus meum fulcit ac ſuſtinet magna ex parte propter ſenectutem. Ille autem nihil ipſi omninò reſpondens, reipſa ſignificauit futurum. Paulò pòſt enim illa quidem è vita exceſſit. hæc verò prouecta fuit ad præfecturam monaſterij. Abhinc autem hic admirabilis Iohannicius migrauit ad montem aſperum & arduum, qui appellabatur mons Corui, vtporè quòd ſancto prædictum fuiſſet ab ijs, qui in ſolitudine, ei occurrerant, Monachis, & dederant lebitonarium, eum aliquandò venturum ad eum montem. Sed quænam ſunt, quæ ab ipſo, vel ab eo potiùs, qui in ipſo habitabat ſpiritu, in eo monte facta ſunt admirabiliter? XXXVIII.

Non verbis, ſed facto indicat quod futurum erat.

Pascebant quidam in ipſo oues, & cùm quaſdam ex eis amiſiſſent, ad eas quærendas montem obibant in omnem partem. Eos ſanctus neque vnquàm auditione acceperat, neque viſu cognoſcebat. Cùm ergò in eos incidiſſet, & nomine vnumquenque vocabat, & viam, quam ipſe ignorabat, (neque enim omnia omninò ſcire ſancto concedit Spiritus ſanctus) iubebat docere. Et illi quidem viam oſtenderunt: illi autem refert gratiam, nempe pecudum inuentionem, & iubet eos ire in ſolitudinem, & oues illic eſſe inuenturos. Cùm in eam ergò veniſſent, ſicut ille iuſſerat, offendunt oues errantes, præter omnem eorum expectationem, idque cùm ſæpè in eis quærendis laboràſſent, etiamſi tunc non potuerant in eas incidere. Quocircà id acceptum ferebant illius viri vitæ ignorationi, quòd digni eſſent habiti, qui eum conuenirent, & cum eo colloquerentur. Neque enim, qui in eum incidebant, ipſum videbant, niſi ille voluiſſet, & vt ſequenti Euſtratio eſſet exemplar humilitatis, ſi non videretur ab ijs, qui incidebant, ad ipſum conuerſus, dicebat: Precibus tuis, ò frater Euſtrati, ne ab ijs quidem ſum conſpectus. XXXIX.

A nemine eſt viſus niſi volens.

Cvm autem aſcendiſſet in montes Antidij monaſterij, qui quotidiè in rebus diuinis extollebatur, & cellam ædificaſſet anguſtiſſimam & breuiſſimam, prioribus maiores ſuſcipiebat labores virtutis, & dignus habebatur maiori contemplatione. Corporis quidem certè afflictionem exiſtimabat eſſe alimentum animæ. Hinc factum eſt, vt multis ratò fuerit manifeſtus, quomodo etiam habuit multos eius vitæ amatores. Satis enim erat, ſi vel ſolùm videretur, ad acre quidem deſiderium eorum, qui videbant, animis inſtillandum, & immittendum zelum æmulationis, & ad virtutem excitandum eum, qui eſſet vel hebetiſſimus. Porro autem cùm vnius ex ijs, qui tunc erant magiſtri, coniunx (erat verò is, vt opinor, Stephanus) ancillarum improbitate, & curioſis ac maleficis artibus eſſet emotæ mentis, ſeipſam tradit medicis. Multæ quidem manus medicorum, medicamenta innumerabilia, plura artis adminicula. Poſtquàm autem cognouit ſe inutiliter laborare, ſtatuit quidem alijs vale dicere: ad magnum verò confugit Iohannicium. Ille autem precatione quidem dat mulieri ſanitatem: hanc autem ab ea petit mercedem, vt ea in Dei portas ingrederetur in confeſſione & hymnis, & ijs qui offenderant, peccatum remitteret. XL.

Cellam ſibi conſtruit anguſtiſſimam, maioresq; labores ſuſcipit.

Sanat inſanam. Pſalm. 99.

Hic omni ex parte bonus, vt ad alium tranſeam, cuidam nomine Stephano, viro quidem [illegible] virtutem & iuſto in omnibus vijs ſuis, qui, quæ erant in anima, ei multo antè dedicarat, cum poſt longum tempus veniſſet ad eum viſitandum: Eſto, inquit, ò frater, paratus ad exitum. Is autem cum coniectaſſet, quidnam ſibi vellet quod dictum fuerat, quoniam quod ad eum quidem attinebat, iam erat paratus, vt qui ſuper fundamentum virtutis, quod præceſſerat, diligentius ſuper ædificauerat, paulo poſt prompto & alacri animo hinc exceſſit, poſt exceſſum innumerabilib. reſplendens miraculis. Ita etiam Thomæ, qui eum ſequebatur, & eius labores ad virtutē, & humilita- XLI.

Viro ſancto obitū eius ſignificat.

Item alteri.

militare ſuperabat alios, ſignificauit, quòd ex improuiſo eſſet in morbum caſurus, & quòd morbum mors quoquè eſſet conſecutura. Hac ergò prædictione is ſimul & animo magis fuit excitatus ad exercitationem, & ſubit finem vitæ. Irà etiam cùm eum, qui præerat monaſterio Agauriorum, cognouiſſet ſe adiunxiſſe hæreticis, iam autem à præfectura exceſſerat Euſtratius, vt qui viam declinaret impiorum) cum poſt vnam & alteram admonitionem vidiſſet eum non deſiſtere ab hæreſi, Quoniam, inquit, te ſæpè ad fidem orthodoxam deducens, ô Antoni, (ità enim vocabatur) inuéni te reuocatu difficilem, hoc tibi dico poſtremum: Si non ampliùs peccare perrexeris, ſequens eos, qui ſunt diuerſæ opinionis: ſed eam etiam, quæ à Domino tibi afferenda eſt, diſciplinam grato animo ſuſtinuëris, non minima merces tibi reponitur. Hæc dixit iuſtus: & ſtatim altera pars corporis Antonio flacceſcens, fuit quaſi morte affecta. Quadraginta itaq; totos dies cùm magno animo eam tuliſſet diſciplinam, & nec minimum quidem verbum contemptus ex ore emiſiſſet, & nec hæreticis deincèps eſſet aſſenſus, è vita exceſſit, maligni effugiens artes & machinationes, & parua caſtigatione aduersùs eum referens victoriam, & victor fuit renunciatus, & corona redimitus. Sic ille Dei extendit benignitatem & clementiam: tam certò ſpopondit veniam ijs, quibus erat quidam paruus ſomes pœnitentiæ: eo autem, quòd venientem corporis mortem præſignificabat, apertè efficiebat, nè homines morte animæ morerentur.

Nota vt quendam ab hæreſi Iconomachorum reuocet.

XLII. SED ad alia me vocat oratio, & ad ea accedo. Conſtantinus quidam creatus Conſul, ſolebat quidem venire ad hunc virum admirabilem. Is autem illi rursùs hoc viciſſim reddebat, quòd eius orationibus conſeruabatur ab ira alienus, neque propter aliquid, quod accidebat, facilè mouebatur aut excandeſcebat. Is erat aliquandò acceſſurus ad magnum Iohannicium. Cum autem accidiſſet, vt miniſtro acriter iraſceretur, cum ira abripit, & manu repentè famulum percutit. Deindè cùm ad ſe rediſſet Conſtantinus, valdè cruciabatur animo, quòd ab ira fuiſſet ſuperatus, & ad magnum hunc patrem accedens, rem ei renunciat. Ille verò ſeriam & conuenientem ei infert increpationem. Conſul verò tanquàm filius, qui à patre mandatum acceperat, ab illo tempore ſi quandò ſenſiſſet ſe longius efferri, quàm conueniebat, apud ſe dicebat: Ceſſa ab ira, & vince animum. Statimque verbum res ipſa ſequebatur. Nam & ſenſim ab ira deſijt, & rursùs ad ſe redijt. Atque quod à ſancto quidem factum eſt in Conſtantinum, fuit huiuſmodi. Quòd autem in filium eius, iam dicam. Aſcendit is quoq; aliquando ad hunc Dei ſeruum, cùm pater id ei iuſſiſſet. Lingua autem ei lababat, & balbutiebat. Cùm ergò cum ſancto ſermones contuliſſet, intelligens ille, quòd in dicendo titubaret, iuſſit ei linguam porrigere. Hoc autem factum fuit, ſicut iuſſit. Ille verò implorato auxilio eius, qui poteſt facere, vt apertè & diſtinctè loquatur, ſimul quidem effecit, vt adoleſcenti eſſet linguæ inſtrumentum promptum & expeditum: & effecit eius animam ad Dei exequenda præcepta viuidiorem, & ei iniunxit bonorum æmulationem.

Conſuli impetrat, nè facilè iraſcatur.

Adoleſcēti balbo obtinet diſtinctè loquēdi facultatem.

XLIII. SED cum quidem, quòd talibus eſſet dignus, talibus eſt remuneratus: in aliorum autem cùm veniſſet conſpectum, ab eis tamen non cernebatur. Ædificabatur enim in monte Baptiſtæ & præcurſori quoddam templum, cuius vitam hic æmulabatur. Forma autem ædificij à magno Iohannicio fuerat deſcripta ijs, qui ædificabant. Cùm ergo ſancto viſum eſſet aliquando venire ad contemplandum ædificium, vt videret an opus procederet, vt conſtituerat: cùm ad eum locum veniſſet, accedunt etiam ad eum quidam alij, vt virum admirabilem ſimul & viderent, & aliquo eius ſermone fruerentur. Cùm ergo illuc veniſſet Iohannicius, qui iuuenili erat exercitatione, & illi etiam veniſſent, ille quidem ſtabat iuxta ipſos, conſiderans quomodo procederet ædificium: Illi vero videntes eum, tamen non videbant. Deindè ille quidem cum vidiſſet ædificium, rurſus conuerſus eſt ad ſpeluncam. Illi autem in loco aſſidebant, expectantes quando eſſet venturus. Quidam ergo ex ijs, qui erant cum ipſo, monachis (is autem erat Iohannes) cùm rem cognouiſſet, exiſtimat hoc eis viſum eſſe moleſtum, & ſancto dicit: Non oportet eos, qui propter te tantum iter confecerunt, reuerti tua non conſpecta virtute. Scis rem eſſe moleſtam, & quæ cor ipſum tangit medium. Sanctus vero laudauit quidem illorum inſtitutum, & pro eis eſt precatus: conuerſus autem ad monachum: Quomodo à nobis, inquit, fieri poſſit, quod Deo non videtur? Nam ego quidem ſtabam ſine vllo tegumento in medio oculorum illorum: Illi autem, ſi Deo id ità viſum eſſet, me omnino vidiſſent, etiamſi me abſcondiſſem. Poſtquàm hæc à ſancto audiuit monachus, eis ſignificat. Illi vero reuertuntur, nihil ægrè ferentes. Et hoc quidem eſt eiuſmodi. Sed illud quidem quomodo non eſt narrandum?

Stat in medio hominum inuiſibilis.

XLIV. THEODORVS quidam, qui modo vitam ſuſceperat monaſticam, cupiebat de rebus ſancti diſcere ab ijs, qui ad ipſum ventitabant, & quænam eſſet eius vitæ ratio, & cuiuſnam modi adſpiceretur: & quidnam faceret aut diceret: vt ſi nihil aliud, at de Iohannicij quidem certè rebus poſſet narrare, & hinc memoriam ſuis relinqueret poſteris, cùm ij, qui hæc ab illo audiuerant, ſuis rursùs narrarent poſteris, quod hæc & hæc ab hoc aut illo audiuiſſent. Cùm autem narraret aliquibus, quæcunque audierat, illi autem dicerent hæc non eſſe admittenda citra examinationem: Sed horum, dicebant, effectorem, ſi velis, videbimus. Ille autem ſtatim fit eis dux itineris, & rurſus aſcendunt ad ſanctum, & eum alloquuntur. Cum vero ſermo ab eis produceretur, viſa, quæ alicundè è ſylua eis apparuit, conturbat eorum animos. Ille autem iubet eis ipſi panem porrigere, & hortatur, vt ab illo magno timore recreentur, recordantes eius, qui dedit poteſtatem conculcandi leonem & draconem, qui quidem ſunt vrſo longè terribiliores: & illorum quidem animos liberat à metu, vrſam autem iubet reuerti ad ſua latibula. Hoc quidem ſic factum fuerat, & finito ſermone, illi receſſerunt, nihil aliud habentes in ore, niſi magnum Iohannicium. Hinc factum eſt, vt eſſent actes ad virtutem, & ad ſimilem zelum incitarentur, & dicerent monacho Theodoro: Non ex tuis verbis credimus, ſed ex ijs, quæ ipſi audiuimus & vidimus, vt dicit Euangeliſta. Hæc ne ſufficiunt, an ex rebus ſancti vultis alias adijciamus? Sed quomodo, ſi hæc ſilentio dederimus, non pulcherrimarum rerum detrimento pios affecerimus?

Pſalm. 90.

Viſa obedit viro Dei.

Iohan. 4.

XLV. CVM vellet aliquando pauperibus oleum ſuppeditare ad cibum: multi enim pauperes ſæpè illuc accedebant, quibus etiam præbebat quidquid habebat) Cum ergo vellet aliquando eis dare oleum, (hoc enim tunc habebat) iubet monacho, qui ei inſeruiebat, afferre duo vaſa, vnum plenum, & alterū inane. Ille autem alioqui quidem exiſtimabat ſuperuacaneum afferre vas inane. Quid enim, apud ſe dicebat, opus eſt inani, vbi eſt plenum? tamen cum non poſſet tranſgredi patris mandatum, hæc duo ad ipſum attulit, nempe plenum & inane. Cum autem fortè fortuna contigiſſet, vt vas plenum eſſet perforatum, oleum vero effunderetur, erat perplex animo monachus. Cum autem id ei veniſſet in mentem, tranſmutat oleum ex pleno in inane: & ſic indigentibus datum eſt ad miſericordiam. Tunc cognouit monachus propheticè dictum fuiſſe à patre, vt ſimul cum vaſe pleno afferret alterum inane. Hinc erat ei vultus confuſus, quod ſciret ſe aliquantulum dubitaſſe de mandato patris. Ne illud quidem æquum eſt prætermittere.

Benignitas eius in pauperes.

Spiritu prophetico ſcit euentura.

XLVI. MAGNVS hic Pater cum toto vitæ tempore ſe præclarè & admirabiliter exercuiſſet, non ſolum poſt vitam, ſed etiam cum eſſet in corpore, fecit multa admirabilia, & quæ erant præter opinionem. Non enim dæmones ſolum eum formidabant, eius non ferentes præſentiam: ſed morbi quoquè, qui mortem minabantur, eius precibus & ſigno Crucis ſoluebantur. Eius quidem certè familiaris & amicus Euſtrathius graui morbo affligebatur, ſanguinem vomens ex inteſtinis. Ille vero, cùm id ei prius ſignificaſſet Euſtrathius, veniens ſiſtitit quidem ſanguinem,

Precibus & ſigno Crucis pellit morbos exitiales.

ipſum autem iuſſit eſſe bono animo. Euſtratius ergò cùm viri aduentu à morbo conualuiſſet, tranſit ad Leucadum habitaculum, quod ſolent vocare Metochium, ſe volens defeſſum afflictumque recreare, & aliquod adipiſci ſolatium. Res autem ei contrà ceſſit, & incidit in calamitatem longè priori grauiorem. Vehemens enim eum adorta febris, acriter laniabat, & vocem eradimebat: donèc recordatus præclari inter eos, qui ſe exercebant, Iohannicij, ei tanquàm præſenti ſupplex procidit, & rogauit, vt à morbo præſenti liberaretur. Interim autem ad dormiendum conuerſus, cùm viſus eſſet videre magnum Iohannicium adſtantem, colloquentem, confirmantem, morbum ſuperauit: & ſalutem illi acceptam tulit, quem habuit eum lætificantem à iuuentute, & tunc liberauit à calamitate.

Abſens curat febricitantem.

Anno 830 Theophilus Imperator auarus & Iconoclaſta. Inſidiatur Catholicis.

Me iam pridèm volentem oratione prætercurrere, non ſinunt quæ ſequuntur. Nam ſceptra quidem Romanorũ XLVII tenebat Theophilus. Ille autem congerendo auro totus inhiabat, & ab eo ſuperabatur, & alioqui non ferens eſſe Chriſtianus, & ſe impiè gerens in diuinas imagines: & quomodò poteſtate, ità etiam Iconomachorum dogmate alios ſuperans, talem laqueum abſcondit omnibus Chriſtianis. Scribis & exactoribus omnem ſimul vicum occupat, volens facere duo, quæ ſunt peſſima: nempe & auaro ſuo gratificari animo tributorum exactionibus, & ſibi fieri manifeſtum vnumquemque, qui doctrinam ſequebatur Orthodoxam, vt & eos vi caperet, & efficeret, vt vel inuiti adiungerentur hæreſi Iconomachorum. Cùm ergò hic vir diuinus incidiſſet in quendam exactorem: Quid hæc ſibi volunt, inquit, ò frater? Rex te iam accerſit factorum tuorum redditurum rationem, & ne ſic quidem intelligis? Iam enim imminet & vrget, vt vides, iuſtitia, & niſi improbam hanc mentem mutaueris, peribis quidem miſerabiliter, miſerrimè autem puniêris. Atque ille quidem dicebat eum, qui eſt in cælis: exactor autem putabat ſuum Regem eum acceſſere. Lætus itaq; iam erat & bona ſpe præditus, vt qui ſciret, quòd propter tributa diligenter exacta, eſſet apud Imperatorem magna conſecututus, Eius autem ſpem irritãt futurum, & ea, quæ à Sancto dicta fuerant, finis eſt conſecutus: & ſtatim nouacula iræ Dei inebriata, excindit exactorem, vt immortales illæ poſt mortem pœnæ de eo ſumantur.

Subita mors Iconomachi exactoris.

Revolvens itaque aliquis ea, quæ à Sancto prædicta fuerunt, & quam maximè perſcrutans, ea nunquàm XLVIII inueniret excidiſſe à veritate. Nam cùm aliquandò duo ſimul veniſſent in domunculam, in qua ille erat, vt magnum conuenirent Iohannicium, (Petrus & Plato erant eorum nomina) poſtquàm ille eos ſatis inſtruxit ad virtutem, alter rogauit Sanctum, vt ad ipſum veniret ſingulis annis: & eius adſpectum dignus eſſet qui conſequeretur, & illo, qui fluit inſtar mellis, frueretur ſermone. Ille autem, De cæterò, inquit, etiamſi velles, non me videbis ampliùs. Is ergò apud ſe dubitabat, quidnam obſtaret, quo minùs ad ſanctum aſcenderet: & conſiderans, nihil inueniebat, quod ad illum aduentu reputaretur præſtantius. Non multò pòſt autem quidam ad eum aſcenderunt. Volens ergò ipſe quoquè cum eis aſcendere, quoniam ille quidem pedibus, illi autem equis iter ingrediebantur, defeſſus domum redijt. Hinc factum eſt, vt grauiter animo angeretur, quòd ei accidiſſet, vt fruſtraretur propoſito. Cùm itaque non multò pòſt ad ſe redijſſet, rursùs conatus eſt ad eum aſcendere, & rursùs fuit prohibitus ab aſcenſu. Deindè cum ſæpè, aliàs alia incidente difficultate, ſe repulſum eſſe cognouiſſet, & recordatus eſſet eorum, quæ à ſancto ei dicta fuerant, manſit apud ſe, rem adſcribens Iohannicio, diuina quadam prouidentia, ad vtilitatem omnia diſpenſante.

Prædicit cuidam monacho ſibi futura.

Aliqvando rursùs qui omni ex parte bonus erat Iohannicius, cùm eſſet in ocio, & ſe totum dediſſet ora- XLIX tioni, dixit ſe videre quendum Petrum, qui tollebatur in cælos, & circumdatum gloria quadam & luce ineffabili. Illi autem Petro fuerat commiſſa præfectura cuiuſdam monaſterij. Illo verò tempore, quo vir admirabilis dignatus fuit hac contemplatione, contigit vt is à corpore diſiunctus, ſpiritu ad cælos aſcenderet, & ex hac vita migraret. Nihilominùs autem admiranda quoquè eſt eius loquendi libertas apud Imperatores. Neque enim ſolùm lætabatur probris pro Chriſto affectus, aut patiens perſecutionem: ſed cupiebat etiam pati maiora, rectè ſciens, quòd per ea, maiora conſequeretur. Hinc diſcipulorum Chriſti loquendi libertatem, & pro Magiſtro acceptas plagas ducebat eſſe beatas, perfectum gaudium illud nominans, cuius ij fuerunt participes.

Videt vir ſanctus animam cuiuſdam ferri in cælos.

Inſigne eius patientia. Act. 5.

Dvos itaque viros illuſtres, & quos ſciebat eſſe præditos maiore dicendi facultate, quàm alios, cùm ad i- L. pſum miſiſſet Imperator, rogauit an oporteret Chriſti honorare figuram. Cùm is autem ad hoc diuinè, & non eum mundana reſpondiſſet perſuaſione & ſapientia, tantum abfuit, vt qui miſſi fuerant ab Imperatore, aliquid adducerent contra ea, quæ ab ipſo dicta fuerant, vt relictis ijs, quæ priùs tenebant, rectè & vt eis expoſuerat, pietatem & veram didicerint religionem. Cùm ad ſanctum autem rursùm veniſſet Euſtratius, præfectus monaſterij Agaurorum, quoniam res Dei & eccleſiarum erant tunc mundanis perturbatæ fluctibus: Quouſquè, dixit, res Eccleſiarum non reddentur Eccleſijs? Quouſque augebuntur res perſecutorum, & immanes eas lacerabunt beſtiæ? Ille verò, Paruùm, inquit, ſuſtine ò frater, & intelliges Dei potentiam, erit enim quidam Methodius, qui tenebit eius clauum, & eam diuino ſpiritu gubernabit: qui tollet quidem diuiſionem & diſſectionem diuinitatis: decretis autem fidem conſtituet Orthodoxam, & ad ſummam pacem & concordiam rediget ſeditionem: & eos, qui reſtiterunt, dextra altiſſimi ſubiunget.

Duos illuſtres viros liberat ab hæreſi.

Anno 842. Michaël ſuccedit Theophilo Imperatori cum matre Theodora, vide Bar. in annal. Rom. 9.

Brevi tempus interceſſit, & Theophilus quidem ex hac vita excedit: Michaël verò & Theodora imperium LI. ſuſcipiunt: Methodius autem vir reuerà ſacroſanctus, & homo Dei, in ſacris collocatur ſedibus, & vt ſemèl dicam, cùm omnia ab eo fuiſſent traducta ad fidem orthodoxam, & ſopitus eſſet omnis fluctus & ſedata tempeſtas, & res eſſent quietæ, quædam alia ſeditio excitatur à pijs, & res Eccleſiæ rursùs erant diuiſæ, & redactæ erant in duas opiniones. Nam alij quidem volebant habere in miniſterio eos, qui dignitatem ſacerdotij acceperant ab Iconomachis, vtpotè quòd hoc nihil pietati officeret: Illi autem profanis ſancta tradere manibus, putabant omninò eſſe impium, & minimè Deo gratum, nec admittendum. Et qui Deo quidem verè viuebat Methodius, ægrè ferebat, angebatur, corde lacerabatur, putabat magnum Paulum reſonare in auribus propemodùm hæc loquentem: Vtinàm ſim à Chriſto anathema pro fratribus meis ſecundùm carnem, ſi modò ſteteritis nobiſcum, & communiter Trinitatem glorificauerimus. Et ille quidem ſic ſe habebat. Illi autem parati erant omnia pati potiùs, quàm dimittere ea, quæ viſa fuerant, adeò vt hinc in partes rursùs ſcinderetur cœtus Eccleſiæ: & alij quidem ſe cum his, alij verò cum illis ſe coniungerent. Dei itaque amicus Iohannicius, incidens in res adeò turbatas, partim quidem per ſe, partim verò per literas, veluti fiſtula reuocabat diuulſam partem gregis, & ei qui eſt ſolus Deus, qui eſt ſolus bonus paſtor, & non mercenarius, conciliabat. Maximè autem Archiepiſcopi Methodij iam labantem recreabat animum, multa quidem etiam alia aſcribens: ante omnia autem ijs, qui homouſion abſurdè & alieno modo ſcindunt, nouaſque & abſurdas opinantur diuiſiones, eis ne autem quidem omninò adhibere ſuadebat: non ſal non tectum cum his habere commune: non eos alloqui: ſed quam maximè declinare eorum congreſſionem. Admonebat enim ne poſſe quidem eum ſanctè reputari ſacrificum, qui eum, qui ſacrificatur, contemnit & vilipendit. Scribebat autem Methodio, vt illos potiùs haberet circa diuinũ ſacrificium, quos nôſſet cum eo ſentire in dogmate Orthodoxæ. In fine verò epiſtolæ, valere eum circa ſanam rationẽ optauit magnus Iohannicius.

Multos Deo verbo & ſcriptis conciliat Iconomachos. Vitandi prorsùs hæretici.

Cvm hæ veniſſent literæ, diuinus quidem Methodius memoriæ mandauit ea, quæ ſcripta fuerant: improbi LII. autem

autem homines eam remittidebant, & habebant ludibrio, & malè ab ipſis bonus audiebat Iohannicius. Ille verò cùm cognouiſſet, quòd ipſi eum calumniarentur, itá ſtans, vt omnes eum poſſent exaudire, de Deo & rebus diuinis diſſerens, itá eos vicepit, & in ſuam redegit poteſtatem, vt non ſolùm abſtinuerint á ſua in eum inſania: ſed etiam eorum mentes ad id, quod eſt melius, conuerterit: & ijs dimiſſis, quæ priùs eis viſa fuerant, orthodoxæ fidei dogma didicerint, vt ipſe exponebat. Sic frequentiſſimus ille populus victus fuit ab vnius huius virtute, & totæ ciuitates dependebant ab vna illius ſententia, ijs, quæ longo tempore meditata fuerant, breui depoſitis. Et quidem ſic curæ fuit communis vtilitas, & ſic fratres eſt complexus.

S. Iohannicius concertat hæreticos.

LIII. Cvm autem oratoriarum ædium, quas ædificauerat, fieret dedicatio, multa ab illo eo tempore facta ſunt miracula, etiamſi non adeſſet. Phalanx enim dæmonum repentè apparens ſuper tumulum velnti corporata, eos qui illic aderant redegit ad dubitationem. Cum ergò ſpiritu, qui in eo habitabat, rem cognouiſſet magnus Iohannicius, & vtiliſſimo vſus eſſet medicamento precationis, eorum quidem metum abſtulit: dæmonum autem multitudinem vertit in fugam, & fecit eos liqueſcere tanquàm ceram á facie ignis. Quicunque verò aliquibus grauibus afflicti morbis, ad veneranda illa templa confugerunt, eos ijs, quæ ipſos vexabant, liberatos, fecit domum abire ſanos. Quid ergò non eſt hic viri illius admirandum? An quòd eum etiam non præſentem fugerent dæmones? An quòd eos, qui á malo aliquo premebantur, liberauit á dolore? Nam vel ſolam eius precationem aduerſus timuiſſe phalanges, eſt indicium fiduciæ ad Deum: á malis autem liberare eos, qui illuc accedebant, eſt & feruoris, & commiſerationis. Sed hoc quidem eſt eiuſmodi: illud autem quinam ſilentio prætereierit?

Precibus profligat dæmones.

LIV. Ad eum aliquandò aſcenderunt ij, quibus fuerat commiſſa præfectura templorum, quæ ipſe extruxerat. Cùm autem ſanctum conueniſſent, & eum fixis oculis adſpexiſſet quidam ex eis, ei venit in mentem cogitare: Si hic diuinus pater Iohannicius ſummæ ſubijt labores exercitationis, & ſe multorum dierum afflixit ieiunijs: cur non carnis vicit multitudinem, ſed eſt adhuc ſimilis ijs, qui ſunt bonæ habitudinis corporis, & ſeipſos in tibijs pinguefaciunt? Cùm autem is hæc mente verſaret, dixit hic vir admirabilis: O Macar, (erat enim ei hoc nomen) cur cogitationes aſcendunt in cor tuum? Non ſunt mihi tibiæ plenæ carnibus, ſed vides quemadmodùm tumeſcant, cùm ſint inanes & flatuoſæ, quod quidem ſolet facere malus cibus ſtomacho ſuſceptus. Illum autem ſtatim ſubijt pœnitentia, & multum reprehendit vanam ſuæ mentis cogitationem, & petijt veniam eius, quod ei in mentem venerat.

Diuinitùs cognoſcit cuiuſdam cogitationes.

LV. Svb id autem tempus Iſmaëlitæ prælio confligunt cum Romanis, & multi quidem Romani interficiuntur: multi verò bello capti, abducuntur captiui. Horum vnus, qui erat adoleſcens, erat magni Iohannicij cognatus. Itaq; qui genere ad eum attinebant, ſancti inuocabant auxilium, vt adoleſcentem liberaret á captiuitate. Is autem etiam priuſquàm vocaretur, citò venit, & cum circa mediam noctē fuiſſet in carcere, & apparuiſſet vni ex ijs, qui cum illo detinebantur: Surge, inquit, & alterum excita, & is eum, qui eſt poſt illum. Hoc autem facto, vt iuſſerat, eis quidem protinùs ſunt ſoluta vincula cum catenis, vt nec omninò quidem viderentur fuiſſe vincti: portæ verò ſua ſponte ſunt apertæ, & ſunt egreſſi ij, ad quos priùs ne licuit quidem ingredi. Cùm autem iam in ſuam rediſſent regionem, in via incidunt in quoſdam canes, feroces quidem & immites ijs, qui prætereibant, vel ipſo autem adſpectu terribiles. Et illi quidem neſciebant, quid agerent: magnus autem tunc quoque accedens Iohannicius, denſa caligine offuſa canum oculis, illæſos & nullo malo affectos eos tranſmittit, & ſuis eos reſtituit. Illi verò toto tempore vitæ ſuæ in ore habebant gratiarum actionem, nec vllum tempus eis obliuionem induxit beneficij.

Iſmaëlitæ ſuperant Romanos.

Miro modo liberat captiuos.

LVI. Cvm autem oporteret etiam aduersùs extrinſecùs illatas á maligno tentationes, illius egregij viri in multis oſtendi fortitudinem, itá diſpenſante prouidentia, & tradente iuſtos in manus eorum, qui ipſos affligunt, non vt eos teneret, ſed vt reddat illuſtriores, Epiphanium quendam monachum malignus ſubiens, qui & virtute videbatur inſignis, & in illo monte ſe exercebat, mouet aduersùs ſanctum. Cur hoc machinans? Ambos volens auellere á laboribus virtutis, vt illi ne daretur quidem ocium, proptereà quod ei pararentur inſidiæ. Sed Epiphanij quidem animæ immittit inuidiam, Iohannicio autem ne potuit quidem omninò interrumpere intenſam exercitationem. Et ille quidem comatum & frondoſum illum montem exuſſit, vt ſimul cum ſylua flamma ſanctum quoque depaſceret: Ille autem cùm ſpiritùs, quæ in eo erat, gratia id præſciuiſſet, tranſijt ad alium, & malus fuit deprehenſus Epiphanius, & ſeipſo deterior. Quid ergo admirabilis ad hoc Iohannicius? Non fuit excitatus ad vindictam, non ei maledixit, qui parabat inſidias: ſed vt mitis eius, qui eſt mitis, diſcipulus, & amicè eum adijt, & humiliter eſt allocutus, & rogauit vt diceret cauſam, cur ei vellet eſſe inimicus. Ille autē plauſtris probrorum, vt dicitur, & cōtumeliarum eum eſt inſectatus, & tandèm egregius ille Epiphanius virga, quam habebat in manu, quæ in extremo ferrum habebat acutum, in medio ventre percuſſit ſanctum, etiamſi illæſus permanſerit vir miſericors, & ad reconciliationem hortatus ſit Epiphanium. Sed ille, pernicioſo illo animo nihil mutato, permanſit in eadem maleuolentia. Hoc autem ſancto prædictum fuerat ab illis monachis, qui ei ab initio dederant illam tunicam pilis contextam. Tentatio enim, dixerunt illi, ad te veniet in fine, ſed ipſa quoquè erit irrita.

Æmulatur virum Dei Epiphanius pſeudomonachus.

Egregia eius patientia erga æmulum.

LXVII. Cvm autem ſanctus iam ad profundam proceſſiſſet ſenectutem, & illis admirabilibus laboribus exercitationis euaſiſſet infirmus, in monaſterio Antidij extructa cellula, illic ſe includit. Si quando autem eum vocaret tempus, vt illinc egrederetur, tranſibat per viam publicam, ne ab illis quidem viſus magna ex parte, á quibus ne volebat quidem omninò adſpici. Quinto verò anno imperij Michaëlis, qui Eccleſiam regebat Methodius, cùm magni Iohannicij ad Dominum exceſſum præſciuiſſet iam appropinquare, ad eum venit, & vltimas preces ab eo petijt. Ille autem cùm maximi feciſſet conuenire Methodium, & in longum tempus cum eo produxiſſet ſermonem: & deindè ſacro cœtui & recèns electo gregi ea, quæ ad pietatem opus erant, ſuaſiſſet, dicens, vt immobiliter & ſtabiliter permanerent in fide orthodoxa, neque euerterentur á profanis vocibus hæreticorum, & inter ſe conſeruarent concordiam, neque blaſphemam & maledicam linguam mouerent in pontificem: ſubiunxit, quod nec multum tempus poſt ſuum deceſſum viueret Methodius. qua quidem in re non fuit falſus. Tertio enim die, poſtquàm hæc dixiſſet, (erat verò * tertius Nouembris) D. Iohannicius ſpiritu quidem migrat ad eum, quem diligit, deductus á choris Angelorum: corpus autem depoſitum in loculo. Methodius autem, qui clariſſimè refulſit inter Patriarchas, ipſe quoquè octauo menſe poſt illius deceſſum, exceſſit ex hac vita quartodecimo Iunij.

Anno 846.

Inuiſit ſanctum Iohannicium Methodius Epiſcopus.

for. * *quartus.*

Obitus S. Iohannicij.

LIIX. Qvænam autem ſunt ea, quæ facta ſunt in morte & poſt mortem admirabilis huius Iohannicij? Diſſolutorum membrorum confirmationes, homines liberati á malignis ſpiritibus, ſi ſolum ad capſam illius acceſſiſſent. Quid enim erat Iohannicius ijs rebus vel poſt mortem glorificandus, cuius deceſſum columna ignis ſignificauit ijs, qui erant in monte Olympo? quem præceſſerunt Angeli, paradiſi portas ei aperientes, & tranſmittentes ad eam, quæ eſt illic, beatitudinem, putè appariturum ante faciem Domini, & ſimul verſaturum cum Angelicis Ordinibus? á quibus beata Trinitas laudatur & glorificatur nunc, & in nunquàm deſitura ſæcula ſæculorum, Amen.

Præclara miracula poſt obitū eius.

Exſtat ad S. Iohannicium epiſtola 116. lib. 2. Cod. Colum. Theodori Studitæ, quam recitat Baronius tom. 9. annal. an. 825.

An. 825. VITA S. AMANTII EPISCOPI RVTENENSIS, CVIVS AVTHOREM NECDVM REPERI. VIDETVR MIHI ESSE *Fortunatus, Stylus certe à Fortunati dictione non abhorret.*

Extat in MS. codicibus.

4. Nov. BEATISSIMVS Amantius Rutenæ vrbis quondam fuit ciuis ortu, vita paſtor, nunc felici patronus eſt excellu. Qui in primæuo ætatis flore, abruptis ſæculi laqueis, militiam Chriſti perſeuerantiæ definitione ſuſcepit, & vitia, quibus pulſatur humana fragilitas, patientiæ virtute calcauit. Qui beato ſeruens propoſito, & felicium meritorum ſplendore conſpicuus, ſacerdotij culmen & ſublimis cathedræ ſedem emeruit, geſſitque mentem faſtigio honoris ſui parem. Nunc breui ſtylo pauca virtutum eius (*Amantius fit Epiſcopus.*) pandimus inſignia, præſtante Domino, oratione beati antiſtitis, dicendi vires, qui diuitias bonitatis ſuæ ſine vllo defectu ſcit effundere, & neſcit, cum effuderit, vacuari.

IGITVR cum in prædictæ vrbis foro conſediſſet Præſes, altiori ſede cæteris ſublimior, & quendam nefarij facinoris reum vltimo crucis ſupplicio, & extrema pœna patibuli damnaſſet, properat beatus antiſtes ad forum, petit à Præſide vitam iam metu præmortui: non impetrat: iterat preces, orationem apud ſurdum Præſidem perdit. itaque antiſtes ad cellam repedat, terræ proſternitur, fundit preces, ſuſpiria geminat, tundit crebro verbere ſanctum pectus: petit à Domino, quod à Præſide obtinere nequiuerat. Digna ilicò Præſes immitis pœna percellitur. Nam cathedræ, cui altiùs inſederat, miris repente modis affigitur, deſerit oſſa vitalis calor, & ſoluta neruis rigentibus membra, officium quo animæ famulabantur, amittunt. Ad cellulam beatiſſimi viri concurritur: ab oratione conſurgit, ad forum progreditur. Sentit aduentum viri Dei Præſes, magna iam ſui parte præmortuus. Amiſſi itaq; redduntur ſenſus, & famulantia viribus ſuis, ad vigorem priſtinum redeunt membra. Redditur ergò Præſidi ſalus, vita damnato: & quicquid vel admittendo ille, vel hic non dimittendo contraxerat, pia Domini miſeratione diluitur. Denique condonata eſt reo vita cum crimine, Præſes meruit veniam cum ſalute. II.

Præſes nolens audire eum rogantem pro damnato, diuinitus punitur.

NON longo pòſt tempore ſequitur longè clarior virtus, & tanto par merito. Erat namque haud longè ab vrbe altiori baſe eminens ſimulacrum, quo in loco mira gentilium multitudo confluxerat. Itaque dum dæmonibus pecudum, vel ſuis potiùs mortibus litant, dumq; cuncti referti epulis, vino pleni, cantu perſtrepunt, beatiſſimus ſacerdos aduenit: videnſque exultare infelicem plebem omni luctu grauiori lætitia, trahens imo pectore longa ſuſpiria, à ſacrilegij impio ſcelere pio hortamine reuocare pertentat. Sed inuiſa ſemper ignauiæ remedia ſunt, quæ perire arbitrio ſuo, quàm alieno ſeruari conſilio, mauult. In modum vtilium, incommodum voluptatis examinat, blandaq; noxia, pro rectis ac neceſſarijs habet. Totis ergò ſuroris ſtimulis in iniuriam ſancti viri ſeditioſum vulgus exarſit, cùm pia ille aduerſus ſæuientes arma corripiens, cellulam repetit, terræ proſternitur, fundit vberes pro hoſtibus fletus, ingeminat pro inimicis alta ſuſpiria, petit vt ſine nece ſua, vel certè propria, ſæuientium furor * deſiſteret. Nam ille quò coronaretur, optabat: pro his, nè punirentur impij, pia apud miſericordem Regem vota fundebat. Poſt longa itaq; ſuſpiria ſanctum eleuans caput, ſi nubes aliqua ab Oriente conſurgeret, qui propè aſſiſtebat, inſpicere puerum rogat. Nullam ille videri reſpondit. Rurſus beatus pontifex terræ proſtratus, ingemuit: erectumq; item à terra caput, eadem quæ priùs famulum ſciſcitabatur. Videri, vt priùs, famulus negat. Cumque tertiò ſancta terræ membra proſterneret, ait, cui id operis iniunctum fuerat, nubem ab Oriente pertenuem exiguamque videri: ſcilicet credidit, quod futurum præuiderat. Ab humo homo Dei conſurgit, & cœlum, vndè nunquàm mente defuerat, intuetur. Tegitur repentè nubibus dies, mox diabolo exitium ferens terribili ſonitu fulmen increpuit, pariterque infelix ſimulacrum ferit, diuidit, diſpergitque: fertur per aëra lapideum ſacrilegorum numen. Quodità diuerſam in partem vltricis procellæ turbo deiecit, vt partem nunc eius Lauerna teneat riuus, partem Auationis habeat ripa fluminis, in teſtimonium virtutis perperuò ſeruatura: partem ab vrbe procùl patens retineat campus, opus tanti miraculi viribus ingerens, admirationem præbens, memoriam repræſentans. III.

Sententia memorabilis.

* *decederet.*

Fulmine diſſipatur dæmonis ſimulacrũ

ALIQVANTVLVM poſt hæc temporis fluxerat, cùm ecce præcepit duobus Eccleſiæ famulis, vt in flumine, quod iuxta vrbem præterfluit, paucos pro aduenientibus piſces caperent. Haud mora, præceptis obediunt. piſces capiunt, lina legunt, ad vrbem remeant: quos milites, qui in præſidio erant ciuitatis, tedeuntes offendunt. Ij hoſtili ritu ſepti, potiuntur piſcibus: eoſq; malè mulctatos flagris, relinquunt exanimes. Ad ſacerdotem famuli redeunt, & quæ ijs ſimul ablata illataq; fuerant, teſtis luctus edocuit. Beatus tamen pontifex amiſſis non doluit ex contemptu: afflictis congemuit ex affectu. Illinc conſtantiam rigor tenuit, hinc pias lachrymas fudit. Felix, cum vicit contemptu: felicior, cùm victus affectu eſt. Domum intereà milites repetunt, nituntur prædam edomare flammis. Subiecto etenim igne exundant lances, nouo repentè miraculo perdit vim flamma diffiliens, & æſtuans incaſſum furibunda. Miroque repentè modo durantur magis flammis piſces, lege mutata naturæ, & intractabiles durique ſenſus tanti nouitate miraculi molliuntur. Intereà perualores milites ad ſacerdotem concurrunt, direpta referunt, genibus adhærent, veniam facinoris petunt. Ignoſcit mens pietate promptiſſima, donat eis crimen cum piſcibus. Mox quæ direpta focis, intemerata durauerant, reddita flammis edomantur. Præclaris glorioſiſque ſignis plùs ſtupenda ſuccedunt. IV.

Inſigni miraculo caſtigatur militum præſidiariorum improbitas.

ERAT in foro altiori baſe eminens ſimulacrum, quod vir beatiſſimus zelo diuini amoris accenſus deiecit atq; confregit. In vltionem igitur numinis ſui, ſacrilegæ plebis multitudo conſurgit, ac lymphatico furore ſuccenſa, Chriſti bellatori minatur exitium. Sed vir beatiſſimus mortem non timuit vitæ amore. Neque enim fas erat, fortiſſimum bellatorem præſentem timere mortem, quia iam æterna præſentium rerum contemptu metuerat. Itaque plebs miſſo in Rutenem nuncio, cuidam refert, qui erat eo tempore natalium ſplendore, honore, titulis, opibus, authoritate cæteris longè præſtantior. Contrahit hic ſeruorum auxilia, ſede inuectus curruli, vrbem protinùs petit. Et iam emenſus iter diei, fremens, dira & extrema minitans, vrbi aderat. In medio tamen portæ pridiè beatus pontifex orationem terræ proſtratus fuderat. Quo in loco miro ſtupore hæſêre bijuges, & vt inſenſibilia riguêre ſigna. Nil agunt ſtimuli, nil verbera ſæua proficiunt. Tum vir ille inſignis, miraculi nouitate perculſus, ad beatiſſimum virum vnum ex neceſſarijs mittens, rogat vt pia dignanter oratione abſolueret, quem meritis quaſi vinculis nexuiſſet. Haud mora, ſacerdos aduenit, carpento deuoluitur perſecutor, adhæret ſancti genibus, rigat pedes lachrymis, peccatum fatetur, petit remedium. Vix verba compreſſerat, & animalia, quæ vt duræ cautes riguerant, cælitùs recepta mobilitate, præceptis obediunt. V.

Confringit ſimulacrũ S. Amantius

Nouũ miraculum.

CRIMINOSVS quidam hortulum ſancti viri exiguum quidem ſpatijs, lætis tamen conſpicit niteſcere oleribus. Ampliabat ſiquidem loci anguſtias amœna iucunditas. Statim ergò atroci mente furti facinus concipit. Itaq; redditur terris occaſus diei noctis ſilentio. Vix corda mortalium alta quies dulci ſopore laxauerat, cùm ille commodum furandi tempus amplectês. proſilit audacia plenus ſcelere, leuiq; impulſu quæ obſtabant cedentibus, adit hortulum, olera diripit, abire feſtinat, ſed diutiùs retinetur. Nullus etenim remeanti patet exitus, & ità reus tenui ſæpè quaſi muro vallatus tenetur. Exigua namque obſtacula, velut omni conſtructa munimine, creſcere fugienti videntur VI.

Fur nõ poteſt ex hor-

dentur in molem. Noctis ergò totius ſpatium iter hortuli fuit. Intereà roſeæ lucis ſplendor mundi faciem irradiat, qua rebus reddita, terris ſua redit. Igitur beatus ſenex in cellam, vbi preces inſomnis in æſtibus noctis dulci meditatione & ſancto labore tranſegerat, vnum è fratribus vocat, mittenſq; in hortulum, mandat vt quem illic errore laſſatum ſuo, & velut quibuſdam arctatum vinculis, ità innexum crimine repeteriſſet, attraheret. Haud mora, it, reperit, attrahit. Adeſt ilicò criminoſus, furtum in medio proijcit, pedes complectitur ſacerdotis. Ita vir pietate plenus indulget crimen, donatq; furtum, monens ſæpè, vt vſibus neceſſaria ſuis potiùs petat quàm rapiat, & neceſſaria ſibi tribuentis munere, non rapinæ ſcelere, conſectantur. Sic ergò indulgentiam à ſancto viro promeruit, & diſceſſit.

tulo ſancti viri recedere eu ſacto.

VII. Qvid memorem in eodem hortulo à ſimili ſcelesto quodam mella ab aluearibus nocturno dempta furto, delataque domum, in piceis pro fuſus mutata naturam, ſtupuiſſe reum admiratione virtutis, cùm criminis deeſſet cauſa, ſed conſcientia criminis torqueret authorem, cùm furto damnum ſupereſſet, in qua mœſtus atroci maneret in ſcelere? Tandem verò criminoſum, alto mentis ſtupore diſcuſſo, ad antiſtitem properâſſe, retuliſſe furtum, ſanctique veſtigijs proſtratum, veniam facinoris poſtulaſſe, perfacilè ſupplicanti indulſiſſe antiſtitem, naturamque mellis non minori rediſſe miraculo, quàm mutâſſe: ita reum pro ſupplicio veniam, munus domum retuliſſe pro crimine?

Vide rē admiratione dignam.

In vna re geminum miraculum.

VIII. Dvm his virtutum fulget miraculis, beatum glorioſæ conſummationis tempus aduenit. Sed cùm fracta iam æuo membra deficerent, afflictum emortuumque corpus onus abſtinentiæ roborabat, & quod natura negauerat, meritum conferebat. Fuitq; tantus fidei in eo feruor, vt inſatiabili ardore quo plus corpori diſtrictionis intuliſſet, inferre plus cuperet, & quæ erant augmenta meritorum eius incitamenta profectuum. Amor quippe Dei reficere animum poteſt, ſatiare deſiderium non poteſt: ſed magis magiſque cum hauritur, inflammat. Iucunditate enim ſui excitat appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium. Igitur beatiſſimus Amantius hac meritorum luce fulgens, terrena terris membra commendat, cæleſtis ſpiritus celſa conſcendit. Illic nunc intereſt choris Angelorum, hic fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce ſupplici, hic tuetur famulos virtute ſublimi. Illic petit, hic præſtat. Illic vota fundit, hic votis reſpondet. Illic nunc circumſeptus æterna micat luce, vel meritorum ſplendore clara vel illatæ crucis tormentis roſeo quaſi fulgore purpurea. Nam ipſe in ſemet & perſecutor extinguendo vitia extitit, & martyr crucifigendo corpus emicuit: adeptuſque eſt nouum, non mortis, ſed carnis mortificatione, martyrium. Et cum ſit in conſpectu Domini precioſa mors martyris, dum beatiſſimus Amantius in ſeipſo hoſtem & perſequitur, & proſternit, fuit in conſpectu Domini mors precioſa viuentis.

Admirabilis ſenis feruor

Feliciſſimus obitus.

Nouum genus martyrij.

Pſalm. 115.

Quædam de hoc beato Antiſtite Amantio Lector offendet infra 13. Nouembris in Vita S. Quintiani primò Rutenenſis, indè Aruernorum Epiſcopi: qui ſancto Amantio ſucceſſit, cuius etiam corpus tranſtulit, vt teſtatur Gregorius Turonenſis in vita ſanctorum Patrum cap. 4.

VITA B. PERPETVI LEODIENSIS EPISCOPI, ET CONFESSORIS, EX OFFICIALIBVS ECCLESIÆ DIONANTENSIS LIBRIS An. 600.

Collecta, à Ioanne Canonico & Vicario Leodienſi.

Præfatio.

4. Nov.

CVM virtutum exempla, quæ nobis à maioribus, & fidei ducibus relicta ſunt, illuſtriaque miracula, certiſſima veræ illorum fidei & pietatis teſtimonia, eo quo par eſt animi ſtudio, attentioneque reuoluuntur, magnam ad quaſque res ſanctas, cùm cogitandas, tum ſuſcipiendas, calcar addere ſolent. Teſtes ſunt duodecim fidei noſtræ duces Apoſtoli, qui cùm hæc in Chriſto Domino, ac Doctore ſuo ſtudioſè conſiderâſſent, confeſtim omnibus, quæ homines in admiratione habent, relictis, eius lateri adhæſerunt, diuinaſq; virtutes imitari contenderunt. Hos proximè ſecuti glorioſi viri Maternus, Nauitus, Marcellus, Martinus, qui & Haſbanorum Apoſtolus, Seruatius, Domicianus, Monulphus, Gondulphus, Perpetuus, quos Eccleſiæ Leodienſis Præſules, & Principes agnoſcimus: cùm & ipſi miraculorum, quâ Apoſtoli pollebant, gratiam, virtutumque, quâ exornati erant, pulchritudinem penitiùs inſpexiſſent; eodem ardore ſuccenſi, ſicut illi Chriſti, ſic & ipſi Apoſtolorum imitatores effecti ſunt. Confirmant hæc non modo pauca illa, quæ de B. Perpetui (vt interim de alijs taceamus) diuinis virtutibus & prodigijs ad nos ſcripto tranſmiſit antiquitas; ſed & frequentia miracula, quæ ad eius ſacra pignora, quorum præſentia nos indigni fruimur, diuina clementia, ad ſui maiorem gloriam, & ſalutem noſtram etiam hodie operari dignatur. Pauca illa tum diuinarum virtutum, tum cæleſtium prodigiorum exempla, quæ ſparſim in Breuiarijs, alijſq; Eccleſiæ Dionantenſis officialibus libris aſſeruata ad nos veteres illi Eccleſiæ patres tranſmiſerunt, paulò diligentiùs inquirere, certoque ordine ad capita quædam reuocare eſt animus; vt illis ob oculos mentis noſtræ paulò explicatius, diſtinctiuſque propoſitis, ad illorum imitationem acriùs accendamur, vberioreſque in dies fidei pietatiſque fructus reportemus.

Sanctorum vitæ ad quid proficiant

Epiſcopi Leodienſes

I. Vt autem à virtutum officijs ducamus initium; cùm magnus & excelſus Perpetui adhuc adoleſcentis animus miro flagraret Chriſtianæ fidei, quâ ab incunabulis, imbutus erat, propagandæ deſiderio, rerum humanarum Diuinarumque cognitionem omni ſtudio ſibi comparandam exiſtimauit. Igitur totum ſe Philoſophiæ ediſcendæ tradidit: cuius præceptionibus plenè inſtructus, diuinarum rerum ſtudium, pari animi ardore aggreſſus eſt. Ab eo verò non illum ludus intempeſtiuus, non voluptas, cæteræq; lubricæ ætatis peſtes auerterunt, mentem ſcil. diuino numine ad eas, quas iuueni inſtillârat maximas, ſanctiſſimaſq; cogitationes, magis ac magis inflammante. Itaq; conatui reſpondit euentus: namque Philoſophiæ, Theologiæque ſtudijs vt alacriter, ſic feliciter confectis, non humanam modò Diuinamque ſapientiam egregiè conſecutus eſt; ſed & tantam doctrinæ apud omnes exiſtimationem ſibi comparauit, vt non diceretur tantùm, ſed reipſa quoque fidelium doctor paſſim reputaretur, & eſſet. Opinionem augebat, quod quæ ipſe docebat, factis confirmaret: etenim quæ maximè commendabat Chriſtianæ charitatis officia, ipſe primus amplexabatur; ægris in valetudinarijs, vinctis in carceribus miniſtrabat: egentibus neceſſaria comparabat ſubſidia, cæteraque Chriſtianæ benignitatis miniſteria impigrè peragebat.

S. Perpetuus Philoſophiæ & Theologiæ dat operā.

II. Dvm his alijſq; virtutum inſiſtit officijs, Gengulphus* Tongrienſis Eccleſiæ Traiecti Epiſcopus, vir Apoſtolica tum auctoritate, tum ſanctitate conſpicuus, moritur. Nec mora; totus Clerus & populus Perpetuum, cuius illuſtria merita circum fama longè lateq; pertulerat, ſucceſſorem concordibus animis anno poſt Chriſtum natum 598 acclamat. Dignitate decoratus Epiſcopali, Dei hominumq; charitatem, quam cùm lacte ſuxiſſe videbatur, magis in diuino cultu propagando animarumque ſalute promouenda, oſtendit. Etenim probè ſecum reputans, quanta eſſet animarum fidei ſuæ creditarum dignitas, totum ſe ad earum ſalutem procurandam conuertit. Itaque ſuam Diœceſim ſuperiorum annorum bellis pleriſq; in partibus conuulſam, miſereq; afflictam perluſtrans, non tam hominum interitu, quàm ſpiritualibus rerum detrimentis, quæ multa inde conſecuta erant commotus, totis viribus diſciplinam collapſam erigere, & deprauatos hominũ mores in melius commutare adorſus eſt; nec diuinum, cui totus nitebatur, auxilium defuit; Tantus ſiquidem pios Præſulis conatus, fructus excepit, vt breui tempore nullus vicus, nullũ oppidum ra

* Gondulphus.

Anno 598. Fit Traiectenſis Epiſcopus. Aigd Aureæ vallis monach. c. 35. ad Harig. Abbatem Lob.

dum in patria reliquum fuerit, quod ad fidem Christi recipiendam retinendamque, & ad alia Christianæ pietatis ſtudia atque officia complectenda non mediocriter æſtuaret.

Fortitudo animi.

Infidelibus & Barbaris Christum prædicat.

Nobiles & diuites increpat.

Tumultus componit.

EXIMIÆ Antiſtitis charitati reſpondebat par animi fortitudo. Diuina enim ope nixus, nihil arduum, nihil nimis amplum reputans, immenſa quadam animi magnitudine, maxima quæq; moliebatur, nulliſq; quando diuinus honor aut ſubditorum ſalus ageretur, cedebat periculis, aut difficultatibus. Cumque hæc animi altitudo, difficultatumq;, & periculorum contemptio paſſim in eius vita emineret, maximè verò in excolendis in fide pietateq; infidelibus & barbaris enituit: his enim quamuis reluctantibus infenſiſſimiſq;, Ieſu Christi fidem intrepide conſtanterq; prædicabat, diuinoq; fretus præſidio, non priùs deſiſtebat, quàm Ieſum Chriſtum verum & conſubſtantialē æterni Dei Patris Filium, necnon benigniſſimum Dominum Saluatoremque ſuum, ingenuè, libenterq; agnoſcerent. Nec minus inuictum animi robur aduerſu Chriſtianorum nobilium, diuitumque potentiam, quàm aduerſus inſenſorum barbarorum minas ac terrores oſtendit. Nam de immodica eorum potentia ac libertate frequenter non ſine aperto capitis periculo querebatur, qui multa præter fas & æquum, pro inſaturabili ſuo affectu, contra viduas, pupillos, pauperes agerent, multiſque modis miſeros opprimerent. Eandem animi conſtantiam in tumultibus quos populus frequentes excitabat componendis, ſæpius demonſtrauit. Cùm enim, id temporis, plurimi nouis rebus ſtuderent, frequenteſque motus cierent, nec niſi maxima cum difficultate, ſummoque periculo in officio contineri poſſent, hic vnâ Dei ope tutus, tumultus ſedauit, turbata pectora compoſuit, concordiam non minus fæliciter dextreque, quàm fortiter & conſtanter redintegrauit. III.

PORRO dum commodis inſeruit aliorum, nec ſui vir prudentiſſimus obliuiſcitur. Itaq; in medijs curis, iiſque grauiſſimis, quas ſecum Epiſcopalis dignitas vehit, diceres aliud ſtudium viro non eſſe, quam vt cupiditates motuſque animi à ratione atq; honeſtate abhorrentes frangeret, ſeq; ipſum (quod difficillimum ac pulcherrimum victoriæ genus eſt) omnibus in rebus penitus vinceret. Iræ igitur ita potens fuit, quaſi neſciret iraſci. In grauiſſimis contumelijs, ærumnis, & vexationibus, nunquam de quopiam queſtus eſt, ſed pro obtrectatoribus ſuis diuinum exorabat numen, eos vt miſericordia potius exciperet, quam diuina ſibi reſeruaret iuſtitia. Voluptatum quoque, quas carnis concupiſcentia progignere ſolet, ita expers fuit, vt angelicam in carne vitam agere diceres: Diuitiarum tanta in eo contemptio, vt vel eas etiam vltrò oblatas reijceret, vel quamprimùm egentibus largiretur, quò animus curis ſolutus ac liber, cæleſtibus liberiùs bonis contemplandis incumberet. IV.

Iræ expers eſt

Voluptatum, item, Diuitiarum contēptor.

Orationis & meditationis aſſiduum ſtudium.

TANTARVM virtutum theſaurum conſeruabat, augebatq; eximium orationis ſtudium; etſi enim mentem in Dei diuinarumq; rerum contemplatione defixam perpetuò haberet, ſtatum tamen ac certum quotidie ſeponebat tēpus, quod ereptum negotijs, tribueret meditationi rerum cæleſtiū; Et cùm frequentius aſſiduę occupationes nullam ei diuturni temporis partem ad orandum vacuam relinquerent, orationis magis, quā ſomni memor, nocturnæ corporis quieti detrahebat ſemper horas aliquot, ne animus cæleſti illa optatiſſimaque fraudaretur requie, pabuloque; adeò eius mentem diuini dulcedo colloquij ceperat. Cæterum haud dubius quin Deus in ſacris locis, vbi ſanctiùs colitur, benigniùs audiret orantes, ædium ſacrarum limina ſedulò, diligenterq; terebat: Ibi diuino numine inuocato, ſanctorum quoq; implorabat opem. Inter quos B. Mariam Deiparam, benigniſſimam hominum patronam egregio coluit ſtudio: Inde Apoſtolos duodecim fidei noſtræ Principes, tum B. Vincentij Leuitæ & Martyris opē in ſuis ærumnis & calamitatibus frequentiùs implorauit. His aliiſq; bonorū operum ſtudijs continuò intentus, ad magnam ſenectutem peruenit, quæ illum magis ac magis vt venerabilem, ita amabilem reddidit. Itaq; 12. annis in Epiſcopalibus officijs conſumptis in Oppido Dionantenſi, id temporis facilè opulentiſſimo, laborioſam hanc mortalēque vitam, cū immortali & quieta cōmutauit, pridie nonas Nouembris. Spiritus † confeſtim ſuperatis huius vitę fluctibus, æternitatis portum tenuit. Corpus arca incluſum, funere quantis maximis, in illa populi fidelis opulentia, ſtudijs potuit, celebrato, in ipſa B. Vincentij Leuitæ & Martyris æde ſacra, Chriſtiano ritu, ſepulturæ mandatum fuit. V.

Moritur Ægid. ibid. Molan. in Natal. Belg. 4 Nouēbr.

† Dionantenſe oppidum eſt diœceſis Leodienſis duodecim millibus ab vrbe diſſitum.

ET hæc quidem pauca illa ſunt quæ de B. Perpetui illuſtribus virtutibus nobis reliquit antiquitas. Modò de miraculis certiſſimis eximiarum virtutum atq; donorum teſtimonijs, quæ in eius animum diuina bonitas plena (vt dicitur) congeſſerat manu; quæq; iidem veteres patres nobis reliquerunt, eodem ſtylo proſequamur: Cùm plurimis iiſq; maximis D. Perpetuus claruerit ſignis & prodigijs, illo imprimis, quòd corpore eius recens humato cōtigit, maximè cōſpicuus fuit: Oleum [a] cùm gratiſſimi odoris, tum maximæ virtutis, ab imo ſepulchri eius ſurſum aſcendens, largiter è terra ſcaturire cœpit. Quo ſigno cum gratiarum donorumq; copiam, qua Deus D. Perpetuum adhuc viuum cumulauerat, & felicitatis cæleſtis gloriam, quâ mortui animam beauerat diuina maieſtas, omnibus planè teſtatam faceret; Clerus, [b] Populuſque Dionantenſis, corpus, quod humo effoſſum, in anguſto D. Vincentij Leuitæ & Martyris oratorio iacebat, ſolemni pompa atq; apparatu, diuinos circum hymnos & laudes concinens, terra leuauit, & in maiorem Deiparæ Virginis Mariæ ſacram ædem tranſtulit. Vbi longo tempore loculus ſacras aſſeruans reliquias, miraculoſi illius olei dono, non Leodienſi modo patriæ, ſed & omnibus circumquaque prouincijs, quanta apud Deum eſſent D. Perpetui merita, commonſtrauit. Nullus etenim ſeu indigenarum, ſeu aduenarum hoc oleo ſe vnxit, aut D. Perpetui opem implorauit, quin diuinum ſtatim ſenſerit ſibi adeſſe auxilium. VI.

[a] Oleum ex tumba eius emanat Ægid. & Molan. ibid.

[b] Corpus S. Perpetui ab oratorio S. Vincentij in Baſilicā B. Virginis transfertur.

HVIVS rei fidem imprimis faciet honorata Ciuis Dionantenſis Maria nomine. Habebat hęc filiolam in cunis, quam cùm fortè in alueolo, quo eam lauabat, minus prouida ſolam reliquiſſet, ſubmerſam reperit. Triſti hoc filiæ ſpectaculo mulier cōmota, ploratu, eiulatuq; domum, totamq; viciniam complet. Huiuſmodi clamoribus excitus populus accurrit, ſeu mulierem ſolaturus, ſeu miraculo poſtmodum teſtis adfuturus. Certatim quiſq; filiolæ corpus luſtrat, palpatq;, & vt exanime conſpicit, matri cōdolet, lachrymiſq; fœminæ, ſuas miſcet. Dum inanes præter gemitus nihil ſolatij, præſidijq; homines adferunt, præſto fuit diuina B. Perpetui precibus, meritiſq; conciliata benignitas. Ex templo adſtantium animos ſubit, quanta fuerit eius ſemper in eorum ærumnis calamitatibuſq; ſubleuandis potentia. Diuinum ergo acclamant patrocinio D. Perpetui implorandum auxilium. Nec mora: corpus infantis frigidum & exanime ad loculum miraculoſi olei ſtillatione illuſtrem deferunt. Sequitur mater inconditis paſſim clamoribus & fletibus cælum pulſans, dìuoſq; omnes & B. imprimis Perpetuum in Patronum aduocans. Iungit preces & lachrymas pariter clerus populuſque; Nec in caſſum. Vix enim filiæ corpuſculum coram ſacra D. Perpetui ara ſiſtitur, cùm ecce ſpiritus, calorque, & color viuidus filiolæ, & filia viuens valenſque matri reſtituitur. Fit in templo clamor, omnibus tantæ rei prodigio attonitis & admirantibus; Deoque, qui tantis Pontificem ſuum virtutibus mundo celebrem faceret, quantas poſſunt gratias profundentibus. VII.

Mariæ Dionantēſis filia aquis ſuffocata inuocatione S. Perpetui ad vitam reuocatur.

NEC minus cæleſtem, quā D. Perpetuum donauit altiſſimus virtutem aſtruit, quod circa puerum Dionantenſem contigit prodigium. Erat pijs opulentiſque parentibus ortus puerulus Fulcherius nomine: hic vix annum natus, grauiſſimo morbo affectus fuit. Diſſolutis inteſtinis, iiſq; ſuper inguina puerilia propendentibus, ingenti tumore opprimebatur, qui propter corpuſculi teneritudinem medici manum vix patiebatur; nec tamen ſine docta ſeuerâque chirurgi opera, ab omnibus harum rerum peritis, ſanari poſſe iudicabatur. Parentes ferramenta chirurgorum, ſectionemque infantilis corporis, nec immeritò horrentes, vnum D. Perpetui patrocinium apud Deum pro ſalute puerulì interponendum ſtatuunt. Itaque Deum continuis precibus, Patronumque ſuum D. Perpetuum, pro incolu- VIII.

Fulcherius puer S. Perpetui meritis ſanatur. Ægid. ibid.

incolumitate filij interpellare no[illegible] ſi puer conualeſcat, ædem B. Mariæ Virginis ſtructuram, iamdiu rerum neceſſariarum inopia [illegible] quibus ad Dei Deiparæque Virginis honorem perfecturos. Audit mox Deus pias parentum preces, meritiſque & deprecatione ſerui ſui Perpetui, priſtinam ſanitatem mox puerulo reſtituit. Parentes impigre votum ſoluunt, & Deiparæ Virginis ædem ſacram non [illegible] hilariter, quam liberaliter perficiunt.

IX. Sed & illud maximum diuinæ virtutis, quâ B. pollebat Perpetuus argumentum fuit. Frequentabat ſcholas Dionanti adoleſcens, Clemens nomine. Hic die D. Perpetuo ſacra, Clero diuinis matutino tempore pſalmis, hymniſq; decantâdis occupato, domum ad ripam Moſæ recens ædificatam ingreſſus, in editiore eius tabulato incautè deambulabat; cùm ecce facto parietis hiatu, in Moſam ſuum id temporis prætergreſſum alueum, præceps corruit; verùm in ipſo caſu periculoque, Dei Diuiq; Perpetui memor, vtriuſq; opem ore animoq; [illegible] (vt poſt modùm confeſſus profeſſuſque eſt) innocat. Adfuit extemplò ruenti benigniſſimus Patronus. Namque eti illum profundum demerſus, fluminiſque exuberantis æſtuantiſque fluctibus vehementer iactatus, tamen ſine vllo incommodo, viuus incolumiſque euaſit. Et erat tabulati altitudo ex quo decidit maxima, ne quis rem miraculo eximeret.

Clemens in Moſam lapſus, inuocato S. Perpetuo incolumis euadit Ægid ibid.

X. In hoc quoq; D. Perpetui admirabilis virtus enituit. Mulier quædam inſigni pietate ac religione venerabilis, Gertrudis nomine, tanto capitis dolore cruciari cœpit, vt omnibus derepentè corporis viribus [illegible], extremoſe in periculo eſſe crederet. Itaque ſub feretro D. Perpetui, quod id temporis in arca lignea in medio templi Dionanti ſitum erat, precibus dedita, patrocinium illius, quod omnibus in ærumna, calamitateque conſtitutis paratiſſimum eſſe cognouerat, magna animi tum fiduciâ, tum perſeuerantiâ, implorat. Nec fruſtrà; Subitò enim dolor capitis, cuius acerbitatem ſe verbis aſſequi poſſe negabat, ope deprecationeque D. Perpetui totus euanuit, priſtinumq; corporis robur redditum fuit. Quod pia modeſtaque mulier primum filio, deinde filius, ad Dei ſeruique ſui Perpetui maiorem gloriam, paſſim, paſſimque patefecit.

Gertrudis dolore capitis liberatur.

XI. Postremo quàm D. Perpetui in populi Dionantenſis ſalutem cura pietaſque ſemper excubauerit miraculum quod anno poſt Chriſtum natum milleſimo ducenteſimo decimo tertio contigit, euidenter fidem faciet. Erat ea tempeſtate acre inter Henricum Brabantiæ Ducem, & Hugonem de Petraponte Leodienſem Antiſtitem & Principem, bellum. Militabant Præſuli cum alijs plures Dionantenſes. Hi iam aliquot diebus ſub armis ſudârant, iamque manus cum hoſte collaturi erant: Cùm ecce mulier quædam Dionantenſis Maria nomine, fide pietateque erga Deum Diuumque Perpetuum egregia, periculum quod ſuis ciuibus imminebat, morbo domi implicita proſpicit; &, vt D. Perpetui opem præſidiumque imploret, admonetur. Patet fœmina, ſeu Deo, ſeu Perpetuo, apud diuinam maieſtatem pro Dionantenſium periclitantium ſalute interceſſori. Itaque templum, quod ſacra D. Perpetui oſſa aſſeruat, è lecto ægra, vt poterat animo contuens, huiuſcemodi verbis Patronum ore [illegible]que compellat. Inclite Chriſti confeſſor, Patrone benigniſſime, ciuibus tuis cultoribuſque, qui ſub tuo prælio ſuo Antiſtiti militant, hocce in conflictu, ſedulus auxiliator, adeſto. Nec in vanum fuſæ preces: Confeſtim adſuit pugnantibus D. Perpetuus. Certis namque nuncijs ſtatim cognitum fuit, illâ ipſâ horâ, quâ mulier periculum ſuorum ciuium proſpexerat, & pro periclitantibus ſupplicauerat, Dionantenſes cum hoſtibus congreſſos fuiſſe, eoſque conſtanter fortiterque ſtrauiſſe.

Anno 1213. Bellum inter Henricum Brabantiæ ducem & Hugonē Leodienſ. Epiſc. B. Perpetuus inuocatus Dionantenſibus victoriam parit.

[illegible] Hisce, alijſque innumeris prodigijs, quæ literis poſteritati minimè tradita ſunt, quantâ cœleſtium donorum abundantiâ, B. Perpetuum diuina cumulârit maieſtas, plus ſatis nobis teſtatum eſt. Reliquum eſt, vt diuinarum virtutum officia, quæ in Sancto Præſule, Patronoque noſtro miramur, etiam imitari ſtudeamus. Etenim ſi quam vitæ rationem iniit, nos inſequi voluerimus, eundem proculdubio beatitudinis portum, ſuperatis huius mortalis vitæ fluctibus, ſecuri aliquando tenebimus. Ieſu Chriſti fidem imprimis, quam ab Apoſtolis, eorumq; Diſcipulis acceptam, tantis tum laboribus, tum periculis partim ille in Ethnicorum adhuc hominum cordibus plantauit, partim plantatam irrigauit, & vt incrementum ſumeret, ope ſua deprecationeq; à Deo impetrauit, ſartam tectam conſeruemus; nullis ab ea nos vel politicorum, vel hæreticorum promiſſis, minis, dolis, alijſq; huiuſcemodi Diaboli artibus & fallacijs, abduci patiamur. Inde, charitatem Dei, proximique, quâ eum exarſiſſe in terris, hodieq; in cælis flagrare, maiores noſtri, tum qui cum eo vixerunt, tum qui deinde vſque ad noſtra tempora ſecuti ſunt, plurimis euidentiſſimiſque argumentis viderunt, palpâruntque, noſque ipſi quotidie hiſce oculis conſpicimus, ſtudioſiſſimè amplectamur; Diuini numinis honorem gloriamq; in omnibus quæramus; ſalutem omnium quos ad imaginem Dei conditos, cæleſtiſq; beatitudinis nobiſcum capaces agnoſcimus, omni ſtudio, labore, opera, induſtriâ, conſilio, rebus etiam noſtris promoueamus. Hic ſpei, fiduciæq; pleni, modeſtiæ, ſobrietati, caſtitati, orationibus, reliquiſque virtutum officijs inſiſtamus. Ita Dei, benigniſſimique Patroni noſtri fauore, gratiaque digni reddemur, & vt in omnibus ærumnis & calamitatibus nobis auxilio ſint, promerebimur. Quod nobis concedat, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

PRÆCIPITVR FESTVM B. PERPETVI CELEBRARI PER TOtum oppidum Dionenſe, ſicut & Eccleſiæ Dionenſis Dedicatio.

Adulphus Dei gratia Leodienſis Epiſcopus, Vniuerſis presbyteris & Capellanis in oppido noſtro tam citra quam vltra Moſum conſtitutis, Salutem in Domino ſinceram. Vt Eccleſiæ B. Mariæ Dionantenſis eiuſdem oppidi, in qua corpus B. Perpetui Epiſcopi & Confeſſoris, qui dum viueret in Eccleſia noſtra Leodienſi præſedit, vt Epiſcopus atque paſtor, reſidet, congruis honoribus à Chriſti fidelibus ſpecialiter ab illis, qui in eodem oppido reſident aut morantur iugiter veneretur. Vobis mandamus quatenus charitatiuis monitis, & in virtute S. Obedientiæ, & ſi opus fuerit, ſub pœna excommunicationis firmiter iniungatis, vt ſinguli eorum in ſuis locis diem feſtum B. Perpetui prædicti, necnon eius Dedicationem prout in matrice Eccleſia ſeu ipſius B. Perpetui fit, & conſuetum eſt, in honore ipſius glorioſi Epiſcopi celebrent, & obſeruent. Datum anno Domini, milleſimo treceuteſimo vigeſimotertio, in craſtino circumciſionis eiuſdem.

Præſens Copia de verbo ad verbum concordat cum ſuo originali.

Gerardus Boſſens Venerabilis Capituli Dionantenſis Notarius.

Verum Anno 1466. Dux Philippus, Comitis Carolini filij & Domini Ludouici Luxenburgij copijs adiutus, quadraginta milibus hominum Dionantum obſedit. Dionantenſes ſumptis armis, quod aliàs de huiuſmodi caſtris (vt ſcribit Monſtreletus in ſuis annalibus) triumphâſſent, oppidum fortiter egreſſi, tāto impetu impreſſioneq; hoſtē aggreſſi ſunt, vt ſummum totis Caſtris terrorem incuterent, verùm poſt paucos dies (ea eſt humanarum rerum inſtabilitas) oppidum florentiſſimum, fortiſſimumq; ab hoſte occupatum, ſpoliatum, ambuſtum, ſoloque exæquatum fuit. Ne-

Anno 1466. Dionantū obſidetur & incendio abſumitur.

B. Perpetui corpus Bouinium transfertur.

fuit. Neque tamen rebus ita turbatis Dionantenſibus fidei religioniſque Catholicæ addictiſſimis rerum ſacratum cura defuit. Sacrum etenim D. Perpetui corpus, cum bona parte ſacræ ſupellectilis Eccleſiæ B. Virginis, ac Sanctorum pignoribus, Bouinium transferri curauerunt: quod pretioſum depoſitum Bouinienſes fideliter, magnaque cum religione & pompâ poſtmodum reſtituerunt, vt ex ſubiectis literis ſuper ea re Mechliniæ anno 1475. confectis, ſit manifeſtum.

CAROLVS BVRGVNDIÆ DVX MANDAT BOVINIENSIBVS, VT SACRVM D. PERPETVI CORPVS, APVD EOS REPOSITVM, Dionantenſibus reſtituant.

CAROLVS Dei gratia Burgundiæ Dux, Lotharingiæ, Brabantiæ, Lymburgen, Luxemburgen, & Geldriæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurcen & Zuirwen, Marchio S. Romani Imperij, Dominus temporalis de Foiſe, Salins & Mechlinien: Omnibus ad quos hæ noſtræ peruenerint, Salutem. Cùm iamdiu cauſa & proceſſus per binas inſtantias coram Curia noſtra parlamenti Mechlinienſis, mori & pendentes inter Præpoſitum, Decanum & Capitulum Eccleſiæ collegiatæ noſtræ Dominæ Dionantenſis Impetrantes actoreſq; ex vna, & Prætorem Scabinos, Cõſilium, Iuratos, mamburnos, paſtorem, Gubernatores, cæteroſque incolas oppidi noſtri Bouinienſis, Conuentos ac defenſores ex altera partibus extiterint: Eo quod prædicti impetrantes ponerent aſſeuerarentq; per noſtras Patentes, datas 11. Martij, anno 72 ſignificatum omnibus Iuſticiarijs patriæ cuiuſq; noſtræ & dominiorum, vt expreſſe nomine noſtro præciperent cunctis dictorum patriæ ac dominiorum ſubditis, qui ſub ſua poteſtate retinere reperti forent bona quædam, vti calices, libros, ornamenta, dactylothecas, aliave ad dictam Eccleſiam & dependentes capellas ſpectantia, ex ijſq; erepta per diuerſum militum noſtrorum genus, tempore nouiſſimæ interceptionis, & diruitionis Dionãtenſis (contra datum tunc edictum & defenſionem noſtri P.M. Domini & patris, cuius animæ Deus miſereatur, ac etiam noſtrûm) eadem redderent & ex tẽpore deliberarent ipſa expoſcentibus actoribus. & ad hoc cogerentur realiter ac de facto, videlicet Eccleſiaſtici, per arreſtationem temporalium, & laici per capturam necnon detentionem ſuorum corporum, vel quibuſcumq; alijs modis debitis rationique conformibus. Quanquam verò per eoſdem actores, ſumma præmiſſa bona recuperandi ex eo titulo diligentia adhibita fuerit, nihilominus vix aliquid recuperare potuêrunt. Quamobrem ſecundas noſtras patẽtes obtinuêre, quarum vigore certus quidam noſtrorum officiatorum, ac earundem executor ipſis defenſoribus mandauit, vt quæcunq; bona, ſiue per emptionem, donum aut aliàs acquiſita, quemadmodum, reliquiæ, calices, cruces, aliaq; auro & argento circumcincta, libri, candelabra, Campanæ, Caſulæ, ſimiliaq; ornamenta Deo, diuinoq; eius ſeruitio dicata, durante eiuſdem oppidi Dionantenſis deuaſtatione ad dictam Eccleſiam noſtræ Dominæ, ſimul & ad alias dependentes pertinentia, ſuprafatis impetrantibus reſtituerentur. Qui defenſores, nonnullis ex prætactis bonis Executori redditis, alia negantes, noſtro ſeſe mandato oppoſuerunt, quòd plura eſſent ab ijs experita quàm reuera haberent: Vnde ad rationes & argumenta ſuæ oppoſitionis proponenda, dies fuit ijs comparendi in prætacta Curia noſtrâ aſſignatus. Et exinde obtinuerint rurſus prætacti actores alias noſtras patentes, per quendam officiatum noſtrum earundem executorem, dictis Bouinienſibus præſcribentes & ſerio mandantes, quatenus ad manus impetrantium, Corpus S Perpetui Patroni Eccleſiæ prætactæ noſtræ Dominę Dionantenſis, cùm feretro auro & argento circumducto, quę retinebant, vt alia bona ſuperius declarata, reponerent. Quibus non acquieſcentibus defenſoribus dies iterum comparendi in ſępedicta Curia noſtra præfixus fuit, ad videndum legitimas oppoſitionis cauſas adferri & vlterius procedi prout Iuris & rationis. Concludunt igitur Actores mandata defenſoribus & oppoſitoribus iuſtè intimata fuiſſe, ac idcirco inique ſe oppoſuiſſe, & non obſtante contradictione debere condemnari & cogi ad reſtituendum corpus, feretrum, reliquias aliaq; prænominata valoris ducentarum markarum argenti, ſalua iuſtiori exiſtimatione, & ad euitandas expenſas in euentum quo procedatur: Replicantibus ipſis Conuentis, inter alia quod tempore demolitionis prædicti oppidi in Eccleſia noſtræ Dominæ incendiũ fuerit, in qua aſſeruabatur corpus & feretrum S. Perpetui, quę igne erepta & extracta poſtmodum per beneplacitum præfati Domini P.M. & patris noſtri in Eccleſiam Bouinienſis tranſlata & repoſita fuere.

MVLTIS NARRATIS AD PROCESSVM FACIENTIBVS, SEQVEBATVR IN cuius fauorem decretum diffinitiuum latum fuerit, tenoris ſubſequentis.

NOTVM facimus quod proceſſu ac omnibus quæ ex illo deducuntur per antedictam Curiam noſtram viſis & examinatis conſideratiſq; conſiderandis, & maturam deliberationem requirentibus plenè & circumſpectè perpenſis, per ſententiam diffinitiuam condemnauit & condemnat, dictos Bouinienſes defenſores, vt reliquias corporis S. Perpetui, ſimul feretrum in tali valore & æſtimatione qua Commiſſarius ad hoc deputatus repererit fuiſſe die & hora quibus ad Bouinienſes tranſlatum fuit, prædictis Actoribus redderent compenſatis expenſis. In cuius fidem & teſtimonium præſentes noſtras ſigilli noſtri appenſione communiri iuſſimus. Datum in dicta Curia parlamenti Mechlinienſis 10. Nouembris, 1475.

BOVINIENSES MAGNA CVM SOLEMNITATE ET REVERENtia Dionandenſibus Sacrum D. Perpetui corpus reſtituunt.

VNIVERSIS & ſingulis Chriſti fidelibus, Ego Petrus le Muet Conſiliarius pariter & Commiſſarius in parte metuendiſſimi Principis & DD. Caroli Ducis Burgundiæ, Salutem in Domino ſempiternam. Notum facio & certifico, Quod anno Domini, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, menſis Ianuarij die ſexta virtute literarum patentium dicti Principis & Domini mei: In quarum margine præſens certificatio certitur affixa, perſonaliter me tranſtuli & pertexi ad villam ſeu Eccleſiam Bouinienſem vbi in Capella B. Mariæ erant vnanimiter RR. in Chriſto Patres & Domini, D. Nicolaus Deue, Abbas S Huberti, Dompnus Guilhelmus de Graux Abbas Bouinienſis, Dompnus Ioannes de Bouinia Abbas VValcodonenſis, Dominus Thomas de Lembourg, Abbas Florinenſis, Dominus Ioannes de Frena, Abbas, de Malone, Frater Ioannes de Valle, Abbas Leſſienſis, vna cum venerabilibus viris Magiſtro Ioanne de Floruco, Decano noſtræ Dominæ Namurcenſis, Magiſtro Ioanne de Soiron, Decano S. Albani Namurcenſis, Magiſtro Ioanne de Sonnet, Præpoſito Cennacenſis, Magiſtro Ioanne de Queren, Decano Graidenſis, & Magiſtro Ioanne Laubin Cantore prædictæ Eccleſiæ S. Albani. In quorum omnium præſentia, de ſpeciali mandato prælibati Domini mei Ducis, mandaui Villico, conſilio, ſcabinis, Iuratis, Mamburnis, Curato, Rectoribus, ſimul & cunctis in dicta villa de Bouinia habitantibus, illic me iubente ſingillatim conuocatis, vt ſecundùm diffinitionem Perlamenti in Curia ſæpedicti Domini mei in Mechlinia deciſam, quantocyus redderent & reſtituerent reliquias eximij Corporis Sancti Perpetui olim Traiectenſis Epiſcopi, cum

feretro

feretro ſeu capſa in qua corporaliter requieſcit, in tali valore, æſtimatione pariter & libramine, quibus nuperrime delatæ fuerunt ad ſupradictam Villam Bouinienſem, post grauiſſimam & lamentabilem destructionem Dionantenſem. Super quibus præl bati Villici, Scabini, Conſiliarij, Iurati, Mambittini, Curatus, Rectores & inhabitantes Bouiniam viuæ vocis oraculo tale, per Petrum de Ro... quot villicum eorum, dedere reſponſum. Ad feretrum ſine capſam, nuper ad nos latam & iure temporis diligenter ſeruatam nihil demiſimus, aut addidimus, parati reddere præfato Dionantenſi Capitulo, ſicut in præſentiarum habetur, vel ſecundum pondus, quod dudum accepimus indifferenter. His actis in ... Capitulum, videlicet, Magiſter Ioannes Salmon Præpoſitus, Magiſter Ioannes de Ruella Decanus, Magiſter Petrus Cotenne Cantor, Magiſter Gerardus de Alueto Scolaſticus, & alij plores Canonici præfatæ Eccleſiæ Dionantenſis, maturo conſilio declararunt, ſe, per nos ac voluntarios, ipſum feretrum ſuſcipere abſque pond... ſuis prout erat ſtatu, virtute, pretio pariter & quidditate. Tunc ex conſenſu & conniuentia pa... virtuſque re... tatum eſt feretrum, dein per præfatos Patres; reuerendos Abbates & Prælatos viſitatum Corpus Sanctum, quod inconcuſſum & illibatum cum omni reuerentia & honore perceperunt, gratias agentes altiſſimo de fideli & laudabili cuſtodia, quam Bouinienſes exhibuerant circa tam carum theſaurum, pretioſum ſuper aurum & topazium. Sed priuſquam idem feretrum clauderetur, ad ſuggeſtionem Bouinienſium, tam ſcriptorum, & conſenſu Venerabilium Prælatorum nominatorum, a præſcripto Dionantenſium Capitulo pro mutua vnione & pace, indiſſolubiliter ... conſeruandis, fiducialiter poſtulauit vnam ... partem ſeu portiunculam dicti ſacri Corporis, tam ſacræ Bouinienſi Eccleſiæ dari & liberaliter impertiri. Quod animo lubenti concedentes, vnam de coſtis Corporis ſancti, in manus præfatorum Curati & Villici locandam & tuendam relinquere dignum duxerunt, d... ſuper hoc licentiam ſeu permiſſionem reuerendiſſimi in Chriſto Patris & D. D. Leodienſis eo de ... obtinerent. præter cuius admiſſionem hoc donum decerneretur irritum, nulliuſque roboris ac momenti, imo vetitus iuſte repetendum ſignanter & reſtituendum. Quibus rite patratis ſæpe dicti venerabiles Domini Capituli Dionantenſis, de Villa Bouinienſi ſuum feretrum glorioſo corpore B. Perpetui redimitum, ad ſuam Eccleſiam B. Mariæ Dionantenſis reportantes tranſtulerunt, in clangore tubæ ſimul & canticorum iubilatione, Vbi nunc altiſſimo ... præcipua deuotione colitur, & à populo frequentando veneratur. In quorum omnium præmiſſorum teſtimonium, hanc certificationem ſigno manuali, meo quoque ſigillo decreui muniendam Paſſoſmites ... Patres. Reuerendi Domini Abbates ſua ſigilla præſentibus duxerunt appendenda, in ſignum & robor perpetuæ veritatis, Anno & die quibus ſupra. Sic ſignatum & ſubſcriptum P. le Muet. Deinde Originali in pergamenio appenſa erant, imprimis ſigillum caudatum in cera rubra præfati Domini Commiſſarij videlicet Petri le Moet. Deinde alia quinque ſigilla maiora cum caudis in cera viridi Reuerendorum Dominorum Abbatum ſupra nominatorum.

Præſens hæc copia concordat cum ſuo originali, extracta de verbo ad verbum ex ipſo originali, per me Notarium & Commiſſarium infraſcriptum hac vigeſima quarta menſis ſeptembris 1600.

Guilielmus Iadoulle, Notarius & Commiſſarius.

HISTORIA ADMIRANDARVM CVRATIONVM, QVÆ DIVINITVS OPE DEPRECATIONEQVE D. PERPETVI LEODIENSIS EPISCOPI

& Confeſſoris, ad eius Sacras reliquias Dionanti, Anno 1599 & aliquot Superioribus, contigerunt, ab eodem Ioanne Chapeauille conſcripta, ad poſtulationem magiſtratus Dionantenſis, tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis.

INTER miracula, quæ ope deprecationeque D. Perpetui noſtro tempore Dionanti diuinitus patrata ſunt, Primum ſe offert, quod Anno ſalutis 1585. editum eſt. Anna filia Ioannis Bodart Scabini Dionantenſis, viri primarij & opulenti, octo annos nata, confeſtim incognito & inſanabili morbo oppreſſa fuit: quippe omnibus capta membris, acerbiſſimiſque diſcruciata doloribus, miſerrimam trahebat vitam, morti quàm vitæ ſimiliorem. Itaque parentes ingenti animi dolore permoti, quo ſaluti filiæ conſulant nihil intentatum relinquunt; Damianum Goddart artis medicinæ peritiſſimum frequenter conſulunt, amicos vicinoſque, vt quàm quiſque poſſit opem adferat, enixè rogant, qui omnes morbi magnitudine victi, humanique remedij inopes, vnam Dei omnipotentis opem implorandam eſſe cenſent. Parentibus ergo magno animi ardore cæleſte auxilium exoptantibus, ſubit memoria D. Perpetui, cuius egregiam vim in morbis diuinitus curandis ſæpius audierant, nec fruſtra; Siquidem Dei haud dubiè, Patronique Perpetui benignitate, ſubito matri certiſſima ſalutis filiæ ſpes affulſit, qua accenſa noctem totam precibus conſumit: diluculo filiam vlnis comprehenſam ad aram B. Perpetui defert: Magiſtrum Simonem Forzetanum, Eccleſiæ Dionantenſis Canonicum, vt ſacrificium pro ſalute filiæ offerat, rogat: Et ecce ſacro necdum peracto, filia robur priſtinum, membraque conſolidari ſentit: Mater beneficij diuinitus accepti ignara, filiam vt tulerat in vlnis domum refert, ſedique vt conſueuerat imponit: Verùm illa viribus nouis alacris ac firma, extemplò in plantas ſurgit, & ſuis pedibus deambulans, Matrem huiuſcemodi verbis interpellat: Cur me è templo tuis vlnis retuliſti? potuiſſem ipſa meis pedibus domum redire; Ecce enim cum ad feretrum D. Perpetui preces fuoderemus, vires valetudinemque recuperaui. Mater ingenti admiratione ſtuporeque attonita, pauliſper hæſit; inde ad Deum Deique matrem & benigniſſimum Patronum Perpetuum verſa, obortis gaudio, vt fieri ſolet, lachrymis, nullum diuini beneficij efferendi modum facit. Nec filia, quamuis ætate puerili, officio deeſt; ſiquidem ſubmiſſis vt docta erat genibus, ac oculis, manibuſque in cælum ſublatis, Deo, Deiparæq; Virgini, necnon Patrono ſuo Perpetuo multiplices gratias agit. Hora in huiuſmodi officijs propemodum conſumpta, filia, quam beneficium acceptum maximè tangebat, læta gaudenſque, vicinorum domos ſuis pedibus obit, & Dei Patroniſque ſui beneficium prædicat. Illi qui probè ægram antè nouerant tanti rei miraculo ſtupentes, pariter ingentes Deo Deiparæque Virgini & Diuo Perpetuo grates agunt. Miraculum quidem ipſum adeò certum teſtatumque eſt, vt nefas ſit de eo dubitare, Multi hodie ſuperſunt haud dubia fide homines, qui hæc omnia oculis conſpexerunt, in quibus eſt facilè primarius vir Nicolaus Nollet Oppidi Dionantenſis prætor, qui prodigio hoc audito, cum ad ædes honorati viri Ioannis Bodart acceſſiſſet, vidiſſetque filiam, quam antea omnium membrorum vſum deſtitutam familiariter nouerat, ita ſubitò priſtinis viribus reſtitutam; cæleſte hoc beneficium ſummis extulit laudibus, hodieque ad Dei, Diuique Perpetui maiorem gloriam prædicare non ceſſat.

Tumba S. Perpetui relocatur.

Coſta S. Perpetui Bouinienſibus relinquitur.

Corpus Dionantum tranſfertur.

Anno 1585. Anna filia Ioannis Bodart Scabini Dionantenſis, ab inſanabili diuturnoque morbo derepente ad feretrum Diui Perpetui ſanatur.

Anno

Anno 1592. Catharina Weſpina ſana.

ANNO 1592. aliud nec minus teſtatum nec minus mirabile contigit. Catharina Bertrandi VVeſpini honorati ciuis Dionantenſis filia confeſtim incurabili apoplexiæ morbo laborare cœpit. Namque & media corporis parte, & mente penè tota ægra, nec pedibus firmiter conſiſtere, nec ratione vti valebat. Idem Damianus Medicus ſæpius conſultus, eiuſmodi morbum omnem medicinæ artis vim ſuperare non ſemel apertè ingenueque profeſſus eſt. Itaque cum totis quinq; menſibus infirma cum morbo luctaretur, mortiſq; metus in dies creſceret, deſperata ope humana, ad diuinam parentes ſpectare cœperunt. Subijt animum diuina vis, qua plurimos precibus & meritis benignißimi illorum patroni Perpetui ſanari à morbis incurabilibus contigerat: Illi ergo ſpei ac fiduciæ pleni, ſequenti die filiam ad ædem B. Mariæ Virginis, in qua B. Perpetui conſeruantur reliquiæ, deducunt: D. Bertrandum de Marcine ſacrorum cuſtodem, rogant, vt ſacrificium pro filiæ incolumitate offerat, preceſq; & merita benignißimi illorum patroni apud Deum interponat. Dum ſacrum peragitur, parenteſq; cæleſte auxilium haud dubia ſpe expectant, ecce vires animi corporiſq; ſubitò filia redire ſentit, paucisque interiectis diebus perfectum membrorum, rationiſque vſum recuperat. Et vt eius opus fuiſſe, cuius omnia perfecta ſunt opera, non dubia fide cognoſcas, deinceps filia multo quàm ante robuſtior, vegetiorque effecta eſt. Quocirca parentes Deo imprimis & Deiparæ Matri, certißimoque ſuo patrono Perpetuo, gratias quàm potuerunt maximas perſoluerunt. II.

Anno 1593 Ioannes de Re. omnium membrorum viribus exhauſtus acerbißimiſque doloribus ſex hebdomadibꝰ exercitatus, diuinitus meritis D. Perpetui, priſtinis viribus valetudiniq; reſtituitur.

SVBSEQVENTE anno qui fuit ſalutis milleſimus quingenteſimus nonageſimus tertius aliud ſpectaculum non minori admiratione dignum, ciuibus ſuis D. Perpetuus exhibuit. Ioannes de Rene ciuis Dionantenſis, fidei vitæque integritate conſpicuus, continuis ſex hebdomadibus grauiſſimo morbo implicitus, ita omnibus corporis viribus exhauſtus erat, vt nec adminiculis, quæ Cruces vocant, ſuſtineri; nec loco, niſi portaretur, moueri poſſet. Accedebant ad morbi magnitudinem dolores acerbißimi, quibus ſuo iudicio vix vllus mortalium grauiores ferre poſſet. Ita miser cruciatus, hoc vnum à Deo ſummis precibus contendebat, vt ſaltem crucibus innixus ſi non progredi & incedere, ſaltem loco ſe mouere, & quoquomodo prorepere poſſet: Verum cum nulla morbi cruciatuumq; remiſſio fieret, nocte quadam ſubitò B. Perpetui, de cuius virtutibus & miraculis multa inaudierat, memoria occurrit; tantaque extemplò recuperandę ſalutis fiducia illi affulſit, vt non dubitaret ſe craſtina die, ſi ad feretrum Sancti Perpetui deportaretur, priſtinam valetudinem recuperaturum. Adſunt non ſegnes vicini, qui nocturnis diurniſq; ægri lachrymis, gemitibus, & clamoribus permoti, opem quam poſſunt, operamque offerunt; Itaque quod vnum enixè ab ijs æger petijt, eum ſedi impoſitum, ad altare D. Perpetui deferunt. Ibi humi poſitus, magno animi ardore D. Gulielmum Sacrę Eccleſiæ B. Mariæ Parochum, vt pro ſua incolumitate ſacrificet, ſimulque opem D. Perpetui certißimi ægrorum patroni inuocet, rogat. Sacro facto, cum nullum leuamen ſentiret, iamque ab vicinis domum reportaretur, non ideo tamen æger animo concidit, tanta ſiquidem valetudinis ſpes præterita nocte ſubierat animum, vt iam ſe propemodum ſanum crederet. Nec vana fiducia fuit. Ecce enim necdum mediũ iter baiuli confecerant, cum benignißimi patroni ſui opem ægrotus experitur, ſentitque vim morbi, doloriſque acerbitatem paulatim ſeſe remittere. Nec Dei opus imperfectum manſit; vix enim domum appulit, cum vires ſibi plenè redditas magno cum animi ardore, lætitiaque, Dei Patronique ſui Perpetui benignitatem prædicat. Quo miraculo attoniti ipſi baiuli, Deum, curatorem atque etiam interceſſorem B. Perpetuum certatim extollunt, nullumque diuini beneficij efferendi modum faciunt. III.

Anno 1599.

Proceſſio Dionantenſis.

Maria Vulgo à S. Huberto Iacobi de Loyer quondam vxor, a viginti annis membrorũ vſu deſtituta, crucibuſq; nixa incedẽs ſubitò patrocinio D. Perpetui priſtinas vires recipit.

QVARTA feriarum ſolemnitatis S. Spiritus, quæ anno 1599 in ſecundum Iunij incidit, quanta B. Perpetui in morbis ab humanis corporibus depellendis vis exiſtat, pluribus ijſq; manifeſtißimis miraculis innotuit. Illa quotannis redeunte, Dionantenſis more à Maioribus accepto, per vniuerſas Oppidi plateas ſacras Patroni ſui reliquias venerabundi circumgeſtare ſolent. Comitantur ſacra pignora omnes penè incolæ; accedunt deinde frequentes vndequaque aduenæ, qui magna cum religione, Canonicis & Sacerdotibus præcinentibus Litanias, Hymnos Antiphonas; alia que pietatis cantica, Deo, Deiparenti, omnibus Sanctis, Diuoque imprimis Perpetuo concinunt. Magna paſſim relucet tunc frequentißimi populi, D. Perpetui patroni ſui glorioſißimi opem implorantis fides & refugio. Obſeruare ſolet inter alios hunc diem ſingulari religione Anus venerabilis Maria Vulgo à S. Huberto cognominata, Iacobi quondam de Loyer, viri probi opulentique vxor, quæ relicto natali ſolo Dionanti domicilium apud honeſtum ciuem Guilhelmum Fraham, quò ſuæ tum animæ tum corporis ſaluti faciliùs, quietiuſq; conſuleret, ab aliquot annis elegerat. Hæc igitur cùm totis viginti annis omnibus membris ægra fuiſſet, duobuique fulcimentis ſubalaribus nixa adeò difficulter incederet, vt ſubinde vehiculo geſtari deberet; nocte diem hunc feſtum præcedente, Dei, Deiparæque & Patroni ſui benignitate, tanta ſpe fiduciaque ſalutis recuperandæ diuinitus perfuſa fuit, vt nullam vim creatã, nec vniuerſa quidem damnatorum ſpirituum agmina (ſic enim illa profeſſa eſt) ſe ab illa ſpe deijcere poſſe exiſtimaret. Illam ergo noctem totam inſomnem ducit, Patroniq; ſui gratiam ſibi conciliatura, ſuper ſtrato, vtcumque poterat, venerabunda animum, corpuſq; ante eum ſubmittit, continuiſque tum vocibus, tum gemitibus, lachrymis atque ſuſpirijs obnixè precatur, vt ſibi à Deo patre bonorum omnium largitore, animæ corporiſque ſanitatem impetret. Nec in vanum fuſæ preces; nocte ſiquidem in huiuſmodi religionis officijs conſumpta, ſummo diluculo templum, vt ſolebat, crucibus ſuis innixa petit; antè feretrum poſitis humi fulcris, ſe poſternit, pauimentoque adhærens opem Patroni ſui magno animi ſenſu & ardore implorat. Res dictu viſuque mirabilis. Mulier nonaginta octo annorum, membrorum vſu deſtituta, ſtatim circumſpectãte multo populo, nititur in plantas exſurgere. Aſtabat fortè propius honorata mulier Martini de Thon ſenioris, ciuis Dionantenſis vxor, quæ morbi iamdiu conſcia, myſterij verò præſentis ignara, cùm opem ei ferre vellet, ligneas humi cruces capit, eique porrigit. Illa ſubitò exſurgens adminicula reijcit, altaque & virili voce ſe ſanam & firmam eſſe inclamat. Mirantur ſtupentque prodigium circumſtantes, qui anum ægram probè, familiariterq; nouerant. Statim excitatur in templo magnus clamor laudantis, Deique beneficium prædicantis, populi. Inde ad pios huiuſmodi fideique plenos clamores vno poſt alterum accurrente, magnus vndique fit hominum concurſus, ſeu illam videre, ſeu miraculum cognoſcere cupientium. Vt illa ſenſim populo ſe ſubducere potuit, domum læta gaudenſq; ſuſpenſis iuxta feretrum D. Perpetui, quibus inniti conſueuerat, fulcimentis, per ſe ſuis pedibus regreditur. Interea creſcente tam euidentis in notißima muliere miraculi fama, templum oppletur hominibus, ſeſe ad laudes, gratiarumque actiones inuicem prouocantibus. Venerabilibus DD. Petro Fierart Eccleſiæ Dionantenſis Decano, cæteriſq; Canonicis ad agendas Deo ſolemnes gratias præparatis, timor fraudis (diuino haud dubiè nutu, vt prodigium magis ac magis teſtatum fieret) non modicus incuſſus fuit. Quare conuentu habito, reque maturius perpenſa, mulierem ad ſe venire iubent, quæ cùm ſana, viribuſque firma, circumſpectante omni populo, veniſſet, ac rem geſtam breuiter enarraſſet, nulluſque vel de diuturna, inſanabilique valetudine, vel fide, probitateque mulieris dubitaret, canticum gratiarum actionis cuius initium eſt: Te Deum laudamus magna cùm moderatione & lætitia, concinente toto populo, ſolemniter decantarunt. Vt Deo grates perſolutæ fuerunt, anus læta hilariſque domum per ſe repetit, miraculum vt quiſq; per plateas fit obuius, ſiue notus, ſiue ignotus, narrat. Quin decori propemodum oblita, id ætatis & nominis mulier, per aërem brachia iactans, ſanitatem vireſque D. Perpetui patrocinio ſibi redditas, paſſim exclamat, idemque ſæpius ingeminat. Vidit hæc honoratus ciuis Nicolaus VVeſpinus, cui cum & illa IV.

rei ſe-

rei ſeriem enarraſſet, illeque eam vt ſecum cibum caperet, ſeſúmque colloqueretur inuitaret, (delectabatur ſiquidem mirum in modum & mulieris ſibi notæ miraculoſa curatione, voce quoque illius & vultu, necnon animi ardore ex oculis emicante, quæ omnia mulieris dicta facilè confirmabant) modeſtè grauitérque reſpondit; Non faciàm, fili, ieiuna templum acceſſi, ieiuna domum reuertar. Neſcio an alia res ſit eiuſmodi, cui maiorem fidem quis adhibere poſſit: Siquidem ea geſta eſt in maxima populi, qui mulierem à viginti annis membris captam nôrat, frequentia; ſuntque hodie plurimi ſuperſtites, qui beneficij recentis miraculo adhuc attoniti, Dei, Beatique Perpetui virtutem prædicare non deſinunt.

V. ILLVD nec minus celebre, nec minus admirabile eſt, quod eodem die, dum Canonici precibus, veſperis decantandis inſiſtunt, ibidem contigit. Ioanna Dargent, honorati ciuis Dionantenſis Ioannis Dargent filia, cum ex matris aluo in hanc lucem prodiiſſet cruribus capta, variiſque morbis affecta, demum octo annos nata duobus ligneis fulcris innitens, pedibus vtcumque inſiſtere & reptare cœperat. Audiuit mater fama vndequaque perferente, diuina, quæ mane contigerant miracula: ſpem ſubitò, (Deo haud dubiè operante) certiſſimam concepit, fore vt & filia ſua precibus, meritiſq; D. Perpetui cæleſte experiretur auxilium; Hac fiducia mulier ſuccenſa, virili virtute ſummáque pietate, filiam brachiis comprehenſam ad Eccleſiam defert, ter feretrum, quod ſacra D. Perpetui oſſa religioſe aſſeruat, circumit, illum magno ardore inuocat: & vt ſanitatem filiæ à Deo impetret, enixè precatur. Neque preces vanæ fuerunt; Ecce enim tibi rem omni admiratione digniſſimam; ſtatim aduertit mater filiolæ, non vt aliis ægris vires priſtinas reſtitui, ſed nouum penitus corporis robur vſúmque membrorum conferri. Puella ergà membrorum, quorum vſu tota vita deſtituta fuerat, vires ſubitò ſibi donatas ſentiens, primum, præter morem, ſine ſubalaribus fulcris inſiſtit pedibus, periculum virium factura; Inde cum res feliciter procederet, per ſe, nullo adiutore, Deo Diuôque Perpetuo Patrono ſuo gratiis peractis, domum cum matre, firma, vegeta, hilariſque regreditur, omnibus, qui ante ægram nouerant, miraculo attonitis; inde ad vicinos excurrit, beneficium prædicat, Dei Patronique Perpetui benignitatem, tanto pro ætate animi ſenſu, extollit, vt eos non ſolum miraculi magnitudine euidentiáque, ſed & ipſo animi ardore, qui in vultu, oculis, vocibuſque relucebat, facilè ad Deum Opt. Max. Diuóſque omnes, & præſertim B. Perpetuum collaudandum prouocaret. Interea mater, cruces quibus filiola ſubniti & repetare cœperat, apud ſanctum D. Perpetui feretrum, ſuſpendit, miraculi argumenta.

Iohanna Dargent ab vtero cruribus cæteriſq; membris ægra, ſubito ope B. Perpetui ſanatur.

VI. NEC ſuos ciues tantùm, ſed & exteros D. Perpetuus ſuæ benignitatis opiſque non poſt multos dies participes fecit. Siquidem fama velociter ad vicinas prouincias huiuſmodi prodigioſas curationes perferente, plures ad Dei, Diuique Perpetui opem implorandam, Dionantum non fruſtrà contenderunt. Quos inter Margareta de Feraige Namurcenſis, quæ non ſolum animi dotibus, ſed & multa prole opibúſque à Deo donata, toto decennio ligneorum fulcrorum præſidio per terram repens, cùm hæc miracula inaudiſſet, nauim conſcendens eodem anno menſis Iunii vigeſima tertia, Dionantum fæliciter appulit. Etenim vix Oppidum ingreſſa, cum ad Eccleſiam quæ ſacris D. Perpetui reliquijs nobilis eſt, ſe contuliſſet, ac poſtridie ſacro facto Dei, Diuique Perpetui opem impenſius implorâſſet; (res dictu mirabilis) extemplò membris omnibus ante ægra, diuina quadam vi ſimul eo conſolidari omnia; ſimulque mentem inſolita dulcedine perfundi ſenſit, per ſe ſuis pedibus ſurrexit, & cruces, quibus ſubnitebatur, omnibus geſtans, in miraculi ſignum ad altare ipſamet ſuſpendit. Viderunt miraculum plures, qui mulierem antea omnibus membris captam nouerant, confeſtímque feſtiuo campanarum pulſu edito, gratulabundi cum confluente vndequáque multitudine, Dei Beatique Perpetui donum, ſummis laudibus extulerunt. Mulier accepto beneficio, læta hoſpitium repetit, vt quiſque per plateas occurrit, publicè miraculum prædicat, & ad Dei Beatique Perpetui concinendas ſecum laudes inuitat: inde nouis viribus firmior robuſtiórque Namurcum repetit; vbi hodie miraculum prædicare, Deumq; & D. Perpetuum commendare non ceſſat.

Margareta de Feraige Namurcenſis, toto decennio ligneis fulcris incedens, confeſtim ad inuocationẽ Diui Perpetui, priſtinis viribus reſtituitur.

VII. EADEM fama Philippipolim, vicinaq; loca circumuolans, incolas pagi de Corenne permouit, vt Ioannem Chabo puerum ciuem ſuum, Dionantum ad D. Perpetui opem nec fruſtra implorandam, deferri curarent. Hic ſeptem menſibus, omnibus membris æger, haud facilè corpuſculum crucibus innixum, loco mouebat. Itaq; Dionantum equo vectus, vbi ſubmiſſo ad terram corpore venerabundus, ante ſacra B. Perpetui pignora diuinam opem enixè implorâſſet, extemplò integris corporis viribus receptis lætus Deo, Diuoq; Perpetuo grates agit, & Patriam nullo vectore ſuis pedibus ſanus & firmus petijt. Vix vllum miraculum teſtatius celebriúſve eſſe poteſt. Siquidem hæc res eiuſdem anni die Aſſumptionis D. Mariæ Virginis facto contigit, ea hora, qua ædes ſacra Dionantenſis maxima hominum frequentia celebrari ſolet. Quin verò miraculi fidem celebritatemq; auxerunt, tres qui tunc fortè religionis ergo, ſuperuenerant Abbates, VValciodorenſis, Leſſienſis, & Molinenſis, Dei procul dubio nutu, ad eius Diuique Perpetui maiorem gloriam.

Ioannes Chabo, ex Corenne oriundus, ſeptem menſibus omnium membrorum vſu deſtitutus, meritis D. Perpetui vires omnes recuperat.

DE S. LVSORE PVERO ET CONFESSORE,

EX GREGORIO TVRONENSI: DE GLOria Confeſſorum, Cap. 92.

I. IN Dolenſi Biturigi termini vico beatus Luſor Leucadi, quondàm ſenatoris filius requieſcit, qui fertur in albis migrâſſe à ſeculo: in crypta verò poſitus ſuper pauimentum, ſepulcrum habens ex marmore Pario mirabiliter exſculptum. Factum eſt autem, vt quadam vice ſanctus Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, ad hunc tumulum vigilias celebraret, haud procùl formulam habens, in qua genua, cùm neceſſitas cogeret, deflectebat. Factum eſt autem in vna vigiliarum nocte, dum Pſalmos lectionis Dauidicæ decantarent, ſtationis labore laſſi clerici, quaſi pro aliquo releuamine ſe ſuper ſepulcrum ſancti defixis vlnarum compagibus ſuſtentarent. Contremuit ilicò beati tumulus confeſſoris, & ſibi iniuriam irrogari præſenti vibratione fatetur. 4. Nov.

II. AT Germanus pontifex terrore perterritus, amoueri deſupèr præcepit ſomnolentos, dicens: Abſiſtite ô ſegnes procù à tumulo, nè ſancto Dei moleſtia inferatur. Quibus amotis, tremorem illum deincèps non ſenſerunt.

Vtinã hæc attenderẽt, qui ſanctorũ ſepulcra & ſacras reliquias irreuerenter tractant.

III. SED nec illud placuit præteriri, quòd cuidam pauperi idem Luſor beatus per viſum apparuit, præcepitq; cellulam emundari, in qua, vt fertur, infantiæ vagitus exegerat. Sed cùm pauper ille bis commonitus agere iuſſa differret, apparuit ei tertiò, dicens: Si feceris quæ præcipio, vnum trientem pro obedientiæ famulatu recipies. Ille verò conſurgens, cellula ſcopis mundata, abluta & aqua herbiſq; reſperſa, ſtabat attonitus, pollicitam promiſſionem operiens, donèc nutu Dei aduertit trientem in pauimento lucere: quem colligens, lætus abſceſſit.

DE SS. FELICE *presbytero & EVSEBIO monacho, Lector videat 1. Nouembris S. Cæſarij hiſtoriam.*

AN. 1010.

VITA S. EMERICI, B. STEPHANI HVNGARORVM REGIS FILII, EX QVODAM MS. CODICE PER F. LAVR. Surium, mutato ſtylo, deſcripta.

Videat Lector Antonij Bonfinij rerum Hungaricarum Decad. 2. Lib. 2. vbi ferè habentur.

4. Nov. S. Emerici parentes. Nota ſancti pueri preces, & vigilias.

BEATVS Emericus parentes nobiliſſimos habuit, Stephanum Hungarorum Regem & Apoſtolum, & I.
Gyſelam ſiue Gyslam, ſororem S. Henrici Imperatoris: qui paribus ſtudiis in præſtantiſſimo quoque virtutum genere certabant. Emericus in tam ardenti charitate Chriſti natus, quid aliud, quàm ſuauiſſimum Deo holocauſtum, eſſe poterat? Ab ineunte pueritia, quò ſanctitatis euaſurus eſſet, facile declarauit: quippe qui cùm eſſet ſomni parciſſimus, aliis dormientibus, à ſecūda fere vigilia noctis ad lucē vſq; pſalmos Dauidicos lectitabat, lucernis coram ipſo ardentibus, vt regiam decebat prolem. Ad finem autē cuiuſq; pſalmi, corde contrito & compuncto, à Deo veniam petebat. Quod cum ſanctus parens eis ſæpiùs clàm per rimam parietis eſſet contemplatus, apud ſe tacitum habuit, nec vlli ſuorū voluit indicare, magna interim de filio ſpe cōcepta.

CVM autem aliquando ſanctus Rex monaſterium beati Martini, quod ipſe in monte Pannoniæ ingenti ſumptu fundârat, & egregia monachorum ſodalitate impleuerat orandi cauſa vellet inuiſere, Emericum filium ſuum, eius itineris comitem ſibi adhibuit, non ignorans, quanta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monaſterium propius acceſſit, monachi honoris cauſa inſtituta proceſſione illi obuiam venêre, vt ea, qua par erat, reuerentia eum exciperent. Sed Rex ſciens filii præclara merita, eum iuſſit antecedere, fratresque illos ſalutare, tum vt ea ratione illos honeſtaret, tum vt filio honor, ipſi paratus, impenderetur. Venit ergò Emericus ad fratres, accipitur ab illis honorificentiſſime, oſculatur ſingulos, non tamen eodem omnes modo, ſed pro ratione meritorum, quæ reuelante ſpiritu Dei cognouerat, aliis duo, aliis tria, pleriſque quatuor vel quinque, vni Mauro ſeptem oſcula dedit. Quod cum cerneret pater eius, etſi filium nihil ea in re temere feciſſe exiſtimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari. Itaque peracto ſacrificio, familiariter & accurate ex eo percontatur, cur non iiſdem omnes patres oſculis impertiiſſet. Reſpondet ille ſe pro ratione temporis, quo ſinguli continenter vixiſſent, aliis plura, aliis pauciora oſcula diſtribuiſſe. Eum autem, quem ſepties oſculatus eſſet, virginem permanſiſſe ait: atque ex eo ſeptenario numero virginitatis præſtantiam intelligi debere, quæ virtutes alias antecellat, & ad cordium vſque intimos receſſus, qui ſoli Deo pateſcant, penetret, & reconditas hominum mentes intueatur. II.

Diuina reuelatione monachorum merita diſcit.

Bonfinius non de vno, ſed de pluribus hoc eum dixiſſe ſcribit.

PROFECTVS inde Rex, cum huius rei certiorem omninò notitiam habere percuperet, & filij ſui virtutem magis exploratam, paucis pòſt diebus cum duobus duntaxàt comitibus redit ad illud cœnobiū, fratrum vigilias & preces clàm explorat. Abſolutis nocturnis precibus, quas Matutinas vocāt, cùm alii ad ſuos ſe lectos reciperent, ſoli illi, quibus multa Emericus oſcula libauerat, in templo permanſêre, & in angulos ſeſe abdentes, Domino preces obtulerunt, & reliquum noctis tempus in Dei laudibus conſumpſêre. Eos igitur ſingulatim accedēs ſanctus Rex, comiter ſalutat: eumq; illi, rupto ſilentio, reuerenter reſalutant, regiæ maieſtati deferentes. Tandem vbi ad Maurū venit, cui ſeptē oſcula fixerat beatus Emericus, nec blandiſſima ſalutatione, nec ſeuera comminatione ab eo reſponſum extorquere potuit. In ſequenti die ad publicum fratrum conuentum Rex accedit, Mauriq; humilitatē & ſanctitatem explorare cupiens, coram omnibus multa ei obiicit, quæ hominem religioſum facere minime conueniret. Maurus ſibi ſatis bene cōſcius, nihil penitus ad ea reſpondet, ſed ad Deum, quem ſciret mentium certiſſimum inſpectorē, confugit, in eoq; ſpem ſuā collocat. Ità ergò intelligens Rex vera eſſe, quæ filius eius dixerat, omnibus explicat, quo animo illuc aduenerit, Maurumq; laudibus in cęlū vehit, nec diu poſt Quinqueccleſienſem Epiſcopum inſtituendū curat. III.

Maurus monachus ſanctus.

Maurus iſte Quinqueccleſienſis creatur Epiſcopus.

EMERICVS autem ætate procedente, ſimul etiā virtutum capiebat & meritorū incrementa. Nocte quadam cum IV.
Veſprinii eſſet, vno ad ſe famulo accerſito, orationis cauſa vetuſtiſſimā beati Georgii martyris eccleſiā petiit, ibiq; ante aīā in preces incumbens, apud ſe diſquirere cœpit, quodnā poſſet Deo gratiſſimū munus, offerre. Ecce autem immenſo lumine tota repente completur eccleſia, voxq; cęlitus auditur eiuſmodi. Pręclara res eſt virginitas. Itaq; mētis & corporis virgineā integritatem à te exigo. Hanc offeras Deo, & in ea cōſtanti animi propoſito perſeueres. Ille verò nō ſuis pręfidens viribus, ſed ad Dei gratiam confugiens: Domine Deus inquit, qui inſpicis omnia, qui humanā imbecillitatem adiuuas, qui aufers ſpiritum principū, & terribilis es apud Reges terrę, perfice in me grauiſſimam voluntatem tuam, & noxias pernicioſaſq; concupiſcētias rore miſericordię tuę prorſus extingue. Confirma fragilitatē ſeruuli tui, & vt in tuo ſeruitio perpetim perduret, ab omnibus carnis illecebris & ſpurca libidine pro tua benignitate eum tuere: præſtaq;, ne vnquàm è tua gratia excidat. Porrò diuina conſolatione confirmatus, rem hanc apud ſe tacitam habuit, & famulo quoq; eius conſcio, nè cuiquam eam indicaret, dum adhuc in humanis ipſe eſſet, interdixit. Ità factum eſt, vt multa eius virtutum inſignia, hominum notitiam, ipſo celante, effugerint, nec ante, quàm deceſſiſſet è vita, aliis patefacta ſint. Nimirùm hac ratione ſapienter declinauit virtutum peſtem, inanem gloriam.

Virginitatē cœleſti te ſponſo iubetur ſeruare S. Emericus. *Pſal. 75.*

PATER autem illius regno conſulere volens, virginem & forma corporis, & morum integritate ſpectatiſſimam, ſtirpe regia ortam, ei deſpondit. Id etſi ille principiò multùm recuſaret, tandem tamen, paternis precibus victus, aſſenſit quidem, ſed ita tamen, vt non ſolum ipſe virgo permanſerit, ſed etiam ſponſam integram conſeruarit. Iam enim virginitatis amore & propoſito, voluptati omni renunciarat. Præclarum hoc erat in regio adoleſcente, qui poſſet omnibus huius mundi bonis circunfluere, non modò ſe à vitæ huius voluptatibus ſeruare immunem, ſed etiam ſponſam tam illuſtrem ad earum contemptum, atque etiam ad virtutum ſtudium & vitæ conſectandam ſanctitatem, adducere. Malebat enim pius adoleſcens virtutum illam, quàm liberorum, fœcunditate pollere. Nec latuit ſanctum eius parentem Stephanum Regem, quemadmodum corpus ſuum maceraret ieiuniis, ne forſitan laſciuiret, ſponſamque non alio, quàm ſororis loco haberet. Sed & ſponſa ipſa, cum ille iam in ipſo iuuentutis flore vita functus eſſet, quàm caſtè vixiſſet, teſtata eſt, & famulus ille, quem ſuprà diximus, res eius ſecretas euulgauit. V.

Cum ſponſa vixit caſtiſſimè.

AN. 1030. Abiit è vita, vt habet Carthuit. in Steph. cap. 16. Aug. 20. Miracula poſt obitum eius.

NON enim diù ſuperuixit, ſed quod cælo vita eius dignior eſſet, quam terra, Dominus eum citò tulit è medio, VI.
& tranſtulit in regnum ſuum. Quidam Archiepiſcopus in publicis ſupplicationibus affirmauit, ſe eius animam vidiſſe in cælos euntem. Pater eius admodum doluit regno tantam ſpem ereptam: conſolabatur autem ſeipſum, quod filium non dubitaret in cælis feliciſſimè viuentem, egregium & ſibi & ſuis patronum exhibiturum. Die tricesimo ab obitu eius tot & tantis miraculis Deus illuſtrauit ſanctum ſuum, vt cunctis in vrbe regia, quam Albam regalem vocant, vbi ſacrum corpus eius tumulatum eſt, non mœroris ille, ſed gaudii dies videretur.

PORRO autem Ladislao religioſo Rege poſtea regnante, Conradus quidam natione Germanus, homo flagi- VII.
tioſiſſimus, tandem magno Dei munere compunctus, cum ſe ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adiit, Pontifici peccata ſua cum ingenti cordis contritione confeſſus eſt, animæ ſalutarem ab eo petiit medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obſtupeſcens, hac eum mulctauit pœna, vt loricam ferream ad nudum corpus quinis catenis ferreis adſtringeret, & chartam, in qua eius peccata enormia ſcripta erant, Pontificis annulo obſignatam, ad loca, in quibus ſancti quieſcerent, ſecum circunferret, donec diuinitus catenæ diſſoluerentur, & [illegible] ura chartæ penitus obliteraretur. Fecit homo, vt erat iuſſus, (nihil enim arduum videtur ex animo ſua peccata lugenti,

Ferè quomodo pro criminis immanitate [illegible] pœnitentia.

lugenti,& cum Deo in gratiam redire cupienti inuiſit loca ſacta, etiam Hieroſolymam & Saluatoris ſepulcrum non prætermiſit. Tandèm venit in Pannoniam, vbi beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: orat ad ſepulcrum eius, nec indè recedere conſtituit, donèc ruptis vinculis & charta abolita, ſe ſentiat Domini miſericordiam impetraſſe. Poſtquàm autem multùm delaſſato inter orandum ſomnus obrepſit, à prima enim hora vſque ad nonam in preces incubuerat) ſanctus Rex ei apparens, Surge, inquit, amice, & Emerici filij mei monumentum, quod iuxtà eſt, adito. Ille, quòd caſtus ſeruanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorũ tuorum veniã tibi impetrabit. Ex eorum enim numero eſt, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, ſequunturque Agnum, quocunq; ierit, & ante thronum Dei cantant canticum nouum. Euigilat homo, ilicò ad beati Emerici ſe ſacellum confert, fundit ibi preces, atque opinione celeriùs diſſiliunt ferrei nexus: charta reſignata, nullum habet literæ ſcriptæ veſtigium. Ad ſonitum cadentium catenarum accurrunt ędituí & complures alij, quibus ille omnia ordine exponit. Mirantur omnes, laudant Deum & beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladiſlaum Regem. Is conuocato concilio, de beato Emerico ſanctorum catalogo adſcribendo, cum Epiſcopis & regni proceribus confert. Iam enim etiam ex remotiſſimis regionibus eò aduentabant homines, pro grauiſſimis rebus vota nuncupantes. Indictum eſt autem triduanum ieiunium, & Nonis Nouembris honorificè eleuatum eſt beati Emerici corpus, multaque diuinitùs miracula eodem eleuationis die atque deincèps edita ſunt: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Apoc. 4.

Inſigne miraculũ ad B. Emerici tumulum.

Eleuatur ſacrum corpus eius.

S. Emericum à Benedicto VIII. Pontifice, qui dictus eſt IX. vnà cum S. Stephano Rege eius patre inter Sanctos relatum, teſtatur Baronius in no:u Martyrolog. hac die.

VITA ET RES GESTÆ S. CAROLI BORROMEII S.R.E. CARDINALIS, TITVLI S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS

Ann. 150.

Carolo à Baſilica-Petri Præpoſito Generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli; poſtea Epiſcopo Nouarienſi Auctore.

Sereniſſimo Gulielmo Comiti Palatino Rheni, vtriuſq; Bauariæ Duci, &c. Carolus à Baſilica-Petri Salutem æternam.

EPISTOLA. QVod diu debeo, GVILIELME Princeps optime, iam tandem perſoluendum mihi eſt: vt librum de vita, rebuſque geſtis Caroli Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolani mittam ad Celſitud. tuam. Cupiebám equidem, antequam è manibus dimitterem, adhuc aliquid ei temporis impertire; vt tam præclaro argumento cumulatius ſatisfacere conarer: ſed neque diutius differri debui, quod tibi ampliſſimorum virorum auctoritate, vel potius iuſſu, ſuperioribus menſibus per litteras promiſeram: neque etiam per eorundem iteratos iuſſus potuiſſem. Verùm duo me conſolantur: alterum eſt; quòd ij iuſſerunt, qui & eius memoriam, de quo ſcriptum eſt, charam habent; & quòd ſcriptum eſt perlegerunt: atque etiam, ſi quid hoc ad rem pertinet, amant ſcriptorem. alterum eſt. quòd ad te mitto: cuius excelſa dignitas cum manſuetudine, pietateq; pari coniuncta eſt: quique Carolum Cardinalem & viuentem mutua voluntate obſeruaſti plurimum, & mortuum colis ſtudio ſingulari: quidquid enim effecero; ſiue materiæ amore, ſiue bonitate tua ductus; amabis conatum meum, officiumque pietatis. Neque tamen non mihi gratiſſima fuit oblata occaſio; vt tantum Principem, tamque de bonis artibus, & quod caput eſt, de repub. Chriſtiana, fideque Catholica benemeritum, cum munere aliquo poſſem adire, quod meam, clericorumque meorum erga illum voluntatem, obſeruantiamque ſummam teſtaretur. quæ quidem facit, vt tibi, imperioque tuo omnia proſpere, ac fæliciter ad ſalutem euenire optemus, & ab Omnipotente Deo vehementer precemur. Mediolani. 25. Ian. Anno Domini 1592.

4. Nov.

LIB. I. PRÆFATIO.

I. CVM varia hominum genera, multiplicemque vitæ conditionem intueor, perbeatos equidem illos inter omnes exiſtimo; qui cum vitam optimis inſtitutis, ac virtutibus excultam, Deo iuuante agant, cæteros exemplo ſalutari permouent; & ad benè, beatéque viuendum, pietatemque egregie colendam alliciunt. Atque vtinam illud nobis quoque contigiſſet. ſed quando ab eiuſmodi fęlicitatis gradu longiſſimè abſumus; in eo ſaltem libenter nos elaborare par eſt; vt aliorum laudes, ſanctitatem, egregiaq; facta literis commendemus; quibus omnium, ſi fieri poſſit, animi excitentur ad imitationem. Quæ igitur Carolus Cardin. S. Prax. Archiep. Med. geſſit; quæque nobis virtutis, & religionis exempla reliquit; ea quantum genus hoc operis poſtulat, egoque diuina ope facere potero, memoriæ prodere ad Dei gloriam, piorumque vtilitatem conſtitui. nam niſi mihi oblata materia minus placet; quam placere tamen exiſtimo, quantum veritas patitur; Caroli vita ab iis abundat in omni virtutum genere documentis; quæ Dei ſacerdotibus in primis, tum piis quoque omnibus propoſita, magna pietatis, ac ſalutis adiumenta poſſint afferre. Opus quidem eſt omnino difficultatis plenum, res eorum geſtas, qui proximè vixerunt, mandare literis. cum enim multos adhuc eſſe ſuperſtites neceſſe ſit; qui vel eas ad ſe res pertinere; vel eaſdem ſe quoque minime ignorare putent. multorum quoque ſermones oportet, querelaſque non paucas excitari, alii ſe notatos; prætermiſſos alij queruntur: hic aliquid dictum, aut minus verè dictum; ille omiſſum aliud expoſtulat. ita ſcriptoris labori; quem neque leuem, neque modici temporis eſſe intelligentes norunt; non parum additur offenſionis, & incommodi. At illud ſuſcipere negotium, in quo diuinæ gloriæ quis, & ſaluti ſuæ ſeruiat; tum piis omnibus, qui nunc ſunt, & futuris erunt temporibus gratificetur, ac proſit; tantum habere commodi par eſt ac iucunditatis; vt humanas omnes longe ſuperet difficultates, ac moleſtias Hæc apud me ratio cum plurimum ponderis habeat; accedit quam plurimorum rogatus, & cohortatio, tum noſtrorum, tum etiam exterorum: immo Cardinalium, aliorumque ampliſſimorum virorum iuſſus, & auctoritas. Nam quod ad rei perficiendæ facultatem attinet; dicam liberè. quod ſentio: eloquentiam, hiſtoriæque ſcribendæ artem concedens multis; rerum ipſarum notitiam, veritatemque iure mihi vendicare poſſe videor: immo eum quoque, in hac occupatione mea, laborem, ac diligentiam; quæ cum rebus iiſdem eruendis, ac explicandis neceſſaria ſit; vt ab alio tamen adhiberetur, ſemper equidem ſum veritus. poſteaquam enim Carolo me vt Patri optimo in diſciplinam tradidi; animo quaſi præſagiente, quid ille ageret in dies obſeruans, ſepoſui diligenter, quæ vſus ad huiuſmodi negocium quandoque poſceret. deinde præter illa, quæ Caroli familiares, atque intimi diligenter à me interrogati contulerunt: & præter ſcripta quamplurima ex eccleſiæ Mediolanenſis tabulariis deprompta: epiſtolarum ipſius ad alios, aliorum ad ipſum amplius triginta millia, quas ille diligenter ſeruari iuſſit, peruolutaui: vt carpens vndique, ordineque componens plenum opus efficiam; & quod in primis quærendum eſt, certiſſimis teſtimoniis in omnes partes confirmatum, quæ res faciet; vt ſi non optimè, verè certè conſcripti libri conſcientia fruar. Ac ſi quemadmodum his adiumentis extrinſecus aſſumptis abundamus; ita potuiſſemus ad ea penetrare, quæ pro ſuo virtutis occultandæ ſtudio, veriſimile eſt, Carolum nota eſſe nemini voluiſſe: maior ad diuinæ benignitatis prædicationem ſine dubio piis animis per nos materies offerretur. Qui aliquid à nobis omiſſum objicient, eos meminiſſe par eſt, non omnia tamen ab vno dici poſſe. quos item monere minimè alienum fuerit, fortaſſe quæ ipſi deſiderant, minuta magis, aut remota videri, quam vt ſcriptionis huiuſmodi ratio ferat: multaque quotidiano conuenire ſermoni, quæ non admittit hiſtoria. Quod ſi

Quam difficilũ ſit eorum res geſtas conſcribere, qui proximè vixerunt.

Notitiam rerum geſtarum Caroli vnde habuerit Auctor.

contra

contra quis maiorem breuitatem fortè deſideret; meum eſſe conſilium ſciat; non præcipua ſolùm breuiter decerpere, quod vitam alicuius conſcribentes facere plerumq; ſolent; ſed paulò latius, tum ab eius ortu rerum geſtarum hiſtoriam, vſque ad mortem complecti; tum mores etiam proprio loco deſcribere. cuius rei ſcriptores clariſſimos auctores habemus; tum viros etiam grauiſſimos, qui ad plurimorum documentum ita faciendum arbitrati, nobis id perſuaſerunt. De quibuſdam cum honore, vel offenſione nominandis: primò illud mihi pace omnium concedi peto: vt neque alicuius nomen, laudemve prætercam, ſi occurrat; quod ſanè faciam libentiſſimè. neque affectem, ſi longius ab inſtituto curſu petenda ſit. deinde cum à veritate, vel paululum diſcedere, nefas homini præſertim huius ordinis, exiſtimem: quæ vera ſunt, & ſileri non debent, ita proferre conſtitui, vt nullius factum contumelioſè improbem; excuſem verò etiam ſtudioſè, ſi detur facultas quin vt omnem offenſionem vitare poſſim diligentius; illud mihi præſcripſi; licet de publicis, manifeſtiſque rebus nominatim narrare poſſem; eorum nomina tamen, ſilentio præterire, quorum poſteris, familiæve hoc fore gratius exiſtimaui. Ita, quemadmodum ſpero, & ſatis veritati factum erit; neque vllius erit offenſa mihi pertimeſcenda. Qui hac ratione ſcribat hiſtoriam, ei (ni fallor) ab iis quoque, qui ſcribi nollent, de adhibita moderatione habenda gratia eſt: quam vtrum eſſet alius adhibiturus, incertum eſt: vtrum verò eadem alius ſcripturus, minimè dubium. Meam denique ſpem in Dei benignitate poſitam habeo; cuius beneficio confido fore; vt ad piorum animorum fructum ſalutarem, & etiam ſine iuſta cuiuſquam querela, ſuſceptum munus conficiam.

De Caroli parentibus — Borromeiæ gentis antiquitatem, aut ſplendorem, non eſt, vt equidem exiſtimo, cur hoc loco demonſtrare coner: nam & ſatis per ſe nota res eſt; & ea cura parum conuenire videtur de Borromeio illo ſcribenti, qui admirabili quadam chriſtiani animi celſitudine, fluxa, & caduca omnia huius vitæ ornamenta contempſit. De eius verò parentibus aliquid eſt attingendum; vt in iis agnoſcas, quod diuinitus traditum eſt; parentes, qui iuſtam, ſimplicemq; vitam agunt, beatos relinquere filios. Gibertus igitur Federici filius Borromeius, Mediolanenſis, vnà cum tribus fratribus, Iulio Cæſare, Franciſco, & Dionyſio Aronæ Comes; in ea parte ditionis Mediolanenſis, quæ eſt circa Verbanum lacum; præter Aronam ipſam; vicos, caſtellaque multa habuit in ſua poteſtate. Is Carolum inter alios, de quo ſcribere inſtituimus, ex Margarita ſuſcepit, ſorore Pij Quarti Pont. Max. & Ioan. Iacobi Medicis, illius clariſſimi bellatoris, cuius res geſtæ magnam ferè apud omnes Europæ nationes habent admirationem. I.

Giberti Caroli patris encomium. — Magna Gibertus, pro eorum temporum conditione, innocentia fuit, ac pietate. omnes animæ labes, etiam eas, quæ videntur exiguæ, valdè pertimeſcebat: idcirco ſaltem octauo quoq; die ſacerdoti peccata ſua confiteri ſolitus fuit; & ſanctiſſimum Euchariſtiæ cibum ſumere. Præſcripta ſacris legibus ieiunia, quadragenarii præſertim temporis, ipſe piè coluit, & à ſuis iuſſit ritè ſeruari. Horis canonicis eadem, qua ſacerdotes precatione vtebatur; idq; humi poſitis genibus: tum tanto ſtudio; vt nihil mane prius incipere, neq; domo pedē efferre ſoleret, quàm quod eo tempore precationis eiuſmodi debebatur, & quod ipſe item addere conſueuerat, perſoluiſſet. Diuina ope mirum in modum confidebat, vt ſæpè aliis periculi alicuius timore perterritis, ipſe præcipua quadam conſtantia Deo fretus nihil timere videretur. Fiducia fuit illa non mediocris, mirifico diuinæ benignitatis officio remunerata; quod magna vtēs erga pauperes liberalitate, nō valde pro dignitate ſua tunc, humanis opibus inſtructus; cum moneretur à quibuſdam, plures ei filias, quas tum ex Margarita, tum ex alia vxore habebat, in matrimonium eſſe collocandas; ille reſpondit, ſi curæ ſibi Chriſti pauperes eſſet, Chriſto filias ſuas fore. id quàm fæliciter euenerit, infra demonſtrabitur. Illum in egenis iuuandis præcipuè morem tenebat; vt non ante vnquam accumberet, quàm eis eleemoſynam, neque eam paruam miſiſſet; quaſi indignum ſe exiſtimaret, à quo Dei dona ſumerentur, niſi prius ipſe ex iis elargitus eſſet, quæ Dei benignitate poſſidebat. Quòd plures vxores duxerit, non ideo tamē non caſtitatis fuit amantiſſimus. à qua violanda maximè ſemper abhorrere viſus eſt. Cum malos in domo ſua mores ferre non poterat, tum maledicta in Deum ita horrebat; vt familiares, ſi in ea inciderent, domo ſtatim eiiceret; nullamq; prorſus accipere vellet excuſationem. In reliqua domeſtica cura; in populis ſuis regendis; in priuatis publiciſq; rebus agendis, cum pietatis prudentiæq; laude verſatus eſt.

Margaritæ item matris eius. — Viro minimè fuit diſſimilis vxor Margarita, lectiſſima fœmina, & ab omni muliebri leuitate, ſiue veſtimenta, ſiue aliud quiduis ſpectaretur, penitus aliena. quæ domeſticis rebus, piè frugaliterq; curandis intenta: cum ad proximiorem eccleſiam modeſtiſſimo cultu rei diuinæ cauſa quotidie acceſſiſſet: domo ferè non prodibat, niſi quandoq; ad virginum collegia, ſacraue alia loca religionis ergò proficiſceretur. Tales fuere Gibertus, & Margarita, vt dignum parentibus filium agnoſcas: parentes verò ita filio dignos: vt præcipuo tunc Dei munere, quemadmodum chriſtianæ rei publicæ vtilitas poſtulabat, longe, multumque ſint ab eo ſuperati.

Anno 1538. Naſcitur Carolus. — Natus eſt Carolus in arce Aronæ, poſtridie Cal. Octobris anno ſalutis M.D.XXXVIII. quem adhuc puerum, clericali veſtitu, ad eius mores valde accommodato, pater indui curauit. A primo ætatis tempore non obſcura ſolidæ pietatis ſigna dedit. cum enim tempus, quod dabatur literarijs exercitationibus vacuum, ſocii in puerilibus ludis ponerent, ipſo diuino cultui multò libentius, eo ſpatio operam dabat. vagabantur alii per vrbem animi gratia: ille verò, de eorum ſe ſocietate ſubducens, vel religioſiores eccleſias adibat, vel domi piè precabātur, & diuini cultus imaginem quandam, paruis altaribus conſtituendis ornandiſque puerili quodam pietatis ſtudio, & oblectatione referebat. II.

Fit Abbas. — Cum ætate paulò magis proceſſiſſet, eccleſiæ ſanctorum Gratiniani, & Felini Aronenſis ſacerdotium, Abbatiæ nomine, quod dudum in familia Borromeia permanebat, accepit. Atque cum humanioribus literis ſatis operæ dediſſe videretur; Ticinum, vt ciuilium legum, & ſacrorum canonum ſtudia coleret. ſeſe Patris iuſſu contulit.

Ticini ſtudio iuris dat operam — Tantula ætate cum eſſet ſacerdotii ſui fructus ſacros eſſe reputans; quorum ſibi, vtpote Abbati, Deo reddenda ratio eſſet: patrem, cuius alioqui voluntati obſequi diligenter ſtudebat, modeſte monuit, qui vnà cum cęteris facultatibus ſuis adhuc Abbatiæ res diſpenſabat: minimè id ſibi iuſtum, neutriuſq; ſaluti conſentaneum videri; qui fructus ſibi ſupereſſent. eos in rem familiarem conuerti, ac non potius dari pauperibus. quod pius pater, tantum abeſt, vt moleſte acceperit, vt filii religione, præclaraque indole lætus, ac prægaudio lachrymans, adminiſtrationem ei ſine mora reliquerit. quod ſi patri aliquid ex iis, neceſſarij ſumptus cauſa, opus erat; mutuum dabat filius; quod et poſtea, vel egenis reſtitueretur. Ticini nec ab æqualium ſuorum vitæ cultu abhorruit: & pietatem honeſtatemque coluit diligenter. Ne inſignes in literis progreſſus habere videretur, ingenij motus ad explicandum haud ſatis expediti faciebant. Nuper ex eius ſociis quidam narrabat: eo ſe tempore ſæpius Caroli patientiam eſſe admiratum; quod neque aduerſo aliquo ludi euentu, neque famuli cuiuſquam ignauia commotus, quidquam faceret, aut loqueretur vmquam, quod contumeliam, aut liberiorem indignationem præ ſe ferret; eluxiſſe quoque in eius moribus addebat animum excelſum, ac mentem ab humanis cupiditatibus, ambitioneque alienam. cum ei vltimo ferè iuris ſtudiorum tempore, Ioan. Angelus Cardinalis Medices auunculus Abbatiam Romanianam contuliſſet, & prætcrea Caluentianum, vt appellant, Prioratum; de collegio ex iis opibus Ticini conſtituendo iam tum cogitare, ac loqui cœpit: ſeque aiebat, modico ſumptu, procul humano ſplendore, etiam tum vitam libenter acturum modo talis collegii commodum, atque ornamentum familiæ, patriæque afferret ſuæ: quod alia ratione poſtea præclare factum vidimus. eam animi moderationem, atque æquabilitatem, haud maxima præſertim ingenii celeritate coniunctam, quidam quaſi tarditatem, abiectioneinque deſpicere videbantur;

cum

enim tamen & ipſius adoleſcentiæ acta non obſcure, & poſterioris temporis res geſtæ multo illuſtrius, longe aliter ſe rem habuiſſe demonſtrarint. at enim moderato animo capi caducis rebus; & quæ verè magna ſunt, reique publicæ vtilia amare, & quærere; non tardi, vel abiecti, ſed præſtantis ingenii eſt. Non confecerat Abbas iuris diſciplinæ curſum, cum eius pater ex hac vita migrauit, annos natus quadraginta ſeptem. qua de re, licet Federicus frater eſſet natu maior; rerum familiarium ſumma, propter prudentiam, morumque grauitatem ad eius iudicium redijt. quam curam, ea cum laude geſſit cum ſororum gubernatione coniunctam; vt ſi quemadmodum Apoſtolus monet, ab adminiſtratione domeſtica ducamus argumentum; eccleſiam quoque illi quandoque rectè committi poſſe, iam tum liceret facile iudicare. Ad continuanda iuris ſcientiæ ſtudia, impedimenti aliquid Abbati eiuſmodi adminiſtratio ſine dubio attulit: ſed ob id quoque intermittendus fuit iuris diſcendi labor; quod ſtudiorum ſuorum curſus cito conficiendi deſiderio, quaſi æſtu quodam, ad vigilias, & nimias literarum occupationes delatus, in periculoſam valetudinem, pituita ex capite diſtillante incidit; quæ curationem procul à libris omnino poſtulabat. ea pluribus menſibus temperantia fere, commodaque vitæ ratione Mediolani adhibita; quamquam grauius malum, fortaſſe etiam vitæ diſcrimen, auertere viſa eſt; non effecit tamen, quin pituita itidem flueret vſque ad poſtremos fere illius vitæ annos. quo tempore illa aſſiduo ieiunio valde imminuta. in prouerbii fere conſuetudinem Caroli remedium induxit. dum curaretur, à medicis præſcripta muſici cantus oblectatione, quæ natura tamen erat ei valde iucunda, eo temporis ſpatio tantum vtebatur, quod medicinæ cauſa ii neceſſariũ iudicauerant. ac ea tum verecundia fuit; vt ſi quid carminum canendum eſſet, quod ad laſciuiam pertineret; reijciendum ille quidem curaret prius, ſi animaduertiſſet: ſin autem; verba ſaltem omitteret; vocumque modos tantum exprimeret. digna certe clerico modeſtia; quemadmodum ea quoque quòd togatus, vt piæ ludum in paternæ domus platea ſpectaret; ad ianuam feneſtramve ita conſiſtere recuſabat, vt à cæteris ſpectatoribus videri poſſet. At diſciplinæ ſacræ ſtudium non mediocre oſtendit, in veteribus monachis quibuſdam eccleſię ſuæ Aronenſis corrigendis qui quidem à beati Benedicti inſtituto tam longè aberrant, vt vix ipſius monaſtici veſtitus veſtigium retinerent. quorum licentiam, cum ſibi minimè ferendam adoleſcens Abbas iudicaret; alios victus aſperitate, alios arcta cuſtodia puniuit, & in officio continuit: quamquam nullo eius generis tunc propoſito exemplo, quod ſequeretur. Quinto, ex quo iuri ſtudere cœperat, anno exacto, vtriuſque iuris vtriuſque peritus, doctoris inſignia publicè Ticini ſuſcepit; Franciſco Alciato tradente, qui diſcipuli officio poſtea Cardinalis creatus eſt.

Moritur pater, & cura rei familiaris ei incumbit.

Pituita laborat.

Aronenſis Eccleſiæ monachos corrigit.

Fit Doctor Iuris vtriuſque.

III. OBITV Pauli quarti, vacabat eo tempore Pontifice Romana Sedes. tum Cardinalis Medices Margaritæ frater, electus eſt; & Pius eius nominis quartus appellatus; anno ſalutis M. D. LX. ineunte. Allato Mediolanum nuncio; ad duos Comites, vt Pontificis ſororis filios, ſalutandos, domum conuenere ſtatim Magiſtratus, ciuitatiſq; principes; cognati, vt fit, notique omnes. ſed illos neq; ſpei magnitudo, nec elatæ cogitationes impedierunt; quin ſeſe piè colligentes, Deo gratias agerent; & peccata ſua confeſſi, ſanctiſſimaq; ſumpta Euchariſtia, chriſtianum iacerent ſtatus eiuſmodi fundamentum. Federicus ſine mora Romam contendit. Carolus paucis interiectis diebus, Pontificio iuſſu accerſitus, ſecutus eſt. Alterius ſororis filios Pontifex habebat, Marcum poſtea Cardinalem, & Annibalem, Sitticos, Altaempſij Comites; Serbellonos item conſobrinos, quos omnes dilexit, magniſq; honoribus, & amplitudinis Pontificiæ beneficiis auxit: ſed hos tamen præcipuè ſibi ornandos ille conſtituit. Federicum ſtatim quibus potuit maximis, ditionis eccleſiaſticæ titulis ornauit: qui Philippi quoque Hiſpaniarum Regis liberali voluntate, opibus, atq; honoribus valdè honeſtatus eſt. Carolum Prothonotarium primo creauit; ac libellis referendis præfecit. poſt menſem autem, & Cardinalem fecit; &, quamuis annum ageret tantummodo XXII. Mediolanenſem detulit Archiepiſcopatum. Præterea Romanæ ditionis adminiſtrationem illi mandauit; de qua, viris grauibus in conſilium adhibitis, aſſiduè conſultaret, ſupplices libellos, ac mandata omnia, quæcumque eſſent, pro ſe ſubnotare iuſſit. Auctoritatis pontificiæ munera grauiſſima, negotiaq; quotidie detulit; & omnium curarum ſuarum, conſiliorumq; participem fecit, ac adminiſtrum. nam & ipſe miram in publica negotia, grauiſſimaſq; res gerendas oſtendit ab initio propenſionem. eò factum eſt, vt nullus fere apud cognatum Pontificem Cardinalis maiore auctoritate, atq; adminiſtratione vmquam fuiſſe videretur. Addidit ampliſſimas facultates; quibus ille ſplendore planè regio, contra quam eis natura, conſuetudoq; ferret, vitam inſtituit. maximus domeſticorum numerus; in his viri literis, nobilitate, titulis ornatiſſimi. Præſules, aliiq; nobiliſſimi viri quottidiani conuiuæ, pretioſiſſima ſuppellex, quotidianas etiam oblectationes quaſdam ſacræ diſciplinæ non ſatis conſentaneas admittebat. Magna porrò, repentinaq; dignitatis amplificatio, ſi præſertim exempla, & inſtigationes accedant, ſæpe mores, ac naturam ipſam perturbat. At tantis copiarum blandimentis delinitus; ad perfectiorem tamen vitæ diſciplinam oculos retorquebat: & ad humana omnia contemnenda ſe ipſe frequenter excitabat. Cumq; multos poſt annos Dei beneficia ſecum reputaret; commemorare ſolitus fuit; inuſitata ſe ratione ad ſanctiora pietatis officia, religioſioremq; vitam fuiſſe perductum: neque enim anguſtas, aſperaſve res, vt plerumque fit, Deum adhibuiſſe; ſed proſperas, maximeque florentes: vt in ijs rerum humanarum leuitatem, inanitatemque diuino lumine perſpiciens, ad ea, quæ ſolida, grauia, æternaque ſunt, animum adduceret. Interim non ſolum aliquid amplius, vt humanum eſt, ex opibus Eccleſiæ quotidie ſibi addi non poſtulabat, ſed etiam vltro à Pontifice tradita, propemodum accipiebat inuitus: quod ex cognatis nonnulli, & alii, qui ex eo pendebant, valde querebantur: & quod virtutis erat, vt humana peruerſitas eſt, anguſto, paruoque animo tribuebant. Virginalem modeſtiam, quæ ſemper in eius moribus eluxerat, exquiſitè retinuit: & in eo genere non modò quidnam malè appetere nunquàm vlli viſus eſt; ſed inſidias quoque non ſemel paratas ſanctè admodum, vitauit. Præſtitit in mandatis muneribus ſummam fidem, incredibilemq; diligentiam; tum mentem prorſus incorruptam; quæ neque cupiditate, neque vllius gratia vmquam moueretur; ſed in omni re conſultanda, & diiudicanda, quod iuſtiſſimum eſſet, id ſpectaret, & exequeretur ſemper, priſtinam item patientiam; vt nullius errato, vel moleſtia commotus, quidquam faceret, aut diceret in quenquam contumelioſum. Cum autem pleriq; amplitudinis, diuitiarumque ſplendore, commodoque capti, delicatiores fiant; laboreſque dignitati coniunctos fugiant: contra hic adoleſcens ſeſe patientiſſimum præſtabat: multum ſcribendi, dictandiq; laborem ſuſcipiebat: diuturnam iis, qui alloqui vellent, operam dabat. In ſuos, paupereſque, ſi liberaliſſimus initio non fuit; ita ſe tamen comparauit; vt in eius animo liberalitas in dies, calori diuini ſpiritus augeſcens ad præclaram illam effuſionis planæ chriſtianæ maturitatem tandem perueniret. Pauperibus multa donauit, tum Romæ; tum in iis maximè locis, vnde ſacras pecunias accipiebat. Arone præſertim multa diſtribuit, ac Mediolani: vbi ſi qua de cauſſa in rebus eccleſiæ conſtituendis, gregeque ad rectam viam reducendo, ſumptu opus eſſe viderat; de ſuo liberaliter iuſſit ſuppeditari: vt nihil penitus ex ipſius eccleſiæ fructibus ipſe Romæ tunc exiſtimetur percepiſſe. Humaniora literarum ſtudia coluit. cumq; viros eruditiſſimos in eo genere plures apud ſe haberet, ex eis, aliiſque nobilem inſtituit Academiam. cuius exercitationes noctes appellauit Vaticanas; quoniam publicis, plerumque negotiis interdiu occupatus, certas eis dabat ipſius intempeſtæ noctis horas. Valebant ea ſtudia, ad doctrinam morum, facultatemque dicendi comparandam; tum memoriam quoque exercendam: dum poſita quæſtione, quæ ad mores pertineret; in vtramque partem, quàm poterant ornatè, copioſe, atque eleganter diſſerebant. ad animorum verò relaxationem aliquid etiam admiſcere liberalis ioci

Ann. 1560. Pius IV. Pontifex renunciatur.

Carolus Protonotarius Apoſtolicus primum, dein Cardinalis creatur, & Mediolanenſium Archiepiſc.

Dignitatibus & opibus cumulatus qui ſe geſſerit.

Liberalitas eius in pauperes & Eccleſias.

Academiã inſtituit.

contra quis maiorem breuitatem fortè deſideret; meum eſſe conſilium ſciat; non præcipua ſolùm breuiter decerpere, quod vitam alicuius conſcribentes facere plerumq; ſolent; ſed paulò latius, tum ab eius ortu rerum geſtarum hiſtoriam, vſque ad mortem complecti; tum mores etiam proprio loco deſcribere. cuius rei ſcriptores clariſſimos auctores habemus; tum viros etiam grauiſſimos, qui ad plurimorum documentum ita faciendum arbitrati, nobis id perſuaſerunt. De quibuſdam cum honore, vel offenſione nominandis: primò illud mihi pace omnium concedi peto: vt neque alicuius nomen, laudemve prætercam, ſi occurrat; quod ſanè faciam libentiſſimè. neque affectem, ſi longius ab inſtituto curſu petenda ſit. deinde cum à veritate, vel paululum diſcedere, nefas homini præſertim huius ordinis, exiſtimem: quæ vera ſunt, & ſileri non debent, ita proferre conſtitui, vt nullius factum contumelioſè improbem; excuſem verò etiam ſtudioſè, ſi detur facultas. quin vt omnem offenſionem vitare poſſim diligentius; illud mihi præſcripſi; licet de publicis, manifeſtiſque rebus nominatim narrare poſſem; eorum nomina tamen, ſilentio præterire, quorum poſteris, familiæve hoc fore gratius exiſtimaui. Ita, quemadmodum ſpero, & ſatis veritati factum erit; neque vllius erit offenſa mihi pertimeſcenda. Qui hac ratione ſcribat hiſtoriam, ei (ni fallor) ab iis quoque, qui ſcribi nollent, de adhibita moderatione habenda gratia eſt: quam vtrum eſſet alius adhibiturus, incertum eſt: vtrum verò eadem alius ſcripturus, minimè dubium. Meam denique ſpem in Dei benignitate poſitam habeo; cuius beneficio confido fore; vt ad piorum animorum fructum ſalutarem, & etiam ſine iuſta cuiuſquam querela, ſuſceptum munus conficiam.

De Caroli parentibus.

BORROMEIÆ gentis antiquitatem, aut ſplendorem, non eſt, vt equidem exiſtimo, cur hoc loco demonſtrare coner: nam & ſatis per ſe nota res eſt; & ea cura parum conuenire videtur de Borromeio illo ſcribenti, qui admirabili quadam chriſtiani animi celſitudine, fluxa, & caduca omnia huius vitæ ornamenta contempſit. De eius verò parentibus aliquid eſt attingendum; vt in iis agnoſcas, quod diuinitus traditum eſt; parentes, qui iuſtam, ſimplicemq; vitam agunt, beatos relinquere filios. Gibertus igitur Federici filius Borromeus, Mediolanenſis, vnà cum tribus fratribus, Iulio Cæſare, Franciſco, & Dionyſio Aronæ Comes; in ea parte ditionis Mediolanenſis, quæ eſt circa Verbanum lacum; præter Aronam ipſam; vicos, caſtellaque multa habuit in ſua poteſtate. Is Carolum inter alios, de quo ſcribere inſtituimus, ex Margarita ſuſcepit, ſorore Pij Quarti Pont. Max. & Ioan. Iacobi Medicis, illius clariſſimi bellatoris, cuius res geſtæ magnam ferè apud omnes Europæ nationes habent admirationem. Magna Gibertus, pro eorum temporum conditione, innocentia fuit, ac pietate. omnes animæ labes, etiam eas, quæ videntur exiguæ, valdè pertimeſcebat: idcirco ſaltem octauo quoq; die ſacerdoti peccata ſua confiteri ſolitus fuit; & ſanctiſſimum Euchariſtiæ cibum ſumere. Præſcripta ſacris legibus ieiunia, quadragenarii præſertim temporis, ipſe piè coluit, & à ſuis iuſſit tirè ſeruari. Horis canonicis eadem, qua ſacerdotes precatione vtebatur; idq; humi poſitis genibus: tum tanto ſtudio; vt nihil mane prius incipere, neq; domo pedē efferre ſoleret, quàm quod eo tempore precationis eiuſmodi debebatur, & quod ipſe item addere conſueuerat, perſoluiſſet. Diuina ope mirum in modum confidebat, vt ſæpè aliis periculi alicuius timore perterritis, ipſe præcipua quadam conſtantia Deo fretus nihil timere videretur. Fiducia fuit illa non mediocris, mirifico diuinæ benignitatis officio remunerata; quod magna vtés erga pauperes liberalitate, nõ valde pro dignitate ſua tunc, humanis opibus inſtructus; cum moneretur à quibuſdam, plures ei filias, quas tum ex Margarita, tum ex alia vxore habebat, in matrimonium eſſe collocandas; piè reſpondit, ſi curæ ſibi Chriſti pauperes eſſet, Chriſto filias ſuas fore. id quàm fæliciter euenerit, infra demonſtrabitur. [illegible] in egenis iuuandis præcipuè morem tenebat; vt non ante vnquam accumberet, quàm eis eleemoſynam, n[illegible] eam paruam miſiſſet; quaſi indignum ſe exiſtimaret, à quo Dei dona ſumerentur, niſi prius ipſe ex iis elargitus eſſet, quæ Dei benignitate poſſidebat. Quòd plures vxores duxerit, non ideo tamē non caſtitatis fuit amantiſſimus: à qua violanda maximè ſemper abhorrere viſus eſt. Cum malos in domo ſua mores ferre non poterat, tum maledicta in Deum ita horrebat; vt familiares, ſi in ea inciderent, domo ſtatim eiiceret; nullamq; prorſus accipere vellet excuſationem. In reliqua domeſtica cura; in populis ſuis regendis; in priuatis publiciſq; rebus agendis, cum pietatis prudentiæq; laude verſatus eſt. Viro minime fuit diſſimilis vxor Margarita, lectiſſima fœmina, & ab omni muliebri leuitate, ſiue veſtimenta, ſiue aliud quiduis ſpectaretur, penitus aliena. quæ domeſticis rebus, piè frugaliterq; curandis intenta; cum ad proximiorem eccleſiam modeſtiſſimo cultu rei diuinæ cauſa quotidie acceſſiſſet; domo ferè non prodibat, niſi quandoq; ad virginum collegia, ſacraue alia loca religionis ergò proficiſceretur. Tales fuere Gibertus, & Margarita, vt dignum parentibus filium agnoſcas: parentes verò ita filio dignos: vt præcipuo tunc Dei munere, quemadmodum chriſtianæ rei publicæ vtilitas poſtulabat, longe, multumque ſint ab eo ſuperati.

I.

Giberti Caroli patris encomium.

Margaritæ item matris eius.

Anno 1538. Naſcitur Carolus.

NATVS eſt Carolus in arce Aronæ, poſtridie Cal. Octobris annò ſalutis M. D. XXXVIII. quem adhuc puerum, clericali veſtitu, ad eius mores valde accommodato, pater indui curauit. A primo ætatis tempore non obſcura ſolidæ pietatis ſigna dedit. cum enim tempus, quod dabatur literarijs exercitationibus vacuum, ſocii in puerilibus ludis ponerent, ipſo diuino cultui multò libentius, eo ſpatio operam dabat. vagabantur alii per vrbem animi gratia: ille verò, de eorum ſe ſocietate ſubducens, vel religioſiores eccleſias adibat, vel domi piè precabātur, & diuini cultus imaginem quandam, paruis altaribus conſtituendis ornandiſque puerili quodam pietatis ſtudio, & oblectatione referebat. Cum ætate paulò magis proceſſiſſet, eccleſiæ ſanctorum Gratiniani, & Felini Aronenſis ſacerdotium, Abbatiæ nomine, quod dudum in familia Borromeia permanebat, accepit. Atque cum humanioribus literis ſatis operæ dediſſe videretur; Ticinum, vt ciuilium legum, & ſacrorum canonum ſtudia coleret, ſeſe Patris iuſſu contulit. Tantula ætate cum eſſet ſacerdotii ſui fructus ſacros eſſe reputans; quorum ſibi, vtpote Abbati, Deo reddenda ratio eſſet: patrem, cuius alioqui voluntati obſequi diligenter ſtudebat, modeſte monuit, qui vnà cum ceteris facultatibus ſuis adhuc Abbatiæ res diſpenſabat: minimè id ſibi iuſtum, neutriuſq; ſaluti conſentaneum videri; qui fructus ſibi ſupereſſent, eos in rem familiarem conuerti, ac non potius dari pauperibus. quod pius pater, tantum abeſt, vt moleſte acceperit, vt filii religione, præclaraque indole lætus, ac prægaudio lachrymans, adminiſtrationem ei ſine mora reliquerit. quod ſi patri aliquid ex iis, neceſſarij ſumptus cauſa, opus erat; mutuum dabat filius, quod ei poſtea, vel egenis reſtitueretur. Ticini nec ab æqualium ſuorum vitæ cultu abhorruit: & pietatem honeſtatemque coluit diligenter. Ne inſignes in literis progreſſus habere videretur, ingenij motus ad explicandum haud ſatis expediti faciebant. Nuper ex eius ſociis quidam narrabat: eo ſe tempore ſæpius Caroli patientiam eſſe admiratum; quod neque aduerſo aliquo ludi euentu, neque famuli cuiuſquam ignauia commotus, quidquam faceret, aut loqueretur vmquam, quod contumeliam, aut liberiorem indignationem præ ſe ferret; eluxiſſe quoque in eius moribus addebat animum excelſum, ac mentem ab humanis cupiditatibus, ambitioneque alienam. cum ei vltimo ferè iuris ſtudiorum tempore, Ioan. Angelus Cardinalis Medices auunculus Abbatiam Romanam contuliſſet, & prætcrea Caluentianum, vt appellant, Prioratum de collegio ex iis opibus Ticini conſtituendo iam tum cogitare, ac loqui cœpit: ſeque aiebat, modico ſumptu, procul humano ſplendore, etiam tuti vitam libenter acturum: modo talis collegii commodum, atque ornamentum familiæ, patriæque afferret ſuæ: quod alia ratione poſtea præclare factum vidimus. eam animi moderationem, atque æquabilitatem, haud itaxima præſertim ingenii celeritate coniunctam, quidam quaſi tarditatem, abiectionemque deſpicere videbantur

II.

Fit Abbas.

Ticini ſtudio iuris dat operam.

cum

cum tamen & ipſius adoleſcentiæ acta non obſcure, & poſterioris temporis res geſtæ multo illuſtrius, longe aliter ſe rem habuiſſe demonſtrarint. at enim moderato animo capi caducis rebus; & quæ verè magna ſunt, reique publicæ vtilia amare, & quærere; non tardi, vel abiecti, ſed præſtantis ingenii eſt. Non confecerat Abbas iuris diſciplinæ curſum, cum eius pater ex hac vita migrauit, annos natus quadraginta ſeptem. qua de re, licet Federicus frater eſſet natu maior; rerum familiarium ſumma, propter prudentiam, morumque grauitatem ad eius iudicium rediit. quam curam, ea cum laude geſſit cum ſororum gubernatione coniunctam; vt ſi quemadmodum Apoſtolus monet, ab adminiſtratione domeſtica ducamus argumentum; eccleſiam quoque illi quandoque rectè committi poſſe, iam tum liceret facile iudicare. Ad continuanda iuris ſcientiæ ſtudia, impedimenti aliquid Abbati eiuſmodi adminiſtratio ſine dubio attulit: ſed ob id quoque intermittendus fuit iuris diſcendi labor; quod ſtudiorum ſuorum curſus cito conficiendi deſiderio, quaſi æſtu quodam, ad vigilias, & nimias literarum occupationes delatus, in periculoſam valetudinem, pituita ex capite diſtillante incidit; quæ curationem procul à libris omnino poſtulabat. ea pluribus menſibus temperantia fere, commodaque vitæ ratione Mediolani adhibita; quamquam grauius malum, fortaſſe etiam vitæ diſcrimen, auertere viſa eſt; non effecit tamen, quin pituita itidem flueret vſque ad poſtremos fere illius vitæ annos. quo tempore illa aſſiduo ieiunio valde imminuta, in prouerbii fere conſuetudinem Caroli remedium induxit. dum curaretur, à medicis præſcripta muſici cantus oblectatione, quæ natura tamen erat ei valde iucunda, eo temporis ſpatio tantum vtebatur, quod medicinæ cauſa ii neceſſarium iudicauerant. ac ea tum verecundia fuit; vt ſi quid carminum canendum eſſet, quod ad laſciuiam pertineret; reijciendum ille quidem curaret prius, ſi animaduertiſſet: ſin autem; verba ſaltem omitteret; vocumque modos tantum exprimeret. digna certe clerico modeſtia; quemadmodum ea quoque quòd togatus, vt pilæ ludum in paternæ domus platea ſpectaret; ad ianuam feneſtramve ita conſiſtere recuſabat, vt à cæteris ſpectatoribus videri poſſet. At diſciplinæ ſacræ ſtudium non mediocre oſtendit, in veteribus monachis quibuſdam eccleſiæ ſuæ Aronenſis corrigendis qui quidem à beati Benedicti inſtituto tam longè aberrant, vt vix ipſius monaſtici veſtitus veſtigium retinerent. quorum licentiam, cum ſibi minimè ferendam adoleſcens Abbas iudicaret; alios victus aſperitate, alios arcta cuſtodia puniuit, & in officio continuit: quamquam nullo eius generis tunc propoſito exemplo, quod ſequeretur. Quinto, ex quo iuri ſtudere cœperat, anno exacto, vt iuris vtriuſque peritus, doctoris inſignia publicè Ticini ſuſcepit; Franciſco Alciato tradente, qui diſcipuli officio poſtea Cardinalis creatus eſt.

Moritur pater, & cura rei familiaris ei incumbit.

Pituita laborat.

Aronenſis Eccleſiæ monachos corrigit.

Fit Doctor Iuris vtriuſque.

III. Obitu Pauli quarti, vacabat eo tempore Pontifice Romana Sedes. tum Cardinalis Medices Margaritæ frater, electus eſt; & Pius eius nominis quartus appellatus; anno ſalutis M. D. LX. ineunte. Allato Mediolanum nuncio; ad duos Comites, vt Pontificis ſororis filios, ſalutandos, domum conuenere ſtatim Magiſtratus, ciuitatiſq; principes; cognati, vt fit, notique omnes. ſed illos neq; ſpei magnitudo, nec elatæ cogitationes impedierunt; quin ſeſe piè colligentes, Deo gratias agerent; & peccata ſua confeſſi, ſanctiſſimaq; ſumpta Euchariſtia, chriſtianum iacerent ſtatus eiuſmodi fundamentum. Federicus ſine mora Romam contendit. Carolus paucis interiectis diebus, Pontificio iuſſu accerſitus, ſecutus eſt. Alterius ſororis filios Pontifex habebat, Marcum poſtea Cardinalem, & Annibalem, Sitticos, Altaempſij Comites; Serbellonos item conſobrinos; quos omnes dilexit, magniſq; honoribus, & amplitudinis Pontificiæ beneficiis auxit: ſed hos tamen præcipuè ſibi ornandos ille conſtituit. Federicum ſtatim quibus potuit maximis, ditionis eccleſiaſticæ titulis ornauit: qui Philippi quoque Hiſpaniarum Regis liberali voluntate, opibus, atq; honoribus valdè honeſtatus eſt. Carolum Prothonotarium primo creauit; ac libellis referendis præfecit. poſt menſem autem, & Cardinalem fecit; &, quamuis annum ageret tantummodo XXII. Mediolanenſem detulit Archiepiſcopatum. Præterea Romanæ ditionis adminiſtrationem illi mandauit; de qua, viris grauibus in conſilium adhibitis, aſſiduè conſultaret, ſupplices libellos, ac mandata omnia, quæcumque eſſent, pro ſe ſubnotare iuſſit. Auctoritatis pontificiæ munera grauiſſima, negotiaq; quotidie detulit; & omnium curarum ſuarum, conſilioſumq. participem fecit, ac adminiſtrum. nam & ipſe miram in publica negotia, grauiſſimaſq; res gerendas oſtendit ab initio propenſionem. eò factum eſt, vt nullus fere apud cognatum Pontificem Cardinalis maiore auctoritate, atq; adminiſtratione vmquam fuiſſe videretur. Addidit ampliſſimas facultates; quibus ille ſplendore planè regio, contra quam eis natura, conſuetudoq; ferret, vitam inſtituit. maximus domeſticorum numerus; in his viri literis, nobilitate, titulis ornatiſſimi. Præſules, alijq; nobiliſſimi viri quotidiani conuiuæ, pretioſiſſima ſuppellex, quotidianas etiam oblectationes quaſdam ſacræ diſciplinæ non ſatis conſentaneas admittebat. Magna porrò, repentinaq; dignitatis amplificatio, ſi præſertim exempla, & inſtigationes accedant, ſæpe mores, ac naturam ipſam perturbat. At tantis copiarum blandimentis delinitus; ad perfectiorem tamen vitæ diſciplinam oculos retorquebat: & ad humana omnia contemnenda ſe ipſe frequenter excitabat. Cumq; multos poſt annos Dei beneficia ſecum reputaret; commemorare ſolitus fuit; inuſitata ſe ratione ad ſanctiora pietatis officia, religioſioremq; vitam fuiſſe perductum: neque enim anguſtas, aſperaſve res, vt plerumque fit, Deum adhibuiſſe; ſed proſperas, maximeque florentes: vt in ijs rerum humanarum leuitatem, inanitatemque diuino lumine perſpiciens, ad ea, quæ ſolida, grauia, æternaque ſunt, animum adiiceret. Interim non ſolum aliquid amplius, vt humanum eſt, ex opibus Eccleſiæ quotidie ſibi addi non poſtulabat, ſed etiam vltro à Pontifice tradita, propemodum accipiebat inuitus: quod ex cognatis nonnulli, & alii, qui ex eo pendebant, valde quærebantur: & quod virtutis erat, vt humana peruerſitas eſt, anguſto, paruoque animo tribuebant. Virginalem modeſtiam, quæ ſemper in eius moribus eluxerat, exquiſitè retinuit: & in eo genere non modò quidquam malè appetere nunquàm vlli viſus eſt; ſed inſidias quoque non ſemel paratas ſanctè admodum, vitauit. Præſtitit in mandatis muneribus ſummam fidem, incredibilemq; diligentiam; tum mentem prorſus incorruptam; quæ neque cupiditate, neque vllius gratia vmquam moueretur; ſed in omni re conſultanda, & diiudicanda, quod iuſtiſſimum eſſet, id ſpectaret, & exequeretur ſemper, priſtinam item patientiam; vt nullius errato, vel moleſtia commotus, quidquam faceret, aut diceret in quenquam contumelioſum. Cum autem pleriq; amplitudinis, diuitiarumque ſplendore, commodoque capti, delicatiores fiant; laboreſque dignitati coniunctos fugiant: contra hic adoleſcens ſeſe patientiſſimum præſtabat: multum ſcribendi, dictandiq; laborem ſuſcipiebat: diuturnam iis, qui alloqui vellent, operam dabat. In ſuos, pauperesque, ſi liberaliſſimus initio non fuit; ita ſe tamen comparauit; vt in eius animo liberalitas in dies, calori diuini ſpiritus augeſcens ad præclaram illam effuſionis planæ chriſtianæ maturitatem tandem perueniret. Pauperibus multa donauit, tum Romæ; tum in iis maximè locis, vnde ſacras pecunias accipiebat. Aronæ præſertim multa diſtribuit, ac Mediolani: vbi ſi qua de cauſſa in rebus eccleſiæ conſtituendis, gregeque ad rectam viam reducendo, ſumptu opus eſſe viderat, de ſuo liberaliter iuſſit ſuppeditari: vt nihil penitus ex ipſius eccleſiæ fructibus ipſe Romæ tunc exiſtimetur percepiſſe. Humaniora literarum ſtudia coluit. cumq; viros eruditiſſimos in eo genere plures apud ſe haberet, ex eis, aliiſque nobilem inſtituit Academiam. cuius exercitationes noctes appellauit Vaticanas; quoniam publicis, plerumque negotiis interdiu occupatus, certas eis dabat ipſius intempeſtæ noctis hores. Valebant ea ſtudia, ad doctrinam morum, facultatemque dicendi comparandam; tum memoriam quoque exercendam: dum poſita quæſtione, quæ ad mores pertineret; in vtramque partem, quàm poterant ornatè, copioſe, atque eleganter diſſerebant. ad animorum verò relaxationem aliquid etiam admiſcere liberalis ioci

Ann. 1560. Pius IV. Pontifex renunciatur.

Carolus Protonotarius Apoſtolicus primum, dein Cardinalis creatur, & Mediolanenſium Archiepiſc.

Dignitatibus & opibus cumulatus qui ſe geſſerit.

Liberalitas eius in pauperes & Eccleſias.

Academia in Vrbe.

ſolebant, ac leporis. ex horum numero, & ex eis, quos in conſultationibus adhibebat, viri fuerunt, tum literis, tum dignitate clariſſimi; qui magno fuerunt, partimq; adhuc ſunt reipublicæ chriſtianæ vſui, atq; ornamento: ex quibus Epiſcopi, Cardinales; & ipſe quoq; Gregorius XIII. extitêre. Curabat ille, per eas exercitationes, non ſolùm eiuſmodi doctrinæ præcepta, dicendique vſum aſſequi; ſed etiam, quæ in loquendo ſentiebat, impedimenta naturæ ſuperare: conciſas enim ſententias, immò etiam verba ipſa imminuta habitu quodam nimiæ celeritatis pronunciare ſolebat. quibus in rebus, quantum profecerit; tum illius iudicium in ſcribendo, alieniſq; ſcriptis corrigendis poſtea indicauit; tum frequentiſſimæ conciones declararunt. Atque huiuſmodi ſtudia non parum ad eius quoque ſalutaria conſilia valuiſſe poſtea fatebatur. cum enim illi Stoicorum ſententia in Academia impugnanda quandoq; obtigiſſet, contra potius ſeſe ad eos aliquo modo ſequendos, hoc eſt ad perturbationes comprimendas, dum ei rei ſtuderet, animique perfectam moderationem comparandam, ſenſit incitari; ex quo Epicteti philoſophi libellum frequenter in manibus habere, eiuſq; præcepta valdè obſeruare, per ea tempora viſus eſt.

De Caroli ſororum matrimoniis. Cvm in Carolo rerum humanarum ſæpe deſpicientia ſeſe oſtenderet: non obſcurè tamen etiam ſtudium apparebat ſorores omnes rectè collocandi. Id optime ſucceſſit; Pontifice fauente; Deoque inprimis cumulatiſſimè præſtante, quod bonus ille Gibertus eximia pietate ſperauerat. Eas enim Principibus, ac diuitijs ditioneque præſtantibus viris in matrimonium dedit: Camillam quidem, quæ prima fuit, Cæſari Gonzagæ, Melfictæ Principi: Hieronymam Fabritio Geſualdo, Venuſini Principis primo filio: Annam Fabritio Columnæ, Marci Antonij Ducis Taliacotij itidem principi filio: Hortenſiam Annibali Sittico, Altempſij Comiti, & ſororis Pontificis filio; non enim Hortenſiam ex Margarita, ſed ex alia vxore Gibertus ſuſceperat. Honeſtiſſimæ fuerunt omnes: at Anna ijs moribus, eaque fuit ſanctitate; vt in tanti fratris hiſtoria merito, de illa ſit præcipuè commemorandum. ſolidæ pietati, rerumque diuinarum contemplationi maxime ſemper dedita fuit vt non modicam noctis cuiuſque partem, quæ ſomno danda erat, in ſacra ſupplicatione adhuc puella ponere ſoleret. IV.

De Annæ ſororis eius ſanctitate. At cum Fabricius adhuc adoleſcens diem ſuum obijſſet; chriſtianæ diſciplinæ, pijſque exercitationibus in dies magis intenta, tantum profecit; fratris exemplo, ac hortationibus in primis incitata; vt in eius precibus magnum domus ſuæ præſidium Marcus Antonius vir prudentiſſimus collocaret. Veſtitum mutare, ſeſeque abdere in monaſterium conſtituerat; niſi conſilium dediſſet Carolus, vt religioſam vitam domi agens, filios, quos ex Fabritio ſuſceperat, non desereret; ſed educaret pie, ac diligenter. Egentium iuuandorum ſtudioſiſſima fuit ex eo, quod ſeparatim ei dabatur; ad ſuos, familiæque ſumptus, quantum poterat, detrahebat; & in eleemoſynas conferebat; vt ipſis etiam indumentis, ea de cauſſa tritis admodum vteretur. frequenter etiam, quod apponebatur in menſa, modica ſibi retenta portione, pauperibus dari iubebat. Eccleſia erat in Panormi regia, vbi illa cum M. Antonio Siciliæ prorege habitabat; & in eam ex Annæ domicilio aditus; vt commode poſſet in ſacro loco eximium explere, continuandæ ſupplicationis deſiderium. ibi quo ardentiore animo precaretur; ſanctiſſimam Euchariſtiam haberi perpetuo curauit: & ſacram ſtatarum horarum publicam precationem, ſoceri auctoritate reſtituit. Cum autem humida eſſet ædes, loco præſertim illo remotiore, in quo Anna manebat; contraxiſſe videtur ex diuturna mora frigidam, grauemque totius corporis, præcipue capitis, affectionem; quam, vt diuinæ benignitatis munus, libenter vſque ad obitum tulit. Cum ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumebat, tam ardenti, atque intimo ſenſu pietatis afficiebatur; vt duarum circiter horarum ſpatio, nullo fere motu, mente penitus in diuinis myſterijs defixa, permaneret. Sacerdotem cui confitebatur, quiſquis eſſet, tantopere obſeruabat; vt ne latum quidem, vt aiunt, vnguem ab eius voluntate diſcedere auderet; tantoque honore, ac reuerentia proſequebatur; vt diceret interdum; pedum eius veſtigia cupere admodum ſe oſculari. Tentari cum ea febri cœpiſſet, ex qua mortua eſt; nihil patefecit: erant enim extremi quadragenarij ieiunij dies, quorum abſtinentiam nolebat interrumpere. ad ſacram Paſchatis communionem venit in eccleſiam. per eos dies, qui pauci fuerunt ante mortem, ſolito loco nonnunquam ad meridiem vſque; permanſit orans. demum ingraueſcente morbo iacere coacta, de morte obeunda placidiſſimè audiuit, ac hilariter: creditoribus iuſſit in præſentia ſatisfieri: & ex ea hora rogauit, ne filij amplius ad ſe adducerentur; quo magis ab humanis rebus remota, quæ ſpiritalia, cœleſtiaque ſunt; quietè cogitaret. Humile funus ducendum præſcripſit; cœleſtique amore vehementer accenſa, diuinum viaticum accepit; & ſacram extremi temporis vnctionem; cuius vnctionis loca ſibi ante diligenter ablui iuſſit. cumque ad extremum vſque ſenſibus viguiſſet, ſacerdoti etiam ſingillatim cœlites inuocanti reſpondiſſet; mortem obiit anno Domini M. D. XXC. II. Luxere eam Panormitani propemodum incredibiliter. tum vero eius corpus ita fere habuerunt, quemadmodum beatorum corpora ſolent haberi. luxêre autem in primis pauperes, quorum ſe benigniſſimam parentem ſemper oſtenderat. De Anna, ceteriſque ſororibus ſatis.

Ad meliora vitæ ſtudia ſe refert. Anno 1562. Fridericus frater eius moritur. Redeamvs ad Carolum; cuius ſanctioris vitæ deſiderium triennii fere ſpatio, ſine negotiorum, curarumque magnitudine; ſiue humano, falſoque pudore quodam retardatum; tum ardentius excitatum eſt, clariuſque multo enituit; cum Federicus frater diem ſuum obijt, menſe Nouembri anni M. D. LX. II. Florentiſſimi iuuenis interitus, qui dum ad ſummos honoris, atque amplitudinis gradus glorioſe ingrederetur, de medio præter omnium opinionem ſublatus eſt, magnopere valuit; vt Carolus tum ipſe vehementius commotus; tum aliorum animos factos ad humanarum rerum imbecillitatem præſenti caſu attentiores, conſpicatus; ad præclaram vitæ huius deſpicientiam, ſacramque illam optimæ vitæ diſciplinam, quæ iam diu ei propoſita erat, ſeſe aperte, ſtrenueq; conuerteret. Affuit aſſidue fratri laboranti; & quæ tali tempore homini chriſtiano pia officia debentur, omnia, quantum potuit, cumulate præſtitit vſque ad mortem. Dum autem alij, & ipſe Pontifex in primis, afflicti, Federicum diutius lugerent; ipſe accerſito ſacerdote, cui peccata ſua ſolebat confiteri; de inſigni morum mutatione cum eo egit, ac decreuit. Dictitabant eo tempore multi, Carolum nullo fratre, neque fratris filio, clericalem vitam relicturum; & vxore ducta, profanis honoribus, & negotijs implicandum. & vero etiam fuiſſe dicuntur; qui aperte ſignificarent, ac incitarent; idq; non ſine eorum auctoritate, qui plurimum poterant. ille autem vt omni ſe

Fit preſbyter. interpellatione liberaret; non multis poſt menſibus ad ſacrum presbyteratus gradum aſcendit. Perſonam ex eo tempore viſus eſt longe diuerſam induere: eaque fuit in moribus, omniq; vitæ conſuetudine grauitas; vt ad auſteritatem quoq; perueniret, quemadmodū ſępe ſolet initio vitę religioſioris euenire. Non cętera ſolùm oblectamenta dimiſit, ſed cum exercitatione corporis ad id tempus valetudinis gratia magnopere delectatus eſſet; eam quoq; reſpuit, quo-

Ægidius Fuſcararus Epiſcopus Mutinenſis. niam Ægidius Fuſcararius religioſiſſimus Epiſcopus Mutinenſis, quem plurimi faciebat, eam ſibi conſuetudinem in iuuene minime probari dixerat: augeri enim calorem nimis; qui ſuapte natura, tali ætate, maxime viget inde cibus, potuſq; multus: ex quo multum ſomno, parum contemplationi, literarumq; ſtudio dari temporis, necesse eſt; præter alia, quæ animæ facile conſequuntur incommoda. Ciuiles Academiæ exercitationes, ſtudiaq; dicendi, ad ſpiritualem traduxit rationem; iam tum, vt puto, cogitans de grege ſuo eorum cuſtodiendo, concionibuſq; ſacris paſcendo. Alia ſtudia literarū, egregia illa aſſiduitate, patientiaq; ſua coluit; doctorūq; virorum quotidianas diſputationes ſua manu ſcribens, diu ſatis excepit: vt merito mireris, Carolū per eos annos, tantis occupationum preſſum oneribus, logicæ, philoſo-

philoſophiæ, Theologiæq;, quamquam non ad perfectam ſcientiam, operam dare potuiſſe: ſed multo magis mirum; varie illum, grauiterque oppugnatum, quorundam ſuaſionibus inſidiis, obtrectationibus ſollicitatum; ſteriſſe tamen, piaq; ſua conſilia atque inſtituta conſtanter retinuiſſe. Mutatio eiuſmodi pleriſq; non probabatur. eius cauſam, vt quiſque ſibi prudentiſſimus videbatur, ita in rebus humanis, vt fit, acutè inueſtigabant. multi palam improbabant, ſimulationemq; dicebant. At multi etiam veritatis, diuiniq; ſpiritus vi permoti: tum ſincerum eius animi ſenſum agnoſcebant: dignumq; imitatione iudicabant: tum eius exempla ſequebantur. Plures ex literatis Academiæ, domuſq; ſuæ viris, ad ſacra ſtudia, vitamq; puriorem eius exemplo ſe retulerunt. omnino plurimi, eius imitatione, vitam, actionesq; ſuas conformarunt. Tunc œcumenica ſynodus Pij Pontificis auctoritate, iuſſuq; Tridentini habebatur: cuius acta, progreſſionesq; cum antea Carolus magno ſtudio, ac pietate curaſſet: tum eo tempore ſtudioſiſſimè cœpit tueri. atque cum de ea diſſoluenda quodam tempore ageretur, pluresque ex principibus aſſentirentur, immo quidam vrgerent: ille Pontificis in eo voluntati conſentiens, omni auctoritatis ſuæ conatu reſtitit, Concilij Tridentini acta tuetur.
IV. perficiendamq; curauit. Ad eorum cognitionem, quæ ſynodi decretis opus erant. Gulielmo Sirleto, plurimum vſus eſt: cuius doctrina, cum antiquæ diſciplinæ, græcæq; linguæ cognitione, tum vero eximia pietate coniuncta, adeo eſt delectatus; vt hominem ſemper plurimi fecerit; neque deſtiterit, donec eum poſtea perduceret ad Cardinalatus gradum. Ad ſui ipſius, ſuorumq; meliorem vitæ rationem, multa Carolus à morte fratris cum inſtituiſſet, ſanctius demum anno M. D. LXIII. Tridentinæ ſynodi decretis: ea ſtudioſius eſt executus, adiecitq; etiam ſanctiora. An. 1563. Circiter octoginta de domo ſua miſſos fecit vno tempore, eos ferè omnes qui clericali vitæ minus apti videbantur, quos benignè admodum, liberaliterque tractatos dimiſit. ſerica indumenta non ſibi ſolum, ſed familiaribus omnibus interdixit, qui neminem ex eis antea ſine ſericis ſplendidiſq; veſtimentis admittebat. De corpore ſuo nihil adhuc ſeuerius ſtatuit, quàm vt vno die ſingulis hebdomadis pane, & aqua tantum veſceretur. Moleſta cœpit eſſe grauiſſimarum occupationum aſſiduitas: quibus nè à diuinarum rerum contemplatione abſtraheretur, in ædiculam quandam, quam ſibi remoto loco ad id conſtituerat, ſeſe abdere certis horis cœpit. paulatimque ſe prorſus à rebus agendis ſubtrahere velle videbatur, niſi quem vehementer obſeruauit, Bartholomæus Archiepiſcopus Bracharenſis ex ordine Dominicano magna ſanctitate Præſul, admonuiſſet, Eccleſiæ, Caroliq; ipſius conſcientiæ periculoſum ſibi videri, defugere munera, occupationeſq; illas, quæ facilè in homines longè diuerſæ ſententiæ recidere poſſent. Bartholomæus Epiſc. Bracharenſis. quæ res fecit, vt conſuetos labores, atque onera pergeret ſuſtinere. Virorum pietate, diſciplina eccleſiaſtica, doctrinaque præſtantium aſſidua conſuetudine, conſilioque vtebatur: inter quos alij erant boni ſacerdotes Hiſpani, qui nuper ex ciuitate Tridentina, Concilio abſoluto venerant. ex eodem numero Franciſcus Foretius fuit egregius Theologus itidem Dominicani Ordinis, quem Carolus apud ſe retinuit, & de rebus Theologicis quotidie diſſerentem diu audiuit. Atque propius iam ad Epiſcopi munus accedens, quod ſe graue admodum ſuſtinere ſentiebat, & ad ſalutem ſui gregis diligenter exequi cupiebat, in ſacris concionibus publicè habendis, de quo grauiſſimè Concilium conſtituerat, ſe cœpit exercere, remotioribus tamen locis, fereque ad virginum cœnobia, quamquam & in ſuas breui prodijt tum Sanctæ Mariæ, cuius erat Archipresbyter, tum S. Praxedis, cuius titulum habebat, eccleſias. Inuſitata multis ſeculis in tali perſona muneris functio, concionator haud aptiſſimus, tali loco, quos in hominum ſermones venerit, non eſt opus explicare. quibus rebus tamen, eius optimum ſtudium ſuperari, tardariue non potuit. At verò fecit ea tota morum conuerſio, conſtanſq; in ea voluntas, vt illum tandem vereri quodammodo ſummiq; infimi inciperent, & ipſe Pontifex eius cauſſa quibuſdam rebus vtiliter abſtineret. ſolidæ virtutis vis hæc eſt admirabilis, quæ plurimos à vitiis deterret, & ad ea, quæ recta ſunt impellit, quā ipſi quoque ſummo loco conſtituti non poſſunt non ſubire. Incidit per id tempus in morbum Carolus, qui diuino quodam munere, luminis ei plurimum, cœleſtiſque ſuauitatis attulit, atque ita mentem ad ſuperorum deſiderium acuit, vt terrena omnia magis ac magis deſpiciens, mortem concupiſceret, atque adeo culpam in eo ſuam timeret, quod ab humanarum rerum tædio nimis refugere, & ita Deo ſe totum minimè permittere, ſibi videretur.

VI. Qvod antea de ſua diœceſi viſenda, colendaque cogitauerat, id perficere quamprimum curabat. ſed cum id moleſte ferret Pontifex, ſenemq; ſe quæreretur ab eo deſeri, quem vt filium chariſſimum amabat, ſuum in Inſubriam aduentum, non ille quidem dimiſit, qui eum in animo defixum habebat, ſed paulum diſtulit. Eccleſiæ ſuæ abſens conſulit. Statuit verò interim eccleſiæ ſuæ longè accuratius, quam antea ſine mora proſpicere: vbi plurima corrigenda, reſtituenda, ordinanda eſſe, & probe ſciebat, & quotidie audiebat. Ac ſuperioribus quidem annis Vicarium ibi habuerat, immo Epiſcopalis quoq; ordinis hominem, qui pontificalia munera obiret. nonnihil item ad clericalis diſciplinæ conformationem pertinens cœperat. Verum ad ſanctiorem, illuſtrioremque tunc adminiſtrationem, quem Mediolanum cum poteſtate mitteret, præſtantiſſimum ſibi virum perquirendum ſtatuit. de quo ſolicitus cum inueſtigaret: ſapientiſſimo conſilio fecit, vt Ioannis Matthæi Giberti olim Veronenſis Epiſcopi alumnum deligeret. Cum enim vir ille, clericalis vitæ, ac adminiſtrationis epiſcopalis egregia laude non multis ante annis floruiſſet, & ante Concilium Tridentinum fuiſſet eccleſiaſticæ diſciplinæ eo ſæculo in Italia reſtituendæ facile princeps: nihil aptius, meliuſve cogitare Carolus poſſe videbatur, quàm, vt virum tanti Epiſcopi conſiliorum participem, actionum adiutorem, inſtitutorum peritum ſibi adſciſceret: vt conſilia ſua, ex ſacris Concilij præceptis & ex præcipuo illo animi ſui lumine concepta, cum iis coniungens; præſtantiſſimam efficeret, Domino in primis iuuante, regendæ eccleſiæ rationem. Acceſſiuit igitur, Cardinali Nauagerio Veronenſi Epiſcopo concedente, Nicolaum Ormanetum presbyterum, & iuriſconſultum Veronenſem, qui non ſolum fuerat Ioannis Matthæi Vicarius, ſed cum Reginaldo Polo Cardinali ſedis Apoſtolicæ Legato, in Anglia, rebus illius eccleſiæ componendis operam dederat, & Concilij Tridentini actionibus interfuerat: tunc autem ab humanis cupiditatibus alienus, populum quendam in diœceſi Veronenſi ſacra regebat auctoritate, & paruum gregem bonus paſtor, ſanctè, quieteque paſcebat. Nicolaum Ormanetum euocat & cum eo de adminiſtratione Eccleſiæ Mediolanenſis agit. Sed eum Dominus nihil eiuſmodi cogitantem euocari, eiuſq; virtutem ad Mediolanenſis, atq; adeo vniuerſæ Eccleſiæ vtilitatem, in apertum proferri voluit. Romam cum veniſſet, Carolus amantiſſimè accepit, & pro ſua ardenti gregis charitate, de eccleſia adminiſtranda, deq; omni ſacra diſciplina ex Tridentinis præcipuè decretis reſtituenda, cum illo plenè, aſſidueq; communicauit: vt pleriq; iis diebus mirarentur, id temporis cum eiuſmodi homine conſumere, qui orbis Chriſtiani tot, tantaque negotia ſuſtineret. Inde illum Mediolanum dimiſit: quo iam anno ante clericos Eum Mediolanum mittit. miſerat ex ſocietate IESV, Benedictum Palmium in primis, magno ardore, atque eloquentia concionatorem. qui omnes tanquam exercitati milites præcurrerent, in ſua quiſque muneris functione Duci viam pararent, bellique initia ſuſciperent, quod grauiſſimum, & turbulentum cum deprauatis hominibus, dæmonibuſque futurum erat. plurimi enim ex omni genere vitijs erant contaminati: rerumque ſalutarium tota ratio in ciuitate, in agro, in omni denique prouincia maxime perturbata. tum continuata, paucis annis exceptis, circiter octoginta annos Paſtorum abſentia, magnam ad diripiendum, dilaniandumque gregem, aditum beſtijs immanibus reliquerat: Mediolanenſium corrupti mores. obſcuratis vbique præſertim ex diuturna temporum calamitate, ſacræ diſciplinæ cuſtodiendæ, tuendæque luminibus. Eccleſiaſtica adminiſtratio, animarum curatione ferè prætermiſſa, ad iuriſdicendi munus, litigioſorumque clericorum controuerſias dirimendas, redacta erat. atque vni Vicario, tantum

otij ſcilicet à negotijs dabatur; vt etiam rebus ludicris frequenter poſſet operam dare: ſed ipſa quoq; iuriſdictio, iudiciũ, ſiue incuria, ſiue ignauia, violata magna ex parte fuerat, ac imminuta. Cleri mores in vniuerſum, ſiue domos ſpectares, ſiue eccleſias: miſere corrupti: luxuries adeo libera, vt cautionem cótemneret, ſacerdotiorum multorũ vectigalia vni aſſignata; eaq; ad profanum ſplendorem pro cuiuſq; gratia expetita: ſacra munera ab ijs, quorum eſſent, neglecta; ab alijs ad egeſtatem ſuſtentandam, nô tam pro viribus, quam pro inopia quæſita. vtraq; ſæpe vitio, cótraque ſacrorum canonum præſcriptiones impetrata. ſi quæ literæ; non ad ſalutem, diuinarumve rerum ſcientiam, ſed ad lites, & iudicia comparatæ. ſacrorum munerum functionibus, ſacrificijſque ipſis obeundis, tanquam vulgarium clericorum officijs, nobiliores abſtinere: profanis negotijs implicari. ædes ſacræ ex parte maxima deformatæ. debitoq; diuinorum officiorum cultu deſtitutæ: ſordida ſuppellex, reliquiæ aliæque ſacræ res indignis modis habitæ. Concionatores ad eas res fere intenti, quæ vt Apoſtolus monet, ad concertationes potius, quam ad rectam vitæ inſtitutionem valent. Hæc omnia qualis populi vita conſequatur, ignorat nemo. annuus tantummodo ſacramentorum vſus, ac in plurimis ne annuus quidem. ſacra officia, immo eccleſiæ ipſæ parum à clericis, multo minus a laicis frequentatæ. criminum, quæ ſacra poteſtate puniuntur magna licentia: adulteria multa concubinatus, vſuræ. ſed eius temporis miſeriæ diſtinctius ex Caroli geſtis apparebunt. Manebat certe Mediolanenſium illa procliuis ad virtutem natura: erant piorum hominum ſodalitia, aliaque vetera inſtituta multa; quæ ſingularis ... bonitatis, ac pietatis ſignificationem dabant, exterisq; hominibus à Carolo miſſis magnæ erant admirationi. R... gioſorum hominum congregationes multa ſalutis habebant adiumenta. Clerici, qui Paulo Apoſtolo duce, ac patrono: cœnobiticam vitam apud eccleſiam ſancti Barnabæ iam inſtituerant, religioſæ, ſpiritualiſque vitæ rationem præcipuo ſtudio reuocare, atque inducere conabantur. rerum caducarum contemptum non ſolum verbis publicè faciendis, ſed etiam ſeuera admodum vitæ ratione docebant: & eorum, quæ Deus pro nobis pertulit imitatione, acriter ſæpenumero inflammati, ea publicè faciebant, quæ ad homines præſentium bonorum amantes acriter commouendos, vehementer valerent. Verum, vt hi magnum numerum ad optimas chriſtianæ vitæ exercitationes adduxiſſent, nullo tamen publicæ poteſtatis ſubſidio, pleriſq; etiam repugnantibus, vix quidquã conſequi potuerant, quod vniuerſæ ciuitatis mores immutaret. nam & ipſi religioſi ordinis homines eiuſmodi vitæ ſpiritualis inſtaurationi, nouitatis nomine ſæpè ſunt aduerſati: tanta vis eſt prauæ, ac inueteratæ conſuetudinis, quæ vetuſtiſſima quoque pietatis officia, vt res nuper inuentas, malaſq; reſpuit, ac aſpernatur. ex ceteris quoque ciuitatis bonis, multum extabat fructus ſalutaris, at non is tamen, qui tam magnas tollere corruptelas poſſet. Commodiſſime autem videtur eueniſſe, priuſquam ipſe Carolus veniret. Ormanetum ad eccleſiam adminiſtrandam mitti: vt cum multa ex ijs, quæ æquiora ſine dubio eſſent, ille aſſequeretur, multa etiam diſſimulare, multa tolerare, leniter omnino ad reliquam, perfectioremque conformationem animos præparare poſſet; nam plena, repentinaque correctio ſine magna perturbatione, ac periculo induci poſſe vix videtur. Carolum autem ipſum præſentem in multis, grauibuſq; conniuere, tum eius amplitudine, poteſtateq; indignum erat, tum futuræ etiam adminiſtrationi non mediocriter incommodũ: quæ ex ſe veris, acribuſq; initijs multo facilior ei futura erat, quemadmodũ exitus comprobauit.

Anno 1564. In ſuam igitur adminiſtrationem ingreſſus Ormanetus mẽſe Iulio anno à ſalute M.D.LXIIII. quid egerit breuiter attingendum puto: vt cuius ædificij ratio latius hoc libro deſcribenda eſt, eius quo modo iacta ſint fundaměta prius oſtendam. Ac primò quidem præcipua quædam capita tantummodo, ad vitia coercenda, eccleſiaſticamq; diſciplinam reſtituendam, prudenter aggreſſus eſt, eaq; fere Concilij Tridentini auctoritate ſancita, quibus qui reſiſteret, non ita facile, vel nullo modo potius poſſet excuſari: nam & Philippus Rex, ac Mediolani Dux omnibus prouinciarum ſuarum Præfectis iuſſerat, vt quæ Tridenti conſtituta erant, omnino ſeruari pro eorum facultate curarent, eccleſiarum Antiſtites, quibuſcunq; rebus poſſent, in ijſdem perficiendis iuuarent: & prouinciæ Gubernator Gabriel Couius Dux Alburcherchij, Senatuſq; Mediolanenſis, ad omnia in eo genere peragenda pie ſe paratos oſtendebant. Primò igitur Ormanetus omnium Ambroſianæ eccleſiæ clericorum ſynodum, paulo poſt aduentum ſuum conuocauit: vt Eccleſiarum miniſtros, eorum conditionem, ac ſtatum, tum ius habendi ſacerdotij recognoſceret: ijs præſentibus, quæ ad vſum pertinerent, deliberaret: quæq; ſeruanda eſſent, denunciaret: Habet vrbs Mediolanenſis eccleſias animarum curatione inſignitas, ſeu parochias ad ſeptuaginta: alias octo, quæ canonicorũ collegijs coluntur. Extra vrbem vero ſunt parochię circiter ſeptingentæ, collegia multa, cumq; à reliquis partibus haud ita late diœceſis pateat, quæ ſpectat ad Aquilonem, quamuis Comenſis eccleſiæ finibus ad viginti millia, & amplius partim teneatur, longè tamen etiam funditur ad regiones Verbani lacus: tum vero obliquo, longiſſimoq; tractu ad alpes pertinens, ad paſſuum circiter centũ millia ab vrbe progreditur; multumq; earũ regionũ capit, quæ ſub Heluetiorum imperio ſunt: ac montibus, vallibuſq; multis impedita, vias incómodas, atq; aſperas habet. Vrbis igitur, atq; agri ſacerdotibus conuocatis, qui numero fuere circiter mille ducenti, ſynodũ habuit Ormanetus: in eo ſacri Tridentini Concilij decreta publice recipi, fidemq; Catholicam ſingulos profiteri iuſſit: tum denunciauit, vnam cuiq; presbytero retinendam eccleſiam cum animarum cura, & in illa ei reſidendum: cæteras vero quam primum dimittendas. de ſeminario clericorum conſtituendo egit, vnde miniſtri moribus, & doctrina idonei eccleſiis ſuppeditarentur. de honeſtate clericorũ in veſtitu, in habitatione, in conſuetudine quotidiana, in quibus varie, grauiterq; peccabant, nonnulla conſtituit. quibus de rebus tum decreta recitata ſunt, tum Palmius grauiſſimas, liberaſq; côciones habuit. Sacerdotes deinde omnes qui paſſim antea nullo ſcientiæ facto periculo, nulloq; teſtimonio côfeſſiones audiebant, eo munere interdixit, niſi prius, ab ipſo eſſent probati, quod tempori cedens, tunc quidem leniter fecit. Legitimas inquiſitiones, approbationesq;, de ijs qui ſacris initiãdi eſſent, reſtituere cœpit. Vrbis partimq; diœceſis eccleſias viſit, & recognouit quarum malis tamen plurimis, & grauiſſimis haud mederi plene poterat, tum ob idoneorum presbyterorum paucitatem, tum etiam ob ſacrorum vectigalium tenuitatem, quæ magnis penſionibus detractis, diminuta, atq; adeo, exinanita erant. Hæc omnia licet tum veterum, tum Tridentini Concilij canonum ſanctionibus conſtituta eſſent, nonnulli tamen, vt eſt eorum cæcitas, qui in prauitate ſunt obfirmati, pertinaciter recuſare, publicè reclamare; Vicarium, & concionatorem accuſare, ad Senatum confugere, de procuratore mittendo, nunc Romam ad Pontificem, nũc in Hiſpanias ad Regem, dictitare: ſecretò etiam per literas abſq; nomine ſcriptas Vicario minari, aliaq; tum abſurdè, tũ improbè tentare. Sed hæc licet magnã religioſo Vicario moleſtiam exhiberent, illum tamen à partibus ſuis fortiter agendis minimè deterrere potuerunt. Seminarij cauſſa, quamquam Tridentino decreto ſumptus ex ſacris facultatibus ſuppeditandi erant, quia tamen clero vix quidquam adhuc extorqueri poterat, qui etiam multi actis conuenticulis, obſtinatè optimo, & antiquo inſtituto repugnabant; Carolus neceſſariam pecuniam dari iuſſit. Multa quoq; fecit Ormanetus in diſciplina virginum, quarum cœnobia in vrbe, ac diœceſi ſex, & quadraginta Archiepiſcopali auctoritate reguntur, reſtituenda. quæ quidem pluribus locis valde corrupta erat, tum in vitæ communiter, æquabiliterque agendæ ratione, tum in ædibus vndique claufis habendis, & in admittendis ad collocutionem exteris. curauitq; illas per probatos ſacerdotes, qui à confeſſionibus eſſent, quiue ad eas concionarentur, tum etiam per alimentorum ſubſidia ex Caroli pecunia ſuppeditata, ad religioſos mores, & ad ſpiritualia ſtudia reuocare. Quo in genere multa executus ipſe; Caroli auctoritate alios etiam

Margin notes:

Quæ Ormanetus egit in adminiſtratione eccleſiæ Med. VII.

Mediolanẽſis Eccleſia quot ſub ſe habeat Eccleſias.

Ormanetus ſynodum habet, & ſtatuta eiuſdẽ, ſeu reformatio Eccleſiæ Mediolanenſ.

Mediolani monaſteria virginum quot.

etiam Veronenſis eccleſiæ presbyteros, & Ioannis Matthæi olim adminiſtros accerſiuit, quorum conſilio, atq; opera, tum in alijs, tum in hoc præcipuè negotio vſus eſt: & per eos optima virginalis vitæ in cœnobijs agendæ iecit fundamenta: idque ex Tridentini Concilij conſtitutionibus, ex Veronenſis Eccleſiæ inſtitutis, & ex ea, quæ iam in ſancti Pauli cœnobio Mediolani ante vigebat, diſciplina. Inſtitutum illud fuit eodem tempore, quo Clericorum ſancti Pauli Congregatio: eorumque conſilijs, atque opera gubernatum fuit: de quo cœnobio Veronenſes illi, quemadmodum nuper in eorum literis ad Carolum legimus, teſtabantur, nullum ſe ad id tempus aliud noſſe, quod omni vitæ religioſæ diſciplina, propius ad optimum, perfectumque ſtatum accederet. quare ex eo poſtea plures Carolus eduxit, & alijs monaſterijs ad eorum mores corrigendos præfecit. ex quibus quædam adhuc in eo munere perſeuerant. libenter autem hæc bonorum virorum teſtimonia eò commemoraui, vt perpetuus ſit, quemadmodum quidem valde cupio, virginibus illis ſtimulus perfectæ diſciplinæ conſeruandæ. Hæc vt Ormanetus facilius conſequeretur, prudenti conſilio ſacrorum hominum diſciplinam primò correcturus, in populo, magiſtratibuſque multa pro tempore diſſimulabat, ne quid eius conatibus afferretur impedimenti. Ex ordine ſacro qui videbantur religioſiores, eos vti fratres amantiſſimè complectebatur, eorum exemplo, ſtudijs, atque opera multa perficiebat, in literis ad Carolum collaudabat, iiſdemque gratias agi curabat: quod ille ſtatim faciebat, atque humaniſſimè. Sed Ducis quoque, prouinciæ Gubernatoris, & Senatus pietate non parum in multis adiutus eſt. ab eis ſi eccleſiaſtici homines præſidium peterent, nihil præter officioſas ad Vicarium preces impertabant. Ducis autem in primis religioſum animum, in eiuſmodi pijs negotijs, valde ſolebat Ormanetus collaudare. inter alia referebat ad Carolum ſcribens, fuiſſe illum ſtatim inſtituto de teſtimonio habitæ confeſſionis, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ acceptæ, tempore Paſchatis afferendo: familiamque ſuam id afferre iuſſiſſe, cum edicta quædam ad penuriam arcendam promulgaret, de eo, quod ad clerum pertineret, nihil attigiſſe; Vicario totum ſine controuerſia permiſiſſe. Commemorabat item, Franciſcum Ferdinandum Aualum Marchionem Piſcariæ, qui Mediolani tunc commorabatur, ita pijs eiuſmodi inſtitutis aſſenſiſſe, vt ſi quis ex familiaribus peccata confiteri, atque Euchariſtiam ſumere in ea Paſchatis celebritate recuſaret, eum è domo, & ex numero ſuorum exturbaret. Tam multa cum præſtaret Ormanetus, parum tamen proficere ſibi videbatur: eximio enim erat eccleſiæ benè conſtituendæ deſiderio, angebatur animi, quod dum in mandato ſibi negotio progrediebatur, nouas ſemper incurrebat difficultates, nouoſque ſibi excitabat aduerſarios: vt illud ex Apoſtolo ſæpe proferre ſoleret, Verè neminem poſſe placere Deo, & hominibus: & illud, Nullam humane, prudenterque agendi rationem ijs poſſe ſatisfacere, qui corrigi nolunt. quæ res faciebat, vt de ſuo diſceſſu ſæpius Carolum rogaret, quamquam illud in primis in eo ſpectabat, vt ad parochiam ſuam Veronenſem poſſet reuerti. dicebat verò, vt magis Carolum moueret, neminem tandem vllam eccleſiam regere, vt oportet, atque ordinare poſſe, præter eum, cuius eſt illud proprium, non autem mandatum munus: Atque cum in his omnibus Ormanetus, Plantij, ſociorumque, tum Clericorum ſancti Pauli conſilio, atque opera plurimum vteretur, ex Caroli tamen in primis non auctoritate ſolùm, quæ Pontificis benignitate latiſſimè patebat, ſed etiam ſapientia, lumine, atque ardore animi valde iuuari ſe in omni adminiſtratione ſua bonus ſenex prædicabat. mirabaturque illum grauiſſimis occupationibus aſſiduè diſtentum, longiſſimas tamen ſua manu de Mediolanenſis eccleſiæ rebus literas ſcribere. Is verò piorum, doctorumque virorum conſilium quoddam Romæ ſibi conſtituerat, in quo ſingillatim de Mediolanenſibus negotijs conſultaret. Sed Gabrielem Paleottum in primis, tunc ex Senatoribus, quos Rotæ dicunt Auditores, poſtea verò Cardinalem ab ipſo Pio creatum, adhibebat, quem virum ob doctrinam, pietatem, & eccleſiaſticæ adminiſtrationis inſignem vſum, plurimi ſemper facit.

VIII. Carolus autem ſuum vrgere diſceſſum non deſiſtebat, ac de Epiſcoporum prouinciæ Mediolanenſis Concilio, per antiquiorem Epiſcopum ſaltem, ſi per ſe non poſſet, celebrando, omnino conſtitutum habebat, in quo ſacris antiquis legibus nuper eo de genere Tridenti renouatis pareret, prouinciæ ſtatum perfectius cognoſceret: & de emendatione, conſtitutioneque rerum omnium, quæ opus erant, quæque iam magnam partem in animo habebat, auctoritate concilij plenè decerneret. At poſt moras, impedimentaq; varia, obtinuit à Pontifice tandem, quod diu cupiebat. Id vt honorificentius ei, atq; facilius eueniret, non ſolum Pontifex Legati dignitatem in Bononienſi ditione, prouincia Romandiolæ, ac Exarchatu Rauennæ contulit, quam antea quoq; tenuerat: ſed in tota quoque Italia Legatum à latere ſuo dimiſit. Hic minimè alienum exiſtimo, reliquos item Caroli honores, munera, facultateſque recenſere, quibus, cum haberet, inſignis fuit, & cum dimiſiſſet, inſignior. Cardinalis igitur, Legatus, idemque Archiepiſcopus noſter, eccleſias non minus duodecim in varijs regionibus Abbatis, Commendatariue nomine tenebat: & eccleſiæ S. Mariæ maioris Vrbis erat Archipresbyter. Amplas penſiones varijs in prouincijs, aliasq; ſacras facultates obtinebat. Caluentianum ſacerdotium addixerat iam fabricæ collegij Ticinenſis, quam ante annum opere magnifico cœperat. ſupremo paulo poſt ſacræ pœnitentiæ muneri à Pontifice præeſſe iuſſus eſt, ſumma omnium approbatione: qui tali Præfecto, ſacroſancti Magiſtratus optimam adminiſtrationem maximo per vniuerſam Eccleſiam pietatis fructu, reſtituendam, ſperabant. neq; eos fefellit opinio, omnes enim eius partes, multo tempore, licet abſens, opera eorum qui Romæ res eius gerebant, & Pontificia in primis auctoritate, religioſe conformauit. Delatum eſt etiam à Pontifice quandoq; Camerarij Apoſtolici munus: quod ille, amicis nonnullis tacite indignantibus, pia de cauſſa recuſauit. Aronæ Comes cum eſſet; Vitanæ quoque vrbis, ditioniſq; à Philippo Rege, Princeps erat, dum viueret, conſtitutus: vnde aureorum circiter decem millia annua exigebat. Romaniani Marchionatum Federico Ferrerio cognato ante donauerat. Inſtructas triremes, quæ in eum à Federici fratris morte peruenerant, quæque ſtipendia in claſſe Philippi Regis, ad viginti millia aureorum merebantur, tamquam à ſuis ſtudijs valde alienas iam vendiderat. Luſitaniæ Regnum, & Heluetiæ gentis ſeptem pagi Catholici in eius erant clientela, quibus non multo poſt Germania inferior addita eſt: Vniuerſus ordo Franciſcanorum, Carmelitarum, Humiliatorum, & item canonicorum regularium ſanctæ Crucis Conymbricenſis: præterea ſacri milites tum Hieroſolymitani, tum Ieſu Chriſti Luſitaniæ, eius tutelæ fuerunt commendati. Annuorum redituum ſumma, quæ per id tempus fuerit, non ſatis definite poteſt affirmari, & emolumentorum tamen omnium habita ratione, ad nonaginta millia aureorum nummûm videtur quandoque perueniſſe. Vt modeſtum animi ſenſum, eius literæ, tunc ad Ormanetum ſcriptæ oſtendebant: quibus de vitæ ſuæ ratione in itinere, Mediolaniq; tenenda ſingillatim monebat, & præſcribebat: Cupere ſe comitatu modico, cultuq; modeſto Mediolani eſſe, vbi, vt Epiſcopus, exemplo cæteris eſſe deberet, ad inania humanæ vitæ ſtudia fugienda. Si ibi daretur permanere, progreſſurum ſe multo magis in vſitato vitæ cultu extenuando: Sed Romam redeundum cum eſſet; mediam quandam viam ſibi tenendã: & eius tamen vitæ, ac diſciplinæ ſpecimen eſſe dandũ, quã ſibi iam conſtanter propoſuerat. nõ poſſe familiares ſuos, tunc quidem, cũ minorẽ comitatũ cuperet, tamẽ non ſecũ ducere varijs de cauſſis amplius centũ. velle, ſibi duo tantũ aut adſummũ tria loca pannis ornari minime pretioſis nõ argẽteis vaſis in mẽſa, ſed fictilib. vti: & ciborũ rationẽ ad frugalitatis, tẽperantiæq; normã moderari. Epiſcopos omnes ſibi ſtatuiſſe hoſpitio ſuſcipiẽdos, tũ quia cõmodius id eſſet ad ſynodi negotia tractãda, tũ quia hoſpitalitatis officiũ ſibi, vtpote Epiſcop. max. cõuenire intelligebat, præſertim erga

Carolus diſceſſum vrget.

A Pontifice impetrat.

Catalogus dignitatum & redituum Caroli.

Itineris eius ratio.

fratres

fratres ſuos: quos quemadmodum nullo ambitioſo apparatu excipere volebat, ita cupiebat omnibus fraternæ charitatis officiis amplecti. Ad omnia ſe admirabili diligentia parauit, quæ opus erant; ad vrbis ingreſſum; Epiſcoporū conuocationem, vitæ rationem; hoſpitum commoditatem; concilij actiones.

Apparatus ad Concilium.

Conſtitutionum ſynodalium materiā maxima ex parte, tum ipſe Romæ iiſdem conſiliariis adiuuantibus parauerat; tum Mediolani per Ormanetum ex præſenti rerum ſtatu colligi iuſſerat. Plures Theologos ex varijs religioſis ordinibus; tum alios iuris pontificij peritiſſimos, ad ſe accerſiuit; in ijs Scipionem Lancilotum, nunc Cardinalem; Ioannem Baptiſtam Caſtellum, Michaelem Thomaſium, poſtea Epiſcopos; qui in Concilij Tridentini actionibus cogniti, probati erant: quorum omnium præſtanti doctrina, quæ in Concilij decretis conficiendis oporteret, explanarentur. adduxit etiam familiares ſuos, viros eruditione, ac eloquentia præſtantes; Siluium Antonianum, valde ſibi charum, cuius virtute ac doctrina nūc vtitur in grauiſſimis rebus Apoſtolica Sedes: Ioannem Baptiſtam Amalthæum, Iulium Pogianum. Roma igitur profectus; Bononiæ multa de monitionibus, de finibus, de publicis iudicijs, ad eius vrbis, & ditionis vtilitatem auctoritate Legati triduo conſtituit: ad Nonantulanam eccleſiam venit; & quaſi ſynodum clericorum habuit; vt ſi quid opus eſſet, pro ſuo Abbatis munere conſtitueret, corrigeretur.

Nonantulanæ Synodum habet.

Toto itinere, ſummo licet honore Principum, & priuatorum officijs exceptus; Præſules, & eccleſias ſuo intentus muneri circumſpiciens, quid abſentia paſtorum incommodi, quid præſentia fructus afferret, obſeruabat: in quo & diſceret ipſe, & ſi quid ijs opus eſſet, Pontifici referret. Singulari demum, & pene incredibili amoris, & obſeruantiæ ſignificatione, ciuis, & Paſtor exceptus eſt à Mediolanenſibus ſuis. præcipua namq; lætitia quædam, atq; hilaritas eius aduentus, ingreſſuſq; tempore, in omnium vultu, atq; ore verſari videbatur, ac memini me tum adoleſcentulum audiſſe, qui eo ciuitatē ingrediente prædicarent, alterum Mediolanenſibus Ambroſium aduenisse.

Anno. 1565. Carolus Mediolanū venit.

Vrbem ingreſſus eſt die dominico IX. Cal. Oct. an. à ſal. M.D.LXV. cùm XXVI. ætatis annum ageret. Triumphales portas, ſymbola, elogiaq; honorificentiſſima; ac viarum ornatus, non eſt opus explicare: e Baſilica Regum, quæ nunc Euſtorgiana eſt, de more mitra, & ceteris Pontificalibus indumentis ornatus prodiit, albo equo, ſtragulis coloris eiuſdem ſericis adhibitis, inſidebat.

Ingreſſus eius ſolennis deſcriptio.

Confaloneriæ familiæ, cuius illud eſt ius, & inſtitutum, nobiles viri, rubeo, & ſplendido veſtitu pedites eum cingebāt: ſericum vmbraculum itidem album, ſublimè ſuper eum ferebant, clericis, & monachis ordine præeuntibus, ad maiorem eccleſiam ſacra ſolenni pompa proceſſit. Dux, cum Senatu, & alijs Magiſtratibus, & omni fere nobilitate comitatus eſt: vniuerſa ciuitas cōcurrit: reliqua acta, atq; adhibita pro ritu conſueto.

Concionē habet ad populum.

Proxima die dominica, celeberrima ſacroſanctæ Miſſæ ſolemnia cum, vt par erat, maxima omnium ordinum frequentia, in maiori templo perageret; ad altare ſedens concionem habuit, nouo plane eius temporis exemplo, de rebus ſalutaribus ad populum. Interim quæ ſynodi cauſſa oportebat, inter aſſiduas ciuium ſalutationes magno labore curauit. quarum rerum cauſſa iam tum cœpit, neque ſomno, neq; ceteris vitæ commoditatibus parcere. Varia munera tum Epiſcopis, tum alijs aſſignauit, ad ea quæ opus erant primo definienda, mox in ſynodo conſtituenda; quæ hoc loco enumeranda non videntur. Patuit multo latius olim ius Archiepiſcopi Mediolanenſis, eiusq; prouincia multo fines habuit ampliores: quidquid enim Ciſalpina Gallia, Liguriaque continebatur, ad Mediolanenſem metropolim creditur fere pertinuiſſe, immo nonnullæ quoque aliæ ciuitates.

S. Barnabas Mediolanenſium Apoſtolus.

nam S. Barnabas, cum ad has partes diuini Euangelij præceptis ad ſalutem informandas veniſſet, vt multis argumentis, teſtimoniiſque teſtatum eſt, quæ alias latius explicari poterunt. Mediolani vt in primaria totius regionis vrbe præcipue conſedit, & ex ea ceteras eccleſias per ſe perque diſcipulos ſuos, vt mos fuit Apoſtolorum, inſtitui: quæ poſtea ſemper Mediolanenſem, vt matrem agnouerunt, quamdiu, qui id poterant, aliud non decreuere.

Epiſcopi Synodi Mediolanenſ.

Ad ſynodum autem à Carolo celebratam venerunt hi Antiſtites, Bernardinus Scotus tituli S. Matthæi presbyter Cardinalis Tranenſis, Epiſcopus Placentinus: Vido Ferrerius Cardinalis, & Epiſcopus Vercellenſis. Hieronymus Vida Albenſis: Mauritius Petra Viglebanenſis: Cæſar Gambara Dertonenſis: Scipio Eſtenſis Caſalenſis: Petrus Coſtarianus Aquenſis: Dominicus Bolanus Brixienſis: Nicolaus Sfondratus Cremonenſis, ad Apoſtolicam ſedem poſtea ob eximiam pietatem elatus. Hieronymus Gallaratus Alexandrinus: Federicus Cornelius Bergomenſis. Excuſatos vero ſe varijs de cauſis haberi petierunt, Ioannes Antoninus Capiſuccus, tituli ſanctæ Crucis presbyter Cardinalis, Epiſcopus Laudenſis: Ioannes Antonius Serbellonius tituli ſancti Georgij presbyter Cardinalis, Epiſcopus Nouarienſis, Caſpar Capius Aſtenſis: Ioannes Ambroſius Fliſcus Sauonēſis. Intimilienſis eccleſia tunc Epiſcopo vacabat. Placentinus Epiſcopus adhuc ſub Mediolanenſi Archiepiſcopo eſſe affirmabatur; ille autem negabat. ſolutis tandē vtriq; paribus iuribus ſuis, Placentinus tantum ex Tridentino decreto, metropolim Mediolanenſem conſilij prouincialis cauſſa ſibi elegit. In eadem cauſſa eſſe dicebatur eccleſia Ticinenſis; ſed nihil eſt confectum.

Acta Primæ ſeſsionis.

Alij quidam longinquiores itidem ſunt vocati, de quibus nihil actum eſt. Prima ſeſſione conſilij Patres ab ædibus Archiepiſcopalibus, Senatus ad maiorem Baſilicam comitatus eſt. Miſſæ Gubernator interfuit. mox Palmius de eccleſia ordinanda grauiter concionatus eſt: Carolus latinam orationem habuit de conciliorum prouincialium inſtituto, & neceſſitate. alia ſunt acta, quibus alter quoq; dies conſumptus eſt. inter ea fuit lectio omnium canonum, & decretorū Concilij Tridentini, publicaq; eorum receptio, tum fidei profeſſio, quam vnuſquiſq; obiji ſingillatim.

Aliorum. Poſtrema ſeſsio.

alijs ſeſſionibus Ambroſiano ritu Miſſæ ab Epiſcopis celebratæ ſunt, & decreta ſynodi ſuo quæque loco promulgata. Poſtrema, verò Cardinales alij duo, Bobbà, & Caſtillionæus honoris gratia affuerunt: & Carolus fratres Epiſcopos ad ea perficienda, quæ conſtituta fuerant, & ad Epiſcopi munera ſancte obeunda latina oratione cohortatus eſt. Habuit actio eiuſmodi fructum pietatis maximum. elucebat in ampliſſima dignitate, Præſulum, & Caroli in primis pietas, modeſtia, vitæq; ſanctitas, ac non ſolùm tantæ hoſpitalitatis officio, ſed amplis eleemoſynis in clericos alioſque egenos, in Eccleſias ſacraq; collegia conferendis, præclara piæ liberalitatis edebat exempla. de rebus ad ſalutem pertinentibus ſacri oratores quotidianas ad populum conciones habebant: qui multitudine poſt hominum memoriam maximā confluebat. proferebantur decreta ad cleri, populiq; mores componendos aptiſſima, atque illuſtria. reque ipſa à vitijs, & corruptelis, ſacri, profanique homines. alij exemplo, atque honeſtate commoti, pars metu pœnæ ſeſe abducere diligentius ſtudebant, obſeruabant pij omnes, etiam ex longinquis prouincijs, ac mirabantur in Carolo, tamquā in omnium oculis collocato, animi religioſum ardorem, qui tali ætate, tali apud ſummum Pont. & ſanguinis, & amoris loco, nihil tamen videretur aliud, quam commiſſi gregis cuſtodiam, & perfectæ vitæ ſacerdotalis officia curare, eum præſertim noua tunc ſatis eſſet ea diſciplinæ ratio, quam ſibi, ceteriſq; Carolus decretis inſtituebat, ac exemplis. Sed tantarum quoq; rerum reſtituendarum vt ſedarent initia, plurimi expectabant. amici Carolo multi etiam ex ijs, qui in ſummis gradibus ſedebant, ſoliciti erant vehementer; ne, quæ tali tempore ſingularis eccleſiæ putabatur ordinatio, ac emendatio morum, vſu ipſo non ſine dedecore careret: propterea quod corruptis conſuetudine animis, pleriſque difficilis admodum videbatur & ex voluntate, virtuteq; ſua quiſque, vel ipſam rerum naturam ferè ſolet metiri. Carolus vero diuino auxilio fretus, ſpe maxima erat, maximoq; animo omnia aggrediebatur, obibat, exequebatur, neque ſpes eum feſellit: ea namque fuit, Deo ita prouidente, omnium ad quos pertinebat in ea actione voluntas, & conſenſio, vt omnia prorſus feliciter euenirent. Gubernatori vero ipſi Carolus inprimis mirificum pietatis teſtimonium tribuebat. qui licet religioſi animi laude, quem ſua ſponte rebus omnibus egregie præſtabat, non ſit fraudandus: plurimum tamen effeciſſe, dubium non eſt, Philippi Regis voluntatem, qui magnā

volupta-

voluptatem, fructumque ex iis Caroli conſilijs, actionibuſque ſe capere, cum affirmaret; præfectis etiam ſuis iuſſerat, vt ei omni officio, ſtudioq; præſto eſſent. His igitur de cauſſis, qui actionis illius initia primo verebantur, exitum poſtea videntes, incitabantur ad imitationem. Pontifex ipſe ſingula, quæ gerebantur audiens, maximè lætabatur; etenim videbatur eo tempore Caroli ſtudijs eiuſmodi magis, quàm antea fauere; ac Sirleti Cardinalis conſuetudine pene aſſidua delectabatur. Atq; inter alia de concione intra Miſſam habita cum accepiſſet, palam dixit, ſibi quoque, & Cardinalibus idem eſſe faciendum. cui quidem quam grata illa omnia fuerint, eius hæ literæ ad Carolum ſcriptæ teſtantur.

Iucundiſſimæ nobis fuerunt literæ tuæ omnes; ſed postremæ inter cæteras, quas ad nos XVIII. huius menſis die dediſti, tum de omni ſynodi iſtius fœlici progreſſu, tum præcipuè de Tridentini Concilij decretis publicè receptis; de iſtorum populorum præparatione ad ea omnia accipienda, quæ in ſynodo conſtituentur. & de prompta item Gubernatoris, & aliorum Sereniſſimi Regis Catholici miniſtrorum voluntate; qui ad rerum decretarum vſum, ſtudium, atq; operam ſuam omnem pollicentur. Qua in re diuinum auxilium perſpicuè agnoſcentes; quod ardenti, optimoq; deſiderio tuo, ad omnium rerum proſperitatem præſto eſt; te collaudamus; hortamurque, vt læto animo pergas optima conſtituere, & quæcunque poſſis laudabilia exempla edere, poſt ea opportunè Tridentum verſus honoris cauſa obuiam Principibus feminis procedas; aliaq; præſtes, quæ nos velle noſti. omnia autem te pro tua prudentia, & bonitate facturum non dubitamus. Dominus noſter te ſeruet Romæ vi. Cal. Nouemb. M.D.LXV.

Pij Quarti literæ ad Carolum.

His rebus celeriter geſtis; Carolo quam primum Romam erat redeundum, ita iubente Pontifice in primis: ſed poſtulantibus etiam rebus ipſis, negotijſque ad vniuerſam Eccleſiam pertinentibus: in quibus illud præcipuum erat, & grauiſſimum, vt in Tridentini concilij decreta conſeruanda, contra frequentes, ardenteſque multorum poſtulationes incumberet. Illud tamen eſt interpoſitum moræ; quod Coſmi Florentinæ, Senarumq; Ducis, & gentilis ſui rogatu, Pontifex, eum proficiſci Tridentum iuſſit, ad Ioannam Maximiani imperatoris ſororem excipiendam, quæ Franciſco Coſmi filio; & cum ea ſororem Barbaram, quæ Alphonſo Ferrariæ Duci, deſponſa erat. Dum autem Italiæ Cæſaris ſorores appropinquarent, paucos alios dies amplius nactus, nouos Carolus ea cepit labores, eccleſias, & ſacra collegia multa canonicorum, ac virginũ luſtrauit, ac recognouit: ijs quæ in ſynodo conſtituerat, efficiendis, operam dedit cadauera, quæ alte in eccleſijs collocata erant, deponi iuſſit; & in primis, quæ Mediolanenſium Principum fuerant: de legibus quibuſdam publicæ vtilitatis cauſſa ferẽdis egit, de illa inter cæteras, quæ ſumptibus moderaretur: de qua tamen nihil confectum eſt. ob iniecta quædam ex humanis rationibus impedimenta. Regijs demum fœminis obuiam profectus, ex itinere Epiſcopi Giberti illius inductus memoria Veronam venit: cum ei præſertim eccleſiæ tunc Auguſtinus Valerius Epiſcopus, quẽ diligebat valde, atque obſeruabat, præeſſet. Ibi ſummo ſtudio, parique animi ſubmiſſione de Præſulis ipſius, eccleſiæque inſtitutis; de multis adminiſtrationis eccleſiaſticæ partibus exquiſiuit: Giberti olim familiares, & alumnos diligentes interrogauit: quibus enim ſe totum tradiderat, omnia curæ Paſtoralis officia plene ſtudebat condiſcere. Dum autem Florentiam Ioannam deduceret; circiter Nonas Decembris accepit de graui admodum Pontificis morbo. tum relictis omnibus, curſu Romam contendit: atque ita mature peruenit; vt auunculo adhuc viuo, non modo extremum ſuæ præſentiæ ſolatium afferre, ſed ipſa diuina ſalutis inſtrumenta neceſſario tempore potuerit adhibere. Ibi dicitur ante omnia ſtatim medicos ad ſe vocaſſe, petiiſſeque, num ſpes vitæ reliqua eſſet: quibus negantibus; tum adiiſſe Pontificem, dixiſſeque; nihil petijſſe antea vnquam, quod ab eius benignitate non accepiſſet: vnum adhuc petere, quod omnium minimè ſibi negari vellet, cum annuiſſet Pontifex; enixe petit, atque obſecrat; quando ſpes vitæ prorogandæ omnis erepta eſſet, nihil aliud penitus eo tempore vellet, quam quæ ad animæ ſalutem pertinerent, cogitare. tum verò effecit, ne alius quiſquam, vt ſæpenumero fit, aliena ingereret, moleſtiamue exhiberet, ac pijs ſermonibus, mira animi fortitudine, eum conſolatus; ſacra diuini viatici, & extremæ vnctionis ſubſidium præbuit: neque aliquo pietatis officio defuit, vſque ad extremum ſpiritum. In quo & accommodatam ſummo Pœnitentiario muneris functionem; & egregiam in auunculum, patremque ſummum pietatem; tum verò præclaram iuuenis humana cuncta deſpicientis conſtantiam licuit agnoſcere. Pontifice vero Id. menſis eiuſdem mortuo, ad noui Pontificis creationem ita ſe conuertit, vt incommodorum ſuorum, quibus pro humana conditione vehementer angi debuerat, prorſus videretur oblitus. erat autem præcipua illius in eo negotio auctoritas; ob magnum in primis Cardinalium numerum, qui à Pio creati, eius ductum erant de more ſecuturi. Atque ita ſe ille comparauit; vt neque hominum voluntatis, quicunque illi eſſent, ſiue Principes, ſiue alij, neque vtilitatis propriæ ſibi rationem eſſe habendam ſtatueret; quo diuinæ gloriæ; ac communibus Eccleſiæ commodis inſeruiret; remque omnium grauiſſimam caſtiſſime adminiſtraret. itaque & in itinere, cum tentaretur à Principibus amiciſque viris quidquam agere penitus recuſauit; religione ſacrarum legum impediri ſe affirmans, ne viuo Pontifice de ſucceſſore ageret: neque illo mortuo, eos audire voluit, qui rationes, vtilitateſque humanas ſequi viderentur: quamuis homines vulgari prudentiæ, cupiditatibusque deditì, factum eius reprehenderent, pertinaciæque ſcilicet, aut immoderato religionis ſtudio id tribuerent. Antequam ſacrum ingrederetur Conclaue, plures ille quidem animo ſibi propoſuit, qui viderentur Pontificatu digni, neque eum, qui poſtea electus eſt, vt eius intimi deinde cognouerũt, prætermiſit. ſed tamen mentẽ ſuam patefecit nemini: immo Franciſco Craſſo Cardinali, cũ intraret, quærenti, quem crearent Pontificem, quem Deus elegerit, reſpondit, nihilq; præterea aliud. Ingreſſus vero, quotidianis ſacrificijs, aſſiduiſq; precibus, quantum poterat, opem à Deo in re tanta petebat. atq; cum & proprio, & communi aliorũ quorundam Cardinalium officio, quibuſdã nominationibus ſatisfeciſſet, omne demum ſtudium, curam, operamq; in eo poſuit, vt pontifex Eccleſiæ daretur, qui pietate, vitæ ſanctitate, doctrinaq; plurimum prodeſſet: qualem inter alios Michaelem Ghiſſerium ordinis Dominicani, Cardinalem Alexandrinum cognouerat. nam & eum amauit, & plurimi fecit ſemper: & de vitæ, atque eccleſiæ ſuæ rationibus ſæpe conſuluit. itaque nulla habita ratione, quid Caraffarum ille cauſſa facere fortaſſe poſſet, qui à Paulo quarto Cardinalis eſſet factus quodue Pio eius auunculo parum gratus fuiſſet; Marco Sittico Cardinali Altemplio ſecum adnitente, in eius omni conatu creationem incubuit, collegis qui ſeſe ad eum applicauerant idem perſuaſit, & eoſdem cum res prope perficeretur, ſecum retinuit, ne ſibi forte quis eriperetur atque ita quod volebat, Deo in primis efficiente, celeriter, obtinuit. Creatus eſt VII. Idus Ianuarij anno M. D. LXVI. & Pius Quintus appellatus. Carolum in eo adminiſtrationis genere non ſatis peritum ſeſe oſtendiſſe; aut ſolertem, ideoq; quod alij, non quod ipſe mallet, eueniſſe, nonnulli iudicarunt. ſed eorum qui diuerſa ſentiunt, ſpectantq;, diuerſum oportet eſſe iudicium, minus ſagaciter, vel etiam prudenter eum curaſſe aliquid, & ideo non obtinuiſſe putamus interdum, qui ſibi æquo animo paſſus id fuerit eripi: contra, nec opinantem, & pene coactum admiſiſſe; quod conſulto ſit ſecutus, ac non libenti ſolum, ſed gaudenti etiam animo exceperit: id quod ijs ſępiſſime euenit, qui perturbationibus liberi, diuina, non humana ratione ducuntur, pluſq; diuinę prouidentiæ tribuunt, quam humanis artibus Illud certum eſt, pontificem ſanctiſſimum vel cum rerum ſuarum iactura Carolũ quæſiuiſſe: ac demum etiam Dei benignitate fuiſſe conſecutum. Eius electionis cauſa magna fuit piorũ

Tridentum rogatu Pij ſe Quarti ſe proficiſcitur.

Romam contendit.

Pio IV Pontifice mortuo quomodo ſe geſſerit.

Anno 1566 Pius V. Pontifex creatur.

omnium lætitia, magna Caroli probitatis commendatio: & ei Principes, Reges, priuati homines de re vndiq; ſunt gratulati. Ipſe verò tali electione lætus; nihil habuit tamen antiquius, quam vt ad eccleſiam ſuam quamprimum pro veteri ſuo deſiderio, & ex Concilij Tridentini conſtitutione, poſſet reuerti licet eius animi paucos imitatores collegas haberet. A Pontifice maxime diligebatur, muneribus ampliſſimis in Vrbe præpoſitus erat. Principes eandē erga illum voluntatem conſeruabant, neq; n. poteſtatis amplitudine, ſed virtute nitebant: nam & Rex Catholicis Germaniæ inferioris clientelam ei tunc demum vltro detulit. Sed nihilominus ſecedere potius, & commiſſum ſibi gregem cuſtodire; ſimulq; ſpirituali, ac Epiſcopali diſciplina ſeſe vberius exercere maluit. immo licet opportunũ tēpus Romæ, per ſingularem Pontificis pietatem offerretur, multa conſtituēdi, quæ ſalutari eſſent toti Eccleſiæ documento, iamq; nonnulla eſſent in manibus; immo Pontifex ipſe manere propemodum iuberet: tamen reputans; quanti referret ad cæteros omnes in eo genere commouendos, primarios Eccleſiæ paſtores apud greges ſuos, vti recenti etiam Tridentino decreto ſancitum erat, reſidere; debitumq; illis officium coram præſtare lectiſſimorum etiā virorum conſilio confirmatus poſthabitis alijs omnibus, conſtituit ad Mediolanenſem gregem redire: concedente interim ea conditione Pontifice, vt proximo reuerteretur autumno; qua ſe ille conditione, bona deinde Pontificis ipſius venia, rurſus inuitatus, exoluit. Prius verò quam diſcederet; *Catechiſmum Breuiarium & Miſſale reſtituit.* Catechiſmum, quem auunculus iam auctoritate iuſſerat inchoari, perficiendum; & Breuiarium item, Miſſalemque librum reſtituendum curauit. nonnulla, quę Mediolani ſtatuerat, vt auctoritate pontificia confirmarentur effecit, de quibus ipſæ pontificiæ conſtitutiones extant, literas quoque Pontificis obtinuit ad Principes, in quorum ditione prouinciæ Mediolanenſis eccleſiæ ſunt; vt rerum decretarum vſum, & totum conformandæ eccleſiæ negotium iuuarent. Quæ quidem omnia, vt obtinerentur, parum habebant difficultatis; cum ipſe per ſe Pontifex ad omnes rectæ diſciplinæ partes reſtituendas animo valdè paratus eſſet; & Carolum plurimi faceret, immò verò eorum occaſione, quæ Mediolani confirmanda erant, plura conſtituit Eccleſiæ Catholicæ maximè profutura, ea quoq; Carolus Pontifici; memoriam eius potius, quā voluntatem iuuans, monita libere ſuppeditauit; quæ vtilia in primis iudicabat Eccleſiæ Dei. Huiuſmodi fuerunt, quæ ab amico Pontifice Cardinalis optimè de illo meritus recenti creatione ſibi, ſuiſq; poſtulauit, atq; impetrauit. Illud etiam in diſceſſu fecit, iam diſciplinæ omnis exequendæ, maiori quàm antea deſiderio accenſus; vt nouum familiæ delectum haberet, eamq; ferè ad homines ei diſciplinæ, quam ſibi propoſuerat, accommodatos redigeret: quorum mores, ex epiſcopali domo, quaſi ex edito quodam loco cæteris exemplo eſſe poſſent: quiq; non tam gratiam hominum, ſuaſq; vtilitates; quam res Deo gratas, ſibique & alijs verè ſalutares ſequerentur, quæ res fecit, vt magna veteris familiæ pars ab eo diſcederet: aliqui etiam Mediolanum profecti, poſtea Romam redierunt. ſed ille ſibi iam, id quod neceſſe eſt, humana omnia poſthabenda conſtituerat, vt perfectam ſequeretur epiſcopalis vitæ degendæ rationem.

Mediolanū reuerſus exequitur munera ſua. Mediolanum venit, Nonis Aprilis: ac ad ea perficienda, quæ in prouinciæ concilio anno ſuperiore conſtituta erant, & ad eccleſiam in omnes partes, ex Tridentinæ ſynodi decretis recte componendam ſeſe cœpit exercere. X.
Iucundiſſima Carolo erat ea cura; quo tanquam ex maximis fluctibus in portum confugerat; non otij quidem, ſed eius tamen negotij; quo ſicuti nunquam aliud magis operoſum, aſſiduumq; ſe habuiſſe; ita nullum quoq; ſuauius ſe expertum commemorabat. Mirum autem capiebat ex eo fructum; quod ad meliorem cleri, populiq; diſciplinam, ad diuini cultus incrementum, ad domus ſuæ piam gubernationem, non mediocres fieri quotidie progreſſiones videbat. ideoq; tum voce, tum literis quod antea ſemper affirmauerat, fructus vberrimos, quos Epiſcopi in eccleſiis ſuis reſidentes ad crediti gregis ſalutem percipere poſſent, tunc maximè cœpit prædicare. Diuinorum officiorum cultum, in Metropolitana præſertim eccleſia, mirum in modum diminutum, cœpit reſtituere. ſacroſanctæ communionis in primis frequentiam quantum per idoneos ſacerdotes efficere poterat, inducere ſtuduit. in eccleſiis paſſim conciones ſacras haberi conſtituit; tum in ædium ſuarum ſacello veſperi tractatus luculentos, ſupplicatione, muſicaque ſuauitate conditos, quo magnum ex nobiliori iuuentute numerum, vt piè cōmoueretur, alliciebat. ex primariis viris conflauit præclarum ſodalitium in eccleſia ſancti Ioannis, cuius inſtitutum eſſet, miſericordiæ nomine, reos condemnatos conſolari, pieq; dum ad mortem ducerentur, comitari. His rebus clerum ad officia ſua reuocabat; confidebatq́, fore, vt ad pietatem diligentius colendam ita populus incitaretur; paulatimq; ſeſe vitijs expediret, ac breui quidem frequentem ad res ſacras, diuinaſq;, non multitudinis ſolum, ſed optimatum quoq; conuentum feſtis diebus effecit. nam & exemplo ſuo, rebuſque ipſis inuitabat omnes: & principes viros, ſenatores, magiſtratus, qui tunc eius domum frequentabant. amiceq;, ac pie ſectabantur, cohortationibus excitabat, eodem tempore multa conabatur, quæ ad vitia, corruptelaſque publicas tollendas plurimum valerent. rurſus de modo ſumptibus adhibendo; de Academia, vel alia laudabili otioſæ iuuentutis exercitatione inſtituenda: de ganeis quibuſdam ex vrbe, & ſuburbiis tollendis, in quibus magnum erat vitiorum ſeminarium; alijſq; eodem pertinentibus. Eccleſias, clerumq; ciuitatis luſtrauit: & clerum quidem improuiſo, atque ita celeriter; vt diſpoſitis per vrbis regiones viris, omnia clericorum domicilia, quatuor horarum ſpatio diligenter inſpicerentur. Deinde Septembri menſe, poſt Virginis ſolemnia natalitia, exijt ad viſendas agri eccleſias; vbi plurima paſſim inuenit, quæ extremo egere viderentur auxilio: vt iā dolore commotus interdum lachrymaret; tum lætaretur etiam in dolore; datum ſibi tandem, vt afflictis patriæ rebus ſubueniret, rerumq; ſacrarum dignitatem, quemadmodum concupierat, in antiquum ſtatum reſtituere poſſet, quod efficere, cohortatione, iuſſis, animaduerſionibus, ſacris vinculis pro ſua poteſtate ſoluendis; tum ea cura maximè, ſtudebat, vt bonos ſacerdotes ſibi aſciſceret, ac vndiq; accerſiret: eiſdemq; quantæ ſatis ad vitam, munuſq; eſſent, facultates attribueret: vt fructuoſe poſſent ſaluti populorum varijs muneribus inſeruire magnum enimuero, ac præcipuum rectæ adminiſtrationis monumentum; idoneos habere adminiſtros; quos non gratia, vel aliena [illegible] obtulerit; ſed rectoris ipſius ſtudium, & prudentia delegerit. In huiuſmodi negotiis incommodus Carolo accidit Ormaneti diſceſſus; qui tum Pontificis iuſſu Romam euocatus eſt. quamuis autem ſe tali adiutore priuatum doleret; gaudebat etiam, quod is vniuerſæ Eccleſiæ operam daret apud eum Pontificem qui ad omnia optima reſtituenda paratus, atque incitatus erat. Sperabat enim tanti Patris pietate; talibus conſiliarijs, & adminiſtris Romanam rē ita conſtituendam; vt magis, ac magis optimis exemplis abundaret; & in omnes partes lumen vniuerſo præferret orbi. Ipſe Romam eadem de cauſa non obſcure inuitatus, gregis ſui amore recuſauit: quamquam rerum omnium particeps, crebris conſiliis, monitiſque operi præclaro abſens inſeruiuit.

LIB II.

Rebus aduerſis conflictatus Carolus in ſalu[illegible] p[illegible] [illegible]tur. CAROLO quamquam ipſis initijs proſpera fere omnia, faciliaq; Mediolani euenirent; expectandæ tamē erant ex difficultates, eaque certamina, quæ paulo virtutis, ac pietatis illuſtriorem viam ingredienti; nedum incumbenti Epiſcopo ad corruptos ampliſſimæ ciuitatis mores emendandos; ſolent offerri. Enimuero perennis ille rerum ſalutarium aduerſarius, malorumq; ſeminator, pios conatus omnes ſemper impedire, omneſque ad ſalutem aditus obſtruere ſtudet. qui iacentes homines ſæpe commouet; I.

per

per ſe varijs cupiditatibus incitatos ad omnem contumaciam, & iniuriam impellit: auaritiæ, libidinis, ſuperbiæ ſtimulos adhibet, vt religioſis Paſtoribus quam acerrimos paret aduerſarios, & inſidiatores. Cumque illud aſſidue cogitet Epiſcopus, omnique ſtudio agat, ſi modo rectè munere ſuo fungi velit, vt populum ſibi creditum à vitijs abducat, & ad optima chriſtianæ vitæ inſtituta inducat, & compellat: quoniam hæc humanæ voluptati, cupiditatique valde repugnant, in plurimos neceſſe eſt incurrat aduerſarios. pro namq; in vniuerſum, & ad rectam viuendi viam propenſo populo, nihil mirum eſt tamen; varijs de cauſſis multas inuehi corruptelas, vitioſos etiam multos, improbosq; neduni à chriſtianæ vitæ perfectione remotos admiſceri; in magna præſertim ciuium, externorumq; frequentia. Eorum vero plerique qui dominantur in populis, aliam in ſua ditione poteſtatem, & eam ſibi quoq; imminentem ſubmoleſte ſere patiuntur, ac dum Epiſcopus ius dicit, iubet, coercet, ſiue iuris ſui tuendi deſiderio, ſiue alia de cauſa inueniunt varijs nominibus quod querantur, & expoſtulent. cum difficile ſit nō vti, quod in promptu eſt, legitimi iudicij nonnunquam impatientes vim adhibent, neq; ſatis ſacræ poteſtati ſuum relinquunt locum. Si Principes, ac domini prætermittant, non deſunt adminiſtri, qui ſeſe attentos præbent; vt ſæpe etiā, quæ illi nec iubēt, nec volunt, tamen ſtudioſe faciant, quod ita gratiam ſe ab eis inire putent. Alij vel tacent, timentes, ne dictum corā domino, licet ſapienter dictum, pro maledicto habeatur, vel loquentes minime audiuntur. Ita in bona, piaq; ciuitate; bono item, & catholico Principe, multæ ſunt Epiſcopis tamē paratæ difficultates, multæ ſæpe iniuriæ, inſectationes, atq; adeo interdum cruciatus, neq; enim à ſuis hoſtibus tantūmodo, vel ab Eccleſiæ catholicæ deſertoribus ſuis, Chriſtus Dominus moleſtias, acerbitateſque imminere pronunciauit. Vbi vitia, cupiditatesque nullæ ſint, vbi nulla diaboli facultas, ibi qui repugnent Epiſcopus habebit nullos: tunc que non erit qui reſiſtat, atq; inſectetur, cum ipſe flagitioſorum pœnas, iuſque ſuum perſequi nolit. Cantuariæ inter catholicos inuenti ſunt, qui Thomam crudeliſſime interficerent: Florentiæ, qui Antonium percutere, non vererentur, optimos, atq; ſanctiſſimos Antiſtites quibus equidem ciuitatibus non tam obijcere velim, quòd in ijs Epiſcopi ſint afflicti; quàm gratulari, quod tales habuerint Epiſcopos. neque tam dolere par eſt ſanctorum ipſorum virorum perpeſſionibus, quam lætari præmijs. Similiter de ciuitate noſtra Mediolanenſi mihi eueniſſe videtur. nam & eximia eius pietas ſanctorum Patrum grauiſſimo teſtimonio celebrata, hoc quoque tempore paſſim laudatur, & Regi optimo, ac religioſiſſimo Philippo paret: & talis nihilominus Archiepiſcopus maximis in ea moleſtijs eſt affectus: atque adeo nefarie percuſſus: quarum rerum culpam ab auctoribus in cæteros deriuare, iniquum eſſet, qui ſemper eum religioſe coluerunt. Non eſt autem, cur his omnibus quiſquam deterreatur, aut in ſuo munere langueſcat ſacrorum Antiſtes, quin potius conditionem eſſe ſuam agnoſcens, vt imitatione ducis ſui Chriſti, varijs laboribus, acerbitatibusque conflictatus, cœleſtem palmam ferat: ad animi fortitudinem cum res aſperæ incidunt, cum vitæ ſanctitate coniunctam; omni ope nitatur, ſciens maximè, quanta laboranti, & quam iucunda leuatio, quamque vberes perpeſſo fructus, diuina benignitate ſint parati. Carolus igitur ad eccleſiæ ſuæ ordinationem, emendationemq; quotidie propius accedens, cum laicos homines nonnullos ex criminibus ad forum ſuum pertinentibus, vocari, aliquos etiam in cuſtodiam dari per ſuos lictores iuberet, minime ius Epiſcopo eſſe quidam dixerunt, laicos abſque Magiſtratuum auctoritate vinciri iubere. qui faceret, ab eo regium ius occupari. immo verò neque licere affirmabant lictoribus ſuis multis vti, neq; vllis omnino, armorum genere quodam inſtructis, quæ ceteris erant prohibita. Ac cum publicè tamen aut ſcriptura minimè reſiſtendum exiſtimaretur, ipſis priuatim ſacri tribunalis hominibus verbo interdictum eſt, ne laicum quemquam auderent comprehendere; neq; arma cæteris prohibita geſtare. Ad hæc, cum edere Carolus ſynodi ſuæ conſtitutiones curaret, in quibus reperiri multa neceſſe erat ad laicos pertinentia, id minimè ferendum eſſe palam, dicebatur. Præterea neſcio quid à ſe conceſſus petendum prius Magiſtratus aſſeuerabant, quam Apoſtolicis literis, iuſſiſue quis vteretur, aut promulgaret. Quarum omnium rerum facultatem ad ſe pertinere conſilio iuriſperitorum adhibito, Carolus iudicabat, tum eccleſiaſticorum canonum auctoritate, tum quia ſiue ea poteſtas eccleſiaſtica minimè libera videbatur, neque plene poterat vitiorum licentia coërceri, aut epiſcopale munus adminiſtrari. vt autem omnem perturbationem, quæ publicè poſſet exiſtere, quoad fieri poſſet, impediret, ſimul, vt opinor, apud ſe quodammodo magiſtratus excuſans, qui non ſatis antea plene vim, & effectum ſacræ poteſtatis experti eſſent, priuatis amicisq; tātum officijs ius ſuum demonſtrare, tueriq; ſtudebat. ac Ducis in primis pietate perfecit, vt neq; litteris pontificiis quidquam inferretur impedimenti, neque conſtitutionum ſynodalium editioni, promulgationiq; quiſquam reſiſteret. Harum volumina vndiq; poſtulata & toto pene chriſtiano orbe, breui tempore diſſeminata, magno vbique vſui fuerunt, ad concilia per eccleſias celebranda, optimasq; leges, clericis, populiſque eorum imitatione ſcribendas, quibus Chriſtiani mores, religioſaque vita reſtitueretur. Omnes enim quicunque eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſi erant, eas cupide legebant. & ex eo quaſi fonte Epiſcopi ſuarum conſtitutionum ſcriptionem, gubernationiſq; rationem deducebant. Pius ipſe Pontifex decreta omnia probauit, laudauitque ac non exiguam eorum partem à religioſis quoque viris ſeruari iuſſit, Archiepiſcopali poteſtate ſolutis. Et verò inter omnia, quæ Carolus poſtea edidit, prouincialium conſtitutionum volumina, illud non minus rerum multitudine, ac grauitate, tum explicandi etiam ratione, quàm loco, reliquis præſtare omnibus exiſtimatur, tā multa enim libro illo, tamque præclara Carolus complexus eſt, de officio, cultuque Deo, diuiniſque rebus debito, ſiue conſeruando, ſiue reſtituendo, de retinendæ chriſtianæ fidei cura. de ſacrorum munerum functionibus rite, decoreque obeundis, de Epiſcoporum, clericorumque omnium vita, moribus, officijs, de virginum diſciplina, de foro Eccleſiaſtico: de certis criminibus, & corruptelis in populo tollendis: eaque omnia tam eleganter explicata ſunt, vt mirarentur omnes, tanta celeritate Carolum tantam rem conficere potuiſſe. Sed magiſtratuum manibus liberatæ conſtitutiones, in clerum inciderunt; in clerum inquam eccleſiarum vrbis; qui, licet eccleſiæ maioris collegium ab eo pie, prudenterque diſſentiret; à decretis appellauit, quæ ad ſe pertinerent. quod idem fori eccleſiaſtici notarij fecere in ijs, quæ de ipſorum officio ſtatuta erant. Per idem tempus virginum cænobia, cum viſeret; omniaque ſanctè conformare, quod Ormanetus antea cœperat conaretur; ad ſacri Tridentini concilij canones, Mediolanenſiſque ſynodi præſcripta, tum ad eius conſtitutionis normam, quam ex ipſius Caroli, Ormanetique conſilio de cœnobiorum eiuſmodi clauſtris tum Pontifex ediderat: eius item rei multi ſeſe aduerſarios intenderunt. Regulares in primis viri pro monaſterijs ſibi creditis, quæ decem & octo numero ſunt, reclamarunt: & ex ipſis virginibus multæ, quibuſdam præſertim ſuaſoribus, quos minimè omnium decebat; reſiſtere; & per propinquos ſuos Caroli conatus impedire curarunt, vt re ad ipſum quoque ciuitatis conſilium relata, de legato, vel ſaltem litteris ad Pontificem mittendis conſultaretur. quamquam paulo poſt ipſæ virgines, partim pijs cohortationibus, partim etiam animaduerſione, ceſſerunt, non Carolo dicam, eiuſue decretis, ſed dignitati, ſalutique ſuæ: quam & illæ, & earum defenſores, & propinqui, ſiue falſæ libertatis deſiderio, ſiue iuris tuendi cupiditate, ſiue diſciplinæ ignoratione, in periculum ſæpe adducere conantur: vt defendētes verius oppugnent; defendant vero qui videntur aduerſari, quod exitus docuit: non enim earum animis tantum, ſed corporeis quoque bonis, & commodis conſuluit reſtituta diſciplina. His omnibus addebatur, quod magnam Carolo difficultatem afferebat. multi enim eius in rebus agendis ſtudium, atque ardorem, nimium eſſe dicebant: ſeuerius punire; grauiora paſſim imponere, quam æquitati conueniret:

In rebus aduerſis nō eſſe deſpondendum animo.

Conſtitutionum Prouincialium Mediolanenſium volumina edita.

In reformandis virginum cœnobijs patitur aduerſarios.

Detractores item.

niret: ſibi minus etiam quam alijs parcere. erant qui fieri pleraque affirmarent, ad captandum nomen, famamque ſanctitatis colligendam, occultorum ſcilicet vitiorum etiam ſuſpicionem mouentes, æquiores iudicium, & prudentiam requirebant: ætati, conſilijsq; religioſorum hominum errorem tribuebant, qui publicæ adminiſtrationis vſu carerent. Huiuſmodi ſermones alios ad imitandum, alios ad obſequendum tardiores efficiebant: ad contradicendum etiam paratiores, qui ſibi id vſui fore putarent. Sed ſi quid acrius ille faceret, ita ferre videbatur ſuſcepti negotij ratio, tum ea mens, quam præcipuo munere Deus ei dederat. magna & inueterata corruptela, magnum conatum, labores poſtulabat. frangenda erat obſtinata quorundam voluntas, & audacia: quod eſſet exemplo ceteris, & ad facilem, expeditamque gubernationem, in poſterum valeret. neque vero valde mirum, vel ex inuſitata diſciplina, licet optima, vel ex perturbatis animis, oriri obtrectationes, & maledicta. mirum vero ſi magiſtri conditionem diſcipulus aliquo modo non ſubiret. Sed quid animi, conſilijque tum Carolo eſſet, ipſe litteris ad Antiſtitem datis aperuit: qui libere illum monuerat, & amanter: Quod ſe monuiſſet, illi ſe plurimum debere: cupere vero, vt demonſtraret explicatius, qua potiſſimum aſſequeretur via, vt in ſe ipſo, alijsque regendis modum retineret. ſibi quidem illud valde eſſe propoſitum: licet aliud vulgo fere putaretur, neq; id fortaſſe ſine cauſſa, ob eam, qua ipſis initijs vtebatur agendi rationem. In eccleſia namq; Mediolanenſi, quaſi vinea inculta, vepribus, & dumetis omnia reperta eſſe adeo impedita, vt tanto propoſito labore, neq; ſibi parcere poſſe videretur, & in alios facilitatem, leuitatemue ſæpe cogeretur omittere: quo tum quæ praua erant tollerentur, tum bona etiam, & fructuoſa, quæ quidem eſſent, confirmarentur, quæ vero non eſſent, ſererentur. ſibi certe, ſi dicere oporteret, à benignitate receſſiſſe non videri. ſed nolle ſuo tamen iudicio fidem adhibere: immo rogare, vt quemadmodum amanter, quid peccare videretur, ſignificauerat, in quo ſincerum illius agnouerat erga ſe amorem, ita conſilio iuuaret, libereque moneret, qua ratione poſſet in poſterum non offendere. nihil ſibi gratius accidere poſſe: ſcire etenim nemini difficilius ſubueniri, quam ei, qui conſilium accipere nolit. Dolebat vero Carolus vehementer, cæptum feliciter rerum ſalutarium curſum eiuſmodi contentionibus, atq; obtrectationibus non parum impediri, multoſq; non tam voluntati, ſtudiiſq; epiſcopalibus, quam ſaluti ſuæ, vel patriæ bono repugnare. Sed patientiæ, religioſæque fructum abiectionis inde capiebat: ac contra aduerſa omnia, Deo fretus, conſtantiam retinebat ſuam. tum vero precationibus quotidianiſque virtutum, & ſanctuarij acceſſionibus, præclaris item ad ſorum ſalutem actionibus, diuinam opem ſtudioſius implorabat. nempe illud Prophetæ imitabatur: Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Præter ea quæ ad corporis duritiem pertinebant, quibus ſeſe magis in dies exercebat: menſam, & omnem vitæ, domuſque ſuæ cultum, ita conformauit, vt prouincialis concilij decreta longe iam ſuperaret. Qui ei propius inſeruiebant, eos tunc quidem clericali habitu, ſaltem cum miniſtrarent, eſſe ſtatuit. Cum in alijs omnibus ad ſanctorum virorum tenuitatem, paupertatemque quotidie propius accederet, in apparatu quoque itineris, & comitatu idem faciebat: cum enim ad viginti duos equites, pedites multos ſecum haberet: cum ad diœceſanas eccleſias viſendas profectus eſt, præter mulos, qui ſupellectilem portarent, nimiumque id exiſtimaret: paulatim numerum ita minuit, vt in reditu non amplius omnino, quam duodecim, vnumq; clitellarium mulum duxerit. Supellectili illa ſua pretioſiſſima, planeq; regia ſeſe ſpoliauit. plurima Romæ, & Mediolani per eccleſias diſtribuit, periſtromata, lectorum conopea, vmbracula, quæ ſolent amplitudinis cauſſa in aulis haberi, inſtrumenta, vaſaq; argentea. Statuas, earumue partes plurimas, antiquæ artis pulcherrima monumenta, ſacris item locis addixit, vt venderentur. reliqua ipſe vendi iuſſit, pretiumq; in ſacros, pioſq; vſus erogari. extant ex donis illis inter alia in eccleſia maiore Mediolanenſi, aulæa ad celebriorem eius ornatum, ſericis, aureiſq; filis contexta, figuriſq; ſacras veteris teſtamenti hiſtorias referentibus, variata: vaſa argentea aurata maxima, ad Pontificalium ſacrorum apparatum exponenda: inſtrumentum pacis rite in eccleſia dandæ pulcherrimum, & pretioſiſſimum. Sacerdotijs item ſe abdicare inſtituit, quia propter animarum curam, vel monaſteriorum rectionem, aut iuris dicendi munus, integre illi adminiſtrationi ſatisfacere ſibi non poſſe videbatur: ſimul bonos, eruditoſq; viros ea ratione remuneraturus, quorum fideli, fructuoſaq; opera diu vſus erat: omnino, vt quod de pluribus non habendis beneficiis, tum antiquis, tum nouis Eccleſiæ legibus ſancitum erat, ex ampliſſimis ipſe Eccleſiæ ſanctæ principibus, ad plurimorum documentum, plenius exequeretur. Ea igitur pleraq; Pontificis auctoritate quibuſdam familiaribus ſuis diſtribuit; viris probitate, litteris, ingenioq; admodum probatis, de quibus alius erit ſingillatim dicendi locus. nonnulla ex monaſticis, quæ commendationis ei nomine tributa fuerant, monachis ipſis libere dimiſit. reliquis familiaribus, prout iuſtum eſſe iudicauit, tum litteratis alijs viris, & Cardinalibus item egentibus, varias ex fructibus conſtitui curauit penſiones. quibus ex ſacris vectigalibus dandas non exiſtimauit, ijs ex patrimonio ſuo ſtatuit penſitari. Dimittebat ea ſacerdotia libere Pontifici: viroſque tantum nominabat, quibus ea conferri probaret: qui quidem ſacro muneri apti, & ad loca, eccleſiaſue ipſas incolendas, vt opus erat, eſſent expediti. Pontifex autem eius minimè obſecrantis teſtimonio, voluntatiq; facile aſſentiebat. quibuſdam etiam, nemine demonſtrato cum ceſſiſſet. Pontifex quibus viſum fuiſſet, aſſignabat. Penſiones præterea nonnullas, quas ex varijs eccleſijs in Italia, Luſitania, Belgio ſolebat exigere, liberaliter eccleſiarum commodo, quæ tenues habebant fructus, remiſit. Hæc primo ipſo Pij Quinti tempore Carolus cum inſtituiſſet, exequi deinceps perrexit, vt alijs locis demonſtrabit.

Contra aduerſa quibus armis decertarit Carolus.
Pſal. 34.
Qui ſe ipsũ domumq; ſuam reformarit.

Quæ clerus contra concilij decreta Romæ propoſuerat, facile reiecta ſunt. Verum cum Senatu plus negotij fuit: qui Regij iuris, quemadmodum aſſeuerabat, tuendi ſtudio, in ſua permanebat ſententia. Archiepiſcopo ius non eſſe, ſiue apparitores armatos habendi, ſiue laicos, excepta fidei cauſſa, ſine Magiſtratibus comprehendendi. In quo tum iuris, tum facti controuerſia erat: nam vtraq; pars, quod pro ea faciebat, id præteritis temporibus conſuetum eſſe dicebat, ſibiq; teſtimoniorum ſubſidio, iuris controuerſi poſſeſſionem vindicare conabatur Carolus, qui iuriſconſultorum ſententia, ius de quo agebatur, & iuris item poſſeſſionem, eccleſiæ tribui intelligebat, quidquid iuris, factiue pro eccleſia ſuppetebat, ad Pontificem referri curauit, vt quid agẽdum eſſet Apoſtolica auctoritate ſtatueretur, quod acceptum iri facile pro ſua pietate ſeruaturumq; Senatũ confidebat. neq; interim agere priuatim cũ Senatoribus omittebat, & ſui iuris argumenta commonſtrare, ſi priuato poſſet res officio componi. Ex altera parte res ad Philippum Regem cum per eius miniſtros delata eſſet; Carolus quoq;, ne quid temere facere videretur, per litteras, & per Apoſtolicum internuncium in Hiſpanijs commorantem, conſilium in eo genere ſuum aperuit, & quę pro iure Eccleſiæ fidem facerent, indicauit. Religioſiſſime Rex reſpondit, totum negotium ad ſummum Pontificem deferendum. interim verò ſuis præcepit, vt ſalua regia poteſtate, ius Eccleſiæ omnino conſeruaretur. Itaq; miſſo à Senatu Romam ob eam rẽ Senatore, tum cauſæ cognitio certis Cardinalibus, doctiſq; viris mandata eſt, tum Carolus interim poſſeſſionẽ ſuam tueri iuſſus. Ibi cum eorũ ſententia, qui de controuerſia conſultabant, eccleſiæ Mediolanenſi fauere videretur, Senator Roma diſceſſit. Pontifex litteras ad Ducem, Senatũq; humaniſſimas dedit, & eos ad ius Eccleſiaſticum tuẽdum, pro perſpecta eorũ pietate cohortatus eſt, dũ cauſa recte, matureq; Romæ cognoſceretur. alteras ſaltẽ, ſi hoc loco inſererem, gratum me pijs viris facturum exiſtimaui. hæ vero ipſæ ſunt latine ſcriptæ. II.

Iuris Eccleſiaſtici controuerſia grauiter exercetur.

Pōtificis litteræ ad Ducẽ Senatumque Mediolanẽſem

Dilecti filij. Iuſtitiæ ſimul, & charitatis officio libenter adducti ſumus, vt redeunte Mediolanum collega veſtro Iohanne Paulo Eccleſia, eius, quam in publico negotio veſtro apud nos gerendo, egregiam vobis præſtitit, fidei ac diligentiæ, teſtimonium redderemus. Cuius negotij cum ea vis, & natura ſit, quam

ſtemo non intelligit, adhuc eius ratio facile explicari non potuit. Nec vero hæc cauſſa diuturniorem, quam neceſſitas poſtulet, moram habebit. Nam auditis, & plane cognitis, quæ vtrinq; pro rei veritate, rationes allatæ fuerint, maturæ iudicium expediendum curabimus. Interea vos ſtudioſiſſime hortamur in Domino, vt in omnibus rebus Archiepiſcopo veſtro, & ceteris Prouinciæ Epiſcopis, ad tuendam, & ornandam Paſtoralis officij curam, ac dignitatem, ſollicitudinem, & operam veſtram accommodetis. nulla enim re magis ſæcularis poteſtas ſtabilitur, & augetur, quam amplificatione, & auctoritate Eccleſiaſticæ ditionis, quidquid ad ſpirituale patrimonium firmamenti, & virium accedit, eo temporalis ſtatus maximè communitur. nam obſeruantia, & pietas Principum, ac Magiſtratuum in eccleſiarum Antiſtites, populos ipſis adeo præbet obedientes, vt fatendum ſit, Regnorum, ac ſtatuum incolumitatem vno illo eccleſiaſtici iuris præſidio tamquam fundamento contineri. Quod vtinam contrarijs ad multorum caſuum exemplis non pateret. Ea laude veſtri ſic excelluere maiores, vt illo facto, & ipſi clari ſint, & multas ciuitates, ac prouincias ad pij exempli imitationem inflammarint. Quo magis nos etiam eximia patrij in vos officij charitate, quam quod alioqui opus eſſe putaremus, cohortandos duximus; vt quam ſumma cum animi noſtri lætitia retinetis gloriam iuuandi, ac fouendi eccleſiaſticam iuriſdictionem, in ea ardentius inſiſtatis. Nam iſta etiam ſtudiorum veſtrorum declaratione, paſtores ad diligentiorem ſui muneris adminiſtrationem incitati, vberiores ſuorum gregum fructus Domino perſoluere ſtudebunt.

At Mediolani interim periculum erat, ne dum vtraq; pars poſſeſſionem ſibi vendicabat, ita vt eius retinendæ nomine quod altera feciſſet, altera duceret vſurpationis loco, violenti aliquid accideret. variæ rationes conquirebãtur controuerſiæ partium conſenſu dirimendæ. ſed nihil cõfici potuit. Ecce autem, dum ita conſultatur, quod ea cõtrouerſia periculũ parturiebat, repente peperit. Lictor primarius eccleſiaſtici fori, cum armis Principis edicto vetitis comprehenſus, in carcerem ducitur, tum publice reuinctis poſt terga manibus, ſublimis fune tractus ad ſummum Palatij areum, & ad ſolum vſque repente dimiſſus, quaſſu ter repetito, acerrime, ſi quis vnquam alius torquetur: ac ſtatim pœna remigationis propoſita, Mediolano diſcedere iubetur. Carolus cum ius ſibi ſuum palam eripi, & etiam contra Pontificis auctoritatem fieri quodammodo iudicaret, ad quem erat delatum negotium, ipſum confeſtim iudicem, cuius in carceribus erat, quem iuſtitiæ Capitaneum appellant, item Aduocatum fiſcalem, Notarium, & carceris cuſtodem anathemate notari, eiuſq; rei ſcriptum publice proponi iuſſit. Præſidem Senatus per Vicarium ſuum, & vniuerſum item Senatum, ſcriptis ad fores loci, quo ille conuenire ſolet, affixis, vocauit, ad eius facti cauſſam dicendã. Doluit caſum Dux vehementer, quippe, qui nihil eiuſmodi cogitaſſet, eoq; magis doluit, quod propoſitum ſententiæ ſcriptum, neſcio cuius iuſſu per ſatellites à ianua ædium Archiepiſcopalium, & eccleſiæ, & etiam ab ipſo eccleſiæ ſuggeſtu abſciſſum fuerat. & clericus præterea, cuius opera quidam ex ijs vocati fuerant, in cuſtodiam datus. Itaq; iudicem, cum ſe adeuntem vidiſſet, neq; audire, neq; admittere voluit: & ſatellites, qui ſcriptum abſciderant, in carcerem detrudi iuſſit. rogauit vero Carolum, ne cito contra Senatum, ob præcipuam Magiſtratus dignitatem quidquam pronunciaret. qui cũ Duci reſpondiſſet, non poſſe ſe ius eccleſiæ ſuæ non tueri, actutumq; contra quoſcumq;, iure tamen, non iniuria, quemadmodum cum eius miniſtro actum eſſet: nihil tamen amplius ſtatuit, antequam Roma reſponſum acciperet, quo rem, vti geſta erat, ſtatim perferendam curauit. Senatus procuratorem dedit, qui negauit quidquam mandatum eſſe auctoritate Senatus: hominem punitum, non vt apparitorem ſacri fori, qui quiſnam eſſet ignoraretur, ſed vt quemlibet alium, qui contra leges regias feciſſet, & alia eiuſmodi, quæ in iudicijs vſurpari ſolent. Scripſit ad Pontificem eadem fere vſus excuſatione, culpamq; omnem in Carolum tranſtulit. Dux item ſcripſit, ſed multo mitius, & pro regio tamen iure. Diſplicuit vehementer Pontifici & factum, & litteræ Senatus. itaq; nihil Senatui reſpondens, monuit Ducem, vt pro illata iniuria Eccleſiæ ſatisfaceret. tum vero Præſidem ipſum, duoſq; Senatores conſilij, factiq; præcipuos auctores, Romæ coram ſe ſpatio triginta dierum adeſſe, reliquos iam anathemate percuſſos Romam item citari, iuſſit. Proprium ad id miniſtrum (curſorem appellant) Septembris menſis, anni M. D. LXVII. initio, cum litteris ad Ducem Mediolanum miſit. Illas pius Princeps oſculatus, tũ omni alia pietatis ſignificatione, ſummaq; in Pontificem reuerentia in ijs recipiendis vſus, Curſorem, quocumq; opus eſſet vocandi gratia, tuto, honeſteq; adeo adduci iuſſit, vt ipſum Iacobum Paëzium eximia pietate, & doctrina Theologum ex Societate Ieſu, quid concionibus, confeſſionibuſq; illi erat, vnà miſerit, qui hominem, quibus opus eſſet, commendaret. Quam quidem piam, & religioſam erga ſummum Pontificem reuerentiam imitatus magnus Cancellarius itidem Hiſpanus, addidit etiam, Pontificias litteras, vti ab ipſius beati Petri manu eſſe accipiendas. Fuit ex eare, Mediolani, Romæ, in Hiſpanijs varius rumor, turbaque non mediocris: alijs alia dicentibus, opinantibuſq; & vno quoq; pro ſuo ingenio, atq; ſenſu de re tota iudicante. Carolus magis ac magis in inuidiam varie vocabatur: vſq; eo, vt dicerent nonnulli, poteſtatem illum Regiam ſenſim inuadere: niſi obſiſteretur, viam ſibi munire ad Mediolanenſe imperium occupandum: ab eiuſmodi conſilio Pontificem fortaſſe non eſſe alienum. de qua obtrectatione, ac calumnia delatus vir primarius Hiſpanus, in carcerem Ducis iuſſu ductus eſt. Vt intolerabilis potentiæ factum commemorabant, quod publicas bibliothecas omnis multis comitibus, & miniſtris, magna populi frequentia recognouiſſet, libros omnes ſingillatim inſpexiſſet, plurimos abſtuliſſet. id vero Carolus fecerat, cum audijſſet multos libros hæretica labe infectos publice vendi, quemadmodum re ipſa verum eſſe deprehendit. fecit verò etiam Apoſtolico accerſito inquiſitore. Fuere adeo, qui iuris regij tuendi nomine, & ad vim, vt aiebant, vi repellendam; Ducem inſtigarēt, vt ad extrema illa veniret, cum Epiſcopus è ciuitate violentè pellitur. Contra plurimi, ſingularem Caroli pietatem, & egregium in Eccleſia iure tuendo ſtudium, conſtantiamq; in cœlum ferebant. ſumma cum eius laude mirabantur, quod religionis cauſſa neminem vereretur, aut reſpiceret, neq; ſuam apud Principes gratiam, aut ipſum etiam Archiepiſcopatum magni faceret. mentem eius optimam conatus ſanctiſſimos prædicabant: regios vero Magiſtratus grauiter accuſabant. Carolus eximia Dei fiducia; tum animi magnitudine; quam in ampliſſimis reipublicæ chriſtianæ negotijs exercuerat, ita ſe moderate gerebat; vt eum ex eorum conſilio, quos apud ſe in eo genere peritiſſimos habebat, in primiſq; ſacræ precationis lumine, feciſſet; quæ legitime fieri poſſe, ac debere iudicaret: tum ea animi tranquillitate, ſilentioq; alia omnia obiret, vt nihil illi omnino litis, aut contentionis eſſe videretur. Neq; vero quidquam mœſtitiæ attulit, quod ex optimatibus permulti, qui antea vel comitari, vel ad eum ventitare ſolebant, iã non apparerent, immo in eam partem libenter accepit, vt ad pleniorem rerum humanarum contemptioné ea quoque ratione ſeſe incitaret. Cum dies adeſſet, quo die ſe Romæ ſiſtere Senatores iuſſi erant, varijs excuſationibus, miſſis etiam Romam legatis, dilatus eſt, ac deniq; impetratum, ne quidquam contra illos promulgaretur, donec Seralui Marchio, qui negotij illius cauſſa ex Hiſpanijs aduentabat; Romam perueniret. Is Mediolani primo Carolum conuenit, multaq; cum eo egit, & queſtus eſt: ſeuere nimis actum contra Senatores: Carolum à Rege potius remedium petere debuiſſe, quam accendere animum Pontificis. ita Regis in eum merita poſtulare: ita officiũ illud, quod vt homo in Regis imperio natus, ei deberet. ſi alia ratione demum res non ageretur, facturum Regem, quod iuri, imperioq; ſuis conſeruandis opus eſſet. licet perturbationes inde fortaſſe multæ, graueſq; orirentur. poſtremo etiam blande rogauit, vt amico, atq; adeo paterno ſtudio negotium complecteretur: id ſaltem, ſi alia recuſaret, ſcriberet ad Pontificem: cupere ſe, vt citationis cauſſa prætermiſſa, controuerſia componeretur. Reſpondit Carolus interpoſito

Lictor Eccleſiæ à magiſtratu ſeculari punitur.

Capitaneus iuſtitiæ, itẽ Aduocatus fiſcalis &c. a Carolo ex communicantur.

Pontificem rei geſtæ certiorem reddit.

Senatus litteris ſe excuſat.

Pontifex facti auctores Romam citari iubet.

Anno 1567.

Seralui Marchio cum Carolo expoſtulat.

Caroli reſponſio.

die: quod Pontifex contra Senatores egiſſet, ſeſe præſtate non debere; neque etiam Pontificem ipſum, qui nemini id præter Deum deberet. de facto ſuo, timendam ſibi videri potius Pontificis in eo reprehenſionem, quia remiſſe egiſſet; quam offenſionem Regis. Romam ſe motus initio minime confugiſſe, toleraſſe: Gubernatorem ſæpius, & Senatores priuatim, atq; amice monuiſſe, vt quæ contra ius eccleſiaſticum afferrentur impedimenta, ea vellent tollere. cum nihil profeciſſet, cum etiam ad vim ventum eſſet, quæ contra non ſolum Mediolanenſis, ſed etiam vniuerſæ Eccleſiæ ius, immo contra ipſius Pontificis auctoritatem videretur, merito ad ipſum retuliſſe Pontificem, ſupremum iudicem, patremq; omnium eccleſiarum. moleſtum id fore Regi non putaſſe. eius meritorum magnitudinem, & ſe agnoſcere, & vt quam gratiſſimus eſſe poſſet, ſemper curaturum. A ſe Regi ſemper omnia fore paratiſſima: ſed quæ Eccleſiæ eſſe putaret, ijs, ſi quis forte id expeteret, cedere ſe nullo modo poſſe, præſertim quo priuatis beneficijs reſponderet. Nihil ſe à Rege expectare, quod valde pio, & catholico principe dignum non eſſet: quem ſatis noſſe ſciret, regias vires in iuuanda Eccleſia, non autem opprimenda poni debere. id ſi non fieret, magnas ſine dubio perturbationes, grauiſſimaq; incommoda futura, quibus tamen eccleſia Mediolanenſis tunc minimè careret, quæ vitam grauiter illata, ſuam libere non poterat exercere poteſtatem, in eos præſertim qui vel ob ipſam impunitatis fiduciam turpem, flagitioſamq; vitam agerent. Litteras ad Pontificem, quales poſtulabat Marchio, pro eo, quod eccleſiæ ſuæ debebat, dare ſe poſſe negauit. dedit autem huiuſmodi.

Caroli litteræ ad Pontificem.

Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater. Cum antea ad ſanctitatem tuam de rebus ad huius eccleſiæ iuriſdictionem pertinentibus ſingillatim retuli, tum hoc tempore Ormaneto mandaui, vt diligenter exponat, quidquid cũ Marchione Seralui actum eſt, qui nunc Romam proficiſcitur. is cum à me contenderit, vt de eodem negotio componẽdo, Senatoribuſq; Romam minime compellendis ad te perſcriberem: quæ in hoc genere ſentiam, quæq; antea ſignificaui, & Marchioni ipſi libere reſpondi, hic breuiter attingam. Quod ad Senatores attinet nullam priuatam iniuriam meam equidem vindicari volo. de cetero quid ſanctæ ſedis Apoſtolicæ dignitati conueniat, quid Eccleſiæ conducat vniuerſæ, rectiſſimè tua Sanctitas exiſtimabit: eius enim illa caput eſt, ego autem exiguum membrum. De huius eccleſiæ iure, id confirmo. nihil aliud ſpectare me, niſi vt illius auctoritate ſeruata, qui poſthac Archiepiſcopatum geret, omnia libere exequi poſſit, quæcunq; ad eius officium pertinebunt. Ceterum teſtimonia me, ac argumenta, quæ ad poſſeſſionem eccleſiæ probandam valent, ad Sanctitatem tuam miſiſſe ſatis habeo. quæ cum apud ſe viros habeat bonitate, doctrina, iudicioq; præſtantes: & ex eorum numero, qui in Concilio Tridentino huius generis rebus conſtituendis interfuerunt: cumq; quod caput eſt, à Spiritu ſancto regatur: meas eſſe partes alias non video, quam expectare, quid illa decernat; & quidquid decreuerit, prompta omnino voluntate accipere, nihil dubitans, quin illud rectum, ſanctumq; ſit. Sanctitatis tuæ pedes ſummiſſe oſculor. Mediolani nono Calend. Februarij M. D. LX. IIX. Ita Marchio Romam profectus, in primis omni diligentia, ſtudioq; tempus adhuc prorogari curauit, vt aliquo modo interim vocati eximerentur.

Quamquam autem eo iuriſdictionis grauiſſimo negotio Carolus erat occupatus, quæ tamen ad ſuos regẽdos, III.

Anno 1567. Tres pagos Heluetiorum viſitat.

rebuſq; ſalutaribus iuuandos pertinerent, eorum nihil omittebat. Atq; cum alias diœceſis partes aut per ſe, aut per alios peragrare, viſereque ad id tempus perſeueraſſet, ad eam ipſe initio Octobris anni M. D. LX. VII. profectus eſt, quæ in rebus profanis patet imperio trium pagorum Heluetiorum. continetur ea pars tribus vallibus, Leuantina, Brennia, & Riparia, & ad montem ſancti Gothardi pertingit. primo igitur Carolus certiores de ſuo aduentu pagorum principes fecit. & quoniam eorum imperium plurimum non modo apud laicos, ſed etiam apud clericos valebat, legatos mitti petiit, qui in ea regione luſtranda eum comitarentur. Illi, vt tres pagi erant, tres primarios viros ita miſerunt, quos humaniſſime habitos Carolus ſecum adduxit. Tanto temporis ſpatio regiones illæ Archiepiſcopum, aut eius adminiſtros non viderant, vt pene à rectis omnibus Eccleſiæ inſtitutis, atq; adeo ab ipſa, quam Archiepiſcopo præſtare debebant, fide, atq; obedientia diſceſſiſſent: ſoloſq; propemodum Heluetios dominos in omnibus agnoſcerent. populus quidem natura minime malus, & ſimplex, ignorantia peccabat: ſed clerus vita erat,

Cleri ibidem deprauata vita.

vitijs, flagitiiſq; plurimis cooperta. diuinæ res, & ipſa præſertim ſanctiſſima Euchariſtia indigniſſime habebatur; qua de re Carolum quandoq; lachrymantem comites viderunt. multa erat ignoratio rerum illarum, quæ ad ſacra miniſteria, non dicam vtiles, ſed omnino neceſſariæ ſunt. beneficia pleriq; vitioſe obtinebant, tum pecunia interueniente, tum deficiente Archiepiſcopi auctoritate. ipſi parochi turpibus lucris, ſordidiſq; negotiationibus operá dabant. concubinas, liberoſq; ex eis ſuſceptos domi palam habere non verebãtur. adulteria, inceſta, ſacrilegia multa: apud quoſdam etiam non parum Catholicæ fidei diſcrimen. Ipſi autem pagorum principes, & magiſtratus licet Catholici, nemine contradicente, aut aliud docente, omnem fere in rebus eccleſiaſticis auctoritatem ſibi ſumpſerant. Ibi Carolus ſingulas eccleſias viſere, presbyteros, & alios incolas diligenter interrogare, anguſta loca, difficilia, aſperaque adire, montium altitudinem, prærupta ſaxa, ſilueſtrium locorum penuriam nõ vereri, nullius vitæ cõmoditatis, neq; valetudinis rationem habere, nullo diei, noctiſue tempori parcere. omnino ſpatio menſis adeo pro-

Reformatio.

fecit, vt eius eccleſiæ tota pene facies immutaretur. Multa paſſim decreuit: plures presbyteros mulctauit, puniuit, ſacerdotiis, ſacriſq; officis mouit. tantum ſe continuit, ne vinctos Mediolanum deduceret. Principibus Heluetus perſuaſit, vt multa in dandis beneficiis, & in rebus iudicandis, quæ ad clericos pertinerent, ſacræ permitterent poteſtati. quæ illi Caroli ſeſe virtuti ſanctitatiq; dare publice teſtabantur, quamquam contra Carolus ſuadebat, nõ ſibi, ſed ſanctæ Eccleſiæ, Deoq; eſſe tribuenda. Poſtremo, vniuerſo clero in vnum conuocato, quæ opus erant, grauiter, pieq; monuit; & cohortatus eſt. quod idem præſtari iuſſit per religioſum virum, qui grauiſſimam concionem ad eum cœtum habuit. Sed valuère plurimum verba, quæ aliorum quoq; nomine vnus ex legatis ad clerum fecit: Quamquam Heluetijs conſilium non erat, priuilegia ſua dimittere, quibus in earum vallium adminiſtratione vtebantur, agnoſcere tamen, ea quandoque rectores ſtrigiſſe, quæ fas non eſſet: ſed feciſſe coactos malefactis clericorum, Paſtorumq; incuria, qui eam regionem neglexerant in poſterum longe aliter fore: in Concilio Tridentino ſe affuiſſe, illudq; pagorum nomine recepiſſe: velle omnino Principes, eius decreta ſeruari. palam ſe denunciare omnibus, nemini poſthac apud ipſos perfugium fore, quin à Cardinali plene regerentur, & quemadmodum opor-

Concilium Tridentinum recipit.

teret, corrigerentur. Demum clerus Concilij Tridentini decreta publice recepit, concilij prouincialis conſtitutiones ſeruandas ſuſcepit: tum Catholicam fidem ſtata formula ſingillatim profeſſus eſt. Ita Caroli dolorem, quem ex tanta prauitate ceperat, emendationis remedium, ſpeſque melioris in dies progreſſus non mediocriter leuauit: ſimul vero illud, quod præ finitimarum eccleſiarum de quibus cognouerat, conditione, ſuas bono ſtatu ſatis eſſe intellexit. Litteras autem diſcedens ad gentis conſilia dedit, quibus & delegatorum opera gratias egit, & monita multa ijs de rebus addidit, quibus veteræ pietatis, religioniſque cauſſa, in regione gubernanda illis abſtinendum eſſet. Atque iam tum, chriſtiana gentis charitate motus, cum eam præſertim in ſua iam habuiſſet clientela: cogitare cœpit, quemadmodum aliis item eccleſiis, quæ in ditione Heluetiorum eſſent, conſulere poſſet. verum nihil eo tempore, publicè tentandum arbitratus, priuatis officijs oppida, caſtellaque multa, maxime ſuæ diœceſis finitima, iuuare non deſtitit, tum pueris ad clericalem vitam Mediolani educandis, tum concionatoribus mittendis, qui fidem Catholicam tuerentur, chriſtianoſque mores ſuaderent.

ſuaderent. tum alijs rebus ad eorum ſalutem accommodatis. Sed minime prætereundum videtur, tres eas valles, quatuor ex Canonicis Mediolanenſibus Comitum titulo tenuiſſe, & vtraque poteſtate, ſacra, profanaq; adminiſtraſſe. eas autem Heluetios cum Philippo Mediolani Duce bellum gerentes occupaſſe. cumq; de pace ageretur, neſcio quo animo, Dux, vt facilius tranſigeret, valles non ſuas permiſit Heluetijs: earumq; loco Canonicis vniuerſi Septentis agri vectigal quoddam aſſignauit. Eccleſiaſticã vero adminiſtrationem, quã vt oportebat, canonici tueri, & ab improborum audacia, potentiumq; viribus defendere non poterant, Carolus ſuſcepit: cui tamen alioqui, vt loca intra ſuam diœceſim poſita, neq; ad alium Epiſcopum pertinentia recognoſcere, quæ opus eſſent, ex ſacris ſanctionibus decernere, facultas erat. Ius porrò, quod in ſacerdotijs dandis conſiſtit, canonici retinuêre.

Tres pagi ad quos pertinuêrint.

IV. Præter Mediolanenſis eccleſiæ negotia, Carolus alia quoq; grauiſſima ſuſcipere non omittens, noua ſemper ad hominum ſalutem, & ad eccleſiæ fructum exempla proferebat. Confecit eodem anno priuſquam exiret, negotiũ inter alia correctionis ordinis Humiliatorum. Inſtituerant illum Mediolanenſes olim nonnulli. cum enim Conradus Imperator eorum plurimos cepiſſet, & in Germaniam duxiſſet, primarios quidem ſecuri percuſſit: alios autem reſeruauit, qui periculo commoti diuino ſe cultui totos dedere conſtituerunt: & vt primum, Conrado mortuo, ab Henrico ſucceſſore reditum in patriam obtinuerunt, monaſticam auctoritate Pontificia religionis diſciplinam, ex ſancti Benedicti inſtitutis, cum albis indumentis ſuſceperunt, Humiliatorumq; ſibi nomen impoſuerunt. Ij plurimis in Italia fundatis monaſterijs, annorum amplius quingentorum ſpatio à prima diſciplina, vt humana eſt imbecillitas, longe admodum in multis diſceſſerant. Viderat Carolus ordinis patronus, & iudex, correctione opus eſſe: atque iam antea per Ormanetum, cum is Mediolani eſſet, aliquam eius rationem tentauerat. qui cum eorum comitijs præfuiſſet, fecit ille quidem, vt de corruptelis quibuſdam tollendis aliquid in congregatione decerneretur: verum ad rem perficiendam, maximæ autem ad alia, quæ grauiora, & difficiliora erant, conſtituenda, efficiendaq; iam tum vir ſapiens multo maiorem auctoritatem, poteſtatemq; neceſſariam eſſe prædixerat. Non omiſit vnquam negotium Carolus, neq; de ratione ineunda, qua ordo ille ad ſua reuocaretur inſtituta, cogitare intermiſit: ſed Pio Quinto tali Pontifice demum creato, rem ſuſcepit attentius. multa ipſe cum Pontifice prius egit accurate: per Ormanetum poſtea rem totam confecit, & de toto ordine componendo conſtituit. Itaq; conuentu indicto, omnibuſque, qui vocati erant, Cremonæ congregatis, cui conuentui Carolus non ſua ſolum Protectoris, vt aiunt, ſed Apoſtolica etiam auctoritate præſidebat, quæ acta de ijs, Pontificiaq; conſtitutione ſummatim ſaltem, ſancita erant, & ad eam diem ſecreto habita, promulgari iuſſit, præſidijs ante paratis, ſi quis forte promulgationi, vellet reſiſtere. dura maxime Præpoſitis viſa ſunt, quæ de eorum emendatione ſtatuta erant, eoque duriora, quod minimè quiſquam putarat, emendationem eouſq; peruenturam, quin etiam, ſicuti ego accepi, quidam ex ijs, qui prudentiores ſibi videbantur, ſubobſcure Caroli conatum ante illudebãt. cum autem talia improuiſo audijſſent, animo quidem grauiter perculſi omnes, nihil tamen reſiſtere auſi ſunt, aut contradicere. Summa emendationis fuit, vt Præpoſiti dignitatem, quam quiſq; haberet, & eius item inſigne retineret: ſed ſuum quiſq; locum, ſacerdotiumque mutaret. tertio quoque anno in poſterum per ſuffragia tum Præpoſitus ordinis vniuerſi tum locorum omnium Præpoſiti deligerentur. reditus eccleſiæ, non ipſi, vt antea, ciuili quodam ſplendore, ſed alij ad id proprie electi religioſe adminiſtrarent: ijs vti communibus omnes æqualiter vterentur: omnino cœnobitica, religioſaque vita vere inter eos ageretur. hæc litteris Pontificijs continentur, tum fuſius, explicatiuſq; conſtitutionibus, quas tum pro ampliſſima facultate ſibi data Carolus eis ſcripſit, & in conuentu etiam eodem promulgauit. At conuentu dimiſſo, multi Præpoſiti, nam magna pars nobilitate, gratiaq; plurimum poterat, omnes vias perſequi cœperunt, quibus vijs, promulgatis ſe legibus ex parte ſaltem liberare poſſent. Res longe grauiſſima illis videbatur, ex eo ſtatũ quem ſibi propoſuerant, cum ei ſe ordini addixerunt, ademptis beneficiis, quæ conſueta cæterorum via obtinuerant; tantis detractis commodis, & facultatibus, ad eam vitam compelli, in qua & tenue eſſet, quo quis vteretur, & id ipſum non eſſet proprium: quæque ſeueris alijs contineretur inſtitutis, nihil enim minus, ſiue ipſi, ſiue parentes, ijs dignitatibus quærendis, fortaſſe ſpectauerant, quamuis ſpectare debuiſſent; quam monaſticam, cœnobiticamue diſciplinam. Sed quemadmodum vulgo: de aliis fieri ſolet ſacerdotiis, quæ legibus eiuſmodi cœnobiticis libera ſunt; id ſibi, ſuiſq; comparare plerumque ſtuduerant, quod vitæ commoditati, nobilitatiq; ſuſtentandæ deſeruiret. Cognati quoq; ipſi, qui Præpoſitorum opes ad familiæ ſuæ ſplendorem pertinere videbant: eaſq; ad iuniores eiuſdem familiæ deinceps transferendas ſperabant; ſancitas leges, quantum poterant, diſſoluere conabantur. Itaq; amicos rogare, principes viros obſecrare; quacumq; ratione poſſent, vti; vt à Pontifice audirentur. cum ſibi obſtructum Pontificis, Caroliq; conſtantia, & prudentia, tum Ormaneti diligentia, aditum reperirent: ſpecioſis cauſſis Italiæ regulis perſuadere, ne nouos Præpoſitos iuuarent, neue ingredi in loca aſſignata permitterent: loca nonnulla ipſi armatis viris munire. Sed Carolus tum ſua, tum Pontificis in primis auctoritate. tum etiam Principum pietate perfecit, vt rebus conſtitutis eſſet omnino locus. Vniuerſo ordini præpoſuit Aloyſium à Baſilica Petri. Is cum eccleſiæ ſancti Iacobi Cremonæ Præpoſitus, profanis ſtudijs deditus diu vixiſſet, iam anno ante, diuino excitatus impulſu, bonitateq; naturæ adiutus, vitam ſibi recte inſtituendam decreuerat: duoſq; ſacerdotes ex clericis regularibus S. Pauli apud ſe habuerat, quibus ducibus ad id efficiendum vteretur. tantumq; profecerat, vt eum potiſſimum Carolus toti ordini præficiendum deligeret. Sed bonus vir valde reſiſtebat: vitam male actam commemorabat, non ſe in litteris, aut pijs ſtudiis, ſed in otio, venatione, profaniſq; rebus aliis ætatem conſumpſiſſe. vrgebat tamen eo magis Carolus, quo ſe ille grauius accuſabat; quod probitati iam cognitæ, indicium quoq; illud accuſationis accederet. Is deinde poſtea perpeſſa, quæ Antiſtitem præcipue, tum bonos monachos omnes, tali rerum conditione, pati oportebat; extincto demum ordine, veſtitu ſuo in eorundem Clericorum Collegium S. Barnabæ Mediolani receptus, ſingulari modeſtiæ, patientiæq; documento vitæ ſuæ curſum confecit. nam neq; quod amplis fructibus ablatis, quadraginta aurei annui, quemadmodum ceteris, reliqui eſſent, neq; ob deletum ordinem: aliud vnquam dixit, quam omnia recte, iuſteq; eueniſſe. Ita quæ inuito ac repugnanti caſtigatio, afflictioq; exitio facile fuiſſet; pie, ac ſapienter accipienti ſaluti fuit: quemadmodum aliis quoq; fuiſſe putamus.

Humiliatorum ordinis origo.

A Carolo reformatus.

V. Addemus hic non diſſimile munus, quod poſtero anno Carolus obiit, in ordine Franciſcano, cuius item erat moderator. Ac in ea quidem parte quæ laxiorem videtur ſequi diſciplinam, quædam magni momenti iam perfecerat, ad cœnobiticæ vitæ æqualitatem, tum in victu, tum in habitatione ſeruandum. alia deinde præſtitit valde vtilia per Alexandrum Cribellium Cardinalem, virum pium, & grauiſſimum; quem in munere illius ordinis regendi pro ſe ſubſtituerat. In rel quo autem ordine, qui obſeruantiæ nomine appellatur, illud auctoritate Pontificia curauit, ac effecit; vt quædam eius quaſi partes tollerentur. Clarenorum, Amadeorum, aliorumq; & nominibus quoq; ipſis deletis, cum reliquo corpore coniungerentur: qua de re conſtitutio edita eſt. Eas partes omnes puto ex bonis initiis profectas: fit enim ſæpe in ſacris religioſorum virorum ſocietatibus, vt primo illo ſancti Spiritus ardore, cum optima diſciplina paulatim pro humana miſeria refrigeſcente, quoniam vniuerſi moueri non poſſunt, vt ad priſtinos ſe mores referant, pars tantum id faciat, & à ceteris ſeparata, veteribus, perfectioribuſq; vtatur inſtitutis. quæ cum item ſpatio temporis remittantur: eo res tandẽ recidit, vt nomine tantũ. & prætere a diſſidio ſæpe relicto, ea veluti diuiũctæ

In ordinẽ Franciſcano nonnulla reſtituit.

membræ

membra omnino expediat reliquo eiuſdem conditionis corpori rurſus cõiungere. Amadei, Pacis eccleſiam Mediolani tenebant: nomen traxerant ab Amadeo Vliſſyponenſi, viro religioſiſſimo, qui ſibi ob præcipuam ſanctitatem non mediocrem fratrum numerum, plurimis ab hinc annis adiunxerat, & vna cum ijs aſperiorem veterum vitam renouare conatus erat. ijs cum poſteris temporibus noui, hiſq; alij ſucceſſiſſent; mãſit quidem diſtractus numerus, ſed diſciplina tandem à ceteris non differebat. De ijs reliquo numero aggregandis ne conſtitueretur, principes viri multi primò ſeſe interpoſuerunt, ſine quorum interceſſione vel oblata ſponte, vel poſtulata, quod maxime dolendũ eſt, vix quiddam in Eccleſia paulò grauius componi, corrigive poteſt. deinde verò, ne ſtatutum quod erat, efficeretur: plura, voluntaſq; Amadeorum ipſorum in primis, impediebat. Carolus autem nihil à propoſito declinans, minimè deſtitit, donec bono rem exitu concluderet. aggreſſus ad litteras Pontificias, quas ad eam rem proprie curauerat, in conuentu Pacis promulgandas, remq; conficiendam, ea incurrit, vt vno verbo dicam, quibus tunc quidem ſibi cedendum, & re infecta diſcedendum, clementer ſtatuit. redijt tamen, remq; totam confecit arbitratu ſuo. tum vero eorum, qui reſtiterant, apud Pontificem, ob eius grauiter offenſum animum, deprecator fuit. Ea re peracta, conuentum habuit: in quo promiſcue cœnobij cuiuſq; numero conſtituto, & rectoribus electis, ſalutaribus conſtitutionibus oportune renouatis prouinciæ res compoſuit.

Cauſſis fidei præeſt.

Geſſit per idem tempus aliam rem à Pontifice mandatam. Nefarium hæreſis ſcelus, cuiuſdam concionatoris o- VI.
lim impietate, verbiſq; conceptum, quod diu latuerat, in præcipua quadam Italiæ vrbe tunc apparuit. Inquiſitor ſuo iure vti, in ius vocare, in cuſtodiam dare, ob quorundã magnam potentiã, minimè poterat. duo religioſi viri ob eam rẽ crudeliter interfecti erant. Pontifex eò ſua ſponte Carolum miſit: pauca mandata, maximam auctoritatẽ tribuit. [illegible] nondum profecto, componi res cœperunt: neq; id mirum: quia licet cũ hominibus, quibuſcum oportebat, nõdũ egiſſet, egerat cum Deo tamẽ, qui præſens eſt rerũ omnium moderator, idq; ſingulari quadam ſacrarum precũ contentione. etenim per omnia monaſteria, omneſq; vrbis eccleſias precationis tempora ita diſtribuerat, vt ſine vlla intermiſſione, die, noctuq; eſſent, qui Deũ pro grauiſſimo negotio orarent. quod genus precationis ſine intermiſſione tunc primum, ex ea credo oratione acceptum, quæ pro Apoſtolo Petro vincto habita ſcribitur, poſtea in grauiſſimis rebus ſæpe adhibuit. Cum ad locũ veniſſet, veritate, ac vi argumentorũ, tum prudentia, atq; auctoritate, in primiſq; diuina ope, flexit potentũ animos, auctoritatẽ ſacroſancti magiſtratus, ſacrorumq; miniſtrorum reſtituit, qui eũ velut Angelum Dei ſibi aduenîſſe prædicabant. effecit, vt ſontes, quorum ſatis magnus erat numerus, deprehenderentur, in carcerẽ ducerentur, publicè hæreſes deteſtarentur, alij condẽnati, poteſtati ſeculari permitterẽtur; ciuitas tanto periculo, maloq; breui liberaretur: vt Pontifex, Cardinaleſq; tũ alij Carolum mirifice collaudarent. Dũ id ageret, addidit aliud Pontifex eiuſdẽ generis ad euellẽdas ex religioſo ordine prauas quaſdã opiniones, quæ multis iam inſitæ erãt. quod Carolus ijs qui corrupto ſenſu eſſent, per varias Italiæ vrbes prudenter comprehenſis, & cõcluſis, diligentiſſime curauit. Erant hæ, opinor, reliquiæ malorũ illorum quibus nõ multis ante annis Italia magno in periculo fuerat, vtq; remediũ afferretur, Pius ipſe Pontifex Inquiſitoris tũ officio fungẽs, egregie partes ſuas egerat. In quo magnã equidem cauſſam reperio, quamobrẽ Deo, quas maiores poſſumus, gratias Itali agamus, præcipuo eius munere factũ agnoſcentes, vt quæ peſtis alijs quibuſdã prouincijs orta, illatave, deleri nunquã potuit, ſed maiori in dies perturbatione, pernicieq; graſſata eſt, apud nos facile ſit nõ ſemel extincta. id ego ab diuina virtute proficiſci exiſtimo, quæ ex Romana illa petra in qua ædificata Eccleſia eſt, in propinquiores partes efficacius funditur. Alia publica, grauiſſimaq; negotia per id tempus ad Carolum delata ſunt: nam tantæ virtuti quæcunq; maxime difficilia eſſent, omnia recte cõmitti poſſe videbantur: perſuaſumq; omnibus erat, neq; eius animi æquitatem vlla gratia inflecti, neq; conſtantiam, & robur vlla potentia infringi poſſe. Sed ille operam laborẽq; omnẽ in eccleſia ſua potius ponere cupiebat. Atq; cum quarto iam menſe ob illud fidei negotiũ ab eccleſia tali tempore abeſſet, orare Pontificem non deſinebat, vt redire tandem liceret: eo magis, quod quibus id gratum fuiſſet, vulgo iactabant, detinendum eum de induſtria varijs negotijs, ne Mediolanũ amplius reuerteretur: eam eccleſiam quaſi vineam incultam aſſidua opera indigere: ſynodum clericorum ſibi tandẽ habendam, diœceſis, quantum poſſet eo anno ſibi viſendũ, cuius maior pars reſtabat. At illa tamẽ abſentiæ oportunitate Carolus otij aliquid nactus, animi ſpirituſq; ſui vires collegit: & cũ

Vitæ ſanctitatem auget.

in medio vix ſpiritualis vitæ curſu ſe eſſe affirmaret, quaſi præterita obliuiſcens, maiore quã antea conatu, ad metam incitatus eſt. præterita omnia peccata ſua diligenter à primis annis recognita, quod iã diu cupiebat, confeſſus eſt Alexandro Saulio ſancti Barnabæ Mediolani Præpoſito, nunc Epiſcopo Ticinenſi, cuius conſilijs, & doctrina vti plurimum ſolitus fuit, donec eũ ad Epiſcopatũ Alerienſem à Pio Quinto vocatum, tam libenter ob Eccleſiæ fructum, quam ægre ob ſuum, & ſancti Pauli Congregationis vſum dimitteret. perfectiores ſibi vitæ leges, familiæq; ſtatuit: iam quidquid ad animũ relaxandũ pertineret. ſeuerius vitare: conſuetudini familiarium, ſermonibuſq; minus fructuoſis omnib. ſe ſubducere: ſacras rerũ ſpiritualium cõmunicationes inter domeſticos inſtituere. quotidie habere, menſas cœnaculi religioſi more circũponere: quibus licet ipſe profeſtis diebus abeſſet, non tamẽ, vt ſuperioribus annis, conuiuas adhibebat, aut ſibi plus, aliudue, cui quã alij apponi patiebatur. ieiunij diebus, quos plures iam in hebdomada ſibi conſtituerat, non vt ante cõquiſitos, magniq; pretij cibos, ſed viliſſimos veſpere guſtare: alia ſibi demũ præfinire, quibus ad ſummos ſanctæ diſciplinæ gradus aſcendere properaret. Ita mente, ſpirituq; diuinitus inſtructus

Mediolanũ reuertitur.

Mediolanum redijt menſe Iunio, populo maxime expectatus, maximaq; lætitia exceptus.

Anno 1568 Diœceſis, prouinciæque ſynodũ celebrat.

Cum autem antea, quæ prouinciæ cõmunis vſus poſtulabat, in Epiſcoporum concilio conſtituiſſet: ſuæ quoq; VII.
diœceſis clericorũ ſynodũ, ex ſacrorum canonũ præſcripto iamdudũ habere cupiebat, in qua eccleſiæ ſuę, quæ proprie opus eſſent, decerneret. eã ob varias, & grauiſſimas occupationes, Pontificis etiã conſenſu, cũ diſtuliſſet, habuit tandẽ pridie nonas Auguſti anni M D.L.X.IIX. Vicarios presbyteros, in diœceſi conſtitutos, menſe ante monuit, vt ſuæ quiſq; regionis presbyteris in vnum coactis, quę corrigenda, vel prouidẽda ijs locis eſſent, cũ ijs conſultaret, & notata deferret ad ſynodum. Vnumquemq; parochum eorum nomina ſcripta iuſſit afferre, qui tempore Paſchatis in ſua parœcia peccata ſua ſacerdoti confeſſi non erant, qui ſacræ communionis participes non fuerant, qui gradu cognationis propinquiore, quam fas eſt, matrimonio forte coniuncti eſſent: vt eorum omnium ſaluti proſpiceret. nomina item, ſtatum, & conditionẽ omnium, qui clericalis ordinis in eadẽ parœcia eſſent. Ad hæc, ſupplicationes quiſq; ante diſceſſum vna cũ populo obiret, ad diuinum auxiliũ in eiuſmodi negotio implorandum. clerici omnes ordinis, quo initiati erant, & beneficiorum, quæ obtinebant, legitima teſtimonia recognoſcenda in ſynodum afferrent. Prouidit, ne quis clericorum in publicis diuerſorijs Mediolani cõmoraretur: neq; ea in re pro conſueta liberalitate ſumptibus pepercit, quin ſuas magno illorũ numero ædes impleret. Hæc & alia multa Carolus ita præparauit ad ſynodũ recte habendã, quæ libellis eo de genere cõfectis fuſius continẽtur: quæq; poſtea, cũ alias habuit, ex ijs, quæ vſu cognouerat auxit, etiã diligentius. Stata die ſynodũ incipiens ſalutarẽ ipſe concionem habuit: ſacros ordines de more celebrauit: ad ſancti Ambroſij Baſilicam ſupplicatũ duxit in ea ſupplicatione præter cœnobitas, clerici fuere circiter mille quingenti. in ijs etiam vallium illarũ incolæ, qui iã magis ac magis ad eccleſiæ diſciplinã informabantur. Ibi librorum vetitorum indicem promulgari, conſtitutioneſq; concilij prouincialis recitari, iuſſit. ea demum inquiſiuit decreuitque, quæ ad clerum ſancte inſtituendum, eccleſiaſque recte, & ſalutariter ordinandas pertinerent. triduo religioſum illud negotium abſoluit, Quod reſtabat anni conſumpſit viſitandis eccleſijs, montoſis præſertim,

perluſtrandis. cuius operæ fructus fuit ſane maximus; tum ad rerum ſacrarum decus; tum ad ſalutem mortalium, qui eius ſermone, laboribus, abſtinentia, vehementer ad religioſam vitæ inſtitutionem mouebantur. conſumpſit item in rebus virginum religiſ componendis. quæ quidem vi præcipua fuit & perpetua epiſcopalis eius muneris cura: ita magni, diuturnique laboris, Deo concedente, fructum habuit ſingularem. tunc operæ multum poſuit, in nonnullijs cœnobijs ob exiguum numerum, locave minime tuta, omnino ob corruptam diſciplinam, in ampliora, religioſioraque transferendis: tum nonnullis etiam à religioſorum quorundam poteſtate, Pontificia auctoritate vindicandis: in ſacrilegis item hominibus non paucis puniendis; quorum conſuetudo ſacris locis pernicioſa erat. vt tali ſacri pudoris patrono, ac vindice; in illius pariter, & alienæ poteſtatis fœminarum, mariumq; cœnobijs rectius ſeſe multo res haberent; & magna vbique Caroli diligentiæ, iuſtitiæque formido exiſteret. Intendebat animum ad Epiſcoporum concilium ſecundo celebrandum: cuius tempus, Pontifice conſulto, à Septembri menſe, quo triennium à primo prætererat, ex ratione ſacris decretis conſentanea, tranſtulit in inſequentis anni M. D. LXIX. Paſchales dies. vocauit igitur duobus ante menſibus Epiſcopos, monuitq; parati adeſſent, rerum eccleſiaſticarum perfectam conformationem ſtudiis ſuis proſequerentur. vocauit canonicos, & ex vnaquaque eccleſia, ſeu diœceſi teſtes, quos dicunt ſynodales: qui in priori concilio electi, quid ad rectam eccleſiarum adminiſtrationem, cultumque deeſſet; quid corrigendum, prouidendumve videretur, pro ſuo munere tunc referrent. Affuerunt in hoc concilio ciuitatum, quas in priori nominauimus, Epiſcopi, qui quidem eſſent, neceſſarioue non tenerentur impedimento. alii Præſules nonnulli, quorum doctrina, quæ decernenda erant, prius explanarentur. Ac licet eruditi viri, quos Mediolanum primo Carolus adduxerat, Romam rediſſent, retinebat Petrum Galeſinum; qui & ſtilo, & eccleſiaſticæ antiquitatis cognitione; ad conciliorum decreta, multaque alia conſcribenda, quæ opus eſſent, non ſolum per eos annos, ſed poſtea ſemper magnos illi vſus attulit. Carolus in Epiſcopos concilij tempore, canonicoſque aduenas conſuetam in domo ſua præſtitit hoſpitij liberalitatem. præſtitit etiam ſuam probe aſſiduis in laboribus, vigiliiſque mirificam conſtantiam. Delectus eſt Franciſcus Bonhomius Cremonenſis, cui Nonantulanam Abbatiam is contulerat, qui decreta in concilio ſancita Romam à Pontifice probanda deferret; eorumq; pro ſua prudentia, doctrina, & fide rationem redderet. eidem ad Pontificem mandata concilii, & ſingulorum Epiſcoporum nomine data ſunt, ad eccleſiarum ſalutarem adminiſtrationem pertinentia.

Anno 1569. ſecundo celebrat concilium.

VIII. INTERIM eccleſiaſtici iuris cauſſa, iudiciumque biennio iam ante in Senatores, alioſque datum, fere conticeſcebat. Ac tametſi ſacri iuris dignitatem, auctoritatemque per motus eiuſmodi lædi Carolus putaret: Pontificis tamen verbis, ſapientiaque, tum ſua virtute ſubſtentabatur: eoq; facilius, quod ſuis tum iudicibus Mediolani multum tribui videbat; homineſq. laicos, eccleſiaſticorum criminum reos, eorum iudiciis ſatis quietè parere: tum Magiſtratus etiam ſeculares multa concedere, vel diſſimulare. Tantum ipſe eorum contemptum, ſeu negligentiam ſuperiore anno, conſulto Pontifice, caſtigauerat; qui anathemate iam ab eo damnati; colloquiorum, rerumque diuinarum communicatione, ſicuti par erat, non abſtinebant. Verum ea quies & ſilentium eo demum euaſit; vt nouæ, ac maximæ perturbationes efficerentur. Nobilè canonicorum collegium Scalenſe, inter alia Mediolani eſt, à Regina Scalenſi, Barnabæ Mediolanenſis Principis vxore inchoatum, & ab ipſo Barnaba poſt vxoris mortem eà conditione ante annos amplius ducentos, integre conſtitutum, vt ſibi, ſucceſſoribuſque ius ad canonicos nominandos reſeruaret. De eo viſendo, ac recognoſcendo Carolus agere cœpit. Canonici contra, regijque Magiſtratus eccleſiam ab Archiepiſcopi poteſtate dicebant exemptam: Regi certe vt Duci, & patrono in ea ius eſſe. re vera Clemens Pontifex exemerat; ſed ita tamen, ſi Archiepiſcopus conſentiret: conſenſu vero nuſquam apparebat. Carolus tametſi certo ſibi iure niti videbatur, negotium tamen ſuſtinuit; Romamque detulit. cumque reſpondiſſet Ormanetus, ac mandaſſet Pontificis nomine, vt iure ſuo vteretur, rem ille tamen adhuc trahi duobus fere menſibus paſſus eſt. Interim canonici (nonnullos ſemper exceptos volo, quos ſcio diſſenſiſſe) tantum ſibi ſumpſerant; vt ne in vllum quidem ipſius eccleſiæ Scalenſis clericum Archiepiſcopali auctoritate agi poſſe contendè affirmarent. immo Vicarium cauſſarum criminalium, & fiſci procuratorem, quia egiſſent, anathemate notatum publice denunciarunt; Carolum etiam ipſum ea de cauſſa citare auſi. Priuilegii ſui, & auctoritatis Apoſtolicæ nomine id fecerunt; cuius tuendæ miniſtrum, iudicemque delegerunt leuiſſimum hominem, atque imperitum Petrum quendam Barbeſtum. His rebus cum Magiſtratus aperte fauerent: Dux etiam ipſe ſemper eccleſiaſtico iuri tuendo antea deditus, tunc alium ſe præbebat: ſiue id aliorum inſtigatione; ſiue obtrectatorum timore faceret; qui calumniandi, accuſandique apud Regem, regiumque conſilium ex pio eius ſtudio occaſionem arripuerant. commotus etiam dicitur: quia cum ad tollendum mercatum quendam qui ad ſancti Bartholomæi, eius die feſto haberi ſolebat; ipſo die Carolus eccleſiam claudi iuſſiſſet; ad eam eccleſiam rei diuinæ cauſſa forte is aduenerat: &, vt perturbati animi natura eſt, occluſas fores, contra penitus, ac Caroli mens fuerat, accepit in iniuriæ loco. Vtcumq; ille affectus, mutatuſue fuerit, pœna certe capitali propoſita, per eos dies edixit. ne quis aliquo modo regiam iuriſdictionem læderet. quod quidem edictum ita conſcriptum eſt, vt cauſidici, notarii, miniſtriq; fori Archiepiſcopalis omnes, veriti ne qua forte ratione aliquando comprehenderentur, eiuſmodi pœnæ metu, forum, cauſſas, exercitationeſq; ſuas omnino dimitterent. Carolus in aperto iure minime hæſitandum, cunctandumve ratus; ne maiora ex his in dies contra Eccleſiæ ius pararentur; ſimul ſuſpicans, ne tempus ideo duceretur, vt ipſe quoque per Barbeſtum publica poſſet propoſita denunciatione notari: diem illius eccleſiæ recognitioni deniq; conſtituit. eo die mane per Ludouicum Monetam presbyterum denunciat, iam iam ſe affuturum, eccleſiæ, ac ædium eccleſiaſticarum viſendarum cauſſa. canonici prius moniti ſacrorum feſtinanter finem fecerant: & plerique ſacra linea veſte induti, ad cœmeterii ianuam, ceteris omnibus clauſis, conſtiterant. Ex his Calaber quidam ſenior, qui œconomi munere in Eccleſia Mediolanenſi fungebatur; denuncianti Ludouico, In regio, inquit, domicilio ſumus nullum ius Archiepiſcopo in nos: Cardinali id nuncies; moneaſq;, vt prudenter agat: huc enim ſpectant edicta promulgata contra homines Regi infidos. Dum ceterorum ſententiam, an eadem ſit Ludouicus exquirit, exardeſcit ſenex, dure increpat, omnes in eum impetum faciunt; impellunt, eiiciunt. Carolus ipſe non multo poſt aduenit. qui Cardinalis inſigne ante illum geſtabat, cum limen intraret, iniecta in frœnum equi manu, repellitur. eodem modo, qui crucem Archiepiſcopalem præferebat. tum Carolus mula deſcendit; crucem, quam tenere in pronunciatione ſententiæ contra canonicos oportebat, prehendit, ingreditur. ibi vero horrendum ſpectaculum. cæci ſacerdotes, qui tanti Antiſtitis, ſacrorumque inſignium conſpectu placari, aut potius terreri debuerant, vehementius accenſi irruere; armati, quos quaſi cum hoſte res eſſet, conduxerant, diſtrictos gladios tollere; Hiſpaniam, Hiſpaniam ſtultiſſime conclamare, Carolum varie agitatum, & in imaginem Crucifixi ſemper intuentè repellere, fores obtrudere, contraq; faciem claudere, multitudinis concurſu, ſtrepituque omnia miſceri. His interfui adoleſcens, cum ea via forte præteriens, turba, reique nouitate motus eo loco moratus eſſem. Ibi Carolus in canonicos anathema, interdictum in eccleſiam pronunciauit: Vicarius eius generalis Ioannes Baptiſta Caſtellius paratum ſcriptum parieti affixit. quo ſtatim ad merſarii conſciſſo; Vicarium male habuerunt, atque adeo ceciderunt. eodem die à collegio celebriter deductus, præclarus ille litterarum Pontificiarum patronus Barbeſtus, ſententiam ſolenni ritu, campanarumq; ſono contra

De Scalenſi caſa.

Scalenſes canonicos anathemate ſubijcit Carolus.

Barbeſtus contra Carolum pronunciat.

Caroluſ ex communicat eum iterat.

Carolum pronunciat: grandibus litteris in illius eccleſiæ pariete, aliiſque vrbis locis publice notatur, Carolus Borromeius Cardinalis, & Archiepiſcopus ſactis interdictus, ob Pontificiæ auctoritatis contemptionem. Contra Carolus pronunciationem ſuam in Baſilica maiore ſtatim renouauit. deinde nominatim Oeconomum, totius facti ducem, & alios de quibus conſtare potuit, ob vim ſibi, miniſtriſq; ſuis adhibitam, ſequenti die, ab Eccleſiæ corpore abſciſſos; eoſque, & eorum eccleſiam iis pœnis conſtrictam, declarauit, quæ Bonifacii Pontificis conſtitutione ſancitæ ſunt in Cardinalium violatores: plura enim erant capita, quibus eo facto canonici grauiſſimas eccleſiaſticas pœnas incurrerant. Duci præterea, Senatuiq; facinus ſcripto denunciauit; monuitq;, ne forte in tanta re conniuentes, in eaſdem pœnas inciderent. Cæſarem Specianum patritium Mediolanenſem, tunc canonicum ſuum, nunc Epiſcopum Cremonenſem, magna virtute Præſulem, & magnis Eccleſiæ ſanctæ muneribus perfunctum, Romam miſit, qui acta omnia ad Pontificem referret, & quæ ea de cauſſa opus eſſent, procuraret. Erant Carolo mœroris non mediocris cauſſæ complures: vaſtitas eccleſiaſtici fori: nulla iudiciorum facultas, niſi quam comprobaſſet Senatus: quamquam ne illa quidem vti quemquam permittebat, ne licentiam eiuſmodi probare videretur: publica quædam auctoritatis ſuæ contemptio: nulla ciuilis poteſtatis tutela; quin tacita potius oppugnatio: iactatio aduerſariorum; disiunctum tandem ab eo, & abalienatum Ducem; Pontificem vero minime, vt putabatur, commotum recentibus factis: Vicarij, conſiliarijq; ſollicitati, ac pene iuſſi, vt à Carolo diſcederent. dubitatio piorum, amicorumque hominum, num forte magis cedendum eſſet, quam tanat turbari ſinere.

Hoc loco res Caroli cum eſſent, eò maiori tamen animo eſſe videbatur, quò grauiori premebatur acerbitate. IX.
ſumma in rebus omnibus circumſpiciendis diligentia: neq; opera, neq; ſtudio cauſſæ deeſſe: nullum officium Romæ, vel in Hiſpania prætermittere: ſeſe in primis, eccleſiamq; ſuam, ſuis, aliorumq; precibus impenſe Deo commendare: ſpiritualibus colloquiis, exercitationibuſq; ſuſtentari. Atq; dum conſiliorum ſuorum, & aduerſariorum item rationem perpendens, exponeret omnia Pontifici, illud quandoq; dixiſſe reperio: ſi eorum malorum in ſe ipſo cauſſam agnoſceret, dicturum cum Iona: Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ceſſurum ſe facile, magiſq; tranquillam vitam, quod ei facile, iucundumq; foret, electurum. Sed cum perſpiceret de auctoritate tantummodo agi: idq; curari, ne quid Archiepiſcopus in laicos ferre ſine ſæculari poteſtate poſſet, quod neq; iuri conſentaneum, & moribus emendandis, ſalutiq; populi valde incommodum iudicabat: id etiam fortaſſe agi, vt Carolus tantis moleſtijs, difficultatibuſq; defatigatus tandem locum deſereret, aliuſq; Archiepiſcopus crearetur, qui vel non poſſet, vel nollet repugnare: hæc cum videret; decretum ſibi eſſe, omnia potius incommoda perpeti, omnia ſubire pericula, quam Eccleſiæ cauſſam vmquam deſerere. ſcire ſe etiam Pontificis in Eccleſia tuenda, & omni æquitate conſeruanda religioſiſſimam voluntatem. noſſe Catholici Regis optimam mentem. his rebus in magnam ſpem adduci, omnia tandem, Deo in primis fauente, felici exitu eſſe concludenda. Sed quamuis acta Barbeſti Pontifex irrita declaraſſet: ex canonicis nonnullos Romam vocari: & quia non paruiſſent, anathemate damnari iuſſiſſet: remiſſius aliquanto tamen agi, tardiuſue remedia malis præſentibus afferri Carolus exiſtimabat, quam res poſtularet. cunctationem ipſe, diſſimulationemq; maioribus malis occaſionem putabat eſſe. alii vero maiora mala ita potius auerti, dicebant: omnino Caroli mentẽ, animumq; ea ratione exerceri, & quodammodo expoliri. cum is ita ſentiret; tanta tamen erat modeſtia, tantumque ſummi Paſtoris ſapientiæ, atq; amori tribuebat, vt in litteris, quas frequentiſſime ad procuratores ſuos, homines maxime ſibi fidos, Romam mittebat, ne verbum quidem reperias, quo vir acerbiſſime preſſus, vel agendi modum reprehẽdat, vel paulò liberius queratur de ipſis etiam aduerſarijs ita loquebatur, vt quos poterat, excuſaret; ſicuti vere nonnulli erant aliqua excuſatione digni. Merito autem paterno Pontificis amori plene confidere poterat; à quo plurimi fiebat, atque vnice diligebatur. cuius rei teſtimonium Ioannis Baptiſtæ Cardinalis ſancti Clementis litteris teſtatum, libet hoc loco proferre. Pontifici Domino noſtro (ad Carolum ſcribebat ille) adeo probantur actiones tuæ, vt heri dixerit; Antiſtitem in Eccleſia Dei diuini cultus, & honoris ſtudioſiorem, aut in eccleſiaſtico iure tuendo, ſanctæque Sedis huius auctoritate conſeruanda fortiorem, quam tu videaris, ſcire ſe neminem. ideo viribus omnibus opem ferre quidem velle, amplitudinemque tuam defendere, ſed rei tempus expectandum. aliàs dicebat Pontifex, in Caroli rebus tuendis, vel vitam ipſam ſibi ponendam. De Rege licet ea omnia ſibi Carolus polliceretur, quæ ab optimo Principe poſſent expectari. tantum erat tamen aduerſariorum ſtudium, tanta contentio, vt vel ſcribendis ad Apoſtolicum Internuncium in Hiſpanias litteris ſcriptiſq; alijs mittendis, quibus varia, quæ contra ipſum, Regi inferebantur, coargueret, aſſiduam pene operam dare cogeretur. Is erat Ioannes Baptiſta Caſtaneus Archiepiſcopus Ruſſanenſis, humanitate, religione, iudicioque vir in primis præſtantiſſimus. qui nuper Sixto mortuo, in altiſſima Petri Sede collocatus paucis diebus morte ſublatus eſt. Erant apud Regem, & eius conſilia, qui vel id prædicare non dubitarent; omnino prouinciam Mediolanenſem, ſalua Regis auctoritate, adminiſtrari non poſſe, niſi Carolo pulſo. Totius autem ſenſus ſui, rerumq; eccleſiæ Mediolanenſis rationem Regi fuſius aperire conſtituit, vt pro religioſa voluntate ſua, quantum in eo eſſet, tantis incommodis mederetur. Optimo igitur Antiſtiti, valdeq; amico mandata dedit: quorum fuit hæc ſumma: Quod perturbationum Mediolanenſium, quæ Regi notæ ſatis erant, culpam in ſe, tamquam Regis parum ſtudioſum, alieniique iuris appetentem, quidam transferre conarentur: primò ſibi conſcium eſſe, ſuæ id vitio fieri non poſſe voluntatis, quam ſane optimam erga Catholicam Maieſtatem hæreditatis quaſi iure accepiſſet à maioribus ſuis, ipſeq; maxime omnium conſeruaret, ob ea, quæ in Gibertum eius patrem, Federicum fratrem, in ſe demum agnoſcebat ab eadem liberaliſſime collocata beneficia: quam etiam Romæ olim, quo loco, & tempore, opera, & officijs ſuis multo melius poterat, re ipſa ſæpius oſtendiſſet. Alieni vſurpandi, quæ cupiditas, aut ſuſpicio in illum caderet, qui omnia ſua ſibi relinquenda ſtatuerat, vt Deo liberius, eccleſiæq; ſibi commiſſæ poſſet inſeruire: errorem etiam ſibi adeſſe videri, cum viris peritiſſimis in iure ſuo plane cognoſcendo vteretur. Neque ſe concordiam cum Regio Magiſtratu negligere: immo quoad poſſet, diligenter curare, cuius fructus in eccleſia adminiſtranda omnibus eſſet manifeſtus. argumento eſſe vel eius patientiam, qua biennio iam in multis eccleſiæ damnis, ac inimijs vtebatur. At Magiſtratus in peiorem partem accipere omnia, apud Pontificem, Regemq; de ſe iniuſte queri, & ſine cauſſa accuſare, vel ijs refellendis, quę contra ſe dicerentur, multum ſibi negotij exhiberi. Regij iuris tuendi nomine edictum promulgatum, quo omnes eccleſiaſtici fori actiones funditus eſſent ſublatæ. Si clericus ſuum iudicio perſequi vellet; ſi pro eccleſia ſua agere, ſi pia legata exigere, neminem eſſe, qui operam non negaret. Simoniacos, ſacrilegos, adulteros, vſurarios, alios omnes maleficos, impunitos eſſe: vitia, & peccata late manare. improbos, facinoroſoſq; exultare: clericos, eccleſiaſque iniuria affici: mortuos nonnullos pijs ſuffragijs deſtitui. ita poteſtatis ſuæ conſeruandæ nomine, regios iudices Eccleſiæ totam eripuiſſe iuriſdictionem. Scelerum audaciam ab eis nutriram: nihil certe actum contra ſicarios, qui ſibi iacto[illegible] Archiepiſcopalis auctoritatis inſigne tenenti diſtrictis gladijs à canonicis obiecti erant. id multis iuſtam [illegible] exiſtimandi afferre, vel de[illegible] magiſtratibus placere; vel ipſis conſentientibus fuiſſe commiſſum. [illegible] apud Pontificem, quòd bidui moram in eo negotio negaſſet, qui ipſos conceſſerat menſes. ad hoc rem indigniſſimam, ſed tamen etiam ridiculam, gladios à Caroli parte prorſus [illegible] eductos. [illegible], quæ cum Senatu in controuerſia eſſet, pro Rege quidem non tantam videri. [illegible] tandem regiæ poteſtati obeſſet, neceſſarios iuriſdictioni ſuæ

Romæ, & apud Regem de rebus ſuis agit fortiter.

hi ſuæ ſatellites Archiepiſcopum armatos habere, vitioſoſue homines eccleſiaſticorum criminum reos eius auctoritate duci? at pro Archiepiſcopo magni eſſe momenti: aliter enim vix, aut ne vix quidem, delictis coercendis ſuo munere fungi poſſe. nam & ſi quid difficilius tentandum eſſet, perfici minime poſſe abſque laicæ poteſtatis auxilio. Ius regium verbo, re vera defendi viuendi licentiam. quale illud eſſet; quòd turbæ pene omnes ex eo tamquam ex ſemine ortæ videbantur; quod in adulteros, & concubinarios agere cœperat. Eiuſmodi impedimentis, & contentionibus ſummam eccleſiæ conformandæ, moribuſque emendandis difficultatem afferri. In ultitudinem varijs rumoribus ſuſpenſam, incertamque teneri, ne Paſtorem ſuum audiret, & in ſalute curanda progrederetur, diſcere multos non ſolum laicos, ſed etiam clericos repugnare Epiſcopis ſuis. Magiſtratus, quos prouincia bene gubernanda, vtilius occupari oportebat; detineri contentionibus cum eccleſia exercendis. Hæc à vero animi ſenſu, chriſtianaque charitate profecta Rex apud ſe cogitare vellet; videretque, digna ne pia, optimaque mente, & ſenſibus ſuis plane catholicis à ſuis agerentur, & pro ſua ſumma prudentia, & pietate de rebus omnibus conſuleret. Quid eccleſiaſticum forum pateretur, eodem modo Duci, & Senatui denunciauit; & litteris teſtatus eſt: monuitque, vt pro eo quod ſacri canones in eos ſtatuerunt, qui libertatem eccleſiaſticam, auctoritatemque læderent, conſulerent ſaluti ſuæ.

X. Dum hæc ad Regem afferuntur; dum cunctatur Pontifex, & Magiſtratus in Eccleſiæ, Archiepiſcopique iniuriis conniuent: alia multo acerbiora, prorſuſque deteſtabilia in Carolum patrata ſunt. Humiliati optimis quidem legibus aſtricti, & ad inſtituta, officiaque ſua reducti erant; ſed quantum vis poterat: alia enim erat voluntas; omniaque mouebant, vt ad vſitatum vitæ genus poſſent recurrere. Multa Carolus fecit, tentauit multa, vt vere ordinem ad veterem normam, rectamque diſciplinam reuocaret. de bonis monachis ex alio ordine vnicuique cœnobio præficiendis egit: de bono ordine cum eo coniungendo; de nouitijs optime inſtituendis. omnia parum valere videbantur ad ordinem, inueterata iam conſuetudine, rurſus inflectendum. optimum factu erat per nouitiorum inſtitutionem, ſucceſſionemque diſciplinam reſtituere: ſed nimis id longum videbatur. omnino illud compertum eſt; qui ignorantia, vel infirmitate errent, eos verbis, caſtigatione, diligentia in viam poſſe reduci: qui parata ſalutis ſubſidia contemnunt, ſcienteſq; & volentes in errore verſantur, & conſueſcendo habitum confirmant; metu, vi, præmijs poſſe interdum contineri, ceterum vbi copia detur, eodem ſemper reuolui. Hæc tractare cum Carolus pergeret, & monachi eius auctoritate, diligentia, conſtantia vndiq; tenerentur, & vel Romam videre ipſa Romana auctoritate prohiberentur: nefarium conſilium ex eis quidam cœperunt, Carolum quacunq; ratione de medio tollere: id ſi ſuccederet, quę vellent, auferre facile poſſe. Auctor ſceleris fuit, vt etiam Pius Pontifex in ſua conſtitutione refert, Hieronymus, eccleſiæ Vercellenſis ſancti Chriſtophori antea Præpoſitus. is rem cum Laurentio Pręposito Carauagii, Clemente Præpoſito ſancti Bartholomæi Veronæ, & Hieronymo eiuſdem ordinis ſacerdote, cognomento Farina, communicat. Farina ſe paratum oſtendit ad rem perficiendam; ſi pecunia detur. quadraginta aureos nummos tanti ſceleris mercedem ſibi paciſcitur. cum ii non ſuppeterent, alio ſcelere parare aggrediuntur. Agunt de ſurripienda eccleſiæ Braidenſis Mediolani pecunia, quæ à Fabio Simoneta monacho, ex nouis conſtitutionibus cuſtodiebatur. cogitant etiam, cum proxima eſſet Aſcenſionis Domini ſolemnis dies; eiuſdem eccleſiæ altare, quid enim iam non auderent? aureis, argenteiſq; ornamentis expilari poſſe. Atq; cum ærarii Braidenſis oſtium effringere conati, nihil egiſſent, Fabium ſtrangulare ſtatuerunt. illo in templi adyto ſacræ precationi operam dante, veniunt ad ianuam. diſſident inter ſe, quis eorum prior faſciam collo iniiciat. re tandem infecta diſcedunt. ſuperari Deus voluit religioſa precatione improborum nequitiam. Sacra vaſa atq; ornamenta, Farina ſolus abſtulit, & pecunia ex iis quamprimum confecta; per ganeas varijs in regionibus voluptati ſe dedit. ac tandem, vt breui comprehendam, breuibus tormentis duobus, ex iis, quæ tota artificio, igne repente ex ſilice excuſſo, feriunt, nouo alio furto coemptis, ad nefarium ſcelus paratum ſe denunciat. eo peruenerat immanitas: vt neceſſe iam non eſſet, eam mercedibus euocari. Modo in itinere Carolum aggredi conſtituit, dum perluſtrat diœceſim: modo ad ſancti Barnabę ædem, quò ille frequenter veniebat, vbi opportunitatem dabant horti, qui contra illam ſepibus tantum muniebantur. Semel poſt ſepem deliteſcens per ianuam eccleſiæ ad altare ſacra facientem, longiori tormento petere inſtituit, ſed fores, quæ apertæ ſubito claudebantur, miniſtri item, qui per gradus altaris frequentes intuenti occurrebant, impedimento fuerunt. locum deinq; tempuſq; elegit, quo Carolus cum ſuis, aliiſq; veſpere ſuis in ædibus ſacras preces obibat. eum acceſſiſſet, ob Cribellium Cardinalem lateri coniunctum abſtinuit. reuerſus conatus eſt tandem. ea precatio tunc habebatur, quia ſacellum ædificatione impeditum erat, in amplo loco, qui hoſpitum commodo contra ianuā eſt ædium ipſarum. pars loci, quæ pro ſacello erat, ligneo ſepimento ad tempus erat à reliquo diſtincta. Igitur feria quarta vij Cal. Nouemb. anni M.D.LXIX. dimidia circiter hora poſt noctis initium, genibus flexis orabat Carolus, quattuor, quinqueve cubitis longe ab oſtio ſepimenti, ad pietatem excitandam, frequentiamque exterorum inuitandam, aliquid muſici cantus adhiberi ſolebat: tunc autem canebatur illud Euangelii, Tempus eſt, vt reuertar ad eum, qui me miſit: cumque ad ea verba cantores veniſſent, Non turbetur cor veſtrum, neque formidet; ſacrilegus ab eodem oſtio quod apertum erat, tormenti totam laxat: ignea vis pilam, pilulaſque plumbeas plures in Carolum coniicit flamma, ſonitus ingens improuiſus omnes perterrefacit. Carolus verberatum ſe in dorſi ſpina ſentiens, locum manu premit: dolorem, quamuis minime ſentiat, ſe tamen grauiter ſauciatum putat; exiſtimans recenti adhuc vulnere cruciamentum non effici: in facto adeo terribili nihil corpore motus, parum etiam animo videtur; ſed ſuis, præſentibuſque aliis, qui conſurrexerant omnes, & accurrerant, ſignificauit, vt ſacrum opus perficerent, neque abſcederet quiſquam: paruerunt omnes, finemque orandi quiete fecerunt; vt commode percuſſor exire, per ſcalas deſcendere, atque abire potuerit. Pila ne veſtimenta quidem traiecit, ſed in linea tantummodo exteriori veſte (rochetum appellant) impreſſo veſtigio, & labe quadam effecta, poſt Carolum ſuper panno humi ſtrato cecidit. Pilulæ ab ore tormenti dilatatæ varia loca petierunt alia, eadem veſte, tunicaque inani ictu tranſiecta, & exuſta itidem in pannum decidit: alia parieti adhæſit; qui contra oſtium, Carolo medio, erat. reliquarum plura ſigna in eodem pariete apparebant. Precatione habita diſcedit in cubiculum Carolus: vbi exutis veſtimentis, nullum in corpore vulnus apparuit: nulla prorſus offenſio; tantum notula quædam, non ſine tumore, in loco verberato extabat. plumbea tela, veſtes etiam demum religioſa cura pii viri conſeruarunt.

Percuſſus nihil læditur.

Humiliatos omnibus modis conatus ad perfectionē regulæ reducere.

Mortem ei parant.

Farinæ ad id opera vtuntur.

Farina ſacra rapit.

Anno 1569.

Ioan. 16.

Globo ictus nil læditur.

XI. Gravissimo caſu, nefarioq; facinore ſtatim commota ciuitas, tota fere conuenit ad ædes Archiepiſcopales, ibi oēs factū obſtupeſcunt; ſceleris horrent atrocitatem, miraculū prædicant. Dux ipſe accurrit illico, Carolūq; amantiſſime conſolatus, omnia pollicitus eſt, quæ telorū ſigna extabant, ea pie, ſtudioſeq; viſit. tum vero celeriter de ſacrilego deprehendēdo conſultauit. Atq; in ędibus Archiepiſcopalibus à ſecunda, vſq; ad ſextā horam noctis moratus, cum ex eius familia de re, & malefico quærere vellet, adduci numquā Carolus potuit, vt cōſentiret: & quamuis vocari religioſos viros illi maxime probatos iuſſiſſet, vt id perſuaderēt, nō impetrauit tamen. Duci vero Carol⁹ gratias cum egiſſet, addidit etiā priuatim ſibi ducere eam illatam iniuriā: propterea velle ſe, vt nullo humano ſtudio adhibito, tota Dei iudicio permitteretur; qui ea in re pręſertim ſuā declaraſſet tutelā magis cupere, vt eiuſmodi ſtudiū, diligentiaq; ad eccleſię ius tuendū conferretur; & ad ea vindicāda, quę in rā quotidie fiebant; ea maxime, quę ad eccleſiā Scalenſē publice

Quæ poſt caſum facta ſunt, & de rebus Caroli melioribus.

commiſſa fuerant: vbi non ipſi priuatim, ſed perſonæ, auctoritatiq. Archiepiſcopali inſignis iniuria facta fuerat. tanta diſſimulatione ea in re ab eo, & à Magiſtratibus adhibita, facile potuiſſe improborum audaciam ali. Quibus ſcite Dux reſpondit, in publicis controuerſiis, quæ iure dirimendæ eſſent, Conſilii, Senatuſque arbitrio facere ſe oportere: quod proprie ad Carolum, eiuſq. vitam pertineret, cuius ſe defenſorem profiteretur; id non ſecus, atque vitam ſuam ſibi curæ eſſe. eadem ſententia ad Senatorium ordinem Carolus locutus eſt; qui poſtridie eius diei officij gratia ad eum conuenit. quod idem Conſilium ciuitatis, collegiaque præcipua fecere. At Dux ea ipſa nocte edictum promulgari iuſſit, in quo re, vt geſta erat, explicate relata, & diuini miraculi nomine appellata; qui aliquid noſſent, quod ad ſcelus illud pertineret, eos iuſſit ſtatim, aut tridui ſpatio ad ſummum indicare; capitali, bonorumq; publicationis adiecta pœna, ſi non facerent. impunitatem præterea indici, niſi ipſe auctor flagitij eſſet, pollicitus; præmium quoque propoſuit, abſolutionem duorum damnatorum exulum, & aureorum duo millia triduo fere portas vrbis clauſas haberi iuſſit. cauponeſque omnes eorum nomina deferre, qui feria quarta in eorum diuerſoriis ad primam noctis horam morati eſſent. litteris ſtatim miſſis, edixit præfectis, tum qui vrbes prouinciç cuſtodiunt, tum qui arces tenent; vt omni diligentia, hominem nefarium conquirerent. alia fecit diligenter ad hominem aliquo modo eruendum. cuſtodiam eius armatam, cum recuſaſſet Carolus, hora tamen ſupplicationis conſueta mittebat ad palatium Archiepiſcopale, ianuamq; cuſtodiri iubebat, donec occluderetur. Ipſe frequentiſſime, atque amiciſſime Carolum adibat; ea quemadmodum dicebat, de cauſſa, vt omnes intelligerent, iuris quidem eſſe inter eos controuerſiam, poteſtatumq; diſſimilitudinem; ſed non diſiunctionem animorum. Carolus autem, vna cum clero de more ſacros ordines duxit, ad agendas de accepto beneficio gratias; quem frequentiſſimus pie admodum, atq; amanter populus proſecutus eſt: vt vel eo ſigno ſatis indicaret, quam charam haberet vitam Paſtoris ſui. Paulò poſt Carinianum ſe contulit, ad Carthuſienſium monaſterium vrbi propinquum: vt quem ferre poſſet, ex diuina voluntate, vel deberet eiuſmodi euentus fructum; clarius, atque vtilius in loco ſolitario videret. Facto autem accurate deſcripto, & ad Pontificem miſſo: ipſe litteras adiunxit huiuſmodi.

Caroli literę ad Pontificem.

Qvod mihi ante tres dies accidit, Ormanetus exponet Sanctitati tuæ. id auribus tuis moleſtum erit: ſed Domini Dei noſtri miſericordiā etiam indicabit, qua vſus eſt, in me haud vſitata ratione protegēdo. neq. id mea, qui nihil eiuſmodi ſum meritus; ſed vel loci, officijq; mei gratia; vel vt longius, quod mihi opus eſt, ad pœnitentiam temporis ſpatium daret: aut vero aliis de cauſſis, quæ nobis curioſe inueſtigandæ non ſunt. Eſt igitur hac in re potius, vnde læteris, quàm moleſtiam capias. Equidem Deo gratias ago; ſperoque non ſine fructu hoc fore honoris, & gloriæ diuinæ. Sanctos pedes tuos oſculor, tibique omnia bona precor.

Pontificis reſponſum

Ad ea reſpondit Pontifex ſua manu: Malis hoc ſemper in more fuiſſe iam inde ab ipſius Abeli tempore, inſectari iuſtos: ſed dum nocere illis conati ſunt, profuiſſe potius; ſibi vero obfuiſſe. dolere ſe maxime quorundam cæcitatem, qui contra ſe ipſos laborarent; ſeque eò paulatim demitterent, vnde non eſſet exitus. gratias Deo egiſſe; quòd talem virum ſibi ſeruaſſet; & dæmonis conatum fregiſſet. non ſolum Dei fiducia, ſed diligentia etiam vteretur in ſe cuſtodiendo. vindicaturam id ſceleris diuinam maieſtatem, vt ſolet, in tempore. Deum oraret per ſe; & per alios, vt cæcis lumen daret. Verum allato Romam nuncio, magnus tota vrbe motus, magna fuit admiratio. Pontifex in Cardinalium conuentu ea de re verba fecit: caſum deplorauit ita ſcilicet euenire cum ii qui poteſtates, & imperia regant, odium in Epiſcopos. aut alienam voluntatem oſtendunt improborum animos in eos, furoremque confirmari hortatus eſt deniq;, vt de tanto viro per miraculum ſeruato Deo gratias agerent. tum vero ſuo nomine Catholico Regi negotium grauiſſimè commendari iuſſit; vt ad prouinciæ Mediolanenſis rectores, pro rei grauitate mandata daret. Nuncio item in longinquas vſque prouincias celeriter fama perlato; confluxere vndiq; Regum, Principum, priuatorumq; litteræ; quæ ex ſceleris atrocitate, & ex felici euentu, dolorem, gaudiumq; miſcebant alii teterrimam hominis mentem, qui commiſerat, aſperamq; temporum conditionem deplorare: alii Caroli ſanctitatem, rectiſſimamq; mentem prędicare, alii diuinam benignitatem celebrare, in ſuis ſeruandis, miraculiſq; etiam noſtræ ætati concedendis. grauiſſimum multi argumentum efferre, quod conſtanter omnino agendum ſit Dei miniſtris, quidquid eorum officii eſt, tam perſpicuo Dei patrocinio. ingenioſe quidam proferebant, amantiſſime gratulantes, Deoq. gratias agentes, quod eodem tempore Deus & martyrij laudem, viro ſibi, & Eccleſiæ prorſus deuoto dediſſet, & martyrem mirifice ſibi ſeruaſſet. neſcire ſe dicebat M. Antonius Amulius Cardinalis, vtrum maiori miraculo corpus à vulnere, an animum à terrore liberum; Carolus ex horribili caſu retuliſſet: vtrumq; certe magnum ſibi videri miraculum. Quibuſdam etiam fuit in prouerbio, lineam Caroli veſtem eſſe quauis lorica duriorem. Eius cognati Principes viri, proximi, & longinqui, cuſtodiam, potentiamq; ſuam pollicebantur Religioſæ, piæq; Congregationes ſacra munera aſſidue obibant, gratiis Deo agendis, auxilioq. diuino in poſterum implorando: nā multi ex amicis poſt euentum magis, quam ante multo metuebant. At fuere etiam, qui dum cauti, atq; intelligentes videri peruerſe vellent in maximam inciderent temeritatem, Caroli illud fuiſſe artificium, vt ſibi opinionem quęreret ſanctitatis. Carolus cum de ſe cuſtodiendo moneretur; facturum ſe dicebat, non armis tamen; atque ea tantum cautione, quæ paſtorali muneri obeundo impedimento non eſſet. vereri enim, ſi ſecus feciſſet, ne tum rebus Mediolani inceptis, tum iis quæ in aliis eccleſijs forte agenda eſſent, magnum afferret detrimentum ſi ipſe Cardinalis, præcipua Pontificis tutela, timere videretur. quis in eccleſiaſtica cauſſa conſtantiam præſtiturus eſſet? videri namq; omnibus non priuata, ſed publica de cauſſa ſe peti. Cum autem à Pontifice ſibi ſuſpectos prodere iuberetur, ſcire ſe reſpondebat, ſibi eſſe correctionis cauſſa multos offenſos, ſed legitimā ſuſpicionem habere nullam: ciuilium iudicium diſquiſitione multis moleſtiam exhiberi, quos à maleficio valde alienos exiſtimaret. Lætabatur autem; id quod optimæ cuſtodiæ inſtar habebat, & lucri loco non mediocris, piorum precibus tunc ſe multo quam antea ſtudioſius iuuari. tum precationem illam veſpertinam ex eo caſu maxima frequentia in ædibus ſuis celebrari gaudebat. Romæ fama erat, eò Carolum vocatum iri, vt periculum ſubtraheretur. id cum ex iis quidam audirent, qui eius negotia procurabant, ſuadere Carolo conabantur, vt cœptis ædificiis, quæ multa erant, iuberet ſuperſederi. at ille tum poſſe fieri reſpondit, ſi ſua cauſſa ea inſtituiſſet. Quod multi prædixerant, Caroli res, ob illum caſum, meliore loco fore, id euenit. omnino eſt hoc diuinæ clementiæ, vt incommodi ſuorum, ſalutari quadam viciſſitudine commodis compenſet. ſed ex ſe tamen etiam res aduerſæ, tum miſericordiam mouent, tum amorem, quod ſi exitum habeant felicem, atque mirabilem, ſi cum opinione ſanctitatis etiam coniungantur, accedit etiam non mediocris veneratio. Carolo poſt diuturnam, grauemq; [illegible] afflictionem, poſt grauiſſimam Scalenſem iniuriam, atq; periculum, poſt atrociſſimum tormenti caſum, [illegible] ſeruato: minime mirum, ſi magna fieri viſa eſt in multis animorum mutatio, magnaq; voluntatum erga illum inclinatio. tum inſignis etiam apud omnes ſanctæ cuiuſdam exiſtimationis eius acceſſio. Mandata [illegible] Rege Duci ſunt allata: eccleſiæ reſtitueret, quæ edicti illius ea [illegible] ablata erant. tumultum Scalenſem [illegible] ; [illegible] illos, qui ſe cum gladiis Carolo oppoſuerant, diligenter perquirere, ſuppliciog. [illegible] ret. præterea [illegible] inueſtigaret, qui facinus execrabile, ſic enim appellabat, commiſiſſet [illegible] fuerat. animum abeſſe [illegible] Carolo [illegible] Ducem velle [illegible] Scalenſe collegium, vt potius ad illud viſendum, [illegible] componendas hortaretur, rogaretq. in omnibus Caroli difficultatibus paratum ſe ad eius defen-

ſionem

ſionem præberet. placuiſſe ſibi admodum, quidquid officii, erga illum in eo caſu præſtiterat. ſi quid etiam amplius addiderit, incertum eſt. Internuncius certe, ac vniuerſi Dominicani ordinis Antiſtes Vincentius Iuſtinianus, quem Pontifex ob Mediolanenſia, & alia negotia generis eiuſdem ad Regem legauerat, plura ſcripſerũt de optimo Regis in iis factis omnibus iudicio, optimaq; in Carolum voluntate. Iis vero mandatis animum ſuũ Dux amiciſſimum adiungens: grauia illa in primis eccleſiaſticæ iuriſdictionis impedimenta, quæ adhuc perſeuerabant, ſuſtulit. nam & Pontifex ita voluerat, hominemq; monuerat, anathematis pęnam ſacris legibus in violatores Eccleſiaſticę libertatis ſancitam edicti promulgatione eum incurriſſe. qua in re Pius Princeps eam oſtẽdit pietatem, adeoq; comunicatione rerum omnium ad pręſcriptum canonum abſtinuit, vt cum ad luſtrandos equitum ordines prodire neceſſe eſſet: ſtatum ſibi ſonitus tormentorum plauſum, ac ſalutationem interdixerit. Præterea, qui ſacra communione olim excluſi erant, ſupplices eo ſe vinculo liberari petieruut. ij cum abſolutionem Romæ Carolo iuuante, antea petiiſſent, poſteà vero deſtitiſſent, cauſſari, quod Regia auctoritate ita iuſſum erat, Carolus pij Regis iniuriam ſentiens, in Hiſpaniam ſcripſit, vnde reſponſum tulit, contra mentem Regis id eſſe penitus. Itaq; extructo ante fores Baſilicæ maioris paulo editiori tabulato, pridie Natalis diei Domini, abſolutionem Aduocato fiſcali, & Notario, ſtata iuriſiurandi obligatione prius obſtrictis, ſolenni ritu impertiuit. tum de canonicis pœnis, earumq; vi, ac grauitate, ſermonem habuit ad populum. Iudex autem ille, Senator interim factus, cum à Carolo poſtulaſſet, vti Alexandriã proficiſci, ibiq; cognatorum nuptiis intereſſe liceret, neq; impetraſſet, nihilominus profectus, nocte poſt epulas conſecuta, morbo correptus, paucis diebus interierat. cuius cum euentu pii viri caſum obſeruarũt vnius ex tribus qui Romam Pontificis iuſſu vocati fuerant. is cum errore quodam, neſcio qua ratione, fixe inſito, omnium maxime Carolo repugnare videretur, in eum ſiue corporis, ſiue animi morbum per id tempus incidit, vt admodum acerbã vitam ageret: ſuſpicatuſq; dæmone ſe aliquo vexari, adhibitis ſæpius per ſacerdotem ſacris exorciſmis, non multò poſt eodem modo, ſemper vexatus, abiit è vita. Alii demum in eadem cauſa fuerunt, quos calamitatibus ſuis, poſterorum infelicitate varie mulctatos, Deo, & Eccleſiæ pœnas dependiſſe multi crediderunt. Scalenſes canonici, qui contempta Caroli ſententia, diuina officia, celebriore ritu, cantuq;, quamquam populo pie abſtinente, celebrauerant, diuq; in contumacia permanſerant, ad ſanitatem demum rediere. At eorum Præpoſitus, quamuis non magna culpa, abſolutionem ſtatim poſtulauerat ſupplex, & ea pro foribus Eccleſiæ Sancti Fidelis à Carolo accepta, Archiepiſcopi ſe auctoritati obnoxiũ eſſe, publice profeſſus erat. Carolus Pontificem deprecatus, vt clementer cum canonicis ageret, efficere non potuit, vt dignas ille omitti pœnas conſentiret. iudicium tamen omne Carolo ipſe permiſit. ne multa, eos erratum ſuum publice confeſſos, ſuppliceſq; ante fores eccleſiæ maioris, Carolus magna celebritate, ſolenni ritu, anathematis vinculo liberauit, die dominica, Nonas Februarii M. D. LXX. qui deinde in eccleſiam ad altare maius adducti, in ipſius, futurorumq; Archiepiſcoporum ſeſe poteſtate eſſe profeſſi ſunt, ac diuina ſibi, eccleſięq; ſuæ reſtitui ſummiſſe poſtularunt. Inter alia Carolus id impoſuit, vt quotannis ad decem annos, in natali Mariæ Virginis die, quæ maioris eccleſiæ præcipua eſt celebritas, dum Miſſæ ſolemnia celebrarentur, collegium vniuerſum, ad eiuſdem eccleſiæ altare maius, rite, atq; ordine veniret, vbi ad pedes Archiepiſcopi abiecti veniam peterent, eiuſq; poteſtatem in ſe publice faterentur. Ius, legitime agendi in eos, reſeruauit, qui ſibi, armatis etiam viris accerſitis, reſtiterant. demum apta concione habita, ad eorum eccleſiam ordine, celebriq; apparatu proceſſit: cœmeterium, qui facinoris fuerat locus, rite expiauit, eccleſiam ingreſſus, inter canentium clericorum hymnos, ſtatis cærimoniis populo benedixit. Ita eo quidem tempore cum canonicis actum eſt. poſtea contra eos, qui reſtiterant iudicium diu eſt agitatum: plureſq; ex iis in carcere habiti: quorum cauſſam, cum Caroli itidem arbitrio, vel ipſis canonicis enixe poſtulantibus, Pontifex integre permiſiſſet, ea tamen conditione, vt beneficiis priuarentur, ſeuereq; punirentur: impetrauit nihilominus Carolus, vt omiſſa canonis ſeueritate, paterna potius animaduerſione, quam legitima pœna caſtigaret, homines præſertim, qui pie admodum veniam petebant. Barbeſtus auctoritate Pontificia vinctus cum eſſet, ita ab omnibus deſertus erat, vt nemo pro eo verbum facere auderet. ſed eius caſum miſeratus Carolus, tum publice declarauit, licere eum defendere, tum etiam per Ormanetum Pontifici vehementer commendauit, orauitq;, ne eas pœnas miſerum hominem dependere vellet, quibus alioqui eius erat digna temeritas. exilio cum eſſet mulctatus, ei nos poſtea ab amicis rogati ab Caroli clementia reditum impetrauimus.

Aduocatũ fiſcalem & notarium ab excommunicatione abſoluit Carolus.

Scalenſes Canonici ad mentem redeunt.

Anno 1570. ab anathemate abſoluuntur.

Barbeſtus exilio mulctatur.

XII. Pavcis diebus poſt nefarium facinus ab apoſtata commiſſum, venit ad Carolum Bartholomæus ex Præpoſitis ordinis Humiliati genibus nixus incerto vultu, quædam ſe habere ait cum eo ſecreto communicanda. ſurgere, dicereq; iuſſus, quæ haberet, plura loquitur de alio quodam negotio: tum addit grauius reſtare: ſcelus illud, vt ipſe putabat, commiſſum fuiſſe à ſui ordinis fugitiuo, qui etiam Braidenſe argentum furatus erat, nomine Hieronymo: eum enim, ſe præſente, ſæpius ea de re cum Prępoſito Vercellenſi egiſſe, petijſſeq; etiam ad id pecuniam, quam Vercellenſis tamen negauerat, immo reprehenderat eius conſilium. hominemque vt ad ordinem ſuum rediret, hortatus erat. Id cum audiſſet Carolus, minime ſibi fieri veriſimile reſpondit: quoniam Hieronymum illum propter nulla in re vmquam offendiſſet. poſt multa, ita Bartholomæus diſceſſit, vt ſe certo rem ſcire negaret, ſed ita coniicere ex iis, quę audierat, Vercellenſis, & Hieronymi colloquiis. addidit ſperare ſe, Hieronymum ipſum poſt menſem affuturum, & ad ordinem reuerſurum: tum facile eum comprehendi, & de re tota inquiri poſſe: ſe autem de illius aduentu Carolo nunciaturum. Quæ à Bartholomæo acceperat, eorum quidquam ſe noſſe Carolus nemini prorſus ſignificauit: alijs alia ſuſpicantibus, nihil aliud dicebat, quam vt ne temere de quoquam iudicarent. Cum rerum ſuarum cauſſa Carolum Bartholomęus adijſſet, indicium repetiit: religionis ſe cauſſa teſtatus eſt indicaſſe, vt peccati vinculo ſe liberaret; & quaſi grauiſſimum onus, quod ſuſtinere ſibi videbatur, deponeret. Interea de Antiſtite aliquo Mediolanum mittendo Romæ agebatur, qui de maleficio diligenter quæreret cuius negotii, ne quiſquam ſuorum vllo modo particeps eſſet, Carolus etiam, atque etiam curauit: immo publico ſcripto teſtatus eſt, nolle ſe in quemquam omnino ea de re agi. At Pontifex Antonium Scarampum, Epiſcopum Laudenſem anno demum M. D. LXX. ineunte, ad id munus legauit. Pontificium edictum Epiſcopo promulgandum dedit, quo anathemati omnes ſubiiciebantur, quicunque non indicarent, quod de eo facto noſſent: indicantibuſq; impunitas promittebatur, etiam ſi ſceleri conſenſiſſent. cui conſtitutionem addidit generalem, vt & Carolo ipſi, & aliis Cardinalibus in poſterum magis caueret, qua veteris canonis pœna in violatores Cardinalium à Bonifacio ſancita, etiam conſcios ſceleris, niſi indicarent, teneri ſtatuit. Cum veniſſet Epiſcopus, edictumq; propoſuiſſet, Carolus ea de re tota valde ſolicitus erat. iuſſum Pontificis vrgebat, & grauiſſima pœna premebant illa, quod ſecretò ſibi commiſſum indicium fuiſſet, quòd de ſua vindicanda iniuria ageretur. miſerebatur eorum, qui ſcelus nouerant. videbat enim facile fore, vt inconſtantes homines, vel metu aufugerent, & anathemate profligati miſere iacerent: vel ſi manerent, capitalis iudicii moleſtijs, aſperitatibuſque diu affligerentur. eam igitur ineundam ſibi eſſe ſtatuit rationem, qua, & ſolicitudine ſeſe, & vtriuſq; ſalutis periculo illos liberare poſſet. Bartholomæum vocat, tum vere grauiſſimum onus ei impendere monet: niſi rem Epiſcopo denunciet, anathematis vinculo, aliiſq; pœnis propoſitis eum obligandũ: ſi denunciet, eam ſibi videri rationem eorũ quæ de ſe, & de Vercellenſi Præpoſito narraret, eaſq; in ea narratione ſuſpiciones elucere, vt plurimum eis negotii, moleſtiæque prævideret exhibendum. ac quamuis religione poſtpoſita, quod non putabat, anathema contempſiſſent,

Bartholomæus Hieronymum quendam ordinis Humiliati in ſuſpicionem patrati facinoris calumnioſe vocat.

Antonius Scarampus Epiſc. Laudenſis Legatus Apoſtolicus pro cauſæ cognitione venit.

Bartholomæum admonet Carolus Epiſcopo ...

ſent; facile tamen eius rei aliquid alia via patefactum iri; propterea quod Epiſcopus diligentiſſime inquirere iuſſus erat, & percrebuerat iam rumor ab ordine Humiliato malum profectum eſſe: ex quo multo difficilior eorum cauſſa teddenda erat. Vnam ſe videre rationem, qua moleſtiis, periculiſque ij expediti poſſent: vt quæ vere noſſent, etiam ſi ipſi eſſent criminis participes, ea ſibi libere patefacerent, ipſis vt incertis hominibus, qui dolore commiſſi flagitii commoti, ad eum confugiſſent, veniam à Pontifice impetraturum. interim ſecum religioſe rem totam habiturum. ſperare id ſe maxime, Pontificis clementia fretum, amoreque erga ſe ſatis perſpecto. At Bartholomæus enixe affirmare; neque ſe, neque alium quemquam ordinis ſui ſceleris eſſe affinem; ea tantummodo noſſe de Hieronymo, quæ dixerat. Vercellenſis quoque ipſe Bartholomæi hortatu Carolum adit; & mira religionis ſimulatione, ſecreto eadem quæ Bartholomæus, narrat, alia ſcire ſe obfirmate negat. immo velle Epiſcopum adire, remque indicare ambo affirmant; & vt Carolus idem facere poſſet, ſi vellet; eum nexu rei ſecretæ habendæ, ſi quis eſſet, ſponte liberant. Carolus etiam, atque etiam amantiſſime monet, videant, quid agant; dum tempus eſſet, recte conſulant: Deum pie teſtatur, cupere ſe factum minime in iudicium vocari; eoſque alia via omni periculo liberari. Illi in ſententia manent: rogantque, vt ſi ſontibus opitulari vellet, multo magis tueretur inſontes. commendaturum ſe eos Epiſcopo, Carolus pollicetur, rogaturumque etiam, ne eos teneret: poſſe tamen veniam ſponte petentibus, ſecreta clementiæ via, opem ferre, quam non poſſet laqueis iudiciorum irretitis. ne mulcta, Edictis promulgatis, Epiſcopus auctoritate Pontificia Carolo iuramentum defert: quærit ex eo, quid de facto nouerit, ſuſpiceturve. primo factum ipſum Carolus narrat. addit deinde ſe de auctore noſſe, quod duo Præpoſiti Humiliati ei indicauerant. rem eos expoſituros, qui iam ſponte venerant. ſi eadem ex ſe poſtea vellet audire, dicturum. teſtari tamen, nolle ſe in quemquam ob ſua dicta vllo modo agi. oraſſe antea Pontificem, nunc itidem per miniſtrum eius orare; vt factum Deo remittat, eiuſque auctores, affineſve dimittat, neque Præpoſitis ipſis obeſſe velle, quin impunitatem, & omnia conſequerentur, quæ litteræ Pontificiæ iis, qui primò indicaſſent, etiam ſi participes culpæ eſſent, promittebant, quin ſe eorum nomine, eorumq; commodo, quacunque ratione poſſet, ea indicare. rogare item, ne ſi fieri poſſet, eos in cuſtodiam daret. His in acta relatis: introducti Bartholomæus, & Vercellenſis, quæ Carolo iam dixerant, repetunt in dicendo ita offendunt, ita ſuſpicionem mouent, Vercellenſis præſertim, vt eſt difficilis mendacii, & veritudinis coniunctio; vt eos in vinculis retinere Iudices legitime cogantur. Carolus pro eis non ſemel ad Ormanetum ſcripſit, vt Pontificis animum ſtuderet ad lenitatem reuocare: tum quicquid eueniret, ſupplex eius nomine miſeris hominibus, quantum poſſet à Sanctiſſimo Patre miſericordiam expoſceret. quòd ij ſceleratum conſilium non ante factum indicaſſent, eos non putare ſe Pontificis ſententia puniendos: nam vel conſentientibus impunitatem eſſe propoſitam, nedum ſcientibus tantum. licet etiam ſontes deprehenderentur, in eo tamen mutatam voluntatem, & erratı odium aliquo modo eos oſtendiſſe, quod ei rem aliqua ex parte patefecerant, is maxime, qui primò adierat, alteriq; ſuaſerat. Hæc cum vehementer oraret, quemadmodum ex eius litteris, quæ adhuc extant, perſpicuũ eſt, nihil tamen potuit impetrare. Habita deinde diligentius quæſtione, Vercellenſis demum fatetur, ſacrilegio ſe, tum argenti Braidenſis ſuſcipiendi, tum interficiendi Caroli cõſenſiſſe. proditus Carauagienſis, & Veronenſis. vterq; in vincula conijcitur. Farinæ iam apertius indicatus, à Duce Sabaudiæ, in cuius oppido Clauaſio morabatur. ſtationarius miles factus, Pontifice poſtulante, facile deditus eſt. omnes Mediolanum adducti cum cuſtodia, rem omnem confeſſi, condemnati ſunt. duo tormenta, quæ ſecum ſacrilegus habuerat, ſtatimq; poſt factum Mediolani occultauerat, reperta ſunt, alterum vacuum, plenum alterum. tandem v. Cal. Auguſti de gradu ſacræ ſacerdotalis dignitatis, ſolemni ritu deiecti, & religioſo habitu ſpoliati de more ſæculari poteſtati relicti ſunt. cumq; religioſe caſum ferre ſatis viderentur. ducti ſunt ad ſupplicium. Vercellenſis, & Carauagienſis, qui nobili genere orti erant, capite ceruicibus abſciſſo, ſunt interfecti. Veronenſis, & Farina carro per vrbem miſerabili ſpectaculo vecti, ad Archiepiſcopales ædes cum perueniſſent: carnifex Farinę dexteram manum amputauit: qui quidem pręcipue ſcelus ſuum doluiſſe, veniamq; à Deo ex animo petiiſſe viſus eſt: nam & populum allocutus è furca, ſupplex obſecrauit, vt ſui miſereretur, ignoſceretq;, quod eum eſſet e medio tollere conatus, qui communi ſaluti tanto opere prodeſſet. loco demum conſtituto ambo laqueo ſuſpenſi ſtrangulati ſunt. Bartholomæus ob culpam nefarij conſilij non indicati, quod plane cognouerat, immo etiam ob id, quod Farinam poſt factum occultari curauerat, conſiliumq; dederat, vt tormenturũ combureret, in opus remigandi ad quinquennium damnatus eſt: clementius aliquanto habitus ob quale quale indiciũ datum. pro quo ſæpius Carolus per ſe, & p alios Pontificẽ rogauit, vt illius ſaltẽ, qui rei nefariæ adiutor minime fuiſſet, liberationẽ poſſet ab eius clementia obtinere. cõmemorabat hominẽ ſponte, prioremq; indicaſſe, de vita optime in poſterũ inſtituenda polliceri. negauit vero ſemper Pontifex, illud proferẽs, ſi poteſt Æthiops mutare pellẽ ſuã. ſed cũ iam ad triremes ille miſſ⁹ eſſet, ſaltẽ conſecutus eſt Carolus, vt eũ inde reuocatũ in Monaſteriũ ad certũ tẽpus includeret.

Legatus Apoſtolicus ſub iuramẽto Carolum de facto inquirit.

Bartholomæus & Vercellenſis [illegible]

Vacillantes in cuſtodia aſſeruantur

Vercellenſis crimen faſſus cum Carauagienſi & Veronenſi in vincla conijcitur & Farina deditur.

Degradantur.

Vercellenſ & Carauagienſ capite luunt Veronenſis & Farinæ ſupplicium Bartholomæus ad triremes quinquennio condemnatur

DVM infelices illi, miſerabili ciuitatis vniuerſę ſpectaculo, pœnas dementiæ, ſceleriſq; ſui perſoluebant, Carolus XIII.
vallium illatum Helueticæ ditionis eccleſias, quamquam Viſitatorẽ ibi perpetuo habebat, reuiſit, laborum ſuorum fructum, & eorum vſum quæ antea conſtituerat, recognouit, omnia meliora reddere ſtuduit. quin etiam ſtudio gentis iuuandæ. ſimul cauſſa viſendæ ſororis, quæ Altemplio Comiti nupta erat, ad vlteriora Heluetiorũ loca, & ad diœceſim Conſtantienſem, Curienſemq; penetrauit religioſa loca. pręſertim, vbi ſacræ manerent reliquiæ, coluit: per hęreticos populos nulla iniuria, quin potius honore, reuerentiaq; affectus, iter fecit; quorũ locorum ſtatu cognito, tum Pontifici, tum eccleſiarum Præſulibus ad populorum ſalutem multa ſuppeditauit: & de religioſis collegiis iis locis, Locarni pręſertim inſtituendis ſtudioſe egit. ad eã rem duas Humiliatorum in ea regione Prępoſituras à Pontifice obtinuit, Heluetiorum quoq; Principum voluntate, quod difficile videbatur, adiuncta imo ad rem perficiendam, ex ſuis quoq; facultatibus pollicitus eſt: quam quã ea res impedimentis quibuſdam exitu caruit. Pluribus etiam officiis cũ egiſſet de Antiſtite, ad catholicos pagos Viſitatoris Apoſtolici nomine mittendo: Heluetiorum ipſorum culpa factũ eſt, vt nemo tunc quidem mitteretur, ſed dum hæc Pontificia officia variis impedimentis excludebantur, non patiebatur deeſſe ſua: & vt poterat, multis modis hominum mores à iure ſacrorũ canonum ſatis alienos emendare: eam officioq; erga Romanã Eccleſiam gentem continere, & omnino ad ſalutem iuuare, ſtudebat. vnde non paruũ ei negotiũ exhibebatur, magiſtratibus illis frequẽter aliquid contra ſacras cõſtitutiones turbantibus. ille autẽ modo amice hortari, modo ſeuere monere, minari interdũ: nunc ad eorũ conuentus mittere: nunc eorum legationes accipere: omni ratione, quæ Deo grata, iiſq; ſalutaria eſſent, ea curare. omnino mirum erat, quantũ genus illud hominum Carolo tribueret verum ipſe quoq; omni ratione eorum ſibi beneuolentiã conciliabat, amicitiamq;, & pietatem multorum in iis partibus omni officio alere ſtudebat. beneuolentia vero in primis, & animarũ charitate, quę propemodũ vna hominum allicit voluntates, auctoritatem ſuam inter eos conſeruabat Põtifex, quod antea quandoq; ſignificauerat, vt Humiliatorum ordinem deleret, tum apud ſe omnino conſtituere viſus eſt: cum ab eo ſcelus in Carolum exti[illegible]ſſe cognouit [illegible] ex eo tempore rumores de tali Pontificis cõſilio eſſe cęperunt. Carolum ea de re egiſſe non video, qui diſcipli[illegible] [illegible]odo [illegible] penitus ſpem abieciſſe nõ videbatur. ciuitati certe fau[illegible] quę pro Humiliatis [illegible] Pontificem oraret. & Aloyſiũ Prępoſitum generalẽ iuuit, vt Romã profectus, interitũ a famil[illegible] a ſua depre[illegible] [illegible] Sed nihil obtinuit ciuitas. Aloyſius vero ad Põtificis pedes cum lacrymis abiectus, cum toti famil[illegible] ſupplex veniam pe-

Humiliatorum ordinẽ [illegible]

tiſſet, quamquam Pontificia humanitate bene acceptus, nihil tamen profecit. Fixum igitur cum eſſet animo Pontificis nulla ordinum ratione ad ſanitatem poſſe reduci, & omnino extinctione opus eſſe : ei rei qui contradiceret, fere non reperiebatur : erant vero qui vrgerent, & ſibi aliquid in beneficiorum diſtributione dari curarent. Carolus exiſtimans fore, quod euenit : eiuſmodique facultates in rebus rectiſſime collocari poſſe iudicans, quæ locis iis commodæ, ſalutariterque vtiles eſſent, quibus in locis ex conſtitutæ erant : Specianum ſuum iterum Romam miſit, vt Eccleſiæ Mediolanenſi aliquid acquirere ſtuderet, ea quo ſeminaria, piave collegia conſtitui, vel augeri poſſent, qui quidem tres eccleſias, ædeſque coniunctas ſine fructibus obtinuit. Eccleſias octo in vrbe Mediolano, Præpoſituræ titulo Humiliati tenuere : ex iis, iam Pij Quarti tempore, eiuſdemque auctoritate, quæ S. Ioannis Baptiſtæ nomine erat, Carolus ab eo detraxerat ordine, ſeminarioque clericorum ſuorum addixerat, quod in iis ædibus habetur. Præpoſituram Beatiſſimæ Virginis, ad S. Calimerum à Pio Quinto prius impetrauerat : cuius fructus Baſilicæ maioris collegio: Eccleſiam vero, ædeſque Clericis regularibus à Paulo Quarto inſtitutis, tribuit, cum eorum collegium Mediolanum deduxit : quando etiam Præpoſituram S. Iacobi Cremonenſem Clericis S. Pauli tradi curauit. Quæ S. Mariæ ad Othatios dicitur, eam Seminario in perpetuum coniunxit. Et eccleſiis quinque reliquis cum earum ædibus, Braidenſem S. Mariæ, ad collegium Societatis Ieſu inſtituendum, cum parte fructuum obtinuit, Ioanne Paulo eccleſiæ Cardinali concedente, cui Præpoſituram Pontifex dederat : quę S. Mariæ eſt, & canonica dicitur, inſtituendis Clericis ad ſcientiarum curſum minime aptis addidit : quæ S. Ioan. Euangeliſtæ nomine appellatur, nobilibus adoleſcentibus educãdis: quæ S. Spiritus, Collegio Heluetiorũ: quæ Sanctiſſimæ Trinitatis extra vrbis mœnia, Seminario, Ordinis extinctionem, & beneficiorum diſtributionem, literis ſuis Pontifex promulgauit, anno eodem 1570. Præpoſituræ tunc diſpertitæ fuerunt circiter quinquaginta, pleræque in Gallia Ciſalpina : quarum fructus millia aureorum amplius viginti quinque annua efficiebant, præter quas aliæ datæ iam erant, vel commendationis nomine aſſignatæ, ad aureorum triginta millia annua, omnes fuerunt quatuor, & nonaginta: multæ iam monachis erant vacuæ: ij enim fuere non amplius centum ſeptuaginta quatuor, quos ea ipſis diſtributis facultatibus, victu monaſtico ſuſtentari Pontifex iuſſit : & in religioſa diſciplina Epiſcoporum cura contineri. Huc tandem recidit optimus olim monachorum ordo : taleque edidit Pius exemplum neglectæ diſciplinæ vindicandæ : vt ceteri ſibi diſcant cauere diligentius.

Bona quæ & quibus diſtributa.

XIV. Inter cetera, quæ Carolus per eos annos ad gregis ſui ſalutem aſſidue cogitabat, agebatque, ſtudium fuit eius moris tollendi, quo mortales poſt Natalis Domini celebritatem, atque vtinam non in ipſa quoque celebritate, maxime vero, quo propius ad ſanctam Quadrageſimam accedunt, publicis ſpectaculis, ludis, choreis, comme ſſationibus, ſe profuſe, ac diſſolute dedunt, & quaſi Bacchanalia quædam, magna Chriſtiani nominis iniuria celebrant, quod eo indignius haberi debet, quo magis tribus iis, quæ Quadrageſimam antecedunt hebdomadis, pij omnes ad pietatis officia multo attentius colenda, ſacris eccleſiæ myſteriis in primis inuitantur, quæ quidem non parua habenda eſt noſtrorum temporum miſeria.

Vitioſas populi voluptates tollere conatur.

Atque anno M.D.LXXI. eo nomine Carolus id ſedulo curauit, quod grauiſſimo bello à Turcis imminente, Pontifex omnibus, qui Chriſtiani nominis eſſent, publicas indixerat preces, vt fœdere inter Principes, id quod ipſe vehementer curabat ſancito, eorum communi potentiſſimoque hoſti, diuina in primis ope adiuti, reſiſterent, qua de cauſſa Romæ etiam perſonatorum hominum vagationes, choreaſque edicto prohibuerat, ea occaſione Carolus arrepta, communia pericula vt grauiſſima erant, publicis ad populum litteris exponere conatus eſt: neceſſitatemque ſummi numinis placandi oſtendere, cum peccatis, vaniſque voluptatibus ſtudioſe vitandis, tum ſtudiis, & actionibus, quæ ad pietatem pertinerent, religioſe ſuſcipiendis.

Anno 1571. preces & ſupplicationes contra Turcam decretæ.

Bene autem tunc quidem ſucceſſit, plurimumque ei detractum eſt malo, feſtis maxime diebus conuenit populus frequens ad diuina, quæ Carolus de induſtria ritu iucundiore, longioreque in præcipuis eccleſiis celebrari iuſſit, ſupplicationes per vias, vniuerſi cleri ordinibus procedentibus, populoque ad certas eccleſias ſubſequente, habitæ ſunt, flagellationes publicæ adhibitæ: precatio ciuitatis vniuerſæ ſine intermiſſione conſueto ritu continuata. Qui dies autem ſummum quendam afferre ſolebat corruptelæ cumulum (is erat Dominicus, & illius violati temporis poſtremus) eo ipſo die, vt expiatis animis ſanctiſſimum Euchariſtiæ cibum, ipſo miniſtrante, acciperet, Carolus populum inuitauit.

Mediolanenſium pietas.

In quo Inſigne fuit pietatis Mediolanenſis argumentum : tam magna enim multitudo, contra penitus, ac antea ſolita erat, rebus diuinis operam dedit, vt ſex horis Carolus, duobus licet canonicis adiunctis, qui eodem tempore Euchariſtiam ſeparatim præberent, vix potuerit omnibus ſatisfacere, eam populi iuuandi rationem ad eius ſalutem aptiſſimam exiſtimabat, cum non vno illo, quo ſanctiſſimo ſe cibo reficit, die, ſed pluribus ante, peccatis cogitandis, & confitendis, animoque recte præparando, malis eum, inanibuſque rebus abſtinere neceſſe ſit. Poſtero anno, atque aliis deinceps, nouis ſemper rationibus omnes vias perſecutus eſt, vt diaboli fraudibus, atque inſidiis ſuum tali tempore gregem eriperet. Dum autem in Eccleſia componenda, & ornanda, tum eius iure conſeruando, Carolus aſſidua cogitatione, laboreque incredibiliter exerceretur, quotidieque magis in aſperæ vitæ inſtitutis progredi ſtuderet : tentari morbis, valetudine alioqui non optima, cæpit: ex quibus cum conualeſcere videretur, de integro incidebat, qua de re amici interdum eum monuerunt: curaret tandem aliquando valetudinem, ſeque reſpiceret, & ſuos, in eius ſalute publicum bonum periclitari. Si quid ei accideret, ruitura præclara omnia, quæ incæperat, eius rei reddendam Domino eſſe rationem: quibus ille reſpondebat : Gratias agere, quod de valetudine corporis ſoliciti eſſent, rogare, vt non minus de ſalute animi eſſe vellent, rerum ſpiritualium fundamenta in Deo ponenda, quæ in mortalium vita ponerentur, breui omnino concidere oportere : euenturumque, quod Iſaias de iis pronunciabat, qui arundinibus Ægypti nitebantur.

Carolus morbo laborat.

Iſa. 36.

Porro menſe Iunio grauiter admodum ægrotauit, vt etiam vitæ periculum adiret non leue. Cum tandem melius ſe haberet, recognitionique rurſus eccleſiarum abſens operam daret : Dux prouinciæ gubernator, non dicam moleſtiis, aut contentionum publicarum angoribus confectus, ſed multis certe curis, ſolicitudinibuſque diu, grauiterque affectus, dum neque Deo, neque hominibus diſplicere, & homo, & pius vehementer ſtudet, paucis diebus febri conſumptus eſt, menſe Auguſto : vt Carolus de periculo certior factus in tempore adeſſe, cum valde contendiſſet, ob temporis breuitatem, ſubſidioque venire morienti, non potuerit. In eius locum interim, dum alius mitteretur, ſubſtitutus eſt Aluarus arcis Mediolani præfectus.

Ducis prouinciæ obitus

Et Aluarus arcis Mediolani Præfectus ſubrogatur.

Cum per id tempus totum Carolus aſſiduis medicorum curationibus, fere detentus eſſet: pituita demum, tuſſi, incerta febricula, venit in periculum, quemadmodum ſcriptis eius cauſſa tunc ſummorum medicorum diſputationibus didici, ne paulatim morbo correptus intabeſceret, breuique conſumeretur, ac ea conditione peruenit ad initium æſtatis proximi anni 1572. tum de Pii Pontificis graui morbo nuncius affertur: aſſiduas illius rei gratia ſacrarum precum exercitationes inſtituit, eundem Calendis Maij ex hac vita deceſſiſſe accipit, qui quidem ſummus, optimuſque Pater Chriſtianam rempublicam moriens, non minus afflictam reliquit, quam Octobri proximo victoria contra Turcas ad Naupactum diuinitus obtenta, recreauerat.

Anno 1572. Pius V. Pontifex moritur.

Purgationibus implicitum pro anni tempore Carolum medici tenebant: quos cum de itinere Romam faciendo conſuluiſſet, metuentes illi, ne agitatione, ac labore, eo præſertim, vt ſemper ſolebat, tuncque maxime opus erat, properante, morbus ingraueſceret, iter diſſuadebant. Sed ille purgationibus omiſſis, medicorumque conſiliis

tunc

tunc quidem poſthabitis, Chriſtiani orbis cauſſam, ſaluti ſuæ ſatius putauit ante ferre, Eccleſiæque Dei tali tempore, pro virili parte, quæ magni momenti erat, ſubuenire, cum ita deliberatum ei eſſe viderent, præſcribunt medici vitæ, itinerisque rationem: lectica vti iubent, ſexcentis vaſculis, cum variis pharmacis, bellariiſque iumentum onerant. Ille iuſtis Pontifici ſolemni ritu ſolutis, primariis eccleſiæ presbyteris conuocatis, rebuſque eccleſiæ, quantum breuiſſimo ſpatio potuit, conſtitutis, poſtridie eius diei, quo nuncium acceperat, diuina ope inuocata, in viam ſe dedit. Lectica quidem vectus eſt, ſed itinere, die, nocteque continuato, mutatiſque ad celeritatem ſæpe mulis, adeo feliciter amplius paſſuum millia tercentum confecit, vt qui perdere infirmam valetudinem labor debuerat, eam non mediocriter confirmaret, ac tam cito Romam peruenit, vt duo Cardinales, qui eodem tempore, ex iiſdem partibus diſceſſerant: curſuque iter fecerant, minime tamen ei præcurrere potuerint, ſed ſimul cum eo ſacrum conclaue, eo ipſo die, quo reliqui omnes, intrauerunt. Placentiæ primo, quæ Mediolano quadraginta millia paſſuum diſtat, Miſſæ ſacrificium fecit, quod ſuperioribus diebus domi nunquam potuerat, aut raro: deinde quotidie, toto itinere, in tanto celeritatis ſtudio, ac labore facere perrexit. Iucunde autem accidit in via, vt ampullæ, vaſculaque medicamentorum, cum iumentum iis onuſtum prope Bononiam in fluuio concidiſſet, omnia fere vel confringerentur, vel flumine deueherentur: quod ille cum accepiſſet, ridens, fauſtum, inquit, ſignum, non opus fore amplius. Quamquam autem Carolo melius ex eo itinere fuit, non conualuit integre tamen. Quin diu, capite, pectoreque cum laboraſſet, Romani medici de eius ſalute conſultantes, aquis Lucenſibus mederi conſtituerent, Mediolanenſes vero contra ſentirent: ipſe aliam ex eo fere tempore iniit vitæ rationem, nam cum toto iam anno medicorum conſilia, præſcriptaque ſatis exquiſite ſecutus eſſet, ciborum delectum, multaſque eius generis cautiones adhibuiſſet: mutato conſilio, ex ſententia piorum, prudentiumque virorum, iis medicarum obſeruationum, quaſi vinculis expeditus, liberiorem vitæ modum elegit, cibos, omnemque victus rationem ſibi rudiorem conſtituit, id eo libentius, quo Sanctorum virorum vitæ magis ea ratio conſentiret, conſilium ita feliciter euenit, vt poſthac bona ſemper valetudine vſus: neque pituita, tuſſi, aut febri fere impeditus, in Paſtoralia officia, laboreſque tantum incubuerit, quantum poſteritati vix credibile videbitur.

Carolus æger Romam proficiſcitur.

LIBER III.

Gregorius Pontifex creatur.

POSTRIDIE quam erat clauſum conclaue, hoc eſt 3. Id. Maij, creatus eſt Pontifex Vgo Boncompagnus Cardinalis Sancti Sixti Bononienſis, & Gregorius eius nominis XIII. appellatus, cuius humanitati pietatique Carolus cum valde confideret, ei multa ſuppeditauit, quæ ad Eccleſiam optime conſtituendam, Romanoſque mores componendos facere poſſet, libroſque Pontificio muneri aptiſſimos obtulit. Audire illum Gregorius libenter viſus eſt: nam & præcipue virtutis virum, & vero etiam, ſi quid ad rem pertinet, dignitatis ſuæ fautorem amiciſſimum agnoſcebat. Quo vero melius res ordinari poſſent, eum Romæ manere iuſſit: & vna cum optimis Præſulibus de iis, quæ agere oporteret, conſultare, ſed quanquam ad Octobrem menſem Carolus Romæ moratus eſt, vix tamen, vt ſunt ſemper bonis conſiliis plurima parata impedimenta, quidquam perfici potuit. At vſui tamen fuere, quæ tũ conſultata ſunt, nam alia alio tempore Pontifex poſtea exequenda ſuſcepit: Ad Pontificiam familiam ea, quæ Pij V. tempore viguerat, diſciplina inſtituendam, Carolus, non pauca contulit. Bernardum Carniliam Dertonenſem olim familiarem ſuum, apud Pontificem collocandum curauit, hominem pietati maxime deditum, cuius religio ita ſe in dies oſtendebat: vt Ormaneto Patauij Epiſcopo facto, in eius fere locum, munuſque à Pio vocatus ſucceſſiſſet. Hic igitur in Pontificia domo, foriſque ſacræ diſciplinæ ſeruiens, ſimul res Caroli omnes apud Pontificem, magna diligentia, ſtudioq; procurauit: Deo in primis ita prouidente: vt quod maxime opus erat apud ipſum Pontificem Carolo nunquam deeſſet fideliſſimus negotiorũ illorũ geſtor, q̃ g: au'ſſi na ad ſingulare eccleſiæ fructũ perpetuo tractauit: q̃ ad rẽ Specianũ aptiſſimũ poſtea Gregorioque gratiſſimum habuit, vt merito quis de Caroli familiaribus obſeruauerit: tales Pontifices, eos ſibi miniſtros aſciuiſſe, taliq; loco habuiſſe, nã præter alios, etiã Conſtantiũ Taſſoniũ Mutinenſem ad ſe vocauit Pius, quem Mediolani Carolus familiæ præpoſitum habebat, antiqua probitate, pietateque hominem Romæ dũ fuit, diuino rurſus impulſu, viſus eſt ad omnem ſanctitatem acrius etiam, quam antea incitari, quod tum in publicis Eccleſiæ, Præſulumque rebus, quibus ibi præfuit, conformandis, tum in vitæ ſuæ rationibus ſeuerius cõponendis declarauit: doleo non ea omnia certa, explicataque habere, quæ ibi tamen Carolum feciſſe, non leuibus ducor argumentis, ſed quæ ſatis comperta non habeo, ea ſatius arbitror prætenre, illud vulgatum eſt, abiecta timiditate illa, quæ plurimos ſolet à Chriſtiano fraternæ reprehenſionis officio deterrere, pleroſque Cardinales ſingillatim grauiter, liberèque monuiſſe de eo, quod Chriſtiana res ab eis, tamquam Eccleſiæ Dei Principibus poſtularet: quibuſdam etiam proprias cauſſas demonſtraſſe, quibus præ ceteros ipſi vitæ ſanctitati ſtudere deberent, quod officij genus, quamquã non omnibus gratiſſimum fuit, eius tamen, quæ vis eſt veritatis, extitit in multis fructus ad pietatem non mediocris.

Carolus Mediolanum reuertitur.

Mediolanum demum rediens: Lauretanam ædem venit pridie ſolemnis feſti Omnium Sanctorum: vbi tum loci, tum diei feſti religione motus ex veterum vigiliarum imitatione, tota nocte in ſacroſancta illa Beatiſſimæ Virginis ædicula vigilauit, ſacriſque meditationibus, precationibuſque mentem exercuit, Ludouico Moneta ſolo comite: quẽ ſacerdotem in itinere familiæ præfectum ſemper habuit, tum vero domi, foriſque rerum plurimarum fideliſſimum adminiſtrum, & ſupra quam ſenectus ferre poſſe videretur, in laboribus, & incommodis, quæ Caroli comitatus erãt, patientem, qui cum Eccleſiæ iam dudum, Caroloque ſe totum tradidiſſet, nihil tamen ex Eccleſiæ, Carolive rebus vnquam percipere voluit, Plurima Romæ Carolus ad eccleſiæ ſuæ commodum, fructumque obtinuit, quæ Pontificiis litteris continentur, in his fuit Romanarum ſtationum diuinum beneficium, quæ toto anno per varias vrbis eccleſias diſtributæ, eximios animæ fructus afferunt ad ſalutem, illud etiam fecit, vt iis ſe muneribus; honoribuſve omnibus iam tandem liberaret, quibus totum ſe, vt cupiebat, eccleſiæ ſuæ regendæ, ac cuſtodiendæ dare prohibebatur, Pium ante orauerat, vt Archipresbyteratum Sanctæ Mariæ maioris, ſummam pænitentiarij muneris præfecturam, ordinum religioſorum patrocinia: præſertim Franciſcani, quod multi negotij erat: renunciare, Pontificiæque auctoritati relinquere liceret, ſed paſſus ille non erat: pergeret iis muneribus ſatisfacere per viros idoneos à ſe ſubſtitutos: curaret ipſe quantum poſſet, aut per epiſcopalem curam liceret: quãquam minus etiam quam antea poſthac faceret ita ſibi ſatius videri, quam ab eo munera eiuſmodi relinqui: ſi quid in eo eſſet offenſionis, præſtare ſe velle: neminem ſe habere præſentem, quem Carolo præferret abſenti. Nunc item Gregorium vehementer orauit, vt id ſibi permitteret, quod ita tandem impetrare poſſe videbatur, ſi modo vellet eos nominare; quibus ea recte Pontifex munera poſſet committere, ſed cum id quoqui modeſte recuſaret: neque annuit tunc quidem Pontifex, & cum non abnuiſſet tamen penitus, Mediolanum reuerſus Carolus ſtatim iis ſe curationibus abdicauit, his ipſis litteris latine ad Gregoriũ ſcriptis.

Plurima Romæ ad emolumentũ Eccleſiæ ſuæ obtinuit.

Caroli litteræ ad Pontificẽ in quibus Sanctitati ſuæ dignitates, & officia multa reſignat.

Beatiſſime Pater. Poſtquã Mediolanũ, ad eccleſiæ mihi commiſſæ gubernationẽ redii, non iudicaui amplius id eſſe differendũ de officio ſummi Pœnitentiarij, ad quod me: mea conſciẽtia iã diu ſtimulabat, & vehemẽter vrgebat. Cũ n. paſtoralis curæ neceſſitas, me ab eccleſia Mediolanẽſi abeſſe nõ patiatur, vt præſens illi muneri, quod cõmemoraui: quodq; totũ hominẽ, eumq; præſentem poſtulat, ſatiſfacere queã illud omnino deponere ſtatui. Ceterum, quia Sal-

uator

nator noſter Chriſtus Ieſus Sanctitatem veſtram totius eccleſiæ ſuæ adminiſtrationi præfecit: & curam tradidit, eccleſiaſticas dignitates, & officia ad Dei honorem, gregiſque ſui ſalutem idoneis viris conferendi: atque ad hæc, aliaque præſtanda perpetuam ſpiritus ſui præſentiam, ac ſingulare auxilium promiſit: nihil conſcientiæ meæ tutius eſſe video, quam ſi illud integre in veſtræ Sanctitatis voluntate, & manu reponam. Quapropter nunc ſponte, & libere officium hoc ſummi Pœnitentiatij in veſtræ Sanctitatis, tamquam in Chriſti, cuius vicem in terris gerit, manibus reſigno, continuas interim ad Deum Opt. Max. fundens preces, vt ſibi hac in re, largius gratiæ ſuæ lumen impartiri dignetur: quo is illi muneri præficiatur, qui nulla alterius reſidentiæ, aut occupationum neceſſitate impeditus: Dei, & animarum zelo flagrans, ac doctrina, & vitæ integritate præfulgens, digne miniſterium ipſe ſuum impleat. Iiſdem rationibus adductus, ſponte etiam, & libere reſigno in manibus veſtræ Sanctitatis Archipresbyteratum eccleſiæ S. Mariæ maioris: & officium protectoris, ac correctoris religionis S. Franciſci, & Carmelitanæ: necnon & monaſterij S. Marthæ in vrbe: ac omnium aliarum Congregationum regularium, quarum ego Protector exiſto. Atque ita humillime veſtræ Sanctitatis pedes deoſculor, me, ac Mediolanenſem hanc eccleſiam in viſceribus Ieſu Chriſti, eius pietati, & paternæ curæ toto corde ſemper commendans. Mediolani 13. Calend. Decemb. 1572. Eodem tempore ad Philippum Regem de Germaniæ inferioris: & ad Sebaſtianum Regem, eiuſque patruum Cardinalem de Luſitaniæ clientela dimittenda ſcripta: eiuſmodi munera præſentiam in vrbe deſiderare: vbi coram, & diligenter, quod eccleſiarum, rerumque ſacrarum gratia opus eſt, quæque ad pietatem opportuna ſunt promeis, curari poſſint: ſibi id minime licere: & alioqui ſe totum eccleſiæ ſuæ debere. Eadem fere de cauſſa Vritanum Principatum triennio ante alienauerat: quod enim ciuitati illi curæ tribuebat, id Eccleſiæ ſuæ adimere ſibi videbatur: præter id, quod ex pecunia contracta, plurima poterat ad Dei honorem, gregiſque ſui commodum efficere, quemadmodum re ipſa effecit. Duas item Abbatias ex multis illis reliquas per id tempus dimiſit, altera ita ſe abdicauit: vt Othatianam Mediolani Præpe ſituram, licet tenuiorum multo fructuum, ſeminario ſuo Pontificis auctoritate tribueret. Aronenſem vero vel prorſus dimittere, vel eius ſaltem fructus diuino cultui in ipſo loco exercendo, perpetuo addicere ſæpius cogitauerat, nunc de certo presbyterorum numero in ea eccleſia conſtituendo, qui diuinis rebus operam darent: nunc de ea religioſis viris penitus tradenda, cogitauit, cum aliud ipſe ex omni parte non probaret: aliud Pontifex non concederet, ſacerdotium ad id tempus ſibi retinuerat, tantum, quia monachi illi pene defecerant: clericos eo loco multos habuerat: religioſeque moribus, & litteris inſtituendos curauerat: ne, quamuis rem ipſe retineret, in ſuos tamen vſus fructus inſumeret, obtinuit à Gregorio tandem, vt eam, quod iamdiu cupiebat, traderet Societati Ieſu. Ita vectigalibus, adminiſtrationibus, honoribuſque maximis relictis, vno ex tot, tantiſque ſacerdotijs Archiepiſcopatu retento: & ex plurimis penſionibus, nonnullis tantum, quibus eccleſiæ minime grauarentur, ad aureorum nummûm millia paulo plus viginti, additis patrimonij fructibus, eius annui reditus ex longe ampliſſimis redacti ſunt, ipſe vero ſe totum diuinis obſequiis, quæ omnibus humanis opibus potiora ſunt, & chariſſimi gregis cuſtodiæ, maiori quam vnquam antea ſtudio, contentioneque tradidit.

Aliis item officiis & honoribus ſe abdicat.

II. PROVINCIÆ concilium, quod primo quidem ob aduerſam valitudinem, deinde Pontificis creandi cauſſa, diſtulerat in conſequentem annum 1573. tertio habuit Aprili menſe: cui Paulus Epiſcopus Placentinus, Cardinalis ante creatus, vir religioſiſſimus ex ordine Theatinorum clericorum in eſt fuit, & Bonhomius item ex Abbate factus Epiſcopus Vercellenſis. In eo non pauca decreuit ad diuini cultus, & diſciplinæ eccleſiaſticæ incrementum: præſertim de feſtis diebus recte colendis, & de Catholica fide in prouincia integre tuenda, quidquid aliorum conciliorum tempore ſolitus fuit, in eo concilio præſtitit egregie. Concilij decreta, cum Romam de more recognoſcenda mitteret, Ioannem Baptiſtam Caſtellium Vicarium ſuum primarium, alioqui profecturum ad id munus delegit. Multa per eum Pontifici expoſuit, non ſuæ ſolum, ſed vniuerſæ eccleſiæ maxime vtilia: præſertim de concilijs in vnaquaque Metropoli, quod pluribus in prouinciis omittebatur, celebrandis. Verum alia de cauſſa Caſtellij profectio Carolo nec opinanti opportuna fuit, ob ea quæ rurſus abſente Carolo, diœceſimque eccleſias luſtrante, Gubernator in eccleſiã, eiuſque ius, & poteſtatem fecit. Sed repetam paucis, quo modo ſe iuris controuerſia ſuperiori tempore habuerit. Poſt Caroli caſus, omnium, vt ante dicebamus, commotis animis, nihil fere turbatum eſt: Magiſtratuſque æquiore animo omnia viſi ſunt adminiſtrare: eo maxime, quod magnum diſſenſionum odium, ac dolorem: & omnis contentionis aliqua ratione tollendæ deſiderium, perſpicue Rex oſtenderat: ac Vincentio Iuſtiniano id in Hiſpaniis agente, qui ex ordinis ſui Antiſtite, in ſummũ S. R. E. Card. ordinẽ lectus erat, Duci mãdauerat, vt cõtrouerſiæ dirimendæ aliquã omnino iniret rationẽ. Ita rerũ meliorum ſpes diu confirmata, piis omnibus gaudiũ attulerat non mediocre: præſertim Ioannes Baptiſta Rainoldo Senatus Præſide creato: cuius virtus, piaque conſilia Carolo valde probata, ad publicam tranquillitatem ſemper valuerunt. Carolus etiam per Cardinalem Alexandrinum Legatum, agi Pontificio nomine de controuerſiis tollendis in Hiſpania curauit, cumque alius prouinciæ Mediolanenſi gubernandæ deſtinatus, Romæ eſſet, per Pij Pontificis admonitiones, hortationeſque rebus iiſdem conſulere ſtuduit: præter id, quod ipſe conatus eſt, cui cum ipſo gubernatore neceſſitudo non leuis à multis annis intercedebat, ſed ſine negotium eiuſmodi non ſatis pro rei momento curare quidam voluerint: ſiue ob rei ipſius difficultatem, de rebus componendis nihil effici vnquam potuit. Itaque Aluaro gubernante ob rerum venalium feſtis diebus proponendarum licentiam à Carolo repreſſam: prohibitoſque ludos publicos, quos in ipſa maioris eccleſiæ platea is apparabat, motus aliquid extiterat, quo tempore homo indignatus ſingulos ciuitatis ordines tentaſſe dictus eſt, vt certos ludos, choreaſque publice, vno que tempore ducerent: nihil autem propter populi pietatem perficere potuit: obiitque breui diem ſuum. Deinde cum ſucceſſor Ducis veniſſet, Caroluſque Romæ eſſet, alia multa turbata ſunt. Huic ſucceſſori propoſitum eſſe videbatur, in adminiſtratione prouinciæ rem ſuam animoſe agere, ac confidenter: nam Ducis religionem, & erga Carolum, Eccleſiamque obſeruantiam, remiſſi, timidique animi vitio: quod ipſe Dux poſtremo tempore nimis exhorruit: quidam attribuerant, ſolet autem, qui cuipiam in munere ſuccedit, in eam laudem incumbere maxime, cui contrariam vituperationem ille opinione hominum ſubiit, qua ex re fit nonnunquam, vt non tam vitij fugiendi ſtudio, ſi modo vitium illud eſſet, quam ſuperandi alterius, famæque colligendæ cupiditate longius prolabendo, quis in contrarium vitium cadat. Principio igitur, cum Caroli Vicarius publicas choreas, de quo etiam in priori concilio Epiſcoporum conſtitutum erat, feſtis diebus prohiberet, quo tali tempore, ſicuti ſine dubio Chriſtianum eſt, mortales rebus diuinis operam darent: & ea de cauſſa contumaces quandoque nonnullos, quemadmodum his temporibus neceſſe eſt, eccleſiaſticis quibuſdam animaduerſionibus coerceret: ei rei vehementer à magiſtratibus reclamatum eſt. Hos motus Carolus iisdem ſedare curauit abſens, ac tametſi nihil perfectum eſt, quo publica quies vere ſtabiliretur, euenit tamen, vt grauius tibi pace deteret. Sed eo demum præſente, ac viſitandis eccleſiis, vt dicebamus, occupato: duo iuſſit Gubernator, quibus ius eccleſiaſticum non mediocriter lædi, atque adeo labefactari exiſtimabatur, alterum quidem per iuſtitiæ, quem appellant Capitaneum, contra liberum literarum Apoſtolicarum vſum: prohibuerat enim litigantem litteris Apoſtolicis vti, eius non impetrata facultate, alterum vero contra eas omnes eccleſiæ rationes, de quibus antea cum Senatu diſceptatum erat, ac primum quidem, cum iubente, paternoque amore admo-

Anno 1573. tertiũ Concilium habuit Carolus.

Turbarum in Eccleſia Mediolanenſi concitatarum recapitulatio.

Aliæ tempore Aluari Gubernatoris.

Nouarum contrcuerſiarum origo.

Aliæ cauſæ.

uente Pontifice, pie reſcidiſſet: veniam & abſolutionem vna cum iudice impetrauit, hunc Carolus ante Sacelli ſui ianuam ſolemni ritu ſacro anathematis vinculo liberauit: Gubernatorem Ioannes Paulus Eccleſia, Cardinalis ex Senatore factus, qui tum in Inſubria morabatur. De altero vero ex concertationes, ij motus, ea pericula fuere; vt leuia fere præ iis viderentur, quæ ſuperioribus annis acciderant. Factum ita ſe habuit. Regis quibuſdam litteris biennio ante datis, nonnulla eccleſiæ permittere Gubernator iuſſus erat, ex iis, quæ tum fuerant à magiſtratibus in controuerſiam vocata: cui tamen conceſſioni ab eccleſiæ parte conſenſerat nemo, litteræ ad id tempus erant ſuppreſſæ. Aggreditur tunc demum Gubernator, quod antea ſe facturum quaſi per iocum Carolo dixerat: & ne faceret, Carolus vehementer, amiceque rogauerat: ſeque niſi abſtineret, teſtatus erat omni ratione repugnaturum, eas litteras ad eam rem minime datas, Caroli Vicario, apparitorique teſtato denunciari iubet: præſcribique de lictoribus, eorumque armis, ac coercitionibus, quæ ius, libertatemque Eccleſiæ certis finibus circumſcripte terminarent. Carolus Mediolanum accepto nuncio reuerſus, primo quidem per religioſos viros, per Ioannem Paulum Eccleſiam Cardinalem tentauit, ſi poſſet huiuſmodi malo remedium aliquod afferre, cum nihil fieri potuiſſet: ſubita ille quidem declaratione, quamquam in re manifeſta, abſtinuit: qua ſacrorum canonum pœnis, Gubernatorem, alioſque facti adminiſtros teneri publice pronunciaret, beneuole autem monuit prius: mirari ſe vehementer, & dolere, tantæ virtutis, pietatiſque Principem eo fuiſſe adductum, vt tam aperte ius eccleſiæ violaret, ſcire ſe mentem Regis longe eſſe diuerſam, nihil ea denunciatione, iuſſiſve eccleſiæ poteſtati detractum ſeſe intelligere: qui & quod ille permittere viſus erat, & quod permittendo prohibuerat; ſuo iure, vt antea ſemper, nihilominus erat facturus: ſed tamen non potuiſſe diſſimulare, aut ſilentio præterire talem licentiam. Sententia, pœnarumue declaratione, quam promulgare poterat ſuperſediſſe: de eius ſalute ſolicitum, beneuole prius agere, paterneque voluiſſe, monere igitur, atque adeo anathematis eadem pœna propoſita iubere, vt tridui ſpatio quæ contra Eccleſiam fecerat, ea penitus reſcinderet: ſeque reſcidiſſe publice profiteretur: niſi effeciſſet, tum ſe; licet magno dolore: nomen eius tamquam anathemate notati, pro templis, locisque publicis propoſiturum, ob dignitatem vero magiſtratus, tum vt placide hominem acciperet: vnum miſit ex Vicariis ſuis, vna cum ſacerdote ob eam cauſam nuncio facto: qui monitionis ſcriptum redderet, recuſauit is accipere primo: ſed Vicario admonente: Carolum moderatam eiuſmodi rationem officij gratia elegiſſe: ſi per eum non liceret, quoniam id illi prætermittere nefas erat: ſcriptum eſſe in publicum proponendum: accepit ille quidem; ſed adeo exarſit, vt ſtatim ſcinderet, & proiiceret, poſt diem dictum, rurſus virum grauem Carolus mittit: ſcripto ſe illum iterum vocaturum, antequam ad promulgationem veniret, pateretur; ſi tamen quæ monitus erat, facere nollet: habita dignitatis, vt prius ratione, ſibi ſcriptum tradi: ne publicis locis affigeretur. Ille autem non multo poſt copioſas, aculeataſque reſponſiones, alias communi, alias latina lingua mittit, ad ea quæ Carolus monuerat, rulleratque: quibus perſuadere conabatur, nihil ſe iniuſte feciſſe: neque Carolum quidquam ea de cauſſa poſſe contra ſe pronunciare, quæ quidem ſcripta in vulgus edi curauit. Carolus, vt paucis dicam, poſt nonnullas dilationes: relatis tum initio, tum deinceps Romam diligenter rebus omnibus, quæ ad negotium pertinerent: ſcriptis publice propoſitis, Gubernatorem, alioſque facti participes à ſancta eccleſia abſciſſos declarauit, qua ex re tota Gubernator grauiſſime ſe offenſum, commotumque plane vehementer, priuatim, publiceque oſtendit: neque quotidiana communicatione voluit abſtinere, plurima locutus aſpere, rurſus ſcripturis contendens, homo alicuius litteraturæ habitus, alia ſcripta ad ſui defenſionem, Carolique accuſationem edidit, totaque prouincia peruulgari iuſſit: quibus tamen eo magis ſeipſum arguebat, quo vehementius contendebat excuſare, Carolique factum criminari. Plerique ſuſpenſo, ſolicitoque animo diu fuerunt, ne quid acerbius, ob iram Principis accideret, rumor, vt aſſolet, eo vſque quandoque proceſſit, vt Romæ vulgaretur incenſas fuiſſe ædes Archiepiſcopales. Ciuitatis conſilium Decuriones miſit, qui duce Tatio Mandello Comite, & ciuitatis Vicario, Carolum ſupplices obſecrarent, ne ad eam grauiſſimam animaduerſionem vnquam venire vellet, quemadmodum minatus eſſe videbatur, vt vniuerſam ciuitatem ſacris interdiceret, futuram illam ſine dubio rerum omnium extinctionem, quas ſummis laboribus plurimas, atque egregias ad ſalutem ciuitatis effecerat, meminiſſet etiam, primo quidem ſe natura eius ciuitatis filium: deinde dignitate, & ſacerdotio patrem, propterea ne aliorum culpa quidquam ab eorum nominum pietate alienum ſtatuere in eam vellet, quam ſibi obſequentem, deditamque ſemper cognouiſſet. Reſpondit in ſumma Carolus; pietatis ſe erga patriam, filioſque ſuos, tum precum ciuitatis rationem habiturum: ſeque ad illud extremum, niſi canonicarum ſanctionum ratione coactum minime venturum. Eluxit eo tempore maxime Caroli animus, virtute, Deique fiducia in primis ſingulariter confirmatus: cum enim tota ciuitas, metu ſuſpenſa teneretur; domeſticis frequenter quodam modo formidine ſanguis refugeret: viri grauiſſimi amici maxima pericula, quamuis occulte, propter metum quotidie nunciarent: vnus ipſe inuictus acri, & præſenti animo res ſuas agebat, neque dubitauerit, opinor, intelligens quiſquam, quin ad omnia perferenda, & ad ipſam quoque vitam profundendam, ſi tanta fuiſſet temporum miſeria, paratus eſſet. Ipſum video, cum Romam ſcriberet teſtatum eſſe plane diſerte: & Pontificis iuſſu facile ſe de omni conatu, iureque ſuo acceſſurum: & illo contra ſentiente, omnia pericula pro ſacræ auctoritatis iure conſeruando ſubiturum. At dolorem tamen non omnino diſſimulabat, vel ob id maxime: quia variis modis in Deum peccabatur, populique ſalutaria ſtudia impediebantur. In ipſis periculis, cum eum domi manſurum omnes exiſtimarent, exibat paucis comitibus, quemadmodum iam modeſtiæ gratia ſolebat ſemper, & ad cœleſtium patronorum corpora precationis, ſacrificiique cauſſa, vt feciſſe Sanctum Ambroſium in periculis ſuis legerat, ſe conferebat, quam liberi, ac fidentis animi religionem, cum aduerſariorum contemptioni quidam tribuerent, nam & ipſum Gubernatoris palatium, dum Ambroſianam ædem recta peteret, adire oportebat, ſine cauſſa multo magis incendebantur, eo vero maior fuit Caroli patientia, atque animus, quod adhuc, licet optima Pontificis voluntas non deeſſet, Romanis ſubſidiis res eius aduerſæ non ſatis ſubleuari videbantur, quamuis enim omnes eius mentem conſtantiamque laudibus efferrent, pauci tamen erant, qui actorum eius defenſionem ſuſciperent. Rurſus autem Gubernator Carolũ in inuidiam trahens affectati Mediolanenſis imperij, ea de re multa iactare dicebatur, cum vero Comitem Ioannem Anguſſiolam Placentinum, Carolo inſciente, miſit, qui Aronenſem Borromeiorum arcem, in Caroli poteſtate poſitam, Regis nomine occuparet: eſſe locum fidei hoſtibus oppoſitum: eorum quos Carolus ad eum tenendum delegiſſet, fidem ſibi non probari, vt de Carolo ipſo nihil diceret. Carolus autem cum id accepiſſet, miſit ſtatim ad Iulium Bibulcum patritium Mediolanenſem, arcis præfectum, vt Comitem reciperet, arcemque traderet, quia id Regis cauſſa peteretur, tum miſit etiam ad Gubernatorem, qui non arcem illam ſolam, ſed ſua omnia, familiæque ſuæ ſemper Regi præſto fore nunciarent. Præterea, quoniam plurima erant in vrbe pia ſodalitia, plebeiorum fere hominum, qui cum reliquis diebus artificiis ſuis operam dediſſent, feſtis cõueniebant: precibuſque, & aliis piis actionibus occupabantur: publico edicto Gubernator iuſſit grauiſſimis pœnis propoſitis: ne cõgregarentur, niſi is Regis nomine adeſſet, quẽ ipſe ad id pro ſingulis ſodalitiis, delegiſſet & cum publice ſacro induti ordine per vrbem ire ſupplicationis gratia ſolerent, ne faciem de more haberent contectam

Gubernatorem admonet violati iuris Eccleſiæ, & niſi decreta reſcindat ex communicatione minatur.

Gubernatorem contumacem alioſque complices communione priuat.

Magiſtratũ ſupplicem habet, ne interdicto vrbem ſubiiciat.

Caroli magnanimitas

Aronenſẽ arcem occupari iubet Gubernator.

Edicta Gubernatoris

ctam

ctam, prohibuit, videri voluit ſe feciſſe, ne quid contra reipublicæ ſtatum ij homines machinarentur: qui pro ratione ſacrarum exercitationum, proque pietate ſua Carolo dediti erant. At genus id erat hominum à ſeditione, armiſque prorſus alienum: pietati vero inter alias ciuitatis partes maxime deditum. Fecit edictum, vt quicunque pietatis cauſſa congregari ſolebant: metu pœnæ: & quod viri Regis nomine delecti, vtpote nobiles, & aliis rebus occupati moram, impedimentumque afferrent: omnes abſtinerent. & magnum ciuitati bonum detraheretur, donec iuſſum illud poſtea tandem, vt dicemus, euanuit. Interea Gubernator omni officio Romæ contendebat; vt, vel doceret nullo ſe anathematis vinculo irretitum eſſe, vel abſolutionis facultatem cautionis gratia, ſi opus eſſet, obtineret, principes viri fauebant vehementer: eum magnæ prouinciæ præfectum eſſe: ibi grauiſſimi belli cum hoſtibus eccleſiæ Catholicæ ſuſcepti neceſſitatem inſtare: ſpectatę alioqui virtutis Principi ad vitæ pericula pro fide Catholica properanti, aliquid indulgendum: tanti, tamque pii Regis habendam eſſe rationem; qui iam mandata dederat, profectionemque vrgebat, cuius rei cauſſa Gubernator ipſe Mediolanenſem adminiſtrationem dimiſerat, fortaſſeq; iam tum erat in itinere, Ita demum in eam ſententiam plures ierunt; vt omiſſa cauſſæ cognitione abſoluendi facultas ex priuilegio, cautius agendi nomine, concederetur, qua ex reipublicæ rurſus offenſiones, indignaque multa acciderunt, cum enim litteras Apoſtolicas ea de re ſcriptas in itinere reddendas eſſe Romæ putaretur: ideoque poteſtas abſoluendi cuilibet ſacerdoti facta eſſet: Gubernator eas expectauit Mediolani, cumque à cœnobita quodam non peritiſſimo, Carolo

Gubernator irritum reddere Romæ anathema contendit.

contra præſcriptum ſacrorum canonum inſciente: abſolutionem in occulto eſſet conſecutus; ſacris palam intereſſe pluribus in eccleſiis conatus eſt, quod Pontifex ægre tulit: & eo nomine Carolo ſatisfieri iuſſit. Demum ille cum abiiſſet; re non admodum feliciter biennio geſta, abſceſſu & corruptione corporis interiit, de morte illius frater vir princeps cum accepiſſet: Caroli precibus pie, ſtudioſeque commendauit, qui ſeſe iam animæ illi ſuffragaturum affirmans, facturum etiam in poſterum promiſit. Carolo in tam afflictis rebus id quoque ſolatij fuit: quod non Romæ ſolum Caſtellium Eccleſiaſticæ dignitatis acerrimum defenſorem, præter alios ſuos habebat: ſed in Hiſpaniis quoque Ormanetum Patauinum Epiſcopum factum: qui quidem & vera de Caroli actionibus narrare: & optima ſuadere Regi pro pietate, gratiaque ſua poterat.

Clanculum abſolutus poſt moritur.

Internuncij munus apud Regem ſuperiore anno ad modicum tempus mandatum, bonus ſacerdos inuitus acceperat: nam ſi breui tempore in eo munere permanendum eſſet, ne quid eccleſia caperet detrimenti: tunc aula regia diſcedendum aiebat, cum & rerum ſtatum, & hominum ingenia cognoſcere cœpiſſet, ſi diu, eccleſiam Antiſtite ſuo deſtitutam multis, grauibuſque incommodis eſſe efficiendam. Præterea ex eiuſmodi abſentiæ exemplis Principes adduci, vt Epiſcopos ab eccleſiis abſtrahere, & in conſiliis ſuis ſæpe habere ſtuderent. Huiuſmodi modeſtiſſime proferens, tam perfecte parebat tamen, quam ſtudioſe, frequenterque agebat, cum Carolo præſertim, vt ad Eccleſiam ſuam redire liceret, cui Carolus & ſi tanti viri præſidium apud Regem rebus ſuis commodiſſimum videbat, quoniam in eadem erat ſententia, & publicum Eccleſiæ exemplum ſuis rationibus indicabat anteferendum: adiutorem in ea re ſemper ſeſe præbuit. Ormaneti cura, tum maxime pietate ſua Rex in eo perſeuerauit, vt optime de Carolo ſentiret, quin eius præſcripta, cohortationeſque publicis litteris populo tum propoſitas, de ſacris precibus pro Rege ipſo, pro rebus Belgicis, belloque Turcico habendis, libenter legit: & ſupplicationem ſine intermiſſione, eius quam Carolus publice per totam diœceſim inſtituerat, exemplo, per Hiſpanias haberi iuſſit, nimirum Carolus tum ſaluti, proſperitatique Regis maxime ſeruiebat: cum maxime quorundam ſermonibus eius voluntas, fideſque erga Regem in ſuſpicionem vocabatur.

Carolus Caſtellum Romæ, Ormanetum in Hiſpaniis patrocinantes cauſæ ſuæ habet.

Quemadmodum autem in priore illa conflictione: ita in hac pij viri quoſdam euentus obſeruarunt, qui vel Eccleſiæ, Carolique cauſſam probarent: vel eccleſiaſticæ animaduerſionis auctoritatem confirmarent. Cum virum clariſſimum Gubernator cauſſę defendendæ gratia Romam miſiſſet: ille in Pontificis conſpectum admiſſus, vix dicere cœperat, cum repente voce, viribuſque deſtitutus concidit, & inde aſportatus eſt, nullus vero morbus tunc ei fuit: offenſio tantummodo quædam in crure iter facienti acciderat: quæ propemodum erat ſanata, ſed domum tunc relatus, ita febri laborauit, vt in magno vitæ periculo eſſet, ex quo, plurima ſalutis cauſſa vel perfecit, vel pie admodum ſibi propoſuit: tum de cauſſa, propter quam legatus erat: tum de omni vitæ ſuæ ratione, cumque item conualeſceret, morte penitus inexpectata ſubito obiit.

Gubernatoris Legatus cauſam dicturus concidit, & moritur.

De magno Cancellario qui vna cum Gubernatore damnatus fuerat id euenit, quod eccleſiaſtici vim anathematis mirabiliter declararet, is antequam abſolutionem impetraret: cum vinculum einſmodi non ſatis pro grauitate æſtimare videretur: interno quodam animi pulſu diurno nocturnoque commoueri cœpit, atque agitari: tum vero vehementi triſtitia opprimi: vt ſibi quandoque morti proximus videretur. cumque dies multos ægre ſuſtinuiſſet; medicos fruſtra adhibuiſſet, demum angoris aſſidui victus acerbitate, mortemque timens; ad Carolum miſit, qui veniam peterent, Eccleſiæque ſatisfacerent, quamquam re nondum cum Carolo plene conſtituta, cœnobita quidam illi, vt homini moribundo, qui ſe ſatis Eccleſiæ facturum promiſerat, abſolutionis remedium impertiit: qui ratione is ſubleuatus, poſtea vna cum alio eiuſdem facti participe, poſtea Carolo adiuuante, Pontificiam abſolutionem impetrauit, cumque alio tempore ſe poſtea mortem propinquum eſſe ſentiret, ad Carolum miſit, vt ad ſe venire ſubſidio vellet: & ſi quid forte adhuc opus eſſet, vinculo exolueret, quod ille facile conceſſit: & quibuſcunque rebus potuit, animam illam è corpore migrantem amanter iuuit, & conſolatus eſt.

Cancellarius anathemate plexus mire agitatur.

A Carolo ſupplex abſolutionem petit.

III. Carolus ita conflictatus: in ea tamen quæ ſuæ ſalutaria eſſent eccleſiæ pergebat animum intendere, cumque huius anni M.D.LXX.III. tempus illud appropinquaret: quo pij mortales Chriſti Domini aduentum recolere: & multis antea diebus ſeſe piis officiis, & actionibus ad ſanctiſſimi Natalis eiuſdem feſta recte celebranda præparare ſolent: videretque temporis eiuſmodi ſanctitatem laicis pene ignotam: clericis ſuis vſu fere non receptam magis, quam vt ſacrarum veſtium, diuinorumque rituum mutatione declararent: quod multos iam annos exemplo ſuo docebat, tempus illud quotidiano colens ieiunio: id vt aliqua ratione ceteri ſequerentur, ſtuduit etiam publica cohortatione perſuadere. Litteras ad populum edidit, quibus tum rationem, ritum, cultumque huiuſmodi plene demonſtrauit: tum pios omnes ad ea præſtanda cohortatus eſt, quæ tale tempus: taliaque myſteria poſtulabant, quo in genere effecit poſtea tandem: vt non domus eius tantummodo, collegiaque multa, quæ eius nutu gubernabantur: ſed plurimi alij clerici, laicique ſanctum inſtitutum, maiore alij, alij minore vitæ ſeueritate; vt fit in rebus, quæ cuiuſque arbitrio relinquuntur: præadmodum agnoſcerent, atque obſeruarent.

Variis ſacris inſtitutis gregi conſulit.

Initio anni M.D.LXX.IV. dies quadragelimæ proximos à corruptorum hominum impetu: tum cæcos homines ipſos à vitiorum corruptela vindicare perrexit, litteris editis temporis religionem, myſteriaque declarauit, publicis ſupplicationibus, concionibus, omni ratione, à voluptatibus ad pias exercitationes traducere ſummo ſtudio populum conatus eſt. Ac ea quoque per id tempus cura ſollicitabatur: quod ſacrum illud Romanarum ſtationum munus eccleſiæ ſuæ cum acquiſiuiſſet, conſtitutas ea de cauſſa eccleſias ita mares, fœminæque adibant: vt quæ res eis ad ſalutem comparata erat, ea re plurimi ad perniciem abuterentur, cum enim quam maxima animi, corporiſque modeſtia ad veniam impetrandam, in diuinum conſpectum venire deberent; immoderato, laſciuoque cultu ſtudioſiſſime ornati, libidinoſos exercebant obtutus, eam corruptelam, quamuis nunc dies et tempora, nunc viſendas eccleſias, viris, fœminiſque

Anno 1574. Bacchanalorum diebus homines a vitiis reuocauit.

nente Pontifice, pie reſcidiſſet: veniam & abſolutionem vna cum iudice impetrauit, hanc Carolus ante Sacelli ſui ianuam ſolemni ritu ſacro anathematis vinculo liberauit: Gubernatorem Ioannes Paulus Eccleſia, Cardinalis ex Senatore factus, qui tum in Inſubria morabatur. De altero vero ex concertationes iis motus, ea pericula fiere; vt leuia fere præ iis viderentur, quæ ſuperioribus annis acciderant. Factum ita ſe habuit. Regiis quibuſdam litteris biennio ante datis, nonnulla eccleſiæ permittere Gubernator iuſſus erat, ex iis, quæ tum fuerant à magiſtratibus in controuerſiam vocata: cui tamen conceſſioni ab eccleſiæ parte conſenſerat nemo, litteræ ad id tempus erant ſuppreſſæ. Aggreditur tunc demum Gubernator, quod antea ſe facturum quaſi per iocum Carolo dixerat: & ne faceret, Carolus vehementer, amiceque rogauerat: ſeque niſi abſtineret, teſtatus erat omni ratione repugnaturum, eas litteras ad eam rem minime datas, Caroli Vicario, apparitorique teſtato denunciari iubet: præſcribique de lictoribus, eorumque armis, ac coercitionibus, quæ ius, libertatemque Eccleſiæ certis finibus circumſcriptè terminarent. Carolus Mediolanum accepto nuncio reuerſus, primo quidem per religioſos viros, per Ioannem Paulum Eccleſiam Cardinalem tentauit, ſi poſſet huiuſmodi malo remedium aliquod afferre, cum nihil fieri potuiſſet:

Gubernatorem admonet violati iuris Eccleſiæ, & niſi decreta reſcindat ex communicatione minatur.

ſubita ille quidem declaratione, quamquam in re manifeſta, abſtinuit: qua ſacrorum canonum pœnis, Gubernatorem, alioſque facti adminiſtros teneri publice pronunciaret, beneuole autem monuit prius: mirari ſe vehementer, & dolere, tantæ virtutis, pietatiſque Principem eo fuiſſe adductum, vt tam aperte ius eccleſiæ violaret, ſcire ſe mentem Regis longe eſſe diuerſam, nihil ea denunciatione, iuſſiſve eccleſiæ poteſtati detractum ſeſe intelligere: qui & quod ille permittere viſus erat, & quod permittendo prohibuerat; ſuo iure, vt antea ſemper, nihilominus erat facturus: ſed tamen non potuiſſe diſſimulare, aut ſilentio præterire talem licentiam. Sententia, pœnarumue declaratione, quam promulgare poterat ſuperſediſſe: de eius ſalute ſolicitum, beneuole prius agere, paterneque voluiſſe, monere igitur, atque adeo anathematis eadem pœna propoſita iubere: vt tridui ſpatio quæ contra Eccleſiam fecerat, ea penitus reſcinderet: ſeque reſcidiſſe publice profiteretur: niſi effeciſſet, tum ſe, licet magno dolore: nomen eius tamquam anathemate notari, pro templis, lociſque publicis propoſiturum, ob dignitatem vero magiſtratus, tum vt placide hominem acciperet: vnum miſit ex Vicariis ſuis, vna cum ſacerdote ob eam cauſam nuncio facto: qui monitionis ſcriptum redderet, recuſauit is accipere primo: ſed Vicario admonente: Carolum moderatam eiuſmodi rationem officij gratia elegiſſe: ſi per eum non liceret, quoniam id illi prætermittere nefas erat: ſcriptum eſſe in publicum proponendum: accepit ille quidem; ſed adeo exarſit, vt ſtatim ſcinderet, & proiiceret, poſt diem dictum, rurſus virum grauem Carolus mittit: ſcripto ſe illum iterum vocaturum, antequam ad promulgationem veniret, pateretur; ſi tamen quæ monitus erat, facere nollet: habita dignitatis, vt prius ratione, ſibi ſcriptum tradi ne publicis locis affigeretur. Ille autem non multo poſt copioſas, aculeataſque reſponſiones, alias communi, alias latina lingua mittit, ad ea quæ Carolus monuerat, miſſeratque: quibus perſuadere conabatur, nihil ſe iniuſte feciſſe: neque Carolum quidquam ea de cauſſa poſſe contra ſe pronunciare, quæ quidem ſcripta in vulgus edi curauit. Carolus, vt paucis dicam, poſt nonnullas dilationes: relatis

Gubernatorem contumacem alioſque complices communione priuat.

tum initio, tum deinceps Romam diligenter rebus omnibus, quæ ad negotium pertinerent: ſcriptis publice propoſitis, Gubernatorem, alioſque facti participes à ſancta eccleſia abſciſſos declarauit, qua ex re tota Gubernator grauiſſime ſe offenſum, commotumque plane vehementer, priuatim, publiceque oſtendit: neque quotidiana communicatione voluit abſtinere, plurima locutus aſpere, rurſus ſcripturis contendens, homo alicuius litteraturæ habitus, alia ſcripta ad ſui defenſionem, Carolique accuſationem edidit, totaque prouincia peruulgari iuſſit: quibus tamen eo magis ſeipſum arguebat, quo vehementius contendebat excuſare, Carolique factum criminari. Plerique ſuſpenſo, ſolicitoque animo diu fuerunt, ne quid acerbius, ob iram Principis accideret, rumor, vt aſſolet, eo vſque quandoque proceſſit, vt Romæ vulgaretur incenſas fuiſſe ædes Archiepiſcopales. Ciuitatis conſilium Decuriones miſit, qui duce Tatio Mandello Comite, & ciuitatis Vicario, Carolum ſupplices obſecrarent, ne ad eam grauiſſimam animaduerſionem vnquam venire vellet, quemadmodum minatus eſſe videbatur, vt vniuerſam ciuitatem ſacris interdiceret, futuram illam ſine dubio rerum omnium extinctionem, quas ſummis laboribus plurimas,

Magiſtratum ſupplicem habet, ne interdicto vrbem ſubiiciat.

atque egregias ad ſalutem ciuitatis effecerat, meminiſſet etiam, primo quidem ſe natura eius ciuitatis filium: deinde dignitate, & ſacerdotio patrem, propterea ne aliorum culpa quidquam ab eorum nominum pietate alienum ſtatuere in eam vellet, quam ſibi obſequentem, deditamque ſemper cognouiſſet. Reſpondit in ſumma Carolus, pietatis ſe erga patriam, filioſque ſuos, tum precum ciuitatis rationem habiturum: ſeque ad illud extremum, niſi canonicarum ſanctionum ratione coactum minime venturum. Eluxit eo tempore maximè Caroli animus, virtute,

Caroli magnanimitas.

Deique fiducia in primis ſingulariter confirmatus: cum enim tota ciuitas, metu ſuſpenſa teneretur; domeſticis frequenter quodam modo formidine ſanguis refugeret: viri grauiſſimi amici maxima pericula, quamuis occulte, propter metum quotidie nunciarent: vnus ipſe inuictus acri, & præſenti animo res ſuas agebat, neque dubitauerit, opinor, intelligens quiſquam, quin ad omnia perferenda, & ad ipſam quoque vitam profundendam, ſi tanta fuiſſet temporum miſeria, paratus eſſet. Ipſum video, cum Romam ſcriberet teſtatum eſſe plane diſerte: & Pontificis iuſſu facile ſe de omni conatu, iureque ſuo acceſſurum: & illo contra ſentiente, omnia pericula pro ſacræ auctoritatis iure conſeruando ſubiturum. At dolorem tamen non omnino diſſimulabat, vel ob id maxime: quia variis modis in Deum peccabatur, populique ſalutaria ſtudia impediebantur. In ipſis periculis, cum eum domi manſurum omnes exiſtimarent, exibat paucis comitibus, quemadmodum iam modeſtiæ gratia ſolebat ſemper, & ad cœleſtium patronorum corpora precationis, ſacrificiique cauſſa, vt feciſſe Sanctum Ambroſium in periculis ſuis legerat, ſe conferebat, quam liberi, ac fidentis animi religionem, cum aduerſariorum contemptioni quidam tribuerent, nam & ipſum Gubernatoris palatium, dum Ambroſianam ædem rectà peteret, adire oportebat, ſine cauſſa multo magis incendebantur, eo vero maior fuit Caroli patientia, atque animus, quod adhuc, licet optima Pontificis voluntas non deeſſet, Romanis ſubſidiis res eius aduerſæ non ſatis ſubleuari videbantur, quamuis enim omnes eius mentem conſtantiamque laudibus efferrent, pauci tamen erant, qui actorum eius defenſionem ſuſciperent. Rurſus autem Gubernator Carolum in inuidiam trahens affectati Mediolanenſis imperij, ea de re multa iactare dicebatur,

Aronenſem arcem occupari iubet Gubernator.

tum vero Comitem Ioannem Anguſſiolam Placentinum, Carolo inſciente, miſit, qui Aronenſem Borromeiorum arcem, in Caroli poteſtate poſitam, Regis nomine occuparet: eſſe locum fidei hoſtibus oppoſitum: eorum quos Carolus ad eum tenendum delegiſſet, fidem ſibi non probari, vt de Carolo ipſo nihil diceret. Carolus autem cum id accepiſſet, miſit ſtatim ad Iulium Bibulcum patritium Mediolanenſem, arcis præfectum, vt Comitem reciperet, arcemque traderet, quia id Regis cauſſa peteretur, tum miſit etiam ad Gubernatorem, qui non arcem illam ſolam, ſed ſua omnia, familiæque ſuæ ſemper Regi præſto fore nunciarent. Præterea, quoniam plurima erant in vrbe pia ſodalitia, plebeiorum fere hominum, qui cum reliquis diebus artificiis ſuis operam dediſſent, feſtis conueniebant: precibuſque, & aliis piis actionibus occupabantur: publico edicto Gubernator iuſſit grauiſſimis pœnis propoſitis: ne congregarentur, niſi is Regis nomine adeſſet, quem ipſe ad id pro ſingulis ſodalitiis delegiſſet

Edicta Gubernatoris.

& cum publice ſacro induti ordine per vrbem ire ſupplicationis gratia ſolerent, ne faciem de more haberent tectam

ctam

ctam, prohibuit, videri voluit ſe feciſſe, ne quid contra reipublicæ ſtatum ij homines machinarentur: qui pro ratione ſacrarum exercitationum, proque pietate ſua Carolo dediti erant. At genus id erat hominum à ſeditione, armiſque prorſus alienum: pietati vero inter alias ciuitatis partes maxime deditum. Fecit edictum, vt quicunque pietatis cauſſa congregari ſolebant: metu pœnæ: & quod viri Regis nomine delecti, vtpote nobiles, & aliis rebus occupati moram, impedimentumque afferrent: omnes abſtinerent. & magnum ciuitati bonum detraheretur, donec iuſſum illud poſtea tandem, vt dicemus, euanuit. Interea Gubernator omni officio Romæ contendebat; vt, vel doceret nullo ſe anathematis vinculo irretitum eſſe, vel abſolutionis facultatem cautionis gratia, ſi opus eſſet, obtineret, principes viri fauebant vehementer: eum magnæ prouinciæ præfectum eſſe: ibi grauiſſimi belli cum hoſtibus eccleſiæ Catholicæ ſuſcepti neceſſitatem inſtare: ſpectarę alioqui virtutis Principi ad vitæ pericula pro fide Catholica properanti, aliquid indulgendum: tanti, tamque pii Regis habendam eſſe rationem; qui iam mandata dederat, profectionemque vrgebat, cuius rei cauſſa Gubernator ipſe Mediolanenſem adminiſtrationem dimiſerat, fortaſſeq; iam tum erat in itinere. Ita demum in eam ſententiam plures ierunt; vt omiſſa cauſſæ cognitione abſoluendi facultas ex priuilegio, cautius agendi nomine, concederetur, qua ex re publicæ rurſus offenſiones, indignaque multa acciderunt, cum enim litteras Apoſtolicas ea de re ſcriptas in itinere reddendas eſſe Romæ putaretur: ideoque poteſtas abſoluendi cuilibet ſacerdoti facta eſſet: Gubernator eas expectauit Mediolani, cumque à cœnobita quodam non periti ſſimo; Carolo contra præſcriptum ſacrorum canonum inſciente: abſolutionem in occulto eſſet conſecutus; ſacris palam intereſſe pluribus in eccleſiis conatus eſt, quod Pontifex ægre tulit: & eo nomine Carolo ſatisfieri iuſſit. Demum ille cum abiiſſet, re non admodum feliciter biennio geſta, abſceſſu & corruptione corporis interiit, de morte illius frater vir princeps cum accepiſſet: Caroli precibus pie, ſtudioſeque commendauit, qui ſeſe iam animæ illi ſuffragatum affirmans, facturum etiam in poſterum promiſit. Carolo in tam afflictis rebus id quoque ſolatij fuit: quod non Romæ ſolum Caſtellium Eccleſiaſticæ dignitatis acerrimum defenſorem, præter alios ſuos habebat: ſed in Hiſpaniis quoque Ormanetum Patauinum Epiſcopum factum: qui quidem & vera de Caroli actionibus narrare: & optima ſuadere Regi pro pietate, gratiaque ſua poterat. Internuncij munus apud Regem ſuperiore anno ad modicum tempus mandatum, bonus ſacerdos inuitus acceperat: nam ſi breui tempore in eo munere permanendum eſſet, ne quid eccleſia caperet detrimenti: tunc aula regia diſcedendum aiebat, cum & rerum ſtatum, & hominum ingenia cognoſcere cœpiſſet, ſi diu, eccleſiam Antiſtite ſuo deſtitutam multis, grauibuſque incommodis eſſe efficiendam. Præterea ex eiuſmodi abſentiæ exemplis Principes adduci, vt Epiſcopos ab eccleſiis abſtrahere, & in conſiliis ſuis ſæpe habere ſtuderent. Huiuſmodi modeſtiſſime proferens, tam perfecte parebat tamen, quam ſtudioſe, frequenterque agebat, cum Carolo præſertim, vt ad Eccleſiam ſuam redire liceret, cui Carolus & ſi tanti viri præſidium apud Regem rebus ſuis commodiſſimum videbat, quoniam in eadem erat ſententia, & publicum Eccleſiæ exemplum ſuis rationibus iudicabat anteferendum: adiutorem in ea re ſemper ſeſe præbuit. Ormaneti cura, tum maxime pietate ſua Rex in eo perſeuerauit, vt optime de Carolo ſentiret, quin eius præſcripta, cohortationeſque publicis litteris populorum propoſitas, de ſacris precibus pro Rege ipſo, pro rebus Belgicis, belloque Turcico habendis, libenter legit: & ſupplicationem ſine intermiſſione, eius quam Carolus publice per totam diœceſim inſtituerat, exemplo, per Hiſpanias haberi iuſſit, nimirum Carolus tum ſaluti, proſperitatique Regis maxime ſeruiebat: cum maxime quorundam ſermonibus eius voluntas, fideſque erga Regem in ſuſpicionem vocabatur. Quemadmodum autem in priore illa conflictione: ita in hac pij viri quoſdam euentus obſeruarunt, qui vel Eccleſiæ, Carolique cauſſam probarent: vel eccleſiaſticæ animaduerſionis auctoritatem confirmarent. Cum virum clariſſimum Gubernator cauſſę defendendæ gratia Romam miſiſſet: ille in Pontificis conſpectum admiſſus, vix dicere cœperat, cum repente voce, viribuſque deſtitutus concidit, & inde aſportatus eſt, nullus vero morbus tunc ei fuit: offenſio tantummodo quædam in crure iter facienti acciderat: quæ propemodum erat ſanata, ſed domum tunc relatus, ita febri laborauit, vt in magno vitæ periculo eſſet, ex quo, plurima ſalutis cauſſa vel perfecit, vel pie admodum ſibi propoſuit: tum de cauſſa, propter quam legatus erat: tum de omni vitæ ſuæ ratione, cumque iterum conualeſceret, morte penitus inexpectata ſubito obiit. De magno Cancellario qui vna cum Gubernatore damnatus fuerat id euenit, quod eccleſiaſtici vim anathematis mirabiliter declararet, is antequam abſolutionem impetraret: cum vinculum eiuſmodi non ſatis pro grauitate æſtimare videretur: interno quodam animi pulſu diurno nocturnoque commoueri cœpit, atque agitati: tum vero vehementi triſtitia opprimi: vt ſibi quandoque morti proximus videretur. cumque dies multos ægre ſuſtinuiſſet; medicos fruſtra adhibuiſſet; demum angoris aſſidui victus acerbitate, mortemque timens; ad Carolum miſit, qui veniam peterent, Eccleſiæque ſatisfacerent, quamquam re nondum cum Carolo plene conſtituta, cœnobita quidam illi, vt homini moribundo, qui ſe ſatis Eccleſiæ facturum promiſerat, abſolutionis remedium impertiit: qui ratione is ſubleuatus, poſtea vna cum alio eiuſdem facti participe, poſtea Carolo adiuuante, Pontificiam abſolutionem impetrauit, cumque alio tempore ſe poſtea m[...] [...]pinquum eſſe ſentiret, ad Carolum miſit, vt ad ſe venire ſubſidio vellet: & ſi quid forte adhuc opus eſſet, [...]inculo exolueret, quod ille facile conceſſit: & quibuſcunque rebus potuit, animam illam è corpo[...] grantem amanter iuuit, & conſolatus eſt.

Gubernatoi irritum reddere Romæ anathema cōtendit.

Clanculum abſolutus poſt moritur.

Carolus Caſtellum Romæ, Ormanetum in Hiſpaniis patrocinātes cauſæ ſuæ habet.

Gubernatoris Legatus cauſam dicturus cōcidit, & moritur.

Cancellarius anathemate plexus mire exagitatur.

A Carolo ſupplex abſolutionem petit.

III. CAROLVS ita conflictatus: in ea tamen quæ ſuæ ſalutaria eſſent eccleſiæ pergebat animum intendere, cumque huius anni M.D.LXX.III. tempus illud appropinquaret: quo pij mortales Chriſti Domini aduentum recolere: & multis antea diebus ſeſe piis officiis, & actionibus ad ſanctiſſimi Natalis eiuſdem feſta recte celebranda præparare ſolent: videretque temporis eiuſmodi ſanctitatem laicis pene ignotam: clericis ſuis vſu fere non receptam magis, quam vt ſacrarum veſtium, diuinorumque rituum mutatione declararent: quod multos iam annos exemplo ſuo docebat, tempus illud quotidiano colens ieiunio: id vt aliqua ratione ceteri ſequerentur, ſtuduit etiam publica cohortatione perſuadere. Litteras ad populum edidit, quibus tum rationem, ritum, cultumque huiuſmodi plene demonſtrauit: tum pios omnes ad ea præſtanda cohortatus eſt, quæ tale tempus: taliaque myſteria poſtulabant, quo in genere effecit poſtea tandem: vt non domus eius tantummodo, collegiaque multa, quæ eius nutu gubernabantur: ſed plurimi alij clerici, laicique ſanctum inſtitutum, maiore alij, alij minore vitæ ſeueritate; vt fit in rebus, quæ cuiuſque arbitrio relinquuntur: pie admodum agnoſcerent, atque obſeruarent. Initio anni M.D.LXX.IV. dies quadrageſimæ proximos à corruptorum hominum impetu: tum cæcos homines ipſos à vitiorum corruptela vindicare pertexit, litteris editis temporis religionem, myſteriaque declarauit, publicis ſupplicationibus, concionibus, omni ratione, à voluptatibus ad pias exercitationes traducere ſummo ſtudio populum conatus eſt. Ac ea quoque re per id tempus cura ſollicitabatur: quod ſacrum illud Romanarum ſtationum munus eccleſiæ ſuæ cum acquiſiuiſſet, conſtitutas ea de cauſſa eccleſias ita mares, fœminæque adibant: vt quæ res eis ad ſalutem comparata erat, ea re plurimi ad perniciem abuterentur, cum enim quam maxima animi, corporiſque modeſtia ad veniam impetrandam, in diuinum conſpectum venire deberent; immoderato, laſciuoque cultu ſtudioſiſſime ornati, libidinoſos exercebant obtutus, eam corruptelam, quamuis nunc d[...] tempora, nunc viſendas eccleſias, viris, fœminiſque ſepara-

Variis ſacris inſtitutis gregi conſuluit.

Anno 1574. Bacchanaliorum diebus homines a vitiis reuocauit.

ſeparatim diuidendo; alias alia prouidendo, tollere curauerit: non potuit omnino conſequi tamen. Morem muliebris capitis operiendi, qui ad ſacrorum locorum reuerentiam, vitioſoſque ornatus, aſpectuſque impediendos pertineret, eo tempore renouauit, mos hic Apoſtolica doctrina, diſciplinaque iam inde ab Eccleſiæ initio comprobatus: Mediolani patrum memoria modeſtiſſime ſeruatus eſt, cum nedum capite puellæ, ſed tota facie velo coniecta prodibant, perſuaſit id primo per parochos, & ſacros concionatores: mox etiam iuſſit: vt exemplum alij Præſules imitati, idem entererent: ſeruarique etiam grauioribus pœnis appoſitis edicerent. Atque continuata rerum ſalutarium cura, ſynodum ſuæ diœceſis eo anno quarto habuit: quam ex Pontificis conceſſione, aliquot iam annis differebat. In eo de veſtitu clericali, pro loci, aut dignitatis varietate diſtinguendo, tunc primum plene conſtituit, de ſacris etiā peregrinationibus pie obeundis, quia Iubileus appropinquabat, de ratione ſynodi celebrandæ, de viſitatione Præfectorum vrbis, & Vicariorum, quos per diœceſim conſtitutos habebat: deque eorundem conuentu coram Archiepiſcopo quotannis agendo: alia multa clericis, populoque valde fructuoſa. Addidit tunc primum ad ſynodi decreta ſcriptas monitiones quaſdam ex veteri inſtituto, quibus ad officia ſua ſingula recte ſeruanda ſacerdotes excitantur. Dehinc, eo per diœceſim eccleſias inſpiciente: Henricus Poloniæ Rex conſtitutus, Carolo fratre Galliæ Rege mortuo, ad regnum illud capeſſendum rediens, per Mediolanenſem agrum iter fecit, quem Modetiæ Carolus conuenit: muneribuſque religioſis donauit, optimiſque præceptis ad pietatem recte colendam, Galliaſque hæreticis tumultibus afflictas recreandas, iuuare ſtuduit: qua de re Pontifex, cum explicate omnia, quæcunque cum eo Carolus egerat, exquiſiſſet: valde illum collaudauit. Neque Regem ſolum, ſed Principes quoque, qui eum comitabantur, ille ſimilibus officiis ad pietatem, religioſaque inſtituta curauit excitare, in quo, vt ſæpe alias, oſtendit, quam ad rem, quaue ratione Regum, Principumque amicitia Dei ſacerdos vtatur. Atque ea omnia Rex: cum & verbis, & factis declaraſſet, plurimi ſe Carolum facere: pie, amiceque tunc quidem, quidquid poſtea euenerit, accipere viſus eſt.

Henricum Poloniæ Regē, pòſt Galliæ ſalubribus inſtitutis informat.

Illud memorabile tunc Modetiæ contigit, mulier nobili genere nata, cuius mihi nomen hoc quidem tempore tacendum eſt: ſic agitabatur, ac furebat: vt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſacerdotumque præſentiam vix ferre poſſe videretur: implacabilem ſe ceteris plerumque præberet: furioſa matrem ipſam impeteret interdum, præterea intimo cruciatu quodam, agitationeque afflictata, nulla re, nulloque loco conquieſcebat. Id alij veneficiis tribuebant: alij cacodæmonis vexationem arbitrabantur, ac multis licet adhibitis remediis: adiuratoque, ſi quis ineſſet, dæmone, nullum dabatur leuamentum. Cum ad oppidum Carolus veniſſet: mulier, quæ ſæpe non impedito mentis lumine ſuam agnoſcebat miſeriam: in ſpem venit, eius ope ſeſe liberandam, cumque Carolus præteriret: domo illa ſubito proſilit, accurrit, prætergreſſus Carolus monetur mulierem retro eſſe, quæ ſibi peteret ab eo benedici, conuerſus ad eam de more manu crucis ſignum format, tum ea grauiter commota, dolere perinde, ac debilitari ſibi viſa eſt, quaſi grauiſſimum aliquid ex medicamento deieciſſet: & ex eo temporis puncto bona vtens valetudine nihil vnquam amplius eiuſmodi paſſa eſt, quod nos eam, viuumque allocuti, diligenterque de tota re non ſemel ſciſcitati, ita eſſe comperimus.

Mulier Modetienſis furibunda crucis ſigno à Carolo curatur.

Inſequens annus ſeptuageſimus quintus vltra mille, & quingentos, ille erat Iubilei nomine inſignis: quo ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac alias quaſdam Romanas Baſilicas viſentibus, pleniſſima peccatorum venia concedi ſolet. Romam ire quidem Carolus ſalutis, piique exempli gratia conſtituerat: ſed ibi tantum morari, quantum veniæ conſequendæ, præcipuiſque, & religioſioribus locis viſendis ſatis eſſet: immo nihil prorſus etiam cum Pontifice agere, niſi quid ſpirituale prorſus ſuppeteret, profectionem autem in autumnum ipſius anni ſancti, ſic enim recte appellant, contulerat, nam tempus illud ex omnibus minus incommodum eccleſiæ iudicabat, ſi quando ei abeſſe neceſſe eſſet. Sed anteuertit Pontifex, & non ſemel Carolo iuſſit ſignificari, vt ante anni initium iret: multa enim poſſe admonere, quæ ad Romanæ Eccleſiæ dignitatem accommodata eſſent: & ad externorum exemplum, qui ex toto Chriſtiano orbe Romam confluxiſſent, in primis vtilia.

Romam euocatur à Pontifice.

Verum plura is iam ſuppeditauerat per Carnilliam, veluti de pauperum hoſpitio conſtituendo, de meretricibus ſegregandis, quod pium hoſpitalitatis officium, alioqui etiam Romæ ſicuti exiſtimo, præmeditatum, Præſulum, ceterorumque liberalitas, Chriſtianaque beneficentia tantopere coluit, vt magnus, per exteras quoque prouincias, extiterit iam illuſtris exempli, religionis, pietatiſque fructus. Non ſatis habuit Carolus exemplo ſuo, ſuos Mediolanenſes, alioſque excitare ad Romanam peregrinationem ſuſcipiendam, fecit id quoque litteris editis: quæ per alias, non ſolum vrbes, ſed prouincias quæſtus cauſſa à librariis diſſeminatæ, magnos Chriſtianis hominibus ſalutaris peregrinationis ſtimulos adhibuere. Itaque ante finem ipſius anni, qui agebatur, Pontificis voluntate profecturus, ſcriptam prius eius rei facultatem poſtulauit, non alia de cauſſa, quam ex deſiderio eius inſtituti retinendi, vt ad ſacrorum canonum præſcriptum Epiſcopus ab eccleſia ſua ſine legitima facultate non diſcedat, qua de re illud etiam in tempore ſuaſit Pontifici, ne vllum Epiſcopum abſque illius conceſſu ſcripto, temporiſque præfinitione adiecta, Romam ire pateretur, ne Iubilei nomine qui ſedis ſuæ diutius deſerendæ cauſſam quæreret. Id ipſe à ſuis clericis ſeruari mandauit, vt & cum ſuis litteris proficiſcerentur, & illas Romæ Cæſari Speciano ſtatim offerrent, à quo item, cum poſt tempus præſcriptum redire vellent, afferrent vitæ ibi actæ, honeſtæque habitationis teſtimonium.

Iter ſuſcipit menſe Decembri, eiuſque difficultas.

Profectus igitur Carolus menſe Decembri, aſperum ſane ſuſcepit peregrinationis genus, quotidianum iter, non diuerſoriorum commoditate, ſed temporis ratione metiebatur, nox eum, & hoſpitio egredientem, & ad hoſpitium venientem comitabatur, ea de cauſa facultatem, Miſſæ, vel duabus horis ante lucem faciendæ ſibi, ſuiſque impetrauit, ſæpius eueniebat, vt commoda loca amicorum etiam, principumque virorum officio vehementer rogatus, ad modicam lucis reſiduæ vſuram præteriens, ad hoſpitia plane ruſtica perueniret, vbi, quod neque præmitti quemquam volebat, & ob Aduentus abſtinentiam, omnibus fere inuſitatam, ſibi vero exquiſite ſeruandam, aliud ad reficienda corpora non ſuppetebat: herbis ſæpe, nucibus, promiſcue cum comitibus ſuſtentabatur, ad ea interdum loca venit, quæ ne vnum quidem ad ipſum recipiendum, cubiculum haberent: ſed in tugurio manere neceſſe eſſet: vbi appetita plene frueretur incommoditate, omne tempus in rerum diuinarum contemplatione conſumebat, loca omnia circa viam Romanam religione inſignia, egregia pietatis ſignificatione viſebat: cum ipſius viſendi cauſſa ex villis, oppidiſque plurimi paſſim accurrerent. Itaque Camaldulum adiit: Aſſiſium, aliaque loca Franciſci ſanctitate, memoriaque celebrata coluit, magna denique tum ſua, tum aliorum ſpirituali vtilitate iter confecit. Romæ ita verſatus eſt, vt eius laudibus vrbs ſancta compleretur, & quot homines exteri ibi erant, tot earum in variis regionibus præcones efficerentur, præteritas peccatorum confeſſiones repetiit, certo diuinarum contemplationum curſu ſe exercuit, ſtatas Baſilicas, pedes vna cum familia ordine procedente, omni pietatis, modeſtiæque officio adiuit, & in iis loca omnia diligenter inuiſit, quotquot præcipuo aliquo cultu cenſerentur. In via litaniam, multamque omnino precationem, nullo interuallo dato continenter obibat, plurimi etiam nobilitate præſtantes, ſe ſocios inferebant, ſi quis obuius, etiam vir princeps, & familiaris offerebatur, nihil amplius officij cauſſa præſtabat, quam, vt aperiendo capite, corporiſq; motu ſalutaret, multi honoris cauſſa eo prætereunte humi genua ponebāt: quod ſi mirabātur Mediolani id videntes, multo magis Romæ, vbi tot alij præclari Antiſtites, & ipſe

Romæ qui ſe habuerit.

ipſe Chriſti Vicarius erat præſens. Ignota mulier peregrino veſtitu Carolo obuia, ita commota eſt, vt nulla publici conſpectus habita ratione: toto ſe corpore ad eius pedes abiecerit: euſque religioſiſſime complexa, oſculari verita non ſit: cum eo ſe complexu expedire ille, quantum poſſet, conaretur. Ineunte autem menſe Febr. anni M. D. LXXV. Roma profectus: cum Vaſtallam tenderet: à Cæſare Gonzaga oppidi Principe, Camillaque ſorore ſua illius vxore, ad dedicandam eccleſiam, quam iis ædificauerant, inuitatus: de grauiſſimo Cæſaris morbo, ſalutiſque diſcrimine nuncium accepit, vix circa Bononiam equo deſcenderat: cũ periculo audito: diuinis animæ illius charitatis ignibus accenſus: ſtatim rurſus conſcendit: & curſu, etiam nocturno celeriter eo contendit, quò poſtridie mane veniſſet: quaſi longo ante ſpatio quieuiſſet: ſe totum ad affinis animam iuuandam dedit. Priuatam ſupplicationem præter eas, quæ publicæ habebantur, inſtituit: quæ à ſuis aliiſque religioſis viris ſine vlla intermiſſione viciſſim continuaretur, tum ipſe eam exorſus, totum pſalterium recitauit, atque Dei benignitate tanto fuit precationibus, ſalutaribuſque verbis Cæſari adiumento: vt is demum à rebus humanis, ad diuinas mirabiliter animum auocaret: certamque mortem ita expectaret, atque obiret, diuinis rebus ad ſalutem rite munitus: vt ſi, quemadmodum Carolus ipſe palam dicebat, in optimis religioſæ vitæ inſtitutis multis ſeſe annis exercuiſſet. Ibi Carolus poſt itineris laborem: poſt defatigationem curſus, qua ſolebat maxime affligi: poſt vigilias, totque dierum, noctiumque incommoda: quiete nulla vſus; corpore Cæſaris ad ſepulturam dato: eccleſia in oppido dedicata: ſorore vidua iis de rebus monita, quæ ad ſalutem, ordinationemque domus pertinebat, Mediolanum celeriter venit. Hic vero mihi iucunda ſane incidit recordatio: quam bona cum lectoris venia, non præteribo tacitus: recordatio inquam, diei illius: cum è ciuili curſu reuocatus, Carolo me tradidit: exiſtimans, à ſalutari via tali duce, ac patrono aberrare me non poſſe, hæret animo illius actionis ſuauis, iucundaque memoria; cum profanam mihi togam ſuis manibus detrahens, ſacramque induens, vir apoſtolicus, apoſtolica ſententia hortatus eſt, vt veterem hominem exuerem, induerem que nouum, meque deinde breui myſtica manuum impoſitione, per omnes ſacri ordinis gradus extulit. Faxit Dei clementia, vt ſacrorum dignitati, ſanctitatique ſacerdotis aliquo modo vita noſtra poſſit reſpondere.

Anno 1575. Roma diſcedit.

Cæſarē moribundum ſalutaribus præceptis inſtituit.

IV. QVOTIESCVNQVE Romam proficiſcebatur Carolus; quaſi ad earum rerum honeſtiſſimum quoddam, ſacrumque emporium accederet, quæ ſibi eſſent, eccleſiæque ſuæ commodæ, ac ſalutares; turpe fere ſibi exiſtimabat inanem redire. Ipſe item diuinis opibus confirmatus, Epiſcopalis vitæ curſum Roma rediens, acrior ſemper, fortiorque repetebat: & in vitæ ſanctitate ſolebat inſigniter progredi: licet aliis ſæpenumero ſecus eueniat, nimirum hæc valde diſtant; Romæ pietatem, ac ſanctitatem; vel ſplendorē, ac ſpeciem intueri, ipſe certe id fructus ex Apoſtolica Sede, locisque ſanctiſſimis referendum oſtendebat quæ de ſe dorius ſtatuerit, deinceps apparebunt. Familiæ nomen, annuente Pontifice, tunc ad humanarum rerum deſpicientiam, veterumque imitationem, dimiſit: & eiuſdem inſignibus è ſcriptorum eccleſiaſticorum ſignis ſublatis: eorum loco, Pontificia auctoritate, veterumque Archiepiſcoporum imitatione, cœleſtium patronorum Geruaſij, & Protaſij martyrum, Præſuliſq; Ambroſij inter eos medij imagines ſubſtituit: appoſitis ex Ambroſij ipſius, non ſolum ſcriptis, ſed ſenſu, atque animo, his verbis, Tales ambio defenſores. Calculos ad precandum Pontificis auctoritate ſacros, id quod pro ſalute gregis ſemper ſolebat, attulit innumerabiles: quamquam pauci pro Mediolanenſium pietate viſi ſunt. Sacra ſeptem inſignium eccleſiarum Vrbis indulgentiæ diuinæ munera obtinuit, in totidem Mediolani eccleſiis collocanda, quæ res fecit, vt quæ veteres eccleſiæ, locis, & rebus Mediolani erāt cultu digniſſimæ, negligentia vero ſacerdotum, & aliorū pene derelictæ: rurſus piæ multitudinis frequentia, cultuque præcipuo celebrarentur, ſed eius rei promulgationem diſtulit in poſterum annum, propterea quod Romani Iubilei donum ſanctiſſimum itidem a Pontifice Mediolanenſibus ſuis cum impetraſſet: ſacra illa beneficia diſiungi ſatius duxit: quò illuſtriore gratia, vberiorique fructu ſingillatim exciperentur: præſertim, quod vtrumque viſendarum eccleſiarum operam requirebat. Anno igitur M.D LXXVI. vt hoc quaſi præcurrendo narrem, cum edictum primo propoſuiſſet, quo multa ſacris locis indecora vetabantur: veluti de laicis à choro clericorum arcendis: litteras quoque edidiſſet, antiquæ pietatis pleniſſimas: vt fideles doceret, qua ratione in eccleſiis verſari deberent: & ad ſacrarum rerum reuerentiam incenderet: ſeptem nominauit: Maiorem; ſancti Ambroſij: Nazerij, ſancti Laurentij, ſancti Stephani ſancti Simpliciani, ſancti Victoris, tum poſtridie Cal. Iul. qui dies Virgini dicatus eſt, celebri totius cleri, ciuitatisque ſupplicatione, lætoque apparatu, ipſas eccleſias pie adiit: eamque ſupplicationem ſolemnem, anniuerſariamque in perpetuum conſtituit, ipſe vero, quod aſſuefaciendo populo eſſet accommodatum, nunc priuatim cum familia, nunc publice cum canonicis eandem obiit. Idemque canonicorum collegia, religioſorum hominum ordines omnes: vicinias cum parochis ſuis, pia ſodalitia, ſocietateſque, ſeparatim facere iuſſit, quod quidem religioſum inſtitutum Mediolanenſium animis, & merito quidē, adeo inſedit, vt in eo frequenter mares, fœminæ, nobiles, ignobiles, verſari conſpiciantur. Præter ſpiritualia Carolus, in Vrbe alia quoque non parua ſuæ quæſiuit eccleſiæ, mille aureorum ex Braidenſi Præpoſitura penſionem clericorum ſeminario: parem presbyteris minoribus eccleſiæ maioris, collegio ſuo Ticinenſi detractam, à quo collegio iam Caluentianum Prioratum in canonicos itidem tranſtulerat, cum enim tenues admodum eſſent eius eccleſiæ fructus, ipſe vero, vt par erat, ſtatas in ea canonicis horis, nocturni, diurnique temporis precationes integre reſtituiſſet, alias diuinorum munerum functiones ibidem auctiores multò, quam antea vellet: auctoritate Pontificia fructus ita ſtuduit augere, vt tum loci dignitati, tum occupationi ſacerdotum aliqua ratione reſponderent. Verum pro vniuerſa quoque Eccleſia, nam & illud erat ei ſemper propoſitum, Romæ plura curauit, de palatij Apoſtolici, Apoſtolicæque vrbis diſciplina, deque rebus eccleſiarum per prouincias componendis, ac in hoc poſtremo genere, iam vſque à Pij V. tempore pro virili parte duo curauerat: alterum, vt eſſet Romæ proprium Cardinalium conſilium, in quo res eccleſiarum, Epiſcoporumque referrentur, & quod opus eſſet decerneretur, alterum, vt Epiſcopi mitterentur, qui apoſtolica auctoritatem eccleſiaſticam adminiſtrationem, & Epiſcoporum vitam recognoſcerent, & quibus rebus opus eſſet, emendandam curarent, ſed cum ad id tempus ad eccleſias fere ditionis Eccleſiaſticæ tantummodo miſſi Præſules eſſent, egit Carolus dum Romæ fuit, vt ad alias quoque prouincias decernerentur. Cumque ditionis Mediolanenſis eccleſias luſtrare, Archiepiſcopalis officij ſui eſſe iudicaret, id muneris à Pontifice ſuſcepit, præcipuis ſaltem in eccleſiis exequendum, ſi totam non poſſet complecti prouinciam, & quoniam exemplo aliis præire maxime vtile arbitrabatur, prius ad ſe mitti poſtulauit, quam aliena recognoſcendi, corrigendique onus acciperet, vt cum ſua ipſe alieno iudicio ſubieciſſet, tum iudicaret aliena, cumque aliæ eccleſiæ aliis Epiſcopis attribuerentur in eorum numero Caſtellius fuit olim Caroli Vicarius, Epiſcopus Ariminenſis per id tempus creatus: omnino rei opportuna fuit, cum Præſules ad eccleſias ordinandas in varia legarentur imperia, in eorum numero Carolum eſſe. qui pro egregia libertate, auctoritateque ſua, ad multa, quæ aliis fortaſſe difficilia fuiſſent, in eo genere aditum patefaceret, viamque muniret, Eccleſia igitur Mediolanenſis Hieronymo Ragazonio Veneto, tunc Salaminæ, quæ Famauguſta dicitur, poſtea Bergomi Epiſcopo, aſſignata eſt, cuius pietas, doctrina, rerumque epiſcopalium vſus, Carolo valde probatus erat. Veniens menſe Maio, cuius aduentum cum pro ſua erga Apoſtolicam auctoritatem venē ratione, magno honore Carolus proſecutus

Quæ Romæ eccle.

Sublatis familiæ ſuæ inſignibus, Geruaſij & Protaſij, ac Ambr. imagines eorū loco reſtituit.

Anno 1576.

Stationes 7. Eccl. à Pontifice ſibi conceſſas Mediolani inſtituit.

De viſitatore Mediolanū miſſo.

Cremonā viſitaturus petit Carolus. ſecutus eſſet; publicis ſupplicationibus eius negotij cauſa indictis interfuiſſet: ipſam actionem cœptam vidiſſet: in eccleſias prouinciæ diſceſſit. Cremonenſem autem primo petiit, cui præerat Nicolaus Sfondratus, Eccleſiæ Catholicæ poſtea datus Epiſcopus, excepit eum abſente Epiſcopo magno honore clerus, & ciuitas, omnique pietatis officio coluit: cumque tum publicas ſupplicationes, tum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicationem indixiſſet, frequentiſſimi conuenere Cremonenſes; & vno die cœleſtem cibum millibus hominum circiter octo præbuit: non explicabo Caroli in ea eccleſia labores, laborumque fructus: ad clericos, ad cœnobitas, mares, fœminaſque ad vniuerſum populum pertinentes, ſatis dixerit, qui eos Carolo dignos fuiſſe dixerit, nam & eius auctoritas eccleſias ad ea obtinenda ſæpe valebat, quæ ipſis Epiſcopis erant difficilia: vt non Viſitatoris tantummodo partes: ſed etiam patroni ſuſtineret, omnia vero religioſiſſimi Epiſcopi deſiderio, ſtudiiſque optimis opportuna fuere. In eo munere viſitationis obeundo, Carolus, tum in ea, tum in aliis vrbibus ſumptus quidem vitæ neceſſarios à clero accepit, nè læderet canonicum Eccleſiæ inſtitutum: ſed eos tantum, qui equitibus ſex, peditibus, tribus, ſolita eius familiæ parſimonia ſufficerent, in ædibus Epiſcopalibus non habitabat: ſed in aliis, eccleſiaſticis tamen. Atque tum ſibi, tum aliis Epiſcopis, quibus id muneris mandaretur, fecit ipſe, vt, ſummis licet viris reclamantibus, etiam in cœnobitarum eccleſias, poteſtas daretur: vt eodem tempore, ac eadem ratione, quæ reliquæ, componi poſſent. Menſes tres Cremonæ cum manſiſſet: mox ad Virginis natalem Mediolanum veniſſet:

Bergomum item. Bergomum poſtea profectus eſt, vbi epiſcopatum adminiſtrabat Federicus Cornelius poſtea Cardinalis: qui quidem in exequendis conciliorum prouinciæ decretis, & in eccleſia ſua ordinanda multum profecerat, ſilentio prætereunda non eſt ſumma Senatus Veneti voluntas: quam iuſſis ſuis, de Carolo in vrbes ſuas quam honorificentiſſime accipiendo oſtendit, quæ iuſſa Bergomenſes Rectores, ciueſq; adeo cumulare perfecerunt: vt quæcumque non ſolum ad ampliſſimi Antiſtitis: ſed ad magni quoque principis honorem maximum, ſtudia, officiaque expectari poterant, omnia egregie præſtiterint, quibus Epiſcopus cum clero ſuo pro conditione ſua minime ceſſit. Carolus in eccleſia maiore Pontificia diplomata recitari iuſſit: pauca verba de cauſa aduentus ſui fecit: de quo latius poſtea explicauit in proxima concione. Ciuitatis Rectores adierunt, Venetique Senatus nomine omnia illi à ſe fore parata teſtati ſunt, & eiuſdem ciuitatis nomine habita oratio populi gaudium declarauit: & metropolitici muneris veterem vſum, ea actione à Carolo reſtitutum laudauit. Ad publicas ſupplicationes, vt fauſtum eſſet, felixque principium indictas, maximus concurſus fuit, motus, expiatioque animorum admirabilis, ipſe tum in vrbe, tum in ſuburbijs, innumerabili marium, fœminarumque multitudini, etiam ipſis Magiſtratibus, militiæque ducibus ſanctiſſimam præbuit Euchariſtiam, illud compertum eſt, vel aduentus famam, vel præſentiam eius ſolam ad animas ſalutariter commouendas, reſque omnes recte componendas, plurimum valuiſſe, poſſentque multa, & grauiſſima numerari, quæ priuata, publicaque auctoritate illius aduentus cauſa, pie præoccupata

Bergomenſium bona ingenia ſunt. Expertus eſt in ea ciuitate Carolus, omneſque quotquot illius adminiſtri fuimus, bona hominum ingenia, animoſque, tum rerum ſalutarium ſtudioſos, tum ad perficienda mandata faciles. In maxima comitum, aſſectatorumque copia Magiſtratus ipſi frequentes aderant: quibus erant in ore ſemper Caroli laudes: prædicabantque, beatum fore orbem, ſi eius ſimiles multos habuiſſet. In vnaquaque eccleſia, quam inſpecturus erat, cum Miſſam pro ſua conſuetudine faceret: ſacræ Euchariſtiæ accipiendæ gratia plurimi quotidie conueniebant. Ibi collegium virginum cum ex ſuburbio ad tutiorem tranſtuliſſet: corpora etiam ſanctorum Firmi, & Ruſtici martyrum, quæ illæ in

SS Firmi & Ruſtici corpora tranſfert & tumultus concitatur. ſua eccleſia habebant, aliò celebriter tranſtulit: licet ex ea re nonnihil difficultatis, extiterit, & tumultus, ſuburbani enim æmulatione quadam concitati, quo tempore putabant ex alia parte ciuitatis venturos, qui ſacras reliquias aſportarent, ad eccleſiam repente veniunt: per vim ingrediuntur: in presbyterum cuſtodem manus injiciunt: loco capto, corpora cuſtodiunt armati, quam ſacri loci iniuriam: hominumque audaciam cum vindicare ſe velle Carolus oſtendiſſet: eum primariis viris adhibitis adiere maximo non numero ſuburbani, ſuppliceſque, & humi abiecti veniam, abſolutionemque petiere. Carolus præpoſterum pietatis ardorem valde reprehendit: dum maxime charas habere ſanctorum reliquias viderentur, maximam beatis ipſis iniuriam facere: quia communis Domini ſacras ædes, eiuſque miniſtros violarent, non armis agendum illis fuiſſe, ſed precibus: demumque pati facile debuiſſe: vt quod gratius Deo eſſe eius ſacerdotes iudicarent, id fieret. Arcam Dei quondam plauſtro impoſitam, cum agitatione boum inclinata fere corrueret, Ozam cui rem ſacroſanctam tangere nefas erat, manu tenuiſſe, audaciam hominis pietatis nomine ſuſceptam Dominũ ita vindicaſſe: vt is illico mortuus concideret, eſſe etiam pietati, & rerum ſanctarum deſiderio modum, certoſque fines: quos ſine diuina offenſione tranſire homines non poſſunt, quod ſanctas reliquias amarent: & apud ſeſe retinere cuperent: pie facere, ac laudabiliter, ſed cum immoderato earum ſtudio, ad eccleſiaſticæ auctoritatis contemptum, & ad rerum ſacrarum violationem adducerentur: non pietatem eſſe, ſed temeritatem caſtigatione dignam, re demum compoſita: qui vim ſacris intulerant, eos ſingulos, venia prius à presbytero petita, certo ſigno notatos, Pontificali veſtitu, ſolemni, & præſcripto ritu, ante fores eccleſiæ, anathematis pœna Carolus liberauit: opportunaque opera pœnitentiæ nomine iniunxit. Tum reliquias in eccleſiam maiorem, magna hominum multitudine, amploque apparatu deportauit. Suburbani illi cereis accenſis comitati ſunt. Ad initium vſque menſis Decembris in eius eccleſiæ rebus componendis Carolus occupatus fuit: idque eo fructu, quem vel mandatorum ratio, vel breuitas temporis ferre potuit maximum. Brixienſem eccleſiam, quam itidem ex Pontificus mandatis adire conſtituerat, tunc quidem ob anni tempus omittere coactus eſt.

Iubileũ Mediolani celebrat. CONSVLTATVM erat inter alia Romæ, cum ibi Carolus eſſet, de Iubileo, poſt annum, in prouinciis eorum V.
gratia concedendo, qui varie impediti Vrbem adire non potuerant. Quod cum ipſe in primis impetraſſet, ſecretoque habuiſſet: de magnis demum ex ea re populo ſuo ſpiritualibus adiumentis, animique fructibus acquirendis diu iam meditatus, negotium ſuſcepit, ſtudio, ac diligentia ſingulari: vt cum ſuperiore anno maximum Mediolanenſium numerum Romam ad ſanctæ Vrbis beneficia capienda impuliſſet: reliquis, & eiſdem rurſus ſi vellent: Romanis beneficiis Mediolanum accerſitis: ſacra ſalutis ſubſidia, cœleſtiaque animæ ornamenta compararet. Munus eiuſmodi minime arbitror Mediolanenſibus poſtea conceſſum: quàm Antonio ex Marchionibus Salutianis Archiepiſcopo, & Geleatio Vicecomite Duce Bonifacius nonus dedit, anno ſalutis M.CCC.XC.I. quo tẽpore admirabilis illa Baſilicæ maioris ædificatio Mediolani cœpta eſt. Carolus igitur litteris primum editis, quibus ad diuinum munus ſalutariter accipiendũ ſuos accenderet: eſto die Virginis, quẽ Purificationis nomine appellamus: ab ipſius Virginis æde cũ rediſſet: vbi more maiorũ candelarum ritũ, myſteriumq; obierat: in Põtificia maioris eccleſiæ Miſſa concionẽ habens, Gubernatore Magiſtratibuſq; præſentibus rem promulgauit: Romanumq; diploma: ac edictum ſuũ, quo præſcriptiones in eo genere variæ continebantur, recitari iuſſit. Tum ad animos præparandos: ciuitate ad ieiunia, eleemoſynaſque excitata: omnes ſacros ordines, populo comitante, publica ſupplicatione duxit, feria quarta ad ſancti Ambroſij: ſexta ad ſancti Laurentij: ſabbato ad ſancti Simpliciani, ſtatiuas deinde ſupplicationes in eccleſia maiore indixit: quo ſacra collegia, cleruſque omnis, atque vniuerſa ciuitas, certis cuique generi

horis aſ-

horis aſſignatis, diſtinctè conueniebant: ita vt horis quadraginta preces continuarentur. Cum per eos dies feſto campanarum ſono, animos diu piè commouendos curaſſet, in eorum extremo iuſſit vno tempore veſperi ab omnibus eccleſiis ſigna dari, quæ cunctorum animos inuſitata quadam lætitia, cum rerum diuinarum deſiderio coniuncta, perfuderunt, proximo die dominico, quo die ſacroſancti beneficij ſtatuit eſſe initium, ſacros choros, ordineſque rurſus duxit vniuerſos, idque tàm pio, ſplendidoque apparatu, vt diuina quædam celebritas videretur pompaque cœleſtis: conuenère ex eccleſiis omnibus ſacerdotes, ſacris indumentis ornati, quæ pulcherrima habere iit, tenenteſque manibus cereos accenſos, in pretioſiſſimis ferculis collocatas, inſignes ſanctorum reliquias deducebant, infinita multitudo, non ex ipſa modo vrbe, ſed ex vicis, agroque vniuerſo confluxerat: quæ maximo in templo conſtipata, mutuiſque impulſionibus perpetuo agitata, quaſi vndis vltro, citroque commeantibus, vaſti cuiuſdam pelagi fluctuantibus ſpeciem afferebat: tum verò totis viis conſertim emiſſa, huc, illuc continenter fluitabat, dum res ſacroſanctas inſpicere, ſacra agmina comitari, & pia quadam anxietate coronis, vt appellant, ad precationis vſum paratis, ſacra fercula, religionis gratia, tangere certatim ſtudebat. *Preces quadraginta horarum.* Quatuor Baſilicas Romanorum exemplo conſtituit Carolus, quindecim dierum ſpatio quindecies obeundas, maiorem, ſancti Ambroſij, ſancti Laurentij, & ſancti Simpliciani, quas æde ſancti Nazarij addita, etiam Antonius Archiepiſcopus olim conſtituerat, ad diuini illius muneris opem conſequendam. Atque pro facultate Pontificia, certos ſacrarum confeſſionum miniſtros, ea de cauſa delegit, certam præſcripſit precandi, & eccleſias adeundi rationem: in qua quidem ratione currum non admiſit: vanaque omnia ornamenta excludi curauit. Senibus, imbecillis, ægrotis, vinctis, religioſis virginibus, quæ clauſtris continentur, prouidit, ne eo munere carerent. Præter ſcripta, quæ multa ipſe ad fructum, ſalutemque ſuorum edidit, libellos etiam de diuinis eiuſmodi muneribus acquirendis, deque religioſis locis piè adeundis edi curauit, de præcipuis Mediolani eccleſiis, deque rebus, locisque earum religioſioribus, pij publici ardoris augendi gratia proprium libellum conſcribi iuſſit. *Libelli.* Eccleſias ipſas delectas, vt animi vehementius accenderentur, quàm ornatiſſimas haberi iuſſit, & in ipſis quæcumque res religione inſigniores eſſent, frequenter proponi: idque non incolarum tantum modo cauſa, ſed exterorum quoque, quibus ad idem beneficium conſequendum aditus patebat. Atque vt vitium, periculumque omne diligentius arceret, quod ex marium, fœminarumque ad eadem loca concurſu eſſe poterat, ipſas ſtatas eccleſias ex antiquo, etiam multorum locorum Mediolanenſis diœceſis, inſtituto, diuidi iuſſit, & vniuſcuiuſque partem, quæ ad auſtrum eſt, maribus, aliam fœminis aſſignari, quamquam is fuit tunc ſancti lub lei cultus, vt quæ alias corruptè fieri ad eccleſias ſolebant, eo tempore minimè committerentur. Separauerat antea ſtationalis celebritatis gratia, eccleſias interpoſitis velis, ſed tunc ligneis ſeptis diuidi ſtatuit, vt melius caueret, moremque veteribus vſitatum, religioſo pietatis fructu, ac exemplo renouaret & ſtabiliret, quod idem in alias quoque eccleſias, etiam caſtellorum, vicorumque poſtea paulatim introduxit, & decreto quoque ſanciuit. Carolus ipſe nunc cum canonicis ſuis, alias cum familiaribus, eccleſias frequens adibat, hymnis, pſalmiſque ſimul recitandis, in via operam dabat: res, & loca omnia, vt in libello demonſtratum erat, piè viſebat. Collegia facta omnia, piæque ſodalitates idem fecère, tum Parochus quiſque ſibi commiſſa vicinia comitante: collegia profanæ item artificis, mercatorumque ſocietate congregata: alij chori multi marium, & fœminarum: vt viæ continua Pſalmorum recitatione, ſæpe ſuauiter etiam ſacrarum cantu, perſonarent, plurimi nudis pedibus, veſtituque aſpero, viri, & mulieres, etiam nobiles frequenter ibant. Alij operta facie, tota via flagellas ſibi ad ſumendas flagitiorum pœnas adhibebant. Vidi nobilem iuuentutem, & primariam, voluptatibus antea deditam, cannabino indumento, oculis in crucem, quam manu quiſque tenebat, defixis, ordine eandem viam obire, tanta pietatis ſignificatione, animorumque motu, vt boni omnes incredibili gaudio afficerentur, ſenes ſupplices manus tenderent, Deoque toto pectore gratias agerent, qui ad id tempus eorum vitam reſeruaſſet. Ex agro Mediolanenſi, ſingulisque vicis, & caſtellis quotidie populi integri, facto agmine cruce, cleroque præeunte, Mediolanum pedibus etiam nudis veniebant, quamuis viginti: atque adeo triginta millia paſſuum quidam abeſſent: ita enim Carolus hortatus erat, quibus etiam faciliorem ſacri muneris conſequendi modum præſcripſerat. Atque vnumquodque agmen in eccleſia maiore primo pia concione, optimis admonitionibus referta, excipiebatur: quod munus frequenter ipſe ſæpius in die ad id in templum veniens, obibat. Ibi ſacerdotes: & quæcumque ad animi expiationem, diuinique beneficij adeptionem opus erat: omnia præſtò erant, neque verbo tantum Carolus aduenientium paſcebat animos: ſed diuino quoque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cibo: vt admirabili viciſſitudine, ab vno ad alterum ſæpius ſacrum miniſterium nullo tranſiret interuallo. Tum ad eccleſias conſtitutas, eiuſque ſanctas res venerandas ſe conferebant, demum rebus omnibus procuratis, quæ ad animi ſalutem pertinerent: ad res quoque corporis reficiendas inuitati veniebant, nam id quoque prouiderat amantiſſimus paſtor. Hoſpitio ſuſcipiebantur in ædibus ampliſſimis, quas ad mares: fœminaſque ſeparatim recipiendas Carolus conſtitui curauerat, maribus recipiendis præerant primarij viri: fœminis matronæ grauiſſimæ: conſilio, atque opera virorum probatæ vitæ, atque grauitatis adiutæ, hæc res ad victum neceſſariæ, pia ciuium liberalitate: tum induſtria multorum, qui eam rem auctore Carolo, curabant, vndique comportabantur. Menſæ longiſſimæ, ordine multiplici poſitæ conſpiciebantur, hominum ſubſellis interdum quinque, ac ſex vno tempore ſæpe accumbentibus, quorum dum corpora recreabantur, animi quoque ex pulpitis aptè diſpoſitis, concionatorum ſermone reficiebantur, ſed ante cibum, antiquo chriſtianæ charitatis officio, de itinere feſſis, pedes lauabantur, quo munere cum Carolus ipſe fungeretur, & cum domeſticis, canonicisque ſuis frequentaret: ad eandem exercitationem multos quoque ex optimatibus excitauit: qui vna cum ceterorum magno numero et ablutioni operam aſſiduè dabant. *Carolus peregrinis pedes lauat.* Ad piam animorum commotionem id opus maximè valebat, tum in iis, qui ſpectabant, & faciebant, tum in iis, quibus adhibebatur, obſtupeſcebant homines cum ad pedes ſuos, viros nobiliſſimos proſtratos videbant, vixque officium eiuſmodi ferebant, at Carolum linteo præcinctum ſeſe offerentem, & ad pedes ſedentium abluentem conſpicientes, tam noua ſpecie obſtupefacti, demiſſis oculis terram intuebantur, ore, corpore, mente ipſa denique minimè videbantur poſſe conſiſtere. Hæc cum aſſiduo labore Carolus gereret, tum illud aſperitatis addidit, vt toto quadragenario ſolemnis ieiunij tempore in aſſetibus cubaret, quod ea quoque de cauſa feciſſe eius familiares putarunt; quia cum ſatis magnus numerus peregrinorum lectis ſemel caruiſſet, culpæ id ſuæ adſcripſit: & ea ratione voluit à ſe pœnam exigere, perſeuerauit autem in eo, donec Epiſcoporum, qui ad proximum concilium venerunt, idque reſciuerunt, precibus vix adductus potuit, vt ſolam culcitram aſſeribus imponeret. *Tota quadrageſima in aſſeribus cubat.* Verum pia illa populorum itinera, cum adhuc multa reſtarent, Gubernatoris ſunt impedita iuſſu: cum de magnis vrbibus, Venetiis, Mantuæque peſtilentia oppreſſis, & aliis viciniotibus locis eadem contagione tentatis certi nuncij Mediolanum allati eſſent, prouidendum enim exiſtimarunt Magiſtratus, ne quis in vrbem admitteretur, niſi ſcriptum teſtimonium afferret: ſe, locumque vnde veniret, peſtis ſuſpicione

careat,

carere, quod in tantæ multitudinis conuentu fieri non poterat. Id quamuis Carolo ex omni parte non placeret, cui periculum adhuc minus videbatur, quàm vt piis populis vicinis, ciuitatique tantus, tamque ſalutaris pietatis fructus adimi deberet, non reſtitit tamē, ſed reliquorum vtilitati conſulens conceſſit, vt in agro quoque Iubilei beneficium

Concilium Epiſcoporū quarto habet.

conſequi poſſent. Concilium tamen Epiſcoporum ſtato tempore ex inſtituto quarto celebrauit, præſente ipſo Salamino Epiſcopo Viſitatore, diurnos, nocturnoſque labores, quos cum vitæ aſperitate, magniſque vigiliis coniunctos, in rebus componendis, parandiſque primò, poſtea in congregatione Epiſcoporum tractandis, ſuſcepit, & Epiſcopi, & alij, qui interfuimus, plurimum, & magis quàm vmquam antea mirati ſumus. cum enim duas, treſue horas, ſiue ſedens, ſiue in ligno ſtratus ſomno dediſſet, reliquas omnes concilij negotiis, aliiſque rebus tractandis dabat. Decreta confecit, quibus plurima complexus eſt, ad omnem eccleſiaſticarum rerum perfectiorem conformationem pertinentia, prouinciæque maxime vtilia, cui quid opus eſſet, ex eccleſiis ante recognitis melius intellexerat. Quæ de ſacris reliquiis pro dignitate habendis, aut transferendis, de religioſis peregrinationibus, de modeſtia in ſacris locis tenenda, de vario ſupplicationum genere, proximis annis vſu probauerat, perpetuis prouinciæ conſtitutionibus commendauit, de ſacrorum locorum fabrica, ornatu, omnique ratione multa comprehendit quæ iam vſu fuerat expertus. magnam item earum rerum partem decretis ſanciuit, quæ idem Epiſcopus Viſitator in vniuerſum de variis rebus eccleſiaſticis, deque Virginum cœnobitarum diſciplina præſcripſerat, de diuinis item officiis plurima, de Epiſcoporum, omniumque clericorum vita, modeſtiaque, de munere eccleſiarum recognoſcendarum adiunxit. Alia

De diſceſſu Viſitatoris.

multa conſtituit ad diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtatum conſtituendum, non vtilia ſolum, ſed etiam neceſſaria, ſatis magno decretorum volumine, quæ bonorum Epiſcoporum ſtudia in perpetuum iuuabunt. Ac eo tempore Viſitator in eccleſia Mediolanenſi muneri ſuo finem poſuit, qui multa per ſe, virtute, ſtudioque ſuo, cum ad optimum eccleſiæ ſtatum contuliſſet, eo etiam Carolus, eiuſque Apoſtolica auctoritate in aliis multis vſus eſt, ad ea conſequenda, quæ vel tunc quidem à ſe tentari opportunum non iudicabat, vel auctoritate ſua ordinaria ipſe non poterat comprehendere: præcipue ad ea corrigenda, & ordinanda, quæ in eccleſiis regularium opus erant. Inter alia per eum effecit, vt loca tum pauperum hoſpitalitati, curationique, tum piis aliis operibus deſtinata, ad Archiepiſcopalem recognitionem, ſpeculationemque reuocarentur, quique iis locis præfecti erant, in eorum adminiſtratione diligentiam ad ſacrorum canonum præſcriptum iureiurando reciperent, quod eorum nonnulli res eiuſmodi vel negligere, vel ita curare ſolerent, vt ſuis potius, amicorumve commodis, quam rebus ſacris ſeruirent interdum: cum alioqui tamen viri nobiliſſimi plurimi ſingulari fide, ac diligentia eiuſmodi negotia pietatis ergo ſuſcepta tunc gererent. omnino longe alia ratione Carolus illud viſitandi munus accepit, atque alij quidam, nam & ad eccleſiæ ſuæ perfectam diſciplinam quamplurima conferri, addique ſtudebat. & quod ſuæ culpæ eſſet, id demonſtrari, corrigique valde lætabatur, dicebat maximam eiuſmodi ſe officij expertum eſſe vtilitatem, nam cum natura homines in ſuis erratis cognoſcendis parum videant, multum in alienis, cum aliorum Epiſcoporum res ipſe perſcrutaretur, in aliorum culpa, ſuam ſeſe agnoſcere: cum vero alius res ſuas recognoſceret, multa, quæ ſe antea fugerant, doceri. Epiſcopus igitur feſto die ante altare ſedens, populo nuncians diſceſſum ſuum, dixitque ſe peragraſſe totam diœceſim, eccleſias omnes, præcipuas per ſe, reliquas per alios luſtraſſe, res omnes ita ordinatas comperiſſe, vt ei ad multa diſcenda muneris ea functio valde opportuna fuiſſet, quo perfectum non eſſet, præſcriptum eſſet tamen in vnaquaque eccleſia diligenter, ideo fere vno executionis verbo poſſe actionem ſuam concludere, cui Carolus è ſede ſua reſpondit, vſurpare ſe poſſe illud ſanctorum piſcatorum, Tota nocte lab[illegible]us, & nihil cœpimus, nunc in verbo tuo laxabo rete,

Luc. 5.

nihil ad id tempus fere ſuis laboribus cum feciſſet, eius [illegible] Præſulis verbis, atque virtute, quem ex Apoſtolica Sede Romana Chriſti Domini Vicarius miſerat, fructum [illegible]abutum ita ſperare, quemadmodum illi cum iuſſu Domini rete iecissent, magnum piſcium numerum ad littus tra[illegible]unt, alia addidit pro modeſtia ſua, & ea quam ſemper habuit erga Romanam Eccleſiam ſumma reuerentia, E[illegible]opus autem ad Caſalenſem, aliaſq; prouinciæ eccleſias perluſtrandas ſe contulit, quæ cum Carolo vna cum aliis ad metropolim ſuam pertinentibus inſpiciendæ eſſent, & componendæ, commode tamen ei muneri vacare non poterat.

De Sanctorum corporum tranſlationibus à Carolo celebratis.

VI.

Sed reuocanda oratio eſt ad tranſlationes ſanctorum corporum referendas, quibus Iubilei celebritas valde illuſtrata fuit, animique religioſius ad ſalutis ſuæ negotium procurandum præparati. Inter alia ſalutis adiumenta, quæ Carolus eccleſiæ ſuæ poſſet afferre, illud erat plane magnum, beatorum virorum, quorum reliquiis locupletata, ornataque erat, memoriam redintegrari, vt excitata, vel renouata erga patres, patronoſque ſuos populi pietate, noſſet in poſterum, velletque ad eorum confugere præſidium in calamitatibus ſuis, quam ad rem, licet non parum valuerit, aliquid ex eorum hiſtoria delibatum edere, quod in eccleſiarum libro factum eſt, maxime tamen opportunum erat, ipſas ſanctorum reliquias in apertum proferre, ſolemni Eccleſiæ pompa more maiorum circumferre, populo ipſi ante oculos proponere. Eius rei idonea illa viſa eſt occaſio, quod, vt altaria, aliæque eccleſiarum partes, quemadmodum pleriſque in locis Caroli tempore factum eſt, inſtaurarentur, locis ſuis ſacras reliquias mouere neceſſe fuit, omnino turpe erat, populum Mediolanenſem plurimos paſtores habere, quorum ſanctitas publice colitur, multos item Chriſti inſignes martyres, præclara ciuitatum præſidia, quorum nedum opem frequenter, vt debebat, imploraret, reliquiaſque veneraretur, ſed ne memoriam quidem fere teneret. Opportunè vero, &, vt videtur, diuinitus, Carolus fecit, vt ea clade ciuitati impendente, de qua paulo poſt dicemus, tum Iubilei religione, tum voluntate in cœleſtes patronos ſuos pie inflammanda, plebem Mediolanenſem ad animorum caſtitatem, ſalutariaque ſtudia exerceret, quo minus cœleſti domicilio indigni, migrantes ex hac vita reperirentur. Atque iam

Reliquias S. Barnabæ Naboris & Felicis Caij & Materni, &c. tranſtulit.

ante annos quinque, hoc eſt poſtridie Non. Septembris Milleſimo, Quingenteſimo Septuageſimo primo ſanctas reliquias mouerat, & recognouerat, quas Baſilica olim ſanctorum Naboris, & Felicis, nunc ſancti Franciſci habet: ſed ſine eo apparatu, quem poſtea antiquæ pietatis eſſe animaduertit, & ad pios animos ſancte commouendos accommodatum. Reliquias Apoſtoli Barnabæ nonnullas à ſacello ſuo: martyrum Naboris, & Felicis, Caij item, & Materni Præſulum Mediolanenſium, à capite eccleſiæ, vbi altare maius erat, ad locum tranſtulit, vbi nunc illud ſitum eſt, alias recognouit, & ſuis locis reliquit, martyrum Felicis, & Fortunati, Sauinæque matronæ. Nunc autem celebriorem tranſlationibus addidit apparatum. Erat inter commemoratam Baſilicam, quæ nunc eſt ſancti Franciſci, & Ambroſianam, alia ſancti Vitalis nomine dicata, quæ Fauſti Baſilica fuiſſe putatur, de qua etiam apud ſanctum Ambroſium mentio eſt, ab ea titulum parochiæ Carolus cum amouiſſet, mox etiam ei

Tranſlatio S. Monæ Arch. Med.

perſuaſum eſt, vt eam monachis Ambroſianis concederet, prius autem inde exportandum putauit corpus veteris Archiepiſcopi Mediolanenſis, Monæ, ſub altari conditum, cuius memoria in eccleſia Mediolanenſi colitur pridie Id. Octobris. Atque die tranſlationi dicto; qui poſt Nonas Februarij conſequebatur, quo die prima erat ſupplicatio ad ſanctum Ambroſium ob Iubilei memoratam præparationem, miſit veſperi, qui locum recognoſceret, & quæ opus erant, pararet, nocte acceſſit ipſe. Ibi, arca lapidea, quæ in terram defoſſa erat, aperta, poſt precationem, ſtola collo inducta, ad ſepulchrum abiectus, ſingillatim oſſa illa veneranda extrahebat, & in arca ſerico

panno

panno intus ornata, tacitus, menteque in ſancti patris meritis defixa, componebat, aſtantibus canonicis nonnullis linea veſte indutis, qui pio operi inſeruiebamus, & alijs item presbyteris, diaconiſque præſentibus, quorum quidam lachrymas præ animi ſuauitate, gaudioque tenere non poterant. Arca deinde cum oſſibus poſita ſuper altare, nocturnas preces ad ſancti honorem accommodatas primò recitauimus: poſt etiam quæ diei illius erant addidimus inde cum eſſemus profecti, canonici alij ſucceſſere, & poſt eos alij, vt tota nocte ex ſacris inſtitutis eſſent, qui ibi vigilarent, & precarentur. Mane, his peractis, quæ ad ſupplicationem pertinebant, ex Ambroſiana Baſilica, ad corpus venimus, quod ornatiſſimo feretro humeris portandum erat, cuius onus ſubiere in anteriore parte Carolus, & Epiſcopus Salaminæ, in poſteriore duo præcipua dignitate canonici, extra eccleſiam, canonici viciſſim ſuccedentes, vſque ad maiorem eccleſiam portauêre, ſacris, & pretioſiſſimis indumentis ornati omnes. Multis iam dies cælum nubibus erat, pluuiiſque perturbatum: at cum efferretur ſacrum corpus, magna omnium lætitia, & admiratione, ſerena, clariſſimaque luce fulſit, clerus vniuerſus, hymnos, pſalmoſque ad rem accommodatos per choros muſice cantabat, tubarum ſonus frequens ciebat pios animorum motus. Senatus ſectabatur, multitudo præterea infinita, luminum vis innumerabilis. Cum ad eccleſiam maiorem ventum eſſet, feretro in altari poſito, Carolus de ſancti laudibus concionem habuit, toto die conuenit populus ad beati parentis reliquias venerandas, immo agnoſcendas, cum vel eius nomen plerique ignorarent, cum magno ſtudio, coronis ſibi ad precandum paratis, religionis cauſa feretrum tangi curabant, veſpere verbis ab Epiſcopo Salaminio ad populum appoſite factis, magno concurſu, in ſubterraneam ædem corpus delatum eſt. Poſt triduum, cum tertiæ ſupplicationis gratia Carolus eodem ob Iubileum ad ſancti Simpliciani cum clero veniſſet, aliam celebrauit tranſlationem. Aronæ in eccleſia ſanctorum Felini, & Gratiniani, quam Societati Ieſu traditam diximus, erant corpora ſanctorum martyrum Fidelis, & Carpophori, cum eorum memoria in oppido vix vigeret, locus certe ſepulchri ignoraretur, religioſa patrum cura, in altari demum inuenta ſunt. Atque cum veteris, & anguſtæ ſancti Fidelis eccleſiæ loco, quam eis olim Carolus Mediolani tradiderat, amplam, & magnificam ex ciuium liberalitate cœpiſſent ædificare, ad ſanctorum cultum magnificentius, & ad multorum ſalutem vtilius fore exiſtimarunt, ſi ea corpora Mediolanum transferrentur, & Fidelis corpus, vna cum martyrij ſocio in ſuam ædem referretur. Ea igitur ex Caroli conſenſu, qui oppidi ſui rationem, augendi cultus cauſa, minime habuerat, ad ſancti Simpliciani eccleſiam priuatim deportata, ſolemni ritu, atque apparatu ad conſtitutum locum transferenda erant. Carolus eò feria ſexta nocte venit, reliquias compoſuit, diuina nocturnæ precationis officia obijt, ibi fuit donec lux appropinquaret, mane autem ſtata ſupplicatione abſoluta, V. Idus menſis eiuſdem, ad nouæ eccleſiæ locum eas magna celebritate tranſtulit, ipſis Societatis clericis vmbraculum honoris cauſa ſupra feretrum geſtantibus. At populus Aronenſis, quo inſcio corpora fuerant aſportata, paulo poſt, cum id cognouiſſet, valde commotus, acri admodum ſtudio, vt vehemens eſſe ſolet in huiuſmodi genere popularis impetus, de recuperandis reliquijs inſtitit, neque conquieuit, donec eorum partem à Carolo acceptam in eandem eccleſiam Aronam referret. Addam aliam ſimilem celebritatem, quæ fuit eiuſdem anni menſe Iulio. Obſecro autem, ſi cui forte videbor res huiuſmodi aut diligentius colligere, aut pluribus exponere, quam ad propoſitum finem intento, properantique gratum videatur: vt æquo animo patiatur, aliquid me rerum noſtrarum memoriæ, non ſine multorum fructu concedere, piiſque noſtris hominibus gratificari. Verſamur etiam in hoc genere libentius, quam in Caroli rerum aſperitatibus exponendis: quæ licet conſtantiæ, patientiæ, ſacerdotaliſque roboris contra aduerſa omnia reſiſtendi, exemplum Dei miniſtri præclarum præbeant, illud tamen ineſt moleſtiæ, quod reſpiis temporibus propemodum indignas ſcribere neceſſe eſt. Piget explicare turbulentos quoſdam motus, qui hoc ipſo diuinæ placationis optatiſſimo tempore extiterunt. Itaque ad aliam tranſlationē veniamus. Nonnullis ante annis monachi, qui ab Oliueto monte nomen traxere, nouam eccleſiam ſancti Victoris cœperant, pulchram, & magnifici operis, qua perfecta, veterem, quæ proxima erat, dirui volebant, illam dico, quæ Portiana veteribus appellata eſt, & ſancti Ambroſij litteris, actionibuſque illuſtrata, ſed prius ſancta corpora, quibus locus abundabat, tollenda erant, & in nouam eccleſiam transferenda, occaſionem libenter arripuit Carolus ſplendidæ tranſlationis celebrandæ, qua & ſanctorum reliquiis honos tribueretur, & Mediolanenſium pietas erga illos quoque diuinos eius cuſtodes renouaretur. Arcæ lapideæ erant plures oſſibus plenæ, circum altare ſub terram collocatæ: quæ oſſa, licet neque nominibus, neque alijs ſignis diſtinguerentur, aliud tamen iudicari de iis non poterat, quàm ex iis ſanctis corporibus eſſe quibus eam eccleſiam eſſe copioſam veteribus monumentis teſtatum eſt. Vna erat arca ſub altari, altius quam aliæ defoſſa: in ea corpora ſanctorum Victoris martyris, & Satyri, ſancti Ambroſij fratris, erant: his igitur omnibus primo legitime recognitis: demum IIX. Cal. Auguſti quo die S. Iacobi feſtum celebratur, Carolus ad locum, vigilandi ex inſtituto, precandique gratia, quia poſtridie futura tranſlatio erat, ſe cōtulit, ibi nocturnis precibus de more habitis, & ſancti Victoris vita recitata, oſſa omnia ita compoſuimus, vt ſeptem feretra portanda pararentur. Poſtridie clerus vniuerſus in maiore eccleſia coactus, ordine ad ſancti Victoris proceſſit: vnde ſublata ſacra diuini amoris pignora, primò canonicorum, deinde monachorum humeris, viis apparatis, cantu ad beatorum gloriam ſignificandam accommodato, circumlata ſunt, tanto ſpatio, quam opus erat ad longiſſimos ſacrorum hominum ordines producendos, maximamque multitudinem capiendam, quibus ad eandem eccleſiam relatis, ſacroſanctæ Miſſæ ſolemnia celebrata ſunt, reliquiæ toto die in conſpectu populi relictæ, qui frequentiſſimus eo, magna pietate confluit, veſpere autem reuerſo Carolo, ſericis illæ pannis inuolutæ, præſentibus notariis, in capſas plumbeas reconditæ ſunt, quæ Victoris, Satyrique erant, ſeparatim in altare maius eccleſiæ ſunt illatæ: Aliæ in ſuis arcis lapideis à vetere eccleſia deductis, poſitæ, in ſacello, quod ea de cauſa monachi, Carolo auctore, ad ſuam ſubterraneam ædem addiderant, ita in variis capſis ſeparatæ, ac in ſacelli angulis, quantum fieri potuit, collocatæ ſunt, vt primò fuerant inuentæ.

SS. Fidelis & Carpophori martyrum [illegible] ad Octa.

Plurium reliquiarum & SS. Victoris martyris & Satyri, S. Ambr. fratris tranſlatio.

LIBER IV.

MVLTOS iam menſes peſtilentiæ fama prouinciam Mediolanenſem cum peragraret: Martio menſe anni ipſius M.D.LXXVI. ad vicum quendam prope Aronam demum ipſa peruenit, eo ſtatim miſſi qui conſulerent: vrbs cuſtodita: exteri ſine teſtimonio non admiſſi. At cum placitum eſt Deo, eam propius accedere, vrbemq; ingredi, ſiue ad multorum peccata vindicanda, ſiue ad exercendam, aut vero remunerandam bonorum virtutem, ſiue ad illuſtrandam charitatem, vigilantiamque Sacerdotis ſui: aditum facile per omnes cuſtodias inuenit. Menſe igitur Iulio extremo, religioſiſſimis exercitationibus illis, ſupplicationibuſque peractis, in ipſa vrbe deprehenſa peſtilentia eſt. Tum Magiſtratus, ille præſertim, qui publicæ ſanitati præeſt, maiorem diligentiam adhibere, cuſtodiam augere, aditus non modo in vrbem, ſed etiam in prouinciam diligentius obſeruare: at malum manabat in dies, & dum illi vel aliud eſſe morbi genus demonſtrare, vel ſecretum habere omni ratione conatentur;

Peſtis in Mediolanenſium diœceſe graſſatur.

Vrbs ſubis.

tur, magis ac magis ſeſe prodebat, latiuſque fundebatur, multi, affecta iam prope æſtate, nihil, in proximos menſes, totamque hyemem timendum affirmabant. Carolus autem, tamquam in ſpecula collocatus, imminentem triſtiſſimi temporis tempeſtatem, &, ſi ſic expediret, à ſuis enixe deprecabatur, & multis tamen prædicebat, nam & ſatis multas cernebat plagarum, grauesque cauſas: & Præfectos videbat, aliorumque rectores de humanis remediis valde ſolicitos, diuina ipſa, quibus potiſſimum ſpes hominis chriſtiani niti debet, minime quærere, vt oportebat: immo ipſa quoque humanæ diligentiæ officia minus integre, perfecteque præſtare, ſed quaſi ſtupore quodam oppreſſos rei nouitate teneri, atque hæſitare. id ille maxime calamitatis breui futuræ indicium ſibi videri dicebat. Ea de cauſa ſtatuit Brixiæ viſitationem eo anno omittere: immo ab vrbe penitus non diſcedere, donec rei exitum aliquem videret, tantum ea perficienda diligenter in vrbe curauit, quæ Salaminæ Epiſcopus per eccleſias facienda decreuerat, qua in re, quo ita eſſet ceteris eius occupationibus commodius, conſumebat meridianum tempus: & maximos calores contemnens, vrbis eccleſias quotidie ſingillatim adibat. Iam pedibus inſtituerat ire: neque id in vrbe ſolum: ſed in agro etiam, dum itinere breui ſingulos vicos obiret: quamquam hoc non tenuit ſemper, quod nimis incommodum, laborioſumque ſuis eſſe videret, ea ratione iter facere.

Supplicationes habitæ ſunt. Publicæ ſupplicationes poſtea tamen diuinæ iræ placandæ gratia, ter ad conſuetas eccleſias de more habitæ ſunt, quarum cauſa cum Carolus, Gubernatore, Senatu, aliiſque magiſtratibus præſentibus, concionem haberet ad populum, oblata occaſione reprehendit eos, quod tam ſero ea quæſiſſent, quæ certiſſima ſunt humanorum malorum remedia, cum alioqui tam vehementer ſuæ cuſtodiæ confidiſſent, & eius cauſa pios illos conuentus præpropera feſtinatione prohibuiſſent. Sed illud quoque obiecit, dum cauſas diuinæ caſtigationis percenſeret, quod piarum ſocietatum optimæ exercitationes iam diu ſine cauſa impeditæ, adhuc eodem ſtatu tenerentur, quæ res magnam hominum multitudinem à ſalutaribus rebus auerterat, quæ ad Deum placandum plurimum valerent; vt ad voluptates, vitiaque conuerteretur, quæ diuinas prouocarent animaduerſiones.

Deſcriptio loci in quẽ peſte infecti remittuntur. Manabat autem iam latius peſtilentia: grauiterque ſuburbium, quod eſt ad Comenſem portam affligere cœperat: & in ipſa quoque vrbe multas inuaſerat domos. Campus eſt ad orientis portam extra mœnia latiſſimus, & in quadrum redactus, ædificia circum extructa, ad eos qui tali morbo laborant ſeparatim recipiendos, locis quam plurimis diſtincta ſunt: & fluuialis aquæ riuo cinguntur, in medio campo ſacellum Sancto Gregorio dicatum, quo nomine locus ipſe ſolet appellari. Qui rebus eiuſmodi curandis præfecti erant, recte quidem ſuſpecta valetudine homines, aut ſuis ædibus incluſos eſſe, aut extractos, per homines mercede conductos, in ſancti Gregorij locum deduci iubebant.

Nullus ad huc eius apparatus. Sed necdum vlla pene ratio inita erat, qua vel ad curationem ægrotorum, vel ad pauperum victum, neceſſaria ſuppeditarentur, immo ædificia quoque longo tempore vacua, ita ab omni habitationis commoditate deſerta erant, vt nihil præter nudos parietes relictum eſſet, itaque non morbo tantum miſeri, qui eo adigebantur, ſed fame, aliiſque incommodis multis grauiter premebantur, omnino inter ſe curari, inter ſe conſolatione leniri, eos oportebat, & quæ ad vitam neceſſaria erant, à cognatis, ſi haberent, & miſererentur, accipere. Sed quod grauiſſimum erat, nulla ſacra erant parata, nulla ſacrorum hominum conſolatio, vbi plures cognatione coniuncti eodem loco ſimul erant, vt quiſque ante alios moriebatur, ita neceſſe erat à ſuperſtitibus ſepeliri, & qui eiuſmodi beneficium aliis dederat, ipſum paulo poſt ab aliis accipere: augeſcente mirum in modum, ex aliorum, præſertim chariſſimorum miſeria, extremiſque ærumnis, propriæ calamitatis dolore.

Carolus nõ ſibi ſecedẽdũ conſulit. Cũ hæc ita cœpta eſſent, neque enim magnus adhuc erat numerus, Carolum ipſum multi hortabantur, vt aliquò ſecederet, cum autem religioſos, doctoſque viros de ſe conſuleret, quamuis eos laudibus afficerent, qui in eo ſe charitatis officio olim exercuiſſent, nõ conſentiebant tñ, vt vitæ periculũ adiret ipſe, tñ adeſſet, prouideret, conſuleret, pro rerum euentu, & neceſſitate: verum à contactu caueret omnino, id quod paterna miſericordia alienum, & factu difficilè videbatur, nam & quotieſcumq; domo ille exiret, multitudo periculo territa, quaſi opem implorans, ad eum vt ad patrem accurrebat, propius poſitis genibus, veſtimenta tangebant, & quibus tetigerant, manus oſculabantur: quæ pietas, cautionis gratia, quomodo poterat cohiberi? Eos igitur ſibi agendi terminos minime conſtituendos: ſed paſtoris officia omnia iam ſibi ſuſcipienda, & in ſuorum ſalutem omni ſtudio atque opera eſſe incumbendum exiſtimauit. Quid animo ſuo, quid in cubiculum ſuum abditus fecerit, neque ſcimus. & facile tamen ex iis quæ apparuerunt, aſſequi poſſumus coniectura.

Peſte infectis locis Gregoriani alimenta ſubminiſtrat. Item pro incolis eodẽ morbo laborantibus eleemoſynas corrogat. Ad mortem certè obeundam, perſpicue paratus, etiam teſtamentum fecit, in quo hæreditate ad hoſpitium pauperum Mediolanenſe delata, multa pie legauit, eccleſiæ, amicis, & familiaribus. Tum ad gregem ſuum ſine mora conuerſus, miſeris illis ad Gregorianas ædes derelictis cœpit ſubuenire, & ex domo ſua, quæ res ad vitam erant neceſſariæ, eas quotidie mittere, tum vero eleemoſynas in vrbe, foris, atque adeo extra prouinciam corrogare, à clericis, monachiſque qui abundarent, petere, vt illos, alioſque per vrbem in egeſtate poſitos ſubleuaret. Quamuis autem maxime doleret, ſuos rebus ad victum neceſſariis deſtitui, multo magis tamen angebatur: quod ſacra ſubſidia, extremæque ipſæ ad ſalutem ſubleuationes deeſſent. Vidi equidem miſerrima, cum Carolum ad Sancti Gregorij ædes Diaconus ſecutus ſum, quò ille ad ægrorum acerbitates certius cognoſcendas, acceſſerat. Cum locum extrinſecus circumiremus, eiulabant illi, & ad feneſtras ſeſe proijcientes, calamitates deplorabant ſuas, alius ex tabe concepta, alius ex propinquo mortuo, animamve in eius conſpectu trahente, gemitus edebat ſane miſerabiles, hic vitæ incommoda, ille diuinarum rerum inopiam lamentabatur. Cum ab omni alio ſubſidio deſtituti ſimus, ô Pater, clamitabant, tu nobis ſaltem benedicas.

De ſpiritualibus ſubſidiis & ſacramentis adminiſtrandis eodem morbo laborantibus, ſolicitus eſt. Carolus ægros tunc quidem quantum potuit, humaniſſime conſolatus eſt: ſed domum reuerſus, vix è publico ſe conſpectu receperat, cum pariete nixus, magno cum mœrore, Vidiſtiſne, inquit, miſerrimam illorum conditionem? humanis commodis omnibus ſpoliati, triſtiſſimis caſibus, doloribuſque afflicti, ipſa etiam rerum diuinarum ope deſtituuntur: nec eſt ſacerdos, qui tantos caſus miſeratus, opem ferre velit, vnum ſcio, periculo meo eos in diſcrimine eſſe: niſi alia ratione Dei clementia ſubuenerit, quid mihi faciendum ſit, conſtitutum habeo. Significauit ſine dubio, ſi alij nollent, ſuo ſe miniſterio voluiſſe miſeris opitulari. Ac varios ille quidem ſacerdotes cœpit tentare, ſi tam miſere deſertos iuuare vellent, vnuſque oblatus eſt, qui confeſſiones quidem ægrotorum audiret, & ſacroſanctam Euchariſtiam præberet, ſed vngere tamen rite recuſaret, at optimum, diuino ſpiritu adiutus, conſilium cœpit, in eam partem diœceſis Mediolanenſis miſit, quæ Heluetiis in profanis paret: indeque non modo prebyterum, qui ſacra omnia præberet, ſed alios quoque acceſſiuit, qui operam ſuam in tali calamitate, mortis metu, poſthabito, locarent, gentis enim animi ob colluuionis frequentiam, conſuetudinemque firmati ita obduruerunt: vt nihil, aut non magnopere peſtilentiæ contagium timeant, ſeque inter ſe inuiſant, curent, funera proſequãtur, cautioneſque fere, quaſi turpe aliquid fugiant. Cum cœnobitas deinde aliquos: plurimis enim opus erat adminiſtris, ad id munus inuitaſſet, alij non omnino recuſarunt, alij aperte promiſerunt, ſi ſuorum præfectorum auctoritas accederet. Non parua erat in parochorum officio difficultas, plerique enim periculum ſubire recuſabant, atque adeo iure cogi ſe non poſſe etiam aſſeuerabant, verũ Bernardinus Piginus, commemoranda eſt enim ſingularis boni preſbyteri virtus, quamquam magna vis morbi magnaque multitudo erat in Comenſi porta, qua cura illius continebatur, partes ſuas ab initio vſque miſericordi, fortique animo egit.

A Pontifice multa petit. HÆC ita cum eſſent, ſummum Pontificem ſibi in primis conſulendum Carolus ſtatuit, neque enim adhuc V.

Romæ

Romæ refutabantur litteræ Mediolanenſes. Quid de parochis agendum eſſet, per Carniliam conſuluit: quidque ipſe ex piorum, doctorumque virorum ſententia exiſtimaret, expoſuit. Poſtulauit, vt auctoritate Pontificia poſſet homines regulares, quos mala mente clauſtris ſuis ad tale obſequium, periculumque exire velle, veriſimile non erat, alienoſque clericos, etiam ſuorum Antiſtitum iniuſſu, volentes tamen, ad ægrotorum miniſterium admittere: varia Apoſtolicæ indulgentiæ genera, etiam quæ ſumma ſunt, pro ratione, modoque obſequij, miniſterijve, iis proponere, ac impartiri, qui ægrotorum curationi, ſalutique animi, & corporis varie inſeruirent: veniam pœnitentibus quorumcumque criminum dare, & quibuslibet animæ vinculis ſacros homines liberare, quorum cauſa ad Romanæ Sedis auctoritatem confugere neceſſe eſt: coronis, calculiſque benedicere, quibus precantes varia indulgentiæ dona conſequerentur, conſuluit item, an ad pauperes ſubleuandos, bonis ad alios pios vſus relictis, & quatenus vti deberet, & ea de re facultatem petiit, etiam ſi alienatione bonorum immobilium opus eſſet, litteras quoque Pontificias ad populum, quibus ad calamitatem chriſtiana mente ſuſtinendam, & ad charitatis officia, ægris amanter præſtanda, incenderentur. Præterea, quo mortis caſum omni ratione leuiorem iis faceret, quos adminiſtrandum aliis inuitabat, poſtulauit, vt Miſſis in ſacello Sancti Gregorij faciendis, ita mortuis ſuffragari ſacerdotes poſſent, vt qui Romæ in inſigni illo altari Sancti Gregorij faciunt. Conceſſiones autem non ſibi tantum, cui aliquid humanitus accidere poterat, ſed alij quoque, qui in eccleſiæ adminiſtratione ſuccederet, popoſcit. Demum ſupplex petiit, quidquid in omni cura, & adminiſtratione, quam ſibi propoſuerat aggrederetur, & faceret, id vt bene, fœliciterque ſibi, aliiſque eueniret, ſummus Pater precaretur, & quas pro aliis venias, facultateſque petebat, eas itidem ſibi iubere poſſet adhibere. Annuit Pontifex Caroli poſtulatis, alia litteris quamprimum mittendis comprehendi, alia conſultanda Carniliæ mandauit, qui tamen antequam ea conficerentur, vir optimus, optimo vitæ fine, requieuit. Sed reſcripſit prius Pontificis verbis, laudare ſe Caroli animum, tum metu vacuum, tum vero ardenti incenſum charitate gregis ſui, quem ſicuti nullo modo deterrebat, quin præſens omnium ſaluti diligenter conſulere ſtuderet, ita hortabatur, ne ipſe illa facile cum vitæ periculo obiret, quibus exequendis aliorum opera ſufficeret, maximum enim immenſæ multitudini pœſidium, in eius vita eſſe poſitum, quæ ſi deficeret, omnia, vt videbatur, miſerrima ſtrage perculſa, & proſtrata fore. Neque pro ſua tantum, ſed pro aliis quoque prouinciæ eccleſiis, quibus imminebat malum, Carolus Romæ egit, vt ea item ratione Epiſcopos ad charitatem, fortitudinemque in eo genere adhibendam impelleret. Interea clero conuocato, animos omnium confirmauit: quæ partes eſſent hominum diuinis obſequiis addictorum, diligenter monuit, ad ægrotos in tanta rerum omnium inopia ſtudioſe iuuandos vehementer cohortatus eſt: Quibuſdam ex primariis certas vrbis regiones aſſignauit, vt quæ opus eſſe viderent, ſuo quiſque loco, diligenter pro tributa auctoritate curarent, aut Carolo ipſi denunciarent. Atque cum ex vrbe in caſtella, villaſque quam maxime à periculo remotas, nobiles viri, & alij quoque omnes, quicumque perfugij aliquid habebant, paſſim dilaberentur: plurimos ad ſe vocatos, qui reipublicæ vſui eſſe poterant, in vrbe detinere, & ad patriæ charitatem præſtandam diuinis verbis incendere ſtuduit, quoſdam, vt firmius teneret, piis operibus variis in ea calamitate neceſſariis præfecit. Præfectos autem aſſidue confirmabat, ſtimulabatque, vt afflictis rebus melius conſulerent, nunc ad ſe vocando, nunc ad ea loca adducendo, vbi præſentes mala, miſeriaſque cernerent, frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in conſultationibus eorum ſemper adeſſe curabat, qui ſanitati præſunt publica auctoritate conſeruandæ, vt poteſtatis vtriuſque gubernatio apte ordinata conueniret, & ad ſubueniendum eſſet accommodatior. Hi magiſtratus, & præfecti, tum qui ciuitatis in conſilio erant, primo quidem inuſitata, & tunc inexpectata tempeſtate perturbati, ſimul ea re impediti, quod Regis ne, an ciuitatis ſumptu, qui maximus futurus erat, tanta prouidenda eſſent, diſceptatio erat, officij ſui partes non ſatis, vt diximus, agere potuerunt, at cum ſeſe colligentes, negotium ſerio ſuſceperunt, rem omnem ipſi quoque magna diligentia, vt inferius apparebit, magnaque prudentia geſſere, qua de re qui eorum negligentiam, & tarditatem, primo de ſuggeſtu religioſi viri grauiter increpauerant, atque adeo crudelitatis nomine dure accuſauerant, poſtea mirifice laudarunt, prædicaruntque, Mediolanenſes tarditatem magno virtutis cumulo compenſare. Gubernatorem præterea ipſum Carolus grauiter monebat, vt in tanto ampliſſimæ ciuitatis periculo, & pene imminenti exitio, quæ opus eſſent, prouideret, ciuium fugæ modum poneret, egenis curaret ſubueniri: nam in dies morbus magis ac magis cum ingraueſceret, eorum numerus, quos ex vrbe quotidie magiſtratus educi, & in Sancti Gregorij locum coniici iubebant, præter modum augebatur, & cum eo maxime rerum omnium egeſtas creſcebat. Conquiri etiam ſtudioſe veterum ſcripta curauit, quibus de grege à Paſtoribus, & Præfectis in calamitate non deſerendo, præſertim peſtilenti tempore, diſputatur: exempla item eorum proferri, qui tali tempore curam ægrotorum, contempto mortis periculo, ſuſceperant, atque omnia libello comprehendi, edique iuſſit, vt præcipuus aliquis pietatis ardor in hominum, præſertim ſacrorum mentibus, Dei ſpiritu in primis agente, concitaretur, & ad contemnenda mortis pericula pij mortales acrius inducerentur, habuit in hoc genere ab Epiſcopis ſuis Mediolanenſibus exempli aliquid ad imitandum, ſed iis præcipue delectatus eſt, quæ, vt eſt apud Euſebium, Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus narrat: ægros grauiſſimo peſtis tempore, ab Chriſtianis omni charitatis officio adiutos, non ſolum Presbyteris, & Diaconis, ſed laicis quoque: qui quidem iacentibus aſſidentes, hilare miniſtrabant, & morbum etiam contrahebant: ipſa cadauera lauantes, ornantes, & funebri linteo inuoluentes, immo etiam humeris portantes, libenter vna cum fratribus ſuis mortem oppetebant: eoque libentius, quo generis mortis à martyrij laude nihil abeſſe exiſtimabant, cum interim gentiles homines miſerabiliter ſe inuicem desererent: vir vxorem, vxor virum, filij parentes, parentes ipſi natos ſuos.

Ipſeque multa ſuppeditat ad ciuitatem iuuandam.

Pontifex Carolum hortatur ne ſe periculo exponat.

Carolus clerū ad ægrotos adiuuent.

Nobiles fugitiuos ob peſtem retinecat.

Mediolanēſes negligētiam ſedulitate compenſant.

Gubernatorem Carolus officij ſui commonefacit.

III. Cvm eſſent omnium animi tam triſtis euentus expectatione ſuſpenſi, nulluſque iam eſſet mercaturæ, artificijve queſtus: ſuam quiſque domum ad quam pauciſſimos redigere ſtudebat, quia & ſumptus diutius ita ſuppeteret, & in minori numero, minus periculum futurum erat contagionis. Itaque & patritij famulos, famulaſque: & mercatores, artificeſque operarios, quotquot poterant, miſſos faciebant: illi autem, neque ſuo labore, neq; aliorū liberalitate viuere poterant: prouincia decedere, niſi certo vitæ diſcrimine, per finitimos non licebat, tecto etiam ipſo carebant. Atque alij quidem, vitæ periculum contemnentes, vt vitam tuerentur: aut ſi minus poſſent viuere, honeſtè ſaltē occūberent: operam ſuam ægrotis, cadaueribuſq; deducendis, rebus quoque igne, & aqua purgandis, publice locauerunt, alij agmine facto, ad Carolum, tanquam egenorum patrem, omnes communi conſilio confugerunt, quibus item ſe ſocios addiderunt mendici multi, qui oſtiatim quæritare victum ſolebant. Carolus, quamquam de tot hominum inopia iam ſolicitus erat, quot humano iudicio diu ſuſtentari poſſe nullo modo videbantur, egregia tamen illa ſua fiducia confirmatus, de iis ſubleuandis animo cogitare cœpit, poſt multa verſata, cum in primis tecto, eoque amplo opus eſſet, venit in mentem magnarum ædium quas in via Romana, ſeptimo ab vrbe lapide, Franciſcus Gallorum Rex ante annos circiter ſexaginta conſtruxit, victoriæ illius monimentum, quam de ferociſſima Heluetiorum multitudine, pro Mediolanenſi Duce Maximiano pugnante, repor-

Mendicis, deſtitutiſque aliis ſubuenit.

portauerat: qua de re eas Victoriæ etiam nomine appellauit, quas quidem ædes, cum adiuncto agro, Carolus olim, cum neſcio qua ratione obtinuiſſet, pro ea parte, quæ ad eum pertinebat, primario pauperum hoſpitio donauerat, eo igitur gregem miſerabilem miſit: ſupellectilem ad vitæ neceſſitatem ſuppeditauit, mares à fœminis diſiunctos haberi iuſſit, certas precandi exercitationes, horaſque præſcripſit: religioſos viros laicos, & ſacros, præſertim quos vocant Capucinos præfecit, qui eorum res curarent, & multitudinem malis fere artibus aſſuetam in officio continerent, vt autem facilius, & otij malum arceretur, & vnde viuerent ſuppeteret, ad vicos, villaſque, quæ circum eſſent turmatim eos educi quotidie præfectorum cura iuſſit, & eleemoſynas paſſim quæritare, ordine autem quæque turma crucem ſequebatur: & litaniæ in via operam dabat, ac tametſi incredibile viſum fuerat, de tali hominum genere, ſine flagitio fere, toto peſtilentiæ tempore, quietam in eo loco vitam egerunt, id fecit indigentia, fecit eorum, qui præerant diligentia, & pœnæ item metus. nam ad eos, qui diliquiſſent, puniendos, iudicem ſuum mittebat Carolus, quemadmodum cum Senatu conuenerat, qui homines caſtigari, & virgis etiam cædi iuberet. Ipſe quoque præſens interdum eorum res cognoſcebat: tum ex Archiepiſcopali domo, licet inopi iam, peneque exinanita, eleemoſynarum ſubſidio deficiente, quæ opus eſſent, & ſuppetebant, petere, atque aſportare iubebat. Fuerunt autem ij circiter trecenti. Verum cum hyeme ingraueſcente homines ſemiueſtiti maxime algerent, memorabile fuit Caroli factum, qui cum aliud non haberet, velaria, quibus ex ſimplici laneo panno, nulla textili pictura, ad parietes veſtiendos vtebatur: item conopea, vela, ſtragula, quibus ex eadem materia, & opere, operiri lectos, oſtia obtendi, menſas ſterni opus erat, omnia concidi iuſſit, & ex iis duplices veſtes quamplurimas cum caputio fieri, ſingulisque tradi, vt iucundum, pietatiſque plenissimum ſpectaculum, multitudo pauperum, marium, fœminarumque præberet, purpureis, violaceis, viridibus, puluiſque veſtibus, olim ad amplitudinem comparatis, varie induta, ſcio ex eiuſmodi ſupellectili nihil reliquum in Caroli domo fuiſſe, præter vnum viride, & vile conopeum, neſcio quo caſu omiſſum: & cannabinum, item ſtragulum viride, quod laneo panno fuerat ſubſutum, quod in ea ipſa menſa ſtratum Carolus habuit, qua legendo, ſcribendove vtebatur: neque vnquam poſtea mutauit, ſicuti neque pannos parietum, neque ſtragula oſtiorum vnquam reſtitui vſque ad mortem paſſus eſt. Sed ne aliis quidem rebus vllis tali tempore pepercit, veſtes, caligaſque, neceſſariis tantum retentis, aut donauit, aut vendidit, vt pretium pauperibus daret, pelliceas vero veſtes ita alienauit, vt vſum eiuſmodi ſibi in perpetuum interdiceret, omnino domus tota rebus iis omnibus exhauſta eſt, quæ ſibi, familiæque prorſus ad vitam neceſſariæ non eſſent, nam Carolus ipſe cellas ingreſſus, ne quid forte contra eius voluntatem reſeruaretur, inſpectis receptaculis, omnia extrahi iuſſit, pecunia quoque multa mutuo accepta, quæ non niſi ex inſequentium annorum fructibus ſolui poſſet, quin ea ipſa quandoque penitus defuit, cumque nihil ſuppeteret, vnde neceſſaria emerentur, & nox iam eſſet, magnum pecuniæ numerum, pro conſueta in eleemoſynis dandis magnificentia, Cuſani fratres Pomponius, & Auguſtinus miſere: vt ob illam, præclaraſque alias virtutes, Auguſtinum in ſacroſanctum Eccleſiæ catholicæ Senatum cooptatum, non ſolum Mediolanenſis, ſed Eccleſia quoque lætetur vniuerſa, ac non ciues ſolum, ſed exteri etiam multi quæ pauperibus dare ſtatuebant, eaque magni momenti, mittebant ad Carolum, quem optime omnium diſtribuere ſciebant.

Pauperes ſtragulis velatis & Hyemis tempore veſtit.

Nota maximam viri ſancti in pauperes liberalitatē & miſericordiam.

Cuſanorū fratrum munificentia.

IAM pluribus locis iacta morbo ciuitas, in tantum periculum adducta erat, vt quaſi multis partibus iniecto igne, ſubito, atque horribili incendio conflagratura videretur, prudentes certe, patriæque amatores viri ſummopere dolebant: breui fore, vt ampliſſima ciuitas, morbo, luctuque confecta miſerrime concideret, & ciuium internecione vaſtata, in ſolitudinem propemodum, vt antea ſimili ex morbo, redigeretur, multitudo namque populi maxima eſt: inſigni numero plebs, & vulgus, genus hominum ad contagium maxime accommodatum ob confertiſſimam habitationem, & ſordes: qui ſi non peſtilentia, fame certe breui interituri videbantur, ſolent enim ex quotidiano quæſtu viuere, cui tunc locus non erat, & ſi quid ſuperſit, in veſtimenta potius, etiam quæ longe eorum ſtatum ſuperant, quam in res ad paulò diuturniorem victum parandas, malunt inſumere. Is cum eſſet prudentium virorum ſenſus, ne Carolus quidem, niſi Dominus præcipua aliqua, atque admirabili ratione ſubueniret, aliud fore exiſtimabit. Attamen litteris à Pontifice interim, & conceſſionibus allatis: alacri, promptoque animo, Deo fretus, & charitatis ſtimulis concitatus, ad reliquum afflictæ ciuitatis curam aggreſſus eſt. Atque Parochos, quamuis de eorum debitis populo officiis adhuc definitum non eſſet, grauium tamen Scriptorum ſententiam ſecutus, iuſſit conſiſtere ægrotis ſuæ parœciæ adeſſe, ſanctaque, pœnitentiæ ſaltem, & Euchariſtiæ ſacramenta miniſtrare, qui reſiſteret mulctauit, quoſdam etiam in carcerem coniecit: quamquam plerique minime coacti, ac ſatis fortiter in vrbe, totaque diœceſi, officij ſui munera tandem obierunt: quidam etiam ſponte extremam vnctionem moribundis adhibuerunt. Cum autem artificia varia, mortis metu induſtriam acuente, quidam inuenirent, quibus Sanctiſſimam Euchariſtiam, vel longe, vel tecti morbo affectis præberent: nullum adhiberi Carolus paſſus eſt, ſed manu libere porrigi ſacroſanctum cibum omnino ſtatuit. At etiam decentes cautiones & probauit, & docuit, veluti, vt contra ægrotum ſpiritum ſacerdos vultu non conſiſteret, ſed eum commode ſemper declinaret, vt inter eum, ægrumque poneretur ignis, cuius vi, quæ in aere eſſet, tabes abſumeretur: digitos ſtatim poſt miniſterium, vel aceto, vel accenſi cerei flamma purgaret: indumentorum ſuorum, ægrique contactum ſtudioſe caueret, ſua etiam ſtatim mutaret, purgaretve curaret, & alia eiuſmodi: Baptiſmum quoque, non mergendo, vt Ambroſiani ritus eſt, ſed aquam infundendo miniſtrari conceſſit. Impetrata deinde Apoſtolica præmia, vt iam inciperet impartiri, populúſq; iam totum ad diuinū auxilium implorandū, Deumq; in primis placandum cōuerteret, publicas ſupplicationes indixit. Litteris editis populū vehementer cohortatus eſt, vt vere iam, totoq; animo agere ieiuniū cū ſupplicatione cōiungeret, q̄ frequētiſſimus cōueniret, & quæcumq; poſſet, ēt extrinſecus, abiectionis, & pœnitētiæ indicia ex animo daret: tū verò pauperum inopiam quantum poſſet, quiſque ſubleuaret, & proximo die dominico, poſtridie nonas Octobris, ſanctiſſimam Euchariſtiam, peccata confeſſus perciperet, qui id facerent, iis auctoritate Pontificia pleniſſimam peccatorum veniam conceſſit, monuit diem illum ſacroſanctæ communicationi dictum diuino beneficio, eoque ſingulari inſignem eſſe, in quo ante annos ſeptem Dominus admirabilem contra Turcas victoriam ad Echinadas largitus erat: proinde noua quoque ſperarent diuinæ clementiæ beneficia. Quoniam verò ſupplicationum gratia magnum eſſe conuentum oportebat, verebantur maxime qui humano iudicio ducebantur, ne peſtifera contagio, morbuſque magnopere augeretur: ideoque Magiſtratus rem minime probabant, neque tamen, tanto imminente diuinæ animaduerſionis periculo, magnopere reſiſtebant, & vero etiam rebus iam in ſummum pene periculum adductis, non valde periclitari ea in re ciuitas videbatur. Carolus igitur in eo perſtitit, vt ad ſupplicationes conueniretur, tempus enim iam tandem videbatur, cum ab humanis conſiliis, diligentiaque minime penderent, vim publicæ, ac communis precationis [illegible] populo pænitentia afflicto, alacriterque commoto, ſimul exemplis maiorum confirmabatur, tum domeſticis, tum externis. nam & in ſimili cauſa S. Gregorium ita ſuaſiſſe ſciebat, & ciuitatē Mediolanenſem, acceperat, cum olim trienio peſte laboraſſet, neque liberationis ſpes oſtenderetur, ad extremum omni multitudine conueniente, religioſeq; ter ſupplicatum ad ſtatas eccleſias eunte, ſubito, mirabiliterq; liberaram,

IV.

Parochorū officia.

Ordo peſtis tempore in præbendo ſanctiſſimā Euchariſt.

Supplicationes publicas indicit Carolus.

minus

minus vero erat incommodi, quia fœminæ, puerique incautiora capita, domo prodire iam edicto vetiti erant. Feria quarta cum clerus, populuſque frequentiſſimus in maiorem Baſilicam conueniſſet, vt ad Sancti Ambroſij ſupplicatum iretur: priuſquam in viam ſedarent, Carolus cineres, ſtata pœnitentiæ ſignificatione, ſingulis imponebat: capita vero plerique, & ipſi quoque Magiſtratus, lachrymantes ſubmittebant. Init Carolus cappa, vt appellant, funeſta veſtitus, cuius caputio caput induerat, poſtremamque partem ex inſtituto prolixam, nemine ſuſtinente trahebat, nudis erat pedibus: funem collo, vt damnatis mos eſt, circumdederat: magnam Crucifixi imaginem ferebat, quam fixis oculis progrediens perpetuo intuebatur, omnino veluti reus ſordidatus, ſupplex veniam pro ſuis chariſſimis filiis petebat, neque dubito quin iam tum initio pro eorum ſalute, vitam ſuam obtulerit: qui poſtea publice verbis, & factis declarauit pro eis ſeſe deuouiſſe: vt illius boni Paſtoris fungeretur officio, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis, ſimili habitu fuerunt canonici: immo plerique ſacri viri, plurimi etiam laici, cum de eo, quod Carolus facturus erat, fama percrebuiſſet, nudis pedibus venerunt: cum funibus item collo aptatis, paruiſque crucibus, quas manu tenebant. In Ambroſiana Baſilica concionem de ſuggeſtu habuit, in qua themate illo ex Ieremia propoſito. Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, ex tanta, tamque repentina ampliſſimæ ciuitatis mutatione, rerum humanarum inconſtantiam, cœleſtiumque irarum vim ante oculos ponere, populumque ad errata, ſceleraque ſua deflenda, & calamitatem ſalutariter ferendam: tum vero vitæ rationes melius inſtituendas, incitare curauit. Antea ſæpe ille quidem ad populum verba facere ſolitus fuerat, ſed licet religioſi viri quandoque ſuaſiſſent, ſuggeſtum conſcenderat numquam, concionemque habuerat ad altare ſedens, at tali tempore fecit calamitatis, periculique magnitudo: tum pia, quæ animis omnium inerat, affectio, communiſque dolor, qui propius, & clarius ex ſuperiore loco conſolatione leniendus erat, vt eo tunc aſcenderet, ac eiuſmodi loco poſtea pergeret ſemper concionari. Itaque tunc mæſtiſſimo habitu dicens, Dei ſpiritu in primis incitante, concionem adeo commouit, vt omnes fere in fletum adduceret, & cum initio plerique ſeparati, ab aliis tangendis cauerent, poſtea nulla periculi habita ratione, confertim ad ſuggeſtum propius accedere, audiendi ſtudio conabantur. Feria ſexta ad ſanctum Nazarium litania fuit; vbi eodem modo, ex illo Chaldæi Regis ſomnio, de procera, pulcherrimaque arbore, cuius copioſiſſimis fructibus, ramis, vmbraque commodiſſime animalium genera omnia vtebantur, quæ mox ita ſuccidi, & diſſipari iuſſa eſt, vt radices tantum manerent: populum ſuum ad vitia recognoſcenda impulit, quibus in ſua maxima opulentia ſeruierat, vt ea ratione quemadmodum par erat, improbata: noua iam, & vtiliora ſibi conſilia proponeret, quibus à Deo veniam poſſet impetrare. Sabbato itum eſt ad celeberrimam beatiſſimæ Virginis eccleſiam, apud aliam veterem S. Celſo dicatam, pia ſodalitia tunc ex inſtituto veteri, contra quàm Gubernator olim iuſſerat, operta facie conuenerunt, illud etiam amplius factum, vt ex omnibus eccleſiis, quæ commode potuerunt, ſacræ reliquiæ latæ cum luminibus portarentur, ad animos magis commouendos. Tunc quoque de ſacroſancti illius claui memoria renouanda Carolus conſtituit, quem ab S. Helena in frœnum redactum fuiſſe, tum alij narrant, tum S. Ambroſius in primis: Eum clauum Carolus alter Mediolanenſis Archiepiſcopus, vniuerſo clero comitante, maximaque populi frequentia, ſe ad maiorem Baſilicam anno M.CCCC.LXI.XIII. Cal. Aprilis, ab antiqua eccleſia S. Teclæ, tranſtuliſſe teſtatur, de qua eccleſia tollenda, eiuſque clero, rebuſque in ipſam maiorem Baſilicam transferendis, idem ipſe ſententiam tulerat. Fuit clauus ad hoc tempus excelſo loco in ſummo fornice, ad ipſius eccleſiæ caput collocatus, & quamuis lampades quinque ante illum perpetuò collucerent, non ſatis tamen decore affixus, paucorum etiam veneratione, memoriaque tam ſancta res, tamque inſigne Chriſti Domini ſanctiſſimæ, atque acerbiſſimæ paſſionis inſtrumentum, colebatur. Clauum igitur per ſacros homines machinis in ſublime tractos, Sabbato abſtulit, & amplæ cruci apte inſertum portauit, ſumma populi totius approbatione, religioneque, eo die occaſione ex clauo accepta, de clementiſſimi Domini erga mortales benignitate dixit, & propoſitis, quæ pro eis acerbiſſima perpeſſus eſt, ad diuinam miſericordiam implorandam vehementer eoſdem excitauit, & ad omnia bene ſperanda confirmauit, ferrum ſacroſanctum non ſtatim ad locum ſuum referri, ſed omnibus propoſitum eſſe conſtituit, in altari quadraginta horis venerandum: vt ad ſalutis ſuæ negotium procurandum tota ciuitas eo ſpatio conueniens, proximo rei ſanctiſſimæ aſpectu vehementius afficeretur. Deinde antequam reponeretur, aliam celebrauit litaniam, eumque longiſſima via tulit, cum vniuerſo itidem clero, & populo ad celebriora loca ſex, quæ Pontium nomine præcipuas ante portas ex veteri vrbis ſitu, appellantur. Mirum fuit, ciuitatem vniuerſam, quaſi contagij metu ſolutam, libenter, ſtudioſeque omnibus iis diebus ad ſupplicationes conuenire, quod ei tam fœliciter euenit, vt in tanto hominum conuentu, eoque ſæpe repetito, cum etiam cœlum humidum eſſet, & graue: non modo nemo in ipſa via ceciderit, ſed nihil acciderit omnino, ex quo auctum eſſe contagium appareret, quod magis mirum videatur, ſi cum illius litaniæ euentu, quæ Sancti Gregorij ſuaſu Romæ, vt modo retigimus, habita eſt, conferatur: quæ quidem cum non vna, vniuſve cœtus, ſed ſepteimplicis fuiſſe tradatur: vniuſ tamen horæ ſpatio octoginta homines in ipſa via interierunt. Sed Deus perpetuo clemens, ex cauſis, quæ nobis ignoræ ſunt, non eadem ſemper tamen vtitur miſerendi ratione. Diuinarum autem ſupplicationum finem Carolus minime faciens, præſcripſit præterea collegio maioris eccleſiæ, vt ſecunda quaque hebdomadæ feria ad Ambroſianam Baſilicam ſupplicatum iret: reliquo clero vniuerſo, vt præter id, quod in eccleſia ſua facere quiſque debebat, quotidie in certas partes diſtributus, vna cum populo, veniret ſupplex ad eccleſiam maiorem. In eccleſiis itidem externis ad eandẽ rationem precationes varias mandauit: vt in vrbe, & foris, mane, meridie, veſpere, neque ſolum in eccleſia, ſed domi, vel in via propter eos qui incluſi erãt, perpetua fere eſſet ſupplicatio, quæ quidem, exercitationes iubebat fœminis à maribus ſeparatis, vbi opus erat, haberi: fœminaſque ſemper velato capite conuenire, formulas etiam precationum ad eam rem, tum alias, tum in Miſſæ ſacro adhibendas edidit, quæ omnia ſingillatim perſequi nolumus, ne cui forte narratio moleſta ſit: præſertim cum libellis tunc Caroli iuſſu editis contineantur. Hæc publice per vrbem fiebant, præter ea, quæ per religioſa virorum, fœminarumq; collegia, partim ex Caroli præſcripto, partim ex Antiſtitum religione, propterea, non ſolum in eccleſiis palam, ſed etiam priuatim, pie, ſancteque agebantur, ad diuinæ miſericordiæ opem expoſcendam.

Cineres ſingulis imponit. — *Carolus cappa funeſta veſtitus funem collo geſtans nudis pedibus incedit. Ioan. 11.* — *Canonici eius exemplum imitantur.* — *Carolus concionẽ habet ad populum. Thren. 1.* — *Feria Sexta aliam. Dan. 4.* — *Clauus ſaluatoris trãslatus ad Baſilicam maiorem.* — *Cruci eum inſerit Carolus.* — *Aliæ ſupplicationes inſtitutæ.*

V. SVPPLICIS Eccleſiæ, Sacerdotiſq; ſui preces non ſtatim audire viſus eſt Dominus, quin peſtilentia latius in dies cœpta progreſſione manans, iam totam occupauerat ciuitatem. Sed liberatione dilata, eam mentem, eaque conſilia, ad ciuitatem ſacra, ciuilique cura tali tempore gubernandam, eius rectoribus diuina clementia dedit: vt nihil vmquam præclarius in eodem genere factum videatur. Carolus autem ita ſe geſſit, vt licet fatendum ſit, antiquæ pietatis, & lumen, & vim ad maiora facienda valuiſſe: exemplum tamen ipſe, memoriæ, quod ſciam, aut litteris adhuc minime proditum, paſtoribus reliquerit, gregis peſtilentiæ tempore gubernandi. Eam rationem, quantum potero, breuiter exponam: dicam vero prius, quæ Mediolanenſis ciuitatis conſilium, reliquis etiam, qui in vrbe erant, conſentientibus, Deo, eiuſque martyri Sebaſtiano vouit; quem & propter ſimilia beneficia per eum quandoque impetrata; & quod matre Mediolanenſi natus, Mediolani quoque eruditus eſſet, ſibi deprecatorem aduocarunt. Vouerunt igitur, nouam martyri eccleſiam, vetere diruta, ædificare: conferre, vnde factum in ea fieri quotidie poſſet: diem martyris feſtum, etiam cum diei antecedentis, ieiunio colere: eccleſiam ipſam, cum ſolemnibus donis, quotannis in

Votũ Ciuitatis.

 die voti,

die voti, hoc eſt Idib. Octobris, & feſto item martyris adire: vas pretioſum offerre, quod eiuſdem martyris oſſiu decorum eſſet receptaculum, alia addiderunt, quæ hic explicare neceſſe non eſt. Carolus vero, vt voto rite, decoreque ſoluendo quam maxime faueret, quibus diebus populo conueniendum fuit, vna cum clero Eccleſia adita, ſacriſque apparate peractis, religioſiſſimam effecit celebritatem, atque anno poſt, cum ciuitas ex diuturna afflictione recreata eſſet, ædificij forma probata, primum ex Eccleſiæ ſtato ritu lapidem poſuit. Cum igitur ægroti vna cum rebus ſuis, vt quiſque morbo inficiebatur, pro iam inſtituta gubernatione foras educendi eſſent, tam magnus erat numerus, vt Gregoriana loca exiguam eorum partem caperent. Ideo extra mænia ad vnamquamque portam, agro conducto, caſæ quædam ex lignis, paleaque conſtructæ ſunt, vt portæ ſingulæ quaſi vicum quendam caſarum circiter ducentarum haberet, de earum autem opportuna, & ſalubri ædificatione Carolus, qui nihil ad ſe non pertinere arbitrabatur, quod ad ægros, egenoſque ſuos iuuandos ſpectaret, plurima monuit, & parochis etiam ſuis libello edito præcepit, at multi etiam, quibus non deerant facultates, eas ſibi, cum egredi neceſſe eſſet, ampliores, & commodiores ædificarunt. De iis vero, qui in vrbe manerent ſingularis quædam ratio, ne malum ſerperet latius, neque tamen ſine aliquo exemplo, inita eſt. Publico interdicto non pueri ſolum, & fœminæ, vt antea, ſed quicumque in vrbe eſſent, rebus, vt quiſque poſſet, ad eius temporis victum, comparatis, omnes iuſſi ſunt quadraginta diebus domi ſe continere. grauiſſimæ pœnæ iis, qui non parerent, propoſitæ: publicæ cuſtodiæ conſtitutæ ad populum continendum: furcæ quoque per vrbem pluribus locis, ad terrorem iniiciendum erectæ, certis tamen hominibus permiſſum eſt exire, neceſſariaque, domum quiſque ſuam, referre. Miſeranda ſane res erat: quæ ad rerum humanarum nobilitatem, diuinæque animaduerſionis ſeueritatem aliquo modo contemplandam, magnopere valeret: ampliſſimam ciuitatem paulo ante admirabili ordinum omnium frequentia celeberrimam, ciuium, exterorumque ſplendore ornatiſſimam, nobilium hominum curruum, equorumque pompa, & concurſu paſſim fulgentem, publica quadam lætitia, atque opulentia ſemper florentem: quæ vtinam extra chriſtianæ modeſtiæ fines tantopere non prodiiſſent: tunc in ſolitudinem propemodum eſſe redactam. Sacræ ædes vacuæ, fora derelicta, negotiatorum mira multitudo, atque aſſiduitas tota ſublata, notariorum, omniſque iudiciorum prope infinita turba diſiecta: in viis furcæ pro ornamentis, nemo fere obuius, niſi funeſta carra, quibus vel cadauerum acerui, vel ægroti ſemianimes, & ſqualidi, efferatorum hominum opera, ſuis à ſedibus, rebuſque chariſſimis auulſi, quaſi proiiciendi, foras aſportabantur: quorum non aſpectus ſolum, ſed ipſe rotarum ſtridor, ad obuios longe monendos comparatus, etiam à remotis auditus magnum iniiciebat horrorem. Quanquam autem maximus ciuium numerus, immo ex tribus, duæ propemodum partes ab vrbe iam diſceſſerant: maxima tamen remanebat, vt in vrbe frequentiſſima, egenorum multitudo: nam & qui ſe periculis ſubducentes exierant, ex locupletioribus fere fuerunt, vt autem res ad victum cuique repoſitæ quotidie minuebantur, ita numerus in dies augebatur egentium, cum igitur ex tanta inopia, & ipſis egenis interitus, & reliquis non paruum periculum immineret, conſilium ciuitatis egregia ſane prouidentia, & humanitate, iis omnibus ſtatuit ſubuenire, & domo incluſis quotidiana cibaria oſtiatim miniſtrare, quam ad rem cum aliud conſequi non poſſet, communia ciuitatis vectigalia venalia propoſuit, magnamque pecuniæ vim ex ipſis confecit, memorabile fuit, hominum circiter quinquaginta millia de publico menſibus amplius ſex fuiſſe ſuſtentata, quamquam multæ etiam eleemoſynæ in id collatæ ſunt, ſed neque illud vulgare: quæ ad victum neceſſaria eſſent, gratuita piorum, nobiliumque virorum manu, operaque quotidiana per ſingulas domos tradita fuiſſe, quorum egregiam erga patriam, pauperesque pietatem, hic nominatim efferrem, niſi nimis longum eſſet, ob magnum numerum. conſideremque, cœleſtia potius ab eis, quam caduca hæc, qualiacumque ſint, laudis humanæ præmia experi. Ea tempeſtate multorum inanis elatio, improuidumque conſilium correctum eſt: qui magnos quæſtus in epulas, veſtitumque immoderatum inſumentes, ſplendorem ſtulte retinere conantur, qui tum conditionem ſuam longe ſuperat, tum ſubito aliquo impedimento, verti poteſt in ſordes. In ea publica egeſtate, vicorum, oppidorumque multorum officium liberaliſque obſeruantia erga vrbem, tamquam matrem ſuam, extitit: nam triticum, & alia, quæ ad egenorum multitudinem alendam vſui eſſe poſſent, vt inter ſe corrogare, colligereque potuerunt, ſponte Mediolanenſibus miſere, vt etiam Caſalenſe oppidum, quod in Cremonenſi diœceſi Mediolano diſtat millibus paſſuum amplius ſeptuaginta, munera præclara miſerit, qua de re Conſilium ciuitatis & gratias egit, & grati animi ſignificatione, quoſdam ex eius oppidi primariis ciuitate donauit.

Carolus primum lapidem nouæ Eccl. S. Sebaſtiani ponit.

Publico edicto cauetur ne quiſpiã 40. dierum ſpatio domo egrediatur.

Miſerrima florentiſſimæ ciuitatis facies.

Magiſtratus oſtiatim cibaria diſtribuit.

Egeſtati Mediolanẽſiũ oppida & vici circum uicini ſubueniunt.

VI QVONIAM vero plurimis ad tantam multitudinem curandam, iuuandamque, opus erat adminiſtris: qui vero præmiis ducerentur humanis, ij neque ita multi reperiebantur, vbi maxime vitæ diſcrimen non dubie verſaretur, & minus amanter, immò plerumque odioſe officium tribuebant: Carolus pro Pontificia auctoritate, Apoſtolica dona ſingillatim, diſtincteque propoſuit iis, qui variis officiis, muneribuſque ægros iuuarent, medicis, præfectis variis, chirurgis, obſtetricibus, nutricibus, famulis, aliiſque quorum induſtriæ, atque operæ in ægrorum, egenorumque cura, poſſet eſſe locus. maiora vero grauioribus, cumulatioribuſque officiis, miniſteriiſque aſſignauit. Cum autem nulla in re conſilium, laborem, vigilantiam, auctoritatemque ſuam afflictæ ciuitati deeſſe pateretur, iis de rebus erat maxime ſolicitus, quæ ad animas expiandas, ſaluandaſque pertinebant, ſacerdotes deſiderabat in primis, qui ſacroſanctis rebus iuuarent ægrotos, ac Gregorianæ quidem turbæ, priore mortuo, alium itidem ex Heluericis regionibus presbyterum dederat, in quo tantus fuit morbi contemptus, vt locum ingreſſus, ſtatim ſe in eodem lecto collocauit, in quo alius mortuus erat: poſteaque licet peſtilentia bis affectus, numquam deterreri potuerit ab ægris aſſidue, non ſolum adeundis, audiendiſque, ſed quocumque modo opus eſſet, tangendis, atque tractandis, vſque ad peſtilentiæ finem, dederat item Paulum Belintanum Brixienſem, ex Capucinorum ordine: qui ſacramentis exceptis, non enim ſacris erat initiatus, rebus omnibus multitudinis ſalutem curabat, ac Præſidis cuiuſdam eo loco perſonam, parteſque ſuſtinens, & peſtilentia nomine incluſos, & eis inſeruientes etiam auctoritate natus in officio continebat, puniebatque delinquentes. At iis item quaſi valetudinariis caſtris, quæ extra mœnia poſita erant, conſulendum erat, ſacerdoteſque dandi, qui ſacra præberent, ne flagitia committerentur curarent, & ipſorum quoque præfectorum actiones obſeruarent. Ad cœnobia igitur regularium hominum conuerſus, eorum Præfectos vocauit, qui alios quoque ſacerdotes audiendis ſacris confeſſionibus deſtinatos adducerent eos in huiuſmodi fere ſententiam eſt allocutus. Miſeram, ac luctuoſam ciuitatis noſtræ conditionem, ſi vobis explicare coner, inepte faciam fratres; nemo eſt enim, cui non antea oculos perpetuo tantæ miſeriæ verſentur: immo neminem tam durum arbitror, cuius non miſericordia iam diſrumpatur animus, cariſſimorum capitum præſentia, omniumque ſubſidio homines deſtitui, ex proprio, dulcique domicilio, rebus ſuis relictis, ægros, & ſemianimes extrahi, funeſtis, ſordidiſque carris in vix tecta duci, quæ ſtabulis, quàm ciuilibus ædibus multò ſimiliora ſunt: vnde redeundi vel nulla, vel exigua ſpes manet, in mortis quaſi faucibus aſſidue teneri: hæc vt humana fert imbecillitas, prorſus miſera ſunt: ſed quoniam huius tantummodo vitæ ſunt, ac temporis; videri poſſunt tolerabilia: maxime ſi quis futurorum ſpe ſeſe erigat. At iis quoque ſubſidiis, atque opibus deſeri, quæ ad alterius vitæ felicitatem, bonaque æterna maxime conducunt: vt cum præſentia quis amittat, in diſcrimen quoque veniat

Carolus miniſtris ægrotis ſuppeditat.

Priore ædis Gregorianæ Sacerdote peſte ſublato alium ex Heluericis partib. ſubſtituit.

Aliis itẽ valetudinariis extra vrbẽ conſulit.

Exhortatio Caroli ad regulares monachos vt calamitati publicæ ſubueniant.

veniat futurorum, quæ perpetuo manent: id vero, & iis, qui patiuntur, miſerrimum eſt, & nobis, quibus earum rerum cura, poteſtaſque diuinitus data eſt, graue ſane, & periculoſum. Scientibus nobis, ac videntibus, vt peſtilentia corpus, ita pij fratrum noſtrorum animi rerum diuinarum deſiderio contabeſcunt, ſemiuiuis vocibus ſæpiſſime, vel obtutu ipſo ſacra poſtulant, miſericordiamque implorant: nos autem duri cunctamur, aut deſpicimus. Parochos in officio, vt ſcitis, continemus, ſed non ſufficiunt multitudini, quemadmodum notum eſt, ne ſi quidem eorum quiſque plurium vires haberet, omnino qui ad caſas educuntur, multò ſunt remotiores, quam vt iis, ſuus poſſit parochus ſubuenire, quin etiam parochi ſæpe ab ſuis refutantur, cum ægrotis miniſtrauerint, donec tempus comprobauerit ſanitatem: ita vt ipſis etiam viciniæ incolis aliorum opera neceſſaria ſit. Externos ſacerdotes quæſiui, neque fruſtra: ſed plurimis adhuc opus eſt: ad caſas educta multitudo certe deſtituta iacet, alios qui operam dare velint, non reperio, cogere non poſſum, nec debeo quemquam. Confugio ad vos, quorum conditio, & ſtatus, ita rerum omnium humanarum contemptum præſefert, vt vnam diuini cultus, humanæque ſalutis curam intueatur, ſi vitæ periculum pro aliena ſalute adire, Dominumque in hoc genere imitari, cuiuſquam eſt, veſtrum eſſe videtur in primis. Non ita egent ægri ſubſidiis noſtris, fateor, vt ſine iis ſpes ſalutis nulla maneat, verum ſæpe neceſſaria ſunt, cæterum quantum ſemper proſint, non ſolum malis, ſed etiam bonis: clarius eſt, quàm vt diſputetur, vel de ſenſu noſtro noſmetipſi coniecturam faciamus, quantum afferre ſoleant tum ægroto corpori, tum maxime animo de ſalute ſua ſolicito leuationem, ſed quibus tam profuſa liberalitate miſericordia tributa eſt, quomodo ipſi ſuam tam anguſte circumſcribunt, & neceſſariis, extremiſque rebus metiuntur? Qui omnium, etiam inimicorum, impiorumque ſalutis cauſa, Dei filius ſummo dedecore, cruciatuque acerbiſſimo, fixus in cruce mortuus eſt: idem nos, qui tantum ab eo beneficium conſecuti ſumus inuitat, vt quietæ, glorioſæque mortis periculum pro piis fratribus adeamus, cui tantum debemus, quantum millies moriendo ſine dubio aſſequi non poſſumus, is ne vilem quidem vitam hanc, ſed eius tantummodo periculum poſcit, in his periculis ita verſari plurimos videmus, vt mortem tamen effugiant: immo etiam multos metu ſolutos eadem ſubire, ſed ſi nos non effugiemus, hoc mori non erit, ſed eam potius, quæ vere vita eſt, citius conſequi, omnino quid habet in humanis rebus ſumma noſtra tenuitas, in quo pro ſummis, & immortalibus Dei beneficiis vere gratum animum præſtare poſſit, ſi occaſionem amittamus huiuſmodi, quid autem? vitæ parcimus, poſt paucos tamen annos, aut dies, aut verò horas vt humana conditio eſt, neceſſariò amittendæ, quin hoc ipſo ciuitatis caſu, quam periclitationem fratrum charitas à nobis non impetrauerit, eam facilè iamiam extorquebit contagionis neceſſitas, facilè, quemadmodum alij fere innumerabiles, licet omni ſibi diligentia caueant, moriemur, quàm pulchrius eſt, hac quidem in re, neceſſitati nos anteuertere, gratiſſimamque Domino pro peccatis, proque eo, quod eius immenſæ benignitati, maieſtatique debemus, hoſtiam præbere? videmus heu quotidie plurimos hæc eadem adire pericula, mercede viliſſima conductos, qua ſæpe ne fruuntur quidē: nos tantis de cauſis, tam amplis propoſitis præmiis, moramur, ſi reſpicitis obedientiæ legem, cuius virtute veſtras actiones ad ſalutem roborari recte vultis: illud, ſicuti vos non latere iam arbitror, in manu noſtra poſuit Summus Pontifex, communis omnium Pater, atque Antiſtes: cuius etiam litteras recitari audiſtis, quibus ad præclarum nos ſanctumque iuuandorum fratrum munus vehementer cohortatur, non eſt, quod Antiſtitis ibi quis, aut reſpiciat voluntatem, aut interdictum vereatur, vbi Antiſtitum omnium Princeps, & velle ſe declarauit, & ſuas addidit cohortationes. Deo vos hoc tribuere muneris volo, fratres, quod, quemadmodum ſpero, ſuſcipietis: ſed maximo nos quoque beneficio affeceritis, quod nulla vmquam delere poterit obliuio, ſi huic ſummæ ſolicitudini, dolorique meo, veſtra virtus, hoc attulerit leuamenti, vt hic aliquos videam ad opus ſanctiſſimum paratos, vltro vitam ſuam in hoc beatum diſcrimen Deo, mihique offerre, non dubito, quin aperto ſemel ab nonnullis vel paruo aditu, plurimi alij, qui nunc grauiori quadam inſolitæ rei opinione deterrentur, quaſi lata via introeuntes, exemplum hilare ſequantur, ita qui prior id fecerit, is ſe aliis auctorem, ducemque præbuerit, magnoque pondere auxerit meritum ſuum. Neque vere nouum ad vos nunc affero charitatis ardorem, ita Patres noſtri Dei ſpiritu incitati in re ſimili fecerunt, ita faciendum docuerunt, quemadmodum ex veterum ſcriptis iuſſu noſtro collectis, editiſque ſatis apparet, immo opus eiuſmodi ita extulerunt, quod ad animos noſtros ſtimulandos maxime valeat, vt martyrij genus eſſe confirmarent, optabile ſane tempus, quo abſque tyranni crudelitate, ſine eculeis, ſine ignibus, ſine beſtiis, omnino ſine illa cruciatuum aſperitate, quæ humanæ imbecillitati maxime ſolet eſſe formidabilis, martyrij palmam conſequi poſſumus, immo, & ſine ea acerbitate poſſumus, quæ ſolet ſemper cum huiuſmodi morbo eſſe coniuncta, vt ægroti deſtituantur ab omnibus, nulliuſque ope ſubleuentur, quod ægro cuicumque dabitur, id multo minus negabitur ægrorum Patri, nobiſque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit; ſperare quiſque poteſt, incolumem ſe fore, id multò maiori ratione, quam alij fere innumerabiles, quos videmus, nulla cautione, nulla etiam temperantia, in medio peſtilentiæ æſtu aſſidue verſari: ſed ſi morbum quis contraxerit, quando alij deficient, ego ipſe, qui egenorum cauſa inter vos quotidie verſabor, adero, mihi curæ erit vtraque ſalus veſtra, ego libenter ſubueniam, ego me, ſi opus fuerit, ſacrorum miniſtrum iam nunc vobis offero: qui quidem diuina ope fretus, neque laboribus, neque periculis vllis parcere decreui, vt Paſtorali officio meo ſatisfaciam, & quibuſcumque rebus potero, gregis mihi commiſſi ſaluti ſeruiam: Huiuſmodi Carolus: cuius orationis vim, ſcio me tamen his verbis non eſſe conſecutum: talem enim ſe auditores ſenſiſſe teſtati ſunt, vt ex ea ſibi aculeos, & vincula iniici viderentur, & humana quidem facultate nihil efficacius fieri poſſe iudicarent. Res ipſa declarauit, quid Caroli oratio diuina vi roborata poſſet: continuo enim ſacerdotes circiter viginti octo ſeſe ad ægros ſacris rebus omnibus ſubleuandos, promptos eſſe profeſſi ſunt, quo quaſi fundamento iacto, alij multi præſtò fuere: neque vmquam poſtea defuerunt, toto ipſo peſtilentiæ tempore, qui mortuis ſuccederent, & vbi Carolus iuberet, operam ſuam libere ponerent: quorum omnium paratum hoſpitium erat Caroli domus, laici præterea multi exemplis huiuſmodi, Caroliqne adhortationibus excitati, atque incenſi, iiſdem miſericordiæ officiis, obſequiiſque, ſeſe quamdiu peſtilentia fuit, exercuerunt: & variis ægrotorum commodis amanter inſeruientes, in peſtilentiæ diſcrimen chriſtianè ſe libenter obiecerunt. Pulcherrimum viſu erat, mares, fœminaſque frequenter ad Carolum ipſum accedentes, operam in eo genere ſuam fidenter polliceri, cannabinamque veſtem quandam fuſci coloris, quam is tradere ad id ſolebat, hilarè, quaſi inſigne aliquod magni honoris accipere, tum ſalutari ſigno, precationeque optimi Patris confirmatos, ad aſſignata munera conuolare: nulloque mortis metu, mortis pericula; quaſi rem iucundam, adire. Ex omnibus propemodum religioſis ordinibus ſacerdotes fuere, qui ad eam ſe piam curationem offerrent: ſed plurimi ex Capucinis. Memorabilia vbique fuere Chriſtianæ charitatis exempla: quorum vel exiguam partem perſequi nimis longum eſſet: liceat tamen aliquid domeſticæ pietatis ad poſterorum exemplum tangere: cum vnum, & alterum ex noſtro Sancti Bar-

28 ſacerdotes ſeſe offerunt, quos alij plurimi ſequuntur. Laici item permulti ægrorum ſeruitio ſe mancipant, quos cannabina veſte Carolus donat.

cti Barnabæ collegio peſtis attigiſſet, certatim petebant multi, vt inſeruire fratribus liceret: neque id mirum, cum ad extraneos quoque iuuandos multi ſe paratos oſtenderint, duo certe vitam in eo munere profuderint.

Singulis vicis caſarum ſacerdotes præficit.

SINGVLIS igitur caſarum vicis, ſi ita volumus appellare: quamquam eos etiam à parocho ſuo quandoque luſtrari iubebat: vnum, duoſve ex ſacerdotibus, qui ſe obtulerant, prout neceſſe videbatur, Carolus præpoſuit, & vbique peccatorum confeſſione, diuino Euchariſtiæ pabulo, vnctione extrema, ægrotos ita fere iuuandos curauit, ac ſi non multitudo maxima peſtilenti morbo affecta, ſed mediocris numerus in hoſpitio aliquo congregatus fuiſſet, immo alios illi ægrotos in eo ſuperabant, quod à quocumque ſacerdote, morientes plenam peccatorum veniam, ex conceſſione Pontificis accipere poterant.

Sanis diuerſos dat qui eis S. Euch. ſacramentum adminiſtrant, aliaque ordinat.

SANIS autem diuerſos ſacerdotes, ad ſacra præbenda deſtinauit: ne timentes ab iis, qui tetigiſſent infectos, rebus forte ſalutaribus abſtinerent. Illud quoque ſolatij Carolus iis, qui in caſis detinebantur dedit, vt Miſſæ ſacrum, ſi non audire, ſaltem videre omnes poſſent, iuſſit enim tabernaculum ex tabulis ita alte extrui, vt ſacerdos in ſumma parte faciens, ab omnibus caſis conſpici poſſet. Licet autem aceruatim fere, ob multitudinem, carris impoſitam cadauera ad ſepulturæ locum portarentur: ſacros tamen homines, apto loci interuallo comitari, preces, lumina, & alia, quæ in funere eſſe ſolent, adhiberi iuſſit. immo neque ſacrum ſepulturæ paſſus eſt officium, ritumve prætermitti. nam ad poſteriorem Gregoriani valetudinarij partem, ex aliis locis cadauera plauſtris afferri ſolebant: cumque magnus eſſet congeſtus numerus: tum ſacerdotibus rite precantibus, Eccleſiaſticiſque cæremoniis adhibitis, in ampla foſſa ad id facta, conſecrataque, omnia ſimul ad ſepulturam quotidie dabantur. Quo loco mirabile quiddam euenit: quod Carolus ipſe tum de ſuggeſtu, tum libello de peſtis memoria edito prædicauit: mihique prætereundum ſilentio non eſt. Summo mane Gregorianus presbyter ſacramentum ſanctiſſimum ad ægrotos ſuos afferens, non longè ab ea quam memoraui parte forte prætetibat. Tum ex magno corporum aceruo, quæ proxima nocte illata fuerant, vnum ſeſe attollere conatur, genibuſque conſiſtere: ac ſimul voce, inquit, morienti, verbiſque interruptis, Per Deum obſecro Pater, mihi quoque. Cumque à ſacerdotis clementia ſtatim omni pietatis indicio ſacramentum accepiſſet: eodem loco procumbens, nullo præterea motu iacuit. Quod quidem ſingularis beneficij loco animæ illi, ob religioſum, & ardens illius diuini cibi ſtudium, tributum credibile eſt.

Nota rem miram.

AD incluſos redeamus. Carolus, cum & ipſe clerum ſuum domi ſe continere iuſſiſſet: iis tamen exceptis, quos ob pia miniſteria, diuinaque officia, foris, & in eccleſiis verſari oportebat: incluſionis vniuerſæ VII.
diem litteris editis præuenit: quibus quadragenarium illum numerum pie, ſciteque ad ſacram rationem conuertens: omnes monuit, vt cum is numerus ieiunio, atque afflictionibus iam inde ab antiquiſſimis temporibus conſecratus eſſet, Mediolanenſes quoque eo tempore, quo per pœnitentiam Deum placare debebant, opportunè illud temporis ſpatium in cuſtodia traducendum religioſe acciperent, & ad pœnitentiam ſalutarem accommodarent, præterea hortatus eſt, vt ante conſtitutam diem peccata quiſque confiteri, ſanctiſſimamque Euchariſtiam accipere ſtuderet: prompteque deinde Magiſtratuum edicto pareret. Curauit item, vt incluſi, cum adire ſacra loca, rerumve ſacrarum fructum percipere nequirent, diuinis tamen ſubſidiis, quantum fieri poſſet, ne carerent, cuſtodiaque illa, atque otio domeſtico ad exercitationem precandi frequentiorem vterentur. Itaque per vrbem aptis, conſpicuiſque locis, vt quam maximus numerus de feneſtris, ianuiſque, ſpectare poſſet, altaria conſtitui iuſſit, quantum potuit, ad rei ſanctiſſimæ decentiam compoſita, & circummunita. Presbyteros elegit, qui in eis quotidie Miſſam facerent, ſanctiſſimam Euchariſtiam, rite ſcabellis ante ianuas apparatis, itidem diſtribui permiſit, ipſeque ſæpe diſtribuit. ſacerdotes mittebat, qui cum ſacris indumentis, & ſcamnis ad ferendum accommodatis, domos obirent, vt ad ianuas ſedentes, eorum qui incluſi erant, aliquo interuallo diſiuncti, ſacras audirent confeſſiones. Præterea ſepties die, noctuque maxima eccleſiæ maioris campana ſignum dari iuſſit, quo ciuitas audito, ad litaniam, pſalmoſque ex editis libellis recitandos vniuerſa conſurgeret. ſingulæ autem plateæ, aut vici quaſi choros ſingulos efficiebant: nam ad feneſtras, ianuaſque per diem, magnamque item noctis partem habitatores veniebant, & vno qui voce excelleret, præeunte, qui ſæpè etiam erat presbyter, ad altare in via conſiſtens, reliqua multitudo omnis vndique reſpondebant. quæ res erat tum admirabilis, tum etiam, vt in magna calamitate, piis omnibus ſane iucunda: cum totam viderent maximam ciuitatem, ex libera euagatione, ac licentia, in cellas quaſi redactam, & in monaſterium quoddam conuerſam, imitatione canonici inſtituti, ſeptem temporibus noctu, atque interdiu publicè precari: & vno tempore, vias omnes, tectaque vrbis vniuerſa ſacris vocibus audirent perſonare. Hæc omnia cum ita inſtituiſſet Carolus, loca omnia obibat frequenter, quotidianaque opera præſens de omnium rerum ſtatu cognoſcebat: hortabatur, iubebat, quæ fieri oporteret: per vicos, & plateas mira humanitate infimis hominibus precationis ritum tradebat, rediens rationem poſcebat, qui præcinerent ipſe deligebat: cum multos ſimul videbat ad ianuas congregatos, eo veniens religioſis, piiſque verbis appoſite monebat: omnes conſolabatur, & ad otium illud ſancte accipiendum, conſumendumque inducebat omnino. tanta erat Caroli manſuetudo, vt quilibet ex infimis ordinibus libere alloqueretur, eius ſe precibus, domumque ſuam commendaret, & tamquam patri, quæ ſibi opus eſſent, quæque vellet, familiariter exponeret. multi, qui pudore quodam impediti præfectis, aut aliis quibuslibet inopiam ſuam patefacere non audebant, aperiebant illi multò facilius, illeque egenos eiuſmodi iuuare præcipue ſtudebat, mulierculæ etiam annulos, & alia eiuſmodi in manum tradebant, quibus venditis, pretio pauperes ſubleuaret. Tantam autem in eo ſibi ſpem cunctus populus poſuerat, vt eius aſpectu primo, vicinia tota frequenter edito clamore, miſericordiæ vocem mitteret. Gregorianas item ædes ſæpe circuibat, caſaſque luſtrabat. ac ad ſingula conſiſtens domicilia, ſingillatim de iis quæ ad animæ ſalutem primò: deinde quæ ad corpus pertinerent, item de opera miniſtrorum, diligenter inquirebat: quod erat prouidendum, curabat diligenter, & memoriæ gratia, quod facto opus erat confeſtim in libello notabat ipſe; pecuniam quoque manu ſua large dabat egenis. Eius erat conſuetudinis, ex hebdomadæ diebus, duos iis dare qui in ciuitate manebant, reliquos iis, qui extra mœnia erant educti: domo exire numquam, niſi ſuorum ſalutis gratia. mittebat etiam aliquos ex primariis ſuis presbyteris: qui, in equis ciſtas tenentes, ægrotis oſtiatim tribuebant exquiſitiora quædam, quæ languentibus ſtomachis eſſent leuamento. Ægrotos, qui ob dignitatem in vrbe relinquebantur, ipſe viſebat,

Incluſis conſulit.

con-

conſolabatur; indulgentiam tribuebat, cubicula ipſa ingrediens; ad ipſos quoque lectos accedebat. In primis curabat eccleſiaſticis viris ſubueniri, iis præſertim, qui ægris deſeruiebant: ideoque inſtabat, vt ſine mora, de infectorum morbo gradatim certiores fierent ſuperiores, ipſis parochis in vrbe, ſi peſtem contraherent, iuuandis, ſe ipſum offerebat: in diœceſi vero vicinos parochos, tum Præpoſitos, aut Vicarios hortabatur, vt ſubuenirent, atque his non ſolum ſacramenta miniſtrari decreuit: ſed etiam religioſæ conſolationis leuamen, quam diu animam agerent: miſſis ad id quocumque oporteret ſacerdotibus, adhiberi. Atque huiuſmodi Caroli inſtituta, quotidianam præſentiam, cohortationeſque, cum eximia charitate, & ſuauitate coniunctis, plurimum valuiſſe dubium non eſt; vt tanta ciuitas, carceris genus eiuſmodi tamdiu facile toleraret: quod initio vix ſperabatur: quodque ab aliis ciuitatibus fere non potuit obtineri. Quamquam autem ab initio Carolus, vt demonſtratum eſt, conſilio fuit de populo in cuſtodia habendo: cum intellexit tamen plus ei remedio tribui, quam ad diuinam miſericordiam agnoſcendam opus eſſe videretur: ideoque præſcriptum quadraginta dierum tempus produci; ita vt ipſis natalitiis Domini feſtis populus ad eccleſias conuenire; ipſeque Pontificiam indulgentiam, quæ ad ferendum Italiæ peſte laboranti auxilium, Pontifex in vniuerſum propoſuerat, promulgare, liberiſque conuentibus celebrare non poſſet; cum Gubernatore, qui Viglebanum receſſerat, grauiter expoſtulauit; vixque ſe continuit, quin omni ſuo conatu reſiſteret. Tantum tribui Carolus humanis rationibus volebat; vt ſpem ſuam omnem in diuina clementia præcipue ſeſe collocare; re ipſa palam profiterentur, ad id ſuadendum recens conuentuum illorum euentus; quando frequentiſſimus populus ad eccleſias ſupplicatum ductus eſt, graue argumentum ſuppeditabat: præter ea, quæ ex veteri memoria ſuppetebant; demonſtrabantque, ſupplicationum conuentu potius, quam ſolitudine, veniam à Domino fuiſſe impetratam. Ceſſit nihilominus Carolus; credo ob ſacras precationes, diuinaque officia, quibus tamen aſſidue populus intra domeſticos parietes exercebatur; & in inſtituta vigilantiæ paſtoralis opera perſeuerauit.

VIII. Hæc ita cum ageret Carolus; quæ quidem, his præſertim moribus, & hac remiſſiore Paſtorum cura, magna merito, atque adeo maxima iudicabantur: ſibi tamen parum facere videbatur; quia tangere, tractareque peſtilentiæ nomine ſuſpectos, aut etiam infectos, ſibi quæque pro ſuo munere non contingeret. Apud ſe igitur primo cogitauit, eſſe in vrbe, atque in tota diœceſi plurimos, qui confirmationis ſacramento muniti non eſſent: hos ex hac vita pati ſine tanti ſacramento decedere; quo ſalutis imminente certamine, diuina firmitas, & robur animis adderetur: neque ſatis animarum charitati conſentaneum; & ſibi qui ſolus poſſet, etiam quodammodo turpe; omnino ſibi minime committendum exiſtimabat, id eo magis, quod ab hæreticis ſacramentum illud hoc tempore grauiter ſciebat impugnari. Itaque indicta chriſmatis ſacri per vrbem adminiſtratione; quam potuit decore, per vias Epiſcopali illo munere diu ſuis functus eſt: licet enim quotannis, ſtato tempore per vrbis eccleſias idem faceret; multa tamen adhuc hominum millia inuenit, qui nondum ſacramentum illud acceperant, à que ipſo initio, licet de morbo ſuſpectos, & à reliquis ſegregatos minime vocaſſet; dubium tamen non eſt, quin affectos peſte quamplurimos inter eos confirmauerit, fieri namque non poterat, vt omnes ſimulatque contagione infecti erant, à miniſtris deprehenderentur, & à cæteris ſepararentur, verum ipſos quoque palam infectos, ægrotoſque poſtea libere, ſicuti dicemus, admiſit. Vrbis cum tantummodo rationem ſibi non eſſe habendam ſtatueret; vicos etiam, caſtellaque totius diœceſis, quæ morbus oppreſſerat, mira celeritate omnia adiit: & in iis eiuſdem chriſmatis ſacroſanctum remedium paſſim adhibuit. Poſtea vero: vt quemque locum recens infectum audiebat, ita eo ſtatim ſolebat aduolare: ac eadem ratione calamitoſis conſulere. Eadem vero via, occaſioneque ad alia quoque vtebatur gregibus ſuis ſalutaria: nam parochos, alioſque ſacerdotes ad ægrotorum curam ſtudioſius ſuſcipiendam excitabat confirmabatque: quoſdam etiam compellebat, ægrotos ipſos conſolabatur: precationum publicarum rationem præſcribebat: omnem populi gubernandi, cuſtodiendi, eleemoſynis iuuandi rationem recognoſcebat: cæmeteria conſecrabat, quo ingens multitudo cadauerum inferretur. Præfectos item, miniſtroſque ciuiles iuuare ſtudebat: monendo: ad officia commiſſa inflammando; mercedem promittendo, ſacros miniſtros pluribus locis ab eorum vi, atque iniuria defendit, qui ſacrorum munerum liberam functionem, eccleſiaſticamve adminiſtrationem, ſiue in ſepultura corporum, ſiue in diſtributione piorum emolumentorum, quandoque in oppidorum ingreſſu, & egreſſu; vel in ſegregatione ſacrorum hominum, & huiuſmodi aliis, impediebant, populos ad eccleſiarum ædificationem; ad feſtorum dierum integrum cultum, chorearumque refutationem, & alia pia opera publice vouenda, perduxit. Cumque ita frequenter, vt neceſſitas ferebat, ipſe loca omnia obire non poſſet, ſuos cum poteſtate ſæpe miſit; qui loca reuiſerent, eaſdemque res recognoſcerent, quibus ſi Præfecti locorum exquiſitæ cuſtodiæ gratia reſtitiſſent, & locorum ingreſſum prohibuiſſent; anathematis pœnam adhibuit, & ea ratione aditus omnes ſuis patefecit: quos tamen certa ſanitatis teſtimonia volebat à Vicariis ſuis afferre. Atque iis itineribus Carolus incredibiles plane ſuſcepit corporis, animique labores, non primis ſolum menſibus, ſed poſtea ſemper quamdiu morbus viguit; vt neque cibi, neque ſomni, neque longinquitatis aſperitatiſve vllius habita ratione, omnia loca celerrime adiret, & perluſtraret; ſacriſque officiis, & muneribus, aſſidua contentione operam daret. Foris ad ſacram chryſmatis confirmationem etiam infectos ipſos hoc modo cœpit admittere, cum ad vicum in via Modetienſi veniſſet, qui ſexto ab vrbe lapide poſitus, Sextus appellatur; & ad ſanctam confirmationem conferendam ibi paratus eſſet: animaduertit, morbidos quoque magno teneri eius ſacramenti deſiderio, cogitauit apud ſe, neque tunc primum; indigere illos magis, quam alij vtpote morti propinquos, eiuſmodi ſalutis adiumento, itaque diuinum ſibi lumen, ea in re precatus, Monetam interrogat; cenſeretne, miſeros etiam illos admittendos, neque affirmare ille, neque negare audet, tantum ſi admittere vellet, operam ſuam pollicetur. Ecce autem dum conſultat, ex iis circiter duodecim adueniunt, & ſe diuinæ vnctioni offerunt, ſatellites, & præfecti conuinciis increpare, repellere, minitari, niſi ſtatim ad locum reuertantur. Carolus vero, iam nihil, inquit, dubitemus; neque enim caſu omnino veniſſe iniuſſi exiſtimandi ſunt: & præfectis abſtinete, ſilereque iuſſis, eos, abſque aliquo diſcrimine confirmauit; idemque paſſim poſtea, & foris, & in vrbe fecit, accidit autem in vico Tritio, vt ægrotus quidam, vix Caroli manu peruncta fronte, mortuus caderet ante illum. Obtulit ſe præterea occaſio, vt quod ergo parochos, & alios presbyteros animis curandis præfectos, de infectis iuuandis, tangendiſque facturum ſe pollicitus erat, re ipſa præſtaret, in quo quidem conſilio, ac voluntate, quamuis ei multi contradicerent, perſiſtendum ſibi iudicauit: affirmans, parochum ſe eſſe parochorum: abſurdumque videri, ac turpe, ſi ipſe, qui parochos hortaretur, & impelleret, vt curæ ſuæ commiſſos, ſacris rebus iuuarent, quique eis non ſemel eam operam pollicitus erat, quam ipſi aliis tribuiſſent: nunc cum opus eſſet, abſtineret, periculumque fugeret & qui aliis omnibus perſuaderet, vt metu mortis abiecto, deſeruirent ægrotos, oblatam occaſionem aſpernaretur, aut diſſimu-

Confirmationis ſacramentū tempore morbi confert.

Ægrotis lenitem ſacramenti in præſtat.

cti Barnabæ collegio peſtis attigiſſet, certatim petebant multi, vt inſeruire fratribus liceret: neque id mirum, cum ad extraneos quoque iuuandos multi ſe paratos oſtenderint, duo certe vitam in eo munere profuderint.

Singulis vicis caſarum ſacerdotes præficit.

Singvlis igitur caſarum vicis, ſi ita volumus appellare: quamquam eos etiam à parocho ſuo quandoque luſtrari iubebat: vnum, duoſve ex ſacerdotibus, qui ſe obtulerant, prout neceſſe videbatur, Carolus præpoſuit, & vbique peccatorum confeſſione, diuino Eucharistiæ pabulo, vnctione extrema, ægrotos ita fere iuuandos curauit, ac ſi non multitudo maxima peſtilenti morbo affecta, ſed mediocris numerus in hoſpitio aliquo congregatus fuiſſet, immo alios illi ægrotos in eo ſuperabant, quod à quocumque ſacerdote, morientes plenam peccatorum veniam, ex conceſſione Pontificis accipere poterant.

Sanis diuerſos dat qui eis S. Euch. ſacramentum adminiſtrant, aliaque ordinat.

Sanis autem diuerſos ſacerdotes, ad ſacra præbenda deſtinauit: ne timentes ab iis, qui tetigiſſent infectos, rebus forte ſalutaribus abſtinerent. Illud quoque ſolatij Carolus iis, qui in caſis detinebantur dedit, vt Miſſæ ſacrum, ſi non audire, ſaltem videre omnes poſſent, iuſſit enim tabernaculum ex tabulis ita alte extrui, vt ſacerdos in ſumma parte ſaciens, ab omnibus caſis conſpici poſſet. Licet autem aceruatim fere, ob multitudinem, carris impoſitam cadauera ad ſepulturæ locum portarentur: ſacros tamen homines, apto loci interuallo comitari, preces, lumina, & alia, quæ in funere eſſe ſolent, adhiberi iuſſit. immo neque ſacrum ſepulturæ paſſus eſt officium, ritumve prætermitti. nam ad poſteriorem Gregoriani valetudinarij partem, ex aliis locis cadauera plauſtris afferri ſolebant: cumque magnus eſſet congeſtus numerus: tum ſacerdotibus rite precantibus, Eccleſiaſticiſque cæremoniis adhibitis, in ampla foſſa ad id facta, conſecrataque, omnia ſimul ad ſepulturam quotidie dabantur. Quo loco mirabile quiddam euenit: quod Carolus ipſe tum de ſuggeſtu, tum libello de peſtis memoria edito prædicauit: mihique prætereundum ſilentio non eſt. Summo mane Gregorianus presbyter ſacramentum ſanctiſſimum ad ægrotos ſuos afferens, non longè ab ea quam memoraui parte forte præteribat. Tum ex magno corporum aceruo, quæ proxima nocte illata fuerant, vnum ſeſe attollere conatur, genibuſque conſiſtere: ac ſimul voce, inquit, morienti, verbiſque interruptis, Per Deum obſecro Pater, mihi quoque. Cumque à ſacerdotis clementia ſtatim omni pietatis indicio ſacramentum accepiſſet: eodem loco procumbens, nullo præterea motu iacuit. Quod quidem ſingularis beneficij loco animæ illi, ob religioſum, & ardens illius diuini cibi ſtudium, tributum credibile eſt.

Nota rem miram.

Incluſis conſulit.

Ad incluſos redeamus. Carolus, cum & ipſe clerum ſuum domi ſe continere iuſſiſſet: iis tamen exceptis, quos ob pia miniſteria, diuinaque officia, foris, & in eccleſiis verſari oportebat: incluſionis vniuerſæ VII.
diem litteris editis præuenit: quibus quadragenarium illum numerum pie, ſciteque ad ſacram rationem conuertens: omnes monuit, vt cum is numerus ieiunio, atque afflictionibus iam inde ab antiquiſſimis temporibus conſecratus eſſet, Mediolanenſes quoque eo tempore, quo per pœnitentiam Deum placare debebant, opportunè illud temporis ſpatium in cuſtodia traducendum religioſe acciperent, & ad pœnitentiam ſalutarem accommodarent, præterea hortatus eſt, vt ante conſtitutam diem peccata quiſque confiteri, ſanctiſſimamque Euchariſtiam accipere ſtuderet: prompteque deinde Magiſtratuum edicto pareret. Curauit item, vt incluſi, cum adire ſacra loca, rerumve ſacrarum fructum percipere nequirent, diuinis tamen ſubſidiis, quantum fieri poſſet, ne carerent, cuſtodiaque illa, atque otio domeſtico ad exercitationem precandi frequentiorem vterentur. Itaque per vrbem aptis, conſpicuiſque locis, vt quam maximus numerus de feneſtris, ianuiſque, ſpectare poſſet, altaria conſtitui iuſſit, quantum potuit, ad rei ſanctiſſimæ decentiam compoſita, & circummunita. Presbyteros elegit, qui in eis quotidie Miſſam facerent, ſanctiſſimam Euchariſtiam, rite ſcabellis ante ianuas apparatis, itidem diſtribui permiſit, ipſeque ſæpe diſtribuit. ſacerdotes mittebat, qui cum ſacris indumentis, & ſcamnis ad ferendum accommodatis, domos obirent, vt ad ianuas ſedentes, eorum qui incluſi erant, aliquo interuallo disiuncti, ſacras audirent confeſſiones. Præterea ſepties die, noctque maxima eccleſiæ maioris campana ſignum dari iuſſit, quo ciuitas audito, ad litaniam, pſalmoſque ex editis libellis recitandos vniuerſa conſurgeret. ſingulæ autem plateæ, aut vici quaſi choros ſingulos efficiebant: nam ad feneſtras, ianuaſque per diem, magnamque item noctis partem habitatores veniebant, & vno qui voce excelleret, præeunte, qui ſæpè etiam erat presbyter, ad altare in via conſiſtens, reliqua multitudo omnis vndique reſpondebant. quæ res erat tum admirabilis, tum etiam, vt in magna calamitate, piis omnibus ſane iucunda: cum totam viderent maximam ciuitatem, ex libera euagatione, ac licentia, in cellas quaſi redactam, & in monaſterium quoddam conuerſam, imitatione canonici inſtituti, ſeptem temporibus noctu, atque interdiu publicè precari: & vno tempore, vias omnes, tectaque vrbis vniuerſa ſacris vocibus audirent perſonare. Hæc omnia cum ita inſtituiſſet Carolus, loca omnia obibat frequenter, quotidianaque opera præſens de omnium rerum ſtatu cognoſcebat: hortabatur, iubebat, quæ fieri oporteret: per vicos, & plateas mira humanitate infimis hominibus precationis ritum tradebat, rediens rationem poſcebat, qui præcinerent ipſe deligebat: cum multos ſimul videbat ad ianuas congregatos, eo veniens religioſis, piiſque verbis appoſite monebat: omnes conſolabatur, & ad otium illud ſancte accipiendum, conſumendumque inducebat omnino. tanta erat Caroli manſuetudo, vt quilibet ex infimis ordinibus libere alloqueretur, eius ſe precibus, domumque ſuam commendaret, & tamquam patri, quæ ſibi opus eſſent, quæque vellet, familiariter exponeret. multi, qui pudore quodam impediti præfectis, aut aliis quibuſlibet inopiam ſuam patefacere non audebant, aperiebant illi multò facilius, illeque egenos eiuſmodi iuuare præcipue ſtudebat, mulierculæ etiam annulos, & alia eiuſmodi in manum tradebant, quibus venditis, pretio pauperes ſubleuaret. Tantam autem in eo ſibi ſpem cunctus populus poſuerat, vt eius aſpectu primo, vicinia tota frequenter edito clamore, miſericordiæ vocem mitteret. Gregorianas item ædes ſæpe circuibat, caſaſque luſtrabat. ac ad ſingula conſiſtens domicilia, ſingillatim de iis quæ ad animæ ſalutem primò: deinde quæ ad corpus pertinerent, item de opera miniſtrorum, diligenter inquirebat; quod erat prouidendum, curabat diligenter, & memoriæ gratia, quod facto opus erat confeſtim in libello notabat ipſe; pecuniam quoque manu ſua large dabat egenis. Eius erat conſuetudinis, ex hebdomadæ diebus, duos iis dare qui in ciuitate manebant, reliquos iis, qui extra mœnia erant educti: domo exire numquam, niſi ſuorum ſalutis gratia. mittebat etiam aliquos ex primariis ſuis presbyteris: qui, in equis ciſtas tenentes, ægrotis oſtiatim tribuebant exquiſitiora quædam, quæ languentibus ſtomachis eſſent leuamento. Ægrotos, qui ob dignitatem in vrbe relinquebantur, ipſe viſebat,

cod-

conſolabatur ; indulgentiam tribuebat, cubicula ipſa ingrediens ; ad ipſos quoque lectos accedebat. In primis curabat eccleſiaſticis viris ſubueniri, iis præſertim, qui ægris deſeruierant : ideoque iuſſerat, vt ſine mora, de infectorum morbo gradatim certiores fierent ſuperiores, ipſis parochis in vrbe, ſi peſtem contraherent, iuuandis, ſe ipſum offerebat : in diœceſi vero vicinos parochos, tum Præpoſitos, aut Vicarios hortabatur, vt ſubuenirent, atque his non ſolum ſacramenta miniſtrari decreuit : ſed etiam religioſæ conſolationis leuamen, quam diu animam agerent : miſſis ad id quocumque oporteret ſacerdotibus, adhiberi. Atque huiuſmodi Caroli inſtituta, quotidianam præſentiam, cohortationeſque, cum eximia charitate, & ſuauitate coniunctis, plurimum valuiſſe dubium non eſt ; vt tanta ciuitas, carceris genus eiuſmodi tamdiu facile toleraret : quod initio vix ſperabatur : quodque ab aliis ciuitatibus fere non potuit obtineri. Quamquam autem ab initio Carolus, vt demonſtratum eſt, conſilio fauit de populo in cuſtodia habendo : cum intellexit tamen plus ei remedio tribui, quam ad diuinam miſericordiam agnoſcendam opus eſſe videretur ; ideoque præſcriptum quadraginta dierum tempus produci ; ita vt ipſis natalitiis Domini feſtis populus ad eccleſias conuenire ; ipſeque Pontificiam indulgentiam, quæ ad ferendum Italiæ peſte laboranti auxilium Pontifex in vniuerſum propoſuerat, promulgare, liberiſque conuentibus celebrare non poſſet ; cum Gubernatore, qui Viglebanum receſſerat, grauiter expoſtulauit ; vixque ſe continuit, quin omni ſuo conatu reſiſteret. Tantum tribui Carolus humanis rationibus volebat ; vt ſpem ſuam omnem in diuina clementia præcipue ſeſe collocare ; re ipſa palam profiterentur, ad id ſuadendum recens conuentuum illorum euentus ; quando frequentiſſimus populus ad eccleſias ſupplicatum ductus eſt, graue argumentum ſuppeditabat : præter ea, quæ ex veteri memoria ſuppetebant ; demonſtrabantque ſupplicationum conuentu potius, quam ſolitudine, veniam à Domino fuiſſe impetratam. Ceſſit nihilominus Carolus ; credo ob ſacras precationes, diuinaque officia, quibus tamen aſſidue populus intra domeſticos parietes exercebatur ; & in inſtituta vigilantiæ paſtoralis opera perſeuerauit.

VIII. Hæc ita cum ageret Carolus ; quæ quidem, his præſertim moribus, & hac remiſſiore Paſtorum cura, magna merito, atque adeo maxima iudicabantur : ſibi tamen parum facere videbatur ; quia tangere, tractareque peſtilentiæ nomine ſuſpectos, aut etiam infectos, ſibi quoque pro ſuo munere non contingeret. Apud ſe igitur primo cogitauit, eſſe in vrbe, atque in tota diœceſi plurimos, qui confirmationis ſacramento muniti non eſſent : hos ex hac vita pati ſine tanto ſacramento decedere ; quo ſalutis imminente certamine, diuina firmitas, & robur animis adderetur : neque ſatis animarum charitati conſentaneum ; & ſibi qui ſolus poſſet, etiam quodammodo turpe ; omnino ſibi minime committendum exiſtimabat, id eo magis, quod ab hæreticis ſacramentum illud hoc tempore grauiter ſciebat impugnari. Itaque inducta chriſmatis ſacri per vrbem adminiſtratione ; quam potuit decore, per vias Epiſcopali illo munere diu ſatis functus eſt : licet enim quotannis, ſtato tempore per vrbis eccleſias idem faceret ; multa tamen adhuc hominum millia inuenit, qui nondum ſacramentum illud acceperant, atque ipſo initio, licet de morbo ſuſpectos, & à reliquis ſegregatos minime vocaſſet ; dubium tamen non eſt, quin affectos peſte quamplurimos inter eos confirmauerit, fieri namque non poterat, vt omnes ſimulatque contagione infecti erant, à miniſtris deprehenderentur, & à cæteris ſepararentur, verum ipſos quoque palam infectos, ægrotoſque poſtea libere, ſicuti dicemus, admiſit. Vrbis cum tantummodo rationem ſibi non eſſe habendam ſtatueret ; vicos etiam, caſtellaque totius diœceſis, quæ morbus oppreſſerat, mira celeritate omnia adiit : & in iis eiuſdem chriſmatis ſacroſanctum remedium paſſim adhibuit. Poſtea vero : vt quemque locum recens infectum audiebat, ita eo ſtatim ſolebat aduolare : ac eadem ratione calamitoſis conſulere. Eadem vero via, occaſioneque ad alia quoque vtebatur gregibus ſuis ſalutaria : nam parochos, aliosque ſacerdotes ad ægrotorum curam ſtudioſius ſuſcipiendam excitabat confirmabatque : quoſdam etiam compellebat, ægrotos ipſos conſolabatur : precationum publicarum rationem præſcribebat : omnem populi gubernandi, cuſtodiendi, eleemoſynis iuuandi rationem recognoſcebat : cæmeteria conſecrabat, quo tanta multitudo cadauerum inferretur. Præfectos item, miniſtroſque ciuiles iuuare ſtudebat : monendo : ad officia commiſſa inflammando ; mercedem promittendo, ſacros miniſtros pluribus locis ab eorum vi, atque iniuria defendit, qui ſacrorum munerum liberam functionem, eccleſiaſticamve adminiſtrationem, ſiue in ſepultura corporum, ſiue in diſtributione piorum emolumentorum, quandoque in oppidorum ingreſſu, & egreſſu ; vel in ſegregatione ſacrorum hominum, & huiuſmodi aliis, impediebant, populos ad eccleſiarum ædificationem ; ad feſtorum dierum integrum cultum, chorearumque refutationem, & alia pia opera publice vouenda, perduxit. Cumque ita frequenter, vt neceſſitas ferebat, ipſe loca omnia obire non poſſet, ſuos cum poteſtate ſæpe miſit ; qui loca reuiſerent, eaſdemque res recognoſcerent, quibus ſi Præfecti locorum exquiſitæ cuſtodiæ gratia reſtitiſſent, & locorum ingreſſum prohibuiſſent ; anathematis pœnam adhibuit, & ea ratione aditus omnes ſuis patefecit : quos tamen certa ſanitatis teſtimonia volebat à Vicariis ſuis afferre. Atque iis itineribus Carolus incredibiles plane ſuſcepit corporis, animique labores, non primis ſolum menſibus, ſed poſtea ſemper quamdiu morbus viguit ; vt neque cibi, neque ſomni, neque longinquitatis aſperitatiſve vllius habita ratione, omnia loca celerrime adiret, & perluſtraret ; ſacriſque officiis, & muneribus, aſſidua contentione operam daret. Foris ad ſacram chryſmatis confirmationem etiam infectos ipſos hoc modo cœpit admittere, cum ad vicum in via Modetienſi veniſſet, qui ſexto ab vrbe lapide poſitus, Sextus appellatur ; & ad ſanctam confirmationem conferendam ibi paratus eſſet : animaduertit, morbidos quoque magno teneri eius ſacramenti deſiderio, cogitauit apud ſe, neque tunc primum ; indigere illos magis, quam alij tempore morti propinquos, eiuſmodi ſalutis adiumento, itaque diuinum ſibi lumen, ea in re precatus, Monetam interrogat ; cenſeretne, miſeros etiam illos admittendos, neque affirmare ille, neque negare audet, tantum ſi admittere vellet, operam ſuam pollicetur. Ecce autem dum conſultat, ex iis circiter duodecim adueniunt, & ſe diuinæ vnctioni offerunt, ſatellites, & præfecti conuiciis increpare, repellere, minitari, niſi ſtatim ad locum reuertantur. Carolus vero, iam nihil, inquit, dubitemus ; neque enim caſu omnino veniſſe iniuſſi exiſtimandi ſunt : & præfectis abſtinere, ſilereque iuſſis, eos, abſque ære confirmauit ; idemque paſſim poſtea, & foris, & in vrbe fecit, accidit autem in vico Tritio, vt ægrotus quidam, vix Caroli manu peruncta fronte, mortuus caderet ante illum. Obtulit ſe præterea occaſio, vt quod erga parochos, & alios presbyteros animis curandis præfectos, de infectis iuuandis, tangendiſque facturum ſe pollicitus erat, reipſa præſtaret, in quo quidem conſilio, ac voluntate, quamuis ei multi contradicerent, perſiſtendum ſibi iudicauit : affirmans, parochum ſe eſſe parochorum : abſurdumque videri, ac turpe, ſi ipſe, qui parochos hortaretur, & impelleret, vt curæ ſuæ commiſſos, ſacris rebus iuuarent, quique eis non ſemel eam operam pollicitus erat, quam ipſi aliis tribuiſſent : nunc cum opus eſſet, abſtineret, periculumque fugeret & qui aliis omnibus perſuaderet, vt metu mortis abiecto, deſeruirent ægrotis, oblatam occaſionem aſpernaretur, aut diſſimularet.

Confirmationis ſacramentū tempore morbi confert.

Ægrotis item ſacramentum præſtat.

Peſtilentiæ morbo laborantes Parochos viſit, & Euchariſtia reficit.

laret: offenſioni id multis futurum, cuius cauſſa vel in eo charitatis officio frigeſcerent, vel penitus abſtinerent. Ac primo quidem in vrbe parochum eccleſiæ ſancti Victoris ad theatrum, item ſancti Babylæ, & plures alios ex peſtilentia iacentes, pie viſit, ac amanter conſolatus eſt: nonnullos eorum ſanctiſſimo Euchariſtiæ cibo refecit: qui paulo poſt vi morbi interierunt. Illud vero fortius illuſtriuſque factum; Qui parochiam ſancti Raphaelis curabat, ex quorundam conſuetudine, quos incaute in domum admiſerat, morbum contraxit: adiit illum ſtatim Carolus, & ægritudinem pia conſolatione leniuit, cumque valde oppreſſum aduertiſſet, ſacris muniendum iudicauit, poſtero die, mane ad eam eccleſiam venit, vt Miſſa facta ſanctiſſimam Euchariſtiam ad parochum deferret, eique extremam vnctionem adhiberet. Poſt Miſſam, in quo illius clericum morbi nomine ſuſpectum ſacroſancto cibo pauit: dum ſe mutatis rite indumentis, ad reliqua pararet; clericis, & adminiſtris, qui aſtabant, & inſeruiebant, ob periculum expalleſcentibus: ad eccleſiam venerunt, Ioannes Baptiſta Capra ciuitatis Vicarius, & Alfonſus Gallaratus, deſignatus, nunc Senatores, vnaque patritij multi, ex ipſius ciuitatis conſilio: qui neque loci, neque ſacri muneris ratione deterriti,

A magiſtratu rogatus ne ſe vitæ periculo exponeret, quid reſpondetit.

proſtrati, ac ſupplices à Carolo ciuitatis nomine cum lachrymis petierunt, ne in tantum ſe vitæ diſcrimen vellet obiicere aliorum miniſterio presbyteri ſaluti conſuli poſſe, ſi forte contracto morbo ipſe ex hac vita abiiſſet, res ciuitatis, totiuſque diœceſis, quæ, vt in maximo periculo optime tamen ſe haberent, & feliciter gubernarentur, in ſummam confuſionem, deſperationemque adducendas, omnium animos eo duce, & præſide ſuſtentari, diuini propemodum, & humani ſubſidij ſpem in eo vno eſſe collocatam. Conſtitit Carolus ad amantiſſimas ciuium, filiorumque preces audiendas, quibus, cum, eo vno excepto, præſentes omnes lachrymas funderent, reſpondit: Gratias ſe agere de tali amore, pietateque in Paſtorem ſuum: ſed ne ægre ferrent, ſi munus illud obiret: ſuum id eſſe officium, ſuaſque partes: in quibus etiam ſi vitam amiſiſſet, recte id factum omnes iudicare deberent, neque ipſis ideo deſperandum, ſed diuinæ bonitati, ſummæque potentiæ magis confidendum, cui facilimum erat ſine ipſo ciuitatem ſeruare, aut alium Paſtorem meliorem dare. Cum aliud impetrare non poſſent, illi magno affecti mœrore tacuerunt. Carolus vero primo Euchariſtiam ad presbyterum iacentem, & iam tabido corpore æſtuantem attulit, præbuitque, deinde etiam, eius cubiculum ingreſſus ſolus miniſtro Bernardino Tauruſio in limine conſiſtente, extremum vnctionis ſacramentum rite contulit: & piis, ſuauibuſque verbis confirmauit. Parochus ita confirmatus paulo poſt accepta ſacramenta, pie mortem obiit. Ad alium parochum ſancti Petri, ad Caminatellam appellant, ex peſte iacentem iuit, animo itidem ſacra miniſtrandi: ſed cum aduenifſe Carolum bonus presbyter audiſſet, ægre ferens tanti viri vitam in ſuo capite periclitari, quantum potuit conatus, ſurrexit è lecto, & in eccleſiam venit, conceſſit Carolus, vt Euchariſtiam ibi acciperet, ſed iuſſit deinde ad cubiculum redire, & in lectulo ſe collocare: quo ſtatim eum ſecutus eſt, vt extrema muniret vnctione, recuſauit ille, periculum adhuc quidem tanti eſſe non concedens: ſed poſtero die, cum de morbo ingraueſcente accepiſſet, reuiſit eum Carolus, riteque vnxit, qui poſtea vi morbi oppreſſus abiit ex hac vita. Ex his actionibus omnibus, contactibuſque nullam ſenſit Carolus, Deo in primis bene iuuante, contagionem, quod eius fiduciæ fuit valde conſentaneum, confidebat enim maxime, ſolo actu, contactuve ad rem ſacram neceſſario, morbum à nullo presbytero contrahendum, atque ita toto illo tempore eueniſſe prædicabat, qui interierant, peſtemque attraxerant, eos ſibi non caui ſſe in ceteris, vt oportebat. Fiebat reuera, vt cum quis ad ægrotos iuuandos animum induxiſſet, quaſi ſe ipſe abiiceret, & pro derelicto haberet, omnem omitteret cautionem, & non neceſſaria, iuxta ac neceſſaria pericula adiret. Ipſe autem quilibere, & abſque vllo metu ſacra omnia peragebat, in rel quis omnibus exquiſita cautione vtebatur, vt contagionem vitaret, idemque ſumma diligentia iubebat à ſuis obſeruari, maxime autem curabat in iis ſacris officiis indumenta ſua ita collecta, & contracta eſſe, vt ne modico quidem alieni panni tactu, quod facillime fit, infici poſſent. Initiaci, qui vicus omnium miſerrime tunc, peſte afflictus eſt, eccleſia, cœmeterio-

Initiaci quid egerit.

que iam completo: quamplurima in campum cadauera illata erant, quotidieque inferebantur, locum religioſi ritus gratia ſibi Carolus conſecrandum ſtatuit, terra iam ob anni, dieique tempus calefacta, magno rabidorum cadauerum numero humato, fœtoris, corruptique vaporis multum emittebat: vt eius adminiſtri, clerici de vita ſua tunc maxime deſperaſſe affirment, eo loco Carolus, quantum ad actionem conſecrandi, quæ longa eſt, opus erat, cum ſine ſolicitudine vlla moraretur. in cæteris ita cauebat, vt ne ipſos quidem viatorios ſacculos, peraſue, opus enim faciebat ocreatus, & ex itinere, humi poni pateretur. Ibi tamen plurimos ſacra vnctione confirmandos, cum repetiſſet, eccleſiæ, cœmeteriique fœtentis periculum deuitans, in platea ſacramentum adminiſtrauit, primo valentibus, deinde reliquis item vniuerſis. Quamuis autem ita confideret: quotieſcumque morbo infectum tetigerat, ſeparatum ſeſe habebat ab aliis, ex familia eos tantum ſibi propius inſeruire patiebatur, qui neceſſarij eſſent, & id facerent libenter, & ex animo. ea re interdum accidit, vt cum alius eſſet nullus, ſibi ipſe, vt quilibet priuatus homo, quibuſcumque rebus opus eſſet, miniſtraret. Qui adibant, eos interpoſito longurio audiebat, per vias aliquem anteire iubebat, qui virgam, periculi indicium, ferens, tacite obuios moneret, vt cederent. In eccleſia procul à canonicis ſibi aſſiſtere ſolitis, & à ceteris clericis congruo interuallo ſe continebat: cumque paſſim homines contagionis cauſa ſuſpectos humano iudicio quadraginta diebus ſegregarentur, ipſe ſibi, ſacerdotibuſque aliis, qui ſine magno ægrorum damno abſtinere diu non poterant, ſeptem tantummodo præſcripſerat dies. Cum ita ſuis caueret, euenit tamen, vt tres ex familia, & ex eorum numero, qui ad Carolum tangendum non accedebant, morbo contracto, interirent, vnus ab epiſtolis, alter à pedibus, tertius ſtabularius. Fuiſſe non ignoro, qui Carolum ſeruatum eo tempore dictitarent, ex variis medicamentis, quæ multa ſunt illi, etiam à Principibus viris, Italiæque Regulis miſſa, ſed ego ipſius verbis affirmo, ea contra peſtem periculo facto minime valuiſſe: ſcioque nihil ab eo adhibitum fuiſſe, præter ſpongiam aceto imbutam, quam vt alij paſſim, in pila lignea perforata incluſam manu ferebat, & aliquid etiam aromatum, quod ore ſolebat interdum tenere.

Nonnulla emendat vigēte peſte.

IV. Oblatvm eſt ex ea plaga Carolo tempus, ad multa reprehendenda, multaque efficienda, quæ alioqui multos aduerſarios, magnamque habuiſſent difficultatem, eſt enim animus in periculis ad pietatem, & emendationem propenſior, & qui eo ſe loco eſſe ſentit, quamquam eo ſumus ſemper mortales omnes, ſed qui tamen ex manifeſtis periculis, ea ſe conditione eſſe videt, vt facile iam iam ex hac vita ſit ad diuinum tribunal rapiendus, meliora ſere, ſanctioraque conſilia eligit. Ita cum etiam optimates in publicis concionibus Carolus liberius increparet, plerique ne dum indignarentur, potius ad errata dolenda, publiceque deflenda pie mouebantur. Sed habuit etiam tempus illud ſua vitia, criminaque permulta, plurimique fuerunt duri, ac pene ferrei homines, qui nullis calamitatibus, periculiſve flexi, peiores etiam, quam antea euaſere. In aſſiduo mortis diſcrimine, & fere inter ipſa cadauera erant, tum qui aliena ſurriperent, tum qui effrenatæ luxuriæ ſeruitēt: vt qui valetudinariis præfecti erant, illud nō in poſtremis curare oporteret, ne libidinoſis criminibus daretur locus: eueniretque interdum, vt cum illud vehemens admodum ſit contagionis genus miſeri in ipſa propemodum peccati actione interirent, & vno tempore corpus & animam peſtilentia duplex interimeret, In caſtellis frequens erat, & maior etiam quam conſueuerat, aduerſus ſacra quædam inſtituta contentio, ab iis maxime qui nobilitate, opibúſque præſtant; quos quidem, bonos excipio ſemper; Ormaneus ille, paruos eccleſiarum tyrannos quandoque appellabat, tum autem ob com

mercij

mercij communis impedimenta, magis ab Antiſtitum correctione remoti, maiori licentia, atque audacia vtebantur. Itaque affirmabat Carolus, ſuis extra vrbem adminiſtris numquam maiores obiectas fuiſſe in munere ſuo exercendo difficultates, addebat ſe tunc re ipſa perſpexiſſe, quod fertur; bonos meliores, malos peiores animaduerſione fieri. Sed Carolus dati temporis beneficio vtens, nonnulla ſibi aliiſque facienda ſuſcepit, quæ ad augendam religionis, ſanctitatiſque diſciplinam pertinerent. Ignis beneficio, leuationeque hyeme ſibi interdixit, vt frigoris aſperitatem die, nocteque ferret, abiecta culcitra paleas elegit ad cubandum, carnem à menſa ſua repulit modicum illud, quod ieiunij diebus veſpere, medicinæ potius, quam cibi cauſſa ſumitur, reiecit, quæ omnia ita in poſterum retinuit, vt in dies etiam, quemadmodum ſuis locis dicetur, augeret. Cumque Ariminenſis Epiſcopus, olim eius Vicarius, amantiſſimis litteris, ciuitate liberata, vehementer rogaſſet, vt quando iam Deus peſtilentiæ pœnam remiſerat: ipſe itidem remitteret afflictiones, auertendæ pœnæ cauſſa ſuſceptas: augendi potius eſſe cauſſam ille reſpondit, cum moribus minime emendatis, duriora pertimeſcenda eſſe viderentur. Concionari quoque feſtis, & prætérea duobus aliis in Quadrageſima hebdomadæ cuiuſque diebus inſtituit: & canonicorum funera proſequi. Cantores à ſe non approbatos, aut clericali veſtitu nō indutos ab eccleſiaſticis officiis quā antea diligentius excluſit. Ianuas q̄ in lateribus eccleſiaru erant, obſtruxit. In vniuerſum autem, quæcunque antea decreta erant, vt omnia perficerentur: & per diœceſis quæque loca, quantū poſſet, res omnes componerentur, per id tempus ſtudioſius curauit: nouoſque præfectos elegit, quibus ad ea curanda diœceſis regiones ſeparatim diſtribuit. Illud etiam perfecit, quod difficile omnibus videbatur: vt clerici omnes barbam ſibi præciderent. Iam dudum id ſe cupere oſtenderat: tum vt corruptelam ſacrorum hominum tolleret: qui profanas, militareſque barbarum formas, & earum frequentes, leueſque mutationes indecorè admodum imitantur: tum vt vetus cleri, præſertim Mediolanenſis inſtitutum renouaret; plurimi enim ſuperſtites illud viderant in eccleſia Mediolanenſi ſeruari, nonnulli adhuc ſeruabant. Verum cum ea de re Carolus agere cœpiſſet, ſermoque percrebuiſſet in clero, fuere, qui eius non modo iuſſum, ſed etiam exemplum præuenerunt, barbamque ſine mora poſuerunt, cum autem ipſe raſus in publicum prodiiſſet: litteras etiam ea de re ad clerum propoſuiſſet: quibus factum potius laudabat, quam faciendum hortabatur, argumentaque explicabat, quibus id fieri deberet, clericales item virtutes commemorabat, quæ eiuſmodi pilis abraſis ſignificarentur. omnes fere paruerunt, qui difficiliores tunc fuere, poſteà maiori vrbis celebritate, cum multo magis erubeſcerent, euitare non potuerunt: illud vero inſtitutum decreto deinde in ſynodo diœceſis ſancito, confirmauit, dictum Caroli hoc de genere venit in mentem, qui cum collegium canonicorum recognoſceret: quendam, qui adhuc non paruerat, reprehendit: eius nomen erat graui de crimine delatum, homo reſpondit, pudere ſe, raſoſque clericos remigum ſibi ſimiles videri, cum ſeuerè Carolus, At, inquit, adhuc pendet cauſſa tua: Ita Carolus tempus nactus idoneum, pietatis ardore, afflictionum quaſi ventis in eius animo vehementius excitato, in omni ſanctitatis laude tunc vehementer ipſe progrediendis, ceteros quoq; ad ſalutem, optimamque diſciplinam iuuare ſtudebat.

Progreditur Carolus in via ſalutari.

Barbā clericos ſibi præcidere fecit.

X. Pestilentiæ vis cum Octobri menſe, vti demonſtrauimus, valde progreſſa eſſet, minui cœpit Nouembris initio: poſteaque paulatim ita debilitata eſt, vt ex ea tamen quotidie aliqui morerentur, interdum etiam multi, quod ex veſtimentorum tractatione fere accidebat, ob id proximus annus M.D.LXX.VII. in timore fuit, & hyeme quidem veris, atque æſtatis, æſtate vero autumni aduentum formidabant, quidam etiam verebantur, ne in annos plures, vt olim acciderat, illud, quidquid erat, contagionis maneret. Sed Dei clementia, ſicut iam iam narrabitur, opinionem, ſpemque hominum longe ſuperauit. Celebrauit Carolus poſt initium anni, ſtatis precationum officiis, trinaque ad eccleſias decreta ſupplicatione, Apoſtolicæ indulgentiæ beneficium, quod ſuperius diximus à ſummo Pontifice toti Italiæ, ad peſtis pericula auertenda fuiſſe propoſitum. Iuit ipſe nudis pedibus & eodem habitu, quo initio peſtis, ad eccleſias iuimus canonici, magnaque cleri, & populi pars conciones ille habebat, magno lachrymantis populi fructu, poſt eas, ipſo, & canonicis humi proſtratis, litania habebatur: Miſſaque à ſacro maioris eccleſiæ collegio fiebat, omnino ea celebritas, precatioque viſa eſt ad emendationem morum, piaſque animorum affectiones plurimum valere. Appropinquante Quadrageſima eius primæ Dominicæ cultum ex toto reſtituit. Retinet Ambroſiana Eccleſia Quadrageſimæ vetus inſtitutum, quo dies quadraginta duo tantum numerabantur, iam dudum autem fecerat immoderatum voluptatis ſtudium, quo miſere ante ſacri temporis illius initium, plurimi Chriſtiani nominis afficiuntur, vt Dominicum ipſum diem, qui quidem veluti ſanctæ Quadrageſimæ caput, colendus erat, ab ea penitus amputarent, & ad voluptatium tempus ſic adiungerent: vt cum ad Quadrageſimæ dies ſanctæ agendos, cuncti ſeſe paratos oſtenderent, is tamen tamquam voluptatis extremus dies, profani totius gaudij, peruerſitatiſque omnis quaſi cumulus redderetur. Antea Carolus, vt reſcripſimus, partim quidem reſtitueat diei ſanctitatem magna multitudine ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, & ad conciones, preceſque diuinas allicienda. Sed cum Romæ, Mediolanique, multis adhibitis viris, qui religione, doctrina, iudicioque in primis excellebant, ea de re conſultaſſet: ſuperiore quidem anno cum Iubileum celebraret, litteris editis monuerat, docueratque populum, diem illum Quadrageſimæ initium eſſe, omnique ratione, cohortatus erat, vt eum non ſecus ac alios colere vellet: clero autem idem iuſſerat: quo populum exemplo ſuo vehementius excitaret, cum autem vidiſſet recte populum accepiſſe: plurimoſque ita cohortationi paruiſſe, vt ſi decreto iam, & lege res ſancita eſſet; hoc anno cum adhuc in morbo, luctuque ciuitas eſſet: edicto generali rem ſanciuit: & in proximæ ſynodi decreta poſtea retulit. Vrbanarum item eccleſiarum recognitionem eo tempore aggreſſus: ad pleniorem ciuitatis correctionem: præter ea, quæ ad populi ſalutem ipſa vniuſcuiuſque eccleſiæ viſendæ actio ſuppeditat: illud adiunxit, vt ædes omnes, ac domicilia, ſacra aqua, ſacriſque precibus adhibitis ſingillatim rite luſtrarentur, quæ res valde accommodata erat ad ea quodammodo expianda: & à peſtilentis illius vexationis veſtigiis, quæ manebant, liberanda. Itaque recognitionem eccleſiarum incipiens, ſtato ritu primo ad eccleſiam maiorem eques, clero præeunte, Pontificalibus indumentis adductus, iucundum eo calamitoſo tempore ſpectaculum ciuitati præbuit: iucundum inquam, non ob ornamenta ſolum, & egregiam pompæ ſacræ ſpeciem: quæ tamen ex longo luctu lætior, pulchriorque apparebat, ſed ob id quoque, quod, qui antea partim ſumma humanitate, & abiectione, ſuorum commodis ſeruierat, partim habitu miſerabili, ſummoque ſqualore Dominum pro iiſdem publice precatus erat, tunc auguſto ornatu, ſplendidoque apparatu ingrediens, miram quandam rerum viciſſitudinem cum lætitia coniunctam ante oculos poneret: eodem oſtendens tempore, quam ex Chriſtianæ virtutis præſcripto, & ſeſe abiicere: & rurſus ſacram maieſtatem conſeruare, cum opus eſſet, pari animo, voluntateque noſſet: Apoſtolo non diſſimilis, qui & abundare ſciebat, & penuriam pati. Expiationem ædium aggreſſus: vt maiorem dignitatem: fructumque res haberet, exorſus ipſe, ſuas & canonicorum aſperſit, cumque ea progredi per vrbem inciperet actio: populus ſumma voluntate, pietateque eam expetere videretur, certatim vnaquæque

Nouas celebritates, aliaque religioſe peragit, remiſſa peſte. Ann. 1577.

In proceſſione nudis pedibus inceſſit.

Dominicū diem quadrageſimæ reſtituit.

Luſtrationē ædium inſtituit.

familiā

familia ad rerum ſacrarum honorem, decore domum ornare conaretur, imagines, & libros à Chriſtianis moribus alienos deleret, abiiceretve ſacras picturas, & ad pietatem accommodatas apponeret; aliaque eiuſmodi, pro ratione Caroli litteris præſcripta, atque edita compararet: cum etiam multi publicis flagitiis maculati, de ignominia vitanda deliberarent, ne ſacerdos eorum domos præteriret, quemadmodum Carolus faciendum iuſſerat: omnino cum plurima ad corruptelas tollendas pietatemque augendam inſtituta eſſent: Gubernator, aliique magiſtratus, quaſi in eo ius regium læderetur, intercedere, & queri cœperunt; remque variè diſturbarunt. Populi cuſtodiam paulatim cum morbo ipſo remiſſam, Gubernator appropinquante Quadrageſima per edictum renouauit: ſed Carolo conquerente euenit, vt multi tamen ad eccleſias nulla facultate exirent, & ad ſacras conciones conuenirent, maxime vero Pontificiæ illius indulgentiæ cauſſa, quæ tota prouincia eo inſigni die celebris habetur, quo cæleſtis nuncius ad Mariam humanæ ſalutis cauſſa venit, magna multitudo prodiit ad deſtinatum indulgentiæ conſequendæ templum, quo tempore mirum extitit afflicti populi ſolatium: miraque ciuitatis apparuit alacritas, in eccleſiis inſignibus, quibus diu caruerant, aſſidue frequentandis; ſupplicationibus obeundis; gratiiſque Deo de oblata ſpe liberationis agendis, tamquam ex diuturno carcere eiuſ ea libertate recreari, nec fatigari, nec ſatiari pio, aſſiduoque eiuſmodi labore poſſe videbantur, quæ alacritas eo maior erat; quo ex multitudine, ac frequentia, quæ cernebatur, exiguus eorum numerus cognoſcebatur, qui peſte interierant. Fecit etiam Carolus, vt ſacroſanctis diebus, ante Paſcha, vſque ad octauam illius celebritatis diem, omnibus domo egredi, & in eccleſias conuenire liberum eſſet, indignum enim illi videbatur, tali tempore, talique diuinæ clementiæ pignore, Chriſtianos eccleſiis adhuc prohiberi: difficileque admodum erat, omnibus domi incluſis, vt tempus neceſſario poſtulabat, ſacræ confeſſionis, communioniſque poteſtatem facere, omnes autem illi conuentus adeo fæliciter acti ſunt; vt nihil prorſus acceſſionis morbus acceperit; neque opus omnino fuerit amplius cuſtodiam imperare. Feſtus aduenerat dies, quo ſanctæ Crucis ab S. Helena inuentæ memoria colitur, cumque illuſtriorem ſacrati claui cultum, quem ſuperiore anno inſtaurauerat, annua celebritate aliqua Carolus continuare in animo haberet; eum diem ad id aptiſſimum iudicauit, clero igitur vniuerſo conuocato, clauum à loco ſuo demiſſum publico conuentu, feſtoque apparatu, tulit ad ædem ſancti Sepulchri nomine appellatam. Euenit autem non ſine magna piorum lætitia; vt cum nebuloſum cælum, neque ſine imbre eſſet, ſanctiſſima re in altari depoſita, ſubito ſerenum redderetur, claraque luce refulgeret, donec iſſent, & ad eccleſiam maiorem ſacri ordines eſſent reuerſi, tunc enim curſus nebulæ, atque imber aerem occupauit. Ita conuenit populus ad eam ſupplicationem: vt vnaquæque pars ſignum illius ſancti ſequeretur, cuius nomine parochiæ ſuæ eccleſia dedicata erat, quæ ratio, tunc primum Caroli iuſſu fuit adhibita ordinis, pietatiſque gratia, fuit inſtitutum non diſſimile labaris illis, quæ Conſtantinus in exercitu ſuo ſignificatione pietatis haberi, geſtarique iuſſit, clauum in altari collocatum quadraginta horis coli conſtituit, clero, & populo diſtincte per collegia, & regiones, ſingulis horis ad precationem conueniente. Carolus autem inde numquam diſcedens, vt quæque populi pars adueniebat, ita primo quidem pia verba ad eos faciebat; mox de ſuggeſtu ad altare veniens beatorum inuocationi, litaniæque cum eis operam dabat; poſtremo antequam abirent eis bene dicebat; decennemque auctoritate Pontificia largiebatur indulgentiam, dum autem alia pars veniret; alia, quæ rurſus diceret, ex diuinis Bibliis, quæ ibi habebat; flexis ante altare genibus meditabatur. hoc ipſis quadraginta horis continuis facere conſtituerat, ſed prohibuit Gubernator, poſt primam noctis horam domo quemquam egredi. At ab aurora nihilominus ad noctem, Carolus circiter horas ſexdecim, in ea exercitatione ita permanebat, vt ne vlla quidem naturæ neceſſitate ab altari auelli poſſet; donec quadraginta tamen horarum diurnarum ſpatium completum eſt, in quo viri patientiam omnes mirabantur; eo magis, quod neque ſomno, neque vitæ commoditati propterea præter conſuetudinem quidquam nocte tribuebat. Poſt illum horarum curſum clauus eodem modo, atque eadem celebritate in ſuum locum relatus eſt; ciuitaſque ex ea re magnam viſa eſt leuationem doloris accipere, ſed claui figuram ſcite prius expreſſam, & ipſius ferri contactu ſacratam, Carolus miſit ad Philippum Regem, donum optimi Principis pietati accommodatiſſimum. Ea igitur anniuerſaria celebritate conſtituta; tum claui, tum diei cultum mirum in modum amplificauit. Pulcherrima, pietateque pleniſſima certe actio illa eſt. In ampliſſimo totius cleri conuentu, maximoque totius populi concurſu; muſicis choris ſuauem concentum edentibus, populo miſericordiæ vocem identidem ex animi pia commotione mittente: tres ſacerdotes, ex iis, qui adſint dignitate præſtantiores; in quibus non ſemel Epiſcopos vidi, ſacris, ſplendidiſque veſtibus induti, machinis, quæ non apparent, in ſublime ſenſim feruntur; in apto quodam, ornatiſſimoque receptaculo decore collocati, integumentis pellucidis ita circundato, vt incluſis luminibus lucidiſſimę nubis ſpeciem præſeferat, cum ad fornicem ſummum, locumque demum longo tractu, temporeque peruenerunt; ablato clauo, eodem modo demittuntur, cum ad ſolum nubes venit; Archiepiſcopus qua par eſt, veneratione excipit ſacroſanctum ferrum: & in ampla cruce media apte inſertum, ipſe fert ordinum ſacrorum pompa antecedente. Incluſit autem illud honoris, commoditatiſq; geſtandi gratia Carolus argentea theca; ſic, vt per cryſtallum perſpiciatur, locum præterea vbi affixus eſt, tum ferreis clatris, lapidibuſque ſupra compoſitis muniuit, tum ſplendide etiam ornauit. XL

Gubernatorem & Magiſtratū contrarios habet.

Clauum Saluatoris in proceſſione deferri curat.

Nota ſancti viri in exercitiis piis ſedulitatem.

INTEREA licet humanæ diligentiæ officia, eaque exquiſita non deficerent, manebat aliqua peſtis tamen: neque obtineri poterat, ne quotidie nouis caſibus, iiſque minime contemnendis, ciues exterrerentur. Quocirca remedium rurſus publicæ precationis Carolus, expiationiſque animarum quæſiuit, ſolita diuina præmia, ſicuti conſueuerat, à Pontifice impetrauit, populoque propoſuit: quæ menſe Iulio mæſtis ſupplicationibus, concionibuſque, vt antea, vna cum clero, & populo proſecutus eſt. Cum autem per id tempus ex peſte Brixia miſerrime laboraret, eo voluit Carolus aduolare, ſed neſcio qua ratione diſſuadere viſus eſt, impedireque Epiſcopus, qui quidem cum optime ægrotis conſulere cœpiſſet, poſt interitum nonnullorum ex domeſticis ſuis non longe ab vrbe ſeceſſit, ex iis ille fuit, qui Carolo per litteras initio ſuaſerant, vt propoſitis ſibi officiis abſtineret. Attamen, vt auxilium aliqua ratione Brixienſibus ferret, præter cohortationes ad Epiſcopum miſſas, eo Carolus dimiſit Paulum illum, quem toto reliquo tempore Gregorianę multitudini præfuiſſe diximus. Cum idus Octobres veniſſent, publici voti dies, Carolus ea celebritate litteris publicis ante denunciata, ciues proximæ iam liberationis ſpe propoſita, ad veram diuinæ miſericordiæ fiduciam excitauit, tam incerto præſertim humanæ induſtriæ præſidio cognito, nouas ſupplicationes decreuit in vrbe, ac in diœceſi, ſactis in æde S. Sebaſtiani celebratis, dei religioni ſatisfieri curauit, & voto: populus per partes de more diſtinctas conuenit: ciuitatis conſilium, & qui in ſingulis parœciis à populo mandatum acceperant, ſolemnia dona obtulerunt. Reſpiciens deinde pius Pater eorum conditionem, qui toto illo tempore in vrbe, diœceſique, immo in aliis item Italiæ ciuitatibus mortui erant, quibus pro morbi eius ratione, quo cognati omnes ſæpe abſumuntur, deeſſe fere credibile erat, qui ſacris officiis opem ferrent: vt ſuis, & alienis, omnia optimi patris officia præſtaret, communes eis exequias conſtituit, tribus diebus celebrandas, qui ſancti Martini diem feſtum ſequebantur, qua in re viuis

Poſt alias ſupplicationes demum ciuitatis liberationē celebrat.

Exequias trium dierū pro defunctis conſtituit.

quoque

quoque ipſis conſulebat, ſi officia illa, & ſacrificia chriſtianè proſequentes, integram ſibi, atque *aliis, religioſi operis* virtute ſalutem poſſent impetrare, primo igitur die, vna cum omnibus presbyterorum collegiis in eccleſia maiore, funebria ſacra celebrauit, altero, tertioque die in vrbis eccleſiis peracta ſunt, quæ collegia habent, ad quæ ſingula reliqui omnes regionis eiuſdem clerici conuenerunt vnumquemque presbyterum pro iiſdem Miſſæ ſacrum iiſdem diebus facere iuſſit, ad eandem rationem ſacra in diœceſi facienda mandauit, primo autem populum ad id publicis litteris cohortatus, ad alia quoque opera incitauit, quæ ſuffragio, ſalutique mortuis eſſe poſſent. Poſt hæc in longinquiores diœceſis partes currit, & ad loca venit Helueticæ ditionis, tum peſtilentiæ cauſſa, tum vt nonnullas in eccleſiam prohiberet iniurias, quibus in locis, quoniam permiſti erant, morbidis æque, atque integris ſacramenta præbuit, quod iam mente Carolus de ciuitate liberata conceperat, id enunciare volebat palam, religioſoque ritu publicam ea de re celebrare gratiarum actionem: ſed contra magiſtratus dicebant, debilitatam valde, ſed non extinctam eſſe peſtilentiam. docere id, ſi non quotidianos, ac frequentes, aliquos tamen adhuc ex eo morbo morientium caſus: vel illud valde vereri, ne poteſtate facta, cum ea, quæ recondita fuerant, depromerentur, multa peſtilenti contactu affecta, rebus adhuc recentibus, reperirentur, quæ de integro ciuitatem in eaſdem miſerias conicerent, liberatione promulgata, rurſus inualeſceret morbus, præter calamitatem & damnum, quam id pudendum foret? Sed tenuit animo mirum in modum confirmato propoſitum Carolus, de libera, integraque, non ciuitate ſolum, ſed etiam diœceſi certum vna cum magiſtratibus conſtituit, ad agendas publice de accepto maximo beneficio gratias, proximum ſancti Sebaſtiani feſtum diem anni M.D.LXXIIX. delegit: vt quem patronum imminente periculo, ſibi Mediolanenſes aduocauerant, eodem poſtea impetrata venia, ad gratias recte agendas vterentur adiutore: & quem initio afflicti orauerant; eidem in fine liberati, gratos ſeſe oſtenderent. Itaque præter ſupplicationes, quæ alioqui ad illius eccleſiam habendæ erant, binas alias Carolus indixit, itum eſt ad ſancti Ambroſij, deinde vt initio periculi factum eſt, ad vias compita omnia. Quæ quidem ſupplicationes, vt celeberrimæ, ita ſanctiſſimæ fuerunt, ob id quoque in primis, quod ſacras reliquias omnes, quam maximo fieri potuit ornatu, clerus vniuerſus, vt aurea, ferrei iuſſus eſt, cum vi luminum prope immenſa, quæ non modo clerus adhibuit ſed populus quoque frequentiſſimus. Affuerunt Gubernator, Senatus, & Magiſtratus reliqui, omneſque publice, pieque gratias egerunt, ex libello, cohortationeque, quam ad eam rem Carolus edi iuſſerat. Atque dum ad compita ordines duceret; ad Cruces morabatur, quæ ibi peſtis cauſſa erectæ fuerant, & poſita ſacra re, quam ferebat, in menſa ibidem ad id decorè conſtituta, rite precabatur, mira pietate clerus, & populus in ea ſupplicatione perſeuerauit vſque ad noctem, cùm mane cœpiſſet, via etenim ob amplitudinem vrbis longiſſima eſt, acceſſit maximus plurimorum tormentorum ſonus honoris, & lætitiæ gratia ex arce effectus, dum ſacri ordines ea vrbis parte tranſirent. Cum in eccleſiam maiorem reditum eſſet, ſanctiſſima Euchariſtia prius per eccleſiam omnibus ſacrorum hominum choris comitantibus lata, in altari propoſita eſt: cum omnia maximo, gratiſſimoque ſono, hymnis pſalmiſque, tum tubarum etiam clangore perſonarent. Ibi Carolus, quaſi nihil adhuc feciſſet, quadraginta horarum precationem ante ſanctiſſimam Euchariſtiam inſtituit, in qua eadem patientia & labore, quo antea ſacro propoſito clauo, ſeſe exercuit. Quo tempore cum in concione ciuitatem à morbo diuina ope liberatam diſerte prædicaret, erant qui valde mirabantur, quo certo ſigno id poſſet affirmare, nonnihil etiam verebantur, vt ea præſtari poſſet in poſterum affirmatio, quod ita Deo concedente, factum eſt tamen. Alia quoque ciuitas, conſueta populis lætitiæ ſigna multa edidit, quæ præterimus, litteræque ad exteros populos datæ, ad mutuam conſuetudinem plene reſtituendam. Carolus Epiſcopos prouinciæ miſſis litteris monuit, rogauitque, vt vna vellent gratias agere, atque alij omnes per litteras gratulati ſunt: Nicolaus autem Cremonenſis Epiſcopus, ex præcipuo in Carolum, patriamque amore, gratulationis cauſſa Mediolanum venit, & de ſuggeſtu concionem in eccleſia maiore præſente Carolo, Gubernatore, Magiſtratibuſque ad populum habuit ſane piam, & luculentam. Mortua fuiſſe hominum circiter tredecim millia in vrbe, octo vero in agro, ad initium menſis Decembris anni M.D.LXXVI. Carolus litteris ſuis teſtatus eſt: ex quo tempore numerum eorum, qui morerentur vſque ad morbi extinctionem non magnum fuiſſe iam diximus, alij vero de vrbe tantum commemorantes ab initio morbi, vſque ad integram liberationem, in ea mortem obiiſſe affirmant hominum circiter decem, & ſeptem millia: nata vero, vt id quoque referamus, eodem ſpatio temporis, quinque millia, & trecentorum. Vici, & caſtella, quæ peſte laborarunt, fuerunt ad centum viginti, eccleſiaſtici omnium ordinum in vrbe & diœceſi centum viginti, diem ſuum obierunt: tres tantum ex iis parochis, qui officium erga ægrotos non deſeruerunt: quorum nemo tamen, quod conſtet, ex ſacris officiis, quæ cuiquam ægroto tribuerit, morbum contraxit. Illud minime prætereundum, ex quinque, & ſexaginta monaſteriis Virginum, vnum peſte tactum in vrbe, in quo duæ tantum Virgines, alterum in diœceſi, in quo paucæ omnino mortuæ ſunt, neque in iis quidquam de præſcripta, & conſueta clauſtrorum, cuſtodiæque diſciplina remiſſum eſt. In eccleſiis omnibus, vt ante conſueuerat, ſtatis horis, ſacra officia, muneraque clerici toto eo tempore obierunt, qui congruenti ad contagium vitandum ſpatio, alius ab alio longe conſiſtebant, quod vt eccleſiæ maioris collegium facilius exequeretur, ſubterraneam viam ab ædibus canonicorum in eccleſiam ipſam eo tempore Carolus fodi, conſtruique iuſſit. Hic fuit maximi illius periculi exitus, vnde magnam vrbi ruinam intelligentes omnes extimeſcebant, qua in re ſingularem profecto Dei clementiam perpetuo gratiſſimis animis erga nos agnoſcere Mediolanenſes debemus, neque vnquam gratiarum agendarum finem facere. Quid in rebus tantis Carolo ſit tribuendum, res ipſa loquitur, ipſe vero nihil ſuis laboribus, ſtudiis, vigiliis, lachrymis tribuens, piorum ciuium precibus, eorum maxime, qui ſimplices ſunt, & incorrupti, omnia facta, impetrataque eſſe prædicabat. Habet certe Mediolanum, quæ proponat aliis in ſimili caſu, tum ſancti Paſtoris, tum optimorum ciuium præclariſſima exempla: ſiue, quod in primis graue eſt, requiratur, quod ad iuuandas animas; ſiue quod ad corpora ſubleuanda; & omnino ad omnium rerum aptam, rectamque gubernationem tenendam pertineat. Quid enim magis commune, quam inuadente peſte, ſibi quemque, rebuſque ſuis conſulere; etiam à coniunctiſſimis diſcedere; longe, quantum poteſt, pericula fugere? quod magis peruagatum malum; quam infectos deſeri, rerum diuinarum inopia, curationeque omni deſtitutos; plerumque etiam fame cruciatos, interire? quæ quidem contra diuino munere nobis euenerunt: vt vere Carolus dicere ſoleret, circumſpectis rebus omnibus piiſque operibus ponderatis fructum, quam damnum multo maiorem fuiſſe ciuitatis. Ac ſingularis quidem Dei benignitas; ciuitatiſque vt in malis eiuſmodi, ſingulare bonum, per ſe quidem apertum ſine dubio fuiſſet omnibus: qui modo cogitare vellent infinitæ prope multitudinis ciuitatem, peſtilentia penitus occupatam, tam exiguo mortuorum numero; tanto rerum omnium ordine, tantis, tamque promptis ad ſalutem ſubſidiis feliciter euaſiſſe. Sed illuſtrata ſunt hæc omnia multo magis allatum ciuitatum Italiæ caſibus, quibus locis, etiam, iiſdem tentatis includendi populi remediis, longe maxima ſtrages laicorum, ſacrorumque hominum fuit; ipſis quoq; marium, fœminarumque monaſteriis occupatis, de ciuitatibus loquor, quas tere peſtis complexa eſt: nam verius quædam tentatæ ſunt, quam occupatæ.

Supplicationes inſtitut pro gratiis àgendis de vrbe à peſte liberatà.

40 continuis horis in oratione perſiſtit.

Nicolaus Cremonenſis Epiſcopus concionem ad populũ habet.

Quot millia peſte obierint.

De rerum autem procuratione, quæ vel ad ſuſtentandũ corpus, vel ad ſubueniendum animæ pertinerẽt; de guberna-

qui cum eo Caroli oppugnandi negotium ſuſceperant, animus acuebatur: alebatur multarum rerum licentia, quas iam diu Carolus communi bonorum conſenſu, tollere contendebat: offenſiones omnino publice ac priuatim extabant graues, & multæ. Quod libertatis genus, cum tacitus mira patientia, bonis indignantibus, diu Carolus tuliſſet: priuatiſque tantum admonitionibus temperari beneuole curaſſet: demum iuſtitiæ ſeruandæ neceſſitate, gregiſque ſui charitate coactus, remouendum eſſe, coercendumque ſtatuit, ac ea concionandi ratio reprehenſa Romæ grauiter, & punita eſt. Fuiſſe autem ex iis quoque, qui præcipuo religionem ſtudio colere profitentur, qui diuerſum à Carolo ſenſum haberent, haud ſcio mirandum ne ſit. nam vt quiſque varie affectus eſt, ita varie ſentire oportet, non eſt erga Deum par omnibus pietatis ardor, neque omnes ex iis, quæ proponuntur, optima ſequuntur perpetuo, humanæ prudentiæ rationibus interdum, quam religioſo, diuinoque lumine, quidam magis ducuntur. Diuerſa etiam ſunt eorum, qui religioſè viuunt, inſtituta, immo diuerſæ ipſius ſanctitatis viæ: hic ad ſeueritatem duritiemque, ille ad comitatem, ſuauitatemque procliuior. Intra fortitudinis, temperantiæ, omnium denique virtutum gradus, alius ad ſummos nititur, alius inferioribus contentus eſt. Quæ quidem hominum varietas ferenda eſt, ſi modo ipſi ſe inuicem ferant: ac non alter alteri, quia diuerſam ſequatur rationem, detrahere velit, & obtrectare, id enim non admiratione ſolum, ſed caſtigatione dignum videtur, præſertim ſi in Præſulem fiat, & publico loco, quod nominatim ſacris ſanctionibus vetitum eſt, quod quidem vitium in tantis humanis perturbationibus ſtudioſe cauendum eſt, ac diligenter. impulſus enim quod ad aliena reprehendenda mortales feruntur, vehemens plerumque eſt: ac vt quiſque ingenio, doctrinaque maxime valet, ita ſolet acerrime, niſi magna virtus reſiſtat, ad id incitari, libentiuſque in excellentes, & ſpectatiſſimos viros, quod vel ad gloriam illuſtrius id videbatur, vel ad excuſationem commodius, ſi quis ea non aſſequatur, quæ non excellere, ſed extra virtutis modum prodire iudicat. Interdum ex hominum exiſtimatione, immo ex ipſa religionis exercitatione, atque etiam aliqua diuini luminis illuſtratione, ſeſe homines infirmi efferunt, ſibique de cæteris iudicium arrogant. Viget etiam maxime principum virorum auctoritas & gratia: qua non moueri, & à recta mente non deduci ſolidæ pietatis, & conſtantiæ eſt.

11. INTER eas acerbitates, quarum exitum poſtea exponemus, Carolus nouas quærere non deſiſtebat ſalutaris vitæ progreſſiones, etenim ex præterita peſtilentiæ calamitate, quemadmodum aliis mortiferi æſtus venenum in mẽbra iniectum, ita illi pietatis, & charitatis ardor in animum immiſſus videbatur, tuncque magis quam vnquam antea erat ad ſummos ſanctitatis, perfectæque diſciplinæ gradus erectus. Illud inter alia, ſublato ſtatim peſtilentiæ morbo, curauit, vt cœnobiticam vitam vna cum clericis ſuis inſtitueret, de qua tamen antequam narro, de ſacris reliquiis dicã, quas ille ſub altare ſubterranei ſacelli, quod veteres Confeſſionẽ appellarũt, in eccleſia maiore recondidit. Sacellũ hoc ipſe perficiendum curauit, in primiſque coluit, in eo Miſſæ ſacrum frequenter facere ſolitus fuit, non ſemel integro noctis ſpatio pie vigilauit: in ſuo denique teſtamento ſanctis reliquiis, ſacraque & pretioſa ſupellectili locupletauit, tunc autem ibi condidit corpora ſanctorum martyrum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ, & item Maximi militis Thebæi, ſanctorum Epiſcoporum Mediolanenſium, Monæ, quod ab ipſo Carolo antea è Fauſti eccleſia tranſlatum diximus, Dionyſii, quod vna cum Aurelii itidem Epiſcopi reliquiis, olim ab eccleſia Dionyſiana tranſlatum fuerat: & Galdini, quod Pontificiis inſignibus, vel eorum ſaltem veſtigiis ornatum, ita in arca marmorea inuenimus, vt primo fuerat ſepultum, cineres ſancti Pelagii, vnum ex oſſibus ſancti Iuliani Epiſcopi Cenomanenſis: ex iis autem corporibus cum non modica pars oſſium deſit, quorundam etiam capita: crediderim ea eſſe in aliis eccleſiis, quæ eadem ſe habere corpora prædicant. Ea igitur omnia Carolus ad id tempus alieno fere loco habita, ſumma diligentia, decentiaque condidit, & in cellula ſub terram fabricata, teſtudine ſuper eam ducta, inſculptiſque literis firmiter clauſit, menſe Ianuario anni M. D. LXXIIX. Capita vero martyris Thebæi, Monæ, & Galdini & item martyrum fœminarũ principis Teclæ minime condidit, vt thecis argenteis includerentur, & celebritatis cauſa in altari de more proponi poſſent. Redeamus nunc ad cœnobiticam inſtitutionem. Cum pro Epiſcopalis vitæ ſtatu, qui religioſos ordines quoſcumque perfecta, optimaque vitæ inſtitutione antecellit, & vtinam re, factiſque ſemper antecelleret, humana ſtudia Carolus, reſque caducas animo iam penitus abieciſſet: ad rem perficiendam, alioſque exemplo commouendos, illam animi conformationem, re ipſa præſtare, factiſq; exequi cupiebat. quod quidem ad imitationem eorum veterum Epiſcoporum valde pertinebat, quos in primis ſancta colit Eccleſia. Egit primo ea de re cum canonicis maioris Baſilicæ, quos ea coniunctionis acceſſione, vti vere fratres arctius complecti volebat, & tanquam eccleſiæ ſenatum, vt veteres dixerunt, in eccleſia gubernanda coniunctè magis adhibere. neque vero id à ſuperiorum inſtituto valde aberat, nam inter ſe olim eiuſmodi vitæ rationem Mediolanenſes canonicos, collocatis in communem vſum fructibus, ſub Archiepiſcopo Oberto habuiſſe, teſtantur Eugenii tertii ſummi Pontificis literæ, quas aliud agentes nos eo ipſo tempore forte reperimus, volebat vero ipſe quoque Carolus reditus ſuos omnes, vt alii, conferre, vt qui ei curæ præfectus eſſet, habita ratione dignitatis, officii, & eorum omniũ, quæ Caroli perſona, ſancte tamen, poſtulabat, prout cuique opus fuiſſet, diſtribueret, & omnino quantum pro ratione dignitatis poſſet, pari conditione cum ſuis fratribus viuere, in animo habebat. Sed quamuis ex eis nonnulli conſentirent, quibus vitæ ratio ad diuinorum conſiliorum præſcriptũ propoſita erat: cæteri tamen adduci non potuerunt. Id cum minime ſucceſſiſſet, aliam ſocietatem inſtituere conſtituit clericis omnibus communem, qui cœnobiticæ diſciplinæ imitatione viuentes, Eccleſiæ Mediolanenſi multo magis, quam cæteri clerici mancipati, Archiepiſcopoque addicti, ſacra munera, quæ pro tempore, vſuque eccleſiæ oporteret, prompto animo ex Archiepiſcopali iuſſu obirent. In eum numerum plures canonici, vna cum aliis presbyteris, & clericis nomen dedimus, vitæ conditiones poſt multa, Romano Pontifice conſulto, hæ fere eo quidem initio conſtitutæ ſunt: vt Oblati Sancti Ambroſii ij dicerentur, quod non certo homini, ſed eccleſiæ Ambroſianæ ſeſe addicerent, vtque Archiepiſcopo ſemper obedire promitterent, voti vinculo adſtricti, hæc vero eorum munera fere commemorata ſunt, eccleſias perluſtrare, ac recognoſcere, parochi munus, vbicumque neceſſe eſſet, ad tempus ſuſtinere, ſacras habere conciones, muliebribus cœnobiis ſacris miniſteriis inſeruire, chriſtianæ doctrinæ rudimenta per eccleſias docere, Collegiorum à Carolo inſtitutorum gubernationi operam dare: Archiepiſcopalis etiam domus miniſteria obire: quibus quidem in rebus ita Carolus iis vti conſtituit, vt tanquam Apoſtolicos viros, quocunque opus eſſet, mittere, tum ad arbitrium ſuum reuocare, poſſet; vtpote ijs vinculis ſolutos, quibus clerici paſſim detinentur, haud penitus Deo, Eccleſiæque traditi, ſed arbitratu ſuo viuentes, & commodis, vtilitatibuſque ſuis, ſuorumque ſæpe ſeruientes, quod ſi qui magis ad vitæ perfectionem accedere, rebuſque ſuis omnibus, quæ poſſideri poſſunt, per votum ſe vellent abdicare, aut vero facultates ſuas retinentes, earum tantummodo poteſtatem ad Archiepiſcopi arbitrium deferre, eos admiſit. Laicis item locum dedit, qui operam ſuam facultatis, artificiive cuiuſpiam nauare vellent. Vota eius conditionis eſſe ſtatuit, vt ea poſſet Archiepiſcopus remittere, & iis aſtrictos cum opus eſſet, liberare, ſocietate non excluſit, qui certis eccleſiis addicti eſſent: quarum beneficia tamen dimittere, ſicuti neque accipere, ſine Archiepiſcopi conſenſu non poſſent. Ita cum multi ſeparatim per varias eccleſias, alioſque locos viuerent: certa quoque collegia conſtituenda decreuit, vbi clerici ſimul, tanquam in cœnobio vitam agerent, quam ad rem idoneos ſocietati reditus aſſignari Pontificia auctoritate poſtea curauit: negotiumque totum confecit, quemadmodum inſtitutionibus eo de genere editis fuſius continetur. Eiuſmodi ſocietatis inſtitutionem viſus eſt ſtudioſiſſime Carolus, ſi quid vnquam, ſuſ-

De reliquiis Eccleſiæ maioris,

Canonicos ad cœnobiticum ſtatum reuocare incaſſũ conatur,

Oblatorũ congregationẽ inſtituit.

Collegiũ item alia clericorum,

cipere, & proſequi: vt in alliciendis ad eam clericis, humanitate, officio, familiaritate, oblitus interdum fere videretur grauitatis, amplitudiniſque ſuæ, erat enim ad animarum ſalutem omnibus viribus quærendam tanto ardore incitatus, in quo congregationis illius ſumma conſiſtere debebat, vt nihil in eo genere facere ſe poſſe, exiſtimaret, quod minus non eſſet, quam res ipſa poſtulabat. Plurimis id perſuaſit, maxime tūc oblata diœceſanæ ſynodi occaſione, in qua tribus de more concionibus, propoſitis Dei miniſtrorum officiis, contra vero eorundem negligentia ante oculos cōſtituta, licet modico admodum ſpatio ad meditandum dato, clerum adeo commouit, vt multæ lachrymæ profunderentur: presbyterique, quorum alioqui plurimi diuturna quadam conſuetudine ad res eiuſmodi obdureſcere ſolent, ad munera ſua diligenter, ſanctéque obeunda mirum in modum accenſi diſcederent, præſertim vero tertio die, viſus eſt multis diuino ſpiritu afflatus, inuſitatam quandam, diuinamque dicendi vim adhibere. Vnum ipſe collegium conſtituit, ad eccleſiam Sancti Sepulchri: quem locum boni preſbyteri nonnulli, Monetaque inter eos, etiam ante Carolum Archiepiſcopum colentes, antiquam Mediolanenſium clericorum diſciplinam, in maxima ciuitatis corruptela retinebant. In ea igitur eccleſia ſocietatem, actis interuenientibus, inſtituit XVII. Calen. Septemb. & primos ſeſe offerentes celebri ritu, apparatuque recepit, quos alii magno numero ſecuti ſunt: quamuis Caroli præſentia per mortem de medio ſublata, locum multi deſeruerunt, beneficiaque, aut alias vitæ conditiones quæſierunt, iis ad Sanctum Sepulchrum relictis, qui vere ſeſe Ambroſio, eccleſiæque Ambroſianæ tradiderant. At collegium, ſocietatemq; quoad vixit, Carolus numero, ſacriſque muneribus florentem conſeruauit: Oblatis ipſis multum vſus eſt: in eo ſemper perſeuerauit, vt eius ordinis clericos benigne admodum tractaret, charoſque haberet, collegium frequentabat, ſacra munera in eo, ſacraſque, & pias exercitationes publice inſtituebat: tum vero priuatim communicationes, conſultationeſve rerum ad eam diſciplinam, & omnino ad clericales virtutes pertinentium, certis temporibus cum eis familiariter habebat, imitatione regularis inſtituti. Cum in eo collegio grauiſſime preſbyter ægrotaret, & medicorum ſententia morti proximus crederetur: ibi Carolus ipſe humilia fraternæ charitatis officia captans, tanta aſſiduitate, die, noctéque ei affuit, atque etiam ſæpius miniſtrauit, vt ſingularem benignitatem, eximiamq; tanti Præſulis humilitatem omnes obſtupeſcerent: neq; vero deſeruit, donec poſt dies multos, quibus ille ſemper fere animam trahere viſus eſt, mortis periculo liberatum reliquit, quod Caroli ſanctitati, precibuſque à Domino quaſi per miraculum conceſſum eſſe, pleríque crediderunt.

Collegium ad S. Sepulchrum.

Nota ſancti viri humilitatē & charitatem.

Taurinēſis peregrinatio.

Sindon Saluatoris Taurini.

Ordinē in peregrinatione ſeruandū præſcribit Carolus.

Animi diuinitus ardentis indicium, præcipueq; rei exempli viſa fuit omnibus Taurinenſis peregrinatio. Habet Sabaudiæ Dux, magno Dei beneficio, Sindonem illam, qua ſanctiſſimum Iesv Chriſti corpus olim pij viri de cruce ſublatum inuoluerunt, eam Carolus cum viſere iam antea optaret, tum à peſtis calamitate magno eius rei deſiderio cœpit teneri, neque amplius illius explendi tempus ſibi differendum ſtatuit. Ea re accepta, Dux Emanuel, qui alioqui, & ſacrum linteum ab oppido Camberio, quod vltra Alpes ſitum eſt, Taurinum transferre iuſtis de cauſis in animo habebat, & Caroli præſentia, conſuetudineque frui pro ſua pietate, & in eum obſeruantia cupiebat, occaſionem arripuit, Carolum inuitauit, & linteum transferri iuſſit. Iter pedibus facere Carolus conſtituit, quod eſt paſſuum octoginta millium, ex plurimis qui libentiſſime profecti eſſent, idoneum comitatum ſacrorum, piorumque hominum delegit, itineris, exercitationumque rationem ordinauit, dictus eſt profectioni dies. Pridie vero eius diei, comitibus conuocatis, expoſuit quid in itinere fieri vellet, mane à ſacerdotibus Miſſa facta, accepta ab aliis ſanctiſſima Euchariſtia, omnes affuerunt cum baculis, & indumentis, quibus ſolent pia de cauſa peregrinantes vti, quibus ex eccleſiaſtico ritu, cum Carolus benedixiſſet, diſceſſerunt, clerus maioris eccleſiæ vſque ad portam ciuitatis comitatus eſt, ibi Carolus breuiores veſtes, baculumque ſumpſit, tum canonicos pie admodum, atque amanter ſingillatim complexus, magna cum multitudinis quæ ſecuta erat, piaque iucunditate, dimiſit, & iter ingreſſus eſt. Itineris ratio fuit: ſummo mane, ſacris procuratis, aderant omnes, & ab eccleſia in qua erat proficiſcendi, bini ibant, & horis certa ratione diſtributis, nunc ei rei à Carolo præfectus, ſalutarem meditationis materiam tradebat, nunc taciti, & meditantes ibant: pias animorum conceptiones poſtea conferebant: alias alternatim pſalmos pronunciabant: interdum ex calculorum corona: quam manu tenebat quiſque, precationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem inter ſe repetebant ambulantibus denique nihil otii relinquebatur, totum viæ tempus ſalutariter conſumebatur. Cum meridie, veſperique ad oppida hoſpitii cauſa venerant, adibant eccleſiam primo, ibique Carolus more ſuo genibus flexis, cum ſuis canonicarum horarum preces obibat, licet corpore de via ſæpe non mediocriter languenti, menſa, quæ ſemper moderationem, ne dicā inopiam præſeferebat, ſacra lectione, piove ſermone minime vacabat: reliquum temporis, quod erat exiguum, rebus corpori neceſſariis dabatur. Mirificus erat toto itinere concurſus ad vias, quibus pius comitatus tranſibat, in oppidis, vicíſque in quibus fortuitum ſemper hoſpitium eligebatur, vt mira omnium commotio, ita ſingularis erant chriſtianæ benignitatis officia, certatim omnes honoris, & reuerentiæ ſignificationes dabant, certatim etiam quandoque ad domum quiſque ſuam rapiebant peregrinos, vbi pie admodum, amiceque eos tractabant, pedeſque lauabant, alias vero, ſi aduentus differretur ad noctem, lumina ex cūctis ædibus proferebantur, comites in itinere multi ſeſe offerebant. Ioannes Franciſcus certe Epiſcopus Vercellenſis, vna cum aliis viris religioſis, ab vrbe ſua numerum auxit. Quamquam autem ipſa tota actio ita ordinata, plena optimi, & inuſitati exempli erat, quædam in Carolo tamen præcipue licebat paſſim obſeruare; ſingularem quandam hilaritatem, quam ex incommodis hoſpitiis capiebat: non patientiam ſolum, ſed gaudium, quo pluuias, lutum, alias viæ difficultates, corporis etiam defatigationem perferebat: ex qua ægre admodum ſæpenumero membra trahere videbatur, interdum etiam antequam cibum ſumeret, mira humanitate, & modeſtia ieiunus adhuc aliis prandentibus legebat. Toto iucunda res fuit itinere, ampliſſimi Pontificis perſonam videre cum inopis peregrini humilitate coniunctam, ſed iucundiſſimum omnino ſpectaculum, cum eo quarto denique die Taurinum appropinquante, qui fuit V. Idibus Octobris, poſt Archiepiſcopū, nobileſque viros multos, Dux ipſe cum Principe filio, tum Cardinalis Vercellenſis, multique Epiſcopi, qui conuenerant, obuiam humili, atque abiecto peregrinorum numero, cum nobiliſſimo comitatu, armatorumque militum ordinibus proceſſerunt, fauſtiſque ſalutationibus, cum magno tormentorum bellicorum ſonitu exceperunt, ſeq; ſocios itineris modici, quod reſtabat, in eum numerum intulerunt. Ventum eſt primo ad maiorem eccleſiam precandi cauſa, poſtea in palatium ad ſacellum Sancti Laurentii, vbi ſacra Sindon erat maxima cum hominum multitudine, non ſolum ex vicinis locis, ſed Mediolano, & ex aliis ciuitatibus, regionibuſque, qui rei fama permoti, cupide conuenerant. Ibi Carolum quaſi factum ſubito ex egente ditiſſimum, non ſine delectatione obſeruabant multi, magnificentiſſimo, planeque regio apparatu, quem præcipuo ſtudio Dux adhibuit, ita plane vti, vt tuguriis in itinere vſus fuerat. At licet ob exortam itineris labore ſub pedibus tubercula, ita laboraret, vt inciſione etiam opus fuerit, noluit tacere tamen, & munera ſua libere ſemper obiit, poſtero die priuatim peregrinis ſanctum Linteum oſtenſum eſt, Carolique iuſſu multa de eo dicta ſunt ad animos, ex tali ſpecie per ſe maxime commotos, magis etiam excitandos, publice deinde ſpectandum in ampliſſima platea, præſente, tenenteq; Carolo cum Epiſcopis omnibus, ſacris Pontificiis veſtibus indutis, Duce, nobilitate, omniq; populo aſtante, propoſitum fuit. Mox ante illud in maiore Eccleſia decenter, cum perpetua ſacrorum virorum & religioſæ militiæ cuſtodia, collocatum, quadraginta horarum ſupplicationem de more Carolus inſtituit, horis clero, & populo ad conueniendum, precandumque diſtincte diſtributis, III.

Carolo Io. Franciſcus Epiſ. Vercellenſis cum aliis ſe ſociū iungit.

Taurinum venit, & qui excipitur.

Sindō Carolo oſtēditur priuatim, deīn publice cæteris peregrinis.

diſtributis.quo in ſupplicationis munere, partes ſuas minime deſiderati Dux ipſe paſſus eſt, ſingulis horis, ſingulas conciones viri ſacri,ſuam quiſque,Carolo de more id exigente,habuerunt,etiam Epiſcopi,& Cardinalis ipſe Vercellenſis. Carolus vero plures habuit. Cumque plurimos aduenisse ex propinquis vallibus hæreticos animaduerſum eſſet,tum ad eos ſanandos conuerſæ ſunt conciones,tum tempus ſupplicandi etiam prorogatum. Octauo demum die Carolus,cum toto eius temporis ſpatio in Eccleſia,inter parietes,in menſa,& vbique ſalutaria dicta,exemplaque, vt cuique conijcere facile eſt,abunde promiſiſſet : iamiam diſceſſurus longos habuit cum Duce de imperio pie adminiſtrando ſermones,tum vero ſurrexit ampliſſimus Princeps,& ad Caroli ſeſe pedes abiecit, idemq; Carolum Emanuelem filium,nothumque Amadeum facere iuſſit,ac ſupplex,vt ſibi,filijſq; benediceret vellet, poſtulauit, recuſabat Carolus,ſuum id eo loco non eſſe dicens,& quantum poterat,eum erigere conabatur,inſtabat vero Dux,ſeque, niſi ſacri ſigni expetitum munus accepiſſet,negabat ſurrecturum:cum lachrymas neque Dux ipſe,neq; aſtantium quiſque tenere poſſet,in tam præclara,atque illuſtri ſingularis pietatis,religioniſque ſpecie,cum impetraſſet tandem, quod poſtulauerat,iuſſit Principi filio,Carolum obſecraret,vt ſe filij loco ſemper habere vellet, ipſe perpetuo tantum virum coleret,eiuſque præceptis ſtudioſe obediret,tum ipſe quoque Carolum ea de re vehementer orauit. Id re ipſa effectũ eſt:nam paulo poſt Emanuele mortuo,Carolus Emanuel Dux factus,Cardinalem Patris loco ſemper habuit: illeque Ducem quibus rebus potuit ſemper ad ſalutem,imperijque proſperitatem amantiſſime iuuit : neque tempus vllum prætermiſerunt,quo ſimul eſſe poſſent,quin eo ſtudioſe vterentur. Ita ſe habuit peregrinatio illa,pietatis fructu ſine dubio in omnes partes vberrima,Caroloque ipſi ob ſanctiſſimi Lintei in primis contemplationem diu expetitã,deinde etiam ob perſpectam Ducis ſingularem pietatem,Principiſque optimam indolem,iucundiſſima. Non eſt prætereundum,nobiliſſimam ciuitatis matronam,baculum, quo ille in itinere vſus erat, magno ſtudio conquiſitum apud ſe pie ſeruaſſe,atque inter res chariſſimas habuiſſe,vt videatur, Dominus eiuſmodi honores prorſus inuſitatos Carolo tunc eo loco haberi conſtituiſſe,cum alibi ſolicitudines,& moleſtias inuſitatas ſuſtineret. Inde Carolus accepta Eccleſiarum quarundam viſendarum occaſione, diuertit ad Varallium montem, vt propoſitis per loci illius imagines Domini perpeſſionibus,ipſam rurſus quodammodo ſacri Lintei miſerabilem ſpeciem,quæ eius vulnera, cruciatuſq; omnes acriter admodum refert,abſens renouata meditatione contemplaretur. Ibi animum diuinarum rerum cogitationibus,corpus vero pane,& aqua tantum ſuſtentauit, noctem totam ad ædiculam quandam, ex iis, quas mons plurimas habet,vigilias egit,vna cum Franciſco Adorno Societatis Ieſu,quo ſæpe ſacrarum exercitationum adiutorẽ vti ſolebat:demum Mediolanum rediit.

IV. Inter alios ſalutares fructus,quos ex ea diuina peſtis animaduerſione populum ſuum percipere Carolus volebat,erat integra morum conformatio illius temporis,quod à feſtis Natalitiis ad Quadrageſimam interponitur,cum enim ſuperioribus annis,corruptelas eiuſmodi non mediocriter moderatus eſſet,cupiebat,ſperabatque,eas omnino tunc demum tolli poſſe,animis enim periculis,afflictioneque deterritis,veriſimile videbatur fore, vt conſuetum illũ ad voluptates impetum homines remitterent,& ad diuinum cultum attentiores in poſterum redderentur. Atq; anno M. D. LXXVIII. hoc eſt extincta vix dum peſtilentia,ita prorſus euenit,vt ille cupiebat:quamquã,quod ad Principes viros attinet, non tam fecit recens morbi, periculorumque memoria, quam pietas optimæ fœminæ Annæ, Gubernatoris vxoris,quæ rebus diuinis,ſalutaribuſque dedita Caroliq; ſtudioſiſſima,virum quantum poterat,in eo genere moderabatur,adoleſcenteſque filios refrœnabat,cæterum reliquo anni tempore,quamuis à ſpectaculis, ludiſque alieno,maximo vero iiſdem proximi anni M. D. LXXIX. diebus,nihil ad moderationem valuit, non recens caſtigatio,non vxor,non Caroli ſtudium,non rei frumentariæ inopia,quæ peſtem conſecuta eſt,non Belgica pericula,armaque Regi Catholico,& Eccleſiæ ſanctæ infeſtiſſime illata,quæ quidem vitiorum deteſtationem,ſupplicationeſque expoſcebant,non autem voluptates,& vitia,non Regis ipſius denique,regiæque familiæ luctus, immo neque ipſa etiam regia mandata valuerunt:cum tamen eorum quoduis per ſe valere debuiſſet,luctum regium intelligo, ex filii adoleſcentuli Ferdinandi Hiſpaniarum Principis obitu, adiuncta præſertim etiam Ioannis fratris nothi, quem Belgicis rebus præfecerant,Vinceſlai Mariæ Imperatricis eius ſororis filij, & Sebaſtiani Luſitaniæ Regis eius propinqui morte,quibus de rebus,quæ quidem trium menſium ſpatio acciderant,Regem & in mœrore eſſe, & nouarũ curarum acceſſione valde premi credibile erat. Atque Ferdinando Octobri menſe ante mortuo, cum ad Præſides prouinciarum Rex pias admodum literas dediſſet,Carolus ijs vti commodum putauit, quas Gubernator Mediolanenſis acceperat,ad malas proximi temporis conſuetudines excludendas,ſcribebat Rex, magno ſe quidem ex obitu filij dolore affectum,tum quod optimæ eſſet indolis,optimæque ſpei,tum quod ei ſe,vt primogenito,& Principi hæredi iureiurando regna Hiſpaniarum obſtrinxerant,ſe tamen eiuſmodi à diuina manu æquo animo vulnus accepiſſe, imo gratias egiſſe,quod innocentem adhuc puerum à terreno,ad cœleſte regnum tranſtuliſſet, proinde omiſſis luctuoſis officiis,ſupplicationes publicas,ad impetrandam flagitiorum veniam,magnaque reipublicæ incommoda deprecanda,decerni curaret,id quo facilius obtineretur,daret operam, vt quatenus regio miniſtro conueniret,flagitioſi mores qui calamitates inuehere ſolent,ſtudioſe corrigerentur. Carolus igitur Regem, Reginamque prius religioſe per epiſtolam conſolatus,eas literas,ſuis ad populum literis incluſas,propoſuit,atque edidit.populumq; grauiſſime monuit, vt Regis ſui fortitudinem obſeruaret,& in aduerſis imitaretur,incommoda maxima precando ſubleuare ſtuderet,auctoritatem,iuſſumq; abſtinendo,beneque agendo exequeretur,idque in ijs præſertim vitandis malis, quæ ſolebant ex publicis vitioſis voluptatibus proficiſci. Varias autem ſupplicandi rationes,ijs literis,per eccleſias vrbis, aliaſque præſcripſit,atque inſtituit,pro Catholica Eccleſia,pro regia proſperitate, pro ſalute mortuorum Principum : quibus etiam in proximos menſes populi pie,feſtis præſertim diebus occuparentur,quod vt alii quoque prouinciæ Mediolanenſis Epiſcopi facerent,literis ad eos datis,admonuit. Inſtituit eo tempore,quod poſtea fructu ſe publicis de cauſis retinuit:vt parochi poſt veſpertinum officium, certa capita populo in Eccleſia congregato ſingillatim, tamquã precandi materiam,denunciarent, vt congruo tempore cuique capiti attributo,horæ ſpatium,tum mente,tum voce etiã ſimul precando conſumerent. Hæc Carolus cum prouidiſſet,quamuis ſupplicationes quidem non omitterentur, in ipſis interdum plateis per religioſos viros de rebus diuinis ſermones haberentur,indeq; ad Eccleſias, & diuina officia homines cohortationibus inducerentur,ipſe iam conſueto tirõ totos dies inter populum, & altare perſeuerans precationi operam daret:conſuetas tamen voluptates Gubernator excludi non eſt paſſus,qua de re commotus Carolus alteras literas edidit, in quib. grauiter eos obiurgauit,qui calamitatum publicarum,Regis,ſalutiſq; ſuæ obliti, tẽpora ſacris precibus deſtinata vellent adhuc violare,ſed nihil amplius effecit obiurgatio,nihil aliena tamen à ſanctitate moderate commoti Patris,quam vt eam Gubernator in maledicti loco haberet,& quaſi crimen quoddam, vna cum aliis Romam deferret,immo cum ſuperiores dies in ſpectaculis,publiciſque voluptatibus conſumpſiſſet : rebus omnibus rurſus ad inſignem equeſtris ludi apparatum diſpoſitis,ipſam quoque diem Dominicam ſibi violandam putauit quã eſſe Quadrageſimæ caput,atque initiũ Carolus antea declarauerat,iamque vniuerſo populo ita perſuaſerat, vt eam ſancte obſeruaret, quod idem facturus deinceps Gubernator in aliis ſacri illius temporis Dominicis dicebatur. Sed Carolus cum id reſciuiſſet,edicto ſubito promulgato,grauiſſimaque anathematis propoſita pœna, ludos illos prohibuit,& ſacrum inſtitutum defendit:neq; enim Gubernator ſanctum Antiſtitis iuſſum,terribilemq; pœnam

Anno 1578.
Bacchanaliorũ dierũ inordinata ratio abolita.

Anno 1579. nullæ calamitates impetum effrenatũ hominũ illis diebus refrenare potuerũt.

Carolus cõtra vitioſas voluptates ſpectacula,que pugnat,

Sub excommunicatione ſpectacula prohibet.

traſus eſt contemnere. Multa quoque per ea tempora Carolus egit ad finitimorum vtilitatem, quorum erat illi, cum Eccleſiæ ſuæ recta adminiſtratione, cura coniuncta. Prouinciæ ſuæ Eccleſiis partim ab ipſo, partim ab aliis perluſtrandis, atq; ordinandis conſuli curauerat. Nouarienſis viſitationem, quæ reſtabat tranſtulerat in Ioannem Franciſcum Vercellenſem Epiſcopum: Laudenſem vero in Franciſcum Epiſcopum Nouarienſem: Viglebanenſem ipſe hoc eodẽ anno, quippe paruam, paucis diebus recognouit, ſed Nouarienſe negotium differendum putauit, quod aliam grauiorem prouinciam, neceſſitatiſque maioris Epiſcopo Vercellenſi potius dandam iudicauit. A rebus Helueticis, Rhæticiſque prouidus Antiſtes oculos non deiiciebat, videbat enim quam miſerabili ſtatu eſſent Eccleſiaſticæ res in multis earum regionum locis, quamque earum malum vicinum nobis, miſerebatur imperitæ multitudinis, cuius perniciem vaſtitatemque augeri, peſtifero hæreſis morbo videbat, cura erat omnino Mediolanenſi Archiepiſcopo, ſed magis tali Archiepiſcopo digna. Atque in Helueticis ad religioſiorem gubernationem adducendis, quatenus ad ea, quæ curæ ſunt Archiepiſcopalis, pertineret, multum profecerat: in aliis ſæpiſſime gentem iuuerat, & cum ab eis plurimi fieret, ſi quando ſe in eorum negotiis pacis communis, ſalutiſque cauſa interpoſuerat, fructum tulerat laboris ſui non mediocrem, nouerat vero ex longo vſu, iam inde ab eo tempore, quo Heluetios habuit in clientela, quibus viis ad eos aditus eſſet, quave ratione cum eis agi oporteret. Telinam vallem, quam Volturenam alii dicendam putant, omneſque populos, qui Rhætorum in imperio ſunt, variis item rebus tueri, adiuuareque ſolitus fuerat. Omnes iſ ſcilicet, modo Catholice ſentirent, ſi quid opus erat ad res ſacras, animiſque ſalutares, confugiebant ad eum, de veniis Romæ impetrandis, de preſbyteris, & concionatoribus adducendis, de religioſis collegiis conſtituendis, ad eum referebant, nonnunquam etiam literis Principum ad Rhætos impetratis, piorum hominum libertati in religione tuenda conſulere ſtuduit, quibus rebus eorum calamitates, & pericula melius cernere potuerat. Curauerat inter alia, eundem Epiſcopum Vercellenſem Comenſi Eccleſiæ recognoſcendæ, & ordinandæ Romana auctoritate præponi, quæ Mediolanenſi finitima per eaſdem regiones late patet, idque magis faciendum iudicauerat, quod Epiſcopus Comenſis officio ſuo, Catholicis hominibus earum patrium ſubleuandis, neſcio quomodo impeditus, parum fungebatur. Id muneris obiit Ioannes Franciſcus egregie: & per ea loca, etiam in hæreticorum imperio, catholicis ſæpe functus officiis, non ſine vitæ periculo, plurimos ad ſalutem iuuit, catholicos confirmauit; Eccleſiæ Comenſi in vniuerſum, rebus multis pie reſtitutis, multis canonice conformatis, vtiliſſimam operam præbuit. Cum autem hoc tempore, vix id negotii ille abſoluiſſet, rurſus Carolus conſilium iniit, vt in præclariſſimo opere per eundem Epiſcopum progrederetur, itaque nemo cum eſſet in regionibus illis, qui Romana auctoritate chriſtianas res, catholicaſque procuraret, & magna eſſet ſacrarum rerum confuſio, eum in Helueticis, Rhæticiſque Eccleſiis Viſitatorem, & Internuncium Apoſtolicum Romæ decerni curauit. Idoneum eiuſmodi prouinciæ putauit virum illum, qui non tantum ſibi proponeret publicã amicitiam tueri, Romanamque dignitatem conſeruare, quamquam & hæc ſtudioſe, atque diligenter, ſed in primis diuino cultui reſtituendo, augendoque inſeruiret, cuiuſmodi nuncios Carolus deſiderabat, præſertim ad nationes hæretico malo corruptas. Id vt perfectius ille conſequeretur, conſilio, ſtudio, curaque ſua præſto fuit, quibuſcumque rebus opus eſſet, dedit etiam ex numero ſuorum adminiſtros. M. Antonium Bellinum iuriſconſultum in primis, qui nuper operam ſuam Carolo, atque Eccleſiæ dicauerat. Ad eaſdem iuuandas nationes aliam quoque iniit Carolus rationem: vt Mediolani collegium conſtitueretur, in quo earum nationum clerici piis moribus educarentur, Catholicaque doctrina inſtituerentur, qui deinde ſacerdotio initiati in patriam reuertentes, eccleſiæ ſtatum tueri poſſent, qua in re, licet Heluetiis, Rhætiſque opem ferre vellet, Telinæ tamen valli cupiebat ſubuenire, & ei vicinitati omni, quæ eſt citra Alpes, tum propter loca nobis propinqua, tum ob ingenia quoque, non ad eruditionem tantum, ſed etiam ad probitatem accommodata, quæ Carolus ſolebat non mediocriter laudare, negotiũ igitur iam multo ante propoſitũ, & deinde intermiſſum, rurſus ſuſcepit, & quæ fuit Gregorii Pontificis pietas ẽt cõfecit. Aſſignata eſt collegio Eccleſia, & ædes ſancti Spiritus Mediolani, in qua olim Humiliatorum Præpoſitura fuit, tũc vero erat Cardinalis Alexandrini, cumq; nihil tũc quidẽ ſuppeteret, quod perpetuo poſſet ad ſumptus neceſſarios aſſignari, tribuit liberaliter Põtifex magnã pecuniæ ſummã, donec aliquid occurreret perpetuo tribuendũ. Iacta ſunt hoc anno Calend. Iunii collegii fundamẽta. Carolus deinde diligẽtia, atq; attentione vſus, ſtabiles facultates ab eodẽ Pontifice impetrauit, fructus Præpoſituræ Modoetienſis ſanctorũ Iacobi, & Philippi, ſanctæ Crucis Nouarienſis, Sancti Antonii Papienſis, ad aureorũ nummũ fere duo millia: atque ædibus illis alienatis, ampliores, commodioreſque comparauit, in quibus pro facultatum modo magnus clericorum numerus, quos Archiepiſcopus approbaret, educaretur; ad ſalutarem earum nationum vtilitatẽ. Inſignes quoque Præpoſituræ, quæ Miraſolis dicitur, fructus obtinuit, ceſſione Marci Sittici Altaempſii Cardinalis, anno MDLXXXI. ad aureorum fere tria millia, ſi integri percipiantur, quam piam, præclaramque liberalitatem ſuam Marcus in Conſtantienſium ſuorum in primis, ſed Altaempſiano tum quoque, & aliorum quorundam commodum redundare conſtituit, quemadmodum actis ipſis latius continetur.

Finitima Eccleſias iuuat.

Seminariũ Heluetiorũ Rhætorumq; Mediolani inſtituit.

Quintum conſueto anni tempore celebrauit Epiſcoporum ſuorum concilium, in quo multa decreuit ad fidem catholicam à vicinis hæreticis tuendam, ad chriſtianam doctrinam tradendam, & in populo conſeruandam, ad ſacros dies, ſacraque tempora recte colenda, & ad alias chriſtianæ diſciplinæ partes tuendas, ſpectantia, præcipue vero de Epiſcopi, & preſbyterorum officiis peſtis tempore, & de omni cura, & gubernatione ad Dei ſacerdotes tali tempore pertinente, ex iis, quæ experiendo, & perficiendo cognouerat, multa conſtituit, in quo nouam, & pulcherrimam Eccleſiæ Dei parauit ſupellectilem, quintum celebrauit quamquam quarti decretorum volumen Romam anno ante probationis cauſa miſſum, vt abſolueretur, nondum impetrare potuerat: inciderat enim in eoſdem ſcopulos, in quos res eius reliquæ. Illius concilii Epiſcopi, cum aduertiſſent inter alias corporis afflictiones, illam quoque Carolum ſuſcepiſſe, vt ſuper aſſeribus cubaret, quod quidem ad ſalutarem, & quietam tali tempore gubernationem gregis ſui à Domino impetrandam, tunc feciſſe credibile eſt: etiam, atque etiam ab eo poſtularunt, tandemque obtinuerũt, vt tantam remitteret aſperitatem, & paleas ſaltem pro lignis ſubſtitui pateretur. Operam dedit poſt concilium valde opportunam, grauiſſimamque præſentiæ ſuæ tribuit auctoritatem Congregationi Clericorum regularium Sancti Pauli: quæ nouas ſibi conſtitutiones, cum ei veteres auctæ iam, & amplificatæ non ſufficerent amplius, ſcribere, ſummo Pontifice approbante, inſtituerat, ipſe enim pro ſua antiqua erga eam voluntate, quod libentiſſime commemoro, Patrum conſultationibus ea de re habitis amantiſſime interfuit, & præfuit, quæcunque conſtituenda eſſent, omnia recognouit, probauitque, & Pontificia quoque auctoritate confirmanda curauit: vt ex antiquis Epiſcopis vnũ poſſes agnoſcere, qui pro ſui status eximia præſtantia, etiam de eorum diſciplina, qui excellentiorem chriſtianæ vitæ formam propoſitam habent, optime iudicabant, atque adeo illam ipſam vitæ ſuæ exemplo exprimebant, eſt vero, cur id diuini, maximique beneficii loco, quod facimus, ducere debeamus, quod tanti viri benigno adiumento, atque auctoritate, iacta ſint noſtræ amplificationis fundamenta, nam & rerum noſtrarum ab eo tempore euentus ita perſpicue confirmant. At Caroli quoque beneuolentiæ, atque amori reſpondit ſemper ordinis noſtri inter cæteros, vel potius, ſi bona eius venia dicere licet, præter cæteros omnes, ſumma obſeruantia, conſtanſque eius ſtudiis obſequendi, atque inſeruiendi voluntas, vt tantum ei Patres obedire eiuſque ſanctos conatus iuuare ſtuderent, quantum ille eos libenter egregie com- V.

De concilio Epiſcoporũ quinto.

De cõſtitutionib. clericorũ regularium S. Pauli.

gne complectebatur, & nouis ſemper beneficijs ornabat. Studuit eodem fere tempore diligenter, vt erat cœnobitarum diſciplinæ iuuandæ ſtudioſiſſimus, & ad eorum pia commoda, progreſſioneſq; ſemper, etiam inter maximas occupationes, paratiſſimus, rebus ordinis illius componendis, qui Sancti Ambroſii dicitur, Mediolanique, ac aliis quibuſdam locis ritum ſeruat Ambroſianum, quibus vt res ſuas optime conſtituerent, religioſiſſimi Antiſtitis auctoritas, atque diligens opera non defuit. edidit libellum per id tempus, quem Memorialem inſcripſit: vt ex eo Mediolanenſes afflictionis, liberationiſque ſuæ proximæ, tum cauſarum, vnde profecta afflictio exiſtimari debebat, memoria conſeruata: res proſperas temperarent, gratias Deo haberent, agerentque ſemper, ſibique in poſterum cautius prouiderent.

VI. Concilium autem ornauit tranſlatio reliquiarum Baſilicæ Apoſtolorum, quemadmodum & tranſlatio ipſa ex Epiſcoporum præſentia valde illuſtrata eſt. Mouerat eas Carolus ſuperiore anno, cum canonici antiquam ædem inſtaurare, atque ornare vellent. Sed in loco deſtinato non repoſuerat, vt honore celebritateque maiore, cum haberetur concilium, per vrbem geſtarentur, & omnino earum eſſet tranſlatio ſplendidior, & ad populum pie excitandū efficacior. Cum igitur altare præcipuum, ex media Eccleſia tolleretur, inuenimus ſub eo quemadmodum à maioribus traditum erat, corpora ſanctorum Antiſtitum noſtrorum, Venerij, Clicerij, Maroli, atque Lazari, non ſatis cōmode tamen, aut diſtincte, ac in rudibus quibuſdam lapideis labris poſita, alia oſſa incerta rudius etiam habita: in medio loco arculam argenteam, & in ea quædam velamina, vaſculumque rotundum, in quo oſſis fruſtulum iiſdem cum velo erat. Collocatas in hac æde pridem Sanctorum Apoſtolorum reliquias Paulinus ſcribit, ea de cauſa Baſilicam Apoſtolorum appellatam ſignificans: Sanctum Simplicianum vero eas Roma attuliſſe quidam tradiderunt: quem quidem multum antequam Epiſcopus eſſet, peregrinatum eſſe, ſanctus ipſe Ambroſius teſtatur, perpetuo igitur exiſtimatum eſt, eas reliquias ſub hoc fuiſſe altari, atque adeo, vt fit, etiam vulgatum, certa ipſius Apoſtoli Petri oſſa ibi recōdita: ea nos cum hoc tempore inuenire geſtiremus, & in argentea capſula, cum ea demum apparuiſſet, eſſe crederemus: velaminibus tantum repertis, hæſitauimus triſtes. Sed quod itidem rum in ea eſt, quidquid dubii afferretur, Carolus, cœleſti aliquo motus inſtinctu, tanquam Apoſtolica pignora iuſſit nihilominus haberi, & primo loco ſuis, ſociorumque Epiſcoporum humeris in ſacra pompa portari: tum eodem receptaculo recondi. At aliquot poſt annis memoria cum repeterem veterum Romanorum Pontificum in reliquiis tradendis conſuetudinem, recordatus ſum, reliquias Apoſtolorum petentibus, non oſſa aliqua, quæ ne aſpicere quidem auderent, ſed brandeum, hoc eſt velamen quoddam in pixide concluſum tradidiſſe, cuius conſuetudinis S. Gregorius teſtis eſt locupletiſſimus in epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam & Ioannes eius vitæ ſcriptor, qui pluribus poſt eum ſeculis vixit, loco brandei poſtero tempore, particulas veſtium quarundam ex altari Sancti Ioannis Conſtantinianæ Baſilicæ pro reliquiis, petentibus datas affirmat, hanc Romanam conſuetudinem tam ſancte teſtatam, ſi quis reſpiciat: neque aliquid ex Apoſtolorum corporibus Roma potuiſſe afferri tempore quo Paulinus demonſtrat, credibile duxerit, & hæc velamina reliquias eſſe à Paulino demonſtratas recte, ni fallor, iudicauerit, quæ quidem an ſint veneratione digna, illud declararat, quod cum S. Leo primum, mox idem Gregorius huiuſmodi pannos incredulorum cauſa inciſiſſent, ſanguinem mirabiliter effuderunt. Cum autem in rotundo vaſculo inciſas literas vidiſſem huiuſmodi, Dædalia viuas in Chriſto, putaui aliquid ea in re eſſe, quod ad clariſſimam quoque præſtantiſſimamque virginem Mediolanenſem Manliam Dædaliam pertineret, quæ cum per ea tempora vixerit, earum reliquiarum partem fortaſſe contulit, hæc pauperum mater, ob inſignem in eos liberalitatem appellata eſt, & annis ſexaginta, quibus in hac vita fuit, ſanctiſſime coluit virginitatem cuius memoriam, quamuis publico non colatur honore, obſeruatur ſemper, & colere Mediolanenſes, maximè autē Deo dicatæ virgines debent. Sub alio item præcipuo altari ad caput Eccleſiæ conſtituto, quod itidem tollendum, & commodiore loco conſtituendum fuit, celeberrimi martyris Nazarii, vnde præſens nomen Eccleſia accepit, reliquias inuenimus, quæ alte ſub terram inter tenues quaſdam, & pulitas marmoreas tabulas conditæ erant, vidi ſucciduum quiddam adhærere inferiori tabulæ, quod equidem veſtigium eſſe recentis ſanguinis putaui, quem à Sancto Ambroſio cum reliquiis huius martyris mirabiliter repertum, Paulinus narrat, neque enim coniicere potuimus, corpus ex eo tempore motum eſſe, quo illud Ambroſius condidit, apud loculum ſancti Nazarii arca inuenta eſt. duorum corporū eſſe continens, quæ quorum fuerint, ignoramus, ex vtroque autem loco magna odoris ſuauitas cum ſepulchra aperirentur, afflata eſt. A latere dextro Eccleſiæ, fere ſub loco Euangelii legendi, aliam arcam aperuimus, quæ paruulo ſacello, altarique munita, Sancti Vlrici, ſiue vt alii, Arderici vulgo appellata, à multis præcipuo cultu frequenter viſebatur: cui loco eiuſdem ſancti viri ſtatua etiam appoſita erat, omnia vero erant remouenda, vt Eccleſiæ apta, decenſque forma conſtitui poſſet: inuenimus in arca indumentis Pontificalibus ornatum corpus, quamquam ſimul ab ea aperta eſt, eorum ſpecies tota propemodum euanuit: quiſnam Epiſcopus ille fuerit, Mediolanenſiſne, an Auguſtanus, vt quidam putant, aut vero alius, adhuc equidem ignoro. Has igitur reliquias Carolus inuentas, pie manibus ſuis collegit, nobis ſancto officio inſeruientibus: quos iubebat eiuſmodi ſemper actionibus adeſſe. Abſoluto autem, vt dicebamus, Epiſcoporum concilio, hæc corpora religioſa admodum, celebrique pompa extulit, & congruo viarum ambitu, portans ipſe cum Epiſcopis ſancta feretra, populo frequentiſſimo ad venerationem propoſuit, commemoratas reliquias omnes collocauit ſub nouo magno altari: præter epiſcopales illas ab Eccleſiæ latere dextro ablatas, quas ab eadem parte in extremo Eccleſiæ brachio poſuit. & altare ſuper eas conſtruxit: nam aptus ad id erat locus, quoniam in oppoſita Eccleſiæ parte aliud è regione ſimile reſpondebat, ſub quo itidem ſancti Martroniani corpus alio loco antea poſitum, tunc retulit, at efficiebatur quoque, vt dextri lateris eiuſdem ianuam, quam nuper, vt in ceteris Eccleſiis claudi iuſſerat, nemo poſthac, appoſiti corporis ſaltem gratia, eſſet patefacturus. Ratio condendarum reliquiarū qua Carolus vſus eſt, quamque in poſterum præſcripſit, fuit ſane magis quam antiqua, quantum perſpicio, & ad conſeruationem aptior, & ad memoriam accommodatior, quæ quidem eius editis libris continetur.

De tranſlatione reliquiarū Baſilicæ Apoſtolorum.

Corpora SS. Venerii Cliceri Maroli & Lazari Mediolan. Epiſc. inuenta.

Reliquias Apoſtolorū petentibus, nō oſſa, ſed brandeum dari conſueuerunt Romani Pontifices.

Brandeum ſacratū reliquiarū loco cenſendum miraculo declaratum.

Manliæ Dædaliæ virginis Mediolanenſis encomion.

S. Nazarii martyris reliquiæ repertæ.

S. Martroniani corpus transfert.

VII. Interea contentiones aduerſus Carolum ſuſceptæ, totoque hoc temporis ſpatio continuatæ res eius tantū in diſcrimen, & inuidiam adduxerant, vt nihil fere amplius actorum eius Romæ defendi poſſe quibuſdam viderentur. Incommodis ſermonibus, & rebus inuidioſe relatis iamdiu completas aures, vix demum Eccleſiæ principes multi ſine faſtidio Caroli procuratoribus dabant. Eius exiſtimatio, quod ad iudicium, prudentiamque pertineret, ſuſpenſa, neque mediocriter apud multos erat extenuata. Importuni rumores ſpargebantur, Carolum pleriſque odio eſſe in prouincia Mediolanenſi, vix ferri poſſe amplius: immo ferebatur, mandaſſe Regem legatis ſuis, vt eum Epiſcopatu Mediolanenſi moueri curarent. Gubernatori vero, vt vi contra eum libere vteretur, vulgatum eſt eundem Romam breui iturum, neque rediturum: quæ quamuis neque vera eſſent, neque ſimilia vero, magno tamen cum detrimento rerum Caroli iactabantur. Mediolani nonnulla ex iis quæ pie is inſtituerat, iam pene lapſa videbantur nempe inter alia, rumore quodam ſtudioſe per vrbem, diœceſimque diſſeminato, chorearum licentia ſubito loca multa peruaſit, eoque res deuenit, vt in vico quodam, Carolo prope inſpectante, qui eam diœceſis tunc partem luſtrabat, nonnulli temerarie cogerent ferme puellas, alioſque, vt ab Eccleſia, chriſtianæque doctrinæ ſchola, diſcederent ad choreas celebrandas, quod quantum Carolo doloris afferret, facile eſt coniicere, vel ipſi certe laici, vt erat bonorum omniū ſenſus,

De Caroli rebus inclinatis.

Caroli magnanimitas

maxime dolebant, eiuſmodi impunitatem dari. Omnino ita inclinatum videbatur totum de diſciplina reſtituenda negotium: vt ad fælices exitus poſthac erigi vnquam poſſe, plerique deſperarent. Cum tantis incommodis Carolus conflictaretur, animo quidem in rebus ſuis agendis minime deficiebat: & ſe tamen non mediocriter fatigatum interdum fatebatur: de quo Pontifici etiam ſignificari iuſſit: non id fieri ſolum contumacia, inſectationeve hominum, ſed ob eam quoque maxime cauſam, quod facta ſua, ſi qui repugnarent, quaſi iudicium accipiens, litemve perſequens, Romæ defendere ſingula cogeretur ad retardandum Epiſcopi animum, qui ſuã ordinare cuperet Eccleſiam, non parum id valere, venire in mentem facile poſſe, cum id feciſſet, quod rectum, piumq; videbatur, demonſtraſſet etiam quærenti Pontifici, quid in eo ſpectaſſet: tum nihil aliud agere, curareve, remque totã ſum̃is iudicibus libere permittere, ſiue confirmandam, ſiue reſcindendam, prouocationes quidem omnium Eccleſiarũ pro ſumma Apoſtolicæ auctoritatis dignitate, inſtitiaq; minime debere contemni, neque eorum, quæ vbique fierent recognitio recuſari. ſed ita tamen, vt omiſſo ſæpe iudiciorum more, Epiſcopo facti ſui, præſertim nõ grauiſſimi, rationẽ, in re comperta reddenti, fides haberetur, cui grauiſſima, omniumq; maxima animarum cura credita eſſet. Specianus igitur, qui ſolus negotia Mediolanenſia tunc Romæ procurabat, & præſens eorum fere animos, quorũ in manib. negotia erãt, in contrariã partẽ valde inclinatos cernebat, anxie admodũ petebat, vt Carolus ipſe Romã iret, cuius præſentia, auctoritate, ac induſtria, quæ propemodum iacebant, erigi, confirmariq; poſſent. Carolus, qui gregi ſuo affixus antea iuriſdictionis cauſa Romã ire recuſauerat, eo tunc periculo motus eundẽ ſibi conſtituit: ne forte ijs, quæ in contentione poſita erant reſciſſis, auctoritate, exiſtimationeq; labefactata, præcipuis reſtitutæ diſciplinæ fundamentis euerſis, fructus, multorũ annorũ laboribus, vigilijſq; collecti perirent, habebat præterea, quæ ad vniuerſæ prouinciæ cõmodũ pertinerent, cum Pontifice agenda. Itineris conſilium, prudenter ſecreto haberi curauit, ne vehementius ad contentiones ſuas aduerſarii forte concitarentur: donec oblata menſe Auguſto Dominici Bollani Epiſcopi Brixienſis grauiter ægrotantis, occaſione, ignoratæ quidẽ aptũ profectioni, ſed valetudini valde periculoſum tẽpus elegit, ob magnos calores, Romaniq; cœli naturam, ſed eo periculo poſthabito, Brixiam ſtatim ex prouincialibus decretis, moreq; ſuo aduolauit: morientẽ Epiſcopũ aſſidua præſentia, officioque, quibus rebus oportebat, pie iuuit: mortuo in funere, & exequiis, in precationibus, & ſacrificiis non defuit: populũ deinde Brixienſem, in Beatiſſimæ Virginis eius mẽſis feſto die, Miſſæ ſolemnibus celebratis, ſanctiſſima Euchariſtia, ad hominũ ſex millia, religioſiſſime pauit. Inde Mãtuam ob Principis ſororis ſuæ negotia, cum ex charitatis officio ſe contuliſſet, Romã direxit iter, ſed vt contra aduerſarios, atq; obtrectatores ſeſe religioſius inſtrueret, opinionemq; de ſuis actis incõmodã, aduerſariorum opera multis inſitã, poſſet conuellere: omnino vt ſibi viã muniret ad ea Romæ perficienda, quæ Eccleſiæ, diuiniq; honoris cauſa in animo habebat: ad Deũ, diuinaſq; exercitationes, ſacraq, ac diuina loca ex itinere obeũda, mentẽ, animumq; adiecit.

Apud Pontificẽ ſe per alios excuſat.

Dominico Bollano Epiſcopo Brixienſi morienti adeſt.

Mantuam venit.

Camaldulẽſem eremũ viſitat.

Primo igitur ſe ad Camaldulenſem eremũ contulit, ea eſt inter iuga Apennini, quibus Tuſciæ fines ab Æmilia diuidũtur, in monte magnæ altitudinis, difficiliſq; aſcenſus. Ibi in vnam ex domunculis ſeſe abdidit, quæ multæ ſunt in ſummi montis planitie, ad ſingulorũ eremitarũ vſum, & dies aliquot ſolus orationi, contemplationiq; diuinæ dedit. Vir Deo plane deuotus, ſummaq; in Deũ fiducia, tali tẽpore, tali loco, quale ſibi, rebuſq; ſuis cõparauerit præſidiũ demõſtrabit euentus. Moneã, Iuliumq; Brunetũ, qui ei erat ab epiſtolis, cum ibi retinuiſſet, ac reliquos præmiſiſſet, fama in multas partes manauit, eũ rebus omnibus relictis, illius loci factũ eſſe eremitã, propterea quod iã intelligeret poſt varios conatus, nihil ſe in iis proficere, quæ propoſita multos annos ad chriſtianæ diſciplinæ reſtitutionẽ habebat. At ille relicta eremo, Aluerniã, aliaq; reuiſit ſancti Franciſci monimẽta. Deinde venit ad ſanctiſſimã Laureti ædẽ, iter ad millia paſſuũ circiter viginti ſacro loco proximũ pedibus confecit, toto aũt itinere, quã ad eũ incolæ oẽs videndũ cupide confluerent, poſt illud peſtis facinus, quotidianaſq; ſanctitatis acceſſiones, ex eo quod antea fiebat, coniicere licet, vel me tacente, iter faciens vel tacite precabatur, vel pſalmos recitabat, alias ex ſacris literis aliquid animo tractabat ſi colloquebatur, eodẽ ſermones referebantur tamen. Quoniã non voluntate hoſpitia, ſed caſu, & neceſſitate, cũ tenebræ obſtarent itineri, quæcunq; illa inciderent, eligebat, in paruo quodã vico euenit, vt cũ vlterius progredi non liceret, aliudq; hoſpitiũ non eſſet, ad domũ preſbyteri loci illius, confugere cõpelleretur, ibi cũ ſolũ hominis lectulũ vidiſſet, noluit illi eſſe incõmodo, ſed vili, & modico cibo ſumpto, in Eccleſiã ſe recepit, vbi tota nocte moratus, modicũ temporis ſomno dedit, reliquũ precationi, tũ audiendis ſuis, quos viciſſim pios, ſacroſq; libros iuſſit legere, ac ſecũ ſalutariter exerceri. Earũ precationum vi factũ exiſtimarunt Caroli comites, vt Iulius Homatus bonus preſbyter, & eius amanuenſis mirabiliter poſtero die ſeruaretur, qui ante Carolũ de more contentius equitans, de celſa rupe cũ forte decidiſſet, equus quidẽ, in quo ſedebat, præcipitatus confractus eſt. ipſe vero præcipiti loco magna eorũ qui aderant admiratione hærens, nihil offendit. In ſacroſancta Virginis ædicula Laureti tota nocte vigilauit, proximo die, qui Natalis Virginis erat, Miſſæ ſacrũ ritu celebriore fecit: & in eo concionatus eſt, eo pietatis ardore, vt omnes præſentes incolæ, ac aduenæ, quis aũt aberat, qui quidẽ adeſſe poſſet? vehementer cõmouerentur. Ita munitus, diuinituſq; confirmatus Carolus Romã venit, diceres virũ Romæ prorſus contemnendũ, aut eo ſolo honore accipiendũ, qui ſine manifeſta iniuria pro dignitate perſonæ prætermitti non poſſet: ſiquidẽ quo ſtatu eſſent antea res illius, attenderes. At contra, magna ſubito facta rerũ conuerſione, maximis, & inuſitatis honoribus, maximaq; publicæ lætitię ſignificatione exceptus eſt. tantus fuit populi Romani concurſus, tanta eorum multitudo, qui eũ, Romæ tamen cõplures dies futurũ, videre ſtatim cupiebant, vt non anguſtiſſimã viã mille fere paſſuũ longitudinis à ponte Miluio penitus cõplerent: quaſi non Cardinalis vnus, iſq; humili paucorũ comitatu, ſed magna pars ampliſſimi chriſtiani orbis conſilii vno tẽpore adueniſſet. Ante omnia mane domo exiens, ſcalã illã ad Baſilicam Lateranenſem, quæ merito ſancta dicitur, genibus, vt pie fit, obire, beatiq; Petri ſepulcrũ, moxq; Pontificẽ adire conſtituerat: ſed & conuenientiũ collegarũ, principumq; virorũ frequentia prohibuit, & Gregorius anteuertens ad Pontificiũ palatii hoſpitiũ accerſiuit, vbi amoris, honoriſque præcipua ſignificatione eum apud ſe detinuit complures dies. Rerum geſtarum, itineriſque religioſiſſimi fructum eiuſmodi, tunc largita eſt diuina benignitas, quæ tum ſæpe ſuos, neque cupientes, neque opinantes, efferre maxime ſolet, cũ maxime videntur abiecti. At vero non potuit eo loco, vbi poſita eſt vicaria Chriſti Domini poteſtas, non pro merito accipi egregius, fideliſſimuſq; Chriſti miniſter: iis præſertim rebus, paulo ante geſtis, quæ glorioſum quendam triumphum de magnis calamitatibus, de immani peſtilentia, deq; grauiſſimis mortis periculis merebantur, neque potuit Roma veritatis mater, non ſtatim fauere veritati.

Aluerniam item &c. Lauretum.

Romam venit.

Quæ Romę egit.

TVEBATVR ille Romæ ſua inſtituta, domuſq; ſuæ diſciplinã. Cœnaculũ in ædibus Sanctæ Praxedis ad ſimilitudinẽ cœnobitici, parari iuſſit, menſã ad præſcriptũ conciliorũ Mediolanenſiũ inſtructã habuit, adhibita ſacri libri lectione, ſanctiſſimis locis colendis, diuiniſq; rebus contẽplandis, quæ ad ea pertinerent, dũ ibi fuit, paſcere animũ in primis ſtuduit, ac exſaturare. Baſilicas inſigniores, omnia ſacra loca, veteriſq; pietatis monumenta pedibus obibat, precibuſq; dũ iret, vt antea ſolitus fuit, operã dabat. Nocte Saluatoris natalitia, de Pontificia ſynaxi ad maiorẽ Sanctæ Mariæ Eccleſiã longe profectus, ibi abiectus ad ſanctiſſimũ præſepe, precando, diuiniſq; myſteriis contemplandis vigilauit, donec ad eandã ſynaxim mane in Vaticanũ reuerteretur. Die itẽ ante Sancti Sebaſtiani feſtũ, cũ ad eius Eccleſiã notiſſimæ religionis, ſanctitatiſq; locũ, veniſſet, ibi tota nocte, māſionis eiuſmodi cõditionẽ nihil veritus, in ſubterraneis locis, vno aut altero comite, martyrũ ſepulchra veneratus eſt. At his rebus minime vitiatus, eã tamẽ diuino beneficio præ- VI.

Loca ſacra viſitat.

ſtitit

ſtiterit modeſtiā, charitatē, & ſuauitatē, eaq; itidē vſus eſt prudentia, vt ēt qui alieniores videbātur, amicos, beneuoloſq; ſibi redderet, omnibuſq; ſatisfaceret. Cardinales, Regii legati, ciuitatis Principes, Præſules, eius cōſuetudinē, menſā, & diſciplinā, non ſolū ab eo inuitati nō defugiebāt, ſed appetere etiā, magnūq; pietatis fructū inde percipere videbātur. Neq; vero aditū ad multa pro ſe, rebuſq; ſuis conficiēda difficilē habuit, quæ magnis impedimētis ad id tēpus ſuſpēſa tenebātur. Decreta concilii quarto loco cū Epiſcopis celebrati, cū vt diximus, iā diu agitarentur, ipſe rerū ſingularum rationem ita reddidit ita quæ ſua eſſet decernendi ratio, quæ cauſæ: quæ ſpes exequendi demonſtrauit, vt omnia fuerint, & quidē amico plane animo demum cōprobata, nec ea ſolū, ſed quæ itē in quinto nuper fuerant conſtituta, qua quidē in re conficienda, rationeq; reddenda Antonii Senecæ Mediolanenſis Eccleſiæ Decani: & in ea diſciplina diu exercitati opera multū vſus eſt. Illud inſigne fuit, Gregoriū ipſum tanta occupationū Pontificiarum grauitate, Carolo tamen id dediſſe, vt omnia quarti concilii decreta ipſe legeret, atq; recognoſceret: cum alia præterea multa audire, iudicareq; neceſſe habuerit, de rebus ciuitatis, & prouinciæ Mediolanenſis, de querelis ciuitatis nomine habitis, de adminiſtrationis, atq; adeo vitæ ipſius ratione. omnia enim publica, & priuata diligenter ad eū Carolus tanquā ad patrē deferebat. Egit ē. de cōmunibus ſacræ iuriſdictionis cauſis, quas Alcanniſij Marchio, cū aliis adiutoribus ex altera parte agebat, ſed res cū eſſet maioris temporis, multorumq; curā, atq; operā deſideraret, nihil confectum eſt. Caroli acta Pontifex publicis querelis impugnata, comprobauit, moderatione tamen nonnulla quibuſdā in reb. demonſtrata. Itaq; ſuſpenſa, vel intermiſſa Carolus perfici, renouarive Mediolani, iuſſit, per Nicolaum Galeriū Parauinū canonicū, & iuriſconſultum, quo quidē grauibus in negotijs muneribuſq;, toto Eccleſiaſticæ adminiſtrationis ſuæ tempore, vſus eſt, tunc aūt generalē ſuæ poteſtatis Vicariū dederat: perq; Ioannē Fontanā Mutinenſem nunc Epiſcopū Ferrarīēſem: quem Archipreſbyterum Eccleſiæ Mediolanenſis fecerat, & eo tēpore primarium ſuæ gubernationis habebat adminiſtrū. Ita de ſpectaculis edicta rurſus proponi, ſaltationes coerceri, feſtorū dierū cultū conſeruari, ianuæ in eccleſiarū lateribus clauſæ haberi, alia confirmari, quæ in diſcrimen adducta erant, magnā piorū omniū iucunditate cœperunt. De ſaltationibus cum legiſſet Pontifex libellū, ab vno ex Caroli miniſtris eo tempore conſcriptū, conſtitutionē generalē de iis vbiq; feſto die penitus interdicendis promulgaturus erat, niſi ea iā ſcripta, nōnulli interceſſiſſent, quib. fidē habere Pontifex in eo rerū genere ſolebat. At Mediolani cū primū audiuit Gubernator, eiuſq; conſiliarii, quæ antea facere videbantur, à Carolo Romæ excitari, & non mediocrē fieri voluntatū inclinationē, enitendū ſibi vehemētius, legatoſq; tunc ciuitatis nomine mittendos ſtatuit, cumq; ſatis ſciret, quod conſiliū ſexaginta virorū ciuitatis ijs de reb. ſentiret, tentauerat enim, conuocato conſilio tamen, ſeu quaſi Decurionum conuentu, miſſoq; magno cancellario, cuius præſentia, verbaq; vrgerent, ægre, ſed perfecit tamen, vt non ſolū legatio decerneretur, ſed ij ēt legati, quos ipſe probaſſet, nobiles tamen, & ornatos viros quibus in re tali recuſandi poteſtas eſſe non ſolet. Ita ciues diſceſſere, vt palā multi, magno dolore conquererentur, paſſimque teſtarentur, ciuitatē Mediolanenſem quæ bonis Archiepiſcopis nunquā aduerſata erat, Caroli autē optimi Patris ſemper fuerat ſtudioſiſſima, coactā feciſſe, vt cōtra talē virū legationē Romā decreuiſſe dici vnquā poſſet. Cū legati anno M. D. LXXX ineunte Romā veniſſent, Carolus, qui perfectis iā rebus, & cū Pontifice conſtitutis, iā iam diſceſſurus erat, profectionē tamen ideo ſuā non diſtulit. tunc omiſit conſuetū multi tēporis officiū conueniendi Cardinales, & ſalutandi: reliquit autē ex ſuis, qui ſingillatim vnumquēq; adeuntes, omnib. ea de re ſatisfacerent. Sed vt aduentus antea, ſic non caruit diſceſſus egregiis ornamentis ſuis, nā præter plures Cardinales qui eum comitati ſunt, populus Romanus ſummis laudibus, optimiſq; precationibus magna frequentia proſecutus eſt exeuntē. Florentiā venit ad magnum Ducē Franciſcū, quo cū erat illi, ſicuti cū Patre præcipua quædā neceſſitudo: vt de reb. ſalutarib. cum eo, magnique momenti nonnullis ageret. Inde Ferrariā, Venetiaſq; venit, quibus locis grauiſſima quædā ad Dei honorē, catholicā fidem, ſacrorumq; immunitatem tuendā, erant ei mādato Pontificis itidem agenda. Quamuis aūt ille ad excludendā celebrioris ingreſſus pōpam, ignotis dieb. ſoleret aduenire, vix tamen celari poterat aduentus: & in eo tanquā viro excellenti, & Cardinali præſtantiſſimo honorando Principes, & ciuitates vſitatis honorib. nō contentæ, conſuetum modum plerumque tranſibant. Venetiis in Pontificij Internuncii domo, potius quā in magnificis ædibus à Senatu oblatis moratus eſt, quotidie tamen ampliſſimis munerib. de publico donatus, quæ viuendi ſumptum longe ſuperarent. Cum aūt Senatores ſalutatū domū veniſſent, eumq; ad Ducis palatium comitarentur, vias, plateas, ædium feneſtras, recta ipſa, populi concurſu, mirabiliter repleta fuiſſe narrāt, palatiū vero ipſum, ita plenum, vt niſi vi adhibita, Dux ipſe non poſſet per gradus obuiā illi deſcendere. Ibi omne tēpus à negotiis vacuum, in viſendis, pieque venerandis ſanctis corporibus reliquiiſq; poſuit, quas Eccleſia Veneta plurimas, inſigneſque habet, vnde complures particulas ab ædium ſacrarū rectoribus acceptas Mediolanū attulit, in quo tamē ex præcipua quadā religione, etiā Summi Pontificis aſſenſum poſtulauit. Quotidie quidem pij quamplurimi ad eius ſacrum conueniebant, vt ſanctiſſimam ab eo Euchariſtiā acciperent. Sed maxima omnium ordinum multitudo certa die ei rei dicta, in Eccleſia ſocietatis Ieſu conuenit, in ea Miſſa, rogatus à multis, & à Veneto Patriarcha Nuncioque Apoſtolico in primis, habuit concionem, quæ ſalutares eius diei, temporiſque fructus auxit. Præter ea, quæ propoſita in primis habebat, alia multa pro ſua ſumma auctoritate, præſentia ſua ſalutariter effecit. nam etiam Ferrariæ, & alibi, ſed quid enumero? quacumque demum tranſiret, in chriſtianis rebus plurimum proficiebat, atque tum ipſe attendebat vbique diligenter, ſi quid Domino, cui ſe totum dicauerat, animæque ſuæ poſſet amplius quærere: tum alii quoque, ſi quid eſſet, quod ad ſalutem animarum, diuinum honorem, inopiæ ſubleuationem, pertineret, auide accurrebant, & mire tanquam patri confidentes ſuppeditabant: aut vero ſolo exemplo excitati multa ipſi pie, religioſeque faciebant: quod ſemel dixiſſe ſufficiat. Eius cauſa clerus Venetus, qui more laico caputiis rotundis vti ſolebat, ea tunc quidem ſumpſit, quibus crucis figura formatis, clerici reliqui vtuntur. Et eius item monitu, Epiſcopi, qui circiter ſexdecim ad eum, quamdiu ibi eſſet, colendum, ſectandumque conueniebant, & pallia clericorum communia adhibere conſueuerant, aliis pro dignitate perſonæ vti cœperunt indumentis, quos etiam vt ad ſuam quiſque Eccleſiam, ſe conferrent, cum diutius multi abeſſent, Venetijſque fere habitarent, grauiter cohortatus eſt: ac ea de re Pontificis auctoritate moneri, iuberique eos curauit. Eo tempore apud ciuitatis principes actionibus ijs viam muniuit, quantum potuit, quæ in Brixienſis Eccleſiæ rebus recognoſcendis ei ſuſcipiendæ erant. Atque Venetorum res, atque animos eo ſtatu, ſibi viſus eſt reperire, vt de ipſa Eccleſia, non abs ſe quidem, qui plus ſatis negotiis diſtrictus erat, ſed ab alio Antiſtite Apoſtolica auctoritate luſtranda, & recognoſcenda cogitare, & cum Pontifice agere cœperit, quod munus poſtero anno Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, adnitente Carolo ſuſcepit.

Decreta quarti & quinti Concilii rationē reddit.

Acta Caroli à Pontifice cōprobātur.

Carolus noͤuis edictis iā antea tatē dicta, prohibet.

Gubernatori legationē Romā mittendā decernit.

Anno 1580. Legati Romā veniūt, & Carolus diſcedit.

Venetiis quid egerit.

IX. VENETIIS cum diſceſſiſſet, Brixiam recta proficiſci in animo habebat, & eius Eccleſiæ recognoſcendæ initium facere, quod neceſſariis de cauſis in id tempus diſtulerat: Sed erat de Dominicæ illius cultu retinendo ſolicitus, quam Mediolanenſis Quadrageſimæ caput eſſe, poſtremo etiam Pontifici probauerat, quo die item ſolenne illud ſacræ communionis conuiuium cum filiis ſuis cupiebat concelebrare. Itaque Mediolanum venit, ſexta ante ipſam Dominicam diem feria: vbi incredibile eſt, quantum gaudij, & iucunditatis, inuiſus ille dictus & intolerabilis, aduentu ſuo excitauerit in vniuerſa ciuitate. Hora igitur qua eum ingreſſurum audierant, frequentes fuere Mediolanenſes in viis, quibus erat tranſiturus, audito autem campanarum ſono, qui eo appropinquante, ſacri honoris cauſa, in omnibus Eccleſiis præſcriptus erat, repente concurſus fuit maximus, ita vt viæ amplæ, & longiſſimæ

Mediolanum venit & qua animi ſignificatione exceptus.

ab orientali porta vltima, ad maiorem Eccleſiam plane complerentur, immo quam plurimi extra muros prodire obuiam Patri deſideratiſſimo. Et mulier quædam pietati inſignis et dedita, moram, vt alii, non ferens, ad paſſuum duo fere millia progreſſa, vt Carolo propinqua fuit, muliebri vere cundia omiſſa, quaſi mentis minime compos, ſeſe ad mulæ pedes lachrymans abiecit. Igitur Carolo ingrediente, tum chariſſimum ab eo ſalutaris ſigni beneficium auide excipiebant, tum paſſim mares, fœminæque præ gaudio lachrymabantur: neque pias voces continebant. En venit, iam adeſt Paſtor noſter, quem negabant reuerſurum, plurimi reuerentia propemodũ ex abundantia gaudij, & amoris abiecta, niſi hanc maiorem ducere velimus reuerentiam, minime ſe à veſtimentis, aut iumento ſaltem tangendo cõtinebant, vt ſæpe circa Carolum conſtipati ſeſe inuicem comprimerent, alii non contenti ſemel vidiſſe, cruciſq; ſigura paterna manu ſignatos eſſe, præcurrebant, & rurſus expectabant, vt cumulatius explerent deſiderium ſuum: qua ſpecie religionis pleniſſima, publicaque amoris præcipui ſignificatione, neque alii multi, neque Carolus ipſe lachrymas tenere poterat. Recta venit ad Eccleſiam maiorem: ibi precatus, ad altare maius aſcendit, populo, qui vt in [illegible] mis celebritatibus templũ illud impleuerat, celebriter benedixit, & cũ gaudio, paceq; dimiſit. Honos, & cõcurſus [illegible], totus amoris, ac pietatis fuit, nihil fuci, nihil ambitionis, aut induſtriæ, ciuitatis rectores: aut principes, viri, ſi v[illegible] aut alterum excipias, nõ affuere, ne diſplicerẽt in eo Gubernatori, hæc ferè magnatũ eſt miſeria: vt humanis de [illegible] modo hàc modo illac impediti, piarum rerum ſæpe ſint expertes. Sed domũ poſtea ſalutariũ magna frequentia q[illegible] tunc primum veniſſet, non autem ſex tantum menſes abfuiſſet, ſine mora confluxerunt omnes, maxime cũ ipſe q[illegible]

Dominicã primæ Quadrageſimæ celebrẽ agit

Gubernator eiuſmodi minime defuiſſet officio. Multa Carolus, vt ſolebat Roma gregi ſuo attulit: nam præ[illegible] gl[illegible] los ſacræ indulgentiæ nomine inſignitos: alia cœleſtia dona, toti prouinciæ profutura impetrauit: iis qui concion[ibus], qui celebriori Miſſæ, qui veſpertinis precationibus feſto die intereſſent: qui ſignum parochiæ ſuæ, ſacerdotemq; [ſe]quentes, ordine ad Eccleſias, quando opus eſſet, pie procederent: alia, quæ literis Pontificiis editis continentur. De

Gubernatoris obſtinatus animus.

igitur dominico, de quo ſolicitus fuerat, ſummo mane, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ præbendæ operam dare cœpit: & in eo, quamuis adiutoribus adhibitis, continenter perſeuerauit, donec tribus horis tantum nox abeſſet, quo tempore ægre quidem, ſed tamen innumerabiles fere ſine cœleſti illo cibo dimiſit, cuius gratia tota die in Eccleſia manentes terreno caruerant, atqui eodem tempore in Eccleſiis quoque ſuis parochi eodem munere perfuncti erant. Cum ad eam horam perſeueraſſet, quaſi labore neque fractus, neque feſſus, Veſpertinarum tamen precum officio carere, quod ex veteri Eccleſiæ inſtituto, Pontificalem ritum poſtulabat, haud concionandi munus omittere noluit. Ita diei celebritas bene, pieq; admodum ei procedebat, vt ſacris ab aurora ad noctem perductis, clerus, populuſq; toto die in templo frequentiſſimus, plene tempus illud animæ daret, quod penitus ſolebat tribuere corpori. Sed Carolo concionante, noua turba, tubarum clangor, & ſtrepitus equitum ex propinquo palatio interuenit, conſtituerat Gubernator quamquam edictum, & pœna anathematis ſtatim poſt factam ſubeunda, iam Caroli iuſſu renouata erat, equeſtrem ludum eo die omnino committi: rogaueratque multos Mediolanenſes, neque impetrauerat, itaque leuis armaturæ equites ex agro Papienſi, homines aduenas, per eorum ducem, minime aduenam, & quod agebatur plane intelligentem, accerſiuit: & iis adhibitis, quando alia ratione non poterat, ludos fecit, ipſe cum filiis ſpectator fuit. Eam rem vxor pro religioſo animo ſuo moleſtiſſime ferens, cum viro perſuadere non poſſet, filiis ſaltem imperauit, vt omnino abſtinerent: ipſa vero eo tempore ad veſpertina ſacra conceſſit. Eum poſtea equitum ducem primo miſere vinctum, & paulo poſt, cum è carcere aufugiſſet, miſerius de improuiſo interfectum ciuitas vidit. Carolus in dolore, quem ex tali facto cœpit maximum, id ſolatii ſenſit, quod præclariſſimam eo die Mediolanenſes recti ſui ſenſus, apertiſſimamque dederunt ſignificationem, quam ciuitatem voluptatibus, & ſpectaculis eo tempore, dieque in primis, nullo modo poſſe carere, & vſque ad ſeditionem propterea Carolo aduerſari velle, etiam atque etiam affirmabant, ea ne regio quidem Gubernatori contra Caroli edictum obſequi voluit: & non modo cibis in Quadrageſima vetitis abſtinuit, ſed ipſum diem totum in Eccleſia religioſiſſime traduxit, quæ quidem laus non plebi tantum, aut fœminis tribuenda eſt. nam vel in ludis recuſandis patritij & equites communi patriæ religioni pulchre ſatisfecerunt, neque dubitandum, ſi ludus ipſe poſtea repetitus fuiſſet, quin vel ipſo exiguo ſpectatorũ numero caruiſſet, immo & milites ipſi fortaſſe, quantum poſtea perſpici potuit, parere libere recuſaſſent. Ad vindicandum eiuſmodi ſacræ auctoritatis, vt videbatur, contemptum,

Carolus cultũ Dominicæ primæ Quadrageſimæ tuetur

Carolus qui ludum feciſſent, auctoreſque faciendi fuiſſent, generaliter anathemate notatos propoſuit, neque enim facile militum nomina haberi poterant, cum ementita facie cucurriſſent: ſicuti neque facile poterat probari Gubernatoris, aliorumve iuſſus, ſpectatores autem Eccleſiæ ingreſſu interdictos ad normam edicti denunciauit. Quicunq; ſpectauerant, qui ſi conſuetos concurſus attendamus, pauci fuerunt, factum dolentes, ad Carolum ſtatim, eiuſve miniſtros, veniæ cauſa, etiam ex ipſa Gubernatoris domo omnes conuolarunt: facileque impetrarunt: quod non animo edicti violandi, pœnamque ignorantes, tantum ex curioſitate quadam acceſſiſſent, ex militibus, qui ludũ fecerant, multi ſupplices venerunt, idemque petierunt: quod nonnulli conſecuti cum eſſent: alii enim edictum ignorauerant: alii minis compulſi erant: Gubernator eos in carcerem trudi iuſſit: immo, & typographum cum eis, qui ſcriptum denuntiationis illius proponendum impreſſerat: iratus enim dicebatur, quod de ſuggeſtu ſe præſente illud recitauerat concionator, harum vexationum cauſam, ne res ad iudicium Eccleſiaſticum reuocaretur, aliam obtendebant, vulgo etiam ferebatur nonnulla Gubernatoris excuſatio: illam anathematis ſententiam valere non putaſſe, propter appellationem tempore edicti renouati interpoſitam, at Lupus mirifico animi ardore concionator Hiſpanus, & Gubernatorem priuatim reprehendebat, & publice magna libertate vociferabatur: nimis indignum eſſe, ſacram ſententiam paruipendi: palamque ipſi, eiuſque conſiliariis, ſacræque eorum confeſſionis miniſtris auctoritate diuina minabatur. Non multo poſt autem, tum qui carcere tenebantur, dimiſſi ſunt: tum quibus opus erant, facultate Iubilei nomine à Gregorio conceſſa, liberari pœnis Eccleſiaſticis potuerunt, quam conceſſionem Carolus, ſtatis ſupplicationibus indictis celebrauit, mox Brixiam contendit: eiuſque res Eccleſiæ cognoſcere iam tandem inſtituit, ac ad poſtremos Quadrageſimæ ſanctos dies, Paſchalemque celebritatem cum grege ſuo, agendam, reuerſus, Gubernatorem domi ſalutauit, ob id in primis, vt hominem de ijs quæ commiſerat patrio animo moneret, corriperetque. Fecit grauiter, vt res poſtulabat: ea oratione homo viſus eſt affici vehementer, & tanquam ſtupens ſublatis oculis, Magnum eſt, inquit, ea induci in Mediolanenſium mores, quæ ſeruantur alio loco nullo, at eo magis lætandum erat, quo religioſius

Brixienſem Eccleſiã incipit recognoſcere.

Brixiam cõ deſcenſurus Gubernatorem ſalutat.

præcipuo Dei munere Mediolanenſes, perfectiuſque, pro naturæ ſuæ bonitate, ardoreque Paſtoris viuerent, gratias tamen is Carolo egit, & abeuntem honore etiam maiore, quam ſolebat proſecutus eſt: cuius aſpiciendi poteſtas ei in poſterum futura non erat etenim multos iam dies haud bene valebat, cordis quodam cruciatu quandoque angebatur: & nonnunquam viribus, ſenſibuſque deſtitutus concidebat, febris demum vehemens illum celeriter confecit, de quo morbo paulo poſt feſtum Paſchatis, Carolo Brixiam reuerſo cum nunciatum eſſet, de eo coram iuuando, præſertim, ſi quo animæ vinculo ob ſuperiora facta teneretur, amanter cogitare cœpit, cumq; [illegible] nonnullos qui aderamus ea de re conſuleret, à tam inſigni charitatis officio, minime abducendum exiſtimauimus. itaque is ad curſum diſpoſitis vſus, quoniam ſumma feſtinatione opus erat: paucis horis paſſuum ſexag[illegible] itinere confecto, Mediolanum venit, rectaque ad hominem iacentem accurrit, eum [illegible] pro[illegible] [illegible]que, quod perſpici poſſet ſenſu, cum offendiſſet, manſit ibi tamẽ, donec efflaret animã. eaq; ei omnia præſtitit, quæ tali caſu ab amantiſſimo [illegible]

ſticam Epiſcopo ſed parocho poſſent expectari, vxori deinde, ob magnam præſertim eius pietatem, & filijs, quantum potuit, nullum à ſe officium ad leuationem, ſubſidiumq; deeſſe paſſus eſt, mortui animæ ſanctiſſimi ſacrificij, quod ipſe fecit, ſtatarumq; precum celebritate vnà cum ſuorum canonicorum collegio in templo Pacis, vbi ſepeliẽdus erat, ſuffragatus eſt, in media Miſſa, cadauere in conſpectu poſito concionem habuit de morte, deque humanarum rerum conditione: quæ officia, & nobiliſſimo Principi honori, & Carolo magnæ laudi fuere.

X. Carolo Roma profecto, oblatus eſt rurſus Pontifici libellus, in quo querelæ omnes de Caroli actis continebantur, & huc fere tendebant, vt oſtenderent, Carolum multis præſcriptis, iuſſiſque populum Mediolanenſem intoleranter premere: ſancti Ambroſij inſtituta (diem illum primum Quadrageſimæ ſignificabant) tollere, infamiæ, atque adeo impietatis notam inurere ciuitati, cui ſeruandæ tot remedia neceſſaria viderentur, ad quæ breuiter Carolus, modeſtiſſimeque ſingillatim reſpondit: quę ageret, Mediolanenſibus eſſe facilia, plurimis etiam iucunda: ſummo ſtudio Ambroſiana inſtituta ſeſe obſeruare, & tueri: vt gregem ſuum, quod eius optima natura ferebat, poſtulabatque, optima diſciplina inſtitueret, curaret: id non dedecori, aut infamiæ illi, ſed ſummæ laudi eſſe, ac ſaluti, omnia idoneis argumentis demonſtrauit. Sed Pontifex quoque, tota negotiorum eiuſmodi ratione iam bene cognita, ipſe pro Carolo, notis manu ſua libello appoſitis, reſpondit: neque vnquam ab eo abduci potuit, quod præſente Carolo decreuerat. Cum autem id legati ſæpe memorarent, res Mediolanenſes, aliorum locorum, Romæ præſertim ſimilitudine habendas: ea de cauſa extimatum eſt, conſuetos curſus ad pallium quoddã conſequendũ, alioſq; ludos eiuſmodi, qui Romæ ante Quadrageſimam fiebant, iuſſu Gregorij tunc eſſe ſublatos, quo etiam tempore Pontifex ipſe, dum per eos dies alij voluptati ſeruirent, ſtatas ſeptem Vrbis Eccleſias cum multis Cardinalibus religioſe viſit. Sed literis ciuitatis nomine Pontifici miſſis ita Pontifex reſpondit.

Legati Mediolanẽſiũ Pontifici libellũ offerũt.

Reſpondet Carolus libello.

Idem facit Pontifex.

Gregorivs Papa XIII. Dilecti filii, ſalutem. Ex veſtris litteris, quas ternas diuerſis temporibus accepimus, atq; ex ſermone oratorũ veſtrorum, cognouimus ea, quæ de decretis dilecti filij noſtri Caroli Cardinalis ſanctæ Praxedis, eiuſdemq; Paſtoris veſtri, nos ſcire voluiſtis, quæq; exponi veſtræ ciuitatis, ac prouinciæ multum intereſſe exiſtimatis. Quod illius innocentiam, integritatem, vigilantiam, Dei gloriæ, atque animarum ſalutis zelum in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda, & tuenda agnoſcitis, recte, ſapienterque facitis, ſic enim debitũ virtuti teſtimoniũ tribuitis: dumq; talibus factis lætamini, veſtram quoque pietatem, ac Dei timorem declaratis. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, inquit Propheta, idq; magno cum fructu: reddit enim hæc lætitia vos eiuſdem cum Paſtore veſtro coronæ participes. Sic enim Abraham pollicitus eſt Dominus, Benedicentibus tibi benedicam, maledicentibus maledicã, & quãquam veſtra, bonorumq; omnium opinio, non ſinebat nos ſuſpicari quicquam à Paſtore veſtro grauius, aut ſecus quã par eſſet, decretum fuiſſe, tamen querelas expoſitas bonam in partem accipimus, laudamuſque veſtrum conſiliũ eas ad nos deferendi, noſtroque iudicio ſtandi: ſic enim facere decebat filios optimos, atque huic ſanctæ Sedi addictiſſimos, quo nomine ſemper vos amauimus. Vt igitur veſtræ poſtulationi ſatisfaceremus, conſiderauimus omnia quam diligentiſſime: & quia rationi maxime conſentanea, vobiſque ad ſeruandum ſalutaria, & fructuoſa eſſe iudicauimus, hortamur vos, vt ea prompto, atque alacri animo amplectamini, ac non modo nihil obſtetis, ſed veſtris etiam ſtudiis, auctoritate, opera, executionem adiuuetis: nos enim Cardinali ipſi in omnibus mẽtem etiam noſtram aperuimus, & declarauimus: Neque verò ignoramus poſſe decreta ipſa in hoc initio videri nõnullis paulo duriora, ſed euadent ſuauia, ac facilia, ſi bona voluntas acceſſerit, quam debet quiſque à Deo poſtulare, certiſſimeque expectare: anguſta, atq; aſpera via eſt, quæ ducit ad vitam, ſi corruptam ſcilicet naturam ſpectemus: at ſi Dei gratiam, Iugum meum ſuaue. Vbi vero ad obediendi voluntatem vſus etiam acceſſerit, experientur homines leuiſſima eſſe ea, quæ initio ducebant grauiſſima. Maxime autem debet omnes conſolari optima Paſtoris voluntas: nihil enim aliud laborat, niſi de gregis ſibi à Deo commiſſi incolumitate, & ſalute, quam etiam ſuæ ipſius vitæ ſemper antepoſuit, tanta cum charitate, quantam omnes perſpexiſtis. Committite vos igitur iis manibus, quas veſtris commodis, & ſaluti paratas, atque inſeruientes grauiſſimis temporibus experti eſtis: animumque inducite, talis, tamque veſtri amantis Paſtoris decretis acquieſcere, inque eo gratiſſimum vos Deo facere, veſtroque officio ſatisfacere exiſtimate. ſic enim fruemini ea pace, quam Chriſtus tantopere commendauit. Reſcriptum legati non reddiderunt: ſed exemplum eius cum in cõſilio ciuitatis Carolus recitari curaſſet, Decuriones, quibus nihil minus cordi erat, quam ea legatio, quiq; acta Caroli, piosque conatus, non infringi, ſed confirmari volebant, neq; reſponſum à legatis exegerant, & Pontificias literas, vt gratas, & iocundas, qua decebat reuerentia, & obſequendi voluntate acceperunt.

Põtificis reſponſum ad Mediolanẽſiũ literas.

XI. Erat eadem Philippo Rege Caroli opinio, vt quæcunque à Regiis adminiſtris in Mediolanenſium moribus, ad Chriſtianæ diſciplinæ normam dirigendis impedimenta, difficultateſque incurrerat: quaſcunque contentiones, oppugnationeſque ſuſtinuerat, ea ſibi minime euentura fuiſſe confideret, ſi cum Rege ipſo nemine intercedente agere potuiſſet. Si quid durius ab eodem fortaſſe viſum eſſet emanare, ſi quid minus potuiſſet obtinere: id aliorum vitio factum eſſe, qui res pro turbido ſuo ſenſu, animoque perturbato, corrupte referrent: Regiſque, & conſilij eius animos in Carolum incendere ſtuderent. Vt eiuſmodi vitaret incõmodum, per Nuncios præſertim Pontificios, ſæpius, quæ accidebant, quæ ipſe ſentiret, quæque fieri oportere indicaret, ad Regẽ retulerat, ſed quoniam publicis internuncis, aliiſve agentibus, qui vſitato modo negotium procurarent, res ipſa vt erat ſatis perſuaderi non videbatur, & negotia ſemper ad conſilium recidebant, ibique ciuili quodam iudicio plerumque oppreſſa interibant, diu in animo habuit, ſacri ordinis hominem mittere, qui ſimplici quadam ratione, & à conſuetudine cæterorũ negotiorũ ſeparata viens, ſemel veritatem rerũ omniũ ſincere, ac religioſe exponeret: Caroli ipſius animũ, & conſiliorum, ſtudiorumq; intimã rationẽ aperiret: quæ item nominatim referri oporteret, quæ auxilio Regis indigerent, ea proponeret. Id genus agendi, Regi ſperabat pro eius bonitate probatũ iri. Huiuſmodi conſiliũ cũ ad eã diem diſtuliſſet, fecit Gubernatoris noua contentio, quæ nimiũ iã extra modũ proceſſerat, vt aliã morã interponere nollet, præſertim quia viri ſapientes ita cũ eo cenſebant. Carolo igitur huius hiſtoriæ ſcriptore ad eã rẽ vti conſtituit, quẽ ante Gubernatoris ægrotationẽ ad id inuitatũ, neq; mortis tempore plene inſtructũ, poſt mortẽ nihilominus miſit, quia non huius ſolius, ſed omnium Præſidum etiam futurorum cauſa, miſſio illa neceſſaria videbatur, rem omnem ſecreto haberi conſtituit, ne quid contra quiſquam moliretur. In finibus Luſitaniæ Rex in vrbe, cui Pax Auguſta nomen eſt, morabatur, eo Carolus cum perueniſſet, prid. Nonis Auguſti, Regis adeundi, & alloquendi facultatem quærit: reſpondetur, niſi magna cum breuitate id fieri non poſſe, Regem in poſſeſſione Luſitani regni adipiſcenda die, nocteque eſſe occupatum. demum impetrat, vt Regi nuncietur clericum Italum adeſſe, qui ſe ad eum literas, mandataque habere de rebus magni momenti affirmet, petatque vt in eius conſpectum modo venire liceat, ibi redditurum literas, & à quo, quamque ad rem miſſus ſit, paucis dicturum: de cætero facturum, quod iuberetur. Cum Rex conſenſiſſet, tertio poſt aduentum die, clericus introductus breuiter vnde veniat, & genus mandatorum exponit: à Rege ipſo audiri poſtulat, idque antequam nouus Gubernator prouinciæ Mediolanenſis deligeretur, tradit literas, capſulam offert, in qua dimidiatum corpus infantis, ex ijs, qui Herodis iuſſu olim, infantis Chriſti Domini cauſa occiſi fuerant, Mediolano allatum, decorè continebatur. Sacras reliquias Rex collaudat, flexo genu cũ clerico veneratur, vultuq; pie admoto tangit, quaſi crucẽ formans, tũ clericum gratias agere Carolo iubet de tali mu-

Caroli conſilium de legato Regi mittendo.

Carolum à Baſilica Petri Regi legatum mittit, qui de ſuis, miniſtrorũque regiorũ reb. plenè doceat.

Medietatẽ corporis infantis ab Herode interẽpti eidẽ offert.

Caroli à Baſilica Petri relatio.

tali munere, & in ſcriptis, quæ agenda haberet, afferre. Clericus quæ poſſet ſcripta ſeſe allaturum reſpondit, ſed plura etiam fuiſſe mandata, quæ referret verbis. quæ dediſſet lecturum, quæque dicere vellet mox etiam auditurum, benigne admodum Rex pollicetur. poſt triduum Clericus quæ ſcribi poſſe exiſtimauerat, ea ad Regem affert: quibus ille acceptis, iubet etiam dicere. Clericus cur eiuſmodi ordinis hominem, & in eo potiſſimum tempore Cardinalis miſiſſet, aperuit, nullo patrono, vel adiutore, immo nullo conſcio, regium ipſum conſpectum ſe recta petiiſſe: vt ita diuina tantum ſpectari, Deo cauſam agi, nihilque eſſe in toto negotium artium humanarum: ſatis intelligi poſſet, nõnulla de Cardinalis mente, conſiliis, animoque in Deum, in Eccleſiam, in Regem ipſum commemorauit, tum obſecrauit, vt cum talis cauſa tali ratione ageretur, ne ad publica conſilia, neve ad ciuilis prudentiæ homines deferri vellet, ſed ſecum haberet, aut cum religioſis tantum viris iuberet communicari. Addidit, quæ hoc modo breuiter perſtringi poſſunt: De iuris, poteſtatumque controuerſiis nihil ſe dicturum, eas Cardinalem iudici ſummo relinquere, Romæ dirimendas, quibus ſatisfeciſſe crederet, cum eccleſiæ argumenta, teſtimoniaque tantum iuſſiſſet ſuppeditari, de moribus, de ſpirituali diſciplina, de progreſſu pietatis populi Mediolanenſis, de diuino honore, gloriaque ſeſe acturum. horum cauſa dolere Cardinalem, & conqueri, cum plurima quotidie magiſtratus impedimenta rebus iis afferrent, quæ ſalutariter, ſingularique adeo virtute Mediolanenſes alioqui facere poſſe, multis argumentis, factiſque ipſis clare demonſtraretur. Boni plurimum illos diſturbaſſe primo, ſi non de iuriſdictione controuerſiis excitandis, quod tamen ipſum epiſcopalis adminiſtrationis vim, cum multorum ſalute coniunctam, non parum retardauerat, at earundẽ certe cauſarum agendarum ratione, tum contentionibus ſtudioſe faciendis, omnino ijs committendis, quæ ad epiſcopalem dignitatem, & eccleſiaſticam auctoritatem offendendã, ſacraſq; ſententias contemnendas ex ſe pertinerẽt: quod quidem vel maximum eſſet viæ ſalutaris impedimentum. Vi pro iure adhibita, eccleſiæ miniſtro manum inieciſſe, inuſitata aſperitate publice quaſſato exilium denunciaſſe. Terribili edicto promulgato, licet alio verba ſpectare viderẽtur, re ipſa forum Eccleſiaſticum ſcribis, notariis, miniſtris omnibus ſpoliatum fuiſſe. Quas res facientibus imminetet anathematis pœna, eas ſæpius attigiſſe, eadem affectos pœna, neque conſuetudine reliquorum, neque rebus agendis, vt ius, faſq; erat, abſtinuiſſe: publicis factis quodammodo profeſſos, non timere ſe grauiſſimam Eccleſiæ pœnam. Multa eiuſmodi narrare poſſe ſingillatim, quæ tamen putaret iam ad regias aures perueniſſe. Diſcere ſuperiorum exemplo nimis facile licentiam, & contemptionem eiuſmodi, inferiores, ita neque improbos contineri, neq; imbecilles animos ſuſtineri poſſe. Plurima facta ſuppetere, quibus, vel impedito Præſulis officio, improbis peccandi licentia relicta erat, vel propoſito Magiſtratuum exemplo, ex priuatorum audacia, contumaciaque, deſpecta fuerat, ſacroſancta fori Eccleſiaſtici auctoritas, & rebus, perſoniſque ſacris vis illata. Sed vel pauca ſatis, ſuperque eſſe; prorſus inaudita, & tali tempore, taliſque Regis imperio indigniſſima. Quomodo enim remoto Magiſtratuum exemplo, vel potius auctoritate, pauci clerici tantum animi, atque audaciæ ſumpſiſſent, vt Antiſtiti ſuo Cardinali publice reſiſterent, ſicarios diſtrictis gladiis obijcerent, detruderent Eccleſia, & pene præcipitem agerent: & præterea etiam publicis ſcriptis notare auderent? quomodo imbelles homines contra eundem coniuraſſent, teterrimuſque apoſtata tantum facinus ſuſcepiſſet, vt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ſacris occupatum tormento conaretur tranſuerberare, vt nihil diceretur de ſceleribus, quæ nonnulli, presbyteris etiam in ipſa eccleſia cædendis, commiſiſſent. Non longe abeſſe perditos mortales hæreticos, immo etiam ſæpe adeſſe commercii cauſa, quibus Eccleſiaſticam potiſſimum auctoritatem deſtruere propoſitum eſſet, vt eo quaſi fundamento diſturbato, omnis diſciplina, pietaſque corrueret. Quidnam cauſæ tandem eſſet, vt tantum contentionis, & pugnæ iuriſdictionis cauſa ſuſciperetur, non ſatis intelligi, ſed tamen ita eſſet, vt magiſtratus videri volebant: quid ad iuriſdictionem, nouas ſemper aduerſandi, calumniandique cauſas quærere: ſic cum ſacro Paſtore, patreque, vt cum aduerſario, vel hoſte fere ſe habere. regiæ rei nomen ad remotiſſima trahere: perturbatiſque animi ſui motibus ſemper obtendere, id quod inter alia Cardinalis non mediocriter doleret. Ita iactatum palam, Cardinalem viam ſibi latenter parare ad ditionem Mediolanenſem occupandam, eum ſcilicet, qui opibus abiectis, poſthabita hominum gratia, totum ſe Deo dicaſſet. Suſpicionem verbis tantummodo elatam, nimis indignum erat, at ab ipſo Præſide prouinciæ factis fuiſſe confirmatam, arcem Aronenſem propterea Borromeijs ereptam, fideliſſimamq; Regi familiam quodammodo notatam, id vero quale eſſet, grauiſſimo Regis ipſius iudicio relinqui. Non abſimili nomine piorum hominum ſocietates eſſe diſſipatas, quaſi exercitum quendam ſibi ex ea pia, imbellique multitudine Cardinalis ſibi compararet, quæ cum in ſacris ædibus ornandis, ſacroque cultu honeſtandis, antea curam, operam laborem, pecuniam pie poneret, dieſque Deo dicatos, bene factis, precationibuſque ſacris obeundis conſumeret: ad otium, gulam, luxuriam, malas omnino artes magna ex parte conuerſa, & dilapſa erat, in qua quidem vaſtitate, cum piis omnibus dolendum eſſet vel maxime, dixerunt quidam tamen gaudentes, repertum tandem, quod Cardinalem in corde acriter pungeret: quaſi clare aperientes, quod obſcurum alioqui magnopere non erat: non quæ regio imperio vſui eſſent, curari, ſed quæ Cardinali eſſent iniucunda. Ita choreas, & ſaltationes quas iam fere ſacrorum hominum cura, & labor excluſerat, deleueratque, reſtitutas, & defenſas: vnde rixas, homicidia, turpes amores, quotidie proficiſci: non modo vſus doceret, ſed Gubernatorum ipſorum edicta demonſtrarent, quibus expreſſa multorum, grauiumque malorum cauſa, olim ea prohibitæ fuerant, ita ſacros dies, qui ob animæ commodum, ac ſalutem ſunt, inſtituti corpori, voluptatique datos: mares, fœminaſque innumerabiles à rebus animo fructuoſis, ad pernicioſas voluptates abſtractas. Eo veniſſe poſtremum Gubernatorem: vt contra edictum Cardinalis, anathematis ſententia munitum, ipſo dominico die, & eo, qui caput eſſe Quadrageſimæ declaratus erat, ludis equeſtribus operam dare Mediolanenſes curauerit, cum id impetrare non potuiſſet, induxiſſe, ac pene coëgiſſe ad id homines exteros: ipſum vna cum filiis aſtitiſſe. Si hæc omnia fortaſſe publici iuris, poteſtatiſque tuendæ ſpeciem aliquam habere viderẽtur: etiam ad longinquiora multo, indigniorq; Principem veniſſe: quæ nullo modo poſſent conſueti nominis integumentis inuolui. Ciuitatis Decuriones nihil eiuſmodi cogitantes, & ab iis contentionibus alienos, ſolicitaſſe, impuliſſe, vti multa quæ Carolus vitiorum reprimendorum, pietatiſque augendæ gratia fecerat, ad Pontificem deferrent, eaq; veluti iniuſte, vel ſine cauſa, & cum ciuitatis magno incommodo facta, reſcindi poſtularẽt, compulſos ſemel, atq; iterum per literas facere, demum pene coactos, nobilem legationem magno ſumptu Romam mittere, cum querelis, vndiq; ſtudioſiſſime conquiſitis. Inuitatos, inſtigatoſq; multos, vt querelas contra Carolum, eiuſque presbyteros per diœceſim Vicarios afferrent; eorundem actiones examinatas diligenter, inueſtigatumq; ſi quid aliquo modo ipſi, aut etiam vrbani Vicarii offendiſſent, ſi ex clero, ſi ex cœnobiis etiam muliebribus eſſet, qui Archiepiſcopi ſui præſcriptionibus vellet contradicere, eius cauſam prompte ſuſceptam, ſtudioſe defenſam, quæ omnia licet regii iuris conſeruandi, defendendi, ve ſpecie nullo modo poſſent honeſtari: quia tamen regiorum miniſtrorum fuerant conſilio adminiſtrata, ſtudio procurata, patrocinio defenſa, regio nomine acta viderẽtur, idq; eo indignius, quo regia mẽs ab ijs omnibus eſſet aliena, de quo Cardinalis nihil dubitaret. Ne illud quidẽ prætermiſſum, vt cõcionatores, honore, gratia frequentiq; conuentu allectos inducerent, qui recte ſenſus hominũ voluptarioꝝ defenderẽt, Caroliq; rebus obtrectarent. Ita quantum in ipſis fuiſſet, omniũ ordinum animos ab Epiſcopo ſuo auertiſſe: acta, conatuſq; omnes euertiſſe, nihil reliqui feciſſe: magnam re ipſa, imbecillis animis præſertim, attuliſſe offenſionem, maximumq; detrimentum: ſi totius ciuitatis perturbator vere fuiſſet, vti quandoq; fuerat ab aduerſariis appellatus, durius agi fere non debuiſſe,

quid ſi-

quid ſimile vnquam Cardinalis in eos? tantæ oppugnationis quid culpæ ſuſtineat, eum neſcire, niſi illud vere ſciret, ob vitæ ſuæ errata, multo ſe atrociora, quam ea quæ Dominus permiſerat, commeruiſſet, quantū quidem perſpicere, & à Deo aſſiduis precibus ſuis, alienisque conſequi potuiſſet, id fieri ſemper, eamq; rationem omnibus in rebus adhiberi ſtuduiſſe, quæ Deo gratior videretur. De eius mente, ac voluntate, de dominandi, alienive vſurpandi cupiditate, quid poſt talem, tot q; annorum Antiſtitis vitam, demum ad talem Regem opus eſſet, pluribus? De legitima iuſtaque agendi ratione ſua, id affirmare Cardinalem, non pepercisse ſe vnquam ſumptibus, vt viros doctos & grauiſſimarum rerum vſu exercitatos, tum pios quoq; id quod noſſe omnes poterant: apud ſe haberet, quorum iudicio, & ſententia, omnia recte, caſteq; gererentur. De moderatione agendi cum magiſtratibus, aliiſque laicis hominibus, de ſeruando modo, ad eos retinendos conciliandoſque accommodato: quantum ſibi conſcius eſſet, id ſtudioſe curaſſe at multa ſæpe non incommode minus, quam temere iactari, ſi quid decerneret Cardinalis, ſi anathematis ſententiam ferret, ſi paulo liberius agere videretur, id vbique diſſipari, prædicari, augeri ſermone. libere omnis, atque auſtere factum, ſubito ſacræ poteſtatis gladium diſtrictum, neſcire autem homines, quæ quantaque is diſſimulaſſet: quid prius priuatim rogaſſet, hortatus eſſet, etiam atque etiam monuiſſet, quæ ſi palam fuiſſent, diuerſam opinionem omnino futuram. Enumeraturum ſe multa, & grauia facta, ſi Rex iuberet, in quibus iniuriam Eccleſiæ Cardinalis diſſimulaſſet, hominibuſque turbide commotis condonaſſet, quotieſcunque Eccleſiaſtico gladio vſus eſſet, eum videri ſibi feciſſe coactum, quia ſine grauiſſima culpa Eccleſiæ ſuæ ius non poſſet deſerere, quod tueri etiam ſingillatim Pontificia auctoritate iuberetur. Non ignorare Cardinalem, multa molli potius brachio, cohortationibuſque curanda, & efficienda, quam iuſſis, pœniſque infligendis, at ob contumaces, perditoſque, qui non exiguo numero his temporib. vere piis, chriſtianiſque permiſti ſunt, iuſſis etiam ſæpe, animaduerſionibuſque agendum. Vnum ei modum cum id ſedulo cogitaret, tandem videri, vnamq; rationem ſatisfaciendi magiſtratibus, paciſque, & quietis, vt vulgo putatur, conſeruandæ: cohortari, obſecrare, ſi recuſaretur, cedere, ius ſuum remittere, quod tamen ſemel factum, iterum paulo poſt, & in re grauiori eſſet faciendum, & eodem modo deinceps: vt abiecta demum paſtorali virga, celeriter ipſa quoque vox paſtoris prorſus contemneretur. De rebus ipſis, quæ is ad populi ſalutem inſtituiſſet, partim, vtrum quæ fierent ad rem pertinerent, & vere apta eſſent ad fidelium vtilitatem, partim eſſent ne iuſte, legitimeq; facta, & iudicata, haud difficulter exiſtimari poſſe, primo quidem ex ratione, maiorumque exemplo, ſi locus daretur: deinde iudicio Pontificis: qui vel ipſis literis, monitiſque ad ciuitatem datis, ſatis oſtenderat quid ſentiret: ſæpe etiam ipſo regio iudicio, cum vera nunciata ſunt. Sed euenta quoque ipſa, & fructus ex aucta populi pietate perceptos, magno eſſe argumento, quæ quidem mallet Cardinalis Regem alia via cognoſcere. Si in tanta Magiſtratuum alienatione, clerus populuſque id profeciſſet, quod omnium bonorum opinione, prædicationeque ferebatur: iudicari poſſe, quid facturus eſſet iiſdem fauentibus. Non eſſe inuoluendum ſilentio, quod plurimorum ſententia ferebat exiſtimatum: multos diuino iudicio morte mulctatos, qui ſacrum anathema paruipenderant, vel Eccleſiæ auctoritati ſtudioſe fuerant aduerſarii: quæ quidem exiſtimatio tum numero mortuorum, tum conditione, rationeque mortis confirmaretur. Dictitatum etiam à nonnullis qui videri vellent æquiores, Cardinalem, quamuis piis, ſalutaribuſque inſtitutis, nimis tamen populum vrgere, & præſtantiore, ſeueriore que diſciplina premere, quam multitudini conueniret, ſed in eo genere Cardinalem affirmare, fidemque, vt de re ſpectata, & bene cognita facere, populum Mediolanenſem à voluptatibus, & vitiis ad ſalutares exercitationes, & ad alia, quæ nimis exquiſita, & perfecta quidam appellarent, traduci poſſe, idque non modo ſine publico tumultu, quem ſine cauſa aduerſarii ſæpe commemoraſſent, ſed magna etiā omnium ordinum conſenſione: ſi modo ij non impedirent, quorum erat officium adiuuare potius, & fauere, optime tenere Cardinalem, quid de Mediolanenſibus ſuis poſſet polliceri. Quod ſi etiam aliqui ſe difficiles præberent, quemadmodum pro humana conditione neceſſe eſſet: propter paucorum contumaciam non eſſe tamen deſerendos omnes. immo conandum, vt ipſi quoque ad ſanitatem reducerentur. Cogitari poſſe, quale illud eſſet, nolle rectores ciuitatis, vt populus vltra vſitatum quendam, communemque modum in chriſtiana diſciplina proueheretur, ſi poſſet, & facile poſſe: vt in ſingulis hominibus, ita in ſingulis populis variam eſſe poſſe vitæ rationem, diuerſumque virtutis gradum: dediſſe Deum Mediolanenſibus, quod aliis fortaſſe non dederat. Epiſcopi eſſe neceſſarium officium, animas ſibi commiſſas velle, ſtudere; virtutis, pietatiſque ſummis ornamētis eſſe inſtructiſſimas, eodem quoque rectoris laici munus referri, ſi modo recte pieque res penderetur. Petere Cardinalem à Regia pietate, clementiaque per Chriſti Domini cruciatus, effuſumque ad ſaluandas animas inæſtimabilis pretii ſanguinem, prouideret in reliquum tempus, vt non ſolum non impediretur, oppugnareturve, ſed in conatibus, laboribuſque animarum cauſa ſuſceptis ſubleuaretur, id maxime decere tam illuſtrem tanti Regis pietatem: cuius nomine alio quidem loco, in perfidos Catholicæ Eccleſiæ perfugas pie, fortiterque bellum geri, a suis autem contra Dei miniſtros, actaque populis ſalutaria pugnari, nimis indignum eſſet. Mentem ſuam plane declarare vellet, eaque mandare, ex quibus rectores prouinciæ, magiſtratuſque intelligerent, ad regiam rem, Regis ipſius iudicio, minime pertinere, immo contra illius eſſe voluntatem contentionibus eiuſmodi, vel quoque nomine illæ appellandæ eſſent, ſeſe dare: neque retinendi tantum imperii, vectigalium conſeruandorum, iuris dicendi ſe eſſe adminiſtros, ſed morum etiam regendorum, conſeruandę pietatis, & augendæ, quantum quidem tum pro ſua auctoritate ipſi facere, tum in reliquis ſacerdotes Dei adiuuare, eorumque ſtudiis fauere, ac inſeruire poſſent. Recordari Cardinalem qua conditione Dominus ſuos inuiſaret, curas, dimicationes, perpeſſiones, ſæpe etiam cruciatus iis ſubeundos, ſeque quod diuinæ opis robur eſſet, ad id paratū eſſe, cupere tamen in tali Principis ditione, & ab eius adminiſtris non ſuſtinere, quin etiam omnino ſibi curandum, ne per alicuius peccatum ea vnquam ſuſtineret, nemini penitus eum concedere, qui regiam poteſtatem, auctoritatemque in imperio Mediolanenſi ſaluam vellet, debere hoc iuſtitiæ, Deoque, debere iuſtiſſimi Regis pietati, debere patriæ, ſibique ipſi qui ſub illius imperio natus, & ab eo varie, multumque vna cum patre, fratreque ornatus, eidem ſe, quantum per fidem, officiaque ſummo terræ, cœlique Imperatori debita liceret, omni tempore gratum præſtare vehementer cupiebat. In moribus Mediolanenſium recte pieque, vt quidem voluerat, moderandis, multo ſe magis regiæ rei, dominationique tribuiſſe, quam qui minuta quædam tanto ſtudio in lictoriis obſequiis apparitoriſque eccleſiaſtici fori ſine cauſa perſequerentur: qui contra potius tantum ex regiis rebus detraherent, quantum Dei miniſtris incommodarent, quo magis fideles Chriſto Domino, populi forent: eo fideliores etiam ſuo Regi noſtro, Catholicoque fore. Addidit Clericus ex omnib. quæ tetigiſſet, alia quidē ſatis eſſe, ſi teſtata eſſent apud Regiū animū, vt quid ſibi credendum poſthac, quid reſpondendum, quid mandandū eſſet, in rebus ad Eccleſiam Mediolanenſem pertinētibus: apud ſe pro pietate, iudicioque ſuo ſtatueret: ex quibus, ſi quid explicatius, pleniuſve cognoſcere vellet, ſe præſto futurum, argumenta, ſcriptaque ſuppeditaturum. Alia vero, in quibus facto opus eſſet, quæque à Regia benignitate opem expectarent, ſeparatim deſcripta, fuſiuſque in oblatis libellis ex, licata tam tradidiſſe, vel ab impugnatione magiſtratuum liberanda: vel eorundem auxilio perficienda: vel ab ipſis omnino impetranda, ſeſe iterum Cardinalis verbis ſuppliciter petere, vt ea omnia, conſilio, iudicio, ſapientiaque expenderet, ac ponderaret ſua: aut certe non vulgaris ſenſus, pietatiſve homines adhiberet in conſilium. Ea Rex attente cum audiuiſſet, habere ſe Cardinali gratiam dixit, quod ea declarata ſibi eſſe voluiſſet: habiturum ſe eorum rationem: quædā plenius cogniturū:

commu-

communicaturum etiam quæ opus eſſet, cum idoneis viris: ſignificaturum poſtremo, quid Clerico ipſi faciendum eſſer. Poſt paucos dies nunciari iuſſit, delectum à ſe Didacum Claueſium ordinis Dominicani, qui ei à ſacris confeſſionibus erat, cuius opera in propoſitis rebus plenius cognoſcendis, conſilioque in earum deliberatione vteretur: cum clericus adiret, & cum eo diſſereret. Didacus pro ſua prudentia de vnaquaque re propoſita, cum diligenter dies complures egiſſet, & clericus eſſet dimittendus: interuenit Regis ægrotatio, quæ illum multos autumni dies, magno cum vitæ diſcrimine tenuit, vt victi Antonii, receptæque paulo ante Vlyſſiponis lætitiam Dominus morbi dolore, vitæque regiæ periculo compenſare velle videretur, vix morbo liberatus, negotium rurſus admiſerat, diemque dixerat, quo die clericus abiturus in eius conſpectum veniret. Sed Annæ Reginæ caſus, quæ cum partu ſeptem menſium obierat, adhuc profectionem clerici impediuit: non enim licebat in luctu, & quidem acerbo adire Regem, commemorandã vero hoc loco arbitror huius Reginæ virtutem, quæ quidem in ſummo periculo Regis, regiæque domus, & vt exiſtimandum eſt, reipublicæ chriſtianæ charitate adeo commota dicitur, vt ſeſe pro illius incolumitate deuoueret, commemorandus item rei euentus, nam & in vita Regi conſeruanda eam Dominus audiuit, & piam ipſius accepit oblationem, quam perpetuæ ſaluti illi fuiſſe ſperandum eſt. Cum primum igitur datum fuit, venit Clericus ad Regem, ſupplexque petiit, vt eius voluntate diſcedere in Italiam liceret. Rex humaniſſime accepit; Cardinali nunciari iuſſit, cupere ſe vehementer eius precationibus aſſiduis iuuari: & magnas ei de tali officio gratias agere: immo & clerico ipſi de eo quod feciſſet, egit ipſe. Literis ad Cardinalem datis ea Rex tum reſpondit, quæ poſt gratiarum actionem, poſt eius pietatis commendationem moderationem etiam quandam in eo non obſcure requirerent. Didacus de moderata regendi ratione fuſius literis ſuis, docteque diſputauit. Duplex vero cum ſit Chriſtianæ vitæ publice, priuatimque inſtituendæ ratio, vna, quæ rebus ad ſalutem neceſſariis contenta eſt, altera quæ meliora ſemper, quantum poſſit, & præſtantiora ſequitur, illam magis probare plurimi videntur, potius eligenda non negant, quæ præſtantiora ſunt, ſed difficultatem ſemper, humanamque imbecillitatem opponunt: at hæc pro varietate locorum, hominumque expendenda, varieque iudicanda cum ſint, probatorum virorum iudicio, qui præſentes, vſu præſertim diuturno, omnia cognouerunt, videntur relinquenda. In voluptatibus item iudicandis plurimos vidimus rerum naturam ſpectare potius, quam vſum, cum ſæpe non malæ res ob pernicioſum vſum, vt malæ merito ſint reiiciendæ. Confirmauit vero Didacus, capturum Cardinalem magnum illius officii fructum: ea miniſtris in poſterum danda eſſe mandata, quæ ei valde probarentur, iam delectum Gubernatorem, qui pietate, ceteriſque animi ornamentis gratus admodum ei futurus eſſet, erat is Metinæ Sidoniæ, optima pietatis opinione Dux, qui poſtea tamen munus dimiſit. ad hæc Didacus, gratum ſemper Regi fore dixit, quotieſcunq; vellet, eadem via cum eo Cardinalis agere. Atq; re ipſa præſtitum eſt, quod illius verbis promiſſum fuerat, nam ex eo tempore ſatis ex ſententia res Carolo ſucceſſerunt, maxime vero Carolo Aragonio, Duce Terrænouæ prouinciæ præfecto, pleraque fuerunt, quod ad ciuilem poteſtatẽ attineret, populi Mediolanenſis ſaluti facilius, perfectiuſque curandæ non mediocriter accõmodata. quod ex ſequenti hiſtoria perſpicere licebit. Multis rebus ſignificauit Rex, legationem eam ſibi gratam fuiſſe: multiſq; indiciis, quam bene de Cardinali ſentiret, quantique eum faceret, eo tempore demonſtrauit: ſiquidem adeundi poteſtate clerico celeriter facta, ſatis longum eius ſermonem, libenter audiuit: negotium multiplex, tali tempore, id quod neq; facere ſolebat, neque fieri poſſe cubicularius putauerat, in bello, quod ei maxime cordi eſſe dicebatur, propeque in procinctu, humaniſſime ſuſcepit, rem ſuo tantum, vt poſtulatum erat, & religioſi viri iudicio, qui ad conſilium deferre conſueuiſſet, exiſtimauit: nam ita Clericus, re diligenter inueſtigata, comperit eſſe factum, præterea in maximo ſui morbi periculo, cum ea Pacenſis ciuitas, morbis, & annonæ inopia, caritateq; valde premeretur, de Clerico quæſiuit, ſi quid opus eſſet, ſubueniri iuſſit. cum morbo leuatus eſſet, item poſt Reginæ mortem, citius eum, quam familiares omnino putarent, admiſit, vt alii exteri, qui aditum eundem quærebant, & domeſtici ipſi valde mirarentur, qui cum Rege clerico illi eſſet, cui ad eius conſpectum aditus tam facile pateret. Satis ampla quoque præmia, vt eſt Catholicæ maieſtatis liberalitas, eidem propoſita ſunt, Mediolanenſis eccleſiæ ſacerdotia, quæ regiæ ſunt cooptationis, quæ vel ipſe per Pontificis auctoritatem caperet, vel in propinquum aliquem conferret, ſed ea Clericus recuſauit. Hæc libenter commemorauimus, vt Regis maximi pietatem, & erga Cardinalem optimam voluntatem omnes intelligant, qui ſi nemine interpoſito, aut vero priuata, & ſimplici via inter ſe maturius egiſſent, multo meliora ſperari poſſe videbantur. II.

Caroli legati deceſſus morbo Regis impeditur. Item morte Reginæ.

Miſſionem à Rege poſtulat.

Rex Caroli literis reſpondet.

Didacus cũ Carolo legato confert.

POST Gubernatoris mortem, merito ſpes erat, in eccleſia Mediolanenſi æquiora omnia, facilioraque fore: defecerat enim in Principe contentionis omnis præcipua vis, & poteſtas, ac licet manerent quidam præteritorum certaminum adminiſtri, quamuis magna, non ſumma tamen ad voluntatem accedebat potentia. Quid in eo genere per Romanam auctoritatem effici poſſet, ſummus Pontifex ſatis oſtenderat reſponſo ſuo. Sanctius Gheuara, Arcis præfectus, & donec Gubernator eligeretur, prouinciæ præpoſitus, homo erat ſatis pius, & à ſuperioris temporis contentionibus abhorrens, qui quidem illud Caroli cohortatione fecit laudabiliter, vt hiſtriones minime ferret, genus hominum, qui turpibus plerunque fabulis ad ſpectatorum mores deprauandos accommodatis, ſordidum quæſtum faciunt, impudicaſque fœminas ad alliciendam iuuentutem in ſcenam immittunt. hos Carolus, primo quidem idoneis hominibus conſtitutis, qui obſeruarent, ita corrigere ſtuduit, vt nihil obſcœnum, aut chriſtianis alioqui moribus alienum dicerent facerentve: diebus item feſtis, ac ſexta quaque feria omnino abſtinerent, poſtremo ſcriptas fabulas, ad ſimilitudinem librorum, qui eduntur, à ſe prius probandas ſtatuit, quam darentur: hiſtrionumque libidinoſa crimina, quæ fori ſui eſſent, perſecutus eſt: vt ii potius abire, quam ea ſuſtinere vellent. Sed ad rem. Non modica etiam erat expectatio, de eo, quod apud Regẽ miſſus in Hiſpaniã clericus effeciſſet. Ita vero euentus ſe habuit, vt ſpes fuerat, ſed non ita ſubito, tamen aduerſariorum conatus concidêre: partim enim ex præteritis certaminibus multa renouare per Decuriones, perque Gubernatoris conſilium quidam curarunt, quæ minime perfecêre: partim etiam nouas contentiones excitarunt. Cum ad res præcipui pauperum Valetudinarii recognoſcendas, à Carolo Ioannes Fontana delegatus, rationes adminiſtrationis poſceret: is autem qui Regis nomine tum loci curatoribus aſſidebat, rationum libros negaret, munus ſuum prius exequi non potuit, quam aſſeſſorem anathematis afficeret pœna, qua re ad Apoſtolicum iudicium ſtatim delata, multa complurium menſium ſpacio incommode acciderunt: dum aſſeſſor plura pro ſe diceret, vehementerque ageret, ipſamque anathematis ſententiam, quod grauius erat, rationibus quibuſdam contemneret. Ea de cauſa, opportuna fuit in Hiſpaniis, Philippi Segæ Epiſcopi Placentini, & Apoſtolici internuncii præſentia, qui pro ſua pietate, ac eximio rerum publicarum vſu, tum erga Carolum obſeruantia, vt alias ſæpe, quæ vera eſſent, Regi referret, & Eccleſiæ cauſam tueretur, vir is poſtea diu agitatus, cauſam capitis apud eos iudices dixit, quibus ſe, dum Carolo reſiſteret, gratificari fortaſſe ſummopere putabat, atque demum cum in publico quadam die fuiſſet, domum reuerſus, repente prolapſus concidit, & erepta ſtatim loquendi facultate, amiſſiſque ſenſibus, paulo poſt mortuus eſt. Dum hæc agerentur, Carolus eccleſiam Brixienſem diligenter recognoſcebat. Sed hic tangendum ante alia de aucta vehementer eius vitæ duritie, qui Roma cum poſtremo rediiſſet: ad aquæ vſum, relicto penitus vino, deuenire conſtituit, id quod multos iam annos paulatim moliebatur. Eius rei tẽpus eryſipelas obtulit, & febris, qua poſt reditũ laborauit, ita vt vino cõpluribus dies abſtinere medicorum

Sanctius Gheuara arcis Præfectus nõ fert hiſtriones ex Caroli cohortatione.

Nouæ controuerſiæ origo.

Pœna perduellis.

Durius vitę genus amplectitur

dicorum voluntate neceſſe eſſet. eo enim quaſi aditu patefacto, integram in eo genere abſtinentiam ingreſſus eſt, neque ea contentus, duos hebdomadæ cuiuslibet dies conſtituit, quibus pane tantum, & aqua ſuſtentaretur: ac non multo poſt, tres, quas antiqui legitimas ferias dixerunt, eodem modo ſibi traducendas decreuit, item ſublato de loco ſuo conſueti lecti apparatu, in anguſtiſſimum, ſecretumq; locum cubandi cauſa ſe retulit, apud alium ſimilem, precandi cauſa conſtitutum, quo iuſtimis tantum aditus erat, cubile fuit paleæ ſaccus: in quo veſtitus cum iaceret, poſtea Pontificis monitu, quem de vitæ ſuæ ratione Romæ conſuluit, detractis ſibi veſtimentis, linteis cannabinis vſus eſt: quæ cum vſu, lauatione que aſperitate carere cœperant, noua iubebat adhiberi, nouum autem operimenti genus ſuper lecto habuit, duplicis panni itidem cannabini, palea interpoſita conſuti, quo etiam hyeme vtebatur. hac porro aſperitate audita, multi amice, vehementerque cum eo egerunt, ne ſe tantopere affligeret. Auguſtinus Epiſcopus Veronenſis pro ſuo ſummo in eum amore, ac pietate, per epiſtolam ei fuſius eo de genere ſcriptam, aquæ potum improbauit: cui Ioannes Paulus Caimus ex bono medico presbyter, & canonicus Eccleſiæ maioris factus, reſpondit, rationes afferens, quibus etiam natura, potus aquæ Carolo videretur conuenire. Ab eo fere tempore, maiorem enim affabilitatem ſuauitatemque quaſi perfectæ virtutis maturitatem quandam, adhibens, gratiam ſuam auxit cumulo non mediocri. vt pleroſque paſſim audiremus prædicantes, id quod erat, eo nihil humanius, nihil dulcius fieri poſſe. Nunc ad Brixienſem Eccleſiam, cui Carolus magna Rectorum vibis obſeruantia cultus, operam non minus laborioſam, quam vtilem dedit, multis adiutoribus, ſacrorum canonum, diſciplinæque eccleſiaſticæ peritis. In ea diœceſi cum ad Telinæ vallis hæreſi laborantis fines veniſſet, ſe minime continuit, quin ad regionis catholicos homines confirmandos, millia paſſuum duodecim pedes in eam penetrans, nobilem beatiſſimæ Virginis ædem inuiſeret, ibique etiam concionaretur, pro ſua modeſtia, religioneque minime fecit Comenſis Epiſcopi, ad quem ea pars pertinebat, aſſenſu. Populum quendam falſis dogmatibus ob hæreticorum conſuetudinem iam antea deprauatum, cum in eadem diœceſi ſtudioſe iuuare curaret, puellæ cuiuſdam, inſignem pietatem eſt admiratus, de qua mihi tacendum eſſe non exiſtimo, eam anus cum ad patrem hæreticum, qui in Telina valle exulabat, eſſet miſſurus, tanta conſtantia eo ſe venturam negauit, vt domo pulſa, potius apud extraneam mulierem duriter ſuſtentari vellet, quam fidei periculum adire. auo mortuo, cum frater rurſus vi ad patrem duceret: aufugit illa in itinere, & in ſyluam ſeſe abdidit, moxque ad mulierem rediit. Carolo demum annos nata circiter decem, ſupplex ſe commendauit, iſque in Brixiæ pio quodam pauperum mulierum collegio iuſſit collocari. Neque prætereunda eſt ipſorum ſicariorum, eiectorumque, quibus Brixienſis regio tunc abundabat erga Carolum reuerentia: cum enim alij, qui incidiſſent, rebus ſuis, ſæpe vita ſpoliarentur, contra non ipſe Carolus ſolum, ſed eius adminiſtri quoque, quibus illi ſæpe in variis itineribus occurrerunt, honore potius quam vlla iniuria ab iiſdem afficiebantur. Venit quandoque eorum dux. nobiliſſimo loco natus, toti regioni maxime formidabilis, ad vicum quendam, vt Caroli ſacro, concionique intereſſet. Carolus cum plurima in æde tormenta, telaque conſpexiſſet, ſacri loci dedecus minime ferens, ad ducem miſit, vt ea exportarentur: qui ſuis omnibus exire iuſſis, tormentum quod geſtabat, humi poſuit, illudque pede comprimens, ad ſacrum, concionemque attentus manſit. Martinengum noctu Carolus cum veniſſet, diuerſorium extra caſtellum ingreſſus, eodem hominum genere completum offendit, qui maxime illum reueriti, domiciliis etiam, quæ iam tenebant, prompto animo ceſſere, ipſe vero ſuis ad cœnam dimiſſis, infeliciſſimum vitæ genus miſeratus, diu cum illis egit, vt ex tantis periculis, miſeriiſque animas, corporaque item ſua eriperent, ſuumque ad eam rem auxilium pollicitus eſt: quorum nonnullos ita commouit, vt pœnitentiam ſibi proponerent, innocentemque vitam poſthac agendam conſtituerent. Cum quatuor ſanctorum Brixiæ Epiſcoporum, & inter eos ſancti Dominatoris corpora in arcis æde ſine congruis honoribus, cultuque haberentur, neq; piis hominibus ob arctam loci cuſtodiam, aditus eſſet ad venerationē: ea Carolus, etiam rectorum ciuitatis voluntate, in Eccleſiam maiorem celebri admodū apparatu, conuentuq; tranſtulit, menſe Nouembri anni M.D LXXXI. nam ad id tempus in eo negotio Brixienſi, longinquo itinere ſæpius repetito, perſeuerauit, anni tempora inter ſuam, Brixienſemq; eccleſiam partitus. In ea ciuitate conuenit [a] Mariam Maximiani Imperatoris olim vxorem, Rodulphique matrem, & Philippi Regis ſororem: quæ ex Germania in Hiſpanias iter faciebat, debitum erat officium altiſſimæ Imperatricis dignitati, non minus tamen inſigni optimæ fœminæ pietati: accommodatum vero ad Caroli res in Hiſpania iuuandas, periucundus fuit Reginæ Caroli aduentus: atque humaniſſimæ, pieque admodum accepit: Miſſam, vt coram ea faceret, ſuiſq; precibus iuuaret, poſtulauit Carolus eo tunc ſalutationis officio contentus, Laude iterum adiuit, vbi eam præcipue honorare cupiebat, quod ea ciuitas prima in Mediolanēſi ditione occurrebat. Sed illa [b] Imperatorum, filia, vxor, & mater, præ ſummo Chriſtianæ humilitatis ſtudio Carolo dixit, pompam illam perſonæ Imperatoriæ perſcriptam ſeſe ferre quodammodo non poſſe, in qua ipſa veheretur, clerus vero pedibus præiret. Itaque omiſſa pompa ingreſſa eſt. Miſſam Carolus illa præſente fecit, cumque loco minime conſecrato fieri neceſſe fuiſſet, eam rem, cum inter ſacrum verba faceret, noluit Carolus exempli gratia ſilentio præterire: quin excuſationem afferret, idque ſibi alioqui non probari modeſte ſignificaret, nonnulla Mariæ, nobiliſſimiſque fœminis, quæ eam comitabantur, donauit religionis gratia: quæ quidem illæ, vt incredibili cupiditate expetierant, ita ſummo gaudio acceperunt, cum autem de Mediolanenſis Eccleſiæ rebus eam generatim ipſe docuiſſet, clericum deinde, quem miſerat in Hiſpanias, Genuam verſus, eam ſubſequi iuſſit, & quæ opus eſſent, ad Eccleſiæ cauſam defendendam, latius ſuppeditare. Ad Brixienſium populorum ſalutem plurima Carolus effecit, auctoritate ſine dubio adiutus ampliſſima, ſed in primis ſanctitate. Magnus, ſalutariſque locis omnibus animorum motus, voluptatum propenſio. plurimi tali exemplo, cohortationibuſque permoti: ad fugienda vitia, ad emendandos mores, ad augendam pietatem incenſi: non mediocriter in ſalutis negotio profecere. multi diuturnis ſecretim vinculis aſtricti ſalutarem libertatem, diuino beneficio, Caroliq; opera conſecuti ſunt: vt eiuſmodi commotiones Carolus videns maximis in laboribus maxime item recrearetur, ſæpiuſque gentis laudaret pietatem. præcipue vero, quod ad acuendum virtutis ſtudium dicendum eſt, mulierum virilem, excellentemq; animum; admirabatur, ad inſignia quædam pietatis officia exercenda paratum. Quæ vero pro ſua auctoritate decernenda, ſcriptiſque mandanda cenſuit, ea ſi reſpiciamus: plurima item ea ratione, grauiſſimaque inſtauraſſe, atque egiſſe videatur, ad Pontificiarum conſtitutionum, decretorumque prouincialium præſcriptum: de cleri diſciplina, de cultu Eccleſiarum, de recto rerum Eccleſiaſticarum ſtatu, de cœnobiorum virginalium inſtitutis, demum de iis omnibus; quæ ad vniuerſam Eccleſiam illam recte, ſancteque ordinandam pertinerent: quæ nimis longum eſſet enumerare; grauiſſima quædam ad ſacram immunitatem ſpectantia, quæ quis in iis regionibus emendari fortaſſe voluiſſet; non neglexit ille quidem: immo cura, diligentia, cohortatione, omnique officio ſuo, neque id ſine fructu, curauit: ſed iudicio perſequi, & corrigere, eius arbitrij, poteſtatiſve non fuit. Commemoranda fuit eo loco Hieronymi Luciaci patricij Brixienſis pietas, admirabiliſque in Carolum animus, tum aſſiduis, prorſuſque inuſitatis officiis, quæ præterimus: tum hoc maxime, cum Brixiam Carolus, venit vt Imperatricem conueniret: quoniam viſitationis leges tunc non impediebant: ad eum improuiſo diuertit, homo incredibili gaudio perfuſus: idque in felicitatis loco ponens, cubiculum, quo ille vſus fuerat, cum lecto apparatu ea lege concluſit, nuncque concluſum habet, vt eo poſt hac vnquam ſit vſurus nemo beatum ſeſe honeſtiſſimi vit ordinis dicebat, ſi per ſuorum neceſſarias rationes licuiſſet in

L   Caroli

Marginalia:

De Brixienſibus laboribus.

Puellæ cuiuſdam inſignis pietas.

Sicariorum & proſcriptorum in Carolum & ſuos reuerentia.

Anno 1581. S. Dominatoris Epiſcopi Brixienſis & aliorum SS. Epiſcoporum corpora transfert.

a Mariam Maximiani Imp. vxorem viſitat.

b Nota Imperatricis humilitatem.

Carolus quanta apud Brixienſes auctoritate & ſanctitate effecerit.

Octauam ſynodum habet.
De tranſlatione reliquiarum Eccleſiæ S. Stephani.

Caroli domo, vel ipſius ſtabuli ſordibus exportandis, operam dare. Vno ex iis temporis interuallis vſus Carolus, quæ Brixienſe negotium intermittens dabat Eccleſiæ ſuæ, octauam totius cleri ſui ſynodum habuit, in qua mirificam illam vim ad clericos commouendos, vt antea, magno animorum fructu præſtitit, eaque vſus opportunitate, populo ſuo ſacrorum corporum Eccleſiæ ſancti Stephani tranſlationem, quo celebrior, adiuncto diœceſis clero, ſplendidiorque eſſet, exhibuit, cum enim ob ædiculam ſancti Vincentij in ipſa Eccleſia inſtaurandam, eæ reliquiæ mouendæ eſſent, ſua conſuetudine vſus; populi erga beatos illos pietatem tranſlatione celebranda, ſtuduit excitare, dies tranſlationis fuit XIIX. Cal. Maij. Reliquiæ fuerunt ſanctorum Leonis, & Marini martyrum, & Arſatij Epiſcopi quæ in eodem loco, ſed ad honorem decentius, & ad diuturnam conſeruationem cautius, collocatæ ſunt. Atque eodem menſe poſt dies quinque reliquias mouit ſanctorum Cirini, Nabotis, & Baſilidis, quæ in altari ſancti Celſi in capite ſiniſtræ nauis, vt appellant, poſito, reconditæ erant: quod altare, ob minime cōgruum locum tollendum erat, celebritatem, pompamve eius rei nullam inſtituendam cenſuit, cum pauca tantum oſſa, ante conſpexiſſet, ea priuatim repoſita ſunt, mox in aptiorem locū referenda.

Carolus Vercellas venit ad venerandas S. Euſebii vrbis Epiſc. reliquias.

Conſuetum eius anni tempus dabat Carolus Eccleſiis diœceſis ſuæ luſtrandis: cum ad venerandas ſancti Euſebij eius vrbis Epiſcopi reliquias, Vercellas venit: quarum tranſlationem Ioannes Franciſcus eius ſucceſſor parabat longe celeberrimam, ob inſignem optimi ſacerdotis, & patroni difficillimo Eccleſiæ tempore præſtitam pietatem, conſtantiam, animique magnitudinem: quæ tranſlatio tamen quibuſdam impedimentis dilata, numquam habita eſt, nam Ioannes Franciſcus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ internuntius, apud exteras

a Maſini Carolum Emanuelē Sabaudiæ Ducem viſit.

nationes moratus eſt vſque ad mortem. Vercellis Carolus [a] Maſinum profectus eſt ad Carolum Emanuelem nouum Sabaudiæ Ducem: deceſſerat enim ante menſes circiter decem eius pater. Carolus autem per Franciſcum Adornum tantummodo filium conſolatus, paterniſque admonitionibus proſecutus, adhuc eum non viderat, tunc vero libenter ſumpſit oblatum tempus, vt adoleſcentem iam etiam ad omnem regiam virtutem, pietatemque incitatum, pro ſuo eximio amore, pro patris fiducia, & ſpe, pro ipſius ſtudio, deditaque admodum voluntate, coram confirmaret & conſiliis, præceptiſque ſuis quantum poſſet, adiuuaret. Aduenienti princeps paſſus amplius ducentos pedes obuiam proceſſit. Tum Caroli ſermonum, actionumq; fructu maxime lætatus, vehementer etiam ab eo petiit, vt Taurinū ad

b Iterum ſacram Sindonem videt.
c Mediolanum reuerſus iuſta funeralia Hiſpaniarum Reginæ perſoluit.

viſendam iterum [b] Sindonem redire vellet, quo profectus Carolus, in longinquiores inde ſuæ diœceſis partes diſceſſit, atq; ad Virginis ſacra natalitia [c] Mediolanum reuerſus Reginæ Hiſpaniarum antea mortuæ, non animæ ſolum funebribus officiis, ſacrificiiſq; ſummo ſplendore in Eccleſia maiore celebratis, ſuffragatus eſt, ſed laudibus quoq; ſatis ornata concione habita, quæ edita eſt, tantum tribuit, quantum eius præclara virtus depoſcebat.

Anno 1582
d Feſtos dies tuitatus eſt.
e Publice peccantes à ſacra communione arcuit.

D v o Carolus inſtituit primis in ſequentis anni M.D.LXXXII. menſibus ad populi ſui diſciplinam, ſalutemque valde vtilia, ſibique admodum iucunda, primo quidem feſtos dies integre tutatus eſt, non ſolum à ludis equeſtribus, ſed etiam à perſonis, & laruis, quod antea factum non erat. hunc virtutis progreſſum, quæ fuit, non dicam populi, [d] is enim ſemper obtemperaſſet, ſed principum etiam virorum obſeruātia, facile conſecutus eſt, cum ſuum de ſpectaculis edictum ad id genus quoq; pertinere tantū declaraſſet. Deinde cum ad ſanctos illos dies ventum eſſet, quibus Euchariſtia Chriſtiano cuique canonicis ſanctionibus ſumenda eſt: præcipua cura, diligentiaque inquiri iuſſit, qui [e] publice in chriſtianam diſciplinam peccarent, vt eos ad ſacramentum admitti minime permitteret, quæ res ad animas erigendas, quæ ſordidæ iacerent, magnopere valuit, multi enim, ſi non immortali ſacramēti beneficio, ſaltē notæ, infamiæq; timore permoti, & ea neceſſitate etiam adiuti, ex publicis malis, offenſionibuſq; tamquam è luto emerſerunt, & ſacri homines, ſiue ad confeſſiones audiendas, ſiue ad regendas parochias delecti, quorum negligentia, vel infirmitate vitia ſæpius aluntur, à Carolo grauiter moniti, quod certorum hominum publica, vel etiam inueterata peccata, ſicut ipſe reperiebat inquirendo tolerarent, ad officium ſuum, grauiſſimum quidem, maximique momenti redditi ſunt attentiores, in ea cauſa fuerunt primarij quidam, qui poſthabita ſalutis, & exiſtimationis quoque cura, turpem, & cōtaminatam vitam agebant: qui quidem ſumma omnium bonorum approbatione, libere facerunt à Carolo correcti.

f Prouinciæ Concilium ſextò habet.

Poſt Paſcha vero duas illuſtres actiones ſibi obeundas parauerat: ſextum [f] prouinciæ concilium, & pulcherrimam ſacrarum reliquiarum tranſlationem. Ac tranſlationem quidem, cum antea poſſet haberi, reiecit in illud tempus, vt Epiſcoporum conuentum magnificentior euaderet, nam ſuperiore anno monachi Caſſinenſes Eccleſiam, priſcis quidem temporibus Mariæ, cæteriſque beatis Virginibus dicatam, poſtea vero ſancti Simpliciani nomine appellatam, inſtauraturi, altaris locum, alium deſignarunt: quod mouendum cum eſſet, mouendæ neceſſario erant reliquiæ, quas continebat. Carolus igitur, cuius auctoritate id faciendum erat, eo venit IV. Cal. Aprilis, inuenimus arcas plum-

g SS. Siſinij, Martyrij, & Alexandri martyrū, item S. Benigni Archiep. Mediolanenſ. tranſlatio.
h SS. Ampelij & Gerōtij Archiepiſ. Mediolanenſ.
i S. Simpliciani item Archiep. Mediolanenſ.
k S. Antonij item eiuſdē vrbis Archiepiſc.

beas, vna [g] Siſinij, Martyrij, & Alexandrini martyrū: & itē ſancti Benigni Archiepiſcopi Mediolanenſis oſſa habebat: caput tamen vnum, quod Benigni fuiſſe creditum eſt: martyrum vero capita Tridenti fuiſſe relicta, vnde ea corpora tranſportata fuerant, credibile videtur: quin etiam non pauca eorum oſſa deeſſe animaduertimus. Capſa altera duorum beatorum Præſulum itidem [h] Mediolanēſium oſſa continebat, Ampelij, & eius, quem hilare admodum, & qua paſsū veneratione commemoro, Gerontij: traditur enim ex familia fuiſſe, cui à Baſilica Petri nomen eſt. In tertia, [i] Sancti Simpliciani itidem Mediolanenſis Archiepiſcopi oſſa, & ex omnibus pulcherrimum caput, condita erant. Eæ capſæ, quemadmodum inſcriptum erat, & ſenes quidā memoria tenebant, eo loco conditæ fuerāt anno ſalutis M.D.XVII. quo anno monachi Eccleſiam obtinuerant: alia quoq; oſſa ibi ſunt reperta, quæ [k] Sancti Antonij itidem Archiepiſcopi fuiſſe exiſtimata ſunt, in illa enim Eccleſia ea eſſe, memoria proditum eſt, neque alius eorum demonſtrat locus. Capſæ rurſus clauſæ in Eccleſiæ ſacello collocatæ ſunt, donec rite transferri, & conſtituto loco recondi poſſent. Habuerat igitur Carolus Epiſcoporum ſuorum concilium, in quo præter conſueta ornamenta, ad magnificentiam Eccleſiaſticam comparata, tunc primum in loco vbi Epiſcopi congregabantur, imagines ſanctorum, qui vt patroni ab ſingulis Eccleſiis prouinciæ inuocantur, apponi iuſſit. Plura de more variis de rebus, ad diſciplinam Eccleſiaſticā reſtituēdam, decreta fuerant, quamquam paruo ſatis volumine, continenter vero ad tranſlationem ventum eſt. VI. Cal. Iunij, die dominico poſt Aſcenſionis ſolennia: quæ vno fere Simpliciani nomine vbique promulgata eſt, quia illi præcipue honos habebatur: propterea quod non ſanctitate ſolum, ſed doctrina quoque præſtantiſſimus vir ille fuit, quamuis nulla eius ſcripta extent: & quod plurimi faciendum videtur, nō ſolum à Sancto Auguſtino valde obſeruatus, ſed ab ipſo etiam S. Ambroſio patris loco habitus eſt, omnium, quæ Mediolani quidē celebratæ ſunt, ornatiſſima, apparatiſſimaq; hæc tranſlatio fuit, præter concilij Epiſcopos, alij quoq; multi, in primis vero Gabriel Paleotus Cardinalis, affuere, literæ ad vniuerſam prouinciam datæ, quibus omniū pietas erga beatos, optimoſq; illos Eccleſiæ Mediolanēſis patres, in primiſq; erga illum quodammodo patrum ipſorum patrem, excitabatur, libelli pſalmorū, precationemq; editi, cum hymnis multis, carminibuſq; tunc ad beatorum illorū honorem Mediolani, Romæq; compoſitis, ieiunium quarta ſextaque feria, tum ſabbato quoque, præcedente hebdomada paſſim ſeruatum, pluribus ante diebus in tota prouincia, feſtus campanarum ſonus, pridie diei tranſlationis, nocturna lumina ad publicæ lætitiæ maius indicium ex vnaquaque domo prolata, quæ ſacræ reliquiæ portandæ erant, ad paſſuum millia circiter quatuor, egregius viarum apparatus, periſtylia pluribus locis, portæque triumphales, ad Archiepiſcopale palatium, omnium Antiſtitum Mediolanenſium, quotquot vmquam fuerunt, imagines affixæ, inſignis porta ad locum, vbi ciuitatis concilium haberi ſolet, cū victoria depicta, quam Mediolanenſes olim, tritum martyrum illorum auxilio, contra Fridericum Imperatorē pugnātes ſunt

res ſunt conſecuti, vbique vero elogia, & inſcriptiones ad ſanctorum illorum, ipſiuſq; ſanctorum creatoris honorem propoſita. Clerus vniuerſus cum ſplendidiorib. indumentis, cereiſque, qui etiam longe ex vicis, & caſtellis ad duodecim millia paſſuum conuenerat: poſt illum Epiſcopi deinde reliquiæ, quas in quatuor feretra diſtributa ferebant Abbates Caſſinẽſes, ſacris indumentis, mitraq; inſigniti. Simpliciani vero caput argenteo capite incluſum duo Cardinales, duoq; Epiſcopi portabant, cerei maximi vtrinq; accenſi, ſuper ſingulas arcas vmbracula à viris honeſtiſſimis ſuſtẽtata, tanta conuenit multitudo, vt viæ circiter millia paſſuum decem ab vrbe plenæ conſpicerentur, at ex multis quoque prouinciæ partibus plurimi aduenerũt, vt tot, tantiſq; rebus accedentibus, ea celebritas longe maxima ſit effecta. Carolus ſacris feretris ad eandem eccleſiam relatis, pontificale ſacrum fecit, & in eo concionatus eſt: idq; ea facie, quod à multis eſt obſeruatum, vt ſi portando, & impetum multitudinis, quæ viuendi, tangendique cauſa tota via concurrebat, per multas horas ſuſtinendo, nihil laboris ſenſiſſet, cum alij tamen Præſules vultu ſatis manifeſte defatigationem non mediocrem præ ſe ferrent. In ædibus monachorũ, vt commoditatis gratia conſtitutum erat, Præſules manſere: ſed priuſquã ipſi accumberent, duodecim pauperibus accumbentibus ſtantes miniſtrarunt, interim eos ſalutaribus verbis cohortantes, ſpiritualemq; cibum corporeo adiungentes. Cum deniq; ipſi quoque cibum caperent, eumque minorem, quam pauperibus ſuppeditatum fuerat copia, ex prouincialis decreti moderatione: venia, Carolus inquit, dari potuit inopum gratia, ſi præſcriptum cibi modum tranſiuimus, noſtri vero cauſa, non item.

II. Post concilij, tranſlationiſq; labores, ex ſacrorum munerũ, operumq; functiones obeundæ Carolo inciderũt, quas, ad eius virtutem ante oculos ponendam, ordine ſemel recenſere, non alienum puto: vnde fieri facile poterit reliqui temporis coniectura, nam frequenter ſeſe offerunt, ſi perſequi vellemus, huiuſmodi continuationes, ſtatim igitur occurrerunt triduanæ ſupplicationes illæ, quas excellenti cultu, præcipuoq; labore corporis Ambroſiana celebrat Eccleſia, nam à nocte fere media, duodecim ipſas horas, atq; amplius ſingulis diebus continuantur, dum per eccleſias ex antiquo ritu, intra extraque vrbis mœnia vniuerſus clerus ſacris precibus inſiſtit, has neq; ob ſuperiores labores, neque ob id, quod Cardinalem alioſque Epiſcopos hoſpites domi haberet, omiſit Carolus, ſed nocte poſt translationem proxima, ſumpto vix duarum horarum ſpatio ad ſomnum capiendum, affuit in maiore eccleſia, ad ſacrum cinerem capitibus omnium qui conuenerant, more maiorum imponendum, ſupplicationem deinceps totũ triduũ, pane, & aqua tantummodo ſe reficiens, religioſiſſime coluit. Primo die cum ex tam longa via rediiſſet, quietis loco, illud addidit, vt ad reliquias iam tranſlatas de more recondendas, Sancti Simpliciani Baſilicã adiret, altero die itidem reuerſus, in parua, & pene ruinoſa æde Sancti Michaelis, quæ maiori templo ſubeſt, reliquias Sancti Ioannis Archiepiſcopi cognomento Boni, aperuit colligitque poſtea in ipſum templum transferendas, quo etiam parochiæ titulum, iuſq; tranſtulerat, tertio vero die veſpertinarum precum ſolemniis in eadem Eccleſia celebratis, eas in capſa ſtannea, conſueto ritu, diligentiaque recondidit, capite reſeruato, vt argento tegeretur, ac poſtero die vna cum Cardinali Paleoto, cleroque vniuerſo tranſtulit, collocauit autem in altari, quod extruxerat ad dexteram templi partem, vbi alteram ianuã oocluſerat. Proxima Dominica, Sanctiſſimæ Pentecoſtes ſolemnitati, Pontificalibus officiis operã dedit, poſtridie ſupplicationi, quæ plena propoſita indulgentia, cum vniuerſo clero habetur ad Sancti Gregorij locum extra vrbẽ, tertio eius celebritatis die feſto, ſacramento confirmationis adminiſtrando, vt tali tempore ſolebat, vna cum Paleoto fuit occupatus. Cumq; clerum totius diœceſis ad eam diem conuocaſſe, quarta, & duabus conſequentibus feriis ſynodum habuit, concioneſq;, vt conſueuerat ad clerum. Cardinalem Paleotum interea vrbis eccleſias, earumq; ſacras res pie viſentem, paſſim audiebamus, Caroli ſingularem pietatis ardorem, intolerabileſq; labores continuos ſumma cum admiratione extollentem, atque obſtupeſcentem. Impetrauit ab hoc optimo Præſule Carolus, vt in ſynodo ipſo quoque concionem, eamq; latino ſermone, quod illi perfacile eſt, ad clerum haberet. cuius concionis locum in proxima ſynodo ipſe pro ſua ſingulari modeſtia ad clerum in concione attulit, diutiuſq; tractauit, is autem erat de eo, quod Iſraeliticus populus, dum poſt captiuitatem Babylonicam templum inſtauraret, varie ſentiebat: alij namque præſentem ædificationem videntes, flebant recordatione longe pulcherrimi veteris Templi: alij vehementer gaudebant, inſtaurationem ex ſuperioribus ruinis contemplantes, quæ res ad præſens tempus erat valde accommodata: erat enim, ſi præteritas corruptelas quis conſideraret, valde gaudendum, ob ea, quæ in diuino cultu, Eccleſiaſticaq; diſciplina reſtituta erant: ſed dolendum etiam maxime, quod omnis inſtauratio à vetere cultu, diſciplinaque longiſſime adhuc abeſſet. Poſt ea quæ commemorauimus, cum iterum Carolus Taurinum petere cuperet, & ſacroſanctam Sindonem viſere, delegit tempus illud, vt cum Paleoto Cardinali vna proficiſcerentur, ea re lætatus eſt Dux vehementer, & ſanctiſſimum Chriſti corpus iam tunc à Carolo ſumere conſtituit, in proximo eius ſolemni feſto, iter fuit piarum exercitationum plenum, in locis vbi manendum eſſet, primo Cardinales ad Eccleſiam veniebant ibique litaniam cum inuocatione ſanctorum ex eccleſiaſtico ritu habebant, mane poſt Sacrum in viam ſe dabant, in itinere de rebus ſalutaribus ſermones, cogitationeſque omnium erant, ſingulis enim curribus ſacerdos erat præfectus, qui certa capita ſociis ex Euangelio traderet, dum iter ur, meditanda. Nouariæ, Vercelliſque concionibus, ſacriſque aliis actionibus populorum pietatem adiuuarunt, qui quidem licet Antiſtites, vt principes ampliſſimos honorarent, vt ſeruos Dei, ſanctoſque viros etiam obſeruabant, & venerabantur, armati, qui ex vicis honoris cauſa de more obuiam prodibant, noua militum ſpecie, humi poſitis genibus tormentis, vt conſuetum eſt, ſonum efficiebant, mira delectatione, gaudioque pulpita, dum Præſules ampliſſimi concionarentur, inſueta purpura collucentia, pij omnes contemplabantur, & temporum fœlicitatem viciſſim gratulabantur. Quæ Taurini, multitudinis infinitæ concurſu, etiam ex corruptæ fidei locis, pie, ſancteque acta ſint, in ſanctiſſima Sindone aſpicienda, publice oſtendenda, publiceque adorãda, in precatione quadraginta horarum, ab vniuerſis ciuitatis ordinibus per ſtationes de more cõtinuanda, in ſacris concionibus ab ipſis Cardinalibus, ab Epiſcopis, qui conuenerant, à ſacerdotibus aliis, tum per ſingulas ſtationes, tum alias quoque, ad eorum populorum ſalutem habendis: in Domini corpore, pompa magnificentiſſima per vrbem rite ferendo, eiuſque feſto die celebrando, hæc omnia ex iis, quæ alias in hoc genere facta narrauimus, exiſtimari poſſunt. Inde vero per Padum diſceſſere Cardinales. Paleotus longius delatus eſt, Bononiam verſus. Carolus in Caſalenſi diœceſi naui egreſſus, parœciam ſuam oppido propinquã recognouit, inde ad montana loca profectus, vſq; ad Septembrem rebus ſacris ordinandis, populiſq; ad ſalutem iuuandis operam dedit. Romam hoc eodem anno redire Carolus cõſtituit: tum quia eius rei tempus ex eccleſiaſtica norma, poſt triennium recurrerat: tum etiam quod multarum rerum cauſa, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinebant, eius virtus à multis ibi deſiderabatur, & erant quotidie, qui inſtarent, maturius autem profectus eſt, quam putarat, ob grauiſſimum morbum Camillæ ſororis, de quo cũ accepiſſet pridie natalis Virginis feſti, ea ipſa nocte, diſpoſitis ad curſum equis, Vaſtallam contendit, ſed eo cum perueniſſet, offendit mortuam: cum paucos ante menſes Anna quoque ex hac vita migraſſet. Commodum igitur ita arbitratus, inde Romam petere ſtatuit: cum profectionis cauſam prius tamen ab Epiſcopo Dertonenſi, vtpote cæteris prouinciæ Epiſcopis antiquiore, probari ad præſcriptum decretorum prouincialium curaſſet. Romæ de iuuandis inter alia vicinis populis hæreſi contaminatis, egit, de quo latius poſtea explicabimus, ſacras Eccleſiæ ſanctæ cœremonias, à certis Cardinalibus, viris doctis ad conſultationem adhibitis, auctoritate Pontificia conſtituenda curauit: opuſque iam cœptum vidit, antequam diſcederet, alia permulta, quæ neceſſe non eſt enumerare. Seminario ſuo duas Carauagienſes

Triduanas ſupplicationes, aliaque exercitia licet laboribus grauatus non intermittit.

S. Ioannis Archiepiſ. Mediolanenſ. reliquias colligit.

Synodum habet.

In Taurinos denuo proficiſcitur Sindonem viſurus.

Romam contendit.

Anno 1583. Roma reuertitur.

gienſes Præpoſituras, quæ Humiliati ordinis fuerant, impetrauit: Abbatiam vero Secedanam in agro Alexandrino congregationi Oblatorum. Ineunte anno M.D.LXXXIII. Roma rediens ad grauiſſimam controuerſiam inter duos Italos duces componendam, iuſſu Pontificis venit. quam rem complexus, ita deinde, tamq; fœliciter non multo tempore confecit: vt & Pontifici ipſi, & vtrique parti ſatisfaceret. Mediolanum cum rediiſſet tribus diebus conſueto ritu, cum vniuerſis ordinibus ſupplicationes obiit ad ſtatas Eccleſias, ob Didaci Hiſpaniarum principis obitum: ita. n. Philippus pater, omiſſis funebrium precũ officiis, pro decẽ annorum puero, faciendũ, pie iudicauit.

Vicinarum gentium fidem, ſalutemque ſic curandam ſuſcipit.

Hinc ad vicinas gentes, hæreſi, maliſq; aliis afflictas, iuuandas, Carolus animum adiecit. Plurima fecerat ob eam cauſam antea, quemadmodum demonſtratum eſt. Multis populis, plurimis ēt hominibus ſeparatim, varia ratione ſæpius ad ſalutem ſubuenerat. Fecerat Carolus non ſolum, vt illis opem ferret: ſed vt eodem etiam tempore eccleſiæ ſuæ, atq; adeo ipſi Italiæ caueret, cui magnum ab ea parte periculum, videbat imminere. Licet. n. variis decretis prouidiſſet: ne, quod propter varia negotia quotidie accidit, vel exteri venientes in prouinciam ſuam, quidquam ſanctæ fidei, diſciplinæq; detrimenti poſſint afferre, vel ſui ad loca deprauata euntes, contaminarentur, & ſi quid ipſi labis contraxiſſent, cum patria communicarent: multò cautius tñ. tutiuſq; fore animaduertebat, vicinam partem, ſi fieri poſſet ſanare, quam ne quid proxime corrumperetur, cauere. Vicinam partem intelligo non Heluetios ſolum, & qui primam Rhætiam incolere putantur, Griſones appellatos: ſed multò magis Italos populos, neq; exiguos, neq; ignobiles, qui citra ipſum quaſi Italiæ vallum Alpes dico, ditionis Mediolanenſis fines attingunt: & ſub earum gentium imperium, ceciderunt. Heluetiorum quidem certos pagos ſcimus rectam apud ſe fidem, & in ſuis citra alpes adhuc conſeruare. ſed ea tñ in rebus eccleſiaſticis diſciplina viuntur: vt maiora ſint iis pericula pertimeſcenda. nam cæteri poſt amiſſam diſciplinæ integritatem ēt diuinæ veritatis lucem perdiderunt, miſeriſq; ſunt errorum tenebris circumfuſi: tum ſua in eos, quibus imperãt, mala deriuarunt. at eiuſmodi pericula item, vitiaq; quantum poſſet, tollere Carolus in animo habebat. IV.

Rhæti ad Zuinglianiſmum ſuſcipit.

Rhætii vero illata ſemel à Zuinglio hæreſi, ante annos circiter ſexaginta: Epiſcoporum Curienſium primo negligentia, deinde infirmitatę, negligentiaq; ſimul ad eam. n. Eccleſiam pertinent: in eum deniq; ſtatũ venêre, vt ex tribus pagis, quas ligas appellant, quibus tota Rhætorum ciuitas cõtinetur, duæ magna ex parte hæretica peſte corruptę ſint: tertia, quę genti nomen dedit, cũ Griſia vocetur, & maioris videtur auctoritatis, dimidia tantũ ex parte ſequi videatur Catholicam fidẽ. Cum vero nõ exiguas ēt citra alpes regiones occupent, quæ natura, & lingua Italicæ ſunt: & prouinciæ Mediolanenſ. antea fuerũt, eandem illas calamitatẽ transfuderunt. Eiuſmodi vallis eſt, quæ Meſaucina dicitur, à Meſaucis populis, in qua caſtellum hodie quoq;, paulùm corrupto nomine, Meſocum appellatur. Eiuſmodi Peſclauium cum agro, & valle, quæ ad illud pertinet, qui quidem populi, Rhætii popularis dominatus ſunt participes. Sed eſt alia vallis longe maxima, & multarũ rerum copiis abundans, quæ hominum ad centum millia, cum nobilibus familiis, variis caſtellis, viciſq; dicitur continere. Telina illa eſt, eius longitudine paſſuum circiter ſexaginta milliũ, Abdua fluens, demum Laurium lacum ingreditur, vel potius illum efficit, eſt & alia minor, Larium, medio quodam lacu pariter attingens, quæ ab Caſtello Clauenna nominatur: cui vallis alia S. Iacobi nomine dicta coniungitur. Harũ vallium populi, dominatus minime participes, tali ſub imperio, ſi tantũmodo eſſent, tolerabile videretur: ſed ea dominandi ratione à iudicibus plerumq; hæreticis premuntur, vt hæreſis peſtem in dies magis, magiſq; recipere quodãmodo cogantur. qua ex re, qui nõ multos ante annos incorrupta fide viuebant, nũc ex parte non modica ſunt inquinati: atq; ita ſerpit malum, quotidieq; manat: vt niſi Deo miſerante, quis occurrat, breui (quod auertat Deus) populos vniuerſos, qui tñ Itali ſunt, occupaturũ penitus videatur. vnde non paruũ reliquæ Italię periculum immineat: præter illud præſens, grauiſſimumq; detrimentum, quod nefariæ libertatis cauſa, eo tamquam in tutum locum, mira facilitate, ob nimiam locorũ propinquitatem, ſeſe recipiunt Itali oẽs, quotquot ordines religioſos, fidemve ipſam impie, pernicioſeq; deſerere ſtatuunt. His igitur regionibus, populiſq; omnibus, cum ab ſe Carolus, quantum fieri poſſet, totis viribus ſubueniendum ſtatuiſſet: re ad Pontificem Romæ delata, Heluetiæ, Rhætiæq;, Viſitatoris Apoſtolici nomine, magna cum poteſtate præfectus eſt.

Eis reuocandis Carolus nauat operam.

Roma reuerſus, neq; laboribus, neque ſumptibus illis parcendum ſibi ſtatuit, vt miſeris ſubueniat: oẽs vias circumſpicit, exploratq;, quibus viis tantis malis poſſit remediũ afferre. Caroli deſiderio illud erat adiumenti: quod aduentu Ducis Terrænouæ, eccleſiæ Mediolanenſis adminiſtratio facilior videbatur: & contentionis aduerſæ loco, rebus ſalutaribus auxiliũ ab eo expectabatur. cuius rei indicia multa ſtatim is dederat: hoc in primis, quod adminiſtrationis initio ſuperiora edicta de more renouaturus, & ea omiſit, reiecitve, quæ populi pietatẽ antea magnopere turbauerant, & alia promulgauit, quæ Carolus cupiebat, quæq; iam à Rege ipſo per Clericum poſtulauerat. præterea ſeſe rebus omnibus eam rationẽ initurũ pollicebatur, quæ à controuerſia, contentioneq; maxime eſſet aliena, quod Carolus etiam ſperabat, pietate principis adductus antea ſibi perſpecta. Audoenum Ludouicũ præterea Anglum, nunc Epiſcopum Caſſanenſem, adminiſtrationis ſuæ primarium Vicarium relinquebat, cuius fidei, virtutique confidebat plurimum. Hæ res ob firmam ſpem publicæ quietis, rectæq; gubernationis, locum Carolo dabant, vt exterorum ſaluti operam dare facilius poſſet.

Meſaucos primum aggreditur.

Caſalpinos igitur cum in primis ſibi tentandos, iuuandoſq; ob propinquius periculum conſtituiſſet: Meſaucos ex his primos ſibi petendos exiſtimauit, quod primariis quibuſdã regionis viris auxilium petẽtibus, multitudine ad id parata, proficiendi ſpes erat non mediocris. Eſt ea vallis longitudinis millium circiter viginti, & mortalium ad millia vndecim continet. Cum aũt Meſauci eſſent in adminiſtratione, & imperiis Rhætorum conſortes, & Griſiæ gentis pars, quæ grauior eſſet, & à recta fide minus aliena: ſecurius ibi agi poſſe videbatur: ſi forte ob renouatũ pietatis cultum, iis reliqui vellent aliquid negotii faceſſere. Accedebat quod publico vicorum conſilio nõnulli ex valle ad Carolum venerant, iudicemq; petierant, qui apud eos maleficas, ſtrigeſq; inquireret. quod quidem ob veteri eorum more, ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſimiles ob cauſas confugiendi, non abhorrebat.

Eis Franciſcum Borſatum I. C. mittit.

Eo igitur Carolus præmiſit Franciſcum Borſatum Mantuanũ clari nominis iuriſconſultum, qui ad clericalem ordinem nuper tranſierat: vt de maleficis quæreret, iudiciumq; ferret, & Caroli officiis quodãmodo viam pararet. Is profectus conuocato totius vallis conſilio, ſic acceptus eſt, vt magnas ſe Caroli, ipſiq; Franciſco gratias habere de huiuſmodi charitatis officio incolæ reſponderẽt.

Ipſus ad eos venit.

Ille igitur ea omnia ſtudioſe ſuſcepit, quæ mandata erant, & totam vallẽ perluſtrauit donec Carolus aduenit ipſe. ſummo gaudio exceptus, & quibus potuit in locis ſylueſtribus, ab eiuſmodi hominũ genere, maximis honoris ſignificationibus acceptus fuit. Anteq̃ vallem ingrederetur, ſuis omnibus cõuocatis, oſtendit quantam rẽ ſuſciperent, quam acres, aſtutæq; dæmonum concertationes expectandæ eſſent, proinde tum aſſidua, & ardenti precatione cũ ieiunio, ſalutariq; aliarũ rerum patientia coniuncta, opus eſſet, tũ magna quoq; cautione, ne quidq̃ ab aliquo fieret, diceretur ve, quod ex ea gente quiſq̃ in malam partem poſſet, vel ob iudicii infirmitatem accipere. quod vbiq; ex Chriſtiana pietate cauendum erat, id iis locis præcipuo ſtudio fugiendum.

Roboretũ inde peruenit, & quæ ibidem geſſerit.

Gen. 37.

Quo die Roboretum peruenit (præcipuum illud eſt in vallis prima parte caſtellum) magno incolarũ concurſu, Pontificali habitu venit ad eccleſiã vbi ſumpto cõcionis argumento ex ſacra Ioſephi hiſtoria. quẽ pater miſerat, vt fratres quæreret: & quomodo ipſi, gregeſque ſe haberent. patri referret: miſſum ſe dixit ad fratres ſuos à ſummo Romano patre, miſſionis cauſam, ſuumq; erga illos amorem, & ipſorum conditionem, ſtatumq; ſic explicauit, vt pie admodum inſtituendo

commoueretur, & flecteret. Hæc Roboreti agebãtur, ſummo mane Franciſcus Panicarola nunc Epiſcopus Aſtenſis, verba faciebat ad gentem catholicis dogmatibus inſtruendam, accõmodata: Carolus poſtea Miſſæ ſacrum faciebat, cõcione altera populũ pie cohortabatur. Achilles Galliardus ex ſocietate Ieſu veſpere Chriſtianæ fidei prima dogmata accurate docebat: deinde multitudo litania, eiuſdemq; modi ſacris precationib⁹ exercebatur, ſacræ cõfeſſiones quotidiẽ audiebãtur, quã in re magna erat à Carolo impertita ſacerdotib⁹ ad animas expiãdas auctoritas.

Accõciones, ad diuina officia, ad ſacroſanctã cõmunionem, mares, & fœminæ, cuiuſuis ætatis, gregibus paſcẽdis, operibuſq; victus cauſa faciẽdis addictũ vulgus, quotidie conueniebant, vt ſi dies illi ſinguli feſti fuiſſent: idq; eximio quodam ſalutis deſiderio, miroq; in Carolum vti patrem amantiſſimum, amore, & obſeruantia faciebant, vt ferme naſcentis eccleſiæ imaginem quãdam cognoſcere liceret. Carolus interim quotidiano ieiunio ſeſe exercens, pane, & aqua tantummodo ſuſtentabatur; feſtis exceptis diebus, comites, quoniam ſacri dies Aduentus erant, Quadrageſimæ cibis vtebantur: quæ quidem abſtinentia ob multarum rerum inopiam ijs locis erat incommoda valde, magnique ſumptus. Roboreti plures cùm dies moratus eſſet; & in ea vallis priore parte plurima geſſiſſet: ad extremam tranſiit; qua parte præcipuum caſtellum alterum eſt Meſaucum, à quo tota vallis nominatur, duo enim vallis rectores in iis duobus locis ſedem habent. Eadem ibi ratione ſe geſſit: ſimilemque tulit laborum ſuorum fructum. Regionis mala ipſe quidem, non vt iudex, ſed vt quilibet ſacerdos, Deique miniſter fere perſecutus eſt, ipſis tantummodo gentis legibus eſt vſus, quibus eam quiſque fidem ſequi permittitur, quàm velit, & ita Catholicis pariter, & hæreticis proprios per leges licet habere ſacerdotes, & doctores, quamquam re ipſa per omnem Rhætorum ditionem: maxime autem in dedititiis: magna fit in eo genere Catholicis iniuria, cum enim hæretici paſſim, quos volunt, etiam exteros, ignotoſque ſacerdotes, religioſorumque ordinum apoſtatas recipiant: Catholicis contra leges prohibetur, alterius regionis presbyteros, concionatoreſve adducere, ſi modo rectoribus plerumque hæreticis non placeant, ij vero fictis nominibus, calumniiſque, ſiue publicæ quietis turbatæ, ſiue maledicti in aduerſarios prolati, pro arbitrio vtuntur, vt bonos quoſque presbyteros diuexent, atque eiiciant. malos, licet Catholicos, ferunt facilius, quod eorum vitia ſibi ad hæreſim propagandam vſui eſſe perſpiciunt, quin etiam Epiſcopi ſui ſubſidia inique prohibere ſolent: vt prohibito Paſtore, facilius grex diripiatur. Ita miſeri, cum aliquo ſacrorum miniſtro carere non poſſint, dum alij non ſuppetunt, ſæpe improbos homines, nonnunquam etiam impios ſibi doctores adſciſcere coguntur, atque interdum fuit, qui deteſtando ſcelere multitudinem fallens, nullius ſacri ordinis homo, ſacra omnia aliquo loco conficeret. Igitur ardenti amoris, & charitatis officio Carolus hæreticos circiter viginti ad Eccleſiam Catholicam conuertit. pauci enim præ reliqua multitudine corrupta fide erant: ac ſi loca extrema quædam detraheres, quæ aliorum populorũ propinquitate, licet aſperis interpoſitis montibus, frequentiorem hæreſis peſtem contraxerunt, recti, Catholicique ſenſus erant fere omnes. Duos Cœnobitas, qui fœminas ſecum, filioſque ex eis habebant: & nõ minus inopẽ, ac miſeram, quam ſceleratam vitam agebant, inflexit, vt ad ſuos ordines, religioſamq; vitam redirẽt. ea in re ſumma, incredibiliq; vſus eſt benignitate, amantiſſime cohortando, pœnaſq; meritas minuendo: imo illas ſibi adſcribendo: tũ fœminis quoq;, & natis ſua cura, ſumptuq; collocãdis & ſuſtentandis.[a] presbyteros à concubinis, quas palam habebant, abſtraxit: minime aptos excluſit: malos puniuit, in iis ſaltem eccleſiis bonos collocauit, quarũ eſſet ſtructura decens,[b] ſacerdotes è ſocietate Ieſu eo accerſiuit: qui nõ fide ſolum, & moribus Chriſtianis omnes, ſed pueros etiam literis erudirent: cum Rhætia fere tota magiſtris paulò ſaltem eruditioribus careret, eis amplas ædes rectorũ conſenſu tradidit, quas Triuultij olim Meſauci Marchiones obtinuiſſe dicuntur: vt eorum collegium ſumma incolarum voluntate cõſtitueret.[c] plurimos præterea, qui vel ob clandeſtina, graduq; prohibito contracta matrimonia, peccati ſordibus hærebant: vel ob praua lucra, & iniqua fœnora Dæmonum laqueis conſtricti tenebantur; variis modis excitauit, atque ab eiuſmodi miſeria, animæq; vinculis, pro ſua auctoritate liberauit: tum à peccandi licentia in poſterum reuocauit, omnino circiter viginti dierum opera, Carolus ita res iis locis immutauit, vt alia prope gens videretur, omneſq; ad optimum pietatis cultum ex præterita corruptione ſeſe excitatos oſtenderẽt.[d] Iudicium de tribus maleficis, Dæmonumq; nefario cultu, Borſatus ita peregit, vt decem fœminæ, quas ſceleris non pœnitebat, damnatæ, ſæculari, vt vocant, brachio traderentur: quarum etiam pars poſt paucos dies iuſſu magiſtratuum igni necata eſt. aliæ plurimæ impietatem deteſtatæ, veniaque petita punitæ ſunt, neque tamen impij flagitij mares expertes erant: imo, quod horribile eſt, ipſe Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Victoris Roboreti, quę in tota valle præcipua eſt, dux eius, & caput fuit, ſacriſq; rebus in eo nefarie abutebatur, is autem gradu ſacro deiectus, magiſtratibus itidem dimiſſus eſt, vt iuris erat, puniendus. Eius loco Ioannem Petrum Stupanum Theologum in gentis imperio natum, Carolus Eccleſiæ illi præfecit, qui adhuc locum tenet, pieque populos pro virili parte iuuat. Scelus illud huiuſmodi eſſe ex reis repertum eſt. certis diebus in loca ſilueſtria nullo labore, vel incommodo ferebantur. ibi dæmoni, qui principem locum tenebat, cum primo quis accederet, ſeſe tradebat, & ſacroſanctam Crucem conculcare iubebatur, eo loco ſaltationibus, choreiſq; vacabant, carnes à dæmone acceptas edebant. omni libidinum, turpitudinumq; genere ſeſe contaminabant: quę omnia tamen ſpecie tantum, quadam & quaſi per ſomnium miſerorum animos afficiebant: ita vt cibi, reſq; aliæ inane quoddã tantummodo, vanumq́; afferrent oblectamentum, quæ res ſaltem, infælices mortales à ſcelere debuerat alienare, ſed eo vinculo cõſtricti erant: vt non ſolum nõ reſipiſcerent, ſed ſtuderent ẽt maxime ſocietati quamplurimos alios aggregare, puellas cum vix nubiles eſſent, erat, qui per inſidias ad id incitaret: quin ipſę matres impellebãt, nonnulli erant, qui tota ætate, iam ſenes ea ratione turpitudini, atque impietati ſeruierant: imo erant familiæ, in quibus iam plures ætates, à maioribus, quaſi iure quodam hæreditaris id flagitij poſteris tradebatur, huic ſceleri addicti hæreticorum nomine vulgo appellabantur: cum hæretici ipſi nouę religionis homines dicerentur. Id malum, eumq; diaboli dominatũ, quo maximus numerus continebatur, Carolus diuino munere diſturbauit: peneq; extinxit: pleriſq; aliis approbantibus, & ſummopere gaudentibus, nam præter reliquam perniciem, multorum valetudini, diaboli mancipia illa ſuis malis artibus vehementer nocebant, & vitam ipſam nonnunquam videbantur eripere. Diſceſſit Carolus magnũ ſui deſiderium relinquens, non ſolum apud vallis incolas, ſed apud alios quoq; finitimos, ẽt hæreticos: cum enim Bernardinum Morram iuriſconſultum Caſalenſem, qui nunc in Eccleſia Mediolanenſi generalis Vicarij munere magna cum laude fungitur: tunc aũt Carolum non multo ante, relicto ciuili magiſtratu, clericaliq; habitu ſumpto, ſecutus erat: per eos dies Curiam, vbi totius gentis conuentus agebatur, negotiorum eiuſmodi Rhæticorum cauſa miſiſſet: populi eius tractus omnis Carolum aduenire exiſtimantes, cupide expectabant: deque eo honorifice excipiendo ſtudioſe agebant. Curienſes ipſi maxima ex parte hæretici eadem eſſe voluntate videbantur. Sed ille Bilitionem venit Heluetiorum ditionis caſtellum citra Alpes: non hæreſi illud quidem, ſed prauis, damnatiſque contractibus, eccleſiaſticæ auctoritatis vſurpatione, matrimoniorũ execrabili licentia, ita contaminatũ, vt ſummopere Caroli auxilio, beneficioque indigeret, quod ille conſueta benignitate, clementiaque cum tribuiſſet, magnum animarum numerum paucis diebus paſſim liberauit, quæ variis ſacræ cenſuræ laqueis irretitæ tenebantur. Ipſi quoque loci rectores, vt expiationem impetrarent, publico ſcripto polliciti ſunt, fore, vt factis eiuſmodi, ca-

Meſaucum tranſit.

Hæreticorum conſuetudo.

Carolus hæreticos conuertit.

Apoſtatas monachos duos ad cœnobiticam vitam reuocauit.

a Presbyteris concubinas ademit.

b Sacerdotibus Societatis Ieſu ad inſtitutionem iuuentutis collegium aſsignauit.

c Alios item ab aliis vitiis reuocauit.

d De maleficis iudicium habitum.

Maleficarum ſcelus quale.

Carolus huic malo medelam attulit.

Quantum Caroli deſiderium etiam apud hæreticos.

Bilitonem Heluetiorũ caſtellum reformat.

nonum iure prohibitis, in poſterum abſtineretur. His geſtis Carolus Mediolanum reuertit.

QVOD in Meſaucis, Deo in primis bene iuuante, ſalutariter actum fuerat, id diabolus diſſoluere per Prædicantes, vt appellant, ſtatim conatus eſt. hi ſunt hæreſis doctores, qui non errore ſolum, ſed ſeruitute et quadam ob doctrinæ auctoritatem miſeras nationes oppreſſas tenent. impietatem, frequenter cōcionando, docendoque multitudinis imperitæ mentibus inſerere, tuerique ſtudent. quæ ad gentis libertatem, auctoritatemq; conſeruandam pertinent, ea ſe noſſe, vehementerq; curare profitentur. dominis, optimatibuſq; aſſentantur eorum gratiam omni ratione colligunt, & conſeruant. ſi quid excitari impietatem, eorumq; licentiam ſentiunt, quod quidem arte obſeruant, cōueniunt ſtatim & de communibus rationibus vna conſultant: tum omni aſturia, & dolo pios conatus amnes infringere, bonaque rerum initia penitus delere ſtudent. per eos hæc in primis efficiunt, qui rerum potiuntur, quibus ante omnia ſuſpicionem de imperio, authoritate, ſtipendiis amittendis iniiciunt: & indoctis, auariſque hominibus. quæ volunt facile perſuadent. Sacrilegi igitur cum audiſſent, quæ in Meſaucis facta erant, ſibi, auctoritate ſuæ, cōmodiſq;, talibus ex initiis valde timētes: Curiæ in totius nationis comitiis, quoad ſexaginta (tanta eſt hominum peſtis) conuenerant: poſt Mortæ diſceſſum, gentis principibus ſuſpicionem de ſuis ſummis rebus mouent: vociferantur vehementer, rem eſſe minime diſſimulandam: imo graui pœna dignum facinus: Meſaucos Inquiſitorem hæreſis contra leges accerſiuiſſe: Cardinalem principem virum recepiſſe, ædificia tradidiſſe, quæ munita eſſe arcis loco poſſent. fœdus. quod cum Gallorum Rege eſſet, ea via frangendum: nouū autem cum Hiſpaniæ Rege faciendum curari, initia illa eſſe principatus, libertatiſq; amittēdæ. Vaniſſimis argumentis cœtum illum permouent, vt iudices ex ſingulis pagis dentur, qui pp eam cauſam in Meſaucos agant. erat. n. cœtus hæreticus ex maiore parte. & tum in vniuerſum tota natio: tum multi priuatim, ſtipendia Galliæ Regis accipiebant. Legatus item, quem Rex idem apud eos habere ſolet; rebus Catholicis, vt debebat, fauere pollicitus: Meſaucorum, & ipſius fidei cauſam deſeruit. actum eſt vehementer: nonnulli ex primariis Meſaucis ſeſe in vincula dare coacti ſunt. ſed per legationem Heluetiorum, perq; Griſiorum contentionem, qui iudicium illud ſuis tantum principibus vindicabāt, quoniam vallis ad eos propriè pertinebat: Carolo ſtudioſe agente, Deoq; in primis volente, effectum eſt, vt Griſiorum ipſorum ſententia Meſauci liberarentur, Caroliq; facta conſeruarentur. nam & ipſi populi in eo, ꝙ ſibi propoſuerant conſtanter permanentes: ſeq; in poſterum ſemper ſanctæ Eccleſiæ addictos fore confirmantes, paratos ſeſe oſtenderunt, ad religionem vna cum libertate armis tuendam, vitamq; pro fide Catholica etiam profundendam.

Griſiorum conſtantia in fide Catholica.

Conatus hæreticorū reprimit Carolus.

Carolus poſtero anno, qui nobis eius vitæ finem acerbiſſimum attulit, minime dimiſit ſuſceptum munus: imo omni ſtudio, ac pietate exequi, atq; vrgere non deſtitit, vt aliqua ratione fidei cauſam ab hæreticorum manifeſtis iniuriis vindicaret. in quo illud conſequi tunc quidem ſatis habebat, ꝙ iuſtiſſimum eſt, & gentis legibus, vt diximus, conſentaneum: vt quando vnicuiq; fidei, religioniſq; arbitrium lege conceditur: neque Catholici pios ſacerdotes, et exteros, & cuiuſuis ordinis probatos habere, ſacramentorum, doctrinæq; gratia prohiberentur: & neutri improbos, ſacrilegoſq; perfugas: quod paſſim ab hæreticis fieret, neminemq; omnino, abſque idonei teſtimonij fide, poſſent recipere. Ita. n. & Catholicę fidei conſulebatur, cui non ad conſeruationem ſolum, ſed ad propagationem quoq; miniſtros idoneos ſuppeditaſſet, & proximum perfugium intercludebatur perditis hominibus, qui vel ab Eccleſia Romana, vel à religioſis ordinibus, vel omnino à recto, & honeſto per Italiam vellent diſceſceſſere. At præterea q̄d ille ſibi in hoc genere toto propoſuiſſet: quid ageret, aut aggredi vellet, hoc loco non eſt opus explicare. Sed non viam inierat rationem: quæ magnam religionis citra alpes in primis reſtituendæ, ſpem oſtendebat, erat certe ad id aptiſſima, niſi inſpirata morte Deus omnia diſturbari. pp obſcuras nobis cauſas permiſiſſet. Interim vero dum grauiora pararet, ſuſciperetq;: tum varios populos in vniuerſum, tum homines ſeparatim plurimos reliquo tempore, rebus ad ſalutem neceſſariis, aſſidue iuuit. Franciſcum Adornum ſocietatis leſu ſæpius commemoratum, & Dominicum Bouerium Congregationis Sancti Pauli Clauennam miſit. eundem poſtea Dominicum, Peſcauij Catholicis auxilium poſtulantibus conceſſit vbi diutius moratus, pijs dogmatibus explicandis, contrariiſq; confutandis, tum aliis ſacris officiis: rebus Catholicis magno fuit adiumento: donec aduerſarij, qui eum ferre diutius, ſuis rationibus rem valde contrariam putabant: variis de more confictis nominibus illum accuſarunt: effeceruntque, vt ei dum in muneris ſui functione perſeueraret, vincula de improuiſo inijcerentur: neque alia conditione, quam ſponſione facta, ni abiret intra certum tempus, dimitteretur.

Franciſcum Adornum & Dominicum Bouerum Clauennam mittit.

Factum laudabile Heluetiorum.

Cōmemorandum eſt in hac fidei cauſa, totius fere Catholicæ gentis Helueticæ factum: qui non difficile Caroli opera ſunt adducti, vt publico conſilio, legatos ad Rhætorum conuentum mitterent, de integra religionis libertate populis dedititiis reſtituenda. qui etiam publice teſtarentur: ſi quemadmodum iuſtum erat, & fœderis legibus continebatur, Rhæti non feciſſent: nolle ſe eiuſdem fœderis iure, ſi quid iis aduerſi accidiſſet, teneri, ſubſidiumve aliquod ferre. Quæ legatio magni ſine dubio ponderis, plurimum Catholicis valuiſſet, ſi cætera quoque teneri potuiſſent. His omnibus Caroli officiis, conatibuſque, ſimul fortitudine Meſaucorum, mire Catholici earum regionum oēs ſunt excitati. langnent permulti quidem in ſtudio tuendæ ſalutis, fideiq; tum conſeruandæ, tum propagandæ, ſiue quia in vitiis ſæpe iacentes fide ſunt infirma, ſiue quia tales dominos timent, nullo præſertim parato defenſore. Sed in vniuerſum tamen ad fidei libertatem recuperandam, & ad grauiſſima quoq; pericula ob eam cauſam ſubeunda, ſeſe per id tempus erecto animo, paratos præſtiterunt. quæ res fecit, vt quidam fidei negotium, ꝙ Carolus vnum agebat, ad rem ſuam, cupiditatemq; accōmodantes, cum ducem aliquem tantummodo, paucoſque armatos populis Telinæ vallis deeſſe ad arma Rhætos capienda exiſtimarent, militum manum ad eos ducere mortuo Carolò nulla auctoritate publica conarentur, cui rei auctores Mediolanenſis Gubernator puniuit. Verum is ardor, alacritaſq; ie omnis, quę ab Caroli auctoritate, liberalitateq; plurimum pendere videbatur, ab eius obitu vereor, ne penitus ſit debilitata, quæ tamen, ſperemus, vt aliquando Dei munere, in ſpem religionis integre colendæ reſtituatur. At interim Italici populi in totius præpotentis Italiæ, & maximorum Chriſtianorum Principum conſpectu, hæreticorum dominorum iniuria, qui potentiſſimi tamen non ſunt, perculſi iacent. Dei cultus, ſacrorumque adminiſtratio friget, & in dies minuitur, contaminaturq; magis augetur quotidie numerus hæreticorum. Italię pars, teterrima hæreſis peſtilentia paulatim conficitur, & contabeſcit. Quæ mala vtinam Dei miſericordia ij quandoque reſpiciant, qui remedium afferre poſſunt.

VI. PERVENIMVS ad poſtremas Caroli actiones: quas tñ poſtremas fore credebat nemo. nonnulli quidem in eo, vltimis præſertim menſibus obſeruabant aliquid inſiretæ imbecillitatis, & maciei. ſed tñ, vt ſæpe accidit in excellentibus viris, eò longiore vita fore pleriq; exiſtimabāt, quo Chriſtianis rebus eam videbant vtiliorē. Imbecillitatis cauſa putabatur, corporis ſui tractandi ratio, quā in ſummis, aſſiduiſq; laboribus tenebat cum. n. in ſuperioris anni Quadrageſima tota, pane, & aqua tantummodo ſe reficere ſemel in die cœpiſſet, Dominicis diebus exceptis, quibus tamen piſces non guſtabat: in eo genere adeo progreſſus eſt, vt iam reliqui etiam temporis maiori parte eadem in corpus ſuum duritia vteretur, cumq; ad ſequentē perueniſſet Quadrageſimam huius anni M.D LXXXIV. adhuc aſperitatē augens, certis diebus ipſo quoque pane relicto, ficus aridas tantū. & aquam ſumebat. atq; vltima hebdomada, quæ ſanctius colitur, ficis omiſſis, lupinis vti conſtituerat Cruda legumina pro imitatione Patrum voluiſſe

Eius vitæ ratio poſtremis annis.

voluiſſe adhibere, inter quæ vnum lupinum egenis vſui eſſe aqua maceratum, hoc tempore videre potuit. Verum ob eam cauſam abſtinuit, de qua nunc referam. Non multos ante dies eryſipelas in crure rurſus apparuerat, vlcuſque fecerat: cuius curandi cauſa, medicis parens iacuerat complures dies, cum minime ſanaretur, conceſſere Medici, vt ſurgeret, motuique beneficio frueretur, ita tum ſacras ordinationes initio Quadrageſimæ habuerat, tum alia geſſerat, quæ opus erat: neque crure amplius laborauit, ac dum ſurgendi facultatem peteret, affirmaretque ex natura corporis ſui bene cognita, ſeſe ex ea re conualeſcere poſſe, medici autem primo quidem non concederent: quidam ex familiaribus, exiſtimans Carolum cum vitæ diſcrimine medicis minime pariturum, idque animo ſuo dolens, litteris Romam ad Caroli neceſſarios datis, eum grauiter ægrotare ſcripſit, neque velle medicorum curationem admittere. Ibi de re conſultant, efficiunt denique vt ad eum ſcribat Pontifex in hanc ſententiam: ſeſe ægre admodum ferre, quod curationem pati nollet: monere autem, vt ſanctos viros animi virtute imitaretur, corpus eatenus affligeret, quatenus vires, æquitate ſeruata, ferre poſſent. Poſtremo etiam grauiter imperat, vt in vita moderanda medicorum conſilia ſequatur. Carolus, qui tum ſe valere ſentiebat, ſibique conſcius erat, in proximo morbo nihil feciſſe contra medicorum præſcripta: qui de falſo item nuncio, vnde litteræ apertè prodebant, & omnino vnde fluxerat tota res, ſatis compertum habebat: qui denique ſciebat, omnem vitæ ſuæ rationem Pontifici, cum eum proxime fuerat allocut[us], retuliſſe, & quæ is improbaſſet, dimiſiſſe: nihil in re tanta, tali loco, & tempore ſibi temere faciendum ſtatuit: ſed Pontifici ſcribendum, vt is cognita veritate, ſententiam ſuam aperiret, ſed interim tamen medicos accerſit, de vita ſpirituali, atque Epiſcopali medicinæ legibus aſtringenda quærit: aliqua de aſperitate ſuſcepta remittit. Primo igitur, quæ de proxima ægrotatione ſe accepiſſe, Pontifex oſtenderat, vnde pendere iuſſa perſpiciebatur, ea falſa eſſe litteris demonſtrat. Addit ſe de tota valetudinis, vitæque ſuæ ratione, iam nunc Patri ſanctiſſimo quæ vera eſſe exiſtimaret, expoſiturum: facturum deinde diligenter, quod is iuberet. Seſe antea, quod Pontifex ipſe recordari poterat, dum medicorum præſcripta ſequeretur, infirma ſemper fuiſſe valetudine: demum etiam ita ſeſe habuiſſe, vt ad modicum tempus exiſtimaretur vitam poſſe producere, ante annos circiter duodecim, piorum, prudentiumque virorum conſilio, mutaſſe viuendi rationem, à præſcriptionibus medicorum diſceſſiſſe: adeo fœliciter eueniſſe, vt quæ valetudo ſtudioſa obſeruatione, curaque ſuſtentari non potuerat: ea vulgari viuendi modo optime confirmaretur, vitæque longioris ſpem afferret, ſi nunc demum poſt diuturnam conſuetudinem, cum annum ætatis ageret quadrageſimum ſextum, ſeſe ad medicos referre voluiſſet, neque ſine muneris ſui graui impedimento, & cum manifeſto vitæ diſcrimine id futurum. Attamen alterum ſe medicorum nullo modo aſpernari, ne latum quidem vnguem ab eorum præſcriptis diſcedere, cum ægrotaret, alias etiam eorum conſilia ſequi ſere, at ea ſemper ſequi, eorumque ſe obſeruationibus addictum præſtare, id vero neque menti eius ſanctiſſimæ, neque vitæ Epiſcopali videri conſentaneum: quod vel medicus ipſe fateretur, ab eo proxime conſultus, veterum Patrum, & Sancti Ambroſij in primis, hanc eſſe ſententiam: diuinæ cognitioni contraria eſſe præcepta medicinæ, à ieiunio reuocare, à lucubrationibus, & ab omni intentione mentis abducere, eum qui ſe medicis daret, ſeipſum ſibi abnegare, omnino cura corporis hominis auerti neminem à ſtudiu diſciplinæ debere. Pontificis ipſius exemplo ita doceri, qui medicas obſeruationes in vitæ ſuæ ratione minime ſeruaret, hæc ita cum ſe haberent, qui pontificio iuſſu medicorum conſiliis addictus eſſet, eum certe perpetuis conſcientiæ ſtimulis, atque angoribus neceſſario cruciandum. Quod exiſtimaretur ea corporibus aſperitate vti, quæ vires ſuperaret: hoc verè affirmare poſſe, neque ſe eam, quæcunque eſſet, valetudini ſenſiſſe contrariam, & ad munera ſacerdotalia facilius obeunda accommodatam, omnino eum ſe modum minime tranſire, quem ſuperiore anno, cum ad eius iudicium omnia ſua detuliſſet, Pontifex ipſe comprobaſſet, ſi etiam continentia, & corporis afflictione paulo magis progrederetur, quam vulgo alij multi ſolerent, minime videri improbandum, tum ad delenda peccata, tum ad ſanctorum virorum, immo ad ipſius, qui ſanctorum eſt auctor, actiones aliquo modo imitandas, idque maxime, quod eius ipſe ordinis, hoc eſt Epiſcoporum eſſet, quibus nõ animi virtute ſolum, ſed exercitatione item corporis, ex Gregorij Nazianzeni, aliorumq; Patrum doctrina, reliquos omnes longe poſt ſe relinquere ſtudendum eſſet. Quod autem ea vitæ ratio futuris temporibus, coniectura quadam ſibi nocere poſſet: incertæ offenſionis metu, certos ſalutarium operum fructus negligendos non videri: neq; tam longe cauendum: alioqui corporis afflictionem, pœnitentiæq; officia homini Chriſtiano neceſſaria, quis vnquam ſuſcepiſſet? Si etiam animo in res ſalutares intento, Epiſcopus in eiuſmodi exercitatione præter voluntatem aliquid corpori ſuo noceret, quod ſanctis pleriſque legeretur eueniſſe, non eſſe id tamen damnandum, met[...] to patres exiſtimaſſe, ſacerdotes ab ipſo Chriſto Domino ſoli, & lumini ob id quoq; comparatos, quia illud dum condit cibos, liqueſit, hoc dum ardet, & diffunditur, oleum ſibi cõſumit, confidere ſe, ea omnia ſummo Patri probanda. At vero quidquid ſignificaſſet, et ſe omnino prompto animo pariturum. Cardinali autem Comenſi, qui Pontificis erat nepotis loco præcipuus adminiſter, Pontificiiſq; epiſtolis præfectus, & literas ipſe quoque ad Carolum ea de re dederat, reſpondens, addidit, ſi Pontifex in ea perſtaret ſententia, quam literæ præ ſe ferrent, nulla alia ratione ſe poſſe conquieſcere, cum illius iuſſi vi, ac timore ſolicitari perpetuo neceſſe eſſet, niſi vt dimiſſo Archiepiſcopatu Romam demigraret, ibique in conſpectu Pontificis viueret, qui eius vitæ rationem quotidie cognoſcens, eum ab conſcientiæ aculeis, quotidianiſque moleſtiis liberare potuiſſet, ſed is reſcripſit, nolle Pontificem Carolo vinculum inijcere, ſed eius arbitrio permittere, quando medicorum conſilio ſibi vtendum eſſet. Factum huiuſmodi fecit, quoniam in iis Epiſtolis ſcribendis noſtra opera vti voluit, vt de eius vita, ſenſuque plenius cognoſceremus, certiuſque ſcriberemus, optandum erat fortaſſe, vt ſaltem duriſſima quædam in tempore nominatim interdicerentur, ſi virtutis illius, vitæque fructum ita forte potuiſſemus diutius percipere, nam medicorum præceptis hærere ſemper quomodo poſſet tali conſuetudine, taliq; occupatione Præſul? Verũ illud potius exiſtimandum eſt, in hoc Dei ſeruo, quemadmodum in aliis multis, de quibus nominatim agere longum eſſet, diuina benignitate factum: vt ad exitum vitæ huius appropinquans, clariori ſanctitatis luce ſplenderet: quod illi expeditius eſſet ad beatitudinem conſequendam, cæteriſque ad virtutis imitationem illuſtrius, neque vero nouum eſt, ſanctos viros, vt optimos curſores, hiſce viuendi ſpatiis, eo ſe magis incitare, quo propius accedunt ad metam: licet eos ſæpe quidam hæſiſſe dicant in curſu, quos oculis corporeis ad metam perueniſſe non vident, ego enim ita ſentio, multos Deo deuotos viros, non q; extremo tempore durius vixerint, longius vitam non potuiſſe producere: ſed quod à fine vitæ propius abeſſent, iis Deum dediſſe durioris vitæ beneficium. Finem vero vitæ præſagiens Carolus dicebat, de maiore annorum numero, ſe omnium minime ſolicitum eſſe debere, qui mirabiliter quodammodo, quantum ex priore imbecillitate iudicari poterat, ad eam ætatem perductus eſſet, quæ quidem ætas eſſet fere familiæ ſuæ. Gibertum patrem mortuum, dum annum XLVII. ageret: fratrem Federicum multo iuniorem, ſorores quatuor ante illam ætatem vita exceſſiſſe, duas prope adoleſcentes, quid ſibi reliqui tandem exiſtimaret, niſi forte paucos annos in doloribus, cruciatibuſq; corporis eſſe traducendos? Cum Franciſcus Adurnus ad eum per idem tempus veniſſet, huius generis nonnulla locutus, Patrem quodam quaſi ioco interrogauit, qua ætate eſſet, cumque audiſſet, ſi recte memini, eſſe circiter quinquaginta annorum, heus, inquit Pater, num adhuc in vita manendum eſt? quæ quidem erant iiſdem obitus ſui proximi prædictiones quædam. Poſt Paſchæ celebritatem cum crucis feſtum appropinquaret, inuitauit Auguſtinum Valerium Epiſcopum Veronenſem, qui paulo ante creatus erat Cardinalis, ad illa ſua ſacroſancti claui ſolemnia: propter quæ Duci Mantuano

Pontifex ad Carolũ ſcribit, cohortans vt medicis in morbo pareat.

Reſpõndet Pontifici litteris.

Comenſi Cardinali Carolus item ſcribit.

Reſponſum eiuſdem.

Auguſt. Valerio Ep. ſc. Veronẽ. ad feſtũ Claui inuitat.

tuano ſe tum excuſauit, ne ad eius filij nuptias iret, ita cupiebat optimi Antiſtitis, quem plurimi ſemper fecerat, & ampliſſimo honore dignum iudicauerat, ſpirituali conſuetudine paulum frui. Sed paucis ante feſtum diebus ei nũciatum eſt de grauiſſimo Ioannis Delfini Epiſcopi Brixienſis morbo, cumque tota die Dominica in diuinis officiis de more fuiſſet, noct: Brixiam ſumma celeritate venit, mane cohortatione, ſacriſque neceſſario tempore hominem magnopere iuuat: mortuo funus curat, celebri Miſſæ officio ſuffragatur, pia concione cohoneſtat: his omnibus Brixienſium pietatem magna cum iucundite iuuat, demum ad Crucis feſtum, quod feria quinta celebrandum erat citatis equis, quoniam ita ob temporis breuitatem neceſſe erat, noctis feſtum præcedentis hora octaua Mediolanum peruenit, tanti momenti putabat, piis populi ſtudiis, officioq; ſuo, cum vſu veniret, non deeſſe, tum viatoriis veſtibus ſtatim poſitis, quaſi ad illam horam commode quieuiſſet, iis meditandis, quæ in concione poſtero die dicturus erat reliquo noctis tempore operam dedit: nocturnis, matutiniſq; ſacris interfuit, Pontificali more Miſſam fecit, concionatus eſt, clauum conſueto viarum ambitu, ſacris ordinibus cunctis productis, portauit, reliquum diei in veſpertinis ſacris, aliiſque de more diuinis exercitationibus integre poſuit. Ab Auguſtino autem, vt alias, ſic eo die impetrauit, vt piam veſpere concionem ad Mediolanenſes haberet. Reliquos anni menſes conſumpſit in conſuetis laboribus, quos quidem, & extremo omnino illius facta, ne minute nimis à me deſcripta, prudentiores quidam iudicati ſint, nõnihil vereor, ſed nihil dicturum me confido, quod iure ſuperuacuum videatur, aut leue: religioſioribus certe mentibus pleriſque gratificaturum me, profuturumque ſcio. Viſendis Eccleſiis diœceſis ſuæ ea æſtate ſe exercuit: idque magis quam antea fructuoſe, denunciari enim vnoquoque loco ante iubebat aduentum ſuum, & ampluni indulgentiæ beneficium iis proponi, qui peccata confeſſi cõmunicaſſent. Sacerdotes præmittebat magna auctoritate ſacramenti pœnitentiæ adminiſtros, ipſe cum venerat, ſanctiſſimum Euchariſtiæ cibum præbebat, magnus vbique conſtabat ſacræ pœnitentiæ, ac ſalutaris expiationis fructus, nam pleriq; negotiis omiſſis, ea præclara dona cupide admodum à chariſſimo Patre accipiebant. Modoetiam venit, vbi noſtram ſanctæ Mariæ Eccleſiam tribus cum altaribus cum dedicaſſet, xvii. Cal. Iulij, in collegio, quod ſemper, vt opus ſuum, amauerat, mira quadam abiectione ſolus manſit, ad Nouitios rogatus à nobis, verba fecit amantiſſime, de perfectæ vitæ inſtitutis. At vero libenter alioqui per id tempus frequentiam fugiebat, & in remotiora loca diſcedebat, negotiorum ſe moleſtiis ſubtrahens, vt ſacris ſtudiis, diuiniſq; contemplationibus vacaret, quod gubernationis, actioniſque omnis iamiam deponendæ, diuinæque contemplationis integre ſuſcipiendæ, omne quoddam videri poſſet. Sed Mediolanum tum ad præcipua feſtorum ſolemnia rediit, vt ſolebat ſemper, tum ad conſecrationem primo Albenſis, deinde Alexandrini Epiſcopi electi, nam & ipſe ſacris eiuſmodi officiis delectabatur, & pij viri ſibi à tanto Antiſtite manus imponi cupiebant, à quo præterea diſcedebant optimis eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis locupletati. Atque Octauium Pauicinum Alexandrinum, nunc Cardinalem cum conſecraſſet, eduxit etiam ſecum ad eccleſiarum luſtrandarum munus. nam, & ipſe optima noui Epiſcopi voluntate, virtuteq; delectabatur, & ille antiquam religionem magni, & epiſcopali munere diu glorioſe perfuncti Antiſtitis, ſingulariter obſeruabat.

Brixiam venit Ioannẽ Delphinũ Epiſ. ægrotantem viſitaturus. a Velocibus equis Mediolanum properat Crucis feſtum celebraturus.

Eccleſias diœceſis ſolito magis frequentat.

Modoetiæ Eccleſiam s Mariæ dedicat.

Mediolanũ reuertitur, & Albenenſem, Alexandrinumque Epiſc. conſecrat.

Exercet ſeſe in monte ſalutariter iter facit ægrotans. b Franciſcũ Boſsium Nouariæ Epiſcopum moribundum benedicere properat c Meſſerani Marchionem ſacramentis piè iuuat. d Vercellis Eccleſiæ res componit

Celebraturus erat ſacra, quæ dicimus, Septembris menſis tempora, cum accepit, Franciſcum Boſſiũ Nouariæ Epiſcopum ita ægrotare, vt morti propinquus iudicaretur, iuſſerat autem ille Carolum certiorem fieri, & ſuo nomine tantummodo poſtulari, vt ſibi benediceret morituro. Carolus autem ſtatim illius temporis ordinationum munus Franciſco Cittadino Epiſcopo cum mandaſſet, paucis horis poſt nuncium allatum moratus, nocte ipſa Nouariã contẽdit, quæ triginta paſſuum millia Mediolano diſtat, mortuum Epiſcopũ inuenit, conſueta pietatis ſuffragia tribuit, in concione populum cohortatus eſt, quæ tali tempore conueniebat, Eccleſiæ miniſtros monuit, quid facerent, dum Epiſcopus à Pontifice daretur. Nouaria Guido Cardinalis Vercellenſis, eum ad Meſſerani Marchionem communem cognatum adduxit, vt in mortifero morbo hominem conſolaretur, & iuuaret, quod vtiliter admodum effecit: nam Machio ſacramento pœnitentię expiatus, & Euchariſtia ſanctiſſima munitus, pie mortem obiit. Vercellis aliquot dies fuit, vbi in cõponendis illius Eccleſiæ rebus, cũ Epiſcopus apud Imperatorem Sedis Apoſtolicæ nuncius abeſſet, verſatus eſt. Conſtituerat eo tempore ſeſe diutius ſalutariter colligere, quibus in rebus à multis menſibus peccaſſet, & ſuis deſuiſſet officiis, attente peruidere, errata confiteri, veniamq; à Deo poſtulare: tum per diuinas etiam cõtemplationes ad pietatẽ, vitæque ſanctitatẽ acrius ſeſe incitare: & ad negotia præterea, quæ tum illi erant in manibus, pie & feliciter gerenda, diuinam opem enixe implorare, quibus rebus ſolitudine opus erat. Eiuſmodi exercitatio cum alias ei cordi eſſet vehementer, tum eo tempore erat optatiſſima, ob mentem magis, quam antea diuinarum contemplationum cupidam, earum præſertim, quæ de cruciatibus, morteque Chriſti Domini eſſent, quas per ea tempora ſtudioſiſſime, ardentiq; animo frequẽter tractabat, articulatim ordinabat, literiſq; mandabat, qua quidem mente, ſtudiiſque clementiſſimus Deus, id quod demũ poſt factum clarius apparuit, ſacerdotem ſuum iamiam ex hac vita migraturum ad æterna præmia præparare videbatur. Varallum vbi alias ſimili de cauſa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit, vico id nomen eſt, qui Nouaria, & Vercellis æquo ſpatio diſtat, ad paſſuum millia circiter vigintiquinque, ibi mons, quoniam fere ſub alpibus eſt locus, ex piorum hominum, etiam longinquorum votis, & omnino religionis cauſa frequẽter viſitur, nam religioſus vir ordinis minorum, ex Mediolanenſi nobili familia Caima ante annos fere centum: cum ex Iudæa, ſanctiſſimo Chriſti Domini ſepulcro religioſe inſpecto, rediiſſet, eius imaginem aliquo loco ponere conſtituit, quæ piis hominibus, cum Iudæam petere non poſſent, ad pietatem, venerationemque erga ſepulchrum, ſanctaque Hieroſolymæ loca exercendam, aliquo modo valeret, ac eo loco, monteq; delecto: Eccleſiam monaſteriumque ſui ordinis piorum hominum ſumptu ædificauit: & ſepulchri ſpeciem decore collocauit, ea res adeo fæliciter euenit, vt locus maxime celebris euaſerit, & variis temporibus ædiculæ multæ fuerint conſtructæ, vbi pulchris imaginibus, ac ſtatuis, ea in primis referuntur, quæ in affligendo, morteque afficiendo Saluatore, acta ſunt; tum aliæ quoq; res ex diuinis hiſtoriis ad noſtram ſalutem pertinentes. Ita iam in ſummo monte, quaſi ſacer quidam vicus plurimarum ædium factus eſt, quas ordine, certiſque viis frequentes peregrini ſalutaribus cogitationibus, ſupplicationibuſque intenti adeant, & religioſe contemplentur. Eo ſe Carolus igitur conferre ſtatuit, & ob eam rem Franciſcum Adornum acceſſiuit: quem piarum exercitationum adhiberet adiutorem. Sed ante miſit Dux Sabaudiæ Vercellas, qui illum eius nomine rogatum Taurinum adducerent, officium Duci Carolus, vt chariſſimo filio non negauit, quod vel ſponte libenter ſuſcepiſſet, ad ſacroſanctam Sindonem poſtremo viſendam, & venerandam. Dux vero magnum cœpit, ſi vmquam antea, Caroli præſentiæ, conſiliorumque fructum: viſuſque eſt maxime ad pietatem commoueri & eundem etiam in diſceſſu proſequi lachrymis. Ad montem cum veniſſet, monaſterij cellula, in qua moraretur, electa, ibi corpus incommode admodum, & ſeuere tractare cœpit, in ligneis tabulis ſomnum capiebat lodice tantum inſtratis, conſueto vtebatur panis, & aquæ alimento, durius, quam antea corpus flagellabat, id quod ex interula deinde, flagelliſq; ſanguine aſperſis apparuit, licet ipſe ſtudioſe occultaſſet, ſacræ confeſſioni parandæ ſacræque meditationi ſeſe dedit, ad hanc meditationis exercitationem ſuos admiſit, quamquam ſpatij, occupationiſq; longe minoris: ſed deſtincta ad meditandum rerum capita quotidie tradebantur: quibus cogitandis, & contemplandis, certis diei, noctiſq; horis, ea ſe quiſque æ[illegible], & coram iis imaginibus exerceret, quæ [illegible] animi ſui fructum ſentiret. [illegible] tempus conſtitutum erat, quo ſimul conuenientes inter ſe, quæ animo ſenſerant quæq; erant meditati communicabant. Carolus primis diebus ſex horas, partim diurnas, partim nocturnas ſibi finierat, quibus horis conte m-

VII.

Varallis Caima imaginẽ ſancti ſepulchri conſtruxit in monte.

In hoc mõte ſe exercet Carolus ſalutariter.

templationi, precibuſq; vacaret, reliquum tempus confeſſioni dabat, tum neceſſitati quoq; corporis, quam anguſtiſſime tamen circonſcriptæ, & ſi quid negotij eſſet, quod non poſſet omitti iucunda prorſus ſpecies, & pietate pleniſſima, conſpiciebatur noƈte ampliſſimus Antiſtes, nullo comite, paruulam laternam ſub pallio tenens, per vias illas ſummi montis, petere quam ſibi iudicaſſet, opportuniorem ædiculam, vt in ea quemadmodum ſibi præſcripſerat, ſeſe exerceret quarto ab aduentu die peccata ſua confeſſus eſt, tanta pietate, dolore, ac lachrymis, vt qui confeſſionem audiebat, itidem in fletum adduceretur, poſtero die, tantis exercitationibus tam beate occupatus, non neglexit officium tamen, neq; se recuſauit Aronam ad Cardinalem Vercellenſem venire: ſed prius noƈte proxima, circiter octo horas contemplando, Deumque orando, in diuinis rebus ita manſit, vt flexis genibus, tanto [illegible] ario, nulla corporis parte cuiquam reniniteretur: quin etiam ad extremum, cum ſubaccuſare viſus eſt, qui horologium curabat, quaſi tempus ſtudioſe contraxiſſet. Poſt diem reuerſus in ſuam ſe retulit ſolitudinem quo loco, & ex iis quæ cum aliis conferebat, & ex aliis ſermonibus, indicijſq; perſpexerunt, & Pater, & alij, eum minime [illegible] ſingulari ratione diuinitus commotum, & eo præſertim lumine illuſtratum, eaque mente confirmatum, quæ [illegible] humanis, vitaque ipſa omnino poſthabita, Deum ſolum petit, eique intima voluntate, totaque mente penitus coniungitur, quibus rebus nihil ad propinquam mortem erat accommodatius: maxime, ſi delectationem addas, quam ex ſermonibus, meditationibuſque de morte, & ſepultura Domini, & ex eius ſepulchri imagine in primis viſenda, contemplandaque capiebat, cui rei ſatis conſenſit etiam ſacra Sindon viſa prius, & culta, tum duo principes viri, Epiſcopus, & Marchio extremis ſacramentorum, ſuorumque officiis adiuti. Non multos in monte manſerat dies, cum in febrim incidit: cuius impetus cum tuliſſet tantus, eaq; tertio die rediſſet, patri demum ſignificauit, idque fere præter conſuetudinem: nam alias etiam quinquies reuerſam nemini indicauit: vt niſi obiter poſtea quandoq; alicui ſignificaſſet, id reſciuiſſet nemo. Adductus eſt à Patre, vt aſperitatem corporis nonnihil minueret: quamquam quid fuit tandem, palearum aliquid, in quibus cubaret recipere, & in aqua coctum panem, nullo tamen condimento, admittere? mentis item exercitationes aliquo modo moderatus eſt. ita vt aliquid temporis aliis quibuſdam conſolationibus daret, præſertim de ædiculis illis melius diſponendis. Febris autem innaſit cum tertio: ac quantum corpori firmitudinis decedebat, tantum animo diuini luminis, cœleſtiſque virtutis accedere videbatur. Triduo tantum aberat ſanctorum omnium cultu inſignis dies, quem Carolus de more cum populo ſuo Mediolani, conſuetis muneribus functionibus, agere ſtudebat, erat ei quoque negotium ab Apoſtolica Sede mandatum, de collegio ex teſtamento pij viri in vico Aſconæ inſtituendo, vbi pueri pietate erudirentur, & literis, cuius negotij cauſa ad locum ipſum eundum erat: neque id ſine magno damno differri poterat. Dum igitur hiſce de cauſis à monte diſcederet, ita rurſus ſeſe in locum Dominici ſepulchri abdidit, vt comites, cum fere deſcendiſſent, tum demum Carolum deeſſe animaduertentes, in eo loco inuenerint. Aronam eo die venit montoſa, difficiliq; via milliarium decem & octo. Ibi ſtudio celerantis tertia noctis hora nauem conſcendit, vt per Verbanum lacum Aſconam contenderet, quæ aberat ad millia paſſuum circiter triginta quatuor. In quo itinere plurima fecit, & locutus eſt, quæ tum ſanctitatis officia, tum proximæ mortis indicia cumulatent, & ideo minime videantur prætermittenda, hæc pleriſque agunt, dum in lecto iacent, de humanarum rerum deſpicientia, de beatæ vitæ deſiderio loquuntur, ſuis ſalutaria præcepta tradunt. Sed Carolus, qui in laboribus aſſidue vixerat, pro quiete ſemper laborem elegerat, ſuam etiam in morte præſtitit conſuetudinem, ſuamque itinere faciendo, incommodiſque, & laboribus tolerandis, ægrotationem traduxit, philoſophabatur de animo in hac vita conformando, vt humana omnia, præter, quæ Dei ſunt, pro nihilo prorſus habeat, oportere hominẽ ſeſe omni tempore ita expeditum præſtare: vt Dei nutu prompto animo ſemper ex hac vita poſſit demigrare, ipſas etiam Dei cauſa ſuſceptas res, quæ quidem quandiu tempus datur, omni diligentia, ſtudioque agendæ ſunt, ita tamen eſſe curandas, vt, [illegible] licet imp[illegible], nihil animo tamen afferatur impedimenti, vel moræ, quin liber hinc, omninoque ſolutus euolet, plures Eccleſiæ ſuæ res exemplo proponebat: quas licet valde vtiles, ac neceſſarias, & magno item à ſe ſtudio, laboreq; ad id tempus curatas, nullo modo tamen adeo valere æquum erat, vt ſi vita decedendum eſſet, animum quidquam morarentur, quin ad Dei voluntatem exequendam prorſus expedite ſeſe conuerteret, ac hilariter, atque vt, quo ſermones eius ſpectarent clarius appareret: breuem cognatorum ſuorum vitam ruſus in ore habebat, & Giberti patris, qui eadem, qua tunc ipſe erat ætate, vita ceſſiſſet, mentionem repetebat, quæ quamuis ille frequenter loqueretur, de eius tamen impendente morte, tunc quidem nemo ſuſpicabatur. Cum Arona quemadmodum modo dicebam, ſoluiſſet, in genua procubuit, & cum ſuis ſtatas itineris preces habuit, addidit pſalmos nonnullos, vt mortuis ſuffragaretur, tum conuerſus ad nautas, omittitis ne precari, inquit, fratres cum ſoluitis? at mihi hoc dabitis poſthac, vt dominicam Orationem, ſalutationem Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum pie ſemper recitetis, cuius conſuetudinis initium tunc faciens, vna cum illis mira humanitate ad verbum ea pronunciauit, mox ſalutati ſermone omnes, qui aderant, fructuoſe cohortatus, in culcitra recubuit veſtitus ad nonam noctis horam, tum ſurrexit noƈturnaſque ſtatas preces obiit vna cum ſuis, genibus more ſuo nixus, mente deinde precari non deſtitit, donec hora duodecima Canobrum appelleret, eo loco ſacrum facturus. In Præpoſiti illius Eccleſiæ ædibus permanſit, Deum orans, donec illuxiſſet. tum re diuina confecta, valetudinarioque cibo, ſicuti veſperi, ſumpto, nauem conſcendit, Aſconam, quæ circiter millia paſſuum decem diſtabat, venit, eodem die negotium confecit ad quod venerat, nauigationem q; repetiit. Conſtituerat poſtero die, qui omnium Sanctorum feſtum antecedebat, Mediolanũ peruenire, ſed cum Aſconæ quartam febris acceſſionẽ ſenſiſſet, Canobij ſubſedit eo die neceſſario, recubuit primo ſine culcitra, atq; adeo ſine palea: mox familiariũ rogatu, vlq; morbi adductus, ſeſe in culcitra collocauit, morbo afflictus Capucinos iuſſit accerſiri, quorũ pijs verbis, cõſolationeq; ſubleuaretur, quos de ſancti Franciſci exẽplis, rebuſq; cæleſtibus aliqd incipientes, ſubſequebatur ipſe fuſius, diuinaq; multa proferebat quibus ex ſermonibus in Pij Quinti mentionem delapſus, eius pontificis plurimas laudes diu, ſuauiterq; percenſuit, cum nox eſſet, ipſeq; ſibi integer videretur, conſulto medico Aronam ea noƈte ſaltẽ proficiſci volebat. Orãt autem familiares Octauianus Forerius canonicus Med. in primis, ſibi parcat, præterita noƈte breui ſpatio quieuiſſe, magnum periculum eſſe, ne tanto incommodo morbus ingraueſceret, præſertim ſi Mediolani ad proximam celebritatem adeſſe conaretur, omnino veriſimile nõ fieri, vt vires ad ſolemnia ſacrorum munerũ functiones obeundas ſuppeterent, eorum victus precibus, ea noƈte commode quieuit, mane autem poſt ſtatas preces, ſacrificiumque, Aronam petit, omiſſo cibo, quoniam erat ieiunij dies, neq; inualetudinis excuſatione ſibi vtendum putabat. In naui genua ponit, precationem iter facienti præſcriptam, & litaniam, primo quidam Ambroſiano ritu cũ ſuis, deinde aliam Romano more cum nautis habet, quod ij Aronenſes erant, vbi ritus eſt Romanus, poſtea ſedens ſacrum ſermonem de celebri feſto illo inſtituit, quo habito, diſtinctas quaſdam conceptiones auditoribus tradidit, in quarum meditatione, contemplationeque taciti verſarentur. Id cum horæ ſpatio factum eſſet, ſingillatim interrogauit, quid cogitaſſent. Deinde negotiis operam dedit: Forerium in Meſaucos dimiſit, vt ibi de ſalute multorum ageret: & per homines recte ſentientes, quæ de Calendario Gregoriano, proximis Rhætorum comitiis recipiendo, poſſet, diligenter curaret, tum litteris, & ſupplicibus libellis perlegendis ſeſe dedit: etenim ſi Rhæticum excipias, negotiis fere ſuperioribus diebus abſtinuerat, ne animæ exercitationes, & fructus impedirentur. In conſpectum Aronæ cum veniſſet, litaniam repetiit, in oppido manſit in ædibus ſodalitatis Iesv. Renato

Horis octo in contẽplatione perſeuerat flexis genibus.

Carolus in febrim incidit.

Iter facit ægrotus.

De quibus in via conſuluerit.

Nautas ſoluẽtes ad orationem hortatur.

Aſconæ quarta febris acceſſit.

Aronam petit. Exercitia eius in naui.

Arona quid ſe habuerit.

Comiti

Comiti ſe excuſauit, quod ægrotus apud religioſos viros rectius eſſet, vbi ſi quid accideret, propiora eſſent ſalutis adiumenta. Ibi igitur refectis tenuiter pro ægroti modo viribus, vt ſuperioribus diebus fecerat, in lecto quieuit ad ſeptimam noctis horam. mox cum ſurrexiſſet, tum diuinis contemplationibus, tum ſtatis nocturnis precationibus operā dedit, vſq; ad lucem. Miſſæ ſacrum ad omnium ſanctorum cultum fecit: in eo non ſolū nouitiæ domus illius iuuentuti, ſed aliis incolis multis, qui conuenerant, ſacroſanctam Euchariſtiam præbuit, tum ſeſe in lectum retulit quinto febrim expectans, quæ quidem grauior fuit, quam ſolebat, atque cum ex medicorum præcepto febri conſiſtente, aquam cum hordeo coctam, calidam ſumpſiſſet, moxq; ſomno ſe dediſſet, acrius inflāmatus, adeo laborare cœpit, vt nunquam poſtea integrum corpus habuerit: nihilominus poſtero die mane, quo mortuorum ſuffragia celebrantur, inuitatus nauigandi commoditate, Mediolanum petere conſtituit. itaq; ſtatas quidem horarum preces obit: Miſſæ autem, quoniam tum demum facere nullo modo poterat, in eccleſia intereſt: lectoque in naui parato, lacu, mox Ticino flumine, indeque aquæductu, Mediolanum eo die vehitur.

Quinto febri corripitur, eaque grauiori

Mediolanum venit.

Iam medicis ſtatim acceſſitis ſeſe curandum tradidit, altare in cubiculo collocari, ſepulturæ Domini imaginem apponi, eiuſq; ſimilem ſuper conopei fulcra ſtatui iuſſit. vt quotieſcumq; oculos tolleret, eam poſſit cōtemplari. aliam non diſſimilem, Domini precantis, ſanguineumq; ſudorem cum morti appropinquaret, effundentis, eiſdem fulcris appendi mandauit, quam directo videret obtutu: vt priora illa ſigna continuari facile quiſque cognoſceret: quamquam eiuſmodi imagines, quotieſcunq; ægrotaret, ad ſolatium ſuum requirebat. Mane cum adhuc horarias preces, quemadmodū ad id tempus religioſe fecerat, recitare vellet: Patris Adorni ſuaſu, ſatis habuit alium recitantem audire: cupiebat item, ſi febris remitteret, in ſacellum ſe conferre, ibiq; ſanctiſſimum recipere ſacramētum, altoqui ſaltem ad altare cubiculi ſui, ſed neutrum licuit, cumq; Pater ſuaderet, vt in cubiculo Miſſam fieri pateretur, non conſenſit, ne quis forte ſequi vellet exemplum. Poſt meridiem febris increſcere, ſextaq; acceſſio obſcure fieri ita cœpit, vt ſomnum quendam videretur inducere. Audieram eum quandoque narrantem de Egidio Mutinēſi Epiſcopo, quā plurimi fecerat: cum mors immineret, quieſcenti ſeſe, ac pene dormienti ſimilē præſtitiſſe: qui cum ſæpius interpellaretur, ſinite, me, inquit, tandem quieſcere, & cum Deo eſſe. Id cum eo tempore veniſſet in mentem, dixi ſubuereri me, ne Mutinenſem Epiſcopum imitaretur: quod ille ſubridens ita negare viſus eſt vt verum tamē ex parte crederes, veniunt medici, inſpiciunt, ita timent, vt morbum diuturnum, neq; eum ſine aliquo vitæ periculo prænuncient: at cum habita inter ſe conſultatione, paulò pòſt ad illum redeunt, motumque in brachio rurſus obſeruant: tum vires ad exitum præcipitare, iam iamq; interituras, præſentibus renunciant. Subitus, minimeque omnium expectatus caſus, quàm vehementer nec opinantes perculſerit, non eſt cur explicare conemur. alij aliis ſignificant: tacite ſimul lamentantur: intimo dolore afficiuntur, mittitur ſtatim, vt ſacroſancta Euchariſtia propoſita, ſupplicationes in maiore, aliiſque eccleſiis inſtituantur. Accedit Pater lachrymans: quis enim ſe poterat continere? euocari eum ait ex hac vita: vltima ſacrorum ſubſidia non videri differenda. Adeo præcipiti lapſu vires deficiebant: vt ipſa loquendi facultas vix relinqueretur. caſum cū æquo prorſus animo accipiens, de ſacramentis reſpondit, inſtare ſe maxime. Dum hæc parantur ad aurem ſupplex perij: dicere illud vellet, quod ſanctus Martinus ſub mortem dixiſſe legitur, Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius nō recuſo laborē: nam & ante annos duodecim, cum grauiſſimo ægrotaret, illud idem audieram vſurpaſſe. an ſecū dixerit, ignoro: ſed apertis illico oculis, meque intuens, conſuetam omnino viſus eſt obtutu ſaltem præſtare benignitatem, quamquam idem vitæ ipſius, qui ſancti Martini, tum euentus fuit. recte vero ille ad ſancti illius Epiſcopi imitationē tunc inuitari potuit, cui tum in vita, tum in morte multa habuit ſimilia, verum ſuum, vt Martinus præſenſerit obitum, affirmare nō audemus, quæ ante euenerunt, quæq; nouimus, ſimplici narratione modo protulimus. Sed Martinus quoque paulò ante mortem eccleſiaſtici negotij cauſa profectus, viribus corporis, vt Seuerus narrat, cœpit repente deſtitui. Per aliquot dies vi febrium afflictus, non ſolum orationes, vigiliaſq; intermittere noluit, ſed ne vilia quidem ſtramenta iacenti ſibi ſupponi paſſus eſt: iacebat autem in cinere, & cilicio. Sanctiſſima igitur hoſtia celebriter allata, capite, brachiis, toto denique corpore Carolus nitebatur, vt aſſurgeret, ſed nobis adiuuantibus ſeſe ita ſaltem extulit, vt linea veſte, ac ſtola collo inducta, religioſe ſacroſanctum viaticum acciperet: quod extrema vnctio rite adhibita ſtatim ſecuta eſt. quibus in ſacris officiis ipſe, cum ritus poſtulabat, vna cum aliis ſacerdoti reſpondere conabatur, reliquum tempus conſumptum eſt in legendis diuinis ſcriptis de paſſione Domini, aliiſq; quibus anima tali tempore iuuari, Deoq; commendari ſolenne eſt: cum autem ſenſus paulatim reſtinguerētur, Annibal Altemſius Comes eius affinis vna cum filio genibus poſitis ſupplex ſibi petiit benedici quod idem fecēre omnes, qui aderant, manū ille mouit quidem, ſed niſi alio adiuuante tollere non potuit, vt de more crucis ſigno benediceret, ciliciū illi cum ſacro cinere impoſuimus, ex inſtituto veteri, quod ille in libro rituū eccleſiæ ſuæ renouari iuſſerat: ac mei iro quidem vel ad eius aſperitatem vitæ ſignificandam id erat adhibendum. continuerunt liberiorem fletum familiares, quandiu ille aliquid ſentire viſus eſt: at cum animam agere cœpit: quæ res, & ad modicum tempus durauit: & parum præ ſe tulit difficultatis: tum vero gemitus, lamenta, atque adeo eiulatus eruperunt, hic vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ iacturam: ille Mediolanenſis eccleſiæ caſum, & orbitatem: alius ſuſceptorum ad Dei gloriā munerum diſſolutionem: nonnulli priuata detrimenta, miſerabiliter flebant. Circum cubile locum, ex intimis quiſq;, morienti Patri quam potuit proximum, initio cœperat. id vſui ēt fuit, vt rem aliquam ab eius corpore ſumeret, amoris, religioniſq; gratia, hic namque ceream agni imaginē è collo pendentem: coronā ille, qua precari ſolebat, alius capitiolum: alij alia pie rapuerunt, quidam celeriter ad res alibi repoſitas venerunt: ex quibus pretioſiſſima ſibi cōtigiſſe ſunt lætati, qui flagellum, ex Varalli verberatione tinctum ſanguine, atq; interulam itidē ſanguineis guttis aſperſam inuenerūt: idem adeo ſtudium in pleriſq; poſtea viguit, vt cilicium, tum illud quod impoſuimus, tum aliud, quo vti ſolebat in infinitas particulas diuiſum plurimis enixe poſtulantibus, ſit diſtributū, aliæ res, libri, imagines, veſtes, omnibus viis quæſitæ, & inter res chariſſimas habitæ, aliqd palearum in quibus iacuerat, ſi aliud non daretur, quædā longinquæ virgines poſtularunt. Periculi fama per ciuitatem vniuerſam ſubito diffuſa, cunctos cōmouerat, vbiq; ciues in viis, vbiq; lumina, paſſim circulari, anxio animo inter ſe interrogare, inter ſe factum narrare cū lachrymis, coacti ſubito longi ordines mariū, fœminarumq; omnis ætatis, cruce prælata, per vias procedebant, litaniamq; habebant: quorum ſtata verba alta flebiliq; voce prolata: admirabile eſt, quantum dolorem, fletumq; omnium augerent. Plurimi in eccleſias ſupplicatum cōfluxerunt, alij ad eum viſendum cōcurrerunt; vt palatium Archiepiſcopale, cubiculumq; ipſum omnium fere ordinum multitudine ſtatim compleretur, ipſe ēt prouinciæ Gubernator ſtatim accurrit. Neq; vero caſu fortaſſis euenit, vt magni Antiſtitis obitum tot hominum genera coram dolerent, Principes viri, magiſtratus, milites, patritij, plebei: non Itali ſolum, ſed Hiſpani, Germani, Heluetij, Angli, viri eccleſiaſtici cuiuſcumq; propemodum generis, atque ordinis, erat ea certe iactura communis, virgines in monaſteriis, cum eo quoq; celeriter nuncius penetraſſet, itidem commotæ, ſtatim ad precandum ſeſe dederūt: ac tota fere nocte quædam in ſupplicatione permanſerunt. ita circiter tertiam noctis horam III. Non. Nouembr. die ſabbati, nos optimus Pater reliquit, cumque chariſſimam animam hinc euolaſſe, facie propius admota experientes, cognouiſſemus, clauſimus, quoniam eramus à latere, relicti corporis oculos.

VIII

Sexta acceſſio fit febris

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extrema vnctione Sacramentis munitur.

Memiſo non quiſq; eius habere ſtudet.

Moritur.

AVDITA

IX. AVQVE A morte eius luctus, atq; mœror fuit, vt in rerum omnium deſperatione verſari ciuitas videretur, eo equidem libere, ac effuſe flere vidi, quos à fletu penitus alienos, vel ob chariſſimorum mortem, quiſq; facile iudicaſſet. neq; vero ſubito dolor, aut paucis, vt fieri ſolet, diebus deſiit: imo auctus potius videtur in dies: itaq; dixēre quidam, hunc dolorem, non vt alij, tempore minuendum, ſed potius augendum, quod quotidie magis perſpiceretur iacturæ magnitudo. Rite curatū eſt corpus inter familiarium oſcula. quod quidem macie ſua maiorem ēt in ſpectantibus doloris ſenſum efficiebat: videbatur enim propemodum oſſibus, pelleq; tantum conſtare, vt de eo fere, quod de S. Baſilio, dici poſſet: cuius vitam is cōmemorare frequenter, ſibiq; proponere ſolebat: quemadmodum charta lanternæ circumdatur: ita pelle prope arida reliquum ſuiſſe corporis circumamictū, addebatur, quod, vt quibuſdam viſum eſt, adhuc ligni aliquid in dorſo manebat, quod nefarij illius ictus memoriam renouaret. collocatum poſtremò eſt in palatij ſacello, veſtitum pontificiis indumentis albi coloris: & cum mira eſſet populi cupiditas viſendi illius: timereturq; ne immenſæ multitudinis concurſus, atq; impetus, ſatis moderari poſſet: non ſolum nocte ipſa, quæ non multum habuit quietis, ſed die item inſequenti clauſæ habitæ ſunt fores. At cum diutius teneri populi deſiderium non poſſet: corpore cancellis circummunito: quibus multitudinis impetus, vehementiſque plurimorum ſtudium cohiberetur: aditus omnibus apertus eſt liber. tantus omnium ordinum toto biduo concurſus fuit, vt per amplas palatij ſcalas, dum confertiſſimi alij deſcenderent, alij aſcendere conarentur: ſeſeque mutuo premerent, multi ferrentur præcipites, nonnulli pene opprimerentur. ipſius ſacelli non exigui tamen, parietes rumpere, multitudiniq; exitum patefacere, neceſſe fuit. diuturnior concurſus fuiſſet ſine dubio: exterique aduenissent, amplius dilata fuiſſet ſepultura. augebatur vero populi conuenientis dolor: quod attingere, atque oſculari chari patris corpus per cancellos non poſſent: neq; ob perpetuo confluentem multitudinem, morari ſaltem permittebatur, vt paululum eam intueri faciem, contemplariq; poſſent, quā viſuri amplius non erant. in qua quidem nouus quidam decor, præcipuaq; tunc ſanctitatis, & benignitatis ſigna quædam elucebāt. Aliud ſolatium denegabatur, quod nonnulli nō obtinebant furtim, vt globulorum coronæ, quas magna cupiditate offerebant, corpori admouerentur: quibus religioſius ob eius contactum vterentur in poſterum: & inter res chariores aſſeruarent. Dum ibi corpus fuit, clerici ſemper aſtiterūt, pie precantes, horis diſtributis, vt alij alijs ſuccederēt: canonici maioris eccleſiæ: ab à clericorum vrbis collegia: eius item familiares. feria quarta elatum eſt corpus, funuſq; ductum, vniuerſis vtriuſq; cleri, tum piarum ſodalitatum ordinibus comitantibus vnuſquiſq; autem accenſum manu cereū tenebat. ſecuti ſunt pontificio habitu ex Epiſcopis prouinciæ nonnulli, Nicolaus in primis Cardinalis, qui pro ſuo eximio in Carolum amore Cremona ſtatim accurrit. Prouinciæ Præſes, Senatus, Magiſtratus, populiq; multitudo, quanta longiſſimis viarum ſpatiis potuit cōtineri. nam iudiciis omiſſis, relictis negotiis, clauſis officinis, ēt ex agris lōge conuenerunt, quorū fletus vere memorabilis, tum Antiſtitis ſanctitate, inſigneſq; laudes, tum populi amorē, gratumq; animum, ſatis per ſe prædicabat, neq; ſe continuerunt, quin aliquando vocem ſimul tollentes, nō ſine multorum terrore, miſericordiam, conclamarent: quaſi ciuitatis exitium aliquod inſtaret: Funeri ſtatim ſucceſſere funebria ſacra, quæ Cardinalis idē celebrauit. quibus & ſacri homines, & quotquot eccleſia maiore contineri poterant, interfuerunt, concionem habuit Franciſcus Pantcarola, qui de quacunq; re apud quoſlibet dixiſſet, ſumma vi dicendi permouiſſet omniū animos: nūc de tanto Antiſtite, ad auditores tā dolentes affectos; ipſe lachrymis frequenter oborientibus, quid effecerit, facile conijci pōt. Fuerat corpus in ampla ſtructura alte collocatum, atq; ita communitum, vt cupida multitudo minime poſſet perrumpere. Sed factis exequiis, neceſſe fuit eum tutiore loco inter ferrea clathra ponere. nam ſummo ſtudio, atq; impetu irruebant plurimi, vt corpus tangerēt, ſiue religione, amoreq; incitati, ſiue ēt ſanitatis adipiſcendæ deſiderio incitati. Multi prauis dæmonibus occupari adducebātur, qui clamoribus, magniſq; agitationibus ſeſe perpetuo commotos oſtenderunt, tum in funere ducendo, in diuinis faciendis, tum die ipſo toto, quo ad populi ſolatium ſine intermiſſione cōfluentis, intra ſepta illa corpus relictum eſt: vt proxima nocte ſepeliretur. Delegerat ſibi ipſe in teſtamento ſepulturæ locum, ad primos gradus, quibus altare verſus aſcenditur: ante ipſum aditum, vt ingredientium, ac prætereuntiū pedibus teri neceſſe ſit. Eō, cum interim defoſſum, atq; ædificatū ſubterraneū ſepulchrum eſſet, corpus in arca plumbea incluſum, nomine ac tempore inſculpto, tumulatum, lapis impoſitus eſt cum epitaphio, quod in teſtamento ipſe conſcribi iuſſerat his verbis, Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiſcopus Mediolani, frequentioribus cleri, populiq; ac deuoti fœminei ſexus precibus ſe cōmendatum cupiens, hoc loco ſibi monimentum viuens elegit. Teſtamentum fecerat ante annos octo, cum peſtilentia vrbem inuaderet, vt diximus, ac hæreditatem quidem ſuam reliquit præcipuo pauperū valetudinario. ſed à maioribus accepta bona, quæ fideicommiſſi iure manere in familia neceſſe erat, Franciſco Borromeo Comiti patruo reliquit, eiq; patrueles ſuos Comites ſubſtituit, Renatum, & Federicum, qui quidem Franciſco ante Carolum mortuo, ei ſucceſſerunt: & meritò quidem, non ob propinquitatem ſolum, ſed ob eorum in Carolū obſeruantiam ac pietatē. Federici præſertim, qui clericalem à prima adoleſcētia vitam amplexus, eius virtutes, moribus & diſciplina quotidie magis expreſſit, quem Deus, vt eſſet expreſſior, atq; illuſtrior imitatio, voluit anno ætatis ſuæ XXII creari Cardinalem, ita Caroli quamuis mortui ſuffragātibus in ſanctam Eccleſiam meritis: vt ex propriis tamen virtutibus omnium iudicio digniſſimus habeatur. In eodem teſtamento religioſe liberaliterque legauit multa. Sacra, precationeſque anniuerſarias ad maiorum, animæque ſuæ ſubſidium conſtituit. pro ſe quotānis obitus die fieri iuſſit, cauitque, ſi mors in diem illum incideret, quo die pro Archiepiſcopis mortuis ſacra fieri decreto conſtituerat: differentur in proximum. ac quaſi id præuidiſſet, ita euenit, vt ſciē habeba. conditio. Eccleſiaſticam ſupellectilem fere omnem, magni pretij Eccleſiæ maiori legauit. Scripta ad conciones pertinentia Ioan Franciſco Epiſcopo Vercellenſi. Familiaribus annuas penſiones ex auitis fere bonis ſoluendas: religioſis collegiis, amiciſque aliis varia reliquit. Dedit eodē teſtamento erga filios id ſpecimen amoris ſui: vt quocumque loco moreretur, cadauer eiū Mediolanum afferri, atque ibi ſepeliri vellet. Non videtur omittendum, quoniam & hæc ſigna ad rem facere exemplis didicimus: iis menſibus qui hanc iacturam noſtram anteceſſerunt, fulmina inuſitato prorſus numero, per diœceſim Mediolanenſem erupiſſe: in eccleſias præſertim, quarum vna fuit noſtra Modoetienſis, quamuis nullam ruinam paſſa, imo, quod præcipuum eſt, in ipſam quoque maiorem eccleſiam Mediolani irrupit fulgur: & altaris maioris vmbraculum nonnihil læſit. In Vrbe vero malus in Adriani mole alte eminens. cui Pontificia ſigna quædam, ſolent apponi: cum de cœlo tactus eſſet, poſtridie accepto, dum adhuc lignum conflagraret, de Caroli morte nuncio, eam rem ſignificatam multi exiſtimarunt: quāquam alij retulerunt ad Gregorij Pontificis mortē, qui poſt menſes circiter quinque diem ſuum obiit. ſacris per eccleſias paſſim celebriter peractis, ſuam ciuitas erga tantum Patrē pietatem oſtendit. Piæ honeſtæq; mulieres multę, quibus pro vniuerſo ſexu, cui ſe ille in epitaphio commendauerat, ſatisfacientes; tum funebria iuſta, in eadem eccleſia maiore ſuis ſumptibus fieri curarunt: tum facto agmine ſeptem ſtatas eccleſias, toto itinere ſupplicantes crucifixi imagine prælata, cum Caroli inſignibus, adierunt. quod idem primo quoque cuiuſlibet menſis Dominico die poſtea ſeruauerunt, vt illud vulgo Cardinalis ſodalitium appellatum ſit. Signa mœſtitiæ, ac doloris etiam in longinquis Chriſtiani orbis regionibus edita ſunt. Gregorius ipſe Pontifex, eius audita morte, quemadmodum viri grauiſſimi nobis narrarunt,

runt,

Exequiæ, ſepultura & luctus omnium ciuium.

Concurſus populi ad eum conſpiciendum

Proceſſio funebris.

Exequiæ.

Ardor plebis in tangendo venerando eius corpore

Locus ſepulturæ.

Epitaph. quod ſibi conſtitui voluit.

Teſtamentum.

Prodigia quæ mortē præceſsēre.

Exequiæ à mulieribus curatæ.

Luctus exterorum.

Gregorij Pontificis de eius obitu dictum.

runt, illud pronunciauit. Extincta eſt lucerna in Iſrael. In Heluetiis, ac Rhætis in primis, quãtum impij gauiſi ſunt, grauiſſimum ſibi aduerſarium ſublatum, tantum luxere pij acerrimum defenſorem, quamquam dolere viſi ſunt ex iis quoque multi qui minore adducti malitia ſequuntur impietatem. De morte narrationes, tum laudationes multæ, verſu, ſolutaque oratione conſcriptæ, inque varias linguas conuerſæ, per orbem diſſeminatæ ſunt. Ioan. Franciſcus olim antequam Vercellenſis Epiſcopus crearetur, latinum poema de Carolo condiderat, ꝙ hæc ſcribens editum audiui, poemati laus debetur, fides item hiſtoriæ, ſi poetica inuolucra detraxeris: quæ quidem indigna fortaſſe ſacris hiſtoriis exiſtimans, auctor opus edi nolebat, quemadmodũ nobis affirmauit. At ſuos in morte

Pæna obtrectantiũ B. Carolo.

quoq; Carolus habuit obtrectatores cœnobitici ordinis homo: cuius mores pene intolerabiles Carolus diu non ſolum tulerat, ſed officiis, & mira benignitate moderandos ſuſceperat: incredibili odio Carolo mortuo maledicebat eiuſque nomen, ac memoriam inſectabatur, neq; ferre poterat, vt ei vitæ ſanctitas à quoquam tribueretur, at is non multò poſt quorundam criminum reus factus, Romamque vocatus, morte pœnam vitę huius effugit. Alius ordinis eiuſdem, ſcriptor imperitus, & leuis, hiſtoria quædam edita, Caroli famam inepta quadam diſſimulatione, acriter, & malediee vellicauit, ea de re cum Romam relatũ eſſet, inſpecto libro, volumina omnia è bibliothecis auferri iuſſerunt ſummi iudices, homo paucos poſt menſes interiit. Magna omnium animis memoria, veneratio-

Magna cupiditas habendæ eius imaginis.

que eius ſanctitatis perſeuerauit, imaginis habendæ, quæ aliquo modo eum referret, tanta cupiditas fuit: vt inaudito ſtudio quouis operis, & artificij genere, innumerabiles effectæ ſint, paſſimque à noſtris, & ab exteris expetitæ: ad Principes, & Reges in longinquas partes præclari muneris loco miſſæ, videre licet in prouincia Mediolanenſi, per domos, per officinas, priuatim, & publice, paſſim affixam, imò pie, ac religioſe collocatam eius effigiem: vt eo aſpectu nemo carere potuiſſe videatur, quamquam incommode accidit, vt ex tot artificibus nemo fere, vere, vt erat, expreſſerit, nam vt pingi ſe viuens pateretur, ne petere quidem ab eo quiſquam auſus eſſet, furtim vnus,

Anniuerſario eius obitus die ſupplicationes pro eo habentur, & luctus inſtauratur.

aut alter, quod ſciam, conatus eſt, idque ſatis fæliciter. Anno ab eius morte elapſo, ipſo obitus die, conuenere, qui doctrinæ Chriſtianæ ſcholis ſeſe exercent, & aliæ item piæ ſocietates: atque agmine maximo ad ſtatas ſeptem eccleſias eius memoriæ gratiæ ſupplicatum ierunt: dumq; ita pius populus toto pene die pluuio tempore ſupplicationi vacans vrbem peragraret: plurimi ad ſepulchrum venientes ſeſe abiicerent, ſaxumque flentes oſcularentur, ipſa incredibilis detrimenti recordatio, cum tali publicæ pietatis, & amoris argumento coniuncta: ciuitatis luctũ inſtaurauit. At libentius maxima pars eius laudes diuinis officiis concelebraſſet, ſeque potius illi cõmendaſſet, vt apud Deum iuuaretur: quod priuatim faciunt plurimi: quam orarent pro illo Deum: quod pleriq; inuiti quodammodo, propter ſpem de eius beatitudine firmiter cõceptam, facere ſibi videntur, plurimi eius auxilium in ſuis difficultatibus, & anguſtiis implorant, multi vota faciunt, & perſoluunt: ceteis etiam ex eccleſiaſtico ritu allatis, qui honoris, & religionis gratia ad eius ſepulchrum incendantur, ex Heluetiis nonnulli Mediolanum miſerunt, qui vota perſoluerent, vir chariſſimus eiuſdem gentis, primo quidem ad Varallium montem: inde ad Caroli ſepulcrũ pietatis ergò pedibus profectus eſt, cumque ægrotaſſet, ſe tamen iuſſit adhuc imbecillum ad idem ſepulchrum rurſus portari. Multi etiam beneficia diuinitus per eum à Deo accepta prædicant, atque pridie eius diei, quo hæc ſcribebamus, funale ad ſepulchrum allatum eſt ab eo, qui diceret, ſeſe cum Carolum inuocaſſet, & votum feciſſet, ex morbo quodam conualuiſſe. Quibus de rebus alias, vt ſpero, fuſius explicabitur.

MVLTA ſunt ex Caroli factis, quę cum hiſtoriæ filo duci commode non potuerint, minime tamen exiſtima- Lib.
mus omittenda. Vno etiam in loco eius naturam, conſuetudinem, diſciplinam, ac animi imaginem quan- VII.
dam exprimere: huius videtur eſſe ſcriptionis: nam vt in corpore toto diffuſum ſanguinem propriam tamen obti- I.
nere ſedem videmus, ita Caroli moribus, licet vniuerſa rerum geſtarum narratione diſperſis: proprius etiam locus recte videtur aſſignari. Ex his igitur nunc aptam operi conabimur addere quaſi coronidem, atque omnia ad certa capita redigentes, prius quæ pareni ſenſibus, quæq; in ipſo fuerunt: deinde quæ ad alios priuatim, publicèq; referuntur: ordine quantum fieri poterit contexere ſtudebimus: eccleſiæq; adminiſtrationem, quæq; ei factæ ſunt ſa-

Statura & effigies Caroli.

lutares acceſſiones. generatim comprehendemus. Statura fuit Carolus, quæ communem nonnihil ſuperaret: cui membrorum quoq; magnitudo, oſſibus ſaltem. reſpondebat, nam carnis tantum fuit, quantum ieiunij permiſit aſſiduitas, magni oculi, cœruleique naſus grandior: rugis laxioribus ab eo ad mentum deductis, capillus ſub niger. ſubrufa barba, & incompta, quam diu non raſit. Auctoritas vero, grauitaſq; multa, toto vultu pallido, & macilento, veterum ſacerdotum ſanctitatem maxime referret. Robuſtũ natura corpus idoneis ſignis multi iudicauêre: ſed curis primo familiaribus, dein Eccleſiaſticis, ſemper ætatem præcurrentibus: ſtudiis literarum, laboribus demum, vigiliiſque epiſcopalibus, & varia corporis vexatione debilitatum.

De victu eius.

CORPVS vt tractarit, quibuſve quaſi gradus ad ſummam vitæ aſperitatem venerit, pluribus locis ſupra de- II.
monſtratum eſt, quam ad rem vſus eſt, Deo concedente, duobus magnis adiumentis, alterum, quod nihil ſubito durius ſuſcipiebat, ſed ſenſim progrediens, tum vires experiebatur, tum ſeſe paulatim aſſuefaciebat: in quo magnũ ſalutaris progreſſionis momentum eſſe merito exiſtimatur: ne vel ſe quis cito conficiat, vel defatigatus ſubſiſtat, aut de via declinet. Ita ſeſe in aquæ vſu habuit: ad quem annorum curſu ita peruenit, vt vinum paulatim minuẽdo, aquam vero addendo: ſtomachus demum aqua ſola contentus eſſet. Ita in ieiunio: quod multis annis, dierum numerum per hebdomadas paulatim augẽdo, fecit quotidianum: illudq; prandij ſolius, nihil veſperi prorſus admittens. Ita in omni fere obſoni genere reijciendo, vt primo carnem, mox oua, cęteraq; ſenſim dimittens, ad panẽ ſolum cum aqua, cibus deniq; redigeretur: quamq̃ mors anteuertens fecit, vt aliquot dies, puta tres in hebdomada reſtarent, quibus lacte potiſſimum, ſed pomis ẽt, & herbis. ſimilibuſq; adhuc vtebatur, ſimili vſus in Quadrageſima ratione gradatim in anguſtias ſeſe ficuum aridarum, lupinorumque deducere curauit. Alterum adiumentum fuit, quod quæ ſemel ſuſceperat, conſtanter tenebat, vt neq; labore, neq; incommoditate, neq; humano diabolicove impulſu ab iis deduci poſſet: plurimi.n. parum progreſſus idcirco habere videntur in via ſalutis: quod leuiter ab inſtituto deflectunt, quotidieq; noua ordientes, nihil ad exitum perducunt, omnino mira inerat, his præſertim temporibus, patientia inedię, vigiliæ, aſſidui laboris: omnium denique, corpori quę ſunt incommoda: vt demum, non pro eius appetitu, & ne pro vſu quidem neceſſario: ſed pro occupationum opportunitate, & pro ſuo deniq; arbitratu, corpori ſatisfacere videretur. Cibum, ſi officium diuinum, vel humanum ita poſtularet: ꝙ eueniebat frequentiſſime, tam facile differebat in horas plures, quam alius rem quamlibet leuiſſimam, at contra etiam officij cauſa tempus conſuetum præueniebat, amicorum flagitantium gratia vinum, carnemque admittebat, bis in die quandoq; edebat: quamquam non ita facile extremo vitæ tempore: tum.n. grauari ſe vehementer, & quaſi febri tentari ſentiebat, ſi amicis in eo genere obſequi conaretur. Sed Brixiæ vidimus, cum ad eum hoſpes vir princeps veniſſet, bis in die cum eo accumbere, cibumq; promiſcuum ẽt veſperi ſumere, cum tñ longe poſt meridiem negotiorum commodo pranderet. Quibus diebus panem ſolum adhibebat, quoniam ægre mandentem diutius detineri neceſſe erat, edens ſupplices libellos, aut epiſtolas inſpiciebat, ac ſubnotabat, vel alia legebat, & meditabatur. Cum rogaretur, vt aquam biberet, eius aquæ naturam ſaltem aliquo modo vellet temperari: delitias reſpõdit in exercitatione patientiæ minime quærendas, ſeſe vino potius vſurum. Cibum & potum ita ſumebat, vt nihil gu-

ſtare

ſtare videretur, nec quæreretur vmquam, vel datum aliquid quod nollet, vel ſecus factum ac vellet, niſi quid forte melius eſſe ſentiret, quam ferret ſibi propoſita duricies. Ad ea quæ legebantur edenti, tum ipſe fuit attentus maxime, tum exteros quoque cum eo accumbentes attentos facere ſolitus eſt, de eo quod audiebat identidem aliquid dicens, ad pietatem excitandam, de cibo vero, vel potu nullum penitus vmquam verbum. Corpus non exercebat: niſi quantum muneris, pietatiſve ratio poſtularet, in quo non valetudinis modum reſpiciebat, ſed rerum diuinarum ardenti ſtudio ferebatur. Somno quinque horas dabat in lectulo illo ſuo paleaceo, & cannabino, ſæpe etiam, ſi opus erat, breuius ſpatium, nonnumquam breuiſſimum, & in ſella aliquis collocatus: qui aliis tamen humaniſſimus Pater indulgebat, ſi eſſent imbecilliores, vt octo, vel etiam nouem darent, cumque eius familiaris narraret, cuiuſdam non ignobilis rerum ſpiritualium magiſtri ſententia, ſeptem horas ſano corpori concedi poſſe: de Epiſcopis, inquit, non puto locutum. Ante lucem ſurgebat ſemper, ad ſomnum vtebatur nonnumquam tempore, quod itineri dare neceſſe erat: & nihil de iumenti celeritate remittens, vt poterat, aliqua ex parte ſatis neceſſitati faciebat, dormitabat ſæpe tamen interdiu, natura etiam moleſte exigente, quod ei debitum erat, ſed ita modice, vt omnia quæ dicerentur audiret, dixiſſes in conſultationibus quandoque, nihil omnino percepiſſe eorum, quæ dicta fuerant, cum ille ſententias aliorum repetens, optime omnia iudicabat, cum in ſacris precationibus, pſalmodiaque arcto ſomno teneri videretur, promptum ſe tamen præſtabat abſque vllius admonitu, vt ſi ſemper vigilaſſet, quotieſcumque ſurgendum, caput aperiendum, aliudve ex ritu agendum eſſet. Admonitus aliquando, ſatius eſſe naturæ quod neceſſe erat concedere, quam alieno tempore, & loco dormientis ſpeciẽ publice præbere: naturæ id eſſe vitium affirmabat ſuæ: cui nullũ ſomni tempus ſatis erat ad eiuſmodi dormitationem vitandam, quam ſe vel medicis curationibus etiam expedire curauerat. Hanc vitæ duritiem, ex clero, populoque imitati ſunt multi, qui vino, cibiſque melioribus, pro modo quiſque ſibi propoſito, abſtinentes, aut etiam in tabulis cubantes, commune lautitiæ ſtudium valde temperarunt.

De ſomno.

III. Omnia captabat in quotidianis rebus durioris vitæ momenta, quæ plurimi vitare potius ſolent: in quo magnam vim meritorum, occulto quodam ſtudio colligeret, & non mediocriter ad perfectam vitam iuuaretur. Non paruum illud fuit incommodum, vel potius cruciamentum: neque die, neque nocte vmquam ignis beneficium in regione valde frigida recipere, hominem interdiu male veſtitum, noctu vix contectum, palea ſubtus, ſupraque afflictum corpus fouente, vt non immerito dixiſſe videatur in oratione ſua Franciſcus Panicarola, nihil amplius Carolum vſum ſuis, quam canem Domini facultatibus, qui quidem pane, aqua, paleaque modica contentus eſt. At etiam, quaſi humanis commodis illudens, Iulio Petrutio religioſo admodum ſeni, qui intimis obſequiis ei inſeruiebat, nonnihil eiuſmodi acerbitatem quodam tempore querenti, eam eſſe rationem dixit, qua hyeme lintea minime frigida cubans ſentiat, qui ignem iis adhibere nolit: ſugere adeo, dum in iis ſe collocat, vt præ membris ſuis lintea minime frigida videantur. Stans legebat, ſcribebatque ſemper, tabulæ innixus altiori, at foris paratas ad vſum ſedentium tantum menſas reperiens, genua ponebat in ſolo, optimo ſuit, ſalutaris patientiæ cauſa eam quoque rem ab eo ſuſceptam, cumque ſæpius multi ſacra biblia, quæ frequenter in manibus habebat, ita collocatum perlegere vidiſſent: diuinos libros reuerentiæ gratia flexis genibus ab eo ſemper legi conſueſſe prædicarunt, captabat ille quidem omni ſtudio incommodorum, perpeſſionumque occaſiones, eximiaque erat erga diuinos libros reuerentia, vt merito ita ſit exiſtimatum, ſed aperuit nobis quandoque, dolens vitæ ſuæ aſperitatem nimium prædicari, atque amplificari, quod ſilere non debeo, id ſe facere valetudinis gratia, cum enim ſibi ſitum vſui eſſe ad quædam corpori neceſſaria cognoſceret, id quatenus eiuſmodi cauſæ tribuendum ſit, alij viderint. Ita vero anguſto loco in ſuis ædibus conſiſtebat, vt anguſtiore religioſi viri nulli vtantur: tum æſtate caloribus ita ſubiecto, vt pari propemodum patientia, ad calorem, friguſque opus eſſe videretur. Foris item, cum neceſſitatis occupationis gratia morabatur, ne forte oblectationis gratia ſecedere quis putaret, eodem modo incommoda eligebat loca, eaque interdum eiuſmodi, vt omnes eius miſererentur conditionem, cum præſertim vbi conſiſteret, ſiue in algida, ſiue in æſtuoſa loca incidiſſet, conſtanter maneret, neque dolens vmquam, neque aliquod leuamentum quærens, ac aquæ, hortive eſſent, ne aſpiciebat quidem, nedum inambularet vmquam, cum eſſemus in Eccleſiæ Mediolanenſis villa Cuprelliana, & vna Franciſcus Adornus Eccleſiaſticarum conſultationum gratia, ad fluminis Aduæ ripam ſemel poſt cibum eum proceſſiſſet, in inſignis cuiuſdam iucunditatis loco id ponere viſus eſt, quas propter nos ſuſcepiſſet, quamquam alioqui non ſine cauſa locum viſit. Cum tot annis ad ædes S. Barnabæ Mediolani ventitarit, ſemel, aut iterum tantummodo, idq; adductus Cardinalium hoſpitum cauſa, hortos ingreſſus eſt, poſtremo vero tempore, cum ſuauiorem ſeſe omnibus præbere ſtudebat, eo ſemel nullius gratia ingreſſo, adeo mirabile viſum eſt, vt inter ſe Patres quaſi rem inauditam narrarent, magno præſertim accedente cumulo, quod manu ſua pomum arbori detraxerat. Cum in eiuſmodi religioſis locis edebat, vel ſolus, vel vno miniſtro contentus erat, nihilque ſibi præter cæteros volebat apponi, quamquam poſtremis annis communis cæterorum modus, ſi tamen illum admiſiſſet, pro lautitia illi eſſe poterat, paululum autem poſt cibum pie cum ſacerdotibus collocutus, ſatis relaxationi datum dicens, ad opera ſeſe reuocabat: nam vel modicum poſt cibum recreationis, quotidiana eius conſuetudo non admittebat: niſi per æſtatem quieti potius aliquid, quam ſomno, interdum ex neceſſitate daret, eam eſſe demum in hoc genere veram virtutem dicebat, non ſolum cupiditatibus reſiſtere, ſed eas perſequi, ſenſibuſque, non ea tantum negare, quæ vitioſam haberent voluptatem: ſed ſtudioſe detrahere iucunda, moleſta vero propinare. Itinera tum equis, tum pedibus duriſſime confecta non vno in loco narrauimus, ſed iter faciebat, tum magna feſtinatione ſemper, vt domeſtica iumenta non diu labori reſiſterent, tum cum ſu etiam, quotieſcunque charitas poſtulabat animatum, idque eo labore, quem extenuatum, debilitatumque corpus ferre neceſſe erat: quemque ſibi propemodum intolerabilem eſſe, quandoque faſſus eſt. Cremonenſe iter millium quinquaginta, cum vſu venit, & alia ſimilia, vno die conficere ſolitus fuit: pluuias, tempeſtates, nocturnum tempus, præcipitia montium, fluminum, lacuum, latronumque pericula, hoſpitia incommoda, frigora, calores, cõtemnebat, quibus de rebus nemo eſt familiarium, qui paratas non habeat narrationes admiratione dignas, hic Verbani lacus vndas, ille Apennini tempeſtatem, & turbines, alius Alpium rupes præruptas, & earum diurna, nocturnaque pericula recordatur, mirum vero omnino, tot, tantiſque periculis, & caſibus quoque multis, neque ei, neque comitum cuiquam mali aliquid eueniſſe, puluerem æſtate ab ore non diſiiciebat: veſtitas numquam habebat manus, vt hyeme: præſertim ſi loca montana, aſperioraque obiret, tumidæ perpetuo, plenæque vlceribus apparerent, neminem ad hoſpitia præmitti, præſertim ieiunij diebus, patiebatur, vt ſubito adueniens, aliquid ſemper addere ſuis poſſet incommodorum theſauris. Pedibus, ſi tamen hoc inter Caroli labores numerare conuenit, per vrbem ibat: niſi hoſpitum Præſulum cauſa equos interdum adhiberet, currus neque in vrbe, neque in itinere admittebat, quod non ita decore Antiſtes in iis eſſe videbatur, neque crux præferri ſatis decenter poſſet Romæ tamen cæterorũ morem in eo ſequebatur, nam & ibi forma eſſe videbantur decentiore, noſtratibus interdum vſus eſt hoſpitum Cardinalium cauſa, quorum commodis, præſertim ſi eſſent imbecilli, amantiſſime ſeruiebat lecticam, ſi vehiculum Præſuli adhibendum eſſet, ob decorum, & legendi commoditatem, in primis probauit: ipſeq; poſtremo tempore tum hoſpitum in vrbe, tum ſui, ſuorumq; commodo in itinere adhibuit.

Patiẽtia frigorũ, & aliorũ incommodorum.

Morbos, & dolores corporis vi toleraueriit.

PRÆSCRIPTA medicorum, cum iis ſeſe curandum tradiderat, ita ſeruauit, vt nihil præter eorum iuſſum, vel IV.
quod vehementer expeteret, quamuis minimum, reciperet, vel quod maxime horreret, recuſaret vmquam, ſed quæ in eo genere ferenda eſſent, ea prompto animo ad exercitationem aſperioris vitæ referebat, cumque ſæpe moroſitas quædam, atque faſtidium ſoleat ægrotis, etiam religioſis condonari, non erat in eo quod ferretur ægrotante, magis quam in valente, quin etiam dicere ſolebat, in cuiuſdam voluptatis loco morbum ſe habere: cum eo tempore ſemotis curis quieſcere, ſeque ipſum liberius daretur attendere, ſi quando medicis ægrotum alium parere nolle cognoſceret, reprehendebat, & vt faceret, grauiter hortabatur. Cum ad Dei miſericordiam peſtilentiæ cauſa implorandam, vna cũ clero, & populo ad celebriora vrbis loca, ſeu compita ſupplicatum iret, ſanctumque clauum ferret, pedem nudum clathro ferreo, quo ſubterraneæ ſellæ feneſtra muniebatur, impegit, atque vnguem maioris digiti ita ſummouit, vt tota via, quæ multa reſtabat, abunde ſanguinem funderet, neque tamen ob doloris ſenſum, qui ea parte vehemens eſſe ſolet, de inceſſu quidquam remiſit, narrat medicus, ſupplicatione demum peracta, cum accerſitus eſſet: inſpecto vulnere, tolerantiam viri ſe eſſe admiratum, cumque dixiſſet, eſſe vnguem neceſſario abſcindendum: Carolum, qui ſibi poſt abſciſſionem neceſſario quieſcendum eſſe verebatur, quaſi nihil morbi, dolorisque vim æſtimaret, ſibi reſpondiſſe, in alteram diem id eſſe differendum, donec in Eccleſia quaſdam ſacrorum munerum functiones obiiſſet, obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo, tertio die medicus vocatus, id exequi iuſſus eſt, quod ad curationem neceſſe erat. ibi vero Caroli mirificam patientiam ſeſe obſtupuiſſe teſtatur: ei enim grandem vnguem, vulneris acerbitate recrudeſcente, ita excidiſſe, vt cum ipſe in eo genere exercitatus perhorreſceret, neque corpore ille, neque voce, neque ſpiritu vllo modo commoueri videretur, neque vero ob id diu quieuit, aut labori, vel viæ pro quotidiano Eccleſiæ vſu pepercit: vt ex eo potius noui cruciatus, ac patientiæ naſceretur occaſio. nam infirmo pede lapſus, os manus loco ſuo mouit, id reponere quidam conatus, cum minime aſſecutus eſſet, medicus idem, ingraueſcente admodum dolore reſtituit, prorſus ita ſe habente Carolo, quemadmodũ is loquitur: ac ſi permulſiſſet integram manum.

Labores, & occupationes.

INCREDIBILEM laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, ſuperius at- V.
tigimus: vnde facile fuerit totius agnoſcere vitæ conſuetudinem: nam alioqui actorum eius diurnum, non leui argumento confici potuiſſet, quod audio ex eius domeſticis quoſdam, pro ea temporis parte ſaltem feciſſe, qua fuerunt apud eum, motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie ſuſtineri videbant. Eiuſmodi laborum cauſas, quibus interdum Epiſcopi nonnulli carere ſibi videntur, tum admirabile ſtudium pariebat eſſe in Eccleſiæ in omnes partes veteris diſciplinæ, cogitatione conformandæ, gregiſque ad cœleſtia bona, continua progreſſione ducendi, quod quidem negotium nullis agendi terminis continetur: tum vero animi Deo penitus deditii, diuina quædam inflammatio, qui nulla diligentia, nullo vmquam labore contentus, numquam ſatis ſuo iudicio perpeſſus, neque pro infinitis tanti Domini meritis, neque pro ſuis, ſuorumque peccatis, ſibi videtur vmquam poſſe ſatisfacere, maxime item, vt in omnibus, S. Ambroſij exemplo mouebatur, de quo Paulinus ſcribit, in diuinorum munerum functione tum magnos conſueuiſſe labores excipere, vt quæ officia erga eos, qui ſalutari lauacro abluendi eſſent, ſolus obibat, iis poſt eius obitum vix Epiſcopi ſufficerent quinque, quod idem merito de Caroli laboribus dici poteſt. Hinc diurna, nocturnaque in meditando, ſcribendoque occupatio, hinc longiſſimæ conſultationes: aſſiduitas reſpondendi iis, qui conſulere, opemve implorare neceſſe haberent, diuturnæ ſupplicationes, ſacramentorum adminiſtratio, ſæpe vſque ad noctem ducta, labor aſſiduus concionum, viſitationum, aliarum rerum, quæ ſexcentæ ſingulis horis, propeque momentis occurrebant. Cum Epiſcopus ad eum ſcribens forte ſignificaſſet, ſibi parum eſſe negotij, eam vocem, vt Epiſcopo prorſus indignam, & turpem, grauibus ad eum litteris datis, acriter, lateque reprehendit. Cum Nouariæ Franciſci Epiſcopi exequias celebraſſet, quidam eius mortis cauſam dolentes, laboribus tribuebant, quibus in luſtrandis ſuæ diœceſis Eccleſiis eo anno non mediocris vigilantiæ ſacerdos perfunctus erat, at iſta ipſa, inquit Carolus, de cauſa, & iſthuc ipſum agentem, hoc eſt pro Eccleſia ſua laborantem, Epiſcopum decet mortem oppetere. Dicere ſolebat, tantum eſſe Epiſcopo negotij, quantum ipſe velit: hoc eſt pro eius ſtudio, vel negligentia, item, Nullum Epiſcopum muneri ſuo poſſe ſatisfacere, ſi valetudini parcat: & earum rerum obſeruationibus teneatur, quæ nocere corpori, prodeſſeve poſſint. Quod populi parum ad ſalutem proficiant, maiori ex parte culpam eſſe Antiſtitum affirmabat, qui non aſſidue curant, atque vrgent eorum progreſſiones.

Vitæ cultus

QVI corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuiſſe, vel nobis tacentibus, licet con- VI.
iicere, niſi quatenus munditiæ, vel dignitatis cauſa neceſſe putaret. Nullum ſericum adhibuit indumentum: ſed eius generis tamen, quæ perſonæ conuenirent, poſteriorem tunicæ partem, quam ſolent ſacri Præſules magis demiſſam humi trahere, libenter æqualem reliquæ recipiebat. veſtimentis, omnibus quidem diutius vtebatur, ac tritis, ſed quæ in conſpectu non erant, in primis reſarciri non ſemel iubebat. Opera ſuorum exuenti, veſtiendive corporis cauſa fere non vtebatur, idque ſæpe ob alienum, & incommodum iis cubandi, ſurgendive tempus, eorum vero, qui ſacris eſſent initiati, nihil ad corpus ſuum obſequij paulo vilioris admittebat, Epiſcopali veſte linea, humerorumque amictu etiam domi ſemper indutus erat, ad perſonæ dignitatem ſeruandam. nam & domicilium ſuum, locum publicum ducebat, ſuoſque ibi volebat, vt in publico, verſari. Itaque mane antequam ea indumenta ſumpſiſſet, neque in exterorum conſpectum veniebat, & neminem niſi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, & ſacræ aquæ aſperſione diei antecedentis, vſque ad Miſſæ ſacrum poſtero die factum, nihil, quantum fieri poſſet, ob rei diuinæ reuerentiam loquebatur: publicum veſtitum differebat, donec ad ſacrum prodire vellet, ibi cubiculo vero priuatim pulla quadam, & rudi veſte vtebatur, quam ſuam appellabat, cum perſonæ ſuæ reliquas eſſe diceret. Exquiſitam adhibebat in omnibus Eccleſiaſtici decori ſeruandi curam. in ipſis caligis, & calceamentis, ac in omni veſtitus parte, tum in omni officio, ac geſtu, quid ſacrum virum deceret, attendebat, vt nullum penitus elegantiæ, venuſtatiſve, nedum leuitatis profanæ veſtigium appareret, nihilque à dignitatis grauitate, ſanctitateque alienum videretur, quæ quidem minute perſequens, gratum facerem fortaſſe multis, pleriſque vereor ne moleſtum accideret. Sunt qui animi virtutibus intenti, hæc vt leuiora negligunt: ipſe vero, id quod perfectius, multoque melius eſſe conſtat, cum ea quæ grauiora eſſent, in primis curaret, tum hæc etiam ſibi iudicabat minime prætermittenda. Commemorabat interdum S. Ambroſij factum, qui in clericorum numerum admittere quendam recuſauit, cum eum ſeſe ingreſſu leuiter, & indecore habere animaduertiſſet. Aderamus in cubiculo cum Epiſcopi caligas, deducta veſte, & earum conſtringendarum rationem comiter inſpexit, reprehenditque, quoniam ea in re profanam conſuetudinem imitaretur. E feneſtra nihil in via vmquam, quidquid ibi audiretur, ſpectauit, loco nullo inambulauit, vulgo iudicari poſſe, opinor, putauit, his actionibus aliquid ineſſe, quod ad curioſitatem, otium, curamue corporis nimiam pertineret.

Ab omni obſcœnitate quam longiſſimus eſt.

In ea vero decori parte, quæ valeret ad obſcœnitatem, & omnem turpitudinis odorem vitandum, præcipuam adhibuit diligentiam, nam ipſam pudicitiæ virtutem à puero coluit religioſiſſime, ſicuti iam tetigimus, ab omni verbo, in quo aliquid non ſolum obſcœnitatis, ſed licentiæ, vel deformitatis appareret, diligenter cauit, in cauſis aliquando, vbi de matrimonio, & eius impedimentis ageretur, laborabat magnoperè loquens, ac pene torquebatur, vocabulaque à re ipſa quam remotiſſima explicabatur, vel adhibebat latina. ephebos in domum non admiſit, cum fœmina numquam locutus eſt, quin ex grauioribus domeſticis vnus, pluresve adeſſent. Domum nulla parte pictam eſſe voluit, niſi viri-

deus

dem parui cubiculi ſui tincturam viſus gratia quæſitam, [illegible] loco numerauerit, atque initio quidem cum Mediolanum eſſet venturus, ædeſque Archiepiſcopales [illegible], cœperunt lacunaria quædam pingere, atque ornare: quod ipſe ſtatim prohibuit, pictaque inducta [illegible] deleri iuſſit, id quod hodie quoque perſpicitur. Totas vero ædes, amplas tamen, modeſto, vulgarique opere [illegible]. Supellectilem in domo ad ipſam quotidiani vſus neceſſitatem redactam habuit, nihil omnino fuit poſt [illegible] illam inter pauperes partitionem ad parietes, operiendos [illegible] contegenda, hoſpitum vero cauſa mutua ſæpe multa ſumere neceſſe erat. Equile mandauerat ædificari, quod vetus, noua cœnaculi locorumque ad rectorum ædificationem [illegible] eſſet, præpoſitorum imprudentia magno id ſumptu factum eſt. Carolus cum demum re pene perfecta, audiſſet, neque enim alias, quam ſacras fabricas inſpicere ſolebat, vehementer doluit, miniſtroſque reprehendit, tum diu inueſtigauit, licet fruſtra, num vſui ſacro ſuiſſe, vel omnino digniori ædificium deſtinari poſſet. Quamuis magno numero, hoc eſt, circiter centum, eius domeſtici eſſent, exibat plerumque tamen paucis comitatus, aliis alio genere occupationis Eccleſiæ cauſa vtiliter impeditis. Ipſe vero neque numerum maiorem reſpuebat, neque etiam paucitatem grauiter accipiebat, quam pertinere ad Chriſtianam modeſtiam intelligeret, in quo non occupationis ſolum neceſſitatem, ſed negligentiam quoque ſæpe ferebat, quæ diſſimulatione, patientiaque ſæpe alitur, quod in Caroli priuatis rebus argumentis non paucis cognoui: nam familiares nonnulli in eius corpore incommode, duriterque habendo, mirifice cum Carolo contendebant, & e commoda ſua negligenti, negligentia ipſa diligenter inſeruiebant; vt veriſſime dixerit quiſpiam, qui res incommodas, acerbaſque ſequatur, vel abiectione, patientiaque exercere velit, eum plurimos inuenire paſſim adiutores. At erant, qui, tum exiguum ſæpe comitatum, tum alia quædam in Carolo ad Chriſtianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & ſummam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur. Res etiam ad ipſum Pontificem Pium Quintum quandoq; relata eſt: cui Carolus ita ſatiſfactionem reddidit, vt nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei miniſtri eſſent dignitatem, ac exiſtimationem dicebat, non in humanis ornamentis, quæ tamen ad certum modum pluribus de cauſis eſſent adhibenda, ſed in religioſis virtutibus conſiſtere. Res ipſa declarauit, & ſuperius narrata demonſtrant, Caroli abiectionem, morum grauitate, ſanctitateq; coniunctam, ſummis, atq; infimis tanto ſemper in honore fuiſſe: quantum nulla terreni ſplendoris ornamenta conſequi potuiſſent.

VII. RELIGIOSAM paupertatem Carolus amauit, & eius officia pie coluit, eius victus, vitæque cultus ſatis oſtendit, ſi quid in menſa, & omnino in domeſtico ſumptu paulo copioſius, largiuſve fieri animaduerteret, ſolebat ſtatim corrigere, id vero tam celſi animi vir, qui omnes alioqui de re familiari curas, minutas, & cogitatione ſua indignas iudicabat, virtutis cauſa obſeruabat diligenter. Poma tantum, aut eiuſmodi munuſcula ſolebat accipere, eaq; re fere religioſis viris, quæ ipſa etiam, vt eleemoſynam pietatis gratia datam, recipere videbatur. Quam vero parcus in iis erat, quæ ad ſui corporis commodum, domeſticamve affluentiam pertinere poſſe viderentur, tam erat in ceteris omnibus, quæ pietati conducerent, liberalis, prorſuſque opum magnanimus contemptor humanarum, quid amplius in hoc genere commemorem, poſt maximas pecunias religionis ergo donatas, ampliſſimas facultates dimiſſas, exhauſta magnifica, & pulcherrima ſupellectili domum, adminiſtrationis, officiaque honeſtiſſima, cum fructibus, & vectigalibus vberrimis relicta, poſt ea denique pietatis cauſa contempta quæ ſummi ſæpe viri ſtudioſe quærunt, eademq; tanta munificentia donata, vt niſi Chriſtiana, diuinaque liberalitas ea fuiſſet: diſſolutam prorſus effuſionem eſſe neceſſe fuerit. Sed aliquid etiam ſupereſt minime ſpernendum, quam daret ex facultatibus quæ remanſerant eleemoſynam, non opus eſt explicare, hoc ſufficit, quidquid ſuo, familiæq; neceſſario ſumptui ſupererat, totum pie, ac religioſe donabat. Egentium ſacerdotum poſtulationes benigne tribuens, alias ſuperauit, alias præuenit, iis qui apud eum Eccleſiæ operam dederant, imo & propinquorum eorum neceſſitatibus moderate ſubueniebat, ſi veras eſſe neceſſitates videret: de cetero largum Epiſcopum non debere aiebat, ſed omnia pauperibus, Eccleſiæq; ſuæ reſeruare cum tanta ſemper ad gregem pro debito officio iuuandum offerantur, vt vel maximæ facultates non ſufficiant, cum ad eum retuliſſet, qui familiæ præerat, à pedibus hominem eſſe, qui iam minime aptus labori, ideoque dimittendus videretur: eandem ei mercedem, atq; adeo maiorem tribuit, tum è conſuetis laboribus eximi iuſſit. Summas fructuum ſnorū, expenſarumq; rationes ſatis habebat generatim, catenuſq; cognoſcere, quatenus negligentiæ in fructibus Eccleſiaſticis erogandis condemnari non poſſet, caueretq;, ne ſumptu nimio æs alienum contrahens, creditoribus eſſet detrimento, quamquam accepti, & expenſi plerumque rationem cum omitteret, ſumptus autem piis de cauſis large mandaret, ne hoc quidem ſatis poterat cauere ſemper, tantumque aberat, vt ex reditibus quidquam vllo anno ſupereſſet, vt ſæpe antecedentis anni ſumptus, in fructibus inſequentis non modica ex parte niterentur. Nummorum genera, quantiue eſſent, minime nouerat, ac eos vel aſpicere ægre videbatur. Cum aureorum quadraginta millia ex iis, quæ in regno Neapolitano vendiderat, allata eſſent ad eum in cubiculum vbi acceptæ pecuniæ teſtimonium, ipſo præſente pecunia conficiendum erat: ita exhorreſcere viſus eſt, vt ſi anguis eſſet obiatus, cubiculoque relicto, vix perficiendi actus neceſſitate reuerſus eſt, tum vero ſtatim auferri iuſſit, & Præpoſito domus Cæſare Spectano acceſſito, de quo ſæpe mentio facta eſt, ad vſus pios dilargiendam totam diſtribuit, ſic, vt aliquot addere aureorum millia neceſſe fuerit. Eius Oeconomus inter alios fuit vir bonus, valdeque induſtrius, & ei ceteroqui charus, ſed tanto facultatum Archiepiſcopalium augendi ſtudio, vt prædiola, vel agellos addere prædiis Eccleſiæ perpetuo ſtuderet, quo in genere ſtudioque aliquid eorum fere committere oportebat quod profani homines facere ſolent, qui egenorum ſæpe neceſſitate, ad ſuum quæſtum, res eorum emendo, abutuntur: ex cupiditate emunt maiora, quam vt poſſint præſenti pecunia ſatiſfacere: vt ſemper debeant, aliaſq; ſemper cogantur reſeruare pecunias: minoris interdum emunt, quam res valeat, de redimenda re paciſcentes, idq; ad maiorem interim pecuniæ fructum, quæ quidem ſæpiſſime ſunt auaris, atque improbis turpiſſimi quæſtus integumenta, vixque multis aſſignatis conditionibus à iuris ſacri peritis poſſunt laqueis improbitatis expediri: ſemper vero ſuſpicionem non ſolum cupiditatis, ſed etiam flagitij merito mouent. Eius igitur generis negotia, cum ab adminiſtro ſuo geſta Carolus reſciſſet, & ex emptionibus quibuſdam adhuc multum deberi, quo tenues homines exigendo defatigarentur: quamquam nihil improbe contractum argui poterat, ſummo tñ dolore affectus, hominem vocat multis præſentibus, quoniam ſe inconſulto, ac omnino contra eius ſententiam, ac voluntatem ea facta eſſe patefieri oportebat, acerrime ſi aliŭ vllo tempore, increpat. an eiuſmodi eſſent, ſtudiis ſuis, & omnino Epiſcoporum, clericorumque officio digna: quantam infirmis præſertim animis, anſam datam eſſe, ad ſuſpicandum de mente Paſtoris ſui, quantam malis ad obtrectandum: quonam ore populum ad cupiditatem rerum humanarum fugiendam, terrenaque contemnenda hortaretur, cuius miniſter augendæ rei cupiditati tantopere viſus eſſet inſeruire: flexibus eiuſmodi, tricis, inuolucris, ita enim appellabat, in diſcrimen vocatam fidem, exiſtimationemq; ſuam, & vna cum ea, quod in primis dolebat, populi ſui religioſas progreſſiones, ad id tempus, tanto ſtudio, tantiſque laboribus comparatas: quiduis perpeti ſe, aut amittere maluiſſe, quam eiuſmodi compendia facere: ſi alia ratione pretium emptorum bonorum creditoribus ſolui non poſſet, vendi ſe iubere quamprimum alias Eccleſiæ poſſeſſiones, quod re ipſa perfici quamprimum per Lanfrancŭ Regnam iuriſconſultum, & canonicum Med. in eo munere ſubſtitutum, curauit, cum ex increpationis dolore, vt exiſtimatum eſt, ille in morbum incidiſſet, mortemque non multo poſt angore confectus obiiſſet. Domus Præpoſitus poſtremis annis Antonius Seneca, ſumptus magnitudi-

Humanas opes vt contempſerit, conſumpſit atque.

Pecuniæ odium.

Mira eius liberalitas.

Oeconomum ſuum arguit de prædio coẽpto & non perſoluta integra pecunia.

Morbos & dolores corporis vt tolerauerit.

PRAESCRIPTA medicorum, cum iis ſeſe curandum tradiderat, ita ſeruauit, vt nihil præter eorum iuſſum, vel IV.
quod vehementer expeteret, quamuis minimum, reciperet, vel quod maxime horreret, recuſaret vmquam, ſed quæ in eo genere ferenda eſſent, ea prompto animo ad exercitationem aſperioris vitæ referebat, cumque ſæpe moroſitas quædam, atque faſtidium ſoleat ægrotis, etiam religioſis condonari, non erat in eo quod ferretur ægrotante, magis quam in valente, quin etiam dicere ſolebat, in cuiuſdam voluptatis loco morbum ſe habere: cum eo tempore ſemotis curis quieſcere, ſeque ipſum liberius daretur attendere, ſi quando medicis ægrotum alium parere nolle cognoſceret, reprehendebat, & vt faceret, grauiter hortabatur. Cum ad Dei miſericordiam peſtilentiæ cauſa implorandam, vna cũ clero, & populo ad celebriora vrbis loca, ſeu compita ſupplicatum iret, ſanctumque clauum ferret, pedem nudum clathro ferreo, quo ſubterraneæ ſellæ feneſtra muniebatur, impegit, atque vnguem maioris digiti ita ſummouit, vt tota via, quæ multa reſtabat, abunde ſanguinem funderet, neque tamen ob doloris ſenſum, qui ea parte vehemens eſſe ſolet, de inceſſu quidquam remiſit, narrat medicus, ſupplicatione demum peracta, cum acceritus eſſet: inſpecto vulnere, tolerantiam viri ſe eſſe admiratum, cumque dixiſſet, eſſe vnguem neceſſario abſcindendum: Carolum, qui ſibi poſt abſciſſionem neceſſario quieſcendum eſſe verebatur, quaſi nihil morbi, dolorisque vim æſtimaret, ſibi reſpondiſſe, in aliam diem id eſſe differendum, donec in Eccleſia quaſdam ſacrorum munerum functiones obiiſſet, obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo, tertio die medicus vocatus, id exequi iuſſus eſt, quod ad curationem neceſſe erat. ibi vero Caroli mirificam patientiam ſeſe obſtupuiſſe teſtatur: ei enim grandem vnguem, vulneris acerbitate recrudeſcente, ita excidiſſe, vt cum ipſe in eo genere exercitatus perhorreſceret, neque corpore ille, neque voce, neque ſpiritu vllo modo commoueri videretur, neque vero ob id diu quieuit, aut labori, vel viæ pro quotidiano Eccleſiæ vſu pepercit: vt ex eo potius noui cruciatus, ac patientiæ naſceretur occaſio. nam infirmo pede lapſus, os manus loco ſuo mouit, id reponere quidam conatus, cum minime aſſecutus eſſet, medicus idem, ingraueſcente admodum dolore reſtituit, prorſus ita ſe habente Carolo, quemadmodũ is loquitur: ac ſi permulſiſſet integram manum.

Labores & occupationes.

INCREDIBILEM laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, ſuperius at- V.
tigimus: vnde facile fuerit totius agnoſcere vitæ conſuetudinem: nam alioqui actorum eius diurnum, non leui argumento confici potuiſſet, quod audio ex eius domeſticis quoſdam, pro ea temporis parte ſaltem feciſſe, qua fuerunt apud eum, motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie ſuſtineri videbant. Eiuſmodi laborum cauſas, quibus interdum Epiſcopi nonnulli carere ſibi videntur, tum admirabile ſtudium pariebat eſſe in Eccleſiæ in omnes partes veteris diſciplinæ, cogitatione conformandæ, gregiſque ad cœleſtia bona, continua progreſſione ducendi, quod quidem negotium nullis agendi terminis continetur: tum vero animi Deo penitus dediti, diuina quædam inflammatio, qui nulla diligentia, nullo vmquam labore contentus, numquam ſatis ſuo iudicio perpeſſus, neque pro infinitis tanti Domini meritis, neque pro ſuis, ſuorumque peccatis, ſibi videtur vmquam poſſe ſatisfacere, maxime item, vt in omnibus, S. Ambroſij exemplo mouebatur, de quo Paulinus ſcribit, in diuinorum munerum functione tum magnos conſueuiſſe labores excipere, vt quæ officia erga eos, qui ſalutari lauacro abluendi eſſent, ſolus obibat, iis poſt eius obitum vix Epiſcopi ſufficerent quinque, quod idem merito de Caroli laboribus dici poteſt. Hinc diurna, nocturnaque in meditando, ſcribendoque occupatio, hinc longiſſimæ conſultationes; aſſiduitas reſpondendi iis, qui conſulere, opemve implorare neceſſe haberent, diuturnæ ſupplicationes, ſacramentorum adminiſtratio, ſæpe vſque ad noctem ducta, labor aſſiduus concionum, viſitationum, aliarum rerum, quæ ſexcentæ ſingulis horis, propeque momentis occurrebant. Cum Epiſcopus ad eum ſcribens forte ſignificaſſet, ſibi parum eſſe negotij, eam vocem, vt Epiſcopo prorſus indignam, & turpem, grauibus ad eum litteris datis, acriter, lateque reprehendit. Cum Nouariæ Franciſci Epiſcopi exequias celebraſſet, quidam eius mortis cauſam dolentes, laboribus tribuebant, quibus in luſtrandis ſuæ diœceſis Eccleſiis eo anno non mediocris vigilantiæ ſacerdos perfunctus erat, at iſta ipſa, inquit Carolus, de cauſa, & iſthuc ipſum agentem, hoc eſt pro Eccleſia ſua laborantem, Epiſcopum decet mortem oppetere. Dicere ſolebat, tantum eſſe Epiſcopo negotij, quantum ipſe velit: hoc eſt pro eius ſtudio, vel negligentia, item, Nullum Epiſcopum muneri ſuo poſſe ſatisfacere, ſi valetudini parcat: & earum rerum obſeruationibus teneatur, quæ nocere corpori, prodeſſeve poſſint. Quod populi parum ad ſalutem proficiant, maiori ex parte culpam eſſe Antiſtitum affirmabat, qui non aſſidue curant, atque vrgent eorum progreſſiones.

Vitæ cultus

QVI corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuiſſe, vel nobis tacentibus, licet con- VI.
iicere, niſi quatenus munditiæ, vel dignitatis cauſa neceſſe putaret. Nullum ſericum adhibuit indumentum: ſed eius generis tamen, quæ perſonæ conuenirent, poſteriorem tunicæ partem, quam ſolent ſacri Præſules magis demiſſam humi trahere, libenter æqualem reliquæ recipiebat. veſtimentis, omnibus quidem diutius vtebatur, ac tritis, ſed quæ in conſpectu non erant, in primis reſarciri non ſemel iubebat. Opera ſuorum exuenti, veſtiendive corporis cauſa fere non vtebatur, idque ſæpe ob alienum, & incommodum iis cubandi, ſurgendive tempus, eorum vero, qui ſacris eſſent initiati, nihil ad corpus ſuum obſequij paulo vilioris admittebat, Epiſcopali veſte linea, humerorumque amictu etiam domi ſemper indutus erat, ad perſonæ dignitatem ſeruandam. nam & domicilium ſuum, locum publicum ducebat, ſuoſque ibi volebat, vt in publico, verſari. Itaque mane antequam ea indumenta ſumpſiſſet, neque in exterórum conſpectum veniebat, & neminem niſi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, & ſacræ aquæ aſperſione diei antecedentis, vſque ad Miſſæ ſacrum poſtero die factum, nihil, quantum fieri poſſet, ob rei diuinæ reuerentiam loquebatur: publicum veſtitum differebat, donec ad ſacrum prodire vellet, ibi cubiculo vero priuatim pulla quadam, & rudi veſte vtebatur, quam ſuam appellabat, cum perſonæ ſuæ reliquas eſſe diceret. Exquiſitam adhibebat in omnibus Eccleſiaſtici decori ſeruandi curam. in ipſis caligis, & calceamentis, ac in omni veſtitus parte, tum in omni officio, ac geſtu, quid ſacrum virum deceret, attendebat, vt nullum penitus elegantiæ, venuſtatiſve, nedum leuitatis profanæ veſtigium appareret, nihilque à dignitatis grauitate, ſanctitateque alienum videretur, quæ quidem minute perſequens, gratum facerem fortaſſe multis, pleriſque vereor ne moleſtum accideret. Sunt qui animi virtutibus intenti, hæc vt leuiora negligunt: ipſe vero, id quod perfectius, multoque melius eſſe conſtat, cum ea quæ grauiora eſſent, in primis curaret, tum hæc etiam ſibi iudicabat minime prætermittenda. Commemorabat interdum S. Ambroſij factum, qui in clericorum numerum admittere quendam recuſauit, cum eum ſeſe ingreſſu leuiter, & indecore habere animaduertiſſet. Aderamus in cubiculo cum Epiſcopi caligas, deducta veſte, & earum conſtringendarum rationem comiter inſpexit, reprehenditque, quoniam ea in re profanam conſuetudinem imitaretur. E feneſtra nihil in via vmquam, quidquid ibi audiretur, ſpectauit, loco nullo inambulauit, vulgo iudicari poſſe, opinor, putauit, his actionibus aliquid ineſſe, quod ad curioſitatem, otium, curamue corporis nimiam pertineret. In ea vero decori

Ab omni obſcœnitate quam longiſſimus eſt.

parte, quæ valeret ad obſcœnitatem, & omnem turpitudinis odorem vitandum, præcipuam adhibuit diligentiam, nam ipſam pudicitiæ virtutem à puero coluit religioſiſſime, ſicuti iam tetigimus, ab omni verbo, in quo aliquid non ſolum obſcœnitatis, ſed licentiæ, vel deformitatis appareret, diligenter cauit, in cauſis aliquando, vbi de matrimonio, & eius impedimentis ageretur, laborabat magnoperè loquens, ac pene torquebatur, vocabulaque à re ipſa quam remotiſſima explicabatur, vel adhibebat latina. ephebos in domum non admiſit, cum fœmina numquam locutus eſt, quin ex grauioribus domeſticis vnus, pluresve adeſſent. Domum nulla parte pictam eſſe voluit, niſi viri-

deq

dem parui cubiculi ſui tinc̃turam viſus gratia quæſitam, [illegible] loco nomeraneis, atque in [illegible] quidem cum Mediolanum eſſet venturus, ædeſque Archi[illegible] [illegible] cœperunt lacunaria quædam pingere, atque ornare: quod ipſe ſtatim prohibuit, [illegible] lerit [illegible], id quod hodie quoque perſpicitur, totas vero ædes, amplas tamen, modeſto, vulgarique [illegible] pere [illegible]. Supellectilem in domo ad ipſam quotidiani vſus neceſſitatem redactam habuit, nihil omnino [illegible] poſt [illegible] illam inter pauperes partitionem ad parietes, [illegible] contegenda, hoſpitum vero cauſa mutua ſæpe mu[illegible] necelle erat. Equile mandauerat ædificari, quod vetus, noua cœnaculi locorumque adiectorum ædificatione diruendum eſſet, præpoſitorum imprudentia mag[illegible] m[illegible]ptu factum eſt. Carolus cum demum re pene perfecta, audiſſet, neque enim alias, quam ſacras fabricas inſpicere ſolebat, vehementer doluit, miniſtroſque reprehendit, tum diu inueſtigauit, licet fruſtra, num vſui ſacro fortaſſe, vel omnino digniori ædificium deſtinari poſſet. Quamuis magno numero, hoc eſt, circiter centum, eius domeſtici eſſent, exibat plerumque tamen paucis comitatus, aliis alio genere occupationis Eccleſiæ cauſa vtiliter impeditis. ipſe vero neque numerum maiorem reſpuebat, neque etiam paucitatem grauiter accipiebat, quam pertinere ad Chriſtianam modeſtiam intelligeret, in quo non occupationis ſolum neceſſitatem, ſed negligentiam quoque ſæpe ferebat, quæ diſſimulatione, patientiaque ſæpe alitur, quod in Caroli priuatis rebus argumentis non paucis cognoui. nam familiares nonnulli in eius corpore incommode, duriterque habendo, minime cum Carolo contendebant, & ei commoda ſua negligenti, negligentia ipſa diligenter inſeruiebant: vt veriſſime dixerit quiſpiam, qui res incommodas, acerbaſque ſequatur, vel abiectione, patientiaque exerceri velit, cum plurimos inuenire paſſim adiutores. A[illegible]erant, qui, tum exiguum ſæpe comitatum, tum alia quædam in Carolo ad Chriſtianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & ſummam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur. Res etiam ad ipſum Pontificem Pium Quintum quandoq; relata eſt: cui Carolus ita facti ſui rationem reddidit, vt nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei miniſtri eſſent dignitatem, ac exiſtimationem: dicebat, non in humanis ornamentis, quæ tamen ad certum modum pluribus de cauſis eſſent adhibenda, ſed in religioſis virtutibus conſiſtere. Res ipſa declarauit, & ſuperius narrata demonſtrant, Caroli abiectionem, morum grauitate, ſanctitateq; coniunctam, ſummis, atq; infimis tanto ſemper in honore fuiſſe: quantum nulla terreni ſplendoris ornamenta conſequi potuiſſent.

VII. RELIGIOSAM paupertatem Carolus amauit, & eius officia pie coluit, eius victus, vitæque cultus ſatis oſtendit, ſi quid in menſa, & omnino in domeſtico ſumpto paulo copioſius, largiuſve fieri animaduerteret, ſolebat ſtatim corrigere, id vero tam excelſi animi vir, qui omnes alioqui de re familiari curas, minutas, & cogitatione ſua indignas iudicabat, virtutis cauſa obſeruabat diligenter. Poma tantum, aut eiuſmodi munuſcula ſolebat accipere, eaque fere religioſis viris, quæ ipſa item, vt eleemoſynam pietatis gratia datam, recipere videbatur. Quam vero parcus in iis erat, quæ ad ſui corporis commodum, domeſticamve affluentiam pertinere poſſe viderentur, tam erat in ceteris omnibus, quæ pietati conducerent, liberalis, profuſuſque opum magnanimus contemptor humanarum, quid amplius in hoc genere commemorem, poſt maximas pecunias religionis ergo donatas amplſſimas facultates dimiſſas, exhauſtã magnifica, & pulcherrima ſupellectili domum, adminiſtrationis, officiaque honeſtiſſima, cum fructibus, & vectigalibus vberrimis relicta, poſt ea denique pietatis cauſa contempta quæ ſummi ſæpe viri ſtud[illegible] quærunt, eademq; tanta munificentia donata, vt niſi Chriſtiana, diuinaque liberalitas ea fuiſſet: diſſolutam prorſus effuſionem eſſe neceſſe fuerit. Sed aliquid et ſupereſt minime ſpernendum, quam daret ex facultatibus quæ remanſerant eleemoſynam, nõ opus eſt explicare, hoc ſufficit, quidquid ſuo, familiæq; neceſſario ſumptui ſupererat, totum pie, ac religioſe donabat. Egentium ſacerdotum poſtulationes benigne tribuens, alias ſuperauit, alias præuenit, iis qui apud eum Eccleſiæ operam dederant, imo & propinquorum eorum neceſſitatibus moderate ſubueniebat, ſi veras eſſe neceſſitates videret: de cetero largiri Epiſcopum non debere aiebat, ſed omnia pauperibus, Eccleſiæq; ſuæ reſeruare cum tanta ſemper ad gregem pro debito officio iuuandum offerantur, vt vel maximæ facultates non ſufficiant, cum ad eum retuliſſet, qui familiæ præerat, à pedibus hominem eſſe, qui iam minime aptus labori, ideoque dimittendus videretur: eandem ei mercedem, atq; adeo maiorem tribuit, tum è cõſueta laboribus eximi iuſſit. Summas fructuum ſuorũ, expenſarumq; rationes ſatis habebat generatim, eatenuſq; cognoſcere, quatenus negligẽtiæ in fructibus Eccleſiaſticis erogandis cõdemnari non poſſet, caueretq;, ne ſumptu nimio æs alienum contrahens, creditoribus eſſet detrimento, quamquam accepti, & expenſi plerumque rationem cum omitteret, ſumptus autem piis de cauſis large mandaret, ne hoc quidem ſatis poterat cauere ſemper, tantumque aberat, vt ex reditibus quidquam vllo anno ſupereſſet, vt ſæpe antecedentis anni ſumptus, in fructibus inſequentis non modica ex parte niterentur. Nummorum genera, quantine eſſent, minime nouerat, ac eos vel aſpicere ægre videbatur. Cum aureorum quadraginta millia ex iis, quæ in regno Neapolitano vẽdiderat, allata eſſent ad eum in cubiculum, vbi acceptæ pecuniæ teſtimonium, ipſa præſente pecunia conficiendum erat, ita exhorreſcere viſus eſt, vt ſi anguis eſſe[illegible], cubiculoque relicto, vix perficiendi actus neceſſitate reuerſus eſt, tum vero ſtatim auferri iuſſit, & Præpoſito domus Cæſare Speciano acceſſito, de quo ſæpe mentio facta eſt, ad vſus pios diligendam totam diſtribuit, ſic, vt aliquot addere aureorum millia neceſſe fuerit. Eius Oeconomus inter alios fuit vir bonus, valdeque induſtrius, & ei ceteroqui charus, ſed tanto facultatum Archiepiſcopalium augendi ſtudio, vt prædiola, vel agellos addere prædiis Eccleſiæ perpetuo ſtuderet, quo in genere ſtudioque aliquid eorum fere committere oportebat quod profani homines facere ſolent, qui rerum [illegible] ſæpe neceſſitate, ad ſuum quæſtum, res eorum emendo, abutuntur: ex cupiditate emunt [illegible], quam vt poſſint præſenti pecunia ſatisfacere, vt ſemper debeant, aliaſq; ſemper cogantur reſeruare pecunias: minoris interdum emunt, quam res valeat, de redimenda re paciſcentes, idq; ad maiorem interim pecuniæ fructum, quæ quidem ſæpiſſime ſunt auaris, atque improbis turpiſſimi quæſtus integumenta, vixque multis aſſignatis conditionibus tutis ſacri periti poſſunt laqueis improbitatis expedire: ſemper vero ſuſpicionem non ſolum cupiditatis, ſed etiam flagitij merito mouerunt. Eius igitur generis negotia, cum ab adminiſtro ſuo geſta Carolus reſciſſet, & ex emptionibus quibuſdam adhuc multum deberi, quo tenues homines exigendo defatigarentur: quamquam nihil improbe contractum argui poterat, ſummo tñ dolore affectus, hominem vocatum multis præſentibus, quoniam ſe inconſulto, ac omnino contra eius ſententiam, ac voluntatem ea facta eſſe patefieri oportebat, acerrime ſi aliã vllo tempore, increpat, an eiuſmodi eſſent, ſtudiis ſuis, & omnino Epiſcoporum, clericorumque officio digna: quantam infirmis præſertim animis, anſam datam eſſe, ad ſuſpicandum de mente Paſtoris ſui, quantam malis ad obtrectandum: quonam ore populum ad cupiditatem rerum humanarum fugiendam, terrenaque contemnenda hortaretur, cum miniſter augendæ rei cupiditati tantopere viſus eſſet inſeruire: nexibus eiuſmodi, tricis, inuolucris, ita enim appellabat, in diſcrimen vocatam fidem, exiſtimationemq; ſuam, & vna cum ea, quod in primis dolebat, populi ſui religioſas progreſſiones, ad id tempus, tanto ſtudio, tantiſque laboribus comparatas: quiduis perpeti ſe, aut amittere maluiſſe, quam eiuſmodi compendia facere: ſi alia ratione pretium emptorum bonorum creditoribus ſolui non poſſet, vendi ſe iubere quamprimum alias Eccleſiæ poſſeſſiones, quod re ipſa perfici quamprimum per Lanfrancũ Regnam iuriſconſultum, & canonicum Med. in eo munere ſubſtitutum, curauit, cum ex increpationis dolore, vt exiſtimatum eſt, ille in morbum incidiſſet, mortemque non multo poſt angore confectus obiſſet. Domus Præpoſitus poſtremis annis Antonius Seneca, ſumptus magnitudinem

Humanas opes vt contempſerit, conſumpſitque.

Pecuniæ odium.

Mira eius liberalitas.

Oeconomum ſuum arguit de prædia emp[illegible]to & non perſoluta integre pecunia.

nem reſpiciens, inter alia conquerabatur, ex familiaribus quendam à ſe nulla facta poteſtate, cellis penariis omnibus afferre manus, & effundere largiter. Carolus autem ita ſinere iuſſit, cum eleemoſynis tribuendis ille præfectus eſſet. Laſſ[illegible] erat eius nomine Cardinali, primis Pij Quinti annis, de nobili Abbatia aureorum annuorum circiter duodecim millium: cumque accepiſſet, ſacros Rotæ Romanæ iudices nonnulla iudicaſſe, quibus facile, vel potius ſine dubio ſeſe cauſam obtenturum ſperaret, ſponte ceſſit, ac præter omnium opinionem remiſit, quidquid ea in re poſſet conſequi: motus, vt aiebat, quod neque negotiis eiuſmodi volebat ſuum à rebus diuinis animum diſtrahi, neque cum collega iudicio diſceptare: omnino, quod litem nullam, quæ ad ſe priuatim pertinere, in qua eſſet actor proſequi apud ſe conſtitutum habebat, non enim e[illegible] ſibi ſatisfacere rationem, quod poſthabita omni diligentia, nedum perturbatione, iudicibus rem totam poſſet permittere: reſpiciendum namque eſſe quomodo poſſet ille, vnde peteretur, ex actione commoueri, cuius animum remittendo ſedare, & ad amorem allicere in ſua manu eſſe videret. factum mire collaudauit Pontifex, collegæ, aliique omnes: magnumque boni reliqui ex eo lætitiæ fructum, propter illuſtris, religioſique exempli vtilitatem, perceperunt. Scimus alias etiam de priuato iure ſuo non ſemel eum inſigniter remiſiſſe, tantum nequid ex [illegible]tibus in aliorum animis offenſionis oriretur. Mercedes, & pretia rerum ſuarum, ſi creditores cum eo fortè conquererentur, familiaresve ipſi conſulerent, ita iudicauit, vt non æquitatem ſolum expleret, ſed expectationem quoque petentium, liberalitate vinceret, quibus de rebus hoc loco breuitatis cauſa non explicamus. Cum ad locum diœceſis quendam veniſſet, vltimis vitæ ſuæ annis, mulæ, & equi omnes, quibus ipſe, comitatuſque vehebatur, hoſpitis vel domeſticorum eius culpa incendio necati ſunt, at nihilominus hoſpes incenſi ſtabuli ſui damnum reſarciri à Carolo petiit, facileque impetrauit. Quandiu ſummum ſacræ pœnitentiæ magiſtratum tenuit, nulla vmquam munia ad eum pertinentia vendi permiſit, cumque modica inde percipi emolumenta nunciaretur, tantum abeſt, vt doleret, vt lætitia potius afficeretur. Cum Aronæ arcem Gubernator, vt ante diximus, occupaſſet, adduci numquam potuit, vt de reſtitutione quidquam ageret, aut ſuo nomine agi pateretur à Borromeis, qui tamen aliquot poſt annis eam à Philippo Rege receperunt, immo cum ea de nuncio Romam allato, Gregorius Pontifex grauiter ferens, de ea reſtituenda ſuo nomine agi cum Rege iuſſiſſet, gratias egit ille quidem Pontifici: ſed rogarit, vt ea omiſſa cura, rebus Eccleſiæ ſuæ potius perfecte conſulere pergeret: de iis reuera ſe vehementer ſolicitum eſſe, atq; vtinam, dicebat, in arcem Aronæ recidant, quæcumq; poſſunt in Eccleſiam committi, qua in re non rerum tantum modo humanarum contemptionem, ſed charitatem quoq; inſignem Eccleſiæ Carolus oſtendebat, cuius rationes aliis vtilitatibus omnibus ſemper voluit anteferri.

De eius ædificationibus

Ad hunc locum ædificia referri poſſunt: quæ foris, & in vrbe magnis ſumptibus ad publicam vtilitatem Carolus variis temporibus extruxit. mitto profana, quæ Bononiæ, ac alibi quoque viſuntur. Archiepiſcopales, canonicaleſque ædes eo loco ædificauit, quem à Ioanne Galeatio Sfortia Mediolani Duce Vidus Antonius Arcimboldus Archiepiſcopus olim ad ſuam, canonicorumque habitationem obtinuerat. Cum enim Eccleſiæ, maioris ædificandæ cauſa, ædes Eccleſiæ dirutæ eſſent, neque vmquam, vt promiſſum erat, ſiue Ducis ſumptu, ſiue facultatibus ad Eccleſiæ fabricam deſtinatis, reſtitutæ: tandem Arcimboldus, veteribus, & amplis ædificiis à Duce prope maiorem Eccleſiam impetratis, eorum quidem partem ad habitationem ſuam inſtaurare cœpit, ſed cum opus ipſum imperfectum, tum canonicorum domicilia nondum erant inchoata: Duceſq;, ac deinde prouinciæ Rectores partem canonicis attributam, quod Regiæ propior eſſet, ſordidis vſibus occupabant. Carolus igitur, iis omnibus, Philippo Rege facile cedente, recuperatis, & ab iniuſto, indignoque vſu vindicatis, tum Archiepiſcopale palatium perfecit, & non modica parte vſque à fundamentis fabricata, ad maximum familiarium, hoſpitumque numerum accommodauit: tum canonicales item contiguas maxima ex parte, certis attributis ex iis quas poſſidebat, facultatibus, ædificauit: & magnas lapideas porticus adiunxit, quibus ædibus circiter triginta domicilia continentur, quæ ſingula canonici familiam commode, atque honorifice capiunt. Domum, interpoſita licet via, his adiecit, in qua xenodochium ſenum habebatur vt ibi minorum eiuſdem Eccleſiæ presbyterorum domicilia ex iiſdem facultatibus ædificarentur: cum xenodochium ad Othatiana ædificia, de quibus ſuperius attigimus, tranſtuliſſet. In Eccleſiarum, collegiorumque plurimas ædificationes magnam copiam liberaliter contulit: de quibus narrare ſingillatim nimis longum eſſet. Ticinenſis collegij fabricam primo ſuorum honorum tempore, magnifico plane, regioque ſumptu cœperat, atque ita amplam, vt magnum nobilium adoleſcentum numerum caperet, qui variis ſcientiis operam darent, ſed poſtea tantam ſpeciem ſubmoleſte ferens, & religioſiora ſpectans, quam diſciplinarum humanarum ſtudia, laicorum fere hominum ciuiles progreſſus viderentur, tum fabricæ ornamenta, vt potuit temperauit, tum ſæpe de tota re cum amplis fructibus annuis, in alium vſum conuertenda, qui diuinis, Eccleſiaſticiſque rebus magis conduceret, ſæpe cogitauit, ſed Comite Federico ſuo demum, cum aliorum adoleſcentum non paruo numero ibi collocato, qui habitarunt, & diſciplinæ in primis fundamenta quædam iaceret, inſtitutam loci rationem teneri paſſus eſt, quam Fredericus deinde optimis legibus conſtituit. Ædes ad Eccleſiam S. Ioannis, vbi clericorum conſtituit ſeminarium, magno ſumptu ædificauit: alias itidem ad alteram eiuſdem ſancti Eccleſiam, vbi nobiles adoleſcentulos educabat. In Eccleſiis, quas tenuit, quarumve fructus accepit, Romæ atque alibi non vulgaria reliquit religioſæ liberalitatis ſuæ veſtigia, Eccleſiam vero S. Praxedis, cuius titulum poſt duos alios nactus retinuit ſemper carumque habuit, omni licet emolumento nudam, pro eximia loci ſanctitate, neceſſitateque, magno ſumptu vna cum ædibus inſtaurauit in primis, & ornauit. Non prætereunda fabrica Crupelliana in agro Mediolanenſi: nam licet parochus alius ſatis propinquus eſſet: Eccleſiæ tamen colonis, quamuis non ita magno numero, præcipue dandum exiſtimauit, vt commodiſſima ſalutis haberent adiumenta, itaque Eccleſiam, domumque ſuo inſigni ſumptu fabricauit, parochi etiam ſtipendia conſtituturus, niſi mors anteuertiſſet. Ibi quoque poſuerat domus Archiepiſcopalis fundamenta, & ne amplius ædificaretur, mors itidem impediuit, ad eam enim poſſeſſionem millia paſſuum viginti diſtantem, cum neceſſitas occupationum poſtulabat, libenter conſueuerat concedere, opportunitate inuitatus, quod ſubuehi naui per riuum poterat, qui à flumine Adua Mediolanum decurrit, & ita itineris tempus etiam legendo, ſcribendoq; vtiliter conſumere. Ibidem in decliui ripa fluminis, cuius altitudinem prærup[tæ] lapides tenent, loca deſignauerat domui coniungenda, quibus apte diſtinctis ſacriſque imaginibus inſtructis, ad diuinas contemplationes quibus tantopere poſtremis annis erat intentus vteretur. Ac licet auita caſtella, poſſeſſiones, & villæ, præſertim ad Verbanum lacum, & in ipſo lacu, plurimum haberent, non dicam amœnitatis, quam minime curabat, ſed ad diuina contemplanda commoditatis: neq; tamen ibi quidquam ſibi ædificandum cogitauit, neq; adiuit vmquam, niſi vt loca in ſua diœceſi neceſſario ſibi viſenda.

Vt res geſſerit

In eius rerum gerendarum ratione, duo pene vulgari iudicio pugnantia videbantur. ex altera parte ſi ſpectaueras, totam rem admirabili quadam fiducia diuinæ prouidentiæ ita commiſſam videbas, vt nihil ſpei penitus in humanæ diligentiæ officiis repoſitum videretur: ex altera vero, cum nullum officij, ſtudij, curæ, induſtriæ munus, tempuſve prætermitteretur: nihil in diuina ope poſitum propemodum arbitrabare. In negotiis ſuis mentem, animumque in primis perturbationibus vacuum, in id firmiter intendebat: quod optimum, rectiſſimum, Deoque gratiſſimum videbatur, ea ſtudioſe Deo, plurimis deprecationibus, publiciſque ſupplicationibus adhibitis, commendabat, quemadmodum hiſtoriæ curſu non ſemel indicatum eſt, tum, vt erat acri ingenio, iudicioque, omnia circumſpiciebat,

ſpiciebat, commoda, atque incommoda ponderabat, quibus viis detrimentum importari poſſet, quibus remedium afferri, diligenter inueſtigabat: calamo etiam difficultates, remedia, argumenta, cautiones, & omnino quicquid in re tota eſſet, diſtincte, ordineq; notabat, ne quid elaberetur, aut imprudenter, permixte ve fieret. alienum praeterea conſilium prolixe, ac patienter exquirebat, cumque plena quadam cognitione, perfectoque omnibus in rebus delectu teneretur, tamdiu fixo animo vni rei inſiſtebat, dum ea ipſa negotij, vt ita dicam, viſcera diligenter inſpexiſſet quidque potius, melius ve eſſet ad eligendum cognouiſſet. quam ad rem ſubſidio erat capitis firmitudo eiuſmodi, vt eum multas horas, puta ſex, aut ſeptem vni rei dedi[illegible] eſſet, tum etiam minime defatigatum, penequc integrum ſeſe praeberet, vetus prouerbium ſequebatur, Age quod agis, ita enim perfecte agitur. quamquam ille pro naturae quodam vitio ſibi ſere tribuebat, quod fixe adeo in opere propoſito perſeueraret. Res in omnes partes verſata, pleneque diſcuſſa videbatur, cum ille adhuc plurima inueniebat, quae merito adderet, moneret, contradiceret. Scriptum, ab aliis intelligentibus perlectum, & emendatum, nam conſuetudine ſua multorum iudicium adhibebat, pluribus tamen locis merito corrigendum demonſtrabat: ipſeque mutabat, limabatque diligenter pro negotij grauitate, vt moleſtum ſaepe eſſet, quibus tam perfecta rerum ſpecies propoſita non eſſet, tam diu immorari, ac non tandem probare, modumque ponere. Ac diuturna quidem in dubiis rebus vtebatur deliberatione: diu ſi ſpatium eſſet, ſecum habebat, ſaepius alienum conſilium exquirebat, cum vero conſtituiſſet, celeriter, fortiſſimeque exequebatur, ſic, vt pleriſque perſuaſum eſſet, ne quidquam niſi per auctoritatem fortaſſe maiorem, repugnari. Id ita praeſtabat, vt etiam grauiſſimas res facile, ac nullo pene negotio facere videretur, neque enim vel inſuetus motus apparebat, vel plura loquebatur, quam neceſſitas ferret, eam virtutem diuina vi ſuſtentarant, prudentes homines nonnulli, conſuetudini tribuebant antea maximarum rerum vſu in adminiſtratione Pontificia, confirmatae, dicebant enim, vt ij, qui primo diſcentes, litteris magnis pingendis aſſueſcunt, cum ad communem formam redeunt magna vtuntur manus celeritate, ita Carolo maximis gerendis rebus Romae aſſuefacto, Mediolanenſia negotia facilia, leuiaque videri. quod vt aliqua ex parte verum ſit, praeſtantiora tamen illa ſunt, quam vt ea poſſit vis eiuſmodi conſuetudinis conſequi. Quid ſupplicationes, fiducia, perturbatione liber animus, ſumma diligentia illi valerent ad rem gerendam, tum vniuerſae adminiſtrationis euentus ſatis docet, tum certa negotia multa, non ſemel res eius vniuerſae, ſaepe etiam ſingulae quaedam, in eum locum erant adductae, vt ad extrema venturi eſſe videretur, at repente commutatione facta, in optimum ſtatum, tanquam in lumen ex tenebris reſtituebantur, quae res erat eius ſenſui conſentanea: dicebat enim, qui Deo vere ſeruiret, ei tunc maxime in rebus ſuis bene ſperandum, cum extenuata maxime ſpes humano iudicio putaretur. Cauſae ſuperiorum grauiſſimae, in quibus cum virorum, doctrina, vſque praeſtantium ſententia immo valde piorum impulſu ad iudicandum vrgeretur, ipſe redintegratis ſupplicationibus, diu cunctatus eſt, donec contra penitus ac alij putabant, rem ſe habere, cunctis admirantibus apparuit: exploratumque fuit, niſi ille diſtuliſſet: ruſuſque ad preces confugiſſet, incommoda maxima exitura fuiſſe grauiſſimas inimicitias, honoris, atque adeo quorundam vitae iacturam: vt Carolum praecipuo quodam mentis lumine diuinitus illuſtratum praedicarent omnes, quibus de cauſis hoc tempore nobis minime videtur explicandum. Humanam prudentiam rebus diuinis feliciter peragendis valde praedicabat aduerſari, quod pium, religioſumque eſſet, etiam contra communes hominum ſenſus, conſtanter ſequendum affirmabat, ſed prudentia nihilominus, & etiam artificio laudabili quodam, ad ea quae recta, piaque eſſent, conſequenda, vtebatur. eiuſmodi Romae, rebus eius in magnam inuidiam, ac non mediocre diſcrimen adductis, adhibuit, omni enim pietatis officio, ſicuti ſuo loco narratum eſt, prius adhibito, prudentia mox alieniſſimos homines ſibi conciliauit, in primis vero vnum, cui dicitur Carolus ludibrio, & deſpectui adeo fuiſſe, vt ab eo palam ſtultus quidam ſpiritualis appellaretur, patientia enim, & diſſimulatione, tum earum quoque rerum commendatione quae vere laudabiles in ampliſſimo viro erant, eum ita ſibi leniter placauit, vt magni demum iudicij vir, valdeque ſapiens ab eo diceretur: aduerſarijq; magnum ſuae cauſae patronum ſibi tam praeter opinionem ereptum, valde quidem dolerent, magis tamen mirarentur. Profanarum rerum controuerſias à principibus viris ad eius arbitrium quandoq; delatas, recuſauit, de contrahendis matrimoniis agere, ſi rogaretur, negare ſolitus fuit.

X. Cvm autem ea, quam expoſuimus, praeparatione rem ſuſceperat, vtcumque illa procederet, conſtanter perſeuerabat, inuictam mentem, animumque metus expertem praeſtabat, certum illi erat, magna ſibi ad propoſitum tenendum, vel daemonum inſidiis, vel hominum errore, rebus omnibus fore impedimenta, maximas ſibi, omnibuſque Dei adminiſtris paratas eſſe difficultates: quas Dei clementia poſſet, ſoleretque in ſalutares animarum fructus vertere, haec cum ita propoſita, prouiſaque haberet, minus mirabatur, aut commouebatur, ſi quid accidebat aduerſi, & diu licet conflictatus, ab inſtituto non deſiſtebat. Defatigatis interdum, fractiſque bonorum virorum animis, qui in cauſa non erant, ſpectatorumque tantum, vt ita dicam, officio fungebantur, ipſe rerum omnium actor ſeſe integrum, erectumque omni tempore praebebat, reſque ſuas agebat, vt ſi non multum eſſet negotij: omnino in proſperis, & in aduerſis eundem ſe praeſtabat ſemper; neque laetitia efferri, neque dolore vnquam abuci videbatur: eundem vultum, eundem ſtatum ita retinebat, vt animi affectus, quo moueri omnes natura neceſſe eſt, cognoſceret fere nemo. In grauiſſimis imminentium periculorum rumoribus, cum ea principibus ciuitatis nonnulli clam adirent, magno conatu grauiſſima pericula nunciarent, non alinrum ſermone relatas, ſed auditas à feminas aperirent, ſibi diligenter cauere monerent, Carolus nihil mouebatur, ac potius ſubridens contra monebat, ne quid timerent, Deoque confiderent. de periculis huiuſmodi quandoque inuitatus à religioſis viris, ita fere loquebatur, vt de leuibus, aut iucundis rebus, eamque mentem prae ſe ferebat, vt ſi quid grauius ei euenit accidiſſet, nihil ſibi timendum magis, quam inanis gloriae ſenſum exiſtimaret. Quod ad ſua priuatim pericula, doloreſque pertineret, ferre ſe dicebat acerbius, ſi presbyter, aut clericus vitio aliquo tranſuerſus ageretur, clerique diſciplinam turbaret, quam ſi principes viros multos haberet infenſos. Magnum in primis erat eius aequabilitatis, ac conſtantiae ad omnes caſus firmamentum, diuina voluntas & prouidentia, in qua ſibi conquieſcendum conſtituebat: immo certa ſpe nitebatur, ex omni euentu, quicunq; eſſet, Dei benignitate boni aliquid exiturum. exempla fortitudinis, ac humaniorum periculorum deſpicientiae, in primis vero ſingularis Dei fiduciae, quae verae, ſolidaeque fortitudinis parens eſt, & altrix; ſuperioribus libris plura, & grauiſſima continentur. quae quidem hic repetere non oportet, ſed aliud hic afferemus, Triremes nonnullae ad litus Sabbatium, ſeu Sauonenſe appulerant, quidam in eis vinctus nobili genere, Epiſcopo accerſito indicat, conſilium de occidendo Carolo initum, immo data iam mandata. verum ne id eſſet, an confictum, nouit Deus; homo certe non indignus, cui fides haberetur, neque libertatem, neque aliud ſibi ex ea re quaerere oſtendit, multaque protulit nominatim, quae rem probabilem facerent. Epiſcopus celeriter ad Carolum quidquid audierat, ſcribit, ipſius indicis litteras alligat, quibus de toto negotio plenius explicabatur, vtraſque Mediolanum mittit ad Hieronymum Vicecomitem equitem nobiliſſimum, Borromeiis affinitate coniunctum. cui de negotio item breuius ſcribit, & tamen generatim periculum demonſtrat. Eques orta vix luce, litteras enim noctu acceperat, Carolum adit, cum difficilis aditus eſſet tali hora Carolo nondum ad Miſſae ſacrum parato, par eſſe arbitratus, vt officium, reuerentiaque cederet rei grauitati, per ſe ingreditur, litteras offert, ſtatimque, opinor excuſationis cauſa, quid iis contineretur, oſtendit. Carolus re audita, lumen poſtulat, quo allato, litteras obſignatas comburit, tum conuerſus ad equitem, mirantem,

M 5 & prope

Deſperatis rebus ſupplicationes adhibuit.

Vi negotiorum euentus, & pericula tulerit.

Proſperis efferri neſcit, nec deprimi aduerſis;

Clericorum vitia ſolum dolet.

Litteras conſilium de occidendo

& prope ſubindignantem, omnino inquit, præſidia cuſtodiæve mihi adhibendæ non erant, neque meis pro Eccleſia muneribus, ob huiuſmodi ſuſpiciones abſtinendum, quid proderat alicuius peccatum noſſe, vel quemquam habere ſuſpectum, quæ quidem odij, iudiciive de alio temere faciendi, tum aliarum ſunt offenſionum inuitamenta? ſatius eſt Deo rem totam permittere, eiuſque ſola miſericordia ſuſtentari, ita diſceſſit eques. Carolus vero nullum penitus verbum de re præterea fecit. Similem adhibebat aliis omnibus ferendis conſtantiam, ac fortitudinem, quæ quidem in hac vita poſſunt infeliciter accidere.

Litterarum ſtudia.

LITTERARVM ſtudiis deditus fuit à pueritia, hanc rem demonſtrauit morbus, in quem ex aſſiduo eius XI.
generis labore delapſus eſt adoleſcens: tum horæ incommodæ, ac nocturnæ, auunculo viuente, inter ipſa orbis negotia, litterariis exercitationibus datæ, de quo ſuperius commemoratum eſt, præterea vero ſucceſſiua tempora, quæ inter grauiſſimas Paſtoralis curæ occupationes, nunc ſcribendis ad ſalutem ſui gregis opuſculis, nunc ſatis decretis ad certiorem, faciliorémque vſum, nouo ordine ſibi, ſuiſque diſtribuendis, aut vero parando concionum argumento conſumebat. At rerum agendarum neceſſitate ſemper cum exercitatione litterarum coniuncta, curſum tenere non potuit, niſi impeditum, interruptumque: ſtudiorum, deſideriique ſui, qua in re cum ſe ipſe viciſſet, atque infregiſſet, tum alios quoque docebat, tantum litteras amare, quantum muneris ratio pateretur, tempuſque illud tantummodo capere ſtudiorum, quod ipſa commiſſæ adminiſtrationis neceſſitas relinqueret. Vſitatam iuriſconſultorum ſcientiam, qua fuerat occupatus adoleſcens, minime ad ſe pertinere arbitratus, Theologica, & canonica tantum nouit, quantum Cardinali magnam Eccleſiam regenti efficere poſſe conceſſum eſt, ex Theologia, ſcripturas diuinas potiſſimum ſequebatur, tum veteres Patres, interpreteſque illos, qui ſolidiorem ſenſum amplectuntur. Canonum ea ſcientia periucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans, Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet, dolens autem eos communi conſuetudine tantummodo canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites, iudiciaque valent: conſtituit ipſe, qui iis declarandis præeſſet, vnde ſacra maiorum inſtituta, & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur, quos vero eiuſmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum ſtudiis, iam inde ab illis Sirleti initiis, benigne fauit: vt quod etiam Romæ poſtea eiuſdem generis ſtudium excitatum eſt, ei non exigua ex parte videatur adſcribendum, placuit ei latinus ſermo, neque ipſe incommode locutus eſt, vt nonnumquam orationibus honoris gratia coram eo habitis latine reſponderet, Epiſcopoſque valde hortaretur, vt in conſultationibus concilij tempore latine loqui vellent, decreta, cæteraque ſua curauit eleganter ſcribi, etiam ea, quæ Italicam huius temporis linguam requirerent, at reiectis floſculis, inanique ornatu, locutiones eas, verbaque probauit, quæ decorum Eccleſiaſticum quoddam retinerent, multo magis autem ſenſum perſonis, rebuſque ſacris accommodatum quæſiuit. Cum hac exigua quoque facultate noſtra vſus, ſcripta quædam emendanda perlegeret, nobiſque forte excidiſſet, dolere, quod non ita modicum tempus olim ſtylo dediſſemus: melius collocatum fuiſſe reſpondit, quam in ea quæ diu nos occupatos tenuerat, iuriſperitorum facultate, copioſa ipſe oratione ſcribendo vſus eſt, periodoſque multis ſententiis refertas, longiuſque ductas adhibuit, quæ ſcribi iuſſerat, ad ea emendanda, quicumque

Scripta eius

ſcriptores eſſent, acre, prudenſque iudicium adhibuit, libellum ſcripſit, ipſe, vbi religioſa monita plurima, facili quadam ratione, ad quotidianum populi vſum complexus eſt, pro domeſtico cuiuſque officio ſeparatim diſtincta, alium item ſublata peſtis calamitate, ad memoriam diuinæ animaduerſionis conſeruandam, vt ea populus vitaret in poſterum quorum cauſa pœnas eiuſmodi dediſſet. Omitto litteras tum ad publicam Eccleſiæ commonitionem, tum de grauiſſimis alioqui rebus ab eo ſæpius conſcriptas, de concionibus quæ ſcripſerit, alio loco dicemus. Bibliothecam inſignem habuit, quam collegio reliquit canonicorum ſuorum, ac decreto prouinciali conſtituit, in omnibus prouinciæ ciuitatibus ab eiuſdem generis collegiis Bibliothecas communes eſſe comparandas: quas ſingulas canonicus deligendus conſeruari curaret, ac augeri. Viros eruditos amauit, & in honore habuit ſemper, tum re, opera, commendatione, ad vitæ ſuſtentationem, ad ſtudiorum adiumentum, ad honoris amplificationem iuuit liberaliter, tales apud ſe habere ſtuduit, multoſque habuit, Romæ præſertim, cum Italiæ pene florem in eo genere ſibi, & Academiæ ſuæ adiunxerat. Multa vero componi, & ad communem ſalutem edi curauit.

Auguſtini Valerij Epiſcopi Veronenſis ſcripta.

De arte rhetorica librum eius hortatu ſcripſit Auguſtinus Epiſcopus Veronenſis ad Eccleſiaſticam rationem accommodatè: de Epiſcopo item: & in ſacroſancta Euangelia homilias ad Ambroſianæ Eccleſiæ vſum, minime adhuc æditas, librum alium Siluius Antonianus de Chriſtiana liberorum educatione, alios ab eo poſtulatos, ſcio, qui fortaſſis edentur.

Peccata omnia vt vitarit.

LABES animæ, vel minimas exquiſite vitabat, ne quid offenderet, etiam modici temporis otioſam amicorum XII.
conſuetudinem, & ſuperuacaneos ſermones omnes ſtudioſiſſime fugiebat: vel ſi vna eſſe, ac alloqui ob virorum dignitatem neceſſe eſſet, attentiſſime ad vſum, & ad pias vtilitates omnia conuertebat, ipſum temporis otioſe traducti peccatum ita cauebat, vt etiam dum tonſorem adhiberet, vel ſalutari cogitatione, vel legendo, legentemve audiendo vtiliter detineretur, quam diligenter autem maiora peccata, & omnes offenſiones deuitarit, tum ex hoc facile coniici poterit, vel me tacente, tum eius cæteri mores deſcripti clare demonſtrant, omnino mos eius fuit, curaque perpetua, vt omne peccatum, eiuſque periculum, ac ſpeciem quam longiſſimo interuallo declinaret, quod autem vitare non poſſet, qualecumque erat, quotidie ſolebat ſubiectiſſime, magnaque diligentia ſacerdoti confiteri. Si quid incideret, in facultate ſibi impertanda, in veniis obtinendis, ampliora ſemper poſcebat, vt ſibi tutius conſuleret. Si quid ita illi remitteretur, vt eius animæ periculo eſſet, vel recuſabat, ſi poſſet, vel miram adhibebat cautionem, quod agendum erat, in quo recte ne fieret, dubitatio oriretur, Mediolani, Romæ, eorum, qui doctiſſimi ac peritiſſimi haberentur, conſilium ſemper exquirebat. In vitiis ſuperandis, virtutibuſque comparandis fixa illi erat ea cura, quæ omnibus perfectum vitæ ſtatum cupientibus propoſita eſſe debet, vt ex Apoſtolico præcepto, iis quæ feciſſet, adeptuſve eſſet, minime contentus, ad maiora ſemper intenderet animum, quod eius quotidiana fere incrementa ſuperius ſuis locis notata demonſtrant, omnino iudicabat, animarum Paſtorem ſatis officio ſuo in aliis iuuandis facere non poſſe, niſi ſe ipſe ſalutariter exercens, progreſſiones ſuas ſemper vrgeret.

Vt ſe geſſerit in ſacris obeundis.

SVMMA diligentia vſus eſt, vt rite, recte, ac religioſe ſacra omnia obiret: id quod etiam ante cogi- XIII.
tando, meditando, ſeſe aſſuefaciendo, conſequi ſtudebat, ſi quis miniſtrorum erraret, grauiter corrigebat, diſtribuenti ſanctiſſimam Euchariſtiam Brixiæ, neſcio cuius fortuito ſucceſſu, vas pene excidit, particulæ certe multæ in pannum delapſæ, ea re tantopere doluit, vt vix teneremus, ne ab ſe pœnas alieni errati repeteret, quæ ſacris decretis eius generis magnæ negligentiæ ſtatuuntur. Miſſæ ſacrum facere numquam omiſit, niſi morbi neceſſitate, eaque non quauis, ſed ſumma coactus, eiuſmodi conſuetudini plurimi, ex vulgo ad res diuinas attentiores, ſicerant aſſueti, vt cum Epiſcopum, alterius ſacerdotis Miſſæ frequenter intereſſe fœmina vidiſſet, percunctaretur, idque ſerio, num Epiſcopus ille Miſſa facienda eſſet interdictus. Niſi aliter neceſſe eſſet, ſacello Archiepiſcopalis palatij omiſſo; in Eccleſiam ad altare ſuum ſubterraneum, vel omnino ad Eccleſias, ſacri fa-

vti faciendi cauſa, ob eximiam ſanctiſſimi myſterij dignitatem, accedebat. Solebat ille quidem, vt diximus, mane, antequam ſacrum obiiſſet, neminem admittere: cum autem in via prohibere non poſſet, tantum reſpondebat, quantum ipſa modo neceſſitas poſtularet: ſed in Eccleſia aditum dare ſolebat nemini, & omnino cum eo venerat, procul omnia iubebat eſſe. Cum in omni actione, tum in rebus diuinis præſertim, quid deceret, exquiſitiſſime obſeruabat. oculos manus, omnem motionem atque geſtum ita moderabatur, vt ſacrorum dignitati, ſanctitatique prorſus conuenirent: neque tamen eorum eſſet conſpicua cura. execrandi etiam, ſpuendique tempus opportunum, ac modum tenebat, vere, quidquid ageret, exemplar diceres Eccleſiaſtici decoris, ac ſanctitatis. in Miſſa tamen haud nimis longum temporis ſpatium ponebat. ob eam quam dixi dignitatem, alieniſſimus ſemper fuit à ſacellis, in priuatis ædibus quacumque de cauſa permittendis: vbi Miſſa fieri poſſet, eam rem tum decreto prouinciali ſanxit: tum ſeuerius vſu firmauit perpetuo. Canonicarum horarum ſacerdotales preces, & quæ ad beatiſſimam Virginem habentur, quotidie humi poſitis genibus obibat. Quocumque loco eſſet etiam lutoſo, publicum audiens Angelicæ ſalutationis ſignum, genua ponebat in ſolo. Feſtis diebus in Eccleſia diuinis officiis omnibus aſſiſtebat: cum cæteris alte recitabat, ſeu canebat: ſacerdotiſque celebrantis, ſeu chorum ducentis partes ſemper agebat ipſe: dumque ex ritu ſtandum erat, manus etiam ad Deum ſemper tendebat ſupplices, plerumque autem eueniebat, vt ab antelucanis officiis in Eccleſia permaneret, donec omnibus peractis, ad corpus reficiendum diſcedendum erat. quod enim Miſſæ ſacro, concioni, cæteriſque diuinis rebus ſupererat, id temporis in ſubterraneo ſacello conſumebat ſecum orans, affirmabat, & reipſa ita eſſe perſpiciebatur, quam diu eſſet in Eccleſia, quieſcere ſe, & iucundæ admodum animi relaxationis inſtar, eam occupationem ducere. itaque mirabatur, ſacra munera, etiam ſi longo eſſent ſpatio temporis obeunda, cæteris ſæpe grauia videri. dolebat diuinorum officiorum diſciplinam delicatæ hominum conſuetudini plerumque aptari: cum contra conandum eſſet, vt homines ad veterem ſe diſciplinam, licet paulò magis laborioſam, accommodarent. id fieri poſſe docebat exemplo populi ſui: quem integros pene dies variis rerum ſacrarum exercitationibus intentum, ſuauiter in Eccleſia retinebat. Cum ab eo miſſi ad principem virum ad vrbem appropinquantem, paulò pòſt eſſemus ad eum reuerſi, in cœnobij virginalis æde ſacrum faciebat. expectamus donec diſtributa virginibus Euchariſtia, Miſſæ finem faciat. cùm ad ſedem rediſſet, indumentaque depoſuiſſet, ad ſedentem mittimus, vt adire liceat. ipſe vero quamquam cauſa erat, cur nos audire cito ſtuderet, atque adeo cur putaret celeriter conſulendum, aditum minime concedens, alia ſumit indumenta, quibus ſacrum veſtitum traderet nouitiæ virgini. rem conficit: concionem habet ad ſacrum [illegible] demum poſt duas, vt opinor, horas, cum exiiſſet: vocat, negotiumque admittit. res ita ſe habuit, vt opportuna [illegible] dilatio. eundem ſe præſtitit, cum in ædibus ſeminarij in re non ita magni momenti, ſed ſacra occupatus eſſet, nunciuſque Roma, quem magno deſiderio expectabat, ob negotium grauiſſimum aduenisſet. [illegible] re perfecta, quam in manibus habebat; nuncio aditum non dedit. Indecorum indicabat rebus ſacris interponere, ſacrove loco admittere quidquam externum: ſed ſimul etiam voluntate, ac deſiderio reprimendo ſe exercebat; in quo ſtudio, licet de re non magni momenti agatur, magnum tamen ad virtutem eſſe momentum exiſtimatur. ſi de ſacris reliquiis, aliiſve rebus eiuſmodi, vt ſæpe fit, aliquando dubium aliquod incideret; in eam partem ſemper propendebat, quæ religioſior videretur, & magis pia. Antiquitati, maiorumque conſuetudini plurimum tribuebat. Si Eccleſiam viſeret religionis gratia: quoniam ſunt loca ſæpe, vel ſacella plura, quibus variis de cauſis vulgo cultus adhibetur; adibat omnia diligenter, & vel rudiorum hominum piam conſuetudinem in eo imitabatur.

XIV. DEVM orandi, diuinaque meditandi ſtudioſiſſimus fuit. cui ſtudio cum ſe tradiderat, ita mente atque animo ſolebat hærere, atque ita ſi tempus daretur, in intimas rerum ſpiritualium cogitationes ſeſe coniiciebat: vt ab aliis omnibus, vir incredibiliter occupatus, ſeſe abſtractum præberet. id ipſi partim etiam ob vehementis applicationis, occupationiſque in omni genere conſuetudinem eueniebat: de quo iam attigimus, cum interdiu negotiis diſtineretur: nocturnum tempus ad orandum ſumebat. cumque magni momenti res incidebant, ipſas noctes precando conſumebat, locum ad eum vſum ſibi parauerat, vſitato ſibi cubiculo proximum: ita remotum, vt aliquis familiarium tamen ſæpe gemitus exaudiret. Præter has quotidianas exercitationes: tum extraordinarias quoque multas, quæ præcipuum ſtudium, ſpatiumque longius requirebant: bis in anno [illegible] ab vrbe diſcedebat, ſeque in remotis, ſolitariiſve locis colligens, plures dies totos ab omni alia occupatione liber, tum ſuperioris temporis errata dolebat: tum ſeſe ſpiritualibus, diuiniſque contemplationibus ad maiorem ſanctitatem incitabat. qua de re ſupra non ſemel attigimus. Inde autem cœleſti pabulo refectis animi viribus, ad ſua curricula recens, alacriſque deſcendebat. Præterea vero, quod perpetuæ ſupplicationis genus exiſtimatur: quaſcumque res ageret, ita ſe comparabat, vt neque diuinæ præſentiæ memoriam, neque motuum animi ſui cuſtodiam deſereret: cum idem tamen, quæ eſſent in manibus, tam perfecte tractaret, ac in omnes cuiuſque rei partes tam acriter, vt diximus, acie mentis penetraret, vt nihil fieri poſſe videretur accuratius videbatur autem, ſi quis attenderet, in ipſa rerum tractatione interdum modico ſpatio, ab iis quæ agebat, mente abſtrahi: alias ſubito commoueri, ſpeciem flentis nonnunquam præ ſe ferre. Ex eadem vigilantia, ſuiſque ipſius cuſtodia fiebat, vt quidquid ad eum quis afferret, paratum animo ſemper, ſemper cautum inueniret, ne vlla re, vel nimis commoueretur, vel offenderet aliquo modo. Epiſcopo, dicebat, vtpote rebus ſacris adminiſtrandis aſſidue occupato, eam maxime cuſtodiam conuenire, ne actio à ſpirituali meditatione penitus vnquam diſtraheretur. Itineris tempus ita conſumebat, vt niſi quis interim audiendus, vel cum aliquo eſſet colloquendum, in rebus diuinis ſemper animum defigeret, atque ita raperetur, vt pene ſenſuum intermitterentur officia. In Deciana via, cum iter noctu, denſiſſimis tenebris faceret, & in foueas quaſdam delapſus eſſet: mula ſuper eum iacente, comitibus viſus eſt, & in primis Cæſari Speciano, qui nobis poſtea Epiſcopus narrauit, ita permanſiſſe in meditatione ſua: vt ne de exitu quidem cogitaret: donec comites accenſis facibus egreſſi, eum nihil querentem, aut dicentem, extraherent. madidus vero, ac lutulentus nihilominus hilari vultu Mediolanum venit. interdum ita mula offendebat, vt procumberet. ipſe vero niſi corrueret penitus, nihil plerumque animaduertebat. A rebus nouis nunciandis, vel audiendis abhorrebat: præcipuum importari dicebat ex ea curioſitate, ſpiritualem vitam agentibus detrimentum. ſi quid ab amicis abſentibus nunciaretur, noui quod ad munus ſuum minime putaret pertinere: nihil, aut quantum officio ſeruando ſolum neceſſe eſſet, reſpondebat. quod ſatis docent eiuſmodi literarum reſponſiones eius breuiſſimæ. ſi quis quacumque dignitate aditet ſalutandi cauſa, & de rebus eiuſmodi vel percunctaretur, vt vulgo fit, aut referret, ipſe vel tacebat, vel alium, eumque, vtilem ſermonem inferebat. Ita ſe à rebus humanis auertebat, vt frequenter dies, & pœnitentes, qui agebantur, ignoraret. Sed vitæ poſtremo tempore multo magis incitatus, ita ſacris cogitationibus, contemplationibuſque deditus erat, vt aliquid etiam operæ neceſſariæ, ſuæ ſubtrahere videretur adminiſtrationi. illius operæ ſaltem, quæ miniſtris, aliiſque audiendis, qui conſulerent, danda erat. o-

Eius ſtudiũ contemplationis, precationiſque.

Nota vehementem meditationis ardorem.

mnino ab eiuſmodi ſtudio nullo modo videbatur poſſe diuelli. quo tempore, quæ Chriſtus Dominus pertulit, ea diligenter ad meditandum per particulas diſtribuiſſe, viamque & rationem meditandi, precationeſque compoſuiſſe commemorauimus. De cætero ita contemplationem coluit, vt actionem ſemper, ſalutemq; mortalium reſpiceret. itaque ſi qui à rebus publicis abſtinere, quieti ſe tradere, ſibique tantum, licet ſanctè, viuere vellent, his haud facile concedebat, ægreque adducebatur, vt cuiquam manus imponeret, ſi priuati ſpiritualis fructus tantum gratia id peteret, ac non certæ eccleſiæ, certoque muneri vellet addici, cultuique diuino publice operam dare. ad eam rem tum ſacris legibus in primis mouebatur: tum ſenſu quoque ſuo, qui ſacros homines prodire, in negotiis ſacris verſari, de plurimis ad ſalutem benemereri, ad Antiſtitis iuſſus paratos ſe, facileſque præbere, neque otium, neque ſpiritualem quietem, ac ne illa quidem, quæ ad victum neceſſaria eſſent, reſpicere: incommoda, & difficultates: locorum, munerumque mutationes pari, omnes volebat, atque hortabatur: eos maxime, quos licet probos, & diuinarum rerum ſtudioſos: ſibi tamen libenter parcere, arbitrij ſui, poteſtatiſque ius ſtudioſe conſeruare, iis, quæ ipſi ſentirent adhæreſcere, aliis vero difficile aſſentire, videret. Cum ita ipſe affectus, animoque paratus eſſet: ad eandem ſententiam maxime conformari cupiebat clericos ſuos, & eos cum ſe offerret occaſio ſingulari quodam ad id ſtudio erudiebat.

Familia, & in ægrotos miſericordia. DOMESTICOS ſuos, vel clericos elegit, vel eos, qui eſſent in clericorum inſtituta, diſciplinamque propenſi, omnino autem eos, qui virtute, officiis, conſuetudineque quotidiana: Deo dicatis viris eſſent, quam aulicis ſimiliores, curabat eandem, cum aliquem recepturus erat, per hominum probatæ fidei teſtimonia, ſed ipſe quoque, cum in aliquem defixiſſet oculos, pro humana facultate ad ſenſus, mentemque cognoſcendam valde penetrabat. Multi locum apud eum cupide quærebant: atque neſcio, vtrum etiam aliquis illud poſtremo loco ſpectaret, quod Carolo probatam operam dediſſe, ſpectatæ vitæ graue teſtimonium, bonorum exiſtimatione putabatur, illud item conſtabat, ſi quis moribus doctrinaque valuiſſet, & ſine dubio Carolum beneficia ſponte, adminiſtrationeſque pro virtute mandaturum, quamquam nullo modo tamquam operæ, obſequijve præmia: nam id cauebat diligenter, & certa cunctis alioqui ſtipendia tribuebat, ſed vt hominibus, qui digniores occurrerent, vacantes miniſtris, Eccleſias, vel munera, ipſis pariter, atque aliis concedebat. At hoc minime ſpectare poterant, qui à facultatibus alioqui, honoribuſque parati, omnia relinquentes, ad eum veniebant, tamquam ad religioſarum virtutum mercaturam. quos quidem hoc loco multos poſſem numerare. hique vel oblata beneficia recuſabant: vel ita recipiebant, vt diuina cauſa tantum mouerentur, ex eius epiſcopali certe domo, atque diſciplina, variis temporibus multi, præter eos, quorum mentio iam in hiſtoriæ ſeriem incidit, tamquam in aciem quandam Eccleſiaſticam prodiere, Præſules, grauibuſque aliis eccleſiæ muneribus ac adminiſtrationibus præfecti: quorum alij aliud, plurima vniuerſi, præclaraque in communem Eccleſiæ vſum ex Caroli ſchola contulerunt quamquam ſuos & ipſe habuit degeneres alumnos. Veſtitu clericali, etiam qui clerici non eſſent, niſi ratio muneris, eo videretur indigna, omnes vti iuſſit. qui non vterentur, nigra tamen indumenta, eaque modeſtiſſima, & à profana conſuetudine remota, omnes ad vnum adhibuere: non ſerica ſolum, ſed magna ex parte etiam, quæ proxime accedunt, iis prohibita fuerunt. Nobiliores, quos addictos ſibi famulos, ſed clericos fere apud ſe habere iuſſit: quibus inſeruiendi cura ita incumberet, vt etiam literariis ſtudiis, ſacrarumque exercitationum tempus daretur. Qui familiæ toti præeſſet, eum presbyterum elegit, neque vulgari nomine, ſed Præpoſitum domus appellauit. Oeconomum adiunxit, qui poſſeſſionum, fructuumque omnium curam gereret, Vicarium item, qui domi quotidiana quædam, minutioraque curaret. Cubicularios, magnam partem, presbyteros habuit, eoſque fere in doctoris gradu poſitos, ſiue canonum, ſiue Thelogiæ. in iis duos eſſe ſtuduit ſpectatiſſimæ vitæ, quales vnicuique ſacrorum Antiſtiti eſſe debere dicebat, actionum omnium diurnos, nocturnoſque teſtes. Domeſtica munera ita diſtribuit, vt vnuſquiſque plura ſuſtineret: nam & ipſos cubicularios, vel certis Eccleſiæ adminiſtrandæ officiis præfectos habuit, vel aliis ſacris rebus occupatos: vt eis quam minimum vacui temporis relinqueretur: neque fruſtra limina terendo, tempus conſumerent. ex eo fiebat, vt ad oſtia, cubiculave aſſiſterent, tum foris etiam ij tantum comitarentur, qui neceſſarij erant: ſi modo vel ipſi quoque neceſſitati ſæpe aliquid non ſubtraheretur, ſuos non ſibi, ſed Eccleſiæ ſuæ velle dicebat inſeruire: ac re vera nemo erat, vel Eccleſiæ, vel epiſcopali perſonæ non neceſſarius. valebat vero id, tum ad numerum, & officia religioſe conſtituenda. tum ad hominum mentes, pro pietatis ratione rectius, fructuoſiuſque dirigendas. Homines nobilitate, ſcientia, vel ſpe aliqua inflatos recipere non ſolebat: neque illos, qui alibi, niſi forte apud religione præſtantes Antiſtites, prius eſſent exercitati. receptos autem, ne quid elationis forte lateret, ijs miniſteriis exercebat, quæ humilia, viliaque putantur, illuſtri genere orti: Comitis, aut doctoris dignitate inſigniti, epiſtolis aliiſve rebus tranſcribendis ſæpe operam dabant: poſteriorem veſtis partem, cum prodibat Carolus, tollebant, in itinere ſarcinas ferebant, crucem præferebant, quamquam hoc inter digniora volebat officia numerari. hac de cauſa pleroſque ſine certo munere aſſignato primum recipiebat, eoſque gradatim poſtea prouehebat, pro virtute, ac habilitate perſpecta, idque niſi ſpectatæ iam in rebus ac muneribus Eccleſiaſticis, virtutis, ac exiſtimationis eſſent. Durior videbatur eorum conditio, qui Carolo operam dabant, ob labores, vigilias, plurimaque alia incommoda: & re vera erat, ſed eam iam notam omnibus non imponebat ipſe, ſed ipſi ſuſcipiebant. neque vero fieri poteſt, vt ducis ſumma vigilantia, & labor, delicati, vel remiſſi militis operam ferat: Ac tametſi robuſtos præſertim iuniores, variis incommodis ferendis exerceret, magna tamen humanitate parcebat imbecillis: quod tum de aliis, tum de me ipſo vere poſſum, ac largiter affirmare. Præter eos, qui domeſticis muneribus proprie deſtinati erant, alios multos, ſi modo alioqui probati eſſent, facile recipiebat, ſiue aduenas, vt eorum periculum faceret, ſiue etiam ex clero ſuo. quam ob cauſam, quantum in ædibus ampliſſimis capi poſſet, tantum domi alere numerum ſolebat, vt vno tempore tum clericis ſubueniret, tum miniſtros pararet Eccleſiæ ſuæ. omnes autem interim habebat, vel familiaribus, vel Eccleſiaſticis negotiis, vel diuinarum rerum adminiſtratione occupatos. omneſque tenebantur inſtitutis domeſticæ diſciplinæ. Eorum fere qui ſacerdotes eſſent, inſtitutum erat, quotidie Miſſam facere, reliquis ſacramentorum confeſſionis, & Euchariſtiæ certa tempora, eaque frequentia præſcripta erant: cuius rei teſtimonium vnuſquiſque afferebat. alia diuini cultus officia varia, concionum, ſupplicationum, & eiuſmodi colere ſuo tempore illos oportebat. omnino, ne minutiora ſingillatim perſequar, non ſolum communi quadam probitate, ſed præcipuis piæ religioſæque vitæ inſtitutis, atque exemplis, ſtudebat populo familiam ſuam prælucere. Ad eam rem quotidiana ſuppeditabat adiumenta. erat etiam ſpiritualis diſciplinæ præfectus, qui quotidie aliis ex Euangelio, vel ſacris omnino, diuiniſque rebus, articulatim tradebat, quæ ad ſalutem ſuam cogitarent, ac meditarentur. quæ inter ſe deinde certo tempore conferebant, ac ſuum, intelligens quiſque cæteris, cogitationis fructum communicabant. ea plerumque Carolus tradebat ipſe, præeratque ſæpe, dum communicarentur. Horarum ſtatarum breuiores preces, quæ Virgini tribuuntur, clerici, alijque quibuſdam præcipuis muneribus minime occupati, ad certa ſigna in ſacellum conuenientes, obibant. Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis

Margin notes: XV. (beside "DOMESTICOS ſuos…"); Domeſticos quos habuerit. (beside "ſed magna ex parte etiam…"); Eorum officia & exercitia. (beside "menrorum confeſſionis…")

dimenta rudiores inſtituebantur. Non deerat iis, qui egerent, grammaticæ magiſter. Veſperi antequam cubitum irent, vniuerſi, ad excutiendam factorum diei conſcientiam, accipiendamque ſacræ aquæ aſperſionem, conueniebant, quo eodem tempore tum capita, quæ commemorauimus pie cogitanda tradi ſolebant, tum ſtatis etiam diebus, Caroli exemplo inuitati, flagella ſibi ad veniam peccatorum impetrandam, flagellationiſque Chriſti Domini memoriam renouandam, pleriqueque pie adhibebant. Cum vno loco, menſis circum diſpoſitis cœnobitico more accumberent omnes; erat etiam edito loco, qui de ſalutari libro legebat: à quo quidem munere vix ipſi cauſarum iudices, & Vicarij propter occupationes excuſabantur. Cibus religioſe item, & cœnobitico modo fere dabatur. vno conſtabat obſonio, & iurulento ferculo, cum pomorum, vel ſimili additamento, altero ante, altero poſt reliquum cibum. omnia vero vulgaria: nihil prorſus delicatum, vel exquiſitum, atque huiuſmodi menſæ vniuerſi accumbebant, ſummi, & infimi nam cuiquam cibum priuatim in proprio domicilio ſumendum dari, erat interdictum: eademque lege Vicarios teneri conſtitutum erat. Quemadmodum antequam aſſiderent, ſtatam bene precandi formulam adhibebat, qui primum ibi locum ex presbyteris tenebat; ita poſt cibum ſumptum, eodem præeunte, gratiæ agebantur: & ordine omnes ex triclinio in ſacellum ibant; vbi litania cum inuocatione ſanctorum conſueta, precibuſque adiunctis habebatur. Valetudinarium erat conſtitutum, quo ægroti ſaltem humiliores curabantur; ſalutaribus rebus iuuabantur; ab ipſo Carolo interdum viſebantur; certo Præfecto ei muneri conſtituto.] Omnes familiæ leges antea breuiter, ſummatimque notatas, poſtremo deſcribi iuſſerat copioſius; quamquam minime potuit opus abſoluere. eas vero ſeruari præcipuo quodam ſtudio curabat, miniſtros ſæpius interrogando, & monendo; cum certis temporibus etiam eoſdem cum aliis religioſis viris conuocando; vt de rebus omnibus plenius conſultaretur. quo loco recordor inter alia iuſſum ab eo frequenter, & inculcatum; ne quid ægrotis, imbecillis, hoſpitibuſque deeſſet: ſibi numquam miniſtros ſatisfacere poſſe, donec id plene, cumulateque perfeciſſent. hæc tantopere in ægrotos officia illi hærebant in viſceribus: vt eas ſummis in rebus, quas animo quotidie agitabat, ad eas, quamuis etiam tenuiſſima, frequenter reſpiceret. Caroli in ægrotos benignitas. Cum pene moribundus Mediolanum veniſſet, dum per gradus ædium aſcendens ſuſtentaretur, tanto ſtudio quendam ex ſuis Præfecto commendauit, qui ægrotus iiſdem venerat, vt de illo multò magis quam de ſe ipſo ſollicitus videretur. Cum apud eum Brixienſem Eccleſiam viſitantem, in morbum incidiſſemus; benignus pater animaduertens pannum quo operiebamur ſuis manibus tentat, leuiorem exiſtimans, quam opus eſſet, aptiorem lecto ſuo detrahi iubet, atque afferri; vt incommodo ſuo nobis commodaret. Externis item ægrotis Chriſtianæ charitatis officia libentiſſime tribuit. declarauit, ſe libenter iturum; ſi quis ægrotans ab eo ſibi priuſquam moreretur benedici cuperet. immo vt eis ſubueniret cumulatius, ſuique Paſtoris accerſendi deſiderium excitaret, plenariæ indulgentiæ iis tali tempore tribuendæ, obtinuit à Pontifice perpetuam facultatem: neque id ſibi ſolum, ſed prouinciæ totius Epiſcopis; vt eos quoque ad idem piæ benignitatis opus incitaret: quæ quidem plenius in litteris Pontificiis editis explicantur. ægros autem ſæpe cum adiret ipſe, ſacerdotes ſuos etiam quandoque mittebat, qui eius nomine benedicerent, indulgentiamque largirentur. Sed poſtremis annis, cum ad ſanctitatis opinionem eſt plurimum acceſſiſſet; increbuiſſet etiam, per eum eſſe redditam quibuſdam ſanitatem; ideoque iam ab nonnullis ad ægrotos deſperatos accerſeretur: multo cautius eundem ſibi Chriſtianæ humilitatis ſtudio, conſtituit, atque etiam recuſauit. Carolo Emanueli in primis Duci Sabaudiæ peruulgatum eſt ab eo beneficium eiuſmodi tributum eſſe: quem nulla pene vitæ ſpe Vercellis iacentem cum adiiſſet, ſuis, populique ſupplicationibus magno ſtudio adhibitis, diſcedens eo periculo liberatum reliquit, quæ res & magnam multis admirationem, & ſummam piis, publicæque tranquillitatis ſtudioſis lætitiam attulit. Homines ſibi charos, immò qui magno etiam eſſent Eccleſiæ vſui, benigne ille quidem complectebatur, dum manebant, omnique ratione ſtudebat retinere: ſed ſi quando ab eo diſcedere contigit, nihil fere viſus eſt commoueri. eorum item ſi aliquis peccaſſet; minime diſſimulabat; niſi æquum alioqui Chriſtianumque parcere exiſtimaret: id quod libenter iis tribuebat, qui erratum agnoſcentes, & ex animo dolentes, veniam peterent. Cum iis, qui domeſticis miniſteriis addicti erant, minime ſolebat ſermonem conſerere: quæ enim opus erant cum ipſo domus præfecto agere ſatis habebat. nullius item facetias, leporeſve admittebat vnquam, ſerius de rebus ſemper erat ſermo. quidquid otioſum eſſet, indignum Epiſcopo cenſebat. Qui cum eo familiarius verſabantur, iis nunquam aditum apertumque eſſe volebat, ad remittendam eam, quæ perſonæ debebatur; reuerentiam. quæ cum alioqui familiaritate, vetuſtateque ſæpe obſoleſcat; teneri, vigereque ſemper æquum, decorumque putabat; tum ad diſciplinam conſeruandam admodum vtile.

XVI. COLVIT non mediocriter officium, virtutemque illam, quæ in hoſpitibus benigne accipiendis poſita eſt peregrinos omnes, ſacros præſertim & probatos, principes item viros pie accepit, ac liberaliter. Studioſe id faciebat, & libentiſſime: tum quia Chriſtianæ conſuetudinis ea beneficentia fuit ſemper: tum quia multis ad ſalutem iuuandis aditus ea vi ſibi videbat aperiri: ardebat namque deſiderio in omni actione, in omni ſermone, omni tempore curandæ, iuuandæque alienæ ſalutis. exteros in primis earum regionum, quæ corruptæ fidei miſeria premuntur, omni officio, ac benignitate complectebatur: humaniſſime alloquebatur: extraordinariis honoris ſignificationibus, ſi venientibus, occurreret, ſi abeuntes proſequeretur, ſi cum iis eſſet, ſemper accipiebat: nihil prætermittebat, quo eos in recta fide, atque integra confirmaret; catholicæque Romanæ Eccleſiæ magis, ac magis eorum ſtudia, pietatemque conciliaret. vt omnes tantam humanitatem, cum ſanctitate coniunctam, abeuntes infinitis laudibus extollerent. Cum Heluetiis, & Rhætis, qui frequentes rerum ſalutarium cauſa orthodoxi ad eum veniebant, hilare more nationis agebat, ac familiariter: manum prehendebat: accumbebat comiter cum illis: atque licet diſciplinæ ſuæ modum teneret; nonnulla tamen concedebat: bibentium propinationes non reſpuebat, ab ſuo tamen modo, & ab aqua ſua parum, aut nihil potius diſcedens. Præſules ad Eccleſias ſacraſque res inſigniores viſendas inuitabat; ipſe etiam, ſi Cardinales, primariive Epiſcopi præſertim exteri eſſent, comes accedebat. in collegiis religioſioribus, loco recreationis animorum, cum iis erat. quo tempore de ſeueritate ſua multum remittere humanitatis gratia ſolitus fuit; ſeque ad hoſpitum mores, voluntatemque non mediocriter conformare. eoſdem accipiebat in collegiis clericorum ſuorum: locorum communicabat inſtituta, diſputationes, orationes coram iiſdem haberi iubebat. Principibus viris laicis, ſermonibus ad eorum documentum aptis; ſacra lectione menſæ adhibita; libellis optimis dono datis, prodeſſe quamplurimum ſtudebat. eoſdem ad veſpertinam domus ſuæ precationem, ſpiritualemque ſcholam inuitabat, vbi ſiue bellatores eſſent, ſiue aliis vitæ inſtitutis addicti, dicebat ipſe ad cuiuſque ſalutis rationem accommodate. erant nonnunquam, qui omiſſam multo iam tempore ſacram confeſſionem dolentes: & vitæ præteritæ mala deteſtantes ſuperioris temporis omnia peccata; prius quam abirent, confiterentur; melioremque ſibi vitæ rationem conſtituerent. ac

Hoſpitalitas.

quemad-

Digitized by Google

Hoſpitum eius frequẽtia.

quemadmodum ad rem aggrediendam cohortatione; ita Pontificia facultate, quæ ampla numquam ei deerat, ſi ob grauiora peccata neceſſe eſſet, ſubueniebat ad perficiendum. Tanta erat hoſpitum frequentia; vt vel [illegible] publicorum vectigalium conductores, portarumque cuſtodes, Caroli nomine res tantas abſque portorio quotidie victus cauſa mirantes importari: eidemve alias adſcribi, fraudemque ſuſpicantes, Caroli procuratores adierint: incredibile ſibi videri, tantum commeatus in Caroli domo conſumi, diligenter vellent animaduertere; ne qua in re ſacræ immunitatis nomine fortaſſe fraudarentur, & aliqui ad quæſtum ſuum nomine Cardinalis abuterentur. qui vt hominibus iis ſatisfacerent, rerum, hoſpitumque ſumma facta, tercentos vno menſe receptos hoſpites, qui vario temporis ſpatio morati eſſent, repererunt. Tam magni ſumptus, rebus domeſticis præfecti verebantur, vt Caroli fa[c]ultatibus eſſent tolerabiles: cumque non ſemel monuiſſent: ille pluribus in conſilium adhibitis, ea de re deliberauit, cum eſſemus in ædibus noſtris Cernuſculanis: & hoſpitij pio, ſalutarique fructu propoſito, contraque rei familiaris ad ſumptum ſuſtinendum inopia: quæſiuit, quid magis è re Chriſtiana eſſe iudicarent: ſe, ne talis fructus eriperetur, vel id mendicitatis multorum cauſa non refugere, ſi ſic expedire putarent: vt arcam certo loco conſtitueret, qua eleemoſynæ ſubſidium ab hoſpitibus, qui dare vellent, colligeretur. in eam ſententiam ventum eſt; vt ne hoſpitium intermitteretur, ſed ſatis haberet, cum antea vniuerſum comitatum, equos, & alia iumenta, vel inuitis dominis, in domum acciperet, principes ipſos nonnullis pro dignitate additis comitibus, ſuſcipere; cæteros autem in cauponis relinquere, famulorum cauſa diſciplinæ ordinem valde perturbati; inde autem ipſos referre vtilitatis parum ex iis, & iumentis ſimul, magnam ſumptus partem exiſtere. ita fore, vt & propoſitum ſibi, ex iuuandis ad ſalutem multis, principibus præſertim, fructum perciperet, neque quidquam temere committeret, vnde ære alieno immoderate grauaretur. cæterum nihil dubitandum, quin ad tam pios ſumptus diuina benignitas, quæ eſſent, ſuppeditaret. Hoſpitum menſa domeſticæ finibus minime continebatur: ſed propria quadam moderatione concilij prouinciæ decreto ſancita conſtabat: ſic tamen, vt qualis, quantuſque cibus apponeretur, etiam ſummos viros non pœniteret. Verum poſtremo tempore hoſpitalitatis officium inſigniter augeri conſtituerat: iamque paulò antequam moreretur, Præpoſito domus iuſſerat, vt ad omnes totius diœceſis clericos excipiendos, quibus ad vrbem rerum ſuarum cauſa veniendum eſſe, ædium partem inſtrueret: hoſpitio ſacerdos præficeretur, cui non hoſpitum ſolum commoda eſſent, ſed mores etiam curæ, quique operam daret, vt ij per certas exercitationes in Eccleſiaſtica diſciplina proficerent. ita etiam fore, vt neque leuibus de cauſis clerici ab ſuis eccleſiis abeſſent, neque nimis diu.

Animus eius erga bonos religioſoſq; viros.

XVII. Religioſi animi viros vehementer diligebat, & magna voluntate complectebatur: vt licet neceſſitudinis, amorisve alia cauſa intercederet nulla: eſſetque homo alioqui ignotus, ſtudio faueret, ære iuuaret amiciſſime: non ſolum ſi rogaretur, ſed ſua ſponte, ſi veniret in mentem. eiuſmodi ad probitatem, religioſoſque mores propenſio, tanta erat, vel ſpecie ipſa interdum videretur commoueri, homineſque recipere, quorum bonitas eius gratiæ non reſponderet æqualiter. Sed ipſe quamplurimis egens adminiſtris, interdum quorundam operam Eccleſiæ ſuæ neceſſariam, & in præſentia vtilem caute adhibebat: neque interim valde laborabat, verene ac omnino ij tales eſſent, quales ſpecie videbantur: illud Apoſtoli, vt quandoque audiuimus

a Tim. 4.

vſurpans, Dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem CHRISTVS annuncietur. Eccleſiæ Præſules, maxime ſi perfectæ diſciplinæ deſiderium in eis perſpiceret, ſingulari quodam, non amore ſolum, ſed ſuauitate, ac delectatione tenebat amplexos: nihil officij prætermittebat: de communi munere atque officiis attente communicabat: & ſuum, alienumque Eccleſiæ optime adminiſtrandæ ſtudium conabatur acuere. hac in primis de cauſa, mutuum Præſulibus congreſſum, expetendum dicebat; vt alterius ſermone iuuaretur; & ſi qua parte religioſus animi ardor deferbuiſſet, ea quaſi exercitatione, diuino afflante ſpiritu, recaleſceret. Epiſcopos omnes præter multorum conſuetudinem, honorauit, plurimique ſe facere ſemper oſtendit: ad res Eccleſiaſticas bene gerendas ſtudioſe iuuit: reuerendiſſimos in epiſtolis appellauit: quod licet alij quoque Cardinales prius facerent: alij tamen eius exemplum ſecuti ſunt. Conſuetum honoris officium in eoſdem venientes, & abeuntes ſuperauit. Atque à magno quodam principe hoſpitio in itinere acceptus; cum eſſet vnà, Epiſcopus ciuitatis nemine præmiſſo venit; doluit Carolus, quod ei occurrere non potuiſſet. Sed diſcedentem ipſo relicto Principe, cui ſciebat id moleſtum fore, ex conſuetudine ſua comitatus eſt, vt ſuum de dignitate epiſcopali colenda iudicium oſtenderet. Quorum virtus olim in Eccleſia floruiſſet: eorum inſtituta didicit; ſcripta conquiſiuit; miniſtros accerſiuit, ipſam vultus imaginem ſibi comparauit; vt ob oculos collocata, viuam virtutis epiſcopalis memoriam, ad imitationis ſtudium, in eo conſeruaret, huiuſmodi fecit in primis erga Gibertum Veronenſem Epiſcopum. Roffenſem quoque, qui Chriſti cauſa ſanguinem, in Anglia, vitamque profudit, ante ſe pictum habuit, vna cum ſancti Ambroſij effigie, quam omnibus alijs inſpectis, quæcumque antiquiores haberentur, curauerat exprimi, Regulares viros cuiuſcumque ordinis eſſent, quos ſacræ diſciplinæ ſtudioſos nouerat, ita beneuolentia proſequebatur, & honore; vt nemini prorſus cederet, eorum quoque opera, quibus rebus idonei eſſent, libenter vſus. res item vitæ neceſſarias ſuppeditauit, id cum faciebat, ad cœnobij mittebat Præfectum, hominemque tantummodo, cuius cauſa mouebatur, iubebat, in eius neceſſariis rebus commendari, contra, ſi aduerſus inſtituta ſua facere: ſi diſciplinam negligere: ſi populi licentiam alere, ſi Chriſtianæ diſciplinæ reſtitutionem aut progreſſum impedire, cognoſceret: eos corrigendos maxime curabat: monebat præfectos, ipſoſve Cardinales ordini prępoſitos. ipſe præcipua in eo genere præter Tridentinum decretum, Apoſtolica Authoritate vtens: haud quidem facile; ſed cum erat opus, vt eorum, cæterorumque ſaluti conſuleret, in eos animaduertebat, ea res faciebat, vt in diœceſim Mediolanenſem ordinum præfecti bonos, quantum fieri poſſet, mittendos curarent, obſeruarunt quidam, Carolum, cum regularis ordinis quiſpiam in via ſibi honorem tribueret, ſi comitem videret, vt diſciplinæ cœnobiticæ leges ferunt, & benedicere manu ſolitum fuiſſe & etiam paulum tollendo galero honoris ſignificationem dare: verum ſi ſolus eſſet, præteriiſſe, quaſi nullum vidiſſet. vix cauſa neceſſitatis adducebatur, vt eos ad parochias ſuas cuſtodiendas admitteret. verebatur enim, cum animarum charitatem perfectam non haberet: vt aliis cuſtodiis eſſet idoneus qui ſe ipſum non ita cuſtodiret, vt aſſignatum diuinitus locum poſſet tenere. Paruorum cœnobiorum, quæ in vicis ſunt, vbi exigua vel nulla vigere ſolet diſciplina: contra vero datur delinquendi locus; ita rationem haberi cupiebat, vt & ordini conſuleretur, & populis. qua de re cum Pontifice Gregorio non multo ante mortem cum egiſſet, eius iuſſu Præfectis omnibus vocatis, numerari cœnobia curauerat; & ad ſe referri, quem numerum ſolere, eorum cœnobiorum quodque continere; ad alia progreſſurus: ſi vita longior contigiſſet. Ipſam hominum Deo penitus addictorum regulam, ac ſtatum tanti fecit; vt quemadmodum animo præclare fecerat: ita quotidie ſtuderet inſtitutis domeſticis imitari. eadem cum in collegia clericorum ſuorum induceret, fiebat ſæpenumero ex iis ad cœnobiticos ordines aliqui tranſire vellent. quod ille, cum vehementi regularium ipſorum cohortatione; vel quod eos ſeuerioris diſciplinæ tæderet, euenire ſæpe ſuſpicaretur: cumque neceſſitatem Eccleſiæ ſuæ quotidie magis perſpiceret; prius eorum voluntatem, conſiliumque diu curabat, ac diligenter examinari;

quam

quam ea de re conſentiret. quin etiam, Apoſtolica interpoſita auctoritate, prouidit; ne ad eorũ ordinem, quorum domeſtica opera regebantur, & litteris erudiebantur, ſeminarij clericis aditus pateret; niſi quadriennio eſſent extra ſeminarium morati. cæterum ſi diuino ſpiritu vere agi quem videat; facile dimiſit; & ad perficiendum iuuit. ſi quis etiam, regulari vita prius ſibi propoſita, mutato deinde conſilio, quod euenit ſæpius, vellet animum ad eius diſciplinam, Oblatorumve regulam adducere; niſi illi, ſibique, Theologis conſultis ſtudioſe cauiſſet, non recepit.

XVIII POTARAT vere de religioſis viris cum Domino dicere, hi ſunt fratres mei. nam erga propinquos ita ſe habuit, vt eos potius ſibi cauendos, quam amplectendos ſtatuiſſe videretur. tametſi autem illi, quantopere ex tanto viro augerentur, ſatis agnoſcerent; erant aliqui tamen, qui talem in eo ſuorum quaſi deſpicientiam, vt ſunt humani ſenſus, ægrè quandoque ferrent; nonnihilque expoſtularent. Borromeiam gentem ex eo ſperaſſe ſemper dignitatis amplitudiniſque acceſſionem: ac contra prorſus accidere: cum ea, quæ adhuc tenuerat, eius cauſa potius amitteret. Ille vero ſacram diſciplinam, & res diuinas, quibus addictus erat, Eccleſiæque iura, non poſſe, aiebat, non curare, omnibuſque viribus tueri. ſi ex ea cura detrimenti aliquid familiæ afferretur: aliorum eſſe culpam: contra ſuam id fieri voluntatem, ex Dei benignitate tamen multò plura ſperarent, quam ea, quæ vel amitterent, vel ab eo, ſi ei rei ſtuderet, poſſent adipiſci. ſe tanquam Deo, diuiniſque obſequiis penitus traditum, ab eorum familia translatum putarent quod quidem & re, & nomine paulò pòſt Aronæ arcem ereptam, effici curauit. nam Iubilei cauſa Romam profectus, conſulto prius Pontifice, non ſe poſthac Borromeium ſcripſit, aut ſcribi voluit: ſed ſanctæ Praxedis Cardinalem; illud Prophetæ amplexus, Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Sed antea quoque, cum in ſummis porticibus ædium canonicalium architectus inſignia Borromeia inſculpi iuſſiſſet; præteriens forte Carolus, & cœptum opus ſuſpiciens: tum in poſterum facienda prohibuit: tum facta iuſſit excidi: quæ tamen curante nemine, Caroloque amplius non aduertente, in ipſo operis principio remanſerunt. Attamen charitatem propinquorum retinuiſſe illum dubitare nemo debet; quatenus vel naturæ, vel Chriſtianæ diſciplinæ ratio poſtulat. itaque amantiſſimi cognati officia, cum opus fuit, in ſuos cumulare præſtitit, fauit, tutatus eſt. quid ſororibus dederit, non commemoro. viri principis humanis opibus florentis potius, quam Antiſtitis religioſiſſimi illa fuerunt officia. ſed ipſas ſorores conſilio, ſtudio, opera ſua ſemper amantiſſime iuuit. propinquis multis magna nobilitate, pariq; inopia fœminis; dotes elargitus eſt, nobilitati nõ omnino impares. Alios item egenos non deſeruit, modo à flagitiis abeſſent. Cæterum tantum aberat, vt ſuis quidquam largiretur, vt potius rebus eorum vteretur ſæpiſſime. Ac paterna quidem bona per fidei commiſſum relicta, Comiti Iulio Cæſari patruo dimiſit: ſed ea pactione, vt integros eorum fructus quotannis perceperit. Illud autem ſibi cauendum exiſtimauit: ne forte animo ita in eo genere flecteretur, vt officia Deo, Eccleſiæ, gregique ſuo debita aliqua ex parte prætermitteret, quibus humanas charitates omnes cedere debere, nemo negauerit. Cum ei de Hortenſiæ ſororis obitu nunciatum eſſet; non auſi nos quidem, cum præſentes eſſemus, conſolari tantum virum; cum aliquid tamen tangeremus: non negauit, parum ſe ſuorum morte commoueri ſolitum: verum id naturæ potius, quam virtutis eſſe, modeſte dicebat. ac multa tunc quidem ex eo ſermone intulit: quam diligenter Eccleſiaſticos homines; cum cognatis ſuis conglutinationem animi quandam cauere oporteret: quorum miſericordia, precibus, ſuauitate faciliime inflecti; & à vitæ huius contemptu, à ſacris laboribus, à iuuandis liberaliter egenis, auocari poſſent: tum adduci quoque, vt multa ſæpe Deo minime grata facerent, permitterentve, cum eorum offenſione, quibus optima ſemper ad imitationem exempla proponere debent. quo facilius id fieri poſſet, abſtinendum monebat ab eorum conſuetudine: deque ſe ipſo tali viro affirmabat; numquam ſe cognatorum ſuorum domum adire; adibat autem perquam raro; quin aliquo modo diuinarum rerum ſtudia, atque deſideria retardari animo ſuo ſentiret. Federicum ſuum propter optimæ naturæ ſpecimen, atque adeo ſingularem Eccleſiaſticæ probitatis indolem, à prima ætate dilexit plurimum. ſed amorem ita coercuit; vt neque apud ſe habere voluerit, neque vultu, neque verbis, neque re aliqua fere quidquam in eum præcipuæ voluntatis demonſtrarit. cum annos XIII. natum doctrinæ cauſa Bononiam dimitteret; nonnullaque per nos ei vitæ præcepta daret: amplexurum illum eſſe vitam clericalem, gaudenti ſane animo nobis aperuit: quamquam nihil eiuſmodi palam præ ſe tulit, ac nos tunc quidem exiſtimauimus, Federicum de ea re cum eo communicaſſe: poſtea verò permirum viſum eſt; cum idem Federicus Cardinalis nobis affirmauit, neque tum ſe aliquid eiuſmodi præ ſe tuliſſe, & a clericali vita eo tempore fuiſſe alienum. Propinquos per alios libentius, quam per ſe ipſos, aliquid petentes audiebat. omnino cauie audiendos eſſe dicebat, animoque nonnulla ſuſpicione occupato, ne quid minus iuſtum, probatumve poſtularent: tum parato etiam ad negandum ſi minus id rectum appareret: ne vi forte coniunctionis, ad aliquid minus iuſtum concedendum impelleretur; qua re mollеſcere fortis quoque animus facile ſolet, acleniri. Cum alij fere propinquitatis cauſa, multa tribuere, atque indulgere ſoleant; contra ille coniunctionis vinculo vtebatur, quantum poterat; vt eo conſtricti cognati rebus omnibus magis, quam alij continerentur, ne cæteris exemplo quidquam nocerent; imo potius prodeſſent. Agebatur quandoque de epiſcopatu in prouincia Mediolanenſi mandando cuidam eius affini: cuius doctrinam, alia fortaſſe nonnulla ad epiſcopatum gerendum neceſſaria cum deſideraret; eum excludendum curauit. qua de re cum is, alijque coniuncti quererentur; libere cauſas aperuit, quibus eam rem ipſe probare non poſſet; immo ſibi iudicaret impediendam. Ioannis Iacobi Medicis cadauer, iuſſu Pij quarti eius fratris in eleganti, ac magnifico marmoreo ſepulchro collocatum in Eccleſia maiori Mediolanenſ. nihilominus deponi, atque ſub terram conijci iuſſit; licet exceptum monumentum, in decretis eo de genere ſcriptis intelligi poſſet. Cum adhuc auunculo viuente, per Ormanetum collocutionis loca in monaſteriis ad virginalis pudoris normam conformaret; in ipſo monaſterio in primis, vbi non ſoror eius tantum, ſed etiam Pontificis ipſius ſorores erant, id effecit.

XIX. AMICORVM gratiæ tantum tribuit; vt omnes tamen intelligerent, nihil ab eo impetrari poſſe, niſi iuſtum rectumque eſſe peritus; & ſuæ Eccleſiæ inſtitutis, atque vtilitatibus; tum vero vniuerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſentaneum. ſæpe euenit, vt quæ alij leuiora putaſſent, vel principibus viris, Cardinalibuſque ipſis denegaret; quia Eccleſiæ ſuæ diſciplinam aliquo modo per ea lædi, fructumve ex parte aliqua impediri cognoſcebat: vnde maiora deinceps ſibi detrimenta expectanda eſſent. Inter eius familiares, nemo fuit, qui vere poſſet inſigniter apud eum, æquabiliter omnes amabat; & pro eo, quantum vnuſquiſque aptus eſſe æſtimabat, atque vtebatur. qui plus fortaſſe poſſe videbatur, is nihil ſolebat alicuius gratia poſtulare: neque omnino quidquam alia de cauſa proponere; quam quod ita rectum eſſe iudicaret, & inſtitutæ diſciplinæ accommodatum. Ea maxime recuſabat Carolus, quæ contra ſacra decreta peterentur. timebat enim in adminiſtratione ſua vniuerſa vehementer, indulgentiæ genus eiuſmodi: ægreque admodum committebat; vt quempiam lege aliqua ſolueret aliquando: cum ex diuturna experientia documentum caperet; ſi quid ex modica parte, vel ſpecie ſola relaxatum eſſet; quam facile tempore procedente, plena conſequeretur diſſolutio, quemadmodum aggeris ſublata particula, ſenſim ea via facile tota vis erumpit fluminis. Ea re fiebat, vt interdum

Vt ſe geſſerit in propinquos.

Noluit ſe Borromeium ſcribi. Pſalm 68.

Amicos aliquid petentes, vt audierit.

dum nonnullis videretur canonum ſacra vincula conſtricta nimis habere. Sed ipſe nullius gratiæ, potentiæve addictus; & momenta rerum, ab eo quod in poſterum euenire facile poſſet, & ad diuinam voluntatem diligenter perpendens, præſcriptis ſuis religioſiſſime ſibi hærendum ſtatuebat. nam & ſimili conſtantia in iis tenendis legibus vtebatur, quas ſemel ſibi priuatim conſtituiſſet. longum eſſet enarrare, quanto illi vſui fuerit in propoſito tenendo, decretiſque tuendis accurata ſtabilitas. At in denegando, cum permagni interſit, qualem ſe quiſque præbeat: multoſque non tam recuſatio ipſa perturbet, quam inſuauis recuſandi ratio: tam ſcite Carolus id facere, atque amabiliter ſolebat; vt non voluntatem, ſed iuſtam cauſam, rationemve impedimento eſſe petentes agnoſcerent. Roganti primariæ matronæ, in principio ſuæ adminiſtrationis, nondum conſtricta recentibus decretis diſciplina: vt filiam liceret in cœnobio viſere grauiter ægrotantem: reſpondit Carolus, Breue tibi, inquit, hoc erit ſolatium; at tibi tanta nobilitate, atque auctoritate, ſi denegari patiaris; quod te vehementer rogo: Mihi nunc clauſtrorum religioſas leges renouanti, magnum præſidium attuleris: vt tui exemplo propoſito, cæteris me poſſim excuſare. quibus verbis illa facile, placateque repulſam tulit: Si quid à Principibus viris ipſe petere rogatus eſt; libenter, promptoque animo ſuſcepit: modo gloriæ Dei, hominumve ſaluti in eo poſſet inſeruire. De magiſtratu obtinendo non rogabat, niſi recte, iureque peti cognoſceret. plerumque teſtimonium tantummodo dabat; hominem, quantum ipſe noſſet, aut à probis viris accepiſſet, ſibi idoneum videri: cui, ſi magis idoneus non occurreret mandari poſſet. Narrabat in ipſis amplitudinis ſuæ initiis, aliquid rogantibus, quod à Pontifice concedendum eſſe non putabat; ita reſpondiſſe tamen ſemper; vt verba ſpeciem promiſſionis, vt fit, præ ſe ferrent: mox id minus ingenuum, dolique genus quoddam cum exiſtimaſſet, eam conſuetudinem tenuiſſe, vt ſi concedendum non arbitraretur, aperte proferret, ſæpe etiam moneret, vt à propoſito petentes declinarent; immo facturum ſe denunciaret, quominus Pontifex aliorum precibus in eo flecteretur. ita factum eſſe, vt qui iuſta quærerent, fidem promiſſis haberent, quod antea pauci faciebant: cæteri moniti ab incepta re deſiſterent. ſuum canonum tuendorum ſtudium, libertatemque id recuſandi, quod ab eis alienum videret, illuſtri declarauit exemplo, quod hoc loco ſubiicere operæ pretium exiſtimamus. Sebaſtiano Luſitaniæ Rege abſque filiis mortuo, creatus eſt Rex Henricus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eius patruus, quem vehementer rogatum, regni optimates, Præſules, populique exorauerunt, vt vxorem vellet ducere: ſperabant enim ex eo, quamuis ætate confecta, procreandum in imperio qui ſuccederet. præter vniuerſi regni ſolatium, pietati, religionique valde conſentaneum eſſe, diſcordiis, bellis, calamitatibus occurrere, quæ Henrico mortuo, nullo regiæ domus relicto ſucceſſore, propemodum neceſſe erat exiſtere. Henricus, vt Epiſcopus, religione ſolui, vxoriſque ducendæ facultatem à Pontifice ſibi concedi, poſtulat. eodem tempore Mediolanum ad Carolum dat literas: adductum ſe à Luſitanis ſuis, vt coniugio conſentiret; quo tanquam vnico remedio tranquillitati prouinciæ poſſet conſuli: graue admodum ſibi eſſe, ducereque id cuiuſdam loco ſacrificij, in quo ſe ipſum pro ſuorum ſalute immolaret: ſed publicæ quieti cedendum iudicauiſſe. vehementer igitur rogare, vt quantum eniti poſſet, ad eam conceſſionem Pontificem perducere conaretur. idem viri principes, alij maiorem in modum à Carolo poſtulant: negotiumque eius auctoritati commendant. Carolus amiciſſimi, optimique Regis poſtulationi, non quod is velle videretur, ſed quæ ſanctæ Eccle-

Henrico Luſitaniæ Regi nuptias petenti quid reſponderit.

ſiæ putaret conducere, reſpondet: Magni quidem intereſſe videri; quærere Luſitanis, qui ei ſine controuerſia legitime poſſet in regno ſuccedere. ſed tali Antiſtiti poteſtatem facere coniugij, rem omnium videri grauiſſimam; neque vllo vnquam tempore conceſſam. Perſonæ Deo dicatæ, in alio genere, factam quandoque dici poteſtatem nuptiarum: quod nullo tamen ſatis certi, probatique auctoris teſtimonio fere confirmaretur, omnino exoptatos eiuſmodi nuptiarum, vel publicæ quietis, vel ſucceſſionis euentus minime contigiſſe. maxima etiam inde publice, ac priuatim extitiſſe incommoda; vnde magnæ vtilitates expectarentur, probandam magis, atque imitandam quorundam Regum continentiam, qui matrimonio coniuncti, cum recte, ac legitime filios poſſent ſuſcipere: nulla tamen hæredis, ſucceſſoriſve habita ratione, ſingulari caſtimoniæ ſtudio, tali matrimonij vſu abſtinuerunt. quanto magis, qui cœlibem vitam profeſſi, ſine ſingulari quadam venia ſeſe ad connubium referre non poterant, quæ dixerat, exemplis allatis confirmauit, poſtremo in re tanta, tamque difficili, nihil ſe aliud probare poſſe dixit; quam, vt quibus de cauſis ea facultas poſtulanda videretur, eæ cauſæ ſummo Pontifici candide, nulloque ſtudio referrentur. quod is pro ſumma auctoritate, diuinoque afflatu iudicaſſet, æquo animo, voluntateque acciperetur. De re grauiter ad Pontificem ſcripſit, quid ſibi maxime probaretur indicauit. euentus qualis fuerit, ignorat nemo. Cum autem aliquid ſibi petendum, aut perſuadendum Carolus ſtatuiſſet, id faciebat vi quadam ſingulari, non is quidem contenta voce, vel corporis motu, neque dicendi facultate, quæ modica erat; ſed optimis argumentis, iiſque ita explicatis, vt ratione tantum, veritateque, non ſtudio, vel deſiderio ſuo, nedum perturbatione duci ſatis intelligeretur. neque vero ad reſponſiones hæſitabat, aut reſpondentis aſperitate, vel importunitate commouebatur: ſed tum acute, tum ſedate ſemper replicabat: vt plurimi prædicarent, inuictum ab illo abire poſſe neminem, quem vincere is ſtatuiſſet perſuadendo, ſecuti contra, à nemine illum vinci, flective poſſe, cum ita rectum eſſe, animo ſtatuiſſet.

Monendi officium vt erga alios adhibuerit, ac in ſe tulerit.

MONENDI officium, quod amici, Chriſtianique in primis animi eſt; neſcio ne virum magis, vtile, vel XX.
neglectum, in quo publice opus eſſe cognouit, aut priuatim, minime prætermiſit. Epiſcopis, Cardinalibus, principibus viris, ſuis ipſis aduerſariis, in eo genere non defuit. quod quidem, cum non minus amanter, quam libere faceret: non potuit ei non feliciter, fructuoſeque, ſi non ſtatim, ac aliquando tamen, euenire. Vir ampliſſimus quidam quandoque fertur eiuſmodi officium acerbe admodum tuliſſe, qui diu poſt gratias egit, magnumque inde fructum percepiſſe, Carolo ipſi modeſtiſſime teſtatus eſt. At ſe quoque mira modeſtia ipſe paſſus eſt ab aliis moneri, cum opus fuit: ſubmiſſeque vel ſuarum actionum rationem reddidit, vel fecit quod monebatur: neque ſolum erga viros ætate, atque auctoritate graues ita ſe geſſit: ſed alios quoque monere auſos ſic prorſus audiuit, vt par omnino erat, ſi eos ille monuiſſet. Fuère tamen, quibus videretur Carolus in modo publicæ, priuatæque diſciplinæ tenendo, non ſatis alienas quandoque curaſſe monitiones, qua de re commemoratum eſt ſupra. Verum, ſi quando non obtemperauit, monitionem nullo modo videtur contempſiſſe, ſed ita rectius, Deoque gratius iudicaſſe. enimuero omnium ſequi conſilia, etiam ſi boni, prudenteſque videantur. ſolidæ, præſtantiſque virtutis non eſt. aliis alia propoſita ſunt. quidam animi infirmitate male iudicant: multi mediocritate quadam contenti, vitæ, morumque communem quendam modum minime tranſire ſtudent. pauci ad perfectæ virtutis præſtantiam incitati feruntur: horum omnium ſenſus, animuſque, infirma fere neceſſe eſt vulgariaque conſilia pariat. At præcipuis quibuſdam diuini ſpiritus donis, viri excellentes affecti, proprijſq; diuinitus illuſtrati luminibus: quorum vita perpetuo quodam choro virtutum, ita ſibi conſtat; vt cum alia recte procedant, alia non claudicent; ij inquam, neq; communibus conſiliorum terminis ſeſe continent; neque conſuetis virtutum gradibus conſiſtunt: ſed longius multo progrediuntur, atq; euolant altius. quotus enim quiſque eſt in ſummis, diuiniſque viris, quos

colit

colit Eccleſia Dei, cuius vita communibus præceptis contineatur? qui quidem ſingulari quodam diuini amoris ardore inflammati, ad maiora ſemper ita rapiebantur, vt in curſu charitatis infinito modum ſibi ſatis definire non poſſent: ad eamq; demum excellentiam peruenirent, quæ cæteris eos mortalibus propoſuit, vt perfectiſſimo exemplo ante oculos poſiti, neq; illud deſperent, quod alij diuina ope ſunt aſſecuti, & quo maiori ſtudio ſumma ſequuntur, eò magis ſeſe remoueant ab infimis. Non id mihi arrogo, vt inter ſanctos eiuſmodi viros Carolum eſſe reponendum ego pronunciem. id videant alii. ſed quibus præcipuum illud lumen, vimq; largitur Deus, ijs eundem arbitror præcipuum quoq; largiri munus, quo, neq; alienum conſilium, monitionemve contemnant, & curſum ab omni errore ſuum, conſtanti quodam, & certo conſcientiæ lumine confirmati, tueantur.

XXI. Manſuetudine, atque humanitate vtebatur in omnes qui adirent, ſed inſigniter in eos, quos chriſtianis eſſe moribus, religioſiſque deditos operibus nouerat. libentiſſimeque ſi pauperes eſſent: cum alioqui grauitatem perſonæ ſemper cum primarijs, principibuſq; viris, dignitatemque egregie, tueretur. nunc humilem aliquem chriſtianorum elementorum magiſtrum ſumma humanitate, ac propemodum abiectione accipiebat: paulo poſt cum ampliſſimo magiſtratu agens, nihil de ſumma ſui gradus auctoritate remittebat. at enim minuta officiorum, quæ in quotidiana conſuetudine verſantur, momenta, pro cuiuſq; loco, atque ordine cognita habebat exquiſite; noueratque omnes honoris tribuendi, benigneque accipiendi vias. vt cum dignitatis ſuæ locum teneret, tum nihil etiam prætermitteret in quemquam officij, vel humanitatis. itaque cum paſſim prædicabatur officioſiſſimus, & liberalis, tum mirabantur multi tantæ ſanctitatis Antiſtitem, tamque cœleſtium contemplationi deditum, quotidianis officiis, cum opus eſſet, ſeſe tam intentum præſtare. Moroſos, ineptos, immodeſtos, aut etiam inſolentes homines, ſi qui adirent, æquo animo ita ferebat, vt neq; increparet, neque abire iuberet, neque omnino quidquam faceret, vnde perturbatus videretur. quod iuſtum eſſet, tantum reſpondebat, aut vero etiam modeſte monebat. eundem ſe præbebat in omnes alios, quibuſcum res illi eſſet, difficiles licet, iniuſtos, imperitos. quamlibet enim iuſtam offenſionis, indignationiſve cauſſam, vt vno verbo dicam, eius virtus ſuperabat. Quoſdam in conſultationibus, importune rectis inſtitutis, decretiſque contradicentes, & difficile acquieſcentes, æquo animo ſemper argumentis refellebat, omnem iracundiæ, atq; obiurgationis impetum comprimebat, omnes ineptias, imperitias, peruerſitates deuorabat: & ea patientia, demum quod volebat facilius conſequebatur. huius rei frequentiſſima potuerunt ab ijs exempla obſeruari, qui illi aſtiterunt. Hominem in eccleſia maiore feſtis diebus concionantem diu ſane tulit, qui ſe præſentem, nominatimq; ſæpe reprehendebat. neq; ſolum permiſit, vt concionari pergeret, ſed ipſe quoque frequens erat eius auditor: cumq; alios audiens dormitare videretur, ei ſe præbebat attentiſſimum, neq; vel inter ſuos accuſabat vnquam. demum, cum ita expedire cæterorum cauſſa iudicaret, cum miſſum fieri placide curauit. Neq; vero non inter domeſticos etiam ſuos, ſiue operæ cauſſa, quæ vſui eccleſiæ eſſet, ſiue ad exercendam patientiam, ſimilem aliquem tolerauit. mitto incuriam, & indiligentiam, quotidiana domeſticorum errata, quæ licet leuia ſint, ob frequentiam tamen, & quoddam rerum familiarum commune faſtidium, æquo animo tolerata, præcipuæ cuiuſdam virtutis præbent indicium: ad quæ ſeſe Carolus animo ſedatum, pacificumq; præbuit ſemper. Euenit interdum vt ad ipſa ſacra obeunda Carolo parato, negligentia miniſtrorum aliquid deeſſet, quod ille inſigni temporis ſpatio, in ipſo loco ſacro, tam quiete, tamq; ſine vllo motu expectauit, vt tamquam exemplar patientiæ aſtantes omnes eum intuerentur. Sed vnum ex familiaribus in primis pertulit plane moleſtum, odioſum, impotentem; qui nemini parceret, quotieſcunq; iracundia, vel perturbatione aliqua efferueſceret: qui vel in ipſum Carolum maledictis neſciret abſtinere, eidem ſæpe inſigni contumacia contradiceret, atq; reſiſteret, quo quidem vel vnius hominis vitio, ſingularis Caroli patientia mirifice apud omnes illuſtrata eſt, diuturnæq; fuit multis tum admirationi, tum documento. At excuſabat etiam Carolus, vitioque naturæ inſito, magis quam voluntari tribuebat: omnia vero morum grauitate ſuſtentatus, ſine aliqua dignitatis imminutione, patiebatur.

Vt eos qui adirent acceperit, aliosq; vitia eorumq; tolerauerit.

Carpentem ſe nominatim pro concione æquiter tulit.

Exempla patientiæ eius.

XXII. PLVRIMOS Carolus aduerſarios expertus, neque illos tamen ſuorum ſtudiorum, ſanctitatiſq; imitatores; tantum abeſt, vt accuſandi vmquam, detrahendive ſtudium præ ſe tulerit, vt ſi quid vere dici ad eorum excuſationem poſſet, id libenter enunciaret. cumq; interdum eos in ſe acriores experiretur, quos antea maioribus ornauerat beneficijs, quos equidem plures poſſem numerare, neq; recuſabat, neque beneficiorum mentionem vllo tempore faciebat, ſiue maledicto impugnatione, atq; adeo telo ipſe peteretur, ſiue miniſtri violarentur, ſiue iudicia eccleſiaſtica diſturbarentur: licet aduerſarios perturbare agere, omniaque in peiorem partem trahere videret: nihil, quod perſpici poſſet, indignatione, vel odio mouebatur, modeſtiæ, grauitatiſq; ſuæ locum tenebat, tranquille rebus ſuis operam dabat: vt neſcio quid homine maius in eo quandoq; offerretur intuendum. miſericordiam potius turbatis, agitatiſq; animis tribuere cognoſcebatur. cumq; ſacris precibus ſemper ſtuderet eis benefacere, manifeſta quoq; opera, ſi locus daretur, libenter eorum ſaluti, commodiſq; conſulebat: vſq; eo ab omni vlciſcendi deſiderio aberat. exempla ſuppeditant narrata ſuperius: ibiq; latius apparet, quam patienter ac beneuole repetitis officijs, eos placare ſemper, ſanareve ſtuduerit, qui ſibi acriter, & iniquè aduerſabantur: quantis incommodis ſuis eorundē viuorum, mortuorumq; ſalutem curauerit: quid pro ijs ipſis liberandis fecerit, qui in eius vitam coniurauerant. Sanctiſſima manſuetudinis exempla in eius elucent ſcriptis, quibus de aduerſariis loquens, eiſve reſpondens, cum ipſe non obſcure pertinax, imprudens, ſuperbus, dæmonis etiam arte illuſus, furenter ab eis appellaretur, illius imitatione cui ſe totum addixerat, quæ tantum oporteret ad cauſſæ veritatem demonſtrandam, reſq; factas tuendas, mirifica patientia, modeſtiaque proferebat. Dum multa publicis diſſidiis agitarentur, venit ex familiaribus quidam, ſcriptumq; affert loco publico detractum; in quo multa in Carolum erant maledicta: quod vix aſpectum Carolus, nullo facto verbo, reiecit vt combureretur. Amicus quidam Roma veniens, Carolo nonnulla narrabat: inter alia, nuper ibi actum de longinqua, grauiſſimaq; legatione ipſi danda: hominem vero magnæ auctoritatis maximis olim beneficiis à Carolo auctum, & ornatum obſtitiſſe, & eum vt balbutientem improbaſſe. tum Carolus placide ſtatim, verè, inquit, locutus eſt: vt amicus admirans obmutueſceret. Eandem moderationem multò facilius in eos ſeruauit, quibus in eius cauſſis aliqua poteſtas erat, quidquid ij ſtatuiſſent contra quàm vellet, expeditève iudicaret eccleſiæ ſuæ. grauiter ſæpe dolebant eius minimè ſtulti procuratores, multa querebantur: ipſe vero non ſolum non incendebatur, ſed ſuorum agendi modum potius temperabat. Nunc ad eccleſiæ adminiſtrationem propius eſt accedendum.

Aduerſarios, & obtrectatores vt tulerit.

XXIII. Singulare quoddam diuini cultus, & humanæ ſalutis ſtudium Carolus inſitum ſibi ſemper oſtendit, ex quo de medio proſperitatis humanæ curſu, ad meliorem ſtatum diuino munere, reuocatus eſt, cumque Tridentini concilij decreto, ne Cardinales quidem excuſati vidiſſet, quin reſiderent in eccleſiis ſuis, ideoque in ſede ſua Mediolanenſi perpetuo ſibi manendum conſtituiſſet, quotidiè magis ad commiſſi gregis commoda, ſalutareſq; progreſſiones affectus, & incenſus, in eo cuſtodiendo, atque omnibus rebus iuuando, mirificam adhibuit attentionem, vigilantiam, ac laborem. Quam re naturali facultate quadam non mediocriter eum iuuari conceſſit Deus: vt quibus in rebus ſibi elaborandum conſtituiſſet, ijs ſe rebus penitus totumque daret. Ita certe ſe totum

Eccleſiæ ſuæ cuſtodiendæ cura.

ad eccleſiæ ſuæ curam retulit; ita ei ſeſe mancipauit, vt eius gratia, & commodo ampliſſima donauerit, propter eam adminiſtrationibus ſe omnibus exoluerit, ipſum præclariſſimum Cardinalatus gradum, ſi ita oporteret, ob eandem cauſſam dimittere, quod temere non dico, paratus fuerit. in ea deniq; cura omnia ſtudia, omnes animi, corporiſque vires poſuerit, & conſumpſerit, vſque ad mortem. Cumque videret quantum ex præſenti Paſtoris ipſius cuſtodia grex ad vberes Domino fructus ferendos, iuuaretur, præſentiam ipſam, reſidendique in ſuis eccleſiis continuum ſtudium ſummopere ſemper extulit, ac Epiſcopis omnibus toto animo perſuadere conatus eſt, qua commendatione, ac cohortatione profecit in multis: qui eius ſententiam ſecuti, vel ſeſe ad eccleſias ſuas retulerunt, vtilitateque perſpecta, gratias egerunt: vel, ſi reſidere nollent, munere ipſo ſe abdicarunt. quibus Carolus ex animo gratulari ſolebat, quod abſentiam à grege ſuam adeo non tuliſſent, vt paſtorale munus potius ſibi renunciandum exiſtimarent. at Pontificia quoque auctoritate iuberi, quos opus eſſe viderat, in primiſq; ſuæ prouinciæ Epiſcopos curauit, vt eccleſias ſuas præſentes adminiſtrarent. Cardinalem cum eſſet cohortatus, vt in eccleſia ſua reſideret, ille vero ſeſe excuſaſſet, quod non magnam eccleſiam habens, eam potius deberet aliena opera, cuſtodiaque adminiſtrare, reſpondit, ne dum multa millia, vel animam ſolam ampliſſimi cuiuſuis Antiſtitis præſenti cuſtodia dignam. Cum Subalpinæ regionis eccleſias viſitandas audiſſet ſibi deſtinari omni ratione onus à ſe auertit, eccleſiæ ſuæ neceſſitates excuſans. at non eodem modo, de prouinciæ Mediolanenſis eccleſiis, quæ ob coniunctam metropolis adminiſtrationem, iuſque metroplitic um in eas, ad eius curam aliquo modo pertinebant. In Heluetios ſibi, Rhætoſque eundum, ac tantopere de eorum ſalute, vt narratum eſt, ideo ſibi laborandum putauit, ne mala eorum propinqua poſſent ad eccleſiam ſuam peruenire. De cætero abſentiam ab eccleſia ſua diligenter vitauit. ne ipſæ quidem de iuriſdictione eccleſiaſtica controuerſiæ, poterunt eum à grege ſuo paulum auellere. Quando autem, vel creandi Pontificis cauſſa, vel ad Apoſtolica limina viſenda, Romam proficiſcebatur, quam citiſſime poſſet, redire maturabat: niſi, quod ſemel, atque iterum euenit, iuſſu Pontificis menſes aliquot moraretur, ad aliquid inſtituendum, quod toti prodeſſet Eccleſiæ. Quod niſi ita ſenſiſſet, feciſſetq;, tanto profecto, neque in publicis eccleſiæ gubernandæ rationibus, neque in priuata ſanctitatis diſciplina, conſequi potuiſſet. dicebat enim ad vtramque rem valde ſe incitari, cum eo ſe loco eſſe vnum ſentiebat, quo ſpectarent reliqui omnes, & vnde virtutis exemplum ſibi quiſq; petere deberet. commouetique vehementer, quòd ſuis quotidie oculis aſpiceret filiorum neceſſitates, tum vero animum eorum, ac voluntatem tantum in via ſalutari progredi paratam, quantum patris amore ſtudioque iuuaretur. Animarum charitate ſic flagrabat, vt dignitatis ſuæ quodammodo oblitus, eorum presbyterorum conditionem quandoque toto corde videretur expetere, qui agreſtibus, aſperiſque locis parochias habentes, inopem, laborioſamque vitam in curatione animarum agebant. ibi demum charitatem oſtendi poſſe, cui nihil humani deſiderij, commodiue eſſet admiſtum. Hanc ſuorum oblatorum præcipuam eſſe virtutem cupiens, docebat eos frequenter, quàm vehementer eam quæri, coliquè ab ijs conueniret, qui ſe Dei miniſtros profiterentur. Memoria teneo, cum in ædibus eſſet, quæ Canonicæ nomine appellantur, quotidie certa hora multos eius collegij clericos, qui nomen in Oblatorum ſocietatem dederant, aduocaſſe, ſententias ex Euangelio ſelectas, quæ ad eam rem maximè valerent, tradidiſſe, ac diligenter explicaſſe: de quibus altero die, cum interim eas meditati eſſent, ſingillatim interrogabat, quid ſenſiſſent, quam quidem exercitationem miro ſtudio, ac etiam adiectione obiuit complures dies. quod cum aliquando faceret, præcipuo quodam affectus ardore, ad nos conuerſus. Quam libenter, inquit, niſi hoc eſſem loco, eam amplecterer conditionem, vt bono Epiſcopo deditus, nulloque ſtipendio, certove hoſpitio nixus, huc illuc animarum cauſſa mitteret, nulla cuiuſvis incommodi, vel laboris habita ratione. Eorum ille quidem res minime cognoſcere ſtudebat, qui ſuæ curæ non eſſent: neque operæ aliquid ſuis ſubtrahendum putabat, vt alijs tribueret: cumque aliquando quoſpiam ſuaderet, vt pro Cardinalatus officio, eam perſonam ſuſciperet vellet, quæ ad vniuerſam ſpectaret Eccleſiam, vt quid vbique opus eſſet ad pietatem recte colendam, & noſſet, & prouideri curaret: ei rei ſe aſſentire non poſſe dicebat, propterea quod ante omnia ſibi eccleſiam ſuam curandam ex ſacris legibus agnoſceret, cui ne totis quidem viribus ſuis, totoque vitæ curriculo poſſet ſatisfacere. Sed quia tamen multa nunciabantur, multi ad eum confugiebant, & omnino de rebus externis multa cognoſcere erat, officiis, admonitione, conſilio, etiam longinquis ſæpe ſubuenit. De eccleſiis, prouincijſque ſubleuandis, aut componendis, de legatis mittendis, viſitationeque mandanda, ad Pontificem ſæpe retulit. maximè vero frequenti ſupplicationum publicarum exercitatione, res Eccleſiæ totius Deo curabat commendari. De regularium quoque diſciplina monebat quos oportet. omni officio, ſtudioque regulares ordines, iuuabat. ſed ita tamen, vt in eccleſia ſua adminiſtranda interim deſuadere deſiſteret.

Iuuandarum animarum ſtudium.

Concionandi munus, quod præcipuum Epiſcopi eſſet Tridentinæ ſynodi conſtitutione iudicatum viderat, ſtudioſe in primis ſuſcepit. ac primo Romæ, vt eſt demonſtratum, remotioribus locis ſeſe in exercuit. Mediolani deinde ſedens ad altare, neque admodum frequenter, verba fecit. donec calamitoſiſſimo peſtis tempore in ſuggeſtum aſcendere, frequentiuſque ad populum neceſſitate penè coactus, cœpit concionari. Inſtitutum ſemper deinceps tenuit: & quod initio difficilimum experiebatur, vſu paulatim facilè admodum ſibi reddidit. Cum in priuatis ſermonibus ex præcipiti quadam pronunciatione, verba frequenter minus expreſſa proferret: mirum in modum id vitij publice dicens temperauit. at aliud item erat impedimentum quodammodo contrarium, quod ægre verba inueniebat, quibus animi ſui conceptiones explicaret: idque ea fere de cauſſa, quia verborum momenta ſingulari quodam iudicio ponderabat, non ſolum, vt quod volebat proprie ſignificarent, quod quidem magis commune eſt, ſed etiam vt decorum quoddam haberent homine ſacro, & Antiſtite dignum, de quo non in locutione ſolum, ſed in aliis omnibus limatius ipſe, quam alij plerique, ſolebat iudicare: exiguitas quoque temporis ad legendum, meditandumque dati, erat impedimento. neque enim poterat ab occupationibus tot, tantiſque diſtrictus, maius, quam antecedentis fere noctis ſpatium ad id ſibi ſumere. In hiſce difficultatibus & naturæ, & muneris, ſibi tamen committendum minimè exiſtimauit, vt tam graues partes ſuas relinqueret; quod ſaeri nonnulli homines interdum ſuaſerunt. At vero cum ad ſe concionem tantum pertinere iudicaret, quantum & Tridentina conſtitutio, & ratio, diuinaque confirmaret auctoritas: habilitas etiam tanta erat, tantum perſonæ grauitas, & in vultu, moribusque omni ſanctitas, paternuſq; animus elucens efficiebat, tantum res ab eo ſanctiſſime ac prudentiſſime dictæ valebant, vt ad eum licet crebro concionantem magna concurreret multitudo, quæ dicentem attentiſſime audiret, non multi quidem nobiles, ſed ij, quorum debebat ſalus eſſe chariſſima. In eo genere, ſicut alias ſemper, facultati ſuæ minus etiam tribuens, quàm ipſa res pateretur, eam ſibi in dicendo tenuitatem vſui eſſe contra elationem animi, nimiumq, erga ſeipſum amorem, & propterea gratam dicebat: quoniamq; fructum eorum, quantuluſcunq; eſſet, nolebat deperdi, qui curioſo doctrinæ, ornatæve orationis ſtudio, conciones cura, & vigiliis elaboratas quærunt: concionatores eorum item cauſſa curabat in eo genere excellentes haberi XXIV

In concionibus habendis ſtudium.

ipſe

Ipſe alijs contentus, ſatis interim ſuo muneri, pioq; plurimorum deſiderio faciebat, & ſalutari multitudinis fructu potiebatur. At enim diuino quodam ſpiritu, præter morem, interdum etiā præter meditata, ſic ferebatur, vt omnes commoueret vehementer. Ad eccleſiaſticos autem homines verba faciens, cum ipſe cœleſti quodam ardore inflammaretur, diuinas etiam quaſdam dicendi faces animis auditorum videbatur admouere: dum grauiſſima presbyterorum altiſſimaque munera commemorans, ex altera parte, quam lente, quam oſcitanter, quam fœdè nonnunquam, ab ijs adminiſtrarentur, diuinitus oſtendebat, de me ipſo affirmo: cum ad eum audiendum, vt aliàs ſæpius, in ſynodo eſſe pro modeſtia ſua iuſſiſſet, ſi quid in rebus, voce, geſtu obſeruarem, de quo moneri illum oporteret: occulta quadam verborum illius vi, mentem meam ſubito ab ea obſeruandi attentione abductam, ad diuinas ſententias, quæ loquebatur, ita conuerſam, atque adeo raptam fuiſſe, vt quam ob cauſſam eò vocatus eſſem, oblitus, toto animo in eius oratione defixus tenerer: tum, quaſi aliquid rebus humanis maius videret aſpicere, atque audire, mecum, quotquot vbique ſacri diuinarum rerum adminiſtri eſſent, ibi adeſſe optarem: demumque ad ſatis longæ concionis exitum nimis celeriter me adductum, cum dolore ſentirem. Commemoratus antea in toto clero ſynodi tempore animorum motus, ſatis idem confirmat. Porro res ipſæ, materieſq; concionis, iudicij ſemper, & ingenij. in primis vero pietatis cuiuſdam exquiſitæ lumen præferebant. eadem materies plerumque diuinarum litterarum locis nitebatur: ijs enim libris perlegendis, & meditandis fere conſumebat, quidquid ad eam rem dabatur otij. Prophetis maxime ſtudebat: qui loci aptiſſimi eſſent ad huius temporis vſum; eos habebat in promptu, tractabatque accurate, ad eam rem, tum ad vniuerſa, quæ inciderent concionando. Ludouici Granatenſis ſcriptis vtebatur plurimum: cuius hominis alioqui penitus ignoti, religionem, iudicium, doctrinamque multis libris declaratam, adeo amauit, & obſeruauit, vt familiariter, amiciſſimeque per litteras ſalutaret, neq; ipſe ſolum, quàm eius labores ſibi grati eſſent, ſæpius ſignificauit, ſed vt Pontifex Gregorius litteris ſuis idem publicè teſtaretur, effecit. immo curaſſe ſcimus, vt in Cardinalium collegium ille cooptaretur. optimus verò ſenex eum contrà ob ſingularem virtutem, religionemq; colebat obſeruantia ſingulari, mirumq; in modum eius eximiis virtutibus, rebuſq; geſtis lætabatur: de quibus vt ſcriberemus, ſæpius vrgendo nos appellauit, & ad rem perficiendam ſuis precibus, viuens, & vt ſpero poſt mortem, amanter iuuit. Poſtremo vero Carolus amplam ſibi ipſe locorum, ſententiarumque ſiluam comparabat, ex diuinis ſcriptis in primis, ſed ex aliis quoque ſacris libris: tum ex probatis etiam ſanctorum virorum hiſtoriis, ſalutarium copiam exemplorum: quibus omnibus diſtinctè, ordineq; ſepoſitis, ad diuerſas conciones vti poſſet, quotieſcumq; vſu veniret, cum præſertim propter occupationes, ſpatium minime daretur ſingillatim conquirendi. Varia genera mente comprehendebat, de quibus ſibi eſſent verba ad populum facienda. tum diuinos libros attente legens, quod in quoque genus conueniebat, illud notabat diligenter, ac diſtinctè deſcribi iubebat. ad varios vſus ſiluam conformabat ſuam: ſed elaborauerat in primis in ijs colligendis, quæ ad ſacrorum hominum cuiuſuis ordinis officia pertinerent: plenamque eorum, denſamque ſyluam effecerat. eam rectius dirigendam, colendam, atque dilatandam poſt eius mortem, à Ioanne Franciſco Epiſcopo Vercellenſi ſuſceperat Franciſcus Adornus. qui quidem ſingularem, reconditamque doctrinam, cum exquiſito chriſtianæ diſciplinæ, religioniſq; ſtudio coniunctam, ad opus efficiendum afferre poterat. Sed Carolum, vt præſenſerat, non multo poſt ſecutus eſt, præſenſit Franciſcus obitum ſuum hoc modo, quemadmodum, vel de ſuggeſtu ipſe publice teſtatus eſt. narrabat Caroli effigiem pulcherrimam ei per quietem obiectam. admiranti, percunctantique, quid ſibi vellet tanta pulchritudo, illum reſpondiſſe; Bene mecum agitur, tu quoque breui accerſeris. verum ille viſum credidit: neque ita multò poſt expectatam Genuæ mortem obijt in patria ſua, magni conſilij, magnæque virtutis ſacerdos; dignuſque cui ad maximas res pro Eccleſia Dei gerendas, ingens aperiretur campus. has demum, aliaſque lucubrationes idem Epiſcopus Vercellenſis ſibi legatas, optimis Cardinalibus reliquit, Auguſtino Valerio, & Federico Borromeo, quibus opus nemo curare melius poſſet, ac diligentius. Concionandi munus in Epiſcopo, atque adeo in presbyteris omnibus magni Carolus faciebat, indignum iudicans, quorum illud proprium, præcipuumque eſſet, ab ijs negligi, aliis verò, hoc eſt regularibus totum relinqui, qui tantum miſſi eſſent ſubſidij loco. ac quamuis propter occupationes eccleſiæ adminiſtrandæ, illi æque inſtructi ad dicendum venire non poſſent, cum regulares viri in ea re vna omnem ætatem ſæpe conſumant, paterna monita, poſtularemque vocem non eſſe tamen ſuis ſubtrahendum prædicabat, quæ plus ſæpe multò ad docendum, cohortandumq; valeret, quàm dicendi facultas, & induſtria. itaque vrgebat parochos, vt non ſolum feſtis diebus, ex Tridentino decreto verba facerent ad populum ſuum, ſed ter etiam ſingula hebdomada, dum Quadrageſima erat. idoneos ad id viros, quantum poterat in parochijs collocabat: quos educabat clericos, in eo genere exerceri iubebat à pueris. alios quoſque, qui habiles viderentur, ad id incitabat. ex concilijs, ſacriſq; libris alijs, ac rhetoricis quoque, multa colligi iuſſit, libellumque edi, quo ad ſacræ prædicationis munus rite, decorè, fructuoſeque obeundum, vitiaq; multa fugienda, concionator monetur. ob eandem cauſſam Valerij, Granatenſiſq; de arte rhetorica libros ad eccleſiaſticam rationem formatos, à ſuis adhiberi iuſſit: & eiuſdem Granatenſis conciones Mediolanenſibus typis imprimi, vt eas vnuſquiſq; parochus in primis, tum alij quoq; facilius ſibi compararent. nam in eis auctor, ad omnia concionum genera ſtudioſe locos ſuppeditauit. Epiſcopos etiam, quotieſcumque ſe occaſio offerret, hortari non deſiſtebat: & cum ad eum Mediolanum venirent, contendebat maxime, vt ſanctis cohortationibus de ſuggeſtu populum ad ſtudia pietatis excitarent. ac rarò quidem, niſi manifeſta eſſent naturæ, doctrinæve impedimenta, quamuis ſæpe reſiſterent, & pene moleſte ferrent, dabatur facultas elabendi. quod quidem minimè conſequi potuiſſet, ſi, vt quidam ſuadebant, deſtitiſſet ipſe, ue ſi quidem minus ipſe fuiſſet in eo genere frequens. Itaq; feſtis diebus ſemper concionabatur, interdum non mane ſolum, ſed etiam veſperi. in Quadrageſima vero, partitis æqualiter cum alio concionatore diebus, niſi, quod infrequentiores fere ſibi ipſe reſeruabat. In omni quoq; Pontificio munere obeundo: nam ſiue homines initiandi eſſent, ſiue dedicanda eccleſia, vel altare, ſiue ænea vaſa ad populum conuocandum conſecranda, velanda virgo, eiuſue ſacra profeſſio recipienda, ſacramentum aliquod adminiſtrandum, publicæ ſupplicationes habendæ, eccleſia recognoſcenda: concionem addebat ſemper; idq; ad myſteria, quæ tractaret declaranda, ad populum pro eò quod in præſentia opus erat, commouendum, omnino ad fructum aſtantium ſalutarem. Cum ad concionandi munus duo ſibi neceſſaria iudicaret, preces & lectionem, ſi forte, quod ſæpius euenit, anguſtia temporis, & ad precandum, & ad libros euoluendos ſpatium non daretur, precationem præferebat lectioni. meminique, cum ad collegium virginum verba faceret, eum opportune narraſſe, ſibi eo die valde occupato in dubium veniſſe, vtra re paululum quod erat temporis, conſumeret, legendo, an orando, & eam voluntatem, vt dæmonis dolum repudiaſſe, quæ ad libros potius incitabat. Quoniam vero Paſtoris vox ad omnia loca peruenire nó poteſt, vt eius tamen monita quamplurimi non ſolum in vrbe, ſed etiam in agro facilius acciperent, litteris vſus eſt, quas paſtorales appellant: quæ quidem, exemplis typorum arte multiplicatis, per eccleſias promulgarentur, & per loca omnia diſſeminarentur. his vtebatur cum grauis inciderat cauſa, quamobrem populi monendi, docendive eſſent, quod ad communem ſalutem pertineret.

Eius dicendi vis.

Ludouici Granatenſis ſcriptis plurimum vſus eſt.

Franciſcus Adornus obitum ſuum præcognouit.

Ter in ſeptimana conciones haberi inſtituit Carolus.

Diebus feſtis bis aliquando de die concionatus.

In Catholica fide tuenda, & Apoſtolica Sede colenda ſtudium.

Quæ ad Catholicam fidem tuendam pertinerent, ſummo ſtudio curauit ſemper. decreta ipſa in hoc genere ſancita per ſe loquuntur, geſtaque per eum, in Rhætis, Heluetijsq; tum alibi quoque, ſicuti narrauimus, demonſtrant. ſed cauſſarum, quæ ad fidem pertinentes, vel Mediolani eſſent, vel Romana auctoritate illi mandarentur, accuratiſſima tractatio itidem declarauit libris importandis, edendiſue, ne quid periculi fidei, vel moribus afferretur, religioſi, doctique hominis aſſidua cura prouidebat. Conſultationibus earundem cauſſarum ipſi intererat: diligenter Romam, quæcunque in eo genere opus eſſent, ſua plerumque manu perſcribebat. Præterea in vrbe Mediolano, tamquam in ſublimi quadam ſpecula collocatus, totam hanc Italiæ regionem alpibus viciniorem ſingulari vigilantia cuſtodiebat. locus vero eſt ob proxima pluribus ex partibus pericula, ſatis opportunus: nam & Romani Imperatores hanc vrbem quaſi Italiæ propugnaculum, contra nationes tranſalpinas quandoque habuerunt. Ad Subalpinæ regionis cuſtodiam, quantum eius conſilia, atque actiones valuerint, huius loci, vel temporis non eſt explicare. Si quid vbique toto hoc tractu oriretur huius generis incommodi, prouidebat, Romam nunciabat. nam pij, & religioſi viri ex omni parte ad eum potiſſimum, quæcumque acciderent, tamquam ad rerum diuinarum, ſalutariumque vigilantiſſimum cuſtodem, procuratoremque diligentiſſimum omnia deferebant. Cum militum Germanorum cohortes nonnullæ, donec alio vocarentur, eſſent in diœceſi collocatæ: multorum impietatem ex publicis factis quibuſdam odoratus, eò venit ipſe, licentiam repreſſit; Gubernatorem monuit, litteras ad Philippum Regem dedit, malum auerſum eſt. Apoſtolicam Romanam Sedem ſummo ſemper honore veneratus, eius dignitatem, auctoritatemque religioſiſſime tueri ſtuduit, & propagare. Apoſtolicis mandatis, ſuſcipiendis, promulgandis, exequendis, nihil apud ſe vmquam ad honorem, atque reuerentiam ſummæ ſedi debitam deeſſe voluit. neque ſi opus fuit, fortitudinem ſuam paſſus eſt in hoc genere deſiderari, ac litteras quidem Apoſtolicas cum acciperet, aperto prius capite, venerans oſculabatur. Quidquid in priuatis, publicisq; rebus non ſatis certum incidebat, conſiderandum, iudicandumque Romam deferebat ſemper. Quæ illi, vt tali eccleſiæ Antiſtiti veniebant in mentem, quæ ad meliorem rerum ſtatum Romæ fieri oportere putaret, ea modeſtiſſime ſuppeditabat. pij homines plurimi, ſi quid rectius publice faciendum exiſtimarent, ad eum referebant: quorum ſi quis immoderato feruore commotus, paulum modeſtiæ fines tranſiret, grauiter reprehendebat: neq; enim æquum iudicabat, vt vel ipſo nimio pietatis ardore debita Principibus Eccleſiæ reuerentia pelleretur. XXV.

In ritibus, & cæremoniis obſeruandis.

Ritus, & cæremonias eccleſiaſticas exquiſite cognoſcere, ſeruareque ſtuduit: quo de genere certum ſacerdotum numerum delegit, qui conſultarent, cum dubitationis aliquid afferretur. nec vero grauabatur contationi præeſſe, diligenterque de ijs quoque diu diſquirere, quæ leuia ſæpe vulgo putantur. nihil enim ad diuinum cultum pertinens, non dignum arbitrabatur, in quo curam, diligentiamque collocaret ſuam. Cæremoniarum magiſtrum, honeſtis tributis ſtipendijs in eccleſia maiore conſtituit Romæ, quod antea tetigimus, idem ſtudium iuuit, conſultationemq; Cardinalium ad id conſtitui curauit: quos ipſe in primis conſulere ſolebat frequentiſſime. Huiuſmodi cognitione curabat clericos omnes, eos præſertim, qui in ſeminario alebantur, diligenter inſtitui. ac ea quidem peritia ſolebat in eccleſiis Mediolanenſibus, præſertim in eccleſiæ maioris ſacris officiis, magno fructu pietatis, elucere. In ipſis laicis non vulgaris ſæpe cognoſcebatur huius generis obſeruatio. Cum Epiſcopus aduena poſt Caroli mortem, Miſſæ ſolemnia celebriter agens, mitram ab altari ad thronum rediens depoſuiſſet, Gubernatoris ſalutandi gratia, qui erat extra cancellos, mulier erratum notans, ne vultus quidem ſignificatione, mitratum Carolum dixit, quemquam extra cancellos ſalutaſſe. Quoties minus vſitatum aliquid agendum eſſet in eccleſia, tunc in primis conſulebat, quæ ipſi in eo genere agenda, vel cauenda eſſent: ad ea libris allatis, ritu omni conſiderato, experientia adhibita, ſeſe diligenter parabat. Ita plene, perfecteque curabat inſtituta ſacra omnia exequi, vt eo ipſo die, quo ex hac vita abiit, tantulo allato cibo, preces ad eam rem clericis præſcriptas, ante, & poſt integras obiret: quibus pſalmum quinquageſimum ex Ambroſiano ritu inſerere ſemper ſolebat. cum iuſſiſſet ob magnam in eo genere plurimorum ignorationem, omnes ante ſacram confeſſionem ſymbolum Apoſtolorum, Decalogumque cum Dominica oratione, ſalutationeque Angelica recitare, ipſe quò cæteri facilius facerent: eadem prius quotidianæ ſuæ cœpit præponere confeſſioni. XXVI.

Ambroſiani ritus, & reliquiarũ conſeruatio.

Eccleſiæ ſuæ proprios ritus ſtudioſe conſeruauit, ea præcipua, vt dicebat, ratione: quòd non Mediolanenſes ſolum, ſed auctoritate, atque approbatione Romani eſſent, & Apoſtolici. Cum ad corrigenda librorum eccleſiaſticorum menda, quæ ſuperiorum temporum vitio irrepſerant, aggrederetur; quæ quidem fuit eius non poſtrema cura, fuere qui ſuaderent, vt eo labore omiſſo, Romanos potius eligeret, & in eccleſiam ſuam induceret. quod ille ſibi in tantæ antiquitatis, auctoritatiſq; inſtitutis, neque ex toto, neque ex parte faciendum, neque aptam eiuſmodi Eccleſiæ varietatem, quam ſancti Patres probaſſent, ſibi tollendam conſtituit. nam propoſuerunt etiam quidam, vt quia primam Quadrageſimæ Dominicam reſtitueret, quatuor quoque alios dies ex communi conſuetudine curaret addi, ille vero ritus eccleſiæ ſuæ reſtituendos, non autem mutandos affirmabat. Quidam prouinciæ Gubernator à Pontifice, ſummo poſtulauerat, vt ei liceret. vbicumque Miſſæ intereſſe vellet, Romani ritus ſacrum adhibere, quod Carolus cum audiiſſet, Pontifici perſuaſit, vt negaret. Ita ſentiebat, quoniam ritus eccleſiæ Mediolanenſis iam inde ab antiquis temporibus conſenſu Apoſtolico probarentur, expedire quoque, eos quantum fieri poſſet, integre ſeruari, neque diuerſa ratione confundi. quotieſcumque autem ſibi aliquid in hoc genere defendendum eſſet, accurate admodum, litteriſque ſua manu ſcriptis, id faciebat. Breuiarium emendatum edidit. Miſſale cum eſſet in manibus, mors interceſſit. ſed tamen omnem ante rationem libello ediderat, qua clericus inſeruiret Miſſæ. Sacramentale, ſic enim appellant, deſcriptum quidem, ſed nondum à ſe plene recognitum cum reliquiſſet, nuper editum eſt. in quo præter ritus eccleſiæ Ambroſianæ proprios, quamplurima ex decretis conciliorum, & ex diuturno vſu, deſcribi iuſſit, ad ſacramenta piè, decenterque quocumque ritu adminiſtranda. In Rogationibus triduanis, quas ſancte admodum inter alias eccleſias, Mediolanenſis retinuit, cum nonnulla corrupte introducta correxiſſet, librum quoque diuinarum precationum, quæ per varias eccleſias, certo ordine diebus ijs habentur, inſtaurauit. Præter feſtum Protaſij, Geruaſiique ſanctiſſimorum martyrum, patronorumque diem, vt tetigimus, reſtitutum, vt tota quoque prouincia S. Ambroſii dies, qui eſt VII. Id. Dec. feſtus ageretur: immo eiuſdem memoria, quotidiana commemoratione, ſtatis horis publice coleretur, prouinciali decreto curauit, quod idem diei ſancti Barnabæ Apoſtoli tribuit, vt eccleſiæ Mediolanenſis fundatoris. XXVII. Quemadmodum ſanctorum reliquias religioſiſſime coluit: ita quas habet eccleſia Mediólanenſis plurimas, eum coli ſanctius, eum conſeruari, ac augeri diligentius curauit: id quod ab eo celebratæ translationes, & quam in ijs recondendis adhibuit, adhiberique decretis prouincialibus conſtituit, exquiſita diligentia, ſatis demonſtrat. harum cognitioni, curationique certum ſacerdotem præeſſe iuſſit. At illud etiam decreto ea de re ſancito curauit, vt nemo priuatim eas haberet, ſed in ſacris locis omnes relinquerentur. Cum autem prouidere vellet, ne illæ ab eccleſia ſua vmquam auferrentur, neque prouincia Mediolanenſis, quantum fieri poſſet, tali vmquam præſidio ſpoliaretur, præter id quod in concilio decreuit ipſe, Pontificias etiam litteras obtinuit, quibus anathematis

adiecta

adiecta pœna, prohibetur, ne quis reliquias extra prouinciam ferat, neve quæ in eccleſia quauis locatæ ſunt, ab ea poſſint auferri.

XXIIX De Sanctiſſimis Sacramentis, rebuſque ſacris omnibus, quæ conſtituerit, effeceritque, huius loci non eſt explicatè narrare: alioqui decreta, præſcripta, monita, quæ multis eo de genere conſcriptis libris continentur, oporteret huc transferre. Verum ſacramentorum adminiſtrationem ad animarum fructum, decentiamque ſacram ſanctè conformauit. canonicarum precum ritum, ac dignitatem reſtituit. diuina munera, officiaq; omnia rectius ordinauit. Pontificias celebritates, & munera imitatione veterum inſtaurauit. ſacri chori diſciplinam, ſilentium, reuerentiam, ordinem, apta indumenta, cenſuram item erratorum, conſtituit. non riſus eo loco, non colloquio, non ſomnus. intra cancellos laicus nullus, quacumque is eſſet dignitate. cumque rumoris nonnihil eſſet Philippum Regem Mediolanum venturum percunctanti, quid tandem putaret, ſi Rex veniſſet, num & ipſum recuſaſſet in eum locum recipere, pro ſuo eximio diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtudio Carolus reſpondit, ſperare ſe, ne ipſum quidem Regem, vt eius erat egregia pietas, eò peruenturum, maxime eum argumenta ſua cognouiſſet. Qui muſice canerent in eccleſiis, eos clericos, ſi fieri poſſet, alioqui tunica clericorum ſimili, & linea veſte ſaltem indutos, & certo loco ſeparatos, conſtituit, qua conſuetudine etiam ipſius Gubernatoris cantores, ſi ad eccleſias adducerentur, contineri volebat. Regulares viros non ita libenter in eorum numerum admittebat, præſertim ſi regulæ ſeueriori addicti eſſent. nam & omnino muſicam ab eorum eccleſiis alienam putabat. Quæ canerentur, ea non ſolum ſacra, ſed ad præſens officium accommodata, eſſe iuſſit, cantumque ita temperari, vt verba intelligerentur. Altaria ex eius præſcripto decore munita fuerunt, & inſtructa, ſepimentum ab omni parte, certi gradus, tegumen alte ſuperimpendens: ad inſtruendum, ornandumque veſtis, & ſupellex varia, & decora, clericus plerumque, cum ſuper pelliceo, quicunque eſſet, ſacrificantis adminiſter. ſacraria ipſa nitida, & ab omni importuno hominum ingreſſu libera, ſupellex non integra ſolum, & munda, ſed apte, decoreque collocata, & pro temporum, dierumque varietate plene comparata. Imagines, & inſcriptiones probari voluit prius ab eo quem ei rei præfecerat, quam in eccleſias admitterentur. Sedes in eccleſiis præcipua cautione præſcriptæ, quibus ad maiorem modeſtiam, interpoſita tabula presbyteri fœminarum confeſſiones ita audirent, vt impediretur aſpectus. Sellas altiores, ſummis quibuſdam viris exceptis, ob ſacrorum reuerentiam adhibere permiſit neminem. Magiſtratibus tamen ſedes à multitudine ſeparatas conſtituit. Miſſæ ſacro, vtroque poſito genu, ſemper, ſi tempus excipias euangelij recitandi, omnes intereſſe docuit: vt non minus rarum poſtea fuerit, ſtantem, nedum ſedentem videre, quàm antea genibus nixum. in eccleſiis mares à fœminis, etiam tabulatis interpoſitis, vt iam commemorauimus, diſtingui iuſſit: fœminas autem ipſas caput velo contectum habere, quamquam difficilius ob ornamentorum corruptelam id videbatur. Quæ in eccleſiarum lateribus eſſent, ianuas clauſit, vbi commoditate inuitati homines, per eas indecore, quaſi per vias, neglecta ſacrorum reuerentia, tranſire poſſent. quæ res ad ſeparationem quoque fœminarum melius tenendam valebat. Cadauera in ſacris locis ſublimia: ſignaque militaria ſepulchris appoſita, in ſuis, alieniſque eccleſiis, quas viſitauit, ſuſtulit, licet clariſſimorum Ducum ſuorum eiuſmodi monimenta ſtudioſe ciuitates retinere cuperent. Eccleſiæ omnes, quotquot in diœceſi tota numerantur, eius iuſſu, operaque reſtitutæ ſunt, atque ornatæ multæ de integro, veteribus dirutis ædificatæ. omnium formas in eccleſiæ tabularia iuſſit afferri: vt quid facto eſſet opus, cum vſu veniret, facile poſſet indicari. nihil autem ædificari, dirui, mutari licuit; primariis eius adiutoribus inconſultis, quamquam pleraque cognoſcebat ipſe, & magna etiam ex parte memoria tenebat vniuſcuiuſque eccleſiæ formam. Vt autem & ipſa ædificia ſacra, & earum ſupellex decenter vbique haberetur, libellum de fabrica, & ſupellectili eccleſiaſtica edidit. in quo vniuſcuiuſque loci, inſtrumenti, indumentique eccleſiaſtici genus, formam, menſuram, numerum diligentiſſime præſcripſit: quarum quidem præſcriptionum, omniſq; diligentiæ, quæ ad fabricam, ſupellectilemque ſacram pertineret, Ludouicus Mouera præcipuus adminiſter, conſiliariuſque fuit. Huiuſmodi ſtudium fecit, vt ſacri homines, qui Archiepiſcopali auctoritate non continentur, communi quadam incitatione ducti, ſuas item eccleſias eccleſiaſticaſque res reficere, ac ornare, tum diuina etiam munera decentius obire curarent. Inſignis eccleſia Raudenſis Virgini dicata eius iuſſu confluentiſque multitudinis liberalitate, cœpta eſt ædificari, cum anno M. D. XXCII. in remota vici ædicula, ad eius imaginem inuocata virgine, multa mirabiliter impetrata eſſent: quæ nos legitimis teſtimoniis confirmata, vera eſſe comperimus: Inſtauratio quoque baſilicæ S. Laurentij, cuius ampliſſima teſtudo rotunda corruerat, eius iuſſu ita inchoata eſt, vt ab eo etiam de ſuggeſtu prædictum affirment eius parochiæ viri graues, magnum ſubſidium illud, quod eo mortuo, Virginis munere ſimili, à nobis itidem comprobato, conceſſum vidimus. His rebus omnibus etiam ipſa vrbis artificia incrementum accepere non mediocre: quæ in eccleſiis ædificandis, cædendis lapidibus, vaſis fabricandis, veſtibus ſacerdotalibus efficiendis, opere vario, ac multiplici verſantur. De ſeptem eccleſiis, totiuſque anni ſtationibus, ſupra diximus, ad Romanarum ſimilitudinem in vrbe conſtitutis. Quotidianam precationem inſtituit, quam indulgentia propoſita populus vniuerſus haberet, certo ſub noctem exaudito campanarum ſono. Feſtis diebus in parochorum eccleſiis certas ſupplicationes pro publicis rebus, temporumque difficultatibus pium populum habere curauit. in vnaquaque parochia ſancti diem, cuius nomine eccleſia dedicata eſt, honore præcipuo colere vicinos iuſſit: tum ieiunium quoque pridie ſeruare cohortatus eſt. ſacras exercitationes nullo tempore paſſus eſt deficere, ad augendam ſemper populi pietatem. mane, ac veſperi frequentes conciones, crebræ variis de cauſſis ſacræ celebritates: magna ſemper in eccleſiis populi frequentia: ad officia pietatis alacritas: celebris vbique ſanctiſſimorum ſacramentorum adminiſtratio. feſti dies ab omni mercandi opere, præter neceſſarium, tum à profanis ſpectaculis, choreiſque fere ex toto vindicati. ieiunia reſtituta. ſed de his hactenus: ſalutaria enim inſtituta, corruptelaſq; diuini honoris gratia ſublatas, infinitum prope eſſet enumerare.

[De rerũ ſacrarum cultu, ſacriſq; nõnullis inſtitutis.]

[Libellum de fabrica & ſupellectili Eccleſiaſtica edidit.]

[Raudenſis Eccleſia miraculis clara anno 1582 ædificari cœpta.]

XXIX. Omnia Pontificalia munera magna voluntate obibat ipſe. excurrebat longius, cum opus erat ad eccleſiam altare, campanam, & eiuſmodi alia conſecranda. huiuſmodi adminiſtrationis gratia, neque laboribus, neque incommodis parcebat vllis: neque tempeſtate, iiſve etiam deterrimis vmquam retardabatur. Ea vero tam ad ſe pertinere ſecum ſtatuerat, vt licet aliquando, de Vicario generali recipiendo, qui epiſcopalis ordinis erat, ageretur, denunciauerit tamen, nolle ſe in eum eiuſmodi munerum aliquid transferre. Ac his minime contentus, ad alia item veniebat, quibus ad conficiendum Pontificia dignitas neceſſaria non eſſet: veluti veſtitus eſt ſacrarum virginum, ac profeſſio. Sic officium ſuum Deo præſtabat, gregique ſibi commiſſo cumulatius, ſacris functionibus maiorem conciliabat auctoritatem: tum res ipſæ, ad actionis decus ſanctius, & ad euentum fructuoſius adminiſtrabantur. iji eò plus honoris tribuere hoc tempore conuenire iudicabat, quò magis hæretici detrahere conantur. Sacramenta, quorum eſt etiam presbyterorum adminiſtratio, ſæpius ipſe tamen obiuit, baptiſmum, ſtato tempore Paſchali, ad ſimilitudinem antiqui ritus, quo tempore ciuitatis infantes iubebat ad id reſeruari: præterea quotieſcumque rogatus, pietati viri principis alicuius ea in re ſatisfaciendum putabat. Euchariſtiæ præbendæ labores iam pluribus attigimus locis: erat enim in eo genere frequens. Pœnitentiam interdum miniſtrare, ab

[Sacra munera quæ obibat.]

Epiſcopi officio alienum non putauit: & Epiſcopos laudauit Nicolaum Cremonenſem. Hieronymum Bergomenſem, Franciſcum Vercellenſem, cum id quandoque feciſſent. ſeque idem velle demonſtrauit, licet, quod ſciam nũquam perfecerit, Vnctionem extremam tribuit peſtilentiæ tempore, ſicuti narratum eſt. matrimonium ſæpius ſacro miniſterio ſuo celebrauit: quod libenter primarijs viris concedebat: vt ea via ſponſos ad matrimonium ſancte contrahendum adduceret, immoderataſq; cohiberet nuptiarum voluptates.

Clericaliũ munerum functiones.

EIVS erat non diſſimile ſtudium in munerum functionibus exquiſite requirendis, quæ ad inferiores clericorum gradus attinent: quibus ſingulis quid aſſignaretur officij diſtincte declarauit, & vnumquemque iuſſit ſingillatim obire, dum per eos gradus proueheretur. viri graues, etiam dignitate, genereve præſtantes, quiq; confirmata, interdum etiam prouecta ætate, ad eccleſiaſticum ordinem tranſibant, humilis tamen clerici munia exequebantur, nunc cuſtodienda, mundandave eccleſia, nunc ære conuocationis gratia pulſando, alias vaſculum thuris miniſtrando alias presbyteris ſacrum facientibus vel Euchariſtiam diſtribuentibus inſeruiendo: quæ quidem ad populi documentum, ad ſacrorum dignitatem, ad fructum eorum qui faciebant, mirum quiddam valebant, neque vero quemquam ad ſuperiorem ordinis gradum admittebat, cuius de inferioris functione adlubita teſtimonium non videret: id quod etiam prouinciali decreto ſanciuerat. XXX.

De initiandis, & recipiendis ad munera eccleſiaſtica.

Cum permagni referat in Eccleſia: quæ de hominibus in ſacrum ordinem recipiendis, vel ad ſacra munera admittendis diſquiſitio habeatur, de qua grauiter veteribus Eccleſiæ decretis, recentibuſque præceptum eſt: tum de moribus, tum de litteris periculum fieri diligenter iubebat: ſiue quis ordinandus, ſiue eccleſiaſtico muneri perpetuò deligendus, ſiue ad confeſſiones audiendas, concioneſve habendas admittendus eſſet. qua in re nimis exquiſitam interdum interrogandi diligentiam queſtos eſſe nonnullos audiuimus. Carolo quidem ea res cordi vehementer erat vnde populorum ſalus magna ex parte pendere videretur. ſatis erat illi tamen, quantum rei grauitas poſceret, tantum in ea poni ſedulitatis. At erat ab eo quoque alienus, vt cuiquam in eo genere parceret: licet ob doctrinam, auctoritatemve quibuſdam paulò durius videretur, communem experimenti conditionem ſubire. his vero de cauſſis Carolus faciebat, quòd opinioni, ac famæ ſæpe veritas non reſpondet, quòd alioqui doctiſſimus, ea quandoque negligit, de quibus agitur: omnino, quòd, ſi eſt idoneus, ſummiſſionis chriſtianæ gratia, homo Chriſto conſecrandus, vel iam ſacer, illud fructuoſe pati poteſt: ſi vero minus idoneus, merito probandus offertur, vt poſſit repelli. præterea vero, quia ſacrorum canonum accurata cuſtodia, quæ illi ſummopere propoſita erat, ita videretur poſtulare: ne qua parte diſciplinæ ſacræ, quaſi rimas negligens: forte ruinæ periculum adiret. Interrogandi rationem vnicuique ordini conuenientem decretis prouincialibus expreſſit. Subdiaconos creandos præcipua ſtatuerat eſſe probandos diligentia, quòd eo gradu diuinis ſeſe perpetuo mancipatent officijs, perpetuaque caſtitatis lege deuincirent. Ab ijs qui eſſent initiandi, certo die coràm ſe vocatis, teſtimonia multa exigebat, de natalibus, de vitæ ratione, de ſacramentorum vſu, de diuinis officijs, de promulgatione nominis, de patrimonio ſi de ſubdiaconatu ageretur, de approbatione doctrinæ, alijſque de quibus hoc loco mihi explicandum non arbitror, cum ea decretis ad concilij Trident. normam deſcriptis contineantur, quæ ſunt in promptu. Ibi vero ipſe cuique vultum compoſitione, veſtitum diligenter conſiderabat, ſi ordini eccleſiaſtico eſſent accommodata. Subdiaconos, presbyteroſq; deſignatos, certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique relictis omnibus, apto aliquo ſacerdote duce, ſalutari contemplatione ſeſe exercere iubebat cuius adiumento ad meliorem, ſanctioremq; vitam, ſuſcipiendique muneris plenam cognitionem adducerentur. ad eam rationem tradendam à ſocietate IESV primò ductam, multos demum presbyteros plane aptos ipſe habuit. locum ad eam exercitationem accommodatum, multis cubiculis diſtinctum, ædificauit, in hortis eccleſiæ, quæ Canonicæ nomine appellatur, & Aſceterium congruenter nominauit. Ad alios Epiſcopos, huiuſmodi ſacramenti ſuſcipiendi gratia, fere ſuos non dimiſit. ne vel ex eo ſe labore eximeret, vel aliqua conſuetæ diligentiæ pars in eis approbandis omitteretur. XXXI.

Cleri diſciplina.

Adhibita in ijs diligentia, qui clericali ſe ordini darent, multum valuit ad cleri mores ſanctitatis ſtudio conformandos. Sed alia quoq; cura, multipliciq; diſciplina Carolus eum in officio continere ſtuduit omnes alioqui non addictos, eccleſiæ certæ iuſſit aſſignari, vbi feſtis ſaltem diebus diuinorum officiorum ſeſe præberent adiutores. Quã frequenter peccata confiterentur, & Euchariſtiam ſanctiſſimam acciperent, obſeruauit: certos ex religioſioribus, ſed magno tamen numero, ſacræ confeſſionis miniſtros aſſignauit. litteras diſcere, qui per ingenium, & ætatem poſſent, curauit. liberam cõſuetudinem, vagationemq; per præfectos coercuit: vt neq; cum laicis, niſi iuſta de cauſſa eſſent, neq; in ianuis, vel vicinorum tabernis ſederent otioſi. vbi, & quibuſcum habitarent, ſingillatim nouit, habitationiſque locum inſpici iuſſit interdum, ſi arma eſſent, ſi libri, imagines, aliaue ab eccleſiaſtico decoro aliena. nã arma ne in itinere quidem vlla conceſſit. Ex agro Mediolanum venientes in certum diuerſorium ad id inſtitutum omnes conuenire iuſſit, quò laici non reciperentur clerici vero ipſi certis legibus ad eccleſiaſticam diſciplinam accommodatis haberentur. Diſceſſum ab eccleſijs, itinera, peregrinationes, niſi ex facultate præſcripta, non permiſit. Statum cuiuſvis clerici, conditionemque certo libro diſtinctam, ſubtiliterq; notatam habuit, ordinis gradus, beneficia, ſtudia, cognatos, habitationem, miniſterium, & ſi quid aliud noſſe intereſſet. eam notationem, quoniam mutari aliqua ſemper neceſſe erat, certo tempore, vocatis omnibus ſingillatim recognouit, & quibus rebus opus eſſet, renouauit. ex eo libro ſubito poterat de vnoquoque clerico ſuo plene omnia cognoſcere. At alias etiam fuit magis reconditus libellus: in quo de vniuſcuiuſque moribus notatio breuis continebatur: vt cum de aliquo eſſet ſtatuendum, quid ei committi poſſet, peruideret. Fœminas apud ſe habere vel nullas paſſus eſt, vel eas, ſi neceſſitas cogeret. quæ ſenectute, ſanguinis coniunctione, moribus, ab omni ſuſpicione eſſent alienæ. Canonicos, quantum potuit, in eorum ædes, pleriſque locis cœnobij cuiuſdam inſtar apud eccleſiam fabricatas, compulit: neque laicorum contubernia, niſi ſalua diſciplina tolerauit. Parochis, & eorum muneri valde fauit: quippe ſuis in animarum curatione præcipuis adiutoribus. quibus etiam proprium tradidit magnæ grauitatis indumentum. eorum Miſſas, eccleſiaſque frequentari, auctoritatem, officiaque conſeruari, & ab omni aliorum impedimento defendi, ſtudioſe curauit. Veſtitum clericalem ſynodalibus decretis conſtituit, pro cuiuſq; loco, ac dignitate diſtinctum, idq; ad eam fere rationem, qua clerici veteres vtebantur, Monitaq; vna cum ſocijs S. ſepulchri cultoribus ſancte retinebat. Cum epiſcopum ad clericorũ collegia viſenda Caroli iuſſu eſſemus comitati, faſſus eſt poſtremo, rectores, præfectos, adminiſtros clericos, quos ibi vidiſſet, ex modeſto, religioſoq; habitu regulares putaſſe, donec ſecus admoneretur. Eundem vidimus admirantẽ, quod in eccleſiis, aut in via, ne vnũ quidem ex infimis clericis, male, nedum ſordide veſtitũ vidiſſet. ſi publicis in gymnaſijs canonicæ doctrinæ cauſſa clericos morari permitteret, frequens Epiſcopi, Vicarijve vrbis illius teſtimonium requirebat, de vita modeſte, religioſeq; acta. In laicorũ familia, quacumq; dignitate illi eſſent, neminem, maximè presbyterum, ita eſſe permiſit, quod ſæpe antea non ſine magno ſacræ dignitatis contemptu fiebat, vt vllo modo in famulatu eſſe videretur. Hæc attigiſſe breuiter ſufficiat, vt huius generis ſpeciem ſaltem quandam exhiberemus. Quæ quidem diſciplina, litteris adiunctis, aliiſq; nõnullis tuendę XXXII

dignitatis

dignitatis adiumentis, de quibus exponemus; ad æſtimationem, grauitatemque cleri penè abiectam erigendam magnopere valuit: qui quidem non exiguus fuit inter alios Caroli laborum fructus; ex quo multa populis ſalutaria extiterunt. nam, vt in officio clericos continuit; iuſteque puniuit delinquentes, ita bonis benigniſſime fauit, & vniuerſi ordinis exiſtimationem ſtudioſè defendit. Honoris inſignia libenter tribuit. cappas, vt diximus, rubeas canonicorum eccleſiæ maioris confirmari curauit: cæteris canonicis, quas appellant Almutias, Præpoſitiſque alias cappas tribuit. Prothonotarios, quòd non ita paſſim creandos exiſtimauit, tum ad eandem pertinuit dignitatem; tum etiam ad inane ſtudium honoris in quibuſdam comprimendum. Facultates etiam, vt ad vitæ clericalis decentiam cuique pro loci conditione eſſent, attente curauit.

XXXIII. COLLEGIA conſtituit plura, quæ virtutum eſſent, quod eccleſiæ, immo & reipublicæ ipſius ſeminaria: vbi vita more cœnobiorum ageretur. probe namque nouerat, quid valeret educatio. diximus de collegio nationum finitimarum. de nobilium adoleſcentum alio tetigimus; quos literis, chriſtianiſque moribus, accuratiſſime inſtituendos curabat; vt ex iis probos, litteratoſque viros reipublicæ ſubminiſtraret: quò quidem exteri multi, nobiliſſimique adoleſcentes cupide mittebantur. quos, quoniam fidei ſuæ Carolus commendatos ſciebat; & ſpectatiſſimos ſacerdotes eorum gubernationi præficiebat; & ciues optimos rerum familiarium curæ. tum ipſe ſæpius inuiſens, accurate de rebus omnibus percunctabatur, omnia cognoſcebat, Euchariſtia, verbis diuinis paſcebat. Sed de collegiis dicamus cleri ſui. In eccleſiæ ſuæ ſeminario propriè appellato, quòd iam vſque ab initio per Ormanetum conſtituerat; clericos Mediolanenſes ad centum quadraginta ſolebat alere: & eccleſiaſtica diſciplina, tum litteris; & humanioribus, & philoſophicis, & diuinis, pro cuiuſque captu inſtituere. ad tantum numerum ſuſtentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quæ ſimplicia dicuntur, prout poſſeſſoribus vacarent; ex variis locis, vbi ea minime eſſent neceſſariæ, variis temporibus attribuit: & alias Apoſtolica in primis auctoritate comparauit, ad aureorum nummum circiter ſex millia annua. facilioribus litteris domi erudiri; grauiorum vero ſtudiorum cauſſa Braidenſis collegii magiſtros adire conſtituit: quorum ſcholas, vel ad hanc rem vnam fundauerat. Quæ ad conformandos mores; ad mentem religione, ſanctitateque imbuendam; ſacrorum diſciplinam diſcendam, adminiſtrandæ eccleſiæ facultatem comparandam, valebant; iis exerceri iuſſit. clerici nihil facultate non impetrata facere; ne abire quidem è conſpectu: binos exire domo: ordine, modeſteque ire, tum veſtitu nulla parte ſordido, vel indecoro. probati homines ſacri, die noctèque ſuo quiſque muneri, aſſidere: domo ſimul exeuntes comitari: Præfectus litterarum perpetuo doctrinæ ſtudia, progreſſioneſque vigere, diſputationibus, concertationibuſque litterariis occupatos habere: Rector loci, grauius presbyter omnia moderari; ſacramentorum vſum, frequentiamque curare; frequenti exercitatione, communicationeque rerum ſpiritualium, diuinarumque, ad ſolidæ religionis præſtantiam, ſenſuſque ſanctiſſimos perducere. Carolus ipſe ſæpenumero adibat: audiebat pie declamantes: intererat diſputationibus: aderat diuinas res inter ſe conferentibus: ſingillatim cognoſcebat vniuſcuiuſque mores, litterarumque progreſſiones. ſtatis præſertim temporibus erat, præſens, cum de eruditione periculum fieri; & vniuſcuiuſque conditione, moribuſque diligenter examinatis, qui eccleſiæ vſui eſſe poſſint, diiudicari ſolet. Huius diſciplinæ inſtituta fuſe deſcripta, nondum plene recognouerat, probaueratve, cum ex hac vita migrauit. Clericos indole atque ingenio ad eccleſiaſtica munera, quantum fieri poſſet, aptiſſimos recipi curabat ætate vero annorum circiter XVIII. ne vel propter maiorem ætatem, ad ſcientiarum integra ſtudia minus apti, vel ob minorem, loco diuòus oneri eſſent. facile quoque ex vicis, locisque, vbi litterarum magiſtri fere non haberentur. quæ ita tenebat, vt iuſta de cauſſa tamen ſententiam ſæpe mutandam putaret. Vt quiſque, eiuſve parentes eſſent à facultatibus inſtructi, ita quod in annos ſingulos penderent ſumptus cauſſa, conſtituebat. qui ſumptum integrum non ſoluerent, eos adhibere ſponſorem iubebat; qui quod ob inopiam remiſſum eſſet, ſoluere promitteret; ſi clericus eccleſiæ Mediolanenſi poſtea noluiſſet inſeruire. exteros fere non admiſit; aut ita ſi ſumptui integre ſatisfacerent. Hæc primo collegia, clericorum ſocietatis IESV cura, operaque inſtituit. poſtea cum Mediolanenſes clerici multi eis ſucceſſiſſent, alii quoque eadem diſciplina inſtituti eſſent; eos adhibuit. Qui clerici vel ætate iam confirmata, vel hebeti ingenio ad itarum diſciplinarum curſum minime apti videbantur; eos alio loco latinis litteris, doctrina ſacramentorum, & ea facultate, quæ in cognitione peccatorum, caſtaque tuenda conſcientia verſatur, inſtituit erudiri, numero fere ſexaginta. Sed aliud collegium itidem quaſi parochorum ſeminarium habuit; in quo minori numero, homines ætate media, propiori ad parochias adminiſtrandas ſtudio inſtituerentur.

Collegia Mediolani conſtituta.

De Seminario a ſe conſtructo 140. clericorum.

De alio.

XXXIV His collegiis, adiuncta Oblatorum ſodalitate, magnum ſibi Carolus eccleſiæ adminiſtrandæ ſubſidium comparauit. Ex eiuſmodi enim ſeminariis, quaſi arbores pubeſcentes, alias, aliò transferens, vt opus eſſe animaduerteret, agrum ſuum bene conſitum, vberemque reddebat. extra collegia quoque, multi Braidenſis gymnaſii bono vtentes, Theologi euaſere. exteri præterea eadem commoditate vſi; optimaque deinde Caroli adminiſtratione, tum auctoritate etiam inuitati, ſeſe eccleſiæ Mediolanenſi addixerunt. Ex omnibus item partibus ille ſtudioſe homines adducere ſolebat doctrina, moribuſque probatis, quos in eccleſia ſua variè, pro eo quod opus eſſe videretur, diſponebat: eum in ſuis retinendis contra, vel tenacitatem quandam adhiberet. Ita fecerat, vt in præcipuis diœceſis locis, aut eccleſiis inſignioribus, viros graues Theologos, vel iuris canonici peritos plurimos, & in canonicorum ſingulis collegiis, Tridentini præſertim canonis auctoritatem ſecutus, Theologos haberet. Regulares quoque homines quam plurimos adiutores quærebat. Societatis IESV conſtituit cœnobia duo primum ad eccleſiam S. Fidelis, alterum collegium fuit Braidenſe, ea conditione in perpetuum firmata, vt in eo logicæ, philoſophiæ, theologicæ, rhetoricæ, grammaticæ, linguarum græcæ & hebraicæ ſcholas apertas haberent, ad totius iuuentutis prouinciæ Mediolanenſis, & clericorum in primis honeſtiſſimum fructum. ad eam rem, loco, vt ſuperius tetigimus, Gregorio Pontifice demum impetrato, ſuam ſocietati contulit Aronenſem Abbatiam, vt nouitiorum domus Aronæ conſtitueretur; & Mediolani magiſtri, aliique magno numero, pro eo quod opus erat, facilius ſuſtentarentur. Quæ quidem collegia docendo, concionando, ſacris confeſſionibus audiendis virtutum chriſtianarum exemplis, magnos eccleſiæ ſuæ videbat eſſe vſus ad ſalutem allatura. Clericos alios regulares à Paulo IV. inſtitutos in vrbem deduxit. quorum vita religioſiſſima: tum aſſiduus in peccatis diiudicandis, viaque ſalutis tradenda labor, gregis fructum valde cumularet. Aliis ordinibus quærebat locum; ſi quid ſaluti ſuorum inde afferri poſſe videret adiumenti. In ea vero, quæ iam erant monaſteria viros doctrina, religioneque probatos mitti curabat; quibus vti poſſet. omnino mirum miniſtrorum, adiutorumque deſiderium gregis charitas in eum immiſerat: cuius ſalutari progreſſioni quamplurima videbat eſſe neceſſaria. ac reuera, etiam numero multo maiori, nullam reliquiſſet otii facultatem: tanta erat rerum multitudo, quas curari, effici, recognoſci aſſidue oportebat; tamque in omnibus rebus religioſe componendis progrediebatur in dies. Alias litterarias exercitationes ad cleri vſum induxerat; tum proprias quandoque alicuius vrbanæ regionis; tum communes omnium. nam in ſuis ædibus delegerat, qui certis diebus doctrinam de peccatis publice traderet: quo iubebat eccleſiaſticos homines, etiam parochos ad audiendum conuenire. Vt autem quæ ſemel didiciſſent, tenerent firmius; congregationes

De incrementis cleri, ſtudiiſque eiuſdem litterariis.

Duo Societatis Ieſu cœnobia conſtituta.

Epiſcopi officio alienum non putauit: & Epiſcopos laudauit Nicolaum Cremonenſem. Hieronymum Bergomenſem, Franciſcum Vercellenſem, cum id quandoque feciſſent. ſeque idem velle demonſtrauit, licet, quod ſciam nũquam perfecerit, Vnctionem extremam tribuit peſtilentiæ tempore, ſicuti narratum eſt. matrimonium ſæpius ſacro miniſterio ſuo celebrauit: quod libenter primarijs viris concedebat: vt ea via ſponſos ad matrimonium ſanctè contrahendum adduceret, immoderataſq; cohiberet nuptiarum voluptates.

Clericaliũ munerum functiones.

Eivs erat non diſſimile ſtudium in munerum functionibus exquiſite requirendis, quæ ad Inferiores clericorum gradus attinent: quibus ſingulis quid aſſignaretur officij diſtinctè declarauit, & vnumquemque iuſſit ſingillatim obire, dum per eos gradus proueheretur. viri graues, etiam dignitate, genereve præſtantes, quiq; confirmata, interdum etiam prouecta ætate, ad eccleſiaſticum ordinem tranſibant, humilis tamen clerici munia exequebantur, nunc cuſtodienda, mundandave eccleſia, nunc ære conuocationis gratia pulſando, alias vaſculum thuris miniſtrando alias presbyteris ſacrum facientibus vel Euchariſtiam diſtribuentibus inſeruiendo: quæ quidem ad populi documentum, ad ſacrorum dignitatem, ad fructum eorum qui faciebant, mirum quiddam valebant, neque vero quemquam ad ſuperiorem ordinis gradum admittebat, cuius de inferioris functione adhibita teſtimonium non videret: id quod etiam prouinciali decreto ſanciuerat. XXX.

De initiandis, & recipiendis ad munera eccleſiaſtica.

Cum permagni referat in Eccleſia: quæ de hominibus in ſacrum ordinem recipiendis, vel ad ſacra munera admittendis diſquiſitio habeatur, de qua grauiter veteribus Eccleſiæ decretis, recentibuſque præceptum eſt: tum de moribus, tum de litteris periculum fieri diligenter iubebat: ſiue quis ordinandus, ſiue eccleſiaſtico muneri perpetuò deligendus, ſiue ad confeſſiones audiendas, concioneſve habendas admittendus eſſet. qua in re nimis exquiſitam interdum interrogandi diligentiam queſtos eſſe nonnullos audiuimus. Carolo quidem ea res cordi vehementer erat vnde populorum ſalus magna ex parte pendere videretur. ſatis erat illi tamen, quantum rei grauitas poſceret, tantum in ea poni ſedulitatis. At erat ab eo quoque alienus, vt cuiquam in eo genere parceret: licet ob doctrinam, auctoritatemve quibuſdam paulò durius videretur, communem experimenti conditionem ſubire. his vero de cauſſis Carolus faciebat, quòd opinioni, ac famæ ſæpe veritas non reſpondet, quòd alioqui doctiſſimus, ea quandoque negligit, de quibus agitur: omnino, quòd, ſi eſt idoneus, ſummiſſionis chriſtianæ gratia, homo Chriſto conſecrandus, vel iam ſacer, illud fructuoſe pati poteſt: ſi vero minus idoneus, merito probandus offertur, vt poſſit repelli. præterea vero, quia ſacrorum canonum accurata cuſtodia, quæ illi ſummopere propoſita erat, ita videretur poſtulare: ne qua parte diſciplinæ ſacræ, quaſi rimas negligens: forte ruinæ periculum adiret. Interrogandi rationem vnicuique ordini conuenientem decretis prouincialibus expreſſit. Subdiaconos creandos præcipua ſtatuerat eſſe probandos diligentia, quòd eo gradu diuinis ſeſe perpetuo manciparent officijs, perpetuaque caſtitatis lege deuincirent. Ab ijs qui eſſent initiandi, certo die coram ſe vocatis, teſtimonia multa exigebat, de natalibus, de vitæ ratione, de ſacramentorum vſu, de diuinis officijs, de promulgatione nominis, de patrimonio ſi de ſubdiaconatu ageretur, de approbatione doctrinæ, alijſque de quibus hoc loco mihi explicandum non arbitror, cum ea decretis ad concilij Trident. normam deſcriptis contineantur, quæ ſunt in promptu. Ibi vero ipſe cuique vultum compoſitione, veſtitum diligenter conſiderabat, ſi ordini eccleſiaſtico eſſent accommodata. Subdiaconos, presbyteroſq; deſignatos, certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique relictis omnibus, apto aliquo ſacerdote duce, ſalutari contemplatione ſeſe exercere iubebat cuius adiumento ad meliorem, ſanctioremq; vitam, ſuſcipiendique muneris plenam cognitionem adducerentur. ad eam rationem tradendam à ſocietate IESV primò ductam, multos demum presbyteros plane aptos ipſe habuit. locum ad eam exercitationem accommodatum, multis cubiculis diſtinctum, ædificauit, in hortis eccleſiæ, quæ Canonicæ nomine appellatur, & Aſceterium congruenter nominauit. Ad alios Epiſcopos, huiuſmodi ſacramenti ſuſcipiendi gratia, fere ſuos non dimiſit. ne vel ex eo ſe labore eximeret, vel aliqua conſuetæ diligentiæ pars in eis approbandis omitteretur. XXXI.

Cleri diſciplina.

Adhibita in ijs diligentia, qui clericali ſe ordini darent, multum valuit ad cleri mores ſanctitatis ſtudio conformandos. Sed alia quoq; cura, multipliciq; diſciplina Carolus eum in officio continere ſtuduit. omnes alioqui non addictos, eccleſiæ certæ iuſſit aſſignari, vbi feſtis ſaltem diebus diuinorum officiorum ſeſe præberent adiutores. Quã frequenter peccata confiterentur, & Euchariſtiam ſanctiſſimam acciperent, obſeruauit: certos ex religioſioribus, ſed magno tamen numero, ſacræ confeſſionis miniſtros aſſignauit. litteras diſcere, qui per ingenium, & ætatem poſſent, curauit. liberam cõſuetudinem, vagationemq; per præfectos coercuit: vt neq; cum laicis, niſi iuſta de cauſſa eſſent, neq; in ianuis, vel vicinorum tabernis ſederent otioſi. vbi, & quibuſcum habitarent, ſingillatim nouit, habitationiſque locum inſpici iuſſit interdum, ſi arma eſſent, ſi libri, imagines, aliaue ab eccleſiaſtico decoro aliena. nã arma ne in itinere quidem vlla conceſſit. Ex agro Mediolanum venientes in certum diuerſorium ad id inſtitutum omnes conuenire iuſſit, quò laici non reciperentur clerici vero ipſi certis legibus ad eccleſiaſticam diſciplinam accommodatis haberentur. Diſceſſum ab eccleſijs, itinera, peregrinationes, niſi ex facultate præſcripta, non permiſit. Statum cuiuſvis clerici, conditionemque certo libro diſtinctam, ſubtiliterq; notatam habuit, ordinis gradus, beneficia, ſtudia, cognatos, habitationem, miniſterium, & ſi quid aliud noſſe intereſſet. eam notationem, quoniam mutari aliqua ſemper neceſſe erat, certo tempore, vocatis omnibus ſingillatim recognouit, & quibus rebus opus eſſet, renouauit. ex eo libro ſubito poterat de vnoquoque clerico ſuo plene omnia cognoſcere. At alias etiam fuit magis reconditus libellus: in quo de vniuſcuiuſque moribus notatio breuis continebatur: vt cum de aliquo eſſet ſtatuendum, quid ei committi poſſet, peruideret. Fœminas apud ſe habere vel nullas paſſus eſt, vel eas, ſi neceſſitas cogeret, quæ ſenectute, ſanguinis coniunctione, moribus, ab omni ſuſpicione eſſent alienæ. Canonicos, quantum potuit, in eorum ædes, pleriſque locis cœnobij cuiuſdam inſtar apud eccleſiam fabricatas, compulit: neque laicorum contubernia, niſi ſalua diſciplina tolerauit. Parochis, & eorum muneri valde fauit: quippe ſuis in animarum curatione præcipuis adiutoribus. quibus etiam proprium tradidit magnæ grauitatis indumentum. eorum Miſſas, eccleſiaſque frequentari, auctoritatem, officiaque conſeruari, & ab omni aliorum impedimento defendi, ſtudioſe curauit. Veſtitum clericalem ſynodalibus decretis conſtituit, pro cuiuſq; loco, ac dignitate diſtinctum, idq; ad eam fere rationem, qua clerici veteres vtebantur, Monitaq; vna cum ſocijs S. ſepulchri cultoribus ſanctè retinebat. Cum epiſcopum ad clericorũ collegia viſenda Caroli iuſſu eſſemus comitati, falſus eſt poſtremo, rectores, præfectos, adminiſtros clericos, quos ibi vidiſſet, ex modeſto, religioſoq; habitu regulares putaſſe, donec ſecus admoneretur. Eundem vidimus admirantẽ, quod in eccleſiis, aut in via, ne vnũ quidem ex infimis clericis, male, nedum ſordide veſtitũ vidiſſet. ſi publicis in gymnaſijs canonicæ doctrinæ cauſſa clericos morari permitteret, frequens Epiſcopi, Vicarijve vrbis illius teſtimonium requirebat, de vita modeſte, religioſeq; acta. In laicorũ familia, quacumq; dignitate illi eſſent, neminem, maximè presbyterum, ita eſſe permiſit, quod ſæpe antea non ſine magno ſacræ dignitatis contemptu fiebat, vt vllo modo in famulatu eſſe videretur. Hæc attigiſſe breuiter ſufficiat, vt huius generis ſpeciem ſaltem quandam exhiberemus. Quæ quidem diſciplina, litteris adiunctis, aliſq; nõnullis tuendę XXXII.

dignitatis

dignitatis adiumentis, de quibus exponemus; ad exiſtimationem, grauitatemque cleri penè abiectam erigendam magnopere valuit; qui quidem non exiguus fuit inter alios Caroli laborum fructus; ex quo multa populis ſalutaria extiterunt. nam, vt in officio clericos continuit; iuſteque puniuit delinquentes, ita bonis benigniſſime fauit, & vniuerſi ordinis exiſtimationem ſtudioſe defendit. Honoris inſignia libenter tribuit. cappas, vt diximus, rubeas canonicorum eccleſiæ maioris confirmari curauit: cæteris canonicis, quas appellant Almutias, Præpoſitiſque alias cappas tribuit. Prothonotarios, quòd non ita paſſim creandos exiſtimauit, tum ad eandem pertinuit dignitatem; tum etiam ad inane ſtudium honoris in quibuſdam comprimendum. Facultates etiam, vt ad vitæ clericalis decentiam cuiq; pro loci conditione eſſent, attente curauit.

XXXIII. Collegia conſtituit plura, quæ virtutum eſſent, quod eccleſiæ; immo & reipublicæ ipſius ſeminaria; vbi vita more cœnobiorum ageretur. probe namque nouerat, quid valeret educatio. diximus de collegio nationum finitimarum. de nobilium adoleſcentum alio tetigimus; quos literis, chriſtianiſque moribus, accuratiſſime inſtituendos curabat; vt ex iis probos, litteratoſque viros reipublicæ ſubminiſtraret: quò quidem exteri multi, nobiliſſimique adoleſcentes cupide mittebantur. quos, quoniam fidei ſuæ Carolus commendatos ſciebat; & ſpectatiſſimos ſacerdotes eorum gubernationi præficiebat; & ciues optimos rerum familiarium curæ. tum ipſe ſæpius inuiſens, accurate de rebus omnibus percunctabatur, omnia cognoſcebat, Euchariſtia, verbis diuinis paſcebat. Sed de collegiis dicamus cleri ſui. In eccleſiæ ſuæ ſeminario proprie appellato, quòd iam vſque ab initio per Ormanerum conſtituerat; clericos Mediolanenſes ad centum quadraginta ſolebat alere: & eccleſiaſtica diſciplina, tum litteris, & humanioribus, & philoſophicis, & diuinis, pro cuiuſq; captu inſtituere. ad tantum numerum ſuſtentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quæ ſimplicia dicuntur, prout poſſeſſoribus vacarent; ex variis locis, vbi eæ minime eſſent neceſſariæ, variis temporibus attribuit: & alias Apoſtolica in primis auctoritate comparauit, ad aureorum nummum circiter ſex millia annua. facilioribus litteris domi erudiri; grauiorum vero ſtudiorum cauſſa Braidenſis collegii magiſtros adire conſtituit: quorum ſcholas, vel ad hanc rem vnam fundauerat. Quæ ad conformandos mores; ad mentem religione, ſanctitateque imbuendam; ſacrorum diſciplinam diſcendam, adminiſtrandæ eccleſiæ facultatem comparandam, valebant; iis exerceri iuſſit. clerici nihil facultate non impetrata facere; ne abire quidem è conſpectu: binos exire domo: ordine, modeſteque ire, tum veſtitu nulla parte ſordido, vel indecoro. probati homines ſacri, die nocteque ſuo quiſque muneri, aſſidere: domo ſimul exeuntes comitari: Præfectus litterarum perpetuo doctrinæ ſtudia, progreſſioneſque vrgere, diſputationibus, concertationibuſque litterariis occupatos habere: Rector loci, grauius presbyter omnia moderari; ſacramentorum vſum, frequentiamque curare; frequenti exercitatione, communicationeque rerum ſpiritualium, diuinarumque, ad ſolidæ religionis præſtantiam, ſenſuſque ſanctiſſimos perducere. Carolus ipſe ſæpenumero adibat: audiebat pie declamantes: intererat diſputationibus: aderat diuinas res inter ſe conferentibus: ſingillatim cognoſcebat vniuſcuiuſque mores, litterarumque progreſſiones. ſtatis præſertim temporibus erat, præſens, cum de eruditione periculum fieri; & vniuſcuiuſque conditione, moribuſque diligenter examinatis, qui eccleſiæ vſui eſſe poſſint, diiudicari ſolet. Huius diſciplinæ inſtituta fuſe deſcripta, nondum plene recognouerat, probaueratve, cum ex hac vita migrauit. Clericos indole atque ingenio ad eccleſiaſtica munera, quantum fieri poſſet, aptiſſimos recipi curabat ætate vero annorum circiter XVIII. ne vel propter maiorem ætatem, ad ſcientiarum integra ſtudia minus apti, vel ob minorem, loco diutius oneri eſſent. facile quoque ex vicis, lociſque, vbi litterarum magiſtri fere non haberentur. quæ ita tenebat, vt iuſta de cauſſa tamen ſententiam ſæpe mutandam putaret. Vt quiſque, eiuſve parentes eſſent à facultatibus inſtructi, ita quod in annos ſingulos penderent ſumptus cauſſa, conſtituebat. qui ſumptum integrum non ſoluerent, eos adhibere ſponſorem iubebat; qui quod ob inopiam remiſſum eſſet, ſoluere promitteret; ſi clericus eccleſiæ Mediolanenſi poſtea noluiſſet inſeruire exteros fere non admiſit; aut ita, ſi ſumptui integre ſatisfacerent. Hæc primo collegia, clericorum ſocietatis IESV cura, operaque inſtituit. poſtea cum Mediolanenſes clerici multi eis ſuccreuiſſent, alii quoque eadem diſciplina inſtituti eſſent; eos adhibuit. Qui clerici vel ætate iam confirmata, vel hebeti ingenio ad ſtatum diſciplinarum curſum minime apti videbantur; eos alio loco latinis litteris, doctrina ſacramentorum, & ea facultate, quæ in cognitione peccatorum, caſtaque tuenda conſcientia verſatur, inſtituit erudiri, numero fere ſexaginta. Sed aliud collegium itidem quaſi parochorum ſeminarium habuit; in quo minori numero, homines ætate media, propiori ad parochias adminiſtrandas ſtudio inſtruerentur.

Collegia Mediolani conſtituta.

De Seminario a ſe conſtructo 140. clericorum.

De alio.

XXXIV His collegiis, adiuncta Oblatorum ſodalitate, magnum ſibi Carolus eccleſiæ adminiſtrandæ ſubſidium comparauit. Ex eiuſmodi enim ſeminariis, quaſi arbores pubeſcentes, alias, aliò transferens, vt opus eſſe animaduerterat, agrum ſuum bene conſitum, vberemque reddebat. extra collegia quoque, multi Braidenſis gymnaſii bono vtentes, Theologi euaſere. exteri prætetea eadem commoditate vſi; optimaque deinde Caroli adminiſtratione, tum auctoritate etiam inuitati, ſeſe eccleſiæ Mediolanenſi addixerunt. Ex omnibus item partibus ille ſtudioſe homines adducere ſolebat doctrina, moribuſque probatis, quos in eccleſia ſua varie, pro eo quod opus eſſe videretur, diſponebat: eum in ſuis retinendis contra, vel tenacitatem quandam adhiberet. Ita fecerat, vt in præcipuis diœceſis locis, aut eccleſiis inſignioribus, viros graues Theologos, vel iuris canonici peritos plurimos, & in canonicorum ſingulis collegiis, Tridentini præſertim canonis auctoritatem ſecutus, Theologos haberet. Regulares quoque homines quam plurimos adiutores quærebat. Societatis IESV conſtituit cœnobia duo primum ad eccleſiam S. Fidelis, alterum collegium fuit Braidenſe, ea conditione in perpetuum firmata, vt in eo logicæ, philoſophiæ, theologicæ, rhetoricæ, grammaticæ, linguarum græcæ & hebraicæ ſcholas apertas haberent, ad totius iuuentutis prouinciæ Mediolanenſis, & clericorum in primis honeſtiſſimum fructum. ad eam rem; loco, vt ſuperius tetigimus, Gregorio Pontifice demum impetrato, ſuam ſocietati contulit Aronenſem Abbatiam, vt nouitiorum domus Aronæ conſtitueretur; & Mediolani magiſtri, aliique magno numero, pro eo quod opus erat, facilius ſuſtentarentur. Quæ quidem collegia docendo, concionando, ſacris confeſſionibus audiendis virtutum chriſtianarum exemplis, magnos eccleſiæ ſuæ videbat eſſe vſus ad ſalutem allatura. Clericos alios regulares à Paulo IV. inſtitutos in vrbem deduxit. quorum vita religioſiſſima: tum aſſiduus in peccatis diiudicandis, viaque ſalutis tradenda labor, gregis fructum valde cumularet. Aliis ordinibus quærebat locum; ſi quid ſaluti ſuorum inde afferri poſſe videret adiumenti. In ea vero, quæ iam erant monaſteria viros doctrina, religioneque probatos mitti curabat, quibus vti poſſet. omnino mirum miniſtrorum, adiutorumque deſiderium gregis charitas in eum immiſerat: cuius ſalutari progreſſioni quamplurima videbat eſſe neceſſaria. ac reuera, etiam numero multo maiori, nullam reliquiſſet otii facultatem: tanta erat rerum multitudo, quas curari, effici, recognoſci aſſidue oportebat; tamque in omnibus rebus religioſe componendis progrediebatur in dies. Alias litterarias exercitationes ad cleri vſum induxerat; tum proprias quandoque alicuius vrbanæ regionis; tum communes omnium. nam in ſuis ædibus delegerat, qui certis diebus doctrinam de peccatis publice traderet: quo iubebat eccleſiaſticos homines, etiam parochos ad audiendum conuenire. Vt autem quæ ſemel didiciſſent, tenerent firmius; congregationes

De incrementis cleri, ſtudiiſque eiuſdem litteratus.

Duo Societatis Ieſu cœnobia conſtituit.

menſtruas in vnaquaque vrbis, & agri regione inſtitueret, quò ex ea regione tota certis diebus illi conuenientes, variis propoſitis quæſtionibus, de ſacramentorum adminiſtratione, de animarum vinculis ſoluendis, diſputationem haberent. piamque ei rei acceſſionem fieri iubebat, ſacra pro mortuis communiter celebrata. cuius inſtituit rationem libello fuſius comprehenſam edidit. Sed propria etiam cura parochos vrbanos ad conciones iuuari curabat: quibus hebdomadis ſingulis, quod proximo feſto legendum ex Euangelio in eccleſia erat, prius exponi quandoque iuſſit; & quaſi concionum materiam explicatam tradi. quos etiam interdum, vt quid poſſent, efficerentque, melius cognoſceret; ſcriptas ad ſe iubebat conciones afferre. Præterea veteres canones à Gratiano collectos, vti diximus, interpretari iuſſit. quo in ſtudio, quamuis ſumma fuerit Caroli voluntas, paucis tamen id perſuaſit: trahuntur enim facile omnes cæterorum exemplo, eaque libenter ſequuntur, quæ plurimorum iudicio, & vſum afferunt, & nomen: qualis eſt vulgatis canonum peritia, ſcholaſticique Theologiæ progreſſus at veteris eccleſiæ ratio bene cognita, ſolidæ vtilitatis eſt; arma contra hæreticorum impugnationes ſuppeditat. & ad eccleſiam ordinandam, conſtituendamque magnum præbet adiumentum. His inſtitutis, mutata prorſus eccleſiæ ſpecie; vbi presbyteri indocti, ſæpe etiam ſordidi erant; doctos habuit, & religioſos, qui populos ſalutariter docere, regereque poſſent, & quæ Carolus in dies ad meliorem rerum omni conditionem efficiendam præſcriberet, diligenter exequerentur. ex quo etiam populi ad debitam ſacer[dotibus] reuerentiam, obedientiamque ſalutariter excitati, magis in ſalutis via proficerent. Ac litteraria quidem ... ſtudia, vel ipſi maiores multò, quàm alioqui ſolerent eſſe, bibliopolarum quæſtus, oſtendebant.

De beneficiorum diſtributione.
Ambitioſos reiecit.

Beneficia omnia ſic mandauit, vt amicitiæ, gratiæ, propinquitatiſve cauſſa nihil moueretur. Si quempiam alicuius commendatione, gratiave vti, vel omnino ambitioſe quærere animaduertiſſet; ea ipſa de cauſſa [in]dignum iudicabat. Ipſe vero ſuos nouerat, omniumque actiones, vitam, ſtudia, per ſe, ac per miniſtros obſeruabat: & cùm locus daretur; nullius officio interpoſito, vocabat ipſe nec opinantes, ſacerdotiaque mandabat. vnum vero ſatis eſſe cuique beneficium, niſi aliter neceſſariò fieri deberet, omnium maxime volebat. ac illud in Carolo multis admirationi fuit; quòd etiam de facie ſuos fere omnes vel infimos clericos agnoſcere videbatur. optima temporum conditio; ad honores, ceteraque virtutis præmia, gratiæ, audaciæ, ambitioni aditus eſſe interclusos: probitati vero, doctrinæque ſic apertos, vt vltro etiam inuitaretur, nobilitati fauebat libenter, modo cum virtute coniunctæ: ſed humiles ſæpe probos, doctoſque eò vocabat, quò numquam ipſi, vel ambitionis fortaſſe ſtimulis incitati, auſi fuiſſent aſpirare. quæ quidem ratio, tum ad virtutum, optimarumque diſciplinarum ſtudia; tum ad eccleſiæ dignitatem, populorumque ſalutem vehementer valuit. ac licet ob humanæ mentis latebras, pro virtute aliquid ſeſe interdum inſinuaret hypocriſis, ſimulatio tamen non conniuentibus oculis, vel perlucidum eſt, vel certè minime diuturnum malitiæ velum. omnino tolerabilius iudicabat, virtutis veſte vitium aliquando latere, virtutique ſeruire; quàm apertum, cognitumque palàm recipi. interim ſibi cauendum nouerat, ne cuiquam non plene probato per ſe aditus eſſet ad peccandum liber. Eundem ſenſum præſtabat, ſi de beneficio, honore, facultatibuſve eccleſiaſticis alicui impetrandis rogaretur. cum eiuſmodi aliquid tentari poſſe perſpiceret; maxime ſi de epiſcopatu ageretur, hominem, ſi probaret, tantum proponebat; teſtimonium dabat, quod teſte conſcientia poterat: rogabat vero numquam, ne dum vrgeret: niſi id ſe officij Deo, & Eccleſiæ debere, manifeſte vidiſſet. rationem ſuam quibuſdam interdum ita probauit: ſi nemine vrgente quis dignitatem ſuſciperet; clarius eſſe diuinæ voluntatis iudicium. Federico ſuo, neque puero ex eccleſiaſticis facultatibus, quidquam vel contulit, vel ad maiorem ætatem reſeruauit, neque poſtea tanta indole adoleſcenti quæſiuit vmquam. ipſam Arbonenſem Abbatiam dudum in familia ſua retentam, non conquieuit donec à ſe, atque à familia repelleret; ne quid forte oleret hæreditarium. Nobilis vir, oblata beneficij occaſione, in eccleſiaſticum ordinem, ſe dare nomen velle ſignificauit; Carolique auxilium implorauit, cui negauit ille, minimeque probare reſpondit, hominem vitæ clericalis alioqui non ſtudioſum, beneficij gratia clericum fieri velle. Si de augendis Præſulis alicuius inopis facultatibus rogaretur, ſuadebat, vt paucis contentus eſſet. at nihilo ſecius adiuuabat, vbi animum cognouerat neque auaritia, neque inani ſplendore captum; ſed ſacri muneris perfecte adminiſtrandi ſtudioſum. Epiſcopo conſulenti, vtrum ob tenues facultates, contraheret æs alienum, an dimiſſo epiſcopatu alio quodam loco viueret, vbi in ſumptū plura ſubminiſtrarentur: neutrum reſpondit ſibi placere. aſſiſtere gregi ſuo ſacerdotem debere, niſi aliter qui poteſt, iuberet. abdicare ſeſe epiſcopatu; ſi quid offerretur difficultatis, eius non eſſe, qui integre, caſteq; vocatus iniiſſet. ſumptui pro facultate modum ponendum, veterum maxime Præſulum imitatione, qui & facultatum ſubſidio, cum ſuppeteret, ſanctè vſi erant, & eo deſtituti, ſancti tamen epiſcopatum adminiſtrauerant. Annuam penſionem Carolo ſoluebat Epiſcopus. ei vehementer poſtulanti, vt illud ſibi iuris remitteret, & reficiendæ eccleſiæ neceſſitatem, tenueſque fructus excuſanti; libere reſpondit, nullo modo ei ſe velle condonare, qui epiſcopatum, etiam adiecta penſionis conditione, quæſierat. facturum tamen, vt ea pecunia quotannis in eccleſiam illam reficiendam: vel ornandam aliorū opera inſumeretur. ita omnino concedendum quod petierat, ſi modo eccleſiæ cauſſa vere poſtulaſſet. Fructus ſuos vnicuique eccleſiæ, presbyteriſque ſingulis, integros relinqui curauit vehementer, & effecit. eo namque primum eccleſiam capeſſente, vel magna ex parte, vel toti, alienis hominibus erant reſeruati: ex quo fiebat, vt qui eſſent aliquo numero presbyteri, ſacerdotia recuſarent, quorum facultatibus, pro dignitate, vitæ cultum minime poſſent conſeruare, qui vero accipiebant, parui pretii homines, neque doctrina, neque auctoritate ſatis muneri ſuo facere valebant: vt præter ſacerdotis, vt tempora ſunt, ex ea re contemptum, neque ſacra ſupellex pro decoro parari, neque refici, vel ornari eccleſias, neque ſacra tecta haberi poſſent. Igitur neque penſionis onus vel minimum cuiquam eccleſiæ impoſuit vmquam, & ſi quis forte per auctoritatem ſuperiorem obtinere vellet; contra totis viribus pugnauit. cum ex ſatis magnis Præpoſituræ facultatibus, ex ſuis quidam, quo plurimum vtebatur, annuam penſionem ſibi vere impetraſſet, ea Carolus vt auferretur, ſtatim effecit. neque alius poſtea vmquam conari aliquid ſimile auſus eſt. Sacerdoti tantum penſionem conceſſam ſcio, is cum eccleſiæ diu vtilem ſane operam pro doctrina, virtuteque ſita nauaſſet, demum multi laboris parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere cogeretur, neque aliunde haberet vitæ ſumptum, moderatam penſionem ex eccleſia ſua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit. Quoniam vero eccleſiis, ſacerdotiiſque pleriſque licet integræ, tenues erant tamen facultates, quibus id opus fuit vel parochiæ adminiſtrandæ, vel Theologiæ docendæ, vel omnino neceſſaria de cauſſa; alias adiunxit, ex iis, quę ſimplicia vocant beneficia, quibus nullum fere munus coniunctum eſt. quod genus alioqui nemini vmquam, vel ipſe contulit; vel paſſus eſt conferri. ac ex iis beneficiis vnum, cum ex domeſticis quidam, cuius opera Carolo valde vtilis erat, ſibi, Carolo ipſo inſciente, comparaſſet; hominem, vt alijs eſſet exemplo; miſſum fecit. tum ſuis omnibus conuocatis, denunciauit; qui ei, vel potius ſacræ adminiſtrationi ſuæ inſeruire vellet; ſuo contentus ſtipendio, nihil eiuſmodi vmquam, neque omnino quidquam ex eccleſiarum ſuarum fructibus ſperaret, niſi quis à ſe idoneus iudicatus, vocatuſque, cum adiuncto munere, atque opera beneficium accepiſſet.

Humiles promouit.

Penſionis onus nulli Eccleſiæ impoſuit.

xxiv.

Cvm

XXXVI Cvm totius ipſe gubernationis auctor, tanta per ſe obiret, efficeretque, quanta vnius, modo hominis, viribus tolerabilia non videbantur: multis tamen eguit Vicarijs, & adminiſtris. Ac ea quidem, quæ ad forum, iudiciaque pertinent, fere non attigit; niſi quatenus ad iudices conſtitutos in officio continendos, corrigendoſve neceſſe eſſet; vt non tam iuriſconſultorum libris ad iudicandum; quàm prudentia, pietate, animi lumine, ſanctorum patrum decretis, exemplíſque opus eſſet. de decreto, ſpiritualia in primis ſibi ſuſcipienda ſtatuerat: quibus adminiſtrandis, ob rerum agendarum multitudinem, plures ſibi neceſſe fuit adiutores adſciſcere. Primò igitur iuriſdictionem, gubernationemque eccleſiæ ſuæ ita diſtribuit. Tres conſtituit præcipuos Vicarios, vnum, qui de rerum controuerſijs, litibuſque, alium qui de criminibus cognoſceret. priuatim vero, ac generalem, qui omnibus iudiciis, totique præeſſet gubernationi, ac diſciplinæ. Auditoris nomine alium delegit: qui ditionis eccleſiæ res tum alia quoque cognoſceret; & Vicarios alioqui maxime occupatos ſubleuaret. quos omnes vna cum fiſci procuratore, quantum fieri poſſet, fide, probitate, doctrina ſpectatos iuriſconſultos elegit: Vicarium vero generalem in primis grauem, pietateque, & religione præſtantem; tum præterea diſciplinæ ſacræ ſtudio incenſum ſacerdotem. Hos adhibere exteros ſolebat; ne forte amicitia, propinquitate, gratia, aut vero metu adducti, ius aliquo modo quandoque violarent, minuſve libere dicerent. eoſdem certo conſtituto ſtipendio, domi ſuæ alebat. cumque honoraria omnia, in cauſſis quidem ſuæ diœceſis prohibuiſſet: in externis exigua conſtituiſſet: penitus etiam interdixit, ne vel minimam rem vllam à quodam dono acciperent. nam vel de ſe ipſo affirmabat; ſi munuſculum à quoquam accepiſſet; aliquam in eum ea de cauſſa voluntatis inclinationem ſentire ſibi videri. ſi forte gratiæ, pecuniæve iudex ſeruiret, quod attentiſſime iubebat obſeruari; confeſtim miſſum faciebat. ſuis vero reliquis iuſſerat, ne cauſſam, hominemve quemquam iis vmquam commendarent. De litibus eſt memorabile, notariis, ſcribiſque fori, Caroli tempore accidiſſe; vt peritiam earum litium, quæ de beneficiis alibi tam frequentes inter clericos eſſe ſolent, pene dediſcerent. nulla enim eo viuente lis erat eiuſmodi. vocatus quiſque nihil agitans, ne cogitans fere quidem, beneficium accipiebat; ſine controuerſia retinebat; ſine auctoritate ſui Antiſtitis non dimittebat, aut permutabat. De criminibus; iuſtam vnumquemque ſubire delicti pœnam volebat, ſi res in iudicium deduceretur. ſi vero quis peccatum dolens, tempeſtiue, atque ingenue fateretur; tantopere commoueri ſe dicebat, vt ipſius miſericordiæ modum vix teneret. Aliquos etiam, ſi res ita ferret, prius ſemel, atque iterum monebat, antequam in iudicium vocarentur. Mitius egit poſtremo ſuæ adminiſtrationis tempore. ac initio quidem, ob magnam, inueteratamque licentiam, ſeueritate opus fuit. poſtea vel diſciplina, vel metu facilius in officio clerus retinebatur. Clericorum mores corruptos, qui tamen ad crimina legum pœnis digna non peruenirent, ita quandoque puniebat; vt homines non viſitato carcere, ſed ſuarum ædium cubiculo certis diebus contineret; quibus eorum petulantiam ieiunio, cuſtodiaque caſtigaret; & piorum quoque virorum oratione reuocaret ad ſanitatem. Hominem ventri deditum, cum illud quoque noſſet committere; vt æſtiuo tempore vinum ſacrificii cauſſa paratum aqua gelida iuberet refrigerari; complures dies incluſum ita tenuit; vt aqua illi tantummodo, eaque ad id in ſole tepefacta, potus cauſſa præberetur. Mulctas reis irrogatas in pios vſus, præcipue vero in pauperum eccleſiaſtica collegia iuſſit inſumi. Qui ex clero iuris eſſent periti; eos ex forenſi quæſtu ſtuduit ad religioſiora ſtudia reuocare; quamquam eorum facultate multis [illegible] rebus vſus eſt. ex his, aliiſque, quos domi plures ſemper habuit iuriſconſultos, alios aliis muneribus præfecit: Iudices ab Romana Sede dandos iis qui prouocarent, in ſynodo elegit: pauperum aduocatos, reorum, qui eſſent in carcere, communem patronum; alium qui pia legata ſolui curaret; Viſitatores, alioſque, de quibus poſtea dicemus. Cancellarium eccleſiæ; quo munere laicus antea fungebatur; clericum, eumque maioris templi canonicum, imitatione veterum elegit. Quoniam ex decretis plurima ſcripto concedo variis de cauſſis neceſſe erat; gratis fere dari omnia conſtituit. ſi qua de re autem, ad notariorum mercedem, rerumve ſcribendarum copiam, exigi aliquid oporteret; id modicum, aut etiam intra modum conſtituit. quibus de rebus, aliiſque multis in libello explicatum eſt, quem hoc de genere forenſi conſcribi, edique iuſſit. Vrbis ſingulas regiones, quæ ſex habentur ſingulis probatis, primariiſque ſacerdotibus aſſignauit; qui Viſitatorum auctoritate clericorum omnium mores, vitamque ſpecularentur; eccleſiarum cultum, & diuina munera obſeruarent: omnem denique diſciplinam, & canonica præſcripta cuſtodirent: quæ oporteret, ad Vicarium generalem quotieſcunque opus erat referrent: tum certis diebus ad eundem conuenientes, de ſtatu rerum ſuæ quiſque regionis, plene docerent; & quæ prouidenda, vel ordinanda viderentur, ex eius ſententia conſtituerunt. omnia vero Caroli nutu adminiſtrabantur: vel enim intererat; vel de grauioribus ſaltem rebus, Vicarios, regionum præfectos, alios adminiſtros audiebat.

Eius Vicarii ac præfecti.

Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ præfecturarum diſtributio.

Nulla lis Caroli tempore de beneficiis.

Pœnæ delinquentium.

Singulis vrbibus ſingulos viſitatores aſſignauit.

XXXVII. Diœcesis Mediolanenſis in certas regiones, quas appellant plebes, diuiditur. in vnaquaque regione, præcipua eccleſia eſt; eaque in vico fere, aut caſtello, quod eſt, anteave fuit regionis præcipuum. eccleſiis ipſis presbyteri præſunt, Præpoſiti dignitate inſigniti. & quantum ex antiquis veſtigiis perſpicitur, collegia canonicorum adiuncta erant; quorum aliqua nunc etiam manent. Ius quoddam eccleſiæ, Præpoſitoque fuiſſe videtur in tota plebe, quæ multarum eſt parochiarum; non diſſimili, quibuſdam in rebus, veterum Chorepiſcoporum inſtituto. Illud iuris præcipui, præter nomen, veſtigium eſt: quòd Baptiſteria ſunt inſignia; hoc eſt ſacella ſatis ampla, ſeparatim fabricata, vbi aqua baptiſmi ſtato tempore conſecraretur; &, vt puto, totius regionis infantes antiquitus ſacro baptiſmo abluerentur. hanc diuiſionem, ordinationemque ſecutus Carolus; presbyterum, certa mandata iuriſdictione, ac poteſtate, in ſingulis regionibus conſtituit; qui Vicarii nomine, aliis presbyteris, clericis, eccleſiiſque præeſſet, Præpoſitum quidem ipſum, ſi videretur idoneus; alioqui alium à quo poſſet arbitratu ſuo poteſtatem in alium transferre. ſunt hi Vicarij circiter quinquaginta: & quod in vrbe Præfecti, hoc ii fere ſunt in agro. horum ad quemque gubernatio regionis eum referatur; ipſi ad arbitrium Vicariorum vrbis, generalis præſertim reguntur, & ad eum de regionis ſuæ rebus, ſingulis menſibus, vel prout opus eſt, ſcribere ſolent. Sed commodioris adminiſtrationis gratia duos ex primariis ſacerdotibus in Vrbe delegerat, Viſitatoreſque generales appellauerat, quorum alter rerum Vrbanarum; reliquarum alter, vt generalis Vicarii adiutores, curam gererent. Ita cum diœceſani Vicarii de regionis ſuæ ſtatu tum aliis viis, tum ex parochorum menſtruis congregationibus cognoſcant, Mediolanumque ſcribant: vrbis autem præfecti frequenter itidem, vt dictum eſt, de rebus vrbanis referant; quo modo ſe res in tota diœceſi habeant, ſingulis menſibus Archiepiſcopus ſcire poteſt. At plures etiam, puta ſex, ſiue ex eccleſiis, ſiue ex domo ſua delegerat; qui diœceſim certis temporibus, in ſua ſuiſque aſſignata parte, peragrarent, omniaque viſitarent, ac recognoſcerent. vix enim fieri poteſt, vt perfecte pareatur, niſi ſit qui frequenter inſtet, & quid agatur coram inſpiciat. ac ne Viſitatorum huiuſmodi ſumptus presbyteris eſſet grauis; eos, honeſtos tamen viros, ſine famulis, vno comite notario, iubebat proficiſci. Hanc adminiſtrationem; cui vir vnus, Archiepiſcopo abſente, ſatis antea faciebat; tempuſque præterea ſupererat, quod relaxandi animi gratia conſumeret; nunc tam magno numero adminiſtri, perpetua Caroli ipſius addita cura, & labore; vix, aut ne vix quidem ſuſtinebant.

Diœceſis Mediolanenſis diſtributio.

Adminiſtratio à Carolo conſtituta.

Iſta

Eiuſdem viſitatio.

XXXVIII. IPSE quoque, cum reliquo tempore, ad vrbanas eccleſias viſendas vteretur, quotannis quibus diebus vbi minus incommoda foret eius abſentia, exibat ad reliquas recognoſcendas. ij dies erant, à Pentecoſte, ad Aduentum; ſi tamen ad Virginis celebritatem eccleſiæ maioris præcipuam Mediolanum recurreret, menſe Septembri. reliquis anni temporibus, erat manendi cauſſa maior, vel ex antiquis patrum decretis. nam quæ tempora ſanctius colenda pijs hominibus eccleſia proponit; iis adeſſe populo ſuo Epiſcopus maxime debet, ac precibus, concionibus, & exemplo ſalutariter eum excitare; vt Aduentus, & Quadrageſima eſt, cum adiunctis celeberrimis feſtis. ante Quadrageſimam omni ratione populi petulantia coram eſt reprimenda. à Paſchate, vt temporis celebritatem omittamus, ſynodis, & confirmationis ſacramento debita opera videtur. Igitur vicanas eccleſias luſtrans, celeritate, continentibus laboribus, numero comitum exiguo, magna parſimonia vtebatur, quibus rebus etiã onus hoſpitii leuabat: quo tamen vti commode poterat iure ſuo. ne quis omnino præter neceſſitatem eſſet in comitatu; tum ſua quemque ad neceſſitatis normam præſcripta: tum neceſſariam quoque Pontificiam ſupellectilem; ſcriptaque ad eccleſias pertinentia, virium diſtributa, ſuos iubebat. etiam honeſtos, & iuriſconſultos, in equis ferre famulorum more. plura ſinguli munera obibant; obeuntique Carolo variis rebus interuiebant. hi ſacramentorum loca, omnemque rationem recognoſcere: eccleſiæ ſacram ſupellectilem, tecta, & parietes inſpicere: beneficiorum, altariumque iura, inſtitutiones, conditiones cognoſcere: ſi presbyteri, & clerici munera debita obirent; quæ ratio vitæ, conſuetudinis, ſtudiorum; diligenter inquirere: de chriſtianis ſcholis, piarum ſodalitatum exercitationibus, populi cultu inueſtigare; hæc, & eiuſmodi alia perficere; ſimul ſacris faciendis in eccleſia inſeruire; cubiculo Caroli aſſiſtere; litteras ſcribere. Carolus ne puncti quidem temporis, ſine labore traducti ſibi veniam dabat. neque caloris, neq; vllius tempeſtatis habita ratione, eccleſia recognita, ſtatim adibat aliam. vbique concionabatur, ſacramentum Euchariſtiæ præbebat; cœmeteria, eccleſias, campanas, vbi opus eſſet, ſacrabat. peruulgata erat, quaſi prouerbium quoddam, itineris ſuſcipiendi hora, quam frequenter Carolus, in maximis caloribus eligebat; vt ea ratione tempori magis parceret; ea erat meridiana. præſcriptas parſimoniæ leges in victu nemini licebat, vel minima ex parte violare. Cum prompto animo, atque alacriter munera ſua obibat ſemper: tum hoc viſitationis extra vrbem libentiſſime. expreſſior ea videbatur, vt dicere ſolebat, Saluatoris imitatio; qui vicos, & caſtella, magno cum labore, ſalutaria docens peragrabat, tum ad vrbem quibuſdam temporibus, feſtiſque reuertebatur. delectabatur etiam natura hominum ſimpliciori; tum fructu in primis; quem ex ſuis laboribus, eorum pietate, animoque ad res ſalutares propenſo, capiebat, ſane multò quàm in ciuitate vberiore. neque verò non gratiſſima erant incommoda hoſpitia, perpetuique labores, operis, atque itineris. nullus erat tam deſertus locus, nullum tam aſperum montis iugum, quo is non perueniret; nulla tam remota, deſtitutaque eccleſia, quam non adiret. læto animo corpus lacte ſuſtentabat, cum opus erat. & caſtaneis, in foliis cubabat; omnem ferebat inopiam; neque enim ad commoditatem in comitatu portari quidquam patiebatur, quæ poſtremo tamen inopia, erat eius aſperitate perpetua multa minor. Ibi vero illuſtres homines: quorum multi numquam Epiſcopum vidiſſent; qui tantam in ſummo viro cernerent manſuetudinem, ſanctitatem, patientiam; gaudebant incredibiliter; magnæque ſe fœlicitati reſeruatos putabant. Vt autem ad interrogandum, & conſulendum pro eo ac canonica diſciplina poſtulat, eſſet in viſitatione paratior; concilii Tridentini canones, ſynodorumque ſuorum omnium decreta, in minu[illegible] breuiaque pronunciata partitus eſt; eaque ad certa genera redacta compoſuit in libello; quem muneris huius gratia, tum aliis quoque de cauſſis frequenter in manibus habebat.

Cœnobiorum virginalium gubernatio.

XXXIX. VICARIO viro graui, ſpectatæque integritatis ſacerdote, ad cœnobiorum muliebrium gubernationem, propriè vſus eſt. Non mediocris eſt occupationis, & laboris eiuſmodi cura; ob præcipuam, quam in genere Carolus curauit rerum omnium conformationem: quibus de rebus plurima ſunt in concilijs prouincialibus variis locis conſtituta; quæ quidem in vnum corpus Caroli iuſſu redacta, & ex latina lingua conuerſa ſunt; vt ipſæ virgines intelligerent. huiuſmodi Caroli ſtudium magnopere valuit, vt Pontificiæ conſtitutiones hoc de genere variæ ſancirentur; quarum magnus ad plurimorum ſalutem, fructus extitit. Reſtitutum huius generis diſciplinam, decretiſque ipſis expreſſam, longam eſſet explicare. ſed illa præcipua fuerunt; exquiſita in iis tantummodo recipiendis, & ad ſolemnia vota admittendis diligentia; quæ ſponte, ac ex animo, perfectioriſque vitæ deſiderio vellent. perfecta clauſtrorum ex omni parte cuſtodia; vt nemo ingredi, niſi nominatim probatus, & ex cauſſa neceſſaria poſſet, ac ne adire quidem ſine ſcripta facultate cuiquam liceret. feneſtræ ad collocutionem; rotæ ad aliquid immittendum, emittendumve, ſumma cautione factæ; quibus audire quidem, ſed videre nemo poſſet; niſi, quemadmodum certis de cauſſis permiſſum eſt. quæ foribus, rotæve aſſiſterent; quæ collocutionibus omnibus intereſſent, ſpectata fide delectæ. omnia inter virgines communia: ſacramentorum frequentia: regularis, ſpiritualiſque vitæ cognitio: diuinorum officiorum integra diſciplina: ad quæ vel muſica, vel alia re hominum frequentiam minime allici volebat. Ad hæc conſequenda, religioſos, probatoſque ex omnibus presbyteros adhibuit; qui ſacras

Quotannis monaſteria improuiſo viſitat.

confeſſiones audirent; & quæ opus eſſet docerent, hortarenturque. Ipſe vero quotannis. niſi alias quoque neceſſe eſſet, improuiſo cum ſpectatiſſimis aliquot ſacerdotibus ſingula monaſteria ingrediens, omnia diligenter perſcrutabatur. id cum ageret, ex ſenioribus aliquot ſemper virgines adeſſe iubebat, & comitari: reliquas omnes in eccleſiam ſuam ſecedere. atque perſcrutandi diligentiam mirio multos exemplo ſuo docuit: qui ſeſe ad omnia demittebat, vt omnia penitus inſpiceret. Foris vero ad crates conſiſtens ipſe, vel per ſacerdotem idoneum ſingillatim omnes audiebat, interrogabatque; vt res omnes, quo pacto ſe intus haberent, perfecte cognoſceret. Quotieſcumque monaſterium adibat, niſi aliud impediret, tum ſanctiſſimam eis Euchariſtiam ſolebat in Miſſa præbere; tum concionem quoque ad eas accommodatam habere. munus tradendi veſtitus, profeſſioniſque recipiendæ foris in eccleſia conficiebat, vt ingreſſus cauſſas nullas admitteret, niſi prorſus neceſſarias. cuidam ex ſuis forte interuenit, cum ille dietum ſingulorum actiones ipſius ſcribens, notauerat, eum in monaſterium quoddam introiſſe; neque cauſſam addiderat. reprehendit hominem, quòd Epiſcopi in monaſterium ingreſſum notaſſet; neque cauſſam adiecisset, quaſi arbitrio, non neceſſitate id fieri videretur; interdixitque, ne in ea ſcriptione pergeret. Cum eius ſoror, ob inopiam monaſterii, ſæpe egeret, nihil tamen vmquam perpetuum aſſignauit. tantum mittebat, quotieſcumque opus eſſet, qui ad regulæ normam neceſſaria ſuppeditaret. Hanc diſciplinam cum Vicarius curaret; quæ grauiora tamen inciderent, ad congregationem ſacerdotum. quos ad id Carolus elegerat; referebantur.

Congregationes, & conuocationes.

XL. MVLTIS conſiliis, ſeu congregationibus reliqua continebatur adminiſtratio; quibus pro vario rerum genere, variæ conditionis homines ex clero adſcribebat, ipſeque, quantum poſſet, intererat: ad catholicam fidem tuendam, ad grauiores fori cauſſas rectius cognoſcendas: ad iuriſdictionem eccleſiæ conſeruandam: ad reſpondendũ confeſſionum ſacrarum adminiſtris, qui ex tota diœceſi de rebus ad animas iuuandas pertinentibus conſulebant: tum præterea, de ritibus, & ſacris cærimoniis; deque libris eccleſiæ emendandis. & conformandis; de diſciplina, vt dictum eſt, virginum regularium; de domeſtica familiæ Archiepiſcopalis gubernatione. Mitto congregationes

terum, qui collegiorum curæ, pijſve locis præfecti erant. Certis etiam anni temporibus varia miniſtrorum, aliorumque genera ad ſe conuocabat, nunc regionum vrbis præfectos: nunc ex diœceſi tota Vicarios, qui quidem bis in anno aduenientes, de clero eccleſijſque ſibi commiſſis referebant; quæ opus eſſent, petebant; ſi quid eſſet cauſſæ, reddebant ſuæ rationem adminiſtrationis. ex bono, malove, quod in aliqua parte eſſe comperiebatur, conſulebatur reliquis. quod vnus ad meliorem rerum ſtatum in medium afferret: cæteris omnibus prodeſſet. vt autem Vicarij venirent inſtructiores; iubebat Carolus regionis ſuæ parochorum vnumquemq; prius eodem modo conuentum habere. Appropinquante voluptario tempore, conuocabat ex vtroque clero multos, de ſacris exercitationibus ad populum alliciendum, auertendumq; à voluptatibus agebat; conciones, ſupplicationes, ſacras quaſdam celebritates in præcipuis eccleſijs conſtituebat. Aliàs congregabat concionatores varijs eccleſiis attributos, præcipua populi mala, corruptelaſque commemorabat: eos officij grauiter admonebat. Aliàs cogebat ſacerdotes audiendis confeſſionibus præfectos plurimorum licentiam; diuturnam in peccato permanſionem; libidines; improbatos quæſtus; alias permanentes populi peſtes, enumerabat: quantum remedij poſitum eſſet in eorum auctoritate, diligentia, libertate, conſtantia, demonſtrabat: diuinis verbis ad animarum charitatem incenſos, ad earundem ſalutem vere curandam ſtimulabat. Parochos tum alias, tum appropinquante ieiunij fine, ſicuti in hiſtoria demonſtratum eſt, ad ſe adire; de publicis quorundam criminibus, quorum exemplum noceret quamplurimis, docere iubebat; ſacerdotem toti negotio præficiebat; qui ſacris legibus in eos ageret. Ipſe ſacerdote, cui flagirioſus quiſque ſoleret peccata confiteri, accerſitum reprehendebat: niſi officio ſuo ſatisfaceret, auctoritateque attributa ſalutariter vteretur, ſeſe ademptum minabatur. Tempus conſtituit quo parochus quiſque, ijs, qui in vnaquaque domo primum locum tenerent, in eccleſiam accerſitis, eorum præcipua officia commemoraret; & ex præſcripta formula moneret in vniuerſum, quæ facere, quæve cauere oporteret. Canonicos ſolos vocabat interdum. quæ propria eſſent illius muneris: de publicis horarum canonicarum ſupplicationibus, & ſacrificijs; de ſacrorum ſtipendiorum diſtributione; de notatione cenſoria in choro habenda, verum iuſte, libere, & omnino ex præſcripto fieret, inueſtigabat. Presbyteros etiam minores, quos capellanos dicunt congregabat; quæ ad eos pertinerent, percunctabatur, ac monebat. Cœnobitas interdum vocatos, vt ſeſe adminiſtrationis eius vere adiutores præſtarent, hortabatur; qua ratione id facerent; quibus abſtinerent; quæ perficerent, oſtendebat. Quodam tempore inuitabat magiſtratus, & verba faciebat, ad eorum munus apposite. alio iuriſconſultos; alio notarios; litterarum magiſtros; artifices: & vnumquemque ordinem, diuerſis diebus, & eccleſiis iuuabat ſeparatim; Euchariſtia ſanctiſſima præbenda; concioneq; ad vnum quodq; genus accommodata.

XLI. VIRGINES, quæ domi cum ſuis viuentes, in beatæ Vrſulæ tutela, Deo dicatæ, abſque ſolemni voto caſtitatem profitentur; maximo numero tum in vrbe, atque in agro prouenere. Multi etiam laudabiles cœtus imitatione cœnobiorum, non ſolum in B. Vrſulæ, ſed aliarum quoque ſanctarum in fide, clientelaque ſunt conſociati. tanta enim vis eſt illius vnguenti myſtici, quod ſacerdotis capiti diuinitus infuſum, in reliqua membra ſenſim fluit: vt vnius Præſulis ſanctitate conſtituta; multa paſſim pie ſancteque fiant, quibus etiam nihil is, vt fierent, contuliſſe videatur. Atque has quidem interdum in ſuis eccleſijs, vt occaſio ferebat: illas vero certo tempore in vnam eccleſiam collectas, cibo duplici, Chriſti Domini corporis, & eiuſdem diuini verbi, paſcebat. omnibus vero licet præeſſet cœnobiorum præfectus; ſpectatæ tamen etiam integritatis, religioniſque ſacerdos earum proprie curam geſſit; qui voluntatem cuiuſque: moreſque ante probaret, quàm ad inſtitutum admitteretur; veſtitum traderet: vouentem reciperet; tum vitæ quoque omnium rationem, ſpecularetur; ſi caſtitatis, religioniſque profeſſioni reſponderet. Ex his autem ſocietatibus duo conflata ſunt monaſteria. alterius inſtitutio ſic ſe habuit. Cum vulgatum iam eſſet, Romæ, Peruſij, & alijs quibuſdam locis virginum cœnobia nuper eſſe inſtituta, quæ Capucinorum inſtitutum imitarentur. puellis quibuſdam ex iis, quæ Patrum ſancti Barnabæ præcepta ſecutæ, virginitatem colebant, vitamque religioſe agebant, eam Deus mentem dedit; vt Patris eorum cohortatione accedente, eiuſmodi ſuſcipere vellent diſciplinam. quæ cum in inſigni vitæ duritie diu perſeueraſſent; veſtitus aſperitate tamen in publico occultata; ad eccleſiam prodeuntes ſacramentorum gratia diu ventitaſſent. actum eſt denique de clauſo cœnobio in ſanctæ Claræ tutela rite conſtituendo: quod negotium Carolus, qua opus erat auctoritate vſus, cito confecit. Quatuor eiuſdem ordinis virgines Peruſio accerſiuit; quarum in primis ductu tota diſciplinæ ratio, animi virtutibus, aſperitateque excellens, recte inſtitueretur. veſtitum ijs numero circiter viginti, in eccleſiam maiorem per nobiliſſimas matronas deductis, rite tradidit VI. Calend. Maij. M. D. LXXX. quam actionem, Pontificia Miſſæ ſolemnia, Caroli concio, cleri totius conuentus celeberrimam reddidere. mox congruo tempore ſolemnem earum profeſſionem accepit. atque amplificato ſpatio eccleſiam ſanctæ Praxedis nomine, ædeſque ad inſtitutum accommodatas ædificauit, ſumptu ſane quidem magno, ex piorum hominum fere liberalitate ſuppeditato. atque mira omnino frequentia locum ſibi virgines Mediolanenſes in eo cœnobio poſtea quæliere; vt circiter ducentas quandoque numeraremus, quæ omni diligentia conquirentes, qui apud Carolum, aut Vicarios commendatione valerent, omni ratione, ſuffragationeque ſeſe inſerebant, ſtudio profecto non minori, quàm in petendis honoribus ambitioſi homines vti conſueuerunt. Alterum monaſterium itidem S. Claræ diſciplina inſtitutum eſt. cum enim Ioanna Viſtarina Mediolanenſis puellas inopes ſecum in domo piæ liberalitatis gratia ſuſtentare, pijs, & religioſis moribus, eorundem Patrum S. Barnabæ ductu, præceptiſque inſtituere cœpiſſet, quorum ad eccleſiam erat ob ſacramenta frequens, auxit paulatim numerum. tum Carolo conſulto, viro conſentiente, domum iis coemit, eccleſiam, & monaſterium ædificauit, & S. Barbaræ nomine locum dedicauit. hoc item cœnobium Carolo propter exquiſitam animorum Deo penitus deditorum religionem, victus, ac diſciplinæ omnis duritiem, valde probatum fuit. Alia fœminarum pia collegia, vel cœpta iam confirmauit, multumque auxit, vel inſtituit ipſe. Viduarum ſocietas in ſanctæ Annæ tutela, eius eſt auctoritate conſtituta: nempe earum, quæ poſt vnius viri mortem, caſtitatem conſeruare, & præcipua diligentia pie viuere vellent. Honeſtæ mulieri multum fauit, quæ eo ſe munere occuparet, vt virgines earum ſumptu religioſa ſimul educaret diſciplina, fereque ad regularem vitam ſuſcipiendam inſtitueret. Locum, qui Succurſus appellatur, cœptum illum quidem antea Hiſpanæ cuiuſdam inſignis mulieris opera, fabrica, cæteriſque rebus conſtituit; vbi fœminæ interim ſeruarentur, dum vel pudicitiæ conſuleretur, vel cum viris componerentur lites. ſanctę Valeriæ domum, quę Conuerſarum dicitur, auxit: vbi magno numero mulieres ad perpetuo, religioſeq; conuiuendum ex impudica fere vita recipi ſolent. Aliud fundauit, Depoſitumq; S. Mariæ Magdalenæ nominauit, ad eccleſiam S. Zenonis, vbi eæ reponantur, quæ ſubito de cœno turpitudinis in quo iacent, extrahendæ ſunt. vt interim, quid ijs faciendum ſit, conſulatur. At marium quoq; cœtus, præter ea quæ diximus ſeminaria, nonnullos inſtituit. Qui peſtilentia demum extincta mendici ad Victoriam reliqui fuere; eos in vrbanas ædes Stellæ nomine appellatas deduxit, vnde virginum collegium eduxerat. piumq; opus augens, vagos homines, qui victũ oſtiatim mendicant, quorum vitam, ob incertas

Virginum, & aliarum fœminarum inſtituta, piaque collegia.

Anno 1580. Capucinæ inſtitutæ.

Alterum S. Claræ monaſterium conſtitutũ.

Alia collegia inſtituta.

ſedes

ſedes ſpeculatur nemo: qui ſæpe ad turpem inertiam, deſidiamque, piorum hominum abutuntur miſericordia; in eundem locum compelli; certa diſciplina, certiſque faciendis operibus contineri curauit. Sodalitia quoque hominum eorum, qui alioqui laici ordinis, certis piæ vitæ legibus continentur; eccleſiæ ſibi aſſignatæ cultum procurant; feſtis diebus ad ſimul precandum in eam conueniunt, habitu ad mundi contemptum, pœnitentiamque accommodato, publicæ ſupplicationis gratia exeunt; hæc inquam, & quę multa iam erant, auxit, & alia inſtituit. qua ratione quamplurimos ad meliorem vitam adduxit, ab otio, vitioſiſque factis, die feſto, traduxit ad res ſalutares. eorum tamen inſignia quædam priuilegia benignitate Pontificum impetrata, quibus abuti multos ſic animaduertebat, vt eccleſiaſtica diſciplina corrumperetur; ipſe qui rerum veritatem inſpiciebat præſens, rebus Romam relatis, temperari, ac imminui curabat. Religioſius vero ſodalitium in S. Mauritij tutela conſtituit eorum; qui matrimonij expertes, in poſterum quoque ſibi vitæ caſtitatem proponerent; & viuendi rationem à vulgaris conſuetudinis vanitate ſeiunctam amplecterentur. quorum opera Carolus, cum in aliis piis officiis, tum in chriſtianis ſcholis habendis præcipue vſus eſt: licet multò plures ea res requirat operarios. Hæ ſcholæ ad tradenda maribus, fœminiſque ſeparatim chriſtianæ doctrinæ rudimenta, per eccleſias, foris, & in vrbe paſſim habentur. Vnaquæque ſchola, & regio ſuos habet adminiſtros, qui feſtis diebus, ſuo quiſque loco, & munere, ei operi vacant: vniuerſis ſacerdos eſt præfectus, viſitatoreſque conſtitui; quibus cæteri miniſtri frequenter de religioſæ exercitationis progreſſu, ſtatuque omni referant, qui certis temporibus communicent inter ſe, locaque perluſtrent, & quemadmodum ſe res habeat, vbique diligenter inſpiciant. Hæc exercitatio ante Caroli aduentum boni viri laici ſtudio incepta, non ſolum ignorantiæ malo in iis quæ ſalutis ſunt, medetur; ſed in maxima, & prope infinita multitudine bonos mores, religioſumque cultum conſeruat. Ac de huiuſmodi, inſtitutis, ſocietatibuſque ſingulis leges, præceptave conſcripta, & ex maiori parte edita ſunt.

De eius ſynodis, ac decretis.

Hæc diſciplinæ, gubernationiſque ratio, quæ vt per nos fieri potuit, breuiter adumbrata eſt, ſynodorum XLII.
prouinciæ, diœceſiſque decretis continetur: cum magna quoque ex parte edictis, præſcriptionibus, monitis, litteris publicis, quas paſtorales dicunt, explicatur: quorum magnum volumen edidit Petrus Galeſinus, inſcripſitq; Acta Eccleſiæ Mediolanenſis. incredibili ſtudio nunc ab omnibus orbis chriſtiani partibus expetitum, Epiſcoporum concilia ſex cum celebrauerit, vt ſuis locis in hiſtoria tetigimus; ſex etiam edidit decretorum volumina, iiſdem rerum fere generibus, tituliſque diſtincta, quæ omnia in vnum corpus, ſub iiſdem capitibus componere, ad faciliorem vſum cupiebat: eamque opus ipſe propemodum abſoluerat, cum ex hac vita deceſſit. Tanti hanc ſynodorum actionem faciebat, vt epiſcoporum excuſationes difficiliter acciperet, ne conuenirent. quin etiam Cardinalem epiſcopum prouinciæ, ſub concilii tempus, nulla neceſſaria cauſſa Mediolano abiturum, cum precibus non poſſet, auctoritate Pontificia, iureque ſuo tenuit, vt concilio intereſſet. Diœceſis ſynodos, ad ſacrorum canonum præſcriptum, vel habuit quotannis, vel ſi diſtulit, à ſummo Pontifice dilationis impetrauit facultatem. ibi præter decreta populo ſuo, proprio accommodata, quorum libelli quatuor habentur, multa efficiebat ad recognoſcendam, conſeruandamque cleri diſciplinam, de quibus ſuperius commemoratum eſt. Hæc omnia decreta, vel ex eo faciebat, quòd vſus, ac aſſidua ſpeculatio in clero, populove, corrigendum, meliuſve reddendum docuerat, vel ex eo, quòd antiqua diſciplina ſuppeditabat, ad perfectiorem eccleſiæ conformationem. ex his alia prius in decreto erant, quam in vſu, alia vſus ante probauerat, quam in decretum venirent. quædam in ſua diœceſi conſtituta prius, & perfecta, ad vniuerſæ prouinciæ vſum deducebat.

Alia Caroli officia, eiuſque æſtimatio.

Ad hoc tantum, tamq; multiplex gregis vniuerſi curandi ſtudium, ac laborem, quotidiana poſſunt addi pa- XLIII
ternæ charitatis officia, quæ ſingulis ille petentibus, viduis præſertim, ac pupillis negauit numquam, ſiue conſilio quis, ſiue gratia, ſiue re iuuandus eſſet. quæ quidem benignitas fecerat, vt qui calamitate aliqua premeretur, qui ad graue aliquod munus, opuſve ad pietatem pertinens, eſſet aggreſſurus: aut de ſumma rerum ſuarum deliberaturus, ad eum tanquam ad patrem confugeret: priuatis publiciſque rebus ſuis homines etiam exteri ſalutare auxilium ab eo quærerent. Itaque damnatis à Principibus repetitis acriter officiis, vitam impetrauit, miſeris ſtudioſe ſubuenit, ſi miſericordia digni viſi ſunt.

Viduam à mortis ſententia liberat.

Romæ cum eſſet, infælix vidua magiſtratus ſententia capite damnatur, illa ad Carolum mittit, teſtatur ſeſe vi cruciatuum coactam, confeſſam eſſe, quæ vere non fecerat. Carolus Pontificem adit: vt cauſſæ cognitio repeteretur obtinet, mulieris patrocinium ſuſcipit, ea demum innocens cognita abſoluta eſt.

Perditos ad viam reduxit.

Homines perditos, qui conſcientiæ ſtimulis agitati, ſuæque miſeriæ ac officij diuinitus admoniti, extremo interdum conſilio ſupplices adiêre: conſilio, auctoritate, idoneorumque ſacerdotum opera, iuuit peramanter, & in rectam viuendi viam reduxit. Principes, ac militiæ duces etiam ex longinquis prouinciis in ſuis difficultatibus, obſidionibus, ac bellis, pia quadam fiducia, precum eius ſubſidium, conſilium etiam, atque operam petiêre. Ciuitatem vero ſuam non iis ſolum rebus, quæ ad animæ ſalutem pertinent, ſed aliis quoque iuuit amantiſſime, quotieſcumque fuit opus. multa ſunt, quæ ad patriæ commodum, ac ornamentum curauit, Pio præſertim auunculo viuente. Annonæ inopiam frumento ab exteris impetrando, profuſis dandis eleemoſynis, omni denique ratione ſubleuare conatus eſt: quamquam eo viuo modica, præ tempore quod ſequutum eſt, illa fuit. His rebus incredibilem ſibi conciliauerat omnium ordinum amorem, atque obſeruantiam. vel aſpectu ipſo videbantur homines ad bene viuendum incitati cum exiret fere quotidie ad varias ſui muneris functiones, quacumque tamen tranſibat, cupide accurrebant ad eum, ex ædibus inter ſe vocabant, vt viderent, & ſigni ſalutaris, fructum perciperent, quòd manu modo

Reuerentia Carolo exhibita.

ad hanc, modo ad illam partem verſus, incedens perpetuo faciebat. atque cum ita accurriſſent, vtrumque genu humi ponebant omnes: ex equo plerique deſcendebant, quæ quidem abundantia quadam pietatis, & amoris, ſponte ſua facere inſtituerunt. ac ſolebant fœminæ, magnam partem, cum is tranſiret, ſibi velum, vt in eccleſia iubebantur, imponere: & non ex edito, ſed plano loco ſe venienti offerre; ea quoque de cauſſa, quòd ab eo doctæ erant, contra chriſtianum officium videri, ex feneſtris, & omnino ex editiore loco ſacros ordines, reſque ſacras prætereuntes, ſpectare. Qui cacodæmonum vexatione laborabant; ii adducebantur dum præteriret: acclamabant illi quidem, agitabanturque vehementer: ſed ad vllum expellendum numquam ſeſe Carolus conuertit. tantum, cruce extra portam Tonſam erectæ, quod peſtis cauſſa factum erat omnibus compitis; ſolemni ritu benedicens, eorum

Dæmones Carolo obediunt.

procaciam repreſſit. nam eo concionante, cum mulieres duæ, ſeu dæmones in eis adeo magnos ederent clamores, vt verba minime poſſent exaudiri, nemoque efficere potuiſſet, vt tacerent: tandem ad eas Carolus, conuerſus, cum manu tantum benedixiſſet; tacito iuſſu ita paruerunt, vt nihil amplius auderent mutire, cum ibi tamen vſque ad finem permanſiſſent. quod cum attenderent aſtantes, ſeſe mutuo præ admiratione intuebantur. Ac non reuerentia ſolum erga Paſtorem ſuum; ſed re ipſa, moribuſque chriſtianis mirum in modum profecêre Mediolanenſes. nam vt alia hic non repetam huius rei indicia, à Caroli tempore, ſicuti ab ipſis magiſtratibus accepi, criminum iudicia multò pauciora fiunt. quæ ex re quæſtores regii mulctarum, bonorumque publicatorum damnatorum minus habent, quod in fiſcum referant, quàm antea conſueuiſſent. Non eſt tamen negandum, quòd ad nobilitatem magis excitandam valere velim, ſolitum fuiſſe Carolum queri; quòd reliquam multitudinem ſatis facilè flectens; patritios tamen, quos ſemper, & initio præcipuè iuuare ſtuduiſſet, inueniret in ſalutis negotio plerumque duriores.

Cum

Cum ſe totum in vnam gregis ſui curam concludere videretur: eius nihilominus nomen vt frequentes auditum eſt Deus apud omnes nationes ſumma cum laude virtutis admirabilis, celeberrimum reddidit. In Luſitaniæ finibus cum eſſem, & ex incolis quidam Mediolanenſem eſſe me audirent. Ita ne, aiebant, ex ea ciuitate, vbi ſanctus ille Cardinalis eſt Epiſcopus? Verum haud ita ſubito Deus tantam ei conciliauit opinionem. plurimi enim, primis annis variis nominibus obtrectabant; ſimulationem, quidquid egregie conaretur, dicebant: ipſam honorum, facultatumque ampliſſimarum contemptionem multi cauillabantur. cum verò diuturnitas, & conſtantia; in primis verò vitæ pericula, peſtis tempore adita, ſimulationis crimen ſatis refelliſſent; bonam mentem fatebantur; ſed iudicium, prudentiamque requirebant. tantis rebus demum tam præclare geſtis, talique rerum omnium exitu, ſenſus eiuſmodi, non ille quidem omnino extinctus erat; ſed tamen, quantum humana conſuetudo, miſeriaque patitur, imminutus. quod de ipſo euenit: id cæteris prædicare ſolebat antequam eueniret: non deterreri Epiſcopum debere, aliumve Dei ſeruum; ſi primò quæ faceret multis diſplicere, ſi etiam obtrectari ſibi videret, nam ſi recta via pergeret; fore tandem, vt aliud plerique ſentirent. Integram autem Epiſcopo in primis dicebat propoſitam eſſe debere virtutis diſciplinam: nam ſi qua parte deficeret; ibi obtrectandi, calumniandique reliqua, maleuolis, ac infirmis aditum dari: & ex ea parte rem totam facile corrumpi. Magnum igitur erat eius apud omnes pondus auctoritatis. verebantur illum etiam ſummi viri, ſummiſque locis collocati: ſi quid peccati eſſet, ſtudioſe cauebant, ne ad eum referretur: eo adueniente remouebant, ſi quid non optime ſe habere apud ſe aduerterent. Quiduis illi recte committi poſſe putabatur. in eius fidem nihil ſuſpicionis ab vlla parte cadere: ſua quiſque eius arbitrio libentiſſime permittere; tutum, ſanctumque exiſtimare, quod eius fidei commendatum eſſet. Ipſi hæretici ſi forte viderunt, aut de eo audierunt, virtutis eximiæ vi coacti, magno ſunt eum honore proſecuti. Qui ex tranſalpinis eccleſiis in Italiam venirent; ijs quantum ex multorum facto cognouimus, propoſitum in primis videbatur, Mediolanum ad eum viſendum diuertere. Italiæ, aliarumque prouinciarum Epiſcopi eccleſiaſticæ diſciplinæ, eccleſiæque bene gerendæ ſtudioſi, ab eo præcepta, auxiliumque petebant. deſignati curabant, vt ab eo ſibi manus imponerentur. eius acta, præſcriptaque: totius denique gubernationis, atque adeo vitæ rationem, poſtulabant. quod idem ampliſſimi Cardinales multi fecere: quibus Carolus neque optimo conſilio, auxilioque deerat; & pari modeſtia tamen reſpondebat. Epiſcoporum porro non magiſter ſolum; ſed perfugium quoque habebatur: qui ſi difficultate aliqua premerentur, magna ad eum fiducia confugiebant; eiuſque commendatione, ac patrocinio, apud ſummum Pontificem, ſacrumque orbis Chriſtiani Senatum, tum etiam apud Reges, Reguloſque vtebantur. Ex eis multi ad eum veniebant; nonnulli diu morabatur; vt omnia plenius cognoſcerent. præceptis, ſcriptiſque variis locupletati diſcederent. quandoque etiam clericos eius gubernationis peritos impetrabant; quos ille, ſi videret ita reip. Chriſtianæ conducere, parcus alioqui, tenaxque in ſuis ſibi conſeruandis, ad tempus non negauit. conceſſit Vincentium Albanum Theologum Alexandro Archiepiſcopo Aquarum Sextiarum in Gallia: qui diſciplinæ cauſſa plures Mediolani moratus menſes, magno accenſus imitandi Caroli deſiderio, demum in patriam reuerſus, non pauca reſtituit; aliaque grauia conatus eſt ad animarum fructum, diſciplinæque ſacræ inſtaurationem. conceſſit Dominicum Ferrium Theologum, & canonicum Mediolanenſem Andreæ Battorio, quem fratris filium Stephanus Poloniæ Rex Romam mittens, primo iuſſit ad Carolum diuertere; eiuſque præcepta diligenter audire. Carolus autem optimæ indolis adoleſcentem omni humanitate complexus, ita iuuit; vt ab eo patris nomine mira obſeruantia appellaretur; & mirum in modum coleretur. potuit Andreas in ea erga Carolum obſeruantia, quam ſemper conſeruauit, Regem ipſum imitari: cum is mirifice Carolum obſeruaret; ex animo ſe bellorumque ſuorum euentus precibus illius commendaret; conſilia ſua interdum communicaret. Alii Reges, Reginæ principes, populi eius nomen, ſanctitatemque magna pietatis, ac venerationis ſignificatione coluerunt: eius conſilia, monitaque cum vſu venit plurimi fecerunt. imaginem quoque adhuc viuentis ſtudioſe multi quæſiere: ipſeque Philippus Rex Catholicus eam in cubiculo ſuo iuſſit aſſeruari. In his Italiæ Regulos omnes numerare poſſumus, ſed Emanuelem Sabaudiæ Ducem memini frequentes ad eum litteras ſua manu ſcriptas mittere; ſummiſſioneque incredibili, ſupplicem & orationis, & monitionis auxilium poſtulare; teſtari vero aperte, ab eo ſeſe monita tamquam ab ipſo Deo accipere. cuius pietatis ſtudioſum imitatorem filium reliquit. Alexandri Parmenſis Ducis venit in mentem, qui ad Carolum ſcribens affirmabat; in difficili illa Belgica adminiſtratione aditurum ſe fidenter omnia pericula, modo ſciret eius ſe quotidianis precibus Deo commendari. ex aliarum vero prouinciarum Regulis, Gulielmus Dux Bauariæ pro ſuo ſummo in pietatem, chriſtianæque vitæ ſanctitatem ſtudio, nemini conceſſit, qui Carolum ſingulari amore, atque obſeruantia proſequeretur: quod iis officiis omnibus ſemper oſtendit, quæ Antiſtiti, patrique optimo tribui maxima potuerunt. Poſt mortem quæ nam eius ſit exiſtimatio, declarat eorum fiducia, nobis ante commemorata, qui paſſim in calamitatibus ſuis eum inuocant adiutorem. prudentia vero, animique lumen in adminiſtranda eccleſia tanti æſtimatur, vt huc plerique deueniant, qui rebus eccleſiaſticis ordinandis ſtudent, ſcripta conquirant; inſtituta diſcant: auferant quidquid poſſunt. præterea, ſi quid apud eos qui cæteris præſunt, in dubium vocatur, eos etiam ipſos qui ab eo viuente diſſenſerunt; illud ſufficere videtur ad confirmandum, ſi Carolus ita feciſſe demonſtretur.

Ab omnibus laudatur.

Alexander Archiep. Aquarum Sextiarum.

Claruit S. Carolus Borromeius poſt mortem plurimis miraculis quæ iuxta Italicum Compendium Canonizationis dicti S. Caroli recitat Erneſtus Cholinus VVirthius in libello, quem de vita & miraculis euſdem conſcripſit. Canonizatus eſt à Paulo V. Pontifice Anno 1610. Kalendis Nouembris.

VITA HENRICI A ZVVIFALTACH SVEVI, MONASTERII OCHSENHAVSANI PRIORIS RELIGIOSISSIMI. SCRIPTA A MONACHO

Ochſenhauſano. Ex M S. codice Monaſterii Ochſenhauſani, ab Henrico Caniſio tomo 5. antiq. lect. edita.

TOTIVS bonitatis autor Deus, qui omnes ſæculi labentis ætates, ſingulari ſemper aliquorum vita & ſanctitate conſueuit illuſtrare; noſtra quoque tempora in ſanctæ memoriæ Henrico quodam noſtræ obedientiæ Presbytero & Monacho dignatus eſt viſitare. Hic itaque vir beatus in Sveuia, apud villam, quæ vocatur Zwifaltach, nobili genere natus, diſcendi gratia in eodem loco litteris eſt deputatus. Quibus, pro ætatis modulo, ſatis diligenter conſecutis, annos ingreſſus eſt iuuentutis, & totis ſe continuò vanitatibus ſeculi immerſit, relicto itinere ſalutis; ſed quia diues eſt in omnes gratia Saluatoris; tam mirabiliter, quàm etiam velociter hunc in viam pacis, de ſemita reducit erroris. Quadam denique die, cum ſe in præfata villa quibuſdam choros ducentibus ſolita miſcuiſſet laſciuia mentis, repentè inter ipſa ludentium ludicra, compunctus eſt miſeratione Dei omnipotentis. Et quoniam in conuerſo pectore neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, abdicatis mox laſciuorum votis, valedicere cœpit amicis & notis: profeſſus renunciare ſe velle negotiis ſeculi

4. Novi. Henrici Patria.

Conuerſio eius.

Ochſenhauſenſe monaſterium petit.

totis. Illis autem non credentibus, & quaſi ludo hæc diceret, irridentibus; ipſe nihil moratus, ad hanc noſtram cellam, quæ antiquitus Ochſenhauſen nominatur, conuolauit, ſeque Monachum fieri ſumma cum deuotione poſtulauit. Mirantur fratres tam ſubitam eius conuerſionem, diuque non credentes, in regularem recipiunt probandum, vt moris eſt, probationem. In qua per omnem patientiam probatus ſub voto Monachi, tandem eſt congregationi ſociatus. Ab hinc & deinceps quanta cordis contritione pœnitentiam egerit de ſua priori conuerſatione, nulla verborum, arbitror, explicari poſſe ratione. Corporalis tamen diſciplinæ tanta in ſe vſus eſt ſeueritate in ſua confeſſione, vt ſeptenos plerunq; Pſalmos ſub ipſa flagelli legiſſe referatur caſtigatione. Totus prǽterea ſemper in oratione, totus erat in lectione, totus in vigiliis, non minus in ieiunijs, &, vt breuiter liceat omnia fari, quidquid eſt virtutis, in ipſo quaſi in aliquo relucebat exemplari. Tantus itaq; cum eſſet, ac talis, obedientia cogente, licet

Fit monaſterij Prior.

multum renitens, Prior hic factus eſt clauſtralis. Iamque pro vita ſingulari ab omnibus per circuitum populis cœpit frequentari. A quibus etiam in tanta habitus eſt veneratione, quod ex eorum oblatione multimoda, & donatione, quam ex Prioris ſui, quamuis inuitus, ſuſcipiebat iuſſione, ipſum Monaſterium, ſicuti hodie hic eſt cernere, mirifica tam in libris, quàm in picturis decorauit compoſitione. Sed iam quibus virtutũ ſignis ſanctitatem eius mirificando Dominus voluerit declarare, ad gloriam Dei, & legentium profectũ veraci narratione tentabimus enarrare.

II. Casv accidit, vt eo præſente tectum maioris Eccleſiæ flamma corripiens inflammaret, & iam violentia ſua totius Eccleſiæ incendium minitaretur; quam pro difficili acceſſu ipſius ædificij nullus poſſet extinguere vel ſedare.

Incendium oratione extinguit.

Ipſe vir Dei eandem ingreſſus Eccleſiam, & ante altare ſancti Georgii in modum Crucis proſtratus, Dominum pro imminenti periculo fide integra eſt deprecatus. quod ipſo facere inchoante, mox mirum in modum quaſi magno aquarum turbine inundante, infra breue, hoc eſt, vnius horæ ſpatium, totum conquieuit incendium.

Puerum contractũ curat.

III. Qvidam prǽterea puer claudus in hoſpitali huius cœnobij manebat, qui neruis pedum naturaliter contractis, duobus lignis ſuſtentatus, repiare per manus ſolebat; cui die quadam vir Deo dignus ligna, quibus ſe gerebat, de manibus auferens longius proiecit, & quod non neceſſitate, ſed voluntate taliter incedere ſoleret, tanquam increpans, eidem obiecit. Deinde velut docens eum ambulare, cœpit cum illo huc illucque gyrare, ea videlicet intentione, vt quaſi non virtutem, ſed artem exercuiſſe videretur in illius ſanatione. Quid plura? puer ſanatur de ſua ſoſpitate gaudebat, diuque negato, pedum reddito ſibi officio rectè deinceps incedebat.

Mulierem oculorum morbo laborantem reſtituit.

IV. Qvandam etiam fœminam, quæ per multos annos deriſiam paſſa fuit oculorum, in eodem loco curauit, benedicens eam cum reliquiis Sanctorum, quod factum mulier longè lateque diuulgauit. Sed ipſe non ſuo merito rem geſtam eſſe proclamans, dura verborum increpatione, prout potuit, hanc caſtigauit.

*Zwifaltachenſi.

V. Erat quoq; huic Sancto viro ſoror quædam in caſtro * Zuiualdenſi, vnde ipſe, vt dictum eſt, fuit oriundus. Cui licet ſub vinculo coniugali conſtitutæ totus omnino aruerat mundus. Hanc cum eadem, qua & mortua fuit, infirmitate comperiſſet laborare, pietate ductus ſtatuit viſitare. Quæ cum per multas horas in extaſi poſita, cunctos qui aderant, dubios de ſua vita reddidiſſet populos, ipſo tamen aſtante diu clauſos aperuit oculos. Poſt hoc rogans eos, attentius inſtare litanijs & orationibus, ipſum, in quo iacebat, cubiculum horrendis, dixit plenum eſſe dæmonibus.

Teſtimonium de S. Henrico.

Eadẽq; hora confeſſa eſt coram omnibus, vidiſſe ſe multos de ſua cognatione à pœnis liberatos ſanctis Henrici fratris ſui orationibus. Quos hæc cum deſignaſſet per nomina ſingulorum, confeſtim mortua eſt, morte, ſicut optauerat, iuſtorum.

VI. His aliiſq; quam plurimis ſignis, vir Dei mundo manifeſtatus, verè noſtris temporibus iuſtus inuentus eſt & probatus. Poſt multos deniq; pro Domino toleratos labores, mortales demum incidit in languores, pridieq; Nonas Nouemb. morte felici defunctus Chriſto in cœleſtibus eſt coniunctus. Sepultus eſt autem in hoc Monaſterio, vbi & in vita ſeruierat Chriſto, famaq; nominis & ſanctitatis celebris per omnem Sueuiam manens vſq; in præſentem diem omnibus his, quæ de ipſo erant, & quæ nos retulimus, plenam reddit fidem.

An. 240. * Galationẽ vocat Roma. martyr. 5. Nov.

VITA ET MARTYRIVM SS. GALACTIONIS ET EPISTEMES,*

ex Simeone Metaphraſte. Habetur in tomis Aloyſii.

Patria & parentes S. Galactionis.

I. Phoeniciæ, quæ eſt ad montem Libanum, multæ quidem ſunt aliæ quoq; ciuitates, tam ad auſtrum, quàm ad ſeptentrionem: eius autem eſt ea quoq; quæ eſt aliarum omnium præſtantiſſima, & ad partes ſita boreales, Emeſa: quę quidem tulit & aluit virum nomine Clitophontem, genere inſignem, diuitiis nulli ciuium inferiorem: intelligentia aliis longè acutiorem. Ei coniuncta erat vxor nomine Leucippe, alioqui quidem bonis moribus, & tali marito conueniens, & ne pulcherrimis quidem cedens forma corporis: vno autem hoc ſolo erat infelix, quòd eſſet ſterilis. Qua de cauſa cum multis probris à marito appeteretur, magna opprimebatur animi ægritudine, & curis vexabatur, & nihil nõ moliebatur, cupiens ſolui ab his vinculis.

Mater eius ſterilis.

II. Cvm ambo ergò hoc ſibi probro ducerent & dedecori, quòd non eſſent parentes filiorum, neq; vllum eſſent habituri hæredem ſuarum facultatum, per quem genus rurſus eis conſeruaretur, quoniam acciderat vt illo tempore valdè inualeſceret cultus ſimulacrorum, & cuidam Secundo ciuitatis Emeſæ rectio committeretur, gentili quidem religione, animo autem planè barbaro, cui nihil aliud erat curæ, niſi omnes euertere Chriſtianos, & pietatem pro viribus excindere radicitùs: quoniam, inquam, res piorum in tanto verſabantur periculo, vnuſquiſq; fuga ſibi ſalutem comparabat. Vnus verò, nomine Honofrius, habitu monachus, moribus bonus & religioſus, omninò quidem recedere, & in tali tempore ac tempeſtate relinquere periclitantes animas imbecilliorum, ſtatuit non eſſe viri pij, & eius qui ſe aſſcripſit choro eorum, qui ſunt eiuſmodi. Verum enimuerò cùm liberè eloqui pietatem, & in pericula ſeipſum conijcere, iudicaſſet non eſſe alienum à reprehenſione, neq; conſentaneum legibus veteræ religionis, tenebat medium: & alba veſte contegens monaſticam, erat animo vere monachus, & ea exercebat, quæ ei vitæ conueniebant, & ita callidè eludebat impietatem. Itaque propter pietatem paupertatem ſimulans, erat mendicus voluntarius, & domos obiens ob vſum rerum neceſſariarum, ipſe dabat potiùs panem, qui poteſt confirmare animos, eos in quos inciderat, inſtruens ſermonibus pietatis, & adhortans fugere pro viribus ab iis, qui ſe procùl à vita remouent, & ſeparant à creatore.

Apud Emeſam magna perſecutio Chriſtianorum.

Honofrius egregius monachus.

Mendicat ſ. pem Honofrius, vt lucretur animas hominum

Reprehẽdit Leucippen, quod deos inuocaret.

III. Cvm ergò aliquando acceſſiſſet ad ædes Clitophontis, petebat alimentum, manus extendens, & voces emittens, quæ poſſent inducere animum ad miſericordiam. Accidit autem, vt tunc eſſet Leucippe conturbata, & plena triſtitia, vtporè quòd maritus ei exprobraſſet ſterilitatem. Cum ergo Honofrio, qui videbatur moleſtus, iuſſiſſet occludi fores: ille autem, vt qui nihilo magis ſciret, quid vellet, & quòd acceſſiſſet potiùs daturus, quàm accepturus, propterea inſtabat petens, donec propter hanc laudabilem impudentiam fuit acceſſitus, & benignè acceptus. Moris ergo verbis & ſermone producto, de ſe quidem narrauit Leucippe. quod manca eſſet [illegible] matrix, & quòd nullus deus eſſet inuentus vſque in hodiernum diem, qui eam poſſet relaxare ab iis vinculis, & liberare à dedecore filiorum egeſtatis. Sed merito, inquit Honofrius, non es conſecuta, quod petebas, [illegible] tales voluiſti adiutores habere ſterilitatis. Nam qui ipſi exercuerunt opera plena probro & dedecore, quomodo poſſit ut ipſi alios à dedecore libe-

liberare? Sed ſi nunc audiens, & verum Deum velis agnoſcere, qui cuncta poteſt, videbis ad te ſolam redeuntem vtilitatem. Quin etiam tuum genus poteris afficere beneficio, tanquàm quandam hæreditatem ad eos tranſmittens veram religionem. Leucippe his adhibebat animum, & ſe tanquàm bonam terram præbebat verborum illius ſeminibus.

IV. Hic autem vir diuinus primùm quidem excelſæ Trinitatis diuinam introduxit ei cognitionem: Deindè eam eſt adhortatus ad ſtudium virtutum. Deindè eam docuit ſanctificationem, quæ efficitur ex ſalutari baptiſmate per quod erit expurgatio priorum inquinamentorum. Oſtendit autem habitum quoquè monaſticum, quo erat quidem indutus, ſed eum tegebat, declinans inſultum malignorum venatorum, & quòd acceſſiſſet propter eius ſalutem, ſimulans petere eleemoſynam. Illa verò ad hæc reſpondit: Timeo, inquit, nè inciderim in duo contraria. Vnum quidem, quod iis, qui hanc habent fidem, & appellantur Chriſtiani, magnæ quidem intenduntur minæ ab eo, qui nunc rerum potitur: grauiora autem ſunt, quæ eas conſequuntur, ſupplicia. Alterum verò, quòd ſi ego tranſeam ad pietatem, & recedam à decretis Maiorum, ſi qui mecum cohabitat, non ſubierit eandem mutationem, ſed deincèps ſequatur eam, quam nunc tenet religionem, quomodò in vno & eodem conſenſerimus, qui debemus eſſe vnum, cum ſimus maxima parte diuiſi? Hanc mihi ſolue dubitationem, & me liberabis ab aliarum rerum ſolicitudine.

Catecheſin ei proponit.

V. Ille autem cùm & multa alia dixiſſet, & adieciſſet: Tuus quoquè maritus mox conuertetur ad eandem religionem: ei adeò paruit, vt ancillis quoquè ſtatim iuſſerit, vt facerent quod ipſe diceret. Cùm vnum ergò ex dolijs, quæ alicubi illic erant in horto, ità iubente Honofrio, illæ aqua implêſſent, catechiſmo priùs inſtituta Leucippe, alijs quoquè ab eo factis, quæ fiunt de more Chriſtianis, diuinum baptiſmum conſequitur. Paulo pòſt autem illinc quidem receſſit Honofrius, ei diligenter præcipiens, vt fidem ſeruaret & Chriſti præcepta. Leucippe autem fingens ſe ægrotare, erat ſeparata, fugiens mariti conſuetudinem. Neque enim volebat, cum iam eſſet purificata ſpiritu, & diuinum accepiſſet lauacrum, id polluere inceſtis mariti congreſſionibus. Cùm autem dies aliquot præterijſſent, agnouit ſe in vtero concepiſſe, quod etiam paulopòſt euadit manifeſtum Clitophonti. Ille autem ignorans veritatem: Nunc mihi, inquit, vidèris ô vxor, placuiſſe dijs immortalibus: & proptereà digna es iudicata, cuius curam gererent. Illa verò cum ſe partum retinuiſſet, Nè mihi, inquit, deos nomines, ô marite, nolo enim: ſed Deum vnum, qui eſt vniuerſi Dominus & effector, qui tuî & noſtrî curam gerit, qui non ſolum poteſt ſoluere ſterilitatem, ſed etiam facile eſt illi facere quæcunque vult. Ille autem, Et quis eſt hic, inquit, aliorum fortiſſimus, & qui nos tam benignè intuetur? Leucippe autem: Mihi, inquit, is in ſomnis apparuit, ô ſuauiſſime, formam quidem habens humanam, manus autem extenſas in Cruce, qui etiam mihi vteri ſtatim ſoluit vincula, & ad hanc conceptionem excitauit admirabiliter. Cur ergò non nos quoquè eum potiùs attendemus & colemus, & omnia noſtra ab eius benignitate pendère oportere ſtatuemus?

Leucippe credit in Chriſtum; Baptizatur; Sentit ſe concepiſſe fœtum. Chriſtus crucifixus ei apparuit.

VI. Dixit autem Clitophon, cum parum ſiluiſſet, vt daret menti tempus deliberandi: Scio, inquit, quem dicis: nempe is eſt, qui colitur à Galilæis: & reuerà habet magnas vires & inexpugnabiles. Sed quis feret eius, qui rerum potitur, ſæuitiam? Leucippe autem lubenter quod dictum fuerat arripiens, Interim quidem, inquit, ô caput mihi venerandum, occultus erit noſter in eum cultus. Sic enim effugerimus impiorum malitiam. Licebit verò aliquando, eius virtute nobis opem ferente, etiam in die honeſtè ambulare, & lucis opera facere manifeſtè. Hæc dicens, poſtquàm habuit maritum, ad omnia parentem, (oportebat enim & Chriſti apparere benignitatem, & quod ei de marito prædixerat Honofrius, minimè excidere) deincèps nihil ampliùs reticendo, ſed liberè & apertè omnia de monacho expoſuit: quòd is ſcilicet eam baptizauerit, & quòd hoc eſt, quod eius matricis ſoluit nodos difficiles. Deindè etiam adiecit, nihil eſſe impedimento, quo minùs ipſe quoquè diuinum baptiſmum conſequatur. Etenim mihi inter cætera hoc quoque prædixit vir ille diuinus, fore vt te quoque, ô chariſſime, mox haberem meæ fidei ſocium. Hæc & illa dixit, & quæ dicta ſunt, paulo pòſt deducta ſunt ad effectum, & ipſe quoquè diuinum baptiſmum eſt conſecutus, & didicit arcana pietatis, cùm diuinus & admirabilis Honofrius ad hæc rurſùs inſeruiiſſet.

Maritum ſuum ad fidem traducit.

VII. Cum autem iam veniſſet tempus pariendi Leucippes, & filium peperiſſet maſculum, acceſſitus rurſus Honofrius, conſueta vtilitas, bonum à Deo miſſum, & quod genitum fuerat, rurſus per ipſum fuit regeneratum beato baptiſmate, & ab ipſo accepit appellationem, & fuit nominatus Galaction: fuitque appellatio, certa futurorum prædictio. Is enim editus fuit mundus ex mundis, & ex generoſis germen verè generoſum. Procedente autem tempore, paulatim Galaction additamento ætatis adiecit etiam intelligentiam, atque adeò habebat ingenium ſupra ætatem. Traditus verò ludis literariis, & in perfectioribus exercitus diſciplinis, præclara ſua indole vel ipſos magiſtros relinquebat à tergo. Cum ageret autem viceſimum & quartum annum, curæ erat patri, ei conuenientem vitæ coniungere ſociam, cum mater Leucippe iam è vita exceſſiſſet.

Parit Galactionem. Galactionis præclarum ingenium.

VIII. Erat autem tunc quædam virgo, pulchritudine & morum honeſtate antecellens omnibus. Ei erat nomen Epiſteme, quæ nobilitatis & gloriæ famam habebat primam inter mulieres. Eam deſpondit Galaction, nunc quidem ad ſpeciem matrimonij, poſteà autem ad vnionem animæ. Cùm verò vitæ cum ea ſocietatem ægrè ferret Galaction, & apertè oſtenderet ſe eius congreſſus & complexus non admittere, propter religionis diſſimilitudinem, & quod ea non eſſet particeps diuini baptiſmatis, à neceſſariis ſæpè exigebantur rationes, qui eam rem ægrè ferebant, & grauiter expendebant. Cùm autem ſolus aliquando apud ſolam fuiſſet Epiſtemen, ab ea rogatus, quænam eſſet cauſa odij, dixit Galaction ſe non poſſe aliter ferre vitæ cum ea ſocietatem, niſi eam videret ſecum conuenire in religione. Dicebat enim apertè, eſſe impium, mundum coniungi cum immundo. Si ergò, ô vxor, eſt tibi grata noſtra tecum vitæ ſocietas, crede mihi optima conſulenti. Et quoniam in præſentia eſt inopia ſacerdotum, qui conſtituti ſunt ad hoc, vt ad baptiſmum inſeruiant: fieri autem non poteſt, vt aliter ſit quiſpiam & nominetur mundus, nos hoc donum, prout tempus concedit, ipſi vtcunquè peragemus.

Epiſtemen virginē ſibi deſpondet. Baptiſmus à quibus conferendus.

IX. Cum autem vidiſſet eam ad hoc morem gerentem, iubet vnum ex tubis horti impleri aqua: & ità omnibus inſcientibus baptizat Epiſtemen. Ipſa autem, cùm poſt baptiſma octo dies præterijſſent, nouam quandam & inſolitam videt in ſomnis viſionem. Videbatur enim verſari in quibuſdam ædibus regijs, pulchritudine quæ verbis explicari non poteſt, inſignibus: in quibus tres vtrinquè chori ſtabant circa parietes. Quorum vnus quidem habebat viros viſu honeſtos, & veſte nigra indutos. Secundus autem mulieres, quæ ſe habebant ſimiliter. Tertius verò erat virginum, in quibus iucunda quædam florebat alacritas, & liberalis gratia in vultu arridebat. Mulieres autem illæ nigra veſte indutæ, videbantur etiam habere quaſdam pennas, & ignem emittere, à quo quicquid incidebat, videbatur comburi. Cum autem id, quod viſum fuerat, audiuiſſet Galaction, dicebat id hanc habere poteſtatem. Dixit enim hos tres choros eſſe eorum, qui ſe à mundo ſeparant, & ab ijs quæ ſunt mundi, & ſeruant virginitatem, & elegerunt vitam agere Chriſto conuenientem. Eorum autem, qui erant nigra veſte induti, ipſos dixit eſſe ſimiles Angelis: illorum enim pennæ & ignis, ſimul celeritatem & vires exprimunt inexpugnabiles.

Viſio Epiſtemes. Viſionis expoſitio.

Epiſteme autem his auditis, ſtatim oſtendit generoſum animum, & rerum honeſtarum amorem: & capta X.
deſiderio magnitudinis eorum, quæ viſa fuerant: Num verò, inquit, ô marite, ſi à nobis inuicem diſceſſerimus, &
ad Deum acceſſerimus, poterimus eam quoque, quæ eſt inter nos, conſeruare affectionem? Da mihi huius rei fir-
mam & certam cautionem: nec ego vnquàm recuſabo, quo minus ſim tibi ſocia huius propoſiti. Cùm autem ſibi
inuicem ſanctè dediſſent fidem, nunquam eſſe à ſe inuicem animis diſiungendos, Galaction cum Deum precibus
de more eſſet allocutus, ſuggeſſit Epiſteme ea, quæ erant futura ei conducibilia, dicens: Tu quidem abi, & indigen-
tibus, quas habes facultates, diſtribue liberaliter, credens te non eas conſumere, ſed theſaurum potius in locum
tutum reponere. Ego autem huius rei me tibi proponam exemplar, & primus rerum mearum faciam diſtributio-
nem, non auara & parca manu, ſed munificè & abundè eas exhauriens. Venies autem tertio die, & prout vtriſque
viſum fuerit, diſpenſabimus.

Galaction & Epiſteme omnia ſua dant pauperibus.

Cum ergo ea, quæ habebant, diſtribuiſſent, & inter ſe conueniſſent, Eutolmio omnium, quos habebant, fa- XI.
mulorum beneuolentiſſimo ſequi iuſſo, egreſſi ſunt vitam ſuſcepturi ſolitariam. Cum autem confeciſſent iter de-
cem dierum, veniunt ad montem, qui ab incolis quidem appellabatur Publius: eſt autem prope montem Sina.
Quo in loco cum in decem monachos incidiſſent, qui vitam exercebant monaſticam, eis narrârunt ſuum ſcopum
& inſtitutum, & rogarunt, vt adſcriberentur in eorum numerum: quod quidem fit non multis poſt diebus. Et Ga-
lactíon quidem refertur in ordinem horum virorum: Epiſteme autem mittitur ab ipſo ad quoddam procùl remo-
tum monaſterium, in quo quatuor exercebantur virgines.

Complectuntur vitam monaſticam.

Cum hanc ergo vitæ agendæ rationem elegiſſet Galaction, quam non viam quidem iniit, quæ poſſet docere XII.
moderationem? Quem autem ſenſum non erudit, limites & modos imponens omnibus, & cogens eos parére ra-
tioni? Ita autem ei curæ fuerunt ieiunia, vt duos annos ſemel in hebdomada pane ſolo veſceretur, eoquè modico,
& quantum ſatis eſſet ad viuendum. Cum inedia verò ſe etiam exercebat in vigilijs, & in perpetuo ſtudio orationis.
Pudicitiæ autem tantam curam geſſit, vt nec venire quidem in conſpectum mulieris vnquam induxerit in animum,
ex quo fuit ad vitam adſcriptus monaſticam. Huius autem rei eſt apertum indicium, quod cum duo monachi ma-
trem haberent, quæ non ſolum curam gerebat virtutis, ſed iam erat prouectæ ætatis, & conſenuerat in vita mona-
ſtica, & rogarent vt eam videret, & maternarum eſſet precum particeps, non ſuſtinuit.

Ecce ſancti exercitia, Ieiunia, Vigiliæ, Orationes, Pudicitia.

Cum ſic ergò ſe haberet, & ad omnem virtutem recta via incederet, non viſum eſt hoc maligno tolerandum: XIII.
ſed eum ſubiens, qui tunc adminiſtrabat imperium, eum irritauit aduerſus omnes Chriſtianos, & effecit, vt aduer-
ſus eos apertam moueret perſecutionem. Eos enim inuaſit, partim quidem per ſe, partim autem per ſimiliter affe-
ctos vicarios grauiſſimè puniens. Ad eum autem accedentes, qui tempori ſeruiebant, dixerunt eos, qui montem
Sinam habitabant, deos quidem habere contemptui: vnum autem ſolum Deum colere, eumque Crucifixum, &
ei omnem efferre adorationem. Statim ergò illa, tanquàm ſtimulo, percuſſus oratione, iuſſit cohorti militum ire
ad montem, & vinctos ad ſe ducere eos, qui ipſum inhabitant, Chriſtianos. Quo autem tempore, qui miſſi fue-
rant, in locum venerant, & viros diuinos erant comprehenſuri, Epiſteme in dicto monaſterio ſe exercens vt mona-
cha, circa mediam noctem videt ſomnium. Videbatur enim ſimul cum Galactione venire in quoddam palatium:
fuiſſe autem eorum capita coronis à Rege redimita. Manè verò œconomo monaſterij ea, quæ viderat, communi-
cans, apertè didicit quorſum tenderet ſomnium. Is enim dixit palatium quidem eſſe regnum cælorum: Regem
autem ipſum eſſe, qui verè & ſolus & naturaliter régnat: coronas autem hoc ſignificare, eos mox eſſe proceſſuros
ad certamina, & aduerſarijs futuros planè ſuperiores.

Sæuit in Chriſtianos Imperatoris Decii perſecutio. vide Baron. ann. 253.

Viſio Epiſtemes iam monachæ. Exponit eã œconomus monaſterii.

Cum ergo milites, vt iuſſi fuerant, acceſſiſſent, & alii omnes ſe in fugam conieciſſent, inueniunt duos ſolos XIV.
monachos, quorum vnus erat Galaction. Cum ergo ille quoque ab eis ductus eſſet, & hoc reſciuiſſet Epiſteme, &
ſediſſet in loco ſublimi montis, ex quo ipſa videns non poterat videri, illa cernebat oculis, quæ non potuiſſet qui-
dem auribus accipere vinctum abduci Galactionem, & qui eſſe grauia paſſurus pro certo putabatur. Se ergò humi
proſternens, vehementer rogabat ancillam, vt fineret eam properare ad Galactionem, & ſi liceret, eadem ſubire
vincula. Si autem vitam quoque illum oporteret relinquere, ipſam quoque eandem mortem eſſe ſubituram. Inter
vtrunq; enim iampridem conueniſſe, ne vnquam diſiungerentur ab eadem mente & affectione. Graue ergò & indi-
gnum eſſe dicebat, ſi tempore vocante ea videretur eſſe oblita pactorum conuentorum. Miniſtra autem verbis qui-
dem primum conabatur eam abducere ab incepto: Cum autem non perſuaderet, ſinit eam facere quod vellet.

Galaction abducitur captiuus.

Illa ergò cum eas, quæ cum ipſa erant, poſtremo eſſet allocuta, inſtitit veſtigijs Galactionis. Cum autem XV.
prope eſſet, Domine mi, clamabat, & dux meæ ſalutis, ne me quæ tua ſum recuſes: nec obliuiſcaris eorum, quæ in-
ter nos conuenerunt. Quæ cum audiuiſſent acres miniſtri impietatis, è media via ſunt reuerſi, & comprehenſam iiſ-
dem circundant vinculis, cum nihil aliud dixiſſent, ſed valdè lætati eſſent ad ipſam interrogationem. Galaction ve-
rò ne ſic quidem affectus, à diuinis abſtinebat admonitionibus: ſed & ingrediens, & circundatus vinculis, ea da-
bat quæ par erat, monita: Ne te, dicens, ô vxor, fraude circumueniant inimici, aut grauia ad terrorem intentantes,
aut iis quæ ſunt mundi incitantes ad impietatem. Interim autem dum hæc dicerentur, venit quidam feſtinanter, &
vultu magnum tumultum ſignificans, in craſtinum diem eſſe reſeruatam ſanctorum examinationem, cum ita ſit vi-
ſum Præſidi. Manè ergò Iudex iubet eos adduci in locum, in quem mos eſt adduci reos iudicandos.

Vide mirum feruorem ſanctæ Epiſtemes.

Cum ii autem magno ſtudio producti eſſent, Præſes ſtatim non de fortuna, non de ea quæ ipſos tulit patria, XVI.
non de aliquo alio ex iis, quæ conſueuerunt: neque acceſſit ad verba, quæ poſſunt perſuadere: ſed toruè & mina-
citer intuens Galactionem. Quis hic eſt triſtis & cogitabundus, (nimia ira dixit incitatus) & cuinam alii diuinum
cultum tribuens, deos negligit? Galaction autem nihil formidans, neque de ſolita quicquam mutans conſtantia:
Vita quidem, inquit, ſum monachus: à Chriſto autem habeo, quòd vocor Chriſtianus: cui etiam, vt qui re-
ctè ſentiam, tribuo cultum. Cum verò ſanctus eum multis probris inſectaretur, & deos eius ludificaretur, &
æque amentes vocaret eos, qui colunt hæc inanima, ponè vinctum manibus iuſſit execiandus eum verbera-
ri immiſericorditer. Cum is autem flagris cæderetur, adſpiciens Epiſteme, & mirandum in modum ægrè ferens:
O, inquit, inſatiabilem animum ad puniendum: cur tales plagas intentâſtis membris, tam iuuenilibus, & conſum-
ptis multis laboribus exercitationis? Quomodò autem manus miniſtrorum tot illatis plagis non obtorpuit? His
Præſes ad iram magis accenſus: Hanc impudentem & temerariam, inquit, fœminam ad lineam vſque tunicam nu-
date veſtibus, & flagris valdè cædite, vt caute diſcat loqui, & non feram arroganter gerat aduerſus ſuperiores.

Galaction & Epiſteme ſiſtuntur coram Præſide.

Galaction flagris cæditur. Item Epiſteme.

Hoc autem cum factum eſſet magna celeritate, & in longum iam eſſet productum ſupplicium, aduerſus omnia XVII.
quidem, quæ inferebantur moleſta & aſpera, martyr mirandum in modum decertabat: minimè vero intermitte-
bat vociferari aduerſus iudicem, & ei exprobrare rei turpitudinem, quod naturam, quam oporteret quidem mane-
re non venientem in conſpectum hominum, non ſolummodo ſuſtinuit aperire, ſed multis etiam videntibus
iuſſit cruciare. Propterea te, inquit, manent illic ſupplicia. Cæterum hic quoque non diu abhinc, vos iuſtum Dei
puniet ſupplicium. Dixit, & eueſtigiò ſecuta eſt iuſtitia, & viſu orbati conſpecti ſunt, qui erant circa Præſidem.

Orbantur viſu, qui ſūt

Hoc

Hoc autem ſanctæ quidem gloriam, iis verò qui puniebant, conciliauit ſalutem. Oculorum enim cæcitas depulit animæ nubem, & eos illuminauit luce Dei cognitionis. Propterea confeſſi ſunt ſe Chriſto credere, & rurſus cum luce animæ acceperunt etiam lucem oculorum corporis, viri non duo aut tres, ſed quinquaginta tres numero.

cum Præſide, homines 53.

XVIII Sed licèt hæc facta fuerint, Præſes adhuc mente cæcutiens, vtpotè quòd vitium eſſet ei alte impreſſum, iubet in extremo acui arundines, & infigi ſanctorum vnguibus. Quod cum celerrimè factum eſſet, ſancti in doloribus maiorem oſtendebant fortitudinem, ei propter quem hæc ſuſtinebant, magnas agentes gratias, & falſos deos afficientes contumelijs. Iudex autem rurſus iubet eos priuari manibus ſimul & pedibus, & prætereà lingua, propriam quodammodo voluptatem capiens ſanguiniuora anima in hominum, qui ſunt eiuſdem generis, ſupplicijs. Cùm autem hæc citò facta eſſent, martyribus nihilo ſecius eodem modo ſe habentibus, qui erat quidem ſæuus in iudicando, crudeliſſimus autem in puniendo, fert vltimam in martyres ſententiam, iubens eos mortem ſubire gladio. Atque ii quidem hinc exceſſerunt, ſactis eorum capitibus amputatis quinto Nouembris: precioſa autem eorum corpora cum in quodam vaſe precioſo impoſuiſſet is, quem diximus, Eutolmius, qui ſequi iuſſus fuerat à martyre, effecit vt etiam ab alijs haberentur in honore: ad gloriam Patris, Filii & Spiritus ſancti, vnius Dei in Trinitate: Quem decet omnis honor, maieſtas & magnificentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Martyres dirè cruciantur.
Truncantur eis manus, pedes, lingua.
Capite plectuntur.

VITA S. LÆTI LEVITÆ (IN ROMANO TAMEN ET VSVARDI MARTYROLOGIO VOCATVR PRESBYTER) ET CONFESſoris Mixiacenſis Monachi, ab Anonymo quidem, ſed grauiter ſcripta.

An. 540.
extat in Bibliotheca Floriacenſi Ioã à Boſio
5. Nov.

PROLOGVS. CVM multorum diuerſitate facinorum, humana miſerabiliter quatiatur infirmiras: neceſſarium eſt omnimodis, quatenus multiplicatis auxiliatorum copiis, proteratur immanitas ſubdolæ infeſtationis. Quod fieri facilius poterit, ſi contra multifotmis nequitiæ perſuaſores: diligamus perſeuerantes in prece cæleſtis militiæ proceres, qui quod poſcunt, tanto impetrant velocius, quanto Soli iuſtitiæ abiectis ſæcularium deſideriis; dignoſcuntur inhæſiſſe liberius. Quid enim fidelis Dominus ſeruis denegabit fidelibus? aut quando benignus benignam dimouebit aurem ab eorum precibus? Quicumque namque per aliquem ſuperni ſolii aſſeſſorem, ſummo Imperatori preces allegauit: lætatus eſt poſtmodum ſeſe percepiſſe, quod fideliter expetiit. Hanc itaque certitudinem ſpei, & vos habentes chariſſimi, veneremur Martyrum certamina; collaudemus Confeſſorum pietatis opera, vt qui peccando æternæ claritatis amiſimus palatia; ad eadem redeamus, patrocinantibus ſanctorum meritis, peccaminum condonata venia. Qui licet generaliter ab omnibus ſint excolendi; ſpecialius tamen & quaſi quodam priuilegio honoris oportet impendi ſingulis, obſequelæ diligentiam ſingularis. Et quorum corporum vel reliquarum, in propriis Eccleſiis perfruimur præſentia, eorum indubitanter præſumamus ſperare (ſi ad obſequium pigri non ſumus) ſubſidia. Quod quamuis cotidie fidelibus expediat deuotè perſoluere: maxime tamen in ipſorum ſanctorum glorioſi natalis die, adiuncta etiam bonorum operum humillima exhibitione. Sed iam omiſſa generali propoſitione, ad id reuertamur, quare iſta libuit prælibare. Beatiſſimi namque Confeſſoris & Leuitæ Læti hodierna die ſolemnitas excolitur: in qua deuictis noxialibus illecebris meruit aſſiſti ſolio æternæ ſublimitatis. Huius ergo ad obſequium, ſe hilarem exhibeat turma fidelium, intelligens certiſſime ſi deuota fuerit, hunc ſibi adiutorem in neceſſitatibus affuturum. Clericorum non ſileat officium, vt quem Deus elegit in clericum, hunc mereatur habere patronum. Largius ſolito caterua ſuſtentetur pauperum, ſentiens in tanto Patre, & præſentis remedii, & futuri ſolamen ineſſe. Cuius virtutum inſignia ſi quis plenius vellet explicare, & fabuloſus crederetur relator, & per prolixitatem narrationis, faſtidioſus redderetur auditor. Quod ne fiat, plurima omittere: pauca ſecundum quod Deus dederit, decreuimus diſſerere.

Sanctorum preces.
Modus ritè feſta celebrandi.

I. IN tempore Chlotarii Francorum Imperii arcem tenentis, mundo effulſit Lætus Confeſſor venerabilis, Sanctorum Germani & Medardi Pontificum, contemporaneus. Qui quodam præſagio futuræ religionis, ortus extitit religioſis parentibus, mox religioſus & ipſe futurus. Cuius pater bene vocatus eſt Ciricus, vt pote perſpicuum ſydus mundo geniturus. Hic ab ipſa infantiæ ſuæ ætatula, ſemper frequentans Catholicæ Eccleſiæ limina, deſiderauit monaſterium, dilexit monachos, amauit præ omnibus Chriſtum. Qua de cauſſa, meruit eorum cenſeri numero, de quibus loquitur Dominus in Euangelio: Sinite paruulos, venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Cum ergo eſſet annorum duodecim, & paſceret oues patris ſui: videns haud procul habitationem monachorum; relicto grege, oblitaque cognatione parentum, feſtinus tetendit ad monaſterium. Moxq; inſpirante Spiritu ſancto, ad pedes corruens Abbatis (qui præerat Fratribus) Trietii, lachrymabiliter dicere cœpit. Domine Abba ſuſcipe miſerum, redime captiuum, oſtende beneuolentiam, præſta mihi charitatem. Conſiderans enim quoniam nulla ſunt quæ temporalibus ſubiacent caſibus: peto Paternitatem tuam, vt iubeas mihi Eccleſiaſticam tonſuram imponi, & monaſticam facias Regulam doceri; quatenus proſperante Chriſto, eundem agonem ſanctitatis, valeam vobiſcum aggredi. Tunc prudens Pater, ſinceritatem cordis eius animaduertens, & ſimplicitatem eius intelligens, leuauit eum à terra dicens. Vnde es fili, & quod eſt nomen tuum? Cui perfuſus lachrymis, & manus deoſculans, ait, Ex patria Biturigenſi duco Domine mi generis principium, & eſt mihi Lætus vocabulum. Senex autem alludens nomini; merito inquit tali cenſeris nomine; quoniam procul dubio, adepturus eſt ſempiternam lætitiam, propter perfectam hodierna die conuerſionem tuam. Quem ſine mora ſuſcipiens in monachum; inſtruxit quaſi bonus Pater innocentem filium, oſtendens ei patenter, quod nihil melius ſit quam timor Dei, & nihil dulcius quam bene viuendo, exequi mandata eius.

Clotarius Rex.
S. Læti parentes.
Marc 10. 14.
S. Lætus fit Monachus.
Tonſura Eccleſiaſtica.
S. Lætus patria Bituricenſis.

II. POST hæc autem, attonſus in Clerum, ſuſcepta etiam monaſtica profeſſione, in breui Pſalterium & quicquid Eccleſiaſticus depoſcebat ordo didicit, ita vt videretur præcellere, quos ante multis annis ingens ſtudium exercuerat diſciplinæ. Neque in eo laborauit magiſter, quem ſibi ſacrarium parauerat Spiritus ſanctus, magiſterii princeps. His vero peractis, gratias referens Abbati, huiuſmodi vſus eſt verbis. Tu es, ſapientiſſimus Catholicæ fidei Doctor, & fideliſſimus Chriſtiani exercitus ductor: qui te ſequi volentes, deducis ad patriam cæleſtem: acquiſiuiſti animam Deo quæ iam demerſa malitioſi ſæculi pelago, totius malitiæ principi ſeſe addixerat. In hoc itaque degens monaſterio: inſiſtebat ieiuniis, & ſpiritualibus vigiliis; oratione aſſiduus, caſtitate perſpicuus, ſobrietate præcipuus, attentius ſuper omnia humilitatem ſeruans. Si quando Fratres vſque ad horam nonam ieiunarent, ille ieiunium vſque ad alterum protendebat diem. Cibum vero quem accipiebat à monaſtico Præpoſito, latenter egentibus tribuere procurabat; ſæpiuſque veſte ſua exutus, nuditatem eorum ſtudebat operire. Et ad inſtar Beatiſſimi Martini, illos veſtiendo, & ſemetipſum expoliando, ſeminudus non erubeſcebat incedere. Imo luctamen contra malignos ſpiritus ſumens, nulli rerum labentium delectationi ſe dedit, ſuperans in virtute Spiritus ſancti,

Fratrum quorundã liuor. Gradus ordinum Eccleſiaſticorum.

quicquid nefandæ voluptatis, malignus ſpiritus eius animo adminiſtrauit. Quæ Fratres videntes, inuidia ducti, alii ex inani iactantia, alii ex ſtultitia aſſerebant ab eo hæc fieri. At vero ſpiritualis Abbas cæleſte lumen conſpicatus in eo niteſcere, clam cœpit eum diligere, ac prouectum per ſingulos gradus, Diaconii ſublimari fecit honore. Permanſit autem in ipſo monaſterio cum Fratribus annis ſexdecim, ſeruiens Deo, tota puritate mentis, excreſcebatque in eo virtutis ſupernæ gratia.

TVM demum maioris inuidiæ aculeis ſtimulati nequam Fratres, inſtigante diabolo, prorumpunt Abbati III.
Triecio dicentes. Sciat Domine tua prudens Paternitas: quia quod videtur facere iſtius impoſtoris fatuitas, non agitur perfectæ operationis virtute, ſed potius ſimulata religione. Occultat enim prauitatem cordis ſub habitu ſanctitatis. Vtrum vero ita vt dicimus verum ſit, experimento tibi eſſe poterit obedientia in paſcendis ei iuncta pecoribus: quam ſi renuerit, & infuſcata eius apparebit, ſimplicitas, & ſuſpicioni quam de eo habemus ſatisfiet. Neque enim diutius decet nos neſcire, quid ſibi velit propoſitum eius imperitiæ. Eiice igitur eum à monaſterio, & vadat in deſertum, tuo parens imperio. Quæ & alia huiuſmodi, coram Patre monaſterii ſæpius replicantes, impetrauerunt tandem, vt delegaretur pretioſus Leuita paſcendo pecori in ſolitudine. Quod negotium ille gratanter ſuſcipiens, petiuit ſibi dari ducem (quippe qui erat locorum ignarus) qui eum ad gregem perduceret. Factumque eſt conſilio Diuinæ Prouidentiæ: vt mitteret Pater quoſdam cum illo, qui eum accuſauerant. Quatenus videntes virtutum miracula, quæ per ſeruum ſuum Dominus operari diſpoſuerat, ab inuidia deſiſterent, aut certe videndo tabeſcerent. Pergentibus autem illis per deſertum, occurrit beſtiarum multitudo: Quas cum vidiſſent ſocii: aiunt, Fugiamus citius. Quibus ait ſodalis fidiſſimus. Nolite inquit timere Fratres, potens eſt enim Dominus nos tueri, & ipſe quidem cum fide magna, in eodem loco ſubſtitit nulla turbatus formidine. Illis vero fugientibus, occurrunt feræ prædam ex ipſis facere geſtientes. Quod vt vidit Lætus, celeri dexteræ motu, Crucem illis Dominicam à longè oppoſuit: ſuſpicienſque in cælum dixit. Domine Ieſu Chriſte, qui Danielem de lacu leonum liberaſti, & tres pueros de Caldaicis flammis, illæſos abire feciſti: libera Fratres meos ab his beſtiis, & ſubueniat illis cito, manus pietatis tuæ: Tunc illæ beſtiæ, omni feritate depoſita, deſerentes prædam quam iam inuaſiſſe videbantur, venientes ad pedes viri Dei procumbunt: & quodammodo pœnitentiam agentes, ex eo quod in eius comites molitæ fuerant, veniam humiliter pro tanti reatus audacia, poſtulabant. Quod videntes qui fugerant, ad eum tremebundi redeunt. Quos etiam beatus Lætus hilari confortans animo, hortabatur fideliter ſperare in Domino, qui ſe inuocantibus in veritate, ſemper adeſt. Denique poſt horæ ſpatium, iubet feras ad ſua redire latibula. Sicque quantum libuit, proſtratas humi tenuit, & quando voluit, abire permiſit. In quibus omnibus, prædicanda eſt Omnipotentis virtus, cui ſancta famulatur fatuitas, & obedit beſtiarum feritas.

Iterati clamores & importuni, etiam ſanctos quandoque mouent.

Signi Crucis vis.

Dan. 14. 30. & 3. 91.

Pſal. 144. 18.

IGITVR Lætus cum ſuis ſociis, cœptum peragentes iter: venerunt ad quemdam vicum, in quo commorabantur cæci & claudi multi, qui audientes eos tranſire, rogabant vt aliquid acciperent, eleemoſynæ. Quos intuens vir magnæ pietatis, reſpondit. Argenti & auri non eſt nobis copia, vnde poſſit veſtra inopia releuari: attamen charitas quod habet præſtat. Illi autem ſuſpenſi, quidnam dare velit; manus protendunt taciti. Tunc beatus Lætus miſericordiæ feruens ſpiritu, facie lachrymis perfuſa, orauit; Domine inquiens Ieſu Chriſte, fons abindeficienti fonte profluens, qui Diſcipulis tuis dixiſti. Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Concede mihi famulo tuo in nomine tuo petenti; vt hi omnes, per cui nominis inuocationem, tuæ virtutis dona ſentiant. Completaque oratione ſingulis ſignum viuificæ crucis apponens; meruit, vt turba illa diſcederet incolumis. Et dum negauit præſentis victus ſolatium; præſtitit vt ſibi ipſi acquirerent quod negauerat, artuum redditis officiis. Qui vero ſancto eius inhærebant comitatui, viſis his multum admirantur: inſuper & repentino timore correpti, vertuntur in fugam. Quippe ſuæ conſcij malignitatis, eum comitari formidabant, quem ſe ſciebant apud Patrem, ſæpius iniuſtè accuſaſſe. Domumque reuerſi, Abbati nunciant quæ viderint mirabilia, ac quomodo eius Angelicum ferre vultum non valentes, ab eo fugerint. Senex autem his auditis virtutibus, obſtupuit & cum magnis admirationis vocibus, vbi eum reliquerint inquirit. Videlicet ſe multum accuſans, qui eorum primis acquieuerit perſuaſionibus, & ſub obtentu obedientiæ, filium innocentem, à ſe ire compulerit. Tum deliberato conſilio, aſſumptis ſecum paucis Fratribus religioſis, ipſe ad requirendum fratrem iter inſtituit. Tandem vero veniens vbi eum eſſe compererat; mox vt vidit, proſtratus humi veniam cœpit poſtulare. Proſtrauit autem ſe & ipſe. Iacebant vtrique in terra, & nihil ab alterutro poterat audiri, niſi tantum, Peccaui, ignoſce mihi. Senior plorabat, cum Fratribus: Venerabilis Leuita lugebat pro Patre, & fatigatis veniendo ad eum fratribus. Ille plangebat quod eum indiſcrete paſcendo pecori delegauerit, hic dolebat, quia nondum mandatis eius, quia ignarus eſſet loci, parere licuerit. Illis itaque perſiſtentibus in hac deuotione humilitatis, magnæ ſpei Lætus compaſſus perſeuerationi Senis: ignoſcat inquit tibi, pro cuius nomine, ita humiliaris. Cumque Pater reſpondiſſet Amen: ſurgunt de terra, accipientes pacis benedictionem. Nec mora reducitur ad monaſterium, quem timebant defugiſſe ad heremum. Fratres exultant, quia meruerunt recipere Fratrem ſignis ſublimatum patentibus. Doctor lætatur, qui non eſt priuatus diſcipulo, ipſis præferendo doctoribus. Peſtiferæ æmulationis venenum, verſum eſt in eius deuotionis obſequium. Vnde contigit, vt qui ante ei detraxerant, mira veneratione, reſipiſcentes ab inuidia, poſtmodum excolerent. Quæ res in tantum ei diſplicuit, vt pro huiuſmodi honore ſibi impenſo, & aſſidua veneratione, fratres & locum voluiſſet deſerere. Sed neſciens certius, quonam greſſum deberet dirigere; expectabat, quid de eo Diuinæ placeret Maieſtati. IV.

Matth. 7. 7.

Cæcos illuminat.

Mira Abbatis humilitas.

Sancti Laudes fugiunt & honores.

EO igitur in tempore, beatus Pater Maximinus Mixiacenſi monaſterio præerat, ad cuius ſanctiſſimum V.
magiſterium, multitudo maxima religioſorum monachorum, confluxerat, Inter quos fulgebant nominatiſſimi, Venerabilis Presbyter Auitus: & ſanctus Viator Diaconus. Beatus igitur Lætus admodum cupiens, tantam effugere venerationem; audita fama ſancti Maximini, & diſcipulorum eius, venit ad eos occulte. Et procidens ad pedes ſancti Maximini dixit. Domine Pater, Tuam clariſſimam opinionem ac charitatem, quorumdam non incerta relatione audiens, obſecro vt vobiſcum merear habitare. Cui beatus Maximinus, comperto quis vel vnde eſſet; Non nobiſcum ait habitare poteris, ſine tui Abbatis licentia. Quod audiens reſpondit; Si iubes vadam Domine ad Abbatem meum, & accepta licentia reuertar ad vos, obſecro ne nos aſperneris. Quem tamen vir Domini Maximinus magno hoſpitalitatis ſtudio, duabus hebdomadis ſecum detinuit in monaſterio. Et indubitanter aduertens ſimplicitatem eius, ait ei. Vade frater ad Abbatem tuum: & accepta licentia, reuertere ad nos. Tunc beatus Lætus in Domino lætatus, ad monaſterium reuertitur. Videns autem eum Abbas Triecius & cæteri fratres: præ gaudio cæperunt flere, quia ſperabant illum aut in heremum, aut in aliquem locum defugiſſe, vt iam amplius non eſſent eum viſuri. Quibus ſanctus Lætus narrauit omnia quæ egerit, & denudans quid haberet animi. Fratres inquit chariſſimi &

S. Maximinus Abbas Mixiacenſis SS. Auitus & Viator monachi Mixiacẽſes S. Lætus recedit a ſuo monaſterio

Patres

Patres honorandi, obſecro vt detis mihi licentiam pergendi ad beatum Maximinum Abbatem Maxiacenſis monaſterij, quatenus cum illo aliquantum temporis valeam conuerſari. Reſpondens Abbas dixit. Frater Læte, quid tibi peccauimus, vt nos velis dimittere? Ad hæc beatus ille. Nihil inquit in me peccaſtis Domine. Sed audiens ego infelix, beati viri & diſcipulorum eius optimam famam, deſidero cum eis aliquanto tempore commorari, per veſtram licentiam. Pater autem metuens illum contriſtari, imo habitatorem eius Spiritum ſanctum, quamuis inuitus, eum abire permiſit dicens: Egredere hinc ſicut tibi placet, ſit Dominus tecum, quocumque ieris. Tunc ſanctus Lætus valedicens Patri & fratribus, vel ocius ad beatum Abbatem Maximinum, iter dirigit. Sanctus autem Maximinus, exultans in Domino, in Monaſterio eum ſuſcepit, confidens, quod ſimpliciſſimum animi eius affectum, ad proſperum poſſet effectum perducere. At vero venerabilis Confeſſor Lætus, timorem Dei iugiter habens præ oculis, ſolito more inſiſtebat ieiuniis, orationibus atque vigiliis. Quod cernens ſanctus Maximinus eum diligebat familiarius. Glorioſus autem Auitus Sacerdos ac Viator colleuita illius, toto illum amabant mentis affectu. Poſtquam ergo hunc omnes verum Dei ſeruum eſſe manifeſtis ex indiciis cognouerunt, ei ianuam Monaſterij licet inuito commiſerunt.

Impetrata licentia ad cœnobium Maxiacenſe accedit.

VI. Svscepta igitur humiliter, huius obedientiæ cura, ab eccleſiaſtica improbe ſibi incumbente familia, multis inſidijs, & ſubſannatione agitabatur continua. Eius quippe ſimplicitas, ab indiſciplinatis computabatur ſtultitia. Intentus namque ſoli internæ dilectioni, dum minus foris ad terrena miniſtranda idoneus apparuit, continuo ſecularium mentibus, in deſpectum venit. Vt illud cum beato Iob dicere poſſet. Stulti deſpiciebant me? & cum ab eis receſſiſſem detrahebant mihi. Et paulo poſt Filij ſtultorum & ignobilium, nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium. Abominantur me, & longe fugiunt à me: & faciem meam conſpuere non verentur. Verum illuc æquanimiter ferens omnia: nulli aliquando malum pro malo reddidit, vel maledictum pro maledicto reſtituit. Tentabatur itaque & probabatur; fatigabatur conuitijs, & augebatur virtutum incrementis, recolens illud Apoſtoli. Si adhuc hominibus placerem; Chriſti ſeruus non eſſem. Erat autem in monaſterio, ſicut præfatum eſt; Auitus Presbyter ſanctitate inſignis, qui Cellario, ſicut & ipſe, præerat Eccleſiæ ianus. Et vt ſcriptura refert, quia omne animal, ſimile ſibi diligit, hi ambo fœderati erant indiſſolubili vinculo charitatis. Qui de virtute in virtutem progredi anhelantes; illudque Apoſtolicæ ſcripturæ ob amorem perfectionis ſæpius perpendentes. Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus, ſtatuerunt apud ſe monaſterium deſerere, & heremum ſimul petere. Eo videlicet conſilio, vt ſi vnus laberetur, ab altero fulciretur. Legerant enim Quia funiculus triplex, difficile rumpitur, & frater adiuuans fratrem, exaltabitur. Accenſi igitur diuinitus feruore tantæ deuotionis & deſiderio diuinæ contemplationis, diſcedentes à monaſterio nocte, contulerunt ſe abditiſſimis Segalonicæ locis. Ibique diebus multis nulli hominum cogniti manſerunt, deuotiſſimè ſuperno inſpectori famulantes.

Maliciæ quæ ſunt in omni ſocietate quantumuis ſancta.
Iob. 10.
Galat. 1. 10.
Eccl 13. 19.
2. Tim 2. 4.
Eccl 4 14.
S. Lætus & S. Auitus in ſolitudinē fugiunt.

VII. Post multum verò temporis, beato Maximino iam ex rebus humanis egreſſo, turba Monachorum, quibus præfuerat, ſanctum quærere Auitum, & beatum Lætum diuino nutu iter accelerant. Quibus tandem ex voluntate Dei repertis, glorioſus Confeſſor Auitus, contra voluntatem ſuam, ad monaſterium reducitur, & iubente, Aurelianenſi Pontifice Abbas efficitur. Beatus autem Lætus ab eis fuga elapſus, non poteſt explicari quanto mœrore, ſuper deſtitutione tam chari ſodalis afficiebatur. Non vt eum quaſi ſolum terreret heremus, quam adire concupierat ſed hunc talem ac tantum Fratrem ſecum traheret & in via Dei ſocium habere exoptabat. Et quia ad Deum tota mente tendebat: ne ad eum ſolus veniret, vehementer ambiebat. Scriptum enim meminerat? Qui audit, dicat, veni. Sed eum videret ſocium ſe habere non poſſe, ſolus per ſolitudinem piæ conuerſationis, properabat venire ad terram repromiſſionis. Vt illud verè decantare poſſet Apoſtoli. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Diſponens itaque rurſus in remotiora ſecedere. Sancto ſpiritu ſibi ducatum præbente, Ligeris alueum tranſit, & ad locum qui antiquitus eſt Inatoria appellatus peruenit. Qui locus longe à ciuitate remotus, omni erat hominum habitatione deſtitutus. Sed & ſilua quam Logium incolæ vocant, hinc & indè, tunc temporis circumfuſa, nulla admittebat viatorum veſtigia. Vnde potius auxilium, quam heremi videbatur præſtitiſſe latibulum. Vbi exiguæ quantitatis extruens tugurium, vero ac viuo Deo propenſius exhibere curauit: deuotæ ſeruitutis obſequium, ſolitariam agens vitam in eodem loco non exiguo ſpacio temporis. Qui deinceps reliqua ætate ſua, nihil aliud in cibo nouit, præter id quod ſponte profert humus. Præterea ipſam aquam quam nulli mortalium naturæ ratio vetat, ſtatutis diebus, cum menſura etiam accipiebat. Recolens namque priorum patrum laudabilis vitæ propoſitum, quæ legendo & audiendo compererat, toto niſu mentis adimplere ſtudebat. Ideoque ſitibundus, eorum virtutes æmulabatur, quorum exempla & inſtitutionem didicerat. Sanctus quoque Spiritus, cuius ipſe templum effici diuinitus meruit, ei cooperator in omnibus extitit. Vnde quia tantum manſorem habere meruit, & Angelicam vitam, inquantum humana fragilitas permittebat, imitari ſtuduit: liquet profecto, quia idem vir Domini, iure, Angelico aſpectu ſimul & affatu, perfrui meruerit. Quorum ſubnixus, auxilio, verè fatendum eſt, quia interdum ipſa ſui corporis clauſtra, per celſitudinem contemplatiuæ virtutis exceſſerit, & ad ſpeciem diuinæ viſionis. quantum poteſt homo mortalis peruenerit. Iuſtum etenim fuerat, vt eorum adhæreret collegio? quorum munditiæ concordabat, adhuc degens in ſeculo. Mundanas ſiquidem illecebras ſpernens, Deum ſolum ſibi Patrem acceperat, & vt vetus Leuita nihil terrenæ hæreditatis, poſſidere curabat.

S. Auito Abbate conſtituto à Lætus in ſiluā Aurelianenſem fugit.
Apoc 22. 17.
Heb. 13. 14.
Logium, locus in ſilua Aurelianenſi nunc S. Lætus
Mira S. Læti auſteritas.

VIII. Cvm igitur ad videndam faciem Creatoris eius animus inardeſceret, ſuæ ſacratiſſimæ conuerſationis inſigne, tanto ſtudioſius laborauit occulere, quanto feſtinabat ad altiora virtutum prouehi. Et quoniam Iuſtus in principio accuſator eſt ſui, ex humiliatis conſuetudine, ſe miſerum conſueuit appellare. Sed quanto plus deijciebat ſe, tanto magis eum virtus ſublimabat conſcientiæ, fugiens quippe gloriam: merebatur ampliorem. Quæ videlicet virtutes proſequens, dum ſui appetitores deſerit, merito contemptores appetit. Hinc itaque contigit, vt beati Læti gloria quam occultando nolebat agnoſci, diuino nutu celari non poſſet, quatenus eius ſanctitatis meritum, plurimis fieret adiumentum. Cuius ſalubris manifeſtationis cauſa, ſalus extitit cuidam dæmoniaco per eum conceſſa. Is namque miſerabiliter à dæmonio agitatus, nulla manebat in domo, ſed penè illi ſimilis Euangelico, per deſerta & monumenta diſcurrebat, huc illucque vagando. In tantum enim inimicus hominum, plaſma Dei ſibi fecerat obnoxium, vt quoſcumque obuios haberet, morſu dentium ſecundum quod valebat appeteret. Dum ergo tali peſte detineretur, placuit Diuinitati ſupernæ, vt errabundus deueniret, vbi vir Dei demorabatur in ſolitudine. Qui aſſiſtens oſtio cellulæ inclamare cœpit eum (quaſi notum haberet) ex nomine, Leuita Chriſti Læte aperi ianuam oſtij, vt ad te valeam ingredi. Cogitans vero glorioſus Confeſſor Lætus, ne fortè eſſet aliqua maligni ſpiritus tentatio (neque enim ſolitus erat, ibi audire vocem hominum) ſolo corpus ſtrauit, & orans ad Dominum dixit. Domine Ieſu Chriſte, vnici Patris, vnice, lux vera de vera luce, cuius prouidentiam nemo poteſt fallere, oſtende quæſo mihi miſericors, quid ſit quod audio. Facta autem oratione, exurgens à terra, aperuit oſtium cellulæ. Statimque apertius ſe denudans, cœpit dæmon per os hominis dicere.

Prou. 18 17.
Matth 5. 5.
Sancti ad inſidias Sathanæ veruntur, ad orationem confugere ſolent.

Leuita Chriſti Læte, parce mihi miſero, orationibus tuis igneis catenis iam ligato. Ex quo enim cœpiſti orare, magis vror, quam videar vrere. Figmentum Dei tui quod temerarius inuaſi, fateor deſerere volo, ſed nullatenus mihi permittitur abſq; tuo imperio, detineor ad pœnam, dum imperare differs vt exeam. Tunc ſanctus Lætus intelligens hominem à dæmone vexati, Ait. Præcipio tibi repertor omnis malitiæ, vt exiens, imaginem Dei non præſumas captiuare. At ille continuò cum vlulatu ingenti, ab eo exiuit. Quæ curatio tanta poteſtatis auctoritate proueniens, liquidè ſatis indicat, quàm Deo accepta, quam ſimplex eius conuerſatio fuerit. Cui etiam in mandatis dedit, ne vſquam factum propalaret. Nolebat enim prædicari aliqua miraculorum exhibitione: ne manifeſtatus, à plebe frequentaretur. Sed ille quem libertati reddiderat, impulſus voluntate Dei, beneficium quod acceperat, etiam volens celare, non potuit. Pergens itaq;, ferè vniuerſis partibus illius regionis. Confeſſoris nomen diuulgauit & meritum. Qua fama acciti, cœperunt ad eum vndique infirmi confluere. Qui etiam illorum compatiens miſeriis, orationem ad Dominum fundens pro illis, per manus impoſitionem ſanos reddebat: Nulla autem infirmitas ibi locum habuit, vbi beatus Lætus vim orationis adhibuit. Adeo excreuerat fama virtutum eius, vt venirent ad eum perſonæ. Nobiles eius ſe commendantes orationibus. Et afferentes ei neceſſarios corporis cibos, rogabant vt vel ex parte, oblatis frueretur. Verum ille, ad præſcriptum cibum recurrens, quæ afferebant dona, dabat egenis: vtriſq; conſulens, & illis orationem, & his corporis ſubſtantiam impendens.

Energumenum S. Lætus liberat. — *Ægrotos multos curat.*

S Lætus obitum ſui præſcit. — *Dies Dominica.*

Avdiens itaq; Abbas Triecius tantis eum fulgere virtutibus, venit ad eum cum grandi monachorum mul- IX.
titudine. Quibus ſuſceptis cum gratiarum actione. iam edoctus à Domino inſtare diem ſuæ vocationis, ait Abbati hilari voce. Bene veniſti virtutum magiſter, quem exoptabam videre, priuſquam morerer. Tu mihi dux fuiſti ad vitam, tu me præmittes, vt Chriſtus mihi reuelare dignatus eſt, ad gloriam. Imminente enim die dominica ſicut ab ipſo totius ſapientiæ didici auctore, oportet me laborioſi ſeculi certamina deſerere. Quapropter obſecro meis petitionibus obaudias, & terræ terram in ſepulchro quod mihi præparaui, ſepeliendo committas. Quo ſenex audito: fleuit amare, & benedicens Dominum qui eum diſcipuli non priuauerat viſione, affuturum ſe ſpopondit. Quid multa? Venit dies Dominica eius, diuinitus præfixa occaſui, affuit (vt ab ipſo poſtulauerat) & Abbas Triecius. Exitum ergo ſuum glorioſus Leuita, Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniens, totiſq; ex præcordiis Dominum fontem aquæ viuæ deſiderans, illum Dauidicum lætabundo animo decantabat. Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Et reſidua parte corporis iam pene exanimata: illos ſabatur verſiculos. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea, in atria Domini. Erectis autem in cœlum manibus, ſtetit: & inter verba orationis ſpiritum cœlo, corpus terræ humandum tradidit. Excedens igitur à ſeculo beatus Lætus octauo Idus Nouembris, mæſtos homines, lætos reddidit Angelicos ciues. Quem vir Domini Triecius, in præparato ſarcophago, expletis omnibus quæ debentur funeri, collocans, ad propria pro morte tanti filij mœrens eſt reuerſus.

Pſal. 41 2. — *Pſal 83 2.* — *Ad Deum migrat.*

Hermeteus Aurelian. Epiſc. — *Corpus S Læti, eſt Pithueris Gallice Pluuiers* — *Ablutio manuum ante Miſſam.*

Iacvit autem ſacratiſſimum corpus eius, in eodem loco multis annis, pro Domino publicante dignitatem X.
eius ſanctitatis. Verum poſtea beatæ memoriæ Hermeteus Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, diuino admonitus oraculo, tranſtulit iam dicti ſancti glebam cum ſummo honore ad Pithueris Caſtrum, conuenientibus etiam vicinis Epiſcopis, & fideli populo. Vbi fabricata condigna meritis eius Baſilica, fiunt & facta ſunt operante Chriſti gratia, multa virtutum miracula. Ex quibus pauca (ne faſtidium lectori ingerere accuſemur) ad præſens retuliſſe ſufficiat. Interque illud tacendum omnino iniuſtum credimus, quod referentibus qui interfuêre religioſis audiuimus. Quadam namque die, dum cuſtos ſub titulo Sacerdotij ſeruiens beatiſſimi viri Glebæ, ad exequenda myſteria ſacra, ſe præpararet, defuit vnde manus ablueret aqua. Veritus autem vtpote religioſus ſacra attingere, illotis manibus, puerum mittit vt citius aquam deferat, qui continuò accepto vrceolo & reſti, ad puteum cucurrit. Cumque pronus, laticis incumberet ore, inſertumque funi vaſculum, in quam vellet deponere, putei profunditate territus, pede lapſo ad inferiora cecidit. Quod nimirum fuiſſe conſtat antiqui hoſtis doloſa infeſtatione, Videlicet, vt & legitum repentino feriret interitu, & Sacerdotem fatigatum diu præſtolando quem miſerat, reuocaret à diuini Sacramenti cultu. Verùm eius peruerſitas in triumphum verſa eſt Confeſſoris, Domino magis eius merita publicante. Nam puer labens in præceps, inſpirante totius bonitatis ſpiritu, clamare cæpit, ſancte Læte adiuua me. Mox vt periclitans hanc vocem protulit, inuocatione tam chari nominis, Diuinum affuit auxilium. Nam, vt ipſe aiebat cuius ætas adhuc nihil talis figmenti, excogitare poterat? Viſum eſt ſibi dum laberetur, quod veluti quodam fultus ſubſellio, molli deſcenſu in profundum vſq; veheretur, Vnde, quis eum dubitet morti fuiſſe eius ſublatum beneficio, cuius in tanto diſcrimine meruerat recolere vocabulum. Quid enim ibi nocere poſſet gehennæ ſatelles, vbi inuitabatur cæleſtis incola curiæ? Quid multa? Nunciatur Sacerdoti puerum in puteum cecidiſſe, qui tali permotus nuntio, ad puteum cum omni qui aderat populo venit. Iamq; ſolum cogitans de ſepultura, antequam propius accederet, audiuit ingeminari, Sancte Læte adiuua. Sed retractans apud ſe baratri voraginem, atq; anguſtias, nil de eius quem quærebat vita ſpei habens, putabat ſe alicuius vocem audire. Igitur dum propius accedens, diligenter attenderet quænam eſſet illa vox, introſpectans, videt eum cingulotenus in aqua ſtantem, libera voce ſuæ ſalutis inuocare cuſtodem, cum intelligens quod ipſius quem inuocabat precibus viueret, Domino gloriæ gratiarũ perſoluit actiones: Nec mora, diuulgatur per oppidum tantæ virtutis fama. Concurrunt omnes ad puteum beneficium cæleſte viſuri, vt quot intereſſent, præfatæ rei ſpectatores, tot fierent poſtmodum ad laudem Confeſſoris certiſſimi teſtes. Extrahentes itaq; de puteo puerum, contemplabantur eum, quod neq; in capite, neq; in vllo alio membrorum colliſionis aliquod ſignum appareret, ſciſcitantes, quonam modo ſic liberatus eſſet. Quibus etiam per ordinem vt ſupra relatum eſt, omnia manifeſtat. Hilares ergo facti, procedunt ad Eccleſiam, tàm fido cuſtodi, ſe ſuaq; committentes. Redduntur Trinitati laudes indiuiduæ, in toto orbe fit celebre nomen Confeſſoris, Miſſarum celebrantur ſolemnia, conculcata delatoris inuidia. Sicque factum eſt vt populus duplici lætaretur beneficio, & ſaluatione pueri, & diuini perceptione ſacramenti. Inuenitur etiam in geſtis dicti Confeſſoris Læti Oldorico morum honeſtate præclaro iam in cathedra Aurelianenſi Præſidente, miraculum aliud ſpectabile. Erat enim in præfato Pithueris oppido iuuenis quidam, ab ipſo matris vtero perfuſus, ſurdus & mutus, qui Diuino agitatus ſpiritu, ad Eccleſiam beati Læti cæpit ſubito currere. Et appropians altari, deoſculabatur feretrum, in quo iacebant, oſſa confeſſoris, ſtatimque ſanus effectus eſt, glorificans Deum. Et videntes qui eum prius nouerant, mirabantur, tam clerici quàm laici Deum magnis vocibus collaudantes. Eiſdem quoque diebus allatus eſt ad eundem locum puer inualidus. Cui innata debilitas, adeò excreuerat, vt baſibus diſſolutis, prorſus ambulandi amiſiſſet officium. Crura quippe eius adeo erant mollia, vt putarentur veluti quædam caruncula eſſe, nihil habentia oſſium. Sed & reliqua pars corporis omnino erat inualida. Hic igitur adductus collocatus eſt ante fores dicti Confeſſoris, vbi ſuſtentatus memorati Pontificis alimonia expectabat dari à Læto ſuæ infirmitati ſolatium. Adueniente igitur ſolennitate omnium ſanctorum, viſum eſt eiuſdem pueri parentibus, vt filium ante glorioſi Leuitę Læti tumulum exponerent. Qui expoſitus, aſtante Oldorico Pontifice, & maximo conuentu populi, munus cœleſte perſenſit. Nam poplitibus qui ſuperiori parti adhæſerant, protenſis pedumque baſibus in eundi vſum Diuina virtute ſolidatis, qui

Puer in puteum prolapſus ad inuocationẽ S Læti a ſubmerſione liberatur.

Oldoricus Epiſcopus Aurelianenſis. — *Surdus & mutus eiuſdem ſancti meritis reſtituitur.* — *Debilis & claudus curatur.*

pene

penè mortuus in deſperationem vitæ venerat, paulatim ſe erexit, & per ſalutiferam ſancti Læti orationem, mox ire cœpit. Ingeminatur cunctis lætitia, dum in vnius infirmi perſona, gemina oſtenſa ſunt miracula. Languidus enim ſanitatem recepit, & claudus liberam ambulandi facultatem, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt honor & gloria, cum Patre & Spiritu ſancto, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA ET MORS ZACHARIÆ PATRIS IOHANNIS BAPTISTÆ, PER D. EPIPHANIUM CONSTANTIAE CYPRI EPISCOPUM SCRIPTA.

An. 1.

Habetur in libro eius de vitis Prophetarum.

ZACHARIAS adhuc alius fuit, cum Propheta, tum ſacerdos, Iodas ſacerdote prognatus, Ioannis Baptiſtæ parens, quem Herodes ille Tyrannus iuxta aram domumq; Dei occidit. Effuſuſq; eſt ſanguis eius in veſtibulo templi Domini. Is natione Hieroſolymitanus erat de familia Dauid, officialis in domo Domini. Inter cætera, quæ vaticinatus eſt ille, de origine quoq; & natiuitate Chriſti nonnulla prophetauit. Eo igitur in loco propheta, cùm in domo, tum à templo haud procul humatus eſt. Ex eo ſanè facta ſunt in delubro illo, ſeu templo, & oſtenta, & ſtupenda miracula, phantaſiæ nempe, hoc eſt viſiones. Cæterùm ſacerdotes nequibant amplius neq; angelorum viſa oculis vſurpare, neque oracula ſiue reſponſa populo ex Dabir reddere. Neq; etiam poterant in Ephod per ſigna & portenta reſpondere, quemadmodum priùs ſoliti fuerant, vſque ad tempus hodiernum.

5. Nov. Zacharias ſacerdos occiditur.

ITEM DE HOC EODEM ZACHARIA, PER D. BASILIUM EPISCOPUM. EX Homilia eiuſdem de humana Chriſti generatione.

QVod autem Maria perpetuò Virgo remāſerit, etiam Zachariæ declarat hiſtoria quædam, quæ ex traditione ad nos vſq; peruenit. Zacharias enim Mariam poſt Domini conceptionem in virginum loco conſtituens, à Iudæis inter templum & altare interfectus eſt. A populo nanque accuſatus, quòd rem prodigioſam inauditamq; prædicaret, virginem videlicet parientem citra virginitatis corruptionem.

Matth. 23.

ITEM DE ZACHARIA PATRE IOHANNIS BAPTISTÆ EX D. GREGORIO EPISCOpo Nyſſeno. Habetur in oratione eius habita in die natiuitatis Domini, per Petrum Franciſcum Zinum Veronenſem Latinè reddita.

I. NON erit intempeſtiuum, ſi incorruptæ matris teſtem eum, qui inter templum & altare fuit occiſus, proferamus. Hic eſt ſacerdos Zacharias, non ſacerdos ſolum, verum etiam propheta: Ac prophetiæ quidem poteſtas in Euangelij libro declaratur, cum viam hominibus muniens diuina gratia, nè Virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium aſſenſum ſic exercuit, vt fœmina ſterilis, & vir iam ætate confectus, filium ſuſciperent. Hoc mirandi virginis partus procœmium fuit. Etenim ſicut Elizabeth, quæ ſterilis ad ſenectutem peruenerat, non poteſtate naturæ fit mater, ſed ei diuino conſilio filius naſcitur: ſic quod in virgineo partu non credendum videtur, ſi referatur ad Deum, credibile eſt. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuncius ſterilis, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequàm in lucem prodiret, in aluo matris exiliuit, ſimulác natus eſt præcurſor Verbi, prophetico ſpiritu Zachariæ ſilentium ſoluitur. Quæcunque autem diſſeruit Zacharias propheta, ad futurum ſpectabat.

Luc. 1. Zachariæ prophetia.

II. Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cum virginitatis myſterium in partu incorrupto non ignoraret, in ſacro templo virginem matrem à loco virginibus per legem aſſignato non ſemouit, Iudæoſque docuit naturam humanam vna cum reliquis omnibus rerum omnium effectori & Regi ita ſubiectam eſſe, vt arbitratu ſuo eam ipſe regeret, non autem ab ea regeretur. Itaq; in manu ipſius eſſe, nouam ortus rationem moliri, quæ matrem eſſe virginem non impediret. quamobrem eam ſe à virginum loco non excluſiſſe. locus autem ille erat ſpatium quoddam inter templum & altare.

III. CVM igitur audiuiſſent Iudæi rerum omnium Regem in vitam humanam diuino ordine prodiiſſe, metuentes, ne Regi ſubderentur, ſacerdotem, qui hæc de ipſo partu teſtificabatur, ad ipſum altare ſacrificantem interfecerunt.

A Iudæis in templo interficitur.

VITA S. LEONARDI CONFESSORIS, PER FR. LAURENT. SURIUM EX MSS. CODICIBUS PRESSIUS deſcripta.

An. 520.

I. BEATVS Leonardus ſub Anaſtaſio Imperatore in Gallijs natus eſt. Parentes claros habuit, & magnę apud Clodoueum Regem dignitatis & authoritatis. Clodoueus is primò paganus fuit, ſed ad beati Remigij Epiſcopi prædicationem, Chriſtiana religione initiatus eſt: & vt graues affirmant teſtes, Leonardum puerum è ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepit, quòd parentes eius inprimis charos haberet. Poſtquam autem Leonardus puer adoleſcentiæ robur adeptus eſt, noluit Regi terreno militare, vt fecerant maiores eius: ſed ſpiritu diuino promptus, ad beatiſſimum Remigium Epiſcopum imitandum ſe contulit. Cuius ſalutares admonitiones non ſurda accipiebat aure, ſed vt futurus verbi Dei ſeminator, in pectoris ſui armario recondebat. Indè eſt, quod quemadmodum beatus Remigius olim à Franciæ Regibus impetrarat, vt quoties Rhemorum vrbem aut ingrederentur, aut præterirent, captiui omnes è vinculis & carceribus dimitterentur: quod quidem hodieque obſeruatur: ita boni magiſtri bonus diſcipulus Leonardus à Rege obnixe petiit, vt in vincula coniectis, ſi ipſe eos inuiſeret, libera poteſtas fieret abſcedendi. Cumque id à Rege obtinuiſſet, vbicunque comperit vinctos in carcere detineri, ſummoperè eos inde extrahere conabatur. Sciebat enim illud dictum à Saluatore: In carcere eram, & veniſtis ad me. &, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

6. Nov. Clodoueus Rex credit in Chriſtũ. B. Remigius quid petierit à Franciæ regibus; itemq; S. Leonardus. Matth. 25.

II. CRESCEBAT interim tota Gallia fama virtutis eius, quòd multi incommoda affecti valetudine, ad eum confluerent, & ſani reuerterentur, corporea & ſpiritali ab eo alimonia recreati. Erat vir Dei alacer in exhortando, ſuauis atque humilis in ſermone, in actione ſimplex & pudicus, in promiſſis verax, in eleemoſynis largus & munificus: in reddenda ratione modeſtus, atque adeò tenuis & ſubmiſſus, vt non familia nobili, ſed abiectiſſima ortus videri poſſet. Eius fama permotus Franciæ Rex, honeſtos ad eum legatos miſit, qui eũ accerſirent, aitq; venienti ad ſe: Obſecro te, vir Dei Leonarde, vt non recedas à palatio meo, donec ſis pontificia, vt dignus es, functione ornatus.

S. Leonardi virtutes.

Erat enim iam in clerum aſſcitus, moribus humilis & manſuetus. Reſpondit vir beatus: Si more maiorum meorum Regibus Franciæ militare voluiſſem, non dubito, domine mi Rex, quin in palatio tuo non mediocri fuerim loco potiturus. Sed quia potius elegi abiectus ſeruire Deo meo, quàm in loco ſublimi ſeruire Regi terreno, eas, quas mihi promittis, dignitates & infulas largire illis, qui eas appetunt: mihi ſatis eſt, ſi liceat in ſolitudine laudare Deum & Dominum meum. Nec tamen hoc ita accipi velim, ſereniſſime Rex, quaſi execrandum ſit Epiſcopi munus illis, qui illi obeundo ſunt idonei: ſed quòd mihi magis libeat abiectum eſſe in domo Dei mei, quàm habitare in aulis Regum & principum mundi huius.

Reſpuit oblatum Epiſcopatum.

Pſa. 83.

III. Ita ergò poſthabito dignitatis terrenæ faſtigio, quod Rex offerebat, tanquàm fidelis agricola verbum Dei ſeminans, Aureliam peruenit, inuentoq; haud procul extra vrbem venerabili viro Maximino monacho, aliquandiu apud illum moratus eſt. Diuina autem reuelatione admonitus, indè recedens, in Aquitaniam profectus eſt. Cumq; ſancto Liphardo fratri ſuo, qui fidus ei comes fuerat, eam reuelationem indicaſſet, orans vt ſecum iret, beatus Liphardus reſpondit: Equidem mi frater, niſi tibi moleſtum eſt, hic apud Ligerim mihi commodum conſtruam domicilium: tu verò pergas ire, quò te vocat Dominus Ieſus: isq; tibi vbique propitius ſit. Ita cum ſe inuicem oſculati eſſent, à ſe ſeparati ſunt. & Liphardus quidem Madunum petiit, vbi etiamnum requieſcit: Leonardus verò abijt in Aquitaniam. Cumq; per Biturigum regionem iret, haudquaquam mortis metu ſe celauit: ſed ſicut vir ſtrenuus, armis fidei munitus, Chriſtum prædicabat. Ijs enim in locis tum recens admodum erat Chriſtiana religio, necdum abolito prorſus ethniciſmo. Itaq; vir Dei, quantum poterat, verbis & factis Chriſtum annunciabat, pellebat dæmones, ſurdos, claudos, cæcos, & morbidos omnes ad ipſum venientes, curabat. Interim ſuum proſequens iter, galea ſalutis & ſcuto fidei inſtructus, tandem in ſyluam peruenit, quam Pauum vocant. Ea feris abundans, Reges Galliæ & Aquitaniæ principes inuitabat ad venationes. Ferunt etiam ſingulis annis Galliarum Regem eò veniſſe animi gratia, plerunq; etiam Regina comitante. Aberat is locus à Lemouicum vrbe decem ferè milliaribus. Cum autem beatus Leonardus per eam tranſiret ſyluam, Rex eò venerat cum Regina, quæ ex partu in magnum vitæ diſcrimen adducta, Regem non mediocri animi dolore affecit. Adhibebatur varia medicorum opera, ſed nihil promouebatur. Plorabat omnis aula & familia Regis, quod Regina tam miſerè abiret è vita. Vt autem lamentantium voces ſenſit beatus Leonardus, ab itinere nonnihil deflectens, eò ſe contulit, multa animi commiſeratione permotus, ſcire volens, quid ſibi vellent lugubres illæ voces atque clamores.

Diuinitus monitus proficiſcitur in Aquitaniam.

Huius Liphardi Vitam quære 3 Iunij.

Miraculis coruſcat.

Ezech. 3.

Manet in ſolitudine quam Pauum vocant.

IV. Qvem ſimul atq; conſpicati ſunt aulici, Regi indicarunt de eo, quòd quidam vir Dei adeſſet, qui Angelicum præ ſe vultum ferre videretur. Mox ad eum aduolans Rex, & ſecum introducens in aulam, ita eum compellat: Dic nobis, venerande pater, cuias ſis, vnde venetis, & num ſis medendi arte inſtructus. Vir ſanctus reſpondit: Patria mihi Francia eſt: vt autem huc accederem, lamentabiles voces me impulerunt: neque verò eam calleo medicinam, quæ ab herbis petit remedia: ſed inuocato Chriſti nomine ſoleo varios curare morbos. Ijs auditis, lætatur Rex, ſciſcitaturq; ex viro Dei, quo vocetur nomine. Reſpondente illo ſe Leonardum dici, ſeruumque eſſe omnipotentis Dei & beati Remigij auditorem: Rex audiens tam boni magiſtri eum eſſe diſcipulum, nihil ambigit ſanctum & bonum virum eſſe, ad eiusq; ſe genua ſubmittens, præ ingenti animi dolore orat, vt opituletur Reginæ, ex partus difficultate morienti. Affer mihi, inquit, vir ſanctiſſime, geminam conſolationem Reginæ reſtitutæ, & prolis feliciter editæ. Tum vir ſanctus ſolita humanitate commotus, lachrymas fundit, Regemq; eleuans, cum illo & paucis ſatellitibus eius intrat in cubiculum, vbi Regina decumbebat, oculiſque in cælum ſublatis, Dominum pro illa deprecatur. Deinde exeunte illo cum Rege, confeſtim Regina peperit, & omni dolore abſoluta eſt. Itaq; Rex cum omnibus ſuis tollit ad ſidera manus, laudat omnipotentem Deum, quòd per ſeruum ſuum Leonardum tam inſigne ediderit miraculum: iubet proferri aureos ſcyphos & pateras argenteas, permultaq; alia, & gratitudinis ergò donari beato Leonardo. Sed ille homo Dei, cui mundus erat crucifixus cum omnibus pompis ſuis, regia munera nõ accipit, ſed accito ad ſe Regi dicit voce mitiſſima: Donum Dei, mi Rex, pecunia non comparatur, ſed precio fidei fidelibus adminiſtratur. Ea igitur, quæ mihi largiri volebas, da pauperibus, viduis, pupillis, & rerum inopia laborantibus, vt poſſis poſt obitum æterna felicitate perfrui. Ego nullo horum indigeo: ſed in deſertis locis, contemptis mundi diuitijs, ſoli Chriſto ſeruire cupio. Atque ea cauſa fugio hominum turbas, vt Chriſto nocte & die ſeruiens, poſſim ad opes pertingere nunquam perituras.

Reginã ex partus difficultate morientẽ ſanat.

Magna Regis munera non vult recipere.

V. Respondit autem illi Rex. Sanctiſſimæ voluntati tuæ equidem abunde poſſum ſatisfacere, & ecce totum hoc nemus tibi tradam poſſidendum. Ego vero, inquit beatus Leonardus, non totum, ſed eius tantum partem quandam à te accipiam, ſereniſſime Rex, quando adeo promptum te experior. Itaq; quantum nocte potero aſello meo vectus circumire, tantum dari mihi peto. Annuit Rex libentiſſime, iuſſitq; omne illud ſpatium lapideis terminis definiri. Manſit autem vir Dei in illo loco, condiditq; ibi oratorium in honorem beatiſſimæ matris Dei, in cuius ſiniſtro latere altare alterum conſtruxit in beati Remigij memoriam. Vixit verò parciſſimè, corpus ieiuniis, vigilijs & precibus macerans. Adiunxit quoq; ſibi duos monachos, vita & moribus religioſos, vt in ea eccleſia perpetim diuina myſteria celebrarent, quandò ipſe ſanctorum limina orandi cauſa viſitaret. Solebat enim pro more ſæpiſſimè adire baſilicam beati Martialis Epiſcopi Lemouicenſis: atque ea cauſa nolebat oratorium ſuum eſſe ſine miniſtro, dum ipſe abeſſet. Difficulter autem illic à monachis aqua obtineri potuit, quod ferè vno milliari apportanda eſſet. Rogarunt igitur beatum Leonardum, vt iuxta eccleſiam aquam ipſis impetraret. Iuſſit ergò humum inſtar putei fodi, ſtansq; ſupra effoſſam humum, orauit Dominum, & mox perennes eruperunt aquæ, quæ vſque in hunc diem loci eius habitatoribus potum præbent. Porro locum ipſum beatus Leonardus Nobiliacum dici voluit, quod à nobiliſſimo Rege eum dono accepiſſet.

Accipit partem nemoris a Rege. Extruit eccleſiam.

Precibus imperrat aquam perennem.

VI. Etsi autem latere percuperet vir ſanctus, & hominum frequentiam fugeret, quando tamen ciuitas abſcondi non poteſt ſupra montem poſita, infinita ad eum malè valentium turba confluxit, curabaturq; ab eo. Fama ſanctitatis eius Aquitaniam omnem & Britanniam minorem impleuerat, atque vſq; in Germaniam ſeſe effuderat: atque adeo Deus ornauit & illuſtrauit illum, vt ſi quis in carcerem coniectus, eius nomen inuocaret, ruptis catenis, nullo impediente, liber abſcederet. Indè accidit, vt multi etiam ex longinquis regionibus à vinculis & carceribus per eum liberati, ad eum venirent, & compedes atque catenas ſecum afferrent, ad eius ſeſe pedes humiliter abijcientes. E quibus etiam non pauci apud eum manebant, ſe illi ſeruos offerentes: ſed vir Dei illis potius ſeruire ſtudebat, partem eis ſyluæ diſtribuens, vt conſueſcerent agriculturæ operam dare, & indè ſibi parare victum, non inhiare prædis, ne rurſus in vincula conijcerentur & obſcuros carceres. Simul autem ſalutari eos Euangelij prædicatione inſtituebat, præterea q; omnes ad ſe venientes varijs affectos morbis, ſanabat ſanctis precibus, & optimis ſermonibus conterentes paſcebat, nudos veſtiebat, eſurientes alebat, cuiuſque neceſſaria pro viribus ſuppeditabat. Itaq; amabatur ab illis haud ſecus atq; ſoleni filij parentes ſuos.

Matth. 5.

Magna eius vis in liberãdis vinctis.

Vitæ, miſericordiæ operibus, & miraculis.

VII. Cum autem hæc eius præclara facinora in Francia diuulgarentur, multi ex cognatis eius, plerique etiam familiares eius, [illegible] rebus & poſſeſſionibus ſuis, cum vxoribus & liberis ad eum ſe contulerunt. Quos vt ille vidit, [illegible] adnuitans, ait ad eos: Ego vos fugi, & ecce vos me ſequimini, quandoque etiam ad paradiſum

Conſanguinei eius cũ

diſum me ſecuturi. At illi proſternentes ſe, Domine pater, inquiunt, tui ſumus, & à te, ſi placet, nunquàm recedemus. Vias tuas oſtende nobis, & ſemitas tuas edoce nos. Reſpondit vir ſanctus: Ego vos, dilectiſſimi, Prophetæ verbis appello: vos autem reponite ea in cordibus veſtris. Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Timete ergò Dominum, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguērunt & eſurièrunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Itaque filij audite me: timorem Domini docebo vos. Ea cauſa tulit vos Deus è populorum tumultu & ſtrepitu, vt in hac ſolitudine mecum commorantes, rectè hic viuatis in iuſtitia & ſanctitate, memores illius propheticæ ſententiæ: Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. itemq; illius: Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm plena domus cum iurgio. Poſt id genus ſalutares adhortationes ſeptem eis nemoris ſui partes aſſignauit, tot enim erant familiæ: iuſſitque eos labore manuum ſuarum victitare, quemadmodum Apoſtolus ſe feciſſe dicit, vt haberent vndè poſſent indigentibus elargiri. Præter hos autem alij multi & ex propinquis & longinquis regionibus ad eum aduentabant, cupientes ad mortem vſq; cum illo permanere. At ille amplectens omnes, fouebat eos vt ſolet gallina pullos ſuos. Robur erat validis, atq; infirmis medicina, in templo Dei tanquam ſtella matutina refulgens. Vixit diebus vitæ ſuæ in timore Domini, ornatusq; virtutum gemmis, ſeruiuit creatori ſuo ſine querela. Denique cùm tam bonum certamen certàſſet, fidemque ſeruaſſet, quando viſum eſt altiſſimo, vt è præſenti ſeculo emigraret, octauo Idus Nouembris ſanctiſſima anima eius ab Angelis recepta eſt in cœlum: corpus autem ſanctiſſimum à fidelibus humatum eſt in eccleſia, quam ipſe conſtruxerat in honorem beatiſſimæ ſemperq; Virginis Mariæ & beati Remigij Rhemorum Epiſcopi. In ea autem eccleſia multa diuinitus miracula fiunt, cæci vident, leproſi mundantur, paralytici curantur, varijq; hominum languores, eius precibus depelluntur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Sequuntur relictis bonis ſuis. Pſal. 36. Pſal. 33. Pſal. 36. Prou. 17. Actor. 20. 1. Cor. 4. 1. Theſſ. 4. Feliciter ad Dominum proficiſcitur. Miracula ad ſepulcrum eius.

VIII. Poſt eius autem deceſſum pagus ille Nobiliacus propter miracula, quæ illic fiebant, in dies aduentantibus hominibus augmentabatur, creſcebatque habitatorum numerus, Clero populoque incrementa capiente. Euoluti itaque paucis diebus, diuina reuelatione admoniti ſunt Clerici eccleſiæ eius, vt aliud ædificarēt templum, & in illud corpus ſancti viri honorificentiſſimè transferrent. Illi viſionem referunt ad populum, triduanumque omnibus ieiunium indicunt. Cumq; in ieiunio, precibus & vigilijs pariter perdurarent, Dominumq; rogarent, vt locum ipſis oſtenderet, ad quem vellet confeſſorem ſuum transferri, ſigno admirabili declaratus eſt eccleſiæ conſtruendæ locus. Tertia enim nocte in tota ferè prouincia illa nix altiſſima decidit: porrò locus ille, in quo vir ſanctus quieſcere voluit, prorſus intactus à niue permanſit. Eo conſpecto miraculo, cum magnis vocibus gratias agunt Deo, qui per ſanctum confeſſorem ſuum exhilararit fluctuantem populum ſuum: moxq; arreptis ligonibus & ſarculis, eccleſiæ fundamenta fodiunt, eamq; magna operis inſtantia breui exædificant. deindè adunatis fidelium turmis, in eam corpus ſacrum beati viri cum hymnis & canticis inferunt. Quæ autem miracula in hac translatione perpetrata ſint, paucis explicari non poteſt. Sed & quotidiana ad eius ſepulchrum fiunt miracula, quæ perſpicuè teſtantur, qua in gratia ſit apud Chriſtum. Permulta illic ſuſpenſa cernuntur ferrea vincula, multorum etiam enſes & lanceæ, quos è bellorum rabie liberauit. Quod ſi quis velit catenas eò allatas, itemque compedes, ocreas & manicas ferreas omnes certo numero comprehendere, & in ſcripta redigere, fortaſſis res incredibiles narrare videbitur. Qui autem eò adueniunt, non poſſunt ambigere, quin vera dicamus: ijq; ex tanta ſuſpenſi ferri copia magis animis confirmantur & hilareſcunt. Porrò autem ſi quis & antiqua & quotidiana eius miracula annotare inſtituat, prius ſe tempore, quàm rerum copia, deſtitutum experietur. Sed quandò omnia referre non ſinit multitudo, nihil autem ex ijs commemorare ſtultiſſimum eſt, pauca è plurimis breuiter dicemus, quæ ad lectoris demulcendum animum, tanquàm flores ex amplis pratis decerpſimus.

Inſigne miraculum. Transfertur iuſſu diuino ſacrum corpus eius. Infinita eius miracula.

IX. Lemouicenſium Vicecomes quidam, ob deterrendos homines à maleficiis, immaniſſimam iuſſerat parari catenam, eamque ad cippum alligari, qui erat in media turri, haud procul ab eccleſia beati Martialis extructa. Prominebat autem è turri catena, & qui ea ad collum vinciebantur, ſub dio ſtabant: & æſtate quidem expoſiti erant ſolis ardoribus, hyeme autem nimbus & frigori: & vtroque tempore pluuijs, ventis & imbribus, aliisq; cæli iniurijs, ita vt non vnam, ſed mille mortes perferre viderentur. Eam catenam, Mauram appellabant. Vicini omnes valdè ſibi ab illa metuebant, quod plerunq; etiam innocentes ea punirentur, ſi Vicecomitem, vt aſſolet, terrena fortaſſis cupiditas occupaſſet. Ita accidit, quendam beato Leonardo deuotum hominem, abſq; culpa ea colligari: qui cùm ferro adeò eſſet ad collum attritus, vt ſupremum ſpiritum vix trahere videretur, recordatus beati Leonardi ſuſpirabundus intra ſe dixit: (nec enim catena preſſus vocem edere potuit) Sancte Leonarde, qui etiam extraneis te inuocantibus ſubuenis, cur me ſeruum tuum hac catena, ſtrangulari permittis? Succurre (obſecro) mihi, antequam me vitalis deſtituat ſpiritus. Confeſtim in veſte candidiſſima adeſt ſanctus Leonardus, atque ad hominem: Non morieris, ſed viues, & narrabis opera Domini. Surge incolumis, & hanc Mauram perfer ad eccleſiam meam. Nemo enim deinceps ea vincietur, ſed quod te ex ea exemerim, ſuſpenſa apud ſepulcrum meum palàm reſtabitur. Tu verò ſequere me præeuntem, nec dubites abſportare catenam. nullum n. eius pondus ſenties. Obtemperat homo, ſequitur ducem ſuum, & celeriter ad fores eccleſiæ beati viri perductus, ſolus manet, beato viro ab eius oculis euaneſcente. Mox intrat in templum, ſpectante Clero & populo, ad ſanctū altare deponit catenam, narrat omnibus, quid ipſi præſtiterit ſanctus Leonardus. Cuncti laudant Deum: fama rei geſtæ procul diffunditur, accurrūt Lemouicenſes ciues & vicini omnes offerunt munera Deo & S. Leonardo, depromunt laudes deuotione præcipua.

Homo innoxius diro ſupplicio afficitur. Eum S. Leonardus liberat.

X. Cum eius regionis nobiles inter ſe contenderent, quidam è pago Nobiliaco, beato Leonardo deuotus, à quodam nequiſſimo tyranno captus eſt. Is veritus, vt poſteà ipſe narrauit, nè ſanctus Leonardus homini opitularetur, ità apud ſe cogitabat: Si hunc hominem ferro conſtrinxero, prorſus metuo nè amittam illum. Vt enim apud ignem cera, ſic ad beati Leonardi nutum colliqueſcit ferrum. Si cippo pedes eius incluſero, aut in cuſtodiam eum detruſero, nihilo certior ero, eadem enim illic quoquè Leonardi vis eſt. Planè anxius ſum, quid agam hoc homine, à quo ego mille ſolidos, ſi redimi velit, extorquere conſtitui. Sed ſcio tamen, quid faciam. Iubebo foueam profundiſſimam in interna turri mea fieri, in eamque illum compedibus manicisque ferreis colligatum demergam. needum enim ſanctus Leonardus ſub terram ſe demiſit: & quamuis fortaſſis catenas ferreas diſſoluet, hominem tamen è ſpecu ſubterraneo educere nequibit. Porrò etiam ad os foueæ arcam ligneam admouebo, & in ea milites iubebo excubare noctes atque dies, qui eum cuſtodiant. Fecit ergò hæc omnia ſæuus homo: ſed tamen efficere non potuit, vt licèt in tenebris & magnis catenarum anguſtijs eſſet, ſpem & fiduciam vinctus abijceret, ſeque à beato Leonardo ereptum iri dubitaret, quem etiam cuſtodibus audientibus crebrò inuocabat, ſimul orans Dominum, vt per dilectum confeſſorem ſuum Leonardum ſe liberaret. Eccè autem quadam nocte præ laſſitudine illo obdormiente, ſanctus Leonardus cum multa luce adeſt, euertit arcam, in qua milites inerant, eosque ſub eam ceu mortuos deprimit: indè deſcendit in foueam, alta voce appellat hominem. Dormis ne, inquiens, an vigilas? En adſum Leonardus, quem expetijſti. Expergefactus homo, viſa luce immenſa, ait ad eum: Domine, adiuua me. Confeſtim diruptis catenis, & inſtar luti diſſipatis, proprijs vlnis è turri eum exportat: ambulansq; cum eo, familiaria miſcet colloquia, vt inter ſe amici ſolent, tandemque Nobiliacum perducit, vbi extra periculum fuit. Sole orto,

Singularis virtus S. Leonardi in captiuis liberandis. Eccè quam ſtultum ſit, cum ſanctis velle decertare. Extrahit vinctum è profunda fouea.

exponit

exponit vicinis, quæ paſſus ſit à tyranno, quid beneficij à ſancto Leonardo acceperit. Mirantur omnes, & incredibili gaudio & lætitia afficiuntur.

XI. Peregrinus quidam in longinqua regione audiens, quæ beati Leonardi interceſſione miracula fierent, conſtituit eius adire ſepulcrum. Fecit, venit eò, orauit, & reuerſus eſt. Dum eſt in itinere, capitur apud Aruernos, & in arctam cuſtodiam ducitur. Ait ergò ad illos: Quæ hæc veſtra immanitas eſt, vt in hominem, à quo nihil vmquam læſi eſtis, quem neque nouiſtis, neque vidiſtis antehàc, tam inhumanos vos declaretis? A ſancto Leonardo reuertor: pro eius amore vt abire me ſinatis, oro. At illi non modò preces eius contemnunt, ſed etiam mortis minas intentant. Fame; inquiunt, te excruciatum interficiemus, donec è patria non paruam pecuniæ vim, qua redimaris, petas. Reſpondet ille: Noueritis me beato Leonardo eſſe commendatum. Nocte eâdem caſtelli eius principi apparet ſanctus Leonardus, expoſtulat cum eo, cur auſus ſit capere peregrinum ſuum, à quo nihil mali illatum eſſet. Vide, inquit, vt manè abſolutum à vinculis, à te dimittas. Ille refert hæc ſuis militibus, nec tamen ſoluit captiuum. Altera nocte redit ſanctus Leonardus, ſed rurſus nihil impetrat. Tertia nocte reuerſus, aufert hominem è cuſtodia, longeq; extrà oppidum educit. Illo ablato, media caſtelli pars repentino caſu multos crudeles viros opprimit & extinguit: caſtelli dominus, fractis cruribus, cum ignominia ſuperſtes manet.

Aliū inhumaniter captum, eripit.
Pœna inobedientiæ.

XII. Apud Nannetes, quod eſt minoris Brittâniæ oppidum, eques quidam carcere tenebatur, catena ferrea vinctus collum, brachia & pedes. Orauit ille ſanctum Leonardum, vt tantæ miſeriæ ſubueniret. Sanctus Leonardus, qui nūquam ſolitus eſſet cunctânter adeſſe ipſum implorantibus, quodam die viſibilis apparuit in media domo: vbi captiuus ille detinebatur. Familia omnis, oculis in eum coniectis, expectauit quidnam facturus eſſet. Permulti enim illic erant, & adeò certò illis conſtabat, ſanctum Leonardum eum eſſe acſi aliunde id eis indicatum eſſet. Ille ergo captiuum manu apprehendit, cunctisq; valde admirantibus, catenam ab eo tollit, rurſusq; in eius imponit vlnas, iubet vt ad ſuam eccleſiam eam abſportet, eumq; per medium illorum educit. Nemò quicquam auſus erat dicere: ſed omnes taciti, laudâbant præclara Dei opera, quæ efficiebat per beatum Leonardum confeſſorem ſuum.

Alium quoque admirabiliter è captiuitate educit.

XIII. Cvm adhuc in viuis eſſet Wilhelmus magnus Aquitaniæ Dux, dubitatum eſt à multis, num beatiſſimi Iohannis Baptiſtæ caput apud * Angericum håberetur, Iuſſit ergò princeps Wilhelmus magnam Epiſcoporum conuocari ſynodum, vt eorum conſenſu tantus theſaurus inquireretur, & ſacratis illorum manibus hæſitanti populo viſendus exhiberetur. Quæſitum & inuentum eſt caput ſacratiſſimum, altariq; impoſitum, cunctis illud ita, vt par erat, venerantibus. Multæ tum eâ cauſa illuc allatæ erant Sanctorum reliquiæ, multaque edita ſunt miracula per merita illorum: in ijsq; ſanctus Leonardus, bonus inprimis malè habentium medicus, non pauca virtutum ſingula declarauit. Paupercula quædam mulier filium cæcum eò adduxerat, orauitquè ſanctos, quorum reliquiæ illic erant, vt ei redderent viſum: ſed exaudita non eſt. Cùm autem obuiam veniſſet capſæ, in qua ad ſynodum adducebantur beati Leonardi reliquiæ, apud ſe dixit: O beate Leonarde, omnes ad te venientes ſanas: ego verò paupercula neq; à te, neq; ab alijs ſanctis filij ſoſpitatem potui impetrare. Simul autem feretro ſuppoſuit filium ſuum, eum mox videntem, ad ſe recepit. Alia fœmina illic aderat, ſeptem nequam ſpiritibus occupata. Eam quoq; beatus Leonardus curauit. Sanauit etiam claudum quendam.

Baptiſtæ domini caput nunc Ambiani ſeruatur.
Cæcus lumē recipit. Dæmoniaca curatur, itemque claudus.

XIV. Ad Rhodanum flumen caſtellum eſt, in quo captiuus quidam aſſeruabatur. Is ſine intermiſſione inuocans beatum Leonardum, ab eo ereptus eſt. Sed cum eſſet eo loco admodum profundus fluuius, & homo illi ſe committere formidaret, beatus Leonardus illum incunctanter per eum tranſire iuſſit. Iuit ergò ſiccis veſtibus ad vlteriorem vſq; ripam. Alteri cuidam in ſubterraneam ſpecum coniecto columbæ ſpecie apparuit, eumq; indè eduxit. Cum autem atra nox homini viam, qua iret, prorſus abſconderet, columba ob oculos eius volitans, eum anteceſſit, atq; ad locum optatum perduxit.

Duo captiui euadunt.

XV. Latrones quidam ruſticum ceperunt, eumq; ad quercum ſuſpenderunt, corpore miſerè pendente, pedibus arbore compreſſis, ſiniſtrâq; manu ad aliam arborem ferreo vinculo alligata: ita vt nihil miſero relictum eſſet liberum, præter ſolam dextram manum, cui innitebatur. In tantis igitur anguſtijs appellat cum lachrymis beatum Leonardum. Et eccè circumfundi ſibi cernit lucem clariſſimam, & ex ipſa luce audit vocem blandiſſimam: Quid ita clamas? Reſpondet ille: Deum inuoco, ſanctosq; eius Martialem & Leonardum appello. Tum vox illa: Extrahe, inquit, pedes & manus, & abi liber & incolumis. Illo dicente, ſe non poſſe pedibus & manibus impeditis, rurſus iubetur abſq; vllo metu facere quod monitus erat. Fecit ergò ſic, & compedibus in terram decidentibus, abſceſſit.

Item alius à latronibus vinctus

An. 680.

VITA S. VVINOCI ABBATIS GRAVITER ET DOCTE SATIS CONSCRIPTA: SED NOMEN AVTHORIS VEL AB IPSO SVPPRESSVM

vel à librario neglectum & omiſſum, MS. codex non habet.

Eſt hic S. VVinocus diuerſus ab eo recluſo, de quo Gregor. Turon. lib. 5 hiſt. Franc. cap. 21 & lib. 8 cap. 34

6. Nov.

I. Cvm titulos olim maiorum copia honeſtauerit dicendi & fortia facta veterum in poſteros non parum glorioſe transmiſerit: eo etiam exemplo pleriq; quos noſtra ætas habet affectati, ſanctorum facta virorum vel dicendo vel ſcribendo cœlo niſi ſunt æquare. Sic Seuerus Martinum, Fortunatus Hilarium, ſic alij alios conſcripſere, eosq; in ornamentum Eccleſiæ dedere. Cumq; in dicendo nihil minus à magnis oratoribus effecerint, nullo modo tamen (vt ſine detrimento maieſtatis eorum dixerim) virtutes ſanctorum ſcriptis æquare valuerunt. Etnè derogationis in tam præclaros Eccleſiæ Dei oratores arguar: idem ipſi vna mecum ſentiunt: minus eſſe meritis ſanctorum, omne quicquid dixerint. Nec mirum: Ad quorum enim nutum creatura, creatore diſponente, naturam interdum ignorauit, & elementa iuſſa ſunt pati, in eorum laudibus oratorum linguam ſuccubuiſſe parum eſt. Hæc idcirco diximus, vt tantò ſcribenti mihi ignoſcatur, quantò à magnis oratoribus minus habet ingenium, & coram quibus, vt ita dicam, noſtra ſordeſcit oratio. Sed nè me ſcribentem temeritatis accuſet quicunque ille eſt, cauſas ſcribendi prænoſcat: & tum demum vel accuſet, vel ignoſcat. Nam à fratribus cœnobij ſancti Vuinoci, quorum charitate non parum iocundè refrigeratus ſum, non ſine confuſione fateor mei, ſuggeſtum accepi, vt vitam & actus memorabilis, quem præfatus ſum patris, nouo ſtylo ex veteri ſumpto cuderem, Ciceronis linguam in ore ruſtico quærentibus. Quid enim? Satis mihi timebam patribus non parere, vicemque eis, quibus multa debui non reddere. Et quid agerem, qui multa debui exactus quod non habui? Hinc charitatem, hinc imperium illorum conſiderans, inter vtrumque poſitus charitati vicem, imperio obedientiam debui. Cumque diuerſus has in partes ægrè ſpiritum traherem, & conatus ſum poſſe, quæ non habui poſſe: venit in mentem os prophetæ calculo de igne altaris ſublato emundatum, & quod mirabilius eſt os aſinæ in verba diſtinctum: Proinde ſanctus hic, quem laudare compellor, facilè habet in apertione oris mei glorioſus fieri, qui cum voluit, multorum linguas abſoluere, promptum habuit. Et quamuis parum glorioſum ſit diuina humanis

Vita ſanctorum, Eccleſiæ ornamentum.
Cœnobiū S. Vuinoci in caſtro Bergenſi.
Eſa 6.
Num 22.

humanis laudari: habet tamen deuotio ſancta laudis ſuæ præmiũ, negligentia periculum, deuotionis enim eſt, pie laudare: negligentiæ, non laudare. Et licet non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris: de negligentia tamen iudicabitur, ſi non conatur vtcunque mereri vt laudet. Precibus ergo patrum confiſus, aggrediar opus quod iniungunt, obediendi ſcilicet deuotione, non ſcribendi præſumptione. Cumque extremam manum operi dedero penſiumque operis patribus reconſignauero: ſi quid manus noſtra errauit, iubenti magis, quam obedienti lector imputare habebit: quia facile potiorem me in hoc opere ſcriptorem admittere potuerunt. Quia ergo non piguit magna iubere, nec me pudebit magnis parere, quanquam futuro operi longe viribus impar ſim.

Eccl. 15.

I. BEATVS Vuinocus in Britanniæ finibus ex nobilium virorum proſapia naſcendi exordia ſumpſit, ſed nobilitatis titulum probitatis indole ornauit. Qui[a] cum à prima ætate nouus virtutibus quaſi ſemper inciperet, inter ipſa tamen primordia conſummator apparuit, & in mundo poſitus, extra mundum fuit, & ſub habitu ſeculi geſſit militem Chriſti. Inter hæc ſtupebat in ſinu ſuo Britannia ciuem ſuum peregrinari, & intra fines proprios nouis quotidie actibus exultare & morari. At qui mente iam à patria exulårat, vt etiam corpore eſſet exul, non ægre operam dabat. Itaque vt alter Abraham, exire de terra & de cognatione ſua, meditatione verſabat aſſidua. Porro ſuccedentibus ad integrum votis, conſilium inuenit res diu mente concepta & agitata. Habuit[b] proinde in conſortium ſuſcipiendæ peregrinationis coniuratos in Chriſti ſacramenta tyrones, *Quadanocum videlicet, Ingenocum, atque *Madocum, genere quidem ſpectabiles, & vita probabiles. Hi vna cum beato Vuinoco rerum ſuarum onere expediti, patrio ſolo parentumque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei paſſibus fidei ducebantur, illud Apoſtolicum operum ſuorum vocibus clamantes: Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Gen. 12. *Heb.* 13.

Patrem Vuinoco fuiſſe Gilquellum, ſiue Iudicaelum, qui decimus recenſetur inter minores Britanniæ Reges, de quo Aimoin lib. 4. c. 29. fratrem primogenitum Iudicaelum, ſecundo genitum S. Iudocum tradit Molanus in natal Belg. 6 Nouemb. in S. Vuinoco. *a* Magna perfectio S. Vuinoci *b* Cum tribus ſocus peregrinationem ſuſcipit. *Cadanocum* Molan. * *Maſdocum* Molan.

II. IGITVR poſt longa viarum ſpatia regioni tandem appulere Morinorum, vbi fama vulgante ſanctorum hominum tunc florere religionem compererant. Per id tempus in ea Morinorum ſeu Taruanenſium regione beatus Bertinus in ornamento Eccleſiæ Dei erat lapis precioſus, in Sithiu monaſterio merito & officio Abba. Hic ſanctitatis ſuæ aromata longe lateque ſpirauerat; & in militiam Chriſti ſuo exemplo permultos inuitarat atque pertraxerat: cuius laudabilia geſta noſſe qui velit, ex libello, quo eius actus pleniſſime continentur, perſpicue diſcere poterit. Tanti ergo patris regimini viri illi, quos diximus, deuoto ſe obſequio ſubdiderunt, & egregium omnino duxere, ad doctrinam ſancti animo peruigili pendere. Eorum vero laudabili deuotioni gratulans beatus Bertinus, ſub norma pij patris Benedicti docuit eos ferre ſuaue iugum Chriſti, monaſticiſque parere ſanctionibus, & verbis & factis inſtituit. Cumque eos inter ipſa conuerſionis primordia culmen perfectionis iam attigiſſe miraretur, locum eis, in quo ſingularius Domino vacarent, attribuit, vtque cellam illic ſacris occupationibus congruentem extruerent, imperauit. Parent imperio, conſtruendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio ſitus, vſque in præſentem diem mons ſancti Vuinoci vocatur: vbi illi viri Dei aliquandiu degentes, & ſe mundo, & ſibi mundum crucifixerunt.

Veniunt ad S. Bertinũ, circa annũ 665. teſte Molan. vbi ſupra. Vita eius habetur Septemb 5.

S. Vuinocus fit monachus.

III. HABEBAT tum ſane mater Eccleſia egregium membrum ſuum, virum illuſtrem * Hermarum, tam opibus quam moribus præclarum. Hic pro adipiſcenda in terra viuentium portione, Deo ſanctoque Vuinoco quoddam ſui iuris obtulit prædium, quod Voromholt ab incolis vocitatum, vſitatiſſimum ad nos vſque ſeruat vocabulum. Adiacet ea poſſeſſio cuidam fluuiolo in Taruanenſium & Flandrorum confinio, habetque pingue ſatis ſolum & fertile frugum. Eo autem Abbas Bertinus deſtinatis Dei famulis, operam dat conſtruendis ſeruorum Dei habitaculis, in quibus & Chriſtus in pauperibus charius exciperetur, & monaſticus ordo ſecretius atque deuotius excoleretur. Viri ergo Dei, in militiam Chriſti ſuccincti lumbos mentis, imperio ſe iubentis accommodant, iniunctumque opus maturare contendunt. Feruet opus, ſurgunt ædificia, inſtruuntur xenodochia: ita vt breui abſoluta & exædificata illa domus Dei, facile poſſet ab incolis honorem promereri. Sancti autem viri illi in labore manuum ſuarum adeo erant diuina gratia inſtructi, vt non ſua ſed quæ eſſent Ieſu Chriſti, quærentes, aliorum ſalutem ſuæ anteferre, & aliorum leuandis incommodis faciendiſque detrimentis ſua lucra facere viderentur. Nihil enim in omni vita iucundius habuere, quam hoſpitum pauperum & peregrinorum commodis proſpicere. eratque eis cor vnum & anima vna, & quod dici ſolet, erat alius alij dimidium animæ. His ergo inſtrumentis in ſemetipſis templum Spiritusſancti conſtruentes, vſque ad finem vitæ à rigore propoſiti nihil remiſerunt.

* *Hademarum* Molan.

Anno primo Childeberti Regis forte Childerici, donationem hanc factã habet Molanus vbi ſupra.

Monaſterium in Vormholt conſtruitur.

IV. PORRO poſt deceſſum trium ſanctorum virorum, beatus Vuinocus ſuperſtes fuit, qui regularibus diſciplinis apprime imbutus, profecerat ſane in omnibus fidei doctrinis, proferens de theſauro cordis noua & vetera. Cumque ſæpe memorati tres viri extremum clauſiſſent diem, perpetuam tranſlati in requiem, ſanctus Bertinus virum Dei gregi monachorum voluit præeſſe, quippe qui iam humiliter ſubeſſe didicerat. Erat ille quidem antedictis tribus viris ætate minor, ſed non inferior ſanctitate. Adeo enim in præcedentium ſanctorum veſtigiis inſtitit, vt in nulla eum virtute poſteriorem Eccleſia miraretur. Non enim, vt dici ſolet, poſterior currebat rota, ſed præeuntes quoſque in bonis actibus mature attingebat, illud Apoſtolicum & animo voluens, & opere complens: Quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens, ad ea, quæ priora ſunt, me extendens ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis. An mihi eius iam prædicanda eſt humilitas & patientia? De quibus ſanè quicquid dixero, minus inuenietur, quam pro meritis tanti viri. Didicit ille mitis eſſe & humilis ab eo, qui dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. & item: Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter, & : Qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Egregium duxit ſubiectis ſibi fratribus miniſtrare: quia nouit Chriſtum non veniſſe miniſtrari, ſed miniſtrare.

S. Vuinocus præficitur monaſterio.

Ph. *Matth.* 11. 20. 23. 20.

V. HOSPITALITAS in eo prompta fuit, quia charitas non ficta; adeo vt illum diem egregie lætum duceret, cum hoſpitem, immo in hoſpite Chriſtum, ſuſcipere meruiſſet. Quicquid operis aliorum manus vel arduum & graue refugiebat, impigre ille & incunctanter arripiebat. In tantarum autem argumentum virtutum acceſſit ei à Domino gratia ſignorum, & qui paruulus in oculis ſuis fuit, glorioſus factus eſt per eum, qui dicit: Super quem alium requieſcam, niſi ſuper humilem, & trementem ſermones meos? Et iam vltimo ſenio confectus, non fatiſcentem cauſabatur ætatem: ſed in emeritis artubus adhuc Chriſti militiam geſſit, in eaque, licet corpore feſſus, fortius pedem fixit, & virtute, qua potuit, ad erogandam familiæ Chriſti tritici menſuram fidelis diſpenſator incubuit. Sæpius autem illud Apoſtolicum animo reuoluens, Qui non laborat, non manducet: itemque illud Pſalmographi: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit: eiſdem præceptis non ſolum affectu, ſed etiam effectu paruit, atque labore manuum tam ſuis, quam aliorum, neceſſitatibus proſpexit. Aptauit enim ſibi molam quandam, (nimirum opus, in quo ſolet

Iſa 66. 2. *Theſſ.* 3. *Pſal.* 127.

ler iniuriæ locus eſſe) quam ſubinde manibus verſando, ſubinde quoque orando, ſuis pauperumque vtilitatibus inſeruire coëgit: & mirum in modum, cum viciſſim operi ſuccederet oratio, orationem diuina ſecuta eſt benedictio, qua illum celebrem reddidit. Deus enim parcere volens labori feſſi ſenis ſui, molam, quod dictu quoque mirum eſt, ſua ſponte fecit circumagi, conſulens famuli ſui & defeſſæ ætati, & neceſſitati. O vere mirabilem Deum in ſanctis ſuis, qui in creaturarum miniſterio ſic miniſtris ſuis miniſtrat, vt etiam naturæ legem excedere compellat.

Præclaro miraculo eum Deus illuſtrat.

Id vero ille animaduertens, iam ſecurus de labore ſuo, quippe qui Deum adiutorem experiretur, fruſtra ſe labori manum admouere exiſtimabat, cum Deus illi ſuam admoueret: qui dat eſcam eſurientibus, & implet omne animal benedictione. Itaque oculis & manibus ſemper in cælum intentus, pro collatis ſibi à Deo beneficiis, cordis offert ſacrificia. Interim fratres, qui labore manuum eius iucunde reficiebantur, & alimentorum copiam, & in ſene operis efficaciam mirabantur. Nec erat incerta ſuſpicio, ſenem diuinitus adiuuari, cui & ætas prolixior, & ad occaſum procliuior eſſet. Illis ergo admirantibus hinc copiam panis, inde imbecilla membra ſenis, vnus eorum curioſitatem temeritate armauit, omnemque rei ordinem oculata fide explorare tentauit. Accedens ergo ad domum illam, vbi vir Dei & labori manuum, & orationi incumbebat, oculis ad foramen curioſe admotis, vidit molam, orante viro Dei, diuinitus moueri, atque farinæ copiam euomere. Sed ad eius intuitum ſolito curſu refrenato, mola immobilis manſit, moxque hominis temeritatem vltio diuina ſecuta eſt, quæ illum & humi proſtrauit, & iuſta cæcitate damnauit. Pœnam hanc immodicus quiſque & temerarius maieſtatis ſcrutator pertimeſcat, & à noxia curioſitate reſipiſcat. Plus enim velle ſapere, quam oportet ſapere, quid eſt aliud, quam deſipere? Ita enim quidam exciderunt à veritate, iuſtam in ſe ipſis ſuæ temeritatis mercedem recipientes. Sed ad rem: Ille ergo frater tam viſu, quam greſſu orbatus, aliorum manibus reductus eſt: & qui in non ſua plus, quam debuit, extitit curioſus, in ſuis minus, quam oportuit, officioſus effectus eſt. Minus, inquam, officioſus, quia oculorum & virium officio deſtitutus. Altero autem die, quid viderit, quidve perpeſſus ſit, iis, qui aderant, indicauit: & ad virum Dei perductus, pedibus eius aduoluitur, ſe temerarium, ſe reum non ſine lachrymis fatetur. Nec res potuit reuocari in dubium, quam & cæcitas & pauor hominis demonſtrarent. At ſeruus Dei condolet reo, fontemque miſericordiæ aperit: condonat iniuriam, conſignat eius oculos: dehinc orationis antidotum parat, viſum cæcato reparat: & quam facile ei fuit remittere iniuriam, tam non difficile eſt cæco viſum inſtaurare. Itaque mœror reſtituti fratris mutatur in gaudium, confuſio in iubilum: tamque iucundum erat errati meruiſſe veniam, quam cæcitatis pœnam euaſiſſe. VI.

Pſal. 145. & 144.

Fratris cuiuſdã temeritas caſtigatur diuinitus.

S. Vuinocus cæcũ ſanat.

Sed ad alias viri Dei virtutes veniamus. Erat ille plane, vt de quodam in Euangelio Dominus dicit, vere Iſraelita, & doli expers. Iam mente Deum cernebat, à quo ſe dolebat in corpore peregrinari. Fidelis in domo Dei œconomus, plus amari ſtudebat, quam timeri: & miniſtrare potius, quam aliorum miniſteriis foueri: nec occaſione regiæ nobilitatis, qua præclare pollebat, cuiquam ſeruilis conditionis ad conuerſionem venienti ſe anteponebat. Animo & vultu hilaris, fide robuſtus, ſpe longanimis, charitate diffuſus: à dextris & à ſiniſtris, armis iuſtitiæ munitus, nec proſperis efferebatur, nec aduerſis, deiiciebatur. In conſilio prouidus, in interceſſione ſtrenuus, ſapientiæ ſale conditus, lorica virtutum contra ſpiritales nequitias inſtructus. His & id genus aliis virtutibus armatus, Dominica bella peregit, & vt vir fortis, principem huius mundi ſubegit. Cupiens vero diſſolui, & eſſe cum Chriſto; Educ, inquit, Domine, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Eius autem deſideriis Dominus annuens, petitioni eius non defuit. Mittit Angelos, qui eum ad ſe euocent, donatiuum largitur emerito militi ſuo, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit. Obiit octauo Idus Nouembris, atque in prædio, quod iam ſupra diximus Vuormholt appellari, humatus eſt: regnante in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. VII.

Iohan. 1.

Virtutes S. Vuinoci.

Pſal. 141.

1. Cor. 2.

Anno 717. mortuum habet Molan. vbi ſupra, Baron. in notis ad Martyrolog. Rom. 6. Nouemb. an. 716.

Non multum temporis poſt exceſſum ſancti viri effluxit, & res ſeculis inuſitata contigit. Quadam die cum Sol à meridiano feruore teperet, fratrumque caterua præfato in loco ſomno paululum indulgeret, ignis ex vicina domuncula flammam euomuit, quæ proxima quæque ædificia exurendo abſorbuit. Nam & in eccleſia membrorum viri ſancti ſeruatrice, totis regnauit habenis, nec furoris ſui refrenauit impetum, donec ad beati viri veniret tumulum. Vbi ex virtute Dei meritiſque ſancti naturam ſuam ignis ignorauit, eodemque in loco non ſine miraculo intuentium longe refugit. Sicque exemplo trium puerorum rem contigiſſe euenit: ſicut enim tunc in illis, ita & nunc ad ſepulchrum ſancti viri flamma vires perdidit. Ex hinc omnibus igni aſſumptis cum fomes ignis defecit, flamma in ſe victa reſedit. Tunc qui aderant rei nouitate perterriti, ad tumbam viri Dei concurrebant, vnde nihil aliud quam pene aduſtam credebant. Sed res in admirationem verſa eſt intuentium: quia ſepulcrum ſancti vna cum adiacentibus ſibi ornamentis inter medios ignes videbant intactum. Quod vt viderunt, pro cæteris damnis conſolationem receperunt: quia in membris ſancti incendia nihil valuere, quæ in adiacentibus materiis nihil reliquerunt. VIII.

Dan. 3.

Ignis non audet appropinquare ſepulcro ſancti Vuinoci

Placvit fidelibus, corpus ſancti patris de proprio ſepulcro leuare, & remotius ex iam vſto oratorio transferre, donec damna quæ ignis intulerat repararent, atque priſtino item loco illud reſtaurarent. Sed tam piæ intentionis affectum, diuina prohibuit virtus tranſire in effectum. Nam leuato ſacrorum loculo membrorum, erat cernere immobilem fieri inter manus baiulorum. Sed dum quid facto opus eſſet anxie quærerent, tandem intellexêre diuini non eſſe iudicij ſacroſanctum corpus longius transferri. Et conſilio accepto, operæpretium cenſebant precibus à Deo obtinere, quod humanis viribus non valuere. Nam dum in horto, qui forte eccleſiæ adhærebat, proponerent illud transferre, ad mouendum celerem mox effectum inuenere: leuanteſque, præſcripto in horto poſuere. In quo loco in argumentum adhuc ſanctitatis eius ſigna non deſuere, quæ odore ſuo populos longe lateque contraxere. IX.

Non vult alio transferri vis ſanctus.

Qvia cœpi, loquar magnalia Dei. Quidam officio pedum mulctatus, capitis manuumque tremore inſuper damnatus, ad ſepulcrum ſancti, aliorum manibus venit. Et mediantibus Dominicæ reſurrectionis nocturnis vigiliis, precibus indulgens & lachrymis, pro recuperatione ſui meritum expectabat ſancti. Nec eluſa eſt ſpes contracti. Nam inter recitandum poſt nocturnas vigilias Euangelium, cæleſte eidem adeſt remedium. Immenſo quippe lumine circundatus, quaſi gemmas igneas ſagittas vtrinque ſingulis in auribus ſenſit vibrari. Erat cernere vtraque ex aure ſanguinis copiam fluxiſſe, officiumque membrorum hominem recepiſſe. Sicque fidem hominis medela ſancti non fefellit, quæ inopinata ſalute venit, impletumque eſt illud prophetæ: Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus. Mox pro collato ſibi diuinitus remedio immenſo exultauit gaudio, & pro recuperatione ſui gloriam prædicat ſancti. Rei ordinem his qui aderant pandit, noctemque diemque in laudes Dei expendit. Perpendite quæſo in hoc miraculo, quam celebris ſit hic ſanctus in populo, quã potens miraculorũ, quam efficax curationũ. Quanti putas glorioſior eſt in cælis, X.

Quidã debilis & contractus curatur

Iſa. 35.

quã

qui ſic glorioſus eſt in terris? Certe pudorem noſtrum nullo modo excuſamus, ſi talem habentes medicum ægrotamus.

XI. VIRTVS virtutem comitatur, & adhuc in ſancto ſuo Deus glorificatur. Neq; ſilentio eſt prætereundum, quicquid in ſancto Dei eſt iocundum, quanquam ætas veterum plura nobis inuideat, & pauca de plurimis futuræ ætati perſpicua faciat. Gerardus quidam comitatum gerens, Deo ſanctoque Vuinoco adeo erat deuotus, vt impenſas magna ex parte de collaboratu proprio, pro reſtaurando ſancti viri adminiſtraret oratorio. Sed hanc boni viri induſtriã humani generis inimicus vidit, & amica ſibi zelotypia inuidit, fraudiſque ſuæ commentis cœptum opus parat impedire, quod inuidus non potuit non inuidere. Nam cuidam, qui conſummando operi deſeruiebat, præcipitium ex alto dedit, quem vitã finiſſe ipſa ruina ſuſpicabile fecit. Sed [a] virtus ſancti fraudem eluſit inimici. Nam poſt horam ita meritis ſancti incolumis ſurrexit, vt non ſolum nulla præcipitij damna ſentiret, ſed promptius, quam ſolebat, ad cœptum opus rediret. Sicque ex hoc miraculo ſtupor ſimul & gaudium accreuit in populo.

Gerardum hunc, Comitem Spari [illegible] & Spari [illegible] cũ Vuormholtano aſſignaſſe cœnobio ſcribit Mo[lanus] vbi ſupra.

[a] Cadens à ſummitate templi non læditur.

XII. POSTQVAM fama tanti miraculi ad præfatum illuſtrem Gerardum peruenit, magis magiſque ipſum in amorem ſancti accendit, adeo vt illum pro ea, quam habebat deuotione, patrimonij ſui donaret largitione. Cum omni namque integritate Spirliacam ei villam dedit, ſumptuum etiam copiam adiecit pro conſtruendo eodem in loco in honorem ſancti viri oratorio. Cui operi honeſtius maturando fratres de cœnobio ſancti viri euocantur, atque induſtria eorum ad plenum omnia formabantur. Vita enim eorum, doctrina & virtutibus egregia erat: ideoque ad ſententiam eorum facile omne opus proceſſerat. Quo in loco quadam die Dominica contigit ad conficiendum corpus & ſanguinem Dominicum, calicem deeſſe: cumque non parua ſolicitudine ſuper hoc mouerentur, ne forte hac ſacro ſancta die ſacramentis Dominicis fruſtrarentur, caſu vitreum vas erat appoſitum, ſed confractum. Quod quidam fratrum cum leniter aqua purgaret, inter lauandum paulatim reſolidatur, ſicque miruum in modum diuino miniſterio aptatur: adeo vt etiam vſque ad noſtra tempora in ſimiles vſus haberetur.

Illuſtris vir Gerardus ſeparat ſ. Vuinoci monachorum.

Vas confractum integratur.

XIII. DIES Rogationum aduenerat, populus cum precibus, reliquiis, & cambuca ſancti longius proceſſerat, ſed tardius ſolito monaſterium repedauerat. Sed cum circa reliquias ſancti negligentius quam oportuit agerentur, negligentia merito damnum meretur. Nam à fronte cambucæ particula auri cum reliquiis cecidit, atque inueniendi ſe veſtigia nulla reliquit, tantique perditio theſauri vſque mane latuit. Mane autem facto capicerius Eccleſiæ damnum rei publice primum expertus, incredibili timore diriguit, remque fratribus retulit, ſi forte huiuſmodi damno conſcientia alicuius ſubuenire poſſet. Sed cum in hac re nihil in eorum conſcientia perſpicuum foret: tum etiam earundem reliquiarum baiulus nil ſciſcitantibus ſatisfacere poſſet, via qua venerant ad requirendum repedatur, ſed quærentium labor fruſtratur. Res mira, tantæ deſolationi diuina pietas ſubuenit, atque gloriam ſancti in gloria ſua palam fecit. Nam manum caſu ad capitium ducens capicerius, deſiderio inueniendi quod quærebatur eſt ſatisfactus, quia in eodem capitio, quas quæſierat, reliquias eſt nactus. Sicque præter ſpem inuenit, qui ſuper inuentione earum ex integro diffidebat. Aſſeuerabat etiam coram, extra conſcientiam ſuam rem eueniſſe, quia ſibi conſcius non fuerat, vel ſe, vel quenquam mortalium rem ſuper qua quæſtio erat in capitium ſuum depoſuiſſe, tandem quoque veſtem nocte ſe exuiſſe, & mane rurſum induiſſe. Vnde non incerta erat ſuſpicio, rem ob meritum ſancti diuino geri imperio. Fratres vero ſuper vitio incuriæ pœnitudine ducti, & in reliquum cautiores facti, Deum in ſancto laudibus extulerunt, quem ſic glorioſum & in ipſo & in omnibus ſanctis intellexerunt.

Dies Rogationum.

Inueniũtur diuina gratia aliquot reliquiæ ſancti per incuriam prius deperditæ.

XIV. VINCIT materies ſtylum & tempus, atque impar eſt ſermo miraculis. Nam ante diem clauſo componet veſper olympo, quam poterunt ſancti virtus & facta referri. tempore tamen & ingenio, dicendi æquabitur ratio. Ad memoriam ſancti, oleum cũ lumine perpetuabat, quod ampulla vitrea in vmbone pendens ſeruabat: quæ Quadrageſimæ diebus hora diei ſexta contigit ruinam dediſſe, & in aures circunſtantium ſonum adeo inieciſſe, vt in æſtimatione eſſet omnium, muri corruiſſe arcum. A fratribus tum in orationem proſtratis concurritur, veſtigium ruinæ quæritur; erat enim æſtimare rem non ſine damno eueniſſe. Sed ſecus ac putabatur res euenit. Nam ne ruinæ veſtigia quiſquam inuenit. quia virtus Dei in ſancto ſuo id inſigne facti dedit, ampullam vitream poſt ruinam tam ſine ſui contritione, quam ſine olei effuſione. Ignorauit quippe vas olei inter ruinas læſionem: quia ſeruauerat illud ſanctus hic in honorem. Libet hîc hoc facto intueri, in dilecto ſuo virtutem Dei. Quoniam ſanctus iſte quoad vixit in vaſe habuit oleum, hoc eſt in conſcientia opus bonum, vas materiale cum oleo æque materiali teſtimonio erat: vas, inquam, poſt ruinam non confractum cum oleo ſine damno ſui mirabiliter ſeruato. Sic ſic quotidie inter ruinam iuſtus quiſque ſeruatur. Iuſtus enim ſepties cadit & reſurgit, at cum ceciderit non collidetur. Quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Si luminarium vſus ad ſepul. ra ſanctorum Deo eſſet ingratus, non vt quæ tantum miraculum fieret.

Prou. 24.

Pſal. 36.

XV. CAROLVS cognomine Caluus Francorum in ſceptris imperium agebat. Balduinus eiuſdem gener monarchia Flandrorum glorioſe pollebat, vir cuius ingenio & militia nihil in viris clariſſimis precioſius vnquam habuit Flandria, cui ex occaſione fortiſſimi animi cognomen acceſſit Ferreus. milite enim multo & militia de hoſtibus triumphare non parum erat ſtrenuus. His diebus mucro diuinæ animaduerſionis de vagina ſua eductus, circa marina maxime loca vlciſcendi frena laxauit, merito enim ſui erroris populus terræ id promeruit. Nam regia Danorum ſatellitem funeſtum de ſinu ſuo euomuit, qui quæque circuncirca gladio igneque abſorbuit, maximeque in Flandrorum atque Menpeſcorum confinio incredibili deſæuit exterminio. Vnde [b] contigit ſacroſanctum corpus beati viri de loco propriæ quietis Vuoromholt efferri, & ad Sithiu in eccleſiam beati Audomari transferri. Quo in loco, non infimo Audomaricolis honori fuit, donec peſtis præfata Dei miſeratione ſopita quieuit.

Balduinus Flandriæ Comes, cui dictus ſit Ferreus

Flandria a Danorũ milite deuaſtatur

[b] Corpus S. Vuinoci Audomaropolim transfertur.

XVI. SVCCESSV interea temporum ſurrexit in Flandria optimum inter millia caput Balduinus cognomine Caluus, famam cum rebus peperit cui plurima virtus. Hic à progenitoribus Flandriæ monarchiam ſortitus, tum facile habebat obuium ſibi ſuiſque conſultum ire, tum & ingenio & armis diuina humanaque iura ex æquo librare. Qui ſuſpicione eruptionis aduerſæ partis (quæ iam poſt longum furorem vix quieuerat) [illegible], fines Flandriæ facile vſque ad id temporis acceſſibiles & peruios hoſti, caſtris munierat, omnique in reliquum impugnationi clauſerat. Tunc etiam locum Bergas dictum præſidio placuit munire, quod munitioni omni circunquaque eſſet patriæ, vbi etiam eccleſiam conſtrui fecit, quam titulo confeſſorum Chriſti Martini atque Vuinoci inſignitam perfecit. Animo inſuper quiddam honeſte vtile, & vtiliter honeſtum concepit, quod tam honeſte quam vtiliter opere perfecit, ſacroſanctum videlicet corpus beati Vuinoci [illegible] transferre, vt Flandria vlterius ſecura laborum, tanto gauderet protectore. Tenebat ea tempeſtate ſceptra Francorum Rex Carolus, quem dolo captiuauerat Heribertus. Quem præfectus Flandrorum monarches adiens (habuit enim apud ipſum plurimum poſſe) conſilium animi ſui Regis roborauit conſilio, & magnificauit priuilegio. Nam mox vt animum Regis ſuper præfati loci mentione conuenit, proprij ſeſe voti compotem inuenit: quia ſuper eodem loco priuilegium regale facile obtinuit, affectuſque ſui effectum authoritate regia promeruit. Tum demum Sithiu pertexerat ire quo iã vt diximus, timor hoſtilis ſacroſancti Vuinoci membra coegit transferri: Et licet arte qua poterant obnitentibus Audomaricolis, ſacroſanctum corpus abſtulit, & ad locum Bergas, quo deſtinauerat,

Balduinus Caluus Flandriæ Comes [illegible]

Sithiu monaſterium apud Audomaropolitanos.

trauſtu-

tranſtulit, quem iam regali & priuilegio & munificentia, vt vt diximus, adeo ditauerat, vt eum Flandria honeſtam ſui partem hodie habeat. Acta eſt hæc translatio à Balduino cognomine Caluo, Anno humanati Verbi nongenteſimo, Caroli Regis, ab Heriberto Viromandorum poſtea capti, anno octauo, indictione tertia.

Tráſfertur ſacrum corpus eius Bergas, teſte Molan vbi ſupra. a Hunc Carolum ſimplicem Galli ſcriptores vocant.

Quotannis fit proceſſio cum ſacro corpore in Vuotomholt.

FIDELIBVS ſane Deo ſanctoque Vuinoco deuotis conueni, ſacroſanctum corpus ſancti ad priſtinæ quietis locum Vuotomholt quotannis deportari, cum natale præcurſoris Chriſti annuus indicit curſus celebrari, quanquam ætas ad deportandum illud morem gerat, cum aduentum Spiritus ſancti Eccleſia ſolenniter celebrat. Deportandi illo, quo diximus, ſacri corporis dies illuxit, plebs non modica, inuitante merito ſancti, vndecunque confluxit, viſura gloriam Dei in gloria ſancti ſui. Nam in magno grege confluentis eo populi, quidam Adalbertus cum vterino fratre ſuo Tanchrado pars erat populi: cum fratre, inquam à primis cunabulis cæco: cæcitas enim pene æquæua ſedecim iam annos in homine æquauerat. Hic fide in ſpem recuperandæ per ſanctum ſanitatis erectus, excubias noctis ante loculum ſacri corporis longis vigiliis trahebat, & indefeſſe vigil lumen, quod non habebat quærebat. Et ecce reſoluentibus ora in laudes nocturnas fratribus, dormitans dormierat, vigiliis enim in longum continuatis laſſeſcerat: moxque in articulo quo oratio Dominica euangelij pronunciationem præceſſerat: ſenem canis iocunde reſperſum, ſplendide circumamictum, baculo nitentem viderat, hiſque verbis inclamantem audierat: Quid ſopore & deſidia ſopite deprimeris? Minimo inſuper digito palpebras ſemiuigilantis adiecit ferire, vtque ſomno expergiſceretur imperare. Hanc viſionem inconditus mox expergefacti clamor ſequitur, anhelantibus dehinc verbis ſeſe percuſſum conqueritur. A circunſtantibus accurritur, cauſa clamoris inconditi inquiritur: ſed non egent doceri, quibus res ipſa pro ſe loquitur, Nam erat cernere rem ſpectaculo nouam & laude dignam oculos paulo ante cæci ſanguine taboque madere, cæcum ſe videntes videre. Animi populorum ſtupore concutiuntur, gaudio eriguntur, & in laudem Dei præter iubilum nihil erat audiri. Altera dies illuxit, populus reditum vna cum ſacris artubus maturauit: adoleſcens pridie illuminatus, loculo ſancti Crucem præferebat, & pro reparatione luminis non parum Deo ſanctoque exultare habebat. XVII.

S. Vuinocus dormienti cæco apparet.

Cæcus meritis ſancti viri videt.

ALIVD, non diſſimile huic miraculo, non diſſimiliter cernentibus fuit ſpectaculo. Quædam mulier emporio Furnenſi oriunda, rebus paupercula, vtroque oculorum lumine orbata erat: cui cum cæcitas triennio conſenuiſſet, eamque medicorum manus eiſdem ipſis rebus, quæ inopi fuerant, exhauſiſſet, ſed nihil remedij attuliſſet, animo induxit ſanctorum loca peragrare, longeque à melioribus medicis ſalutem expectare. Et peragratis quaquauerſum ſanctorum cubilibus, tandem viſere locum venit, quo pauſam membrorum ſanctus Vuinocus elegit. Quæ luminare paruum, quo potuit ſumptu elaboratum tulit, comitante ſecum duce viæ ad altare ſancti venit, corpus humi, cælo animum dedit, & ab hoc efficaciſſimo animarum corporumque medico remedium quærit. Vix humi proſtrata, orationem Dominicam perorauit, & ecce vota ſua præuenire diuina pietate ſenſit: humo reſiliit, oculos aperuit, quos trima cæcitas lumini clauſit. Veſpertina ſynaxis tunc à fratribus agebatur, res palam populo geſta non parum ſtupore habebatur. Mulier vero ſalutis ſuæ authori grates non modicas dedit, & quæ duce venit, ducem rediens non quærit, altero duce veniens, ſe duce rediens. XVIII.

Cæca videt.

QVENDAM ex familia Vuotomholtenſi, quæ ſancto viro attinebat, reipublicæ præfectus captiuorum loris adſtrinxerat. Vbi cum omnem ſalutis ſpem exhauſtam haberet, hoc vnicum remedij credebat, in inuocatione huius ſancti dies noctesque perpetuare, & ab eo ereptionem ſui expectare. Ecce prima vigilia noctis cernit adeſſe ſenem magno fulgore nitentem. Hic nitet, ille ſtupet prorſus vterque ſilet. Cumque aliquandiu in hoc lux, in illo ſtupor, in vtroque eſſet ſilentium, cum ſene lux abiit, captiuo ereptio venit, nam vinculis manuum pedumque expeditus, libertate eundi quo voluit eſt poſitus: clauſtris apertis egreditur, viam quæ Vuotomholt ducit ingreditur. Nec mora, nec requies, ad præfatum locum feſtinato peruenit, ereptori ſuo gratias dedit, ereptionis ſuæ ordinem cunctis palam fecit. Teſtabatur etiam profugo proſperos ad votum ſucceſſus arriſiſſe, nec feram nec hominem, quod facile nocturnis profugis timore eſſe ſolet, obuium habuiſſe. XIX.

Captiuus quidā meritis ſancti à vinculis abſoluitur.

ALIVD alio tempore nec diſſimile miraculum hoc authore geſtum, ex ſcriptis futura ætas habeat manifeſtum. Adalardus quidam erat, non infimum & familia præfati confeſſoris caput, villam vocabulo Suineſela manſionem habebat, famulos ipſe famulus plures poſſidebat. Quorum plerique fugam noctu capere, Boloniam parant tendere. Erat tunc temporis eiſdem Boloniæ partibus quidam Mirolfus præpotens, rebus pauper, alieni appetens. Qui præfatos fugitiuos facit ſibi captiuos, auaritia & ipſe captus, ſeruans eos ciſmarinis vendendos negociatoribus. Adalardus quem præſcripſimus ſuos è veſtigio inſequitur fugitiuos, eos apud Mirolfum reperit captiuos, virum conuenit, ſuos publicis legibus repetit. At ille inſanire, Adalardum æque concaptiuare, vinculis pediciſque damnare, poſtremo omnia quæ reorum ſunt in ipſum intentare. Sed magis ille reus, quam qui ſine crimine læſus. Nocens ille vinculis, innocens iſte preces ingeminat, preces inquam, quibus beati Vuinoci nomen interdiu noctuque frequentârat. Neque fieri potuit in inuocatione nominis ſui, pietatem ſancti deeſſe, qui multoties antequam inuocetur ſolet adeſſe. Nox media aduenerat, homines ſopor altus habebat, catenatus etiam ille ſomnum ceperat, ſed in ſomno ſalutem ſibi iamiamque aduentare ſenſerat. Viderat enim ſenem canitie iocunda caput reſperſum, virgam manu præferentem, quem vidiſſe ſalus & gaudium videntis fuit. Nam ſomno excitatus, vincula colli ferrea cum manicis & compedibus æque ferreis tum gremio cecidiſſe, tum clauſtra cuſtodiæ ſuæ videt patuiſſe. Sicque liber vinculorum, ſecurus ſui, dum deſinit eſſe captiuus, incipit eſſe fugitiuus, reliquum noctis indulgens fugæ, & per paluſtria viæ conſulens vitæ. Nam paluſtria loca octo fere miliariis continua ingreſſus, felices adeo abeundi habuit ſucceſſus, vt aqua quæ paludibus deeſſe non ſolet, plantis paludem ingredientis deeſſet. Sicque exemplo Iſraelitici populi res geſta eſt: ſicut enim illi fugienti maria, ſic iſti æque fugienti ceſſere paluſtria. Perpende prudens lector in vno eodemque homine duplex miraculum: Hinc vincula ſine manibus diſſoluta à manibus pedibuſque captiui: hinc loca paluſtria ſolidata ſub pedibus fugitiui. Euadens itaque homo captiuitatis ſuæ periculum, poſt multa deuia ſancti intrat oratorium. Hoc authore, ſe ereptum clamat, Deo grates, populo ſpectaculum ingeminat. XX.

Ecce quomodo ſanctos non lateat quādo inuocatur.

Vinctos à catenis & cōpedibus abſoluitur.

Siccis plantis idem obambulat loca luſtria.

SANCTVM hunc in artubus ſuis defunctis viuere, plura adhuc documenta ſunt, quanquam compendij gratia ad finem feſtinet oratio. Annuus indixit recurſus ſacroſanctum corpus ſancti Vuotomholt deportari, cum aduentus Spiritus ſancti ſolenniter ſolet celebrari. Accurrit populus, properat ſine nomine vulgus. Habebat enim ſumme feſtiuum patrocinia ſancti ire comitatum. Mulier cæca à natiuitate populo ſe immiſcuerat: tandemque ad locum deſtinatum populo euecta magis quam adducta peruenerat, & indice ſtrepitu populi, prope lipſana acceſſit ſancti. Cuius gemina cæcitas tunc præſentibus tam ſpectaculum quam compaſſionem ſuſcitauit. Et pro recuperatione ipſius, hinc preces, hinc vota fundunt, tum recurſum ſui annuum, tum dona etiam annua ſpondent. Inde preces iterant, voces & vota frequentant, adeo vt voces fratrum in ſynaxi pſallentium vincerent. Sed & cæca mulier lachrymis indulget & precibus, precum ſuarum mox lætificanda effectibus. Quid plura? Sanguinem orbes XXI.

Sancti in mēbris ſuis defunctis quomodo viuant.

beſ oculorum euomuere, nec minus quam preſſi copiam lactis. Cerneres cæcam cæcitate vſque ad id informem, perſpicuam videndi accepiſſe formam, & in miraculo viſibili erat mirari medicum inuiſibilem. Sed primum nouitate rei mulier concuſſa humi æquatur, dehinc tam confortata quam illuminata in pedes conſtitit, perpetuos quoad viueret famulatus ſancto vouit, quoſque vouit adeo exhibuit, vt in obſequio ſancti viri, contritione carnis & ſpiritus ſeneſceret, & ad exitum vitæ, curſum ab hac intentione non reflecteret. Hæc de viro ſancto dicta ſufficiant, quanquam ſignorum ipſius materies omnem ſtylum exuperet, miraculiſque eius omnis ſermo inferior ſit. Nec credi non debet in artubus ſuis defunctis ipſum adhuc viuere, cui olim in terris viuenti Chriſtus fuit viuere. Pro nobis oret hic ſanctus, ſub quo Flandria floret: Scribentem ſimul reſpiciat atque legentem, Amen.

Mulier cæca vidit. Vouet ſancto perpetuum famulatum.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS HIERONIS, ET SANCTORVM EIVS SOCIORVM, QVI MELITINÆ DEcertarunt, ex Simeone Metaphraſte.

Ann. 290

I. PRÆCLARO Hieroni patria quidem erat, ſecunda Cappadocum prouincia: vrbs autem Tyana: mater Stratonice, pia fœmina & timens Dominum. Cum autem Diocletianus & Maximianus Romanorũ adminiſtrarent Imperium, viri in cultu dæmonum ſuperſtitioſiſſimi, & in ſimulacra zelum habentes maximum: eſſet vero eis nunciatum, quod omnis Armeniorum regio & Cappadocum, facit præter improbum eorum decretum, & reſiſtit eorum iuſſis: poſtquam ſatis longo tempore conſultarunt, electis duobus viris, qui & ingenio plurimum valebant, & lingua erant diſerta & volubili, & artificij multum habebant & aſtutiæ, eos mittunt ad vtranque gentem. Quorum alterum quidem iuſſerunt præeſſe Armeniæ, is erat Agricolaus: alterum autem procurare regionem Cappadocum, ei erat nomen Lyſias. Quibus quidem non ſolum fuerat imperatum, vt eos, qui non parebant edicto Imperatoris, & nolebant adorare ſimulacra, punirent: ſed etiam in numeros militum adſcriberent eos, qui erant idonei.

7. Nov. Patria & mater S. Hieronis. Impiũ Imperatorum edictum.

II. CVM veniſſet ergo Lyſias in Cappadociam, & eos quæreret, qui erant robore inſignes, indicatur Hieron, vir manu fortis, animo generoſus, præſtantiſſimus omnium, qui erant ſuo tempore: & ſtatim mittit eum ducturos milites. Cum autem veniſſent ad eius ędes, & quem quærebant, non inueniſſent, (colebat enim ſuum prædiolum) reſciuiſſent vero, vbi nam eſſet, illuc veniunt. Ille autem cum vidiſſet frequentem multitudinem in eum inuadere, & alioqui ſuſpectum habuiſſet, quod fiebat, & nollet vir ille pius militare cum impiis & ſceleratis hominibus, ita vt erat in ruſtico habitu, eiecto manubrio ſecuris, quam manu tenebat, eo vlus eſt eos qui inuadebant, & vehementi in eos facto impetu, nõ ceſſauit percutere, donec omnes eos fudiſſet, fugam valde laudantes, vt quæ eis demum poſſet dare ſalutem, Deinde ſecundo inuadunt, ſimul qui &em & quam amiſerant victoriam recuperaturi, & rem probro ducentes, ſi cum ſint tam multi, renuncientur fuiſſe ab vno ſuperati: quinetiam ipſum quoque timentes Præſidem, ſi is manus eorum omnino effugiſſet: & multis aliis vocatis ad ferendum auxilium, ſanctum ſimul inuadunt. Is autem antequam illi veniſſent, prope ſitam ſpeluncam cum decem & octo viris, qui cum eo erant, ſubiens, ſtatim, vt vulgo dicitur, erat aquila in nubibus, eos, qui ipſum inuadebant, re infecta relinquens. Statim itaque iſti cum antrum circundediſſent, ſatis multos quidem ſtatuunt ad oſtium, ne aufugeret; alios autem mittunt ad Præſidem ciuitatis, petentes alios, qui darent eis auxilium. Ille autem mittit quidem non paruam manum. Mittit Quiriacum quoque fratrem diuini Hieronis.

Non vult militare cũ impiis. Circumuallatur ab hoſtibus.

III. CVM autem illi ſimul adeſſent, nemo erat, qui antrum auderet omnino ingredi, vt qui Hieronis manus pertimeſcerent. Quiriacus autem cum videret eos in magnam adductos dubitationem, conſuluit vt parum recederent, non vi, ſed perſuaſione eum potius capturum pollicitus. Quod cum factum eſſet, perſuadet fratri, vt exeat è ſpelunca. Quem cum aſſumpſiſſet, venit ad ſuam matrem, Illa autem cum rem audiuiſſet, & quod ſtatim coram Præſide cõdemnandus ſiſtendus erat eius filius, ei circunfuſa, valde lachrymabatur, eum ſolam vitæ vocans conſolationem, & baculum ſenectutis, & recreationem acerbæ viduitatis, & quod ſola & abſque vllo ſolatio mox relinquetur, orbata oculis, grauata ſenectute, oppreſſa viduitate, Ille vero cum ea, cum qua par eſt, reuerentia eam amplexus, vbi iuſſiſſet valere eos, qui congregati fuerant, cum cognato Victore & duobus fratribus Antonio & Mattoniano, magno & intenſo ſtudio iter ingreſſus eſt Melitinen, vrgentibus militibus, qui miſſi fuerant ad ducendum.

Venit Melitinen.

IV. IN quodam autem loco, cum aduentaſſet veſpera, diuerſati, expectabant auroram. In ipſa vero nocte quidam, candidis veſtibus indutus, ei apparet, miti & benigna voce dicens: Ecce, ô Hieron, tibi ſalutem annuncio. Via autem, quam ingrederis, eſt recta ante te. Non pro Rege vero terreno & gloria, quæ faciliime ſoluitur, decertabis: ſed pro cæleſti Rege certamen perages, & mox ad ipſum venies glorificandus. Hæc cum dixiſſet is, qui conſpectus fuerat, & ineffabilem quandam lætitiam eius animo indidiſſet, ſtatim receſſit. Ille autem ſurgens lætus, amicis & cognatis, qui cum eo aderant; Noui, inquit, Dei in me diſpenſationis myſterium, & decætero prompto & alacri animo viam propoſitam ingredior. Vnus theſaurus, vna poſſeſſio, vnæ diuitiæ; quę ſunt in cælis repoſitę. Quæ autem ſunt præſentia, nihil iuuant eos qui poſſident. Quid enim profuerit homini, ſi totum mundum lucrifecerit, & ſuæ animæ paſſus fuerit detrimentum? Nihil eſt mihi anima precioſius, nihil melius Sufficit id, quod præteriit meæ vitæ tempus, quod vixi in vanitate. Vado decætero ad Deum. Vna ſolum me cruciat ſolicitudo, nempe ſolitudo matris Illa eſt enim vidua, & defecta iis, qui eam ſint defenſuri; & præterea orbata luce, & quæ iam venit ad extremam ætatem, & me priuatur, qui eram baculus eius ſenectutis. Sed quoniam propter Chriſtum propero ad mortem, ea ipſi omnino erit curæ, patri orphanorum & iudici viduarum.

Viſio efficitur ei, illum admodum confirmans & mutans. Matth. 16. Pſal. 67.

V. CVM ſic dixiſſet præclarus ille Hieron, & propter parentis recordationem eſſet illachrymatus, confecit reliquũ itineris. Deinde cum veniſſet Melitinem, includitur in cuſtodia cum aliis, qui erant numero triginta & vnus. Quibus dixit Sanctus: Audite meum conſilium amici & fratres. Dicam, quæ ſunt vobis futura conducibilia, non in præſentia, ſed in futurum. Quocirca ea ſunt omnino curæ futura iis, qui timent Dominum. Annunciatum eſt edictũ, quod cras Præſes impius, eſt iis, qui dij non ſunt, oblaturus ſacrificium. Si me ergo auditis, deſpiciamus hoc edictum, & nec ſimulacra velimus adorare, neque eis omnino offeramus ſacrificium Sacrificemus autẽ potius ſacrificiũ laudis vero Deo noſtro, & ei offeramus preces noſtras: vt attendens precationẽ animarũ noſtrarũ, det vt forti & excelſo animo feramus tormenta, quæ ſunt nobis inferenda, & finem beatũ aſſequamur. Hæc cũ dixiſſet Sanctus: Verba tua, dixerũt ij, qui ſimul aderant, tanquã fauus mellis extiterunt dulcia noſtro gutturi. Conſuluiſti n. nobis ea, quæ ſunt vere vtilia atque ſalutaria. Cum ad Tyrannum autẽ relata fuiſſet ſanctorũ cõſtantia, & quod imperatorũ quidem edictũ execrantur, Chriſtianorũ vero fidẽ vehementer amplectuntur. Hæc ægre ferens, & ira commotus, cum in alto ſediſſet tribunali, & ſanctos curaſſe ſiſtendos: Quis, inquit, dæmonũ in infinitã vos actos amentiã, induxit, vt aduerſus tantam inſurgeretis potentiã, & effecit vt imperatoria decreta deſpiceretis, & magnos deos non adoraretis? Emoræ mentis eſſemus, dixerunt martyres, & plane dæmonum ludibrium, ſi Dei cultum tribueremus lignis & lapidibus, quæ ſunt opera manus humanæ. Nunc autem ſapienti vtentes ratiocinatione, adoramus Deum vniuerſorum, qui cælum & terram verbo ſuo & ſpiritu oris ſui produxit ex nihilo,

Cum 31. ſociis ducitur in carcerẽ. Confortat ſuos ſocios S. Hieron. Conſtans martyrum reſponſio.

Accenſatur Hierō apud Ducem.

CVM autem quidam ex iis, qui aſſiſtebant Præſidi, oſtendens Hieronem, Hic eſt, dixiſſet, qui reſtitit iis qui à te VI.
miſſi ſunt, & fecit ea quæ audiuiſti: Dux ad ipſum conuerſus: Vnde tu es, inquit? Cum autem is dixiſſet, ſe eſſe ortum ex ſecunda Cappadocum prouincia: & dixiſſet patriam, dicens ſe eſſe Tyaneum: Dux rurſus, Tu es, inquit, qui iuſſis repugnans imperatoriis, & manuum exultas viribus, vt qui male affeceris à nobis miſſos milites? Egregius vero Hieron nihil omnino reueritus (Sciebat enim ipſe quoque dicere cum Dauide: Odio habentes te, Domine odio habui, & propter inimicos tuos tabeſcebam) ſe eum eſſe confeſſus eſt. Præſes autem non tanquam fortitudinem laudans, quod factum fuerat, ſed magis vituperans tanquam temeritatem & inobedientiam, in eo quod fuerat conſtitutum, cenſuit eum puniendum. Nam quoniam, inquit, ſtultitia te ad tantam impulit temeritatem, vt imperatoriam deſpiciens poteſtatem, & noſtri iuſſas nullam ducas rationem, & miniſtros noſtros clauis contundas, manum quæ ſeruiit menti ineruditæ ab ipſo cubito iubeo amputari. Dicto ergo citius factum eſt, quod iubebatur: alios autem ſanctos iubet, vinctos boum neruis, cædi immiſericorditer: quod quidem martyribus magis conciliabat lætitiam, quam dolorem. Multas enim horas fortiter tolerantes, Deo agebant gratias, qui pro ſancto nomine dignos cenſuerit, qui talia ſubirent ſupplicia. Quid deinceps eſt conſecutum? Carcer excipit flagella. Verum enimuero ſcio, quod id, quod eſt dicendum, quomodo tunc factum ſanctis, ita nunc auditum afferet dolorem vobis auditoribus. Vnus enim ex ſociis certaminis, Victor nomine, quem Sancti cognatum prius diximus, & iis, quæ iam præceſſerant, plagis emollitus, & inferendarum terrore perturbatus ac concuſſus, clam accerſito Commentarienſi, vt eius miſereretur, rogabat valde humiliter & immiſericorditer, & eximeret nomen ſuum ex actis, & ipſum dimitteret è cuſtodia, accepta pro eo mercede prædiolo, quod erat Coramis. Ille autem lubenter auditis eius precibus, (erat enim ei vicinum id, quod promittebatur) dimittit Victorem è carcere, qui cum noctu effugiſſet, inuenit ſalutem plenam externo interitu, vt qui miſer ſimul damnum, acceperit & agri & animæ: illo quidem tradito ei, qui viſus eſt ſeruare: hac autem tradita dæmoni. Die autem iam illuceſcente, cum rem cognouiſſet Hieron, intolerabili dolore eſt affectus, & acerbis deflebat lachrymis cognati interitum, dicens: Hei mihi, ô Victor, quid à te factum eſt? Quam grauis tua fuit negociatio? Quomodo emiſti animæ interitum? Quid teipſum tradidiſti inimicis? Cur gloriæ coronis prætuliſti fugæ dedecus? Cur breui vita vitam æternam commutaſti? Cur breuem recreationem prætuliſti lætitiæ, quæ non poteſt terminari? Quantam autem tibi moleſtiam attuliſſent mala, quæ afferuntur ab hominibus, ſi conferantur cum adeo acerbis doloribus, quos es habiturus in manus Dei incidens, & æterno igni gehennæ traditus.

Psal. 138. — *Sæuitur in martyres.* — *Vnus in pœnis deficit.* — *Eius defectionem luget S. Hieron.*

SIC ille deflens, cum ſatis fuiſſet lamentatus, vocatis ſuis cognatis Antonio & Matroniano: Adeſte, inquit, vltimam meam audite voluntatem: vt reuertentes, eam perducatis ad effectum. Volo ſorori quidem meæ Theotimiæ VII.
dari poſſeſſionem, quam habeo in Pediſia: vt ex ea ſibi parans ea, quæ ſunt ad victum neceſſaria, ipſa mei martyrii peragat memoriam. Alia autem omnia, quæ mihi ſuperſunt, dimitto matri propter ipſam viduitatem, quæ curæ eget & auxilio: & præterea ad ſenectutem & cæcitatem. Manum autem meam abſciſſam ei tradentes, dicite, vt ſcribat ad magnificentiſſimum Ruſticium, qui Ancyræ adminiſtrat rem publicam, vt præbeat domum in Badeſana, vt manus mea illic deponatur. Cum ſanctus ſic fuiſſet teſtatus, quatuor poſt diebus Præſes ſedens pro tribunali, accerſit eum cum aliis ſanctis. Poſtquam autem multis machinis eorum fortitudinem conatus proſternere, partim quidem blanditiis, partim vero minis eos tentaſſet; poſtremo autem virgis quoque fortiter cecidiſſet, & eos vidiſſet penitus immobiles nulli rei cedere, iubet eis amputari capita.

S. Hieron cōdit teſtamentum. — *Martyres cæduntur virgis.*

CVM autem educerentur ſancti extra ciuitatem pſallebant in via: Beati immaculati in via, qui ambulant in via VIII.
Domini. Deinde cum veniſſent ad locum definitum, & genua inclinaſſent, &, Benigne ſuſcipe ô Chriſte, animas noſtras, dixiſſent, eis amputata ſunt beata capita. Cum Chriſtiani autem noctu eorum corpora ſuſtuliſſent, ſepeliunt honorifice. Antonius vero & Matronianus ad Præſidem accedentes, auri permultum dabant, vt acciperent caput ſancti Hieronis. Ille autem, Niſi mihi, inquit, tantum auri dederitis, vt ex æquilibrio capiti reſpondeat, id vos non accipietis: magni æſtimans vir execrandus: ſed non recta ratione, caput martyris re uera longe preicioſiſſimum. Illi autem cum id tanti non poſſent emere, erant animo perplexi. Sed hoc quidem, vt homines: Deus autem hic quoque inuenit exitum. Vir enim quidam Senatorius, fidelis & amans martyrum, cui nomen erat Chryſaphius, cum aurum pro capite expendiſſet, id accipit à Præſide; & cum templum extruxiſſet pulcherrimum, vbi Sancti finem vitæ acceperant, illic hoc ſacrum caput honorifice deponit & magnifice.

Pſal. 118. — *Cæduntur capite.* — *En quanti fecit antiquitas ſacras reliquias.*

AVARVS autem Præſes, vt qui propter Sancti caput tantum lucri feciſſet, quærebat manum, ex ea quoque lu- IX.
crum captans. Sed cum eius voluntatem ſenſiſſent boni Antonius & Matronianus, cum intempeſta nocte eam ſuſtuliſſent, fugiunt: & cum in ſuam veniſſent ciuitatem, tradunt matri manum chariſſimi filij, ſingulatim omnia de ſancto ei narrantes. Illa autem cum martyricam illam manum in manibus accepiſſet, & lachrymas doloris, gaudio contemperaſſet, eam crebro ſubiiciebat oculis, deoſculabatur, & tanquam totum habens eum, quem deſiderabat, circunfundebatur, amplectebatur, neſciebat quid faceret, partim quidem ſe gaudio, partim autem triſtitiæ diſpertiens, dicendo: O qualia pro qualibus accepi, ô chariſſime, vt quæ te quidem emiſi viuum & ſaluum: nunc autem pro toto & viuo ſolam manum accepi, partem quandam, proh dolor, & breues reliquias: vt magis defleam & habeam ſtimulum mœroris, vt quæ per eam deducat ad memoriam. Atqui in dolore quidem te peperi infelix, labore autem te alui, ſperans te futurum baculum ſenectutis, ducem imbecillitatis, conſolationem animi ægritudinis. Sed enim quid mihi accidit, quæ deducta ſum ad lachrymas, cum me oporteat lætari & exultare, quod fuerim mater martyris, quod Deo obtulerim donum mei vteri, quod cum te, ô chariſſime, aluerim & erudierim, & ad pietatem exercuerim, non te viderim conſummatum morte communi & inutili? Vtilitatem enim magnam habet mors martyris, qua tu es conſummatus. Sed me, cum deceſſeris, ne omnino relinquas: ſed tuis interceſſionibus apud eum, pro quo effudiſti ſanguinem, me ab hac laborioſa & calamitoſa vita citò liberatam apud te ſtatuas, hac in re mihi reddens mercedem nutritionis.

Ecce matrenū affectū erga filium. — *Sancti apud Deum pro nobis intercedūt.*

Hæc cum dixiſſet, depoſuit manum in eo loco, in quo iuſſerat martyr: & quæcunque mandata fuerant, deduxit ad effectum, glorificans Chriſtum verum Deum noſtrum: Quem decet omnis gloria, maieſtas & laus cum principio carente eius Patre & viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Vita & Martyrium ſancti Herculani Epiſcopi Peruſini, cuius feſtiuitas ſeptima Septembris celebratur, habetur prima Martij. Itaque Lectorem eo remittimus.

VITA DIVI AMARANTI MARTYRIS, PER DIVVM GREGORIVM ARCHIEPISCOPVM TVRONEN. ſcripta libro de gloria Martyrum, Cap. 57.

Ann. 250.

AMARANTVS Martyr apud Albigenſem vrbem, exacto agonis fidelis curſu, ſepultus viuit in gloria, cuius (vt hiſtoria paſſionis declarat) ſepulchrum diu vepribus ſepibuſque contectum latuit, ſed Domino iubente, Chriſtianis populis reuelatum eſt: & crypta, in qua quieſcebat, patefacta reſplenduit. Sed cum hoſtilitate impellente, locus ab habitatoribus fuiſſet eneruatus, à longinquo venientes incolæ, honorẽ beato martyri, quaſi cuſtodi proprio nitebantur impendere. Igitur cum cereos frequẽter deuotio Chriſtiana deferret, quadam die contigit, vt quidam præ longinquitate itineris incrementum ignis, quo accenderetur cereus, non haberet: arreptamq; ſilicem ferro verberat, quaſi ignem eliciturus. Quod cum ageret, & crebris ictibus lapidẽ quatiens, nihil foci poſſe excutere, cœleſti lampade cereus, qui iã beato ſepulcro affixus erat, illuminatur. Sicq; factum eſt, vt quæ humanæ non explerant induſtriæ, peragerentur diuini numinis maieſtate. Ceſſante humano ſtudio, cœleſtia officia adminiſtrantur, luminiſq; noui fulgore cereus clarificatur accenſus. Quòd cũ populis manifeſtũ fuiſſet, incrementum foci vlterius, ad accendendum lumen nullus exhibere præſumpſit. Poſtquam verò locus ille inhabitari ab hominibus cœpit, atque ibi domus in quibus ignis accenderetur adeſſent, hoc miraculum non eſt vltra præſtitum plebi, cum [a] aliis miraculis frequentius illuſtretur.

7. Nov. Sanctorum animæ poſt agones viuunt in gloria

Cereus ad ſepulcrum martyris diuinitus accẽditur: vnde liquet ſe rectorũ vſum Deo gratũ.

[a] Multa ad ſepulcrum eius fiunt miracula.

VITA S. VVILIBRORDI TRAIECTENSIS EPISCOPI, LIBRI II. AVTHORE ALBINO FLACCO ALcuino, Caroli Magni præceptore.

An 690

* al. Vvilbrordi, & Vvilebrordi

LIBER PRIMVS.

PROLOG. DOMINO eximio, venerabili atque laudabili Beornrado Archiepiſcopo, humilis Leuita Alcuinus ſalutem. Delatis ad nos veſtræ excellentiæ litteris, in quibus veſtrum agnoſcens in Domino ſtudium, & diuturnam in lege eius meditationem, magno me gaudio affectum eſſe fateor. Sed tamen longè imparem me petitionis veſtræ conſideraui, vtpotè nullo prærogatiuæ munere eloquentiæ ſuffultus ad implendum, quod iuſſiſtis: ac niſi me charitas vrgeret, quæ nulla negare ſolet, non auderem vltra meæ paupertatis vires negocium attingere. Tamen veſtris orationibus diuina donante gratia, & ſanctiſſimo patre Vuillibrordo intercedente, cuius me vitam, mores & miracula ſcribere ſic ſtudioſe rogas, tuis parui, pater ſancte, præceptis, & duos digeſſi libellos: vnum proſaico ſermone gradientem, qui publice fratribus in eccleſia, ſi dignum tuæ videatur ſapientiæ, legi potuiſſet: alterum Piero pede currentem, qui in ſecreto cubili inter ſcholaſticos tuos tantummodo ruminari debuiſſet. Vterque tamen propter occupationes diurnas furtiuis noctium lucubratiunculis dictatus eſt, & eo magis veſtræ indigent defenſionis, quo minus ab authore proprio expoliti ſunt. Meũ fuit, præcipientis non ſpernere authoritatem: tuum eſt, obedientis defendere imperitiam. Vnam quoquè priori libello ſuperaddidi Homiliam, quæ vtinam digna eſſet tuo venerando ore populo prædicari. Item ſecundo adieci ſermoni elegiacum carmen de vita venerabili Vuilgiſo, patre ſcilicet ſanctiſſimi pontificis Vuillibrordi, cuius corpus requieſcit in cellula quadam maritima, cui ego, indignus licet, legitima, Deo donante, ſucceſſione deſeruio. Sed & omnia, quæ vel proſa gradiente, vel verſu currente dictaui, tuæ ſanctitatis ſpectant iudicium, vtrum digna memoriæ an pumice radenda * feroci: nec niſi tuo roborata examine, procedent in publicum.

7. Nov.

Alcuinus ſcripſit proſa & carmine vitam S. Vuillibrordi.

* ferroque

I. FVIT in Britannia inſula, prouincia Nordanhumbrana, quidam paterfamiliâs genere Saxo, & nomine Vuilgis, religioſam in Chriſto cum coniuge & omni domo ſua, ſicut poſt ſignis patefactum eſt, agens vitam. Nam relicto habitu ſeculari, monachicam conuerſationem elegit, ac non multo poſt creſcente in eo feruore vitæ ſpiritualis, arctiori animi ſtudio ſolitaria ſeipſum mancipauit diſtrictione in promontoriis, quæ mari Oceano & Humbri flumine cinguntur. Ibi etiam multo tempore in quodam paruo oratorio, ſancti Andreæ Apoſtoli Chriſti nomine dicato, in ieiuniis & orationibus atque vigiliis Deo ſeruiens, etiam miraculorum ſignis claruit, & nomen eius celebre factum eſt. Nec confluentes ceſſabat ad ſe turbas ſuauiſſima verbi Dei admonitione cohortari. Sed & illius gentis Regi & optimatibus honorabilis effectus eſt: intantum, vt ei aliquas terrarum poſſeſſiunculas, illis promontoriis adiacentes ad ædificandam Deo eccleſiam, dono perpetuo contulerint. In qua pius pater modicam quidem, ſed honeſtam, Deo ſeruientium adunauit congregationem. In qua & poſt multiplices ſancti laboris agones, à Deo coronatus corpore requieſcit, & poſteri eius vſque hodie ex ſanctitatis eius traditione poſſident. Quorum ego meritis & ordine extremus, eandem cellulam per ſucceſſiones legitimas ſuſcepi gubernandam, qui hanc hiſtoriam ſanctiſſimi patris & ſummi ſacerdotis Vuillibrordi, te iubente, beatiſſime Pontifex Beornrade, conſcripſi. Qui tanto patri & ſummi ſacerdotij dignitate, & generis poſteritate, & ſanctorum locorum obſeruatione, quæ ab eo in Dei honorem constructa eſſe noſcuntur, ſecundum datam tibi à Deo gratiam, hæres digniſſimus extitiſti.

S. Vuillibrordi pater, vir ſanctiſſ.

Beornrad. S. Vuillibrordi ſucceſſor

II. ET vt eiuſdem ſancti patris Vuilibrordi altius natiuitatis originem, & mox in vtero matris diuinæ electionis repetam præſagia, reuertar vndè egreſſus ſum. Nam ſicut ſanctiſſimus præcurſor Domini noſtri Ieſu Chriſti beatus Ioannes Baptiſta, ex vtero matris Deo ſanctificatus, religioſis parentibus, vt Euangelica narrat hiſtoria, Chriſtum ceu ſolem præcedens lucifer, multis in ſalutẽ profuturus, natus eſt: ita & ſanctus Vuillibrordus in plurimorũ gentium ſalutem, religioſis parentibus natus eſſe dinoſcitur. Nam vir venerabilis Vuilgis, de quo nobis paulo antè ſermo fuit, ad hoc tantum, Deo prædeſtinante, matrimonio iunctus eſt, vt talis ad profectum multorum populorum ex eo ederetur proles. Igitur vxor eius, mater ſcilicet beati Villibrordi patris, intempeſta noctis quiete cœleſte in ſomnis vidit oramã. Viſum eſt ei, quaſi nouam in cœlo videret lunam, creſcente illa vſque dum plena videbatur eſſe. Quam diligentius intuens, repentino curſu lapſa ruit in os eius. Qua deuorata, eius intima ſplendore perfuſa ſunt. Euigilans verò, timore perterrita, cuidam religioſo presbytero retulit ſomnium, illoque interrogante, ſi ea nocte, qua ei viſio facta eſt, ſuo more ſolito iungeretur viro, acceptaque ab ea eius rei confeſſione, ita reſpondit. Luna, quam, ex modica vidiſti in magnam creuiſſe, filius eſt, quem in ea nocte concepiſti: qui luce veritatis caliginoſos tenebrarum errores diſcutiet, & quocunque perrexerit, comitante ſuperni luminis ſplendore, plenum ſuæ perfe-

Luc. 1.

Viſio matris S. Vuilibrord.

Orama, viſum

Viſionis interpretatio.

ctionis oſtenderet globum: coruſcanteque rumoris eius candore, & morum pulchritudine, multorum in ſe alliciet adſpectum. Huius ergò ſomnij interpretationem, rerum veritas ſubſecuta eſt.

Literis & moribus imbuendus traditur puer Vuilbrordus. 1. Reg. 2. Fit monachus.

FACTVM eſt poſt circulum dierum, & mulier peperit filium, ſacroque fonte baptiſmatis regenerato, impoſuit III.
ei mater nomen Vuilbrordus. Et ſtatim ablactatum infantulum tradidit eum pater Ripenſis eccleſiæ fratribus, religioſis ſtudiis & ſacris litteris erudiendum, vt fragilior ætas validioribus inualeſceret diſciplinis, vbi nihil videret niſi honeſta, nihil audiret niſi ſancta. Quem diuina mox gratia ab ineunte pueritia & ſenſu proficere, & moribus pollere, quantum ad tales congruit annos, conceſſit: ita vt noſtris temporibus nouum Samuel naſci putares, de quo dictum eſt: Puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Deo, quam hominibus. Ibique in prædicto monaſterio multis profuturus puer, clericatus accepit tonſuram, & pia profeſſione monachum ſe fecit eſſe, & inter cæteros eiuſdem ſanctiſſimi monaſterij adoleſcentes enutritus eſt, ſed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio ſecundus, nulli lectionis ſtudio inferior: ſed ſic quotidie bonæ indolis puer proficiebat, vt teneros pueritiæ annos, morum grauitate tranſcenderet: factusque eſt grandæuus ſenſu, qui corpuſculo modicus fuit, & fragilis.

IGITVR in ſacris eruditionibus, & in omni ſobrietate, morumque honeſtate, beatiſſimo vſque ad viceſimum IV.
ætatis ſuæ annum adoleſcente proficiente, arctioris vitæ ardore ſuccenſus, & peregrinationis amore inſtigatus, & quia in Hybernia ſcholaſticam eruditionem viguiſſe audiuit, etiam quorundam ſanctorum virorum, fama narrante, conuerſatione incitatus, & præcipuè beatiſſimi patris & Epiſcopi Egberti: qui cognomento ſanctus vocabatur, necnon & Vuicberti venerabilis viri & ſacerdotis Dei, quorum vterq; ob cœleſtis patriæ amorem, domo, patria, cognationeque relicta, Hyberniam ſeceſſit, ibique dulciſſimos ſupernæ contemplationis fructus ſeculo nudus, Deo plenus, ſolitaria quotidie hauriebat conuerſatione. Horum beatus adoleſcens æmulari cupiens religionem, cum conniuentia ſui Abbatis & fratrum, in Hyberniam veloci curſu contendit, prædictorum patrum ſe familiaritati coniungens, quatenus ceu prudentiſſima apis, ex eorum propinquitate melliſluos pietatis carperet flores, & in ſui pectoris alueario dulciſſimos virtutum fauos conſtrueret. Ibiq; duodecim annis inter eximios ſimul piæ religionis & ſacræ lectionis magiſtros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum, & in ætatem plenitudinis Chriſti.

Proficiſcitur in Hyberniam.

Feruet deſiderio paganos conuertendi.

TRICESIMO itaque & tertio ætatis ſuæ anno, maior egregio viro fidei flamma creſcebat in pectore, ita vt parum ei videretur ſibi ſoli tantummodo in religionis ſanctitate ſudaſſe, ſi non & alijs quoque in prædicationis veritate prodeſſet. V.
Audiuit in borealibus mundi partibus meſſem quidem multam eſſe, ſed operarios paucos. Sed vt ſomnij, Deo diſpenſante impleretur veritas, quod mater olim de eo ſe vidiſſe teſtatur, ſuæ conſcius voluntatis, licet adhuc diuinæ diſpenſationis ignarus, illas in partes nauigare cogitauit, & clariſſima Euangelicæ prædicationis luce, torpentes longa infidelitate populos, ſi Dei eſſet voluntas illuſtrare. Aſſumptiſque ſecum duodecim fratribus, eo fidei feruore armatis, quo & ipſe, nauim conſcendit: quorum aliqui poſteà, ob prædicationis Euangelicæ inſtantiam, martyrio coronati ſunt: aliqui vero Epiſcopatus ordinem accipientes, poſt ſanctæ prædicationis labores, in pace quieuerunt.

Ann. 690

Cum ſociis venit Traiectum, vt habet Molanus in natal. Belg. Nomina horum 12. ſociorum habes apud Marcellinum in vita S. Svviberti 1. Mart. cap. 6.

IGITVR vir Dei cum ſociis, ſicut prædiximus, nauigauit, donec proſpero curſu ad oſtia Rheni fluminis vela depoſuit, ibique optata telluris ſtatione refocillati ſunt, & mox ad caſtellum Traiectum, quod in ipſa fluminis ripa ſitum eſt, peruenerunt, in quo etiam poſt aliquod tempus, Deo donante, & verbo fidei creſcente, idem ſanctus Vuilbrordus ſedem Epiſcopatus ſui habuit. VI.
Sed quia eadem gens Friſonum, in quo idem ædificatum eſt caſtellum, cum Rege ſuo Radbodo paganis adhuc ritibus ſorduit, viſum eſt viro Dei Franciam contendere, ac [a] Ducem illorum adire Pipinum, virum ſtrenuum, triumphis clarum, & moribus probum. Qui eum cum omni honore ſuſcipiens, ſed nolens tanto doctore ſe vel ſuam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni ſui prouidit, quò potuiſſet idolatriæ ſpinas extirpare, & puriſſima verbi Dei ſemina per munda noualia abundantius ſpargere, vt impleret propheticum præceptum: Nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Cumque ſtudioſiſſimè vir Dei per loca ſingula diſcurrendo, optatum euangelizandi opus exercuiſſet, & ſemina vitæ, ſupernæ gratiæ rore irrigante, longè lateque in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulaſſent, congaudens prædictus Francorum Dux eius ſanctiſſimæ deuotioni, & verbi Dei clariſſimæ multiplicationi, maioris profectus occaſione, prudenti cogitabat conſilio eum Romam mittere, vt à Domino Apoſtolico Sergio viro ſanctiſſimo tunc temporis, in ſummi ſacerdotij honorem ordinaretur: quatenus Apoſtolica benedictione & iuſſione ſuſcepta, maiori ab eo miſſus fiducia roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apoſtolicum illud. Quomodò prædicabunt, niſi mittantur? Quod cum viro Dei perſuadere tentaret, renuit primum, nec ſe tantæ authoritatis honore dignum eſſe referebat: Enumeratiſque Apoſtolicæ ſanctionis præceptis, longè ſe inferiorem huic virtutum catalogo aſſerebat, quem egregius mundi prædicator, filium ſuum Timotheum erudiens, oportere Epiſcopum habere cenſuit. Dux verò contra religioſe ſuaſit, quod vir Dei verecundè negauit.

[a] A Pipino Heriſtallo principe honorifice excipitur. Vide Bedam lib. 5 hiſtor. Ang. c. 11. ſiue SS. Evvaldorum hiſtor. 3 Octob.

Oſee 10.

Rom. 10. 1. Tim. 3.

TANDEM omnium vnanimitate victus, & (quod maius eſt) Dei diſpenſatione coactus, conſenſit, magis volens plurimorum humiliter obedire conſilio, quàm ſuam pertinaciter defendere voluntatem. VII.
Et ſic cum honorifica legatione, & muneribus, authoritati Apoſtolicæ condignis, Romam directus eſt. Sed die quarta, priuſquàm illò veniret, beatiſſimus Apoſtolicus, Angelica in ſomnis reſponſione admonitus eſt, vt illum cum ſummo honore ſuſciperet, & quòd multarum animarum eſſet illuminator futurus, à Deoque electus, & ad hoc veniſſet, vt ſummi ab eo ſacerdotij honorem ſuſciperet, nihilque ei negandum eſſe, quicquid petiiſſet. Qua factus [b] Apoſtolicus admonitione certus, cum magno gaudio, & ſummo eum ſuſcepit honore: & vt in eo fidei agnouit feruorem, religionis deuotionem, ſapientiæ plenitudinem, die competenti populo adueniente, aduocatis venerabilibus ad ſocietatem miniſterij ſacerdotibus, publicè in eccleſia beatiſſimi Petri principis Apoſtolorum cum magna dignitate [c] more Apoſtolico eum ordinauit Archiepiſcopum, ac ordinato nomen impoſuit Clemens, veſtimentiſque ſuis ſacerdotalibus induit eum, & ſancto quaſi ſuperhumerali Aaron, pallio dignitatis & indumenti confirmauit gloria: & quicquid voluit vel petiuit aut in patrociniis ſanctorum, aut in rebus Eccleſiaſticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatumque benedictione, donis ditatum, cum ſalutaribus præceptis, iterum eum in opus Euangelij remiſit.

Viſio ſummi Pontificis. [b] Anno 696 S. Vuillibrordus venit Romam ad Pontificem Sergium. Vide Marcellin. in vita S. Svviberti ca. 10 Martij 1. [c] Ordinatur ab eo Archiepiſcopus

ACCEPTA ergo Apoſtolicæ authoritatis benedictione, cum maiori fiducia deuotus verbi Dei prædicator, ad IIX
præfatum Francorum Ducem regreſſus eſt. Qui eum cum ſumma honoris magnificentia receptum, cum ſuæ poteſtatis iuſſione in opus Euangelij direxit, maximè tamen in borealibus regni ſui partibus, quo eatenus ob raritatem doctorum, vel duritiam habitatorum, fidei flamma minus relucebat. Eo vir Dei inſtantius illis in regionibus ſemina vitæ ſparſerat, quo plus neceſſarium antiquam ignorantiæ famem depellere perſpexerat. Qualem, diu na gratia adiuuante, illis incolis fructum fecit, teſtes ſunt vſque hodie populi per ciuitates, vicos & caſtella, quos ad veritatis agnitionem, & ad vnius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxerat: Teſtes quoque eccleſiæ, quas per loca ſingula conſtruxerat: teſtes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis.

Anno 697. vide Baron. Fructus prædicationum eius.

TENTAVIT quoque idem vir Dei vltra Francorum regni fines cœleſtis doctrinæ flumina deriuare. Nam tunc IX.
temporis

temporis Regem Friſonum Radbodum cum gente ſua paganum non timuit adire, & quocunq; pertexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Friſonum Rex licet virum Dei humilitatis gratia benignè ſuſciperet, nullis tamen vitæ fomentis ſaxeum eius cor emolliri potuit. Cum ergò apud eum vir Dei fructificare ſe non poſſe ſentiret, ad ferociſſimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum, vt fertur, regnabat Ougendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior: qui tamen, iubente Deo, veritatis præconē honorificè tractabat. Quē dum obduratū moribus, & idololatriæ deditū, & nullam melioris vitæ ſpem habentē offendit, acceptis tunc triginta eiuſdem patriæ pueris, ad electos à Deo populos regni Francorū reuerti feſtinauit. Sed in eo ipſo itinere catechizatos eoſdem pueros vitæ fonte, abluit, nè aliquod propter pericula longiſſimi nauigij, vel ex inſidiis ferociſſimorum terræ illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hoſtis præuenire aſtutias & Dominicis ſacramentis animas munire acquiſitas.

Prædicat Chriſtum in Friſia. Vide c. 13 vitæ S. Svviberti ibi ſupra Item in Dania

X. Et dum pius verbi Dei prædicator iter agebat, peruenit in confinio Friſonum & Danorum ad quandam inſulam, quæ à quodam deo ſuo Foſite, ab accolis terræ * Foſiteslan dicebatur: quia in ea eiuſdem dei fana fuēre conſtructa. Qui locus à Paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea vel animalium ibi paſcentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quiſquam gentilium tangere auderet, nec etiam à fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, niſi tacens, præſumeret. Quò cum vir Dei tempeſtate iactatus eſt, manſit ibidem aliquot dies, quouſquè ſepoſitis tempeſtatibus, opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed paruipendens ſtultam loci illius religionem, vel ferociſſimum Regis animum, qui violatores ſacrorum illius atrociſſima morte damnare ſolebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione ſanctæ Trinitatis baptizauit: ſed & animalia, in ea terra paſcentia, in cibaria ſuis mactare præcepit. Quod Pagani intuentes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cum nihil mali cernebāt pati, furore perciti, Regi tum Radbodo, quod viderant factum, retulerunt. Qui nimio furore ſuccenſus, in ſacerdotem Dei viui, ſuorum iniurias deorum vlciſci cogitabat: & per dies ſemper tribus vicibus ſuo more mittebat ſortes, & nunquam damnatorum ſors, Deo vero defendente ſuos, ſuper ſeruum Dei, vel aliquem ex ſuis, cadere potuit: nec niſi vnus tantum ex ſociis ſorte monſtratus, & martyrio coronatus eſt. Vocabatur verò vir ſanctus ad Regem, & multum ab eo eſt increpatus, quarè ſua ſacra violâſſet, & iniuriam deo ſuo feciſſet. Cui præco veritatis conſtanti animo reſpondit: Non eſt Deus, quem colis, ſed diabolus, qui te peſſimo errore deceptum habet, ô Rex, vt animam tuā æternis tradat flammis. Non [a] eſt enim Deus, niſi vnus, qui creauit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt: quem qui vera fide colit, vitam habebit ſempiternam: cuius ego ſeruus hodiè tibi teſtificor, vt ab antiqui erroris vanitate, quam coluerunt patres tui, tandem aliquando reſipiſcas, & credens in vnum Deum omnipotentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & vitæ fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua, & proiecta omni iniquitate & iniuſtitia, deinceps nouus homo viuas in omni ſobrietate, iuſtitia & ſanctitate. Hoc faciens, cum Deo & ſanctis eius gloriam poſſidebis ſempiternam. Si verò me contemnis, viam ſalutis tibi oſtendentem, ſcito certiſſimè, quod æterna ſupplicia & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, ſuſtinebis. Ad hæc Rex miratus, reſpondit: Video te minas noſtras non metuiſſe, & verba tua eſſe, ſicut & opera. Etſi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum [b] Ducem Francorum eum cum honore remiſit.

* Foſtelandia.

Barbari pē
tis ſuperſti
tionem mi
ra fiducia ō
temnit.

Radbodus vnum è ſociis eius necat

Quod de ſorte hic dicit auctor, notandum tradit. Baro. apud eos in more fuiſſe, neminem necī tradere, niſi prius cum ſors indicaſſet.

[a] Illi conſtanter Chriſtum annunciat Vvillebrordus [b] Redit ad Pipinum ducem.

XI. Qui in eius lætatus aduentu, rogauit eum deſtinato verbi Dei operi inſiſtere, eradicatiſque idolatriæ ſpinis verbum Dei inſtanter per loca ſingula ſerere. Quod etiam pius prædicator haud ſegniter implere ſatagebat, circumiens omnes illius terræ regiones, per vrbes, vicos, caſtella, vbi prius euangelizauerat, exhortans omnes, quatenus bono animi propoſito in veræ fidei permanerent firmitate. Et dum per ſingulos dies numerus creſcebat fidelium, & maior credentium turba ad verbi Dei agnitionē confluebat, cœperūt plurimi, fidei feruore incitati, patrimonia ſua viro Dei offerre. Quibus ille acceptis, mox eccleſias in eis ædificare iuſſit. Statuitq; per eas ſingulos presbyteros, & verbi Dei ſibi cooperatores, quatenus nouus Dei populus haberet, quo ſe diebus feſtis congregaret, vel ſalutares audiret admonitiones, vel à quibus ſacri baptiſmatis munera acciperet, & Chriſtianæ religionis regulas ediſceret. Et ita vir Dei magis ac magis de die in diem, diuina donante gratia, proficiebat.

Multi credunt in Chriſtum, extruuntur que templa eorum impenſis.

XII. Contigit autem, Pipinum Ducem Francorum diem obire, & filium eius Carolum regno potiri. Qui multas gentes ſceptris adiecit Francorum: inter quas etiam cum triumphi gloria Friſiam, deuicto Radbodo, paterno ſuperaddidit imperio: in qua tunc gente ſanctus Vuillibrordus poſitus eſt prædicator, ſediq; Epiſcopali in Traiecto caſtello delegatus eſt. Qui maiori Euangelizandi occaſione accepta, nuper gladio acquiſitam gentem ſacro baptiſmate abluere conatus eſt. Nec quicquam in ea vetuſti erroris, nec tenebras ignorantiæ latere ſinebat: ſed totam Euangelica luce ſine dilatione perfundebat, ita vt in eo populo ſubito propheticum illud impleretur teſtimonium. Et erit in loco, vbi dicetur eis, Non populus vos: dicetur eis, Filij Dei viuentis. Plurima quoquè diuina virtus fecit per ſeruum ſuum miracula: licet omni miraculorum operationi & ſignorum oſtenſioni miniſterium Euangelicæ prædicationis præferendum ſit, tamen quæ geſta narrantur, ad gloriam donantis Dei non tacenda eſſe cenſeo, ſed magis ſtylo alligãda, nè pereant poſteris ſeculis, quæ priſcis temporibus acta eſſe noſcuntur.

Carolus Martellus multas domat gentes. S. Vvilibror dus fit Epiſcopus Traiectenſis. Vide cap. 15. S Svviberti vbi ſupra Oſea. 1.

XIII. Qvodam igitur tempore, dum venerabilis vir iter euangelizandi more ſolito ageret, venit ad quandam villā, Vualachrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remanſit. Quod cum vir Dei zelo feruens confringeret, præſente eiuſdem idoli cuſtode, nimio furore ſuccenſus ille, quaſi Dei ſui iniuriam vindicaret, in impetu animi inſanientis, gladio caput ſacerdotis Chriſti percuſſit: ſed Deo defendente ſeruum ſuum, nullam ex ictu ferientis læſuram ſuſtinuit. Socij verò illius hoc videntes, peſſimam præſumptionem impij hominis vindicare concurrerunt. Sed à viro Dei pio animo de manibus illorum liberatus eſt reus, ac dimiſſus: qui tamen eodem die dæmoniaco ſpiritu arreptus eſt, & die tertia infeliciter miſeram vitam finiuit. Et quia vir Dei, iuxta præceptum Domini, ſuas iniurias vlciſci noluit, citius à Domino vindicatum eſt, iuxta illud: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Gladio ceſus nihil læditur

Vltio diuina in percuſſorem eius.

XIV. Alio quoque tempore iter beato viro faciente ad quandam ſuæ ditionis cellulam: quæ ex nomine præterfluentis aquæ Sueſtra dicitur, propter compendium propioris viæ per ſegetes cuiuſdam diuitis anguſtam ſubintrauit ſemitam. Quod earundem ſegetum cuſtos cernens, nimio inflatus furore, virum Dei blaſphemare cœpit; Quem conuicia viro Dei inferentem eum ſocij qui cum eo erant, vindicare vellent, miti animo Dei famulus eos compeſcuit, nolens aliquem ſua perire, qui ſalutem ſitiebat omnium. Sed cum inſanientis animum nullo modo lenire poſſet, dans locum iræ eius, via qua venit, reuerſus eſt. Sed die poſtera idem infelix, qui famulo Dei cōuicia dicere non abhorruit, multis cernentibus, in eodem loco repentina morte periit.

Matt 5. Deu 32

Patientia eius

Repentina mors ei conuicia facientis.

XV. Cum vir Deo plenus propter euangelicæ prædicationis inſtantiam loca circumiret maritima, aquæ dulcis penuriam patiebatur. Quod dum cernebat commilitones propter ardorem ſitis, grauiter ſuſtinere; vocato vno ex illis, præcepit ei intra tentorium ſuum foſſam aperire paruam. Vbi ſecreto fixis genibus orabat Deum, vt qui populo ſuo aquam in deſerto produxit de petra, ſeruis ſuis eadem miſericordia de arenoſa terra aquam produceret. Qui mox exauditus eſt, nam ſubitò fons dulciſſimi ſaporis foſſam implebat. Quod ſui cernentes, gratias agebant omnipo-

Exod 17. Num. 20.

Miraculum

omnipotenti Deo, qui ſanctum ſuum magnificauit, & exaudire dignatus eſt. Bibebantq; vſque ad ſatietatem, ſecumque ad prædeſtinati itineris neceſſitatem, quantum ſufficere videbatur, portare curabant.

Praeclarum miraculum

Iterum ſanctus Dei ſacerdos in quodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes duodecim, pariter poſtu- XVI.
lantes ſibi aliquid à prætereuntibus ſolatij. Quos, vt erat mitiſſimus, benigno adſpexit animo, vnique ex ſuis mandauit ſpecialem ſuum flaſconem ſumere, ac pauperibus miſcere Chriſti. Ex quo omnes illi duodecim vſque ad ſatietatē bibebant: & mirum in modum, illis abeuntibus, ex optimo vino flaſco, de quo tanti biberant homines, inuentus eſt plenus, vt ante. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominum Deum noſtrum, dicentes: Vere impletum eſt in nobis, quod in Euangelio dicitur: Date, & dabitur vobis.

Luc. 6.

Item aliud.

Venit quoque vir ſanctus ad ſuum viſitandi gratia monaſterium, & poſt orationes ad Deum & ſalutationes XVII.
fratrum, & admonitiones pacificas, circumiens ſingula fratrum habitacula, ſi quid in illis emendandum fuiſſet, pius paſtor explorare voluit. Intrauit quoq; in cellarium, in quo modicum vini reperit in vaſe, in quod ſuum benedictionis gratia cum oratione immiſit baculum, & exiuit. Sed eadem nocte in eo ipſo vaſculo vinum creſcere cœpit, & ſuperfundi vaſis margine. Hoc cellarius cernens, inſperata abundantia obſtupefactus, nec celare audebat, quod diuina miſericordia per ſerui ſui benedictioné geri cognoſcebat. Craſtino mané occurrit, & ante pedes ſancti patris ſe proſternens, confitebatur quid vidiſſet. Qui more ſolito Deo gratias agens, memorq; Dominicæ iuſſionis, diſcipulis ſuis præcipientis, nè cui transfigurationis gloriam ante diem reſurrectionis ſuæ dicerent, præcepit eidem cellario, nè cui miraculum, quod viderat, ante diem obitus ſui ediceret. Sed & aliud ſimile huic per eius benedictionem Deus Chriſtus operatus eſt miraculum.

Matth. 17.

Perueniens ſeruus Dei cum ſociis ſuis ad domum cuiuſdam amici ſui, & pauliſper cupiens in domo dilecti XVIII.
longi laborem itineris refectione alleuare, patremfamiliâs nihil vini habere comperit: Quatuor ergò modicos flaſcones, quos tantum in itineris ſolatium ſecum eius ſocij ferebant, iuſſit afferri: eoſque in eius nomine benedixit, qui in conuiuio nuptiali aquas conuertit in vinum. Et mirum in modum poſt benedictionem, quaſi quadraginta viri ex illis lagunculis vſque ad ſatietatem bibebant, & cum magna gratiarum actione lætis ſibi inuicem animis dicebant: Vere Dominus Ieſus impleuit, quod in Euangelio promiſit, dicens: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.

Ioann. 2.
Aliud illuſtre miraculum.

Porrexit idem ſanctus prædicator quodam tempore more ſolito, ob euangelizandi gratiam, cum feſtinatio- XIX.
ne in Friſiam, & propter laborem viæ, in pratis cuiuſdā diuitis paululum laſſos refocillare equos volebat. Quos diues ille in pratis ſuis paſci cernens, ſuperbiæ ſpiritu equos cædere cœpit, & è paſcuis abigere. Quem vir Dei placidiſſimis verbis alloquitur, dicens: Deſine nobis iniuriam facere. Non enim propter læſionem tuî, ſed propter neceſſitatem noſtrî, ad horam in his paſcuis quieſcere voluimus. Inſtat nobis opus Dei peragendum, cuius tu quoquè mercedem habere poteris, ſi nos quantum ad te pertinet, adiuueris animo, memor illius Domini noſtri Ieſu Chriſti dulciſſimæ promiſſionis: Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. Sed magis mente pacifica nobiſcum quaſi amicus teipſum reficiens, aliquantulum bibe, nobiſque cœpto itinere pergentibus, tu à Deo benedictus, reuertere in domum tuam. Ille autē in malitia pertinax, nolens pacificis viri Dei verbis acquieſcere, ſed conuicia ingeminans, opprobria iaculans: Tu me, inquit, hortaris bibere, & pacem tecum inire: ſcito certiſſimè, quod tecum bibere pro nihilo habeo. Rapiensq; ex eius ore verbum hoc vir Dei: ſi non velis, ait, mecum bibere, non bibe. Et ſtatim paratis ſociis, perrexit viam ſuam. Ille quoque contumax, domum ſuam feſtinabat adire, ſed totus ſubito ſiti ardebat. Cupienſque ardentē ſtomachum vino refrigerare, os, quod viro Dei conuicia ingeſſit, vini potionem recipere non valebat: & qui pacem cum ſeruo Dei voluntarie noluit, pœnam in ſeipſo neceſſariè ſuſtinuit. Vocati ſunt medici, qui ſitim ſedarent, aut facultatem ægroto bibendi præſtarent. Anhelabant viſcera, ſed non fuit, qui guttam vini ferueſcenti pulmoni infundere valuiſſet. Tandem aliquandò pœnitentia ductus ille, in ſeipſum reuerſus eſt, & agnoſcebat ſanctum Vuillibrordum eſſe, quem offenderat, illiuſque, anhelante ſpiritu, optabat reditum. Qui ſequēti anno eadem reuerſus eſt via, præcognitoque aduentu eius, obuius ei homo ægrotus venire feſtinabat, culpam confitens ſuam, & quam patiebatur pœnam aperiens, pro amore Chriſti ſe ſolui deprecabatur: Quem vir Dei miſericordia motus abſoluit, deditque illi cum benedictione de ſuo bibere calice. Qui mox abſolutus bibebat, & ſanus in ſuam reuerſus eſt domum.

Matth. 10.

Diuinitus punitur homo contumelioſus in virum Dei.

Eum vir ſanctus liberat

Est in Treuerenſi ciuitate monaſterium puellarum, quod temporibus beati Vuillibrordi Epiſcopi peſtis acer- XX.
rima inuaſit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam verò longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Cæteræ verò nimio terrore turbatæ, quaſi præſentem mortem metuebant. Et quia propè eſt prædictæ ciuitati ſancti viri monaſterium, quod appellatur * Eſternaco, in quo vſque hodie ſanctus ille requieſcit corpore, & eius poſteri ex legitima traditione patris, & piiſſimorum pietate Regum tenere noſcuntur: ideo autē dictí fœminæ monaſterij, audientes ſanctum virum illuc venire, ſtatim miſerunt legationes, poſtulantes eum non tardare venire. Qui beati Petri principis Apoſtolorum mitiſſimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum Chriſti petitionem veniens Lyddam, vt ſanctam ſuſcitaret Tabitham, feſtinus venit, audito deſiderio ancillarum Chriſti, ad illas. Et veniens, *Act. 9.*
mox in eodem monaſterio ª Miſſa pro infirmis celebrata, aquā benedixit, qua & domos illarum adſpergi iuſſit, & ægrotantibus potandam tranſmiſit. Quæ citò, diuina donante miſericordia, conualuêre, nec vllæ in eo monaſterio prædicta peſte exindè moriebantur.

* Epternaco Inferius ca. 23. Eſt autē Epternacū Ducatus Luxemburgenſis oppidū, & in eo Epternacū monaſterium dioeceſis Treuirenſis.

ª Nota hic effectum Miſſæ & aquæ benedictæ.

Contigit cuidam patrifamiliâs & domui ſuæ dira dæmoniacæ illuſionis tentatio, ita vt apertè malignus in e- XXI.
ius domo ſpiritus, ex horrore & maleficiis habitare agnoſceretur. Nam ſubito cibos, vel veſtimenta, vel alia domui neceſſaria, rapere ſolebat, & in ignem mittere. Quin etiam paruulum, inter amplexus parentum pauſantem, illis dormientibus, tulit, & in ignem proiecit. Sed vagitu infantis parentes excitati, vix paruulum de incendio eruerunt. Et multa atrocia eadem familia à nefando ſpiritu perpeſſa eſt, nec à quolibet presbyterorum expelli potuit, donec vir ſanctus Vuillibrordus, à patrefamilias poſtulatus, aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illius ſupellectilem foras efferre, & aqua illa adſpergi, prævidens in ſpiritu domum flammis conſumendam eſſe. Quibus ita geſtis, vacuam domum à loco lectuli ignis inuaſit, totamque conſumpſit. Altera verò in eo loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificata, nihil exindè priſtinæ tentationis paſſi ſunt in ea: ſed cum omni tranquillitate & quiete degentes, & Domino gratias agentes erant, qui illos per ſeruum ſuum redimere dignatus eſt.

Et hic obſerua vim aquæ ſacratæ

Idem quoquè vir Deo amabilis, quædam prophetico prædixerat ſpiritu, quæ poſt rerum euentus vera proba- XXII.
uit. Baptizauit enim Pipinum, filium Francorum fortiſſimi Ducis Caroli, patrem huius nobiliſſimi Caroli, qui modo cum triumphis maximis & omni dignitate glorioſiſſimè Francorum regit imperium. De quo Pipino patre eius idem ſanctus vir præſaga voce coram diſcipulis ſuis prædixit hoc vaticinium: Scitote, inquiens, quod iſte infans ſublimis erit valde & glorioſus, & omnium præcedentium Francorum Ducibus maior. Huius itaque vaticinij veritas noſtris probata eſt temporibus, nec opus eſt teſtimonijs aſſequi: quod totius regni agnoſcit authoritas. Scit namque omnis populus, quibus nobiliſſimus victor celebratur triumphis, vel quantum terminos noſtri dilatauit imperij, vel

Prophetia S. Vuillibrordi.
Iſte Pipinus ex Duce fit Franc. Rex.

quam

quàm deuotè Chriſtianam in regno ſuo præparauit religionem, vel quid pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ Dei apud extraneas exercuit gentes: quæ omnia melius oculis probari, quàm verbis explicari queunt.

XXIII. FVIT verò iſte vir ſanctus, omni dignitate præclarus, ſtatura decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore iucundus, moribus compoſitus, & in omni opere Dei ſtrenuus. Cuius autem patientiæ eſſet, ex antedictis eius geſtis oſtenditur. Quantam verò habuerit induſtriam in Euangelio Chriſti prædicando, vel qualiter illum in opere prædicandi diuina adiuuerit gratia, non neceſſe eſt noſtro proſequi ſtylo, quod toties populi teſtimonio comprobatur. Porrò eius ſecreta conuerſatio in vigiliis & orationibus, in ieiuniis & pſalmodiis, ex vitæ ſanctitate & ſignorum oſtenſione intelligi datur. Charitatem ſcilicet aſſiduus labor oſtendit, quem quotidiè pro Chriſti nomine ſuſtinuit. Denique vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis, & omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortiſſimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum, appoſitus eſt ad patres ſuos, multiplicem laboris ſui fructum accepturus à Deo ſeculum hoc relinquens, vt cœlum poſſideret, Chriſtum ſine fine in æterna gloria viſurus: in cuius dilectione quàm diu nobiſcum vixerat, laborare non ceſſabat. Die ſeptima menſis Nouembris, id eſt, ſeptimo Idus, ex hac peregrinatione ad perpetuam migrauit patriam, & ſepultus eſt in monaſterio Epternaco, quod ipſe Deo, vt præfati ſumus, conſtruxerat. Ibi vſque hodiè, diuina operante miſericordia, ſigna & ſanitates ad ſancti Dei ſacerdotis reliquias fieri non ceſſant. Ex quibus aliqua huic noſtræ de eo hiſtoriæ ſubijcienda eſſe æſtimauimus, in gloriam & laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui hæc per ſerui ſui patrocinia ſæpius operari dignatus eſt. Conditum eſt venerabile corpus in ſarcophago marmoreo, qui primùm toti Dei famuli corpori, quaſi dimidio pedis breuior inuentus eſt, fratribus ob hoc valdè contriſtatis, & ſæpius tractantibus, vbi aptum ſancto corpori inuenirent locellum. Sed miro modo, diuina donante pietate, inuentus eſt ſubitò ſarcophagus tanto viri Dei corpori longior, quanto breuior ante apparuit. Et in eo viri Dei corpus cum hymnis, pſalmodiis & omni honore condentes, ſepeliêrunt illud in eccleſia præfati monaſterij, quod ille ſummus Dei ſacerdos in honore ſanctæ Trinitatis ædificauit & dedicauit. Sed & miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, vt perſpicuè intelligeretur, ad exequias viri ſancti angelicum veniſſe miniſterium.

Dotes & virtutes eius.

Carolum Martellum dicit.

S. Vuillibrordi obitus.

Miracula ad eius reliquias.

Illuſtre miraculum.

XXIV. SED & cuidam religioſo ſancti viri diſcipulo longius poſito, in oratione vigilanti, obitus illius reuelatus eſt. Nam vidiſſe ſe teſtabatur animam ſanctiſſimi patris ſui cum magna luminis claritate, cum conſona canentium laude, ab angelicis exercitibus ad cœlorum regna portari. Multi quoque fratrum teſtati ſunt, crebrò ſe ſuper lectulum, in quo beatam animam ſuo creatori reddidit, mirabile vidiſſe lumen, ſuauiſſimamque odoris dulciſſimi ſenſiſſe fragrantiam: vt omnino his ſignis crederetur, cœleſtes locum frequentâſſe ciues, in quo ſancta anima migrauit ad Dominum. Per vnctionem quoque olei, quod ſupra corpus ſancti lucere ſolebat, multi infirmi, Deo donante, & fide illorum cooperante, curati ſunt. Pœnitentes quoque, ſæpius ad eandem venientes eccleſiam, circulis ferreis more ſolito circundati, ruptis circulis ſubito vincula ſua reſoluta ſenſerunt. Cuius rei, adhuc in eccleſia circuli pendentes, teſtes ſunt.

Viſio diſcipuli eius.

XXV. QVÆDAM verò mulier paralytica, ſeptem annis magnis cruciata doloribus, intantum graſſante eadem quotidiana infirmitate afflicta eſt, vt omni membrorum officio deſtituta, alieno vteretur miniſterio, & in ſolo tantummodo pectuſculo vix anhelans ſpiritus, ſuſpiria feſſa traheret. Hæc à propinquis ad eccleſiam, vbi ſanctus Dei requieſcit, ferebatur, prope locellum reliquiarum eius poſita. Quæ in eodem loco fuſis lachrymis, deprecata eſt per interceſſionem ſancti ſui famuli, diuinam ei miſereri clementiam: atque à Domino Deo exaudita, moxque ab omni infirmitate liberata, ſoſpes cum gaudio gratias agens Deo, propriis pedibus, quæ prius ab alienis portabatur, cucurrit ad domum.

Paralyticæ reſtituitur ſalus.

XXVI ITEM adoleſcens qui iam infirmus, ad corpus beati pontificis manibus deductus eſt amicorum. Qui totis intremuit membris. Nec enim caput per ſe leuare potuit, ſed quaſi collo fixum non eſſet, huc atque illuc cadens voluebatur. Nam aliquoties ità exanimis factus eſt, vt omnino mortuus videretur. Quē, vt prædiximus, prope corpus ſui ſancti viri poſuerunt. Sed miſericordia Dei donante, omnibus qui aderant, cernentibus, ità ſubitò ſanus effectus eſt, vt nihil in eo priſtinæ infirmitatis, vel doloris antiqui vltrà remanſerit.

Item quidā morbidus.

XXVII. QVIDAM etiam officio diaconus, & non merito, in eccleſia ſancti viri crucem auream, quam vir ſanctus ſecum in itinere portare ſolebat, cum aliis donariis eccleſiæ, infeliciſſimo non horruit ſubtrahere furto. Turbati ſunt hac re fratres, vtpote factorem impij ſceleris ignorantes. Tunc precibus quidem ſancti Dei confidentes, illud iam nefarium ſcelus occultari non poſſe, fraterna tamen pietate hominem ad pœnitentiam reuocare niſi ſunt, non perdere cupientes. Ille verò, qui hoc crimen commiſit, obdurato corde ſalutem ſuam contempſit, ſicut impius, dicente Salomone, cum in profundum malorum venerit, contemnit. Cogitauit infelix latere, ſed non potuit, illum, qui ſeruorum ſuorum iniurias ſæpius vindicare non tardat. Nam miſer ille, qui hoc perpetrare crimen non abhorruit, miſera ſubitò morte arreptus interiit. In ipſo vitæ exitu aliquibus fratrum reatus ſui crimen oſtendit, & vbi oſtendiſſet, quod furto rapuit, indicauit. Videtis, fratres, quàm terribili damnatus iudicio eſt, qui ſancti Dei eccleſiam furto violare non timuit. Id circo obſecro, vt caſtam in hac habeatis conuerſationem, quatenus diuina clementia per ſancti Clementis viri Apoſtolici preces in omni petitione honeſta vos exaudire dignetur, ſicut ante diximus illam exaudire preces infirmantum in eadem eccleſia, eoſque cum diu deſiderata ſanitate domum redire. Nec ſcilicet dubitandum eſt, quòd veluti viſibiliter corporeas illorum dignatus eſt Chriſtus ſanare infirmitates, ità & occultas animarum noſtrarū ægrotationes, intercedente pro nobis ſancto ſuo, qui hic corporaliter requieſcit, & quem ſpiritaliter præſentem eſſe credimus, quotidiè ſanare non ceſſat, ſi firma fide & confeſſione vera cum lachrymis effundimus in loco iſto ante conſpectum pietatis illius corda noſtra, qui pro ſua diuina clementia paratus eſt ad ignoſcendum, ſi nos tardi non fuerimus ad deprecandum: Cui laus ſit & gloria in ſempiterna ſecula.

Prou. 18.

Horrenda vltio in ſacrilegum.

S. Vuillibrordus alias Clemēs dictus eſt.

XXIX. RESTAT nunc de beato Vuilgiſo qui fuit huius ſancti viri, vt antè diximus, pater: vt à quo huius hiſtoriæ primū capitulum incipit, de eo nouiſſimum finiatur. Rediit igitur anniuerſarius eiuſdem Beati Vuilgiſi ſanctæ migrationis dies, in qua pius Abba Albertus, ſucceſſor venerandi Archiepiſcopi, poſt ſacratiſſima Miſſarum ſolennia, & honorem Deo debitum, cum fratribus epulari & gaudere aggreſſus eſt. Sed in eo monaſterio nil plus vini inuentum eſt, quàm duo tantummodò flaſcones, quorū vnus prandij hora exhauſtus eſt, alter in horam cœnæ reſeruatus. Igitur poſt veſpertinam melodiam, pro reuerentia eius diei, fratres ad refectorium reuerſi ſunt, & poſt ſacras lectiones præfatus Abbas fratres allocutus eſt, dicens: Decet nos, ô venerandi patres, cum gaudio ſpiritali venerabilium patrū noſtrorū feſtiuos dies celebrare, & aliquanto laxius ſolito rigore, noſtris indulgere corporibus, non luxuriæ, ſed charitatis, cauſa. Nequaquam verò vos celâſſem, ſi aliquid plus habuiſſem in hoc monaſterio, quàm hunc ſolum flaſconem, qui nobis hora prandij reſtabat. Potens eſt tamen Deus per preces ſanctorum ſuorum hunc eundem nobis abundare facere, illos honorificare, & nos lætificare, & oſtendere nobis, licet indignis, ſuæ pietatis miracula, qui per benedictionem quondam ſancti Vuillibrordi patris noſtri, ex quatuor flaſconibus quadraginta viros ſatiare dignatus eſt.

Anniuerſarius dies S. Vuilgiſi patris S. Vuillibrordi.

Miraculo augetur vinum inter bibendum.

Tantum

Tantum cum gratiarum actione in ſpe bibamus, quod habemus. Primò & ſecundo de eodem flaſcone omnes bibe runt fratres, & inuentus eſt à miniſtro ità plenus, vt ante. Hoc audito, Abbas cum fratribus Deo agere gratias ſatagebat: biberuntque laudantes diuinam clementiam illa nocte cum ſobrietate & lætitia quantum voluerunt. O felicem
Deut. 18. patrem, qui talem generauit filium, qui tali hærede à Deo dignus habitus eſt. In quo benedictio illa impletur, quæ in Deuteronomio legitur. Benedictus tu. & benedictus fructus ventris tui, Amen.

EIVSDEM ALCVINI HOMELIA DE NATALI SANCTI VVILLIBRORDI ARCHIEPISCOPI.

LICET per totius orbis Eccleſias conueniat omni populo Chriſtiano ſanctorum feſta celebrare, victo- I.
Pſalm. 18. rias laudare, & quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum in omni terra conſona cunctorum viuentium voce laudandi ſunt, tamen locis in ſingulis propter familiarita-
Speciales patriæ patronos, ſpecialius à ſuis coli. tem cohabitationis cuiuslibet illorum, & propter præſentiam ſanctarum reliquiarum, quæ in ſolatium illis vel illis condonatæ ſunt habitatoribus, ſpeciali quadam veneratione apud ciues ſuos familiarius honorantur. Igitur Roma vrbs orbis caput, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſpecialius quodammodo glorioſiſſimis lætatur triumphis. Vnde ad eandem & gentes & populi, cum deuoto pectoris officio, quotidie concurrunt, vt maiori quique apud beatos Apoſtolos fidei compunctione, vel ſua defleant crimina, vel cæleſtis vitæ abundan-
* Agaunia. tiori ſpe, ſibi aditum aperiri depoſcant. Mediolana olim ciuitas Imperialis S. Ambroſio gaudet defenſore. Alpes * Acunumiæ ſanctorum Thebæorum felicius ſanguine, quàm in procenitate exaltantur. Beatius fœcunda Pictauia beati Hilarij Pontificis reliquiis exultat, quam venditionum & emptionum al[illegible]ationem, in quibus ſæpe verſatur iniquitas. Quid te Turonica ciuitas loquar? muris quidem paruula & deſpectibilis, ſed ſancti Martini Patrocinijs magna & laudabilis, quis propter te, adierit te? nonne propter illius certiſſima ſuffragia, turbæ ad te confluunt Chriſtianorũ? Omnia Pariſiacæ ciuitatis ſuburbana, ſancti Dionyſij vel ſancti Germani magnificis iocundantur auxilijs, & feſtiuos illorum dies maiori populorum celebrant frequentia. Tota Campania cum populis ſuis propter Remigium venerabilem prædicatorem, ad Rhemenſem feſtinat vrbem, apud eam quaſi præſenti patrono, ſua vota ferentes. Sic diuina clementia toti conſuluit mundo, dans ſingulis prouincijs vel populis, quo ſpeciali gauderent patrono.

NOBIS vero ſanctiſſimi Vvillibrordi non infima perdonauit auxilia, ſed præclara, & glorioſa contulit ſuffra- II.
gia. Gaudeamus, dilectiſſimi fratres in Domino, & ſpirituali iocunditate lætemur, qui nobis talem vitæ perdonauit doctorem. Iuſtitiæ præceptorem, vnanimitatis noſtræ auctorem, qui nos in hoc ſacratiſſimum ouile congregauit, & pietatis magiſterio erudiuit. Gaudeat & nobiſcum omnis populus, qui ad natalicia ſanctiſſimi patris hodie concurrit, & vigilijs Apoſtolici viri, pia deuotione intereſſe ſtuduit, & in præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorum Angelorum, & beatiſſimi Pontificis ſtare ſatagebant. Nullus obſecro dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæſitet, nec de piæ petitionis fructu & effectu, qui nobis talem conceſſit patronum. Illius nos precibus concedit exau-
S. Vvillibrordi encomium. diri, quia quantò fiducialius deprecamur, tanto citius exaudiemur. Fide enim omnia impetrantur, ſicuti huius viri ſanctiſſimi, cuius hodie feſtiuum celebramus diem, certiſſima ante oculos habemus exempla, qui mox ab infantia ſua, per fidem Deo placere contendit. Nam patriam, cognationem & amicos feruente fide, pro amore Dei dereliquit, terrena contempſit vt cæleſtia adquireret. Idcirco magnum laboris ſui fructum inuenit, & multas populorum turbas ad Chriſtum conuertit: Et plurimos paganorum, ab erroris iniquitate auertit, & diuina cooperante gratia, filios iræ, filios fecit eſſe miſericordiæ. Inferna concluſit, cælum aperit. Plurimas peragrauit gentes, vt omnes in viam veritatis adduceret, nec ſibi ipſi pepercit populos adiuit feroces, ſi forte purpuream martyrij coronam inueniret, quem Deus ob multorum ſeruauit ſalutem. Quatenus maiori prædicationis gloria honoraretur, quam ſi ſolus martyrio coronaretur, in pace quieuit, quia in ſpe laborauit. Vitam inuenit æternam, qua temporalem reliquit, nobis ab-
Apoſtrophe ad S. Vvilibrordum. latus, angelis ſociatus.

O beatiſſimè Chriſti ſacerdos, ne nos derelinquas laborantes in terris, ſed precibus tuis de cælis adiuuare non III.
ceſſes. Vita tua apud homines, ſemper probata fuit pro Deo, ſint preces tuæ apud Deũ ſemper in cælo pro hominibus. Meditatio tua fuit in lege Dñi die ac nocte. Ideò ſicut palma floruiſti in domo Dñi, ſicut cedrus Libani multiplicaſti filios tuos, qui ad te tota mentis intentione clamant, tu illos pia intercesſione adiuuare digneris. Sentiamus tuũ nobis clementiſſime auxilium, qui tuis deuotiſſime inſtamus officiis. O felix anima, quæ ſeculi labores dereliquiſti & cæleſtem cum multiplicis ſudoris tui fructu requiem intraſti: Talenta tibi commiſſa multiplicaſti, præmia promiſſa accepiſti. In pauca fidelis fuiſti in terris, ſupra multa conſtitutus gloriaris in cælis. Gaudia Domini Dei tui, quæ ſemper optaſti, ſemper habere cœpiſti. Te continuis, ô pater, proſequimur laudibus, tu nobis aſſiduis auxiliare precibus. Credimus te in præſentia Domini Dei tui, omnia poſſe impetrare, quæ poſcis, dum tanta potuiſti in præſentia noſtra per eius gratiam efficere miracula: Tu modo ciuis Angelorum, tu ſocius ſanctorum, tu lætus cum illis
Pſalm. 83. Ioan. 14. canticum nouum cantabis: Sicut audiuimus, ita & vidimus: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te: Et, videbitur Deus Deorum in Sion: Cuius beata viſio plena eſt felicitas, ſicut ipſa veritas in Euangelio teſtatur dicens: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. In cuius dulciſſima dilectione iſte ſanctus vixit in mundo, ideo in eius aſpectu lætatur in cælo.

VIDETE, fratres chariſſimi, quanta gloria eſt Deum ſequi. Iſte pro amore Chriſti patriam contempſit, peregrina- IV.
tionem elegit, diuitias ſæculi parui pendebat, paupertatem voluntariè amauit. Et cognouimus qualem honorem poſtea habuit inter homines, ſed melior eſt gloria, quam æternaliter poſſidet inter Angelos: Huius ſanctiſſimi doctoris nos exempla de ignauiæ torpore ſuſcitent, vt quod in illo prædicamus, impleamus in nobis. Agones illius laboris laudamus, vias noſtras in veſtigia eius corrigamus. Quatenus qui ſanctitatis eius ſequimur exempla, beatitudinis ſortiamur & præmia per eum, qui illum coronauit, & nos adiuuabit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in gloria ſempiterna, Amen.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCHVVINI DE VITA S. VVILLIBRORDI ARCHIEPISCOPI LIBER SECVNDVS.

ECce tuis parui votis venerande Sacerdos,
Cor quia de vero feruet amore mihi.
Pontificis magni Vvilibrordi & Præſulis almi,
. . . .
Sit licet inferior ſtrepitans cum murmure rauco,
Illius egregiis ſermo meus meritis.
Protulit ad templum Chriſti Vvilibrorde Sacerdos
Noſtra fides veſtium parua minuta tamen.
Quæ rogo ſuſcipias clementer mente benigna,
Criminibuſque meis poſce precor veniam.

Non

Non ſunt digna tuis meritis mea munera Præſul,
Qui regnas ſummi diues in arce poli.
Marci 12. Luc. 21.
Ni pius in templo Deus æra minuta ferentem
Laudaſſet viduam, quæ ſua vota dedit.
Æra minuta duo diuerſi ponderis iſta,
Sanctæ pater ſupplex in tua templa fero.
Sed prius hæc retinet planis numiſma figuris,
Poſterius ſed iam pretium rutilat.
Sunt qui in lege ſacra pilos pelleſque caprarum,
Ad pia tecta Dei ferre iubentur onus,
Non tamen hos ſperni iuſſit lex ſancta tonantis,
Sed grate accipere mens pia quæ tulerit.
Sic non magniloquas quæris pater optime gazas,
Sed vero calidum pectus amore meum.

I. S. Vuillibrordus venit in Franciã.

VENERAT occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens diuino plenus amore,
Ore ſagax & mente vigil, & feruidus actu.
Ad te temporibus Pippini Francia felix,
Quem tibi iam genuit fæcunda Britannia mater,
Doctaque nutriuit ſtudiis ſed Hibernia ſacris.
Nomine Vuillbrordus meritis viuacibus almus.
Qui peregrina petens Domini deductus amore,
Semina perpetuæ cupiens cœleſtia vitæ
Spargere, quæ rarus fuerat prius accola verbi,
Pipini Francorum Regis munificentia
Quæ mox Pippinus Franchorum rector honeſtus
Suſcipit, atque illum ſitientia rura rigare
Per loca mandauit iam ſingula rore ſuperno,
Auxiliiſque Dei famulum firmauit honeſtis.

II. Prædicationis S. Vuillibrordi progreſſus.

Ille Deo plenus, lumen de lumine Chriſto,
Iam quaſcumque piis peragrauit greſſibus vrbes,
Vel caſtella, caſas, vel compita, ſemper vbique
Sparſit Euangelicæ radios per pectora lucis.
Multorum donec fidei pia flamma reluxit,
Et nox cæca procul illa deceſſit ab vrbe,
Corruitque ruunt idolorum fana profana,
Et populi Chriſtus reſonabat in ore fidelis.

III. Romam mittitur à Pipino in Epiſcopum ordinãdus.

Creſcere Pippinus dum viderat inclytus auctor
Eccleſiam Chriſti fidei & Venerabile donum,
Congaudens nimium tali doctore ſalutis,
Ac melius ratus, citius ſe mittere Romam
Præcipuum fidei præconem, quatenus illum
Paſtor Apoſtolicus firmaret in ordine primo,
Eſſet vt Eccleſiæ Præſul, ſummuſq; Sacerdos.

IV. Sergio Papæ per viſum declaratur aduentus S. Vuillibr. Romam.

Pontificalis apex Petro digniſſimus hæres
Sanctus Apoſtolicam tenuit tunc Sergius aulam,
Vir bonus & prudens, nulli pietate ſecundus,
Ante diem quartam facta eſt cui viſio nocte,
Quàm vir veniſſet Romam præclarus ad illum.
Angelus è cœlo veniens prædixerat illi:
Ecce Deo & carus properat hanc hoſpes ad vrbem
A Duce Franchorum miſſus ſub munere largo,
Hunc tu mente pia ſaltem tractare memento.
Et mox Pontificem ſummo ſacrabis honore.
A te quæ cupiet, capiat quoq; dona Sacerdos.
Iſte Deo ſociat populorum millia multa.
Angelus his dictis cœli remeauit ad aulam.

V. Epiſcopus ab eodem cõſecratur, eique Clementis nomen imponitur.

Annuit Angelicis monitis mox Papa beatus,
Atq; etiam famulum tractauit mente benigna,
Vt fuerat iuſſus, compleuerat omnia promptus,
Pontificemq; illum magno ſacrauit honore,
Nomine Clementem, patria iuſſitque vocari,
Et quæcumque petiit ſanctus ſibi, tradidit illi,
Plurima ſanctorum præſtans ei dona piorum.

VI. Reuertitur in Franciã & eis prædicat.

His actis Domini famulus remeauit ad orbem
Franchorum veniens, firmatus munera ſummo
Et totus gaudens, populus tunc accipit illum,
Flumina melliflua cupiens haurire ſalutis,
Quæ pater egregius cunctis impenderat vltro,
Rore rigans ſupero cunctorum pectora Chriſti,
Et quocumque pius veniebat forte Sacerdos,
Auxiliante Deo fructus carpebat amænos.

VII. Itẽ Friſonibus & Danis

Nec his contentus Franchorum finibus, vltra
Spargere, ſed temptans diuini ſemina verbi,
Gentibus antiquo captis errore Freſonum
Vel Danis, multum populo per ſecla feroci,
Quos tunc haud potuit, reges quia forte ſcelestos
Illi habuere quidem, ad fidei conuertere donum.

VIII. Nonnullis cõuerſis reuertitur in Franciam.

Sed Deus omnipotens animas donauerat illi,
Gentibus ex ipſis aliquas & mira peregit,
Perq. ſuum ſeruum quendam, qui in pace reuerſus
Ad populum Domini ſpectans regionibus iſtis,
Ianua perpetuæ Chriſto pandente ſalutis
Dum eſſet aperta piis monitis, ſed ſemper vbique
Firmabat cunctos, Pippinus tempora vitæ
Præſentis complens Carolo ſua Regna relinquit.

IX. Carolus Francorum Dux Friſones ſubiugat.

Qui mox nobiliter regales rexit habenas,
Amplificans fines, gentes ſuperando triumphis
Externas etiam bello, vicitque Freſones,
Et ferrata ſuper illos capenta ſubegit,
De manibus tulerat horum quoq; frena tributi.

X. S. Vuilibrordus in Friſiã reuertitur & Friſones cõuertit.

Tunc vir Euãgelicus remeans Vuillibrord. & illis
Verba ferens vitæ, ſacro & Baptiſmate tinxit,
Quos fidei donis primo ſacer imbuit almis.
Et lux orta fuit reſidenti mortis in vmbra.
Iamque diu populo verus ſol Chriſtus vbique
Eluxit, ſubito tenebris cedentibus atris.

XI. Traiectẽſis Epiſcopus cõſtituitur.

Tunc data Pontifici eſt Traiecto ſedes in vrbe,
Et gens tota ſimul Freſonum ſubditur illi,
Diſceret vt magno fidei documenta miniſtro.
Mox constructa Deo viguerunt templa perenni,
Per loca ſunt poſiti & doctores multa fideles,
Qui regerent populum, vitæ qui verba docerent,
Qui baptiſma darent, cœli qui pane cibarent,
Ne plebs eſuriens à ſe ieiuna rediret,
Sed cunctis Chriſtus potus, cibus eſſet abundans.

XII. Vbique prædicat.

Hoc opus hoc fuerat præclaro Præſule ſemper,
Plurima quod ferret animarum lucra Tonanti,
Et Domino ad ſeruos remeanti occurreret vltro,
Multiplicata ferens manibus vtriſq; talenta
Circuit idcirco vigil hoc tutamine Mandras,
Nominibus meritis vt Chriſti augeret ouile,
Et quocumque pius perrexit præco ſalutis,
Gratia celſithroni ſemper præuenit euntem,
Effectum tribuens factis verbiſq; docentis.

XIII. Miracula plurima facit.

Plurima perque ſuum fecit miracula ſeruum
Quæ nunc non libuit verſu percurrere cuncta,
Sed ſtrictim quædam properanti tangere plectro,
Et geſtis titulos paucis præfigere muſis,
Ad proſamque meum lectorem mittere ptimam,
Illic inuenit iam plenius omnia geſta:
Pontificis magni ſtudium, documenta magiſtri,
Progeniem, vitam, mores, menteſq; benignas.
Deuotumque Deo ſemper cor omnibus horis,
Legibus in ſacris meditans nocteſq; dieſque.

XIV. Gladio dũ in capite feritur, nihil ſentit, nec læditur.

Ecce Deo carus Præſul iam tempore quodam
Temptabat per ſe quoddam confringere fanum,
Hoc cernens idoli cuſtos, ſuccenſus in ira,
Pontificiſque caput gladio percuſſit acuto.
Sed vir præcipuus nec ſenſit, nec leue vulnus,
Quem voluëre ſui comites occidere ſtatim,
Hunc tamen eripuit mitis de morte Sacerdos,
Qui luit arreptus miſeras mox denuo pœnas,
Poſtque dies ternas vitam finiuit amatam.
Sicque ſuos ſanctos Chriſtus vlciſcitur vltro.

XV. Percuſſor dat pænas.

Egit iter quondam venerandus forte viator,
Qua ſe per ſegetes propior iam ſemita duxit
Cum ſociis etiam, tenuit quas diues auarus,
Cui ſegetum cuſtos callem prohibere volebat,
Plurima conclamans ſancto conuitia verbis,
Necnon augebat factis opprobria diris.
Qui diuertit iter, qua ſe via publica monſtrat:
Mox perit infelix eluſor luce ſecunda.
Tam quia non timuit ſeruo maledicere Chriſti.

XVI. S. Vuilibr. maledicens morte punitur.

Dum diuina pius cœleſtis ſemina vitæ
Spargere per multas properaueratat accola terras,
Peruenit qua nil ſteriles niſi gignit arenas.
Infæcunda ſoli ſpecies prope littora ponti,
Qua nec dulcis aquæ inuenta eſt ſitientibus vnda.
Vir cupiens ſanctis ſociis ſuccurrere feſſis,

Iuſſerat vt facerent intra tectoria foſſam.
Quo facto, Præſul ſolum ſe clauſerat intus,
Et genibus fixis lacrymas fundebat amaras,
Fontem orationē ſuſcitat.
Ante Deum, dulcem quo mox meruere, ſed vndam
Produxit ſubito fontem prius arida tellus,
De quo portabant ſocij ſecumque ferebant,
Indiguit quantum ſteriles via cepta per agros.
XVII. Potum in pauperibus præbens, non minui tur vinum.
Occurrere Dei famulo ter forte quaterni
Panniculis miſeri veſtiti & panis egeni,
Quos pius vt vidit, motus pietate Sacerdos
Ferte meam dixit flaſconem ferte miniſtri,
Et miſcete viris illam, benedictio Chriſti
Sufficere in totos faciat largiſſime credo.
Turba bibebat ouans quantum ſibi quiſq; volebat,
Flaſco tamen fuerat meliori plena falerno.
XIIX. Itē quomodo vinū in dolio creuerit ad benedictionem eius.
Venerat ad quandam cellam venerabilis hoſpes
Omnibus Eccleſiæ rebus iam rite peractis,
Fratribus & ſolito mandata more ſalute,
Omnia perſpiciens ſacræ ſedilia cellæ,
Ingrediens etiam ſocius cellaria paucis,
In qua ſola parum vini vix tunna tenebat,
Quam Chriſti famulus baculo benedixit honeſto,
Quem manibus ſemper ſanctus portare ſolebat.
Nocte ſequente merum ſed mox, mirabile dictu,
Solus in æde manens ſeruator, creſcere vidit,
Donec melliſluo completa eſt nectare tunna.
Hoc lætus retulit venerando patre ſilente,
Cui pius Antiſtes dederat præcepta tacendi,
Vſque diem mortis nolens ſibi quærere laudem.
XIX. Itē quatuor lagenis benedictione impenſa 40 viris potum ad ſatietatē præbet.
Vir fuit in populo largus pro gentibus hoſpes.
Sæpius hoſpicium cuius intrare ſolebat
Egregius Præſul, partes dum venit in illas.
Ecce die quadam veniens, nil præſcius eius
Vir fuit aduentus, qua propter pocula vini
Non habuit caro veniente repente magiſtro,
Hoc pater agnoſcens, iuſſit ſibi ferre quaternas
Per loca quas pueri ſecum portare ſolebant
Flaſcones pariter modicas, benedixit & inquit:
Nunc miſcete quidem nobis, benedictio Chriſti
Augebit vinum, credo, pietate benigna.
Sic fuit & factum iam bis, ſimul ecce viceni
Namq; fuere viri conuiuæ vina bibentes.
Sufficit his Chriſti per donum potio cunctis.
XX. Laſſus iter Domini famulus faciebat amarum,
Imbribus æthereis cupiens ſata lata rigare,
Prata pius Præſul cuiuſdam diuitis intrat.
Cum ſociis modicum laſſis requieſcere tempus,
Cædere cœpit equos virgis & abigere pratis.
Quem pius alloquitur blando ſermone Sacerdos:
Deſine quæſo tuis nos nunc depellere pratis,
Sed magis ad noſtras epulas conuiua venito,
Et bibe nobiſcum, ſimus quoque ſemper amici,
Reſpondit diues furioſa mente ſuperbus:
Nolo tuas epulas, tecum potare recuſo.
Mox rapuit Præſul verbum de voce loquentis:
Si potare negas mecum modo, non bibe quæſo.
His dictis Domini famulus perrexerat vltro,
Pœna diuitis proterui cum ſancto bibere recuſantis.
Atq; domum diues propriam repedauit iniquus,
Quem ſitis inflammat nimio feruore repente,
Qui miſcere furens famulos ſibi vina rogabat,
Accipiens calicem, ſed nil ſorbere valebat.
Ardebat ſitiens ſtomachus, ſed pocula Bacchi
Reſpuit, & totus flammis ardebat anhelis,
Nec valuit quiſquam medicus releuare laborem,
Donec ipſe miſer culpam cognouit iniquam,
Atque Dei famuli ex dicto tormenta luiſſet.
Optabat reditum quapropter Præſulis almi.
Venerat ipſe ſenex, alter dum venerat annus.
Reſtituitur à S. Vuilli-brordo.
Cui miſer occurrit, pœnam confeſſus amaram,
Cui pius indulſit quicquid commiſerat in ſe,
Atque manu propria potum porrexerat ipſe.
Qui mox ſanctus, faſtidia longa relinquens,
Accipiens calicem pleno ſe proluit ore.
Eſt antiqua, potens muris & turribus ampla
Vrbs Treueris, nec non ſacris circundata cellis,
In quibus vnatim populorum turba piorum
Laudibus inuigilant Domini nocteq; dieque.
Has inter fuerat ſacrarum cella ſororum,
Quas ſubito nimium quaſſauit peſtis acerba,
Ex vita hac rapuit per quam mors vltima multas,
Semineces quædam longo iacuêre dolore.
Terror mortis erat nimius, ſed & omnibus idem.
Spes fuit in famulo Chriſti, vocatus & ille
Cum lacrymis citius feſſis ſuccurrere rebus.
At pius ille pater compleuit vota ſororum, Peſtem aduentu ſuo pellit à ſanctimonialibus.
Adueniens illas iam nec ſpes alma fefellit,
Sed precibus ſancti mox peſtis acerba receſſit,
Et Domino laudem reddunt pro ſoſpite vita,
Tecta domus patris cuiuſdam tempore multo XXII.
Sæpius incurſu vexantur dæmonis atri
Spiritus, & variis dirus terroribus illam
Torquebat, vano nec iam phantaſmate tantum,
Sed nocuit multum manifeſtis publice geſtis.
Multoties manibus raptas veſteſq; ciboſq;
Iniiciens flammis infantem nocte iacentem
Amplexus inter iulerat vis dira parentum,
Viſus in ardentem plorantem mittere pyram,
Sed vix ereptus manibus de morte fuerum.
Hanc peſtem nullus potuit ſanare Sacerdos, Domum dæmonis infeſtationi ſubiectam, oratione & aſperſione aquæ benedictæ purgat.
Donec ipſe Dei famulus à patre rogatus
Hanc precibus peſtem ſanctis purgauit, & illi
Nomine ſub Chriſti benedictam miſerat vndam,
Præſcius & rerum Præſul prædixerat illi,
Quod domus illa vetus flammis ab hoſte fuiſſet
Conſumenda prius, ne te rogo terreat ignis,
Conſtruis optatæ melius tibi tecta ſalutis
Quæ munire cito benedicto fonte memento.
Poſt donante Deo ſerpentis peſte carebis,
Et tua tota domus tecum gaudebit amata.
Omnia mox patris complentur in ordine dicta,
Et hinc nulla domum tetigit temptatio talis,
Sed bene ſecurus manſit habitator in illa.
Iſte Dei ſanctus prædixerat ante futura, XXIII. De Carolo Martello quæ prædixerit.
Quæ poſt euentus rerum modo vera probabat.
Namque ducis Carli Pippinum nomine natum
Vt pater optauit ſacro baptiſmate tinxit,
De quo diſcipulis prædixit talia vates:
Omnibus iſte altus fuerit ſublimior infans
Franchorum Ducibus, quos ſecula longa tulerunt.
Hic reget imperium felix feliciter iſtud,
Dilatans fines magnis hinc inde triumphis.
Non opus eſt noſtris illud monſtrare camœnis,
Quod toto veris celebratur in orbe loquelis.
Vir fuit iſte Dei patiens, moderatus, honeſtus, XXIV. Virtutes eius
Moribus egregius, & in omni ſtrenuus actu,
Corde pius, humili mitis, rigiduſq; ſuperbo,
Solator miſeris, & inops ſibi, diues egenis,
Qui poſtquam vitæ meritis perfectus in annis
Bis octena pius compleuit luſtra ſacerdos,
Ter quater & menſes, menſis iam iamq; Nouembr. Moritur.
Idibus octenis, cœli migrauit ad aulam.
Cœtibus angelicis iunctus, cœleſtibus hymnis
Conlaudans Chriſtum ſemper ſine fine beatus.
Quem fratres ſtudio curarunt condere ſancto XXV. Sarcophagum breuius corporis eius menſuram excēditur diuinitus.
Pſalmodiis, hymnis, magno cum laudis honore.
Sarcophagum breuius fuerat ſed corpore patris,
In quo tunc fratres voluerunt condere corpus.
Effecti nimium triſtes, mirabile dictu,
Ecce repente lapis ſe protelare locelli
Cœpit, & ad formam ſe aptauit corporis almi.
Inter & exequias miri fragrantia odoris XXVI. Mira odoris fragrātia in eius exequiis.
Ambroſio Eccleſiam perfundit nectare totam,
Perſpicue Angelicam monſtrans veniſſe cateruam
Ad patris officium læ is concentibus almi
Iſte pater ſanctus, Paſtor, Patriarcha, Sacerdos XXVII. Miracula ad eius ſepulcrum.
In propria pauſat felix Aſternaco cella,
In laudem Domini, quam iam conſtruxerat ipſe,
In qua ſigna Deus faciet nunc vſq; ſalutis.
Ex olei tactu multi ſanantur egroti,
Quod ſolet ad corpus magni lucere patroni.

Vincula rumpuntur per ſe properantibus illuc,
Qui ſua cum lacrymis veniunt mala crimina flere,
XXIIX. Et læti redeunt Chriſto donante ſoluti.
Locus obitus eius ſæpius cæleſti lumine illuſtratur.
Inque loco ſancti quo ſtant ſacra lectula patris,
Sæpius æthereum lumen veniſſe videtur,
Hic quia Pontificis linquens ergaſtula carnis
Spiritus aſtra petit meritis viuacibus alta,
Cum Chriſto & ſanctis fruiturus luce perenni,
XXIX. Odore itẽ gratiſſimo aliquoties perfunditur.
Quod lux demonſtrat, crebrò quoq; cernitur iſtic.
In quo multoties cæleſti nectare dulcis
Fragrat odor verè pigmento dulcior omni,
Teſtibus à multis fieri quæ vera probantur,
Quorum vita fidem certabat caſta relatu.
Quam requiem ſperas animam habuiſſe beatam,
Talia dum terris per ſanctas ſigna geruntur
Reliquias, tanti meritis digniſſima patris?
Qui noſtris poterit precibus releuare dolores,
Si iam corde pio lacrymas effundimus illic,
XXX. Qua pater egregius ſacrato corpore pauſat.
Interea mulier totis paralytica membris,
Continuis ſemper ſeptenis languit annis.
Talia nec valuit quicquam ſibi membra mouere.
Vltima vix motiens ſuſpiria corde trahebat,
Paralytica ad ſācti corpus orans ſanatur.
Ante Dei ſancti corpus portata iacebat.
Effundens lacrymas feſſa cum voce repentes.
Sola fides viguit poſſe ſperare ſalutem
Per famulum Chriſti, nec ſe ſpes ipſa fefellit.
Ecce repente ſalus leuiter per membra cucurrit,
Igneus atque color venas afflauit apertas,
Oſſibus & neruis virtus redit inclyta cunctis.
Surrexit mulier toto mox corpore ſoſpes,
Atque domum propriis gaudens ſe currere plantis
Quæ prius alterius languens portatur ab vlnis.
XXXI. Et quidam iuuenis valido languore per annos
Heu multos doluit: nerui vix oſſibus hærent,
Intremuêre ſimul vexari corporis artus.
Ceu caput auulſum vidiſſes vertice ſummo
Sic huc ſic illuc dextra læuáq; rotatam.
Sæpe etiam iacuit multam moriturus in horam.
Iſte miſer tal s fidei cum pectore firmo
Venit in Eccleſiam manibus deductus amicis.
In qua Pontificis magni pia membra quieſcunt,
Proque ſalute ſua lacrymas fundebat amaras.
Quem mox audiuit miſerantis gratia Chriſti,
Iuuenis quidam ad ſepulturas S. Vvilibrordi à peſſimo languore curatur.
Et rediuiua ſalus per membra recurrit vbiq;:
Conualuitque viro neruorum flexilis ordo,
Irrepit oſſa vigor totis virtuſq; medullis.
Aſtanti populo cunctis cernentibus ille eſt
Incolumis ſubito factus, ac robore fortis
Perrexit ſanus quo ſe ſua vota ferebant:
Omnipotenti Deo grates ob dona ſalutis
XXXII. Semper agens Chriſto, Chriſto laus, gloria ſemper.
Altaris iuuenis corrupta mente miniſter
Clam rapuit quædam ſancti donaria templi.
Pœna Diaconi crucẽ è teplo auferentis.
Tollitur ac ſæuo quædam crux aurea furto,
Quam Chriſti famulus ſecum portare ſolebat,
Dum pius egit iter Chriſto comitante viator,
Reliquias propter multas quas condit in illa
Mox tormenta luit ſceleris præſumptor iniquus,
Vltio conſequitur peccatum iuſta nefandum,
Et perit infelix crudeli peſte peremptus:
Mortis in articulo pandit tamen impia furta,
Et quo quæ tulerat latuiſſent omnia monſtrat.
Quo pereunte tremor creuit cum laudibus ingens
Fratribus & populo, cernentes omnia Chriſto
Quæq; ſui ſerui fuerant, ſeruante tueri.

Elegia Alcuini de VVilgiſo parente S. VVilibrordi.

XXXIII. Nobilis iſte fuit magna de gente Sacerdos.
Sed magnis multo nobilior meritis.
Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater
Patria Scottorum clara magiſtra fuit.
Francia ſed felix rapuit, veneratur, habebat,
Illius atque hodie membra ſepulta tenet.
Hunc Vvilgis genuit proprio pater inclytus æuo:
Vir ſanctus ſapiens ac pietate probus.
De quo verſifico liceat me ludere plectro,
Lector vt agnoſcas qualis & ipſe fuit.
Et de qua ſancta generis radice parentum
Iſte Dei famulus progenitus fuerit.
Vir fuit in populo dignus cognomine Vuilglis
* Intrans Humbrana nobis degente degens.
Vuilgiſi Pater, *Verſus corruptiſſim*.
Moribus egregiis populo peramabilis omni,
Vita fuit cui cum coniuge caſta ſatis,
Quæ iam mente pia fuerat ſubiecta marito
Vt quondam proprio ſacra viro fuerat.
Hæc reuelante Deo cernebat mente futura,
XXXIV. Vxoris eius ſomnium.
In ſtratis recubans ſomnia vera videns.
Namque nouam ſeſe Lunam vidiſſe putabat.
Cornibus erectis vt ſolet eſſe noua.
Creſcere paulatimq; implere & cornua cœpit
Donec ei pleno lumen in orbe micat.
Illius hæc ſubito ſorbentis in ore ruebat,
Viſcera perradians luce micante ſibi.
Euigilans ſomno mulier hæc mente retractat,
Quid ſibi quod cernit ſignificare queat,
Atque Sacerdoti cuidam hæc omnia pandit,
Cuius in Eccleſia vita probata fuit.
Hæc vbi penſabat prædictus corde ſacerdos,
Coniicit ex rebus viſa ſuperna nouis.
Reſpondit tandem mulieri talia vates,
Inſpirante Deo famine veridico:
Tu mulier Lunam vidiſti creſcere paruam,
Explicatio eiuſdem.
Et rota impleri cornua luce noua.
Illa nocte viro forſan commixta fuiſti,
Quæ generas toto lumen in orbe nouum.
Paruulus ex vtero mulier tibi naſcitur infans,
Qui meritis magnus creſcit honorificis,
Iſte erit eximius Doctor Præſul que futurus
Splendeſcet noſtro lucifer orbe nouus.
Et quos cæca prius populos caligo tenebat,
Irradiat ſummi luce poli ſupera.
Omnia vatidici complentur in ordine dicta
Et rerum euentus ſomnia vera probat.
Naſcitur atq; puer matri, & baptiſmate loto
Ei Vvillibrordus naſcitur.
Impoſuit Vvilbrod nomen habere pater.
Cuius vita, fides, mores, doctrina, camœnis
Olim quippe fuit præ titulatus eis.
Mox pater egregius linquens mala gaudia mundi
Et ſeruire Deo mente manu cupiens:
Cæleſtem rapiens tota dulcedine vitam,
Vvilgiſus fit monach.
Eſe cœnobio tradidit ipſe ſacro.
Fratribus adiunctus vixit ſine crimine frater,
Iam patiens humilis promptus in omne bonum.
Poſthæc mente ſacer famulus maiora ſecutus,
Theoricam cupiens ſolus adire viam:
Incipit vndiſoni inter promontoria ponti,
Tranſit mare & ſolitariam vitam amplectitur.
Quis loca reperiens congrua corde ſuo:
In quibus ætherios poſſit decerpere flores,
Et mundi curis liber abeſſe malis:
Totius hic ſolus tranſegit tempora vitæ,
Nocte die magnis proficiens meritis
Plurima perpeſſus ſerpentis bella nefandi,
De dæmone triumphat, & miraculis claret.
Qui ſolet in ſanctos arma mouere ſua.
Sed Deus omnipotens ſanctos qui iure triumphat.
Trophea conceſſit clara ſuo famulo,
Efficit & quædam miſerantis gratia Chriſti
Per famulum vere ſigna ſtupenda ſuum.
Nec decuit modio abſcondi tam clara lucerna,
Nec thalamos ſubter ſubiicienda fuit.
Sed ponenda magis ſuper veſtigia tecti,
Spargeret vt lucem altius illa piam.
Quæ tamen haud libuit currenti tangere plectro,
Inclyta vel muſis ſigna aperire meis.
Sufficit hocq; tamen ... cognoſcere patris,
Quod placet altithrono ſemper vbiq; magis.
Vita Dei famuli multis exempla ſalutis

Præbuit, & teſtis pectoris omnis erat,
Huic famulo Chriſti Reges famulantur, & illum
Per patriam populus totus amore colit.
Vir fuit iſte Dei patiens, moderatus, honeſtus,
Moribus egregius, mitis & ore piua.
Plurima qui poſtquam perfecto dona labore
Commeruit Chriſto perficiente ſibi:
Mox meritis, annis, tota & pietate repletus,
Tranquilla tandem in pace quieuit ouans.
Spiritus ætheriam lætus migrauit ad aulam,
Gaudia cum ſanctis iam ſine fine tenens,
Corpus in Eccleſia curarunt condere fratres,
Quæ conſtructa maris ſtat propè littoribus,
Atque ſacrata Dei genetrix clariſſima Chriſti
Nomine fulgeſcit virgo Maria tuo.
In quo te noſtris bene credimus eſſe futuram
Auxilio precibus, ſemper honore potens.
Tu mundi vitam, totis tu gaudia ſæclis
Tu Regem cœli, tu Dominum atque Deum:
Ventris in hoſpitio genuiſti virgo perennis.
Tu nobis precibus auxiliare tuis.
Carmiger indoctus cecinit hos Alcuine verſus,
Cui rogo quiſque legat dic miſerere Deus.

Viuo vita ſuæ. — *Obitus eius.*

An. 660. Fuit hic 4. iuxta Bruſchium & Democharem Epiſcopus Argentinenſis:

VITA S. FLORENTII EPISCOPI ARGENTINENSIS, EX QVODAM MS. CODICE PER F. LAVR.

Surium, mutato ſtylo deſcripta. Conſentiunt etiam aliæ hiſtoriæ.

iuxta verò hunc noſtrum auctorem, Vvimphelingium & Regio villanum tertius. Conſule ſuper hoc Franciſc Guillimannum de Epiſcop. Argentinenſ.

7. Nov. Fuit hic Dagoberto & S. Arbogaſto ſiſi Epiſcopus Argentinæ.

CVM Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula ſederet, ſanctus Florentius cum beato Arbogaſto, Theodato & Hildulpho, è Scotia venit in Alſatiam. Vbi cum ſanctus Arbogaſtus Argentinenſi Eccleſiæ datus eſſet antiſtes, beatus Florentius in ſylua, quam Haſlé vocant, vbi Bruſcha fluuius è monte Voſago emanat, manibus ſuis cœpit terram colere, vt victui neceſſaria pararet. Cumque illic domicilium condidiſſet, ceruæ & aliæ feræ è nemore eò aduentantes, omnem eius laborem deuaſtabant. Non aderant beato viro inſtrumenta venatoria, quibus eas caperet: ſed non deerat magna in Deum fiducia, qua fretus, in Domini nomine iuſſit eas omnes venire ad fores cellulæ ſuæ, & illic gradum figere. Per id tempus Dagobertus Rex manens in palatio ſuo Kyrcheimenſi, famulos ſuos miſit, vt venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus, perluſtrant montes & ſyluas omnes, nec vllam conſpiciunt. Tandem ad beati viri domunculam perueniunt, frequentes illic præ foribus eius conſiſtere feras conſpiciunt, nihil ſe loco mouentes, perinde ac ſi vincula quædam eis iniecta ſint. Rei indignitate, vt ipſis videbatur, permoti, cum virum Dei non cognoſcerent, tunicam eius vi auferunt, & recedunt. Ille ſequitur abeuntes, apportat ſecurim ſiue bipennim, vt eam quoque tollant. I.

S. Florentius cogit feras obedire ſibi. Vide contemptû rerum vitã neceſſariarum.

ILLIS ergò recedentibus, vbi ad paludem quandam ventum eſt, equi eorum progredi noluerunt. Vrgent illi quidem fortiter, adigunt calcaria, ſed nihil efficiunt. Animaduertunt id ſe pati ob illatam ſancto viro iniuriam: redeunt igitur, redduntque quæ abſtulerant. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem: quid acciderit, enunciant. Ille confeſtim mittit equum ſuum optimè inſtratum; orat virum Dei, vt illo ſubuectus, ad ipſum ſe conferat. Vir beatus equum non admittit, ſed ſuo aſello contentus, ad Regis palatium proficiſcitur. Vbi ad portæ limen acceſſit, filia Regis ab ipſo ortu luminibus orbata, itemque muta, repentè & videt, & loquitur: appellatque beati Florentij nomen, cum tamen id omnibus eſſet incompertum. Aſcendente porrò illo in palatium, & ad Regem ingredi volente, res accidit admiratione digna. Cum enim non haberet miniſtrum, cuius opera vteretur in ſeruando interim pallio ſuo, ad ſolis radium, per feneſtram ſeſe inſundentem, ſuſpendit pallium: inhæſitq; id illi haud ſecus, atque perticæ cuidam, donec vir ſanctus cum Rege collocutus eſſet. Quæ res tantæ admirationi fuit & Regi ipſi, & familiæ eius, vt magnam ſyluæ eius partem Rex ei largitus ſit, vbi cellam conſtrueret, villaſque adiacentes & multa prædia addiderit, quæ vſque in præſens monaſterium Haſlé ſibi vendicat. II.

Hanc alij Rathildam, alij Rathol dim vocant Inſigne miraculum.

PORRÒ autem ex hac vita abeunte beato Arbogaſto, ſanctus Florentius ei ſubrogatus eſt in cathedra Argentinenſi, vitamque in ſuo populo viuens ſanctiſſimam, gregem ſibi creditum vt bonus paſtor accuratè cuſtodiuit. In eccleſia quoque ſua, ſiue monaſterio Haſlé, religioſos homines, qui Deo illic ſeruirent, collegit: tandemque bonorum operum cursu confecto, cum Chriſto æternum regnaturus, in pace quieuit. Fuit autem vir ſanctus etiam generis nobilitate clarus, ſed virtutum ornamentis longè illuſtrior. Nam in ipſo quoquè vernantis adoleſcentiæ flore, quod etiam apud maturos perrarum eſt, carnis proculcauit illecebras, patriam parenteſque pro Chriſti amore deſeruit, voluntariamque complexus paupertatem, longinquam in exteras regiones peregrinationem ſuſcepit: Chriſtique bonus odor effectus, Eccleſiam Dei & dictis & factis longè lateque ſuauiter affecit, & tanquam fidelis & prudens Domini ſeruus, æternæ vitæ alimonia refecit. Poſt multos autem exantlatos labores, ſeptimo Idus Nouembris migrauit ad Dominum, condituſque in eccleſia, quam viuens gubernarat, præſentia corporis ſui eam condecorauit. Poſteà verò Ratho Argentinenſis Epiſcopus, diuina reuelatione admonitus, ſanctiſſimi viri corpus in locum illum nemoris, quem primo ſibi ille delegerat, transferendum curauit, ipſeque ſibi illic ſepulturam elegit. Poſteà multis miraculis Dominus virtutum fidelem ſeruum ſuum Florentium illuſtrauit: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. III.

Anno 681. S. Florentius ſuccedit S. Arbogaſto, vt teſtatur Bar in not Martyrol. Anno 675. Feliciter decedit, anno ſcilicet 18 teſte Demochare, pontificatus ſui octauo iuxta Franciſ. Guilliman. Anno 176. Corpus eius transfertur

VITA

VITA SANCTÆ MEMORIÆ ENGELBERTI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, QVI PROPTER iuſtitiam crudeliter cæſus eſt. Authore Cæſario monacho Vallis S. Petri, ſiue Heiſterbacenſi.

An. 1200. Fuit hic 49. eiuſdem ſedis Epiſcopus & primis eius nominis Archiepiſcop.

PRÆFATIO AVTHORIS AD HENRICVM COLONIENSEM Archiepiſcopum, Engelberti ſucceſſorem.

REVERENDO Domino ſuo Henrico, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, frater Cæſarius, numero, non merito, monachus in Valle S. Petri, cum deuotis orationibus paratam ad obſequia voluntatem. Excellentiæ veſtræ præcepto obediens, vitam, actus, paſſionem & miracula beatæ memoriæ Domini Engelberti prædeceſſoris veſtri, non quomodo debui, ſed quomodo potui, ſcripto commẽdaui: hoc optans, hoc orans, vt Deo eiuſq; martyri eſſe poſſint accepta, vobis & Eccleſiæ veſtræ grata, poſteriſq; neceſſaria. Cõſiderans materiæ dignitatẽ, non ſine timore ad iniuncta obediui, cum propter ſcientiæ inſuffi. ié-tiam, tum propter linguas detrahentium. Sciens enim ſcriptum, quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere: malui minus dignè ſcribendo confuſionem ſuſtinere, quàm non obedire. Quod ſi alij viri literati, quorum in diœceſi veſtra copia eſſe dinoſcitur, poſt me ſcripſerint excellentius, non illis inuideo, imò gloriæ martyris congaudeo. Non enim meæ profeſſionis eſt, etiamſi ſcientia adeſſet, in hiſtoria ſimplici verborũ phaleras quærere, & floribus rethoricis ſententias purpurare: quod non monachorum, ſed philoſophorum eſt, qui magis ad oſtentationem ſcientiæ, quàm ad ædificationem morum loquuntur, ſecundum quod quidam ait. 7. Nov. Martyrol. Romanum. 1 Reg 15.

Purpureus, late qui ſplendeat, vnus & alter
Aſſuitur pannus.

VNDE oratoriæ iucunditatis dulcedinem, & perſuaſibilis eloquij venuſtatem minus vtilem contemnens, beati martyris actus & mortem ſtylo ſimplici proſecutus ſum, in textus defloratione magis diuinæ ſcripturæ teſtimoniis, quàm dictis vtens philoſophicis. Veſtrum eſt, cui Dominus ſcientiam contulit, apponere limam correctionis, ita vt veſtro iudicio ſuperflua reſecentur, neglecta ſuppleantur, mutanda mutentur. Quapropter ſupplico beatitudini veſtræ, vt quæ veſtra iuſſione, non mea præſumptione, per miniſterium meum ad laudem martyris conſcripta ſunt, niſi iure reprobari debeant, quod abſit, benedictione veſtra roborentur, authoritate perpetuentur.

I. AD honorem Dei Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, Domini ac Saluatoris noſtri, & ſanctæ matris Eccleſiæ: actus, paſſionem & virtutes precioſi martyris & Archipræſulis noſtri Engelberti deſcripturus gratiam inuoco Spiritus ſancti: vt qui iam poſitus ſuper candelabrum, fulgore miraculorum lucet in domo Dei, & in eccleſia ſpecialius beati Petri Apoſtoli, ſtyli mei miniſterio vtcunq; valeat illuſtrari, & ad poſterorum notitiam vtiliter declarari. Videtur mihi inprimis Antiſtitis noſtri vocabulum, quoddam futuræ beatitudinis eius fuiſſe præſagium. Ex Teutonico enim Latinoq; compoſitum, Angelicam ſonat libertatem, ſignificans, Engelbertum de iugo peccatorum per mortis neceſſitatem ad Angelicam migraturum libertatẽ. Si Deus à nobis mirabilis prædicatur in ſanctis ſuis antiquis, multo magis mirabilẽ ſe oſtẽdit in nouo martyre, & tali martyre diebus his nouiſſimis, eò quod miraculorũ tempora modò non ſint, vt quidam ait: Rara auis in terris, ſanctitas huius temporis. Et ideò miracula crebra, quæ de patre noſtro videmus & audimus, & per ipſius merita fieri credimus, tanto nobis debent eſſe gratiora, quanto propter tempus rariora. Sanctitatem, quæ vitæ defuit, mors precioſa ſuppleuit: & ſi minus perfectus in conuerſatione, ſanctus tamen effectus eſt in paſſione. Conſummatus in breui, expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. Nam placens Deo æterna prædeſtinatione, factus eſt dilectus in paſſione. Quis enim ſanctitati eius contradicat, quem cordium cognitor, & meritorum ponderator Dominus, ſignis tam variis mirificat? Non qui ſeipſum commendat, vt ait Apoſtolus, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat, ille probatus eſt. LIBER I. Etymologia nominis Engelberti. Pſalm. 67. Sap 4. 2 Cor 10.

II. VIDETVR ſancto Engelberto congruere, quod per Salomonem dicitur: Læua eius, id eſt, Chriſti, ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ad læuam ſponſi pertinent bona corporalia & terrena: ad dexteram verò, bona ſpiritualia atq; cœleſtia. Bona corporalia ſunt, generis & morum nobilitas, valetudo corporis & pulchritudo. Bona dexteræ, virtutes ſunt, quibus in præſenti anima illuminatur: & vita æterna, quæ virtutibus promeretur. Vtraque bona, dexteræ ſcilicet & ſiniſtræ, Salomon alibi exponit, cum dicit: Longitudo dierum in dextera eius: diuitiæ autem & gloria, in ſiniſtra illius. Sanctus autem Engelbertus quandiu vixit, gloria & diuitiæ in domo eius fuerunt: cuius iuſtitia, quàm per paſſionem meruit, permanet in ſeculum ſeculi. Quam copioſe in præſenti bonis ſiniſtræ ſuſtentatus ſit, & in illis quieuerit, paucis explicabo. Quæ enim in tempore geruntur, cũ tempore voluuntur, & niſi ſcripto perpetuentur, citius ab hominum memoria delentur. Erat autem vir nobilis valdè & ſpectabilis genere, filius Engelberti Comitis de Monte. Cuius patrui fuêre Fridericus & Bruno Archipræſules Colonienſes: Adolphus verò, qui Brunoni in Epiſcopatu ſucceſſit, patrui eius filius fuit. Mater eius, filia erat Comitis Geldrenſis, viri diuitis atq; potẽtis. Theodoricus Epiſcopus Monaſterienſis, & Engelbertus Oſnaburgẽſis electus, nepotes patrui eius extitere. Eccè de tã nobili ac inſigni proſapia martyr noſter carnis duxit originem. Nec degenerauit moribus: quia ab ineunte ætate puer prudens erat & amabilis, ſecundum nominis ſui participium, gerens vultum Angelicum: tractabilis, liberalis, humilis ſatis, & gratioſus valde. Annos pueriles tranſcendens, & in adoleſcentem proficiens, ita ſe omnibus conformare ſtuduit, vt clericis ſe clericum, & militibus ſe militem exhiberet. Erat etiam in eadem ætate tantæ pulchritudinis, vt in omni clero, nec in laicis quidem, vir illo pulchrior inueniri non poſſet. Adſpectu decorus, ſtatura procerus, viribus robuſtus: ita vt ſpeciali quodam priuilegio mater natura tantæ ſpeciei congaudere, & in illo quaſi in ſpeculo reſultare videretur. Huiuſmodi diuitiis naturæ, acceſſerunt diuitiæ, vt ità dixerim, fortunæ. Nam cum adhuc puerulus ſtuderet in ſcholis, ſic ſtipendiis Eccleſiaſticis oneratus eſt, & honoratus eccleſiis, videlicet Præbendis & Præpoſituris, vt magis dignitates & diuitiæ eum venerari, quàm ipſe illas, viderentur. Non opera iuſtitiæ hæc, neque ſalutis diuitiæ, ſed retia dæmoniorum, inſtrumenta & laquei peccatorum, quos ipſe euadere Cant. 2. & 8. Prov 3. Genus eius. Pater. Mater. Egregia corporis forma. Abundat opibus.

Rom 8.

non potuit. Nam mundanæ gloriæ deditus, totus illis multipliciter eſt irretitus: ſed electis, teſte beato Paulo Apoſtolo, omnia cooperantur in bonum. Hæc idcircò commemoro, vt cognoſcat lector, de quali viro martyrem ſibi elegit Dominus, de vaſe iræ faciens vas gloriæ. De ſcholis emancipatus, in Præpoſitum maiorem eſt electus. Electus eſt deinde in Epiſcopum Monaſterienſem: ſed eundem Epiſcopatum ſuſcipere non acquieuit, adoleſcentiæ ſuæ fortè pertimeſcens.

Recuſat Epiſcopatum Monaſterienſem.

Anno 1205. Adolphus Colonienſ. Epiſcopus deponitur. Vide Godefridum Monachum in Annal.

CIRCA idem tempus dominus Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus, à prauis conſiliariis ſeductus, inſuper III.
multa pecunia corruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxoniæ, quem ipſe ex conſenſu domini Innocentij Papæ, Romanorum Regem creauerat, & Aquiſgrani coronauerat, rupto iureiurando receſſit, & aduerſarium eius Philippum Ducem Sueuiæ, filium Friderici Imperatoris eligens, in ſede regia conſecrauit. Propter quod in ciuitate propria, Colonia ſcilicet, ex mandato iam dicti Innocentij, à iudicibus ad hoc delegatis citatus, excommunicatus & depoſitus eſt. Excommunicati ſunt cum eo vniuerſi penè nobiles terræ, eò quod ei adhærerent, & Philippi partes fouerent. Quanta eodem tempore in Epiſcopatu Colonienſi perpetrata ſint incendia, prouinciæ vaſtatæ, eccleſiarum bona direpta, nunc Othone, nunc Philippo præualente, paucis non poteſt explicari. Adolpho[a] ſucceſſit Bruno, Præpoſitus Bonnenſis, qui à Philippo Rege, qui cum exercitu Epiſcopatum Colonienſem intrauerat, in caſtro Vuaſſinberg magis dolo, quàm vi captus, vinctus eſt & eductus. Philippo autem occiſo, & Othone in regno confirmato, ad ſedem ſuam rediit: & non multò poſt in fata cedens,[b] Theodorico ſanctorum Apoſtolorum Præpoſito ſedem reliquit. Hic præſente Rege Othone in Archiepiſcopum eſt electus, & pallij dignitate eius gratia celerius donatus. Rege verò ab Innocentio in Imperatorem conſecrato, propter retractionem terræ * Mechtildis, quam Papæ contulerat, tam graues inter eos oriuntur inimicitiæ, vt Othonem, quem vſque ad hoc tempus paterno affectu fouerat, excommunicaret, eique Fridericum Henrici Imperatoris filium & Regem Siciliæ, aduerſarium ſuſcitaret. Ad cuius promotionem Sifrido Moguntinenſi Archiepiſcopo plenariam poteſtatem legationis contulit: qui Theodoricum Archiepiſcopũ, eò quod fautor Othonis eſſet, indignè ſatis deponens,[c] Adolphum reſtituit. Neuter tamen illorum Epiſcopatum recuperare valuit, licet in Curia Romana ab vtroq; ſatis pro illo laboratum ſit: ſed vtriq; trecentæ marcæ ex redditibus Epiſcopalibus ſunt aſſignatæ.[d] Eccleſiæ verò Colonienſi libera electio remiſſa eſt. Hæc inſerta ſunt ô lector, vt poſteris innoteſcat, in quali ſtatu Eccleſiam, per longa & varia ſchiſmata laceratam & depauperatam martyr noſter factus Epiſcopus inuenerit, & in quali illam dimiſerit.

a Bruno 4 II. is ſuccedit 47 Epiſcop. b Brunoni Theodoricus Monaſtij comes, ann. 1204. God Monach in Annal. Anno 1208 c Theodorico depoſito Adolphus reſtituitur. Vide God Monachũ.

d Eccleſia Colonienſ miſerè laceratur

POST depoſitionem Othonis Friderico adhærens, ac per hoc fauorem domini Innocentij Papæ conquirens, IV.
communi conſenſu in Archiepiſcopum electus eſt. In ipſa die electionis ob præcedentem infirmitatem tam debilis fuerat, vt vix ſtare aut incedere poſſet: eratq; ſignum, quòd flebile principium melior fortuna ſequeretur. Nam circa principium electionis eius, totius pacis inimicus diabolus, qui ferueſcere facit quaſi ollam profundum maris, ſuſcitauit ei aduerſarios acerrimos, ſcilicet Theodoricum Comitem de Cleuo, & Vualramum Ducem de Lymburg & Comitem in Lutzelburg, eorumq; cognatos & auxiliarios, vt futurus Machabæus in eis experiretur. Quos ita humiliauit & repreſſit, vt illorum exemplo cæteri Comites ac nobiles terræ territi, contra ipſum mutire non auderent, verentes ſibi euenire poſſe, quod quidam ait: Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet. Aedificauerat enim Vualramus caſtrum & villam forenſem in Ducatu Colonienſi, quam dominus Archielectus deſtruxit & exuſſit. Ob quam cauſam tam graues ortæ ſunt inter eos inimicitiæ, vt Dominus Archielectus, & frater eius Comes Adolphus, diuortium fieri vellent inter Henricum filium Ducis Vualrami, & filiam eiuſdem Adolphi, conſanguinitatem prætendentes, nè Comitia ad Henricum vxoris gratia deuolui poſſet. Non fuit adeo potens qui in Ducatu eius vel Epiſcopatu, inimici ſui terram vaſtare auderet per incẽdium. Sic Comitum ſiue aliorum nobilium vel potentum inſolentias repreſſit, vt penè nullius caſtrum deſtrueret, vel terram vaſtaret: magis prudentia, quàm bellorum copia, ſibi ſubiugans omnia, ita vt de eo dictum videatur,

Anno 1215. Engelbert' creatur Epiſcopus Colonienſis. God Mon. in Annal.

Iob 41.

Comitia, pro Cõmitatus

Aduerſarios vt edomarit.

Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

IN ciuitatibus ſuis principalibus, Colonia ſcilicet & Suſatia, maiorem exercuit poteſtatem zelo iuſtitiæ, quam aliquis Epiſcoporum ante eum. Ad curias Friderici Imperatoris, tunc Regis, cum tanta gloria & expenſis aſcendit, vt cæteris principibus ſuperior gloria & honore haberetur. Quantum eidem Friderico adſtiterit, quantum eius partes cõtra Othonem promouerit, vſque hodiè experitur. Et cum maximas haberet expenſas, tum propter curias regales, tum propter ſupradictos nobiles, quorum timore corpori ſuo cuſtodiam adhibebat ſatis ſumptuoſam, ab Honorio Papa, qui Innocentio ſucceſſit, antequam pallium ei dare vellet, ſoluere cogebatur, quæ eius anteceſſores Adolphus, Bruno & Theodoricus, diſſenſionis tempore conſumpſerant in curia, cum ſorte vſuras grauiſſimas, quorum ſumma tranſcendiſſe dicitur ſedecim millia marcarum.

Fuit is Honorius tertius.

FRIDERICO Rege ab Honorio in Imperatorem coronato, cum intraſſet regnum Siciliæ, audita Archiepiſcopi V.
ſibi in Alemania bene noti probitate, per literas Impeiiales regni negocia citra Alpes illi commiſit, Henrici filij ſui eum conſtituens tutorem, & totius regni Romani per Alemanniam prouiſorem. Qui regni negocia non abſque timore ſuſcipiens, Reipublicæ tam vtilem & tam fidelem ſe exhibere ſtuduit, vt de contingentibus vel modicum, vel nihil negligeret, & inuidus, vbi detractionis dentem figeret, in eius verbis vel actibus non inueniret. Congregatis principibus, Henricum puerum Aquiſgrani in Regem conſecrauit: quem nutriebat vt filium, & honorauit vt dominum. Cum quo & ſine quo diuerſas regni partes perluſtrans, tantam fecit pacem, vt Auguſti tempora crederes. Vidẽres huiuſmodi virtutis opera prædones & diſſenſionis amatores, gloriæ põtificis, ſicut de Ionatha legitur, inuidentes tabeſcebant: boni verò, & maximè negociatores, ipſum laudantes & benedicentes Deũ, pro conceſſa poteſtate glorificabant. Die quodã mercator quendã Archiepiſcopũ Imperij, ipſo audiente, pro fide publica per quædã loca diœceſis eius interpellabat. Quam cum ille dare renueret, nobilium ſiue militum illic habitantium malitiam prætendens, glorioſus Archiepiſcopus & Dux Engelbertus, non Epiſcopo inſultando, ſed petenti compatiendo, ait: Dic mihi bone vir, audeſne te committere conductui meo? Reſpondente illo conſtanter, Etiam domine: ſubiunxit Machabæus noſter: Sume iſtam chirothecam, & ſi neceſſe habueris, pro ſigno oſtendas: & ſi aliquid tibi vi ſublatum fuerit, ego tibi omne damnum reſtituam. Et fecit ſic, gratia ſigni, immo timore Epiſcopi, ſua ſecurus deducens. Sicut ſcriptum eſt de Iuda, Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & protegebat caſtra Iſrael, id eſt, bona Eccleſiæ ſibi commiſſæ gladio ſuo. Natura leonis eſſe dicitur, vt proſtratis parcat, & erectos inuadat. Nouerat leo noſter, Machabæus noſter, tum ex nobilitate naturæ, tum ex zelo iuſtitiæ parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Erat enim defenſor afflictorum, & malleus tyrannorum, magnanimus & humilis, glorioſus & affabilis, rigidus & lenis, multa pro tempore diſſimulans, & cum minus ſperaretur, ad vindictam ſe accingens. Acceperat autem cum Epiſcopatu gladium ſpiritualem, & cum Ducatu gladium materialem. Vtroque gladio rebelles coercuit, quoſdam excommunicando, quoſdam per militiam debellando. Sic Machabæus prius proprio in deiectione inimicorum deinde Apollonij gladio legitur pugnaſſe. Et quid eius laudi immorer, cum gloria, diuitiis & potentia, ſicut de Salomone legitur, omnes ſupergreſſus ſit pontifices, qui ante eum fuerunt in Colonia: excepto Brunone primo,

Imperij negocia ei demandãtur.

1. Mach. 10.

1. Mach. 3.

Præclaræ eius virtutes.

Ibidem.

3. Reg 3.

cuius

cuius gratia † Ducatus Epiſcopatui per Othonem primum imperatorem, cuius frater erat, additus eſt? In rebus exterioribus & fama ſub nullo pontifice vſque ad diem hanc, tantum Eccleſia Colonienſis profecit, quantum ſub Engelberto. Prædia plurima ſimul & feuda, Eccleſiæ diu ſubtracta, & à multis eius anteceſſoribus ſiue per tot potentes, ſiue per inualetudinem neglecta, ipſe per iudicium & ſententiam recuperauit. Puto tamen, quod iudicio vel ſententia modicum profeciſſet, ſi animi virtus & militiæ robur illi defuiſſet. Præter redditus Epiſcopales, poſt mortem fratris tenebat terram patris, de qua habebat miniſteriales multos & redditus magnos. Ob quam cauſam Ducis Vualrami, cuius filius Henricus filiam Adolphi Comitis duxerat vxorem, contra ſe non modicam excitauerat inuidiam: ſopita tamen omnia fuerant tali pacto interueniente, vt dominus Epiſcopus, quoad viueret, teneret terram: ille vero ab eo ſingulis annis in pecuniis reciperet penſionem. Præterea feudis multis ac prædiis diuerſis Eccleſiam Colonienſem ditauit & ſtabiliuit, terminos eius ciuitatibus, caſtris & poſſeſſionibus ampliauit. Quædam ex his de nouo ædificauit, quædam renouauit, nonnulla pecunia comparauit. In quibuſdam ciuitatibus & turribus ſuis, ut ita ſatiſque pulchra conſtruxit palatia. Henricus Dux Lotharingiæ & princeps Imperij, probitate præſulis attractus & illectus, & quia prudens eſſet in conſilio, & validus in auxilio, quædam ſua prædia, quæ hic nominare neceſſe non eſt, de manibus præſulis Engelberti iure feudali ſuſcepit, tanto pontifici eiuſque Eccleſiæ volens arctius adstringi, & bonis propriis ab eo gaudens beneficiari.

* Scilicet Lotharingiæ Vide Chrō. Magn. Belg. fol. 80 & 15. & 50

Auget opes Eccl. ſiæ Colonienſis

Henricus Lotharingiæ Dux quaſi cliens fieret.

VI. Iohannes Rex Hieroſolymitanus propter eum, & cum eo Coloniam diuertit: vbi tam magnificè ſuſceptus eſt, vt tam eius quàm ciuitatis gloriam admirari non ſufficeret. Quod dictū eſt de Salomone, qui regnauit in Hieruſalē, quod Reges terræ deſiderauerūt videre faciē eius, & audire ſapientiā eius, & obtulerūt ei munera: etiā de ipſo exponi poteſt. Cognita eius ſapiētia atq; potentia, & quod potērior eſſet imperio, Reges terræ Franciæ ſcilicet & Angliæ, Daciæ, Bohemiæ & Hungariæ, miſerunt ei munera in auro & argento, gemmiſque precioſis eius adſpectu & colloquio vel pro amicitia comparanda vel pro diuerſis cauſis & neceſſitatibus vti deſiderantes. Hæc, quæ à me in eius laude ſcripta ſunt, qui legent, & illius geſta vidit, dicere poterit, quod regina Saba Salomoni dixit: Probaui, inquit, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Maior eſt ſapientia tua & opera, quàm rumor, quem audiui. Fama nominis eius & operum eius vſque ad exteras nationes peruenerat, & timebant eum Saraceni. Cui nomen Salomonis re vera congruebat, eo quod eſſet multum pacificus, pacem diligens, & pacem faciens. Gratia pacis reformandæ neque expenſis, neque corpori pepercit. Vnde ſi beati pacifici, immo, quia beati & ipſe beatus eſt. Qui cum aliquando a quærereur à religioſis, quare exactiones faceret in populum ſibi ſubiectum, humiliter ſe excuſauit, culpam recognouit, dicens ſine pecuniis pacem ſe non poſſe facere in terris. Tempore quo iam de tali materia conferens cum magiſtro Iohanne Abbate ſancti Trudonis, aiebat: Magiſter, noſtis quid facere cogitauerim? Reſpondente illo, Non domine: ſubiunxit: Super omnes redditus meos duodecim ſculteros ordinare diſpoſui, vt illis cæteri adminiſtratores rationem reddant, & ex illis duodecim ſingulis menſibus ſinguli mihi meiſque adminiſtrent, & ita non erit neceſſe, vt aliena rapiam, ſiue per exactiones aliquem grauem.

Itéque Rex Hieruſalē, Amaria vt habet God. f. Monach.

3 Paral. 9.

Aliique multi Reges

3 Reg. 10.

Matth. 5.

Nō vult grauare ſuos exactionibus

VII. Ditaverat illum gratia diuina, ſecundum vſum exteriorem, ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, nec deerat ei ſpiritus timoris Domini. Secundum vſum exteriorem dixi, eo quod ſpiritualiter ſine charitate haberi nequeant. Statum eius interiorem Deus nouit. Sed & quidam ex eius Capellanis, qui cōſcientiam eius nouerat, de ipſo cū Abbate noſtro conferens, ſic ait: Licet dominus meus ſecularis habeatur, nō tamē intus talis eſt, qualis foris apparet. Sciatis eum multas occultas cōſolationes habere à Deo. Erat enim ſapiens ad omnia, & intelligens. Sapienter ad omnia reſpondit, & quid quiſque dicere vellet, facile intellexit. Cum veniſſent Coloniam fratres de nouo Ordine Prædicatorum, necnon & fratres, qui dicuntur Minores, & graues quidam eis eſſent ex Clero, eiſque coram Archiepiſcopo Engelberto diuerſa obiicerent, illos accuſando, reſpondit: Quid iuſti res in bono ſtatu eſt, ſtare ſinite. Cumque inſtarent tam primores, quam plebani, & dicerent, Timemus ne iſti ſint illi, de quibus Spiritus ſanctus per os beatæ Hildegardis prophetauit, per quos Clerus affligetur, & ciuitas periclitabitur: verbum notabile reſpondit: Si diuinitus prophetatum eſt, neceſſe eſt vt impleatur, quo verbo compeſcuit omnes. Spiritu conſilij ſic abundabat, vt in conſiliis dandis eſſet prouidus, & in reſponſionibus tam promptus, vt conſiliarij eius ſua paruipendentes conſilia, mutuo dicerent: Dominus noſter conſilium ſuum in crumena ſua portat. Spiritu fortitudinis ita pollebat, vt neque minis frangi, neque blanditiis facile flecti poſſet, os habēs agninum: & cor leoninum. Hinc eſt, quod cum dominus Conradus Epiſcopus Portuenſis, & tunc temporis in Alemannia legatus, diceret prædicto Abbati Iohanni: Vnde eſt, quod dominus Colonienſis ita timetur? reſpondit ille: Ex quadam gratia ſpeciali Dei eſt. Spiritus ſcientiæ illi non deerat: quia tanto rationis vigebat acumine, prudenter inauditas & difficiles ſolueret quæſtiones: quod multo literatiores eo, facere non poterant. Cui etiam ſpiritus pietatis tantus inerat, vt, ſi in turbis poſitus, conſideraret ex remoto Pauperem ſibi loqui volentem, nutu, ſiue per nuncium, illum vocaret, & querimoniis eius cum multa patientia perauditis, efficaciter expediret. Hoc ſæpius illi contigiſſe certum eſt. Quam pleno ſinu neceſſitatibus afflictorum ſit compaſſus, ſubiecta declarant exempla.

Teſtimonium Confeſſarij eius de illo

Dominicani & fratres Minores cum à Clero quid pati ſi Prudēs eius reſponſum.

Præclarum Dei donū.

Rara virtus.

IIX. Sedente eo Coloniæ in palatio Epiſcopali in iudicio, vidua quædam cauſam habens, propius acceſſit, petens ſibi dari aduocatum qui eius querimonias proponeret. Cui beatus Epiſcopus compaſſus, aduocatorum auaritiam non ignorans, viduæ reſpondit: Bona domina, liceat tibi pro te loqui: tu melius noſti, quæ neceſſitas te vrgeat, quam alij. Dicentibus ſcabinis, Domine, hoc eſt contra ius ciuitatis: non aduertit verba illorum: hoc tamen adiiciens. Nos bene intelligimus verba eius. Alio tempore, deſcendente eo de palatio, occurrit quidam, in partibus ſuperioribus neſcio à quo ſe ſpoliatum conquerens. Qui ſtatim in gradibus gradum figens, ita vt erat veſtibus ad iter accommodis indutus, & calcaribus inſtructus, ſubſtitit, & cum multa patientia hominem audire cœpit* Mareſtallo dicente: Domine, aſcendite equum, quia via longa eſt, & tempus breue: acſi non audiret, hominem monuit, vt cauſam ſuam peroraret. Cumque iterato clamaret Mareſtallus, conuerſus ad illum Epiſcopus, ait: Modo negocium produxiſti. Cumque plene intellexiſſet, vbi vel à quo ſpoliatus eſſet homo, accito notario, literas in eodem loco & ſcribi & obſignari iuſſit eaſque viro tradens, Vade, ait, & oſtende ei qui tibi tua abſtulit, has literas: & ſi tibi non fuerint reſtituta, rurſus ad me venias, & ego tibi tantundem reddam, ſicque equum aſcendit, & abiit. Oſtendit & aliud ſignum magnæ pietatis. Anno præterito cum annona venderetur ſex ſolidis, & eo amplius, &, quod magis terruit homines, nec haberi quidem poſſet pro pecunia, naues cum annona comparans, authoritate ſua è prouincia Moguntina eas iuſſit adduci, & per cœnobia, quæ magis indigebant, diſtribui. Eodem tempore Coloniæ & per totum Epiſcopatum ſuum, ad totius prouinciæ ſubſidium, cereuiſiam coqui inhibuit, malens maximis redditibus, quos recipiebat ab illis qui cereuiſiam coquebant, carere, quam quæſtus ſui cauſa populos fame perire. Spiritu timoris Domini alienus non erat: quia nullus noſtri temporis pontificum ſummo Pontifici plus illo timoris & reuerentiæ exhibebat. Vnde cum dominus Honorius Papa mortem eius deplangeret, dixiſſe fertur hoc verbum: Omnes de Alemannia, timore eius me timebant. Nam propter obedientiam, quam Papæ & Regi exhibuit, occiſus eſt.

Nota tanti principis ſingularem humanitatem

* Mareſcalco.

Vt profit multis ſua lucra negligit.

IX. Religiosos, immo in religioſis Chriſtum, ita honorare ſtuduit, vt perſonis priuatis aſſurgeret, & tam humiliter

Q 4

Mita eius modeſtia & humilitas. — *Impenſe amat matrē Chriſti.* — *Pſal 25.* — *Cal x ingē-tis precij, vnde liquet gratum eſſe Deo quicquid ad eius honorē expenditur,*

militer cum eis loqueretur, acſi illis ſubditus eſſet. Sacerdotes ſeculares & pauperes valde, perſonis illuſtribus, ſecularibus tamen, neglectis, de ſua ſcutella comedere, & de ſuo ſcypho bibere ſæpiſſime coëgit. Veſtimenta ſua aliquando ſatis precioſa, quibus ad breue tempus vſus fuerat, non hiſtrionibus, ſed ſacerdotibus: non ſcurris, ſed Clericis dare conſueuerat. Et quia timor ſine dilectione minus placet, beatam Virginem Mariam, quæ mater eſt pulchræ dilectionis, id eſt, Chriſti, qui fons eſt & author totius amoris, intantum d lexit, vt per annos aliquot, omnes quartas ferias in eius honore ieiunaret, & duabus vicibus, poſtquam factus eſt Epiſcopus, limina eius in Rupe aniatoris viſitaret. Decorem domus Dei cum ſancto Dauid ſic dilexit, ſic deſiderauit, vt eccleſiam ſancti Petri, quæ mater eſt omnium eccleſiarum prouinciæ Colonienſis, renouare fratres hortaretur, promittens ſe quingentas marcas ſtatim ad inchoationem oblaturum, ac deinde annis ſingulis marcas totidem, donec fabrica conſummaretur. Fecerat autem ante mortem ſuam veſtimenta pontificalia ex purpura & lino ſubtiliſſimo, fimbriis & laminis aureis, itemque margaritis & gemmis tanti decoris, vt cordis eius deuotio in illis tanquam in ſpeculo reluceret. Semel tantum iis veſtimentis vſus eſt, idque in velatione ſanctimonialium: quod officium ſine lachrymis exercere non potuit. Calicem vero aureum ex gemmis precioſis, à diuerſis Regibus illi miſſis, valoris, vt aiunt, plus quam quingentarum marcarum, ad honorem domus Dei fieri curauit, quem deuotus ſuper altare beati Petri Apoſtolorum principis obtuliſſet, ſi non prius de paſſionis calice bibiſſet.

Hæc de vita & actibus beati viri dicta ſufficiant, ex multis pauca. Non enim tam multa, quam vera probitatis eius acta ſcribere propoſui, ne mihi ab iis, qui virum nouerant, de mendacio poſſit inſultari, eo quod nondum expletus ſit annus, ex quo paſſus eſt: & ne congeſtorum copia legentibus generet faſtidium. Nunc autem quam feliciter, etſi difficulter, de læua temporalium per aſcenſum purpureum, id eſt, martyrij meritum aſcenderit ad amplexus veri Salomonis, id eſt, ad quietem diuinæ contemplationis, ſtylus manifeſtet: quia, vt ait quidam ex eius cōcanonicis, ſacerdos deuotus ac literatus, aliam viam, per quam in ſtatu tali poſitus ianuam regni cœleſtis, quæ anguſta eſt, intrare potuiſſet, non conſidero.

Rom 8. — *Prædeſtinatio.* — *Vocatio.* — *Iuſtificatio.* — *Magnificatio.* — *Cauſa cædis Engelberti.* — *Pſal 72.* — *Nota.* — *Ierem 24:*

I. VAs electionis beatus Paulus Apoſtolus, electorum gloriam, & diuinam circa illos intelligens diſpenſationem, ait: Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & magnificauit. Quatuor hic enumerat, prædeſtinationem, vocationem, iuſtificationem, magnificationem. Primum æternum eſt, & eſt cauſa trium ſubſequentium. Quos Deus ab æterno prædeſtinat, hos in tempore vocat, iuſtificat & magnificat. Beatum pontificem Engelbertum, ab æterno prædeſtinatum, prædeſtinantis gratia ad martyrij locum tempore & occaſione, quibus voluit, vocauit: vocatum, contritione, confeſſione & proprij ſanguinis effuſione iuſtificauit: iuſtificatum, ſignis & virtutibus poſt mortem magnificauit, & quotidie magnificare non ceſſat. De magnificatione eius cæleſti, dicere non ſufficimus: quia qualis vel quanta ſit, neſcimus. Cauſa vero martyrij eius, per quam, illam promeruit, talis erat: Fridericus Comes de Iſenburg, aduocatus fuit Eccleſiæ Eſſendienſis. Eſt enim Abbatia regalis, & ab Imperatore tenetur. Iſte Fridericus, fratre ſeniore in fata cedente ſine filio, vt fratris eſſet hæres, recedens à Clericatu, factus eſt miles: & tanto fortaſſis ad malignandum promptior, quanto à gratia remotior. Vnde Dauid in Pſalmo: Qui elongant ſe, inquit, à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Non poteſt eſſe ſine periculo & gratiæ detrimento, quando Clerici, qui ſecundum nomen ſuum de ſorte ſunt Dei, ordine mutato, militiæ ſe mancipant ſeculari. Tales, ſicut exemplum habemus in multis, cum ad malum, vt dici ſolet, deterius tendunt, etiam malis peiores, & crudelibus crudeliores fiunt. Hinc Ieremiæ dicitur à Domino: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Ficus malas, malas valde. Ficus malæ, ſunt maligni religioſi, vtputa monachi vel clerici. Ficus malæ valde, cum ex illis fiunt laici. Fuerat enim Fridericus maioris eccleſiæ Colonienſis canonicus. In Comitem ex Clerico mutatus, fit Eccleſiæ Eſſendienſis Aduocatus nomine, re ipſa inimicus. Non enim defendere, ſed magis deprædari didicit.

Abbatis Eſſendiēſis miſere vexatur. — *Eſa. 33.* — *Ann. 1225.* — *Iuſſu Papæ & Imperatoris Engelbertus Epiſcopus comitem exhæredat.* — *Sap. 1.* — *Iob. 41.*

Cum pater eius Arnoldus Comes de Altena, vir admodum prudens & modeſtus ſatis in genere ſuo, ratione aduocationis ſatis indebite iam dictam vexaſſet Eccleſiam, iſte nouiſſimus Fridericus exoſſauit eam. Aduocatos ſiue ſcultetos Eccleſiæ, contra voluntatem Abbatiſſæ & ſororum, amouit: pro libitu nouos inſtituit: homines ad monaſterium quocunque iure attinentes, tantis vexationibus angarians, tantiſque exactionibus excorians, vt nobilis illa Eccleſia ſubſiſtere, vel diutius eiuſdem incubatoris inſolentias ſuſtinere non poſſet. Non legerat, vel potius non attenderat ſcriptum, ſi legerat, miſerrimus ille: Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Abbatiſſa ſæpius cum ſororibus Coloniam veniens, cum coram primoribus ſuas miſerias, & Friderici violentias prius domino Theodorico, ac deinde eius ſucceſſori Engelberto Archiepiſcopo exponerent, modicum profecerunt, quod amore cognationis multa circa illum diſſimularent. Poſt annos aliquot ſororum querimoniis dominus Papa Honorius, necnō Imperator Fridericus defatigati, cōpatientes ſæpe dictæ Eccleſiæ vrgentes litteras Epiſcopo direxerunt. Qui cum Eccleſiæ Imperialis iniurias diutius diſſimulare nec auderet, nec vellet, Comitem ſerio monuit, ſed nihil profecit. Intantum autem ei pepercit, vt de propriis redditibus annis ſingulis certam penſionem ei offerret, modo aduocatione legitime vti vellet; ſed ille minime acceptauit, quoniam in maleuolam animam non intrabit ſapientia. Intelligens autem idem ipſe Fridericus præſulis voluntatem, quod eum exhæredare vellet, cognatis conqueritur & amicis. Et ecce flante Behemoth, cuius halitus prunas ardere facit, ſic ſuccenſus eſt ad Epiſcopum interficiendum, vt verbis fumantibus carbones, id eſt, ſatellites ſuos, homines in malitia exercitatos, & ad omne facinus pronos, ad parricidium inflammaret. Fridericus, dictio Teutonica eſt, & ſignificat pacis diuitem. At miſero iſti non niſi per antiphraſim, id eſt, à contrario congruebat. Nam pacis inops erat, pacis inimicos ſibi ſocians. Mox cultelli, lanceæ, enſes præparantur, à miſero miſeri falſis promiſſis animantur. Ego ſum, inquit, Comes, caſtra fortia habens & terram. Duo ex fratribus meis Epiſcopi ſunt. Dux Vualramus, & terræ noſtræ potentiſſimus, affinis meus eſt, cuius filius Comitatum Montenſem habiturus eſt. Conſobrinus ſum Theodorici Comitis Clinenſis, cuius fratruelis eſt nobilis vir de Hennisberg. Godefridum Comitem de Arnsberg, Othonem Comitem de Tekelenburg, Herimannum potentem de Lippia, & alios complures iniuriis affeci, læſi & offendit, nec eſt qui ſanguinem eius vindicet. Omnes vos ditabo, protegam & ſublimabo.

Inflāmantur multi in necem Engelberti. — *Militem vocat virum nobilem.* — *Matth. 10.*

Simile quiddam clandeſtino huic parricidio, antequā occideretur beatus Epiſcopus, frater Friderici Engelbertus cuidam honeſto militi, ſicut nuper ab eius ore audiui, propoſuit, ita dicens: Tales & tales ſunt cognati mei, tales & tales ſunt affines mei, prædictos nobiles nominans, & quis mihi fratribuſque meis nocere poſſet? Reſpondente milite, Nullus ſine poſſit, maxime quandiu vobiſcum eſt dominus & cognatus veſter Archiepiſcopus: ille ſubiunxit: Ponamus non ſupereſſe Archiepiſcopum, ecquis nobis vim vel contumeliam inferre poſſet? Miles quidem reſpondit, ſicut & prius reſponderat, ſed ſatis diſplicuit ei hic ſermo, cum poſtea compeιiſſet, quare prolatus eſſet ab eo. Atque inde conici poteſt hoc ſacrilegium non tum primum, cum Epiſcopus occiſus eſt, fuiſſe conceptum, ſed diu pertractatum. Feruntur huic conſpirationi conſenſiſſe nonnulli potentes, quos fama quidem non tacet, ſed propter tempus nominare non licet: ſed veniet narrandi opportunitas, dicente Saluatore: Nihil eſt opertum, quod non reueletur; & occultum, quod non ſciatur.

POST feſtum omnium Sanctorum Deo dilectus pontifex propter bonum pacis Suſatum venit. Venit & Fridericus

dericus cum fratribus ſuis Epiſcopis, alijſque cognatis ſuis atque conſiliariis. Vbi cum triduo pro compoſitione pacis laboratum eſſet, nulla via, quæ Friderico placeret, inueniri potuit. Indurauerat enim diabolus cor eius quaſi lapidem, & ſtrinxerat id quaſi malleatoris incudem. Eius conſiliariis tunc temporis congruebat, quod de diabolo, cuius membra per conſpirationem effecti ſunt, paulo ſuperius ad Iob dictum eſt à Domino: Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus. Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur. Ita erant, quicquid ore dicerent, conſpiratores illi in concepta malitia pertinaces & indurati, ita cohærentes & confœderati, vt nullum pacis conſilium corde poſſent admittere.

Fridericus Comes reſpuit pacis conditiones.
Iob 41.
Ibidem.

III. Placuit circa idem tempus Spiritui ſancto, martyrii ſui finem quibuſdam viris religioſis, idque diuerſis in locis reuelare. Monachus quidam congregationis noſtræ, iuuenis probatæ vitæ, Abbati noſtro ſecretius dicebat: Domine: ſi qua habes tractanda cum Archiepiſcopo, ne differas: qui breui morietur. Poſt dies paucos infirmarius noſter, Vuinandus nomine, pro negocio quodam ad illum Suſatum directus eſt. Qui cum in Veteri monte, domo Ordinis noſtri pernoctaret, & mane vellet recedere. Supprior ſubſecutus, ait ad eum: Eſt apud nos conuerſus quidam, ſpiritum habens propheticum, ſicuti ſæpe experti ſumus. Is tribulationem ingentem breui domino noſtro Archiepiſcopo euenturam prophetat. Quapropter rogo vos, vt moneatis eum vt cautus ſit ſeque cuſtodiat. Cui ille reſpondit, Satius eſt me id tacere, nam pro friuolo habiturus eſt. Veniens inde ad Epiſcopum, benigne ſuſceptus eſt & expeditus, nec quicquam tamen illi hac de re indicare auſus fuit. Die ſequenti Dominus Epiſcopus literas indices mortis ſuæ accepit. Quas cum legiſſet, in ignem mittens, pedibus conculcauit, ne diſcordiæ ſeminarium fierent inter ipſum & cognatum ſuum Comitem Fridericum. Recitauit tamen eas Epiſcopo Mindenſi, qui præſens erat. Cui cum diceret ille, Caue tibi domine propter Deum, non ſolum tua cauſa, ſed etiam pro vtilitate Eccleſiæ noſtræ, & totius terræ ſalute: reſpondit ille, Anguſtiæ mihi ſunt vndique, & quid mihi faciendum, Dominus nouit, prorſus ignoro. Væ mihi, ſi tacuero: ſi autem eis propoſuero, dicent, immo amicis & cognatis de me conquerentur, quod parricidij crimen eis impingam. Non ſolum de Friderico, ſed etiam de Godefrido & Vuilhelmo fratribus eius ſuſpicio fuit, & adiecit: Ego ab hac hora corpus & animam meam diuinæ committo prouidentiæ.

Religioſis quibuſdā viris martyrium eius reuelatur.
Vide animū candidum, & pacis ſtudioſum.

IV. Assvmensqve Epiſcopum illum in ſacellum ſuum, ſolus ſoli cœpit confiteri omnia peccata ſua ab ineunte ætate, cum tanto imbre lachrymarum, vt totum pectus eius infunderent, & cordis maculas crebris ſtillicidiis, vt ſperamus, diluerent. Cumque diceret ei dominus Mindenſis, Timeo adhuc latere in conſcientia veſtra, quod mihi dictum non ſit: reſpondit beatus ille: Dominus ſcit me ex induſtria nihil ſubticuiſſe. Poſtea tamen plenius cogitans de peccatis ſuis, ſummo mane in priorem locum ducens confeſſorem ſuum confeſſor Domini, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito, quod memoriæ occurrerat, rurſus cum tantis lachrymis confeſſus eſt, vt in tali perſona talem gratiam lachrymarum Epiſcopus Mindenſis mirari non ſufficeret, & ille merito cum Propheta dicere poſſet: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodiui legem tuam. Teſte eodem Epiſcopo, cuius relatione hæc comperta ſunt, ſic ſeſe contritione cordis coram Domino mactauit, ſic ſe oris confeſſione mundauit, tam ſolicite vtraque iuſtificatione ſe præparans, acſi ipſa die moriturus eſſet. Poſtea conſcientia ſerenata, confidenter ait: Modo voluntas Dei de me fiat. Ecce ſic verus & ſummus ſacerdos homo Chriſtus Ieſus qui ſe in ara Crucis offerri dignatus eſt hoſtiam propiciationis pro peccatis noſtris ſacerdotem pœnitentem profluuio lachrymarum ſuarum abluere & emundare voluit, vt Deo patri per martyrium offerendus in holocauſtum, eſſet hoſtia pura, hoſtia ſancta, hoſtia placens & immaculata. Sacerdotes veteris teſtamenti, hoſtias offerendas prius lauabant. Interim pulſabatur ad oſtium ſacelli, ſed non permiſit aperiri dominus Archiepiſcopus, eô quod haberet oculos ex fletu adhuc tumidos & humidos. Cumque pulſando perſeuerarent, dicerentque Monaſterienſem & Oſnaburgenſem Epiſcopos ad oſtiū ſtare, poſtquam oculos extersit & faciem ſiccauit, permiſit eos intromitti: quibus & ait: Vos domini ambo cognati mei eſtis: ego, ſicut optime noſtis, in nullo vos læſi, ſed quantum potui, ſemper promoui. Et ecce à diuerſis, tam literis quam verbis, indicatur mihi, Comitem Fridericum fratrem veſtrum, quem ex animo dilexi, & cui non nocui, malum mihi machinari, meque velle occidere. At illi ſimulantes, quod in pectore non habebant, pauidi reſponderunt: Abſit hoc, domine, abſit: nihil neceſſe eſt vos hoc reformidare, quia nunquam aſcendit in cor eius. Omnes per vos ditati, honorati & ſublimati ſumus & hoc quidem veriſſimum erat. Nam Theodoricum, electus in Archiepiſcopum, ſtatim promouit in ſummi templi Præpoſitum, ac deinde in Monaſterienſem Epiſcopum: Engelbertum vero in Præpoſitum S. Georgii, & poſtea in Epiſcopum Oſnaburgenſem: & Philippum fratrem illorum, in ſumma Colonienſi eccleſia Canonicum, & theſaurarium fecit. Atque eo tempore quo occiſus eſt, operam dabat, vt Bruno frater eorum Præpoſitus fieret ſummæ ædis Traiectenſis. Quæ idcirco commemorare volui, vt lector cognoſcat, qualem ei vicem rependerint. Reuera retribuerunt ei mala pro bonis: & cum loquererur illis & pro illis bonum, impugnabant eum gratis.

Cū multis lachrymis confitetur Engelbert⁹ peccata ſua.
Pſal. 118.
Leuit. 1.
Epiſcopis Fratribus Friderici indicat, quid ad ipſum perlatum ſit de cæde ſua.
Rependunt ei mala pro bonis diſſimulatores impij.

V. Comes Fridericus vt conceptam malitiam melius diſſimulare poſſet, pro bono pacis ipſi à domino Epiſcopo oblata verbotenus acceptauit, cum eo à Suſato exiens, eumque tam familiariter deducens, vt ei Epiſcopus diceret: Cognate, cum multa iucunditate ſimul aſcendemus ad ſolennem Regis & principum conuentum qui Nurenbergæ celebrabitur. Sciens autem Fridericus quod, poſtera die dedicaturus eſſet eccleſiam in Suuelme, oblata hac occaſione, exemplo Iudæ petiit licentiam ab Epiſcopo diſcedendi, ſicque ad ſatellites ſuos rediit, eoſque diuerſis in locis inſidias tendere iuſſit, quidque facerent inſtruxit, & omni quo potuit ſtudio ad facinus animauit. Erat tum ſexta feria poſt feſtum omnium Sanctorum, & Domini electus eodem die Sanctis omnibus per meritum paſſionis ſociandus, ad dedicationis locum ieiunus venire conſtituit. Eodem autem die occurrit ei vidua quædam, ſuper duabus cauſis ſub diuini nominis obteſtatione iudicium illius flagitans. Cuius vociferatione ſacerdos Dei commotus, ne in hoc inferior videretur iudice illo iniquitatis, de quo Dominus dicit in Euangelio, quod nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur: mox de equo deſcendit, & ſede compoſita loco Ducis ad iudicandum ſedens, ſuper feudo, de quo vidua conquerebatur, ſententiam quæſiuit & accepit. Audiens vero pro ſe & contra viduam ſententiam eſſe latam, ex multa cordis commiſeratione protulit verbum memoria dignum: En domina, inquit, feudum hoc, de quo conquereris, tibi per ſententiam ablatum, mihique adiudicatum eſt. Sed ego propter Deum, dolens miſeriam tuam, id tibi relinquo. Porro alterius negocij tui ad me non pertinet querimonia. Simile quiddam legimus in Romana hiſtoria de pio principe Traiano: qui cum eſſet in expeditione poſitus, & militia vallatus, vidua illi vetuſtiſſima in foro occurrit, & iniuriam ſuam illi conqueſta eſt. Cumque ille diceret ſe ius ei dicturum cum rediret, & illa reſponderet incertum eſſe reditum eius: mox dominus orbis ſubſtitit, viduam audiuit & vindicauit, omnia illi reſtituens. Amplius aliquid operatus eſt princeps noſter. Traianus per iudicium viduæ fecit iuſtitiam: Engelbertus omne iudicium conuertit in miſericordiam. Et quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſi Imperator illam humanitatem exercuit zelo iuſtitiæ, non appetitu ſecularis gloriæ, poterat ei eſſe ad mitigationem pœnæ, quod ſacerdoti Domini, eo quod eſſet vir catholicus, contritus & confeſſus, meritorium fuiſſe creditur vitæ æternæ. Opus Imperato-

Simulat pacem Fridericus.
Luc. 18.
Singulari humanitate ſatisfacit viduæ ius petenti.
Traianus Imperator.
Heb. 11.

Rom 1.

non potuit. Nam mundanæ gloriæ deditus, totus illis multipliciter eſt irretitus: ſed electis, teſte beato Paulo Apoſtolo, omnia cooperantur in bonum. Hæc idcircò commemoro, vt cognoſcat lector, de quali viro martyrem ſibi elegit Dominus, de vaſe iræ faciens vas gloriæ. De ſcholis emancipatus, in Præpoſitum maiorem eſt electus. Electus eſt deinde in Epiſcopum Monaſterienſem: ſed eundem Epiſcopatum ſuſcipere non acquieuit, adoleſcentiæ ſuæ fortè pertimeſcens.

Recuſat Epiſcopatum Monaſterienſem.

Anno 1205. Adolphus Colonienſ. Epiſcopus deponitur. Vide Godefridum Monachum in Annal.

CIRCA idem tempus dominus Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus, à prauis conſiliariis ſeductus, inſuper III. multa pecunia corruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxoniæ, quem ipſe ex conſenſu domini Innocentij Papæ, Romanorum Regem creauerat, & Aquiſgrani coronauerat, rupto iureiurando receſſit, & aduerſarium eius Philippum Ducem Sueuiæ, filium Friderici Imperatoris eligens, in ſede regia conſecrauit. Propter quod in ciuitate propria, Colonia ſcilicet, ex mandato iam dicti Innocentij, à iudicibus ad hoc delegatis citatus, excommunicatus & depoſitus eſt. Excommunicati ſunt cum eo vniuerſi penè nobiles terræ. eò quod ei adhærerent, & Philippi partes fouerent. Quanta eodem tempore in Epiſcopatu Colonienſi perpetrata ſint incendia, prouinciæ vaſtatæ, eccleſiarum bona direpta, nunc Othone, nunc Philippo præualente, paucis non poteſt explicari. Adolpho [a] ſucceſſit Bruno, Præpoſitus Bonnenſis, qui à Philippo Rege, qui cum exercitu Epiſcopatum Colonienſem intrauerat, in caſtro Vuaſſinberg magis dolo, quàm vi captus, vinctus eſt & eductus. Philippo autem occiſo, & Othone in regno confirmato, ad ſedem ſuam rediit: & non multò poſt in fata cedens, [b] Theodorico ſanctorum Apoſtolorum Præpoſito ſedem reliquit. Hic præſente Rege Othone in Archiepiſcopum eſt electus, & pallij dignitate eius gratia celerius donatus. Rege verò ab Innocentio in Imperatorem conſecrato, propter retractionem terræ * Mechtildis, quam Papæ contulerat, tam graues inter eos oriuntur inimicitiæ, vt Othonem, quem vſque ad hoc tempus paterno affectu fouerat, excommunicaret, eique Fridericum Henrici Imperatoris filium & Regem Siciliæ, aduerſarium ſuſcitaret. Ad cuius promotionem Sifrido Moguntinenſi Archiepiſcopo plenariam poteſtatem legationis contulit: qui Theodoricum Archiepiſcopū, eò quod fautor Othonis eſſet, indignè ſatis deponens, [c] Adolphum reſtituit. Neuter tamen illorum Epiſcopatum recuperare valuit, licet in Curia Romana ab vtroq; ſatis pro illo laboratum ſit: ſed vtriq; trecentæ marcæ ex redditibus Epiſcopalibus ſunt aſſignatæ. [d] Eccleſiæ verò Colonienſi libera electio remiſſa eſt. Hæc inſerta ſunt ô lector, vt poſteris innoteſcat, in quali ſtatu Eccleſiam, per longa & varia ſchiſmata laceratam & depauperatam martyr noſter factus Epiſcopus inuenerit, & in quali illam dimiſerit.

a Bruno 4 illi ſuccedit 47 Epiſcop.

b Brunoni Theodori. cui Montiū comes, ann. 1210. God Monach in Annal.

Anno 1208

c Theodorico depoſito Adolphus reſtituitur Vide God Monachū.

d Eccleſia Colonienſ mirè laceratur

Anno 1215. Engelbert' creatur Epiſcopus Colonienſis God Mon. in Annal.

Iob 41.

POST depoſitionem Othonis Friderico adhærens, ac per hoc fauorem domini Innocentij Papæ conquirens, IV. communi conſenſu in Archiepiſcopum electus eſt. In ipſa die electionis ob præcedentem infirmitatem tam debilis fuerat, vt vix ſtare aut incedere poſſet: erat q; ſignum, quòd flebile principium melior fortuna ſequeretur. Nam circa principium electionis eius, totius pacis inimicus diabolus, qui ferueſcere facit quaſi ollam profundum maris, ſuſcitauit ei aduerſarios acerrimos, ſcilicet Theodoricum Comitem de Cleuo, & Vualramum Ducem de Lymburg & Comitem in Lutzelburg, eorumq; cognatos & auxiliarios, vt futurus Machabæus in eis experiretur. Quos ita humiliauit & repreſſit, vt illorum exemplo cæteri Comites ac nobiles terræ territi, contra ipſum mouere non auderent, verentes ſibi euenire poſſe, quod quidam ait: Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet. Aedificauerat enim Vualramus caſtrum & villam forenſem in Ducatu Colonienſi, quam dominus Archielectus deſtruxit & exuſſit. Ob quam cauſam tam graues ortæ ſunt inter eos inimicitiæ, vt Dominus Archielectus, & frater eius Comes Adolphus, diuortium fieri vellent inter Henricum filium Ducis Vualrami, & filiam eiuſdem Adolphi, conſanguinitatem prætendentes, nè Comitia ad Henricum vxoris gratia deuolui poſſet. Non fuit adeo potens qui in Ducatu eius vel Epiſcopatu, inimici ſui terram vaſtare auderet per incēdium. Sic Comitum ſiue aliorum nobilium vel potentum inſolentias repreſſit, vt penè nullius caſtrum deſtrueret, vel terram vaſtaret: magis prudentia, quàm bellorum copia, ſibi ſubiugans omnia, ita vt de eo dictum videatur,

Comitia, pro Comitatus

Aduerſarios vt edomarit.

Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

IN ciuitatibus ſuis principalibus, Colonia ſcilicet & Suſatia, maiorem exercuit poteſtatem zelo iuſtitiæ, quam aliquis Epiſcoporum ante eum. Ad curias Friderici Imperatoris, tunc Regis, cum tanta gloria & expenſis aſcendit, vt cæteris principibus ſuperior gloria & honore haberetur. Quantum eidem Friderico adſtiterit, quantum eius partes cōtra Othonem promouerit, vſque hodiè experitur. Et cum maximas haberet expenſas, tum propter curias regales, tum propter ſupradictos nobiles, quorum timore corpori ſuo cuſtodiam adhibebat ſatis ſumptuoſam, ab Honorio Papa, qui Innocentio ſucceſſit, antequam pallium ei dare vellet, ſoluere cogebatur, quæ eius anteceſſores Adolphus, Bruno & Theodoricus, diſſenſionis tempore conſumpſerant in curia, cum ſorte vſuras grauiſſimas, quorum ſumma tranſcendiſſe dicitur ſedecim millia marcarum.

Fuit is Honorius tertius.

Imperij negocia ei demandātur.

FRIDERICO Rege ab Honorio in Imperatorem coronato, cum intraſſet regnum Siciliæ, audita Archiepiſcopi V. ſibi in Alemania bene noti probitate, per literas Imperiales regni negocia citra Alpes illi commiſit, Henrici filij ſui eum conſtituens tutorem, & totius regni Romani per Alemanniam prouiſorem. Qui regni negocia non abſque timore ſuſcipiens, Reipublicæ tam vtilem & tam fidelem ſe exhibere ſtuduit, vt de contingentibus vel modicum, vel nihil negligeret, & inuidus, vbi detractionis dentem figeret, in eius verbis vel actibus, non inueniret. Congregatis principibus, Henricum puerum Aquiſgrani in Regem conſecrauit: quem nutriebat vt filium, & honorauit vt dominum. Cum quo & ſine quo diuerſas regni partes perluſtrans, tantam fecit pacem, vt Auguſti tempora crederes. Vidêres huiuſmodi virtutis opera prædones & diſſenſionis amatores, gloriæ pōtificis, ſicut de Ionatha legitur, inuidentes tabeſcebant: boni verò, & maximè negociatores, ipſum laudantes & benedicentes Deū, pro conceſſa poteſtate glorificabant. Die quodā mercator quendā Archiepiſcopū Imperij, ipſo audiente, pro fide publica per quædā loca diœceſis eius interpellabat. Quam cum ille dare tenueret, nobilium ſiue militum illic habitantium malitiam prætendens, glorioſus Archiepiſcopus & Dux Engelbertus, non Epiſcopo inſultando, ſed petenti compatiendo, ait: Dic mihi bone vir, audeſne te committere conductui meo? Reſpondente illo conſtanter, Etiam domine: ſubiunxit Machabæus noſter: Sume iſtam chirothecam, & ſi neceſſe habueris, pro ſigno oſtendas: & ſi aliquid tibi vi ſublatum fuerit, ego tibi omne damnum reſtituam. Et fecit ſic, gratia ſigni, immo timore Epiſcopi, ſua ſecurus deducens. Sicut ſcriptum eſt de Iuda, Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & protegebat caſtra Iſrael, id eſt, bona Eccleſiæ ſibi commiſſæ gladio ſuo. Natura leonis eſſe dicitur, vt proſtratis parcat, & erectos inuadat. Nouerat leo noſter, Machabæus noſter, tum ex nobilitate naturæ, tum ex zelo iuſtitiæ parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Erat enim defenſor afflictorum, & malleus tyrannorum, magnanimus & humilis, glorioſus & affabilis, rigidus & lenis, multa pro tempore diſſimulans, & cum minus ſperaretur, ad vindictam ſe accingens. Acceperat autem cum Epiſcopatu gladium ſpiritualem, & cum Ducatu gladium materialem. Vtroque gladio rebelles coercuit, quoſdam excommunicando, quoſdam per militiam debellando. Sic Machabæus prius proprio in deiectione inimicorum deinde Apollonij gladio legitur pugnaſſe. Et quid eius laudi immorer, cum gloria, diuitiis & potentia, ſicut de Salomone legitur, omnes ſupergreſſus ſit pontifices, qui ante eum fuerunt in Colonia: excepto Brunone primo,

1. Mach. 10.

1. Mach. 3.

Præclaræ eius virtutes.

Ibidem.

3. Reg. 3.

cuius

cuius gratia † Ducatus Epiſcopatui per Othonem primum imperatorem, cuius frater erat, additus eſt? In rebus exterioribus & fama ſub nullo pontifice vſque ad diem hanc, tantum Eccleſia Colonienſis profecit, quantum ſub Engelberto. Prædia pluima ſimul & feuda, Eccleſiæ diu ſubtracta, & à multis eius anteceſſoribus ſiue per impotentiam, ſiue per inualetudinem neglecta, ipſe per iudicium & ſententiam recuperauit. Puto tamen, quod iudicio vel ſententia modicum profeciſſet, ſi animi virtus & militiæ robur illi defuiſſet. Præter redditus Epiſcopales, poſt mortem fratris tenebat terram patris, de qua habebat miniſteriales multos & redditus magnos. Ob quam cauſam Ducis Vualrami, cuius filius Henricus filiam Adolphi Comitis duxerat vxorem, contra ſe non modicam excitauerat inuidiam: ſopita tamen omnia fuerant tali pacto interueniente, vt dominus Epiſcopus quoad viueret, teneret terram: ille vero ab eo ſingulis annis in pecuniis reciperet penſionem. Præterea feudis multis ac prædiis diuerſis Eccleſiam Colonienſem ditauit & ſtabilimauit, terminos eius ciuitatibus, caſtris & poſſeſſionibus ampliauit. Quædam ex his de nouo ædificauit, quædam renouauit, nonnulla pecunia comparauit. In quibuſdam ciuitatibus & turribus ſuis, ut ita ſatiſque pulchra conſtruxit palatia. Henricus Dux Lotharingiæ & princeps Imperij, probitate præſulis attractus & illectus, & quia prudens eſſet in conſilio, & validus in auxilio, quædam ſua prædia, quæ hic nominare neceſſe non eſt, de manibus præſulis Engelberti iure feudali ſuſcepit, tanto pontifici eiuſque Eccleſiæ volens aſtrictus adiungi, & bonis propriis ab eo gaudens beneficiari.

**Scilicet Lotharingiæ Vida Chro. Mag. Belg. fol. 80 l. n. 25. & 50*

Auget opes Eccleſiæ Colonienſis

Henricus Lotharingiæ ... eius feudum

VI. Iohannes Rex Hieroſolymitanus propter eum, & cum eo Coloniam diuertit: vbi tam magnificè ſuſceptus eſt, vt tam eius, quam ciuitatis gloriam admirari non ſufficeret. Quod dictũ eſt de Salomone, qui regnauit in Hieruſalẽ, quod Reges terræ deſiderauerũt videre faciẽ eius, & audire ſapientiã eius, & obtulerũt ei munera: etiã de ipſo exponi poteſt. Cognita eius ſapiẽtia atq; potentia, & quod potẽtior eſſet imperio, Reges terræ Franciæ ſcilicet & Angliæ, Daciæ, Bohemiæ & Hungariæ, miſerunt ei munera in auro & argento, gemmiſque precioſis eius adſpectu & colloquio vel pro amicitia comparanda vel pro diuerſis cauſis & neceſſitatibus vti deſiderantes. Hæc, quæ à me in eius laude ſcripta ſunt, qui legerit, & illius geſta vidit, dicere poterit, quod regina Saba Salomoni dixit: Probaui, inquit, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Maior eſt ſapientia tua & opera, quàm rumor, quem audiui. Fama nominis eius & operum tam vſque ad exteras nationes peruenerat, & timebant eum Saraceni. Cui nomen Salomonis ſatis vere congruebat, eo quod eſſet multum pacificus, pacem diligens, & pacem faciens. Gratia pacis reformandæ neque expenſis, neque corpori pepercit. Vnde ſi beati pacifici, immo, quia beati & ipſe beatus eſt. Qui cum aliquando à quærereturà religioſis, quare exactiones faceret in populum ſibi ſubiectum, humiliter ſe excuſauit, culpam recognouit, dicens ſine pecuniis pacem ſe non poſſe facere in terris. Tempore quodam de tali materia conferens cum magiſtro Iohanne Abbate ſancti Trudonis, aiebat: Magiſter, noſtis quid facere cogitauerim? Reſpondente illo, Non domine: ſubiunxit: Super omnes redditus meos duodecim ſculretos ordinare diſpoſui, vt illis cæteri adminiſtratores rationem reddant, & ex illis duodecim ſingulis menſibus ſinguli mihi meiſque adminiſtrent, & ita non erit neceſſe, vt aliena rapiam, ſiue per exactiones aliquem grauem.

Itẽque Rex Hieruſalẽ, An. 1224 vt habet Godef. Monach.

3 Paral. 9.

Aliique multi Reges 3. Reg. 10.

Matth. 5.

Nõ vult grauare ſuos exactionibus

VII. Decoraverat illum gratia diuina, ſecundum vſum exteriorem, ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, nec deerat ei ſpiritus timoris Domini. Secundum vſum exteriorem dixi, eo quod ſpiritualiter ſine charitate haberi nequeant. Statum eius interiorem Deus nouit. Sed & quidam ex eius Capellanis, qui cõſcientiam eius nouerat, de ipſo cũ Abbate noſtro conferens, ſic ait: Licet dominus meus ſecularis habeatur, nõ tamẽ intus talis eſt, qualis foris apparet. Sciatis eum multas occultas cõſolationes habere à Deo. Erat enim ſapiens ad omnia, & intelligens. Sapienter ad omnia reſpondit, & quid quiſque dicere vellet, facile intellexit. Cum veniſſent Coloniam fratres de nouo Ordine Prædicatorum, necnon & fratres, qui dicuntur Minores, & graues quidam eis eſſent ex Clero, eiſque coram Archiepiſcopo Engelberto diuerſa obiicerent, illos accuſando, reſpondit: Quamdiu res in bono ſtatu eſt, ſtare ſinite. Cumque inſtarent tam primores, quam plebani, & dicerent, Timemus ne iſti ſint illi, de quibus Spiritusſanctus per os beatæ Hildegardis prophetauit, per quos Clerus affligetur, & ciuitas periclitabitur, verbum notabile reſpondit: Si diuinitus prophetatum eſt, neceſſe eſt vt impleatur, quo verbo compeſcuit omnes. Spiritu conſilij ſic abundabat, vt in conſiliis dandis eſſet prouidus, & in reſponſionibus tam promptus, vt conſiliarij eius ſua paruipendentes conſilia, mutuo dicerent: Dominus noſter conſilium ſuum in crumena ſua portat. Spiritu fortitudinis ita pollebat, vt neque minis frangi, neque blanditiis facile flecti poſſet, os habẽs agninum: & cor leoninum. Hinc eſt, quod cum dominus Conradus Epiſcopus Portuenſis, & tunc temporis in Alemannia legatus, diceret prædicto Abbati Iohanni: Vnde eſt, quod dominus Colonienſis ita timetur? reſpondit ille: Ex quadam gratia ſpeciali Dei eſt. Spiritus ſcientiæ illi non deerat: quia tanto rationis vigebat acumine, prudenter inauditas & difficiles ſolueret quæſtiones: quod ſuo ſtudio literatiores eo, facere non poterant. Cui etiam ſpiritus pietatis tantus inerat, vt, ſi in turbis poſitus, conſideraret ex remoto Pauperem ſibi loqui volentem, nutu, ſiue per nuncium, illum vocaret, & querimoniis eius cum multa patientia perauditis, efficaciter expediret. Hoc ſæpius illi contigiſſe certum eſt. Quam pleno ſinu neceſſitatibus afflictorum ſit compaſſus, ſubiecta declarant exempla.

Teſtimonium Confeſſarij eius de illo

Dominicanorum & Minoritarum ... quid patiuntur à Clero prudẽs eius reſponſum.

Præclarum Dei donũ.

Rata virt9.

IIX. Sedente eo Coloniæ in palatio Epiſcopali in iudicio, vidua quædam cauſam habens, propius acceſſit, petens ſibi dari aduocatum qui eius querimonias proponeret. Cui beatus Epiſcopus compaſſum, aduocatorum auaritiam non ignorans, viduæ reſpondit: Bona domina, liceat tibi pro te loqui: tu melius noſti, quæ neceſſitas te vrgeat, quam alij. Dicentibus ſcabinis, Domine, hoc eſt contra ius ciuitatis: non aduertit verba illorum: hoc tamen adiiciens. Nos bene intelligimus verba eius. Alio tempore, deſcendente eo de palatio, occurrit quidam, in partibus ſuperioribus neſcio à quo ſe ſpoliatum conquerens. Qui ſtatim in gradibus gradum figens, ita vt erat veſtibus ad iter accommodis indutus, & calcaribus inſtructus, ſubſtitit, & cum multa patientia hominem audire cœpit* Mareſtallo dicente: Domine, aſcendite equum, quia via longa eſt, & tempus breue: acſi non audiret, hominem monuit, vt cauſam ſuam peroraret. Cumque iterato clamaret Mareſtallus, conuerſus ad illum Epiſcopus, ait: Modo negocium produxiſti. Cumque plene intellexiſſet, vbi vel à quo ſpoliatus eſſet homo, accito notario, literas in eodem loco & ſcribi & obſignari iuſſit eaſque viro tradens, Vade, ait, & oſtende ei qui tibi tua abſtulit, has literas: & ſi tibi non fuerint reſtituta, rurſus ad me venias, & ego tibi tantundem reddam, ſicque equum aſcendit, & abiit. Oſtendit & aliud ſignum magnæ pietatis. Anno præterito cum annona venderetur ſex ſolidis, & eo amplius, &, quod magis terruit homines, nec haberi quidem poſſet pro pecunia, naues cum annona comparans, authoritate ſua è prouincia Moguntina eas iuſſit adduci, & per cœnobia, quæ magis indigebant, diſtribui. Eodem tempore Coloniæ & per totum Epiſcopatum ſuum, ad totius prouinciæ ſubſidium, cereuiſiam coqui inhibuit, malens maximis redditibus, quos recipiebat ab illis qui cereuiſiam coquebant, carere, quam quæſtus ſui cauſa populos fame perire. Spiritu timoris Domini alienus non erat: quia nullus noſtri temporis pontificum ſummo Pontifici plus illo timoris & reuerentiæ exhibebat. Vnde cum dominus Honorius Papa mortem eius deplangeret, dixiſſe fertur hoc verbum: Omnes de Alemannia, timore eius me timebant. Nam propter obedientiam, quam Papæ & Regi exhibuit, occiſus eſt.

Nota tanti principis ſingularem humanitatem

**Mareſcalco.*

Vt proſit multis ſua lucra negligit.

IX, Religiosos, immo in religioſis Chriſtum, ita honorare ſtuduit, vt perſonis priuatis aſſurgeret, & tam humiliter

dericus cum fratribus ſuis Epiſcopis, alijſque cognatis ſuis atque conſiliariis. Vbi cum triduo pro compoſitione pacis laboratum eſſet, nulla via, quæ Friderico placeret, inueniri potuit. Indurauerat enim diabolus cor eius quaſi lapidem, & ſtrinxerat id quaſi malleatoris incudem. Eius conſiliariis tunc temporis congruebat, quod de diabolo, cuius membra per conſpirationem effecti ſunt, paulo ſuperius ad Iob dictum eſt à Domino: Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus. Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur. Ita erant, quicquid ore dicerent, conſpiratores illi in concepta malitia pertinaces & indurati, ita cohærentes & confœderati, vt nullum pacis conſilium corde poſſent admittere.

Friderieus Comes renuit pacis conditiones.
Iob 41.
Ibidem.

III. Placvit circa idem tempus Spiritui ſancto, martyrii ſui finem quibuſdam viris religioſis, idque diuerſis in locis reuelare. Monachus quidam congregationis noſtræ, iuuenis probatæ vitæ, Abbati noſtro ſecretius dicebat: Domine: ſi qua habes tractanda cum Archiepiſcopo, ne differas: qui breui morietur. Poſt dies paucos infirmarius noſter, Vuinandus nomine, pro negocio quodam ad illum Suſatum directus eſt. Qui cum in Veteri monte, domo Ordinis noſtri pernoctaret, & mane vellet recedere, Supprior ſubſecutus, ait ad eum: Eſt apud nos conuerſus quidam, ſpiritum habens propheticum, ſicuti ſæpe experti ſumus. Is tribulationem ingentem breui domino noſtro Archiepiſcopo euenturam prophetat. Quapropter rogo vos, vt moneatis eum vt cautus ſit ſeque cuſtodiat. Cui illi reſpondit, Satius eſt me id tacere, nam pro friuolo habiturus eſt. Veniens inde ad Epiſcopum, benigne ſuſceptus eſt & expeditus, nec quicquam tamen illi hac de re indicare auſus fuit. Die ſequenti Dominus Epiſcopus literas indices mortis ſuæ accepit. Quas cum legiſſet, in ignem mittens, pedibus conculcauit, ne diſcordiæ ſeminarium fierent inter ipſum & cognatum ſuum Comitem Fridericum. Recitauit tamen eas Epiſcopo Mindenſi, qui præſens erat. Cui cum diceret ille, Caue tibi domine propter Deum, non ſolum tua cauſa, ſed etiam pro vtilitate Eccleſiæ noſtræ, & totius terræ ſalute: reſpondit ille, Anguſtiæ mihi ſunt vndique, & quid mihi faciendum, Dominus nouit, prorſus ignoro. Væ mihi, ſi tacuero: ſi autem eis propoſuero, dicent, immo amicis & cognatis de me conquerentur, quod parricidij crimen eis impingam. Non ſolum de Friderico, ſed etiam de Godefrido & Vuilhelmo fratribus eius ſuſpicio fuit, & adiecit: Ego ab hac hora corpus & animam meam diuinæ committo prouidentiæ.

Religioſis quibuſdā viris martyrium eius reuelatur.
Vide animũ candidum, & pacis ſtudioſum.

IV. Assvmens qve Epiſcopum illum in ſacellum ſuum, ſolus ſoli cœpit confiteri omnia peccata ſua ab ineunte ætate, cum tanto imbre lachrymarum, vt totum pectus eius infunderent, & cordis maculas crebris ſtillicidiis, vt ſperamus, diluerent. Cumque diceret ei dominus Mindenſis, Timeo adhuc latere in conſcientia veſtra, quod mihi dictum non ſit: reſpondit beatus ille: Dominus ſcit me ex induſtria nihil ſubticuiſſe. Poſtea tamen plenius cogitans de peccatis ſuis, ſummo mane in priorem locum ducens confeſſorem ſuum confeſſor Domini, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito, quod memoriæ occurrerat, ruſus cum tantis lachrymis confeſſus eſt, vt in tali perſona talem gratiam lachrymarum Epiſcopus Mindenſis mirari non ſufficeret, & ille merito cum Propheta dicere poſſet: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodiui legem tuam. Teſte eodem Epiſcopo, cuius relatione hæc comperta ſunt, ſic ſeſe contritione cordis coram Domino mactauit, ſic ſe oris confeſſione mundauit, tam ſolicite vtraque iuſtificatione ſe præparans, acſi ipſa die moriturus eſſet. Poſtea conſcientia ſerenata, confidenter ait: Modo voluntas Dei de me fiat. Ecce ſic verus & ſummus ſacerdos homo Chriſtus Ieſus qui ſe in ara Crucis offerri dignatus eſt hoſtiam propiciationis pro peccatis noſtris ſacerdotem pœnitentem profluuio lachrymarum ſuarum abluere & emundare voluit, vt Deo patri per martyrium offerendus in holocauſtum, eſſet hoſtia pura, hoſtia ſancta, hoſtia placens & immaculata. Sacerdotes veteris teſtamenti, hoſtias offerendas prius lauabant. Interim pulſabatur ad oſtium ſacelli, ſed non permiſit aperiri dominus Archiepiſcopus, eo quod haberet oculos ex fletu adhuc tumidos & humidos. Cumque pulſando perſeuerarent, dicerentque Monaſterienſem & Oſnaburgenſem Epiſcopos ad oſtiũ ſtare, poſtquam oculos extersit & faciem ſiccauit, permiſit eos intromitti: quibus & ait: Vos domini ambo cognati mei eſtis: ego, ſicut optime noſtis, in nullo vos læſi, ſed quantum potui, ſemper promoui. Et ecce à diuerſis, tam literis quam verbis, indicatur mihi, Comitem Fridericum fratrem veſtrum, quem ex animo dilexi, & cui non nocui, malum mihi machinari, meque velle occidere. At illi ſimulantes, quod in pectore non habebant, pauidi reſponderunt: Abſit hoc, domine, abſit: nihil neceſſe eſt vos hoc reformidare, quia nunquam aſcendit in cor eius. Omnes per vos ditati, honorati & ſublimati ſumus. & hoc quidem veriſſimum erat. Nam Theodoricum, electus in Archiepiſcopum, ſtatim promouit in ſummi templi Præpoſitum, ac deinde in Monaſterienſem Epiſcopum: Engelbertum vero in Præpoſitum S. Georgii, & poſtea in Epiſcopum Oſnaburgenſem: & Philippum fratrem illorum, in ſumma Colonienſi eccleſia Canonicum, & theſaurarium fecit. Atque eo tempore qua occiſus eſt, operam dabat, vt Bruno frater eorum Præpoſitus fieret ſummæ ædis Traiectenſis. Quæ idcirco commemorare volui, vt lector cognoſcat, qualem ei vicem rependerint. Reuera retribuerunt ei mala pro bonis: & cum loqueretur illis & pro illis bonum, impugnabant eum gratis.

Cũ multis lachrymis confitetur Engelbert⁹ peccata ſua.
Pſal. 118.
Leuit. 1.
Epiſcopis Fratribus Frederici indicat, quid ad ipſum perlatum ſit de cæde ſua.
Rependunt ei mala pro bonis diſſimulatores impij.

V. Comes Fridericus vt conceptam malitiam melius diſſimulare poſſet, pro bono pacis ipſi à domino Epiſcopo oblata verbotenus acceptauit, cum eo à Suſato exiens, eumque tam familiariter deducens, vt ei Epiſcopus diceret: Cognate, cum multa iucunditate ſimul aſcendemus ad ſolennem Regis & principum conuentum qui Nurenbergæ celebrabitur. Sciens autem Fridericus quod, poſtera die dedicaturus eſſet eccleſiam in Suuelme, oblata hac occaſione, exemplo Iudæ petiit licentiam ab Epiſcopo diſcedendi, ſicque ad ſatellites ſuos rediit, eoſque diuerſis in locis inſidias tendere iuſſit, quidque facerent inſtruxit, & omni quo potuit ſtudio ad facinus animauit. Erat tum ſexta feria poſt feſtum omnium Sanctorum, & Domini electus eodem die Sanctis omnibus per meritum paſſionis ſociandus, ad dedicationis locum ieiunus venire conſtituit. Eodem autem die occurrit ei vidua quædam, ſuper duabus cauſis ſub diuini nominis obteſtatione iudicium illius flagitans. Cuius vociferatione ſacerdos Dei commotus, ne in hoc inferior videretur iudice illo iniquitatis, de quo Dominus dicit in Euangelio, quod nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur: mox de equo deſcendit, & ſede compoſita loco Ducis ad iudicandum ſedens, ſuper feudo, de quo vidua conquerebatur, ſententiam quæſiuit & accepit. Audiens vero pro ſe & contra viduam ſententiam eſſe latam, ex multa cordis commiſeratione protulit verbum memoria dignum: En domina, inquit, feudum hoc, de quo conquereris, tibi per ſententiam ablatum, mihique adiudicatum eſt. Sed ego propter Deum, dolens miſeriam tuam, id tibi relinquo. Porro alterius negocij tui ad me non pertinet querimonia. Simile quiddam legimus in Romana hiſtoria de pio principe Traiano: qui cum eſſet in expeditione poſitus, & militia vallatus, vidua illi vetuſtiſſima in foro occurrit, & iniuriam ſuam illi conqueſta eſt. Cumque ille diceret ſe ius ei dicturum cum rediret, & illa reſponderet incertum eſſe reditum eius: mox dominus orbis ſubſtitit, viduam audiuit & vindicauit, omnia illi reſtituens. Amplius aliquid operatus eſt princeps noſter. Traianus per iudicium viduæ fecit iuſtitiam: Engelbertus omne iudicium conuertit in miſericordiam. Et quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſi Imperator illam humanitatem exercuit zelo iuſtitiæ, non appetitu ſecularis gloriæ, poterat ei eſſe ad mitigationem pœnæ, quod ſacerdoti Domini, ob quod eſſet vir catholicus, contritus & confeſſus, meritorium fuiſſe creditur vitæ æternæ. Opus Imperatoris,

Simulat pacem Fridericus.
Luc. 18.
Singulari humanitate ſatisfacit viduæ ſua petenti.
Traianus Imperator.
Heb. 11.

tis, cum extra charitatem factum ſit, mortuum remanſit, Opus vero epiſcopi, quod ex charitate factum ſperamus, ad martyrij gloriam valde eum habilem reddidit. VI.

Fridericus Comes eius iter explorat.

Cvm autem Epiſcopus properaret ad locum deſtinatum, Comes Fridericus circa meridiem venit ad eum, certior fieri cupiens quo tenderet, & qui vel quot cum eo eſſent. Epiſcopus illum ſalutat, vtque apud ſe pernoctaret, plurimum inuitat: ſed ille non acquieſcit, aliquid ſemper, vt prius, cauſæ prætexens. O cor agninum, ô oculum columbinum. Cor ſine felle, oculus ſine ſuſpicione. Inuitat amicus hoſtem, domeſticus latronem, hoſtia carnificem. Comite recedente, & pontifice procedente, tempus adeſt veſpertinum. Veſperis vero dictis, rurſus adeſt Comes. Eum cernens eminus Conradus Comes Tremoniæ, ait ad Epiſcopum: Domine, creber Comitis huius acceſſus & receſſus mihi multum eſt ſuſpectus. En nunc tertio venit, & non, ſicut ante, in paleſrido, ſed in dextrario. Conſulo vobis, vt & vos dextrarium veſtrum aſcendatis. Cui ille reſpondit: Hoc nimis eſſet notabile. Non enim timeo: quia non nocui illi. Cumque appropinquaret, viderunt vultus eius colorem penitus immutatum. Heu quam difficile eſt, vt quidam ait, crimen non prodere vultu. Cœpit autem eum alloqui Epiſcopus, & dicere: Sciebam cognate, quod tandem maneres mecum: ſed ille nihil reſpondit, conſcius ipſe ſibi: pergebantque ſimul. Ea cauſa quidam tam ex Clericis, quam ex militibus ſuſpicione territi, ab illorum ſe comitatu ſubduxerunt. Magna vero pars Epiſcopalis familiæ cum cocis iamdudum ad hoſpitium præparandum præceſſerat, & pauci cum pontifice remanſerant. Sole properante ad occaſum, hoſtia cum immolante properat ad aram, vt fieret Domino ſacrificium veſpertinum, quod dignius erat in lege. Paſſus eſt Chriſtus ſexta feria, hora ſexta, ſcilicet in meridie, vt declararet ſe mediatorem eſſe Dei & hominum: Engelbertum vero pati voluit eadem feria, ſed in fine diei: vt oſtenderet eum per bonum finem, non per præcedentem vitam, coronatum. Per caudam hoſtiæ, bonus finis deſignatus eſt in lege. Hoſtiam ſine cauda offerre non licuit: neque Deo vita bona ſine bono fine placebit. Sciens ſcriptum beatus ille, Qualem te inuenero, talem te iudico: maxime à religioſis expetere ſolebat, quatenus ei finem bonum ſuis orationibus apud Deum obtinerent: quod & factum eſt eo, quo iam dicemus, ordine

Non cauet ſibi ab inſidiis Friderici.

Leuit. 3.

Circa crepuſculum ventum eſt ad locum inſidiarum, & ecce Comes enormitatem concepti facinoris conſiderans & abhorrens, dicere cœpit ad ſuos: Væ mihi miſero. Quid eſt, quod facere volui, vt dominum & cognatum meum occiderem? Sed mox illi, quos ipſe iam ante flatu Behemoth ſuccenderat, eum rurſus inflammantes, adeo ad facinus inſtigauerunt, vt inſtar colubri venenum, quod ad breue tempus euomuerat, ardentius reſorberet & reſumeret: ſtatimque cum Heriberto de nece Epiſcopi tractans, voluntatem ſuam ei expoſuit. Ille confeſtim, vt edoctus fuerat à fratre ſuo dapifero, aſſumpto ſecum Heriberto de Suneren, dominum Archiepiſcopum præceſſerunt, & cum in aſcenſu montis eſſet, Comes ait: Domine, hæc eſt via noſtra. Cui Epiſcopus reſpondit: Dominus nos cuſtodiat. Non enim ſine ſuſpicione fuit. Tunc parum expectans Comes, alios famulos poſt eum miſit, præcipiens eis, vt Heriberto aſſiſterent in eo, quod ille moliturus eſſet. Cumque iam concauam viam, quæ in* ſummitate duabus hinc inde ſemitis cingebatur, dominus Epiſcopus ingrederetur, præmiſſi ſerui Comitis cum tanto ſtrepitu aditum præoccuparunt, vt etiam ipſe pontifex, ſicut hodie teſtis eſt Cellarius de Hemmerode, turbatus miraretur. Alij à dextris, alij à ſiniſtris gradiebantur, quidam vero retro cum Comite inſidias obſeruantes, ſequebantur. Tunc Heribertus ſignum eis dans, qui in latebris erant, tam horrificum edidit ſibilum, vt non modo homines proditionis ignari, ſed etiam equi, quibus inſidebant, ſtuperent. Mox ij, qui præceſſerant, extractis gladiis reuerſi ſunt. Id vbi conſpexit miles quidam, qui inter illos & Epiſcopum erat, territus clamauit: Domine, aſcendite cito dextrarium veſtrum, quia mors in ianuis eſt. Ducebatur enim dextrarius à tergo eius à nobili adoleſcente de Hemitsbach. Videntes autem famuli Comitis, quod dextrarium aſcendiſſet, obiecerunt ſe ei, & vnus ex illis vulnerauit eum grauiter in crure, nullo eum defendente, excepto milite Cunrado de Tremonia, qui diſtricto enſe Heriberto Rinckore ſe obiecit, quem tamen is Heribertus anteuertens, dire in fronte percuſſit: & cum ſe ab illo Cunradus auerteret, alio ictu inter ſcapulas eum vulnerauit. Atque hic eſt ille Heribertus, qui paulo ante dominum Epiſcopum præmonuerat, vt ſi ſecus, quam ipſe ſperabat, res eueniret, excuſare ſe poſſet. Vt autem viderunt hæc illi, qui erant cum Epiſcopo, omnes relicto eo fugerunt: & impletum eſt in illis, quod per prophetam de capite noſtro ſcriptum eſt. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. Quid poſt hæc de illo geſtum ſit, tum propter ſuorum fugam, tum propter imminentem noctem plene ſcribi non potuit. Sed ecce nutu Dei actum eſt, vt Comes Fridericus ab Vrbe rediens, Coloniam captiuus adduceretur, ex quo martyrij eius ordo modusque cognitus eſt. Is enim facinus ſuum palam confeſſus, parricidij reos nominatim expreſſit, etiam fratres ſuos de reatu accuſans. Captus eſt cum eo, & milite quodam, Tobias notarius eius: qui in vinculis poſitus, ad preces quorundam Canonicorum, qui me ad ſcribendum amplius ſolicitarunt, vt verius ſcribi poſſet, quemadmodum & à quibus occiſus eſſet Epiſcopus, ipſe conſequendæ veniæ manifeſtauit, Deum teſtem adhibens, ſe vera dixiſſe, prout ipſius Comitis in agone, & aliorum nefandorum Romæ confeſſio patefecit. Vt ergo Tobias ille ſcripſit, cum dominus Epiſcopus in via concaua poſitus adhuc eſſet, ſatellites præire iuſſi, tanta vi arrepto freno dextrarium eius verterunt, vt frenum ei è manibus extraherent: cumque ex vtraque parte alio diuertere non poſſet, quod via arcta & concaua eſſet, per mediam illam fugere cœpit. Iis autem eum inſequentibus, Ioachim dextrarium eius in femore vulnerauit: & cum ex neutra parte in via eum antecedere poſſent, Heribertus extra viam cum equo exiliens, in* acutiſſima ſemita, ſicut ipſe confeſſus eſt, eum præueniens, per capitium arripuit, & eum ex latere ad ſe inclinans, ſecum in terram traxit. Sed mox violenter ſurgente beato Epiſcopo, quia fortior illo erat, cum extra viam in rubo Comes audiſſet, propius accedens, clamaſſe dicitur: Apprehendite & tenete eum, quia fortior nobis efficitur vir. Cumque verba ſupplicationis ederet Epiſcopus & diceret, Sancte Petre, quid mihi imputant homines iſti? frendens Fridericus ait: Cædite latronem, cædite qui & nobiles exhæredat, & nemini parcit. Tunc Giſelbertus videns Heribertum chlamydi eius inhærentem, ocyus deſcendit, & furibunde accutiens, primum vulnus capiti eius inflixit, ſecundo ictu vibrans ferrum, manum eius, vt puto amputauit, corpusq; eius gladio transfixit. Tobiæ ſunt hæc. Eadem hora Iordanus, qui ab eo proſcriptus fuerat, ſuperueniens, maximum vulnus capiti eius impoſuit, quemadmodum in Iſenburg iactitauit, ſemel atque iterum dicente Epiſcopo: Eheu, eheu. Tum ſeorſum eum inclinantes, Heribertus primo cultello eum perfodit, Comite, vt aiunt, eiulante & clamante: Heu me miſerum: nimium eſt. Cum autem Giſelbertus caput ei præcidere vellet, à Godefrido, quem Comes ad prohibendum miſerat, per capillos abſtractus eſt. A quercu autem, vbi primo cædi cœperat, vſque ad locum, vbi detractus eſt & extractus, vbi hodie ſuper martyrium eius ſacellum fabricatum eſt, vix decem paſſus diſtant. Vbi ſuper eum velut canes rabidi ac famelici, filij perditionis congregati, cultellis acutiſſimis ad hoc præparatis ſic totum corpus eius perfoderunt, vt à vertice vſque ad plantam nulla pars corporis à vulnere vacua remaneret, ita vt dicere poſſet cum Propheta in perſona Chriſti, cuius membrũ effectus eſt pro iuſtitia moriendo: Circumdederunt me canes multi: conciliũ malignantiũ obſedit me, &c. Porro vnus ex eis, inſtar eius qui latus Domini lancea aperuit, fertur eũ ſub pede incidiſſe, exploraturus an extinctus eſſet. Deinde ad equos ſuos ſinguli reuertentes, ad Comitẽ conuenerunt, corpore Epiſcopi in terra relicto. O cæcã temeritatẽ ô furorẽ mille mortibus plectendũ, ô rabiẽ non hominũ, ſed belluarum, quæ non eſt verita tam audacter, tã crudeliter, tã viliter & indigne occidere Chriſtum Domini, ſacerdotem Domini, pontificem magnũ, & non qua ẽ-

Sceleris immanitate terretur Fridericus, ſed à ſuis animatur.

Fuit hic Heribertus cognominatus Rinckore.

*montis ſcilicet Geuelsberg.

Miſere circumuenitur beatus Epiſcopus.

Primum vulnus in crure accipit.

A ſuis deſeritur

Zach. 13.

Tobias notarius totũ martyrij ordinem pandit.

Vel * arctiſſima.

Horrendũ in modum trucidatur.

Innumeris vulneribus conficitur

Pſal. 21

Iohan. 19.

VII.

cunque

cunque pontificem, ſed pontificum patrem ac principem: & quod magis terrere debuerat, Ducem fortiſſimum, & Romani Regni tutorem. Patrato tanto parricidio, homines malo dæmone pleni cum ſuo Comite, immo totius malitiæ fomite recedentes, Domini ſacerdotem, acſi vnctus non eſſet oleo, liquerunt in ſterquilinio. Miles autem quidam Leonies nomine, qui illi adhæſerat, cum primum detentus, & vulneratus fuit, Henricum Cellarium de Hemenrode, qui paulum præceſſerat, ſubſecutus, ait ad eum: Heu domine Cellarie, quid faciemus? Dominus noſter Archiepiſcopus grauiter vulneratus eſt, & à Comite Friderico captiuus abductus eſt. Cui ille, ſupra quam credi poteſt turbatus, reſpondit: Pium eſt, vt reuertamur & videamus, quid circa illud agatur, vel quorſum abducatur. Cumque ſimul reuerſi eſſent ad locum cædis, audiunt clamores carnificum illorum in nemore errantium. Erat enim nox, & cum vndique circumſpicerent, offenderunt corpus martyris extinctum, confoſſum, ipſoque adſpectu nimis horrendum. Valde igitur conſternati, ſuadente Cellario, ne à feris corpus exanime, ſi illic nocte remaneret, indigne attrectaretur, abeunt ad proximas ædes, atque inde bigam ſtercorariam, qua illa die fimus euectus fuerat, adducunt: & ecce corpus clariſſimi principis, quod ex parte veſtitum reliquerant, pene totum reperiunt nudum. Nam præter femoralia & ſubuculam, quæ collo eius adhærebat, nihil ei reliquerant: diploidem vero & pileum eius iuxta corpus inuenerunt. Quæ omnia ita erant ſanguine infecta & dilacerata, vt tanquam nulli vſui accommoda ſpoliatores illi neglexerint. Per quæ tamen hodie multi ſanitatis beneficia conſequuntur. Cellarius vero & miles atque eleemoſynarius corpus tollẽtes, & linteamini inuoluentes, vehiculo impoſuerunt. Cumque Suuelme illud perduxiſſent, & in eccleſia ponere decreuiſſent, non permiſit ſacerdos, contaminationem baſilicæ prætexens, cum potius ſanguine martyris dedicaretur. Sed propter hoc & alia quædam, quibus martyris gratia ſe indignum reddidit, vſque hodie ſatis grauiter in ſuo corpore diuinitus flagellatur. At tamen poſitus eſt in eadem domo, in qua pernoctare & comedere propoſuerat ſacerdos Dei viuus, duæque candelæ dedicationi præparatæ illic collocatæ ſunt, vna ad caput, altera ad pedes. Cum autem inter ſe vigilias noctis partiti eſſent, & Cellarius vſque ad mediam noctem corpori aſſideret, preceſque horarias beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ lectitaret, ſicut hodieque teſtis eſt, nunquam aliquid horroris ex contactu illius, vt de cadaueribus occiſorum fieri aſſolet, paſſus eſt. Haud dubium quin ex præſentia ſanctorum Angelorum gratia hæc extiterit, qui apud corpus martyris cæleſtes excubias celebrabant. Fuerat autem is Henricus Cellarius ante conuerſionem miles, & tanto fortaſſe ac huiuſmodi opus expeditior & audacior, quanto aſſuetior.

Relinquitur corpus ſancti viri ab impiis occiſoribus inſepultum.

Diploidem Author vocat Vv[illegible] ſium F[illegible] ſtra proxima ſubuculæ.

Sacerdotis cuiuſdã temeritas punitur à Deo.

VIII. Mane martyris corpus currui impoſitum eſt: cumque illud deducerent, plures ex familia Epiſcopi, qui timore mortis diſperſi fuerant, deducentibus adiuncti ſunt. Venientibus autem ad nouum caſtrum, quod beatus Epiſcopus ſuis expenſis ædificauerat, cum intrare vellent, vt illic corpus lauarent & componerent, negatus eſt introitus, timore, vt æſtimo, Henrici nunc Comitis de monte. Sed Randulphus Prior Montenſis cœnobij, ante caſtrum illis occurrit, eoque duce ad monaſterium feſtinatum eſt. Cumque appropinquarent monaſterio, fratres cum Cruce & thuris ſuffitu eis obuiam proceſſerunt. Corpore ſacro in feretrum de curru depoſito, quidam è ſenioribus Henricus nomine, nunc eiuſdem monaſterij prior, linteamen de capite martyris remouit, vultum eius cruentum & confractum fratribus oſtendens. Quo viſo, lachrymati ſunt valde, tam dilecti patris morte, & tali morte plurimum conſternati. Specialiter enim ille dilexerat Montenſe cœnobium, vtpote ab eius proauis fundatum. Henricus vero cum ob cruris infirmitatem vno pede nutaret, cogitans beatum virum à nocentibus innocenter occiſum, brachium eius nudum nuda manu tetigit, & plena fide eandem benedictionem ad crus nudum tranſmittens, gradum pedis vacillantis roborauit. Nam ſicut ab eius ore nuper audiui, ipſa hora cœpit lenius habere, & gradatim proficere. Deinde cum vocibus lachrymoſis corpus in oratorium illatum eſt, & eadem nocte quibuſdam fratribus mirificæ viſiones de gloria martyris in ſomnis oblatæ ſunt. Poſtea magno ſtudio corpus eius in cœnobio lotum & euiſceratum eſt, myrrhaque & ſale conditum, & veſtibus ſacerdotalibus decenter indutum. Numerata tum ſunt in martyris corpore quadragintaſeptem vulnera, exceptis paruis punctionibus: nec hoc ſine ſacramento. Nam quadragenarius numerus eſt pœnitentiæ: ſeptenarius vero, ſpiritualis gratiæ. Accepit igitur Chriſti martyr quadragintaſeptem vulnera, vt iis ſignificaretur per cordis pœnitudinem & oris confeſſionem accepiſſe eum ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, cuius dona perductus eſt ad martyrij gloriam. Nulli dubium eſt, quin vera contritio & vera confeſſio deleat peccata quoad culpam, & ſatisfactio exterior pœnam, ita tamen, ſi contritio ſit ſufficiens. Quæ vero ſatisfactio dignior & efficacior martyrio? Nulla prorſus. Duo ſunt, per quæ plena fit remiſſio, mediante contritione in adultis, baptiſmus aquæ & baptiſmus ſanguinis. Vtroque ſatisfecit Deo beatus Engelbertus. Quicquid enim macularum poſt primum contraxit, ſecundo, vt ſperamus, totum diluit. In omnibus ſiquidem membris, in quibus peccauerat, punitus eſt: In capite quidem multipliciter, ſicut apparet in eius pileo, ſcilicet in vertice, in fronte, in occipite, in temporibus, labiis & dentibus, idque tam grauiter, vt riuuli ſanguinis inundantes & decurrentes foſſas oculorum, aurium, narium & oris implerent. In gutture etiam punitus eſt, itemque collo humeris, dorſo, pectore, corde, ventre, coxis, cruribus & pedibus; vt cognoſcas lector, quali baptiſmo Chriſtus in martyre ſuo diluere dignatus ſit, quicquid culpæ contraxerat.

Honorifice a fratribus Montenſi cœnobij, corpus martyris excipitur.

Innocẽter, pro, immerito.

Miraculũ.

Viſiones de gloria eius.

Nota, corpus eius quadraginta ſeptẽ vulneribus confoſſum.

Martyriũ, baptiſmus ſanguinis dicitur.

IX. Feria ſecunda pontificis corpus Coloniam perducitur, & ad gradus eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis, cum mœrore totius ciuitatis excipitur. Quantus tum illic fuerit gemitus, dolor, planctus Clericorum, clamor & vlulatus eorum, qui erant in miniſteriis, plebis diuerſi ſexus & ætatis quanta vociferatio, paſtoris ſui mortem deplorantium, probitatis eius inſignia commemorantium, & Friderico mille mortes imprecantium: nullius vox dicere, nullus ſtylus conſcribere ſufficit. Præferebatur feretro interula, martyris ſanguine purpurata, quæ ad commiſerationem mouit vniuerſos. Nec mirum, ſi Colonia tanto paſtore viduata planxit. Erat enim ille maxima columna templi, honor Cleri, inter proceres regni formoſiſſimus, patriæ pater, & vt breuiter dicam, ſpeciale decus ſui temporis. Tam autem fidelis fuerat Eccleſiæ ſibi commiſſæ, vt quodam tempore vni è miniſtris ſuis dixerit: Non in tam ſolicitus es, vt liberis tuis, quos vnice diligis, amplam relinquas hæreditatem, quam ego ſolicitus ſum, vt beatum Petrum & Eccleſiam eius hæreditate ditem. Reipublicæ quoque tam fuit vtilis, vt neque corpori, neque expenſis parceret, modo prodeſſet multis. Deportatur inde corpus martyris per curiam Epiſcopalem cum lachrymis multis, cum Crucibus & thuribulis in domum beati Petri, ibique deponitur, multaque ei beneficia per multos dies tam in Miſſis, quam in Pſalmis more Chriſtiano impenduntur. Diu enim in illa eccleſia manſit corpus inhumatum, quod per futurum antiſtitem primores, & qui miniſteriis fungebantur, illud conuentui principum præſentare, & de percuſſoribus eius conqueri ſtatuiſſent, ſicut & factum eſt. Ea n. cauſa factũ corpus coquentes carnes ab oſſibus ſeparauerunt. Sicut aũt teſtantur qui aderant, ita martyris caluaria gladiis cædentiũ confracta & cõminuta fuerat, vt de caldario corpore extracto, particulatim vix poſſet coniungi. Cum triſtis rumor occiſi pontificis Eccleſiam perturbaſſet, Dux Vualramus dolorem ſuper dolorẽ eius addens, tertia die à cæde eius, antequam corpus eius veniſſet Coloniã congregato milite copioſo & multis ruſticis, caſtrum Valantiam, quod beatus vir ad munimentũ terræ non longe à caſtro Rodenſi, maximo ſumptu ædificauerat, abſens obſedit, & poſt paucos dies cum magno ſuorum tripudio deiecit. Nam propter Epiſcopi repentinum interitum, & Vualrami improuiſum aduentum, qui in caſtro erant, propter penuriã annonæ, armorum, & propugnatorum, hoſtibus ſe dediderunt. Vualramus vt à facto excuſare ſe poſſet, ſicut & fecit, præſens adeſſe noluit: ſed fratrem

Summò omnium dolore corpus Coloniã infertur.

Quantum amarit Eccleſiam ſuã.

Defertur corpus eius in Eccleſiam S. Petri Apoſtoli.

Caſtrum Valantiã Duce Vualramõ diruitur.

ſuum

ſuum Gerardum cum filio Vualramo ad caſtrum deſtruendum miſit. Aiebat enim in ſuam ignominiã illud extructum:

Vltio diuina.

Gerardus vero, qui in caſtro diruendo multum feruebat, eodem die, quo ſolenne tricenarium eius, qui caſtrum extruxerat, agebatur Coloniæ, vita priuatus, in Vuaſſenberg ſepultus eſt. Eum poſt quinque menſes frater eius Dux Vualramus ſecutus, eandem viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Poſt cuius mortem dum filij eius Vualramus iunior & Comes Henricus, graui admodum infirmitate correpti, ſatis vexati ſunt, nec adhuc plene conualuerunt. Cauſam vero tum mortis illorum, tum horum malæ valetudinis Deus nouit.

Apparet Epiſcopus ſacrificãti.

Sexta illa feria, qua caſtrum fuit euerſum, ſeptenarium martyris agebatur. Cuius rei gratia ſacerdos quidam, X.
Ludouicus nomine, regularis canonicus S. Gabrielis in Rode, eiuſdem vocabuli caſtrum vicinum pro anima martyris Miſſam celebraturus aſcendit. Cumque dictis ſecretis, poſt Sanctus Canonem inchoaret, ecce ſanctum Epiſcopum pontificalibus indutum, vultu hilari ſacro altari adſtare videt: & cum Crucis ſigna exprimeret ſuper panem & calicem, beatus pontifex per totum Canonem ſacerdoti ſe conformans, eodem modo & iiſdem vicibus ſancta conſignauit, dexteram eleuans. Cum autem ventum eſſet ad eum locum, vbi defuncti nominantur, & eum ſacerdos nominaſſet, expleto ſacramento, ait illi Epiſcopus: Frater, non eſt neceſſe, vt inter mortuos me nomines. Sum enim cum Deo, & in choro martyrum gaudio fruor ineffabili, & adiecit: Noueris pro certo, quod omnes illi, qui me occiderunt, vel quorum conſilio occiſus ſum, male peribunt, idque citius, quam credi poſſit. His dictis, diſparuit: Ludouicus vero Miſſa completa, omnibus quæ viderat, indicauit, teſtem Deum adhibens ita ſe habere.

Prædicit illi celerem vindictam in percuſſores ſuos.

Sequenti die, id eſt, ſabbato, caſtro Valantiæ deſtructo; turris à Clero Coloniæ erecta eſt contra faciem Da- XI.
maſci. Cum autem ſtatus regionis ex morte pontificis valde turbatus eſſet, timerentque primores & Clerus, ne forte ciues cum Vualramo propter priuilegia, quæ Dominus Engelbertus communis vtilitatis cauſa confecerat, aliquid contra Eccleſiæ libertatem molirentur, ſicut eis poſtea dure ſatis impoſitum eſt, diem, qui eſt decimus primus Calendas Decembris, qui nonus erat à cæde pontificis, electioni præfixerunt. Quo die, mediante & cooperante domino Theodorico Treuirenſi Archiepiſcopo, Henricus Bonnenſis Præpoſitus in paſtorem & Archipræſulem conſenſu vnanimi electus eſt. Quo iuxta morem in Epiſcopi ſede reſidente, clamores miniſtrorum, id eſt, eorum, qui miniſteriis fungebantur, de nece domini ſui conquerentium, renouati ſunt; & ab eis interula martyris in ſinum eius depoſita eſt. Ille vero, vt aiunt, mox iurauit ſe ſanguinem eius quoad viueret, vindicaturum. Quam ſtudioſus autem & feruens hactenus & fuerit & ſit in ea vindicta perſequenda, ita vt neque corpori, neque pecuniis parcat, ſequentia declarabunt. Eo quidem die, quo ſacerdotio initiatus eſt, ad gloriam martyris dilatandam, coram altari beati Petri exiguitati meæ humiliter ſatis iniungere dignatus eſt, vt quæ ab eo inſigniter geſta ſunt, & miracula quæ per eum Dominus operatur, ad poſterorum notitiam ſcripto tranſmitterem. Cumque me excuſarem, & dicerem, mihi id non licere, Priori meo, qui præſens erat, præcepit, vt me cogeret obedire: quod & fecit. Itaque cum multos in ſua diœceſi habeat viros ſapientes & eloquentes, vtpote theologos, rhetores & philoſophos, qui beati anteceſſoris eius vitam, martyrium & miracula eleganti ſtylo ſcribere, & floribus rhetoricis ornare poſſent, ſi materia laude digna, ſermone inculto à me tractata fuerit & explicata, non mihi, quem cogit obedientia, ſed illi potius, qui iniunxit, imputandum eſt.

Henricus Comes de Molenarck creatur Colon. Archiepiſcopus.

Perſequitur Engelberti percuſſores

Infenſus eſt Vualramo Duci.

Cum in ea electione præſentes adeſſent dux Vualramus, & filius eius Henricus, intantum commotus eſt Archi- XII.
epiſcopus electus, vt feuda, quæ Vualramus à beato Petro habebat & quæ filius eius habiturus erat, porrigere recuſaret, idque ob ſupradicti caſtri deſtructionem. Cuibus etiam negauit gratiam ſuam ob priuilegiorum concremationem, & ſocietatem cum Vualramo initam, atque etiam ob alia quædam, de quibus omnibus non eſt huius temporis texere hiſtoriam.

Anno 1226.

In Comitiis oſtenditur cæſus martyr.

Fridericus proſcribitur.

Ascendens inde Francofurtum ad colloquium Regis electus Epiſcopus, corpus martyris duobus Abbatibus XI''
Ordinis Ciſtertienſis deferendum commiſit, puta Godefrido Abbati Montenſi, & Henrico Abbati Vallis S. Petri. Cumque præſentatum eſſet corpus Henrico Regi atque principibus, & cum eo mortis eius inſignia, interula, diplois & pileus: iis, qui corpus præcedebant diſtrictis gladiis, vt habent legum iura, contra Fridericum latronem vociferantibus, turbatus eſt Rex, & omnes, qui cum illo erant: maxime autem Rex puer, qui perinde vt lugere ſolet filius patrem, & puer tutorem ſuum, extinctum planxit Epiſcopum: Proſcriptionem vero Friderici in celebri conuentu Nurenbergenſi factam renouauit, omnibus ei abiudicatis tam allodiis, quam feudis. Feuda libera abiudicata ſunt minus ſuis: allodia proximis, miniſteriales ſiue miniſtri & homines à iuramento ei præſtito abſoluti. Vxor eius vidua, liberi eius orphani ſunt iudicati. Electi quoque Archiepiſcopi nomine illic denunciatum eſt, quicunque Fridericum captiuum ei exhiberet, illum mille marcas Colonienſes ab eo recepturum. Infeudatus inde à Rege electus Archiepiſcopus, cum corpore martyris Moguntiam deſcendit, vbi dominus Cunradus Portuenſis Epiſcopus, & legatus in Aduentu Domini Concilium celebrauit. Ibi eius præcepto congregati erant diuerſarum vrbium Epiſcopi, & Abbates multi. Is ob necem præſulis multum conſternatus, in ſermone ſuo multis cum in eodem Concilio præconiis extulit, martyrem prædicans, & ceteris Epiſcopis, qui bonis Eccleſiarum ſuarum cognatos & nepotulos ſuos infeudant, vel dum ea illi diripiunt, diſſimulant, exemplum eum ſtatuens. In eodem Concilio ab illo totius Germaniæ legato Cunrado, Fridericus Comes etiam ſpiritali gladio punitus eſt. Cum enim eum excommunicaret cum vniuerſis Eccleſiarum prælatis illic congregatis, præcepit per omnes prouincias legationis ſuæ, id eſt, Moguntinenſem, Colonienſem, Treuirenſem, Bremenſẽ & Magdeburgenſem, in omnibus eccleſiis per omnes Dominicas cũ extinctione candelarum eum excommunicari: nec eum ſolum, ſed etiã oẽs eius adiutores, à quibus, vel quorũ conſilio occiſus eſt præſul: itemque omnes, qui reos necis eius fouerent, vel eis communicarent. Exhibitæ quoque in eodem Conſilio ſunt Cunrado Legato literæ Theodorici Monaſterienſis Epiſcopi, & Engelberti electi Oſnaburgenſis, germanorum fratrum Friderici: quorum prior de ſacrilegio ſe excuſauit, paratum ſe dicens canonice ſe purgare: alter Epiſcopum ordinari ſe petiit. Reſpondit Legatus, ſe proniorem ad parcendum, quam ad puniendum, modo ſe excuſare poſſint: diemque eis præfixit, quo ſe purgarent in Conſilio Leodienſi. Quo cum veniſſent, nobilibus conductum eis ex mandato Cardinalis Legati præſtantibus, nec ſe canonice cum ſeptem Epiſcopis purgare poſſent, primoribus Colonienſibus, multiſque aliis eos accuſantibus, Legatus ex conſenſu Epiſcoporum plurimorum, qui præſentes erant, ad dominum Papam illos tranſmiſit: cui etiam inter cætera hæc ſcripſit: Examini veſtro dirigimus hos duos Epiſcopos, grauiter de domini Engelberti nece infamatos.

Concilium Moguntinum.

Fridericus à Legato & ſynodo excommunicatur.

Concilium Leodienſe.

Vt autem ad ſuperiora redeamus, corpus martyris à duobus ſupradictis Abbatibus per Rheni alueum XIV.
Coloniam reducitur. Cumque veniſſent contra Vueſſeling pagum, duobus milliaribus à Colonia diſtantem, miles quidam Arnoldus nomine, è litore proſpiciens, vbi didicit pontificis Engelberti oſſa reuehi, in contumeliam martyris erupit, ita dicens: Multi aiunt, dominum hunc, qui complures læſit, damnis affecit & exhæredauit, ſanctum eſſe & miracula facere. Hoc ſi verum eſt, quod tamen ego non credo, hæc mihi Deus faciat & addat, vt antequam moriar, inſanus efficiar. Mulctauerat illum beatus Epiſcopus quadraginta marcis ob culpam filij eius, qui fœ-

minam

minam vi oppreſſerat. Qua tamen in re multùm ei pepercerat, vt facinus morte plectendum, tam modicæ pecuniæ damno mulctaret. Vt verò oſtenderet Deus, quàm periculoſum ſit homini ponere in cælum os ſuum, eodem die maledico vertiginem capitis immiſit: & cùm paulò pòſt aliena loqueretur, vxorē cum cæteris cædere cœpit, nemq; ſacerdotem qui ad confeſſionem eius audiendam vocatus erat. Quid plura? Tenetur, vincitur, cuſtoditur tanquam furioſus, & ſequenti die poſt multa blaſphemiæ verba ſine viatico & confeſſione animam inſanus expirat. Induerat enim maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius. Itaque nemo debet ſibi malum imprecari: quia licèt benignus ſit ſpiritus ſapientiæ, non tamen ſemper liberabit maledictum à labijs ſuis. Hæc mihi retulit miles quidam, qui has Arnoldi blaſphemias audiuit, nec tamen compeſcere potuit blaſphemantem: & vix eſt quiſquam in vicinia, quem tantum lateat miraculum. Audiant recentem militis huius pœnam, atque vtinàm non etiam æternam damnationem, qui quacunque ex cauſa martyri detrahentes, & gloriæ eius inuidentes, dicere ſolent: Nequaquàm credere poſſumus, virum ſuperbum, auarum, & prorſus mundo deditum, miracula poſſe edere. Conſiderant illi, quid aliquandò fortaſſe fuerit: ſed quid per martyrium factus ſit, non attendunt. Credant ſaltem ſaluatum, quem dæmones martyrem confitentur.

Homo maledicus maledematyre loquens diuinitùs punitur.
Pſal. 108.
Sap. 1.

XV. Est in ciuitate Magdeburgenſi quidam obſeſſus à dæmone peſſimo, qui nullius timet exorciſmos, nec vult reſpondere, niſi vni ſacerdoti, qui ſpecialem gratiam contra illum accepit à Domino: cui etiam ſæpè noua & occulta dicere conſueuit. Poſtridiè eius diei, quo occiſus eſt Epiſcopus, præcepit illi ſacerdos, vt aliquid noui ipſi diceret. Illo diutiùs reluctante, & presbytero inſtante, miro modo cœpit dæmon ridere, cachinnari, manus complodere. Cumque ſacerdos diceret, Quid habes, & quæ cauſa eſt tanti tripudij tui? reſpondet ille: Eia, eia: ſerò ille Engelbertus, qui Coloniæ Epiſcopus erat, occiſus eſt. Stupente ſacerdote ac dicente, Mentitis: ille reſpondit, Citò percipies. Et ſacerdos: Fuiſti in morte eius? Fui, inquit ille: imò non ſunt tot graminis herbulæ, quot ibi congregati fuimus. Cumque ſacerdos diceret, Quid factum eſt de anima eius? lugubri voce reſpondit: Quandò oculi eius ſanguine obducti & oppreſſi fuère, anima nobis erepta eſt, & quò peruenerit, ignoro. Poſt triduum audientes de morte pontificis, ſatis admirati ſunt, quibus priùs verba dæmonis innotuerant. Ciuitas enim Magdeburgenſis à loco cædis penè quatuor abeſt manſionibus. Etſi autem diabolus mendax eſt ab initio, & pater eius, conſtat tamen ex Euangeliorum teſtimonio, eum aliquandò vera dicere contra ſuam voluntatem, maximè cùm exorcizatur, vti hoc ſperamus, quod ſubiungimus.

Serò, id eſt, heſterno veſpere.
Iohan 8.

XVI. In diœceſi Treuirenſi eſt cœnobium ſanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis, quod, Ad ſanctum Thomam, vocatur. Illic ante hos duos menſes energumenus quidam in oratorio eiuſdem martyris, de ſtatu quarundam animarum tam ſecularium, quàm religioſorum interrogatus, tam rationabiliter de omnibus reſpondit, vt qui illic aderant, vera eum dicere non ambigerent. Cumque domina Eliſabeth, eiuſdem domûs Abbatiſſa, eum interrogaret, num interfuiſſet cædi Epiſcopi Engelberti, & ille reſpondere nollet, adiuratus validiſſimis exorciſmis vt diceret veritatem, ſic ait: Quæris, an fuerim in morte eius. Vtique fui: imò meo conſilio interfectus eſt. Ego Fridericum & ſatellites eius incitaui, ego ad facinus illos animaui: ego, vt te ipſa malitiam conceptam implerent, effeci. Dicente Abbatiſſa, Vbi eſt anima eius? reſpondit: Eheu, eheu ſubtracta eſt mihi & ſocijs meis, qui illic conueneramus. Ità ſe ante mortem præparauerat, ità ſe lauerat (contritionem & confeſſionem ſignificans) vt noſtri iuris nihil eſſet in illo, & adiecit: Nôſtis, cur tot ille miracula faciat? Reſpondētibus illis: Nos id ignoramus, ſed volumus, imò præcipimus tibi in nomine Chriſti, vt nobis id indices: ſubiunxit, Quandò volutabatur in ſuo ſanguine, & iam moriturus erat, percuſſoribus ſuis medullitùs ignouit, ità dicens: Pater, ignoſce illis. Propter hunc ſermonem tam potens effectus eſt apud altiſſimum, vt non negetur ei, quicquid ab illo petierit. Idque pro comperto habeatis, nunquam vllum Coloniæ ſediſſe Epiſcopum in pontificis cathedra, qui tantum poſſit apud Deum, tantique apud illum meriti ſit, vt Engelbertus. Sed hîc fortaſſis obijciat quiſquam Maternum & Seuerinum, alioſque ſanctiſſimos Eccleſiæ Colonienſis Epiſcopos, quorum vita fuit irreprehenſibilis, & ſanctitas in Chriſto probata. Sed reſpondetur, hunc fuiſſe martyrem, illos non fuiſſe. Conſummatus in breui per martyrium Engelbertus, expleuit tempora multa. Totius tabernaculi pulchritudinem, per cuius cortinas & columnas Eccleſiæ ordines præfigurati ſunt, pelles tegebant arietum rubricatæ. Arietes, qui duces gregum ſunt, ſignificant Eccleſiæ prælatos, qui verbo & exemplo, ſiue vtriuſque Teſtamenti cognitione, quaſi duobus cornibus gregem ſibi commiſſum cuſtodire tenentur. Quorum pelles rubricantur, cùm pro ſubditorum ſalute, vel zelo iuſtitiæ mortem oppetentes, vti beatus Engelbertus, lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni. Ipſe quidem Engelbertus, reuerà fortis aries fuit, quippè qui duobus cornibus ſuis, id eſt, gemina poteſtate, ſpirituali & ſeculari hoſtes Eccleſiæ Colonienſis ventilauit. Quòd ſi obijciatur de ſanctis Euergiſlo & Agilolpho Epiſcopis Colonienſibus, etiam illos paſſos eſſe: reſponderi poteſt, non tanti meriti fuiſſe cauſam martyrij eorum, ſicut Engelberti. Alter enim illorum noctu à latronibus clàm occiſus eſt: alter verò palàm à raptoribus, qui diœceſis eius terminos peruaſerant. Illos martyres fecit pietas & innocentia vitæ: hunc verò virtus obedientiæ & zelus iuſtitiæ. Sicut diuerſæ ſunt ſpecies martyrij, ità & cauſæ diuerſæ. Agnus occiſus eſt ab origine mundi, ait ſcripturæ authoritas. Agnus Chriſtus eſt, qui in quibuſdam ſuis membris occiſus eſt propter innocentiam, vt in Abel: in alijs propter iuſtitiam, vt in prophetis: in alijs propter zelum legis, vt in Machabæis: in alijs propter conſtantiam fidei, vt in Apoſtolis. Recentiori tempore in ſancto Thoma Cantuarienſi Epiſcopo, occiſus eſt propter libertatem Eccleſię conſeruandā. Eadem cauſa mortis extitit in præſule noſtro Engelberto. Occubuit ille pro libertate eccleſiæ Cantuarienſis, iſte verò pro defenſione Eccleſiæ Eſſendiēſis. Liberauit ille eccleſiam Anglicanam ſanguine ſuo de graui iugo Regis Henrici: liberauit iſte æquè morte ſua Eccleſiam ſuæ defenſioni cōmiſſam, ab intolerabili exactione Comitis Friderici. Et licèt beatus Thomas ante paſſionem multa pertulerit incommoda, damna, exilia, quæ non pertulit Engelbertus: in ipſa tamen paſſione plus doloris, angoris & ignominiæ certum eſt Engelbertum toleràſſe. Ille enim, vt legimus, in capite vno ictu cæſus, à ſacrilegis relictus eſt in templo: iſte vulneribus permultis toto corpore confoſſus, nudus relictus eſt in ſterquilinio. Sanctus Thomas occiſus eſt ab eis, qui apertè eū oderant: ſanctus verò Engelbertus, quod maiorem afferre ſolet dolorem, & augere inuidiam, à cognatis & amicis, à quibus nihil metuebat, quoſque ipſe ſublimârat. Philoſophi cuiuſdam ſententia eſt, duplicari dolorem, cùm ab eo à quo bonum merueris, venit: itemq; tāto iniuriam magis affligere, quanto propinquior eſt, qui fecit. Indè etiam eſt, quod Dauid propheta dicit in Pſalmo: Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, & cætera, quæ ſequuntur. Reportatum deniq; corpus ſacrum glorioſi martyris Engelberti, Angelica libertate donati, Coloniæ in eccleſia beati Petri in ſepulcro decentiſſimè præparato iuxta mauſoleum nobiliſſimi præſulis & Archiducis Philippi, quod eſt in dextera eccleſiæ parte, contra portam Auſtralem, ſexto Calendas Martij dominus Conradus Portuenſis Epiſcopus & ſedis Apoſtolicæ Legatus, coram innumerabili multitudine diuerſæ dignitatis, ordinis, ſexûs, & ætatis ſepeliuit. Quanta illic quotidiè miracula fiant, in libro virtutum eius partim declarabitur. Paſſus eſt autem beatus martyr anno gratiæ milleſimo ducenteſimo viceſimoquinto, menſis Nouembris die ſeptimo, anno pontificatûs ſui decimo, ſub Honorio Papa III. imperante Friderico II. monarchiam cæli & terræ obtinente Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Dęmon adiurat⁹ quid de Engelberto dixerit.
Nota cur tanti ponderis ſint, preces eius apud Deū.
Exod. 26.
Apo. 7. & 22.
Apoc 13.
Geneſ 4.
2. Mach. 7.
Occiſus eſt Engelbertus pro defenſione eccleſiæ Eſſendienſ.
Dolor acerrimus quis ſit.
Pſal. 54.
Tempus cædis eius.

195

contritione, confeſſione & pro iuſtitia ſanguinis ſui effuſione. Cùm enim heu triſtis rumor occiſionis eius inſonuiſſet, multi, qui actus eius ſeculares nouerant, de ſalute eius deſperantes, aiebant: Heu modò perdidit corpus & animam. Audierant enim, quòd à cognato ſuo Friderico Comite occiſus eſſet, eò quòd eum exhæredare vellet. Vndè neceſſe erat, vt ſigna eum ſequerentur. Signa enim non ſunt de ſubſtantia ſanctitatis, ſed quædam indicia ſanctitatis. Nec fuiſſet neceſſe, dominum Epiſcopum Engelbertum miraculis clarere poſt mortem, ſi vitæ perfectionis fuiſſet ante mortem. Beatus Euergiſlus & ſanctus Agilolphus Colonienſes Epiſcopi, ambo à nocentibus innocenter occiſi, martyrio coronati ſunt, qui tamen poſt mortem paucis admodùm ſignis claruerunt: quia non erat neceſſe, vt poſt mortem commendarent miracula, quos ante mortem commendârat vita ſanctiſſima. Voluit Dominus in martyre ſuo demonſtrare, quantùm ei placeat prò iuſtitia ſtare, & vt occiſoribus ſuis terrorem incuteret per miracula. Martyrij eius meritum duo commendant, videlicet vindicta de inimicis eius, & gratia ſanitatum, quam quotidiè exhibet de infirmis. De his miraculis ad iuſſionem ſucceſſoris eius domini Henrici Archipræſulis, aliqua ſcribere propono, & ea tantùm, quæ mihi à perſonis veridicis ſunt relata, ſiue à venerabili viro Goſuuino, eccleſiæ beati Petri Canonico, ab ore eorum, quos martyr ſanauit, excepta. Prætereà miracula magna & crebra fiunt in loco, qui vocatur Giuelberg, vbi occiſus eſt: vt ibi ſpiritu, hîc corpore præſens eſſe non dubitetur.

S. Euergiſlus & Agilolphus epiſcopi Colonienſ. cur non multis clauerint miraculis.

I. MILES quidam Hermannus nomine, in pago Glibach duobus & eo ampliùs annis adeò fuit vexatus paralyſi, vt non niſi ſupinus in lecto dormire, neque aliter quàm aliena opera veſtire ſe poſſet. Aliquandò ergò admonitus à fratre ſuo, vt ſancti martyris Engelberti meritis ſalutem donari ſibi peteret, ille reſpondit: Equidem deportandum me curaui Noueſium ad ſanctum Quirinum, Ruræmundam ad Dominam noſtram, & ad multorum aliorum ſanctorum limina, nec exauditus ſum, fortaſſis indignus exaudiri. Vrgente fratre, vt votum nuncuparet martyri, petijt ſe in aream efferri. Ibi iacens in terra, plena fide cum lachrymis votum ſuſcepit, ſi meritis martyris ſanaretur, nudis pedibus, ſine lineis veſtibus ſepulcrum eius ſe aditurum. Poſtridiè eodem loco ſimiliter orauit. Putant enim ſimplicis laici efficacius eſſe votum, ſi fiat ſub dio, quàm ſub tecto. Tertio die cupiens idem facere, votum, cùm abeſſent miniſtri, anxiè circunſpiciens, vidit ſcipionem apud lectum; & quod nunquàm anteà fecerat, induit ſe veſtibus ſuis, ſcipionique incumbens, venit ad aream, & iam tertiò humi proſtratus, repetit votum. Indè ſurgens, ſentit remiſſius in corpore: ſcipionem è manu cadentem, à terra eleuat: redit lætus in ædes, atque indè ad templum properat. Vxor & liberi videntes eum, nullo ſuſtentante, ambulantem, replentur ſtupore & ecſtaſi, præ gaudio lachrymantur: accurrunt, vt eundem fulciant. ille reſpuit, dicens, à domino ſuo Epiſcopo Engelberto ſe curatum. Venit ad eccleſiam: coram altari proſtratus, gratias agit Deo & ſancto martyri Engelberto. Poſt preces, ob declarandum miraculum, circumit templum, atque indè domum redit. Vicini gratulabundi accurrunt, & martyrem prædicant. Ille quinto die Coloniam venit, nudis pedibus adit martyris ſepulcrum, agit gratias, cuſtodi eccleſiæ omnia ordine exponit.

Paralyticus votũ facit, & ſanatur. Mos ſimplicium faciendi votum ſub dio.

II. IN cœnobio Heiſterbacenſi puer annorum quatuordecim, in domo hoſpitali fuit adeò contractus, vt nec ventrem quidem exonerare poſſet, niſi alienis pedibus deportatus. Eius pater, qui erat ex Conuerſis illius monaſterij, vbi audiuit de miraculis Epiſcopi, ait ad eum: Fili, cùm ſolus fueris, fac votum ſancto Engelberto. Obtemperat ille, reptat manibus & pedibus, donèc eſſet ſub dio, ibique vouet martyri cereum ſuæ ſtaturæ, itemque imaginem ceream. Eadem hora, vt in orantis fide appareret martyris meritum, puer cœpit eſſe meliuſculus, redit ad lectulum commodiùs, quàm indè exierat: ait patri, ſi adeſſent duo ſcipiones, videri ſibi ſe poſſe ingredi, iam beati Engelberti meritis adiutum. Parantur ſcipiones, puer graditur, mirantur omnes. Iam antè ductus fuerat à patre ſuo Noueſium ad ſanctum Quirinum, ſed ille hanc curationem in nouum martyrem reiecit. Poſteà venit puer Coloniam, inuiſit ſepulcrum martyris, obtulit quæ vouerat, poſt preces totus incolumis, ſcipionibus illic relictis, poſtridiè ad nos reuerſus eſt pedibus ſuis. Audiant hæc martyris obtrectatores, qui aiunt: Si videremus ciues noſtros, quos nouimus diù malè habuiſſe, ab illo curari, crederemus ei. Sed illi vel non ſunt digni curari ob fidei inopiam, vel eis non expedit vt curentur: aut certè qui ſic dicunt, digni non ſunt videre miracula martyris. Nec ipſe Dei filius omnes Iudææ morbidos curare voluit: imò ſcriptum eſt de illo, quòd quibuſdam locis non fecerit virtutes multas propter incredulitatem illorum. Porrò in edendis miraculis, & fides petentium, & ſanctorum merita requiruntur: quanquàm non rarò Deus etiam ingratis & indignis ſua præſtat beneficia.

Puer contractus, nũcupato voto fit ſanus. Matth. 13.

III. MVLIER quædam prope Coloniam, periculoſe laborans ex gutture, venit ad martyris memoriam cum amicis: petijt ſubuculam eius in aquam intingi, ſperans, ſi indè biberet, ſe mox ſanatum iri. Bibit difficulter admodùm, redit domum, poſt horas quatuor ad ſepulcrum reuertitur, gratias agit Chriſto & ſancto Engelberto. Tantam ei moleſtiam morbus ille attulerat, vt quinque diebus nec loqui, nec guſtare quicquam potuerit.

Nota miraculum.

IV. MILES quidam ceream imaginem obtulit ad martyris ſepulcrum cum his verbis: Tam tu ſis benedictus, ſancte Epiſcope Engelberte, quàm ego verè tertiana febre liberatus ſum à Domino.

V. EODEM tempore Iohannes Abbas S. Trudonis, quartana diù & grauiter conflictatus, audit miracula Engelberti, laudat Deum mirabilem in gloria eius: moxq; in mentem ei venit, fuiſſe hominem pacificum & miſericordem: porrò beatos eſſe pacificos & miſericordes. Inuocat ergò Deum, orat vt per eius merita ſibi opituletur: & confeſtim ſe lætatur in ſeipſo experiri, quanti ſit apud Deum meriti beatus Engelbertus, ſanum ſe ſentiens.

Matth. 5. Abbas à quartana liberatur.

VI. MVLIER diù paralytica, eius nomen appellans, curata eſt. Cuius Confluentinus puerum ſcholaſticum habuit adeò contractum, vt dimidio anno pedem in terram deponere non poſſet. Iuſſit ergò eum duci Coloniam, & plena fide martyris ſepulcro imponi. Fit ita: & ecce mox laxantur nerui, puer à monumento ſe ſubmittit in pedes, atque ad hoſpitium ſuum gratulabundus abſcedit.

Contractus conualeſcit.

VII. AVRIFABER quidam Sibergenſis adeò noluit fidem adhibere miraculis martyris, vt quoties eius audiret prædicari ſanctitatẽ, vel irrideret, vel contradiceret. Et quînam, inquit, vel dici, vel eſſe poteſt ſanctus, cuius iuſſu multæ inflammatæ ædes, multi ſpoliati ſunt, & quem multorum malorum conſtat fuiſſe authorem? Sed Deus martyris iniurias diutiùs ferre non ſuſtinens, blaſphemum hominem ſubitò tanta vi morbi oppreſſit, vt ſe quamprimùm crederet è vita abiturum. In ſe igitur reuerſus, veretur ea cauſa ſe percuſſum, quòd martyri detraxiſſet. Iubet ergo Coloniam ſe adduci, venit aliorum manibus ad ſepulcrum martyris, fatetur illi culpam ſuam, inter cætera crebrò hæc repetit: Domine, per merita tua & ſanctum martyrium tuum, adiuua me miſerum. Interim dicit ad circumſtantes: Ecquis me aqua benedicta adſperſit? Reſpondent omnes: Nemo noſtrûm te adſperſit. Ille repetit: Imò verò adſperſit me aliquis. Rurſum illis negantibus: Sinite me, inquit, abire. Dei enim benignitate & meritis Engelberti martyris ecce ſanus ſum. Surgit eâdem hora, cunctis mirantibus: quieſcit pauliſper in ædibus templo vicinis: indè domum proficiſcitur, & ſenſim plenè reſtituitur.

Punitur contumelioſus martyris obtrectator. Rurſus ſanitati reſtituitur.

IIX. CVBICVLARIVS Comitiſſæ Geldrenſis, non niſi ſcipionibus fultus ingredi potuit. Audiens Coloniæ multa edi miracula, eò ſe confert, & aliquot continuis diebus martyris Engelberti ſepulcrum inuiſens, atque eius precibus ſanari ſe petens, octauo die curatur, relictiſque illic ſcipionibus, lætus domum redit.

Contractus curatur.

IX. GELDRIÆ Comitiſſa tanta pariendi difficultate quandoq; laborauit, vt vita eius propemodùm deſperaretur.

 Accitus

Illuſtre miraculum in Comitiſſa Geldriæ.

Accitus confeſſarius eius Abbas Campenſis, à Duce Brabantiæ Henrico, qui erat Comitiſſæ pater, atque à marito eius Gerardo Comite, introductus eſt ad eam, præ doloris acerbitate miſerè eiulantem. Illa, viſo Abbate, perindè ac ſi moritura ſit, commendat ſe eius precibus, orans vt fratres omnes iubeat pro ſe orare. Lachrymantur omnes, qui aderant. Interim Comes ſic ait ad eam: Nôſti chariſſima, quantùm nos amârit cognatus & dominus meus Epiſcopus Engelbertus. Inuoca ergò illum in hac ſumma calamitate: ſpero non minùs illum tibi, quàm cæteris, ſubuenturum. Deindè Abbas cum Duce & Comite egreditur: porrò Comitiſſa orat martyrem, vt ſibi opituletur. Orat Chriſtum, vt propter ſanguinem quem pro iuſtitia fudit Engelbertus, à tantis doloribus ſe liberet. Vix in caſtrum illi redierant, cùm eccè puella curſitat poſt eos, lætiſſimumque nuncium Comiti afferens: Domine, inquit, domina mea peperit tibi elegantiſſimum filium. Tum verò omnes laudant & prædicant Deum in martyre ſuo Engelberto. At Comitiſſa non immemor beneficij, mox reualuit, Coloniam venit, ſepulcrum martyris viſitauit, argenteamque imaginem ad illud obtulit.

Cæca puella videt.

X. Pvella quædam Colonienſis, ſexto menſe ætatis ſuæ cœpit malè habere in oculo: deindè lumine prorſus orbata eſt. Cumque ſextum ageret ætatis annum, mater eius cauſa tribus ſextis ferijs ieiunauit in pane & aqua, & Miſſam defunctorum in honorem beati Engelberti celebrandam curauit: atque ità puella mox per martyris meritum, viſum recepit.

Nobilis à morbo caduco liberatur.

XI. Henricvs de Calenmunt, vir nobilis, cùm diù vexatus eſſet morbo comitiali, die quodam in ſacello ſtans, & de miraculis beati Engelberti cogitans, humi ſe proſtrauit, crebroque rogauit ſanctum martyrem, vt à Domino ſanitatem ſibi impetraret. Indè ſurgens, ſenſit inſolitam quandam corporis alleuationem, ità vt deinceps vſque in præſens, nihil ab illo morbo moleſtiæ acceperit.

Paralytici curatio.

XII. Homo paralyticus cùm ad ſepulcrum eius duabus ferè horis oráſſet, & martyrem attentiſſimè deprecatus eſſet, relictis illic ſcipionibus, quibus aduenerat, ſuis pedibus lætus abſceſſit.

XIII. Sacerdos quidam quindecim dies cæcus, vouit ſe viſitaturum martyris Engelberti ſepulcrum, & in altari, quod eſt ad caput eius, Miſſam defunctorum celebraturum. Mox à voto nuncupato redijt lumen, & ille fecit, quod promiſerat.

Cæca recepit viſum.

XIV. Mvlier in caſtro Nideckenſi, viginti annis nihil viderat. Vbi didicit Engelbertum coruſcare miraculis: Ego, inquit, ibo ad noui martyris monumentum, vt beneficia, quæ confert alijs, etiam mihi impendat. Venit ergo Coloniam, orat ad ſepulcrum Epiſcopi, apertiſque oculis videt lumen cæli, quæ tot annis perpetuas ſenſerat tenebras.

Cæcus monachus videt.

XV. Abbas Burnenbacenſis vnum ex iunioribus monachis ſuis miſit ad monaſterium veteris Montis. Is cùm venam incidi ſibi curáſſet, putaretque non ſatis detractum ſanguinis, atque ea cauſa etiam alterius brachij venam aperuiſſet, cum ſanguine lumen amiſit. Id ibi cognouit Abbas Burnenbacenſis, nè eſſet illi cœnobio oneri, redire eum iuſſit ad ſe. In illo itinere Coloniam veniens, orauit ad Engelberti martyris tumulum, duoſque cereos oculos obtulit, votumque fecit, ſi viſus ei rediret, patrem ipſius duos argenteos oculos in eius honorem miſſurum. Abit cæcus à ſepulcro, venit ad locum quendam, qui erat monaſterij veteris Montis, accipitur illic humaniter, & cùm cauſam cæcitatis ſuæ indicáſſet, Conuerſus quidam hortatur eum, vt ſanctum Engelbertum Epiſcopum inuocet, reſpondet ille ſe id feciſſe: addit Conuerſus, vt benè confidat martyrem ſibi non defuturum: moxque indè recedit Conuerſus, & poſt horam eò reuertitur. Eum verò monachus iam videns, ſalutat. Et conuerſus ad eum: Vndè ſcis, inquit, me hîc eſſe, cùm nihil videas? Ille reſpondet: Gratia Deo & beato Engelberto: perſpicuè enim intueor & te, & quicquid eſt in his ædibus.

Paralyticus curatur.

XVI. Eodem tempore monachus quidam Eberbacenſis ad partes Inferiores miſſus, in itinere antequàm veniret Coloniam, membris omnibus adeò paralyſi cœpit diuexari, vt difficulter ad veteris Montis monaſterium poſſet perduci. Ibi in valetudinario manenti occurrerunt miracula noui martyris Engelberti. Vouet igitur ſe, ſi morbus abſcedat, Miſſam defunctorum dicturum. Mox ſentit remiſſiùs, & totus reualeſcit.

Alius è periculo liberatur.

XVII. Monachvs iuuenis, dum vena illi inciditur, ità in brachio intumuit, vt morbus fiſtulæ timeretur. Dolore vrgente, promittit ſe beato Engelberto Pſalterium lecturum. Ilicò ſentit ſe habere melius, dicitque cunctis, à ſancto Engelberto ſe curatum.

Item alius.

Caſtigatur voti violator.

XIIX. Alivs iuuenis monachus, tribus menſibus paralyſi in brachijs dire vexatus, vbi ex alio iuuene iam dicto percepit, quàm facilè curatus eſſet à noſtri temporis martyre, vouit ſe illi quotidianas oblaturum preces, moxque ſanatus eſt. Sed deindè preces illas negligens, priſtino dolore cruciatur. Reſipiſcit verò, omiſſa repetit, & redit incolumitas.

Immanis dolor dentiũ ſopitur.

XIX. Matrona Colonienſis, diues ſanè, dolore dentium grauiſſimè cruciabatur. Dentem vnum, qui erat totius mali origo, curat extrahendum: ſed radice relicta, atrociori dolore afficitur, ità vt furere videretur. Adit martyris Engelberti monumentum, offert illic mandibulam ceream, domumque abiens, in ipſo itinere ſe ſentit incolumem. Quiſnam ergò pontificis noſtri ſanctitatem in dubium reuocet, quem tot commendant præclara miracula?

Muta loquitur.

XX. In pago quodam diœceſis Colonienſis puella erat ſex annorum, ab ipſo ortu muta. Ea cum oblationibus primùm ducta eſt ad ſepulcrum martyris: ſed cum non curaretur, perducta eſt ad eum locum, vbi occiſus eſt. Vbi cœpit rectè & expedite loqui, quæ nunquàm anteà locuta fuerat, cunctis non immeritò admirantibus.

Vide voti efficaciam in ſurdi curatione.

XXI. Est pagus Veſtphaliæ Vlicdorp, in quo erat quidam ex multo iam tempore ſurdus. Pro eo vxor quotidiè orabat martyrem Engelbertum, addito etiam voto, ſi ſanaretur, aditurum eum locum cædis eius nudis pedibus & ſine lineis veſtibus, ibiq; oblationes ſuas daturũ. Eo voto ſuſcepto, ait ſurdus: Audio pulſari ad Miſſas. Stupet vxor, dicitq; ad eum? Audis etiam me loquentem. Audio, inquit, imò verò nunquàm mihi antehàc meliùs audiſſe videor. Itaque gratias agens Deo & martyri Engelberto, abijt in Giuelberg, vbi cæſus eſt martyr, & vota perſoluit.

Mutus loquitur.

XXII. Vt verò Dominus martyris gloriam declararet, etiam per nocturnas viſiones quoſdam admonuit eius ſuffragia implorare. In pago Iſerenlonenſi fuit quidam, ſemiquinque annis ex paralyſi & linguæ & manuum officio deſtitutus. Is ſub meridiem quandoque obdormiens, audiuit vocem dicentem ſibi: Dic auunculo tuo, vt ducat te in Giuelberg, vbi occiſus eſt Epiſcopus Engelbertus, & curaberis. Mox ille euigilat, incipit loqui, & gratias agit Deo. Stabat auunculus eius in media domo, audienſque loquentem illum, alta voce dicebat: Quis loquitur in cubiculo? Reſpondet ille: Ego loquor. Accurrit auunculus, obſtupeſcit, aitq; ad eum: Qui fit, vt tandiù mutus, tam abſolutè loquaris? Ille refert quam vocem audierit. Nondùm autem commodè ingredi potuit, quod coxa diuturni morbi vi exeſa eſſet. Itaque in vehiculo ductus eſt in Giuelberg, in dies meliùs habere cœpit, ità vt exiguo ſcipione fultus, ſtet quocunque libitum eſſet, per merita martyris ſe ſanatum vbique prædicans.

Viſio cuiuſdam.

XXIII. Hermannvs de Lechnich Epiſcopi Engelberti ianitor fuit, quo munere hodieque apud ſucceſſorem Henricum fungitur. Is ante Auguſtum menſem acerrima correptus febre, ità & corpore & mente defecit, vt vxore eius in eadem domo obeunte, amiciſque eam plangentibus & ad ſepulcrum efferentibus, ille prorſus non aduerteret, quid ageretur. Cumq; tam miſerè ad dies quindecim decubuiſſet, clara luce oſtio aperto videt eminùs beatũ illum martyrem tanquàm ad ſe venientem cum multis alijs religioſis viris, qui omnes erant albis induti, & ad collum ha-

lum habebant oraria ſiue ſtolas, vt ſolent ſacerdotes. Ipſe autem beatus pontifex mulæ albæ inſidebat: iam enim lauerat iumentum carnis ſuæ in ſanguine Agni. Hermannus ea viſione exhilaratus, ad fœminas, quæ illic ſedebant, alta voce dicit: Exite ocyùs bonæ dominæ: Engelbertus Epiſcopus venit ad me. Fratrem quoque ſuum, qui ad limen oſtij erat, fortiter inclamans: Surge, inquit, frater, cede locum domino meo, vt poſſit ingredi ad me. Sed illis non ſe mouentibus, quòd putarent vi morbi eum delirare, iterùm clamitat: cunctique, dempta puella paruula, foràs exeunt. Ante hos autem clamores, miles quidam iam vita functus, vir bonus & modeſtus, candidatos illos anteceſſerat, dixeratque Hermanno, vt ſe pararet: Epiſcopum Engelbertum velle ipſum inuiſere. Cùm ergò omnes egreſſi eſſent, beatus Engelbertus, quem tum obijſſe neſciebat æger ille, cum quodam monacho ignoto ad lectum eius acceſſit, aitque ad eum: Vt habes Hermanne? Reſpondit ille: Malè, mi domine: vel ſolum apoſtema lateris mei nimium me cruciat. Tum Epiſcopus ad monachum ſe vertens, Adeò, inquit, confectus eſt hic vir, vt meritò potuerit animam expirare. Deindè manu tangit apoſtema, moxque incipit ſudare homo: & Epiſcopus, cùm ei benedixiſſet, euanuit. Confeſtim adiutum ſe ſentiens Hermannus, iam regreſſis intrò illis, qui exierant, rem omnem expoſuit. laudatur ab omnibus Deus, & ſanctus martyr eius Engelbertus. *Mira curatio febricitantis.*

XXIV. NOBILIS quidam valdè laborabat è pede. Monitus ab Abbate noſtro, vt ſancto Engelberto, cereum pedem voueret, fecit ſic, & curatus eſt: ſed tumor & dolor omnis ab illo pede migrauit in alterum. Dicente autem Abbate, ſanctum Epiſcopum duos velle cereos habere pedes, ille alterum quoque pedem vouit, & repentè dolor omnis euanuit. *Nota antiquum vſum in oblationibus faciendis.*

XXV. EODEM tempore quidem è familia Ducis Limburgenſis, pollicem contritum habuit. Venit ergò Coloniam, & cùm manum ceream ad ſepulcrum martyris obtuliſſet, curatus eſt.

XXVI. ALIVS in eiuſdem Ducis caſtro natus, miſerè contractus fuit. Ei ironicè dicere ſolebant nobiles principis illius: Abi, abi Coloniam ad ſanctum Engelbertum, vt ſanet te. Ità illi inſultabant martyri propter veteres ſimultates, quæ Duci eorum cum Engelberto interceſſerant. Tandèm homo abijt Coloniam, & tribus continuis diebus orans apud ſepulcrum martyris, exauditus eſt. Cumque domum reuertiſſet, & eum nobiles illi, atque alij eius regionis homines ſanum viderent, quem biennio fœdè contractum nouerant, pudefacti dicebant: Iam reuerà cernimus Archiepiſcopum Engelbertum ſanctum eſſe. *Contracto redditur incolumitas.*

XXVII. QVIDAM decem annis abſque ſcipionibus ambulare non poterat. Venit ad tumulum martyris, & ſcipionibus illic relictis, domum ſanus reuerſus eſt. *Item alteri.*

XXVIII. MVLIER quædam Coloniæ in platea ſalaria habitans, nouem annis dolore capitis & gutturis laborauit. Nocte quadam, doloris immanitate vrgente, beatum martyrem implorat, & ante ſolis ortum tumor & dolor omnis abſcedit. Manè igitur adit ſepulcrum eius, hilariter ſuas oblationes exhibet, agit gratias, & læta redit ad ſuos. *Dolor capitis & gutturis profligatur.*

XXIX. MINDENSIS Epiſcopus veniens in Giuelberg, orandi cauſa ingreſſus eſt in ſacellum, quod illic in loco cædis eius fabricatum eſt. Oblatus eſt autem ei illic puer, qui contractus fuerat, & ibidem ſanatus. Eum intuens Epiſcopus: Vnus, inquit, ex famulis meis tam dirè cœpit morbo laborare in hoc itinere, vt ab equo in terram deponi eum oportuerit. Dumque tractaremus, quid faciendum illi eſſet, tandèm recordati Archiepiſcopi Engelberti, rogauimus vt ſuis meritis miſero opitularetur. Simulatque nos preces abſoluimus, ille ſurrexit ſanus, & conſcenſo equo, martyri gratias egit. *Pueri contracti curatio.* *Item ægri.*

XXX. CONVERSVS quidam Campenſis monaſterij, olim nobilis fuerat, & vitæ ſic ſatis honeſtæ. Huic oranti adeò importunè ſe ingerebant cogitationes diuitiarum & honorum mundi huius, vt inſtàr muſcarum morientium, ſuauitatem vnguenti, id eſt, orationis deuotionem, perderent. Crebrò ille corpus ſuum cædebat virgis, & multorum ſanctorum ſuffragia implorabat, vt liberaretur: ſed non impetrauit. Tandèm memor Archiepiſcopi Engelberti pro iuſtitia cæſi, flexis genibus illum inuocauit, & eadem hora adeò liberatus eſt, vt deincèps nihil eiuſmodi ſentiret. *Eccleſ. 10.* *Tẽtationes perniciosæ abiguntur.*

XXXI. MVLIER quædam filium habens paralyticum, martyri vouit ſe cum filio, ſi eum ſanaret, venturam ad eius monumentum, & munera oblaturam. Votum mox conſecuta eſt ſalus ægroti: & martyri iucundis animis perſolutum eſt, quod fuerat promiſſum. *Paralyticus ſanatur.*

XXXII. ALIA mulier, natione Geldrenſis, Coloniæ in parœcia S. Seuerini degebat vidua cum matre ſua & filio adhuc puero, qui miſerè caduco morbo affligebatur. Quod cùm mater ferret moleſtiſſimè, dixit quandoq; matri ſuæ: Audio Epiſcopum Engelbertum multis clarere miraculis: quid ſi ducamus filium ad ſepulcrum eius? Reſpondit illa: Cras eum ducemus ad aram ſancti Cornelij, quæ eſt in Eccleſia ſancti Seuerini. Is enim ſolet huic mederi morbo. Manè igitur veniunt ad altare, offerunt munera, & orant pro puero intentiſſimè. Ea die viſus eſt planè liberatus à morbo puer. Itaque auia eius, tanquàm improperans martyri Engelberto: En, inquit, antiqui ſancti nôrunt beneficia præſtare indigentibus. Poſtridiè rurſus inuadit morbus puerum, ſolito etiam infeſtior. Id mater tremebunda conſpiciens, puerum cum cereo adducit ad tumulum martyris Engelberti, eumque plena fide illi imponit, oratque cum gemitu & lachrymis per illo. Sanatur puer, nec vnquàm in morbum illum recidit. *Temeritas fœminæ caſtigatur. Miraculũ.*

XXXIII. SVRDVS quidam peregrè Coloniam venit, martyris ſepulcrũ adijt: & cùm obtuliſſet preces, ilicò reſtitutus eſt. *Surdus audit.*

XXXIV. MVLIER quædam Colonienſis nouem annis vno orbata oculo, & alterius brachij officio deſtituta, apud beati martyris ſepulcrum ſic orauit: Domine, ſi anima tua eſt apud Deum, vti creditur, intercede pro me apud illum, vt per me declarentur merita tua. Mox vt illa ceſſauit orare, oculo lumen, brachio priſtinæ vires redduntur. Atque hoc quidem primum fertur fuiſſe miraculum ab eo Coloniæ editum: ſed tum annotatum non fuit, ſicut & alia multa, quæ propterea hodiè ignorantur. *Cæcæ oculus & brachium curantur.*

XXXV. FOEMINA quædam miſerandum in modum contracta annis quatuor & menſibus ſex, Coloniam adducta, & apud martyris tumulum depoſita, cùm ad duas horas precata eſſet martyrem, paulatim ſe ſubrexit, & interim neruos laxari ſenſit. Tandem nullius freta adminiculo, pedibus ſuis redijt in pagum ſuum, vbique martyrem laude & prædicatione efferens. *Contracta reſtituitur.*

XXXVI. PELLIO quidam eſt Coloniæ notiſſimus. Eum magno alterius brachij dolore excruciatum hortabatur vxor, vt adiret Epiſcopi Engelberti monumentum, & pro ſanitate eum deprecaretur. Ille indignabundus reſpondit: Id ego non faciam. Cùm enim in viuis eſſet, præter ius à me quatuor marcas accepit. Et vxor: Non ità, inquit, loquaris: ſed eas ad ſepulcrum eius, & dicas te nunquàm repetiturum illam pecuniam, ſiue iure, ſiue iniuria data ſit. Initio enim pontificatûs eius acerba inter ſcabinos & tribus ciuitatis orta erat diſſenſio: quam cùm componere non poſſet ob tribunum pertinaciam, quatuor millia marcarum ab eis exegit, è quibus hic pellio quatuor marcas dependerat. Acquieſcit vxoris conſilio, abit ad monumentum, dicit animo ſimplici: Domine, ſiue rectè, ſiue præter fas à me accepeta quatuor marcas illas, ego te liberum pronuncio apud Deum. Oro igitur, vt precibus tuis ſanes brachium meum. Dixit, & ilicò ſanatus eſt: oſtenditque brachium Decano ſummæ ædis, merita martyris prædicans. *Nota miraculum.*

XXXVII. IDEM Decanus abijt ad caſtrum Radenrodenſe, inuiſere volens cognatam ſuam. Cumque inter ſe conferrent de miraculis Epiſcopi Engelberti, Decanus matronæ illi dedit dimidiam zonam eiuſdem Epiſcopi, quam argento ornandam curauerat. Erat tum in caſtro illo puer terciana laborans, quem matrona cingens zona illa Do- *Miraculum zonæ eius.*

lum habebant oraria ſiue ſtolas, vt ſolent ſacerdotes. Ipſe autem beatus pontifex mulæ albæ inſidebat: iam enim lauerat iumentum carnis ſuæ in ſanguine Agni. Hermannus ea viſione exhilaratus, ad fœminas, quæ illic ſedebant, alta voce dicit: Exite ocyùs bonæ dominæ: Engelbertus Epiſcopus venit ad me. Fratrem quoque ſuum, qui ad limen oſtij erat, fortiter inclamans: Surge, inquit, frater, cede locum domino meo, vt poſſit ingredi ad me. Sed illis non ſe mouentibus, quòd putarent vi morbi eum delirare, iterùm clamitat: cunctique, dempta puella paruula, foràs exeunt. Ante hos autem clamores miles quidam iam vita functus, vir bonus & modeſtus, candidatos illis antecеſſerat, dixeratque Hermanno, vt ſe pararet: Epiſcopum Engelbertum velle ipſum inuiſere. Cùm ergò omnes egreſſi eſſent, beatus Engelbertus, quem tum obijſſe neſciebat æger ille, cum quodam monacho ignoto ad lectum eius acceſſit, aitque ad eum: Vt habes Hermanne? Reſpondit ille: Malè, mi domine: vel ſolum apoſtema lateris mei nimium me cruciat. Tum Epiſcopus ad monachum ſe vertens, Adeò, inquit, confectus eſt hic vir, vt meritò potuerit animam expirare. Deindè manu tangit apoſtema, moxque incipit ſudare homo: & Epiſcopus, cùm ei benedixiſſet, euanuit. Confeſtim adiutum ſe ſentiens Hermannus, iam regreſſis intrò illis, qui exierant, rem omnem expoſuit. laudatur ab omnibus Deus, & ſanctus martyr eius Engelbertus.

Mira curatio febricitantis.

XXIV. NOBILIS quidam valdè laborabat è pede. Monitus ab Abbate noſtro, vt ſancto Engelberto, cereum pedem voueret, fecit ſic, & curatus eſt. ſed tumor & dolor omnis ab illo pede migrauit in alterum. Dicente autem Abbate, ſanctum Epiſcopum duos velle cereos habere pedes, ille alterum quoque pedem vouit, & repentè dolor omnis euanuit.

Nota antiquum vſum in oblationibus faciendis.

XXV. EODEM tempore quidem è familia Ducis Limburgenſis, pollicem contritum habuit. Venit ergò Coloniam, & cùm manum ceream ad ſepulcrum martyris obtuliſſet, curatus eſt.

XVI. ALIVS in eiuſdem Ducis caſtro natus, miſerè contractus fuit. Ei ironicè dicere ſolebant nobiles principis illius: Abi, abi Coloniam ad ſanctum Engelbertum, vt ſanet te.Ità illi inſultabant martyri propter veteres ſimultates, quæ Duci eorum cum Engelberto interceſſerant. Tandèm homo abijt Coloniam, & tribus continuis diebus orans apud ſepulcrum martyris, exauditus eſt. Cumque domum reuertiſſet, & eum nobiles illi, atque alij eius regionis homines ſanum viderent, quem biennio fœdè contractum nouerant, pudefacti dicebant: Iam reuerà cernimus Archiepiſcopum Engelbertum ſanctum eſſe.

Contracto redditur incolumitas.

XXVII. QVIDAM decem annis abſque ſcipionibus ambulare non poterat. Venit ad tumulum martyris, & ſcipionibus illic relictis, domum ſanus reuerſus eſt.

Item alteri.

XXIIX. MVLIER quædam Coloniæ in platea ſalaria habitans, nouem annis dolore capitis & gutturis laborauit. Nocte quadam, doloris immanitate vrgente, beatum martyrem implorat, & ante ſolis ortum tumor & dolor omnis abſcedit. Manè igitur adit ſepulcrum eius, hilariter ſuas oblationes exhibet, agit gratias, & læta redit ad ſuos.

Dolor capitis & gutturis profligatur.

XXIX. MINDENSIS Epiſcopus veniens in Giuelberg, orandi cauſa ingreſſus eſt in ſacellum, quod illic in loco cædis eius fabricatum eſt. Oblatus eſt autem ei illic puer, qui contractus fuerat, & ibidem ſanatus. Eum intuens Epiſcopus: Vnus, inquit, ex famulis meis tam dirè cœpit morbo laborare in hoc itinere, vt ab equo in terram deponi eum oportuerit. Dumque tractaremus, quid faciendum illi eſſet, tandèm recordati Archiepiſcopi Engelberti, rogauimus vt ſuis meritis miſero opitularetur. Simulatque nos preces abſoluimus, ille ſurrexit ſanus, & conſcenſo equo, martyri gratias egit.

Pueri contracti curatio.

Item ægri.

XXX. CONVERSVS quidam Campenſis monaſterij, olim nobilis fuerat, & vitæ ſic ſatis honeſtæ. Huic oranti adeò importunè ſe ingerebant cogitationes diuitiarum & honorum mundi huius, vt inſtàr muſcarum morientium, ſuauitatem vnguenti, id eſt, orationis deuotionem, perderent. Crebrò ille corpus ſuum cædebat virgis, & multorum ſanctorum ſuffragia implorabat, vt liberaretur: ſed non impetrauit. Tandèm memor Archiepiſcopi Engelberti pro iuſtitia cæſi, flexis genibus illum inuocauit, & eadem hora adeò liberatus eſt, vt deincèps nihil eiuſmodi ſentiret.

Eccleſ. 10.

Tẽtationes perniciosæ abiguntur.

XXXI. MVLIER quædam filium habens paralyticum, martyri vouit ſe cum filio, ſi eum ſanaret, venturam ad eius monumentum, & munera oblaturam. Votum mox conſecuta eſt ſalus ægroti: & martyri iucundis animis perſolutum eſt, quod fuerat promiſſum.

Paralyticus ſanatur.

XXXII. ALIA mulier, natione Geldrenſis, Coloniæ in parœcia S. Seuerini degebat vidua cum matre ſua & filio adhuc puero, qui miſerè caduco morbo affligebatur. Quod cùm mater ferret moleſtiſſimè, dixit quandoq; matri ſuæ: Audio Epiſcopum Engelbertum multis clarere miraculis: quid ſi ducamus filium ad ſepulcrum eius? Reſpondit illa: Cras eum ducemus ad aram ſancti Cornelij, quæ eſt in Eccleſia ſancti Seuerini. Is enim ſolet huic mederi morbo. Manè igitur veniunt ad altare, offerunt munera, & orant pro puero intentiſſimè. Ea die viſus eſt planè liberatus à morbo puer. Itaque auia eius, tanquàm improperans martyri Engelberto: En, inquit, antiqui ſancti nôrunt beneficia præſtare indigentibus. Poſtridiè rurſus inuadit morbus puerum, ſolito etiam infeſtior. Id mater tremebunda conſpiciens, puerum cum cereo adducit ad tumulum martyris Engelberti, eumque plena fide illi imponit, oratque cum gemitu & lachrymis per illo. Sanatur puer, nec vnquàm in morbum illum recidit.

Temeritas fœminæ caſtigatur.

Miraculũ.

XXXIII. SVRDVS quidam peregrè Coloniam venit, martyris ſepulcrũ adijt: & cùm obtuliſſet preces, ilicò reſtitutus eſt.

Surdus audit.

XXXIV. MVLIER quædam Colonienſis nouem annis vno orbata oculo, & alterius brachij officio deſtituta, apud beati martyris ſepulcrum ſic orauit: Domine, ſi anima tua eſt apud Deum, vti creditur, intercede pro me apud illum, vt per me declarentur merita tua. Mox vt illa ceſſauit orare, oculo lumen, brachio priſtinæ vires redduntur. Atque hoc quidem primum fertur fuiſſe miraculum ab eo Coloniæ editum: ſed tum annotatum non fuit, ſicut & alia multa, quæ propterea hodiè ignorantur.

Cæcæ oculus & brachium curantur.

XXXV. FOEMINA quædam miſerandum in modum contracta annis quatuor & menſibus ſex, Coloniam adducta, & apud martyris tumulum depoſita, cùm ad duas horas precata eſſet martyrem, paulatim ſe ſubrexit, & interim neruos laxari ſenſit. Tandem nullius freta adminiculo, pedibus ſuis redijt in pagum ſuum, vbique martyrem laude & prædicatione efferens.

Contracta reſtituitur.

XXXVI. PELLIO quidam eſt Coloniæ notiſſimus. Eum magno alterius brachij dolore excruciatum hortabatur vxor, vt adiret Epiſcopi Engelberti monumentum, & pro ſanitate eum deprecaretur. Ille indignabundus reſpondit: Id ego non faciam. Cùm enim in viuis eſſet, præter ius à me quatuor marcas accepit. Et vxor: Non ità, inquit, loquaris: ſed eas ad ſepulcrum eius, & dicas te nunquàm repetiturum illam pecuniam, ſiue iure, ſiue iniuria data ſit. Initio enim pontificatûs eius acerba inter ſcabinos & tribus ciuitatis orta erat diſſenſio: quam cùm componere non poſſet ob tribuum pertinaciam, quatuor millia marcarum ab eis exegit, è quibus hic pellio quatuor marcas dependerat. Acquieſcit vxoris conſilio, abit ad monumentum, dicit animo ſimplici: Domine, ſiue rectè, ſiue præter fas à me acceperis quatuor marcas illas, ego te liberum pronuncio apud Deum. Oro igitur, vt precibus tuis ſanes brachium meum. Dixit. & ilicò ſanatus eſt: oſtenditque brachium Decano ſummæ ædis, merita martyris prædicans.

Nota miraculum.

XXXVII. IDEM Decanus abijt ad caſtrum Radenrodenſe, inuiſere volens cognatam ſuam. Cumque inter ſe conferrent de miraculis Epiſcopi Engelberti, Decanus matronæ illi dedit dimidiam zonam eiuſdem Epiſcopi, quam argento ornandam curauerat. Erat tum in caſtro illo puer tertiana laborans, quem matrona cingens zona illa Do-

Miraculum zonæ eius.

mine Archiepiſcope, inquit, quàm verè eſt anima tua apud Deum, tam certò curetur hic puer per merita tua. Confeſtim abijt febris, nec auſa fuit redire ad puerum.

Ægra conualeſcit.

Matrona quædam duplici conflictata quartana, per merita ſancti martyris reualuit. xxxviii.

Hermannvs aduocatus Colonienſis, adeò cruciabatur dolore lateris, vt familia omnis ilicò moriturum exiſtimaret. Intolerabili igitur cruciatu affectus, ità exclamauit: O Domine Archiepiſcope, ego te præ omnibus dilexi, & tu quoque me non mediocriter amâſti: oro vt me hoc morbo liberes. Sed cùm non ſtatim adeſſet remedium, doloris immanitate ſtimulatus, ſubſtomachans ait: En omnes, etiam qui te nô nouerunt, tu adiuuas: me qui tibi inſeruiui, teque ſemper amaui, negligis. Cumque hæc & id genus alia diceret, filij & famuli eius vouerunt ſe eum illo ituros in Giuelberg, vbi beatus Epiſcopus cæſus eſt, ſi illum ſanaret. Vouent illi, & ille obdormit: rurſuſque expergiſcens: Nihil, inquit, mali ſentio. Gratias ago Deo, & Epiſcopo Engelberto. xxxix.

Mira vis voti nuncupati.

Foemina quædam è Flandria attulit filium ſuum inſantem. Cumq; eum in balneo poſuiſſet, & neceſſitate vrgente ab eo receſſiſſet, illius oblita eſt. Poſt horam verò reuertens, cernit infantem aquis præfocatum. Itaq; incredibili correpta dolore, ſimul etiã recordata martyris, qui tum paſſim ferebatur multis coruſcare miraculis toto corde cum lachrymis & ſuſpirijs orauit eum, vt excitaret filiũ ipſius Redit anima in viſcera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit cum infante Coloniã, & apud ſepulcrum martyris gratias agit immenſas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Ecce per martyrem tuum Engelbertum cæci vident, claudi ambulant, paralytici curantur, ſurdi audiunt, tertianæ & quartanæ febres profligantur, epileptici & alijs diuerſis implicati morbis, ſanantur, etiam mortui reuiuiſcunt. Si non eſſet hic homo cum Deo, imò potens apud Deum, non poſſet facere quicquam. XL.

Infantem mortuum excitat.

Referam nunc quoddam non exiguum ſanctitatis eius documentum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoque ad monaſterium Montenſe, & cum mentio incideret, quemadmodùm illic tractatum eſſet corpus beati martyris Engelberti, ſciſcitabatur ille, vbi viſcera eius humata eſſent. Dicentibus monachis, in cœmeterij foſſa quadam vulgari condita eſſe: Non decet, inquit, tanti principis, imo martyris miraculis coruſcantis, viſcera tam negligenter haberi. Obtemperant verò illi fratres, amouentque à ſepulcro humum: & ecce viſcera martyris adeò cernunt recentia, acſi illa hora è corpore extracta eſſent. Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris ſentiri potuit, cùm tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuiſſent. Admirantur fratres haud vulgariter, agnoſcunt Dei virtutem & martyris merita: collecta viſcera in ſcrinio reponunt, & ante altare honorificè condunt. XLI.

Viſcera martyris incorrupta poſt multas hebdomadas.

Ecce voti efficaciam.

Sacerdos quidam doctus & pius, calculi dolores ferens intolerabiles, votum fecit, ſi beatus Engelbertus ipſum intra biduum curaret, ſe eum muneribus eius ſepulcrum viſitaturum. Curatus eſt ante biduum ſpe ſua celeriùs, & promiſſi munus accuratè confecit. XLII.

Paralyticus fit ſanus.

Henricvs Abbas Hemmenrodenſis ex Iohanne Burggrauio ab Hamerſtein didicit, quod dicturus ſum: Quidam ex familia eius, omnibus in caſtro illo notiſſimus, diù oppreſſus paralyſi, vt audiuit miracula martyris Engelberti, toto corde illum inuocans, votum ſuſcepit. Ductus eſt Coloniam paralyticus, & inde ad caſtrum incolumis reuerſus eſt. XLIII.

Quidã dentium dolore liberatur.

In Saxonia monaſterium eſt ordinis Ciſtertienſis, quod Cellam vocant. Eius quidam frater adeò doluit dentes, vt ſomnum capere non poſſet. Nocte quadam ſupra vires cruciari ſe ſentiens, has preces fudit: Domine Epiſcope Engelberte, ſi verum eſt animam tuam degere apud Dominum, adiuua me. Dixit ſic, & obdormiuit. Poſteà euigilans, doloris omnis expers deinceps fuit. XLIV.

Paralytica ſanatur.

In Weſtphaliæ pago Hagenſi puella quædam pedibus ingredi non potuit præ paralyſi. Diù ſic vexata tandem perduci ſe petijt ad locum, vbi beatus martyr occiſus eſt. Vidit id vir quidam, & ſalutem eius deſperans, ait: Si hæc curata fuerit eo loco, quò proficiſcitur, ego hoc ſaxum (digito illud demonſtrans) eò deportabo. Venit puella ad locum optatum, & ſanata eſt. Vbi id comperit vir ille, nocte tulit ſaxum, ne ab alijs irrideretur, & ad locum deportauit, qui inde ſeſquimilliari aberat. XLV.

Cæca illuminatur.

Alia puella alterius loci annos aliquot vtroque oculo orbata fuit. Audiuit in ſomnis, ſi lapidem quendam ſuis humeris ferret ad locum paſſionis beati martyris, qui cederet in ſtructuram eccleſiæ ibi tum inchoatæ, confeſtim ipſi lumen reſtitutum iri. Indicat hoc parentibus: illi & ſumptu & laboris itinere, tum quoque viſionis incertitudine abſterriti, eam non audiunt. Tandèm ad locum deducta, cùm lapidem illic depoſuiſſet, mox ab eius oculis albugo prodijt. Indè domum ſana reuertens, parentibus lætitiam, vicinis admirationem affert. XLVI.

Æger curatur.

Monachvs quidam grauiter laborans, beatum Epiſcopum ſic appellauit: Memineris, domine, me ab illo tempore, quo cæſus es, ſemper in Canone Miſſæ tuum nomen expreſſiſſe. Itaque pro ſalute corporis mei te orare æquum eſt. Eadem nocte illi dormienti apparuit, iuſſitque ſanum & incolumem eſſe. Expergefactus ilicò, è lecto ſanus exit. XLVII.

Nota miraculũ, & pœnam votum negligentis

Anselmvs paſtor Coloniæ ad ſanctam Brigidam, vir doctus & bonus, adeò ſcabioſas habuit manus, vt lepram præ ſe ferre viderentur, nec ille præ verecundia cum quoquam cibum capere vellet. Admonuit eum ſacerdos quidam, vt inuiſeret ſepulcrum martyris Engelberti. Venit ad ſepulcrum, imponit illi manus, votum facit martyri, & eadem hora, ipſo admirante, tanquàm ſquamæ quædam ceciderunt de manibus eius. Sed cùm meliùs habere cœpiſſet, non ſtetit promiſſis. Redit ſcabies, & præuaricator voti redit ad cor: iterat votum, & ocyùs curatur. XLVIII.

Hydropici mira curatio.

Abbate Eberbacenſi nuper ad martyris ſepulcrum orante, quidam ciuis ait ad eum: Meritò ad monumentum martyris noſtri oras domine Abba. Reuerà enim in magno ille apud Dominum precio eſt, cuius ego in me virtutem mirabiliter ſum expertus. Adeò enim hydropiſi intumueram, vt medici ſpem omnem vitæ meæ abijcerent. Ego igitur multùm eiulans quadam nocte, cùm diù ſtetiſſem ante lectum meum, toto pectore martyrem hunc inuocare cœpi. Deindè feſſus, in lecto pauliſper obdormiui. Pòſt expergefactus, dolorem & tumorem omnem ſentio euanuiſſe. Obſtupeſco tam inexpectato miraculo: exploro, num humor noxius, dirupta pelle, in lectum dimanârit. Sed nec humorem vllum in lecto, nec in corpore rupturam reperio. Itaque gratias ago Deo, qui tam præclarè ornat & illuſtrat electos ſuos. XLIX.

Venio nunc ad miracula, quæ in Giuelberg, vbi trucidatus eſt martyr, facta ſunt, quæ ad me ſcripto cõprehenſa miſerunt ſacerdotes eius loci, qui ea partim viderunt, partim auditione acceperunt ab illis, in quibus patrata ſunt.

Pſal. 67.

Viſio mirabilis.

Cvm prępotẽs Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, diuerſis miraculis Engelberti martyris ſui merita declarare L. cœpiſſet, faber quidam, vir bonus, cum filio ſuo 14. annos nato, intempeſta nocte præterijt locum illum, in quo beatus ille necatus fuit. Et ecce videt vterq; cereum inſignem in ipſo martyrij loco, vbi nunc altare extructum eſt, flammis radiantibus ad menſuram cubiti vnius à terra eleuatum, qui & tenebras, circumquaque illuſtraret, & tamen neque imbre, neque ventorum flatu extingui poſſet. Mirantur igitur, & cùm non ignorarent, quid viſio illa ſibi vellet, precandi cauſa ad locum accedunt: & cereum quidem conſpiciunt, ſed nulla ratione poſſunt attingere. Mox properant in pagum Suuelme, & viſionem indicant Bartholdo ſacerdoti.

Crus emortuum reuiuiſcit.

Ea viſio poſtquàm diuulgata eſt, quidam carpentarius non longè à Giuelberg habitans, cùm toto anno crus LI. eius planè exaruiſſet, eò acceſſit, terramq; martyris cruore infuſam, cruri alligauit, & poſt triduũ integrè curatus eſt.

Mvlier

LII. Mvlier quædam cum filia, quæ ſemper clauda & muta fuerat, ad ſacrum martyrij locum venit, & aliquot diebus cum lachrymis pro illa martyris opem implorauit. Et ecce muta loquitur, petit ouum à matre, illudq; procùl ab ea allatum, propiùs ad eam accedens, hilariter accipit ex manu illius.

Clauda & muta curatur.

LIII. Parochvs quidam manum dextram pluſquàm dimidium annum adeò habuit ex morbo quodam malè olentem, vt tota hyeme ab offerendo Miſſæ ſacrificio abſtineret. Cùm autem in mentem ei veniſſet, beatum virum pro iuſtitia immeritò occiſum, plena fide manum loco cædis admouit, & paulò pòſt ſanam retraxit.

Cuiuſdam manus dextera reſtauratur.

LIV. Sacerdos quidam cæcus, procùl è Saxonia venit ad hunc locum: & cùm humi proſtratus, piè admodùm Deum & martyrem eius deprecatus eſſet, lumen amiſſum recuperauit. Non multò pòſt pro gratiarum actione limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, itemq; Iacobi adijt, Engelberti martyris gloriam vbiq; prædicás.

Cæco redit lumen.

LV. Per id tempus etiam mulier paupercula, quinq; annos cæca, eodem loco orans cum lachrymis & humi proſtrata, lumen gratulabunda recepit.

Itèm cæca.

LVI. Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo viceſimoquinto, qui fuit pontificatûs Engelberti annus decimus, vitæ verò quadrageſimus, & cædis primus, apud pagum Suuelme fuit quidam paralyſi admodum afflictus. Is poſt multas calamitates perductus eſt ad locum hunc, in quo ſæuitum eſt in martyrem, atque in ipſa paraſceue nocte intempeſta orans, vidit beatum præſulem tanquàm viuum pontificalibus indutum, inſtar ſolis fulgentem, cum duobus viris clariſſimis, qui & ipſi magno veſtium ornatu conſpicui erant, ad eundem aduentare locum, eusque pariter illum circumire, indicare ſpatia, in quibus conſtruendum ſit monaſterium, deindè ſimul diſparére. Eius viſionis tantus fuit effectus, vt paralyticus ſe ſentiret beati Engelberti meritis curatum.

Viſionis miræ effectus.

LVII. In eodem loco, vbi martyr paſſus eſt, Crux lignea erecta fuit. Venit autem eò veteranus quidam, & miraculis martyris obtrectans, intra ſe ait: Quid eſt, quod video & audio? Homo iſte tyrannus fuit, oppreſſor pupillorum & viduarum, ſuperbus & auarus. Adeoq; gloriæ eius inuidit, vt nec Crucem illam æquis poſſet oculis intueri. Sed iuſtus Dominus repentè igne cæleſti guttur & humeros liuidi hominis inflammauit. Mox ergò ducitur in ædes filiæ amicæ ſuæ, ibique per ordinem omnibus confitetur, quid de martyre cogitauerit. Conſulunt amici, vt indutus cilicio, nudis pedibus (Erat autem tum hyemis ingens frigus) ad locum ſacrum redeat, precibus & lachrymis martyrem ſibi conciliet. Facit ſic, & poſt triduum integrè ſanatur.

Vindicta cæleſtis in martyris calumniatorem.

LIIX. Fœmina quædam in Paſchate cum cæteris ſacroſanctam Euchariſtiam percipiens, terribili Dei iudicio cœpit ſpumare, agitare linguam, nec tamen quicquam poſſe eloqui. Ante communionem ſaniſſima fuerat: indignè accedens ad ſacramentum, ſubitò intantùm debilitata eſt, vt nullum membrum mouere poſſet. Ab ineunte enim ætate admodùm diſſolutè vixerat, & multis onuſta peccatis, tam ſalutarem medicinam protsùs imparata ſumpſit. Itaque ſacra corporis Chriſti communio non remedium ei attulit, ſed tormentum. Periculoſum eſt ægro obſtipato, vti medicina fortiter aluum ciente, niſi priùs ſumat quippiam, quo peccans materia digeratur. Ita ergò peccator obſtinatus & induratus, nè medicinam corporis Chriſti ad iudicium accipiat, peccatorum virus & noxios humores contritione & cófeſſione priùs digerere debet. Porrò increſcéte in fœmina, de qua agimus, cæleſti animaduerſione, in ſomnis viſio ei oblata eſt, qua didicit ſe breui curatum iri, ſi velit locum, vbi cæſus eſt Engelbertus Epiſcopus adire. Difficulter igitur & cum magno labore venit ad locum, moxque reſtituta, ſurrexit è lecto, & cibum potumq; ſumpſit, Deoque gratias agens, promiſit ſe annuum cenſum martyri illo in loco perſoluturam.

Pœna indignè Euchariſtiam percipientis.

Sanatur poſt pœnitentiam.

LIX. Pvervlvs quidam colli tumore ingenti & periculoſo laborans, non linguam mouere, non cibum capere, nihil neque videre, neq; audire potuit. Ea re miſerè afflicti parentes eius, cum multis lachrymis rogârunt, vt mitra beati martyris caput pueri tangeretur. O miram Dei gratiam! Mox vt mitra impoſita eſt capiti infantis, tumores detergent, noxij humores euaneſcunt, & priuſquàm paternæ domûs attingat limina, infans totus reualeſcit. Eam mitram in capite habuit Epiſcopus, cùm trucidaretur. Itaque ſacro eius tincta cruore, malè habentibus affert medicinam.

Vide miſſ effectum mitræ Epiſcopi.

LX. Mvlier quædam paupercula morbo vrgente, è Tutingia venit in Giuelberg, non ſine multa difficultate. Laborabat illa angina, toto anno luſca fuit, ſiniſtra manus exaruerat, pedem podagra infeſtabat. Tot oppreſſa malis, proſternit ſe in loco, vbi occubuit martyr, orat cum lachrymis: non tamen impetrat ſanitatem, ſed ſpe impetrandi non deſtituitur. Redit poſt menſes duos, & perfectè curatur. Gratitudinis ergò promittit annuum cenſum martyri Engelberto.

Morbida curatur.

LXI. Qvo tempore euerſum eſt caſtrum Comitis Friderici, qui fuit author cædis Epiſcopi, cuiuſdam etiam mechanici domus, quæ iuxta erat, deſtructa eſt, & facultates omnes ei ereptæ. Quæ res adeò ei doluit, vt plorando oculos amiſerit. Sexto cæcitatis menſe votum nuncupat beato Engelberto, duosq; oculos cereos ſecum ferens ad locum martyrii, vnius oculi ſui lumen recipit.

Cæcus videt.

LXII. Pavpercvlvs quidam in Vueſtphalia ſeptem annis non vno conflictatus eſt morbo. Alterum eius latus emortuum erat, manus aruĕrat, lateris coſtæ confractæ erant, crus adeò intumuit, vt craſſitudine ventrem æquaret. Duobus fultus ſcipionibus venit ad locum, vbi impij trucidârunt Epiſcopum Engelbertum: preces ſupplices obtulit, & celeriter impetrauit quod voluit.

Multis affectus morbis, fit ſanus.

LXIII. Crebreſcebant eo in loco miracula, & permulti quotidiè accedebant & recedebant, alij ſalutem expetituri, alij ſe eam adeptos gratulántes. Inter alios venit ſurdus quidam, qui decem annis nihil audiĕrat: ſed videns hominum tum aduentantium, tum abeuntium frequentiam, animaduertit curationes fieri. Veniens ergò ad locum, vbi martyr occubuit, ſanitatem adeptus eſt. Qui propius illi adſtabant, audiêrunt rumpi pelliculas aurium, quibus meatus obſtructi erant. Indè verò tantus conſecutus eſt dolor, vt caput vtraq; manu comprimendo, eum nonnihil lenire cogeretur. Auditu recuperato, martyris gloriam vbiquè diuulgauit.

Surdus audit.

LXIV. Avceps quidam brachijs & manibus ſpaſmo laborans, multa loca inuiſit, remedia multa adhibuit, ſed nihil profecit. Venit tandèm in Giuelberg, & optata illic ſanitate potitus eſt. Vt autem ſe martyri gratum declararet, annuum cenſum ſe illi loco daturum recepit.

Spaſticus ſanatur.

LXV. Fœmina quædam Andernacenſis, toto corpore inflata, decem & octo hebdomadibus immanes dolores pertulit. Vbi audiuit miracula Engelberti, huiuſmodi votum ſuſcepit: Domine Deus, Inquit, ſi per merita martyris tui curata fuero, nudis pedibus ibo in Giuelberg, vbi cæſus eſt. Indè intra triduum ſana effecta, fecit vt erat pollicita.

Inflammatis humoribus curatur.

LXVI. Nobilis quidam Andernacenſis, diues & potens, multis annis totus ex paralyſi decubuit. Erat morbus ille adeò vehemens, vt cibum erectus capere non poſſet, ſed pectori impoſitum iacens magna vi tandem deglutiret. In ſomnis autem admonitus eſt, quodam in loco ter oſculari humum, & tres offerre preces in honorem beati Engelberti martyris: ità enim fore, vt ilicò ſanaretur. Ille viſionem indicat vxori & liberis, quam illi vt phantaſticam irrident. Valde igitur afflictus, cum lachrymis orat ſe ad locum deſignatum deportari. Parent tandem deprecanti, & cùm ad locum perductus eſſet, ter ſe proſternit, & orat, totusque fit ſanus & incolumis. Deinde nudis pedibus cum vxore & prolibus ſe contulit Giuelberg, obtulit preces & munera, & annuum quoque cenſum ſe daturum pollicitus eſt.

Paralyticus reualeſcit.

Surdus curatur.

THEODORICVS vir nobilis, à teneris annis ſurdus, ad locum, vbi martyr paſſus eſt, ſpe ſalutis obtinendæ LXVII
venit. Octo diebus illic in labore & precibus perdurans, integerrimè ſanatus eſt: atq; eum locum deinceps ſummo
ſtudio & deuotione atq; annuis muneribus proſecutus eſt.

Contractus reſtituitur.

QVIDAM decem annis crura contracta & eneruata habuit. Is tandem duobus innitens ſcipionibus, ad hunc LXIIX.
locum contendit. In itinere preces ab imo pectore fudit multis permixtas lachrymis, & in ipſo paſſionis loco cum
tanta ſe deuotione proſtrauit, vt etiam citiùs, quàm ipſe aduerteret, ſanitas ei reſtituta ſit. Hoc miraculum quicun-
que viderunt, in martyris erupêre laudes, aliaque voce eum concelebrârunt.

Duo ſanantur.

VIRGO quædam adeò fuit in facie à verminibus exeſa, vt ipſi quoque parentes eam contemnerent & abomi- LXIX.
narentur. Sed id Deus non ſuſtinens, partem eius egregiè flagellauit. Agnoſcens ille ſe ob filiæ contemptum diuini-
tùs puniri, confeſſus eſt ſacerdoti, & cum filia vouit ſe ad locum, vbi peremptus eſt beatus Engelbertus, profectu-
rum. In ipſo autem itinere ambo ſanati ſunt. Venerant cum illis viri ampliùs ducenti, qui omnes eius miraculi teſtes
fuêre.

Dolor dentium abigitur.

QVÆDAM fœmina diuturno dentium cruciata dolore, fabrum acciuit, qui ei dentem extraheret. Venit fa- LXX.
ber, ſed dum forcipe admota, nimiùm trahit, & dentem frangit, & mandibulam è ſuo loco euellit. Tum verò miſera
illa nec cibum capere potuit, ità vt vita ipſa faſtidio ei eſſet. Tandèm inuocat beatum martyrem Engelbertum, & e-
ius meritis maxilla redit in locum ſuum, & dolor omnis faceſſit. Illa nudis pedibus abit in Giuelberg, reddit vota, &
annuam oblationem promittit.

HENRICVS quidam nimio vino obrutus, cum alijs corrixari cœpit, & probra iactare. A verbis ad enſes vé- LXXI.
tum eſt. Interim ille apud talum in neruo dirè vulneratur, crureq; ex eo vulnere contracto, ambulandi facultate de-
ſtituitur. Quæ res ad eam inopiam illum adduxit, vt ſcipionibus innixus, ſtipem quotidiè oſtiatim emendicare com-
pulſus ſit. Vt verò comperit multos quotidiè curari à beato Engelberto, ad locum cædis eius profectus eſt: nec ta-

Contractus fit ſanus.

men tunc curatus eſt: ſed cùm ſpem non abijceret, & tertiò non ſine multa difficultate eò acceſſiſſet, poſt preces ſup-
plices Deo & beato Engelberto oblatas, integrè curatus eſt.

NEC ſolum ijs locis, quibus necatus & ſepultus eſt martyr noſter, ſignis & miraculis clareſcere voluit, ſed LXXII
quanti apud Deum ſit meriti, etiam in remotis locis, non rarò oſtendit. In vrbe quadam faber vxorem habuit toto
corpore adeò inflatam, vt hydropiſi laborare putaretur. Seſquiannû illo incommodo ità malè affecta fuit, vt omnis
edendi atq; bibendi appetitus planè proſtratus in ea eſſet. Nocte quadam audiuit vocem in ſomnis: Si locum, vbi

Mulier morbida ſanatur.

fuſus eſt ſanguis beati martyris Engelberti, viſitaueris, eius meritis mox curaberis. Indicat marito, quid audîerit. Ille
ſummo manè cum ea iter ingreditur: quod cùm necdùm medium confeciſſent, mulier planè incolumem ſe ſenſit.
Id vbi maritus comperit, non ingratus tanto beneficio, pergit cum illa, venientesq; in Giuelberg, martyris gloriam
prædicant, & miraculum diuulgant, hilariterque annuum cenſum promittunt.

Itèm virgo quædam.

VIRGO quædam octo annis morbi cuiuſdam infeſtatione adeò debilitata fuit & excruciata, vt abſque alie- LXXIII
nis manibus nec edere, nec bibere, nec loco mouere ſe poſſet. Adducta igitur ad locum, vbi beatus Epiſcopus ſan-
guinem fudit, mox vt illum attigit, ſanata eſt.

HOC anno, qui eſt à Christo nato milleſimus ducenteſimus triceſimuſſeptimus, puer quidam annos plùs mi- LXXIV

Puer mente captus curatur.

nùs ſedecim natus, ſed mente captus, à matre ductus eſt in beati Engelberti eccleſiam, quæ eſt in Giuelberg. Stanti
autem illi in eo templo, quidam ſic ait: Abi ad altare, & ſublatis manibus ora beatum pontificem, qui illic ſangui-
nem ſuum fudit, vt te ſanet. Fecit ille, vt iuſſus erat, & curatus eſt.

IOSEPH monachus Steinfeldenſis admodùm religioſus & pius, hebdomada vna ante cædem Epiſcopi En- LXXV.

Viſio Ioſeph ſancti monachi. Eſt hic S. Hermãnus Canonicus Steinfeldianus, cuius vitã habes 7 Aprilis.

gelberti, quadam nocte intempeſta ſub dio ſtabat, in ſiderum pulchritudine Deum creatorem contemplans. Cum-
que in lunam tum pleno lumine incedentem oculos intenderet, vidit aliam oriri lunam in plaga Aquilonari, cuius
tanta erat lucis præſtantia, vt alterius lunæ lumen propemodùm obſcuraret. Stabat ea re attonitus: & ecce videt cæ-
lum à dextris patefieri, & inter eam patulam cæli partem & lunam recèns ortam, quæ iam cœpit eò contendere, vbi
apertum fuit cælum, conſpicit effigiem gladij, breuis quidem, ſed lati, quales ſunt Bauarorum. Deindè videt lunam,
quæ ab Aquilone ad Orientem aſcendebat, poſtquàm gladium attigit, ſimul cum illo ingredi in cælum, qua parte
pateſcebat. Hanc quidem viſionem etſi ille non intellexit, non tamen dubitauit magnum aliquid portendere. Itaq;
ad lectulum anxius redijt: vbi cùm paululùm dormitare inciperet, turbam quandam prætereuntem ſibi viſus eſt au-
dire, crebroque alios alijs dicentes: Eheu, eheu, Epiſcopus Engelbertus occiſus eſt. Indè verò ſatis ille coniecit, quid
viſio portenderet, ſed non fuit auſus illi fidem commendare. dicebat enim apud ſe: Quî fieri poteſt, vt vir tam inſi-
gnis & potens, tanto ſemper ſtipatus comitatu, occidatur? Quòd ſi verò etiam id accidat, quis credat virum totum
mundo deditum, cui ad voluntatem fluunt omnia, quique tot affluit delicijs, ità continuò coronari? Sed non po-
tuit, quod oſtenſum erat, non fieri. Itaque breui pòſt cecidit vir tantus, ſuorum gladijs trucidatus, pro quo, nè cade-
ret, ſuas illi potiùs ceruices debuerant obijcere. Ea igitur viſionis parte completa, nondùm ſibi perſuadere potuit
vir ſanctus, vt erat ſemper ſibijpſi ſuſpectus, martyrem eſſe tam citò in cælis gloria & honore coronatum. Facta eſt

Punitur à Deo, dũ de ſanctitate martyris dubitat. Sanatur.

itaque vox ad eum: Pro eo, quòd viſioni veriſſimæ fidei oculos aduertere noluiſti, dolebunt tibi oculi corporis tui:
nec ceſſabit dolor, donèc oculos cereos offeras ad ſepulchrum martyris, & ex reſtituta ſalute eam, de qua nunc du-
bitas, certiſſimè comperias veritatem. Vocem hanc ſecutus eſt oculorum dolor: ſed ſimulatque obtulit, quæ iuſſus
erat, ad martyris monumentum, repente dolor omnis euanuit: præſtante Deo ac Domino noſtro, cui honor, glo-
ria & imperium, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

AN. 290.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, NICOSTRATI, SYMPHORIANI, CASTORII ET SIMPLICII: ITEMQVE SANCTORVM

quatuor Coronatorum ex Martyrologio Adonis, qui hiſtoriam, quæ in MS. codicibus habetur, pleriſq; locis admodum obſcura, & mendis ſcatens, in compendium redegit.

8. Nov. Artẽ ſuam ſigno Crucis muniunt.

ROMÆ natalis ſanctorum martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij & Simplicij, imperã- I.
tibus Diocletiano & Maximiano. Hi cùm eſſent artifices inſigniſſimi, & marmorum cælores probatiſ-
ſimi, Imperatori Diocletiano valde facti ſunt accepti. Cùm itaque tempore quodam eſſent quadratu-
ris marmorum intenti, & artem ſuam ſigno Crucis munirent, & ad voluntatem ipſorum artificium
fieret, horum vnus Simplicius, qui adhuc pagano errore tenebatur, dixit ad quatuor reliquos: Adiuro
vos per Deum Solem, vt quis iſte Deus ſit, dicatis mihi, in cuius nomine vos tam benè operamini. Cui Symphoria-
nus: Si potes credere, dicemus tibi, & mox artem conſequeris: ſed & vitam æternam habebis. Quem cùm in fide
ſolidatum beato Cyrillo Epiſcopo conſignaſſent, iſdem Epiſcopus baptizauit eum, & Chriſto Domino credere
informauit.

Non

II. Non multo pòſt accuſati à Philoſophis, quòd Chriſtiani eſſent, & quòd deum Æſculapium fingere, ſicut præceperat Imperator, ex marmore Porphyretico & Proconiſſo noluiſſent, Diocletianus iuſſit quidam tribuno, nomine Lampadio, ſub moderatione verborum eos audire. Quibus iſdem Lampadius dixit: Adorate deum Solem, vt deſtruatis conſilium Philoſophorum. Qui reſpondentes, dixerunt: Nos nunquàm adoramus facturam manuum noſtrarum: ſed adoramus Deum cæli & terræ, qui imperat in æternùm, Ieſum Chriſtum filium Dei.

Nolunt falſos colere deos

III. Recluſi ſunt igitur in cuſtodia publica. Indè cùm mutari à fide Chriſti non poſſent, iubente Lampadio expoliantur, & ſcorpionibus grauiſſimè cæduntur. Mox Lampadius à dæmonio correptus, expirauit. Hoc factum cùm audiſſet Diocletianus, nimio furore repletus, iuſſit cuidam Nicetio tegaro, vt in loculis plumbeis viui includerentur, ac ſic in fluuium præcipitarentur. Poſt dies autem quadragintaduos venit quidam Nicodemus Chriſtianus, & leuauit cum ipſis loculis corpora martyrum, & in domo ſua honorificè poſuit. Paſſi verò ſunt ſexto Idus Nouembris.

Cæduntur ſcorpionibus: In flumen demerguntur.

IV. Item Romæ natale ſanctorum quatuor Coronatorum, id eſt, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini. Hi cùm impellerentur ad ſacrificandum, reluctantes nec omninò conſenſum impijs præbentes, perſtiterunt in fide. Nunciatum eſt autem Diocletiano Imperatori. Qui ilicò iuſſit, vt ante ſimulacrum Æſculapij ictibus plumbatarum cæſi deficerent. Quorum corpora iuſſit in platea canibus iactari: & iacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pij Chriſtiani venerunt, & collecta corpora ſepelierunt in via Lauicana, milliario ab Vrbe tertio, in arenario iuxta corpora ſanctorum martyrum, Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij & Simplicij. Paſſi ſunt autem ſexto Idus Nouembris, poſt duos tamen annos paſſionis horum quinque martyrum. Cùm autem nomina eorum minimè reperirentur, ſtatuit beatus Melciades Epiſcopus, vt anniuerſaria quatuor Coronatorum dies, ſub nominibus ſanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam ſancto viro etiam nomina eorum reuelata ſunt. Feſtiuitas verò, vt fuerat ſtatuta, celebris in aliorum martyrum feſtiuitate permanſit, ac locus quatuor Coronatorum nomine inſignis.

4. martyres occiduntur.

4. coronati à Melciade Epiſcopo nominantur.

VITA ET EXERCITATIO SANCTAE MATRONAE, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 450.

I. Eos, qui ſunt in vita temperantes, & ſtudioſi virtutis, pro viribus laudare, ſimul eſt ſanctum, & longè vtiliſſimum. Nam & ipſi ſunt laude digni, & quæ de eis habetur oratio, incitat & inflammat alios ad amorem aggrediendi talia. Cùm autem & id, quod laudatur, fuerit mulier, id ſcilicet, quod eſt humanæ naturæ maximè imbecillum, & ad aſperos ſuſcipiendos labores molliſſimum, quemadmodùm non eſt laus conducibilis viris ſimul & fœminis, quæ poteſt vtroſque excitare ad ea, quæ ſunt pulchra & honeſta? Fœminas quidem, vt, cùm ſint eiuſdem generis, eoſdem quoquè labores ſuſcipiant & eaſdem remunerationes: Viros autem, nè, cùm ſint viri, cernantur cedere mulieribus, & ad labores ſuſcipiendos eis eſſe ignauiores. Ex ijs ergò, quæ vitam laudabiliter egérunt & ex virtute, fuit etiam Matrona: quæ cum viris quidem virtute contendit: præclaris verò & admirandis factis eos ſuperauit, vt in proceſſu oſtendent ea, quæ dicentur.

8. Nou.

II. Eſt quædam regio ſubiecta imperio Romanorum, ſita in confinio Cilicum & Iſaurorum, nomine Pamphylia: quæ propterea, quòd ſit populo frequens, & habeat habitatores ex omnibus ciuitatibus, ſic fuit appellata. Vna autem ex ijs, quæ ſunt in ea, ciuitatibus vocatur Perge, in qua fuit educata hæc beata Matrona: quæ à parentibus adepta liberalem diſciplinam & educationem, eùm iam eſſet nubilis, (erat enim inſigni pulchritudine) iungitur matrimonio marito non vulgari, non plebeio, nomine Domitiano: fitque mater vnius filiæ, cui ſtatim ex futuris tribuit appellationem, vt quæ eam nominârit Theodoten: Deo autem eam dederit ex ipſis faſcijs. Atq; vt poſt nuptias quidem & cohabitationem, moderationem exerceret, & à faſtu ac ſuperbi alienationem, & ornaretur non ornatu, qui conſiſtit in ficta & fucata pulchritudine: ſed in interno animæ homine, adhibebat ſtudium, & vt in temperantia vitam degeret & honeſtate.

Pamphylia vnde ſic dicta. Matrona nubit viro. Parit filiam nomine Theodotem.

III. Laudabile quidem, & alioqui gratum eſt hæc perſequi. Superuacaneum autem viſum omninò fuerit, ſi præteritis maioribus & perfectioribus, voluerimus occupatos tenere auditores in horum recordatione. Quod autem ipſa alijs prætulit, hoc etiam conuenit præponere in narratione. Statuebat enim id, quod dicit Apoſtolus, à ſe ſummè eſſe ſeruandum. Ille enim dicit, oportere eos, qui habent vxores, affici perindè, ac ſi non habeant. Quamobrem cùm ſua ſponte exceſſiſſet ab ea, quæ illam tulit patria, diuina, inquam, prouidentia, quam eius conſilium habuit adiuuantem, in eam, quæ primam ſedem obtinet inter ciuitates, nempe Byzantium, cum marito proficiſcitur: quem habebat quidem ſimul peregrinantem, & ne minimum quidem recedentem, non tamen eorum conſcium, quæ animo agitabat: neq; ſcientem aliquid, quod ea mente verſabat. Deindè vrbem ingreſſa regiam, toto die aſſidebat in templis ſanctorum, nec diù nec noctu ab eis recedens, ieiunijque & precum curam gerens, & facultates impertiens egentibus, & Deum aſſiduè rogans, vt ſopiretur in ea innatum bellum carnis, erat enim tunc ætate iuuenis, vt quæ non eſſet nata plus quàm vigintiquinque annos.

1. Cor. 7.

Conſtantinopoli ſemper eſt in têplis, &c.

IV. Rogabat ergò, ſicut diximus, vt liberaretur à carnis moleſtijs: vt, cùm poſſet viuere ſine marito, liberè vacaret ſpiritalibus & diuinioribus. Quæ autem eam ad ea, quæ ſunt honeſta, incitabat, erat quædam Eugenia, quæ cõuenienter nomini erat moribus ingenuis, & vna, quæ totam vitam conſumebat in nocturnis ſtationibus & orationibus. Cum qua ipſa quoq; bona decertabat contentione exercitationis, ea, quibus exercentur monachi, diligenter exercens. Hæc verò, quæ quotidiè fiebãt, ægrè ferebat Domitianus, & abſurdæ quædam & turpes cogitationes ei veniebant in mentem, dicendo: Non rectè habet continuus hic progreſſus, ſed fit animo, qui ad malas tendit cupiditates. & exhinc omnem adhibebat cuſtodiam, ne eam quidem ſinens prodire extra domunculam: & ambobus erat conſtitutum certamen: illi quidem, nè dimitteret eam facere ea quæ conſueuerat: huic autem, nè abeſſet à ſacris cœtibus. Sed cum is valde repugnaret, ea multis vrgens precibus, vix tandèm perſuadet, vt ſibi liceat facere quod vellet.

Domitianus vir eius ſiniſtrè fert eius abſentiam.

V. Magno itaq; ſtudio venit in templum ſacrorum Apoſtolorum. In quo cum fuiſſet, eos precans intenſius, petebat vt ſibi nihil eſſet impedimento, quo minus fugeret mundum: ſed eam quoq; Chriſto offerrent cum eo cœtu, qui iam ab eis prius ei fuit oblatus. Cum ea ſic eſſet precata, & iam aduentâſſet veſpera, & qui id templũ cuſtodiebant iuberent omnes egredi, ipſa cum in quodam portícu ex ijs, qui illic erant, Soſannæ cuiuſdam, ei iam olim familiaris, inueniſſet habitaculum, quæ ab ineunte ætate virginitatem conſeruare conſtituerat, & ex Deo vitam agere, cum ea totam noctem peragit. Die verò iam apparente, Matrona venitat ad magiſtram Eugeniam, de rebus propoſitis cum ea communicatura. Cum autem multa vltrò citroq; dicta eſſent, magiſtra dicebat hoc ante alia eſſe conſiderandum, quomodò ſe habitura eſſet filia Theodote. Matrona autem, quæ nullum alium ſcopum ſibi proponebat præter Deum, & omnem aliam negligebat ſolicitudinem: Me, inquit, accipiat ſolitaria vita & monaſtica. Theodoten autem Soſannæ & Deo trado: & de ea iam omni cura liberor. Verba res ipſa quoque mox eſt conſecuta.

Summoperè cupit vni ſeruire Deo, & mundum fugere.

mine Archiepiſcope, inquit, quàm verè eſt anima tua apud Deum, tam certò curetur hic puer per merita tua. Confeſtim abijt febris, nec auſa fuit redire ad puerum.

Ægra conualeſcit.

MATRONA quædam duplici conflictata quartana, per merita ſancti martyris reualuit. XXXVIII.

HERMANNVS aduocatus Colonienſis, adeò cruciabatur dolore lateris, vt familia omnis ilicò moriturum exiſtimaret. Intolerabili igitur cruciatu affectus, ità exclamauit: O Domine Archiepiſcope, ego te præ omnibus dilexi, & tu quoque me non mediocriter amâſti: oro vt me hoc morbo liberes. Sed cùm non ſtatim adeſſet remedium, doloris immanitate ſtimulatus, ſubſtomachans ait: En omnes, etiam qui te nō nouerunt, tu adiuuas: me qui tibi inſeruiui, teque ſemper amaui, negligis. Cumque hæc & id genus alia diceret, filij & famuli eius vouerunt ſe cum illo ituros in Giuelberg, vbi beatus Epiſcopus cæſus eſt, ſi illum ſanaret. Vouent illi, & ille obdormit: rurſuſque expergiſcens: Nihil, inquit, mali ſentio. Gratias ago Deo, & Epiſcopo Engelberto. XXXIX.

Mira vis voti nuncupati.

FOEMINA quædam è Flandria attulit filium ſuum infantem. Cumq; eum in balneo poſuiſſet, & neceſſitate vrgente ab eo receſſiſſet, illius oblita eſt. Poſt horam verò reuertens, cernit infantem aquis præfocatum. Itaq; incredibili correpta dolore, ſimul etiā recordata martyris, qui tum paſſim ferebatur multis coruſcare miraculis toto corde cum lachrymis & ſuſpirijs orauit eum, vt excitaret filiū ipſius. Redit anima in viſcera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit cum infante Coloniā, & apud ſepulcrum martyris gratias agit immenſas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Eccè per martyrem tuum Engelbertum cæci vident, claudi ambulant, paralytici curantur, ſurdi audiunt, tertianæ & quartanæ febres profligantur, epileptici & alijs diuerſis implicati morbis, ſanantur, etiam mortui reuiuiſcunt. Si non eſſet hic homo cum Deo, imò potens apud Deum, non poſſet facere quicquam. XL.

Infantem mortuum excitat.

REFERAM nunc quoddam non exiguum ſanctitatis eius documentum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoque ad monaſterium Montenſe, & cum mentio incideret, quemadmodùm illic tractatum eſſet corpus beati martyris Engelberti, ſciſcitabatur ille, vbi viſcera eius humata eſſent. Dicentibus monachis, in cœmeterij foſſa quadam vulgari condita eſſe: Non decet, inquit, tanti principis, imo martyris miraculis coruſcantis, viſcera tam negligenter haberi. Obtemperant verò illi fratres, amouentque à ſepulcro humum: & eccè viſcera martyris adeò cernunt recentia, acſi illa hora è corpore extracta eſſent. Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris ſentiri potuit, cùm tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuiſſent. Admirantur fratres haud vulgariter, agnoſcunt Dei virtutem & martyris merita: collecta viſcera in ſcrinio reponunt, & ante altare honorificè condunt. XLI.

Viſcera martyris incorrupta poſt multas hebdomadas.

Eccè voti efficaciam.

SACERDOS quidam doctus & pius, calculi dolores ferens intolerabiles, votum fecit, ſi beatus Engelbertus ipſum intra biduum curaret, ſe cum muneribus eius ſepulcrum viſitaturum. Curatus eſt ante biduum ſpe ſua celeriùs, & promiſſi munus accuratè confecit. XLII.

Paralyticus fit ſanus.

HENRICVS Abbas Hemmenrodenſis ex Iohanne Burggrauio ab Hamerſtein didicit, quod dicturus ſum: Quidam ex familia eius, omnibus in caſtro illo notiſſimus, diù oppreſſus paralyſi, vt audiuit miracula martyris Engelberti, toto corde illum inuocans, votum ſuſcepit. Ductus eſt Coloniam paralyticus, & inde ad caſtrum incolumis reuerſus eſt. XLIII.

Quidā dentium dolore liberatur.

IN Saxonia monaſterium eſt ordinis Ciſtertienſis, quod Cellam vocant. Eius quidam frater adeò doluit dentes, vt ſomnum capere non poſſet. Nocte quadam ſupra vires cruciari ſe ſentiens, has preces fudit: Domine Epiſcope Engelberte, ſi verum eſt animam tuam degere apud Dominum, adiuua me. Dixit ſic, & obdormiuit. Poſteà euigilans, doloris omnis expers deinceps fuit. XLIV.

Paralytica ſanatur.

IN Weſtphaliæ pago Hagenſi puella quædam pedibus ingredi non potuit præ paralyſi. Diù ſic vexata tandem perduci ſe petijt ad locum, vbi beatus martyr occiſus eſt. Vidit id vir quidam, & ſalutem eius deſperans, ait: Si hæc curata fuerit eo loco, quò proficiſcitur, ego hoc ſaxum (digito illud demonſtrans) eò deportabo. Venit puella ad locum optatum, & ſanata eſt. Vbi id comperit vir ille, nocte tulit ſaxum, ne ab alijs irrideretur, & ad locum deportauit, qui inde ſeſquimilliari aberat. XLV.

Cæca illuminatur.

ALIA puella alterius loci annos aliquot vtroque oculo orbata fuit. Audiuit in ſomnis, ſi lapidem quendam ſuis humeris ferret ad locum paſſionis beati martyris, qui cederet in ſtructuram eccleſiæ ibi tum inchoatæ, confeſtim ipſi lumen reſtitutum iri. Indicat hoc parentibus: illi & ſumptu & laboris itinere, tum quoque viſionis incertitudine abſterriti, eam non audiunt. Tandèm ad locum deducta, cùm lapidem illic depoſuiſſet, mox ab eius oculis albugo prodijt. Indè domum ſana reuertens, parentibus lætitiam, vicinis admirationem affert. XLVI.

Æger curatur.

MONACHVS quidam grauiter laborans, beatum Epiſcopum ſic appellauit: Memineris, domine, me ab illo tempore, quo cæſus es, ſemper in Canone Miſſæ tuum nomen expreſſiſſe. Itaque pro ſalute corporis mei te orare æquum eſt. Eadem nocte illi dormienti apparuit, iuſſitque ſanum & incolumem eſſe. Expergefactus ilicò, è lecto ſanus exit. XLVII.

Nota miraculō, & pœnam votum negligentis

ANSELMVS paſtor Coloniæ ad ſanctam Brigidam, vir doctus & bonus, adeò ſcabioſas habuit manus, vt lepram præ ſe ferre viderentur, nec ille præ verecundia cum quoquam cibum capere vellet. Admonuit eum ſacerdos quidam, vt inuiſeret ſepulcrum martyris Engelberti. Venit ad ſepulcrum, imponit illi manus, votum facit martyri, & eadem hora, ipſo admirante, tanquàm ſquamæ quædam ceciderunt de manibus eius. Sed cùm meliùs habere cœpiſſet, non ſtetit promiſſis. Redit ſcabies, & præuaricator voti redit ad cor: iterat votum, & ocyùs curatur. XLIIX.

Hydropici mira curatio.

ABBATE Eberbacenſi nuper ad martyris ſepulcrum orante, quidam ciuis ait ad eum: Meritò ad monumentum martyris noſtri oras domine Abba. Reuerà enim in magno ille apud Dominum precio eſt, cuius ego in me virtutem mirabiliter ſum expertus. Adeò enim hydropiſi intumueram, vt medici ſpem omnem vitæ meæ abijcerent. Ego igitur multùm eiulans quadam nocte, cùm diù ſtetiſſem ante lectum meum, toto pectore martyrem hunc inuocare cœpi. Deindè feſſus, in lecto paulìſper obdormiui. Pôſt expergefactus, dolorem & tumorem omnem ſentio euanuiſſe. Obſtupeſco tam inexpectato miraculo: exploro, num humor noxius, dirupta pelle, in lectum dimanârit. Sed nec humorem vllum in lecto, nec in corpore rupturam reperio. Itaque gratias ago Deo, qui tam præclarè ornat & illuſtrat electos ſuos. XLIX.

VENIO nunc ad miracula, quæ in Giuelberg, vbi trucidatus eſt martyr, facta ſunt, quæ ad me ſcripto cōprehenſa miſerunt ſacerdotes eius loci, qui ea partim viderunt, partim auditione acceperunt ab illis, in quibus patrata ſunt.

Pſal. 67.

Viſio mirabilis.

CVM prępotēs Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, diuerſis miraculis Engelberti martyris ſui merita declarare cœpiſſet, faber quidam, vir bonus, cum filio ſuo 14. annos nato, intempeſta nocte præterijt locum illum, in quo beatus ille necatus fuit. Et eccè videt vterq; cèreum inſignem in ipſo martyrij loco, vbi nunc altare extructum eſt, flammis radiantibus ad menſuram cubiti vnius à terra eleuatum, qui & tenebras, circumquaque illuſtraret, & tamen neque imbre, neque ventorum flatu extingui poſſet. Mirantur igitur, & cùm non ignorarent, quid viſio illa ſibi vellet, precandi cauſa ad locum accedunt: & cereum quidem conſpiciunt, ſed nulla ratione poſſunt attingere. Mox properant in pagum Suuelme, & viſionem indicant Bartholdo ſacerdoti. L.

Crus emortuum reuiuiſcit.

EA viſio poſtquàm diuulgata eſt, quidam carpentarius non longè à Giuelberg habitans, cùm toto anno crus eius planè exaruiſſet, eò acceſſit, terramq; martyris cruore infuſam, cruri alligauit, & poſt triduū integrè curatus eſt. LI.

MVLIER

LII. Mvlier quædam cum filia, quæ ſemper clauda & muta fuerat, ad ſacrum martyrij locum venit, & aliquot diebus cum lachrymis pro illa martyris opem implorauit. Et ecce muta loquitur, petit ouum à matre, illudq; procùl ab ea allatum, propiùs ad eam accedens, hilariter accipit ex manu illius.

Clauda & muta curatur.

LIII. Parochvs quidam manum dextram pluſquàm dimidium annum adeò habuit ex morbo quodam malè olentem, vt tota hyeme ab offerendo Miſſæ ſacrificio abſtineret. Cùm autem in mentem ei veniſſet, beatum virum pro iuſtitia immeritò occiſum, plena fide manum loco cædis admouit, & paulò pòſt ſanam retraxit.

Cuiuſdam manus dextera reſtauratur.

LIV Sacerdos quidam cæcus, procùl è Saxonia venit ad hunc locum: & cùm humi proſtratus, piè admodùm Deum & martyrem eius deprecatus eſſet, lumen amiſſum recuperauit. Non multò pòſt pro gratiarum actione limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, itemq; Iacobi adijt, Engelberti martyris gloriam vbiq; prædicãs.

Cæco redit lumen.

LV Per id tempus etiam mulier paupercula, quinq; annos cæca, eodem loco orans cum lachrymis & humi proſtrata, lumen gratulabunda recepit.

Itèm cæcæ.

LVI. Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo viceſimoquinto, qui fuit pontificatûs Engelberti annus decimus, vitæ verò quadrageſimus, & cædis primus, apud pagum Suuelme fuit quidam paralyſi admodùm afflictus. Is poſt multas calamitates perductus eſt ad locum hunc, in quo ſæuitum eſt in martyrem, atque in ipſa paraſceue nocte intempeſta orans, vidit beatum præſulem tanquàm viuum pontificalibus indutum, inſtàr ſolis fulgentem, cum duobus viris clariſſimis, qui & ipſi magno veſtium ornatu conſpicui erant, ad eundem aduentare locum, eoſque pariter illum circumire, indicare ſpatia, in quibus conſtruendum ſit monaſterium, deindè ſimul diſparére. Eius viſionis tantus fuit effectus, vt paralyticus ſe ſentiret beati Engelberti meritis curatum.

Viſionis mire effectus.

LVII In eodem loco, vbi martyr paſſus eſt, Crux lignea erecta fuit. Venit autem eò veteranus quidam, & miraculis martyris obtrectans, intra ſe ait: Quid eſt, quod video & audio? Homo iſte tyrannus fuit, oppreſſor pupillorum & viduarum, ſuperbus & auarus. Adeoq; gloriæ eius inuidit, vt nec Crucem illam æquis poſſet oculis intueri. Sed iuſtus Dominus repentè igne cæleſti guttur & humeros liuidi hominis inflammauit. Mox ergò ducitur in ædes filiæ amicæ ſuæ, ibique per ordinem omnibus confitetur, quid de martyre cogitauerit. Conſulunt amici, vt indutus cilicio, nudis pedibus (Erat autem tum hyemis ingens frigus) ad locum ſacrum redeat, precibus & lachrymis martyrem ſibi conciliet. Facit ſic, & poſt triduum integrè ſanatur.

Vindicta cæleſtis in martyris calumniatorem

LIIX. Foemina quædam in Paſchate cum cæteris ſacroſanctam Euchariſtiam percipiens, terribili Dei iudicio cœpit ſpumare, agitare linguam, nec tamen quicquam poſſe eloqui. Ante communionem ſaniſſima fuerat: indignè accedens ad ſacramentum, ſubitò intantùm debilitata eſt, vt nullum membrum mouere poſſet. Ab ineunte enim ætate admodùm diſſolutè vixerat, & multis onuſta peccatis, tam ſalutarem medicinam prorsùs imparata ſumpſit. Itaque ſacra corporis Chriſti communio non remedium ei attulit, ſed tormentum. Periculoſum eſt ægro obſtipato, vti medicina fortiter aluum ciente, niſi priùs ſumat quippiam, quo peccans materia digeratur. Ita ergo peccator obſtinatus & induratus, nè medicinam corporis Chriſti ad iudicium accipiat, peccatorum virus & noxios humores contritione & cõfeſſione priùs digerere debet. Porrò increſcẽte in fœmina, de qua agimus, cæleſti animaduerſione, in ſomnis viſio ei oblata eſt, qua didicit ſe breui curatum iri, ſi velit locum, vbi cæſus eſt Engelbertus Epiſcopus adire. Difficulter igitur & cum magno labore venit ad locum, moxque reſtituta, ſurrexit è lecto, & cibum potumq; ſumpſit, Deoque gratias agens, promiſit ſe annuum cenſum martyri illo in loco perſoluturam.

Pœna indignè Euchariſtiam percipientis.

Sanatur poſt pœnitentiam.

LIX. Pvervlvs quidam colli tumore ingenti & periculoſo laborans, non linguam mouere, non cibum capere, nihil neque videre, neq; audire potuit. Ea re miſerè afflicti parentes eius, cum multis lachrymis rogârunt, vt mitra beati martyris caput pueri tangeretur. O miram Dei gratiam! Mox vt mitra impoſita eſt capiti infantis, tumores deturgent, noxij humores euaneſcunt, & priuſquàm paternæ domûs attingat limina, infans totus reualeſcit. Eam mitram in capite habuit Epiſcopus, cùm trucidaretur. Itaque ſacro eius tincta cruore, malè habentibus affert medicinam.

Vide mirũ effectum mitræ Epiſcopi.

LX. Mvlier quædam paupercula morbo vrgente, è Turingia venit in Giuelberg, non ſine multa difficultate. Laborabat illa angina, toto anno luſca fuit, ſiniſtra manus exaruerat, pedem podagra infeſtabat. Tot oppreſſa malis, proſternit ſe in loco, vbi occubuit martyr, orat cum lachrymis: non tamen impetrat ſanitatem, ſed ſpe impetrandi non deſtituitur. Redit poſt menſes duos, & perfectè curatur. Gratitudinis ergò promittit annuum cenſum martyri Engelberto.

Morbida curatur.

LXI. Qvo tempore euerſum eſt caſtrum Comitis Friderici, qui fuit author cædis Epiſcopi, cuiuſdam etiam mechanici domus, quæ iuxta erat, deſtructa eſt, & facultates omnes ei ereptæ. Quæ res adeò ei doluit, vt plorando oculos amiſerit. Sexto cæcitatis menſe votum nuncupat beato Engelberto, duosq; oculos cereos ſecum ferens ad locum martyrij, vnius oculi ſui lumen recipit.

Cæcus videt.

LXII. Pavpercvlvs quidam in Vueſtphalia ſeptem annis non vno conflictatus eſt morbo. Alterum eius latus emortuum erat, manus aruerat, lateris coſtæ confractæ erant, crus adeò intumuit, vt craſſitudine ventrem æquaret. Duobus fultus ſcipionibus venit ad locum, vbi impij trucidârunt Epiſcopum Engelbertum: preces ſupplices obtulit, & celeriter impetrauit quod voluit.

Multis affectus morbis, fit ſanus.

LXIII Crebrescebant eo in loco miracula, & permulti quotidiè accedebant & recedebant, alij ſalutem expetituri, alij ſe eam adeptos gratulántes. Inter alios venit ſurdus quidam, qui decem annis nihil audiẽrat: ſed videns hominum tùm aduentantium, tum abeuntium frequentiam, animaduertit curationes fieri. Veniens ergò ad locum, vbi martyr occubuit, ſanitatem adeptus eſt. Qui propius illi adſtabant, audiêrunt rumpi pelliculas aurium, quibus meatus obſtructi erant. Indè verò tantus conſecutus eſt dolor, vt caput vtraq; manu comprimendo, eum nonnihil lenire cogeretur. Auditu recuperato, martyris gloriam vbiquè diuulgauit.

Surdus audit.

LXIV. Avceps quidam brachijs & manibus ſpaſmo laborans, multa loca inuiſit, remedia multa adhibuit, ſed nihil profecit. Venit tandèm in Giuelberg, & optata illic ſanitate potitus eſt. Vt autem ſe martyri gratum declararet, annuum cenſum ſe illi loco daturum recepit.

Spaſticus ſanatur.

LXV. Foemina quædam Andernacenſis, toto corpore inflata, decem & octo hebdomadibus immanes dolores pertulit. Vbi audiuit miracula Engelberti, huiuſmodi votum ſuſcepit: Domine Deus, inquit, ſi per merita martyris tui curata fuero, nudis pedibus ibo in Giuelberg, vbi cæſus eſt. Indè intra triduum ſana effecta, fecit vt erat pollicita.

Inflata malis humoribus curatur

LXVI. Nobilis quidam Andernacenſis, diues & potens, multis annis totus ex paralyſi decubuit. Erat morbus ille adeò vehemens, vt cibum erectus capere non poſſet, ſed pectori impoſitum iacens magna vi tandem deglutiret. In ſomnis autem admonitus eſt, quodam in loco tèr oſculari humum; & tres offerre preces in honorem beati Engelberti martyris: itàenim fore, vt ilicò ſanaretur. Ille viſionem indicat vxori & liberis, quam illi vt phantaſticam irrident. Valde igitur afflictus, cum lachrymis orat ſe ad locum deſignatum deportari. Parent tandem deprecanti, & cùm ad locum perductus eſſet, ter ſe proſternit, & orat, totuſque fit ſanus & incolumis. Deinde nudis pedibus cum vxore & prolibus ſe contulit Giuelberg, obtulit preces & munera, & annuum quoque cenſum ſe daturum pollicitus eſt.

Paralyticus reualeſcit.

II. Non multo pòſt accuſati à Philoſophis, quòd Chriſtiani eſſent, & quòd deum Æſculapium ſingere, ſicut præceperat Imperator, ex marmore Porphyretico & Proconiſſo noluiſſent, Diocletianus iuſſit cuidam tribuno, nomine Lampadio, ſub moderatione verborum eos audire. Quibus idem Lampadius dixit: Adorate deum Solem, vt deſtruatis conſilium Philoſophorum. Qui reſpondentes, dixerunt: Nos nunquàm adoramus facturam manuum noſtrarum: ſed adoramus Deum cæli & terræ, qui imperat in æternùm, Ieſum Chriſtum filium Dei.

Nolunt falſos colere deos

III. Reclvsi ſunt igitur in cuſtodia publica. Indè eùm mutari à fide Chriſti non poſſent, iubente Lampadio expoliantur, & ſcorpionibus grauiſſimè cæduntur. Mox Lampadius à dæmonio correptus, expirauit. Hoc factum cùm audiſſet Diocletianus, nimio furore repletus, iuſſit cuidam Nicetio togato, vt in loculis plumbeis viui includerentur, ac ſic in fluuium præcipitarentur. Poſt dies autem quadragintaduos venit quidam Nicodemus Chriſtianus, & leuauit cum ipſis loculis corpora martyrum, & in domo ſua honorificè poſuit. Paſſi verò ſunt ſexto Idus Nouembris.

Cæduntur ſcorpionibus: In flumen demerguntur.

IV. Item Romæ natale ſanctorum quatuor Coronatorum, id eſt, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini. Hi cùm impellerentur ad ſacrificandum, reluctantes nec omninò conſenſum impijs præbentes, perſtiterunt in fide. Nunciatum eſt autem Diocletiano Imperatori. Qui ilicò iuſſit, vt ante ſimulacrum Æſculapij ictibus plumbatarum cæſi deficerent. Quorum corpora iuſſit in platea canibus iactari: & iacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pij Chriſtiani venerunt, & collecta corpora ſepeliêrunt in via Lauicana, milliario ab Vrbe tertio, in arenario iuxta corpora ſanctorum martyrum, Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij & Simplicij. Paſſi ſunt autem ſexto Idus Nouembris, poſt duos tamen annos paſſionis horum quinque martyrum. Cum autem nomina eorum minimè reperirentur, ſtatuit beatus Melciades Epiſcopus, vt anniuerſaria quatuor Coronatorum dies, ſub nominibus ſanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam ſancto viro etiam nomina eorum reuelâta ſunt. Feſtiuitas verò, vt fuerat ſtatuta, celebris in aliorum martyrum feſtiuitate permanſit, ac locus quatuor Coronatorum nomine inſignis.

4. martyres occiduntur.

4. coronati à Melciade Epiſcopo nominantur.

VITA ET EXERCITATIO SANCTAE MATRONAE, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 450.

I. Eos, qui ſunt in vita temperantes, & ſtudioſi virtutis, pro viribus laudare, ſimul eſt ſanctum, & longè vtiliſſimum. Nam & ipſi ſunt laude digni, & quæ de eis habetur oratio, incitat & inflammat alios ad amorem aggrediendi talia. Cùm autem & id, quod laudatur, fuerit mulier, id ſcilicet, quod eſt humanæ naturæ maximè imbecillum, & ad aſperos ſuſcipiendos labores molliſſimum, quemadmodùm non eſt laus conducibilis viris ſimul & fœminis, quæ poteſt vtroſque excitare ad ea, quæ ſunt pulchra & honeſta? Fœminas quidem, vt, cùm ſint eiuſdem generis, eoſdem quoquè labores ſuſcipiant & eaſdem remunerationes. Viros autem, nè, cùm ſint viri, cernantur cedere mulieribus, & ad labores ſuſcipiendos eis eſſe ignauiores. Ex ijs ergò, quæ vitam laudabiliter egêrunt & ex virtute, fuit etiam Matrona. quæ cum viris quidem virtute contendit: præclaris verò & admirandis factis eos ſuperauit, vt in proceſſu oſtendent ea, quæ dicentur.

8. Nov.

II. Est quædam regio ſubiecta imperio Romanorum, ſita in confinio Cilicum & Iſaurorum, nomine Pamphylia: quæ propterea, quòd ſit populo frequens, & habeat habitatores ex omnibus ciuitatibus, ſic fuit appellata. Vna autem ex ijs, quæ ſunt in ea, ciuitatibus vocatur Perge, in qua fuit educata hæc beata Matrona: quæ à parentibus adepta liberalem diſciplinam & educationem, cùm iam eſſet nubilis, (erat enim inſigni pulchritudine) iungitur matrimonio marito non vulgari, non plebeio, nomine Domitiano: fitque mater vnius filiæ, cui ſtatim ex futuris tribuit appellationem, vt quæ eam nominârit Theodoten: Deo autem eam dederit ex ipſis faſcijs. Atq; vt poſt nuptias quidem & cohabitationem, moderationem exerceret, & à faſtu ac ſuperbi alienationem, & ornaretur non ornatu, qui conſiſtit in ficta & fucata pulchritudine: ſed in interno animæ homine, adhibebat ſtudium, & vt in temperantia vitam degeret & honeſtate.

Pamphylia vnde ſic dicta.

Matrona nubit viro. Parit filiam nomine Theodoten.

III. Lavdabile quidem, & alioqui gratum eſt hæc perſequi. Superuacaneum autem viſum omninò fuerit, ſi præteritis maioribus & perfectioribus, voluërimus occupatos tenere auditores in horum recordatione. Quod autem ipſa alijs prætulit, hoc etiam conuenit præponere in narratione. Statuebat enim id, quod dicit Apoſtolus, à ſe ſummè eſſe ſeruandum. Ille enim dicit, oportere eos, qui habent vxores, affici perindè, ac ſi non habeant. Quamobrèm cùm ſua ſponte exceſſiſſet ab ea, quæ illam tulit patria, diuina, inquam, prouidentia, quam eius conſilium habuit adiuuantem, in eam, quæ primam ſedem obtinet inter ciuitates, nempe Byzantium, cum marito proficiſcitur: quem habebat quidem ſimul peregrinantem, & ne minimum quidem recedentem, non tamen eorum conſcium, quæ animo agitabat: neq; ſcientem aliquid, quod ea mente verſabat. Deindè vrbem ingreſſa regiam, toto die aſſidebat in templis ſanctorum, nec diù nec noctu ab eis recedens, ieiunijque & precum curam gerens, & facultates impertiens egentibus, & Deum aſſiduè rogans, vt ſopiretur in ea innatum bellum carnis, erat enim tunc ætate iuuenis, vt quæ non eſſet nata plus quàm vigintiquinque annos.

1. Cor. 7.

Conſtantinopoli ſemper eſt in templis, &c.

IV. Rogabat ergò, ſicut diximus, vt liberaretur à carnis moleſtijs: vt, cùm poſſet viuere ſine marito, liberè vacaret ſpiritalibus & diuinioribus. Quæ autem eam ad ea, quæ ſunt honeſta, incitabat, erat quædam Eugenia, quæ cōuenienter nomini erat moribus ingenuis, & vna, quæ totam vitam conſumebat in nocturnis ſtationibus & orationibus. Cum qua ipſa quoq; bona decertabat contentione exercitationis, ea, quibus exercentur monachi, diligenter exercens. Hæc verò, quæ quotidiè fiebât, ægrè ferebat Domitianus, & abſurdæ quædam & turpes cogitationes ei veniebant in mentem, dicendo: Non rectè habet continuus hic progreſſus, ſed fit animo, qui ad malas tendit cupiditates. & exhinc omnem adhibebat cuſtodiam, ne eam quidem ſinens prodire extra domunculam: & ambobus erat conſtitutum certamen: illi quidem, nè dimitteret eam facere ea quæ conſueuerat: huic autem, nè abeſſet à ſacris cœtibus. Sed cum is valde repugnaret, ea multis vrgens precibus, vix tandèm perſuadet, vt ſibi liceat facere quod vellet.

Domitianus vir eius ſiniſtrè fert eius abſentiam.

V. Magno itaq; ſtudio venit in templum ſacrorum Apoſtolorum. In quo cum fuiſſet, eos precans intenſius, petebat vt ſibi nihil eſſet impedimento, quo minus fugeret mundum: ſed eam quoq; Chriſto offerrent cum eo cœtu, qui iam ab eis prius ei fuit oblatus. Cum ea ſic eſſet precata, & iam aduentâſſet veſpera, & qui id templũ cuſtodiebant iuberent omnes egredi, ipſa cum in quodam portieu ex ijs, qui illic erant, Soſannæ cuiuſdam, ei iam olim familiaris, inueniſſet habitaculum, quæ ab ineunte ætate virginitatem conſeruare conſtituerat, & ex Deo vitam agere, cum ea totam noctem peragit. Die verò iam apparente, Matrona venerat ad magiſtram Eugeniam, de rebus propoſitis cum ea communicatura. Cum autem multa vltrò citroq; dicta eſſent, magiſtra dicebat hoc ante alia eſſe conſiderandum, quomodò ſe habitura eſſet filia Theodote. Matrona autem, quæ nullum alium ſcopum ſibi proponebat præter Deum, & omnem aliam negligebat ſolicitudinem: Me, inquit, accipiat ſolitaria vita & monaſtica: Theodoten autem Soſannæ & Deo trado: & de ea iam omni cura liberor. Verba res ipſa quoque mox eſt conſecuta.

Summoperè cupit vni ſeruire Deo, & mundum fugere.

RVR-

XI. Cvm ipſa ſic tunc illinc receſſiſſet, Dominus, qui omnia diſponit ad id quod eſt vtile, filiam Matronæ fecit è vita excedere, & ad ſe aſſumpſit, nè aduersùs ipſam eſſet magno occaſioni, & ne eam quam iam cognitum eſſet eſſe mulierem, prætextu curæ gerendæ de filia, à diuiniore deduceret ſolitudine, neue in eius animo mundanas insereret cogitationes. Quamobrèm non dolorem, ſed voluptatem ex ea re accepit, quod factum erat, non eſſe ſtatuens filiæ amiſſionem, ſed à curis de ea ſuſceptis liberationem, & earum depoſitionem. Ipſa ergò latebat apud Soſannam, aut Deus potiùs eam ſeruabat per Soſannam. Fama autem, ea quæ ab ipſa facta erant, vbiq; annunciabat, & hic actus ad aures omnium permanabat. Quo factum eſt, vt maritus eius Domitianus paulatim veniret ad veritatem, vt qui non ceſſáſſet vxorem ſuam inueſtigare, poſtquàm reliqua obijt monaſteria, ad illud quoq; venit, in quo beata fuit verſata, quaſdam non expreſſas & indecoras voces præ ira emittens, importunè fores pulſans & inſilians, dicendo: Quęnam eſt ea vis, quam mihi attuliſtis? Quænam eſt hæc magna iniuria? Pulchra certè, ò monachi, pulchra ſunt admodùm, quæ à vobis facta ſunt. Cur eos, qui ſunt pulchrè coniuncti, vos malè vultis diuidere? Date mihi meam vitæ ſociam. Date eam, quæ eſt mihi coniuncta legibus.

Filia S. Matronæ excedit è vita.

Maritus eius importunè eam repetit.

XII. Hæc & ijs plura, deſiderio victus & animi ægritudine, voce interrupta à dolore exclamauit. Audiuit autem ab ipſis: Nos vxorem quidem tuam non accepimus, (neq; enim fas eſt fœminæ permittere ingreſſum in monaſterium) Eunuchum autem quendam monachum, nomine Babylam, ſcimus aliquo tempore monaſticum vitam egiſſe: Deindè repentè mutatum ſtatuiſſe proficiſci Hieroſolyma. Eum ergò cum haberet hanc cauſam peregrè proficiſcẽdi, multis antè diebus à nobis diſceſſiſſe cognouimus. Vbinam autem nunc degat, illi ſoli omninò eſt cognitum, cuius oculis nihil eſt quod non poſſit adſpici. Quod autem hæc vera ſint, teſtabitur vniuerſus populus ciuitatis. Hæc cùm audiuiſſet Domitianus, & fruſtratus eſſet cœpto ſuæ inquiſitionis, & omni pulchra priuatus occaſione, ſe vertebat in omnem ſpeciem, quòd res ei non ceſſiſſet, ſe excrucians, propter zelum iraſcens, propter eius amorem incitatus cupiditate. Atque ille quidem ſic receſſit, diſtractus his animi perturbationibus.

S. Matrona mutato nomine Babylam ſe vocitauit.

XIII. Bassianvm autem inuaſit agmen curarum, nè Matronæ anima, quæ eius fidei commiſſa fuerat, verè ſubiiſſet interitum: & cùm eos accerſiſſet, qui ordine quodam erant primi monachorum: Eſt, inquit, nobis ampliùs conſiderandum de ea, quæ à nobis diſceſſit, ſorore. Nam etſi ſexu erat diuerſa: quoniam tamen in noſtrum adſcripta erat circulum, oportet exiſtimare membri ablationem, eius quæ facta eſt à nobis, diiunctionem. De ijs ergò quæ ad ipſam pertinent, conſtituamus, vt ad bonum finem perueniat, nè malignus, & qui quotidiè nobis inſidiatur, eius ſuperet conſtantiam, apto ad inſidias inſtrumento vtens marito. Atq; ſic quidem dicebat Baſſianus, in communi poſita deliberatione. Marcellus autem quidem, tunc Diaconus, hanc dixit ſententiam: In Emeſa ciuitate (ille enim ex ea erat ortus) dicens eſſe monaſterium mulierum, in quo etiam ſuam ſororem eſſe vnam ex ijs, quæ exercentur. Si ergò tibi placet, ad id mittatur. Sic enim licebit curam de ea deponere. Cùm aſſenſus autẽ eſſet Baſſianus ei, quod dictum fuerat, & id permiſiſſet, miniſter ſtatim nactus nauem, quæ illinc ſoluebat, ſancta in ea impoſita, eſt reuerſus.

Abbas curam habet ſalutis eius.

XIV. Illa autem cùm alacri animo accepiſſet id, quod factum fuerat, tanquàm id non accidiſſet abſque Dei numine, & pauca quædam accepiſſet pro alimentis, ſecundo & leni vento peracta nauigatione, venit in monaſterium, quod erat Emeſæ. Benignè ergò accepta, tanto ſtudio ſe exercebat in laboribus virtutis, vt monachis videretur exemplar non facile, decertantibus aduersùs paria eius certamina. Quocircà placuit omnibus poſt deceſſum eius, quæ illis præerat, ei committere omnem monaſterij præfecturam. Quo magis ergò latére ſtudebat Matrona, eo magis Deo erat curæ eam reddere manifeſtam, & illius lucem ponere ſuper candelabrum, & euidentem eius reddere virtutem. Illo autem tempore agricola quidam prædium operans, multis diebus vidit flammam è terra emitti. Erat verò emiſſio continua, & nunquàm deſinens. Hic ergò, vt qui eſſet agricola, nihil valens conijcere altiùs, Epiſcopum ciuitatis accedens, id renunciat. Ille autem ex eo, quod apparebat, intelligens magnum quid ſignificari, cum ſuo clero veniens ad locum, vt par erat, facta oratione, iuſſit terram fodere. Quod cùm factum eſſet, inuenta eſt vrna, non aurum celans, aut aliquid aliud eiuſmodi, quod poſſit demulcere animum ornamentorum cupidum: ſed rem quandam precioſam & maximi faciendam, nẽpe maximè venerãdum caput † Iohannis Baptiſtæ.

S. Matrona Emeſæ ſe confert in virginum cœnobium. Et cœnobio præficitur.

S. Iohannis Baptiſtæ caput inuenitur.

† *Quæ hic de Inuentione capitis S. Ioannis Baptiſtæ, eadem teſtata relinquunt Marcellinus Comes in chron. Beda in Marci cap. 6. & lib. de ſex ætat. Ado in Chron. & alij: ſed erant teſte Baronio in tempore, cum ex Sozom. hiſt. lib. 7. cap. 21. Proſpero in chron. Niceph. lib. 12. cap. 49. Cedren. in compend. an. 6. Theodoſij Imp. Sigib. in chron. an. 392. & alijs conſtet, Valente imperante, idem inuentum, & à Theodoſio Imp. Conſtantinopolim anno 391. vt vult Baron. tranſlatum fuerit. Conſule Bar. annales an. 391. & notas in Martyr. Rom. 29. Aug. 6.*

XV. Cvm hæc fama in omnem partem peruaſiſſet, nullus domi remanebat: ſed cum vniuerſa multitudine confluebant omnes ad ſpectaculum: à quibus hoc venerandum caput cum omni laude & glorificatione in templum introducitur. Cùm autem Matrona cum omnibus monachis interfuiſſet ſpectaculo eius, quod apparuerat, acceſſit & hauſit ex vnguento capitis, quod erat propoſitum. Eius communicatio facta eſt, ea etiam inuita, ijs qui aderant. Quomodò autem & cur hoc ea inuita factum ſit, id quod dicendum eſt, vult vos attendere & diſcere. In media enim intercepta multitudine, cùm ei non concederetur exitus, vtpotè quòd vt acciperent, omnes ſe intruderent: ex eo, quod acceperat, vnguento coacta eſt alijs impertiri. Dum autem ea diſtribueret, quidam ab ortu cæcus, omnes prætercurrens, (erant enim tunc quidam ſacerdotes, qui diuini vnguenti faciebant diſtributionem) venit ad ipſam, valdè inſtans precibus. Illa verò cùm precioſo vnguento oculos inũxiſſet, eum fecit lucem protinùs intueri, qui anteà nunquàm viderat. Hoc eam magnam prædicauit & præclaram, & effecit vt eſſet apud omnes inſignis adeò, vt omnes dicerent eam eſſe, quæ latere tandiù eſt meditata, & cum viris fecit ea, quæ faciunt monachi.

Cæcus illuminatur.

XVI. Præclara hæc fama rursùs vocauit Domitianum, & veluti manu tangens, fecit eum venire ad monaſterium. Cùm autem audiuiſſet eſſe viris prohibitum ingreſſum, celans id quod volebat, ſimulauit pietatem: & rogat per quaſdam fœminas, vt orationis gratia & adorationis videret Matronam. Illa autem cùm diligentiori interrogatione & ſignis, quæ erant in vultu, ex ijs quæ audiebat, eius eſſe maritum pulchrè agnouiſſet, quid machinatur? Petit ſpatium ſeptem dierum, & poſt illos ſe per otium in conſpectum eius eſſe venturam. Hoc cùm Domitianus audijſſet à mulieribus, ipſe quidem à ſpe pendens, ſedebat, in animo verſans diem præfinitum, & expectans videre, & iam eam habere in manibus viſione apprehendens: Matrona autem rursùs ſtudens latere, proficiſcitur Hieroſolyma, nihil aliud induta, quàm pannum ex pilis contextum, & modicum panis fragmentum ſecum ferens.

Rursùs fugit maritum ſuum.

XVII. Cvm ſeptem autem dies interceſſiſſent, vt conſtitutum quidem fuerat, venerunt mulieres: audierunt autem à monachis, quæ ipſæ quoq; erant graui oppreſſæ ægritudine, quòd ex quo eam cõuenerant, ab eis non eſſet ampliùs viſa: neq; ſe ſcire, vbinàm eſſet. Illæ verò citò abeuntes, poſtquàm hæc didiciſſent, dixerunt Domitiano. Is autem vehementiori cordis dolore ſauciatus, non ceſſat curioſè perſcrutari, donec veniſſet Hieroſolyma. Et cùm rursùs in alias incidiſſet mulieres, eis deſcribens formam eius, quæ quærebatur, mouebat omnem lapidem, volens ſcire vbinàm ea verſaretur. Illæ autem dicebant quidem ſe vidiſſe tali facie mulierem: non poſſe verò apertè ſcire, vbinàm eſſet. Vbi enim ſerò venerit ad diuerſorium, in aliquo quidem templo ex ijs quæ illic ſunt, diuerſatur: feſtinat autem rursùs aliò tranſire. Nos tamen, inquiunt, tibi inſeruiemus ad eam inueniendam. Singulatim enim diuiſæ, feſtinans quæ eam primam viderit, celerrimè accedens tibi ſignificabit. Atq; illæ quidem faciebant, ſicut dixerant.

Eam vir ſuus inquirit.

MATRO-

XXIV. Poſt baptiſmum itaque adducta Euche, (ſic enim fuerat nominata) edocebatur in omni diſciplina ſpirituali, & in rebus diuinis exercebatur ſimul cum reliquis, quæ erant octo numero. Erat autem ſancta adeò iucunda in ſermone, & bonum odorem ſpirans in Deum, vt multi ſæpè ex ijs, qui eam conueuerant, poſtquàm ceſſaſſet loqui, volentes domum reuerti, ægrè ab ea diſcederent: vt qui veluti quibuſdam vinculis eſſent ab ea conſtricti ſui in eam amoris: aut qui cùm in ſiti pulchra aqua ſe exatiauerint, & proptereà grauiter ferant ab ea receſſum. Portò autem ipſam rurſùs inuaſit deſiderium conueniendi Baſſianum. Cùm autem is eſſet rurſùs in regina vrbium Conſtantinopoli, in ipſa verò adeſſet etiam Domitianus eius maritus, repellebat deſiderium eius mariti metus, nè fortè in manus eius incideret, ſi veniſſet in vrbem. Quamobrèm cùm diſtractus ei eſſet animus his duabus cogitationibus, nempe patris ſpiritalis deſiderio, & metu mariti, in animo habebat ire potiùs Alexandriam, aut, cuius ſpe fuerat fruſtrata, Antiochiam. Hac de cauſa intentiùs vacabat orationibus, & à Domino expectabat ſignificationem eius, quod erat ei futurum conducibile.

Multi eius ſanctitate permoti, impenſe eã diligunt.

XXV. Cvm in ſomnum ergò eſſet reſoluta, videbatur adſpicere tres viros: quorum vnuſquiſq; vehementer contendebat, quiſnam ex his tribus eſſet præferendus, vt eam duceret vxorem. Cùm ea autem aures auerteret, & putaret rem eſſe valdè abſurdam, (terrebat enim ſomnium, vt quod eſſet contrarium ijs, quas interdiu ſuſceperat, cogitationibus) Quinam autem vos eſtis, videbatur eis ſancta dicere, & quæ ſunt veſtra nomina? Illi verò dixerunt, vnum quidem nominari Alexandrum, alterum autem Antiochum, tertium verò Conſtantinum. Sorte autem conabantur dirimere controuerſiam: ea verò cecidit in eum, qui erat ætate iuuenis, nomine Conſtantinus. E ſomno ergò excitata, quidnam ſibi vellet viſionis reuelatio, intelligens, ſtatuit quidem relinquere viam, quæ Alexandriam ducit, aut Antiochiam: Tota autem in hoc erat, vt proficiſceretur Conſtantinopolim. hoc enim dicebat placere Deo, qui euidenter oſtendit ſignificationem eorum, quæ erant obſcura.

Viſio ei oſtenditur.

XXVI. Cvm ſuis itaq; ſororibus ſomnium communicâſſet, videbat eas ſuæ voluntati reſiſtere: non quòd iudicarent id, quod viſum fuerat, aliud ſignificare: ſed quòd eam valdè amplecterentur, & non ſuſtinerent eam ab ipſis diſcedere: vt quæ non ſecus ac recens plãtatæ plantæ, ab illius verbis irrigarentur: & venirent in periculum, nè eius priuatione flacceſcerent. tamen quoniam, dixerunt, diuina quædam prouidentia opem tulit tuo conſilio, nequaquàm poſſumus tuum interrumpere propoſitum. Sed ſecundo loco, inquiunt, ſit tibi curæ, quibuſnam ſis nos relictura poſt tuum hinc receſſum. Illa autem de eis protinùs Epiſcopum facit certiorem, & petit, vt ad ipſam mittat duas Diaconiſſas, quibus tempus virtutem confirmauit. Quæ cùm acceſſiſſent, beatiſſima Matrona ſuas, veluti quoddam depoſitum, credidit earum fidei, & ſuaſit plurimi facere animas earum fidei creditas: nè, quas fecit Deus mundum relinquere, rurſùs ſinerent accedere ad mundi vanitatem, & pacta contemnentes negligere.

Committit ſuas ſpirituales filias duabus Diaconiſſis.

XXVII. Hæc cùm dixiſſet, & vltimum eis dediſſet amplexum, & vnam ex eis ſolam ſecum accepiſſet Sophronen, nauem conſcendit: & ſecundo vento vecta, peruenit Conſtantinopolim. Deindè cùm veniſſet ad templum prope mare ſitum, quod à nomine pacis Dei, dictum eſt Templum Irenes, Diaconum acceſſit Marcellum, quænam eſſet, ei aperiens. Is autem erat, quem ſuperiùs diximus conſuluiſſe Baſſiano, vt ea mitteretur ad monaſterium, quod eſt Emeſæ. Lubenter ergò ab eo accepta, rogauit vt diceret, quænam eſſet cauſa longæ huius peregrinationis. Illa autem: Nihil, inquit, aliud (quid enim poſſet efficere, vt tantum laborem deſpiceret) niſi maximum quoddam deſiderium eos conueniendi, & maximè, inquit, diuinum Baſſianum. Propter quod iam & ſenectutem, & mulierum imbecillitatem, & quietam vitæ agendæ rationem, & alia omnia deſpiciens, ſoli viæ, quæ ad vos ducit, iucundæ intenta fui. Deindè breuiter perſequitur Domitiani Hieroſolyma, & in Sinam montem perſecutionem, & ſuam in idolorum delubro conuerſationem, & quòd multitudo innumerabilis per eam acceſſit ad pietatem. Perſequitur autem, non vt quæ ſe oſtentaret, ſed vt quæ teneretur veri dicendi deſiderio. Eſt enim oſtentatio aliena à modeſtia, & ab ea, quæ nihil æquè ſtuduit, atque latère. Alioqui autem accuſari, quòd ordines deſeruiſſet, quæ ſemel adſcripta fuerat in vitam monaſticam, iudicabat eſſe inutile, & quod poſſet occaſionem præbere offenſionis.

Proficiſcitur Conſtantinopolim.

Vult latère, ſed non valet.

XXVIII. Marcellvs autem ſingula ſtatim aperit diuino Baſſiano. Ille verò auditione affectus triſtitia, iuſſit eum quamprimùm abire, & quietum aliquod & à tumultu alienum, non procùl à monaſterio præſtituere ei habitaculum, vt eſſet ei facile, ſi vellet, ad eam accedere. Ille autem citò effectum reddidit id quod imperabatur: & cùm aptam domum ei paraſſet, ſanctam in ea collocat. Quem in locum cùm magnus veniſſet Baſſianus, eamque eſſet allocutus, & dixiſſet quæ oportebat, quinetiam ab ea didiciſſet de ijs, quæ ei obtigerant, & eam impertijſſet ijs, quibus indigebat, eam rogauit, an ſibi opùs eſſet aliquo alio. Cùm ea autem dixiſſet alias ſorores eſſe Beryti, & eas velle ad ipſam venire, & vnà degere, hoc Epiſcopo Beryti ſtatim literis ſignificat, & quas nominatim quærebat Matrona, iuſſit ad eam quamprimùm mittere. Eæ ergò emiſſæ, & cohabitantes cum Matrona, ei ſummam exhibebant obedientiam, illa ſeipſam præbente perfectiſſimum exemplar ad virtutem: quæ etiam multo magis, quàm multa ora, eam prædicabat: & omnibus reddebat manifeſtam. Nam cum alijs Verina quoque Imperatrix, vxor magni Leonis, ad ipſam ventitabat, nec tam illam, quàm ſeipſam in hoc ſtatuebat honorare. Quæ cùm moderatè & frugaliter ab ea eſſet accepta, & vt oportebat ipſam accipere, illa. quæ erat remota à negociorum ſolicitudine, & dedita philoſophiæ, receſſit, admirans eius virtutem, & quòd nihil peteret ab ea, quæ multa dare poſſet & vellet.

Conſtantinopoli præeſt aliquot religioſis fœminis.

Verina Imperatrix eam charam habet.

XXIX. Evphemia autem coniunx Anthimi, qui fuerat præfectus vrbis Romæ, cùm fuiſſet ſanctæ familiaris, & cuiuſmodi eſſet ipſa didiciſſet experientia: eam autem, quæ patricio Spotacio coniuncta erat matrimonio, in grauem morbum vidiſſet incidiſſe, & qui artem vincebat medicinam, & nullam vitæ ſpem oſtenderet: cùm eam, inquam, vidiſſet ſic affectam: Si me audias, inquit, iubens valere medicos, in præſentia trade te communi bono, quod venit in ciuitatem: ſanctam, inquam, Matronam, quæ multos non ſolùm à morbis corporis, ſed etiam animæ liberauit, ab impietate traducens ad verum Dei cultum: & ipſam haud ità multò pòſt admiraberis, & alios multos ad ipſam tranſmittes. Hæc cùm dixiſſet, quænam eſſet, & qualem vitam tranſegiſſet, ei narrauit ab initio vſque ad finem. Die ergò ſequenti ambæ ad eam veniunt, & cùm in longum productus eſſet earum ſermo, cùm ea, quæ morbo laborabat, manum dexteram Sanctæ apprehendiſſet, ad eam, quæ erat affecta, partem attulit: affectionem autem ſtatim ſenſit leuiorem. Matrona verò rogauit cauſam, cur eam tetigiſſet. Cùm autem verum dixiſſet ea, quæ laborabat: Dominus, inquit, te liberabit ab eo malo, quod te detinet. nos enim hoc non poſſumus efficere.

Et corporis & animi morbis medetur.

XXX. Qvæ itaque laborabat, ab illo tempore remiſsè accedentem cogitans mali grauitatem, in animo habebat manere apud ſanctam, expectans perfectam liberationem ab eo, quod ipſi afferebat moleſtiam. Proptereà iubebat etiam manere animantia, quæ ei ad vſum ſeruiebant. Cùm autem ei nunciatum eſſet, non eſſe aliud, quod eam acciperet, habitaculum: (vnum enim eſſe, idque habitari mercede) cum beata conferens ſermones: Facultates, inquit, ſatis magnas ſuppeditauit mihi ſplendor generis, multaſque ædes extructas ad pulchritudinem atque magnitudinem. Earum, inquit, quaſcunque volueris, quæ vno ambitu comprehenduntur, parata ſum ego tibi largiri, animarum, quæ ſunt ſeruandæ, futuras habitacula, & principaliter ad meam ipſius vtilitatem. Illa autem cùm ſpiritu cognouiſſet, quàm multis animabus ex hoc aperienda eſſet porta ſalutis, aſſenſa eſt ſe eſſe accepturam: & cùm Diaconum acceſſiuiſſet Marcellum, & ei rem expoſuiſſet, mittit ad contemplandum ea, quæ promiſſa

Euphemia adiungit ſe Matronæ.

 fuerant,

fuerant. Qui poſtquàm eſt contemplatus, reuerſus dixit eſſe quidem pulchrum loci ſitum, vt qui à dextera quidem mare, alia autem ex parte propinquum habeat Baſſiani monaſterium: non parua autem & leui, ſed magna opùs habere diligentia.

Euphemia opulenta matrona multa ei largitur.

NONDVM hæc renunciabantur, & promiſſio conſecuta eſt effectum: & cùm donum fuiſſet literis inſinuatum, ſtatim ei quoquè perfectum ſanitatis donum à Deo fuit donatum. Poſteà autem & ædes extruxit magnificentiùs, vt quæ eas, quibus opùs erat, impenſas ad corrigendum & exornandum munifica manu ei exhibuerit. Hinc fit, vt eas vſque in hodiernum diem vocent omnes Seuerianas. Hinc cùm ſancta migràſſet è priori habitatione, nihil omninò migrauit à ſcopo, qui eſt in Deum, & ab operibus: niſi quis hoc vocârit migrationem, à minoribus ad maiora tranſitum. Quo factum eſt, vt ſuum quoquè gregem fecerit valdè augeri, & ab inimicis conſeruârit illæſum, operibus habens adiutorem eum, qui eſt cauſa bonorum. Fit etiam tale quid aliud præter cætera, quod eam fecit maiorem. XXXI.

Venerandū feſtum S. Laurentij martyris.

CELEBRABATVR quidem publicum & venerandum feſtum Laurentij martyris. In eius autem templum confluxerat maxima multitudo populi, & diem in eo tranſigebat. Ibi duæ erant quidem ſororea natura, ſed moribus minimè, vt quæ valdè inter ſe diſcreparent: genere autem erant claræ & inſignes. Ex ergò peracto feſto illinc reuertentes, cùm fuiſſent in loco, in quo erat ſanctæ monaſterium, numeroſus quidam ſonus hymnorum diuinorum acceſſit ad aures earum. Quibus delectatæ, cùm reſciuiſſent quænam ea eſſet, quæ præeſt monaſterio, ad eam ingreſſæ ſunt. Cùm eam verò conueniſſent, & partim quidem ex verbis, partim autem ex modeſtia & morum honeſtate magnam accepiſſent vtilitatem, vna ex jis ſpiritali eius amore capta: Tu quidem, inquit, abi, dixit alteri: ego autem manebo apud eam. me enim cepit obliuio & mariti, & domûs, & cognatorum. &, vt dicam cum diuino Dauide: Elegi abiecta eſſe in domo Dei mei potiùs, quàm in mundo frui rebus iucundis. *Pſalm 83* Cùm autem ſorori hæc dixiſſet Athanaſia, (hoc enim erat ei nomen) ea non eſt illi aſſenſa: ſed apertè contradixit, dixitque rem eſſe leuitatis & inconſiderati feruoris, quæ facilè tendit ad pœnitentiam. Hæc autem dicebat animo potiùs mundi cupido, quàm graui & conſtanti. Sancta verò eius quidem laudabat ex Deo ſcopum: ſed nec ipſa repentinam probabat mutationem: ſed ſuadebat, vt priùs rediret ad maritum, & eam rem communicaret marito: dicebatque oportere eam, quoad eius fieri poteſt, curam gerere vitæ perfectioris, & Deum perpetuò rogare, vt ſcopum eius dirigat. Tuncq; aiebat, venies ad me: ex animi autem tui ſententia ſuccedat id, cuius teneris deſiderio. Etſi enim diuinum deſiderium ſubijt tuum animum, nec te tenere intermittit: me tamen multa impediunt, nè confidam: nempe tua ætas tenera, & quòd in ſuſcipiendis laboribus non ſis exercitata, & quòd ſis natura magis ingeneratum, vt tibi ſeruiatur potiùs, quàm vt ſeruias: & quod eſt omnium maximum, mariti prohibitio. XXXII.

Rogandus Deus vt ſcopus noſter ab eo dirigatur.

Athanaſia fœmina nobilis ad eius formationem componit

HIS dictis, ſilebat Athanaſia, animo quidem cruciata, vt quæ repelleretur: nollet autem contradicere, & ſuam confirmare voluntatem. Propterea receſſit, hunc ſcopum & propoſitum acerrimè perſequens: & vt ſancta ei ſuaſerat, vitæ temperantis & frugalis curam gerés, & veluti præcedentem diſciplinam, ad vitam & exercitationem id faciens monaſticam. Porrò autem cùm veniſſet in quendam ex ſuis agris, & ſeiuncta fuiſſet à coniuge, ſtudebat ipſa ſe gerere ad ſanctæ imitationem, eodem tempore cibum ſumens, parcéque & tenuiter, ſicut illa, comedens, & preces fundens ante cibum & poſt cibum, & alia omnia pro viribus imitans, quæ faciebat beata. Cùm ea autem in hoc eſſet, & quæreret honeſtam à marito ſeiunctionem, tale quid accidit, valde honeſtam præbens liberationem. Nam cùm ea, vt priùs diximus, abeſſet, maritus, qui erat ſumptuoſus & moribus intemperans, magnos faciebat ſumptus. Cùm itaque redactus eſſet ad inopiam, perſuadet puero, vt clàm ſurripiat aliquam ex arcis dominæ, & ad eum afferat. Quod quidem cùm factum eſſet, non latuit ancillam, quæ ſeruabat res dominæ. A qua cùm illa rurſùs id didiciſſet, de cæterò tanquam honeſta arrepta occaſione, nulla non ratione Athanaſia moliebatur ſeparationem. Tandèm autem cùm marito perſuaſiſſet, & magnam partem facultatum, quæ ad ipſam pertinebant, ſecum tuliſſet, Matronæ fidei ſuam credit animam: accedenſque, & ei ſuas offerens diuitias: Hæc, inquit, mihi accipe, & repone in theſauris Chriſti, qui non poſſunt ſurripi: & nè deſpicias animam, quæ à ſancta tua dependet anima, & omnia ſua tibi dedicat. XXXIII.

Omnes ſuas facultates ei tradit.

MATRONA autem adminiſtrationem quidem, vt moleſtam & negocioſam reijciens, ſupplicis verò propoſitum admittens, dubitabat quidnam eſſet ſibi faciendum. Et Baſſiano quidem rem communicat: & audita eius ſententia, accipit quæ oblata fuerant: & ex pecunijs quidem quaſdam conſumit in monaſterij faciendis operibus: vt quæ monaſterium quidem muro circumdederit, trium autem tabulatorum habitaculum extruxerit. Primum quidem & terræ propinquum, quod eſt ad ſepulcra definitum. Secundum autem & medium, quod eſt aptum ad hyemandum, & habet templum, quod eſt eo tempore aptum, ad quod conueniatur. Tertium verò & poſtremum, quod ipſum quoque templo ornatur pulcherrimo, & eſt pulchrè accommodatum ad ver illic agendum. Quæ quidem permanent vſque in hodiernum diem, prædicantia ſumptuoſam & magnificam ædificationem. In his quidem, ſicut dictum eſt, conſumptæ ſunt nonnullæ pecuniæ Athanaſiæ: reliquas autem diſtribuit in monaſterijs, quæ erant Hieroſolymis, & alijs, quæ rerum neceſſariarum laborabant inopia, bono Marcello ad hæc piè inſeruiente. Et ſic quidem Athanaſia, amiſſis, quæ fluunt, diuitijs, acquiſiuit diuitias, in quas non cadit interitus. XXXIV.

Etiam olim fuere ſumptuoſa & magnifica templa & monaſteria.

CVM quindecim autem annos fuiſſet ſuperſtes in hac viuendi ratione, à vita præſenti liberata, felix iter ad Deum inijt. Sic grex Matronæ fuit amplificatus, multis quotidiè accedentibus, & volentibus paſci ab hac magiſtra. Cùm autem inſtaret tempus eius diſſolutionis, planè oſtendebat ſancta, ſe neque propter parata opera perturbari ad ſeparationem. Paratus enim ſum, inquit diuinus Dauid, & non ſum conturbatus: *Pſalm. 118.* neque rurſùs feſtinabat ſeiungi: illud quidem, vt dictum eſt, propterea quòd confideret: hoc autem rurſùs propter amorem ſui gregis. Quocirca erat ei magis neceſſarium in carne permanere, ſicut dicit diuinus Paulus: *Philip 1.* & cùm maiores ſubijſſet labores, illinc quoquè plures fructus accipere. Quamobrem in fine ſe maioribus exercebat laboribus, ſicut boni curſores, & pluribus vacabat precibus & intentionibus. XXXV.

Viſio S. Matronæ.

CVM Deus autem vellet ne hac quidem conſolatione priuare Matronam, vt ante quàm hinc excederet, nôſſet futurum illic ſuum ſtatum, eam arripit ſomnus maior ſolito: in quo videbatur obire locum, pulchris admodùm arboribus conſitum, & quiaquis irrigabatur ſuauiſſimis, & prædium iucunditate maxima circumdantibus: in quo adſtantes ſedam fœminæ graues & honeſtæ, & vultu præ ſe ferentes aperta virtutis indicia, domum quandam interiorem ei manu videbantur oſtendere, inſigni pulchritudine, & qualem nec humana poteſt manus efficere, neque lingua narrare. Vocabant autem Matronam, vt illuc ingrederetur, dicentes: Hæc eſt tua, & tibi præcipuè definita. E ſomno verò excitata, intellexit quorſùm ſomnium tenderet, quod ei fidem faciebat eorum, quæ erant ſecutura, poſtquàm ex hac vita exceſſiſſet. Cùm totum ergò vitæ tempus ei perductum eſſet ad centeſimum annum: & ſolos quidem viginti quinque annos in vita tranſegiſſet mundana, reliquos autem in ſpiritali, hinc migrauit ad Chriſtum, quem deſiderabat, relictis actionibus, quæ ab omnibus quidem habentur in inſigni admiratione: paucos verò poſſunt inducere ad eas imitandas: Chriſtum, ad quem acceſſit, perpetuo ſupplex rogans, XXXVI.

Nota grandem eius ætatem.

Migrat è corpore.

vt det

videt pacem eccleſijs, & toti populo ſuo ſalutem, qui eum vnum glorificat Trinitatis, in quam non cadit diuiſio: Quam decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA S. VVILLEHADI, PRIMI EPISCOPI BREMENSIS, PER F. LAVR. SVRIVM EX MS. CODICE, MVTATO FERE ſtylo deſcripta. Eſt hiſtoria fide digna, tametſi Authoris nomen Codex non habet, ſed ab alio abbreuiata videtur. An. 776.

I. VVILLEHADVS vir venerabilis, ex Britannia maiori originem duxit. Porrò ſpiritalibus inſtructus diſciplinis, ſacerdotio initiatus eſt. Vbi verò comperit Friſones, hactenùs gentiliſmi erroribus implicatos, Chriſtianæ fidei expetere myſteria, magno zelo incitatus, accuratè cœpit perquirere, qua poſſet ratione ad eam gentem peruenire. Atque eo ſalutis animorum zelo, agente ſpiritu Dei, in dies augeſcente, acceſſit ad Regem Anglorum Alchuintum, eíque aperuit, quo zelo eſſet incenſus, petiuitque eius permiſſu ſibi licere prædicandi verbi vitæ cauſa ad Friſones proficiſci. Rex, comperta eius ſanctiſſima voluntate, conuocato ad ſe Epiſcoporum ſeruorumque Dei non paruo cœtu, de communi omnium ſententia & conſenſu, iuſſit eum adire gentem illam, eíque fidenter annunciare verbum Dei.

8. Nov. — Feruet zelo conuertendi Friſones.

II. AT vir Dei gratulabundus acceſſit ad mare, eóq; tranſmiſſo, venit in Friſiæ locum quendam, quem * Dockinge vocant, vbi iam antè beatus Bonifacius fuit martyrio coronatus. Cuius concionibus multi illic fidem edocti, & Chriſtiana religione initiati fuêre. Vndè factum eſt, vt honorificè illic Willehadus exciperetur. Multo verò tempore ibi habitans, docuit ea quæ ſunt Dei, ità vt etiam permulti nobiles, ſuos filios ei traderent inſtituendos, & multi ab errore in viam reuocarentur, & magna infidelium turba eius prædicatione inſtructa, vndis ſalutaribus expiaretur.

* Dockum. — Magnum fructum facit in Friſia.

III. INDE autem proficiſcens vir Dei, traiecto flumine Lauinca, venit ad locum, quem Huchmarke appellant: cumq; eius habitatores ab idolorum cultura ad verum Deum colendum reuocaret, illi furore perciti, exclamârunt, virum tam prophanum protsùs è medio tolli oportere. Nec deerant tamen moderatiores quidam & ſanioris conſilij, qui more gentis ſorte expetiendum dicerent, num morte afficiendus eſſet. Sed agente diuina prouidentia, ſors eum non attigit. Itaque liberam ei fecêre abeundi poteſtatem. Illis ergò relictis, venit in Drentiam, vbi multi eius prædicatione conuerſi, crediderunt in Chriſtum, & baptizati ſunt. Porrò diſcipuli eius, diuino eos impellente amore, idolorum fana demolliri conabantur: ſed id barbari moleſtiſſimè ferentes, eos trucidare voluërunt. Cæſus tum fuſtibus eſt Willehadus, & multæ ei plagæ impoſitæ ſunt. Quidam verò ex illis, diſtricto gladio in eum irruit, & caput ei amputare voluit: ſed vir ſanctus thecam, in qua ſanctorum reliquiæ inerant, ad collum ſuſpenſam habebat. Itaque ictus ille in eius caput vibratus, partem quidem ligaminis thecæ diſcidit, ſed eum prorsùs nihil læſit. Eo miraculo pagani territi, illum cum diſcipulis illæſum, à ſe dimiſerunt.

Pagani volunt eum occidere. — Cæditur fuſtibus. — Nota de reliquijs ſanctorum.

IV. PORRO inuictiſſimus Francorum Rex Carolus, audita eius fama, eum egregiè animauit ad propagandam Chriſti religionem, veritus nè fractus iniurijs, à prædicando verbo Dei ceſſaret. Tum verò in Vuigmodiam ſe conferens, eccleſias illic condidit, & populum ſalutari prædicatione alacriter erudiuit. Deniq; anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimoprimo, omnes Friſones circumcircà degentes, Chriſtianam fidem ſe complecti velle promiſerunt. Sed anno tertio Wedekindus Saxonum dux, congregato exercitu, aduersùs Carolum Regem rebellauit, Chriſtianosq; perſequi, & è ſuis finibus profligare cœpit. Id vbi comperit vir Dei * Vuillehadus, abijt in Vtriuſtri: ſed ibi quoque imminentem perſecutionem, Chriſti benignitate euaſit. Indè verò Romam proficiſcens, cùm ſanctiſſimi Pontificis Adriani conſolatione animatus eſſet, in Franciam lætus redijt. In illo itinere ſcutella eius lignea confracta, creditur meritis eius redintegrata.

Vuedekindus Saxo perſequitur Chriſtianos. — * S. Vuillehadus venit Romam.

V. PORRO autem Carolo Francorum Rege iubente, in Wigmodiam reuerſus, Chriſti fidem publicè & ſtrenuè prædicauit, deſtructaque templa inſtaurauit: conatusque eos Domino adiuuante & proſperante, eodem anno Friſones fidem Chriſti, à qua defecerant, rursùs complexi ſunt: atque etiam Wedekindus ipſe, totius mali author, Regi Carolo ſe ſubmittens, baptiſmi gratiam percepit. Carolus autem Rex cùm eſſet Wormatiæ, ſeruum Dei Willehadum Epiſcopum conſecrari voluit, idque factum eſt tertio Idus Iulij. Eius autem parœciæ ſubiecit Wigmodiam, Haras, Vtriuſtri, Aſtergam, Wangam & Nuerden. Et illic quidem primus Epiſcopus fuit beatus Willehadus: in ipſa autem functione Epiſcopi admodùm piè & religiosè ſe geſſit, virtutumque ſtudia multis modis auxit. Cùm autem corporis incommoda valetudine admodùm confectus eſſet, Hadrianus Pontifex iuſſit, vt piſcibus veſceretur, quibus ob ſtudium abſtinentiæ vti non ſolebat. Nullus propè dies abijt, quo non ſacra Miſſarum ſolennia cum magna cordis contritione celebraret, inſupèr nonnunquàm duo vel tria Pſalteria lectitans. Ità vir beatus doctrinam ſuam egregiè ornabat, exemplo ſuo confirmans, quod ore prædicabat.

Vuedekindus baptizatur. — An. 788. — S. Vuillehadus fit primus Epiſcopus Bremenſis, teſte Bar. in not. Mart. Rom.

VI. BREMÆ ædificauit templum elegantiſſimum, dedicauitque illud Calendis Nouembris Dominico die in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beati Petri Apoſtoli. Atque ea in vrbe Epiſcopi ſedem conſtituit.

Dedicatio Eccleſiæ Bremenſis.

VII. TANDEM cùm vniuerſam parœciam ſuam ſtudio piæ intentionis crebrò perluſtrâſſet, in locum, qui Bleckenſee dicitur, peruenit: vbi tam acri correptus eſt febre, vt diſcipuli qui cum eo erant, vitam eius deſperarent. Vnus autem ex eis familiariter ei adhærens, dolorem, quem ex eius obitu impendente conceperat, lachrymis & querimonijs teſtatus eſt: Noli, inquiens, pater ſancte plebem, quam paſcendam ſuſcepiſti, quæque cultui diuino ſeſe accommodare videtur, deſerere, nè tenellus grex, te decedente, luporum morſibus exponatur. Ei verò beatus vir ſic reſpondit: Noli, mi fili, à Domini mei conſpectu diutiùs me auocare. Oues ab illo mihi commendatas, ei tuendas committo. Non deerit vobis benignitas eius, cuius miſericordia plena eſt terra. Atque ità pia animi deuotione vir Domini cœlo ſemper intentus, ſexto Idus Nouembris, cùm iam virtutibus perfectus eſſet, in Chriſti pace obdormiuit. Ad eius exequias plebs deuota vndique accurrens, patrem & doctorem optimum cum hymnis & laudibus ad Bremenſem eccleſiam, quam ipſe condiderat, deportârunt, in eaque ſacrum corpus eius tumulârunt. Fuit in Epiſcopatu Bremenſi annos duos, menſes tres, dies vigintiſex.

Pſal. 32. — Feliciter abit ad Dominum.

***

DE EODEM S. VVILLEHADO BREMENSI EPISCOPO EX HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ M. ADAMI CANONICI BREMENSIS

cap. 8. 9. & 10. alias cap. 9. 10. & 11. conſentiunt his quæ de S. VVillehado in Saxonia ſua ſcripſit Albertus Krantzius, lib. 2. cap. 14. & 15. Vixit autem M. Adamus circa annum 1090.

POST paſſionem ſancti Bonifatij Willehadus & ipſe Angligena, feruens amore martyrij properauit in Friſiam, vbi conſiſtens ad ſepulchrum beati Martyris, Paganos facti pœnitentes ſuſcepit, & credentium multa millia baptizauit. Deinde cunctam in circuitu prouinciam cum diſcipulis perluſtrás idola confregiſſe, populoſq; ad culturam veri Dei euangelizaſſe dicitur. Tunc & gentilium zelo fuſtibus percuſſus, & gladio legitur ad iugulandum proſcriptus. Licet gratia Dei maioribus eum prædeſtinaret titulis, ſua tamen voluntate & ſtudio nihilominus ad martyrium impiger erat. Poſt hæc miſſus à Carolo Rege in Saxoniam, primus omnium doctorum maritimas & boreales Saxoniæ partes, ac Tranſalbianos populos ad Chriſtianam prouocauit fidem. Septem annos prædicaſſe dicitur eam regionem vſq; ad annum rebellionis Saxonum duodecimum, cum * Widuchind perſecutionem mouens in Chriſtianos, Francorum terminos vſque ad Rhenum vaſtabat. In qua perſequutione diſcipuli Willehadi ſancti quidam Bremæ, quidam per Friſiam, cæteri trans Albiam paſſi leguntur. Vnde confeſſor Dei, natus adhuc lucrum expectans, de conuerſione plurimorum, legitur ſecundum Euangelicum præceptum de ciuitate in ciuitatem fugiſſe, diſperſiſq; ad prædicandum ſocijs, ipſe Romam cũ Ludgero veniſſe. Vbi ſanctiſſimi Papæ Adriani conſolatione releuatus, Ludgerus in montem Caſſinum receſſit, ad congregationem ſancti Benedicti. Willehadus in Galliam ad ſepulcrum ſancti repedauit Willebrordi. Itaq; biennio vterq; recluſi, contemplatiuæ vitæ operam dabant, apprime orantes pro perſecutoribus; & gente Saxonum; ne iactũ in ea ſemen verbi Dei inimicus homo zizanijs oppleret, impletumq; eſt quod ſcriptura dicit, multũ valet deprecatio iuſti aſſidua. Hæc de vita eius ad ſenſum excerpta protulimus. Tranſacto igitur biennio, quod eſt anno Caroli XVIII. Widekind incentor rebellionis ad fidẽ Caroli venit, baptizatus eſt ipſe cũ alijs Saxonũ magnatib. & tunc demũ Saxonia ſubacta, in prouinciam redacta eſt. Quæ ſimul in octo Epiſcopat* diuiſa, Mogũtino & Colonienſi Archiepiſcopis eſt ſubiecta. Cuiuſ exemplar diuiſionis, quod ex pcepto regis in Bremẽſi Eccleſia ſeruarũt, his cognoſci poteſt verbis. I.

IN nomine Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Carolus diuina ordinante [a] prouidẽtia Rex: Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo, & non in nobis gloriamur: & in hoc ſæculo pacem & proſperitatem, & in [b] futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Chriſti fideles, quòd Saxones, quos à progenitoribus noſtris ob ſuæ [c] pertinaciæ perfidiam ſemp indomabiles, ipſiq; Deo & nobis tam diù rebelles, quouſq; illius, non noſtra, virtute ipſos & bellis vicimus, & ad baptiſmi gratiam, Deo annuente, perduximus, priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubiugales deuotè addiximus: videlicet, vt qui noſtræ poteſtati iugum hactenùs ferre † detrectauerũt, victi iã, Deo gratias, & armis & fide, Domino & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto & ſacerdotibus eius, omnium ſuorum iumentorum & fructuum, totiuſq; culturæ decimas ac nutrituræ, diuites & pauperes legaliter conſtricti perſoluant. Proindè omnem terram eorum antiquo Romanorum more in prouinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, Septentrionalem illius partem, quæ eſt piſcium vbertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pro Chriſto & Apoſtolorum ſuorum principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus: ibiq; in Wigmodia, in loco [d] Brenion vocato, ſuper flumen [e] Wirraham, Eccleſiam & Epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic parochiæ (decem * pagos ſubiecimus, quos etiam abiectis eorũ antiquis vocabulis & diuiſionibus, in duas redegimus prouincias, hijs appellãtes nominibus, Wigmodiam & Lorgoe. Inſuper ad præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſupradictis) pagis ſeptuaginta manſos cum ſuis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas, decimas ſuas Eccleſiæ, ſuoq; prouiſori fideliter perſoluere, hoc noſtræ maieſtatis præcepto iubemus, donamus, & confirmamus. [f] Ad hunc etiã ſummi pontificis & vniuerſalis Papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinenſis Epiſcopi [g] Lullonis, omniumq;, qui aſfuere, pontificũ conſilio eandẽ Bremenſem Eccleſiam, cum omnib. ſuis appendicijs, † Willehado probabilis vitæ viro, corã Deo & ſanctis eius cõmiſimus: quem ẽt primũ eiuſdẽ Eccleſiæ tertio Idus Iulij conſecrari fecimus Epiſcopũ: vt populis diuini ſemina verbi, ſecundum datã ſibi ſapientiam fideliter diſpẽſando, & nouellã hãc Eccleſiam canonico ordine & monaſteriali competentia [h] vtiliter inſtruendo, interim plantet & riget, quouſq; precibus ſanctorũ ſuorum exoratus, incrementũ det omnipotẽs Deus. II. CAP. X. vel XI.

INNOTVIT ẽt idem venerabilis vir ſerenitati noſtræ, eam, quam diximus, parochiam, propter barbarorũ infeſtantium pericula, ſeu varios euentus, q in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſiue ſtipendia Dei ſeruorũ inibi militantium [i] Deo minimè ſufficere poſſe. Quamobrẽ, quia omnipotẽs [k] Dominus in gẽte Friſonũ, ſicut & Saxonũ, oſtium fidei aperuit, partẽ prænominatæ regionis, videl. Friſiæ, q contigua huic [m] parochiæ eſſe dinoſcitur, eidẽ Bremenſi Eccleſiæ, ſuoq; prouiſori Willehado Epiſcopo, eiuſq; ſucceſſorib. perpetualiter delegauimus retinendam. Et quia cautos nos facit [n] præteritorũ * nos cautos faciunt in futuru, nè quis, quod non optamus, aliquã ſibi in eãdẽ diœceſi vſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari: eiq; hos terminos, mare Oceanũ, [o] Albiam fluuium, Liam, Steinbach, Halalam, Wimarchiam, [p] Sneibach, Oſtam, Mulinbach, Motã paludẽ, quæ dicitur Sigefridelmor, Quiſtinam, Chiſenmor, Aſchbroch, Wiſebroch, Biuernã, Vternam, iterumq; Hoſtam. Ab Hoſta verò vſq; cũ peruenitur ad paludem, quæ dicitur Caldenbach: deindè ipſam paludem vſq; ad [q] Vuempnam fluuium: à Vuempna verò Bicinã Fraſtinam vſq; ad Wirraham fluuium: dehinc ab orientali parte eiuſdem fluminis viam publicã, quæ dicitur [r] Heſſeweg, Sturmogoe, & Lorgoe diſterminantem Sechbaiam, Alapã, [s] Caldehowa, iterumq; [t] Wirraham. Ex occidentali a. parte viam publicã quæ dicitur Folckweg, Deruv & Lorge diuidentẽ, vſq; in Huntam flumen. Deinde ipſum flumen, & Ammnum Lucum ſylueſtrẽ) quem incolæ loci Wildloch nominant, Finolã Vualdeſmoer, Berepol, [u] Eddentiuſt apud paludẽ, Emiſgoe & Oeſtergoe diſterminantẽ, [x] Brucho, Biberlach, iterumq; mare: firmos & intranſibiles iuſſimus circumſcribi, vt huius donationis ac circumſcriptionis authoritas noſtris futuriſq; temporibus, Domino protegẽte, valeat [y] inconuulſa manere, manu propria ſubſcripſimus. & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signũ domini Caroli Regis inuictiſſimi: Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis, & ſacri palatij capellanus, recognoui. Data II. Idus Iulij, anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni domini Caroli XXI. Actum palatio Nemerenſi feliciter, Amen.

[s] vero Bicinam. [u] Veſeram. [r] Heſſ nuueg, [s] Chaldehorra, [u] Velmam. [x] Eddenri apud. [y] Brudelocho. [z] inconcuſſa.

Sedit igitur Dominus & Pater noſter Vuillehadus poſt ordinationem ſuam annos duos, menſes tres, dies viginti: ex prædicauitq; tam Friſiis quàm Saxonibus poſt martyrium ſancti Bonifacij omnes annos trigintaquinq;. Obijt autem ſenex & plenus dierum in Friſia in villa * Pleccazze, quæ ſita eſt in Ruſtris. Corpus eius Bremam deportatum in baſilica ſancti Petri, quam ipſe ædificauit, ſepultum eſt. Tranſitus eius celebratur feſtiuis gaudijs vj. Idus Nouembris. Ordinatio, 3. Idus Iulij. III. CAP. X. vel XI.

Marginalia: S. Willehadus Friſones conuertit. Fuſtibus cæditur Saxonibus prædicat. * VVedekind. Matth. 10. De Ludgero Lex pau... habet hiſt... 26. Martij. Iacob... Saxonia in prouinciam redacta. Priuilegiũ Eccleſiæ Bremenſis. [a] clementia [b] perpetuo [d] Bremen [e] Wirraham, Veſeram, id eſt Viſurgim. * Demar hæc Krantzio [f] Adhuc [g] al. Lulli, † Vuillehadus ... primus Bremenſis. [h] vtiliter deeſt Krãtzio. [i] Deo abeſt Krantz. [k] Deus. [l] ſum. [m] regioni. [n] præcedentes * Limites diœceſis Bremenſis. [o] Albim [p] Schneidbach. [q] Oſta [r] Vuemmã fluuium, à Vuemma ... S. Villehadus multis annis prædicat Friſijs & Saxonibus. * Plexem nunc vocant teſte Krantz. cap. 21. lib. 2. Saxon.

VITA S. GODEFRIDI XXXIV. EPISCOPI AMBIANENSIS, AVTHORE NICOLAO MONACHO SVESSIONENSI, EIVS ÆQVALI:

An. 1080.

Cuius tamen dictionem paſſim mutauit, & plerunquè nonnihil contraxit F. Laur. Surius, ſola Epiſtola nuncupatoria prorſus nihil mutata: quæ mox ſequitur.

REVERENDO patri Rohárdo, ſanctæ Sueſſionenſis ſedis ac matris Eccleſiæ Decano, Nicolaus beatorum martyrum Criſpini & Criſpiniani, ipſius vrbis Apoſtolorum & patronorum ſeruus, debitæ venerationis obſequium. Sæpiùs, pater amantiſſime, tua ſanctitas paruitatem meam commonefecit, vt aliqua de geſtis piæ memoriæ Godefridi Ambianenſis ciuitatis præſulis, in laudem omnipotentis Dei ſtylo contraderem fidelium poſteritati. Quod vt ipſe recordari eminiſti, primò durè ſuſcepi, nec mirum. Etenim à tanti viri pijs laudibus exprimendis hinc me reuocabat ætatis immaturæ debilitas: (Vt enim relatione obſtetricis inſertum memoriæ retinebam, non ampliùs quàm quinque luſtrorum ambitum attigeram) hinc verò humilis ſcientiolę tarditas maximè retrahebat. Nam vt de reliquis taceam, nondùm complexionem ſyllabarũ, nondum ipſius Alphabeti elementa plenè cognoueram. Cumq; modernos acutiores, & vt ità dixerim, lyncum more obſtantia quæq; ſubtiliter penetrare intueor, dum vnumquemq; in ſuo ſenſu abundare contemplor, dumq; penè vniuerſos eloquiorum flores perquirere, ſimul & compendio ſtudere perpendo: nimiùm nimiumq, vereor, quòd ſi tantilli exercitij ruditas, incultiq; ingenioli tarditas. Pythagoricas ſeu Platonicas peruenerit ad aures, faſtidium magis, quàm emolumentum generans, inter argutos videar grauis anſer perſtrepere olores. Enimuerò moris vituperandæ fertur picturæ, vt à longè quidem perpulchra pareat: cùm vero obtutus attentiùs ſubtiliusque defixeris, ampliùs vileſcat. Quod & ego, nè ſimile quid incurrerem, admodùm formidabam, ſicque potiùs ſubſannationi cunctorum iudicio meritò paterem, quàm laudi: cùm durum nimis ſit, iuxta cuiuſdam dicti ſententiam, cuiuſpiam meritum calamo efferre, cuius imitator eſſe deſiſtis. Hæc aliaque quamplurima cùm mihimetipſi obijcerem, his meam puſillitatem reſolues, tarditatem deſidiamquè commones, non æquum fore, ſi verbi Dei talentum acceperim, de cæleſtibus reticendo, occiduam vitam, iuxta illud Criſpi, vti bruta animalia, quæ natura finxit prona & obedientia ventri, præterire ſilentio: quod etiam eſt mnam reponere in ſudario: ſed dignum piumq;, actus ſerui Dei ad ipſius fauorem, ſimulque fidelium exhortationem, prout vncti ſpiritùs nos de omnibus doceret, non in immenſum cognitioni mortalium commendando, exarare calamo. His alijsque tuis tam allocutionibus, quàm & allegationibus inclinans animum, quanquàm pridèm ad id peragendum flagraret, tamen vehementer timebam ruditati hebetis intelligentiæ, nè ſi illud aggrederer, quaſi contra torrentem conarer, ſicque ſuccumberem mole præconandæ preſſus hiſtoriæ. Rursùs itaque illo tuo excellenti more his pigritantem ſuſcitas, vt videlicèt meminerim me reum detineri, ſi ad ornandam veri ſummique ſacerdotis veſtem nollem, cùm poſſem, competenter offerre. Et nè de inæqualitate vitium id exequendi minimè diffiderem, nec de ingenij tarditate titubarem, ſæpius inculcabas, vt in ipſo, qui fabricatus eſt ſurdum & mutum, ſpem ponens, hoc opus, vniuerſis imitari cupientibus vtile, mihi eſſet in voluntate: orationibus autem ipſius ſerui Dei ſuffragantibus, quam citiùs feliciter futurum in perfectione. Quia verò, iuxta quod legitur, Quoque magis tegitur, tectus magis æſtuat ignis: præcepto tuo, cui non obaudire, nefas duxi, nimiùm nimiumq; moratus, tandèm ad ſcribendum animum appuli, egregios mores glorioſi Godefridi, dignosq; relatu, ad fauorem illius, qui in ſanctis ſuis mirabilis prædicatur, quamuis ſcientia imperitus, recitandos ſtatui. Itaque venerande pater, nequaquàm in his perquiras ſapientiam ſermonis, ſed præpollentem vitam viri, ad imitationem poſitam cunctis, qui ſobriè & iuſtè verſantur in domo Dei. Sed quia nôſti, quòd ad euoluendum tam immenſæ profunditatis pelagus pluma imbecillis eſt, orationibus tuis obtine, quatenus aura paracleti ſpiritûs nobis aduenire, iam iamq; curſum dignetur dirigere: vt quò nos ducit oratio, illæſa rate, poſſimus pertingere.

8. Nov.

Saluſtius initio Coniurationis Catilinæ.

Exod. 4.

Pſalm. 67.

Exoro, valeas, felix cum tempore curras,
Poſt obitum carnis, paradiſi pace fruaris.

PROLOG. I. MEMORIÆ proditum eſt, apud veteres in more poſitum fuiſſe, præclarè ab alijs dicta & facta, literis mandare, vt poſteris egregiæ virtutis eſſent monimenta: tum etiam illorum imagines vel nomina, ſiue aureis, ſiue æreis inſculpta laminis, ad excitandam animi virtutem & fidentiam, ob oculos ſtatuere. Quod ſi ob propagandam eorum famam mortalium ſagacitati fieri placuit, quos non modò æquum non fuit ſuperuacaneis efferri laudibus, ſed etiam imitari velle extremæ dementiæ ſit: quanto iuſtiùs nos militum Chriſti res geſtas ad laudem præpotentis Dei, ad fidei confirmationem, ad excitandam auditorum ignauiam literis conſignamus, quos pro ſua benignitate ad illud gloriæ faſtigium Deus euexit, vt filij Dei & dicerentur, & eſſent: nec tantùm regni cæleſtis participes, ſed etiam hæredes Dei, Chriſtiq; cohæredes ſint? Nè quis autem temerè id fieri exiſtimet meminerit iubere egregium citharœdum, vt fideles quique laudent Dominum in Sanctis eius: quos ab ipſo mundi exordio ità in hoc mundo conſtituit, vt in medio nationis prauæ atq; peruerſę, verbum vitæ in ſe continerent. De quibus etſi multa dici hoc loco poſſent, ſed ſermo cohibendus eſt, nè fiat lectori vel auditori onerosus. Ex eorum autem collegio libet iam in medium adducere electum Chriſti antiſtitem Godefridum, Ambianenſis ciuitatis paſtorem, quem Dominus Ieſus ex eius latebris extractum, eo tempore, quo Philippus Henrici Francorum Regis filius in Gallijs rerum potiebatur, ſeu ſidus eximium, quo peccatorum tenebræ illuſtrarentur, in ſpecula ſanctæ matris Eccleſiæ collocauit: qui quantæ ſanctitatis & innocentiæ fuerit, finis declarauit, in quo, vt ante nos dictum eſt, ſecurè laus omnis canitur. Etſi autem de illo multa extent, plurimaq; memoriæ ſuccurrant, nos tamen ea duntaxat annotabimus, quæ penè omnes nouerunt. At verò dum ſatis necdùm video, ex ijſipſis quænam potiſſimum eligam, hominumque animis affigam, dum fluctuat animus, prioráne, an poſteriora commemoranda ſuſcipiam, haud mediocres me anguſtiæ obtinent, inſcitia miſerè me premit, ità vt tanto oneri impar, rerumque geſtarum immenſitati ſuccumbens, cum quodam exclamare cogar, Inopem me copia reddit.

Iohan. 1.
Rom. 8.
Pſal. 150.
Philip. 2.

Quo tempore vixerit S. Godefridus.

II. NAM ſi referre velim, quotiès illi de ſtatu præſentis Eccleſiæ diuinæ ſunt oblatæ reuelationes, quàm crebrò ille beatiſſimis ſupernorum ſpirituum cœtibus vltrà quàm communis naturæ admittit imbecillitas, admixtus, potentum huius ſæculi infidelitatem, & ſubditos tyrannidem, itemque pellicum & matronarum infandam commixtionem, æternis ignibus puniendam prænouerit, (horum enim fœtor iam in æquiſſimi iudicis conſpectum pertigerat) vtque fraternæ charitatis flamma incenſus, diuinæ animaduerſionis gladium iam iamque imminere cunctis denuncians, innumeras pertulerit anguſtias & labores: tum quoque ſi frigora, nuditatem, ieiunia, quibus mitè corpus ſuum edomuit, ſi caſtitatem, patientiam, humilitatem, cæteraſque virtutes eius quibus egregiè inſtructus, viam mandatorum Dei dilatato corde hilariter cucurrit, exactè explicare contendam, modum voluminis excedam, videborque dixiſſe incredibilia: adeò non poteſt horum certus numerus iniri. Quid igitur? Si non poſſunt di-o-

Multæ eius reuelationes.

Corporis afflictiones.

omnia, ad excitandam tepidorum deſidiam, ad inflammandos cæleſtium amore pigrorum animos, vel pauca è pluri-
Matth 5. mis ceu deſides & oſcitantes non commemorabimus, lucernamq; Chriſti benignitate accenſam, vt mortalibus iter oſtendat, quo pergendum ſit ad beatitudinem, noſtro ſilentio interim ſub modio latere patiemur? Quid verò hac re poſſit fingi impudentius, aut dici miſerabilius? Nam de tanto viro dicere, præclarum, honeſtum & pium eſt: de eo horis & locis omnibus meditari, vtile & ſalutare eſt: denique, quo iam præceſſit, illum ſubſequi pro viribus, optatiſſimum eſſe debet.

Ætas Authoris. Remigerius, Rohardus, & Gislebertus Godefridi diſcipuli.

Adivvante igitur nos Spiritu Dei, & precibus ipſius Godefridi Epiſcopi ſuffragantibus, eius ortum, mores bonos, felicemque è corpore migrationem, non fallacioſe, ſed ſyncerè coram Deo in Chriſto ſcribere conniteremur. E quibus pauca quidem noſtris oculis vidimus: reliqua verò, hominum veracium, qui illum familiarius & videre & audire potuerunt, fideli relatione didicimus, putà Remigerij monachi S. Quintini, cuius cœnobium Peronæ vrbi propinquum eſt, qui Remigerius à puero diſcipulus fuit noſtri huius prædicandi Godefridi: cum ego ei loquerer, ætatis excellerat annum ſexageſimum ſextum, & in monaſterio vixerat annos quinquaginta. Rohardi etiam, viri venerabilis, qui in Sueſſionenſi Eccleſia Decani officio nunc fungitur, quemque hic Dei ſeruus Godefridus ab ipſis incunabulis (Nam erat eius ex ſorore Hodierna nepos) apud ſe educauit, & ad teuerendos prouexit mores. Qui ſanè memoria ſempiterna dignus eſt, tantoque poteſt veriùs de beato viro teſtari & proloqui, quanto eius præclarè dicta & facta, omni venerationis ſtudio complectenda, familiariùs cognita & perſpecta habere potuit. His accedit Gislebertus, vir æquè per omnia fide digniſſimus, qui ei indiuiduus terra marique vſque ad ſupremum vitæ eius diem comes adhæſit. Quòd ſi quis impudenter oblatrare & carpere nos velit, cur non tam viſa, quàm audita referamus, accipiat ille, quod beatus Gregorius Pontifex & Doctor in Dialogo ſuo dicit, Lucam
Rom. 10. & Marcum Euangelium, quod ſcripſerunt, non viſu, ſed auditu didiciſſe. Itaq; cùm Doctor gentium teſtis ſit fidem ex auditu conſtare, tantorum virorum freti authoritate, ad dicenda ea, quæ de beato viro ſuſcepimus, nos accingamus. Qua tamen in re quandò nobis vires deeſſe non ignoramus, habitatoris eius Spiritusſancti gratiam medullitùs imploremus: vt de tali tantoque patre digna animo concipere, & lectori vtilia proferre queamus, quem ille plurimis chariſmatibus gratuita benignitate præclarè illuſtrauit. III.

Liber I. Patria & Parentes S. Godefridi.

Igitvr venerabilis Godefridus pago Sueſſionenſi editus eſt in lucem, habuitque parentes ingenuos, fide & actione catholicos. Pater eius Frodo, mater Eliſabeth dicta eſt. Degebant autem illi in prædio Moulicurtenſi, & cœnobio beatæ Mariæ Nouigenti è ſuis redditibus, terris & vineis, non paruum multa contulêre. In eo autem cœnobio annis aliquot vixit Frodo in habitu monaſtico, præclaraque innocentiæ & patientiæ exempla reliquit: mater verò orbata viro, inſtar turturis, caſu aliquo coniugem amittentis, in viduitate & animi puritate perſeuerans, vſque adeò ſuperuixit, vt filium ſuum viderit eius monaſterij regimen obtinere. I.

Est celebre monaſterium in Veromanduorum ſolo, in beati Quintini martyris honorem conditum, Peronæ oppido propinquum. Ei per id tempus præerat vir pius Godefridus, & morum integritate, & generis nobilitate
Hi ab alijs vocantur Duces Lotaringiæ. clarus. Fuit enim patruus Idæ, filiæ Alberti nobiliſſimi Comitis Namurcenſis, quæ iuncta matrimonio egregio cõſuli Bolonienſis prouinciæ Euſtachio, Godefridum & Balduinum ei peperit: qui poſteà itineris Hieroſolymitani, quod iubente Vrbano Pontifice maximo ſuſceptum fuit, duces & moderatores inuictiſſimi diuinitùs inſtituti, vrbem Hieroſolymam, in qua totius mundi vita à ſacroſanctæ Crucis patibulo pependit, armis expugnârunt, atque in ea alius poſt alium imperium obtinentes, annis aliquot barbaras & à Chriſti religione alienas gentes egregiè debellârunt, & tandem illic animas Chriſto reddiderunt, honorificè ea in ciuitate, vbi ſepulchrum eſt Domini, tumulati. Quæ quidem idcircò mihi commemorata ſunt, vt poſſit intelligi genus illuſtre tanti patris, quem conſtat etiam gregi ſuo magna cura inuigilaſſe, religione celeberrimum, literarum ſcientia & rerum quoquè externarum & politicarum peritia, cumprimis inſtructum fuiſſe. II.

Abbas excipitur hoſpitio à parentibus S. Godefridi Epiſcopi.

Cvm autem ille die quodam per pagum Sueſſionenſem iter haberet, hoſpitio vti voluit eius, quem diximus, Frodonis. Qui cum vxore ſua tanquàm Dei ſeruum honorificè eum accepit, & charitatis officijs, multaque humanitate proſecutus eſt, & ad pedes eius pariter prouoluti, ab ore eius verba ſalutis attentis animis perceperunt. Omnis enim ſermo eius, è diuinis erat ſcripturis depromptus, de gloria iuſtorum, de pœnis impiorum, de contemptu rerum viſibilium & caducarum, de inuiſibilium ſemperque manentis beatitudinis & felicitatis appetitione. Cumque ille eis loqueretur, inter alia ſciſcitatus eſt ex eis, num quenquam è liberis ſuis (Duos enim filios, illos habere didicerat) Domino ſeruiturum obtuliſſent. Tum verò illi alta trahentes ſuſpiria, multoque ab oculis manante lachrymarum imbre, aiunt ſe id necdùm feciſſe: eos, quos ante genuiſſent, quorum alter Fulco, alter Odo dicebatur, iam ſeculari militia implicatos teneri: ſe verò iam toto decennio nullam edidiſſe prolem, & iam tendere ad ſenectutem, nec vllam deincèps ſperare ſobolem: orare tamen, vt à Chriſto ipſe eis impetrare velit filium, quem poſſint monaſticæ profeſſioni mancipare. Reſpondet ille, ad eam rem promerendam, expetenda eſſe iuſtorum ſuffragia & merita, piorum lachrymas, monachorum & circum-
Pſalm. 144. quaquè degentium ſeruorum Chriſti preces. Non enim, inquit, vnum me ſufficere video huic rei impetran-
Iohan. 16. dæ: ſed quia ex propheta didicimus, fidelem Dominum in omnibus verbis ſuis, quid ille in Euangelio promittat, interioribus auribus fideliter accipite: Si quid, ait, petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vos ergò in nomine filij patrem rogetis, credatisque vos accepturos, & fiet vobis. His dictis, ad ſua abiturus, illis valefacit, hortaturque vt in preces & opera pietatis incumbant. At illi duas vineas, alteram apud Morellichortem, alteram apud Cupheias, cum redditibus ei dono dedêre, vt fratres, qui ſub eius cura degebant, indè ſuſtentarentur. Quæ quidem ille cum gratiarum actione ſuſcipiens, vbi ad monaſterium ſuum redijt, conuocatis fratribus, quid illo itinere eueniſſet, expoſuit, Frodonis quoquè & coniugis eius deuotionem & pietatem, atque ab eis munus liberaliter collatum, indicauit. Fratres, ijs auditis, Chriſto ingentes agunt gratias, offerunt ſacrificia, ieiunijs & litanijs præpotentem Deum permouere conantur, vt ociùs illorum voto ſatisfiat. Chri-
Iudith 9. ſtus, cui humilium & manſuetorum ſemper placuit deprecatio, exaudit deſiderium pauperum: Elizabeth concipit filium, ſuo tempore in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, luminare magnum futurum. Accurrunt cognati & vicini, mira omnes lætitia & exultatione afficiuntur: & deindè edita tanta prole, non modò homines, ſed etiam cæleſtis patriæ ciues gratulantur. III.

Editur in lucem S. Godefridus. Baptizatur.

Vt autem baptiſmi gratiam perciperet natus puer, ad monaſterium ſancti martyris Quintini deportatus, atque à monaſterij patre Godefrido, cuius paulò antè meminimus, amanter exceptus & baptizatus eſt, atque etiam è fonte ſacro eius manibus ſuſceptus, eius nomine appellatus eſt, Iuſſit autem idem Chriſti ſeruus, neſcio quid diui-
1. Reg. 2. næ in illo gratiæ præſentiens, accuratè eum enutriri, vt in templo Domini tanquàm alter Samuel, quandoq; iugiter ſeruiret, & creſcente in illo gratia Spiritusſancti, intrans in ſancta ſanctorum, offerret ſacrificium pro populo Dei: quod & factum eſt, vt ſuo loco dicemus. IV.

Abla-

V. Ablactatvs indè cura parentū, cùm iam quinquennis eſſet, rurſus ad eundē patrem Godefridum adductus eſt. Ille vero puerum exoſculans, habitum religionis ei tradidit, diſciplinisq; tum liberalibus, tum monaſticis diligenter erudiuit. Et ille puerulus, perindè vt ſolet humus, nimiu ſolis aduſta ſeruore, inſuſum imbrem celeriter inbibere, & fertile ſolum, accepto ſemine, meſſori copioſam refundere [illegible] a magiſtro tradita, auidè hauriebat: & reipſa quoque & opere exequi, auidius & ardentiùs conabatur. Vnde [illegible] vt ab illo monaſterij patre impenſius amaretur, & ſuis quoque coætaneis & æqualibus non mediocri venerationi eſſet. Augebatur interim in illo gratia Dei, & coram Deo & hominibus in dies ætate & ſapientia proficiebat. Quinquennis induit habitum monaſticum. Miré profecit virtute & ſapientia.

VI. Accidit autem, vt ſolus in monaſterio prius puerulus ambularet. Ecce [illegible] unti obuiam fit grus, quę iam ſenio feſſa, oblongum roſtrum tanta vi ab improuiſo adegit in oculum eius, vt [illegible] totum confixiſſe videri poſſet. Quæ res cùm non ſolùm dolorem, ſed etiam mortem afferre debuerit, pi[illegible] Chriſti nomen fideliter appellans, ſignumq; Crucis pollice identidèm vulneri imprimens, non mortem, [illegible] minimum quidem dolorem perſenſit. Aduolant certatim fratres cum patre monaſterij, [illegible], ſuſpirant grauiter, putant orbatum lumine, cerebrum, in quod grus roſtrum defixerat, [illegible] moriturum. Sed Deus non eſt paſſus, vt eo vulnere vel oculus eius deformaretur, quem [illegible] & Abbatem & Epiſcopum fore ſciebat. Vbi ergo vident fratres, nihil incommodi ei accidiſſe, ſed ſanum [illegible] incolumem adſtare, gemitus mutantur in gaudia, mœror & luctus omnis abſcedit, Chriſtus ab omnibus ex[illegible] prædicatur, quòd ſit fidus & verus ſuorum cuſtos & conſeruator. Attamen, vt extaret tantæ virtutis monimentum, in oculo, quòad vixit, quædam hæſit cicatrix, ſed prorſus nullam ei deformitatem afferens. Inſigne miraculum in puero.

VII. Erat ei vultus propemodùm angelicus: nec modò æquæuos, ſed etiam ætate maiores, morum honeſtate & maturitate anteibat. Erat in vigilijs pernox, creber in precibus, ſcripturæ diuinæ ſtudioſiſſimus, non id ſpectans, quod plerique ſolent, vt doctus videretur: ſed intimæ lucis ſuauitatem, & lachrymarum largos imbres indè eliciens, atque intelligentiæ pennis ad ſuperna ſe erigens, quæ lectione didicerat, tanquàm mundum animal aſſidua commemoratione ruminabat. Cibi potuſq; multa in eo cernebatur parſimonia: quippe memor erat illius Boethianæ ſententiæ, naturam paucis minimiſque rebus eſſe contentam. Itaque non modò ſuperflua, ſed etiam neceſſaria corpori non rarò ſubtrahebat, adeò vt plerunque fratribus cibum capientibus, ſolus in templo meditationi ſiue lectioni operam daret, atque vſque in noctem ieiunium protrahens, confectum inedia corpuſculum tum demùm non exquiſitis epulis, ſed pane & aqua reficeret. Os ab obtrectatione & ociotis ſermonibus perpetuò refrenauit, nec ad aures eiuſmodi virus admittere voluit. Non tantùm ſuperioribus & æqualibus, ſed etiam inferioribus, Chriſti Saluatoris veſtigijs pro modulo ſuo inſiſtere cupiens, obedientem & morigerum ſe præbuit, vt etiam extrema quæque ab illis imperata, haud ſecus atque ſi Chriſtus iuſſiſſet, ſine mora exequenda ſuſciperet. Portionem vini, quæ illi apponebatur, nunquàm viſus eſt hauſiſſe totam, ſed plerunque mediam, ſæpiſſimè totam egenis impertijt, idem faciens de piſcibus & alijs rebus eſculentis. Et quid me neceſſe eſt multa ſingulatim perſtringere? Erat omnibus ceu ſpeculum ob oculos poſitus, vt facilè quiuis in eo poſſent animaduertere, quantum à perfectionis culmine abeſſent. Eius virtutes. Victus parſimonia. Egregia obedientia & humilitas.

VIII. Dvo illic erant conſtructa oratoria, alterum Thomæ Apoſtoli, alterum Ægidij confeſſoris: è quibus vnum valetudinario, aliud dormitorio propinquum erat. In ijs vir beatus ſæpiſſimè ſolebat noctu vigilare. E ſuo enim lectulo, fratribus neſcientibus, ſurgens, & nocturnas vigilias anteuertens, eò ſe conferebat, hymnis & laudibus diuinis vacans, cum multis lachrymis ad vitæ fontem & domûs Dei vbertatem ſuſpirans, vt poſſet ipſe quoque dicere cum Propheta: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ijs enim delectabatur & fruebatur, earum conſolatione fretus, per deſertum & arentem huius exilij ſolitudinem, cæleſtis patriæ ardens deſiderio ad brauium ſupernæ vocationis conſtanter contendebat. Prolixæ vigiliæ. Preces. Pſalm. 41.

IX. Et quia oratorij beati Ægidij Abbatis mentio facta eſt, rem memorabilem, quæ illic contigit, referemus. Ea nocte media: qua præſepij anguſtia Chriſtum è matre virgine naſcentem olim excepit, monachus quidem, Richardus nomine, vir imprimis reuerendus, qui vitam monaſticam annis ampliùs quinquaginta egiſſe ferebatur, ſacrificium illic offerre voluit. Cumque expanſis linteis calicem & alia ad ſacrificium adhiberi ſolita impoſuiſſet, incautè ardentem ibi reliquit cereum, & in chorum fratrum pſallentium abſceſſit. Vbi cùm ſextam lectionem à præcentore ipſi aſſignatam recitaret, recordatur cerei, fitque multùm anxius, quòd non poſſet intermiſſa lectione eò properare, nec cuiquam indicare, quid ipſum malè haberet. Abſoluta lectione, propè exanimis eò feſtinat: cumque omnia iam in cineres & fauillam redacta putaret, videt cereum cecidiſſe in lintea, flammarum comas latè diffundi, & tamen illæſa omnia, & quod credi vix poſſit, ità comparata omnia, vt ignis non in ſtamina aut pannos lineos, ſed in marmoris, aut ferri, vel alterius metalli maſſas incidiſſe videretur. Ea re obſtupefactus, multos aduocat, qui ſint tanti miraculi teſtes oculati: qui cùm omnia curioſè inſpexiſſent, nec veſtigium quidem adustionis vllum reperire potuerunt. In ipſo autem B. Ægidij altari inferiùs ſito, reliquiæ inuentæ ſunt præſepij Saluatoris, veſtium matris eius ſanctiſſimæ, plurimorumque ſanctorum: nec dubium, quin illarum virtute vires ignis illius debilitatæ & eneruatæ ſint. Eæ reliquiæ illo tempore, quo Aleidis Comitiſſa Peronenſis caſtri, altare vnà cum oratorio diruit, quòd locus dormitorio extruendo deſtinatus, nimium anguſtus eſſet, inuentæ, atque in maiori æde congruo loculo repoſitæ ſunt. Ipſa enim domus, eius induſtria & impenſis, vti hodiè cernitur, conſtructa, eleganti que opere conſummata eſt. Præclarum miraculum. Aleidis Comitiſſa Peronenſis.

X. Per idem tempus ea nocte, qua repertæ ſunt olim reliquiæ Stephani protomartyris, permulti captiui, qui in oppido iam ſæpè memorato detinebantur, cùm audirent voces monachorum in S. Quintini monaſterio deuotè pſallentium, eius martyris auxilium fideliter implorantes, admirabiliter ſeſe adiutos ſenſere. Nam antè, quàm nocturnæ preces, quas Matutinas vocant, abſolutæ eſſent, laxatis catenis, compedibus & manicis, cunctis reſeratis cuſtodijs, indè exeuntes, coram altari mirum in modum grati labundi ſeſe proſtrauerunt. Permulta alia illic facta miracula referre hoc loco poſſemus: ſed quia ab inſtituto alienum eſt, ad ea ſeſe referat oratio, vndè ob loci huius commendationem paulìſper deflexit. Vide quid præſtet inuocatio ſanctorum.

XI. Cernens verò monaſterij pater Godefridum caduca vili pendere, virtutumque ardua ardenti deſiderio petere, mirificè animo exultabat. Itaque vt alijs quoque virtus eius innoteſceret, fratrum malè habentium curam ei demandauit, iuſſitque vt ad omnia illis officioſum & [illegible] quemcunque ſe præberet, neceſſaria quæque pro viribus eis ſuppeditaret. Ille patris accepta voluntate, comiter al[illegible] eiq; ſe eis inſeruiuit, manus, pedes, aliaque affecta corporis membra ſuis manibus abluit, crebrò interim ex animi pietate multas effundens lachrymas. Cùm naturæ poſcebat neceſſitas, ſuis impoſitos humeris, ad loca opportuna & ferebat & referebat, lectulos accuratè componebat, cæteraque humanitatis officia blanditer & peramanter exhibebat, ſperans ſe ab illo æternæ beatitudinis præmia recepturum, qui in ſupremo mundi die dicturus eſt ſuis: Quandiù vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Venite, poſſidete paratum vobis regnum. Ægrotis officioſè admodum ſeruit Godefridus. Matth. 25.

XII. Die quodā adueſperaſcente fratres eum vocāt, & vt cibos è culina afferat, deprecantur. Reſpondet ille: Heſpe-

Obedientiæ virtus diabolo odioſa.

rus en quamuis terras obduxerit vmbris, Pergo tamen, quò veſtra iubet nunc ire voluntas. Sed oretis, quæſo, Dominum pro me, certi, maligni dæmonis machinis interim me oppugnatum iri. Sic dixit, & ne poſſet inobedientiæ & ignauiæ notâ ipſi inuri, diuini zeli feruore incenſus, ocyùs ad culinam abijt, allaturus ea, quæ iuſſus erat. Ibi tum tortuoſus coluber, qui quondàm Romanum monachum, beato Benedicto panem miniſtrantem, confracto tintinnabulo conatus eſt ab officio charitatis auertere, etiam hunc Dei ſeruum ab hoc obedientiæ ſtudio eiuſmodi ludibrijs retardare molitus eſt. Inter refectorium & culinam humilis caſula intererat, per quam tranſeundum ei erat. Cùm ergò ad id loci veniſſet Godefridus, videt vmbram teterrimam fœdiſſimamque magno

Diabolus eū terrere nititur.

impetu in ſe inferri. Erat autem dæmon in effigie cuiuſdam monachi, nupèr admodùm defuncti, videbaturque manus habere colligatas, & atro cucullo indutus: denique, adeò horridus, vt, ſi coràm cerneres, principem tenebrarum eſſe dubitare non poſſes. Etſi autem iam præuiderat ità futurum, tamen inſolito occurſu nonnihil exterritus, (quippè qui ipſum totius inuidiæ magiſtrum, qui modò in angelum lucis ſe transfigurans, modò ſatanam, vt eſt, ſeſe mortalibus oſtendens, mille modis pios infeſtat, præſentem intueretur) quis eſſet, vel ad

2. Cor 11.

Crucis ſigno eum depellit.

quid veniſſet, ſcire cupiebat: cùm ecce Chriſto reuelante intelligit ſimulatam ſpeciem defuncti fratris, moxque contra illam Crucis Chriſti ſignum vibrans, repentè eum euaneſcere cogit, relicto poſt ſe odore teterrimo, qui ſuum proderet authorem. His alijſque dæmonum tentationibus exercitatus, tanto magis Dei proximique amore flagrabat, quanto omnis boni æmulum aduerſum ſe acriùs ſæuire ſentiebat. In excipiendis hoſpitibus, pauperibus & peregrinis (nam ei muneri atque officio præerat) hilarem ſe exhibebat, ſciens que in illis Chriſtum ſe excipere, etiam ſuas illis veſtes largiebatur, ipſe interim frigoris iniuriam æquanimiter perferens.

Habebat in eodem monaſterio germanum fratrem, Odonem nomine, miræ ſimplicitatis & innocentiæ vi- XIII.
rum. Quem à ſeculari militia orationibus, mellitiſque ſermonibus abſtraxerat, & monachorum contubernio adiunxerat.

Odonis fratris eius vita ſanctiſſima.

De cuius vita, quandò ſe offert occaſio, obiter pauca dicemus. Quadraginta ille & eo ampliùs annis in monaſterio monachus ſobriè, piè & iuſtè verſatus eſt: & diuinas quidem ignorabat literas, ſed præcepta Dei ab alijs edoctus, opere implere ſtuduit. Decem & octo annis eſu carnium abſtinuit, donec Abbatis imperio & fratrum ſententia compulſus, communem monaſterij regulam vel inuitus ea in re ſequeretur. Tempore Quadrageſimæ decem annis vſqueadeò ſilentij tenax fuit, vt nullum prorſus, præterquàm in confeſſione ſacramentali, verbum fuderit. Nec ſolùm ijs Quadrageſimæ, ſed etiam alijs anni diebus, pane & aquâ contentus, carnem multis afflixit modis, quotidianiſque virgarum & flagellorum ictibus contriuit. Monaſterij rebus, quæ ei creditæ erant, tanta fide vſus eſt, vt, quod poſſit incredibile videri, non modò extraneis, ſed ne cognatis quidem, obolum vnquàm volens gratis dederit Abbatis iniuſſu. Cùm iam extremus adeſſet vitæ eius dies, coram fratribus Dominica percipiens ſacramenta, manibus in prece extenſis, hilari vultu animam expirauit. Poteſt hinc animaduerti, quàm religioſum & pium Godefridi genus fuerit.

Provincia illa, in qua monaſterium hoc ſitum eſt, omnibus penè frugibus abundat: vineis magna ex parte XIV.
caret. Itaque habitatores non ferè niſi aliundè importato vino vtuntur. Abbas verò & monachi non ignorantes Godefridi induſtriam, id officij ei demandàrunt, vt vinum compararet in vſus fratrum, atque etiam pauperum & hoſpitum, ad ipſos diuertentium. Id ille quidem initiò grauiter accepit, ſciens, ægrè poſſe eorum animos in virtu-

Inuitus quidem, ſed tamen humiliter ſuſcipit curam cellæ vinariæ.

tibus habere progreſſus, qui rebus mundanis diſtrahantur. Sed cùm vera humilitas nunquàm deſtituta ſit comite obedientia, admodùm reuerenter & ſubmiſſe eam prouinciam recepit. Statuerat enim apud ſe, non ſuo viuere arbitratu, ſed alieno parere imperio. Interim tamen ſuis meritis minimè præfidens, fratrum opem ſedulò expetebat; & tum ſanis, tum debilibus, atque etiam pueris permulta humanitatis officia præſtabat, vt Chriſtum ardentiùs deprecarentur, quò per regium incedens iter, onus impoſitum ferret humiliter, & neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectendo, ad Chriſtum pertingere mereretur. Adeò autem diuina illi adfuit gratia, vt monaſterij res, ab eius anteceſſoribus afflictas, & ære alieno obligatas, monaſterio reſtituerit, & fratribus illic degentibus, alijſque eò aduentantibus res neceſſarias abundè ſuppeditàrit.

* Namenſis.

Ea tempeſtate, maligni ſerpentis agente inuidia, Robertus Peronenſis, Odo * Namurcenſis oppidi, Claren- XV.
baldus caſtri Vendoilenſis dominus, alijq; ſatanæ ſatellites, atrocia excitàrunt bella in Veromanduorum, Sueſſionum & Laudunenſium regione: ità vt non modò nemo clericus aut monachus, ſed nec ipſi quidem eccleſiarum re-

Inter pericula totus eſt, & omnibus charus.

ctores itineri committere ſe auderent. At Godefridus non ſolùm vulgo, ſed ipſis etiam principibus impendiò charus & optimè notus, nihil reformidabat, ſed hac atq; illàc ſecurus proficiſcebatur. Quòd ſi vel ſua, vel aliena neceſſitate adactus, illos adire cogeretur, quod nemo mortalium ab eis impetràſſet, id ei per benignè atq; etiam lætiſſimis animis largiebantur. Ità ille charus ſuo creatori, etiam à creaturis ſtudioſe & ex animo colebatur & obſeruabatur.

Cum aliquando pagum Sueſſionenſem, in quo natus fuerat, circumiret, ad quoddam monacho- XVI.
rum cœnobium peruenit eo die, quo ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani illic quieſcentium, ſolen-

Criſpinus & Criſpinianus vrbis Sueſſionēſis Patroni.

nitas magno concurrentis plebis ſtudio celebrabatur: quorum quidem martyrum ille perpetim memor erat. Adiungens igitur ſe monachorum clericorumque pſallentium frequentiæ, animi ſui ſynceram pietatem ac deuotionem in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus ſuaueſonantis Eccleſiæ perſpicuè declarauit. Erat enim non legendi duntaxat, ſed etiam canendi apprimè peritus, tamque ſuauiter Chriſti depromebat laudes, vt qui eum audirent, lachrymas funderent. Porrò autem paulò antè, quàm Miſſarum ſolennia celebrarentur, in refectorium ingreſſus, caſu illic multos offendit monachos, poculis & carnibus veſcendis operam dantes: qui vbi eum conſpicati ſunt, nonnihil verecundari cœpère: ſed quòd eis eſſet chariſſimus, deterſo rubore, inui-

Obiurgat monachos diſſolutos, & ab illis proſcinditur conuicijs.

tant eum, vt cum ipſis comedat. At ille: Nolite, inquit, fratres iſthuc à me petere. moxque non ſine magna admiratione ſubiungit: Æquúmne eſt, cibum ventris refectioni mentis anteferre? Nondùm completa eſt Miſſarum celebritas, & iam ventrem epulis infarcire iuuat? Oremus, pſallamus, debitas Chriſto & ſanctis eius laudes perſoluamus, eſurientes animas verbi Dei adipe ſaginemus, impleatur in bonis deſiderium noſtrum, primùm quæramus regnum Dei & iuſtitiam eius, reddamus quæ ſunt Dei, Deo, poſteà ad reficienda corpora accedamus.

Matth 6.
Matth 22.

His illi non, vti par erat, emendati, ſed animis exulcerati, & atra bile perciti: Veni, veni, inquiunt, paries dealbate, pinguiſſimo cibo vnge arteriam, vt clariùs vox tua percutiat ac penetret aures noſtras. multaque alia in venerandum virum probra conuiciaque iactàrunt. Ità ſolent mali etiam rectè facta bonorum ſiniſtre interpretari.

Prouer. 9

Porrò Godefridus nihil his motus, ſed cogitans illud Sapientis: Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: ſubmiſſo capite, depreſſiſque luminibus, ad templum mox redijt, cum timore & gaudio ſpiritali feſtum diem peragens. O virum columbina ſimplicitate candidum, nec ſerpentinæ prudentiæ expertem, qui & venenatos improborum ſermones nôſſet ferre moderatè, & eorum verſutiam ſcienter deuitare. Itaque vt olim Iacob dum contemnit lentis edulium, patris benedictionem accepit: ità & noſter luctator his alijſque virtutum ſtu-

Gen 25. & 27.

dijs hæreditatem & benedictionem patris cæleſtis promeruit. Huius rei in eo monaſterio hodieque fit mentio &

comme-

commemoratio: in quo nunc gratia Dei, ſanctorumque illic quieſcentium interceſſione, & ſtrenuo rectore, monaſtica diſciplina vel maxime viget.

XVII. Postqvam autem Godefridus quintum & viceſimum ætatis exceſſit annum, Abbas eius ſanctitate permotus, voluit eum ſacerdotio initiari. At ille ſe ad eius pedes abiicit, flet largiter, nec vlla ſe ... verbis ... ſed ab intimo animi affectu expreſſis, etiam lectoris, needum ſacerdotis, munere ſe indignum eſſe clamat. Sed tamen pergit Abbas, iubet Godefridum ad Nouiomenſem adduci Eccleſiam, cui tum Epiſcopus Rathodus præſidebat, vir ſanè doctiſſimus. Cui etſi Godefridus & notus admodum, & charus eſſet, at nihilominus perfecti monachi Deoque digni vita & mores ei indicantur. Itaque illum ad ſe acceſſitum Epiſcopus amplectitur & deoſculatur, lu... lentoque ſermone è diuinis ſcripturis docet & oſtendit, ſubditos ſuis præfectis per omnia obedire debere. Deinde nulla interiecta mora, Godefridus ſacerdos ordinatur, ipſo præſule admodum exultante, quod ſuo miniſterio id tanto viro eſſet effectum. Ille vero quantum augebatur gradùs dignitate, tantum & virtute & ſanctitate creſcebat. Caſtiſſimæ vitæ eius fama, non ſolum in vicina, ſed etiam remóta loca ſe diffundebat. Optabant omnes eum habere ſ...tem. Quis enim non ſummopere appeteret illius eruditi magiſterio, imbui inſtitutis, felici gubernatione dirigi?

Ordinatur ſacerdos, licet nolens.

XIIX. Monasterivm beatiſſimæ matris Dei, quod Nouigenti præclarè extructum eſt, per id tempus ab Henrico Abbate ſancti Remigij Rhemenſis, adminiſtrabatur. Porrò Ingelrannus Comes caſtelli Cociaci, pater Thomæ inprimis ſtrenui militis, & Helinandus præſul Laudunenſis, cum viderent, neque ſpiritalibus, neque externis bonis, quantum ipſi vellent, illud augeri, ab Henrico Abbate magnis precibus contenderunt, vt aut accuratius id, quàm hactenus feciſſet, inſtauraret, aut ab illo ſe prorſus remoueret. Se nolle ampliùs eius ferre detrimenta, quorum ſtudio & beneficijs fundatum eſſet. Ille verò cum aduerſa valetudine, tum ingraueſcente ætate impediri ſe ſentiens, quò minùs præſtare poſſet id, quod exigebatur, liberam eis permiſit paſtoris eligendi facultatem. Mox illi communicato cum Rainaldo Rhemorum Archiepiſcopo, cæteriſque Epiſcopis conſilio, Godefrido hoc onus imponendum communi ſententia decernunt. Comperta enim eis erat integritas, virtus, & modeſtia eius. Refertur autem huc etiam ad Philippum Francorum Regem: iſque tanti viri electione mirè gratulans, rem iubet accelerari, miſſis etiam literis ſuis ad Godefridum Abbatem montis S. Quintini, quibus eum rogabat, vt Godefridum monachum ſuum eò mitteret, vbi nutu Dei Abbas eſſet electus. Eas literas vbi accepit ſenex ille venerabilis, infuſus lachrymis: En, inquit, ſenectutis meæ baculum, in quo mihi ſolebat in perturbationum & tempeſtatum fluctibus eſſe perfugium & quædam reſpiratio, quemque huic loco ego deliberabam paſtorem præficere, nunc mihi repentè auferre vultis? Monachi quoque pariter lachrymari, eheu eheu crebrò dicere, ... morte m oppetere màlle, quàm tanti fratris & ſodalis amico contubernio & præſentia fraudari, quem omnes ſe patrem & Abbatem habituros ſperâſſent. Sed cùm Regis voluntati, & Epiſcoporum poſtulationi reluctari non auderent, Abbas Godefridus eum perduxit Laudunum clauatum, ad Helinandum Epiſcopum, vbi ille cotam omnibus crebra trahens ſuſpiria, opponebat ætatis & morum immaturitatem, ſcientiæ inopiam, indignum ſe aſſerens, qui in templo Domini extremi æditui fungeretur miniſterio, tantum abeſſe, vt cuſtos vaſorum fieret. Sed quantumuis ille hæc aliaque id genus allegaret, non ſolùm non eſt exauditus, ſed quampprimum paſtorale munus ... ſuſtinere iuſſus eſt, Nouigentumque honorificè adductus, non modo hominibus, ſed vt credere par eſt, ... ea re gratulantibus.

A multis Epiſcopis ... Abbas.

Valdè renitens, cogitur Abbas eſſe.

XIX. Cvm ... eò peruenisset, non niſi ſex monachos & duos puerulos illic inuenit: nihil ibi vel vini, vel frumenti ſupererat: * cellas admodùm humiles & anguſtas videre licebat (mapalia diceres) virgis vel viminibus intextas. Excreuerant dumeta, tribuli, rubeta, & alia arbuſta paſſim: quibus ſuccíſis & extirpatis, agroque erudetato, à fundamentis extruxit loca, monachorum habitationi opportuna & accommodata. Domum quoque ædificauit, in qua pauperes & ægri reciperentur, quibus fouendis terras & vineas delegauit. Ad eam domum ſolebat quotidiè ſe conferre, eorum, qui illic morabantur, pedes abluere, veſtes eis præbere, defunctos officioſiſſimè ſepulturæ mandare.

** officinulas vocat Author.*

Vide humilitatem & charitatem.

XX. Mvlti verò ad eum confluere cœperunt, quemadmodùm ſolent apes ad florentem thymum, vel cytiſum: in quibus fuere duo patres egregij, Lambertus cœnobij Floriniacenſis, & Vualradus S. Nicolai de Ribodi monte, præfecti: qui naturam ſolum & monaſteriorum regimen ſiue gubernationem relinquentes, in eius ſe diſciplinam tradiderunt, vel extremis eius veſtigijs inſiſtere cupientes. Inter hos medius recumbens Godefridus, cùm illo iubente, multa eſſent in menſam fercula illata, vix quicquam indè deguſtauit, herbis virentibus vel arborum fructibus corpuſculum ſuſtentans. Quæ ſupererant, egenis vel malè valentibus alacriter diſtribuebat. Non mediocriter mirabantur, omnes, quòd vſqueadeò in ſe gulam edomitam haberet.

Eius diſcipuli.

Inter epulas ſumma eius abſtinentia.

XXI. Qvod dicturi iam ſumus, id à Gisleberto accepimus, quondàm beati viri coco, nunc verò eius loci monacho. Coquebat is aliquandò in olla agreſtes herbas vndique collectas, vt in cœna eas apponeret Godefrido. Nihil autem herbis iſtis additum erat, præter ſalem exiguum & aquam: ſed vt palatum eius magis alliceret, ... nonnihil panis candidi immiſit. A cœna ergo Godefridus cocum ſecretò obiurgat, quòd tam delicatum, atque etiam pipere conditum edulium, ipſi apponere auſus eſſet. An ignoras, inquit, ſuperbæ vel potius miſeræ carnis rebellionem non niſi diuerſis cruciatibus poſſe edomari? Caue igitur, ne deincèps aliquid tale admiſceas, niſi me tibi iratum habere velis. His ille virtutum exemplis filios ſuos ad meliora nitebatur prouocare.

En vt vir ſanctus delicias etiam exiguas reſpuit

XXII. Svb eo interim militum Chriſti exercitus & merito & numero augebatur, inter quos ille optimus pater, quodammodò oblitus dignitatis ſuæ, quæ cæteros antecellebat, paruulum ſe exhibuit, admonuitque vt ſedulò in ea eſſent cogitatione, vndè vel qua cauſa veniſſent, quò tenderent, & qua ... : vt nihil ſibi peculij vendicarent, voluntatem propriam frangerent, puritatem cordis, oris veritatem, corporis munditiam momentis omnibus Chriſto exhiberent, atque vt inuicti milites, in ſpiritalis pugnæ procinctu ſtantes, ſtaterna acie ſtipati, charitatis glutino inter ſe coniuncti, ſummopere in eam curam incumberent, ne quis in ipſos hoſtilibus inſidijs pateret acceſſus. Ægrotos incredibili animi commiſeratione proſequebatur, ita vt propemodum cum illis eadem pati videretur. Eorum ſalutis & ſanitatis inſtaurandæ cauſa nullis parcebat ſumptibus, imo nec ſibiipſi quidem, ſi poſceret neceſſitas. Omnia omnibus factus erat, vt omnes Chriſto lucrifaceret. Interim tamen ſicut erga bonos multa vtebatur benignitate & morum ſuauitate, ita improbis ſeuerum & rigidum ſe exhibebat. Nouerat enim, quid naturæ, quid vitijs deberetur. Hos itaque acriter obiurgabat, vrgebat, ſpiritalis medicinæ cauterio vtebatur, modis omnibus adagens, vt integrè curari poſſent.

Optimæ monachorum inſtitutiones.

Affectus eius erga ægros.

1. Cor. 9.

XXIII Venit quidam ad eum obnixè rogans, vt iuberet ephippium ipſi equitaturo accommodari. Mox ille ad ſe vocat monaſterij præpoſitum Theobaldum, iubet dari illi ephippium. At ille ſuperbia tumidus, & fellea bile commotus, detrectat parere iubenti: ſed id tamen diſſimulans, hortatur hominem, vt expectet præ foribus, donec reuertatur. Expectat ille, & quidem diutiſſimè: ſed fruſtrà. Tandem ſentiens ſibi à monacho illudi, redit ad Godefridum, ... quid actum ſit. Tum Godefridus coram fratribus vniuerſis rogat Præpoſitum, num fecerit quod iuſſus erat.

contra inſenſatos. Iam tacti montes fugiunt, iam perpendunt, quàm vilis eſt carnis materia, quàm breuis & fœda voluptas; itaq; ad pœnitentiæ lamenta confugiunt. Interea Hugo Sueſſionenſis Epiſcopus, admodum angebatur animo, quòd gregem ſibi commiſſum, videret tam atroci vaſtari exterminio, nec tamen æquiſſimum Dei iudicium culpare poſſet. Mittit ergò Nouigentum, accerſit indè patrem Godefridum, ſciſcitatur ex eo, qua ratione ſit auertenda præſens ira Dei. Illo conſulente, indicitur per omnem diœceſim ieiunium, non hominibus duntaxat, ſed etiam iumentis & pecoribus, vt olim apud Niniuitas, vt quod noxiorum culpa commeruerat, lactentium, inſontium atque etiam brutorum animantium abſtinentia expiaretur. Indicto ieiunij die innumera vtriuſque ſexus hominum turba apud Sueſſiones confluxit, adducebantque ſacras reliquias in ædem S. Stephani protomartyris, quòd ea tantæ multitudini capiendæ aptior videretur. Ibi tum Epiſcopus orat B. Godefridum, vt populum tanta calamitate oppreſſum, ſermone conſoletur & erigat, atque ſe non dubitare, illius & ſanctorum, quorum reliquiæ adeſſent, meritis Chriſtum placatum iri. Non recuſat Godefridus, ſed luculenta & melliflua oratione, & quæ ſale condita eſſet, auditorum animos medullitus compunxit. Cumque ſermonem protraheret, ſubitò denſæ nubes cælum omne occupârunt, crepant tonitrua, micant fulgura, ruit impetu è cælo largiſſimus imber, dimanant per plateas & agros aquarum riuuli, populuſq; feſtinat domum, quòd diluuium impendere videretur. Quis ambigat, tam neceſſarium munus clementiſſimum Deum ob merita ſerui ſui & ſanctorum ſuffragia, quorum tunc cineres populus fidelis piè venerabatur, derepentè contuliſſe? Et quid mirum, iuſtos homines impetrare à Deo quæ petunt, quandò licet corpore degant in terris, animo tamen cum illo verſantur in cælis, & vnus cum eo ſpiritus ſunt, dicente Apoſtolo, Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt?

Hugo Epiſ. Sueſſ. Ionæ 3. Nota ieiunium. Pluuia meritis ſanctorum & B. Godefridi impetratur. 1. Cor 6.

XXVI. MANASSES Rhemorum Archiepiſcopus, quandòque acciuit beatum virum ad ſynodum Rhemenſem, & coram omni frequentia rogauit eum, vt monaſterium B. Remigij gubernandum ſuſciperet. Erat illud prope Rhemorum vrbem, Nouigenti cœnobio diuitijs & dignitate præſtantius. Sed vir prudens reſpondit, ſe neque ea eſſe induſtria & peritia, vt tanto muneri par eſſe queat, neque ſe velle ſemel à Chriſto acceptam eccleſiolam deſerere. Cumque & Archiepiſcopus & alij antiſtites etiam atque etiam hortarentur & obſecrarent eum, vt id faceret, ille immota animi conſtantia Niceni Concilij Canonem ſibi ſeruandum ſtatuens, in medium proſilit & exclamat, ſe neque poſſe, neque velle, pauperculam ſponſam præ ditiori contemnere. Mirantur omnes beatum virum diuitias paupertati, mundi gloriam humilitati poſthabere.

Manaſſes Rhemenſis Epiſcopus. Can. 15. & 16. Humilitas S. Godefridi.

XXVII. ADELHEIDIS caſtri Cociaci Vicecomitiſſa, liberalitatis & caſtitatis multa præclara de ſe exempla præbuit, noſtri Godefridi ſermonibus egregiè inſtituta. Ea facultatibus ſuis magna ex parte in pauperes & pupillos & eccleſias erogatis, (Tabulam enim inſignem, quæ eſt Nouigenti in altari beatiſſimæ matris Dei, fabricandam curauit, conſimilem B. Eligij Nouiomenſis Epiſcopi aræ adhibens) contemptis mundi pompis, Nouigentum venit, atque illic in multa puritate & ſanctitate vitam egit, quoàd Chriſto charus Godefridus ibi permanſit. Factum eſt idem & ab alijs multis hortatu illius, quibus iam credimus reddita, quæ promiſit Deus diligentibus ſe.

Adelheidis vicecomitiſſa viro Dei admodùm familiaris.

XXIIX. PERMVLTA ſanè memoratu digna illic geſſit vir ſanctus, quæ nos, ad alia eius properantes, omittimus. Vt enim ſolent apes & formicæ interdùm ſub faſce ſuccumbere, ità nos mole præclaræ & admirabilis hiſtoriæ preſſi, extrema quæque decerpendo veriùs, quàm exaggerando, qualicunque ſtylo poſteris tradimus. Quandoque illi cæleſtis patriæ ineffabilem ſuauitatem & iucunditatem animo voluenti, atque in lachrymis & precibus Deique laudibus pernoctanti, ac deindè feſſum corpuſculum ſub diei ortum in lectulo componenti, vt ipſe poſteà cuidam admodùm familiari amico ſecretò indicauit, cùm nec planè vigilaret, nec prorſus obdormiſſet, apparuit quidam ætate & ſtatura mediocri, barba promiſſa, oculis radiantibus, vultu Angelico, toga candida indutus, literas quaſdam & annulum aureum manu ferens. Hæſitans autem Godefridus, quis eſſet, (Nouerat enim multos à verſuto dæmone phantaſticis illuſionibus in fraudem actos) Crucis ſignum ſibi imprimit, priorque eum ſic appellat: Quis ſis, vndè vel à quo, & qua cauſa veneris, edicito. Tum is, qui videbatur, nonnihil depreſſis luminibus, cum multa gratulatione, Ne pertimeſcas, inquit, ſerue Dei: non ſum ego partis aduerſæ. Quis ſim autem, facilè aduertere potes, dum me vides Crucis myſterium non ſolùm non horrere, ſed amplecti etiam. Venio autem è cælis, vt annunciem tibi, viſum eſſe præpotenti Deo, conſtituere te Epiſcopum populi ſui. Et Godefridus: Etſi, inquit, vera te dicere putem, tamen locum ipſum nôlle velim. At ille ſubridens, Noli, ait, plura ex me ſciſcitari. Functus ſum legatione mea: quæ verò dixi, tempore ſuo complebuntur. Tu confortare in Domino, & in potentia virtutis eius. His dictis, repente diſparet. Mox vir venerandus ad dexteram ſe vertens, videt non ita procùl aulam ornatiſſimam atque ampliſſimam. In eam ingreſſus, cernit viros plurimos albis indutos: qui omnes reuerenter ei aſſurgunt, depreſſiſque oculis rogant, vt ipſis bene precetur ſiue benedicat. Ille tam luminis ſplendore, quàm re inſperata nonnihil obſtupefactus, Cruce ſe conſignans, percontatur quinam ſint, & quid ſibi velint. At illi: Ne mireris, inquiunt, pater venerande. Iam enim incommutabili Dei conſilio definitum eſt, vt propediem fias Epiſcopus ciuium noſtrorum. Hæc atque alia illis dicentibus, vir Dei ſublatis oculis videt in editiori regiæ loco quendam ſublimi reſidentem ſolio, vultu ac habitu ſuprà quàm capi poſſit luculento ac ſplendido. Ad quem cùm accedere vereretur, ille manu innuit vt veniat. Cumque propiùs acceſſiſſet, & ad eius pedes abijcere ſe vellet, ille non permiſit, ſed, ô ſerue Dei, inquit, accipe quæ dicturus ſum, & tenaci memoria complectere. Ego ſum cuiuſdam ciuitatis Gallicanæ primus Epiſcopus, & Chriſti martyr inuictus, qui pro eius amore innumeras ſum perpeſſus iniurias, & mortem ipſam. Hanc ego tibi committo, huic ſedi tu diligenter præeſſe curato. Volebat verò Godefridus ex eo cognoſcere nomen eius & ciuitatis, cuius meminit, ſed neutrum ab eo impetrare potuit. Atque interim expergefactus, valdè admirabatur viſionem. Hæc ego ab ore reuerendi patris Andreæ accepi, qui poſt Godefridum tertius præfuit monaſterio Nouigenti, & ſe ex ipſo Godefrido hæc audiuiſſe, ſanctè aſſeuerabat.

Viſio ei oſtenditur. Cælitus dicitur ſe fore Epiſcopum. Alia viſio: Primus Epiſcopus Ambian. S. Firminus martyr.

XXIX. PER id tempus * Geruinus Ambianenſis Epiſcopus, vir non admodùm ſanæ mentis, quibuſdam rebus aduerſis vexatus, ſedem ſuam planè deſeruit, ità vt Eccleſia illa aliquandiù paſtore careret. Quod cùm periculo vacare non poſſet, indictum eſt tota diœceſi ieiunium, miſericordiæ operibus & precibus atque litanijs diuina pulſata clementia. Tandem electus eſt Godefridus, Nouigenti monaſterij Abbas, qui iam bonus erat Chriſti odor in omni loco, & ſanctitatis ſuæ fama etiam illas partes compleuerat. Miſſa quoque legatio eſt ad Philippum Regem Gallorum: qui vbi comperit Godefridum electum, ingentes Deo gratias egit. Erat enim Regi illi pro ſanctitatis ſuæ reuerentia chariſſimus & valdè familiaris: ſtatueratq; Rex, opportunitate oblata, eum ad Epiſcopi munus prouehere. Iuſſit igitur more regio, eius promotionem accelerari.

* Geruinus. Creatur Ambianenſium Epiſcopus.

XXX. EODEM tèpore Richardus Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis legatus, apud Trecenſes celeberrimũ habuit conuentum Epiſcoporum, Abbatũ, & Galliæ procerum. Eo igitur ſe Ambianorum legati conferunt, proponunt ſe paſtore orbatos, vnanimiter à Clero & populo electum aſſerunt Godefridum, Rege quoque aſſentiente. Tum verò omnes qui in

Anno 1104. Conuentus Trecenſis. Huius conuentus meminit Iuo epiſt. 160. Baron. anno vbi ſupra.

qui in eo conuentu Godefridum nouerant, Chriſtum ſummopere collaudârunt: ſed ille interim fugam meditabatur. At verò interceptus, iubente Cardinali & Epiſcopis, in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus dignum eum fore Eccleſiæ miniſtrum, ſtrenuum diſpenſatorem: beatum futurum populum, qui talem ſit paſtorem habiturus. Aiunt omnes tunc, Te Deum laudamus, cantâſſe. Inde verò ſeruus Dei egreſſus eſt Nouigentum, expectaturus illic conſecrationis ſuæ adminiſtrum Rhemorum Archiepiſcopum Manaſſem. Magnus autem dolor obtinuit omnes, qui hac occaſione ſe propediem eius gratiſſima præſentia carituros ſentiebant.

Conſecratur a Rhemēſi Archiepiſcopo Manaſſe.

Emma matrona admodum religioſa.

In pago Gimi, (ſic enim vocant) qui fere duobus milliaribus à Cociaco abeſt, ea tempeſtate quædam erat matrona, Emma nomine, materrera Adonis & fratrum eius. Ea vitam viuebat caſtiſſimam, alebat pupillos & viduas, nudis præbebat veſtimenta, infirmis ferebat opem, & alijs actuoſæ vitæ pijs ſtudijs inſudabat. Crebrò etiam Nouigentum ventitabat ad eccleſiam beatæ Mariæ, & cereis eam illuſtrabat, multa ei munera è ſuis prouentibus impertiens. Vbi autem comperit Godefridum Epiſcopum electum, propere venit Nouigentum: perquirit num res ità ſe habeat. Impenſe enim amabat ſanctum virum, cuius & exemplis & verbis incenſa erat ad ea, quæ diximus, ſtudia pietatis. Poſtquàm certior facta eſt rem veram ſe audijſſe, velut exanimis humi procumbit: orat Deum, ne ſinat ab eo loco priùs exire Godefridum, quàm ipſius corpuſculum mandet ſepulturæ. Mira res. Illius preces ægritudo, ægritudinem ſequitur mors. Decumbit mox acri febre: morbo inualeſcente, à Godefrido ſacro oleo vngitur, ſacramenta Dominica ab eius percipit manu, mire exultat ſe à Domino exauditam, & illi lætabunda reddit ſpiritum, atque in ipſo monaſterio à Dei ſeruo Godefrido honorifice, vti par erat, tumulatur. XXXI.

Vide rem miram.

Postquam Manaſſes Rhemorum Archiepiſcopus domum redijt, proceres Ambiani Nouigentum veniunt, Godefridum peramanter Rhemos perducunt. Magnus eò totius regionis Epiſcoporū fit concurſus, in quibus erant etiam Lambertus Atrebatenſis & Iohannes Morinenſis Antiſtites, ſapientia & eruditione inſignes, religione & ſanctitate celebres, ſponſæ Chriſti baſes & firmamentum, beato Godefrido præ cæteris addicti. Quanta illic animi & corporis humilitate, quanta lachrymarum vi conſecratus ſit vir Dei, nullis verbis explicari poteſt. Nouerat enim, etſi grandis ſit honor, tamē etiam grande eſſe eius pondus honoris. Potentes namq;, vt ſcriptura ait, potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio, niſi miniſterio ſuo recte perfungantur. Cumque ex more Euangelij codex eius capiti imponeretur, & explicaretur, ſtatim occurrit locus ille, Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Non mediocri id omnibus admirationi fuit. Vt enim Iohannes Baptiſta, ità & Godefridus matrem habuit Elizabetham, decem annis ſterilem atque ſeneſcentem. Parauit ille viam Domino, parauit & Godefridus. Laudabant itaque Deum vniuerſi, qui quaſi argumento quodam indicare voluiſſet, vitam ſerui ſui ſibi gratam, qui per oſtium, & non aliunde intrans, verum & idoneum ſe ſuis ouibus dictis & factis paſtorem eſſe exhibiturus. XXXII.

Lambertus Atrebatēſis & Iohannes Morinenſis Epiſcopi.

Sap. 6.

Luc. 1.

LIBER II.

Luc. 12.

Hactenus, quæ beatus Godefridus adhuc monachus egit, carptim annotauimus, nihil admiſcentes, niſi quæ fide dignorum hominum relatione cognouimus. In quibus ne qua eſſet falſi ſuſpicio, ſimplici potiùs oratione, quàm compta & phalerata, vti voluimus. Neque enim ſancti homines tam ſunt anguſta virtute, vt ea noſtris vel mendacijs, vel fucis amplificari & ornari egeat, cuius & teſtis & remunerator eſt Chriſtus Deus, qui eos accumbere facit in regno patris ſui, gloria & honore eximie coronatos. I.

Lib. 1. ca. 32. Vide religionem ſancti viri.

Postquam vir Dei Rhemis conſecratus eſt, Ambianos proficiſcitur: aduentanti vrbs tota obuiam ruit exceptura paſtorem ſuum. Vbi ad beati Acioli martyris ædem, quæ extra vrbis muros eſt, acceſſit, à iumento deſiliens, II. per aſperrimam viam, vtrunque latus eius ſtipantibus Lamberto & Iohanne Epiſcopis, quos ſuprà diximus, vſque ad beati Firmini martyris eccleſiam nudis pedibus, cunctis cernentibus, ingreſſus eſt, ab imo pectore interim ſuſpiria trahens: vbi ad populum ſibi commiſſum egregiam concionem habuit, cui intererant multi literati viri, non pauci etiam, qui poſteà Epiſcopi, Abbates, & eccleſiarum rectores effecti ſunt. Ijq́ue omnes vno ore teſtabantur, nunquàm ſe ex quoquam, tam diuina, tamq́ue ſublimia & recondita percepiſſe: veritateq́ue compellente, aiebant eum reuera eſſe ſancti Spiritus organum.

Pſalm. 130.

Habitus eius in Epiſcopatu.

Nota humilitatem.

Pſalm. 34.

Pſalm. 81.

Matth. 6.

Ille verò Epiſcopi dignitate auctus & ſublimatus, Saluatoris veſtigia conſectabatur, & plùs factis quàm dictis ſuos inſtituere nitebatur: ità vt etiam tacente lingua, moribus & exemplis eos erudiret, quò tendere ſine intermiſſione deberent. Non eſt exaltatum cor eius, neque elati ſunt oculi eius, nec ambulauit in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Non illi ſtudium erat cultioris habitûs & precioſarum veſtium: monaſtico cucullo indutus fuit, qui pallio non valde ambitioſo operiebatur. Quotidie ad menſam ſuam tredecim pauperes habuit, quos, ablutis ſua manu pedibus eorum, cibo potuq́ue largiter reficiebat, eiſq́ue officioſe admodùm inſeruiebat. Domus eius, non Epiſcopi, ſed Chriſti, aula videbatur. Orphanorum & miſerorum magna illi cura erat, eripiebat inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum, vt inter filios excelſi numerari poſſet. Ea cauſa dente canino à quibuſdam rodebatur, quos ille obturata aure præteribat, theſaurizans in cælo, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. III.

Humanitas erga pauperes.

Accepi à quodam eius familiari, viro reuerendiſſimo, & in domo Dei ſuper candelabrum poſito, cùm æſtiuo tempore pauperes ei eunti veniſſent obuiam, & multi obſtructis naribus eos præterirent, quòd male olere viderentur: illum miſeros amplexatum & exoſculatum, nec ſolùm blandis ſermonibus, ſed etiam larga ſtipe eorum inopiam ſubleuâſſe. Quæ etſi multis grauia, pleriſque intoleranda videantur, at ille tamen adeò iam illis aſſueuerat, vt etiam delectationem ei afferrent. A puero nanque, imò ab ipſo pene matris vtero, iugum Chriſti ſuaue & onus leue ferre, multiſque modis carnem edomare conſueuerat. IV.

Luc. 6.

Exemplum raræ virtutis.

Venerunt quandoq; ad ædes eius multi leproſi, & vbi Epiſcopus eſſet perquiſierunt. Reſponſum eſt à miniſtris, eū pro more in beati Firmini martyris æde precari. Illi eò ſe conferunt, & cum alijs mendicis ſuſtinent inde proditurū. Solebat enim vir beatus, ab eccleſia hora matutina exiens, pauperibus cunctis ei occurrentibus ſua manu ſtipem elargiri, ità vt vix quiſquam ab eo vacuus recederet. Volebat implere, quod Saluator ait, Omni petēti te tribue. Egredientem igitur è templo circunſiſtunt leproſi, & eius benignitate freti, quippe ipſis familiariſſimi, non tā orant, quàm propemodùm imperant, vt victum neceſſariū ipſis ſuppeditet. Erant ſane adſpectu horrido, cute lurida, ſanie defluente, vultu vulneribus occupato, ita vt præ horrore quidā eos intueri nō poſſent. Eos vir pius non abominatur, ſed ſalutat officioſiſſime, ſummiſſoq; capite, orat vt ſibi bene precentur. Mire interim animo angitur, quod nihil in manibus ſit, quod eis largiatur. Tandem accerſit œconomum ſuum, imperat ei, vt ſine dilatione ciborum copiam eis paret. Ille alijs intentus, negligit, quod iuſſus erat. Poſt horas tres aut quatuor veniunt ad fores Epiſcopi, & mire crepitaculis ſuis perſtrepunt. Mox Epiſcopus aduolat, audit eos nihil ab œconomo accepiſſe. Quid faceret vir miſericors? Nihil æris in arca remanſerat: totum in pauperes effuſum erat. Ad culinam, quam neque ante illum diem vnquàm in Epiſcopatu ſuo ingreſſus fuerat, neq; poſteà ingreſſus eſt, neceſſitate pauperum adactus, humilitate atq; V.

chatitate

charitate eum vigente, ſe confert, cernit illic piſcem grandem, qui cœnæ apparabatur: (Erat autem ſalmo) eum in ſuos conijcit humeros: (Tantæ enim molis erat piſcis, vt nullius manibus ferri poſſet) deponit eum ad pedes leproſorum: Hoc, inquit, munuſculū è manibus meis accipite, & vbi defecero, in æterna tabernacula me recipere dignemini. Tollunt ibi piſcem gratulabundi, & tanta benignitate compulſi, teſtantur apud omnes, neminem Godefrido Epiſcopo poſſe æqui parari. Oeconomus vero domum rediens, vbi comperit Epiſcopum tam inſignem piſcem, quem ipſe pridie comparaſſet, leproſis dediſſe, quibuſdam, vt aiunt, furiis agitatus, irrumpit ad eum, multiſque proſcindit conuiciis, ait non ſano eſſe cerebro, qui ſic res profundat ſuas, niſi manum contrahat, breui ad ſummam inopiam ipſum rediturū. At vir Dei nihil motus, blande eum cōpellans: Itane tibi, inquit, æquū videtur, homines eodem precio redemptos, Chriſti ſanguinem bibentes, cœleſti beatitudine donandos, fame cruciari, mihi vero extremo homuncioni ferculorum lautitias apparari? Manet ergo iuſtitia eius in ſeculum ſeculi, vt Propheta ait, quandoquidem omnia ſua pro Chriſto in pauperes diſpertit, vt cum illo omnia in cœlis poſſideret.

Vide Epiſcopi inſigne opus.
Luc. 16.
Pſalm. 111.

VI. VIR piæ memoriæ Nicolaus Abbas Corbeiæ Gallicanæ, petiit ab eo, vt oratorium S. Thomæ, in pratis eius pagi conditum, dedicaret. Mox annuit precibus: fit ad eum diem, qui erat dedicationi præſtitutus, magnus hominum promiſcui ſexus concurſus. Aderat & Abbas Nicolaus cum monachis ſuis, multique docti viri, artium liberalium diſciplinis egregiè inſtructi. Habebat vero beatus Godefridus apud ſe Giſelbertum quendam, hominem paſſim male audientem: qui cum ritus Eccleſiaſticos optime calleret, inſtruebat beatum virum in iis, quæ ſunt officij ſacerdotalis, ita vt neceſſitate potius, quam voluntate ſua, illum apud ſe vir ſanctus retineret. Crebro autem illum obiurgabat propter mores infames animiq; leuitatem. Quod cum ille ferret moleſtiſſime, obtrectationibus eum inſectabatur, & omnia eius in hypocriſim interpretabatur. Poſtquam autem vir Dei venit ad templum dedicandum, ratus ille opportunum ſe inueniſſe tempus, eum coram tanta populi frequentia traducendi atque pudefaciendi, ſubduxit ſeſe, nec eum docere voluit, quæ in dedicatione fieri ab Epiſcopo oporteret. Id vbi Dei ſacerdos animaduertit, ſeſe conſolatur: quod vbi humanum deeſt auxilium, diuinum adeſſe ſoleat. Itaque Chriſto bene confidens, cœptum dedicationis officium, docente eum ſpiritu Dei tam exacte peregit, vt omnes putarent ab ineunte ætate nihil eum didiciſſe aliud, cum tamen nunquam antea feciſſet, ita vt etiam ipſe facere potuiſſe admiraretur.

Oratorium S. Thomæ dedicat nullo docente.

VII. ET quia nunc ſeſe offert occaſio, operæprecium nobis videtur commemorare, quanta animi deuotione ſacroſancta Miſſarum myſteria quotidie celebrarit. Valde enim metuimus, ne nos iure reprehendant, qui hæc nouerunt ſi quid ſilentio præterire velimus, vbi tanta ſuppetit rerum copia. Quando igitur ad altare accedebat, ipſo vultu Angelicam quodammodo dignitatem præ ſe ferre videbatur. Sub ſacrificio non erat mente vagus, ſed ſeipſum tranſcendens, oculis fidei incarnati Verbi contemplabatur myſteria, & frequentiam ſpirituum beatorum: ſicq; extremis pedum articulis toto corpore innixus, non genua defigens, non latera aut brachia deponens, adeo ex abundantia mundi cordis verba proferre videbatur, adeo piis deſideriis totus cremabatur, adeo lachrymis irrigabatur, vt vix vocem attollere, vix codicem aperire poſſet. Atque ita diuina peragebat myſteria. Eam autem animi puritatem ſummopere horis omnibus conſeruare ac tueri nitebatur, omni cuſtodia, vt admonet ſapiens, ſeruans cor ſuum.

Sacrificãtis pietas & deuotio.
Prouer. 4.

VIII. SANCTITATIS & pudicitiæ cuſtos adeo præclarus & ſtudioſus vbique extitit, vt infames Clericos, vel impuro matrimonio copulatos, non ſolum à ſuo conſortio, ſed etiam à Chori ingreſſu conſtanter arceret. Eam ob rem multis conuiciis ab illis proſcindebatur, multis appetebatur inſidiis: quas ille forti animo contemnebat, beatum ſe fore palam affirmans, ſi propter iuſtitiam male accipi mereretur. Itaque coluber tortuoſus, qui olim protoplaſtum in paradiſo per fœminam euertit, fœminam quandam, cuiuſdam Clerici concubinam, magno furore inflammatam, eo impulit, vt virum Dei è medio tollere cogitaret. Miſit igitur illi vinum aromatiten, helleboro infectum. Accepit id vir ſanctus cum gratiarum actione, & ob oculos ſtatuens, diutiſſime intuebatur. Sed ſancti viri ignorare quid poſſint, qui Chriſtum ſcientem omnia norunt? Eius ſpiritu reuelante cognouit Epiſcopus, virus exitiale in potu illo ineſſe. Adfuit tum caſu catulus, qui in aula diſcurrere ſoleret. Ei beatus vir panis fragmen, in illo vino intinctum, obtulit. Accepit canis, comedit, abiit, & in Epiſcopi lectulo ſe reponens, in ſomno extinctus eſt. Prohibuit autem vir Dei, ne quiſquam ex illa potione ſumeret. Poſt occaſum Solis vnus è cubiculariis Epiſcopi venit ad eius lectum, & catulum illic cubantem cernens, auribus apprehendit, dormire eum exiſtimans. Sed vbi mortuum comperit, currit ocyus ad Epiſcopum: En, inquit, pater beatiſſime, catulus cui intinctum porrexiſti panem, mortuus iacet in lecto tuo. Audiens id Epiſcopus gratias agit Deo, atque ad ſuos: An non prædixi vobis filioli, quod iam eueniſſe cernitis? Ne quis autem me vel inuidia, vel inani gloria ſtimulatum id dixiſſe crederet, catulo morſellum mortiferum obtuli, vt ſi verbis non liberet adhibere fidem, vel factis crederetis. Deinde iubet poculum illud exitioſum in eum locum proiici, vbi à nullo mortalium vel videri vnquam poſſet.

Impuros Clericos vt caſtigarit.
Gen. 3.
Venenum ſibi oblatū diuinitus cognoſcit.

IX. CVM aliquando vir beatus diœceſim ſuam viſitaret, ad beati Vualerici monaſterium venit. Id vbi Abbas Lambertus & monachi perceperunt, ilico ad cryptam properant, vbi ille reſidebat: rogant, qua cauſa eo acceſſerit. Reſpondet vir Dei: Hi presbyteri (illi enim circumſtabant) longè ab Ambianorum ciuitate ſeparati, orant me, vt calices & lintea, in quibus diuina tractantur myſteria, ipſis conſecrem. Tum illi magno furore perciti, & vix manus cohibentes: Nunquam, aiunt, vllus Ambianorum Epiſcopus hic conſecrationis alicuius miniſterium executus eſt. Cernens vir beatus immodicè illos commoueri, blandis verbis ait ad eos, lenire eos volens: Licet Epiſcopis vbiuis locorum vaſa Dominici miniſterij conſecrare. Quod ergo omnibus paſſim licet, mihi vni hoc loco non licebit? At tamen cedens ad tempus inuidiæ, abiit inde, lugens domum orationis mutatam in ſpeluncam latronum. Ea enim tempeſtate domus illa vitiis ſcatere videbatur, ſed nunc adeo in melius mutata eſt, vt illis in partibus totius religionis exemplar ſit.

Viſitat diœceſim ſuam.
Blando ſermone lenit iracandiam monachor.

X. POSTQVAM autem domum rediit Epiſcopus, conuocato Clero, exponit eis, monachos ſancti Vualerici iactare immunitatem ſuam, & quod non ſint ſubiecti Eccleſiæ Ambianenſi, ſeque cum ignominia ab illis repulſum. Id illi audientes, valde commoti ſunt, miſſiſque litteris accerſiunt Abbatem. Venit ille ad Ambianorum vrbem, ſed auri ſacra fames, quid non mortalia cogis pectora? Non pauci ab Abbate largitione corrupti, eum aduerſus Epiſcopum, & matrem Eccleſiam acerrime tuebantur. Id vir beatus animaduertens, ad Archiepiſcopum Rhemenſem Manaſſen cauſam reiiciendam ſtatuit. Itaque ſic tum diſceſſum eſt.

S. Vualarici monachi ſe ei opponunt.
Quidam pecunia corrupti, ei reſiſtunt.

XI. PORRO monachi commentitia fingunt priuilegia, eaque cuiuſdam Romani Pontificis nomine falſo inſcribunt, atque deinde frequentes ad Rhemenſem vrbem accedunt, vbi tum celeberrimus procerum Galliæ conuentus habebatur. Adfuit etiam venerabilis Ambianorum Epiſcopus Godefridus. Procedit in medium Abbas cum monachis ſuis, accuſat Epiſcopum Godefridum, quod magna ipſum iniuria affecerit, profert litteras commentitias, nulli, præterquam Romano Pontifici, ipſos eſſe ſubiectos. Leguntur literę iubente Archiepiſcopo, moxque inſultatur Epiſcopo ab illis, qui muneribus deprauati erant: Ceſſa, aiunt, præſul ſanctiſſime, innoxios perſequi monachos, qui olim etiam inimicos ſolebas diligere. Nec te eo impellat gradus ſublimior, niſi fortaſſis etiam in te quadrat illud, Honores mutant mores. Multaque alia in eum indigna iactantibus illis, vt vir beatus inter eos & animo & vultu

Anno 1105.
Conuentus Rhemenſis.
Abbas & monachi S. VValarici confingunt Diploma pontificiū, ad ſuā ipſorum exēptionē.

columbino ſtabat immotus. Cum autem Archiepiſcopus imperaret ſilentium, ille parum fidens literis, quas recitarant, petit eas ſibi dari inſpiciendas. Accurate igitur illas contemplans, & veſte ſua leuiter abſtergens fraudem deprehendit, exclamanſque: Huc quæſo, inquit, oculos omnes aduertite: en membranas & atramentum ſcripturamque plane recentia, nec Romano more obſignata, meritoque ea cauſa reiicienda. Accurrunt omnes, diligenter inſpiciunt: rem eſſe, vt ait Godefridus, comperiunt: qui paulo ante canino ore eum lacerarant, rei euidentia conuicti, mirantur eius prudentiam, laude & prædicatione mire eum efferunt. Monachi pudefacti, ad Romanum Pontificem prouocant, Romamque ilico proficiſcuntur.

S. Godefridus litteras falſitatis redarguit.

Nota præclarum exemplum.

IDEM facit beatus antiſtes, propter iuſtitiam aduerſa omnia perferre paratus. Verebatur enim, ne ipſius deſidia & ignauia ius aliquod ſuum amitteret Eccleſia, cui præſidebat. Habebat in comitatu ſuo multos egregios & reuerendos viros, qui poſtea Eccleſiarum antiſtites facti ſunt. Vbi ad Alpes ventum eſt, iubet ſocios antecedere. Omnino enim inter equitandum hæc ei prædicanda erat conſuetudo, vt comites vel præcedere, vel ſubſequi vellet, neminem propius ad ipſum ſe adiungere, ne ocioſis ſermonibus daretur occaſio: atque ita ille pſalmis ſanctiſque meditationibus vacans, à patria cœleſti ſe exulare lugebat. XII.

Eximiæ charitatis exemplum.

CVM iam magna ex parte iuga Alpium emenſus eſſet, arcta & horrida, glacie ac niuibus impedita, ſemita ingreſſus, audit tenuiter gemitus hominis. Subſiſtit igitur, arrigit aures, circunfert oculorum obtutus, & ecce videt fœminam pauperculam, inter denſas niues frigore prope enectam, & iam ſupremum trahentem ſpiritum. Totus mox præ commiſeratione lachrymis diffluit, & Heu, me miſerum, inquit, qui cum ſim mortalium omnium vltimus, magno comitatu fruor, & interim quod natura omnibus commune eſſe voluit, mihi ſpeciatim vendico, eoque plus quam opus ſit, vtor: & hæc paupercula dum veſte caret, dolore conficitur, frigore conſumpta perit. His dictis, ſuo ſe veſtimento nudat vt pene nudus videretur, induit ea miſerrimam fœminam, atque inde ſenſim membris recaleſcentibus, reducit eam in viam: porro ipſe ſocios inſequitur, valde interim frigore eum infeſtante, adeo vt vbi illos attigit, tremebundus adſtaret coram illis, ſolo cilicio & cucullo indutus. Percontantibus eis, vbi eſſet veſtis ſuperior, modis omnibus ille celatum cupiens quod fecerat, ait ſe magno onere preſſum, iuga montium ſcandere non potuiſſe: veſtem tuto reliquiſſe loco, Chriſti benignitate reſtituendam. Prudenter id quidem, & tamen citra mendacium, ſignificare volens neminem diuitiarum faſce depreſſum, poſſe aſcendere in montem Domini: qui autem miſericordiæ operibus dediti ſint, eos à Chriſto recepturos centuplum. XIII.

Inſolentia monachorum quorundam.

MONACHI vero Romam veniunt, munera largiuntur, redeunt ad ſua læti & alacres, omnibus pro voto impetratis à Romano Pontifice. Poſtquam in Ambianorum fines peruenêre, inſolenter iactitant, ſe ab Epiſcopi GODEFRIDI ditione immunes, redire in patriam incolumes, illum in peregrino ſolo exulem degere, & dignitate Epiſcopi nudatum, quod eos iniuſte vexaſſet. Populus his auditis, male metuere cœpit, atque pudore ſuffundi. XIV.

Viſitat loca ſancta Romæ vir Dei.

Pius dicendi libertas.

AT vir Dei Romam ingreſſus, limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli religioſe inuiſit, ac deinde ad Paſchalem Pontificem ſe confert. Mox aduolant cauſidici, ſperant ab illo quoque ſe accepturos munera largiſſima. Sed Godefridus, qui non confidebat in homine, nec ponebat carnem brachium ſuum, vt à Domino recederet cor eius, qua cauſa tam difficile & longinquum ſuſcepiſſet iter, abſque vllis vel verborum fucis, vel munerum pollicitationibus ſimpliciter edicit. Sed contradicunt cauſidici, aiunt monachos ab eo iniuſte vexari, dumque nulla ſperant ab eo munera, cauſam malam eum fouere affirmant. Videns ergo vir Dei ſe humano patrocinio deſtitutum, labentia cuncta forti & excelſo animo contemnens, exclamat: O paſtor orthodoxæ matris Eccleſiæ, ea cauſa Chriſtus te voluit ſuo loco illi præeſſe, vt lucem à tenebris, verum à falſo diſcerneres: vt enim à capite membra reguntur, & ad illius nutum, membrorum vitia corriguntur, ſic etiam à te Chriſtianorum omnium non facta duntaxat, ſed etiam malæ voluntates comprimendæ ſunt. Sed quia nunc cerno, iuſtum quandoque crimen iniqui, occulto CHRISTI iudicio perpeti, malim priuatus viuere, quam admittere, vt Eccleſia Ambianenſis, me præſule, ius amittat ſuum. His dictis, Pontifici valefacit, & ad Barenſium vrbem, ob inuiſendas beati Nicolai reliquias, ardenti ſtudio proficiſcitur. XV.

Apud Paſchalem II Rom. Pontificem mirè prædicatur S. Godefridus.

POSTQVAM abiit, Pontifex diligenter perquiſiuit, quæ vitæ eius ſanctitas, quæque illius authoritas eſſet, quod tanta dicendi libertate vteretur. Ita qui antea citra Alpes celebre ſanctitatis nomen fere vbique obtinuerat, etiam Romanæ vrbi præclare innotuit. Nam interroganti Pontifici indicatum eſt, quod ab ipſis pene incunabulis diſciplinis Eccleſiaſticis imbutus ſit, quod pro virtutum incremento ad altiora prouectus, primo Abbas inde Epiſcopus creatus ſit, quod eius egregia ſit religio, iureque cunctis ſacerdotibus anteponendus videatur, quod pauperum & viduarum magnam curam gerat, quod Galliæ proceribus notiſſimus, & cunctis fere chariſſimus ſit, denique quod omnibus diuinis chariſmatis abundet. Iis auditis, Pontifex ſeipſum acriter reprehendit, quod talem ac tantum virum vel ad momentum leuiter exacerbaſſet, quod non magno ſtudio & beneuolentia eum excepiſſet, & eius votis annuiſſet. Imperat itaque ſuis, vt ſi quandoque eum ad Vrbem redire contingat, mox eum ad ſe perducant. XVI.

S. Nicolai oſſa oleum ſtillant.

VENIT autem beatus Epiſcopus ad Barenſem ciuitatem, & apud beati NICOLAI, miraculis celeberrimi præſulis, reliquias diutiſſime cum multis lachrymis precatus eſt. Altera luce, annulo aureo & reliquis ſacerdotalibus ornamentis indutus, ſacroſancta Miſſarum ſolennia ſupra eius oſſa oleum ſtillantia, deuotiſſime celebrauit. XVII.

Animus imperterritus S. Godefridi.

Mira eius deuotio erga ſacras reliquias.

VBI autem animaduertit eius regionis Epiſcopus, Godefridum animi conſtantia & fortitudine Epiſcopos alios anteire, incredibili admiratione affectus eſt. Galliarum enim atque etiam aliarum terrarum præſules, cum eo proficiſcuntur, vili habitu celant ſe, ne poſſint agnoſci. At Godefridus neque longitudine itineris, neque nationis feritate fractus mutauit habitum, nec ſe ſtuduit occultare. Nanq; vt leo confidens, & abſque terrore permanens, omnes amicorum loco habuit, nulli ipſe nocere cupiens. Hæc ergo in eo Epiſcopus, quem diximus, animaduertens, ex animo amplectitur virum, eique amando totum ſe applicans, præ cunctis mortalibus colendum affirmat. Comitibus quoque illius multa humanitatis officia alacriter præſtitit, atque ad extremum olei partem quandam, à beati Nicolai oſſibus profluentis, beato viro in vaſe vitreo ad hoſpitium more Eccleſiaſtico ſolenniter tranſmittit. Quod quidem vir Dei cum ingenti deuotione, nec ſine tremore, venerabundus accepit, auro & gemmis quibuſuis charius illud amplectens, pluriſque æſtimans. Appendit autem illud ad collum ſuum, magnum ſibi aduerſus hoſtium inſidias in eo præſidium conſtituens. XVIII.

CVM ſic autem vir Dei loca ſacra inuiſeret, aſcenſis equis, cum ſuis comitibus venit ad portum maris, in quem fama ferebat nauem appulſam, corpus beati Nicolai ferentem: qui locus adeò commodus eſt, vt inter naues, quæ iactis ancoris illic figuntur, tuto poſſit tranſuadari. Ibi ille ambulans, contemplabatur piſcatores retia ſua piſcibus onuſta ad littus pertrahentes. Interim autem manum pectori admouens, ſentit abeſſe vas vitreum, XIX.

de quo

de quo iam diximus, ſummoq; animi dolore afficitur Reginaldus, quæ cauſa ſit tam repentini mœroris. At ille prolixe illachrymans, Væ, inquit, miſero mihi, quod tanto patrocinio deſtitutus, cæli ius obliti benedictione diu perfrui non merui. Dum enim hic verſor, rupto funiculo, in aquas lapſum eſt vaſculum, quo Epiſcopus me donauit, nec niſi ſingulari quodam Chriſti beneficio reperiri poterit. Dumque hæc dicit, vertens ſe ad dexteram, videt vaſculum inſtar plumæ ferri ſuper aquas, cum tamen pondere ſuo quod vis metallum æquare videretur. Res erat admiratione digna, vel equorum ferreis pedibus, vel nauium quaſſatione, vel impulſu remorum, vel præruptis ſcopulis, quorum illic magna copia eſt, non penitus contritum fuiſſe. Exultat eo conſpecto vir beatus, tollit ab vndis, diligenter inſpectat, nihil læſum ſummopere gratulatur.

En quanti vir ſanctus fecerit ſacras reliquias.

Nota miraculum.

XX. PORRO autem loci Epiſcopum eius rei certiorem reddit, atque ita rurſus Romam proficiſcitur. Mox à Pontificis Paſchalis familia in eius conſpectum perducitur. Pontifex ei reuerenter aſſurgit, humaniſſime eum oſculatur, & ſecum aſſidere compellit. Volens autem certius explorare, quæ de eius prudentia iam ante ab aliis didicerat, multas tum diuinarum, tum politicarum rerum ei quæſtiones proponit, atque etiam ad difficiles ſoluendos nodos haudquaquam imparatum eum offendit.

Romæ honorifice excipitur.

XXI. CERNENS ergo Pontifex multa eum prudentia & pietate pollere, orat ne grauatè accipiat, quod antea non fic, vt fidelem diſpenſatorem pareret, ab ipſo exceptus & exauditus fuerit: cogitet, animum innumeris curis diſtractum, haudquaquam ad ſingula poſſe ſufficere. Beatus vir facilè ignouit. Tum Paſchalis Pontifex literas ei tradit, quibus inter alia continebatur, Abbatem ſancti * Vualerici cum monachis ſuis, Ambianenſi Epiſcopo, perinde atque patri & paſtori, in omnibus parere debere. Ille igitur Apoſtolica authoritate & benedictione munitus, redit ad ciuitatem ſuam.

Paſchalis Pontifex quid ei præſtiterit.

XXII. CVM autem in Galliam Ciſalpinam veniſſet, comites itineris monuerunt eum, vt pro Godefrido Herueum ſe ſineret appellari. Metuebant enim, ne quid aduerſi ipſis accideret, ſi ex nomine innoteſceret. Principio quidem ſeruus Dei id grauate accepit, ſed cum non poſſet illorum reſiſtere voluntati, inuitus tulit alienum ſibi nomen imponi. Attamen quocunque diuertiſſet, ab omnibus facile, quod Epiſcopus eſſet, agnoſcebatur & mire prædicabatur. Sed quid antiquo ſerpente nequius, aut malignitate inſtructius, qui non ſolum noxia, ſed etiam ocioſa noſtra diligenter annotans, apud Deum nos perpetuo accuſat.

** Vdalrici.*

Inuitus mutat nomen ſuum.

XXIII ERAT per id tempus in * Pontiuorum ſolo apud caſtellum † Medardum quædam fœmina ſolitaria, vel incluſa, Deoque chara. Eam miſerè diſſoluebat paralyſis, ita vt pedibus conſiſtere non poſſet: ſed animus inuictus præclare aduerſus vitia decertabat. Ferebant eo in loco annos amplius quinquaginta clauſa manſiſſe. Beatus Godefridus ei hordeaceam farinulam mittere ſolebat, cui illa parum ſalis & herbas virentes addens ſeſe ſuſtentabat. Cum autem vir Dei abſens eſſet, illa Dominum obnixe deprecabatur, vt ſaluum eum reduceret. Eius enim aduentū ſummoperè expetebant homines religioſi & inopes. Quadam autem die pro hac re oranti illi ſatan in cuiuſdam religioſi viri ſpecie apparuit, & qua cauſa cum tot lachrymis Dominum rogaret, inquiſiuit. Reſpondit illa, ſe pro domino Godefrido Epiſcopo rogare. Et ſatan, Ambianorum Epiſcopus, inquit, non Godefridus iam, ſed Herueus vocatur. Reiicit illa nugantem, dicens ſibi beatum virum ſatis ſuperque notum eſſe. Pergit dæmon improbus eadem repetere: Videris, inquit, mihi lethargo correpta neſcire, quid dicas. Iam dixi tibi, iterumque repeto, non eſſe cur pro Godefrido ores, pro Herueo orandum eſſe. Reſpondet fœmina: Ego vero, quoad ſuperſtes ero Ieſum Chriſtum pro Godefrido paſtore meo deprecabor, vt poſſit nobis incolumis reſtitui. Et dæmon: Agnoſcis ne me, inquit? Illa parumper reticens, vbi Chriſto reuelante didicit verſutias impoſtoris: Deſine ait, inimice omnis boni, & totius nequitiæ artifex, infeſtare pios, quorum ſententia trudendus es in tartarum. Nam, qui ſis. Itaque in Chriſti virtute tibi impero, vt quamprimum hinc recedas. Mox ille inſtar fumi cum eiulatu euanuit, neque Chriſti nomen, neque ſignum trophæi eius ferre ſuſtinens.

Victus incluſæ fœminæ.

Vide procacitatem dæmonis nequiſſimam malignitatem.

XXIV PER Italiam autem beatus vir iter faciens, annulū Honorati Epiſcopi Ambianenſis & illuſtris confeſſoris, quem * Geruinus eius deceſſor vendiderat, iuſto precio redemit, ſecumque ad vrbem Ambianorum adduxit. Vbi cum eſſet honorifice exceptus, Abbate S. * Vualerici rurſus accito, beatus Epiſcopus profert literas Paſchalis Pōtificis, dat eas Simoni Præpoſito palam recitandas. Poſtquam ventum eſt ad eum locum, vbi Pōtifex iubet Abbatem S. * Vualerici cum fratribus ſuis per omnia obedire Ambianenſi præſuli tanquam patri & paſtori, Abbas & monachi exclamant, non bona fide literas recitari. Sed cum ipſi eas inſpexiſſent, & ita habere, vt erant lectæ certò comperiſſent, cum nec poſſent, nec auderent Romani Pontificis voluntati reſiſtere, ad pedes beati Godefridi ſe abiiciunt, veniam perperam geſtorum petunt, nec difficulter impetrant, congrua eis mulcta irrogata. Ex eo tempore Abbatia * S. Vualerici paret Epiſcopo Ambianenſi.

S. Godefridus annulū S. Honorati redimit.

** Geruinus.*

** Vdalrici.*

Tandē monachi, qui eum vexarant, veniā ab eo petūt.

XXV. DEINDE cum vir ſanctus parœciam ſuam pro more viſitaret, vt ouibus ſuis verbi Dei præberet alimoniam, & ſi qua in cultu diuino fierent negligentius, ea corrigeret: ad eam, quam diximus, fœminam pro Chriſti amore ſolitariè degentem, acceſſit. Eiuſmodi enim hominibus victum & res neceſſarias ſuppeditabat. Vbi autem illa vidit Epiſcopum, Tune, inquit, es Godefridus dominus meus? Quis igitur ille fuit, qui neſcio quem Herueum mihi pro te voluit ingerere, ſimul explicans, quas ei moleſtias malus dæmon intuliſſet, perſuadere ei volens, Ambianenſem Epiſcopum non Godefridum, ſed Herueum vocari. Quæ vt audiuit Epiſcopus, valde exhorruit, paululumque intra ſe hærens, cum ingenti animi dolore ait eam vera dicere: deinde humi ſe proſternens, & pectus diutiſſime pugnis verberans, grauiter doluit, ſe vel ad horam paſſum aliud ſibi nomen ſimulatè imponi.

Agit pœnitentiam ob nominis ad horam mutationem.

XXVI FIRMINVS martyr inſignis, & Ambianorum primus antiſtes, exacto felicis agonis curſu, in eadem vrbe tumulatus, ſe cum Chriſto in cælis viuere, innumeris præſtandis beneficiis egregiè declarat. Cum autem quodam die beatus Godefridus pro more ad populum concionaretur, oculos interim vertens ad beati huius martyris ſacras reliquias, (hactenus enim humili continebatur loculo) ita exclamauit: Cernite filioli, quantum debeamus ſanctis martyribus, quorum nos & patrocinio à vitæ huius periculis eripi, & ſuffragiis cæleſtem beatitudinem conſequi poſſe confidimus. Itaque dum hic ſumus, crebro eorum memoriam vſurpemus, vt & illi apud Dominū noſtri memores ſint. Inde eſt, quod maiores noſtri in illorum honorem baſilicas condiderunt, monumenta eorum, auro, argento & gemmis ornarunt, non quod iis illi indigeant, aut quod hinc clariores fiant, (hæc enim illi, vt Chriſtum pauperem imitarentur, & eius inopia ditari mererentur, ceu lutum contempsēre) ſed vt his ſuum erga eos amorem, ſtudium & deuotionem declararent. Et vos igitur anguſtiam loculi, qui B. Firmini Epiſcopi & martyris atque patroni noſtri oſſa retinet, contemplantes, vt poſſit congruum ei præparari receptaculum, aurum prompti is animis conferte. His beati viri ſermonibus omnes egregie incenſi, aurum, argentum armillas, annulos afferunt, plerique vaſta terrarum & marium ſpatia emetiuntur, vt quæ ornare martyris baſilicam poſſint, comparent. Poſtquam loculus accurate confectus fuit, ad eum diem, quo erant transferendæ reliquiæ, tantus eo aduenit hominum cœtus, vt tota Europa confluxiſſe videri poſſet. Tum Epiſcopus Godefridus cum aliis ſacerdotibus acceſſit ad locum, vbi cæleſtis ille ſeruabatur theſaurus, ſacraſque reliquias cum multo tremore omnibus viſendas expoſuit. Eas cernens fidelis populus, cum multis lachrymis laudat Chriſtum, quod teſtis eius reliquias videre mereretur. Porro beatus Godefridus hortatur omnes, vt ſanctorum loca crebro inuiſant, illic ſua vota perſoluant, illorum patrocinio ſe ſuoſque commendent: inde enim innumera, inquit, fidelibus accedunt beneficia.

Firminus martyr, primus Ambianorum Epiſcopus.

Sancti honorandi & inuocandi.

Nota prius deuotionem.

neficio. Deinde populum dimittit. Huic autem ſpectaculo non interfuêre, qui Ambianenſis vrbis ſuburbana loca habitabant, alij aliis rebus impediti. Accedunt igitur ad Godefridum Epiſcopum: orant, vt ipſis quoque beati Firmini ſacras reliquias oſtendat. At ille valde admirans: Vbi, inquit, nudiuſtertius fuiſtis, quando mea manu eas omnibus contemplandas exhibui? Afferunt alij alia, ſed cum eum permouere non poſſent, cum lachrymis commemorant, quæ dona obtulerint, quos labores ſuſceperint, vt martyris templum & loculus ornarentur: & ſubiungunt: Ergone à martyris contemplatione excludemur, qui martyris cauſa, tanta & fecimus, & perpeſſi ſumus? Flectitur tandem vir pius, & in celebritate omnium Sanctorum, præmiſſo ieiunio, ait ſe illorum precibus ſatisfacturum.

Attende veterum deuotionem erga Sanctorum reliquias.

PER id tempus regionem illam iugis nebula denſaque adeo obſedit, vt ſol à cœlo migraſſe videri poſſet. Totis enim viginti & eo amplius diebus, nullus eius ſplendor apparuerat. Metuebant omnes, ea re dira ac triſtia portendi. Vbi aduenit omnium Sanctorum ſolennitas, ad beati Firmini ædem mane aduolant: adeſt & Godefridus Epiſcopus, capſam, in quam paulo ante tranſtulerat beati martyris reliquias, iubet in terram deponi, veſtibuſque Pontificalibus indutus, nudis pedibus & lachrymabundus, ad eam reuerenter accedit, (in eiuſmodi enim rebus admodum religioſus & pius cernebatur) ſacras reliquias in pannum purpureum effundit, ſtanſque loco editiori vbi ab omnibus videri poſſet: En, inquit, dilectiſſimi, hæc ſunt Firmini martyris & protectoris noſtri ſacra oſſa. Quod cum ille dixiſſet, mox baſilicam omnem sereniſſima ſolis lux perfudit, cum iam pene menſem vnum, vt diximus, radios ſuos omnes prorſus retraxiſſet. Ad tam euidens miraculum, vna omnes prorumpunt in laudem præpotentis Dei: porro Epiſcopum Godefridum rogant, vt dexteram martyris ſeparatim ponat, vt eam opportuno tempore & intueri & oſculari facilius poſſint. Nec id eis vir pius negare voluit. Tandem omnes domum eunt. XXVII.

Ecce inſigne miraculum ad oſtenſas reliquias S. Firmini.

TRANSTVLIT etiam corpus ſanctiſſimi Saluij Confeſſoris & Ambianorum Epiſcopi, in eum locum, vbi nunc eum fideles venerantur: tranſtulit & aliorum multorum. De quibus omnibus, & quæ tum miracula edita ſint diuinitus, vt Chriſtus ſeruorum ſuorum merita declararet, hic adſcribere noluimus, ne lectori faſtidium afferamus. XXVIII.

Saluius Epiſcopus Ambianenſis.

LIBET autem commemorare hoc loco beati viri humilitatem, & perpetuam cum improborum amentia conflictationem. Robertus Flandriæ Comes & rebus bellicis & magnis opibus celeberrimus, Hieroſolymitani itineris dux, Chriſti natalitium diem apud ſanctum Audomarum voluit feſtiuû ducere. Aderant illic Duces, Comites, diuerſarumque regionum proceres, & totius Flandriæ nobiles ſiue milites, multi etiam Galliarum Epiſcopi, & in his beatus Godefridus, quem Comes Robertus accepit officioſiſſime, & cum illo ſeparatim, vtpote magnæ authoritatis viro, diu collocutus eſt, inter cætera orans eum, vt illa ſacroſancta nocte more Eccleſiaſtico, Domino ſacrificium offerret. Annuit humiliter vir Dei, & fecit ſacrificium pie ac deuote. Sub ipſo ſacrificio poſt lectionem Euangelij, omnibus certatim ad altare munera offerentibus, vir Dei ſine perſonarum acceptione, illorum omnium dona reiecit, qui inſtar muliercularum intonſa eſſent coma. Ea re permoti, effetis vocibus percontantur, cuius authoritatis ſit antiſtes, qui apud exteros tale quippiam deſignare non vereatur. Vbi, quis eſſet, didicerunt, videres certatim gladiis & cultris (non enim aderant ad manum forfices) eos ſibi amputare pilos, infelices ac miſeros putare, ſi propter comas, tanti viri benedictione priuarentur. Eius facti fama mox tota Gallia increbuit, Godefridum Epiſcopum etiam in aliena ditione in principes & magnates auſum fuiſſe, quod alij antiſtites etiam in ſuis ſedibus aut negligant, aut non auſint etiam in extremis homuncionibus. Magna ei non ſolum apud reliquam multitudinem, ſed etiam apud Comitem ipſum, hinc reuerentia acceſſit. XXIX.

Robertus Flandriæ Comes.

Nota ſancti viri zelû

INDE vero omnium fauore ad vrbem ſuam reuertens, ſecum duxit Adamum eius ciuitatis principem. Cumque iam fines ſuos ingreſſi eſſent, Adamus ad virum Dei: Noſti, ait, venerande pater, quas mihi inſidias comparet Guermundus Pinquiniaci Vicedominus? Iam multis annis inter nos vario euentu bella ducimus. Quod ſi ille me comprehenderit, certus ſum, aut inauditis me ſuppliciis excruciatum, aut certe gladio necatum iri. Si ergo placet tibi, aliud ego capeſſam iter, ne militum præſidio deſtitutus incidam in manus eius. At vir beatus vehementer admirans, An non, inquit, ille æque meus eſt, ac tu? An non iampridem ſancte mihi, vtpote domino ſuo, iurauit, ſe pacem bona fide conſeruaturum, honoremque mihi habiturum? Confido equidem in Domino, etiamſi mille armatas militum cohortes ſecum adducat, non auſurum illum vel durius te appellare. Quod ſi mutato animo quippiam tibi irrogare tentauerit, teſtor Ieſum, me te proſecuturum, quocunque ille etiam vinctum te abduxerit. Dum ſic illi inter ſe colloquuntur, ecce Vicedominus multo ſtipatus equitatu, aduenit, ſalutat Epiſcopum, & ad læuam ſe vertens furibundus exclamat: Tu ne hic es Adame, mihi ſemper infeſtiſſime? O te miſerum, quis te huc appulit? Satius tibi foret vitam agere priuatam ac tenuem, quam incidiſſe in has manus. Moxque nulla tanti Epiſcopi habita ratione, Adamus ab equo deturbatur, diſtrictis enſibus appetitur. Cernens id Epiſcopus, ab equo deſilit, toto corpore ſuper Adamum incumbit, porrigit iugulum, exclamat cum lachrymis: Quæ te furiæ, quæ dira Erinnys, Guermunde, huc impellunt, vt me præſente, qui ſum dominus tuus, iſtuc auſis deſignare? En ceruicem meam, ſi ita placet, libens feriendam obiicio: tantum ne quid moliaris aduerſus Adamum meum. Hæc vt viderunt comites Epiſcopi, omnes aufugerunt, quod putarent cum Adamo illum interfectum. Porro Adamus in equum imponitur, iniectiſque catenis Pinquiniacum abducitur. Eum vero beatus Epiſcopus flens & eiulans, comamque vellens, ſolus ſequitur, ſe eius proditorem, tantæque calamitatis auctorem clamitans. Vbi Pinquiniacum ventum eſt, beatus vir, cæteris intromiſſis, cogitur ſtare foris. Videns ille humano ſe auxilio deſtitutum, redit ſolus ad ciuitatem ſuam, refert clero & populo, quid accidetit, mœrent omnes, tum captiuitatem domini ſui, tum iniuriam præſulis ſui, quam moleſtius ferebant. XXX.

Vociſragus Vicedominus cum milite Adamû perſequitur

Guermundus ſæuit in Adamum.

Vide S. Epiſcopi fidelitatem.

EPISCOPVS vero ſacras reliquias beati Firmini & aliorum ſanctorum humi deponit, eccleſias regionis infidi Vicedomini claudit, illum & fautores eius omnes plectit anathemate. Inde vtrinque exiſtunt bella, cogitur audire pius Epiſcopus crebras agrorum vaſtationes, pagorum depopulationes atque direptiones, templorum incendia. Quibus ille mirum in modum affligebatur, & flens largiter, miſerum ſe dictitabat, qui in ea tempora incidiſſet. Poterat tum dicere cum Propheta: A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Dolebat vicem miſerorum, qui calamitatibus illis afficiebantur. Redibat in memoriam priſtinæ quietis, qua in monaſterio potius erat, & in has turbas ſe coniectum mœrebat. Itaque factæ ſunt ei lachrymæ panes eius die ac nocte, ſitienti fontem vitæ, qui eſt apud te Domine Deus. XXXI.

Guermundus excommunicatus addit ſcelera ſceleribus.

Pſal. 101.

Pſalm. 35.

HABEBAT domi apud ſe duos ſpiritu pauperes, religione & animi puritate eximios, morum integritate conſpicuos, ex iis alter Gaufridus, alter Obertus dicebatur. Iis domus, alendorum pecorum, & agriculturæ curam demandauerat. Et Gaufridus quidem, licet ne ipſa quidem literarum elementa calleret, at tamen percepta beati XXXII.

Epiſcopi

Epiſcopi benedictione, tanta dexteritate hominibus verbi cœleſtis ſemina promebat, vt tam ipſe beatus antiſtes, quam multi etiam bene docti viri admirarentur, vnde illiteratus & idiota tam ſublimia & recondita proferret. Diceres Amos armentarium, vellicantem ſycomoros & ſequentem gregem, repente à Domino iuſſum prophetare. Ad hos ergo ſæpiſſime ſe recipiebat Epiſcopus, tumultus & ſtrepitus rerum mundanarum ferre non ſuſtinens, illorum colloquiis ſynceris mirifice delectatus.

Cũ ſimplicibus ſermocinatio beati viri.

XXIII. QVANDOQVE autem veniens ad domicilium, in quo degebant, inuenit illos pauperum pedes abluentes, ſuas veſtes illis donantes, & cibis quos paulo ante à diſpenſatore domus acceperant, eos reficientes, non raro enim ſibiipſis eos ſubtrahebant, & miſeris impertiebãtur. Iucundo ergo vultu ait ad eos: O felices vos ac Deo dignos. Reſpondent illi: Orationibus tuis, pater beatiſſime, bonum & iucundum. Et Epiſcopus: Apertius, inquit, iſthuc edicite. An non, aiunt illi, bonum & iucundum tibi videtur, pater, recreare pauperes, & illis, conuenienter præceptis Dominicis, res neceſſarias præbere? His enim ſtudiis poſſumus promereri gaudia beatorum, & ſempiternam Chriſti Regis immortalis cõtemplationem. Tum vir beatus eis reuerenter caput inclinans: Ita eſt, inquit, vt dicitis. Chriſtum igitur, quæſo, pro me deprecemini, vt cum iſtis merear in eius domum æternam introire.

Benignitas famulorum eius in pauperes.

XXIV. SEDEBAT deinde ſolus in penetralibus domus Godefridus Epiſcopus, multo animi angore ob ea, quæ diximus, correptus. Venit autem ad eum Gaufridus iſte, & pro ſingulari familiaritate ſic eum prior compellat: Quid eſt, venerãde præſul, quod vſque adeo conſternatus & mœſtus videris? Equidem non puto id fruſtra eſſe, nec commodi alicuius temporarij iactura te torqueri. Reſpondit vir Dei, vt potuit præ lachrymis, quæ ab oculis largiter dimanabant: Et quæ mihi, obſecro, gaudendi materia relicta eſt? En vt nauclerus, amiſſo clauo, cogitur ventis permittere nauem, etiamſi in ſcopulos impellatur: ita animus mens virtutis inops, vndique immenſis afflictionum fluctibus exagitatus, hac illacq; diſtrahitur, nec vſquam eam perſentit quietis ſuauitatem, quam iampridem reliquit. Video euerti templa, gregem mihi commiſſum peſſime accipi, diœceſim meam fame, ferro, flammiſque vaſtari. Eſt tamen, fateor, in his rebus duris vnicum nobis in Chriſto perfugium, vti in petra heriuaciis. Reſpondit Gaufridus: Etſi præſul optime, & diuina & humana ſapientia adeo inſtructus es, vt tantilli homuncionis conſilio prorſus non indigeas: tamen quando Vicedominum neque regum, neque principum interceſſione flectere potes, vt dimittat Adamum, Chriſti Regis immortalis exẽplum imitare, & humilitate illum emollire ſtude. His dictis, Gaufridus abſceſſit.

Vir ſanctus mœret ob ſuæ diœceſis vaſtationem.

LIB. 3.

I. VENIO nunc ad commemorandam eiuſmodi rem, qualis haud ſcio an vnquam antehàc audita ſit, quamq; non modo nullus Epiſcopus, ſed nec ſecundi ordinis quiſquam ſacerdos fortaſſis tentaturus eſſet. Lectorem oro, vt dictis fidem adhibeat. Vt enim iam ante teſtati ſumus, non hic quicquam fingimus, ſed à fide dignis, qui ea viderunt & audierunt, accepta referimus. Memini, non ita pridem quendam dixiſſe ad me, quid ita oblinerem chartas tot nugis & deliramentis. O hominem ineptum & plane miſerum, qui non modo non veneratur ſanctorum hominum facta præclara, verumetiam noſſe ea non vult. Sed improbis hoc familiare eſt, vt bona, quibus ipſi carent, in aliis contemnant & lacerent. Credo equidem hominem hunc, ſi Ganymedis raptũ & id genus impuras fabulas, quas Chriſtiani omnes merito ſemper execrari debeant, ſcripto comprehenderem, egregie me commendaturum, bonum & ſtrenuum fidumque ſcriptorem appellaturum. Talibus illud Auguſtini inculcandum eſt: Exinanire, quo plenus es, vt queas impleri, quo inanis es. Sed hæc obiter contra obtrectatores dicta ſint: nunc ad narrationem redeundum.

Pleriq; plus delectantur impuris fabulis, quam rebus geſtis Sanctorũ.

II. POSTQVAM Gaufridi conſilium audiuit beatus Epiſcopus, ea nocte multa ſecum in lecto pertractabat, vtrum parendum illi eſſet, nec ne. Hinc enim reformidabat, ne ſi in tãtum Epiſcopus ſe coram ſubdito ſuo abiiceret, homines nequam & improbi inſoleſcerent: inde vero pietate ſtimulabatur, ad captiuum Adamum in libertatem vindicandum. Tandem Gaufridi ſanctitatem & innocentiam conſiderans, ſibique perſuadens, hominem ſimplicem quod dixiſſet, non niſi à Deo habuiſſe, qui id ei reuelaſſet: ſtatuit ſic facere, vt ab illo monitus erat. Itaq; poſt abſolutas nocturnas preces, vocat ad ſe Gaufridum & Otbertum: & alteri quidem ſuos calceos imponit, alteri palliolum, atque ita cilicio ſimplicique monachi habitu ſiue cucullo indutus, nudis pedibus ingreditur horrendum & peregrinum iter, quod Pinquiniacum ducit, quod ab Ambianis fertur octo milliaribus abeſſe. Iam tum menſis erat Ianuarius, & Sole Aquarium ingreſſo, vrebant montana niues campoſque parentes, nec duraturæ conſpecto ſole pruinæ: Hirta comis tellus. Tam amœnum, inquam, iter nudis pedibus ſuſcepit Godefridus præſul eximius, fraterna eum charitate perurgente. Vbi autem ad monaſterium S. Remigij peruenit, quod in nemore ſitum eſt, à monachis propenſis animis accipitur, rogant illi admirabundi, quid ſibi velit tanti viri talis habitus, quorſum intendat iter, offerunt ſe ſocios itineris, ſed vir beatus non ſinit eos extra monaſterium pedem efferre, ait ſolatio eos ſibi fore, ſi pro ſe Dominum deprecentur. Deinde cum illis bene precatus eſſet, pergit cum duobus illis, quos diximus, pſalmos interim Domino ſuo more ſuauiter depromens. Tandem venit ad Vicedominum, capitio vultum tegit, ne poſſit agnoſci, coram illo, in platea vtriuſq; ſexus hominum frequentia ſtipato, ſe humi proſternit, apprehendit eius pedes, infundit eos lacrymis ſuis. Tum ille toruo, vt erat, vultu: Quis ſis, ait, & vnde veneris, edicito. Et vir beatus, areſcente ob frigoris aſperitatem anhelitu, ita vt ſanguinem ſpuere videretur: Ego ſum, inquit, Godefridus Ambianorum Epiſcopus, tuus etiam iure qualiſcunque temporalis dominus. Vt impellente charitate Chriſtus Crucem conſcendit, vt Adamum protoplaſtum liberaret: ita ego huc adueni, vt meum Adamum, quem vinctum detines, mihi reddas. Huius ſpectaculi nouitate adeo perculſi ſunt, qui illic aderant, vt tanquam fulmine icti, pariter corruerent, nec quicquam loqui poſſent. Poſtquam autem laxata dolore vox inuenit iter, gemituſque in verba ſoluti ſunt, lacrymabundi exclamant: Quid ita, ſanctiſſime præſul, ad huius tyranni pedes te proſternis? Adeone apud te in feras belluas mutati ſumus, vt tanquam peregrinus ad nos accedere volueris? Hæc aliaque dicentes, è ſolo eum ſubleuant. At ſceleſtus ille Vicedominus nihil motus, ſed vt aſpera ſerpens, iacto cominus ſaxo erigitur, totoſque agitata per artus, conuocat in fauces ac ſquamea colla venenum: ſic ille humilitate & ſermone beati viri ceu iaculo confixus, terribiliter exclamat: Qua fronte auſus es, monache, in meum venire conſpectum? Adeone effœminatum me putas, vt quaſi pauore fractus, hunc à me Adamum dimittam? Ego illum, quẽ fortuna dedit, vinctum teneo, vinctumque tenebo: Perferet æternum meritas, miſerabile, pœnas. Vtinam verò te ſic in omnibus exaudiat Deus, vti ego hunc à me abire ſinam. Faceſſe igitur hinc ocyus, ne cum ignominia repellaris. His verborum iniuriis affectus Epiſcopus, comiter & ſedate perfert, abitque in ædem S. Martini, & coram altari in mattam flexis genibus incumbens, totam illam noctem in precibus inſomnem ducit.

Exemplum ſanè admirandum in tanto Epiſcopo.

Attẽde profundiſſimã huius antiſtitis humilitatem & charitatem.

O hominẽ inſanum, quem tanta charitas nõ mouet.

III. MANE iubet populum campanæ ſigno conuocari. Accurrit mox hominum infinita multitudo, non ſolum ex ea vrbe, verumetiam ex finitimis agris & vicis: ſperabant enim pacem Eccleſiæ redditam. Ad eos vir Dei concionatur, ex diuinis literis docet eos, damna & iacturam labentium rerum, placide & moderate ferendam. Deum homines pios multis exercere modis, corripere omnem filium, quem recipit. Ad extremum dicit, ſe ea cauſa illuc veniſſe nudis pedibus, indutum cilicio, & prope nudum, abieciſſe ſe ad pedes Vicedomini, vt ſua humilitate eum permoueret & flecteret ad dimittendum Adamum captiuum. Sed ſe tamen impetraſſe nihil, immo vero egregie irriſum eſſe. Hic cum exclamarent quidam, vt mitius diceret in Vicedominum, ille magna animi fiducia concepta, in Vicedominum & omnes illi aſſentientes, palam excommunicationis fulmen vibrauit. Aduertit hic lector, vt vir Dei nec timori ſuccubuerit, nec vl-

Prou. 3.

Ruſſus excommunicatur impius tyrannus

li labori pepercerit, vtq; ad miniſtrum ſatanæ propter vnius hominis ſalutem nunc humilitate, nunc ſeueritate, modo blanditer, modo aſpere iuſtitia impellente aggreſſus ſit, vt iuſtitiæ & miſericordiæ ſpeculum atque exemplar iure dici queat.

Orat diuinum auxilium Epiſcopus.

TANDEM re infecta beatus Epiſcopus redit ad vrbem ſuam eodem die: accurrunt ciues, circunſiſtunt, ſtupent & lamentantur. Ille vero paucis eos conſolatur, inde abit ad ſacras beati Firmini reliquias, ibi ſe proſternens, orat martyrem, vt Vicedomini Guermundi inſolentia comprimatur. Mox domum ſe recipit, ſed diuina animaduerſio non cunctatur. Vidit enim dominus afflictionem ſerui ſui, & ſtatuit vlciſci. IV.

Guermundus capitur, & in carcerem conijcitur.

PAVCIS poſt diebus importuniſſimus ille Vicedominus, regionem late depopulans, inſidiis militum Vuilhelmi, primarij apud Pontinos viri, capitur, & ad illum mira gratulatione adducitur. Is vt vidit hominem, primo in... ris iniuriis exagitatum, mox ferro vinctum iubet duci in cuſtodiam. Vbi cum non parum diu detineretur, videretque omnem ſibi prodeundi, quo vellet, facultatem ereptam, mire anxius, tandem redit ad ſanitatem. Videns autem in nullo homine mortali ſpem aliquam mortis euadendæ ſibi relictam, niſi in vno Godefrido Epiſcopo, dire cru... ſciens quam multis ille intolerandis eum iniuriis affeciſſet. Sed tamen vrgente calamitate, de illius ſingulari humanitate præfidens, qua ſciret eum etiam inimicos ex animo complecti, per hominem fidum ſupplex orat beatum virum, vt immemor eorum, quæ hactenus malo dæmone inſtigante in eum admiſiſſet, ipſi opem ferre digneuit. Pollicetur, ſe eccleſias dirutas inſtauraturum, Adamum dimiſſurum, deinceps emendatius & humanius victurum. Hæc vbi audiuit Epiſcopus, lætatur ſe à Domino exauditum, dolet vicem miſeri hominis, & bona pro malis reddere ei volens, quod eſt perfectorum, non cunctatur ire ad illum. Eo conſpecto, tanquā ab orci faucibus ereptus ſit, valde ſibi gratulatur Vuermundus, & qui antea virum Dei ſupplices ei preces offerentem ſuperbus contempſerat, iam ad eius ſeſe pedes aduoluit. Sed ne longiores ſimus, ſi ſingula annotare velimus, extrahit pius Epiſcopus Guermundum e carcere, reducit non ſine multo ſudore Pinquiniacum, & ſecum abducit Adamum ſuum. V.

Exemplum perfectæ charitatis.

Vir Dei liberat Guermundum.

DICTVRVS iam ſum rem prope incredibilem, niſi & ipſe vir Dei eam aliis narraſſet, & multi coram inſpexiſſent. Quandoque hyberno tempore ſuam perluſtrans diœceſim, ad pagum quẽdam exiguum venit, vbi etiam eccleſiæ dedicandæ cauſa hærere coactus eſt. Multi eo conuenêre, quibus capiendis cum eccleſia parua non ſufficeret, iubet ſibi ſub dio locum præparari, vnde poſſet concionari ad populum. In eum locum poſtquam ſubiit, oblitus ſui, manibus extenſis adeo ſtetit immobilis, vt præ frigoris acerbitate ſanguis ab eius digitis in humum diſtillare videretur. Erat enim teneriimi corporis, quod facile ab æſtu, vel gelu affligeretur. Scio non deeſſe, quibus iſthuc incredibile videatur. Sed non eſt mirum, quando plerique dicta factaque etiam antiquorum patrum in dubium reuocent, quod ea ſuis oculis non viderunt. Notum eſt illud poëtæ. VI.

Sanguis ab eius digitis fluit.

Horat. de Arte.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Anno 1111. Paſchalis Papa capitur.

Anno 1112. Synodus Viennenſis.

Vide Baronium, vbi ſup. Oratio eius in dicta ſynodo.

EA tempeſtate Imperator Pontificem Paſchalem, cum eius & pedes & os deoſculatus eſſet, dolo captum, ſecum abduxit. Ea cauſa Guido Viennenſis Archiepiſcopus, qui poſtea fuit Calixtus Romanus Pōtifex, magnum habuit Eccleſiæ procerum apud Viennam conuentum. Vocauit etiam per literas Godefridum Ambianorum præſulem, ab annis multis ei chariſſimum. Qui ſine mora profectus Viennam, vbi eo venit, rogatus eſt à Guidone Archiepiſcopo, vt in ſynodo vice eius fungeretur, erat enim ipſe Guido impeditioris linguæ. Etſi autem acri tum febre laboraret Godefridus, tamen vt erat miro animi candore, ſtatuit pro viribus illi parere. Cum autem dicendum eſſet, & vires ſibi minime ſuppetere vereretur, tanta eſt Spiritus ſancti gratia cōfirmatus & illuſtratus, vt omnes magna admiratione affecti, egregium illum dicerent ſancti Spiritus organum, multaque eum laude & prædicatione efferrent. Quæ in illa ſynodo & prouincia ab eo præclare geſta ſunt, breuitatis ſtudio prætermimus. Vienna autem diſcedens magno celeberrimæ ſynodi fauore, Cluniacum venit, & ab Abbate Pontio honorificè exceptus eſt, & aliquot dies ibi hæiens, ſacroſanctaque Miſſarum ſolennia feſtiue celebrans, atque illi ſpectabili congregationi fratrum verbum Dei, ſuo more excellenter proponens, magno ſui apud eos deſiderio relicto, ad vrbem ſuam regreſſus eſt. VII.

Luc. 12.

S. Godefridus cupit in ſumma Carthuſia monachus fieri.

Inſtituta Carthuſianorum.

Philip. 3.

Vt in Carthuſia vir ſanctus vixerit.

Pſalm. 119.

PERPENDENS autem vir prudens, quam moleſtum atque adeo intolerabile ſit, tot ſecularium tumultuum perferre tempeſtates, vbi comperit præclaram ſeruorum Dei famam, qui in Carthuſia non longe à Gratianopoli degebant, relictis omnibus, ille igne, quem Dominus Ieſus miſit in terram, ſuauiter ardens, eo celeriter profectus eſt, vt quietius vni Deo vacaret. Præerat tum Carthuſiæ Guigo, vir egregie doctus & vitæ integritate conſpicuus, omnium ore prædicandus. Is vt vidit vultus Angelici & ſimplicis naturæ virum, gratias immenſas agit Chriſto, ſtatimque illum ſanctiſſimo fratrum collegio adiunxiſſet, ni veritus eſſet Romanum Pontificem, Rhemorum Archiepiſcopum, alioſque Galliarum præſules minime paſſuros, vt illic permaneret. Interim tamen cellulam ei attribuit. Separatim enim degunt ſinguli in domicilus, quæ Cellas vocant, ad eccleſiam certis horis pariter conueniunt, indè taciti redeunt ad Cellas ſuas, ad nudam carnem aſperis induuntur ciliciis, quarta & ſexta feriis pane & aqua victitant, diuinæ contemplationi adeo adhærent, vt iure poſſent dicere cum Apoſtolo, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, illorumq; precibus & ſanctorum meritis mundus conſtare videatur. Sed de eorum excellenti, meritoq; ab omnibus prædicanda conuerſatione, aliis plura dicenda relinquimus, atque ad inſtitutum redimus. Seruus Chriſti Godefridus, hac re ſummopere delectatus, quod imperturbata animi puritate & tranquillitate frueretur, licet etiam in illa populi frequentia & importunitate, animo ad cœleſtia contemplanda ſe erexiſſet, poſtquam optatæ ſolitudinis locum diuinitus ſe adeptum vidit, ieiuniis, precibus, lachrymis, ſacris meditationibus, diuinis lectionibus adeo feruens incumbebat, vt quamuis à primis ætatis initiis, vt diximus, in his aſſiduus fuerit, iam tamen primum Deo ſe ſeruire cœpiſſe mirifice gratularetur. Sordebant terrena viro, ſubit æthera votis, cum Propheta plorat nimis prolongari incolatum ſuum. Cum autem quandoque venerandus pater Guigo cellulas monachorum pia ſolicitudine inuiſeret, etiam ad beatum Godefridum peruenit, inuenitque eum neſcio quæ diuina ſcripta legentem, & vberes fundentem lachrymas, ſeque hoſtiam viuam Chriſto Saluatori mira ſuauitate in cordis ara immolantem. Valde autem eius amore incenſus & noſſe cupiens, vtrum poſſet æquo animo ferre iniurias, ita ait ad eum: Solebaſne, Epiſcope, pro ſacris ordinibus aurum & argentum & id genus munuſcula recipere? Multi enim per id tempus hoc vitio proh dolor infecti erant, vt vix cuiquā ſine precio ſacros ordines conferrent. Reſpondit cum multo gemitu Epiſcopus: Equidem, pater beatiſſime, non nummos expetebam ab aliquo, ſed vel inuitus ſæpè humani fauoris aura inani inficiebar. Id audiens Guigo, miratur eum minime ſe palpare, ſed humiliter accuſare etiam extrema quæque VIII.

Anno 1114. Radulphus Rhemorum

INTERIM Conon Cardinalis, Pontificis maximi legatus, & Radulphus Rhemorum Archiepiſcopus, apud Bellouacum ſynodum celebrant. Ad eam accedunt Ambianenſium legati, cōqueruntur ſe deſtitutos optimo paſtore ſuo. IX.

Ad quos

Ad quos Rhemenſis Archiepiſcopus: Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere auſi eſtis, qui virum pudicum, orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, veſtra improbitate à ſua ſede expuliſtis? Quem illi parem, nedum ſanctiorem, vnquam habituri eſtis ſacerdotem? O vos miſeros, qui tanto paſtore vel ad momentum caruiſtis. Num vos illum turpia lucra ſectantem, libidini vacantem, Eccleſiaſtica beneficia venundantem, vnquam deprehendiſtis? Illis reſpondentibus, Ab his illum plane immunem eſſe: ſubiecit Archiepiſcopus, ite ergo, & tam peritum ouilis Dominici cuſtodem perquirite, & inuentum, vobiſcum reducite. Teſtor enim Dominum I E S V M, donec vllus erit in Godefrido vitalis ſpiritus, nullum alium vos Epiſcopum habituros. Dum hæc geruntur, en adſunt nuncij, apportantes literas beati Godefridi, quibus ille ſignificat ſe Epiſcopatu abdicaſſe: hortatur, vt alium patrem ſibi quærant. ſe nunquam rediturum affirmat: oſtendit ſe ineptum & indoneũ, qui Epiſcopi munere fungatur: ſe verbis quidem docuiſſe ſubditos ſuos, ſed mala vita corrupiſſe & perdidiſſe. Quæ cum legerentur, pene omnes lachrymati ſunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cum eſſet meritis ſummus, infra omnes infimos ſe abijcere videretur. Sane cum interdum de his quidam reuerendiſſimi patres, qui tum præſentes adfuere, inter ſe colloquuntur, video eos lachrymas tenere non poſſe: adeo illorum animis affixa eſt Epiſtola illa, qua in tantum ſe vir tantus exinaniuit.

Epiſcopus Synodus Bellouacen.
Vide Baron. ann. prædi.
Nota humilitatem ſanctiuiri.

X. T A N D E M ſtatuunt patres, apud Sueſſiones ad Domini Epiphaniam conuenire & quid faciendum ſit, deliberare. Vbi eo ventum eſt, iubente Ludouico Francorum Rege, accitus ab eis eſt Henricus Abbas S. Quintini, in quo monaſterio vir Dei Godefridus ab ipſis pene incunabulis ſobrie & pie educatus, ad ſummum virtutum apicem pertigerat. Vocatus eſt etiam Hubertus magnæ authoritatis vir, & celeberrimi monaſterij quod Cluniacum vocant, monachus. Hos duos cum ſuis literis mittunt ad fratres Carthuſiæ: orant, immo & imperant, ne Godefridum Ambianorum præſulem, apud ſe diutius morari ſinant, ſed ad ſedem ſuam ocyus redire compellant. Addunt mandata ad ipſum Godefridum, vt celerrime ad deſolatum gregem ſuum ſe recipiat, oſtendunt, non debuiſſe illum ſemel ſuſceptam Eccleſiam tam facile deſerere: plus eum apud Dominum demereri, dum ſinit per abrupta vitiorum præcipites ire oues ſuas, quam poſſit promereri, dum priuatim in quantumuis remota ſolitudine viuit etiam ſeueriſſime: tum quoque docent ſacros vetare Canones, ne quis Epiſcopo viuenti ſubrogetur, niſi vel infirmitate cogente id ipſe petat, vel ob crimen deponendus ſit. Hæc vbi Godefridus accepit, animo valde conſternatus, ad pedes monachorum ſe proſtrauit, cum multis lachrymis orans, ne ſinerent ipſum à ſe auelli. Flent pariter etiam illi, attamen multis eum conſolantur modis: & quia Regis & Epiſcoporum authoritati reſiſtere non poterant, in pace illum à ſe dimittunt. Obiter hic annotare viſum eſt, quando in mentem venit, beati huius viri cingulum & pectinem, cum apud Sueſſiones in eccleſia ſanctorũ Criſpini & Criſpiniani defunctus eſſet, Odonem eius loci Abbatem ſibi reſeruaſſe. Is Odo poſtea coactus ſuſcipere regendum monaſterium S. Remigij, quod apud Rhemos eſt, ad magnam Carthuſiam certas ob cauſas ſe contulit, & illic aliquot dies apud fratres egit ſanctiſſime: Ad eum quandoque veniens memoratus Guigo Carthuſiæ Prior, inter alia non ſine gemitu mentionem faciebat Godefridi Epiſcopi, & quam religioſe inter ipſos vixiſſet: ſummopere autem admirari ſe dicebat tantam animi eius compunctionem, vt pene iugiter ab eius oculis lachrymæ manarent: quod quidem cæleſtis gratiæ munus nemo negare auſus erit, puritate & ſimplicitate cordis eum impetraſſe. Reſpondebat ad hæc Odo, ſe hæc re ipſa comperiſſe, quippe qui ſumma eius familiaritate fruitus eſſet, & defuncti corpuſculum in Eccleſia ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, qui in eadem Eccleſia conditi ſunt, ſuis manibus ſepulturæ mandaſſet, atque eius cingulum & pectinem tum pro ſua erga illum deuotione, tum ſui tuendi cauſa ſemper apud ſe ab eo tempore geſtaſſet. Quod vt audiuit Guigo ille venerabilis, dici non poteſt, quanto affectu ea oſculatus ſit, Chriſtum teſtificans, reuera felices eos eſſe, qui non modo cineribus eius, ſed vel fimbrijs veſtimenti eius potiri mererentur. Talis fuit piorum de Godefrido ſententia & exiſtimatio. Equidem hæc ab ipſius venerabilis Patris Odonis ore accepi, quæ etſi præproperè, non tamen, vti ſpero, infructuosè, hic mihi commemorata ſunt.

Reuocatur ad ſuã diœceſim.
Vide Concilium Aurelianenſe V. Can. 12.
Cogitur redire ad diœceſim.
Gratia lachrymarum inſignis in beato viro.
Nota tanti viri de B. Godefrido teſtimonium.

XI. P O R R O autem beatus Godefridus à Carthuſia non tam ſponte ſua, quàm vi propemodum adactus, exiens, crebrò ad eam reflectebat oculos, lachrymis madentes, ſe miſerum & infelicem ſummo animi dolore proclamans, cui in illo Angelico contubernio non licuerit vſque ad ſupremum vitæ diem permanere, & ſoli Deo diuinæque contemplationi vacare. Fuit autem in Carthuſia à ferijs beati Nicolai Epiſcopi, quæ aguntur octauo Idus Decembris, vſque ad Quadrageſimæ initium, admodum interim exultans in Domino, quod à terrenis curis abſolutus, optata quiete frueretur. Multa illic reliquit virtutis & ſanctitatis exempla, vt hodieque de illo inter ſe crebro conferant. Profectus inde, venit ad Rhemorum vrbem, vbi tum Cono Cardinalis & legatus frequentiſſimam ſynodum habebat. Adduxit autem eum in ſynodum Radulphus Rhemorum Archiepiſcopus, ieiunijs, vigilijs, alijſque ſanctis exercitijs adeò attenuatum & confectum, vt vix pedibus conſiſtere poſſet. Quem vt viderunt patres, valde admirabantur adeo illum ſe mundo, ſibique mundum crucifixiſſe, vt nec mundum ipſe diligere, nec mundus illum amare poſſe videretur. Duriuſcule eum tunc appellauit Cono legatus, quod iniunctum munus reliquiſſet: deinde admonuit, vt propriæ vtilitati multorum ſalutem anteponens, Ambianos rediret, & ſuo officio fungeretur, rectius ſibi conſulturus, ſi non ſua vnius ſalute contentus, plurimos Chriſto lucrifacere conaretur, & tandem à Chriſto audire mereretur: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Cum non poſſet autem vir Dei, illius aliorumque Epiſcoporum authoritati obluctari, ad ſuam redit Eccleſiam, ab omnibus cupidiſſimè excipitur: ſed non diu pòſt ſuperuixit, vt dicemus ſuo loco, vbi prius quædam eius memoratu digna expoſuerimus, quæ iam nobis interim ſuccurrunt.

Manens in Carthuſia multa ſanctitatis eius exempla.
B. Godefridus venit in Synodum Rhemenſ.
Matth. 25.

XII. A D V E N T A N T E Quadrageſimæ ieiunio, plebs frequens aduenit in ædem beati Firmini Epiſcopi & martyris eo die, quo cineres ex patrum pia traditione, quæ hactenus obſeruatur, fidelium capitibus imponuntur. Adfuit etiam beatus Godefridus, more ſuo, nudis pedibus & cilicio indutus: inter cætera ſanctæ exhortationis verba, omnibus interdixit eſum carnium, donec Dominicæ reſurrectionis ſolennitas adeſſet. Sed id multi ſurda aure accepêre. Nam proximo die Dominico carnibus abſtinere noluerunt, dicentes Epiſcopum de ſuo corde fingere dura, proferre inaudita: ſe aſſueta nec velle, nec poſſe relinquere: par eſſe, non ſolum vti cibis, ſed etiam abuti, & ſuauibus ætatem ducere oblectamentis. Non id latuit Epiſcopum, ſed tempus expectauit, quo poſſet opportunè mulctam irrogare. Ipſo igitur Cœnæ Dominicæ die populo ad memorati martyris baſilicam ob impetrandam peccatorum veniam confluente, eò venit ſacerdotalibus veſtimentis indutus: habet ſuo more concionem, inter alia commemorat Adami inobedientiam, quod dum ab eſu pomi ſibi temperare non vult, vniuerſum genus humanum damnationi obnoxium reddiderit, & in multas coniecerit calamitates. Tum pergit exprobrare illis, quod nihil eius exemplo abſterriti, noluerint obtemperare ipſi, immò C H R I S T O per ipſum prohibenti, ne carnes ederent. An ignoratis, inquit, in Euangelio dixiſſe Dominum de me meique ſimilibus: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit? Annunciaui ego vobis Chriſti voluntatem & iuſtitiam: vos me finxiſſe friuola dicere non formidaſtis. Ergo veſtra hac rebellione incidiſtis in pœnas contemptorum, & cum Adamo reĩ eſtis inobedientiæ. Certè meritas hodie luctus pœnas.

Obſeruat ſitæ aſperitatem.
Geneſ. 3.
Inobedientia Adæ perdit humanũ genus
Luc. 10.

Hæc Epiſcopo dicente, certatim omnes ſe humi proſternunt, pugnis pectora verberant, palam fatentur culpam ſuam, cum multis lacrymis petunt à Deo veniam, eamq; per Epiſcopum impetrare admodum ſubmiſſe contendunt. Ille vero ait ad eos: Dignos pœnitentiæ fructus facite, & Chriſtum propitium vobis reddere conemini. Interim tã impuræ tranſgreſſionis hæc mulcta eſto, vt à ſacroſancta Euchariſtia vſque ad ſecundam Paſcharis feriam abſtineatis, vt quod impro ba admiſit temeritas, pia quandoque poſſit confeſſio abolere. Abeunt igitur cum multo rubore & mœrore, atq; inter ſe quiritantur, quod pro momentanea delectatione tam ſolenni die communione priuentur. Porro Epiſcopus paſtorali ſeueritate vtens, presbyteris omnibus præcepit, ne quem ex iis, qui carnes comediſſent, ad Euchariſtiam ſumẽdam admitterent. Volebat enim hac ratione eam inſolentiam reprimere & coercere, ne ſimilia quandoque attentarent. Sed ecce ipſo Dominicæ reſurrectionis ſacro die, fidelibus ad percipiendam Euchariſtiam accedentibus, quidam ex mundi huius ſapientibus, vel potius inſipientibus, cum ſe reum ſciret eius, quam diximus, tranſgreſſionis, nec tamen abſtinere vellet à ſacra communione, muliebrem habitum induit, ſexumque fœmineum adeo mentitur, vt non aliud, quam fœmina videretur. Vult hominum oculos fallere, ſed omnia videntis Dei oculos fallere non poteſt. Vt pòſt aliis inſultare queat, quod Epiſcopo obtẽperantes, in tanta hominum frequentia ſe paſſi ſint tanquam ethnicos arceri à communione accedit ad altare, non diiudicans corpus Domini, nec metuens Apoſtoli ſententiam, eum qui indigne illud manducet, iudicium ſibi manducare. Per id tempus in eccleſia, in qua iſthuc accidit, quæque in beati Remigij honorẽ conſtructa eſt, vir reuerendiſſimus Fulco ſacerdotio fungebatur. Is hominem non agnoſcens, admittit eum ad altare, porrigit ei Euchariſtiam: ſed ille, diuina eum perſequente vindicta corruit, acerrimis viſcerum doloribus cruciatur, ſpumaſque cruentas ab ore eiiciens, quod indignus ſumpſerat, cum multo ſanguine, cunctis cernentibus, euomit. Accurrunt omnes, dolent vicem eius. (necdum enim aliud, quam fœminam credebant) Fulco ſacerdos prope exanimis aduolat, ſciſcitatur vnde venerit, quæ ſit, qua cauſa tam horrendam patiatur calamitatem. Non enim fruſtra id eſſe. Ille tandem collectis non nihil viribus, fœmineo abiecto habitu, declarat quis ſit: nec enim dolor ſinebat eum diutius diſſimulare. Tum vero ait ad eum venerabilis presbyter Fulco: Qua tu mente aut fronte auſus es tam inauditum deſignare facinus, vt ſexu ementito, contra egregij Præſulis Godefridi præceptum, tremendis te ingerere ſacramentis nõ dubitares? Non tu gehennæ æternos cruciatus & flammas inextinguibiles formidare debuiſti? His atq; aliis à ſacerdote dictis, ille miſer ſummo pudore affectus: Heu me infelicem, ait, qui diu inſtar equi & muli per illicita diffluens, quicquid animo collibitum eſſet, impudenter admiſi. Vnde tandem id conſecutum eſt, quod Salomon ait: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Itaque erecta ceruice, ſpreta antiſtitis ſalutari prohibitione, huc acceſſi: ſed tandem vexatione dante intellectum auditui, re ipſa iam comperi, facienda eſſe, quæ iubet Epiſcopus. Chriſtus enim per eum locutus eſt. Hæc vt audiuit populus circunſtans, valde horruit infandum ſcelus, laudauit Chriſti iudicia, addita in lucem proferentis, Godefridum Epiſcopum mire extulit, exactius deinde iuſſa eius ſe facturum affirmauit. Hæc quidem dicta ſint in terrorem illorum, qui ſpiritualium patrum iuſſa contemnere non verentur.

Vide, quàm ſit ерпmino- ſum Prælatis non obedire.

** ueriter caſtigat inobedientem populum*

1. Cor. 11.

Punitur diuinitus Euchariſtiam contra ſancti viri prohibitionẽ ſumens.

Prou. 18.

Eſa. 28.

Extra muros vrbis Ambianenſis eſt monaſterium ſancti Dionyſij. In illud tum ciues Ambianenſes aurum, argentum, aliaſque res ſuas comportarant, monachiſque diligenter aſſeruandas commendarant. Sæuiebat enim per id tempus in vrbe ſeditio & bellum inteſtinum, & ſicarij paſſim toto oppido vagabantur, magnum omnibus terrorẽ afferentes. Fuerat enim in vrbe turris excelſa, multis propugnaculis & mœnibus adeo munita, vt inexpugnabilis videretur. Eam Ludouicus Francorum Rex & Godefridus Epiſcopus, biennio fere arctiſſime obſeſſam, & tandem fame ad deditionem adactam, funditus euertendam curarant, ne prædas agerent, aut popularentur finitimas regiones. Erat autem in illo ſancti Dionyſij monaſterio frater quidam, qui ſpecie pietatis deceptus, cum videret multas illic ſeruari ciuium opes, cogitabat longe præſtabilius eſſe, eas diſtribuere egenis, captiuiſque redimendis extruendiſque eccleſiis accomodare. Quadam igitur nocte aliis dormientibus, ille tanquam res præclaras moliturus non dormit, ſed arrepta ſecuri diſſipat ſeras, quibus locus, in quo theſauri illi reconditi erant, claudebatur: tollit inde plurima, & mox è monaſterio ſe ſubducit. Fratres ad nocturnas preces congregati, vident vnum è ſuis abeſſe, & cum inueniri non poſſet, animaduertunt effracta fores loci, in quo depoſita condebantur, ſimulque ablata permulta. Dolore igitur haud mediocri afficiuntur, tum quod frater fugiſſet, tum quod cœnobij facultates minores eſſent, quam vt poſſent reſtituere erepta. Iam enim fama rem diuulgarat, & is, cuius erant ablatæ res, eas repetebat. Itaque omni conſilio deſtituti, ad miſerorum aſylum Godefridum Epiſcopum confugiunt, exponunt ei quid actum ſit, & quibus in anguſtiis verſentur. petunt ab eo cõſilium. Ille vero in promptu habebat, quid reſponderet. Monet eos, ne in ea re immodice perturbentur, ſed orent pro fratre vt ex lupo poſſit rurſus ouis fieri. Promittit ſe quoque rogaturum pro illo Dominum, præſtiturumque miſeris eleemoſynas: ita fore aſſeuerans, vt cito ille reſipiſcat. His dictis, monachi redeunt ad monaſterium, Epiſcopus incumbit in preces, offert ſacrificium, orat pro fugitiuo fratre: deinde, vt fratres illos conſoletur, ad monaſterium venit. Necdum autem medium emenſus erat iter, cum ecce occurrunt ei fratres admodum gratulabundi, multaſque ei gratias agentes, indicanteſque reuerſum monachum, qui aufugerat, ablataque omnia reportaſſe. Ait autem Epiſcopus: Plane donum Dei eſt, qui neminem vult perire. Non eſt hoc meriti noſtri: non nobis igitur, non nobis, ſed nomini eius detur gloria. De cetero fratres confirmate in eum charitatem, vt poſſit perſeuerare deinceps vſque in finem. XIII.

Turris Ambianenſis vrbis euertitur.

Precib. S. Epiſcopi reſipiſcit monachus fugitiuus

2. Petr. 2.

Apud Durlenſe oppidum, quod eſt in Ambianenſi territorio, memoria ſeruatur beatiſſimi Archangeli Michaelis, vbi etiam monaſterium virginum eſt. Eius mater ſiue Præfecta, quandoque in veſperam cœnandi tempus differens, ſanctimonialem quandam iubet ſibi cœnanti adſtare. Erat illa religioſa & ſimplex, & iam tertio inuiſerat Hieroſolymam, non ſine multo & magno labore & dolore. Dicebantur de ea publice & priuatim ſane memorabilia, ſed quæ nos hic omittimus, ne forſan infirmis incredibilia videantur. Hanc, inquam, mater illa monaſterij ſibi iubet inſtar ancillæ, ad menſam tenere cereum, reuerenter obſequi, ſtare depreſſis luminibus, nec loco ſe mouere donec ipſa ſurgat à menſa. Paret illa cumprimis religioſe: ſed interim neſcio qua culpa cereus ei decidit è manibus, & repente totus ille locus tenebris horret. Tum illa matris indignationem valde reformidans, humi ſe abiicit, veniamque eius culpæ petit. Iungunt ſuas preces etiam aliæ ſorores. Sed illa vltra modum excandeſcens, ſurgit à menſa, frendet dentibus, nec aliter ſe gerit, quam ſi exiſſet è poteſtate, exclamat nequiſſimam illam feriendam anathemate, & è monaſterio pellendam. Tandem etiam eo prorumpit, vt pugnis calcibuſque eam contundat, & in dies multis afficiat iniuriis, denique è monaſterio exire compellat. Tum illa ſe confert ad Godefridum Epiſcopum Ambianenſem, cum lachrymis exponit, quæ paſſa ſit, & quam ob culpam, à matre monaſterii. Audiens vir pius, magna tum commiſeratione, tum admiratione afficitur. Nouerat enim ſimplicitatem eius. Hortatur vt æquo ferat animo, & interim ſe conferat in vicinas ædes honeſtæ matronæ Erenburgis. Deinde ſcribit matri monaſterij, vt quamprimum ſine vllo vehiculo ad ipſũ accedat. His literis valde illa conſternata, neſcit quo ſe vertat. Non dubitat, tam ſeuerum mandatum haud temere à beato Epiſcopo profectum. Tandem videns ſe contra eius voluntatem reniti non poſſe, cum ingenti rubore cunctis inſpectantibus, pedibus ſuis Ambianos proficiſcitur. Vbi ad Epiſcopum venit, primo eius ſe pedibus prouoluit: deinde animo exacerbato, in eum horrenda iactat conuicia, nec ore ſolum ſed totius corporis geſtu ſuam prodit inſaniam. At Epiſcopus nihil ea re motus, iubet eam ſedate ſe gerere. Ego hic, inquit, Chriſti loco iudex tuus ſum, & in ea, quæ perperam geſſiſti, inquirere volo. Animam ſororis, quam tibi commendaui, à te requiro. Illa neſciens quid reſponderet, ait ſe ignorare quid dicat: ſe nullam XIV.

Immodica cuiuſdam Abbatiſſæ indignatio.

Eam egregie caſtigat S. Epiſcop.

Iam ex ſororibus ſuis perdidiſſe. Tum Epiſcopus: Ego vero, inquit, à te repeto ſororem illã, egregiæ exiſtimationis virginem, quam non ita pridem coegiſti tibi cœnanti ad menſam tenere cereum, & quod è manibus ei excidiſſet, eam poſt multas iniurias è monaſterio exire compuliſti. Fortaſſis illa iam in deſperationis lapſa barathrum, ſuam in fornicibus pudicitiam proſtituit, & mali dæmonis ore abſorpta, in cœno vitiorum voluatur. Quis te furor impulit, maleſana, vt ob tantillam rem, animam Chriſti ſanguine redemptam, in tartarum detruderes? Ad hæc cum illa nihil reſponderet, Epiſcopus cum multo fremitu: Surge, inquit, miſera, & modis omnibus perquire ſororem illam. Sed cum illa ſe non moueret. Viuit Dominus, ait Epiſcopus: neque cibum neque potum capies, donec ouem illam mihi reſtituas. Itaque adhibitis cuſtodibus, diſcurrit illa per plateas ciuitatis, (audierat enim ſanctimonialem eo veniſſe) ſciſcitatur num quis viderit eam, num cui, vbi lateret, compertum ſit. Iam ſole occumbente, cum eam inuenire non poſſit, redit ad Epiſcopum lachrymabunda accuſat peccatum ſuum, petit veniam, ſpondet ſe requiem non daturam ſibi, donec ſororem recuperet. Epiſcopus videns illam labore & ieiunio admodum defeſſam, accerſit ſanctimonialem, eamque reddit ei, dicit ſe quadam in eam vſum ſeueritate ea cauſa, vt poſthac cautius & moderatius ſe gerat. Deinde dimittit eam pacificatã ſe. Diſcãt hoc exemplo prælati mitius agere cum ſubditis.

XV. In quadam ſolennitate, hora veſpertina à Clero deductus in eccleſiam honorifice, expletoque officio, itidem inde reductus in domum ſuam, iuſſit omnibus ex more potum offerri. Aderat cum aliis etiam quidam è Clero, facie & nomine mihi non ignotus, ſed prodere nomen eius nolo, ne ea re exacerbatus ipſe deterior fiat. Erat is ex illorum grege, quos ſupra diximus impuro coniugio pollutos, quibuſcum multum beato Epiſcopo negotij fuit, vt corrigerentur. Auſus fuit ille arripere pateram, ex qua bibere Epiſcopus ſolebat, & cum vinum in illam infudiſſet, audacter illud epotare. Aduertit hoc Epiſcopus, ſed ne in tanta ſolennitate iniuriam ſuam temere vltus videretur, continuit ſe. Poſtquam autem diſceſſerunt omnes, accito Nicolao diſpenſatore ſuo: Quid ita, inquit, pateram meam in ſterquilinium abiicere voluiſti? An ignoras nihil eſſe luci cum tenebris commercij? Territus valde œconomus, affirmat ſe pateram tuto loco condidiſſe. At Epiſcopus: Abi, inquit, & eam vende iuſto precio, illudque in Chriſti pauperes erogato. Fecitque ſic œconomus. Aduertit hinc lector, quantopere vir beatus id exequi conatus ſit, quod Apoſtolus docet, nec cibum ſumendum eſſe cum fratre, qui fornicator aut auarus ſit. Ita ille ſeſe ab omni contaminatione ſeruabat immunem, dignus ſane quem & veneremur, & imitemur, vt nos ſuis meritis quandoque eò pertrahat, vbi iam feliciſſime regnat ipſe cum Chriſto. En vt hor-ruerit homines impuros. 1. Cor. 5.

XVI. QVANDO ei frequentes ad menſam aderant è Clero, vel viri nobiles ac milites, ſcypho argenteo aqua ei proponebatur. Is ſcyphus artificis induſtria ita fabrefactus & politus erat, vt conuiuæ putarent vino impletum. Erat autem etiam ligneus ſcyphus ei appoſitus, vino plenus: quem, vt amplius cruciaretur, diutiſſime ſolebat intueri, ſed nihil inde bibens, ſua manu pauperibus eum porrigebat. Id vero ita faciebat, vt quoad fieri poſſet, omnes lateret. Inter edendum autem cum diuerſa fercula in eius menſam inferrentur, ipſe arborum fructibus vel herbis, idque parce, veſcebatur. Hæc enim illum tota vita ſua lautitiis omnibus antepoſuiſſe, certo conſtat. R… ab… …æ cre…

XVII. Ex diſcipulo eius Reingero monacho, viro inprimis veraci, didici rem notatu dignam, nunquam illum vlla vel eſca vel potione ita ſe ſaturaſſe, quin ſemper magna ſe fame affectum ſentiret. Tam ille abſtinentiæ & ſobrietatis cultor fuit egregius. Sic edit vt eſuriat.

XVIII. DE multis eius vigiliis quid me dicere attinet, quando eæ cum inedia maximam habent coniunctionem & familiaritatem? Poſt expletas Matutinas preces, ſiue nocturnas vigilias, cum alij recederent, ille in eccleſia ſolus permanebat & veſtem atque calceamenta deponens genibus flexis, quod ſupererat noctis, precibus tranſigebat. Creberrime quoque rure inuiſere ſolebat loca ſacra, vno tantum puero contentus, & nudis pedibus ingrediens. Deinde conferebat ſe ad leproſorũ domicilia, & pia ſolicitudine ad ſingulos lectos accedens, lurida & prurientia membra ſuis contrectabat manibus, atque oſculabatur, ſignumque ſalutare non ſine illorum leuamento eis imprimebat: Audiebat etiam illorum confeſſiones, & Euchariſtiam eis porrigebat, ceteraque humanitatis officia ſubmiſſe exhibebat: & ne à quoquam deprehendi poſſet, clam domum redibat pannis obſitus. Prolixæ vigiliæ. Ecce rem admirandã.

XIX. CVM autem nocte quadam his eſſet ſtudiis occupatus, & coram reliquiis beati Firmini martyris ſe lachrymabundus proſtrauiſſet, pro peccatis ſubditorum ſuorum deprecaturus, graui preſſus ſomno, vel potius mentis exceſſum patiens, vidit ſe extra vrbem poſitum in via illa, quæ ducit ad beati Acioli martyris ædem: atque ecce ad Auſtrum cernit rhedam equoſque feruentes, & innumerabilem turbam equitum, ſolphureas flammas vomentium, miteque tumultuantium, diuerſorum quoque armorum ſtrepitum audit, ſcutorum, galearum, thoracum, haſtarumque ignearum. Porro omnes illos adſpicit præcipites vrbis excidio imminere, quorum tantus erat fragor & ſtrepitus, vt ille putaret orbem terrarum concuti & commoueri. Mox ergo fide certiſſima opponit ſignum Crucis tam horrendæ viſioni. Cum autem multum horreret vrbis euerſionem, ſubito quendam videt adſtare ſibi heroica forma virum, pontificalibus indutum, annulum aureum palmamque manibus vibrantem, coronam è roſis atque liliis, cui Dominicæ Crucis ſignum præclare inſertum eſſet, in capite geſtantem, volenti vero ad eius pedes ſe ſternere, & quis eſſet percontari, ille ait: Vide ne feceris Godefride ſacerdos. Ego ſum Firminus, huius vrbis primus Epiſcopus & martyr, qui etiam pro viribus ei excidendæ auxilium ferre paratus ſum. Sciſcitanti autem Godefrido, quam ob cauſam tanta ira Dei vrbi impenderet, dixit martyr, Peccata plebis tuæ nimium increuerunt. Tu igitur ea, quæ vidiſti & audiſti, libera voce denuncies: argue, increpa, obſecra, inſta opportune, importune, mecumque pariter Chriſti clementiam deprecare, vt auertat furorem ſuum à populo. His aliiſque multis ab Epiſcopo & martyre dictis, illo abeunte in cœlos, Godefridus redit ad ſe, & ne quis ſomnio illuſum exiſtimare poſſet, veſtis eius adeo lacrymis infuſa fuit, vt in humum defluerent. Inde Dominico die ad populum concionatus eſt, hortans ad agendam pœnitentiam, denuncianſque vrbi imminentem grauiſſimam præpotentis Dei iram. Etſi autem multa tum dixit, quæ merito eos mouere debuiſſent, at illi tamen deteriores effecti, verba eius non alio quam deliramentorum habuêre loco, pariterque exclamarunt eum non niſi næniis & infinitis quæſtionibus occupari. Ecce autem pridie eius diei, quo beati Apoſtoli Bartholomæi ſolennes ferias celebraturi erant, nubes denſiſſima totam obſedit vrbem, lucem omnem in noctis tenebras commutans, moxq; inde erumpens ignis, immenſos frugum aceruos paſſim in agris corripuit, & momento temporis abſumpſit, ſlanteq; vento vehementiſſimo, in oppidum inuaſit, & lapideas haud ſecus atque ligneas depaſcens ædes, tanta vi bacchatus eſt, vt nemo ad ſedandas & extinguendas flammas propius accedere auderet. Omnia igitur terribili illo incendio depopulante, nihil relictum eſt, præter ædem beati Firmini martyris, & domum Godefridi Epiſcopi, & pauperum quorundam caſas, & quod prope incredibile videri poſſit, diuerſorum animalium pelles in flumen depreſſæ, contra aquarum naturam inde ſemiuſtæ extrahebantur. Viſæ ſunt etiam aues quædam coruis non abſimiles, macie confectæ, & inprimis horridæ atque deformes volitare per vrbem, ignem roſtris ſuis circumferentes. Vnde etiam fama increbuit, flammis tartareis oppidum conflagraſſe. Ita ergo eius vrbis gloria in magnam verſa eſt acerbitatem, quæque finitimorum & etiam remotorum rebus vaſtandis inhiarat, ceruicemque erexerat, nunc Chriſto vindice ſedet in mœrore.

Viſio terribilis.

S. Firminus Epiſcopus, & martyr ei apparet. 2. Tim. 4.

Denunciat ſuis imminentem Dei iram, ſed illi contemnunt.

Ambianorum vrbe incendium vaſtat.

Hæc Epiſcopo dicente, certatim omnes ſe humi proſternunt, pugnis pectora verberant, palam fatentur culpam ſuam, cum multis lacrymis petunt à Deo veniam, eamq; per Epiſcopum impetrare admodum ſubmiſſe contendunt. Ille vero ait ad eos: Dignos pœnitentiæ fructus facite, & Chriſtum propitium vobis reddere conemini. Interim tā impuræ tranſgreſſionis hæc mulcta eſto, vt à ſacroſancta Euchariſtia vſque ad ſecundam Paſcharis feriam abſtineatis, vt quod improba admiſit temeritas, pia quandoque poſſit confeſſio abolere. Abeunt igitur cum multo rubore & mœrore, atq; inter ſe quiritantur, quod pro momentanea delectatione tam ſolenni die communione priuentur. Porro Epiſcopus paſtorali ſeueritate vtens, presbyteris omnibus præcepit, ne quem ex iis, qui carnes comediſſent, ad Euchariſtiam ſumēdam admitterent. Volebat enim hac ratione eam inſolentiam reprimere & coercere, ne ſimilia quandoque attentarent. Sed ecce ipſo Dominicæ reſurrectionis ſacro die, fidelibus ad percipiendam Euchariſtiam accedentibus, quidam ex mundi huius ſapientibus, vel potius inſipientibus, cum ſe reum ſciret eius, quam diximus, tranſgreſſionis, nec tamen abſtinere vellet à ſacra communione, muliebrem habitum induit, ſexumque fœmineum adeo mentitur, vt non aliud, quam fœmina videretur. Vult hominum oculos fallere, ſed omnia videntis Dei oculos fallere non poteſt. Vt pòſt aliis inſultare queat, quod Epiſcopo obtēperantes, in tanta hominum frequentia ſe paſſi ſint tanquam ethnicos arceri à communione accedit ad altare, non diiudicans corpus Domini, nec metuens Apoſtoli ſententiam, eum qui indigne illud manducet, iudicium ſibi manducare. Per id tempus in eccleſia, in qua iſthuc accidit, quæque in beati Remigij honorē conſtructa eſt, vir reuerendiſſimus Fulco ſacerdotio fungebatur. Is hominem non agnoſcens, admittit eum ad altare, porrigit ei Euchariſtiam: ſed ille, diuina eum perſequente vindicta corruit, acerrimis viſcerum doloribus cruciatur, ſpumaſque cruentas ab ore eiiciens, quod indignus ſumpſerat, cum multo ſanguine, cunctis cernentibus, euomit. Accurrunt omnes, dolent vicem eius. (necdum enim aliud, quam fœminam credebant) Fulco ſacerdos prope exanimis aduolat, ſciſcitatur vnde venerit, quæ ſit, qua cauſa tam horrendam patiatur calamitatem. Non enim fruſtra id eſſe. Ille tandem collectis nonnihil viribus, fœmineo abiecto habitu, declarat quis ſit: nec enim dolor ſinebat eum diutius diſſimulare. Tum vero ait ad eum venerabilis presbyter Fulco: Qua tu mente aut fronte auſus es tam inauditum deſignare facinus, vt ſexu ementito, contra egregij Præſulis Godefridi præceptum, tremendis te ingerere ſacramentis nō dubitares? Non tu gehennæ æternos cruciatus & flammas inextinguibiles formidare debuiſti? His atq; aliis à ſacerdote dictis, ille miſer ſummo pudore affectus: Heu me infelicem, ait, qui diu inſtar equi & muli per illicita diffluens, quicquid animo collibitum eſſet, impudenter admiſi. Vnde tandem id conſecutum eſt, quod Salomon ait: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Itaque erecta ceruice, ſpreta antiſtitis ſalutari prohibitione, huc acceſſi: ſed tandem vexatione dante intellectum auditui, re ipſa iam comperi, facienda eſſe, quæ iubet Epiſcopus. Chriſtus enim per eum locutus eſt. Hæc vt audiuit populus circumſtans, valde horruit infandum ſcelus, laudauit Chriſti iudicia, addita in lucem proferentis, Godefridum Epiſcopum mire extulit, exactius deinde iuſſa eius ſe facturum affirmauit. Hæc quidem dicta ſint in terrorem illorum, qui ſpiritualium patrum iuſſa contemnere non verentur.

Margin: ✻ ueritete caſtigat inobedientem populum — 1. Cor. 11. — Punitur diuinitus Euchariſtiam contra ſancti viri prohibitionē ſumens. — Prou. 18. — Eſa. 28. — Vide, quàm ſit ominoſum Prælatis non obedire.

Extra muros vrbis Ambianenſis eſt monaſterium ſancti Dionyſij. In illud tum ciues Ambianenſes aurum, argentum, aliaſque res ſuas comportarant, monachiſque diligenter aſſeruandas commendarant. Sæuiebat enim per id tempus in vrbe ſeditio & bellum inteſtinum, & ſicarij paſſim toto oppido vagabantur, magnum omnibus terrorē afferentes. Fuerat enim in vrbe turris excelſa, multis propugnaculis & mœnibus adeo munita, vt inexpugnabilis videretur. Eam Ludouicus Francorum Rex & Godefridus Epiſcopus, biennio fere arctiſſime obſeſſam, & tandem fame ad deditionem adactam, funditus euertendam curarant, ne prædas agerent, aut popularentur finitimas regiones. Erat autem in illo ſancti Dionyſij monaſterio frater quidam, qui ſpecie pietatis deceptus, cum videret multas illic ſeruari ciuium opes, cogitabat longe præſtabilius eſſe, eas diſtribuere egenis, captiuiſque redimendis extruendiſque eccleſiis accomodare. Quadam igitur nocte aliis dormientibus, ille tanquam res præclaras molitutus non dormit, ſed arrepta ſecuri diſſipat ſeras, quibus locus, in quo theſauri illi reconditi erant, claudebatur: tollit inde plurima, & mox è monaſterio ſe ſubducit. Fratres ad nocturnas preces congregati, vident vnum è ſuis abeſſe, & cum inueniri non poſſet, animaduertunt effractas fores loci, in quo depoſita condebantur, ſimulque ablata permulta. Dolore igitur haud mediocri afficiuntur, tum quod frater fugiſſet, tum quod cœnobij facultates minores eſſent, quam vt poſſent reſtituere erepta. Iam enim fama rem diuulgarat, & is, cuius erant ablatæ res, eas repetebat. Itaque omni conſilio deſtituti, ad miſerorum aſylum Godefridum Epiſcopum confugiunt, exponunt ei quid actum ſit, & quibus in anguſtiis verſentur. petunt ab eo cōſilium. Ille vero in promptu habebat, quid reſponderet. Monet eos, ne in ea re immodice perturbentur, ſed orent pro fratre vt ex lupo poſſit rurſus ouis fieri. Promittit ſe quoque rogaturum pro illo Dominum, præſtiturumque miſeris eleemoſynas: ita fore aſſeuerans, vt cito ille reſipiſcat. His dictis, monachi redeunt ad monaſterium, Epiſcopus incumbit in preces, offert ſacrificium, orat pro fugitiuo fratre: deinde, vt fratres illos conſoletur, ad monaſterium venit. Necdum autem medium emenſus erat iter, cum ecce occurrunt ei fratres admodum gratulabundi, multaſque ei gratias agentes, indicanteſque reuerſum monachum, qui aufugerat, ablataque omnia reportaſſe. Ait autem Epiſcopus: Plane donum Dei eſt, qui neminem vult perire. Non eſt hoc meriti noſtri: non nobis igitur, non nobis, ſed nomini eius detur gloria. De cetero fratres confirmate in eum charitatem, vt poſſit perſeuerare deinceps vſque in finem. XIII.

Margin: Turris Ambianenſis vrbis euertitur. — Precib. S. Epiſcopi reſipiſcit monachus fugitiuus — 2. Petr. 2.

Apvd Dutlenſe oppidum, quod eſt in Ambianenſi territorio, memoria ſeruatur beatiſſimi Archangeli Michaelis, vbi etiam monaſterium virginum eſt. Eius mater ſiue Præfecta, quandoque in veſperam cœnandi tempus differens, ſanctimonialem quandam iubet ſibi cœnanti adſtare. Erat illa religioſa & ſimplex, & iam tertio inuiſerat Hieroſolymam, non ſine multo & magno labore & dolore. Dicebantur de ea publice & priuatim ſane memorabilia, ſed quæ nos hic omittimus, ne forſan infirmis incredibilia videantur. Hanc, inquam, mater illa monaſterij ſibi iubet inſtar ancillæ, ad menſam tenere cereum, reuerenter obſequi, ſtare depreſſis luminibus, nec loco ſe mouere donec ipſa ſurgat à menſa. Paret illa cumprimis religioſe: ſed interim neſcio qua culpa cereus ei decidit è manibus, & repente totus ille locus tenebris horret. Tum illa matris indignationem valde reformidans, humi ſe abiicit, veniamque eius culpæ petit. Iungunt ſuas preces etiam aliæ ſorores. Sed illa vltra modum excandeſcens, ſurgit à menſa, frendet dentibus, nec aliter ſe gerit, quam ſi exiſſet è poteſtate, exclamat nequiſſimam illam feriendam anathemate, & è monaſterio pellendam. Tandem etiam eo prorumpit, vt pugnis calcibuſque eam contundat, & in dies multis afficiat iniuriis, denique è monaſterio exire compellat. Tum illa ſe confert ad Godefridum Epiſcopum Ambianenſem, cum lachrymis exponit, quæ paſſa ſit, & quam ob culpam, à matre monaſterii. Audiens vir pius, magna tum commiſeratione, tum admiratione afficitur. Nouerat enim ſimplicitatem eius. Hortatur vt æquo ferat animo, & interim ſe conferat in vicinas ædes honeſtæ matronæ Erenburgis. Deinde ſcribit matri monaſterij, vt quamprimum ſine vllo vehiculo ad ipſū accedat. Iis literis valde illa conſternata, neſcit quo ſe vertat. Non dubitat, tam ſeuerum mandatum haud temere à beato Epiſcopo profectum. Tandem videns ſe contra eius voluntatem reniti non poſſe, cum ingenti rubore cunctis inſpectantibus, pedibus ſuis Ambianos proficiſcitur. Vbi ad Epiſcopum venit, primo eius ſe pedibus prouoluit: deinde animo exacerbata, in eum horrenda iactat conuicia, nec ore ſolum ſed totius corporis geſtu ſuam prodit inſaniam. At Epiſcopus nihil ea re motus, iubet eam ſedare ſe gerere. Ego hic, inquit, Chriſti loco iudex tuus ſum, & in ea, quæ perperam geſſiſti, inquirere volo. Animam ſororis, quam tibi commendaui, à te requiro. Illa neſciens quid reſponderet, ait ſe ignorare quid dicat: ſe nul- XIV.

Margin: Immodica cuiuſdam Abbatiſſæ indignatio. — Eam egregie caſtigat S. Epiſcop.

Lam

iam ex ſororibus ſuis perdidiſſe. Tum Epiſcopus: Ego vero, inquit, à te repeto ſororem illā, egregiæ exiſtimationis virginem, quam non ita pridem coegiſti tibi cœnanti ad menſam tenere cereum, & quod è manibus eius excidiſſet, eam poſt multas iniurias è monaſterio exire compuliſti. Forſitan illa iam in deſperationis lapſa barathrum, ſuam in fornicibus pudicitiam proſtituit, & mali dæmonis ore abſorpta, in cœno vitiorum voluatur. Quis te furor impulit, maleſana, vt ob tantillam rem, animam Chriſti ſanguine redemptam, in tartarum detruderes? Ad hæc cum illa nihil reſponderet, Epiſcopus cum multo fremitu: Surge, inquit, miſera, & modis omnibus perquire ſororem illam. Sed cum illa ſe non moueret. Viuit Dominus, ait Epiſcopus: neque cibum neque potum capies, donec ouem illam mihi reſtituas. Itaque adhibitis cuſtodibus, diſcurrit illa per plateas ciuitatis, (audierat enim ſanctimonialem eo veniſſe) ſe ſciſcitatur num quis viderit eam, num cui, vbi lateret, compertum ſit. Iam ſole occumbente, cum eam inuenire non poſſit, redit ad Epiſcopum lachrymabunda accuſat peccatum ſuum, petit veniam, ſpondet ſe requiem non daturam ſibi, donec ſororem recuperet. Epiſcopus videns illam labore & ieiunio admodum defeſſam, acceſſit ſanctimonialem, eamque reddit ei, dicit ſe quadam in eam vſum ſeueritate ea cauſa, vt poſthac cautius & moderatius ſe gerat. Deinde dimittit eam pacificè à ſe.

Diſcāt hoc exemplo prælati mitius agere cum ſubditis.

XV. In quadam ſolennitate, hora veſpertina à Clero deductus in eccleſiam honorifice, expletoque officio, iterum inde reductus in domum ſuam, iuſſit omnibus ex more potum offerri. Aderat cum aliis etiam quidam è Clero, facie & nomine mihi non ignotus, ſed prodere nomen eius nolo, ne ea re exacerbatus ipſe deterior fiat. Erat is ex illorum grege, quos ſupra diximus impuro coniugio pollutos, quibuſcum multum beato Epiſcopo negotij fuit, vt corrigerentur. Auſus fuit ille arripere pateram, ex qua bibere Epiſcopus ſolebat, & cum vinum in illam infudiſſet, ridiculè illud epotare. Aduertit hoc Epiſcopus, ſed ne in tanta ſolennitate iniuriam ſuam temere vltus videretur, continuit ſe. Poſtquam autem diſceſſerunt omnes, accito Nicolao diſpenſatore ſuo: Quid ita, inquit, pateram meam in ſterquilinium abiicere voluiſti? An ignoras nihil eſſe luci cum tenebris commercij? Territus valde œconomus, affirmat ſe pateram into loco condidiſſe. At Epiſcopus: Abi, inquit, & eam vende iuſto precio, illudque in Chriſti pauperes erogato. Fecitque ſic œconomus. Aduertit hinc lector, quantopere vir beatus id exequi conatus ſit, quod Apoſtolus docet, nec cibum ſumendum eſſe cum fratre, qui fornicator aut auarus ſit. Ita ille ſeſe ab omni contaminatione ſeruabat immunem, dignus ſane quem & veneremur, & imitemur, vt nos ſuis meritis quandoque eò pertrahat, vbi iam feliciſſime regnat ipſe cum Chriſto.

En vt horruerit homines impuros.
1. Cor. 5.

XVI. Qvando ei frequentes ad menſam aderant è Clero, vel viri nobiles ac militares, ſcypho argenteo aqua ei proponebatur. Is ſcyphus artificis induſtria ita fabrefactus & politus erat, vt conuiuæ putarent vino impletum. Erat autem etiam ligneus ſcyphus ei appoſitus, vino plenus: quem, vt amplius cruciaretur, diutiſſime ſolebat intueri, ſed nihil inde bibens, ſua manu pauperibus eum porrigebat. Id vero ita faciebat, vt quoad fieri poſſet, omnes lateret. Inter edendum autem cum diuerſa fercula in eius menſam inferrentur, ipſe arborum fructibus vel herbis, idque parce, veſcebatur. Hæc enim illum tota vita ſua lautitiis omnibus antepoſuiſſe, certo conſtat.

Rara abſtinentiæ exē[illegible]

XVII. Ex diſcipulo eius Reingero monacho, viro inprimis veraci, didici rem notatu dignam, nunquam illum vlla vel eſca vel potione ita ſe ſatiaſſe, quin ſemper magna ſe fame affectum ſentiret. Tam ille abſtinentiæ & ſobrietatis cultor fuit egregius.

Sic enim vixit ſemper cū ſobrietate.

XVIII De multis eius vigiliis quid me dicere attinet, quando eæ cum inedia maximam habent coniunctionem & familiaritatem? Poſt expletas Matutinas preces, ſiue nocturnas vigilias, cum alij recederent, ille in eccleſia ſolus permanebat & veſtem atque calceamenta deponens genibus flexis, quod ſupererat noctis, precibus tranſigebat. Creberrime quoque tum inuiſere ſolebat loca ſacra, vno tantum puero contentus, & nudis pedibus ingrediens. Deinde conferebat ſe ad leproſorū domicilia, & pia ſolicitudine ad ſingulos lectos accedens, lurida & prurientia membra ſuis contrectabat manibus, atque oſculabatur, ſignumque ſalutare non ſine illorum leuamento eis imprimebat: Audiebat etiam illorum confeſſiones, & Euchariſtiam eis porrigebat, ceteraque humanitatis officia ſubmiſſe exhibebat: & ne à quoquam deprehendi poſſet, clam domum redibat, pannis obſitus.

Prolixæ vigiliæ.
Ecce rem admirandā.

XIX. Cvm autem nocte quadam his eſſet ſtudiis occupatus, & coram reliquiis beati Firmini martyris ſe lachrymabundus proſtrauiſſet, pro peccatis ſubditorum ſuorum deprecaturus, graui preſſus ſomno, vel potius mentis exceſſum patiens, vidit ſe extra vrbem poſitum in via illa, quæ ducit ad beati Acheoli martyris ædem: atque ecce ad Auſtrum cernit rhedam equoſque feruentes, & innumerabilem turbam equitum, ſulphureas flammas vomentium, miteque tumultuantium, diuerſorum quoque armorum ſtrepitum audit, ſcutorum, galearum, thoracum, haſtarumque ignearum. Porro omnes illos adſpicit præcipites vrbis excidio imminere, quorum tantus erat fragor & ſtrepitus, vt illo putaret orbem terrarum concuti & commoueri. Mox ergo fide certiſſima opponit ſignum Crucis tam horrendæ viſioni. Cum autem multum horreret vrbis euerſionem, ſubito quendam videt adſtare ſibi heroica forma virum, pontificalibus indutum, annulum aureum palmamque manibus vibrantem, coronam è roſis atque liliis, cui Dominicæ Crucis ſignum præclare inſertum eſſet, in capite geſtantem, volenti vero ad eius pedes ſe ſternere, & quis eſſet percontari, ille ait: Vide ne feceris Godefride ſacerdos. Ego ſum Firminus, huius vrbis primus Epiſcopus & martyr, qui etiam pro viribus ei excidendæ auxilium ferre paratus ſum. Sciſcitanti autem Godefrido, quam ob cauſam tanta ira Dei vrbi impenderet, dixit martyr, Peccata plebis tuæ nimium increuerunt. Tu igitur ea, quæ vidiſti & audiſti, libera voce denuncies: argue, increpa, obſecra, inſta opportune, importune, mecumque pariter Chriſti clementiam deprecare, vt auertat furorem ſuum à populo. His aliiſque multis ab Epiſcopo & martyre dictis, illo abeunte in cœlos, Godefridus redit ad ſe, & ne quis ſomnio illuſum exiſtimare poſſet, veſtis eius adeo lacrymis infuſa fuit, vt in humum defluerent. Inde Dominico die ad populum concionatus eſt, hortans ad agendam pœnitentiam, denuncianſque vrbi imminentem grauiſſimam præpotentis Dei iram. Etſi autem multa tum dixit, quæ merito eos mouere debuiſſent, at illi tamen deteriores effecti, verba eius non alio quam deliramentorum habuère loco, pariterque exclamarunt eum non niſi næniis & infinitis quæſtionibus occupari. Ecce autem pridie eius diei, quo beati Apoſtoli Bartholomæi ſolennes ferias celebraturi erant, nubes denſiſſima totam obſedit vrbem, lucem omnem in noctis tenebras commutans, moxq; inde erumpens ignis, immenſos frugum aceruos paſſim in agris corripuit, & momento temporis abſumpſit, flanteq; vento vehementiſſimo, in oppidum inuaſit, & lapideas haud ſecus atque ligneas depaſcens ædes, tanta vi bacchatus eſt, vt nemo ad ſedandas & extinguendas flammas propius accedere auderet. Omnia igitur terribili illo incendio depopulante, nihil relictum eſt, præter ædem beati Firmini martyris, & domum Godefridi Epiſcopi, & pauperum quorundam caſas, & quod prope incredibile videri poſſit, diuerſorum animalium pellea in flumen depreſſa, contra aquarum naturam inde ſemiuſtæ extrahebantur. Viſæ ſunt etiam aues quædam coruis non abſimiles, macie confectæ, & in primis horridæ atque deformes volitare per vrbem, ignem roſtris ſuis circunferentes. Vnde etiam fama increbuit, flammis tartareis oppidum conflagraſſe. Ita ergo eius vrbis gloria, in magnam verſa eſt acerbitatem, quæque finitimorum & etiam remotorum rebus vaſtandis inhiarat, ceruicemque erexerat, nunc Chriſto vindice ſedet in mœrore.

Viſio terribilis.
S. Firminus Epiſcopus & martyr ei apparet.
2. Tim. 4.
Denunciat ſuis imminentem Dei iram, ſed illi contemnunt.
Ambianorum vrbem incendium vaſtat.

Conſolatur populũ, ea clade afflictũ, prophetico ſpiritu

PER id tempus Godefridus Epiſcopus, occupatus viſitanda diœceſi ſua, in Pontinorum ſolo morabatur. Vbi XX
autem didicit oppidum conflagraſſe, ocyus aduenit: cernenſque omnia in fauillas redacta, obortis lachrymis, (neque enim eas negare potuit etiam ingratis) O filioli, inquit, oportuit quidem dictis parere meis, & pœnitentiæ lamentis placare Dominum. At nunc iuſta Dei flagella æquis ferre animis, & vel ſero mores corrigite. Quod ſi feceritis, polliceor vobis Chriſtum pro ſua clementia cumulaturum vos beneficiis ſuis, & poſteriores res veſtras prioribus iucundiores felicioreſque fore. Promittunt illi ſe dictis eius optemperaturos. Itaque nondum exacto biennio, tanta rerum neceſſariarum copia extitit, vt, quemadmodum prædixerat vir Dei, calamitas omnis ſuperioris temporis obliuioni daretur. Huius rei vſque in præſens fama celebris in ea vrbe perſeuerat, matreſque ſuis referunt liberis Godefridum Epiſcopum prophetico ſpiritu claruiſſe.

Largitur multa eccleſiis, &c.

INTELLIGENS vir Dei diſſolutionem corporis ſui imminere, tanto ſtudioſius in opera miſericordiæ incumbebat, quanto iis celerius eam ſe impetraturum certius confidebat. Inter alia igitur, quæ eccleſiis, pauperibus, viduis, XXI
orphanis elargitus eſt, (quæ cum ſint innumera, iis commemorandis lectorem tædio afficere nolumus) monaſterio S. Quintini martyris, in quo monachus vixerat, calicem aureum dedit, itemque permulta alia, & altare, atque etiam quę facerent ad luminaria templi fouenda, & vnde eo die, quo deceſſiſſet è vita, cura theſaurarij cibus & potus fratribus in refectorio, itemque pauperibus liberaliter miniſtraretur. Quod quidem hodieque illic fit. Fecerunt hoc etiam alij complures ſancti, vt etiam commemoratio deceſſus eorum non vacaret miſericordiæ officiis & operibus.

PROFECTVS aliquando eſt ad Iohannem Morinorum Epiſcopum, vt cum eo ſpiritalia miſceret colloquia, & XXII
de ſtatu præſentis Eccleſiæ conferret. Erat enim Epiſcopus ille magnæ authoritatis, cuius etiam ſupra mentio habita eſt. Cumque multa coram fratribus locuti eſſent, Iohannes Epiſcopus flens largiter: O Godefride Epiſcope, inquit, pro peccatis meis offer Domino ſacrificium, nec deſis, modò id fieri poſſit, curando funeri meo. At contra Godefridus E-

Prophetia eius de obitu ſuo.

piſcopus ad pedes eius ſe aduoluens, cum multo gemitu ait: Ego verò, pater beatiſſime, prior hinc migraturus ſum, lætuſque ante te humanæ conditionis debitum perſoluam: Tu igitur mihi quæſo negare noli, quod à me petiiſti. Ea beati viri verba omnibus lachrymas expreſsêre, quod ſcirent nec verbulum ab eius ore temerè proficiſci. Et vt perſpicuum foret non vanos fuiſſe hos eius ſermones, quindecim annis ante Ioannem Epiſcopum exceſſit è vita. Hæc nos habemus ab ore Heriberti & Vulterij, eius ciuitatis Archidiaconorum, qui iis interfuêre.

Multis vir Dei iniuriis afficitur.

RVRSVS autem aduerſus eum maleuolorum & inuidorum conuicia & maledicta, verſutæque machinationes extitêre, ita vt tutus ei in illa regione nullus eſſet relictus locus. Ruſus ergo meditatur fugam, rurſus latebras inquirit: rurſus iuuat adire montes Carthuſiæ: is enim locus eius animo maximè ſedebat. Nam de quodam Carthuſiæ XXIII
fratre præclarum quiddam & memorabile referre ſolebat, quod toto triennio nunquam quacunque preſſus neceſſi-

Signum caſtitatis eximiæ.

tate, manu verenda attingere voluerit. adeò caſtitatis fuit eximius cultor. Et eò ſanè quamprimum aduolaſſet Godefridus, niſi vitæ finis iam propinquaſſet. Adeò enim multis erat angoribus confectus & obrutus, vt vitæ quoque tæderet, adeo ſupra vires affligebatur & diſcruciabatur, vt crebrò rogârit Dominum, ne ipſum lineret in ea regione mori. Quod etiam præſtitit ei Dominus.

PETERE tum volebat, neſcio qua cauſa, Rhemorum vrbem, locuturus cum Radulpho Archiepiſcopo, qui Vi- XXIV
ridis cognomen obtinuit. Præerat autem tum monaſterio ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, quod apud Sueſſiones

Odo Abbas SS. Criſpini & Criſpiniani honorifice excipit eum.

eſt, Odo Abbas venerabilis, totius religionis & honeſtatis præcipuus cultor, qui illud monaſterium à fundamentis inſtaurauit, & diſciplina monaſtica egregiè illuſtrauit. Is vbi ipſis feriis horum martyrum audiuit Godefridum Epiſcopum per Sueſſiones habere iter, mittit ſeruos ſuos, vt obſeruent aduentantem illum, coganrque ad martyrum ſolennitatem venire. Abeunt illi, venit Epiſcopus via publica ſub horam tertiam, deducitur ab illis ad monaſterium, ab Abbate Odone honorificè excipitur, celebritatem illam multa animi exultatione illic peragit. Sed quia iam Chriſtus eius virtutes, quibus præclarè ornatus erat, cœleſti remuneratione afficere volebat, placuit ei illo in loco vitæ eius finem imponere.

Febre lethali corripitur S. Epiſcopus.

PROXIMA nocte cum beata membra dediſſet quieti, febricula pulſari cœpit. Mane apud beatorum Martyrum XXV.
Criſpini & Criſpiniani corpora humi proſtratus, preces fudit: inde ſe dat itineri, & iam ad tria plus minus milliaria progreſſus, morbo inualeſcente, dicit comitibus itineris, ſe non poſſe vltra procedere: redeundum eſſe ad monaſterium martyrum. Lachrymantur omnes, aiunt eum non rectè ſentire: debere illic pauliſper quieſcere, ciboque ſe reficere. At ille ſentiens ſe viribus deſtitui. Nequaquam, ait, filioli, quod vos vultis, fieri poteſt. Superiori enim nocte cum

Viſio eius.

me in lectulo collocaſſem, videre mihi viſus ſum à quatuor heroibus, candidiſſimis ſtolis indutis, in lectica me in quoddam oratorium deferri, molaremque lapidem, cunctis ſpectantibus multumque mœrentibus, mihi imponi. Tum verò omnes ſummo animi dolore exclamarunt: Domini voluntas fiat. Habebat autem in comitatu ſuo quendam egregiæ indolis iuuenem Nicolaum, monachum Cluniacenſem. Is celeriter præceſſit ad patrem ſuum Henricum, olim ſtrenuum militem, tunc monachum ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, & villæ procuratorem fideliſſimum miræ ſimplicitatis & innocentiæ virum, indicat ei aduentare Godefridum Epiſcopum, præ debilitate iter ſuſceptum conficere non valentem. Confeſtim ille accurrit, excipit eo, quo par erat, honore Epiſcopum, gratias immenſas agens Deo, quod talem tantumque mereretur habere hoſpitem. Triduo vero illic hæſit Epiſcopus, & in dies deterius habere ſe ſenſit. Id vbi cognouit Odo Abbas venerabilis, adiunctis ſociis, feſtinus venit ad eum, crebriuſque exoſculatum naui reuerenter imponit & ad monaſterium aduehendum curat, non mediocriter interim dolens. Ille vero tanto attentius precibus & lachrymis inſiſtebat, quanto certius ad finem ſe tendere experiebatur. Adueniente hora, qua migraturus

Lyſiardus Sueſſionen. Epiſcopus.

erat, Euchariſtiam de manu Lyſiardi Sueſſionenſis Epiſcopi accepit, fratribuſque benedicens atque etiam valedicens, orat vt in domo, quam Capitularem vocant, corpus ipſius ſepeliant. Deinde extenſis manibus, & ſublatis in cælum o-

Anno 1118. moritur S. Godefridus

culis, ſpiritum reddit creatori. Facies eius niueo roſeoque colore perfuſa, iucundum cernentibus ſpectaculum præbuit. Diceres ſuauiter dormire, non vita functum, Epiſcopum. Deceſſit ſexto Idus Nouembr. Lyſiardus Sueſſionum Pręſul nitebatur corpus eius in beatorum Geruaſij & Protaſij cathedralem eccleſiam transferre, ſed non permiſit Abbas Odo, neque Theulphus Prior, qui non diu pòſt ei in regimine ſucceſſit, ſed neque monaſterij fratres. Iuſtum etiam erat, vt locum quem pro amore beatorum martyrum Criſpini & Criſpiniani pio affectu, dum vixit, ſemper excoluerat, etiam corporis ſui præſentia ornaret. Ea de re ſcripſit carmina quædam Bernardus Decanus Sueſſionenſis: ſcripſit &* Goſ-

* Ieslenus. Goslenus, vel Ieslenus Epiſcopus Sueſsionũ.

lenus prius Bituricenſis Archidiaconus, & magiſter Pariſienſis celeberrimus, nunc vero Sueſſionum Epiſcopus, pater patriæ iure vocandus, multorum fundator cœnobiorum, hoſtis vitiorum, & caſtitatis cultor præcipuus. Eius verſus ſic habent.

Gloria Pontificum, Cleri decus, ac monachorum
Forma gregis dux, exemplar morum Godefridus,
Hic iacet, aſtra petens octaua luce Nouembris,

H[illegible]

Hoc epitaphium ſaxo monumenti eius inciſum eſt, vbi etiam effigies eius ſanè quam elegans cernitur. Multi quoque alij doctiſſimi viri præclarè de illo ſcripsère.

XXVI. Postquam triſtis rumor eum è vita deceſſiſſe percrebuit, infinita hominum multitudo ad eius exequias confluxit. Iis verò interfuère etiam Lyſiardus Sueſſionum, & Clarabaldus Syluanectenſium, antiſtes, Abbas Odo, Radulphus S. Medardi pater, multique alij monaſteriorum rectores: quos equidem ſentio non abſque diuino inſtinctu è locis tam diuerſis tam celeriter eò aduenire potuiſſe. Populus autem videndi cupidus, ſcalam ſtandam, quæ à ſolo vſque ad tigna vaſta quadam mole pertingere videbatur, occupauit: quæ cum tantum pondus ferre non poſſet, à ſummo vſque deorſum ſciſſa eſt, & ruina ſua, tum populi ruina & clamore tantum excitauit fragorem, vt omnes putarent templum funditus corruiſſe. Mox ingenti dolore afficiuntur omnes, quod putarent eos, qui de ſcala deciderant, viros, fœminas, pueros, mulieres vterum geſtantes plane extinctos. Sed vt cunctis innoteſceret, cuius meriti eſſet is, ad cuius exequias conuenerant, nullum alicuius læſionis veſtigiũ in eis repertum eſt. Matrona quædam, vxor Ingelramni prædiuitis ciuis Sueſſionenſis, Christo valde chara, orationibus & eleemoſynis perpetim vacans, cum eſſet grauida, cerneretque ciues lachrymantes: Quid ita, inquit, conſternati eſtis ô ciues? En prorſus incolumes ſumus. En virtutem martyrum Criſpini & Criſpiniani, meritumque Godefridi præſulis iam experti ſumus. Alius quidam qui cæteris altius corruerat, planeque membris omnibus contritus putabatur, ſubuculam, femoralia, caligas, aliaſque veſtes ſuas omnibus diſciſſas oſtendens, nihil ſe mali paſſum re ipſa declarauit, cunctis ſtupentibus à loco illo exiliens ſanus. Huius rei tot hodieque teſtes extant, quorum ſpectatores interfuère. Luctus igitur repente in gaudium mutatur. Godefridi nomen & meritum ab omnibus in cœlum tollitur. Inde tumulatum eſt ſacrum beati viri corpus, quod, teſte Chriſto, ab ipſo matris vtero ab omni pollutionis labe immune comperimus.

Clarabald Syluanectẽſis Epiſcopus.

Præclarum ſanè miraculum.

S. Godefridus perpetuo manſit virgo.

XXVII. Sacerdos quidam apud Sueſſiones degens, ab Epiſcopo Lyſiardo, neſcio quam ob cauſam adeo infeſtabatur, vt è tota fere prouincia exturbaretur. In magnas igitur anguſtias coniectus, nec vllam euadendi viam reperiens, venit ad Robertum presbyterum, natione Normannum, exponit ei quid patiatur ab Epiſcopo, petit conſilium. Abi, inquit ille, ad beatorum Criſpini & Criſpiniani martyrum eccleſiam, proſternere coram monumento illuſtris præſulis Godefridi, nec dubites te exauditum iri. Ego quoque vna tecum ibo. Eunt igitur, & cum multa deuotione lachrymabundi, diu in preces incumbunt. Iis finitis recedunt, & ſacerdos deinceps vixit ſecurus. Exceſſit è viuis piiſſimus Ambianenſium paſtor Godefridus, vti iam ante diximus, ſexto Idus Nouembris, hora diei nona, anno ſacerdotij ſui vndecimo, ætatis quinquageſimo, regnante Ludouico, Philippi Francorum Regis filio, anno regni eius decimo [illegible], nati autem Verbi milleſimo centeſimo decimooctauo. Porro anno Chriſti milleſimo centeſimo [illegible], Nonis Aprilis translatum eſt venerabile corpus Deo digni præſulis Godefridi à * Gosleno Sueſſionum Epiſcopo, & ante ſummam aram ſub teſtudine honorifice reconditum, vbi etiam Chriſtus vota ſupplicum exaudit: cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Tranſlatio ſancti corporis. [illegible]

* Ioſlene

DE S. VRSINO PRIMO EPISCOPO BITVRICENS. ET CONFESSORE: EX GREGORIO TVRONENSI DE GLORIA CONFESSOrum, Cap. 80.

I. Biturıga vrbs primum à ſancto Vrſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus, in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Biturigenſem primum inſtituit, rexitque, qui migrans à ſeculo, in campo inter reliqua ſepulcra populorum ſepulturæ locatus eſt. Non enim adhuc populus ille intelligebat ſacerdotes Domini venerari, eiſq; reuerentiam debitam exhibere. Vnde factum eſt, vt increſcente terra, plantata deſuper vinea, omnem memoriam de primo vrbis ſacerdote conuelleret, & vſque ad tempus illud, quo Probianus Epiſcopus eius vrbis eſt ſubrogatus, nullus de eo ſermo haberetur.

9. NOVEMBR.

S. Vrſinus primus Biturigum Epiſcopus.

Probianus Epiſcopus Bituricenſ.

II. Fuit autem quidam Auguſtus nomine, de domo Deſiderati quondam Epiſcopi: cuius manus ac pedes ita contracti erant, vt non aliter niſi de geniculis atque cubitis ſuſtentaretur, ſi aliquo proceſſurus vellet incedere. Is, inſpirante Deo, de eleemoſynis deuotorum, apud Brias vicum in honore ſancti ac beatiſſimi Martini antiſtitis, oratorium ædificauit, cuius cum in ipſum reliquias detuliſſet, ſtatim directis membris ſanus effectus eſt. Deinde collectis ſecum paucis monachis, ſub regula monaſterij degens, ſemper orationi vacabat. Vnde factum eſt, vt in ſequenti accerſitus ab Epiſcopo, Abbas ordinaretur in baſilica ſancti Symphoriani, quam memoratus pontifex fabricauerat ante conſpectum muri Biturigi. Nec tamen monachos, quos prius congregauerat, relinquens, ſed inſtituens eis Præpoſitum, ipſe vtraſque cellulas gubernabat. Denique cum apud hanc baſilicam moraretur, apparuit ei ſanctus Vrſinus, per viſum noctis, dicens: Defoſſa humo, require corpuſculum meum. Ego enim ſum Vrſinus, huius vrbis primus Epiſcopus. Qui ait: Quo ibo, aut vbi quæram ſepulcrum tuum, cum ignorem locum, vbi ſis poſitus? At ille apprehendens eius manum, duxit ad locum, & ait: Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur.

Item Deſideratus.

Contractus virtute reliquiarum curatur.

Apparet S. Vrſinus Auguſto Abbati

III. Expergefactus Abbas, narrauit hæc ſacerdoti ſuo: ſed ille paruipendens quæ à presbytero dicebantur, nullum inquirendi ſtudium poſuit. Interea beatus Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus adfuit, ſuſceptuſque ab Epiſcopo, poſt cœnam domus Eccleſiaſticæ, cum ſe ſopori dediſſet, apparuit vtrique per viſum, Epiſcopo ſimul ſcilicet & Abbati: duxitque eos ad locum ſepulcri, deprecans vt auferrent eum à loco illo. Expergefacti, ſimul ad vigilias conueniunt in ipſam ſancti Symphoriani baſilicam: explicitiſque officiis matutinis, refert Epiſcopus Abbati, quæ viderat, confeſſuſque eſt & ipſe vidiſſe ſimiliter. Igitur in ſequenti nocte accedentes illuc cum vno tantum clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum: eumque fodientes vſque in profundum, ſepulcrum reperiunt. Quo detecto, amotoque opertorio, viderunt ſanctum corpus tanquam dormientis hominis nulla putredine reſolutum. Quod admirantes, & iterum componentes, indicarunt Epiſcopo data die, quæ viderant. Tunc illi, conuocatis Abbatibus & Clero, cum honore atque pſallentio leuauerunt beatum ſepulcrum, & quia vectes illi, quibus ferebatur, valde longi erant, cum veniſſent ad porticum, non poterant deflecti in ingreſſu eius, vt ad oſtium ædis ſine labore accederent. Tunc beatus Germanus eleuata voce, ait: Sancte Dei ſacerdos, ſi voluntas tua eſt in hanc baſilicam ingredi, ſentiamus leuamen adiutorij tui, & ſtatim amiſſo pondere, ita in ſumma leuitate factus eſt ſarcophagus, vt relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quem vſque ad locum illum multi detulerant. Et ſic celebratis Miſſis, gaudente populo, iuxta altare ſepelitur, multis ſe deinceps virtutibus manifeſtans.

Sacerdoti, id eſt, Epiſcopo.

Illuſtre imprimis miraculum.

Sepulcrum, pro ſarcophago.

An. 290. ## IN SANCTVM MARTYREM THEODORVM, ORATIO D. GREGORII NYSSENI EPISCOPI, PETRO FRANCISCO ZINO Veronenſi Interprete.

9. Nouembr. Græci autẽ 17. Feb. quo die eum paſſum Acta perhibent. a Iam olim frequentes conuentus ad templa in feriis Sanctorum. Vide quid poſſint Sancti. Virtutes Sanctorum imitandæ.

Vos, Chriſti gens, grex ſancte, regale ſacerdotium, qui ex omnibus vrbis agrique locis confluxiſtis, vn- I.
denam accepto profectionis ſigno tam facile adducti eſtis, vt ad a ſacrum hunc locum frequentes conueniretis? Quis huius itineris officioſam ac promptam vobis neceſſitatem impoſuit? præſertum cum hyemis tempeſtas ſit, quo quidem tempore & bella quieſcunt, & omnia milites arma deponunt, & ad fumum nautæ gubernacula reclinant, & agricolæ boues aratores in ſtabulo quieſcentes alunt?

Ex militaribus profecto recenſionibus tuba cecinit ſanctus martyr, multoſque diuerſis è patriis ad propriam II.
quietis ſedem & domum conuocauit, non ad bellicam inuitans expeditionem, ſed ad dulciſſimã Chriſtianiſq; maxime conuenientem pacem. Hic enim, vt credimus, & anno ſuperiore barbarorum tempeſtatem ſedauit, & horribile immanium Scytharum bellum compreſſit, grauem ipſis, qui iam iamque appropinquare videbantur, terrorem incutiens non galea criſtata, nec bene exacuto & ad ſolem fulgente gladio, ſed malorum expultrice omnipotentique Cruce Chriſti, pro quo etiam ipſe mortem oppetens, hanc ſibi gloriam comparauit.

Qvæso autem vos, qui puræ huius celebritatis miniſtri eſtis, & martyrum ſtudioſi, vt attentos mihi præbentes III.
animos, conſideretis, quantum lucri iuſtus hic fecerit, quantaque præmia ſit in hoc, inquam, mundo & apud nos aſſecutus. Eorum enim præmiorum, quæ non cernuntur, magnitudinem animo complecti nullus poteſt. Cumque pietatis fructum cognoueritis, illorum, qui ſic honorati ſunt, mentem imitemini, eaque munera concupiſcatis, quæ Chriſtus certantibus pro cuiuſque dignitate diſtribuit. Ac, ſi videtur, dum à futuris illis bonis, quæ iuſtis hominibus, donec humanæ vitæ iudex adueniat, ſpes bona conſeruat, perfruendis ſeiuncti ſumus, quam præclarus & magnificus ſit præſens ſanctorum ſtatus & conditio, conſideremus.

Corpora Sanctorum theſaurus pretioſus.

Animvs enim ad proprias reuerſus ſedes, & corpore vacans, cum ſui ſimilibus viuit: Corpus autem caſtum & IV.
inuiolatum eius inſtrumentum, nullis propriis affectionibus hoſpitis quondam ſui immortalitatem lædens, multo cum honore obſeruantiaque contectum præclarè iacet, & veluti theſaurus quidam admodum precioſus, in tempus regenerationis conſeruatur. Et quanuis ex eadem, ex qua cætera corpora, naturæ mater a conſtat, nulla tamen ratione cum illis eſt comparandum. Aliorum enim reliquiæ vulgo deteſtabiles ſunt, nulluſque volens ad eorum tumulos accedit. Quod ſi dum aperiuntur, in eos caſu quiſpiam incurrat, coniectiſque oculis deformitatem intus iacentium adſpiciat, magna oppletus moleſtia, & humanæ conditionis miſeriam deplorans, prætercurrit. At ſi in locum ſimilem huic, ad quem vos hodie conueniſtis, vbi iuſti memoria ſanctique reliquiæ ſint, accedat, primum quidem operum, quæ cernit, magnificentia recreatur. Videt enim ædem, vt Dei templum, ſtructuræ tum amplitudine, tum pulchritudine ſplendide exædificatum & exornatum, vbi & faber lignum ad animalium effigiem conformauit, & lapicida marmor ad argenti læuitatem expoliuit, & pictor artis ſuæ flores in imaginibus exprimens, res martyris præclarè geſtas, labores, cruciatus, immanes tyrannorum adſpectus, impetus, ardentem illam & flammas euomentem fornacem, beatiſſimum athletæ finem, Chriſtique certamini præſidentis, ac præmia dantis humanæ formam imaginis, hæc, inquam, nobis tanquam in libro loquente artificioſe deſcribens, martyris certamina ſapienter expoſuit, & inſtar prati nitidum templum illuſtrauit. Nouit enim etiam pictura tacens in pariete loqui, & vtilitatis plurimum afferre. Quinetiam lapillorum compoſitor, pauimentum, quod pedibus teritur arte atque emblemate vermiculatum, hiſtoria dignum effecit.

Obſerua templorum amplitudinem &c. Vſus ſacrar. imaginum antiquiſſimus. Vtilitas earum.

Contactus reliquiarũ. Nota de puluere. De reliquiis * viuum legendum cenſeo. per ſe viuẽs, habet verſio Siſanij. Pſal. 115.

Qvamobrem his artis operibus ſenſibus obnoxiis oculos oblectantes, cupiunt loculo reliquas corporis par- V.
tes admouere. Etenim ipſo contactu ſanctimoniam credunt & charitatem excitari. Si quis autem puluerem in ipſa loculi ſuperficie, vbi corpus martyris requieſcit, inhærentem præbeat, pro ingenti munere accipiunt, & terram tanquam rem precioſiſſimam reponunt. Nam ſi cui forte facultas detur, vt ipſas reliquias attingat, id vero eiuſmodi cenſetur donum, vt ſupremo voto nihil maius optari poſſe videatur. Hoc qui experti ſunt, norunt, quique eo tenentur deſiderio. Ipſum enim corpus perinde, acſi * viſura florenſque eſſet, amplectuntur & deoſculantur, oculis, ore, auribus, omnibus denique ſenſibus adhærent, lachrymaſque pietatis & affectionis indices effundunt, martyrique vt omnibus partibus integro ac vigenti ſupplicant, vt pro ſe apud Deum legationis munere fungatur: Vti Dei miniſtrum appellant, qui, quando vult, inuocatus munera impetret. Ex his omnibus pius populus diſcit, quam precioſa ſit in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Etenim licet ex eadem maſſa conflata concretaque ſint omnia hominum corpora, ea tamen, quæ ſimpliciter intereunt, temere proiecta iacent, quæ vero martyrij gratiam obtinuerunt, ſic amabilia iucundaque ſunt, & omnium ſtudiis certatim complectenda, vt in præſentia declarauimus. Ex his ergo, quæ videmus, ea credimus, quæ non cernuntur, & ex his, quæ experimur in hac vita, ſperamus ea, quæ futura promittuntur in altera: Sunt enim multi, qui in ventre, inanique gloria, & caducis atque fragilibus rebus cumulandis ſummum bonum collocantes, quid futurum ſit, negligunt, atq; huius vitæ fine putant omnia terminari.

Gloria martyrum etiã in hac vita quam illuſtris.

Sed tu, qui ſapiens es, ex paruis magna cõiicito, ex adumbratis vera & ſolida cogitato. Quis ex iis, qui apud homi- VI.
nes fuerunt excellentiſſimi, huiuſmodi monumentis celebratur? Quis eorum Imperatorum, qui muniuiſſimas vrbes expugnarunt, qui gentes innumerabiles ſubegerunt, ita decantatus eſt, vt miles hic pauper, qui nuper erat in militiam aſſcitus, quem Paulus armauit, quem Angeli ad certamen vnxerunt, quem victorẽ Chriſtus coronauit? Verum quia dicendo ad martyris pugnas appropinquauimus, age ſingularem de ipſo ſermonem inſtituamus, gratum eſt enim cuique quod ipſi proprium eſt.

S. Theodori patria. Iob 1. Fit miles.

Patria fuit viro generoſo ea regio, quæ vergit ad orientem ſolem. Nobilis enim & hic, quemadmodum Iob, VII.
inter eos, qui ad ſolis ortum habitant. Quare cum eandem haberet patriam, eoſdem etiam mores imitatus eſt. Nunc autem patria eſt illi orbis terrarum. Omnis enim martyr, eius regionis, quæ ſub ſole habitatur, ciuis cenſetur. Inde ad militiam profectus, cum propria cohorte in hanc regionem ſe contulit. Hic enim milites ab ipſis Imperatoribus iuſſi fuerant hyemare. Sed aliud, non ex barbarorum impetu, ſed ex lege & decreto impio ſatanæ ſuſcitatum ad bellum. Omnes enim Chriſtiani nefaria ſententia condemnati, ad ſupplicium ducebantur. Tunc igitur, tunc hic ter beatus, pietate inſignis, & fidem in Chriſtum ſic vbique circunferens vt tantum non in fronte confeſſionem inſcriptam gereret, non amplius tyronis, aut nuper delecti militis robur præ ſe tulit, neque ſe rei militaris imperitum, aut pugnæ ignarum exhibuit, ſed generoſos ac ſtrenuos ſpiritus ad ſubeunda pericula ſumens, haudquaquam demiſit animum, aut hæſitauit, aut vllam in loquendo timoris ſuſpicionem præbuit. Nam cum improbi illi iudices, Dux & Centurio in idem, vt olim Herodes & Pilatus conſpirantes conſediſſent, † crucique affixi ſeruum in eiuſmodi iudicium, quo Dominus quondam eius circumuentus fuerat, arceſſiſſent: Dic nobis, inquiunt, vnde tibi tantum audaciæ & confidentiæ ingenitum ſit, vt regias leges deſpicias, neque mandata domini contremiſcens venerere, & eorum, qui rerum potiuntur, decreta colas & obſerues? Hi nanque tunc in Maximini regia principem locum obtinebant.

Siſtitur ad tribunal.

Qvi-

VIII. Qvibvs ille conſtanti vultu menteque intrepida opportune reſpondit: Ego, inquiens, deos ignoro, qui tenera nulli ſunt. Vos autem impoſtores dæmonas, Dei nomine eos honeſtantes, aberratis. Mihi quidem Deus eſt Chriſtus, qui Dei filius vnigenitus. Quamobrem me religionem ac fidem ipſius confitentem, & vulnerator feriat, & percuſſor cædat, & combuſtor mihi flammam admoueat, & qui vocibus meis offenditur, linguam excindat. Corpus enim in ſingulis partibus procreatori ſuo patientiam & tolerantiam debet. His rationibus victi ſunt Tyranni, nec primum ſtrenui militis impetum ſuſtinuerunt, cum adoleſcentem ad ſubeunda tormenta promptum & alacrem cernerent, mortemque tanquam dulce aliquod poculum haurire cupientem.

Conſtans martyris vox.

Egregia ſententia.

IX. Dvm igitur parumper hæſitant illi, & quid facto opus ſit, inter ſe conſultant, quidã ex ea legione, qui facundior & aſtutior eſſe putabatur, martyris reſponſioné eludens, Eſt ne, inquit, ô Theodore, filius Deo tuo? & generat ille, quemadmodum homines, cum perturbatione? Nullam in generando (reſpondit) nouit perturbationem Deus meus. Ex quo & filium ego confiteor, & generationem Deo conuenientem intelligo. Te verò ô rationis expers, atque infans, nonne pudet? nonne rubore ſuffunderis, Deum etiam fœminam aſſerens, qui ipſam quidem vt filiorum genitricem & inſtar leporum aut ſuum fœcundam dæmonem, facile tum vterum gerentem, tum parientem colas? Sic igitur ſancto duplicem in idolorum cultorem irriſionem retorquenti, Tyranni ad ſpeciem humanitatis, Modicum, inquiũt temporis ſpatium ad conſiderandum furenti concedatur. Fortaſſe interim depoſita inſania reſipiſcet, & ad meliorem frugem ſe recipiet. Inſaniam enim, dementes ſapientiam appellabant: ſtuporem autem & furorem, pietatem & religionem. Quemadmodum fit, quando illi, qui ebrij ſunt, ſobrijs exprobrant morbum ſuum.

Animalis homo non percipit, quæ ſunt Dei.

X. At pius vir & Chriſti miles, ad virile facinus conficiendum, ſpatium illud conuertit, ecquod autem facinus? Tempus iam eſt, vt cum lætitia narrationem hanc excipiatis. In metropoli Amaſea fanum fuit, quod fabuloſæ deorum matri decepti illi quondam homines vanitate, quodam in loco propter fluminis ripam conſtruxerunt. Hoc fanum generoſus ille, dum per inducias liber ac tutus eſſet, opportunitatem & propitium auræ flatum obſeruans, incendit atque combuſſit. Itaque quod omnino poſt deliberationem expectabant, re ipſa ſceleratis reſponſum dedit. Quod quidem omnibus patefactum eſt, ſiquidem nec clariſſimus in parte ciuitatis accenſus ignis id occultari permiſit, & ipſe adeo latere non ſtuduit, vt aperte tum præclaro facinore gloriari, tum perturbatione, qua propter templi ſtatuæque combuſtionem conterriti erant impij gaudere maiorem in modum videretur. Cum igitur ad præfectus author incendij delatus eſſet, multo horribilius in eum, quam antea, iudicium eſt conſtitutum: vt par erat, animis eorum tanti momenti re concitatis. Quamobrem eum in tribunali reſediſſent, Theodorus præſenti animo in medio ſtetit, imperantiſque fiduciam præ ſe tulit, non vt reus reſpondens, ſed vti iudex interrogans, & celeritate confeſſionis interrogationem interrumpens. Qui re poſteaquam non ſtupidus aut attonitus apparuit, atque illi acerbitate minarum, quibus minime perterrebant, ſe nihil proficere animaduerterunt, ad artes contrarias confugere, & promiſſis iniuſtis hominem iuſtum, rebuſque ingloriis glorioſum allicere conati, Tibi, inquiunt, ſacerdotij primarij dignitatem pollicemur.

S. Theodorus inflammat fanum profanum.

Blandiũtur ei iudices ampliſſimis promiſſis.

XI. Qvo quidem audito, vir beatiſſimus vehementi irriſione: Ego, reſpondit, cum ſacerdotes idolorum miſeros duco, eorumque, me, quod tam ſtulto munere funguntur, miſereat, tum ſacerdotum principes multo magis commiſeror & deteſtor. Inter flagitioſos enim quo quis maior atque præſtantior, eo nequior & infelicior. Sic inter iniuſtos, qui iniuſtior eſt, ſic inter homicidas, qui crudelior, inter adulatores, qui petulantior. Idcirco poſthac à perniciosis pollicitationibus abſtinete. Ignoratis enim, ô viri, vos malorum extremum mihi polliceri. Nam pie & recte viuere profitentem præſtat abiectum eſſe in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ego vero iſtos Reges, quorum aſſiduè leges iniquas proponitis, miſeror, qui maxima inter homines regij muneris dignitate non contenti, ubi ſacerdotum principis dignitatem vendicarunt: ideoque lugubrem & tenebricoſam purpuram induuntur, inſtar infelicium principum ſacerdotum, illuſtri regiæ dignitati ſtoliditatem amictum inducentes. Quinetiam aliquando ad nefarias aras accedentes, pro regibus fiunt coci, dum aues ſacrificant, & pecudum viſcera miſere perſpiciunt, & ſanguinis tabo tanquam laniones quidam inquinantur.

Ea ille contemnit.

Pſal. 83.

XII. Post has iuſti hominis voces, ne fictam quidem & ſimulatam amplius humanitatem præ ſe tulerunt, ſed illum & in deos maxime impium, & in Reges contumelioſum & maledicum vocantes, primũ in ligno, quo torquentur homines, ſuſpenſum ceciderunt ac lacerarunt. Ille vero carnificibus vehementer ſæuientibus, forti alacrique animo perferens, verſum etiam illum è pſalmo decantabat: Laudabo Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Ipſi carnes eius dilaniabant. At ille pſallebat, vt ſi non ipſe, ſed alius eos cruciatus ſuſtineret. Sic autem laceratum ac dilaniatum carcer excepit. Vbi rurſus circa ſanctum admiranda gerebantur. Etenim per totam noctem vox multitudinis canentium exaudita eſt & eiuſmodi faces eluxerunt, vt iis, qui extra carcerem erant, tota nocte ſplendor effulſerit. Quo quidem ſpectaculo cantuque admirabili commotus carceris cuſtos, in cubiculum inſilut, ſed præter martyrem quieſcentem, & multos vinctos, qui dormiebant, inuenit neminem.

Dirè cruciatur.

Pſalm. 33.

Ducitur in carcerem.

XIII. Cvm igitur multis tormentis adhibitis, in confeſſione religioneque magis ipſe perſtaret, ſententia in eum lata eſt, vt igne vitam finiret. Atque ita præclarum beatumque iter ad Deum confecit, nobis autem memoriam certaminis tanquam magiſtram reliquit. Qua quidem ille populos congregat, Eccleſiam inſtituit, dæmones fugat, conciliat angelos pacis, orat à Deo, quæ nobis vtilia ſunt. Hunc enim locum, tanquam diuerſis morbis medicinas ſuppeditantem officinam conſtituit, procellis tempeſtatibuſque periclitantium portum, egentium opulentum ærarium, dulce peregrinorum hoſpitium, feſtos dies celebrantium nunquam deſinentem congreſſum. Quamuis enim certum & ſolennem hunc diem quotannis celebremus, nunquam tamen deficit ſtudioſe aduenientium multitudo. Quamobrem publica, quæ ducit huc, via formicarum ſimilitudinem conſeruat, aliis redeuntibus, aliis venientibus, aliis ſuccedentibus.

Ignis ſupplicio vitam finit.

Nota quotannis celebratum feſtũ S. Theodori.

XIV. Nos igitur, ô beate, anni circulo benignitate creatoris peracto, ſacrum hunc martyrumque ſtudioſum cœtum congregauimus, communem adorantes Dominum, certaminumque tuorum præconium memorabile celebrantes. Tu verò, celebritatis author, quæcunq; te ora tenet, huc ad nos veni. Nos enim te vocantem viciſſim vocamus. Quocirca ſiue ſublimi in æthere moraris, ſiue cœleſtem aliquam abſidem circumuertis, ſiue inter angelorum choros cõſtitutus Domino aſſiſtis, ſiue inter Principatus & Poteſtates vt ſeruus fidelis eum adoras, iſtis omnibus parumper intermiſſis, ad nos, qui te colimus & honoramus, accede. Ac licet oculis noſtris minime perſpicuus ſis, ſacrificia noſtra tamen intuere, vt quas Deo, qui tibi pro vno ſupplicio, & pia vnica confeſſione tam multa munera largitur, gratias agimus, ipſe conduplices. Meritam ex ſanguine, quem effudiſti, & ignis cruciatu, quem pertuliſti, lætitiam percipe. Quot enim tunc ſupplicij tui ſpectatores erant, tot nunc honoris miniſtros habes.

Inuocatur hic ſanctus martyr.

XV. Mvltis beneficiis indigemus. Tu legationis munere fungere apud communem Regem pro patria tua. Martyris enim patria eſt locus, vbi ille paſſus eſt: ciues, & fratres, & propinqui, qui reliquias eius ornant, qui tuentur, qui venerantur. Calamitates metuimus, pericula formidamus. Haud procul abſunt exitiales Scythæ, qui contra nos machinantur bellum. Vt miles propugna, vt martyr pro conſeruis dicendi vtere libertate. Quanquam tu vitam hanc tranſcendiſti, humanas tamen moleſtias & neceſſitates non ignoras. Impetra nobis pacem, ne ipſæ celebritates

Nota de reliquiis martyrum ...

Sancti non ignorant res noſtras.

intermittantur, ne rabidus & ſacrilegus barbarus in templis & altaribus comeſſetur, ne ſancta profanus conculcet. Nos quidem, quod hactenus ſarti tecti ſeruati ſimus, tibi acceptum referimus, ſed in poſterum etiam ſecuritatem poſtulamus.

QVOD ſi maiore ſit opus auxilio, fratrum tuorum martyrum chorum adhibe, & vna cum omnibus ſupplica XVI.
Multorum preces iuſtorum, nationum & populorum crimina diluant. Petrum admone, Paulum excita, Iohannem Theologum dilectum diſcipulũ aduoca, vt Eccleſiarũ, quas conſtituerũt, pro quibus catenas pertulerunt, pro quibus pericula & cædes perpeſſi ſunt, ſoliciti curam ſuſcipiant. Ne cultus idolorum contra nos caput tollat, ne hæreſes tanquam ſpinæ vineam ſuppullulantes lædant, ne zizania creſcentia triticum ſuffocent, ne qua petra veri totis pinguedinem nobis excutiat. Sed tuæ precationis ope magnus fructuum prouentus appareat, recteque inſtituta Chriſtianorum vita, tanquam in pingui atque frugifero ſolo, præclaram & admirabilem ad finem vſque ſegetem ferat, vnde nobis proueniat fructus æternæ vitæ in Chriſto Ieſu Domino noſtro qui cum Patri & Spiritui ſancto gloria, honor & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Dicitur hic Theodorus Tyro ad differentiam Theodori Ducis, appellatus eſt & Amaſenus ob locum vbi paſſus eſt, & Euchaita a ciuitate in quam corpus eius tranſlatum eſt, quæ poſtea ab eius nomine Theodoropolis a Ioanne Zemiſce Imperatore nominata eſt, vt notat Baron. in not. Martyrol. 9 Nouemb. c.

MARTYRIVM EIVSDEM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS CHRISTI THEODORI TYRONIS: EX SIMEONE METAPHRASTE.

9. Nov. iuxta Latinos.

MAXIMIANVS & Maximinus Imperatores, emiſerunt decretum in vniuerſam terram, quæ parebat eorum imperio, vt omnes gentes, quæ credebant piæ religioni Chriſtianorum, ſi execrandos cibos guſtaſſent, ſalui eſſent: qui autem contra dicebant, traderentur iudiciis. Quo tempore militans S. Theodorus tyro in Orientis regione cum multis aliis, ductus eſt ad legionẽ, quæ vocabatur Marmaritarum, ſub Præpoſito Brinca: quæ legio ſedebat in ciuitate Ponti, nomine Amaſea. Ductus vero S. Theodorus, cogebatur ſacrificare ſimulacris. Verus autem Chriſti miles Theodorus, cum eſſet Deo fidelis, repletus ſancto Spiritu, dixit in medio legionis: Ego ſum Chriſtianus, & iuſſus ſum non ſacrificare adulterinis, habeo enim Ieſum Chriſtum Regem in cœlis. Dixit Brincas Præpoſitus: Velis me audire Theodore, & accipe totam tuam armaturam; & cum militaueris, veni diis ſacrificatum. Sanctus Theodorus reſpondens, dixit: Ego milito meo Regi Chriſto, & de cætero non poſſum alij militare. Dixit Brincas Præpoſitus; Et ij omnes, qui adſunt, ſunt Chriſtiani, & militant. Reſpondens autem ſanctus, dixit; Vnuſquiſque ſcit, quomodo militet. Ego vero milito meo Domino & Regi cæleſti Deo & Filio eius vnigenito. I.

Non vult S. Theodorus ſacrificare dæmonibus. Militat Regi Chriſto.

POSIDONIVS Ducenarius, qui adſtabat, dixit; Et filium habet Deus tuus, ó Theodore? Reſpondens autem S. II.
Theodorus, dixit; Habet certe filium Verbum veritatis, per quem fecit omnia. Dixit vero ei Præpoſitus; Poſſumus ne ipſum cognoſcere? Dixit S. Theodorus; Vellem, ſi vobis Deus talem dediſſet intelligentiã, vt eum cognoſceretis. Dixit Poſidonius; Et ſi eum cognouerimus, non poſſumus relinquere noſtrum Imperatorem, & ad illum accedere? Dixit S. Theodorus; Nihil eſt, quod vos impediat, quo minus relinquatis tenebras, & quam ad breue tempus habetis fiduciam erga veſtrum breui tempore duraturum & terrenum Imperatorem, & accedatis ad Deum viuum & Regem & Dominum æternum, & ei militetis, quomodo ego. Dixit Brincas Præpoſitus; Ei cedamus vſque ad aliquot dies, vt cum ſeipſum admonuerit, accedat ad id, quod eſt vtile.

Chriſtiani quidã mittuntur in carcerem. S. Theodorus inflammat templũ matris deorum.

CVM ergò accepiſſet id, quod concedebatur, orabat ſine intermiſſione, & laudabat Dominum. Ita autem fre- III.
mebant impij, & erant ſoliciti de quibuſdam aliis ex ciuibus; quos etiam comprehenderunt, & duxerunt in carcerem. Beatus vero Theodorus eos ſequens acclamabat, docens viam ſalutis & tolerantiæ, ne negarent Chriſtum Regem. Cum illi autem fuiſſent incluſi, ipſe S. Theodorus inuento tempore opportuno, noctu combuſſit templum matris deorum. Viſus autem fuit à quibuſdam è ciuitate, & accuſatus. Cronides verò quæſtor propter hoc timore affectus, eum comprehendit & adduxit ad Præſidem Publium, ſic eum docens; Domine mi, hic vir peſtifer, recens electus tyro, qui male venit in noſtram ciuitatem, combuſſit templum matris deorum, & deos affecit iniuria. Eum ergò comprehenſum duxi ad tuam magnitudinem, vt conuenienter diuino & Imperatorio edicto dominorum orbis terræ, det pœnas eorũ, quæ auſus eſt facere. Iudex autem accerſito Præpoſito Brinca, dixit ei: Tune dediſti ei poteſtatem, vt igne conſumeret templum matris noſtrorum deorum? Ille vero reſpondit, dicens; Ego ſæpe eum ſum adhortatus, ei etiam dato certo tempore, vt cum apud ſe conſideraſſet, diis ſacrificaret. Si autem hoc fecit, omnino deos contempſit & iuſſa Imperatoria. Cum ſis ergo Iudex, ſequere edicta Imperatorum.

S. Theodorus ducitur ad tribunal. Verberatur.

PRÆSES itaque ſedens in tribunali, iuſſit ad ſe adduci beatum Theodorum. Cum eſſet autem adductus, dixit ei IV.
Iudex; Quamobrem, cum te oporteret deæ ſacrificare, & ei libare, & thus offerre, ignem ei obtuliſti? Dixit ſanctus Theodorus: Quod feci, non nego: accendi ligna, vt lapis vreretur, eſt autem talis veſtra dea & eius virtus, vt ignis eam tangat & eam vrat. Ego ligna accendi, vt vreret lapidem. Ita vero motus Iudex, iuſſit eum verberari, ſic dicens; Molliora mea verba te audaciorem fecerunt & confidentiorem. Quamobrem noli mihi reſpondere multa verba. Nam te manent dura & grauia tormenta ac cruciatus, vt pareas edictis Imperatoris. Dixit S. Theodorus; Neque tibi pareo, neque tormenta tua timeo, etiamſi ſint valde formidabilia. De cætero fac, quod velis. Nam expectatio bonorum Dei me adhortatur, vt confidam, propter ſpem mihi repoſitam, & coronam, quæ mihi à Deo contexitur. Dixit Iudex; Diis ſacrifica Theodore, & te libera ab iis, quæ te manẽt, tormentis, es enim male & acerbè moriturus. Dixit ſanctus Theodorus; Non ſunt mihi tormenta, quos tu infers cruciatus. Dominus enim meus & Rex Ieſus Chriſtus, eſt ante faciem meam, me liberans à tuis tormentis; quem tu non vides, quoniam non intueris mentis oculis. Ira autem percitus Iudex, & rugiens vt leo, iuſſit eum conijci in carcerem, & portam obſignari cuſtodiæ, & eum ſini illic fame mori.

Conſtantia eius. Trahitur in cuſtodiam. Chriſtus ei apparet.

IN cuſtodiam verò coniectus beatus Theodorus, alebatur à ſancto Spiritu; & in nocte illa viſus eſt ei Dominus, V.
& dixit ei; Cõfide Theodore, ego enim ſum tecum, Ne ergo acceperis cibum aut potum ab his omnibus, erit enim tibi vita ab interitu aliena & æterna mecum in cœlis. Hæc cum dixiſſet Dominus, ab eo euanuit. Cum receſſiſſet autem Dominus, beatus Theodorus cœpit pſallere & exultare; cum verò exaudiebat magna turba ſanctorum Angelorum. Cuſtodes autem carceris cum audiſſent ſuauitatem pſalmodiæ, ſurrexerunt & cucurrerunt ad portam cuſtodiæ. Qui cum vidiſſent portam clauſam & ſaluum ſignaculum, obſeruabant per feneſtram. Cum autem vidiſſent magnam turbam candidatam & pſallentem ſimul cum ſancto Theodoro, timore affecti, renunciarũt id Præſidi Publio. Statim verò ſurgens Iudex Publius, curſim venit ad portam cuſtodiæ; & vidit portam quidem clauſam, & catenam ſimiliter, & ſalua ſignacula; audiuit autem vocem quoque eorum, qui intus pſallebant ſimul cum Theodoro: & fecit armatos milites circumcirca ſeruare cuſtodiam, putans aliquos Chriſtianos eſſe cum Theodoro. Ingreſſus autem, nullum inuenit, niſi ſolum ſeruum Chriſti Theodorum in ligno conſtrictum. Eum vero inuaſit magnus timor & tremor, & omnes qui cum ipſo erant. Cum autem cuſtodiæ fores rurſus clauſiſſent, receſſerunt, cum iuſſiſſet Iudex ei dari vnciam

panis

panis & aquæ poculum quotidie. Magnus vero & fidelis martyr Chriſti, prout ſcriptum eſt: Quod iuſtus ex fide viuet: nequaquam voluit ab illis accipere panem aut potum, dicens eis: Me alit Dominus meus & Rex Ieſus Chriſtus. *Habac. 2.*

VI. CVM fuiſſet autem manè, iuſſit Præſes eum produci ad tribunal. Qui cum adfuiſſet, dicit ei: Morem mihi gere abſque tormentis & ſupplicijs, & ſacrifica magnis dijs, vt quamprimum ſcribam ad dominos orbis terræ, & tu fias pontifex deorum, & accipias non leues quoslibet honores, & in eadem ſede nobiſcum maneas. Beatus autem Theodorus cum in cœlum ſuſpexiſſet, & ſe ſignaſſet per totum corpus, dixit Tyranno: Etiamſi carnes meas in igne liquefeceris, & multiplicibus tormentis deleueris, gladijſque & beſtijs me tradideris, quandiu eſt flatus in meis naribus, non negabo nomen Chriſti mei. Tyrannus autem conſilio inito cum Præpoſito, iuſſit ipſum ſuſpendi in ligno, imperans lictoribus, vt eius latera vngulis carperent. Qui ipſum vſque adeo carpſerunt, vt eius nudarentur latera. Beatus vero Theodorus nihil reſpondit Præſidi, ſed pſallebat, ſic dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Obſtupefactus autem Tyrannus tanta tolerantia & fortitudine beati Theodori, dixit ei: Non te pudet, ô omnium hominum infeliciſſime, quod ſperas in homine, qui dicitur Chriſtus, qui affectus fuit morte violenta, & iam inconſiderate te tradis tormentis & ſupplicijs? Sanctus vero Chriſti martyr Theodorus dixit: Hoc ſit mihi dedecus & omnibus, qui inuocant nomen Domini mei Ieſu Chriſti. Exclamante autem populo, vt ipſe iam de medio tolleretur, per præconem eum interrogauit: Viſne ſacrificare, an à me amplius cruciari? Reſpondens ſanctus martyr Chriſti Theodorus, libere dixit Tyranno: Impie & plene omni iniquitate & dolo, fili diaboli & vere digne operatione aduerſarij, non times Deum, qui tantum tibi imperium & tantam poteſtatem eſt largitus? Per ipſum enim Reges regnant, & tyranni terram tenent dominatu, me enim cogis relinquere Deum viuum & adorare lapides inanimos. Iudex autem cum magna deliberatione dixit ſancto Theodoro: Quid vis, eſſe nobiſcum, an cum Chriſto tuo? Sanctus vero reſpondit cum magno gaudio: Cum Chriſto meo & fui, & ſum, & ero. de cætero fac quod voles.

Vide blanditias ſatanæ.

Reſpuit fallacis promiſſa martyr Chriſti

Vngulis diſcerpitur

Pſalm. 33.

Prouer. 8.

VII. VIDENS autem Tyrannus nihil poſſe tormenta aduerſus eius tolerantiam, nec poſſe eum ſuperare, dat in eum ſententiam, ſic dicens: Theodorum, qui non paruit potentiæ glorioſorum Imperatorum & deorum, credidit autem Ieſu Chriſto, qui fuit crucifixus ſub Pontio Pilato, ſicut audio ex Iudæis, ipſum iubeo igni tradi. Poſtquam autem ſolum ſententiam pronunciauit Iudex, dicto citius res mandata fuit executioni. Nam cum lictores ex officinis & balneis ligna repente collegiſſent, beatum quoque Theodorum duxerunt ad locum propoſitum. Et cum ipſe ſibi feciſſet ſignum Crucis in fronte & toto corpore, copioſus circa illum ignis accenſus eſt. Tunc autem adfuit Spiritus ſanctus, & relaxatus fuit ſanctus martyr, & ſic Deum laudans & glorificans, in pace reddidit Domino ſanctum ſuum ſpiritum, & vidimus venerandam & ſanctam eius animam, tanquam fulgur aſſumi in cœlos.

Signo Crucis totum corpus munit, & reddit ſpiritū.

VIII. QVÆDAM autem mulier, quæ merito vocabatur Euſebia, vt quæ pie & ex virtute viueret, petiit corpus ſancti & glorioſi martyris Theodori. Quod cum vnguentis perfudiſſet, & ſindone munda inuoluiſſet, depoſuit in loculo in domo ſua, in ciuitate Euchaitarum ſub metropoli Amaſenorum, quotannis peragens memoriam eius venerandi & colendi martyris. Conſummatus autem fuit ſanctus martyr Chriſti Theodorus Februarij menſis decimoſeptimo, imperante Maximiano tyranno, in nos autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria & potentia cum Patre & ſancto Spiritu nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Honeſtiſſime ſepelitur.

NECTARII ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI NARRATIO, PROPTER QVAM CAVSAM IN PRIMO SABBATO SANCTOrum ieiuniorum celebramus memoriam ſancti martyris Theodori: & de ieiunio & eleemoſyna. Habetur in Metaphraſte.

I. QVAM magna eſt multitudo benignitatis tuæ, Domine, æquum eſt, vt nos hodie cum magno Dauide eloquamur melodice.* Quo enim non eſt maximè * admirabile? Nos, cum non eſſemus, produxit. Produxit autem non ſimiliter ijs, quæ prius eſt fabricatus, cœlo, inquam, & ijs quæ ſunt in ipſo, terræque & mari, & ijs, quæ ſunt in eis. Eorum enim opus & machinatio, materiaq; & conſtitutio erat Verbum. Dixit enim, vel potius cogitauit, & cogitatio fuit omnibus natura & generatio, motioque & ordo. & quæcunque ea, quæ apparent, conſequuntur, factaque ſunt & manent, & erunt vſque ad ſecundum eius ad nos aduentum. Quinetiam ipſas quoque ſupremas poteſtates verbo ſolo, vel nutu potius conſtituit. Nos autem manu ſua propria, ô miraculum, cum Deus eſſet ante ſecula, & carens principio, & quod eſt admirabilius, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, cum eſſet Dominus, effinxit. Deinde non huculque ſolum conſtitit huius bonitas, ſed etiam eum diuina ornauit inſufflatione, præbens animam intelligentem & ratione præditam. Præter hæc autem paradiſi quoque ciuem effecit animam: paradiſi, inquam, cuius pulchritudo neque verbis exprimi, neque mente comprehendi poteſt, & omnia, quæcunque prius creauerat & fuerat fabricatus, ei ſubijciens & largiens, tanquam pater quiſpiam bene affectus in filium, & eum amore complectens, eum inſtituit hæredem & dominum, quem reliqua omnia obſeruarent, & ei miniſtrarent.

Pſal. 30.

** ſeu quomodo.*

** ſeu admirabilis.*

Gen. 1.

Gen. 2.

Quanta Deus homini præſtiterit.

II. ATQVI hæc quidem ſcio vos noſſe, qui eſtis ſtudioſiores & diligentiores. Quinetiam ea quæ reſtant, quæ etiam, vt qui ea ſciatis, reliquimus. Eorum autem, quæ deinceps ſequuntur, ne prolixiori vtar oratione prætermittam plurima, quæ paſſus eſt, deceptus à maligno dæmone: præceptum, inquam, & diuinitatis opinionem, & præcepti (ô meum lapſum) obſeruationem & trāſgreſſionem. Deinde nudationem, occultationem, & quæ ſunt ea conſecuta, ne ea ipſa dicam. Sed eſt hoc quidem magnum & omnium Dei in eum beneficiorum longe maximum, & eius ſummus, vt ita dicam, lapſus. Qui tam multa beneficia fuerat conſecutus, ſe erexit & extulit aduerſus eum, qui ipſum fecerat. Quid ergo Deus, qui ipſum fecit? Puluerem illum, terram illam informem, quam ſuis formauit manibus, & tam multis ditauit beneficiis: Cur non dico id, quod eſt peius? Eum qui ab ipſo defecerat, & diuinum eius iuſſum fuerat tranſgreſſus, num deſpexit? num reliquit? Minime, ſed latentem quæſiuit: & cum inueniſſet, caſtigauit quidem, ſed benigne. Quæ autem poſtea ſunt conſecuta, quid opus eſt dicere, quibus hominum feritas creatorem ſuum ad iram prouocauit, fratrum cædes, adulteria, inſanos hominum amores ſimulacrorum cultus, & quæ ea conſequuntur? Quid ergo? nunquid propter hæc eum repulit, aut eſt abominatus? Nequaquam, ſed tanquam pater cum multis modis benignitatis nos prius caſtigaſſet, deinde vidiſſet nos non poſſe declinare ab eo, quod eſt deterius, quid facit? Deſcendit è ſinu patris: papæ, quanta miſericordia, cum eſſet Deus æternus & immortalis, & vt paucis abſoluam, carnem ſuſcepit ex caſta virgine, mei qui ſum ſeruus, formam ferens. Deinde fuit cruci affixus, ſepultus, reſurrexit, ſimul etiam ſurgere faciens eum, qui ceciderat Quid his eſſe poteſt benignius aut miſericordius?

Gen. 3.

Immenſus Dei amor erga nos.

III. ET pater quidem ſuum filium, quem genuit, quem ex ſuis produxit viſceribus, ſi à ſuo conſilio & iuſſu parum deflexerit, non ſatis habet ei plagas imponere, & flagella intentare, ſed abdicat, execratur, perſequitur eum, qui prius

erat ei charus, propter cauſam nullius momenti. Et dominus ſimiliter, cum ſuum famulum, qui vel parum offenderat, miſerum pœnis & vinculis, fameque & ſiti oppreſſerit, eum vendit, ablegans quam longiſſime. Res autem noſtræ quomodo? Formati ſumus, honor & gloria nobis fuit tributa, innumerabilibus bonis ſumus ditati, horum autem datori quid contra reddimus? Contemptui habuimus, ad iram prouocauimus, contumelia & moleſtia affecimus, & ne nos quidem deſpexit, ſed cum ſit Deus & Dominus, non dedignatur vocari Pater ab ingratis & paſtor, ponens ſuam animam pro ouibus. Qui etiam eos qui labuntur, erigit, & eorum, qui offendunt, miſeretur, & non reddit pro meritis malorum noſtrorum. Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Eſt ſolicitus de cuiuslibet vel minimæ ouis correctione: expectat vniuſcuiuſque conuerſionem. Ego enim ſum, inquit Deus, qui nolo mortem peccatoris, ſed vt conuerſus viuat. Rurſus autem fert opem iis, qui bello appetuntur: & adiuuat partim quidem per ſe, partim vero per ſanctos ſuos. Qui etiam hoc miraculum, quod nunc à nobis celebratur, fecit per clariſſimum ſuum & glorioſum martyrem Theodorum, quod eſt ſummum & inprimis admirabile: ad quod nunc declarandum deſcendit oratio, propter quod prædictis quoque magnis Dei noſtri operibus, eius bonitatis magnitudo euaſit manifeſta omnibus: quod quidem procedens tempus volebat mandare profundo obliuionis, ſed non potuit imponere finem ſuæ voluntati: cum fideles & pij viri nos ad hoc incitaſſent, qui etiam ſcriptos ferentes cõmentarios, quibus fidem faciebat tempus, & præterea nobis affirmantes, ſeipſos vidiſſe miraculum, hortati ſunt, vt quod à multis ignorabatur, magnum Dei opus manifeſtum redderemus omnibus. Sed iam, rogo, mihi incipienti narrare, aures fideliter præbentes, excipite orationem: vt imbecillitati meæ orationis animum adhibentes, vna cum oratione auferatis miraculum, ſummam Dei noſtri bonitatem, lenitatem, benignitatem, manſuetudinem & clementiam, paterna eius in nos viſcera, quemadmodum non deſpicit, nec ſinit nos etiamſi imprudentes bello impetamur, à malorum authore dæmone & eius ſymmyſtis incidere in lapſum interitus: maximè, ſi inſidiæ afferant animæ aliquod periculum: ſed ſemper noſtram roborans imbecillitatem, nos ſemper reddit illæſos & intactos, & ſuperiores inimici inſidiis & periculis. Miraculum autem ſic habet.

Ingratitudo hominis erga Deum

Pſal. 129.

Ezech. 18.

Satanas cũ ſuis adminiſtris ſemper oppugnat fidem Catholicam.

Pſal. 123.

Iulianus Apoſtata fidẽ perſequitur.

O chare cœtus Orthodoxorum & fideliſſimum auditorium, perſuaſum habeo vos non ignorare, quantæ & quales à ſatana, qui nobis ſemper inuidet, & à peſſimis eius miniſtris inſidiæ & doli aduerſus venerandam & inuictam noſtram fidem, tanquam quædam procellæ, diuerſis temporibus fuerunt excitatæ, etiamſi benignus & clemẽs Deus, propter noſtram humilitatem magna & omnipotenti miſſa ſua dextera ad nos defendendos, non dedit nos, vt Prophetice dicam, prædam dentibus eorum. Quarum (vt eos, qui olim fuerunt, & primos omittam) vna fuit inſania & rabies Iuliani Apoſtatæ aduerſus diuinam & inuictam noſtram fidem: Iuliani qui locutus eſt in altum Dei blaſphemiam, & manum extulit impiam aduerſus diuinam & piam noſtram fidem. De eo ſat ſcio, etſi non viſu, at auditu ſaltem accepiſtis ô vos qui adeſtis, quam grauia & inania & palam ex inſidiis auſus ſit aduerſus Chriſtianos. Cui nullo modo quidem erat curæ gentes vincere, & barbaros propulſare, & diripere vrbes inimicorum: exiſtimabat enim eſſe rem puſillam & inutilem: ſed Chriſtianos deſtruere, & eorum delere fidem, & vt Deus quidem deſpiceretur, (ô calamitatem, ô inſaniam) qui nutu omnia conſtituit, atque adeo eum ipſum: qui vtinam nunquam fuiſſet natus, neque vitæ ſuperſtes: ſimulacra autem honorarentur, & vbique extolleretur, gloriæ eorum altitudo, magnum ducebat opus & magno ſtudio elaborandum, idque magis curabat, quam alia omnia. IV.

Quibus tormentis affecerit Chriſtianos.

Cvm ergò hæc ſic haberent, & eius inſtituti rabies magis creſceret, (impietas enim tanquam flamma quædam, quæ aptam comprehenderat materiam, & in cœlum ſublata fuerat, vicina delere properat) ſimiliter cum ipſa quoque eius animam tanquam aptam apprehendiſſet, accenditur & excitatur ad exurendos Chriſtianos, eis vehementer minitans. Cum autem hæc fierent, maiorque ira & inſania in ſummum aſſurgeret, quid opus eſt dicere, qualia & quã multa tormenta excogitata fuerũt in Chriſtianos ab illo impio, ventrũ ſectiones, ſectiones viſcerũ, vehemẽtes virgis verberationes, oculorum effoſſiones, dentium eiectiones, linguarum & manuum amputationes, tibiarum confractiones, ignis conflagrationes, multiplices & callido artificio excogitatæ craticulæ & lebetes, ſubulæ & ſartagines, & quæcunque inſtrumenta mortis tunc inuaſerunt Chriſtianos. Sic ergo inſaniens ſceleratus, cum non poſſet finem imponere impietati. Nam alij quidem flagris cæſi, efficiebantur Chriſti martyres per tolerantiam: alij autem nondum ſubiecti tormentis, tanquam ad aliquod pulchrum exemplum, ad eos intuentes, ea quæ dolorem afferunt, deſpiciebant. Nam vnumquenque flagris cædere & morte afficere neque poterat, neque vero id ei expediebat. Neceſſe enim erat, ſi omnes fuiſſent de medio ſublati, eius eſſe imperium vacuum iis, quos regeret & quos adminiſtraret. V.

Vide Baro. ann. 362

Vide inſignẽ commẽdationem Quadrageſimæ

Themiſtiũ hunc vocat Baron.

Nota impij Apoſtatæ machinationem.

Cvm hæc ita ſe haberent, & Chriſtianiſſima quidem fides non deleretur, cor autem eius intrinſecus malitia inflammaretur, capit conſilium ſæuum & inhumanum: mihi vero iucundiſſimam referenti narrationem, aures (quæſo) adhibete fideliter. Cum enim conſiderans ſceleratus, ſe huc & illuc verſaſſet, inuenit, vt exiſtimauit, occaſionem viamque & rationem deducendæ ad finem impietatis, qua nec flagris cæderet aliquem aut morte afficeret, & tamen ciues omnes per deſperationem adduceret ad cultum ſimulacrorum, etiamſi Deus effecerit, vt euaneſceret impium eius conſilium. Nam cum veniſſent caſti & diuini dies Quadrageſimæ, in quibus omnis ætas apud ſe cogitat, quæ prius ſunt admiſſa peccata, in quibus & facile eſt cadere, cum tunc grauius oppugnet inimicus, & reuocari eſt difficile. Cum iam primus dies cœpiſſet, accerſito eo, qui tunc erat* Præfectus vrbis, qui eadẽ quæ ipſe ſentiebat, & erat ei in incredulitate ſimilis, dixit: Quoniam, ô Præfecte, multis & variis vſi machinationibus, res Chriſtianorum minime potuimus extinguere (eſt autem hoc mihi non paruæ curæ) mihi à diis fuit ſubminiſtratum pulcherrimum conſilium, & contra quod nihil dici poteſt. Nam quoniam Chriſtiani hanc hebdomadam ſtatuunt eſſe primam ſuorum ieiuniorum, & ſtudium adhibent, vt purius & incorruptius cuſtodiantur, quam alij dies ieiuniorum, iubeo vt quæcunque in foro eſculenta & poculenta ſunt propoſita, auferantur, & nihil aliud proponatur, quàm cibus & potus, quem ego tibi præbebo, mixtus ſanguine ſacrificiorum. Neceſſe eſt enim, cum hoc factum fuerit, vt aut omnes ementes comedant, & nobis obediant; vt qui guſtarint deorum ſacrificia, aut fame pereant, cum agnouerint cõſilium quod cepimus, vt qui non habeant, quanam ratione ſuæ ſuccurrant inopiæ. Hæc cum ex impio illo ore audiſſet præfectus, fertur dixiſſe: Nunc plane ſcio, quod cor Regis eſt in manu deorum: & cum primùm dixiſſet, quod dixerat, eſt executus, & quæ in foro quidem erant propoſita domi fuerunt repoſita: quæ autem erant Imperatoris inceſtata, & execranda, in foro fuerunt propoſita. VI.

S. Theodorus apparet Patriarchæ, de quo vide Baro. anno dicto.

Quid ergo qui nos creauit, Deus? numquid neglexit aut deſpexit? Nequaquam: ſed ſimul cum his grauiſſimis inſidiis & improba machinatione ſalutem excogitauit. Pontifici enim & Paſtori Chriſtianorum, qui tunc erat, hoc impium aperuit conſilium, mittens ad eum in ſomnis magnum martyrem Theodorum, re vera Dei donum, donatum ad ſalutem noſtræ fidei. Dei itaque martyr accedit ad Patriarcham re vera & non in ſomnis apparens: memini autem eorum, quæ dixit, ad verbum. Sic enim dixit Principi Paſtorum: Surge, & congrega gregem Chriſti, & omnes diligenter admone, ne quicquam emant ex cibo & potu, qui eſt in foro propoſitus. Impius enim Iulianus, omnia polluit execrando ſanguine ſacrificij ſimulacrorum. Pontifex vero ſancto reſpondit: Quomodo, ô domine mi, poteſt hoc fieri? Nam hoc quidem poſſunt fortaſſe, qui ſunt diuites. Nam ſibi quidem prius habent repoſita, quæ ſunt neceſſaria. Pauperes autem ne habent quidem victum vnius diei. Quidnam ergo erit, quo poſſint ſolari inopiam rerum neceſſariarum? VII.

Mar-

Martyr verò dixit: Præbens eis Colybem, ſolare neceſſitatem. Patriarcha autem dixit: Et quidnam hoc fuerit? neſcio enim quod ſit hoc vocabulum. Martyr verò (ô ſolidam & acrem eius defenſionem) reſpondit: Frumentum, inquit, coque, & eis in cibum diſtribue: ſermone enim Eucharistarum ſolemus hoc vocare Colybem. Cùm ſic ergo feceris, cóſerua Chriſti gregem illæſum & impollutum. Et quis tu es, Domine, dixit Patriarcha martyri, qui tam benignè & miſericorditer noſtræ ſalutis curam geris? Ego ſum, inquit, martyr Chriſti Theodorus, qui ab ipſo miſſus ſum ad veſtram ſalutem.

VIII. QVID hoc admirabilius vnquam factum eſt à Propheta Iona, qui Niniuitis annunciauit euerſionem ciuitatis, & ex eo eos induxit ad pœnitentiam? Hoc quidem certè eſt illo magis admirabile: quandoquidem illic quidem miſſus eſt ſolum Propheta ſignificaturus euerſionem ciuitatis. Martyr autem Chriſti Theodorus, ſignificauit futuram animarum euerſionem. Et ille quidem ſolum ſignificauit euertendam eſſe ciuitatem: Martyr verò & cauſam & medicinam, ne tam multæ euerterentur animæ, neque ſimul perirent cum cultu ſimulacrorum, apertè nobis declarauit. Quo eſt ergo anima corpore præſtantior, eo eſt hoc illo maius & admirabilius: & quo eſt, quæ animas euertit euerſio, grauior euerſione quæ euertit ciuitatem, eo, vt ego quidem ſentio, is qui ab hac eripit, eo qui illam præſignificauit, eſt auxilio benignior & excelſior, niſi indignum aliquid diximus, Prophetæ adæquantes martyrem: ſunt enim ambo vnius & eiuſdem Chriſti Dei, & ab eo iuſſi ſunt ambo facere, quæ fecerunt. Pergat autem noſtra oratio, ſequens ea, quæ prius dicta ſunt. Poſtquam ergo ſic audiuit Patriarcha, admiratione plenus & lætitia, ſurrexit, & Chriſti populum congregauit, martyriſque Chriſti aduentum, & quodnam ſeſe crederent ſignificaret auxilium, apertè narrauit omnibus: & cum feciſſet, vt ſanctus ſtatuerat, ſeruauit illæſum gregem Chriſti. Peracta autem hebdomada, cum inutilem fuiſſe machinationem, & ſucceſſu caruiſſe inſidias accepit Iulianus, apertè quidem & ſummè victus è foro quidem extulit ea quæ erant polluta: proponi vero iuſſit ea, quæ conſueuerant. Quamobrem cum veniſſet ſabbatum, intellexiſſent autem Chriſtiani irritam fuiſſe machinationem furioſi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioſo martyri Theodoro exhibentes, lætum & ſplendidum feſtum ei celebrarunt: frumentumque coquentes, & pauperibus diſtribuentes, fecerunt eorū ſalutem omnibus manifeſtam. Singulis itaque annis ab eo tempore vſque in hodiernum diem miraculi inclyti martyris memoriam piè fidelibus peragendam reliquêre. Hoc eſt, quod à nobis nunc peragitur & celebratur miraculum. Talis fuit acerrima glorioſi martyris in nos defenſio, & impiarum impij Tyranni inſidiarum deletio.

Ionæ 3. Prophetiæ S. Martyris Theodori. Impij Apoſtatæ conatus diuinitus prohibentur. Feſtum S. Theodori.

IX. SED quis reuera pro dignitate laudarit Dei noſtri bonitatem, qui ex faucibus ipſius diaboli homines, qui tunc erant, extraxit vno momento, nempe admirabili & præclaro aduentu venerandi martyris Theodori? quinetiam nos quoque quotidie, qui noſtra negligentia diabolo prodimur, conſeruat, & eripit ex illius faucibus. Hæc ergo cum ſciamus, ô dilecti, ipſi quoque aliquid conferamus Deo, qui donat talia. Quid autem offeramus aliud, niſi eleemoſynam? Nulla enim re ex omnibus æquè, ac ea ſolet Deus delectari: maximè, cum ipſum tempus pulcherrimè nos ad hoc adhortatur. Eſt enim ieiunij tempus, & ſancti ieiunij, in quo eſt purificatio animæ & corporis iis, qui id verè exercent, per copioſam miſericordiæ elargitionem. Quamobrem iam ad intemeratarum Chriſti perpeſſionum per ipſum inductæ recordationem nos purgemus, non ſolum à cibo & potu, ſed etiam ab omni tetro inquinamento: periurio, inquam, detractione, mendacio, inimicitiis, intemperantia, & quæ eſt omnium malorum prima & vltima, auaritia. Ab his enim alienatio, eſt præclara purgatio, & ieiunium verum & nulli affine reprehenſioni. Ante hæc autem, & cum his, & poſt hæc faciamus eleemoſynam, quæ reuera non ad tertium cœlum, ſed ad ipſum cœlorum effectorem nos deducit: eleemoſynam, quæ eſt tanquam currus igneus, & quæ è terris ſupra cœlum extollit, quos acceperit. Cum his noſtrum quidem præclarum & Deo acceptum fiet ieiunium, tanquam ſuffitus vero dirigentur preces.

Eleemoſyna Deo gratiſſima. Eleemoſynæ vis & efficacia.

X. NEC mihi dixeris quatriduana, aut ſex dierum ieiunia. Nam ſunt quidem hæc quoque pulchra, & Deo accepta ieiunia, & auertunt animi perturbationes. Sed vt abſque ſpiritu & inutile & inefficax noſtrum corpus, ita etiam abſque eleemoſyna vanum erit nobis ieiunium. Vnde hoc autem? Ex ipſis ſcripturis oſtendemus. Dicit enim: Eleemoſyna & fides ne tibi deficiat. Et rurſus: Ante quem ambulabant miſericordia & veritas. Et alibi: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. &, Qui miſeretur pauperis, Deo fœneratur. Vt autem in præſentia plurima prætermittam, exemplo vel potius re ipſa vobis oſtendam excellentem dignitatem eleemoſynæ. Si enim craſtino die veneris, vultu quidem pallidus & deorſum intuens, & afferens omnia euidentia argumenta ieiunij, ad te vero accedat examen pauperum, fame & ſiti confectum, & frigore concretum à te ſupplicibus vocibus petens miſericordiam, à te autem inanè receſſerit, nullam accipiens inopiæ ſuæ conſolationem: dic, quidnam de cæterò tibi tuum reputabitur ieiunium? num ſolum maceratio corporis, quæ ei, qui ipſam exercet, nullam affert vtilitatem?

Prou. 3. iuxta LXX. Pſal 88. Oſeæ 6. Prouer. 19.

XI. SED mihi dices, quicunque ſis, qui hæc dicis. Scio enim frigidas veſtras dilationes & inanes prætextus. Sunt mihi multi liberi, vxoris curam gero, famulorum, famularum. Vtinam ſufficiam ad eis ſuppeditanda, quæ ſunt neceſſaria: tantum abeſt, vt poſſim ſuppeditare hominibus pigris & ocioſis, qui reuera non volentes laborare, arte voluntariam ſibi adſciſcunt paupertatem. Præterea autem vulgo quoque tritum inducis prouerbium, primam vocans mercedem eam, quæ datur ſuis. Quid tu, rogo, in peccatis prætexis excuſationes? Propterea quod te Deus fecit patrem liberorū, & te familiæ dominum conſtituit, debes agere gratias, & implere eius præcepta, miſerendo egenorum, qui ſunt eiuſdem generis. Contra autem ex beneficio ſumis occaſionem duritiæ & inhumanitatis, nec hoc ſolum, ſed eos etiam, quibus nihil vnquam ſuppeditaſti, inſectaris probris & maledictis. Quid facimus, ô homines? reuereamur, ſi nihil aliud, vel ipſam naturam, ſimilem enim habemus naturam & animam pauperes & diuites, & ab vno opifice ſumus omnes effecti, eſtque vna noſtra dignitas adoptionis & regenerationis, etiamſi neſcio quomodo inſtabilis huius vitæ motus, impares ad victum facultates diſtribuit hominibus, & quod eſt maximum, ab vno Iudice iudicabimur, & ad idem tribunal ſiſtemur. Hæc ergo cum ſciamus omnes, quandiu ſtat hic dies feſtus, emamus noſtræ ſalutis viaticum per eleemoſynam & ſtudeamus habere defenſores, & non accuſatores apud illud tribunal pauperes. Videamus Dominum, qui in omnes obtinet imperium, & omnes ſuperat, quemadmodum quotidie à nobis ad iram prouocatus & iniuria affectus, non odit, non auerſatur, ſed à nobis rogatus, ſtatim præbet id, quod eſt vtile. Et Deus quidem ſic, & hæc Deus, cui ſupplicant ingrati famuli.

Prætextus eorum, qui nolunt præſtare eleemoſynam. Refellitur. Vna omnibus eſt dignitas adoptionis & regenerationis.

XII. NOS autem eum, qui eſt eiuſdem generis, qui nos nunquam ad iram prouocauit, imo vero qui ſuos vocat dominos, & quæ ſunt huiuſmodi, vt attrahat ad miſericordiam, deſpicimus, & aures obſtruimus, vt aſpis ad incantationes. Et quomodo ſunt hæc benignitatis aut miſericordiæ? immo vero contra ſunt maximæ crudelitatis. Bonus eſt Deus, quod hunc aerem, quem ſpiramus, & fluenta aquarum, & lucem ſolis, ex æquo abunde ſuppeditauit omnibus, diuitibus & pauperibus. Nullus enim pauper libere vllum aerem hauſiſſet, aut hanc lucem percepiſſet, ſed prius, quam exiſſent ex vtero, arrepti fuiſſent miſeri, ſi ad ſe precio emptam attraxiſſent reſpirationem, quod in iugera & modos, quomodo terram & mare, hæc diuites diuiſiſſent. O duritiam, ô crudelitatem, quod viuant pauperes, propemodum ægre ferimus. Nequaquam hoc faciamus, ô amici & fratres, neque propter immiſericordiam amandemus pauperem Lazarum, ne nos ſicut diuitem ipſe illinc oſtendat, neque eius manum, quæ tota nobis modo porrecta eſt ad miſericordiam, auerſemur, ne illinc rogemus vel ſummum eius digitum, & eum non aſſequamur. Ne inuideamus ſaltem ſuperuacaneorum participes accipere pauperes, ne audiamus, Recepiſtis bona veſtra in vita veſtra. Omnia peribunt, omnia prætereunt

Duritia auarorum caſtigatur. *Luc. 16. Ibidem.*

Omnia prętereũt, eleemoſyna autem manet in ſeculum. — *Matt.25.*

tereunt, eleemoſyna autem manet in ſeculũ. Diſperſit enim, inquit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſe-
culi. In hanc vitam nihil nobiſcum attulimus: Deus nobis omnia eſt largitus. Largiamur ipſi quoque egentibus: et-
iamſi ſint Dei, tamen tanquam noſtra ſint, ipſe nobis reddit mercedem. Et ſi quis quidem ex noſtris amicis aut proceri-
bus iuſſit eos non ſolum pecunias, ſed etiam vitam propriam deſpicere propter illius amorem, quam prompto & ala-
cri animo aggrediamur eius iuſſum exequi, & re ipſa, ſi fieri poteſt, id effectum reddere, dici non poteſt. Ipſo autem vni-
uerſorum Deo, & non alio, apertè clamante in Euangeliis: Quod feciſtis vni horum fratrum meorum minimorum,
mihi feciſtis, contemnimus & deſpicimus. Reſipiſcamus: videamus quam ſit leue & facile præceptum. Ex ſuperuacane-
is & inutilibus, & hic & illic diſperſis rebus noſtris, clamat, vt regnum cœlorum comparemus, & nolumus. O quantum
lugebimus, quando volentes nihil omnino poterimus.

Etiam pauperrimi vt poſſint præſtare eleemoſynam. — *Matth.10.* — *Miſericordia ieiunio iungenda.*

Sed mihi, inquit, rerum neceſſariarum ne ſatis quidem ſuppetit. Quid dicis? Ne frigidæ quidem aquæ poculum XIII.
dare potes petenti? & nec ſermonem quidem benignum? Et quonam modo poſſunt hæc eſſe rationi conſentanea? Et
pro his, (ô miraculum & clementiã) ſi dantur pauperibus bono & non nimis curioſo animo, pollicitus eſt Deus ſe eſſe
nobis daturum regnum cœlorum. Hæc ergo omnia ſcientes, ô dilecti, cum ieiunio iungamus miſericordiam, qua tan-
quam pennis anima noſtra è terra in cœlum extollitur. Et ieiunio quidem nos liberante ab animi perturbationibus, e-
leemoſyna autem æternam vitam conciliante, nulla in re deficientes, ſimul cum Chriſto ſponſo ingrediamur. Hæc qui-
dem ſatis ſuperque dicta ſunt miſericordibus, duris vero id totum ne ſyllaba quidem eſſe videbitur.

Matt.25. — *Inuocat ſanctum martyrem.* — *Ioann.11.* — *Sancti viuũt in Deo.*

Nos autem martyrem laudemus iis, quas par eſt, laudibus, & miraculi ſemper recentem memoriam in nobis XIV.
circunferentes, glorioſo martyri fideliter exclamemus: O ſplendor martyrum, & decus ſanctorum. O vere Dei donum.
O cuſtos & inuictiſſime defenſor fidelium, ne obliuiſcaris noſtræ paupertatis & humilitatis, ſed ſemper pro nobis in-
tercedere ne te pigeat, ô vir inprimis admirande: nec nos, qui quotidie ab animarum noſtrarum, qui cadit in intelligen-
tiam, Iuliano, nempe qui & tunc & nunc eſt author mali, inimico oppugnamur, deſpicias ô vir maxime venerande. Te
enim etiam poſt mortem credimus viuere, vt Dominus dixit, dicens: Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet.
Tu autem, qui non ſolum credidiſti, ſed etiam pro ipſo es mortuus, ô meritò laudande martyr, in Deo viuis vita, in quã
non cadit ſenium, & quæ non terminatur. Vt qui ergo in Chriſto viuas, & ſtes prope eum, redde eum tuis precibus pro
pitium tuis famulis: vt per te liberati ab iis, quæ hic ſunt, moleſtiis, quæ illic ſunt bona, conſequamur gratia & benigni-
tate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria & potentia nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

An.265.

LIBELLVS S. ATHANASII EPISCOPI DE PASSIONE IMAGINIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, IN BERYTO VRBE SYRIÆ CRVCIFI- XÆ, *qui in ſeptima Synodo œcumenica Actione 4. vnde nos eum deſcripſimus, citatur, & Athanaſio tribuitur, quod non parum facit ad libelli authoritatem.*

9.Novemb. Præfat. — *Apud Deum nihil nouũ.*

LEVATE oculos intellectus veſtri, nouum hoc ſpectaculum contemplamini, inſpicite in Dei immenſum
hoc miraculum, date ei gloriam, illius inexplicabilem erga homines amorem, illiuſque diſpenſationis
magnitudinem conſiderate, lachrymas cum lætitia fundite. Apud Deum nihil nouum. Deus enim exi-
ſtens, cuncta poteſt. Quod autem in diebus noſtris & noſtri cauſa factum eſt, corda omnia quæcunque
audient, in ſtuporem ducet. Stupuit cœlum propter talia auſa. Abyſſus conturbata nimis eſt. Sol, luna, &
reliqua ſidera obtenebrata ſunt ob tale facinus. Rurſus autem lætata ſunt ob id, quod circa ſe Deus diſpenſauit. Cun-
ctæ cœlorum virtutes, audite, & ſtupeſcite in eo, quod factum eſt in diebus noſtris. Intelligentes, intelligite, inclinate
aures veſtras, vt ex corde audiatis.

Berytus ciuitas. — *Antiquiſſima Chriſti imago.* — *1.Tim.2.* — *Chriſti imago in cuiuſdam Iudæi domo relicta.*

BERYTVS ciuitas eſt in finibus Tyri & Sidonis ſita, vectigalis autem Antiochienſibus. In hac ciuitate cum Iudæ- I.
orum natio frequens eſſet, contigit vt prope ſynagogam, quam illic amplam habent, quidam è Chriſtianorum nume-
ro domicilium à quodam conductum habitaret. Hic ex aduerſo lectuli, imaginem Ieſu Chriſti Domini noſtri fixerat,
erat hæc ſane veneranda, quod integram Chriſti Domini proportionem exprimeret. Contigit autem non ita diu poſt
id temporis, Chriſtiano manſionem aliquanto ampliorem quærere: neque id omnino fortuito factum eſt, ſed ex diui-
na diſpenſatione, quæ omnes cupit in agnitionem veritatis venire, & ſaluos fieri, exhibens miracula his qui illum co-
lunt, & pie in illum credunt: verum in redargutionem diffidentium, confirmationem autem & ſtabilimentum creden-
tibus. Quærebat itaque, vt dicere cœperam, Chriſtianus ædes maiores: quas cum in alio ciuitatis loco inueniſſet, è do-
mo, quam prope ſynagogam habuit, in alteram migrauit. Cumque res ſuas omnes in eam tranſtuliſſet, imaginem ta-
men illam Domini illic forte reliquit, obliuione quidem illud, ſed tamen diuina diſpenſatione: Iudæus autem commo-
ditate loci captus, ædiculam illam conduxit, nondum animaduertens eiuſcemodi imaginem illic affixam: ſuaque iſt-
huc transferens, aliquandiu illic habitauit. Quodam autem die cum hic gentilium ſuorum quoſdam in prandium in
uitaſſet, contigit, vt quidam conuiuarum, ſublatis oculis, imaginem Chriſti Domini noſtri inſpiceret: moxque conuer-
ſus ad conuiuatorem, Tu, inquit, Iudæus cum ſis, qua fronte tandem audes huiuſcemodi imaginem domi tuæ habere?
Non dicam, hic quot plauſtra conuiciorum & maledicta in Dominum Saluatorem effuderit. Conuiuator autem ſei-
pſum purgare ſtudens, affirmabat etiam ſanctè, ſe huiuſcemodi imaginem hactenus non vidiſſe: atque ita qui inuita-
tus erat, tacuit. Poſtquam autem fuiſſet egreſſus, ad principes ſacerdotum hominem detulit, quod imaginem Saluato-
ris in ædibus conſeruaret, Nazaræumque non eieciſſet. Illi vero audita re, interrogauerunt num id poſſet approbare.
Clamante illo, ſe poſſe confirmare quæ diceret, omnes congregati & furore perciti, illo quidem die nihil egerunt: ſed
manè facto, congregati ſummi ſacerdotes & ſeniores, cum ingenti hominum eiuſdem nationis turba, aſſumpto ſimul
delatore Iudæo, ad ædes illas, in quibus imago Domini noſtri habebatur, ire pergunt.

Matt.26. — *Vide quos magiſtros ſequantur Iconomachi.* — *Ioan.19. & 20.* — *Mat.15.*

CVM autem ad eum locum veniſſent ſeniores & principes ſacerdotum cum ipſo ſimul delatore, irruunt in do- II.
mum, & confeſtim imaginem Saluatoris Domini noſtri contemplati, furore pleni, Iudæum quidem extra ſynagogam
eiiciunt, imaginem vero detrahunt, dicentes: Quemadmodum patres noſtri illuſerunt ei, ita & nos faciamus. Tunc o-
mnes cœperunt expuere in faciem ſanctæ imaginis Chriſti, colaphiſq; hinc illinc faciem cædentes, dicebant: Quæcun-
que deſignarunt patres noſtri in illum, ea & nos quoque faciamus in illius imaginem. Deinde inquiunt: Audiuimus
quod illuſerunt ei patres noſtri: faciamus idem hoc & nos quoque. Mox talia conuicia euomuerunt in Ieſu Chriſti i-
maginem, quæ nemo ſanæ mentis excogitare poſſet. Addunt deinde: Audiuimus patres noſtros pedes manuſq; illius
clauis fixiſſe: quid obeſt, quo minus & nos idem tentemus? confeſtim autem imaginis Domini pedes manuſque
clauis ferreis forauerunt. Deinde inſano ore clamant: Audiuimus quòd & aceto & felle imbuta ſpongia illum po-
tauerunt: faciamus & nos ſimiliter, acceptaque ſpongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt. Rurſus aiunt:

Notum

Notum nobis eſt, quod & calamo caput illius partes noſtri percuſſerunt. Fiat idipſum etiam à nobis pariter. Sumpto igitur calamo, caput Domini cædere cœperunt. Tandem aiunt: Clarum nobis eſt, quod lancea latus illius pupugerunt, nihil à nobis omittatur, addamus & hoc ipſum. itaque lanceam cuidam porrigentes, iuſſerunt, vt latus imaginis Dominicæ transfigeret. Ex eo autem confeſtim ſanguinis & aquæ riuuli emanare cœperunt. Chriſte, gloria tibi. Incomprehenſibilis Domine, gloria tibi. Quis tibi ſimilis Domine? Quis alius præter te Deus, faciens horrenda ſigna & terribilia, & obſtupeſcenda in cœlo & in terra? O admirabilis mediator Dei & hominum, & homouſios, mundi Redemptor ac Saluator, totius bonitatis & pietatis fons & origo. O quantus es Domine Ieſu in humilitate, qui cum eſſes Deus, mortalium noſtræ carnis ſuſcipiendo, homo fieri dignatus es pro ſalute generis humani, quem impij & crudeles paulo minus ab Angelis minoratum cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O quam magnus es noſter Saluator in patientia, qui in tempore tuæ traditionis, tuo traditori ad te venienti, oſculum præbere non renuiſti, & ſeruo Malcho Apoſtoli gladio abſciſſam auriculam redintegraſti, quando ad paſſionis victimam velut ouis manſuetus ducebaris. O quantus es in miſericordia Chriſte, ſpes vnica mundi, qui cum in Cruce teipſum hoſtiam Deo patri exhibuiſſes ſanctam & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam poſtulaſti, dicendo ad patrem. Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Tunc quidem pro noſtra ſalute *incuruatus, in eadem carne, quam ex Virgine ſancta & immaculata aſſumpſeras, mortem pertuliſti crudelem. Et qui eras in ſubſtantia cum Patre ſanctoque Spiritu, vnus & impaſſibilis exiſtens & inuiſibilis, condoluiſti humanam perire naturam. Et ideo in hanc lachrymarum vallem deſcendens, pro noſtris erratibus & piaculis formam ſeruilem ſuſcepiſti, in qua te permiſiſti ab iniquis teneri, flagellari, ad vltimum vero crucifigi. Nunc autem in ſancta imagine tua crucifigeris Domine iterum, ad confuſionem impiorum omnium infidelium, & ad corroborationem omnium in te credentium. Et ideo tibi omnipotenti Deo vna cum Patre Spirituq; ſancto gloria ſit per cuncta ſeculorum ſecula, decus & fortitudo, virtus atque victoria, Amen.

Matth. 27. Vide ſtupendum miraculum, in emanatione ſanguinis ex latere imaginis Chriſti. *Luc. 22.* *Eſai. 53.* *Ierem. 11.* *Luc. 23.* * *incarnat* legendum puto.

III. AVDITE omnes Eccleſiæ filij cætera, quæ poſtmodum facta: ipſius enim myſterij fuit diſpenſatio. Poſtquam enim, vt ſuperius dictum eſt, latus ſanctæ imaginis illius apertum eſt, continuo exiuit ſanguis & aqua. Dixerunt autem principes ſacerdotum: Afferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui illico detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, vnde ſanguis & aqua decurrebant, ſtatuerunt. Quæ abſque vlla mora ſubito repleta eſt. Dixerunt autem adinuicem: Quoniam ſuſurrant Chriſtum colentes, quod ſigna & inaudita multa fecerit in mundo, quæ nemo alius agere potuit, accipiamus hunc ſanguinem & aquam hanc, & deferamus ad noſtram ſynagogam, & congregemus vniuerſos, qui ſe male habent, & ex hoc perungamus eos, &, ſi vera ſunt, quæ de Chriſto dicuntur, continuo ſanabuntur, ſin alias, oſtentui habeantur à nobis cuncta, quæ à ſuis ſequacibus aſſeruntur de eo. Hæc dicentes, hydriam deferunt ad ſynagogam, æſtimantes ſe Chriſto Ieſu Domino noſtro æterni Regis filio maximam inferre poſſe iniuriam. Congregauerunt igitur quoſcunque repererunt languidos, & in conſpectu Hebræorum introducti ſunt in ſynagogam, inter quos quidam prouectæ ætatis erat homo, quem à natiuitate ſua grauiſſima poſſidebat corporis moleſtia, quæ Græca locutione paralyſis, Latine vero diſſolutio membrorum dicitur. Hic dum primum ab eis fuiſſet perunctus, repente de ſuo grabato quaſi ceruus exiliens, ad laudem filij Dei incolumis redditus, ad propria remeauit. Deinde adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum perungere ſtuduerunt. Qui ipſi ſtatim in Chriſti Ieſu nomine diſcuſſa cæcitate, poſt multos annos lumen amiſſum recipere meruerunt.* Aegrotantes autem plurimi, ad hoc ſpectaculū ſunt adducti, manibus poſt terga reuinctis. Cumq; & illi fuiſſent peruncti, mirabili virtute Dei vndiq; perfuſi, ſenſu redintegrato priſtino, ad propria dum reuertuntur ſanctiſſimi laudes Dei omnipotentis filio Ieſu Chriſto Dn̄o Saluatori noſtro perſoluuntur ab omni populo. Tumultus autem exortus eſt magnus per totam tandem vrbem, concurrentibus omnibus propter innumerabilia, quæ fiebant, miracula. Et quicunque variis languoribus infirmos poſſeſſos habebant apud ſe, illuc eos deducentes perungebant, & ſtatim ſanitatem quam deſiderabant, conſequebantur. Omne autē, ad quoſcunq; peruenire potuit opinio, afferentes infirmos, quos habere poterāt in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, ſurdos, mutos, & leproſos ſiue aridos, deducebant eos ad ſynagogam Iudæorum, vbi hæc ſigna fiebant diuinitus. Sed quanuis maxima eſſet hæc eadem ſynagoga, nequaquam tamen recipere poterat ſuperuenientium multitudinem, infinitæ enim erant populorum catervæ, quæ illuc vndique confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro ſua nimia prolixitate, ne faſtidium generent, tranſgrediendo prætermittuntur. Omnes autem principes ſacerdotum & ſeniores, & omnis turba Iudæorum, paruulorum ac maiorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & dicebant: Gloria tibi ſit æterne Deus & omnipotens pater, qui nobis indignis, quanuis ſero, reuelaſti vnicum filium tuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem, vt Eſaiæ vaticinium cecinit, virgo concepit, & virgo peperit, ac poſt partum virgo permanſit. Gloria tibi ſit Chriſte fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miſeris demonſtraſti. Tibi credimus, tu nobis eſto propitius, & nos ſuſcipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima atque virtute ad te confugimus. Hæc & his ſimilia clamantes dicebant, lachrymas autem amaras emittebant & ſingultus.

Sanguis ex latere imaginis Chriſti à Iudæis colligitur. Miracula ſanguinis imaginis Chriſti. Iudæi permulti credunt in Chriſtum. *Eſai. 7.*

IV. POSTQVAM autem curati ſunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, occurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum ſanctæ eccleſiæ, quæ in eadem vrbe erat, vbi & metropolitanum inuenerunt. Cuius prouoluti veſtigiis, ſe peccaſſe, ſe grauiter deliquiſſe, magnis vocibus fatebantur. Qui cum ab iis perquireret omnem rei geſtæ veritatem, ſanctam iconam Domini Saluatoris eidem demonſtrantes, annunciauerunt cuncta, quæ in ea exercuerant: & qualiter ab ictu lanceæ, ſanguis & aqua emanauit ex latere ipſius, necnon & de mirabilibus ab ea oſtenſis, illi retulerunt per ordinem. Ille vero interrogabat, qualiter icona ipſa ab iis fuiſſet reperta, &, ſi ab aliquo eam excepiſſent. At illi retulerunt ei, quod quidam Chriſticola per obliuionem in cellula ſynagogæ proxima dimiſiſſet eandem iconam, dum ſe ad alium locum transferret hoſpitandi gratia. Qui ſtatim iubetur inquiri, & repertus, in præſentia Domini metropolitani ſtatui. Cumque ab eo ſtudioſiſſime fuiſſet interrogatus, quomodo icona apud ſe deueniſſet, vel à quo tam mirabiliter polita eſſet, reſpondit dicens, quod Nicodemus, qui ad Ieſum nocte venerat, propriis manibus eam compoſuiſſet, & moriens Gamalieli tradidiſſet. Gamaliel autem Doctoris gentium Pauli dydaſcalus, cum diem ſibi cerneret adeſſe extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Simeoni & Zachæo, & ſic per ſucceſſores temporum in Hieroſolyma perdurauit, vſque quo ſubuerſio illius vrbis patrata eſt quadrageſimo & tertio anno poſt aſcenſionem Domini & Saluatoris ad cœlos. Sed biennium ante, quam Titus & Veſpaſianus eandem ſubuerterent vrbem, admoniti ſunt à Spiritu ſancto fideles atque diſcipuli Christi, vt relicta vrbe, ad regnum ſe transferrent Agrippæ Regis, quia ipſe tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egreſſi ab vrbe, omnia quæ ad cultum noſtræ religionis vel fidei pertinere videbantur, ſecum auferentes, in has regiones tranſtulerunt ſe. Quo tempore etiam icona cum cæteris rebus eccleſiaſticis deportata, vſque hodie in Syria permanſit, quam ego ipſe à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam, iure hæreditario vſque nunc poſſedi. Hæc certa & manifeſta ratio eſt de icona ſancta DOMINI SALVATORIS, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenit. Auditis his ſermonibus, reuerendiſſimus metropolitanus valde hilaris redditus, conuerſus ad populum Iſraëliticum, dicebat: Conuertere Iſraël ad Dominum PATREM vniuerſorum viuentium, & adora nobiſcum eius FILIVM, per quem ſunt omnia creata, & SPIRITVM SANCTVM, qui eſt viuificator cunctorum

Cōfitentur metropolitano ſua peccata. Nota de imaginis antiquitate. *Ioann. 3.* *Act. 22.*

viuentium,& illuminator noſtrarum animarum,feſtina debitum abſoluere votum. Omnis autem turba ſtirpis Iudaicæ,clara voce cœpit cantare & dicere: Vnus Deus Pater & ipſe ingenitus: Vnus Filius,& ipſe vnigenitus Chriſtus,quem Patres noſtri crucifixerunt,& nos ipſum agnouimus verum Dominum. Vnus Spiritus Sanctus, & ab vtroque procedens,per quem veraciter nos credimus eſſe ſaluandos. Hæc dicentes,proſtrati genibus ipſius, veniam poſtulabant de

Iudæi baptizantur.

ſuis conſequi ſceleribus per baptiſmi remedium. Quos ſuſcipiens beatus Antiſtes cum ſuis clericis, per dies plurimos de diſciplina erudiuit Chriſtiana: Ad vltimum verò catechumenos factos,& triduano peracto ieiunio, ex aqua & Spiritu Sancto regenerauit eos.

POSTQVAM verò baptiſmum conſecuti ſunt, rogabant enixius ſanctum virum,vt ſynagogam ſuam eccleſiam V.
conſecraret in honore ſancti Saluatoris mundi. Quorum petitionem minimè aſpernatus, ſynagogam illorum, quæ maior eſſe videbatur, in nomine vnigeniti Filij Dei redemptoris mundi conſecrauit. Extunc itaque per diuerſas orbis terræ nationes & prouincias mos inoleuit, vt baſilicas plurimas vel oratoria Pontifices Chriſtianæ legis, in honore ſancti Saluatoris mundi condere & dedicare non deſinant. Nam antea antiquiores noſtri vel maiores hoc peragere minimè præſumpſerunt. Sed ad narrationis noſtræ ordinem reflectamus articulum. Rogauerunt autem* metropolitani præfatum virum, vt cæteras ſynagogas eorum in honore quorundam martyrum conſecrando reconciliaret. Itaq; & huic petitioni libenter animum accommodauit,& quæ illi ſuggeſſerunt, Dei iuuamine fretus, cuncta expleuit deuotus. Factum eſt gaudium magnum in ciuitate illa, non ſolum de ſanitate corporum, quæ emanauerat maxima: ſed & de tantis animabus, quæ ab interitu ſatanæ ad vitam æternam fuerunt reuocatæ.

*for. metropolitanum præfati viri.

VENERABILIS verò & ſummus Antiſtes die noctuque variis fluctuabat cogitationibus de hydria, quæ Do- VI.
minicum intra ſe retinebat cruorem, valde hæſitans, quid de eo opportunum fuiſſet peragere. Tandem autem ſalubri reperto conſilio, omnium Eccleſiarum, quæ per orbem terræ longe lateque conſiſtebant, inæſtimabile atque profuturum prouidit conſolationis remedium. Denique ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus portiones miſit ſingulas de ſanguine & aqua, quæ de imagine Domini Saluatoris noſtri decurrerunt, quas etiam per Aſiam, Aphricam, Europam per ſuos nuncios dirigens, cuncta quæ apud vrbem iam dictam ſuo tempore contigerant, ſuis ſcriptis vel eloquiis manifeſtiſſimè vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis viriliter declarauit. Hoc inſuper ab his efflagitans, vt per annos ſingulos in menſe Nouembri, qui apud Hebræos eſt nonus, apud nos verò menſis vndecimus, vno die ipſius menſis, id eſt, quinto Idus Nouembris, non minori reuerentia, quàm natalis Domini vel paſchalis, iſta dies præcipua obſeruatione colatur.

Feſtũ huius miraculi indicitur in perpetuam rei memoriam.

HÆC eſt vera,& vehementer credula ratio de cruore lateris Domini noſtri Saluatoris, qui profluxit de ſancta i- VII.
magine ipſius, quæ crucifixa eſt in Syria, in Beryto ciuitate. Hic eſt etiam ſanguis ille dominicus, qui apud plerosque repertus eſſe dicitur. Nec eſſe aliter æſtimandum à verè Catholicis, præter id quod ſcribitur à nobis, quaſi ex carne & ſanguine Chriſti aliquid poſſit in mundo inueniri, niſi illud, quod in ara altaris per manus ſacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur. Hæc ergo ſciens, amantiſſimi patres & fratres, acceleraui declarare vobis ad ædificationem animarum veſtrarum, ad incrementũ veſtræ fidei, vt & in hoc ſcire valeatis, quanta ſit virtus & pietas Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Idcirco in fide fortes eſtote,& congaudete ſuper magna & obſtupenda eius miracula, quæ in noſtra generatione à Deo ſunt patrata. Et date illi gloriam cum lætitia gaudentes,& cum nimia compunctione eius maieſtati immenſas gratias agite, eò quod fidei ſuæ & ſcientiæ dignos vos fecit eſſe. Ipſi Chriſto Ieſu Saluatori, cum Patre ſanctoque Spiritu gloria ſit honorque, laus etiam perennis, qui ſempiternum atque indiuiſum abſque initio & fine obtinet imperium.

Spiritualiter, id eſt, inuiſibiliter, & tamen realiter & ſubſtantialiter.

In VII. Synodo, quæ eſt altera Nicena, ſequuntur hæc:

Athanaſiũ dicit.

CONSTANTINVS ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ, quæ eſt in Cypro, dixit: Ecce is, qui ab immortalitate appellationem ſortitus eſt, totam hanc ſacram cõgregationem ad compunctionem & lachrymas compulit. Non enim venerandas eſſe tantummodo imagines ſanctorum docuit, ſed & maximas quaſdam medicandi rationes ab his proficiſci. Tharaſius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Sed quiſpiam dixerit, quamobrem miracula à noſtris imaginibus non eduntur? Cui ſane ita cum Apoſtolo ſit reſponſum: Miracula non credentib. data ſunt, ſed illis, qui in incredulitate verſantur. Hi igitur, qui imaginem ita tractabant, infideles erant, qua de cauſa ſignum illis datum eſt à Deo per imaginem, vt ea ratione ad fidem noſtram Chriſtianam traherentur. Generatio enim improba & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi.

1. Cor. 14. Math. 12.

An. 480.

VITA BREVIS S. VICTONIS, ALIAS VITONIS, VIRDVNENSIS Epiſcopi & Confeſſoris, vt habetur in antiquiſſimo MS. Codice Eccleſiæ Traiectenſis.

9. NOVEMBR. S. Victo fit Virdunenſis Epiſcopus

TEMPORE Clodonei Regis Francorum idem Rex cum ciuitatem Virdunenſem ſibi rebellem obſidens ſubiugaſſet, defuncto ſancto Firmino eiuſdem vrbis Epiſcopo, beatum Victonem fama nimiæ ſanctitatis fulgentem, totius cleri & populi acclamatione Epiſcopum fieri procurauit. Qui Pontifex factus, & ſanctiſſime viuens, multis miraculis & præcipue in leproſorum curatione refulſit. Inter cætera vero cum quodam tempore ſerpens miræ magnitudinis in quodam ſpecu quod erat in loco vbi nunc vſque Crux magna lapidea conſiſtit, iuxta viam publicam prope ſancti monaſterium latitaret, ex cuius flatu tam homines quam animalia ibidem tranſeuntes occidebantur,& incolæ illius terræ ſanctum Victonem interpellaſſent, vt eos ab huiuſmodi interitu liberaret, ſanctus poſt triduanum ieiunium omnibus indictum, cum vniuerſo populo ad foramen ſpeluncæ perrexit. Cuius aditum cum fuiſſet ingreſſus nil cunctatus, ſtolam arripiens qua erat indutus, ſerpentem illum horrificum fortiter alligauit, eumque ſub diuo foras extrahens, ſpectante populo, dicto citius extinxit: populum & iumenta liberans à morte peſtis. Tandem poſt ſanctæ prædicationis & pietatis exercitia,& maxima miracula, ſanctus Victo, ſpiritibus Angelicis ei obuiam venientibus & coronam imponentibus, quinto Idus Nouembr. migrauit ad Dominum. Ad cuius tumbam meritis eius cæci illuminati, dæmoniaci curati, claudi erecti,& leproſi ſunt diuina virtute mundati. Tempore etiam quodam cum tanta ſiccitas & ariditas illam patriam occupaſſet, vt nulla ſpes fruges habendi & colligendi ſupereſſet,& vniuerſus populus lugens & ieiunans ſæpius corpora ſanctorum cum pignoribus eorum circumportaſſent, ſiccitatis remedium à Domino poſtulando: illa die qua corpus S. Victonis cum deuotione portauerunt, meritis, vt creditur, ipſius ſancti, eodem die dedit Dominus terræ pluuias opportunas,& terra deinceps reddidit fructum ſuum. E conuerſo autem, cum alia nimia tempeſtas opprimeret terram illam,& populus patrocinium ſancti, corpus circumferendo petiſſent, mox largiente Domino facta eſt tranquillitas magna ſuper terram.

Serpentem ingentis magnitudinis diuina virtute occidit.

Feliciter obit.

Miracula ad ſepulchrum.

Miraculum

MAR-

MARTYRIVM S. ARESTÆ, ALII ORESTIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 290.

9. Nov.

I. IMPERATORE Diocletiano, magna quædam perſecutio aduerſus Chriſtianos commota eſt. Miſit enim ille magiſtratus ſuos in omne ſibi ſubiectum Imperium, qui Chriſtianos homines de medio tollerent. Vnus autem quidam, nomine Maximus, Imperatorem adiit, quem his verbis affatus eſt. Diuine Imperator, dux noſtrorum deorum, & diuinorum, quæ ad illos pertinent, myſteriorum ſapiens præceptor, peto à benignitate tua, vt iubeas me partes Ciliciæ & Cappadociæ percurrere, vt Chriſtianos maleficos homines affligens, eoſque comprehenſos multis & variis cruciatibus ſubiiciens, igne conſumens, & in aquas præcipitans, funditus perdere valeam. Hæc cum Diocletianus audiuiſſet: Habeas, inquit, poteſtatem in toto Imperio meo, ad impiam Chriſtianorum ſuperſtitionem euertendam: deos autem ipſos omnium dominos, ac totius orbis terrarum adiutores, vbique manifeſtos eſſe facias.

Numeratur hæc Decima perſecutio, de qua vide Baron. ann. 301 & 302.

Vide gratui[tam] malignitatem hominis malitiam.

II. CVM Maximus edictum ab Imperatore accepiſſet, multo cum apparatu ac pompa egreſſus eſt, tanquam leo, inuenta eſca: cumque animum immitem & miſericordiæ omnino expertem haberet, properauit ad vrbem, quæ dicitur Tyana. Quo cum veniſſet, audiuit ab eius vrbis ciuibus, medicum quendam illic eſſe, Areſtem nomine, qui quotidie toti ciuitati perſuadere ſtudebat, vt Ieſum Chriſtum omnes colere vellent, & eius fidem ſequi, quem & à parentibus didiciſſe aiebant, non eſſe deos alios, niſi vnum ſolum verum Deum ac cœleſtem, eiuſque Filium Ieſum Chriſtum. His auditis, iuſſit Maximus Areſtem ante tribunal ſiſti, cui ſic ait: Quænam eſt ten[m]eritas iſta tua? Non enim parum contra te commoti ſumus. Dic igitur libere nomen tuum, & genus: Tunc ſanctus Areſtes: Mea, inquit, libertas & fiducia eſt Ieſus Chriſtus, per quem loquendi libertatem conſecutus ſum: itaque nunc loquar: Chriſtianus ego & ſum, & vocor.

Areſtes medicus defertur apud iudicem

III. TVNC Maximus dixit: Quoniam te Chriſtianum appellari dixiſti, & Chriſtum Deum eſſe confeſſus es, diis ſacrifica priuſquam tormenta patiaris. Ad hæc reſpondit vir ille ſanctus: Dij, qui cœlum & terram non fecerunt, dispereant. *Ierem.* 10.
Ego enim cum adhuc puer eſſem, didici ſacrificium incruentum Deo viuenti offerre, quem & puro corde adoro: tuos vero adulterinos iſtos deos, & inanes ac vanas dæmones, quos tu dicis, non adoro. Tum Maximus: Video te, inquit, ætate florentem, prudentia, & eruditione multum valere, & medicinę artis honeſtam ac decoram facultatem poſſidere: quamobrem habeo rationem tui, perinde ac ſi eſſes filius meus. Age igitur dicas nobis, quod eſt nomen tuum, & qualiſnam ſit cultus parentum tuorum. Tum ille: Si cupis ſcire nomen meum, velim ſcias, apud Deum ipſum valde honoratum illud eſſe. Nanque parentes mei, à quibus, quod ad carnem pertinet, genitus fui, Areſtem me nominarunt, vt ſcilicet placerem Deo, & hominibus per Domini mei Ieſu Chriſti confeſſionem, & morborum, quibus humana corpora vexantur, curationem.

Magna martyris libertas.

IV. AD hæc Maximus: Stultiſſime, inquit, & miſerrime homo, cur loqueris ſic petulanter? Cur teipſum decipis, cum vnum Deum confitearis, & Chriſtum quem Iudæi, vt nefarium & maleficum hominem crucifixerunt? Reſpondit Areſtes: Si magnam eius, qui crucifixus fuit, potentiam cognoſceres, inanium idolorum errorem derelinqueres, & illum adorares, qui vere Deus eſt, ex Deo vero, qui corporeis oculis non cernitur, genitus: qui & ipſe, vt Deus, corporeo viſu non comprehenditur. Hic ſponte diuinam naturam cum humana coniunxit, & à pernicioſo diaboli errore nos liberauit. Ad hæc Maximus: Multis, inquit, verbis & fallaciis aures meas obtundis: quaſi velim ego deos meos relinquere, & iſtum veſtrum Crucifixum adorare. Agè igitur & tu diis noſtris ſacrifica, futurum ſciens, vt, ſi hoc feceris, ad dextram meam ſedeas. At Areſtes dixit: Ego æternum Deum, ſemper mihi benefacientem, & Dominum meum Ieſum Chriſtum adoro, eique ſeruio: dæmonum autem iſtorum particeps nunquam fuero.

Deus corporeis oculis non cernitur.

V. TVM Maximus: Adducite illum ad templum deorum. Templum autem, quod dicebat, erat auro & argento excultum, atque idolis refertum. Ad Areſtem verò conuerſus: Sacrifica, inquit, diis ipſis, Areſte. Reſpondit ille: Erras magnopere, cum neſcias, quid tibi expediat: iſti enim dij tui ex ære, ferro, auro & argento cõfecti ſunt ad decipiendos homines, nam neque audiunt, cum ſint opera quædam manufacta: neque omnino ſibi opem afferre poſſunt, nullam denique gratiam referre ſciunt. Tum Maximus: Velim, inquit, ſcire, ſacrificéſne, an membra tua diſſipari iubeam. Reſpondit Areſtes: Putaſne iſtis tuis verbis me perterrefactum iri? Minime hoc futurum ſperes: ſed quamprimum fac, quicquid vis: ignoras enim, quem præſentem & mihi opitulantem habeo Dominum Ieſum Chriſtum. Tunc ait Maximus: Hominem iſtum virgis cædite, eumque admonete, ne pergat amplius inſanire. Ille autem cum verberaretur, elatis in cœlum manibus, ait: Reſpice, Deus meus, è cœlo, & opitulare ſeruo tuo. Iuſſit vero Præſes illum tandiu verberari, quoad milites ipſi viciſſim quadragenas plagas ſinguli infligerent, ita vt funes, lora, & nerui conſumerentur. Mox vehementius eum cædi iuſſit, ſic vt eius inteſtina extracta ſint, & tanta viri tolerantia omnibus admirationem attulerit.

Conſtantia & fortitudo animi.

Virgis cæditur.

Vide crudelitatem.

VI. CVM igitur ita verberatus fuiſſet: Sacrifica diis ipſis, inquit Præſes, & dimittam te. Areſtes vero nihil reſpondit. Itaque iratus Præſes, iuſſit obeliſcos ignitos fieri, & ad eius terga ſtatim adhiberi, vt ea primum comburerentur, deinde aceto acerbiſſimo & multo ſale conſperſa tererentur. Tunc martyr ille beatiſſimus, erectis ad cœlum oculis, ait: Deus, qui Sodomitarum vrbes igne conſumpſiſti, & Niniuem per pœnitentiam conuerſam, tua virtute ad iuſtitiam traduxiſti: da, quæſo, mihi Domine, vt ſignum aliquod tuum in conſpectu meo videam. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur. His dictis, ſufflauit in ſimulacra illa, & ſtatim comminuta ſunt, atque in puluerem conuerſa. Mox ait Præſidi: Et vbinam eſt potentia deorum tuorum? Nunquid ſibi ipſi opem ferre potuerunt? Cum vero è templo egreſſus eſſet, ſtatim ædes quoque illa euerſa eſt.

Geneſ. 19.

Ione 3.

Pſalm. 85.

VII. TVNC iuſſit Præſes in carcerem interiorem Areſtem detrudi, & carceris cuſtodi præcepit, vt neque panem, neque aquam ei daret. Sanctus verò martyr lætanti animo adiit carcerem, & elatis in cœlum manibus, has preces emiſit: Domine Ieſu Chriſte, qui voluiſti me ab ineunte ætate res iuſtas & honeſtas edoceri, quique omnem erroris cupiditatem atque illecebras à meipſo repuliſti, qui cœlum, terram, quæque in his continentur, effeciſti, qui mare ipſum certo loco conſtituiſti, & eius bona humano víui contuliſti, qui ſanctos tuos Abraham, Iſaac, Iacob, ad requiem tuam perduxiſti: quæſo, ne me derelinquas: quoniam totum me tibi addixi, ac tradidi: fac, vt particeps fiam eorum qui martyrio ante me functi ſunt, & hæreditatem tuam perceperunt: quoniam glorioſum eſt nomen tuum in ſecula, Amen.

Oratio eius ad Dominũ.

VIII. HIS precibus ad Deum miſſis, cum ſeptimum diem in carcere tranſegiſſet, octauo die Præſes in tribunali ſedens, iuſſit Areſtem illuc duci, & in eum intuens: Nefarie, inquit, impie, & deorum inimice, cur auſus es frigida quædam & ſtulta verba loqui? An propterea id feciſti, quia leniter tecum locutus ſum? Age igitur ſaltem nunc quod æquũ eſt, facias, niſi enim mihi obtemperaueris, diis ſacrificans, acerbiores cruciatus contra te ſtatim excogitabimus, & peſſimis modis vitam tibi auferemus, corpuſque iſtud tuum in aquam proiici iubebimus. Ad hæc Areſtes: Liceat omnia tormenta tua huc afferri: paratus enim ſum ea libenter perferre, cum Domini mei IESV CHRISTI ſigillum in

Contemnit minas martyr inuictus.

corde

corde meo impreſſum habeam. Tunc furore accenſus Præſes, iuſſit clauos, palmi longitudinem ſingulos habentes, afferti, & clauis illis eius talos configi. Cum igitur martyris pedes carnifices configere voluiſſent, pedes illi facti ſunt ita duri ac ſolidi, perinde ac ſi ferreæ crepidæ fuiſſent.

Nota miraculum.

ITAQVE cum impius Præſes animaduerteret, Areſtem nequaquam poſſe ſubiici, diabolus in eius mentem con- IX.
iecit, vt alia quadam machina excogitata, celeriter martyrem interficeret. Præcepit igitur cohorti, vt equum quendam maxime terribilem illuc adducerent, & Areſtæ manus catenis conſtrictas, in illius equi femore illigarent, & animal ipſum vi multa impellerent, vt vitæ finem quamprimum martyr haberet. Fecerunt carnifices, quod à Præſide iuſſi fuerant, eumque longè ab vrbe Tyana quatuor & viginti milliaribus, in equi femore ligatum pertraxerunt. Quo loco ſpiritum Deo reddidit.

Feliciter abit è vita.

HOC audito, Præſes iuſſit martyris reliquias in flumen quoddam, Phibum nomine, quod eſt è regione montis, X.
ſtatim demergi. Eo autem loco viſus eſt homo quidam adſpectu, inſtar Solis, effulgens, qui cum ſancti martyris reliquias collegiſſet, in monte, qui eſt prope vrbem Tyanam, eas depoſuit. Hæc autem cum præſes Maximus feciſſet, ſancti martyris Areſtæ acta miſit in vrbem Antiochiam ad Imperatorem Diocletianum. Completum fuit Areſtæ martyris certamen atque martyrium die nono menſis Nouembris, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: Cui gloria eſt & imperium in ſecula, Amen.

VITA SANCTÆ ET SEMPER MEMORANDÆ THEOCTISTES LESBIÆ, EX SIMEONE METAPHRASTE, HABETVR IN Tomo Aloyſii.

10. NOVEMBR.

LAVDARE quidem ea, quæ ſunt bona, & quæ ad virtutem ducunt & ad pietatem, beatum eſt, & eſt bo- I.
norum virorum, & qui vere digni ſunt laude. Excitant enim auditores encomia, & oratio magis facit æmulari laudes, quam eos, qui ſedent in certaminibus, athletarum æmulatio. Etenim animi ſolent bonis verbis augeri & componi, quomodo corpora moderatis exercitiis. Quamobrem alios quidem facit oratio erumpere ad fortitudinem & magni animi virtutem, & veluti à Deo afflatos tractare arma manibus, & quærere aduerſarios: alios autem amplecti iuſtitiam, & laudare æqui diuiſionem, & totos ea in re verſari, iniuſtos inſectantes: alios amare temperantiam, & vincere voluptates, & magna contentione proſternere libidines. Sunt etiam, quos æmulatio facit proſilire ad philoſophiam, & eam maxime perſequi, quæ verſatur in actione, quæ mores componit, & docet accedere ad Dei imaginem, & ei effici ſimiles, quatenus id humana poteſt natura conſequi: deſpicere ea, quæ fluunt, corpori non parcere, è terra ſurgere, & ad cœlum erigi, vbi noſtra conuerſatio & totius corporis caput eſt Chriſtus. Pium enim eſſe propriè & primo, eſt Chriſtum colere recte viuendo, & abſque vlla reprehenſione, & ſequendo dogmata beatorum Apoſtolorum, & patrum, propter ſpem vitæ æternæ & regni. Sic ergo laudes bonorum & encomia fortium virorum excitant auditores ad æmulationem eorum, qui laudantur, quomodo contra, quæ ſunt mala, aures corrumpunt, veluti quædam peſtis inficiens corpora. Corrumpunt enim, inquit Apoſtolus, bonos mores praua colloquia.

Animum & corpus quæ cōfirment. Sermonis ſiue orationis magna vis. Vera pietas. 1. Cor. 15.

SIC ergo ego quoq; acceſſi ad vos, afferens vtilitatem, quæ eſt ex præſenti narratione: quæ proderit multis bonis, II.
& digna erit, quæ mandetur memoriæ, & conſcribatur. Nam & Deus glorificabitur, qui glorificat eos, qui ipſum glorificant, quomodo ſacra ſcribunt eloquia, & auditores beatum exiſtimabunt eum, qui illa opera fecerit, & volent æmulari. Beatum enim pronunciat, dicit quidam vir magnus, eum, qui eſt dignus beatitudine, vt is ſicut ipſe, propoſito beatus, abſque certaminibus & laboribus. Verumenimuero eos quoque quos laudamus, ſtudemus æmulari. Quod enim quis laudat, id etiam ſcilicet deſiderat: Quomodo contra quod odit, ei detrahit & id vituperat. Cum ergo hæc ita ſe habeant, & oratio oſtenderit eſſe magnam in bonis narrationibus vtilitatem, rogo veſtram charitatem, vt aures accómodantes ad præſens argumentum, & cum curis mundanis facientes inducias, pure accipiat narrationis huius magnitudinem. Sed enim neſcio quomodo mei oblitus, cum & oratione & vita procul abſim ab iis, quæ dicuntur, & etiam conuenire hæc ſcribere iis, qui & certamina & vitam habent parem iis, qui celebrantur, adductus ſum ad hoc ſcribendum. Sed quoniam eſt etiam merces obedientiæ, resque eſt & ſalutaris & beata ducitur, merito abſoluar à crimine audaciæ, implens mandatum viri, ab ineunte ætate Deo conſecrati, & qui elegit habitare ſolitudinem, conuenienter magno Eliæ & Iohanni, qui eſt ſupra omnes, qui ſunt inter natos mulierum. Erit ergo incipiendum ab alto argumentum, eſt enim iam tempus id referre, ſi vos mihi attentas aures præbueritis.

1. Reg. 2. Meritum obedientiæ.

CVM eſſem aliquando in Paro: fui autem, nauigabam enim in Cretam, à beato & pio Imperatore miſſus, qui fuit III.
reuera felix, & felicitatem Romanorum ſimul cum ſuo ſepulcro ſepeliit. Mittebar autem, partim quidem ſimul militans cum clariſſimo illo Hemerio, viro ducendi exercitus peritiſſimo, qui vniuerſæ claſſi imperabat, & vt verius dicam, ipſis etiam animi perturbationibus, ne vero, ſi de eo, quod eſt laudibus dignum, de imperatoria, inquam, eius virtute leuiter & per tranſitum dixero, eius paruam faciens mentionem, eum afficiam dedecore, vt qui taceam præclara eius facinora, quæ non poteſt conſequi oratio, accedo ad præſens argumentum, illius mentionem opportune facturus. Mittebar ergo cum illo militaturus, & deducendus ad actiones artis imperatoriæ, non ſecus ac pullus ad matrem, ad præclariſſima eius ſtratagemata exiliens, is enim erat ſcopus & propoſitum beati mei Imperatoris: partim autem legatione functurus ad Arabes, qui tunc tenebant Cretam. Cum vero fuiſſemus in Iô inſula, & ne vlterius progrederemur, ventus aduerſus prohibuiſſet, nauigauimus ad Parum, in tranſitu viſuri ſitum inſulæ, & contemplaturi quod illic eſt templum Dominæ noſtræ Dei parentis. Cum autem delati eſſemus in portum, qui ſpectat ad Naxum, (is vero ſenſim & paulatim fit profundus, apteque & eleganter ſecedit à fluctu, perinde ac ſi eſſet ad hoc conſtructus, & montis concauitate incluſus, vt facile hyemarent & æſtiuarent nauigia) deſcendimus, & cum parum proceſſiſſemus, ad templum venimus.

Arabes obtinent Cretam.

CVM autem ſuſfiiſſemus, & de more precati eſſemus, admirantes id circuibamus. Erat vero id ſpectatu digniſſi- IV.
mum, & ſeruans ad huc reliquias veteris pulchritudinis, erat enim vndique iuſta conſtructum ſymmetria, & frequentibus erat fultum columnis ex lapide baſilico, & ſecto lapide veſtiti erant eius parietes, non ſecus ac columnæ. Lapidem autem adeo tenuem & ſubtilem effecerat artifex, vt viderentur parietes eſſe induti textis biſſynis. Marmoreus verò nitor lapidum tantum oſtendebat candorem & ſplendorem, vt vel margaritarum ſuperaret fulgorem. Tam egregius erat lapis, vel potius ſtudium artificis, qui etiam contendit naturę tribuere pulchritudinem. Cum autem venerandæ & diuinæ menſæ, quod eſt ſupra impoſitum, tegumentum intra portam vidimus, ſtupuimus elegantiam. Ita enim erat ornatum, vt non videretur habere naturam lapidis, neque ferro & arte & manibus eſſe excisum, ſed ſimile erat cuidam ſucco lactis commixto, cuius ſuffuſio fabrefacta erat ad tecti ſignram. Tali ego lapide vidi aliquando lunam curſum agentem Tauris. Atque iacebat illud quidem confractum, nos autem concurrimus, &, prope ſtetimus, execrantes & maledictis omnino inſectantes eum, qui contriuerat, erat enim id donarium domo Dei plane dignum.

Templum matris Dei in Paro pulcherrimum. Diuinam menſam altare vocat.

CVM nos ergo adſtaremus, & admiraremur, & in eum, qui confregerat, exclamaremus, videmus repente monachum pre- V.

chum profectum è ſolitudine.& progredientem è nemore,& ad nos venientem, vultu pallidum, genis macillentis, nudis pedibus,totum ſquallidum,tunica è pilis contexta,ſuperhumerali & capitis tegumento tunicæ ſimilibus, zona pellicea cinctum circa lumbos,perinde ac fera hirſutum,tanquam Angelum propitium.Neque enim erat ſimilis viro qui cibo veſcitur:ſed carnis propemodum experti & exangui: & vt ſemel dicam,virtutum,vel ipſius potius Dei, habitaculum.Accedens ergò nos ſalutauit,& nos eum viciſſim,& rogauimus vt diceret,quiſnam eſſet, patriamque & genus,& an ſolus hic viueret.Ille autem:Patriam quidem,inquit,& genus & alia,quibus gloriantur ij qui habitant ciuitates,non poſſum dicere.Neque enim eſt mihi curæ aliquid ex iis, quæ ſunt in terra: neque delector iis,quæ fluunt. Pater vero mihi & Dominus,eſt Deus,cui ſoli vitam ago:propter quem ſolus per hanc errans ſolitudinem, pluſquam triginta annos perſeuero.Eſt autem mihi nomen Simeon:dignitas autem,humilis monachus, ſacerdos & miniſter & myſta viui & incruenti ſacrificij.Nos autem viri virtutem reueriti,tam ex verbis,quam ex adſpectu & indumentis præterea vero ex exercitatione,& maxime,quod Dei erat ſacerdos,ad pedes eius procidentes,preces poſtulauimus & veniam,quod eum dignouerimus.Ille autem eſt precatus,& porrexit verba adhortationis:& iuſſit,vt noſipſos attēderemus,& non eſſemus triſti & anxio animo.Eſt enim,inquit, Deus miſericors & patiens: & eos, qui ad ipſum conuertuntur,vlnis excipit ſicut prodigum.

Simeon eremita & monachus eximius.

Perfectus mundi contemptus.

Luc.15.

VI. Cvm has & huiuſmodi alias dediſſet exhortationes,ſiluit.Ego autem cum eſſem curioſior, & ſatis pulchre viri mores intelligerem,rogaui magnum,& ſupplex ab eo petij,vt nos doceret aliquid ex iis,quæ ſunt nobis arcana, neque enim mihi videbatur eſſe expers diuinæ conſuetudinis.Ille verò:De his quidem,inquit, ſatis, nondum enim ſum dignatus talibus.Huc enim veni,vt mea lugerem,non vt quæ ſunt ſupra me,quærerem.Hæc autem dicebat, an fingens, an vera dicens,neſcio.Cum me autem dextra apprehendiſſet,& demulſiſſet tanquam iam familiaris: etenim ſic eum affecit ſimplicitas.Animæ enim magnorum virorum,cum ſint participes eius,quod eſt præſtantius,ad ipſum contendunt accedere,& ipſius primi boni participatione,fiunt omni ex parte boni,ſinceri,ſimplices,ſeparati ab iis omnibus, quæ ſunt in nobis:quomodo etiam hic magnus,cum eſſet iucundus & bonus,videbatur deinceps,eò quod eſſet alienus à ſimulatione,eſſe vnus ex nobis.Deinde iuſſit nos ſedere in ſedibus arte non elaboratis,ſed quæ ſe forte obtulerunt.Erant autem lapides & columnæ ex eo quod corruerat,& herba denſa & viridis,& fons,ex quo ſcatebat aqua dulcis ad bibendum,& totus locus erat plenus quiete & ſilentio,& diuinis dignus narrationibus.

En quales ſint viri heroici & perfecti.

VII. Cvm ergo ſediſſet ſuper herbam, & me iuxta ſedere feciſſet, videbatur lætari, quod in nos incidiſſet. Fixis autem ego intuens oculis:Tempus eſt tibi,inquam,ô pater, narrandi, ſi quid hic vidiſti pulchrum & dignum quod referatur.Sed iam loqui incipe,& refer quiſnam contregit menſæ diuinæ operculum,& quænam eſt ea fera & agreſtis anima,quæ auſa eſt tale opus confringere,etenim cogitabam eum paulatim inducere ad perfectiora.Ille autem cœpit dicere:Audiuiſti de illo Niſiti,qui imperauit Cretæ copiis naualibus. Is cum hic fuiſſet,& admiratus eſſet eius elegantiam,in animo habuit id in Cretam tranſmittere. Poſtquam autem portas eſt dimenſus, & deinde hoc ſacrum & diuinum tectum,& pulchre viſum eſt ſe habere,deiecit humi,& ad portas traxit,vt educeret. Id vero repente factum eſt maius & maius,idque ſæpe,donec tandem ceſſit Arabs.Cum autem fruſtra laboraſſet, & ſcopum non potuiſſet attingere, (nolebat enim,vt videtur,res diuina inquinari,& execrandis ſeruire ſacrificiis,ſtudebat enim,vt dicitur,id deponere in ſynagoga donariorum Agar) furore correptus,cogitauit id confringere.

Vide miraculum.

VIII. Hæc cum audijſſem, maledictis inſectabar ſceleratum illum & execrandum. Ille autem dicit: Ne cures, dedit is haud ita multo poſt pœnas inſolentiæ, vt qui nauem fregerit in Eubœæ promontorio, quod vocatur Xylophagus, & fuerit in eo ſubmerſus.Rogaui autem diuinum illum virum,vt cibum ſumeret,& vt conſolaretur noſtram animi ægritudinem,ſuſcepiam propterea,quod non vlteriùs procederet nauigatio. Videbamur enim tempus terere,aduerſis ventis nobis ſpirantibus.Ille vero cibum ſumpſit,& nihil celans,mihi dixit.Nauigabis quidem Naxum:& cum illic in portu nauem tenueris vno die,ſecundo die poſt nauigans,tertio die venies in Cretam, nihil aduerſi reformidans: & tibi impoſitum munus obibis vt voles,& vt tibi iuſſit Imperator,& reuerſus,pulchre accipieris ab eo, qui te miſit. Atque hæc quidem poſtea facta ſunt,vt ille dixit & finem acceperunt.Cum autem precati eſſemus, & hymnos in templo dixiſſemus,deſcendimus in nauem cum magno illo ſene.Mane autem tranſmiſimus in Naxum, cum eſſet fretum ſolum decem ſtadiorum.Ipſe vero cum Deo diuinum peregiſſet miniſterium,& nos diuinis impertiiſſet ſacramentis, nobiſcum cibum ſumpſit.Deinde cœpit mihi dicere:

Vltio in ſacrilegum.

Prophetia Simeonis monachi. Miſſam dicit.

IX. Tv quidem fortaſſe ad te excuſandum de non ſuſcipiēdo eo,de quo ſum tuam rogaturus charitatem, in medium adduces inopiam,aut ſeruitiorum cauſam,aut vxoris & liberorum & domus curam,aut aliquas alias cauſas, recuſans id,de quo nos te rogamus.Ego autem tibi rerum proſperitatem,fertilitatem & abundantiam rerum omnium polliceor,& fore,vt magnum tibi ſuppetat ocium.Te vero rogo,vt tunc memor eorum,quæ tibi dixi,conſcribas id,quod hic factum eſt,quod dignum eſt quod mandetur memoriæ:vt Deus noſter ab iis,qui audiunt,in admiratione habeatur & laudetur.Mirabilis eſt enim,inquit ille,Deus in ſanctis ſuis, & multi etiam effecti imitatores eorum, qui ſunt laudati propter virtutem,æqualia conſequantur,& ipſe lucrifacies mercedem,quæ ex iis accipitur. Cum me ſic eſſet adhortatus,incepit.

Pſalm. 67.

X. Venatores quidam ex Eubœa huc venerunt non multis abhinc annis,habet enim inſula magnam copiam ceruorum & caprearum.Eorum vnus vir pius,& qui ſuæ curam gerebat animæ,narrauit narrationem valde conſentaneam Dei magnificentiæ,qui ſuo tempore facit admirabilia,& quæ ſunt præter hominum opinionem. Veni, inquit, aliquando huc venator,& cum aſcendiſſem ad diuinam ædem Dei parentis,adoraui & precatus ſum, ſicut mihi ſemper erat mos.Cum autem poſt preces circumſpexiſſem,vidi in ſolo parum aquæ in foſſa,& pauca grana lupinorum,quę madefiebant.Locus enim hic alit lupinos,quomodo reliquæ inſulæ herbas diuerſas.Nam alia quidem prŏducit magnam marathri multitudinem,alia autem ſolummodo rutam, & alia ſatureiam, & alia thymum, aut aliquid aliud. Quod vero fert inter omnia eximium inſula, hoc magis nutrit quam alia,redditque floridius. Vidi ergo, vt dixi, lupinos,qui reddebantur teneri, & me quædam ſubijt cogitatio, quod eſſet omnino aliquis, qui hos demiſiſſet in lacum? & quod, vt eſt veriſimile, vir aliquis diuinus hanc habitet ſolitudinem. Hoc ergo reputans, feſtinabam venire ad ſocios, qui iam ierant in ſyluam.Optabam autem magnam hanc prædam conſequi,ſperabam enim fore,vt magnum aliquod lucrum ab eo acciperem.Et cum multum quidem venati eſſemus,tendebamus ad nauem. Sed illi quidem iuerunt ad mare, ego verò me conuerti ad preces. Ingreſſus itaque hoc templum Dominæ noſtræ, orabam. Video autem ad dexteram ſanctæ menſæ templi veluti quoddam ſubtegmen, quod vento agitabatur: & rurſus viſus ſum videre telam araneæ. Poſtquam autem progreſſus volui diſcernere quod apparebat, audiui vocem dicentem:Siſte gradum,neque vltra progrediaris ô homo,neque accedas propius.Erubeſco enim cum ſim fœmina,à te nuda conſpici.

Templum Dominæ noſtræ, id eſt,ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.

Hæ

Hæc ergo cum audiuiſſem,& obſtupefactus fuiſſem re admirabili,volebam fugere. A carne enim mea pili exilierant,& erant ſpina acutiores. Nam quod inexpectatum repente apparet, deiicit ac deprimit ſpiritus, etiamſi quis videatur eſſe audacis animi. Stabam itaque obſtupefactus,& ore aperto. Poſtquam autem ad me redij, animo confirmatus,rogaui quiſnam eſſet,& quomodo hanc habitet ſolitudinem,rurſus vox extitit,dicens: Iace mihi, rogo tunicam,& cum tecta fuero,quantum mihi iubet diuina voluntas,non dubitabo dicere. Cum me itaque ſuperiore amictu protinus exuiſſem,eum dimiſi,& extra portam ſum egreſſus. Illa autem eum accepit,& ſe induit. Paulo poſt vero reuerſus,video eam ſtantem,vbi prius,& erat figura quidem mulieris:id autem quod apparebat,erat ſupra hominem: pili albi,vultus niger,oſtendens parum albotis,pellis quæ membrorum continebat compagem, cum nulla ineſſet caro, vmbræ ſimilis,forma quæ ſolum humanam ſeruabat ſimilitudinem Hæc ergo,inquit,cum vidiſſem,timebam,conterebar, miſcebam,maledictis inceſſebam,& meam reprehendebam importunitatem, quod cum eſſem curioſus,meos ſocios reliquiſſem. Tremebundus tamen & pronus humi cadens,rogabam vt precaretur,& obſecrabam, vt ab ea benediceret. Illa autem primum quidem conuerſa ad Orientem,vt quæ forte vellet meum ſedare animum, ne ea videretur eſſe ſpectrum,extenſis manibus precabatur,parum ſubmurmurans. Conuerſa autem ad me,dicit:Deus,ô homo,tuî miſereatur,ſed quanam de cauſa veniſti ad hanc ſolitudinem?& quo opus habens,veniſti ad inſulam quæ minime habitatur?ſed quoniam te diuina huc deduxit voluntas, meæ,vt exiſtimo,gratia humilitatis,de me te omnia docebo,vt voluiſti. Cum me autem rurſus humi proſtrauiſſem,ea ſic cœpit loqui: XI.

Ecce hominem, præter humanam formã nihil fere hominis habentem.

Mihi,inquit,patria eſt Lesbos,Methymna ciuitas,nomen Theoctiſte, vitæ inſtitutum monachatus. Cum autem eſſem adhuc infans orbata parentibus,à cognatis tradita ſum in monaſterium virginum,& induta ſum habitu monaſtico. Nata vero decem & octo annos,in diebus paſchalibus,excurri in vicum propinquum ciuitati, ſalutatura ſororem,habitabat enim in vico cum coniuge. Noctu autem irruentes Arabes Cretenſes,quorum Dux erat ille Niſiris omnes abduxerunt captiuos. Mane vero cum pæana cecin ſſent,enauigarunt,& huic inſulæ appulerunt. Adductis autem captiuis,cum quærerent pecuniam & precia ſtatuerent,ego accepta occaſione contendens in ſyluam, curſu feror in intima inſulæ,& de cætero non deſtiti fugere,donec petris & acutis lignis pedes perforaui & conſcidi, & ſanguine terram infeci,& tandem defecta viribus,cecidi ſemimortua,& totam quidem noctem,non ferens dolores vulnerum, acerbè tranſegi. Mane autem cum ſceleſtos prædones vidiſſem nauigantes,liberata ſum ab omni dolore,& repleta ſum maxima animi voluptate,& nunc iam trigintaquinque annos & paulo plus hic alor perpetuo lupinis & herbis, quæ naſcuntur in ſolitudine,vel potius Dei verbo,recordata diuinorum eloquiorum,quod non in ſolo pane viuet homo, ſed in omni verbo,quod proficiſcitur per os Dei. Nuda autem euaſi,confractus mihi pannus,cum quibus abducta ſum captiua. Induor vero & tegor manu diuina,quæ continet omnia. XII

Theoctiſte narrat hiſtoriam ſuã. — *Nota victũ ſanctæ fœminæ.* — *Deut. 8.*

Hæc cum dixiſſet, & manus in cœlum ſuſtuliſſet,egit gratias. Cum autem parum intermiſiſſet, quoniam videbat me terram tacitum intuentem,& nec audentem quidem eam fixis adſpicere oculis,dicit rurſus incipiens: Res quidem meæ quemadmodum ſe habeant,narraui ô homo. Peto autem,vt vna in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno ſequenti nauigaturus es in hanc inſulam venandi cauſa (ſcio enim te omnino venturum,ſi Deus velit) vt in vaſe mundo mihi accipias vnum ex intemeratis donis corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ex quo enim hanc habitaui ſolitudinem, tali dono nequaquam ſum digna ta. Hæc ergo cum dixiſſet,& iuſſiſſet nulli quicquam de iis dicere,cum precatione me dimiſit ad ſocios Ego autem me omnia impleturum pollicitus,abii lætus, quod Deus meum impleſſet deſiderium,quod me dignum cenſuiſſet,qui talem theſaurum cõſequerer. Quomodo ergo Sancta mihi iuſſerat,quando eram cum ſociis exiturus ad venandos ceruos & capreas, quas hæc inſula alit multas & aliorum maximas, & viſu & narratu admirabiles. Nam ceruis quidem ſunt colore ſimiles,ceruis autem maiores magnitudine:eſt autem eis cornu longum,nempe duodecim palmorum,non vt ceruorum,ornatum ramis & adnatis propaginibus, ſed totum rectum,& quod vnum ſolum habet porrectum ſtipitem. Cum ergo eſſem,vt dictum eſt, nauigaturus ad venationem, accepta in pixide parte diuinæ carnis Domini,ea tuli ad beatam. Cum veniſſem autem in inſulam, & declinaſſem in ædem Dei matris,eam non offendi,an autem adeſſet & lateret,quoniam mecum aſcenderant quidam ex ſociis,an vero abeſſet,neſcio,hoc tantum ſcio,me eam non offendiſſe. Atque alij quidem profecti ſunt in ſyluam venaturi, ego autem clam reuerſus ſum in templum,& protinus ſacroſancta mulier apparuit,induta tunica,quam à me prius acceperat. XIII.

Patet inſula alit capreas admirabiles.

Cum me autem in terram proieciſſem,accurrit,& cum lachrymis dixit eminus: Nequaquam hoc facias,ô homo nequaquam facias,diuinum donum afferens,ne vras miſeram,diuina dedecore afficiens. Me itaque tunica apprehenſum erexit. Ego autem eduxi è ſinu meo pixidem cum carne Domini. Cum illa autem in terram cecidiſſet,diuinum donum accepit,& lamentationibus & lachrymis terram rigans,dixit. Nunc dimittis ancillam tuam Domine: Quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum: Quoniam remiſſionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo,quo tua me iubet potentia. Hæc ergo cum dixiſſet,& manus diu in cœlum extendiſſet, me precibus proſequens, dimiſit ad ſocios. Cum paucos autem dies venati eſſemus,& prædam ſatis magnam cepiſſemus, reuerſi ſumus. Et illi quidem profecti ſunt ad nauem:ego autem cucurri,vt illius beatæ preces acciperem viæ comites. Cum autem veniſſem in templum, & deinde circumſpicerem,vt eam viderem,video eam in eo loco,in quo prius videram,emigraſſe. Cum ergo procid ſſem & beatos eius pedes eſſem amplexus,& rigaſſem lachrymis,ſtabam mutus,diu dubitans quidnam facerem. Atque videbar quidem ſapienter & vtiliter facturus,ſi cum lachrymis Deo ſupplicans,& ſanctæ motus reuerentia,rogarem, vt huic rei à Deo prouideretur,& quomodo is oſtendiſſet,iuſſum diuinum exequerer. Quod ſi hoc non eſſem aſſecutus, ſecunda erat,vt dicitur,ineunda nauigatio,nempe vt hanc rem ſociis communicarem, & cum eis ſepulturæ mandarem beatæ reliquias,hymnis & canticis proſequens pro viribus. Sed vt videtur, non facile contingit ſe ſapienter gerere. XIV.

S. Theoctiſte accepta Eucharistia migrat ad Dominum.

Ego itaque non ſum aſſecutus id,quod erat honeſtum & decorum,ſed ruſticitate & ingenij leuitate (Quid enim,& venator & imperitus,noui excogitaſſem?) feci rem audaciorem,fide quidem,vt mihi videbar, ſed minime videbar,ſed minime Deo grata. Nam cum eius manum amputaſſem,& lineo texto inuoluiſſem aſcendi in nauem. Cum profundo autem veſpere è terra ſoluiſſemus,& velum expandiſſemus,ſecundis ventis ſpirantibus ferebamur tanquam volantes,& ſperabamus nos mane venturos in Eubœam Cum autem dies illuxiſſet,inuenti ſumus rurſus ſtantes in eodem portu:perinde acſi ab ancora,aut ab aliqua remora teneretur nauis. Metus ergo omnes inuaſit,& ſe inuicem circumſpicientes,tremebũdi quærebamus cauſam rei,ſciſcitantes & inquirentes,num nefarium quippiam à nobis factum ſit,cur arceremur. Cum vero alius aliud dixiſſet,intelligens ego audax meum facinus, inſcientibus omnibus,in templum ſum reuerſus,& cum poſuiſſem manum in corpore ſanctæ,deſcendi in nauem. Hortatus autem ſocios, cœpi iter ingredi. Cum vero multum prouecti eſſemus,erat deinceps cymba voluens,velum replente vento,fuitque tectus curſus & abſque vllo impedimento,& tunc ego rem narraui ſociis,& quemadmodum beatam illam inueniſſem & quemadmodum res eius ſe habuiſſent,renunciaui,& quemadmodum donum diuinum attuliſſem,& ea dormiſſet, & eius manum habens,ingreſſus ſum veſpere,& propter eam retenti ſumus,& ſperabamus nauigare,& nunc recto curſu ferimur,quoniam depoſui reliquias. XV.

Ecce miraculum.

Hæc

XVI. HÆc cum illi audiuiſſent, & me multum reprehendiſſent, proram protinus obuerterunt, & magno ſtudio in Parum ſunt reuerſi. Omneſque ſimul curſu in templum contendimus, timentes quidem & contremiſcentes: fide autem fieri tamen accedimus, & vidimus quidem locum, in quo erat poſita, ſeruantem veluti figuram corporis: corpus autem euanuerat. Atque omnes quidem inuaſit admiratio & ſtupor, & huc & illuc currebamus, conſiderantes, circumſpicientes, num alicubi cecidiſſet, aut in vitam eſſet reuocata: & totam ſyluam & ſaltus obibamus, eam inueſtigantes, ſicubi diuinus ille lateret theſaurus, miſeri & inſipientes & craſſi homines, & ea perſequentes, quæ reuera non poſſunt comprehendi: & diuinorum ignari miraculorum, neque Eliſei reueriti miraculum, qui eos, qui à Rege Syrorum miſſi erant ad eum comprehendendum, latuit, cum eſſet in medio eorum, & cum eos priuaſſet videndi poteſtate, duxit in Samariam, & Regi tradidit. Mitto enim dicere de magno Thaumaturgo, qui eos, qui ipſum inueſtigabant vt comprehenderent, in monte orans, latuit vt arbor effectus. Cum ergo, inquit, ſic fruſtrati eſſemus venerandis illis beatæ reliquiis, ad nauem deſcendimus, & à terra ſoluentes, domum abijmus, Deum laudantes & hymnis celebrantes, qui ſemper facit res magnas & admirabiles.

Sanctæ corpus non poteſt inueniri.

4 Reg 6.

XVII. HÆc, vt à me ſuperius dictum eſt, cum narraſſet ille beatus homo & maximus, ſacramento adegit me, ne hoc argumentum mandarem profundo obliuionis: nec aliquam afferens excuſationem, tacerem miraculum, diuinam timens vltionem & ſanctæ indignationem. Roganti autem mihi tempus & diem eius deceſſus, vt ſcriberetur cũ miraculo, & eius perageretur memoria, dixit vir ille ſanctus: Multa quidem, vt vides, ô dilecte prætermiſſa ſunt, quæ pertinent ad narrationem. Oportebat enim perſequi & genus, & omnem eius in inſula exercitationem & afflictionem, & quemadmodum decertauit aduerſus inſultus inimicorum. Sed quid agam, cum is, qui in magnam illam incidit, nõ eſſet ſicut magnus ille Zoſimas, qui ſciebat inueſtigare vitam, & certamina & res geſtas: ſed contra nutritus in montibus, & craſſus, & qui hæc non audiuerat: ſed hoc ſolùm memoria tenebat, vt dicebat, quod eſſet tempus autumni, & mentis Nouembris. Sed magni faciendum fuerit, ſi vita beatæ ſcriptis mandetur, & non infodiatur in profundo obliuionis. Memoriam autem, boni omnino viri & eius æmulatores, opportune referent in diem feſti, ſicut placet. Aliquã enim gloriam afferent encomia & celebrationes ijs, quibus regnum cælorum & bona æterna obtigerunt: ad quæ deſiderant etiam adſpicere ordines angelorum. Sin minus, æmulationem quidem certe & zelum iis, qui conueniunt, & Deo laudem ac gloriam, & beatitudinem ipſorum, de quibus fit mentio. Quibus enim vita tribuit gloriam, merito eos etiam beat & ornat, cum prædicatur.

Zoſimas vitam Mariæ Ægyptiacæ exiſpla accuratè perquiſiuit.

Vide hiſtoriam eius. 9. April.

XVIII. HÆc cum ille vir magnus nobis expoſuiſſet, & valde rogaſſet, nos emiſit. Cum ſecundi autem ſpiraſſent venti, die ſequenti Diam appulimus. Hoc eſt inſigne lucrum noſtræ in Paro conuerſationis. Hæ ſunt merces, quæ præter ſpem obtigerunt proficiſcenti in Cretam. Hæc eſt vita beatæ Theoctiſtes. Hæc eſt exercitatio aduerſus principatus & poteſtates, & principem tenebrarum huius ſeculi lucta & decertatio. Ego autem acceſſi implens obedientiam, & exoluens debitum. Ex quo quidnam efficietur: multa quidem etiam alia, ſed hæc tria maxima. Ipſi quidem ſuppeditatori & adminiſtratori Deo laus, confeſſio & gloria: Sanctæ autem ex oratione beatitudo, & anniuerſaria cum eius commendatione memoria: & nobis qui ſcripſimus, munificus & magnus noſter Deus Ieſus Chriſtus, pro prompto & alacri animi ſtudio dabit remunerationem, interceſſionibus ſanctiſſimæ eius matris Dei parentis, diuinorum Angelorum, & omnium ſanctorum: Quoniam ei gloria cum Patre & Spiritu ſancto, nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

Dia inſula eadem, quæ Naxus.

ANN. 290. MARTYRIUM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS † MENAE AEGYPTII, QUI MARTYRIUM SUBIIT IN COTYEO, habetur in Simeone Metaphraſte.

† al. Mennæ.

I. IMPERANTIBUS Diocletiano & Maximiano, qui erant veri Regis hoſtes & inimici, ibãt literæ per vniuerſum orbem terræ, quæ iubebant colere impiam eorum religionem: & quæ mortẽ ſtatuebant pœnam iis, qui non parebant eorum edictis, & à ſolida fide in Chriſtũ non ex animo dimouebantur. Hinc quid non graue accidebat iis, qui diligebant Dominum? Anguſti erant carceres multitudini eorum, qui quotidie capiebantur. Vacuæ erant habitatoribus, quæ fuerant aliquando plenæ domus: ſolitudines, propter multitudinem eorum, qui fugiebant, mutabantur in ciuitates. Amici veritatis, tanquam qui peſſima feciſſent, dedebantur ſuppliciis, diripiebantur facultates, euertebantur leges naturæ, parte quidem ad mortem prodente filiũ, filio autem patrem viciſſim talibus proſequente officiis: & vbique diſperſa erat nox profunda, cum fideles quidem omni ex parte expellerentur, impietatis vero defenſores tota manu confirmarentur, ſanguineq; & nidore ſacrificiorũ ipſe etiam aër inficeretur. Tunc quidem, tunc Menas hic admirabilis & virtute celebris reſplendebat, patriã quidem habens Ægyptum, patrem autem & maiores non ſtabiles in pietate: ſed circa id, quod eſt firmum, minus firmiter affectos. Eius vero ſtudium erat militia ſub tribuno militum, nomine Firmiliano. Ipſe autem cum eſſet Præfectus numeri Rutiliacorum animi præſentia, magnitudine & pulchritudine, & omnibus aliis, quibus ſolet exprimi ſpecies corporis & generoſitatis, præſtabat aliis.

11. Nouẽbr.

Sæua perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano.

Decima cẽſetur hæc perſecutio. De hac vide Baron. ann. 301. & 302.

Menas miles egregiuſ.

II. IN Cotyenſium autem Metropoli ſimulatq; acceſſiſſet ad Tribunum, & audiuiſſet impium iniuſſum Imperatorũ, abiecta zona militari, ſeipſum relegauit in deſerta loca, volens potius vitam agere cum feris, quam cum iis, qui colunt ſimulacra. Vacabat autem ieiuniis & vigiliis, & diuinorum eloquiorum diligenti meditationi. Senſibus autem optimè purgatus, & anima illuminatus, & in arcanis veræ pietatis initiatus per reuelationem, exiſtimans hoc eſſe illud tempus, quod iam olim meditabatur: cum diem obſeruaſſet, in quo vniuerſa ciuitas Cotyenſium publicum celebrabat diem feſtum tanquam natalem, & equeſtris certaminis exhibebatur ſpectaculum, cum totus populus ex alto adſpiceret, collectus ex omni genere, Iudæorum & gentilium & ſimiliter Chriſtianorum: & omnes iam defixis oculis intuerentur certamen, relicta ſua in montibus habitatione, deſcendit in ciuitatem: & cum veniſſet in medium theatrum, & præteriiſſet omnes, qui erant in ſtadio, & locum aſcendiſſet ſublimem, vnde erat videndus ab omnibus, alta voce exclamauit: Inuentus ſum ab iis, qui me non quærunt: manifeſtus euaſi iis, qui me non interrogant: per hæc oſtendens quod non coactus, ſed ſua ſponte acceſſit aditurus certamina.

Cõtempta militia, petit ſolitudinem.

Nota rem ſingularem.

Eſa. 65.

III. OMNES ergo conuertit Menas ad ſui ſpectaculum: theatrum autem deſpiciebatur, equorum reſpuebatur certamen: nihil erat cuiquam præſtabilius, quam illum videre, qui tantam oſtenderat audaciam. Et qui eundem quidem zelum habebant in pietatem, mirabantur martyris loquendi libertatem, & propter voluptatem ſummam, exiliebant. Qui autem decertabant aduerſus pietatem, ad eius cædem iudicem incitabant. P[illegible] autem vox præconis indixit ſilentium, & ſedauit populi tumultum, & ſonum tibiarum, ſtatim atrept[illegible] fuit Menas ad Pyrrhum præſidem, qui & tunc præſidebat in excelſo, & erat ſpectator certaminum. [illegible] quidem eum placide alloquebatur, ſimulans manſuetudinem: voceque leni & benigna, quiſnam & v[illegible] interrogauit. Poſtquam vero & patriam & genus & ipſam militiam & modum exilii protinus dixit ma[illegible] omnia dixit ſe eſſe ſeruum Ieſu

S. Menas ducitur ad Præſidem.

Traditur in custodiam.

Christi, statim iudex fictam mansuetudinem ad naturalem conuertit ſæuitiam:& examinatione reſeruata in diem ſequentem, eum quidem vinctum tradit in custodiam. Ipſe autem cum totum diem vacaſſet ei, quod peragebatur, ſpectaculo, ſequenti die animo æstuans, proceſſit ad examinationem. Omnibus itaque aliis miſſis, accuſabat præcipitem audaciam. Hoc enim eum magis accendebat ad furorem, vt qui ſui eſſe contemptionem arbitraretur illius loquendi libertatem. Ille autem tanquam propterea magis ſibi placens, reſpondit audacius, dicens: Sic conuenit Deum confiteri: quoniam lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt. Hoc enim nos docuit Paulus, dicens: Corde quidem creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.

1. Iohan. 1. Rom. 10.

Terruit itaque Iudicem eius loquendi libertas, & rurſus celabat iram, & rurſus ſimulabat manſuetudinem, IV.
vt martyris audaciam faceret cedere blanditiis, &, Ne amittas, aiebat, ô Mena, vitam hanc dulciſſimam, neq; lucem omnibus hominibus optandam, morte immatura permutes: ſed noſtris pare conſiliis, vt felicem quidem & beatam agas, ab imperatore autem honores & dona conſequaris, & ſis omnibus ſuſpiciendus & felix iudicandus propter rerum ſucceſſum. Martyr autem ad hæc valde & ſuauiter ridens, vt qui ea reputaſſet eſſe apertas nugas, & puerorum potius eſcas, quam ſapientum virorum, hæc ex bono theſauro in eum verba exprompſit, dicens: Nihil eſt, quod mea quidem ſententia conferri poſſit cum regno cælorum. Neque enim totus mundus poteſt æqua lance expenſus, vni animæ comparari. Sed ſi vis mihi gratificari, experire potius per ſupplicia. Sic enim mihi veram conciliabis beatitudinem. Poſtquam autem Pyrrhus audiit hæc verba, non poterat amplius contineri: ſed ad ei infligenda contendit ſupplicia, & lictores acerbius intuens, martyrem quidem iubet extendi à quatuor viris, boum autem neruis cædi vehementer. Cum ſic ergo fortiter torqueretur, & ſanguis è vulneribus effluens terram rubram redderet, quidam ex iis qui aderant, nomine quidem Pegaſius, cognomine autem Princeps, benignitatem ſimulans: Cum videas, inquit, ô homo, quod exiſtit periculum ex inobedientia, priuſquam carnes tuæ penitus flagris conſumantur, ea cogitans, quæ tempori conueniunt, ſacrifica. Fortaſſe enim propterea, quod ſint tormenta intolerabilia, Deus quoque tuus tibi ignoſcet, quod id feceris.

Terretur in ... Irridet ea ... Cæditur ... O ... ſatanæ.

Cum ſic dixiſſet, martyr torue in eum intuens, & verbis eius magis quam flagris cruciatus: Diſcedite à me omnes V.
qui operamini iniquitatem, aperte exclamauit. Ego enim Deo meo ſacrificaui, & adhuc ſacrificabo ſacrificium laudis: qui etiam mihi dat auxilium, & efficit, vt hæc flagella veſtra à me reputentur potius deliciæ, quam tormenta. Cum de hac tolerantia ſua is nihil remitteret, liberiuſque & diſertius loqueretur, ſe præſes ad aliud conuertit ſupplicium: & cum effeciſſet, vt in ligno tolleretur ſublime, iuſſit ferreis vnguibus corpus eius laniari. Deinde tanquam irridens Iudex, & ſanctum ironice alloquens: Senſiſti, inquit, ô Mena, aliquem dolorem? an vis per aliud ſupplicium nos tibi maiorem largiri voluptatem? Martyr autem etſi grauiter laceraretur: Quid cunctaris, inquit? Putas enim me omnino poſſe à te terreri per hoc breue tormentum, aut quæ eſt in me, immobilem labefactari turrem confeſſionis? Hæc cum audiſſet Præſes, iuſſit eum cædi vehementius: & imperauit, vt nullum alium confiteretur regem præter eum, qui eſt vere Rex. Martyr autem, Quoniam non noſti, inquit, quis eſt hic Rex, quem confiteor: propterea blaſphemam & maledicam linguam in eum moues, & hos, in quos cadit interitus, & è terra orti ſunt, ei facis ſimiles: qui eſt etiam is, qui eos conſtituit in imperio, & eſt vniuerſæ carnis & ſpiritus Dominus. Deinde iudex, non vt qui vellet diſcere, ſed vt qui ſe ſimularet ignorare: Quis eſt is, dicebat, qui dat regibus potentiam, & eſt omnium Dominus? Ieſus, inquit, Dei filius ſemper vnus, cui ſubiecta ſunt omnia, quæ ſunt in cælo & in terra. Tyrannus autem: Hoc autem tu nunc, inquit, declarasti, quod Reges propter hoc ipſum, quod tu dicis, Chriſti nomen indignantes, iubent vos cruciari. Martyr vero: Si indignantur, inquit, indignentur: hæc nihil ad me, qui ſum Chriſti ſeruus. Hoc enim mihi magis eſt in votis, hanc pulchram cõfeſſionem ferre vſque ad mortem, vt efficiar dignus coronis, quæ pro ea accipiuntur. Scriptum eſt enim: Quis nos ſeparabit à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu? afflictio, an anguſtia, an fames, an perſecutio, an periculum, an gladius?

Pſal. 6. Mena martyr cruciatur. Ferreis vnguibus laceratur. Rom. 8.

Cum autem Martyri, qui tamdiu fuerat ſuſpenſus, recordatio eius, qui fuerat in cruce ſublatus, laboribus VI.
defeſſum & viribus defectum corpus confirmaret, Præſes maiore percitus inſania, iubet excoriatas eius carnes textis ex pilis confectis valde atteri & confricari. Quod cum fieret, Pelliceas, aiebat martyr, tunicas hodie exuo: ſalutaris autem indumento induor. Deinde ardentes ignis lampades iuſſit Iudex inferri. Sed ea quoque cum æterno igne collatæ videbantur vim vrendi habere imbecillam. Videbatur enim martyr virtute Chriſti, quæ intentabantur, omnia deſpicere. Quamobrem audacter etiam dicebat iis, qui ipſum puniebant: Habeo perſuaſum à Domino meo & Rege, non timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: illum autem potius timere, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Cum vero vidiſſet Iudex maximam & plane inuictam martyris tolerantiam, & alioqui animo verſaret opportuniſſimas eius reſponſiones, tormentis miſſis, acceſſit ad verba: &, Dic mihi, inquit, ô vir admirande, vndenam eſt à te inuenta hæc præclara dicendi facultas, cum ſis miles, & vixdum heri & nudiuſtertius verſatus ſis in literis: vacaris autem potius bellis & certaminibus militaribus vt plurimum. Cum autem dixiſſet martyr, Chriſti hæc eſſe verba, qui dixit: Quando ducti fueritis ad Reges & præſides propter me, ne cogitetis quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Reſpondit vero Præſes: Veſter ergo præſciuit Chriſtus fore, vt talia pro ipſo pateremini? Martyr autem: vt qui ſit, inquit, verus Deus, eſt conſequens, vt ſciat etiam quæ ſunt futura. Ipſe enim eſt vniuerſi cauſa & conſtitutio, & qui ſciebat omnia, antequam producerentur ad eſſentiam.

Immanis cruciatus. Ardentes lampades ei admouentur. Matth. 10. Ibidem.

Cum autem non haberet Iudex, quidnam ad hæc conuenienter reſponderet: Miſſis, inquit, ſupervacaneis his VII.
probabilibus tuis orationibus, volo te vnum eligere è duobus: nempe vt aut nobiſcum ſimul verſeris, recte id quidem faciens: aut totum Chriſtum confitearis. Poſtquam autem cum magna libertate dixit martyr: Cum Chriſto meo fui & ſum & ero, dixit præſes ſe in eum adhuc futurum lenem & patientem: & iubet ei dari aliquod tempus ad conſiderandum. Eius enim admirans tolerantiam ſimul & intelligentiam, conabatur eum ad ſuam traducere ſententiam, nè tanti viri iacturam gentes facerent. Cum autem poſt hæc martyr vſus eſſet in eum verbis audacioribus, Deum quidẽ aperte Chriſtum confitens: deos vero, quos ille colebat, dæmones profanos appellans, ira rurſus præſes accenſus vehementius, iubet murices ferreos ſpargi in terra, & vinctum pedibus & manibus ſupra eos trahi per ſummã crudelitatem. Ille autem tanquam ſi per pratum aliquod & molles flores traheretur, illius deos & dæmones libere inceſſebat maledictis. Propter quæ Iudex rurſus iuſſit ſanctum verberari in collo & genis: Ne, inquit, ſic deos deſpiciens, eos quoque impudenter affeceris contumeliis. Cum multas autem horas verberaretur martyr, adſtans quidam ex cohorte Heliodorus, & veluti volens ſuggerere ea, quæ conferebant ad propoſita: Domine præſes, inquit, tuam claritatem exiſtimo non latere, quod horum qui dicuntur Chriſtianorum amentia ſcit contemnere tormenta vel ſtatua fortius, & mortem reputat tanquam dulcem aliquam potionem. Mittens ergo de his incaſſum laborare, cito velis in eum vltimam proferre ſententiam.

Iudex eius tolerantiam & ſapientiam admiratur. Murices ad ... cruciatum.

Cum ergo defeſſus eſſet præſes, & meditaretur vltimam ſententiam in eum pronunciare, accedentes quidam VIII.
ex iis, qui olim martyri familiares fuerant & amici, ipſum demulcebant, complectebantur, rogabant & ſupplicabant, & ſe exiſtimantes ſuadere vtilia: Ne deſpexeris, dicebant, ô Mena, familiaritatem tuorum amicorum, & decus militiæ &

vitam

vſum voluptatum,& vitam,quæ eſt omnibus natura deſiderabilis:& ne ignominiam quidem gloriæ, mortem autem vitæ antepoſueris.Martyr vero tanquam virus aſpidis fugiens eorum ſuaſiones:Ceſſate,inquit,Dei hoſtes:& vosipſos potius vtiliter corrigite,& à tanta deſiſtite inſania.Nam hæc quoq; momentanea & vobis chara vita mox præteribit: manet autem vos æternus & qui nunquam deſinit cruciatus,quem cum veſtro præſide & eius Imperatoribus iuſtè adipiſcemini. Cum autem vidiſſet Iudex martyrem tam fortiter depugnare aduerſus omnia,quæ ab ipſo fiebant & dicebantur,non amplius ad alias interrogationes,ſed ad ipſam ferendam ſe parat ſententiam : & cum breuiter cum iis, qui erant eiuſdem ſententiæ in impietate,conſultaſſet,capitis vltimam tulit in eum ſententiam , & lictorem quidem adeſſe iubet cum nudo enſe:ſignificauit vero locum extra ciuitatem.

Martyr contēnit quorūdā peſtiferas ſuaſiones.
Iubetur capite cædi.

IX. Cvm autem peruentum eſſet ad locum,& martyri priore ſtadio ſecundum viſum eſſet alacrius,poſtquam notos parum conueniſſet,& verba ſua precibus obſignaſſet,apparens plenus lætitia , vt qui repoſitam ſibi beatitudinem viſione apprehenderet, vt etiam gratias agens abiret ad lætitiam mox eum excepturam. Ago tibi gratias , dicebat; Domine Deus,quod me dignatus ſis conſpici ſocium precioſæ tuæ mortis, & non dederis deuorandum beſtiis agreſtibus:ſed effeciſti perpetuo puram in te ſeruare fidem.Hæc cum dixiſſet,& genu flexiſſet , ad plagam ei gladio inferendam perrexit. Poſt plagam autem ſacrum corpus ignis accepit:& ſic quidem fuit diſſolutum id ſancti , in quod cadebat interitus:anima autem ad beatam hæreditatem deducta eſt ab Angelis. Hinc viri pii magnam adhibent diligentiam,vt martyris reliquiæ ex igne tollerentur,& in inſignibus locis reponerentur. Quas quidem cum collegiſſent,& mundis ſindonibus impoſuiſſent,vnguentiſque & ſuffitibus inunxiſſent , & iuſta omnia eis ſancte feciſſent, eas paulo poſt in ſuam patriam retulerunt,quomodo ante conſummationem iuſſerat martyr Chriſti. Oportebat enim eum quæ & genuĕrat & aluĕrat , eum quoque accipere conſummatum martyrio : & non illam quidem tenere locum matris , aliam autem præter eam frui gratia reliquiarum. Hoc enim conſulto factum eſt à Chriſti prouidentia : Quem decet omnis gloria, honor, potentia, maieſtas & magnificentia, nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Feliciſſime pro Chriſto occumbit.
Vide ſtudiū antiquorū erga reliquias ſanctorum.

TIMOTHEI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI NARRATIO DE MAXIMIS MIRACVLIS SANCTI ET GLORIOſi Martyris Menæ.

I. Accidit, vt poſt mortem impii & Deo inuiſi Diocletiani Imperatoris , Dei voluntate imperaret Conſtantinus,pius & Chriſti amans Imperator.Cordis enim eius oculos tetigit lux intelligens , & ei illuxit gratia Dei,quæ ſuperat omnem hominis intelligentiam,potentique & inexpugnabili ſua dextera deduxit eum ad viam ſalutis.Nam vbi eſt gratus animus & cor mundum,illuc etiam accedit ſanctus Spiritus. Erat autem vir,qui valde timebat Deum,& omnia eius mandata exequebatur diligentiſſime,omnem hominem deducens ad portum ſalutis. Meminerat enim eius,qui dixit: Nō [a] adorabis deum alienū, ſed adorabis Deum viuum:& reddes altiſſimo vota tua. Iuſſit autem edicta quoque ſcribi per vniuerſum orbem terræ,vt Chriſtus,qui blaſphemiis & maledictis inceſſebatur ab impijs & iniquis gentibus, prædicaretur in omnibus finibus,& crederent omnes in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.Iuſſit [b]Eccleſias quoque ædificari, in nomine omnium ſanctorum & glorioſorum martyrum,qui propter verum Deum noſtrum fuĕre martyres , & confeſſi ſunt pulchram confeſſionem.Similiter autem iuſſit etiam mundum & incruentum Chriſto Deo noſtro quotidie offerri ſacrificium ad conuerſionem & pœnitentiam omnium fidelium.

Miraculū I.
Nota non immediate Diocletiano Conſtātinū ſucceſſiſſe,ſed Cōſtantium ac Galerium deīn Conſtantinum:
a Exod. 20. Deut. 5. Pſalm. 49.
b Cōſtantinus iubet eccleſias extrui in honorē martyrum.

II. Tvnc ſurrexerunt quidam ex fidelibus ciuitatis Alexandrinæ,& quæſiĕrunt reliquias ſancti & glorioſi martyris Menæ,vt in eius nomine ſanctum templum extruerent. Vniuerſa autem illa prouincia congregata fuit in loco, vbi erat templum ædificandum,vt id cito perficerent. Eo autem perfecto Dei gratia & ſancti interceſſione,erat homo quidam ex regione Iſaurorum valde diues. Ingreſſus eſt autem Alexandriam cauſa negociationis : & audiuit omnia miracula & curationes,quas fecit ſanctus Menas,& dixit apud ſe:Volo ego quoq; ire,vt [c] orem in templo ſancti martyris Menæ,& adorem precioſas & ſanctas eius reliquias,& dem illic paruam benedictionem:vt Deus nobis ferat opem,& nos ſeruet ſancti interceſſionibus.Surgens itaque accepit ſecum crumenam, & tranſijt ad lacum maritimæ. Et cum inueniſſet nauigium,peruenit ad locum,qui dicitur Loxoneta:& egreſſus à nauigio, ſibi quæſijt manſionem, erat enim veſpera. Deinde cum in loco inueniſſet tabernam,dixit domino tabernæ: Amice, fac mecum miſericordiam, & accipe me in tuam tabernam , quoniam aduesperaſcit,& timeo ſolus viam ingredi:neque enim hic habeo vllum alium.Dixit autem ei tabernarius:Ingredere frater,& mane hic donec illuxerit.Ingreſſus autem hoſpes, ſedit in taberna.Dominus vero tabernæ parauit veſtes ſtragulas,vt ambo dormirent.

c Cultus reliquiarum.
Interceſſio ſanctorum.

III. Cvm viri autem crumenam vidiſſet tabernarius, ſubijt cor eius, qui ſemper vitæ noſtræ curis vacuæ inuidet diabolus,& fecit eum vigilare,donec ſomnus inuaſiſſet hoſpitem. Cum is autem dormiiſſet , ſurgens tabernarius, accepit gladium,& occidit hominem. Deinde accepit ita vt erat,crumenam,& dixit apud ſe : Quid faciam hoc corpore,ne quis ſciat cædem quam feci,& me deferat ad magiſtratum ? Sed ſurgam,& hoc probe curabo. Immittam enim in ſportam,& iaciam in lacum. Quod cum feciſſet,ſuſpendit eam ſub tecto, vt cum data ei eſſet poteſtas eundi ad lacum,eam illic iaceret. Cum hæc autem feciſſet,ortus erat Sol,& timuit interdiu eum in lacum iacere. Accepit vero eius quoque caput,vt id quoque frangeret,& immitteret in ſportam. Ecce autem ſanctus martyr Chriſti Menas,venit eques cum magna multitudine,præ ſe ferens ſpeciem ſpatharij , accedens ad tabernam. Videns vero ſanctum venientem tabernarius,timuit quoniam ſaluum adhuc erat caput hominis: & feſtinans, accepit caput , & id ſuſpendit in medio tabernæ,neſciens quid ageret præ metu. Cum veniſſet autem ſanctus Menas , aperuit oſtium tabernæ,& apprehendit hominem, qui dicebatur tabernarius,& dixit ei: Dic mihi verum. Vbi eſt homo hoſpes , qui hîc manſit ? dicit Sancto tabernarius : non manſit hîc homo hoſpes : dicit ei Sanctus ; ſi non manſit hîc homo , ſede hic quietus , & ego eum inueniam. Cum ergo ſtatim ſportam accepiſſet ſanctus Menas , inuenit caput hominis ſaluum cum reliquis membris, & dicit ei : Non dixi tibi me, propter quem huc veni , hominem ex me eſſe inuenturum ? Tunc videns tabernarius ſanctum,& cohortem quæ erat cum eo,valde timuit. Exiſtimabat enim Imperatorem omnino cognouiſſe cædem,& miſiſſe ad eum. Quamobrem metu perculſus, rogabat ſanctum, qui videbatur ſpatharius,dicens:Miſerere mei,domine mi,quoniam peccaui valde , & cognoſco peccatum meum eſſe valde magnum. Vnde etiam Imperator te miſit ad me miſerum : & conſiderans Dei gratiam eſſe tecum, confiteor me peccaſſe coram Deo & coram te. Quando vidi,domine mi,crumenam valde magnam, impletum eſt cor meum infelici furore aduerſus eum,& fui cum,donec eſſet ſopitus. Deinde autem ſurrexi,& occidi eum , vt eius poſſiderem pecunias. Ecce autem,domine mi,nondum acceſſi ad eius crumenam, neque ex ea accepi aliquid: ſed

Crudele facinus.
Vide ſtupēdum ſancti Menæ miraculum.
S. Menas in ſpecie ſpatharii venit excitaturus crudeliter occiſum ſerdum ſuum.

eam do ſaluam tuæ poteſtati, & præterea alios tibi dono centum nummos: me ſolummodo libera ab hac cæde. Reſpondit ei ſanctus Menas, & dixit: Ducere, ô homo, pœnitentia tui delicti, & ego tibi condonabo. Ille autem dixit: Domine ſphathariæ, facio vt iubes: & qua hora liberatus fuero ab hoc periculo, ibo ad ſanctum Menam, & pœnitentia motus, accipiam habitum. Videns autem ſanctus eius pœnitentiam, dixit ei: Affer huc ad me ſportam, in qua iacent membra hominis, vt perfectè euadat manifeſta Dei gloria in ſanctis ſuis. Tabernarius autem protulit ſportam, & eam poſuit coram ſancto, & ea hora in loco ſuo poſuit omnia membra hominis. Tunc flexis genibus ſanctus Menas diu orauit clementem Deum, vt ſuſcitaret eum, qui fuerat occiſus: non propter hominem ſolum: qui occiderat, ſed etiam propter eos, qui tunc erant, hæreticos & gentiles, qui erant increduli in ſanctum Dei martyrem.

Sanctus Menas excitat mortuum.

Post longum autem tempus dixit ſanctus Menas ei, qui fuerat occiſus: Tibi dico: In nomine Domini noſtri IV.
Ieſu Chriſti, qui me firmauit in petra confeſſionis ſuæ, ſurge ſanus, & egredere ex hoc loco valens & ſaliens, & coniuncta habens omnia membra tua ſicut prius, vt per te diſcant hæretici & impiæ gentes gloriam Dei noſtri, ſcias autem ipſe quoque, quod ego ſum Chriſti ſeruus Menas. Pro inus autem in illa hora ſurrexit homo ſaluus & ſanus & perfectus, ſicut erat prius. Tunc homo ſtupore affectus, humi flexis genibus, adorauit ſanctum martyrem Chriſti Menam, & eam quæ cum eo erat multitudinem, dicens: Ago gratias Deo & Domino omnium, qui fecit mecum miſericordiam per tuum aduentum ſancte Dei. Nam cum eſſem ſomno grauatus, veniens dominus cum magnis copiis me excitauit. Et cum ei benedixiſſet ſanctus martyr Chriſti Menas, & ſimiliter etiam occiſori, ſtatim ab eis euanuit.

Templum Menę martyris antiquiſſimum.

Tunc cum magno gaudio tabernarius acceptis centum illis nummis, & hoſpes eius crumena, abierunt in templum ſancti martyris Menæ, & dederunt ea, quæ ſancto promiſerant. Et ſtatim confeſſus eſt tabernarius coram vniuerſo populo cædem, quam fecerat, hoſpitis, & quemadmodum Sanctus eum ſuſcitauit ſuis precibus. Cum omnes autem Deum glorificaſſent, admiratus eſt hoſpes, audiens quod interfectus, immo vero membratim conciſus, per preces ſancti repente ſurrexiſſet. Eum vero rogauit tabernarius, vt eius acciperet habitum. Tonſus autem tabernarius, illic manſit ſeptem annos, & ſic in pœnitentia obiit & confeſſione. Hoſpes autem reuerſus eſt lætus & exultans in domū ſuam, & toti Alexandriæ narrans gloriam Dei, & miracula ſancti & glorioſi martyris Menæ. Ab eo autem die credidit magna multitudo gentilium & hæreticorum, admirantes, ſtupentes, quod Deus per ſancti interceſſionem curet omnem animam.

Nota vim & efficaciā interceſſionis ſanctorum.

Miracul. II.

Aliud miraculum, ô dilecti, volo vobis narrare, quod factum eſt à ſancto & beato martyre Mena. Alexan- V.
driæ erat quidam vir diues, nomine Eutropius. Qui dixit apud ſe: Deus impleuit me donis ſuis. Ecce vado ad artificem, & faciam duos diſcos argenteos, & ex eis dabo vnum templo ſancti Menæ, & habebo alterum in meum vſum: & in deceſſu eum quoque dabo ſancto pro remiſſione meorum peccatorum. Acceſſijt autem artificem in domum ſuam, & dixit ei: Adeſdum magiſter, accipe hæc vaſa argentea, & ijs fractis, fac mihi duos diſcos, nihil addens, nec alium faciens alio ſuperiorem: & in vno quidem ſcribe nomen ſancti Menæ, in altero vero nomen meum, & diligentia vtere ad hæc opera. Fecit autem diſcos artifex, & eos inſcripſit, euaſit vero ſancti diſcus, pretioſior & honorificentior. Eutropius autem inuidit diſco ſancti, & dixit apud ſe: Ego vado ad ſanctum: ei autem dabo diſcum, in quo ſcriptum eſt nomen meum, & tenebo diſcum ſancti ad vſum meum, & in vltimo die vitæ meæ eum quoque reddam. Tunc abiens ad litus, conſtituit naui ire vſque ad templum, dicens apud ſe: Porro ſancti diſcum ad meum miniſterium. Cum eſſet autem tempus prandii, dum ipſe nauigaret, parauit ſeruus eius menſam, vt ipſe prandeeet. Accepit vero ſeruus diſcum ſancti, & domino ſuo cibum in eo appoſuit. Poſtquam autem impletum fuit prandium, abiit ſeruus eius ad lauandum diſcum in lacu. Ecce autem extitit magna caligo, & cecidit diſcus in aquam. Timens verò ſeruus ne eius dominus id ſciret, & eum tormentis perderet, exutus ſe proiecit poſt diſcum. Quando autem ſciuit dominus quod factum fuerat, magno dolore eſt affectus, & ſcidit veſtimenta ſua eiulans & dicens: Hei mihi miſero, valde peccaui, Inuidens enim diſco ſancti, cum eo ſeruum quoque meum perdidi. Quid faciam neſcio, non enim habeo hominem, qui mihi ſeruiat. Hei mihi, fuit hæc res mihi magno probro & dedecori. Si enim ſciuerint, quod diſcum ſancti retinuerim, quanto me probro afficient? Vtinam priuſquam hoc ſignificarem, pro vno diſco dediſſem templo tres diſcos, duos argenteos, & vnum aureum: & ad me non perueniſſet hoc malum opus & dedecus hominum. Satius enim fuiſſet eos dediſſe, quam ſeruus meus morte acerba mihi periiſſet. Quod ſi dignus cenſear, qui vel eius corpus videam, vt ſepeliam, dabo duos diſcos tēplo ſancti martyris Menæ; & eius ſerui, quem perdidi, dabo precium, quoniam ſum tranſgreſſus, retinens ſancti diſcum in vſum meum.

Eutropius tentatur a ſatana.

Diuina vltio fraudem eius perſequitur.

Eo autem hæc ſic deflente & dicente, nauis venit ad portum. Eutropius autem adſpiciebat in litore, apud ſe VI.
ſperans & dicens: Fluctus corpus eius omnino traxerunt ad litus: inuentum vero id ſepeliam. Dixerunt autem ei nautæ nauigii: Quam eſt hoc à ratione alienum, quod cum duobus diebus nauigauerimus, tu modo quæris eius corpus. Dixit Eutropius: (erat enim valde fidelis) Spero in Deum & in ſancti Menæ interceſſiones, qui eum, qui erat membratim conciſus & mortuus, excitauit ſaluum & integrum, quod eius corpus videbo ante mortem meam, vt id ſepeliam propter probrum hominum. Hæc cum ipſe dixiſſet, ecce puer veniebat cum diſco ſequens nauem. Eutropius autem cum vidiſſet puerum procul ſtantem, ſecum quoque diſcum habentem, & nauem circumeuntem propter dominum ſuum, nautæ viſo puero proram nauis admouerunt litori. Cum hoc autem vidiſſet ſeruus, apprehendit funem nauis, & in eam eſt ingreſſus. Quando vero vidit ipſum dominus eius, amplexus eſt eum lætus, & dicens: Ecce bonus meus ſeruus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Lachrymantes autem omnes propter id, quod factum fuerat, eum ſunt conſolati. Ille autem dixit: Lætabor & exultabo, quod Deus mei hodie eſt miſertus per interceſſiones ſancti martyris & defenſoris mei Menæ. Cui tu narrabo, ô ſancte Dei, admirabilia & hæc ſigna, quæ in me oſtendiſti? Vnum autem me cruciat & vnum horreo, quod ſi omnia mea tibi obtulero, non ſufficiunt: quoniam peccaui, & non memini eius, qui dixit: Non concupiſces res proximi tui, & maxime ſancti: Nunc autem, fili, dic mihi, quid tibi accidit in lacu, & quomodo fuiſti ex eo liberatus? Dixit puer: Domine mi, quando acceſſi vt lauarem diſcū in lacu, orta eſt magna caligo, & cecidit à me diſcus in lacum, & dixi apud me: Quid faciam, aut quomodo me excuſabo domino meo? Timore itaque affectus, me ieci in lacum. Quando autem ingreſſus ſum aquam, vidi virum valdè lucidum, & alios duos ſtantes cum ipſo, & dixit eis: Tenete eum: & ab illa hora nunquam ſeparati fuerūt à me, donec huc veni. Statim autem cognouit Eutropius celerem fuiſſe adiutorem magnum Chriſti martyrem Menam, & Deum laudauit, qui dedit talem poteſtatem ſanctis ſuis. Deinde ambo ſimul euntes, venerunt in templum ſancti Menæ, & dedit illic duos diſcos, & ſeruum illum, vt ſeruiret illic ſancto loco, & ſic reuerſus eſt in domum ſuam, laudans & benedicens Dominum Deum, & omnes ſanctos eius, qui per ipſos dat ſalutem populo.

Sanctorum interceſſio.

Ingens miraculum.

Sancti martyres defenſores noſtri.

Exod. 20.

Nota quid ſancti præſtent hominibus.

Per ſanctos dat Deus ſalutem.

Mirac. III.

Erat mulier quædam ſterilis in regione Phecoræ ſeratum. Ea erat valde diues in auro & argento: à parenti- VII.
bus autem & marito eius vocabatur Sophia. Erat autem eius quoque maritus valde pius & virtutis ſtudioſus. Cum vero audiiſſet mulier illa ſterilis, de beato & glorioſo Chriſti martyre Mena, & eius miraculis, dixit apud ſe: Ibo ego quoque humilis & abiecta in templum ſancti, & cum illic adorauero, deflebo peccata mea: quoniam non eſt mihi

filius,

filius, vt ſit hæres mearum facultatum. Scriptum eſt enim: Tranſibit mundus, & cupiditas eius. Tollam ergo aurum meum & omnia mea, & veniens in templum ſancti Menæ, ea illic dabo pro remiſſione meorum peccatorum, & omnino in futuro vitam æternam poſſidebo. Surrexit autem mulier, & accepit omnia quæ habebat, & clam iuit ſola in templum venerandum ſancti Menæ, nec fuit vllus è domo eius, qui animaduerrit, ne id renunciarent marito ſuo, & is eam retineret. Cum autem ingreſſa eſſet ſola in ſolitudinem, & perueniſſet ad vnum milliare à templo ſanctæ & glorioſæ primæ martyris Teclæ, ea ambulante, ecce quidam miles ex iis, qui viam cuſtodiebant propter latrones, venit eques accurrens: & cum vidiſſet mulierem, ingreſſus eſt diabolus in cor eius, (erat autem, hora ſexta diei) & quando adſpexit eam ambulantem ſolam, voluit ei id facere, ad quod eum incitabat œſtrum libidinis.

1 Iohan. 2.

Tecla prima martyr.

VIII. Cvm itaq; tenuiſſet mulierē, dixit ei: Quo vadis, ô mulier? Putabat aūt mulier eū voluiſſe rapere diuitias, quas ipſa ſecū ferebat ad miniſteriū martyris, & dicit ei: Ecce ego vado ad tēplū S. Menæ. Ille dicit: Ecce locus eſt deſertus, & nemo eſt qui nos adſpiciat: age dormiamus ſimul. Si aūt mihi non obedieris, ego te occidā hoc meo gladio: accipiā aūt tuas pecunias. Illa vero reſpondit cū lachrymis: Ne, ô domine mî, turpē hanc rē feceris in me, quæ ſum humilis & abiecta. Egreſſa enim ſum è domo mea, vt vadam in templum Dei, & defleam peccata mea: neque vllum alium cognoui vnquam, niſi meum maritum. Time eum qui dixit: Non concupiſces res proximi tui: & memento eius, qui dixit: Alienæ parti ne appropinquaueris. Condona mihi miſeræ, & ne cogas me hoc facere: adiuro te per Deum & ſanctum eius Menam, quod me & magno dedecore afficis, & hoc peccatum tibi non condonabitur, neq; in hac vita, neque in futuro ſeculo. Miſerere mearum lachrymarum, & parce meis gemitibus. Quod ſi me dimittas, præbeo tibi duo numiſmata. Ille autem nolens; eam valde tenebat: & gemens dicebat mulier: Vndique mihi ſunt anguſtiæ. Deinde etiam flexis genibus, cum lachrymis clamabat & gemitibus: Ecce Domine, tu ſcis occulta hominum, & cognoſcis non eſſe meam voluntatem: neque hanc iniquitatem. Clamanſque magna voce, dixit: Sancte Dei Mena, fer mihi opem.

Exod. 20.

IX. Cvm autem miſerabilis ille eam ieciſſet humi, vt ei afferret vitium, alligauit equi ſui habenas pedi ſuo. Tunc ſanctus Chriſti martyr Menas, qui eos liberat qui ipſum inuocant in afflictione, ea ipſa hora accedit eques, & mulierem rapuit è manu militis, & eam portauit ad equum ſuum. Equi autem frenum tenens ſanctus, magna vi eum trahebat, erat autem alligatus pes militis: & currens equus, dominum ſuum trahebat ſuper terram, donec veniſſet in templum ſancti martyris Chriſti Menæ. Eum vero videns vniuerſus populus, fuit obſtupefactus. Interdiu enim magna multitudo populi congregatur in templo ſancti Menæ. Ille autem miles quando vidit gloriam ſancti, accepit equum ſuum, & donauit templo ſancti martyris Menæ: & ab illo die non peccauit miles vſque ad horam mortis ſuæ: ſed verſabatur in precibus & ſupplicationibus, & cum multis lachrymis rogabat ſanctum, vt ei condonaret hoc peccatum.

Ecce quomodo mulier ſanctam inuocat, & ille ſtatim adeſt, & fert opem.

Mirac. III.

X. Erat Alexandriæ Hebræus quidam negociator, habitans prope quendam Chriſtianum. Intercedebat autem magna amicitia inter Hebræum & Chriſtianum. Quodam verò die vadens Hebræus ad negociandum, reliquit in domo Chriſtiani crumenam bullatam. Quando autem reuerſus eſt Hebræus à negociatione, miſit dona ad Chriſtianum, propterea quod aurum cuſtodiſſet. Quando autem dona ab eo accepit Chriſtianus, eum illudens in corde ſuo, dixit: Reuera & dona accipiam, & ſi tuas quæſieris pecunias, nihil habebis. Porro autem ſic quoque vxori ſuæ eſt locutus: O vxor, ſi videatur, negemus huic Hebræo aurum ſuum, & ſi pergat repoſcere, iuremus ei: & ſic recedet. Nam quod propter eum fit iuſiurandum, nos non lædit, quoniam Hebræo iuramus, & non Chriſtiano. Illa autem dixit: Domine, fac vt tibi videtur. Sequenti vero die ſurrexit Hebræus, & venit ad Chriſtianum. Chriſtianus autem diaboli ſuggeſtione negauit, dicens: Nihil vnquam nobis dediſti. Inter ſe autem diu litigarunt, adeo vt illuc tota congregaretur ciuitas. Poſtremo autem Hebræo venit in mentem, vt diceret Chriſtiano: Frater, audiui à multis de ſancto & glorioſo martyre Mena, quod magna eius ſit gloria, & ignominia afficiat eos, qui iniuſte iurant. Surge ergo, eamus illuc, & iura, quod apud te nihil reliqui, & vade in pace. Dicit Chriſtianus Hebræo: Sed non ingreditur Hebræus in templum Chriſtianorum. Dixit Hebræus: Si non poſſum templum ingredi, ſtabo foris in porticu. Chriſtianus autem deſpexit iuſiurandum, dicens: Sanctus Menas eſt noſtri miſerturus, quoniam Hebræo iuramus, & non Chriſtiano.

Malus dolus mali Chriſtiani.

XI. Qvodam ergo die iuerunt ambo in templum ſancti Menæ ad dandum iuſiurandum. Dixit autem Hebræus Chriſtiano, antequam ipſe iuraret: Amice, time Deum, & miſerere animæ tuæ. Accipe quas vis pecunias, & redde mihi reliquas: ſolum ne iures. Chriſtianus autem ne ſic quidem voluit eum audire. Tunc Hebræus humi inclinatis genibus, dixit cum lachrymis: Deus qui me dignum cenſuiſti, vt venirem & ingrederer in templum ſancti & glorioſi tui martyris Menæ, ſis tu arbiter inter me & hunc Chriſtianum: & magna voce clamans, dixit: Sancte Mena etiamſi ſim indignus, qui te nominem, attamen tu quoque hodie ſigna oſtende, vt ſemper: vt ego quoque humilis & abiectus te glorificem. Ingreſſus autem Chriſtianus in templum, & nullum omnino habens Dei metum in corde ſuo, iurauit. Spectabat autem Hebræus, & expectabat fore, vt omnino in eum fieret aliquod ſignum. Sed in eum vſus eſt ſanctus lenitate & patientia. Quando vero peractum fuit iuramentum, ambo ſunt reuerſi domum. Cum autem ambo egreſſi eſſent è loco illo ad tria milliaria, conturbauit Chriſtiani equus dominum ſuum, & eum iecit in terram: & cecidit annulus ſigilli ſcrinii è ſinu ſuo. Quæſiuit autem, & id non inuenit. Gaudebat autem Chriſtianus ſe cecidiſſe ex equo, arbitratus hinc eſſe iuriſiurandi remunerationem. Deinde ſurgens equitauit, & ſimul proficiſcebantur. Cum autem perueniſſet ad locum, qui dicitur Loxoneras, ſimul ingreſſi ſunt in forum, & emerunt cibos, & ſedentes comedebant. Pœnitentia autem ductus fuit Hebræus, & dixit: Cur credo ego in ſanctum Menam, quoniam nulla vidi ex mirabilibus, quæ facit quotidie? vtinam non eum iuraſſem: fortaſſe ductus fuiſſet pœnitentia, & potuiſſet mihi aliquando dare aliquid ex meis. Clamans autem, dicebat cum lachrymis: Hei mihi, ſic omnia mea deuorauit. Quid faciam neſcio. Gratias autem agens, dixit: Reddam votum meum & ſolicitudinem meam Domino, & ſancto martyri Menæ: & vt Deus iubet, ſic fit.

Diuinitus punitur per iurus & perfidus Chriſtianus, ſed leniter.

XII. Cvm autem ſederent ambo, ecce venit ſeruus Chriſtiani, ferens crumenam cum rationibus. Quem cum vidiſſent, ambo ſunt admirati. Dominus autem ſerui, magno timore eſt affectus, & interrogauit ſeruum ſuum, dicens: Vnde veniſti, & quid portas? Reſpondit ſeruus, & dixit: Veni ad te miſſus à domina mea, vt iuſſum tuum impleam. Dixit autem dominus eius: Quem iuſſum? Dixit ſeruus: Domine mî, hodie venit magnus miles, eques ad dominam meam, habens annulum ſigilli ſcrinii tui, & dixit ei: Cape, mulier, hunc annulum ſigilli: noſtine eum? Illa autem dixit: Noui. Ille vero dixit: Maritus tuus rogans me, miſit ad te, dicens: Mitte ad me crumenam Hebræi per ſeruum meum: quoniam valde torqueor à ſancto Mena Et propterea, domine mi, ad te huc attuli depoſitum: & ſi non credis, ecce annulum ſigilli ſcrinii tui. Ille enim miles eum dedit dominæ meæ Tunc ſurgens Hebræus, accepit marſupium ſuum bullatum: & lætus magna voce clamauit, & dixit: Magnus eſt Deus, & ſanctus eius martyr Menas. Admirabilis eſt fides Chriſtianorum. Nullus in te ſperans, Domine, & in virtutem & auxilium ſancti tui martyris Menæ, vnquam pudore afficitur. Ecce Domine, ego quoq; fio Chriſtianus per interceſſiones ſancti martyris Menæ.

λογαρίον.

Nota rē admiratione dignam.

Iudæus inſigni miraculo permotus credit in Chriſtū.

Deinde cum marſupium accepiſſet Hebræus, reuerſus eſt cum magno gaudio in templum ſancti Menæ, & ei XIII.
donauit tertiam partem marſupii, nempe mille nummos, dicens: Ecce ſancte Dei, coram te dixi ei: Quotcunque vis, nummos accipe è marſupio, & da mihi reliquos: nec in animum induxit, vt faceret: eos accipit ſanctum templum tuum pro luminaribus. Fugiens ergo ab eo tempore vanam Iudæorum ſuperſtitionem, cum fuiſſet catecheſi inſtitutus cum domo ſua, baptizatus fuit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: & connumerata fuit vniuerſa eius domus inter omnes Chriſtianos, cum pietate & veritate Deum laudans & ſanctum eius martyrem Menam, quod eos, qui iniuſte iurant & tranſgrediuntur nomen Dei & ſancti, pudore afficit, & vt nihil fiant, efficit. Ab hoc die, ſeu iuſte, ſeu iniuſte, nullus auſus eſt iurare in templo ſancti. Chriſtianus autem abiit gemens & tremens in domum ſuam, accepitq; dimidium bonorum ſuorum, & obtulit ſancto Menæ: & illic motus pœnitentia, deflebat peccata ſua, & non diſceſſit à templo ſancti, donec deceſſit, cum in pœnitentia ambulaſſet ad Dominum, & conſecutus eſſet veniam à ſancto glorioſo martyre Chriſti Mena.

Periurus Chriſtianus agit pœnitentiam.

Mirac. V.

Erat quidam vir claudus ac mancus à puero, & non poterat nec pedibus ambulare, neque laborare manibus, XIV.
& neque à medico, neque ab vllo homine ei ferebatur auxilium. Cum autem ipſe quoque audiuiſſet ab omnibus curationes & miracula, quæ fiebant à ſancto Mena, rogauit quoſdam, qui eum illuc deduxerunt. Cum eum autem vidiſſet turba, eſt admirata. Inuenit vero illic quoque claudus mulierem quandam claudam, quæ nunquam eſt locuta. Permanebant autem ambo illic, è ſuperis petentes curationem. Cum is aũt fuiſſet longo tẽpore in tẽplo ſancti Menæ, & non fuiſſet curatus, valde iratus fuit S. Menæ, dicens: Sancte Dei, quomodo video, omnia quæ de te audiui, ſunt falſa, & non vera. Illa autem nocte Sanctus apparuit claudo, & dicit ei: O homo, cur mihi ſuccenſuiſti? Quid vero tibi mali feci: Sed quoniam, vt dicis, non poſſum te ſanare, niſi feceris, quod dico tibi, non ſanaberis in æternum. Dicit ei claudus: Quid faciam domine mi? Dicit ei ſanctus: Si velis eſſe ſanus, abi nemine ſentiente, & veni ad ſtragulum mulieris mutæ, & dormi cum ea & accipies curationem. Experrectus autem claudus, eſt admiratus, putans ſanctum eum illudere aut tentare, & dixit apud ſe: Hei mihi miſero, neſcio quid agam. Veni vt quærerem ſanitatem mei corporis, &, vt videtur, ſanctus me impellit ad fornicationem, & maxime in templo ſuo, & ſi hoc fecero timeo ne mihi aliquid fiat deterius. Quamobrem iterum indignatus claudus, rurſus dixit ſancto: Sancte Dei, cum me non poſſis curare, ſuades vt me præcipitem in fornicationem? Taliſne eſt doctrina ſanctorum? Rurſus ergo tertio ei in ſomnis apparens ſanctus, dixit: Fac quod tibi dixi, & tunc accipies ſanitatem. Ille autem experrectus, dixit: Sancte Dei, facturus ſum quod iubes, & vt iubet Deus & tuum auxilium. Deinde cum adſpexiſſent, vbi iacebat muta, expectauit donec ſopori ſe dediſſent omnes turbæ, quæ erant in templo, & tunc ſurgens, & ſe trahens, peruenit ad ſtragulum mutæ, & apprehenſum mulieris pallium traxit, & eam nudauit. Quando autem nudauit eam, excitata eſt à metu turbata muta, & eſt locuta: O violentia, vir ſupra me aſcendit. Ille autem præ metu & pudore, volens ſe è ſtragulo præcipitare & fugere, ſurrexit ſanus in illa hora, currens inſtar curſoris. Tũc admirati omnes, quod factum fuerat, nempe quod & muta eſſet ſanata, & claudus ſurrexiſſet ſanus, narrans eis ea, quæ in ſomno viderat, omnes Deum laudarunt, qui per ſanctos ſuos præbet omnib. curationem: & ſic ambo domum redierunt, Deum & ſanctum Menam laudantes & glorificantes.

Ecce quam ſtupendo medio, Deus per ſanctos ſuos ægris præbeat curationem.

Nota Qui per ſanctos ſuos præbet omnib. curationem.

Ann. 360.

VITA BEATISSIMI MARTINI TVRONENSIS EPISCOPI, AB EIVS DISCIPVLO SEVERO SVLPITIO

S. Martino adhuc viuente conſcripta.

EPISTOLA AVTHORIS AD DESIDERIVM.

11 Nov.

† non premere.

Severvs Deſiderio chariſſimo fratri ſalutem. Ego quidem, frater vnanimis, libellum, quem de vita ſancti Martini ſcripſeram, ſchedis ſuis † premere, & intra domeſticos parietes cohibere decreueram: quia vt ſum natura infirmus, iudicia humana vitabam, ne, quod fore arbitror, ſermo incultior legentibus diſpliceret, omniumque reprehenſione digniſſimus iudicarer, qui materiam diſertis merito ſcriptoribus reſeruandam, impudens occupaſſem. Sed petenti tibi ſæpius, negare non potui. Quid enim eſſet, quod non amori tuo vel cum detrimento mei pudoris impenderem? Ea fiducia tibi libellum edidi, qua nulli à te prodendum reor: quia id ſpopondiſti. Sed vereor, ne tu ei ianua ſis futurus, & emiſſus ſemel, nõ queat reuocari. Quod ſi acciderit, & ab aliquibus eum legi videris, bona venia id à lectoribus poſtulabis, vt res potius quam verba perpendant, & æquo animo ferant, ſi aures eorum vitioſus forſitan ſermo perculerit: quia regnum Dei non in eloquentia, ſed in fide conſtat. Meminerint etiam ſalutem ſeculo non ab oratoribus, ſed à piſcatoribus prædicatam: cum vtique, ſi vtile fuiſſet, id quoque Dominus præſtare potuiſſet. Ego enim cum primum animum ad ſcribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere virtutes, apud me ipſe didici, vt ſolœciſmos non erubeſcerem: quia nec magnam iſtarũ vnquam rerum ſcientiam contigiſſem, & ſi quid ex his ſtudiis olim fortaſſe libaſſem, totum id diſſuetudine tanti temporis perdidiſſem. Sed tamẽ ne nos maneat tam moleſta defenſio, ſuppreſſo, ſi tibi videtur, Authoris nomine, libellus edatur. Quod vt fieri valeat, titulum frontis erade, quo muta ſit pagina, & quod ſufficit, loquatur materiam, non loquatur authorem.

Quomodo poſtea vbique vita S. Martini vulgata fuerit, conſule Seuerũ Dial. 1. c. 16. & Baron. An. 397. vbi & de tẽpore quo ſcripta eſt, agit.

Plerique mortalium ſtudio gloriæ ſecularis inaniter dediti, exinde perennem (vt putabant) memoriam nominis ſui quæſiuerunt, ſi vitas clarorum virorum ſtylo illuſtraſſent. Quæ res vtique non perennem quidem, ſed aliquantulum tamen conceptæ ſpei fructum afferebat: quia & ſui memoriam (licet incaſſum) propagabant: & propoſitis magnorum virorum exemplis, non parua æmulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam, æternamque vitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipſis occaſura cum ſeculo ſcriptorum ſuorum gloria profuit? aut quid poſteritas emolumenti tulit legendo Hectorem pugnantem, aut Socratem philoſophantem? cum eos non ſolum imitari ſtultitia ſit, ſed non acerrime etiam impugnare, dementia. Quippe qui humanam vitam præſentibus tantum actibus æſtimantes, ſpes ſuas fabulis, animas ſepulcris dederint. Siquidem ad ſolam hominum memoriam ſe perpetuandos crediderunt, cum hominis officium ſit, perennem potius vitam quam perennem memoriam quærere: non ſcribendo, aut pugnando, vel philoſophando: ſed piè, ſanctè, religioſeque viuendo. Qui quidem error humanus literis traditus, in tantum conualuit, vt multos planè æmulos vel inanis philoſophiæ, vel ſtultæ illius virtutis inuenerit. Vnde facturus mihi operæpretium videor, ſi vitam ſanctiſſimi viri, exemplo aliis mox futuram, perſcripſero. Quo vtique ad veram ſapientiam, & cæleſtem militiam, diuinamque virtutem legentes incitabuntur. In quo ita noſtri quoque rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, ſed æternum à

Hominis officium.

Deo

Deo præmium expectemus. Quia etſi ipſi non ita viximus, vt exemplo aliis eſſe poſſimus: dedimus tamen operam, ne is lateret, qui eſſet imitandus. Igitur ſancti Martini vitam ſcribere exordiar, quæ vel ante Epiſcopatum, vel in Epiſcopatu geſſerit, quamuis nequaquam ad omnia illius potuerim peruenire: adeo ea, in quibus ipſe tantum ſibi conſcius fuit, neſciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipſo fuit, omnes virtutes ſuas latere voluiſſet: quanquam etiam ex iis, quæ comperta nobis erant, plura omiſimus: quia ſufficere credidimus, ſi tantum excellentiora notarentur. Simul & legentibus conſulendum fuit, ne quod his pareret copia congeſta faſtidium. Obſecro autem eos, qui lecturi ſunt, vt fidem dictis adhibeant: neq; me quicquam, niſi compertum & probatum ſcripſiſſe arbitrentur. Alioqui tacere, quam falſa dicere, maluiſſem.

Multa ſancti Martini miracula ſcriptori incognita.

I. IGITVR Martinus Sabatiæ Pannoniarum oppido [a] oriundus fuit, ſed intra Italiam Ticini alitus eſt, parentibus ſecundum ſeculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primum, poſt tribunus militum fuit. Ipſe armatam militiam in adoleſcentia ſecutus, inter [b] ſcholares alas ſub rege Conſtantio, deinde ſub Iuliano Cæſare militauit: non tamen ſponte, quia à primis ferè annis diuinam potius ſeruitutem ſacra illuſtris pueri ſpirauit infantia. Nam [c] cum eſſet annorum decem, inuitis parentibus ad Eccleſiam confugit, ſeque catechumenum fieri poſtulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuerſus, cum eſſet annorum duodecim, eremum concupiuit: feciſſetque votis ſatis, ſi ætatis infirmitas non obſtitiſſet. Animo tamen aut circa monaſteria, aut circa Eccleſias ſemper intentus, meditabatur in ætate puerili, quod poſtea deuotus impleuit. Sed [d] cum edictum eſſet à regibus, vt veteranorum filii ad militiam ſcriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum eſſet annorum [*] quindecim, raptus & catenatus, ſacramentis militaribus eſt implicatus, vno tantum ſeruo comite contentus, cui tamen verſa vice dominus ſeruiebat, adeo vt plerunq; ei & calceamenta ipſe detraheret, & ipſe detergeret, cibum vna caperent, hic ſæpius miniſtraret. Triennium ferè ante baptiſma in armis fuit, integer tamen ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia vero, atq; humilitas, vltra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non eſt neceſſe, qua ita vſus eſt, vt iam illo tempore non miles, ſed monachus putaretur. Quibus rebus ita ſibi omnes commilitones ſuos deuinxerat, vt eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Chriſto, agebat quendam bonis operibus baptiſmatis candidatum: aſſiſtere ſcilicet laborantibus, opem ferre miſeris, egentes alere, nudos veſtire, nihil ſibi ex militiæ ſtipendiis, præter quotidianum victum, reſeruare: Iam tum Euangelii non ſurdus auditor, de craſtino non cogitabat.

Mat. 6.

[a] Ann. 316. Conſtantini Imp. II. Sabino & Ruffino Coſſ. vt habet Greg. Turon. li. 1. hiſt. Franc. cap. 36.

[b] Patria S. Martini. Ianuſſea militat.

Fit catechumenus.

[d] Ann. 332. cogitur militiæ operam dare vide Baron. ann. 331. cap. 19.

[*] ſeptendecim corrigit Baronius.

II. QVODAM itaque tempore, cum iam nihil præter arma & ſimplicem militiæ veſtem haberet, media hyeme, quæ ſolito aſperior inhorruerat, adeo vt pleroſque vis algoris extingueret, obuium habuit in porta Ambianenſium ciuitatis pauperem nudum. Qui cum prætereuntes, vt ſui miſererentur, oraret, omneſque miſerum præterirent, intellexit Deo plenus ſibi illum, aliis miſericordiam non præſtantibus reſeruari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat. Iam enim reliqua in opus ſimile conſumpſerat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua ruſus induitur. Interea de circumſtantibus ridere nonnulli, quia deformis eſſet, & truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens ſanior, altius gemere, qui ſimile nihil feciſſent, cum vtique plus habentes, veſtire pauperem ſine ſua nuditate potuiſſent. Nocte igitur inſecuta, cum ſe ſopori dediſſet, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, qua pauperem texerat, parte veſtitum. Intueri diligentiſſime Dominum, veſtemque, quam dederat, iubetur agnoſcere. Mox ad Angelorum circumſtantium multitudinem audiuit Ieſum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. Vere memor Dominus dictorum ſuorum, qui ante prædixerat: Quandiu feciſtis hæc vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis: ſe in paupere profeſſus eſt fuiſſe veſtitum. Et ad confirmandum tam boni operis teſtimonium, in eodem ſe habitu, quem pauper acceperat, eſt dignatus oſtendere. Quo viſo, vir beatiſſimus non in gloriam eſt elatus humanam, ſed bonitatem Dei in ſuo opere cognoſcens, cum eſſet annorum [e] duodeuiginti, ad baptiſmum conuolauit. Nec tamen ſtatim militiæ renunciauit, tribuni ſui precibus euictus, cui contubernium familiare præſtabat. Etenim tranſacto tribunatus ſui tempore, renunciaturum ſe ſeculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione ſuſpenſus, per [f] biennium ferè, poſteaquam eſt baptiſmum conſecutus, ſolo ſcilicet nomine militauit.

Inſignis charitas. Vide Chriſtum Matth. 25.

Ann. 35 Baptizatur.

[e] triginta quinque corrigit Baron. ex Greg. Turon. hiſt. Franc. li. 1. cap. 36. & Seueri dialog. li. 2. cap. 7.

[f] quadriennium corrigit Baron.

III. INTEREA irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus Cæſar coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus. Et (vt eſt conſuetudinis) ſinguli citabantur, donec ad Martinum ventum eſt. Tum vero opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem, (neque enim integrum ſibi fore arbitrabatur, ſi donatiuum, non militaturus, acciperet:) Hactenus, inquit ad Cæſarem, [g] militaui tibi: nunc patere, vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum vero aduerſus hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ, quæ poſtera die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato ſibi terrore conſtantior: Si hoc, inquit, ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die ante aciem inermis adſtabo, & in nomine Domini Ieſu, ſigno Crucis, non clypeo, protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Retrudi ergo in cuſtodiam iubetur: facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obiiceretur. Poſtera die hoſtes legatos de pace miſerunt, ſua omnia, ſeq; dedentes. Vnde quis dubitet hanc vere beati viri fuiſſe victoriam, cui præſtitum ſit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamuis pius Dominus ſeruare militem ſuum inter hoſtium gladios & tela potuiſſet: tamen ne vel aliorum morte, ſancti violaretur obtutus, exemit pugnæ neceſſitatem. Neq; enim aliam pro milite ſuo Chriſtus debuit præſtare victoriam, quam vt ſubactis ſine ſanguine hoſtibus, nemo moreretur.

[g] An. 356. Miſſionē poſtulat, poſtquam 24 ſtipēdia meruiſſet, vt probat Baron. an 351. §. 21.

IV. EXINDE relicta militia, ſanctum Hilarium Pictauæ Epiſcopū ciuitatis tunc cuius in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur, expetiuit, & aliquandiu apud eum commoratus eſt. Tentauit autem idem Hilarius, impoſito diaconatus officio, ſibi eum arctius implicare, & miniſterio vincire diuino. Sed cum ſæpiſſime reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans, intellexit vir Dei altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officii imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille ordinationem, ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur, non repudiauit. Nec multo poſt admonitus per ſoporem, vt patriam, parenteſque, quos adhuc gentilitas detinebat, religioſa ſolicitudine viſitaret, ex voluntate ſancti Hilarii profectus eſt, multiſque ab eo obſtrictus precibus & lachrymis, vt rediret, mœſtus, vt ferunt, peregrinationem illam aggreſſus eſt, conteſtatus fratres multa ſe aduerſa paſſurum: quod poſtea probauit euentus. Ac primum inter alpes deuia ſecutus, incidit in latrones. Cumque vnus ſecurim eleuatam in caput eius libraſſet, ictum ferientis dexteræ ſuſtinuit alter. Vinctis tamen poſt tergum manibus, vni ſeruandus & cuſtodiendus traditur. Qui eum cum ad remotiora duxiſſet, percontari ab eo cœpit, quiſnam eſſet. Reſpondit Chriſtianum ſe eſſe. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc vero conſtantiſſime profitebatur, nunquam ſe tam fuiſſe ſecurum: quia vt miſericordiam Domini maxime in tentationibus affuturam: ſe magis illi dolere, qui Chriſti miſericordia, vtpote latrocinia exercens, eſſet indignus. Ingreſſuſq; Euangelicā diſputationē, verbū Dei latroni prædicabat. Quid longius morer? Latro credidit, proſecutuſq; Martinū viæ reddidit, orans pro ſe Dominum precaretur.

Relicta militia, venit ad Hilariū.

Fit exorciſta.

Incidit in latrones.

Nota conſtantiam.

Latro conuertitur.

Idemque poſtea religioſam ducere vitam viſus eſt, adeò vt hæc, quæ ſupra retulimus, ab eo audita dicantur. Igitur Martinus inde progreſſus, cum Mediolanum præteriiſſet, diabolus in itinere, humana ſpecie aſſumpta, ſe ei obuiam tulit, quò tenderet, requirens. Cumque id à Martino reſponſi accepiſſet, ſe quo Dominus vocaret, intendere ait ad eum: Quocunque ieris, vel quæcunque tentaueris, diabolus tibi aduerſabitur. Tunc ei prophetica voce reſpondit: Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo: ſtatimque è conſpectu eius inimicus euanuit. Itaque vt animo ac mente conceperat, matrem gentilitatis abſoluit errore, patre in malis perſeuerante: plures tamen ſuo ſaluauit exemplo. Deinde cum hæreſis Arriana per totum orbem, & maxime intra Illyricum pullulâſſet, cum aduerſus perfidiam ſacerdotum ſolus penè acerrime repugnaret, multiſque ſuppliciis eſſet affectus, (nam & publicè virgis cæſus eſt) & ad extremum de ciuitate exire compulſus, Italiam repetens, cum intra Gallias quoque diſceſſu S. Hilarii, quem ad exilium hæreticorum vis coëgerat, turbatam Eccleſiam comperiſſet, Mediolani ſibi monaſteriũ ſtatuit. Ibi quoq; eum Auxentius, auctor & princeps Arrianorũ, grauiſſime inſectatus eſt: multiſq; affectum iniuriis de ciuitate exturbauit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad inſulam Gallinariam nomine ſeceſſit, comite quodam presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquandiu radicibus vixit herbarum. Quo tempore helleborum, venenatum, vt ferunt, gramen in cibum ſumpſit. Sed cũ vim veneni in ſe graſſantis, vicina iam morte, ſenſiſſet, imminẽs periculum oratione repulit, ſtatimque omnis dolor fugatus eſt. Nec multo poſt, cum S. Hilario comperiſſet regis pœnitentia poteſtatem indultam fuiſſe redeundi, Romæ ei tentauit occurrere. Profectuſq; eſt ad vrbem.

Pſal. 117. — Multa ab Arrianis patitur. — Vide Sozõ. lib. 5 cap. 13. Baron. an 358. — Mediolani condit monaſterium. — Nota victũ. — Ann. 360 vt teſtatur S. Hieronym. in Chron.

CVM iam Hilarius præteriiſſet, ita eum eſt veſtigiis proſecutus. Cumque ab eo gratiſſime eſſet ſuſceptus, haud longè ſibi ab oppido monaſterium collocauit. Quo tempore quidam ei ſe catechumenus iunxit, cupiens viri ſanctiſſimi inſtitui diſciplinis. Paucisq; interpoſitis diebus, languore correptus, vi febrium laborabat. Atque Martinus fortè diſceſſerat: & cum per triduum defuiſſet, regreſſus exanime corpus inuenit. Ita ſubita mors fuerat, vt abſq; baptiſmate humanis rebus excederet. Corpus in medio poſitum, triſti mœrentium fratrum frequentabatur officio: cum Martinus flens & eiulans accurrit. Tum vero tota Spiritum ſanctum mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, cæteros iubet: ac foribus obſeratis, ſuper exanimata defuncti fratris membra proſternitur. Et cum aliquandiu orationi incubuiſſet, ſenſiſſetque per ſpiritum Domini adeſſe virtutem, erectus paululum, & in defuncti ora defixus, orationis ſuæ ac miſericordiæ Domini intrepidus expectabat aduentum. Vixque duarum ferè horarum ſpatium interceſſerat: vidit defunctum paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in vſum videndi palpitare luminibus. Tum vero magna ad Dominum voce conuerſus, gratias agens, cellulam clamore compleuerat. Quo audito, qui pro foribus adſtiterant, ſtatim irruunt. Mirum ſpectaculum: quod videbant viuere, quem mortuum reliquiſſent. Ita redditus vitæ, ſtatim baptiſma conſecutus, plures poſtea vixit annos. Primuſque apud nos Martini virtutum vel materia, vel teſtimonium fuit. Idem tamen referre erat ſolitus, ſe corpore exutum, ad tribunal iudicis ductum, deputatumq; obſcuris locis & vulgaribus turbis, triſtem excepiſſe ſententiam. Tunc per duos Angelos iudici fuiſſe ſuggeſtum, hunc eſſe, pro quo Martinus oraret. Ita per eoſdem Angelos ſe iuſſum reduci, & Martino redditum, vitæq; priſtinæ reſtitutũ. Ab hoc primo tempore beati viri nomen enituit, vt qui ſanctus iã ab hominibus habebatur, potens etiam & verè Apoſtolicus haberetur. V.

Mortuum excitat precibus ſuis.

NEC multo poſt dum agrum Lupicini cuiuſdam, honorati ſecundum ſeculum viri præteriret, clamore & luctu turbæ plangentis excipitur. Ad quam cum ſolicitus adſtitiſſet, & quis eſſet hic fletus, inquireret, indicatur, vnum è familia ſeruulum laqueo ſibi vitam extorſiſſe. Quo cognito, cellulam, in qua corpus iacebat, ingreditur: excluſiſq; omnibus turbis, ſuperſtratus corpori aliquantiſper orauit. Mox viuiſcente vultu, * marceſcentibus oculis, in ora illius defunctus erigitur, lentoque conamine enixus aſſurgere, apprehenſa beati viri dextra, in pedes conſtitit, atq; ita cum eo vſq; ad veſtibulum domus, turba omni inſpectante, proceſſit. VI.

**marceſcẽtibus.* — Alterum defunctum excitat. — An. 375. quarto Nonas Iulii ex calculo Baron. — Creatur Turonenſ. Epiſcopus.

SVB idem ferè tempus ad Epiſcopatum Turonicæ petebatur Eccleſiæ. Sed cum erui à monaſterio ſuo non facile poſſet, Ruricius quidam vnus è ciuibus, vxoris languore ſimulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur, obtinuit. Ita diſpoſitis iam in itinere ciuium turbis, ſub quadam cuſtodia ad ciuitatem vſque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non ſolum ex illo oppido, ſed etiam ex vicinis vrbibus ad ſuffragia ferenda conuenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum: felicem fore tali Eccleſiam ſacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum antiſtitem fuerant euocati, impiè repugnabant, dicentes ſcilicet, cõtemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe Epiſcopatu hominem deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem. Ita à populo ſententiæ ſanioris hæc illorum irriſa dementia eſt, qui illuſtrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec verò aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cogebat. Inter Epiſcopos tamen, qui adfuerant, præcipue Defenſor quidam nomine, dicitur reſtitiſſe. Vnde animaduerſum eſt, grauiter illum lectione Prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet, turbatis miniſtris, dum expectatur, qui non aderat, vnus è circunſtantibus, ſumpto pſalterio, quem primum verſum inuenit, arripuit. Pſalmus autem hic erat: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & defenſorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduerſa confunditur: Atque ita habitum eſt, diuino nutu pſalmum hunc lectum fuiſſe, vt teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta, & oſtenſus pariter, & deſtructus eſt inimicus. Iam verò ſumpto Epiſcopatu, qualem ſe, quantumque præſtiterit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Idem enim conſtantiſſime perſeuerabat, qui prius fuerat. Eadem in corde eius humilitas: eadem in veſtitu eius vilitas erat. Atque ita plenus authoritatis & gratiæ, implebat Epiſcopi dignitatem: vt non tamen propoſitum monachi virtutemque deſereret. Aliquandiu ergo adhærenti ad Eccleſiam cellula vſus eſt. Deinde cum inquietudinem ſe frequentantium ferre non poſſet, duobus ferè extra ciuitatem millibus monaſterium ſibi ſtatuit. Qui locus tam ſecretus & remotus erat, vt eremi ſolitudinem non deſideraret. Ex vno enim latere præciſa montis excelſi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluuius reducto paululum ſinu clauſerat. Vna tantum, eademque arcta admodum via adiri poterat. Ipſe ex lignis contextam cellulam habebat: multiq; ex fratribus in eundem modum. Plerique ſaxo ſuperiecti montis cauato, receptacula ſibi fecerant. Diſcipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium cõferebantur. Non emere, aut vendere (vt pleriſque monachis moris eſt) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis ſcriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam ſuam egreſſus, niſi cum ad locum orationis conueniebant. Cibum vna omnes poſt horam ieiunii accipiebant. Vinum nemo nouerat, niſi quem infirmitas coëgiſſet. Plerique camelorum ſetis veſtiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis ſit mirum neceſſe eſt, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc ſe humilitatem & patientiam coëgerant. Pluresq; ex his poſtea Epiſcopos vidimus. Quæ enim eſſet ciuitas, aut Eccleſia, quæ non ſibi de Martini monaſterio cuperet ſacerdotem? VII.

Pſal. 8. Eſa 32. — In Epiſcopatu vt ſe geſſerit. — Monaſteriũ extruit, quod maius Monaſteriũ ab Odone in tract. reuerſ. S. Martini ca. 3. vocatur. — Nota vitæ aſperitatẽ in illo monaſterio.

VIII. SED vt reliquas virtutes eius, quas in Epiſcopatu egit, aggrediar: erat haud longe ab oppido proximus monaſterio locus, quem falſa hominum opinio, velut conſepultis ibi martyribus conſecrauerat. Nam & altare ibi à ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores natu erant, preſbyteris vel clericis flagitabat nomen ſibi martyris, & tempora paſſionis oſtendi: grandi ſe ſcrupulo permoueri, quod nihil certi conſtans ſibi Maiorum memoria tradidiſſet. Cum aliquandiu ergo à loco illo ſe abſtinuiſſet, nec derogans religioni, quia incertum erat: nec authoritatem ſuam vulgo accommodans, ne ſuperſtitio roboraleſceret, quodam die, paucis ſecum adhibitis fratribus, ad locum pergit: Deinde ſuper ſepulcrum ipſum adſtans, orauit ad Dominum, vt quis eſſet, vel cuius meriti ſepultus, oſtenderet. Tum conuerſus ad læuam, videt prope aſſiſtere vmbram ſordidam, & trucem. Imperat nomen meritumque vt loquetur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum martyribus eſſe commune, cum illos gloria, ſe pœna retineret. Mira res: vocem loquentis, qui aderant, audiebant, perſonam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidiſſet, expoſuit: iuſſitq; ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoueri, atq; ita populum ſuperſtitionis illius abſoluit errore. Latronem pro martyre ignorantia cultu deprehendit.

IX. ACCIDIT autem inſequenti tempore, dum iter ageret, vt gentilis cuiuſdam corpus, quod ad ſepulcrum cum ſuperſtitioſo funere deferebatur, obuium haberet. Conſpicatusque eminus venientem turbam, quidnam id eſſet ignarus, paulùlum ſtetit. Nam cum ferè quingentorum paſſuum interuallum eſſet, vt difficile fuerit dignoſcere, quid videret: tamen quia ruſticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori ſuperiecta volitarent, profanos ſacrificiorum ritus agi credidit: quia eſſet hæc Gallorum ruſticis conſuetudo, ſimulacra dæmonum candido tecta velamine miſera per agros ſuos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduerſum ſigno Crucis, imperat turbæ non moueri loco, onuſq; deponere. Hîc vero mirum in modum videres miſeros primum velut ſaxa riguiſſe: deinde cum primo monere ſe ſummo conamine niterentur, vltra accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi, corporis onus deponunt attoniti, & ſemet inuicem adſpectantes, quidnam ſibi accidiſſet, taciti cogitabant. Sed cum beatus vir comperiſſet exequiarum illam eſſe frequentiam, non ſacrorum, eleuata rurſum manu, dat eis abeundi, & tollendi corporis poteſtatem. Ita eos & cum voluit, ſtare compulit: & cum libuit, abire permiſit. Error ruſticorum in Gallia.

X. ITEM dum in vico quodam templum antiquiſſimum diruiſſet, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere: tum verò antiſtes loci illius, cæteraque gentilium turba cœpit obſiſtere. Et cum iidem illi, dum templum euertitur, imperante domino, acquieuiſſent, ſuccidi arborem non patiebantur. Ille quidem eos ſedule commonere, nihil eſſe religionis in ſtipite, Dominum potius, cui ſeruiret ipſe, ſequerentur: arborem illam excidi oportere, quia eſſet dæmoni dedicata. Tum vnus ex illis, qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, noſmetipſi ſuccidimus hanc arborem: Tu ruentem excipe, & ſi tecum eſt tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepide confiſus in Domino, facturum ſe pollicetur. Hîc vero ad iſtiuſmodi conditionem omnis illa gentilium turba conſenſit, facilemque arboris ſuæ habere iacturam, ſi inimicum ſacrorum ſuorum, caſu illius obruiſſent. Itaque cum vnam in partem pinus illa eſſet accliuis, (vt non eſſet dubium, quam in partem ſucciſa corrueret) eo loco vinctus ſtatuitur pro arbitrio ruſticorum, quo arborem eſſe caſuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipſi ſuam pinum cum ingenti gaudio, lætitiaque cœperunt. Aderat eminus turba mirantium. Iamque paulatim nutare pinus cœpit & ruinam ſuam caſura minitari. Pallebant eminus monachi, & periculo iam propiore conterriti, ſpem omnem, fidemque perdiderant, ſolam Martini mortem expectantes. At ille confiſus in Domino, intrepidus opperiens, cum iam fragorem ſui pinus concidens edidiſſet, iam cadenti, & ſuper ſe ruenti, eleuata protinus obuiam manu, ſalutis ſignum oppoſuit. Tum vero turbinis modo retroacta m putares: ita diuerſam in partem ruit adeo vt ruſticos, qui in tuto loco ſteterant, penè proſtrauerit. Tum verò in cælum clamore ſublato, gentiles ſtupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Chriſti nomen in commune ab omnibus prædicari: ſatiſque conſtitit, eo die ſalutem illi veniſſe regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impoſitione manus deſiderata, in Dominum Ieſum Chriſtum, relicto impietatis errore, crediderit. Et verè ante Martinum pauci admodum, immo pene nulli, in iis regionibus Chriſti nomen receperant. Quod adeo virtutibus illius, exemploq; conualuit, vt iam ibi nullus locus ſit, qui non aut Eccleſiis frequentiſſimus, aut monaſteriis ſit repletus. Nam vbi fana deſtruxerat, ſtatim ibi aut Eccleſias, aut monaſteria conſtruebat. Vult arborē dæmoni dedicatam excidere. Vide vim ſigni ſanctæ Crucis. Multi exhinc credūt. Nota de templis & monaſteriis, quæ hodie hæretici euertūt.

XI. NEC minorem ſub idem ferè tempus eodem in opere virtutem edidit. Nam cum in vico quodam fano antiquiſſimo & celeberrimo ignem iniecisset, in proximam, immo adhærentem domum, agente vento, flammarum globi ferebantur. Quod vbi Martinus aduertit, rapido curſu tectum domus ſcandit, obuiam ſe venientibus flammis inferens. Tum vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter ſe elementorum quidam conflictus videretur. Ita virtute Martini ibi tantum ignis eſt operatus, vbi iuſſus eſt.

XII. IN vico autem, cui Leproſum nomen eſt, cum idem templum opulentiſſimum ſuperſtitioſæ religionis voluiſſet euertere, reſtitit ei multitudo gentilium, adeo vt non abſque iniuria ſit repulſus. Itaque ſeceſſit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus & cinere, ieiunans ſemper atque orans, precabatur Dominum, vt quia templum illud euertere humana manu non potuiſſet, virtus illud diuina dirueret. Tum ſubito ei duo Angeli haſtati atq; ſcutati inſtar militiæ cæleſtis ſe obtulerunt, dicentes miſſos ſe à Domino, vt ruſticam multitudinem fugarent, præſidiumque Martino ferrent, ne quis, dum templum dirueretur, obſiſteret. Rediret ergo, & opus cœptum deuotus impleret. Ita regreſſus ad vicum, ſpectantibus gentilium turbis, & quieſcentibus, dum profanam ædem vſq; ad fundamenta dirueret, aras omnes atque ſimulacra redegit in puluerem. Quo viſo, ruſtici cum ſe intelligerent diuino nutu obſtupefactos atque perterritos, ne Epiſcopo repugnarent, omnes ferè in Ieſum Dominum crediderunt, clamantes palam, & confitentes, Deum Martini eſſe colendum; idola negligenda, quæ ſibi adeſſe non poſſent. Virtus cæleſtis adeſt euertenti fanum dæmonum.

XIII. QVIN etiam in pago Heduorum geſtum ſit, referam. Vbi dum templum itidem euerteret, furens gentilium ruſticorum in eum irruit multitudo. Cumq; vnus audacior cæteris ſtricto eum gladio peteret, reiecto pallio, nudam ceruicem percuſſori præbuit. Nec cunctatus eſt ferire gentilis: ſed cum dexteram altius extuliſſet, reſupinus ruit, conſternatuſq; diuino metu, veniam precabatur. Diuinitus puniuntur eum cædere volentes.

NEC diſſimile huic fuit illud: Cum eum idola deſtruentem cultro quidam ferire voluiſſet, in ipſo ictu ferrum eidem manibus excuſſum, non comparuit. Plerumq; autem contradicentibus ſibi ruſticis, ne eorum fana deſtrueret, ita prædicatione ſancta gentilium animos mitigabat, vt luce eis veritatis oſtenſa, ipſi ſua templa ſubuerterent. Curat onum verò tam potens in eo gratia erat, vt nullus ferè ad eum ægrotus acceſſerit, qui non continuo receperit ſanitatem quod vel ex conſequenti liquebit exemplo. Mira curationū gratia.

TREVERIS

XV. TREVERIS puella quædam diu à paralyſis ægritudine tenebatur, ita vt iam per multum tempus nullo ad humanos vſus corporis officio fungeretur: omni ex parte præmortua, vix tenui ſpiritu palpitabat. Triſtes ad ſolam funeris expectationem aſſiſtebant propinqui: cum ſubito nunciatur, ad ciuitatem illam veniſſe Martinum. Quod vbi puellæ pater comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et forte Martinus iam Eccleſiam fuerat ingreſſus. Ibi inſpectante populo, multiſque aliis Epiſcopis præſentibus, eiulans ſenex genua eius amplectitur, dicens: Filia mea moritur miſero genere languoris, & quod ipſa eſt morte crudelius, ſolo ſpiritu viuit, iam carne præmortua. Rogo vt eam adeas, atque benedicas: Confido enim, quod per te reddenda ſit ſanitati. Qua ille voce confuſus obſtupuit, & refugit, dicens hoc ſuæ non eſſe virtutis: ſenem errare iudicio: non eſſe ſe dignum, per quem Deus ſignum virtutis oſtenderet. Perſtare cœpit vehementius flens pater, & orare, vt exanimem viſitaret: poſtremo à circunſtantibus Epiſcopis ire compulſus, deſcendit ad domum puellæ. Ingens turba præ foribus expectans, quidnam Dei ſeruus eſſet facturus. Ac primum (quæ erant illius familiaria in iſtiuſmodi rebus arma) ſolo proſtratus orauit. Inde ægram intuens, dari ſibi oleum poſtulat. Quod cum benedixiſſet, in os puellæ vim ſancti liquoris infudit, ſtatimque vox reddita eſt. Tum paulatim ſingula contactu eius cœperunt membra viuiſcere, donec firmatis greſſibus, populo teſte, ſurrexit.

Præclarum miraculum adhibito oleo benedicto.

XVI. EODEM tempore Tetradii cuiuſdam proconſularis viri ſeruus dæmonio correptus, dolendo exitu cruciatur. Rogatus ergo Martinus, vt ei manum imponeret, deduci eum ad ſe iubet. Sed nequam ſpiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in aduenientes rabidis dentibus ſæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati viri aduoluitur, orans vt ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipſe deſcenderet. Tum verò Martinus negat, ſe profani & gentilis hominis domum adire poſſe. Nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo ſe, ſi de puero dæmon fuerit eiectus, Chriſtianum fore. Ita impoſita manu puero, immundum ab eo ſpiritum eiecit. Quo viſo, Tetradius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum credidit, ſtatimque catechumenus factus, nec multo poſt baptizatus eſt, ſemperque Martinum ſalutis ſuæ auctorem miro coluit affectu.

Sanat dæmoniacum, & proconſularis credit.

XVII. PER idem tempus in eodem oppido ingreſſus patriſfamilias cuiuſdam domum, in limine ipſo reſtitit, dicens, horribile in atrio domus dæmonium ſe videre. Cui cum, vt diſcederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit, ſæuire dentibus miſer cœpit, & obuios quoſcunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugã verſus, Martinus ſe furenti obiicit, ac primum ſtare ei imperat. Sed cum dentibus fremeret, hiantique ore morſum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid poteſtatis, hos deuora. Tum vero ac ſi candens ferrum faucibus accepiſſet, longe reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere. Et cum fugere de obſeſſo corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens veſtigia, fluxu ventris egreſſus eſt.

Alius curatur dæmoniacus.

XVIII. INTEREA cum de motu atque impetu barbarorum, ſubito ciuitatem fama turbaſſet, dæmoniacum ad ſe exhiberi iubet. Imperat, an verus eſſet hic nuncius, fateretur. Tum confeſſus eſt ſedecim dæmones fuiſſe, qui rumorem hunc per populum diſſeminaſſent, vt hoc ſaltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur: barbaros nihil minus, quam irruptionem, cogitare. Ita cum hæc immundus ſpiritus media in Eccleſia fateretur, metu & turbatione præſenti ciuitas liberata eſt.

Nota falláciã dæmonum.

XIX. APVD Pariſios vero dum portam ciuitatis illius, magnis ſecum turbis euntibus, introiret, leproſum miſerabili facie, horrentibus cunctis, oſculatus eſt, atq; benedixit: ſtatimq; omni malo emundatus, poſtero die ad Eccleſiam veniens nitenti cute, gratias pro ſanitate, quam receperat, agebat. Sed ne hoc prætereundum eſt, quod fimbriæ veſtimẽtis eius cilicioq; detractæ, crebras ſuper infirmantibus egêre virtutes. Nam cũ aut digitis illigatæ, aut collo inditæ ſunt, perſæpè ab ægrotantibus morbos effugauerunt.

Leproſus curatur.

XX. ARBORIVS autem, vir præfectorius, ſancti admodum & fidelis ingenij, cùm filia eius grauiſſimis quartanæ febribus vreretur, epiſtolam Martini, quæ caſu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ipſo acceſſu ardoris inſeruit: ſtatimque fugata febris eſt. Quæ res apud Arborium tantum valuit, vt ſtatim puellam Deo voueret, & perpetuæ virginitati dicaret. Profectuſque ad Martinum, puellam ei præſens ob virtutum eius teſtimonium, quæ per abſentem licet curata eſſet, obtulit. Neque ab alio eam, quam à Martino, habitu virginitatis impoſito, paſſus eſt conſecrari.

XXI. PAVLINVS vero vir magni poſtmodum futurus exempli, cum oculum grauiter dolere cœpiſſet, & iam pupillam eius craſſior nubes ſuperducta texiſſet, oculum ei Martinus penicullo contigit, priſtinamq; ei ſanitatem, ſublato omni dolore, reſtituit.

XXII. IPSE autem cum caſu quodam eſſet de cœnaculo deuolutus, & per confragoſos ſcalæ gradus decidens, multis vulneribus eſſet affectus, cum exanimis iaceret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus viſus eſt eluĕre vulnera, & ſalubri vnguento contuſi corporis membra contingere. Atque ita poſtero die reſtitutus eſt ſanitati, vt nihil vnquam pertuliſſe incommodi putaretur. Sed quia longum eſt ire per ſingula, ſufficiant hæc, vel pauca de plurimis, ſatiſque ſit, nos & in excellentibus non ſubtrahere veritatem, & in multis vitare faſtidium.

XXIII. ATQVE vt minora tantis inſeram, quamuis (vt eſt noſtrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia, atq; corrupta ſunt) pene præcipuum ſit adulationi regiæ ſacerdotalem non ceſſiſſe conſtantiam: cum ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuerſis partibus Epiſcopi conueniſſent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, ſeque degeneri inconſtantia regiæ clientelæ ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet, in ſolo Martino Apoſtolica authoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandũ regi fuit, imperauit potius, quam rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abſtinuit, dicens, ſe menſæ eius participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores, vnum regno, alterũ vita expuliſſet. Poſtremo cum Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi à militibus diuino nutu neceſſitatem regni, armis defendiſſe: & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuiſſet, nullumq; ex aduerſariis † niſi in acie, occubuiſſe, tandem victus vel ratione, vel precibus, ad cõuiuium venit, mirum in modũ gaudente rege, quod id impetraſſet. Cõuiuæ aũt aderant, veluti ad diem feſtum euocati, ſummi atq; illuſtres viri, Præfectus idemque Conſul Euodius, quo nihil vnquam iuſtius fuit, Comites, duo, ſummã poteſtate præditi, frater regis, & patruus: medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipſe aũt ſellula iuxta regem poſita conſederat. Ad mediũ fere conuiuium (vt moris eſt) paterã regi miniſter obtulit: Ille ſancto admodũ Epiſcopo dari potius iubet, expectans atq; ambiens vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus, vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe prior biberet: nec integrum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſque, qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret. Celeberrimumque per totum palatium fuit, feciſſe Martinum in regis prandio, quod in

Ann. 386. Treuiris teſte Baron.

S. Martinus vt ſe erga Maximum Imp. geſſerit in conuiuio.

† nec in Gelsit conſulatũ Euodius an. 386. teſte Bar.

Nota quantumuis ſanctiſſimus tribuerit ſacerdotio.

infimorum

inſimorum iudicum conniuiis Epiſcoporum nemo feciſſet. Eidemque Maximo longè antè prædixit futurum, vt ſi ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferens, ſciret ſe primo quidem impetu futurũ eſſe victorem, ſed paruo poſt tempore eſſe periturum. Quod quidem ita vidimus. Nam primo aduentu eius, Valentinianus in fugam verſus eſt. Deinde poſt annum ferè, reſumptis viribus, captum iuxta Aquileiæ muros Maximum interfecit.

Prædixit Maximo interitum.

XXIV. CONSTAT autem, etiam Angelos ab eo plerunque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerẽtur. Diabolum verò ita conſpicabilem, & ſubiectum oculis habebat, vt, ſiue ſe in propria ſubſtantia contineret, ſiue in diuerſas figuras ſpecialeſque nequitias tranſtuliſſet, qualibet ab eo ſub imagine videretur. Quod cum diabolus ſciret ſe effugere non poſſe, conuiciis eum frequenter vrgebat, quia fallere non poſſet inſidiis. Quodam tempore cornu bouis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamque oſtentans dexteram, & admiſſo recens ſcelere congaudens: Vbi eſt, inquit, Martine, virtus tua? Vnum de tuis modo interfeci. Tunc ille conuocatis fratribus refert, quid diabolus indicaſſet. Solicitos eſſe præcepit per cellulas ſingulorum, quiſnam hoc caſu fuiſſet affectus. Neminem quidem deeſſe de monachis, ſed vnum ruſticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret, iſſe ad ſyluam nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiam. Ita haud longè à monaſterio iam pene exanimis inuenitur: Extremum tamen ſpiritum trahens, indicat fratribus cauſam mortis, & vulneris, iunctis ſcilicet bobus, dũ diſſoluta arctius lora conſtringit, bouem ſibi excuſſo capite inter inguina cornua iniecisse. Nec multo poſt vitam finiuit. Videris, quo iudicio Domini diabolo data fuerit hæc poteſtas. Verum in Martino illud mirabile erat, quod non ſolum hoc, quod ſupra retulimus, ſed multa iſtiuſmodi, ſi quoties acdidiſſent, longè ante præuidebat, & ſibi nunciata, fratribus indicabat. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus ſanctum virum conaretur illudere, viſibilem ſe ei formis diuerſiſſimis ingerebat. Nam interdum in Iouis perſonam, plerunque Mercurii, perſæpè etiam Veneris ac Mineruæ transfiguratum ſe vultibus offerebat. Aduerſus quem ſemper interritus, ſigno ſe Crucis, & orationis auxilio protegebat. Audiebantur plerunque conuicia, quibus illum dæmonum turba proteruis vocibus increpabat. Sed omnia falſa & vana cognoſcens, non mouebatur obiectis. Teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe ſe dæmonem proteruis Martinum vocibus increpantem: Cur intra monaſterium aliquos ex fratribus, qui olim baptiſmum diuerſis erroribus perdidiſſent, conuerſos poſtea recepiſſet, exponentem crimina ſingulorum: Martinũ diabolo repugnantem, reſpondiſſe conſtanter: Antiqua debita melioris vitæ conuerſione purgari, & per miſericordiam Domini abſoluendos eſſe peccatis, qui peccare deſinerent. Contradicente diabolo: Non pertinere ad veniam criminoſos, & ſemel lapſis nullam à Domino præſtari poſſe clementiam: tunc in hanc vocem fertur exclamaſſe Martinus: Si tu ipſe, ô miſerabilis, ab hominum infeſtatione deſiſteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies iudicii in proximo eſt, pœniteret, ego tibi vere, confiſus in Domino, Chriſti miſericordiam pollicerer. O quam ſancta de Domini pietate præſumptio, in qua etſi authoritatem præſtare non potuit, oſtendit affectum.

Diabolus multis conuiciis eum aggreditur.

Multa futura ante cognoſcit.

Multis modis ei apparet Satan.

Nota ſententiam beati viri.

XXV. ET quia de diabolo, eiuſque artibus ſermo exortus eſt, non abs re videtur, licet extrinſecus, referre, quod geſtum eſt: quia & quædam in eo Martini virtutum portio eſt: & res digna miraculo, recte memoriæ mandabitur in exemplũ cauendi, ſi quid deinceps vſpiam tale contigerit. Clarus quidam nomine, adoleſcens nobiliſſimus, mox preſbyter, nunc felici beatus exceſſu, cum relictis omnibus ſe ad Martinum contuliſſet, breui tempore ad ſummum fidei, virtutumque omnium culmen enituit. Itaque cum haud longe ſibi ab Epiſcopi monaſterio tabernaculum conſtituiſſet, multique fratres commorarentur apud eum, iuuenis quidam ad eum, Anatolius nomine, ſub profeſſione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus, acceſſit, habitauitque aliquandiu in commune cum cæteris. Dein procedente tempore, angelos apud ſe loqui ſolere dicebat. Cui cum fidem nullus adhiberet, ſignis quibuſdam, pleroſque ad credendum coarctabat. Poſtremo eouſque proceſſit, vt inter ſe ac Deum angelos diſcurrere prædicaret. Iamque ſe vnum ex prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram Domini, & præſentes plagas, cur ſancto non crederet, comminatus, poſtremo in hanc vocem fertur erupiſſe: Ecce hac nocte veſtem mihi candidam Dominus de cælo dabit, qua indutus, in medio veſtrum diuerſabor, idque vobis ſignum erit, me in Dei eſſe virtute, qui Dei veſte donatus ſim. Tum vero grandis omnium ad hanc profeſſionem expectatio fuit. Itaque ad mediam fere noctem, fremitu inſultantium commoueri omne monaſterium loco viſum eſt. Cellulam autem, qua idem adoleſcens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremituſque in ea diſcurrentium, & murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deinde facto ſilentio egreſſus, vnum de fratribus Sabatium nomine, ad ſe vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, oſtendit. Obſtupefactus ille, conuocat cæteros: ipſe etiam Clarus accurrit, adhibitoque lumine, veſtem omnes diligenter inſpiciunt. Erat autem ſumma mollitie, candore eximio micanti purpura: nec tamen, cuius eſſet generis aut velleris, poterat agnoſci. Curioſius tamen oculis aut digitis attrectata, non aliud, quam veſtis videbatur. Interea Clarus fratres admonet orationi inſiſtere, vt manifeſtius eis Dominus, quidnam eſſet, oſtenderet: Itaque reliquum noctis hymnis pſalmiſque conſumitur. At vbi illuxit dies, apprehenſum dextera trahere ad Martinum volebant, bene conſcii illudi illum diaboli arte non poſſe. Tunc vero reniti ac reclamare miſer cœpit, interdictumque ſibi eſſe dicebat, ne ſe Martino oſtenderet. Cumque inuitum eum ire compellerent, inter trahentium manus veſtis euanuit. Vnde quis dubitet hanc etiam Martini fuiſſe virtutẽ, vt phantaſiam ſuam diabolus, cum erat Martini oculis ingerenda, diſſimulare diutius aut tegere non poſſet? Animaduerſum eſt tamen, eodem ferè tempore fuiſſe in Hiſpania iuuenem, qui cum ſibi multis ſignis authoritatem parauiſſet, eouſque elatus eſt, vt ſe Eliam profiteretur. Quod cum plerique temere credidiſſent, addidit vt ſe Chriſtum eſſe diceret. In quo etiam adeo illuſit, vt eum quidam epiſcopus Rufus nomine, vt Deum adoraret. Propter quod eum poſtea ab Epiſcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis è fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quendam extitiſſe, qui ſe Iohannem eſſe iactitaret: Ex quo conicere poſſumus, iſtiuſmodi pſeudoprophetis exiſtentibus, Antichriſti aduentum imminere: qui iam in illis myſterium iniquitatis operatur. Neque enim prætereundum videtur, quanta Martinum ſub iiſdem diebus diabolus arte tentauerit. Quodam enim die præmiſſa præ ſe & circuntectus ipſa luce purpurea, quo facilius claritate aſſumpti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, vt nihil minus, quam diabolus putaretur; oranti in cellula adſtitit. Cumque Martinus primo adſpectu eius fuiſſet hebetatus, diu multumque ſilentium ambo tenuerunt. Tum prior diabolus: Agnoſce, inquit, Martine, quem cernis: Chriſtus ego ſum: deſcenſurus ad terras, prius me tibi manifeſtare volui. Ad hæc cum Martinus taceret, neque quicquam reſponſi referret: iterare auſus eſt diabolus profeſſionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cum videas? Chriſtus ego ſum. Tum ille, reuelante ſibi ſpiritu, vt intelligeret diabolum eſſe, non Dominum: Non ſe, inquit, Dominus Ieſus purpuratum, & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego Chriſtum, niſi in eo habitu, formaque, qua paſſus eſt, niſi Crucis ſtigmata præferentem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim, vt fumus euanuit. Cellulam quoque tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret, diabolum ſe fuiſſe. Hoc ita geſtum, vt ſupra retuli, ex ipſius Martini ore cognoui: ne quis forte exiſtimet fabuloſum.

Clarus adoleſcens nobiliſſimo nachus [illegible]

Anatolius pſeudomonachus.

Ecce diaboli verſutiam & fraudem.

Vide iſtius [illegible] infaniã temeritatẽ & arrogantiam.

Diabolum Chriſtum ſe dicentem egregie confutat vir ſanctus

NAM

NAM cum olim, audita eius fide, vita atque virtutibus, deſiderio illius æſtuaremus, gratam nobis ad eum vi- XXVI
dendum peregrinationem ſuſcepimus, ſimul quia iam ardebat animus illius ſcribere vitam, partim ab ipſo, inquantum ille interrogari potuit, ſciſcitari ſumus: partim ab his, qui interfuerant, vel ſciebant, cognouimus. Quo quidem tempore credi non poteſt, qua me humilitate, qua benignitate ſuſceperit, congratulatus plurimum, & gauiſus in Domino, quod tanti eſſet habitus à nobis, quem peregrinatione ſuſcepta expetiſſemus. Miſerum me: penè non audeo confiteri, cum me ſancto conuiuio ſuo dignatus eſt adhibere. Aquam manibus noſtris ipſe obtulit: ad veſperum autem ipſe nobis pedes abluit. Nec reniti, aut contra ire conſtantia fuit, ita illius authoritate oppreſſus ſum, vt nefas putarem, ſi non acquieuiſſem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi huius illecebras, & ſeculi onera relinquenda, vt Dominum Ieſum liberi expeditique ſequeremur. Præſtantiſſimumque nobis præſentium temporum illuſtris viri Paulini, cuius ſupra mentionem fecimus, exemplum ingerebat: qui ſummis opibus abiectis Chriſtum ſecutus ſolus pene his temporibus Euangelica præcepta compleſſet. Illum nobis ſequendum, illum clamabat imitandum, beatumque eſſe præſens ſeculum tantæ fidei virtutiſque documento. cum ſecundum ſententiam Domini, diues & poſſidens multa, vendendo omnia & dando pauperibus, quod erat facto impoſſibile, poſſibile feciſſet exemplo. Iam vero in verbis & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quam alacer, quam efficax, quam in abſoluendis ſcripturarum quæſtionibus promptus & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos ſcio, quippe quos viderim, meipſo etiam referente, non credere: Ieſum teſtor, ſpemque communē, me ex nullius vnquam ore tantum ſcientiæ, tantum ingenii, tam boni & tam puri ſermonis audiſſe. Quanquam in Martini virtutibus quantula eſt iſta laudatio? niſi quod mirum eſt, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuiſſe.

Sulpitius à ſancto viro humaniſſime acceptus.

S. Paulini encomium.

Matth. 19.

Præclarū teſtimonium de doctrina ſancti viri.

SED iam finem libet poſtulat: ſermo claudendus eſt. non quod omnia, quæ de Martino fuerant dicenda, defe- XXVII.
cerint, ſed quia nos vt inertes poëtæ, extremo in opere negligentes, victi materiæ mole ſuccumbimus. Nam etſi facta illius explicari verbis vtcunque potuerunt, interiorem vitam illius, quotidianam conuerſationem, & animum cælo ſemper intentum, nulla vnquam, (vere profiteor) nulla explicabit oratio. Illam ſcilicet perſeuerantiam & temperamentum in abſtinentia & ieiuniis, potentiam in vigiliis & orationibus, noctesque ab eo perinde ac dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulſerit, vel negocio, ſed ne cibo aut ſomno quidem, niſi quatenus naturæ cogebat neceſſitas. Verè fatebor, non ſi ipſe (vt aiunt) ab inferis Homerus emergeret, poſſet exponere: adeo Martini omnia maiora ſunt, quam vt verbis concipi queant. Nulla vnquam hora, momentumque præteriit, quin aut orationi incumberet, aut inſiſteret lectioni. Quanquam etiam inter legendum, aut ſi quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxabat. Nimirum vt fabris ferrariis moris eſt, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem ſuam feriunt: ita Martinus, etiam dum aliud agere videretur, ſemper orabat. O verè beatus, in quo dolus non fuit, neminem iudicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens. Tantam quippe aduerſum omnes iniurias patientiam aſſumpſerat, vt cum eſſet ſummus ſacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco vnquam amouerit, aut à ſua quantum in ipſo fuit, charitate repulerit. Nemo vnquam illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus, idemque, ſemper cæleſtem quodam modo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Nunquam in illius ore, niſi Chriſtus: nunquam in illius corde, niſi pietas, niſi pax, niſi miſericordia inerat. Plerunque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, ſolebat flere peccatis, qui remotum & quietum venenatis linguis, & vipereo ore carpebant. Et verè nonnullos expertiſumus inuidos virtutis, vitæque eius, qui in illo oderant, quod in ſe non videbant, & quod imitari non valebant. Atque (ô nefas dolendum, & ingemiſcendum) non alij fuere inſectatores eius, (licet pauci admodum) non alij tamen, quam Epiſcopi, ferebantur. Nec vero quenquam nominare neceſſe eſt, licet nos ipſos plerique circunlatrent: Sufficit, vt ſi quis ex his hæc legerit & agnouerit, erubeſcat. Nam ſi iraſcitur, de ſeipſo dictum fatebitur, cum fortaſſe nos de aliis ſenſerimus. Nō refugimus autem, vt ſi qui eiuſmodi ſunt, nos quoq; cū tali viro oderint. Illud facile confido, omnibus ſanctis opuſculum iſtud gratum fore. De cæterò, ſi quis hæc infideliter legerit, ipſe peccabit. Ego mihi conſcius ſum, me rerum fide & amore Chriſti impulſum, vt ſcriberem, manifeſta expoſuiſſe, & vera dixiſſe. Paratumq; vt ſpero, habebit à Deo præmium, non quicunque legerit, ſed quicunque crediderit.

Abſtinētia, ieiunia, vigiliæ & orationes S. Martini.

Exercitia eius.

Summa patientia,

Mira animi ſerenitas.

EX DIALOGO 2. SVLPITII, GALLO, SVLPITIO, ET
Poſthumiano interlocutoribus.

GALLVS. Quo primum tempore, relictis ſcholis, beato me viro iunxi, paucos poſt dies euntem ad eccleſiam ſe- I.
quebamur. Interim ei ſeminudus hybernis menſibus pauper occurrit, orans ſibi veſtimentum dari. Tunc ille, accerſito archidiacono, iuſſit algentem ſine dilatione veſtiri. Deinde ſecretarium ingreſſus, cum ſolus, vt erat illi conſuetudo, reſideret, (hanc enim ſibi etiam in Eccleſia ſolitudinem, permiſſa à clericis libertate præſtabat) cum quidam in alio ſecretario presbyteri ſederent, vel ſalutationibus vacantes, vel audiendis negocijs occupati: Martinum vero vſque in eam horam, qua ſolennia populo agi conſuetudo deposceret, ſua ſolitudo cohibebat. Illud non præteribo, quod in ſecretario ſedens, nunquam cathedra vſus eſt. Nam in Eccleſia nemo vnquam illum ſedere conſpexit, ſicut quendam nuper (teſtor Deum) non ſine meo pudore vidi, ſublimi ſolio, & quaſi regio tribunali, celſa ſede reſidentem. Sedebat autem Martinus in ſellula ruſticana, vt ſunt iſtæ in vſibus ſeruulorum, quas nos ruſtici Galli tripedias, vos ſcholaſtici, aut certè tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis. Ergo hoc ſecretum beati viri pauper ille captans, cum ei archidiaconus dare tunicam diſtuliſſet, irrupit, diſſimulatum ſe à clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora: ſanctus, paupere non vidente, intra amphibalum ſibi tunicam latenter reduci, pauperemq; te contectum diſcedere iubet. Dein paulo poſt archidiaconus ingreſſus, admonet pro conſuetudine expectare in Eccleſia populum, illum ad agenda Miſſarum ſolennia debere procedere. Cui ille reſpondens, ait: Pauperem prius (de ſe autem dicebat) oportere veſtiri: ſe ad Eccleſiam non poſſe procedere, niſi veſtem pauper acciperet. Diaconus vero nihil intelligens, quia extrinſecus indutum amphibalo, veſte nudum interius non videbat: poſt emo pauperem non comparere cauſatur. Mihi, inquit, veſtis, quæ parata eſt, deferatur: pauper non deerit veſtiendus. Arctatus demum clericus, & neceſſitate compulſus, iamque felle commotus è proximis tabernis nigerrimam veſtem, breuem atque hiſpidam, quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, veſtem: ſed pauper hic non eſt. Ille nihil motus, iubet eum paulum ſtare pro foribus: ſecretum vtiq; procurans, dum ſibi veſtem nudus imponeret: totis viribus elaborans, vt poſſet occultum eſſe, quod fecerat. Sed quando in ſanctis viris latent iſta quærentibus? Velint, nolint, cuncta produntur.

S. Martinus in tēplo nūquam ſedit.

Seipſum nudat, & veſtit pauperem

Miſſarum ſolennitas.

CVM hic igitur oblaturus ſacrificium Deo veſte procedit. Quo quidem die (mira dicturus ſum) cum iam al- II.
tarium, ſicut eſt ſolenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in ſublime contendens, longius

Igneus globus cernitur ad caput eius.

longius collum crinemq; flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die, in magna populi multitudine viderimus, tamen vna tantum de virginibus, & vnus de presbyteris, tres tantum videre de monachis. Cæteri cur non viderint, non poteſt noſtri eſſe iudicii.

III. PER idem ferè tempus cum Euantius auunculus meus, vir licet ſeculi negotiis occupatus, tamen admodum Chriſtianus, grauiſſima ægritudine, extremo mortis periculo cœpiſſet vrgeri, Martinum euocauit. Nec cunctatus ille, properauit. Prius tamen, quam medium viæ ſpatium vir beatus euolueret, virtutem aduenientis ſenſit ægrotus, recepta continuo ſanitate: venientibus nobis, obuiam ipſe proceſſit. Altera die redire cupientem magna prece detinuit, cum interim vnum è familia puerum lethali ictu ſerpens perculit. Quem iam exanimem vi veneni, ipſe Euantius ſuis humeris illatum, ante pedes ſancti viri, nihil illi impoſſibile confiſus, expoſuit. Iamq; ſe malum ſerpentis per omnia membra ira diffuderat, vt cerneres omnibus venis inflatam cutem, & vtris inſtar tenſa vitalia. Manu Martinus porrecta, vniuerſa pueri membra pertractans, digitum prope ipſum vulnuſculum, quo beſtia virus infuderat, fixit. Tum vero (mira dicturus ſum) vidimus venenum ex omni parte reuocatum, ad Martini digitum cucurriſſe. Deinde per illud vlceris foramen exiguum ita virus ſtipaſſe cum ſanguine, vt ſolet ex vberibus caprarum aut ouium, paſtorum manu preſſis, longa linea copioſi lactis effluere. Puer ſurrexit incolumis. Nos obſtupefacti tantæ rei miraculo id, quod ipſa cogebat veritas, fatebamur, non eſſe ſub cælo, qui Martinum poſſet imitari.

Res admiratione ſane digna.

IV. CONSEQVENTI iiidem tempore, iter cum eodem, dum diœceſes viſitat, agebamus. Nobis neſcio qua neceſſitate remorantibus, aliquantulum ille proceſſerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat. Sed vbi Martinum in veſte hiſpida, nigro & pendulo palliolo circuntectum, contigua de latere iumenta viderunt, paululum in partem alteram pauefacta ceſſerunt. Deinde funibus implicatis protenſos illos, quibus (vt ſæpè vidiſtis) miſera illa animalia conglobantur, ordines miſcuerunt. Dumque ægrè expediuntur, moram fecêre properantibus. Qua permoti iniuria militantes, præcipitatis in terram ſaltibus, ſe dederunt: deinde Martinum flagris ac fuſtibus vrgere cœperunt. cum quidem ille mutus, & incredibili patientia præbens terga cædentibus, maiorem inſaniam infelicibus commoueret: magis ex hoc furentes, quod ille quaſi non ſentiens, verbera illata contemneret. Nos ilico conſecuti, fœde cruentum, atque vniuerſa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuiſſet, inuenimus: ſtatimque eum aſello ſuo impoſuimus, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properauimus. Interea illi regreſſi ad rhedam ſuam, furore ſatiato, agi, quo ire cœperant, iumenta præcipiunt: quæ cum omnia ſolo fixa, ac ſi ænea riguiſſent, tollentibus altius vocem magiſtris, flagris hinc atque inde reſonantibus nihil penitus mouebantur. Conſurgunt deinde omnes pariter in verbera: conſumit Gallicas mularum pœna maſtigias: tota rapitur ſylua de proximo: trabibus iumenta tunduntur: Sed nihil penitus ſæuæ manus agebant: vno eodemque loco ſtabant fixa ſimulacra. Quid agerent infelices homines neſciebant. Nec iam vltra diſſimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus, agnoſcerent diuino numine ſe teneri. Tandem ergo in ſeſe reuerſi, cœperunt quærere, quis ille eſſet, quem in eodem loco paululum ante cecidiſſent. Cum percontantes cognoſcunt ex viantibus Martinum à ſe tam crudeliter verberatum: tum vero apparere omnibus cauſa manifeſta: nec ignorare iam poterant, quin ob illius viri iniuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos paſſibus conſequuntur, conſcii audacis facti, ac merito pudore confuſi, flentes, & puluere, quo ſe ipſi fœdauerant, capita atque ora conſperſi, ante Martini ſe genua prouoluunt, veniam precantes, & vt eos abire fineret, poſtulantes: ſatis ſe vel ſola conſcientia dediſſe pœnarum, ſatiſque intellexiſſe, quod eoſdem ipſos viuos abſorbere terra potuiſſet, vel ipſi potius, amiſſis ſenſibus, in immobilem ſaxorum naturam rigeſcere debuiſſent, ſicut affixa locis, quibus ſteterant, iumenta vidiſſent: orare ſe, atque obſecrare, vt indulgeret ſceleri veniam, & copiam præſtaret abeundi. Senſerat etiam, priuſquã accurrerent, vir beatus illos teneri, nobiſq; id ante iam dixerat. Veniam tamen clementer indulſit, eoſdemq; abire permiſit, animalibus reſtitutis.

Admiranda ſancti viri tolerantia.

Diuina vltio in eos qui eum ceciderunt.

Clementia eius in danda hoſtibus venia.

V. ILLVD autem adnimaduerti ſæpe, Sulpiti, Martinum tibi dicere ſolitum, nequaquam ſibi in Epiſcopatu eam virtutum gratiam ſuppetiſſe, quam prius ſe habuiſſe meminiſſet. Quod ſi verum eſt, immo quia verum eſt, coniicere poſſumus, quanta fuerint illa, quæ monachus operatus eſt, & quæ, teſte nullo, ſolus exercuit, cum tanta illum in Epiſcopatu ſigna feciſſe ſub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius prius geſta innotuêre mundo, neque potuere celari: ſed innumerabilia eſſe dicuntur, quæ, dum iactantiam vitat, occultauit, neque in hominum notitiam paſſus eſt peruenire: quippe humanam ſubſtantiam ſupergreſſus, virtutis ſuæ conſcientia mundi gloriam calcãs, cælo teſte fruebatur. Quod verum eſſe vel ex his, quæ comperta nobis ſunt, nec latere potuerunt, poſſumus æſtimare. Siquidem ante Epiſcopatum duos mortuos vitæ reſtituerit, quod liber tuus plenius eſt locutus: in Epiſcopatu vero (quod prætermiſiſſe te miror) vnum tantummodo ſuſcitarit. Cuius rei ego teſtis ſum, ſi tamen nihil de minus idoneo teſte dubitatis. Idipſum autem vobis, qualiter ſit geſtum, explicabo.

Innumera facta ſua celauit vir Dei.

VI. FVERAT cauſa, neſcio quæ, qua Carnotum oppidum petebamus. Interea dum vicum quendam, habitantium multitudine frequentiſſimum, præterimus, obuia nobis immanis turba proceſſit, quæ erat tota gentiliũ, nam nemo in illo vico nouerat Chriſtum. Verum ad famam tanti viri, campos omnes late patentes confluentium multitudo contexerat. Intellexit hic Martinus operandum, & annunciante ſibi ſpiritu, totus infremuit. Nec mortale ſonans, verbum Dei gentibus prædicabat, ſæpius ingemiſcens, cur tanta Dominum Saluatorem turba neſciret. Interea ſicut nos incredibilis circumdederat multitudo, mulier quædam, cuius filius paulo ante defecerat, corpus exanime beato viro protenſis manibus cœpit offerre, dicens: Scimus quia amicus Dei es: reſtitue mihi filium meũ, quia vnicus mihi eſt. Iunxit ſe cætera multitudo, & matris precibus acclamabat. Tum Martinus videns pro expectantium ſalute (vt poſtea nobis ipſe dicebat) conſequi ſe poſſe virtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit. Et cum, expectantibus cunctis, genua flexiſſet, vbi conſummata oratione ſurrexit, viuum paruulum matri reſtituit. Tum vero multitudo omnis, in cælum clamore ſublato, Chriſtum Dominum fateri, poſtremo cuncti cateruatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter poſtulantes, vt eos faceret Chriſtianos. Nec cunctatus, in medio, vt erat, campo cunctos impoſita vniuerſis manu catechumenos fecit, cũ quidem ad nos conuerſus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi ſolent martyres conſecrari. Viciſti (inquit Poſthumianus) Galle, viciſti: non vtique me, qui Martini ſum potius aſſertor, & qui hæc omnia de illo viro & ſciui ſemper, & credidi: ſed eremitas omnes, anachoretaſq; viciſti. Nemo enim illorum, ſicut Martinus hic veſter, immo noſter, mortuis imperauit. Meritoque hunc iſte Sulpitius Apoſtolis comparat & prophetis, quem per omnia illis eſſe conſimilem, fidei virtus, ac virtutum opera teſtantur. Sed perge, quæſo, quanquam nihil magnificentius audire poſſimus: perge tamen, Galle, quod etiam nunc de Martino ſupereſt ſermonis euoluere. Nam etiam minima illius & quotidiana animus feſtinat agnoſcere: quia minima illius, aliorum maximis maiora eſſe, nulli dubium eſt. Ita faciam, Gallus inquit. Verum id, quod dicturus ſum ipſe non vidi. Prius enim geſta res eſt, quam me illi viro iungerem. Sed factum celebre eſt, fidelium fratrum, qui interfuerant, ſermone vulgatum.

Excitat puerũ mortuũ, & multi pagani credũt in Chriſtũ.

Ann 375. teſte Baron. Vide ſancti viri viſitata præſidia.

Divinitus cõpellitur Valentinianus. Imperator aſſurgere S. Martino.

Eadem Venant. Fortun lib 3. vitæ S. Martini.

Eodem fere tempore, cum primum Epiſcopus datus eſt, fuit ei neceſſitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur. Is cum Martinum ea petere cognouiſſet, quæ præſtare nolebat, iuſſit eum palatij foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem atque ſuperbum vxor acceſſerat Arriana, quæ torum illum à ſancto viro, ne ei debitam reuerentiam præſtaret, auerterat. Itaque Martinus vbi ſemel atque iterum ſuperbum principem fruſtra adire tentauit, recurrit ad nota præſidia: cilicio obuoluitur, cinere conſpergitur, cibo potuque abſtinet, orationem noctibus, diebuſque perpetuat. Septimo vero die aſſiſtit ei Angelus, iubetque eum ad palatium ire ſecurum, regias fores, quantumlibet clauſas, ſponte reſerandas, Imperatoris ſuperbum ſpiritum molliendum. Igitur iſtiuſmodi præſentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obſiſtit, poſtremo vſque ad Regem, nemine prohibente, peruenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere eſt dignatus adſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea corporis parte, qua ſedebat, afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit; multumq; complexus, quem ſpernere antè decreuerat, virtutem ſe ſenſiſſe diuinam emendatior fatebatur. Nec expectatis Martini precibus, prius omnia præſtitit, quàm rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequenter aſſciuit, poſtremo abeunti multa munera obtulit: quæ vir beatus, vt ſemper paupertatis cuſtos, cuncta reiecit. Et quia palatium ſemel ingreſſi ſumus, licet diuerſis in palatio temporibus geſta connectam, nequaquam enim prætermittendum videtur circa Martini admirationem Reginæ fidelis exemplum. VI.

Maximus Imperator, & regina virum ſanctum mire veneratur. Luc.7.

Memorabile reginæ exemplum. Accidiſſe hoc an 386. Treuiris. memorat Baron. 3. Reg 10.

Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, ſi ei vel diadema non legitimè, tumultuante milite, impoſitum repudiare, vel armis ciuilibus abſtinere licuiſſet. Sed magnum Imperium nec ſine periculo teneri, nec ſine armis potuit teneri. Hic Martinum ſæpius euocatum, receptumque intra palatium, venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo ſermo de præſentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate ſanctorum: cum interim diebus ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes ſanct. fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigiſſet, iſtius aſſiduitatem, immo potius ſeruitutem, non poterat euadere. Non illa opes regni, non Imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus, ſolo ſtrata, non poterat. Poſtremo à viro ſuo poſcit, dein Martinum vterque compellunt, vt ei, remotis omnibus miniſtris, præberet ſola conuiuium. Nec potuit vir beatus obſtinatius reluctari. Componitur caſtus reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat, cibum, quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundū famulantium diſciplinam, ſolo fixa, conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſeruientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis abſumpti micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tanto pietatis affectu, illi merito comparanda, quæ venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: ſi quidem ſimplicem ſequamur hiſtoriam: Sed ſi fides reginarum eſt conferenda, (quod mihi liceat, ſeparata myſterij maieſtate, dixiſſe) illa experiuit audire ſapientiam: iſta non tantum audiſſe contenta, ſed & meruit ſeruire ſapienti. VII.

Legant hæc qui fœminarum conſuetudine delectantur

Luc.10.

S Martini vitæ quales ſectentur.

Ad hæc Poſthumianus: Iamdudum, inquit, Galle, audiens te loquentem, vehementer admiror Reginæ fidem. Sed vbi illud eſt, quod nulla vnquam fœmina ferebatur propius adſtitiſſe Martino? Ecce iſta non ſolum adſtitit, ſed etiam miniſtrauit: & vereor ne ſe iſto aliquantulum tueantur exemplo, qui libenter fœminis inſeruiunt. Tum Gallus: Quid tu, inquit, non vides, quod ſolent docere grāmatici, locū, tempus, perſonā? Propone enim tibi ante oculos captū in palatio, Imperatoris precibus ambiri, Reginæ fide cogi, temporis neceſſitate cōſtringi, vt clauſos carcere liberaret, exiliis datos reſtitueret, bona adempta redhiberet. Hæc quanti putas conſtare debuiſſe Epiſcopo, vt pro his omnibus non aliquantulum de rigore propoſiti relaxaret? Veruntamen quia occaſione huius exempli male vſuros eſſe aliquos arbitraris: Illi vero felices erunt, ſi à diſciplina illius viri non recedant. Videant enim, quia Martino ſemel tantum in vita iam ſeptuagenario, non vidua libera, non virgo laſciuiens, ſed ſub viro viuens, ipſo viro pariter ſupplicante, regina ſeruiuit, & Miniſtrauit edenti, non cum epulante diſcubuit. Nec auſa eſt participare conuiuium, ſed deferebat obſequium. Diſce igitur diſciplinam. Sciuiat tibi matrona, non imperet: & miniſtret, non recumbat. Sicut Martha illa miniſtrauit Domino, nec tamen eſt adſcita conuiuio: immo prælata miniſtranti, quæ verbum potius audiebat. Sed in Martino iſta Regina vtrumque compleuit: & miniſtrauit, vt Martha: & audiuit, vt Maria: Quod ſi quis hoc vti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum. Talis cauſa ſit, taliſq; perſona, tale obſequium, tale conuiuium, & in omni vita ſemel tantum. Præclare, inquit Poſthumianus, noſtros iſtos, vt Martini non egrediantur exemplum, tua conſtringit oratio. Sed profiteor tibi, quia hæc ſurdis auribus audientur. Nam ſi Martini ſequeremur vias, nunquam cauſas de oſculo diceremus, & vniuerſis ſcæuæ opinionis opprobriis careremus. Verum, ſicut tu ſoles dicere, cum edacitatis arguēris, Galli ſumus: ita nos in hac parte nunquam vel Martini exemplo, vel tuis diſputationibus corrigend., fatemur. Veruntamen hæc nobis iamdudum agentibus, quid tu tam obſtinate, Sulpiti, taces? Ego, inquam, non ſolum modo taceo, ſed olim de iſtis tacere diſpoſui. Nam quia quandam viduam, vagam, nudulam, ſumptuoſam obiurgauerim laſciuius victitantem: inde atque virginem, adoleſcenti cuidam mihi charo indecentius adhærentem, (cum quidem ipſam frequenter audiſſem alios etiam, quia talia agerent, increpantem) tanta mihi omnium fœminarum, cunctorumque monachorum odia concitaui, vt aduerſum me vtræque legiones iurata bella ſuſceperint. Vnde, quæſo, taceatis: ne etiam hoc, quod vos loquimini, ad meam referatur inuidiam. Tota vobis iſtorum mentio relinquatur: ad Martinum potius reuertamur. Tu, Galle, vt aggreſſus es, cœptum opus explica. VIII.

Tum ille: Iam quidem vobis, inquit, tanta narraui, vt ſatisfacere ſtudiis veſtris meus ſermo debuerit. Sed quia voluntati veſtræ non obſecundare mihi non licet, quantum adhuc dici ſupereſt, loquar. Nam certe dum ſtramen illud, quod in lectos noſtros paratur, adſpicio, ſubuenit in memoriam etiam de ſtramine, in quo Martinus iacuerat, factum eſſe virtutem. Res ita geſta eſt. IX.

Claudiomachus.

Nota de ſtramine.

Claudiomagus, vicus eſt in confinio Biturigum atque Turonorum. Eccleſia ibi eſt celebris religione ſanctorum, nec minus glorioſa ſacrarum virginum multitudine. Præteriens ergo Martinus, in ſecretario Eccleſiæ habuit manſionem. Poſt diſceſſum illius cunctæ in ſecretarium illud virgines irruerunt, adlambunt ſingula loca, vbi aut ſederat vir beatus, aut ſteterat: ſtramentum etiam, in quo quieuerat, partiuntur. Vna earum poſt dies paucos partem ſtraminis, quam ſibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agitabat, de ceruice ſuſpendit. Nec mora, dicto citius eiecto dæmone perſona purgata eſt. X.

Pellit dæmonem e vacca.

Per idem ferè tempus Martino à Treuiris reuertenti fit obuiam vacca, quam dæmon agitabat: quæ, relicto grege ſuo, in homines ferebatur, & iam multos noxie petulans confoderat. Verum vbi nobis cœpit eſſe contigua, ij, qui eam eminus ſequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed poſtquam ad nos tornis furibunda luminibus propius acceſſit, Martinus eleuata obuiam manu, pecudem conſiſtere iubet. Quæ mox ad verbum illius ſtare cœpit immobilis, cum interea videt Martinus dæmonem dorſo illius ſuperſedentem. Quem increpans, Deſcende, inquit, funeſte de pecude, & innoxium animal agitare deſiſte. Paruit nequam ſpiritus, & receſſit. XI.

ceſſit. Nec defuit ſenſus in bucula, quin ſe intelligeret liberatam. Ante pedes ſancti viri, recepta quiete, proſternitur. Dein iubente Martino, gregem ſuum petiit, ſeque agmini cæterarum oue placidior immiſcuit. Hoc illo fuit in tempore, quo inter medias poſitus flammas, non ſenſit incendium. Quod mihi non arbitror eſſe referendum: quia hoc plenius iſte Sulpicius, licet in libro ſuo præteritum, in epiſtola tamen poſtea, quam ad Euſebium tum presbyterum, modo Epiſcopum, fecit, expoſuit. Quam tu, Poſthumiane (vt credo) legiſti: aut ſi incognita tibi eſt, cum libuerit, in promptu ex illo armario habes. Nos ab illo omiſſa referimus.

X. QVODAM autem tempore cum diœceſes circuiret, venantium agmen incurrimus. Canes lepotem ſequebantur. Iamque multo ſpatio victa beſtiola, cum vndique campis late patentibus nullum eſſet effugium, mortem imminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat. Cuius periculum vir beatus pia mente miſeratus, imperat canibus, vt deſiſterent ſequi, & ſinerent abire fugientem. Qui continuo ad primum eius ſermonis imperium conſtiterunt. Crederes vinctos, immo potius affixos, in ſuis hærere veſtigiis. Ita lepuſculus, perſecutoribus alligatis, incolumis euaſit.

Virtute lepuſculi miſeretur.

XI. OPERÆPRETIVM autem eſt, etiam familiaria illius verba, ſpiritali ſale condita memorare. Ouem recens tonſam fortè conſpexerat: Euangelicum, inquit, mandatum iſta compleuit: Duas habuit tunicas, vnam earū largita eſt non habenti. Ita ergo & vos facere debetis. Item cum ſubulcum algentem, ac pene nudum in pellicea veſte vidiſſet: En, inquit, Adam eiectus de paradiſo, in veſte pellicea ſues paſcit: ſed nos, illo vetere depoſito, nouum Adam potius induamus. Boues ex parte prata depauerant: porci etiam nonnulla ſuffoderant: pars cætera, quæ manebat illæſa, diuerſis floribus quaſi picta vernabat: Speciem, inquit, gerit pars illa coniugii, quæ pecore depaſta, etſi non penitus gratiam amiſit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero, quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterum illa portio, quæ nullam ſenſit iniuriam, gloriam virginitatis oſtendit. Herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberant, & vltra omnem ſpeciem diſtincta floribus, quaſi gemmis micantibus ornata radiat. Beata ſpecies, & Deo digna. Nihil enim virginitati eſt comparandum. Ita & illi, qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant: & illi, qui coniugia virginitati æquanda exiſtimant, miſeri penitus & ſtulti ſunt. Verum hæc à ſapientibus tenenda diſtinctio eſt, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas ſpectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, niſi ſatisfactione purgetur.

Luc. 3.
Virginitas vtcunque commendatur.

XII. MILES quidam cingulum in Eccleſia, monachum profeſſus, abiecerat: cellulam ſibi eminus in remoto, quaſi eremita victurus, erexerat. Interea aſtutus inimicus variis cogitationibus brutū pectus agitabat, vt coniugem, quam Martinus in monaſterio puellarum eſſe præceperat, voluntate mutata, ſecum potius vellet habitare. Adiit ergo Martinum fortis eremita: quid haberet animi, confitetur. Ille vero vehementer cœpit abnuere, fœminam viro rurſus iam monacho, non marito, incongrua ratione miſceri. Poſtremo cum miles inſtaret, affirmans nihil hoc propoſito eſſe nociturum: ſe ſolo coniugis vti velle ſolatio: porro ne rurſum ſe in ſua reuoluerent, non eſſe metuendum: ſe eſſe militem Chriſti, illam quoque in eadem eiuſdem militiæ ſacramenta iuraſſe: pateretur Epiſcopus ſanctos eos, ſexum ſuum fidei merito neſcientes, pariter militare. Tum Martinus, (verba vobis ipſa dicturus ſum) Dic mihi, inquit, ſi vnquam in bello fuiſti, ſi in acie conſtitiſti? At ille reſpondens: Frequenter, inquit, in acie ſteti, & bello frequenter interfui. Ad hæc Martinus: Dic mihi ergo: Nunquid in illa acie, quæ armata in prælium parabatur, aut iam aduerſus hoſtilē exercitum collocato cominus pede diſtricto enſe pugnabat, vllam fœminam ſtare, aut pugnare vidiſti? Tum demum miles confuſus erubuit, gratias agens, errori ſuo ſe non fuiſſe permiſſum, nec aſpera increpatione verborum, ſed vera & rationabili ſecundum perſonam militis comparatione correctum. Martinus autem conuerſus ad nos, ſicut eum frequens fratrum turba valla[u]erat: Mulier, inquit, virorum caſtra non adeat: acies militum ſeparata conſiſtat: procul fœmina in ſuo degens tabernaculo, ſit remota: contemptibilem enim reddit exercitum, ſi virorum cohortibus turba fœminea miſceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo: mulier ſe intra murorum munimenta contineat. Habet & illa gloriam ſuam, ſi pudicitiam, viro abſente, ſeruauerit. Cuius hæc prima virtus, & conſummata victoria eſt, non videri.

Mira ratione militē iā monachū, à ratione aliena petentē, retudit.

XIII. ILLVD verò, Sulpici, meminiſſe te credo, quo affectu nobis, cum & tu coram adeſſes, illam virginem prædicaret, quæ ita ſe penitus ab omnium virorum oculis remouiſſet, vt ne ipſum quidem ad ſe Martinum, cum eam ille officij cauſa viſitare vellet, admiſerit. Nam cum prope agellum illius præteriret, in quo ſe iam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute, diuertit, vt tam illuſtris meriti puellam religioſo officio Epiſcopus honoraret. Nos conſequentes, gauiſuram illam virginem putabamus, ſiquidem hoc in teſtimonium virtutis ſuæ eſſe habituram, ad quam tanti nominis ſacerdos, depoſito propoſiti rigore, veniſſet. Verum illa fortiſſimi vincula propoſiti, ne Martini quidem contemplatione laxauit. Ita vir beatus, accepta per aliam fœminam excuſatione laudabili, ab illius foribus, quæ ſe videndam ſalutandamque non dederat, lætus abſceſſit. O virginem glorioſam, quæ ne à Martino quidem paſſa eſt ſe videri. O Martinum beatum, qui illam repulſam non ad contumeliam ſuam duxit, ſed magnificans illius cum exultatione virtutem, inuſitatum in his duntaxat regionibus gaudebat exemplum. Ergo cum haud longè ab illa villula nos manere nox imminens coëgiſſet, xenium beato viro eadem illa virgo tranſmiſit: Fecitque Martinus, quod ante non fecerat. Nullius enim ille vnquam xenium, nullius munus accepit. Nihil ex his, quæ virgo venerabilis miſerat, refutauit, dicens, benedictionem illius à ſacerdote minime reſpuendam, quæ eſſet multis ſacerdotibus præferenda. Audiant, quæſo, virgines hoc exemplum: vt fores ſuas, ſi eas mali obſidere voluerint, etiam bonis claudant: & ne ad ſe improbis ſit liber acceſſus, non vereantur excludere etiam ſacerdotes. Totus hoc mundus exaudiat: Videri ſe à Martino virgo paſſa non eſt. Non vtique illa quemcunque repulit ſacerdotem: ſed in eius viri conſpectum puella non venit, quem videre ſalus videntium fuit. Quis autem hoc alius, præter Martinum, ſacerdos non ad ſuam iniuriam retuliſſet? quos aduerſus ſanctam virginem motus, quantaſque iras mente concepiſſet? hæreticam iudicaret, & anathematizandam eſſe decreuiſſet: Quam verò illi beatæ animæ illas virgines prætuliſſet, quæ crebris occurſibus vbique ſe præbent obuias ſacerdotibus, quæ conuiuia ſumptuoſa diſponunt, quæ vna pariter accumbunt? Sed quo me ducit oratio? Paululum iſte liberior ſermo reprimendus eſt, ne in aliquorum forſitan incurrat offenſam. Etenim infidelibus obiurgationis verba non proderunt: fidelibus autem ſatisfaciet exemplum. Verum ego ita virtutem huius virginis prædicabo, vt tamen nihil illis, quæ ad Martinum videndum ex longinquis regionibus ſæpe venerunt, arbitrer derogandum. Siquidem hoc beatum virum frequenter affectu etiam Angeli frequentant.

Exemplum illuſtre pudiciſſimæ virginis.
Adhortatio ad virgines.
Angeli frequenter ſanctū Martinū viſitant.

XIV. CÆTERVM id, quod dicturus ſum, Poſthumiane, hoc tibi (me autem intuebatur) teſte recte perhibeo. Quodam die ego & iſte Sulpitius, pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum ſilentio ſedebamus ingenti horrore & tremore, ac ſi ante Angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus, cum quidem clauſo cellulæ ſuæ oſtio, nos ibi eſſe neſciret: interim colloquentium murmur audiuimus; & mox horrore quodam circumfundimur: ac obſtupentes, nec ignorare potuimus neſcio quid fuiſſe diuinum. Poſt duas ferè horas ad nos Martinus egreditur, ac tum eum iſte Sulpitius (ſicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, vt piè quærentibus indicaret,

Sulpicii ſingularis cum viro Dei familiaritas.

indicaret, quid il'ud diuini fuiſſet horroris, quod fatebamur nos ambo ſenſiſſe, vel cum quibus fuiſſet in cellula collocutus: tenuem enim nos licet, & vix intellectum, ſermocinantium ſonum pro foribus audiſſe. Tum ille diu multumque cunctatus, (ſed nihil erat, quod ei Sulpitius non extorqueret inuito: Incredibiliora forte dicturus ſum, ſed Chriſto teſte, non mentior: niſi quiſpiam eſt tam ſacrilegus, vt Martinum putet fuiſſe mentitum) Dicam, inquit, vobis, ſed vos nulli, quæſo, dicatis: Agnes, Tecla & Maria mecum fuerunt. Referebat autem nobis vultum atq; habitum ſingularum. Nec vero illo tantum die, ſed frequenter ſe ab eis conſeſſus eſt viſitari. Petrum etiam & Paulum Apoſtolos videri à ſe ſæpius non negauit.

Crebro à ſanctis viſitatur.

Iam verò dæmones, prout ad eum quiſque veniſſet, ſuis nominibus increpabat: Mercurium maximè patiebatur infeſtum: Iouem brutum atque hebetem eſſe dicebat. Hæc pleriſque etiam in eodem monaſterio conſtitutis incredibilia videbantur, nedum ego confidam omnes, qui hæc audient, credituros. Nam niſi inæſtimabilem vitam atque virtutem Martinus egiſſet, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur. Quanquam minimè mirum, ſi in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit, cum multos quoque hodie videamus nec Euangelijs quidem credidiſſe. A Martino autem ſæpe Angelos viſos familiariter, & ſenſimus, & experti ſumus. Rem minimam dicturus ſum, ſed tamen dicam.

Synodus Nemauſen.

Apvd Nemauſum Epiſcoporum ſynodus habebatur: ad quam quidem ire noluerat, ſed quid geſtum eſſet, XV.
ſcire cupiebat. Caſu cum eo iſte Sulpitius nauigabat: ſed procul, vt ſemper, à cæteris in remota nauis parte reſidebat. Ibi ei Angelus, quid geſtum eſſet in ſynodo, nunciauit. Nos poſtea tempus habiti concilij ſolicite requirentes, ſatis compertum habuimus ipſo die fuiſſe conuentum, & ea ibi ab Epiſcopis fuiſſe decreta, quæ Martino Angelus nunciauerat.

Hæc cum maxime Gallus necdum explicitis quæ ſtatuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingreſſus eſt XVI.
nuncians, Refrigerium preſbyterum ſtare pro foribus. Dubitare cœpimus vtrum Gallum adhuc melius eſſet audire, an exoptatiſſimo nobis viro, qui officij cauſa ad nos veniebat, occurrere. Tum Gallus: Etiam à non ob aduentum ſanctiſſimi ſacerdotis relinquenda nobis hæc eſſet oratio, nox ipſa cogebat hucuſq; protractum finire ſermonem. Verum quia de Martini virtutibus nequaquam explicari vniuerſa potuerunt, hæc vos hodie audiſſe ſufficiat: cras reliqua dicemus. Ita pariter, accepta Galli ſponſione, ſurreximus.

Ex Dialogo 3 eiuſdem, eiſdem interlocutoribus.

Gallvs: Conueniſtis ad me audiendum, & ſancti, & diſerti: ſed religioſas potius, quam doctas aures, vt arbitror, I.
attuliſtis: audituri me fide teſtis, non oratoris copia, locuturum. Quæ autem heſterno dicta ſunt, nō reuoluam. Illi qui non audierunt, ex ſcriptis recognoſcent. Noua Poſthumianus expectat, nunc auditurus Orienti, ne ſe in comparatione Martini præferat Occidenti.

Ac primum geſt animus, quod Refrigerius in aurem ſuggerit, explicare. Res in Carnotena geſta eſt ciuitate. II.
Pater filiam duodennem, ab vtero mutam puellam, Martino cœpit offerre, poſcens vt linguam ligatam, meritis ſuis ſanctus abſolueret. Ille cedens Epiſcopis, qui tum fortè latus illius ambiebant, Valentiniano atq; Victricio, imparem ſe eſſe tantæ moli, ſed illis quaſi ſanctioribus nihil impoſſibile, fatebatur. At illi pias preces vna cum patre ſupplici voce iungentes, orare Martinum, vt ſperata præſtaret. Nec cunctatus vltra, (vtrunque præclarum, & oſtendendo humilitatem, nec differendo pietatem) iubet circunſtantis populi multitudinem ſubmoueri. Epiſcopis tantum & puellæ patre aſſiſtentibus, in orationem ſuo illo more proſternitur: dein pauxillum olei cum exorciſmi præfatione benedicit, atque ita in os puellæ ſanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit ſanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat, mox illa reſpondet. Proclamat pater cum gaudio pariter & lachrymis. Martini genua complexus: & hanc primam ſe filiæ audiſſe vocem, cunctis ſtupentibus, fatebatur. Ac ne cuiqu m id forte incredibile videatur, perhibeat vobis præſens Euagrius teſtimonium veritatis. Nam res ipſo præſente tum geſta eſt.

Benedicto oleo ſanat mutam puellam.

Parvm illud eſt, quod nuper, Harpagio preſbytero referente, cognoui: ſed non prætermittendum videtur. III.
Auitiani comitis vxorem miſiſſe Martino oleum, quod ad diuerſas morborū cauſas (ſicut eſt conſuetudo) benediceret: ampullam vitream iſtiuſmodi fuiſſe, vt rotunda in ventrem creſceret ore producto, ſed oris ex tantis concauum non repletum: quia id moris ſit, vaſcula illa ſic complere, vt pars vmbonibus obſtruendis libera relinquatur. Teſtabatur preſbyter vidiſſe ſe oleum ſub Martini benedictione creuiſſe, quoad exūdante copia, ſuperne deflueret: eandemq; dum ad matrem familiâs vaſculum referretur, ſeruaſſe virtutem. Nam inter manus pueri portantis ita ſemper exundaſſe oleum, vt omne illius veſtimentum copia ſuperfuſi liquoris operiret: matronam ita vſq; ad ſummum labrum plenum vaſculum recepiſſe, vt preſbyter hodie quoq; fateatur obdendi peſſuli, quo claudi diligentius ſeruanda conſueuerunt, in vitro illo ſpatium non fuiſſe.

Oleum benedicente viro Dei augetur.

Mirvm & illud, quod huic (me autem intuebatur) memini contigiſſe. Vas vitreum cum oleo, quod Martinus IV.
benedixerat, in feneſtra paululum editiore depoſuit Puer familiaris incautior linteum ſuperpoſitum, ampullam ibi eſſe ignarus, attraxit: vas ſuper conſtratum marmore pauimentum decidit. Cunctis metu exterritis, ne benedictio deperiſſet, ampulla perinde incolumis eſt reperta, ac ſi ſuper plumas molliſſimas decidiſſet. Quæ res nō potius ad caſum, quam ad Martini eſt referenda virtutem: cuius benedictio perire non potuit.

Magnū miraculum.

Qvid illud, quod factum eſt à quodam, cuius nomen, quia præſens eſt, & prodi ſe vetuit, ſupprimetur? Cui quidē V.
tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat: In nomine, inquit, Martini iubeo te obmuteſcere Canis hæſit latratus in gutture Lingua, vt abſciſſam putares, obmutuit. Ita parum eſt, ipſum Martinum feciſſe virtutes: credite mihi, quia etiam alii in nomine eius multa fecerunt.

Nota rem miram.

Avitiani quondam comitis nouerâtis barbaram nimis, & vltra omnes cruentam, feritatē. Hic rabido ſpiritu VI.
ingreſſus Turonum ciuitatem, ſequentibus eum miſerabili facie ordinibus catenatis, diuerſa perdendis parari iuber genera pœnarum, diſponens poſtero die, attonita ciuitate, ad opus tam triſte procedere. Quod vbi Martino compertum eſt, ſolus paulo ante mediam noctem ad prætorium beſtiæ illius tendit. Sed cum profundæ noctis ſilentio quieſcentibus cunctis, nulli foribus obſeratis pateret ingreſſus, ante limina cruenta proſternitur. Interea Auitianus graui ſomno ſepultus. Angelo irruente percellitur: Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quieſcis? Qua ille voce percepta, lecto ſuo turbatus excutitur: conuocatiſque ſeruis, trepidus exclamat, Martinum eſſe pro foribus: Irent protinus, clauſtra reſerarent, ne Dei ſeruus pateretur iniuriam. Sed illi (vt eſt omnium natura ſeruorum) vix prima limina egreſſi irriden es dominum ſuum, quod ſomno fuiſſet illuſus, negant quenquam eſſe pro foribus, ex ſuo met ingenio conijcientes neminem nocte poſſe vigilare, ne dum illi crederent in illo noctis horrore iacere ad aliena limina ſacerdotem. Idque Auitiano facile perſuaſum: ruſum ſoluitur in ſoporem. Sed mox vi maiore concuſſus, exclamat Martinum ſtare pro foribus: ſibi ideo nullam quietem animi corporiſque permitti. Tardantibus

Commiſeratio eius in captiuos & afflictos quanta.

ſeruis,

ſeruis,ipſe ad limina exteriora progreditur. Ibi Martinum,vt ſenſerat,deprehendit. Perculſus miſer tantæ manifeſtatione virtutis: Quid,inquit,hoc, domine, mihi feciſti: Nihil te loqui neceſſe eſt: Scio quid deſideres: video quid requiras: diſcede quantocyus,ne me ob iniuriam tui cæleſtis ira conſumat: ſatis ſoluerim hucuſque pœnarum: crede,quia non leuiter apud me actum eſt,vt ipſe procederem. Poſt diſceſſum autem ſancti aduocat officiales ſuos: iubet omnes cuſtodias relaxari:& mox ipſe proficiſcitur. Ita fugato Auitiano,læta eſt ciuitas & liberata. Hæc cum multis Auitiano referente comperta ſunt,tum nuper Refrigerius preſbyter, quem coram videtis, ab Agatido fideli viro ex tribunis ſub inuocatione diuinæ maieſtatis audiuit,qui ſibi hoc ab ipſo Auitiano relatum eſſe iurabant.

Vir ſanctiſſimus miro modo liberat multos miſere perdendos.

CÆTERVM nolo miremini,me hodie facere,quod heſterno non feci,vt ad ſingulas quaſque virtutes nomina teſtium,perſonaſque ſubnectam,ad quas,ſi quis fuerit incredulus,quia adhuc in corpore ſunt,recurrat. Exigit id infidelitas plurimorum,qui in aliquibus,quæ heſterno memorata ſunt, nutare dicuntur. Accipiant ergo teſtes adhuc incolumes atque viuentes:quibus,quia de fide noſtra dubitant,magis credant. Sed ſi adeo infideles ſunt,profiteor, quia nec illis ſunt credituri. Miror autem quenquam, qui vel tenuem ſenſum religionis habeat, tantum piaculi velle committere,vt putet quenquā de Martino poſſe mentiri.Faceſſat à quoquā, qui ſub Deo viuit,iſta ſuſpicio. Nec enim Martinus hoc indiget,vt mendaciis aſſeratur.Sed tamē totius ſermonis fidem apud te,Chriſte,deponimus,nos nec alia dixiſſe, nec alia dicturos,quam quæ aut ipſi vidimus,aut quæ manifeſtis authoribus, vel plerunque ipſo referente,cognouimus. Cæterum,etſi dialogi ſpeciem, quo ad leuandum faſtidium lectio variaretur, aſſumpſimus, nos pie præſtruere profitemur hiſtoriæ veritatem. Hæc me extrinſecus inſerere, nonnullorum incredulitas non ſine meo dolore compulerit:ſed redeat ad noſtrum ſermo conſeſſum: In quo cum me tam ſtudioſe audiri videā, fatebor neceſſe eſt,Aprum feciſſe conſtanter,qui repulit infideles.eos tantum iudicans audire debere,qui crederent. Efferor,ſi quidem creditis,ſpiritu,& præ dolore totus inſanio:non credent Martini virtutibus Chriſtiani, quas dæmones fatebantur?

VI. MONASTERIVM beati viri duobus à ciuitate erat millibus diſparatum. Sed ſi quoties venturus ad Eccleſiam,pedem extra ſuæ cellulæ limen extulerat,videres per totam Eccleſiam energumenos rugientes, & quaſi adueniente iudice,agmina damnanda trepidare: vt aduentum Epiſcopi clericis,qui venturum eſſe neſcirent, dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quendam,appropinquante Martino,in aëre raptum,manibus extenſis in ſublime ſuſpendi,vt nequaquam ſolum pedibus attingeret. Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepiſſet,neminem manibus attrectabat, neminem ſermonibus increpabat, ſicut plerunque per clericos rotatur turba verborum:ſed admotis energumenis,cæteros iubebat abſcedere,ac foribus obſeratis,in medio Eccleſiæ, cilicio circumtectus,cinere reſperſus,ſolo ſtratus, orabat. Tum vero cerneres miſeros diuerſo exitu perurgeri: hos ſublatis in ſublime pedibus,quaſi de nube pendere,nec tamen veſtes defluere ſuper faciem,ne faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres ſine interrogatione vexatos,& ſua crimina confitentes. Nomina etiam, nullo interrogante,prodebant.Iſte ſe Iouem, iſte Mercurium fatebatur. Poſtremo cunctos diaboli miniſtros cum ipſo cerneres authore cruciari,vt iam illud in Martino fateamur impletum, quod ſcriptum eſt, quoniam ſancti de Angelis iudicabunt.

Vir ſanctus cilicio tectus,cinere adſperſus, ſolo ſtratus curat dæmoniacos.

1.Cor.6.

VII. PAGVM quendam in Senonico annis ſingulis grando vaſtabat. Compulſi extremis malis incolæ, à Martino auxilium popoſcerunt,miſſa per Auſpicium præfectorium virum ſatis fida legatione: cuius agros ſpecialiter grauior,quam cæterorum aſſueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione,Martinus ita vniuerſam penitus liberauit ab ingruenti peſte regionem,vt per viginti annos, quibus poſtea manſit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitum eſſe,& non potius Martino præſtitum,putaretur, eo anno, quo ille defunctus eſt, rurſus incubuit rediuiua tempeſtas. Adeo ſenſit & mundus viri fidelis exceſſum,vt cuius vita iure gaudebat, eiuſdem morte lugeret. Cæterum ſi ad hæc probanda,quæ diximus,teſtes etiam infirmior auditor exegerit, non vnum ego hominem, ſed millia multa producam, & totam in teſtimonium virtutis expertæ Senonum aduocabo regionem. Et tamen tu, Refrigeri preſbyter, credo meminiſti, nuper nobis ſuper hoc cum Romulo Auſpicii illius filio,honorato & religioſo viro,fuiſſe ſermonem,qui hæc nobis tanquam incomperta referebat, & cum futuris prouentibus per aſſidua damna trepidaret,vt ipſe vidiſti,magno ſecum mœrore lugebat,Martinum non in hæc tempora reſeruatum.

Grandinis cladē pellit.

VIII. SED vt ad Auitianum recurram,qui cum in omnibus locis,cunctiſque in vrbibus ederet crudelitatis ſuæ infanda monumenta,Turonis tantum innocens erat:& illa beſtia,quæ humano ſanguine,& infelicium mortibus alebatur,mitem ſe atque tranquillum beato viro præſente,præſtabat. Memini quodam die ad eum veniſſe Martinum: qui vbi ſecretarium eius ingreſſus eſt, vidit poſt tergum ipſius dæmonem miræ magnitudinis aſſidentem. Quem cum eminus(vt verbo,quia ita neceſſe eſt,parum Latino loquamur) exufflâſſet, Auitianus ſe exufflari exiſtimans: Quid me,inquit,ſancte,ſic adſpicis? Tum Martinus:Non te,inquit, ſed eum, qui ceruici tuæ teter incubuit. Ita receſſit diabolus,& reliquit familiare ſubſellium. Satiſque conſtat, ab illo die Auitianum mitiorem fuiſſe: ſeu quod intellexerit egiſſe ſe ſemper aſſidentis ſibi diaboli voluntatem: ſeu quod immundus ſpiritus ab illius conſeſſu per Martinum fugatus,priuatus eſt poteſtate graſſandi, cum erubeſceret miniſter authorem, nec miniſtrum author vrgeret.

Dæmon inſidet ceruici immanis tyranni,ſed eū abigit vir Dei.

IX. IN vico autem Ambatienſi,id eſt,caſtello veteri,quod nunc frequens habitatur à fratribus,idolum noueratis grandi opere conſtructum. Politiſſimis ſaxis moles turrita ſurrexerat,in qua collectio ſummitatis in thronum ſublimem procedens,ſuperſtitionem loci operis dignitate ſeruabat.Huius deſtructionem Marcello ibidem conſiſtenti preſbytero vir beatus ſæpe mandauerat Poſt aliquantulum temporis regreſſus, increpat preſbyterum, cur adhuc idoli ſtructura conſiſteret.Ille cauſatur vix militari manu, & vi publicæ multitudinis tantam molem poſſe ſubuerti, nedum id facile putare per imbecillos clericos aut infirmos monachos quiuiſſe curari. Tum Martinus recurrens ad nota præſidia,noctem totam in oratione peruigilat.Mane orta tempeſtas,ædem idoli vſque ad fundamentum prouoluit.Verum hæc,Marcello teſte,dicta ſunt.

Tota nocte orās impetrat idoli euerſionem.

X. ALIAM eius non diſſimilem in ſimili opere virtutem,Refrigerio adſtipulante,perhibeo. Columnam immenſæ molis,cui idolum ſuperſtabat,parabat euertere:ſed nulla erat facultas,qua id daretur effectui. Tum ad orationem ſuo more conuertitur.Viſum cunctis eſt,parilem quodammodo columnam ruere de cœlo, quæ impacta idolo,totam illam inexpugnabilem molem ſoluit in puluerem.Parum ſcilicet,ſi inuiſibiliter cæli virtutibus vteretur,niſi ipſæ virtutes viſibiliter ſeruire Martino humanis etiam oculis cernerentur.

Aliud idolū cælitus deſtruitur.

XI. IDEM autem Refrigerius mihi teſtis eſt,mulierem profluuio ſanguinis laborantem, cum Martini veſtem exemplo mulieris illius Euangelicæ contigiſſet,ſub momento temporis fuiſſe ſanatam. Matth.9.

XII. SERPENS flumen ſecabat,& ripæ,in qua conſtiteramus,annatabat: In nomine,inquit,Domini iubeo te redire. Mox ſe mala beſtia ad verbum ſancti retorſit, & in vlteriorem ripam, nobis inſpectantibus, tranſmeauit. Quod cum omnes non ſine miraculo cerneremus,altius ingemiſcens,ait.Serpentes me audiunt,& homines non audiunt.

Serpentem profligat.

PISCEM Paſchæ diebus edere conſuetus, paulo ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu. XIII.
Tum Cato diaconus, ad quem monaſterii adminiſtratio pertinebat, doctus ipſe piſcari, negat per totum diem ſibi ullam ceſſiſſe capturam: ſed neque alios piſcatores, qui vendere ſolebant, quicquam agere quiuiſſe: Vade, inquit, mitte linum tuum: captura proueniet. Contiguum flumini (vt Sulpicius iſte deſcripſit) habebamus habitaculum. Proceſſimus cuncti, vtpote feriatis diebus, videre piſcantem, omnium cordibus intentis non incaſſum futura tentamina, quibus piſcis, Martino authore, Martini vſibus quæreretur. Ad primum iactum in rete permodico immanem ezocem diaconus extraxit, & ad monaſterium lætus accurrens: Nimirum, vt dixit poëta neſcio quis (vtimur enim verſu ſcholaſtico, quia inter ſcholaſticos fabulamur) Captiuumque ſuem mirantibus intulit Argis. Verè iſte Chriſti diſcipulus geſtarum à Saluatore virtutum, quas in exemplum ſanctis ſuis edidit, æmulator Chriſtum in ſe monſtrabat operantem; qui ſanctum ſuum vſquequaque glorificans, diuerſarum munera gratiarum in vnum hominem conferebar.

Ezocem, id eſt, ſalmonem.

TESTATVR Arborius ex præfecto, vidiſſe ſe Martini manum ſacrificium offerentis, veſtitam quodammodo nobiliſſimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dexteræ, colliſarum inter ſe fragorem audiſſe gemmarum. XIV.

VENIAM ad illud, quod propter notam temporum Martinus ſemper occultauit: ſed nos celare non potuit. In quo illud eſt miraculi, quod facie ad faciem cum eo Angelus eſt collocutus. Maximus Imperator, alias ſane bonus, deprauatus conſiliis ſacerdotum, poſt Priſcilliani necem, Ithacium Epiſcopum Priſcilliani accuſatorem, cæteroſque illius ſocios, quos nominare non eſt neceſſe, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuſcunque modi hominem fuiſſe damnatum. Interea Martinus multis grauibuſque laborantium cauſis ad comitatum ire compulſus, procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. Congregati [a] apud Treuiros Epiſcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem ſibi cauſam fecerant. His vbi nunciatum eſt inopinantibus, adeſſe Martinum, totis animis labefacti, muſſitare & trepidare cœperunt. Etiam pridie Imperator ex eorum ſententia decreuerat, tribunos ſumma poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin ſanctorum etiam maximam turbam tempeſtas illa depopulatura eſſet, paruo diſcrimine inter hominum genera. Etenim tum ſolis oculis iudicabatur, cum quis pallore potius, aut veſte, quam fide, hæreticus æſtimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino Epiſcopi ſentiebant: ſed male conſciis illa vel moleſtiſſima erat cura, ne ſe ab eorum communione adueniens abſtineret, non defuturis, qui tanti viri conſtantiam præmiſſa authoritate ſequerentur. Ineunt cum Imperatore conſilium, vt miſſis obuiam † Magiſtri officialibus, vrbem illam propius vetaretur accedere, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium affore fateretur. Quos ille callidè fruſtratus, profitetur ſe cum pace Chriſti eſſe venturum. Poſtremo ingreſſus nocturno tempore, adiit Eccleſiam tantum orationis gratia. Poſtero die palatium petit. Præter multas, quas enumerare longum eſt, has principales petitiones habebat, pro Narſete comite, & Leucadio præſide, qui ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt huius temporis explicare, iram Imperatoris emeriti: Illa præcipua cura, ne tribuni cum iure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. Pia enim erat ſollicitudo Martino, vt non ſolum Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret. Verum primo die, atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator: ſiue vt rei pondus imponeret, ſiue quia nimis ſibi implacabilis erat: ſeu quia (vt plerique tum arbitrabantur) auaritia repugnabat: ſiquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur enim vir ille, multis bonisque actibus prædiius, aduerſus auaritiam parum conſuluiſſe: niſi forte illi regni neceſſitate, quippe exhauſto ſuperioribus principibus Reipublicæ ærario, penè ſemper in expeditione atque procinctu bellorum ciuilium conſtitutus, facile excuſabitur, quibuſlibet occaſionibus ſubſidia Imperio parauiſſe. Interea Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes, actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi † Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolus palam lata ſententia condemnauerat, Martini armaret authoritas: non oportuiſſe hominem recipi mœnibus: illum iam non defenſorem hæreticorum eſſe, ſed vindicem: nil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius vltionem. Poſtremo proſtrati, cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, vt vtatur aduerſus vnum hominem vi ſua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum hæreticorum ſorte miſcere. Sed ille, licet Epiſcopis nimio fauore eſſet obnoxius, non erat neſcius, Martinum fide, ſanctitate ac virtute cunctis præſtare mortalibus. Alia longe via ſanctum vincere parat: ac primum ſecreto acceſſitum, blande appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum, potius quam inſectationibus ſacerdotum: non eſſe cauſam, qua Ithacii, cæterorumque partis eius communionem putaret eſſe damnandam, Theogniſtum odio potius, quam cauſa feciſſe diſſidium, eundemque tamen ſolum eſſe, qui ſe à communione interim ſeparauerit: à reliquis nihil nouatum: quin etiam ante paucos dies habita ſynodus, Ithacium pronunciauerat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moueretur, Rex ira accenditur, ac ſe de conſpectu eius abripit: & mox percuſſores iis, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod vbi Martino compertum iam noctis tempore eſt, palatium irrupit, ſpondet, ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo & tribuni iam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur. Nec mora interceſſit, Maximus indulget omnia. Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio parabatur, ſanctiſſimi ſane viri, & plane digni, qui meliore tempore ſacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus iniuit, ſatius æſtimans ad horam cedere, quam his non conſulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Veruntamen ſumma vi Epiſcopis nitentibus, vt communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die ſe inde proripiens, cum reuertens in via mœſtus ingemiſceret, ſe vel ad horam noxiæ communioni fuiſſe permixtum, haud longe à vico, cui nomen eſt Andethanna, † quo vaſtam ſolitudinem ſyluarum ſecreta patiuntur, progreſſus paululum comitibus, ille ſubſedit, cauſam doloris & facti, accuſante ac defendente inuicem cogitatione, peruoluens. Adſtitit ei repente Angelus: Merito, inquit, Martine compungeris, ſed aliter exire nequiſti: repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurras. Itaque ab illo tempore ſatis cauit cum illa Ithacianæ partis communione miſceri. Cæterum cum quoſdam ex energumenis tardius, quam ſolebat, & gratia minore curaret, ſubinde nobis cum lachrymis fatebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe ipſe vel puncto temporis neceſſitate, non ſpiritu, miſcuiſſet, detrimentum ſentire virtutis. Sedecim poſtea vixit annos: nullam ſynodum adiit, ab omnibus Epiſcoporum conuentibus ſe remouit. XV.

Priſcillianus hæreticus occiſus à Maximo. Hiſtoriam habes apud Baron. ann. 385. & 386.

a An. 385 Synodus Treuirenſis ab Epiſcopis partis Ithacinæ celebrata eſt.

Nota cauſa cur S. Martinus de Priſcillaniſtis inquiri noluerit, cum alioqui iuſtiſſima videretur.

† Magiſteri legit Baron.

Nota quando tolerandi ſint hæretici.

† Theogniſtus.

S. Martinus fide, ſanctitateac virtute cunctis præeminet mortalibus.

Felix Epiſcopus ſanctiſſimus ordinatur.

† qua veſtas ſolitudines.

SED plane, vt experti ſumus, imminutam ad tempus gratiam, multiplici mercede reparauit. Vidi poſtea ad fores monaſterii ipſius adductum energumenum, & priuſquam limen attingeret, fuiſſe curatum. XVI.

TESTANTEM quendam nuper audiui, cum in Tyrrheno mari curſu illo, quo Romam tenditur, nauigaret, ſubito turbinibus exortis, extremum vitæ omnibus fuiſſe diſcrimen. In quo cum quidam Aegyptius negociator, [illegible] dum Chriſtianus, magna voce clamauerit: Deus Martini, eripe nos: mox tempeſtatem ſuiſſe ſedatam, ſeque optatum curſum cum [illegible] ma placidi æquoris quiete tenuiſſe. XVII.

Vide inſignem miraculum.

LYCONTIVS ex vicariis, vir fidelis, cum familiam illius lues extrema vexaret, & inaudiræ calamitatis ex[illegible] per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per literas implorauit auxilium. Quo tempore vir beatus XVIII.

tem

tem eſſe promiſit difficilem impetrari. nam ſpiritu ſentiebat, domum illam diuino numine verberari: tamen non prius deſtitit, ſeptem totos dies, totidemque noctes orando & ieiunando continuans, quam id, quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, diuina expertus beneficia, peruolauit, nuncians ſimul, & agens gratias, domum ſuam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec reſpuit, nec accepit: ſed priuſquam pondus illud monaſterii limen attingeret, redimendis id captiuis continuò deputauit. Et cum ei ſuggereretur à fratribus, vt aliquid ex eo in ſumptus monaſterii reſeruaret, omnibus in angusto eſſe victum, multis deeſſe veſtitum: Nos, inquit, Eccleſia & paſcat & veſtiat, dummodo nihil noſtris vſibus quæſiſſe videamur.

Mira precũ & [illegible] inſtantia.

XIX. Svccvrrvnt hoc loco viri illius magna miracula, quæ facilius admirari poſſum, quam referre. Agnoſcitis profectò, quod dico: multa ſunt illius, quæ non queant explicari: velut iſtud eſt, quod neſcio an ita, vt geſtum eſt, à nobis poſſit exponi. Quidam è fratribus (nomen non ignoratis, ſed celanda perſona eſt, ne ſancto viro verecundiam fecerimus) quidam ergo, cum ad fornaculam illius carbonum copiam reperiſſet, & admota ſibi ſellula, diuaricatis pedibus ſuper ignem illum nudato inguine reſideret, continuo Martinus factam ſacro tegmini ſenſit iniuriam, magna voce clamans: Quis (inquit) nudato inguine noſtrum inceſtat habitaculum? Hoc vbi ille frater audiuit, & ex conſcientia quod increpabatur, agnouit, continuo ad nos cucurrit exanimis, pudorem ſuum non ſine Martini virtute confeſſus.

XX. Qvodam itidem die, dum in area, quæ parua admodum, tabernaculum illius ambiebat, in illo ſuo, quod noſtis omnes, ſedili ligneo reſediſſet, vidit duos dæmones in excelſa illa, quæ monaſterio ſupereminet, rupe conſiſtere: inde alacres ac lætos vocem huiuſmodi adhortationis emittere: Eia te Bricti, Eia te Bricti. Credo, cernebant miſerũ eminus propinquantem, conſcii, quantam illi rabiem ſpiritus ſuſcitaſſent. Nec mora, Brictius furibundus irrupit: ibi plenus inſania, euomuit in Martinum mille conuicia. Obiurgatus enim pridie ab eo fuerat, cur, qui nihil vnquam ante clericatum (quippe in monaſterio ab ipſo Martino nutritus) habuiſſet, equos aleret, mancipia compararet. Nam illo tempore arguebatur à multis, quod non ſolum pueros, ſed etiam puellas ſcitis vultibus coëmiſſet. Quibus rebus infeliciſſimus, inſano felle commotus, &, vt credo, præcipue dæmonum illorum agitatus inſtinctu, Martinum ita aggreſſus eſt, vt vix manibus temperaret: cum quidem ſanctus vultu placido, mente tranquilla, infelicis amentiam per mitia verba cohiberet. Sed ita in eo nequam ſpiritus redundabat, vt ne ſua quidem illi, quamuis vana admodum, mens ſubeſſet: trementibus labiis, incertoque vultu decolor, præ furore rotabat verba peccati, ſe aſſerens ſanctiorem quippe qui à primis annis in monaſterio inter ſacras Eccleſiæ diſciplinas, ipſo Martino educante, creuiſſet: Martinum vero, & à principio, quod ipſe diffiteri non poſſet, militiæ actibus ſorduiſſe, & nunc per inanes ſuperſtitiones, & phantaſmatica viſionum ridicula prorſus inter deliramenta ſenuiſſe. Hæc cum multa, atque alia etiam, quæ reticere melius eſt, acerbiora vomuiſſet, egreſſus tandem furore ſatiato, quaſi qui ſe penitus vindicaſſet, rapidus ea parte, qua venerat, recurrebat. Cum interea (credo per Martini orationes) fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini ſe genua proſternit: veniam poſcens, fatetur errorem, nec ſine dæmone ſe fuiſſe, tandem ſanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iſte difficilis, vt ignoſceret ſupplicanti. Tum & ipſi, & nobis omnibus ſanctus expoſuit, qualiter illum vidiſſet à dæmonibus agitari: ſe conuiciis non moueri, quæ magis illi, à quo eſſent effuſa, nocuiſſent. Exinde cum idem Brictius multis apud eum, magniſque criminibus præ ſæpè premeretur, cogi non potuit, vt eum à presbyterio ſubmoueret, ne ſuam perſequi videretur iniuriam: illud ſæpe commemorans: Si Chriſtus Iudam paſſus eſt, cur ego non patiar Brictium?

Is Brictius poſtea correctus, ſucceſſit viro Dei, & vixit ſanctiſſimè.

Confitet ſuam c[illegible] Brictius.

XXI. Ad hæc Poſthumianus: Audiat, inquit, iſtud exemplum noſter iſte de proximo, qui cum ſit ſapiens, memor præſentium, immemor futurorum, ſi fuerit leuiter offenſus, inſanit: in ſua ſe non habens poteſtate ſæuit in clericos, graſſatur in laicos, totumque terrarum orbem in ſuam commouet vltionem. In qua per triennium iugiter dimicatione cõſiſtens, nec tempore, nec ratione ſedatur. Dolenda hominis & miſeranda conditio, etiam ſi hac ſola inſanabilis mali peſte premeretur. Verum iſta ei patientiæ & tranquillitatis exempla referre ſæpius, Galle, debueras, vt neſciret iraſci, & ſciret ignoſcere: Qui ſi iſtumipſum breuiter inſertum ſermonem meum in ſe prolatum forte cognouerit, ſciat non magis ore inimici, quam amici animo, me locutum. Quia ſi fieri poſſet, optarem vt Martino potius Epiſcopo, quam Phalari tyranno, ſimilis diceretur. Sed iſtum, cuius commemoratio parum ſuauis eſt, tranſeamus: & ad Martinum noſtrum, Galle redeamus.

Neſcit iraſci ſanctus Martinus ſed ſemper ignoſcere.

Tvm ego, cum iam adeſſe veſperum occiduo ſole ſentirem, Dies, inquam, abiit, Poſthumiane: ſurgendum eſt: ſimul tam ſtudioſis auditoribus cœna debetur. De Martino autem expectare non debes, vt vlla ſit meta referendi: latius ille diffunditur, quam vt vllo valeat ſermone concludi.

DE TRANSITV SANCTI MARTINI, EX EPISTOLA,

quam Sulpitius ſcripſit ad Baſſulam ſocrum ſuam.

XXII. Svlpitivs: Martinus igitur obitum ſuum longe ante præſciuit, dixitque fratribus, diſſolutionem ſui corporis imminere. Interea cauſa extitit, qua Condatenſem diœceſim viſitaret. Nam clericis inter ſe Eccleſiæ illius diſſidentibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum ſuorum non ignoraret, proficiſci tamen ob iſtiuſmodi cauſam non recuſauit, bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi pacem Eccleſiæ redditam reliquiſſet. Ita profectus cum ſuo illo, vt ſemper frequentiſſimo diſcipulorum ſanctiſſimoque comitatu, mergos in flumine conſpicatur piſcium prædam ſequi, & rapacem ingluuiem aſſiduis vrgere capturis. Forma, inquit, hæc dæmonum eſt: inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captos deuorant, exaturarique non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti virtute verborum, vt eum, cui innatabant, gurgitem relinquentes, aridas peterent deſertaſque regiones: eo nimirum circa aues illas vſus imperio, quo dæmones fugare conſueuerat. Ita grege facto, omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes ſyluaſque petierunt, non ſine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderent, vt etiam auibus imperaret.

Pacis reformandæ ſtudio iter ſuſcipit morti propinquus.

Dæmonum ſtudia.

XXIII Aliqvandiv ergo in vico illo vel in Eccleſia, ad quam ierat, commoratus, pace inter clericos reſtituta, cum iam regredi ad monaſterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente deſtitui. Conuocatiſque diſcipulis, indicat ſe iam reſolui. Tum vero mœror & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur nos, pater, deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces: & qui eos à morſibus, percuſſo paſtore, prohibebit? Scimus quidem deſiderare te Chriſtum, ſed ſalua tibi ſunt tua præmia, nec dilata minuentur: noſtri potius miſerere, quos deſeris. Tum ille motus his fletibus, vt totus ſemper in Domino miſericordiæ viſceribus affluebat, lachrymaſſe perhibetur. Conuerſuſque ad Dominum, hac tantum flentibus voce reſpondit: Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: Fiat voluntas tua. Nimirum inter ſpem amoremque poſitus, dubitauit pene, quid mallet: quia nec hos deſerere, nec à Chriſto volebat diutius ſeparari. Nihil tamen in voto ſuo ponens, aut voluntati relinquens, totum ſe Domini arbitrio poteſtatique committens: Nonne tibi his pauciſſimis verbis dicere videretur: Grauis quidem eſt, Domine, corporeæ pugna militiæ, & iam ſatis eſt, quod huc uſque certaui: ſed ſi adhuc in eodem labore pro caſtris tuorum ſtare me præcipis, non recuſo, nec fatiſcentem cauſabor ætatem.

Prædixit diſcipulis ſuam mortem.

Nota excellẽtẽ beatiſſimi viri perfectionem.

Mori nõ timet, nec viuere recuſat, vir ſanctus.

Munia tua deuotus implebo, ſub ſignis tuis quoad iuſſeris, militabo. Et quamuis optata ſit ſeni ſeſſio poſt laborem, eſt tamen animus victor annorum, & cedere neſcius ſenectuti. At ſi iam parcis ætati, bonum mihi eſt, Domine, voluntas tua. Hos vero, quibus timeo, ipſe cuſtodias. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui in nullam ſe partem pronior inclinauerit: nec mori timuit, nec viuere recuſauit.

Præclara vox ſancti viri.

Anno 402. feliciſſime vir ſanctiſſimus Chriſto reddit ſpiritũ, probante Bar. an. 351. 375. & 402.

ITAQVE cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere ceſſabat: pernox in orationibus & vigiliis, fatiſcentes artus ſpiritui ſeruire cogebat, nobili illo ſtrato ſuo in cinere & cilicio recubans. Et cum à diſcipulis rogaretur, vt ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi: Non decet, inquit, filii, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccaui. Oculis ac manibus in cælũ ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. Et cum à presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpuſculum lateris mutatione releuaret: Sinite, inquit, ſinite me, fratres cælum potius reſpicere, quam terram, vt ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur. Hæc locutus, diabolum vidit prope aſſiſtere. Quid hic, inquit, adſtas cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies: Abrahæ me ſinus recipiet. Cum hac ergo voce fatigatum diuinis operibus ſpiritum cælo reddidit: teſtatique nobis ſunt, qui affuerunt, iam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam ſe vidiſſe. Vultus luce clarior renitebat, cum membra cætera ne tenuis quidem macula fuſcaret. In aliis etiam, & in illo, tantum artubus non pudendis, ſeptennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis iſtum vnquam cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? Ita vitro purior, lacte candidior, iam in quadam futuræ reſurrectionis gloria & natura demutatæ carnis oſtenſus eſt. XXIV.

Duo millia monachorũ interſũt exequiis eius.

IAM vero in obſequium funeris credi non poteſt, quanta hominum multitudo conuenerit. Tota obuiam corpori ciuitas ruit. Cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam vrbibus affuerunt. O, quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum, qui eo die ferè ad duo millia conueniſſe dicuntur. Specialis Martini gloria: eius exemplo in Domini ſeruitute ſtirps tanta fructificauerat. Agebat nimirum ante ſe paſtor extinctus greges ſuos, ſanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritos ſenes, aut iuratos Chriſti in ſacramenta tyrones. Tum virginum chorus fletu abſtinens præ pudore, cum lætandum illi potius eſſe ſentiret, quem iam ſuo Dominus gremio confoueret, quam ſancto diſſimulabat gaudio, quod dolebat? Siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorquêret affectus. Etenim tam erat ſancta de illius gloria exultatio, quam pia de morte confuſio. Ignoſce flentibus, gratulare gaudentibus: quia & pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum, dum vnuſquiſque & ſibi præſtat, vt doleat, & illi debet, vt gaudeat. Hæc igitur beati viri corpus vſque ad locum ſepulchri hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur. Comparetur, ſi placet, ſecularis illa pompa, non dicam funeris, ſed triumphi. Quid ſimile Martini exequiis conferetur? Ducant illi præ curribus ſuis vinctos poſt terga captiuos: Martini corpus hi, qui mundum ducatu illius vicerant, proſequuntur. Illos confuſis plauſibus populorum honoret inſania: Martino diuinis plauditur pſalmis: Martinus hymnis cæleſtibus honoratur. Illi poſt triumphos ſuos in tartara ſæua truduntur: Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratus: illinc nos, vt ſpero, cuſtodiens, me hæc ſcribentem reſpicit, te legentem. Hactenus ex epiſtola ad Baſſulam. Ea quæ ſequuntur, ſunt ex hiſtoriis Gallorum excerpta. Authore Gregorio Turonenſi, Libr. 1. cap. 43. XXV.

† Arcad. & Hono. 10 quintũ Cõſulib. Bar.

Pictauiẽſes & Turoneſes contendunt de retinendis beati viri reliquiis

S. Martino maior virtus ante Epiſcopatum quã poſt Epiſcopatũ

ARCHADIO igitur, & Honorio imperantibus, ſanctus Martinus Turonorum Epiſcopus plenus virtutibus & ſanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogeſimoprimo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem vigeſimoſexto, apud Condatenſem diœceſis ſuæ vicum excedens à ſeculo, feliciter migrauit ad Chriſtum. Tranſiit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, † Attico Cæſarioque Conſulibus. Multi enim in eius tranſitu pſallentium voces audierunt in cælo, quod in libro virtutum eius primo plenius expoſuimus. Nam cum primum ſanctus Dei apud Condatenſem, vt diximus, vicum ægrotare cœpiſſet, Pictaui populi ad eius tranſitum, ſicut & Turonici, conuenerunt. Quo migrante, grandis altercatio inter vtrunque populum ſurrexit. Dicebant enim Pictaui: Noſter eſt monachus, nobis Abbas extitit: nos requirimus commendatum: ſufficiat vobis, quod dum eſſet in mundo, vſi fuiſtis eius colloquio, participaſtis conuiuio, firmati fuiſtis benedictionibus, inſuper & virtutibus iucundati. Sufficiant vobis iſta omnia, nobis liceat auferre vel cadauer exanime. Ad hæc Turonici reſpondebant. Si virtutes nobis factas ſufficere dicitis, ſcitote quia vobiſcum poſitos, amplius eſt, quam hic, operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis ſuſcitauit duos mortuos, vnum nobis: Et vt ipſe ſæpe dicebat, Maior ei virtus ante Epiſcopatum fuit, quam poſt Epiſcopatum. Ergo neceſſe eſt, vt quod nobiſcum non impleuit viuus expleat vel defunctus. Vobis eſt enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verum ſi mos antiquitus inſtitutus ſeruatur, in vrbe, qua ordinatus eſt, habebit Deo iubente ſepulcrum. Certe ſi eum pro monaſterii priuilegio cupitis vendicare, ſcitote quia primum ei monaſterium cum Mediolanenſibus fuit. His ergo litigantibus, ſole ruente dies clauditur, corpuſque in medio poſitum, ab vtroque populo cuſtoditur, futurum, vt mane facto a Pictauis per violentiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio fruſtrari patrono. Denique nocte media omnes Pictaui à ſomno fallaciæ comprimuntur, nec vllus ſuperfuit, qui ex tanta multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos obdormiſſe conſpiciunt, apprehenſam ſanctiſſimi corporis glebam alii per feneſtram eiiciunt, alii aforis ſuſcipiunt. Poſitamque in naui, cum omni populo per Viennam fluuium deſcendunt. Ingreſſique Ligeris alueum, ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus pſallentium dirigunt iter. De quorum vocibus Pictaui expergefacti, nihil de theſauro, quem cuſtodiebant, habentes, cum magna confuſione ad propria ſunt reuerſi. XXVI

14. Noueb. agi ſolennitatem Receptionis S. Martini ſolitam, teſtatum habetur in Concilio Turonenſi, ann. 482 celebrato:

S. Seuerinus Epiſcopus Colonienſ. audit animã eius ferri in cælum.

Similiter Euergeſilus eius Archidiaconus.

BEATVS autem Seuerinus Colonienſis ciuitatis Epiſcopus, vir honeſtæ vitæ, & per cuncta laudabilis, cum die Dominico loca ſancta ex conſuetudine poſt matutinos cum ſuis Clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obiit, audiuit chorum canentium in ſublimi. Vocatoque Archidiacono, interrogat ſi aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret. Reſpondit, Nequaquam. Tunc ille: Diligentius, inquit, auſculta. Archidiaconus autem cœpit ſurſum collum extendere, aures erigere, & ſuper ſummos articulos, baculo ſuſtentante, ſtare. Sed credo eum non fuiſſe æqualis meriti, à quo hæc non merebantur audiri. Tunc proſtrati terræ, ipſe pariter & beatus Epiſcopus deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Erectis autem, rurſum interrogat ſenex: Quid audis? Qui ait: Voces pſallentium tanquam in cælo audio, ſed quid ſit, prorſus ignoro. Cui ille: Ego tibi, quid ſit, narrabo. Dominus meus Martinus Epiſcopus migrauit ex hoc mundo: & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelſum. Et vt parumper mora eſſet, vt hæc audirentur, diabolus eum cum iniquis ſuis angelis retinere tentauit, nihilque in eodem ſuum reperiens, confuſus abſceſſit. Quid ergo de nobis peccatoribus erit, ſi tantum ſacerdotem voluit pars iniqua nocere? Hæc ſacerdote loquente, notatur tempus. Archidiaconus Turones miſit velociter, qui hoc diligenter inquireret. Qui veniens, eo die & hora manifeſtiſſime cognouit tranſiiſſe beatum virum, qua ſanctus Seuerinus audiuit pſallentium chorum. Sed & ſi ad Seueri recurramus hiſtoriam, ipſa hora cum ſibi ſcri, ſit [illegible] libro vitæ ſuæ fuiſſe reuelatum. XXVII.

XXVIII Eo tempore beatus Ambroſius, cuius hodie flores eloquii per totam Eccleſiam redolent, Mediolanenſi ciuitati præerat Epiſcopus: cui celebranti feſta Dominicæ diei, illa erat conſuetudo, vt veniens lector cum libro, non antea legere præſumeret, quam nutu ſanctus præcepiſſet. Factum eſt autem, vt illa die Dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altare ſtante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatiſſimus Antiſtes Ambroſius ſuper altare obdormiret. Quod videntes multi, cum nullus eum excitare præſumeret, tranſactis ferè duarum aut trium horarum ſpatiis, excitauerunt eum, dicentes: Iam hora præteriit: iubeat dominus Epiſcopus lectori lectionem legere: expectat enim populus valde iam laſſus. Reſpondens autem beatus Ambroſius: Nolite, inquit, turbari: multum mihi valet ſic obdormiſſe, quia miraculum magnum Dominus mihi oſtendere dignatus eſt. Nam noueritis, fratrem meum Martinum ſacerdotem de corpore egreſſum fuiſſe: me autem eius funeri obſequium præbuiſſe. Peractoque ex more ſeruitio, capitellum tantum, vobis excitantibus, non expleui. Tunc illi obſtupefacti pariter & admirantes, diem & tempus notant. Qui ſolicite requirentes, ipſam diem, tempuſq; reperiunt, quo beatus confeſſor dixerat ſe eius obſequiis deſeruiſſe.

S. Ambroſius ſpiritu adeſt exequiis B. Martini.

XXIX. O beatum virum, in cuius tranſitu ſanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumq; cæleſtium virtutum occurrit exercitus: diabolus præſumptione confunditur: Eccleſia virtute roboratur: ſacerdotes reuelatione glorificantur. Quem Michael aſſumpſit cum Angelis, Maria ſuſcepit eum virginum choris, paradiſus retinet lætum cum ſanctis. Sed quid nos in laudem eius tentamus, quod non ſufficimus adimplere? Ipſe eſt enim laus illius, cuius laus ab eius ore nunquam receſſit. Nam nos vtinam vel ſimplicem poſſimus hiſtoriam explicare. Igitur ſi quis requirat, cur poſt tranſitum Gratiani Epiſcopi vnus tantum, id eſt, Lidorius vſq; ad ſanctum Martinum fuiſſet, nouerit quod, obſiſtentibus paganis, diu ciuitas Turonica ſine benedictione ſacerdotali fuit. Nam Chriſtiani, qui eo tempore videbantur, occultè per latebras diuinum officium celebrabant. Nam ſi qui à paganis reperti fuiſſent Chriſtiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur. † A paſſione ergo Domini vſq; ad tranſitum ſancti Martini, anni quadringenti duodecim computantur.

Baronius; legendum cenſet, † A natali ergo Domini &c. anni quadringenti & duo computantur.

Hucuſque nos omnia de ſancto Martino ex Tomis Aloyſii accepimus, quæ etiam in antiquis manuſcriptis exemplaribus habentur.

EX TRANSLATIONE CORPORIS S. MARTINI, EX GREGORII TVRONENSIS LIB. I. CAP. VI. Miraculorum S. Martini.

ANNO ſexageſimo quarto poſt tranſitum glorioſi domini Martini, beatus Perpetuus Turonicæ ſedis cathedram ſortitus eſt dignitatis. Adeptuſque hunc apicem cum votorum magno conſenſu, fundamenta templi [a] ampliora, quam fuerant, ſuper beata membra locare diſpoſuit. In quod ſagaci inſiſtēs ſtudio, mirifico mancipauit effectui. De qua fabrica multum quod loqueremur erat. Sed quia præſens eſt, conticere exinde melius putauimus. Adueniente [b] ergo optato tempore ſacerdoti, vt templum dedicaret, & ſanctum corpuſculum à loco, vbi ſepultum fuerat transferret, conuocauit beatus Perpetuus ad diem feſtum vicinos Pontifices, ſed & Abbatum, ac diuerſorum clericorum non minimam multitudinem. Et quia hoc in Calendis Iulii agere volebat, vigilata vna nocte facto mane, accepto ſarculo, terram, quæ ſuper ſanctum erat tumulum, cœperunt effodere. Quo detecto, manus, vt eum commouerent iniiciunt, ibique multitudo tota laborans, nihil prorſus per totam diem profecit. Vigilata denique alia nocte, mane tentantes, nihil omnino agere potuerunt. Tunc conturbati atque exterriti, quid facerent neſciebant. Dicit eis vnus ex clericis, ſciatis quia poſt hoc triduum natalis Epiſcopatus eius eſſe conſueuerat. Et forſitan in hoc die ſe transferri debere vos admonet. Tunc ieiuniis & orationibus, & iugi ſilentio diu noctuque, inſiſtentes, triduum illud continuum duxerunt. Quarta [c] autē die accedentes, ponenteſque manus, non valebant penitus mouere ſepulchrum. Pauore autem omnes exterriti, iam in hoc ſtantes vt terra vaſculum, quod detexerant operirent, apparuit eis veneranda canicie ſenex, inſtar niuis candorem efferens, dicens ſe eſſe Abbatem, & ait eis: Vſquequo conturbamini, & tardatis? non videtis dominum Martinum ſtantem vos iuuare paratum, ſi manus apponitis? Tunc iactans pallium quo vtebatur, poſuit manum ad ſarcophagum cum reliquis ſacerdotibus, crucibus paratis, ac cereis. impoſitaque antiphona, dederunt cuncti voces pſallentes in excelſo. Tum [d] ad ſenis conatum protinus ſarcophagum cum ſumma leuitate commotum, in loco vbi nunc veneratur, Domino annuente perducitur. Quod ad votum ſacerdotis compoſito, dictis etiam Miſſis, vt ventum eſt ad conuiuium, requirentes ſolicitè ſenem, nequaquam reperiunt. Sed nec homo quidem extitit, qui eum de baſilica exire vidiſſet. Credo aliquem fuiſſe virtutem Angelicam, quæ & beatum virum ſe vidiſſe pronunciauit, & deinceps nulli comparuit. In quo loco ex illa die multæ virtutes factæ ſunt, quæ per negligentiam non ſunt ſcriptæ.

An. 466. ex calculo Baron. 461, ex Greg. Turon.

a S. Perpetuus baſilicā S. Martini erigit. vide vitam S. Perpetui 8. April.

b An. 482. Synodi Turonēſis à S. Perpetuo cōuocatæ tēpore abſolutam hanc baſilicā ex Sidonio tradit Bar. an. vbi ſup. cuius ſynodi Patres ad Trāſlationē hāc inuitati fuiſſent.

c 4 Iulii feſtum translationis Sancti Martini. d Sancti Martini corpus transfertur. Huius Translationis mentionem habes ſupra in vita S. Perpetui 8 April.

Miracula S. Martini quatuor libris complexus eſt Gregorius Turonenſis, quos breuitatis gratia à nobis prætermiſſos in Bibliotheca SS. Patrum offendes. Perpetuus hic fuit tertius à S. Martino, & ſextus Epiſcopus Turonenſis, quem ex nobiliſſimo ſenatore atque ditiſſimo ad eius Eccleſiæ regimen poſt Euſtochium eius propinquum vocatum fuiſſe tradit Gregor. Turonenſ. hiſtor. Francor. lib. 10. cap. 31.

DE RE-

DE REVERSIONE B. MARTINI A BVRGVNDIA TRACTATVS: EDITVS A BEATO ODONE CLVNIACENSI

Abbate. Habetur in Bibliotheca Cluniacenſi.

EPISTOLA FVLCONIS COGNOMENTO BONI ANDEGAVORVM Comitis ad Odonem Cluniacenſem Abbatem.

Fuit hic Fulco Fulconis Ruſi filius qui S. Odo nem nutriuit, vti ex Hiſt. Coſſ. Andegauenſium teſtatum facit And. Querceranus in not. ad hunc tractatum.

Habetur in Bibl. Patrũ tom. 7. ſed ſenſu adeo corrupto & deprauato, vt vix queat intelligi.

VENERABILI & ſancto Patri Odoni Dei gratiâ Cluniacenſi Abbati, Fulco bonus Comes Andegauorum ſalutem & debitam reuerentiam. Solent quodam fauoris præludio comparare beneuolentiam, qui non ſatis præſumunt de amici conſcientia. Ego autem, Pater venerabilis, vobis ſcribens, nequaquam id mihi eſſe neceſſarium reputaui. Præſumo enim me vobis coniunctiſſimum compage duntaxat & glutino caritatis: quamuis reſpectu veſtri minor ſim dignitate [a], meritis autem minimus. Non enim ſemper æqualia ſociantur. Certè iunguntur in eiuſdem conſtructione Tabernaculi ſaga cilicina cortinis ſubtiliſſimis. In Arca Noë immitis bellua cum homine manſueto exitialibus vndis eripitur. Pulchritudinem creaturarum & formica exornat, & Angelus. Et, vt domeſtico abutar exemplo, puluerulentis pedibus litum oculorum poſitum, ſublime in nobis ipſis exhibet miniſterium. Sed quorſum hæc tam longo repetita principio? Nempe vt aſtruam exemplis, & confirmem rationibus, ſæpe Comiti diſparia, & ſublimia humilibus debere condeſcendere. Condeſcendat igitur meæ paruitati veſtra ſublimitas, & præſtare quod poſtulo, qui hoc ipſum præſtitiſtis, vt poſtulare auderem. Meminit certè, non ambigo, veſtra ſancta Paternitas, quam dulcibus eloquiis animam meam eſurientem reficere ſolebatis: vt de ſancto & mellifluo ore veſtro illius ignis ſæpius ardorem in me transfundi & accendi ſentirem, quem Dominus Ieſus miſit in terra, & voluit vehementer accendi. Inter cetera vero vitæ æternæ colloquia, de communi patrono noſtro, videlicet Martino, frequens erat nobis & iocunda fabulatio. Porro inter alia mihi retuliſtis repetiſſe vos in quibuſdam veteribus ſcedulis impolito exaratum ſermone, qualiter eiuſdem beati Martini ſacratiſſimum corpus ob Barbarorum incurſus in Burgundiam delatum fuit, qualiterque exinde reddita pace Eccleſiæ ad propriam vrbem relatum. Ego autem & viri Sancti amore, & piæ veſtræ collocutionis accenſus deſiderio, rogaui ſæpius, & nunc iterum rogo, quatenus antiquitatis hiſtoriæ fide ſeruata, ſuam in veſtro dictamine rem ipſam explanetis: quo & tam pia narratione ædificetur Eccleſia, & filii Pater expleat deſiderium. Quod ſi ego tanti Patris & filius appellari non merui, nec merita ad id, quod poſtulo, impetrandũ ſufficiunt: certè vel dignitas materiæ, vel Eccleſiæ vtilitas obtinebit, quod poſcentis vilitas impetrare non meruit. Martinus enim materia, vtilitas Eccleſiarum ædificatio eſt. Vos autem quid Martino negabitis? Quid ædificationis Eccleſiis ſubtrahetis? Eia ergo, agite: quod & amicus poſtulat, Martino præſtat, & Eccleſiam ædificat. Quod ſi ius in amicum pro conuictus gratia, pro lactentis infantiæ [b] participatione liceret exigere, nihil credo mihi negaretis, quem mater in lactis participem accituit. Quem ergo materni lactis nutriſtis participio, matris Eccleſiæ nutrice lacte ſalutifero: vt ſicut corporis mei vitam de matris lacte fouiſtis, ita animam de lacte Eccleſiæ foueatis.

Exod. 26. 7.

Gen. 7. 8

a In impreſſ. quãuis reſpectu veſtri minor ſum, indignitate aũt iudicis minimus.

Nota S. Odonis matrẽ Fulconẽ lactaſſe.

b participio

Epiſtola Odonis ad eundem Fulconem.

FVLCONI Bono glorioſiſſimo Conſuli Andegauorum, Frater Odo humilis Abbas Cluniacenſis ſalutem, gratiam & benedictionem. Cum in ſublimi humilitas, & in magnis & multis negotiis occupato, virtutis ſtudium reperitur, verè, fateor, illius opus eſt, qui poteſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Patet, credo, cur iſta præmiſerim. Ecce enim mundus in maligno totus poſitus eſt: nec tamen ſibi vendicat generoſiſſimum Principem Fulconem Bonum, à quo tamen in parte non minima vendicatur Fulco Bonus, vt pote Comes præpotens negotia tractat ſecularia: ſed hoc, vt perpendo, ſpecie tenus, in diuinis vero medullitus occupatur. Placet etiam in his immorari, & Boni Fulconis bonitatem exprimere: ſed parco laudibus ne adulari videar, & pareo iuſſis ne ingratus exiſtam. Hoc ſaltem vnum me dixiſſe liceat, rarum, imo ferè nullum reperiri, quem ita virtutis æmulatio ſeculo ſubripiat, vt mancipet honeſtati. Sed iam ad imperata reſpondeo. Siccine, Comes glorioſiſſime, neminem reperiebas, quem de virtute conſuleres, & præcipue de viro virtutis Martino, niſi tuum collactaneum Odonem? Puto deerant præclara Francorum ingenia, qui ſublimem materiam ſublimi æquipararent eloquentia? Sed vt ſentio, quod pace tua dixerim, priuatus amor claudit oculum mentis: pluſque tibi placet amici ruſticitas, quam ceterorum phalerata vrbanitas. Sed eſto, tibi paream: aggrediar quod hortaris. Verum tamen quis fidelius tenorem hiſtoriæ, quam deſcribi poſtulas, ſcire potuit, quam tu ipſe cuius Ingelgerius videlicet doctor & princeps in eadem profectione extitit? Si igitur excuſare liceret, ſi quid tibi negare noſtri eſſet propoſiti, merito tibi reſpondere debuerim, Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Sed quia, vt verum fatear, meipſum tibi debeo, etiam vltra vires parere tibi non differam. Etſi enim ineſt ignorantia quam arguat præſumptio, vera tamen dilectio non horreſcit. Parebo itaq; non eloquens erudito, ſed vt amico amiciſſimus. Plus verax, quam eloquens inueniri conabor. Neque enim noſtra patitur profeſſio pompatici ([c] ſermonis affectate glorioſas, ſtudium eſſe eſt potius, quam videri. Verum quia) nonnullis mos eſt ſcripta aliorum ad vnguem elimare, cum ipſi lippientibus oculis, ſi qua forte ediderint, vix reſpectent: rogo vt priuata lectione contentus, & quæ priuatim dictauimus priuatus & ipſe legas, ne ſi forte in manus alienorum ipſe venero, diſcerpar ab eis, quos non vera, ſed vana delectant.

Matt. 3. 9.

1. Ioa. 5. 19.

Deut. 32. 7

c Hæc deſunt in Impreſſ.

In Tractatum, De Reuerſione B. Martini à Burgundia.

QVOTIENS ergo cuiuſlibet potentis muneribus vel beneficiis [d] præuenimur, perſoluendæ vicis ei obnoxii tenemur. Ea propter prædeceſſores noſtri domino Turonenſi Martino, qui fuit vir potens in opere & ſermone, qui etiã tempore neceſſitatis [e] Turonum ſuam de manu Potentis potenter eripuit, obligatores facti ſunt. Inde etiam ereptionis ſuæ perpetuum memoriale ſtatuentes, annuam in honore Ereptoris ſui celebritatem IV. Idus Maii celebriter celebrant, & [f] ereptionis ſuæ memoriam recolunt, & vota ſua Liberatori ſuo ſolenniter perſoluunt. Sollemnitas autem iſta, non Tranſlatio ſeu Ordinatio, non tranſitus, non Exceptio dicitur, ſed Subuentio ab iis quibus rei geſtæ veritas melius innotuit, nominatur [g] Neceſſitatis verò, ſuperabundantes anguſtias, & vrbis obſeſſæ calamitates & miſerias dicemus, & ereptionis modum, & fugam etiam, qua fugere Rollonem voluit ille, qui [h] Haſtinum fugauit. Manſionem etiam, qua in Antiſiodoro manſit: reuerſionem etiam, & exceptionem, qua à ſuis, Turonenſibus videlicet, ho-

d premimur.

e Turonum

f al. exceptionis.

g In Impr. Neceſſitates aũt anguſtias, aut calamitates vrbis obſeſſæ & miſerias diſces.

h Haſtingum.

cet, honorificè eſt ſuſceptus, & in loco, vbi nunc adoratur, Deo annuente eſt collocatus, loco ſuo & ordine, prout Dominus dederit, ſtylo qualicunq; proſequemur.

Incipit Textus narrationis in Reuerſione B. Martini Turonenſis à Burgundia.

I. IGITVR quoniam Danorum tellus ſibi inſufficiens eſt, moris eſt apud illos, vt per ſingula luſtra multitudo non minima, dictante ſortis euentu, à terra ſua exulet, & in alienis terris manſionem ſibi quoquomodo, ad propria non reuerſura, vendicet. Vrgente igitur duræ ſortis inclementia, Haſtingus[a] cum innumera armatorum manu à finibus ſuis exulans, Gallias ingreditur, ciuitates obſidet, mœnia ſubuertit, turres terræ coæquat: oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame depopulatur. Contigit autem vt Galliæ ſuperioris partibus incenſis, Turonum, ſimili eam[b] exterminio conſumpturus, deſcenderet. Ambazio itaque, & vniuerſis, quæ inter Ligerim & Karum continebantur, in fauillam redactis, Turonum[c] obſidet. Portis igitur cuſtodias admouet, & ne quis muro exeat, magno ſtudioſoq; conamine prouidet. Aggeres etiam ſtruit, aſpera complanat, & quicquid vbi capiendæ commodum eſſet, ordinat. Alieni infortunii tumor delatus ([d] obſeſſis,) conceptæ formidinis fomitem ſubminiſtrat. Muros tamen reparant, & [e] turrium propugnacula reſarciunt, & ſagittarum grandine præmiſſa varios ſubiungunt aſſultus. Iam muri crebro quatiuntur ariete, & machinarum ictibus cedentes, ruinam ſui minantur. Obſeſſi, viribus diffidentes, ſpei penitus ſolatio deſtituuntur. Tandem vero, diuina inſpirante gratia, in ſe reuerſi, beati patroni ſui Martini corpus piè rapiunt, & ad locum quo belli violentior impetus erat, deferentes, mortuum pro viuis propugnatorem opponunt. O admirabilem per omnia virum! qui dum adviueret ſignipotens appellatus fulgorem virtutum aſtris intulit, defunctus etiam bellipotens triumphator hoſtium cuneos ſola ſui præſentia confecit. Vere mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Sancti ſiquidem [f] patrocinante ſuffragio & obſeſſis ſecuritas & confidentia redditur, & obſeſſoribus formido & pauor non modicus immittitur.

Mos Danorum [illegible] Dudone [illegible] Normannis cap. 4. & a Haſtingus Gallias inuadit. b al. incendio. c Turonum obſidet Vide Baron. an. 845.

d Deeſt in impr. e al. & turrium & propugnacula. f B. Martini ope vrbs liberatur.

II. FVGIVNT [g] igitur Dani, fugientes Turonici perſequuntur: fugientium pars gladio cadit, pars capta reducitur, & pars fugæ ſubſidio elapſa eſt, & vſque ad ſextum lapidem ab vrbe perſequuti ſunt Danos, Triumphatoris ſui corpus cum hymnis deferentes & gloria, per quem ſibi triumphus ceſſit & victoria. Vnde & in eiuſdem belli triumphali memoria, in ipſo loco, quo Sancti ſubſiſtit corpus, in honore ipſius fabricata [h] eſt Eccleſia, quæ propter belli euentum, ſancti Martini Belli ſortita eſt vocabulum. In eo autem vrbis loco, quo corpus eius ſupra murum pernoctans victoriæ primordia initiauit, erant ruinæ maceriarum antiquarum, in quibus ferebant Aulam fuiſſe Valentiniani, in qua ſedens nequaquam aſſurgere eſt dignatus beato Martino Antiſtiti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea parte corporis, qua ſedebat, afflaret incendium, ſolioq; e ſuo ſuperbus excuteretur, & Martino inimicus aſſurgeret. Ibi Archiepiſcopus cum populo deuoto [i] Eccleſiam, quæ ſancti Martini de Baſilica dicitur, in honore eiuſdem ipſius Sancti inſtaurauit. Ea propter igitur Synodo celebrata, ([k] auctoritate) Archiepiſcopi, & Epiſcoporum, qui conuenerant, ſtatutum eſt, vt ſingulis annis deinceps per vniuerſam diœceſim Subuentionis huius feſtum IIII. Idus Maii ſolemniter celebretur, quæ nullo alio nomine rectius, quam Subuentio, cenſetur.

g ergo. h Noua Eccleſia S. Martini Belli dicta conſtruitur. i Alia S. Martino Eccleſia de Baſilica nominata inſtauratur.

k abeſt in impr.

III. ELAPSIS poſt [l] Haſtini incendia tribus luſtris, ſucceſſit eiuſdem [m] genus, & ſimili ſorte à finibus ſuis exulans, Rollo vir armis ſtrenuus, ſed circa Chriſtianæ profeſſionis homines inſtum minus: peditum multitudine, [n] equeſtri ordinis copia, † militeque multiplici ſtipatus. Ille, Flandrenſibus, Normannis & Britonibus in martio congreſſu ſæpenumero confectis, ciuitates eorum & oppida, necnon & Eccleſias in fauillam redigens, non minimas hominum ſtrages dedit. Cenomanis poſtmodum obſeſſa, exercitus ſui procuratores Turonum vſque tranſmiſit, vt, vrbe peſſundata, auri & argenti [o] effluentem copiam, & cætera eius bona diriperent, & illius incolas [p] vinculatos ſecum abducentes captiuarent. Dei autem prouidente clementia, tanta Cari & Ligeris excreuit [q] inundantia, vt ſui vnione pelagus vnum efficerent, & à ciuitatis acceſſu non minima ſui altitudine cuneos hoſtiles arcerent. Verum [r] Maius Monaſterium, quod non longe à Turonis erat, funditus euerſum, centum viginti Monachos, [t] bis bino minus, ibidem gladio percuſſerunt, præter Abbatem & viginti alios quatuor, qui cauernis terræ latitantes euaſerunt. Abbatem tamen à latebris extractum tormentis & cruciatibus ab eo exigunt, vt theſauros Eccleſiæ prodat, & Monachos, qui in cauernis latebras fouebant, in medium deducat. Vir autem Domini Abbas Hebernus, licet varia & multiplici tormentorum violentia arceretur, nec theſauros declarauit, nec filios in latebris latitantes reuelauit: qui adhuc reſeruati ſunt, vt Patroni ſui corpus & inter alienos proſequerentur. Ita quidem contigit: ſed ipſe potius Comitibus exilii ſui mercedem reſtituit. Nemo enim illorum reſiduus fuit, quem Martinus Eccleſiæ non [u] præferret regimini, ſublimaret dignitate. Recedentibus Danis, poſtquam cruribus, tumore fluuiali repreſſo, libera [x] recurrendi reddita eſt facultas: auditum Maioris-Monaſterii infortunium & euerſio, necnon & Abbatis cruciatus & pœnæ & Monachorum precioſa mors & paſſio: vniuerſorum, & maxime Sancti Martini Canonicorum, gaudia [y] obumbrans, lacrymoſa ſubminiſtrauit, ſuſpiria, doloris immodici copioſam materiam propinauit.

l Haſtingi m gentis. n equeſtris. † Rullonis expeditio. Fuit hic Dux Normannorum quâ prouinciâ in dotê accepit cũ Giſla Caroli Simplicis Francorum Regis filia. o affluentē. p vinculatos q inundatio. r Ann. 853. Maius-Monaſterium

euertitur, & monachorum ſtrages, vide Seuerum in vita S. Martini cap. 7. t plus minus lect. marginal. Baron. u præferret, præficeret. B. re[illegible] x di, currendi. y obnubilans.

IV. MOESTITIA igitur & mœroris pallio amicti, vultu lugubri aſſumpto, & ornatu, ſicut moris eſt compatientium, dolere cum dolentibus, gaudere cum gaudentibus, [z] dolentes & flentes ad memoratum accedunt locum, & doloris intrinſeci tumore ſingultuoſo [a] perſtillantes foris: lacrymis aliquantiſper imminutis, viginti quatuor Monachos, qui in cauernarum latebris morabantur, extrahunt, & Abbatem vna cum ipſis eum debito honore & reuerentia ad ſuam ſecum deducunt Eccleſiam. In omnibus verò eos procurantes, delegerunt ipſis domum Eccleſiæ valuis inhærentem, à qua in Eccleſiam reciprocus ingreſſus & regreſſus ſecretior haberetur. Sex verò menſibus emenſis, comperto Canonici quod Rollo, Cenomannis capta, [b] Turonum captum iri diſponeret, communicato cum [c] ciuibus ſuis conſilio precioſam margaritam, & ſingularem theſaurum, [d] ſanctiſſimi videlicet corpus Martini Aurelianis vſque tranſmittunt. Huius latores & cuſtodes extiterunt, Hebernus Maioris-Monaſterii Abbas ſæpedictus viginti quatuor Monachis, & duodecim Canonici, qui Deo & Chriſti Confeſſori Martino [e] deſeruirent: comitatui eorum [f] indeſerenter adhærentibus duodecim Caſtri-noui burgenſibus, qui ſanctis deſeruitoribus pie deſeruientes, eis neceſſaria prouiderent. Famæ vero poſtmodum [g] decurrentis relatu edocti, quod

z flere cum flentibus, dolentes. a perſtillantibus foris lacrymis. b Turonim. c Conciuib. d Corpus S. Martini Aurelianis transfertur.

e (die ac nocte.) f indeſinenter. g percurrentis.

quod Dani ad Galliæ ſuperiora proceſſiſſent, cum theſauro ſuo [a] ad ſanctum tranſmeant Benedictum. Paucis vero elapſis diebus fama peruigili rurſum prænunciante, quod iam Rollo Aurelianis aduenißet, ſanctarum bajuli reliquiarum [b] Chableiam veniunt.

a Inde ad S. Benedictũ, poſt Chableiam.

b *Clabeiam, ſed corruptè.*

Tempore autem permodico ibidem commorati, metu conualeſcente iterum, cum theſauro illo incomparabili [c] Antiſſiodorum vſque perueniunt. Epiſcopus vero fama [d] perambula præmonitus, & tota ciuitas, obuiam ruunt, & tantum hoſpitem cum honore non indebito deducunt, & in Eccleſia beati Germani, ſecus eiuſdem Præſulis feretrum, Martini non imparis corpus reponunt. Per [e] merita igitur beati Martini, virtutes ibidem & miracula innumera fiunt. Cæci quidem viſum, claudi greſſum, febricitantes ſanitatem, aridi ſoſpitatem, leproſi mundationem, paralytici membrorum reintegrationem recipiunt. Fama verò quæ clam nihil agere conſueuit, per vniuerſas regiones ſanitatum gratiam diuulgante, tanta illic indies infirmantium multitudo confluebat, vt ex numeri innumera æſtimatione, regio cuilibet exercitui aſſimilata videretur. Et quia ciuitas tantæ inſufficiens multitudini vniuerſos capere non poterat, per circumiacentes vicos hoſpitandi gratia diffundebantur. Omnibus [f] pro voto per merita beati Martini Antiſtitis ſalus optata reddebatur. In familiæ vero eiuſdem [g] Epiſcopi vſum vniuerſa infirmantium tranſibat oblatio. Tantus autem oblatæ pecuniæ excreuit cumulus, vt [h] numerum quantitas excedens Antiſſiodorenſibus [i] Clericis inuidiæ fomitem miniſtraret. Vnde cupiditatis & inuidiæ ſtimulo perurgente, Martini miniſtros taliter alloquuntur. Quoniam tam à noſtro, quam à veſtro Pontifice virtutes & miracula indifferenter fiunt, æquum eſt vt ſi quid vtilitatis exinde [k] prouenerit, vtriuſque miniſtri in commune partiantur. Quibus euidenti ratione ſatisfacientes illi, [l] poſtulantes ius communionis in hunc modum diſſoluunt, dicentes, Antequam Martinus noſter huc adueniret, veſtro hic [m] perordinante germano, nullorum mentio miraculorum erat. In aduentu verò noſtri Antiſtitis, piis eius id obtinentibus meritis, & ſignorum frequentia euidens exhibetur, & ex impenſæ per eum ſalutis reſpectu, huiuſmodi nobis beneficia proueniunt. Vt autem [n] ex animo veſtro omnis ſuper hoc dubietatis ſcrupulus excludatur, leproſus hic, qui præ oculis eſt, in medio, ſi placet, Præſulum ſanandus inferatur. Si verò à Martini latere leproſi latus poſitum conualuerit, & Germani lateri eiuſdem latus adiunctum in lepra perſtiterit, virtutis auctori Martino miraculum aſcribatur. Si autem è conuerſo, à Martini [o] parte leproſi pars poſita non curatur, & Germano pars inhærens ſanetur, ad Germani [p] meritum patefacta virtus & miraculum transferatur. Adquieſcunt vtrique, & prolata iudicii ſententia ab omnibus approbatur. V.

c Inde Antiſſiodorũ.
d *preambula.*
e Miracula S. Martini.
f (*autem.*)
g *Pontificis*
h *munerũ.*
i Ann. 879
k *peruenerit, vtriſq; in commune partiatur.*
l *poſtulata.*
m *perendinante.*
n Controuerſia qua ratione dirimatur.

o *Latera* p *Merita.*

In Argumentum igitur agnoſcendæ veritatis, in medio Præſulum leproſus ponitur. [q] Decurſis itaque nocte illa vigiliis & ([r] orationibus), laudibuſque, mane illuceſcente, conuenientibus vtrinque partibus, [ſ] medietas hominis à Martini parte poſita, ſana & incolumis reperitur. Pars autem altera, occulto Dei iudicio, [t] ſaluanda differtur. Vt autem per miraculum euidentius [u] fides eluceret clarius, atque celſior, leproſi iterum pars ſananda verſus Martinum vertitur. Et mane facto, ſub oculis omnium, homo totus ex integro alteratus in ſalutem inuenitur. Sopita igitur eſt mutualis hæc contentio, & Martini cultoribus ex tunc & deinceps infirmantium vniuerſa ceſſit in pace oblatio. O [x] admirabilis vrbanitatis Germanum Pontificem, qui cum tanti meriti eſſet, vt mortuos ſuſcitaret, in domo ſua hoſpiti ſuo tantum detulit honorem, vt in ſignorum exhibitione eo ſe videri vellet inferiorem! O ſignipotentis Martini attollenda præconia, qui Pontificalis miniſterii dignitatem vbique in omnibus, licet exul, obſeruans, & ciuitatem exilii ſui ſuſceptricem miraculorum gratia illuſtrauit, & ſuis ſequacibus benignum, largum, & affluentem ſe ſemper exhibuit! Elapſis poſtmodum quamplurimis annis, pace Eccleſiæ reddita, Rollone fidei reſtituto, [y] Turonici viri Dominum & Patronum ſuum requirendi gratia Antiſſiodorum proficiſcuntur. VI.

q *Decurſa.*
r *deeſt in impr.*
ſ Leproſus ex qua parte contigerat S. Martinum mundatus eſt, reliqua parte immundus perſiſtens.
t *ſananda.*

u *fides certior, clariuſque eluceret.* x *admiranda.* y Turonenſes repetitum veniunt S. Martinum.

Conveniunt igitur [z] Armarium eiuſdem vrbis Epiſcopum, vt eis ſuæ licentia permiſſionis, proprium reducendi Pontificem copia tribuatur. Quibus ille tale fertur dediſſe reſponſum. [a] Nolo Eccleſiam meam tanto defraudari theſauro, quia Epiſcopus factus eo [b] veſtitam inueni. Videntes itaque Turonici, ſe per eundem Epiſcopum nihil proficere, ad Regem Francorum, qui tunc temporis erat, meliora ſperantes reſiliunt: humili prece eum (rogantes ac) obſecrantes interpellant, vt [c] Turoni & Martinum ſuum reſtitui iubeat, & vrbem Paſtoris abſentia, eo recepto, in gaudium conuertat. Ad quos Rex ait. Cum vtraque ciuitas regii ſit iuris, & ab vtraque nobis indifferenter ſeruiatur, indignum ducimus, vt Antiſſiodorum, quæ de theſauri huius poſſeſſione ſalſita eſt præiudicii violentia ſpoliemus, & [d] Turonum veſtram, quæ huc vſque illius [e] veſtituram amiſit, inueſtiamus. Decedentes [f] itaque Turonici, ad propria fruſtrati reuertuntur. Cogunt igitur Concilium cum Adalaudo Turonenſi Archiepiſcopo, [g] Raimone Aurelianenſi, & Mainoldo Cenomannenſi, [h] & cleri plebiſque multitudine coacta, conſilium ineunt quid facto opus eſſet. Eo tempore vir illuſtris Gaſtinenſis Comes Ingelgerius, Hugonis Ducis Burgundiæ nepos, Lochiæ & Ambaziæ Dominus, ſtrenuus armis, ſumma poteſtate & probitate præditus erat, Andegauenſem Conſulatum ex regio munere nuper ſibi impartitum procurabat. In Antiſſiodorenſi etiam vrbe Aulam propriam, & vineas, & prædia ([i] habebat) ſuburbana, & poſſidebat. Cum igitur [k] tantum virum huius negotii peragendi commoda confluerent, allegationis ſuæ officio fungi ab vniuerſis acclamatum eſt. Cum autem ad eum ob iſtiuſmodi cauſam nuncios [l] dirigere procurarent, per ſubuenientem Dei, vt credimus gratiam, ſancti Martini, vt ei moris eſt, oraturus intrauit Eccleſiam. Exiens autem ab Eccleſia, ab vniuerſis cum gaudio ſuſcipitur, & ab omnibus ei honor debitus & reuerentia defertur. Cum in medio eorum conſediſſet, tanquam à Spiritu ſancto præmonitus in hæc verba prorupit. [m] Viri Turonici, viri diutius affluentes, cum diuite ingenii vena calleatis, & prudentia & fortitudine polleatis: miror admodum, & vehementer obſtupeſco, cur gaudium veſtrum, lumen patriæ ([n] veſtræ,) veſtrum, inquam Antiſtitem Martinum tam longo exilio relegatum, veſtra id agente incuria, reducere neglexiſtis. Cui illi cum lacrymis aiunt. Gratias vobis agimus, & primum diuinitati, quæ tuo id [o] imperauit cordi, vt de talibus nobiſcum diſſereres, & nobis in deſiderio poſitis, deſiderii noſtri deſideratum commonitorium faceres. Non eſt, inquiunt, Domine mi, noſtræ, vt putas, incuriæ: ſed Regis Franciæ pigra ſegnities nos impediuit, & Antiſſiodorenſis Antiſtitis pertinax violentia nobis Martinum noſtrum cum multo labore & inſtantia requirentibus [p] denegauit. Quoniam igitur obſtinati illius Antiſtitis cor induratum eſt, & quaſi alter Pharao factus eſt: non vult dimittere virum Dei, niſi in manu forti. Proinde te, Domine, cui nobilitas & ſtrenuitas, & probitas etiam & poteſtas ſuppeditant: communi & humili ſupplicatione ([q] rogamus &) obſecramus, vt zelo Dei, & beati Martini amore ductus, huic te conformes allegationi, & ipſum & cum ipſo gaudium huic luctuoſæ reſtituas regioni. VII.

z Iannariũ.
a Negatur eis.
b *Inueſtitã.*
c *voces hæ deſunt in impr.*
d *Turonis.*
e *inueſtituram.*
f *Decidẽtes.*
g (*à ſpe ſua.*)
h (*& ſancto Lupo Andegauenſi.*)
i *abeſt in impr.*
k *in tantũ*
l *diſponerẽt*
m Ingelgerii expoſtulatio
n *deeſt in impr.*
o *inſpirauit*
Reſponſio Turonenſium
p *denegat.*
q *abſunt hæc ab impr.*

VIDENS igitur vir illuſtris Ingelgerius, vniuerſitatis illius poſt Deum ſpem in ſe penitus poni, lachrymis ſupplicantium miſeratus & vota, promittit iniunctum ſibi negocium pro viribus exequuturum. Collecta igitur tam peregrini exercitus quam proprij multitudine non minima, ſex fere millibus tam militum quam equitum ſecum electis, Antiſiodorum venit. Continuauit interim Turonici ex ſui præcepto Pontificis vnius hebdomadæ ieiunia, & ſuum ſibi reddi Martinum Deo ſupplicanti imploratione, & precum inſtantia. Supera Antiſſiodorum ciuitatem armato milite & ſuſpenſo ſe repleti. Diei igitur craſtinæ aurora illuceſcente, peregrinus Comes impiger, poſtquam in Eccleſia ante dilecti Archipræſulis Martini corpus cum lachrymis orans, peregrinationis ſuæ preces & vota perſoluit: conuenit Epiſcopum ſuper Depoſiti reſtitutione, dicens. Pontificis nomen cum te & honor delectet, cur huius b prænominis etymologia perdita, virtutum pontem non facis, ſed ſubuertis, & gregi tuo factus forma deceptionis & doli, veſtigijs c inhærentem à ſublimi veritatis via deijcis, & in perditionis præcipitium ire compellis? Cur neceſſitatis tempore theſaurum fidei tuæ commiſſum, d dilationis innectens moras, reddere contemnis? Vnum ergo tibi ex duobus elige: aut Turonicis ſuum Martinum, dilationis ceſſante mora, reſtitue; aut te nullatenus redditurum reſponde. Cui Epiſcopus in his verbis ſtomachatus ita reſpondit. Non decet peregrinum cum armata manu loca ſancta inuiſere, nec Sanctorum pignora viribus & armis velle ſibi vendicare. Hodie tamen cum tuis patienter ſuſtine, & quid ſuper hoc acturus ſim, craſtina tibi dies declarabit. Communicato interim cum Coepiſcopis, qui tunc forte aderant, conſilio quis actionis huius exitus vel finis eſſe valeat, percunctatur. Cui Siagrius Eduenſis, vna cum Domnolo e Trecaſſenſi, ad ipſum ſapienter reſpondit. Non decet Epiſcopum aliena rapere, vel cuiuslibet depoſitum fraude vel violentia velle ſurripere. Beati ſiquidem Martini corpus, hoſtili vigente gladio, à Turonicis huc allatum; & ab eis penes te repoſitum nouimus. Quod ergo à fidelibus fideliter tibi commiſſum eſt, tu f quandoque fidelis reſtitue, & fidei læſæ damna reſarciens, exaſperato Comiti, verbis enim lenibus, & officijs demulcens, poſtulata concede. Niſi enim ſpontaneè, & cito reddideris, ad tui dedecus & ignominiam ablatum proximus g tibi videbis. Fac igitur de neceſſitate virtutem, & antequam imminens extorqueat neceſſitas, palliata h prudens præſtet liberalitas. Acquieſcit Epiſcopus, & Andegauenſi allocutione blanda delinito optatum exponit theſaurum. Adfuit etiam & diuinæ memoriæ Abbas i Herbenus coram Epiſcopis, vnà cum Ingelgerio, iam ſine ſocijs. Diuina ſiquidem prouidentia, & beati Martini oratione aſſidua mediante, iam promoti erant per vniuerſæ Burgundiæ Prouinciam omnes & ſinguli in Epiſcopatibus & Abbatijs: ſcilicet vt k qui cum exulato exules aduenerant, ab ipſo exulato, in ipſo exilij ſolo diuitijs & honoribus ſublimarentur. Denique ipſis l mandauit per veredarios ſæpefatus Abbas Herbenus, vt intereſſent ducatui, & ad euehendum corpus m ſæpenominandi Antiſtitis: vt quem ſimplices Monachi & exules à loco proprio in exilium adduxerant, iam Epiſcopi & Abbates conſtituti ipſum ſolum exulem loco proprio reſtituerent. Quod & factum eſt. Celebrata igitur propria de ſancto Martino Miſſa ſolemniter, Ingelgerius Andegauenſis & Abnarius Antiſſiodorenſis aſſumptum onus illud nobile ſuis imponentes humeris, repatriandi aggrediuntur iter. Deducunt Pontifices cum hymnis & laudibus ſancti Antiſtitis reliquias; necnon & Clerus deuotus, & vulgi vndequaque decurrens frequentia. Reuerſis vero deductoribus illis Martini, exercitus aggreſſum capit iter, & optato potitur triumpho. Debitum ſeruitij penſum ab Abbate, & Monachis, necnon & Clericis Deo indies deuotiſſime exhibebatur, & Miſſa quotidie celebrabatur. in nobili illo exercitu nullus mollis vel effeminatus: nemo ibi fœminam, nemo rapinam nouerat: ſed n ex mercato competenti viuebat.

a Antiſſiodorenſis. Ingelgerius armatus corpus S. Martini repetit. b pronominis. c (tuis) d dilectionis. e Trecenſi. f quoque. g remitto. h &c. i Hebernus. k qui eo exulatum. l mandarat m Hebernus. n ſæpenominati. Reducitur S. Martini corpus Turonum. o vnuſquiſque.

IX. POSTQVAM igitur diœceſis ſuæ fines attigerat ſacratiſſimi Præſulis Martini corpus, mirum in modum & oues morbidæ Paſtoris præſentiam, & Paſtor recognouit quantam ouibus deberet diligentiam. Quamuis enim peregrinus inter extraneos miraculorum floruiſſet copia: inter ſuos tamen, vtpote ſibi à Deo commendatos, & copioſior ei fuit ſanitatum gratia, &, ſi dici fas eſt, propenſior o benignouolentia. Quicunque ergo qualicumque incommodo ægritudinis laborabant, etiam non apportati, etiam non rogantes, dextra leuaque per totam prouinciam mirifice ſanabantur. p Quam vera promiſſio Saluatoris dicentis: Opera, inquit, quæ ego facio, qui credit in me, & ipſe faciet, & maiora horum, faciet. In ſignis enim & ſanitatibus; q quæ ipſe Dominus per ſe dignatus eſt exhibere, fidem etiam poſcentium cooperari voluit, vt crebro Euangelia probant. Vnde eſt illud, Fides tua te ſaluum fecit. Per Martinum vero etiam non petentibus, etiam non acceptantibus, & quod maioris clementiæ eſt, etiam nolentibus ſubueniebat. Dum enim talia, tantaque virtutum inſignia agerentur, quæ etſi non r viderent, occultare fama non potuit. Ea percurrente duo paralytici, qui in villa cui nomen de Hedera eſt, à prætereuntibus eleemoſynam petentes, victitabant; dixerunt alter ad alterum. Ecce frater ſub molli ocio viuimus, nemo nos inquietat, omnes miſerentur: ſolus nobis labor eſt petere quod optamus. Licet, cum libuerit, ſomno indulgere, quieti vero iugiter: & vt breuiter dicam, ducimus in bonis dies noſtros. Hoc (autem) totum nobis vindicat infirmitas hæc, qua iacemus. Quæ ſi curata fuerit, quod abſit, neceſſario nobis incumbet labor manuum inſolitus. ſ quippe iam mendicare inutile erit. Et ecce audiuimus de Martino iſto, in cuius diœceſi degimus, quod reuertens ab exilio in toto ſuo Epiſcopatu neminem decumbentem præterit non ſanatum. Nunc ergo, frater, acquieſce conſilijs meis, & dicto citius fugiamus Martinum, ab eius diœceſi exeuntes: ne forte nos ſanitatum eius copia comprehendat. Nouum ſane conſilium, vota prorſus eatenus inaudita, tanto nolle carere incommodo, ſe, ſibi reddi, effugere. Quid moror? Placet vtrique conſultum, & aptatis baculis ſub vtraque aſcella, reptando potius quam gradiendo fugam arripiunt. Sed Martini pernix potentia proſequitur fugientes, comprehendit refugas comprehenſos & inuentos inuitos reparat ſanitati. Quod illi in ſeſe experientes, nec diſſimulare poterant, nec audebant ſilere. Nimirum non neſcij illum potentem perdere t ingratos, qui & nolentibus ſubueniſſet. Exclamant igitur, prædicantes miraculum, & homines loci illius, quo id contigerat, ad laudem inuitant Martini. Nec ſibi integrum fore arbitrati, donec baculo ſui languoris indices ad Martini matricem Eccleſiam detulerunt: palam omnibus exponentes & ſuæ perfidiæ fugam, & Martini etiã circa inuitos clementiam. Porrò accolæ manſionis, in qua ſignum hoc ſanitatis celebratum eſt, in nomine ſignipotentis Martini Eccleſiam condidêre, quæ vſque hodie Capella alba nominatur.

S. Martini repatriantis miracula. p beneuolentia. Ioan 14.12 q Quia. r quas. Luc. 18.42 ſ viderent. t Mendicare quippe. Paralytici inuiti curantur. u prodere.

X. INGRESSO itaque beato Archipræſule Martino propriæ parochiæ fines, mirum in modum res inanimatæ & inſenſibiles, Paſtoris ſui ſentientes aduentum, grata congratulationis ſuæ ſigna prætendunt. Vniuerſæ ſiquidem arbores, & fructeta tempore brumali, repugnante licet natura, rediuiuis veſtita folijs, & floribus vernant, & in ſui ornatu, quantæ meritorum excellentiæ ſit pater patriæ repatrians demonſtrarunt. Iidem dextera leuaque in Eccleſijs eiuſdem parochiæ ſine humano adminiculo ſigna u diuinitatis pulſabantur. Luminaria tam cereorum quam lampadarum diuinitus accendebantur: in duabus maxime Eccleſijs, quæ nomini eius dicatæ x ſunt notæ. In priore, quæ maius Monaſterium nuncupatur, in qua viuens in corpore lectioni, vigilijs, meditationi, ie-

Poſt annum 56. ex quo Rollo infeſtare cœperat Gallias. Reuertente S. Martino hyemali tempore cuncta vireant & florent. x diuinitus. y digno ſeruntur.

Z ieiunijs

iuniis, & orationibus, die noctuque Deo incumbebat. In altera, quæ ſancti Martini diuitis Caſtrinoui dicitur: de qua primo Rollonem fugiens ſublatus fuerat, in qua etiam ab vniuerſis Epiſcopis diœceſis ſuæ, à Clero etiam & populo ſuſceptus, in loco, * quo nunc adoratur, huc uſque ſeruatur. Domno igitur, vt diximus, Turonenſi Martino, † Turonum ſuam in millibus ſuis ingrediente, tota obuiam ruit, & ab † Adalaudo Archipræſule Turonenſi, & fratre eius Raimone Aurelianenſi, & Mainoldo Cenomanenſi, & ſancto Lupo Andegauenſi, & à ſuffraganeis totius Prouinciæ Epiſcopis, eis congratulanter occurritur, & omnis ſexus indifferenter deſiderato diu Domino ſuo lætabundus occurrens, lachrymis, quas gaudium extorſerat, perfunditur. Ab Epiſcopis ſiquidem & Abbatibus, à Clero & virginibus, à populis & baronibus, à pueris etiam & ſenibus in Eccleſiam ſuam cum cereis & crucibus, cum hymnis & laudibus glorioſus Antiſtes glorioſe deducitur, & in propriæ ſedis priſtino gradu cum debito honore & ſumma reuerentia collocatur. Hæc eſt igitur glorioſa, ſolemnis que Exceptio, qua Archipræſul Turonenſis Martinus ab exilio reuertens ab alumnis ſuis officioſe adeo excipitur, & in propria, vt dictum eſt, ſede reſidens, omni petenti ſe, vt ſui moris eſt, plurimum ſuffragatur. Hoc exceptionis celebre feſtum, anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, à tranſuectione triceſimo primo Idibus Decembr. celebriter agi ab * Adalaudo Archiepiſcopo Turonenſi, & à comprouincialibus Epiſcopis celebrata Synodalis ſanciuit auctoritas: quæ quando recolitur, à Danis facta deſtructio, & Martini repatriantis celebris & iocunda à ſuis memorialis Exceptio memoratur. Te † igitur, ô bone Martine, pie Pater, Paſtor, & Patrone noſter, nobis (obſecro) filiis & alumnis, nec non & veneratoribus tuis, more tuo bona confer, noxia ſubmoue, & orationum tuarum inſtantia gaudia nobis vitæ interminabilis obtine. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

* vbi. Quo exceptus. † Turonum. * Adalando

Delatum corpus à Martino in abſide, qua olim à ſe exceptus fuerat, Quercitan.

Feſtum exceptionis S. Martini.

* Adalando † ergo.

Tractatum eiuſdem Beati Odonis ſiue Adæ, quod Beatus Martinus par dicatur Apoſtolis & ſermonem de combuſtione Eccleſiæ S. Martini habes in Bibliotheca Cluniacenſi inter B. Odonis opera. Sermonem Beati Petri Damiani de eodem S. Martino operibus eius Romæ excuſis reperies.

An. 620. *VITA BREVIS S. LIVINI ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS, EX BREVIARIO ECCLESIÆ GANDENSIS EXCERPTA, VBI eius ſanctum corpus quieſcit.*

12. Nov. S. Liuini patria.

LIVINVS in Scotia nobili genere natus, admodum adhuc puer non modo ſupra ætatem eximia pietate conſpicuus, verum etiam miraculis clarus fuit. Adultæ autem ætatis factus, præceptoribus vſus eſt, primum egregio Dei ſacerdote Benigno; deinde ſuſceptore ſuo è ſacro fonte, magno illo Auguſtino Anglorum primo Epiſcopo. A quo tandem etiam ſacro ſacerdotij ordine decoratus, tanta cum laude eo in ſtatu verſatus eſt, vt eũ Scoti haud multo poſt in Archiepiſcopum ſuum eligere non dubitauerint. Quod munus tametſi Rege populoque compellente ſuſceperit, & magno cum fructu annos aliquot adminiſtrarit, poſtea tamen maluit infidelibus ad Chriſtum conuertendis operam dare, (ad quam rem mira Spiritus ſancti gratia præditus erat) quam in Epiſcopatu ſuo vni tantum prouinciæ quietius & minori cum labore præeſſe. I.

Initiatur ſacerdotio.

Creatur Archiepiſcopus.

Anno 633. Relicto Epiſcopatu, venit in Flandriam prædicationis ergo. Eius vita habetur 1. Octob.

ITAQVE relicto in Scotia loco ſuo magnæ ſanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipſe Euangelij plantandi cauſa, tribus cum diſcipulis Foillano, Helia, & Kiliano, Oceano traiecto deuenit in Flandriam. Et ingreſſus cœnobium Gandenſe, à beato Amando Epiſcopo tunc recens extructum, humaniter à Floriberto Abbate fratribuſque exceptus eſt, anno incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo triceſimotertio, decimoſeptimo Calendas Auguſti. Vbi quum Beatum Bauonem triennio iam defunctum, magnis coruſcantem miraculis inueniret, memoriam viri celeberrimam & præſentia ſanctitatis teſtimonia admiratus, triginta continuos dies ſuper eius ſepulchrum Miſſarum ſolennia celebrauit, ſui illi multis precibus, & monaſterij Gandenſis curam, commendans. Poſtea autem inde prædicationis cauſa profectus, innumeros ad ᵃ Chriſti fidem verbo, exemplo, magniſq; adiunctis miraculis, conuertebat. II.

ᵃ Multos ad fidem conuertit.

Lingua abſciſſa ei reſtituitur. * Eſcham. ᵇ Obtruncatur. Sepelitur cum Brixio & Crapha hilde ſocus.

SED virtutem vmbra ſua ſtatim inuida ſequitur. Homines enim impij, quibus Chriſtus & pietas omnis erat exoſa, animaduertentes ſanctum Epiſcopum tantam hominum multitudinem ad nouam religionem, erroribus priſtinis, vitiiſque ſpretis, adducere atque adeo ſuipſorum prauis cupiditatibus non parum obſiſtere, miris modis eum perſequebantur. Nec omnino deſiſtebant, donec linguam eius extractam canibus deuorandam projicerent (quæ tamen illi mox fuit miraculo reſtituta) ac tandem apud * Heſcham Flandriæ vicum, multis vulneribus ſaucium, etiam ᵇ obtruncarent, anno ante memorato, pridie Idus Nouembris. Quo eodem loco nobilem quoque & religioſam matronam Craphahildem Liuini hoſpitam, vna cum filiolo eius Brixio, quem Liuinus de ſacro fonte ſuſceperat, quum palam quererentur immerito interfectum eſſe ſanctum Epiſcopum, immaniter trucidarunt. Quo facto, diſcipuli beati martyris collectum eius corpus, ſimul cum beati Brixij corpuſculo, vno eodemque in loculo in Hauthem vicino pago decenter ſepelierunt, ac iuxta eos ſeorſum, ſanctam martyrem Craphahildem. III.

De eleuatione & translatione eius.

Anno 842. Theodoricus Epiſcopus Cameracenſis eorũ corpora eleuat.

AVDIENS Theodoricus Epiſcopus Cameracenſis ſepulchrum beati Liuini in Hauthem, territorij Aloſtenſis, ſuæque diœceſis pago, celeberrimis miraculis coruſcare, eo mox aduenit, & locum viſurus, & rei veritatem coram intellecturus. Cumque maiora multo quam audierat re ipſa experiretur, rogatus à religioſis cœnobij Diui Bauonis, qui multum ibi authoritatis iure patronatus, antiquaque poſſeſſione obtinebant, ſanctorum Liuini & Brixij corpora omni cum reuerentia & gaudio è terra ſuſtulit, & loco celebriori decenter collocauit. Contingit hoc ſub Eynardo Abbate: anno partæ redemptionis octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, quarto Calendas Iulias. IV.

Iſtius Macarij vita habetur decimo Aprilis, Tomo ſecũdo.

MVLTIS autem poſt annis felicis memoriæ Erembolduſ Abbas, qui & peregrinum S. Macarium hoſpitio ſuſcipere meruit, cœnobio cui præerat maiorem etiam cupiuit dignitatis gloriam conciliare. Metuebat enim vt ſanctiſſimæ reliquiæ in manus quorundam, monaſterio ſuo parum fauentium, aliquando peruenirent, ſicque Eccleſia S. Bauonis tanti martyris patrocinio priuaretur. Fuſis ergo ad Deum precibus, atque in Domino confortatus, Hauthem cum fratribus proficiſcitur. Propiuſque accedens, loculum Sanctorum aperuit, & pignora illorum omni ex parte integra vniuerſis oſtendit. Atque ita multa cum fiducia & gaudio repoſita, ad ſuum monaſterium V.

naſterium deport[illegible]it, anno liberati humani generis milleſimo ſeptimo. Tum vero Deus præſentibus miraculis communem lætitiam magnopere promouebat. Nec deerat populus Gandenſis ſuo officio, qui ingenti numero ciuitate effuſus obuiam magnis laudibus veniebat, & vna cum reliquis cœnobij fratribus, reliquias S. Bauonis, aliorumq; Diuorum, in occurſum aduentantium religioſiſſime deferebant.

An. 1007. S. Liuini tranſlatio prima.

VI. Hoc in loco quum Anno ſupra milleſimum octuageſimotertio prima ſacrarum reliquiarum tranſlatio per Radbodum Nouiomenſium Tornacenſiumq; Epiſcopum & Vuithmannum Abbatem facta eſſet, rurſum poſt nonaginta prope annos altera tranſlatio celebrata eſt Bettonis Abbatis tempore, qua theſaurus ille ſanctorum reliquiarum nouo loculo ornatiſſime præparato inſerta eſt, Vualhero Epiſcopo Tornacenſi, qui & caput, & corpus integrum populo, fratribusque, magna omnium lætitia, ſpectandum exhibuit, & diem tranſlationis huius ſingulis annis quinto Cal. Iulias, quo facta erat, Epiſcopali authoritate celebrari præcepit. Cumque eleuatio corporis quarta Calendas Iulias primum facta eſſet, eius rei memoriam voluit eodem die cum memoria prædictæ tranſlationis coniungi, vt rerum geſtarum diuerſitas materiam duplicet gaudiorum, ad gloriam omnipotentis Dei in ſecula ſeculorum, Amen.

Translatio eius ſecūda.

Eſt alius Liuinus Francus de tertio ordine Minorum, qui paſſus eſt Quadris in Babylonia, vt ſcribit Marcus Vliſſiponenſ. in Chron. ſui Ord. anno 1345. vt notat Molanus in appendice ad Liuinum in natal. Belg.

VITA S. MARTINI PAPÆ, QVI PRO DEFENSIONE CATHOLICÆ FIDEI EXILIVM PASSVS EST: A QVODAM EIVS FAMILIARI VEL COMITE SCRIPTA. EXTAT IN antiquis MS codicibus.

An. 640.

12. Nov. Secundum Martyrologiū Rom. Beda & Ado 10. *Tuſcia ſcilicet. Patria S. Martini. *for. *paulatim. Pſal. 118. Ibidem. Matth. 13. *ſerta.

I. Svmma deuotione recolendus, meritiſque præcipuus, Deo per omnia digniſſimus Martinus, vir Apoſtolicus generoſa traductus propagine, Tudertina * ciuitate oriundus fuit. Qui cum in annis puerilibus à parentibus acutiſſimi ingenij magiſtris ad inſtituendum fuiſſet delegatus, vtpote bonæ ſpei iam & indolis, ita cœpit, magiſtrante ſibi Spiritu ſancto, acumina litterarum archiuo mentis * palati recondere, & in omnem intelligentiam proficere, vt iam tunc non immerito Dauidicum illud canere poſſet Domino: Super omnes, inquiens, docentes me intellexi. Et rurſum: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine. Præparauit nanq; Dominus Eccleſiæ ſuæ non ignauum Euangelici frumenti diſpenſatorem futurum, qui vt ſcriba doctiſſimus in regno cœlorum, quod eſt Eccleſia, proferre ſciret de theſauro ſuo noua & vetera. Omnia vero iam ephebus ſophiæ molimina voti compos * ſcire enodauit, &, vt puta diuini bellator belli, ſe in propatulo contra omnes veritatis inimicos dedit, ſcuto fidei vndiq; munitus, galea ſalutis protectus, & gladio Spiritus ſancti, quod eſt verbum Dei, armatus, impertetritus extitit & inuictus. Fuit vero formoſus facie, ſed formoſior caſtimoniæ ſanctitate, nec aliquo modo poterat tanta iuuenis ætatula facile deflecti ad procliua peccanti, cuius tota intentio, ſine aliqua impeditionis morula, aut diſcendi ſemper extitit, aut docendi.

Epheſ. 6. Multa eius diuinarum humanarumque literarū peritia: Initiatur tonſura clericali. 2. Cor. 6. Gal. 6. Phil. 1. Feruet Martyrii deſiderio.

II. Cvmqve iam nouum vas electionis Domini, atque armarium Spiritus ſancti mundiſſimum, beati Martini pectus fuiſſet effectum, & omnium mundanarum diuinarumque literarum ſubtilitates prudentiæ ſcalpello ad liquidum penetraret, & Dialecticorum ſtrophas enodare ſine robore addiſceret, ſapienti ſatis conſilio ſtuduit non hominibus, ſed ſoli placere omnipotenti Deo. Quoniam autem vir Domini ad cumulum perfectionis philoſophiæ euaſit, ipſius diffiniens philoſophiæ perfectionem, oportere Rhetorem peritum eſſe loquendi, bonum, pium, iuſtum, beneuolum, ac bene moratum: conuertit nanque magno pietatis niſu magnificentiam à Deo ſibi datæ ſapientiæ, ad impletionem omnis iuſtitiæ. Et quia in Phyſica operam dedit, ſcite intelligere, falſa à veris diſcernere: per Ethicam conatus eſt mores componere: illos ita ſtuduit propagare atque pronunciare. Decisa nanque cæſarie, honorem clericatus deuotus accepit, atque ad Eccleſiaſticos gradus conſcendit digniſſimus. Poſtea totus in Deo ſuſpenſus, de animæ ſuæ ſalute ſemper erat ſolicitus, & ita ſeruus vixit in ſeculo, vt dum genuina ſubſtantia opulentus videretur, iam quaſi nihil habens, & omnia poſſidens, pauper cum monachis, ſpiritu diues erat Chriſto. Totus crucifixus erat mundo, quandoquidem illi mundus erat crucifixus. Viuere quippe illi Christvs erat, & mori lucrum, deſiderium nanque multoties habuit cum Apoſtolo diſſolui, & eſſe cum Chriſto: quippe qui martyrij palmam, ſi temporis occaſio non eſſet impedimento, ardentiſſimo iamtunc ſitiebat pro veritate deſiderio. Sed omnipotens Deus deſiderium illius diſtulit, atque ouibus ſuis talem arietem neceſſario reſeruauit, donec per paſtoralem curam perueniret ad martyrij coronam. Sed iam ratio ordinis examuſſim expetit, vt qualiter ad vniuerſalem & Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ ſedem diuina ſit electione promotus, qualive modo pro aſſertione veritatis improborum inſid[iis] de propria ſede fuerit expulſus, atq; exiliatus, Deo opitulante, qualicunq; ſtylo elucubrare debeamus.

Anno 649. Theodorus Papa vita defungitur pridie Idus Maij teſte Baron. * Id eſt, orbitatem. S. Martinus dignus ſummo Epiſcopatu acclamatur. Martinus in ſede S. Petri collocatur.

III. Beatæ recordationis Papa Theodoro vita excedente, viamque vniuerſæ carnis ingrediente, ſancta & Apoſtolica mater Eccleſiarum Dei Romana Eccleſia, à proprio paſtore viduata, atque lamentabiliter deſtituta, ne ouile Domini diutius & plus æquo prouiſore careret, Archidiaconus collecto in vnum clero, omnique ſimul cœtu Romano, diſquirere cœpit communi omnium conſilio: qualiter ſanctæ Eccleſiæ conſulerent, & dignum domui Christi patremfamiliâs præponerent. Ad quod peragendum ex præcedentium conſuetudine patrum à Deo monuit eſſe quærendum, ſimulque indicto ieiunio triduano, omnes vnanimiter rerum inuentorem obnixe ſupplicant, quatenus * orbatum Eccleſiæ ſuæ cira d[i]gnaretur conſolatione lenire. Quo pacto omnes à minimo vſq; ad maximum diuino inſtinctu attacti, B. Martinum Theoſophum, ac Tudertinæ ciuitatis philoſophum digniſſimis extollunt ſanctitatis atq; ſapientiæ laudibus vſq; in cælum, ſolumq; ipſum in toto orbe Romano tanto præſulatu dignum, nimiumq; idoneum exiſtere altiſona voce proclamant. Cumque omnes pari voto patiq; conſenſu Chriſti tyronem Martinū eligerent, directa Imperatori Epiſtola, electionē Pontificis annunciant. Qui diuinitati grates retulit, moxq; præſcriptum beatum Martinum ordinari præcepit: lætus itaque & gratulabundus totus ſenatus vna cum clericis ac presbyteris ſimulq; omni populoſitate Romana, tantum talemque Paſtorem ſuſcepit, & honore præmagnifico in ſede Apoſtolica ſublimauit.

Encomium vrbis Romæ & Martini Papæ. 2. Cor. 11. Matt. 13. Eſa. 61. Pſal. 76. & 41.

IV. Nimivm felix domina mundi aurea Roma, quæ ſicut omnes præcellis vrbes dignitate mœniorum, numeroſitate ſapientium, ita etiam prædita haberis ſpeciali probitate præſulum. Induit quidem Pontifex fauorabilis, ſecundum Prophetam pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Ordinatus autem ſecundum electionem Domini, & confirmatus in ſede Apoſtolica, ſecundum Pſalmiſtam emiſit coruſcationem Domini iuxta hoc quod abyſſus abyſſum inuocat, & diſſipauit omnes malorum inuentores. Non enim ignorauit cum Paulo Apoſtolo verſutias multiformes antiqui prædonis, qui dormientibus hominibus ſuperſeminare ſolet manu inimica in agrum Dominicum zizania:

Cant. 1. 2. Cor. 2. Imitatur Syluestrum Papam S. Martinus. a Vacat miſericordiæ operibus. 1. Cor. 9.

ſicut nardus dedit odorem ſuum, & factus eſt quibuſdam odor vitæ in vitam, quibuſdam odor mortis in mortem: in his qui ſaluandi erant, & in his qui perituri. Videres namque nouum Syluestrum in Martino: quippè qui omnium virtutum illius imitator extitit glorioſus. Largus quippe pauperibus erat, & opes Eccleſiæ, quas illi Deus largitus eſt, per manus egentium quotidie tranſmiſit in cœlū. Monachos religioſos amauit, hoſpites & a peregrinos collegit, & iuxta mandatum Domini, pedes eorum genieulatim acclinus lauit. Crebro videlicet in orationibus, laudibusq; diuinis pernox permanſit, idē ſibi conſecrans ieiunio, noctem vero vigiliis ſacris. Mœſtos & peccata ſua lugentes, ſalubri temperantia ſtuduit per ſatisfactionem ad innocentiā reformare, promittens eis ex abūdantia ſupernæ clementiæ ſpē conſolationis & reparationis, faciēs ſemetipſum infirmū infirmis, vt infirmos lucrifaceret. Clericos ac presbyteros vt fratres diligebat, Epiſcopos orthodoxos atq; Eccleſiarum Prælatos, cum caput eſſet omnium, ſibi quaſi dominos præferebat. Bonos ac bene moratos laicos honorificauit, improbos vero ac dyſcolos diſcreta correptione, vt ſe corrigerent, admonuit. Eccleſias vero quæ partim vetuſtate temporis, partim negligentia prædeceſſorum offuſcatæ ac rimoſæ videbantur, maxima curauit ſolicitudine reſtaurari Hilari ſemper vultu menteque tranquilla exiſtens, indefatigatis humeris Apoſtolici ordinis cælibatum ferens, & vt familiæ Domini œconomus moderatiſſimus, menſuram tritici certo in tempore pro vniuſcuiuſque capacitate largiter omnibus nouerat erogare. Omnes quos diſcordantes inuenit, ad concordiam reuocare magna celeritate ſtuduit. Quid plura? Omnium quidem artifex virtutum, nulli ſe paſſus eſt poſt Apoſtolos inferiorem exiſtere patrum. Et ſi volumus cunctas eius virtutes calamo retexere, vt verum fateamur, dies antequam verba ceſſabit. Sed hoc tantillum de innumeris eius virtutibus prælibāſſe, hactenus ſufficiat. In ſequentibus vero quæ & quanta pro veritate, quæ Chriſtus eſt, perpeſſus ſit, præſentis vitæ incommoda, ac perſecutionis vaſtiſſimæ pericula, Domino authorante non piget * caraxare.

Eccleſias Vrbis multa vetuſtate collapſas reſtaurat. Diſcordantibus pacē conciliat. * Sic eſt clare in ll. ant. S. Mar. & videtur ſignificare, oculis ſubiicere, tāquam depicta de tabella.

V. Inter hæc verò dum beatiſſimus Pontifex atque auriga Domini Martinus vniuerſalem Eccleſiæ puppim Chriſto gubernatore per mūdanum pelagus tranquilla nauigatione regeret, exemplo in Charybdis mortali voragine, per ſentinam quaſi irrepſerunt crudeliſſimi piratæ, qui naufragium vniuerſæ naui minabantur. Sed peritiſſimi nautæ vigilantia eorum nefanda molimina (Deo gratias) adnihilabantur. Sed vt plenius cunctis clareſcat fidelibus: tempore illo eruperunt antichriſti, hæretici videlicet, atque ſchiſmatici, quaſi lupi voraciſſimi, qui ouile Domini inſidiando obambulantes, dente minaci morſum mortiferum parauerunt ouibus Chriſti. Sed paſtor vigilantiſſimus Martinus, non ſolum oues commiſſas ab eorum dentibus illæſas eripuit, verumetiam irreuocabili fuga de area Dominica eoſdem lupos veræ fidei cornu ventilauit, confuſoſque perpetualiter eliminando pepulit. Et ipſi quidem lupi, id eſt, hæretici, olim ouibus Chriſti admixti, ſub ouina pelle lupinum pectus occultauerunt, donec paſtores ouium ipſi conſtituti ſunt miſeri, & per occaſionem paſtoralitatis comprehendere incautos tendiculis æternæ perditionis.

Lupi multū infeſti ſuis ouibus. Eos vir ſanctus à ſuo ouili eliminat.

VI. Fuerunt namq; ex eorum numero de quibus beatus Ioannes Theologus in epiſtola ſua dicit: Exiērunt à nobis, ſed non erant ex nobis. ſi ex nobis eſſent, permanſiſſent vtiq; nobiſcum. Horum autē ſignifer & præuius quidam extitit Paulus Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus, qui antiqui ſerpentis ſibilo illectus, atq; ſuperbiæ ſpiritu inflatus, aduerſus recta ſanctæ Eccleſiæ dogmata, audacter præſumpſit paternis diffinitionibus contraire. Inſuper ſtuduit ad cooperimentum proprij erroris quibuſdam ſubreptionibus, vt dementiſſimo principi [b] ſuaderet Typum, hoc eſt, morbum inuentæ hæreſeos publicare, quo Catholicum dogma deſtrueret. In quo Typo omnes omnino voces ſanctorum patrum nefandiſſimorum hæreticorum dictionibus eneruauit, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Chriſto Domino noſtro diffiniens, confiteri. Qua de re huiuſmodi prauitatem defendens, quod nunquam nec à prioribus hæreticis præſumptum eſt, ipſe illicite præſumere ſtuduit: intantum vt altare ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod erat in domo Placidiæ ſacratum, in venerabili oratorio ſubuertens diripuerit: prohibens ne adorandam & immaculatam hoſtiam apocriſarij Apoſtolici Pontificis ibidem Deo offerre valerent, nec cōmunionis ſacramenta perciperent. Qui videlicet Apocriſarij, quia ex præceptione Apoſtolicæ authoritatis cōmonuerunt eum, vt de tali hæretica intentione recederet, necnon & conteſtari ubi ſiſtit, perſecutionibus diuerſis cum aliis orthodoxis viris, & venerabilibus ſacerdotibus inſecutus eſt eos, quoſdam eorum cuſtodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios autem verberibus ſubmittens.

1. Ioan. 2. Paulus Cōſtātinopolitanus Epiſcopus, Monothelitarum hæreticorū ſignifer. b Conſtans Imperator à Paulo corrūpitur. O nefandū hæreticorum inſaniam.

VII. Cumque idem vir diabolicus vna cum aliis commanipularibus ſuis pene totum mundum conturbaret, ex diuerſis locis querelas contra eos ad Apoſtolicam ſedem plurimi orthodoxi detuliſſe monſtrantur, coniurantes vt totius mali, tantæque euerſionis commentum per Apoſtolicam authoritatem abſcinderetur, quatenus minime Catholicæ Eccleſiæ integritatem, nocibilis eorum hæreſeos lāguor dirumpere valeret. Tunc Martinus ſanctiſſimus ac beatiſſimus Epiſcopus miſit, & congregauit Epiſcopos in vrbe Roma numero centum & * VI. & fecit Synodum ſecundum inſtituta patrum orthodoxorum in Eccleſia Saluatoris, iuxta Epiſcopium Lateranenſe: reſidentibus Epiſcopis, Presbyteris, adſtantibus Diaconibus & Clero vniuerſo: & condemnauerunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui nouitates contra immaculatam fidem prēſumpſerunt innectere. Quippe quoniam ipſam excludere properantes, hæreticorum dogmatū contra Catholicam Dei Eccleſiam confuſionem concinnauerunt, Spiritus ſancti iudicio anathematis vltione perculſi ſunt. Quam [c] Synodum vſque hodie archiuum continet S. Romanæ Eccleſiæ. Et faciens exemplaria, per omnes Eccleſias Orientis & Occidentis direxit, & per manus orthodoxorum fidelium diſſeminauit.

* V. Anno 649. Concilium Romanum ſiue Lateranenſe ſub Martino I. 5. Non. Octob. celebratur. c Anaſt. in Mart. Bar. an. 649.

VIII. In ipſis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium cubicularium exarchum ad regendam omnem Italiam, & præcepit ei, dicens: Oportet gloriam tuam, vt ſicut nobis ſuggeſſit Paulus Patriarcha huius à Deo conſeruandæ vrbis negocia peragere, & ſi quidem inueneris ipſam prouinciam non conſentientem in Typo à nobis expoſito, * tene omnes qui ibi ſunt Epiſcopos [d] hæreticos, ſiue habitatores, vel poſſeſſores, ſiue etiam peregrinos & compelle, vt in eundem typum ſubſcribant, & pro veritate fideliter teneant ac defendant. Si autem, quemadmodum nobis ſuggeſſit Plato, glorioſus patricius Euparaxius, poterit ſuadere, exercitu ibidem conſiſtente, iubemus teneri Martinum, qui hic erat apocriſarius in regia vrbe, & poſtmodum per omnes Eccleſias relegere eum qui factus eſt à nobis orthodoxus Typus, vt omnes Epiſcopi Italiæ in ipſo ſubſcribant, & conſentiant. Si autem inueneris contrarium in tali cauſa exercitum, tacitum habeto, donec obtineas prouinciam, & poſſis exercitum aggregare, tam Romanæ ciuitatis quam Rauennatis, vt ea quæ tibi iuſſa ſunt quantocyus valeas explere. Qui prædictus Olympius Romam veniens, inuenit ſanctam Romanam Eccleſiam coadunatam cum omnibus Epiſcopis Italiæ, ſacerdotibus vel Clero: & volens adimplere ea quæ ſibi iuſſa ſunt, armans ſe cum exercitu virtute voluit ſchiſma ſanctæ Eccleſiæ intromittere: hoc autem per plurimum tempus actum eſt, & non illum omnipotens Deus permiſit ea quæ nitebatur perficere. Videns ergo ſe ſancta Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica ſuperatum, neceſſe habuit de ſua mala intentione declinare. Sed quod non potuit per manum armatam facere, ſubreptitio modo per Miſſarum ſolennia in Eccleſia ſanctæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ

Vide Bar. anno 648 & 649. Eatenus ſem per verbis Anaſtaſius Conſtans iuſſit. * tuere. d Vocat Epiſcopos hæreticos, qui nolebant conſentire ipſius errori. Nititur dolo S. Marti-

ad Præſepe, dum ei ſanctiſſimus Papa Martinus communionem porrigere[t, eu]m interimere voluit: præcipiens ſpathario ſuo, vt ſibi clanculo hora illa ſpatham in manibus daret, quo t[ant]um nefas ocyus impleret. Sed Deus omnipotens, qui ſolitus eſt ſeruos ſuos orthodoxos circunregere, & ab omni malo eripere, ipſe [a] excæcauit ſpatharium Olympij exarchi, & non eſt permiſſus videre Pontificem Apoſtolicum, quando exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ne tanti præſulis effunderetur ſanguis innoxius, & Catholica Dei Eccleſia nefandæ hæreſi ſubiugaretur, quod poſtmodum prædictus armiger multis iureiurando profeſſus eſt. O præclara Dei pietas, ô diuinæ bonitatis infinitas! Quiſnam apud ſemetipſum conſtitutus, non videat quomodo pius Dominus ac redemptor noſter Ieſus Chriſtus [b] ouibus ſuis paſtorem neceſſarium in medio luporum conſtitutum reſeruauit illæſum, ne paſtore perempto, oues facile, nullo obſtante, luporum laniatu periclitarentur? Nam & hoc magnum veræ fidei præſtat adiumentum, quod ſine dubio ab omnibus creditur perfectis fidelibus: quia in illo noſtræ redemptionis myſterio, ad vocem ſacerdotis cœli aperiuntur, & ipſe ſacerdos Angelicis circunſtipatur miniſtris, quando agnus [c] Dei CHRISTVS, qui ſemel pro peccatis noſtris in cruce mortuus eſt, qui reſurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, iterum per myſterium patitur, vt panem Angelorum manducare poſſit homo, & non remaneat homo. Et hoc eſt mirum & admirabile cunctis ſeculis ſacramentum, quomodo agnus Dei, qui eſt in dextera Patris, quotidie in ſacroſancta altaris menſa crucifigitur, moritur, à fidelibus comeditur, & cum per myſterium in eſu fidelium conſumitur, viuus & integer manet. Sed quia ſecundum Pſalmiſtam, omnia opera Domini in fide, & iuſtus non niſi ex fide viuit, qui non poteſt tantæ profunditatis ſacramentum * intelligendum penetrare, ſufficiat illi veraciter credere. Nam beatus Chriſti Pontifex Martinus in illo cæleſti myſterio conſtitutus, quid mirum ſi inimici fraus aduerſus illum non præualuit: quando non ſolum [d] Angelica erat militia ſeptus, verumetiam ipſum Angelorum Dominum portabat in manibus? certe ipſum, & non alium, quam quem Simeon ſenex infantem portauit in vlnis, beatus Martinus tunc Crucifixum portabat in manibus: & quomodo Angelorum vita præſente, mortemque pro fidelibus patiente, vir Angelicus mortis potuit diſpendium ſubire? Sed quia de ſacramento Dominico tantiſper per exceſſum diximus, ad cœpta redeamus.

Margin: Olympius Tyrannus. a ſpathario Olympij diuinitus excæcatur, ne ſuo domino ſpatham porrigat. b S. Martinus ſuis ouibus reſeruatur illæſus. Rom. 6. Preclarū teſtimoniū pro veritate corporis Chriſti adſtruenda in ſacramento Euchariſtiæ. Pſal. 77. Pſal. 32. Heb 10. for. * intelligendo.

d Miſſæ ſacrificio Angelorum militiæ intereſſunt.

IX. VIDENS ergo Olympius exarchus, quia manus Domini regebat Martinum ſanctiſſimum Papam, neceſſe habuit ſe cum illo concordare, & omnia quæ ei viſa fuerant, eidem ſanctiſſimo viro indicare. Qui, facta pace cum ſancta Dei Eccleſia, colligens exercitum profectus eſt in Siciliam aduerſus gentem Sarracenorum qui ibi habitabant: & peccato faciente, [e] maior interitus in exercitu Romano prouenit, & poſt hoc idē exarchus morbo interiit, atque viuendi finem fecit. Audiens ergo Imperator, quia ſancta Romana Eccleſia nullo modo acquieſceret fidei orthodoxæ contraria recipere, ſed in pace vnanimitatis ac veræ fidei immobiliter perſeueraret: denuo antiqui hoſtis inuidia ſtimulatus, direxit [f] Theodorum exarchum, qui & cognomento Caliopas, cum Theodoro Imperiali cubiculario, quatenus beatum Martinum magnificum Papā vi & poteſtate tenerent, & ſuæ præſentiæ offerrent. Cum veniſſent autem viri iniqui ſecundum Imperiale præceptum in vrbem Romam, dolo & fraude diabolica pleni, inuenerunt Martinum in conſiſtorio Lateranenſi diuinis vacantem laudibus. Egreſſus ergo vir beatiſſimus obuiam illis, circunfuſa multitudine vallatus fidelium, in præſentia exarchi Theodori, Preſbyteri ac Clerici clara voce dixerunt: Anathema ſit quiſquis dixerit, vel crediderit quia Dominus noſter Apoſtolicus Pontifex Martinus vſque ad vnum apicem fidem vnquam mutâſſet, vel mutaturus ſit. Et anathemati ſubiaceant, qui in orthodoxa fide vſque ad mortem non permanſerint.

Margin: e Olympij exarchi interitus. Anno 650. f Theodorus Caliopas ab imperatore mittitur ad comprehendendum S. Martinum. Vide Baron. an. vbi ſup. b Martin.

Deſumpta hæc ſunt ex Epiſt. 14.

X. HIS auditis Caliopas cœpit rationem reddere, aliam fidem non eſſe præterquam Romanos conſtat tenere, neque aliter ſe credere. Sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicebat. Beatus autem Pontifex Martinus de falſis calumniis, quæ illi aduerſus veritatem obiiciebantur, ita fidelibus orthodoxis conſtantiſſima aſſertione teſtificari intrauit: Opitulantibus orationibus veſtris, ac omnium fidelium Chriſtianorum, & viuens, & moriens ſalutis noſtrę fidem defendam, quemadmodum beatus Paulus Apoſtolus docet: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. De falſis accuſationibus, quas nuniter hæretici faciunt, abiicientes veritatem Chriſti Dei, qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui qui Dei veritati reſiſtunt? Teſtor eum qui iudicaturus eſt mundum iſtum per ignem, qui & reddet vnicuique ſecundum opus ſuum, ego aliquando ad Sarracenos nec literas direxi, nec eū quem dicunt tomum qualiter credere debeant, aut pecuniam numquam tranſmiſi: exceptis duntaxat quibuſdam illic * viuentibus ſeruis Dei cauſa eleemoſynæ, minime Sarracenis tranſmiſſam. Porro de Domina noſtra glorioſa ſemperq; virgine Maria, quæ Dominum ac Deum noſtrum Ieſum Chriſtum peperit, quam omnes ſancti & catholici patres Theotocon, i. Dei genetricem, appellant, falſo cōtra me, immo contra ſuas ipſorum animas iniqui viri teſtificati ſunt. Nam quiſquis beatam ſuper omnem creaturam, & naturam humanam, abſque eo qui naſci dignatus eſt ex ea, venerabilem, ſemperque virginem matrem Domini noſtri non honorat atque adorat, anathema ſit, & in præſenti & in futuro.

Margin: Fingit ſe recte credere Theodorus Caliopas. S. Martinus crimina ſibi obiecta diluit. Phil. 1. Apoc. 22. * venientibus. S. Maria virgo, à ſanctis Patribus recte Theotocos dicitur.

XI. TALIBVS pro beneficiis ac fidei conſtantia ſacer Chriſti Martinus de Apoſtolica ſede expulſus eſt, ſicut paſſer vnicus ab ædificio raptus. Nec mirum, quia Dominus noſter de nequam temporibus illis in Euangelio prædixit diſcipulis ſuis: Erunt, inquit, in diebus illis tribulationes tales, quales non fuerunt ab origine mundi vſq; nunc: & niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non poſſet ſuſtinere omnis caro, hoc in paucis de Antichriſto dicitur. Nam & ſanctus Paulus ſecūdum datam ſibi gratiam ſpiritus, pronunciauit dies illos Timotheo diſcipulo ſuo dicens: In nouiſſimis diebus diſcedent homines à fide, & à veritate auditum auertent. Notum ergo ſit omnium charitati fidelium, quia hoc modo venerabilis Pontifex Martinus ſublatus & eductus eſt à Romana vrbe. Omnia enim præſciuit per multum temporis, quæ contra illum meditabantur inimici veritatis, & cum omni Clero priuatim manſit in Eccleſia Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ cognominatur Conſtantiniana, quæ prima in toto mundo cōſtructa & ſtabilita eſt, à beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore, & eſt iuxta epiſcopium. Illic enim morabatur cum ſuis die illa Sabbati quando Caliopas, vt iam ſupra dictum eſt, cum Rauennati exercitu, & Theodoro cubiculario ciuitatem introiuit. Miſit autem in obuiam eius quoſdam ex Clero, quibus in palatio ſuſceptis, æſtimauit & Papam cum illis adeſſe: cum autem quæſiſſet, & non inueniſſet, dixit primis Cleri: Nos voluimus dominū Apoſtolicum adorare, ſed [g] cras Dominica die obuiam ei erimus, & ſalutabimus eum, quia hodie non ſufficimus. Porro Dominico die datis Miſſarum ſolenniis in prædicta ſancta Dei Eccleſia, ſuſpicatus eſt Exarchus turbam multam propter diem Dominicam conuenire, & ob hoc remandauit beato Martino, dicens: Quia multum fatigati ſumus ex itinere, & non poſſumus hodie occurrere, cras enim omnimodis occurremus.

Margin: 1. Tim. 4. Hucuſq; ex Epi. S. Martini quæ ſequūtur ſunt ex 15. eiuſdē Epiſtola ad Eliterū ſcripta. Baſilica Cōſtātiniana à Conſtātino ædificata omnium Eccleſiarū orbis prima. g Simulat Caliopas ſalutare velle Pōtificem.

Piaculum enim videbatur, ſi quis peregrinus Romam veniens, non primum omniū accederet veneraturus Pontificem: teſtatur Baron.

XII. ERAT autem ſanctus præſul tunc graui infirmitate detentus, ab Octobrio ſcilicet menſe vſque ad tempus illud, id eſt, vſque ad ſextum decimum Calendas Iulij. Ergo feria ſecunda diluculo miſit, chartularium ſuum & quoſdam ex

dam ex obſequio ad Papam, dicens: Quia arma præparaſti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegiſti ad repugnandum, ideo non viſum eſt nobis ad te venire, ſed hoc neceſſe non habes, nec aliquid tale fieri permittas. Cumque hoc in præſentia præfecti audiret beatus Pontifex, neceſſarium magis non habuit qualiter nuncios ſuper hac re certos redderet, quam mitteret illos gyraturos per totum Epiſcopium, & ſi lapidem vel arma ſenſiſſent, ipſi teſtimonium perhiberet. Cum autem iſſent, & nihil inueniſſent, ſubintulit eis clàm Martinus, quod nunquam aliquando aliter, ſed ſemper per circumplexionem, & fallacem accuſationem incederent aduerſus Pontifices: cum & in aduentu infamis Olympij exarchi, cum armis, potius eum repellere faterentur. Sanctus vero Domini agonotheta & Romanæ vrbis Archimandrita Martinus, ante altare Eccleſiæ lectulum habebat, in quo poſt vigilias repauſare ſolebat: & cum debilia membra collocâſſet, nondum tranſacta media hora, ecce (proh nefas) exercitus irrumpens in Eccleſiam loricati omnes, omnes tenentes lanceas & ſpathas ſuas, quin & arcus ſuos paratos vna cum ſcutis ſuis, & facta ſunt illic, quæ nec dicenda ſunt, quia honeſtas non ſinit. Quemadmodum namque in hyemali tempore vento valido flante, folia ex arboribus concuſſa caduntita percutiebant in pauimentum, & audiebatur ſonitus qui in eadem fiebat Eccleſia, veluti tonitruus quidam horribilis, tam ex colliſione armorum, quam ex multitudine candelarum ab eis confractarum. Quibus cum faſtu introeuntibus, iuſſio à Caliopa porrecta eſt Presbyteris & Diaconibus, in qua tanti præſulis continebatur abiectio: Et quia ſibi ſine lege [a] Epiſcopatum ſubripuiſſet, nec dignus eſſet in Apoſtolicam ſedem institui, ſed omnimodis in regiam vrbem tranſmitti, ſubrogato in locum eius Epiſcopo. quod † vt dum aliquando factum eſt, nec iure vnquam fieri habet, quia in abſentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter, & Primicerius locum præſentant ipſius. Quod autem vir Domini armauerit manum ad reſiſtendum ſecundum ſuſpicionem falſorum hominum, quandiu ſignifer voluitur à ſancta Romana Eccleſia eius ſanctitati teſtimonium perhibetur, potius illum velle decies mori, quam vnius hominis ſanguinem in terram videre effundi.

Timet impius, vt ait Pſalmiſta, vbi non eſt habendus timor.
*Exarchus, prior edit.
* & infamis Olympij exarchi aduentum cum armis, potuiſſe eũ. Sic habebat prior editio, quam nos vti in textu eſt ex Epiſt. 15. S. Martini reſtituimus.
a Eijcitur ſede ſua ſanctus Pontifex, Conſtantinopolim relegandus.
*necdum.

*Ita percutiebantur armis candelæ ſanctæ Eccleſiæ, & * remenſa excutiebantur in pauimentum, &c. quam ex multitudine candelabrorum ab eis confractorum. Sic habet Epiſt. S. Martini Papæ 15.*

Non vult reſiſtere Imperatori vir Apoſtolicus.
Clerus non vult ab eo diuelli.

EADEM itaque hora beatus Pontifex, quaſi agnus innocens dedit ſemetipſum ad exhibendum Imperatori, XIII.
& non reſiſtendum. Porro acclamantibus illi quibuſdam ex Clero, ne faceret hoc, nulli eorum autem accommodauit, ne ſubito fierent homicidia, ſed illis, qui eum ducebant, dixit: Sinite mecum venire ex Clero qui neceſſarii mihi ſunt, Epiſcopos videlicet, Presbyteros, & Diaconos, & abſolute qui mihi videntur. Reſpondit Caliopas: Quotquot voluerint venire cum bono veniant, nos cuique neceſſitatem non facimus. Reſpondit beatus Martinus Epiſcopus: Clerus in mea poteſtate eſt. Exclamantes autem quidam de ſacerdotibus, dixerunt: Cum ipſo viuimus, & cum ipſo morimur. Poſt hæc cœpit dicere Caliopas, & qui cum ipſo erant: Veni nobiſcum ad palatium, & non recuſauit beatus Epiſcopus, ſed iuit cum eis in palatium. Eadem ſecunda feria & tertia venit ad eum omnis Clerus, & multi erant qui ſe parauerant ad nauigandum cum illo, qui etiam res ſuas iam immiſerant in nauiculas, ex quibus onera ex litore in naues maiores, vel ex eis ad litus aſportarent, & alij quoque nonnulli præparabantur Clerici ac laici, qui feſtinabant venire ad eum.

*circa horā quaſi ſextā noctis hic interſerit Epiſt.
b Excludit Clerum tyrannus, ne ſanctum virum comitetur.
* Miſenum al. Meſſenā.
c Multa aduerſa patitur vir ſanctus.
Epiſtola habet
47 *dies ſunt hodie, ex quo non merui calida &c.*

EADEM ergo nocte quæ luceſcebat in quartam feriam, quæ erat tertiodecimo Calendas Iulias, * tule- XIV.
runt illum de palatio, retruſis omnibus qui cum illo erant, & non niſi cum ſex puerilis, & vno cancellulo eduxerunt eum de vrbe. [b] Et cum immitterent eum in vnam nauiculam, quam leuamentum vocant, circa horam ferè quartam diei ad portum peruenerunt. In ea ſane hora qua egreſſi ſunt ab vrbe Roma, ſtatim obſerauerunt portas vt antea erant, & ſic remanſerunt, ne exirent aliqui de ciuitate poſt illum. Vnde contigit, vt res, quæ in leuamento erant, eorum, qui cum beato viro nauigare voluerant, in portu dimitterentur, & mox eadem die mouerunt, & peruenerunt Calendas Iulij * Meſſinam ciuitatem. Non autem Meſſinæ tantum, quæ in Calabria eſt, quæ ſubdita eſt magnæ vrbi Romanorum, impedierunt beatum Epiſcopum, ſed in aliis inſularum ciuitatibus ſine humano ſolatio tribus menſibus eum tenuerunt, nullam compaſſionem adipiſcens, excepto in inſula Naxia. [c] Quoniam verò ibi annum integrum fecit, meruit leuari tribus balneis, & in vrbe manſit in hoſpitio quodam. Poſtea verò non meruit calida nec frigida aqua derigari, & effluxit, & rigit toto corpore, quoniam ventris infirmitas & in naui & in terra requiem illi non dedit, intantum, vt ea quæ neceſſaria ad confortandam naturam erant, percipere minime valuiſſet: quia quando habuit, tæduit: quando autem non habuit, in faſtidio fuit. Sed beatus Epiſcopus in tali anguſtia poſitus, quaſi ſemetipſum conſolando, & inimicis dolendo, in hæc verba prorupit: Credo in virtutem Dei, qui omnia conſpicit, quia cum de præſenti ſæculo ſubductus fuero, requirentur hæc omnia de his qui me perſequuntur, & ſaltem ad pœnitentiam ſic ducti ab iniquitate ſua conuertentur.

* Et ecce Huentque ex epiſt. 16. à quodam eius comite ſcripta ad Clerū Romanum, quæ eſt apud Anaſtaſium in Martino.
Hierem. 9.

SCRIBERE decreui afflictionum mœrores, & lachrymas, communemque vocem, quæ mœſtiſſima ex imo XV.
cordis prolata eſt. Puto aũt quia & profertur ab his qui ſunt Romæ in conſpectu diuinitatis. Adhuc aũt & in omni loco dominationis eius degentibus ſanctis & fidelibus, ex quo facta eſt perſecutio aduerſus ſanctiſſimum Patrem noſtrum, Deo beatiſſimum Martinum & fidelem ſacerdotum principem, & Apoſtolicum vniuerſalem Papam, ac per hoc aduerſus Catholicam Eccleſiam. Credo autem hunc eundem mœrorem hactenus retineri in vobis, & multam ſolicitudinem habere, ſcire cupientibus, quomodo peractum eſt contra eum, quando exulatus eſt, & perſecutione pulſus à Roma nauigio vſque Byzantium. Hæc in mente habens, humilis ego famulus veſter, quædam quidem exterius ſolicitudine multa addiſcens, plurimorum propriè contemplator factus, iudicaui literis reminiſci, & nota facere, claraque conſtituere omnibus Chriſti amatoribus, & zelum culturæ diuinæ habentibus: quatenus cognoſcentes, cum cordis mœſtitudine mecum illum propheticum ſermonem proferant: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte contritionem Catholicæ Eccleſiæ & omnium Chriſtianorum, propter ea quæ acta ſunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem? Verumtamen gloria Deo, qui dedit virtutem, & ſufferentiam ſtabilem in tentationibus, quæ ſuperuenerunt illi à contrariis ei virtutibus, & vires in expugnando & viriliter dimicãdo pro cultu Dei irrefragabiliter, & ſpe firma, ponens animam ſuam vſque ad mortem, vt potens imitator eius qui eum conſtituit athletam, ad informationem pro veritate dimicandam.

VIDENS ergo vir venerandus, vt iam prælibatum ſuperius eſt, gladios acutos, & conſertos ad inuicem, XVI.
tentos à pluribus militibus paratum habentibus eximere enſes, & priuare vita beatum Epiſcopum, in circuitu altaris aſſiſtere & in toto templo Catholicæ Eccleſiæ Romanæ quæ cognominatur Conſtantiniana, in qua ſacerdotio fungens recubabat, ingrauatus inualetudine beatus, æger, contritus * animis & artubus conſtrictus, impulſus &

*armis.

ſus & expulſus, raptus & extractus ex Apoſtolico throno, in quo eum Deus conſtituit loco ſui inſpectorem, Apoſtulum, & prædicatorem orthodoxæ veritatis, ſed ipſe non fecit animam ſuam precioſiorem ſe, ſed poſuit eam vſque ad mortem, imitans, ſicut dictum eſt, Dominum ſuum dicentem: Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, quo ſaluaret vbique errantem & perditam plebem ab inſurgentibus temporibus illis hæreticis. Traditur igitur Romæ de Catholica Eccleſia beati Ioannis à potentibus ſeculi huius, his qui in hoc erant miniſterio digniſſimis, atque à cuſtodibus depoſitus eſt ad portum, & coniectus eſt in lembum. Et nauigantibus quantotyns, euntibuſque cum auiditate in inſula quæ vocatur Naxon; non * ceſſerunt illi beato & Apoſtolico viro penitus cuſtodes contingere terram, dolentibus prorſus pedibus eius, cum ipſi per loca conferrent, & omnino quieſcerent. Hi autem qui per loca erant ſacerdotes & cæteri fideles regionis ipſius, dirigebant beato Epiſcopo munera non paruæ quantitatis, cauſa videlicet eius vtilitatis. Quas quidem directas ſpecies & quantitates, cuſtodes beſtiales continuo coram eo diripiebant, improperioſa & amara plurima ingerentes contra eum: eos autem qui munuſcula detuliſſent, iniuriis & verberibus afficiebant, dicentes ad eos: Quicunque veſtrum diligit iſtum, inimicus eſt Reipublicæ. Nunquidnam et hoc ſolum non valebat inferre dolorem incomparabilem, ſuper infirmitatem quæ illum valde deprimebat? Exinde igitur cuſtodes, qui retinebant eum, præmittentes nuncium ab inſula Naxon in Byzantium, aduentum & captionem eius nunciauerunt, proferentes aduerſus eum plurima mala, proclamantes illum hæreticum, & rebellem, Deique aduerſarium, & ſubuertentem vniuerſam terram Romanorum.

Non timebat ſanctus animam ſuam pro ouibus ponere. *Ioann. 10.* * *cũ ſcrius.* podagræ enim doloribus teſte Bar. affligebatur. Cuſtodes omne genus humanitatis vetant.

XVII. CVMQVE tandem perueniſſet beatus Martinus Byzantium ſeptimodecimo die menſis * Septembris, in portu Euphemiæ iuxta Archadiam, † non permittebant illi miniſtri recubare in grabato nauis, à mane vſque in horam decimam, eratq; ſpectaculum omnibus & angelis & hominibus. Accedebant enim varij homines, quos propter ferales mores dixerim lupaces, & talia fecerunt contra ſanctum Papam, qualia à Chriſtianis dici non oportet. Videres namque miſerabiliter ſanctum virum ita deiectum, atque deſpectum, vt etiam Ethnici multas illi blaſphemias inferrent, nihil aliud quærentes niſi vt auferrent animam eius. Deinde circa ſolis occaſum venit quidam ſcriba nomine * Sagoleba cum multis excubitoribus, & auferentes beatum virum de lembo, poſuerunt in geſtatorio, duxeruntque in cuſtodiam Excubitorij, quæ cognominatur ª Prandiarea, & fecit illum ſcriba includi ſub multa cuſtodia, præcipiens vt nullus penitus de ciuitate ſciret quod in eodem eſſet Excubito. Manſit igitur idem Apoſtolicus ſanctus in illa cuſtodia nonaginta tres dies ſine participatione alicuius ſermonis. In ipſa vero nonageſima tertia die, quæ eſt dies Paraſceue, mane tulerunt illum de cuſtodia, conſtituendum in cella ſacellarij, iubentes pridie conuenire omnem ſenatum, quod & factum eſt. Iuſſerunt autem illum introduci, & introduxerunt eum in ſella portatoria, erat enim penitus æger, præcipue autem illis diebus præ nauigatione, & afflictione cuſtodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus qui præſidebat Sacellarius cum reliquis principibus à longe, iuſſit eum ſurgere à † ferculo & adſtare. Aientibus quibuſdam miniſtrorum non valere eum ſtare: turbatus præ multa ira Sacellarius exclamauit, & quidam de cuſtodia cum illo, ſurgere eum debere & adſtare * ſen ſuræ ſubnixum. Vir autem Domini ſurrexit, & ſtetit in medio. Sacellarius autem inquit ad eum: Dic miſer, quid tibi mali fecerit Imperator, tulit à te aliquid, aut oppreſſit te † ibi? Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum * Sacellarius: Imperatoriæ voci non reſpondes? ecce nunc ingredientur accuſatores tui. Et continuo introducti ſunt multi accuſatorum contra eum, omnes autem erant mendacij filij, & diſcipuli eorum, qui Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM negauerunt: contradicebant vero ſancto viro quemadmodum præmoniti fuerant, erant enim voces eorum præmeditatæ & præparatæ. Quibuſdam vero interrogatis de ſancto viro, profitebantur de illo ſe nihil mali ſcire: & continuo turbari qui prætendebant * certamen, incipiebant validis minis increpare eos, donec ſuaderent eis proferre quæ erant conuenientia in mortem beati viri & iuſti Martini.

** Sacellarius imperatiua voce.* Epiſt. ¢ Falſo accuſatur à mendacij filiis.

* *Nouembris.* Epiſtol. 10. † *nos reliquerunt à mane miniſtri vſq; ad horam decimam recubantes in grabato nauis.* ſic epiſtol. * Sagoleuas ª Annotat. Recluditur in cuſtodia Prandiaria. Vide Bar. an vbi ſup. † hoc eſt, ſella illa geſtatoria. Siſtitur ad tribunal Sacellarij & ſenatus. * *cenſura.* † *vi.*

XVIII CONTEMPLATVS ergo ſanctus Papa introeuntes teſtificari, ſubridens, dixit: Iſti ſunt teſtes? erant enim primi ingredientes nomine quidem † milites, lupaces autem & beſtiales ſententia, & quidam eorum qui erant Olympij, cum quibus erat & Andreas qui fuit eius notarius. Erant autem inter accuſatores infelices Imerites, & * Therinus, & reliqui numero quaſi viginti. Iurabant autem ſuper textum ſancti Euangelij, & ſic teſtificabantur. Erat autem primicerius Dorotheus nomine patricius Siciliæ inter illos, qui iurans dixit: Si quinquaginta capita haberet homo iſte, non oporteret illum viuere, eo quod ſolus ſubuertit & perdidit vniuerſum Occidentẽ & deleuit. Et re vera vnius conſilij cum Olympio fuit, & inimicus & homicida Imperatoris & Romanæ vrbanitatis. Videns ergo iuſtus vir introeuntes eos, & iurantes ſine parcitate teſtificatores, compaſſus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præſidebant principes: Obſecro vos per Dominum, nolite præparare eos iurare, ſed abſque ſacramento dicant quæcunque volunt: voſque facite quæcunque vultis. Et quid opus eſt etiam iurando perdere illos animas ſuas? Ingreſſo equidem vno teſtium, & dicente, quoniam coniurationes fecit cum Olympio, & milites præparauit vt iuuarent: interrogatus Deo precioſus vir, ſi hæc ita ſe haberent, reſpondit: Si vultis audire veritatem, dico vobis ſequentia, & cœpit dicere: Quando factus eſt Typus & directus eſt Romam ab Imperatore. Et hoc tantum dicente beato Epiſcopo, aliud quid non conceſſum eſt illi loqui: ſed continuo ante omnes incipiens Troilus inquit: Non inferas nobis hic de fide, de duello namque nunc ſcrutaris, quoniam & Romani, & nos Chriſtiani ſumus. Et reſpondit illi verus Eccleſiæ paſtor Martinus: Vtinam, inquit, inueniatis me in illa die tremendi examinis, teſtem etiam in hoc. Denuo inter accuſantes ait ad eum præfectus Troilus: Qualis homo es tu? quoniam audiens & cernens talia contra Imperatorem * intentem eſſodiendum Olympium, non prohibuiſti eum, ſed conſenſiſti ei? Ad quem continuo reſpondit ipſe beatus Apoſtolicus Papa: Dic Troile, quando, ſicut ſcitis etiam vos & nos audiuimus, Georgius, qui erat ex monachis vrbis huius, à magiſtratu miſſus ingreſſus eſt vrbem à caſtris, & talia verba loquutus eſt, feceritque res tales vbi eras tu, & qui ſunt tecum, * quoniam non reſtitiſti ei, ſed econtra concionatus eſt vobis, & quos voluit; palatij exulauit? † Iterumque ſub Valentino cum præcepto Imperatoris indutus eſt purpura, & conſedit ei, quo eratis & vos? non eratis hic? Cur ergo tunc non prohibuiſtis eum, dicentes: Ne attingas res non opportunas tibi? nonne omnes econtra * conueniſtis ei? quomodo habebam ego tali viro aduerſus ſtare, habenti præcipue brachium vniuerſæ militiæ Italicæ? an potius ego illum feci Exarchum? Veruntamen obſecro vos per Dominum, quodcunque vultis & diſſinietis in me fieri, citius explete. Nouit enim Deus, maxima dona tribuitis, quacunq; me clade iugulaueritis.

præcepto &c. quo ieratis & vos? Epiſt. † *conniuiſtis.* ſ Reddit rationem cur Olympio non

ª Non permittit, vt periuri accuſatores animas ſuas perdant. † *iurarent.* Epiſtol. ſ Interrumpitur eius ſermone ſe excuſat. * *indignum videlicet ſepultura.* * *quomodo.* † *vtrumq; ſumt'al:ntinus cum* teſtiterit:

XIX. PERCONTATVS autem Sacellarius quendam de miniſtrantibus Sagolebæ, ſcribæ, ſi ſunt forſ alij aliqui qui teſtificari debeant, reſpondit: Sunt domine plurimi alij. Deficientes autem hi qui præſidebant, ſancto & vene-

Innocentius conſul, ſancti Martini apud ſenatum interpres. *Conſularis. Exhibetur vir ſanctus populo illudendus. *triclinij.

rabili viro adſtante in conſpectu eorum, & potiſſimum Spiritu ſancto eum confirmante, dixerunt ſufficere teſtes. Erat quippe interpres eorum quæ à ſancto viro dicenda erant, vel dicebantur, verborum Innocentius * conſul, filius Thomæ, qui erat ab Africa. & cum interpretaretur ea quæ à beato viro dicebantur, non ferens Sacellarius, videns ignita iacula ſancti Spiritus à Deo honorabili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quę dicit? noli dicere quę dicit. Surgens ergo continuo Sacellarius cum plurimis qui conſederant ei, ingreſſus eſt nunciari Imperatori quæque ipſe voluit. Eduxerunt autem ſanctum Apoſtolicum virum de cella iudicij, magis autem ex aula Caiphæ, in geſtatorio ſedili ſedentem, & ſtatuerunt eum in medio atrij, quod erat ante cellam Sacellarij & Imperialis ſtabuli, quo conſueuerat omnis populus conuenire, & expectare Sacellarij ingreſſum. Circumdederũt eum excubitores, eratq; omnibus ſpectaculum formidabile turbis. Poſt paululum ergo iuſſerunt inferri eum in ſolario diſpoſitionis, vt eſſet ibi, quatenus proſpiceret Imperator per cancellos * triclinij ſui ea quæ futura erant fieri. erat itaq; multitudo populorum vſque ad hyppodromum conferta conuenientium illuc.

Sᴛᴀᴛᴠᴇʀᴠɴᴛ ergo reuerendiſſimum virum in medio ſolarij diſpoſitionis in præſentia totius ſenatus XIX. ſubnixum hinc & inde. Facta eſt ergo conſtipatio ſubito non minima, & exiens ab Imperatore Sacellarius, apertis ianuis triclinij in ſolarium diuidi populum iuſſit. Veniensque ad ſanctum ac venerabilem virum Martinum Apoſtolicum, dixit ad eum. Vide quomodo te Deus adduxit & tradidit in manus noſtras: Tu nitebaris contra Imperatorem. Quid tibi ſpei erat? ecce dereliquiſti Dominum, & dereliquit te Deus. Et continuo vocans Sacellarius quendam adſtantium excubitorum * tonſorem, præcepit, ſine mora illi auferre * pſachmon ſummi & Apoſtolici viri, atque præcipui paſtoris omnium Chriſtianorum, qui orthodoxam ſanctorum patrum & Synodorum confeſſionẽ, hoc eſt, fidẽ confirmauit, & noui erroris exortos authores, videl. nouos hæreticos, cum impiis dogmatibus eorum canonice & ſynodicè anathematizauit. Cum ergo excubitor incidiſſet pſachmon beati viri, & corrigiam compagiorum eius, ſtatim tradidit eum ſacellarius præfecto vrbis, dicens: Tolle hunc domine Præfecte, & continuo membratim incide illum. Cum his autem omnibus iuſſit adſtantibus [a] anathematizare eum, quod & fecerunt. Non reſponderunt autem huiuſmodi voci viginti virorum animæ, ſed omnes qui hoc videbant: & ſciebant, quia Deus eſt in cælo conſpector eorum quæ fiebant, ſubmiſſo vultu cum magna mœſtitudine recedebant.

*Conſortem, Epiſt. deprauatè ita legi exiſtimat Bar. ſed ex coniunctione pſachmi atque corrigiæ opinatur fuiſſe cingulo iunctam compagibus peram quæ Græcæ Ϲαγὶς dicitur. [a] Anathematizatur ab impiis.

Sᴠsᴄɪᴘɪᴇɴᴛᴇs ergo carnifices beatum Epiſcopum, exuerunt illum pallio ſacerdotalis ſtolæ, & ſcindentes alas tunicæ eius quæ erat interius à ſummo vſque deorſum, circumpoſuerunt ferrea vincula in ſanctam XX. eius ceruicem, & per omne corpus traxerunt eum cum vi, & non conceſſerunt ei penitus alicubi reſidere & animam refocillare. Duxerunt aũt illum à palatio, publicantes & dehoneſtantes per medium ciuitatis vſque ad prætorium, & gladius coram eo. * Erat autem viro beato dolor magnus, & inenarrabilis: oppidò enim erat feſſus, & infirmus præ tantis incommodis, futurus reddere animam à preſſura nimiarum paſſionum, & tenuitate corporis. Attamen gaudens ſpe confortabatur in Domino, in quo habuit fiduciam æternæ conſolationis & præmium tanti pro veritate laboris. Et quo magis afflictione & vi trahebatur, eo magis ſereno obtuitu ductus, cum multa animi conſtantia iuſtus cum vno ſolummodo indumento à ſummo diſciſſo in duas partes, & ſine cinctorio incedebat vir tantus, fide & gratia Domini cinctus. Heu, proh dolor, cerneres virum Deo plenum tanto opprobrio ſubiectum, vt interiora eius quodammodo nuda panderentur. Multifariæ quidem contentiones populorum agebantur propter ſanctum virum, alij gemebant, & mœrore confecti lachrymabantur: aliqui autem miniſtrorum ſatanæ gaudebant, & ſubſannabant. & ſicut ſcriptum eſt, tranſeuntes mouebant capita ſua, & dicebant: Vbi eſt Deus eius? & vbi fides eius, & doctrina ipſius? Cumque veniſſet ſanctus Domini in prætorium dehoneſtatus, & à carnificibus vinculatus, proiecerunt eum in ima carceris cum homicidis, & tranſacta quaſi vna hora tulerunt eum inde, & tranſpoſuerunt illum in cuſtodia Diomedis in prætorio Præfecti. Tanta autem inſtantia & vi trahebant illum vinculis nexum, vt dilaniarentur crura & poplites eius, & ſanguis precioſus flueret per aſcenſum ſcalæ eiuſdem cuſtodiæ. erant enim gradus ſcopuloſi & aſperi valde, ac penitus in altum porrecti. Erat autem beatus Epiſcopus iamtunc morti proximus, ſupplicijs anima deficiente. Introducentes ergo quomodocunque in cuſtodiam ſanctum virum decidentem ſæpius & ſurgentem, poſuerunt in ſcamno indutum ferro & catenis.

Vincula in eius ſanctã ceruicem conijciũtur & grauiter torquetur. * ferebatur ſcilicet. Maxima contumelia & opprobrio afficitur. Matth. 27. Deut. 32. Detruditur in teterrimum carcerem, ſociatus latronibus.

Pᴏsᴛǫᴠᴀᴍ. n. traditus eſt Præfecto à Sacellario vt cruciatur, cõtinuo carnifices exuerunt eum veſtimentis XXI. ſuis, grauiter enim * algoribus vexabatur. quia intolerabilis hyems erat. impoſuerunt autem ei grauiſſima pondera ferri, & nullus ei aderat de ſuis excepto vno clerico adoleſcente. Qui commanens ei in cuſtodia, & ſuperſtans lamentabatur magiſtrum, ſicuti Petrus Dominum. Erat autem magiſter cuſtodiæ coniunctus beato Epiſcopo, quia ſic erat mos, vt futurus pati per gladium conuinciretur magiſtro cuſtodiæ illa nocte: erant autem ibi duæ mulieres mater & filia deuotæ valdè, prænominatæ cuſtodiæ claues tenentes, quæque adſpicientes importabilem dolorem ſanctiſſimi patris, qui inter tot pœnarum genera quæ aderant, ardore quatiebatur diriſſimo: motæ compaſſionibus, quærebant aliquam miſericordiam facere cum illo, & contegere eum volebant mater cum filia, ſed non audebant propter vinctum & cuſtodientem carnificem. Putabant enim actutum venturam cenſuram vt trucidaretur. Poſt quaſdam vero horas quidam ex ordine militari vocabant ab imo magiſtrum vigiliæ carceralis: Deſcendente eo, vna mulierum ergaſtulorum illorum pietatis viſcere ducta, accedens, amplexanſque bellatorem Chriſti, & Apoſtolicum patrem, portanſque reclinauit eum in * prædiolo contegens vtiliter, & inuoluens. Manſit autem vſque ad veſperum ſine voce. Veſpere autem facto miſit ad eum Gregorius Præfectus eunuchus ex cubiculariis maiorem domus ſuæ cum paucis cibatiis & refecit eum, dicens: Ne deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. In quo magis aggrauatus ille beatus ingemuit. Abſtulerunt autem continuo ferrea vincula ab eo.

* angoribus. Multo frigore & vinculorum pondere in carcere cruciatur. Matronæ cuiuſdam in ſanctum pietas. * proprio toro ſuo, Epiſt.

Sᴇǫᴠᴇɴᴛɪ autem die abiens Imperator in patriarchium viſendi gratia Paulum Patriarcham, proximus XXII. enim erat morti, narrauitque ei quæ conſummata erant in ſanctiſſimum Papam. Ingemiſcens vero Paulus & conuerſus ad parietem, dixit: Hei mihi, & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum eſt. Percontatus ergo ab Imperatore quare hoc dixerit, reſpondit: Nunquidnam Domine non eſt miſerabile talia pati Pontifices? Tunc attentius adiurauit Imperatorem, ſufficere ei in his quæ paſſus eſt, & nihil amplius ſuſtinere. Hoc autem beatus [b] Papa Martinus, & quia nõ ſuſcepit quod expectauit, non gratum habuit tale promiſſum: ſed penitus mœſtus effectus, feſtinabat enim implere bonum certamen, & peruenire ad eum quem deſiderabat. Sed quid moror? poſt dies octo defuncto Paulo dirigitur ab Imperatore ad magnanimum Papam Martinum, qui fuit in cuſtodia Diomedis: legatus autem fuit Demoſthenes reſcriptor & collaborator Sacellarij, & * Libelthitius cum eo. Intrantes vero dixerunt ad eum: Dominator noſter eximius Imperator miſit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria exiſtens, in qualem ordinem teipſum duxiſti? Nemo tibi fecit hoc, ſed tuipſe tibimet ipſi. Ipſe autem nullum aliud

Vermis cõſcientiæ mordet cor Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani. [b] Dolet Martinus Pontifex, ſe martyrii expectatione fruſtrari. * Libelius.

reſponſum

reſponſum dedit niſi ſolum hoc: Gloria, gratiarum actio per omnia ſoli immortali Regi. Dicit ad eum Demoſthenes reſcriptor: Significauit tibi Imperator iſta, dic nobis ea quæ * à Pyrrho hic & Romæ ſubſequenter, geſta ſunt. Pro qua cauſa abiit Romam, iuſſus, an proprio propoſito? Reſpondens ſanctus Papa dixit: Proprio propoſito. Ait Demoſthenes: Libellum illum quomodo fecit? compellente aliquo? Reſpondit ſanctus vir: Nemine compellente, ſed propria propoſitione. Demoſthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam quomodo eum ſuſcepit ſanctus vir Theodorus prædeceſſor tuus? Dixit æquanimus Papa: Vt Epiſcopum decuit. & quomodo nanque priuſquam veniret Pyrrhus Romam manifeſte ſcripſit beatus Theodorus ad Paulum, vtpote ad eum qui ſupplantationem fecit, & alterius thronum inuaſit? deinde autem veniente eodem Pyrrho Romam ſponte ſua ad veſtigia beati Petri, quomodo non haberet eum ſuſcipere prædeceſſor meus Papa Theodorus, vtpote Epiſcopum? Reſpondens, Demoſthenes dixit: Vere veritas ſic ſe habet. Vnde autem ſumebat ea quæ ad vſum ſui corporis erant neceſſaria? Dixit beatus Martinus: Manifeſte de Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Reſpondit beatus Martinus: Et vos neſcitis Eccleſiam Romanam? dico .n. quia quiſquis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad vſum præbentur ei, & nullum immunem ſuis donis ſanctus Petrus repellit illuc venientium, ſed panis mundiſſimus, & vina diuerſa dantur ei, non ſolum autem illi, ſed & hominibus eius. Si ergo in pauperibus iſta fiunt, qui venit etiam honorabilis, ſicut Epiſcopus, qualem ſumptum habet ſuſcipere? Dicit ad eum Demoſthenes: Dicimus nos ſicut & audiuimus, quia Pyrrhus vi fecit libellum Romæ, & quia lignea vincula ſuſtinuit, & multa dolenda paſſus eſt, & in armario recluſus fuit. Reſpondit ſanctus Martinus, & dixit: Nihil tale factum eſt: nam niſi quia formidine aliqui tenentur, & non poſſunt loqui veritatem, hic ſunt Conſtantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & ſciunt quæ ibi geſta ſunt: ex quibus interim ſupereſt Plato patritius, qui tunc exarchus erat, quique direxit tunc homines ſuos ad Pyrrhum Romam: percontamini eum de his, ſi mentior. Veruntamen quid volumus plurima quærere? ecce in manibus veſtris retinetis me, quodcunque vultis in me conſummate. Deo indulgente in veſtra eſt poteſtate, vtique ſi membratim inciditis carnes meas, ſicuti Præfecto iuſſiſtis, cum me illi traderetis, non communico Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ecce hic ſum, * examinate me, & tentate, & inuenietis experimento gratiam Dei & fidelium ſeruorum eius.

[Margin: * de. — Dic cratiem Pontifex, quomodo Pyrrhus ſua ſponte Romam venerit. — Sedis Apoſtolicæ hoſpitalitas. — Ecce quomodo vir ſanctus iuſſu ſui fuerat membratim incidi. — * examinate.]

XXIII Interim Pyrrhus in medium venit, qui toties anathematizatus eſt, & nudatus honore diuino. Stupefactus autem Demoſthenes reſcriptor, & admirans ſuper conſtantia atque audacia beatiſſimi Papæ Martini pro Chriſto velle voluntarie mori: quia ad hoc poſitus erat calix paſſionis, accepto libellario ſeriatim omnia quæ à beato Papa dicta erant, ſcribentes, receſſerunt. Fecit autem athleta CHRISTI Martinus in eodem Diomedis ergaſtulo octoginta quinque dies poſt primos nonaginta tres, hoc eſt, omnes ſimul centum ſeptuaginta * quinque. His tranſactis, venit Sagoleba ſcriba dicens ad beatum Epiſcopum: Iuſſum eſt mihi auferre te hinc, & ducere in domum meam, & poſt duos dies dirigere te quo iuſſerit Sacellarius. Interrogauit autem beatus Martinus quo ducendus eſſet, & in quem locum, ſed ille noluit ei dicere. Rogabat autem eum, vt ſineretur in eadem cuſtodia, quouſque exularetur, & ad horam auferretur de cuſtodia: nec hoc conceſſum eſt ei. Circa occaſum vero ſolis venerabilis Papa Martinus dixit his qui erant in ergaſtulo: Accedite fratres, valefaciamus, quia ecce nunc aderit, qui auferet me hinc. Et hæc dicente eo, biberunt ſinguli charitatis cauſa calicem. Exurgens vir venerandus cum multa conſtantia atque gratiarum actione dixit ad vnum occurrentium dilectum ſibi, qui erat ibi: Veni domine frater, da mihi pacem. Erant quippe in illa hora præcordia fratris illius, vt exiſtimo, ſicut diſcipuli illius qui vidit Dominum in cruce pendentem. Cumque oſculum præberet ſanctiſſimo Papæ, præ nimia charitatis abundantia copioſiſſime inter ſe lachrymas fuderunt. Omnes vero qui aderant lamentum terribile faciebant. Anxiatus in hoc vir Domini Martinus, ſereno vultu flagitabat omnes ne hoc facerent, & impoſitis venerabilibus manibus ſuis ſuper ceruicem fratris illius, ſubridens, ait: Bona ſunt hæc domine frater, hæc ſunt opportuna, & te non oportet flere, ſed magis gaudere ſuper me. Ad quem illico cum cordis contritione frater ille pius reſpondit: Deus nouit famule Chriſti, lætor in gloria, quia dignatus eſt Chriſtus Deus noſter propter nomen ſuum ſanctum, hæc te omnia pati: ſed lamentor omnium perditionem. Salutantes ergo eum, omnes receſſerunt: veniens autem continuo ſcriba, & auferens eum, intulit in domum ſuam. Dictum eſt ergo quia in Cherſonam inſulam exulatus.

[Margin: * Octo. Epiſtol. — Sic & calculus — * Eam horã Epiſtol. — Ducitur de cuſtodia ad cuſtodiam, more Chriſti ab Anna ad Caiphã. — Valedicit ſuis lachrymis in Cherſonam inſulam relegandus.]

XXIV Poſt paucos autem dies ipſe ſanctiſſimus & Apoſtolicus vir, tranſuectus eſt nauigio clam in præfatam inſulam.

Ibi quippe ſicut Ioannes Apoſtolus in inſula Pathmos, omni humano ſolatio deſtitutus, diuinæ contemplationis & angelicæ viſitationis conſolatione, meruit crebro releuari: ieiuniis quippe & orationibus ſemper intentus, egit bonus Eccleſiæ vniuerſalis paſtor & fidelis diſpenſator & prudens, vt nec ouibus abſens deeſſet, nec hæreticis pateret victoria falſitatis. Curauit quippe paſtor pius, qui animalia Domini veritatis pabulo ſaginare ſolitus erat, ne fame fidei attenuata, mortis æternæ diſpendium ſubirent, & antiqui deuoratoris fauces intrarent. Gaudebant quippe inimici veritatis, quaſi iam mater Eccleſia tanto præſule exulante finem habitura eſſet recte credendi. Sed cum vir beatiſſimus Martinus fide & deuotione Ieſu Chriſti Domini noſtri ſtigmata in corpore ſuo geſtaret, per dies plurimos † impenſæ ſus præ nimia inopiæ preſſura, virium mœrore iam totus tabeſceret, & effœti corporis flacciditatem ſpiritu agonizante, natura autem compellente præſentiſceret, per Epithomum Romanæ valefecit Eccleſiæ, mandans fideliter & præſentis vitæ valida quæ pro ſtatu & integritate eius perpetiebatur, iam infortunia, & vt ſe à peſte hæretica per omnia caueret apoſtaſiæ commenta.

[Margin: Vſque huc ex Epiſt. 16. — Mittitur Cherſonã exulatum. — Apoc 1. — Multis virtutibus vacat — Cura eius de ſalute ouium. — Galat 6 — † id eſt, valde tædio affectus]

XXV. Poſtquam autem vir Deo charus & cælicis amicus ciuibus iam omnium dolorum cumulamenta expertus eſt, id eſt confuſionem expulſionis, ſcandalum falſitatis, ſqualliditatem protractionem carceris, diſciſſionem ſacerdotalis infulationis, Inediæ acrimoniam, nuditatis contumeliam, improborum multicolorem blaſphemiam, exilij ſolitudinem, ſoliti honoris effugaciſſimam abſentiam, & multa alia quæ piget enarrare, percurſoque iam viriliter agonis fidei ſtadio, totis ad cælum extenſus conatibus puris luminibus compellare cœpit Dominum, dicens: Domine IESV CHRISTE paſtor fidelium æterne, tu ſcis quæ pro te, & propter fidem inenarrabilis nominis tui vſque in horam hanc perpeſſus ſum, ne permittas me amplius elongari abs te. Si autem me volueris carne exarcinari, & peruenire ad te, oues tuas, quas mihi ad prouidendum commiſiſti, de quibus admodum ſuſpenſus ſum, cui nam commendo, tu Rex clementiſſime, qui tui precioſi ſanguinis aſperſione de manibus inimici eas dignatus es emancipare, per glorioſa merita præcipui Apoſtoli tui Petri Domini & magiſtri mei, ab omni ſemper diabolica incurſione tui eas clypei * nomine miſericorditer defendere digneris. Sicque precioſus Chriſti confeſſor, martyrq; probatiſſimus Martinus, vmbone veræ fidei circundatus, inexpugnabili lacerto, omnem antiqui peccatoris armaturam deuicit: & ipſe vt miles inuictiſſimus æterni Regis caſtris veræ reportauit vexillum victoriæ.

[Margin: Catalogus dolorum paſſionis eius — Oratio eius ſub morte. — * munimine]

XXVI. Et re vera bonum certamen certauit, glorioſiſſime curſum conſummauit, fidem Deo deuotus ſeruauit, ad vltimum reddita eſt ei corona iuſtitiæ, quando de manu Domini brauium eſt aſſequutus felicitatis æternæ. Migra- [Margin: 2 Tim 4.]

uit autem

Anno 654 Feria obitus eius apud Cherſonam Lyciæ. vide Baron. * duodecima. Pſalm. 64. Miracula ad ſepulchrum eius.

uit autem beatiſſimus Papa Martinus, martyrque Chriſti præcelſus, de præſentis vitæ anguſtiis ad Dominum, die * ſexta decima menſis Nouembris, fide & Spiritu ſancto plenus, & Angelorum manibus lætus deportatus eſt Abrahæ ſinibus. Poſitus eſt autem in tumulis ſanctorum Cherſonitarum ciuitatis extra murum quaſi ſtadio vno, charus & dignus Deo, & precioſiſſimis odoramentis ſepultus eſt, angelicis canentibus choris, atque hunc hymnum alternantibus: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti Domine. Eſt autem glorioſum eius ſepulchrum: vbi pro ſanctitatis eius magnitudine tumulatus eſt in monaſterio perpetuæ Virginis Mariæ matris Domini Ieſu Chriſti, quod magnifico conſtat decore ornatum. Ibi quippe eius inclyta merita ex tunc, & nunc, & quamdiu cœlum voluetur, cœleſtium beneficiorum euidentiſſima declarant indicia. Quia vt verũ fatear, omnia humanorũ corporum incommoda ibi frequenter inueniunt optatæ ſalutis certiſſima medicamenta. Ægri diuerſi infirmitatis priſtinam adipiſcuntur ſoſpitatem, cæci illuminantur, paralytici agglutinantur, ſurdi auditum, muti ſe gaudent percipere loquelam, arreptitij & energumeni promerentur à maligno manſore liberari, nullusque miſer inuenitur, quem de ſuo Mauſoleo mœſtum redire patiatur. Cuius nos precibus glorioſis Chriſtus Deus ac Dominus noſter, qui eum elegit: aſſumpſit, & in perpetui paradiſi deliciis cum cœligenis collocauit, corroboret nos in veræ fidei ſoliditate, quam ille ad liquidum intellexit, conſtantiſſima aſſertione docuit, & pro qua ad mortem vſque certauit, vt mereamur præmium conſequi quod promiſit: Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuit, & gloriatur Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Plura de S. Martino Pontifice vide apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & Baronium 8. tom. Annal. Nonnulla de eodem in vita S. Eligij 1. Decemb. offendes.

An. 615. *VITA S. CUNIBERTI EPISCOPI COLONIENSIS ET CONFESSORIS, VT HABETVR IN ANTIQVIS EXEMPLARIBVS.*

Authoris nomen incertum eſt, ſed hiſtoriæ fidem meretur.

12. Nou. Luc. 12.

GLORIOSAM ſancti Cuniberti memoriam piis venerari affectibus, & magnis frequenter extollere laudibus, cum decentiſſimum, tum ſaluberrimum eſſe, nemo fere qui neſciat. De luminaribus illis maximis erat, quæ ſuper candelabrum poſita, per totam mundi latitudinem circumferebant ignem, I
quem ipſa veritas & lux mundi Chriſtus Ieſus, in terram mittere venerat. Hic adhuc puer, ſiniſtrum tantum Pythagoricæ literæ, prius omnino per animi virtutem ſatagebat effugere, quam ad eiuſdem biuium per ætatem corporis poſſet aſcendere. Nam dum pater eius, Crallo nomine, clarus prouinciæ Moſellenſis indigena, puerum elegantem, etiam in primis infantiæ rudimentis aptum virtutibus, Dagoberto magno Francorum Regi nutriendum ſimul & prouehendum, illectus familiaritate regia, commendaſſet, ipſe mirum in modum non tantum ab illicitis omnibus, vt id ætatis puero natura præualuit, verumetiam multoties à licitis quibuslibet, vitam liberam, & quaſi ſolitariam duxit, imitatus videlicet maternæ pietatis ingenium, quod ab ipſis cunabulis ſimul cum infantiæ lacte ſedulo potare conſueuerat. Hæc igitur omnipotentis Dei famula, nomine Regina, ſic maritali deſeruiebat arbitrio, vt ſe tamen corde fideliſſimo totam Chriſti manciparet imperio, non diſcrepans ab illo religioſiſſimo beatæ Annæ vel voto, vel propoſito, de qua poſt impetratum à Domino, & promiſſum eundem Domino filio, veridica ſcripturæ voce dicitur, quia vultus eius non ſit amplius in diuerſa mutatus. Quia enim infixum in cœpta religione, vſque ad finem curſus debiti, etiam inter ipſa matrimonij iura ſeruabat animum, recte dicitur, quod non in diuerſa mutauerit vultum. In diuerſum enim declinat, qui de viæ, id eſt, veritatis rectitudine in quodlibet latus exorbitat. Hinc de vaccis quoque, arcam Domini plauſtro nouo ſuperpoſitam ducentibus, & propter clauſos domi vitulos ſuos materno affectu gementibus, legitur: Ibant vaccæ in directum per viam, & non declinabant ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſicut per Ezechielem de ſanctis animalibus dicitur: Vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur: non reuertebantur, cum incederent. Quod ipſum de ſe apertius prædicator egregius: Quæ retro, inquit, oblitus, & ad ea quæ ante ſunt, extentus, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis in Chriſto.

Crallo pater S. Cuniberti tradit eum Dagoberto regi. Sancta eius pueritia. Reginæ, matris eius pietas. 1. Reg. 1. 1. Reg. 6. Ezech. 1. Philip. 3.

HOC itaque modo beati Cuniberti mater, fixum in amore Dei animum ſupernis adhærere deſideriis fecit, II
& edocta per ſpiritum, æquo iuſtitiæ libramine ſua cuique dedit, mundo vtique ſatisfaciens per neceſſariam diſpenſationem, creatori ſuo placens per promptiſſimam cordis deuotionem: Pignus tamen ſibi dulciſſimum magis deputat Eccleſiaſticæ religionis officio, quam terreni Regis obſequio. De cuius vita & ſtudio, non eſt opus interim plura reuoluere. Quid enim egerit, quove ſtudio erga cultum Dei deſudauerit, teſtatur populus ciuium Moſellenſium, qui & corpus eius venerabiliter in Eccleſia conditum ſeruat, eiuſdemque patrocinia ſemper experiendo, & ſæpe promerendo frequentat.

1. Pet. 2.

PVER autem Deo deditus, in regali palatio ſcholæ virtutum vigilabat, & ſubiectus Regi quaſi præcellenti, Dominum timebat, Regem honorificabat, ac ſe ſpontanea neceſſitate conſtringens, vt quo difficilius laborandum eſſe videret in deputato ſibi opere, eo delectabilius & efficacius illud præ cæteris ſuis coæmulis feſtinaret arripere. Lux enim in illo diuinæ pietatis emicuit, & velut aduocatum atque ſtatutum in medio paruulum, Euangelicum exemplum, immo delectabile ſpectaculum, omnibus dedit. Erat namque manſuetus & patiens, ac in omni honeſtate, vtilitate & probitate docilis, gloria quidem, non tamen inani & ventoſa, excitatus ad obedientiæ ſtudia. Nam magiſtra & gubernatrix hoc intus egit gratia, vt foris in edocendo ad impoſita miniſteria puero non laboraret præceptoris inſtantia: iamque capaciſſimum inhabitantis Dei vaſculum, plus etiam ſibi ſtudio humilitatis aſſumebat, quam vel magiſterio vel exemplo didicerat. Namque non contentus regi ſolummodo & maioribus iuxta perſonæ ſuæ congruentiam, deſeruire, in tantam ſæpe vtilitatem ſemetipſum detrudere conabatur, vt etiam ſeruorum vice calceamenta detrahere ſoleret, atque mundare: dupla nimirum ſimplicitate Deo acceptabilis, cui illum & puerilis ætatis naturalis puritas, & virilis ingenij voluntaria pietas commendabat. III

Matth. 18. Præclaræ virtutes in puero Cuniberto. Eximia eius humilitas.

QVVM ergo ab hoc primo exercitij gradu, vellet illum Dominus ad altiora virtutum incrementa conſcendere, reuelare dignatus eſt Regi, quanti apud ipſum meriti puerilis illa ſimplicitas haberetur. Quadam denique nocte, dum peruigil Rex in lecto quieſceret, vidit ſubito locum illum, vbi ſanctus puer ſoporis gratia membra feſſa compoſuit, magnifico lumine reſplendere, eodemque pene ſigno futura pueri facta notari, quo Saulum contigit de cœlo vocari. Sicut enim ibi immutatio dexteræ excelſi eum increpatione & tremendi luminis immiſſione facta eſt: ita hic electio diuina, blandientis luminis ſigno monſtrata eſt. Vtrumque tamen lux illa miſſa cælitus admonuit, vt & Ægyptias tenebras diſcerent, & per Iſraëliticas manſiones repromiſſam ſupernæ hæreditatis gloriam ducatu veræ lucis quærere nôſſent. Mane itaque facto, Rex de viſione ſolicitus, & miraculi IV

Viſio Regis Dagoberti. Act. 9. Num. 33.

nouitate

nouitate perterritus requiſiuit, quis in eodem loco, ſplendorem deſuper viderat radiantem, per noctis ſilentia quieuiſſet. Intellexit enim, quod tale præſagium magnum aliquid portendiſſet. Cui quum apparitores ſuggererent, Cunibertum ibi puerum dormiuiſſe, quod & ipſum prius, ipſius diligenter intendentem induſtriam, non latebat, apprehentum eum illico non de turba ſeorſum, ſed corã cunctis, qui aderãt, ſubito familiarius allocutus eſt, & ad optatum ſibi in filij locum, amplexu dulciſſimo exoſculatus eſt, pronuncians quod verè Deus in illo fuerit, quem tanta luminis manifeſtatione clarificare dignatus ſit. Erat enim ipſe quoque religionis amator, fide Catholicus, & ad omne opus bonum in Chriſti dilectione paratus: quod, dum mundus voluitur, apud Eccleſias regni Francorum celebri procul dubio ſermone feretur.

Dagobertus Cunibertum puerum quanti fecit.
Dagoberti regis encomion.

V. Exin in proceſſu temporis beatus Cunibertus apprime literis eruditus, aſcenſiones primum in corde diſpoſitas, profectu quotidiano cucurrit: mox Eccleſiaſticos per ordinem aſcendendo gradus, coactus quidem renitente vi humilitatis, digniſſimus tamen obtinuit: quos & excellentibus illuſtrauit meritis, & congruentibus adornare curauit obſequiis. Itaque auctus benedictione cœleſti, de virtute in virtutem feruidus in dilectione Domini properabat: donec rapitur ab Archiepiſcopo Treuirorum, Archidiaconatus officio ſublimatus eſt. Vbi mirum in modum totus in Dei opere conuerſatus, nihil ſibi exhauſti ſatis eſſe credebat, vitæq; iam huius exoſus, his tantum, quos lucrifacere conabatur, ſpiritum inuictum à quolibet ſeruabat.

Fit Archidiaconus S. Cunibertus.

VI. Pavcis poſtmodum elapſis annorum curriculis, Clerus & populus Agrippinæ Coloniæ paſtore proprio deſtitutus, virum Domini Cunibertum, iam in opere Dei exercitatum, vt ſibi præeſſe deberet, cum vocibus, tum precibus implorauit. Nec difficilis erat iſta congeſtio de eo, qui præfulgebat, quem & rex olim anxia expectatione promouere quærebat, & omnis tripartitæ Galliæ populus digniſſimum, & vere plebi Dei neceſſarium prædicabat. Sola in eo repugnauit humilitas, cuius tamen ad hoc opus prædeſtinata ſimul & approbata fuit à Domino ſanctitas. Tandem conuenientibus in vnum plebis deſtitutæ maioribus, maximoque ſacerdotum & aliorum principum cœtu, ad eorum auxilium animis opibuſque parato, fortiſſimum viri Dei pectus, charitati tantum cedere ſolitum, à propoſito ſuo tandem emollitum eſt. Sicque nutu Dei Remedio Epiſcopo Coloniæ ſucceſſor electus, ſub primo Calendas Octobris gradum Epiſcopalis benedictionis aſcendit. Deinde iam ſe talem tantumque cunctis exhibuit, vt noſtra hoc facultas digne nequaquam poſſit euoluere, ne videamur maxima verbis vilioribus extenuare. Veruntamen omnibus placet referre miraculum, quod in maximo ſacerdotalis officij ſacramento Dominus quaſi ſpeciale perfectionis eius iudiciũ dare dignatus eſt: ex quo vitæ vel doctrinæ ipſius inſignia non modo cognoſci, ſed & lucidiſſime poſſunt agnoſci: quamuis & alia, quæ non tam perſpicaciter intendentibus videri poſſunt maiora.

Anno 613. Creatur Coloniensis Episcopus, et habet Chr. Pontif. Colõ. vide Bareo.

VII. Qvadam die dum ſingulare redemptionis noſtræ myſterium, & ſolum infirmitatis noſtræ remedium plenus Deo ſuper menſam Dominicam, in baſilica ſanctarum Virginum immolaret, adſtans Clerus & populus vidit columbam ſplendidiſſimam primum hac & illac per omnem Eccleſiam circumuolitando vagari, deinde Pontificis inſidere capiti: mox deinde reuerſam, & iuxta tumulum cuiuſdam virginis, ſtupentibus ſimul & mirantibus vniuerſis qui aderant, ab omnium oculis elapſam. Acclamatum eſt confeſtim ab omnibus, vere dignum hunc eſſe, qui miniſtraret Domino, ſacerdotem, felicem fore Eccleſiæ Paſtorem. Hinc ergo gemitus, illinc gaudia perſonabant. Vtrorunque enim materiam in ſigno, quod videbatur, habebant. Lætabantur quidem ſe habere tanti meriti Pontificem, qui dignus eſſet edoceri & cuſtodiri per piiſſimam ſui Domini viſitationem: flebant vero propter humani caſus incertitudinem. Hanc ipſam metuebant ſe citius amiſſuros eſſe conſolationem, vel potius quod dignam ipſius religioſitati non admitterent imitationem. Comparentur nunc hæc duo, ſi placet, quæ propoſuimus, miracula, vnum in pueritia, alterum in Epiſcopali perfectione monſtratum, ſi forte in his poſſit intelligi laudabilis & vere mirabilis eſſe vita ſanctiſſimi Cuniberti. Scimus nanque ex Euangelicis documentis, bis de cælo miſſum fuiſſe Spiritum ſanctum, ſemel ſuper ipſum Dominum baptizatum in columbæ ſpecie, ſemel ſuper diſcipulos eius in ignis ſplendore. Et quid in ſignis illis, quæ ſuper hunc virum demonſtrata fuiſſe docuimus, niſi aduentus ſancti Spiritus, intelligendum eſt? Ab ipſo enim innocentiæ ſimplicitatem habuit, quæ per columbam exprimitur. Nam & in illo diuino myſterio, quo columba ſuper illum deſcendit, Saluatoris noſtri typum exhibuit. Ab ipſo quoq; zelum Dei, & famam bonorum operum longe lateque micantem accepit, quæ per luminis claritatem quiſque ſignari non ambigit: & ipſe videlicet, dum hoc ſuper illum fuiſſet immiſſum, diſcipulorum adhuc trepidantium, & in cœnaculo reſidentium ſimilitudinem exprimere potuit, quaſi ipſi tunc ſimul cum diſcipulis à Domino diceretur: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos. Nam & ipſe poſt hanc viſionem mox à ſeruitute priſtina liberatus, ad opus Domini ſpecialiter expeditus eſt. Et iterum: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

Nota antiquitatẽ basilicæ vndecim mill. Virginum.
Columba eius capiti insidet sacrificanti.
Matt. 3. Act. 2.
Ioan. 20. Ioan 15. Matt. 5.

VIII. Hæc ergo glorificatio cum ſemper huius ſancti Pontificis bona opera ſubſecuta eſt, tum maxime, quando omnis plebs, quæ vidit, dedit laudem Deo. Nec ipſum Antiſtitem in Domino poſtea laudare trepidauit, velut per hoc prodigium iam fuiſſet ſecura illius interminationis, qua dicitur: Ne laudes hominem in vita ſua. Ipſe autem in omnibus his clauſo oſtio, ne quid humanæ laudi concederetur, intra cubiculum cordis ſui laudabat & glorificabat eum, à quo bona cuncta profluere nouerat, vt poſſet dicere cum Apoſtolo: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sic igitur eſuriens & ſitiens iuſtitiam, factus eſt pacificus, & in omnibus cordi ſui motibus rationi ſubiectus, vt ſpiritu tantum Deo ſeruiret, & portionem ſuam in terra viuentium totis viribus appetere feſtinaret. Completiſque demum feliciter quadraginta villicationis ſuæ annis, pridie Iduum Nouembris perueniens ad diem lucis huius extremum, creatori ſuo ditandum bonis omnibus reddidit ſpiritum. Corpus autem eius, ſicut ipſe viuens præceperat, poſitum eſt cum magna gloria in Eccleſia ſancti † Clementis, quam ipſe conſtruxerat: regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & gloriatur in ſempiterna ſeculorum ſecula, Amen.

Eccli. 11.
2 Cor. 1.
40. annos vixit in Episcopatu. Feliciter decedit.
† Nunc S. Cuniberti nominata.

MIRACVLVM ILLVSTRE, AD SACRAS RELIQVIAS S. CVNIBERTI EDITVM. A † SIGEVVINO ARCHIEPISCOPO Colonienſi literis mandatum.

An. 1080.
† Fuit hic 31. Coloniensis Episcopus.

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Sigevuinus diuina fauente clementia Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Quum in omni tempore Deo ſit à nobis ſupplicandũ intimè pro noſtris cæterorumq; Chriſtianorũ erratibus, imploranda eſt tamẽ nobis Dei clementia ſtudioſius, quoties mundi tangimur aduerſitatibus: quatenus eas, quas patimur, afflictiones in hoc ſeculo, gratuita Dei miſericordia mitigare, & à nobis auertere dignetur benignæ pietatis dono. Citius autẽ mitigabit in nos Deus irã indignationis ſuæ, ſi in auxiliũ noſtrũ ſanctos & electos ſuos humili petim⁹ deuotione. Quod nos in aduentu ſancti Patroni noſtri Cuniberti eo die aperte probauimus, quum heu noſtris peccatis exigentibus, beatæ Dei genitricis Mariæ monaſterium in Gradibus

Sanctorum inuocatio quid præstat.

Monaſteriũ ad Gradus Mariæ Coloniæ ardẽte S. Petri. Inſigne miraculum.

dibus, noſtris oculis comburi vidimus. Incipiebat enim eodem die & domus ſancti Petri ardere in parte orientali, ita vt aliqua eiuſdem monaſterij parte combuſta, iam fratres & ciues vrbis in deſperationem veniſſent, & præ timio quod imminebat incendio ornamenta iam abſtuliſſent de templo. Adueniente autem congregatione ſancti Cuniberti, & dum corpus eiuſdem ſanctiſſimi Patroni noſtri in domum ſancti Petri contra ignem gemendo & lachrymando deferrent, nobis qui aderamus intuentibus, ita (gratias Deo) euanuit flamma & incendium à domo ſancti Petri, quod vere comprobaret Dominus per merita ſancti Cuniberti nos ab incendij illius periculo liberari. Vnde & nos exigui tantæ Dei bonitati ac ſancto Cuniberto pro modulo noſtro reſpondere cupientes, ſcire volumus omnes noſtros fideles, tam futuros ſcilicet, quam præſentes qualiter ſequenti die, ſcilicet duodecimo Calendas Martij, dum corpus reportaretur prædicti Patroni, dedimus eidem Patrono noſtro pro remedio animæ noſtræ ad vtilitatem fratrum, ibidem Deo militantium, quicquid &c. Cui teſtes intererant Vuichmar Decanus maioris monaſterij, Hereman Præpoſitus, Arnolt Præpoſitus, Herzell Præpoſitus, Thioderich Præpoſitus: Laici vero Gerart de Hoſtaden, Adolf de Berge, Vuichman Heirman Ratere. Quod vt verius credatur, & in poſterum firmius habeatur, hoc manuſcriptum inde fieri, ac ſigillo noſtro iuſſimus ſigillari. Actæ ſunt hæ traditiones Coloniæ in domo ſancti Petri, anno Dominicæ incarnationis milleſimo octuageſimo, Indictione tertia, regnante rege Henrico quarto, & præſidente in cathedra Epiſcopo Sigeuuino, primo ordinationis ſuæ anno.

An. 980. *VITA ET MARTYRIVM QVINQVE FRATRVM BREVNOVIENSIVM, MATTHÆI, BENEDICTI, IOHANNIS, ISAAC, Chriſtini: necnon Barnabæ contubernalis eorum & confeſſoris, ex R.D. Iohannis Dubrauij Epiſcopi Olomucenſis, hiſtoria Boiemica libro ſexto.*

12. Nov. Breunouienſem Abbatiam S. Adelbertus fundat.

SANCTVS Adelbertus ſecundus Pragenſis Epiſcopus & martyr, vna cum Boleſlao principe Boiemiæ cœnobium, quod Breunouiam vocant, ædificauit, ac munificentiſſime dotauit, deductis in contubernium ſodalibus, quos ex Italia ſecum adduxit: illique nomine Abbatis præpoſito Anaſtaſio, qui poſthac apud Hungaros Strigonienſem egit Pontificem, viro tantæ ſanctitatis & virtutis, vt mortuum diſcipulum precibus ſuis à morte excitauerit. Sæpius in hoc contubernio Adelbertum, quam in domo ſua pontificali reperiſſes, adeo moribus & natura cum ſanctis illis patribus congruebat. Sed nec Boleslaus à conſuetudine illorum abhorrebat, feſtis præſertim diebus ſponte veniens (vt bonis mos eſt) ad bonorum conuiuia, quæ à precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant magna cum modeſtia & diſciplina, atq; abſtinentia ciborum. I.

Conuiuia precibus inchoanda & finienda.

PRÆTER Anaſtaſium autem Abbatem, & Gaudentium fratrem (quem Præſulem ciuitatis Gneznæ Poloniæ idem Adelbertus dederat) alios inſuper ſex contubernales Breunouia habuit, vti vitæ ſanctimonia celebres, ita celebritate hominum minime gaudentes. Illi igitur deſiderio ſolitudinis (cum migrandi ex Boiemia in Poloniam conſilium cepiſſent) occiſo Adelberto Epiſcopo, ad Gaudentium diuerterunt, cupidiſſimum illos penes ſe retinendi, niſi quod cupidius illi ſecretum ſibi dari oſtendique petebant. Euictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum plane ſolum, longeque ab hominibus ſemotum iubet. Nacti illi quem optabant ſeceſſum, in eo tuguriolum, & iuxta ſacellum ex lignis coagmentatum ſibi conſtituunt. Nomina contubernalium Matthæus, Benedictus, Iohannes, Iſaac, Chriſtinus, Barnabas. Frugalitatis omnium iſtorum, innocentiæque & continentiæ atque vigiliarum, indicium hoc fuerit, quod non ſolum ab iniuriæ noxa, ſed ab omni prorſus ſpecie mala abſtinuerint, quod famem ſæpius pane ſolo, raro olere adiuncto, quod ſua ſibi manu ſeuerant legerantque, explebant: ſitim autem aqua ſemper ſedabant: quod à pecunia poſſidenda ita temperauerint, vt ne teruncium quidem in zonis ſuis, aut marſupiis poſſidere vellent: quod denique ſtratis humi in matta ſcirpea, corporibus cilicio veſtitis, ſomnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quaſi iam aurora illis illuxiſſet, reliquum noctis dieique perpetuo in hoc vigilauerint, vt Deum peccatis hominum offenſum, aſſiduis deprecationibus placarent. Nam ipſi ita propitium illum habebant, vt morbo impeditos homines, aut à malo dæmone obſeſſos, ſola oratione percurarent liberarentque. II.

Monachi Breunouienſes in Poloniam tranſmigrant.

Eremum incolunt.

Sãctiſſime viuunt.

Miraculis clarent.

QVONIAM autem rumor iam pridem de bona iſtorum vitæ conſuetudine ad Meſchonem principem Poloniæ peruenerat, inuaſit eundem Meſchonem cupido videndi & alloquendi viros ex rumore ſibi laudatos. Vbi igitur ad latebras eorum peruenit, ſummotaque aſſectantium turba, ipſe cum pauciſſimis ſacellum, in quo ſacros pſallebant hymnos, introiit, offuſa ſubito oculis & animo ſuo religione, perinde eſt permotus, atque ſi introiiſſet penetrale numinum, non hominum. Denique illos velut præſentia numina veneratus eſt, tractauitque liberaliter à pecunia, quam abiens illis etiam inuitis reliquit, præſidium futuræ inopiæ, quam ſummam adeſſe cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, non coactam, ſed ſolidam atque vltroneam colebant paupertatem & continentiam, magiſque pietatis officiis, quam vllis diuitiis diteſcere quærebant, accerſito Barnaba, quem panis & olerum diſpenſationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam & ad Meſchonem continuo referre iubent. III.

Paupertatẽ ſectãtur Euãgelicam.

Paſſi dicuntur teſte Bar. in not. Martyrolog. Romani, an. 1005.

ABEVNTE Barnaba ſuperueniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæſitaque inibi, & non inuenta principis pecunia, iram & furorem in cædem inſontium virorum conuertunt: occiſi ad vnum omnes, ac ſolum Barnabas per abſentiam incolumis eſt ſeruatus, cum magno animi ſui dolore, quod præſens eandem cum interfectis martyrij palmam aſſecutus non fuerit. Nihilominus ſui ſimilis permanens, vitam quam cœpit colere, puram inculpatamque ad fatalem vſque exitum non deſiit: poſt quem in tumba Gneznæ, in quam, ante ſe interfecti ſodales elati ſunt, conditus eſt. IV.

Inſontes à latronibus occiduntur.

Felix Barnabæ exitus.

VITA

VITA S. LEBVINI PRESBYTERI ET CONFESSORIS, SCRIPTA AB HVCBALDO ELNONENSI MONACHO AD BALdricum Epiſcopum Traiectenſem. Extat in antiquis MSS. exemplaribus, multumque commendatur à Petro Archidiacono Cameracenſi.

An. 760.

I. DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos in ſecula ſeculorum, non ſolum pro nobis, ſed etiam ex nobis factus homo, verus & perfectus idem Deus, Rex noſter ante ſecula, cum per paſſionem Crucis, reſurrectionemque à mortuis, ſecundum nomen ſuum operatus eſſet ſalutem noſtram in medio terræ, conſummato diuini myſterij opere, quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ſuis, quibus voluit notas facere diuitias ſacramenti huius, aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & vt ait Apoſtolus, dedit gratiam vnicuique fidelium Eccleſiæ ſecundum menſuram donationis ſuæ, alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores conſtituens & doctores. Inter quæ innumera eius beneficia, quæ ipſe largus dator per vniuerſa terrarum diffudit ſpatia, in Francorum quoque Saxonumque de cælo proſpexit patrias: quibus ſaluandis, & lege eius imbuendis, atque in perſeuerantia boni operis confirmandis, poſt clara plurimorum lumina doctorum, quæ idem Sol iuſtitiæ, vt Occidentis depellerent tenebras, proprio irradiauerat fulgore, vt & ipſi lux eſſent huius mundi: vnum quoque ſidus eximium, iam pene adueſperaſcente iſtius ſeculi die, ſui ſplendoris gratia perfuſum copioſiſſime, ad eorum illuminationem dignatus eſt promere, Lebuinum videlicet charum ſibi amicum, iuxta idioma nominis ſibi optime congruentis. Fertur enim à ſuæ peritis linguæ, quod Liefuuyn patriotice ſit vocatus, quod Romanis ſonat, charus amicus. Demptis vero vel demutatis ad Latinitatem quibuſdam literis, dictus eſt Lebuinus. Sed ecce quam † dignitate plenum iſtius vocabuli præſagium, dum quod futurus erat opere, iam eius præſignatum eſt nomine. Si enim quæratur, cuius vir iſte extiterit amicus, nequaquam mundanorum, vel mundi iſtius, cui non ſolum fuit inimicus, ſed etiam crucifixus, ſicut docet Apoſtolus, Qui voluerit amicus eſſe huius ſeculi, inimicos Dei conſtituitur: ſed potius mundi conditoris ſeruus quidam fideliſſimus: inter eos vero, qui audire meruerunt, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, merito ſuæ ſeruitutis connumeratus. Nec ab re cuiquam videatur, quod nominis iſtius interpretatio à nobis ſtudioſe perquiritur. Nouimus denique, quibuſdam patribus etiam ante conceptionem indita fuiſſe vocabula, quibuſdam poſtea immutata, quæ ex proprijs cauſis aut præcedentibus, aut futuris, conſtat illis fuiſſe competentia. Quæ & ideo ſacra nobis tam ſolerter denotat ſcriptura, vt patenter innuat, non modo in iſtis, ſed & in alijs quibuſdam ſanctorum nominibus, quæ nobis ſint animaduertenda. Satis enim talium indicant acta vel dicta, quid eorum præſignauerint nomina. Vnde ſicut intelligi datur, & hic vir ſanctus quodam præſagio futurorum tale nomen eſt ſortitus, vt lingua patria vocaretur Dei charus amicus. Hæc ſatis dicta de nomine ipſius: iam nunc ad eius geſta, Deo boniſque placita hominibus, licet ſtolidus, noſter decurrat ſtylus.

12. Nov. — Pſal. 73. — Coloſ. 1. — Pſal. 67. — Epheſ. 4. — Interpretatio nominis eius. — Codex habet, † digni conſil. — Iacob. 4. — Iohann. 15.

II. IN ſalo quidem repoſita, nobilis tamen vulgataque Britannia Oceani inſula, interfuſo mari à toto orbe diuiſa, inter Septentrionem & Occaſum ſita, à vocabulo ſuæ gentis cognominata. In ea multa & magna flumina, fontes calidi, metallorum larga & varia copia, achates lapis ibi plurimus & margaritæ: cui adiacet Scotia ſiue Hybernia. Sunt vero ibi populi multi, Britones, Saxones, Picti, Angli. Hæc animalium meſſiumque ferax vbere fertili, diu dedita erat idolorum cultui. Poſtquam vero venit prædeſtinatum à Deo tempus miſerendi eius, ſicut in laudabilibus viri eloquentiſſimi Gregorij Papæ geſtis legimus, data ſibi occaſione inſpirauit Deus cordi illius, vt quoniam ipſe dicebatur vir Apoſtolicus, illique commiſſum erat de omnibus, iſtius ſpecialiter gentis fieret Apoſtolus. Quod paſtoralis curæ officium quam ſtudioſe fuerit ab eo adminiſtratum atque peractum, cooperante gratia Dei cælitus, nos ſigillatim referre ſuperſedemus: quoniam in libello vitæ ipſius ter beati Pontificis Gregorij ſatis propalatum recolimus. Hoc tantum ſufficiat commemoraſſe, quoniam directi ab ipſo fortes & fideles agricolæ, excoluerunt optimi cordis terram ſtrenue bene polito linguæ ſuæ vomere, ſparſimque dilatato diuini verbi ſemine. Ac ne fore duplici deperiret læſione, & malarum cogitationum trito calle, & volucrum ſpiritualium nequitiæ comeſtione, tutari ſtuduerunt ſolicite. Inſuper ne cito exortum ſemen propter duritiam petræ, hoc eſt, mentis indomitæ, vel propter æſtum tentationum poſſet areſcere, irrigauerunt illud indeficiente ſanctæ charitatis humore. Ad poſtremum vbi fuerit neceſſe, extirpato ſpinarum, id eſt, diuitiarum, quas nunc ſolicitudo, nunc voluptas comitatur, angore, gauiſi ſunt bonam terram ſuo labori reſpondiſſe, & vberrimos fructus edidiſſe, ſcilicet trigeſimum in caſto coniugij fœdere, ſexageſimum in nō paruo ſufferentiæ continentium labore, centeſimū in perceptione virginalis coronæ. Cuius ſeminis ac meſſis in tantum excreuit cumulus, vt non modo indigenas illius patriæ ſatiaret, verum quoque exterarum regionum famelicos paſceret. Quis enim queat explicare, quot lumina doctorum, verbis & exemplis perfectorum prodierunt inde? Quos noſtra gaudet Francia ſe vt veros Chriſti Apoſtolos hoſpitio grataner recepiſſe, alimonijs abundanter refouiſſe, rebus ac facultatibus honorabiliter muneraſſe, prædicantes libenter audiſſe, magiſque monentibus ſe ſalubriter obediſſe: necnon & beatas ſanctorum corporum exuuias ſe lætatur hactenus ad ſuorum patrocinium venerantur cuſtodire, ſperantes pro his omnibus ſe partem habituros cum eis in æterna beatitudine. De quorum ſanctiſſimo fulſit collegio ſanctus Lebuinus, ex præfata Anglorum patria oriundus, ab ipſis quoque pueritiæ crepundiis, exercitijs Deum colendi deditus. Iam enim prætendebat morum conatibus, qualis pius futurus eſſet actibus: vt patenter daretur intelligi, hunc verum Dei cultorem fore, qui in lege eius meditaretur, die ac nocte, ſicut & Salomon in Prouerbijs generali ſententia promit de talibus: Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi recta ſint & munda opera eius.

Britannia à toto orbe diuiſa. — Rom. Pontifici cura omniū demandata. — Luc. 8. — Anglia S. Lebuini patria. — Prou. 20.

III. HINC liberalibus, ac potius ſacris, traditus ſtudiis literarum, inhians, vt ait ſcriptura, ad ſciendam ſapientiam, ad intelligendum verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem: vt ſibi paruulo daretur aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus: vigilabat ad fores ſapientiæ quotidie, obſeruans ad poſtes oſtij eius. Cumque eos exerceret aſſiduè, optabat vt veniret in ſe ſpiritus ſapientiæ, deprecatuſque Deum ex totis præcordiis, dixit: Da mihi, Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te. Hæc eo ſæpius deprecante, occurrit ei ipſa, quæ circuit quærens dignos ſe, & oſtendit ſe illi hilariter, & obuiauit illi quaſi mater honorificata, ſtans in ſummis excelſiſque verticibus, in medijs ſemitis iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus. Erat autem, vt iam ante nos per quendam ſui amatorem de ea dictum eſt, reuerendi admodum vultus, oculis ardentibus, & vltra communem hominum valentiam perſpicacibus, colore

Prou. 1. — Diligenter incūbit ſtudio literarū puer Lebuinus. — Sap. 9. — Sap. 6.

viuido, atque inexhauſti vigoris: quatenus ita æui plena foret, vt nullo modo noſtræ crederetur ætatis, ſtatura di-
cretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem ſe hominum menſuram cohibebat: nunc vero pulſare cœ-
lum ſummi verticis cacumine videbatur. Quæ cum altius caput extuliſſet, ipſum etiam cœlum penetrabat, re-
Prou. 9. ſpicientiumque hominum fruſtrabatur intuitum. Hæc ædificauerat ſibi domum, vbi exciderat ſibi columnas ſe-
ptem: atq; immolans victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam, miſitq; ancillas ſuas, vt vocarent ad ar-
cem & ad mœnia ciuitatis, dicens: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. itemque inſipientibus: Venite, comedite pa-
nem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ.
Tunc inter numeroſos copioſæ plebis auditores placido vultu reſpiciens humilem Lebuinum, quem ante ſecula
Prou. 8. præſciërat & prædeſtinauerat fore ſibi charum amicum, voce amicabili affata eſt illum: Ego, inquit, diligentes me
diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Principiũ me adipiſcendi, timor Domini: intellectus bonus
Pſalm. 110. omnibus facientibus eum. Hæc autẽ audiendi audiens ſanctus vir Lebuinus, exultauit in Domino cor eius, & di-
Pſalm. 118. xit: Ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei
omnis iniuſtitia. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Ecce concupiui mandata tua, in æ-
quitate viuifica me. Exinde oleo lætitiæ perfuſus ab ea, proficiebat de die in diẽ amicitiæ ei⁹ gratia. Et ne quis forte
putet, poſtpoſita rerum geſtarum ſerie, nos quædam veluti fabuloſa ac friuola, vt iſte beatus vir ad notitiam ſemi-
tarum ſapientiæ, eiuſque agnitionem contenderit, commentatos eſſe: ſi ſobrius lector vel auditor extiterit, volu-
mus pro certo nouerit, haud aliter cuique inerrato viandum eſſe, vt ipſius deſiderabilem queat ſpeciem inſpicere.
Conſtat enim firmiſſime, quoniã quiſquis præſignatos huiuſcemodi progreſſionum gradus, quibus ad eam ince-
dendum conſcenditur, præter miſerit veſtigare, ei nullo modo philoſophandum eſſe.

Ergo quoniam hic beatus ab ineunte ætate toto conamine has proſecutus eſt vias prudentiæ, ſic maxi- IV.
mam promeruit prærogatiuam diuinæ gratiæ. Per hanc denique inerat ei cautæ circumſpectionis efficacia, vt ve-
Catalogus lut oculatum animal ante & retrò, incederet in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela. Erat
virtutum S. enim vir magnæ abſtinentiæ, ſibi parcus, egenis largus, ore ſerenus, corpore caſtus, lectionibus ſacris, vigiliis &
Lebuini. orationibus indeſinenter intentus, ſermone iucundus, qualitate morum ſobrius, omnique bonitate præditus.
Fit clericus. His & huiuſmodi pollens virtutibus, adeptus eſt honorem Clericatus. Quam dignitatem gradus & vocabuli cre-
dens diuinitus collatam ſibi, agebat ſtudio peruigili, ne morũ operatio ſuo nomini diſſentiret. Cleros enim Græ-
Clerici vnde ſic dicti. ce, ſors vel hæreditas dicitur Latine. Vnde & appellantur Clerici, quod de ſorte Domini ſint, & quaſi de eius hæ-
reditate peculiari: ſicut in Teſtamento veteri Leuitas ex filiis Iſrael vt proprios aſſumpſit ſibi: vel ideo, quia vicis-
ſim illi, qui vere ſunt Clerici, præter Deum nullam concupiſcant hæreditatem in hac regione mortali, expectan-
1. Pet. 1. tes viua ſpe illam incorruptibilem & incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis, per ipſum, &
Ezech. 44. cum ipſo, & in ipſo ſe poſſe conſequi, ſicut & ipſe eis repromittit, dicens. Ego hæreditas eorum, meditantes iu-
Pſalm. 15. giter, & dicentes: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Fu-
nes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. His intentus vir ſanctus Lebuinus, ac ſe-
dulo recolens, quid de Clericorum moribus his penè verbis à ſanctis inſtitutum ſit patribus: abſtinuit à vulgari
Clericis vitanda. vita & conuerſatione, à mundi voluptatibus & ſpectaculis, à ſeculi pompis, a conuiuiis publicis, ab vſuris & tur-
pium lucrorum occupationibus, à fraudibus, & ab ipſa cunctorum criminum matre auaritia: non officia ac nego-
tia ſecularia, non gradus honorum ſectans per ambitionem, non pro beneficiis medicinæ Dei captans munera,
dolos & coniurationes, odium, æmulationem, obtrectationes fugiens atque inuidiam: non vagis oculis, non in-
freni lingua, aut petulanti, tumidoque incedens geſtu: ſed mentis pudorem atque verecundiam ſimplici oſten-
dens habitu & inceſſu, obſcœnitatem ſic verborum, ſicut & operum penitus execrans: viſitationes viduarum ac
virginum, ac contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetens, caſtimoniam immaculati cordis &
corporis perpetuò conſeruare ſtudebat. Inter hæc debitam præbens ſenioribus obedientiam, nullo ſe iactantiæ
vitio extollebat, & quid plura? Lectionibus, doctrinæ, pſalmis, hymnis, canticiſque ſpiritualibus exercitio iugi in-
Exercitia S. Lebuini. ſiſtebat, profecto ſciens, quia tales oportet Clericos eſſe, qui diuinis cultibus ſe mancipandos ſtudent exhibere.
Vnde & ipſe Deo talem exhibens ſe, poſt tantæ continentiam vitæ, detonſo raſoque capite, non capillos poſuit
Num. 6. vrendos ſacrificij veteris igne, ſed vt verus Nazaræus conſecrans perfectionem deuotionis ſuæ, obrulit totum ſe
Rom. 12. hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, quæ vreretur aſſiduè ſancti Spiritus igne, vt fieret obſequium eius
rationabile, & illud ſignum tonſuræ, quod figurabatur in corpore, ageretur in illo, in quo Chriſtus habitat, in in-
Tonſæ comę in clericis quid ſignificent. teriori homine: videlicet vt exteri⁹ abſciſſis crinibus, interius cunctis reſectis criminibus, enitreſceret denuo inno-
uatis ſenſibus, quaſi comis rudibus. Prǽterea geſtans quaſi tiaram veri ſacerdotij in detonſa ſuperiori capitis par-
te, necnon exprimens in inferiori dignitatem regalis coronæ, gaudebat munus impleri in ſe hac * Typica ſimilitu-
** typicali.* dine, quod beatus Apoſtolus Petrus vniuerſali collatum gaudet Eccleſiæ: Vos, inquit, eſtis genus electum, regale
1. Pet. 2. ſacerdotium.

Igitur vir Domini Lebuinus, in talibus virtutum profectibus ætate ſimul & probitate morum adul- V.
tus, vere per omnia irreprehenſibilis Clericus, ſingulis ſenſim ſecundum inſtituta Canonica dignitatis Eccleſia-
S. Lebuinus ſacerdotio initiatur. ſticæ conſcenſis gradibus, eligitur ad officium presbyteratus: vt qui ſcientia & operatione perfectus erat, cæte-
ros doctrina inſtrueret, exemplo ad bene agendum prouocaret. Liberalis ſiquidem ſui nominis & commiſſi offi-
cij executor, ſatagebat ſolicite eſſe & videri presbyter, id eſt ſenior: non dierum prolixitate numeroſior, non
canitie capitis honoratior, ſed augmento meritoque virtutum prouectior, vt de eorum fieret numero, qui à Moy-
Num. 11. ſe, præcipiente Domino, eliguntur. Congrega, inquit, mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu no-
ſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, &c. Tales namque presbyteri non ſubrogantur in ſacerdotio fauore po-
pulari: ſed eliguntur à Moyſe duce populi Chriſtiani, quos ipſe nouit, qui eis talem gratiam contulit, quod ſa-
pientiæ & ſanctitatis merito ſenes ſint populi. Et quia ſtant coram eo ſtatu iuſtitiæ inflexibili, merentur eius ſpi-
ritus participatione munerari, completurque in ipſis, quod dicit Dominus ad Heli: Glorificantes me, erunt glo-
1 Reg. 2. rificati. Quorum ſenum gloria, ſicut dicitur in Prouerbiis, canities eſt: haud dubium illa, de qua legitur alibi:
Prou. 20. Cani ſunt enim ſenſus, id eſt, ſapientia viri, & ætas ſenectutis, vita immaculata. His ergo donis ſpiritualibus
Sap. 4. præditus, digne dignus ſacerdos effectus eſt Lebuinus, explens verbis & actibus nomen & officium ſacri duca-
tus, pura mente mundiſque manibus, vt expedit ſacerdotibus, cooperatione Spiritus ſancti conficiens & dans ſa-
cramenta viuifica populis fidelibus, congruis vnumquenque docens exhortationibus, pro ſuæ profeſſionis ac
morum qualitatibus.

Phil. 2. Enimvero is, qui operatur in ſuis omnibus & velle & perficere pro bona voluntate, ſuo gratuito mu-
nere operatus eſt in famulo ſibi fideli Lebuino illud velle, quod nullatenus à ſuo velle poterat diſcrepare, ſalu-
Gal. 2. ti videlicet lucrandarum animarum iugiter inhiare, & continuam huic deſiderio operam dare: vt ſicut de ſpeciali
gratia Apoſtolatus Beati Petri & ſuipſius Paulus proteſtatur, dicens: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum
circunci-

circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes: ita & nos fidenter de hoc noſtro dicere audeamus Apoſtolo, quia & ipſe operatus eſt Lebuino inter Francos & Saxones. Vnde quia ad eoſdē docendos ab eo eſt deſtinatus, pro ſui qualitate officij non inconuenienter dicetur Apoſtolus, quod in lingua Latina ſonat, miſſus. Denique ſicut ſuis ipſe præcepit diſcipulis, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis: ita & hunc ſuum affatus diſcipulum, velut eodem imperio præcepit ei præfatas docere gentes Catholicæ ſacramenta fidei, tingere baptiſmo ſalutari, & exinde præcipere omnia ſeruare mandata ſibi. Et ſicut de Paulo & Barnaba in Apoſtolorum Actibus legitur, quod imperauerit Spiritus ſanctus, Segregate, inquiens, mihi Barnabam & Saulum in opus, quo aſſumpſi eos, ſicque ad docendas profecti ſunt gentes: ſimili, vt ita dictum ſit, modo, eiuſdem ſancti Spiritus imperio, qui diuidens ſingulis prout vult, operatur omnia in omnibus: iſte fidelis ſeruus ac fortis operator Lebuinus, in opus ſibi à Domino iniunctum, ſegregatus eſt & aſſumptus.

S. Lebuinus Apoſtolus. Matth. 28. Act. 13. 1. Cor. 12.

VII. Cvi etiam vt non ſolum cum Apoſtolis, ſed & cum patriarchis digna foret operis communio, ipſius ſummi ſacerdotis Abrahæ proponitur imitatio. Nam quomodo illi præceptum eſt à Deo, Exi de terra & cognatione tua, & veni in terram, quam tibi monſtrauero, & eius protinus ille paruit imperio: ita & iſte vir venerabilis hoc audito, ac veluti ſibi ſpecialiter delegato, ad exemplum beati patriarchæ, huic irrefragabiliter inhæſit edicto. Exiens ergo impigre de terra & cognatione ſua, poſthabita inſula Angelorum, euectione nauali Traiectum petiit, caſtrum Vuiltenburg antiquitus dictum, modo vero Traiectum: vbi reperiens quendam venerabilem virum, nomine Gregorium, ex nobili Francorum ſanguine procreatum, à beato Bonifacio Archiepiſcopo olim à pueritia enutritum, gradu Eccleſiaſtico presbyterum, ſed tunc pro tempore Epiſcopalis officij in eodem caſtro vel etiam parochia vicarium, expoſuit ei omnem ſuæ peregrinationis, ſibique commiſſæ prædicationis textum.

Gen. 12. Venit Traiectum inferius.

VIII. Qvia vero gratia Gregorij boni diſcipuli, mentio optimi facta eſt magiſtri Bonifacij, non indignum videtur tanti præſulis dignam cunctorum memoria, licet ſuccincte, relationem fieri. Hic denique vir ex prædicta Angelorum patria progenitus, à pueritia Deo dicatus, cum ſuccreſcentis ætatis profectibus de die in diem, ſapientiæ & totius ſanctitatis augeretur profectibus, ſanctæ paupertatis ac ſuæ peregrinationis ſpontaneam viam ingreſſus, officium quoque plurimis euangelizandi populis, Dei gratia ſibi cooperante, aggreſſus, ſub Carlomanno & Pipino Francorum principibus, apud Apoſtolicam ſedem legatione Germanica functus, decretioni Clericorum ac fauori populorum annuentibus præfatis Principibus, ab ipſo Papa Gregorio, Græca Latinaque lingua ſatis erudito, qui alterius Gregorij ſucceſſor, ab illo mirabili doctore Eccleſiæ beato Gregorio Anglorum Apoſtolo, ordine Pontificatus fuit viceſimusſextus, Moguntiæ ciuitati ordinatur Archiepiſcopus: & qui antea vocabatur Vuinfridus, gratia meritoque bonorum factorum, vt quidam volunt, dictus eſt Bonifacius. Qui vir, ſicut de eo legitur, prædicatione ſua Thuringos, Heſſos, atque Auſtraſios ad fidem rectam, religionemque Chriſtianam, à qua diu aberrauerant, conuertit, necnon & monaſteria monachorum & virginum primus in Auſtraſiæ partibus conſtruxit. Hic etiam inter egregia bonorum actuum inſignia, vt non modo ſua, ſed & aliorum quoque præſulum vigilantia, Catholica propagaretur, augmentaretur, ac confirmaretur Eccleſia, annuente ſibi Carlomanno, authoritate fultus Apoſtolica, in caſtro Vuiltenburg, quod nunc Traiectum dicitur, conſtituit vt Epiſcopalis eſſet cathedra. Cumque idem glorioſus Carlomannus felici nimium commutatione terrenum ac temporale reſpuiſſet regnum, vt cæleſte mereretur adipiſci, quod eſt æternum, profectusq; Romam ad beatorum limina Apoſtolorum, clericatus ibi ſuſcepit habitum, non poſt multum temporis in monte Soracte ædificato monaſterio, ad ſummæ perfectionis aſcendens gradum, in cœnobio beati Benedicti profeſſus monachum, optimam cum Maria dilectrice ac dilecta Domini, viſus eſt elegiſſe partem, quæ iuxta Domini promiſſum, à nullo electorum eam perſeuerantet deſiderantium auferetur in æternum. Regni vero, quod ante diuiſerant, & principatus ſui Pipino fratri ceſſit faſtigium. Sed Pipinus totius ditionis cōpos effectus, conſultu Papæ Zachariæ, & vnanimi Francorum conſenſu per vnctionem ſanctiſſimi Archiepiſcopi Bonifacij, Sueſſionis ciuitate habito conuētu, rex appellatus, & regali eſt ſede donatus, repudiato ac tonſurato Childerico, qui caſſo nomine antea rex vocabatur. At vbi beatus pontifex Bonifacius verbum Dei euangelizans Friſonibus, cum ſuis comminiſtris, vt ferunt, quinquagintaduobus martyrio eſt coronatus, iam dictus vir Gregorius, eius quondam diſcipulus, in præfato reſidens caſtro, bonus imitator magiſtri, quod ab eo didicerat, impiger executor exercebat.

Hiſtoria breuis S. Bonifacij, Germanorum Apoſtoli. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, prius Vuinfridus eſt vocatus. Traiectū inferius, olim caſtrū Vuiltenburg. Carlomannus rex fit monachus. Luc. 10. Pipinus fit Franciæ rex.

IX. Cvi cum ſanctus Lebuinus, vt iam diximus, retuliſſet, quid ſecundum Dei voluntatem gereret animo, ille gauiſus in Domino, animatum conſilio, & fotum auxilio, direxit eum ad locum ſibi diuinitus demonſtratum ſecus Iſelam fluuium, vt fieret velut quidam limes certiſſimus atque fortiſſimus in Francorum Saxonumque confinio: vt ſicut lapis mediaſtinus vice lapidis illius viui, ſummi, angularis poſitus, vt & ipſe duos in vnam reciperet fidem populos, venientes ex diuerſo. Chari denique ſui Lebuini ſibi deuotam reſpiciens humilitatem inſpector mentium Deus, fecit illi magna, quia potens eſt in omnibus, vt euangelizaret Francis & Saxonibus ſanctum & terribile nomen eius. Adhibuit quoque illi Abbas Gregorius ſocium, quendam venerabilem virum, ex diſcipulis ſancti præſulis Vuillibrordi, nomine Marcellinum. Sed ô quam mira alacritate noſter æſtuat animus facta ſibi mentione ſuper talibus viris, nec patitur, quin ſaltem per tranſitum de tanto præſule Vuillibrordo quid ſuus exprimat ſtylus. Et hic etiam vir Deo plenus, de Britannia gentis Anglorum progreſſus, pro æterna patria à ſua peregrinus, Romam venit beati Sergij Papæ temporibus, qui à beato doctore Gregorio Papa extitit viceſimus: quique Angelica viſitatione commonitus, ſanctum hunc honorifice ſuſcipiens virum, ordinauit eum Friſonum genti Epiſcopum, vocans cognomento Clementem. Is autem, credito ſibi non diſpar officio, vt ſapiens architectus, non ſuas impoſuit operas ſuper alienum fundamentum: ſed eradicato primum denſo aggere ſpinarum, fodit in altum, & ſuper firmam, quæ eſt Chriſtus, petram ſtabile fidei collocauit fundamentum. Tum lapides è diuerſis colligens diuerſarum qualitatis & quantitatis, ad eandem ſtructuram coadunans, eos, qui ſcabioſi & ſordidi erant, aqua munda purificare ſtuduit. Satagebat autem ille fortis operarius, vt circuncisi vndique, conquadrati fierent atque politi, in ſuis commiſſuris apti ad fabricam operis ſui. Et quoniam non materiales erant illi lapides, ſed animales & rationales, hortabatur eos verbis beati Petri, dicens: Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias & detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem: ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini in domum ſpiritualem. His atque aliis huiuſmodi ſanctis prædicationibus fera gentilium edomans corda, innumera diabolicæ parti detrimenta, & non modica Chriſtianæ ſocietati intulit augmenta. Et qui ſibi tradita Domini ſui fideliter erogauit talenta, iure vt bonus & fidelis ſeruus, ipſius penetrare meruit gaudia. Prælibatis ſummatim his paucis, pro commemoratione Vuillibrordi beati præſulis, chari noſtri Lebuini inſiſtamus geſtis.

S. Lebuinus prædicat Francis & Saxonibus fidem Chriſtianam. S. Vuillibrordus venit Romam. Ordinatur Friſonum Epiſcopus. 1. Cor. 10. 1. Pet. 2. Pſal. 33. Matth. 25.

Marcellinus collega S. Lebuini. *Multos conuertit.*

VENIENS igitur vir Dei cum ſuo collega Marcellino ad præmonſtratum ſibi locum à Deo, vſus eſt aliquandiu viduæ cuiuſdam, quæ Abachilda vocabatur, hoſpitio: & nil veritus animoſitatem gentis illius, inſudabat quotidie Euangelicæ prædicationi, inſtantius oſtendens, neglecto Deo viuo & vero, vacuis ac per omnia ſuperfluis inſeruire eos idolorum cultibus. Quid immorer multis? Salutaribus eius monitis edocti, crediderunt quotquot ad æternam vitam erant præordinati. Quorum etiam ſumptu compactum eſt primo oratoriolum in loco Vuilpa vocitato, verſus occidentalem Iſelæ fluminis oram. Nec multo poſt, accreſcente ſenſim numero fidelium, aliud maius verſus orientalem eiuſdem fluminis partem ei conſtruxerunt oratorium, & iuxta illud eius habitationi congruam domum: vbi ſanctus Domini quotidiana vigiliarum ac Miſſarum Domino vota perſoluebat, & confluentes ad ſe, verbi diuini pane cibabat, cunctiſque ſe cernentibus gratioſum vultu, verbis ac moribus exhibebat: vnde & quamplurimis eorum, etiam nobilioribus, ſpeciali affectione charus erat. Interea hoſtis antiquus, totius ſemper bonitatis inuidus, cernens ſibi minui, quos per beatum Lebuinum Chriſto conſtabat conſociari, ſategit per ſuæ malignitatis fautores, vt multum de eo furioſæ conqueſtionis murmur haberetur inter populares. *Satan quoſdam concitat in eum.* Aiebant enim: Quidnam eſt illud phantaſma vagabundum, quod ſuis præſtigiis alienat mentes, infatuat ſenſus, mores peruertit noſtrorum? Nonne cernitis, quod iam multos à ſuæ qualitatis ſtatu corruperit, & quaſi delitos effecerit? Ergo antequam nos omnes in poſterum ille faſcinationis ſuæ fraudibus circumueniat, ocyus perquiratur, effugetur, aut potius peſſundetur, vel cum ſua illa † magica ſcena viuus flammis addicatur. *† magicali.* His continuatis, irruūt: & appoſito igne, Eccleſiæ domum concremant, & quoſcunq; Chriſtianos ibidem reperiunt, ab eodem loco inſectādo longius proturbant. *Pſalm. 144* Dominus autem, qui cuſtodit omnes diligentes ſe, famulum ſuum ab eorum inſectatione eripuit, atq; ad multorum ſalutem illæſum cuſtodiuit. Sed neq; beatus vir illorum territus ſæuitia, ab euangelizandi ceſſauit inſtantia: ſed vt fortis athleta, ſumpto fidei ſcuto, & ſalutis galea, *Ibidem.* ad iterum rediuiua atq; fortiora ſe præparauit diſcrimina. X.

Saxones quibus olim moribus & inſtitutis vixerint. *† Ingenuiles.*

IN Saxonum gente priſcis temporibus neque ſummi cæleſtiſque regis inerat notitia, vt digna cultui eius exhiberetur reuerentia: neque terreni alicuius regis dignitas & honorificentia, cuius regerentur prouidentia, corrigeretur cenſura, defenderetur induſtria: ſed erat gens ipſa, ſicuti nunc vſque conſiſtit, ordine tripartito diuiſa. Sunt denique ibi, qui illorum lingua Edlingi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui Laſſi dicuntur, quod in Latina ſonat lingua, Nobiles, † Ingenui, atque ſeruiles. Pro ſuo vero libitu, conſilio quoque, vt ſibi videbatur, prudenti, ſingulis pagis principes præerant ſinguli. Statuto quoque tempore anni ſemel ex ſingulis pagis, atque ex iiſdem ordinibus tripartitis, ſingillatim viri duodecim electi, & in vnum collecti, in media Saxonia ſecus flumen Vuiſeram, & locum Marklo nuncupatum, exercebant generale concilium, tractantes, ſancientes & propalantes communis commoda vtilitatis, iuxta placitum à ſe ſtatutæ legis. Sed etſi forte belli terreret exitium, ſi pacis arrideret gaudium, conſulebant ad hæc quid ſibi foret agendum. Hunc ſciens imminere conuentum Chriſti miles Lebuinus, deſtinauit animo ſe illuc iturum, quo aut ſuo regi acquireret copioſum fidelis exercitus numerum, aut fortiter contra hoſtes dimicans, glorioſum victoriæ ſuæ reportaret triumphum. Interim tamen contigit diuertiſſe ad domum cuiuſdam illuſtris ac potentis viri, nomine Folcberti, *Folcbertus vir nobilis fautor S. Lebuini.* cui inter plures, quos charos habebat, quibuſque ipſe charus erat, familiare præſtabat contubernium. Qui cum maximo illum excipiens gaudio, ait: Gratulor quidem, mi dilecte, opportune te nunc aduenisse: denique mihi pro te ſolicito gratam exhibes tuam præſentiam. Sed quorſum tendas, mihi pandas velim. Cui vir ſanctus: Eſt, inquit, animus ſuperna iuuante gratia, concilium inuiſere Saxonum. Ad quem ille: Cum tuæ ſanctitatis merito quamplurimis noſtrorum acceptus habearis, non ignoro quoſdam tibi inimicari, & vitæ tuæ libenter inſidiari. Vnde rogo, vt, me audito, aliorſum te vertas modo, vel domum redeas, vel tuum familiarem Dauonem petas, quo vſque peracto concilio rurſus nos quoque reuiſes. Cumque huiuſmodi ſermonibus diſſuadere conaretur athletæ Chriſti, ſancto quo agebatur Spiritu animatus, conſtanter reſpondit: Nullatenus præterire queo, ſed neque audeo, quod ipſe meus Rex Chriſtus Ieſus Deus & Dominus mihi agendum iniunxit, cuius præcepta tranſgredi mandatum nefas eſſe perpendo. At ille: Vitæ, inquit, tuæ timeo. *Pſalm. 117.* Et vir Dei: Dominus, ait, mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Sic eius firmatam perſpiciens faciem, mœſtus tandem acquieuit. XI.

In conuentum Saxonum venit S. Lebuinus. *Epheſ. 6.* *Crucem & Euangelium geſtat.* *3. Reg. 18. & 19.* *Prædicat illis Chriſtum.* *Pſalm. 99* *Act. 17.* *Codex habet. † nulliſicaueritis.*

INSTANTE igitur temporis articulo, quo ipſius concilij afforet concio, adſunt quorum intererat, cœtu vndique ſecum agglomerato. Adeſt & bonus miles Lebuinus, non vt ignauus vel deſidioſus, ſed vt ſtrenuus & officioſus, lumbos mentis ſuæ in veritate ſuccinctus, lorica iuſtitiæ indutus, pedes in præparatione Euangelij pacis calceatus, ſcuto fidei protectus, galea ſalutis capitatus, aſſumpto gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, armis iuſtitiæ vtrinſque eius à dextris & à ſiniſtris circundatus. Et cum his omnibus muniretur intrinſecus, non tamen competentia deerant ornamenta morum extrinſecus. Clericali ſiquidem ſchemate inſignitus, ſacerdotali quoque infula decoratus, ac velut quid diuinum præſignans fulgore vultus, Crucis ſignum præferebat manibus, vtpote ſui Regis anteſignanus: necnon & Euangelium Chriſti, quod iugiter mente recolebat, ore prædicabat, & opere exercebat, brachio quoque geſtabat. Omnis itaque concionis illius multitudo, ex diuerſis partibus coacta, primo ſuorum proauorum ſeruare contendit inſtituta, numinibus videlicet ſuis vota ſoluens ac ſacrificia. Quæ cernens agi ſacrilegia Lebuinus, Chriſti fortis athleta, zelo zelatus pro Domino, vt olim Elias propheta, in media illorum prorumpit agmina, & ex improuiſo vociferans, exaltat vocem ſuam vt tuba, annuncians palam & redarguens ſcelera eorum. Audite, inquit, omnes, audite me: & non tantum me, quantum eum, qui loquitur vobis per me. Mandata illius vobis perfero, cuius omnia ſunt imperio atque iudicio ſubiecta. Ad hæc cum illi attoniti reſpexiſſent, adſpectumque viri & habitum mirantes, conticuiſſent, ille præfatus ſic inſtituit: Auſcultate, attendite, & ſcitote, quia Dominus creator cæli & terræ, maris & omnium, quæ in eis ſunt, ipſe ſolus vnus & verus eſt Deus. Ipſe fecit nos, & non ipſi: neque eſt alius præter eum. Simulacra, quæ deos eſſe putatis, quoſque à diabolo decepti, venerando colitis, aurum vel argentum, æs, lapis aut lignum ſunt: non viuunt, non mouentur, neque ſentiunt, opera enim hominum ſunt, nec cuiquam alij, nec ſibi poſſunt auxiliari. Ergo Deus ſolus bonus, ſolus iuſtus, cuius miſericordia & veritas manet in æternum, condolens tam miſerabili vos dæmonum ſeductos errore, hac me præcepit fungi legatione, vt vetuſti pœnitentes erroris, ad eum conuertamini recta & ſyncera fide, cuius creati eſtis bonitate. In ipſo denique vos & nos omnes viuimus, mouemur, & ſumus. Si illum fideliter agnoſcentes, pœnitentiam egeritis, & baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti fueritis, & mandata eius obedienter ſeruaueritis, ipſe vos ab omnibus ſeruabit malis, & concedens tranquillitatem pacis, dabit hic iucundari temporalibus copiis, & in futura vita omnibus æternaliter perfrui bonis. Si autem præcepta eius ſaluberrima † nihili feceritis, & iniqui cordis errorem corrigere nolueritis, ſcitote quia patiemini iudicium pœnæ XII.

grauioris

grauioris de contempta admonitione eius benignitatis. Ecce enim ex ſententia oris eius, quæ eſt immutabilis, prænuncio vobis, quia niſi his monitis obtemperaueritis, iam celerrime veniet vobis malum inopinatæ tribulationis. Præordinauit nanque Rex cælorum omniumque ſeculorum, Regem fortem, prudentem & acerrimum, non de longinquo, ſed de proximo inſtar torrentis rapidiſſimi properantem ad emolliendam duri cordis veſtri ferocitatem, & comprimendam rigidæ ceruicis contumaciam. Qui vehementi impetu veſtram aggrediens regionem, gladio, vaſtare, incendio & exterminio cuncta depopulabitur, & vt vindex iræ Dei, quem ſemper exacerbaſtis, vos quidem partim mucrone concidens, perimet, partim egeſtate tabeſcere faciet, partim perpetui exilij mœrore conſumet. Coniuges veſtras ac liberos paſſim ad ſeruiendum diſtribuet, & ſi qui reſidui fuerint, ignominioſos ſuo dominio ſubiugabit, vt & de vobis iamdudum iure prædictum videri poſſit. Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore.

De Carolo Magno dicit.
Pſal. 106.

XIII. Talia beato viro prophetali ſpiritu præconante, illi dæmoniaco bacchantes ſpiritu, pleni furoris & inſaniæ, perſtrepunt vndique clamore confuſo: En ecce adeſt ſeductor ille, ſacrorum noſtrorum & totius patriæ inimicus: æquum eſt, vt debitas ſumat ſuo ſanguine pœnas. Tum vero ex proximis ſepibus palos rapiunt, detruncant & exacuunt, vt veluti aſſolet fieri lapidibus, ſic eum illis fudibus perimerent. Sed taliter inardeſcente aduerſus virum ſanctum furore malignantium, Deus ſuorum protector fidelium protexit illum ſub velamento alarum ſuarum. Denique ſicut ipſe Dominus Ieſus olim à perfidis Iudæis ad ſupercilium montis ad præcipitandum perductus, ſuæ virtutis potentia tranſiens, per medium illorum ibat illæſus: ſic & iſte famulus ſuus, eiuſdem Domini ſui munimine circumſeptus, per medium ſe necare cupientium & ipſe tranſiit intactus. Inter ipſos tamen quidam fuerant ſanæ mentis, quorum corda Deus tetigerat, qui hæc fieri in ſanctum Dei omnimodis prohibebant. Quorum vnus cæteris honoratior, nomine Buto, ſtans in eminentiori loco, ita proteſtatus eſt: O viri quicunque adeſtis cordati, auribus percipite verba oris mei. Frequenter ad nos quarundam gentium, Nortmannorum, Sclauorum ac Friſonum venerunt legati, quos more ſolito cum pace ſuſcepimus, verba legationis diligenter tractauimus, & honorifice auctos muneribus ad propria remiſimus. Et ecce nunc legatus ſummi Dei, deferens nobis mandata vitæ ac noſtræ ſalutis, non ſolum ſpretus & contemptus eſt à nobis, ſed etiam inſectatus minimis, ac pene ſubiit diſcrimen mortis. Quam vero ſit potens, qui illum deſtinauit, patenter oſtendit, cum de manibus noſtris eum tam potenter & mirabiliter eripuit. Vnde & ea, quæ comminando vobis prophetauit, futura ſiue ventura proculdubio experiemini nimium vera, dum ea indicio Dei ſui, qui tam potens eſt, nobis fuerint illata. Huiuſcemodi redargutionis, ac potius terroris ſermonibus perculſus aliquantulum eſt immanſuetus eorum animus, & communi decreuerunt conſenſu, ne quoquam impeteretur ille Dei nuncius: ſed quocunq; vellet ire, abſq; vlla læſione pergeret ſecurus.

Luc. 4.
Dominus ſeruat S. Lebuinum ne occidatur.

XIV. Igitur ſanctus & humilis corde Lebuinus, ab infectatione malignantium diuina virtute tutus, benedicebat Dominum, quia laudabilis & glorioſus eſt in ſeculum. Videns autem ſe non aſſequi poſſe ponendo pro fratribus animam, quem ſummopere deſiderabat martyrij fructum, licet abnegando ſeipſum & tollendo crucem ſuam poſt Chriſtum, crucifigendo carnem cum vitiis & concupiſcentiis in fame & ſiti, in vigiliis ac ieiuniis & laboribus plurimis, quæ cuncta libenter ac patienter pertulit, longum in pace traxit martyrium. Indeficientem tamen in ſe retinens plenum feruore charitatis animum, iniunctum ſibi à Deo ſui Apoſtolatus efficaciter adminiſtrabat officium. Quis enim digne ſufficienterq; valeat eius doctrinæ & verborum gratias enarrare, quibus multos ab iniquitate conuertit? De hoc nanq; viro recte per prophetam prædictum eſt: Lex veritatis fuit in ore eius: itemque, Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Quo euangelizante verbum veritatis, parata eſt ſedes Dei in corde populi ſibi credentis, & teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis. Sermo deniq; ipſius, audientes omnes in fide & opere ædificabat, & feruorem ſanctæ charitatis inflammabat. Ad hoc illud concurrebat, quod maxime ſermonem docentium corroborat, quia quod ore monebat, opere exercebat. Poſt innumera igitur ab ipſo patrata ſanctarum virtutum documenta pariter & exempla, cum nullius pene temporis interpolarent ſpatia, quibus aut ſui, aut ſimul aliorum profectus non quæreret emolumenta, exemplificatum virum ſanctiſſimum in totius ſacræ religionis, Deoq; beneplacitæ conuerſationis gratia, iam agmina repoſcebant cælica conciuem ſibi debitum, & prædeſtinatione diuina, & morigeratione ſibi condigna.

Longũ martyrium eius, in caſtigando corpore &c.
Malac. 2.
Ibidem.
Pſal. 92.
Nota efficaciã doctrinæ eius.

XV. Præsentabantur quoque Deo Angelico miniſterio chari ſui Lebuini vota, quæ mente & opere vocis ſuæ erant harmoniæ conſonantia, ſic ad ipſum iugiter proclamantia. Quam dilecta ſunt, Domine virtutum, tabernacula tua: concupiſcit & deficit in his anima mea, itemque: Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, vt videam virtutem tuam & gloriam tuam, & iterum: Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Sed quia hoc eius inexplebile deſiderium mentis, retardabat ſarcina corporeæ molis, nec aliter adipiſci poterat ædificationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis, niſi fieret diſſolutio domus ſuæ terreſtris, huius mundanæ habitationis: ille, qui eſt igneus fons animarum, qui in effigiatione hominis fouens elementa, diſſona dedit eſſe conſona, decreuit hæc in beato viro, vt iam reſoluta ſeorſum proprios reuocarentur in ortus, & caro in ſuam redigeretur originem, ſpiritus iret ad eum, qui miſit illum. Miſſis ergo ad exequenda conſpicuis ſuæ diſpoſitionis cooperatoribus, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, iubet reſcindi ligamina pectoris. Relaxantur artus, expediuntur latebræ, animæque difficiles moræ. Illa tandem reſeratis ſibi clauſtrorum ianuis, exilit alacris, ac luce clarius micantibus iungitur cælicolarum turmis, cum quibus hymnizando penetrat aulam regni cæleſtis, pridie Idus menſis Nouembris, & percipit à benigno remuneratore ſuo hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam ſibi cum omnibus ſanctis, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam illi & omnibus ſe diligentibus Deus ab æterno miſericorditer præparauit, atque præparatam huic iuxta ſui præſagium nominis ſibi charo amico dignanter attribuit, affatus illum alloquio amicabili: Euge chare mi, euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Hinc illa ſancta ſancti viri anima, ſecretarium laudis æternæ ingreſſa, primaque beatæ immortalitatis ſtola induta, ineffabili exhilarata lætitia, vtpote perenni viuens gloriæ concinenti cum omnibus ſanctis ſpiritibus melodia decantans Alleluia, iugiter Deum in æterna collaudat ſecula.

Pſal. 83.
Pſal. 62.
Pſal. 41.
Hebr. 1.
Feliciter exit è corpore.
1. Pet. 1.
Eſa. 64.
1. Cor. 2.
Matt. 25.

XVI. Sane pura ac munda corporis eius vrna, in qua repoſita fuerat felix anima, quæ multos cibauerat velut cæleſti manna, humo reconditur cum debita honorificentia in Eccleſia portus Dauentrienſis. Cui loco hoc inditum conſtat vocabulum à Dauone quodam, honorifico ac potenti viro, S. Lebuino, dum adhuc viueret, familiariſſimo. Eccleſia autem ipſa ab eodem ſancto viro &, quibuſdam fidelibus, vt iam diximus, conſtructa, ſed ab infidelibus exuſta, iterumque eſt reædificata, ſcilicet tempore, quo primum ad dandam ſcientiam ſalutis incredulis olim Saxonibus, per beatum doctorem Lebuinum viſitauit eos oriens ſplendidiſſimus illuminare in tenebris, & in vmbra mortis ſedentibus, vt in viam pacis dirigeret eorum greſſus ipſe ſol Iuſtitiæ Chriſtus, in ſecula benedictus. Decurſa igitur, vtcunque potuimus, de geſtis beati confeſſoris Chriſti Lebuini narrationis ſerie, libet pauca de inuentione eius ſubnectere.

Corpus eius apud Dauentriã humatur.
Luc. 1.

De tranſlatione S. Lebuini.

ᵃ Saxones eius inflammant Eccleſiā, ſed corpus inuenire non poſſunt.

Post felicem illius ad cæleſtia tranſitum, hoſtis inſtinctu maligni contigit, Saxones, quorum maxima pars adhuc in infidelitate durabat, baſilicā, quaᵃ ſacrum corpus iacebat humatum, iterū ſuccendere, & cuncta circunquaq; vaſtare. Et cum per triduum eius quærerent ſepulcrum, Deo prouidente, reperire nequiuerunt. Vnde accidit, vt idem locus diu ſolitudinem pateretur. XVII.

Interea a Gregorio venerabili Abbate, cuius ſupra mentionem fecimus, ab hac inſtabili habitatione in domum æternitatis migrante, conſanguineus eius Albricus dignitatem ſuſcepit Traiectenſis cathedræ. Qui cum haberet quendam virum Deo dignum ſibi ſpeciali affectu deuinctum, nomine Ludgerum, poſtmodum pontificali honore ſublimatum, ſic affatus eſt eum: Mi frater chariſſime Ludgere, cum nouerim te ea, quæ ad diuinam pertinent religionem, ſtudioſe exquirere, hortor ac poſtulo, loco illi, quo ſacrum corpus Lebuini Chriſti ſacerdotis reconditum fuit, te curam impendere, & vt à te, Deo reuelante, inueniri valeat, magnopere elaborare, atque ad concinnandas Deo laudes templum inibi ſuper illud ædificare. Qualis etenim quantuſque vir fuerit, tua fraternitas optime nouit. His acquieſcens memoratus egregius Ludgerus, omni adhibita ſolicitudine, agrum, in quo theſaurus ille erat abſconditus, excolit pro viribus, ſimilis homini bonam margaritam quærenti ſtudioſius. Et quanuis minime, quod deſiderabat, valeret inuenire, mœſtus oppidò, tamen intra ſpatium loci, quo putabatur contineri, cœpit baſilicam ædificare. Sed bono viro bona quærenti non defuit manifeſtatio bonitatis Domini. Viſum denique ei eſt in ſomnis, ſanctiſſimum Chriſti ſacerdotem Lebuinum ſecum loqui, & ſui detegere locum ſepulcri, ſeque ita affari: Laudabile, inquit, ac Deo placitum tuum approbo ſtudium, mi frater amantiſſime Ludgere, quod ad honorem nominis Dei templum iam olim dirutum conaris reſtruere. Mei vero membra corpuſculi reperies in muro hoc, quem erigis, pariete Auſtrali. At ſeruus Domini Ludgerus nil hæſitans de viſione, aggregata Cleri plebiſque plurima concione, atque ſubruto quem erigebat pariete, in loco ſibi prætenſo, quod deſiderabat, ſe gauiſus eſt inueniſſe. Oblata itaq; Deo, vt dignum erat, in hymnis & pſalmis gratiarum actione, dilatari fecit ſpatium ædificij illius, quatenus inibi clauderetur theſaurus, à ſe, Domino reuelante, repertus. Quantum denique ſit pretioſus, ab eo tempore vſq; in præſens ſignis declaratur ac virtutibus, quæ per eius merita in ſuos fideles operari ſemper dignatur ineffabilis potentia benigni Ieſu Dei & Domini noſtri: Qui cum Patre & Spirituſancto viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen. XVIII.

S. Lebuinus apparet Ludgero.

Inuenitur corpus S. Lebuini.

Eduntur miracula.

EGLOGA ECCLESIASTICA RADBODI S. TRAIECTENSIS ECCLESIÆ FAMVLI, DE VIRTVTIBVS B. LEBVINI PRESBYTERI, ET DE SANCTO NOMINE EIVS, QVOD NON SINE quodam futurorum præſagio ſortitus eſſe creditur.

Is S. Radbodus fuit Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cuius vita eſt 29 Nouēbris.

I.
Inclytus Anglorū veniens Lebuinus ab oris,
Sacris virtutum remis, & remige Chriſto,
Sæua proceloſi compreſſit flumina Rheni,
Cuius forte graui turgebant oſtia flatu,
Exagitata feris perſæpe Aquilonibus ante:
Atque ea diuinæ fuerant ſic inuia naui.
Sed poſtquam ſanctus rabidas perflauerat vndas,
Cælitus emiſſo ſemel imperauit ab Auſtro,
Corruit immitis Boreas, moxque æquore tuto,
Suſcepit placidus Pacis nauigia Rhenus.
Hæc vbi ſucceſſu portum petiêre ſecundo,
Vrbis in antiquæ perfixa eſt ancora glebis,
Et lapidis firmata ſitu: ne forte ſolutas
Turbine quaſſaret rurſus vis horrida puppes.
Tum vero inſignem mirata eſt terra colonum
Condemnare ſuas cæleſti fomite meſſes,
Ac male nata ſolo diuinis vrere flammis.
Hos allegoricis decernere vitibus agros,
Illos ſinceri ſulcis addicere farris,
Arboribus quoſdam fidei exercere locandis,
Qui ſua vicino colluſtrent germina cælo.
Cernere erat ſteriles ſplendeſcere floribus herbas,
Fœcundumq; nemus fruges nutrire ſalutis,
Nil non proficuum campos redolere per omnes,
Poſtquam diua ſeges felicibus hæſerat aruis.
II. Hæc typice noſter geſſit Lebuinus, amice,
Si bene perpendis, quid ſpiritus innuat odis.
Nam pepigit vites, cum multos cordis almi
Struxerat eloquiis, cum dogmata myſtica ſparſit.
Triticeam poſuit meſſem, cum pectora munda
Eſſe dedit, caſtumque Deo ſubtexuit agmen.
Porro autem arboreas ſtuduit plantare nouellas,
Robora cum fidei ſtatuit, cum pacis oliuam
Creſcere, cum fructus fecit pollere perennes.

Multos colligit ſanctæ prædicationis fructus. S. Lebuinus

III. Iure igitur ſummo à nobis tractatur amore,
Iure illi venerandus honos impenditur, altor
Qui probitatis erat, veriqne aſſertor opimus,
Errorum domitor, vitij calcator auari,
A... pudicitiæ, frugi quoq; virginis aula,
Virtutum turris, pacis ſeu lucis oliua.
Poſtremo ipſius, quam carmina cuncta verentur,
Et quæ terreno ſpoliat ſe dapſilis auro,
Quæque Deo cognata, mori pro fratribus optat,
Virtutis, cum ſpe æternæ cuſtodia vitæ.
Ergo tibi prudens lector, tibi conſule, quæſo, IV.
Et mecum, ſancto Domini ſolennia vota
Ne tardes offerre, virum hunc quia diligit omnis
Dilectus Chriſto. Chriſtum nam diligit ipſe,
Atque ipſum Chriſtus, flagrans amor ardet vtrinque,
Sed Chriſti de parte magis: minus eſt quia totum
Quod mortalis agit, ſuperant diuina caducum.
Nos quoq;, quos ſemper famulos Lebuinus habebit
Nos quia ſemper amat, deuote hunc ſemper amemus,
Suauibus & modulis Chriſti canemus amicum,
Ipſius & nomen Latio ſermone canatur,
Quale ſonat, toto diuiſus ab orbe, Britannus:
Nanque illic puerum dixere crepundia paruum
Liafuuim, quod ſacrum poſt hæc baptiſma probauit,
Decreuitque Deo dulce & memorabile nomen.
Nam ſi vertatur Liauuim, quod cuna ſonabat,
Carus amicus erit: ſed verbum augere neceſſe eſt,
Cuius, ſiue Cui. Melius quid conuenit iſtic,
Quam ſi lege metri Chriſto, Chriſti ve ſubaudis?
Hæc duo ſi copules, ſancti vocitamen adimples.
Atq; in vtroque places, cum te Romanus & Anglus
Audiat exultans, laudat idioma docentem
Quod patrium armatos, translatum paſcet inermes.
Ecce autem cohibere monent faſtidia carmen, V.
Nè Muſis doctas lædam ruralibus aures:
Quod facile, ſtipulis cum quiddam garrio noſtris,
Accidit Arcadici quæ rudunt more peculi,
Vixque aliquis curet calcem expectare canoris,
Cui neque ſaltem obolo primordia digna videntur:
Sed refert, quid quiſque canat: nos ocia fœda
In melius mutaſſe rari ſpirantis amomi,
Palmarumque inopes, Siluano extorſimus algam.
Quam Lebuine vide ſacer ac memorande ſacerdos,
Hanc precor, vt Chriſtum recolens, nil faſtibus vſum,
Pallentis viduæ potius ceſſiſſe minutis,
Gratam habeas, precibuſq; tuis mea vincula ſoluas,
Et vera facias, poſt diuerſoria carnis,
Libertate frui, ſacris cum cœtibus Agni.

Dilectus Deo & hominibus S. Lebuinus.

Interpretatio nominis eius.

SERMO BEATI RADBODI S. TRAIECTENSIS ECCLESIÆ DEI FAMVLI, ET POSTEA EPISCOPI, DE S. LEBVINO PRESBYTERO.

SÆpe contingit, fratres chariſſimi, vt inter epulas grata ſit conuiuantibus fabuloſa narratio, & oppreſſum cibis carnalibus animum qualibet figmentorum perſequatur eluuies: dumque ſui oblita mens, ad tempus ob repletionem corporis obſonium ſpirituale faſtidit, magis appetat ſpecies vanitatum, quibus aures carnis oblectet,

lectet, quam doctrinæ cœleſtis dulcedinem, qua nauſeantem animam vera & perpetua ſuauitate reficiat. Verum nobis in præſenti lectione multo aliter euenire, lætamur, qui quãto hanc ſolẽnius carnis aure percipimus, tãto eam auidius incordamus, atque idipſum quod ſumimus poſt venerandam eſuriem ſanctitatis opulentiam poſt ſe hæc diem ſacietatem, rediuiuam eſuriem in nobis creare non dubitamus. Itaque vt manifeſtius eluceat, quæ vt dicitur ... pedia ſpiritualibus, famelicis hoc narrationis genere promittũtur, ponantur tam ſuper cœleſtem menſam hæc illa delicijs omnibus huius ſæculi gratiora, ex quibus ſuauiſſimas vitæ perennis epulas capientes, tam iocundæ refectionis authori Deo gratias referamus, qui per ſingulos annos dulciſſimi conuiuij participatione clementer nos exhilarat, dum beatiſſimi nobis Lebuini memoriam annua natalis ſui feſtiuitate, tanquam panem Angelorum ex ipſo pietatis ſuæ cophino prolatum repræſentat. Quo dum deuote veſcimur, ſalubriter eſurimus, copioſiſſime paſcimur, hilariter exultamus. His conſequenter adiungitur habitudo mentis pulcherrima, fortitudo invicta, ... continua, contemptus mundi, appetitus cœleſtium, deſiderium futurorum. Quocirca oportet nos perpendere fratres, quantæ ſint delitiæ quæ porriguntur, vt eaſdem ſumere auido corde non differamus: quibus repleti nulla formidemus machinamenta hoſtium, nullo terreamur grandine ſecularium tẽpeſtatum. Atque vt hoc diuina miſeratione aſſequi valeamus, huius nobis ſanctiſſimi viri exemplum ſufficere poſſe credimus, qui inter aduerſa mũdi & proſpera, ſæuientis fortunæ impetum, quemadmodum turris Sion, & porta Hieruſalem præſidio Angelico defenſa recuſſit, caſſatiſque ictibus machinarum in ſempiternæ fidei ſoliditate perſiſtere meruit. Ad ... vero perfectionem quibuſdam bonorum naturalium gradibus aſcendit, quibus quaſi ſcalis euectus, terrena tranſiliens cœlorum alta feliciter penetrauit. Denique in infantia ſua Deo & hominibus charus extitit: cumque eſſet ingenio docilis, animo mitis, pauper ſpiritu, meritis diues, vitis probatis certatim annitentibus habitum religionis aſſumpſit, in quo ita Chriſto & Eccleſiæ ſuæ deuotus effectus, vt coæuos ſuos literali ſagacitate præcederet, maioribus officioſiſſime pareret, perfectorum impetus tanquam à Deo datis vera humilitate præditus acquieſceret. Porro in pueritiæ annis, morum honeſtate ſectatus eſt venerãdam ſenum canitiem, innocentis vitæ ſimplicitatem, doctrinę cœleſtis eruditione componens. Pubertatis autem ſpatia, non laſciuientis animi voluptatibus effeminauit, ſed potius rigore frugalitatis, & iugi laborum exercitio, rebellionem iuuentutis edomuit, caſtigans corpus ſuum & in ſeruitutem redigẽs, ne forte cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. Huius ſiquidem philoſophiæ nobiliſſimos profeſſores, multos in ſancta Eccleſia eſſe ſciebat: inter quos felicis memoriæ Vuillibrordum atque Bonifacium Pontifices in vineæ cultura Dominicæ apprimè laboraſſe audierat, ideoque animum Deo placitis operibus exercebat, vt quos habuerat in Chriſtianitatis prouectibus ſocios & patres, eoſdem haberet in æterna felicitate conſortes. Enimuero quia tantorum familiæ Chriſti luminariũ ſacra mentio noſtris relationibus, acſi quidam venerãdæ lucis radius, illapſa eſt, intermiſſo paululũ ſuperiore ſtylo, viros nõ ſine mentis alacritate memorandos, dignis laudum præconiis ad honorem Dei, prout poſſumus, extollamus: vt Lebuino noſtro tanto creſcat altior gloria, quanto ſe præcedentium probabilior fuiſſe dicitur vita: quandoquidem nullis diuerticulis ab eorum tramite declinauit, qui tantorum veſtigia ducum ſummis niſibus fuerit executus. Quapropter cum illorum religioſitas exprimitur, iſte laudatur. Cum horum ſtudia prænotantur, iſte totus depingitur. Cum illorum præliandi aduerſus poteſtates aereas certamina referunt, huius triumphus euidenter exponitur. Atque ex huiuſmodi comectúris facile colligitur memoria * piorum vitam illuſtrari ſequentium: & augeri filiis honeſtatem, cum eoſdem patrum glorioſe viuentium fulcit authoritas. Viros igitur, quos præmiſimus, ſanctos admodum fuiſſe non dubitamus: quorum alter confeſſione, alter martyrio in comitatum Agni ſuſcipi meruit, habentque nunc hæreditatem cum Chriſto, qui in hac vita nunquam paſſi ſunt ſeparari à Chriſto. Hos certe nobis imitabiles diuina pietas condonauit: vt quem deterret à gladio manus violenta carnificis, magnum Vuillibrordum in diuinæ pacis quietudine Domino laudabiliter ſeruientem, ſi poſſit, ſe æquiparet: qui autem ſe agoniſtis comparabilem exiſtimat, ſanctũ Bonifacium fuſo pro Chriſti amore ſanguine ſubſequi non formidet. Quod ſi defuerit peremptoris atrocitas, ipſe ſibi manum diuina romphæa perarmet, ipſe ſibi ſpiritualiter, & perſecutor efficiatur, & martyr, dummodo aut vnius in pace munditiam, aut alterius in carnificio adipiſci non negligat palmam. Sed his ſummotenus memoratis, repetenda eſt nobis hiſtoria, quam paulò ante nos omiſiſſe perſcripſimus: quæ tamen penitus omiſſa non eſt, quia ſubinde ſe inter cætera animo huic ſemper inhærente oppoſuit affectus dictantis, neſcio qua dulcedine delibutus dum ſuperiora componeret reliquorum quidem digitis, Lebuini autem iugiter corde conterunt. Sane quia de illo in primis ſcriptitare decreuerat, licet viros precioſiſſimos repente in mediũ proferret, ab huius tamen intuitu cogitantis intentio ſummoueri non potuit; quoniam bona quæ de ipſo dici queant vltro ſe offerunt, quæ ſi quis omnia exponenda præſumeret, Tullianæ, Plautinæve eloquentiæ floribus indigeret. Beatus igitur Lebuinus inter feros & ſemibarbaros hominum mores conſtitutus, agni innocentiam retinebat, memor Dominicæ vocis qua dixerat, ſe Apoſtolos ſicut agnos inter lupos miſiſſe. Nec viro ſancto defuit ſerpentina prudentia, dum ſi quis capiti ſuo, id eſt, Chriſto, iniuriam facere pertentaret, ille pro eo totum corpus indubitanter obijceret. Vnde factum eſt vt in virtute Altiſſimi, ad diuinũ caput membra connecteret, vtpote vt qui ſe inter iſta medium quaſi charitatis viſcerum interebat, infimaque ſummis copulans, infirmitatem humanam dignitati Angelicæ coæquare ſtudebat. Sapiens plane Architectus, qui cœleſtem ædificans domum, petram in fundamento locauerat, ne ſuperuenientibus ventis, ne procellis æſtuantibus, poſtremo ne impugnata totius aduerſitatis machinis virtutum cõtignatio læderetur. Petra autem erat Chriſtus. Age ergo quiſquis hæc audire deſideras, num tibi quippiam videtur aut illa connexione ſalubrius, aut iſta firmitate ſolidius, dum quod ibi copulatum eſt, nulla reſolutione laxatur: quod hîc fundatum eſt, nulla tempeſtate ſubuertitur. Quod ſi forte cuilibet mõſtruoſis fabulis aurem accommodare vacat aut placet, inuiſum ſe veris relationibus huiuſmodi vanitate demonſtrans, poetarum deliramentis incumbere poterit, qui vſque adeo præſtigioſis figmentorũ imaginationibus demẽtati ſunt, vt ne ipſa quidem, quæ interdũ eſſe falſiſſima aſſerebant, falſa eſſe cognoſcerent. Nos de ſancto Dei Lebuino nihil mentitos eſſe, teſtem habemus Eccleſiam, quæ huius beneficiis cumulata quam grandis apud diuinitatem meriti fuerit, crebris remediorum prouentibus confitetur. Cui quidem ea quę de illo dicimus grata fore indicio eſt, quod legenti tantus adſiſtat populus auditorum, vt compreſſum multitudinis etiam hi pertimeſcant, qui in tuto loco ſtare videntur, vixque in digreſſu aliquis inueniatur, qui non Deo gratias referat pro eo quod ſe patrocinium Lebuini audiſſe pariter & ſenſiſſe commemorat. Vnde nobis adhuc vel pauca locuturis arbitramur neminem ſucceſurum, quippe cum ſpiritum Dei in ipſo templum ædificaſſe, atque id ſibi habitabile feciſſe procedens ſermo declamet. Idipſum vero inter matutinas laudes (vt credo) cantabitur, ſed in lectione omitti non debuit, quo vtriuſque vocis miniſterio quanti apud ſuos habeatur vir in Chriſto amabilis accipiat commendatum. Quod autem præmittitur tale eſt. Spiritus ſanctus (vt ait ſcriptura) in corde viri iuſti habita. Nam templum ipſius eſt anima ab omni iniquitate aliena, in quo non carnalis victima cæditur, ſed ſpirituales hoſtiæ offeruntur: nec fit ibi ſola emundatio corporis, ſed & remiſſio vera peccati & abolitio perpetuæ mortis. Hoc templum dici & eſſe meruit beatus Lebuinus, cum præſtante Domino à criminum fieret contagio mundus, per eum qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hiſtoriæ ſancto[rum] quid vtilitatis lectori adferant.

S. Lebuinus inter aduerſa & proſpera ſemper ſtabilis & conſtans.

Fit Monachus.

Is ætate puer, moribus canus.

1. Cor. 9.

S. Vuillibrordus & Bonifacius, huius ſancti concertatores & prædicationis locij, lege vitam S. Svviberti 1. Martij.

for. * priorum.

S. Vuillibrordi vita habetur præſenti tomo 7 Nouemb. S. Bonifacij vero martyrium Iunij quinto.

S. Lebuinus agnina innocentia præpollet.

Matth. 10. Luc. 10.

Matth. 7.

1. Cor. 10.

Poetarum deliramenta plena mendaciis.

S. Lebuinus quanti ſit apud Diuinitatem meriti.

S. Lebuinus templum Spiritus ſancti.

An. 1390 *S. DIDACI COMPLVTENSIS EX ORDINE MINORVM, VITA, MIRACVLA, ET CANONIZATIO, QVAM SIXTVS V. PONT. OPT. MAX. ad mirandæ pietate, ſolemni ritu, frequentiſſimo cleri, populique conuentu, celebrauit VI. Non. Iul. Anno M. D. XXCVIII. à Pet. Galeſinio Proton. Apoſtolico deſcripta, diſtinctaque partibus tribus.*

12. Nov. CÆLESTIS ille Spiritus, à quò diuina munera manant, magnis donis, ſplendidiſſimiſque ornamen- PROLOG.
tis beatum Didacum Complutenſem illuſtrauit: quem nuper ob præclara merita, efflagitante Philip-
po II. Hiſpaniarum Rege Catholico, eximia pietate florentiſſimo, Sixtus Quintus Pontifex maxi-
mus, idemque & religioſiſſimus, & ſapientiſſimus in ſanctorum numero aſcripſit. Admirandas igitur
Ratio ſcribendi hic ſeruata. eius res, vitamque omnem, religionis ac ſanctitatis laude cumulatam, ſcripturus: id mihi argumen-
tum ſuppeditari video, quod non verbis tantum, delectu & ſplendore illuſtribus, enarrandum eſt: ſed ſacrarum
literarum ſententiis, atque demonſtrationibus dilucide explicatis. Fuit enim is vir ſimplex, rectus, timens Deum;
Eccli. 50. 10. qnique vſque adeo cunctis virtutibus præluxit, vt quod diuinitus ſcriptum eſt, de eo dici liceat: Quaſi vas auri ſo-
lidum, ornatum omni lapide pretioſo. Charitas, virtutum omnium princeps, quæ auri nomine ſignificatur, miri-
fica in eo extitit: humilitas autem ſumma, pietas ſingularis, orationis ardor incenſus, abſtinentia incredibilis, cæ-
teræque itidem virtutes, quæ à charitate proficiſcuntur, & charitatem exornant, quæque tanquam inſignia gem-
marum ac margaritarum ornamenta, maxime in viro Dei enituerunt. Quamobrem in tanta ſcribendi copia,
quæ mihi proponitur, modum in primis ſeruabo: vt non vberrimè ſolum, ſed diſtinctè, atque ordine res omnis
expoſita videatur. Neq; autem, cum locus inciderit, cōmemorare prætermittam lacrymas, ſuſpiria, gemitus, atque
ardentiſſimum illud cœli deſiderium, quo Dei ſeruus Didacus inflammatus, omnia huius vitæ incommoda, mo-
leſtias, ac labores facillime tolerauit; immo labores otio, tempeſtates tranquillitati, pericula ſecuritati in omni
Ordo & methodus temporum varietate prætulit. Iam nunc primum more maiorum, qui in huiuſce ſcriptionis curſu cum laude ver-
ſati ſunt, illius genus, vitam, mores ac virtutes exponam: deinde ad veram ſolidamque enarrationem accedam
Pſal. 67. 36. certiſſimorum illorum miraculorum, quibus ad ſempiternam gloriam inſignibus, Deus mirabilis in Sanctis ſuis,
illius ſanctitatem & teſtificatam & illuſtratam eſſe voluit. Ita opinor, fiet, vt, adiutrice diuina gratia, vtilis ac ſa-
lutaris futura ſit omnis hæc, quæ à me ſtudioſe ſuſcepta eſt, commemoratio. Exempla namque virtutum, qua-
rum laude viri ſancti celebrantur, ad eorum nos imitationem excitant: miracula autem, quæ illorum gratia
Deus edidit, ad diuinum eius amorem nos vehementer incendunt; cum immenſam illam benignitatem & cha-
Act. 19, 12. ritatem perpendimus, quâ, quod ſibi diuinitatis iure proprium eſt, non modo ipſis ſanctis hominibus, ſed eo-
rum ſemicinctiis & ſudariolis communicare dignatus eſt. Et quoniam res cunctas, ab eo mirabiliter ac diuinitus
geſtas, recenſendo perſequi, longum nimis eſſet ac pene infinitum opus; ex iis multas accurate ſeligendas pu-
taui, & illas quidem potiſſimum, quibus tum magis diuinæ erga virum ſanctum bonitatis ſplendor eluceſcit;
tum ardentius animi ac mentes legentium inflammantur ad illius diuinæ benignitatis amorem. Iis, vt diligen-
tiſſime potero, explicatis, quæ ſunt præclara monumenta virtutum, & teſtimonia luculenta meritorum, ob
quæ Deo dilectus Didacus à Sixto Quinto Pontifice in Sanctos relatus eſt; conſequens etiam exiſtimaui, ne quid
ad huius ſcriptionis meæ cumulum deſit, acta omnia ſolemneſque ac ſtatas illas, plenas diuinorum myſterio-
rum ceremonias exponere, quæ ex Catholicæ Eccleſiæ inſtituto atque vſu adhibitæ ſunt ad illud pontificium
& ſacroſanctum canonizationis munus. Hæc autem omnia à me exordij loco dicta ſunt. Nam etſi ex rhetorum
præceptis in hoc ſcribendi genere nullum, aut certe breue exordium fieri oportuit: tamen pro ſancti viri, cuius
vita commemoratur, ratione, proque factorum eius dignitate præfari ita libuit: vt præſertim rerum, quæ ma-
gnæ ad ſcribendum proponuntur, quæq; longo commentario opus habent, ordinem in ipſo exorſu omnes facile
intelligant. Verum iam locus poſtulat, vt ipſam narrationem ingrediar. Nihil mihi nec ad officium aptius, nec
ad laudem amplius, nec ad delectationem iucundius, nec ad ſalutaris diſciplinæ fructum vtilius contin-
gere potuit, quam diuinas res vitamque tam ſancti viri ad poſteritatem literarum monimentis prodere,
& laudes illius celebrare: qui charitate ſumma exardeſcens, in iis euigilauit curis, in eaque aſſidua pernocta-
uit cogitatione, vt CHRISTI Domini gloriæ ſeruiret omnino. At cum mihi in mentem venit, ad munus,
quod ſuſcepi, in primis opus eſſe caſtiſſimi animi meditationibus, & morum innocentia: cumque video non
omne vitæ meæ tempus me in Dei ſanctorumque laudem contuliſſe: huius meæ conſcientiæ metu, à præclaro
conatu deterreri poſſe videor. Itaque Deum optimum maximum, qui prunæ ardore abſterſit linguam, quam ſe
Eſai 6. 7. pollutam habere Iſaias profitebatur: id continenter precor, vt diuino ſpiritu intimos meos ſenſus ab omni
labe puros reddat; oris mei impuritatem, quam ex prophanis ſermonibus contraxi, abſtergat, mentemque exurat
& inflammet ad diuinam eius gloriam celebrandam in ſancto viro Didaco: cuius vitam, clariſſimas virtutes, reſ-
que mirificas ſcribendi initium in præſenti facio.

PRIMVM igitur, vt ordine, quem mihi præſcripſi, narrationem inſtituam, de tempore dicam, quo is edi-
Quando ſit natus, incertum. tus eſt in lucem. Id accuratè, ac diu inueſtigatum, non compertum habetur quicquam certi, quod aſſeueran- I.
ter ſcribi poſſit. At coniectura hoc ipſum perſpici facile poteſt. Certis enim l[...]iarum publicis monumentis, Ro-
mam ab Hiſpania recte allatis, proditum eſt, illum ad ſummam ſenectutem vixiſſe, annoque milleſimo quadrin-
genteſimo quinquageſimo, Nicolao Quinto Pontifice, ad Iubilei celebritatem, in Vrbem veniſſe; & vero annis
poſt duodecim è corporis ergaſtulo ſolutum, abijſſe in cœlum. Ratione igitur inita huius temporis, quod cer-
tum notaui, cum eſſet is ætate ſcilicet ingraueſcente penèque decurſa: credibile ſit, vel potius vere dici licet, il-
lum exortum eſſe aliquanto ante milleſimum & quadringenteſimum annum à Chriſto nato. Neque propterea
fortaſſe à vero alienum erit affirmare, eius ortum incidiſſe in tempora Bonifacij Noni Pontificis: qui, pontifi-
catum iniens anno M. CCCLXXXIX. geſſit annis circiter quindecim. Quo tempore Hiſpania, Henrico
III. Rege, maxime floruit: ab ea tamen re felicior extitit, quod virum talem peperit, cuius ſanctitatis odor in
omnem Eccleſiam diffuſus eſt. Sed hic, res mira ſilentio prætereunda non videtur. Erat beatæ Mariæ Virginis
Viſitationis celebritas aliquot ante annis ab Vrbano Sexto Pontifice inſtituta: quæ cum non eſſet adhuc indu-
cta in conſuetudinem, aut forte temporum iniuria in cultu eſſe deſiiſſet, illam idem Bonifacius ad vſum reuoca-
uit, indulgentiarumque munere auctam ſolemniorem reddidit. Diuino conſilio factum eſt, vt qui dies in celebri
veneratione eſſe cœpit, cum beatus Didacus tunc primum in lucem editus, aut infans, puerve extitit, eo ipſo ſa-
cro ſolemni die, tam multis poſt annis, à Sixto Quinto Pontifice, Philippi Regis rogatu ſit in ſanctorum Confeſ-
ſorum numero collocatus. Verum id omne copioſius loco ſuo infra enarrandum erit.

Dat

Dei munere, beneficioque, Hiſpania iam inde vſque ab eo tempore, quo Apoſtoli & apoſtolici viri ſplendidiſſimum fidei ac virtutum Chriſtianarũ ornatum explicarũt, tam mirifico illo ſplendore incenſa, dementis ſuperſtitionis falſo cultu abiecto, ardenter amplexa eſt ſanctiſſimam Chriſti Domini religionem. Quo factum eſt, vt in omni temporum varietate, quibus contra Eccleſiam Dei bellum exarſit, magnam ac firmiſſimam martyrum multitudinem, quaſi cohortem quandam prætoriam, in aciem eduxerit. Eamq; ob rem admirabilis elucet Chriſtiana virtus Hiſpanorum, qui fide imbuti, ad eam tuendam ſunt confirmati vehementius. Nulla ferme eſt Hiſpaniæ ciuitas, quæ aliquo nomine clara, etiam non ſit nobilitata martyrio multorum. Neque attinet omnes enumerare; cum præſertim Eccleſiaſtici Annales non obſcurè loquantur. At hoc meminiſſe glorioſum eſt, atque iucundum, pro Chriſti fide, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Cæſarauguſtam, quæ vrbs in Hiſpania eſt regionis Sedetaniæ, ita contendiſſe, & dimicaſſe; vt cum omni alia, non modo ciuitate, ſed prouincia comparari optimo iure, meritiſſimoque poſſit. Id teſtatiſſimum fecit. Prudentius hymno illo elegantiſſimo, quem de martyribus octo & decem Cæſarauguſtanis ſcripſit. Fuerunt ſemper in omni Hiſpania, & ſanctitatis, & doctrinæ gloria præſtantes, non modo Antiſtites, ſed alii cuiuſcunque ordinis & loci viri; quos non eſt, cur nominatim appellem. Iam verò ſynodi, in quibus Chriſtiana morum diſciplina maxime illuſtris eſt, quam antiquæ, & quam frequentes extiterint, id cum Illiberis, tum Toleti monumenta declarant. Conuentus autem Toletani quatuor & viginti, atque adeo amplius numerantur. Nulla enim toto orbe terrarum eſt vrbs, vbi ſæpius Concilia prouincialia coacta ſint, eaque rectè atque ordine habita. Epiſcoporum item multitudinem demonſtrant tabulæ dypticæ Hiſpanienſes: in quibus etiam cernitur numerus ſatis magnus eccleſiarum, præſertim Cathedralium. Atqui eæ ſunt ferè omnes cenſu ampliſſimo auctæ, ac multæ admirabili opere, auguſtiſſimiſque donis excultæ. Hæc omnia ob oculos ponunt ſingulare religionis Chriſtianæ ſtudium: quo perpetuò omnis Hiſpania floruit. Alia multa extant, quæ ad illius gloriam redundant: Regnis namque duodecim conſtat, quæ magna amplaque habent vectigalia. Archiepiſcopatibus quinque circumſcribitur præter Vlyſſiponenſem: qui in Luſitania à Bonifacio Nono Pontifice, tum primum, pro temporum ratione, paulò ante notata, inſtitutus eſt; cum beatus Didacus nondum ex pueritiâ exceſſerat. Idque à me dictum eſſe volo, vt ad illius ætatem, quam propoſui, aliquid non modo quod certum, ſed quod inſigne ſit, ſemper accedat. Verùm Hiſpania, quæ non ſolùm tantis ornamentis, ſed magnis etiam rerum copiis circumfluit, quæ ad vitæ vſum, & cultum pertinent; hanc præter ceteras ſummam quoque laudem & domi, & foris habet, quod maximo exornata eſt Sanctorum numero. Neque hic longe repetenda ſunt vltima illa tempora; cum proxime ſint, qui eam colluſtrarint. Non multis ab hinc annis Vincentium Valentinum Ordinis S. Dominici Calliſtus Tertius, & nuper Sixtus Quintus Didacum Complutenſem Ordinis Seraphici Franciſci, vtrumque hominem Hiſpanum, in Sanctos retulit. Res eſt, quæ poſt Martyrum memoriam, diuino munere, ſoli tantum Hiſpaniæ ſucceſſit, alii præterea nulli prouinciæ, vt duos habuerit, qui tam exiguo temporis ſpatio interiecto in Sanctis adſcribi meruerint. Beatus igitur Didacus, Hiſpanus fuit, in Bætica prouincia, oppido quodam natus, quod ſancti Nicolai nomine appellant. Eſt id ditionis Hiſpalenſis, inter Conſtantinam, & Caſaliam ſitum Bætica prouincia, à Bæti flunio vocata, quem Guadalquiuir, nempe fluuium magnum Arabico vocabulo appellant, Granatæ partem intra fines ſuos continet, vrbeſque habet multis nominibus illuſtres: quarum caput ac metropolis eſt Hiſpalis, in cuius ditione beatus Didacus naſcitur. Ea vrbs, quam Sibilliam Mauritano nomine hodie vulgo dicunt, ſcriptorum iudicio multis Hiſpaniæ ciuitatibus anteponitur. Eſt circuitu ampla, forma rotũda, aſpectu pulchra, mœnibus & propugnaculis munita, plateis & vicis hilara, ædibus inſignis, hortis & fontibus amœna, templo maximo nobilis, & eccleſiarum multitudine celebris, ſacerdotibus exculta, ciuium plena, equitibus referta, mercatorum commerciis opulenta, liberalibus ſtudiis affluens, artibus adornata, agri vbertate valde admodum fertilis, nauigiorum numero copioſa. Sed eſt ea laude florentior, quod perpetua habet monumenta Chriſtianæ religionis & diſciplinæ. Sunt Hiſpali beatiſſimi Martyres, qui Daciano Præſide & Diogeniano eius Legato, fortiſſimi pro Chriſti fide heroes, dimicationem tum ſuſceperunt, tum confecerunt, Carpophorus & Abundius, Petrus & Florentinus, Iuſta & Rufina virgines. Synodi duæ Hiſpalenſes, vna prior, altera poſterior, ad pietatis officia inſignes. Epiſcopi autem extiterunt, doctrinæ & ſanctimoniæ gloria præſtantes: in quibus potiſſimum eminent duo, Leander, & Iſidorus. Tanti autem Hormiſdas Pontifex fecit Hiſpalenſis Epiſcopi dignitatem, vt ei Sedis Apoſtolicæ auctoritatem delegârit, quam in omni & Luſitania, & Bætica gereret. Hæc ſunt ornamenta Hiſpalis vrbis: intra cuius fines, cum, vt dixi, poſitum ſit S. Nicolai oppidum, è cuius viſceribus beatus Didacus in lucem prodiit, ſicut florentiſſimæ illius ciuitatis ſplendore obſcurum eſſe nullo modo poteſt; ita maxime illuſtre factum eſt ortu illius tam magni viri, omni virtutum in Eccleſia Dei prælucentium laude clariſſimi. Neque quicquam opus eſt, cur de illius patria pluribus ſcribam; cum Sanctorum non hæc terrena ſit, ſed cœleſtis illa ciuitas, inquit Baſilius Magnus.

Hiſpania plurimos habet martyres.

Prudentius Hymn.

Concilia Toletana 24.

Regna duodecim in Hiſpania.

S. Didaci patria oppidum S. Nicolai.

Sibilliæ vrbis laus.

Martyres.

Epiſcopi inſignes.

III. Beati Didaci parentum nomina ignorantur, vt S. Hilarij Epiſcopi Pictauenſis, & aliorum fortaſſe multorum, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis. Natus eſt autem parentibus, etſi forte humilibus, at certe Chriſtianis, & antiqua, vera ſolidaque pietate imbutis: quales fuiſſe conuenit, à quibus filius, tantus vir futurus ad tam præclara pie agendi officia, primum ineunte ætate informaretur. Non genus nobile, aut ignobile, Deus ſpectat. In veritate comperi, inquit, beatus Petrus, Apoſtolorum princeps, quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. In omni ordine, gradu, & ſtatu nouit Dominus, qui ſunt eius, & miſeretur cui voluerit, & miſericordiam præſtat, in quem ſibi placuerit. At beatus Didacus quamuis nobili forſan genere non eſſet; cum huius vitæ curſum ſanctiſſime confecerit, egregiarum virtutum exempla documentaque præbuerit rerum admirabilium, ac diuine geſtarum ſplendore eluxerit, ad magnum, vel potius ſummum claritatis ſplendorem aſcendit. Hanc generis nobilitatem & dignitatem Chriſtus Dominus hominibus attulit, qui illum ſequerentur, vt filij Dei vocarentur, & eſſent. Si filij, inquit, beatus Apoſtolus Paulus, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Qui ſpiritu Dei, inquit idem, aguntur hi filij Dei ſunt. Summo genere igitur eſt beatus Didacus, qui diuino ſpiritu impulſus, ſe totum ad Chriſti ſtudium contulit, & illius Crucem amplexatus eſt animo ardentiſſimo. Sed locis ſuis hæc omnia exponentur. Nam, vt recte ad narrationis curſum progrediar, de eius nomine dicendum eſt.

S. Didaci parentes ignoti.

Act 10.34.
2 Tim. 2.
Rom 9

Nec ignobiles.

1. *Ioan* 3.1.

Rom. 8.17.
Ibidem 14.

IV. Parentum autem pietatem indicat nomen, quod filio, vt ritus poſtulat, in baptiſmo imponi voluerunt. Iacobum enim dixerunt: quod nomen Apoſtoli eſt, cœleſtis Hiſpaniarum aduocati. Id ab iis, qui religionem Chriſtianam integre, pure, pieque colebant, eo conſilio factum eſt; vt ſuſcepta proles frequenti nominis recordatione ad imitationem excitaretur virtutum tanti Apoſtoli, & quem imitari ſtuderet, eum quoque precaretur, ac ſperaret ſibi patronum ad ſalutem tum animæ, tum corporis defendendam futurum eſſe. Pium fuit ac ſapiens parentum conſilium: reſque præclare cecidit, vt maxime concupierant, atque optarant. Didacus enim filius, Apoſtoli virtute, & ſanctitate accenſus, ſpretis & contemptis huius vitæ rebus, quæ nihil ſolidi, nihilque expreſſi continent, ſed inanem quandam bonorum imaginem præ

Iacobus nomen eſt Didaco.

Secutus eſt Didacus cognomine Apoſtolum.

ſe ferunt;

ſe ferunt; Chriſti Domini crucem vſque adeo ſecutus eſt, vt in omni vita diuelli ab ea non potuerit. Re igitur præ-
Iacob latine ſupplantator. ſtitit, quod nominis notione & ſignificatione præ ſe ferebat. Nam Iacob Hebraice, ſupplantator Latine dicitur. Is autem quaſi ſuppoſitis huic ſæculo pedibus, ita ardenti cœli deſiderio exarſit, vt mox infra narrabo. Eum Hiſpanice vulgo apellant Diegum, quem etiam plerique Didacum dicunt. Atque hoc ipſo quidem nomine permulti ſancti viri vocati ſunt, quorum vnus eſt Didacus, Epiſcopus Vercellenſis, ſanctitatis laude clarus.

TANTA vis eſt amoris erga Deum, quantum non ſolum ex beati Pauli teſtimonio, ſacriſque literis, ſed ex V.
omnibus aliis Chriſtianæ pietatis monumentis intelligi licet. Diuina Charitate accenſi Chriſtiani homines neque minis, neque terroribus, neque doloribus, neque ſupplicijs, neque mortis immanitate, nec hoſtis ſempiterni truculentia, nec vllis denique rebus aliis vel maxime horribilibus labefactari, infringi, & à Chriſti Domini fide auelli, atque abſtrahi vnquam potuerunt. Gladios ſpernebant, in ignes irruebant, cruciatus appetebant, in tormentis vitam abijcere cupiebant. Eo ipſo cœleſtis amoris ardore inflammati Dei homines, poſtquam diuino beneficio omnis perſecutionum tempeſtas eſſe deſiit, Paulus & Antonius in Ægypto, Hilario in Syria, Macharius in Thebaide, Pachomius etiam, & alij deinceps, ab omni hominum conſpectu remoti, vaſtas illas ſolitudines non horruerunt; ſed vltro adierunt: in iiſque ab huius ſæculi iucunditatibus alienam vitam ſecuti, ita crucem omni duriſſimæ vitæ genere amplexati ſunt, vt tota illorum mens, in Chriſti imitatione defixa, tantum cœleſtia meditaretur. Eodem amoris erga Deum ſtudio exardeſcens beatus Didacus, mundi huius pericula fugiens, eo-
Vitam ſolitariam agit. rum Sanctorum virorum exemplo vitam in ſolitudine, ſibi primum delegit. Itaque ab ineunte ætate piis operibus deditus, iam adoleſcens, vna cum quidam ſacerdote, diuinæque pietatis laude clariſſimo, quē voluntariæ paupertatis, vigiliarum, ieiuniorum, abſtinentiæ, continentiæ, innocentiæ, orationum, omniſque ſpiritualis exercitationis ſocium, ac teſtem habuit, ad eremum venit, quæ ab oppido ſancti Nicolai, eius patria, prope aberat. Eo loci multos annos manſit; vbi cœleſtium meditationum pabulo animum alebat: corpus autem duriter, Sanctorum eremitarum more, ſuſtentabat eleemoſynis. Otium, quod vitiorum omnium ſeminarium eſt, vitabat omnino. Itaque, quod ſalutare, ac vetus eremitarum inſtitutum fuit, in illis Ægypti præſertim ſolitudinibus, cum magnam temporis partem diu noctuque in ſancta contemplatione, & oratione poſuiſſet; quod reliquum erat, ad opera
S. Hieron. tom. 1. ep. 4. ad Ruſt. manuum traducebat. Imo dum ore, aut mente Deum precabatur: interim etiam manus haud quaquam otioſas eſſe voluit. Idque omne faciebat non ob victus ſolum neceſſitatem, ſed ob animæ ſalutem. Ne pernicioſis cogitationibus vagaretur mens, otio langueſcens, & inſtar fornicantis Hieruſalem omni tranſeunti diuaricaret pedes ſuos. Vaſa igitur vaſcula è iunipero contexebat, cochlearia conficiebat, & iis in exigua ſalina. Ea dono dabat iis, qui ei eleemoſynam conferebant rem aliquam vel minimam, victus ſui tenuitati neceſſariam. Si quid autem qui munuſcula ab eo acceperant, dare præterea vellent, id ſummopere recuſabat, cum eius, qui in eremum ſe abdidit, diuitiæ tantum ſint, tunica, cucullla, palliolum, & meditationum liber; id quod de beato Hilarione ſcri-
Idem to. 1. in vit. Hilarionis. ptum ſanctus Hieronymus reliquit. Ex oppido ſancti Nicolai cum aliquando ad eremum rediret: ſacculum in via,
Pecuniam reſpuit inuentam. plenum nummorum inuenit, quem ne manu quidem capere, ne dum ſibi acquirere voluit, paupertate ſumma contentus, cuius ſtudio mirum in modum deditus erat. Ad oppidum propterea continuo reuerſus, quem fortuito primum offendit, ei certum locum demonſtrauit, vnde eum ſacculum nummatū acciperet. Humilitatis autem, quæ virtus Chriſtianæ religionis propria eſt, ac virtutum omnium ſeminarium, officia ita coluit: vt ea, & charitate, qua omnes eximie in Chriſto diligebat, maximā excitaret admirationē ſui. Sed de iis ipſis alius erit enucleatius perſequendi locus. Quoniam igitur is, vt homo erat, qui intimo animo de ſe humiliter ſentiebat, ſeque præ cæteris contemnebat, ab illa nominis ſui gloria, in patriæ, illiuſque regionis fines longe diffuſa, valde abhorrebat: ab eremo diſceſſit ad Conuentum Arrizafæ, qui eſt Ordinis ſancti Franciſci, non procul Corduba diſtantem; vbi diuina ope adiutus, maiores in via Domini progreſſiones habuit, vt mox narrabo.

SPIRITV diuino ductus Cordubam venit ad eum conuentum: vbi, arctioris obedientiæ vinculis deuin- VI.
Obſeruantium inſtituto ſe addicit. ciri cum maxime cuperet; in Seraphici Sancti Franciſci adſcriptus eſt ordine, quem vulgo Obſeruantium nomine vocant. Mirifice illum ad omnem ſanctè progrediendi rationem adiuuit Dei benignitas, ſi cuncta, vt par eſt, accurate perpenduntur. Eſt Corduba, quaſi cor Bæticæ prouinciæ, vrbs antiquiſſima, à Marco Marcello condita, vel potius inſtaurata, Patriciorum Romanorum colonia, ad Bætim fluuium ſita, cuius totus ager frugife-
Cordubæ laudes. rus eſt, ac fructuoſus; cum antea præclaris virorum ingeniis præſtitit, tum rei militaris gloria circūfluxit. His illiſque rebus nobilitata, at longe nobiliſſima extitit, cum pro Chriſti Domini fide, cuius myſteriis ab initio ferme Chriſtianæ religionis imbuta eſt, præclaras illas dimicationes ac pugnas egregias ſuſcepit & confecit. Cordubenſium enim martyrum, quorum ſanguine illa ciuitas conſecrata eſt, ingens numerus putatur, fortaſſeque maior multo, quam cæterarum Hiſpaniæ vrbium, quæ illuſtribus pro Chriſti nomine victoriis excellunt. Neque autem ſolum Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, à quibus, cum vbique terrarum, tum in ipſa Hiſpania teterrimi belli incendium magnum contra Eccleſiam Dei excitatum eſt Daciano, Dione, & Eugenio ducibus, contra fidei hoſtes Cordubę ſumma conſtantique contentione pugnatum eſt: verum etiam aliquot poſt ſæclis aduerſus Gothos, Arianæ hæreſis furore inflammatos, nominis populique Catholici hoſtes infenſiſſimos, certamina ad ſempiternam laudem inſignia ſunt, coronæque maxime illuſtres Cordubenſium martyrum. At in Arabicæ gentis, Mahumetanæ ſuperſtitionis fæce contaminatiſſimæ, eamque ob rem feritate immaniſſimæ dominatu, vix dici poteſt, quam magnum ac glorioſum ſit pietatis nomen, quo ciuitas Cordubenſis maxime illuſtris videtur. Ea vrbs, tantorum martyrum glorioſis trophæis ornata, magniſque pietatis ornamentis locupletata, Dei hominem, qui ad Sanctorum imitationem ſe contulerat, potuit bene iuuante Deo, vt credibile ſit, in dies magis atque magis accendere ad illas ſpirituales progreſſiones, quæ ſibi diuinitus in cordis viſceribus fixæ, inſidebant. Inde enim vix mille & quingentis paſſibus procul eo in conuentu cum habitaret, multum adiumenti, auctore & duce Spiritu ſancto, conſecutus eſt non ſolum ex recordatione vrbis, Sanctorum copia circumfluentis; ſed ex anniuerſarijs eorum natalibus diebus; quorum celebritas, quaſi liber quidam, animos menteſque hominum piorum, meditationis aſſiduitate vtentium, inſtruit ad eos ipſos imitandos, qui ſunt nomine non tantum, ſed memoria atque imitatione digniſſimi. Iam vero aliquot annos in patriæ eremo Beatus Didacus poſuerat: diuina factum eſt voluntate, vt is vitæ eremiticæ exercitationibus præclare antea inſtitutus, ad illum, quem dixi, Seraphici Franci-
Monaſterium eremplorum officina, quod bene inſtitutum eſt. ſci obſeruantium Fratrum conuentum ſe reciperet: vbi pietatis ardore & progreſſione diſciplinæ allecutus eſt omnia, quæ ſibi maxima propoſuerat ad vitæ perfectionis imitationem. Nam, vt ſapiens quidam vir, ſanctarum inſtitutionum vſu peritus, ſcite dixit; Domus religioſorum hominum conuentu referta, quædam quaſi officina eſt exemplorum: quibus viuere aique adeo ſingulatim, quicunque in eo cœtu numeroque adſcribuntur, inſtructiores ſiunt ad recta ſummarū virtutum officia. Sunt in eo communi bene inſtituto domicilio, qui humilitate & manſuetudine, alij qui charitate, alij qui abſtinentia, alij qui meditationis & orationis ſtudio præſtent; nonnulli etiam qui aliorum cœleſtium donorum ſplendore prælucent. Quo fit, vt in tanta bonorum quaſi ſupellectile & copia, cum quis ab vno aliquid, ab altero aliud, ab aliis alia, & ab omnibus denique omnia capiat; opibus cir-

cumfluat

cum fluat documentorum, quibus in omnes virtutum partes conformari poſſit ad perfecte ſancteq; agendum. Erat illis temporibus Seraphici ordinis religio, quam florentiſſima nomine ſanctimoniæ, cum præſertim ad antiquam illam diſciplinam, ab auctore parenteque B. Franciſco inſtitutam renocaſſet paulo ante Bernardinus Senenſis, cuius memoria in benedictione eſt. Numquam ſatis oratione explicari poſſunt illa virtutum curricula, quibus tunc B. Didacus progreſſus eſt ad viam Domini, in qua iam diu impreſſa habuerat veſtigia. Sed miſericors & omnipotens Deus, qui diſponit omnia ſuauiter, qua eſt immenſa bonitate, illius recte progredientis curſum alia etiam ratione incitauit. Brenimis, rerum omnium auctor & conditor, vt ſolem, qui ceteris ſideribus lucem præberet, principem locum habere voluit: ſic B. Franciſcum, nimirum Seraphici ordinis parentem, tanquam aliquem in ſtellis ſolem, maiorum noſtrorum memoriæ dedit: vnde, qui illius diſciplinæ ac regulæ ſe vnquam dediſſent, clariſſima virtutum omnium exempla haurirent. Didacus igitur beatus, ope diuina ſubnixus, Seraphici illius patris imitatione, quam miras ad ſanctè agendum progreſſiones habuerit, mox ordine exponam.

S. Bernardinus Ordinē reformauit.

VIII. IAM inde ab adoleſcentia is cum ſuaue Chriſti Domini iugum ſubierit: non huic ſæculo, eiuſque deſideriis, quemadmodum dixi, in poſterum alligatus, quæſiuit aut egit, quæ gentes inquirunt, ſed quæ Dei ſunt. Vbi vero primum S. Franciſci regula, vitæque Seraphicæ inſtitutis ſe deuinxit, vt verus obedientiæ filius, paratus in omnes voluntates Dei, mirifice cucurrit viam mandatorum eius. Omnes igitur cogitationes ſuas in eo potiſſimum fixas habuit, in eoque omnibus viribus contendit, vt, quam viuendi diſciplinam ſibi delegiſſet, eam ſingulari ſtudio atq; omni officio exprimeret. Id quo rectius, & perfectius in ordine Seraphico præſtaret, illius regulas, conſtitutioneſque memoria complexus, eas ad vitæ vſum & conſuetudinem quotidianam adduxit. Nemo profecto illis ſeruandis diligentior, quam is fuit: qui non tantum ne minimum quidem ab earum præſcriptis diſceſſit, ſed zelo exarſit, vt ſi quem fortaſſe in illis aliquando quicquam offendere animaduerteret, ad earum obſeruationem, cohortationibus, monitis, & præclaris exemplis reuocare ſtuduerit perpetuo. Quare magnam in primis religioſi viri opinionem concitauit, & ſuſtinuit apud omnes, qui aut in eodem conuentu permanerent, aut aliunde, etiam ex diſiunctiſſimis prouinciis, illuc confluerent. Ij peragratis multis diuerſiſq; prouinciis, cum plurimorum hominum religioſorum vitas moreſq; perſpectos & exploratos habuiſſent, illud aſſeuerantes in vulgus dictitabant, ſe eorum, qui perfecte exequendis B. Franciſci regulis omnibus Didaco par eſſet, vidiſſe vnquam neminem. Hoc autem in omni eius vita cunctis perſpicue manifeſtum eſt, idemq; in obitu apparet: quandoquidem in ipſo pene temporis puncto, quo animam Deo reddidit, non aliorum recordatione, ſed ſponte ſua petiit, ſe veſtitu rudi indui & cingulo funeo, vt ne moriens quidem negligeret, quod ad regulæ vſum pertinere notat. Itaq; tam inflammati ad Seraphici ordinis præcepta ſeruanda ſtudij viam ille primum ingreſſus, non modo aditum quendam exiguum, ſed latiſſimum ſibi campum patefecit, in quo exercitationes, & curricula conficeret ſummarum & diuinarum illarum virtutum, quarum veſtigia, ad ſempiternam memoriam impreſſa reliquit, vt diſtincte, diſtributeque omnia demonſtrabo.

Regulam quam prædidit rigide ſeruauit.

IX. AD quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementē ſermones meos? dicit Deus omnipotens. Paulo ante expoſui humilitatem, quam B. Didacus, cum apud S. Nicolai oppidum in eremo vitam duxit, mirifice coluit, Neque propterea tamen narratio repetita videri debet: cum in ætatis ſuæ curſu maiores longe progreſſiones fecerit ad ampliſſimam illam, vel potius ſummam virtutem, cuius tanta vis eſt, vt cælum etiam penetret. Humilitatis, qua præluxit ſeruus Dei Didacus, argumento multa ſunt, vita aſperrime acta, corporis cruciatus ſponte ſuſcepti, ſingulariſq; abſtinentia victus, perpetuus fere ieiuniorum curſus, aſſiduæ in oratione pernoctationes, labores incredibiles, atque opera abiecta, ac demiſſa, quę pro charitate magna præſtitit. Sed hæc omnia facile intelligentur, cum inſra non curioſe, ſed pie commemorabuntur. Reſpexit autem Deus illum, pauperem ſpiritu nimirum humili & demiſſo animo, pio metu in lege diuina ambulantem: & ita reſpexit, vt eius humilitatem etiam ex eo perſpici liceat magnam fuiſſe, Deoque gratam, quia illum humiliter precantem, mirandis in rebus diuina benignitas exaudiuit. Non ſuperbi, vt diuinis in litteris ſcriptum eſt, placuerunt tibi Domine: ſed humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Miraculorum vero, quorum ſplendore is claruit, magnitudinem ac multitudinem altera huius commentarij parte explicabo, vt initio propoſui. Atqui teſtes extant grauiſſimi viri, quorum alij vnius virtutis, quidam cæterarum multarum teſtimonium et præclarum dicunt, omnes autem vno ore humilitatem eximie laudant, qua illius memoriæ hominibus in ordine Minorum excelluit, nimirum in exercitatione, atq; vſu diu verſatus meditationum vitæ Chriſti Domini, qui in terris primus tantæ virtutis ſcholam inſtituit, Is Filius Dei, cum in forma Dei eſſet, neq; rapinam arbitraretur ſe eſſe æqualem Deo, ſeipſum ad humilitatem noſtram demiſit, in ſimilitudinem hominū factus, & forma inuentus vt homo, Is vitam in terris humilem, & ab omni cultu elegantiaq; remotiſſimam ſecutus eſt: inſignes cōtumelias pati, grauiſſimas ignominias accipere, multis flagris cædi, & quod mortis genus olim erat maximo dedecori, in crucem tolli voluit. Humilitatis igitur, quæ virtutum omnium radix & cuſtos eſt, auctorem Chriſtum, rerum cunctarum Dominum, habuit: cuius in primis magiſtri cæleſtis exemplis inſtructus, frequentibus illis in meditationibus, quas ad eius crucem adhibebat, præclariſſimam tantæ virtutis vim animo mentiq; ſuæ mirabiliter impreſſit. Et, vt erat, quemadmodum loco ſuo exponam, B. Mariæ Virginis, Dei matris cultor egregius: In eius ſacris feſtiſque anniuerſariis potiſſimum diebus, cum eam omni pietatis officio præcipue veneraretur, tum ad imitationem animo retinebat ſibi propoſitas eſſe reliquas eius virtutes, omnes, maximeq; humilitatem, quam Deus in ancilla ſua reſpexit. In his ſanctarum contemplationum ſcholis exercitatus B. Didacus, non potuit, quem vt humilitas in hominibus inueniri poteſt, non eſſe ſummè humilis: cum præſertim humillimæ vitæ ducem ſibi delegiſſet Seraphicum Franciſcum, qui, diuina adiutrice gratia, cum ad Chriſti Domini exemplar ſe in omnes vitæ partes imitatione conformare ſtuduerit, multa familiæ ordiniq; ſuo reliquit exempla humilitatis. Cuius virtutis veſtigia in ipſo Didaco, quem diligentiſſimum illius imitatorem fuiſſe conſtat: eamq; ob rem à regularum, quæ omnes ad Euangelicam paupertatem, ſummamq; humilitatem referuntur, præſcripto, ne minimo quidem diſceſſiſſe, paulo ante publicis Hiſpanienſibus tabulis obſignatis, & teſtimoniis demonſtratum eſt luculentis. Itaque ſeruus Dei Didacus hoc proprium habuit, vt ſibi omnes anteponeret, ſe autem nemini. Omnibus autem, vel minimis, inſeruire cupiebat. Senes, pueros, adoleſcentes, omneſque cuiuſcunque ordinis ac loci homines iuuare ſtudebat tanta humilitate, quanta quidem maxima animo comprehendi, aut oculorum aſpectu cerni poteſt. Quicunq; ad ſe veniret, conſilium aut auxilium expetens: nunquam aliquem reiecit, immo quos pauperes, mendicos, atque ab omni re inopes animaduerteret, erga eos humilius ſe gerebat, vt infra ex charitatis, qua illos fouebat, officiis intelligi licet. Iniurias, contumelias, & maledicta, ſi qua vnquam in ſe ab impuris hominibus conijciebantur, humilime patientiſſimeq; ferebat. Præ humilitate ēt, veſtitum induebat paulo aſperiorem, ac duriorem. Sed huius virtutis, ad quam ſe egregie erudierat, argumento ſunt alia multa, quæ infra commemorabuntur: cum illa, quæ præſtitit, vel obedientiæ, vel charitatis opera, aut affligendi corporis ſtudia, aliaque eius generis ab humilitate proficiſcantur.

Iſai. 66. 2.
Sup. cap 5.
Iudith. 9. 16.
Humilitas S. Didaci dilaudata.
Phil. 2. 6.
Auctor humilitatis ſectandæ Chriſtus.
Et imitator Franciſcus.
S. Franciſci Didacus ſectator.

X. EVANGELICÆ paupertatis, quam verâ ſolidaq; animi humilitate Didacus profitebatur, ſocia & comes, ac tanquam germana ſoror eſt obedientia, cui magnum præmium propoſitum eſſe, Baſilius Magnus ſcribit. Ea cum ſit, inquit * Climacus, ſepulchrū propriæ voluntatis: illius ſtudio ita ſe ipſe Didacus dedit, vt voluntate ſua quaſi ſepulta

Baſil. in conc. proœm. in prouerb.

* Grad. 4.

Obedientia ſepulchrũ voluntatis. Verus obediens è mẽte S. Franciſci.

eorum, qui præerant, iuſſis, ſæpe etiam numero acerbiſſimis, obediẽtem ſe maxime omnium præſtiterit. Præfecto alicui, ne nouitio quidem, parere recuſauit. qui veræ obedientiæ diſciplinam ex eo didicerat, quod olim B. Franciſcus ſuis dixerat. Is aliquãdo interrogatus, quis eſſet verus obediens: mortui hominis exemplo id explicauit: Tolle, inq̃t, corpus exanime, & quo loco volueris, repone: cernes, illud nec repugnare motũ, nec reclamare dimiſſum, neq; vllo modo indignari, quocunq; feratur. Didacus igitur beatus, obediẽtiæ cultor eximius, cur è loco, vbi eſſet, moueretur, nõ diiudicabat; vbi locaretur, non curabat; vt alibi reponeretur, nõ inſtabat: euectus ad Guardiani munus, ſeruabat humilitatẽ, quã profeſſus erat: & quo magis ab hominibus honorabatur, hoc humilius ſe gerebat, cũ indignũ honore ſe putaret. Quare paratus atq; inſtructus ad obedientię leges, non attendit vnq̃, vt erat ſingulari animi ſimplicitate præditus, quale eſſet, quod præcipiebatur, eo ſolo contentus, quod ſibi erat à ſuperioribus iuſſum, quibus non obedire nefarium putarat. Quà religioſę mentis incitatione ductus, ſine vlla cunctatione, ſed hilari promptoque animo mandata exequebatur iubentis. Eam ob rem potius humilia, quam magnifica, aſpera & difficilia, quam iucunda & facilia ſibi imperari cupiebat: cum ſæpius auditione accepiſſet non modo obediendi

Gen. 22. 3.

normam, quam ſancti monachi Ægypti tenuerant, ſed Abrahæ exemplum: qui, filium chariſſimum immolare iuſſus, non expectata luce, ſed intempeſta nocte, ad id opus faciendum ſe parauit: Et verò, quod perfectæ obedientiæ eſt, ait Gregorius Magnus, non metu ſeruili, ſed charitatis ardore, nõ pœnæ formidine, ſed recte agendi ſtudio, maiorum præceptis obtemperabat. Erat illis temporibus nauigationis curſus ad Fortunatas inſulas valde admodum difficilis, periculoſus, ob eamque rem infeſtus, quod inſulani, magna ex parte adhuc ſuperſtitionum ſcelere deuincti tenebantur. Appellantur illæ inſulæ vulgo Canariæ: ſunt autem ſeptem, in mari Athlantico ſitæ, veteri-

Canarię inſulæ dictæ à canibus.

bus Ptolomæo, Martiano aliiſque & Latinis, & Græcis cognitæ, præſertim Plinio, qui illas ſuo quamque nomine vocat, Canariaſque omnes dictas putat ob magnitudinem canum, quos illæ patiunt. Diu poſtea incognitæ extiterunt, fortaſſe quia nauigatio Canarienſis multis ætatum ſæculis intermiſſa erat. Demum anno milleſimo, quadringenteſimo quinto à Chriſto nato, Ioanne II. Caſtellæ Rege, quo tempore B. Didacus puer erat, à Benthacorio, homine Gallo, qui tunc à tutoribus Regis, adhuc infantis, mare Athlanticũ nauigandi facultatẽ acceperat, duce inuentæ ſunt, & ad Chriſtianæ religionis cultum inſtructæ. Quo fit, vt aliæ, quæ deinceps in ditionem poteſtatemq; Regis Hiſpaniarum venerunt, nondum fidei myſteriis imbutæ eſſent, cum Didacus, à ſuperioribus ſuis miſſus, eo mare trauſmiſit. Is igitur non longa, neque noua, ob eamq; rem difficili nauigatione perterritus, nec inſulanorum moribus immanitate barbaris perculſus, ſed veræ obedientiæ, cui ſe ſancte addixerat, religioſo officio ductus, nauim conſcendens, ad illas inſulas, ſæpe ventis reflantibus, & infeſto mari, demum ope auxilioque diuino appulit.

Eo deſtinatus Didacus Guardianus.

Eſt vna inter alias Canarias inſula, quam Forteuenturam nominant. Eo venit ad Seraphici ordinis conuentum ſibi à ſuperioribus traditum in curam, & cuſtodiam, quam geſſit magna Seraphicæ religionis laude. Non etiam, qui eam inſulam habitabant, adhuc omnes ad fidem conuerſi. Hîc vir Dei Didacus, meſſem multam nactus, admirandis exemplis, ſingulari vitæ ſanctimonia, ſermonum frequentium ardore incredibili, multitudinem inſulanorum innumerabilem, idolorum cultu, & ſuperſtitionum tenebris circumfuſam, ad fidei lumen perduxit. In iis prę-

Vbi Chriſto multos lucrifecit.

ter cæteros plurimos extitit etiam Ioannes Alphonſus, homo quidam, iam inde vſque è Canaria magna illuc profectus: qui, idola colens, à B. Didaco religionis Chriſtianæ ſacris imbutus, baptiſmum ſuſcepit. Paulo autem poſt, filios duos eidem in diſciplinam tradidit, quam ad pietatis ſtudia atq; officia à magiſtro tam religioſo erudiretur. Magnas ob fidei propagandæ ſtudium difficultates, & labores Didacus perpeſſus, varieque etiam vexatus & oppugnatus, multa quoq; pericula adiit: quibus non modo perterrefactus, ſed ardentius inflammatus ad Canariam magnam item proficiſci deliberauit, vt illius inſulæ homines verbi Dei prædicatione ab impura idolorum ſuperſtitione ad fidem conuerteret; aut martyrium ſubiret, cuius deſiderio vehementer exardeſcebat. Quam plurimos ordo Seraphicus viros habuit, qui martyrij palmam aſſecuti ſunt, quique eodem illius deſiderio flagrantes, parum abfuit, quin tanto bono fruerentur. Tam vehemens in beato Franciſco ardor martyrij fuit, vt ſemel, & iterum, & tertio ad infidelium prouincias eam ob rem ire cõtenderit. Hoc tam præclarum ſalutareq; deſiderium, illius, tamquam optimi parentis, imitatione ac ſenſum, ad ſanctum Antonium Vliſſiponenſem, quem de Padua dicimus, & alios Seraphicæ religionis filios diriuauit. Illius ergo cupiditate, ardens incredibili Didacus, egregius Sera-

Ardet ad martyrium.

phici patris imitator, Canariam magnam cogitat, nauim cõſcendit, magnamque nauigationis partem confecerat: ſed tempeſtatum fluctibus magnis, ac ſimul vectorum, & ſociorum, quos eximia charitate diligebat, metu, cum ij barbarorum, omnia rabide agentium, impetum furoremque vehementer pertimeſcerent: factum eſt, vt ad eorum inſulam naui, quà vehebatur, etiam vndis afflicta, appelli non potuerit. Et, ita Deo volente, ad martyrium, quod tam ardenter deſiderabat, non peruenit, etiamſi alias multoties tam prope fuit, vt illud aſſequeretur. Quare ad inſulam Forteuenturam reuerſus, in magnis illis pietatis & charitatis officiis euigilare magnopere contendit.

Mira eius charitas erga ægros & pauperes extitit, quibus ſemper in eleemoſynam contulit, quicquid X.

Pſal. 40. 1.

habere potuit. Beatus qui ſuper egenum & pauperem intelligit. Quotidiano is victui detrahebat, vt inde haberet, quod pauperibus in eleemoſynam traderet: nihilque in dies ſingulos, vel in ſingulas potius horas, atque adeo in

Quod pauperibus det, ſubtrahit ſibi.

ſingula momenta quæritabat, quam vnde ſibi aliquid ſupereſſet, quo aliorum inopiam ſuſtentaret. Cum autem aliquando non eſſet, quod mendicis, pauperibus, atque egentibus hominibus pro eleemoſynæ largitione daret: illorum commiſeratione motus, miram lacrymarum vim effundebat, quibus intimum animi ſui dolorem teſtabatur; cum præſertim neque ex conuentus parſimonia, neque ex ſua abſtinentia, neque ab amicis, neque priuatim à contubernalibus, nec à notis, nec ab ignotis tantum haurire potuiſſet, quantum pauperibus Chriſti, quod minimum erat, ſubminiſtraretur ad vſum in diem victitandi neceſſarium. Ægre aliquando conuentuum præfecti id ferebant, vt quicquid is vndique colligere potuiſſet, id omne in eleemoſynam erogaret: quibus vt homo manſuetiſſimus erat, verbis reſpondit, lenitatis & humilitatis plenis. Oſtendit enim, id viris paupertatis euangelicæ colentibus, patientiſſime ferendum eſſe: cum Deum patrem cœleſtem haberent, omnium bonorum largitorem, qui vberius, & cumulatius daret omnia. Sed illud mirifice, diuinitusq; factum eſt; q̃ cum in ſinu haberet magnam panis fragmentorum copiam, quam pauperibus conferret, forte obuiam aut Guardiano, aliiſve fratribus factus eſt: à quibus eo nomine reprehenſus, quod nimis valde conuentus cenſum profun-

Flores apparent in ſtatum danda pauperibus a Didaco.

deret; En, inquit, ſunt flores; quos non aliqua ſpecie, ſed re vera flores tunc oſtendit. Cuius rei admirabilitate illi obſtupefacti, non modo Dei hominem obiurgare pergunt, ſed in veneratione habere incipiunt. Apud inſulam autem Forteuenturam, cum eſſet ſtudio: quo ardentiſſimo flagrabat, fouendæ paupertatis quoſdam inſulanos, qui præ egeſtate meſſem facere non poterant, ſua aliorumque conſodalium opera meſſoria iuuit, cum aliunde tunc nequaquam haberet, vnde illis aliquid ſubſidij comparare potuiſſet. Eleemoſynis in pauperes conferendis permulti, qui ſanctitatis nomine celebrantur, Summi Pontifices, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Reges, & alij omnis generis & ordinis homines innumeri, immortalem ſibi laudem collegerunt.

In eorum

In eorum numero cenſeri meritiſſimò poteſt B. Didacus, qui veræ ſolidæq; Seraphicæ paupertatis ſtudio accenſus, viſceraque miſericordiæ indutus, omnibus egeſtate afflictis omnem eleemoſynæ aditum patefecit: neque parce dedit, ſed magnam intimæ benignitatis vim effundens, plenis manib. liberaliſſimè inopibus tribuit, quicquid habere vnquam potuit. Beatus igitur, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Vere B Didacus, qui egenti ſemper dedit, & hilariter dedit: cumque nihil habuit, quod daret, ex paupertate inopis dolenter affectus, collacrymauit. Summi muneris loco eſt, inquit Chryſoſt. hilariter dare: ſi non habes, collacryma. Nunquam admonitio diuina ceſſauit, nunquam tacuit, quo minus in Scripturis ſanctis tam veteribus, quam nouis ſemper & vbiq; ad miſericordiæ opera, Dei populos prouocaretur; & canente atque exhortante Spiritu ſancto. quiſquis ad ſpem regni cæleſtis inſtruitur, facere eleemoſynas iubetur. Hæc omnia vt intrà S. Cyprianus Epiſcopus & martyr ſcribit; Iſaiæ Deus, Frange, inquit, eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti eum: & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Paulo poſt; Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhue loqueris, dicet: Ecce adſum. Magnum implorandæ diuinæ miſericordiæ præſidium poſitum eſt in eleemoſynarum largitionibus. Conclude, inquit Salomon, eleemoſynam in corde pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo. Beatus igitur Didacus perpetuò ad miſericordiam pronus fuit, dedit enim de panib. ſuis pauperi: ideo benedictionem accepit à Domino, cum multa admirabiliter, vt libro miraculorum exponam, in hac etiam vitâ operatus ſit, diuinâ benignitate, quam ſibi eleemoſynæ quoq; abundantia conciliauit. Sed quod mirum eſt, iam narrabo, cum ad viciſſitudinem referatur beneficii, quod is etiam, dum in terris vixit, diuinitus ob eleemoſynas accepit. Fæneratur etiam Domino, ait Sapiens, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ei reddit ipſe Deus. Quodam tempore is & ſocius alter, homo religioſus, in viam ſe dederunt, nihilq; ſecum viatici, aut cibi attulerunt. Cum autem è conuentu Cerrajæ, qui ab Hiſpali multa millia paſſuum diſtat, vnde diſcedebant, longum iter eſſet vſq; ad ſanctum Lucam Barrameda, quò ire contendebant: de via feſſi, & fame langueſcentes, ad pagum peruenerunt, quem Hiſpanice Los Palacios, vulgò vocant. Eo loci eleemoſynam quæritàrunt: qui daret tamen, inuenerunt neminem. Ieiuni igitur iterum ſe itineri committunt. Quærenti autem ſocio, quid tandem cibi eo die caperent, reſpondit ille; Deum vtriq; prouiſurum. Aliquot millia paſſuum inde progreſſi, cum iter leucarum quatuor reliquum eſſet, in ſolitudine quadam magna panem, piſces duos, recens coctos, & pomum citreum, quæ omnia mantili mundo inuoluta erant, ſuper herbam quandam conſpexerunt, quæ Mareſma ab Hiſpanis nominatur; vaſculumq; vini plenum, proxime erat. Ibi cum neminem oculis in planicie aſpexiſſent, quæ tamen omnis in proſpectu erat, cibum, diuinitus miſſum, ſumſerunt. Interea ſocio Didacus oſtendit, quam mira prouidentia Deus victui vtriuſq; proſpexiſſet: ita ſcilicet, vt olim in deſerto filios Iſrael pauerat. Cibo recreati, gratias Deo egerunt: & quicquid ſuperfuit, reliquerunt. Didacus autem, paululum ſe colligens, cum videret, ſe parum ſpei poſuiſſe in prouidentia Dei, qui cuncta tuetur; intimè dolore affectus, illius rei nomine reprehendere cœpit Et ita verbis de ea ipſa re, ac de vitæ Euangelicæ puritate vltro citroq; habitis, iter confecerunt. Sed tam religioſo, ſanctoq; viro, quem cæleſti gratia ſua Deus proſequebatur, non modo quicquam defuiſſe, ſed omnia in ſumma rerum inopia mirificè abundaſſe, perſpicuum ex iis fiet, quæ proxime narrabuntur.

Hom. 47. ex lib. hom. 50.

Cypr. lib. de eleem. Iſa 58. 7.

Eccli. 29. 15.

Prou. 19. 17.

Cibus B. Didaco paratus in deſerto, & vinum.

XI. Ægrorum curam eximia charitate B. Didacus ſuſcepit, & geſſit. Nihil enim potius habuit, cum ab oratione diſceſſerat, quam vt illos quotidie viſeret, conſolaretur, iiſdemq; cibum, & alia ad valetudinis curationem neceſſaria ſubminiſtraret. Extant auguſtiſſimæ pietatis monumenta, magnificentiſſimo opere extructa, ad ſempiternam memoriam inſignia, non ſolum ad peregrinorum hoſpitium, & ad pauperum mendicorumq; egeſtatem ſubleuandam hoſpitalia, & domos ad alendos educandoſq; infantes, ac præterea ad ſeniorum ſuſtentationem & ad ægrotorum curationem ædes, domiciliaq; ampla, magnifice ac laxe, Pontificum Cæſarum, Regum, Principum, ſummorumque virorum ſumptibus exædificata: verum beati etiam Didaci pectus, in quo tanta tamq; fixa inſedit cura ægrotantium, fuit veluti domicilio multo ampliſſimum, vbi ſibi ſtruxerat ingentes illas ſolicitudines, quarum ardentiſſimo conflagrauit ſtudio curandi ægrotos. De adoleſcentibus quibuſdam, qui in literarum ſcholis verſabantur, ex febri periculoſe laborantibus, ſibi magnæ curæ fuit, vt conualeſcerent. Lectum illis ſtrauerat, quo loco nunc eius ſepulchrum cernitur. Iis ipſis autem curandis nihil eo patientius, qui nullis curationis laboribus pepercit. imò eorum ſordes mira charitate abſterſit: excrementorum ſcaphium, vt vſu venerat, frequenter manibus ſuis amouit; ac labem, & cœnum quo locus, vbi ii iacebant, etſi ſcreatu tetrè ac male olebat, non moleſte vnquam, ſed alacriter ſeduloque diluit. Quæ verò ad omnem illorum curam, victuſq; rationem opus erant, ea perinde præſtitit, vt ſolicita mater, quæ filiorum ſalutis deſiderio langueſcit. Quare de eorum cura nihil quicquam præ charitate remittere vnquam voluit; niſi vbi à morbo confirmatos plane vidit. Sed mira veræ Chriſtianæ dilectionis abundantia in eo etiam eluxit, quod illos iam conualeſcentes, ac viribus omnino recreatos, rebus omnibus ad vitæ vſum neceſſariis, maximopere iuuit. Quos autem aut morſu, aut morbi vi, aut aliqua plaga vlceratos audiebat, ad quorum non modo ædes, ſed etiam exigua tuguriola, vbi habitarent, ventitabat; eos tanta charitate complectebatur, vt illis conſolandis, vel ſanandis nullum officii pii locum relinqueret vlcus, quo ęgrè afficiebantur, oculis miſerabilem in modum ſpectabat, aut manu tangebat, & abſtergebat, ſubinde oſculabatur: ac ſi quando cerata, emplaſtra, & malagmata, quib. cicatricum purulentarum tabes abſtergi ſolet, aliquando deerant, ipſe lingua ſua ſaniem lambebat. Sanctum Baſilium, Magnum vulnera leproſorum oſculatum eſſe, itidemque Seraphicum Bonauenturam feciſſe, litterarum proditum eſt monimentis. Verum de beato Didaco, id quod ſtrictim attigi, exemplo ſingulari demonſtrabo. Aſpexit quodam die hominem elephantiaſi, quam lepram dicimus, fœdiſſime exulceratum, tabeq; plenum, & adeo male olentem, vt aliis omnibus ſtomachum moueret. At homo Dei Didacus, charitatis ardore flagrans, non purulento, & vlceroſo hominis vultu deterritus, neque tetrum odorem abhorrens, vlcera, quorum ſanie ac tabo erat illius inquinatiſſima & deformata facies, lambit lingua ſua. Tum cuidam, qui præſens aderat, rem admiranti; Sic frater, inquit, ſic morbus hic curari debet. Iam locus poſtulat, vt curam etiam enarrem, quam omni dilectionis officio, ægrotis Romæ præſtitit. Idq; diſtincte faciendum exiſtimaui: quoniam alia multa ſimul incidunt, quæ cum valde admodum commemorabilia videantur, ea ſilentio præteriri nullo modo oportet.

Mirum eius ſtudium in obſequium ægrotorum.

Vlcerum ſaniem lingua abluebat.

XII. Instabat annus Iubilei, qui Nicolao Quinto Pont. Maximo, incidit in annum à Chriſto nato M CCCC. L. Fuit Iubileum quintum; ad cuius celebritatem tantus hominum concurſus Romam factus eſt, quantus nunquam antea. Totum fere illum annũ Pontifex in ſolemnibus ſanctiſq; actionibus poſuit: ſtationes quotidie ipſe cum Collegio Cardinalium frequentabat. Hoc anno B Didacus ab Hiſpania, quo ex inſulis Canariis anno proximo ſuperiori M. CCCC. XLIX. redierat, Iubilei cauſa ad vrbem venit: ſocium habuit & comitem peregrinationis, alium ſui ordinis virum. religioſum hominem Fr. Alphonſum Caſtrenſem nomine, præclarum & teſtem, & ſpectatorem, cultoremq; virtutum in ipſo Didaco prælucentium. Ambo Romæ ad ſanctæ Mariæ monaſterium diuerterunt, quod Seraphicæ religionis eſt, vocaturq; Aracæli. Hic ſpectare licet inflammatum illud puræ ſincereq; pietatis ſtudium, quo ſacras ſtationes humiliter ſancteq; obierit ac frequentarit. Nemini dubium eſt, quin is multa magnaque dederit exempla, quibus excitauit admirationem diuinæ ſuæ charitatis. Eo tunc vndiq; ad Iubileum Fratres ter mille & octingenti numero conuenerunt: ſed en ingens fere confeſtim eorum ægrotantium, & morbo varie langueſcentium numerus:

Romam venit anno Iubilæi M. CCCC. L.

metus: ad quod etiam incommodum, quamquam Pontifex cauerat diligentiſſime, ne commeatus, & omnia ad victum neceſſaria in Vrbe deeſſent; nihilominus tamen id acceſſit, vt magna annonæ difficultas, & penuria rerum omnium in Vrbe ingraueſceret. In tantis rerum anguſtijs, Guardianus curam ægrotorum Didaco credidit: qui, licet in eo munere ſolus verſaretur, tanta tamen & diligentia & charitate illud geſſit, vt omnibus præſtò eſſet, nihilq; cuiquam deeſſet ad curationis rationem. Immò tanta rerum omnium abundantia cunctis ab eo ſubuentum eſt, vt ipſe Guardianus ceterique valde mirarentur; vnde ei in tanta aliorum tenuitate, tam magna ſuppeditaretur rerum vbertas. Magna enim panis, & vini copia ex tota vrbe ad monaſterium confluxit: magnus frumenti, aliarumque rerum, quæ ad victum opus eſſent, numerus datus eſt. Magnum id eleemoſynæ ſubſidium, B. Didaci apud Deum gratiæ acceptum omnes ferebant: omnes illum, vt hominem Deo gratiſſimum, atq; acceptiſſimum ſuſpiciebant, & admirabantur. Sed eo anno illud contigit, quod hoc loco commemorare non alienum eſt, cum diuinitus factum videatur, vt Bernardinum Senenſem, cuius in omni vita ſanctitas iamdiu ſpectata erat, Seraphici etiam Ordinis religioſiſſimum virum, Nicolaus Pontifex in Sanctorum numerum retulerit. Diuinè igitur cùm B. Didaco actum eſt, qui illos ſpectauit honores, quos in aliud tempus ſibi ob meritorum præmium reſeruatos, hac ætate Sixtus Quintus Pontifex, ſummo Eccleſiæ Catholicæ gaudio, in eum contulit. Id illi ſoli contigit, quod alij prætereà nemini contigiſſe apparet. Tribus autem menſibus exactis, quo temporis ſpatio is in Vrbe fuit, ad Hiſpaniam cum eo ipſo ſocio Hiſpalim redijt. Quocunque iter faciebat, multos inuenit, qui illum hoſpitio gratis benigniſſimeq; exciperent, & vbi opus fuit, viatico iuuarent. Et verò præſertim apud Viterbium, Tuſciæ ciuitatem, iter vnius diei, aut paulò longius ab vrbe Roma diſtantem, cum in oppido quodam eſſet, quod vulgò Abbatiam vocant; certatim oppidani omnes contenderunt victum aliquot dies abundè ſuppeditare. Id à Deo factum eſt, qui homini tam religioſo, pauperibus omnia in eleemoſynam conferenti, præcipua cura prouidit, vt ne in mera quidem ſolitudine, ne dum frequentiſſimis in locis, vt expoſui, nihil quicquam, vitæ vſui neceſſarium deeſſet. Hactenus de charitate erga ægrotos ſatis dictum eſt: nunc locus eſt dicendi de ea, qua vſus eſt erga alios omnes, præſertim illos, quos peccare, vel ſine pœnitentia ex hac vita decedere, animaduertit.

In quo rerum magna penuria.

Quo S. Bernardinus inter Diuos eſt relatus.

SERAPHICVS idemq; beatus Franciſcus ſingulari deuotionis affectu ſanctum Archangelum Michaëlem venerabatur, eiuſq; diem feſtum ieiunio dierum quadraginta præueniebat; quod eius curæ eſſet credita animarum ſalus. Eam ob rem ſi quem de ſalute ſua parum ſolicitum eſſe vidiſſet, aut prauis conſiliis, exempliſq; offendere animaduertiſſet; dolore acri intime cruciabatur: tanta erat ſolicitudo & charitas, qua exardeſcebat, aduerſus operarios iniquitatis. Eo ipſo ſpiritu B. Didacus erat: ita vt de vtroque dici rectè queat; Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Non ergo patiebatur, quantum in ſe erat, à quoquã diuinæ legis præcepta violari, nec vero ordinis ſui præſcriptis detrahi: immò nihil negligenter agi, quod ad Seraphicæ diſciplinæ rationem & vſum pertineret. Si quis contrà interdum admittebat, etiam ſi mitis admodũ eſſet, & in contumeliis patientiſſimus: tamen præ charitate, qua ardentiſſimè diuina mandata, conſtitutioneſq; ordinis colebat, doloris acerbitate ob infirmorum ſcandalum intime afficiebatur. Quare ſancta quadam indignatione commotus, non potuit aliquando continere, quin aberrantium quorundam temeritatem reprehenderet; ita tamen, vt quis in eo facile animaduerterit nullam obiurgationis aut offenſionis vel minimam grauitatem, ſed ſummæ illius, qua ad diuinum cultum exardeſcebat, dilectionis vim immenſam, à cordis viſceribus emanantem. Factum eſt aliquando, cum ſub veſperum ipſe & fratres vnà cœnabant, vt ſtata hora per ſe campana ictibus nouem, de more ſignum ſalutationis Angelicæ dederit: quod ſacriſta, cuius munus erat facere, negligenter prætermiſerat. Rei admirabilitate illi obſtupefacti, ad eccleſiam accurrerunt, vt viderent à quo pulſatum campana eſſet: fores quidem clauſas inuenerunt, intus verò neminem. Tum Didacus, alios adhortatus ad orationem, & diſciplinam, ita ob pœnitentiam, quam pro ſatisfactione negligentię ſacriſta ſubijt, virgis ſe acriter percuſſit, vt mirum eſſet omnibus, quo modo tam grauium vulnerum acerbiſſimam vim ferre ipſe potuerit. Doloris etiam ardore vehementer flagrabat, ſi quos, in huius mũdi fæce volutatos, malefactorũq; ſordibus inquinatiſſimos homines, quiq; praua viuendi via alios à recto ſalutis curſu abducerent, ſine pœnitentia, & confeſſione mortem aut necem obiiſſe intelligeret. Eorum interitum lachrymis, ſuſpirijs, gemitibuſq; proſequebatur: brachijſq; inſtar crucis formatis, prolixè, atq; intime toto animo totaq; mente pro eorum ſalute Deum deprecabatur. Hæc eius erga iſtius modi homines charitas. Sed neq; exigua illa cenſetur, qua vſus eſt in eos, qui ad Chriſti fidem recens venerant. Præcipuo & ſingulari quodam amore, vereq́ue paterno illos complectebatur; ac non modò fouebat, ſed quibuſcunq; rebus poterat, tantum illis ſubſidii comparabat, vt, quæ ad vitæ vſum neceſſaria eſſent, nihil eorum quicquam, etiam in ſumma penuria, ipſis deeſſet. Nullum igitur charitatis officium, nullum benignè faciendi locum B. Didacus reliquit; vſq; adeò, vt omnes tam ſui ordinis homines, quàm exteros, ſi minus aliquando, re non potuit, conſilijs & conſolando iuuerit. Neque has officij partes vllo vnquam tempore, ne tum quidem prætermiſit, cùm ianitoris in conuentu curam geſſit, quam etiam in eo poſuit, vt pauperum Chriſti aduentantium inopiam aliquo modo ſubleuaret. XIII.

1. Cor. 11. 29

Peccantes arguit in charitate.

Se pro alienis delictis afflixit.

Nota exemplum hoc tuo ſequendum.

ABSTINENTIÆ virtutem, à ſanctis Patribus tantopere commendatam, beatus Didacus exercuit quàm diligentiſſime. Cùm enim illius virtutis ſit, omnes à ſe carnis delitias, incitamentaq́ue depellere: quàm valde ea in re totis viribus ſeipſe exercuerit, perſpicuè manifeſtum erit ex ieiunijs ceteriſque operibus, ad corporis macerationem pertinentibus, quæ mox recenſendo perſequar. Is paupertatem, vt dixi, ad normæ & regulæ Seraphicæ præſcriptum, toto animo, totiſque viribus coluit: paupertatis virtutis egregiè munitus, omnia aſpera, dura, difficilia, vilia, & abiecta quæq; pro delitiis habuit: delitias autem, delicata, mollia, pretioſa, vt paupertatis, quàm vnicè dilexit, inopiæ infeſta fugit, & horruit omnino. Sancti omnes hac mente fuerunt, de quibus ſcriptum: Inundationem maris, quaſi lac, ſugent. Chriſti enim Domini amor amara omnia mirabiliter dulcia reddit atque ſuauia. Sunt in Seraphico ordine, præter ſolennia ſtataq; Eccleſiæ ieiunia, & præter Quadrageſimam, Chriſti Domini exemplo conſecratam, alia ieiunia, & item quadrageſimæ: quæ certis diebus concluſæ, totum penè anni curſum conficiunt. Primò ieiunium aduentus, deinde ieiunium ab Epiphania, quod diebus quadraginta conficitur: tum ieiunium à die natali Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque ad celebritatem Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis: poſtea ab Aſſumptione, dierum item quadraginta ieiunium ante diem feſtum ſancti Michaëlis; in Apoſtolorum prætereà honorem alia eſt quadrageſima dicata. Itaque B. Didacus verus Chriſti pauper, qui nihil aliud, niſi duo æra minuta, corpus ſcilicet & animam habebat, hæc ipſa propter Chriſti Domini amorem ita offerebat, vt omni fere tempore ſpiritum ardore charitatis, & corpus abſtinentia ſingulari immolaret. Tot enim quadrageſimarum curriculum anniuerſarium perpetuo ieiunij cultu cùm conficeret; Sanctorum etiam non modò ſtatas vigilias, ſed alias, quas ſibi præſcripſerat, mirificã abſtinentia, rituque duriter ieiunandi obſeruabat. Panem tantum, & aquam adhibebat, in vigilijs dierum omnium Feſtorum beatiſſimæ Mariæ Virginis, vt infrà vberiùs ſcribam. Ad illam ieiunij auſteritatem ſæpenumero adiungebat verberationem corporis: qua ita acriter vtebatur, vt à capite vſque ad talos vehementer ſe flagris cædens, tam horribilem carnis cruciatum non humana, ſed diuina potiùs virtute ferre poſſe putaretur. Summa prætereà hyeme gelidam item aquam ingredi non dubitauit, vt ipſius item carnis, quæ infenſiſſima aduerſaria eſt, vim XIV.

Deut. 33. 19.

Ieiunia ſtata in Ordine Seraphico.

Quæ ipſe ſeruauit rigidè.

Flagris corpus caſtigauit.

teſtin-

reſtingueret, eiuſque ſenſus, dulcedine quadam quaſi titillantes, coërceret. Miris igitur modis ab eâ, quâ, tanquam domeſtico ſatellite, mundus, & dæmon hoſtes vtuntur ad ſpiritus virtutem labefactandam, præclarus athleta Didacus ſe tutatus eſt: cuius propterea pura caſtimonia, egregiis teſtificata teſtimonijs, cumulum quoque addidit ad reliquas omnes eius virtutes. Et quoniam abſtinentiæ coniuncta eſt oratio: locus ſequitur dicendi de illius oratione & deuotione.

XV. ¶ Ordinis ſui Fratres beatus Franciſcus, omni ratione ſemper cohortatus eſt ad orationis ſtudium: idque aſſeueranter dixit, neminem in diuino cultu, virtutumq; officiis magnas habiturum eſſe progreſſiones, niſi tantæ virtutis præſidio. Quare is ambulans & ſedens, laborans & à labore vacans, domi ac foris adeo erat precationi intentus, vt non ſolum quicquid in ſe erat corporis & cordis, verum etiam operis & temporis orationi dedicaſſe videretur. Eius præclari ducis & magiſtri exemplo Didacus itidem feciſſe dicitur: cum etiam opus faciendo, vt proximè narraui, diuinis meditationibus animum & mentem exerceret; à cuius otioſa euagatione longè refugere perpetuò contemplãdi vſu contenderat. Media nocte ſurgebat ad laudandum Dominum & in aliis ſtatæ horæ vigiliis, precando excubabat, tamquam bonus Chriſti miles. Sæpenumerò, præſertim ſolemnibus diebus, totam noctem ſanctis illis myſteriis intima pietate meditandis collocabat; ſæpeq; è ſomno, religioſa excitatus contemplationum cura, è lectulo illo duro & vili, nocte intempeſta exiliens, ad pedes imaginis Chriſti crucifixi iacebat, toto animo ad cæleſtium cogitationem raptus: ſæpe item erecto vultu, manus ſupplices in cælum tendebat, & vt ſummatim breuiq; complectar, inſtabat obſecrationibus & orationibus nocte, ac die. Id oſtendunt tam multa, quæ miranda precibus nocturnis, ac diurnis à Deo impetrabat. Orauit enim & exauditus eſt: opem Dei implorauit, & à Deo deſertus non eſt: & quo magis ſe ſtratum videbat, eo vehementius diuino amore exardeſcebat. Omnia facta, dicta, & cogitata referebat ad Chriſtum Ieſum; cuius nomen dulciſſimum in corde, in ore, in opere, ſemper habebat. Nominis Ieſu, tamquam olei effuſi ſuauitate liqueſcens, poſt diuturnum in oratione gemitum, exultare incredibili gaudio videbatur inter choros angelorum. Sanctiſſimam Dei matrem, virginem Mariam, poſt Chriſtum filium præcipua veneratione coluit. Cuius rei argumento eſt inſigne ſalutationis Angelicæ: quoad preces vſus eſt perpetuò. Eam ob rem Hiſpania, Catholicæ fidei nomine ſtudioq; florentiſſima, illud in more poſitum habet, vt eius, piè precantis, imaginem exprimat non tantùm oculis in crucem Chriſti ſublatis, & genibus flexis, ſed manibus iunctis tanto pietatis ornamento potiſſimum inſignitis. Laudat Seraphicum Franciſcum ea de re Bonauentura, ſanctitate & eruditione clariſſimus, quòd Dei genitricem mirâ pietate veneraretur, beatiſſimam ſcilicet illam Virginem, quæ Dominum maieſtatis, fratrem noſtrum peperit, & per quam ſumus miſericordiam conſecuti. Quam ob rem ad eius honorem ordini Seraphico Apoſtolicus ille vir ieiunium conſtituit; eandemq; ſibi ſuiſq; cæleſtem aduocatam in primis delegit. Hoc erga illam venerationis zelo itidem flagrauit beatus Didacus: qui & illud ieiunium ſeruauit, & quam vniuerſo Minorum ordini patronam ille elegerat, eam ſingularem, ac præcipuam ſibi aduocatam eſſe voluit ardentiſſimo illius colendę ſtudio. Immò Seraphicam pietatem pietate cumulauit, cùm ad ſtatas illas ieiunii dies hoc ſibi adiunxerit, vt omnibus ſinguliſq; vigiliis feſtorum dierum, beatiſſimæ Dei matri ſacrorum, qui poſtea plures numero fuerunt, pane tantùm & aqua ad illum, quem ſibi potiſſimùm ſumpſerat, ieiunandi cultum præcipuè & inſigniter vteretur. Patrem autem ſuum Franciſcum Bonauentura ſedulò imitatus, piam Ieſu matrem, cordis ſui viſceribus impreſſam, meditatione etiam aſſiduâ venerabatur. Vtrumq; etiam Didacus conſectatus, & quotidiana contemplatione, & frequenti coronæ vſu, omniq; pietatis officio illam colebat: neq; ea tantùm veneratione contentus, etiam cultu imitationis venerabatur, quo gratior eſſet eius deuotio. Actuoſis enim illis, luminoſiſque virtutibus, quarum exemplar clariſſimum in beata Virgine cernitur, humilitate, charitate, miſericordia, vitæ caſtitate, & aliis, ſanctitatem illius, operante Domino, pro virili ſua imitari contendebat. Quo factum eſt, vt in omni temporum varietate, cum ad eam, vel ſua, vel aliorũ cauſa ille (confugiebant autem ſemper) cæleſte ſingulareque eius patrocinium ſenſerit ſumma cunctorum admiratione. Res in promptu eſt cùm ex omnibus, tum ex illo ad ſempiternam memoriam inſigni miraculo, quod diuinitus factum apparet: cum feminæ, quæ piſtoriam agebat, filium è media morte, nimirum ex ardentibus furni flammis liberauit. Sed rem ipſam totam, loco ſuo dilucidè explicabo. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Verè igitur pius, verè deuotus, ac religioſus Didacus, eamq; ob rem beatus: qui, Deum timens, nihil in vita antiquius, potiuſq; habuit, quàm vt Chriſti Domini amore flagrans, diuina eius mandata animo ardentiſſimo ſummaq; voluntate obſeruaret: ac matrem eius beatiſſimam coleret tanta & tam ſingulari deuotione, quantam verborum copia aſſecutus non videor. Libuit tamen eam aliquo modo enarrare, vt potentiſſimus, maximuſq; Rex Catholicus Philippus II. qui beati Didaci merita & virtutes tam grata ac pia memoria proſequitur, immortaliter gaudeat, ſe non ſolùm in auguſtiſſima familia ſua Auſtriaca olim habuiſſe religioſiſſimos benedictæ virginis Dei matris Mariæ cultores egregios, Fredericum Tertium, Albertum Quartum, Imperatores, & ceteros multos, eiuſdem familiæ ſummos Principes, quorum laudem eandem, pietatis imitatione, ipſe iam ſibi collegit: verum etiam in Hiſpania, cuius regna obtinet, extitiſſe potiſſimùm, tum antiſtites vtpote Ildephonſum Toletanum, luculentum de ipſius beatæ Virginis laudibus ſcriptorem, Iſidorum Hiſpalenſem, & ceteros: tum etiam alios pleroſque innumeros omnis generis homines, qui eo nomine illuſtres ſunt, qui nimirum ſingulari magnæ deuotionis ſtudio, ac mirifica pietate, inſigniq; veneratione illam coluerint. In iis, vt demonſtraui, Didacus & eſt, & habetur. cuius & aliorum Sanctorum, in primiſque Sanctiſſimæ eiuſdem virginis Mariæ meritis ſperandum eſt, Philippum Regem fore perpetuo felicem, florentem & beatum. Sed redeo ad Didacum, qui crucem Domini etiam præcipua atque inſigni amplexus eſt veneratione: ita vt non modo viuens, ſed moriens de ea, quam tantopere colebat, hymnum dixerit. Eius amore acriter inflammatus, toto animo ad meditationem attentiſſimus, corpus verberibus mirabilem in modum affligebat. Illam autem ob oculos fere ſemper habebat. vt aſſidua cogitatione repeteret vulnera, conuicia, dolores, cruciatus, & ſanguinem, tanta largitate profuſum, Chriſti Domini, cui totum ſe dediderat. Crux in omni contra dæmonem certamine ſibi præſidium erat, in mœrore ſolatium, in omni vita firmamentum ac ſpes. Cui cum tantopere confideret, omnium ægrotantium, quicumq; ex oppido Compluto, & ab aliis vndiq; locis ad eum confluebant, quorum erat multitudo penè innumerabilis; morbos etiam inſanabiles curabat ſigno crucis, quod lampadis B. Mariæ Virginis oleo efficiebat. Hactenus de eius deuotione, nunc dicendum eſt de ſimplicitate vitæ & doctrina infuſa.

Orationi totus deditus.

Et D. Mariæ cultui.

Pſal. 111. 1.

D. Virginis cultores habet Hiſpania multos.

XVI. Vir fuit Didacus ſimplex: nimirum à malitia purus, & integer. De nemine enim vmquam ſe male ſentire, aut opinari oſtendit: ſed aliorum dicta, facta, & cogitata, ſuis metiebatur. Quæcumque apertè mala non erant, in meliorem partem accipiebat omnia, vt homo diuinitus columbina quadam ſimplicitate imbutus, de qua Chriſtus Dominus; Eſtote, inquit, ſimplices, ſicut columbæ. Ex ſuſpicione igitur haudquaquam temere quemquam reprehendit; cum eorum, quæ in occultis animi latebris latent, ſolus Deus ſcrutator ſit ac iudex, alius præterea nemo. Simplici autem, & aperta via iter huius ſæculi faciens, quod ſimplex, verum, ſincerum & rectum videbatur, in eo totus euigilabat, vt maximè ſequeretur. Simplici, & recta diuinorum myſteriorum fide contentus, illa tantum cogitabat, & meditabatur, quæ præceperat Deus. Eam ob rem à multiplici & varia illa curioſitate, vel nouis rebus audiendis, vel factis alienis indagandis ponitur, vſque adeò abhorrebat, vt numquam in omni vita verbum, ne otioſum

Matt. 10. 16.

Verbum otioſum ab eo non prolatum.

quidem, ne dum iniurioſum ab illo quiſquam audierit. Si quid rurſus detrahendi cauſa maledicè, contumelioſeq; ab aliis dicebatur: id numquam paſſus eſt ſe auditione accipere. In ſimplicitate autem & puritate cordis rectè ambulantem erudiuit illum Spiritus ſanctus: qui in eo reſidens, legis diuinæ decreta in eius viſceribus & animo deſcripſit. Verùm tota res mox infrà enarrabitur.

XVII ERAT is litterarum rudis, ideò nullis ſacris ordinibus initiatus, ſimplicis religioſi, & fratris, vt dicunt, laici vitam in ordine Minorum egit. Sed Spiritus ſanctus eſt, qui diuinis virtutibus animum eius imbuit, qui ſapientem effecit, & eloquentem. Nolite cogitare, inquit Chriſtus Dominus, qualiter, aut quid reſpondeatis. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Is omnis eloquentiæ expers, tanta erat imbutus ſuauitate ſermonis, vt illius vi omnes pelleret animi ægritudines: omneſq; cuiuſcumq; ordinis homines, ad ſe confluentes, etiã variè affectos, recrearet, mirificeq; conſolaretur. Certis litterarũ monumentis ad poſteritatem proditum eſt, virum quendam melancholicũ, qui vehementer animi cruciatu angebatur, quiq; etiã corporis morbo langueſcebat, atræ bilis vim, & doloris acerbitatem ſenſiſſe mirabilẽ in modum minui colloquio, & congreſſu beati Didaci. E cuius manu etiam, cũ aliquid vel exigui cibi ſumebat: tanta ſe dulcedine perfuſum eſſe, aſſeueranter dicebat, vt illud, tanquã pabulum quoddam cæleſte ſibi videretur. Luce diuini Spiritus cum frueretur, Chriſtianæ doctrinę pręceptis & inſtitutis, quæ ad vitæ ſalutem neceſſaria eſſent, cunctos imbuebat: myſteriaque iis fidei dilucidè explicabat. Quo factum eſt, vt plerique, ab eo eruditi, normam viuendi meliorem in poſterum ſuſciperent. Non ab illis, qui ſibi variam & multiplicem ſapientiam olim arrogarunt, Gorgiã, Platoneq; aut ab Ariſtotelica ſchola ſcientiam hauſit: ſed à cruce Chriſti Domini, in qua omnes opes veriſſimæ ſapientiæ conſiſtunt. Ad illius diſciplinam Paulus Apoſtolus omnes inuitat: neq; quicquam ſe aliud ſcire profitetur; Ego, inquit in epiſtola ad Corinthios, non ſum arbitratus me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Didacus, qui litteras minimè norat, etſi ad nullas diſciplinas erat eruditus, miras tamen progreſſiones habebat in doctrina crucis Chriſti Domini, quam exemplo Apoſtoli profitebatur. Quare in illius ſtudio cùm omne vitæ tempus conſumpſerit, clariſſimam admirandæ ſapientiæ vim explicatam, atque euolutam, & dictis & factis oſtendit. Cuius rei illud exẽplo eſt, vt diuinis de rebus optimè diſſereret, & quæſtiones longe omnium difficillimas, mira ſcientia explicaret. Eius quidam amicus, homo Conchenſis, artium liberalium vſu longè peritiſſimus, cum neque Salamanticæ, neque Lutetiæ Pariſiorum, neq; vſquam, vbi Academiæ florerent, quemquam, vel præſtantiſſimum eruditione virum, nactus eſſet, qui ſibi aliquot partim de Theologia, partim de aliis diſciplinis locos, obſcuritate inuolutos, explicaret: Didacum vnum inuenit, qui illos diuinè aperuit. Id teſtimonium ei præbent item alij non pauci, eruditi, & doctrina exculti viri. Sed vnde tantam non modo ſapientiæ, ſed eloquentiæ vim ſit conſecutus, iam oſtendi. Nunc exponere pergam reliquum eius vitæ curſum.

Matt. 10. 19.

Suauitas mira ſermonis illi fuit.

Studium illius in Cruce Domini.

1. Cor. 2. 2.

XVIII IAM ex iis, quæ narrata ſunt, facilè intelligi licet Conuentus, & loca, vbi virtutum ſuarum veſtigia beatus Didacus impreſſa reliquit. Cum autem ab vrbe Roma, anno Iubilei confecto, in Hiſpaniam vlteriorem rediit: ad prouinciam Caſtellæ profectus, in Conuentu ſanctæ Mariæ Saliceti exiguo breuiq; tempore manſit. Eſt ille antiquitate nobilis, & quaſi ſeminarium, vnde vberrimi familiæ Franciſcanæ fructus prodierunt vſque ad vltimos orbis terrarum fines. Sanctæ Mariæ autem Saliceti nomen accepit, quoniam illius nomine altare in Salicis arboris trunco duorum militum Hieroſolymitanorum pietate iam primo extructum eſt. Plures alibi & religionis, & doctrinæ laude claros viros Deoque charos quàm alius illius omnis prouinciæ conuentus. Inde vero tandem, ſocio & comite F. Rodriguezio Nonnio Complutum beatus Didacus migrauit, ad conuentum beatæ Mariæ de Ieſu: vbi reliquum huius vitæ curriculum confecit ſumma cum ſanctitatis laude. Eò tum primùm tempore Alphonſus Carrillus, Toleti Archiepiſcopus, ex Summi Pontificis conceſſu illum opere ſatis amplo exædificare cœperat, vbi poſtea fratres centum ſuſtentabantur: quorum ſaltem quadraginta operam Theologiæ ſcholaſticæ ſtudio ex Sancti Bonauenturæ doctrinis darent. In hoc conuentu annos duodecim, vel tredecim Didacus vixit. Tantus autem ſanctitatis odor, ex illo afflatus, tunc in omnes Hiſpaniæ partes ſe diffuderat vt mirus factus ſit ad hominem Dei concurſus. Veniebant alii, vt rerum diuinarum, de quibus ſermonem ſemper inſtituebat, cognitione imbuerentur: alii, vt ſibi vel ad neceſſitates, vel ad morbos depellendos aliquid ſubſidii conſequerentur: alii, vt eo adiutore, & deprecatore vterentur ad opem & miſericordiam Dei implorandam. In iis teſtis eſt, qui affirmat ac profitetur, ſe, quo tempore aliqua difficultate premebatur, nunquam illum auxilii cauſa adiiſſe, quin, eo Deum precante, habuerit, quod ſibi neceſſario tempore piè expetendum erat. Tam certa denique erat ſanctimoniæ opinio, quam in omnium animis conceperat, vt, cùm pagos, vicos, aliaq; loca eleemoſynæ cauſa obibat, agricolæ cùm primum eum aduentantem aſpiciebant, mutuum quendam clamorem excitando, inter ſe dictitarent; En Vir ſanctus adeſt. Hac eximia laude Didacus vbique florens, cùm vitæ huius ſtadium cucurriſſet: tempus iam venit, quo ob merita reciperet coronam iuſtitiæ, quam Deus repromiſit diligentibus ſe. Itaque ſomnio, ieiunio, abſtinentia, vigiliis, omnique corporis cruciatu, quem ſibi frequentiſſimè adhibuerat, maceratus, & pene confectus, morbo laborare incœpit ex ſuppuratione quadam, quam in brachio ſiniſtro prope manum habebat. Et quamquam morbi purulenti, qui ſanie tabeſcens acerbiſſimum inferebat dolorem, vt intima torquebatur: tamen vſque adeo illius cruciatum tolerabiliter patiebatur, vt in ſummo dolore patientiſſimus, excitaret apud omnes admirationem incredibilis patientiæ, qua illam ſuppurationem ferebat, difficilem toleratu. Id habebat proprium, vt ægrotationum, quibus penè aſſiduis in omni vita variè vexabatur, acerbitates perferret admiranda animi corporiſque tolerantia. Suppuratio autem, ex qua grauiter nimis ægrotabat, per medicamentum tandem rupta, magnam puris & saniei copiam effudit: quæ non male, vt ſolet, ſed bene potius ac ſuauiter olere videbatur. Ea incommoda valetudine aliquamdiu afflictus, interdum ita è corporis ſenſibus ad animi contemplationem rapiebatur, vt mortuus putaretur. Deinde ad ſe rediens, eas voces emittebat: O quam ſuaues illi flores paradiſi! Tum fratres omnes accurrebant: eorumque vnuſquiſque, cum primum ad illum acceſſerat, hoc maxime petebat, vt pro ſe Deum ille precaretur. At ipſe preces eorum ſummopere expetere non deſiſtebat. Vbi demum horam inſtare vidit, qua ex hoc ſæculo migraret, vt Seraphicum patrem Franciſcum etiam in ipſo obitus momento imitaretur, veſtem viliorem, & cingulum ſibi afferri petiit. Quibus mox indutus, omnes, qui aderant ſuauiter pieque alloquendo offenſionum ab iis veniam profuſis lacrymis petiit. Demum vtroque brachio ſublato, etſi alterum antea vi morbi tabuerat, Crucem, quam ad caput habebat, amplexus, ſæpiuſque omni intimi animi pietate exoſculatus, animam Deo reddidit, cum illa hymni verba de Cruce Domini protuliſſet: Dulce lignum Dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare regem cælorum & Dominum. Obiit igitur Complutum in conuentu ordinis ſui, anno à Chriſto nato MCCCCLXIII. pridie Idus Nouem. die Sabbato, nocte ſequenti. Peruulgato Sancti viri obitu, ad eius corpus viſendũ concurrit maxima multitudo populorum finitimorum, & præſertim ciuium Complutenſiũ omnis generis, ætatis & ordinis. Hic mira pietas viſa eſt hominum, illud tangere & exoſculari cupientium. Omnes certatim paululum veſtis, aut cinguli habere: alii capillos carpere contendebant, vt reliquiarum hominis Dei aliquid apud ſe retinerent. Nemo autem fere quiſquam tunc extitit, qui aut pileum, aut

S Mariæ Saliceti conuentus.

Complutum venit S Didacus.

Ad illum magnus concurſus.

Morbo corripitur & in brachio ſuppuratione.

Quæ ſuauem ſpirabat odorem.

Diem ſuum obiit 1463.

Cuius corpus omnes tangere, & de reliquiis aliquid habere cupiunt.

aut orationum libellum, aut ſalutationis Angelicæ coronam corpori præ ardentis erga illum pietatis ſtudio admoneret. Poſtridie, qui dies Dominicus fuit, mane corpus in eccleſiam illatum frequentiſſimo populo ſepultum eſt. Aliqua tamen pridie noctu diuinitus facta narrantur, ex quibus tanti viri Sanctitatis ſplendor vbique colluceſcere videbatur. Verùm iam locus eſt, vt aditum ad miracula faciam, quæ & in vita & poſt obitum in ſeruo ſuo operatus eſt Dominus.

PARS SECVNDA.

DE MIRACVLIS SANCTI DIDACI.

PLENI ſunt ſacri eccleſiaſticiq; Annales miraculis Sanctorum, in quorum laudibus perpetuus eſt Catholicæ Eccleſiæ curſus. Eliæ pallio, Iordanis fluuij aqua diuiſa eſt: ipſeque alueum ſicco pede tranſiit. Moyſis, & Aaronis virgis non in Ægypto ſolùm, ſed in populi peregrinatione, miracula edita eſſe ſacræ litteræ loquuntur Conſtat S. Ioſephi Patriarchæ, qui iampridem obierat, corpus propheta ſſe: & ſolo reliquiarum Eliſæi contactu, mortuum in eius ſepulcrum illatum, à morte ad vitam eſſe reuocatum; & alia multa diuinis veteris teſtamenti monimentis conſignata ſunt. Nouum autem teſtamentum in iis, quæ fecit Chriſtus Dominus, exponendis, præter cæleſtem doctrinam, quam docuit, verſatur. Multa quidem, inquit ſanctus Ioannes Euangeliſta, & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Miracula ab Apoſtolis longè etiam maiora prodierunt: quia ipſe dixerat; Amen, amen dico vobis; qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet, *Reſq; teſtatiſſima eſt actis Apoſtolorum. Dixit item Dominus: Si credideritis, dicetis huic monti, Tranſi hinc, & tranſibit. Quod miraculum ſanctus Gregorius Pontifex commemorat de monacho ſui temporis, qui oratione rupem mouit: & item Gregorius Nyſſenus de Gregorio Neocæſarienſi; quem, ob rerum admirabilium magnitudinem, Græci Thaumaturgum, nempe miraculorum effectorem appellant. Probatiſſimi hiſtoriæ eccleſiaſticæ Annales abundant narrationibus miraculorum. Euſebius, Palladius, Theodoret. & alij Græci in iis ipſis frequentiſſimi ſunt. præſertimq; Chryſoſtomus in vita beati Babylæ martyris. Latini autem, ſancti eccleſiæ Doctores, Hieronymus in vita Pauli primi eremitæ & Antonij, Athanaſium ſecutus, & in vita etiam Hilarionis: Auguſtinus in libris de ciuitate Dei, in ſermonibus, in libellis de ſancto Stephano Protomartyre, in libris confeſſionum: Ambroſius in vita beatæ Agnetis: ſed vnus inſtar omnium eſſe poteſt Gregorius Magnus, qui libros confecit de rebus recens ætate ſua mirabiliter geſtis. Sed iam non eſt, cur rem longiorem faciam, cum nemo neque antea, neque poſtea, nec vero vlla vmquam ætate vitas Sanctorum hominum litteris mandarit, quin eorum miracula, monimentis conſignata eſſe voluerit. Sunt enim illa non modo, quemadmodum initio narraui, ad bonitatem Dei demonſtrandam inſignia: ſed ad fidem corroborandam, & augendam valde in omnes partes vtilia, maximeq; accommodata. Si quis Annalium de martyribus memoriam replicat, facilè animaduertit infinitam hominum multitudinem ex miraculorum narratione fidem ſuſcepiſſe. Ea enim, quaſi voces præclaræ plenæq; ſignificationum, religionem Chriſtianam prædicant, & reſurrectionem mortuorum confirmant. Ob eam rem fuit olim id in more poſitum, vt miraculorum libelli frequentiſſimo populo ab Epiſcopis recitarentur: id quod ex S. Auguſtino animaduerti poteſt. Neq; autem illa ſunt ſolùm argumento, quanta Sancti pietate coli debeant, quorum nomine ea Deus operatur: ſed maximè ad Chriſtiani nominis populiq; gloriam ea ipſa pertinent; quæ quo latius propagantur, hoc magis boni gloriatur, & mali ignominiæ cruciatu & labe quadam contabeſcunt. Cum igitur B. Didaci vitam, certis capitibus diſtinctam, ſuperiori parte comprehenſam, litteris mandarim: ſequitur altera pars, quam totam in miraculis eius ſcribendis ponam, exemplo ſanctorum Patrum ductus; qui tantam illorum rationem habuerunt, quantam ad gloriam Dei illuſtrandam, aliaſq; publicas Eccleſiæ vtilitates habere oportere demonſtraui. Qua in re hæretici, qui fidei Catholicę ſummam omni conatu conuellere ſtudent, cum antea ſemper iam inde vſq; ab vltimis illis religionis Chriſtianæ temporibus, tum maxime in hac recentium hæreſum tempeſtate nos exagitare contendunt: in eoq; magnis enigilant lucubrationibus, vt fidem labefactent, atque infringant miraculorum, quorum ſplendore perpetuo colluſtrata eſt eccleſia Dei. Itaque eo ſtudioſius in ſuſcepti muneris curam incumbatur neceſſe eſt, quo magis illorum inſidiæ intentæ apparent. Fuerunt olim in eo frequentes, vt Sanctorum vitas, vel confictis argumentis ipſi conſcriberent: vel ab aliis ſcriptas, veteratoria quadam, hæreticaque deprauandi arte corrumperent, ac falſis narrationibus contaminarent. Quorum fraudi ac dolo obuiam itum eſt ſacro præſertim Canone, quem Gelaſius Pontifex in concilio Romano tulit. Non defuerunt præterea, qui miracula præcisè negant. Næ iſti perſpicuè mendaces ſunt. Vt enim mentiuntur, qui nullam in Oceano aquam, aut nullum in ſole lumen eſſe dicunt: ſic qui proiecta audacia negant in Eccleſia Dei eſſe miracula: à re vera, & certa, quæ oculorum aſpectu cernitur, plane aberrant. Eſt cum iſtorum male ſentientium coercenda impudentia, tum bonorum piorumque hominum ſtudium excitandum. Id iam nunc mihi faciendum cenſui commemoratione miraculorum B. Didaci, ab hac etiam laude feliciſſimi viri. Ea autem narrando perſequar, non quæ aliquo modo apocrypha, quæque in obſcuro lateant, ſed quæ omnis fere Hiſpaniæ vocibus in apertum prolata, & obſignatis publicis tabulis teſtificata, magnorum ac ſummorum virorum ſermonibus prædicata, & omnium pene, præcipuè Complutenſium ac Toletanorum ciuium, iamdiu firmata conſenſu, nullam ancipitem afferre poſſunt ſcribendi curam. Mirabilis fuit Deus in Didaco ſancto ſuo magnitudine & multitudine miraculorum, quæ edidit numero centum triginta, & amplius. Non mei muneris puto, omnia ſingulaque recenſere: ſed quæ aliquo nomine illuſtria ſunt, & quæ in primis, ſacroſancta Sedis Apoſtolicæ auctoritate mature comprobata, animum meum exſuſcitant ad ea, vt poſſum, luculentè ſcribenda.

Miracula ſanctorum veteris Teſt. 4 Reg. 2. 8. Exod. 7. & 10. & ſeq. 4. Reg. 13. 21. Ioh. 20. 30. Miracula Sanctorum noui teſtamenti. Ioan. 14. 12. *Actor. 5. 15. Mat. 17. & 20 Dial. l. 1. c. 7 Nyſ. in or. de Greg. Neoc. Lib. 22. c. 8. Serm. 91. Conf. lib. 9. cap. 7. Miracula ad fidem ducunt, eamq; confirmant. Hæretici miracula reiiciunt & negant. C. Sancta Romana Eccleſia diſt. 15. Multa B. Didaci miracula.

I. PRIMO: quod de B. Hilarione Abbate, ſanctus Hieron. ſcriptum reliquit, de B. itidem Didaco teſtatiſſimum eſt, atq; compertiſſimum: ex eius mortui corpore miram odoris ſuauitatem eſſe afflatam, vt cum cubiculum totum repleuerit, tum omnes etiam qui præſentes aderant, delectatione perfuderit. Nemo autem diiudicare poterat, vnde tanta odorationum vis dimanaret. Sed illud commemorabile eſt, atq; admiratione digniſſimum, eam odoris iucunditatem ſenſu percipi nequaquam ab iis potuiſſe, qui tetris peccatorum ſordibus ſeſe inquinaſſent. Vbi verò de iis confeſſi ſunt: gratiſſimum inde odorem ſenſerunt.

Corpus B. Didaci ſuauiſſimum piis adflat odorem.

II. EIVS corpus præ ieiunio, abſtinentia, & inedia, nigroris ſpeciem præ ſe ferens, candore poſt obitum reluxit: vultus illius non mortui, ſed viuentis: artus, & articulorum, manuumque commiſſuræ flexibiles, vt ſequerentur quocumque verterentur. Neque vlla corporis pars; cum mortua caloris eſt expers, obriguit, vt hominis cadauer obrigeſcere ſolet.

Candidum eſt, cum viuum nigrū eſſet, viuentis habitum præferens: nec rigidum eſt, ſed per omnes artus flexile molliciâ.

III. QVARTO die corpus exhumatum, tantum abfuit, vt fœdè putreſceret, vt mirificas odorationes afflaret: etiam ſi nullis vnguentum delibutum, aut balſamo conditum, in ſepulturam traditum eſſet. Multos autem poſt exhumationem dies inſepultum odorum ſuauitatem ſemper exhalauit. Aliquando itidem accidit, quo præſertim tempore ad eius ſepulcrum fit aliquod inſigne miraculum.

Ad miracula, mira fragrantia eſt corporis eius.

SED cum ingens ſit numerus rerum admirabilium, quas is diuinitus geſſit, illas narratione contexam non ſine ordinis ratione. Primum de miraculis dicam, quibus in vitæ huius ſtadio claruit: deinde verò de reliquis, quæ

Prece

prece & meritis ſerui ſui Deus facere non deſiit, iam inde à qua die obiit vſque ad hæc tempora, quibus illius ſanctitatem diuina benignitas illuſtriorem reddidit tam admirandis operibus, quæ narranda ſunt.

Paſtus à Deo in deſerto fuit: Sup. part. 1. cap 10.

PAVIT eum Dominus aliquando in ſolitudine, quemadmodum Eliſæum, Paulum eremitam, & alios ſeruos ſuos. Sed rem totam ſcripſi, quo loco expoſui iter eius Hiſpalenſe.

MORBOS autem inſanabiles, quos diuinè curauit ſolo tantum crucis ſigno, difficile eſt, atque longum nimis enumerare. Sed illud aſſeueranter dici licet, eorum curatione vbique excitatam ita eſſe admirabilitatem nominis ſui, vt magnus ad eum concurſus fieret.

HISPALIM cum iter B. Didacus haberet, ad hominem diuertit fratrum ordinis ſui hoſpitem. Erat in vicinia mu- IV.
lier, quæ præ inopia furnariam exercebat, vt ſe ſuamq; familiam ſuſtentaret. Habebat hæc filium, annos ſeptem aut amplius natum: qui matris, iracundia exardeſcentis, acerbitatem metuens, ſæpenumero aufugere ſolebat. Is quodam die verberibus cæſus, domo abiit: neque eſt ante diem Dominicum reuerſus. Tum verò timens, ne à matre acerbius iterum vapularet; in furnum ſeſe abdidit, vbi ſomnus eum arctiſſimè complexus eſt. Eo loci puerum iacere, cum illa ignoraret: poſtero die, qui dies feria ſecunda fuit, ante lucem ſurgens, ignem admouit furno. Qui iam celeriter flammis exarſit, vt ſimul & puer horribilem in modum clamitaret, & furnus igneſceret. Eo acerbiſſimo filii caſu mater mœſta ac mœrens, cùm non eſſet, qui ſibi opem ferret, gemitu eiulatuq; lugubri, & vociferatione muliebri viciniam replebat, auxilium expetens. Cui B. Didacus, bene iuuante Deo, obuiam factus, re audita, mulierem conſolatur: bono animo eſſe iubet, hortaturq; hoc maxime, vt ad eccleſiam quam primum propere feſtinet, vbi ad B. Virginis Mariæ altare ſupplex, filii ſalutem ei miſericordiarum matri intime commendet. Recte monenti paruit ilico mater, pueri periculo conſternata: tum continuò B. Didacus & ſocius, ad furnum profecti, lignis & ſarmentis incenſis, illum ab omni plane illo ardore incolumem inuenerunt. Ob rei admirabilitatem ad ſacram ædem, vbi mater precabatur, illum perductum albis veſtibus Canonici induerunt in honorem beatiſſimæ Virginis: nemoq; aderat è frequenti populo, qui illum curioſe non ſpectaret, tamquam è media morte mirabiliter ereptum. Sacellum autem, quo is, ab incenſione liber in omnium conſpectum adductus eſt, magna in veneratione eſſe deinceps cœpit: cum multa præſertim miracula, B. Didaci gratia, Deus poſtea fieri ibi voluerit.

Puerum liberat ex incenſo furno

MIRACVLORVM B. Didaci fama percrebuit, & in ore ſermoneque omnium cœpit eſſe. Sed non deerant, qui illa præciſe negarent. Mire tamen ac diuine factum eſt, vt iidem palam publiceque illa faterentur, & commemorarent. Idque planum ex iis fiet, quæ mox exponam.

MARIA Barahona, Garſiæ ciuis Complutenſis filia, aliquot poſt obitum illius B. Viri diebus, in ſermonem vna V.
cum aliis mulieribus de eius miraculis incidit. Forte præſens aderat Alphonſus quidem Goncalez, ſacerdos: qui illa cum audiret, ſe non credere dixit, etiam ſi eadem valde confirmaret Apoſtolorum princeps, Petrus. Dum hæc temere dictitabat, quoddam B. Didaci tunicæ fragmentum exiguum in manu habebat, quod multo ſudore manans, manum aqua madefecit. Res admirabilis cum cerneretur: continuo in fragmento ſimul & in manu aqua ſudoris aruit. Eius rei admirabilitate tum Maria & cæteræ mulieres obſtupefactæ ſunt: tum vero Sacerdos commotus, aperte aſſeueranterque dixit, ſe plane credere quæ de beato Didaco miranda narrantur.

Incredulus miraculis S. Didaci alio miraculo fit credens

Hæſitans de S. Didaci miraculis, punitur.

IOANNES de Guadalaiara, homo Complutenſis, aliquando cum aliis ciuibus Complutenſibus colloquium VI.
de miraculis habuit, quæ B. Didaci prece Deus operabatur. In iis Ioannes cum hæſitaret: domum reuerſus, dum noctu ſomnum caperet, derepente in crure prope genu ita vehementer dolore cruciatur, vt clamores & gemitus ederet miſerabilem in modum. Iampridem nimirum, quindecim, ante annis ea in parte vulnus acceperat: neque antea vmquam, ne leuiter quidem, niſi tunc primum doluerat. Eo cruciatu exarſit tota nocte, & poſtero die mane quouſq; ad Miſſæ ſacrum acceſſit. Cum autem ad Chori altare, ſtabat tum repentini doloris impetu victus, non modo ſtare non potuit, ſed neceſſe habuit, humi ſtratum iacere: tum in mentem ſtatim venit cauſa, quamobrem plagæ, quæ tamdiu obducta erat, acerbitatem ſentiret. Qua recordatione excitatus ad beati Didaci ſepulcrum, vt ægre potuit, ſe contulit. Eo loci Deum in hoc intime precatus, vt ob illius merita ſui miſereretur, doloremque ſibi vniuerſum adimeret, quo acerrime torquebatur: tum vbi paululum oraſſet, magnam in crure vim caloris ſenſit: quo diuinitus à doloris liberatus eſt cruciatu.

Ad eius ſepulchrum orans ſanatur.

Puella mortua reuixit ibidem.

ALVARVS Gaa, homo Luſitanus, Archiepiſcopi Toletani familiaris, commiſeratione ductus ancillæ, quæ do- VII.
mi ſuæ cum marito habitans filiam paucis ante horis mortuam, miſerabiliter lugebat, eam conſolando monet, vt ad beati Didaci, cuius tunc miraculorum nomen maxime increbreſcebat, ſepulcrum puellam deferret, id à Deo precans, vt ob eius merita filiam, ad vitam reuocaret. Pie monenti, cum ilico obtemperaſſet, domum puellam, quam mortuam inde extulerat, viuentem ac validam reduxit.

Cæcus attactu ſacræ manus eius viſum recepit.

HOMO quidam, in oppido de Agreda natus, oculis omnino captus, omniũ ſermone diffuſa celebritate miraculo- VIII.
rũ, quę B. Didaci meritis & precibus Deus efficiebat, multis locis medicum, cuius virtute lumẽ recuperaret, ſe cõquiſiuiſſe dixit. hic tamen illum inuenio, qui à cæcitate me diuinitus liberauit. Ad ſepulcrum igitur beati eius viri acceſſit, cuius manum oculis cum admouiſſet: eorum ſenſum, cuius omninò expers erat, diuinitus recuperauit.

Cæci duo pueri luto ſepulchri item viſum recuperarunt.

FILIOS duos, cæcos, pater quidam, in pago de Corlon natus, ad illius monumentum adduxit: vbi paululum IX.
terræ è ſepultura cum excepiſſet, lutum confecit, quo eorum oculos obliniuit. Id pura fide cum pater effeciſſet, liberi reſtituti ſunt ad integrum oculorum ſenſum.

A febri quædam conualuit.

CONSTANTIA Mendocia, Didaci Lopez filia, menſes quinque febri grauiter laborauit: à qua diuturna & peri- X.
culoſa ægrotatione liberari nullis etiam aſſiduis medicorum curationibus potuit. Itaque cum beati Didaci miracula, quæ tum frequentia erant, auditione accepiſſet: ad illius monumentum, cum adhuc febri æſtuaret, aduecta ac Deum precata, ob viri illius beati merita valetudinem priſtinam ita recuperauit, vt febris, cuius æſtu, aut horrore vehementer vexabatur, ne commotiunculam quidem vllam, vel minimam in poſterum ſenſerit vmquam.

Voto concepto ſanus fit ab epilepſia vexatus

HIERONYMVS homo Segobienſis, 5 & 10. quoq; die, ita grauiter morbo comitiali afficiebatur, vt mortuus XI.
putaretur. Fama ductus miraculorum beati Didaci, vouit ſe ad illius ſepulcrum vigilias eſſe acturum. Quo voto pie nuncupato, ſtatim morbum euaſit: neque ſe in poſterum ab eo tentari ſenſit.

PETRVS Philippus, & Catharina, coniuges, in pago del Freſno nati, filium habebant febri grauiter ægrotan- XII.
tem. Qua febri is quodam die cum vehementer æſtuaret: præ æſtu dum clamorem, gemitumque magnum edidit, vocis vſum amiſit: neque cibum deinceps capiebat, nec vero capere poterat. Quam ob rem deſperata eius valetudine, parentes eum B. Diocco commendarunt: cuius cæleſti apud Deum auxilio confeſtim locutione recuperata, à febri etiam conualuit.

Valetudinẽ a febri S. Didacus reſtituit cum loquela.

Pedes reſtituit.

IOANNES Sanchez, familiaris Principis oppidi Sancti Iuliani, tres ipſos menſes ex tumore pedum laborabat: XIII.
eamq; ob rem incedere, aut ſtare nullo modo poterat, niſi baculo nitebatur. Auditis rebus beati Didaci admirandis, quæ omnium ſermone celebrabantur, ad illius ſepulcrum ſe aduehi voluit. Ex voto triduum ibi manſit: in ſingulosq; dies eo nomine Miſſam celebrandam pie curauit. Dum autem fixus in oratione verſabatur, à pedum tumentium morbo ſe mirabiliter liberum vidit, ac profectus eſt.

VIR

XIV. Vir quidam, genere nobilis, elephantiaſi morbo fœde infectus, ad beati Didaci monumentum delatus, multos ibi dies in lecto iacuit, potu aquæ vſus, qua manus ille abluere conſueuerat: factum eſt, vt contra omnium ſpem ab inſanabili eo contagio conualueſcit.

Leproſum curauit.

XV. Henricvs Quartus, Caſtellæ Rex, & filia, aliquo poſt beati viri obitum, ſpatio temporis, grauiter ægrotarūt. Factum eſt, volente Deo, vt, quoniam nullis medicorum remediis præſentibus ſanarentur, prece ac meritis beati Didaci valetudinem priſtinam recuperarint. Cuius diuini beneficij Rex memor, illius nomine ſacellum impenſe extruxit: vbi eius corpus intra arcam ferream pie recondi iuſſit.

Regem Caſtellæ cum filia a morbo ſanauit.

XVI. Ioannes de Soto Catharinam filiam habebat, ex puſtularum morbo periculoſe laborantem: cuius etiā morbi vi iam puella cum oculorum ſenſum amiſerat, tum vero cibum ſumere nequaquam poterat. Eius ſalute deſperata pater, rerum mirandarum beati Didaci commemoratione excitatus, continuò ſupplex ab eo petiit, vt filiæ incolumitatem à diuina benignitate deprecaretur. Quod ſi impetraret, vouit ſe nocte vna ad eius ſepulchrum vigilaturū. Abiit inde pater, vbi puella, morbo perculſa iacebat: poſtea verò quam rediit, reperit eam à malo liberam integreq; videntem ſenſu oculorum: quo patrem intuens, hilari vultu illum ſalutauit.

Item cæcā ex puſtulis.

XVII. Catharina Martinez, mulier Hiſpana in pago Duron nata, cùm prope fontem quendam eſſet, repentina vi quadam morbi, paralytica, muta, ac ſurda euaſit. Quo triplici morbo tres ipſos menſes vehementer laborauit. Ad B. Didaci ſepulcrum aducta: dies nouem ibi vigilias egit. Cum vero ſemel manu illius B. Viri, inſtar crucis, ſignaretur diuinè factum eſt, vt membrorum omnium vium continuo recuperarit. Pedibus ſuis inceſſit, aurium ſenſu audiuit, & abſq; vlla linguæ hæſitatione, aut impedimento, ne minimo quidem, locuta eſt. Immo libere primum, vicario præeunte, ea verba protulit, Laus Chriſto Ieſu.

Item paralyticam, mutam, ſurdam.

XIIX. Adolescens quidam, annū vigeſimum agens, ab improbo ſpiritu obſeſſus, ita horribiliter exagitabatur, vt, cū quotidiè ſæpius in terram caderet, ſe ad puteos præcipitem ferri clamitaret, Adductus igitur ad ſacellū, vbi beati Didaci corpus pie aſſeruatur, aliquot poſt diebus, quibus eo loci māſit, ac illius vexatione æſtuq; eſt mirifice liberatus.

Ad ſepulchrum eius ab energumeno dæmon profligatus.

XIX. Didacvs Lorca, ſpiritus impuri, quo miſerabiliter vexabatur, impetu ſæpenumero in terram ita abijciebatur, vt horæ ſpatio prorſus omni ſenſu careret. Quo cruciatu ægre afficiebatur: eamque ob rem mallet ſe mori, quā ita dolenter atque acerbe viuere. Ad ſacellum igitur beati Didaci, cum nullum aliunde remedium inueniſſet, ſe peregrinaturum, dieſq; nouem commoraturum vouit. Eò profectus illius ſpiritus nequitia, & impetu haudquaquam liberari potuit: propterea ad conuentum beatæ Mariæ de Guadalupe rediit, vnde proxime diſceſſerat. Tum à propinquo rogatus, an qua debuit fixa animi pietate, ſinceraq; fide be beato Didaco commendaſſet, id minimè à ſe factum reſpondit. Quare monitus, vt ardentiori deuotionis ſtudio opem eius imploraret, pedibuſq; nudis ad ſacellum incederet, monentis propinqui conſilio paruit. Quo factum eſt, vt, quodam die flexis genibus cum intime oraret, à ſpiritu nequiſſimo omniq; malo repente liberatus ſit diuinitus.

Item ab alio obſeſſo malus genius.

XX. Maria, vxor Ioannis Flores, diœceſis Toletanæ, ex partu inſanijt: ita à mentis ſtatu depulſa, vt ſtulte & furenter ageret omnia. Eam ob rem menſes duos vinculis ferreis aſtricta tenebatur. Coniugis miſeratione commotus Ioannes, votum nuncupauit, vt ad beati Didaci monumentum eam adducat. Cùm autem voti ſponſionem præſtare maximopere cuperet: Venit vna cum altero, quem ſibi ſocium adhibuerat ad locum, vbi catenis conſtricta erat. Mirum, vt, voto facto, illam inuenerit non modo non furentem inſanientē, quemadmodum antea, ſed quiete placideq; conſidentem. Ad ſepulcrum igitur beati viri ex voto perducta, dies decem ibi commorata, tandem illius prece ac meritis, ad mentis ſanitatem rediit.

Inſana mentis compos facta.

XXI. Antonivs Franciſ, Iſabellæ Reginæ familiaris, menſes circiter octo, ita febri grauiter vexabatur, vt totius corporis dolore miſere cruciaretur. Tam diuturno morbo & cruciatu ſe medicina liberari non poſſe, experiundo cognouit: voto nuncupato, ad beati viri ſepulcrum ſe adduci voluit. Vbi dies nouem cùm vigilias egiſſet, per illius merita Deum de ſalute precatus, in dies ſingulos meliuſcule ſe habere incepit, vſque adeo vt inde diſceſſerit, bene à morbo confirmatus.

Febriens item ſanatus.

XXII. Igni ſacro, morbo acerrimo, quem ſancti Antonij nomine vulgo vocant, vir quidam acerbiſſime afflictatus, ad illius beati viri monumentum intima pietate ductus, venit: vbi cum arcam, in qua eius corpus reconditur, brachio tetigit, ab eo morbo ſtatim conualuit.

Et ab igni ſacro alius tangēs tacti corporis arcam.

XXIII Maria, in oppido de la Parra nata, puella ætate ſeptem circiter annorum, oculis capta, ad ſacellum beati Didaci à patre aducta, triduo ibi cum manſiſſet, videndi ſenſum non recuperauit. Vbi verò inde cum patre abiit, dum torrentem tranſit, patrem ſic affatur; Video pater mi: beatus enim Didacus oculos mihi aperuit: tumq; ſe cernere dixit & Complutum, & caminos fumum emittentes. Poſtea vero integre vſa eſt oculorum aſpectu.

Puella cæca videre cœpit.

XXIV Beati Didaci precibus homines tres, qui præ maxima morbi vi obierant, à morte ad vitam reuocati, ad eius monumentum aliquandiu euigilarunt: vbi ſunt publice palam teſtificati omnibus tanti miraculi magnitudinem. Cuius rei illud certiſſimo eſt argumento, quod linteum idem induerunt, quo, vt in Hiſpania moris eſt, inuoluti, ex vita hac migrantes, in ſepulturam inferuntur.

Mortui tres vitæ redditi.

XXV. Alphonsvs Martinez, nocte quadam, dolore cordis derepente affectus, cruciabatur maximè. Quo in cruciatu ſibi corpus inflammari & inteſtina dilacerari videbantur. Itaque magnopere metuit, ne illa animi acerbitas, quaſi rabies canis aliquando fieret. Confugit pie ad beati Didaci monumentum, cuius patrocinio cum intime ſe commendaſſet, continuò ab illo animi mærore conualuit. Ex capite autem cum deinceps magnopere doleret, eodem remedij cauſa ſe recepit: vbi genibus flexis opem per illius merita à Deo precatus, nullum deinceps dolorem ſenſit, odore etiam afflatus, quem inde ſuauiſſimum perceperat.

A cordis & capitis dolore quidam liberatus.

XXVI Mulier quædam Hiſpanienſis, annos triginta nata, iam ſeptem & decem muta, ad beati viri ſacellum perducta, vigilias, nouem ad illius ſepulcrum cùm egiſſet, corpori demum proximè admota, vbi elinguis erat, confeſtim loqui cœpit. Tum omnes, qui aderant, rei admirabilitate obſtupefacti, gratias Deo ingentes egerunt, quod rem tantam oculis ſuis ſpectaſſent.

Mulier elinguis loquelam accepit.

XXVII Melchiora Aguilar, diuturno morbo langueſcens, demum in paralyſim incidit. quæ nullis medicamentis curari potuit. Ad beati Didaci ſacellum euecta, qua primum nocte eo ingreſſa eſt, dum in matutina hora euigilabat, tanto ſudore manauit, vt guttatim deflueret Deinde quadam animi defectione cum mortua putaretur: paulo poſt ad ſe rediens, integram valetudinem mirabiliter recuperauit.

Paralytica reſtituta.

XXIIX. Dominicvs Fernandez, in pago De la Vinnuela natus, cruribus debilitatus, nullam in partem ſe mouere poterat, niſi aliena ope adiutus. Ad beati viri ſepulcrum iumento vectus, vbi quatriduo manſit, Deum de valetudine ob Didaci ſancti merita precatus, ſubito conualuit.

Crurum firmitas reddita.

XXIX. Maria Garcia, femina nobilis, nurum Catharinam habuit, cui parturienti certum ex partu periculum impendebat, propterea quod infans, in vtero tranſuerſus, vnum tantum pedem inde extulerat. In tanto puerperæ diſcrimine illa commeminit beati Didaci, qui tunc miraculorum claritate ſplendeſcebat. Recreata igitur aliquantulum ex ſpe, quam in illius beati viri meritis habebat, ilico veſtis, qua is indutus fuerat, exiguum fragmentum

Attactu veſtis & terræ ſepulchri S. Viri parturiens facilè enixa fœtum mortuum, qui voto reuixit.

paulumque terræ, qua corpus contegebatur, afferri iuſſit. Rem vnam & item alteram nurui admouit: quæ ſtatim puellam peperit, mortuam illam quidem, ſed ipſa periculo liberata fuit. Ex tanto autem miraculo ſocrus etiam puellæ vitam reſtitui præ fidei ardore à Deo petere confiſa, vouit, ſi id impetraſſet, in ſacello beati Didaci ſe dierum nouem vigilias acturam. Voti compos facta, puellam, quæ horis quatuor mortua manſerat, cum reuixiſſet, in ſacro baptiſmi fonte Mariam ſuo nomine vocari voluit.

Febriens item ex voto conualeſcit.

MARTINVS Fernandez, in oppido Alualate natus, febri grauiter ægrotans, in mortis periculum adductus, iam penè mortuus putabatur. In eo ſtatu cùm eſſet, linteo inuoluitur: cui coniunx tum flebili altaq; voce, Martine inquit, de valetudine tua votum feci, cuius ſponſione obligor Deo, te peregrinaturum ad ſacellum beati Didaci, vbi in oratione euigiles: quamobrem cura, vt valentior fias. Hæc vix dixerat, quòd ille linteo, quo inuolutus erat, ſeſe explicans, voce reſpondit hominis non animam agentis, ſed viuentis: ſicq; mirabiliter ex morbo conualuit. XXX.

Morbidus ſanatur.

Ex inteſtinis, dolòreq; ſtomachi homo quidam Conchenſis grauiſſime laborans, vſq; adeo vt mori metueret. B. Didaci, quem in hac vita olim familiariter norat, precibus ſe intimè commendauit. ſtatimq; è graui morbo euaſit. Illud præterea teſtatus eſt, neq; ſe, nec verò quemquam familiæ ſuæ ad vllam corporis inualetudinem adhibuiſſe, vnquam medicum: ſed ſi quando in febrim, aut in aliquem morbum inciderunt, B. Didaci precum ope ſe, ſuoſque ab omni ægrotatione liberatos eſſe. XXXI.

Item grauiter febricitans.

LEONORA Concalez, fœmina Hiſpanienſis, febri perículoſe æſtuans, votum nuncupauit peregrinationis ad ſacellum B. Didaci. Quo voto facto confeſtim à morbo conualeſcens, vt illud ſolueret, eò venit: vbi, cùm vix pedem illuc intulerat, in febrim incidit. Admirata mulier, quid cauſæ eſſet, cur ſibi aliter, atq; alijs è morbo laborantibus ſuccederet: qui, tantum abeſt, vt malis recentibus afficiãtur, vt veteribus omnino liberentur. Id aliqua culpa ſua factum, animo cum reputaret Arabice ſcriptam ſe quandam ſchedulam habere meminit, quam vbi legi iuſſit, dæmonum nomina, litteris conſignata, in ea eſſe compertum eſt. Inflammari quamprimum eam mandauit: ſicque continuò febris diſceſſit. XXXII.

Nota. Nota.

Incuruus & hernioſus ſanatur idem.

PETRVS Ramirez, ex pago Sancti Adriani, homo incuruus, & hernioſus, ex vtroq; malo valde laborabat. Ita enim curuus fuit, vt ab humeris aliquid prægrande inſtar capitis humani extaret. Hernia, quam Rotturam vulgò dicimus vſq; adeo ab inferioribus partibus inteſtina diduxit, vt matulæ vaſis ſpeciem præ ſe ferret. His ambobus corporis malis, & deformitatibus ægre affectus, præ doloris moleſtia, quam ſentiebat, ſomnum, aut quietem capere nõ poterat. Tum beati Didaci miraculis omnium ſermone celebratis adductus in viam ſe dedit, vt ad illius ſepulcrum iret. Eò antequam peruenit, nocte quadam ob eius merita à Deo auxiliũ valetudinis recuperandæ omni ſumma pietate ſupplex petijt. Diuinitus factum eſt, vt precatione facta, ſe non incuruum eſſe ſenſerit. Vbi verò ad illius monumentum venit, in oratione, cùm ſemel pernoctaſſet, ab hernia ſtatim conſaneſcit. XXXIII.

Calculoſus quoque.

IOANNES Martinez, ex vrinæ difficultate laborans, 30. ipſos dies mingere non poterat intolerabili cum cruciatu. Vrinæ autem loco ſanguinem guttatim effundebat ægerrime. Nocte quadam precando cum ad beati viri ſacellum vigilaret, derepente calculum ita grandem emiſit, vt natura exire non poſſet. Ita diuinitus factum eſt, vt eum morbum depulerit omnino. XXXIV.

Tactu manus eius a dolore lumborum curatus.

ALPHONSVS Garcia, homo Complutenſis, lumborum dolore vehementer cruciatus, cum neutram in partem moueri haudquaquam poſſet, ad Didaci ſepulchrum ſe ex voto aduehi voluit. Ibi per ſancti viri merita Deum precatus, cum ad lumbos ſibi manus illius admota eſſet, ilico miram caloris vim ſenſit, quæ dorſum inuaſerat. Is calor ita dolorem depulit, vt deinceps à malo conualuerit in perpetuum. XXXV.

A febri quædam mulier perſanata.

IOANNA Mendocia, Gomezij Manriquij coniux febris æſtu, & horrore grauiter afflicta menſes duos, cum nihil ſibi quicquam prodeſſe videret, quod à medicamentis proficiſceretur: de valetudinis recuperatione id conſilij cepit, vt ad beati Didaci ſacellum veniret. Eò perducta, ad eius ſepulcrum ſupplex accidens, antequam à ſupplicatione ſurgeret, à ſe febrim ita diſceſſiſſe ſenſit, vt nullis eius commotiunculis affecta ſit in poſterum. XXXVI.

Oculum quaſſatum reparauit.

DIDACVS Garauito, cum pilæ ludum ſpectaret, ictu ſupra oculum vehementer percuſſus, præter capitis dolorem, quem ex eo intolerabilem traxit, nihil quicquam, oculi fracti, & ſanguinem fundentis aſpectu, cernere poterat. Oculo igitur captus, cum aliunde non inueniret, vnde ſibi remedium adhiberet: Dei opem implorauit, qui ob Didaci beati merita illum reſpexit. Nam beato illo viro deprecatore, ad cuius cæleſte patrocinium confugerat, vſus cum nullum capitis dolorem ſenſit, tum oculi amiſſi ſenſum recuperauit plane diuinitus. XXXVII.

Lateris dolorem depulit.

F. Antonius Aguayo ordinis Minorum, media nocte cum matutini ſignum campana dabat, tam acerbum dolorem in latere ſiniſtro accepit, vt præ cruciatu horribiles clamores menſium circiter trium ſpacio ederet. Eo cruciatu etiam tortus, cum ſomnum neque diu neque noctu capere poſſet, ad beati Didaci precationem diuinam confugit: cuius ope quamprimum ſanàtus eſt. XXXVIII.

Capitis itẽ debilitatem & manus.

FERDINANDVS, Ioannes Ferrandez & Catharinæ filius, morbo langueſcens, viribus labefactatus capitis, quod nullo modò, neque à dextra neq; à læua parte ſuſtinere poterat, & manu debilitatus, quæ, quaſi exareſcens, diduci, & contrahi nequibat, ad beati viri ſacellum perductus, illius meritis, reſtitutus eſt ad integram valetudinem. XXXIX.

Cæcitatem quoque.

PETRVS Martinez, cæcus ab amico ad beati monumentum adductus, viſum, cuius expers fuerat, illius ope implorata, continuo recuperãuit. XL.

Ex corporis tumorem.

ISABELLA Sanchez, Goncalij coniunx, Mantuæ Carpetanorum, quam Madrid vulgò vocant, nata, toto corpore tumeſcẽns, omnibus partibus deformata, & vultu decolorata, nunquam vllis exquiſitis medicamentis ſanari potuit. Vbi primum ad beati Didaci ſacellum aduecta eſt, cum vigilias tres precibus egiſſet, à tumore conualeſcens, priſtini decoris ſpeciem præ ſe tulit mirabiliter. XLI.

Item quartanam.

GONZALVS, Lopij Garciæ filius, febri quartana annũm ægrotabàt. Ad beati viri monumentum pietatis cauſa profectus, cum Guardiano egit, vt ſibi illius corpus oſtenderet. Quod cum impetraſſet, vbi illud piè ſpectauit, diuinitus factum eſt, vt ex febri quartana deinceps neutiquam laborarit. XLII.

Et ramicoſum ſanauit.

IOANNES Goncalez, ciuis Mantuæ Carpetanæ in Regno Toletano, filium Didacum, habebat ramicoſum, nempe ex hernía laborantem. Annos duos filio curationem ex medicorum ſolertia cum adhibuiſſet, nihil ei profuit tamen ad valetudinis recuperatiõnem. Confugit tandem ad beati Didaci auxilium, cuius cæleſti prece à Deo ſalutem filij & incolumitatem mirificè impetrauit. XLIII

Brachium aridum quoque.

LOPEZIVS Enzinas ex equo deciderat: quo caſu brachium dextrum fractum ita exaruit, vt ad rem nullam eius functione ac munere vti deinceps poſſet. Miraculorum beati Didaci fama commotus, magna erga eum veneratione & ſpe exarſit. Nocte quadam ſibi ille in ſomnis adeſſe viſus ab ea petiit ſe ipſius apud Deum deprecatione, ſanum fieri. Tum Didacus, manu impoſita: Abi, inquit, quia ſanus es. Somno expergefactus, cum ſomnium inane putaret, tamen aliter euenit: propterea quod brachiũm prorſus validum & ſanum diuinitus factum eſt, vt in poſterum facile eo vteretur ad omnia. XLIV

LAV-

XLV. Lavrentivs Martinez, decem ipſos annos brachio erat fracto, beati Didaci ſacellum cum piè adiret, ad integram illius reſtitutus eſt valetudinem, magna omnium, qui eum norant, admiratione. Fractū brachium reparauit.

XLVI Ioannes Martinez, de vico, quem Caſtillejo Hiſpanicè vulgo dicunt, annorum duodecim ſpacio manibus mancus ac debilis, pedibusq; ob paralyſin captus, ad ſacellum beati viri iumento vectus, vigilias nouem ibi orando cum egiſſet, ſanus factus, manuum pedumq; vſum in poſterum adhibuit. Paralyticus ad eius Sepulchrum cōfirmatus:

XLVII Ioannes alter Martinez, ab latere vno totus paralyticus, ac diu mutus, ad beati Didaci monumentum perductus: vbi primum vigilias duas in oratione egit, diuinitus eſt ab ægrotatione confirmatus. Item alius paralyticus & mutus.

XLIIX Ioanna, Catharinæ Diez filia, omnibus fere membris capta, ore obtorto & deformi, lingua hæſitanti: beati Didaci patrocinio à matre intimè ac pie admodum commendata, membrorum vſum, oris decori formam, locutionis naturale munus ſtatim recepit. Item alia vſu mebrorum orbata

XLIX. Didacvs de Guadalupe, morbo comitiali in dies ſingulos ſæpe quinquies, aliquando ſexies grauiſſimè exagitabatur. Voto nuncupato ad beati viri ſacellum dies nouem in oratione euigilauit. Die autem nono longè grauius, quam antea, vexatus, ab hac vita migraſſe videbatur. Sed diuina ope ob illius viri beati merita factum eſt, vt in poſterum nullam tam vehementis morbi moleſtiam vel leuiſſimam vnquam ſenſerit. Epilepticus quoque.

L. Franciscvs Fontius, vas teſtaceum, amplum ac ponderoſum, in cellam vinariam deorſum immittere cùm vellet, ad hoc opus faciendum vſus eſt opera Franciſci cuiuſdam Sanchea, qui illud fune conſtrictum, & ſuſpenſum, extrinſecus paulatim demitteret. Hic iam graue onus cum ſuſtinere nequaquam poſſet: continuò ex illius manu vas lapſum, multis partibus infractum, qui ſubter erat, ſurſum ſpectantem, maximoperè læſit. Ea igitur confractione variè percuſſus, & animo ſenſuque omni conſternatus, in lectulo quaſi mortuus collocatur. In quò cum eſſet, ſe à dæmonibus præcipitem per quoſdam montes ferri, idq; illos triumphare, ac lætari vidit. Vbi ad ſummum montem tenebricoſum tandem ventum eſt, cum ipſum præcipitare inde velle ij viderentur: tum beati Didaci, cui ſe commendauit recordatione, recreatus, nihil aliud per viſum aſpexit, niſi illuſtrem claritatem auditioneq; vocem hominis accepit, iubentis eum bono fortique animo eſſe, ac ſequi, quo iret. Tum Franciſco viſus eſt illum comitari vſq; ad vicum quendam, quem Pozuelo vocant vbi ille habitabat. Eò cum ambo veniſſent, tunc, Abi, ille inquit, domum tuam, & de mulieribus percunctare, quæ earum à beato Didaco precum ſuarum opem tibi implorauit. Id ab ijs cum quæſiſſet: mulier quædam Mencia reſpondit; Ego illi Dei viro te commendaui. Hæc verba Franciſcus vbi primum audire viſus eſt, ſtatim à morbo integer & ſanus factus eſt, ac liber ab illa dæmonum impreſſione. Ex onere graui quaſſatus ſeruatur. Dæmon abigitur.

LI. Lopivs, & Iſabella, coniuges, Mantuæ Carpetanorum in Regno Toletano nati, filium habebant, annos circiter octo natum, ex febri biennio laborantem, ventrisque tumore langueſcentem. Pater votum nuncupauit de eo ad Beati Didaci ſacellum perducendo. Vbi primum vouit, cum puer ſtatim beſtiolas duas euomuit inſtar teſtudinum, & magnam ſimul copiam ſanguinis emiſit, vſque adeò vt vitam vix ducere poſſe videretur. Tantam peſtem poſteaquam ex inteſtinis foras proiecit, ad hominis Dei monumentum allatus, ab omni morbo mirifice quatridui ſpatio conualuit. Febriens & ventre tumens ſanatur.

LII. Alphonsvs Cardero, bello Nauarrienſi, haſta in facie vulneratus, luculentas etiam duas plagas in eadem accepit: quibus adductus eſt in mortis diſcrimen. Vbi autem menſes octo & amplius ob vulnerum curationem domi ſe continuit: nihilominus tamen vultu erat deformato, quia cicatrices obductæ cum os contraxerant, tum oculum alterum peruerterant. Ea oris, vultus, & oculi diſtortione, fœde affectus, ad beati Didaci ſacellum ex voto pie peregrinatus, poſteaquam vigilias nouem precando egiſſet, ilico integra forma, priſtinaq; ſpecie fuit & oris, & oculi quo vtroq; præ cicatricibus diſtorto, & peruerſo antea vtebatur. Vulneratus quoque, & ex vulneribus deformis.

LIII. Petrvs Arze de Auila, quatuor ab hinc annos oculis captus, atque omnibus corporis membris debilitatus dolorumq; cruciatu ægre affectus, nulla vnquam cura ſanatus, res Didaci beati mirificas, cunctorum vocibus celebratas, cum primum audiuit, ad illius ſacellum ſe perduci voluit. De aſpectu oculorum, & valetudine recuperanda ob eius merita Deum deuotè, humiliterque deprecatus, nocte quadam, dum ſomnum capiebat, ſe conſaneſcere ſenſit. Quo ſenſu expergefactus, lampadis quæ in ſacello prælucebat, lumen oculis aſpexit. Eius rei inuſitate obſtupefactus ingentes Deo gratias agere non deſiit. Lumen recepit oculis orbatus.

LIV. Alii duo homines, ad Didaci corpus venerant. Quorum alter ex manuum corporiſq; tremore ita vehementer laborabat, vt neque cibum, neque potum ſumere poſſet. Alter medio latere mancus & debilis, ægre vexabatur. Ambo ad illius corpus proxime admoti, continuo ſanati ſunt. Tremebundus & mancus perſanatus.

LV. Pater quidam, ex oppido, quod Tamajon Hiſpanicè vocant, ad beati viri ſacellum filium adduxit: qui ſextū annum agens, crus habebat altero breuius, & contractius digitis tribus. Dies ſeptem cum in oratione euigilaſſet: octauo tandem die, voti compos, filium illico vidit ſanum, pedibuſq; ſuis recte incedentem. Crus breue lexāti pueto extenditur.

LVI. Petrvs Gonzalius, loci de Vzeda, ſacerdos Capellanus, qui ſanctorum martyrum Iuſti & Paſtoris eccleſiæ curæ præerat, lumborum dolore ægre affectus, dies quindecim in lecto iacuit. Miraculorum, quæ Didaci beati meritis Deus efficiebat, magnitudine ac multitudine audita, cum iacebat, ad eius ſacellum ſe aduehi voluit. Quò poſtquam venit, illud à Deo ſupplex humiliter petiit, vt ſibi in tanto cruciatu illius viri beati meritis ſuccurreret. Id deuotè aliquantiſper precatus, eius manu ſibi in dorſo ſignum crucis fieri voluit: quo factum eſt, vt à lumborum dolore ſit diuinitus liberatus in perpetuum. Lumborū dolorem curauit.

LVII. Alphonsvs, pagi de Hontanar ex dolore laborabat, quem acerbum in crure dextero ſentiebat. Ad quem multa medicamenta vſq; adeo adhibuit, vt plaga quædam ſeſe aperuerit: cuius etiam dolorem cum lenire non poſſet, ad beati viri ſepulcrum venit. Tum illius manu vulnus contactum, vbi ſanguinem emiſit, ilico obductum eſt: neque poſtea Alphonſus vnquam dolorem vllum ſenſit. Cruris item dolorem & vulnus.

LVIII Mvlier quædam Hiſpanienſis octo & decem annos muta cum ſanari medicamentis non poſſet, ad beati Didaci ſacellum perducta eſt. Tum F. Ioannes Toloſanus, ordinis Minorum, qui præſens aderat, mulieri manum beati viri admouit, ſimulque cum neſciret, ex quo præcipuo malo laboraret, ab ea quæſiuit, quo morbo afficeretur: mox alia mulier præſens reſpondit, illam iam diu mutam eſſe. Id vbi Toloſanus audiuit, mutæ dixit: pronuncia ſalutationem Angelicam; Aue Maria: quam totam pronunciauit, itidem ordine orationem Dominicam, ſymbolum Apoſtolorum, & præcepta fidei. Sicq; deinceps linguæ munere vſa eſt ad omnem loquendi functionem. Muta loquens fit tactu ſacræ manus.

LIX. Ferdinandvs Martinez, triennium ſiniſtro & dextro brachio, & crure debilitatus, auditis beati Didaci miraculis, quoniam incedere non poterat, baculis nixus, ad eius ſepulcrum venit. Deum de valetudinis recuperatione humiliter deprecatus, ſudariolum fratri cuidam ordinis Minorum tradidit, quo beati viri corpus attrectaret. Ille pie obſecutus, tum ſudariolum reſtituit, quo manum Ferdinandus areſcentem vbi inuoluit, ſtatim conſaneſcere ſenſit: itidem eius crus meliuſcule habuit, vſq; adeo vt inde omni morbo liberatus abierit. Brachium & crus debile mirabiliter curatum.

LX. Longvm nimis eſſet, ſingulos narrando percenſere, qui morbis variè affecti, humiliter ac deuote ad beati viri ſacellum profecti, ſperantes in eo, qui ſanat contritos corde, per illius hominis Dei merita ad integrā reſtituti ſunt

valet.

valetudinem. Iam vero ex ijs, quæ breuiter commemorata ſunt, perſpicuum fit, omnes quacunq; vel ægrotatione langueſcentes, vel periculo expoſitos, illius precibus & meritis à malis omnibus, etiam è mortis faucibus ereptos ſenſiſſe, vel potius ſentire præſentem virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Miracula à veſtibus & rebus ſanctorum.

AD tanti viri ſanctitatem præterea magis atq; magis colluſtrandam accedunt etiam miracula, non ea ſcilicet tantùm, quæ ad eius ſepulcrum facta narraui, ſed quæ ex eius veſtitu, cingulo, ſepulcri terra, externaque eius re alia Deus extare voluit.

Ex tunica veſtibuſq; ſancti Martini admirandas virtutes prodiiſſe, narrat Sulpitius Seuerus. Ex B. Hilarionis rebus externis aut monumentis miracula extitiſſe teſtatur ſanctus Hieronymus, qui illius vitam litteris mãdauit. Rurſus ex ſancti Hieronymi ſacco res mirificas diuinitus conſecutas eſſe, vitæ illius annales loquuntur. Nolo cæteros, qui innumeri ſunt. Iam nunc, cùm exempli cauſa eos tantum tres meminerim, dicendum mihi eſt de beato Didaco, è cuius rebus, etiam externis, miracula eminent.

Veſtis tacta ſacro corpori ſanitatẽ conſeruat.

LX. MVLIER quædam Vacienſis, quam vrbem vulgo Baeca dicunt, erat: quæ pietatis cauſa fratres ordinis Minorũ hoſpitio gratis excipiebat. Hæc filiam habuit, annos circiter octo natam: quæ tanto morbi cruciatu afficiebatur, vt obrigeſcentibus membris, moreretur. Ad filiæ autẽ morbumq depellendum mater experta omne medicamentum, tandem piorum hominum conſilio veſtem eius collo impoſuit beati Didaci. Quo facto mirabiliter confeſtim puella ſanata eſt.

Cingulum morbidi lateri applicatum, dolorem depulit.

LXI. IOANNES Fernandez, intolerabili lateris dolore cruciabatur: ad cuius curationem cum remedia multa conquiſiſſet, hoc vnum diuinitus inuenit, quod cinguli, quo beatus Didacus vſus erat, fragmentum quoddam vbi primum lateri, doloris acerbitate perculſo admouit, planè conualuit.

LXII. A monaſterio Complutenſi homo quidam religioſus ordinis Minorum, Idubedam, vbi aliud cœnobium eſt, cum iter inſtituiſſet: relicta veſte, qua diu vſus erat, alteram mundam induit. Diuinitus factum eſt, vt ea eſſet, quam beatus Didacus olim veſtierat, Idubedæ is vir religioſus dum morabatur, interea ciuis quidam Idubedenſis graue ac mortiferum vulnus in aluo accepit, inde inteſtina effluebant. Huic, animam propè agenti, mater, fœmina præclaræ pietatis, ab illius conuentus fratribus veſtitum Seraphici ordinis petiit: quo veſtitu amictus filius moreretur & humaretur. Sed nimirum Deus effecit, vt eam ipſam veſtem traderent, quæ Compluto proximè allata erat. Illam vbi ægrotus induit, præter omnium opinionem meliuſculè ſe habere incœpit, atque adeo ex vulnere conualuit. Cùm autem cogni um atq; exploratum eſt, illam fuiſſe tunicam, quam beatus Didacus olim induerat, omnes miraculum tam magnum eius meritis virtutiq; acceptum retulerunt.

Veſtis S. Didaci vulnus incurabile ſanat.

A terra eius ſepulchri à rabido canæ furioſa mentem recepit.

LXIII IOANNA Gomez, canis rabioſi morſu percuſſa furentèr vſq; adeò inſaniit, vt viis publicis præceps rabie ab omnibus, qui obuiam ei fierent, prorſus vitaretur. Tanto furore cum mulier horribilem in modũ æſtuaret: illius ſanãdæ homo quidam valdè cupidus, aliquid puſillum terræ è beati Didaci ſepulcro ad eam aſportauit. Propiùs ad eam accedere meruit: propterea quod capillis horridis & diuulſis, oreq; ſpumanti rabiem & crudelitatem præ ſe ferret. Terram verò ſacerdoti cuidam tradidit, qui adeat. Is illam partim aqua liquefactam, mulieri propinauit: partim aridam, panno inuolutam, collo eius alligauit. Tum verò confeſtim ad mentis ſanitatem rediit.

Quæ collo appenſa tumorem depulit.

LXIV IOANNES quidam, corpore toto tumeſcens, præſertimq; tibiis ita tumens, vt incedere non poſſet: ad B. Didaci ſepulcrũ delatus, paululũ terræ ex eo ad collum cũ adhibuiſſet, tumore depulſo, valetudinem diuinitus recuperauit.

Ex gutture laborãtem ſtatim curauit.

LXV. MARIA Alphonſa, Roderici Alphonſi vxor, diœceſis Toletanæ, ex gulæ inflatione laborans, pectore turgens, humeris, collo, facieq; tumeſcens, ita vt oculorum aſpectu nõ cerneret, ac præ tumore non poſſet, neq; cibum, neq; potum ſumere: eius commiſeratione motus Didacus parochus, intra cuius parochiæ fines illa habitabat, ad remediũ ei attulit paululum fragmenti veſtis, & exiguum aliquid terræ ſepulcri B. Didaci. Vtrũq; Mariæ, quæ beati illius viri pietate exardeſcebat, collo admodum, & alligatum, quam inde piè expetebat, valetudinem integram ſtatim attulit.

IN ſingulos fere annos, ſerui ſui Didaci, poſteaquam is ex hoc etiam ſæculo migrauit, merita ſempiterna Deus, glorioſus in ſanctis ſuis, teſtata eſſe voluit miraculis: quorum duo paucis ab hinc annis præclarè edita maxime inſignia ſunt, vt in præſenti exponam.

Anno 1555.

Diuerſis morbis affecta mirabiliter perſanatur.

LXVI. ANNO à Chriſto milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quinto, Maria de Pinilla, virgo Hiſpanienſis, paralyſi & morbo comitiali ſimul grauiter vſque adeo afficiebatur, vt horas duas, aut tres interdum ſenſuum expers eſſet omnium. Acri aſſiduoque capitis dolore excruciabatur, febribus nimis admodum moleſtis æſtuabat, ex quodam lateris cruciatu vehementer torquebatur. Aliquando autem vis reſolutionis neruorum ita illam inuaſit, vt, cùm multarum corporis partium vſum amiſiſſet, aſpectum præ ſe ferret fœdiſſime deformatum. Aliam ei ſimilem medici teſtantur ſe vidiſſe numquam. Multis aliis affligebatur ægrotationibus: quibus menſes vndecim pene confecta & conſumpta, vbi exquiſitiſſimis remediis ſanari nullo modo poterat, ad B. Didaci ſepulchrum aduecta, eius precibus ac meritis continuo ſalutem à Deo impetrauit: qui omnem illius morbum depulit, ac ſuam cuiq; membro vim reſtituit. Cuius beneficij memor ſuam Deo virginitatem vouit, virginalemq; vitam in monaſterio ſancti Ioannis, quod de la Pœnitentia vulgo nominant, egit ſanctiſſime.

Anno 1562.

Carolus Hiſpaniarũ princeps lethale vulnus è caſu accepit in capite.

LXVII. ANNO M. D. LXII. Hiſpaniarum Princeps, Carolus, Philippi II. filius Caroli V. Imp. nepos, patris auiq; amor & deliciæ, Compluti in Regia cum luderet, è ſcalis quibuſdam ſupinus cecidit. Quo caſu tam vehementer offendit, vt lenſerum in capite vulnus acciperet. Graue id vulnus ac mortiferum etiã medici putarunt. cumq; propterea Principis potentiſſimi, ampliſſimorum regnorũ heredis futuri, ac ſumma indole pueri ſalus ageretur: non potuit Philip. pater non eſſe ingenti ac ſumma animi ſolicitudine de filio, quem ſingularè vnice amabat, & in oculis ferebat. Quare, nihil non attigit, nihil non egit, nihil non intentauit, vt in tanto vitæ periculo adiumentum Carolo filio chariſſimo afferret. Medicos peritiſſimos atq; optimos ad pueri curationem vndiq; adduci iubet. Medicamẽta quæcumq; excogitari, & conquiri ſolertiſſime poterant, vulneri præſtò fuerũt. Verùm omnia exquiſitiſſima remedia vicerat morbi vis & grauitas: niſi Regem Catholicũ, & eximium Catholicæ religionis nõ modò cultorem, ſed propugnatorem maximum, ac ſingularem, de filio mœſtum & mœrentem Deus pater miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis reſpexiſſet. Deſperata igitur à medicis, & ab alijs res cùm eſſet, patet Rex feceſſit. Tum veſtes lugubres, pãni ad Palatij veſtitum funebres, funeſtaq; apparantur omnia: & exequiæ deniq; tanto Principe dignæ, diligentiſſime curantur. Dum in eam funeris curam incumbitur: illico extitit à Deo ſalutare conſilium, auxilium, & gaudium. Repente enim viri quidam, qui in luctu & mœrore erant, cæleſti aliquo & diuino inſtinctu ad beatum Didacum mentem conuerterunt, Poſtulatumq; tunc ſummopere eſt, vt eius corpus ad Principis cubiculum quamprimum adueheretur, & prope eũ collocaretur. Quod ſingulari pietate, celeritateq; incredibili factum eſt. Corpus ad ſe piâ veneratione delatum Princeps, qui, morbo ingraueſcens, & quaſi ſpiritum agens, per ſe non poterat, ab alijs ſubleuatus, humiliter deuoteq; veneratus tetigit: ſincerã in primis & maxima fide Deum ob illius beati viri merita intime de valetudinis recuperatione precatus. Itaque eo ipſo momento, quo Principem Medici ex hac vita migraturũ prædixerant, meliuſcule ſe habere incepit: tum, paucis horis elapſis, mirabiliter ſancti eius viri precibus ſanatus eſt, ſumma Philippi patris lætitia, & maxima omnis Hiſpaniæ gratulatione.

Deſperata valetudine attactu ſancti corporis reualuit.

Nec

XLVIII Nec præterea ſilentio prætereundum eſt, quòd etiam ad B. Didaci ſanctitatem ſpectat, eius corpus, quamquã centum ante annis & amplius in ſepulturam traditum erat, tamen quo tempore ad Principem aduectum eſt, totum, excepta naris particula quadam, incorruptum atque integrum vſquequaq; conſeruabatur: eamq; ipſam, quam antea, odoris ſuauitatem iucundiſſimam retinebat. Corpus ſancti Didaci etiamnum integrum & ſuauiſsimè odorum.

Iam demum res illius mirifice diuineq; geſtas ſcribendi finem faciam hoc præclaro miraculo, quo, tabulis publicis obſignatũ, vniuerſæq; Hiſpaniæ prædicatione celebratũ Princeps etiam, dum in hac vita fuit, gratiſſimi animi pietate teſtatiſſimum fecit: palamq; & litteris, & nuncijs, & vocibus, tanto Principe verè dignis, proteſtus eſt, ſe illius viri Dei precibus ac meritis ſalutem atq; incolumitatem eſſe conſecutum. Reliqua autem, quæ antè, & poſt hoc maximè illuſtre miraculum, facta ſunt, ad poſteritatẽ annales Ordinis Minorum, & Hiſpanicè, & Italicè prodũt: præſertim cùm non ſolùm populi Hiſpani vocibus in vulgus dicantur, ſed ſermonibus, pijſq; officiis celebrentur Principum virorũ, qui maximo concurſu beati illius viri ſacellum piè in omni ætate frequentarunt: quiq; voti compotes facti, donaria, auro, argento cælata, veſtes ſerico & item auro intextas, aliaq; eius generis opere pretioſo ornamenta, ibi quaſi impreſſa ad ſempiternam memoriam extare voluerunt, tamquam publica monumenta miraculorum, quæ ipſi iam experti ſcierunt, & viderunt. Sacellum B. Didaci donariis pretioſis adornatum.

Multa autem miracula tam in vita, quàm in morte B. Didacum ediſſe, ampliſſimus Cardinalis, Epiſcopus Præneſtinus, ſumma laude digniſſimus, Marcus Antonius Columna ſcribit luculenta grauiſſimaq; in relatione ſua, quam ad Sixtum Quintum, Pontificem ſapientiſſimum & religioſiſſimum, magna Cardinalium frequentia, habuit. Ex ijs pauca quædam de ampliſſimorum collegarum aſſenſu ſe legiſſe oſtendit: ita tamen, vt, quæ, Hiſpanienſibus monumentis obſignata, inde Romam ad Pontificem miſſa ſunt, centum ac triginta eſſe, eaq; probari affirmet. Oratione item, quam Pompeius Arigonius, Aduocatus Conſiſtorialis, iuriſconſultus diſertus, & legum vſu egregiè peritus publico in conſiſtorio dixit, ex ijs miraculis nonnulla recenſuit: quorum vix milleſimam partem ſe attigiſſe fateatur. Itaq; ea longè plura ego complexus, cùm illorum auctoritatem, quæ mihi fuit maximo vſui atq; adiumento, ſecutus ſum: tum certiſſima & clariſſima habeo teſtimonia, non ſolùm publicis litteris, publicis votorum tabulis, publicisq; documentis inſtructa, ſed perpetuo firmata conſenſu omnium pene populorum Hiſpanienſiũ. Quare quæ de beati Didaci miraculis ad poſteritatem prodidi, ea, vt dixi, luculentiſſime teſtificata, cum certò ſciam, nihil habere, quod fictum, quod commentitium, quod apocryphum ſit, ea ſpero vtilia, grata, iucunda, ac ſalutaria fore omnibus, de fide Catholica bene ſentientibus. Nunc tandem ad B. Didaci Canonizationis acta venio. Miracula S. Didaci centum triginta ex Hiſpaniis Romam relata ſunt.

PARS TERTIA

DE BEATI DIDACI CANONIZATIONIS ACTIS.

TANTI, tamq; ſingularis ac diuini beneficii magnitudinem Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, Caroli pater, gratia piaq; memoria proſecutus, iam inde ab eo tempore, quo illud B. Didaci meritis à Deo acceperat, ſummum Pontificem rogare non deſtitit: vt is, cuius ſanctitas vno omnium ore iamdiu celebraretur, & indiciis non obſcuris, ſed clariſſimis miraculis in dies illuſtrior fieret, ritè de more matris Eccleſiæ in Sanctorum numero adſcriberetur. Id tum primum à Pio Quarto, deinde à Pio Quinto, qui ſucceſſit, poſt à Gregorio Decimotertio, demum à Sixto Quinto, Pontificibus Maximis, tum litteris, tum nunciis etiam maximopere ſupplex petiit, vt rem totam infra mox ordine enarrabo. Eſt ſapientis ſcriptoris, ad rectè ſcribendi ſtudium diligentiſſimi, qui præſertim de Regibus, & Principibus aliquid habet, quod commemorabile, nomineque digniſſimum, litteris mandet: accuratiſſimè perpendere, non modò illum totum vniuersè, ſed ſpeciatim ſingula eius momenta. Ita enim fiet, vt quarum virtutum exempla ad alios, ac potiſſimum ad poſteros imitatione dimanare vtiliter poſſunt, earum nihil quidquam non modò tacitum relinquat, ſed luculenta admodum oratione celebret. Nunc igitur locus poſtulare, vel potius efflagitare videtur, vt de præſtantiſſimâ Philippi Regis verè Catholici pietate dicatur: quæ quoniam cum perpetua rei propoſitæ narratione maximè conſentiens eſt, eam breui ſtrictimque tantum attingam, vt cætera deinceps, quæ inter ſe conſentanea ſunt, quæque ad huius meæ narrationis rationem atq; vſum pertinent, ordine perſequar. Dei dono beneficioque ſingulari Philip. II. Regnorum magnitudine & multitudine rex maximus, opum adundantia ampliſſimus, copiis potentiſſimus, prouinciarum & ciuitatum nobilium clientelis florentiſſimus, nullis fere belli offenſionibus, ſed victoriis clariſſimus, & ab omni deniq; laude domi militiæq; feliciſſimus, ea vna gloria longe antecellit, quod perpetuò cunctis in rebus tum ſecundis, tum aduerſis, atque in tota regia adminiſtratione, quæ longè ac late paret, ad infinitaque negotia pertinet, operam præſtat pietati Catholicæ & religioni. Si belli motus increpat, ad id fortiter ſuſcipiendum comparat omnia: nullum tamen officium prætermittit piè agendi. Si rerum, quæ maximæ, ac difficilimæ, afferunt in ſumma regia poteſtate ancipitem deliberandi curam occupationes vndique circumfluunt, proſpicit & conſulit rationibus earum omnium: at non deſerit ſtudium illud, neq; negligit, quo exardeſcit ad ſanctiſſimæ religionis cultum, atq; ad bonorum operum pietatem. Summis belli paciſq; curis implicitus, templa maxima extruit, ædes cathedrales erexit, Legatos ad ſanctorum Martyrium monumenta perquirenda miſit, eorum ſacras reliquias transferendas, reſque ab illis itidem geſtas ornate ac ſplendide ſcribendas, impenſe curauit, collegia litteraria noua inſtituit, vetera inſtaurauit, bibliothecas mira librorum, quos vndique conquiſiuit, copia inſtruxit. Lectiſſimorum virorum, pietate virtuteque præſtantium, colonias ad vltimos vſque orbis terrarum fines deduxit. Sed cetera omnia, quæ longè plura ſunt, quæq; vberrimos commentarios, vel potius magnarum vigiliarum opus deſiderant, miſſa iam facio, ne longiùs digrediar: cum in primis hæc ipſa de beato Didaco in Sanctis adſcribendo cura perpetua, quam neque in tanta temporum varietate, neque in maximis bellorum incendiis vnquam Rex depoſuit, ſatis per ſe ipſa eſt ad id, quod propoſui. Non motus Bætici Regni, non tumultus Belgici, non arma Turcica, non belli contentio de Regno Luſitaniæ, non alia denique ſumma & incredibilia negotia, quæ vel ad iuris adminiſtrationem, vel ad belligerandi rationem, vel ad vniuerſam tot regnorum gubernationem ſpectarent, potuerunt tam longo temporis interuallo religioſum animum Regium, pietatis ardore incitatum, retardare, aut impedire, quominus rem de beati Didaci Canonizatione ſuſceptam, rectè conficeret. Immo in multis variiſque occupationibus, in quibus ingentior ſolicitudo eſſet, non modo non intermiſit, ſed vſq; adeo rei conficiendæ ſtudium incendit, vt nullo vnquam tempore conquieuerit, niſi ea perfecta. Negotium Pio Quarto Pontifice Rex ſuſcepit: Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio, ad Eccleſiæ gubernacula ſedentibus, diu ſuſtinuit: demum Sixto Quinto Pontifice, ad quem illud diuino conſilio prouidentiaque reſeruatum erat, pie confecit, vt proxime exponam vberius. Valetudinis incommodæ, ex qua Carolus Princeps periculoſe laborarat, recuperatio admirabilis in Pontificatum incidit Pij Quarti: ad quem binas litteras, vnas Philippus pater alteras Carolus filius, pridiè calendas Martij, anno M. D. LXIII. ſcriptas, eaſque pietatis plenas dederant. Significarant enim ijs ſingulare beneficium, quod beati Didaci precibus à Deo Optimo Maximo, proxime acceperant: eamque ob rem ſupplices ſummopere petierant, pro Dei ipſius gloria eum, cuius meritis

Philippi II. Hiſpaniarũ regis laudes.

Actiones rege dignæ.

Regi ſumma cura Canonizationis S. Didaci.

De qua litteras dedit ad Pium IV. Pont. Max.

illud

illud ſibi conceſſum erat, in ſanctorum numerum referri, cùm aliis quoque quamplurimis eſſet miraculis colluſtrata, & planè perſpecta illius ſanctimonia vitæ, quam in terris cœleſtem egerat, diuinis virtutibus. Religioſo igitur deſiderio Canonizationis, Rex Catholicus, ardentiſſimè inflammatus, voluit item eâ ipsâ de re totâ ad Aloyſium Requeſens, oratorem regium ſuum, litteras vberiores Romam mittere: quibus ad rem conficiendam diligentiſſimè inſtructus, cùm Pontifice coram ageret nomine regio ita ſapientiſſimè & ſtudioſiſſimè, vt maximè res tanti ponderis geri ab eo potuiſſet. Poſtero autem anno, qui annus fuit milleſimus, quingenteſimus, & ſexageſimus quartus, vt negotium, quod tantopere, incenſoque pietatis ſtudio ad exitum perduci, vterque, pater & filius concupierat, demum rectè ac ritè conficeretur, ſpeciatim Aloyſio oratori mandatum per litteras dederat, eodem anno ſcriptas VIII. Idus Februarij. Vbi mandatum Regium rectè obſignatum, Orator accepit: in Conſiſtorium proximum ad Pontificem venit, à quo ſumma prece id poſtularat, vt fidei, vitæ, ſanctitatis, virtutum & miraculum beati Didaci cauſam, quam ſummatim cognoſcerent, quibus mallet, Antiſtitibus Hiſpanienſibus delegaret. Beatus autē Didacus vt in Sanctorum numero adſcriberetur, crebris id litteris efflagitatum eſt: quæ diuerſis temporibus cum ab alijs, tum ab eccleſia Toletana, à magiſtratibus Complutenſibus, Complutenſique vniuerſitate, & ab omni ferme Hiſpania ſcriptæ ſunt quàm diligentiſſimè. Sed vbi, lecto mandato Regio, Pontifex Pius Quartus, iuſtæ petitionis cauſas ab Oratore cognouit, rem non differendam cenſuit.

Anno 1565. ITAQVE Calendis Maij anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ampliſſimis Cardinalibus, Ioanni Morono, Epiſcopo Prænestino, Ioanni Michaeli Saracenio, tit. ſanctæ Anaſtaſiæ, Michaeli Alexandrino, tit. Sanctæ Sabinæ, Clementi titul. Sanctæ Mariæ in Aracæli Presbyteris, & Vitellorio Vitellio Diacono S. Mariæ in Porticu, id negotium tanti ponderis delegauit: eamq; facultatem præterea adiunxit, vt ex delegationis illius Apoſtolicæ auctoritate alios, quod opus eſſet, ad cauſæ cognitionem ſubdelegare poſſent. Cuius rei nomine litteræ Pōtificiæ inſtar Breuis confectæ ſunt. Ij verò prompta voluntate, animoq; ad obediendum paratiſſimo, delegatam ſibi cauſam ſuſceperunt: verum maxima locorum diſtantia, & grauiſſima negotia, quorum occupationibus impediti, ab vrbe abeſſe non poterant, fecerunt vt facultate Apoſtolica vſi, illam ſubdelegarint. Tertio igitur Nonas Maij, eodem anno, re maturè deliberata, hos tres Epiſcopos, Seguntinum, Segobienſem, & Concheuſem, delegerunt: quibus per litteras, quarum exemplum in actorum canonizationis tabulas publicas relatum eſt, illam commiſerunt & mandarunt, facta etiam poteſtate, vt ipſi tres ſimul, vel ſaltem duo eam cognoſcerent. Allatis ijs ſubdelegatæ cauſæ litteris, Epiſcopi Complutum venerunt, vbi centum antè annis beatus Didacus deceſſerat. Eo loci cum de illius ſinceritate fidei, vitæ religioſæ conſuetudine, virtutum meritis, miraculis, populiq; in eum pietate, accuratiſſimè riteq; ad præſcriptum à probatiſſimis viris perquiſiſſent, & cognouiſſent: acta cognitionis, ſummatim confecta, rectè obſignata, Romam miſerunt. II

Epiſcopi tres in Vitam S. Didaci inquiſiuerunt.

FACTVM eſt interea, vt Pius Quartus Pontifex diem ſuum obierit, nec potuerit rem conficere, quam Rege, & Principe Hiſpaniarum efflagitantibus, aggreſſus erat. Proxime in Pontificatum ei ſucceſſit Pius Quintus ſanctæ memoriæ: qui cauſæ huiuſce ſtatum publicè in conſiſtorio ad ſe referri voluit. Quo audito illam iis ipſis Cardinalibus iterum delegauit, tum præterea Ioanni Baptiſtæ titul. Sancti Clementis: quem in locum ſuum ſubrogauit, vt quod ad acta rectè conficienda reliquum eſſet, ab iis perficeretur. Itaque ij, procuratore fiſci, vt moris eſt, citato litteras compulſorias & remiſſorias rite decernunt: quas illis ipſis Epiſcopis ſcripſerunt, quorum fidei, integritati, & ſapientiæ demandata antea cauſa fuerat. Eam autem ob rem cum Philippus Rex, & Carolus Princeps Ambroſium de Morales, presbyterum Cordubenſis diœceſis, virum bonum, & hominem doctum, procuratorem conſtituiſſent: is illas litteras VIII. Idus Februarii, anno milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Epiſcopis legitimè reddidit. Tum ſubdelegati iudices, cauſam ordine iudicij, perſecuti, vocato procuratore fiſci Sedis Apoſtolicæ, Petro Martinez, Canonico Seguntino, qui ſpeciatim ad hoc negotium delectus erat, rem totam, certis quæſtionibus præſcriptam, à tribus & octoginta teſtibus, ſpectata fide & integritate viris, accurate inquiſierunt: teſtimoniaq; eorum certa atque explorata, & item ſcripta, quæcumq; ad rei, de qua quærebatur, teſtificationem opus eſſe videbantur, diligenter conquiſita, quæ inueniri potuerant, rectè obſignata, & cetera rite confecta, Romam miſerunt: vbi pridie Idus Auguſti, anno MDLXVII. reddita ſunt omnia, eaq; more iudiciali recognita & interpretata. Omnibus igitur quæſtionum actibus abſolutis, reliquus erat actus canonizationis, ad quem integrè ſanctèque conficiendum etſi deſiderio incredibili Pius Quintus beatæ memoriæ Pontifex exarſerat, tamen incidit deinceps in tempora reipublicæ Chriſtianæ turbulentiſſima, difficilimaque negotia: quibus toto Pontificatu diſtentiſſimus ad exitum rem perducere non potuit, quam totis in Chriſto viſceribus ardentiſſimè concupierat. Derepente enim Galliæ tumultus extiterunt, quodam hæreticorum furore, quaſi repentino incendio excitati: tum ſubitò inflammatum eſt etiam bellum formidoloſum Turcarum: aliaque ſimul mala, magnopere pertimeſcenda, populi Chriſtiani ceruicibus vndiq; imminebant, quibus præcauendis ac propulſandis occupatiſſimus optimus Pontifex, vix, vel potius ne vix quidem, aliquando reſpirare potuit. Plurimis demum laboribus pro Eccleſia Dei Pius Quintus perfunctus, ex hac vita ceſſit: cui in Pontificatum Gregorius Decimustertius ſubrogatus eſt. Et quamquam aliquot antè annis Carolus, Hiſpaniarum Princeps, obierat: nihilominus tamen eius obitu tantum abeſt, vt Philippi patris deſiderium in re conficienda refrixerit, vt ardentiori voluntate incitatus, eandem inflammatiori ſtudio procuraſſe videatur. Sed tam accenſo per ſe Regis animo, multiſq; rationibus ad rei optimæ procurationem inflammato, cur Gregorio Pontifice nihil confectum ſit, non video, niſi factum hoc eſſe à Domino, vt canonizationis huius actus ad Sixti Quinti Pontificis tempora reſeruaretur. III.

Anno 1567. Ad eoſdem, Epiſcopos litteræ Cardinalium de re peragenda.

Pio Quinto Pont. temporum difficultates.

NIHIL immenſa ſua ſapientia Deus efficit ſine ſummo conſilio, æquitate, ratione. Cum igitur aliquid à Deo fieri perſpicimus, cauſa indaganda eſt, ſi poſſumus: ſi non poſſumus, nihil tamen ab eo ſine cauſa agi, nobiſcum ipſi conſtituere debemus. Iam tanto temporis interuallo, tam ardenti ſtudio incredibiliq; regia pietate procuratum eſt, ac maximopere efflagitatum, vt beatus Didacus, ſanctitatis & miraculorum laude clarus, nomine, imitatione, & memoria ſempiterna digniſſimus, in Sanctorum numerum referretur: id numquam factum eſt tamen, ſed diuinitus Sixto Quinto reſeruatum eſſe videtur. Diuini huius conſilij cauſas omnes fateor me neſcire: hoc vnum autem ſcio, à Deo non ſine ratione factum eſſe, vt canonizationis actum his præſertim temporibus Pontifex religioſiſſimus, & Eccleſiæ non ſolum ædificandæ atque communiendæ, ſed propagandæ cupiditate diuina flagrans, Sixtus Quintus demum celebrarit, non ſine ſumma, vereque Pontificia, ac perpetuò commemoranda pietate: quam lacrymis etiam profuſis expreſſit, vt, cùm locus erit, ordine perſcribam. Verùm etſi in rebus diuinis temerè perſcrutandis curioſus neq; ſum, neque eſſe volo, quoniam video me certis finibus circumſcriptum, quos tranſilire minime licet: nihilominus non tam excors eſſe debeo, vt extimeſcam, ſi quas videre poſſum, explanare cauſas eius rei, in qua tantus diuinæ prouidentiæ, diuinique ac ſingularis beneficij ſplendor vndiq; eluceſcit. Omnibus enim fere temporibus Deus Optimus Maximus Hiſpaniam reſpexit: quam ſi ſæpenumerò florentem inuenimus, aliquando rurſus plurimis laboribus afflictam, & immanium nationum barbarie perculſam, & prope depoſitam cernimus. Id omne factum eſt diuino conſilio. Quo primum tempore Euangelium diſſeminari cœpit, tum à Iacobo, & Paulo IV.

Hiſpaniam Deus ſemper reſpexit

Apoſto-

Apoſtolis religionis Chriſtianæ illa ſata ſemine, poſt à ſanctiſſimis illis viris ſeptem, quos beatus Petrus, Apoſtolorũ Princeps, de fide paceque Legatos, ab vrbe Roma miſerat, exculta etiam diligenter, radices in agro Domin. agere cœpit: vt, quod diuino conſilio effectum eſt, deinceps Pontificum Romanorum, Anteri, Lucij, Melciadis & aliorum, qui per litteras & doctrinæ, & diſciplinæ Chriſtianæ præcepta diſſeminarunt, cultura propagaretur egregiè. Sed nefarium ſuperſtitionis ſemen Marcus quidam Ægyptius intulit, itidem Vigilantius hæreticus fecit, gensq; præterea Gothorum, omni barbarie immanis, & hæreſis Arianæ crimine contaminatiſſima, vaſtitatem inuexit. Neque id in tanta illorum temporum calamitate ſine cauſa factum eſt, vt Hiſpanorum hominum ſcilicet & pietas exploratior eſſet, & virtus illuſtrior, vt ſynodorum celebratibus prouincia non modo clariſſima fieret, ſed inſtructiſſima, tum ad retinendam religionem Catholicam, tum ad propulſandas hæreſes. Non defuerunt enim illis formidoloſis temporibus Reges, & Antiſtites, qui ſanctæ ſedis Romanæ auctoritate Concilia quamplurima coëgerunt: quibus actum eſt diuinitus, vt, ſi qua per hoſtium vim & iniuriam ſuſcepta eſt, macula deleretur. Eam aliquando labefactatam, & penè collapſam nouorum hominum colluuie videmus: breui tamen eandem inſtaurauit Deus ſalutaribus epiſtolis, omni præſidio cumulatis, quas ſanctæ memoriæ Pontifices, Siricius, Hormiſda, & Gregorius, illuc neceſſario eius tempore miſerant.

Et contra hoſtes ſemper tutus.

Arabum ſubita tempeſtate pene illam euerſam reſtituit Deus, qui Pelagium Regem dedit, ſumma virtute præſtantem, qui hoſtem exturbauit, profligauit, deleuit. Ac præterea voluit Deus Hiſpaniam difficillimo quoque tempore tam barbarorum hoſtium impreſſionibus ſæpius afflictam; magnas perferre calamitates, vt diuturno laborum vſu exercitata, & ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ auxilio, quod in tanta temporum varietate experiendo cognouit, communita, demum floreret, non opibus ſolum, ſed laude cum omnium virtutum, tum gloria religionis Catholicæ. Sed hæc vniuerſe; illud iam ſpeciatim dicendum eſt, quod rem propoſitam maximè attingit, in ſingula tempora, quibus Pontifex aliquis nomine Sixtus Eccleſiæ gubernacula tenuit, Hiſpaniam accepiſſe, quod magni beneficii loco putandum eſt.

A Pontificibus nomine Sixtis, ſemper Hiſpaniæ ſingulare bonum euenit

Neque ab vltimis illis Sixti Primi, & Secundi ætatibus id altius repetam, cùm longum nimis eſſet: ſed ad ſæcula, quæ recentiora multo ſunt, venio. Nam Sixto Tertio Pontifice, Attilæ, Gothorum Regis omnia diuina & humana permiſcentis, audaciam Turiſmundus Hiſpaniæ Rex fregit, copiaſque eius deleuit. Catholici nomen, quod auguſtiſſimum eſt, quodque fidei & pietatis regiæ inſigne, olim in ſynodis Toletanis inſtitutum, Apoſtolica auctoritate renouatum, Sixtus Quartus Pontifex Ferdinando & Elizabethæ Regibus ob præclara rerum pie geſtarum merita tribuit.

Catholici nomen rex Ferdinandus à Sixto Quarto côſecutus.

Et verò, quod diuinum atque immortale munus extitit, ſanctæ Inquiſitionis officium ſalutaribus conſiliis in ea inſtituit ad orthodoxam fidem tuendam, hæreſumque tempeſtates depellendas: quarum fluctibus multæ deinceps illæ prouinciæ, olim religionis Catholicæ ſtudio nobilitatæ, naufragium fecerunt & opum, & veræ Chriſtianæ pietatis, cuius ſanctiſſimo nomine gloriabantur. Eſt igitur diuino conſilio factum, vt canonizationis huius actum optimus religioſiſſimusque Pontifex Sixtus Quintus ritè conficeret, cui non ſine ratione cauſaque ille reſeruatus videtur, cum ob alia multa, tum etiam, vt Hiſpaniam aliquo ſingulari beneficio condecoraret: quod itidem diuina prouidentia alios ſingulos, qui præceſſerant, Sixti nomine, Pontifices feciſſe demonſtraui:

Sixtus V. S. Didacum canonizauit.

Hoc à Deo factum eſt, vt ordinis Franciſcani beatum Bonauenturam, ſanctitatis nomine illuſtrem, Sixtus Quartus, eiuſdem ordinis, in Sanctorum numerum referret, itidem de beato Didaco, illius ipſius ordinis obſeruantiſſimo viro, & ſanctimoniæ laude claro à Sixto Quinto, qui Seraphicæ etiam religionis eſt, ſtatui ac fieri voluit. Ille Federico Tertio Auſtrio, Imperatore efflagitante, hic Philippo eiuſdem auguſtiſſimæ familiæ Principe, & Rege Maximo petente ſummopere, in Sanctis aſcriptus eſt. Hæc, atque adeò longe plura ſi quis recta reputabit via, facile intelliget, quod propoſui. Verum Sixti V. ſapientia, pietas, conſilium, æquitas, & rationes, ſpectandæ iam ſunt, quibus canonizationis huiuſce actum confecit.

V. Divino igitur conſilio motus Sixtus Quintus, rem tamdiu expetitam concedendam ſtatuit. Enixè enim eam, vt narraui, Philippus Rex tamdiu petebat: & item Toletana Eccleſia, Magiſtratus Complutenſes, Collegia piorum hominum, denique Hiſpani omnes, Regis optimi exemplum ſecuti, maximopere obſecrabant. Rem eandem, quæ poſtulabatur, Pontifex ſapientiſſime vidit: vtq; eſt actionum æſtimator acerrimus, iuſtam illam quidem, piam, ac ſanctam perpendit. Plurimi igitur ponderis erant, & Regis in primis poſtulantis ratio, & rei tam ſanctæ petitio, plena iuſtitiæ, & æquitatis. Nam id æquiſſimum erat, vt quem vita omnis, ſanctum ſignificauit, & quem tanta miraculorum vis in cœlis Sanctorum conſuetudine frui declarauit, eum in illorum numero Apoſtolica auctoritate aſcriptum, in terris eccleſia debito honore coleret. Sed hic non poſſum tacitam præterire ſapientiam Pontificis, qui tam multa ſimul proſpexit, eum canonizationis actum ſuſcepit. Seruiendum enim erat gloriæ Dei; quæ in eâ actione maximè ſplendeſcit: ſeruiendum præterea conſolationi Eccleſiæ, quam, tamdiu turbulentis hæreſum tempeſtatibus agitatam, tantiſque malis variè perculſam proſpiciebat, & omnia denique doloris plena videbat, cum vulnera, Reipub. Chriſtianæ vndique inflicta, cerneret.

In Canonizatione honor Dei ſpectatur, & Eccleſiæ ſolatium.

Eo vno facto, quam animo conceperat, miram omnibus alacritatem addidit. Mœrore debilitatas prouincias, & ciuitates, quaſi in mœſtitia iacentes, recreauit hominum religioſorum collegia, tamquam diuturno languore obtorpeſcentia, ad pietatis Chriſtianæ exercendæ vſum, ſtudiumque alacrius excitauit: Ordinis autem Seraphici conuentus, pene diu feriatos, ad præclaras illas & præſtabiles beati Didaci virtutes hilariter animauit: bonorumque omnium animos propè fractos, atque afflictos erexit, & malorum, præſertim hæreticorum, temerè ac perditè geſtientium furorem, rabie quadam exultantem repreſſit. Ad hos vberrimos pietatis fructus, qua eſt ſumma charitate, diuinaque ſapientia, Pontifex cum ſolemne canonizationis officium referri iam inde ab initio viderit, magno exarſit deſiderio rei conficiendæ. Non defuerant tamen, qui rem differri ſuadere conabantur, neſcio quibus rationibus, quæ inanes ſunt, ne dicam, aniles & ſuperſtitioſæ. Non enim verum eſt, neque cum pietatis officio conſentaneum, quod vulgo dicunt, Pontificem breui moriturum, vbi aliquem in Sanctorum numero aſcripſerit. Imò contra perſpicue manifeſtum fit exemplis plurimorum Pontificum. Alexander Tertius Pontifex in ſanctorum confeſſorum ordinem anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto Bernardum Claraualleníem retulit: poſtea tamen vixit annis quindecim, cum alios etiam quatuor, & in iis præſertim Thomam Cantuarienſem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto in beatorum Martyrum numero aſcripſerit. Idem affirmari licet de Gregorio Nono Pontifice: qui annis poſtea tredecim obiit, quam beatum Dominicum, ordinis Prædicatorum auctorem, & parentem, in ſanctis annumerarat, cum Seraphicum Franciſcum etiam. & item alios quatuor deinceps in eorundem numerum poſuerit. Res ex Pontificis annalibus in promptu eſt, ac præterea rationes multæ ſunt, quæ liquido conſtant: ideo iam nihil attinet, cur pluribus demonſtretur. Sixtus igitur Quintus, qui pietate, religione, ſanctiſſimiſque paſtoralis ſuæ ſolicitudinis rationibus omnia metitur, religioſi animi ſui ardore inflammatus, cum cætera, quæ mox narraui, ſibi ad animum in re efficienda propoſuerat, tum illud etiam potiſſimum, vt & Hiſpaniam tanti muneris lætitia exhilararet, & in primis Philippum Regem Maximum, de Eccleſia Dei optimè meritum, tam immenſo ſtudio canonizationis actum, tamque diu efflagitantem. Profitebatur Rex, ſummis in negotiis, difficillimiſque conatibus, ſe, beato Didaco cæleſti patrono & deprecatore, à Deo maxima adiumenta, beneficiaque plurima eſſe conſecutum. Inſtabat

Bellum Anglicum.

bellum Anglicum, & illud quidem difficile ac periculoſum, quod contra perditiſſimam & profligatiſſimam feminam, omni imbutam ſcelere, omniq; hæreſis labe inquinatiſſimam, Elizabetham, dominatu tyrannico illud Angliæ regnum diu nimis opprimentem, ac nefaria quæq; contra Eccleſiam Catholicam bonoſq; omnes molientem, Rex pietate ductus, & iuſtiſſimis cauſis motus, ſibi gerendum ſtatuerat. Belli inſtrumenta innumera cùm Rex paraſſet, claſſem ingentem ornaſſet, atq; inſtruxiſſet, & claſſicorum militum copias magnas coegiſſet: tum Pontifex Sixtus Quintus ad iuſtiſſimum bellum, quod iam affectum, diuina in primis ope recte cõfici breui poſſe ſperabat, opus etiam eſſe vidit cæleſtibus potiſſimum defenſoribus: quos beatus Ambroſius Mediolanenſis, cũ ab impia Iuſtina vexabatur, ſe in tãta perturbatione ambire dixit. Opportuno igitur tempore, vt eſt egregia, diuinaq; ſapientia, Pontifex in Sanctorum numero beatum Didacum conſtituendum cenſuit, in cuius meritis Rex tantopere confidit.

Canonizationis actus myſteriis ritibusque plenus.

Et quoniam canonizationis actus plenus eſt myſteriorum, ac rituũ, eamq; ob rem maxime ſolemnis, & proprie Pontificius: quam rite, & rectè, atq; ex inſtituto moreq; ſanctiſſimo eum Pontifex celebrarit, id planum fiet commemoratione rerum, quæ mox ordine explicabuntur. Verùm aliquid me ſummatim oportet præfari de canonizationis antiquitate & celebritate: cum qua omnis reliqua deinceps narratio apte cohærebit.

Canonizatio Sanctorum cœpit ab initio Eccleſiæ.

VI. IAM inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, inſtitutum canonizationis eſſe cœpit, vt à falſis veri Martyres internoſcerentur. Tum enim primum S. Clemens Pontifex & martyr, Notarios ſeptem creauit, quos in eam curam incumbere iuſſit, vt res geſtas Martyrum litteris mandarent. Viros autem eſſe voluit, qui & ſpectata fide, & probitate, & doctrina antecellerent: quiq; omnem in munere commiſſo diligentiam adhiberent. Anterus præterea Pontifex deinceps hoc ſtatuit, vt eorum acta non modo conſcriberent, ſed etiam conquirerent quam diligentiſſimè. Et verò Fabianus Notariis illis ſeptem adiunxit Diaconos totidem: quorũ etiam teſtimoniis niteretur rei geſtæ veritas. Eadem planè omnia decreuit Vrbanus Primus, atq; reliqui, qui proximè ſucceſſerant, Pontifices. Quam ob rem ij Notarij ad ſummum Pontificem referebant de ſingulis, qui ex actorum veritate ponendi eſſent in Martyrum numerum. Commemorabant autem res geſtas, cruciatus, fortitudinem, conſtantiam, dimicationes, verè pro fide ſuſceptas, & necem, quam pro Chriſti Domini gloria obierint. Hæc igitur tria, nimirum grauitas virorum, quibus de Martyrum factis ſcribendum erat, inueſtigatio diligens, & teſtimonium Diaconorũ ſeptem, eò ſpectabãt, vt veri tantum Martyres, reiectis cæteris, qui pſeudomartyres erant, in martyrologij tabulis aſcriberentur.

Veri Martyres tabulis Sanctorum inſeribebantur.

Nota, Nota Non pſeudomartyres.

Principio n. orientis religionis Chriſtianæ non defuerant homines hæretici, nec verò ſchiſmatici, qui cum tormenta ac mortem Chriſti nomine ſubire viderentur, eos tamen à fide orthodoxa, & communione Catholica alienos, non recepit Eccleſia Dei: quoniam ex Patrum ſententia, quidquid aliquis, qui extra Eccleſiam eſt, patitur, non martyrium, ſed perfidiæ pœna cenſetur. Erant vero aliæ etiam cauſæ, atq; rationes, quare neceſſaria erat omnis vel diligentiſſima indagatio, vt re vera quis in Martyrum numerum poni rite poſſet. Nam in Africa ex Diocletiani edicto, qui ſacros codices tradere noluerunt, cum eam ob cauſam martyrium ſubierint, eos Martyrum cultu atq; honore dignos cenſuit Menſurius Epiſcopus Carthaginenſis, vt rem totam S. Auguſtinus enucleatè perſcribit. Alios autem facinoroſos fiſciq; debitores, qui illius vexationis occaſionem nacti, quoniam vita acerbiſſima priuari mallent, propterea quod grandi ære alieno obſtricti eſſent, vltro ſponteque ſeſe perſecutoribus offerebant, ſacraq; volumina, quæ tradere recuſabant, ſe habere mentiebantur, in Martyrum numero cenſeri, idẽ Menſurius vetuit.

In Breuia. coll. 3. diei cap. 4.

Opt. lib. 1. cont. Par.

Eamq; ob rẽ Optatus Mileuitanus Lucillæ factioſæ feminæ narratione demonſtrat, nefas eſſe venerari reliquias alicuius martyris, non vindicati, nimirum non probati & recepti. Itaq; perneceſſaria fuit de martyribus etiam, eorumq; fide & charitate perquiſitio. Ab iis autem initiis profectus ſanctorum canonizationis vſus, in dies progreſſionibus ſuis auctus, magnam requirit ſolemnitatẽ, omni vel diligentiſſimo indagandi ſtudio exquiſitam.

Diligens actus canonizationis ad cauendas fraudes neceſſarius.

Elapſis n. beatiſſimorum martyrum temporibus fuerũt multæ canonizationis cauſæ. Neq; in præſenti neceſſe habeo commemorare omnia ſæcula ſanctorum, quos ſine dubio gloriæ Domini participes effectos, Catholica veneratur Eccleſia. Sed cùm aliquando hominum fraudibus, vt mox narraui, doliſq; occurrendum fuerit: tum etiam ſuperſtitioni proſpiciendum erat imperitæ multitudinis, quæ facilè interdum falli decipique poteſt aſſimulata quadam ſpecie ſanctitatis. Hermanus quidam, iam annorum viginti ſpatio ſanctus vulgi opinione putabatur, venerationeq; propterea colebatur. Sed habita de eo inquiſitione diligentiſſima, Bonifacius Octauus Pontifex exhumari iuſſit, cum, quem ſanctum vulgo opinabantur, eum hæreticum comperiſſet.

Et ad affectus humanos coercendos.

Acceſſit etiam alia cauſa, quæ maximi momenti eſt. Obuiam enim eundum ſæpenumero fuit quarundã familiarum ambitioni, humanoq; affectui: quo factum eſt nonnumquam, vt hic parentis, ille filii, alius fratris, alius amici, ex hac vita pie decedentis, tamquam Sancti, patrocinium publicè imploraret. Quæ res tum ambiguitatem, tum confuſionem ac perturbationem ſæpius peperit: cùm idẽ à quibuſdam, vti ſanctus, coleretur, ab aliis irrideretur. Hãc igitur priuatam, & ambitioſam licentiam, quam ſibi homines arrogarant, diuine ſapientiſſimeq; coercuit ſancta Eccleſia Dei. Ac præterea, vt & Sanctis honorum acceſſio fieret, & fidelibus certa, explorataq; veritas de eorum gloria afferretur: mos ritusq; ſolemnis, Spiritu ſancto auctore ab ea introductus eſt canonizandi ſanctos ſtatis cærimoniis quæ in præſenti inuiolate obſeruantur ad præſcriptum librorum Ritualium.

Cap. 1. de Rel. & ven. ſanct.

Et hic actus proprius Rom. Pontificis.

Neq; enim tanti ponderis negotium, quanti eſt Sancti canonizatio, cuiquam vel Patriarchæ vel Primati, vel Metropolitano, Epiſcopove, ſed ſoli Pontifici Romano commiſſum eſt, qui ſummam diuinamq; Eccleſiæ regendæ & gubernãdæ poteſtatẽ habet. Quo in munere is, vt Pontif. Vicariuſq; Chriſti, neq; fallere, neq; falli poteſt; quia non prudentiæ ſuæ innititur, ſed regitur prouidentia Dei, qui Eccleſiam ſpiritus ſui lumine illuſtrat, ac dirigit, vt non erret, ſicut promiſit iis verbis: Spiritus Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.

In quo non errat Eccleſia.

Ioh. 16. 13.

Ioan. 11.

Cuius ſingularis prouidentiæ argumento certiſſimo ſatis illud eſt, quod nunquam labefactata, neq; infirmata eſt fides, ab hominum teſtimoniis, ſemel in iis canonizationis iudiciis ſuſcepta, vt diſertiſſimi viri rem totam non probabiliter ſolum, ſed neceſſario demonſtrant. Præterea canonizationis munus, quoniam maturæ deliberationis eſt, non ilico peragitur, ſed mora interpoſita, vſq; adeò vt in annos plurimos diutius differatur. Nam quo maius negotium eſt, eò maturius deliberari debet. Chriſtus Dominus cum Lazarum ad vitam reuocauit, non confeſtim id fecit, ſed multas prius cærimonias adhibuit.

Quare etiam differtur, vt cum tempore veritas manifeſtetur.

Pontifex igitur in canonizatione quàm ſapientiſſimè agit: qui, etiam atq; etiam ſæpe à Regibus, Principibus, aliiſq; primariis viris, aut à ciuitatibus, nationibusq; omni ſumma prece rogatus, quo ſplendidius veritas eluceſcat, eam actionem in longius tempus ducit. Id quod Eugenius Quartus fecit, cum de Bernardini Senenſis ſolemni adſcriptione ageretur, itidemq; Innocentius Quartus de Stanislao martyre. Hic annis poſt eius martyrium centum & ſeptuaginta, ille longè diu poſt obitum in Sanctorum numero eſt aſcriptus: cùm à ceteris etiam, qui præceſſerant, Pontificibus res antea prolata ſit. Ac præterea illius, qui verbo & opere Chriſtum Dominum confeſſus, rerum diuinè geſtarum laude clarus, in ſanctis dignus eſt qui annumeretur, vitæ innocentia, morum ſanctimonia, virtutes, miracula inueſtigantur diligenter. Idq; inueſtigationis officium, non omnibus committitur, ſed religioſiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus, viris ſapientiſſimis, rerumq; gerendarum vſu peritiſſimis. Et quo exploratius ſit id, quod quæritur: aliquando factum eſt, vt quæſtionum, quæ ad canonizandi rationem, vſumq; attinent, acta, fidei & diligentiæ eorum potiſſimum Cardinalium concredita commiſſaque ſint, qui illius ſancti, de quo ageretur, canonizationi maximopere refragarentur.

Inquiſitio in vitam Sanctorum canonizandorum, plerumque Cardinalibus rei parum fauentibus committitur.

Iam

Iam verò Innocentius Quartus de ſancti Stanislai vita inquirendi curam delegauit Ranaldo, Cardinali Oſtienſi, illius canonizationem valde admodum impedienti: qui deinceps, re tota perſpecta, ſuffragatus eſt mirificè. His ſolemnibus inſtitutis & aliis, quæ ordine infra perſpicua erunt, de beato Didaco, in Sanctorum numerum referendo Sixtus Quintus Pontifex egit, vt omnia ſolet, tum religioſe, tum ſapienter.

VII. Canonizationis autem huius cauſa, quemadmodum ante narraui, cum in eo ſtatu verſaretur, vt filius acta, quæ iudices delegati in Hiſpania confecerant, rectè obſignata, inde Romam perlata eſſent: Philippus Rex, qui tamdiu non aſſecutus erat, quod ſummopere expetierat, per oratorem ſuum Regium, Henricum Guſmanium, Comitem de Oliuares, virum genere illuſtrem, & virtutum laude clarum cum ſanctiſſimo D. N. Sixto Quinto Pontifice precibus agi voluit, vt res, diutiſſime dilata, tandem ritè conficeretur. Id ſupplex orator regio nomine, maximopere petiit, quod pro pietatis, æquitatiſque ratione Pontifex, qua eſt ſumma benignitate, libenti gaudentique animo conceſſit. Itaque vt ordine res tanti ponderis, ac momenti gereretur: optimum factu putauit, eam ſapientibus, vſuq; peritis hominibus ſpeciatim delegare. Eamque ob rem è tota Auditoribus duos delegit, Roſcium Decanum, & Robuſterium, ambos iuris ſcientia eruditiſſimos viros, iudiceſq; integerrimos. Iis præcipuo, vt moris eſt, reſcripto Pontificio, cui manu ſua Pontifex ſubſcripſerat, quarto Calendas Iulij, anno M. D. XXCV. dato, negotium mandauit: vt huius cauſæ acta, ab Hiſpania Romam allata, viderent, cognoſcerent, atque expenderent in primis; An quæſtiones ritè habitæ eſſent, an item legitima teſtimonia, idoneaq; ad probationes, decernerentq; item inter ſe de iis omnibus, tum referrent. Qui vbi aliquot poſt menſibus magna cum diligentia, quam adhibuerunt, omnia perſpexerunt, & conſiderarunt, maturaq; deliberatione inter ſe ſtatuerunt, ad Pontificem ſingula retulerunt, certis capitibus deſtincta, vt mox infra exponam.

Acta in Hiſpania comprobata, ſunt poſt recognitionē

Anno 1585.

Quæ his capitibus recenſentur.

I. Cauſæ acta eſſe legitimè tum recognita, tum interpretata.

II. Teſtes ex litteris remiſſoriis, rectè riteq; interrogatos; & quæſtiones de iis legitime habitas eſſe.

III. Eos teſtes nulla exceptione ſummoueri, ſed maximè idoneos ad faciendam fidem.

IV. Teſtes præterea, litterarum remiſſoriarum auctoritate adhibitos, fuiſſe legitimè atq; ex præſcripta ratione, rectè interrogatos: & præterea quæſtionum aliarumq; ſcripturarum monumenta, rectè exſcripta eſſe, fidemq; & probationem afferre.

V. Librum, de miraculis inſcriptum, quo ſcilicet beati Didaci miracula centum & triginta explicantur, ex archiuo Complutenſis conuentus S. Mariæ Ieſu deſumptum, probationum vim præbere & recognitum, vt per exemplaris veruſtatem fieri potuit, fidem facere: & reliqua item duo, & quinque foliorum fragmenta, è pago ſancti Nicolai, patria beati Didaci, perlata.

VI. Conſtare item beatum Didacum, in eo pago natum, ordinis ſancti Franciſci laicum profeſſum, ex hoc ſæculo migraſſe anno M. CCCC. LXIII. vitam egiſſe piam, religioſam, ſanctam: illum morum ſanctimonia, caſtitate, humilitate, charitate, eleemoſynarum largitione, commiſeratione, & egregia mirandaq; erga pauperes Chriſti liberalitate, aliarumq; virtutum ſplendore diuinitus illis ſæculis præluxiſſe: multa pro gloria Dei perpeſſum eſſe, eamque ob rem in vita, & poſt obitum, omnium, qui illum norant, opinione ſanctum putari, piaque veneratione coli: eius corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ Ieſu loco recondi, quod ſacellum appellant beati Didaci nomine.

VII. Conſtare item illum, multa ætate prouectum, diem ſuum obiiſſe pridie Idus Decembris, anno à Chriſto nato M.C.D.LXIII.

VIII. Omnium ſermone, & prædicatione illum, dum in hoc ſeculo fuit, ſanctitatis nomine celebrari.

IX. Idem teſtatiſſimum fieri libro miraculorum, itemque teſtimonijs quàm plurimorum, qui illum de facie norant, eiuſq; fere aſſidua vſi ſunt conſuetudine.

X. Teſtificari multa miracula, & beneficia diuinitus hominibus diuerſi generis & loci facta meritis & precibus beati Didaci.

XI. Præcipua etiam, atq; ſingularia miracula reſtare, & probata eſſe, præſertim, quod narratum eſt de sereniſſimo Carolo, Hiſpaniarum Principe, & item de Maria Pinilla, paralytica.

XII. Alia multa nota, & teſtata eſſe ex libro miraculorum, quem mox commemoraui.

Hæc Auditores Rotæ iudices delegati ad Pontificem ordine retulerunt: tum quæcunq; præterea ad canonizationis actum pertinerent, rectè ac legitime inſtructa parataq; eſſe omnia expoſuerunt.

VIII. Iis omnibus auditis, Sixtus Pontifex, quo maturius cuncta peragerentur, in conſiſtorio, quod decimo Calendas Februarij anno M. D. XXCVII. habuit, ampliſſimis octo Cardinalibus, Alexandro Farneſio, Collegii Decano, Epiſcopo Oſtienſi, Marco Antonio Columnæ, Epiſcopo Præneſtino, Michaeli Bonello Alexandrino tit. S. Mariæ ſupra Mineruam, Iulio Antonio Santorio tit. S. Bartholomæi in Inſula, Antonio Carafæ tit. SS. Ioannis & Pauli, Conſtantio Sarnano tit. S. Petri in monte aureo, Presbyteris, & Ferdinando Mediceo, Diacono S. Mariæ in via lata, Hieronymoq; Mattheio, Diacono item ſancti Adriani, id præcipue mandauit, & delegauit, vt quæ ab Auditoribus relara eſſent, omnia ſingulaq;, accuratiſſime cognoſcerent, itidemq; perſpicerent, & conſiderarent, quã diligentiſſime poſſent, quæcunque in negotij huius grauiſſimi rationibus conſiderari oporteret. Tum ij cauſam delegatam ſtatim aggreſſi, vt viri ſunt ſumma ſapientia, iudicioq; præſtantiſſimo, in eã, quemadmodum cæteris in rebus ſolent, & religioſe & pie & æquiſſime ſe geſſerunt præclara cum laude. Farneſius igitur Decanus, tertio Nonas Februarij, congregationem delectorum Cardinalium habuit. qua primum de re delegata agi cœptum eſt. Rotæ auditores, Roſcius, & Robuſterius, præſtò fuerunt ad cauſam: de qua retulerunt, ſe illius acta vidiſſe, recognouiſſe, & perpendiſſe omnia diligenter, prout ſummatim, de more canonizationis, certis capitibus comprehenſa, ſingula cõtineri dixerunt. Hæc breui cum coram expoſuiſſent, actorum exemplaria Cardinalibus tradiderunt, & ſummam iridem capitum, quam ipſi confecerant. Poſtea verò quam illi abierunt, in eam deliberationem, matura conſultatione agitatam, Cardinales venerunt, vt & omnia illa acta denuò recognoſcerentur ordine, quo Rotæ Auditores vſi erant, & ſingulæ præterea poſitiones, quas, inde deſumpta, illi attulerant, ſtudioſe cum actis collatæ examinarentur. Quare actorum & ſummariorum exempla confici, ſinguliſq; Cardinalibus tradi: eorum autem exemplar à Notario rectè aſſeruari iuſſum eſt.

An. 1587.

Iterato iſthæc à Cardinalibus recognita.

IX. Deinde ſtatas alias congregationes delegati iudices, Cardinales habuerunt: quibus de tota cauſa ordine actum eſt. Fuerunt autem eæ omnes numero tredecim, in quibus præſertim iuriſconſulti, grauitate & doctrina præcellentes, cum vſu venit, præſtò fuerunt ad conſilium. Primum acta cauſæ, in Hiſpaniis confecta, quæ auditores Rotæ, certa, ad fidemq; faciendam idonea decreuerant, aliaq; ea diligenter recognita, & alia quæcumq; id generis, ad canonizationis actum pertinentia, Cardinales cũ rata, & firma diuturnis conſultationibus habuiſſent, omnia maturiſſimè comprobarunt. Poſtea ſingulas poſitiones illas, ſummatim exſcript[illegible], & collectas, quas Auditores attulerãt, etiam atque etiam cum aduocatis conſultatas, ex omni parte rectè conſtare decreuerunt. Tum varia miracula, de quibus diu conſultatum ac deliberatum eſt, cognita atque explorata vſq; adeo habuerunt, vt nihil deeſſe ſtatue-

Congregationes decies ter habitæ ſuper hac cauſa.

Bellum Anglicum.

bellum Anglicum,& illud quidem difficile ac periculoſum, quod contra perditiſſimam & profligatiſſimam feminam, omni imbutam ſcelere, omniq; hæreſis labe inquinatiſſimam, Elizabetham, dominatu tyrannico illud Angliæ regnum diu nimis opprimentem, ac nefaria quæq; contra Eccleſiam Catholicam bonoſq; omnes molientem. Rex pietate ductus,& iuſtiſſimis cauſis motus, ſibi gerendum ſtatuerat. Belli inſtrumenta innumera cùm Rex paraſſet, claſſemq; ingentem ornaſſet, atq; inſtruxiſſet, & claſſicorum militum copias magnas coegiſſet: tum Pontifex Sixtus Quintus ad iuſtiſſimum bellum, quod iam affectum, diuina in primis ope rectè cõfici breui poſſe ſperabat, opus etiam eſſe vidit cæleſtibus potiſſimum defenſoribus: quos beatus Ambroſius Mediolanenſis, cũ ab impia Iuſtina vexabatur, ſe in tãta perturbatione ambire dixit. Opportuno igitur tempore, vt eſt egregia, diuinaq; ſapientia, Pontifex in Sanctorum numero beatum Didacum conſtituendum cenſuit, in cuius meritis Rex tantopere confidit. Et quoniam canonizationis actus plenus eſt myſteriorum, ac rituũ, eamq; ob rem maxime ſolemnis, & proprie Pontificius: quam rite, & rectè, atq; ex inſtituto moreq; ſanctiſſimo eum Pontifex celebrarit, id planum fiet commemoratione rerum, quæ mox ordine explicabuntur. Verùm aliquid me ſummatim oportet præfari de canonizationis antiquitate & celebritate: cum qua omnis reliqua deinceps narratio apte cohærebit.

Canonizationis actus myſteriis ritibusque plenus.

Canonizatio ſanctorum cœpit ab initio Eccleſiæ.

IAM inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, inſtitutum canonizationis eſſe cœpit, vt à falſis veri Martyres internoſcerentur. Tum enim primum S. Clemens Pontifex & martyr, Notarios ſeptem creauit, quos in eam curam incumbere iuſſit, vt res geſtas Martyrum litteris mandarent. Viros autem eſſe voluit, qui & ſpectata fide, & probitate, & doctrina antecellerent: quiq; omnem in munere commiſſo diligentiam adhiberent. Anterus præterea Pontifex deinceps hoc ſtatuit, vt eorum acta non modo conſcriberent, ſed etiam conquirerent quam diligentiſſimè. Et verò Fabianus Notariis illis ſeptem adiunxit Diaconos totidem: quorũ etiam teſtimoniis niteretur rei geſtæ veritas. Eadem planè omnia decreuit Vrbanus Primus, atq; reliqui, qui proximè ſucceſſerant, Pontifices. Quam ob rem ij Notarij ad ſummum Pontificem referebant de ſingulis, qui ex actorum veritate ponendi eſſent in Martyrum numerum. Commemorabant autem res geſtas, cruciatus, fortitudinem, conſtantiam, dimicationes, verè pro fide ſuſceptas, & necem, quam pro Chriſti Domini gloria obierunt. Hæc igitur tria, nimirum grauitas virorum, quibus de Martyrum factis ſcribendum erat, inueſtigatio diligens, & teſtimonium Diaconorũ ſeptem, eò ſpectabãt, vt veri tantum Martyres, reiectis cæteris, qui pſeudomartyres erant, in martyrologij tabulis aſcriberentur. Principio n. orientis religionis Chriſtianæ non defuerant homines hæretici, nec verò ſchiſmatici, qui cum tormenta ac mortem Chriſti nomine ſubire viderentur, eos tamen à fide orthodoxa, & communione Catholica alienos, non recepit Eccleſia Dei: quoniam ex Patrum ſententia, quidquid aliquis, qui extra Eccleſiam eſt, patitur, non martyrium, ſed perfidiæ pœna cenſetur. Erant vero aliæ etiam cauſæ, atq; rationes, quare neceſſaria erat omnis vel diligentiſſima indagatio, vt re vera quis in Martyrum numerum poni rite poſſet. Nam in Africa ex Diocletiani edicto, qui ſacros codices tradere noluerunt, cum eam ob cauſam martyrium ſubierint, eos Martyrum cultu atq; honore dignos cenſuit Menſurius Epiſcopus Carthaginenſis, vt rem totam S. Auguſtinus enucleatè perſcribit. Alios autem facinoroſos fiſciq; debitores, qui illius vexationis occaſionem nacti, quoniam vita acerbiſſima priuari mallent, propterea quod grandi ære alieno obſtricti eſſent, vltro ſponteque ſeſe perſecutoribus offerebant, ſacraq; volumina, quæ tradere recuſabant, ſe habere mentiebantur, in Martyrum numero cenſeri, idẽ Menſurius vetuit. Eamq; ob rẽ Optatus Mileuitanus Lucillæ factioſæ feminæ narratione demonſtrat, nefas eſſe venerari reliqas alicuius martyris, non vindicati, nimirum non probati & recepti. Itaq; pernceceſſaria fuit de martyribus etiam, eorumq; fide & charitate perquiſitio. Ab iis autem initiis profectus ſanctorum canonizationis vſus, in dies progreſſionibus ſuis auctus, magnam requirit ſolemnitatẽ, omni vel diligentiſſimo indagandi ſtudio exquiſitam. Elapſis n. beatiſſimorum martyrum temporibus fuerũt multæ canonizationis cauſæ. Neq; in præſenti neceſſe habeo commemorare omnia ſæcula ſanctorum, quos ſine dubio gloriæ Domini participes effectos, Catholica veneratur Eccleſia. Sed cùm aliquando hominum fraudibus, vt mox narraui, doliſq; occurrendum fuerit: tum etiam ſuperſtitioni proſpiciendum erat imperitæ multitudinis, quæ facilè interdum falli decipique poteſt aſſimulata quadam ſpecie ſanctitatis. [illegible] rmanus quidam, iam annorum viginti ſpatio ſanctus vulgi opinione putabatur, venerationeq; propterea colebatur. Sed habita de eo inquiſitione diligentiſſima, Bonifacius Octauus Pontifex exhumari iuſſit, cum, quem ſanctum vulgo opinabantur, eum hæreticum comperiſſet. Acceſſit etiam alia cauſa, quæ maximi momenti eſt. Obuiam enim eundum ſæpenumero fuit quarundã familiarum ambitioni, humanoq; affectui: quo factum eſt nonnumquam, vt hic parentis, ille filii, alius fratris, alius amici, ex hac vita pie decedentis, tamquam Sancti, patrocinium publicè imploraret. Quæ res tum ambiguitatem, tum confuſionem ac perturbationem ſæpius peperit: cum idẽ à quibuſdam, vti ſanctus, coleretur, ab aliis irrideretur. Hãc igitur priuatam, & ambitioſam licentiam, quam ſibi homines arrogarant, diuine ſapientiſſimeq; coercuit ſancta Eccleſia Dei. Ac præterea, vt & Sanctis honorum acceſſio fieret, & fidelibus certa, explorataq; veritas de eorum gloria afferretur: mos rituſq; ſolemnis, Spiritu ſancto auctore ab ea introductus eſt canonizandi ſanctos ſtatis cærimoniis quæ in præſenti inuiolate obſeruantur ad præſcriptum librorum Ritualium. Neq; enim tanti ponderis negotium, quanti eſt Sancti canonizatio, cuiquam vel Patriarchæ vel Primati, vel Metropolitano, Epiſcopo ve, ſed ſoli Pontifici Romano commiſſum eſt, qui ſummam diuinamq; Eccleſiæ regendæ & gubernãdæ poteſtatẽ habet. Quo in munere is, vt Pontif. Vicariuſq; Chriſti, neq; fallere, neq; falli poteſt; quia non prudentiæ ſuæ innititur, ſed regitur prouidentia Dei, qui Eccleſiam ſpiritus ſui lumine illuſtrat, ac dirigit, vt non erret, ſicut promiſit iis verbis: Spiritus Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem. Cuius ſingularis prouidentiæ argumento certiſſimo ſatis illud eſt, quod nunquam labefactata, neq; infirmata eſt fides, ab hominum teſtimoniis, ſemel in iis canonizationis iudiciis ſuſcepta, vt diſertiſſimi viri rem totam non probabiliter ſolum, ſed neceſſario demonſtrant. Præterea canonizationis munus, quoniam maturæ deliberationis eſt, non ilico peragitur, ſed mora interpoſita, vſq; adeò vt in annos plurimos diutius differatur. Nam quo maius negotium eſt, eò maturius deliberari debet. Chriſtus Dominus cum Lazarum ad vitam reuocauit, non confeſtim id fecit, ſed multas prius cærimonias adhibuit. Pontifex igitur in canonizatione quàm ſapientiſſimè agit: qui, etiam atq; etiam ſæpe à Regibus, Principibus, aliiſq; primariis viris, aut à ciuitatibus, nationibuſq; omni ſumma prece rogatus, quo ſplendidius veritas eluceſcat, eam actionem in longius tempus ducit. Id quod Eugenius Quartus fecit, cum de Bernardini Senenſis ſolemni adſcriptione ageretur, itidemq; Innocentius Quartus de Staniſlao martyre. Hic annis poſt eius martyrium centum & ſeptuaginta, ille longè diu poſt obitum in Sanctorum numero eſt aſcriptus: cùm à ceteris etiam, qui præceſſerant, Pontificibus res antea prolata ſit. Ac præterea illius, qui verbo & opere Chriſtum Dominum confeſſus, rerum diuinè geſtarum laude clarus, in ſanctis dignus eſt qui annumeretur, vitæ innocentia, morum ſanctimonia, virtutes, miracula inueſtigantur diligenter. Idq; inueſtigationis officium, non omnibus committitur, ſed religioſiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus, viris ſapientiſſimis, rerumq; gerendarum vſu peritiſſimis. Et quo exploratius ſit id, quod quæritur: aliquando factum eſt, vt quæſtionum, quæ ad canonizandi rationem, vſumq; attinent, acta, fidei & diligentiæ eorum potiſſimum Cardinalium concredita commiſſaque ſint, qui illius ſancti, de quo ageretur, canonizationi maximopere refragarentur. VI.

Veri Martyres tabulis Sanctorum inſeribebantur.

Nota, Nota.

Non pſeudom. tyres.

In Breuia. coll. 3 diei cap. 4.

Opt. lib. 1. cont. Par.

Diligens actus canonizationis ad eas endas fraudes neceſſarius.

Et ad affectus humanos coercendos.

Cap. 1 de Rel. & ven. ſanct.

Et hic actus proprius Rom. Pontificis.

In quo non errat Eccleſia.

Ioh. 16. 13.

Ioan. 11.

Quare etiam differtur, vt cum tempore veritas magis fiat.

Inquiſitio in vitam Sanctorum canonizandorum, plerumque Cardinalibus rei parum fauentibus committitur.

Iam

Iam verò Innocentius Quartus de ſancti Stanislai vita inquirendi curam delegauit Ranaldo, Cardinali Oſtienſi, illius canonizationem valde admodum impedienti: qui deinceps, re tota perſpecta, ſuffragatus eſt mirificè. His ſolemnibus inſtitutis & aliis, quæ ordine infra perſpicua erunt, de beato Didaco, in Sanctorum numerum referendo Sixtus Quintus Pontifex egit, vt omnia ſolet, tum religioſe, tum ſapienter.

VII. CANONIZATIONIS autem huius cauſa, quemadmodum ante narraui, cum in eo ſtatu verſaretur, vt filius acta, quæ iudices delegati in Hiſpania confecerant, rectè obſignata, inde Romam perlata eſſent: Philippus Rex, qui tamdiu non aſſecutus erat, quod ſummopere expetierat, per oratorem ſuum Regium, Henricum Guſmanium, Comitem de Oliuares, virum genere illuſtrem, & virtutum laude clarum cum ſanctiſſimo D. N. Sixto Quinto Pontifice precibus agi voluit, vt res, diutiſſime dilata, tandem ritè conficeretur. Id ſupplex orator regio nomine, maximopere petiit, quod pro pietatis, æquitatiſque ratione Pontifex, qua eſt ſumma benignitate, libenti gaudentique animo conceſſit. Itaque vt ordine res tanti ponderis, ac momenti gereretur: optimum factu putauit, eam ſapientibus, vſuq; peritis hominibus ſpeciatim delegare. Eamque ob rem è rotæ Auditoribus duos delegit, Roſcium Decanum, & Robuſterium, ambos iuris ſcientia eruditiſſimos viros, iudiceſq; integerrimos. Iis præcipuo, vt moris eſt, reſcripto Pontificio, cui manu ſua Pontifex ſubſcripſerat, quatro Calendas Iulij, anno M. D. XXCV. dato, negotium mandauit: vt huius cauſæ acta, ab Hiſpania Romam allata, viderent, cognoſcerent, atque expenderent in primis; An quæſtiones ritè habitæ eſſent, an item legitima teſtimonia, idoneaq; ad probationes, decernerentq; item inter ſe de iis omnibus, tum referrent. Qui vbi aliquot poſt menſibus magna cum diligentia, quam adhibuerunt, omnia perſpexerunt, & conſiderarunt, maturaq; deliberatione inter ſe ſtatuerunt, ad Pontificem ſingula retulerunt, certis capitibus deſtincta, vt mox infra exponam.

Acta in Hiſpania com probata, ſunt poſt recognitioné. *Anno 1585.*

Quæ his capitibus recenſentur.

I. Cauſæ acta eſſe legitimè tum recognita, tum interpretata.

II. Teſtes ex litteris remiſſoriis, rectè riteq; interrogatos; & quæſtiones de iis legitime habitas eſſe.

III. Eos teſtes nulla exceptione ſummoueri, ſed maximè idoneos ad faciendam fidem.

IV. Teſtes præterea, litterarum remiſſoriarum auctoritate adhibitos, fuiſſe legitimè atq; ex præſcripta ratione, rectè interrogatos: & præterea quæſtionum aliarumq; ſcripturarum monumenta, rectè exſcripta eſſe, fidemq; & probationem afferre.

V. Librum, de miraculis inſcriptum, quo ſcilicet beati Didaci miracula centum & triginta explicantur, ex archiuo Complutenſis conuentus S. Mariæ Ieſu deſumptum, probationum vim præbere & recognitum, vt per exemplaris vetuſtatem fieri potuit, fidem facere: & reliqua item duo, & quinque foliorum fragmenta, è pago ſancti Nicolai, patria beati Didaci, perlata.

VI. Conſtare item beatum Didacum, in eo pago natum, ordinis ſancti Franciſci laicum profeſſum, ex hoc ſæculo migraſſe anno M. CCCC. LXIII. vitam egiſſe piam, religioſam, ſanctam: illum morum ſanctimonia, caſtitate, humilitate, charitate, eleemoſynarum largitione, commiſeratione, & egregia mirandaq; erga pauperes Chriſti liberalitate, aliarumq; virtutum ſplendore diuinitus illis ſæculis præluxiſſe: multa pro gloria Dei perpeſſum eſſe, eamque ob rem in vita, & poſt obitum, omnium, qui illum norant, opinione ſanctum putari, piaque veneratione coli: eius corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ Ieſu loco recondi, quod ſacellum appellant beati Didaci nomine.

VII. Conſtare item illum, multa ætate prouectum, diem ſuum obiiſſe pridie Idus Decembris, anno à Chriſto nato M. C. D. LXIII.

VIII. Omnium ſermone, & prædicatione illum, dum in hoc ſeculo fuit, ſanctitatis nomine celebrari.

IX. Idem teſtatiſſimum fieri libro miraculorum, itemque teſtimonijs quàm plurimorum, qui illum de facie norant, eiuſq; fere aſſidua vſi ſunt conſuetudine.

X. Teſtificari multa miracula, & beneficia diuinitus hominibus diuerſi generis & loci facta meritis & precibus beati Didaci.

XI. Præcipua etiam, atq; ſingularia miracula teſtata, & probata eſſe, præſertim, quod narratum eſt de sereniſſimo Carolo, Hiſpaniarum Principe, & item de Maria Pinilla, paralytica.

XII. Alia multa nota, & teſtata eſſe ex libro miraculorum, quem mox commemoraui.

Hæc Auditores Rotæ iudices delegati ad Pontificem ordine retulerunt: tum quæcunq; præterea ad canonizationis actum pertinerent, rectè ac legitime inſtructa parataq; eſſe omnia expoſuerunt.

VIII. Iis omnibus auditis, Sixtus Pontifex, quo maturius cuncta peragerentur, in conſiſtorio, quod decimo Calendas Februarij anno M. D. XXCVII. habuit, ampliſſimis octo Cardinalibus, Alexandro Farneſio, Collegii Decano, Epiſcopo Oſtienſi, Marco Antonio Columnæ, Epiſcopo Præneſtino, Michaeli Bonello Alexandrino tit. S. Mariæ ſupra Mineruam, Iulio Antonio Santorio tit. S. Bartholomæi in Inſula, Antonio Carafæ tit. SS. Ioannis & Pauli, Conſtantio Sarnano tit. S. Petri in monte aureo, Presbyteris, & Ferdinando Mediceo, Diacono S. Mariæ in via lata, Hieronymoq; Mattheio, Diacono item ſancti Adriani, id præcipue mandauit, & delegauit, vt quæ ab Auditoribus relata eſſent, omnia ſingulaq;, accuratiſſime cognoſcerent, itidemq; perſpicerent, & conſiderarent, quã diligentiſſime poſſent, quæcunque in negotij huius grauiſſimi rationibus conſiderari oporteret. Tum ij cauſam delegatam ſtatim aggreſſi, vt viri ſunt ſumma ſapientia, iudicioq; præſtantiſſimo, in eâ, quemadmodum cæteris in rebus ſolent, & religioſe & pie & æquiſſime ſe geſſerunt præclara cum laude. Farneſius igitur Decanus, tertio Nonas Februarij, congregationem delectorum Cardinalium habuit, qua primum de re delegata agi cœptum eſt. Rotæ auditores, Roſcius, & Robuſterius, præſtò fuerunt ad cauſam: de qua retulerunt, ſe illius acta vidiſſe, recognouiſſe, & perpendiſſe omnia diligenter, prout ſummatim, de more canonizationis, certis capitibus comprehenſa, ſingula cõtineri dixerunt. Hæc breui cum coram expoſuiſſent, actorum exemplaria Cardinalibus tradiderunt, & ſummam itidem capitum, quam ipſi confecerant. Poſtea verò quam illi abierunt, in eam deliberationem, matura conſultatione agitatam, Cardinales venerunt, vt & omnia illa acta denuò recognoſcerentur ordine, quo Rotæ Auditores vſi erant, & ſingulæ præterea poſitiones, quas, inde deſumpta, illi attulerant, ſtudioſe cum actis collatæ examinarentur. Quare actorum & ſummariorum exempla confici, ſingulisq; Cardinalibus tradi: eorum autem exemplar à Notario rectè aſſeruari iuſſum eſt.

AN. 1587.

Iterato iſthæc à Cardinalibus recognita.

IX. DEINDE ſtatas alias congregationes delegati iudices, Cardinales habuerunt: quibus de tota cauſa ordine actum eſt. Fuerunt autem eæ omnes numero tredecim, in quibus præſertim iuriſconſulti, grauitate & doctrina præcellentes, cum vſu venit, præſtò fuerunt ad conſilium. Primum acta cauſæ, in Hiſpaniis confecta, quæ auditores Rotæ, certa, ad fidemq; faciendam idonea decreuerant, aliaq; ea diligenter recognita, & alia quæcumq; id generis, ad canonizationis actum pertinentia, Cardinales cũ rata, & firma diuturnis conſultationibus habuiſſent, omnia maturiſſimè comprobarunt. Poſtea ſingulas poſitiones illas, ſummatim exſcript[as], & collectas, quas Auditores attulerãt, etiam atque etiam cum aduocatis conſultatas, ex omni parte rectè conſtare decreuerunt. Tum varia miracula, de quibus diu conſultatum ac deliberatum eſt, cognita atque explorata vſq; adeo habuerunt, vt nihil deeſſe ſtatuerint

Congregationes decies ter habitæ ſuper hac cauſa.

rint ad rem perficiendam. Quare vltima congregatione decretum in ſententiam confecerunt, ſequenti capite explicatam.

Anno 1588.

Delecti in quiſitores B. Didacum canonizandum vnanimiter cenſent.

DEMVM rebus omnibus agitatis, cùm nihil dubij reliquum eſſe videretur, in congregatione, quæ ob eam cauſam X.
ſam vltima apud Farneſium decimo Calendas Iulij anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo octauo habita eſt Cardinales cenſuerunt, nihil omnino obſtare, quo minus ſanctiſſimus D. N. Sixtus Quintus vltra progrederetur ad canonizationis actum. Itaq; magna conſenſione, intimaq; animi lætitia de re tota deliberarunt in hanc ſententiam. Diligenter perſpectis atteſtationibus, probationibus & actis omnibus, de beati Didaci canonizatione confectis, accurateq; recognita ſcripturarum fide, & conſideratis Auditorum Rotæ poſitionibus, cognita etiam illa conſtanti deuotione, ac veneratione, quâ beato patri Didaco centum & viginti abhinc annis omnes Hiſpaniæ populi votis, vigiliis, donarijs, omnibusq; pietatis officijs perpetuo tribuunt; Nos illius fidei puritatem & integritatem, vitæ ſanctitatem, egregias virtutes, præclara miracula optimè probata côperimus. Quocirca vno animi aſſenſu decernimus ob clariſſima eius merita Sanctiſſimum D. N. ſi eius Sanctitati placuerit, cuius correctioni & iudicio omnia ſubijcimus, poſſe ad illius canonizandi actum vltra progredi, riteque eundem in Sanctorum numero aſcribere.

In Conſiſtorio ſecreto de Canonizatione concluſum.

RE à Cardinalibus ita explicata, optimus Pontifex Sixtus Quintus, vt religioſiſſimo deſiderio exardeſcens, ita XI.
attentiſſimus & diligentiſſimus ad rem perficiendam, conſiſtorium ſecretum quàm primum habere voluit: quod 12. Calendas Iulij habuit frequentiſſimo Cardinalium conuentu. Erat vnus, vt dixi, e Cardinalibus delegatis iudicibus, Marcus Antonius Columna: qui, à collegis delectus, mirificè cauſam perorauit graui & illuſtri oratione vereq; digna ampliſſimo Cardinale. Eam huic commentario adiungam ad extremam partem. Sed magna omnium attentione cum auditus eſſet, tum à Pontifice in primis attentiſſimé, qui id negotium, quod totum Dei eſt, ſumma pietate amplexus, & luculentiſſima oratione dicentis, & cogitatione meditationeq; rerum, quæ præclaræ ac diuinæ narrabantur, magnopere delectatus, intimum animi gaudium vultu atq; adeò lacrymis oſtendit. Erat enim oratio plena officijs pietatis, referta exemplis ſanctitatis, & ſplendeſcens lumine illuſtrium miraculorum, quibus vir Dei Didacus maximè claruit. Iis omnibus auditis Cardinales, ſententias rogati, canonizationi ſuffragati ſunt magna pietatis ſignificatione. Tum Pontifex, de eorum conſilio, & aſſenſu omnia rite recteque acta, & geſta ac legitimè probata eſſe decreuit: & pgere iuſſit ad reliqua, qbus canonizationis actus omnibus partibus abſolueretur. Septimo igitur Calendas Iulij, die ſabbatho conſiſtorium publicum fuit. In eo Pontifex, vt in ſolemni id generis actu moris ritusq; eſt, amictu Pontificio rubro, & mitra pretioſa ornatus, ſolio præcelſo ſub vmbella eiuſdem coloris ſedit, magno Cardinalium conſeſſu, magnaq; Antiſtitum frequentia, & celebri virorum omnis ordinis multitudine. Tum Pompeius Arrigonius, Aduocatus conſiſtorialis, & regius, iuris ſcientiæ, atq; eloquentiæ laude florens, oratione Latina, & in omnibus partibus elegãtiſſima, primum expoſuit auguſtiſſimum perpetuumq; Philippi Regis Catholici deſiderium quo tamdiu maximè exarſit ad Beati Didaci canonizationem: deinde ordine narrauit eiuſdem viri beati integritatẽ fidei ſanctimoniam, & ſimplicitatem vitæ, admirabiles virtutum progreſſiones, & miracula aliqua præſertim inſignia: tum demum perorauit. In qua peroratione cùm in primis eiuſdem Philippi Sereniſſimi Maximiq; Regis, tum verò Toletanæ Eccleſiæ, vniuerſitatis Complutenſis, & deniq; totius Hiſpaniæ nomine Sanctiſsimum D. N. Sixtum quam maximè potuit, id rogauit, atq; obſecrauit, vt, qua eſt ardentiſsima pietate, beatum illum virum, in domo Domini tot meritorum ſplendore elucentem, in Sanctorum numero referre velit. Hæc Arrigonius cum dixit: tum Antonius Buccapadulius, Secretarius Apoſtolicus, vir doctus & eruditus, non modò ad eloquentiam, ſed ad omnes liberales ingenuaſq; diſciplinas, ex præſcripto Pontificis apposite, ornate, ſplendide, ac grauiſsime reſpondit. Pietatis

In quam Pontifex conſenſit.

namq; regiæ ſtudium, diuturnamq; rei tam piæ poſtulationem, præclare commẽdauit: canonizationis actus rite ſolemniterq; conficiendi voluntatem ſummi Pontificis propenſam oſtendit, eamq; ardentius inſtauratam narratione vitæ ſanctiſsimæ, virtutum, & miraculorum, quæ Arrigonius Aduocatus dilucide explicauit: ſed ob rei grauitatẽ dixit, Pontificem velle diutius deliberare: interea Deum in primis orare id omnes oportere, vt diuino lumine mentem illuſtret Sanctitatis ſuę, quo rectius actionem grauiſsimam dirigat, cum ad Dei ipſius gloriam, tũ ad Eccleſiæ amplitudinem, Chriſtianæq; pietatis fructus vberrimos. Sed, vt res tota tamquam ob oculos poſita, planius cernatur, & reſponſum hoc, & orationem commentario in extrema parte aſcribam.

Et ſententiam dicere debent, nõ ſolum Cardinales, ſed etiam omnes Antiſtites in conſiſtorio.

QVONIAM res agebatur maxima, ſemper aliquid reliquum fuit, quod in conſultationem, ac deliberationem XII.
venit. Sed præterea iuſtitia ratio id poſtulabat, vt poſtremo conſiſtorium haberetur, in quo cauſa tota, non ſolũ Cardinalium, id quod in more poſitum eſt, ſed Patriarcharum etiam, Archiepiſcoporum, aliorumq; Antiſtitum, qui præſentes adeſſent, ſuffragijs permitteretur. Dubitatum eſt, an Cardinales ſimul & reliqui ordine Præſides ſuffragium ferrent. Res diu incerta, & obſcura ita diſcuſſa eſt, vt omnes eo ipſo in conſiſtorio ſuffragium ferrẽt: cùm in œcumenicis concilijs id fieri ſolemne ſit, tum etiam in cauſis grauiſsimis, quemadmodum Innocentiũ IV. in cauſa Frederici Imperatoris, Clementem V. in Concilio Viennenſi de re quorundam Principum maxima, Pium ſecundum in canonizatione item beatæ Catharinæ Senenſis, & Leonem Decimum itidem feciſſe, cum Franciſcũ, de Paula in Sanctos retulit, ex actorum monumentis compertiſsimum fuit. Quia verò in eiuſmodi cõſiſtorio ius ſuffragandi præter Cardinales omnibus etiã Antiſtitib9, vt dixi, permiſſum eſt: ſemipublici nomine illud appellatur in cõmentarijs quotidianis veteribus rituum Pontificalium. Id conſiſtorium quinto Calendas Iulij, feria ſecunda, habitum eſt. Vbi autem omnes, ſuo quiq; loco, conſederunt, Cardinales & item cæteri Prælati, qui frequentiſsimi aderant, miro ſilentio, cum rei grauitate, lociq; auctoritate conſentaneo, tum Pontifex, amictu Pontificio rubro, fimbriis aureis ornato indutus, cum mitra ſimplici, auro contexta, è ſolio concionem habuit, ſententiarũ diuinarum pôdere grauiſsimam, doctrinæ vbertate eruditiſsimam, omniq; argumentorum maieſtate, & ſapientiæ admiratione maximè decoratam.

Sixti Quinti oratio.

Qua in concione à rei, quæ agebatur, magnitudine exorſus, primò de poteſtate Pontificis, auctoritateq; Eccleſiæ, quæ à Deo tradita eſt, illuminatè diuineq; dixit: tum demonſtrauit & ſacris litteris, & rationibus, ex intima Theologia depromptis, omniq; argumentorum genere, Romanum Pontificem, verum ſucceſſorem B. Petri Apoſtolorũ

Luc 22. 32.
1 Tim 3. 15.

In publico Cõſiſtorio cunctis B. Didacum canonizandum cenſent. Coleret B. Mariæ S. Didacus, Sabbato, die B. Mariæ Virginis ſacrato, nor-

principis, pro quo orauit Chriſtus Dominus, ne eius fides deficeret, eundemq; verum caput Eccleſiæ, quæ eſt firmamentum & columna veritatis, quæq; à Spiritu ſancto regitur ac gubernatur, in Sanctorum canonizatione errare, & falli nôn poſſe. Idq; non modo pie, ſed neceſſario, & certiſsima fide credendum affirmauit omnibus ſummis rationibus diuinitus in medium allatis: cum illud etiam perſpicuè manifeſtum ſit, Eccleſiæ Pontificiaue decreta, certa, & firma eſſe, quæ ad fidem, aut morum diſciplinam pertinentia, certis & firmis principiis fundamentisue innitantur. Pluribus cum eam in ſententiam dixiſſet, ad horæ ſpatium concionem duxit: quam cuncti, qui interfuerunt, ſumma attentione, atque admiratione audierunt. Deinde Pontifex de beato Didaco, in Sanctorum numerum aſcribendo, ſententias dici iuſsit: tum ſuo quique ordine, Cardinales, poſtea Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Auditores Rotæ, Protonotarij, Abbates, cæteriq; omnes, qui aderant, vno conſenſu, ac liberè dixerunt, illum, cuius vitæ ſanctitas, & miracula nota, & teſtata erant, dignum eſſe, qui in Sanctis aſcriberetur. Singulorum ſententias vbi Pontifex benigniſsimè audiuit, diem actus canonizationis certum ſtatuit ac decreuit vj. Nonas Iulij, qui dies beatiſſimæ Virginis Mariæ viſitationi ſacer, in ſabbatum incidit. Hoc factum eſt à Domino. Quo enim die, nimirum ſabbato,

bato, beatus Didacus è corporis ergaſtulo ſolutus, in cælum abijt: poſtea tot elapſis annis, ſabbato itidem in Sanctorum numerum ponitur; die præterea, ex Eccleſiæ vſu, atq; inſtitutis in venerationem dicato Sanctiſſimæ Virgini, Dei matri, quam ille in hac vita, vt narraui, eximia pietate coluit. Feſto etiam die eiuſdem Virginis, quem ab eius infantia coli cœptum, vt cæteros alios eiuſdem, ſemper præcipuè in honore cultuq; habuit. Omnes igitur Dei viro cũ ſuffragati eſſent ad canonizationis cauſam: mox fiſci Apoſtolici procurator de ſummi Põtificis decreto, ac de aſſenſu Antiſtitum, Protonotarios præſentes rogauit, vnas pluresve tabulas confici ad rei geſtæ fidem faciendam. *tuus, item Sabbato, die Viſitationis B. Mariæ canonizatus eſt. 1. Par. 15.*

XIII. Illvd in more iamdiu poſitum eſt, vt, cum Romæ Pontifices manent, in ſacroſancta baſilica Taricana beati Petri, Apoſtolorum Principis, actus canonizationis ab iis celebretur: quemadmodum celebritatum eiuſmodi, quæ multis ab hinc ætatum ſæculis ritu ſolemni actæ ſunt, commentarij rituales veteres demonſtrant. Eam Baſilicam Sanctiſſimus D. N. Sixtus Quintus ex antiquiſſimo inſtituto delegit, ac decreuit, vbi maxima illa ſolemnitas ageretur: quæ rite religioſeque celebrata, exemplum ex omni parte præclariſſimum attulit mirificæ pietatis. Pontifex enim, qui omnia cogitata, optata, & facta ad gloriam Dei, Eccleſiæq; amplitudinem dirigit, eius rei rectè conficiendæ curam ac facultatem Cardinali Geſualdo dedit, quem paucis ante menſibus ſacrorum rituum congregationi præfecerat. Is, vt vir eſt ſumma ingenij ſolertia, & prudentia magna, ad Pontificis mandata exequenda attentiſſimus nihil non egit egregiis conſultationibus, vt canonizationis, cuius ſolicitudo in animo Pontificio inſidebat, modus & actus ad exitum perduceretur, qui maximè à piis omnibus expetebatur. Sed vt ea res, plena myſteriorum & ſacris referta ritibus, ex Pontificis voluntate in primis ſuccederet, omnemque ſolidæ, ac perfectæ laudis cumulum haberet: nihil Cardinalis conſultauit, aut deliberauit, quod ad Pontificem non retuliſſet, ex cuius non ſolum voluntate, ſed ſapientia ſingulari, qua diuinitus excellit, actio omnis gerenda erat.

In baſilica igitur primò ſuggeſtum, firmiſſima contignatione, & opere ampliſſimo, decoroq; extructum, intra mediam illius nauim continebatur: quæ pulcherrimam formam ac ſpeciem, aſpectu iucundiſſimam præ ſe ferebat. Longè id patebat pro menſuræ Romanæ ratione, palmos ſex & nonaginta, latè ſeptem & quadraginta. A pauimẽto autem altitudine erat cubitorum circiter quinque: totum conſtratum decentiſſimè pannis colore viridi: à parte verò vbi ſolium Pontificis collocatum perſpiciebatur, ſtragulo purpureo. *Suggeſtum in D. Petri templo mirificè ornatum.*

Svper ſuggeſtum à fronte, quæ ianuam primariam baſilicæ ſpectat, altare egregiè extructum cernebatur, in quo Pontifex Miſſam ſolemniter celebraturus erat. Hæc ſuggeſti pars vndiq; ſplendeſcebat ornamentis, & aulæis, periſtromatisq; conchiliatis, auro argento intextis, ac pretioſo opere confectis: quæ duplici ordine appenſa, erant præclara ad aſpectum. In media hac parte extabat peripetaſma, mirifico artificio contextum, Spiritus ſancti, inſtar linguarum ignis, ſuper Apoſtolos aduenientis, memoriam & imaginem repræſentans, maximè inſignem, canonizationis actui apte riteq; conuenientem. *In quo altare ſacrificaturo pontificum pontifici.*

Super altaris illius vmbella, crucis ampliſſimæ ſignum eminebat, textili ſtragulo expreſſum, clauibus duabus, lumine artificioſo elucefcentibus hinc inde ornatum, præclariſsimum aſpectum exhibens. Proximè autem ſub hoc ornamentum pendebat culcitra, holoſerico purpureo amicta, crucis item magnæ imagine auro intexta, qua beati martyres olim ſepeliebantur, vt ex veteri perpetuaq; traditione conſtans eſt opinio.

A quatuor ſuggeſti lateribus ſuſpenſa erant vexilla totidem: quæ ſingula, ſancti Didaci effigiem, exhibebant, Sixti Pontificis, & Philippi Regis inſignibus ornatam. Tum verò, cum vniuerſus clerus, ſupplicationis cauſa ad baſilicam procedens, aduentauit, quintum, cæteris quatuor longè maius, eiuſdem imaginis ornatu ſplendeſcens, in medio ſuggeſto quàm decentiſsime pendebat: ita vt omnia quinq; ſimul, inter ſe ordine reſpondentia, ſpeciem præ ſe ferrent mirificam aſpectu. *Vexilla S. Didaci picta imagine.*

Ascendebatvr ſuggeſtum commode aliquot gradibus: ingreſsioq; eò fiebat ianuis duabus, quarum vna in ſummis, altera in imis gradibus, ab Heluetiis præſidiariis militibus cuſtodiebatur, ne hominum, quorum ingens concurſus fuit, turba illuc præ ſpectaculi deſiderio irrumperet. Erat autem ſuggeſti locus vndique ornatus, atq; inſtructus omni ſacra ſupellectile, veſte, & cæteris rebus ſelectiſsimis ad rem conficiendam neceſſariis. A dextera altaris Pontificij, nimirum à latere Euangelij, loco editiori collocatum erat ſolium Pontificale, vmbella, vt moris eſt, in celeberrimo actu ornatius contectum. Quo de ſolio Pontifex functiones, ad canonizationem pertinentes, ceterasq; actiones executus eſt: quas illum, Miſſæ ſacrum ſolemniter celebrantem, exequi ſolemne eſt. A ſiniſtra, nẽpe à latere Epiſtolæ, poſitum cernebatur ſolium humiliori loco: vbi is Miſſæ ſacrum facturus, ſacris veſtibus, de more, indutus eſt. Vndiq; à ſuggeſti partibus diſpoſita erant ſubſellia, aulæis inſtructa, atq; adornata ad Cardinalium conſeſſum: à quorum tergo ſedilia extabant, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & reliqui Antiſtites conſiderent. Extrinſecus autem Clerus Romanus omnis, qui ſuam quiſq; candelam ceræ albæ, manu geſtabat, locum cum crucibus habebat, è quo ſolemnem actum ſpectaret. Prope ianuam, quæ in ſummo ſcalæ gradu erat à ſubſelliorum tergo, in quibus Cardinales conſidebant, inſtructa menſa extitit pretioſis donariis, quæ offerenda erant. *Cathedra Pontificis. Subſellia Cardinaliũ.*

Basilica ampliſsimo ornatu, apparatuq; longe omnium ſumptuoſiſsimo mirifice fulgebat, luminibus vbiq; denſiſsimis, & funalibus ceræ candidæ à ſuperiori parte ordine collocatis vndiq; prælucentibus. Proxime autem ornamentum, ſubter illa erat, phrygiano opere pulcherrimum, palmos aliquot longe lateque patens, præclate intextum inſignibus B. Didaci, Sixti Pontificis, & Philippi Regis maxime decorum, topiariiſq; floribus, partim picturа, partim herba adumbratis aſpectum præbebat iucundiſsimum. Ab hoc phrygio ornatu ex omni parte pendebant aulæa, artificio admirabili contexta: à latere autem, vbi ſanctiſsimum Sacramentũ aſſeruatur, ſtragula ſpectabantur opere attalico, filiſq; aureis collucentia. Omnis deniq; tum baſilicæ, tum ſuggeſti apparatus, vt ex commentariis quotidianis rerum Pontificalium perſpici poteſt, omnes alias canonizationis celebritates, vel apparatiſsimam, ante actas, longe ſuperauit. *Maximus ornatus templi.*

XIV. Rebvs his omnibus recte apparatis, pridie diei canonizationis maximus factus eſt concurſus ingentis multitudinis: quæ prima, ſecunda, tertiaq; noctis vigilia, & ſummo mane frequenter confluens, non tantum baſilicam, ſed porticum, atrium, limina, forumq; Vaticanum ampliſsimum, vndique repleuerat. Immo via Alexandrina, quæ recta ab arce Adriani ad Vaticanum ducit, conferta erat vndique hominibus omnium ordinum. Magna frequentia concurrit, mirificique etiam non ſolum ciuium Romanorum, ſed peregrinorum cœtus fuerunt canonizationis voce excitati, qui actum tam ſolemnem frequentabant. Omnia ſpiritalis gaudij plena, vt parietes ipſi præ lætitia geſtire viderentur. In tanta autem, tamq; innumera hominum turba, quæ ſæpenumero, vel leuiſsimis commota rumuſculis, maximos tumultus derepente alias concitare aliquando conſueuerat: ſine vllo motu ac perturbatione, immò verò ſumma tranquillitate ſunt acta, & transacta omnia. Poſtridie igitur, qui dies canonizationi decretus erat, hora octaua Cardinales, ſacris veſtibus, pro ſuo quique ordine induti, in ſacellum Palatinum, quod Sixti nomine vocant, frequentes conuenerat: eoq; item loci præſtò erant Patriarchæ, Metropolitani, ceteriq; Antiſtites, mitris & pluuialibus veſtiti: Pœnitentiarij baſilicæ ſancti Petri, caſulis amicti: tum Subdiaconi, & Rotæ Auditores rochetis, & ſuperpelliceis: Protonotarij, vt moris eſt, cappis & rochetis. Tum Pontifex ab aliquot Cardinalibus, Legatis Principum, Romanis viris primariis, & Prælatis familiaribus deductus in ſacellum deſcẽdit: vbi in altari veſtes *Maximus hominum concurſus.*

Pontificis ornatus.

ſacræ Pontificiæ, quibus indueretur, apparatæ erant: vtpote Amictus, alba, cingulum, ſtola, & chlamys purpurea Pontificalis, opere textili aureo, fimbrijs item aureis. In qua chlamyde ab vna parte aſſuta erant inſignia Pontificis, ab altera Philippi Regis. Iis veſtibus decorè indutus cum eſſet: tum in corona Cardinalium aſtantium, à Petro Deca Cardinale Hiſpano, quem is iuſſerat, in oratoris locum, præſto eſſe Regio nomine ad canonizationis actum, tres cereos colore albo accepit, eoſq; auratos, atq; elaboratos ſignis Pontificis & Regis. Horum duo prægrandes erant, quorum vnum oratori Reipublicæ Venetæ, alterum item oratori Ducis Sabaudiæ tradidit, tertium, qui tenuior erat, in proceſſione manibus ipſe prætulit. His rite geſtis, Pontifex exorſus eſt hymnum, Aue Maris Stella, quem non modo, propterea quod dies feſtus Viſitationis B Mariæ Virginis erat, ſed quia ob canonizationis celebritatem in ſupplicationis, proceſſionisve initio cani ritus poſtulat. genibus flexis ad altare fuit, dum hymni verſus primus eſt abſolutus, inde ſurgens. mitram pretioſam accepit, in ſellaq; geſtatoria ſedit, quoad proceſſionis ordo è Sixti ſacello ad palatij ianuam Pontificiam directus eſt. Interea pia tacita ſupplicatione omnes, & ſolemni modulatione cantores hymnum proſecuti ſunt. Pontifex autem, qui eſt religioſiſſima pietate inflammatus, quiq; in Seraphico ordine tamdiu cæleſtium illarum contemplationum curricula præclarè confecerat, ſecum animo reputans canonizationis actum, quem celebraturus erat omni mentis cogitatione ad ſupplicationem attentiſſimus, tum in proceſſione, tum in omni canonizationis officio ſanctiſſimam illam pietatem, vereque Pontificiam quam cordis ſui viſceribus conceperat, non modo religioſis precum vocibus, ſed vultu, qui animi imago eſt, facie, ore, oculis indicauit: cum lacrymarum, quas præ eximia ſua erga Deum charitate expreſſit, ſint plerique omnes ſpectatores, ac teſtes. Omnis autem Clerus Romanus tum ſæcularis, tum regularis, cuius maxima frequentia erat, in atrio palatij ampliſſimo morabatur: vbi verò primum procedendi ſignum accepit, è ianua primaria ordine egreſſus, totum forum Vaticanum proceſſione circuiuit, hymnisque & canticis, litanijs, omniq; ſanctarum precum modulatione ſupplicando, demum venit ad atrium & porticum baſilicæ ſancti Petri: ibique pro ritus ratione conſtitit, dum Pontifex, qui ſellâ geſtatoria de more, ſolemniter euectus, ſequebatur, in eius medio ad eandem baſilicam proceſſit. In actu proceſſionis mirum ſilentium fuit, miraq; omniũ veræ ac ſolidæ Romanæ pietatis ſignificatio. Res n. adminiſtrata eſt, quo diligentius tumultibus prouiſum eſſet, vt ad ſuburbiũ Vaticanum quo temporis ſpatio canonizatio agebatur, curribus, pilentis, quadrigis, eſſedis vehiculiſq; cuiuſcunq; generis, ac iumentis omnibus aditus vndiq; precluderetur.

Ad baſilicam Vaticanam via, quam proximè dixi, proceſſum eſt hoc ordine. Primum familia Pontificia, veſti- XVI
bus rubris amicta, antecedebat: deinde Secretarij Apoſtolici: poſt, Aduocati Conſiſtoriales, veſtibus violaceis induti incedebant: tum tubicines, qui certis ſtatis locis ſimul inflantes, ſuaui tubarum ſono canebant. Proximè ſequebatur procurator Generalis Obſeruantium ordinis Minorum, homo Hiſpanus, ſacerdos, planeta albi coloris veſtitus: qui inſigne vexillum, ſancti Didaci effigie religioſa præclare ornatum, ferebat. Hunc prope conſectabantur quatuor eiuſdem ordinis ſacerdotes veſtitu albarum. His propinqui erant Cantores: qui varijs modulate, numeroſeq; canendi modis, ac pio hymnorum cantu, omnium animos alliciebant ad ſpiritale gaudium. Mox procedebant Abbreuiatores, Acolyti Apoſtolici, Auditores Rotæ, Subdiaconi item Apoſtolici, omnes ſuperpelliceis & rochetis veſtiti. ¶ Erat in ijs autem Subdiaconus eodem ornatu, crucem Pontificiam præferens, cui miniſtri duo virgæ rubræ aderant, vnus à dextro alter à ſiniſtro latere. Crucem Pontificiam prope comitabantur Pœnitentiarij baſilicæ B. Petri, deinde Abbates: tum Epiſcopi, deinceps Archiepiſcopi, Patriarchæ, Prælatiq; Sanctiſſimo D. N. aſſiſtentes, pluuialibus & mitris ornati. Iis proximè Cardinales Diaconi incedebant, dalmaticis, & mitris: mox Cardinales presbyteri, planetis, & item mitris: poſt Cardinales Epiſcopi, pluuialibus itidemq; mitris induti. Hos ſtatim ſequebantur Diaconi Cardinales tres, quorum vnus erat Aſcanius Columna, qui, quoniam muneris ſui functio tũc erat Euangelium legere, medium inter alios duos locum tenebat, quorum vnus fuit Cardinalis Sfortia, alter Cardinalis Montaltus, ambo tanquam Pontifici aſſiſtentes. A lateribus eorum duorũ Cardinaliũ progrediebantur Oratores duo, vnus Reipublicæ Venetæ, alter Ducis Sabaudiæ: qui vterq; cereos illos duos prægrãdes manu portabat.

Generalis fratrum Minor. Obſeruãtia, cũ imagine S. Didaci procedebat.

Crux Pontificis prælata.

Iis omnibus ordine præcedentibus, ſummus Pontifex, ſella geſtatoria ſublimis euehebatur ſub vmbella: quæ primò ab Oratoribus, poſt ab alijs Principibus, tum ab alijs primarijs viris ferebatur, qui viciſſim hoc munus ſubierunt. Sequebantur deinceps Cubicularij intimi duo Pontificis, qui præſto eſſent ad aſſiſtendum: In horum medio erat Seraphinus Oliuarius, Vicedecanus Rotæ; qui Decani abſentis vicem gereret ad mitræ Pontificiæ functionem. Vltimo loco erant Protonotarij eodem, vt ſupra, veſtitu atque ornatu: tum prætereà frequentiſſima multitudo ciuium Romanorum, & aliorum nobilium virorum. A Pontificis & Cardinalium lateribus præſidiaria Heluetiorum cohors magna præſto erat ad ſummouendam repellendamque tam infinitæ multitudinis turbam. Totum autem forum Vaticanum, quacumque parte ſupplicationibus procedebatur, prætorijs equitum turmis erat vndique ſeptum & communitum.

Cereos albos cuncti geſtabant.

Pontifex autem, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, ceteriq; omnes Antiſtites, qui in proceſſione frequẽtes aderant, cereos albos accenſos manu geſtabant: quos eorum vnicuique pro dignitatis ratione largè liberaliterq; diſtribuerant miniſtri Philippi Regis, cuius rogatu celebritas canonizationis agebatur.

Vbi ad Baſilicæ porticum Pontifex venit, ei Canonici, clerusq; illius Baſilicæ vniuerſus, obuiam fuerunt ſuauiſſimis muſicæ modis & cantibus.

Baſilicam Pontifex ingreſſus, ſuggeſtum, canonizationis cauſa apparatum, aſcendit: tum è ſella geſtatoria XVI
deſcendens, in faldiſtorio genibus flexis, ad altare verſus orauit. Inde ſolium Pontificium, excelſo loco poſitum, cõſcendit. in quo vt moris eſt, Cardinales obedientiæ munus ei præſtiterunt. Qua abſoluta re, Franciſcus Mocantius, cærimoniarum magiſter, Cardinalem Decam accerſiuit, qui cum Arrigonio Aduocato ad Pontificem venit. Ambo vbi debitam Pontificiæ maieſtati reuerentiam adhibuerunt: tum Cardinalis ſtabat, aduocatus autem genibus flexis, ac ſupplex paucis verbis dixit, Decam Cardinalem præſentem, id regio nomine ſummopere rogare atque obſecrare, vt beatus Didacus, in ſanctorum numerum rite aſcriberetur. Tum Buccapadulius ſecretarius Pontificio nomine grauiter breui reſpondit, illud negotium maximæ deliberationis fuiſſe: eamque ob rem diuturnis & neceſſarijs cõſultationibus diligenter à Pontifice tractatum: & cùm, quod ad canonizationis actum pertineret, ſatis probatum, eſſe videretur, tamen quia oratio iuſti aſſidua multum apud Deum valet, Pontificem hoc maxime exoptare dixit, vt omnes vnà precarentur, quo magis, res auxilio diuino inchoata, adiuuaretur etiam diuina illius benignitate.

Obedientiæ dant munus Pontifici Cardinales.

Hæc vbi Secretarius reſpondit, continuo è ſolio Pontifex ad faldiſtorium deſcendit: vbi genibus flexis, mitra indutus, orauit: interim ſacræ litaniæ in choro canebantur, & aliæ preces dicebantur. Quibus abſolutis, ad ſolium redijt.

Magiſter autem cærimoniarum iterum Cardinalem Decam cum Aduocato ad Pontificem euocauit, ad quem confeſtim cum ambo acceſſiſſent, itidem iterum ſummopere inſtarunt. Appoſite & breui Secretarius dixit, rem tam grauem poſtulare vt ardenti iterum oratione preceq; imploretur auxilium & gratia Spiritus S. vt in re grauiſſima ſuo diuino lumine eum dirigat. Tum rurſus Pontifex è ſolio in faldiſtorium venit ad orandum, vt ſupra, genibus flexis, & item mitra adhibita. Mox autem Cardinalis Sfortia Diaconus, ad populũ verſus, alta voce dixit Orate. Illico mitra è

capite

capite Pontificis depoſita, cæteri etiam omnes Cardinales & Antiſtites depoſuerunt: genibuſque flexis ſimul cum Pontifice taciti orarunt ſumma intimi animi prece, quoad Cardinalis Montalius Diaconus, è ſiniſtra Pontificis ſtans, alte pronunciauit; Leuate. Qua voce pronunciata Pontifex, Cardinales, & reliqui ſurrexerunt. Libro tunc à Prælatis aſſiſtentibus allato, Pontifex inchoauit hymnum: Veni Creator Spiritus. Statim ad genuflexionem rediit, itidemque omnes fecerunt, tamdiuque in ea permanſerunt, quoad primus verſus finitus eſt. Tunc ad ſolium Pontifex inde abiit, cæteri ſteterunt. Hymno abſoluto, Cantorum chorus cecinit verſum: Emitte Spiritum tuum. Poſtea dixit Pontifex orationem hanc: Deus qui corda fidelium, &c. Qua pronunciata oratione, Deca Cardinalis vna cum aduocato, Philippi Regis nomine tandem tertio inſtitit, ſummeque efflagitauit, negotium canonizationis confici. Reſpondit Secretarius: Pontificem credere Dei voluntate, ac benignitate id fieri, propterea deliberaſſe, beatum Didacum, vitæ ſanctitate, & miraculorum ſplendore clariſſimum in ſanctorum numerum referre.

XVII. Allatvs eſt confeſtim ab aſſiſtentibus Prælatis liber: de quo canonizationis ſententiam Pontifex, in ſolio ſedens, mitraque ornatus, pronunciauit verbis grauiſſimis, maximeque ſignificantibus. Is illa Pontificia ſententia beatum Didacum in ſanctis Confeſſoribus conſtituit, & adſcripſit: decreuitque propterea ab omnibus illum veneratione coli: diem eius feſtum, pridie Idus Nouembris officio ſancti Confeſſoris celebrari: eccleſias, & altaria, quibus Deo omnipotenti ſacrificium fiat, illius nomine ædificari licere. Indulgentias, & priuilegia omnia, quæcumque Sanctorum eiuſdem ordinis Seraphici eccleſijs conceſſa ſunt, conceſſit fidelibus, verè pœnitentibus & confeſſis, die illius feſto ſacellum, vbi Compluti eius corpus reconditur, aut viſitantibus altaria eccleſiasve, quæ ad eiuſdem honorem erigentur.

Pontifex B. Didacum Sanctis adnumerat.

Sententia rite ſolemniterque pronunciata, Cardinalis Deca, & Arrigonius Aduocatus, qui ambo præſentes aderant, Pontifici debitas gratias regio nomine egerunt, & habuerunt: ſimulque ſupplices petierunt, à Pontifice decerni, canonizationis bullam confici. Tum is dixit: Decernimus. Ilicoque vt moris ac ritus eſt, ſigno crucis benedixit. Quo decreto facto, Aduocatus Protonotarios, Notarioſque præſentes rogauit, publicas rei geſtæ tabulas confici ad memoriam perpetuam.

His rebus actis omnibus, lætitiæ, & gratulationis publicæ ſigna facta ſunt, tubarum clangoribus, campanarum ſonitu ſolemniſſimo, maximis ſclopetorum exploſionibus, & bombardarum, quæ in foro Vaticano, & arce ſancti Angeli ſunt, reboatibus ſummo, & diuturno fragore tonantibus, ſpiritaleque Eccleſiæ gaudium ſignificantibus.

Ad ſolemnitatis actum progrediens Pontifex hymnum Te Deum laudamus exorditur, quem Cantores canere pergunt. Hymno abſoluto, Cardinalis Sfortia Diaconus, verſiculum cantauit; Ora pro nobis, Beate Didace. Cantores reſponderunt: Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Tum Pontifex ſequentẽ Orationẽ Sancto dixit.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius humilitati noſtræ, vt piis B. Didaci confeſſoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam ſublimari mereamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Oratio de S. Didaco ſiue Collecta.

XVIII Post orationem Aſcanius Cardinalis Columna, Diaconus, Euangelii canora voce dixit: Confiteor Deo, &c. In qua confeſſione, cùm ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum nominaſſet, mox beati Didaci commeminit. In abſolutione itidem Pontifex fecit. Deinde Pontifex tertiam inchoauit, quam choro proſequente ad alteram ſedem acceſſit: in qua illum miniſtri veſtes ſacras Pontificias induerunt ad Miſſam celebrandam. Erant illæ veſtes omni pretioſo opere, præclaroque artificio maximè inſignes, ad canonizationis huius vſum confectæ. Dum Pontificem induerunt, Tertiæ officium Chorus cecinit. Quo finito, Miſſam de viſitatione beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione beati Didaci Pontifex celebrauit. Sed in offertorio hæc ex ritu acta ſunt.

Nota.

Dum Pontifex offertorij antiphonam de ſolio Pontificio dicit, Cardinales quattuor è ſubſellijs ſuis ad rès ſumendas venerunt, quæ in abaco, offertorij cauſa, paratæ & diſpoſitæ erant. Ii fuerunt, Marcus Antonius Cardinalis Columna, vt Epiſcopus Cardinalis: Michael Cardinalis Alexandrinus, vt Cardinalis Presbyter: Hieronymus Cardinalis Matthæius, vt Cardinalis Diaconus: qui tres delegati iudices canonizationis extiterant. Quartus fuit Cardinalis Deca, quem in Oratoris Regij locum, vt dixi, Pontifex delegerat ad huius ſolemnitatis actum. Dona, ad offerendum apparata, ordine tulerant eorum domeſtici nobiliſſimi ſuarum quique familiarum viri: quæ dona, ac munera Cardinales ipſi obtulerunt admirabili cærimonia, myſteriorum plena. Cardinalis Columna, cereos duos, ſancti Didaci imagine, & Pontificis, Regiſque inſignibus pictos, maiores aliquanto illis, qui ad proceſſionem ferebantur, hac cærimonia obtulit, vt ſingulos cereos primum oſcularetur, tum Pontifici offerret: quos vbi Pontifex tangebat, eius manum & genu exoſcularetur. Cardinalis Deca, eadem cærimonia, cereum vnum obtulit, & caniſtrum exiguum auratum, in quo turtures binæ erant viuæ. Deinde Cardinalis Alexandrinus panes duos prægrandes obtulit, vnum auratum cum inſignibus Pontificis, alterum argento cælatum inſignibus Regis. Mox iterum Cardinalis Deca alterum cereum obtulit, & item alterum caniſtellum cum binis turturibus albis. Cardinalis autem Matthæius eodem ritu cados exiguos duos, vini plenos obtulit, vnum inauratum in cuius fundo erant inſignia Pontificis. alterum argentoſum cum inſignibus Regis. Ilico Deca Cardinalis tertiò obtulit cereum tertium, & caniſtrum, coloribus varie pictum, auiculis diuerſi generis plenum. Quod dum offertur, eius reticulum magiſter cærimoniarum incidit, vt auiculæ volucres, quemadmodum fecerunt, hac atque illac volitarent. Ceteri tres Cardinales delegati iudices, donis oblatis, ad ſuum quiſq; ſubſellium redierunt. Deca ſolus remanſit, quoad omnium oblationum ſuarum, quas narraui, functionem eſt exequutus.

Cerei duo oblati ad Miſſam:
Item tertius cum binis turturibus.
Duo magni panes.
Item cereus cum turturibus.
Cadi duo vino pleni.
Iterato cereus cum caniſtro auiculis pleno.

Offertorio rite peracto, Pontifex ſtatis ſolemnibus cæremonijs Miſſam celebrare pergit cum propria Sancti commemoratione, Secreta, & Poſtcommunione. Tum Miſſæ ſolemnibus celebratis, Cardinalis ſancti Georgij, Epiſcopus Portuenſis, cum Farneſius Cardinalium Decanus abeſſet, nomine Pontificis, plenariam Indulgentiam, forma Eccleſiæ conſueta, omnibus præſentibus induxit. Reque omni demum rite acta, Pontifex de more à Cardinalibus ad aulam, quam paramentorum nomine vocant, deductus, inde omnes dimiſit benedictione.

XIX. Nam verò quid ad rei bene præclareque confectæ narrationem deſit, exponam etiam veſtes, quæ canonizationis cauſa confectæ ſunt mirifico pretioſoque opere.

Vmbella altaris Pontificij, aſpectu ſpecieque omnibus ex partibus pulcherrima, ex auri puſulati tela, egregio artificio intexta, & amplitudine admodum magna fuit, laciniis pendentibus ornata, in quibus apparebant imagines ſancti Didaci, inſignia Pontificis & Regis, vexillum Eccleſiæ, & facies Seraphinorum. Omnia hæc ornamenta fuerunt locis ſuis variè diſtincta, ac diſpertita, cùm ex laciniarum fragmentis triginta totum id opus conſtaret.

Pallium altaris, eadem tela pretioſa, lacinijs & peniculamentis auro vndique collucentibus. Erat in medio pallio effigies beati Didaci, à latere dextero inſignia Pontificis, à ſiniſtro autem, Philippi Regis: omnia acu picta, auroque & argento variè copioſeque contexta.

Integumenta bina ſacrorum codicum ex eadem tela, auro puſulato ſplendeſcenti; cum ſuis etiam fimbrijs opere aurato illuſtribus.

Puluinar Miſſalis codicis ex eadem ſumptuoſa tela, ornatu aureo obductum, & globulis ac lemniſcis ſericis, auro intextis, præclaro opere enitens.

Sacculus corporalis admodum amplus, vt in ſacello Pontificio conſuetudinis eſt, ex illo ipſo telæ opere, eodem ornamento, cruceque actum puta ex filis aureis.

Ornamentum ſuggeſti lignei ad vſum lectionis Euangelii, totum ex illa pictura textili aurea confectum, fimbriis aureis & ſericis, ſanctiq; Didaci effigie, atq; inſignibus Pontificiis & Regiis ſumptuoſiſſimè elaboratum.

Faldiſtorij ornamentum, eodem opere, & artificio, inſignibusq;, vt ſupra, perfectum.

Puluinaria bina ampla admodum, vt moris eſt in ſacello Pontificio, ad vſum genuflexionum ex eodem textili opere aureo, globulis, & lemniſcis oblongis, ſericis, aureis, vt ſuprà, ad ornatum appoſitis. Eorum alterum, quo Pontifex nitebatur, effigie ſancti Didaci ornatum erat, ac præterea Pontificiis Regiiſq; inſignibus.

CHLAMYS Pontificia, attalico opere aureo intexta, purpureo colore apparata fuit, ampliſſimo ornatu laciniarum ex altera textili tela aurea, opere, vt vocant, paſſamanio item aureo circumfluens, vncis ternis, & fibulis ſenis, ex puro puto auro, collucens. XX.

Planeta cum ſtola, & manipuli bini, ex eadem magni pretij tela, toto opere aureo intexta, lacinijs ex holoſerico villoſo, operis attalici. In extrema parte à tergo effigies ſancti Didaci, hinc inde Pontificia, & regia inſignia acu omnia picta filis aureis, refulgebant.

Dalmatica, & tunicella, ambæ ſericæ, colore candido circumueſtitæ opere paſſamanio aureo.

Gremiale ex illa aurei operis tela cui crux intexta erat, ornatu fimbriato ſerico aureo.

Caligæ ex ſerico albo, ornatæ opere paſſamanio aureo.

Sandalia è tela aurea: quibus cruces binæ ex auro aſſutæ erant.

PLVVIALE ex illa magni pretij tela, opere phrygio, quo Cardinalis Epiſcopus Aſſiſtens induebatur, ornatu erat lacinioſo auro contexto, paſſamanijs circumdatum: quod vncis & fibulis argenteis annectebatur. Huic veſti à tergo pendebat inſigne, quod Capucium vocant, ſatis amplum, ex opere attalico: in quo medio ſancti Didaci imago, ab vnaque & item altera extrema parte erant inſignia Pontificis, & Regis, acus opere confecta. XXI.

Tunicellæ Diaconales binæ, eodem opere, & ornamento, globulis præterea, & lemniſcis auro ſplendeſcentibus cũ ſtola, ac manipulis, tunicellarũ veſtitu reſpondentibus. In earum vnaquaq; effigies Sancti, & inſignia, vt ſuprà.

Græcè Euangelium & Epiſtola lecta.

Tunicellæ aliæ item binæ, è tela item aurea, ſed operis plani, non auro eminentis, eodem ornatu, eadem effigie, iiſdem inſignibus. Quarum vnas induit Diaconus, qui Græcè Euangelium: alteras, qui itidem Græcè Epiſtolam legit. Atq; hæc de ſupellectile, apparatuq; ſacrarum veſtium: quæ cum vix, aut ne vix quidem præ operum artificio ornatuq; vario explicari ſatis potuerint, re ipſa præbuerunt auguſtiſſimum, ſummaque pietate refertiſſimum ſpectaculum, ad perpetuam tam ſolennis actus gloriam maximè inſigne.

Cardinales quadraginta præſentes.

CARDINALES, qui canonizationis actui præſentes aderant numero erant quadraginta. Quorum quatuor Cardinales Epiſcopi, triginta Presbyteri, ſex Diaconi. XXII.

Cardinales Epiſcopi ij intererant.

IOANNES Antonius Sorbellonius, Mediolanenſis, Epiſcopus Portuenſis, nuncupatus Cardinalis S. Georgij.
Alphonſus Geſualdus, Neapolitanus, Epiſcopus Tuſculanus.
Marcus Antonius Columna, Romanus, Epiſcopus Præneſtinus.
Ptolomæus Gallus, Nouocomenſis, Epiſcopus Albanenſis.

Cardinales Presbyteri.

PROSPER Sancta Crucius, Romanus. tit. S. Clementis.
F. Michael Bonellus, Alexandrinus, ordinis Prædicatorum. tit. S. Mariæ ſuper Mineruam.
Ludouicus Madruccius, Germanus. tit. Sanctæ Anaſtaſiæ.
Nicolaus Peluius, Gallus. tit. S. Praxedis. Cardinalis Senonenſis.
Iulius Antonius Santorius Caſertanus, ſanctæ Seuerinæ nomine vocatus. tit. S. Bartholomæi in Inſula.
Hieronymus Ruſticucius, Vicarius S.D.N. tit. S. Suſannæ.
Ioannes Hieronymus Albanus, Bergomenſis. tit. S. Ioannis ante portam Latinam.
Petrus Deca, Hiſpanus. tit. S. Hieronymi Illyricorum.
Antonius Carapha, Neapolitanus. tit. SS. Ioannis, & Pauli.
Ioannes Antonius Fachinettus, Bononienſis. tit. SS. Quatuor Coronatorum.
Ioannes Baptiſta Caſtagnius, Romanus. tit. S. Marcelli.
Franciſcus Ioieuſius, Gallus. tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio.
Iulius Cananius, Ferrarienſis. tit. S. Euſebij.
Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis, tit. S. Cæciliæ, Cardinalis Cremonenſis.
Antonius Maria Saluiatus, Romanus. tit. S. Mariæ de pace.
Auguſtinus Valerius, Venetus. tit. S. Marci, Cardinalis Veronenſis.
Vincentius Laurus, Tropienſis. tit. S. Mariæ in via, Cardinalis Montis Regalis.
Scipio Lancellotus, Romanus. tit. S. Saluatoris in Lauro.
Henricus Caietanus, Romanus. tit. S. Pudentianæ. Cardinalis Camerarius.
Ioannes Baptiſta Caſtrucius, Lucenſis. tit. S. Mariæ de Ara cæli.
Dominicus Pinellus, Genuenſis. tit. S. Laurentii, in pane, & perna.
Hieronymus Ruuerius, Taurinenſis. tit. S. Petri ad Vincula.
F. Hieronymus Bernerius, ordinis Prædicatorum. tit. S. Thomæ in Parione. Cardinalis Aſculanus.
Antonius Maria Gallus, Auximanus. tit. S. Agnetis in Agone, Cardinalis Peruſinus.
F. Conſtantius ordinis Minorum. tit. S. Petri in Monte aureo, Cardinalis Sarnanus.
Scipio Gonzaga, Mantuanus. tit. S. Mariæ de populo.
Antonius Saulius, Genuenſis. tit. S. Vitalis.
Euangeliſta Paleottus. tit. S. Matthæi in Merulana, Cardinalis Conſentinus.
Petrus Gondius, Florentinus. tit. S. Syluestri, Cardinalis Pariſienſis.
F. Stephanus Benucius, ordinis Seruitarum. tit. SS. Marcellini & Petri, Cardinalis Aretinus.

Cardinales Diaconi.

FRANCISCVS Sfortia, Romanus, Diac. S. Nicolai in carcere Tulliano.
Alexander Perettus, Cardinalis Montaltus, Diac. S. Euſtachij.
Hieronymus Matthæius, Romanus, Diaco. S. Mariæ in Coſmedin.
Benedictus Iuſtinianus Genuenſis, Diac. S. Agathæ.
Aſcanius Columna Romanus, Diac. SS. Viti & Modeſtæ.

Federi-

Federicus Borrhomæus, Mediolanenſis, Diac. S. Mariæ in Dominica.

Interfuit etiam magnus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Antiſtitumq; aliorum numerus, maxima nobilium virorũ frequentia, & innumera hominum omnis ordinis, omniumq; vrbis regionũ multitudo, vt ſuprà narraui, quæ iam inde vſq; à prima fere vigilia noctis, frequentiſſima ad ſolemniſſimũ tantæ celebritatis actum conuenerat.

Sit per omnia benedictus Deus, qui tenebricoſis his temporibus, tanti tamq; illuſtris beneficij lumine Eccleſiam Catholicam colluſtrauit. Eſt hoc, quod proximè accepimus, vere munus donumq; diuinum. Omnium eſt, qui Chriſtiano Catholicoque nomine cenſentur, illud agnoſcere, profiteri effuſis ad Deum precibus, obſecrationibus, atque omnibus pietatis officiis, hoc præſertim neceſſario rei Chriſtianæ publicæ tempore: quo opus eſt communibus ſupplicationum aliorumque piorum operum præſidijs. Tu verò Hiſpania, quæ iam inde ab initio naſcentis fidei Chriſtianæ tot tantisque à Deo adornata es, atque illuſtrata muneribus, beneficij etiam huius ſplendore illuminare: in eoq; etiam perſpice paternam charitatem Sixti Quinti, Pontificis Optimi Maximi, ſalutis & gloriæ tuæ cupidiſſimi: deinde etiam agnoſce regium potentiſſimi Regis tui ſtudium, quo exardeſcit ad Catholicæ pietatis opera. Eſt cur ingentes, immortalesque Deo gratias agas, & habeas: illudq; ab eo maxime preceris omni orationis aſſiduitate, vt vtrumq; & Pontificem, & Regem quam diutiſſime ſaluum & incolumem Reſpublica Chriſtiana habeat. *Ad Hiſpaniam alloquium.* Verum tu Didace Sancte, qui ſupra cæleſtes orbes euectus, iam ad Deum fontem viuum, quem tantopere ſitiebas, lætus migraſti, ubiq; illum nunc contemplaris bonorum omnium auctorem, tuis precibus opitulare ambobus egregijs ſanctitatis tuæ cultoribus, Sixto Pontifici, & Philippo Regi. *Ad S. Didacum.* At tu Deus, omnium conditor, cuius maieſtatem ac numen in Sanctis veneramur, cuius immenſam amplitudinem illorum vita, mors, gloria maxime oſtendit, quæſumus omnes, exaudi confeſſorem tuum beatum Didacum, pro vtroque precantem: facque vt eorum tandem temporibus, tua potentia ſuffragante, vniuerſorum hoſtium frangatur impietas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

S. D. N. D. SIXTI PAPÆ QVINTI DECRETALES

LITERÆ QVIBVS SANCTVS DIDACVS DE S. NICOLAO PROVINCIÆ BAE-
tica, Hiſpanus, Ordinem Minorum S. Franciſci expreſſè profeſſus, in ſanctorum Confeſſorum numerum & catalogum adſcribitur; ac inſuper decernitur, vt ab vniuerſali Eccleſia vt Sanctus colatur illiusque feſtum anno quolibet, die xij Nouembris, & Officium ſicuti pro vno Confeſſore tantum, ad formam, in Rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuotè celebretur, cum Indulgentiarum elargitione.

I. SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Rex Regum ante omnia ſæcula Chriſtus Dominus; qui propter perditi ſalutem hominis, forma ſerui accepta, in plenitudine temporis factus eſt homo; Eccleſiam ſuam vnicè dilectam, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſitam, ſupra Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit, in ſe ipſo ſummo angulari lapide, à Chriſtianæ fidei primordijs ædificauit, & vſque ad ſæculi conſummationem per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat. Diuinum verò admirabilis huius ædificationis artificium, nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena, & carnalis prudentia, vllo modo aſſequitur, Diaboli autem aſtutia, & ſuperbia contremiſcit. Nimirum, quemadmodum ex pauperibus, & contemptis plerumque hominibus, humili & obſcuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia inſtructis, nullo deniq; humanæ potentiæ præſidio communitis, tanquam ex abiectis & reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam ſtabilis, in tantam demum conſurgat altitudinem, vt ipſæ inferorum portæ eius robur, ac firmamentum perhorreſcant. *Velut ex lapidibus reprobatis.* Sed viæ Dei non ſunt viæ hominum, nec cogitationes eius ſicut cogitationes eorum. Itaq; non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quę non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. *1. Cor. 1. 26.* Sic omnipotens Deus per ſcandalum Crucis, & per ſtultitiam prædicationis ſaluos fecit credentes; ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initijs per ſapientem Apoſtolorum inſipientiam, & per fortiſſimam Martyrum infirmitatem, Græcorum ſapientiam infatuauit, & gentium potentiam deiecit, atq; proſtrauit: ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles Sanctos ſuos. Hinc ſuperiori ſæculo, & patrum noſtrorum memoriæ valdè propinquo, ex humili familiâ Fratrum Minorum ſancti Patris noſtri Franciſci, humilem beatum Didacum, in Hiſpania natum, non doctrina præcellentem; ſed quales primi illi noſtri Magiſtri, & Principes fuerunt, ſine literis humano ſtudio comparatis, ſed idiotam, & in Sancta Religionis profeſſione laicum, delegit: in quo oſtenderet abundantes diuitias gratiæ ſuæ; *Qualis videbatur B. Didacus, rudis vt Apoſtoli.* cuius admirabili vitæ ſanctitate, & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſeneſcentem, ac pene decrepitum mundum magis magiſque coarguerer: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *Ibid. 25.* Itaq; pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſeruum ſuum paruulum, & demiſſum, cœleſtibus donis ſuis adeò ornauit, tantoque Spiritus ſancti igne incendit, manumque ſitam ad ſanitates, & ſigna, & prodigia, beati Didaci meritis, cum in eius vita, tum poſt mortem efficienda, tam munificè extendit, vt is non ſolum apud ſuos in florentiſſimis Hiſpaniæ Regnis notus, & clarus eſſet, ſed apud exteros etiam eius nomen magna cum gloria peruulgaretur. Iuſtus enim & miſericors Dominus ſeruos ſuos fideles, quos ante Mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinauit ad vitam, non ſolum in cœlo ſemper coronat, ſed ſæpè etiam in Terra, vbi fortiter, & legitimè certauerunt, multo gloriæ ſplendore cumulat, atque illuſtrat. Nimirum, vt præclaras illas ſuas promiſſiones perſoluat; Dabo vos (inquit) nominatos, & in gloriam, & in laudem in cunctis Populis terræ; *Sophon. vlt. 20.* vt ſe ipſe in Sanctis ſuis mirabilem demonſtret, & potentiam ſuam ſignis & virtutibus declaret: vt propoſitis Sanctorum glorioſis laboribus, & meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circumdati infirmitate, ſegnitiem & tarditatem noſtram in via virtutis excitet, & frigeſcentem charitatem accendat; vt hæreticorum prauitatem coërceat, peruerſitatem confundat, dum ad ſacras eorum Reliquias, diuina virtute, ægroti curantur, Dæmones pelluntur; *Cur Deus ſuos ſanctos honoret in terra.* vt mortuos, qui in Domino ſunt mortui, beatos eſſe, & multo felicius viuere omnes intelligant. Poſtremo, vt amici Dei multo maximè honorentur, & qui Sancti ſunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur; ad quorum nos opem confugientes, eoſque piè inuocantes, eorum ſuffragiis adiuti cœleſtem miſericordiam facilius impetremus. Merito igitur beatum Didacum laudamus, quem Deus multis, & illuſtribus oſtendit miraculis prædicandum; de cuius beati viri vita, & rebus geſtis, puriſſimæ fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignorum admirabilitate pauca quædam libenter pro noſtro Paſtorali officio Populo Dei proponimus, vt laudetur Deus in Sancto ſuo, & fidelium deuotio tanquam ſalutari quodam & periucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agant, publico noſtro, & huius Sanctæ Apoſtolicæ Sedis teſtimonio, quæ à Spiritu ſancto gubernatur & regitur, beati Didaci ſanctitatem optimo iure declaratam eſſe & promulgatam.

NATVS

Patria ſancti Didaci, & vita.

NATVS eſt B. Didacus in Hiſpania, in Prouincia Bætica, & in oppido, cui nomen eſt S. Nicolaus de Portu, quod 11.
eſt in diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem, vt fœcundus ager cœleſtis gratiæ imbre irrigatus, vberes fructus citò protulit. Nam adoleſcens ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt ex laqueis & periculis ſæculi, pœnitentis habitu indutus, in propinquam ſolitariam eccleſiam vna cum pio quodam ſacerdote ſpiritalis vitæ duce, & ſocio ſeceſſit, vbi nouus

Vita in adoleſcentia ſolitaria.

Chriſti miles in huius fallacis mundi contemptione, & omnium humanarum rerum deſpicientia, in cęleſtium contemplatione, in corpore edomando, & ſpiritui ſubiiciendo, ſe aſſiduè exercens magna cum ſuorum oppidanorum ædificatione præclarum tyrocinium poſuit. Poſt aliquot verò annos, vt ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & à mundi tempeſtatibus, quàm longiſſimè diſcederet. ſub ſuaui obedientiæ iugo Deo ſecurius, & fructuoſius ſeruiret, in portum Seraphicæ ſancti Franciſci Religionis confugit, eamq; prope Cordubam in Conuentu de Arrizafa, vt

Inſtituto ſe addixit de Obſeruantia.

vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſeruantia nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic iam Athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtadium ingreſſus, tanquam obliuiſcens, quæ retro erant, & ad ea quæ ſunt priora ſe extendens; cœpit omni contentione corporis & ſpiritus perſequi (diuina gratia ſuffragante) brauium ſupernæ vocationis. Summa cura & diligentia in Regulæ obſeruatione verſabatur, quam in omni vita ſanctè adeo inuiolateq; ſeruauit, vt ipſe in cunctis Religioſis functionibus & officiis, viuens quædam, & expreſſa regula eſſe videretur. Inprimis verò quia ſapientiſſimus Architectus Spiritus ſanctus, ſublime regularis perfectionis ædificium in

Humilitas illi fundamentum virtutum.

eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentum iecit, & vt prudens ille ædificator in Euangelio laudatus, fodit in altum, & ædificauit domum ſuper petram: nihil ſibi tribuens, nulli ſe anteponens: quo plura à Deo accipiebat, eò demiſſius ſe gerens. Itaq; nullæ tentationum procellæ, nulli ſuperbiæ, & inanis gloriæ venti, nullę Diaboli machinationes domum illam tam egregiè fundatam mouere, aut labefactare potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & iuſſa, tanta obedientia, tantaq; alacritate exequebatur, ac ſi Deum in eis loquentem audiuiſſet. Sanctā paupertatem Domini ſui ſponſam chariſſimam, quam diligentiſſimè cuſtodiebat, omnia arbitratus vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret. Cumq; Satanæ aſtutias non ignoraret, ſed optimè intelligeret infenſiſſimum humani generis aduerſarium, tanquam Leonem rabidum, & rugientem dies noctesq; circuire, vt Chriſti ouiculas dilaceret, ac deuoret; nunquam otio, aut corpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus loricam iuſtitiæ, ga-

Corpus ſuum caſtigās in ſeruitutem redegit

lea ſalutis aſſumpta, & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere. Corpus igitur & carnem ſuam illecebram peccati, labore, ieiuniis ferè continuis & flagellis caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat: præcipuè verò ad excelſam illam Arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt ad ſanctæ Orationis præſidium, cuius alis in cælum frequenter ſublatus, terrenorum oblitus, ſuauiſſimo Dei colloquio fruebatur.

Oratione & iugi cōtemplatione doctiſſimus euadit.

In ea igitur ſchola diuinitus eruditus vir, alioqui planè rudis, & literarum minime ſciens, admirandum in modum de rebus diuinis loquebatur, ſenſuſq; mirificos proferebat; ita vt viri eruditiſſimi, qui in ſacræ Theologiæ ſtudiis ætatem contriuerant, ſummopere obſtupeſcerent: illudq; memoriæ traditum eſt, & graui teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res diuinas, animarumque ſalutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulate didiciſſe, quod in celeberrimis Academiis à magnis Doctoribus addiſcere nequiuerant. Ille præterea Orationis fructus erat vberrimus, quod iam in benedictionibus dulcedinis præuentus, & calicem illum præclarum, qui cor inebriat delibans, ardentis charitatis igne erga Deum & proximos toto pectore æſtuabat: quare bonorum omnium auctorem Deum, & Beatiſſimam Dei Geni-

D. Virg. aduocatā generis humani ſedulò coluit.

tricem ſemper Virginem humani generis Aduocatam, quam ſumma deuotione ſemper coluit, non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementiſſimeq; orabat; pauperes verò Ieſu Chriſti tanto affectu diligebat, tantaq; erga eos miſericordia commouebatur, vt omni ſtudio (quantum ei licebat) eorum inopiam, & calamitates ſubleuare ſedulò procuraret: quod ſi interdum præſtare non poſſet,

Pauperibus & ægris obſequiolus. Plagas purulentas lambebat.

vim lachrymarum profundebat, eoſq; verbis amantiſſimis conſolabatur. Ægrotos fratres omnibus charitatis officiis proſequebatur, aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perferre omnes moleſtias, tanta patientia, tanta humilitate, vt quorundam purulentas plagas non ſolum medicamentis curare, ſed lingua quoque eas lambere & abſtergere non abhorreret: quo in genere eximia ſerui Dei charitas Romæ aliquando in Cœnobio Fratrum ſuorum, quod eſt ad Aram cœli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſæculi, cum piæ mem. Nico-

Romam venit anno Iubilæo Indulgentias cōſecuturus.

laus Papa V. prædeceſſor noſter Sacrum Iubilæum de more celebraret, Romam venit beatus Didacus, vt ſalutarem Indulgentiam conſequeretur, & beatorum Apoſtolorum ſepulchra, cæterorumque Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religioſè veneraretur. magna erat annonæ inopia, grauibus & periculoſis morbis Vrbs laborabat, cum B. Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, à Guardiano, ſeu Cœnobii Præfecto, qui iam eius ſanctitatem deguſtauerat, eſt præpoſitus; cuius officii munus, tam fideliter, feliciterq; adminiſtrauit, vt in publicis anguſtiis omnia apud pauperes Chriſti abundarent, omneſq; in ſeruo Dei, & copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiam agnoſcerent. Nec ſane mirandum eſt, virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chriſtus ipſe ægrotabat, tanto charitatis ſtudio inſeruiſſe, tam impigrè miniſtraſſe, qui eò iam perfectionis progreſſus erat, vt charitatem illam, qua nemo maiorem habet, ſponſo animæ ſuæ præſtare, & perſoluere concupiſceret, &

Vis in eo perfecti amoris.

pro Chriſti nomine, & confeſſione vitam & ſanguinem profundere deſideraret. Ea nimirum eſt perfecti amoris vis & natura, vt non facilè conquieſcat, ſed maiora ſemper & maxima appetat, & prolatur, ſemperque actuoſus & operoſus ſit. Itaq; cum aliquando ad inſulas Canarias miſſus eſſet, vt Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Con-

Ad Canarias inſulas deſtinatus,

uentu fungeretur, ſeruus Chriſti, cui viuere Chriſtus erat & mori lucrum, cœpit Martyrii deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo non ſolum columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia, quare multa cum vigilantia, & regularis diſciplinę obſeruantia vir Dei in ſua cuſtodia excubabat, in omni ſanctitate & iuſtitia, forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium Inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam; ita vt frequentes eum adirent, ex eiuſq; ſpiritalibus colloquiis miram caperent conſolationem & voluptatem. Magnam verò exercendæ charitatis ſegetem in In-

Vbi multos ad fidem perduxit.

ſulis illis nactus, ſimulq; conſequendi Martyrii ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc Idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit: quo in munere dum ſtrenuè verſaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli inuidia conflauit; ſæpe in capitis, & vitæ diſcrimen venit, vt ſeſe iam Martyrii palmam potiturum ſperaret; ſed Deo aliter diſponente, non Martyrio animus & voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit; at certe gloria non defuit, cum præclare à beato Martyre Cy-

Epiſt. 9. ad Martyres & Confeſſores de Mappali o

priano ſcriptum ſit: Ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui iudicaturus eſt, qui arcana rerum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportauit, reſeruatus à Deo, vt multos Chriſto lucrifaceret. Iam enim in vniuerſa Hiſpania clariſſimum erat beati Didaci nomen, magnamq; apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tanquam Angelum quendam in terris agentem, ſic eum homines intuebantur: nihil illo lenius, nihil manſuetius; lac & mel ſub lingua eius, & cor eius mundum, & ſimplex Chriſtiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere; de nemine male iudicare; nullum aduerſus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem verò contra legem Dei, & regularem diſciplinam peccantē animaduerteret; zelo Dei incenſus, libere obiurgabat, nulla tamen

ſu te

in te gloriam ſuam,ſed Dei honorem & fraternam vtilitatem quærebat.Signis etiam & miraculis viuentem ſeruum ſuum illuſtrauit Deus,eiuſq; excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum,ita vt vndiq; ad eum eius rei cauſa quamplurimi confluerent:ille verò fide,quę per Dei dilectionem mirifica operatur,in Domino roboratus,cum digitum in lampadem,quæ ante Sacram Beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat,demiſiſſet,ex eius oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos perungebat,multorumque varios languores & morbos,eiuſdem Crucis virtute,in qua ſola gloriabatur,mirabiliter ſanabat.

Miraculis viuens inclaruit. Præſertim gratia curationum.

IV. Accidit aliquando,vt è cœnobio,in quo erat,ad oppidum ſancti Lucę de Barameda proficiſceretur,fratre vno comite,cumque nullis cibariis acceptis iam ſumendi cibi tempus adueniſſet,& ex itinere defeſſi eſſent,nec in proximo vico quidquam,quo ex aliena miſericordia reficerentur,Deo ita diſponente,reperire potuiſſent;ad comitem ſereno vultu conuerſus beatus Didacus;Eia,inquit,frater in Domino confidamus,ipſe nos paſcet [illegible] proſequerentur,ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam politam vident,propiuſq; accedentes album panem,piſces recentes coctos,& vini vaſculum inueniunt:inſiſtunt ſerui Dei, & in latiſſimo campo vnde in omnes partes liber erat proſpectus,omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt,ſi quis fortè eo in loco [illegible]dium reliquiſſet;demq; id,quod erat,rati,ad menſam ſibi à Deo in deſerto paratam veri Iſraëlitæ accumbunt, ac cibo & potione ſiti fameq; depulſa,quod ſuperfuit,ibidem liquerunt,Deo patri miſericordiarum gratias agentes,qui ſeruis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno.

V. Qvid illud quod Hiſpali geſtum eſt,quam magnæ fidei eſt argumentum?Nam cùm ſeptennis puer, qui à matre vapulare ſolitus erat,in furno,in quem eius iracundiam fugiens ſe abdiderat,obdormiſſet,&furno ab ignara matre ſuccenſo expergefactus clamaret,vir Dei exanimatam matrem,eiulatu omnia complentem, nec quo ſe verteret ſcientem,ad maiorem Eccleſiam ire,ibiq; Matrem miſericordiarum deuote orare iuſſit;Ipſa te,inquit, ô mulier adiuuabit;cum illa,quaſi Dei nuncium audiuiſſet,pergeret.ipſe ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulo poſt ad idem templum adduxit,matriq; ſuæ ſaluum & incolumem reddidit.

Puerum ex ardente [illegible] ſuum [illegible]

VI. Cæterum,cum iuſtus iudex Deus Athletam ſuum tot victoriis illuſtrem,carne,mundo,diabolo per Dei gratiam deuicto,corona iuſtitiæ,quæ illi ab omni æternitate repoſita erat,coronare decreuiſſet,ſeruumque multiplicantis talentis induſtrium,& in pauca fidelem ſupra multa conſtituere,& in gaudium vellet Domini ſui introducere; B. Didacus in ſenectute bona,plenus dierum,& operum bonorũ,in conuentu Complutenſi,in quo annos complures [illegible] commoratus,in ſupremum morbum incidit,in quo incredibilis patientiæ exemplũ præbuit.Quadam autem nocte [illegible]tra ſe raptus,ſenſu omni, & vitali motu amiſſo,ita vt à Medico,& qui adſtabant, fratribus mortuus planè crederetur,tandem ſoluta ecſtaſi ter,aut quater hęc verba locutus eſt;O quales flores habet Paradiſus.In profundæ verò [illegible] militatis ſtatione,vſq; ad extremum vitę ſpiritum ſeruanda,ita firmus manebat,ita nuſquam de ſuo loco dece[illegible] vt cum fratres ſinguli ab eo peterent,vt pro ipſis oraret,ipſe contra ſe eorum orationibus vehementer com̃enda[illegible] vt ipſis pro eo Deum orantibus,bonorum operum fructus,quem illi in ſanctæ Religionis Obſeruantia cumu[illegible]tant,ſibi quoq; à Deo communicaretur,atq; ita miſericordiam impetraret.Poſtremo cum ſe iam moriturũ intel[illegible]ret,comitis illius,& adiutricis fideliſſimæ,quæ illum in huius vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat,hoc eſt [illegible]ctæ paupertatis,ſupremo vitæ die non oblitus,ſed in eius intimo ſinu,quam maxime fieri poſſet,ſpũitũ emittere [illegible]piens;conuocatis Fratribus,eos obnixe rogauit,vt ſibi veſtem obſoletam,&laceram,habitumq; omnium viliſſi[illegible], in quo moreretur,concederent;quo impetrato,multis profuſis lachrymis ab his,qui adſtabant,offenſionum atque errorum veniam poſtulauit,quibus copioſe collacrymantibus,ipſe cruce lignea,quam ad caput habebat,ar[illegible], eamq; amplexus&oſculatus,vtroq; brachio in altum fortiter ſublato(cum tamen alterum graui apoſtemate [illegible] ac debilitatum antea mouere non potuiſſet)oculiſq; in vitale ſignum defixis,verba illa ex ſacro Hymno magno affectu,magnoq; pietatis ſpiritu pronunciauit.Dulce lignum,dulces clauos,dulcia ferens pondera,quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum,&Dominum.quæ cum dixiſſet,in ipſo ſalutiferæ Crucis complexu,quam vnicè dil[illegible] quam in corde & corpore ſemper geſtauerat,in qua Chriſto confixus,& mundo crucifixus fuerat, animam eff[illegible], & in Domino obdormiuit,pridie Idus Nouembris,anno Domini M.CCCC.LXIII.

VII. Ad eius corpus(B.Didaci morte audita)magni vndiq; concurſus facti,illud deuote omnes contingere,amictus particulas præſcindere,capillos deuotionis cauſa euellere;demum Chriſtiano ritu corpus honorificè humatum eſt. Hic iam ſtatim Deus mortui ſerui ſui,cui in vita cooperatus fuerat,eximiam ſanctitatem ſignis ſequentibus comprobauit.Nam corpus,quod iam quatriduo humi ſepultum fuerat,iterum non abſq; miraculi interuentu,effoſſum,non ſolum integrum,incorruptumq; apparuit;ſed cum per multos menſes,vt pio ſtudio ſatisfieret,& ciuium, & aliorũ, qui ex diuerſis partibus accurrebant,inſepultum iacuiſſet,non computruit,nullum tetrum odorem emiſit:imò verò corpus illud,quod viuens Spiritus ſancti templum fuerat,odorem ſuauiſſimum afflabat,quo omnes mirificè recreabantur;qui quidem & in hodiernum vſq; diem ex eius ſepulchro ſuauiter & iucundè ſpirans à pleriſq; ſæpè ſentitur. Illud quoq; in B.viri mortuo corpore mirum acceſſit,quod eius membra &artus vitali calore deſtituti non obriguerunt,nec duri aut rigidi ſunt effecti,vt cadauerum ſolent,ſed molles erant & flexibiles quocunque verterentur.

Ad ſacrum corpus magnus concurſus. Quod reſoſſum ſuauem afflat odorem. Id flexile per omnes artus

VIII. Qvocirca laudanda eſt pietas & magnificentia cla.me.Henrici IV.Caſtellæ Regis,qui vna cum filia periculoſe ægrotans,& B Didaci precibus ſanitate impetrata,nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit,ibiq; in arca ferreis laminis diligenter communita beati Didaci corpus decenter recondi iuſſit:ad quod quidem ſacellum, vt conſtat,non ſolum Complutenſes ciues,ſed vicini & remotiores populi,atq; ex omni fere Hiſpania fideles, tanta deuotione confluunt,tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant,tot ibi vigiliæ fiunt,tot ſacrificia in eodem eius ſacello celebrantur,tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratia offeruntur,vt hæc de B.Didaci ſanctitate,non exigui temporis tanquam rumoris aura,ſed per annos centum viginti & amplius conſtans & perpetua fama & opinio,tantuſq; illorum fidelium omnium generum,omnium ordinum conſenſus,magni profectò & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit ad B.Didaci ſanctimoniam comprobandam.

Cu. ſe [illegible] Caſtella Rex ſacellum extruxit.

IX. Vervntamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate præditus claruit.Nam in actis tranſmiſſis centum ferè & triginta leguntur,Deo,qui glorificatur in Concilio ſanctorum,ſignis & prodigiis teſtante, ſeruum ſuum non ſolum morum,ſed etiam ſignorum virtute,nec operibus modo pietatis in vita,ſed etiam miraculorum luce poſt mortem clarum, & venerabilem eſſe.

Poſt eius exceſſum centum relata miracula

X. Dvron oppidum eſt in Hiſpania,in Diœceſi Seguntina,ex eo Catharina Martini filia virgo annos xij. nata, cùm ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta euaſiſſet,brachiis item pedibuſq; paralyſi diſſolutis incedere nequiret;ad B Didaci ſacellum delata,cùm ibi peruigilaret,eius tacta manu,& in Crucis formam conſignata illico,& aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit,membroruinq; vſu reſtituto,totoq; corpore confirmato,libere qua libuit inceſſit,laudans & benedicens Deum.

Muta, ſurda, paralytica ſanatur

XI. Adolescens quidam erat annorũ fere viginti,Didacus de Lorcâ appellatus,filius Petri Gonzales viri nobilis,qui Deo permittente,ab imũdo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum; ita vt ſæpius interdum in die arreptus,& ad terram alliſus,horribiles corporis geſtus ageret,&veluti mortuus relinqueretur. hic ſe B.Didaco humiliter com̃endans,& in eius ſacello aliquamdiu inuigilãs,à miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.

Energumenus liberatus.

CVM

Parturiens in vitæ diſcrimine facilè peperit puellam mortuam, quæ etiam ex voto reuixit.

Cvm Catharina Bartholomæi Sanchez vxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet: fœtus enim in vtero tranſuerſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materq; miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & planè morti propinqua eſſet: ſocrus eius Maria Garcia vxor Io. Garciæ incolæ oppidi de Ambroz B. Viri in maximis anguſtiis recordata, ad eius opem confugit. Itaq; fruſtum amictus B. Didaci, parumq. pulueris è ſepulchro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubitò mortuum fœtum edidit ipſa ſalua. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed eiuſdem auia Maria iam ſemel beati Viri opem in matre experta, eius pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitauit: quod cum deuotè feciſſet, alterum etiam beneficiũ impetrauit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminę vitę munere, à Deo donata diu poſtea ſuperuixit. XI.

Monſtro puellæ ſimilis a morbis & cruciatibus periãnata.

Illvd autem quod in Maria della Pennuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute, per merita beati Didaci mirificè effectum eſt, notum & valdè peruulgatum in Hiſpania, multiq;, qui meminerint, ſuperſunt. Inuaſerat virginẽ horribilis & deformiſſima paralyſis, tanta neruorum diſſolutione & membrorum luxatione, brachiis, cruribuſq; diſtortis, totoq; corpore conuulſo, vt non iam mulier, ſed monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil vnquam tale vidiſſe profiterentur; accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera grauiſſimè affligebatur: Ea igitur ad beati Didaci corpus delata, cùm in eius interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret; voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione & deprauatione, omniq; corporis infirmitate eſt liberata, quæ tanti accepti beneficii non ingrata Deo Virginitatem ſuam vouit, & ſacrarum Virginum Collegio adiuncta in Monaſterio ſancti Ioannis, quod à Pœnitentia nominatur, ſanctè & religioſè vitam duxit. XII.

Sed quod in Principe Carolo, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio diuinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps, anno humanæ ſalutis M.D.LXII. qui cum è ſcalis decidiſſet, grauiſſimum ex eo caſu, & prolapſione in capite vulnus acceperat: omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humana induſtria præſtari poterant, vt in tanto Principe par erat: ſed cum nihil humanum proficeret, morbuſq; magis ſemper ingraueſceret, iamq; eius grauitati natura ſuccumberet; Medici, Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idq; Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adiumenti ſpes defeciſſet, ad diuinum, quod vnum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaq; deuotionis ardore ſuccenſi à Fratribus ſuis, beati Didaci corpus decenter & religioſè in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos fere centum integrum & incorruptum: quod, cum Princeps beati Viri patrocinio ſe commendans, deuote tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete beatum Didacum ante lectum ſtantem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo vt eſſet, & in Deo confideret; fore enim vt ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimum tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed paulo poſt ex omni illo vitæ diſcrimine diuinis, ac ſupra naturam adiumentis tam mirabiliter eſt ereptus, vt digitum Dei per merita beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent. Sed præter cæteros Princeps ipſe, & Philippus pater, incredibili lætitia tanquam redíuiui filii affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri. XIII.

Qua hora Carolus Princeps moriturus dicebatur, eadem reualere cœpit.

Postulatur a Rege patre & filio S. Didacus canonizari

Itaqve pius Rex cum chariſſimi & primogeniti filii vitam, ſummæ Dei clementiæ per merita & preces beati Didaci ferret acceptam, cuperetq; quacunque ratione poſſet gratiam aliquam Deo in ſancto ſuo referre; anno inſequenti ad fel. rec. Pium IV. prędeceſſorem noſtrum, vna cum Principe filio, & cuncta fere Hiſpania literas dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, vt pro ſua, & ſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate, beatum Didacum tam excellenti ſanctitate virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab vniuerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret. Tam deuotis, iteratiſq; Catholici Regis, aliorumq; poſtulationibus permotus idẽ Pius prædeceſſor, de iis in Conſiſtorio ſuo ſecreto referri iuſſit, & quinq; Cardinales conſilio, & doctrina præſtantes delegit, qui eiuſmodi permagni momenti negotio præeſſent, inter quos vnus fuit Cardinalis Alexandrinus, cuius memoria in benedictione eſt, qui poſtea Pontifex factus Pius eius nominis Quintus eſt appellatus. Res ſuo Ordine agi cœpta eſt ſub Pio Quarto litteris in Hiſpaniam tranſmiſſis, ad teſtes ex formula examinandos, actaq; rite conficienda. Cumq; ipſe Pius Quartus è vita migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recor. Pium Quintum, & Gregorium Decimumtertium itidem prædeceſſores noſtros ſedulo: ſed Deo ita diſponente, quamuis pleraq; ſuperioribus annis ſint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atq; abſolui non potuit. Cum primum igitur humilitas noſtra non noſtris meritis, ſed diuinæ clementiæ abundantia, in excelſa Apoſtolicæ ſolicitudinis ſpecula, his difficillimis temporibus eſt conſtituta, ſtatim idem Philippus Rex nulla ex parte reſtincto aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Oliuares ſuum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam oratorem, magnopere ſupplicandum curauit, vt poſteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & proceſſum beati Didaci pertinebant, ex huius ſanctæ Sedis præſcripto confecta erant, Nos, quibus vniuerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos eius rei iudicium pertineret; tam pio & tam ab eius Maieſtate totaq; Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodem beato Didaco Sanctorum catalogo adſcribendo, ſupremam manum imponere vellemus. Et nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium, & perſeuerantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus eius piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, ſatisfacere: tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tam graui nulla præpropera feſtinatione vtendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex maiorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione diligentiſſime agenda eſſe. Itaq; duobus antiquioribus cauſarum Palatii noſtri Auditoribus, doctrina & rerum vſu præſtantibus, ipſis fere primis Pontificatus noſtri diebus mandauimus, vt acta omnia totumq; proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent & examinarent, quo illi in munere menſes complures ſedulo accurateque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamq; ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio Quarto huic negotio olim præpoſiti viam eſſent vniuerſæ carnis ingreſſi; Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum loco ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus; vt in graui cauſa, prudenti multorum grauium virorum iudicio adhibito, cuncta exquiſitius diſcuterentur. Hi verò fuere more maiorum, ex tribus ordinibus delecti Venerabiles Fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Præneſtinus Columna, & dilecti filii noſtri Frater Michaël ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam Alexandrinus, Iulius Antonius ſancti Bartholomæi in Inſula ſanctæ Seuerinæ, Antonius SS. Ioan. & Pauli Carafa, Frater Conſtantius ſancti Petri in Monte aureo titulorum presbyteri Sarnanus, Ferdinandus ſanctæ Mariæ in via lata de Medicis, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Matthæius nuncupati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quibus commiſimus, vt pro rei grauitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori, & nobis quoque in eiuſmodi publico munere obeundo à primariis Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, & miraculis beati Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quanta maxima fieri poſſet diligentia inſpicerent & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent; vt diuina Spiritus ſancti gratia illuſtrati, de ipſorum & cæterorum Fratrum noſtrorum conſilio, quę Dei glorię, qui Iuſtitia & Veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus. XIV.

Acta omnia diligenter examinantur ad canonizationem.

In fidem, vitã, mores & miracula S. Didaci delegati ſeriò inquirunt.

Multis

Multis igitur elapſis menſibus, cum interea Cardinales ipſi frequenter congregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeriem, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum matur è & accurate conſiderarent, examinarent, atque inter ſe conferrent, viros etiam ſacræ Theologiæ & Pontificij iuris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent, cum iam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum Conſiſtorium de more conuocari iuſſimus, in quo Venerabilis Frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, graui & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit; Quandoquidem B. Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optime eſſent comprobata, ſe & collegas ſuos vnanimes in eam ſententiam veniſſe (ſi ita nobis videretur) vlterius nos progredi, & beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere: quorum cum ſententiæ etiam exteri Fratres noſtri Cardinales, cum à ſingulis graues ſententiæ dictæ eſſent, ad vnum omnes conſenſerunt. Quæ cum audiremus, gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod beati ſerui ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicente tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto, pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque maiorum decreuimus, vt ad vlteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpoſitis publicum Conſiſtorium indiximus, in quo, præter Cardinales, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompeius Arigonius Romanus, Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Aduocatus, diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis, & miraculis B. Didaci; & denique Catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, vt eundem B. Didacum tantis meritis illuſtrem Sanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicauit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cuius manu cor Regis eſt, & quocunque voluerit, inclinat illud. Etenim plane videbamus, non ſine diuino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum grauiſſima adminiſtratio à Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc B. Didaci negotio abſoluendo verſaretur, vt in magnis temporum difficultatibus ſe ſuaque regna apud Deum noui patroni ſuffragiis & pie, & prudenter communiret: quare reſpondimus, Philippi Regis Catholici de beato Didaco, noſtra & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo tam diuturnam & perſeuerantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari eius pietate, dignam perpetuo Catholicæ Religionis propagandæ ſtudio, lætari nos & Deo gratias agere, quod beatos ſeruos ſuos, quos in cælis coronat, à noſtra quoque tenuitate in terris honorari velit, eoſque nobis ad auxilium & exemplum proponat.

Conſiſtorium publicum omnium Prælatorum agitatur.

Habes eum in Hiſtoria Seraphica S. Franciſci, per Henricum Sedulium inter Acta S. Didaci.

Pro. 21. 1.

Decreuit Pontifex canonizandum eſſe.

XV. Et nos quidem ad pium eius deſiderium explendum propenſiores eſſe, facere tamen rei grauiſſimæ magnitudinem vt de Regia petitione adhuc cum Fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis etiam atque etiam deliberandum cenſeremus: quare eoſdem Fratres hortati ſumus, vt omnia, quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſime conſiderarent, quodque nos ipſi iam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, vt corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui gloriam & Eccleſiæ vtilitatem diſponeret & dirigeret. Hæc cum eſſent acta alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana curia præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe iuſſimus. Tum nos ipſi de ſacroſancta huius Apoſtolicæ Sedis, in qua Dei prouidentia ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſſiſtentia à Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſſa, vſque ad conſummationem ſæculi perpetuo affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſſimum requirere videbatur. Demum à Fratribus noſtris petiuimus, vt quoniam alias ſtatutum eſſet, vt ad vlteriora in hoc negotio procederetur, nunc præciſe & expreſſe dicerent, an ex iis actis, quæ ipſi viderant, & audiuerant, beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus primum, deinde à Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis pie, grauiter & erudite ſententiis dictis, omnes vnanimes idipſum ſentientes dixerunt, ſibi videri ex iis quæ mature ipſi hac de re viderant, & audiuerant, beatum Didacum à nobis merito inter Sanctos eſſe adſcribendum. Deo autem, qui in domo ſua fratres in vnum habitare facit, gratias agentes de tanta Fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſeruum & amicum ſuum, quantum nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret, cum per eius gratiam huc uſque omnia rite, atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad ſextum Nonas Iulij, quo die memoria Viſitationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth pie ab Eccleſia recolitur, vt eiuſdem humani generis Aduocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſpere, & ſalutariter à nobis abſolueretur. Fratres interea noſtros hortati ſumus, vt intermedio tempore vna nobiſcum precibus, eleemoſynis (quas nos & libenter & pie erogauimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) ieiuniis, ſacrificiis Dei auxilium inuocare non ceſſarent. Vt igitur feſtus Viſitationis dies, id eſt, hodiernus, cum adueniſſet: Nos & Fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtra Pontificia Capella Hymno, Aue maris ſtella, cantorumque choro proſequente, vt ipſa, quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret, & præluceret, cæteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & officialibus, familiaribuſque noſtris, ac vniuerſo regulari & ſæculari clero longo deuotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in eius honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor Sanctorum, è Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cuius medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaque templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaque ſpiritalibus canticis perſonabant. funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appenſa, in quibus beati viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtra Crucem inuictiſſimam gerit & intuetur, cuius nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum, & diabolum ſuperauit. Hic nos in maxima fidelis populi, totiuſque adſtantis cleri frequentia, cæleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quandam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lachrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare orauimus, mox in ſublimi Apoſtolico Throno conſidentes. Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus: tum dilectus filius noſter Petrus tituli ſancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Deca Hiſpanus, Catholici Regis Philippi totiuſque Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum, & tertio ſuppliciter & inſtantiſſimè à nobis petiit, vt beatum Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus, noſque ad ſingulas eius petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta interualla, noſtras totiuſque cleri & populi orationes, litanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum, cum iam nihil omnino ex his, quæ à maioribus pie, ſancteque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, immo potius matura deliberatio, ſummaque diligentia abundantius adhibita, inuocato Sancto creatore Spiritu, cuius conſilio & ſapientia, ſancta Eccleſia, columna & firmamentum veritatis regitur, eiuſque numen ſæpe à nobis ex intimo corde multis etiam lachrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes, ad honorem ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad exultationem ſupernæ & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem ſanctæ Trinitatis, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exi-

Dies canonizationi præſcripta.

Supplicatio publica cum cereis ardentibus.

Imago S. Didaci dextra coronam B. Mariæ, ſiniſtra crucem tenentis.

[Refertur inter Sanctos.] ſtentium conſilio,& vnanimi conſenſu,beatum Fratrem Didacum de ſancto Nicolao Prouinciæ Bæticæ Hiſpanum, Ordinem Minorum ſancti Franciſci expreſſe profeſſum ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum eiuſdem Ordinis,de cuius fidei puritate excellentia vitæ , & miraculorum in vita & poſt mortem claritate nobis pleniſſime conſtat,in Sanctorum Confeſſorum numerum,& catalogum adſcribendum eſſe decreuimus,& adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus,eumque vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes,vt [Feſtum eius annue celebrandum.] ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet,die XII. Nouembris feſtum ipſius,& officium, ſicuti pro vno Sancto confeſſore tantum, ad formam in rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuote celebretur , quodque in eius honorem Eccleſiæ & Altaria in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint, eademque auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confeſſis,qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam oppidi Complutenſis Toletanę [Indulgētiæ datæ,quæ in aliis feſtis Fratrum Minorum.] Diœceſis vbi ipſius corpus requieſcit,necnon Altaria & Eccleſias,quæ in eius honorem conſtructæ erunt, deuote viſitauerint,eaſdem Indulgentias, priuilegia,& gratias conceſſimus & elargiti ſumus , quemadmodum concedimus. & elargimur,quæ cæteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

Qvibvs omnibus,quæ ad ſancti Didaci canonizationem pertinebant,abſolutis, ac laudis & gratiarum actionis,Hymno Deo decantato,eiuſque auxilio per beati Didaci preces peculiari oratione,quam nos clara voce pronunciauimus,implorato,tandem eodem in loco & Altari Miſſam ſolemnem de Beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione, cum beati Didaci commemoratione nos ipſi celebrauimus,fidelibuſque , qui tam piæ & religioſæ actioni,& ſacroſancto Sacrificio deuote interfuerant , ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem , plenariam Indulgentiam conceſſimus. XVI.

Omnes igitur Deum cæli benedicamus , & coram omnibus viuentibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam,agnoſcamuſque non ſine magna Dei prouidentia factum eſſe,& hiſce afflictis Chriſtianæ Reipubl. temporibus,quibus maxime multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus , nouus hic ſuffragator & patronus fideli populo tribueretur. Et nos quoque,qui in hac paſtorali ſtatione,in qua nos Deus collocauit, de vniuerſi gregis Domini ſalute anxij dies noctéſque peruigilamus,Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus,qui poſt tot annos,poſt tot Beatiſſimos Pontifices, prędeceſſores noſtros,nobis humilibus huius magni operis abſolutionem reſeruauerit,qui cum Sancto ſuo eiuſdem Seraphicæ religionis communione conſociati ſumus. Quamobrem eundem Patrē miſericordiarum,qui humiles exaltat,humiliter deprecemur,vt per merita & interceſſionem ſancti Didaci Eccleſiæ ſuæ pacem,& tranquillitatem,regibus & Principibus Chriſtianis vnionem,vitam & felicitatem,miſeris,& obcæcatis Hæreticis lucem Catholicæ veritatis largiatur. Cæterum quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca,vbi opus eſſet,deferri; volumus,vt earum tranſſumptis etiam impreſſis manu publici Notarij ſubſcriptis,& ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem,quæ ipſis præſentibus, fides vbique adhibeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum,decreti,adſcriptionis,mandati,ſtatuti,conceſſionis,elargitionis,& voluntatis infringere,vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum,Anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXXXVIII. Sexto Non. Iulij, Pontificatus Noſtri anno quarto. XVIII.

M. Antonij Cardinalis Columnæ Epiſcopi Praeneſtini Relationem de vita & miraculis S. Didaci factam coram Sixto V. Pontifice & Cardinalium Collegio in Conſiſtorio ſecreto xx. Iunij anno M.D.LXXXVIII. inter Acta S. Didaci in hiſtoria Seraphica S. Franciſci per Henricum Sedulium, offendes.

An. 300.

MARTYRIVM SS. ANTONII PRESBYTERI, ZEBINAE, GERMANI, ET ENNATHAE VIRGINIS, EX HISTORIA ECCLESIASTICA EVSEBij Lib.8.cap.19 interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.

[13. Nov. Baron. an. 307 *Maximianus. Galarius (perperam teſte Baronio Maximinus) ſæuit in Chriſtianos iubet delubra idolorū reſtaurari, & ſacrificare Chriſtianos.]

Simvlatqve iam multis.tamque egregiis magnanimorum Chriſti martyrum facinoribus ingens perſecutionis æſtus deferbuerat,& velut ſacro illorum cruore flamma eius extincta erat,& iam remiſſio ac libertas confeſſoribus ex Thebaide,qui metallorum in eo loco naſcentium laboribus oppreſſi fuerāt, conceſſa,& nos Chriſtiani tanquam pulchra quadam pacis ſerenitate noſipſos eramus iam recreaturi; deintegrò certe ipſe.penes quem perſequendi poteſtas erat,neſcio quo pacto,quaue animi commotione rurſus contra Chriſtianos mire inflammatur. Proinde ex improuiſo *Maximini litteræ contra nos vbique in ſingulas prouincias miſſæ fuerunt. Vnde præſides & ſummus dux totius Imperatoris exercitus,tribulis epiſtolis & publicis edictis,ciuitatis cuiuſque curatoribus vna cum Præfectis præſidiorum & tabellariis præcipiunt, vt edictum Imperatoris ad exitū perducere maturent:mandantque,vt cum omni celeritate idolorum delubra,quæ ceciderant , reficerent & deruta ædificarent:quin etiam efficerent,vt omnes omnino viri cum vxoribus,famulis & pueris,matrum vbera adhuc ſugentibus,immolarent, libamina afferrent,& ipſa ſacrificia re ipſa degustarent , & cibaria in foro venalia, impuris ſacrificiorum libationibus contaminarentur,& pro foribus denique balnearum quidam quaſi cuſtodes conſtituerentur,vti qui in his ſordibus eſſent abluti,poſt ſceleſtis & nefariis illis victimis ſe inquinarent. I.

Qvibvs rebus ad hunc modum confectis,cum noſtri deintegro, vt veriſimile erat,maximis curis & mœrore tenerentur implicati,& gentiles ipſi de intolerabili & nimia horum ſcelerum abſurditate admodum conquererentur, (Nam iſta illis nimium faſtidij,nimiumque importunitatis complecti viſa ſunt) & calamitoſiſſima tempeſtas paſſim omnibus impenderet,diuina Seruatoris noſtri virtus & potentia his athletis tantam denuo animi iniecit fidentiam, & quaſi cælitus inſpirauit,vt cum nemo illos vi impelleret,raperetque ad fidei ſuæ confeſſionem,vltro offerrent ſeſe, & omnes eiuſmodi terrores ac minas ſtrenue protererent,& tanquam pedibus prorſus conculcarent. II.

[Chriſtianorū quorundam inſignis libertas & fortitudo.] Idcirco tres ex fidelibus ſimul vno animorum conſenſu,contra Præſidem immolantem inſiliunt,& alta voce, tali errore atque amentia deſiſtere, hortantur. Nam non alium eſſe Deum,præter eum qui omnium rerum effector & architectus eſt,aſſerunt. Rogati ergo,quinam eſſent, Chriſtianos ſe audacter confitentur. Qua de cauſa Firmilianus acrius & vehementius concitatus,abſque vllo alio ſupplicij genere capite mulctandos tradidit. Quorum vnus presbyter erat,nomine Antonius:alter Zebinas vocabatur,ex ciuitate Eleutheropoli prognatus : tertio Germanus nomen [Cæduntur capite.] fuit. Decimotertio die menſis,qui Dius dicitur,id eſt, Idibus Nouembris,hæc de iſtis acta ſunt. III.

[Ennathas virgo ad iudicem trahitur Cruciatur.] Eodem die mulier quædam Ennathas nomine,ex vrbe Scythopoli orta, virginitatis quaſi coronis pulchre adornata, vna cum illis martyribus eo acceſſit : quæ non vltro ſe obtulit, vt illi,ſed vi tracta fuit,& ad iudicem adducta. Idcirco poſt verbera & graues contumelioſoſque cruciatus,quos iudex ei infligendos curauerat, tribunus quidam,qui illic in proximo magiſtratum gerebat,appellatus Maxys,homo non tam nomine,quam tota vitæ ratione nequam,& vt aliis rebus ſceleſtus & perditus, ita tum corporis viribus ſupra modum robuſtus , tum moribus ferus & crudelis; IV.

tum

tum apud omnes, qui illum notant, infamia & dedecore notatus, abſque authoritate maioris poteſtatis, hanc beatam virginem aggreditur, eamque omni veſtitu vſque eo exuit, vt corpus à lumbis ſolum ad pedes contegeretur, reliquum autem nudum exiſteret. Hanc per vniuerſam ciuitatem Cæſaream vndique circunduxit, loriſque per totum forum & publicas plateas tractam, non ſine quadam animi ſui oblectatione verberauit. Quam poſt tot cruciatus, cum conſtantiſſimam animi firmitudinem pro tribunali, vbi Præfectus conſidere ſolebat, in fide tuenda oſtendiſſet, iudex viuam igne cremandam tradidit.

Crudeliter flagellatur.

V. Iste igitur immanitate longius progrediens, & rabiem prope belluinam contra pios in dies adaugens, adeo extra naturæ leges penitus egreſſus eſt, vt inanimis ſanctorum virorum corporibus ſepulturam impudens inuideret: & propterea cadauera ſub dio, vt à beſtiis dilaniarentur, noctu aſſidue & interdiu ſeruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum ſpatio, huic immani & barbaro mandato inſeruientium, cernere licebat. Quinetiam alij ex ſpecula & loco edito, tanquam operæprecium facturi, ne cadauera ſurriperentur, ſedulo obſeruabant. Itaque agreſtes beſtiæ, canes & aues carniuoræ membra diſcerpſerunt humana, eaque huc illuc diſperſerunt: & tota ciuitas vndique viſceribus oſſibuſque hominum conſtrata fuit, adeo, vt illis ipſis, qui ante fuiſſent infeſto animo in nos affecti, nihil vnquam crudelius, nihil adſpectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem, in quos hæc admiſſa erant, quam cum ſuam ipſorum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculũ enim humanarum carnium, non vno loco deuoratarum, ſed vbique miſere diſiectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemque Tragœdiæ ſpeciem longe ſuperat) prope ciuitatis portas cuiuſque oculis ſubiectum fuit. Nonnulli autem membra, cadauera integra, & viſcerum partes etiam intra portas ſe vidiſſe dixerunt.

Ignibus eõ crematur.

Horrendũ ſpectaculũ.

VI. Dvm permultis diebus iſta gerebantur, tale quoddam miraculum accidit. Cum clara eſſet ſerenitas, & aër pulchre ſplendeſceret, totiuſque cæli omnia ſuo complexu ambientis ſumma extaret tranquillitas, derepente columnæ ciuitatis, quæ publicas & communes porticus ſuſtentabant, multas veluti lachrymarum guttas quodammodo ex ſe profuderunt. Forum item & plateæ, nulla pluuiæ gutta ex aëre decidente, neſcio vnde, quove modo, aqua adſperſæ maduerunt: ſic vt ilico rumor per omnium ora volitaret, terram, vtpote rerum id temporis geſtarum ſcelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione, lachrymarum vim ex ſe fundere, & lapides naturamque inanimam nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque ab omni affectione vacuam, iuſta reprehenſione coargueret. Verum nugæ & fabulæ, prope dixerim, hæc quidem oratio poſteritati fortaſſe videbitur: non tamen his, qui eo ipſo tempore præſentes, de rei veritate ſatis perſuaſi fuerunt.

Admiranda prodigia.

DE S. *METRIA MARTYRE, VT AIT VSVARDVS: QVEM TAMEN GREGORIVS TVRONENSIS HABET INTER CONFESSORES (SI MODO IS IDEM EST) *cap. 71 de gloria Confeſſorum: vnde ea, quæ ſequuntur, deſcripſimus.*

*al. Metrio & Metra.

I. AQVENSIBVS eſt conceſſus inclytus athleta Metrias, vir in corpore, iuxta hiſtoriam actionis, magnificæ ſanctitatis: & licet *ditione ſeruus, liber tamen iuſtitia: qui, vt ferunt legentes certaminis eius textum, peracto curſu beati operis, à ſeculo victor abſceſſit, ſæpius, ſe in cælis degere, virtutibus manifeſtis oſtendens. Tempore igitur quodam, cum Franco Epiſcopus huius municipij Eccleſiam gubernaret, Childericus, qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur, villam eius competit, dicens, quia iniuſte ab Aquenſi Eccleſia retineretur: & dicto citius conuenitur Epiſcopus, datiſque fideiuſſoribus, in præſentia Regis aſſiſtit, clamans & obtеſtans, vt Rex ad huius cauſæ audientiam, præſentiam ſuam auerteret, ne cæleſti iudicio condemnetur, addens: Scio enim virtutem Metriæ viri beati, quod velociter in peruaſorem ſuum irrogat vltionem. Denique coniuncti *auditores, cauſam diſcutiunt. Inſurgit Childericus, atque improperans, criminibus exacerbatum Epiſcopum, quod res fiſci ditionibus debitas, iniquo ordine retineret, extrahi eum vi à iudicio iubet, & *tandem ablata per iudicium præſentium villa, trecentis aureis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quiſquam contra voluntatem eius audebat decernere, niſi quod eidem libuiſſet.

13. Nov. for. *conditione.

Franco Epiſcopus Aquenſis

*adiutores.

*tantum.

II. Denique condemnatus ſpoliatuſque ſacerdos, ad vrbem rediit, atque proſtratus in orationem coram ſepulcro ſancti, dictu Pſalmi capitello ait: Non hic accendetur lumen, neque pſalmorum modulatio canetur, glorioſiſſime ſancte, niſi prius vlciſcaris ſeruos tuos de inimicis ſuis, reſque tibi violenter ablatas, Eccleſiæ ſanctæ reſtituas. Hæc cum lachrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum proiecit: egreſſuſque clauſis oſtiis, ſimiliter in ingreſſu alias collocauit. Nec mora: corripitur peruaſor à febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, faſtidit & potum, profert æſtuans iuge ſuſpirium. Cui etiamſi ab ardore febris, interdum ſitis accederet, aquam tantum, nihil aliud, hauriebat. Quid plura? in hac ægrotatione integrum ducit annum, ſed mens praua non flectitur. Interea labitur cæſaries cuncta cum barba, & ita omne caput remanſit nudum, vt putares eum olim ſepultum, nuper eiectum fuiſſe poſt funera de ſepulcro. His & talibus miſer afflictus malis, ſero recogitat dicens: Peccaui, eo quod expoliauerim Eccleſiam Dei, atque Epiſcopo ſanctu intulerim iniuriam. Nunc autem ite quantocyus, & reddita villa, ſexcentos aureos ſuper tumulum ſancti deponite. Eſt enim mihi ſpes, quod res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines eius, accepta pecunia, fecerunt ſicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, ſolidoſque ſuper ſepulcrum ſerui Dei poſuerunt. Sed cum hoc feciſſent, ſtatim ille in loco, quo erat, ſpiritum exhalauit, lucratuſque eſt detrimentum animæ per adeptionem acquiſitionis iniquæ. Epiſcopus autem obtinuit vltionem de inimico Eccleſiæ, quam promiſerat futuram per athletæ Dei virtutem.

Epiſcopus S. Metriam orat, vt res Eccleſiæ ſuæ erepta reſtituatur.

Nota terribile Dei iudicium in vſurpatorẽ rerum Eccleſiaſticarũ.

VITA S. *BRICTII IV. EPISCOPI TVRONENSIS, ET CONFESSORIS, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, HIST. FRANCORVM LIB. 2 CAP. 1.

An. 400. *al. Britij. 13 Nov.

I. POST exceſſum beati Martini, Turonicæ ciuitatis Epiſcopi ſummi & incomparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Brictius ad Epiſcopatum ſuccedit. At vero hic Brictius, cum eſſet primæuæ ætatis iuuenis, ſancto adhuc Martino viuenti in corpore, multas tendebat inſidias, pro eo quod ab eodem plerunque, cur vanas res ſequeretur, arguebatur. Quadam enim die, dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret, Brictium adhuc Diaconum in platea conuenit. Cui ſimpliciter ait: Ecce ego præſtolor beatum virum, & neſcio vbi ſit, vel quid operis agat. Cui Brictius: Si, inquit, delirum illum quæris, proſpice eminus. Ecce, cælum ſolito ſicut amens reſpicit. Cumque pauper ille à beato Martino, quod petierat impetraſſet, Brictium Diaconum vir beatus alloquitur: Num ego, Bricti, delirus tibi videor? Cumque ille confuſus hæc audiens, dixiſſe ſe denegaret, ait vir ſanctus: Nonne aures meæ ad os tuum erant, cum hæc eminus loquebaris? Amen *dico tibi, quia obtinui apud Deum, vt poſt me ad Pontificatus honorem accedas. Sed noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurum. Brictius hæc audiens: Nonne verum, inquit, dixi, iſtum delira verba proferre? Sed & presbyterij honore præditus, ſæpius beatum virum conuiciis laceſſiuit. Adeptus ergo, conſentientibus ciuibus, Pontificatus officium, orationi vacat: quia quanquam eſſet ſuperbus & vanus, caſtus tamen habebatur corpore.

Brictius ſuccedit S. Martino, anno Arcadij & Honorij ſecũdo, eodẽ Greg. Turonenſ. l. 10. c. 31 auctore, qui fuit Chriſti 396. teſte Baron.

*a S. Martino obtinui precibus ſuis vt in Epiſcopatum ei ſuccederet

II. Trigesimo tertio vero ordinationis eius anno, oritur contra eum lamentabilis cauſa pro crimine. Nam mulier

Vide Greg. Turonenſ. lib. 10 ca. 31. Falſo ei affingitur crimen, quod non admiſerat. * ſinit. * oſculando. a Infans loquitur. b S. Brictius fert prunas ardẽtes panno illæſo. c Eiicitur à ſede ſua. d Ann. 432. teſte Baron. Conſuetũ ſe autẽ Gallicanos Epiſcopos ad Apoſtolicã ſedem appellare, docet S. Leo Epiſt. 89. e Turonici primo Iuſtinianum, deinde Armẽtium in eius locum ſubſtituunt. f Redit ad ſedem ſuam. An. 500. XIV ſcilicet.

lier, ad quam cubicularij eius veſtimenta deferebant abluenda, quæ ſub ſpecie religionis erat, veſte mutata, concepit & peperit. Qua de re ſurrexit omnis populus Turonorum in ira, & totum crimen ſuper Epiſcopum referunt, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim ei: Pietas ſancti tuam celauit luxuriam. Nec Deus * ſignat, manus tuas indignas * oſculando, pollui. Illo quoque è contrario viriliter hæc negante: Afferte, inquit, infantem ad me. Cumque oblatus fuiſſet infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Epiſcopus: Adiuro te per Ieſum Chriſtum filium Dei omnipotentis, vt ſi ego generaui te, coram cunctis edicas. Et ille: Non [a] es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus, vt, quis eſſet pater, interrogaret, ait Sacerdos: Non eſt hoc meum. Quod ad me pertinuit, ſolicitus fui. Vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos requirite. Tunc illi magicis artibus hæc facta aſſeuerantes, inſurgunt contra eum in vna conſpiratione: & trahentes eum, dicebant: Non diutius nobis falſo paſtoris nomine dominaberis. Ille [b] autem ad ſatisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrum ſuum poſuit. Et ad ſe ſtringens, vſque ad ſepulcrum beati Martini vna cum populorum turbis accedit: proiectiſque ante ſepulcrum prunis veſtimentum inuſtum apparuit, illo ſic proſequente: Sicut iſtud veſtimentum ab his ignibus videtis illæſum, ita & corpus meum à tactu mulieris eſt impollutum. Illis vero non credentibus, ſed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eiicitur, vt ſermo ſancti adimpleretur: Noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurum. Hoc [c] autem eiecto, Iuſtinianum in Epiſcopum conſtituunt.

DENIQVE [d] Brictius Romanæ vrbis Papam expetiit, flens, eiulans, atque dicens: Merito hæc patior, quia peccaui III.
in ſanctum Dei, & eum delirum & amentem ſæpe vocaui, cuius videns virtutes nõ credidi. Poſt cuius diſceſſum aiunt Turonici Sacerdoti ſuo: Vade poſt eum, & exerce negocium tuum: quia ſi eum non perſecutus fueris, ad noſtrum omnium contemptum humiliaberis. Iuſtinianus [e] vero egreſſus Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem ingreſſus, iudicio Dei percuſſus, obiit peregrinus. Turonici eius obitum audientes: & in ſua malitia perdurantes, Armentium in eius loco conſtituunt. At Brictius Epiſcopus Romam veniens, cuncta, quæ pertulerat, Papæ refert. Et ad ſedem Apoſtolicam reſidens, plerunque Miſſarum ſolennia celebrauit ibi, quicquid in ſanctum Dei deliquerat, deflens. Septimo igitur anno egreſſus Roma, cum authoritate Papæ illius Turonos redire diſpoſuit: & veniens ad vicum, cui nomen eſt Laudiaco, ſexto ab vrbe Turonica milliario, manſionem accepit. Armentius vero febre corripitur: media autem nocte ſpiritum exhalauit. Quod protinus Brictio Epiſcopo per viſum reuelatum eſt. Qui ait ſuis: Surgite velocius, vt ad tumulandum fratrem noſtrum Turonicum pontificem occurramus. Cumque illi venientes portam ciuitatis ingrederentur, ecce iſtum per aliam portam mortuum efferebant. Quo ſepulto, Brictius [f] Epiſcopus in cathedram ſuam regreſſus eſt, ſeptem feliciter poſtea viuens annos. Cui poſt quadraginta ſeptem Epiſcopatus annos defuncto, ſanctus Euſtochius ſucceſſit, magnificæ ſanctitatis vir.

S. Brictum ferunt inſtituiſſe Eccleſias per vices, id eſt, Calatonnum, Briccam, Rotomagum, Brisreidem, & Caironem. Sepultus eſt in baſilica, quam ſuper S. Martinum ædificauit, vt habet idem Greg lib. 10. cap. 31.

VITA S. QVINTIANI PRIMO RVTHENÆ, DEINDE ARVERNÆ CIVITATIS † EPISCOPI: AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, DE VITA PATRVM CAP. IV.

Nov. 13. Galat. 5. a Domanda libido. Vita ſanctorum contẽplanda.

OMNIS, qui ſe terrenæ materiæ corpus ferre cognoſcit, cogitare debet, ne in his deuoluatur, quæ terrena & carnis huius amica eſſe noſcuntur: quia, iuxta Apoſtolum Paulum, manifeſta ſunt opera carnis, plena immunditia & iniquitate, pollutum enim & fœtidum hominem, qui ea ſectatus fuerit, reddunt, atque ad extremum fletibus deputant ſempiternis. Fructus autem Spiritus eſt omne, quod in Deo pollet, ac iter, quod in hoc ſeculo mortificata carne animam exultare facit, in futuro autem gaudiis donat æternis. Vnde nos, qui nunc ſumus in corpore poſiti, adſpicere debemus, quæ operatus eſt Deus in ſanctis ſuis: in quibus tanquã ſplendido, candidoque ac lenigato meritis tabernaculo, diuerſiſque virtutum floribus adornato reſidens, extenſa dexteræ maieſtate, dignatus eſt per eos miſeratione propria perficere quæ petiſſent. ſicut nunc per beatum Quintianum; de quo ſermo futurus eſt, mentis nobilis generoſitate fulgidum, iuſtitiæ opus plerunque compleuit. Ergo non nos more peccantium carnis ſectatio ad terrena ſubmergat ac deprimat: ſed potius ſanctorum exemplis illectos, prudenter intelligentes quæ Dei ſunt, ſpiritalia nos opera ad cæleſtia ac ſempiterna ſuſtollant: neque in nobis mens ab impudicis actionibus victa luxuriet, ſed æternitatis pro meritis vendicans ſolium, victrix ſapientia regnet. I.

IGITVR beatiſſimus Quintianus Apher natione, & (vt quidam volunt) nepos Fauſti Epiſcopi, qui genitricem ſuam ſuſcitaſſe perhibetur, ſanctitate præditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo feruidus, caſtitatis flore præcipuus, ad Epiſcopatum Ruthenæ Eccleſiæ eligitur, expetitur, ordinatur. In quo Epiſcopatu amplioribus adhuc virtutibus, cum in Dei ſemper operibus creſceret, in auctam antea beati Amantij Antiſtitis baſilicam ſanctum corpus tranſtulit. ſed non fuit ſancto acceptabile hoc opus. Vnde factum eſt, vt per viſum apparens, diceret ei: Quia auſu temerario actus in pace quieſcentes viſus es amouiſſe, ecce ego remouebo te ab hac vrbe, & eris exul in regiona altera. Veruntamen non priuaberis ab honore, quo fueris. Non poſt multum vero tempus, orto inter ciues & Epiſcopum ſcandalo, Gotthos, qui tunc in antedicta vrbe morabantur, ſuſpicio attigit, quod ſe vellet Epiſcopus Francorum ditionibus ſubdere, conſilioque accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cum viro ſancto nunciatum fuiſſet, de nocte conſurgens cum fideliſſimis miniſtris ſuis, ab vrbe illa egrediens, Aruernos aduenit, ibique à ſancto † Euphraſio Epiſcopo, qui Aprunculo quondam Antiſtiti ſucceſſerat, receptus eſt, largitiſque ei tam domibus, quam agris & vineis, & ille, & qui Lugdunenſi vrbi præerant, ſumma cum diligentia eum excolebant: erat enim iam ſenex, & verus Dei cultor. II.

S. Quintianus fit Epiſcopus Ruthenenſis. Vide eundẽ Greg. Turonenſ. hiſt. Francorum l. 2. c. 36 Baron. an. 507. † Euphraſius & Aprunculus Diuionenſes Epiſcopi Aruernorum.

RECEDENTE autem ab hoc mundo ſancto Euphraſio, Apollinaris, tribus menſibus ſacerdotio ſubminiſtrato, migrauit. Cum autem hæc Theodorico Regi nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ, dicens: Hic ob noſtri amoris zelum ab vrbe ſua eiectus eſt. Denique cum ſanctus Quintianus in antedicta vrbe potiretur Epiſcopatu, Proculus quidam ex ærario presbyter ordinatus, multas ei iniurias intulit omnemque poteſtatem illi de rebus Eccleſiæ auferens, vix ei & ſatis tenuem quotidianum victum miniſtrari præcepit: ſed per eius orationem à ciuibus correptus eſt prudentioribus, reſtituta ei omni poteſtate, & ab eo illius remotis inſidiis. Antedictus tamen ſacerdos non immemor iniuriæ, ſicut quondam Paulus Apoſtolus de Alexandro, ita & hic de Proculo decantabat, dicens: Proculus ærarius multa mala mihi fecit: reddet illi Dominus ſecundum opera ſua. Quod in poſterum ei eueniſſe manifeſtum eſt. Erat autem vir beatus in oratione aſſiduus, & intantum amator populi ſui, vt adueniente Theodorico, ac vallante cum exercitu vrbem, ſanctus Dei muros per noctem pſallendo circuiret, & vt regioni vel populo Dominus velociter ſuccurrere dignaretur, afflictus in ieiuniis atque vigiliis, inſtanter oraret. Porro Theodoricus Rex, cum cogitaret etiam muros vrbis euertere, mollitus eſt miſericordia Domini, & oratione ſacerdotis eius, quem in exilium retrudere cogitabat. Nam nocte pauore perterritus, de ſtratu ſuo exilit, ac ſolus per viam publicam fugere nititur; perdiderat enim ſenſum, neſciens quid ageret. Quod aduertentes ſui, eumque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes vt ſe ſigno ſalutari muniret. III.

Item Apollinaris. S. Quintianus ei ſuccedit. Baron. an. 514. 2. Tim. 4. Theodoricus rex punitur dum ei exilium ſtatuerat.

Tunc Hilpingus Dux accedens propius ad Regem, ait: Audi glorioſiſſime Rex, conſilium paruitatis meæ. Ecce muri ciuitatis iſtius fortiſſimi ſunt, eamque ſe propugnacula ingentia vallant: Quod vt plenius magnificentia veſtra cognoſcat, de ſanctis, quorum baſilicæ muros vrbis ambiunt, hæc loquor: ſed & Antiſtes loci illius, magnus apud Dominum habetur. Non facere quod cogitas, noli Epiſcopo iniuriam inferre, aut vrbem euertere. Cuius conſilium Rex clementer accipiens, præceptum poſuit, ne vllus ab octauo vrbis milliario læderetur: Quod obtentu Sacerdotis præſtitum, nullus ambigat. Tunc Proculus ille presbyter, irruptis Vrtenſis caſtri muris, ab ingredientibus hoſtibus, ante ipſum eccleſiæ altare gladiorum ictibus in fruſta diſcerptus eſt: reddiditque illi Dominus, ſicut Sacerdos cantare conſueuerat, ſecundum opera ſua. Proculus presbyter, viro Dei valde moleſtus, miſere perit.

IV. Post peractam igitur ſtragem cladis Aruernæ, Hortenſius vnus ex ſenatoribus, Comitatum vrbis illius agens, quendam de parentibus ſancti, Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri iuſſit. Quod celeriter beato viro nunciatum eſt. Tum ille per amicos ſuos cœpit rogare, vt eum data audientia ſolui iuberet. Quod ille nullatenus præſtitit. Tunc beatus ſenex deferri ſe in plateam, qua ille tenebatur, iubet. Allatus autem rogabat milites, vt eum dimitterent. Illi vero timentes, obedire auſi non ſunt Pontifici. At ſacerdos; Ad domum, inquit, Hortenſij me velociter deportate. Erat enim ſenex valde, & propriis pedibus ire non poterat. Deferentibus autem eum in domum Hortenſij miniſtris eius, excutiens in eam puluerem calceamenti ſui, ait: Maledicta ſit domus hæc, & maledicti habitatores eius in ſempiternum, fiatque deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: Et dixit omnis populus, Amen. Et adiecit, Quæſo, Domine, nunquam de iſtius generatione promoueatur quiſquam ad Epiſcopale ſacerdotium, qui Epiſcopum non exaudit. Egreſſo autem ex ea Sacerdote protinus omnes familiæ, quæ in domo illa erant, à febre corripiuntur, & parumper ingemiſcentes, ſpiritum exhalabant. Quod cum iam die tertia ageretur, videns Hortenſius ſibi nihil de ſuis ſeruis reſeruari, timens ne etiam & ipſe pariter interiret, ad ſanctum virum mœſtus ingreditur, proiectuſque ad pedes eius, cum lachrymis veniam rogat. Quam ille benigniſſime indulgens, benedictam aquam domui tranſmiſit, illaque per parietes reſperſa omnis ægritudo protinus eſt depulſa, ac magna ibi virtus apparuit. Nam & qui morbum incurrerant, ſanati ſunt: & qui ſanati erant vltra non incurrerunt. Nota diuinam vltionem. Aquæ benedictæ vis.

V In Eccleſiaſticis vero ſcripturis eruditus eſt habitus hic ſacerdos: ſed & in eleemoſynis magnificus fuit. Nam cum pauperem aliquẽ clamare cerneret, aiebat: Succurrite, quæſo ſuccurrite, & pauperi victus neceſſaria miniſtrate, ignari enim eſtis ô deſides, an forſitan ipſe ſit, qui ſe per Euangelicæ Lectionis ſeriem reficiendum in pauperibus minimis eſſe mandauit. Eiiciebat a ſe dæmonia ſe confitentia. In monaſterium vero Candidobrenſe veniens, cum energumenum quendam reperiſſet atrociter debacchantem, miſit presbyteros, vt ei manus imponerent: ſed cum eorum exorcizatione larua non fuiſſet expulſa, ſanctus Dei cominus appropinquans, immiſſis in os eius digitis, perſonam reddidit abſolutam. Multa & alia miracula vir beatus operatus eſt, & oratione facta ſæpius, quæ petiiſſet, à Domino obtinebat. Benignitas eius in pauperes. *Matth. 25.* Expellit dæmonem.

VI. Porro in territorio Aruerno quodam tempore, cum magna ſiccitas arua conſumeret, & arentibus herbis, nulla penitus iumentis pabula remanerent, & ſanctas Dei Rogationes illas, quæ ante Aſcenſionem Dominicam aguntur, deuotiſſime celebraret: die tertia, cum iam portæ ciuitatis appropinquarent, ſuggerunt ei, vt ipſe antiphonam dignaretur imponere, dicentes: Si tu, beate pontifex, deuote antiphonam impoſueris, confidimus de ſanctitate tua, quod protinus nobis Dominus pluuiam dignabitur benigna pietate largiri. At ille proſtratus ſuper cilicium ſuum, in ipſa platea diutiſſime cum fletu orauit. Exurgens autem, antiphonam, quam petebant, impoſuit. Verba autem ei ex illa Salomonicæ orationis ſerie, hæc erant: Si clauſo cælo pluuiæ non fuerint propter peccata populi, & conuerſi deprecati fuerint faciem ſuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dediſti populo tuo ad poſſidendum. Cumque pſallere deuotiſſime cœpiſſent, penetrauit excelſæ potentiæ aures humilis oratio confeſſoris: & ecce contenebratum eſt cælum, ac nubibus obtectum: & priuſquam portam vrbis attingerent, deſcendit pluuia vehemens ſuper vniuerſam terram, ita vt omnes mirarentur, ac dicerent, ad preces beati viri hoc fuiſſe largitum. Nota antiquiſſimum vſum Rogationum ante Dominı Aſcenſionem. *3 Reg. 8.* Impetrat pluuiam ſumme neceſſariam.

VII. Senvit autem ſacerdos Dei, & intantum ætate prouectus eſt, vt ſputum oris in terram proiicere non valeret: ſed adhibito labiis linteolo, in illud ſaliuas oris exponeret. Non caligauit oculus eius, nec immutatum eſt corã viro Dei: non ſepoſuit vultum pauperis, nec metuit perſonam potentis: ſed vna eademque ei fuit in omnibus ſancta libertas, vt ita ſuſciperet penulam pauperis acſi veneraretur togam inclyti ſenatoris: Obiit autem perfectus in ſanctitate, & ſepultus eſt in baſilica ſancti Stephani ad læuam altaris. Ad cuius nunc tumulum plerunque quartanæ febris melancholia compreſſa reſtinguitur. Præclara virtus eius. Felix obitus.

VITA S. MAXELLENDIS VIRGINIS ET MARTYRIS, VT HABETVR IN MS. EXEMPLARIBVS, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED FIDE DIGNA Stylum hincinde correximus, & quædam contraximus. An. 660.

I. Tempore illo, quo ſanctus Vindicianus, à S. Vedaſto octauus, Cameracenſi ſeu Attrebatenſi Eccleſiæ præſidebat, ſancta Maxellendis in eadem Cameracenſi prouincia inclytis admodum parentibus, & generis nobilitate, & ſpectata religione claris, patre Humlino, matre Amelerude, orta eſt feliciter, ſed felicius renata. Inde parentum cura diligenter enutrita, cum iam adoleuiſſet, non, vt ſolet puellaris ætas, vanis adoleſcentularum conuenticulis & confabulationibus ſeſe admiſcebat, nec lubricis implicabat moribus, ſed toto animo diuino ſe timori mancipans, quantum iuuentus ipſa patiebatur, præcepta Euangelica intra pectoris ſui penetralia complectebatur. Studio & cultui precioſarum veſtium nullo modo vacare voluit, & ornamenta muliebria prorſus reſpuit, meliorem illam animi pulchritudinem expetens, vt ei, cui ſe vouerat, per omnia placere poſſet. 13 Nov. Patria & parentes S. Maxellendis. Optima vitæ inſtitutio.

II. Fama autem illius & in propinquas & longinquas regiones ſeſe diffundente, multi eam à patre illius ſibi coniugem petiere. Sed ſciens ille filiam à coniugio abhorrere, eorum preces differebat. Erat in iis nobilis quidam infauſtus, Harduinus nomine: qui vt erat potentior cæteris, ita confidentius Humlinum & promiſſis & precibus ad aſſentiendum impellebat: nec prius deſtitit, quam voto eſſet potitus ſuo. Cumque certus eſſet ſponſalitis præſtitutus dies, lætus abſceſſit. Factum id eſt puella ignorante. Itaque poſt dies aliquot ſciſcitantur ex ea parentes, velit ne nubere viro illi, cuius ſit forma egregia, magna dignitas, multæ opes; aiuntque poſſe eam etiam in matrimonio commode ſeruire Deo. Virgo ſancta, cuius animo iam hæc & terrena omnia viluerant, petit ſibi dari ſpatium deliberandi in diem craſtinum. Interim tota nocte in preces incumbens, orat obnixe Dominum, ne ſinat vnquam corrumpi corpus ſuum, quod ſe vouiſſet ei caſtum & integrum conſeruaturam: ſed vires atque robur ſibi ſuppeditet, quo poſſit vincere aduerſarios. Deinde & Euangelicis confirmata ſententiis, & Angelica, vt aiunt, viſione animata, mane accedit parentes, eoſque ſic appellat: Decet quidem & me, & omnes diuinæ legis cultores, parentibus ſuis eum, quem par eſt, habere honorem: Deſponſatur à parentibus viro, ea ignorante.

Recuſat plane matrimoniũ.

ſed ſi quid ſiniſtrum & à via Dei alienum perſuadere velint, haudquaquam mos illis gerendus eſt, ſed Deo potius ob temperandum. Ita cum ego conſilia veſtra longe à ſalute mea diſcrepare videam, id vobis plane confirmo, me minime facturam quod hortamini. Ego enim virginitatem meam ab infantia Chriſto conſecraui. Non ergo, mi pater, cuiquã me inſcia, deſpondere me debuiſti, præſertim cum id ætatis iam attigerim, vt poſſim, quid ſit è re mea, perudere. Etu autem à vobis dictum heri eſt, poſſe me & coniugio & Deo vacare, mihi certe perabſurdum videtur, prioris ſponſi, id eſt, Chriſti redemptoris mei amori quemlibet mortalem, quantumuis potentem, anteponere. Itaque mihi protſus decretum eſt, Chriſti me adiuuante gratia, nunquam à ſancto propoſito deflectere. His dictis, non ſine parentum offenſione diſceſſum eſt.

Iam vero aderat ſponſaliorum dies, & Harduinus vltra modum nuptiis inhians, cum multa amicorum turba aduolat. Porro Humlinus in magnas coniectus anguſtias, virginem admodum reluctantem ſecum abducit ad locum, contrahendo matrimonio deſtinatum. Vbi quantum ſe & dictis & factis virgo oppoſuerit, vix explicari verbis poſſit. Iam enim quodammodo præſentiens imminere ſibi cædem, ſic coram omnibus conſtanter & intrepide locuta eſt: Video ſane, & admitor vos omnes, dum contra vnam venitis puellam, laborem multum fruſtra ſuſcipere, & prorſus inania agitare conſilia. Nam etiamſi Harduinus in ceruicem meam gladium vibret, Chriſto propitio, cui me tota deuotione commiſi, nunquam me ſponſam habebit. Hæc cum illa dixiſſet, aliis ad ſua reuertentibus, ad paternas ſe recepit ædes & deinceps plus ſolito palam ſe dedit piis operibus exercendis: vacabat ieiuniis, vigiliis, orationibus, carniſque macerationi: præſtabat eleemoſynas, refocillabat inopes, viſitabat infirmos, & cætera miſericordiæ officia exhibebat, idque tanto ardentius, quanto celerius ſe per martyrium ad Chriſtum abituram illo inſpirante, cognorat. III.

Conſtanter reiicit ſpõſum potentem & diuitem.

Eius ſancta exercitia

Interea parentes eius à quodam amico inuitati ad conuiuium, cum familia ſua eo ſe conferunt, ſola Maxellende cum nutrice eius domi relicta. Nolebat enim illa intereſſe vllis vnquam conuiuiis & lautitiis, quod ſciret multos inter conuiuas iactari ſermones parum honeſtos, immo & pernicioſos, quibus & boni mores, & ſenſus hominis facile corrumpantur. Id vbi Harduinus comperit, latatur impenſe ſe opportunum iam tempus nactum ſuæ explendæ libidinis: Adiunctis igitur ſibi aliquot ſatellitibus, properat ad ædes Humlini. Id ſentiens Maxellendis, orat Deum, vt ſe tueatur: inde nutricem hortatur, vt clauſis oſtiis, ipſam alicubi abſcondat: non quod mortem formidaret, ſed quod timeret pudicitiæ ſuæ. Paret nutrix, obſerat fores: veniunt hoſtes, non curant nutricem, eam abeſſe affirmantem, irruunt in ædes, perſcrutantur omnia, nec tamen inueniunt virginem. Iam tædio affecti recedere volunt, & ecce vnus ex illis eos retinens, ait: Si ciſtam hanc aperiatis, fortaſſis illic latitantem repetietis. Mox aperitur ciſta, virgo lugens extrahitur, & ad Harduinum adducitur: qui cum mœrentem blanditiis delinire molitetur, illa conſtanter ait: Fruſtra virulentos ingeris ſermones neque te, neque tuas minas curanti. Nulla me ratione impedire poteris, quin reddam altiſſimo, quod ei pollicita ſum. Corpus occidere potes, animam non potes. Ego vero Domini mei & animata doctrina, & promiſſionibus fidens, bona eius credo me in terra viuentium, in ſanctarum virginum contubernio iucundiſſima animi exultatione viſuram. Dixit, & totis viribus è manibus improborum ſe ſubducit: ſed fugientem ſequitur, Harduinus malitia inflammatus, ſuoque eam enſe iugulat. Felix anima, palma martyrij, quod ſemper expetiẽrat, adepta, migrat in cæleſtes beatæ patriæ manſiones. Harduinus vero vbi vidit ſanguinem è corpore virginis manantem, repente excæcatus eſt. Quod cernentes eius comites, ne ipſi quoque eaſdem darent pœnas, relicto illo, in ſua cum ignominia rediẽre.

Non vult intereſſe conuiuiis hominum.

Pſal 26.

Anno 670. occiditur ab Harduino, dum non vult ei conſentire. Vide Molan in natal Belg. Baron an. vbi ſupra.

Vbi autem cædis huius fama increbuit, parentes virginis cum multis aliis triſtes eo properant honorificas ei exequias celebrant: pleriique etiam è Clero corpus feretro impoſitum, in baſilica beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſanctique Sulpitij, quæ in proximo pago, quem Pomeriolas vocant, condita eſt, ſepulturæ mandarunt. Poſt annos tres fœmina quædam Amaltrudis nomine, vidua religioſa, quæ eam baſilicam condiderat, & illic vigiliis & precibus aſſidue vacans, non niſi ad breue tempus inde exibat: cum nocte quadam feſſa membra quieti dediſſet, è cælo lapſam audiuit vocem, ipſam admonentem, vt ad beatum Vindicianum Cameracenſem Epiſcopum eat, illumque hortetur, vt corpus ſanctæ virginis è terra leuatum, ad locum cædis eius reportet, quod Deus illic ſignis & miraculis eam illuſtrare velit. Refert illa quæ audierat, ad Epiſcopum, iſque nihil hæſitans, certo die adiunctis ſibi non paucis è Clero, & viæ religioſæ viris, quibus ſe iunxit ingẽs populi multitudo, fama rei quæ acciderat, excita, ad virginis ſepulcrum properat. Cumque eo ventum eſt, cum metu & reuerentia leuatum è tumulo corpus ſacrum, in feretro congrue præparato componitur, & cum hymnorum pſalmorumque modulatione ad locum, qui * Chaldericus dicitur, deportatur. IV.

Viſio Amaltrudis viduæ.

Sacrum corpus eius eleuatur.

al. Caudriacus: Gallicè Caudri. Eſt pagus in territorio Cameracenſi, tribus milliaribus à Cameraco diſtans, totidem à caſtro Cameraceſio, ſiue Perona, ad diſtinctionem alterius Perone, Peronella dicta.

Peruenit autem ad miſerum Harduinum, transferri corpus virginis. Itaque aſſumpto itineris duce, venit obuiam ſacro corpori, humique ſe ſternens, cum lachrymis petit veniam facinorum ſuorum, recipitque amiſſum oculorum lumen. Id cernens populus, prorumpit in laudes Dei. Porro Harduinus tanto affectus beneficio, gratias immenſas agit ſanctæ virgini, & coram omnibus palam confitetur, quemadmodum eam ipſe occiderit, & lumine orbatus ſit. Poſtquam autem in Chalderici eccleſiam venere, ſacrum corpus illic honorifice conditum eſt, & Miſſarum ſolenniis deuotiſſime celebratis, omnibuſque rite peractis, plebs dimiſſa eſt. Epiſcopus vero Clericos & religioſas fœminas illic conſtituit, vt deinceps ita, vt par erat, omni tempore debitum ibi officium perſoluerent. In quorum ſumptus neceſſarios Humlinus ſanctæ virginis pater, intra cuius ditionem hæc gerebantur, omnes facultates ſuas contulit eccleſiæ illi, eius expenſis & opera extructæ. Ei donationi adfuit Epiſcopus & plebs, quæ tum conuenerat. Eo autem tempore, vt fida teſtatur antiquitas, multis euidentiſſimis miraculis per ſanctæ virginis merita locus ille floruit, quæ tamen ſcripta non extant. V.

Harduino reſtituitur viſus

In Eccleſia omnium Sanctorum & potiſſimũ S. Vedaſti, vt habet Io. Molan. in Natal Belg.

Poſtea vero corpus eius Cameracum translatum, in eccleſia beati Martini, ſanctimonialibus debita illic officia exhibentibus, aliquandiu quieuit. Sed cum locus ille propter habitantium demerita, crebris eſſet incendiis obnoxius, Rotardus viceſimus à beato Vindiciano Epiſcopus, ſanctum corpus inde tranſtulit in beatæ Mariæ oratoriũ, quod illic vſque ad Lietberti, tertij ab eo antiſtitis, tempora permanſit. Qui cum eſſet vita ſanctiſſimus, inter alia recte facta ſua, Peronæ, vbi fuit ædicula ſancti Quintini martyris, in ſancti Andreæ honorem * monaſteriũ extruxit, idque egregie tum temporalibus, tum ſpiritalibus bonis dotauit, atque eo precioſa corpora ſanctæ Maxellendis & beati Sarij confeſſoris, Cameraco apportanda curauit. Dies martyrij ſanctæ Maxellendis celebratur Idibus Nouembris, ad laudem præpotentis Dei, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. VI.

Corpus virginis Cameracum transfertur.

Is Lietbert, cuius obitus anno 1076.

* Extructũ hoc S. Andreæ monaſterium à Gerhardo primo, quod anno 1020 dedicatum fuerit, tradit Io. Molanus in natal Belg.

VITA

VITA S. HOMOBONI CIVIS CREMONENSIS, CVLTIORI STYLO SCRIPTA A CANONICIS CAthedralis Eccleſiæ Cremonenſis, viris doctiſſimis.

An. 1170.

PRÆFATIO AD REVERENDISSIMVM EPISCOPVM Cremonenſem, Nicolaum Sfondratum, qui poſt factus Pontifex dictus eſt Gregorius XIV. Anno 1590.

REVERENDISSIMO ET VALDE ILLVSTRI D. D. NICOLAO SFONDRATO EPISCOPO CREMONENSI, CATHEDRALIS ECCLESIÆ CREMONENSIS Canonicorum Collegium S. P. D.

NVLLA vnquam fuit bene conſtituta in terris Reſpub. digniſſime Antiſtes, quæ inſignium virorum memoriam, qui egregiis vel belli, vel pacis artibus partam ſibi gloriam, poſteris ac patriæ tradiderunt, publico aliquo, atque eo ampliſſimo, monumento conſectandam non putârit: vt diuinis illos propè honoribus proſequendo, & præclaram bene meritis referret gratiam, & iuuenum animos ad imitandum vehementiſſimè accenderet. Qua quidem in re, dum ſe inuicem alius alium vincere piè & glorioſe contendit, factum eſt, vt, quæ vrbium faciem, ciuitatumque mores ac inſtituta excolunt maximè, ea ferè ſuum hinc ceperint initium, veluti gymnaſia, feſti dies, ludi, theatra, ſtatuæ, apotheoſes, & alia innumerabilia. Sed nihil tamen potuit, aut ad temporis diuturnitatem, aut ad maiorem nominis claritatem, aut ad cæterorum denique exemplum excogitari aptius quicquam, quã illorum ipſorum vitas accuratè diligenterq; perſcribere, quorum memoriam velimus eſſe ſempiternam. Etenim illa omnia vis ac tempus labefactabit aliquando & euertet: hoc autem nullius vnquàm aut hominis, aut temporis conſumet iniuria: illa nomen, aut corporis ſimulacra ignotis nota faciunt: hoc veram etiam expreſſamque animi imaginem effingit, atque ob oculos ponit. Viuitur enim ingenio, cætera mortis erunt: vnuſque Xenophontis libellus, facilè omnes imagines hominum ſtatuaſque ſuperabit. Nos igitur, cum nuper in libellos quoſdam incidiſſemus, quibus ſanctiſſima Homoboni ciuis noſtri vita continebatur, atque animaduertiſſemus duo præcipue eſſe in illis vitia, quòd & dicendi genus ieiunum eſſet & incultum: & quam vno volumine cõplecti totam viri hiſtoriam oportuiſſet, ea diuerſis fuiſſet libellis fœde diſſipata: non alienum duximus ab ea, qua illuſtrem ſanctitate virum, optimè autem de patria meritum ac merentem, proſequi pietate debemus, ſi eandem oratione ac ſtylo elegantiore (abſit omnis verbo inuidia) & paulò ornatiore conſcribendam curaremus. Neque enim gloriæ rerum authoris parum ſuppeditat ſcriptoris ingenium: neque noſtrûm quiſquam eſt, qui non mâlit Therſites Homeri, quam Chœrili Achilles eſſe. At verò Amplitudini tuæ potiſſimum, nobiliſſime Sfondrate, ſancti huius hominis hiſtoriam dicandam putauimus, vt, ſicut quidam magnus vir dicere ſolebat, docti doctos ſeruabunt: ſic huic lucubratiunculæ, qua ſancti viri vita illuſtratur, ſanctitatis etiam tuæ ac nominis ſplendor accedat, maioremque veritati præbeat authoritatem: ſimulque, vt virtutes tuas nos admirari, & probatiſſimã vitæ rationem comprobare declaremus. Ex quo fiat, vt populus fidei tuæ commiſſus, exemplis excitetur domeſticis, partim in te, qui præclaram Maiorum ac gentilium tuorum indolem tuis ipſius cumulas ornamentis, videndo: partim in ſanctorum vitis legendo, quæ imitari illum deceat: atque vt pleno demum gradu vitæ iter ingreſſus, tuo ductu ad felicitatem perueniat ſempiternam, illius beneficio, cui honor & poteſtas in ſecula ſeculorum. Cremonæ, VII. Idus Nouembris, M.D.LXX.

13. Nov.

Sanctorum memoria ſempiterna.

I. HOMOBONVS Cremonenſis fuit, ex honeſta Tucengorum familia, patre mercatore, non opulento illo quidem, ſed tamen nec ſordido: quippe cui ab atauis vſque eſſet domus in vrbe apud ædem Diui Ægidij: prætereà prædium ſuburbanum, vnde victui ſuo neceſſaria quotannis capiebat. Cuius parentes cœleſti quodam mentis præſagio, atque afflatu diuino inſtincti, voluerunt eum ex ſacro baptiſmatis fonte ſublatum, Homobonum nominari. Huius enim nominis, veriſſimè & appoſitiſſimè inditi rationem, tota omninò illius per omnes ætatum gradus traducta ſanctiſſimè vita, adeò apertè declarauit: vt non fortuitum, ſed meditatum: non iam hominis, ſed integritatis, nomen fuiſſe videatur.

S. Homoboni patria.

II. HVNC igitur tanto omine ſuſceptum parentes, & ab ipſis incunabulis per ſanctè educatum, Chriſtianaque inprimis religione egregiè excultum, traduxêre ad exercendam eam, quam ipſi faciebant, mercaturam. Sed tanta fuit dictorum conuentorumque conſtantia & veritate, vt nulla omninò augendæ rei cupiditate permotus, qua tranſuerſam mortalium mentem agit, neminem vnquam ſciens deceperit. Erat prætereà ſumma in adoleſcente comitas, cum ſingulari grauitate coniuncta, inſigniſque morum probitas: quibus artibus breui effecit, vt omnium ciuium & oculos in ſui admirationem conuerteret, & animos ad beneuolentiam alliceret. Deinde parentum iuſſo, quibus ſemper in omnibus fuit obſequentiſſimus, virginem duxit vxorem, cum qua caſtiſſimè ſemper vixit.

Ab infantia ſanctè educatur.

Facit mercaturam ſumma fide.

Ducit vxorem.

III. MORTVO verò patre, iam ſui rurſus effectus, cœpit cogitare, nobis hîc non eſſe permanentem ciuitatem, ſpeſque hominum vanas eſſe atq; fallaces. Itaque aliam vitæ rationem inſtituens, qui ab ineunte adoleſcentia in terris cogere diuitias cœperat, in cælum theſauros congerere conſtituit, ſermone Domini, qui ſemper eius animo inhærebat, admonitus: Theſaurizate vobis theſauros in cęlo, vbi neq; ærugo, neq; tinea demolitur. Quare omni ſolicitudine augendarum opum omiſſa, quaſi à corpore auocatus, ad diuinarum rerum cogitationem, cura omni ſtudioq; paſcendæ animæ, eiuſq; ſaluti vigilanter inſeruiebat: relictaq; humana ſocietate: in diuinam ſe totum inſinuabat, ieiuniis, vigiliis orationibuſq; aſſiduè intentus.

Matt. 6.

Totum ſe confert ad Deum.

IV. REM igitur ſuam, quam mercatura auxerat, cœpit pauperibus erogare, adeò comiter, benignè & liberaliter, vt, cum cæteræ virtutes eſſent in eo præclaræ, hæc tamen beneficentia principem ſemper locum obtineret. Neq; enim eleemoſynam rogari ſe paſſus eſt vnquam: quin ipſe vltrò omnibus ſua, ſeq; libentiſſimè detulit, egenis facultates, triſtibus conſolationem, erranti correctionem, ignaris ſine arrogantia doctrinam, veniam inimicis, fidum deliberanti conſilium, mortuis deniq; orationem, ita vt, cum minus ſibi, quàm cæteris omnibus, videretur eſſe natus, vno omniũ ore pauperum pater iure merito appellaretur.

Benignitas eius eximia in pauperes.

Pater pauperum dicitur.

Cæterum vxor meticuloſa, cum videret profuſam viri liberalitatem, vehementer animi diſcruciabatur: Ac V.
primo quidem eum ab hoc tam ſancto propoſito, precibus ac monitis leniter auocare: deinde acrius obiurgando, atque etiam grauibus contumeliis conuiciiſque inceſſendo, absterrere non deſiſtebat. Cuius ille moleſtam garrulitatem æquiſſimo ſemper animo perferens, his atque huiuſcemodi verbis ſapienter refellebat: Errare vehementer eam, quæ putaret rem imminui, aut bonorum iacturam fieri, ſi egenis diſtribuantur, cum nuſquàm melius, nuſquam tutius collocentur: neq; vlla rei augendæ fructuoſior ratio iniri poſſit, quàm quæ illis, id eſt, Chriſto immenſo atque inexhauſto omnium bonorum theſauro, fœnori dentur, qui & in præſens centuplum, & in futurum vitam rependat æternam.

Eleemoſyna quid præſtet.

Pateretur igitur paruum bonorum fugacium diſpendium: quod illi æquè ac ſibi eſſet ad felicitatem compendium: Venale etenim cæleſte regnum nobis Deum Optim. Maxim. propoſuiſſe, quod tamen facilimè ac minimo parari poſſit. Prætereà nulla alia re magis Chriſto Deo ſimiles eſſe, quàm beneficentia qui nobis corpus etiam ſuum in cibum benigniſſimè dederit, ob eamque cauſam, à Patre omnium rerum hæredem factum fuiſſe. Ad hæc, leuius & expeditius ad ſuperos proficiſci, qui ſarcinarum, id eſt, diuitiarum ſuarum partem comiti largiatur: Eluere denique eleemoſynam animi ſordes. Quamobrem deſineret deplorare miſerè minimam rei téporariæ iacturam: quin potius pari ſecum voluntate ac ſtudio daret operam beneficentiæ. vt, quando in hoc miſerrimo vitæ ergaſtulo coniugij ſorte æquata ſibi eſſet, in perpetua & feliciſſima vita, æquatam ſibi etiam illam cumulato gaudio cernere aliquando contingeret. VI.

Hæc atque huiuſmodi vir Dei identidem inculcando, intemperiem vxoris caſtigans, ſumma patientia ac humanitate ſuperabat: Nec ab hac ſancta animi ſui ſententia depelli poterat: quin in dies magis ac magis in ea confirmabatur. VII.

Etiam noctibus ſacrã inuiſit ædẽ.

Frequentabat Homobonus domum Dei, nec id die ſolum, ſed nocte etiam, aſſiduè nocturnis, matutiniſque precibus intererat. Quocirca Obertus ſacerdos, qui tunc temporis ædibus Diui Ægidij præerat, vir & ipſe bonus ac timens Deum, cognita religione viri, ſingulis ei noctibus ad matutinas preces ianuam templi aperiebat, dato prius, vt fit, campana ſigno. Sed cum aliquando tempeſtiuius ſolito Homobonus acceſſiſſet, & pauliſper ante ianuam immoratus eſſet, valuæ templi ſponte ſua patuere. Cumque ſacerdos iter, vt de more Homobonum introduceret, vidit eum in oratione ante aram procumbentem: & mirum in modum obſtupuit, cum verè ſciret, ſe veſperi fores diligenter clauſiſſe. Idque etiam paucis poſt diebus cum accidiſſet, ſacerdos demum pro comperto habuit id ope diuina fieri: quod ter & viginti annis, quibus ædes illas ſacras rexit, viro ſancto ſæpius accidiſſe teſtatus eſt. VIII.

Miraculum

Nota prolixas vigilias

Frequens igitur ibat vir Dei in templum, vt nunquàm, ne vnam quidem noctem intermitteret, nec finito officio, vnquam recedebat: ſed ſemper in oratione rem diuinam, quam Miſſam dicimus, ante Crucem Domini noſtri, & imaginem beatiſſimæ Virginis proſtratus, expectabat. Forte accidit, vt eo tempore eſſet magna annonæ charitas, cum ipſe ab oratione eſſet domum reuerſus, & egeni, qui viderant panis caniſtrum ad eum afferri, ſubito ad Homobonum accurrerent: quibus ille ſumma cum hilaritate, dum vxor, quæ ſibi maximè repugnabat, abeſſet, maiorem panis partem diſtribuit. Hora vero cœnæ reperti ſunt in arca totidem, quot donauerat, panes, longè reliquis & candore & ſuauitate præſtantiores. Id quod mirata eſt vxor, miratus eſt & ipſe vir Dei, gratiaſque Deo ingentes ſecum agens, quod factum fuerat, prudenter tacuit, & puellam cuncta, quæ viderat, narrantem aliis id proloqui inhibuit. IX.

Illuſtre miraculum.

Multis prætereà ſignis Deus eximiam cultoris ſui liberalitatem illuſtrauit: quæ operoſum nimis eſſet ſingillatim recenſere. Illud tamen neutiquàm tacendum arbitror: Cum prædiolum, cæteris diuenditis, & in egenos erogatis, ſibi pauperibuſq; ſeruâſſet, eoque foſſoribus vinum aliquando ferret, occurrêre ei mendici aliquot, ab eo potum petentes: quibus vir ſanctus ſumma cum animi hilaritate & fontis lætitia porrexit. Sed cum exhauſti ferè eſſent canthari, nec propter vxoris acerbitatem auderet domum reuerti, eos aqua repleuit, ac benedixit: Vinitores autem ſe nihil vnquàm ſuauius guſtâſſe aſſerentes, quærebant, vnde tam bonum vinum habuiſſet. Vir Dei, qui optimè ſciret, quod feciſſet, arbitratus ſe derideri, bibit & ipſe incomparabilis bonitatis vinum, gratiaſque Deo, cuius eſſet illud opus, maximas egit: nec tamen, vitandæ inanis gloriæ cauſa, quæ imprudentium hominum omnem rectè factorum mercedem furtim prædatur, quod factum fuerat, cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vaſa infunderet, cum & ipſi vinum guſtâſſent, hoc miraculum ceteris prædicauerunt. X.

Aqua mutatur in optimũ vinum.

His atque huiuſmodi quamplurimis illuſtratus quidem miraculis, ſed multò magis ſumma vitæ puritate ad extremum vſque vitæ tempus inſignitus Homobonus, tantam, non inter populares ſolum atque finitimos, ſed eos etiam omnes, acquiſiuit fidem, ad quos longè lateque celeberrima illius fama peruaſerat: vt hæreticorum plerique ad ſanitatem redirent, & qui nullo prudentum conſilio, aut doctiſſimorum hominum diſceptationibus victi, in deprauata iamdudum de fide & religione ſententia obfirmato animo obduruerant, eos Homobonus, ſanctiſſimis verbis & moribus miraculorumque frequentia, ab omni errore abductos, ad benè beateque viuendi rationem traduceret. XI.

Pleroſque hæreticos vir ſanctus conuertit.

Cum verò iam veniſſet tempus, vt tot ſuarum virtutum & rectè factorum acciperet præmia: Idibus Nouembris anno à partu Virginis milleſimo centeſimo nonageſimoſeptimo, more ſuo, matutino officio penitus incolumis interfuit: deinde curuatis ante Crucem Domini genibus, in oratione vſq; ad horam Miſſæ permanſit. At, cum ſacerdos hymnum Angelorum cœpiſſet, ante Crucem, manibus in modum Crucis in terra extenſis, procubuit: tum nemine ſentiente, cum gaudio ad Deum, ſuam in patriam cœleſtem, nullo correptus morbo, migrauit. Sed cum more ſuo ad audiendum Euangelium non ſurgeret, fuêre, qui illum ſopore preſſum crederent, & volentes eum à ſomno excitare, è vita exceſſiſſe cognouerunt. XII.

Anno 1197. ſine morbo ſuauiter obdormit in Domino.

Quare ſtatim parantur exequiæ, & ſepulcrum, volat ſubitò per vrbem fama: concurrunt pauperes vndique, patremque ſuum maximo cum dolore deplorant, funuſque eum lachrymis ac eiulatu comitantur: ad eum accedunt, amplexãtur, & præ ingẽti amore deoſculantur. Sed ecce virtus Dei in eo ſe cœpit oſtendere: Nã claudi ambulant, cæci vident, muti loquuntur, ſurdi audiunt, variiſq; languoribus oppreſſi, atq; à medicis omnino deſtituti, omnes curantur. Itaq; tota eo ciuitas confluebat. Quarè confeſtim illo mortuo, conſtantior ſanctitatis eius fama in vicinas vrbes euolauit. Vndiq; ad viri Dei ſepulcrum, in eadem Diui Aegidij æde poſitum, concurritur: votique compotes facti, cum lætitia redeunt. XIII.

Miracula ad funus eius.

Nam cuiuſdam lingua grauiſſimo impedita vulnere, quod in prælio Hieroſolymitano per collum adactum fuerat, expeditiſſimam loquendi facultatem, qua decem annos protſus caruerat, facto voto, recepit. Alius autem dorſo gibbero, pectore conuexo, cuius genua manuſque ſpaſmate obriguerant, cum ſancto viro voui ſſet, ſui ipſius corporis factus eſt compos. Cuidam etiam decem & octo annorum adoleſcenti, à natiuitate muto, pro cuius ſalute pater vixdum vota Homobono nuncuparat, linguæ vincula diſſoluit benigniſſimus Deus. Adhæc, puer octauum iam annum cæcus, ſimul & ab vtero matris mutus, paternis precibus, perfectum vtriuſque ſenſus impetrauit officium. XIV.

Miracula ad ſepulcrũ eius.

Experta

XIV. Experta eſt & mulier magnum numinis beneficium: quæ cũ iam deplorata propè eſſet, viſa ſibi eſt videre morientem quendam, vnam ſibi recuperandæ ſalutis relictam ſpem eſſe, ſi Homoboni opem imploraret. Id cum feciſſet, exoptatæ ſanitati quamprimum eſt reſtituta. Pueros etiam pleroſq; iam præ morbi grauitate animam agentes, parentum votis, eodem intercedente, Deus condonauit. Mulier quædam multos, iam annos artubus adeo cõtractis, vt ori genua adhærerent, iuxta ſepulcrum ſanctiſſimi viri delata, precibus adhibitis, ſubitò conualuit: & cum ingenti gaudio, clara Deo voce gratias agens, ſuis pedibus domum eſt reuerſa.

Contracta ſanatur.

XV. Nec tamen defuit, qui ſancti viri famam eleuare & carpere auderet: Sed ita fatuè ac temerè obloquenti, lingua intumuit, vt nulla iam ratione loqui poſſet, & iam de vita eius ageretur: Verum pœnitentia interiore ductus, interceſſione Homoboni, priſtinam incolumitatem recuperauit. Multi præterea immundis ſpiritibus oppreſſi, ac peſſimè habiti, eiuſdem meritis liberati ſunt. Inter quos fuit virgo quædam Bergomas, quæ cum diu ante obitum viri Dei ab immundo ſpiritu vexata miſerrime fuiſſet, nec vllis vnquàm exorciſmis potuiſſet expelli, quod diceret, ſe nunquam inde diſceſſurum, donec ab Homobono Cremonenſi eijceretur, delata ad diui Homoboni ſepulcrum à parentibus, qui ad id tempus ſe à malo ſpiritu deludi exiſtimauerant, fugato cacodæmone, ilico ſanata eſt.

Diuinitus punitur, male loquens de ſancto viro.

Dæmoniaci multi curantur.

XVI. His & infinitis huiuſcemodi miraculis commotus Sicardus Epiſcopus Cremonenſis, & primores vrbis, decernunt ad Pont. Max. legationem, cuius Epiſcopus ipſe princeps conſtituitur, vt vir Dei tot miraculis decoratus, numero ſanctorum adſcriberetur. Quod Innocentius III. qui antea de hoc per quietem à Deo admonitus fuerat, libentiſſime conceſſit, ac cognitis prius Homoboni miraculis, vitæq; ſanctimonia, in catalogum ſanctorum maxima cum celebritate & religione retulit, anno ſui Pontificatus primo, ſalutis autem humanæ nonageſimooctauo ſupra vndecies centeſimum, 11. Calendas Ianuarias. Cuius rei diplomata, quæ in interiore templi maioris Sacrario Cremonæ ſeruantur, certiſſimam faciunt fidem, quorum exemplum huic hiſtoriæ adſcribetur.

Sicardus Epiſcopus Cremonen. An. 1198. adſcribitur S. Homobonus ſanctorum catalogo.

XVII. Anno autem milleſimo trecenteſimo quinquageſimoſexto, cum apertum eſſet ſancti Homoboni ſepulcrum, præſente Epiſcopo & Prætore, multaq; clementiſſimus Deus ipſo illo tempore edidiſſet miracula: ea res, eademque dies auſpicatiſſimi illius inter nobiliſſimos viros Conſortij fecit initium: qui tanquam beneficentiæ Homoboni hæredes facti, ſic ſuæ vrbis pauperes mira benignitate & prudentia ad hanc diem colere perſeuerant. Proximo deinde anno, qui fuit milleſimus trecenteſimus quinquageſimus ſeptimus, ſeptimo Calend. Iulij, à Canonicis ac cæteris Cathedralis eccleſiæ clericis translatum fuit viri ſancti corpus in eam maioris templi ſubterraneam partem, vbi in marmoreo tumulo compoſitum quieſcit, præter pauca quædam oſſa, in priore ſepulcro relicta, & præter caput, quod tabernaculo conditum, in ipſius maioris templi ſacrario cuſtoditur.

An. 1356.

An. 1357. transfertur corpus eius.

XIIX. Quamplurimis etiam poſteà hic B. confeſſor claruit miraculis: vt cum patria ſua multis ſe & euidentiſſimis periculis auxilio eius ereptam fuiſſe manifeſto cognouerit, hũc iure optimo inuocet, colat, veneretur; patrocinioq; eius ſe & nunc eſſe, & poſthac fore tutam, maxime confidat.

EXEMPLVM DIPLOMATIS INNOCENTII TERTII.

Innocentivs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, vniuerſo Clero & populo Cremonenſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia pietas promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ: iuſtus & miſericors Dominus fideles ſuos, quos prædeſtinauit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & ſemper in futuro coronat: quibus & per Prophetam promittitur: Dabo vos in laudẽ, gloriam, & honorem in cunctis populis, & per ſe pollicetur: Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum: mirabilis enim in ſeipſo Dominus, mirabilis in ſanctis, mirabilis in cunctis operibus ſuis: verum nobis exhibet ſuæ virtutis indicium, & frigeſcentem iam in pluribus charitatis igniculum, mirabilium ſuorum ſignis accẽdit: aſſumptis his in gloriam ſuam, qui certauerunt legitime in hoc mundo: ad memorias eorum innouat ſigna: & mirabilia, iuxta Prophetã, immutat: vt qui ſanctus eſt apud ipſum, ſanctus etiam ab hominibus habeatur: & in hoc præſertim hæreticorum cõfundatur peruerſitas, cum ad Catholicorum tumulos diuina viderint prodigia pullulare. Licet autem, iuxta teſtimonium veritatis, ſola finalis perſeuerantia exigatur ad ſanctitatem animæ in Eccleſia triumphanti, quoniam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus ſignorum, opera ſcilicet pietatis in vita, & miraculorum ſigna poſt mortem, vt quis reputetur ſanctus in militanti Eccleſia, requiruntur: nam, quia frequenter angelus Sathanæ ſe in lucis angelum transfigurat, & quidam faciunt opera ſua bona, vt videantur ab hominibus, quidam etiam coruſcant miraculis, quorum tamen vita meritò reprobatur, ſicut de Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichriſto, qui electos etiam, ſi fieri poteſt, inducet ſuis miraculis in errorem: ob id nec opera ſufficiunt ſola, nec ſigna: ſed cum illis præcedentibus iſta ſuccedunt, verum nobis præbent indicium ſanctitatis, nec immeritò nos ad illius venerationem inducunt, quem Dominus ſuis oſtendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Euangeliſtæ plenius colliguntur, vbi de Apoſtolis loquens, ait: Illi autem profecti, prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: in eo namq;, quod ait, cooperante, eos operatos eſſe demonſtrant: & in eo quod ſequitur, ſequentibus ſignis, eos exponens, immò Dominum in eis miraculis claruiſſe: hoc etiam Dominus vſq; hodiè operatur in ſanctis, & potentiam ſuam ſignis euidentibus manifeſtat: dum viuorum curat ægritudines ad memorias mortuorum: & eos plus poſſe poſt mortem, & felicius viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, quam qui viuunt in mundo, demonſtrat. Sanè veniens ad præſentiam noſtram Venerabilis frater noſter Sicardus Epiſcopus veſter, multis viris religioſis & aliis honeſtis perſonis de ſua Diœceſi comitatus, cuiuſdam B. viri, & re & nomine Homoboni, vitam & actus, necnon & modum tranſitus eius humiliter nobis aperuit: in quibus & ſanctæ ipſius deguſtauimus conuerſationis odorem. Deumq; mirabilem & omnia opera eius in fide cognouimus, & prædicauimus glorioſa. Idem etenim ſanctus, tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dat in tempore ſuo, prout eorundem nobis aſſertio: facta tam viua voce, quam aliorum plurium honeſtorum literis, patefecit: adeo in lege Domini meditabatur die ac nocte, vt ei ſeruiens in timore, & ſecundum Prophetam, media nocte ſurgens ad confitendum ei, matutinis ſemper laudibus intereſſet. Miſſæ quoq; officium & alias Horas cum ſumma deuotione frequentans, ità aſſiduis orationibus inſiſtebat, vt in certis horis aut inceſſanter oraret, aut horas ipſas aliquandò præueniret, niſi forte ipſum ſolicitudo, quam ſuper pace reformanda per ciuitatem tanquam pacificus vir gerebat, aut occaſio eleemoſynæ pro pauperibus acquirendæ, ſeu alia iuſta cauſa in aliis operibus miſericordiæ detineret: qui nimirum ante Crucem Dominicam ex aſſuetudine ſe proſternens, opus quodlibet faciendo, ſtando, ſedendo, iacendo, ad orationem labia mouere continuè videbatur. Inter alia verò pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos ſecum in propria domo tenebat, curabat & pariter procurabat, quàm circa alios indigentes, quibus viuentibus humanitatis obſequium, & mortuis ſepulturæ beneficium conſueuerat deuotus impendere, diligentius exercebat: ipſe à ſecularium hominum conſortio ſegregatus, inter quos viuebat, quaſi liliũ inter ſpinas: hæreticorum, quorum pernicies nimirũ partes illas infecit, auſterus extitit aſpernator. Deducto autem

1. Tim. 4. Matt. 13. Pſal. 67. Eccl. 36. Matt. 10. & 24. 2. Cor. 11. Matt. 23. Exo. 7 & 8. Matth. 24. Mar. 16.

Vt Dominus olim per ſanctos ſuos, ita nunc per ſanctos ſuos facit ſigna.

Pſalm. 1. Pſalm. 118.

Ecce quomodo ſanctus iſte Miſſæ officium & cæteras horas frequentabat, quæ omnia noſtri æui hæretici deteſtantur.

autem ſic vitæ ſanctæ curriculo, cum ad matutinale officium, prout dictum eſt, in feſtiuitate ſancti Bricij ſurrexiſſet, circa Miſſæ primordia idem ſe ante Crucem Dominicam more ſolito in oratione proſternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quieuit. Quæ verò, quot, & quanta miracula fuerint ſubſecuta, & quot aduenientibus ad ſepulchrum eius, ſanitatis beneficia ſint impenſa, cum longum ſit numerare per ſingula, vnum inter cætera ad aſſertionem Catholicæ fidei duximus expreſſius annotandum. Cum enim quædam dæmoniaca mulier ad ſepulcrum eius deducta fuiſſet, ne aliqua fraus lateret, eadem primò fuit aqua non benedicta reſperſa, qua ſe patienter adſpergi permittens, aquam ſecundò reſpuit benedictam: & vt res euidentiori experimento pateret, oblatam non conſecratam abſque aliqua præſcientia ſibi recipiens, præſentatam Euchariſtiam conſecratam ſubſequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis eiuſdem ſancti liberata receſſit. Vt autem virtus morum, prout eſt ſuperius prælibatum, licet omnis dubitatio amoueri ex ſubſecutione ſignorum per diuinum iudicium videretur, fide apud nos clareſceret pleniori, nè miraculorum etiam virtus aliqua fraude poſſet vel figmento iuuari, veritatem rei ſolicitius duximus inquirendam. Fidem nanque, quam ſuper conuerſationem ipſius, abſque figmento hypocriſis fraudulento, diuinum iudicium, vt dictum eſt, manifeſtè oſtendere videbatur: per teſtimonium dilecti filij Oberti presbyteri ſancti Ægidij Cremonenſis præſentis, cum Epiſcopo memorato, recepto ab eo firmauimus iuramento: ſub cuius obteſtatione, videlicet iuramenti, ipſe, qui patrinus eius exiſtens, per viginti annos & amplius confeſſionem eius ſæpe receperat, quæ de illius ſancti conuerſatione præmiſimus, cum ipſo Epiſcopo & aliis ſupradictis iuratis ſimiliter aſſeruit, eſſe vera, & de obedientia, quam in orationibus, vigiliis, & aliis pœnitentiæ fructibus, in qua ſibi ab eo impoſita erat, plus iniuncto ſatisfaciens, exhibebat, nos reddidit certiores: ea etiam, quæ de miraculis ipſis fuerant nobis expoſita, per iuramẽtum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide ſuſcepimus, pleniori aſſertione ipſius Epiſcopi ſub firmo verbo ſacerdotis requiſito in virtute obedientiæ concurrente, vt ſic diuinum & humanum ſecuti iudicium, cum maiori procedere ſecuritate poſſemus. Cum igitur hæc omnia tam de virtute morum, quàm virtute ſignorum, ad fauorem petitionis, pro qua Epiſcopus memoratus, & alij ſupradicti ex parte veſtra vehementer inſtabant, concurrere videremus: de fratrum noſtrorum conſilio, poſt multam deliberationem habitam cum eiſdem & Archiepiſcopis, quos ſuper hoc ad conſilium noſtrorum admiſimus: de diuina miſericordia, & eiuſdem ſancti meritis confidentes: ipſum ſanctorum Catalogo duximus aſcribendum, ſtatuentes, vt in die depoſitionis ipſius, eiuſdem feſtiuitas deuotè à vobis & aliis Chriſti fidelibus annis ſingulis de cætero celebretur: Indè eſt, quòd vniuerſitatem veſtram rogamus in Domino & monemus, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus eiuſdem ſancti memoriam, prout dictum eſt, cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum ſuffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia æterna pertingere valeatis. Dat. Later. II. Kalend. Ian. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Nota hic euidentem vim aquæ benedictæ.

Adſcribitur S. Homobonus ſanctorum Catalogo.

An. 980.

S. ABBONIS (QVEM TRITHEMIVS ALBONEM VOCAT) FLORIACENSIS ABBATIS ET MARTYRIS VITA, AB AYMONIO FLORIACENSI monacho eius itineris comite docte conſcripta, ex Floriacenſi Bibliotheca Ioan. à Boſc.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Reuerentiſſimæ vitæ viro, Domno Heruæo Clerico, Sancti Pontificis Martini Theſaurario. Aymoinus Monachorum Beati Patris Benedicti, ſenſu minimus, indeficientem æternæ vitæ theſaurum.

13. Nov.

QVIA ſuperni gratia Redemptoris, tuã [Amantiſſime Domne] ſibi vitam pudicã elegit ac placabilẽ, nos omnes quibus tua benignitas cordi eſt, gaudio gaudemus nõ modico. Reminiſcimur. n. iucundã tuæ pueritiæ indolem, quam [illegible] ſodalibus, quàm grata maioribus, [ac quod magis eſt] quam placita Deo fuerit, ac ſanctis omnibus. Tua quoq; ſanctitas, memorem ſe fotè oſtendit, bonorum quæ in hoc ſacro Floriacenſi Cœnobio vidit, ſiue audiuit, exemplorum. Dumq; quibus modis altioris vitæ vias incedat, cotidiè comminiſcitur: præceptorum, ac aſſiduæ admonitionis nutritoris ſui Sancti Patris noſtri Abbonis, haud ſegniter recordatur. Cuius erga tuam dapſilitatem, ſedulæ dilectionis curam, ſuperfluum videtur replicare, cum conſtet, id tuã beneuolam haud vmquam obliuiſci mentem. Vnde manu Sanctæ pulſatus charitatis, quia vel ab ipſo es dilectus, vel ipſum tua probatur dilexiſſe deuotio. Vna dierum meam admonere dignatus es paruitatem, vti vitam eius, ſeu quo ordine ad Martyrium peruenerit, literis mãdare, ad multorum ſtuderem vtilitatem. Verùm ego intelligens, hoc opus multorum diſplicere animis, tamen tuæ dilectioni quæ mihi à puero ſemper dulcis fuit, parere gliſcẽs: inerti licet ſermone, imperata ſtudui perficere. Et floccipendens linguas derogantium, ad orationis tuæ, quam Deo beneplacitam noui, confugio auxilium, vt tuo interuentu, eius miſericordia, pro hoc opere, mihi conferat gaudia æterna.

S. Abbo Floriac. Abbas

Sancti omnia à Deo habent.

Qui ſint verè Martyres.

Qui peccato ſeruit, dæmoni ſeruit

PROLOGVS

ANTIQVÆ Gentilitati, id quondam fuit ſtudij, vt eorũ quos vnice dilexiſſent, facta etiam inhoneſta, memorialibus mandarent literis: & pro illorum benè geſtis, laudes ſuis referrent Diis. Nobis verò qui per Chriſti gratiam, eorũ euaſimus errorem, idem quidem ſtudium, ſed diſſimili intentione eſt habendum. Vt ſcilicet Sanctorum vitas Patrũ, ac Martyrum victorias, noſtris pandamus ſcriptis, poſt nos venturis ſeculis. Verũ hæc ipſa ad laudem noſtri referamus Creatoris, per quem vel bene viuere, vel coronam potuerunt martyrij percipere. Quapropter vnius dilecti Domini, Sancti videlicet Patris noſtri Abbonis vitam, ſeu quo ordine peruenerit ad martyriũ, ruſticano licet ſermone, aggrediamur ſcribere. Nec oportet quemquam dubitare, eum vere Martyrem fore, quẽ conſtat pro veritate, quæ Chriſtus eſt, mortem pertuliſſe. Qui etſi non reuocabat homines à cultu Idolorum, laborabat tamẽ liberare, quod maius eſt, à ſeruitute vitiorum, quibus qui aſſidue dediti ſunt, non Deo, ſed dæmonibus ſeruire probantur. Quod verò non diu pœnis tortus eſt, nulla gloriæ eius vel laudi, damna infert: cum conſtet quoſdam martyrum, ſola nominis Chriſti confeſſione, etiam abſq; baptiſmi perceptione, proprio perfuſos à capitalem ſententiam perfuſos ſanguine, regna cœleſtia meruiſſe. Sin autem, quiſpiã idcircò ei crediderit derogandum, quod in vita ſua, vix vllum mirabile fecerit ſignum, legat vitas excellentiſſimorum Doctorũ Auguſtini, & Hieronymi, & in eis non prodigia temporalium ſignorũ, quæ faciunt * plerumq; mali: ſed vitæ puritatẽ, doctrinæ ſalubris eloquentiam, & fidei inueniet laudari conſtantiam. Licet hic ter beatus, in vita ſua non caruerit miraculorum gloria. His ergo contra obloquentes, ſi fortè aſſurrexerint, præmiſſis iuuante nos Chriſti gratia, ac huius ſancti orationibus, propoſitum aggrediamur opus.

Miracula non reddũt homines ſanctiores.

* plerumq; pro nonnunquam.

Origo & fuentua S. Abbonis

VENERABILIS igitur Abbo Aurelianenſi ortus eſt in pago. Cuius patris vocabulũ Lætus, matris Ermengardis extitit. Quos quidem, non vana tumens, & nobilitate ſuperbus alebat ſanguis: ſed tamen auis atauiſq; deriuata eos honeſtabat libertas. Quodque omnibus ſuperexcellat cauſis, timor Domini, moribus adornabat honeſtatis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus, in Floriacenſi monaſterio, ſcholæ clericorum, Eccleſiæ Sancti Petri obſequentium, traditur literis imbuẽdus. Diuina pro certo, vt credimus, id præordinãte prouidẽtia, vt inde primordia ſumeret literarũ, vbi poſtmodũ pleniſſime fluenta doctrinæ, mentibus erat propinaturus ſapientiam ſitientiũ, redderetq; illis, ſeu eorũ poſteris, duplicatum ſuſcepti fœnoris fructum, à quibus ſimplicia tantum acceperat rudimenta elementorum. Erant in eodem cœnobio, duo præcellẽtes viri, quos carnis affinitas matri eius propinquos effecerat: vnus dicebatur Gũboldus, qui relictis huius ſeculi nugis, ob Dei timorẽ, habitũ monaſtici ſuſceperat ordinis. Alter vocatus eſt Chriſtianus, qui ſub clericali veſte, Chriſto ſtudebat deſeruire, graue ſibi formidãs diſpendiũ imminere, ſi eius nõ ſequeretur pro poſſe mãdata, à quo nominis ẽt proprij, duceret ſtigmata. Ambo amoris Dñi igne feruentes, ambo in ordine Presbyteratus I.

eum

cum ſacrificio noſtræ redemptionis, ſeipſos quoq; Deo in ara immolãtes cordis. Horum itaq; feruenti admonitione, genitores memorati pueri Abbonis, ipſum ad ſeruiendum Chriſto, & Sancto Patri tradiderunt Benedicto.

II. Agebat eodem tempore, paſtoralis curam ſolicitudinis, in hoc ſacratiſſimo Floriacenſi loco, Reuerẽdiſſimus Abbas,[a] Vvulfaldus vocabulo Deo carus, & omni populo. Huic igitur, à parẽtibus, iã dictus bonæ indolis Abbo puer, traditus eſt, vt eius magiſterio eruditus, Chriſti efficeretur famulus. Ante quẽ, cum in Conuentu Fratrũ fuiſſet adductus, ab eo quo vocaretur nomine, eſſe dicitur inquiſitus. Ille continuò interroganti reſponsũ dedit, Abbonẽ ſe dici aſſeruit. Tũ S. vir Vvulfaldus, Prophetico mox Spiritu afflatus, alludens ad nomẽ: Abbo, ait, ſi vltima immutetur litera, Patrẽ ſonat in Achiuorũ lingua. Et cõuerſus ad puerũ: Hinc iã, inquit, puerorũ dulciſſime, talẽ te Chriſto exhibe, vt dignus inueniaris tui nominis appellatione. Annuat hoc Omnipotens Pater à quo omnis paternitas in cœlo nominatur, & terra. Teq; ſua faciat ſeruare præcepta, vt ad gaudia poſſis peruenire æterna. Poſt hoc dictũ,[b] Monachicũ ei tradidit habitũ, facta prius per parẽtes ſolẽni traditione:[c] iuxta quod in S. Patris Benedicti, cõtinetur diſcretiſſima inſtitutione. Traditus itaq; ſcholis, nulli ſodaliũ videbatur grauis. Ineſſat ei colũbina ſimplicitas, ſerpẽtinæ copulata aſtutiæ, vt & per manſuetudinẽ leniter beneuolos, & per prouidæ mentis acumẽ, deuitaret ſubdolos. Iã vero literariæ artis profũda, tãta adhuc puerulus rimabatur inſtãtia, vt à didaſcalis ſemel audita, firmiter intra cordis conderet arcana. Egreſſus pueritiæ tẽpora, frequẽti meditatione, adoleſcẽtiæ ſatagebat reprimere vitia, ſciens ſcriptũ. Quia frequens meditatio, carnis eſt afflictio. Quã idcirco iugi literarũ exercitio domare curabat, vt ſpiritui eã ſeruire cogeret. Nec tñ vti à quibuſdã iuuenũ fieri aſſolet, ob ſtudiũ lectionis, intentionẽ deſerebat deuotæ orationis. Religionis nãq; propoſitũ Monaſticæ, quod habitu portẽdebat, id tota mẽtis deuotione diligebat. Et[d] quaſi pro quodã leuamine, poſt preces ad Dominũ miſſa libamina, liberaliũ artiũ ſumebãtur exercitia. Erat ei hoc præcipuũ, adhærere lateribus ſenum. Et licet certis horis condiſcipulorum gauderet ſocietate ſuorum, in competentibus temporibus, vicinior eſſiciebatur ſenioribus.

III. Cvm verò iam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, vt aliis quoq; percepti talenti, valeret donatiuum erogare.[e] Imbuẽdis præficitur ſcholaſticis. Quos ille per aliquot annorum curricula, lectione ſimul & cãtilena, cũ tanta erudiuit cura, vt palã ſe gaudere mõſtraret, quod pecuniæ ſibi creditæ lucra, augmẽtare valeret. Verũ ipſe adhuc maiora gliſcens ſciẽtiæ ſcrutari arcana, diuerſorũ adiit ſapientiæ officinas locorũ. Vt quia Grãmaticæ, Arithmeticæ, necnon Dialecticæ, iam ad plenũ indaginẽ affigerat, cæteras ingenio ſuo pergeret ſuperadiicere artes. Quapropter Pariſios, atq; Remos, ad eos qui Philoſophiã profitebantur profectus, aliquantulũ quidem in Aſtronomia, ſed non quantũ cupierat, apud eos profecit. Inde Aurelianos regreſſus, Muſicæ artis dulcedinẽ quamuis occultè, propter inuidos à quodã Clerico nõ paucis redemit nũmis. Itaq; quinq; ex his, quas liberales vocãt, pleniſſimè imbutus artibus, ſapientiæ magnitudine cunctos præibat coætaneos. Supererant Rethorica, necnõ Geometria, quarũ plenitudinẽ etſi nõ vt voluit attigit, nequaquã tamẽ ieiunus ab eis funditus remanſit. Nã & ad Rethoricæ vbertate facũdiæ,[f] Victorinũ quẽ Diuinæ interpres legis Hieronymus præceptorẽ ſe habuiſſe gloriatur, legit. Et Geometricorũ multiplicitatẽ numerorũ, non mediocriter agnouit. Sic demũ viuaci mẽtis ingenio hæc vniuerſa, ſtrenuè aſſecuto, facilis erat eorum opera tio.[g] Denique, quoſdã Dialecticorum nodos ſyllogiſmorum, enucleatiſſimè enodauit. Compotiq; varias & delectabiles, regularum in morem tabularum, texuit calculationes. De Solis quoquẽ, ac Lunæ, ſeu Planetarum curſu, à ſe editas diſputationes, ſcripto, poſterorum mandauit notitiæ.

IV. Interea legatio Gentis Anglorum, ad Floriacenſe venit Cœnobiũ, poſtulans aliquẽ ſibi ſapientiũ concedi virorũ. Eadẽ quippe natio ad amorẽ S. Patris Benedicti, memoratiq; loci, duabus ex cauſis, maximè accenſa eſt.[h] Vna quidem, quia Beatus Papa Gregorius, miſſis ad eam cõuertendã fidei Chriſti prædicatoribus, eiuſdem dilecti Benedicti Regulam obſeruandam, ſpecialibus inculcauit. Alia quidem, eo quod vir quidam magnæ apud eos nobilitatis,[i] Oſuualdus vocabulo, ſpreto ſeculo, ad ſeruiendũ Chriſto, in memorato Floriacẽſi cõuerſus eſt Cœnobio. Ex quo ob bonæ vitæ meritũ à Rege ipſius prouinciæ, ad Archiepiſcopatus aſſumptus gradũ Deo, ac patrono ſuo Sãcto Benedicto, in regione Anglica conſtruxit monaſteriũ. Ex illo itaq; Cœnobio, hi fuẽre legati, quos ad Floriacum aduenisse ſuperior retulit ſermo. Præerat per idẽ tẽpus Sanctæ Floriacenſi congregationi, Reuerendus Pater[k] Oybodus, vir ſecundum ſeculi dignitatẽ genere ac moribus clarus.[l] Qui non tã imperioſa auctoritate, quã manſueta verborũ lenitate, ab hoc Beato exegit viro Abbone, quatenus ad inſtruendas eiuſdẽ nationis hominũ mentes, Diuina atq; humana ſapientia, qua ipſe inſigniter pollebat, ire non recuſaret. Cui ille, iuſſionis haud ſegnis executor factus, obedientiæ ſub familiaritatis intuitu, quo nitebatur, proficiſci non diſtulit.[m] Et quamuis inuidi ac calumniæ cõpilatores, eidẽ Dei homini perſuadere conarentur, Abbatem memoratum malo accenſum dolo, ipſum trans maria ideo velle dirigere, vt nunquam amplius inde valeret redire. Ille tamen de Dei fiſus bonitate, illud Apoſtolicũ ſemper reuoluebat in corde: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Verũ aliter ſe rem habere, oſtendit apparatus itineris, qui magnificus à Domino Oyboldo proficiſcenti collatus eſt. Cumq; ad[n] Morinos ventũ eſſet, à quibus breuiſſimus ad Anglos tranſitus eſt, per vnũ fermè menſem in littore reſedit, prohibentibus nautis, mare turbidũ ingredi. Tædio itaq; longæ defatigatus moræ, vna dierũ progreſſus ad portum, euocatũ interrogat nauclerũ, an tutò mare ingredi poſſit. Cui nauclerus, nunc quidem nequaquã vtile fore dixit. Sed ex aurarũ ſpiramine ſe intelligere, quod non diu, proſpera abeſſet nauigatio. Tunc vir Domini ait: Si, inquiens, Omnipotenti Deo, interuenientibus Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti meritis, placet, vt ego ob aliorum vtilitatẽ, hoc tranſeam pelagus: ventura luce placidũ efficiatur mare. Sin alias Sũmo placuerit Opifici, data die, retrogrado calle incipiam regredi. Igitur ad hoſpitiũ regreſſus, monachũ quemdã, qui legatis ſe deducentibus præerat, Riculeũ nomine admonet, vt in commune Dominũ orarent, quo, ſi illis propoſitũ non diſpliceret, iter proſperare dignaretur: ſi verò id reprobaret, cordibus eorũ, volũtatẽ ad propria redeũdi inſpiraret. Quo annuente, poſt[o] veſpertinã ſynaxim Deo perſolutã, ambo ad orandũ ſolo proſternũtur. Finita oratione quieti mẽbra dederunt. Et ecce crepuſculo ſequentis diei, affuit nuncius nauclerii, magna eos ad proficiſcendum voce inclamans. Itaq, aſcenſa naui, comitantibus aliis octo nauibus, cum in altum proceſſiſſent,[p] repente conſpiciunt Marſuppas, & Porcipiſces in fluctibus ludere, Balenas dorſa in modum maximorum tectorum attollere. Hæc omnia indicia imminentis tẽpeſtatis fore, vir Dei à nautis audiẽs, ad orationum recurrit nota præſidia. Nec defuit effectus eius precibus. Deniq; orta tempeſtate, nauis in qua homo Chriſti reſidebat, cũ aliis duabus, quæ illam ſecutæ fuerant, illæſa ad portum perlata eſt: reliquæ verò ſex, ſimul cum hominibus, procellis & impulſu piſcium quaſſatæ, perierunt. Hoc ſignũ per eum Dominus operari dignatus eſt, cum adhuc[q] Leuitarum fungeretur officio.

V. Tandem poſt longos terræ ac maris excurſus, Anglorum intrauit fines. Primũ itaq; omnium,[r] Rameſenſe S. Benedicti adiit Cœnobium. Sic enim appallabatur ille locus qui à Venerabili Oſuualdo, illis in partibus eſt fundatus cuius ſuperius mentionẽ fecimus. In quo, qui Abbatis fungebatur officio,[ſ] Germanus dicebatur vocabulo, & ipſe ad tanti gradus honorem, ex hoc ſacro Floriacenſi aſſumptus monaſterio. Vbi dũ S. Domini Abbo, per duorum fermè annorum moratur ſpatium, aliquos monachorum ſcientia imbuit literarum. Intra eorumdem ſanè ſpatium annorum, Regem adiit Anglorum, ac eius Ducem Hebelguinum. Sed à Rege verba tantum, à Duce verò condigna ſuæ Sãctitati ſuſcepit munera, atq; in magna apud eũ, quãdiu cum ipſo fuit, eſt habitus reuerẽtia. Pontificũ quoq; Venerabilium, ſæpe nominati Oſuualdi, ac B. memoriæ Dunſtani, amica ſibi familiaritate vſus eſt. Horum prior Eboracenſium:

Miſſa, ſacrificium noſtræ redemptionis.
[a] Vvulfaldus Abbas Floriacenſis, vir magnus Epheſ. 3. 15.
[b] S. Abbo fit Monachus.
[c] Regula S. Benedicti, ca. de profeſſione.
[d] Literis nã vacare debent Monachi, gratia exercitationis: Orationi vero gratia officij, ac vocationis.
[e] S. Abbo fit magiſter ſcholarum, apud Floriacum.
[f] Victorinus Reth. S. Hieronymi præceptor.
[g] S. Abbonis opera varia.
[h] Regulæ S. Benedicti profeſſores Apoſtoli Angliæ.
[i] Oſuualdus Archiepiſcopus Vuigorenſis Monachus Floriacenſis.
[k] Oybodus Floriacenſis Abbas.
[l] Subditis imperandi modus efficax.
[m] Inuidi, cẽ perditiſſionis ſermones, & omnia in peiorem partem interpretantur.
Rom. 8. 28.
[n] Morinis breuis tranſitus ad Anglos.
[o] Veſpertina ſynaxis.
[p] Signum tempeſtatis.
[q] S. Abbo Leuita.
[r] Cœnobium Rameſenſe in Anglia.
[ſ] Germanus Abbas monachus Floriacenſis.
Vita S. Oſuualdi, lib. cap. 5. Octob. 15.

S. Dunſtan. Archiepiſc. Cantuarienſis.

ſium:ſequens Cantuariorum Archiepiſcopus fuit. In quorum vita moribuſque, ſibi benè complacuiſſe Chriſti oſtendit gratia, eorum tumulos, nunc vſque, Miraculorum illuſtrando gloria. Hi in tanta admiratione, hunc Beatum habuere virum, vt in eo retinendo, charitatiua, & vt ita dictum ſit, diſcordi inter ſe, diſſiderent concordia.

Per idem tempus, à Venerabili Abbate ſuo Oylboldo, literas ſuſcepit, paternæ dulcedinis ſollicitudine refertas. In quibus inter alia monetur, vt ad ſua quam ocyus reditum maturet, ac deſiderantum ſe conſpectibus repræſentet. De quibus, nos principium, & quædam alia excerpentes, huic inſeruimus volumini. Hoc ergo ipſa epiſtola habebat exordium: Præſcientia Dei Abbas Oylboldus, & omnis concors Patris Benedicti congregatio, Dulciſſimo Fratri Abboni, quidquid Pater filio, quidquid amicus amico. Gratiæ Omnipotenti Deo, qui tuo inſpirauit cordi, vt in Babylonica captiuitate, memor eſſes, gratiſſimæ Syon. Hoſtiam iubilationis immolamus, quod per tuas literas, cor noſtrum lætificatum eſt, & quòd de te maxime timebamus, à memoria & mēte noſtra expulit. Vere fauus diſtillans ſunt labia tua, quæ diſtillauerunt verborum fluenta, ſuper mel & fauum, gutturi noſtro dulcia, quæ ſuper aurum & argentum recepimus, peneſque nos ſeruamus. Atque poſt pauca: Quamdiu tu lucerna ardens & lucens, & cæteri quoque Soles, domum Domini, prudentiæ, iuſtitiæ, & temperantiæ ſpeculo irradiaſtis: gaudebāt Patres in filiis, lætabatur Pater noſter Benedictus in ſuis alumnis, quos ab ipſis incunabulis [a] educauerat, Philoſophiæ alimentis. Tādem, ipſe vir Domini Abbo, iuxta commonitionem honorabilis Patris ſui Oylboldi, natiuæ faciem ſtatuens reuiſere telluris, à memoratis Pontificibus, optimis honoratus muneribus. Et à Venerabili quidem [b] Dūſtano, magnifica excepit munia, in argento, Sancto Patri perferenda Benedicto. A Domino verò Oſuualdo, [c] cum gratia presbyteratus, etiam cuncta eidem gradui congrua miniſteria, eſt adeptus. Rediens igitur, multiplicem ſecum aduexit gazam, in ſuis ſpeciebus dignam vitæ eius cōtinentem ſignificationem. Nam [d] armillæ torqueſque aureæ, congruam benefactorum dictorumve eius, ſignificauere remunerationem: veſtes verò Sacerdotales, præſentis futuræve gloriæ portendebant nitorem. At aureus Calix, & numeroſum argenti nomiſma, innocentis puritatem vitæ, ac rutilantis præſagiebant eloquij iubar. Quibus omnibus, poſt ſuam ad Floridi nominis Cœnobium reuerſionem, ita mirificè pollebat, vt in multorum & quos anteà latuerat, notitiam deueniret. VI.

a Philoſophia docebatur apud Floriacum.
b S. Dūſtani munera, S. Benedicto apud Floriacum directa.
c S. Abbo fit Presbyter.
d Armillæ & torques monacho erudito datæ.

Postea factum eſt, vt Venerabili Abbate Oylbaldo humanis rebus exempto, communis Floriacenſium electio fratrum vſque perferretur, hunc ſibi Patrē poſtulantium. Præerat per idem tempus Regiæ Francorum aulæ. Princeps Hugo nomine, qui conſenſum præbere nō diſtulit. Et quamuis vt in talibus fieri aſſolet, aliqui ex fratribus, huic electioni pertinaciter reniſi eſſent, tamen plurimorum, & vt poſt patuit, ſanioris conſilij, præualuit authoritas. Suſceptum [e] ergo vir Deo dignus Abbo, paſtorale officium, vt ille qui quid ſuſcepiſſet intelligeret, irreprehēſibiliter diſponere, pro poſſe ſatagebat. Monebat ergo ſubditos, vitiorum abdicatis ſpinis, in areolis cordium, diuinarum ſerere aromata virtutum. Iam verò contra vitia carnis, ingem aiebat debere haberi pugnam. Omnique induſtria inueſtigandum, quibusnam armis, quis eius repugnet oblectamentis. Ad [f] quod expediendum, poſt orationum vota, poſt ieiuniorum virilia certamina, multum prodeſſe cenſebat literarum ſtudia, maximeque dictandi exercitia. Quarum ipſe perſtudioſus exiſtens, nullum penè intermittebat tempus, quin legeret, ſcriberet, dictaretve. Extant multa ſcriptorum eius inſignia, quæ proprio, indigeant volumine. Nos [g] interim aliqua, futuris profutura ſeculis, ſuccinctim noſtris inſerimus carthis. Nempe poſt elucidatos vt prælibauimus dialecticos Syllogiſmos, poſt exaratas Compoti calculationes, poſt Solis ac Lunæ viarum declaratas dimenſiones, in Diuinas quoque animum intendit Scripturas. Aſſumpſuſque ex plurimorum Patrum auctoritatibus ſententiis, velut prudentiſſima apis, variis fauos componens floribus, mellitum deflorauit opus. Quod licet ad præſens non reperiatur, partim noſtrorum negligentia, partim extraneorum ſubtractum cupiditate. Certum [h] tamē eſt, idcirco eum excerpſiſſe, quo haberet ad manum defenſiones, contra Pontificem Eccleſiæ Aurelianenſis, non recta quædam ab eo exigentem. VII.

Hugo Rex Francorū.
e S. Abbo, efficitur Abbas Floriacenſis.
f Poſt ieiunia & oratione, labor ſtudendi, dictandi verò præcipuè, carnem domat.
g Scripta S. Abbonis.
h Scripſit S. Abbo defēſiones, cōtr. Aurelianenſem Epiſcopum.

Denique cum idem vir Domini paratus eſſet iuxta Apoſtoli præceptum, ſubdi etiam omni humanæ creaturæ, propter Dominum, intelligens tamen, loco quem regebat, poſtmodum poſſe officere, ſi ei modos ſubiectionis quos requirebat, ad ipſius libitum dependere: id facere in omni ſua recuſauit vita. Vnde idem Pontifex Arnulfus nomine, animaduertens nec ratione, nec diuinarum legum eum poſſe conuinci altercatione: manifeſtū ſe ei oſtendit inimicum. Qua de re actū eſt: vt ſatellites memorati Pontificis, eundem virum Dei, Turonis ad feſtiuitatem ſancti Martini properantem, noctanter aggreſſi, grauibus afficerent contumeliis: quibuſdam obſequij illius hominibus ad necem vſq; vulneratis. Quam rem præfatus Antiſtes cum in reliquis actibus ſuis, honeſtis ſemper ſe demōſtraret pollere moribus, nequaquam, vt par erat, indigne tulit. Verum propter vulgi famam, aliquos eorum qui hoc perpetrauerant ſcelus, quaſi pro ſatisfactione, vt virgis cæderentur, ante eum adduxit. Sed Dei ſeruus perpendens hæc non recta fieri intentione, ſimulq; memor Domini per ſcripturam dicentis, Mihi vindictā, & ego retribuā, quæ offerebantur accipere noluit. Et quia vindictam ſumere per ſemet diſtulit, vt à Domino vindicaretur emeruit. Etenim quoſdam ex ipſis morte ſubita interceptos, in lectulis ſuis repertos mortuos: alios in rabiē eſſe verſos, fama vulgate didicimus. Enim v. quia difficile eſt in proſperis inuidia carere, à quibuſdā aliis Præſulibus, necnō noſtri ordinis viris, videlicet Monachis, quos nunc nominibus propriis deſignare ſuperuacuum fore credidimus, æmulo lacerabatur dente. Quapropter ad Dominos rerum, Inclitos ſcilicet Franciæ Reges, Hugonem ac eius filium Rotbertum, à quibus pro ſummæ æquitatis ac veritatis tramite, quā ipſe Dei famulus inoffenſe diligens, tenebat, quā maximè amabatur Apologeticum ſcripſit librū. Cuius hoc exiſtit exordiū. Sæpe contingit, vt dū nimius inſurgentiū calamitatum horror, mentē fatigat ipſo horrore, nō ea quæ dicere debuerat, turbatus animus expediat: ſed phantaſmate cogitationum aliorſum raptus, quæ [i] tacenda ſunt dicat, ac quod eſt conſequens, quæ dicenda taceat. Semper enim ſummæ tranquillitatis quietē diligit, qui veritatis arcanum ratiocinando diſponere geſtit. Quapropter ab ipſis diſciplinarum rudimentis, ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea, laborioſum ſpiritualis Philoſophiæ otium: cum ad multorū vtilitatē, verterem, in honeſtū negotium. Cum meis peccatis propedientibus, eò relicto, quodammodo ad ſeculi ſolicitudinē ſum reductus, qui ſub cura paſtoralis regiminis, cotidiè ſuſtĕror aqua anguſtiæ, & pane tribulationis. Corrodit me canino dente, æmulorum ſupplantatrix calliditas, circum latrat aduerſariorū frequens acerbitas. Nec aliud contra me immurmurant, niſi quod monachorum Senatū ſaluum eſſe velim. Noſtræ Reip. augmentū quæſiui, ac cauillationi inſidiantiū, authoritate qua valui contradixi. Nec abſcondi omnino miſericordiā & veritatem, à cōſilio multo. Pro huiuſmodi malis, meo inſidiantur ſanguini, me ſuccenturiatis inſequuntur odiis. Adeo vt nec Regia Maieſtas eos deterreat, quin me clanculum trucident, ſi eis locus tempuſve arrideat. Vnde ſedulus in orationibus meis, Dominum deprecor, vt iudicet & diſcernat cauſam meam ſolito, eripiatq; ab homine iniquo & doloſo. Hæreticorum autē, in hoc eodem libro faciens mentionem, poſt nonnulla alia, hæc interſerit. Omnes inquiens hæreſes, ita perſecuti ſunt patres noſtri, vt primitus fide expoſita, explorarent in ſuis Conciliis, ne quis ſentiret contrariū ipſis Apoſtolis. Qui repertus, abſq; vlla dilatione, aut ad corpus Eccleſiæ eſt reductus: aut vſq; ad erroris abrenuntiationē, percuſſus Anathemate: Catholica priuatus eſt cōmunione. Nec magis ſerpentē tangere vitauerūt Orthodoxi, quā adhærere huiuſmodi lepra contaminatis. Vnde in Canonibus prohibemur, ſi nos catholicos eſſe ſcimus: ne cū eis ſaltē oremus. Nā ſub Marciano Principe, apud Calcedoniā, xv. & eo amplius dictū actio de hac re ventilata eſt, reſidentibus Epiſcopis DC. & vt quibuſdam VIII.

1. Pet. 2. 13.
Arnulfus Epiſcopus Aurelianenſis.
Rom. 2. 22.
S. Abbonis Liber Apologeticus ad Reges.
i Quid agat animi perturbatio.
Hæretici ſtatim per à Catholicis conuicti atque fugati.
Marcianus Imperator Pius.
Concilium Calcedonēſe in quo DC. vel

buſdam placet, M. CC. Quibus omnibus pius Princeps ex ſuarum rerum copia, ſumptus abundanter præbuit, quoad omnes Hæreticos a ſe repellerent, id eſt eos qui in verbo vel opere, aliter quàm ſancti Apoſtoli ſenſiſſent. Quo facto, in tantum fidei puritas placuit pio Principi, vt eam ipſe cũ ſua coniuge, ſub chyrographo hoc publicè profiteretur coram illo magno Concilio. Cuius piã Religionem imitamini Domini noſtri Hugo & Roberte chariſſimi Reges: ſi in terra viuẽtium, Chriſto vultis eſſe hæredes ac cohæredes. Et de Regno veſtro omnẽ hæreticam prauitatẽ depellite, vt Deus vos cuſtodiat in æterna pace. Et poſt pauca. Inter reliquas, Hæreſes etiã de * oratione Eccleſiam, in his deflens exſurrexiſſe regionibus, Hæc infert. Caueat inquiens, quicumq; vult ſaluus eſſe, eam, haud dubiè quin Eccleſiã, alicui* alterius,[a] niſi ſolius Dei poſſeſſionẽ credere. Vnde Petro Principi Apoſtolorũ dicitur. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram, ædificabo Eccleſiã meam. Mea inquit, non tuã. Et Chriſtus alibi. Domus mea, domus orationis vocabitur. Pſalmiſta quoq; Domum tuam Domine, decet ſanctitudo.[b] Si ergo Eccleſia, nõ eſt Petri, cuius erit? Aut ſucceſſores Petri audebunt poteſtatem ſibi vendicare, quam nõ habuit Petrus Princeps Eccleſiæ? Certe Cariſſimi Principes, nec Catholicè viuimus, nec Catholicè loquimur, quando illã Eccleſiam dico eſſe meam, ille alterã dicit eſſe ſuam. Ac veluti quædam iumenta, comparati iumentis inſipientibus, vtraſq; aliquando[c] venales proponimus, propoſitaſq; ab aliis, emere non formidamus. Eſt etiam alius error grauiſſimus, quo fertur Altare eſſe Epiſcopi, & Eccleſiam alterius cuiuslibet Domini: cum ex domo conſecrata & altari, vnum quoddam fiat, quod dicitur Eccleſia, ſicut vnus homo, conſtat ex corpore & anima. Videte æquiſſimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dũ refrigeſcit charitas.

MCC Epiſcopi adfuere.
*Forte legẽdum deſolatione vel inuaſione.
a Eccleſia ſolius Dei poſſeſſio
Matth 16 18
Matth. 21. 13
Pſal 92. 5
b Vere Petri non eſt Eccleſia ſed Chriſti Petrus autem, eſt Vicarius Chriſti.

IX. In illis ſanè diebus, in[d] Monaſterio S. Dyoniſij haud procul à Pariſiis, Concilium aggregatũ eſt quamplurimũ Epiſcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam ſuis quàm ſubditorum prauis moribus, ſermocinari debuiſſent, iuxta vulgare prouerbium, cunctũ ſuum ſermonem,[e] ad Decimas verterunt Eccleſiarũ. Quas laicis, ac Deo ſeruientibus monachis auferre molirí, reſiſtente eis in hac re hoc Venerabili Dei cultore Abbone, promiſcuam in ſe vulgi concitauere manum. Ortaq; ſubito ſeditione, tantus in Epiſcopos timor irruit, vt publica ſtatione relicta, paſſim quiſq; diffugeret: Inter quos[f] Seguinus Senonum Archiepiſcopus, Primatum Galliæ in ea Synodo ſibi vſurpans, Primatum quoq; fugæ arripuit. Et inter fugiendum, ſecuri inter ſcapulas ictus, lutoq; à popularibus oblitus, ægrè euaſit. Vni quoq; Epiſcoporum, timor fugienti tam veloces addidit alas, vt affluentiſſimo prandij apparatu: quẽ ſibi extruxerat, relicto vicinæ vrbis Pariſiorum mœnia, fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam iniuriæ, tam à præfato Arnulfo quàm à reliquis Pontificibus, ſub ſe mei deuolui perpendens, hic Deo deuotus Abbo, in eodem Apologetico nõ ſolum ab hoc, verum & à quibuſdã aliis, hoc modo ſe purgat obiectis. Nec me veſtro, ait Regibus, aliorumq; ſapientum examini ſubduco, qui contra Canones ſenſiſſe ſuſpicor. In Epiſcopos, manum Monachorum mouiſſe accuſor, veſtram beneuolentiam, proprio Epiſcopo tuliſſe blaſphemor, quibuſdã excommunicatis participaſſe criminor. Sed eſto, cui ſententiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio, vix apertũ librum videre potui? Aut Concilium illud fuit! vbi conciliati venerunt, & diſconciliati receſſerunt? cum ibi diſcordes reconciliari debuerint, aut Canonica deſtrictione mulctari. Quid in me ſingulariter commiſerunt Epiſcopi, vt eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim, præſertim cum non inimicum: ſed fide & opere amiciſſimum, grauiora pericula pertuliſſe cõtigerit? Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium conclamatione, vltra quã dici poſſit indolui, recordatus priſtinæ amicitiæ & beneficiorum tanti viri, cuius nix venerandum caput oſtendit, excepta Primatus prærogatiua, & Sacerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, vt veſtram beneuolẽtiam optimis auferretis, male meritis conferretis? Num ego Deus ſum, qui mutat mẽtes, mutat corda: mutat regna & tempora? Verè fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didiciſſe. Atque paulò poſt, hæc addit. Denique quod excommunicatis me miſcuiſſe aſſerit, eius exemplo vtique feci, qui filios Belial nocturno latrocinio in meam necem greſſantes, recepit: poſtquam eos anathematiſauerat ſuus Archiepiſcopus, ſingularis meriti Seguinus, &[g] Odo Carnotenſium Epiſcopus, necnõ & alij magnæ vitæ & religionis viri. Et iniqua indignatus exurgere iudicia, execranti voce proclamat O tempora! ô mores! certe qui volunt exequi in fabrateria mendacij, cupiditates ſuas prauas, ipſi nituntur condere leges iniquas. Ad vltimum ſua non ignorant multis diſplicere ſcripta, Regibus ſeſe cõmendat, præcipuè Domino Roberto,[h] quem ſcientem literarum, ac idcirco, diligentem fore nouerat ſtudioſorum, ſcribens in hæc verba. Præterea Dominos meos cum familiariter alloquens bona ſuadeo, multorum animos ſcio contra me concito, iuxta illud Comici. Obſequium amicos, veritas odium parit. De quorum animoſitate non multorum moueor, dulce decus meum Roberte, quẽ atauis Regibus editum, Diuina Pietas perduxit ad Regni faſtigium, ſi poſt Dominum & ſanctos eius, veſtro ſpecialiter ſuſtentor auxilio & conſilio, cuius mentionem in cotidianis orationibus meis, numquam prætereo.

c Symonia.
d Conciliũ Prouinciale, apud Sãdyoniſianũ Cœnobium
e De laicis decimas poſſidentibus, vide Choppini ſacram Politiam.
f Seguinus Archiepiſcopus Senonenſis, nititur vſurpare Primatum Gallicanæ Eccleſiæ.
g Odo Carnotenſis Epiſcopus.
h Roibertus Rex doctus Terentius.

X. BERNARDO[i] etiam Abbati Bellilocenſium, inter alia, duarum mittit textus Epiſtolarum, quarum non putauimus prætermittendam commemorationem. Hunc ſanè Bernardum, Pater Hugo haud infimo inter proceres Aquitanicos ortus loco, ex copioſa filiorum caterua Deo obtulerat ad ſeruiendũ:[k] ac ad Floriacenſe Sancti Patris Benedicti Cœnobium miſerat, literis imbuendum. Quem hic totius bonitatis plenus Abbo, ex præcepto Abbatis ſui honorabilis Richardi, ſuſceptum, valde dilexit, & in quantum temporis opportunitas, adriſit, liberalibus artibus erudiuit. Sed idem Bernardus, non longo annorum interiecto ſpatio, à Patre ſuo euocatus,[l] Solemniacenſi Abbatia, quam ſanctus quondam conſtruxit Eligius, eſt donatus. Ac non multo poſt, Bellilocenſem locum, quem eius genitor iure belli, armiſq; conquiſierat victricibus, eſt adeptus. Cui cum[m] Vuillelmus Comes Tholoſanus, Cathurcenſem[n] Præſulatum quem nunc regit, committere diſpoſuiſſet. Et ob hoc, tam ipſe Comes, quam & Archiepiſcopus Byturicenſiũ, ſub cuius Diœceſi eadem Eccleſia conſiſtit, non minimam pecuniæ ſummam ab eo exigerent, ad hunc alumnum ſuũ ſanctum dirigit Abbonem, quid facto opus eſſet interrogans. Ad quem ille,[o] caritatiuam dilexit Epiſtolam, ita ſe habentem. Quia te diuina pietas, ſeruum ſuum multis honoribus admodum extulit, quos virtutum prærogatiua adeo excolis, vt te imitabilem præbeas pluribus bonis: hortor & admoneo, vt tuæ memor profeſſionis, illos gradus excellẽtiæ appetas, in quibus Dominũ non offendas. Et poſt aliquanta, eos denotans qui gratiam ſancti Spiritus vel vendunt vel emũt, hæc dicit. Huiuſmodi emptores, quaſdã velut telas aranearũ texunt, quibus ſe defendunt, quod nõ benedictionẽ, ſed res Eccleſiæ poſſeſſuri emũt[p] Cuius vero poſſeſſio eſt Eccleſia, niſi ſolius Dei? Quis eius Dominus niſi Deus? Quia etſi præſens Eccleſia indiget duobus aduocatis, vno in rebus tẽporalibus, altero in ſpiritalibus, neutrũ tñ habet vt Dominũ, qui eã vel vendere poſſit, vel emere, quã Chriſtus redemit ſuo ſanguine. Danſq; ei conſiliũ, huiuſcemodi clauſula finẽ imponit Epiſtolæ. Numquã ergo inquiẽs fieri hæreticus vllo modo acquieſcas, quia inaniter de peccatis pænitentiã agit, qui eam fidem impugnat, quã ſub ſanctis Apoſtolis Catholica tenuit Eccleſia. Verũ, Bernardus tandẽ aliquando bonorum huius vitæ pertæſus, videns multorum frigeſcere charitatem, & ideo ſuperabundare iniquitatem, delibcrauit animo, relictis omnibus quæ poſſidebat, Hieroſolymam petere. Quod iter, à Patre eius, pœnitentiæ voto,[q] ante omnes ferè in hoc tempore Galliæ habitatores cœptum, ac percurſatum fuerat. Nec tamen hoc abſque ſui ſententia didaſcali aut conſilio, perficere diſponens, ad Floriacum venit monaſterium, ſecreta cordis ſui, huic ſuo totius bonitatis patefacturus magiſtro. Ille, Hieroſolymitano interdicto itinere, ne omnino eius voluntati contraire videretur. Romam petere, montem[r] Garganum adire conceſſit. Paternoque affectu, attributis comitatui ſiue obſequio illius aliquibus ſuorum, cum fraterna eos ſiuit abire benedictione. Qui propinquorum ſuorum æquè limina

i Bernardus Abbas Bellilocenſis.
k Nobiles, liberos ſuos ad ſcholas Floriacẽſes mittebant
l Solemniacenſe Monaſterium.
m Vuillelm9 Comes Tholoſanus
n Cathurcẽſis Epiſcopatus.
o Epiſt S Abbonis ad Bernardum Abbatem Bellilocenſem
p Symonia.
q Quæ ſub primum incepta ſunt a Francis, Hieroſolymã adiri.
r Mons Garganus.

Apoſtolorum adeuntium coactus querelis: dicentium eius abceſſu, clandeſtina inter ſe conſurrexiſſe bella, Conſtantinum Presbyterum quem ei vt obſequeretur, pius magiſter, ipſi delegauerat: ex itinere ad eum remittit, mandans ſuorum neceſſitudine, ſe domum redire compulſum. Non tamen quippiam ſe ſine eius præcepto acturum, quin potius ei per omnia, vt prius ſpoponderat pariturum. Simulque quæſtione propoſita, inquirit vtrum nam melius eſſet cuncta relinquere, an vt ſuis præſidio foret, ſeculo ſpecietenus deſeruire? At veritatis amator Abbo, apicibus ad eum directis: & quid ſibi rectius videretur exponit: & quid ipſe tenere mallet, liberam dat eligendi copiam. In quibus, non ſolum ipſum Bernardum Abbatem, ſed etiam vniuerſos viæ eius conſortes, aut graui laborauiſſe incommodo, aut mortem obiiſſe condolens deflet. Inter quos Dominus Remigius Monachus,[f] qui poſt, cellæ in qua idem Beatus Abbo corpore humatus quieſcit, præfuit, ab eodem Dei viro, ad obſequium memorati Abbatis, nunc Epiſcopi, directus, magna vi febrium vexatus eſt. Sed nos memoratos apices, ad demonſtrandum huius hominis Dei benignitatis affectum, ex integro huic volumini inſerere dignum duximus: (Reliquis eius Epiſtolis abbreuiationi operam daturi.) Eſt enim huiuſmodi. Domno meo Abbatum Chariſſimo Bernardo, ſeruus ſeruorum Dei Abbo. Suſcepi V. in Chriſto, viuas tuæ peregrinationis literas, & ex penè mortuo Presbytero addidici, quid inter fluctus cogitationum ſemiuiuus lugeas, quem concepti voti impotem, patriæ calamitas impræſentiarum reddit, & innatam deuotionem, vt opinor, diſtulit, non funditus extinxit. Quod audiens, fateor nimis indolui, & lachrymando dolori ſatisfeci: quandoquidem tui deſiderio gemebat circunſtans fratrum maxima multitudo, & omnibus in commune gementibus, redibat ad memoriam, quod vir magnæ grauitatis Hugo, tui comes itineris, & ſocius laboris, multis bonis flebilis occidit, nulli flebilior quàm tibi, pro cuius amore, poſt Dominum, Patriam, parenteſque relinquens, exul vitam finiuit. Cumque ſatis egiſſem mœroris, tandem mihi conſului, quia tibi abſenti non potui, quem in orationibus interdiu videre videor. Dum Omnipotenti Deo ſacrificium ſpiritus contribulati, offerre non deſiſto. Si quidem, id nimium extimui, quod baiulus legationis innotuit, vultum videlicet veſtrum ita emarcuiſſe, vt vix queatis ſubſiſtere: non ſolum deſtitutus ſobrietate & amicitia defuncti, verum etiam robore corporis. Vereor itaque ne inſidiæ diaboli quæ multæ ſunt, & vias ſeruorum Dei ſpinis circumſepiunt, te à via mandatorum Dei auertant, & retro reſpicere compellant, priuſquam ad Segor paruulam ciuitatem deuenias, in qua tuam animam ſaluans, ſaluare queas. Scio etenim quod nunc tibi circunſtrepunt propinquorum greges, militum phalanges, amicorum multitudines, & ſuccenturiati, declamatoriè perſuadent: quod ſibi, non tibi, vtile diiudicant. Sed domi vitulis relegaris, noſti quid vaccæ fecerint, quæ mugientes arcam teſtamenti portauerunt: & non declinantes ad dexteram vel ad ſiniſtram Betſamis, pertulerunt. Cuius facti non immemor, recordare, quod in ſacrificio iubetur offerri cauda hoſtiæ. Nec vlla rei familiaris cogitatio ſubrepat, quæ te à recto itinere dimoueat. Nam occurrit animo quod mecum familiariter locutus es, dum Romam proficiſci decreuiſſes, conſulens, vtrum ſcilicet, relinqui deberet ſemel ſuſcepta cura Paſtoralis regiminis: & oporteret dare libellum repudij fratribus & filiis, qui nobis aduerſantur in via Dei? Cui cum ego reſpondiſſem, quod authoritate Patrum certum noueram, & creditis ouibus mortem præualere perſentiſcerem, te infructuoſum ſaltem tibi perſuadere nec auſus ſum nec debui, exemplum proponens Pauli Damaſcum fugientis, & Beati Patris Benedicti monachorum Legislatoris. Denique in multis cauſis, occaſio ſe immergit: quæ difficultatem contrariæ legis, bono exitu meliorem reddit. Quis enim non laudet curam paſtoralis regiminis, ſi proſit? Quis rurſus non laudet, in ſe, beneuolentiam Paſtoris, ſi aliis non proſit? Solet nempe eſſe in præceptis diuinis,[g] quod & in antiquis reperitur edictis. Lex eſt: Si quis maſculus templum Veneris fuerit ingreſſus, capite puniatur. Quidam iuuenis prætereiens templum Veneris, intus matrem cædi conſpexit: & introgreſſus eam eripuit. Accuſatur contra legem feciſſe. Defendit ſe ille legi paruiſſe, & inter diſſidentes, ſi percuſſori ignominia non proſit, iuuat ex circumſtantiis occaſio pietatis. Idem eſt in noſtris Euangeliis, vbi præcipimur non ſolum vxorem relinquere, ſed etiam odiſſe, propoſito præmio, quod qui hoc fecerit, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Rurſus qui vxorem dimiſerit: non quidem præmio, ſed ſupplicio dignus ſcribitur, quo mœchi damnari præcipiuntur. Porrò, & qui matrem eripuit, & qui vxorem dimiſit, vterque præiudicium patitur, ſi ſupplicio punitur, quoniam inde authori legis ſe placere putat, vnde offendiſſe præiudicatur. Quapropter Dilectiſſime, non bonum malo melius exiſtimes: ſed bonum, bono melius credas: & ex contrariis ſententiis, eam eligas, qua vitiis abrenuncies, & moralibus virtutum exercitiis creſcas. Denique dum Abbatis onus portare debeas, an debeas deponere addubitas. Diſcretionem qua maximè opus habet, matrem virtutum aſſumas, & conſcendendo tribunal conſcientiæ, iudicio diſcute, quid vtilius honeſtiuſve ſit animæ tuæ. Nam officium Abbatis implere, & lucrum animarum quærere honeſtiſſimum eſt: cui non impoſſibile eſt. Cui verò malitia ſubiectorum impoſſibile eſt, quid ſupereſt, niſi vt honeſtum putet, Diuino parere oraculo, quo ſcriptum eſt. Fili miſerere animæ tuæ placens Deo? Sanè & apud Ezechielem, ſpeculator clamans & non auditus, animam ſuam liberat: & apud Benedictum Patrem, Paſtor ſpretus & contemptus abſoluitur, qui omnem curam exhibuit creditis ouibus. Cæterum V. Pater, ſaltem in[h] feſtiuitate Patris noſtri Benedicti quod tibi placeat innoteſce vt certi eſſe poſſimus quam totiùs, de tua quam optamus ſalute.

[f] Remigius Præpoſitus Regulæ.

Gen. 19.

1. Reg. 6. 12.

[g] Leges pro rerum circunſtantiis debent interpretari.

Eccl. 30. 24

[h] Feſtiuitas Patris noſtri Benedicti.

Interea eximius Abbo, condigno apparatu Romam proficiſcitur: [a] Priuilegia Eccleſiæ ſibi commiſſæ XL.
corroboraturus, immo renouaturus. Sanè non qualem voluit aut qualem debuit, ſedis Apoſtolicæ Pontificem nomine [b] Ioannem inuenit. Nempe turpis lucri cupidum, atque in omnibus ſuis actibus venalem reperit. Quem execratus, perluſtratis orationis gratia ſanctorum locis, ad ſua rediit, emptis optimæ ſpeciei aliquantis Holoſericis palliis, ornatui Eccleſiaſtico congruis. Porrò paucis labentibus annis, occaſio ſe præbuit, vt[c] rogatu ac precibus Glorioſi Regis Rotberti, Romuleam repedaret ad vrbem. Præcipua verò, earum pro quibus directus eſt cauſarum, hæc fuit: Quia[d] Arnulfus Remorum Archiepiſcopus, abſque iuſta audientia, ſede ſua priuatus, cuſtodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc, Gregorius[e] qui Ioanni in Apoſtolica ſucceſſerat ſede, non ſolum Nobilitate generis, verum etiam probitate clarus mentis,[f] toti Regno Francorum Anathema ſe innecturum comminatus eſt. Hac igitur ex re Italiam repetere, ſeruus Chriſti Dei cogitur. Et quamuis mole corporis grauaretur (Nam in tranſmarinis regionibus, peregrinorum ciborum inuſitata qualitas, decoctæque potionis hauſtus, corpus eius pingue reddiderat) nequaquam tamen labore fatigabatur. Nec vero ipſa eius pinguedo, vllam ei ingerebat dehoneſtationis maculam. Et cupidus pacis cum foret, leue ducebat omne genus defatigationis: Dummodo eum reperiret virum, per quem, fama vulgante audierat, ad priſtinum poſſe ſtatum, religionis reſurgere normam. Profectus ergo, Romana iteratò reuiſit mœnia, vbi eo quem quærebat nequaquam reperto, per concaua vallium per prærupta montium, inueſtigans: tandem in finibus Spoletanorum inuenit. Cumque ſe inuicem duo Eccleſiæ lumina conſpexiſſent: gaudio vltra quàm credi poſſit gauiſi magno, in mutuos ruunt amplexus. Et prior veræ humilitatis cuſtos Abbo, ſalutatoria à parte Regis depromit verba. Tum ſacerdos verè Apoſtolicus, reddita benedictionis recompenſatione, ait Beato viro. Bene te aduenisſe gaudeo fili Eccleſiæ, veritatiſque,

[a] Priuilegia Eccleſiæ.

[b] Ioannes Papa, vituperatus.

[c] Abbo, rogatu Regis Rotberti Romam vadit.

[d] Arnulfus Archiepiſcopus Remorum.

[e] Gregorius Papa laudatus.

[f] Papa minatur ſe innecturum Anathema Regno Francorum

tariſque, vt comperi, cuſtos ardentiſſime. Etenim ſurdus de te rumor meas repleuerat aures; te tam diuina quam humana pollere ſapientia: nec qualibet amicitia, à iure æquitatis abduci poſſe. Verè fateor, me iam dudum deſideraniſſe tuum intueri vultum: tuo concupiuiſſe amicabiliter perfrui alloquio. Fruamur ergò cupitis ſermocinationibus, alternisque diuinarum atque mundanarum lectionum, aliquandiu mentem releuemus ſtudiis. Porrò, vnum te volo noſſe, legationem tuam me benignè ſuſcipere: & quæque ſuaſeris, me facturum fore. Tuum autem erit petere, meum verò petitis pro poſſe aſſenſum præbere. Noui namque, nihil te contra ius faſque poſtulaturum, ac ideo, me tibi contraire ſcio non eſſe æquum. Poſt hæc verba, omnibus ei collatis victui neceſſariis ad hoſpitium ſiuit abire. Sicque octo fermè diebus eum detinens, [f] & frequenter conuiuio ſuo eum aſciſcens: cunctis pro quibus ierat libens annuit.

[f] Papa, S. Abbonem ſuo adhibet conuiuio.

XII. Tunc verè ſollicitus Paſtor Abbo, memor vtilitatis loci, quem regebat, Priuilegium illi Apoſtolicæ vtilitatis fieri rogauit. Quod Deo dignus Papa tam fauorabiliter largitus eſt, vt non ſolum nullum pecuniæ quæreret lucrum, [a] verum thimiamate ac planeta, qua inter Miſſarum vteretur ſolemnia donatum: eumdem Dei famulum gaudentem, ad proprium remiſit ſolum. In eo ſane Priuilegio, & inter alia continetur, vt Epiſcopus Aurelianenſis, niſi inuitatus, Floriacum nequaquam adeat Cœnobium. Neve vmquam quilibet Pontificum, eidem monaſterio diuinum interdicat officium, etiam ſi tota Gallia ob populi peccata, anathematis feriatur vindicta à ſede Apoſtolica. Sed ne quis eos, Domnum dico Apoſtolicum & Abbonem ſanctum, exiſtimet in hoc facto, contraria Regulis Sanctorum ſenſiſſe Patrum: neceſſarium nobis viſum eſt, ex Epiſtolis. Magni Papæ Gregorij, pauca de pluribus hîc exempla inſerere, in quibus exquirendis: pia huic Beato viro ſemper fuit intentio. [b] Sciebat namque, illum nunquam vel ſenſiſſe vel ſcripſiſſe, contra Canonum decreta. Scribit ergo idem egregius Papa Gregorius, [c] Maximiano Rauennati Epiſcopo, inter alia. Quoties pro vtilitate Monaſterij ſui ad Pontificem Romanum, Abbas venire vel tranſmittere fortè voluerit: id ei modis omnibus liceat. Quod vero ab Epiſcopis & Clericis, monaſteria inquietari non debeant, tam memorato Pontifici, quam eius anteceſſori [d] Ioanni, frequentibus ſcripſit Epiſtolis. Luminoſo [e] quoque Abbati, de eadem re, inter cætera, ſic ait. [f] Caſtorio inquiens fratri & Coepiſcopo noſtro, noſtra præceptione tranſmiſſa, ei ſucceſſoribuſque eius, à te monaſterioque tuo, cunctam exactionis abſtulimus funditus poteſtatem: vt nec vltra in veſtro verſaretur grauamine, nec monaſterij res deſcribat, nec publica illic debeat eſſe proceſſio. Ad eundem etiam Caſtorium, poſt aliqua ita ſcribit. [g] Miſſas ait illic, haud dubiè quam in monaſterio, publicas per Epiſcopum fieri omnino prohibemus: ne in ſeruorum Dei receſſibus, popularibus præbeatur vlla occaſio conuentibus, & ſimpliciores ex hoc animos, plerumque quod abſit, in ſcandalum trahat, frequentior quoque mulierbris introitus. Quod autem Diuinum officium, monaſteriis interdici non oporteat. Ioanni Epiſcopo de Vrbe veteri ſcribens, ita aſſerit. [h] Agapitus Abbas monaſterij ſancti Gregorij, inſinuauit nobis, plurima ſeà veſtra ſanctitate grauamina ſuſtinere: & non ſolum in his quæ neceſſitatis tempore monaſterio aliquod poſſint ferre ſubſidium, verum etiam in hoc monaſterio Miſſæ prohibentur celebrari, ſepeliri etiam ibidem mortuos interdicis. Quod ſi ita eſt, à tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos vel celebrari Miſſas nulla vlterius habita contradictione permittas, ne denuo querelam de his quæ dicta ſunt, prædictus vir Venerabilis, deponere compellatur. Verum de his ſatis dictum. Nunc cœptæ narrationis ordo repetatur. Regreſſus itaque honorabilis Abbo, ad Regem, à quo miſſus fuerat: cuncta pro quibus ierat perfecta nunciat. Arnulfum Remenſem cuſtodia exemptum, Pontificatui reſtituit: [i] Pallium illi à Domno Papa directum reddidit. Poſt hæc, per internuncios ipſi Venerabili Apoſtolico Domno Gregorio, amicabiles plenaſque reuerentiæ dirigit literas. In quibus innoteſcit, ſe cuncta vti iuſſerat perfeciſſe. Quarum iſtud eſt exordium. Domino ſemper in Chriſto Venerabili S. Romanæ & Apoſtolicæ ſedis Præſuli, [k] ac ideo vniuerſalis Eccleſiæ Doctori, ſuus illius, Abbo Floriacenſium rector in Chriſto Salutem. Sæpius contingit vt puritas integræ veritatis, vacillet ſententia maleſidi interpretis. Quod ego Venerabilis Pater cauens, veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque vt percepiſtis deprompſi: nec animoſitatem Regis perhorrui, dum fidem quàm vobis promiſeram, ex aſſe ſeruaui. Quando quidem, nihil addidi, nihil minui, nihil immutaui, nihil reliqui. Horum omnium, ipſe Arnulfus è cuſtodia liberatus & abſolutus, teſtis eſt: cui veſtrum pallium coopertum obtuli, quomodo illud acceperam ex ſanctis manibus veſtris. Meminit & in fine earum, planetæ ab ipſo ſibi datæ, ita inquiens. Nam liberalitatis veſtræ memor, vt ſeruus Domino gratias refero, qui inter Miſſarum ſolemnia, munere veſtro vſus planeta, veſtri nullo modo obliuiſci valeo in meis oblationibus. Cæterum vobis ſemper parere decreui, cuius Apoſtolatum Deus cuſtodiat, in æterna pace.

[a] Summi Pontificis munera, S. Abboni data, Thimiama & Planeta.
[b] S. Gregorij laus.
[c] Maximianus Rauennenſis Epiſcopus.
[d] Ioannes Rauennenſis Epiſcopus
[e] Luminoſus Abbas.
[f] Caſtorius Epiſcopus.
[g] Miſſæ publicæ coram in monaſteriis fieri prohibitæ.
[h] Agapitus Abbas.
[i] Pallium Archiepiſcoporum.
[k] Papa vniuerſalis Eccleſiæ doctor.

XXI. Othoni [l] quoque Imperatori, Epiſtolam verſibus conſcripſit Hexametris, nullis ſapientium iſtius temporis comparandam, Carminibus. Ex Porphyriano vtique ſibi codice exemplar ſumens: hunc verſum, materiam & quaſi fundamentum totius conſtituit operis.

[l] Otho Imperator

Otto valens Cæſar, noſtro tu cede cothurno.

Is nempe verſus in eadem deſinit litera qua etiam incipit, ſicque fit, vt ipſe principia verſuum omnium, finemque tenens: per medium quoque Epiſtolæ erectus, itemque in tranſuerſum in modum crucis incedat. Ipſe nihilominus clauſula carminis fieret. Atque hoc modo contingit, vt & ipſe ſexies diuerſis modis legatur, & quatuor quadrangulos in Epiſtola faciat, in quibus quadrangulis quatuor nomina erectim poſita leguntur, In duobus quidem Otto & Cæſar, In aliis vero Abbo & Abba, quæ minio ſcripta, licet ſeparatim hoc ſonent, tamen cum aliis verſuum literis in ordine rediguntur, cuius ſeries Epiſtolæ, huius modi continetur ordine.

Otto valens Cæſar, noſtro tu cede cothurno.
Tot Fælix attauis, quot cœlo ſydera lucent.
Te Dominum ſibi, Saxo Tulit, & Roma notauit.
Orbis & ipſe cupit, ſolo contentus alumno,
Virtutum titulis, & vir cognoſceris actu.
Ac domitor patriæ, pacis ſectator in aula
Lumen vbique micans, iubar lucendo velut Sol
Ergo Dei ſolita, reddentur ſancta benigne

Nec decerit virtus omnis, qua gratiæ culmen
Scandit.·.·.·.·.
ᵃ Certe nos omnes tibi Cæſar.·.·.·.·.
At.·.·.·.·.
Et.·.·.·.·.
Summus chara viris, ac ſenis plena colonis
A patris Imperio non.·.·.·.·
ᵇ Rexit eum ſolers &: regnans Induperator
Nunc Auguſte tuum, ponit venerabile nomen
Otto valens Cæſar noſtro * incede cothurno
Solus enim.·.·.·.·.
Totus auo ſimilis, ſi te noua vita reſignat.
Rex fuit ille potens, Romanæ legis amator.
Omne decus patriæ, ſolio prognatus auito
Tempora pacis erant, tali dum iure vigeret
Vir tantus, quem ſic, duxi deſcribere verſu.
ᶜ Cur ergo natale tuum.·.·.·.·.·.·.

* Tu ſolo

Cætera in Authographo omnino legi præ vetuſtate nequeunt.

a Odilo Cluniacenſis Abbas.

Corruptio in textu.

b Ciclianales.

Sed & idem venerabilis Abbo ad ᵃ Odilonem Cluniacenſium Abbatem Venerabilem ſanæ & Religioſæ vitæ virum, ſcribens, quid capitula eræ ſiue adnotata .·,·. Euangeliis habentur, inter ſe diſcrepent, quidve de .·.·apertà ſatis enodatione declarat. Exiſtunt & alia ad alios huius Sancti Patris ſcripta, quæ ne lectori faſtidium generent, nunc interim tegantur per ſilentium. Vnum illud non omittendum, quod ᵇ Ciclos annorum Incarnationis Dominicæ, ab Incarnati Verbi initio, ad ſua vſque tempora, iuxta veracem Euangeliorum fidem correxit: atque ad annos poſtea circiter mille quingentos nonaginta quinque, dilatauit. Cuius operis præfatiunculam, Fratribus ac filiis ſuis, nobis ſcilicet Floriacenſibus conſignans monachis, mentionem facit anni tranſitus Sanctiſſimi Patris Benedicti.

Svfficiat iam nunc laudem fidelis linguæ eius, ſtylique politi, quantum poſſibile fuit, deprompſiſſe elegantiam. Illud celebri fama in populos propalare digniſſimum, nequaquam hunc beatum, virum à Deo XIV. expertem miraculorum relictum, dum adhùc carne præſens incoleret ſeculum. Quin potius eius ſibi monſtrauit placuiſſe vitam, quam miraculis voluit eſſe inſignem. Eadem autem tempeſtate, fuit quidam homo, quem dira lepræ perfuderat macula. Hic admonitus eſt per ſomnium, vti ab hoc Dei homine, ſuæ ſanitatis quæreret auxilium. Qui veritus per ſeipſum accedere ad eum, quemdam boni teſtimonij optimæque conuerſationis adiit Monachum, nomine Eliſerium, huic eidem Sancto familiariſſimum. Illi ergo ſuæ neceſſitatis exponit cauſam, manifeſtatæque viſionis modum. Reuelatum quippe ſibi fuiſſe aiebat, debere eumdem Chriſti famulum aqua exorcizata manus abluere: quam videlicet aquam, ipſe æger ſuſcipere deberet, languentiaque membra perfundere. Audiens hæc monachus, primo detrectauit fidem eius adhibere dictis: ſimulque eum his cœpit obiurgare verbis. Cur inquiens O homo, nos temptatum aduenis, ſomniorum tuorum deliramenta prouectis inferendo? Noli, noli, falſis tuis adulationibus, noſtras mentes ſeducere velle. Tum ægrotus perſanctè deierat, ſe nullam fallaciæ nebulam prætendere, quin potius vera allegare. Abiit ergo frater ille ad hunc de quo ſermo vertitur ter Beatum & Diuinum, quod à languente audierat, ei pandit oraculum. At ille paulò commotior & indignantis vultu expreſſo, penèque inlachrymans. Non inquit hactenus ea vobis contuli exempla, vt me adulationis quis æſtimet deſiderare obſequia. Quapropter ſi meum te vis vocari & eſſe dilectum: caue ex tuo ore iſtud deinceps audiam verbum, præcipuè cum ad iſta, me nullatenus ſciam fore idoneum, & ſanctorum talia ſint geſta virorum. Cui cum à fratre obiiceretur, non oportere illum gratiam ſibi diuinitus collatam occulere, quæ ſaluti petentium crederetur poſſe prodeſſe, præſertim cum id ille recta & ſimplici fide, non adulantium perſuaderet voto tandem ſe vinci paſſus eſt. Allataque Benedicta aqua, manus lauit, memorato monacho tribuit, vt eam poſcenti infirmo perferret, imperauit. Acceptam ille aquam leproſo perfert, eique infit. Nunc inquiens, tua infirmitas palam cunctis eſt. Si ergo tuis nos vis fidem accommodare ſermonibus, poſtquam te his perfuderis aquis, die tertia noſtris temet viſendum repræſenta obtutibus. Fecit æger vt ſibi imperabatur, & ecce ante tranſactos præfati termini Soles, dudum diſcolor: cunctis naturali videbatur reinduta ſpecie. Quod vbi fratri illi perſpicaciter credibile apparuit, mox homini Dei quæ fuerant acta, indicare curauit. A quo ſub terribili Chriſti nominis inuocatione interdictum ſuſcepit: ne hoc vlli hominum, ipſe, vel is qui ſanatus fuerat innoteſceret: quandiu ipſe ſanctus in corpore maneret. In qua re, Domini Chriſti & Redemptoris noſtri imitatus exemplum eſt: qui ſanatum à ſe alloquens leproſum, Vide ait nemini dixeris. Hæc nobis poſt huius ſanctiſſimi viri tranſitum, præfatus Domnus Eliſierius ſub atteſtatione retulit veritatis: quæ nos abſque detrimento veri, augmentove falſitatis, ſimpliciter referre ſtuduimus. Ille venerabilis Eliſierius ante peractum ex quo iſta nobis retulit annum, laudabilis vitæ diem clauſit vltimum.

Leproſum S. Abbo mundat.

Matth. 8. 4.

Non abhorrere à recto laudis creditur genere, ſi ea quæ ſub ipſo, vel per ipſum, ad ornatum domus XV. Dei quæ eſt Eccleſia, geſta ſunt: noſter explicet ſermo. Maximè cum inter Salomoniaca præconia, hoc præcipuè laudetur, quod templum Domini magnificis extruxerit impenſis. Et qu[illegible] eius tenues copiæ, diuitiis nequeant locupletis Salomonis adæquari, tamen quæ prout pauper quem regeb[illegible] locus, [illegible]ſque malignum perſuaſère, acta ſunt: ſilentio non ſunt digna obnubilari. ᶜ Namque anteriorem tabulam Altaris ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ab anteceſſore eius Domno Oylboldo auro conſtrui ceptam, ad perfectam vſque perduxit. Duas circumiacentes, argento opertas augmentari fecit, & vt breuiter multa perſtringamus, [illegible] altaria [illegible] eius, quam monachorum ſub ipſius regimine conſiſtentium deuota intentione: argenteis ſibi affixis, præfulgent laminis. Vnum videlicet ſub nomine Patris Benedicti Deo dicatum, aliud ſub nomine Sū[illegible]æ ac Indiuiduæ Trinitatis, ſancti quoque Stephani, & ſancti Aniani, nec non ſancti Ioannis Euangeliſtæ, fratriſque eius Beati Iacobi. Sed & paries ligneus ᵈ circa tumulum Incliti Confeſſoris Chriſti Benedicti locatus, ſimili eſt comptus ſpecie metalli: atque in eo quædam miraculorum eiuſdem Dilecti Domini, celatoria arte perſpiciuntur expreſſa. Hæc itaque & alia nonnullla ſub egregio Patre Abbone in Floriacenſi Cœnobio perfecta ſunt, inſtantia & procuratione honorabilis monachi Gaufredi, cui ipſe ſacrorum commiſerat cuſtodiam theſaurorum. Cuius etiam Gaufredi ſollicitudine, gazophylacium lapideum eſt conſtructum, ad repellendam ignis, ſi, quod abſit, ingrueret, violentiam, ſatis idoneum. Eodem de quo loquimur venerabili Patre Abbone ſumptus ſubminiſtrante, de cuius vitæ moribus & ſcriptis, quia multa retulimus, ne faſtidioſi in multiloquio ſimus lectori, ſtylum ad eius enarrandum vertamus tranſitum.

c Aurea anterior tabula maioris altaris Floriacenſis

Altæ minores argenteæ effectæ

d Tumulus S. Benedicti

VI. Igitvr cum hic Deo amabilis hominibuſque Venerabilis, Abbo, per ſexdecim annos continuos, in à Deo ſibi cõmiſſo paſtorali deſudaſſet officio. Vuaſconiam proficiſcitur. Eſt in illis partibus Monaſterium quoddam [a] Squirs vt fertur antiquitus nominatum: à modernis contrario nunc vocabulo, Regula vocitatũ. Nulla quippe religionis norma, nulla aut rara bonæ conuerſationis ſaltem veſtigia, vſq; ad hæc in eodẽ loco, apparuère tempora. [b] Id Guillelmus Sanctionis filius Burdegalenſium Comes, ac totius Guaſconiæ Dux, audita fama religioſæ vitæ Domini Richardi Floriacenſium Abbatis, ipſi, ſucceſſoribuſque eius, ad regendum dudum commiſerat: vti in libro [c] quẽ de vita vel actibus Abbatum noſtri loci ſcripſimus, plenius explanatum eſt. In quo loco, tã ab ipſo Venerabili Richardo, quamq; à duobus eius ſucceſſoribus Amalberto ac Oylboldo, diu multumq; elaboratum eſt, quo verè is locus, per habitatorum conuerſationem: vocabulo vteretur ſuo, nec quicquam vtilitatis actum. Poſt quos, dum hic vir Beatus Abbo, regiminis, adeptus eſſet gradum, quibuſdam ſibi perſuadentibus, quatenus eo proficiſceretur: reſpondebat cum ioco, ſe illuc iturũ, quando eum ſatietas cepiſſet vitæ Et quamquã id ipſe ludens diceret, tamẽ ita, ſe poſt rei habuit exitus. Ferebatur deniq; nulli prædeceſſorum eius poſt iter Guaſconiæ, diù viuere licuiſſe, Tandem ipſe ad iam dictã pergit patriã, eius regionis adit Comites, memoratos filios Guillermi, [d] Bernardũ & Sanctionẽ, eundem locũ non pro ſuu, ſed ipſorum diſponit libitu. Et tunc quidẽ proſperè ad ſua rediit, quibuſdam ſuorũ quaſi ob tutelam loci relictis. Verũ hi quos relinquebat, perfidiam Guaſconũ veriti, & tunc inuicti remanſerunt: ac poſtmodum multis à Guaſconibus perpeſſis iniuriis, cũ his quos illis veluti adiutores miſerat: ad eum reuertuntur. Qui eorũ inertiæ culpam fore nactus, alios mittit: qui quòd priores neglexerant, corrigere curarent. Illi ſimilia paſſi, legatos ad eum dirigunt, quid paterentur intimant, ac ni, maturatò ſibi ſubueniatur, locum deſerturos, atq; ad propria minitantur ſe regreſſuros. Vnũ hoc ſibi ex ſententia Comitum notum fore mandant: liberiorem ſibi quàm prius, affuturam loci poteſtatem: ſi ſemel ad eos adeat & tam Comitibus quàm [e] etiam Malguino Vicecomiti, quem ipſe eis Aduocatũ dederat, quid ipſe velit, verbotenus declaret. Quos manere decreuerit, manſuros: quos exire iudicauerit, memoratos polliceri Principes, vi ſe expulſuros.

[a] Squirs Monaſterium. [b] Guilielm⁹ Comes B[urdegalenſium] & Dux Guaſconiæ. [c] Aymoinus ſcripſit librum de vita Abbatũ Floriacenſium quem re[periri] non potuit. [d] Bernardus & Sanctio Comites Burdegal. [e] Malguin⁹ ViceComes.

VII. Tandem talibus impulſus allegationibus, impendente iam vltimo vocationis ſuæ die, ſecũdo iter arripit. Hos ex monachis itineris Comites aſſumens: ſupranominatum Remigium, meque qui hæc ſcribo [f] Aymoinum, cũ Guillelmo ſuæ venerantiæ, iuxta Abbatum morem, [g] tum baiulo. Iamque in via conſtitutus, legatis qui pro ſe venerant, imperat ſe antecedere. Comites Aduocatumque certos de ſuo aduentu reddere, ne moram colloquij faciant, dũ ipſe ad eos venerit, procurare. Ipſe in nullo negligens vtilitatis Cœnobij quod regebat, Pictauos pergit, [h] Guillelmum illius vrbis adiit Comitem, pro iuuamine poſſeſſionis Monaſterij ſui, quæ Salx dicitur, calumniis aduocatorum valde oppreſſæ, eum rogaturus. A quo die dicta, in qua ſibi poſt ſuam regreſſionem, ab eodem Comite iuſta deſerretur audientia: pro re alia, aliquantas per ibi moras nectit. Fortè Abbas monaſterij Sancti Cypriani, in ſuburbio Pictauorũ ſiti, eidem ſancto conſanguinitate cõiunctus, vocabulo [i] Giſlebertus, crimine falſo impetebatur. Is eũ humillima detinuit prece: vt ſuæ cauſæ quàm in proximo ventilandã autumabat, intereſſe dignaretur. Sed cum improbus ſubſediſſet accuſator, manifeſtuſq; fieri vereretur, vir Domini Abbo qui cunctis iniuriam patientibus quantum in ſe erat, opem ferre cupiebat, literas eidem propinquo ſuo, ex ſua parte [k] Abbati Cluniacenſiũ Odiloni, cui idem monaſteriũ ſubiectũ erat perferendas tradit. Quæ videlicet literæ, & vltimæ Epiſtolarum eius exiſtunt, [l] & apud nos, cũ reliquis conſeruantur. Ipſe iter quod cœperat maturare contendit Nos ergo quinta poſtquam ibi aduenetamus die, celebrata Omnium Sanctorũ ſolemnitate, quinta æquè feria, inde progreſſi per [m] Karrofenſe Monaſterium, ad [n] Nantoliacũ deuenimus Cænobiolum, in honorẽ Sanctiſſimi Patris Benedicti fundatum. Vnde digredientes Sabbathorum die, [o] Engoliſmam aduenimus, à qua vrbe, die Dominica egreſſi: dum incerti pro aduenientis noctis hoſpitio, ac idcirco mœſti incederemus, oſtendit Dominus nobis, nequaquam ſe oblitum illum ſanctum habere virum, in cuius obſequio iter illud conficiebamus.

[f] Aymoinus Comes itineris S. Abbonis. [g] Baiulus Abbatis. [h] Guillelm⁹ Comes [Pi]ctauenſis. [i] Giſlebert⁹ Abbas S. Cyp[riani] Pictauenſis. [k] Monaſterium S. Cypr. Pictauenſis, ſubiectum Cluniaco. [l] Ep[iſtolæ] S. Abbonis habet vir eruditus Pap. Maſſonus & eas, magno Rei pub. detrimento occultas retinet. [m] Karrofenſe Monaſterium. [n] Nantoliacum. [o] Engoliſma

IIX. Nam dum ad caſtrum cui [p] Alba terra nomen eſt tendere deliberaſſemus, repente Dominus ipſius caſtri, Nobilis vir nomine [q] Giraldus, poſt tergum noſtrum celerrimè adueniens apparuit. Qui dũ inquireret: qui nã eſſemus, & Beatum Patrem noſtrum Abbonem adeſſe cognouiſſet: gaudens ob eius præſentiam, ait ad eum. Dominũ inquiẽs fidemq; meam teſtor, me admodum gaudere, quod te Domine videre merui. Nam bonitas & ſapientia tua, vniuerſo noſtro peruulgata ſunt orbi. Vnde ſi tuæ placet benignitati, hoſpes tibi ero in hac nocte perliberalis, cuncta victui neceſſaria tribuens. Fecit vt dixerat, & vſq; ad noctem permanens, etiam in obſequendo, famuli fungebatur officio. Cumq; iuxta quamdam ſui iuris Eccleſiam, nobis, hoſpitium præbuiſſet, ad memoratum caſtrum incibatus abiit. Poſtero die, in ſtatu perſeuerans heſternæ beneuolentiæ, obuiam ei proceſſit: præmittens per internuncios piſcium xenia, eumq; per aliquot deducens milliaria, tam ipſi homini Dei, quàm his qui hoſpitij gratia comitabãtur, duces viæ largitus eſt. Sic demum Benedictione poſtulata, atq; percepta, gaudens regreditur ad ſua. Hæc ideo retulimus, vt aperte clareat, huic ſancto viro numquam defuiſſe Diuinum, vbi humanum putabatur defore auxilium. Nec tunc ſolummodo, verũ in omnibus itineribus eius, ac præcipuè per vniuerſam quam ea tempeſtate tenuit viam: ſicut Domini à ſeruis, ita à cunctis per quos tranſitus fuit, iocundus ipſius præſtolabatur aduentus. Porrò nos eadem die qua de Alba terra promouimus, tranſmeato [r] Ella flumine, vna cum beato Abbone, in villa quæ [ſ] Ad Francos dicitur hoſpitati ſumus. Suſcepit nos inibi [t] genitrix mea, Memorati Militis Geraldi conſanguinea, vocabulo [u] Anneutudis, cum quanta potuit humanitatis exhibitione. Hæc deuotionis & obſequij feruore, circa eumdẽ Dei flagrans hominem: obnixiè orabat, vt biduo apud eam manere dignaretur. Quod ille vehementer abnuit, & die data, ſuis vt viam maturatò capiant imperat. Tumq; primum quaſi preſagus, brachium in quò poſt percuſſus eſt, dolere ſibi prædixit.

[p] Alba terra caſtrum. [q] Giraldus Albæ terræ Dominus [r] Ella flumẽ [ſ] Ad Francos, villa [t] Aymoini Patria, qui Aymoinus Nobilis ſecundũ carnẽ extitit [u] Anneutudis Aymoini genitrix

IX. Inde ad Dordonæ fluenta ventum, quò enauigato amne Guaſconiæ fines ingrediuntur. Tranſmeantibus Domniam, antequam ad præfatum veniatur Regulæ Cænobium: [x] Aroth ſeu Codrot torrens occurrit Quem dũ tranſire eſſet neceſſe vir Dei lintrem quæ perexigua illo habetur in fluuiolo, dum aſcendit: ea introrſus à lutoſo litore relabente, cingulotenus penè in aquam decidit. Mirũ dictũ. veſtigiis paululũ madefactis, in reliquis indumentis vix tenuis apparuit humor. Trãſmeato ſane hoc peſſimi occurſus torrente, poſtero die ad monaſterium Regulæ ventũ. Et primo quidẽ die, cum quiete manſerunt: ſecundo ſane, inter noſtros & Guaſcones, iurgium propter cibaria equorum ad veſperum ortum, vixq; à maioribus ſedatum eſt. Quod vbi in craſtinum V. Pater Abbo comperit, ſuos vehementer redarguit, cur inermes & inter infenſam ſibi gentem, bella cierent. Monebatq; patientiam ſeruare, donec ipſe cum Comite ac loci Aduocato colloqueretur: qui iam iamq; affuturi credebantur. Tum demũ ſuas ſuorumq; quos primitus ibidem reliquerat, iniurias, ad libitum vorũ ire pollicebat. His ac ſimilibus verbis, ſuorum furibundos ſedare temptabat animos. Erat ea die celebris vniuerſo orbi Beati Pontificis Martini Turonici ſolemnitas, & ſanctus vir magna cordis, ac corporis alacritate, Miſſarũ feſtiua celebrauit ſolemnia. Qua die & ſequenti quæ Dominica fuit, iſtẽ Dei famulus Abbo, poſt Sãcta ſacrificij per ſeipſum oblationem, ac corporis refectionem, montem in quo monaſterium ſitum eſt vndiq; perluſtrans, laudare ſimul ac mirari, non ſolũ loci firmitatem, verum etiam maximorum, quæ inibi fuerant ædificiorum fundamenta cœpit. Horum itaque locorum ſitum à ſancto viro laudatum: ſuccinctum literis mandare, opportunum fore credimus.

[y] S. Abbo monaſterium Regulæ intrat. [x] Codrot ſeu Arothtorrens.

Deſcriptio monaſterij Regulæ.

a Moſella fons

b Moſa fons

c Præſidium Francorum à Carolo Magno, in Guaſconia conſtitutũ

d Eynardus ſcripſit vitã Caroli Magni.

e Aymoinus ſcripſit miracula S. Benedicti ſupra poſita.

Monasterivm Regulæ in honore Principis Apoſtolorum Deo dicatum, in monte eſt poſitum. Qui videlicet mons à tribus lateribus, Orientali, Aquilonali, & Occidentali, aliis cingitur montibus à meridie Garonna vallatur flumine, periculoſaq; vallis voragine. Ab oriente inter ipſum & alterum mõtem vallis exiſtit perangusta: per quã fons meat, quam incolæ,[a] Moſellam nuncupant ſimili modo ab Occidente, alterius fontis rapido alluitur curſu, cui [b] Moſa nomen eſt. Hæc nomina à [c] Franciſ illis impoſita æſtimantur, qui à magno Carolo, ad tuitionem prouinciæ ibi relicti ſunt. Non longè quippe ibi, abeſt palatium ipſius magni principis Caſſignogilum: ſed quaſi tribus milliariis. In quo idem Imperator, vxorem ſuam Ludouici Pij matrem, grauidam reliquit: dum contra Sarracenos expeditionem in Hiſpaniis ageret. Quod [d] & Eynardus vitæ illius relator ſcribit, &[e] nos in librum Miraculorum Sancti Patris Benedicti, breuiter expreſſimus. Locus ſane Regulæ ob ſupradictam poſitionem nõ facilè hoſtiũ patuiſſet acceſſui, niſi ab Aquilone parua ei adiaceret planicies, cui conditor municipij, vel vt quidã volunt ciuitatis, turrim quadris lapidibus extructam oppoſuit. Quæ nunc ruinarum tantummodo ſuarũ inditia præfert. Igitur tam huius quã cæterorum ædificiorum dirutos parietes, & per deuexa totius montis latera, propter firmã cementi tenacitatem dependentes, homo Dei conſpicatus: admiranſq; læto nobis adridens vultu, infit. Potẽtior inquiens nunc ſum, Domino noſtro Rege Frãcorum intra hos fines, vbi nullus eius veretur dominiũ: talem poſſidens Domum. Sed heu proh dolor aliter quam ei ac nobis vtile fuit, huius loci parabatur poſſeſſio. Deniq; malignorum factio, qui illis quos ipſe ſanctus Pater ad eundem miſerat locum irrogauerant iniurias, in id iam conſpirauerat, vt ex qualibet occaſione commoto tumultu, tanta famulos ipſius cædis contumelia afficeret, quatenus nec ipſe nec quilibet alter, eos vlterius adire auderet. Quod verò mortem illius inter dolos machinata ſit, non verè ſcitur, niſi quia is, qui eum percuſſiſſe dicitur, in iurgio noſtris dixiſſe fertur: pro nihilo ſe ducere, ſi lancea ventrem eius transforaret. Secunda igitur feria, qua ſancti Confeſſoris Bricij agebatur feſtiuitas, monachum qui hos eſſe dicebatur machinatus dolos: ſanctus Pater noſter Abbo increpare cœpit [f] quod ſine eius licentia, de monaſterio egreſſus, foras manducare præſumpſiſſet. Hic Aneaan nomine dicebatur proprio, gente barbarus ac vocabulo. Qui dum ſancti viri increpationem ſe patienter ferre ſimulat, ſed circumſtantibus contumaciæ verba reſpondet: Subito auditur clamor mulierum iuxta morem gentis illius, vbi ſeditio oritur, aut mors hominis interuenit, conclamantium. Tum ille perfidus ſolo nomine monachus, ad eos qui ſe circunſtabant in ſit. Nunc inquiens dicetur, meo monitu, hoc eſſe ortum ſcandalum. Cui, quidã ex his qui aderant, Si ait id metuis, nobiſcum ad hos ſedandos progredere motus. Verum eo differente, ad noſtros reprimendos, is qui monita dederat, curum progreditur. Cauſa autem ortæ ſeditionis, hæc erat. Tam Franciſ quàm Guaſconibus ſe alterutrum conuiciis laceſſentibus, vnus Francorum nimium impatiens conuicij Domino ſuo illati, conuiciatorem baculo inter ceruicẽ & ſcapulas ictum, humi proſtrauit. Eo proſtrato, tam noſtri quã ſeditioſi, ſemet mutuo lapidare cœperunt. Interea, vir Domini Abbo, intra clauſtrum monaſterij reſidens, & quaſdam computi ratiunculas dictitans: tumultuantium clamore exaudito, foras ab inferiori montis parte progreditur: & ad reprimendos ſuos, qui ſuperiora occupauerant loca feſtinans: [g] ab vno aduerſæ partis ſatellite, lancea iam validè vulneratur in læuo lacerto: vt interiora coſtarum, adactum penetraret ferrum. Qui percuſſus, non clamauit, non titubauit, aut cadentiũ more loco motus eſt: veruntamen est hoc tantum dicens: Iſte ait verò hæc fecit: ad domum vbi ſui famuli hoſpitium habebant, aſcendere cœpit. Suſtentabat autem eum, frater quidã nomine Guillelmus, cuius ſupra meminimus. Ego veſtigia eius perſecutus, cõſpicio ſuper limen domus, quam vir ſanctus ingreſſus iam erat: partem coagulati ſanguinis. Interrogan ſq; de quo foret: hoc à Dei homine reſponſum accepi. De me inquit eſt. Teſtor Dominum, continuo mihi ſtetere comæ. Horrorque inſuli s corpori, rauciſonam reddidit vocem. Nondum enim quiſpiam animaduerterat, eum in carne eſſe vulneratum: ſed tantum indumenta æſtimabamus fuiſſe perforata. Itaque aio ad eum, quanam in parte inquam, tibi Domino meo, illatũ vulnus eſt? Tum eo eleuante brachium vt plagam detegeret repente ab intimis coſtarum receſſibus, vnda ſanguinis prorumpens, manica laxioris [h] pelliceæ excipitur. Verum ipſe nihilo triſtior, nec vultus colore mutato, cum me trepidare magis magiſque ſenſiſſet: tam ex faciei permutatione, quàm ex verbis querimoniæ, alacri vultu & penè ridenti ſimilis, ait: Quid tu inquiens ageres, ſi ipſe vulneratus eſſes? Attamen noli metuere, Quin potius foras ad noſtros progredere, eoſque ad me venire facito, vt hæ ſedentur turbæ. Quod cum feciſſem, illique obtemperantes ingreſſi eſſent. Ipſe iam exanguis factus, inter manus diſcipulorum famulorumque ſe ſuſtentantium Idibus Nouembris, [i] ſpiritum reddidit. Retulerunt autem qui eius ſanctum finem videre meruerunt (nam ex ob ſedandos tumultuãtes foris ſecus remanſeram) hunc ipſius vltimum fuiſſe ſermonem. Miſerere inquiens Deus Omnipotens animæ meæ, locoque ac Congregationi, quam nunc vſque, te concedente rexi. Et ille quidem hæc effatus, vt prædictum eſt, animam efflauit. At ſeditioſi domum in qua Beatus Pater iam defunctus à ſuis lamentabatur, circundantes: obſeratos ſucciderunt cardines oſtiorum. Sicque furens ingreſſa turba, aliquibus vulneratis, [k] cubicularium viri Dei vocabulo Adelardum, qui caput Domini ſui proprius ſuppoſitum, lachrymis rigabat: ad necem vſque fuſtibus præacutis ac lanceis conciderunt, qui ægrum vſque ad tertiæ feriæ diluculum protrahens ſpiritum, defecit ac mortuus eſt: ſepultuſque in clauſtro monaſterij. Iuxta quem quoque, cuſtos equorum ipſius ſancti, poſtea tumulatus eſt. Qui tunc quidem vulneratus, vſque ad diem Feſtiuitatis S. Andreæ languit: ſicque obijt. Cæterum tantæ cladis compilatores, certiſſimè agnoſcentes Beatum obiiſſe Abbonem, certatim cuncti in fugam vertuntur. Ita vt tertio reddito die, ne mulieres quidẽ in vniuerſis forenſibus ipſius villæ, inuenirentur domibus. Quatriduo poſt obitum ſancti viri, morati ſumus: commorante ſemper nobiſcum ob cuſtodiam noſtri, quodam honorabili viro nomine Guillemo Orioli filio, qui videlicer Guillelmus gratia beatum virum videndi, eadem die cum quibuſdam aliis ibidem aduenerat. Eoque viſo, ad metatum ſuum, quaſi milliario ac ſemis diſtans à monaſterio, ſeceſſerat. Is vbi noſtræ miſeriæ nuncium accepit, ad noſtrum auxilium cum ſuis velociter accurrit. Hi ergo corpus Beatum quod adhuc in domo in qua animam Creatori reddiderat, ſuper nudam penè humum iacebat: tapeti impoſitum, ad nos vſque pertulerunt: noſtris propter caliginem noctis, è clauſtro monaſterij minime exire audentibus. Dubitatum aliquandiu eſt, quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit, vt quando innocenter, ac pro veritate quæ Chriſtus eſt, interemptus erat, in Eccleſia poneretur, vbi vſque ad diluculum, feriæ quartæ, duabus videlicet noctibus vnaque die, [l] eum cum quanta potuimus Pſalmorum & lachrymarum deuotione, inſepultum ſeruauimus. Referri nequit, qui luctus quive gemitus ab his qui ad eum viſendum è propinquis venerant locis, editus ſit; cum eum quem viuentem cernere concupierant, mortuum conſpiciebant. Contemplabantur ſanè vultum eius adhuc ſudario, nequaquam opertum; qui dormientis potius quam mortui ſpeciem ex rubore præferebat: & lachrymis opplebantur: incredibileque dum adhuc viueret videbatur, cum tam ingentem poſt obitum, non ſolum à ſuis, verum etiam lachrymoſum ab extraneis habiturum planctum. Nam quilibet aduenire notus ſeu ignotus, eius viſo corpore, ſiue poſt tumulationem ſepulcro, continuo in lachrymas prorumpebat. Matutino ſane tempore, feriæ quartæ, cum ipſis quibus indutus erat veſtimentis, [m] vti mos eſt ſepeliri interemptos, inlotus etiam, lapideo tumulatus ſarcophago: in interioribus cryptæ ante altare ſanctiſſimi Patris Benedicti, & quidem ſatis decentiſſime ſi non ei tam inſperatus contigiſſet finis vitæ. Sed ſcriptura teſte, nouimus, quia Iuſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

f Non licebat olim monachis vigente diſciplina, extra Monaſterium ſine licentia manducare.

g S. Abbo, lancea vulneratur Vide c. 5 vitæ S. Oſvualdi.

h Abbates olim induebant veſtes pelliceas.

i S. Abbo moritur.

k Abbatis Cubicularius.

Modus cuſtodiendi defunctorũ corpora.

m Interemptorum ſuis olim veſtimentis ſepeliebãtur.

XVI. Nos igitur quarto à tumulatione ſancti corporis die inde digreſſi, per biduum à Vicecomite Amalgrino eiuſque vxore Oſemberga detenti, hati ſtatu ſuo ſumus affectu. Cuius mulieris benigniſſimam erga noſtros compaſſionem, nobis ad concluſionem voluminis tendentibus, breuiter memorare congruit. Nã ipſo viro ſuo, vt vulneratos retineret etiam nolentes ſuaſit. Retentis autem, ipſa cuncta tribuit neceſſaria, non ſolum languentibus, verum etiam eorum ſeruientibus, atque equis, qui omnes ſexdecim erant numero. Medicum ipſa quæſiuit, eique pro ſanandis equis, ipſa pretium præbuit. A me quoque, vt cum eis remanerem, non ſolum manſueta prece, verum quadam impetuoſa conſanguinitatis exigit authoritate. Hi vero, qui ſani euaſere, à Procuratoribus eius, ipſa præcipiente, per omnes ipſius poſſeſſiones, quæ in itinere erant, honorifice ſuſcepti triſtem tanti doloris nuncium, per omne ſpargentes iter, tandem Floriaco Cœnobio intulerũt. Quis tunc luctus, quive dolor, tam noſtram ſanctam inuaſerit Congregationem, ſermo explicare non ſufficit: cum ab his quoque, quibus eius grauitas oneroſa videbatur, inconſolabiliter lugeretur. Auxit hunc ingentem dolorem, aduentus plurimorum Abbatum, in imminente Sancti Patris Benedicti ſolemnitate, quæ in menſe colitur Decembri, confluentium. Horum alij ab ipſo, ob quaſdam ordinandas vtilitates, erant euocati: alij ſuarum neceſſitatum certis ex cauſis, eum conſulturi aduenerant. Inter quos Reuerendus Cluniacenſium Abbas Odilo aderat, charitatiuo laudabilis in Domino familiaritatis glutino, ei in omni ſua coniunctus vita. Talium itaque præſentia, & ipſius abſentia, propter quem venerant, ingerebat mœſtitiam, & noſtris ampliorem addebat dolorem, quod tali forent Paſtore deſolati, cuius prudens conſilium aliorum expeterent Prælati Cœnobiorum.

Amalgrinus Vicecomes. Oſemberga Vicecomitiſſa, conſanguinea Aymoini. Aduentus plurium Abbatum Galliæ ad Floriacum in ſolemnitate S. Benedicti.

Hæc de vita, moribus, & actibus, necnon Martyrio Sanctiſſimi Patris noſtri Abbonis, partim à fidelibus viris audita, partim à nobis viſa, ad te, Reuerendiſſime Clericorũ Heruee, vt tua ſanctitas petiit, veraci propoſſe relatu ſcripſimus. Nunc tuam expoſcimus benignitatem, quatenus pro nobis Domini implores clementiam, vt ſi quid forte eum in noſtra offendimus narratione, ipſe ſua piiſſima indulgere dignetur miſeratione. Et qui eius ſepulchrum dignatus eſt Miraculis illuſtrare, mihi facultatem dignetur conferre, in ſequenti volumine, ea ad laudem nominis ſui fidelibus manifeſtare.

Librum Miraculorum B. Martyris Abbonis Floriacenſis, integrum reperire nequiui: eius verò tantum inuenta fragmenta quædam, vltimi capitis loco ſubieci.

De Miraculis S. Abbonis.

CAPVT VLTIMVM.

ANNO Incarnationis Dominicæ milleſimo quarto, Indictione ſecunda, die menſis Nouembris decimotertio, martyrizatus eſt Venerabilis Abbas Abbo, cuius dies paſſionis, cum celebri tranſitu S. Bricij, tum etiam feſtiuitate cuiuſdam Sancti nomine, Herardi, inſignis habetur. Cuius Sancti caput in Monaſterio Regulæ, reliquum corporis in quadam ipſius Cœnobij cella humatum ſeruatur. Porro de honorando Patre noſtro, ea quæ per eum Dominus operari poſt eius tranſitum decreuit miracula, literis mandare dignum duximus, ad notitiam poſterorum. Dum igitur adhuc inhumatum corpus eius in eccleſia ſeruaretur, cuidam debili, quem longa vis febrium macerauerat, per viſum reuelatum eſt, vt ſi ſanus eſſe vellet, dexteram manum eius ablui aqua poſceret, ipſeque eam in potum ſumeret. Quod cum à Domino Remigio Monacho, eius loci poſtea Præpoſito, popoſciſſet, ac impetrauiſſet, hauſto potu, priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

1004. Neſcio qui nam ſit Sanctus iſte Herardus. Debilis curatur.

Dein vero, die ſecunda obitus ipſius Sancti viri, vna ex his mulieribus, quæ clamore ſuo ſeditionem concitauerant, mente capta, totoque nuda corpore, per Eccleſiam rotabatur. Poſt hæc, lepra percuſſa, & à conſortio hominum expulſa, vſque ad finem vitæ, non eſt mundata.

Mulier efficitur inſana ac leproſa.

Porro, die quarta, dum cuſtos Eccleſiæ duas lucernas menſuræ ſemipedalis, poſt ſynaxim Completorij accendiſſet: vnam ante altare Sancti Petri poſuit, alteram ante ſepulchrum Martyris Abbonis. Cumque ad Matutinos ſurrexiſſet deſignandos Hymnos, eam, quam coram altare Sancti Petri poſuerat, arſam reperit: illam vero, quam ad caput tumbæ Sancti viri poſuerat, pene integram ſe reperiſſe profeſſus eſt, quæ vſque mane ſequentis diei, perduraſſe viſa eſt.

Cæcus quidam erat Petragorici Pagi, cui per viſum reuelatum eſt, vt ſi videre vellet, ſepulchrum huius Sancti expeteret, vt eius interuentu, à Domino lumen reciperet. Qui cum iuxta præoſtẽſam viſionem, ad locum Regulæ acceſſiſſet, ac ad Sancti tumulum aliquantas peruigiles duxiſſet noctes, viſum recepit. Vnde partem hæreditatis ſuæ, Sancto Petro, ac Beato Benedicto, necnon Sancto Martyri Abboni illiſque famulantibus largitus, ad propria rediit.

Cæcus videt.

Alter quoque cæcus de pago Burdegalenſi, per viſum itidem admonitus eſt, vti Monaſterium Regulæ adiret: ibi eſſe Sanctum, per cuius meritum Dominus ei lumen condonaret. Qui præcepto parens, locum adiit, ſpatio ferme dierum octo ante tumbam pernoctauit. Vna vero noctium, dum Fratres ad Matutinos ſurgerent Hymnos puerum ante ſe iacentem excitauit, dicens: Surge, vt pariter matutinalibus poſſimus intereſſe officiis. Cui cum ille, non ſe habere vbi accenderet lumen, obtenderet. Video, ait, lucernam ante altare Sanctæ Crucis ardentem. Ad hæc puer: Si vides, inquit, valde, & eam huc defer. Abiit ille, & apprehenſo lumine, in ſuperiora cryptæ ad eos, qui pſalmodiæ inſiſtebant, abſque ductore aſcendit. In craſtinum Fratribus cuncta, quæ ſibi acciderant, referens, ad reddendas Deo laudes, eorum mentes accendit. Fidem verbis eius accommodabat, tam decora canities, quam etiam vultus, ac totius corporis honeſtus ſtatus.

Alter cæcus illuminatus.

VITA S. LAVRENTII ARCHIEPISCOPI DVBLINENSIS, AVTHORE QVODAM E COLLEGIO AVGENSI, QVI NOMEN SVVM NON EXPRIMIT: PVRE SINCEREQVE TESTE BARONIO SCRIPTA. STYLVM ALIQVOT LOCIS NONNIHIL expoliuit F. Laurentius Surius. An. 1150.

BENEDICTIO, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro, qui ſponſam ſuam Eccleſiam mirabili prole fœcundat: vt nunquam ſit ſterilis, ſed ſemper gratioſa fœcunditate mirabilis: vt in tempore perſecutionis roſas martyrum, in tranquillitate pacis pariat lilia confeſſorum: quatenus dilecto ſuo, qui candidus eſt & rubicundus, ſponſa reſpondeat in rubore roſarum & candore liliorũ. Non n. in emiſſionibus paradiſi ſola ſunt mala punica, ſed coniuncta ſunt cum pomorum fructibus: nec nardus ſola ſed cypri cum nardo: & venter ſiue fœcunditas ſponſæ non tantum aceruo tritici comparatur, ſed etiam dicitur vallatus liliis. Virum quoque, qui ſtabat inter myrteta, aſcendentem ſuper equum rufum, non tantum equi rufi ſecuti ſunt, ſed & albi: & de medio duorum montium æreorum non tantum quadriga equorum ruforum, ſed etiam alborum equorum quadriga egredi videbatur. Dominus quoque, qui fecit Arcturum, cum Arcturo non ſolũ fecit Oriones, ſed & Hyadas. Per Arcturũ ſeptẽ ſtellarũ, deſignatur Eccleſia, ſeptiformis ſpiritus luce radioſa. Oriones quoque oriẽtes in hyeme tempeſtates excitant, demonſtrant martyres: qui in hyeme infidelitatis exorti, excitauerunt contra ſe perſecutionum tempeſtates. Hyades ſtellæ pluuiales, orientes in vere, confeſſores ſignificant: qui tempore tranquillitatis appa-

14. Nov. Apoc. 7. Cant. 5. Cant. 4. Zach. 1. Zach. 6. Iob. 9. Martyres. Cõfeſſores.

apparentes, mentes hominum irrigarunt pluuiis doctrinarum. Sicut igitur cum Arcturo fecit Dominus Oriones & Hyadas, ſic Dominus de Eccleſia ſponſa ſua, vt nunquam ſit ſterilis, ſed ſemper fœcunda, aliquando martyres, interdum quoque generat confeſſores. Inter quos effulſit ſanctæ matris Eccleſiæ proles egregia, glorioſus Chriſti ſacerdos & antiſtes Dublinenſis Eccleſiæ, vir beatus Laurentius cuius memoria in benedictione permanet, genere nobilis, & inſignis virtutibus: clarus operibus, & ſignis magnificus. Similem enim fecit eum Dominus in gloria ſanctorum, & glorificauit eum in conſpectu regum. Cuius vitam & virtutes ego licet indignus, ſed tamen non indeuotus ſeruulus, ſancto Augenſi collegio fraterna ſocietate coniunctus, ad laudem Dei, & ſancti confeſſoris gloriam, ad excitandam deuotionem legentium, ſtylo compendioſo, inuocata ſancti ſpiritus gratia, tractare curaui. Et hæc quidem de præfatione dixiſſe ſufficiat. Stultum enim eſt, ante hiſtoriam effluere, & in ipſa hiſtoriæ narratione ſuccingi.

Habes Authorem, licet anonymum.
2. Mach. 2.

Eius natale ſolum.
Iob 1.
Phil. 2.
Parentes eius.
Lageniæ dominus eſt pater eius.

I.
DILECTVS igitur Deo & hominibus ſacer Dei pontifex Laurentius, ex partibus Occidentis inſula Hybernia claris natalibus extitit oriundus. Quem Dominus in terra barbara, ſicut lilium inter ſpinas, vel ſicut Iob in terra Hus inuenit: qui non plus traxit de terræ ſuæ barbarie, quam piſcis marinus de maris ſalſugine. Magna ſiquidem fuit ſanctitatis eius commendatio, quod in medio nationis prauæ & peruerſæ luceret quaſi ſtella matutina in medio nebulæ: immo tanquam luminare magnum in mundo, verbum vitæ continens: lumen ad reuelationem gentium barbarorum, & gloriam Eccleſiæ. Natus igitur in terra barbara, de nobili tamen proſapia fuit, per matrimonium regis filius & reginæ. Cuius pater lingua patria Moriardocothochel appellatus eſt, Latine vero Mauricius: mater eius Inianobien lingua ſua, id eſt, filia principis lingua domeſtica. Et pater quidem tanta generoſitate claruit, vt non modica pars Hyberniæ, quæ Lagenia dicitur, ad eum iure hæreditario pertineret. Etſi autem in hoc minime gloriandum eſt, ſed neque tamen omnino ſilendum: quandoquidem inde maior in illo virtus fuiſſe probatur, quod mundanæ vanitatis maior fomes extinctus eſt. Suis autem parentibus poſt prolem multiplicem beatus Laurentius vltimo datus eſt filius: ſed licet naſcendo ex carne fuerit nouiſſimus, quod tamen ad ſpiritum attinet, primus emicuit.

Quidam de infante Laurentio futura prædicit.

NATO beato puero, pater ipſius, qui infenſus fuerat Comiti de Kildara, Donato nomine, placatus poſtmodum, in fœdus pacis & amicitiæ inuicem conſeruandæ, eidem Comiti filium ſuum miſit, vt eum faceret baptizari, iubens vt Conconor vocaretur. Sed ferentibus puerũ miniſtris venit obuiam quidam, qui, vti de Merlino apud Anglos legitur, propheta apud eos habebatur. Vera enim pleraque omnia hominibus prænunciare probabatur. Is itaque cum cauſam itineris cognouiſſet, & quod de puero mandarat pater eius, ſtatim acceſſu ſpiritus verſum Hybernicum protulit, cuius hic eſt ſenſus: Iſte puer magnificus erit in terris, & glorioſus in cælis, præeritque plurimis tam diuitibus quam egenis: & erit Laurentius nomen eius. Sic enim iubeo eum appellari. Cumque miniſtri admirantes reſponderent, non audere ſe patris imperio non parere, dixit vates: Ego hac nocte domum patris eius ingrediar, & vos de nominis mutatione ſatis reddam excuſatos. Illi ergo cœpto itineri inſiſtentes, ad Darenſem ciuitatem, ſanctæ Brigidæ ſedem, puerum pertulerunt: vbi receptus à prædicto Comite cum gaudio, & ab Epiſcopo ciuitatis protinus baptizatus, Laurentius, vti vates prædixerat, vocatus eſt. Videtur quidem in prophetia prædicta de ſancto puero, & nomen non ſine cauſa prophetatum, & meritum ſimul inſinuatum & præmium. Si enim à lauro Laurentius nominatur propter perpetuum lauri virorem, fidem ſancti ſignificat per dilectionem operantem, & ſic indicat meritum. Si à laurea, ſeu laureola, pertinet ad præmium. Huic enim ſancto & laurea debetur, & laureola: Laurea, tanquam triumphanti: quia cum militia ſit vita hominis ſuper terram, non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Laureola tanquam prædicatori: & ſic magnificus ſignificatur futurus in terris, quantum ad meritum: & in typum prædeſtinatæ ſibi laureæ glorioſus in cælis, quantum ad præmium.

Iob 7.
2. Tim. 2.

III.
CREVIT itaque puer, & cœpit bonæ indolis adoleſcens eſſe: & honorifice, vt decuit, enutritus vſque ad annum decimum, ſuper omnes coætaneos ſuos miris profecit incrementis. Accidit autem, vt pater eius maximum Dermitij Regis odium incurreret, metueretque ex furibundi Regis minis, non ſolum in ſe, ſed etiam in totam ditionem ſuam illum ſæuiturum. Metiens igitur & metuens bellorum & diſſenſionum diſcrimina, communicato cum ſuis conſilio, de quatuor filiis, quos habebat, iuniorem ei Laurentium pacis obſidem delegauit. At Rex inhumanus, crudelius tractans de puero, ipſum in terram lapidoſam & ſterilem, vbi victũ ſeges ægra negabat, iuſſit vinctũ deportari, vbi aſſiduo frumenti, vini & olei priuabatur, vbi paruulus petiit panẽ, & nõ erat qui frangeret ei. Ibi ſanctus puer aliquandiu degens, multiplicem paſſus eſt iniuriam ex fame & nuditate, intantum vt per inopiam eorum, quæ ad victum pertinent, & ſtridentis boreæ flatum, ad mendicorum ſqualorem peruenerit, & à planta pedis vſque ad verticem percuſſus, quodammodo ſecundum carnem omnino tabeſceret. Quod cum ad aures patris quorundam relatu veniſſet, ſine mora comprehenſos duodecim Regis Dermitij milites ſe quamprimum occiſurum minabatur, niſi ſibi filius, ſuper quo commota fuerant paterna viſcera, celeriter redderetur. Id audiens Rex Dermitius, cum non ignoraret terram illius eſſe inuictiſſimam, puerum reddere maluit, quam perdere milites ſuos. Nec tamen reddidit eum patri, ſed cuidam Epiſcopo Glindalacenſi, idque his pactis legibus, ne illum patri reſtitueret, niſi prius ſui milites ſibi redderentur. Miſſi ſunt ergo milites ad Epiſcopum, qui Regi Dermitio eos remittendos curauit: puerum autem per duodecim dies apud ſe retinuit, & capellano ſuo vt curam de illo gereret, qui inciderat in latrones, tanquam bonus Samaritanus commiſit. Is vero puerum benigne ſuſcepit, & inſtar prudentis ſtabularij non minus ſpiritus, quam carnis gerens curam, non erogare ea tantum, quibus corpus de ſuis infirmitatibus conualeſcere poſſet, ſtuduit: verumetiam ſupererogando ad eius ſpiritum confouendum, per illius tam breuis temporis ſpatium in oratione Dominica, & primis fidei rudimentis, hoc eſt, in ſymbolo, ſicut dicebat, paruulum Laurentium erudiuit. Sic igitur puer conualeſcens de infirmitatibus ſuis, fortis factus ad maiora, ſi iuberet Dominus, toleranda, pro pace patriæ paſſus exilia, duodennis ab exilio reuertens, pacem populo reddidit, & gaudium vniuerſæ terræ.

Dermitius rex infeſtus eſt patri eius.
Sanctus puer dariſſime habetur.
Reſtituitur parenti ſuo.

IV.
POST dies autem duodecim adueniens pater, ſolicitauit Epiſcopum, vt per ſortem inquireret, quem de liberis ſuis aſcriberet Clericali militiæ, & diuinis obſequiis dedicaret. Sed diuinæ prædeſtinationis electione iam Deo ſortitus puer Laurentius hoc audiens, riſiſſe fertur, & dixiſſe: Non eſt opus, pater, ſortitione. Ego, ſi permittis, Clericorum ſortem vltro eligo, quaſi iam ſentiens quod ait Pſalmiſta: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: cætera autem tanquam vana, amatoribus mundi relinquo. Puerilis autem animi audita comitate & dulcedine, pater ſubriſit, Epiſcopus & omnes, qui audierunt, mirati ſunt & gauiſi, quod puer adeo nobilis, contempta hæreditate temporali, quæ ipſum contingere potuiſſet, Chriſtum ſibi in hæreditatem elegit alacriter. Pater vero ei conſentiens & gratulans, arrepta eius dextera, tanquam ſiniſtram ſpernens, illum Deo obtulit, & ſancto Coëngino, eccleſiæ cathedralis regionis illius patrono deuouit, iam dicti Epiſcopi curæ eum nihilominus commendans, vt illum, qui ſe ſponte ſua diuino miniſterio mancipauerat, miniſtrum idoneum literatura & moribus exhiberet.

Pſal. 15.
Vltro ſe offert, vt fiat clericus.

V.
DATVS igitur ſanctæ Eccleſiæ perpetuo ſeruiturus, velut alter Samuel ab Helcana patre ſuo, ſub Epiſcopo, tanquam ſub Heli, magiſtro fuit, quandiu idem vixit Epiſcopus, qui eum docuit verbo pariter, & exemplo. Sed qui eum elegerat Dominus, eum in ſchola ſancti Spiritus plenius edocuit, & multiplici varietate virtutum ornauit. Proficit

1. Reg. 2. & 3.

Proinde ætate & ſapientia, profecit & gratia apud Deum & homines. Nam gratia Dei erat in illo, & naturalia corporis incrementa, ſpiritualium proſequebantur augmenta gratiarum. Eratque cælo totus inhians, mundum & mundana repudians, feruens in audiendo, ſagax in repetendo, prudens in diſcernendo, ſolicitus audita tenaci memoriæ commendando. Nam in lege Domini fuit voluntas eius, & in illa meditabatur die ac nocte. Et dedit illi Dominus cor ad præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, vt doceret poſtmodum Iacob teſtamentum Domini, & iudicia eius Iſrael. Electus itaque Domini Laurentius olim à parentibus terrenis velut adeps ſeparatus à carne, etiam nunc patrem ſuum ſpiritalem, virum religioſum, Epiſcopum Glindalacenſem, ineuitabili morte præuentum amiſit: de cuius obitu tanquam pius filius condolens, ſummum patrem omnium maiori, quam antea, deuotionis ardore complexus eſt, cogitans quia omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Quapropter agebat ſenem moribus, expers omnis laſciuiæ iuuentutis. Concurrebant in eo morum honeſtas & ſcientia literarum: & ex adiuncta ſcientia vitæ ſanctitas ſplendidius rutilabat, & ipſam ſcientiam honeſtas virtutum ſociata Domino conſecrabat.

Pſal. 1. — Heb. 5. — Pietas & eruditio illū ornant.

VI IGITVR Dominus, ſerui volens in talentis creditis peritiam experiri, illum ſui deſtitutum patroni ſolamine, cum annos natus eſſet viginti quinque in Abbatem Glindalacenſem, eccleſiæ Clero & populo, id poſtulantibus, promouendum curauit. Huius vero eccleſiæ nomen, à prima ſui fundatione celebre & famoſum tota Hybernia fuit. Eius enim patronus beatus Coënginus, ortus de ſtirpe regia, multis miraculis præ cæteris ſanctis Hyberniæ, in illa olim legitur effulſiſſe. In hac autem eccleſia & Epiſcopatus erat, & Abbatia. Sed Abbatia, quod ad temporales diuitias attinet, raro exemplo, longe erat Epiſcopatu opulentior: quippe vbi nobiles inprimis viros in totius regionis præſidium ab antiquo populus eligebat. Suſceptum itaque huius dignitatis gradum beatus Laurentius humiliter adminiſtrans, cœpit ſe magis ac magis in vitæ honeſtæ dignitate, caſtitate & ſobrietate, præeunte diuina gratia, exercere. In eleemoſynarum largitate & cæteris miſericordiæ operibus videbatur, vt dignum erat, miniſter potius, quam Prælatus, vt dicere poſſes illud eum ſemper habuiſſe præ oculis: Ducem te conſtituerunt: noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis, non elatus de regimine, ſed ſubſtratus de ſolicitudine: non de generis nobilitate ſuperbiens, quia virtute decet, non ſanguine, niti: non de virtutum ſeu gratiarum donis inſolenter tumeſcens. Primis igitur quatuor annis ſuæ adminiſtrationis non habuit requiem ſeruus Dei. Erat enim in tota regione illa intolerabilis rerum inopia, quæ etiam victui neceſſaria hominibus negaret: maxime autem in pauperes flagellum hoc ſæuiebat. In quo cum vir Domini (vt erat valde compatiens, & erga afflictos pia geſtans viſcera) pro ſua abundantia larga manu indigentibus ſubuenire ſatageret, nulli ſaltem commiſerationis affectu deſuit, ſeu benigni animi voluntate, ſic omni petenti ſe tribuens, vt Euangelio pareret. A falſis quoque fratribus graues perſecutiones ſuſtinuit, qui inuidiæ facibus accenſi, detractionis dente ſynceram ipſius vitam rodebant: ſed palpantes quaſi cæci parietem, non inueniebant oſtium, per quod ad dignam eius reprehenſionem ingredi poſſent. Apparebat inter ipſos aurora, ſed inuidentiæ cæcati malignitate, ſicut dicit beatus Iob, arbitrabantur vmbram mortis. Horum vir Domini mortis liuidam nequitiam & diſſimulationis cautela, & charitatiua beneficiorum impenſione viriliter ſuperabat.

Creatur Abbas Glindalacenſis. — S. Coengin. — Humilitas & benignitas eius. Eccl. 32. — In ſummi anno neceſſitate miſericors & ... — Luc. 6. — Iob 24.

V. ERAT etiam in terra illa prædo quidam genere nobilis, in hoc tamen degenerans, quod veſpillonum & raptorum ſe gerebat principem, qui omnibus omnia pro libitu ſurripiens, magis autem in Abbatis Laurentij ſubditos inſidiis graſſabatur, nunc fraudulentia, nunc violentia manifeſta ſæuiens. Quodam nanque die occurrit deteſtabilis ille Abbatis hominibus, qui ex vicinia mel & frumentum ad populi ſubleuandam penuriam deferebant: & inſiliens in eos, nefanda rabie laicos cecidit, clericos ſpoliauit, fœminis vim attulit. Quod cum relatum eſſet viro Dei, ingenti mœrore animi percuſſus, aſcendit in domum Dei, nec cibum capere voluit. Cum enim clientulorum & amicorum carnalium numeroſa multitudine vigeret, non ſuperba temeritate præſumpſit vltionem diuinam, ſed ad humilem potius orationem ſe conuertens, humiliter expectauit Dominum, qui ab illis prædonibus populum miſericorditer liberaret. Nam in fide & lenitate ſua ſanctum fecit illum Dominus. Vnde & dicebat: Tua eſt vltio, Domine: tu melius noſti tempus retributionis, & modum quod non multum poſt eius orationem impletum eſt. Tertia nanque die iniquus ille prædo, qui cateruæ latronum præerat, permittente Domino, in quorundam manus hominum deuenit, qui comprehenſum ſine regis licentia, eo maxime, quod eſſe de ſtirpe regia diceretur, vita priuare non audentes, orbatum oculis dimiſerunt: qui & poſt non multum temporis vita functus eſt.

Veſpillonū, pro latronum. — Prædo nefarius tollit eſcas eius. — Eccli. 45. — Prædonem illum cæleſtis vindicta perſequitur.

VI. EODEM etiam tempore tres magni latronum principes, qui multis ſceleratis præerant, tres turmas ſatellitum ſibi collegerant, religioſiſque perſonis & Eccleſiaſticis ad ſancti Coengini & Abbatis Laurentij protectionem pertinentibus, moleſtias & damna plurima ſæpius inferebant: Quodam igitur die in via, quam ſanctus Coenginus manibus ſuis conſtruxiſſe dicitur trans paludes & aquarum ſcaturigines, dum in ſuis expectarent latibulis, ſi quos ſpoliandi opportunitas ſe offerret: mox quatuor ſacerdotes cum magna turba hominum tranſire comperiunt, qui Euchariſtiam, ſicut tunc moris erat pluribus, ſecum pro tuto viatico ac ſecuro duce itineris publice deferebant. In quos ferociter irruentes, ſacerdotes manu ſacrilega ſpoliauerunt, noſtræ redemptionis precio, hoc eſt, Euchariſtiæ nullam reuerentiam exhibentes: ſed magis irreuerenter tractantes, nefandis dentibus attingere & atterere præſumpſerunt, & cæteros vſque ad mortem fere verberibus affecerunt. Quo audito diſcrimine, cœpit dolere non mediocriter Abbas Laurentius, peccatis ſuis imputans iniurias ſuis ſubditis irrogatas, maxime cum pater patriæ ipſe diceretur. Qua conſideratione non de faſtu honoris, non de nobilitate generis, non de potentia ſeculi ſuperbe elatus, humiliter ad orationem conuerſus eſt, malenſque perſecutionis gladium in ſe, quam in ſuam plebem conuerti, ieiunium ſibi indixit, vt vno die naturali nec cibum, nec potum caperet: & eccleſiam ingreſſus cum ſuis clericis, Dominum inceſſanter deprecabatur, inſtar fidelis patroni, pro liberatione ſuorum inſiſtens. Sed non longe poſt diuina vltio in illos ſacrilegos animaduertit. Octauo enim die illorum principes ſupradicti à quibuſdam Regis miniſtris comprehenſi ſunt: & quamuis ſic ſatis procul à ciuitate beati Laurentij capti eſſent, vnus tamen ex illis, quaſi non poſſet alibi inueniri patibulum, neceſſitate diuinitus compellente, ad Glindalacenſem vrbem perductus eſt, & in rupe eminentiſſima, ingredientium in eccleſiam, & inde egredientium obtutibus expoſita, ſuſpenſus interiit, vt ibi de flagitioſo æquum Dei agnoſcerent iudicium, vbi contra Eccleſiæ libertatem illum nequiter deliquiſſe conſtabat. Reliqui duo eiuſdem nequitiæ conſortes, in via illa qua ſacrilegium perpetrarant, ſuſpendio necati ſunt. Quibus ita ſublatis, tranquillitas patriæ, & viatoribus ſecuritas reſtituta eſt, requiemque dedit Deus famulo ſuo ab omnibus inimicis. Ita nimirum ſimilem eum fecit Dominus in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in conſpectu inimicorum & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu populi ſui, & ciuitas Glindalacenſis magni olim, vt ſupra dictum eſt, nominis tanto irradiata ſidere, non parum in tota regione illa honoris & reuerentiæ conſecuta eſt.

Nota morē antiquum. — Latronum quorundam inſigne facinus. — Diuinitus puniuntur. — Eccli. 45.

IGITVR quatuor his annis ita peractis, pax reddita eſt toti regioni, & copioſa fertilitas præteriti temporis inopiam mire ſuppleuit. Vnde Abbas Laurentius, charitate feruidus, ad opera charitatis totus accinctus, copiā rerum

Multa largitur vir Dei eccleſiis & egenis. — *Pſal. 111.* *Eccleſ. 7.* *Prou. 10.* *Luc. 7.* *Nota.*

ipſi allatam, pauperibus nutriendis & eccleſiis ædificandis affatim impertiit: cumque diuitiæ eius licet plurimæ, benignitatis & charitatis eius ſumptui non reſponderent, theſaurum patris ſui, quem cuſtodiendum acceperat pauperibus totum diſtribuit, & quæcunque inuenire poterat manus eius, multifariis charitatis officiis liberaliter diſpergendo, per manus indigentium in cælos tranſmiſit: vt, quemadmodum de ſancto Leuita & martyre Laurentio, cuius nomen non ſine præſagio meritorum adeptus fuerat, ſic & de illo veraciter dici poſſit: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Certe ſi electus Dei inter mundi ſcandala, inter antiqui ſerpentis ſibilos & fragilis carnis blanditias læſus aliqua ex parte fuerit, (non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet) charitatis affectus, qui erat inſignis in illo, operire poterat multitudinem peccatorum. Vniuerſa enim delicta, vt habet Salomonis prouerbium operit charitas: & ſi peccauit multum, remiſſum eſt ei, quoniam dilexit multum. Porro multas infirmitates tam manuum impoſitione, quam oris anhelitu ſalutifero ſanauit: peierantesque omnes, manu eis impoſita, quod prius celauerat, cogebat confiteri.

Eccli. 13. *Recuſat Epiſcoparum.* *1. Pet. 5.* *1. Tim. 3.* *Tit. 1.* *Creatur Archiepiſcopus.* *Quæ parentheſi incluſa ſunt, nos addidimus, quia deeſſe ea, aut iis ſimilia, ſatis apparet.* *Eſa. 40.* *Montes dignitates.*

INTEREA contigit, vt Glindalenſis Epiſcopus, qui per id tempus præerat vitæ diem extremum ageret, ſedeſque cathedralis eius obitu vacaret. Ea igitur ſic paſtore tanquam communi ſpiramine deſtituta, ſanctus Abbas Laurentius ad pontificalis honoris cathedram ab omnibus magna inſtantia & concordia petebatur. At ille ſuo more humiliter de ſe ſentiens, petenti reſtitit populo, ætatem immaturam pronide ſapientei que prætexens. Nec tamen humilis eius excuſatio poſtulantium deuotam ſuperaſſe inſtantiam: niſi diuina obſtitiſſet prouidentia, qua dictante, ſcriptum eſt: Aduocatus à potentiore, diſcede: ex hoc enim te magis aduocauit. Quod de beato Laurentio ſuo tempore factum eſt. Dominus enim ad maiora & multis vtiliora eum reſeruans, quia fidelis & prudens ſeruus ſuper creditis ſibi talentis fuerat illiſq; contentus non puſillanimitate, ſed humili timore ductus, Epiſcopus fieri recuſauit: poſtea Archiepiſcopi eum infula cohoneſtauit. Nam poſt non breue tempus Gregorius Archiepiſcopus Dublinenſis ad patres ſuos collectus eſt. Eius ſede vacante, permulti ambitione cæcati, generis nobilitate & literarum ſcientia tumentes, dignos ſe illo præſulatu exiſtimabant. Sed eos, vt improbos, depulit Dominus ab honore, quippe qui ſuperbis reſiſtit: humili autem & manſueto Laurentio apud electores tantam conciliauit gratiam, vt cum de eligendo paſtore tractaretur, ſubito afflatu Spiritusſancti, eorum animi Abbatis Laurentij celebri memoria allicerentur. Namque & generis nobilitate, & morum honeſtate erat apud eos clariſſimus, & iuxta Apoſtoli doctrinam, de conſtituendo Epiſcopo Timotheum & Titum admonentis, irreprehenſibilis Dei diſpenſator, non ſuperbus, non iracundus, non vinolentus, non percuſſor, non turpis lucri cupidus: ſed hoſpitalis, benignus: prudens, ſobrius, iuſtus, continens, amplectens, qui ſecundum doctrinã eſt, fidelẽ ſermonẽ, vt ſolicite ſeipſũ in præbeat bonorũ operũ exemplũ, in integritate in grauitate: vt is, qui ex aduerſo erat, vereretur, & oppilaretur omne os iniqua loquentium, cum nihil haberent mali de illo dicere. Itaque omni mox ſopita diſcordia, diuerſas eligentium voluntates Spiritu ſancto in vnam conflante, beatum Laurentium elegerunt in Archiepiſcopum & paſtorem: (ſed valde inuitum, diuque renitentem, & in ipſo honore onus penſitantem.) Et onus quidem proſternit debiles: honor autem puſillanimes deiicit. In illo autem non alleuabat onus honoris ambitio, ſed potius oneris grauitas honorem declinandum probabat. Librabat enim montes in pondere, & colles in ſtatera: quod pauci faciunt. Quorum paucitatem admirans Eſaias, exclamat: Quis librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? Si montes libremus in pondere ſuo, maius eorum pondus eſt, quam altitudo. Illorum enim altitudo ſuperari poteſt & pedibus calcari: pondus vero eorum quis ferat? Per montes autem intelligimus dignitates, quæ plus habent oneris, quam honoris: quæ deſpici quidem poſſunt, ſed ſuſtinere eas quis poſſit? Colles quoque ſi libremus in ſtatera, quantus aſcenſus eorum, tantus & deſcenſus comperietur. Sic & in dignitatibus, quæ per colles deſignantur, ſi aſcenditur ad prælationem deſcenditur ad ſeruitutem. Librans igitur animus ſancti viri montes in pondere, & colles in ſtatera, onus in honore, & ſeruitutem in prælatione penſabat: ſicque fiebat vt conſideratio ſeruitutis & oneris, omnem appetitionem prælationis & honoris ab eius animo auerteret. Tandem tamen ſe iactans in Dominum, deſiderio fructus ſuſcepit laborem, & à Gelaſio totius Hyberniæ primate, in ipſa Dublinenſi Eccleſia, multis Epiſcopis præſentibus, gratias agente populo, conſecratus eſt.

Qualem ſe exhibuerit in ea dignitate. *Obſerua veſtem cilicinam, toti corpori admotam.* *Gen. 3.* *Eſa. 1.* *Canonicos ſeculares mutat in regulares.* ** Arroacenſis.*

BEATVS igitur Laurentius pontificalem adeptus infulam, diligenti ſtudio ſatagebat, vt eſſet ſubditis ſuis forma ſanctitatis, & totius honeſtatis exemplum: ne prædicantem vel docentem contraria remorderet conſcientia, ſed potius prædicationem vitæ ſanctimonia commendaret. Decet enim maiorem natu, decet & illum, qui primus eſt in Eccleſia, ſic pronunciare verbum ſcientiæ ſecundum doctrinam, vt non impediat muſicam. Impeditur autem melodia muſicæ, ſi laudatur Dominus in ſono tubæ, & non laudatur in pſalterio & cithara. Laudetur ergo Dominus in tubali prædicationis ſono, & conſonet pſalterium, concordet & cithara: vt vna ſit harmonia ſiue conſonantia prædicationis, quæ per tubam intelligitur: & executionis decem mandatorum, quam decachordum pſalterium deſignat: itemque mortificationis carnis, quam cithara ſignificat. Itaque mox vt indutus eſt beatus Laurentius ſtola gloriæ, etiam vaſis virtutis expetiit coronari. Circumcinxit ergo ſe zona iuſtitiæ; circumpedes, & femoralia, & humerale ſibi imponens, tunicam talarem totam cilicinam nõ tantum induens, ſed carni aſſuens, cuius cilicij aſperitate, & vermium multitudine ſuccreſcente perforabatur caro ſancti pontificis: vt ex interiori ardore ſpiritus flamma exterius reſultante, ipſa caro velut in frixorio coqueretur. Sicque clauum clauo retundens, punctiones punctionibus reprimens, proprium corpuſculum exarabat: extra hoc eſt, ex carne primo maledicto ſuppoſita, ſpinas & tribulos eliminare contendens: vt ſic aceruum frugum poſſet ſibi cumulare in poſterum. Sic attendens ſibi paſtor egregius, de omni corde ſuo ſatagebat laudare Dominum, in diuinis officiis aſſiduus & deuotus: diligenſque decorem domus Dei, vt amplificaret cultus diuini ſanctitatem, & ſacris altaribus debitam præſtaret reuerentiam, conſtituit ad ſacrum Domini miniſteriũ viros idoneos ordinare, ne propter ſeruitores ſeruitia Domino diſpliceerent, ſicut ſcriptum eſt: Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra. Incenſum veſtrum abominatio eſt mihi: Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, & ſubditur cauſa: Iniqui ſunt cœtus veſtri. Ideo vir ſanctus & timoratus ſiue religioſus, honeſtatis amator, & zelator religionis operam dedit, induſtriamque adhibuit, & clericos ſeculares, qui in Eccleſia Dublinenſi erant inſtituti Canonici, ſecundum exteriorem & interiorem hominem mutatos in melius, in regulares canonicos transformaret. Et vt hoc ſummi Pontificis authoritate confirmaretur, duos è canonicis ſuis miſit Romam, propter vſum & conſuetudinem * Aroaſienſis ordinis: per quos ſancti viri deſiderium adimpletum eſt. Fecitque regulares ſtare cantores circa altare, vt laudarent nomen Domini: & dedit in celebrationibus decus, & in ſono eorum dulces fecit modos.

Fit etiam ipſe Canonicus regularis. *Eccle. 2.*

VT autem Domino ſuo ſecurius militaret, ſpiritualis certaminis milites electos ordinans, armiſque eorum & ſignis ſe muniens, habitum Canonicorum regularium & viuendi normam accepit, eique conuenienter viuere ſtuduit. Nam pene continue, dum ei licebat cum canonicis illis edebat in refectorio, loris & horis congruis ſiue debitis ſeruabat ſilentium, ad matutinas ſingulis fere noctibus cum illis in chorum ingrediebatur, vna cum eis vigilias & laudes Domini celebrabat. Sciens autem ſcriptum, Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes, deuotione feruenti vigilabat in orationibus, & attenuabat carnem ſuam. Finitis enim matutinis laudibus, cæte-

ſis ad lectos redeuntibus, ipſe in eccleſia remanebat, etſi non ſemper ſolus, tamen vt ſolitarius: ibatque pro conſuetudine ante ſignum Dominicæ paſſionis, vbi velut in ſpeculo vitæ, contemplabatur æneum ſerpentem, eleuatum in ſtipite Crucis, & eius dulci memoria ſanabatur à languoribus ſuis, pſallebatque Domino cum tremore: & nunc ſtando, nunc ſedendo, nunc etiam flectendo genua, totum Pſalterium reſonabat. Affirmatum eſt equidem à fratribus religioſis, qui præ cæteris frequentius orationibus inſiſtebant, quod vir ſanctus cum prædicta Cruce dulciſſimum habebat colloquium: de qua multa mirabilia memorantur, quæ magna peregrinorum veneratione ab antiquis temporibus frequentatur. Facto vero die: exibat in cœmeterium, & illic aliquantiſper deambulans, commendationem fidelium defunctorum percantabat.

Vigiliæ & preces eius. *Num. 21.*

XIII. Cvmqve non ignoraret illud Eccleſiaſtici, Seruum inclinant operationes aſſiduæ: carnem ſuam vigiliis & ieiuniis exiccatam, & aſperitate cilicij, vt ſupra dictum eſt, exaratam, reducto paululum cilicio verberibus exponebat, terque ad minus in die ſe virgis cædi volebat ab aliquo familiari, qui tacere noſſet: excutiebatque per confeſſionem, adiunctis virgarum ſcopis, ſi quid eius ſanctæ animæ pedibus mundani pulueris adhæſiſſet. Etſi autem eiuſmodi virgarum caſtigationibus & orationibus carnis coërceret malitiam, attamen in omnibus diſcretionis moderamen adhibebat, nec ſine iudicio flagellabat carnem propter dictum illud Sapientis: Si non obedierit ſeruus, curua illum compedibus: verum ſine iudicio nihil facias graue. Nam Apoſtolus ad perfectam carnis mortificationem nos inuitans, cum præmiſiſſet, Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem: ſubiecit, Rationabile obſequium veſtrum, videlicet ſecundum ethnicum, vt ne quid nimis. A carnibus quidem ſemper abſtinuit, poſtquam canonicus fuit: omni vero tempore à deſideriis carnalibus. Sexta feria ſolo pane veſcebatur, & aqua, & frequenter nec panem ſumebat illo die, nec aliquid refectionis corporalis, cibatus ſolo pane & aqua doloris ex compaſſione Crucis Ieſu Chriſti, cum quo ſe animo crucifigebat. Sæpe etiam panem lixiuio mixtum ſolebat edere, vt poſſet dicere cum Pſalmiſta: Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

Eccli. 33. *Corpus ſuũ flagellat quotidie.* *Eccli. 33.* *Rom 12.* *Terentius.* *Nõ veſcitur carnibus.* *Pſal. 101.*

XIV. Erat vero multum liberalis non ſolum pauperibus, ſed & diuitibus hoſpitalis & diſcretus, vnumquenque ſic, vt decebat, ſuſcipiens, pauperum inopiæ ſuccurrendo, diuites vero inuitando ſuis beneficiis ad ſectanda charitatis opera: vt ſimul diues & pauper ab vno acciperent non ſolum temporale ſubſidium, ſed & conſilium ſpiritale. Sic enim decebat paſtorem bonum paſcere gregem ſuum. In omnibus autem, quibus poſſet popularem excitare fauorem, caute ſe gerebat, inanem gloriam & lupinam hypocriſim tanquam peſtem euitans. Nam propriæ carnis macerator, amator abſtinentiæ, non tantum hoſpitibus ſe ſplendidũ in panibus, ferculorum varietate atque potus diuerſis generibus exhibebat: verum etiam cum illis aliquando diſcumbens, & inter multas epulas cibis vilioribus vtens, aut edere ſe ſimulans, pia quadam ſimulatione communem ſe illis oſtendebat. Et quod eſt argumentum miræ prudentiæ, ſæpe merum bibere credebatur, cum non eſſet merum, ſed aqua potius modici vini admixtione ſic tincta, vt vinum à diſcumbentibus putaretur. Singulis autem diebus pauperes ſexaginta, aut quadraginta vel minimum triginta in conſpectu ſuo refici faciebat, exceptis aliis pauperibus, de quibus infra dicemus.

Vitat ho minum applauſum. *Multos al pauperes.*

XV. Erat autem vir ſanctus admodum * & elegantis ſtaturæ. Veſtimenta eius nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, ſed ex moderato & competenti habitu erant. Exterior eius habitus, propter rudem & ſeruilem populum, authoritatem & reuerentiam pontificis præ ſe ferebat: medius vero, canonicum regularem: ad carnem cilicia & talaris interula, pœnitentem. Per hæc & alia beatus pontifex tanquam ſapiens architectus ſeipſum dabat, in ſimilitudinem picturæ, exemplum bonorum operum, & ſculpebat in ſubditis ſignacula ſanctitatis, & aſſiduitate ſua variabat picturam: & in lege Domini iudicabat congregationem, & in fide ſua probatus eſt, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis. Tranſigebat noctem ſicut diem, & vigilia ſua perfecit opus, & in diebus ſuis ſuffulſit domum Domini, & corroborauit templum, & præualuit amplificare ciuitatem Dei, & adeptus eſt gloriam in conuerſione gentis ſuæ. Nam in diebus eius proſperata eſt plantatio illa Dei nouella, vt verum eſſet, quod ſcriptum eſt: Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue.

** deeſt ƒ raucera, aut aliud quippiam.* *Eccli 50* *Ioſue. 24*

XVI. Non eſt autem ex toto ſilendum, quod beato viro ex Abbatis minori officio in pontificem ſic tranſlato, prædictus Rex Dermitius quendam Clericum ſucceſſorem eius violenter conſtituit, & contra ius conſuetudinis, quo tam Clerus quam populus ibidem Abbatem eligere conſueuerat, in dictam Abbatiam, illis reclamantibus, eum irreuerenter intruſit. Sed is tamen, ne Euangelicum illud non impletum abiret, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur: tam à dignitate, quam ab officio poſtmodum amotus eſt. Clero autem & populo in ius eligendi reſtituto, nepotem quendam S. Laurentij, Thomam nomine, iuuenem præclarum moribus, & ſcientia, ſanctique pontificis conuictu atque conſortio clariorem, in Abbatem Glindalacenſis Eccleſiæ concorditer elegerunt. In quo facto non deſiit Dominus ſeruo ſuo, de quo ſcriptura dicit: Bonus relinquit hæredes filios & nepotes, & iterum: In ſemine ſanctorum permanet bona hæreditas, & nepotum ipſorum ſemen in teſtamento ſtetit. Hunc igitur cum ſanctus, non propter propinquitatem carnis, ſed magis charitate ſpiritus, præ cæteris impenſe diligeret, ita vt etiam ſecreta ſua ei ſecure committeret, ciuitatem Glindalacenſem deinceps tanto frequentius, quanto libentius viſitauit. Nam prope ciuitatem ad tria milliaria locus erat ſecretus & B. Coëngini frequentia conſecratus, quem præ aliis tanto ſpecialius elegit, quanto eius ſancti viri virtutes ſtudioſius imitari ſatagebat. Is vero locus non in hominum conſpectu, ſed in miranda ſolitudine eſſe dicitur. Nam ex vna parte rupes ex alto pendens triginta cubitis, ad hunc locum tranſitum denegat: ex altera ſtagnum non modici ambitus, totidem cubitis in profundum deſcendens, à parte ſua * nauigium pandit. Nec tamen ſine fontis dulcedine locus eſt. Nam ex eadem rupe riuulus ſonorus, dulciſſimas fundens aquas, erumpit, habitatori loci non parem præbens ſolatij, conſitis arboribus ſiue herbis cõtinuum virorem miniſtrans: apud quem riuulum etiam ſalix mirifica reperitur, poma ferens vſque ad hyemale S. Martini feſtum crudiſſima, vt vix à quoquam tum poſſint deguſtari. Appropinquante autem natiuitate Dominica celeriter matureſcunt, ſolis infirmis pro medicinali remedio reſeruanda. Locus autem inferior, ei concauitati ſubiacens, à duodecimo Calendas Octobris vſque ad Octauum Calendas Martij, ſolis lumen non accipit, immo quædam eius pars, ſolis radiis nunquam illuſtratur.

Matth. 15. *Nepos eius fit Abbas Glindalacenſis.* *Prou. 13.* *Eccli 44.* ** nauigium pro nauigatione* *Nota ſingulare pomorũ genus.*

XVII. In ea autem concauitate, quam S. Coëngiuus ſuis manibus effeciſſe dicitur, B. Laurentius perſæpè latitans, contemplatiuis deliciis illic deuotus perfruebatur, de corpore ſuo minime ſolicitus. Sed tamen in multa neceſſitate ei deeſſe nolens, ter tantum in hebdomada panem & aquam, interdum etiam olus ei præbebat, tanquam alter Moyſes contemplationis diuinæ ſuauitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas, hominum non admittebat frequentiam, niſi iam dicti Abbatis nepotis ſui, qui ei cibum, qualem diximus, ſubminiſtrabat: ad eumque cauſas & negocia populi, & ad populum ſancti ſacerdotis reſponſa atque conſilia referebat. Erat autem acceſſus ad eum per ſcalam: cuius ima pars in aqua figebatur, ſuperior tenebatur ad rupem. Neque tamen ex hoc ipſo loco egredi ſancto viro moleſtum erat, ſi vrgente negocio ſubditis ſuis id neceſſarium cognouiſſet: ſed velut alter Moyſes in ingreſſu tabernaculi & egreſſu, Rachelis & Liæ, Mariæ & Marthæ pro loco & tempore, in ſe facies varias transfigurabat. Sic autem implebat fidelis paſtoris & prudentis rectoris officium, non propter improbam agendorum inſtantiam

Quadrageſimam vt egerit ſanctus Laurentius. *Exod 24.* *Exod 34.*

con-

2. Tim. 4. contemplationem negligens: aut propter contemplationis ſtudium, agenda poſtponens. Videbatur autem populo
barbaro, cornuti Moſi ſimilitudinem afferre ex frequenti collocutione cum Domino. Nam ſermo eius inſtar faculæ ar-
1 Ioan. 2. debat, radios vibrabat igneos: dixiſſes ſtimulos & quaſi clauos in altum defixos. Ibat vir ſanctus per arma iuſtitiæ à de-
Fontes vitiorum omnium. xtris & à ſiniſtris, detruncans cruentas acies vitiorum, prædicans aſſidue verbum Dei, & opus faciens Euangeliſtæ: in-
ſtans opportune, importune: arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina, ne de manu ſua requirere-
tur ſanguis commiſſi ſibi populi pereuntis. Ducebatur enim ad mortem populus Dubliniæ, vel potius iam perierat
Eſa. 21. infami ternario vitiorum, puta concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Ex quibus, tanquã
ex fontibus venenatis, oriuntur & dimanant riuuli mortiferi totius iniquitatis, ebrietates, crapulæ, & earum comes i-
Prædicit clades futuras. gnis luxuriæ, contentiones, rapinæ, iniuriæ mutuæ, & alia mala infinita. Quibus vitiis cum ciues ſuos videret beatus
pontifex irretitos, dolebat plurimum, & ſpeculator conſtitutus à Domino, ſuper ſpeculam ſuam ſtetit iugiter per diẽ,
& ſuper cuſtodiam ſuam totis noctibus: & quod audiuit de ore Domini, verbum annunciauit populo ſubdito ſibi. Vi-
Sap. 11. dit enim & prædixit, poſt vitia ſecutura ſupplicia, iniuſtos plectendos iniuriis, luxurioſos incendiis vaſtandos, (Luxu-
ria namque ignis eſt, vſque ad perditionem deuorans, & omnia virtutum eradicans genimina) & homicidas cædibus
perdendos. Per quæ enim peccat quis, per hæc & punitur.

Venientе igitur gladio Domini, ſicut paſtor ſæpe prædixerat, non longo temporis interuallo, rex Dermitius, XVIII.
adiuncto ſibi Richardi Comitis auxilio, cum multa Anglorum caterua Hyberniam ingreſſus, Dubliniam magna vi
cepit, captam ſuccendit igne, bona ciuitatis diripuit & homines interfecit. Atque ita, ſecundum vaticinia viri Dei, mi-
Dublinia vaſtatur. ſit in eos iram Dominus & vindictam, & reddidit illis iniquitatem eorum. Beatus autem Laurentius inſtar Ieremiæ,
teſtis extitit ſtragis populi ſui: vbi etiam multis affectus iniuriis, rebus eorum, quantum ipſe poterat, defenſis & muni-
tis, morti ſeſe pro illis exponere neutiquam formidauit. Corpora etiam cæſorum pius paſtor inter manus hoſtium ad-
Magna ſancti viri conſtantia. huc palpitantia rapiebat, & velut alter Tobias, feſtinabat Chriſtianæ tradere ſepulturæ. Si quos autem poſt ſtragem
inuenit ſuperſtites, quibus poterat facultatibus, iis ſuccurrebat. Maiori tamen affectu mouebatur in illos, quos prius
Tob. 1. & 2. viderat felicitate vberiori florere, & ſubito quidem, ſed tamen iuſto Dei iudicio, in ſummam miſeriam coniectos eſſe.
Summum infelicitatis genus, quod ſit. Inter omnia autem malorum genera, ſummum in miſeriis infelicitatis genus eſt, fuiſſe felicem. Clericos prætereа,
contra imperium gentis ſuperbæ, quæ ciuitatem obtinuerat, in ſuis locis permanere poſſe, non ſine magnis periculis
impetrauit: quibus etiam libros & ornamenta eccleſiæ ipſe, cuius bonis temporalibus & eccleſiaſticis non peper-
cerat hoſtilis iniquitas, immo potius vniuerſa rapuerat, vel vaſtauerat, prudenter & ſtrenue reſtituenda cu-
rauit.

Quodam tempore vir beatus pro eccleſiæ ſuæ negociis in Angliam profectus, ad Regem Henricum venit Can- XIX.
tuariam: ibique, vt decuit, ſuſceptus in eccleſia ſanctæ Trinitatis à Monachis, ob impetranda ſuffragia S. Thomæ glo-
rioſi martyris deuote pernoctans, in craſtino monachorum precibus Miſſarum ſolennia celebrare diſpoſuit. Cumque
Hominis ſtulti horrenda temeritas. pontificalibus veſtibus proceſſiſſet ornatus, quidam fatuus audiens eum virum ſanctum, & religioſum eſſe, ſimplici
ſua fatuitate vel fatua ſimplicitate ſibi perſuaſit, ſe recte & pie facturum, & præmia poſſe diuina promereri, ſi tam bea-
tum virum ſancto Thomæ reddat martyrio parem. Mox igitur animi ſui conceptum volens perficere, fuſtem ingen-
tem arripuit, & per medium irruens populum in beatum antiſtitem, totis viribus eum in capite percuſſit. Ille vero,
percuſſus, ſtatim corruit ad cornu altaris, grauiter vulneratus. Id videntes monachi, & omnes qui aderant, cum multo
dolore & lachrymis in faciem ſe proſtrauerunt, credentes pontificem lethaliter vulneratum. At vir ſanctus poſt bre-
uem morulam leuato capite, dari ſibi aquam in vaſculo poſtulauit: & ſuper eam dicens orationem Dominicam, eam-
Præclarum miraculum que benedicens ſigno ſanctæ Crucis impoſito, lauari ea vulnus capitis imperauit. Quo facto, ceſſauit fluxus ſanguinis,
& protinus vulnus ſanatum eſt: ſicque ſanus effectus, inchoata Miſſarum ſolennia celebrauit. Quod qui vidit, teſti-
monium perhibuit. Ipſum autem veſtigium vulneris ſemper manſit in capite: & nunc in ipſo capitis * cranio, deficien-
* teſta. te oſſis particula, fractura cernitur apparere. Iubente vero rege ſuſpendi fatuum illum, beatus pontifex vix precibus ob-
tinuit, ne quid mali hac de cauſa illi inferretur.

Alio tempore cum de Regis Angliæ curia remearet, venit in Vualliam: vbi diu ventum expectans proſperum, XX.
tædio angebatur. Erat autem in illis partibus quædam eccleſia in honorem beatæ Virginis apud caſtrum cuiuſdam di-
uitis, eius expenſis recens ædificata, cuius lateri homo quidam perpetuo ſe incluſerat, vt Deo liberius adhæreret. Huic
Viſio cuiuſdam ſolitarij. igitur viro Dei nocte apparens Virgo ſancta, ornatu & facie reuerendiſſima, ſciſcitabatur cur ſua eccleſia dedicata non
eſſet. Cui cum anachoreta reſponderet, Epiſcopum diœceſanum diu abfuiſſe: Ego vero, inquit illa, nolo eam ab eo de-
dicari. Ecce adeſt Laurentius Dublinenſis Archiepiſcopus, cuius præſtolabar aduentum, vt ipſe meam eccleſiam con-
ſecraret. Et hoc ei ſignum, quod ventum vel tranſitum non obtinebit, donec meæ ſatisfecerit voluntati. Ad hæc ex-
pergefactus homo, & territus viſione, facto iam die, miſit pro caſtellano, eius eccleſiæ fundatore, totamque ei patefecit
ex ordine viſionem. Is mox ad Archiepiſcopum properans, eum ad ſuum caſtrum inuitauit, ſuſceptumque honori-
fice procurauit: factaque cœna, precabatur eum, vt illam eccleſiam conſecrare dignaretur. Vir ſanctus reſpondit, id
ſibi non licere: caſtellanique precibus aſſentiri modis omnibus renuit. Videns id caſtellanus, non cunctatus eſt viro
Dei minas beatæ Virginis indicare, totam anachoretæ viſionem per ordinem commemorans. Quam ſanctus vir mẽ-
te pertractans, videnſque ſecundum Deum ſibi non eſſe illicitum, ſed permiſſum, diuinæ viſioni deuotiſque precibus
aſſenſum præbens, eccleſiam poſtridie dedicauit. Cumque Miſſam & diuina officia peregiſſet, guſtato pane cum ſuis
nauim ingreſſus, curſu proſpero ad portum deſideratum peruenit. Ex eo tempore innumera fiunt miracula in eccle-
Multa miracula in eccleſia, à Viro Dei dedicata, fiunt. ſia illa, diuinaque indigentibus beneficia præſtantur.

Rursus beato viro in Angliam cum tribus nauibus contendente, in mediis maris vorticibus tempeſtas ſæ- XXI.
Sedat tempeſtatem. uiſſima extitit, ita vt pene naues & homines mergerentur. Iamque nautis ſpe omni euadendi periculi propemodum
Matth. 8. deſtitutis, quidam melioris ſpei vir, conuerſus ad ſanctum præſulem, dixit: Domine, ecce perimus: ſuccurre
nobis tuis ſanctis precibus. Illo igitur flexis genibus Deum deprecante, ſtatim mare quieuit, ceſſa-
uitque tempeſtas, ita vt poſſent homines admirari & dicere: Quis eſt hic, quia venti & mare obedi-
unt ei? XXII.

Alio quoque tempore properanti ei in Angliam, & iam nauim ingreſſo, quidam è ciuibus Dubliniæ comites
ſe adiunxerunt, ſub tanto paſtore pericula maris ſe euaſuros confidentes. Et ecce cum iam ſecurius mare ſulca-
rent, ſubito commotis fluctibus, ventiſque ſæuientibus, tempeſtas horribilis exorta eſt, adeo vt præſentem inten-
tarent omnia mortem. Congregati ergo omnes ad patrem & patronum Archiepiſcopum, anxie precabantur,
vt ſuo interuentu ocyus ipſis ſuccurreret, mors enim in ianuis videbatur. At ſecretarius & amicus Dei: Con-
fidite, inquit: nemo veſtrum peribit: ſed audite conſilium meum, & iram Dei deuotionis muneribus placate.
Ad eius enim, vt noſtis, & beatæ Virginis matris eius honorem, Dubliniæ eccleſiam nouam conſtruimus: ad
quam perficiendam dare vos moneo de fructu operum eius, qui vobis omnia largitur: ſicque promitto ego vobis in
Domino,

Domino, tranquillitatem maris abſque veſtro & rerum veſtrarum periculo citiùs adfuturam. Mox illi ad Archiepiſcopum bona & alacri voluntate multa donaria apportant. Erat enim nauis illa multis referta diuitijs. Ille verò gaudens in Domino, breui & deuota oratione penetrat cælos: ſtatimque mari ſubſidente, & tranquillitate reſtituta, Deum & ſanctum eius pontificem omnes pariter collaudant.

Iterum ſuis precibus tranquillã efficit maſe.

XXIII. EMERGENTIBVS autem cauſis quibuſdam Eccleſiæ ſuæ, paſtor ſtrenuus vigilans ſuper gregem ſibi commiſſum, ſummum Pontificem adire decreuit: Romamque feliciter perueniens, adiutus Domini gratia, propoſitum impleuit. Cumque pro libertate Hyberniæ Eccleſiæ facundè ſatis egiſſet, & animi eius benignitas atque prudentia manifeſtè innotuiſſet, regreſſurus ad propria, Legatus totius Hyberniæ a domino Papa conſtituitur. Reuerſus indè proſperè in Hyberniam, commiſſæ ſibi legationis officium cum magna totius Eccleſiæ libertate exequi ſatagebat. Quæcunque religioni, vel eccleſiarum officijs, vel honeſtati clericorum deeſſe videbat, ea ſufficienter & honeſtè ſupplebat, ſuperflua reſecabat, rectè diſpoſita inuiolabiliter obſeruari volebat: eratque in zelo legis Domini velut ignis, & quaſi adeps ſeparatus à carne. In miniſtrorum autem eccleſiæ execrabatur immunditiam caſtitatis & honeſtatis zelator, tamque eos ad continentiam prouocabat, vt omnes tam ſubdiaconos, quàm diaconos vel presbyteros, ſi incontinentiæ conuicti eſſent, licet tantùm Archiepiſcopus poſſet, tamen nollet abſoluere: ſed ad Romanam Eccleſiam, à ſummo Pontifice abſoluendos, deſtinaret, ità vt quodam tempore, quod dictu mirum ſit, centum quadraginta presbyteros de incontinentia conuictos, Romam miſerit abſoluendos. Cupiebat enim omnes ſui ſimiles efficere, & quam in ſe ſectabatur munditiam, eam etiam à ſubditis requirebat, lumbos ſuos non zona pellicea, ſed aſpero cilicio conſtringens. Itaque Apoſtolicum illud, quod reipſa præſtabat, ore quoque iubebat: State ſuccincti lumbos veſtros in veritate.

Vide Bar. an. 1179.

Fit legatus Hyberniæ.

Eximius eius erga incontinentes clericos zelus.

Ephes. 6.

XXIV. CVM autem ſic legationis ſuæ fungeretur officio, & cæleſtis vitæ pabulo populum reficere conaretur, temporalium rerum inopia totam Hyberniam miſerabiliter occupauit. Itaque humaniſſimus paſtor, aſſuetus olim operibus pietatis & benignitatis, videns tempus acceptabile, tempus miſerendi, fœnerabatur Domino, dum miſeretur pauperum: totuſque inopum commiſerationi addictus, penſans eorum miſerijs, egeſtatem illorum ſuam exiſtimans, pro facultatum ſuarum copijs, ſed non largiſſimæ charitatis ſuæ votis, illis opitulabatur & ſuccurrebat. Quingentos namque pauperes, extrema penuria oppreſſos, per triennium quotidianis ſuſtentabat eleemoſynis, exceptis alijs plùs minùs trecentis, quos per Epiſcopatum ſuum veſtibus & alimonia donabat, quibuſque neceſſaria omnia miniſtrabat. Multæ etiam fœminæ egeſtate afflictæ, paruulos ſuos, quos nutrire non poterant, neceſſaria quadam cautela ad oſtia eius deponebant, itemque alijs diuerſis locis, per quæ illum nouerant tranſiturum. Sciebant enim in eo maternum ineſſe affectum, nec poſſe deeſſe eis: quippè qui gremium pietatis omnibus expandens, nemini ſe negabat. Ille verò non immemor paupertatis & pueritiæ, quam pro nobis Ieſus Chriſtus aſſumpſit, qui in die iudicij dicturus eſt, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: quique alibi dicit, Quicunque ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit: pium ſe puerorum nutritium exhibebat, eoſque per diuerſa diœceſis ſuæ loca hominibus & baiulis ſuis nutriendos & diligentiùs cuſtodiendos commendans, eis neceſſaria omnia ſuppeditauit. Et cùm talium ſit regnum cælorum, ipſe iam exultans in cælis, frequentiùs in terris puerorum miſeretur. Erant autem id genus pueri fermè ducenti, quandoque plures, quandoque pauciores: demptis nonnullis pauperibus, de quibus iam dictum eſt: & paruulis, quos in domo ſua bonus Chriſti nutritius procurabat. Cùm autem hi pueri iam adulti eſſent & enutriti, tradi ſingulis crucem ligneam iubebat, quas ſigni cuiuſdam loco ferentes, circuibant prouinciam: atque ità ab eius præfectis & alijs, nomen Dei & pontificis venerantibus, vitæ ſuſtentandæ conſilium & auxilium eis impendebatur.

Prou. 19.

Vide ſingularem in pauperes humanitatem.

Matth. 25. Matth. 18.

Item in pueros.

XXV. PER id tempus, multiplicatis malis in terra, cùm ſanctus pontifex die quodam à Dublinia Vuaſſofordiam iter haberet, quidam è militibus Regis, Vuilhelmus nomine, ſe comitem ei adhibuit, nè fortè ſi ſolus eſſet, incideret in latrones. Sed & ſcriptor quidam cum vxore ſua paruuloque infante, tanquàm ſecurius iter iam facturus, illis ſe iunxit. Ingredientibus autem illis nemus quoddam, latronum latibulum, viginti quatuor loricati latrones è latebris prodierunt, ſimulanteſque ſe velle parcere pontifici & ſuis, petebant, vt militem ipſorum traderet voluntati: ipſe verò cum ſuis clericis, illæſus abiret. Sed vir ſanctus reſpondit, mallè ſe interfici, quàm illis militem iugulandum permittere. Tum illi furijs agitati, in clericos eius ſæuiùs irruerunt, & ſcriptorem antedictum crebrò irrumpendo occiderunt. Eius autem vxoris miſertus Epiſcopus, poſteà quæ ad victum veſtitumque pertinent, perpetuò illi ſubminiſtrauit: puerũ verò literis erudiendum curauit, & quòad vixit, inter Clericos ſuos illum numerari voluit. Porrò latrones lanceam in militem vibrantes, miſericorditer ſeſe interponentis Epiſcopi equum confoderunt: ſicque miles equi præſidio de eorum manibus ereptus eſt. Præſul verò ſpoliatis clericis, varijs affectus iniurijs, in proximam veniens ciuitatem, latrones illos per internuncios admonuit, vt à ſua malitia abſtinentes, veniam impetrarent: nî id facerent, ſe cum omnibus eius ciuitatis presbyteris in eos excommunicationis ſententiam pronunciaturum. Illis autem omnem pœnitentiam & correctionem reſpuentibus, eos excommunicauit: Quod cùm illi cognouiſſent, & quemadmodùm fieret excommunicatio, inquiſiſſent, dixerunt. Excommunicemus & nos Archiepiſcopum. & accipientes exta bouis furto ablati, loco ſtolarum, & accenſis lignorum faculis loco candelarum, inſtàr luporum vlulabant, Clericos irridentes, anathemata legentes, & in deriſum Eccleſiæ etiam in aqua ipſas faculas extinguentes. Ex ijs vnus poſtero die, licet quadruplici tectus veſte, frigore ſatis temperato & tolerabili extinctus eſt. Tertio indè die malitiæ eorum dux itidem peremptus eſt, atque ità alij poſt alios intra annum vnum periêrunt.

Incidit in latrones.

Ecce tibi cæleſtem vltionem in deriſores excommunicationis.

XXVI. QVIDAM è miniſtris Archiepiſcopi quandoque, non abſque ſua fortaſſis culpa, Dubliniæ ad patibulum trahebatur. Cumque iam ad ſuſpendij locum perueniſſet, rumor eius rei ad Archiepiſcopum perlatus eſt. Ilicò ſurgit ille, ſequiturque hominem, vt eum liberet. Videns autem vnus è carnificibus præſulem venientem, timenſque nè infelix ille ex eorum manibus auferretur, caput miſero præcidit. Id cernens Epiſcopus, multumque dolens ereptum ſibi hominem, in eius percuſſorem maledictionis fulmen intorſit. Cumque ille cum ſocijs Dubliniam rediret, in ponte cadens coxam fregit, & ex eo vulnere breui vitam amiſit, manifeſto diuinæ vltionis iudicio. Sic Dominus, quantæ ſanctitatis & gratiæ apud ipſum eſſet beatus Laurentius, & quòd eius verba pondus haberent, ſæpiùs declarauit.

Miſerè perit cui vir ſanctus imprecatus eſt.

DVO viri Dubliniæ in loco ſacro latrocinium perpetrârunt: ſed pro meritis ſuis percuſſi à Domino, protinùs amentes effecti ſunt, ligatique ad eccleſiam ſanctæ Trinitatis, & ad Archiepiſcopum adducti ſunt. Quos cùm ille vidiſſet, miſericordia motus erga illos, data benedictione, iuſſit eos à vinculis expediri. [illegible] faciem corruentes, diù tanquàm exanimes iacuerunt. Tandem ſurgentes incolumes, viro Dei pro [illegible] gratias egerunt. Quod ille, ne facerent, more ſuo prohibebat, & vt ſoli Deo gratias agerent, verecu[illegible] tabatur.

Duo tamen [illegible]

XXVII. QVANDOQVE vir ſanctus cum duobus Epiſcopis & Abbate Thoma nepote ſuo ad [illegible]em quandam

properabat. Cumque apud pagum quendam horas Dominicas cantaturus deſcendiſſet, homo quidam adueniens, ad eum exclamauit: Patientiam tuam, domine, non equitum multitudine gloriari decet, ſed in eo potiùs, vt ægrotis & afflictis ſuccurrere ſtudeas. Eſt in eccleſia huius pagi proxima fœmina quædam nobilis, quæ ab immundo vexata ſpiritu, nuper mente capta eſt. Ad eam igitur ire te decet, & fundere preces pro ea ad Dominum, vt tuis flexus precibus, illam ſanare dignetur. Percepta ea ſimplicis hominis petitione, Archiepiſcopus iubet ire Thomam Abbatem, & orare pro ea. At ille modis omnibus recuſabat vel limina eccleſiæ attingere: intrantûm iam eius homines horrebat. Præcepit ergò idem Epiſcopo Kildarenſi Malachiæ. Sed is itidem ſe excuſans, aiebat ſe non tanti eſſe meriti, vt dæmones expellere poſſit. Iubet tandem vir Dei, vt Clemens Epiſcopus eat. Qui tota ſimplicitate libenter ſe iturum reſpondit. Erat is vir magnus & caluus. Cumque eum dæmoniaca conſpexiſſet in eccleſiam intrantem, mox ei caluitiem obiecit, addens etiam contumeliam per mendacium: O calue viliſſime, inquit illis, qui ſemper meretricio te iungis contubernio, quid hîc à me requiris? ſimulq; arripiens lapidem, iactauit in eum. At Epiſcopus & contumeliam, & horrorem non ferens, ad Archiepiſcopum cum timore pudefactus rediit. Tum demum vir ſanctus vt ſimulationem, ſic arrogantiam vitare volens, Ego, inquit, ſi ſic neceſſe eſt, eam in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti viſitabo. Cumque ad oſtium eccleſiæ veniſſet, Crucis ſignaculo & eam, & fœminam conſignauit. Eum autem vt vidit miſerabilis mulier, multa in eum probra & conuicia coniecit. Sed ille vir miſericors, eius miſeriæ miſertus, de Domino non diffidens, ligari eam præcepit. Et cùm manibus eam attrectaſſet, pectori eius Crucis ſignum impreſſit, & aquam benedictam ori eius infudit, humique proſtratus, Dominum pro ea ſuppliciter & breuiter orauit. Inde recedens, cùm triduo pòſt eò reuertiſſet, inuenit eam ſanæ mentis, & iamdudùm ipſius reditum præſtolantem. Illa verò mox ad eum accedens, multis precibus nocte illa retentum, cum omnibus comitibus eius honorificè procurauit, in eximij amoris ſignum crebrò eius manus & pedes deoſculans, & gratias agens omnipotenti Deo, quòd per eius merita perfectæ eſſet reddita ſoſpitati.

Malachias Epiſcopus Kildarenſis.

Procax dæmonis petulantia.

Vide quibus armis oppugnat dæmonem vir ſanctus.

XXIX. QVIDAM beati viri mareſcallus, toto corruptus corpore, miſerabiliter inflatus erat. De cuius ſalute cùm iam medici omnes ſpem abieciſſent, adductus eſt ad dominum ſuum. Is protinus manus ei imponens, oranſque pro eo: Ducatur, inquit, ad hoſpitium ſuum, & cùm ſanatus fuerit, redeat ad priſtinum munus. Reductus eſt ergò domum, & proxima nocte omnis ille corruptus humor effluxit, & poſt dies octo viribus inſtauratis, ad virum Dei cum alacritate reuerſus, gratias egit pro ſanitate, per eum diuinitùs ipſi donata. Cui vir ſanctus: Memineris, ait, non homini, ſed ſoli Deo gratias agere.

Sanat hominem deſperatum.

XXX. IN eccleſia beati Martini Dubliniæ quidam ſacerdos, nomine Galuuedius, miniſtrabat. Erat autem charus Archiepiſcopo, quòd eum à iuuentute nutriiſſet, & eius clericus fuiſſet. Is igitur aliquando graui infirmitate depreſſus, ad extrema peruenerat. Nam eùm & ſenſu & halitu carere videretur, complures eum mortuum putabant: quidam verò nondum exanimem, ſed veluti in ecſtaſi poſitum exiſtimabant. Vndè factum eſt, vt tribus indè noctibus totidemque diebus corpus in medio poſitum, ſepulturæ mandare differrent. Tandem adueniens ſanctus Laurentius, & corpori tanquam funeri appropinquans, pietate motus ad lachrymas mortuum ſic affatur: Tu quidem dilectiſſime, ſi poſſes, mihi iam loqui velles: ſed in omnibus fiat voluntas Dei. Sic ait, & flexis genibus, Dominum tacitus orauit. Quis autem fuerit affectus orantis, ſatis declarauit Domini exaudientis effectus. Completa enim oratione, quam nouit ille ſolus, qui approbauit, ſacerdos Galuuedius quaſi de graui ſomno excitatus, ſurgens incolumis, gratias egit Deo & ſanctæ Mariæ, & beato Laurentio domino ſuo, apertiſque in circumſtantes luminibus, quærebat quid ibi facerent, vel qua ex cauſa illuc pariter conueniſſent. Stupefacti verò & territi omnes in eo, quod accidiſſe videbant, ſic illi reſponderunt: Toto triduo nullum vitæ ſignum habentem, ſed inſtar mortui iacentem, te ſepelire propoſuimus. Et ſacerdos: Nouit Dominus, inquit, animam meam ſeparatam fuiſſe à corpore, & diſceptantibus Angelis pro ea, vidiſſe me dominum meum Laurentium flexis genibus coram Deo & glorioſa virgine Maria matre eius, pro me humiliter deprecantem: eiuſque oratione flexum Dominum, animam meam corpori reſtituiſſe. Tum verò beatus pontifex pro familiari ſibi & humili verecundia, illi ſacerdoti ſub pœna excommunicationis interdixit, ne rem hanc vlli omninò homini, donèc ipſe viueret, reuelare auſus eſſet.

Excitat vita functum.

Eccè profunda eius humilitatem.

XXXI. HÆC de vita & moribus ſancti viri, eiuſque virtutibus à certiſſimis excepta teſtibus, poſt aliquot annorum curricula, tanquàm paucæ quædam reliquiæ ad nos perlata ſunt. Iam qua occaſione & quo pacto, Domino largiente, ad Augenſem vſque eccleſiam peruenerit, in veritate, qua comperi, ſuccinctè narrare curabo. Oborta fuit grauis diſſenſio inter Regem Angliæ Henricum, ſub quo paſſus eſt ſanctus Thomas martyr glorioſus, & Regem Hyberniæ potentiſſimum Deronogam: cuius ſedandæ cauſa ſe beatus pontifex interponens, venit in Angliam, ſecum ducens quendam nepotem ſuum, iuuenem elegantem, vt eum Regi Henrico obſidem daret, ſi pax cum illo conſtitui vlla ratione poſſet. Sed Rex Angliæ pacem repudians, crudelem potiùs tyrannum ſe exhibuit, regioque edicto cauit, ne viro Dei liceret in Hyberniam reuerti, portuſque omnes, qui Hyberniam ſpectarent, ei voluit eſſe interdictos, hac ratione beatum virum exulare cogens. Itâ ille Regem in Normanniam tranſfretantem in monaſterio Abbendoniæ tres hebdomadas expectauit. Deinde tædio quodammodò affectus, Regem ſequi ſtatuit, ſi fortè in negocio illo magis eum placabilem offenderet. Ingreſſus igitur nauim apud *Douriam, Vuitſantum applicuit, proſequenſque Regem in Normanniam, febre corripitur. Ea ingraueſcente, triduo valde eius morbi importunitate afflictus, ab incepto deſiſtere cogebatur. At tamen contra febris ardorem flamma charitatis pugnabat inſtantius, & naturam, quem febrile debilitabat incommodum, in charitatis & pacis commodum fortiter ſibi militare cogebat. Atque deinceps in ipſo itinere locum inquirere cœpit, in quo aut quieſceret, aut certè etiam remaneret. Iam enim aliquo modo præſenſerat diſſolutionem ſui corporis imminere. Sui igitur tabernaculi depoſitionem præuidens, tabernaculum non manufactum toto animo expetebat. Eius autem exemplar, Domino prouidente, viro ſancto in monte Augi oſtenſum eſt. Perueniens enim ad eius montis ſupercilium, & inde caſtrum intuens, & in caſtro eccleſiam eminentem, cognoſcenſque è quibuſdam in via ipſi occurrentibus, caſtrum eſſe Augenſe, in introitu Normanniæ in Henrici Regis Angliæ ditione conſtitutum, eccleſiamque eſſe beatæ Virginis, in qua Canonici inſtituti S. Victoris Pariſienſis, Deo & beatæ Mariæ regulariter ſeruiunt: non mediocriter exhilaratus, & tanquàm Dauidis prophetico ſpiritu afflatus, Hæc, inquit, requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. dataq; benedictione cum Crucis ſigno, ad eam eccleſiam venit, & ſtatim illic oratione, ſeipſum Deo & beatiſſimæ Virgini commendans, ad hoſpitium diuertit, lectoq; decubans, à viro eius loci Abbate Osberto, viro religioſo, confeſſione præmiſſa, vix præſentis verò viatico ſuum ad vitam tranſitum præmuniuit.

Non poteſt vir ſanctus ex Anglia diſcedere, rege vetante.

* Douariam

Incidit in febrem.

Pſalm. 131.

Confeſſione & Euchariſtia ſe munit ſub mortem.

XXXII. HIS peractis, vir venerabilis & circumſpectus clericus Dauid, ſuprà memorati iuuenis pædagogus, ad Regem Henricum profectus eſt, vt quod beatus vir de pace conciliandâ cœperat, ipſe pro tenuitate ſua, diuina præueniente gratia, conſummaret. Cumque Regem quibus poterat rationibus emolliiſſet, eiuſque animum ad pacem iuſſlexiſſet, quarto die ad ſanctum Epiſcopum reuerſus eſt. Cui cùm rem à ſe geſtam retuliſſet, ſanctus præſul

quamuis

quamuis iam morti proximus, exultare viſus eſt: &, vt facto gratias ageret, quod verbo non poterat, caput ſuum in illius ſinum depoſuit: ea ipſa re ſatis indicans, illum magiſtrum Dauidem, ſpiritum ſuum, iam cum morte colluctantem, pace impetrata, pro qua ipſe, quantùm poterat, laborârat, exhilaraſſe. Tertio autem ab aduentu ſuo die, febrium ingraueſcente dolore, ſanctus præſul Abbatem eius loci cum fratribus eius accin voluit, ſeque in eorum collegium & fraternitatem recipi petijt: eique libentiſſimè aſſenſum eſt. Indè extremam & petijt, & percepit vnctionem. Cùm autem de faciendo, vt moris eſt, teſtamento admoneretur, ſic reſpondiſſe fertur: Nouit Dominus, mihi ne nummum quidem ſub ſole relictum eſſe. Par eſt enim credere, diuerſis miſericordiæ & benignitatis officijs & operibus, quicquid ad manum habere poterat, vitam pium in cæleſtes theſauros tranſmiſiſſe: vel potiùs Canonicæ profeſſionis memorem, nihil ſe habere proprium exiſtimâſſe: vt, qui viuere conſtituiſſet ſecundùm regulam à ſanctis Apoſtolis inſtitutam, in extremo vitæ fine nihil ſuum eſſe dicendo, ab ea regula minimè deuiaret. Atque ità beatiſſimi Auguſtini conſors, aut vt rectius dicamus, ſucceſſor effectus, teſtamentum nullum fecit, quia vndè faceret, pauper Chriſti non habuit. Percipit extremā Vnctionem.

XXIII. Deinceps felix Laurentius ad portum ſalutis feſtinans, gemitus atque ſuſpiria pœnitentis indeſinenter Domino offerebat, tam mente quàm ore reuoluens illum pſalmum Dauidicum, Miſerere meî Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea. Ea verò pœnitentis lamenta ſanctitati viri nihil quicquam derogabant, ſed eam potius confirmabant. Fertur enim magnus pater Auguſtinus inter familiaria colloquia dixiſſe, poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes, abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quamobrem ſibi iuſſerat in vltima ægritudine Pſalmos Dauidicos, qui ſunt pauciſſimi, de pœnitentia ſcribi, eoſque legens, vbertim ac iugiter flebat. Et beatus Laurentius aquas de ſuperiori irriguo haurire non ceſſabat, nec tamen irriguum inferius contemnebat, populum ſuum morte paſtoris continuo deſolandum, mirabiliter lingua materna dicens: Heu popule ſtulte & inſipiens, quid iam facturus es? Quis ſanabit aegritiones tuas? Quis medebitur tui? Sic autem charitatem implebat, ex vna parte, quod meliùs erat, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto: ex altera autem neceſſitatem fraternam attendens, propter imbrectum populum cum Apoſtolo cupiens diutius in carne remanere. Fidelis autem Deus mercedem laborum eius abſque dilatione iam reddendam ei ſtatueret. Itaque cùm ſextæ feriæ terminus adueniſſet, in confinio ſabbati ſubſequentis ſpiritum ſancti viri requies æterna ſuſcepit. Atque ita glorioſus Chriſti confeſſor Laurentius, Dublinenſis Archiepiſcopus & Legatus Hyberniæ, plenus dierum, perfectus & conſummatus in operibus bonis, Chriſti cohæres, ad Chriſtum migrauit decimooctauo Calendas Decembris. Pſalm. 56. Poſſid. in vita eius c. 31 quam habes T. 6. 28. Philip. 1. Ibidem. Anno 1181. exit à corpore, vt habet Rogerius in annal. Baronius an. mem.

XXIV. Eius autem obitus & remotis certo oraculo declaratus eſt, & per præſentes, Domino prouidente, venerationi habitus. Ea enim nocte, qua ortus ab occaſu ſol Angliæ occidit, cuius fuit occaſu purior ortus ei, cuidam ciui Dubliniæ, Innocentio nomine, in ſomno viſum eſt, cum eſſet in eius vrbis eccleſia cathedrali, ſummum altare corruere, penituſque diſſipari. Qua viſione turbatus, manè publicè retulit ſomnium, cum iuramento aſſeuerans dominum Archiepiſcopum diem extremum clauſiſſe. Id quod poſteà, nuncijs aduenientibus, verum fuiſſe compertum eſt, eadem ſcilicet nocte migrâſſe Pontificem, qua viſio hæc Innocentio oblata fuit. Viſio cuiuſdam.

XXV. Contigit autem, Domino agente, vt mox à celebratis ſancti confeſſoris exequijs, Alexius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Scotiæ Legatus adeſſet. In cuius aliorumque multorum præſentia corpus ſancti pontificis, in medio Augenſis eccleſiæ honorificè & reuerenter ſepulturæ mandatum eſt. Vbi poſteà latuit annis quatuor & menſibus ſex theſaurus precioſus, tum quidem abſconditus, ſed ſuo tempore reuelandus. Cuius quidem futuræ reuelationis haud vulgare extitit argumentum. Ea enim nocte, qua Chriſti confeſſor huius mundi tenebras reliquit, ſicut multorum aſſertione innotuit, admiranda claritas ſuper Augenſe monaſterium ità repentè viſa eſt emicare, vt intuentes putarent Abbatiam, vel caſtri domum aliam, emiſſo cælitùs fulgure, concremari. Vbi ſanè diuina bonitas nobis aliquantulum reuelare dignata eſt, qualis & quantus eſſet ille, qui ea nocte ex hoc mundo migrarat. De quo non debet temerarium videri, ſed pium potiùs, ſi ſentiatur ad lucem tranſiiſſe inacceſſibilem, vt illius beatitudinis ſit particeps, quam opportuno tempore ſuis manifeſtat & largitur fidelibus beatus & ſolus potens Rex regum & Dominus dominantium: Cui eſt honor, gloria & imperium in perpetuum, Amen. In ſanctos autem relatus eſt vir beatus à ſummo Pontifice Honorio Reate, tertio Idus Decembris, pontificatûs eius anno decimo. Honorifica ſepultura eius. Refertur in ſanctos.

MARTYRIVM SANCTORVM CONFESSORVM SAMONÆ, GVRIÆ ET ABIBI, EX SIMEONE METAPHRASTE. An. 300.

Agebatur quidem ſexcenteſimus annus ab imperio Alexandri Macedonis: nouem autem annos iam tranſegerat Diocletianus, ſceptra tenens Romanorum: & ſextum iam conſulatum obtinebat Maximianus: Augarus autem Zoaræ filius, his temporibus erat Prætor, & * Cognatus erat Epiſcopus Edeſſenorum, & magna excitabatur perſecutio aduerſus eccleſias omnibus, qui erant ſub ditione Romanorum. Et nomen quidem Chriſtianorum, tanquàm nefarium, probris appetebatur & exagitabatur: ſacerdotes autem & monachi, propter firmam fidem & inexpugnabilem, miſerabilibus tradebantur ſupplicijs, deſiderioque & metu diſtrahebantur pij. Nam cùm liberè eloqui veritatem propter Chriſti vellent deſiderium, refugiebant rurſus metu ſuppliciorum. Nam ij quidem, qui ſe armabant aduerſus pietatem, ſtudebant vt Chriſtiani Chriſtianiſmum abiurarent, Saturnoque & Rheæ ſe adiungerent: contrà autem fideles, vt nihil eſſe oſtenderent ea, quæ ab illis colebantur. 15. Nov. Eſt hic annus conſulari nota notatus 299. apud Baronium. * Cognatus Edeſſenorū Epiſcopus.

I. Illo ergò tempore Gurias & Samonas apud Iudicem accuſantur, quorum ille quidem ex Sarcigitua, hic autem ex vico Ganade erat ortus, ambo educati Edeſſæ, quam vocant Meſopotamiam, quòd ſit media inter Euphratem & Tigridem. & anteà quidem eius fama ad paucos peruaſerat: poſt martyrum autem certamina erat omnium ſermone celebrata. Atque ſancti quidem nequaquàm verſabantur in ciuitate: ſed procùl ab ea remoti, vt qui vellent procùl abeſſe ab eius tumultibus, ſtudebant eſſe Deo ſoli manifeſti. Et Guriæ quidem continentia & charitas, erat bona & honeſta poſſeſſio, & ex illius ſtudio cognomen eſt ei impoſitum, adeò vt ex nomine eum non cognoueris, niſi priùs dixeris continentem. Samone autem erat in Deum corpus & animus iuuenilis & alacris, & cum Guria virtute contendebat. Ij ergò accuſantur ad Iudicem, quòd non ſolùm omnem finitimam Edeſſæ regionem ſua doctrina confirmarent, & vt ſuæ adhærerent fidei, animum adderent: ſed etiam efficerent, vt deſpicerent perſecutores, & vt illorum impietatem omninò nihil facerent, doceret, conuenienter ei, quod ſcriptum eſt: Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Quibus Iudex ad magnam accenſus inſaniam, iubet omnes, qui habent in honore religionem Chriſtianam, ſequentes doctrinam Guriæ & Samonæ, ſimul cum ijs, qui eos ad id inducebant, comprehenſos, in tuta includi cuſtodia. Iuſſus autem ad effectum eſt de- Guriæ continentia & charitas. Pſal. 145. Chriſtiani malè mulctantur.

eſt deductus, & capta occaſione, cùm alijs quidem ex his plagas impoſuiſſet, alios autem alijs tormentis ſubieciſſet, & vt Imperatoris decreto parerent, ſuaſiſſet: tanquàm qui benignè & clementer ſe gereret, alios quidem ſinit domùm abire: ſanctos autem vt primos, & qui pietatem alijs impertijſſent, iuſſit adhuc affligi in carcere, qui ipſi quoque martyrij gaudebant ſocietate. Audiebant enim in alijs prouincijs multos idem, quod ipſi, certamen ſuſcepiſſe: ex quibus erat Epiphanius & Petrus, & ſacroſanctus Pamphilus cum multis alijs in Cæſarea Paleſtinæ, Timotheus Gazæ, in magna Alexandria Timotheus, Agapetus Theſſalonicæ, Heſychius Nicomediæ, Philippus Adrianopoli, Melitinæ Petrus, Hermes, & eius ſocij in confinijs Martyropolis: qui fuerunt etiam redimiti corona martyrij à Duce Heracliano cum alijs confeſſoribus, quorum eſt maior numerus, quàm vt poſſit ad noſtram venire cognitionem. Sed redeundum eſt ad ea, de quibus priùs dicebamus.

Multi martyres hac tempeſtate.

ANTONIVS ergò Præſes Edeſſæ, cùm conceſſiſſet alijs, vt domùm reuerterentur, et in altum erecto tribunali, iubet ad ſe adduci martyres: & cùm feciſſent, quod iuſſi fuerant apparitores, ſanctis dicit Præſes. Diuiniſſimus noſter Imperator hæc iubet, vt & à Chriſtianiſmo deficiatis, quem ſequimini, & imagini Iouis cultum diuinum tribuatis, thus in ara ſacrificantes. Ad hæc Samonas: Abſit, inquit, vt vera fide relicta, propter quam ſperamus fore, vt vitam aſſequamur immortalem, manuum opus & figmentum colamus: Præſes autem: Imperatoris, inquit, iuſſa omninò ſunt implenda. Reſpondit Gurias: Puram & diuinam noſtram fidem nunquàm inficiabimur, ſequentes voluntatem hominum, in quos cadit interitus. Habemus enim patrem in cælis, cuius ſequimur voluntatem, qui dicit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, ego quoque eum confitebor coram patre meo, qui eſt in cælis. Qui me autem negauerit coram hominibus, ego quoque eum negabo coram patre meo, & Angelis eius. Iudex autem: Non vultis ergò, inquit, parere voluntati Imperatoris? Quomodò verò non fuerit abſurdum, ea quidem, quæ viſa fuerint hominibus, ijſque qui non multùm & quantùm vos, poſſunt, reipſa ad effectum deduci: eorum autem, qui rerum potiuntur, iuſſa fieri irrita? Qui Regis regum, inquiunt ſancti, faciunt voluntatem, carnis voluntatem reſpuunt ac reijciunt. Deindè cùm Præſes minatus eſſet mortem, niſi parerent: Samonas, Non moriemur, inquit, ò Tyranne, ſi creatoris ſequamur voluntatem: imò verò viuemus potiùs. Sed ſi ea ſecuti fuerimus, quæ iubet veſter Imperator, ſcias, quod etiamſi tu nos interemeris, nos tamen malè peribimus. III.

Matth. 10. Luc. 12.

POSTQVAM hæc audiuit Præſes, iubet Anonito commentarienſi eos in tutiſſimam conijcere cuſtodiam. Veritatem enim ægrè fert animus, qui ſua ſponte eſt ad malum propenſus: vt, qui ægrotant oculi, ſplendorem ſolis. Poſtquàm autem ille fecit, quod ei fuerat imperatum, & martyres fuerunt in carcere, in quo etiam multi alij ſancti priùs incluſi fuerant à militibus, Imperator quidem Diocletianus, accerſito Muſonio Præſide Antiochiæ, iubet eum venire Edeſſam, & Chriſtianos, qui in ea erant incluſi, ſiue erant communis, ſiue ſacrati ordinis, de ſua interrogare religione, & eis finem dare conuenientem. Cùm is ergò veniſſet Edeſſam, & Samonam & Guriam primos curaſſet ſiſtendos ad tribunal iudiciale, dicit eis: Domini hic eſt orbis terræ, hic eſt iuſſus, vt vos aræ Iouis vinum libetis, & thus imponatis. Sin minùs, ego vos varijs conſumam ſupplicijs. Corpus enim flagris lacerabo, donec perueniam vſque ad ipſa viſcera: plumbum autem feruens non priùs ceſſabo veſtris axillis infundere, quàm id peruaſerit vſque ad inteſtina. Deindè nunc quidem manibus, nunc verò pedibus ſuſpendam, & efficiam, vt ſoluantur compages articulorum: nouaque & inaudita excogitabo ſupplicia, quæ nec omninò quidem ferre poteritis. IV.

Martyres in cuſtodiam truduntur.

Minæ impij iudicis.

RESPONDIT autem Samonas: Vermem, cuius minæ ſunt intentatæ ijs, qui negant Dominum, & ignem, qui non extinguitur, magis, quàm ea, quæ tu enumeraſti, tormenta formidamus. Ipſe enim, cui cultum offerimus rationalem, primùm quidem nos corroboratos aduerſus varia hæc tormenta, eripiet à tuis manibus. Deindè etiam in tuto collocabit, vbi eſt habitaculum omnium lætantium. Alioqui autem omninò aduerſus ſolum corpus armatis: Quid enim animam potueris lædere? Quæ quandiù quidem habitat in corpore, tormentis euadit præclarior: ea autem recedente, nullus eſt omninò ſenſus corpori. Quo magis enim homo noſter externus corrumpitur, eo magis internus renouatur in dies per patientiam enim hoc propoſitum certamen peragimus. Præſes autem rurſus veluti proteſtans, vt, ſi non parerent, puniret iuſtiùs: Diſcedite ab errore, inquit, vobis conſulo, & cedite iuſſui Imperatoris. Non poteritis enim ferre tormenta. Cuius ſanctus Gurias: Neque errori, vt tu dicis, ſeruimus, reſpondit: nec Imperatoris iuſſui vnquàm paruerimus. abſit vt tam puſilli animi ſimus, & tam amentes. Sumus enim illius diſcipuli, qui animam ſuam pro nobis poſuit, diuitias benignitatis & ſuam in nos oſtendens charitatem. Reſiſtemus ergò peccato vſque ad mortem, neque quicquid acciderit, ſupplantabimur à machinis aduerſarij, quibus primus homo captus, decepſit mortem per ligni inobedientiam: & Cain perſuaſus, fratris quidem ſanguine manus polluit: gemere autem & tremere, inuenit præmia peccati. Sed nos Chriſti verbis mentem adhibentes, non timebimus eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: illum potiùs timebimus, qui noſtram animam & corpus poteſt perdere. Tyrannus autem, Non vt, inquit, veſtras percurrentes ſcripturas, poſſitis refellere, quæ à nobis obijciuntur, ideò ira non moueor, & me præbeo patientem: ſed vt iuſſum Imperatoris exequentes, cum pace domum reuertamini. V.

Eſa. 16. Martyres eas floccipendunt. Pſalm. 86. 2. Cor. 4.

Egregia martyrum conſtantia. Geneſ. 4. Matth. 10.

HAEC oratio nihil flexit martyres, ſed propiùs accedentes: Quid noſtra, aiunt, refert, ſi iraſceris, & es ad iram propenſus, & tanquàm niues pluis tormenta? Tunc enim nobis magis benefacies, clariorem reddens noſtram probationem patientiæ, & concilians maiores remunerationes. Hæc eſt enim ſumma noſtræ ſpei, hunc incolatum, qui eſt ad tempus, relinquere, & migrare ad æternum. Habemus enim tabernaculum non manu factum in cælis, quod etiam ſinum Abrahæ ſcriptura, proptereà quòd is eſſet familiaritate Deo coniunctus, ſolet vocare. Cùm itaque vidiſſet Præſes immutabilem eorum conſtantiam, ſtatim mittens dicere, proceſſit ad caſtigandum, & iubet Anonito Commentarienſi vtrunque vna manu ſuſpendi, & eis toto pondere corporis diuulſis, adhuc eorum pedibus grauem ſuſpendere lapidem, ad ſenſum acrioris doloris. Atque hoc quidem ità ſe habebat, & ab hora tertia vſque ad octauam tale tormentum forti animo tolerabant, non vocem emittentes, non gemitum, non aliquid aliud oſtendentes, quod eſſet puſilli & abiecti animi. Dixiſſes eos pati in alieno corpore, aut alijs patientibus, ipſos ſolùm eſſe ſpectatores eorum, quæ fiebant. VI.

2. Cor. 5. Luc. 16.

Diriſſimè ſancti martyres cruciantur.

Mira patientia.

INTERIM autem, dum ij penderent manibus, occupatus erat Præſes in alijs audiendis. Deindè cùm ab eis quieuiſſet, iubet Commentarienſem interrogare ſanctos, an iuſſui Imperatoris vellent parere, vt liberarentur à tormento: & cùm ille quidem interrogaret, hi verò non poſſent, aut non vellent reſpondere, iubet eos includi in interiore cuſtodia, in lacu tenebroſo & nomine & re ipſa, & pedes vſque ad diem ſequentem affixos eſſe ligno. Die autem iam apparente, à ligni quidem vinculis pedes ſunt relaxati: carceris autem aditus fuit obſtructus, vt nec ſolaris quidem radius poſſet ſubire: edictum autem fuit cuſtodibus, non fruſtum panis, nec paruam quidem guttam aquæ tres totos dies eis præbere. Quamobrem de cæterò tenebroſus carcer & longa inedia erat condemnatio martyribus. Cùm autem adeſſet tertius dies circa principium menſis Auguſti, apertus quidem fuit aditus carceris: illi autem in eo retenti ſunt vſque ad decimum Nouembris. Deindè Iudex eos curat ſiſtendos pro VII.

In obſcurũ carcerem deducuntur.

Longa inedia affliguntur.

dos pro ſuo tribunali Et nec tantum, inquit, tempus vobis præbuit, vt mutati aliquod ſalutare caperetis conſilium? Illi autem reſpondent : Quod nobis videtur, tibi iam ſæpiùs oſtendimus: tu autem fac ea, quæ tibi fuerunt imperata. Præſes autem ſtatim iubet Samonam altero pede in genu inclinari, & ferreum vinculum iniicit eius genui. Quod cùm factum eſſet, eum quidem ſuſpendit præcipitem, à pede, quem inclinauerat, alterum deorſum trahens pondere ferri, quod verbis non poteſt explicari: & ſic athletam molìens diſcerpere. Quo quidem tempore cum coxæ acetabulum per vim ſedem ſuam reliquiſſet, effectum eſt, vt Samonas claudicaret: Guriam autem, quòd eſſet imbecillus & ſubpallidus, ſinebat impunitum, non quòd eum benignis adſpexiſſet oculis, non quòd eſſet miſertus eius imbecillitatis: ſed vt qui, quòd eum punire cuperet, potiùs pepercißet. Nè fortè, aiebat, nobis imprudentibus conſumeretur ante cruciatus.

Samonæ immanis cruciatus.

fuiſſe eſt l. aut damnum § nec ea ff de pœnis: hinc Præſes Guriam, cum imbecillioris eſſet naturæ, grauioribus tormentis aggredi auſus non tormentis efflaret animam

Tormentis occidere quempiam lege vetitū fuit, ne in

VIII. Et iam erant quidem duæ horæ diei, ex quo ſuſpenſus erat Samonas: hora autem quinta iam aderat, & is adhuc pendebat ſublimè: & qui circumſiſtebant milites, mouebantur miſericordia, & hortabantur vt Imperatoris pareret imperio. Sed peccatorum miſericordia caput ſancti non pinguefecit. Ille enim etſi acerbè permereitur à tormento, ipſos ne vllo quidem dignabatur reſponſo, ſinens eos lugere, & ſe potiùs, non illum dignum cenſere miſericordia. In cælum autem tollens oculos, precabatur Deum ex profundo cordis, & ei reuocabat in memoriam miracula, quæ à ſeculo facta ſunt: Domine Deus, dicens, ſine quo nec paſſerculus quidem cadet in laqueum: qui Dauidi dilatâſti cor in afflictionibus: Qui Prophetæ Danieli vim dediſti etiam contra leones? Qui pueros Abramiæos & Tiranni & flammæ victores effeciſti: tu quoque nunc Domine adſpice ad bellum, quod contra nos geritur, qui noſtræ naturæ nôſti imbecillitatem. Conatur enim inimicus figmentum tuæ dexteræ auertere ab ea, quæ eſt apud te, gloria. Sed tu benignis tuis nos intuens oculis, conſerua in nobis, qui extingui non poteſt, lucernam tuorum mandatorum: tua autem luce dirige noſtras ſemitas, & dignare nos frui ea, quæ eſt in te, beatitudine: Quoniam es benedictus in ſæcula ſæculorum. Atque ille quidem Agonothetæ emittebat hanc gratiarum actionem: quidam autem ſcriba, qui aderat, literis mandauit quæ dicta ſunt.

Pſal 140. Mira eius patientia. *Matth. 10.* *Pſalm. 4.* *Dan 6. & 14* *Dan. 3.* Quidā ſcriba literis mandat eius dicta.

IX. Ivssit autem Præſes Commentarienſi eum ſoluere à ſupplicio. Ille verò cùm ſic feciſſet, & portâſſet cum iis, qui aderant, iam doloribus defeſſum & confectum, in priorem ferentes cuſtodiam, deponunt iuxta ſanctum Guriam. Cùm autem eſſet Nouembris decimusquintus, noctù circiter galli cantum ſurrexit Iudex: eum verò præcedebant lampades & ſatellites: & cùm ad baſilicam veniſſet, quæ dicitur, vbi erat iudicium, cum magno faſtu ſedet pro tribunali: & accerſit athletas Guriam & Samonam. Et hic quidem venit ambulans in medio duorum, & fultus vtriuſque manibus. Nam & premebat inedia, & grauabat ſenectus, bona ſpe ſolummodò eum refrigerante. Gurias autem ipſe quoque portatus ducitur, vt qui nec poſſet omninò ingredi, vtporè quòd pes ei fuiſſet grauiter à vinculo ſauciatus. Ad quos defenſor impietatis: Cùm data, inquit, fuerit vobis poteſtas, de eo, quod eſt vobis conducibile, ſimul deliberâſtis. Dicite ergò, an noui aliquid ſit à vobis conſideratum: & an priorum vos aliqua ſubierit pœnitentia: & parete iuſſui diuiniſſimi. Sic enim veſtris opibus & poſſeſſionibus, quinetiam hac ſuauiſſima quoque luce fruemini. Ad hæc martyres: Nemo, inquiunt, qui ſapit, magnifecerit parùm manere in iis, quæ fluunt. Sufficit enim nobis tempus, quod præceſſit, ad vſus eorum & adſpectum: nec eorum aliquid deſideramus. Quam autem mortem nunc nobis intentas, ea nos ad immortalia tranſmittit tabernacula, & efficiet, vt ſimus participes eius, quæ eſt illic, beatitudinis.

Martyres ſiſtuntur ad tribunal. Sapientiſſimum eorū reſponſum.

X. Præses autem: Quæ à vobis, inquit, dicta ſunt, noſtras aures magna affecerunt triſtitia. Ego autem paucis exponam id, quod videtur. Nam ſi aræ quidem thus imponitis, & imagini Iouis ſacrificatis, rectè ſe habuerit: & vnuſquiſq; veſtrûm domum abibit. Sin verò adhuc pergitis Imperatoris iuſſui non parere, amputabuntur vobis omninò capita. hoc enim vult & ſtatuit magnus Imperator. Ad quæ reſpondens generoſiſſimus Samonas: Si nos, inquit, tanto affeceris beneficio, vt liberemur quidem ab iis, quæ hic ſunt, moleſtiis: tranſmittamur autem ad eam, quæ eſt illic, beatitudinem, quantùm in nobis quidem ſitum eſt, tibi reddetur merces ab eo, qui noſtra diſpenſat ad id, quod eſt vtile. Ad hæc cùm reſpondiſſet Præſes, vt videbatur, benigniùs, & dixiſſet: Ego toleranter huc uſque tuli, longas illas ſuſtinens orationes, vt mora temporis mutati, traduceremini ad id quod eſt vtile, & ſupplicium mortis non ſubiretis. Qui morti, quæ eſt ad tempus, inquit, ſe tradunt propter Chriſtum, clarum eſt fore, vt ii liberentur ab æterna. Qui enim mundo moriuntur, viuunt in Chriſto. Nam Petrus quoque, qui reſplendent in choro Apoſtolorum, cruce fuit condemnatus & morte: & filius tonitrui Iacobus, ab Herode Agrippa fuit interfectus gladio. Quinetiam Stephanus quoq; fuit appetitus lapidibus, qui primus percurrit ſtadium martyrii. Quid autem dixeris de Ioanne? an ne eius quidem admiraris egregiam illam conſtantiam, & loquendi libertatem, quod mori maluerit, quàm cubilis tacere impudicitiam: adultera verò eius caput acceperit præmium ſaltationis?

Act. 12. *Act. 7.* *Matth 14.*

XI. Rvrsvs autem Præſes: Non vt veſtros, quos dicitis, ſanctos enumereris, vos fero toleranter: ſed vt mutato conſilio, iuſſis cedentes Imperatoris, ab acerbiſſima morte liberemini. Si enim ſitis nimiùm audaces & inſolentes, quid aliud, quàm vos maiora excipient ſupplicia, quibus oppreſſi, vel inuiti facietis id, quod nos exigimus: quo tempore nec omninò quidem poteritis refugium habere ad miſericordiam? Nam quod fit per vim, ne poteſt quidem prouocare ad commiſerationem: quomodò contrà quod ſponte fit, eſt dignum miſericordia. Chriſti autem confeſſores & martyres dixerunt: Non opùs eſt multis verbis. Eccè enim nos ſumus tibi præſtò ad omnia ſubeunda ſupplicia. Quod ergò tibi fuit imperatum, nè differas exequi. Nos enim Chriſti veri Dei ſumus adoratores, & rurſus dicimus: Cuius regni non erit finis Qui etiam poteſt ſolus viciſſim glorificare eos, qui eius nomen glorificant. Interim autem dum hæc dicerentur à ſanctis, Præſes tulit in eos ſententiam, vt mortem ſubirent gladio. Illi verò lætitia, quæ verbis non poteſt explicari, affecti: Te verè decet gloria & laudatio, qui es Deus vniuerſorum, clamabant: quòd tibi placuerit, vt ſuſceptum certamen perageremus, vt à te quoque immortalem ſplendorem aſſequamur.

Eorum conſtantia. *1 Reg.* Martyres ineffabili gaudio excipiūt mortis ſententiam.

XII. Cvm ergò vidiſſet Præſes immutabilem eorum conſtantiam, & quemadmodùm in animæ exultatione extremam accepiſſent ſententiam, ſanctis quidem, Deus, inquit, eorum, quæ fiunt, ſit inſpector, quòd non per me volebam vos vitæ finem accipere: ſed inexorabilis iuſſus me ad id cogit Imperatoris. Spiculatori autem iubet accipere martyres, & in curru imponere, & procùl à ciuitate abducere cum militibus, & eis illic finem afferre gladio. Ille autem cùm per portam Romanenſem ſanctos noctù eduxiſſet, cùm altus ſopor teneret ciues, ad ſeptentrionalem partem ciuitatis abducit in montem Bethelabicla. Illi verò cùm fuiſſent in eo loco, & in lætitia cordis & magna animi conſtantia è vehiculo deſcendiſſent, à ſpiculatore & iis, qui ſub eo erant, tempus ad orationem petiêrunt, & acceperunt. Perindè enim, acſi non ſufficerent tormenta & ſanguis ad intercedendum pro eis, propter ſummam modeſtiam adhuc etiam opùs habebant precatione. Cùm itaque oculos in cælum ſuſtuliſſent, & intenſe precati eſſent, Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſuſcipe in pace ſpiritus noſtros, poſtremò dixerunt. Samonas autem conuerſus ad ſpiculatorem, Exequere, inquit, id quod eſt tibi imperatum: cumq; genu

Capite plectuntur.

ſimul inclinâſſet cum Guria, eis amputantur capita decimoquinto Nouembris. Atque hoc modo quidem ſe habuerunt res martyrum.

C v m autem tertium quoque quæreret numerus, vt in his glorificaretur Trinitas, inuenit (ò optimam prouidentiam) tempore quidem poſteà Abibum, qui autem idem cum ijs, qui præceſſerant, iter ingredi conſtituerat, & illo ipſo martyrij die fuit conſummatus. Magnus ergò inter martyres Abibus, ex eadem quidem, ex qua illi patria, nempe ex Thelſæa vico erat ortus: ſacro autem diaconatûs fuerat honoratus chriſmate. Cùm verò Licinius teneret ſceptra imperij Romanorum, & Lyſanias creatus fuiſſet Præſes Edeſſæ, excitata rurſus erat perſecutio aduerſus Chriſtianos, & Abibo vniuerſum imminebat periculum. Is enim obibat ciuitatem, diuinas cunctos docens ſcripturas, & magno animo confirmans ad pietatem. Cùm autem hæc veniſſent ad aures Lyſaniæ, ea Licinio Imperatori ab eo ſignificantur. Studebat enim, vt ipſe ei committeret quæſtionem habendam de Chriſtianis, & maximè de Abibo. Neque enim fuerat ei prius commiſſa. Ille verò literis datis, iubet vt morte Abibum afficiat. Literis ergò redditis Lyſaniæ, quæritur vbique Abibus. Ipſe autem degebat in quadam parte ciuitatis, propter ſtatum Eccleſiaſticum: mater verò & quidam ex ijs, qui ad eum genere attinebant, cum eo verſabantur. Ille autem cùm rem reſciuiſſet, ne daret pœnas, quod martyrij deſeruiſſet ordines, cuidam qui erat ex primis cohortis (is autem vocabatur Theotecnus) ſeipſum indicat: & tandem, Quem quæritis, inquit, Abibum? ipſe ſum, inquit. Ille verò benignè eum intuens. Nemo, inquit, adhuc nouit te ad nos veniſſe, ò homo. Abi ergò, & ſeruare: nec ſis ſollicitus de matre, nec de ijs, qui genere ad te attinent. Nullus enim eos poterit omninò afficere moleſtia. Et hæc quidem Theotecnus. XIII.

Abibus Diaconus confirmat Chriſtianos. Id muneris Diaconis incubuiſſe teſtatur S. Cyprian. epiſt. ex edit. Pamel. vide Bar. an. 56. Seipſum indicat cohorti quis ſit.

A b i b v s autem, cùm tempus vocaret ad martyrium, nolebat puſillo & abiecto animo ſuffurari ſalutem. XIV.
Ei itaque dicit: Non propter charam matrem, nec propter cognatos me reddo manifeſtum: ſed adſum propter Chriſti confeſſionem. Eccè enim vel te nolente apparebo coram Præſide, & meum Chriſtum prædicabo coram principibus & regibus. Theotecnus itaque veritus, ne ſua ſponte veniret ad Præſidem, & ea de cauſa ei afferretur periculum, vt qui eum non feciſſet manifeſtum, aſſumit Abibum, & eum adducit ad Præſidem: Hic ille eſt, inquit, qui quæritur, Abibus. Cùm autem Lyſanias audijſſet Abibum ſua ſponte adijſſe ad certamina, arbitratus eam rem eſſe contemptus & audaciæ, vt qui paruifeciſſet auſteritatem tribunalis, eum ſtatim curat ducendum in iudicium: conditionemque ab eo petit, & nomen, & patriam. Cùm verò reſpondiſſet ſe quidem eſſe ortum è vico Thelſæa, ſignificaſſet autem, ſe eſſe Chriſti miniſtrum, ſtatim martyrem eſt criminatus Præſes, quòd non obtemperâſſet iuſſis Imperatoris. Huius autem rei apertum eſſe dicebat indicium, quòd Ioui thus non ſacrificaret. Ad hæc, ſe quidem Chriſtianum eſſe, dicebat Abibus, & non poſſe verum Deum relinquere, ſacrificare autem inanimis & nullo ſenſu præditis operibus manuum. Præſes verò, eum brachia vinctum funibus, iuſſit in ligno ſublimem extolli, & ferreis vnguibus lacerari. Erat autem † ſuſpenſio longè violentior, quàm laceratio. Veniebat enim in periculum, ne diſcerperetur, cum violenta extenſione ei diuellerentur brachia.

Ad tribunal ducitur.

Laceratur ferreis vnguibus blanditur ei præſes.

I n t e r i m dum is penderet ſublimis, conuerſus eſt Præſes ad blanditias, & fingebat ſe eſſe patientem. Minabatur autem etiam grauiora, ſi non mutaret propoſitum: Ille autem: Nemo, inquit, me abducet à fide: neque perſuadebit, vt adorem dæmones, etiamſi plura tormenta inferat & maiora. Cùm autem vellet ſcire Præſes, quamnam ei vtilitatem tormenta conciliarent, quæ corpus ſolùm conſumunt, Chriſti martyr Abibus: Non ad præſens vſque tempus, inquit, noſtra conſiſtunt: nec ea ſolùm ſequimur, quæ cernuntur. Quòd ſi tu quoque volueris adſpicere ad ſpem & promiſſam nobis remunerationem, fortè etiam dices cum Paulo: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad gloriam, quæ eſt reuelanda in nobis. Cùm autem Præſes ea, quæ dicebantur, damnaret ſtultitiæ: & nunc quidem blandiens & ſubiens perſonam patientiæ, nunc verò minans & acerbam ei mortem intentans, neutri eorum eum videret cedere: Non tibi repentinum & totum ſimul vitæ finem afferam, ſententiam ei pronunciauit: ſed te lento igne paulatim liquefactum, efficiam immitem & implacabilem animam deponere. Dixit, & cùm verſus ſeptentrionem extra ciuitatem collecta fuiſſet materia, ducebatur ad rogum, ſequente quidem matre, ſequentibus autem ijs quoque, qui aliâs cognatione ad eum attinebant. Ille verò poſtquàm eſſet precatus, & benedixiſſet omnibus, & eis oſculum dediſſet in Domino, accenſa autem eſſet materia ab ijs, qui ad id ſeruiebant, in ignem inijcitur: & cum aperto ore flammam accepiſſet, apud eum, qui dederat, ſpiritum depoſuit. Deinde cùm ignis eſſet ſedatus, qui ad eum attinebant, precioſo linteo eum circundederunt, & vnguentis vnxerunt: cumque pſalmos & hymnos, vt par erat, ceciniſſent, prope Samonam & Guriam eum depoſuerunt, ad gloriam Patris & Filij & Spiritûs ſancti, quæ eſt diuina Trinitas, & in quam non cadit diuiſio. Quam decet honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Talem quidem vitæ finem inuenit martyr Abibus tempore Licinij, & talem cum ſanctis nactus fuit depoſitionem, & ſic pijs attulit requiem à perſequutionibus. Nam deinceps quidem Licinio fuit diminuta potentia: Conſtantino autem floruit dominatio, & euenerunt ei ſceptra Romanorum: qui primus inter Imperatores liberè profeſſus eſt pietatem, & Chriſtianis conceſſit viuere vt Chriſtianos. Sed vt poſſitis cognoſcere, qualem gratiam martyres apud Deum ſunt aſſecuti, neceſſe eſt rem ab alto repetere. XV.

Rom. 8.

Coniectus in ignem, reddit ſpiritum.

Licinio tyranno adimitur Imperium.

H v n n i quidem Ephtalitæ, Perſarum finitimi, & qui ad ſolem habitabant orientem: hæc gens, inquam, importuna & barbara, non paucis annis poſt martyrum conſummationem, vſqueadeò infeſtum Romanos, vt facerent incurſiones vſque ad ipſam Edeſſam, & prædas agerent ex agris, qui circa ipſam ſiti ſunt. Romanorum autem Imperatores acriter defenderunt ciuitatem, & breui totum collegerunt exercitum, vt opem ferrent Edeſſæ, volentes efficere, ne ea caperetur: & maximè verbis Chriſti confidentes, quæ ſcripſerat ad Augarum, quod ciuitas nunquàm eſſet capienda à barbaris: & quòd in eam primam Domini noſtri & Chriſti effigies miſſa ſit ad Augarum. Itaque ad ciuitatem caſtra mouerunt Hunni, putantes ſe facilè eam eſſe capturos. Romani autem mittunt auxilium Edeſſenis, ne in manus Hunnorum veniret ciuitas. Cùm verò, qui miſſi fuerant à Romanis, iam veniſſent Edeſſam, accidit vt quidam Gotthus inter eos, & moribus barbarus, & mente pernicioſus, diuerſaretur in domo cuiuſdam mulieris, nomine Sophiæ. Ei autem erat vnica filia, nomine Euphemia, viuenti in viduitate, & de ſola filia ſollicitæ. Educebatur ergo matri filia, tanquàm germen recens pullulans, temperantiam exercens & virginitatem, & ſtudium adhibens, ne cerneretur à maſculorum oculis. Erat autem puella facie decora, & inſigni pulchritudine. Cùm ergò in ea habitatione diù verſatus eſſet Gotthus, neſcio quomodò adſpexit puellam, & ità captus fuit eius amore, vt nuſquàm mentem aliò conuerteret, quàm ad virginem. Perſonam itaque induens bonitatis, & ſe amicum eſſe ſimulans, abijt ad matrem: & aſſentationibus conans ei perſuadere, & bonorum promiſſis, vt ei daret filiam in matrimonium: Illa autem grauiter ferebat, & animum non adhibebat ijs, quæ ab ipſo dicebantur. Eo verò ſe inſolenter iactante, & valdè minitante, illa, Vnicam, inquit, quæ mihi eſt, filiam viro coniungere barbaro nunquam ſuſtinuerim. Nè ergò aſſenteris, nec mineris. Nam nec me emollies adulationibus, neque minis terrebis. Ille autem pergebat eadem rurſus facere, & rurſus ſuam oſtendebat impudentiam, & de ijſdem aſſiduè cum matre loquebatur. Deindè etiam precioſa afferebat ad eam ornamenta, & affirmabat eam fore dominam mulierum aliorum. Mater autem puellæ ne ſic quidem præbebat aurem ijs, quæ ab ipſo dicebantur. XVI.

Hunnorum incurſiones.

Antiquiſſimus imaginum vſus.

Euphemia caſtiſſima virgo, ſpernit matrimonium.

Deinde

XVII. Deinde illo perſeuerante, rurſùs Sophia, (cùm neſcio vnde didiciſſet) Sunt tibi & filij & vxor, ei reſpondit: nec ego tibi meam filiam dederim in matrimonium. Ille verò partim quidem amore puellæ victus, partim autem timoris Dei nullam ducens rationem, Deum teſtatur ſe nunquam habuiſſe vxorem, nec filios: ſed ſe eius filiam velle ducere vxorem, & omnium ſuorum bonorum eam facere dominam. Vincitur itaque mater puellæ à Gotthi verbis. Quid enim erat factura, cùm eſſet fœmina, quæ facilè decipitur, & ſacramentorum audiret examina, & ei metu quateretur animus? Itaque manus in cælum tollens: Pater orphanorum, & defenſor viduarum Domine & Deus, inquit, nè deſpexeris hanc puellam, quæ viro ignoto coniungitur. Te enim eius promiſſorum accipio inſpectorem: & te ſiete, vnicam meam filiam trado huic peregrino. Et interim ſcribitur contractus matrimonij: & cùm aliquantum temporis Hunni Edeſſam circumſediſſent, ſocij autem & adiutores vrbem defendiſſent, hoſtiumque impetum propulſaſſent, fit puella prægnans ex Gotthi coniunctione. Nondum verò tempus pariendi aduenerat: & Hunni quidem, cùm nihil potuiſſent facere eorum, quæ ſperauerant, iam in animo habebant proficiſci in patriam: ſocij autem & adiutores volebant redire Romam. Cum ergò Gotthus quoquè paratus eſſet ſimul abire cum Romanis, & cruciaretur mater filiæ ſeparatione, eiſque ſcinderentur viſcera, apprehendit puellam, nec ſinebat eam cum Gottho diſcedere, etiamſi eam non poterat retinere, cùm lege matrimonij & naturæ vellet ſequi maritum.

Gotthus quidam victus amore impuro, falſum iurat.

Datur ei Euphemia vxor.

XVII. Cvm iam ergò abirent, mater eos aſſumens, accedit ad capſam confeſſorum, & dicit Gottho: Ego tuæ fidei meam filiam non committam, niſi tangens hanc precioſam capſam eorum, qui pro Chriſto paſſi ſunt, eos dederis mihi fideiuſſores, quòd non ſolùm ei nihil ſis moleſti facturus, ſed etiam eius, quam par eſt, curam ſis geſturus. Gotthus autem protinùs, tanquàm iuſſus facere id, quod eſſet omnium facillimum, & omni penitùs metu vacuum: A manibus veſtris, inquit, ô ſancti, accipio puellam: & vos do matri fideiuſſores, quòd ei à me nihil fiet moleſti: ſed me potius habebit paratum ei implere, quæcunque volenti erunt cordi. Nec hæc ſolùm ſceleratus: ſed magnas quoquè iurat Dei vires, ſe promiſſa reipſa conſeruaturum. Mater ergò accepto iureiurando, ſanctis acclamauit martyribus: Vobis, ô ſancti, meam filiam poſt Deum committo, & per vos Gottho. Poſt hæc Deum precati, mater quidem amantiſſimè filiam amplexa, domum reuertitur: Gotthus autem iter init cum puella. Deindè cùm veniſſent in regionem, ex qua ortus erat Gotthus, & iam eſſent prope eius domum, oblitus quidem vir iſte inhumanus amoris in vxorem, contempto verò iureiurando & pactis conuentis, & Dei metu procùl à ſe amandato, (ô, quouſquè procedit vitium?) ei quidem aufert veſtes: aurum quoquè ei aufert: eaque tanquàm ſerua pannis turpiter induta, Mihi, inquit, ô mulier, ſunt liberi & vxor. Quamobrem voca te ancillam bello captam, & te meæ vxori omnibus modis ſubmitte, & ei morem gere, eam tanquàm dominam honorans & nominans. Si enim, quomodò ſe habeant res noſtræ, enunciaueris, aut etiam meæ vxoris voluntati non parueris, erit tibi mors ſupplicium.

Vide ſceleratiſſimi hominis barbarum exemplum.

XIX. Qvomodo his affectam cenſetis fuiſſe mulierem, quæ matre quidem erat priuata, priuata autem patria, omnibusq; amicis & cognatis, & ad illius ſolam adſpiciebat animam, & quæ longæ illius ſpei talem viderat exitum? Omninò ſi non eſſet lapis, ſi non ferrum, aut aliquid aliud inanimum, iis, quæ præter ſpem acciderant, auditis perculſa, protinùs emiſiſſet animam. ſed eam conſeruabant matris fideiuſſores, quos illa à Gottho acceperat, ad malum quidem execrandi eius capitis, ad oſtendendam autem maximam eorũ gratiam. Valdè ergò ingemiſcens, & ſuſpirans ex profundo cordis: Tibi, aiebat, ô Domine, & ineffabili tuæ miſericordiæ propter hæc omnia ago gratias. Deindè etiam ad Gotthum conuerſa: Benè tibi fit, inquit, quòd cum nos poſſes tollere de medio, hoc ſolo fuiſti contentus, vt me ſeruam faceres pro libera. Promiſſa, reipſa præſtitiſti: iuſiurandum re vera confirmâſti. Quid ergò reſtat aliud, niſi vt omninò inuocem eos, qui ea quæ fiebant, inſpexerunt, quos tu tunc adduxiſti teſtes iis, quæ à te dicebantur? Eis enim, & non alij, confiſa, mea ſponte conſtitui diſiungi à parente: eam quæ nos tulerat, relinquere, & te ſolum ſequi. Hæc cùm dixiſſet, animæ oculos ad cælum tollens ſimul cum ſenſilibus: Deus patrum meorum, cum eiulatu dicebat & lachrymis, adſis mihi miſeræ: & vide, quid iſte quidē te teſte & tuis ſanctis & confeſſoribus eſt pollicitus, quid autem nunc reipſa facit: & nos libera ab iis malis, pro nobis interceſſores tuos ſanctos accipiens: quoniam his poſt te confiſa, præſentia hæc mala ſuſtineo. Cùm ſic puella tacitè Deum rogâſſet, in Gotthi autem ædes eſſent ingreſſi, adſpexiſſet verò eius coniunx puellam, & animaduertiſſet eius pulchritudinem, zelotypia & ſuſpicione in animo ſtatim repletur. Rogat itaque maritum, quænam ipſa eſſet, & vndè eſſet orta: & quarè eam ſecum nunc duceret. Ille autem eam eſſe captiuam, ab Edeſſa abductam: ductam verò eſſe, vt ei ſeruiret, reſpondit. Illa autem formam magis attendens, quàm eius verba: Eius, inquit, vultus nequaquàm eam arguit eſſe ſeruam. Gotthus autem: At tu ea vtere tanquàm ancilla.

Sanctos pro interceſſoribus habēdos, etiam antiquitas nouit.

XX. Exhinc itaque puella metu agebat ſilentium, & quæ imperabantur, faciebat ocyſſimè. Neſciebat enim, quidnam poſſet facere, quod eam liberaret à malis præſentibus. Sanctis autem aſſiduè dicebat in corde ſuo: Feſtinate ad auxilium ancillæ veſtræ, ô ſancti, feſtinate, neque fraudem mihi factam deſpicite. Puellæ verò domina non legitima, vt eam mota zelotypia, puella grauiter vrebatur, & ei grauiora opera imperabat, perindè ac ſi illius labores, inuidiæ qua vrebatur, ipſa proprium haberet ſolatium. Quod autem erat omnium maximum, ne eam quidam volebat alloqui. Poſtquàm autem procedente tempore puellam reſciuit eſſe grauidam zelotypiæ flamma magis accenſa, grauiſſimum opus ab ea exigebat. Cur hoc? Studens videre mortem puellæ, fœtus facta abortione. Sed inuictæ erant Chriſti vires, & eorum, qui propter Chriſtum paſſi ſunt: per quas puella & ſuperauit moleſtias, & manſit minimè læſa à malis. Poſtquàm autem acceſſit tempus partùs, parit filium maſculum, qui patris effigiem in ſeipſo conſeruabat, & erat Gottho omni ex parte ſimilis. Hoc cùm adſpexiſſet Gotthi coniunx, & animaduertiſſet quàm eſſet expreſſa ſimilitudo, nihil aliud verſabat in animo, quàm quomodò puerum interimeret: marito autem dicebat: Ego tibi non crediderim, quòd cum puella non coiueris. Nam quod ex ea natum eſt, patrem apertè confitetur, forma perindè viens, ac lingua. Ille verò affirmabat eam non verum dicere: iubebat autem ea vti tanquàm ancilla, dicens: Hoc fidem faciat, me nunquàm cum ea eſſe congreſſum. Neque enim à me vnquàm omninò in tuam tradita fuiſſet poteſtatem. Amicitias enim coniungunt amores, non diſiungunt.

Puella à Gottho decepta, durè accipitur ab eius vxore.

Parit filium Euphemia.

XXI. Tvnc autem qui longo ab hinc tempore humano generi eſt inimicus, Gotthi vxorem ſubiens, eam aduerſus infantem furore concitauit: & propterea concepit laborem, & peperit iniquitatem: & cùm quoddam venenum in ſinum immiſiſſet, pueri quidem matrem emittit ad faciendum aliquid, quod erat opùs. Et ea quidem egreditur ad exequendum id, quod fuerat imperatum: illa autem venenum immittit in os pueri, & venenum mors ſtatim eſt conſecuta. Paulò pòſt ergò reuerſa mater, cùm infantem quidem inueniſſet mortuum, illius verò labris infuſum venenum, in corde quidem ſauciatur, & graui animi dolore afficitur, eum tamen celat, & tenet in abdito: dolore quidem affecta, vt mater: ſecretum autem tenens, vt prudens & cordata. Deindè cùm vellus ſumpſiſſet, & os infantis abſterſiſſet, lanam apud ſe detinuit, experientia volens ſcire veritatem. Paucis certè pòſt diebus, cùm ex amicis & cognatis Gotthus inuitâſſet aliquos, puella arripit occaſionem: & lanam intingit in calice, & Gotthi tradit vxori, volens, vt dixi, verum ſcire, veneno ne priuata ſit infante, an communi morte eum amiſerit.

Crudele facinus zelotypæ mulieris.

Perit eodẽ veneno, quo infantem extinxerat.

Nam exiſtimabat quidem, quòd ſi epoto medicamento vixiſſet, euidens eſſet, quòd nec filius eius fuiſſet necatus veneno. Quòd ſi id eam interfeciſſet, illud omninò paſſura eſſet, quod ipſa fecit. Cùm ergò Gotthi vxor nihil mali ſuſpicaretur, accipiens, ebibit calicem: ſtatimque labor conuerſus eſt in caput, & in eius verticem deſcendit iniquitas, & cecidit in foueam, quam fecit: & iuſtè comprehenſa fuit in laqueo, quem abſconderat. Atque illa quidem iacebat mortua, extenſo corpore, fructus ferens dignos laboribus. animi autem ægritudo inuaſerat Gotthum, eiusque neceſſarios, & qui genere ad eum attinebant: totam implebat domum mœror & triſtitia ob immaturam eius vxoris. Ab eis tamen lugetur, vt erat conſentaneum, & præclaram conſequitur ſepulturam, & magnificè deponitur.

CVM autem ſeptem dies præterijſſent poſt ſepulturam, & ſatis temporis conſumpſiſſent in mœrore, venit eis XXII.
in mentem, captiuæ inſidijs mortuam eſſe eorum cognatam. Hinc factum eſt, vt eam quidem vellent tradere Præſidi, vt ab illo tolleretur de medio: non enim licebat eis ferro illam inuadere. Cùm autem is abeſſet, ipſi cùm inter ſe conſultàſſent, in momento, in quo fuerat ſepulta vxor Gotthi, eam includunt in præſentia, & ſepulchrum muniunt aſpero lapide, & ei adhibent cuſtodes. Cum verò ad eam veniret odor cadaueris, magna repleta moleſtia, Domine Deus virtutum, dicebat puella, qui tuorum martyrum & confeſſorum pro te fuſum ſanguinem, tanquàm viuum accepiſti ſacrificium, ad me adſpice, quæ propter tuum & eorum, qui propter te paſſi ſunt, ſanctorum nomẽ, viro ignoto & alienigenæ meipſam credidi, & ſum propterea damnata ad hoc tormentum: tu mihi tuum da auxilium, & me libera à præſenti periculo. Vos quoq; ſancti Christi, qui illa innumerabilia certamina propter ipſum ſuſtinuiſtis, & eum eſſe viuum Deum coram regibus confeſſi eſtis, quos matri meæ præbuit Gotthus propter me fideiuſſores, ipſi nunc adeſte mihi in malis adiutores: nec eam deſpiciatis, quæ ſe vobis dedicauit. Cùm ita eſſet precata, non tardârũt

Sancti martyres, inuocati, celerẽ ferunt opem miſeræ mulieri.

fideiuſſores, neque diſtulerunt ei ferre auxilium. Sed vide tres viros luce circumdatos, ad quam non patet aditus, & fœtor ille mox conuerſus fuit in bonum odorem, adeò vt mirabilis quidam & ſuauis odor ad eam accederet: Et bono animo eſto, ei dicunt, ô mulier, nec time: citò enim ſalutem aſſequéris, nihil omninò graue paſſa, nec ingratum. Neque enim fallemus fideiuſſionem, neque dilatione vtemur in ſalute.

CVM hæc ergò ſancti ei dixiſſent, ea ſtatim tanquàm à ſe diſceſſiſſet, reſoluitur in ſoporem, Deique inuicta, XXIII.
eorumque, qui ipſum confeſſi fuerant, virtute, (ô miraculum dignum Dei benignitate & potentia) quomodò alius quidam Habacuc propheta momento temporis Hieroſolymis tranſlatus fuit Babylonem: aut vt diſcipulus Philippus à facie Eunuchi Æthiopis raptus à ſpiritu: eodem modo ipſa quoquè dormiens transfertur à monimento, & reſtituitur in templum confeſſorum ſimul & martyrum. Reddita ergò huic templo martyrum, cùm manè eam ſomnus remiſiſſet, videt ei rursùs adſtantes Christi confeſſores, & dicentes: Scis nam modo vbi ſis? Cùm huc ergò & illuc circumſpexiſſet, & veluti ad ſe redijſſet, & ædem agnouiſſet oratoriam, impleta fuit omni gaudio, & magna affecta fuit admiratione. Lætabatur videns, ſtupebat animo cogitans, ſibi diffidebat, neſciebat quid ageret: poſtremò procidit ad pedes ſanctorum, & eis agit gratias. Illi autem ei dixerunt: Noſtra impleta eſt fideiuſſio. Vade in pace ad matrem tuam. Et illi quidem ex oculis ſtatim euanuerunt. Illa autem ad eorum capſam accedens, & ardenter amplectens, & lachrymas voluptate & timore ſimul mixtas effundens: Deus noſter, dicebat, in cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit: emiſit è cœlo, & me ſeruauit. Benedictus es Domine, qui ſeruas eos qui ſperant in te. Veſperè habitauit mecum luctus, & manè exultatio.

Dan 14.
Act 8.
Angelico miniſterio reſtituitur Euphemia in templum Sanctorum.
Pſalm. 134.

CVM ergò ſatis longo tempore preces cum lachrymis producentem puellam videret ſacerdos, qui erat in XXIV.
templo, & audiret gratiarum actionem, dubitabat. Deindè accedens, rogabat cauſam, cur ſic orans lamentaretur, & tam multas effunderet lachrymas, & pro quo offerret gratiarum actionem. Illa autem ei narrauit rem omnem, quemadmodùm & Gottho à matre iuncta fuiſſet matrimonio, & quemadmodùm cum eo abijſſet, fidem habens dato ab eo iureiurando: & quemadmodùm fœtus, qui Gottho ex ea erat natus, veneno perijſſet: & quemadmodùm fuiſſet incluſa in ſepulcro, & qualem experta eſſet fortunam, & qualem à ſanctis aſſecuta eſſet liberationem. Hæc cum audijſſet ſacerdos, à ſe planè diſcedebat, dubitabat propter magnitudinem eius, quod narrabatur: incredulitate & fide eius diuidebatur animus. Vndè etiam volens de ea certior fieri, rogabat, quænam eſſet mater puellæ, & è qua domo eſſet orta. Cùm ea autem reſpondiſſet ſacerdoti, is quidem puellam in templo detinet: matrem autem ad ſe accerſit. Illa verò cùm ad ædem veniſſet oratoriam, & filiam ſacerdoti aſſiſtentem repentè adſpexiſſet, primùm quidem eam ardenter amplectitur, amore omninò ſuo fungente officio. Deindè diù inter ſe ſilent, luctu vocem reprimente, & lachrymis ſermonem interrumpentibus. Nam matris quidem frangebat animum filia, quæ cernebatur in ſeruili veſtitu & habitu. Filia autem rursùs animo ſauciabatur, quòd bona ſpe, à matre diſiuncta, tam turpiter redijſſet, vt vel ſolo adſpectu prouocaret ad miſericordiam. Cùm ergò vix tandèm mater ſe collegiſſet ab acerba illa confuſione, rogauit filiam, quænam ei accidiſſent, & quemadmodùm redijſſet, & quidnam fecerit eam indui tam ſeruiliter. Illa autem narrauit omnia matri, vt ſe habebant, quæ poſt liberationẽ erant iucunda & dictu & auditu. Cùm ergò mater, quæ à Deo & eius confeſſoribus & martyribus facta fuerant in filiam miracula, ab ea audiuiſſet, totum illum diem oratoria ædes martyrum ambas habuit Dominum laudantes. Cùm veniſſet autem veſpera, egrediuntur è templo & domum reuertuntur. Die verò ſequenti, & quod factum fuerat, in omnem partem fuit diſſeminatum: & multitudo confluebat ad puellam eorum, qui alioqui ad eam attinebant, Deumq; ſimul cum ea, & eos, qui propter ipſum paſſi fuerant, glorificantes.

Breuis prædicti miraculi narratio.

Rursùs Hũni cum Perſis incurrũt in ditiones Romani Imperij.

ALIQVANDO autem pòſt tempore Deus Dominus vltionum liberè egit: in altum elatus eſt, qui iudicat XXV.
terram: reddidit ſuperbis remunerationem. Nam cùm Hunni Perſis ſe adiunxiſſent, & in loca, quæ erant circa Edeſſam, adhuc facerẽt incurſiones, rursùs quidem ad Edeſſenos in auxilium à Romanis mittitur exercitus. Vnus autem ex ijs erat etiam ſceleratiſſimus Gotthus: & venit rursùs in domum mulieris: venit autem confidenter, tanquàm gener in domum ſocrùs, nihil eorum, quæ occultè perpetrârat, manifeſtum euaſiſſe ſuſpicans. Cum ergò cognouiſſet mater eius aduentum, filiam quidem includit in domo interiore, cogitans rem facere ſapientiorem, quàm quæ videatur poſſe cadere in mulierem. Illa autem eum excipit cum gaudio, quomodò ipſe ſe habeat, interrogans: quomodò verò filia iter in eius domum confecerit: & quomodò ſit conſeruata: & quemadmodùm, cùm eſſet grauida, peperit: & quod pepererat, eſſet ne maſculus, an fœmina. Ego enim, inquit, de vobis eram valdè ſolicita, nè vobis in via, & maximè filiæ meæ graue aliquid accideret, vt quæ eſſet prægnans, & pariendi tempus iam ei appeteret. Gotthus autem, vt qui non ex ijs, quæ ipſe fecerat, ſed ex ijs, quæ ineffabilis diſpenſauerat bonitas, reſponderet: Omnia, dicebat, rectè tuis ſucceſsêre precibus. Sine vlla autem moleſtia viam cum tua filia peregimus, & ad ædes meas alacriter peruénimus: peperit autem filium maſculum, & nunc ſana & læta tibi plurimam per me dicit ſalutem. Quòd niſi repentè miſſi eſſemus ad ferendam auxilium, ipſa quoquè ad te mecum redijſſet.

Impudẽtia Gotthi, turpiter mentientis.

HÆC cùm mater audiret, ira replebantur & verſabantur eius viſcera, vt quæ abominaretur bona verba, factis XXVI.
iniuſtis illita. Deindè cùm non poſſet ampliùs ferre iuſtam iram, quæ in manifeſtam inſultabat iniquitatem, infremuit tunc in virum, omni ex parte longè iniuſtiſſimum: &, O fraudulente, inquit, & parricida, quid feciſti cum mea filia? Hæc ne mihi iureiurando dato es pollicitus? Propter hæc ne fideiuſſores & martyres mihi dediſti eos, qui paſſi

Confundit mater puellæ impudentemq; Gotthum,

ſunt

ſunt propter Chriſtum? Sed ipſi omninò, quos dediſti fideiuſſores, ipſi te punient propter malam tuam mentem, & pœnas ſument de his iniuſtis inſidijs. eos ergò inuocabo ad vindictã, quos tũc accepiſti fideiuſſores. Hæc cùm dixiſſet, educit è domo filiam: &, Nôſtine quænam hæc ſit, o impie, nouit, dixit, eam Gottho oſtendens: & vbi eam incluſeris, & quali morti eam tradere volueris, non leges, inquit, non maximum illud à te datum iuſiurandum reueritus? Sed Chriſti confeſſores & martyres, Samonas, Gurias & Abibus, quibus ego confidens, eam barbaræ tuæ commiſi dexteræ, illi mihi præter ſpem omnem eam conſeruarunt, & in meum ſinum reſtituerunt.

XXVII. Hæc poſtquàm audijt Gotthus, & adſtantem vidit puellam, præ pudore & metu ei vox eſt extincta: eratq; mutus, ne os quidem valens aperire. Deindè cùm res eſſet aperta, et conuictus eſſet hæc feciſſe puellæ, ne ei quidem loquendi poteſtatem facientes, qui aderant, eum tutò includunt. Mater autem cum filia, adducto ſcriptore, cùm quæ euenerant omnia recenſuiſſent, ſanctiſſimo Edeſſæ Epiſcopo (is autem erat Eulogius) ea tradunt. Ille verò cùm ea perlegiſſet, ſimul cum vniuerſo Clero, vadit ad Prætorem ciuitatis, & ei tradit, quæ ſcripta fuerant. Qui cùm ea legiſſet, primùm quidem affectus fuit admiratione, & eam rem habuit pro miraculo: & laudauit Deum vniuerſorum, qui per ſuos martyres hoc nouum, & quod omnium aures obl[illegible] fecit miraculum. Deindè verò vehementer in Gotthum eſt inuectus, qui tale auſus fuerat facinus. Ægre te enim ergo Prætor, ſecum quidem facit * conſiderare Epiſcopum. Deinde Gotthum & puellam iubet ſiſti: & [illegible] multitudine, (concurrerat autem maxima) iubet ea legi, quæ ſcripta erant de Gottho. Cùm ea ergo lecta fuiſſent, an hæc vera eſſent, Gotthum interrogat. Ille autem (Quid enim faceret, qui à ſeipſo & à veritate [illegible] conuincebatur?) nihil horum eſſe falſum confitebatur, & pro his petebat miſericordiam. Prætor autem, Scelerate, inquit, & parricida, cùm ne Dei quidem timuiſti iudicium, nec eius, quem nihil latet, oculum, etiamſi homines latere liceat: Cur non timuiſti iuſiurandum? cur non leges Romanorum es veritus, tam impium aggreſſus facinus? Quoniam ergò conuictus es hæc omnia deſpicere, à te etiam grauius exigetur ſupplicium. Dixit, & iubet gladio caput eius amputari, & corpus eius in ignem proijci, vt ne puluis quidem ſit eius pulueris particeps, nec tradatur communi omnium matri, qui ſe ita geſſerit in cognatos.

Eulogius Epiſcopus Edeſſenus.

* *conſiderare legendum puto.*

Sceleratus Gotthus extremo ſupplicio afficitur.

XXIIX. Cvm autem ad rem exequendam ſe pararent milites, Dei amicus Epiſcopus orauit Prætorem, vt quantùm fieri poſſet, in eum vteretur clementia: neque is ſua peiret amentia. Ille verò, Timeo, inquit, Chriſti martyres, quos is dedit ſui fideiuſſores. Ij enim, vt quos ipſe feſellerit, niſi eorum, quæ admiſit, ego iuſtas de eo ſumpſero pœnas, in me omninò, non ipſi, quod debetur, inferent ſupplicium & alioqui efficiet, vt multi ſe gerant ſimiliter, niſi pro ijs, quæ fecit, iuſtas pœnas luerit. Cum autem magis inſtaret Epiſcopus, & vehementiùs pro eo intercederet, à ſupplicio quidem Prætor aufert ignem: perſeuerat autem in eo, quod eius caput gladio amputetur. Cùm ergo Gotthum accepiſſent milites, & extra ciuitatem eduxiſſent, gladio, vt eius iuſſum fuerat, illi caput adimunt. Propter quod Seruatori Chriſto, & ijs, qui propter ipſum paſſi ſunt, martyribus emittebatur laudatio ab omnibus, quòd ſuperbis reddiderit remunerationem, ad gloriam Patris & Filij & Spiritûs ſancti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE SANCTIS CHRISTI MARTYRIBVS SAMONA, GVRIA, ET ABIBO, ARETHÆ ARCHIEPISCOPI CÆSAreenſis Oratio, viro docto interprete Habetur 3. Tomo Aloyſii.

I. QVOMODO vester vobis ſe animus habet, sacer grex? qui diem feſtum hunc ſplendidiùs Chriſti confeſſoribus agitis, quandò externa etiam multa vos vti video lautitia, ſummaque cum hilaritate ſacrum hunc locum occupare. Nunquid fortaſsè, quæ in vobis imperium obtinet mens, ſenſim à rebus deflexa ſuis, per ſenſus effunditur, & in ea etiam, quæ oculorum ſubiecta ſunt ſenſibus, diſſipatur? An verò cùm paululùm hæc, blandientis cuiuſdam catelli more, ſenſui adulari permiſerit, ipſa in ſua gaudens altitudine, pulcherrimis ſibique proprijs ſpectandis rebus mouetur, afficiturque, & reijciendis voluptatibus corporis, proprium Chriſti martyribus verè natalem celebrat diem? Si hæc ita ſe habent, & victoribus his honorem iſtum habendum cenſuiſtis, atque ità diem feſtum celebrare contenditis, Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, qui pridèm etiam ſeruos ſuos velut paſſerculum quendam de laqueo venantium eripuerit, & nunc in ipſa anni conuerſione, optato gaudio nobis allato, ſacris eorum certaminibus quodam hilari veluti conuiuio, ſtudioſiùs nos excipere voluerit.

Nota antiquitus celebratum feſtum horũ martyrum.

Et quid hoc eſt? Id nempe, quodcunque animi vires confirmat, & ſpreta laudabiliter multitudine imperita,
II. ad illas alterius vitæ manſiones erigiturque, alis veluti quibuſdam omnium prudentiſſimè in altum euectum. talis eſt enim martyrum feſtus dies, tale victorum noſtrorum theatrum, talia ſunt ea, quæ abs ſe allata nobis, illi conuiuis ſuis apponere ſtatuerunt: quandò non hoc modo epulari, lætitiæq; indulgere, ſed vni ventri turpiter deſeruire, qui, quicquid in eum quis ſtudij cõtulerit, in ſeceſſum emittit: & veſtium mutatione alios viciſſim alios ſuperare contendere, non ſolùm res generoſa non eſt, eiuſmodique, quæ moribus diſciplinæque noſtræ conueniat, ſed ab ipſo etiam eſt conuiuatorum ſenſu, menteq; alieniſſima. Hæc igitur cùm ità ſint, cumq; nos, quo pacto diem feſtum oporteat celebrari, anteà iam denunciàrimus, nec ſine ſpe fore, vt iactis in terram bonam, animarum videlicet veſtrarum cogitationes, orationis ſeminibus, multiplices ſimus ſpicas meſſuri: agedùm, agè, inquam, præclaro facto iam hoc orationis initio, ea vobis deincèps proponamus, quæ diei feſto celebrando cõueniant. At enim deſideratis, video, vt fortiſſimorum horum virorum certamina, tanquàm in tabellis quibuſdam à nobis depicta, omnibus ſpectanda proponantur, quòd ad diei feſti celebrationem his accommodatius eſſe nihil videatur. Hoc igitur & faciamus. Tametſi ad pingendum nobile adeò hoc argumentum idonea ſine dubio pigmenta nobis non ſuppetunt, vt ex inuicta martyrum conſtantia diuinus in animos noſtros fructus perueniat: quo eorum videlicet æmulatione excitati, oppugnato pro viribus impotenti animi vitiorum dominatu, perennem vobis ex maximè diuina iſta certatione gloriam pariatis. Sed agedùm apponamus iam vobis, quæ habemus, idque quatenùs facultates noſtræ patiuntur. Cæterùm qualiacunque ſint ea, collata cum ſtudio, prorsùs placitura non dubito, præſertim qui ſciam non ſolere à legitimis & æquis rerum æſtimatoribus filijs repudiari parentum facultates, ſed propterea ijs charas eſſe, quòd ſint paternæ. Simili modo etiam pauperi non ſit qui vitio vertat, ſi qui comeſſandi cauſa ad illum acceſſerint, de ea, qui ſibi præſtò fuerit, copia ipſis largiatur.

Sancti martyres quæ nobis apponant.

III. Sane quidem Gurias, Samonas & Abibus, & nati ſunt Edeſſæ, & educati. Porrò Edeſſæ huius (quæ quidem vrbs eſt in Meſopotamia) nomen cùm pacis admodùm ante his martyres cognitum eſſet, ab ijs ità celebre factum, illuſtratumque eſt, vt vnà cum eorum fama per vniuerſum ſe orbem terrarum diffuderit: neque verò ijs intra vrbem domicilium fuit, ſed in agro extrà, vbi videlicet tranquilliorem à vitæ huius negocijs vitam eſſent acturi, procùl à ciuilibus turbis remoti, quæ certum animi in religione propoſitum perturbare ſolent, atque peruertere, neque ſpatium dare, vt pulchritudinem ſuam velut in ſpeculo valeat contemplari: ac ſi quid ſit, quod ei officiat, [illegible]

Vides ex ſanctorum memoria ciuitates illuſtres reddi.

di? Sancti martyres cur in agro potiùs, quàm in vrbe degere voluerint.

& ignoretur, id peruidere poſſit atque corrigere. Idcircò igitur grata his valdè vita fuit agreſtis: in qua etiam aſſidui, vnà cum Propheta illud, Solitarij, donèc tranſeamus, omnium pulcherrimè tenuerunt.

Sed enim Guriæ præcipuum in vita ſtudium, meditatio & continentia fuit, quæ diuturna conſuetudine fa- IV.
miliares illi ac peculiares factæ, fecêre, vt cognomento Continens appellaretur: neque enim tu eum aliter indicâſſes, niſi dum eum nominares, nomini etiam Continentem addidiſſes: Ad Samonas vigentibus maximè & animi & corporis viribus, iiſque præditus, quæ qui habent, eos libenter Spiritus ſanctus ſuis ſolitus eſt choris aggregare, quippè cùm iuuenes hortetur, vt ſe ſenioribus adiungant, vt victoriæ vnà carmen concelebrent: His, inquam, ille præſtans animi & corporis viribus, ad Guriam ſe contulit, eius vitæ ſtudia propiùs imitaturus, ac ſi poſſet, etiam ſuperaturus. Cæterùm qui abſolutam illis choream conficiebat Spiritus ſanctus, tertium etiam prætereà quærebat, qui cum numeri paritate eam ſimilitudinem, quæ ſibi cum Patre & filio eſt, perfectè in choro ipſorum exprimeret, tum etiam numero firmitatem concordiæ ſtabiliret. Itaque (ô felicitatem) etiam inuenit Abibum: qui tametſi vtroque natù minor erat, tamen quod ætati deerat, ſupplebat non eô ſolùm, quod peruestigatis vtriuſque ipſorum vitæ inſtitutis, in animum induxit, vt in eodem ſe vnà cum ijs curriculo exerceret, ſed eô etiam, quòd ſacro Diaconatûs ordine inſignitus, magnum ijs, quibus ſe ſocium adiungere feſtinaret, ornamentum afferret. Medium enim his ſe cùm inſeruiſſet, vnaque cum ijs apud Dominum, cui miniſtrabat, fidenter egiſſet, pijs quietem à perſecutoribus conciliauit. Siquidem poſt illud tempus noſtra ſanguine martyrum rubeſcere deſiit terra, pulſo nimirùm è regno Licinio, Conſtantinoque in eius locum ſubſtituto. Quo quidem Imperatore Romana res florere, amplificarique cœpit, quique primus è Regibus omnibus impietatem auerſatus, pietatem palàm eſt, libereque profeſſus.

Pulſo Licinio, Conſtantinus in eius locum Imperator ſubſtituitur.

Hvivsmodi præditi virtutis inſignibus Gurias & Samonas, non iam Edeſſæ tantùm, atque eius finibus V.
cogniti erant, ſed in exteras etiam terras longè lateque ſe eorum fama propagabat: erantque hinc Chriſtianis lætitia ac decus, illinc Græcis triſtitia & dolor vehemens, ac quicquid denique mali creare ſolet inuidia. Quamobrèm non ferunt illi illuſtrium gloriam virorum per vniuerſam Syriam diffuſam. Diocletianus erat eo tempore Romanorum Imperator: qui cum non ſatis magnam ſe adeptum ex ſubactis Imperio cunctis gentibus gloriam exiſtimaret, illud longè ſibi præclarius futurum putauit, ſi Chriſtianos eorum voluntate ad ſententiam ſuam traduxiſſet, aut recuſantes funditùs deleuiſſet: vt ſublatis, qui Deum intelligerent, ſublatis etiam, qui incruento ſacrificio bonitatem facerent, liberum dæmonibus ſuis ſacrificium poſſet offerri. Hinc ex regijs literis, quæ quoqnouerſùm per vniuerſam Romanorum ditionem mittebantur, & pijs pernicies parabatur, & ignominia: contraque impijs, qui muta & manufacta ſimulacra venerarentur, honor & ſalus ſpondebatur.

Græcos hîc dicit idololatras ſiue gentiles.

Ad hæc iudicum iniuſtorum, & cædem ſpirantium aliæ poſt alias procellæ: quibus illud vnum erat propoſi- VI.
tum, quemadmodùm omnibus in rebus ijs morem gererent, qui ſe miſiſſent. Parati erant præcones, aperta ſubſellia, editiora extruebantur tribunalia, omni circumquaquè tormentorum genere vallata. Interdictum erat Chriſtianis, nè tam communibus ſe, quàm ſacris conuentibus immiſcerent: in forum non admittebantur: omne commerciorum iure excludebantur, quæcunque ante illud tempus omnibus promiſcuè patuerant, tam publicè, quàm priuatim: contrahere eis cum nemine licebat: magna in vrbibus Chriſtianorum erat ſolitudo: in earum locum remotiores ab ijs receſſus ſuccedebant, quos multitudo eorum, qui exagitabantur, complebat. Nulla in perſecutoribus aduersùs natù maiores reuerentia: nulla paruorum, ac proptereà malorum ſensûs expertium miſericordia, ne ijs quidem, quibus tribuit ipſa natura, vt propter virium imbecillitatem, huiuſmodi affectu plurimum mouerentur. Feræ immites omnes aduersùs Chriſtianos, vnaque in re tantùm humani, quòd quotum in animis piam de religione fidem concuſſerant, ijs, ſimul vt eos ad ſimulacrorum aras adduxerãt, liberam malè viuendi poteſtatem permittebant Quo quidem nihil pijs poterat eſſe pernicioſius. Grauis oppreſſam creaturam tenebat tempeſtas, quæ nullam prorſus ſecuturæ tranquillitatis ſignificationem daret, nullamvè melioris ſtatûs miſeris affulgere ſpem ſineret ex his, quæ ſunt conſecuta.

Chriſtianis quænam interdicta ſub Diocletiano.

Nec ipſa Edeſſa communium temporis illius calamitatum immunis fuit. Gliſcebant in pios quotidiè ærum- VII.
næ: & impietatis procella, quæ ciuitatem inuaſerat, effecerat, vt omnes iam de vita penitùs deſperarent. Domus ſingulæ ſuos ſcrutatores habebant, tam quæ in illuſtri poſitæ ciuitatis loco, quàm quæ quòd in obſcuro eſſe viderentur, tutum anteà latere volentibus perfugium præſtare ſolitæ erant. Neque ipſi etiam agri huius erant tempeſtatis expertes: ſiquidem nihilo tolerabilior in his, quàm in oppidis, miſerarum erat fluctuatio, ſimilibusque hic, atque illic, periculis pietas veluti tempeſtate quadam iactabatur.

Singulæ domus Edeſſæ habẽt ſuos ſcrutatores

Eo tempore ipſi quoquè Gurias & Samonas, hic fortitudinis, ille continentiæ laude inſignis, comprehenſi VIII.
ſunt, vnaque cum ijs ingens Chriſtianorum multitudo carceri addicta, cùm non eſſet qui redimeret, neque qui ſaluum faceret. Ac cæteri quidem, quibus aut nominis obſcuritas, aut fidei negligentia cauſa erat, vt contemnerentur, ſine mora è cuſtodia educebantur, quippè cùm nihil aduersùs ſe impugnantes præ ſe ferrent, quod eſſet ad expugnandum difficilimum. Verùm Guriæ & Samonæ ingens, quæ eos comitabatur, ſolidæ pietatis gloria, cauſa fuit, vt diutiùs in cuſtodia aſſeruarentur. Ex quo quidem videntur mihi meritò Confeſſorum etiam cognomentum adepti: quod præmij loco ijs deferri ſolitum eſt, qui Chriſti cauſa hoc modo citra necem malè habiti ſunt. Siquidem in ea tamdiù feruntur permanſiſſe, quoàd vita functo priore principe, alter in eius locum ſucceſſit.

Plurimi Chriſtiani truduntur in carcerẽ.

Cõfeſſores qui dicti ſunt.

Vervmenim afflictatio his oblectamenti loco erat, & incommodorum perpeſſio philoſophiam in eorum IX.
animis augebat, quæ quidem grauiorum, quæ mox pro Chriſto eſſent excepturi, tormentorum quoddam erat velut præludium: Quin alios etiam exemplo ſuo excitabant, quippe cum docerent eam, quam quis vere profiteretur, fidem, neque rebus aſperis, quæ Chriſti cauſa maxime intentarentur, frangi, neque malorum perpeſſione vlla debilitari: neque enim permiſſurum iuſtum certaminum arbitrum ac moderatorem, vt ea aut ſemper durarent, aut maiora eſſent, quàm vt ijs ferendis quis eſſe par poſſet: præſertim ſi Paulo habenda ſit fides, qui ipſe rerum arcanarum & inſpector fuit, & prædicator: Et ſi labor eſt multus, at nondum tamen eſt tantus, immò longiſſimo interuallo minor, quàm vt cum eo, qui in nos poſteà reuelandus eſt ſplendor, vlla ex parte meritò queat comparari. Atque hæc quidem illis hoc modo. Verumenimuerò quoniam oportebat, vt perfectioribus multò laboribus ſe darent, & ad nobilitandam etiamnum magis ipſorum gloriam, reipſa ſuperioris ſuæ exercitationis perſpicuum omnibus ederent documentum: furebat rabie incitatus aduerſum Chriſtianos is, qui pauloante miſſus prouinciæ regendæ fuerat Præſes. Porrò rabies illa id vnum ſpectabat, quemadmodum ei, à quo miſſus fuerat, omnibus in rebus gratificaretur. Itaque nihil prorſus omittebat eorum, quæ eos præſtare par eſt, qui furoris ſui ſocijs omnibus in rebus inſeruiunt. Ad tribunal rapti aliæ indolis viri ſiſtuntur, pietatis ſuæ pœnas daturi. Cæterum quæ magna cum animorum elatione, magnoque cum ſpiritu, aduerſus hunc dicta tunc fortiter à martyribus ſunt, ex quibus & præſentis fortunæ inconſtantia deſideretur, & eorum, quæ in poſterum parata ſunt, bonorum gloria magnificè prædicaretur, (rametſi margaritarum nobilitas ante ſuillum genus homines proijciebatur) aut quemadmodùm ipſe etiam Iudex, dum eos tentat, qui tentationibus vinci non poſſunt, inuictam eorum

1. Cor. 10. Rom. 8.

Samonas & Gurias ad tribunal rapiuntur.

animi

animi conſtantiam aſtutè ſubuertere conabatur, longum vtiquè eſſet perſequi oratione: nihilominùs tamen, vt quantum ad intelligendum ſit ſatis, quales illi fuerint, doceamus, nè egregiæ martyrum palæſtræ prorſus ſimus expertes, néve eius rei, quam ex omnibus pulcherrimam ſperauimus, iacturam faciamus, tales erant, aut his ſimilitudine quàm proximi.

X. Blande agebat cum viris ſanctis is, cui iudicandi poteſtas obtigerat, ſeſeque modò, vt qui nocere eis nollet, ad lenitatem dabat: modò ſupplicia differebat, nè animi ſæuitia ea ijs accelerare videretur, qui ad quæuis perpetienda ipſi erant paratiſſimi, nullaq; re magis, quàm ſupplicij mora offendebantur: verùm apparebat, facta dictis eſſe contraria, quippe cùm non humanitatis ea eſſent, [illegible] ab eo fierent, ſed immanitatis: animi non benefici, ſed malefici: ſiquidem ex moræ huiuſmodi interpoſitione apparebat, eum eorum animi firmitatem, roburque ſenſim velle labefactare, & ardorem reſtinguere, quò [illegible] poſtquàm ex huiuſmodi ampliationibus recens alacritas illa veluti deferbuiſſet, conſpirataq; [illegible] ad id, quod ſibi propoſuerat, occultè muniret. Quin & nugamenta aduersùs illos verborum quædam contexens, ſic propemodùm aſtutè ipſos aggrediens. *Iudex illis pœnam blanditur.*

XI. Nolite, inquit, putare vos, me animo eſſe præditum, eiuſmodique, qui crudelitate & humano ſanguine delectetur. Naturam reuereor: miſeret me cognationis, quæ mihi eſt vobiſcum & quamuis contrariam nobis religionis viam ſitis ingreſſi, idque fortaſſe veritatis inſcitia ducti, ac proptereà in animum vobis induxiſtis, vt extrema omnia ferre libenti animo ſupplicia tristis parati: nihilominus ego quidem de hoc vobis ignoſco, idque conſilij vel ſi imbecillitati tribuo: ſiquidem ſcio mortalium adhuc neminem exiſtitiſſe, qui quidem in conſilio ſibi capiendo nuſquam errarit, quique cùm in alijs optimè ſenſerit, in ijs, quæ præcipua ipſi erant, non aliquandò offenderit, [illegible] maximè, vbi maximè ſe præſtare confideret. Quocirca [illegible] abilia vrgeant me Regum iuſſa, nihilominus tamen malim, quoad fieri poſſit, cùm manifeſtè periculo [illegible], quiduis ſupplicij ipſe ſubire potiùs, quàm [illegible] vos quicquam efficere, vſque dum fortaſſe diuinitùs veſtra [illegible] ea patientia demiſſa, lenioribus vos verbis ab obſtinatione iſta deductos, in meam ſententiam adduxero, cui [illegible] nunc repugnatis. *Fallacia iudicis, humanitatem ſimulantis.*

XII. Qvam enim ſacra veſtra non moueat canities, Guria, quæ [illegible] vndique apparet, quamque continentia conſpicuum facit, cùm in iſta, quæ [illegible] antiqua eſt, [illegible] iactari animaduertat? Quis porrò non Samonæ integras animi & corporis vires ſummè admiretur, per [illegible] laborum ſibi eum habere omnium ſocium deſideret? Valeant iudiciaria ſubſellia, diuitiæ, honores: quamuis [illegible] hæc illecebris ſuis blandè ad ſe animos omnium alliciant, permagnumque ad [illegible] beatèque viuendum habere momentum videantur, nihilominus tamen, quando [illegible] morum probitate, modeſtiaque [illegible] cunctis, placeat mihi quoque omnia ex fortunæ temeritate pendere, quæ commutata, ea quoque commutari neceſſe ſit. Videte, qualem me aduersus vos geram: donate hoc mihi, vt meliora de vobis poſſim ſperare. Tu Guria, adhibita tibi in conſilium ea, qua pollere ſolitus es, prudentia, [illegible] eademq; ſpectata [illegible] animi tui magnitudine, grauitateq;: Tu verò, Samona, ſolido [illegible] corporis robore tuo ad Regis [illegible] tranſlato, (id quod etiam futurum, heſterna die diuinæ [illegible] Sibyllæ confirmarunt) nolite, quæſo, [illegible] ter duriterque veſtris, quibus vos natura largiter auxit, bonis abuti. Nam à me quidem miſericordiam aduersum vos aufertis: vos verò in turpiſſimam necem compingitis, ac [illegible] ficos homines imitamini, qui mi[illegible] volentes ipſi ſibi mortem conſciſcunt. Atque huiuſmodi quidem aſtuti iudicis & ratio & oratio fuit.

XIII. Qvid verò viri fortiſſimi, imperterritiq;? Eaſdem ij nimirùm ad eum capiendum artes adhibuêre, quibus fretus ille, eos ſe dolo capturum ſperabat. Nam quid eſt, inquiunt, quod tantoperè à ſententia noſtra nos valeat dimouere? Nunquid vehemens fortaſsè inſtabilis vitæ huius cupiditas? Sed quidnam eſt quæſo, ex omnibus, quæ in ea habentur iucunda, quo animus noſter queat permoueri? An non animaduertis nos optimos vos teſtes habere, cuiuſmodi hoc ſit, quo ſum circumamictus, corpuſculum, quàm pauciſſimis ad ſe in vita tuendum contentum, & expedito Chriſti militi perquàm ſimile, qui ad omnia tribuni iuſſa exequenda ſit quamparatiſſimus, quique velut ſuper tenuiſſima rate, vitæ huius pelagus tranſmittat, nè qua re grauante impedita illa, neceſſariò curſum tardius conficiat? *Sapientes imprimis ſolimartyres te ponderat.* Vnde igitur à ſententia me mea poteris reuocare? quibusve capere blandimentis, vt me res vitæ huius permoueant, qui maximæ illius iam parti mortuus ſum? quippè qui voluptatibus contemnendis ipſe in voluntariam me mortem tradiderim, atq; hoc ipſum, quod nunc viuo, eò viuam, quòd eius iniuſſu, qui me in vitam induxit, nolim exire de vita. Siquidem cum iubemur expectare, dum vinculum ſoluat, à quo nimirum in eam ſuimus illigati. Et quid obſecro, nónne hoc ſummæ eſſet dementiæ, quibus iuuenis nuncium remiſiſſem, his denuò cupiditatem velle irritare, atq; ea, quæ iampridem omnibus, qui ea vellent, liberos dimiſiſſem, gratiæ loco nunc cupidiùs appetere? præſertim cùm illud eſſet incertum, an diù ſimulac ea eſſent adeptus, eis mihi ſecurè per ocium frui liceret. Sed vt adempta prorsùs ſit omnis de hac re dubitatio, haud dubiè is degeneri illiberalique ſe eſſe animo oſtendat, qui rebus æternis caducas anteponat, ſtabilibusq; ac permanentibus ea quæ citiùs diffluunt, quàm conſiſtere potuerint. Et quòd quidem ad me attinet, hoc modo: Quo pacto verò etiam Samonam hunc (pro eo enim loquor, quòd is & animi ſententiam, & præclaræ huius peregrinationis mihi ſocius eſt) à ſano ſuo animi propoſito poteris auocare? *Sancti martyres mundo mortui.* *Degener & illiberalis animus.*

XIV. Dices fortaſsè, non conuenire adoleſcentem ætate integra, & viribus corporis valentiſſimis, viuendi finem facere, & ante præſtitutam ſibi vitæ diem, de vita velle decedere. Fateor, viget ille quidem ætate, ſed Deo viget, vndè & vigorem illum accepit: viget item viribus, ſed hoc quoque inter res maximè laudabiles eſt, quæ ætate ſunt integra, & viribus firmis, ea illi offerre, cui vetus etiam lex gratam victimam offert, vitulum nouellum, & ætate florentem, cornibus nunc primulùm ſe foràs trudentibus, & vngulis decorum. *Pſalm. 68.* Talis etiam Samonas tali etiam ſimiliter immoletur, florenti etiamnùm ætate, & nitenti facie: non autem in ſenectutem iam vergente, ne fortaſſe rugis etiam inſidiantium nobis annorũ corruptus, victimæ vitiet integritatem. His auditis, aſtutus ille ac veterator, confeſtim ſpem, quam conceperat, amiſit. Quamobrem abiecta perſona, aperta impudentia in necem ſanctorum præceps ruit. Mirabili igitur incenſus iracunda, ijs celeriter ad ſe accerſitis, quorum munus eſt iſtiuſmodi carnificinas exercere, mandat, vt fune altera manu religatos martyres, diùtiùs ſublimes teneant: quibus præterquàm quòd totius corporis pondere grauati diuellebantur, ad maioris etiam præterea ſenſum doloris, intolerandum pedibus aptari pondus iubet. *Iudex proditſe, crudeliter ſæuiens in martyres.*

XV. Norvnt plerique, ſed omnium maximè medicinæ artis periti, qui naturæ arcana ipſi ſubtiliùs indagârunt, quàm intolerabilis illius ſit cruciatûs dolor in quouis animante, ſi extrema aliqua ſui parte ſuſpenſum teneatur, atque in eam vnam vniuerſum corporis totius pondus recumbat: quippe cùm oſſium compages in eo ſint, vt iamiam diſcludendæ ſint, neruique ipſi ſint præter modum diſtenti, & muſculi diſtracti, & totus ipſe corporis truncus ſuopte atque alieno etiam pondere diductus conſtringatur: deinde cum naturalis humor vnà cum animali ſpiritu, quà quidem in exteriores partes coarctetur, quà verò propter meatuum conſtipationem egredi prohibeatur, grauior in animante excitatur doloris vis, inter cætera omnia hoc etiam ipſo, quòd exitus in eliſione præcluditur, eoque magis, ſi diſtenſio quæ ſit, ex diametro exiſtit, qui quidem longior excogitatus ſit, quàm ſit quæuis rectarum partium media linea. Tali igitur tantoq; re ſatanæ miniſtrorum ſolertia comparato tormen- *Immaniſſimus cruciatus dimidie die perpeſſi, cum ſtrenuè ferunt*

& ignoretur, id peruidere poſſit atque corrigere. Idcircò igitur grata his valdè vita fuit agreſtis: in qua etiam aſſidui, vnà cum Propheta illud, Solitarij, donèc tranſeamus, omnium pulcherrimè tenuerunt.

IV. Sed enim Guriæ præcipuum in vita ſtudium, meditatio & continentia fuit, quæ diuturna conſuetudine familiares illi ac peculiares factæ, fecêre, vt cognomento Continens appellaretur: neque enim tu eum aliter indicâſſes, niſi dum eum nominares, nomini etiam Continentem addidiſſes: Ad Samonas vigentibus maximè & animi & corporis viribus, ijsque præditus, quæ qui habent, eos libenter Spiritus ſanctus ſuis ſolitus eſt choris aggregare, quippè cùm iuuenes hortetur, vt ſe ſenioribus adiungant, vt victoriæ vnà carmen concelebrent: His, inquam, ille præſtans animi & corporis viribus, ad Guriam ſe contulit, eius vitæ ſtudia propiùs imitaturus, ac ſi poſſet, etiam ſuperaturus. Cæterùm qui abſolutam illis choream conficiebat Spiritus ſanctus, tertium etiam prætereà quærebat, qui cum numeri paritate eam ſimilitudinem, quæ ſibi cum Patre & filio eſt, perfectè in choro ipſorum exprimeret, tum etiam numero firmitatem concordiæ ſtabiliret. Itaque (ô felicitatem) etiam inuenit Abibum: qui tametſi vtroque natù minor erat, tamen quod ætati deerat, ſupplebat non eò ſolùm, quod perueſtigatis vtrinſque ipſorum vitæ inſtitutis, in animum induxit, vt in eodem ſe vnà cum ijs curriculo exerceret, ſed eò etiam, quòd ſacto Diaconatûs ordine inſignitus, magnum ijs, quibus ſe ſocium adiungere feſtinaret, ornamentum afferret. Medium enim his ſe cùm inſeruiſſet, vnaque cum ijs apud Dominum, cui miniſtrabat, fidenter egiſſet, pijs quietem à perſecutoribus conciliauit. Siquidem poſt illud tempus noſtra ſanguine martyrum rubeſcere deſiit terra, pulſo nimirùm è regno Licinio, Conſtantinoque in eius locum ſubſtituto. Quo quidem Imperatore Romana res florere, amplificatique cœpit, quique primus è Regibus omnibus impietatem auerſatus, pietatem palàm eſt, libereque profeſſus.

Pulſo Licinio, Conſtantinus in eius locum Imperator ſubſtituitur.

V. Hvivsmodi præditi virtutis inſignibus Gurias & Samonas, non iam Edeſſæ tantùm, atque eius finibus cogniti erant, ſed in exteras etiam terras longè lateque ſe eorum fama propagabat: erantque hinc Chriſtianis lætitia ac decus, illinc Græcis triſtitia & dolor vehemens, ac quicquid denique mali creare ſolet inuidia. Quamobrèm non ferunt illi illuſtrium gloriam virorum per vniuerſam Syriam diffuſam. Diocletianus erat eo tempore Romanorum Imperator: qui cum non ſatis magnam ſe adeptum ex ſubactis Imperio cunctis gentibus gloriam exiſtimaret, illud longè ſibi præclarius futurum putauit, ſi Chriſtianos eorum voluntate ad ſententiam ſuam traduxiſſet, aut recuſantes funditùs deleuiſſet: vt ſublatis, qui Deum intelligerent, ſublatis etiam, qui incruento ſacrificio bonitatem facerent, liberum dæmonibus ſuis ſacrificium poſſet offerri. Hinc ex regijs literis, quæ quoquouerſùm per vniuerſam Romanorum ditionem mittebantur, & pijs pernicies parabatur, & ignominia: contraque impijs, qui muta & manufacta ſimulacra venerarentur, honor & ſalus ſpondebatur.

Græcos hîc dicit idololatras ſiue gentiles.

VI. Ad hæc iudicum iniuſtorum, & cædem ſpirantium aliæ poſt alias procellæ: quibus illud vnum erat propoſitum, quemadmodum omnibus in rebus ijs morem gererent, qui ſe miſiſſent. Parati erant præcones, aperta ſubſellia, editiora extruebantur tribunalia, omni circumquaquè tormentorum genere vallata. Interdictum erat Chriſtianis, nè tam communibus ſe, quàm ſacris conuentibus immiſcerent: in forum non admittebantur: omne commerciorum iure excludebantur, quæcunque ante illud tempus omnibus promiſcuè patuerant, tam publicè, quàm priuatim: contrahere eis cum nemine licebat: magna in vrbibus Chriſtianorum erat ſolitudo: in eorum locum remotiores ab ijs receſſus ſuccedebant, quos multitudo eorum, qui exagitabantur, complebat. Nulla in perſecutoribus aduersùs natù maiores reuerentia: nulla paruorum, ac proptereà malorum ſensûs expertium miſericordia, ne ijs quidem, quibus tribuit ipſa natura, vt propter virium imbecillitatem, huiuſmodi affectu plurimùm mouerentur. Feræ immites omnes aduersùs Chriſtianos, vnaque in re tantùm humani, quòd quorum in animis piam de religione fidem concuſſerant, ijs, ſimul vt eos ad ſimulacrorum aras adduxerât, liberam malè viuendi poteſtatem permittebant. Quo quidem nihil pijs poterat eſſe pernicioſius. Grauis oppreſſam creaturam tenebat tempeſtas, quæ nullam prorſus ſecuturæ tranquillitatis ſignificationem daret, nullamvé melioris ſtatûs miſeris affulgere ſpem ſineret ex his, quæ ſunt conſecuta.

Chriſtianis quænam interdicta ſub Diocletiano.

VII. Nec ipſa Edeſſa communium temporis illius calamitatum immunis fuit. Gliſcebant in pios quotidiè ærumnæ: & impietatis procella, quæ ciuitatem inuaſerat, effecerat, vt omnes iam de vita penitùs deſperarent. Domus ſingulæ ſuos ſcrutatores habebant, tam quæ in illuſtri poſitæ ciuitatis loco, quàm quæ quòd in obſcuro eſſe viderentur, tutum antea latere volentibus perfugium præſtare ſolitæ erant. Neque ipſi etiam agri huius erant tempeſtatis expertes: ſiquidem nihilo tolerabilior in his, quàm in oppidis, miſeriarum erat fluctuatio, ſimilibusque hîc, atque illic, periculis pietas veluti tempeſtate quadam iactabatur.

Singulæ domus Edeſſæ habêt ſuos ſcrutatores.

VIII. Eo tempore ipſi quoquè Gurias & Samonas, hic fortitudinis, ille continentiæ laude inſignis, comprehenſi ſunt, vnaque cum ijs ingens Chriſtianorum multitudo carceri addicta, cùm non eſſet qui redimeret, neque qui ſaluum faceret. Ac cæteri quidem, quibus aut nominis obſcuritas, aut fidei negligentia cauſa erat, vt contemnerentur, ſine mora è cuſtodia educebantur, quippè cùm nihil aduersùs ſe impugnantes præ ſe ferrent, quod eſſet ad expugnandum difficilimum. Verùm Guriæ & Samonæ ingens, quæ eos comitabatur, ſolidæ pietatis gloria, cauſa fuit, vt diutiùs in cuſtodia aſſeruarentur. Ex quo quidem videntur mihi meritò Confeſſorum etiam cognomentum adepti: quod præmij loco ijs deferri ſolitum eſt, qui Chriſti cauſa hoc modo citra necem malè habiti ſunt. Siquidem in ea tamdiù feruntur permanſiſſe, quoàd vita functo priore principe, alter in eius locum ſucceſſit.

Plurimi Chriſtiani truduntur in carcerẽ.

Cõfeſſores qui dicti ſunt.

IX. Vervmenim afflictatio his oblectamenti loco erat, & incommodorum perpeſſio philoſophiam in eorum animis augebat, quæ quidem grauiorum, quæ mox pro Chriſto eſſent excepturi, tormentorum quoddam erat velut præludium: Quin alios etiam exemplo ſuo excitabant, quippe cum docerent eam, quam quis vere profiteretur, fidem, neque rebus aſperis, quæ Chriſti cauſa maxime intentarentur, frangi, neque malorum perpeſſione vlla debilitari: neque enim permiſſurum iuſtum certaminum arbitrum ac moderatorem, vt ea aut ſemper durarent, aut maiora eſſent, quàm vt ijs ferendis quis eſſe par poſſet: præſertim ſi Paulo habenda ſit fides, qui ipſe rerum arcanarum & inſpector fuit, & prædicator: Et ſi labor eſt multus, at nondum tamen eſt tantus, immò longiſſimo interuallo minor, quàm vt cum eo, qui in nos poſteà reuelandus eſt ſplendor, vlla ex parte meritò queat comparari. Atque hæc quidem illis hoc modo. Verumenimuerò quoniam oportebat, vt perfectioribus multò laboribus ſe darent, & ad nobilitandam etiamnum magis ipſorum gloriam, reipſa ſuperioris ſuæ exercitationis perſpicuum omnibus ederent documentum: furebat rabie incitatus aduerſum Chriſtianos is, qui pauloante miſſus prouinciæ regendæ fuerat Præſes. Porrò rabies illa id vnum ſpectabat, quemadmodum ei, à quo miſſus fuerat, omnibus in rebus gratificaretur. Itaque nihil prorſus omittebat eorum, quæ eos præſtare par eſt, qui furoris ſui ſocijs omnibus in rebus inſeruiunt. Ad tribunal rapti altæ indolis viri ſiſtuntur, pietatis ſuæ pœnas daturi. Cæterum quæ magna cum animorum elatione, magnoque cum ſpiritu, aduerſus hunc dicta tunc fortiter à martyribus ſunt, ex quibus & præſentis fortunæ inconſtantia derideretur, & eorum, quæ in poſterum parata ſunt, bonorum gloria magnificè prædicaretur, (tametſi margaritarum nobilitas ante ſuilli generis homines proijciebatur) aut quemadmodùm ipſe etiam Iudex, dum eos tentat, qui tentationibus vinci non poſſunt, inuicta in eorum

1. Cor 10. Rom. 8.

Samonas & Gurias ad tribunal rapiuntur.

animi

animi conſtan[illegible] iam aſtutè ſubuertere conabatur, longum vtiquè eſſet perſequi oratione: nihilo[illegible]minùs tamen, vt quantum ad intelligendum ſit ſatis, quales illi fuerint, doceamus, nè egregiæ martyrum palæſtræ protsus ſimus expertes, neve eius rei, quam ex omnibus pulcherrimam ſperauimus, iacturam faciamus, tales era[illegible], aut his ſimilitudine q[illegible]am proximi.

X. Blande agebat cum viris ſanctis, cui iudicandi poteſtas obtigerat, ſeſeque modò, vt qui nocere eis nollet, ad le[illegible]itatem dabat: modò ſupplicia diff[illegible]ebat, ne animi ſæuitia ea iis accelerare videretur, q[illegible] ad quæuis perpetienda ipſi erant paratiſſimi, nullaq; re magis, q[illegible] ſupplicij mora offendebantur: verùm apparebat, tacta dictis eſſe contraria, quippe cùm no[illegible] h[illegible] [illegible] ea eſſ[illegible] [illegible] ab eo fierent, ſed immanitatis: animi non benefici, ſed malefici. ſiquidem ex moræ huius [illegible] apparebat, eum eorum animi firmitatem, robur que ſenſim velle labefactare, & ardo[illegible] reſtinguere, q[illegible] poſtquàm ex huiuſmodi [illegible]plationibus recens alacritas illa veluti deferbuiſſet, co[illegible] [illegible]taq; [illegible] ad id, quod ſibi propoſuerat, occultè muniret. Quin & nugamenta aduerſùs illos verborum q[illegible]dam contex[illegible], ſic propemodum aſtute ipſos aggrediens. In les illis primùm bla ditur.

XI. Nolite, inquit, p[illegible] vos, me animo eſſe præ[illegible], eiuſmodique, qui crudelitate & humano ſanguine delectetur. Naturam reuereor: miſeret me cognationis, quæ [illegible] eſt vobiſcum: & quamuis contrariam nobis religionis viam ſitis ingreſſi, idque fortaſſe veritatis inſcitia duc[illegible], [illegible] propterea in antiuum vobis induxiſtis, vt extre[illegible] omnia ſe[illegible] [illegible] animo ſupplicia ſitis parati: nihilominus [illegible]go quidem de hoc vobis ignoſco, idque conſilij veſtri imbecillitati tribuo: ſiquidem ſcio mortalium adhuc neminem exti[illegible]e, qui quidem in conſilio ibi capiendo nuſquàm er[illegible], quique cum in alijs optime ſenſerit, in i[illegible], quæ præcipua ipſi [illegible], non aliquandò offenderit, [illegible]ibi maxime, vbi maximè ſe præſtare confideret. Quocirca [illegible] rabilia vrgeant me Regum iuſſa, nihilo[illegible] tamen [illegible], quoàd fieri poſſit, cùm manife[illegible] peri[illegible]ulo[illegible], quiduis ſupplicij ipſe ſubire potius, quàm a[illegible] in vos q[illegible]quam efficere, vſque dum fortaſsè du[illegible] [illegible] ſententia deuicta, lenioribus vos verbis ab obſ[illegible] deductos, in meam ſententiam adduxero, cui [illegible] repugnatis. Fallacia iudicis, humanitatem ſimulantis.

XII. Qvem enim ſacra veſtra non moueat canities, G[illegible], q[illegible] vob[illegible], vndique appàtet, quamque continentia conſ[illegible] facit, cum in [illegible], quæ v[illegible] extrema [illegible], vitæ [illegible] mactari an[illegible] aduertat? Quis porrò non Samonæ [illegible]egras animi & corporis vires ſummè [illegible]etur, per[illegible]q; laborum ſibi eum habere omnium ſocium deſideret. V[illegible]leant iudicaria ſubſellia, diuitiæ, hon[illegible]es. quamuis [illegible] hæc illecebris ſuis blande ad ſe animos omnium [illegible], permagnu[illegible]que ad benè beateque viuendum habere momentum vid[illegible]antur, nihilominus tamen, quando [illegible] noſtra [illegible] probitate, modeſti[illegible] [illegible]que vita [illegible] facien[illegible], placeat mihi quoquè omnia ea fortunæ temeritate pendere, quia commutata, ea quoq[illegible] com[illegible] neceſſe ſit. Videte, quatenus me aduerſus vos geram: donate hoc mihi, vt meliora de vobis poſſim ſperare. Tu Guria, adhibita tibi in conſilium ea, qua pollere ſolitus es, prudentia, [illegible]q; eademq; ſpectata om[illegible] [illegible] animi tui magnitudine, grauitateq;: Tu verò, Samona, ſolido ae[illegible] viuido corpori[illegible] robore tuo ad Reg[illegible] [illegible]am tranſlato, (id quod etiam futurum, heſterna die diuinæ [illegible] Sibyllæ confirmarunt) nolite, quæſo, [illegible] duriterque veſtris, quibus vos natura largiter auxit, bonis a[illegible]. Nam [illegible] quidem miſericordiam aduer[illegible] vos auſertis: vos verò in turpiſſimam necem compingitis, acm[illegible] ſicos homines imitamini, qui miſerè volentes ipſi ſibi mortem conſciſcunt. Atque huiuſmodi quidem aſtuti iudicis & ratio, & oratio [illegible].

XIII. Qvid verò viri fortiſſimi, imperterritiq;? Eaſdem ii nimirùm ad eum capiendum artes adhibuêre, quibus fretus ille, eos ſe dolo capturû ſperabat. Nam quid eſt, inquiunt, quod tantoperè à ſententia noſtra nos valeat dimouere? Nunquid vehemens fortaſsè inſtabilis vitæ huius cupiditas? Sed quidnam eſt quæſo, ex omnibus, quæ in ea habetur iucunda, quo animus noſter queat permoueri? An non animaduertis nos optimos vos teſtes habere, cuiuſmodi hoc ſit, quo ſum circumamictus, corpuſculum, quàm pauciſſimis ad ſe in vita tuendum contentum, & expedito Chriſti militi perquàm ſimile, qui ad omnia tribuni iuſſa exequenda ſit quamparatiſſimus, quique velut ſuper tenuiſſima rate, vitæ huius pelagus tranſmittat, nè qua re grauante impedita illa, neceſſariò curſum tardius conficiat? Vnde igitur à ſententia me mea poteris reuocare? quibusve capere blandimentis, vt me res vitæ huius permoueant, qui maximæ illius iam parti mortuus ſum? quippè qui voluptatibus contemnendis ipſe in voluntariam me mortem tradiderim, atq; hoc ipſum, quod nunc viuo, eò viuam, quòd eius iniuſſu, qui me in vitam induxit, nolim exire de vita. Siquidem cum iubemur expectare, dum vinculum ſoluat, à quo nimirùm in eam fuimus illigati. Et quid obſecro, nonne hoc ſummæ eſſet dementiæ, quibus iuuenis nuncium remiſiſſem, his denuò cupiditatem velle irritare, atq; ea, quæ iampridèm omnibus, qui ea vellent, liberus dimiſiſſem, gratiæ loco nunc cupidiùs appetere? præſertim cum illud eſſet incertum, an diu ſimulàc ea eſſent adeptus, eis mihi ſecurè per ocium frui liceret. Sed vt adempta protsùs ſit omnis de hac re dubitatio, haud dubiè is degeneri illiberalique ſe eſſe animo oſtendat, qui rebus æternis caducas anteponat, ſtabilibusq; ac permanentibus ea, quæ citiùs diffluunt, quàm conſiſtere potuerint. Et quòd quidem ad me attinet, hoc modo: Quo pacto verò etiam Samonam hunc (pro eo enim loquor, quòd is & animi ſenſuum, & præclaræ huius peregrinationis mihi ſocius eſt) à ſano ſuo animi propoſito poteris auocare? Sapienter inprimis ſancti martyres reſpondent. Sancti martyres mundo mortui. Degener & illiberalis animus.

XIV. Dices fortaſsè, non conuenire adoleſcentem ætate integra, & viribus corporis valentiſſimis, viuendi finem facere, & ante præſtitutam ſibi vitæ diem, de vita velle decedere. Fateor, viget ille quidem ætate, ſed Deo viget, vndè & vigorem illum accepit: viget item viribus, ſed hoc quoque inter res maxime laudabiles eſt, quæ ætate ſunt integra, & viribus firmis, ea illi offerre, cui vetus etiam lex gratam victimam offert, vitulum nouellum, & ætate florentem, cornibus nunc primùm ſe foràs trudentibus, & vngulis decorum. Talis etiam Samonas tali etiam ſimiliter immoletur, florenti etiamnùm ætate, & nitenti facie: non autem in ſenectutem iam vergente, ne fortaſſe rugis etiam inſidiantium nobis annorû corruptus, victimæ vitiet integritatem. His auditis, aſtutus ille ac veterator, confeſtim ſpem, quam conceperat, ami[illegible]t. Quamobrem abiecta perſona, aperta impudentia in necem ſanctorum præceps ruit. Mirabili igitur incenſus iracundia, iis celeriter ad ſe accerſitis, quorum munus eſt iſtiuſmodi carnificinas exercere, mandat, vt fune altera manu religatos martyres, diù [illegible] ſublimes teneant: quibus præterquàm quòd totius corporis pondere grauati diuellebantur, ad maioris etiam præterea ſenſum doloris, intolerandum pedibus aptari pondus iubet. Pſalm. 68. Iudex prodit ſe, crudeliter ſæuiens in martyres.

XV. Norvnt plerique, ſed omnium maxime medicinæ artis periti, qui naturæ arcana ipſi ſubtiliùs indagârunt, quàm intolerabilis illius ſit cruciatûs dolor in quouis animante, ſi extrema aliqua ſui parte ſuſpenſum teneatur, atque in eam vnam vniuerſum corporis totius pond[illegible] recumbat: quippe cùm oſſium compages in eo ſint, vt iamiam diſcludendæ ſint, neruique ipſi ſint præter modum diſtenti, & muſculi diſtracti, & totus ipſe corporis truncus ſuopte atque alieno etiam pondere didu[illegible]us conſtringatur: deinde cum naturalis humor vnà cum animali ſpiritu, qua quidem in exteriores partes coarcletur, quà verò propter meatuum conſtipationem egredi prohibeatur, grauior in animante excitatur doloris vis, inter cætera omnia hoc etiam ipſo, quòd exitus in eliſione præcluditur, eoque magis, ſi diſtenſio quæ fit, ex diametro exiſtit, qui quidem longior excogitatus ſit, quàm ſit quæuis rectarum partium media linea. Tali igitur tantoque ſatanæ miniſtrorum ſolertia comparato tormen- Immaniſſimus cruciatus dimidie partium, cum fune ſ[illegible]

to, cùm in eo per dimidiatæ diei ſpatium, eoque amplius illi conſtanter perſeueràſſent, vbi ſe nihil proficere impius iudex animaduertit, à ſupplicio tandèm relaxari, atque in obſcuriſſimum carcerem trudi martyres iubet, ibiq; diuturna eos inedia macerari. Tum quæſtio rurſus, & tormenta longe omnibus ijs, quæ præceſſerant, grauiora, immanioraque.

CÆTERVM Guriam ille, vtpotè & ſenectute iam & inedia, & ijs, quos pauloantè pertulerat, cruciatibus penè confectum, ſtatuit tormentis amplius non diuexare, ne, ſi id fieret, animam ille inter tormenta, priuſquàm voluiſſet ipſe, & leni ſeu ſum pœnis affeciſſet, expiraret, atque hoc modo ſpe ipſum maxima deturbaret. Siquidem exiſtimabat ſe illum omninò aliquandò tentatum, in poteſtatem ſuam redacturum, quippè aut blandi ijs emollitum aut tormentis fractum iri animos eius, aut denique fore, vt, cùm videret, quibus alij cruciatibus affi cerentur, alieno periculo diſceret, quemadmodùm eos ipſe, mutanda ſententia ſua, declinaret. Verum Samonam, quòd eum & iuuenem videret, & robuſtum, tormento denuò aggreditur atrociore longè, & ſupra quam dici cogitarique poſſit, maiore, quàm anteà. Nam ex altero pede capiteque eum ſublimem ſtatutum, pondere alterum ferri incredibili in diuerſum diſtrahi iuſſit, quippè cui certum eſſet, illum prorsùs hoc modo quamprimùm velle diſcerpere. Ex quo quidem factum eſt, vt laxata coxendicis iunctura, claudus ille poſt. à non ſine cauſa remanſerit. XVI

Samonæ horrendum ſupplicium.

SED cùm hæc quoquè viri fortiſſimi pro nihilo habuiſſent, omnemque ei penitùs ſpem præcidiſſent, fore vt ab eo vnquàm vinci, ſuperarique poſſent, denuò eos ille in cuſtodiam compingit: vbi cùm aliquàndiù permanſiſſent, poſteà nocte intempeſta ijs caput amputari, vt hoc modo vitam relinquerent, iubet. Prôh quantæ ſententia hæc lætitiæ martyribus fuit, non quidem ob eam cauſam, quòd viderent hoc modo allatum iri finem acerbitatibus, atque ærumnis ſuis omnibus, ſeq; tanquàm ex iactatione & fluctuatione quadam peruenturos in portus tranquillos, pacatosque peruenturos: ſed quòd iter illud inirent, vndè mox eſſent cum Chriſto futuri, quicum etiam certiſſime ſe regnaturos ſperabant, quemadmodùm illius etiam in aduerſis ferendis veſtigia fuerant imitati. Ac Guriæ quidem & Samonæ certamen victoriaque. talia ac tam inſignia fuerè. XVII.

Caput eis amputatur.

QVALE verò etiam Abibus ſtadium cucurrerit, tempus eſt, vt nunc exponamus. Hic cum inter miniſtros Chriſti myſteriorum vnus haberetur, & patrium cum iis ruſticitate, qui ante ipſum conſummati fuerant, ferretur, inſimulari apud perſecutores cœptus eſt, quod multis, qui ſalui fierent, ea miniſtraret, quæ ad ipſorum ſalutem pertinerent. Quandò Diocletiano meritò ex fatali neceſſitate vita iam functo, is, qui aduerſum nos exercebatur, furor ad Licinium delapſus, veluti diris deuota quædam hæreditas, ab illo ad hunc miſerabili Imperij ſpecie impegiſſet. Cæterum quoniam hominibus ſenſu carentibus tolerabile videri non poterat, ſi in eodem cum pietatis cultoribus grege numerarentur, ab iis denuo perſecutio excitatur: ſed in vnum Abibum tota periculi moles incumbebat, cuius expugnatio perindè futura impiis erat, acſi cunctos pariter funditus Chriſtianos deleuiſſent. XIIX.

Licinius Eccleſiam perſequitur.

VBIQVE veſtigabatur Abibus per loca habitabilia, inhabitabiliaque, nec tamen vſquam reperire illum poterant homines vafri. Itaque cum perquirendo feſſi, ſpem iam prædæ omnem abieciſſent, ipſe, quem inſectabantur, vltrò ſe quærentibus exhibet, atque ad iudicem inde ducitur, à quo, quoniam difficile videbatur, eum dicto aliquo factove ab certa ſua de ſana religione ſententia dimoueri, per ignem ad eum, cuius deſiderio æſtuabat, ignitus amator dimittitur: atque ità ijs, qui eum anteceſſerant, martyribus datur, conſorſque ſepulcri eorum efficitur, quemadmodùm etiam laborum & gloriæ antè in mercatura ſocius fuerat. Quoniam etiam ſimili modo vicerunt principatus peſtiferi dæmonis, ſuperàrunt poteſtates mundi huius, coniuncti ſunt cum Angelis, tranſiêrunt ad certaminis arbitrum Chriſtum, ſudore adhuc ſanguineque ob exhauſtos in ſtadio labores certaminaque madentes, porrigit eis dexteram egregiis muneratius, ſuosq; athletas in æternis tabernaculis collocat. XIX.

Abibus vltrò ſe offert quærentib. Igne concrematur.

SED quæ ſunt hæc? nempe vbi quod ſuum eſt cuique præmium, pro merito tribuitur, & cuiuſmodi hoc, ſcire fortaſſe deſideras. Eiuſmodi nimirum, cui ſimile nullum tam ante legem, quàm in lege quis poſſit oſtendere. Quî hoc? nempe quòd his eorum nemo par ſit, quòd ex ijs quilibet longo ab his interuallo ſuperaretur. Siquidem inſtitutis viuendi veteris legis præſtabiliora ſunt ea, quæ ſunt ſecundùm Chriſtum: ex ijs autem, qui poſt Chriſtum fuêre, nulli videri poſſint ſecundi, quippè qui inter martyres, martyres ſunt, inter monachos monachi, inter ſacerdotali dignitate præditos ſacerdotalis dignitatis participes. Nam & certàrunt, & ante ſuſceptum certamen ſtrenuè ſe in pietatis cultura geſsêre, & ſacri ordinis, propterea quod Abibus diaconus eſſet, omnes fuêre conſortes. Siquidem in ſocietate quæ eorum quiſque habet, ea communicat alteri, & mutuis officijs ſinguli eius rei participes fiunt, in qua alter excellit. Quinimò (ſed fortaſsè alicui nimius videbor) ſi cum ijs, quæ ſecundùm Chriſtum ſunt, conferantur, animaduertere facilè poterimus, quibuſdam in rebus eos ſuperiores exiſtere: martyribus quidem, via ante martyrium monachali: monachis verò, martyrio: martyribus rurſum, qui in militaribus aut ciuilibus ſe muneribus occuparent, eo, qui ex ſacerdotali dignitate ſplendor effulget. Talis beatis viris curſus fuit, tantus labor: huiuſmodi in terris periculum, huiuſmodi præmia celeberrimorum horum laborum. XX.

Suum cuiq; pro merito præmium in cœlo tribuitur.

INTER quæ illud quoquè nullo modo ſilentio prætereundum, de puella, quod propter rei admirabilitatem omnem propemodum fidem exuperat. Viuens namque hæc, cum ab ſceleratis hominibus in ſepulcrum recèns cadaueribus plenum, eſſet deiecta, in regione barbara, atque à patria ipſius longe remotiſſima: vbi ſanctorum martyrum fidem precibus implorauit, quorum etiam ope freta, lōgam adeò peregrinationem ſuſceperat, certiſſime quod expectàrat, conſecuta eſt. Veſpere enim cùm in ſumma poſita eſſet deſperatione & fletu, bene mane patriæ, matri, tumulo ſanctorum cum lætitia reſtituta eſt, mirabiliter educta de ſepulcro, vtpote quæ à circumſedentibus illud cuſtodibus videri nequiuerit, admiranda quadam celeritate ab ijs inde abſportata. Siquidem albis illi vecti equis, (ô miram ſanctorum in ferenda ope promptitudinem atque celeritatem) cùm puellam appellàſſent, atque in equos ſuſtuliſſent, eam intra delubrum ſuum intulêre, vnde etiam ſcelestum pauloante vitum aſſectabantur, vadibus ijs ab eo acceptis: qui dati, ſanctiſſime religioſiſſimeque datam fidem ſeruarunt, & huic ſalutem, & illi qui fidem violauerat, meritum paulopòſt exitium attulerunt. O ſeruatores celeres, expeditique: O fidem veſtram implorantium adiutores ſtrenui, inuictique: O ad ea, quæ ſpopondiſtis, perſoluenda ſine mora promptiſſimi, & in tribuendo quod cuique conuenit, minimè lenti. XXI.

Miraculum ſane illuſtre & memorabile.

Aduertis quantam ſancti poteſtatem habeant poſt mortē.

PRORSVS iam, o ſacer conuentus, ac Deo dicata concio, mihi quidem perſoluta ſunt, quæ vobis eram pollicitus, & orationis cœna parata eſt, & quæ ad repræſentanda martyrum certamina pertinebant, veluti in albo aurium veſtrarum pro viribus delineata à nobis ſunt. Vos verò quid? qui ad diem feſtum conueniſtis, qui conuiuæ eſtis, qui auditores, qui ones ratione præditæ: quid, inquam, confeſſoribus hiſce martyribus, quid item contrà nobis reponetis? Nimirùm illos quidem hymnis, laudibusque proſequemini, & quæ bona ſunt, ſumma ope magis ac magis in dies ſectari ſtudebitis: Siquidem gratum martyribus eſt, ſi hoc modo feſti eorum dies celebrentur. Hoc modo ſtrenuos Chriſti pugiles honorare laudabile eſt, tali ſtudio, talibus fructibus: nobis verò obedientiam præſtabitis, manſuetudinem, pacem atque concordiam, & prætereà etiam ſanctitatem, qua aliunde nuſquam adipiſci quis queat, quàm membris, quæ ſunt ſuper terram, mortificandis. Quo qui [illegible] arbit or e go v[illegible] appellari, quæ turbulentis animi motibus obnoxia eſt. Illi verò ſanctificate vos [illegible] ſummo [illegible] XXII.

Cernis quomodò celebrandæ ſint ſanctorum feſtiuitates!

tis, qui ijs, qui cor à materialibus ſordibus expurgârunt, præmium illud largitur, vt ſe clarè peruideant, & cæleſti illa gloria indidèm impleantur, vt Moyſes.

Sic quidem ego pater veſter, vos verò filij, chariſſimum & amabiliſſimum nomen inueniemus fortaſſè, cùm ad hæreditatem illam æternam tranſlati erimus, vt viuere vnà poſſimus, ſimulque lætari: quandò videlicet etiam corona gloriationis de vobis honeſtatus, ad communem Dominum exclamabo, Eccè ego, & pueri, quos dediſti mihi, Domine: Ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vita S. Eugenij Archiepiſcopi Toletani, cuius feſtum in 15. Nouembris diem incidit, breuiter deſcribitur cap. 7. vita S. Gerardi Abb. tis Bronienſis. Eius verò translatio ibidem cap. 11. 12. & 13 & 14. quare eam, 3. Octobris.

VITA S. MACLOVII, QVI ET MACHVTIVS DICTVS EST, EPISCOPI ET CONFESSORIS, AVTHORE SIGEBERTO An. 520.

Monacho Gemblacenſi: Claruit is Sigebertus

Anno 1100.

EPISTOLA AVTHORIS AD TIETMARVM ABBATEM Gemblacenſem.

VITA pijſſimi confeſſoris Chriſti Maclouij, qui etiam Machutes dictus eſt, diligenter, quantùm ad veritatem hiſtoriæ, antiquorum ſtylo erat exarata: ſed quia minùs ordinatè digeſta, minùs compoſitè deſcripta, ad hæc barbariſmis & ſolœciſmis nimis erat confuſa, longo obliuionis & negligentiæ ſitu adeò latebat obducta, vt quaſi nullius aurib. digna, iam ab hominum receſſerit memoria. Sed cóſiderato, quia non omninò perdit æſtimationem precij precioſum metallum, quamuis iaceat rudere terræ infoſſum, vel ſcabredine rubiginis decoloratum: placuit, venerabilis pater Tietmare, tuæ paternitati, vt iuberes meæ puſillitati, vt inſpecto hiſtoriæ textu, & pro poſſe eraſo vitiorum contractu, melioratem illam quantulocunque ſermonis cultu. Ego qui iuſſioni contrauenire non debui, opus iniunctum executus ſum, non quidem vt volui, ſed quomodò pro ingenij tenuitate valui. More enim ruſticani fabri opus iniunctum aggreſſus ſum: qui follibus ſufflando, & malleis tundendo, elicit ſcoriam de rudi maſſa precioſi metalli, vt paratior reddatur operoſi artificis manui, oſtendendo alijs ſplendorem materiei: vt ſi quis velit exercere vim ſui artificij, inueniat materiam paratam ſuo vſui. Ergò quod facile factu videtur, faciam: nimirùm vt ſuperflua demam, vitioſa corrigam, confuſa ordini reddam à veritate tamen hiſtoriæ nullo modo recedam: vt nihil e noui feciſſe videar, cùm vetus tantùm limando & fricando renouâſſe videar. 15. Nov.

In hac vita expolienda quid præſtiterit Author.

PRO-LOG. PRÆCONIA ſanctorùm, quæ valdè ſunt in oculis Domini precioſa, nullatenùs ſunt reticenda, verùm omni memoriæ tradenda. Nihilominùs credendum eſt, omnipotentis Dei virtute facta eſſe ſanctorum miracula pro felici eorum vita, priùs cordibus eorum cæleſti munificentia indita. Ergò primùm indàganda eſt amicorum Chriſti, vita, vt, dum eam ſtudemus imitari, proficiat nobis virtutes eorum mutari. Siquidem nihil nos iuuat ſtupere miracula, ſine felicis vitæ imitatione proficua. Iamnunc beati viri vita ad medium deducatur, vt, dum eius merita recolendo ad eius imitationem animamur, interceſſionis gratiam in opportunitatibus habere mereamur.

Imitandi ſunt ſancti.

I. SANCTVS igitur Maclouius nobilitate parentum apud homines ſæculi inter ſuos non mediocriter inclytus, citra oram Britannici maris fuit editus. Pater eius Guent nomine, Comes fuit, qui vrbis Gimicaſtrum vocatæ, conditor extitit. Matrem ipſius Darual appellatam accepimus. Et quia in omni rerum euentu nunquàm abeſt Dei diſpenſatio, patuit etiam in huius ſancti viri natiuitatis exordio. Natus eſt enim in die ſancto, quo omnis mundus Paſchalis ſolemnitatis celebrabat gaudia: vt in die, quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea, etiam hoc gaudij mortalibus adderet diuinæ pietatis gratia. In huius quippe articulo diei nati ſunt in ipſa vicinia etiam alij triginta tres pueri. Quod quia creditum eſt diſpenſatiua Dei ordinatione factum, placuit parentibus omnium, vt qui naſcendo ſortiti fuerant vnius contemporalitatis exordium, vnum in Chriſto tenerent viuendi contubernium. Nam omnes ſimul cum S. Maclouio ſcholaribus ſtudijs eruditi, omnes ſimul diuinæ ſeruituti ſunt mancipati.

Parentes S. Maclouij. *Pſal. 117.* *Nota de 33. pueris.*

II. BONÆ itaque indolis puero electo à Deo ad beatitudinis opera exequenda, iamtunc diuinitùs inſpirabatur, quod ait ſancta ſcriptura: ex ſtudijs ſuis cognoſcitur puer, ſi munda ſint opera eius. &: Beatus qui portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Ab ipſis enim infantiæ annis occupationi ſæcularis vanitatis abrenunciauit, & libertati diuinæ ſeruitutis ſe ſociauit. Qui, vt pleniùs haberet ſcientiam doctrinæ & cognitionem Dei, arctiùs ſe addixit ſanctarum ſcripturarùm eruditioni: in cuius rei intentione otioſitas quæ inimica eſt animæ, reprimitur: in cuius meditatione Deus agnoſcitur, in cuius executione vita æterna acquiritur. Appetebat ſcientiam, quæ per charitatis humilitatem ædificat: refugiebat illam, quæ per vanitatis elationem inflat. Incipiens etiam corpus ſuum caſtigare, & illud in ſeruitutem ſpiritûs redigere, aſſueſcebat ſimplici victu & veſtitu contentus eſſe, vilipendens corporis frigora, indignum ducens diſtendi ciborum copia, ne aliquo modo dominaretur animæ ſuæ per indulgentiam corporalis neceſſitatis carnis petulantia. Ideò exceptis his, quæ expetebat ſimplex neceſſitas naturæ, reliqua omnia expendebat in opera eleemoſynæ.

Prou. 10. *Thren 3.* *Scriptura diuina quid conferat.* *1. Cor. 8.* *Caſtigat corpus ſuum.*

III. DEVS ergò, qui ſeruos & prophetas ſuos aliquandò etiam in ipſo matris vtero nouit ſanctificare, non diſtulit ſeruum ſuum in primæua ætatula ſua virtutibus & ſignis mirificare, qui iam in ipſa infantilis ætatis ſimplicitate non deſtitit per bonam intentionem ſeipſum ad ſeruiendum Deo præparare. Dum quodam die cum coæuis ſibi pueris ludendi gratia proceſſiſſet ad litus maris, alijs in otioſo ludendi negocio intentis, hic humi reclinato capite, ſomno cœpit indulgere. Cùm ſubitò inundando redeuntis maris æſtu adueniente, quod ſecundùm Lunæ curſum in mari Britanniæ fieri eſt ſolenne, reliqui pueri fuga conſulunt vitæ ſuæ, illum dormientem in tanto periculo non occurrentes excitare. Sed puero ad ſalutem multorum nato, non longè * abfuit Dei protectio, procurata magno rerum miraculo. Nam cùm vndiquè aquæ circumfluerent, & vndæ vndis ſuperuenientes cum feruore tumendo circumſtreperent, & tamen circumducto vndiquè circulo, locum in quo puer iacebat, attingere non auderent, omnipotentia Dei fecit illic inſulam excreſcere, quæ vſque ad ſummum æquoris porrecta ſui altitudine, futurum Chriſti antiſtitem eruit à mortis diſcrimine. Tam verò inopinato in oculis omnium apparente miraculo; opera parentum ſuorum citiùs procurato nauigio, eductus eſt placitus Deo puer de maris periculo. Nè autem vnquàm à memoria excideret huius facti nouitas, & vt per hoc magis clareſceret beati viri ſanctitas, eandem inſulam vſque in hodiernum diem permanere fecit diuinitas, &, vt credimus, vſque in finem hanc pro teſtimonio habebit poſteritas.

Iere. 1. *Luc. 1.* ** abſtitit.* *Inſigne miraculum.*

IV. POST ſanctus Maclouius de adulta infantia tranſiens in pueritiam, quanto ampliorem diuinæ inſpirationis cum incremento ætatis hauriebat gratiam, tanto auidiùs atque inſtantiùs cor ſuum præparabat ad appetendam An-

Matth. 5.

gelicæ vitæ ſanctimoniam. Sciensque ex ore Domini, beatitudinem videndi Deum promiſſam eſſe mundis corde, ab ipſis pueritiæ rudimentis ſe deuouit operibus munditiæ. Volens enim placere Deo corpore & ſpiritu, eligit omnem ætatem ſuam agere in virginitatis cœlibatu. Sicut enim teſta recens, quo ſemel eſt imbuta, diu ſeruat odoré: itá & ei vtile viſum eſt, rude vas corporis ſui aptare quamprimùm ad ſanctificationem & honorem, nè corrumperetur per carnalis deſiderij paſſionem. Quod vt libertiùs & perfectiùs poſſet exequi, per parentum deuotionem & propriam voluntatem aſſumpſit habitum ordinis monaſtici. Vbi poſitus ſub regularis diſciplinæ cuſtodia, quàm ſtrenuum & promptum ſe exhibuerit præ cæteris in obedientia, ſaltem ex hoc probari poterit, quòd inuidia coæqualium ſuorum carere non potuit: quæ ſemper ex aliorum profectu & gloria naſcens, in ſeipſa contabeſcit. Patiebatur enim inter coæuos ſuos, quod Ioſeph olim paſſus eſt inter fratres ſuos. Ioſeph polymita tunica à patre donatus, & ab eo plus cunctis fratribus amatus, quia fratrum vitia carpebat, inuidiam ſibi conflauerat. Hic etiam, quia talarem perfectionis tunicam, & virtutum colore variatam à Deo meruit, æqualium ſuorum inuidiam effugere non potuit. Mos eſt ordinis illius, pueros ferre hebdomadatim lucernam cum luce ante pædagogum ſuum, quandò nocturno tempore intrant vel exeunt oratorium. Adueniente ergò hebdomada felicis pueri, compares eius extinxerunt ignem, quo debebat lucerna accendi: optantes, vt ſaltem pro hac offenſa ſufferret verbera magiſtri. Quid ageret ſimplicitas pueri? Ad officinam, vbi ex annonis aqua infuſis atque decoctis conficiebatur cereuiſia, cucurrit, & ignem ſibi dari à miniſtro petijt. Sed nec in crudo ruſtici pectore diabolicæ inuidiæ malitia defuit. Aſpernatus enim ſupplicis pueri humilitatem, negauit porrigere ignis fomitem. Ille anguſtiatus præ timore magiſtri, prunas à camino ardentes impoſuit veſti, & ad lucernam accendendam recurrebat greſſu celeri. Sed inueniens eam iam accenſam diuinitùs, prunas excuſſit veſtibus, quæ tamen illæſæ omnibus apparuerunt. Pædagogus geminato miraculo ſtupefactus, alumni ſe prouoluit genibus. Et deincèps debitæ venerationi habitus, cùm omnes anteiret gloria, tamen charus erat omnibus.

Gen. 37.

Amplectitur vitam monaſticam.

Inuidia quorundam erga illum.

Vide miraculum.

Vir ſanctus, quia Chriſti ſacerdos erat futurus, & caput & caudam hoſtiæ in ſacrificium Dei offerri debere ſciebat, de die in diem de virtute in virtutem proficiebat, & per ſcalam bonorum operum gradatim ad ſummum perfectionis ſcandere laborabat. Quicquid enim in tenera ætate Deo fideliter vouit, id opportuno tempore ſynceriter ſoluit. Ante omnia caſtitatis puritati operam dedit, ſciens quia niſi ſyncerum vas fuerit, quodcunque infunditur, aceſcit. Habens ergò præcinctos lumbos hac virtute caſtitatis, etiam lucernam ardentem tenebat in manibus ſuis, cùm per bona opera lucis exempla monſtrabat proximis. Itá fideliter & prudenter geminans à Deo ſibi credita talentá intellectus & operationis, quoſcunque potuit verbo & exemplo allicere ad propoſitum ſanctæ conuerſationis, participes & ſocios ſibi conciuit ad ſcandendum iter perfectionis. Iam verò quàm ei frugalitas amica fuerit, quàm ei parſimonia placuerit, quomodò vtrinquè reducto fune temperantiæ, ſemper mediam virtutum viam in omnibus tenuerit, ſatis ex hoc patuit, quia ad ſummum ſanctimoniæ culmen feliciter peruénit. Cuius vitæ rectitudine omnis populus ad meliorationem morum non parùm directus, & miraculorum eius gloria nimis iucundatus, promoueri eum fecit ad ordinem Epiſcopatûs, vt vberiùs ſanctificari eius benedictionibus mererentur. V.

Caſtitati plurimùm ſtudet.

Luc. 12.

Mediam in omnibus tenet viam.

Fama, quæ facta & infecta ſolet loqui, referebat eſſe quandam inſulam in mari, quæ præter cætera felicitatis ſuæ commoda, quibus præ cæteris terris & inſulis celebratur abundare, hoc miraculo dignum dicebatur habere inſigne, quòd cæli ciues in ea ferebantur habitare. Super hoc ſi rei conſideretur veritas, ex eo illis inſulanis hæc viuendi imputabatur felicitas, qui apud eos in nullo exorbitabat moralis rectitudinis probitas, immò in omnibus potenter regnabat naturalis legis ſanctitas. Delectatus ergò vir beatus tam fauorabili nuncio, totus ad requirendam tam laudabilem inſulam animo ferebatur. Quia enim eius conuerſatio iam in cælis erat, & eum inter mundi ſcandala commorantem, iniuſtitiæ humanæ multiplicitas offendebat, ſaltem illic vitam deſiderabat agere, vbi iuſtitiæ veſtigia remanſiſſe audiebat. Ad hoc eum etiam magiſtri ſui & Abbatis Brendani exemplum animabat, cuius tota intentio ad felicem inſulam quærendam non minùs flagrabat: quippè qui huius nouæ peregrinationis incentor exiſtebat & author, vt ſcriptura vitæ eius demonſtrat. Quam ſi quis deſiderat legere, quid de ea æſtimare debeat, ſapientium ediſcat iudicio. Poſthabentes igitur dulcem patriæ amorem, aſſumunt incertum optatæ peregrinationis laborem. Hanc viam inſiſtere, vtrùm perſuaſerit ſola quærendæ felicis habitationis voluntas, an aliqua ex parte ſubrepſerit animis eorum humanæ curioſitatis voluptas, non habet diſcutere noſtra temeritas. Hanc tamen viam Deo non diſplicuiſſe, per hoc ſatis intelligimus, quia etiam hoc peregrinationis tempore hunc ſeruum ſuum non deſtitit miris decorare miraculis. VI.

Fama de quadam inſula.

Brendanus Abbas eius

Paſchalis ſolennitatis mundus agebat lætitiam, quandò ſolet ſancta Eccleſia celebriùs recolere noſtræ redemptionis memoriam, quæ his diebus completa eſt per paſſionem & reſurrectionem Dominicam. Cùm cæteri indè ſe agerent feſtiuiùs, S. Maclouius ſe agebat deuotiùs, vacans pſalmis, hymnis & orationibus, vtporè qui debebat Deum interpellare non ſolùm pro ſuis, ſed etiam pro populi exceſſibus. Volens ergò celebrare ſolennia Miſſarum, cùm non haberet locum ad id idoneum, (quippè qui circumferens viſum, quantum permittebat horizon, nihil videbat, niſi ſuperiùs cælum, & inferiùs liquoré aquarum) toto corde conuerſus ad Deum, orabat obnixiùs ab eo offerri ſibi locũ aptũ. Exaudibilis autem Dei omnipotentis, affluit præſtò orationi vtilia petentis: & qui olim periclitanti Ionæ cetũ ad ſaluationem eius præparauit, hic etiam modò balænam præſtò adeſſe fecit. Cui tanta corporis vaſtitas erat, vt rupes eſſe ab hominibus putaretur: porrò eam tanta ſubſtrauerat immobilitas, vt inſula ſtabilis eſſe crederetur. Sacramentorum ergò ordine à ſacerdote ſolenniter celebrato, & viatico Dominicæ Euchariſtiæ omnibus deuoté diſtributo, quo vnico inter omnes vtriuſq; hominis aduerſitates muniuntur ſubſidio, ſoluto alacriter nauis retinaculo, reddunt ſe ſuſcepto nauigandi propoſito. Porrò in comitatu illo erant homines numero fermè centum octoginta. Cùm ergò iam altum tenerent, velificante fide ſecuri, tunc demùm reducto viſu, intellexêre de quanto periculo eos êruerit miſericors potentia Domini, qui balænam pro inſula parauerat eis in medio mari, & eam ſubſtrauerat immobilitate tam ſtabili, vt nihil eis periculi incuteret. Cui cum poſſet eſſe dubium, quòd ineuitabile omnes incurriſſent mortis periculum, ſi bellua immaniſſima dediſſet corporis ſui motum? Vndè omnes lætum cantantes celeuma, voces gratiarum actionis vnanimiter iactabant ad ſidera. VII.

Paſchalis ſolennitas.

Ionæ 2.

Ingens in mari periculum cum ſocijs ſe euaſiſſe lætatur.

Magnis maiora miracula ſuccedunt, & nouitate ſui, deuotionem fidelium ad laudanda Dei magnalia vehementiùs accendunt. Cum tantoperè pro quærenda illa laudabilis famæ inſula laborarent, factum eſt, vt ad aliam inſulam, diſponente Deo, applicarent: & potiti optata arena, dum pro releuando tædio nauigationis perluſtrarent ſingula, offendunt tumulum ſepulti hominis, quem fuiſſe giganteæ molis & proceritatis, prodebat inſpecta qualitas corporeæ magnitudinis. Motus ergò vir pius miſeratione humanæ compaſſionis, & inſupèr animatus vigore ſupernæ inſpirationis, cum fidei magnanimitate & lachrymoſa contritione cordis, nomen & virtutem inuocat ſanctæ Trinitatis, & aperto loculo tumuli, ſuſcitauit eum à mortuis. Qui poſtquàm eſt redditus pleno vitæ officio, compellat eum ſacerdos pio alloquio, ſciſcitans eum quis eſſet, vndè illuc veniſſet, vbi modò fuiſſet, ſi aliquandò Chriſto credidiſſet. Reſpondit ille, ſe à patribus ſuis occiſum, ibi tumuli accepiſſe locum. Porrò ſe infernalibus clauſtris depu- VIII.

Excitat S. Maclouius defunctum.

depu-ta-

tum, dirum & interminabilem tuliſſe cruciatum. Et addidit homo Dei: Vobis ergo, quos incredulitas deputauit pœnali inferni ergaſtulo, eſt aliqua fidei confeſſio, eſt aliqua ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis cognitio? Et ille: Planè, inquit, nobis ſanctæ Trinitatis cognitio eſt, ſed modò eam nôſſe aut confiteri, nihil nobis prodeſt: immò quia in vita eam nôſſe noluimus, mortaliter obeſt. Ideò precor, vt ſaltem modò merear renaſci baptiſmo ſalutari, vt qui hactenus damnatus fui morte æternali, iam nunc poſſim erui ab interitu infernali. Sanctus Dei, his auditis, ingreditur viam Apoſtolicæ prædicationis, & eum initiatum & catechizatum Catholicæ fidei rudimentis, conſecrauit & regenerauit baptiſmi ſacramentis, & muniuit viatico Dominici corporis & ſanguinis. Superuixit autem quindecim diebus, & à morte animæ erutus, morti corporali eſt redditus, & in eodem tumulo repoſitus, in generali omnium regeneratione reſurrecturus cum Chriſto feliciùs. Hæc ſunt, bone Ieſu, mirifica tuæ diuinitatis opera: hæc ſunt magnifica tuæ promiſſionis munera, quibus fideliter in te credentes conſolatur tua clementia. Qui credit, inquit, in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Quæ quidem poſſe fieri per hominem, vix apud homines obtineret fidem, niſi promiſſum fuiſſet per Dominicum hominem, hæc facienda eſſe per fidelem hominem.

S. Maclouius redimit eum catechizat & baptizat. *Ioan 14.* *Dominicũ hominem, Chriſtum dicit, quod Auguſtinus ſe dixiſſe dolet. Vide Retractat lib. 1. cap. 19*

IX. Exhausto incaſſum nauigationis labore diutino, poſtquàm nulla ſpes deſideratam inſulam inueniendi adſpirabat pio eorum deſiderio, tractato inuicèm conſilio, deliberauerunt finem facere tam longo poſtliminio. Iam enim ſeptennium in hac peregrinatione expleuerant, & ſeptem Paſchalis celebritatis recurſus ſolemnizauerant, & per certum laborem nihil adhuc certi in animo habebãt. Reuerſus ergò vir ſanctus ad antiquam patriã, reddidit parentibus ſuis deſideratam diutiſſimè ſui præſentiam: & quia in terris nequiuit inuenire optatæ felicitatis inſulam, iugem noctu diuq; dabat operam, vt in cœlis perpetuæ beatitudinis mereretur habere patriam. Deus, qui hominem gratia ſua præuenit, vt bonum velit: & ſubſequitur, vt implere poſſit, eum voti ſui cõpotem fecit. Cùm enim in hoc totus eſſet, vt iam iamq; perfectionis iter arriperet, cùm de more intereſſet Eccleſiaſtici officij myſterio, audiuit Euangelium pronunciari à Diacono: Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & vxorem & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: &, Qui non renunciat omnib. quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et rapiens vocem ex ore Diaconi, credens hoc conſilium ſibi in tempore mandatum eſſe ex ore ipſius Domini, ex ipſa lectionis opportunitate patrem ſuum couẽnit, legationem Dominici mandati per Diaconum ſibi miſſam ei obiecit, & licẽtiam abrenunciandi ſibi ſuiſq; omnibus, ab eo humiliter petijt, ſeq; trans mare peregrinationem pro Chriſto velle ſuſcipere prædixit. Pater diligens filium nimis carnali affectione, quẽ gaudebat rediiſſe de tam longinqua peregrinatione, voluit bonæ eius voluntati contraire. Et præcurrens ad maris litus, amotis vſquequaq; nauibus, interdixit potenter nautis omnibus, nè quis eorum filio ſuo facultatem transfretãdi præſtaret aliquatenus. Sed vir Apoſtolicæ vitæ, ſciens Dominũ præcepiſſe, Si dextera manus, vel pes, vel oculus ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te: maluit ſolus ad vitã ingredi, quàm cum parẽtibus ſuis pernicioſè dilectis, in gehennam mitti. O nuẽ ergò carnalis neceſſitudinis affectionem poſtponens Chriſti amori, abrenunciauit patri, abrenunciauit paternæ facultati, abrenunciauit ẽt ſibi, vt nudus & expeditus ſequeretur diſcipulus veſtigia magiſtri.

Luc 14. Ibidem. *Matth 18* *Relictis omnibus, Chriſtum ſequitur.*

X. Ascitis itaq; omnibus, qui ſecum tenebant propoſitum monaſtici ordinis, allegato quoq; magiſtro ſuo Brẽdano Abbate, ſocio prioris peregrinationis, venit ad litus maris. Vbi amotis nauibus & nautis omnibus, iuxta interdictum patris ſui, cùm nulla ſuppeteret via transfretandi, recolebat illud Pſalmiſtæ: Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Cumque cor ad Deum ſolum ſuſpenderet, ecce nauim vacuam hominibus præſtò adeſſe videt, quam Chriſtus ipſe regebat: vir tamen ſanctus puerum eum eſſe credebat. Qui puer mox illum ad nauigandum inuitauit, & quorſum iter vellet dirigere, eum interrogauit. Reſpondit ille, quò voluntas Domini iter ſuum vellet dirigere, eò ſe libẽter ſequi velle. Adiecit puer: In ſinu huius iuli eſt quædam inſula, q̃ habitat vir ſatis probatus in monaſtica vita. Hic Aaron vocatur: à quo etiã locus, Inſula Aaronis cognominatur. Ad hanc te dirigã, & te ab eo officioſiſſimè excipi, & humanè tractari faciam. Hac vice ſermonũ intellexit tandẽ vir Dei, puerũ eum colloquebatur, illũ eſſe, quẽ inuocauerat, Deum. Cũq; acceleraret prouolutus pedibus genibus, dicto citius euanuit ex oculis ipſius.

Pſal. 117. *Inſula Aaronis*

XI. Igitur felicioris nauigationis viam aggreſſus, proſperis ventis & recto tenore curſûs ad inſulam Aaronis eſt directus, & iuxta promiſſum Domini, officioſa humanitate à famulo Dei eſt exceptus. Ibi cum ſancto ſanctè viuebat, & cum innocente innocenter agebat, & factus alter alterius ſpeculũ, ſi quid in ſemet-ipſis videbant eſſe corrigendum, aut adijciendum, charitatiua æmulatione meliorabat alter per alterum. Ibi ergò mundi huius peregrinus permanſit aliquantulum temporis, donèc placuit diuinæ omnipotentiæ, etiam in hoc ſæculo ei reddere mercedem laboris, in futuro ſeruans ei plenitudinem remunerationis.

Vitam agit eremiticã.

XII. Iam fama nomen eius celebre fecerat vbiq;, iam omni populo erat in ore, quòd peregrinus ille miraculorum polleret poteſtate, & ſupra homines doctrinæ afflueret vbertate. Iam omnis populus in eius declinauerat amorem, eò quòd videret in eo eſſe & pij patris affectionem, & facundi doctoris authoritatem. Quocirca cooperante ſibi diuina gratia, fecerunt eum inthronizari in Epiſcopali cathedra, in vrbe, quæ vocatur Aletha, quæ nõ longè aberat ab Aaronis inſula. Hanc vrbem fluuius, nomine Rinctus, ex vno latere, ex altero alluebat mare. Illis in partibus adhuc dæmonũ ſqualebat ſpurcitia, & iam paſſim Euangelij regnante gratia, ibi reſtiterant idololatriæ veſtigia. Accinctus itaq; vir Dei gladio verbi Dei oſtendit quàm fidelis eſſet ſuo regi, pro eius amore aggreſſus debellare regnũ diaboli nec antè deſtitit, quàm infidelium corda, virtutũ mirificentia, & doctrinæ affluentia ad credendũ inflexit, & à regno diaboli abactos; Chriſti iugo ſubiecit. In hac vicinia ſanctus Samſon manebat, qui beati Maclouij cõſanguineus erat. Hic in territorio vrbis, in qua Epiſcopatum adminiſtrabat, non mediocriter laborem impendebat, vt de regno Domini ſui exturbaret paganiſmum, & ad laudem Dei ampliaret Chriſtianiſmum. Sic in regione illa per fortes milites Chriſti, diminuta eſt aduerſæ partis potentia, & dilatata eſt longè lateque Chriſtianitatis magnificentia.

Creatur Epiſcopus. *Multos ad Chriſtum conuertit.*

XIII. Vigiliam Paſchæ Chriſtianus populus celebrabat, & in celebrandis Miſſæ myſterijs ſacerdos intentus erat. Et ecce triſtes defuncti exhibentur exequiæ, & animos audientium ad compatiendum mouent plangẽtium lachrymæ. Plùs cunctis mouetur & ipſe ſacerdos, qui totus erat in miſericordia, & præſtolari iubet, dũ finiatur Miſſa. Circũſtante frequentia populi, monet omnes appellare clementiam Domini: vt, qui dominatur morti & vitæ, dignaretur per mẽbra rigentia vitalẽ animæ calorẽ refundere. Nec longum fuit, & qui dixit, Omnia poſſibilia ſunt credẽti, deuotioni fidelium adfuit: reſurgit mortuus, & horrorem incutit omnibus, & palàm fecit omninò Deum fauere fideliter petentibus. Vt viuus adſtitit, poculum vini ſibi porrigi petijt. Quid ſanctus vir faceret? Vinum quod ſitienti porrigeret, non habebat: aquæ poculũ, quod porrigebat, tangere ſitiens nolebat. Iterùm confortatus in fide, recurrit ad fontẽ miſericordiæ, petens, vt qui orationi fidelium impenderat maius, dignaretur impendere & id, quod erat minus. Mox habens ad manum vas marmoreum, leuata manu illud benedicens, vertit in vas vitreum: & infundens vaſi aquã, per virtutẽ ſanctæ benedictionis mutauit & illã in vini naturã. Sicq; in vaſe vitreo porrigens homini redíuiuo noui vini poculũ, non minimũ diuinæ pietatis oſtendit omnibus miraculum. O verè pium & magnificũ cultorẽ ſanctæ Trinitatis, quẽ ſecũdum fidẽ cordis ſui in vna die diuina virtus tribus illuſtrauit miraculis, dum in nomine & virtute ſanctæ Trinitatis ſuſcitauit mortuum, & ex marmore vitrũ, & ex aqua fecit vinũ. Itaq; quẽ alienis manib. carruca ad ſepeliendũ illuc aduexit, ipſe eam læt⁹ domũ reduxit, & quod vixit, idoneus ſuæ reſurrectionis teſtis extitit.

Marc 9. *Mortuum reſuſcitat.* *Aqua mutatur in vinum.*

VIR ſæpè nominatus, in quo fides per bona viuebat opera, in paruis quidem rebus nõ parua dedit miracula, XIV.
vt per eum in omnibus Chriſti creſceret gloria. Dum aliquandò Britannicã circuiret regionem, vt in agro Dominicę culturæ ſemen diuini verbi ſereret, offendit ſubul cũ in agro, quẽ torquebat magna triſtitiæ amaritudo. Cuſtodiens enim gregem porcorũ, ſuem auidè & importunè vaſtantem ſegetes, dũ nititur arcere à damno vicinorum, occidit eam per incautum lapidis ictũ. Pro hac offenſa dominũ ſuum timebat, cuius irã ob hoc maximè exaſperari credebat, quòd ſeptẽ nati oberrantes, ſolitò circa vbera defunctæ matris lac elicere volebãt, ſed nullã vitæ alimoniam in præmortuo corpore inuenire poterant. Maclouius, quẽ ſibi totũ vendicauerat pietas, non potuit ſine lachrymis videre ſubulci lachrymas: & fuſa oratione ad Deum, auri defunctæ ſuis impoſuit baculũ ſuum: & reſuſcitata ea ad ſolum tactum, mœrẽti reddidit gaudium. Subulcus rem ad dominũ retulit, & præconia ſerui Dei per ora omnium diffudit. Dominus aſcenſo equo, ore ad os gratias egit ſancto viro, & villam vnã contulit eccleſiæ, ad vſus ſeruorũ Dei ſub eo.

Reſtituit ſuem exanimatam.

Act. 10.

GESSIT & aliud quiddã ſimile, vel pro ſolo pietatis intuitu ſatis prædicabile. Imitatus Paulũ Apoſtolum, cui manus ſuæ operando ſupplebant, ſi quid ſibi deerat: & ipſe labori manuum ſuarũ intendebat, quandò ab euangelizãdi officio vacabat. Cùm quadã die in putanda vinea laboraret cum fratribus, depoſitã cappam repoſuit in abdito, vt operari poſſet expeditiùs. Finito opere, cùm cappã vellet recipere, auiculam quã vulgò bitrionem vocant, inuenit ſuper eam ouum poſuiſſe. Qui ſciens nec auiculis deeſſe Dei prouidentiam, (quippè quarum nulla ſine patre Deo cadit ſuper terram) dimiſit ibidèm cappam donèc fotis ouîs, pullos in tempore excluderet auicula. In qua re & illud mirabile fuit, quòd quanto tempore illic cappa iacuit, nulla pluuia illam violauit. Quod quicunq; audiêrunt, in Deo virtutem cum gratiarum actione magnificauerunt, in homine Dei pietatem laudauerunt. XV.

Matth. 10.

Cappa eius ſub dio a pluuia non violatur.

Antiſtabat, pro, antiſtitẽ gerebat.

IN pago vrbis Alethæ, in qua antiſtabat Maclouius venerabilis, filiam habebat vir quidã prænobilis, quã miſerabiliter vexabat diabolicæ infeſtationis paſſio intolerabilis. Omnes enim ſe contingentes attrectabat morſibus, nec ipſis parcebat parentibus. Nec cõprimi aut ſedari poterat huius malæ valetudinis vehemẽtia, niſi ferreis catenis arctaretur tã immanis inſania. Pater, cuius animo, filia ægrotante, nihil poterat eſſe iucundũ, ad medendũ filiæ ſuæ, felicẽ inuitat Macloũium, quem olim audierat in curationũ efficacia eſſe glorioſum. Nec differt ille miſericordiam, ſed credens quia facile eſt Deo, præſtare fideliter petenti medelã, pergit ad puellã: & volens diabolicæ malitiæ comprimere dolũ, ſudarium ſuum proiecit in furentis puellæ collũ. Tunc verò potuiſſes audire horribiles voces dæmonũ, ſeruo Dei in hæc verba exprobrantium: O tranſmarine incola, non potuit te ſuſtinere patria tua, qui veniſti huc quærere aliena, & nos expellere de regione noſtra? Diſcipulus Chriſti vilipendens hæc inimici improperia, & gaudens cũ magiſtro & Domino ſuo ſibi eſſe cõmunia, cui ſubdola cõfeſſione acclamabãt dæmonia, Quid nobis & tibi, Ieſu fili Dei viui? Veniſti ante tẽpus perdere nos? exemplo Dominicæ increpationis, cõprimebat falſitatis vaniloquia. Scienſq; hoc dæmonium eſſe de illo genere, de quo dicitur à Domino, Hoc genus nõ poteſt eijci, niſi in oratione, & ieiunio: fuſa ſuper aquã exorciſmi oratione, & addita Epiſcopali benedictione, potum dedit puellæ. Per aquæ benedictæ poculũ, infuſa virtute benedictionis per mẽbra puellæ, diabolica immiſſione diù contrita, cecidit in terrã puella, quaſi mortua. Paulo pòſt reſumpto ſpiritu, ſurrexit ſana & læta, effugato peſſimi perſuaſoris impetu, & lætificauit alios pro integro reſtauratæ incolumitatis ſtatu. Pater videns ſatisfactum deſiderijs ſuis, pro gratiarũ actione ditauit ſanctã Eccleſiam Dei prædijs & xenijs precioſis. Quia gloria aut rarò, aut nunquàm caret inuidia, non pertulit diù tantam Macloũij gloriam antiqui hoſtis verſutia: ſed nè in regno Chriſti inualeſceret ampliùs boni militis gratia, ſuſcitauit contra eum hoſtes armatos dolo iniuſtitia, inſuper fultos non mediocriter ſæculari potentia. XVI.

Matth. 8. Luc. 14. Matth. 17.

Aqua benedicta expulit dæmonẽ ab obſeſſa.

Baſilica eius deſtruitur.

HAILOCH quidam, qui potenter principabatur toti Britanniæ, ſtimulatus inſtinctu diabolicæ malitiæ, cœpit baſilicã deſtruere, quã beatus Macloũius fundauerat in prædio ſuæ parochiæ. Vir Dei apud aures principis agebat lachrymis & precibus, vt dignaretur deſiſtere à deſtructione Eccleſiaſticæ domûs. Sed ille efferatus per conceptã iniquitatis inſolentiam, nõ poterat mitigari vel refrenari per aliquã piæ admonitionis gratiam. Cõtra huiuſmodi ſæcularis dominationis potẽtiam, ad munimen & firmamentũ ſuî, ſolã Macloũius aſſumpſit patientiam. Sed qui ad ſuos fideles loquitur per prophetas, Qui tãgit vos, tangit oculi mei pupillã. &, Mihi vindictã, & ego retribuam: non dimiſit inultã pauperum ſuorũ iniuriam: & ſicut Saulũ recalcitrantem percuſſit triduana cæcitate, vt poſteà totũ mundũ illuminaret æterna claritate: percuſſit & hunc tẽporali cæcitate, vt per tenebras tranſitorias liberaretur à peccatorũ obſcuritate. Extẽplò ad cor reuerſus, & pœnitudine præcordiali cõpunctus, ad ſatisfaciendũ Epiſcopo cucurrit quãtocyùs, ſe reum eſſe proteſtans amaris fletibus, ſe meritò excæcatũ eſſe cõfitẽs lachrymoſis queſtibus. Ille, qui didicerat à magiſtro ſummæ bonitatis, & inimicis eſſe benefaciendũ, & pro perſequentib. & calumniantibus nos eſſe orandũ, citò & miſericorditer indulſit pœnitenti reatũ. Et prouidens ei vtriuſq; hominis ſalutẽ, aqua benedicta eum perfudit, & oleo ſacro oculos eius perunxit, & ita ei priſtinũ viſum reſtituit: pro admiſſa tamen temeritate cõgruum pœnitendi modum indixit. Dux videns & animæ & corpori vtilem eſſe ſuam ſatisfactionem, Eccleſiæ Dei non paruam delegauit terrarũ hæreditatem, & copioſam in re mancipi contulit benedictionem. Deindè quoàd vixit, ſeruum Dei vti patrem filius vnico amore dilexit, eique ſuiſque tutor & adiutor opportunus fuit in omnibus. XVII.

Zach. 2. Deut. 32. Act. 9.

Matth. 5.

Cæco reformat viſum.

Matth. 4.

SIC antiquus hoſtis hoc primo congreſſu victos diſceſſit, ſed nõ defatigatus ceſſit. Sicut enim olim ipſi Domino congreſſus, non receſſit prima tentatione victus, ſed ſecundò & tertiò arma reſtaurare eſt auſus: in prima quoq; Macloũij victoria non deſtitit à ſuis conatibus. Dux Hailoch, qui ſe totũ humiliter inclinauerat ad Macloũij obſequelã, & pro eius gratia ſe totum potenter erexerat ad Eccleſiæ Dei tutelam, poſtquàm ingreſſus eſt vniuerſæ carnis viam, morte ſua locum fecit iniquis opprimendi Eccleſiam. Surrexit enim poſt eum impia generatio, quæ auerſa facie à Deo, deſciuit penitùs à rectitudinis conſilio. Hinc nactus opportunitatem diabolus, & talibus vtens officialibus, in virũ Dei mille inſurrexit artibus. Filij itaq; Belial Macloũium infeſtantes execrabili odio, inuehebantur in eum huiuſmodi conuicio: Quis inquiunt, hic regno noſtro improbus ſucceſſit aduena, qui vſquequaquè nobis concitat ſcandala? Quis eſt iſte pellax ſycophanta, qui blanditijs ſuis humana à ſe alienat pectora? Quis ille eſt cupidus hæredipeta, qui ex noſtris incommodis ſua hîc comparat commoda? Cùm Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus nihil in terra ſit poſſidendum, hic ſub obtentu paupertatis, velat cupiditatis vitium: & ſub prætextu eleemoſynarum, auaritiæ exercet emolumentum: ſub obtentu longæ orationis, expoliat domos viduarum. Qui omnia ſe pro Chriſto reliquiſſe mentitur, & omnia ſe in Chriſto habere gloriatur, nos & filios noſtros exhæredat, & hæreditates noſtras ſibi auidè captat. Qui ſua ſe non curare ſimulat, cur aliena diſpẽſat? Nihil ergò nobis magis vtile, quàm iam iamq; noſtris feſſis rebus conſulere & hunc longè à regno noſtro exturbare, & hæreditates iniuſtè eccleſijs mancipatas, iterũm occupare. Siquidem nobis & filijs noſtris nihil reliqui fecit, qui ſibi omnia noſtra vſurpauit. Solam ſpem futurarum nobis precio omnium rerum noſtrarum vendit, quarum vſumfructum ipſe in præſentiarum capit. Sæpè laceſſentes ſanctum virum tam iniurioſis inuectionibus, omni genere perſecutionis eum exaſperant, & homines eius ſæuis verberibus tormentant: omni rerum direptione omninò Eccleſiam Dei deuaſtant. XIIX

Eccè tibi argumenta boni Eccleſiaſticis inhiantium.

Multa patitur vir Dei ab improbis.

QVAM grauis & intolerabilis hæc perſecutio fuerit, ex vno aduertu poterit. Piſtorem eius, vocabulo Riman, iniuſtè comprehenſum, indignè cæſum, vimineis vinculis quadrupedem conſtrictum, vt nullo poſſet iuuari officio membrorum, ſuper ripas maris reliquerunt ſolum, vt ſuperueniente æſtu maris, abſorberetur in profundum. XIX.

dum. Abſtulerunt etiam equos ſuos ſancto viro, nè illi poſſet adeſſe ſubſidiò. Solam Epiſcopo reliquerunt equam; æſtimantes ſe per hoc ei facere iniuriam, ſi vilem aſcenderet equam. Sacerdos, quod ſolum potuit, periclitanti famulo orando adfuit: omnipotens oranti Epiſcopo non abfuit: cuius fide & oratione ille, qui in articulo mortis iacebat, mirabiliter euaſit. Nutu enim eius, cui omnis natura ſeruit, vndiquè milliario vno longè à iacente piſtore æſtum maris retinuit, & puerum innocenter morti oppoſitum contingere timuit. Præſul ergò pro ſui odio vexatum ſine mora adiens piſtorem, inuênit eum incolumem, ſecumque reduxit alacrem.

Præclarum miraculum.

XX. PONTIFEX Maclouius, qui ante Deum & homines ſine querela iuſtitiam tenere volebat puſillos Chriſti adeò ab impijs ſcandalizari, grauius quàm dici poſſit, ferebat. Pro illis etiam ſacrilegis, tam acuto auaritiæ ſtimulo inſtigatis, nimis dolebat, quos apud Deum nulla ignorantiæ excuſatio abſoluebat, quos videntes & volentes cupiditas in præceps trahebat. Indè enim nequam & liuidum inuidia oculum habebant, vndè patres eorum boni fuerant. Patres quippè eorum peccata ſua, eleemoſynas faciendo, redemerant: iſti, eleemoſynis derogando, peccata ſua cumulauerant. Ille doctus in patientia ſua poſſidere animam ſuam, Si, inquit, Dominus meus Ieſus fugiendo declinauit Iudæorum perfidiam, cur ego homunculus non deuitem cedendo iſtorum malitiam? Eccè quia iſti vt vulpes foueas doloſitatis, & vt volucres habent nidos vanitatis, & nos cum filio hominis non habemus, vbi caput reclinemus in illis: cedamus, & occaſionem peccandi in nos, ſaltem fugiendo tollamus. Excutiendus eſt puluis de pedibus noſtris in teſtimonium illis. Et quia non ſunt hîc filij pacis, apud quos pax Chriſti requieſcat, pax noſtra ad nos redeat. Quandò dixit Dominus noſter Ieſus, Cùm perſecuti vos fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam: præuidit profectò hanc fugiendi occaſionem quandoquè nobis incutiendam. Agamus itaque, fratres, inſtanter: cedamus, quæſo, patienter. Ità vir pius execratus illam peſſimam generationem, intulit illis meritam maledictionem, quia elongauerant à ſe benedictionem. Sic Moſes ille mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra: ſic Eſaias, ſic Ieremias, offenſi ceruicoſa ingrati populi duritia, obligauerunt eos deuotatione peſſima, ſcilicet imprecantes propter eorum impœnitentiam, nè attenderet Deus eorum vota vel ſacrificia. Eliſeus quippè inſultantes ſibi pueros maledixit, & maledictionis pœnæ eos addixit. Quid de dominorum Domino dicam; qui in ficulnea propter infœcunditatem * eius à ſe maledicta, & areſacta, deuorationi ſubiecit dignam maledictione Iudæorum perfidiam? Hoc exemplo beatus Maclouius maledixit ſuis, vt traditi ſatanæ in interitum carnis, animabus tamen eorum reſeruata ſpe ſalutis, deſiſterent ab opere iniquitatis: & qui propter duritiam cordis ſui theſaurizauerant ſibi Dei iram tandèm emolliti per pœnitentiam, reconciliarent ſibi Dei miſericordiam.

Nota lector. *Ioan. 8 & 12.* *Matth. 8.* *Matth. 10.* *Ibidem.* *Num. 12.* *Num. 16.* *4 Reg. 2.* *Matth. 21.* ** eorum.*

XXI. ERGO per ſcandala impiorum expulſus à ſuo Epiſcopatu, apparato omnis profectionis commeatu, collecto quoq; fideli monachorum diſcipulatu, longo nauigationis exacto curſu, tandèm potitus Aquitaniæ regionis portu, & deueniens ad partes Santonicæ vrbis, primò omnium interrogandum eſſe putauit, ſi illis in locis vigeret titus Chriſtianitatis. Reſponſum eſt ei id, quo nihil potuit audire gratius, paſſim ibi feruere religionem Chriſtiani cultûs. Perrexit quærere, quis ibi Epiſcopali præſideret cathedræ, & læta audiuit aure, * Leontium Eccleſiaſticæ prouiſioni ſuperintendere, virum diuinæ ſapientiæ & humanæ ſcientiæ præditum dignitate. Ipſe exultans, quòd arriderent ſibi prima optatæ proſperitatis auſpicia, ſpem concipit ex rerum conuenientia, quòd decæterò omnia ſibi cedere debeant ex ſententia. Electos itaque ex ſuis legatos fidenter ad Epiſcopum dirigit, cauſam ſuæ peregrinationis ex ordine digerit, locum ſibi ad habitandum ab eo concedi humiliter expetit. Plenus ille ſpiritu prophetico, gaudebat animo ſe diuinitùs viſitari, procurato fraternæ ſocietatis ſolatio. Exertaque hilariter manu liberalitatis ſuæ, tribuit ei locum habitationis congruæ, ſecundùm Apoſtoli præceptum, paratus ex ſua copia illius inopiam ſupplere. Populares quoq; delectati odore eius bonæ conuerſationis, ei ſuiſque adminiculabantur multis donarijs, volentes etiam ipſi participari fructibus alieni laboris.

Migrat in Gallias, pulſus a ſede ſua. *Leontius Burdegalenſis Epiſcopus De hoc Venant. Fortunat. carm. lib. 1. & 4. nouæ edit.* *2. Cor. 8.*

XXII. AGEBATVR namque non caſu fortuito, ſed diſpenſatiuo diuinitatis conſilio, vt quo latiùs diuerſis in locis diffamabatur tanti viri peregrinatio, eo diffuſiùs magnificaretur nominis eius cognitio. Filia Comitis, qui pago Santonico principabatur, per patris ſui viridarium cum pediſſequis ſuis exercebatur: vbi dum incautè incedit, venenoſo occulti ſerpentis ictu vulnerata ingemuit, & magnam cunctis eiulandi occaſionem dedit. Pater inconſolabiliter lugebat, mater materno dolori temperare neſciebat, quæ vitam filiæ inter ſpem & metum fluctuare videbat. Omnis familia lamentabatur; tota ciuitas ferali iuſtitio afficiebatur. Tandem hoc ſolum dolor admiſit conſilium, vt quia nihil humanum poterat valere auxilium, à beato Maclouio diuinum quæreretur ſolatium. Vti conſultum eſt, ità & factum eſt. Ad pedes Maclouij ventum eſt, & votum fideliter petentium fruſtratum non eſt. Epiſcopus ad orationis ſubſidium confugit, aquam exorcizatam benedixit: ex ea folium hederæ perfudit, folium loco vulneris ſuperpoſuit. Contra vim ſacræ benedictionis, non potuit ſubſiſtere vis venenoſæ peſtis. Videres ex imis viſceribus peſtiferum virus elici, & ad locum folio hederæ obductum contrahi. Quod ſtillando in terram guttatim, corpus puellæ reddidit illæſum. Ità meritis Maclouij redintegrata eſt puellæ ſoſpitas, aucta eſt parentibus iucunditas, cunctos videntes & audientes confortauit in fide Chriſti miraculi nouitas. Pater non ingratus beneficio, villam ſuæ proprietatis delegauit Dei famulo, vt haberet, vndè tribueret neceſſitatem patientibus pro Chriſto.

Sancti nominis eius vbiquè diffunditur. *Curat puellam ſerpentis ictu grauiter & periculoſè laborantem.*

XXIII VENERABILIS Leontius videns beatum Maclouium meritis & virtutibus glorificari, cœpit animo ſecum non modicè lætari, quòd diuina pietas eum tanto & tali hoſpite voluërit conſolari. Vndè ſuam diœceſim luſtraturus, eum vt ſecum pergeret, obnixis coëgit precibus. Venerunt itaque ad villam, quam antiquitas appellauit Bream, geminis eccleſijs in honorem Dei nobiliter inſignitam. Leontius vt Maclouium arctiùs applicaret ſibi, vnam earum attribuit eius habitationi, alteram retinuit ſuo iuri. Quod quantùm Deo placuerit, ex eo ſatis apparuit, quòd præſenti miraculo ibidèm eos Dominus lætificauit. Illuſcente die cùm lauari vellet Epiſcopus, puer familiaris ad hauriendam aquam cucurrit ocyùs. Qui dum incautè haurit, elapſo pede, in puteum corruit, & aquarum mole oppreſſus interijt. Exortus eſt ſubitò clamor & gemitus, fit vndique frequens populi concurſus. Accurrit pater lugubris, non moratur adeſſe mater miſerabilis, inculta facie & nudato corpore, ſparſiſque capillis compaſſionem incutiens vniuerſis. Mouet cunctos, & maximè parentes, flos ætatis delectabilis: erat quippè puer iam duodennis. Auget tumultum concurrentium frequentia innumerabilis: erat enim puer parentelæ nobilis. Leontius corde premens dolorem, & in Domino retinens ſpem & bonam fidem, iuſſit deferri glebam defuncti in templum, quod deſtinauerat ad ſancti Maclouij partem. Vſque ad auroram ſequentis diei, parentes circa corpus excubias celebrârunt ritu ſolenni. At ſerui Dei pernoctantes in oratione, non diffidebant de eius bonitate. Manè facto, ſanctus Maclouius omnes eliminat à templo, duos tantùm monachos retinens ſecum, cum quibus familiariùs interpellaret Dominum. Cum his ergò ſeptiès flexis genibus, orauit ad Deum quàm potuit affectuoſiùs donèc ſenſit animam innocentis pueri refundi membris rigentibus. Aſſurgente puero, & adſtante ad teſtimonium miraculi, quid alacritatis habuerint Epiſcopi, quid ſtuporis paſſi ſint adſtantes populi, quas grates omnes vna voce reddiderint omnipotenti, ſuperfluum eſt inculcare ſermone multiplici. Miraculum enim, quod pro commendanda famuli ſui ſanctitate monſtrauerat diuinitas, latiùs diffamabat reſuſcitati pueri nobilitas, & gratius accipiebat affe-

Eccleſiam ei attribuit Epiſcopus in diœceſi ſua. *Reuocat ad vitam puerum mortuum.*

Trium mortuorum ſuſcitator S. Maclouius Epiſcopus.

ctuoſa parentum charitas. O virum prædicabilem per omnia, ô ſanctum ſanctis conferendum in miraculorum magnificentia, qui & ipſe exemplo Ieſu Domini ſui tres ſuſcitauit mortuos, in Trinitatis inuocatione efficaciſſima.

Cæca recipit lumen.

Nec illud ſubtraham de tantarum virtutum catalogo, quod adhuc geſtum eſt in pago Santonico. Mulier quædam, nomine Bona, quæ vitam ſuam laudabiliter agebat in viduitatis continentia, annis quatuordecim fuerat cæcitate obruta. Quæ obtutibus ſancti viri fideliter præſentata, luci priſtinæ eſt reddita. XXIV.

Malè plectuntur impij, qui virum Dei à ſe repulerant.

Porro homines illi, qui in Britannia virum Dei exacerbauerunt, & improbitate obſtinationis ſuæ ſe, terramque ſuam ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere piorum maledicta, tam in frugibus, quàm in pomis omnium generum, ſterilis & infructuoſa eſt reddita. Habitatores verò eius mille modis morborum deuotati, alij membrorum debilitate cœperunt contrahi, alij lepra ſqualebant, alij viſu priuari dolebant: iſti oris officio ſe deſtitui, alij ſe auditu plāgebant diminui. Nec aliquis erat omnium, qui cœleſtis vindictæ effugeret iudicium. Tandem per culpæ vindictam cognoſcentes ſerò culpam ſuam, nec volentes, nec valentes vltrà ſufferre maledictionis & vltionis moleſtiam, communicato conſilio deliberauerant, à ſancto viro humiliter implorare veniam. Miſſa itaque ad eum legatione, poſcunt cum cordis contritione, vt abſoluantur ab illa maledictione, ſpondentes, ſi eos dignaretur ſua reuerſione, deincèps ſe ei obtemperaturos ſine aliqua contradictione. Amator pietatis & miſericordiæ Maclouius, vbi pœnitentiam patriotarum accepit, ſummam conſilij ad Leontium venerabilem detulit: Leontius hanc ad ipſum Deum referendum cenſuit. Vterque indicto ſibi triduano ieiunio, exorant ſibi reuelari à Domino, quid ſuper hoc ſibi eſſet opùs facto. Inter orandum Angelus Domini Maclouio adſtitit, eique ex ore Dei hæc ſuggeſſit: Oportet, ô amice Dei, Britanniam reuiſere, omnem maledictionem auferre, homines ſalutifera benedictione ſanare, terræ vbertatem reſtituere. Deincèps debes Santonas repetere, quia illic habes propediè obire. Sanctus itaque vir ſecundùm Angelicam reuelationem repatriauit, terram hominesque ſua benedictione ſanctificauit, Deoque largitori omnium bonorum eos orando commendauit. Sicque omnis terra repleta eſt dapſilij vbertate per eius benedictionem, quæ anteà damnata fuerat per eius maledictionem. Ità factum eſt omnibus palàm, quòd pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam maleuolentiæ intemperantiam, immò per vtilem ſeueritatis beneuolentiam, vt per hanc neceſſitatem ſaltem inuiti traherentur ad pœnitentiam. Britanni deniquè compotes voti ſui effecti, tam princeps & optimates regni, quàm Clerus & Epiſcopi in vnum coniuncti, felicem virum poſcebant cernui, vt reliquum vitæ ſuæ dignaretur ſecum agere, vt per eius conuictum, Dei gratiam mererentur acquirere. Ille hoc fieri poſſe abnuit, & ſimul impoſſibilitatis ſuæ cauſam eis humiliter aperit, & vocationis ſuæ tempus ſibi impendère prædixit, & hoc apud Santonas ſibi eſſe à Deo determinatum, ex verbis Angeli ſe didiciſſe dixit. Britanni flentes, & timentes adhuc cæleſtis iræ veſtigia reſtare, qui nec in vita, nec in morte digni eſſent talem patronum habere, cum gaudio pacis & dilectionis eum proſecuti, vix tandèm paſſi ſunt ab eo ſeparari. XXV.

Angelus ei apparet.

Iram Dei à Britannia auertit.

Decedit è vita.

Igitur Santonas regreſſus, & noctù & interdiù ob ſui cuſtodiam eo laborabat vigilantiùs, quo Dominum in proximo eſſe didicerat certiùs, vt, quacunque hora veniret, vigilans & paratus pulſanti aperiret. Qui enim tam longo ætatis tempore bonum certamen certauerat, & tandèm curſum conſummauerat, de religione coronam iuſtitiæ repoſcebat, quam ſibi iuſtus iudex repoſuerat. Reddidit ergò terræ, quod erat ſuum: cæli cum tripudio ſanctorum eius exceperunt ſpiritum. Recepturus mercedem laborum, deductus eſt in via mirabili manibus Angelorum. Qui enim in terris Angelicam vitam duxerat, modò in cælis eis conuiuendo æternaliter exultat. Vixit centum triginta annis, obijt 17. Calendas Septembris. XXVI.

Prolixa eius ætas

Honorifica ſepultura.

Miracula.

Leontius Epiſcopus gaudens ſuper theſauro ſibi cælitùs deſtinato, & poſteris ſuis æternaliter profuturo, decreuit eum glorificare honorifico ſepeliendi officio: conſtructaque noua eccleſia, corpus eius, vt Spiritus ſancti organum, in illa ſepeliuit cum decenti reuerentia. Nec potuit abſcondi in terris, cui meriti modò eſſet in cælis. Eodem enim die, quo in mauſoleo poſitus eſt, duobus cæcis viſus redditus eſt, energumenus à dæmonis infeſtatione liberatus eſt. Die poſt humationem tertia, contracto cuidam reſtituta eſt medela, muto loquela. Poſtmodum verò meritis S. Maclouij tanta Dominus geſſit ibidèm miracula, quanta nec narrare lingua, nec continere valet membrana. Multiplicibus ac frequentibus ſancti huius interceſſionibus, ſubueniat nobis omnipotens Deus, cunctiſque eius præconia celebrantibus: Qui viuit & regnat per æterna ſæculorum ſæcula, Amen. XXVII.

Habes aliam S. Machutij ſiue Maclouij vitam ab anonymo ſcriptam in Bibliotheca Floriacenſi, quam ſi libet conſule.

An. 1100.

ORATIO DE S. LEOPOLDO AVSTRIÆ MARCHIONE ET CONFESSORE, HABITA A FRANCISCO PATAVO ADVOCATO *conſiſtoriali, 12. Calendas Decembris anni 148. ſedente Innocentio VIII. & Friderico III. Imperatore ſuadente: in publico conſiſtorio.*

15. Nov.

S Leopoldus moribus & vita clarus.

SIQVAM dicendi facultatem, ſi quod humanum ingenium poſſe ſatis exequi laudes diui Leopoldi exiſtimarem, P. S. Reuerendiſſimi domini: non ego apud vos adeò auderem, vt viri tanti virtutes exiguis dicendi viribus vellem attingere, & debilis in re tanti ponderis inexercitatusq; athleta certamen hoc inire perarduum. Sed quoniam nemo tam eloquens, tam felici ingenio præditus eſt, vt eius magnitudini virtutum orationem æquare valeat: immò cuiuſuis diſertiſſimorum eloquentia, ſtudium, opera, facultas, ingenium, longè ſuperatur & deficit, cùm vel cogitare, vel expromere verbis conatus, quantùm deniq; tota vita claruerit: hinc ego, etſi in hoc mihi inuſitato genere dicendi parûm vehemens orator videar, tamen pro mea tum in eum ipſum pietate, tum in vniuerſam Chriſtiani ritûs religionem obſeruantia, dicendum vel id mihi pro viribus cenſeo. Neq; enim id alienum ſiue patrocinium à quolibet puto homine Chriſtiano, quandò omnes debiliores ſunt, quàm vt de tanta re ſatis dicere queant. Accedo igitur ad veſtrum venerandum & planè diuinum conſpectum: veſtra vtor liberiùs dignitate, fretus videlicet pietatis quo fungor officio, certusque apud vos plus valere loquentis animum in cauſa pia, honeſta, religioſa, ſancta, quàm orationis copiam & ornamenta vacua negocio rerum & authoritate. Et ſi manſuetudo ſanctitatis veſtræ ſæpenumerò mihi pias humanasq; cauſas & pro pauperibus peroranti faciles porrexit aures: quanto faciliores in præſentia ſperare poſſum illas mihi porrigi? Cùm hîc de religione, de vera, de ſancta republica, de fide agatur catholica: dum virum inſignem pietate laudamus, eumq; ipſum referendum in ſanctorum numero ducimus. Leopoldum dico, quem ſolum in terris Deus ipſe immortalis nobis præcipuo exemplo conſtituit. Alios namq; ad beatam vitam liberiùs euexit ſolitudo, atq; ab humanis negocijs ſeparatio, remotaque vita à ſæculi curis penitùs expedita. Vnum hunc inter pauciſſimos mortales humanis implicitum rebus humana contempſiſſe, & inter ipſas ū humanarum impedimenta ſemper diuinis inhæſiſſe conſtat. I.

Rarum profectò & memorabile ſanctitatis exemplum: qui dum in cœtu vixerit, humanarum minimè curarum expers, inter diuina adeò ſit verſatus, quòd non niſi arbitrandum ſit ipſum cæleſtem gloriam conſecutum. Et cùm hic maximè ſtatus, ea vitæ conditio diſtrahere ſoleat: in eo potiſſimùm ſanctitas quærita & inuenta ſit. Nam & ſi plurima ſit dignum laude, tamen perdifficile maiores noſtri iudicârunt, in magna videlicet peccandi licentia iuſte vixiſſe. Accedit & rei vxoriæ & liberorum cura. Quod quidem (vt cum Apoſtolo dicam) a cæleſtium cogitatione maximè diuidit.

Viuit inter curas mundanas ſanctiſſimè.
1 Cor. 7.

II. AGGREDIOR igitur his munitus præſidijs, Redemptoris implorato numine, ſine quo nihil incipere fas eſt: vitam beati Leopoldi ab omnibus planè imitandam ac eius probatiſſimos mores, frequentiſſimam deinde miraculorum multitudinem, explicaturus: vt in actis conſtat, ſuper ea re de cuius agitur canonizatione productis coram reuerendiſſimis in Chriſto Patribus, Roderico Portuenſi Epiſcopo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, Marco Epiſcopo Præneſtino, Franciſco ſancti Euſtachij Diacono Cardinali, ad talia obeunda deputatis. In quorum enarratione, compenſata rerum magnitudine cum tempore quo illa recenſebo, paucis me percurriſſe vos iudicaturos non dubito. Illud inprimis rerum natura vel lata lege fixit, vt à robore robur generetur, ab aquila ſimilis auis, & à forti ac conſtanti idem naſcatur: & contrà nil exiſtimamus fieri poſſe. Leopoldus cognomento Pius, patre Leopoldo Marchione Auſtriæ natus eſt, familia vtriuſque parentis illuſtri, & tota diuini cultus, & in qua duo præcipuè claruêre, religio & populorum regimen. Cui omnia pietatis munera adiunxit, & in eo tenore perſeuerauit, vt animi moderatione & miſericordia reliquos anteiret: Maioreſq; ſuos orthodoxos tanto antecelluit, quanto Pij cognomen, quo Leopoldus meruit inſigniri, cæteris præſtat. Leopoldus enim Pius vbique inſcribitur, hocque ei cognomen viuenti inditum eſt, quod poſt trecentos & quinquaginta ferè annos, quibus in Domino quieuit, adhuc inconcuſſum inextinctumq; manet, & æternum ſeruat per ſecula nomen. Hic ab infantia non ſe delicijs aut voluptatibus quibus ætas illa per maximè teneri ſolet, neq; ijs quæ omnes faciunt pueri ſe accommodauit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus opeſque innumeras: ab omnibus enim huiuſmodi abdicauit: & quod iam Dei nutu fas eſt credi, inter tot rerum omnium delicias, ſobrium, continentem, abſtemium, & in carne quodammodò viuentem præter carnem cerneres. & eouſque, vt qui illius temporis res geſtas & huius incorrupti viri vitam conſcribunt (qui quidem plurimi ſunt digniſſimi ſcriptores) viuum hunc pleno commendant ore, admirantur, extollunt, ſolumque adoleſcentem dicunt earum rerum expertem quas fert adoleſcentia.

S. Leopoldi patria & parentes.
Cur Pius cognominatus.
In carne præter carnem viuere Angelicum eſt.

III. HVIC non equi, non canes præcipuum fuêre ſtudium: ſed diuina eloquia, veræque fidei cultus aſſiduus cognitioque ſtudioſiſſima placuêre. Sæpius enim ſacros codices intentum erat videre: nec à diuinarum rerum contemplatione ſeu operatione vacuum inuenire facile fuiſſet. Genitore vita functo, regni habenis hæreditario iure ſuſceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernauit, vt eis non præeſſe ſe prodeſſe curaret, & ſe rectorem & exemplum ad benè beateque viuendum ſubditis præberet. Quippè qui non eorum opibus (vt nonnullis regnantium mos erat) inhiaret: ſed populum ſibi à Deo commiſſum rectè, quietè, ſanctè, ac æqua lance conſeruare ſtuderet: horumque animas vnà cum ſua innoxias, mundas & Deo gratas reddere, bonos propoſitis præmijs meliores efficere, ſummiſque honoribus afficere gauderet. In iure etiam reddendo ſontes adminiſtrando ita ſe habuit, vt nunquam miſericordiæ fuerit immemor, iuxta illud: Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat. Ità vt, cùm ſcelera coërceret, à tormentis aut cæde ſemper abſtineret: vt verus imitator Saluatoris haberetur. Vxor ei pari ſanctitate ac moribus, Deoque Max. ità iubente, anno M.C.VI. oblata Agnes Imperatoris filia, pudicitia inſignis, & quæ viro ſponte ad bona opera properanti calcaria ſubderet. Et quod præcipuum munus mulierum dicit Iuriſconſultus fœcundiſſima, liberos duodeuiginti enixa eſt, ità quod ex ipſa fœcunditate intelligi poteſt, verum Dei cultum, quo vir & vxor ducebantur, ipſis viuentibus hæc beatitudinis pignora non denegaſſe: vt illud verè teſtari poſſit: Vxor mea ſicut vitis abundans in lateribus domûs meæ: filij mei ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ meæ: Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum. Inerat enim illi fœcunditati iuncta continentia quædam: & ità quòd, vt diceret Hieronymus, non voluptatis impetu, nec præceps ad ipſius ferebatur affectum. Quoniam qui de genitura ſunt authores, illud inprimis adſtringunt, vt longum poſt interuallum & cum ſobrietate fiat commixtio: aliàs quòad impotentiam alter ſe copulantes ebrijs decrepitis & infantibus eos comparari non eſt dubium, Auicenna teſte & alijs authoribus medicæ artis. Quo fit, vt cùm hic Leopoldus ſuum vas, iuxta dictum Apoſtoli, cum omni ſanctitate cuſtodiret, non voluptatis ſed procreandæ ſobolis gratia & non aliter congrediebatur vxori.

Mortuo patre, vt ſe in principatu geſſerit.
Ezech. 18. 33.
Agnes vxor eius, Imperatoris filia.
Pſal. 127.
Continentia coniugalis quæ.
1 Tim. 4.

IV. HI ergò ſic ſanctiſſimo copulati matrimonio, vita cùm eſſent ambo præditi bonitate, ambo in redemptorem noſtrum pientiſſimi, nilque indiès cogitarent niſi quo maximè pacto placere ac ſummo Deo glorificari poſſent: concordes animi & vno ſpiritu arbitrati rem gratam altiſſimo fore, ſi quam ære proprio ſacram conſtruerent ædem, cui quæque commoda & miniſteria præſtò eſſent: beatæ Mariæ templum condere, in eoque ſanctæ & approbatæ religionis viros collocare decreuerunt, quorum precibus, beata Dei genitrice intercedente, ſalutis eorum æternæ felicitas impetraretur. Et cùm de loco ædis conſtruendæ cogitarent, miracula datum eſt (vt in vrbe Roma de niue ſcribitur) diuina quaſi voluntate ventus coortus flammeolum Agnetis capite leuiter ſublatum procùl ab oculis in remota detulit loca: quod nono pòſt anno, cùm relaxandi animi gratia vir Dei deambularet oculoſque ad vepres verteret, conſpectum ſuper frutice illæſum & inuiolatum lætabundus accepit. Deindè velut Deo iubente ædificatum templum, eſt beatæ Mariæ virgini dicatum, conſpicuum & opulentum, ſitum in ripa Danubij octauo à Vienna lapide: dicitque adhuc nouum clauſtri burgum cognominatum. Sed cùm eius templi fundamenta iacienda eſſent, proceres & magnates qui cum eo aderant illud monebant, vt ipſe primum in fundamentis poneret lapidem. Verùm ipſe ſtudioſus humilitatis, eorum vanis monitis ſubridens, ſacerdotum id eſſe muneris perſeueranter affirmauit. Nimirum accerſitus Otho loci eius Præpoſitus primus lapidem iecit, pòſt alij ſubſequuti ſunt. Finito operi dotem dedit, priuilegio ſanxit, ibique Canonicos quos ſeculares vocant ſactis præeſſe voluit. Vbi cùm negligentiùs miniſtrarent, Canonicos regulares beati Auguſtini, ſanctimonia vitæ præditos & fidelibus gratos, qui adhuc præſunt, ſubſtituit: conuocatis priùs ad id opus Conrado Salizburgenſi tunc Epiſcopo, Reimario Epiſcopo Patauienſi, & Romano Curcenſi Epiſcopo, alijſque non ſpernendis conſultoribus. Deindè, vt fortiùs omnia tenerentur, ab Innocentio ſecundo Pontifice maximo, ſine cuius authoritate omnia irrita exiſtimamus, Leopoldo per nuncium petente confirmata ſunt. Extant Pontificis illius literæ, quibus ob præclarum hoc facinus, Leopoldi bonitatem ac fidem commendans, etiam beati Petri filium reuerenter ac religioſè appellauit. Extat Pontificale priuilegium, quo canonibus multæ conceduntur immunitatis. Eugenius etiam tertius Pontifex maximus Viterbij, & Vrbanus quartus ſucceſſor Veronæ, literis Apoſtolicis, priuilegijs ac monumentis, pro confirmatis & benè geſtis rebus pro Leopoldi meritis poſt eius obitum habuêre. Ità & Innocentius ſextus, cùm ferre Leopoldum ob ſingulariſſima eius in Deum benemerita in numerum Sanctorum decreuiſſet, & iam ſuper ea re legatos in Germaniam miſiſſet, increſcentibus bellis, efficere quod vehementer optabat non potuit: vel, vt veriſimile ſit, pullulantes

Diuinitùs oſtenditur locus, conſtruendæ baſilicæ aptus.
Extruitur eccleſia collegiata in honorem Mariæ Virginis.
Cur S. Leopoldus beati Petri filius dictus.

Boemica hæreſis a Iohanne Hus excitatur.

lante etiam Boëmica hæreſi, coactus ab incepto deſtitit. Is enim patria Leuionenſis inter maximos vtriuſque Iuriſconſultos aduocatus celeberrimus fuit, & cuius virtute Eccleſiæ patrimonium recuperatum eſt medio Ægidio Cardinali Hiſpano: cuius opera & ingenio quam plura præclara facinora tempore ſuo peracta fuerunt. Sed ad rem redeo.

Alterũ extructũ monaſterium à Leopoldus.

Annus obitus eius.

ALTERVM monaſterium ordinis ſancti Bernardi ædificauit ſub titulo ſalutiferæ Crucis in valle nemoroſa, duodecimo à Vienna lapide: in quo quàm plurimi monachi & miniſtri abundè aluntur. Inſtaurauit à maioribus ſuis antè conditum, ſed relictum, vi atque hoſtili metu procùl abactis & deletis hoſtium viribus atque incurſionibus, ampliori etiam fructu dotauit. Hæc Leopoldus, beatiſſime Pater, inter tot regni occupationes ad theſauri cæleſtis reconditoria viuens poſuit, hanc ſibi voluntatem delegit, his veris delicijs vſus eſt, hoc ſibi ad futuram vitam iter aperuit: & in tam laudabili beneuiuendi tenore, & tam præclaris monumentis, M. C. XXXVI. ſalutis anno orbe ceſſit cæloſque migrauit. Poſt cuius obitum idem Innocentius ſecundus Pontifex maximus, non vnis literis, paterna vt decet charitate tanti viri vxorem & filios honeſtauit: & collato eidem Leopoldo benedictionis ac abſolutionis munere, non exiguis laudibus ipſius ſanctitatem proſequutus eſt. Acceſſit hoc amplum teſtimonium atque pro dignitate Vicarij omnipotentis Dei prædeceſſoris tui ad augendum Leopoldi gloriam & ſanctitatem. Poſcebant id inſignia eius merita, poſcebant id curæ, labores & vigiliæ, omni tempore pro incorruptæ religionis metu. Non enim aliter eſſe potuiſſet de tam integro & conſummato erga Deum viro. Non indiger profectò laudatore atque enarratore geſtarum rerum is qui ità ſe geſſit, vt opera ab ſe palàm edita multis locis teſtimonio ſunt, & cuius vitæ rumor in exemplar venerit. Refero vera, Pater ſancte, non vana loquor, non vtor carmine ficto: adſunt enim præclara & non vulgaria monumenta, & ſic res ipſa fidem verbis præſtat. Singulare monumentum Regumberti de probatiſſima Leopoldi vita, de ſanctiſſimis moribus extat: necnon in cœnobio Clauſtriburgenſis vetuſtus inſpicitur codex, in quo Leopoldorum familia ſumma cum veneratione & præcipuè præſentis Leopoldi natalis dies tenorque vitæ legitur. Et monaſterio Nouimontis altero Martini codice Prædicatorum ordinis, per temporum digeſtionem confecto, plurima de Leopoldo commemorantur. Idem teſtatur Andreas annalium Chriſtianorum conditor. Sic & in alio codice monaſterij Nouiburgenſis Heroico hexametro & carmine dactylico multa huiuſmodi referuntur. Sic & in cœnobio Cælmenſi Ciſtercienſis ordinis liber ſeruatur, in quo miracula iſtius inclyti viri leguntur. Idem non prætenit Honorius non vulgaris author in monumentis monaſterij Cellæ Mariæ. Quid referam de libro temporum, quem de rebus Auſtriæ Haſelpach Theologus non mediocris digeſſit? Quid de vetuſto codice nuperrimè reperto in bibliotheca Poſonienſis Præpoſiti? cuius locupletiſſimus teſtis accedit R. dominus Cardinalis ſancti Marci, cui, cùm tempore Xiſti prædeceſſoris ſanctitatis veſtræ legatus Pannonijs præſideret, Leopoldi vitam eiuſque mores integerrimos inſpiciendi cura demandata eſt. Quid de Pij ſecundi prædeceſſoris etiam S. V. ſummæ doctrinæ viri, hiſtoriarum authoris, & vetuſtarum rerum indagatoris acerrimi, hiſtoria de principibus Auſtriæ, eo veriore quo ab homine vltimæ dignitatis & penè in terris diuinæ conſcripta, dicam? Multa ille equidem de eodem Leopoldo grauiter, ornatè & accumulatiſſimè, vt ſui moris erat, conſcripſit. V.

Multorum ſcriptorum de ſanctitate S. Leopoldi teſtimonia.

Item Pij II. quem Æneam Syluium vocant.

IAM habes, beatiſſime Pater, de vita Leopoldi, moribus ac ſanctiſſimis inſtitutis, & gubernandi ſuos probatiſſima ratione, quæ non ſine magna laude viuens exegit: & quanti Pontifices prædeceſſores tui eum fecerint: Innocentius maximè ſecundus, qui munere benedictionis & abſolutionis poſt mortem condonato, talia, tanta, tam præclara, ſanctitatem omnia ſpectantia de eo prædicauit exempla quibus non ſolùm perſuadere nobis poſſumus, imò credere cogamur Innocentium ſecundum non niſi pro ſancto Leopoldum habuiſſe. Reſtat vt ſacratiſſimæ vitæ poſt iam memorata, non leue teſtimonium adducam. Magna quidem res eſt, quæ ſolùm in catalogum ſanctorum ſcribere compellit. Animaduerte obſecro, Pater ſancte: hæc enim ſilentio prætereunda non ſunt, cùm ſcilicet incitamentum ſint cæteris ad benè beatèque viuendum. Labor enim faſtidium afferre non debet, quandò laudabile & certum expectatur præmium. Maius æterna gloria dari non poteſt: & quidem rebus ſupernaturalibus ſe aſſerit. De miraculis loquor & præcipuè Leopoldi, vt annalibus Germanorum latè & copioſe narratur. Referre non piget, vt quæ illic latent, nobis aperta & velut ante oculos poſita conſpici & intueri poſſint. Enim eorum monumentis ſeruata hæc leguntur: VI.

Innocẽtius II. S. Leopoldi contemporaneus, quanti eum fecerit.

Sanctorum vitæ, incitamenta ad benè operandum.

Innumerabilia miracula S. Leopoldi.

MVLIER quædam Carinthia, immundo vexata ſpiritu, Leopoldi ope liberatur. Puer mutus nouem annis ex Herzogenburga, vocalis fit. Alius captus manibus & pedibus, conualuit. Presbyter Herbipolenſis cæcus, relictis tenebris, diem vidit. Virgo icta fulmine, reuixit. Altera lapillo obcæcata, Leopoldi tumulo porrectis precibus, recuperat viſum. Puer chiragra laborans & officio manuum penitùs carens, eiuſdem ope ſalutem recipit. Sic & mulier podagra vno pede, & alter duobus, eiuſdem ope liberi fiunt. Eques quidem gutture tumefacto, oſſibus creſcentibus, ità eius miraculo liberatur, vt ſine cicatrice vel alio ſigno liber factus fuerit. VII.

Egregium ſanè miraculum.

Multa eius præclara geſta incendio perierunt.

ALIA mulier ære alieno grauis, cùm à creditoribus vehementiſſimè vrgeretur, de deſtituta ſoluendi ſpe, Leopoldi tumulum adijt, ibique non ſine magno dolore ingemuit, numini ſe commendans. Auditæ fuerunt preces, & vox auribus quieſcentis intonuit, vt domum repeteret, & ſcrinium aperiret, quo inuentura erat ſatisfactionis debiti ſchedulas: quod vbi inuenit, domos creditorum, qui & Chriſtiani & Iudæi erant, petijt, vt chartas obligationis redderent. Qui reſponderunt, ſe dediſſe cuidam veſtibus cæleſtinis induto, & qui debita ſoluerit. Tunc ſtatim exhilarata mulier, apertiſſimè intellexit Leopoldum fuiſſe, à quo mortales plurima miraculorum beneficia & aſſiduè accipiunt. Sed longè maiora multoque præclariora feciſſe conſtat Leopoldum, quæ omnia literarum monumentis mandata tunc interiêre, cùm monaſterium Nouumburgæ incendio conflagrauit. Circa quorum ſolennia etſi complura in medium adduci poſſint, loco & rei quam ſum explicaturus fortè non inconuenientia, potiſſimum in his quæ ad fidem, ad grauitatem, ad conſtantiam, ad concordiam teſtium ſpectant: cùm ſint accuratè diligenterque diſcuſſa ab ijs qui ſummæ rei præfuerunt, pro præpoſitis conſultò prætetire ſtatui. In his etenim adſunt Leopoldi miracula non à leuibus mulierculis, non à ſenibus deliris, non à corruptis, non ab inconſtantibus, ſed ab hominibus fama & integritate præditis: non gratia, non amore, non prece, non precio, non vi, non metu, denique vlla ſpe, pro veris comprobata. Accedit adhæc teſtium multitudo in vnum idemque conſentiens: quæ vulgata fama Leopoldi mores, fidem, iuſtitiam, religionem, pietatem, conſtantiam, integritatem, ſanctimoniam vitæ, teſtantur abundè. Quæ cùm ità ſint, abſque præditorum in ſingulis repetitione, ad enarrationem deueniam miraculorum, ex quibus ſanctitas hominis facilimè percipi poteſt. Et cùm illa recentiſſima ſint, & quæ noſtra vidit ætas, centum & nonaginta miraculis corroborata R. domino S. Marci tunc vt ſuprà Legato: paucis abſoluam, præclariora duntaxat explicans. Reliquorum numerum in medium afferens, nec ea penitus exhauriam, ſed deguſtantis more percurram. VIII.

Quædam mulier dolore capitis liberatur.

AGNES vxor Iohannis Auſman, annos nata ſexaginta, quintus teſtis, ab infantia poſt quartumdecimum diem, immenſo capitis dolore tribus diebus excruciata, medicorum & omni humana ſpe deſtituta, precibus emiſſis, nuncupato ad Leopoldum voto ſoluto, libera fit: & ſtatim ac ſi nunquàm illa aduerſa laboraſſet valetudine, nec IX.

amplius

amplius tali morbo affecta eſt. Hoc teſtatur ipſa ſuper XIX. articulo, quòd poſt mortem Leopoldi varijs claruit miraculis, exiſtimans id alio modo accidere non potuiſſe. Et hoc anno MCCCCLXVI. circa Pentecoſten. Alia mulier, quadrageſimusoctauus teſtis, ingenti capitis dolore vexata, & cui iam portio ſiniſtræ partis oris maxima cum deformitate defecerat, quatuor menſibus deſtituta ſpe medicorum, nuncupato voto, conualeſcere cœpit: iſolato, libera fit. Hoc teſtatur & ipſa eodem anno.

Item alia.

Volfgangvs Patauienſ. LXXVI. teſtis, dolore dentium viginti annis affectus, ità quod ſingulis annis quandoq; viginti continuos dies non ſine magno gemitu præteriret, audita fama Leopoldi, voto emiſſo ſtatim liberatur, nec vnquam ampliùs tali morbo laborauit. Et hoc anno LXVII. in die Cinerum, qua die increſcente dolore, completo voto ſanum ſe vidit.

Alius quidam a dolore dentium.

Valentinvs Patauienſis diœceſis, teſtis CXXII. annis duobus laborans ingenti capitis dolore, & cùm ſeptem hebdomadibus ſomno caruiſſet, adhibitis quibuſcunq; & non ſine impenſa medicis Chriſtianis & Hebræis, quos adire potuit, tandem precibus porrectis ad Leopoldum liber fit. Hoc teſtatur ipſe, in medium adducens quàm plures conteſtes, affirmans nullo modo ſe liberari aliter potuiſſe. Et hoc anno ſexageſimooctauo circa Reſurrectionem.

Item alius a dolore capitis.

Volfgangvs Patauienſis, LXXVI. teſtis, infantem filium quatuordecim diebus laborantem dolore tumefactionis inguinum & ruptura, indies languore excreſcente, voto nuncupato ſtatim liberum vidit, circa Natiuitatem Domini anno ſexageſimooctauo. Sic deponit ipſe, addens ſe non manifeſtantem citatum ad hoc à Commiſſarijs, puerum vidiſſe flentem & ſe torquentem dolore vehementiſſimo, perſuadentique ſibi hæc accidiſſe quod non manifeſtâſſet, Commiſſarijs retulit: domum deinde rediens, lætum ac ridentem puerum vidit. Alius dimidio anno paſſus rupturam à die natiuitatis, (quod indicium eſt morbi incurabilis) mater decurrens ad benemerita Leopoldi, ſanum puerum vidit. Hoc teſtatur eodem anno mater fuiſſe: conteſtem habet vnum. Anna vxor Stephani, puerum habens annorum ſeptem, in quartum menſem ſuæ natiuitatis fractura inguinum laborantem, quatuor verò menſibus increſcente dolore, ità quod niger quandoq; vt mortuus videbatur: nuncupato voto in die Simonis & Iudæ anno ſexageſimonono, dum arbitraretur filium mori, ſanum & ſtatim liberum conſpexit.

Qui ?a puer curatur a ruptura. Item alius. Item alius.

IX. Mvlier non valens mediam acûs partem manu ſiniſtra extrahere, vehementiſſimo dolore cruciata, eodem anno inuocatione ſola libera fit. Hoc teſtatur & ipſa. Eliſabeth eiuſdem diœceſis, viginti annis menſtruis propè exanimata, meritis Leopoldi libera fit anno ſexageſimonono. Mulier octo annos ſanguinis fluxu excruciata, expertis varijs medicorum curis, ad tumulum Leopoldi proficiſcitur: vbi ſtatim ceſſat fluxus, & ab ea hora teſtatur ipſa neſciſſe morbum illum. Duos alios ſimiliter morbo laborantes, ope Leopoldi liberatos, teſtibus comprobatur.

Menſtruo ſi curatur. Mulier à ſanguinis fluxu liberatur.

Magdalena Georgij Patauienſis vxor grauida, LIV. teſtis, cùm ob nimium tumorem ventris ingenti dolore vexaretur, ſuperuenientibus & menſtruis, iam & à medicis & ab obſtetricibus ſalute deſperata, implorata ope diui Leopoldi, nuncupatoq; voto, matrem peperit: ſtatimq; & tumore & dolore liberata eſt, anno ſexageſimoſexto circa Natiuitatem. Hæc conteſtes habet duos. Sic & aliæ duæ in partu nimiùm laborantes, eodem merito liberantur, & felices enixæ ſunt. Eliſabeth Stephani vxor, dolore ilium excruciata, iam menſes ſex varijs medicorum remedijs fruſtrà expertis, ad Leopoldum confugiens, eiuſque numini ſe commendans: quod tam diu à medicis nequiuerat, poſt tres dies quàm ſeſe commendauerat, à diuo ſanitatem recepit. Martha Patauienſis ex colico laborans iam biennij interuallo, manibus ità imbecillibus ac propè ſtupidis, vt earum vti miniſterio non poſſet, ab eodem diuo Leopoldo, ad cuius auxilium opemque confugerat, fit incolumis.

Item mulier in partu laborantes adiuuantur. Item alia à dolore iliũ curatur. Alia ex colica paſſione.

Thomas Patauienſis, LXIV. teſtis, vir & nobilis & prudens, nouem menſes manibus ac pedibus ſtupidis, quos contractos vulgò vocant: quam neque apud medicos, neque apud balnea potuit, apud diuum Leopoldum medicinam ſalutis inuenit, anno ſexageſimo. Mulier per ſexdecim annos lecto decumbens, manibus pedibuſque contracta, cùm nulla poſſet medela ſanari, omni humano auxilio deſperata, ad tumulum Leopoldi deducta inco ſoſpes euaſit.

Contractus ſanatur. Item contracta.

Anna Iohannis Patauienſis vxor, CXV. teſtis, manibus itèm pedibuſq; morbo implicitus, ad ſepulcrum diui Leopoldi delata, factis precibus ſaluteq; impetrata, paucis pòſt diebus omnem morbum doloremq; depoſuit, anno ſexageſimoſecundo. Eodem modo Dorothea Iohannis vxor ita phrenesi acta, vt ſuorum neminem agnoſceret, vincta manibus pedibuſque, nè quid eo furore impulſa mali committeret, ad ſepulcrum Leopoldi delata, quod vt faceret, in ſomnis admonita erat, voti rea facta eſt. Hoc de ſeipſa teſtatur. Lodouica proba mulier, poſt editum infantem mente capta eſt, poſtque menſes quatuor ad eiuſdem diui ſepulcrum cùm delata eſſet, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati. Mulier pedibus podagra laborans, nuncupato voto, conualeſcere cœpit: completo, ſalutem recepit. Alterius ab eodem morbo affecti vndecim annos, modò tribus menſibus, modò ſex excruciati, lecto ſe continentis, emiſſo voto, ceſſat dolor: completo, nullus fuit, ità vt quid podagra eſſet neſciret. Teſtis eſt ipſe.

Item duæ aliæ ægræ. Item alia. Duo curantur à podagra.

Vrsvla, quartus teſtis, vidiſſe ſe olim dicebat nouem annos puellam natam, cui nomen eſſet Eliſabeth, ità epilentico affectam morbo, vt decies, ſæpè duodeciès in die corrueret: eam deinde ad ſepulcrum Leopoldi curru euectam, habitis de more precibus orationibuſq;, & conualuiſſe, & viro traditam pueros aliquot peperiſſe. Sex conteſtibus hoc probatur, anno ſexageſimonono: etſi legum authoritate optimis rationibus, ad probationem miraculorum teſtis de ſeipſo quis eſſe poſſit, nullo etiam conteſte adhibito. Anna quoq; mulier, vxor Stephani, vicinam habere ſe dicebat, cuius filius ſupradicto morbo cùm iam per annũ laborâſſet, auxilio Leopoldi ſanatus eſt. Alios item ſex eodem morbo implicitos, eodemq; modo ſanatos, memoriæ proditũ eſt. Dorothea Patauienſis, continua vexata febre, atq; hydropiſi, menſes quinq; non ſine ingenti dolore brachij, apud ſepulcrum Leopoldi ſalutem inuenit. Georgius Patauiẽſis febre implicitus, & iam ictericus, atq; adeò pauper, vt quotidiano labore indies ſibi victũ compararet, ope Leopoldi liber factus eſt: quod vxor Barbara primæ operę mercedem diuo vouiſſet, idq; Georgius comprobâſſet.

Alia ab epileptico morbo. Alij ſeptem. Duo curantur à febre.

X. Dorothea Pauli vxor, febre oppreſſa, idque menſes octo, cùm ſe ad Leopoldi ſepulcrum voti ſuſcipiendi gratia contuliſſet; primo die magna parte morbi leuata domum redijt. Poſtero die maiore virium robore: tertio nullo omninò affecta morbo, omnibuſque viribus recuperatis, vota perſoluit: Eadem poſt aliquot annos cùm in grauiſſimum morbum incidiſſet, omnibus membris manca atque contracta trium menſium interuallo, diui Leopoldi numine inuocato, in priſtinam redijt ſanitatem. Holtringus quartana correptus, cùm menſes ſex tædio morbi affectus, non ſolùm medicorum opem implorâſſet, ſed etiam ad nonnullorum diuorum nomen confugiſſet auxilij gratia: poſtremò à circunſtantibus admonitus, vt ſeſe diuo Leopoldo commendaret: voto nuncupato, quartanam fugauit: iſque inpoſterùm quid febris eſſet non ampliùs ſe ſciſſe affirmauit. Michaëlem idem Leopoldus non ſolum febre, ſed etiam multis alijs morbis inuocatus liberauit. Mulier anno continua exagitata febre, modò bis, modò ter, modò quater in eam incidens valitudinem, tumefacta paralyſi, eodem liberatur numine. Sic teſtatur & ipſa. Alios ſex diuerſis febrium generibus implicitos, à Leopoldo liberatos memoriæ traditur. Mulier quædam peſtilenti morbo affecta tribus partibus corporis, octo dies per inediam cùm dixiſſet, pro mortuaque haberetur, viſo per ſomnium Leopoldo, ſalutem recepit. Alij item

Bis curatur ægra mulier. Alius a quartana febre. Item alij octo.

rem quinq; eodem affecti morbo, eiuſdem diui auxilio ſe curatos eſſe teſtantur. Adoleſcentem aqua feruenti in faciem perfuſum, cui maxima deformitas perpetuò duratura videbatur, liberauit Leopoldus.

Benignitas Sancti in pœnitentes.

QVIDAM per belli tempora conſcenſa naui profecti ad cremandum monaſterium Noniburgenſe vnà cum oppido, ſubita tempeſtate acti, cùm iam perituros ſe intelligerent, facti pœnitẽtes, inuocatoq; Leopoldo, naui ad litus appulſa, ſtatimque ceſſante procella, liberati ſunt. Mathias Furberger Patauienſis diœceſis, cùm ad perſoluendum votum, quod pro recuperata ſalute filiolæ ſuæ beato Leopoldo emiſerat, cum vxore filijſq; duobus & eadem filia ſanitati reſtituta, qui curru vehebantur, ſecus Danubij ripam pergeret, euerſo curru præcipites equos, ipſamque familiam per decliuium montis eo impetu ruentem vidit, vt ab ijs etiam qui aderant colliſa omnia eorum membra cùm à curru tum ab ipſis equis exiſtimarentur. Ille verò, qui iam ſemel in ſalute filiæ diui auxilium expertus fuerat,

Stupendum miraculum

idem pro vxore totaque familia ſaluanda numen implorauit: voto emiſſo, in valle quo quadriga ruerat deſcendit, ſuoſque omnes reducens, contra omnes naturæ vires, non niſi numinis fauore gratulabundus amplexus eſt. Sic Mathias ipſe, ſextus teſtis, & Florianus famulus aſſeuerârunt.

Captiuus à vinculis & carcere ſoluitur.

IOHANNES ſcholaſticus Patauienſis diœceſis annos quadraginta natus, pedibus manibuſq; ligatus & catenis, XI.
equidem & ab hoſtibus vnoq; pede ad currum adſtricto, adeò quod non ſine ingenti dolore pedum & carnium ruptura: decurrens ad benemerita Leopoldi, liber à carceribus, à gemitu, & catena fit. Iureiurando firmat, hoc non niſi miraculoſe fieri potuiſſe.

Clauda ambulat.

Catherina vxor Nicolai Patauienſis, XCIX. teſtis, non niſi adiuta baculo valens pedibus ſe mouere, abſoluto voto, ſana abſque aliquo præſidio domum rediJt, anno ſeptuageſimo. & hoc miraculoſe factum teſtatur & ipſa, conteſtem habens vnum.

Item duo alij.

IOHANNES Fiacher Patauienſis, CXLII. teſtis, duobus annis non valens ambulare, pede ſiniſtro laborans nimio dolore: nuncupato voto & completo, ſanus fit, anno LXX. in Quadrageſima. Iohannes Patauienſis, annos natus ſexaginta, filium habens claudum à natiuitate, caſu accedens ad tumulum Leopoldi, precibus & lachrymis nuncupato & completo voto, ſanum vidit filium, anno LXXI. Sic atteſtatur & ipſe, addens hoc non niſi miraculo adſcribens.

Curatur poſt caſtigationem mulier.

Eliſabeth teſtis accita ad miracula Leopoldi, cùm rem negligeret, nec ſe iureiurando pateretur adſtringi: ſubitum dolorem ſenſit, colore amiſſo. ſtatimque pœnitens & diuo ſe commendans, pulſo dolore ſana facta eſt.

Periclitãtes liberantur.

PRESBYTER cum laicis quatuor vi tempeſtatis acti, ab eodem diuo, cuius numen ſupplices inuocârant, periculo erepti ſunt. Item tres alij idem paſſi, eodem modo liberati, diuo vota perſoluerunt.

Quatuor paralytici.

Anna Patauienſis, per triennium paralytica, ad tumulum profecta Leopoldi, ſanatur. Item Michaëlem quendam per triennium in lecto cubantem. Item Matthæum eodem morbo laborantem, inſuper & lumine captum, cùm ceræ imagunculam vouiſſet, reddidit incolumem. Margaretha vxor Stephani eodem morbo implicita, ab eodem diuo liberatur.

Multi cæci S. Leopoldi meritis vident.

Lucas annos natus LX. luminibus captus, idq; per annos quatuor, ductus ad tumulum Leopoldi, recuperato viſu domum rediuit. Mulier quædam per quatuor hebdomadas excæcata, cùm nulla poſſet medicorum ope curari, voto completo quod ad Leopoldum emiſerat, viſum recepit. Infans præ dolore oculorum per octo dies excæcatus, ſi quando aperire oculos tentabat, è palpebris eius ſanguis exibat, pluribuſque per parentes remedijs fruſtrà expertis, tandem diui Leopoldi auxilium implorantes, ſilij ſalutem impetrârunt. Hoc Elizabeth mater teſtatur, conteſtem habens vnum. Pari modo Iohanni per octo dies nihil videnti idem diuus ſanitatem lucemq; teſtituit. Item puerum, cui tuberculum carnis ſiniſtro oculo erat innatum, deſperata ſalute ab omnibus, inuocatus Leopoldus ſanauit. Mulier quædam triennio dolore oculorum afflicta, poſtremò cæca facta, à Leopoldo liberatur. Item quatuordecim alij diuerſis oculorum morbis afflicti, ab omni penitus morbo fiunt immunes.

STEPHANVS puer ſeptem annorum, nec audiens nec ingrediens, eodem numine inuocato, ſanitatem recepit. XII.

Surdi & muti audiunt & loquuntur.

Mulier ob infirmitatem, quam in ore perpeſſa fuerat, per ſex annos nullum rectè vt intelligi poſſet proferens verbum, voto completo examuſſim vocalis euaſit. Adoleſcentula per integrum annum muta, ſurda & cæca iacens, diuo Leopoldo ſe commendans, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati. Alius à natali die mutus delatus ad tumulum Leopoldi, loqui incepit. Barbara duobus menſibus muta ſurdaque, priſtinæ ſaluti à Leopoldo reſtituitur. Alium decem annos mutum liberauit Leopoldus. Georgius Hiſter per menſem ſurdus, Item Thomas, Item duo alij, à diuo Leopoldo auditum receperunt.

Vidè ſacle ctos ſoluenda eſſe vota?

Quidam cùm auditu per menſem caruiſſet, nec humano remedio curare valeret, ad merita decurrens Leopoldi, votum emiſit, ſanuſque effectus: ſpreto voto, in eundem incidit morbum: reiterato voto, conualuit.

Captiuus liberatur.

IOHANNES Ruperger Mitbergaforenſis, in carcere coniectus, vinculis implicitus manibus pedibuſque, inuocato Leopoldo, miro modo carcerem egreditur, loco ità auguſto quà exeundum fuit, vt capax hominis non eſſet: triplicem murum tranſit, lacunam aquæ ſuperat, nulla arte, nullo humano ingenio ſuperabilem. XIII. Liberatus, numiniſque oblitus, voto non perſoluto, anno pòſt in eundem carcerem conijcitur, iiſdem vinculis vincitur: in quibus menſes quatuor habitus, iterato quod neglexerat voto, iterum liberatur.

Spretus Deus ſpernentem nõ deſerit.

Tanta eſt Dei Opt. Max. clementia, vt ne ſpretus quidem ſpernentem deſerat. Idem Leopoldus alium in carcerem coniectum arctiſſimis vinculis liberauit.

Mortuus reuiuiſcit.

Puer paruulus decem & octo fermè menſium, cùm in ſcapham ſemiplenam aquæ cecidiſſet, atque in ea dimidiæ horæ ſpatio permanſiſſet, pedibus cælum verſus directis, à matre Barbara & Petri vxore inuentus, ac domum Annæ vicinæ relatus, dum pro mortuo deploraretur, afflicta mater Leopoldi opem atque auxilium implorauit. Cui cùm pro ſalute pueri imaginem ceream vouiſſet, puer confeſtim quaſi à morte ad vitam reuocatus, mouere ſe atque ad matrem reſpicere cœpit. Deindè conſurgens, ad perſoluendum diuo votum mater cum filio profecta eſt. Teſtis eſt Barbara mater, conteſtem habens vnum.

Tres pueri morti proximi reualeſcunt.

Catherina filium Petrum habuit duos natum annos. Is in aduerſam incidens valetudinem, quatuordecim fermè dies duxit inedia, nullo neque cibo neque lacte guſtato. Itaq; cùm, eius ſalute deſperata, iam quæ ad funus neceſſaria erant pararentur, miraculorum diui Leopoldi recordata mater, eius numen inuocauit: quo facto, delatus puer ad ſepulcrum diui, & riſit & cibum cepit. Alius item puer annorum duorum, vi ingentis morbi pro mortuo deploratus, inuocato à patre Iohanne Vianenſe diui Leopoldi numine, ſtatim reuixit. Eodem modo puer alius pro mortuo habitus, à diuo Leopoldo vitam recepiſſe affirmatur. Infantula quædam, ob ægritudinem per tres dies amiſſa loquela ſemimortua decumbens, cùm iam parentes breui eam morituram crederent, voto à matre emiſſo, quod vt faceret in ſomnis fuerat admonita, quamprimum loqui cœpit, ab omni penitùs ægritudine liberata. Puer grauiſſima correptus infirmitate, ad extremum ità debilitatus, vt mori crederetur: cùm oblationem quandam pro ſalute filij diuo Leopoldo vouiſſet mater, ab ægritudine liber fit.

Item duo alij morti proximi.

Matre verò non offerente quod promiſerat, idem puer iterum in acutiſſimas incidit febres: reiterato voto perfectèque adimpleto, peroptimè conualuit.

Item alius.

IDEM Leopoldus mulierem quandam lepra liberauit. Adoleſcens à ſe ipſo vulneratus, inciſis vt iudicabatur venis, repertus in lecto, mortuuſq; ab omnibus iudicatus: cùm vltra horam nullum vitæ ſignum in eo appareret, emiſſo à matre voto, orationibus priſtinam adeptus eſt valetudinẽ. hoc de ſeipſo teſtatur. Conteſtes ſunt parentes.

Item alij 13.

Sic & alios tredecim morituros, ad priſtinam bonã valitudinem redactos monumentis traditur. Sed quid de morituris dicam: quando etiam defuncti vita, raro mirabiliq; Dei Opt. Max. experimẽto politis Leopoldi votis, reſtituuntur?

ELISA-

XIV. Elisabeth, LXXXI. teſtis ſuper XIX. articulo, quo quæritur quid de Leopoldi miraculis noſcatur: ſe vidiſſe affirmat puerum ſuper altare poſitum ante monumentum Leopoldi vbi aderat magnus gentium tumultus, nigrum & omni iudicio exanguem, exanimemque & precibus porrectis à nonnullis numini, viuum vidiſſe. Hoc & alij ſex eiuſdem loci indignæ, addentes eum vidiſſe dum puteo extraheretur, nigrum vt ſuprà, & in eccleſia, & ſi diuerſis verbis, eadem tamen ſententia confirmârunt. Teſtes in hoc depoſuerunt omni exceptione maiores.

Puer ſubmerſus reuiuiſcit.

Pver alius trimus, Volfgangus nomine, eiuſdem loci flumine lapſus, vbi aderant molenæ, per quinque ſinus inuentus eſt: Semotus à loco vndè ceciderat, quantum bis emiſſa valido arcu ſagitta ſpatij compleat, nullo viuacitatis in eo apparente ſigno: mater verſa ad Leopoldi benemerita, nuncupatis votis, reſtitutum puerum ad primam vitam conſpexit. Hiſtoria hæc non caret teſtibus. Nam & pueri parens Fridericus, ſuper dicto articulo ſe vidiſſe teſtatur, & interfuiſſe dum rueret, multis & clericis & laicis videntibus, prout ſuprà & hæc anno millesimo quadringentesimo ſeptuageſimo, Septembri menſe. Sic & alij duo ſuper circumſtantijs & interrogatorijs legitime reſponderunt.

Item alius.

Pver pro mortuo habitus, cùm ad ſepulcrum beati Leopoldi delatus eſſet, ſubito miraculo vitam recepit. Hoc Barbara quinquaginta annos nata fœmina grauis teſtatur. Alius puer trimus, Fridericus nomine, cùm in puteum decidiſſet, ac per horam propè mediam manſiſſet ſub aquis, eductus è puteo frigidus & niger, nullumque indicium vitæ toto corpore præ ſe ferens, tandèm effuſis à matre precibus ad omnipotentem Deum, beatumque Leopoldum, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Bonreuerſer vxor Iohannis, & altera vxor Laurentij Saltzburgenſis diœceſis, hoc fuiſſe & vidiſſe teſtantur.

Item alius.
Item alius.

Alivs in ipſo partu per horam, poſt partum verò plùs, pro mortuo deploratus, cùm nulla iam de eo ſpes eſſet, precibus porrectis à matre ad Leopoldum, timente furorem viri, nè crederet negligentia ſua hoc peractum, repentè & ſpirare & viuere cœpit. Hoc Dorothea vxor Guilelmi Pataurenſis firmat. Dorothea vxor Guilelmi Pataurenſis diœceſis, non ſine ingenti dolore omnibus videntibus eam ferè mortuam, & puerum peperiſſe mortuum, eodem numine liberatur. Infans ſe mouere cœpit & liber fit. Hoc mater, obſtetrices duæ, & aliæ conteſtantur vicinæ.

Pver quidam ſeptem annos natus, in profluentem cadens, ac per duas fermè horas in aquis iacens, nullis occurrentibus, cùm ea die ludis feſtiuis ferè totus populus concurreret: perquiſitus tandèm haſta, ſub ponte repertus eſt: extractus, & ad domum portatus, nullo vitæ ſigno apparente: cùm feretrum iam luminibus accenſis paratum eſſet, ad Leopoldum per matrem voto emiſſo, ilicò mortem cum vita commutauit, multis videntibus, ac Deo & beato Leopoldo gratias agentibus. Hoc Margareta Friderici Pataurenſis annos quinquaginta nata teſtatur.

Alius ſubmerſus vitæ reſtituitur.

Alivs puer Vianenſis, ſtatim editus pluſquàm hora media mortuus iacens, cùm pro eius ſalute ad beatum Leopoldum factæ preces eſſent, quaſi tum primùm anima in corpus infuſa, datam iterùm vitam, ad multam perduxit ætatem. Vitus Vianenſis oppidanus, ætatis annorum quinquaginta, hoc firmat cum circumſtantijs vt ſuprà requiſitis. O gratiam homini benemerito gratis datam. O diuinæ potentiæ munus inæquabile. quo noſtra quoque ſecula in poſteriorum felicem recordationem, non ſine religioſa admiratione venire potuerunt. nihil enim tantùm ab oculis hominum natura remouit, nihilque tantùm ab animis prudentium alienum eſſe conſtituit, vt aliquandò diuina fauente gratia in mentes oculoſque omnium redire non poſſint.

Alius mortuus reuixit.

XV. Qvidam vxori iraſcens, quòd ad monaſterium clauſtri Nouburgenſis, veneratione beati Leopoldi, Martis poſt Palmarum diem quotannis eleemoſynam panis, vini & trium obulorum acceptutis obtuliſſet in hæc verba prorupit: Vtinàm eleemoſyna viueres, nè quid auferres habuiſſes. raptiſque continuò, quæ pauperibus deſtinauerat illa, domum reuertens, eo pane deguſtato, mandendo aſſumptum, neque deglutire potens, in lectum ſe contulit. Vbi hàc illàc diù circumuolutus, præcluſo ſpiritu occubuit: vt facilè intelligamus, etiam ocioſa verba vindicem habere Deum: neque impunè in illos, qui de ſe benè meriti ſint, admitti nefarios ſine animaduerſione contumaciter permiſiſſe, atque eius rei teſtis eiuſdem filia eſt.

Cœleſtis vindicta in temerariom obtrectatorem pauperum.

Sed iam habes, Pater ſancte, quid ſedente Xiſto Pont. Max. prædeceſſore tuo, ab Reuerend dominis Cardinalibus in tam pium opus deputatis ſit, R. domino Vicecancellario referente, cuius rei minimè, vt opinor, S.T. oblita eſt, cùm vnus è ſacro conſiſtorio tunc eſſet. Idque iam omnes accepiſſe reor, quibus parentibus ortus Leopoldus ſit, quàm præclari, quamque illuſtres: quantùm diuinis incubuerit: quonam pacto, extincto patre, ſe geſſerit: quemadmodùm leges iuſtitiamque coluerit, matrimonij ſeruauerit iura. quas ædes conſtruxerit ſacras: quanti eum fecerint prædeceſſores tui, & dum vixit, & poſtquam è vita migrauit. Habes & miracula, teſtimonia vitæ, tum magnatum maxima, & quæ prior, & quæ noſtra vidit ætas: quibus quàm ſanctus, quamque Deo fuerit acceptus, demonſtratur apertè: & quæ ad obſeruandam æternitatem vir magnus & totus Dei exegerit. Poſcebat hominis altitudo longiorem orationem: materia ſuppeditabat, quàm ingenia implere voluimus. Ego vero morem illorum, qui calculis innumerabilium fermè rerum ſummam complectuntur, his paucis exegi. Defeciſſent aliter latera, & lingua compreſſa obmutuiſſet: obſeruantiaque benè meritorum tanta apud te eſt, vt eum intelligis quempiam æternitatem promereri, ilicò tua bonitate id confirmes. Iam virtutes ipſius Leopoldi, quas creator omnium etiam miraculis comprobauit, ab Dei Vicario, qui ſolus in terris es, aſcribere in numero ſanctorum iure meritoque expoſcunt, expectantque. Ad quæcunque enim loca Leopoldi nomen peruenerit, pro ſacroſancto veneratur & colitur. idque non ſimpliciter, prout à nonnullis fieri conſueuit, ſed indelebili atque inuiolabili titulo ſanctus Leopoldus appellatur & pro ſancto habetur. Quæritur tamen pro laudabili conſuetudine ſolennitateque, à ſacroſancta Eccleſia introducta, S.T. nutus, quo abſque nil tutum, nil ſtabile, nil denique ſanctum creditur. Id exigi mea oratione non exiſtimes velim. Nam inprimis Chriſtianiſſimus fidei noſtræ totiuſque religionis orthodoxæ verus, legitimus, indubitatus defenſor Fridericus Imperator Auguſtus, à quo eius bonitate nihil adhuc perperam peti audiuimus: nec verò idcircò tantùm, quòd ex ſanctiſſima Leopoldi familia auſtrali ducat originem, verùm etiam vt Deus in ſuis glorietur creaturis, eius filius Maximilianus Auſtriæ ac Burgundiæ Archidux inuictiſſimus, patrem ſortitus eſt Cæſarem. Sic inclytus Hungarorum Rex, cæterique Principes Catholici illarum prouinciarum, & denique omnes eorum populi, nutum, vocemque ſanctitatis tuæ ſcribendi cupiunt, præſtolantur, expectantque. Quid enim his teſtibus magis in mundo dari poſſit non video. Magna profectò res eſt, vt mortales, Deo propitio & fauente, glorioſiſſimos & cæleſtes titulos benefaciendo ſibi quærant. Iam tempus eſt, iam te ſic velle conſpicimus & tenemus omnes: vt illa videlicet hac cæleſti voce Leopoldus, qui cùm iam in cælis ſanctus ſit, etiam in terris ſanctum eſſe declares ſanctiſſimo tuo decreto, longa hominum expectatione optato. Diù mortales hoc in argumentum fidei, in monumenta Romani & Eccleſiaſtici ritûs, in gloriam æternitatis quàm nimio ardore expoſcunt, & vt benefactis longo labore quæſita iam præmia declarentur.

Summa virtutum ſancti Leopoldi.

S. Leopoldi nomen quàm ſit celebre.

Rogat autor, eum in numerum ſanctorum referri.

Extat alius liber de innumeris miraculis & canonizatione eius, per Reuerendum patrem, dominum Iohannem Franciſcum de Pauinis conſcriptus, ad quem lectorem remittimus.

COM-

item quinq; eodem affecti morbo, eiuſdem diui auxilio ſe curatos eſſe teſtantur. Adoleſcentem aqua feruenti in faciem perfuſum, cui maxima deformitas perpetuò duratura videbatur, liberauit Leopoldus.

Benignitas ſancti in pœnitentes.

QVIDAM per belli tempora conſcenſa naui profecti ad eremandum monaſterium Nouiburgenſe vnà cum oppido, ſubita tempeſtate acti, cùm iam perituros ſe intelligerent, facti pœnitẽtes, inuocatoq; Leopoldo, naui ad litus appulſa, ſtatimque ceſſante procella, liberati ſunt. Matthias Furberger Patauienſis diœceſis, cùm ad perſoluendum votum, quod pro recuperata ſalute filiolæ ſuæ beato Leopoldo emiſerat, cum vxore filijſq; duobus & eadem filia ſanitati reſtituta, qui curru vehebantur, ſecus Danubij ripam pergeret, euerſo curru præcipites equos, ipſamque familiam per decliuum montis eo impetu ruentem vidit, vt ab iis etiam qui aderant colliſa omnia eorum membra cùm à curru tum ab ipſis equis exiſtimarentur. Ille verò, qui iam ſemel in ſalute filiæ diui auxilium expertus fuerat, idem pro vxore totaque familia ſaluanda numen implorauit: voto emiſſo, in valle quo quadriga ruerat deſcendit, ſuoſque omnes reducens, contra omnes naturæ vires, non niſi numinis fauore gratulabundus amplexus eſt. Sic Matthias ipſe, ſextus teſtis, & Florianus famulus aſſeuerârunt.

Stupendum miraculum.

Captiuus à vinculis & carcere ſoluitur.

IOHANNES ſcholaſticus Patauienſis diœceſis annos quadraginta natus, pedibus manibuſq; ligatus & catenis, XI.
equidem & ab hoſtibus vnoq; pede ad currum adſtricto, adeò quod non ſine ingenti dolore pedum & carnium ruptura: decurrens ad benemerita Leopoldi, liber à carceribus, à gemitu, & catena fit. Iureiurando firmat, hoc non niſi miraculoſe fieri potuiſſe. Catherina vxor Nicolai Patauienſis, XCIX. teſtis, non niſi adiuta baculo valens pedibus ſe mouere, abſoluto voto, ſana abſque aliquo præſidio domum rediit, anno ſeptuageſimo. & hoc miraculoſe factum teſtatur & ipſa, conteſtem habens vnum.

Clauda ambulat.

Item duo alij.

IOHANNES Fracher Patauienſis, CXLII. teſtis, duobus annis non valens ambulare, pede ſiniſtro laborans nimio dolore: nuncupato voto & completo, ſanus fit, anno LXX. in Quadrageſima. Iohannes Patauienſis, annos natus ſexaginta, filium habens claudum à natiuitate, caſu accedens ad tumulum Leopoldi, precibus & lachrymis nuncupato & completo voto, ſanum vidit filium, anno LXXI. Sic atteſtatur & ipſe, addens hoc non niſi miraculo adſcribens. Eliſabeth teſtis accita ad miracula Leopoldi, cùm rem negligeret, nec ſe iureiurando pateretur adſtringi: ſubitum dolorem ſenſit, colore amiſſo: ſtatimque pœnitens & diuo ſe commendans, pulſo dolore ſana facta eſt.

Curatur poſt caſtigationem mulier.

Periclitãtes liberantur.

Quatuor paralytici.

PRESBYTER cum laicis quatuor vi tempeſtatis acti, ab eodem diuo, cuius numen ſupplices inuocârant, periculo erepti ſunt. Item tres alij idem paſſi, eodem modo liberati, diuo vota perſoluerunt. Anna Patauienſis, per triennium paralytica, ad tumulum profecta Leopoldi, ſanatur. Item Michaëlem quendam per triennium in lecto cubantem. Item Matthæum eodem morbo laborantem, inſuper & lumine captum, cùm ceræ imagunculam vouiſſet, reddidit incolumem. Margaretha vxor Stephani eodem morbo implicita, ab eodem diuo liberatur. Lucas annos natus LX. luminibus captus, idq; per annos quatuor, ductus ad tumulum Leopoldi, recuperato viſu domum rediuit. Mulier quædam per quatuor hebdomadas excæcata, cùm nulla poſſet medicorum ope curari, voto completo quod ad Leopoldum emiſerat, viſum recepit. Infans præ dolore oculorum per octo dies exæcatus, ſi quando aperire oculos tentabat, è palpebris eius ſanguis exibat, pluribuſque per parentes remedijs fruſtrà expertis, tandem diui Leopoldi auxilium implorantes, filij ſalutem impetrârunt. Hoc Elizabeth mater teſtatur, conteſtem habens vnum. Pari modo Iohanni per octo dies nihil videnti idem diuus ſanitatem lucemq; reſtituit. Item puerum, cui tuberculum carnis ſiniſtro oculo erat innatum, deſperata ſalute ab omnibus, inuocatus Leopoldus ſanauit. Mulier quædam triennio dolore oculorum afflicta, poſtremò cæca facta, à Leopoldo liberatur. Item quatuordecim alij diuerſis oculorum morbis afflicti, ab omni penitus morbo fiunt immunes.

Multi cæci S. Leopoldi meritis vident.

STEPHANVS puer ſeptem annorum, nec audiens nec ingrediens, eodem numine inuocato, ſanitatem recepit. XII.
Mulier ob infirmitatem, quam in ore perpeſſa fuerat, per ſex annos nullum rectè vt intelligi poſſet proferens verbum, voto completo examuſſim vocalis euaſit. Adoleſcentula per integrum annum muta, ſurda & cæca iacens, diuo Leopoldo ſe commendans, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati. Alius à natali die mutus delatus ad tumulum Leopoldi, loqui incepit. Barbara duobus menſibus muta ſurdaque, priſtinæ ſaluti à Leopoldo reſtituitur. Alium decem annos mutum liberauit Leopoldus. Georgius Hiſter per menſem ſurdus, Item Thomas, Item duo alij, à diuo Leopoldo auditum receperunt. Quidam cùm auditu per menſem caruiſſet, nec humano remedio curare valeret, ad merita decurrens Leopoldi, votum emiſit, ſanuſque effectus: ſpreto voto, in eundem incidit morbum: reiterato voto, conualuit.

Surdi & muti audiunt & loquuntur.

Vide ſis Lector ſoluenda eſſe vota.

IOHANNES Ruperger Mirbergaſorenſis, in carcere coniectus, vinculis implicitus manibus pedibuſque, inuocato Leopoldo, miro modo carcerem egreditur, loco ità auguſto quà exeundum fuit, vt capax hominis non eſſet: XIII.
triplicem murum tranſit, lacunam aquæ ſuperat, nulla arte, nullo humano ingenio ſuperabilem. Liberatus, numiniſque oblitus, voto non perſoluto, anno pòſt in eundem carcerem conijcitur, iiſdem vinculis vincitur: in quibus menſes quatuor habitus, iterato quod neglexerat voto, iterùm liberatur. Tanta eſt Dei Opt. Max. clementia, vt ne ſpretus quidem ſpernentem deſerat. Idem Leopoldus alium in carcerem coniectum arctiſſimis vinculis liberauit. Puer paruulus decem & octo fermè menſium, cùm in ſcapham ſemiplenam aquæ cecidiſſet, atque in ea dimidiæ horæ ſpatio permanſiſſet, pedibus cælum verſus directis, à matre Barbara & Petri vxore inuentus, ac domum Annæ vicinæ relatus, dum pro mortuo deploraretur, afflicta mater Leopoldi opem atque auxilium implorauit. Cui cùm pro ſalute pueri imaginem ceream vouiſſet, puer confeſtim quaſi à morte ad vitam reuocatus, mouere ſe atque ad matrem reſpicere cœpit. Deindè conſurgens, ad perſoluendum diuo votum mater cum filio profecta eſt. Teſtis eſt Barbara mater, conteſtem habens vnum. Catherina filium Petrum habuit duos natum annos. Is in aduerſam incidens valetudinem, quatuordecim fermè dies duxit media, nullo neque cibo neque lacte guſtato. Itaq; cùm, eius ſalute deſperata, iam quæ ad funus neceſſaria erant pararentur, miraculorum diui Leopoldi recordata mater, eius numen inuocauit: quo facto, delatus puer ad ſepulcrum diui, & riſit & cibum cepit. Alius item puer annorum duorum, vi ingentis morbi pro mortuo deploratus, inuocato à patre Iohanne Vianenſe diui Leopoldi numine, ſtatim reuixit. Eodem modo puer alius pro mortuo habitus, à diuo Leopoldo vitam recepiſſe affirmatur. Infantula quædam, ob ægritudinem per tres dies amiſſa loquela ſemimortua decumbens, cùm iam parentes breui eam morituram crederent, voto à matre emiſſo, quod vt faceret in ſomnis fuerat admonita, quamprimum loqui cœpit, ab omni penitùs ægritudine liberata. Puer grauiſſima correptus infirmitate, ad extremum ita debilitatus, vt mori crederetur: cùm oblationem quandam pro ſalute filij diuo Leopoldo vouiſſet mater, ab ægritudine liber fit. Matre verò non efficiente quod promiſerat, idem puer iterum in acutiſſimas incidit febres: reiterato voto perfectèque adimpleto, peroptimè conualuit.

Captiuus liberatur.

Spretus Deus, ſpernentem nõ deſerit.

Mortuus reuiuiſcit.

Tres pueri morti proximi reualeſcunt.

Item duo alij morti proximi.

IDEM Leopoldus mulierem quandam lepra liberauit. Adoleſcens à ſeipſo vulneratus, inciſis vt iudicabatur venis, repertus in lecto, mortuuſq; ab omnibus iudicatus: cùm vltra horam nullum vitæ ſignum in eo appareret, emiſſo à matre voto, orationibus priſtinam adeptus eſt valetudinẽ. hoc de ſeipſo teſtatur, Cõteſtes ſunt parentes. Sic & alios tredecim morituros, ad priſtinam bonã valitudinem redactos monumentis traditur. Sed quid de morituris dicam? quando etiam defuncti vita, raro mirabiliq; Dei Opt. Max. experimẽto potius Leopoldo voti, reſtituuntur?

Item alius.

Item alij 13.

ELISA-

XIV. Elisabeth, LXXXI. teſtis ſuper XIX. articulo, quo quæritur quid de Leopoldi miraculis noſcatur: ſe vidiſſe affirmat puerum ſuper altare poſitum ante monumentum Leopoldi vbi aderat magnus gentium tumultus, nigrum & omni iudicio exanguem, exanimemque & precibus porrectis à nonnullis numini, viuum vidiſſe. Hoc & alij ſex eiuſdem loci indignæ, addentes eum vidiſſe dum puteo extraheretur, nigrum vt ſuprà, & in eccleſia, & ſi diuerſis verbis, eadem tamen ſententia confirmârunt. Teſtes in hoc depoſuerunt omni exceptione maiores.

Puer ſubmerſus reuiuiſcit.

Pver alius trimus, Volfgangus nomine, eiuſdem loci flumine lapſus, vbi aderant molenæ, perquiſitus inuentus eſt: Semotus à loco vndè ceciderat, quantum bis emiſſa valido arcu ſagitta ſpatij complet, nullo viuacitatis in eo apparente ſigno: mater verſa ad Leopoldi benemerita, nuncupatis votis, reſtitutum puerum ad priſtinam vitam conſpexit. Hiſtoria hæc non caret teſtibus. Nam & pueri parens Fridericus, ſuper dicto articulo ſe vidiſſe teſtatur, & interfuiſſe dum rueret, multis & clericis & laicis videntibus, prout ſuprà & hæc anno millesimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, Septembri menſe. Sic & alij duo ſuper circumſtantijs & interrogatorijs legitimè reſponderunt.

Item alius.

Pver pro mortuo habitus, cùm ad ſepulcrum beati Leopoldi delatus eſſet, ſubito miraculo vitam recepit. Hoc Barbara quinquaginta annos nata fœmina grauis teſtatur. Alius puer trimus, Fridericus nomine, cùm in puteum decidiſſet, ac per horam propè mediam manſiſſet ſub aquis, eductus è puteo frigidus & niger, nulluíq; indicium vitæ toto corpore præ ſe ferens, tandèm effuſis à matre precibus ad omnipotentem Deum, beatumque Leopoldum, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Bonreuerſer vxor Iohannis, & altera vxor Laurentij Salczburgenſis diœceſis, hoc fuiſſe & vidiſſe teſtantur.

Item alius.

Item alius.

Alivs in ipſo partu per horam, poſt partum verò plùs, pro mortuo deploratus, cùm nulla iam de eo ſpes eſſet, precibus porrectis à matre ad Leopoldum, timente furorem viri, nè crederet negligentia ſua hoc peractum, repentè & ſpirare & viuere cœpit. Hoc Dorothea vxor Guilermi Pataulenſis firmat. Dorothea vxor Guilermi Pataulenſis diœceſis, non ſine ingenti dolore omnibus videntibus eam ferè mortuam, & puerum peperiſſe mortuum, eodem numine liberatur. Infans ſe mouere cœpit & liber fit. Hoc mater, obſtetrices duæ, & aliæ conteſtantur vicinæ.

Pver quidam ſeptem annos natus, in profluentem cadens, ac per duas fermè horas in aquis iacens, nullis occurrentibus, cùm ea die ludis feſtiuis ferè totus populus concurreret: perquiſitus tandèm haſta, ſub ponte repertus eſt: extractus, & ad domum portatus, nullo vitæ ſigno apparente: cùm feretrum iam luminibus accenſis paratum eſſet, ad Leopoldum per matrem voto emiſſo, ilicò mortem cum vita commutauit, multis videntibus, ac Deo & beato Leopoldo gratias agentibus. Hoc Margareta Friderici Pataulenſis annos quinquaginta nata teſtatur.

Alius ſubmerſus vitæ reſtituitur.

Alivs puer Vianenſis, ſtatim editus pluſquàm hora media mortuus iacens, cùm pro eius ſalute ad beatum Leopoldum ſactæ preces eſſent, quaſi tum primùm anima in corpus infuſa, datam iterùm vitam, ad multam perduxit ætatem. Vitus Vianenſis oppidanus, ætatis annorum quinquaginta, hoc firmat cum circumſtantijs vt ſuprà requiſitis. O gratiam homini benemerito gratis datam. O diuinæ potentiæ munus inæquabile: quo noſtra quoque ſecula in poſteriorum felicem recordationem, non ſine religioſa admiratione venire potuerunt. nihil enim tantùm ab oculis hominum natura remouit, nihilq; tantùm ab animis prudentium alienum eſſe conſtituit, vt aliquandò diuina fauente gratia in mentes oculoſque omnium redire non poſſint.

Alius mortuus reuixit.

XV. Qvidam vxori iraſcens, quòd ad monaſterium clauſtri Nouburgenſis, veneratione beati Leopoldi, Martis poſt Palmarum diem quotannis eleemoſynam panis, vini & trium obulorum accepturis obtuliſſet in hæc verba prorupit: Vtinàm eleemoſyna viueres, nè quid auferres habuiſſes. raptiſq; continuò, quæ pauperibus deſtinauerat illa, domum reuertens, eo pane deguſtato, mandendo aſſumptum, neque deglutire potens, in lectum ſe contulit. Vbi hàc illàc diù circumuolutus, præcluſo ſpiritu occubuit: vt facilè intelligamus, etiam ocioſa verba vindicem habere Deum: neque impunè in illos, qui de ſe benè meriti ſint, admitti nefarios ſine animaduerſione contumaciter permiſiſſe, atque eius rei teſtis eiuſdem filia eſt.

Cœleſtis vindicta in commentarium obtrectatorem pauperum.

Sed iam habes, Pater ſancte, quid ſedente Xiſto Pont. Max. prædeceſſore tuo, ab Reuerend. dominis Cardinalibus in tam pium opus deputatis ſit, R. domino Vicecancellario referente, cuius rei minimè, vt opinor, S.T. oblita eſt, cùm vnus è ſacro conſiſtorio tunc eſſet. Idque iam omnes accepiſſe reor, quibus parentibus ortus Leopoldus ſit, quàm præclari, quamque illuſtres: quantùm diuinis incubuerit: quonam pacto, extincto patre, ſe geſſerit: quemadmodum leges iuſtitiamque coluerit, matrimonij ſeruauerit iura, quas ædes conſtruxerit ſacras: quanti eum fecerint prædeceſſores tui, & dum vixit, & poſtquam è vita migrauit. Habes & miracula, teſtimonia vitæ, tum magnatum maxima, & quæ prior, & quæ noſtra vidit ætas: quibus quàm ſanctus, quamq; Deo fuerit acceptus, demonſtratur apertè: & quæ ad obſeruandam æternitatem vir magnus & totus Dei exegerit. Poſcebat hominis altitudo longiorem orationem: materia ſuppeditabat, quàm ingentia implere volumina. Ego verò morem illorum, qui calculis innumerabilium fermè rerum ſummam complectuntur, his paucis exegi. Defeciſſent aliter latera, & lingua compreſſa obmutuiſſet: obſeruantiaque benè meritorum tanta apud te eſt, vt cum intelligis quempiam æternitatem promereri, ilicò tua bonitate id confirmes. Iam virtutes ipſius Leopoldi, quas creator omnium etiam miraculis comprobauit, ab Dei Vicario, qui ſolus in terris es, aſcribere in numero ſanctorum iure meritoq; expoſcunt, expectantque. Ad quæcunque enim loca Leopoldi nomen peruenerit, pro ſacroſancto veneratur & colitur. idque non ſimpliciter, prout à nonnullis fieri conſueuit, ſed indelebili atque inuiolabili titulo ſanctus Leopoldus appellatur & pro ſancto habetur. Quæritur tamen pro laudabili conſuetudine ſolennitateq; à ſacroſancta Eccleſia introducta, S.T. nutus, quo abſque nil tutum, nil ſtabile, nil denique ſanctum creditur. Id exigi mea oratione non exiſtimes velim. Nam inprimis Chriſtianiſſimus fidei noſtræ totiuſque religionis orthodoxæ verus, legitimus, indubitatus defenſor Fridericus Imperator Auguſtus, à quo eius bonitate nihil adhuc perperam peti audiuimus: nec verò idcircò tantùm, quòd ex ſanctiſſima Leopoldi familia auſtrali ducat originem, verum etiam vt Deus in ſuis glorietur creaturis, eius filius Maximilianus Auſtriæ ac Burgundiæ Archidux inuictiſſimus, patrem ſortitus eſt Cæſarem. Sic inclytus Hungarorum Rex, cæterique Principes Catholici illarum prouinciarum, & denique omnes eorum populi, nutum, vocemque ſanctitatis tuæ ſitibundi cupiunt, præſtolantur, expectantque. Quid enim his teſtibus magis in mundo dari poſſit non video. Magna profectò res eſt, vt mortales, Deo propitio & fauente, glorioſiſſimos & cœleſtes titulos benefaciendo ſibi quærant. Iam tempus eſt, iam te ſic velle conſpicimus & tenemus omnes: vt tua videlicet hac cœleſti voce Leopoldus, qui cùm iam in cœlis ſanctus ſit, etiam in terris ſanctum eſſe declares ſanctiſſimo tuo decreto, longa hominum expectatione optato. Diù mortales hoc in argumentum fidei, in monumenta Romani & Eccleſiaſtici ritûs, in gloriam æternitatis quam nimio ardore expoſcunt, & vt benefactis longo labore quæſita iam præmia declarentur.

Summa virtutum ſancti Leopoldi.

S. Leopoldi nomen quàm ſit celebre.

Rogat orator, eum in numerum ſanctorum referri.

Extat alius liber de innumeris miraculis & canonizatione eius, per Reuerendum patrem, dominum Iohannem Franciſcum de Pauinis conſcriptus, ad quem lectorem remittimus.

COM-

An.70. COMPENDIVM HISTORIÆ S. EVGENII PRIMI TOLETANI EPISCOPI ET MARTYRIS, QVAM FLOHARIVS PRESBYTER PROPTER *Nortmannos diſperſam recollegit quibuſdam ex teſtimonio videntium additis, quã recitat Molanus in natal. Belg. ex Lectionib Hiſpaniæ.*

15.Nov. S.Eugenius à B Dionyſio Areopagita Toletanæ Eccleſiæ præficitur. A Siſinnij Præfecti ſatellitib. martyrio efficitur, vide Io. Vaſeum in Chron.Hiſp an 97.

I. DIONYSIVS beatiſſimus qui S. Clementis auctoritate & benedictione totius Galliæ Apoſtolatum ſuſcepit, ſanctum Eugenium Toletanis in Hiſpaniam primum Epiſcopum deſtinauit. Veniens igitur in Hiſpaniarum viſcera, Carpentaneamq; prouinciam viriliter adeptus, Chriſtum Deum gentibus prædicauit. Poſtquam autem Toletum primum Hiſpaniarum vrbem, prouinciamq; Toletanam ad Chriſtum veramq; pietatem perduxit, & verbo, miraculis, & exemplo confirmauit, ſanctum Dionyſium reuiſere percupiens, vt miniſterij ſui rationem redderet, & ante vtriuſq; obitum ab eo conſolationem acciperet, relictis Toleti presbyteris, Gallias repetiuit, & apud vrbem Pariſiorum in villa ſiue vico Diogilo à Chriſtani dogmatis hoſtibus, quòd Chriſtum ſe colere dixiſſet, quaſi mali inſtituti magiſter, interficitur, & corpus ne à Chriſtianis in honore haberetur in lacũ iuxta villam Mercaſij præcipitatur, vbi multos annos latuit. Ceſſante autem in Chriſtianos ſanguinario bello, Ercoldus quidam oraculo monitus, corpus quaſi recens mortuum inuenit, & Dei voluntate intellecta, in Diogilo honorifice ſepeliuit, vnde poſtea propter Nortmannos translatum eſt in ædem S. Dionyſij.
Chron.Hiſp an 97.Marian lib 4 Hiſp.cap 4.5 Antonin.part.1.Chron tit 6.§.4

Anno 920. corporis eius pars Bronium transfertur, Marian lib 10. de reb Hiſp cap.20
a Vide Molan. in nat. Belg hac die

II. BRONIENSE monaſterium in Gallia Belgica agro Namurcenſi ſitum eſt, Diui Petri nomine ſacrum. eius monaſterij Benedictioni ſodalis Diui Eugenij & corpus, prece S.Gerhardi fundatoris, Dionyſiacis monachis extortum, Bronio intuliſſe affirmant, anno nongenteſimo vigeſimo ad quintum decimum Kal. Septembris. [a] Nimirùm parte conceſſa totum abſtuliſſe crediderunt. Hiſtoriam eiuſce tranſlationis habes 3. Octob. in vita S.Gerhardi capitibus 11.12.13. & 14. quam conſule. De reliqua corporis S.Martyris parte quid actum ſit ex Lucij Marinei lib.5. & 30. Marianæ lib.11.cap.13 hiſtoriarum Hiſpaniæ ſic accipe; annum ad connexionem hiſtoriæ præfiximus.

*Anno 1148 Raymundus Toletanus Epiſcopus de S. Eugenio martyre inquirit. Io. Marian. lib. 9 hiſt. c. 20 Baro. an. 1148.

III. ANNO * milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo Raymundus Toletanæ ſedis Antiſtes, ad Concilium apud Rhemos Galliæ populos celebrandum, temporibus Eugenij ſummi Pontificis, cum alijs multis epiſcopis in Galliam profectus eſt. Qui cùm in vrbe Pariſiorum ad eccleſiam ſancti Dionyſij orandi gratia diuertiſſet, in eadem Eccleſia quoddam ſepulcrum inuenit, quod apud eos magnæ venerationis habetur, in quo ex eius ſuperſcriptione, beati Eugenij Toletani Archiepiſcopi corpus humatum eſſe cognouit. De quo diligentiùs inquirens, quis fuerit, vel qua ratione à propria ſede quieuerit, tum ex relatu hominũ, tum ex eius vita, quam ibi deſcriptam inuenit, deprehendit. Scriptura ſiquidem continebat, hunc Eugenium à beato Dionyſio in Galliam proficiſcente, ab vrbe Arelatenſi in Hiſpaniam directum Toletanæ ſedi præfuiſſe. Qui poſtquàm viſitauit magiſtrum ſuum Dionyſium; cùm iter eſſet ingreſſus, à gentilibus deprehenſus, & ex fidei confeſſione quis eſſet, cognitus gladio aperiente viam, qua magiſter ſuus illuc iam præceſſerat, cælum coronatus ingreditur. Cuius corpus poſt multum temporis, diuina reuelatione repertũ, in Eccleſia beati Dionyſij, magna fidelium lætitia & exultatione conditur: vbi propter meritũ ſanctitatis, & gloriam miraculorum quę ibi fiebant, ab omnibus quàm deuotiſſimè venerabatur. *Sequitur ex Mariana.*

†Anno 1145 Bellum in Prouincia exoritur.

ANNO † milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, excepit bellum in Galliæ Narbonenſis parte, cui Prouinciæ nomen eſt Hugo Baucius & fratres, Raymundi filij à Conrado & Friderico Imperatoribus Germanis diploma abſtulerant, quo omnia quæ Gilbertus Comes auus poſſederat, illis concedebantur. Eo diplomate innixi, Prouinciam omnem ſibi arrogabant: & Trencataio oppido munito omnia circum infeſta habebant, Raymundus de fratris filio ſolicitus: cum validis copijs eo profectus, Bauciorum audacia coercita, breui eos ad officium pertraxit. Iacinctus Cardinalis ab Hadriano tertio Pontifice Maximo in Hiſpaniam Legatus eccleſiarum controuerſias ſtatumque componebat: Ioanneque Præſule Toletano agente pro Toletano Primatu aduerſus Compoſtellanos Bracarenceſque Anagati pronunciauit. Iacincti legatio cumprimis hac tempeſtate fuit nobilis. Quo tempore Ludouicus Galliæ Rex Toleti erat, menſio incidit Diui Eugenij, primi Archiepiſcopi Toletani: cuius cineres in templo Dionyſiaco fuiſſe, paulò ſuperius dictum eſt. Petebant vt ſacra pignora in Hiſpaniã mitterentur. Graue id Francis videbatur impetratum tamen vt mitteretur pars. Quod Ludouicus in patriam reuerſus cumulate præſtitit, eius cœnobij Abbate ad ſocerum legato cum dextero Martyris brachio. Alphonſus, filij Reges, proceres, populus & ſacrati viri Toletum appropinquanti obuiam cum ſupplicijs proceſſerunt: Imperatoreque & vtroque filio ſuccolantibus theca ad templum maximum delata, atque in ſactum ærarium illata Februarij menſis duodecimo anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto. Reliqua [b] ſacrati corporis oſſa Philippo II. Hiſpaniarum Rege curante, Petri Manrici Canonici Toletani diligentia, qui ea de cauſa ad Carolum nonum Galliæ Regem legatus eſt, poſt quadringentos nouem annos, menſes nouem & dies ſex, pari pietatis exemplo, pompa & apparatu, qualem noſtra ætas non vidit, in idem templum regiamque vrbem relata ſunt.

Anno 1146 S Eugenij brachium dextrũ Toletũ transfertur Marian: de reb Hiſp. lib. 4 cap 4.

b Anno 1565 reliqua pars cor, o is vide Bar. in not. ad hanc diem. Marian. vbi ſup.

An.720. VITA S. OTHMARI ABBATIS, AVTHORE VVALAFRIDO ABBATE AVGIENSI.

16. Nov. Hos libellos inuenies lector 16. Octobris.

Præfatio. INITIIS duobus libellis, quos de vita & virtutibus beatiſſimi Galli confeſſoris, iuxta fidem, quæ vel ſcripto, vel dicto ad nos vſq; venerat, verè potiùs, quàm lepidè, compoſuimus: iubentibus vobis, fratres ſanctiſſimi, qui in cœnobio eiuſdem ſancti patris conſtituti, feruoris eius, quem in Dei rebus habuit, ſancti ſtrenuitate propoſiti ſpecimen exhibetis, libet ſubnectere eam relationem, quæ de ſancti patris Othmari ſtudijs & virtutibus, per eius merita oſtenſis, veſtra aſſertione & cura literis eſt mandata veracibus. Quæ cùm ſit veritate plena, ratione perſpicua, non ob aliud à nobis eſt iterata, niſi quia chariſſimus frater Coſbertus, qui idem opuſculum edidit, cuius charitati quicquam negare nec volumus, nec debemus, id vt fieret poſtulauit, imò præcepit, quem etiam in hac occupatione inſtantiſſimum ergadioctenſine tædio læti ſuſtinuimus. Itaque lectori credulo ſufficiat hæc abbreuiatio noſtra: incredulus autem qui fuerit, ad eam conſcriptionem, quam ſequimur, recurrens, multiplici adſtipulatione teſtium conuentus, ad fidem, ſi gratus eſt, ſegnis non erit.

S Othmarus in Rhetia degens ſacerdotio initiatur.

I. IGITVR Othmarus genere Alemannorum oriundus, in ætate puerili à fratre ſuo Rhetiam Curienſem perductus eſt: & in ſeruitio Victoris, earundem partium Comitis, multo tempore conſtitutus, & literarum ſcientia ſublimatus, virtutum ſectator, morumque laudabilium poſſeſſor, ſacerdotij gradum conſcendit: & à ſupradicto Comite benignè retentus, cuidam titulo ſancti Florini confeſſoris prælatus eſt. Cumque morum eius probitas, & ſanctæ vitæ munditia longè lateque plurimorum aures dulci rumore reſpergeret, Vualdrammus quidam, qui ſibi vaſtitatem eremi, in qua ſanctus Gallus cellulam conſtruxerat, veluti à parentibus hæreditario iure ad ſe tranſmiſ-

tranſmiſſam vendicauit, eundem Othmarum à Victore ſupradicto ad præficiendum eidem cellulæ impetrauit. Et voti compos effectus, cellulam cum omnibus, quæ ad eam pertinebant, illi ſolenniter commendauit. Atque vt ſui melius deſiderij conualeſceret vtilitas, ad Pipinum Regem profectus, eundem Abbatem ipſi præſentauit, & locum, cui pridem eum præfecerat, proprietatis iure principi contradidit, omni inſtantia depoſcens, vt regia authoritate ex integro Othmarus Abba eidem præficeretur loco. Cuius petitioni iam dictus princeps aſſenſum præbens, locum ſibi traditum viro venerabili commendauit & regularem inibi vitam inſtituere iuſſit. At ille regreſſus confeſtim, boni Manditæ ſtudium in ipſo executus initio, vndiqueverſum congrua monachis habitacula conſtruxit, & ipſius ſacri loci ſtatum, ad vtilitatem diuini ſeruitij ſtudioſiſſime reformauit. Religioſos etiam quoſque ita liberalitate ſua ad deuotionis ſtudium inuitauit, vt ex quorundam donationibus poſſeſſiones ipſius cœnobij admodum dilataret, & intra paucos annos complures ad ſacræ militiam vitæ fratres attractos, magiſterio ſuo & cura decentiſſimè gubernaret.

Cella S. Galli commendatur S. Othmaro. *Conſtruit illic monachorum domicilia.* *Multos côgregat fratres.*

II. His prælibatis, vitæ eius ſanctitatem liceat ſummatim perſtringere: vt liquidò cunctis clareat, quibus profectuum gradibus ad hanc gloriam ſit euectus. Erat nimium parſimoniæ ſectator eximius, crebertimo macerans ieiunio corpus: ita vt in præcipuis ieiuniorum diebus ex conſuetudine, bidui abſtinentiam continuaret frequentius. Et his contra tentamentorum iacula clypeis præmunitus, vigilias amabat, & aſſiduitate orandi ſpiritualia nequitiæ repellebat. Summæ autem humilitatis gratia præcipue præditus, intantum voluntariam paupertatem diligebat, vt terrenam gloriam omnibus fugeret modis. Cui etiam hæc erat conſuetudo, vt ſi quoquam pro vtilitate monaſterij eum tendere neceſſitas popoſciſſet, vilis miri dorſo veheretur aſelli. Erat inter cætera, tanta in eo pauperum ſolicitudo, vt eorum curam per ſe potius, quàm per alios exhibere ſtuderet. In eo verò miſericordiæ opere, quod eleemoſyna dicitur, vix cuiquam habebatur ſecundus. Nam ad ſuſcipiendos leproſos, quia cæteris hominibus ſeiuncti manere conſueuerût, hoſpitiolum haud longe à monaſterio extra manſiones, quibus cæteri pauperes recipiebantur conſtituit, & eis curam per ſe omnimodis impendebat tam ſolicitè, vt nocturnis etiam horis monaſterio ſæpe digreſſus, curam infirmitati eorum miro deuotionis adhiberet obſequio. Capita ſiquidem eorum pedeſq; abluens, purulenta ſuis manibus vulnera detergebat, & victui neceſſaria miniſtrabat, illam ſemper animo reuoluens ſententiam, quã iudex iuſtus miſericordibus prolaturus eſt, dicens: Quod vni de his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis. Sicque factum eſt, vt cunctorum, qui eum nouerant, veneratione ſublimis, pater pauperum appellaretur à plurimis. Tam pleniter autem miſericordiæ ſtudium poſſederat, vt ſi quem pauperum nuditatis iniuria torpentem conſpiceret, plerunque ſuis exutus veſtibus, miſeri contegeret artus: ita vt interdum ſine tunica, ſola cappa contectus, ad monaſterium remearet. Maluit enim per præſentis pompæ contemptum ad indumentum incorruptionis æternæ pertingere, quàm per boni operis amiſſionem futuræ nuditatis opprobria ſuſtinere.

Eius ieiunia *Vigiliæ.* *Preces.* *Humilitas.* *Benignitas in pauperes* *In leproſos* *Matt. 25.*

III. Quodam enim tempore ad Pipinum Regem veniens, honorificè ſuſceptus eſt. Et inter alia largitatis eius beneficia, ad neceſſitates fratrum ſuorum ſubleuandas, argenti libras ſeptuaginta percepit. Sed mox, vt ad ſua rediret, egreſſus, maximam eiuſdem pecuniæ partem pro foribus palatij pauperibus erogauit. Paucos autem ſolidos vix à fratribus, qui ſecum erant, compulſus retinuit, quibus poſtmodum quoddam territorium monaſterio vicinum coemit. Dominicorum enim non immemor præceptorum, ſua cauſa de craſtino non cogitabat, ſciens monachum victu & tegumento contentum eſſe debere. Et ideo paupertatem ſibi potius ſuiſque delegit, quàm rerum tranſeuntium poſſeſſionem ſuperfluam, expeditis mentibus oneroſam.

Liberaliſſimum regis Pipini munus. *Nota.* *Matth. 6.*

IV. Igitur cum iam Dominus meritis eius digna rependere decreuiſſet, callidus vniuerſæ bonitatis inimicus, bonis eius actibus inuidens, eiuſque exemplis aliorum vitam dolens proficere, quietem, quam in Chriſti ſeruitio, licet non parum laborando, poſſedit, perturbare contendit. Sed quamuis flatibus aduerſitatis temporariæ pulſata, radicem petræ veritatis habens infixam, paradiſi cedrus inconuulſa permanſit. Nam Vuarinus & Ruadhardus, qui tunc temporis totius Alemanniæ curam adminiſtrabant, diabolo ſuadente, immaniſſimo auaritiæ morbo præuenti, res eccleſiarum ſub ſua poteſtate ſitarum, magna ex parte in proprietatis ſuæ dominium per vim contraxerunt. Qui cum ſibi de poſſeſſionibus beati Galli per plura eodem violentiæ auſu vendicaſſent, vir Dei Othmarus, non poſſeſſionibus terrenis inhians, ſed cœnobialis vitæ, in eodem loco rerum ingruente penuria, defectum præmetuens, Pipinum Regem adiit, ipſi tyrannicam eorum præſumptionem expoſuit, pariter proteſtatus, graue eum crimen incurſurum, ſi eorum actibus conſentiendo faueret. Qua pro cauſa beneuolus princeps vtrunque conueniens, interminatus eſt eis, gratia ſua illos omnimodis carituros ſi non eccleſiis Dei, quas iniuſte abſtraxerant, abſque procraſtinatione reſtituerent. At illi patriam repetentes, vitio rapacitatis infecti, & beſtiali ſæuitia efferati, iuſſionem regiam neglexerunt. Virum etiam Dei Othmarum, cum pro hac re iterum principem adire vellet, miſſis clanculum poſt eum militibus, vinculis iniectum per vim reduci fecerunt. Necnon & Lamberto cuidam, qui fratribus eius profeſſione connumeratus erat, non vitæ ſanctitate, perſuaſerunt, vt ei ficta quadam machinatione luxuriæ crimen impingeret: id elaborantes, vt ſanctitate eius huiuſmodi ſuſpicionibus infamata, deponendi eum occaſionem inuenirent. Qua cauſa plurimi, tam doloſæ factionis ignari, ad concilium euocantur.

Quidã magnates ſibi vendicant res eccleſiarum S. Othmari. *Eum captiuum deuinent.*

V. Itaque vir venerabilis caſtitate integer, vitæ ac morum maturitate grandæuus, in medio collocatur, & in eius accuſationem Lambertus falſitatis miniſter, coram omnibus præſentatur. Acceptaque loquendi licentia, veritatis oblitus, falſitatis aſſertor, dixit ſe quandam fœminam noſſe, quæ à beato viro vim pollutionis fuiſſet perpeſſa. Ad quod nullum penitus dediſſe fertur reſponſum. Cumque à plurimis reſpondere cogeretur obiectis, huiuſmodi dicto temperauit eloquium: Fateor me quidem ſupra modum in multis peccaſſe: de huius autem obiectione criminis, ſecreti mei inſpectorem, Deum inuoco teſtem. Illis autem, vt huius facti ſe excuſatione purgaret, attentius ei inſiſtentibus, mente ſecurus, conſcientia liber, tacitus perdurauit. Et quia accuſandi licentiam apud iudices patere cognouit, maluit pro ſinceritate ſui pectoris diuino, quàm humano pro excuſatione criminis placere iudicio. Mox ergo, vt cunctis clareſceret ipſius caſtimoniam falſò fuiſſe infamatam, Lambertum vltio diuina corripuit. Nam febrium vexatione peruaſus, paulatim reſoluto membrorum vigore, contrahi cœpit. Sicque omnibus membris ſtatus ſui amittentibus rectitudinem vel formam, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non ſolum deformitate figuræ terribilis, verũ etiam viua voce in ſanctum Dei peccaſſe, omni tempore fatebatur.

Anno 759. *falſo accuſatur à quodã de muliere oppreſſa, teſte Baron.* *Cœleſtis vindicta illũ accuſatorem perſequitur.*

VI. Concilio autem inique inchoato, & iniquius terminato, vir Dei Othmarus apud villam Potamum palatio incluſus eſt. Quod cum nullus intrare, vel colloqui cum eo permitteretur, aliquot dies abſque corporalis ſuſtentaculo victus tranſegit. Cumque diuturna vexatione famis laboraret, Perdozus quidam è fratribus eius noctu aduenire ſolebat, & ei victus ſolatia miniſtrare. Poſtmodum verò Gozbertus quidam, vir potens, dum ſibi virum Dei commendari ab iniquis principibus impetraſſet, in quadam Rheni fluminis inſula nomine Stein, iuxta prædium ſuum cuſtodiæ illum deputauit. Vbi idem ſanctus Pater ſpiritali tantummodo exercitio, id eſt, orationibus ac ieiuniis vacans, eò liberius Domino deſeruiuit, quo ab humana frequentatione curiſque ſecularibus fuerat abſolutus. His & ſimilibus notæ deuotionis inſiſtens operibus, exacto nõ multi temporis ſpacio, ab his mundanæ perturbationis anguſtiis ad cœleſtis latitudinem gaudij, xvj. Calend. Decembrium die commigrauit: & corpus eius in eadem inſula tumulatum, multis deinceps diebus ibidem ſine corruptione permanſit.

Laborat vir Dei inedia. *Anno 761.* *feliciter è cuſtodia abit in cœlum* *Vide Baron. anno 759.*

Corpus eius poſt annos decem, incorruptum cernitur.

EVOLVTIS autem poſt tranſitum eius decem annis, fratres illius per viſionem à Domino commoniti ſunt, vt VII. corpus chari patris ad monaſterium reducerent. Hoc patefacto diuinæ voluntatis conſilio, vndecim ex eiſdem fratribus noctu ad locum, in quo ſancti viri exuuiæ ſeruabantur, deueniunt: & ſepulcrum aperientes, corpus eius ab omni corruptione illæſum repererunt, excepto quod pars extrema pedis vnius, quem aqua alluebat, tantum colore mutato, quaſi tabida videbatur. Et congruo ſatis miraculo prima ſanctitatis eius indicia claruerunt, vt videlicet tam illæſum à corruptione corpus eius inueniretur, quam liber ipſe fuerat à crimine, cuius oppoſitione ſuperatus videbatur ad tempus. Hac itaque deuoti fratres rerum nouitate perfectius inſtructi, corpus honorifice ſumptum, rati impoſuerunt. Et accendentes candelas, vnam ad caput, alteram collocauerunt ad pedes.

Miraculum

Aliud miraculum.

CVMQVE deſerto litore, incertis ſe profundi viis commiſiſſent, & ſumma inſtantia remigio inſiſtentes, ſub omni celeritate cuperent remeare, continuo tanta vis pluuiæ ventorumque prorupit, vt vix effugium ſe crederent habituros. Sed mira omnipotentis Dei diſpenſatione, &, vt credimus, ſancti viri meritis actum eſt, vt ipſa etiam elementa, quæ nobis inſenſibilia videntur, famulantia ſui creatoris imperio, quanti viri reliquiæ ibidem veherentur, ſentirent. Nam pelagus circunquaque imbrifera tempeſtate commotum, vndaſque in altum ſuſpendens, nihil omnino remigantibus moleſtiæ intulit: ſed in quamcunque partem nauis deueni , reiectis flatibus, tumentes in ſe fluctus depreſſit. Et ita omni ex parte vndarum molibus, imbrium effuſionibus, ventorumque flatibus non paruo ſpatio dimotis, quaſi ſepe quadam ſcapha cingebatur, vt ne vna quidem pluuiæ gutta, quæ hincinde vehementer innudabat, in illam deſcenderet. Cerei quoque, qui in beati patris obſequium ardentes, ad caput pedeſque fuerant collocati, lumen primæ accenſionis nequaquam amiſerunt, quoadusque corpus eius ad monaſterium deferretur. VIII.

Matth. 14. Vinum diuinitus augetur.

ALIVD adhuc reſtat miraculum, quod in eadem ſacri corporis translatione deuotis fratribus Dominus patefecit. Nam cum ex nimia remigandi inſtantia feſſi, adueniente refectionis hora, ad recuperandas alimento corporeo vires laudibus Domini præmiſſis, conſediſſent, tandemque felici conuiuio intermiſceri potus ſolatia commonerent, vnus miniſtrorum intulit, nil ibi iam potuum ſupereſſe, præter quod in flaſcone paruo ſeruabatur, vnde vix vnicuique quippiam ad guſtandum potius, quàm ad bibendum, præberi potuiſſet. Illi verò miraculorum Domini, quomodo paucis panibus multitudinem hominum pauerit numeroſam facientes mentionem, ex eodem paruo, quod habebát, cunctis qui aderant, cum charitate diſtribui fecerunt. Et mirum in modum cœpit in eodem vaſculo ita liquoris hauſtus creſcere, vt continua effuſione nihil minui videretur, quoadusque bibentes poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei nouitate obſtupefacti, largitori omnium bonorum Domino, qui eis iam mirabiliter ſufficientiam præbuit, debitas gratiarum actiones cum laudibus perſoluerunt. Statimque vt iter cœptum itidem aggreſſi ſunt, in vaſculo potus ceſſauit. Cumque optati litoris portum ſubiſſent, fratribus, qui obuiam cum Dei laudibus venerunt, quæ geſta fuerant, ex ordine retexuerunt. Celebratoque in communi gaudio, ſancti viri corpus magno ſumptuum cum honore ad monaſterium tranſtulerunt, & inter aram ſancti Ioannis Baptiſtæ & parietem in ſarcophago poſuerunt: vbi etiam poſtmodum, ipſius facientibus meritis, memoria digna Dominus dignatus eſt manifeſtare miracula. IX.

Sepelitur vir ſanctus in ſuo monaſterio.

Surdus idẽ que mutus ſanatur ad ſepulcrum S. Othmari.

DENIQVE quodam tempore ſurdus & mutus cum quibuſdam de vicinis locis, orationis cauſa monaſterium adeuntibus, aduenit: & quia à primæua ætate & locutionis & auditus carebat officiis, tabellas duas de collo dependentes geſtabat, quarum colliſione & ſonitu miſericordiæ opus, quod voce nequibat, precabatur. Is cum ſuis conuiatoribus eccleſiam ingreſſus, dum eos ſingulis altaribus particulas ceræ, ſicuti pauperum eſt conſuetudo, imponere conſpiceret, ad viri Dei ſepulcrum accedens, tabulas, quas geſtabat, deſuper poſuit, ſeſeque quaſi oraturus, ante illud proſtrauit. Et protinus alto ſopore depreſſus, vt ipſe poſtmodum retulit, ſenem quendam facie nitidum, monachico habitu glorioſum, quaſi è tumulo vidit procedere, dicentem ſibi: O homo, cur hîc ſopore deprimeris? Cumque ad interrogata reſpondere nihil penitus potuiſſet, ſenior ad eum dixit: Surge, & incommodorum, quibus hactenus laboraſti, remedium à me tibi impetratum ſcito. Ergo tabulis iſtic dimiſſis, confeſtimque monaſterio decedens, donum à Deo tibi conceſſum in hoc loco, nemini pandas. Qui cum euigilans ſurrexiſſet, ſub magna feſtinatione monaſterio digreſſus, inclinato iam die, veſperi ad cuiuſdam Ratgozi potentis viri hoſpitium diuertit. Cumque ab illo interrogaretur, vnde veniret, per ordinem expoſuit, vbi, quando & quomodo ſanitatis donum fuiſſet adeptus. At ille narrationi eius non credens, teneri eum & cuſtodiri præcepit: ipſeque veritatem rei certius inquiſiturus, eadem nocte ad monaſterium venit, & tabulas ſuper tumulum poſitas reperit. Conuiatores quoque ſanati cum inueniſſet, adhuc eiuſdem facti penitus ignaros, diligentius ab illis inquiſiuit, ſi talem hominem monaſterium pergentes, in comitatu habuiſſent. Et continuo ex eorum narratione vera eſſe, quæ domi audierat, deprehendit. Quæ res & præſentibus citius innotuit, & ad nos vſque veridica relatione peruenit. X.

Cereus cœlitus ardet ibidem.

Miraculum

PRESBYTER quidam ex ipſa congregatione, nomine Tanco, dum in eadem eccleſia cuſtodis officium gereret, nocturnæ quietis tempore pro reficiendis luminaribus baſilicam ſolitus introire, tribus vicibus pene omnia reperit extincta. Ad ſancti autem viri ſepulcrum perueniens, ardentem cereum iuxta illud inuenit. Scienſque luminis illius cœlitus adminiſtrari ſplendorem, extinguere non præſumpſit. Vt verò diſceſſit, lux, quæ per ſe venerat, per ſe etiam ſubtracta eſt. Vbi etiam & ad maioris indicium miraculi, ignis quidem in candela ſolito rutilabat, ceræ verò nihil per hunc ardorem minui videbatur. Hæc idem venerabilis presbyter ſæpius ſua relatione confirmans, omne dubitationis argumentum ab hoc facto veritatis narratione depellit. XI.

Stupendum ſanè miraculum.

QVODAM etiam tempore, dum eiuſdem eccleſiæ tecta, vetuſtate dilapſa, neceſſario reſtaurarentur, quidam ex XII. ipſius monaſterij familia, tegularum, quas ad faſtigia baſilicæ deferre debuerat, onere prægrauatus, de ipſa tecti altitudine ſuper viri Dei ſepulcrum corruit: moxque immenſum aliud lignorum pondus, corruentis impulſum attactu, in ipſo eum caſus exitio deſuper operuit. Cumque adſtantes concurrerent, vt ei, quem iam exanimem crediderunt, funeris debita perſoluerent, ſublato lignorum pondere, aliquantiſper nullos membrorum motus oſtendens iacuit: ac deinde per longa ſuſpiria halitum reſumens, abſque vlla læſione ſurrexit incolumis, & ad incepti laborem operis rediit gaudens. In hoc ergo miraculo haud dubie ſancti patris merita claruerunt, cum & altitudo tecti, vnde ſupradictus homo ceciderat, non minus quadraginta pedum menſura à terra eſſet ſuſpenſa, & pondus inſequens corruentem, quod ad multorum hominum oppreſſionem ſufficeret, operire præcipitem, non conterere potuiſſet.

Magna humanitas miſerè contracti adoleſcentis.

ALIO tempore cœcus quidam adueniens, hoſpitio, pauperum neceſſitatibus præparato, ſuſceptus eſt. Et nocte XIII. eadem cum eccleſiam vellet adire, puerulus, qui ei ducatum præbere debuerat, ob nimiam frigoris aſperitatem, officij ſui illi negauit iuuamen. Cumque nimis doleret, quod tantæ ſolennitati intereſſe non mereretur, (erant quippe Dominicæ diei vigiliæ) adoleſcens quidam ita membris omnibus contractus, vt non aliter quoquam procedere, quàm manibus reptando, potuiſſet, cum in eodem loco quieſceret, eius dolori compaſſus, de lecto ſe protraxit, & quali potuit ſolatio cæci veſtigia rexit. Vt ergo Eccleſiam intrauerunt, vtili errore ad ſancti Othmari ſepulcrum venêre. Putabat etenim idem beneuolus cæci præceſſor, in ipſo angulo aliquod oſtium patere, per quod cryptam eidem loco vicinam, intrare potuiſſent. Itaque ex improuiſo in ſarcophagum viri Dei, quia paulo altius eminebat à terra, impingens, ſubito reſiluit, & ad terram protinus concidit, totiuſque Eccleſiæ ſpacia horrendis impleuit clamori-

clamoribus. Cæcus verò hæc audiens, ductorem ſuum inſania æſtimans agitari, prout poterat, aufugere ſtuduit. Miſericors autem Dominus, totius boni author & amator, quia viderat debilem puerum vltra vires opus pietatis exhibere voluiſſe, beati Othmari etiam meritis id obtinentibus, beneuolentiam eius dono ſanitatis dignatus eſt remunerare. Nam membris protinus in ſtatum ſuum reſtitutis, cæcum, quem paulo ante manibus reptans ad eccleſiam traxit, firmatis iam greſſibus per cætera in eodem ambitu orationis loca deduxit. Et quia aliquandiu poſtea in ipſo monaſterio manſit, ita omnibus etiam, qui huic facto minus interfuerant, idipſum declarauit, vt de eo nulli deinceps liceret dubitare. Contractus ille ſanatur.

XIV. QVIDAM enimuero ſcholaſticorum, ab eodem beati Othmari tumulo particulam ceræ furto ſubtraxit. Regreſſus autem ad hoſpitium, cum paruipenderet quod commiſit, ſtatim manifeſta Dei correptione ſtultitiæ ſuæ errorem confuſus agnouit. Nam cum eandem particulam de ſinu proferret, in lapidis eam duritiem reperit commutatam. Cumque temeritati obſtinationem iunxiſſet, multo tempore hoc factum à cunctorum agnitione abſcondit, præter eum videlicet, qui & earundem rerum tunc erat conſcius, & in hoc tempore miraculi, quod retulimus, relator extat fidiſſimus. Cera mutata in lapidē.

XV. ALIO quoque tempore clericus quidam aduenit, cui vtriuſque manus officium miſerabili prorſus modo fuerat denegatum. Nam contortis in volam digitis, vnguibuſque vſque ad oſſa palmarum immerſis, nimiis ſine intermiſſione cruciabatur miſer doloribus: adeo vt etiam quædam partes manuum putrefactæ, grauem longius fœtorem emitterent. Is cum non longe à beati viri tumulo conſiſteret, ſubito cœperunt digiti eius ſingillatim ex ordine erigi, & ad naturalium concordiam actionum redire. Ipſe vero, qui pro conceſſo ſanitatis dono gaudere debuerat, doloris magnitudinem clamore horribili teſtabatur: & eadem hora manibus ad integrum reſtitutis, poſtmodum ſanus abſceſſit. Miſerrimi hominis cu ratio.

XVI. QVID nuper quoque circa eiuſdem viri Dei ſepulcrum geſtum ſit, quando eccleſia B. Galli reædificandi cauſa deſtruebatur, arbitramur non eſſe ſilentio ſupprimendum. In eadē baſilica iuxta aram B. Iohannis Baptiſtæ arca quædam parieti contigua, non magnis lapidibus operæ cæmentitio in quatuor lateribus conſtructa, ſuperius autem tabulis quarum craſſitudo trium vel quatuor erat digitorum, in tranſuerſum poſitis, cæmentoque deſuper cooperta viſebatur in qua ſæpedicti viri corpuſculum paulo altius à pauimento ſubleuatum, tabula lignea tantum ſuppoſita iacebat. Aeſtimantes igitur multi corpus ſancti patris ſub terra poſitum, arcæ vero conſtructionem ad deſignandum tantummodo ſepulturæ locum commentatam: & ideo tumulum remanere intactum poſſe credentes, muros eccleſiæ machinis aggreſſi, crebris arietum ictibus ruere compulerunt. Qui cum ex omni parte magnæ altitudinis eſſent, magniſque machinarum impulſibus pariter pene corruentes, ſepulcro viri Dei ſuperferrentur, mirum in modum nullam arcæ particulam læſerunt: quæ euectis cineribus, ſic intacta ex omni parte reperta eſt, ac ſi nullo cadentium impetu parietum impetita fuiſſet. Poſtea vero dum quidam ſaxum haud grande ſuper eam incaute ieciſſet, protinus quadam ex parte confracta eſt. Tandem itaque cognito quod in ea reliquiæ ſancti patris haberentur, cum magno eas honore inde tranſtulerunt, & in eccleſia S. Petri poſt altarium poſuerunt. Præclarum miraculum. Sacræ eius reliquiæ trāſferuntur

XVII. PAVCIS deinde diebus exactis, quidam frater dum nocturnas vigilias præueniens, idem oratorium orandi gratia quadam nocte fuiſſet ingreſſus, totoque affectu precibus inſiſtens, ad altare direxiſſet intuitum, neſcio quam à dextris altaris in Angelicæ claritatis nitore vidit ſtare perſonam, ſacerdotali quidem habitu præfulgentem, facie autem ad Orientem verſa, geſtu corporis intentiſſimæ orationis ſpecimen exhibentem. Veſtimenta verò ipſa tanti fuiſſe nitoris aſſeruit, vt humanæ infirmitatis reuerberarent obtutus. Cumque hoc diu conſpiceret, & vtrum propius deberet accedere, anxia mentis hæſitatione trutinaret, perſona, quæ apparuerat, ſe ſubtrahens eum miraculo & ſtupore conſternatum reliquit. Non eſt igitur incredibile, eundem venerabilem virum viſione præſentiæ ſuæ declarare voluiſſe, digne circa tranſlationem ſuam fraternæ deuotionis iteratam fuiſſe ſolertiam. Viſio fratris cuiuſdam.

LIBER SECVNDVS.

De miraculis alijs beati Othmari Abbatis, authore Iſone monacho Sangallenſi.

PRÆFAT. HVCVSQVE virtutes & miracula ob ſanctitatem beati Othmari Abbatis cælitus declarata, Walafridus Abba, vir doctus & ſapiens, qui in literarum ſcientia apud noſtrates illuſtris ante alios habebatur, ſeniorum in cœnobio ſancti Galli conuerſantium relationibus, ſeu etiam ſcriptis veritatis ratione pleniſſimis fidem accōmodans, luculento ſatis ſermone & veraci aſſertione conſcripſit. Sed quia nos fratres, in eodem cœnobio Dei militantes, poſt harum deſcriptionem virtutum, multa miraculorum inſignia circa corpus eiuſdem viri diuinitus manifeſtata eſſe cognouimus, aliqua ex eis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ſtyli officio memoriæ commendare curauimus: quatenus hinc liquido ab omnibus ſanum ſapientibus colligatur, quam digne ab hominibus honorificetur in terris, qui tam manifeſta ſignorum atteſtatione quotidie glorificatur in cœlis. Non tamen amore eius ducti, aliqua in dubium venientia, vel etiam falſitati obnoxia: ſed ea tantum literis titulare diſpoſuimus, quæ & luce clarius conſtat acta, & multorum narrationibus veraciter noſcuntur eſſe probata. Encomium Vualafridi Abbatis.

I. CVM beati viri corpuſculum, ab acceſſu popularis turbæ remotum, in oratorio principis Apoſtolorum per multa annorum ſpatia quieſceret, plurimis ſignorum oſtenſionibus manifeſta ſanctitatis eius indicia circa tumulum eius frequenter oſtenſa apparuerunt. Nam multi ex noſtræ congregationis fratribus, qui nocturnæ celebrationis vigilias præuenire ſolebant, cauſa orationis idem oratorium ingreſſi, cereos ardentes, vitreaſque lucernas ſponte ſua incenſas, frequenter ſe ibidem inueniſſe affirmabant. Angelorum etiam, inter ſe choros ducentium, ſuauiſſimus ibi concentus audiebatur: quorum præſentiam tāta luminis claritas proſecuta eſt, vt feneſtræ ipſius eccleſiæ maxima ſplendoris illuſtratione clareſcerent, locaque in vicino poſita fulgoris ſui immenſitate perfunderent. Dulciſſima quoque odoris fragrantia ſæpius ibi narratur eſſe adſperſa, quæ & naribus odorantium incognita, & ſui iucunditate ſatis odorifera habebatur. Quibus profecto omnibus patet, vir iſte quanti apud Deum ſit meriti: iuxta eius ſepulcrum cereis atque lucernis ſponte ſua irradiatis. Angelicæ modulationis dulcedinem immenſa luminis magnitudo conſequitur, & incognita odoris fragrantia mortalium olfactu ſentitur. Nota de cereis & lucernis accenſis. De cantu Angelorum.

II. TALIBVS igitur miraculorum indiciis vir Dei Othmarus poſt altarium ſancti Petri honorifice ſepultus, annis triginta quatuor, & centum nonaginta quatuor diebus, in pace quieuit. Sed cum iam omnipotens Deus lucernam, lucis operibus accenſam, hominumque negligentia diu in occulto poſitam, ad exemplum atque illuſtrationem fidelium ſuper candelabrum ponere, ac ſplendore ſanctitatis eius omnibus in domo Dei manentibus luminis ſui gratiam vellet adminiſtrare, cœtus fratrum, in cœnobio S. Galli ſub regulari cenſura Chriſto deuote famulantium, aſſiduas colloquiorum ſermocinationes de meritorum eius excellentia facere cœpit. Huiuſcemodi vero colloquiis iidem fratres ſeſe inuicem cohortantes, diuino, vt credimus, nutu pariter omnes deſiderare cœperunt, vt ſancti viri corpuſculum ad B. Galli eccleſiam, quæ iam, Deo opitulante, decenter adornata refulſit, iterato reduceretur. Dictante autem æquitatis Matt. 5.

Libellus vitæ S. Othmari.

Salomon Epiſcopus Conſtantienſis.

ſtatione, cum hoc ſuo tantum conſilio facere non præſumerent, vitæ eius libellum, qui noſtrorum ſolertia anteceſſorum multiplici teſtium adnotatione olim conſcriptus, ad nos peruenerat, venerabili Epiſcopo Salomoni legendum contradunt, ſuæque voluntatis affectum, quo omnis eiuſdem loci congregatio feruebat, aperiunt: eius per omnia iudiciis, eiuſque obedire parati conſiliis. Beneuolus autem pontifex, perſpectis vitæ eius exemplis, multimodas gratiarum actiones bonorũ omniũ authori perſoluit, ꝗ bellatorem ſuum pro zelo iuſtitiæ fortiter dimicantem, tam apertis miraculorum oſtenſionibus declarauit. Remoto etiam dubietatis ſcrupulo, de ſanctitate eius quanuis certus extiterit, nil tamen temere, nilque de ſeipſo inordinate ſua ſola authoritate voluit definire: ſed more ſuo prudenti vſus conſilio, cauſa Eccleſiaſticorum dogmatum annualem ſynodum ſolenniter indicit, & presbyteros ac diaconos, diuerſique ordinis clericos apud Conſtantienſe oppidum conuenire præcipit. Quibus in vnum collectis, venerandus pontifex in medium conſurgit: factoque ſilentio, vitæ ipſius ſanctimoniam, quæ iam multos ibidem reſidentes dulci rumore aliquantulum permulſerat, ſparſim pro tempore coram omnibus recitauit. Quo facto, cum maxima clericorum copia in viri Dei laudibus acclamaret, primo Augienſis cœnobij Abbatem, qui etiam tunc temporis cum quibuſdam fratribus nobis valde chariſſimis illo confluxerat, ac deinde omnem illius concili clerum Epiſcopus commonuit, vt triduani ieiunij abſtinentiam facientes, totius boni fontem in commune precarentur, quatenus pietatis ſuæ munere his in rebus ſuæ voluntatis diſpoſitionem dignaretur perficere. Quibus dictis, Epiſcopi ſententiam ſynodus collaudat ſeque libenter ita facturam eſſe conclamat.

Eccleſia frequenter ieiunium indicit, quando quid noui intentat.

Grimaldus Abbas Sangallenſis.

FINITO itaque ſynodi huius concilio, ac peracto trium dierum ieiunio, venerabilis præſul ad idem monaſterium cum ſuis perueniens, ſeniorem noſtrum Grimaldum, rectorem ipſius monaſterij, ac Ludouici Regis archicapellanum, de hac re tractaturus, aggreditur. Poſt amicæ verò ſalutationis officia, cum mutuis inter ſe colloquiis vitæ illius rigorem, ac miracula ob indicium ſanctitatis eius frequenter oſtenſa commemorarent, monachos eiuſdem cœnobij in vnum conuenire præcipiunt, ſimulque cum eis reſidentes, ſanctum corpus de tumulo, in quo eatenus iacebat, auferendum, atque in S. Galli eccleſiam collocandum, pari voto ac communi conſilio omnes vnanimiter decernunt. Venerabilis etiam Abbas Grimaldus, quorundam animos metu ac formidine ſentiens eſſe permotos, confidentior cæteris effectus, infirmantium mentes conſolando roborat, & paternæ affectionis ſtudio trepidantium corda informat: adſtruens ex diuinæ voluntatis diſpoſitione procedere, quod tam multi de eodem tumulo ſancti viri corpuſculum deſiderarent auferre. Præſul etiam præclarus, cum Abbatem tam fiducialiter in his rebus gerere conſpiceret, Hartmotum decanum vna cum cæteris fratribus ſecum aſſumit, ad ſepulcrum accedens, lapidem ſuperpoſitum remouere, ipſumque ſarcophagum, in quo theſaurus precioſi corporis iacebat, præcipit aperire. Quo facto, membra ſanctitate plena inſpiciens, monachos Litaniam decantare, precibuſque deuotis hortatur inſiſtere. Deinde venerandas ſancti patris exuuias humiliter deoſculans, cum omni reuerentia de tumulo ſubleuauit, & in lectica, quæ illarum receptui pauloante compacta fuerat, repoſuit. Sub capite autem, & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæſæ, atque ab omni corruptione extraneæ, ab eodem Epiſcopo inueniebantur, vt in nulla omnino parte colorem vel ſpecimen ſui amittentes, adſpicientium oculis infra ſpatium ipſius hebdomadæ viderentur eſſe confectæ. Quo vero ordine, quove in tempore eo loci peruenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem nouimus eſſe manifeſtum. Hoc tamen pro certò ſcimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium eius ſepulcrum aperuit, antequam præſens Epiſcopus, miniſterij ſui fretus authoritate, eiuſdem congregationis fratribus hoc faciendum iniunxit. Idem tamen Epiſcopus venerabiliter eas aſſumens, ſacro corpori appoſuit, ipſumque corpus cum ſumma cautela obuolutum, in lectica ſuperius dicta honorifice commendauit. III.

S. Othmari eleuatio.

Nota de panibus, ſiue oblatis res admirãdas.

Anno 864. Translatio S. Othmari.

POST hæc igitur facto interuallo quaſi horæ vnius, præſul deuotus, hortatu Grimaldi Abbatis, debito cum honore ſanctum virum ex eodem oratorio iubet transferre. Tum vero omnis illa monachorum congregatio, albis continuo veſtibus induta, dulci modulatione in Dei laudibus prorumpens, beati viri corpus lætabunda proſequitur. Sicque per numeroſæ multitudinis populos, quos amor tranſlationis eius attraxerat, magno cum honore deductus, eccleſiam ſancti Galli ingreditur, ac iuxta eius altarium in dextera parte deponitur. Epiſcopus autem animaduertens frequentiam populorum, qui diuerſis ex partibus illò conuenerant, aliquid de ſanctitate illius velle audire, cum propter frigoris ſubreptionem faucium raucedine impeditus, ipſe ad eos loqui non potuiſſet, quendam archipresbyterum ambonem conſcendere, ac vice ſui ſermonem ad populum facere iuſſit: ita videlicet, vt presbyter ipſe altiori paululum loco conſiſtens, ea tantum proferret, quæ ſibi Epiſcopus in vicino poſitus dicenda inſinuaret. Aliquantis autem vitæ eius exemplis ac virtutibus coram populo breuiter recitatis, Miſſarum ſolennia peraguntur, populuſque ad ſua cum gaudio reuertitur. Epiſcopus vero ipſa nocte manſit in monaſterio. Mane autem facto, fratres in vnum collegit, atque inter alia ſacræ inſtitutionis documenta, de ſancti viri meritis certus exiſtens, confidenter præcipit, vt ſuperueniente depoſitionis eius die, vigilias ac Miſſarum ſolennia honorifice perficiant, diemque illum tam ipſi, quam omnis familia intra monaſterium conſtituta, in honore beati Othmari feriando, cum gaudio ſpiritalis lætitiæ feſtiuum poſſideant. His omnibus ita, vt retulimus, veraciter peractis, præſul benignus orationibus fratrum ac benedictione munitus, monaſterium lætus egreditur. IV.

Eius feſtum inſtituitur.

QVO vero temporum ſtatu, vel ſub quibus regni principibus hæc geſta fuerint, ſi quis pie quærendo cognoſcere cupit, in hac noſtræ conſcriptionis ſerie facilè poterit inuenire, quod quærit. Ipſa enim temporum ſtatuta in hoc loco ideo conſcripſimus, vt & legentium fidem cuſtodiant & maiorem apud poſteros vigorem ſui adnotatione ſcriptis exhibeant. Igitur B. Othmarus primis temporibus Caroli, patris Carlomanni & Pipini, à Vualdrammo nobili ac potente viro, ad eiuſdem Caroli præſentiam adductus, cellulam ſancti Galli gubernandam ab illo ſuſcepit, eiuſque poſſeſſiones per multa annorum ſpatia in diuerſis rebus nobiliter augmentando dilatauit. Defuncto autem Carolo non poſt multos annos, filius eius Carlomannus, diuino, vt putatur, amore omiſſis ſecularis pompæ deliciis germano ſuo Pipino regni gubernacula reliquit: & primo Romæ in monte Soracti apud eccleſiam ſancti Syluestri conſtructo monaſterio, regularis vitæ inſtitutis libera colla ſubdidit: ac deinde in Samniam prouinciam ob amorem ſecretioris vitæ ſecedens, in monaſterio ſancti Benedicti, quod eſt ſitum in caſtro Caſſino, reliquum vitæ tempus religioſe conuerſando compleuit. At vero Pipinus pater Caroli Imperatoris, per authoritatem Stephani Romani Pontificis, depoſito ac detonſo Rege Childerico, anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione ſeptima, ex præfecto palatij Rex conſtitutus, ſolus Francis cœpit imperare. V.

Anno 747. Carlomannus vltro ſe principatu abdicãs, fit monachus. Vide Baro. anno vbi ſupra.

Anno 754.

HIS ita geſtis, præfatus vir Waldrammus, ad cuius poſſeſſionem cellula ſancti Galli quaſi hæreditario iure pertinere videbatur, comperto quod Pipinus ex Francorum conſenſu in regni eſſet ſede collocatus, virum Dei Othmarum, ſicut ſuperior vitæ eius libellus edocet, iteratò aſſumens, ad palatium perduxit, atque eiuſdem loci titulum ipſi Othmaro à Rege commendari poſtulauit. Quo facto, ſanctus vir, multis regiæ largitatis muneribus pro eiuſdem loci inſtructione ſuſceptis, gaudens & tripudians, ad monaſterium rediit. Septimo autem anno regnante Pipino, Vuarini & Ruadhardi potentia iniuſte oppreſſus, plenus dierum, plenus etiam ſanctitate meritorum, de anguſtiis huius vitæ eripitur, & pro bonorum ſtudiis operum ad æternæ beatitudinis gaudia perducitur. Euolutis poſt hæc

decem

decem annis, à ſuis monachis ad monaſterium translatus, inter aram ſancti Iohannis Baptiſtæ & parietem eccleſiæ, in dextra altaris parte honorificæ † commendatur: ac deinde interpoſitis non minus ſexaginta annis, decimoſeptimo Calendas Maij, in die ſancto paraſceues Paſchæ, ad oratorium ſancti Petri deducitur. Poſt hæc autem trigeſimoquinto anno, incarnationis autem Domini octingenteſimo ſexageſimoquarto, Indictione duodecima ſub piiſſimo Rege Ludouico, translationem, quam ſupra deſcripſimus, Grimaldus Regis archicapellanus, atque ipſius Abba monaſterij, cum Salomone Conſtantienſis Eccleſiæ præſule, quarta feria ſub octauo Calendarum Nouembrium die peregit. Et vt nos ſolerti ſtudio indagare potuimus, à ſeptimo Pipini anno, quo vir ſanctus de huius ſeculi anguſtiis commigrauit, vſque ad hanc translationem, centum & quatuor anni computantur.

† Videtur deeſſe ſepulturæ, aut aliquid eiuſmodi.

VI. Descriptis temporibus, in quibus res ſuperius commemoratæ gerebantur, nunc ad miracula veniamus, quæ poſt translationem, quam retulimus, circa reliquias ſancti Othmari, omnipotentis Dei virtute manifeſtata eſſe cognouimus. Venerandis ſancti patris exuuiis ad baſilicam ſancti Galli præfato ordine deportatis, continuo in ipſa nocte, Epiſcopo adhuc infra monaſterium conſtituto, magna odoris fragrantia in baſilica ſancti Galli circunquaque diffuſa, maxime iuxta beati Othmari corpus, quaſi in modum nebulæ volitando, redundare comperta eſt. Cuius odoris fragrantia cum cõtinuatis tribus diebus ac noctibus ibidẽ duraret, non tamen ab omnibus potuit ſentiri: ſed quidam noſtræ congregationis fratres, qui etiam religioſiores eſſe videbantur, ſuauitatem illius deguſtabant, & religionis ſuæ authoritate, huius rei veritatem apud cæteros commendabant. Quibus etiam odor ipſe, quamuis incognitus, atque eatenus inexpertus extiterit, dulcedinem tamen balſami partim, vt aſſerunt, poterat imitari.

Odor ſuauiſſimus ad reliquias S. Othmari.

VII. In proximo quoque ſabbato, id eſt, quarta die à beati viri translatione, ſanctum corpus poſt aram ſancti Iohannis Baptiſtæ interim collocatur, donec noua baſilica, ſub eius honore dedicanda, ipſius habitationi ædificaretur. Eadem ergo nocte Dominica, eccleſiæ cuſtos, cum nocturnæ celebrationis vigilias conſurgendo præueniret, more ſolito baſilicam ingreſſus, cuncta eius luminaria penè extincta reperit. Cuius veſtigia presbyter quidam noſtræ congregationis latenter ſubſecutus, cancellos baſilicæ egreditur, ibi coram ſacro corpore oraturus proſternitur. Conſurgens vero ab oratione, lucernam vitream ſponte ſua inibi adſpexit incenſam. Quo viſo, attentius incubuit: egreſſuſque de oratorio, nemini luminis ipſius adminiſtrationem tam cito indicare decreuit. De cuſtodibus quoque eccleſiæ nullus eandem lucernam extinxit: quia alius ab alio eam incenſam eſſe exiſtimauit. Illa verò clarius cæteris reſplendens, tota Dominica die quaſi per ſingula horarum ſpatia maiori ſemper luminis perfundebatur abundantia. Presbyter autem, cui illa cœleſtis adminiſtratio luminis primitus manifeſtabatur, tanti ſignum miraculi metuens ſilentio opprimere, finita iam veſpertina ſynaxi, cæteris hoc fratribus indicauit. Tum multi noſtrorum lumen ipſum cupientes videre, propius accedunt, & prout illis viſum fuerat, ignem ipſum, qui quaſi à medio noctis tempore ardere non deſtitit, nihil omnino ex liquore olei conſumpſiſſe deprehendunt. Deinde cum ipſa lucerna quaſi vehementius ardere cœpiſſet, oleo paulatim decreſcente, lux eadem ſemper ſeipſa maior exiſtens, ac tota ſequenti nocte vniuerſam ſancti Galli baſilicam fulgoris ſui immenſitate perfundens, incenſionem ſui quaſi ad octauam diei horam in ſecunda feria protraxit. Tunc enim cuſtos eccleſiæ, cernens eam minorari aliquantulum, finita iam Miſſa, funem, quo lucerna dependebat, incaute laxando ſubmiſit, ſicque lux ipſa diſceſſit. Tum vero mirum in modum ſub plumbo, cui papyrus imponebatur, cernentes ignem eius vnius digiti menſuram ex oleo conſumpſiſſe, & eidem plumbo ſuper ſe poſito nil omnino diſpendij vel læſionis intuliſſe. Vbi quid ſtupendum, quidve potius ſit admirandũ, non facile intelligere poſſum: hoc videlicet, quod lux ipſa per ſe irradiata extitit, an illud, quod tandiu ardens, nihil ex liquore olei minorauit: vel etiam id, quod ignis ipſe plumbi mollitiem ſuper ſe poſitam, caloris ſui potentia non reſoluit.

Lucerna cœlitus accenſa.

Vide rem admirandam.

Plumbum calore ignis non reſoluitur.

VIII. Post huius oſtenſionem miraculi, adueniente depoſitionis eius feſtiuitate, veſpertinæ celebritatis vigilias ſolenniter peragere ſtuduimus. Quibus rite peractis, quidam de miniſtris eccleſiæ coronam, quæ ob eiuſdem feſtiuitatis gaudia coram ſancto corpore incendebatur, extinxit. Et cum lucernam, quæ in medio ipſius coronæ pendebat, iteratò vellet incendere, ſponte ſua adſpexit eam ſubito eſſe irradiatam. Quod multi non ſolum ex noſtra familia, verumetiam ex ſcholaſticis atque hoſpitibus, qui tunc temporis monaſterium adierunt, ſe vidiſſe teſtati ſunt. Cuius incenſionem luminis in hoc etiam cœlitus adminiſtrari apparuit, quia cum nullus mortalium eam reficeret, tamen ante alterius noctis medietatem, acceptæ lucis gratiam moderate ardendo non amiſit.

Lucerna cœlitus incenditur.

IX. Devota quoque fratrum congregatio, iuſſionibus Epiſcopi obtemperans, cum Dei laudibus inſiſtendo, nocturnalis officij ſolennia decenter perageret, diemque ipſum omnes infra monaſterium conſtitutos in honore ſancti Othmari feriari decerneret, ex miniſterio cellerarij tres lignorum opifices, qui in artis huius peritia cæteris etiam videbantur eſſe præſtantiores, ex præceptoris ſui iuſſu in cellam, quæ eſt ſupra monaſterium conſtructa, laboraturi ſuccedunt, ibique dolium quoddam, vetuſtate & incuria diſſolutum, coniungere incipiunt. Collectis vero in vnum tabulis cum primo fundum illius ſatis difficile coadunarent, eaſdem tabulas diligenter aſſignatas, in circuitu erigere cœperunt, nec vllo penitus ingenio per totam fere diem laborantes, eas conſtabilire præualuerunt. Mirumque in modum ſemper à ſtationis ſuæ loco reſilire, omnemque artificioſæ manus copulationem videbantur reſpuere. Tum ipſi opifices inclinata iam die videntes laborem ſuum in nullo proficere, iniuſte ſe egiſſe cognoſcunt, & poſt veſperam ad monaſterium redeuntes, proſtrati in eccleſia, ſuam ſibi ſtultitiam non imputari, veniam precando, depoſcunt.

Punitur quorundam temeritas, diem feſtum violantium.

X. Adolescens quidam de pago qui vocatur * Eliſaza, progenitus, qui à natiuitatis exortu, ſiue, vt cautius loquar, à recordationis ſuæ tempore, nunquam ſe panem manducaſſe aſſeruit, ad monaſterium deueniens, neque panem manducans, neque aliquid ex eo vnquam deguſtans, dimidium fere annum ibidem permanſit. In cibo quoque vel potu ſi quippiam panis etiam neſcius deglutiuit, ſtatim cum admiſtione ſanguinis, quod acceperat, inuitus euomuit. Hic ergo à beati Othmari feſtiuitate octauo die baſilicam ſancti Galli ingreſſus, cum orando altaria circuiret, ad ſanctum Othmarum perueniens, eius ſuffragiis ſeſe adiuuari tota intentione precatur. Tum primo nimietate frigoris in pectore concutitur: ac deinde in modum ebrij, capitis grauitate nimioque ſtupore circundatur. Et cum ad gradus, ſacro corpori contiguos, per quos crypta intratur, deueniret, tanto panis deſiderio anxiari cœpit, vt continuo de crypta rediens, presbyterum quendam, in ipſo monaſterio commorantem, panem ſibi dare depoſceret. Idem vero presbyter cum pro certo ſciret, eum antea panem non manducaſſe, baſilicam paruulam, in honore ſanctæ Dei genetricis dedicatam, ingreſſus, panem benedicit, illique paruum primo fruſtulum quaſi pro benedictione manducandum porrigit. Quod cum ille ſtans iuxta altare deglutiret, confeſtim cruentatum de eius ore exiliens, poſt oſtium baſilicæ in pauimentum cecidit. Stupefactus vero presbyter, quid ſtueret, vel cur panem eatenus ſibi denegatum manducare vellet, interrogat. Et cum primitus illum, iuxta corpus beati Othmari, eius deſiderio inuaſum perdiſceret, porrecto illi pane, Feſtinanter, ait, ad eum locum rendito, in quo primum panis deſiderium habere cœpiſti. Fortaſſis enim Deus illo in loco ſuæ pietatis tibi conferre dignabitur auxilium. Cuius præceptis pauperculus obediens, ad eccleſiam rediit, & antequam illo perueniret, panem, quem à presbytero acceperat, manducando conſumpſit. Ingreſſus vero eccleſiam, celeriter miraculo diuulgato, à multis noſtrorum panem accepit, & coram ſancto viri Dei corpore ſedens, ſatis auide comedit. Qui hucuſque apud nos conſtitutus, conſueto hominum more panem ſine tædio manducat, atque hoc miraculum diuina pietate in ſe eſſe peractum, viua voce proclamat.

Notarem miram.

Mira in homine mutatio.

Viſio pauperis cuiuſdam.

Alia eiuſdē viſio.

Mira illius curatio.

QVIDAM pauperculus,ex Gallorum prouincia genitus,qui ſiniſtrum genu cum pede flaccido, & in ſiniſtram XI.
partem detorto contractum,atque à terra ſubleuatum,à natiuitatis ſuæ exordio ponderi potius,quam ſubſidio deportabat,duobus ſuſtentaculis inter axillas ſuffultus,domos fidelium eleemoſynam quæritando circuire ſolebat. Hic itaque eodem anno,tranſactis natiuitatis Dominicæ ſolennis,in pago,qui vocatur Linzgeune,conſtitutus,virum quendam venerabilem,ſacerdotali ſtola indutum,& vultus honeſtate præclarum,ſibi in ſomnis aſſiſtere, hiſque vocibus ſe affari aſſeruit:Si meam,ô paupercule,manſionem adires,baculum tibi donarem,cuius adminiculo ſuſtentatus, per inepta viarum diſcrimina melius incedere præualeres.Cui ille: Domine, ait, manſionem tuam neſcio, & in quibus eam partibus quærere debeam,penitus ignoro.Ipſe vero ad eum:Lacum,ait,ſtagni huius transfretare,illiſque in locis ſollerter eam inueſtigare curato:pro certo ſciens,ſi illo perueneris, quod pro baculi receptione gaudebis. Et vt facilius eam inuenire valeas,noueris me in domo alterius adhuc poſitum eſſe, ac propriæ manſionis habitaculum nondum habere.Hac viſione pauper ille commonitus,tranſgreſſo lacu, ad cuiuſdam presbyteri domum quadã die ſero peruenit. Eademque nocte prædicti habitus virum iterato ſibi aſſiſtentem,& cur iam diu in veniendo tardaret, interrogantem adſpexit.At cuius interrogationem cum idem debilis ob eiuſdem loci ignorantiam, ſuæque debilitatis incommoda, antea ſe non potuiſſe venire fateretur,ille pedem eius,niſi celeriter eundem locum adiret, ſeſe abſciſſurum eſſe comminabatur.Huiuſcemodi ergo iuſſionibus idem pauper obedire paratus,reddita mortalibus die, presbytero viam dictante, ad monaſterium properat, ibique nocte ipſa,quæ etiam tunc Dominica habebatur, in vigiliarum celebrationibus deuote pernoctat.Facto autem mane,poſt recitatum in publica Miſſa Euangelium, cum ad gradus, quos ſacro corpori contiguos eſſe memorauimus,deueniret,neruorum atque venarum iuncturæ,ſupra cute,ac mox ſubſequente ſanguine,franguntur, & membra diu contracta, diuinæ operationis effectu ſubito corriguntur. Quorum tenſionem atque fracturam æger ipſe ferre non præualens,in ipſis gradibus corruit,horrendiſque vocibus perſtrepens, omnes in eccleſia ſtantes perterruit.Quorum plurimi concurrentes,cum continuo ſuſtulerunt:cognitoque miraculo, omnipotenti Deo debitas gratiarum actiones retulerunt.Pauper autem ipſe eductus de eccleſia,per temporum momenta conualuit:& poſt aliquot dies ſanus à monaſterio abſceſſit.

Muto redditur loquendi facultas.

POST ſanitatis huius miraculum exacto trium hebdomadarum ſpatio,mutus quidam in vicino territorio natus XII
atque nutritus, quem multi noſtrorum à primæua ætate locutionis officio nouerant eſſe priuatum, in Dominica itidem die monaſterium aggreſſus,ad corpus S.Othmari acceſſit,& quendam lini globulum piæ deuotionis intuitu eius arcæ ſuperpoſuit.Quo facto,ſubitaneo quodam impulſu cum ecſtaſi mentis terratenus deiectus, diſſolutis linguæ retinaculis,ſanguinis copiam ex ore profudit.Quem ſuis ipſe manibus,ne in baſilicæ pauimentum caderet, ſuſcipiens, continuo extra eccleſiam proiecit,ſicque ingenti formidine atque terrore perculſus, nemini quod ſibi euenerat innoteſcens,cum omni feſtinatione monaſterio digreditur,& ad manſionem ſuam cito perueniens collata ſibi facultate loquendi,ſuos ibidem notos cum gaudio alloquitur.Quem vt ipſi loquentem, ſuiſque interrogationibus reſpondentem audiêrunt, non minima admiratione permoti, hoc miraculum cæteris indicando celeriter diuulgauerunt. Tum vero ex eiuſdem loci incolis plurimos vtriuſque ſexûs in vnum conuenire,& ob conceſſam muto loquelam obſtupeſcere , ipſumque in illorum medio poſitum,quomodo ſibi contigerit,& vbi,& quando lingua eius ſoluta fuerit,cerneres enarrare.Sequenti autem die clericus quidam ex eodem loco illum aſſumens,ad monaſterium reduxit, & huius rei veritatem nobis per ordinem indicauit.

Viſio cuiuſdam ciuis Aurelianenſis.

Mira ſanctorum virtus.

EODEM anno vir quidam,ciuis Aurelianenſium,puerulum omnibus pene membrorum iuncturis contractum XIII
atque conglobatum, piæ deuotionis intuitu paruo vehiculo impoſitum, modo trahendo, modo coram ſe impellendo, tum etiam propriis humeris geſtando, Romam perduxit. Paucis dierum circulis ibidem exactis, inde reuertitur: atque, vt ex eius ore didicimus, Alemanniam petere, & ſancti Galli monaſterium adire noctu in viſione commonetur, Cui ille viſioni annuere deſiderans, laborioſo ſatis conatu iuga Alpium ſuperat, & quadam die, imminente iam veſpera, diu deſideratum laſſus ingreditur monaſterium. Qui etiam in ipſo itinere quot moleſtias, quotve incommodorum pertulerit anguſtias, teſtes fuerunt humeri, quos vectibus eiuſdem vehiculi adeo contritos eſſe comperimus, vt multi noſtrorum callos in eius duratos eſſe conſpicerent. In primo igitur baſilicæ ingreſſu ad corpus beati Othmari perueniens puer ipſe, tendentibus ſeſe compagum retinaculis, vehiculo decidens, in pauimentum prouoluitur, & vocibus horrendis tecta eccleſiæ complens, nimio ſe dolore vrgeri, inſolito clamoris ſtrepitu proteſtatur. Senior autem noſter Grimaldus, his diebus in monaſterio poſitus, cum ipſa hora pro foribus baſilicæ infra clauſtrum conſiſteret,audito huiuſcemodi ſtrepitu, Salomonem Epiſcopum,vna cum Angienſis cœnobij Abbate, qui ipſo die ibidem forte conuenerant, ſecum aſſumens ,eccleſiam intrat,cauſamque tam horrendi atque inſoliti clamoris interrogat.Quid plura? Abbates cum Epiſcopo propius accedunt,flebili vlulatu puerum huc illucque in pauimento volutari cernunt,ſeſeque ipſum propriis vnguibus, cogente moleſtia,lacerare, & quaſi diſcerpere perſpiciunt.

Mirabilis pueri miraculatio.

POST longam huiuſcemodi vexationem, ſiniſtra manus in volam contracta,extenditur:incuruata ceruix erigitur:ſiniſtrum genu quoque cum pede ad tibiam ſupinato,laxatur:& planta pedis dextri, ab ipſis natibus, quibus impreſſa fuerat,fracto genu cum ſanguinis effuſione,proſiliens,Epiſcopo etiam adſtante,hymnumque Te Deum laudamus,canente,corrigitur.In proceſſu ergo temporis puer ipſe ambulare incipit, & modo in monaſterio nouis vtens greſſibus, huius miraculi idoneus teſtis exiſtit.

LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO EIVSDEM ISONIS.

SANCTI patris noſtri miracula hactenus à nobis vili ſermonum ſchemate prolata, quanquam lectoribus beneuolis ad declaranda ſanctitatis eius præconia ſufficere non dubitemus, tamen quia baſilicæ I.
in honorem eius ædificandæ paulo ſuperius mentio incidit, qualiter, peracta eius conſtructione, ſanctus vir in eam tranſlatus fuerit, quibuſque miraculorum oſtenſionibus ſanctitatem eius diuina clementia ibidem poſtea manifeſtauerit,ne obliuione depereant,ſucceſſoribus noſtris breuiter contradere libet:non pompoſa verborum complexione,ſuperuacuam laudantium gloriam aucupantes,ſed dictorum tantummodo ſimplicitate veritatem rerum quærentibus oſtendere cupientes.Neque enim noſtræ,ſed illius nos gloriæ potius

ſtudere

ſtudere condecet, qui electis ſuis primò bonum velle, deinde tribuit inchoare: tum etiam vires implendi ſuggerere, ac poſtremo digna eos mercede remunerans, ſanctitatem eorum virtutibus & ſignis pariter dignatur oſtendere. Quapropter ipſum per omnia totius boni fontem, bonorumque omnium largitorem, in beati patris noſtri miraculis laudare deſideramus, Dauidicum illud dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Deus bonũ velle, inchoare, & perficere elargitur.

Pſal. 113.

I. Poſt translationem igitur ſupra memoratam euolutis trium pene annorum ſpatiis, cum beati Othmari baſilica ſtudiis deuote eam ædificantium decenter iam perfecta fuiſſet, ſenior noſter Grimaldus, Ludouici Regis Archicapellanus præfatum Conſtantienſis Eccleſiæ præſulem, ad peragenda conſecrationis eius ſolennia ad monaſteriũ itidem venire rogauit. Quod dum fama vulgante populis in vicino poſitis comperrum fuiſſet, videlicet quod ſanctus vir de baſilica S. Galli in ſuum deportandus eſſet oratorium, ſacris eius exequiis intereſſe cupientes, monaſterium cateruatim adire cœperunt. Epiſcopus autem die ſtatuto ſuperueniens, eccleſiam ſub ipſius nomine ſolenniter dedicauit. Ac deinde ſacrati corporis membra aggreſſus, quaſdam ex eo particulas pro reliquiis deinceps condonandis ſeorſum repoſuit: Cætera autem manu ſua honorifice inuoluens, in ſarcophago nouo collocauit. Illas quoque oblatas, quas narratione ſuperiori in eius tumulo retulimus fuiſſe repertas, eatenus incorruptas, atque omnimodis illæſas perduraſſe miratur, & quaſdam ex eis inuolutas ſacro itidem pectori ſuperpoſuit. Alias vero pyxide recondens, ſuperuenturis temporibus pro ſanctitatis eius teſtimonio conſeruare præcepit. Poſt hæc autem nobis omnibus ſacris veſtibus ſolenniter paratis, præſul ipſe data in altum oratione, presbyteros, qui adſtabant, virum Dei foras deportandum leuare commonuit. Nec mora, cum crucibus & cereis atque turibulis ſanctus vir ex eccleſia deportatur, eademque hora mutus quidam, eius, vt credimus, meritis loquendi officio muneratur. Cuius tamen perſona, vtpote vilis, quia nobis eatenus incognita extiterat, ideo miraculum, quod in ſe patratum referebat, primo crepere diſſimulauimus. Sed cum ex pago, qui vocatur Arageuue, ſe fuiſſe aſſereret, à parentibus eius, aliiſque, qui eum bene nouerant, noſtrorum poſtea inquiſitione verum hoc eſſe didicimus. Tum vero omnes nos laudes ac melodias canendo, comitante numeroſa populorum multitudine, debita cum veneratione corpus chari patris noſtri proſequimur. In prató autem Orientem verſus conſtituto, paululum preſſo gradu, terratenus proſtrati, adorauimus. Surgenteſque, pias eius exuuias ſingillatim ſubire, ac ſuperiecta velamina deuotione humili cœpimus oſculari. Quo facto, cum veneratione maxima ad monaſterium properantes, ſanctaſque reliquias in ſuam baſilicam introducentes, gratias Deo debita cum laude retulimus, qui tantam nobis lætitiam conferre dignatus eſt. Quanti ibi iucundantium fletus, quantique exultantium ſingultus oborti fuerint, nequaquam enarrare valemus: quippe qui nec ipſas Dei laudes crebris ſingultibus intercepti, abſque lachrymis proferre potuimus. Præcipueque venerandus pater noſter Grimaldus, tripudiantium lætitia motus, à lachrymis ſe continere nequiuit, agens Deo gratias, quod ſuis in temporibus, in loco etiam ſibi commendató, tantum decus, taliaque omnipotentis Dei beneficia videre promeruit. Ad cuius quoque lætitiæ cumulum Augienſis cœnobij Abba cum quibuſdam ipſius loci fratribus eadem hora ſuperuenit, fratreſque ex monaſterio, quod Campidona vocatur, ab Abbate ſuo miſſi, huiuſcemodi exequiis, talibuſque ſe intereſſe gaudiis gratulabantur. Epiſcopus autem interea ſacras pij patris exuuias in arca ſaxea recondens, altario ſuppoſuit: ſicque Miſſarum celebratione ſolenniter peracta, benedicens populum, abire permiſit. Facta ſunt autem hæc anno incarnationis Dominicæ octingenteſimo ſexageſimoſeptimo ſub piiſſimo Rege Ludouico, ſupra memoratis principibus paſtoralis officij functione curam Eccleſiarum Dei ſtrenue agentibus, octaua Calendarum Octobrium die, quarta feria, Indictione prima. Die vero ſequenti, vt honor beati viri latius augmentaretur, memoratus præſul ex reliquiis eius, quas pridem huius rei gratia ſeorſum eum poſuiſſe retulimus, primo ſibi tulit, & poſtea Abbati ex Augia, & fratribus de Campidona, cæteriſque, religioſis vtrique ac venerabilibus viris, aliquas ex eis particulas, prout ſibi viſum fuerat, commendauit, nobis præſentibus omnes eos ſoliciti commonens, vt per omnia honorifice digneque eas tractare curarent. Quibus peractis Beati Archangeli Michaelis eccleſiam conſecrauit, multoſque ſacro chriſmate confirmans, ſalutatis fratribus, lætus cum ſuis monaſterio deceſſit. Altera autem die Abbatem ex Augia, fratreſque ex Campidona cum laudibus & cantilenis extra monaſterium proſequentes, poſt fraternæ dilectionis colloquia, dato pacis oſculo, ad ſua remeare cum gaudio permiſimus.

Anno 867 iterum tranſferuntur reliquiæ S. Othmari.

Muto reſtituitur vox.

Baſilica S. Othmari.

Campidonenſe monaſterium condidit Hildegardis, Caroli Magni coniux, ibidem ſepulta.

Obſerua priſcorum Germanorum ſtudiũ erga ſacras reliquias.

II. Finita relatione, qualiter vir beatus in ſuam translatus fuerit baſilicam, ne faſtidioſo forte lectori protractus in longum ſermo, turbata mente rugam frontis ingereret, aliqua ex ſanctitatis eius indiciis, quæ ipſius clareſcentibus meritis ibidem poſtea manifeſtata fuiſſe perſpeximus, in calce huius conſcriptionis ſtrictim ac ſuccincte ſubiungere curauimus. Non vtique omnia, quæ vel ipſi facta vidimus, vel ab aliis veraciter patrata eſſe comperimus, huic opuſculo inſerentes: ſed ex multis pauca, atque à nobis perſpecta, in vnum colligere volentes. Cuncta enim hæc facile enarrari poſſe non credimus, præſertim cum in locis plurimis non ad nos tantum, ſed ad alios quoque pertinentibus, quæ ſacris eius pignoribus ditabantur, tam multa quotidie miraculorum ſigna effulſerint, vt nec verborum facundia proferri, nec ſtyli inſtantia abſque labore valeant comprehendi. Quapropter his interim omiſſis, ad ea nos tantum ſcribenda conuertimus, quæ & nobiſcum omnimodis facta cognouimus, & apud litoris expertes, atteſtationi ſanctitatis eius ſufficere poſſe confidimus.

III. Quidam paterfamiliâs, multorum apud nos cognitione notiſſimus, ſeruum quendam habuit, qui operis quippiam faciens, caſu pedem vulnerauit. Pes vero ipſe protinus in tumorem verſus, adeo venarum contractione debilitatus eſt, vt ambulandi facultate penitus priuaretur. Hanc ob cauſam ſuſtentaculum quoddam geniculo ſupponens, greſſum, quem pedis infirmitas denegabat, per annum fere integrum arte fulciendo ſubleuare curabat. Is cum ad beati Othmari ſuffragia veniſſet, ante eius altare proſtratus orauit: confeſtimque ſoluto pede, relictoque ſuſtentaculo, ſanus abſceſſit.

Pes cuiuſdã contractus reſtituitur.

IV. Nec multo poſt alius quidam, pedem cum tibia altius à terra leuatum, & ad poſteriora contractum, non ad ſubſidium itineris, ſed ad ponderis potius grauitudinem ferebat. Hic die quadam baculis ſuffultus, monaſterium deuenit, & beati Othmari oratorium ingreſſus, coram altario eius ſtando, cum oraſſet, pes ipſe cum tibia ſolutus protenditur: ſonitumque in modum fracti cuiuſdam ligni crepitando emittens, corrigitur. Nec mora, ſuo reſtitutus officio, ferentem ſe ferebat, portantemque grata mercede remunerans deportabat.

Item alius quidam contractus.

V. Sub ipſius anni ſpatio ſanctimonialis quædam de oppido, quod Baſilea dicitur, ante annos quatuor vtriſque luminibus orbata, ſororis ſuæ ducatu ad monaſterium tendendo peruenit: Ibique tribus fere hebdomadibus cæcitatis tenebris adhuc inuoluta permanſit. Annuo autem curſu accedente feſtiuitate, qua Catholica per orbem Eccleſia ſancti Spiritus aduentu lætatur, in ſabbato, quod eam præcedens, ipſi quoque imminet, cum multitudo populi more ſolito orationis cauſa monaſterium adiret, ſanctimonialis ipſa inter alios, qui aduenerant, hora diei

Cæca recipit lumen. quaſi quarta, ante beati viri tumbam oratura proſternitur: ibíq; aliquantiſper orando, lumen quod amiſerat, recepit: multiſque in vnum conuenientibus, perſpicuitate huius miraculi, magnæ admodum lætitiæ cauſa fuit.

VITA S. MARGARETHÆ *Reginæ Scotiæ, cuius Feſtum in decimumſextum Nouembris incidit, habetur 10. Iunij.*

An. 440. *DE S. EVCHERIO XX. EPISCOPO LVGDVNENSI, TESTE BARONIO, EX MARTYROLOGIO ADONIS.*

16. Nov. *Druentiā. S. Eucherius in ſpelunca degit.

NATALE S. Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis, admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri. Qui ex nobiliſſimo Senatorum ordine ad religioſam vitam habitumque conuerſus, diu in agro ſuo ſuper fluuium * Durentiam intra ſepta ſpeluncæ ſponte concluſus, Chriſto ſeruiuit, ieiuniis & orationibus vacans. Defuncto autem Pontifice Lugdunenſi, cum vniuerſa Eccleſia, iuxta morem à ſe antiquitus obſeruatum, triduanis ieiuniis & obſecrationibus, qui gubernationem eiuſdem Eccleſiæ ſuſcipere deberet, ſibi poſceret à Domino reuelari, cuidam puero apparens in viſu Angelus Domini: Eſt, inquit, ſenator quidam Eucherius nomine, ſuper fluuium *Durentiam retruſus in ſpecu; qui relictis omnibus, quæ poſſidebat, ſecutus eſt Dominum. Ad hunc deducendum pergite, & vobis paſtorem illum conſtituite, quoniam à Deo eſt electus. I.

*Druentiā. *conuocatis *retuliſſet. Vide quam inuitus venit ad Epiſcopatum.

QVOD cum puer ſenioribus diluculo retuliſſet, omnipotenti Deo, cunctis fratribus * congregatis, gratias egerunt, miſſoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Eccleſiæ curam gerebat, inuenerunt eum, ſicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem, propter quam venerant, * indicaſſet, cœpit cum iuramento dicere, ſe voluntariè de ſpecu non egreſſurum, nec cum eo, niſi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia repeteret, Archidiaconus effracto muro ſpeluncæ eduxit eum, & iuxta quod ipſe iurauerat, vinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo vnoque conſenſu Clerus & populus ſibi eligens ſacerdotem, in pontificali cathedra ſolenniter collocauit. II.

Vxorem habuit ante Epiſcopatum quæ poſtea deſiit eſſe vxor.

HVIVS vxor Galla, in ſancto habitu Deo ſeruiens, ſpeluncam eius ingreſſa, omne illic vitæ ſuæ tempus in ſtudio religionis exegit. Duæ ipſorum filiæ, quarum vna Conſortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia & ſignorum gloria claruerunt. III.

Plura de S. Euchario habes in vita S. Caſarij 27. Auguſti. Eius meminit Claudianus de ſtatu animæ lib. 2 Gennadius de viris illuſt. cap. 63. & S. Iſidorus cap. 15 Eius eſſe homelias, quæ Euſebio Emiſſeno aſcribuntur, plurib. docet Baron. Ann. 441. & eundem ad tempora Concilij Arauſicani poſterioris, quod Anno 463. celebratum eſt, ad minimum perueniſſe.

An. 1200. *Eadmundi. *VITA S. EDMVNDI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, AB INNOCENTIO IV. INTER SANCTOS RELATI, EX DIVERSIS MSS. CODICIBVS*

per Fr. Laurentium Surium, mutato ferè ſtylo interdum paraphraſticôs deſcripta. Authoris nomen aberat, cum certum ſit, Robertum Richium beati viri fratrem, & Robertum Baconum eius diſcipulum, illius ſcripſiſſe vitam. Hiſtoriam, quam nos edimus, habet partim etiam Vincentius lib. 31 cap 67. & ſeqq Eſt planè fide digna.

16. Novem. Patria S. Edmundi. Nota puritatem naſcentis. *feretrum. Parentes eius. *Cyneſham & Eyneſham. Pater eius fit monachus. Vita matris ſanctiſsima.

BEATVS Edmundus pago Abendonienſi in hanc lucem editus eſt: cuius virgineam integritatem miro quodam modo præſignificare viſus eſt omnipotens Deus, quando præter communem naſcentium morem ita mundus è maternis viſceribus eius ſingulari beneficio prodiit, vt mundiſſimus pannus, cui inuolutus fuit, nullam prorſus maculam ab eo contraxiſſe videretur, ita vt obſtetrices rei nouitate perculſæ, non immeritò magna admiratione afficerentur. Cum autem baptizatus eſt, mater eum à munditia Edmundum voluit appellari: tum etiam, quod cum eum adhuc vtero geſtaret, ad beati Edmundi martyris * monumentum orans illic primum vitalem in eo ſpiritum deprehendiſſet. Dicta eſt illa Mabilia, pater verò Eduardus: qui, vxore Mabilia conſentiente, mundo valefaciens, in monaſterio de * Euesham, monaſticam induit veſtem, & felici curſu vitæ huius reliqua ſpatia emenſus eſt. Porro Mabilia in ſeculo non ſeculariter viuens, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit. Reiecto enim ſeculari habitu, ſingulis prope noctibus intererat nocturnis Abendonienſium monachorum pſalmodiis, atque ad nudum corpus veſtem adhibebat cilicinam, quæ & aſpera eſſet, & ad talos vſque ſe porrigeret: vtque ea magis affligeret carnem, loricam ferream ei adiunxit ad ſuras vſque pertingentem. Intra ipſam autem loricam duæ erant laminæ ferreæ, quæ cruciatum augerent. Horum autem ipſa moriens hæredes voluit eſſe duos filios ſuos Edmundum & Robertum. Tales fuère beati Edmundi parentes, rebus quidem temporariis locupletes mediocriter, ſed morum opibus præpollentes. Atque ita factum eſt, vt beatus Edmundus ab ipſis prope incunabulis admodum religioſè à matre educaretur, & in tenera ætate diſceret, quemadmodum poſtea etiam adultus in preces & ieiunia incumbere deberet. Nam vt ſua ſponte ſextisferiis pane & aqua contentus eſſet, pia mater ei & promittere, & largiri ſolebat munuſcula, quibus ſciret illam ætatulam facile inuitari, vt ſic arte quadam ſalutaris parſimoniæ ſtudium ei iam tum inſtillaret. I.

Mittitur Pariſios ſtudendi cauſa.

CVM autem mitteret eum cum fratre eius Pariſios, vt liberalibus diſciplinis inſtituerentur, ne ex ignorantia laberentur in errores, duo eis cilicia dedit, iuſſitque vt bis vel ter qualibet hebdomada ea induerent. Timebat enim prudens & religioſa fœmina, ne poſtquam pubertatis annos attigiſſent, per abrupta inſanarum libidinum præcipitia incauti agitarentur. Itaque ſpiritualium bellorum rudes & imperitos ſapienter præmunire ſtuduit: ipſique Edmundo, quē præſcia ſanctitatis eius, præ cæteris filiis impenſius amabat, cum Lutetiæ literis daret operam, cum lineis indumentis etiam cilicium mittere ſolida fuit. Atque ille ſanctus puer, omnem à ſe leuitatem repellens, choreas, aliaque ludicra & ſpectacula deuitauit. Porro Dominicis & feſtis diebus, vt erat à matre edoctus, ante ſumptum cibum, totum perlegit Pſalterium. II.

Nota preces eius. Puer Ieſus ei apparet. Cant 5.

EVNTI aliquando apud Oxoniam per pratum quoddam deambulandi cauſa, ſodalibus, vt id faceret, eum inuitantibus, cum ſe celerius ab illis ſubduxiſſet, ne conſcientiæ puritatem vel nugis puerilibus, vel ocioſis ſermonibus contaminaret: puer Ieſus illi apparuit, candidus & rubicundus, qualem eum ſponſa deſcribit in Canticis, & tanquam à ſummo cœli vertice repente in terram delapſus, ſic eum prior appellauit: Salue dilecte mi. Ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus eſt. Cernens ſuauiſſimus puer Ieſus pauefactum illum & hæſitabundum, rurſus illum compellat: ſciſcitatur, num vel tenuem ſui habeat notionem. Reſpondet ille columbina ſimplicitate: Neque ego vllam habeo tui notitiam, neque me puto tibi eſſe notum. Tum puer Ieſus: Et quînam, inquit, fieri poteſt, vt tam ego tibi ignotus ſim, cum in ſcholis ad latus tibi aſſideam, & vbicunque ſis, comes ſemper indiuiduus tibi præſto adſim? ſubiunxitque: Reſpice in III.

faciem meam, & vide quid illic ſcriptum ſit. Reſpexit ille, & vidit cœleſtibus exaratum literis: IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum. Quod cum puero Ieſu indicaſſet, ille ocyus reſpondit: Hoc eſt nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiuſque ardere deſiderio, ſemperque noctibus accuratè imprimere fronti tuæ: quod tibi magno præſidio erit aduerſus mortem repentinam: ſed & aliis quoque, qui illud ita fronti ſuæ inſcripſerint. His dictis, omni melle dulcior puer ille, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ab eius oculis diſparuit, ſed non parum ſuauitatis in eius pectore reliquit. Ab eo autem tempore Edmundus nocte vel die ſtuduit paſſionem Chriſti animo verſare, in eaque meditanda medullitus delectari. Cum autem quodam die feſto multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur, ſe Dominicæ paſſionis commemorationem omiſiſſe, capitique feſſum quietem repoſceret, ſub auroram apparuit ei diabolus, & ambas ei detinuit manus, ne Crucis ſignum poſſet in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, dæmon inter lectum & parietem decidit. Quem ille horrido gutture apprehenſum adiurauit per virtutem paſſionis Chriſti & adſperſionem ſanguinis eius, vt diceret, quibus rebus vel maxime ab ipſo infeſtando arceri poſſet. Reſpondit ille: Iis videlicet, quas tu modo nominaſti.

Cõtra mortem ſubitaneam remedium ei oſtendit.

Diabolus eum tentat, ſed virtute paſſionis Dominicæ arcetur.

IV. ACCIDIT autem vt mater eius à corpore migratura, eum ad ſe acciret. Ad quam ille venit, extremam eius benedictionem percepturus. Qua cum illa eum amantiſſimè impertiiſſet, rogabat Edmundus, vt abſentes quoque liberos ſuos ea benedictione afficeret. At illa: Noueris, inquit, fili mi, omnes fratres tuos in te benedictionem percipere, quippe qui per te tuæ erunt virtutis & gratiæ participes. Non enim latuit matrem, quis quantuſque futurus eſſet, cum id indiciis quibuſdam iam ante deſignatum eſſet. Viderat enim ipſa, nocte quadam in ſomnis coronam ſpineam ferentem illum in capite ſuo, quæ vehementer accenſa, flammas ad ſidera vibrabat.

Mater moriens ei benè precatur.

Viſio matris.

V. CVM ſocio quodam ambulans, in patriam iturus, vidit campum auibus fuligine nigrioribus opertum. Mirabatur vterque tantam auium multitudinem, ſed alterum illum & ſtupor & tremor ingens obtinuit. Ait ergo Edmundus ad eum: Sta pauliſper extra viam, & te crucis ſigno communiens, nihil timeas: viſuri enim ſumus, quid hæc auium monſtroſa frequentia portendat. Deinde vident dæmones corpus teterrimum, nec hominis, nec alicuius animantis effigiem referens, rapere ſublime in aëra, ſimulque aues omnes tanquam vmbras repente diſparere. Tum Edmundus ad ſocium conuerſus: Aues teterrimas, inquit, quas vidiſti, non dubites fuiſſe dæmones, hominis cuiuſdam, qui in pago proximo nuper obiit, animam ad inferos deportantes. Eam animam nobis expreſſit informe corpus, quod in aëra ſublatum vidimus. Sui enim conditoris imaginem, ad quam facta fuerat, dum eſſet in corpore, ſceleratè viuendo nequiter deformauit. Paulò poſt cum in pagum veniſſent, cognouerunt, ea ipſa hora, qua dixerat S. Edmundus, è vita quendam abiiſſe.

Viſio Edmundi & ſocij.

VI. POSTQVAM adoleſcentiæ metas attigit, ita ſenſus ſuos per vitæ ſpiritalis exercitia rebus bonis & virtutum ſtudio aſſuefecit, vt ex iugi conſuetudine deinde tanquam naturaliter mala omnia vitaret. Magnam in eo curam poſuit, vt velut in tabulis talis ſanctitatis habitum, crebris actionibus bonis acquiſitum, quadam imaginaria impreſſione effingeret, atque ita innocentiæ fundamento ardua virtutum palatia ſuperſtrueret, ſtructuraque per ſpiritum inchoata, creſceret in Spiritum S. in Domino. Et certè talis ille effectus eſt, vt non ſolum prius faceret, quàm doceret: ſed etiam prius faceret, quàm vel facienda audiuiſſet. Carnis fœdas voluptates & delitias non modo fugit, ſed & prorſus horruit, & abominatus eſt: & cum virtutum omnium valde ſtudioſus eſſet, caſtitati tamen ſingularem nauauit operam, ſciens illud Sapientiæ, incorruptionem hominem Deo proximum facere: quo factum eſt, vt vſque ad ſupremum vitæ diem inuiolata in eo permanſerit virginitas. Vt autem cura eius conſeruandæ maior ei ineſſet, de conſilio cuiuſdam ſacerdotis, coram imagine perpetuæ Virginis, ſanctiſſimæ matris Dei caſtitatis nuncupauit votum, & illi ſingulari & incomparabili Virgini ſe commendans, eam ſibi ſponſam delegit; vtque fœdus cum illa initum prorſus firmum & ſtabile fore declararet, nouo quodam modo eam annulo ſuo tanquam arrhabone ſibi deſpondit, annulum illum, quem ea cauſa fecerat, eius imaginis digito infigens, in quo etiam inſcripta erat Angelica ſalutatio. Atque ex eo tempore, vt ipſe in ſuo obitu confeſſus eſt, quoties illius clementiſſimæ Virginis implorauit opem, illa in tentatione exitũ, in perſecutione ſolatium, in afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetrauit. Habuit verò etiam in digito ſuo annulum, cum quo poſt mortem, vt ſolent Pontifices, ſepultus eſt, cui itidem, cunctis admirantibus, Angelica ſalutatio inſculpta fuit, vt beatiſſima Virgo ipſum, ſuum ſponſum & habere & agnoſcere dignaretur.

Vis bonæ conſuetudinis.

Caſtitati præcipuè ſtudet.

Sap. 6.

Promittit caſtitatem.

Mater Dei ab eo inuocata, quid ei præſtiterit.

VII. PIA mater eius, cum eſſet è vita deceſſura, commendarat ei fratrem eius Robertum, & ſorores, vt tãquam maior natu, illorum curam ſuſciperet. Hæc res ei aliquandiu ab externis occupationibus magnas moleſtias attulit. Admonuerat eum mater, vt ſororum pudicitiæ conſuleret: quæ cum eſſent ſpecioſæ admodum, multis periculis expoſitæ videbantur: quanquam maternis & ſermonibus & exemplis confirmatæ, cæteris fortiores erant. De iis in quodam virginum monaſterio collocandis agere volebat Edmundus cum eius monaſterij ſororibus. Sed illæ negabant, niſi certa numerata pecunia, ſe illas in ſuum conſortium admiſſuras. Ille veritus hoc ad labem Simoniacam pertinere, receſſit ab eis: & cùm aliud nil ſuppeteret, ad Deum deprecandum ſe contulit, ſorores hortans, vt idem ipſæ quoque facerent. Oratum eſt igitur, nec deſpexit altiſſimus humilium preces. Innotuit enim Edmundo, in quodam paupere monaſterio fœminarum monaſticam religionem egregiè florere, & arctiſſimè conſeruari. Illic ergo Edmundus ſorores ſuas degere peroptans, cum loci Præfecta ſiue Prioriſſa de ea re colloqui voluit. Sed ea, licet ei ignotus eſſet, illius ſermonem anteuertit, ſuoque eum nomine appellans: De ſororibus tuis, inquit, Edmunde; non eſt quod mihi quicquam indices. Ego enim Domino reuelante iam ſcio, quid velis. Si illæ ad nos venerint, repulſam apud nos haudquaquam patientur. His verbis mirificè exhilaratus Edmundus, totum curarum pondus, quod à ſororibus ei incubuerat, in Prioriſſæ manus depoſuit, ſorores ſuas illi commendans: atque ita domeſticis abſolutus curis, Pariſios rediit, liberalium diſciplinarum curſum confecturus. Vbi ſanè diligentiſſime in literas incubuit, & magnam ex eis ſuauitatem percepit: diſcendi quidem percupidus, ſed rectè viuendi cupidior, ita ſtudebat diſcere, tanquam ſemper victurus: ita viuere, tanquam cras moriturus. Ita fiebat, vt & ſtudio bene diſcendi ſenſus à rebus friuolis & noxiis auocatos, facilius ad bene viuendum accommodaret & diſponeret: & ex rectè viuendi conſuetudine mentem cœleſtis lucis fulgoribus ſerenatam, ad bene diſcenda ſubtilia purius & terſius applicaret. Acutè enim cognoſcendis & perſpiciendis rerum cauſis ſic animum adhibebat ſuum, in eoque tam feruens & aſſiduus fuit, vt breui admirabiles in doctrina progreſſiones haberet, & non ſtudioſis modo, ſed etiam magiſtris & præceptoribus miraculi inſtar eſſet.

Simoniæ vitiũ ſummopere deteſtatur.

Sorores ſuas collocat in monaſterio.

Redit Lutetiam, & dat operam literis

VIII. HOSTIS autem malignus, teterrimus dæmon, cum eum cerneret caſtitati ſummam impendere operam, magis etiam pectoris eius tranquillitatem perturbare nitebatur. Itaque puellam quandam, hoſpitæ eius filiam, illius amore inflammauit, ita vt illa impudicis in eum coniectis oculis, itemque ſignis & nutibus eum ad turpem concubitum prouocare conaretur. Sed cum hac ratione nihil proficeret, apertis cum eo verbis cœpit agere, & multis modis ad nefarios amplexus inuitare. Ille verò haud ſecus atque peſtem quandam illam fugiens, ſæpe obiurgabat & verbis caſtigabat eam. Sed cum neque ſic vellet ab illo improbo conatu reuocare ſeſe, ſed pergeret eſſe importuna, tandem apud ſe deliberans, qua illa poſſet via reduci ad ſanitatem, tempus ei certum præfigit, ad quod adeſſe debeat. Illa ſe ſperans voti compotem fore, ſtatuto tempore confidenter venit. Poſtquam autem ad eum ingreſſa eſt, & illo iubente ſuperioribus veſtibus nudata, apprehenſam virgis egregiè in tergo verberauit, vt ſtultitiam quæ erat colligata in corde eius, virga diſcipli-

Turpiſſimè ſatan inſidiatur pudicitiæ eius.

Impudicam puellam verberibus ſanat.

diſciplinæ fugaret. Tum illa tam male & duriter accepta, fugit eum, quem antea tam perdite erat perſecuta: tantumque apud eam illi virgarum ictus profecerunt, vt, quemadmodum ipſa poſtea faſſa eſt, deinceps nunquam eiuſmodi tentatione pulſata ſit. Cernens autem impuriſſimus dæmon ſe tam aperta mali ſpecie eum euertere non poſſe, per matronam quandam ſatis, vt videbatur, honeſtam, eum in turpitudinis foueam pertrahere conatus eſt. Ea enim ſub officij prætextu quædam ei munera obtulit, vt iis eum illiceret & emolliret ad conſentiendum ſuæ malæ voluntati. Quod cum ille animaduerteret, perquiſiuit ex ea, num conſcio marito ſuo his ipſum muneribus afficeret. Reſpondit illa: Nihil huius nouit vir meus, quem nolim ſcire hunc me tibi peramanter habere honorem. Tum vir ſanctus. Ego vero, inquit, neſciente marito tuo dona tua non recipiam. Abiit illa cum muneribus ſuis, voto fruſtrata ſuo: & vir Dei ab eius infeſtationibus liberatus eſt.

Matronam, quandam impudicam egregie à ſe repellit.

POSTQVAM ex adoleſcentiæ annis exceſſit, creſcente cum ætate corporis robore, creuit etiam inuiſibilis mili- IX.
tiæ pugna. Quamobrem non contentus ille communibus ciliciis, quibus mater eum à tenens annis vti voluit, nouum cilicij genus effinxit, quo carnem ſuam non tam domare quam excruciare ſtuduit: quod genus & priſcis incognitum & recentioribus incompertum puto. Habebat cilicium non ex tenuibus pilis, vt aſſolet, contextum, ſed ex chordulis quibuſdam, inſtar retis multa denſitate inter ſe conſertis & intricatis confectum, cui multi inerant noduli, humanæ carni prope intolerabiles. Ab anteriori parte patebat, funiculis à capitio vſque ad fimbrias hincinde aſſutis conſtrictum. quare fiebat, vt eius noduli corpori arctius apprimerentur, & maiores ei cruciatus afferrent. Nec tamen hoc tormenti genere ille contentus, aliud addidit, maiori etiam admiratione dignius. Vt enim ex perpetua cilicij eius compunctione corpus doleret acrius, fune ex equorum pilis triplicato ita illud conſtrinxit, vt à ſcapulis vſque ad renes crebro ambitu funis duceretur, & infima parte tanta vi adſtringeretur, vt vix corpus inflectere, aut inflexum erigere poſſet. Et quia interdiu manus & collum, ne homines aduerterent, ea ratione affligere non potuit, noctibus cilicio ea affligebat. Addebat vero etiam femoralia cilicina, & caligas æque cilicinas, quibus aſſidue vtebatur cum lorica illa, quam mater ei reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus, pro duplici martyrio, quo ſe ipſe vltro affecit. Porro in Aduentu & Quinquageſima plumbeam quandam veſtem induit, & durum corium atque nodoſum, & ad dolores corporis augmentandos pluribus locis corpus ſuum funibus conſtrinxit, ne anima eius peccatorum funibus conſtringeretur.

Nouum cilicij genus effingit.

Nota dirã corporis caſtigationẽ.

CVM artium magiſter effectus eſſet, præter morem eorum, qui tum publicè legebant vel profitebantur, Miſſæ X
ſacrum audire, & preces Canonicas quotidie legere conſueuit, quæ religioſa conſuetudo etiam diſcipulis eius profuit, quibus perſuaſit, vt eum ipſo Miſſæ ſacrificio intereſſent. Vt vero commodius & liberius id efficere poſſet, in parœcia, in qua degebat, ſacellum conſtruendum curauit in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, quam ſemper amore ſingulari coluit & proſecutus eſt. Accidit autem, vt quidam ex auditoribus eius & morbo & egeſtate premeretur, nec quenquam haberet, qui opem ferret vllam. Eum iam lecto decumbentem, iuſſit in hoſpitium ſuum inferri: vbi ſanè rara quadam humanitate & beneuolentia quinque hebdomadibus coram illo cubauit, eique in iis, quæ eius poſcebat neceſſitas, ſedulo miniſtrauit, interim nihilominus & prælegens, & diſputans aſſidue. Non vacauit autem magno miraculo, quod cum ex ægroti illius manu ob imbecillitatem non raro vrinale excideret, ſemper manſit integrum, illius haud dubio meritis, qui ei propter Deum humanitatis officia præſtabat. Alius quidam eius diſcipulus, è brachio diriter laborans, ei indicauit, tanquam ſancto. At ille ex commiſeratione familiariter ait ad eum: Sanet te Chriſtus gratia ſua. Poſtridie redit ille, & ſe recte valere affirmat. Inuaſit autem morbus eius in brachium Edmundi, quem comiter ferens, paulopoſt etiam ipſe curatus eſt.

Conſtruit ſacellum in honorem matris Dei.

Singularis eius humanitas.

SOLEBAT quotidie deuote & reuerenter dicere precem quandam in honorem matris Dei & beati Euangeliſtæ XI.
Iohannis, cuius initium eſt, O intemerata &c. Sed cum aliquando ſtudiis eſſet occupatus, illius dicendæ oblitus eſt. Proxima nocte beatus Iohannes ei apparens, iuſſit manum porrigere. Habebat enim in manu ferulam, & dire viſus eſt ei minitari ictum immanem. Sed mox placatus, retinuit manum, quam iam ad cædendum extenderat: blandeque & familiariter eum admonuit, ne illam precationem vnquam omitteret. Iam ſex annis liberalium artium profeſſorem egerat haud vulgarem, cumque ſociis ſuis prælegeret geometriam, mater ei in ſomnis apparuit, perquiſiuit quid legeret, & quid ſibi vellent figuræ, quibus adeo intentus eſſet. Ille vbi reſpondit quod viſum fuit, mater apprehenſa manu eius tres in ea circulos pinxit, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum ordine eos appellans: addiditque: Hiſce deinceps figuris, fili mi, intentus eſto, omiſſis iſtis, quibus te occupas. Tum ille matris vocem intelligens, mox ad Theologiæ ſtudium ſe tranſtulit. Pecuniam, quam ei liberales diſciplinas profitenti, auditores numerare ſolebant, pulueribus opertam in feneſtra recondebat, ita dicens: Terra terræ, & puluis pulueri merito debet commendari. Sed in ſodales quidam animaduertentes, interdũ ioco eam tollebant: porro nequam homines furtim eam ſurripiebant. Poſtquam autem Theologiæ animum appulit, non ſat habuit mane ſacrificio intereſſe, ſed in augmentum pietatis & religionis, in æde ſancti Mederici nocturnis aderat vigiliis: poſt matutinas ſiue nocturnas preces, in oratione cum lachrymis & gemitibus coram altari ſanctæ Mariæ perſiſtebat, ac deinde, nulla corpori quiete data, cum aliis ad ſcholas accedebat. Veſpertinis etiam precibus ſe præſentem exhibebat. In ædibus ſacris reuerenter & pie ſe geſſit, & vel nunquam, vel rariſſime illic aſſidere voluit. Archiepiſcopus Eboracenſis Walterus cum eum Theologiæ ſtudere didiciſſet, ſacra biblia ſuis ſumptibus ei ſcribenda curare voluit. Audierat enim illum Oxoniæ librorum penuriam pati. Sed id ille recuſauit, veritus ne monaſteria ea re grauarentur. Habebat ipſe Pſalterium cum gloſſis, & duodecim prophetas, itemque Epiſtolas Decretales; ſed hæc omnia diſtraxit, pretiumque in ſtudioſos inopes Pariſiis erogauit. Mirantibus cæteris, cur præter omnium morem codices neceſſarios venderet, vni ex iis cauſam ſciſcitanti, & ſtultitiam obiicienti reſpondit: Quo plura nouimus, eo quoque plura facere debemus. Ego vero hos codices diſtrahens, parum feci, minuſque quam debui. Cum enim dicat Chriſtus: Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus: ego qui multa retineo, pauca largitus ſum: puſillanimitatis potius, quam prodigalitatis, argui debebam. Tanta autem auiditate ſacras complectebatur literas, vt in earum ſtudio pene inſomnes duceret noctes. Studiis intentus, coram ſe habebat imaginem eburneam beatæ Mariæ, in cuius circuitu depictum erat noſtræ redemptionis myſterium. Itaque in codice feruebat lectio, ad imaginem, vel eam potius, quam illa repræſentabat, preces dirigebantur: vtrinque vero eius animo influebat contemplationis dulcedo & ecſtaſis. Quoties biblia ſacra aperiebat, honoris cauſa reuerenter ea exoſculabatur.

Gratæ ſunt ſanctis preces, in eorũ honorem fuſæ.

Confert ſe ad ſtudium Theologiæ

Vigiliæ eius & preces.

Matth. 19.

Imago S. Mariæ.

BREVI autem mire in Theologiæ ſtudio profecit, ita vt intra annos paucos, multis magna contentione hortan- XII.
tibus, Doctoris titulo ornatus ſit: ſed id ſane inuitus, quod illo honore ſe indignum arbitraretur. At vero iam promotus in Doctorem, adeo cunctis prodeſſe ſtuduit, acſi omnibus iuuandis natus eſſet. Erat profecto concionator egregius, diſputator acutiſſimus, pius Theologiæ profeſſor: atque in iis omnibus aliis effundebat, quod ipſe hauſerat de fontibus Saluatoris. Non raro contigit, vt multi & magni viri, cum eius prælectionibus intereſſent, lachrymas cohibere non poſſent, ſed codices complicare cogerentur. Mel & lac erat ſub lingua eius, & inde mira ſuauitas in auditorum mentes diſtillabat. Multi ex eius ſchola prodiere doctores eximij, qui etiam vitæ eius veſtigia pro viribus ſectari conati ſunt: nonnulli eccleſiaſticis beneficiis honorati vel onerati potius, flammis oris eius in ſchola prælegentis incenſi, relictis omnibus, monaſticam vitam amplexi ſunt. Ignis enim in cordis eius altari iugiter ardens, aliis oſtendebat lucis iter.

Effectus prælectionum eius.

Quadam

Quadam nocte in ſomnis vidit ignem copioſum exiſtere in ſchola ſua, atque inde ſeptem faculas extrahi. Altera luce in ſcholis eo prælegente, Abbas quidam Ciſtercienſis ordinis eò aduenit, & lectione abſoluta, ſeptem ex eius diſcipulis ſecum abduxit, qui omnes facti ſunt in eius monaſterio monachi. In iis vnus fuit Stephanus, qui poſt a Clarauallenſis Abbas creatus eſt. Nihil hac re, tanquam imminuto auditorio ſuo, mouebatur Edmundus: lætabatur potius illo damno, quod cum animarum ſalute coniunctum eſſet. Diſputaturus aliquando de ſacroſancta Trinitate, aſcendit in cathedram: cumque illic ſedens diſcipulos expectaret, & quid dicturus eſſet, animo pertractaret, ſomno oppreſſus, vidit columbam supernè aduolantem, oreque ſuo ferentem mirificum Chriſti corpus, & ipſius ori inferentem moxque ad ſuperna reuolantem. Expergefactus, de beatiſſima Trinitate tam præclarè, ſublimiter & luculenter diſſeruit, vt humani ingenij modum propè exceſſiſſe videretur.

Viſio eius
Multi auditores eius vitam monaſticam ampleciuntur
Alia viſio.

XII. Mvlta ei concionanti gratia aderat, ita vt ignitis ſermonibus ſuis animos auditorum, quantumuis frigidos, efficaciter inflammaret. Senſit hoc Comes Vuilhelmus *Salesbire, quem longam ſpatham cognominarunt: qui cum multo tempore ſua peccata confeſſus non eſſet, nec vellet Chriſtiano more ſacroſanctam Euchariſtiam percipere in eius concione conuerſus eſt, & ad meliorem frugem ſe recepit. Sub ipſis autem concionibus ſuis vir ſanctus Crucem manu tenebat, quam ſubinde intuens, modò acerbè plorabat, modò leniter ſubridebat. Lachrymarum eorum cauſa erat, vt ipſus ait, quod cum multi eſſent verbi auditores, factores perpauci extarent: licet Chriſti paſſio eis ob oculos verſaretur, nec innumera ſanctorum exempla deeſſent. Ridebat verò, quod non ignoraret, per Chriſti paſſionem & Crucem immenſa toti orbi beneficia collata.

Vis concionum eius
** Sarum.*
** Solesberienſis.*

XIII. Abstinentiam in omnibus ſingularem ab ipſis primis ætatis initiis conſectatus eſt, puta in ſermone, cibo, potu, ſomno, rebuſque aliis, quantum humanæ ferrent vires, in iis temperantiæ ſtudens. Solo pane & aqua ſextis feriis contentus fuit: interdum ſolum panem edens, nullum omnino potum admiſit. Vnde id conſecutum eſt, vt nonnunquam labia eius ſciſſa viderentur, vt ſolet arida tellus, humorem ſitiens. Defluebant à capite & barba pili, medicis eius rei cauſam dicentibus, quod corpus eius humoribus deſtitutum eſſet. Cibis veſcebatur viliorbus: quod ſi adeſſent delicata fercula & potus lautior, minus iis vtebatur. Nolebat vt ſua cauſa quiſquam ex ipſo perquireret, quibus in prandio veſci vellet: & ſi appoſitas eſcas quiſpiam commendaſſet, guſtare eas nolebat, quod opiparas eſſe inde coniiceret. Secundis & quartis feriis, itemque in Septuageſima carnibus abſtinuit: cæteris diebus propè nihil è carnibus vel piſcibus attingens, nec tamen vel diſputationes, vel prælectiones intermiſit. Promotus ad ſacerdotium vel presbyterium, duram illam viuendi rationem, quam carnis excruciandæ cauſa ſuſceperat, etiam duriorem effecit. Rariſſimè bis in die edebat, idque non niſi honeſta ratione perſuadente. Denique tantum ille ſibi abſtinentiæ rigorem indixerat, vt plerique è ſuis putarent eum vel mente captum, vel vita priuatum iri. In preces ſedulus incumbebat, & in nuda humo defigebat genua, idque interdum tam duriter, vt erumpente ſanguine alterum genu adſpergeretur, alterum verò ſemper callum duceret. Singulis diebus omnia Chriſti crucifixi membra à capite vſque ad pedes ſingulatim ſalutabat iis verbis, Adoramus te Chriſte, &c. Quotidie etiam triplices dicebat horarias preces, quas vulgo Horas vocant, puta Canonicas, Sancti Spiritus, & perpetuæ Virginis Mariæ: addebatque etiam officium defunctorum. Poſt primum exurgens ſomnum, mox vel ad precandum, vel meditandum, vel legendum ſe conferebat, & tam poſt nocturnas vigilias, quas Matutinas vocant, quàm ante eas, ita perſeuerabat. Lectum quidem habuit ſatis honeſtè compoſitum, nec tamen in illo cubabat, ſed in ſcabello, nonnunquam etiam nuda humo: quãdoque verò caput pendulum ad lectum reclinabat. Interdum etiam, vt dimidio tantum corpore quieſceret, ſedens capiebat ſomnum: idque annis triginta ita feciſſe creditur. Linteamina, operimentum, vel culcitram non habuit, ſed vel pallio, vel epomide, ſiue ſuperhumerali tegebat ſe. Veſtes vt plurimum habuit colore cinericio, nec abiectas nimis, nec valde pretioſas. Ludis vel ſpectaculis ſecularibus ſe ie adiungere noluit. Beneficium Eccleſiaſticum vel vnum ſolum, licet crebro ſibi eſſent oblata, nunquam habere voluit, niſi præſens reſideret: & illud ipſum, ſi prælectionibus vacaturus erat, nullius expectato conſilio, reſignare ſolebat. Tandem tamen, vt liberius poſſet prædicare verbum Dei abſque auditorum onere, in nobili Eccleſia Saliſberienſi accepit cum canonicatu theſaurarij dignitatem, quorundam inſtantia & prece victus. Cauſarum ventilationibus & placitis intereſſe noluit, idque Pontificis Maximi permiſſu, cuius literas impetrauit. Pecuniam non modo tangere, ſed vel adſpicere indignum arbitrabatur, niſi eam, quam ſua manu pauperibus diſtribueret. Cellaria vel alias officinas domus ſuæ ingredi noluit, parum id ſe decere exiſtimans. Rationes quoque rerum ſuarum per ſe repoſcere, indecorum ſibi arbitrabatur. Quod è facultatibus ſuis proprium habuit, id commune ſtuduit facere egenis.

Singularis eius abſtinentia.
Initiatus ſacerdotio viuit durius.
Preces eius
Quo pacto ſomnum ceperit.
Veſtes eius
Plura beneficia reſpuit vnico contentus.
Pecuniæ contemptor inſignis.

XIV. Interea ſanctitatis eius fama etiam Alpes tranſgreſſa eſt, & cum Summus Pontifex eum Crucis amatorem eſſe didiciſſet, Crucis prædicationem ei cum inſigni priuilegio demandauit: permittens ei, vt ab eccleſiis acciperet res neceſſarias, & eorum metere poſſet carnalia, quibus ſpiritalia ſeminabat. Ea tamen poteſtate ille vti noluit, ſed gratis annunciauit Euangelium, ſuiſque ſtipendiis more ab illis, qui militant, valde alieno, militauit. Quamobrem etiam Deus in illa legationis functione & itinere multis eum miraculis cohoneſtauit. Cum enim verbum Crucis in pago Lemeſtrenſi prædicaret, iuuenis quidam, iuuenilibus irretitus oblectamentis, ab eius manibus Crucem accipere cupiens, ad eum acceſſit. Eum verò fœmina quędam à propoſito reuocare volens, arrepto pallio retraxit, ſed non impunè. Mox enim contracta manus docuit eam, non ſibi fas eſſe, Chriſto militaturum à tam pia voluntate reuocare. Illa ſentiens diuinitus ſe percuſſam, flens & eiulans voces dabat miſerabiles. Sciſcitante viro ſancto, quid id ſibi vellet, dictum eſt, quid accidiſſet. Tum ille ad mulierem: Viſne, inquit, de manu mea Chriſti Crucem accipere? Illa reſpondente, ſe id velle: vir ſanctus Crucis ſignum eius humeris impoſuit, & illa confeſtim ſanata eſt. Rurſus in pago Stadewicenſi illo Crucem prædicante, cum iuuenis quidam Crucem vellet accipere, amica eius retinuit eum. Sed eam repentè cœleſtis vindicta oculorum lumine priuauit: flenti verò & ploranti vir beatus pro ea orans, lumen reſtituit. Alio tempore concionaturus apud Boclandam, vbi Deo famulabantur moniales inſtituti Ciſtercienſis, priuſquam eò aduenisset, defuncta monialis cuidam viuenti monachæ apparens, Magiſter Edmundus, inquit, huc venturus eſt; & ad populum conciones habiturus. Tu ei filum tali loco repoſitum offeras, vt ex eo Cruces efficiat. Fecit illa, vt erat admonita, & cum multæ inde confectæ eſſent Cruces, permulti ſignati ſunt, nec tamen quicquam ferè de filo deceſſiſſe videbatur. Cum Vuigorniæ extra templum concionaretur, horrida nubes ſe repente diffudit, vehementes auditoribus imbres minitans. Sentiens vir Dei conſternatos illos iam fugam meditari, ſignum Crucis contra illas nubes expreſſit, ita dicens: Præcipio tibi, maligne ſpiritus, vt procul hinc abſcedas, nec hunc populum auſus ſis impedire. Dixit, & diſpulſa mox atra caligine, nubes lucida obumbrauit eos, interim in circuitu cum magna tempeſtate multa pluuiâ cadente. Sæpè etiam aliàs diuerſis temporibus pluuiam & tempeſtatem ab eo loco, quo concionabatur, auertit.

Gratis prædicat Euangelium & crucem.
Pœna fœminæ temerariæ
Eam ſanat vir Dei.
Cæcæ lumẽ impetrat.
Miraculum
Signo Crucis auertit pluuiam.

XV. Accidit nocte quadam, vt Biblia lectitanti ad lucernam, ſomnus vigiliis defatigato obreperet importunus: cui cum reſiſtere non poſſet, obdormiuit, & interim candela in codicem decidit, diuque illi inhærens, ardere non deſtitit. Euigilans inde vir ſanctus, vt vidit periculum, obſtupuit: exiſtimansque Biblia ſibi chariſſima aduſta, ingemuit. Sed cum ablata candela fauillam flatu ſuo abegiſſet, non ſine magna animi exultatione codicem prorſus illæſum comperit. Alio quoq; tempore lucernã lectitanti ſomnus extorſit, vt ipſi cederet vel inuitus. Tum verò mus ingreſſus, lumẽ extinxit. Expergefactus poſtea vir Dei, videt ſe lumine deſtitutũ: gemebundus appellat nomẽ dulciſſimũ ſanctiſſimæ

Præclarum miraculum

Lumen cœlitus ei reſtituitur. Pellit Crucis ſigno anthracem. Res mira ſanè.

matris Dei, moxq; gratulabundus cernit ſibi lumen cœlitus reſtitutum. Infeſtûquandoq; in pede apoſtema vel tuber rulit, quod medici anthracem ſiue carbunculum vocant. Calamum igitur arripiens, quo ſcriptitare ſolebat, tres vel quatuor Cruces in eius circuitu, vnam ſuper illud depinxit, prædicens deterrimum illud vitium propediem profligatum iri. Altero die ita malum illud omne euanuit, vt nullum eius veſtigium cerneretur. Quidam eius cubicularius cilicium & femoralia cilicina, quæ vſu diuturno contriuerat, ab eo comburenda accepit. Et ille quidem miſit ea in ignē, ſed ignis lambens ea, conſumere non potuit, tanquam vereretur ſacrilegij notam ſibi inuſtum iri, ſi læderet ea, quæ beati viri carnem attigiſſent. Nec hoc ſanè admiratione vacat, quod in eius cilicio aliiſque veſtibus vix vnquam vermis reperiri potuit. A famulis ſuis vſque adeo voluit carnis munditiam conſeruari, vt ſi quis eam contaminaſſet, is pactis legibus ſibi ex eius domo mox emigrandum ſciret.

Anno 1234. ſit Cantuarienſis Epiſcopus, vt habet Thomas de Walſingha in Ypodig. Neuſtriæ.

XVII. Cvm autem Cantuarienſis ſedes iam diu vacaſſet, & ad Gregorium Nonum Pontificem Maximum deuoluta eſſet illi metropoli paſtorem præficiendi deliberatio, per omnem Angliam ille diligenter per fidos nuncios iuſſit inquiri, quis illi oneri ferendi inprimis idoneus, tantoque honore affici præcipue dignus omnium iudicio cenſeretur. Tandem Edmundus vnus omnium & aptiſſimus & digniſſimus exiſtimatus eſt, eumque canonice electum, Cantuarienſi Eccleſiæ paſtorem dedit. Miſſi ſunt tum ſpectabiles viri ad Eccleſiam Salisberienſem, qui eum Cantuariam perducerent, ſed inquiſitum minime repererunt. In pago autem Caluenſi inuentū indicant, quid de ipſo factum ſit. At illo conſentire nolente, redeunt ad Salisberienſem Epiſcopum, quid Edmundus reſponderit, exponunt. Præcipit ille grauiter & ſeuerè, vt obediat. Nec tamen Edmundus flecti poteſt, donec dictum eſt, eum mortiferi peccati periculum minime euaſurum, ſi conſentire nolit. Tum ille Deum offendere timens, & precibus victus, & ratione conuictus, & præcepto adactus, aſſentit tandem, ſed ita tamen, vt proteſtaretur ſe nulla ratione electioni illi ceſſurum, niſi grauiter ſe in Deum peccaturum formidaret. Ita demum cunctis exultantibus, admodum honorifice & multa celebritate Archiepiſcopus ordinatus eſt.

Totus promptus eſt ad ſalutem animarum promouendam.

XVIII Pastor igitur in populo Dei conſtitutus, omni virtutum genere magis ac magis enituit: nec de ea quam diximus, vitæ ſeueritate & duritia quicquam remiſit, ſed in dies potius quippiam ad eam adiecit. Non induebatur purpura & byſſo, aut veſte pretioſa, vt ſolent plerique Epiſcopi: ſed contentus erat tunica vel candidi, vel cinericij coloris, pretij non magni. Attamen ne frons à cæteris diſcreparet, ſuperiores veſtes honeſtas habuit, non tamen ſtudio vanitatis. Cum eſſet in itinere, ſi quis ei vel teruntiimæ ſortis homo peccata ſua confiteri voluiſſet, mox ab equo deſiliit, confitentem audiuit, piam & affabilem illi ſe præbuit, nec repulit eum vel ob temporis importunitatem, vel ob hoſpitium propinquum. Pauperibus oſtiatim mendicantibus largas præſtabat eleemoſynas: malè valentium domos per ſuos homines diligenter inuiſebat, eoſque fouebat beneficiis, quibuſdam ex illis quotidianum victum & congruum veſtitum ſubminiſtrans. Puellas inopes ſuo ære nuptui collocandas curabat: quem in vſum applicare ſolebat mulctas pecuniarias, propter peccata quibuſdam iure irrogatas. Ab omni munere excutiebat manus ſuas, & eos, qui munera acciperent, deteſtabatur, præſertim poteſtatem gerentes, quos ad faciendam iuſtitiam gratuitos aiebat eſſe debere, non muneribus inuitari & illici: iiſque crebro dicebat: Prendere & pendere, non niſi litera vna inter ſe diſcrepant: ſignificare volens admodum propinquum eum eſſe ſuſpendio, qui præter fas munera libenter accipiat. Et multi quidem, vt eius ſibi beneuolentiam conciliarent, multa etiam non parui pretij offerebant, ſed ille omnia reſpuebat, aiebatque: Nunc quando diues ſum & nullius egeo, teterrimus ſatan muneribus capere me vult, quibus etiam tum, cum pauper eſſem, corrumpere me non potuit. Sed Dei ego benignitate fretus, ſpero nunquam illum hac ratione mihi impoſiturum. Muneribus enim præter ius faſque datis & acceptis, hodie corruptus eſt orbis Chriſtianus, peribitq; etiam prius quàm id percipiant Chriſtiani, niſi hanc peſtem à ſe extirpare & profligare conentur.

Munera contemnit.

Muneribus corrumpitur totus mundus.

Ob defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis multos habet aduerſarios.

Nota lector

XIX. Hvnc in modum ſe in Epiſcopatu comparauit & geſſit vir ſanctus, quamdiu pace & tranquillitate potitus eſt. Sed quia charus & acceptus erat Deo, oportebat eum in tentationum fornace probari & excoqui. Itaque cum totum ſe vellet ſaluti animarum & Eccleſiaſticæ libertati tuendæ, vt eius deceſſores fecerant, impendere, multa ei aduerſa & moleſta tum à Rege, tum à regni proceribus illata ſunt. Immo verò etiam ipſum Cantuarienſe collegium, quod eum ad illam dignitatem euocauerat, ei proh dolor ſe oppoſuit. Interim ille etiam eos, quos exploratè nouerat ſuos eſſe hoſtes & perſecutores, ad oſcula pacis, & ad ſuam familiaritatem paſſim admiſit, ita vt etiam gratis amicorum officiis & obſequiis, illorum graues iniurias præferre videretur. Qua in re cum à ſuis reprehenderetur, ille reſpondebat: Profectò ſi mihi vtrunque amputent brachium, vel è capite oculos euellant, nihilo mihi chariores erunt. Nolo ego propter eos peccare in Dominum, neque ex culpis alienis mihi damna conflare: imò verò malim inſilire in rogum ardentiſſimum, quam peccatum vllum ſciens admittere in Deum meum. Cum autem eius familiares lugerent & mœrerent ob illatas ei iniurias, obiurgabat eos, ita dicens: Sicut mater ægrotanti filio ſolet amarum offerre poculum, & iubere vti ſalutis recuperandæ cauſa illud ebibat: ita nos aduerſa omnia ſalutis cauſa perferre debemus, & maris huius inundationes perinde vt lac ſugere, atque cum præcurſore Domini in deſerto mundi huius comedere mel ſylueſtre. Commemorare etiam ſolebat, Chriſtum Dominum, cum morte afficeretur, nihil repugnaſſe, ſed potius pro eis patrem ſuū deprecatum eſſe, itemque non homini, ſed Deo, ſeruandam eſſe vindictam. Verumenimuero cum ſe animaduerteret in Anglia paſtoris officium ita, vt oporteret, exercere non poſſe, voluntarium complexus exilium, in Gallias migrauit.

Matth.3. *Luc.23.* *Deut.32.*

Aqua benedicta ſanat febricitantē.

Alium ſanat.

S. Thomas ei apparet.

XX. Ante verò, quàm è natali emigraret ſolo, multa per eum Deus miracula effecit. Quidam enim è Clero, laborans febribus, obnixè eum rogauit, vt aquam ſacraret, eamque ſibi pro obtinenda ſanitate bibendam porrigeret. Fecit vir ſanctus, quod rogatus erat: bibit æger aquam ſanctam, & repentè morbus abſceſſit. Alius ex eius Clero, quartana vexatus febre, eo die, quo paroxyſmum expectabat, per aulam, vbi diſcumbebat ſanctus Epiſcopus, pertranſiit. Cernens eum vir pius, ſciſcitabatur, cur non pranderet cum cæteris. Ille verò ait ſe febrem expectare. Tum Epiſcopus: Ego, inquit, Crucis ſignum exprimam in morſellum murænæ huius, eumque in ſanctæ Trinitatis nomine ori tuo imponam. Quem ſi mox comedere voles, ſanus eris. Accepit ille morſellum de manu eius, & cum ſociis ad menſam aſſidens, & manducans vultu hilari & iucundo, curatus eſt. Quidam vir magnus & literatus, è genu laborans, percepta ſancti Epiſcopi benedictione cito reualuit. Porro autem ante eius exceſſum ex Anglia, ſanctus Thomas martyr apparuit beato viro, &, vt viriliter ageret, eum cohortatus eſt, eiuſque animum confirmauit. Cum autem martyris pedem ille oſculari vellet, noluit ferre Chriſti martyr, ſed pedem retraxit, illo ſuſpirante atque illachrymante. Sciſcitante autem martyre, cur fleret, & illo reſpondente, quod dignus non eſſet eius beatiſſimos oſculari pedes, martyr ait: Noli hac cauſa flere: propediem enim ad oris mei oſculum admitteris.

Excedit ex Anglia.

XXI. Capta inde opportunitate, clam ab Anglia diſceſſit, & Pontigniacum in Gallias profectus eſt, quo in loco nouerat refugium & receptaculum fuiſſe omnium ab Anglia propter iuſtitiam exulantium Prælatorum. Illic ad annos ſex delituerat beatus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis & martyr: itemque celebris ille Stephanus à Languetonia cum aliquot ſuffraganeis ſuis multis annis palmam certaminis ſui ibi præſtolatus erat. Extant verò etiam verſus cuiuſdam de loco illo:

Pontigniaci encomium.

Eſt Pontigniacum pons exulis, hortus, aſylum.
Hic graditur, ſpatiatur in hoc, requieſcit in illo.

Eò cum

Eò cum veniſſet beatus Edmundus, inprimis reuerenter acceptus eſt: ibique permanens, lectioni & aſſiduis precibus vacabat, & ſua manu ſcriptitabat: interdum etiam ad propinqua loca concionaturus exibat. Interim graui morbo corripitur, & ſole nimium feruente, familiares eius conſultum arbitrantur, vt ad locum temperatiorem transferatur. Itaque vir Dei à Pontiniaco recedens, Soiſacenſe monaſterium petiit, vbi etiam vita functus eſt. Dolentibus autem Pontiniacenſibus, quod ipſos relinqueret, ſic eos conſolatus eſt: Ad proximas beati Edmundi Regis & martyris ferias reuertar ad vos. Tum enim ſol à nobis longius recedens, hyemis frigora adducet. Quod quidem prophetico ſpiritu illum dixiſſe, probauit euentus. Illo enim die Pontiniacum corpus eius relatum eſt, impleuitque mortuus, quod viuens promiſerat. Vbi autem animaduertit diem extremum impendere, ſacroſanctum Chriſti corpus afferri iuſſit. Eo allato, ſuas ad illud manus extendens, cum ingenti fiducia ait: Tu es, Domine, in quem credidi, quem prædicaui, quem veraciter docui: & tu mihi teſtis es, quod in terris nihil præter te quæſiui. Et vt tu noſti nihil me velle, niſi quod tu vis: ita fiat, Domine, voluntas tua. Mirabantur omnes, qui illic aderant, putabantque eum alienatum mente hæc dicere, maxime quod haud aliter ſe gereret, ac ſi Dominum carne crucifixum, coram intueretur. Poſtquam autem ſacroſanctam percepit Euchariſtiam, toto illo die adeo iucundus & hilaris fuit, vt omnis ægritudinis expers videretur, multaq; omnes, qui illic aderant, admiratione afficerentur. Manabant ab oculis lachrymæ pietatis, perpetuam mentis ſerenitatem teſtabatur vultus immutabilis. Sacramento extremæ vnctionis accepto, Crucem non ſine lachrymis & gemitibus complectebatur, & mira deuotione ac pietate vulnera Chriſti crebro & prolixe deoſculabatur. Porro vulnus lateris illachrymantibus oculis reſpiciens, diuque ore admoto inde ſugens. Haurietis nunc, inquit, aquas de fonte Saluatoris. Eam illius deuotionem & geſtus vltra modum adſtantes admirabantur, maxime quod incredibili hilaritati adiunctam cernerent diſciplinam. Denique membris ſenſim deficientibus, noua ſemper mentis gratia in eo pullulabat. Itaque tametſi mors ei erat proxima, nullum tamẽ mortis ſignum in eo extitit: nulli gemitus vel ſuſpiria, nullæ eius querimoniæ audiebantur: nec lecto decubuit, vt ſolent moribundi, ſed vel ſedit, vel quietem capturus, caput in manum depoſuit. Tandem morbo inualeſcente, felix anima euolauit è corpore decimoſexto Calendas Decembris, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo.

Corripitur lethali morbo.

Nota ſancti viri admirandam in extremis fiduciam.

Et vt complectitur crucem.

Eſa. 12.

Anno 1240. abiit è terris in cœlũ.

Baronius in not. Martyrolog. Rom. habet eum è viuis exceſſiſſe anno 1246.

XXII. Nocte autem illa, quæ eius obitum anteceſſit, quidam vir vitæ venerabilis, in viſione vidit illum in primaria æde Cantuarienſi in põtificia cathedra ſedentem, & habitu pontificali indutum, pedum ſua tenente manu: quoſdam vero eius æmulos cathedram ligonibus velle euertere vna cum Epiſcopo: cumque iam prope corruere videretur, diuino nutu repente illic adeſſe thecam beati Elphegi Archiepiſcopi Cantuarienſis & martyris, in eamque ſine vlla læſione temporis puncto beatum Edmundum recipi. Porro beatum Elphegum operculum thecæ ſuæ ab eo loco, vbi eum populus veneratur, manu ſua apportare, & eo tegere beati Edmundi corpus, in ipſius theca quieſcens, moxque exultabundum dicere. Statuit ei Dominus teſtamentum. Vbi vir Dei è vita abiit, corpus eius exanime feretro impoſitum eſt, vt Pontiniacum deferretur: ſed prius tamen extracta pro more viſcera, in S. Iacobi æde apud Pruuinum tumulata ſunt, vbi multis ornantur miraculis. Reliquum corpus ablutum, & veſtibus ſacris indutum, Pontiniacum honorifice perlatum eſt. Sed in itinere nocte vna in Templariorum de Coloris domo permanſit, completumque eſt, quod vir ſanctus prædixerat. Cum enim à Pontiniaco diſcedens, illac iter haberet, coniectis in eam domum oculis, ſciſcitabatur cuius eſſet. Quodam aũt reſpondente, Templariorum eam eſſe. Cum Pontiniacum, inquit ille, rediero, hoſpes illic pernoctabo. Denique ipſis beati Edmundi Regis feriis corpus ſacrum ad fores Pontiniacenſis cœnobij adductum, & qua par erat, reuerentia exceptum eſt. Dilata autem eius ſepultura eſt, dum appararetur ſarcophagus, vſq; in ſeptimum diem, nec tamen vlla in eo corruptio, nullus ingratus odor deprehenſus eſt. Tota autem nocte illa in precibus fratres manſère peruigiles, corpuſq; detecta facie in medio poſitum, roſeo colore perfuſum videbatur.

Viſio cuiuſdam.

Prophetia S. Edmundi.

Mira gratia in vultu defuncti.

XXIII Porro cuſtos ſacrarii Petrus, videns multos confluere, dareque operam, vt pro animi ſui deuotione poſſint aliquid ex eius reliquiis adipiſci, apud ſe ſtatuit in eandem curam & cogitationem incumbere. Itaq; tanquam operis quippiam facturus, accedit ad feretrum, tentat auellere annulum à digito beati viri, & alium in eius locum reponere. Cum autem leniter contrectando nihil proficeret, quanto maximo potuit conatu inſtitit, vt annulum è digito extraheret. Sed videns fruſtra ſe niti, veritus ne in facto deprehenderetur, procul abſceſſit, nec tamen deſtitit cogitare, ſi qua via poſſet peruenire ad id, quod optabat. Deinde rurſus eo ſe confert, licet pudefactus: applicat os ſuum ad defuncti aures, demiſſa voce tanquam viuenti ſic loquitur. Peccaui ſancte pater, quod non prius petita venia, quod tuum eſt, mihi temere vſurpare inſtitui: ſed quia id facere volui honoris tui cauſa, ignoſce (obſecro) confitenti, & optatum munus largire petenti. His dictis, apprehendit beati viri manum, ſummaque facilitate annulum non tam detractum, quam elapſum à digito, mirè gratulabundus adſportat. Eum autem Abbas inter alias res ſacras iuſſit reponi, atque ex eius contactu vſque in præſens, Domino largiente, multa ægris beneficia præſtantur. Mane autem innumera hominum aduenit multitudo, diuiniſque officiis rite peractis, corpus ſacrum à multis honeſtis & venerabilibus viris humatum eſt. Illo autem die non niſi tria edita ſunt miracula, fortaſſis quod plures illic ægroti non adeſſent, qui curarentur. Poſtridie humus corpori ſuperiecta eſt, & toto fere octiduo miracula ceſsârunt. Quod cum non parum mœroris & admirationis fratribus afferret, frater Hermannus ait ſibi crebro apparuiſſe beatum virum vultu mœſto & irato, ſeque ex eo percontatum, cur à cœptis miraculis ceſſaret, illumque demonſtrâſſe ſepulchrum ſuum, dixiſſe tanta mole terræ oppreſſas manus non poſſe ſe ad cœlum tollere Domini deprecandi cauſa. His auditis, omnes laudant Deum, & ocyus terram omnem à corpore amouent. Mox vti cœperant, rurſus miracula fiunt: vident cæci, ſurdorum pateſcunt aures, ambulant claudi, hydropici detumeſcunt, morbidi curantur: in carceres coniecti, liberantur: mortui reuiuiſcunt: ipſa quoque bruta animantia, eius beneficia percipiunt. Paulo autem poſt, id eſt, à ſepultura menſe quarto, ſacrum eius corpus eleuatum eſt, integrumque repertum, membraque, quæ in defunctis ſolent obrigeſcere, flexibilia comperta. Itaque honeſtiori loco repoſitum eſt, atque ea, quæ iam diximus, miracula, non illic duntaxat, ſed etiam in diuerſis regionibus, eius meritis declarata ſunt. Cum autem homines quidam temerarij ſancti viri meritis & miraculis derogarent, repente diuinitus percuſſi ſunt, & vel inuiti prædicarunt virtutes & ſigna præclara, per quæ ſanctum ſuum Chriſtus efficiebat: cui eſt honor & gloria per infinita ſeculorum ſecula,

Amen.

Annulo ſancti viri curantur permulti.

Multa miracula ad ſepulchrum eius.

Res mira.

An. 420. ***VITA S. ANIANI VII. AVRELIANENSIS EPISCOPI, EX ACTIS ECCLESIÆ AVRELIANENSIS S. ANIANI, ET S. GREGORII TVRONENSIS hiſtoria, per Carolum Sauſſeyum Aurelianum, S. Theologiæ & I.V. Doctorem, Socium Sorbonicum, & Decanum Eccleſiæ Aurelianenſis lib. 2. Annalium Aurelianenſium conſcripta.***

17. Nov. Vienna in Delphinatu, Vide Bõfin. hiſtor. Hung Deca 1. lib 4. a S. Aniani frater Leonianus.

ANIANVS Viennæ ad Rhodanum in Gallia nobilibus parentibus natus, ab ineunte ætate extra murũ ciuitatis, in loco qui dicitur vetus caſtrum, cellam ſibi conſtruxit, in qua diu noctuq; orationi lectioniq; ſanctarum ſcripturarum intentus, diuinis ſeſe dedit obſequiis. Ibi per annos plures à reliqua plebis multitudine ſemotus, cũctos ad ſe venientes ſalutaribus monitis inſtruebat, iuuabat plurimos largitionibus eleemoſynarum, affligebat carnem ſuam ieiuniis, corpus etiam freno conſtringebat. Fratrem [a] habuit S. Leonianum abbatem, qui foris ad Orientalem plagam vrbis Viennenſis in Baſilica S. Petri (vbi beati Deſiderij martyris corpus quieſcit) ſummo cũm honore traditus eſt ſepulturæ. Cum vero B. Euurtij epiſcopi Aurelianenſis fama per omnes orbis Chriſtiani partes ob nomen ſanctitatis eius longe lateq; peruagaretur, ſubiit in mentẽ Aniano eius inuiſendi gratia Aureliam proficiſci, atq; inſerere ſe in famulorum eius contubernium. Euurtius cum probaſſet hominis ſanctitatem, ieiunia crebra, vigilias prope incredibiles, creat eum primo [b] presbyterum; mox conſtituit Eccleſiæ [b] S. Laurentij † extra muros abbatem. I.

b Presbyter à S. Euurtio ordinatur. † S. Laurẽs des Orgevils Gallice. c Aurelianẽſium Epiſcopus ab eodẽ nominatur.

EVVRTII ætas ad annos multos proceſſerat, & de ſuo certior factus ad Deum tranſitu, in hanc curam ſollicitus incumbebat, ne ſicut olim, ita poſt obitũ ſuum acerbæ ſuper electione futuri antiſtitis orirentur diſceptationes. Itaq; nobilium non paruam aduocans multitudinem, ab eis ſciſcitatur, quis videretur apud eos dignior iſta ſede. Et cum, vt moris eſt, in contraria variaq; vota diſtraherentur. Si [c] vere paſtorem vultis, inquit, electum à Domino, fratrẽ & compresbyterum meum Anianum habere mihi ſucceſſorem. Vt vero diuinum omnibus ſuper hoc negotio iudicium innoteſceret, triduanum ex Eccleſiæ cõſuetudine ieiunium indicit, poſtulatorũ in epiſcopos nomina membranis breuibus inſcripta, & libros ſanctarum ſcripturarum ſuper altare Eccleſiæ S. Crucis, quã ipſe conſtruxerat, iubet imponi. Tertia demum die mane conſurgens Domino annuẽte, infantulum ibi repertum, cui necdum loquenti vſus erat, ad altare afferri præcipit, qui ſuſpicione procul ſubleuaret ipſe membranas. Sed vbi primum infantulus breuibus admouit tenellam manum, voce ſupra humanã inclamat, audientibus omnibus. Anianus, Anianus, Anianus, iſtius ciuitatis à Deo Pontifex eſt electus. Nec deinceps vſq; ad tempus ſolutæ natura linguæ, quicquam fatus eſt. [d] Mirantibus vniuerſis, et iubet Euurtius libros ſanctos aperiri, exquiri ex eis quam grata ſit Deo Aniani electio. Ex pſalterio igitur primis legentibus occurrit ille verſiculus Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Profertur dein codex Apoſtolicus & apertus hanc habet ſententiam. Fundamẽtum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt. Ex Euangelio tandem periodus iſta reperta eſt. Super hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam. Tunc S. Euurtius, vniuerſus clerus & populus immenſas Deo gratias agere, in Domino feliciter exultare cœpit, qui tam inſigniter commendatum ſacerdotem eis aſſignaret. II.

Pſal. 64. 1. Cor. 3. Mat. 16.

Eius electio diuinitus approbatur. d Infantulum hunc S. Floſculũ XIII Aurelianẽſ põſt Epiſcopum fuiſſe vulgò ferri, tradit Sauſſeyus lib 2. Annal. Aurel. in S. Floſcũlo.

HVNC igitur B. Euurtius in pontificem more ſolemni conſecratum in cathedra ſua ſuperſtes adhuc ſiſtit: Anianus vero de ſuo ſolenni in vrbem cogitabundus ingreſſu, poſtulabat ab Agrippino viro primario & magiſtro militũ, vt ob introitus ſui gratiam aperiret carceres omnibus, qui criminis cauſa in vinculis tenebantur. Recuſabat ille non eſſe æquam viri poſtulationem prætexens. Sed non tulit diuina vindicta diutius hanc exceptionem. Cum [e] enim Agrippinus in templũ precãdi cauſa vellet ingredi, lapis ingentis põderis è ſublimi decidens lethale illi vulnus in caput inflixit, vt eſt creditum, quia noluerat poſtulationi adquieſcere ſacerdotis. Accurrunt hinc inde famuli, & proſtratũ vulnere dominũ, copioſiſſimũ ſanguinem cerebro profundẽtem, exanimũ prope & exſanguem, mœſti domũ comportant, haud vllum, niſi ab Epiſcopi manibus & meritis auxiliũ præſtolãtes. Accurrit [f] etiam Anianus, decumbentem conſolatur, irriguum ſanguinem crucis ſigno ſiſtit quantocyus, & extremas prope ducentẽ horas momẽto priſtinæ reddit ſanitati. Tũc agnoſcit crimẽ Agrippin⁹, & interceſſione põtificis apertis carcerib⁹ plenã captiuis libertatẽ facit. III.

Inthronizatur S. Euurtio adhuc ſuperſtite: e Agrippini magiſtri Præfecti pœna, recuſantis liberari re[-]ſtituere captiuos ad preces S. Aniani. f Agrippinus reſtituitur.

EXINDE B. Euurtius infra breue temporis interſtitium ingraueſcente moleſtia corporis, feliciter è rebus excedit humanis, ſupremos honores in cœlis adepturus, & in eius tranſiturus conſortium, cui fidelis ſeruus fideliter, toto vitæ ſuæ ſpatio fuerat obſecutus. Tetradius vir nobiliſſimus ex ordine ſenatorum in Orientali parte ciuitatis in agro proprio mortuũ efferri curat. Anianus Epiſcopus omni clero & populo, ſanctiſſimi piiſſimiq; prædeceſſoris ſui membra ſolemni pompa ſepulchro infert, eiq; iuſta facit, in loco vbi nunc S. Euurtij nomine Baſilica nuncupatur. IV.

g S. Euurtii obitus & ſepultura.

EVVRTIO vita functo, viſum eſt Aniano ſtructuram Eccleſiæ S. Crucis, quam ædificauerat ille, altiori culmine munificentius eleuare, quo in opere deinceps Deus Aniani mirabilem manum demonſtrauit. Erat præfectus artificũ illius operis Mellius, qui cum per tabulata tecti diſcurreret, labante pede de ſublimi in imam terram corruit, ita vt toto quaſſatus corpore, luxatis membris omnibus, excerebratus, & prope exanimus mortem præſentiſſimam opperiretur. Audiens Anianus oppidò aduolat, feſtinat ſuccurrere laboranti, procul crucis ſignum exprimit, architecti manum prehendit, vitæ dicto citius reſtitutum, ad perficiendum opus præficit proficiſci. V.

S. Anianus Eccleſiæ fabricæ præfectum grauiter quaſſatum reſtituit.

INTEREA [h] in Gallias irruentibus Hũnorum populis Attila Rex ſæuiſſimus, virga furoris Dñi, flagellum Dei imperabat, qui è Metenſi † ciuitate ſoluens (in qua ſtragem ingentẽ exercuerat, in ipſa Paſchæ vigilia vrbe flammis data, populo in ore gladij trucidato, ſacerdotibus Domini ante ſacroſancta altaria interemptis, templis omnibus, excepto S. Stephani oratorio concrematis.) Aureliam verſus, properabat, vt eam euerteret. Anianus vero non quod poneret carnem brachium ſuum, aut in hominum viribus ſpem collocaret, ſed ne deeſſe officio ſuo videretur, Arelatem petit, vt Aëtium patritium, qui tum in Galliis Imperatoris præfectus erat, crudelitatis barbarorum admoneret. Eo in itinere Mamerti diuitis admodum viri domum ingreſſus, lecto decumbentem grauiſſimo conflictatum morbi dolore, ſpiritu, voce, omniq; gradiendi facultate, & vitæ ſpe deſtitutum reperit. Læta eius aduentu mulier matrona nobiliſſima beati viri prouoluta genibus, ſalutem coniugi deprecatur. Accedit [i] ad lectum ægrotãtis epiſcopus, & totam noctem lachrymis & orationibus impendens, horis matutinis languidum reſtituit ſanitati. Is eſſe dicitur Mamertus qui poſtmodum Viennenſis Archiepiſc. ob reſtitutas meliorem in modum Rogationes, toto orbe, & in noſtra potiſſimum Eccleſia celebratur: cuius [*] corpus & caput ad nos tranſlatũ, ab hæreticis bellis ciuilibus cũ multis aliis ſanctorum venerandis reliquiis eſt interceptum, memoria tamen adhuc illius honorificentiſſima tribus in anno feſtiuitatibus nobis celebratur: reliquiarum eius aliquantulis partibus ad Eccleſ. noſtram è Remenſi adiatis, & aliis, in parochiali Eccleſ. S. Martialis de caſtro nouo huius diœceſis inuentis. VI.

† Hunni Gallias vaſtant. * Metsen Lorraine. h Gregor. Tur. lib 2. hiſt cap 6. i S. Anianus Mamertum grauiter laborantem curat. * Hugo Floriac. in Chron li 5.

EST [k] in illis partibus monaſterium quod Arnainſ nuncupatur, monachorũ præclarã habẽs multitudinẽ, qui Anianũ illac trãſeuntẽ exceperãt. Abbas eius monaſterij viginti à tãnos lumine priuat⁹ oculorum remediũ cæcitatis precibus expoſcebat. Ille meritis commotus prece, exemplo Dñi [l] oculorũ orbes reſpergit oris excremento, & infirmitatem, nõ vlla ope humana ſuperabilem extergit. Reluxerat eo dies, quem ereptum inſultabat hominũ infeſtiſſimus inimicus. VII.

S. Aniani tempore floruiſſe Mamertum notatur, idem coli grtur

ex Chronico b. Mariani k Ex actis Eccleſiæ noſtræ 1603. 608 l Abbatem Arnauenſem cæcum reſt. tuit.

VIII. His & aliis ſignis cœleſtis fauor & inclinatio numinis in Anianum oſtēdebatur, ipſe vero Arelatem † peruenit, vbi multos comperit Dei ſacerdotes, qui ad Aëtium ex variis partibus exq; variis cauſis aduenerant, nec dabatur corā loqui facultas ob viri ſupercilium. Sed cum iniuiſſet palatium eius Anianus, nihil cōtatus Aëtius genua illius aduoluitur, percunctatur arrepti cauſas itineris. Sacerdos tatā ſolers prudentiā primum ea exponit, quæ publicum totius imperij commodum adſpectarent, Dein ciuitatis Aurelianenſis inuaſionem, promouente iam exercitum Attila, eſſe præ foribus, nî feſtinaret pereclitanti ſuccurrere. Prænunciat (erat enim ſpiritu prophetiæ non minus quam dono miraculorum locuples) decimo octauo Cal. Iul. præſtitutum diem, quo beſtia illa immanis in gregē dominicum ferox eſſet graſſatura, nî eodem momento ferret openi. His monitis excitus Aëtij animus, comitatem hi ſpiritis, orationem loquentis, grauitatem ſenis ammiratus, omnem poſcenti operam pollicetur, nec defore ſe loco & tempori repromittit, iubet vt ſecurus Aureliam reuertatur, ciues ammonefaciat, vt venturo præſto ſint.

† Arles en Prouence.

Aetiū Præfectum de aduentu Attilæ monet.

IX. Redevnte Aniano, non ita multo poſt eruentus Attila muros ciuitatis ingenti agmine militum circumobſidet, vallo cingit, crebris inſultibus obſeſſos * examinat. Haud exterret eius ſtratagematis illis pontifex, quin vero maiores adducunt ei animos, quæ aliis auferunt, ſummum ei perfugium ad Deum, cui vota preceſque nuncupat. Defert ª procedente circumfuſa multitudine per intima mœnium venerandas exuuias beatorum. Cui muneri cum deuotus inſiſteret, ſacerdos quidam vnus ex pluribus, qui Aureliam ab inſultu barbarorum ſibi perfugium quæſierant, ſubſannabundus & excors ad Anianum infit. Quid agis Pontifex Aniane, an præſidium vitæ & ciuium tuorum in veneratione ſanctarum reliquiarum collocas? Iſthæc ſimilia facientibus in aliis huius regni ciuitatibus ne hilum quidem profuerūt. Protinus ᵇ venerationi ſanctorum obloquentem inſecuta numinis vltio, vix ſermonem finientem coram cecidit. Interea inimicæ phalanges Hunnorum, innumeris telorum iactibus, crebris arietum ictibus mœnia, ciues exterrent. Incluſi ᶜ populi ſuo Pontifici adclamant, ineūt Eccleſiam, preces profundunt. Ille forti animo eſſe iubet, neminem fuiſſe fruſtratum aſſeuerans, qui eius ſe prouidentiæ in ſolidum commiſiſſet. Monet omnes orationis gratia in genua ruere. Et adſpicite, inquit, de muro ciuitatis, ſi Dei miſeratio iam ſuccurrat. Aeſtimabat enim eſſe haud procul vrbe Aëtij exercitum, ſiquidem promiſſi ſtare conſtituiſſet. Cumque de muro adſpicientes vidiſſent neminem, Orate, inquit, fideliter. Non deerit hodie Dominus. Aſpicite. Studioſe aſpiciunt, nec eſt qui ſuccurrat orantibus. Ait illis tertio, ſi fideliter petitis, Dominus velociter adeſt. At illi ſacerdotis monitis gerentes morem, liberationem ab imminente clade gemitibus repetitis expoſcunt, miſericordiam Domini conteſtantur, promiſſum feſtinare deprecantur auxilium. Finita obſecratione tertio iuxta ſenis imperium adſpicientes è muro vident quaſi nebulam è terra ad aërem excitari. Quod cum renunciarent viſores, ait Anianus. Auxilium Domini eſt. Et repente contra barbaros exruit. Digna ᵈ cognitu res, ab aliis non ſatis celebrata, ſimul cum ſpuro tanta pluuiarum inundatio è cælo proſilijt in hoſtes, vt nedum pugnare, ſed nec mutuum adſpicere per tridui ſpatium inter ſe caperent, tenebras oculis infundente nimbo, quem preces Pontificis excierant.

Anno 451. Attila Aureliam obſidet, teſte Sigib. in Chron. & Bar. an. vbi ſupra.

* exanimat.

a Anianus in ſanctorū reliquijs ſpem ſuam poſt Deum locat.

b Pœna in ſanctos blaſphemi.

c Vide Greg. Tur. libr. 2. cap. 7. hiſt. Francor.

d Nota tem mitam.

X. Nondvm aduentante Aëtio Attilæ tentorium imperterritus adit Anianus, pro ſuis ouibus paſtor Tyrannum exoraturus. Sed nihil proficit eius oratio: inſolens ex victoriis animus, ſpolia, vitas ciuium, exitium vrbis certum inhiat, iubet vt pontifex in ciuitatem reuertatur, quo ſe oppidò confert. Sequenti luce perfractis vrbis portis irrumpit furibundus Attilæ regis exercitus, proceres ſorte domos diuidunt, aſportandis ciuium ſpoliis plauſtra miles conuehit, de capta ciuitate ſtolide inſoleſcit. Sed improuiſus Deo volente adeſt Aëtius. Fama eſt & ita res habet, diuina manu momento temporis Anianum in caſtra Aëtij tranſlatum, militem quendam Aëtij conueniſſe, commonuiſſe vt Aëtio renunciaret. Dic filio meo Aëtio, vt hodierna die opem ferat, ſi craſtinò expectet, fruſtra venturum. Itaque cum * Theodorico Gothorum rege, & Thoriſmundo regis filio Aureliam adueniens Imperatoris præfectus Aëtius, eadem ipſa die ante Calendas Iulias octauo decima, ſpoliis iam onuſtum, ſed improuidum aduerſus hoſtem immani ſtrage bacchatur. Hunnorum alij tranare Lygerim cupientes, aquis fluentibus ſuffocantur, alij latiſcentes animis ſeſe captiuos dedunt, alij mortem glorioſam mucrone irruentium hoſtium oppetunt magis quam precariam cogantur expectare: Paſſim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus. Nec capit hæc intererenarrate quot capitibus hoſtium vitam ſeruauerit in illa ſtrage noſter Anianus, edoctus diuinis oraculis eſſe reddenda bona pro malis. Qui in vitam eius coniurauerant, eis ſalutem ab Aëtio deprecabatur. Reliqua pars numeroſiſſimi exercitus Attilæ, fugæ præſidio ſeſe tuetur, quæ dein ab Aëtio, * Theodorico & Thoriſmundo, ſuppetias eis ferente Meroueo Francorum rege & Childerico eius filio in campis † Cathalaunicis fuſa eſt, quo prælio ex vtraq; parte cæſa ſunt ad centum * octoginta millia militum delectiſſimorum.

Attilla S. Aniani preces reijcit.

† al. Theudo.

Attila ab Aetio in fugam vertitur.

* al. Theudo.

† Chaalōs, Gallice.

* Annales Franciæ, Hugo Floriac. lib. 5. Chron. ei. centū ſexaginta millia.

XI. Lætvs ob ſeruatam tanto triumpho ciuitatem Anianus, ingentes Deo gratias feſtinat referre, eò maxime, quòd inter tot clades ne vnus quidem ciuium ſuorum occubuiſſet, niſi qui aduerſus præceptum eius Dei auxiliū deſperantes vltro ſe hoſtibus dedidiſſent. Mirari licet in ſcripturis dominicis, Pharaonis copias, currus, equites, pedites innumerabiles, maris fluctibus inuolutos momento temporis ad vnum omnes peſſum iiſſe, ex Iſraëlitarum imbecilla & inermi gente ne vllo quidem pereunte: fuſum Philiſtæorum omnem exercitum bis terve, Dauide inexperto iuuene ad bellum contra eos procedente, dum ei præſto eſſet manus Domini auxiliaris. Cantauit Moyſes canticum Domino debellato Pharaone, cantauit & Dauid Pſalmes. Cantauerit etiam non minori argumento Anianus hoſtibus ex improuiſo ſupra humanum auxilio profligatis.

Exod. 14. & 15.

2. Reg. 17. & 18.

XII. Sed præclaris Dei facinoribus alia etiam meritis B. Aniani facinora Dei ſuperaddūtur. Circumfuſæ tota regione Hunnorum copiæ vſq; ad decimum octauum Cal. Iul. nullam ſpem faciebant metendi ſegetes, fruteta, vineas, quas, vt eſt ſolita militum inſolentia, aut equorum vngulis conculcaſſent, aut incendiſſent flāmis, aut eſſent manibus depopulati. Quinam accolę ſtudio victus agros conſeruaſſent? qui agricolæ exaraſſent? qui vinitores excoluiſſent, quos nefandus ille exercitus indiſcriminatim aut interficiebat aut enecabat pugnis, aut domibus exulare cogebat? Ecquis neſciat gentem illam eo gloriabundam, quod omnem ſe iactitaret humanitatem exuiſſe, nil aliud curauiſſe niſi vt Chriſtiani omnes quibus erant hoſtes infenſiſſimi, fame, ſiti, bello, tabe conficerentur? Eodem tamen anno, dictu mirabile, narratu iucundum, experientia inauditum, frugum annonam Aurelianenſibus duplicauit Deus ita vt nō modo nihil detrimenti ex obſidionis longitate cepiſſet vniuerſa regio, verū etiam vbertate omniū fructuū ad ſatietatē cumularetur.

Hunnis Aureliam obſidentibus dupla annona.

XIII. Exacto dein biennio his aliiſq; virtutum muneribus inſignis Anianus, feros fluctus maris huius mundi, votorum compos emenſus, vt ad ſalutarem interminabilis vitæ portum ſecurus aſcenderet, qua illum Deus meritis honoribus ad optatum coronauit. Corpus eius publico funere celebratum ad Occidentalem partem ciuitatis in Eccleſiam S. Laurentij Leuitæ inlatum eſt: emortuum, quam viuens non minus illuſtre miraculis. Tres ᵉ pueri à matre, Aniano poſt mortem eius commendati, priſtinam valetudinem poſtmodum ſunt indepti. Puer balneo ſuffocatus Aniano deuotus vitæ reſtituitur. Robertus Rex Francorum ſæpiſſime, ſed maxime Belnæ † Lingonienſium victoriam conſecutus eſt precibus Aniani.

Anno 453. S. Anianus mortuus ad S. Laurentium ſepelitur.

e Miracula poſt mortē.

† Beaulne en Bourgōgne, dioceſe de Langres.

XIV. Qvo factum eſt, vt multis retrò annorum curriculis, creſcente in dies fidelium deuotione, corpus illud ſacrum è tellure, in quam primum illatum erat ad plagam orientalem ex aduerſo ciuitatis tranſuectum ſit, eo quo fieri decebat

f Corpus S. Aniani ad monaſterium S. Petri tranſfertur.

bat honore, cum crucibus, candelabris, lampadarum innumera multitudine, concurrentibus tota regione, ciuitatis
& vicinorum oppidorum incolis, pſallentibus hinc inde ſumma cum exultatione clericorum vniuerſis ordinibus, &
monaſterio S. Petri excelſo & eleganti, templo ibidem conſtructo ante Clodouæi ſecundi tempora conlocatum, &
Vide teſtamentum Leudebodi Abbatis S. Aniani apud Carol. Sauſſeyū in Annal. Aurelianen. in Leudegario Epiſcopo lib. 4.
poſtea Robertus, S. Ludouicus, Ludouicus etiā vndecimus, & reges alij Francorū inſignibus ſtructuris & donis cumularunt, inſtitutis ibidem ad gloriam Dei, honorem S. Aniani, & ſtabilimentum regni, Decano & Canonicis & multis
Capellanis. Ibi dignitates octo, Decanus, Subdecanus, Cantor, Capicerius, Succentor Præpoſiti tres, de Tilcyo, de Sigalonia, & de Herbiliaco, Canonicatus cum præbendis vnus & triginta, ex quibus vnus ad Priorem S. Hilarij Aurelianen. pertinet. Rex Decanatum, Decanus dignitates omnes, Capitulum confert Canonicatus. Sedit S. Anianus temporibus S. Leonis I. Romani Pontificis, Merouæi Regis Francorum.

Habes in Actis S. Euertij 7. Septembris etiam de hoc S. Aniano Epiſcopo.

An. 570. Fuit S. Gregor. XIX Epiſc. Tur. 17. Nov.

VITA B. GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI, PER CLERICOS TVRONEN. DESCRIPTA.

OMNIVM quidem ſanctorum iure memoria veneratur: ſed eos primum fideles honorificant, qui vel do- PROLOG.
ctrina vel exemplo cæteris clarius effulsêre. Porro vnum de his beatū Gregorium Turonicæ ſedis Archi-
piſcopum fuiſſe, eumq; hac gemina dote reſpleuduiſſe, non parua documenta produnt. Cuius nimi-
rum geſta, vel partim neceſſario ſcribuntur, ne fama tanti viri quandoque dubietatis nebula fuſcaretur.
Et quidem ſatis eſt ad eius gloriam, quod Chriſtum, cui placere quæſiuit, conſcium habet in excelſo: ſed
tamen & hic nefas eſt, illius laudes tacere, qui tot Sanctorum ſtuduit laudes propalare. Quæ ſcilicet relatio quantula
erit, nec eius inſignia, vt ſunt, profert, quoniam plurimis, quæ opinione feruntur, omiſſis, pauca quædam, quæ ex libris
Sed hi tamē poſt exceſſum è vita, innumeris coruſcārūt miraculis.
eius approbentur, attingimus. Quod ſi quis Iudaico more ſigna requirens, ſanctum quemlibet ſignorum quantitate
metitur: quid de beata Dei genitrice, vel de præcurſore Iohanne cenſebit? Sanius itaque diſcernat, quod in tremendo
die multis, qui ſigna fecerunt, reprobatis, hi qui opera iuſtitiæ ſectati ſunt, ad dexteram ſuperni iudicis ſoli colligētur.
Non igitur præſulem noſtrum ob geſtum miraculorum commendamus, quamuis & illa non omnimodo deerunt: ſed
quod mitis & humilis corde Chriſtum imitatus fuerit, demonſtramus.

Patria & parentes S. Gregorii.

GREGORIVS Celtico Galliarum tractu fuit exortus, Aruernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armē- I.
taria procreatus: Et ſi quid diuinæ generoſitati terrena conducit nobilitas, parentes eius cum rebus locupletes,
tum quoque natalibus fulſerunt illuſtres. Sed quod plerïſque muniis, diuinæ ſeruitutis quadam peculiari deuotione
ita videbantur annexi, vt quiſquis ex his religioſus non exiſteret, iure degener notaretur. Ad quod adſtruendum,
Vetius Pagatus martyr illuſtris.
quiddam de propinquioribus inſeramus. Itaque Gregorius quondam ſenator Leocadiam duxit vxorem Hæc de ſtirpe Vetij Pagati deſcenderat, quem Euſebius in quinto hiſtoriarum libro Lugduni paſſum, ac inter reliquos tunc temporis narrat glorioſius agonizatum. Quæ Leocadia peperit ſanctum Gallum Aruernicæ ſedis Epiſcopum, atque Florentium huius pueri genitorem. De hoc autem Florentio, ſed & de Armentaria matre, de Petro quoque fratre eius,
necnon & de vxore Iuſtini ſorore eius, ac duabus neptibus, Heuſtena ſcilicet & Iuſtina, beatæ Radegundis diſcipula,
libri miraculorum talia referunt, per quæ fides illorum & merita, non exigui momenti fuiſſe dinoſcantur. Hæc autem
Aruernis, quæ puero genialis humus fuit, vehemēter olim caput extulerat, ita vt ſenatoribus velut vrbs Tarpeia præpolleret. Ab his Gregorij parentela profluxerat. Hæc ſenatores, hæc Iudices, & quicquid de ordine primariorum diuxerim, proferebat. Id ſane de parentibus dictum ſit, vt quia Dominus in generatione iuſta eſt, ad laudem Gregorij ꝑficit, quod ei ſua progenies titulo ſanctitatis columna videatur. Huius genus & patriam Fortunatus commemorans,
Pſalm 13.
inquit:

Forte decus generis Turonicenſis apex
Alpibus Aruernis veniens mons altior ipſis.
Ad matrem quoque eius:
Felix his meritis ſibi Machabæa vel orbi,
2. Mach. 7.
Quæ ſeptem palmas cælo tranſmiſit ab aluo,
Tu quoque prole potens recte Armentaria felix,
Fœtu clara tuo, geniti circundata fructu
Eſt tibi Gregorij palma, corona, nouus.

ITA nobili ſtirpe nobiliſſima proles emergens, vt roſa quædam ſtipite gratior, decus generoſitatis auctum in II.
parentes refudit Et quamuis iam myſterij maieſtas in nominibus non quæratur, tamen hic, vt rebus aſſertum eſt, Gregorius competenti præſagio appellatur. Sic enim Græcus vigilantem appellat. Hic denique non ſolum tertiam vigi-
Luc. 12.
liam, ſed quod maius eſt, ſecundam quoque. & quod rariſſime videas, obſeruauit, & primā. Et quia iugum Domini ab
Thren. 3.
adoleſcentia portauit, ſedebit ſolus (vt ait Ieremias) vel certe prope Martinum. Vt autē ætatulæ robur admiſit, literarum ſtudiis mancipatur in quibus equidem ſtudiis primitus ſub Gallo Epiſcopo, ſuo videlicet patruo, ſenſus illius teneritudo coaluit. Cum ergo iam in diſcendis notarum characteribus agereter, huius diuina diſpoſitio virtutum auſpicis initiauit, ſanctamque eius infantiam ſignorum oſtenſione nobilitauit. Nam pater eius nimia valetudine comprehenſus, lectulo decubabat: intimus oſſibus ardor furere, podagricus humor foris intumeſcere, vapor aridus ora pe-
Adhibetur diſcendis literis puer Gregorius.
Viſio eius.
urgere cœpit, cum quidam puero per viſionem apparens diceret, Legiſti librum Ieſu Naue? Cui ille, Nihil, inquit, aliud literarum attendo, præter notas, quarum nunc exercitio conſtrictus affligor. Nam hic liber ſi ſit, prorſus ignoro.
Et ille, Vade, inquit, fac haſtulam ex ligno, quæ poſſit hoc recipere nomen, ſcriptumque ex atramento, ſub paterni capitis fulcro collocabis: quod ſi feceris, erit ei præſidium. Mane facto, matri, quæ viderat, indicauit. Senſerat nimirum
ſancti pueri ingenij, non ſuo, ſed matris, iudicio rem eſſe gerendam. Tum illa iubet viſionem implere: factum eſt, &
Sanat patrem ſuum
pater de momento conualuit. Quid ſane rationabilius, quam nomē Ieſu, vel ſignum ad reparandam ſoſpitatem congrueret?

PARENTES eius vt tenera nobiles, & in Burgundia diffuſi lati fundi poſſeſſores, Sanctus vero Nice- III
Nicetius Epiſcopus Lugdunen.
rius, vir totius religionis, qui Lugdunenſi præerat ciuitati, cum prædicti parentes eum vicinareutur, puerum Gregorium acciri iuſſit. Quem ſanctus vir coram poſitum aliquantiſper contemplatus, & neſcio quid diuinum in eo commentatus, iuſſit hunc ad ſe (iacebat enim in lectulo) leuari: ac velut paradiſi colonus, concinnem ſibi futurum præſagiens, vlnis adſtrictum cœpit confouere, cum quidem (quod reticendum non eſt) ita collobio ſe totum contexit, vt
Obſerua miram pudicitiam tanti Epiſcopi.
nec ſummis digitis puerum contingeret. Hoc ſane caſtitatis exemplum idem puer adultus auditoribus ſuis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela ſuadens eos colligere, quantum fragiles quique, lepores debe- re ac tactus vitare. Benedixit ergo puerum, & imprecatus illi proſpera, ſuis remiſit eum. Biennio vero poſt miraculum,

lum, quod dixeramus, ferme exacto, iam memoratus Florentius rediuiuo dolore captatus eſt: accenditur febris, intumeſcunt pedes, dolor peſſimus pedes intorquet. Perendinata peſtis hominem contriuerat, iam pene conclamatus iacebat. Interea puer vidit iterum in ſomno perſonam, ſeſe, Vtrùm ne librum Tobiæ cognitum haberet, interrogantem. Reſpondit, Nequaquam. Qui ait: Noueris hunc fuiſſe cæcum, atque per filium ex iecore piſcis, Angelo comitante, curatum. Tu ergo fac ſimiliter, & ſaluabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit: quæ confeſtim pueros ad amnem direxit: piſcis capitur: quæ de extis iuſſa fuerant prunis imponuntur. Non fefellit virum euentus: vt enim primo fumus odoris in naribus patris reflauit, protinus omnis ille tumor dolorque diſceſſit. Si magnum eſt, os Zachariæ Iohannis merito fuiſſe reſeratum, nec modicum vtique eſt, Florentium non ſemel, ſed bis, per filium eſſe curatum. Senſerant ex hoc iidem parentes, quod dextero pede potiſſime foret innexurus, nec ignorare poterant, quin illum diuina diſpoſitio dexterioribus officijs aptauiſſet. Quem tamen non continuo totonderunt, ipſius (vt reor) aſſenſum in ſuſcipiendo clericatu poſtulantes. Literatum tamen ſtudiis inſtantius applicatur.

Alia viſio pueri Gregorii. — *Tob. 1.11.* — *Iterum ſanat patrem ſuum.* — *Luc. 1.*

IV. Adhvc itaque laicus tam ſenſu quam corpore adoleuerat, cum ſubito nimia febrium ac ſtomachi pituita comprehenſus, cœpit grauiter ægrotare, languor per dies ingraueſcere, medicinalis induſtria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter viſitabat: genitrix vero, vt mater, cum lamentis aſſiduabat. Sed cum iam de humano auxilio deſperaretur, cælitus adoleſcenti ſuggeſtũ eſt, quo ſe ad diuinũ conferret. Rogat igitur, vt ad ſepulchrum ſancti † Elidij (erat enim iuxta) portari deberet: ſed ei parum profuit, quia tunc differebatur, quod per illud incommodum quærebatur. Domi reportatus, ita cœpit poſt paululum tormentari, vt putaretur ad exitum vrgeri. Vexatio tandem fecit cauſam intelligi. Conſolatur eos, qui flebant, dicens: Ad ſepulchrum beati Elidij me ſemel adhuc deferte: fides mea eſt, quod ille & mihi ſanitatem, & vobis mox præſtabit lætitiam. Tunc vero illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit, ſpondens, quia ſi ab hoc contagio liberaretur, clericatus habitum ſuſcipere nec prorſus moraretur. Dixerat, & ſenſit protinus diſcedere febrem: & à naribus eius copia ſanguinis defluente, ſic omnis illa valetudo diſparuit, ac ſi legatus quidam re, pro qua venerat, obtenta, diſcedere feſtinaret. Ita[a] comam depoſuit, & ſe diuinis obſequiis ex toto mancipauit.

† Illidij. — *Nota priſcorum fidẽ de Sanctorum virtute & ope.* — *a Fit clericus tonſo capite.*

V. Cvm ergo ſanctus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur vir Domini Auitus adoleſcentem ſuſcepit: qui cum eius ingenium, morumque habitudinem explorauiſſet, magiſtrorum diligentiam adhibuit, & quanta vel ipſius induſtria, vel eorum ſedulitas velocitate poterat, ad arcem ſapientiæ prouexit. Hæc in vita beati Elidij reperies. Porrò autem in diſcendis literarum ſtudiis ea ſe diſcretione exercuit, vt vtraque nimietate careret, nec poetarum nænias ex toto horreret, nec (vt pleriſque mos eſt) his indecentius hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim, quod ſuffecit. Aciem cordis veluti ad quandam cotem exacuit, & ita quaſi ab Ægyptiis vaſa aurea promutuans, & ad eremum, qua manna comederet, demigrans, in perſcrutandis diuinarum ſcripturarum potentatibus intrauit. Quod ipſe de ſe loquens oſtendit, dicens: Non ego Saturni fugam, non Iunonis iram, non Iouis ſtupra commemoro, & cætera monſtra, quæ illic ſequutus annectit, vſque dum diceret: Hæc omnia tanquam cito ruiturã deſpiciens, ad diuina potius & Euangelica miracula reuertar: Non enim vinciri cupio meis retibus, vel inuolui: in quo ſe oſtendit ſciſſe hæc quidem, ſed ſaniori iudicio reſpuiſſe. Tempore præſtituto Diaconus ordinatus eſt.

Quære hæc 7. Iulii ſed ſub Illidii nomine. — *De Gloria martyrum lib. 1. cap. 1.*

VI. Ea tempeſtate erat quidam vir Aruernicus, qui lignum de ſacroſancto beati Martini ſepulcro detulerat. Sed cum ligni reuerentiam incautus negligeret, omnis eius familia grauiter ægrotare cœpit. Cum ſubinde languor ingraueſceret, & ille cauſam percuſſionis ignorans, minus ſe emendaret, vidit in ſomno perſonam terribilem, cur ſecum ita ageretur, percontantem. Qui cum ſe neſcire diceret, Lignum, inquit, quod de lectulo Domini Martini tuliſti, negligenter hic retinens, damnum incurriſti. Sed vade nunc, defer illud Gregorio diacono. Dignus iam (vt reor) idem Leuita figurabatur, cui Dominus iſte Martinus precioſa quæque ſui gregis eſſet commendaturus. Tunc temporis apud Aruernum plerique in habitu religionis viri fulgebant, quos idem iuuenis nunc cum beato Auito, nunc ſemotim inuiſebat, quatenus vel ab eis exempla pietatis aſſumeret, vel ipſis, quod forte deerat, mutua charitate præſtaret. Nimirum in his Chriſtum colebat, & veluti ſolis iubar in vertice montium refulgens, in his interim, dum in ſeipſo videri non poteſt, Chriſtum reſpiciebat: ad hoc animum intendens, vt ad laudem Chriſti proferret, quicquid per eos, vel etiam per illos, qui iam cælo præceſſerant, operari dignabatur. Sane inter cæteros, in quibus vt diximus, Chriſtus velut in montibus reſplendebat, dominum glorioſum Martinum deprehenderat, qui reliquos velut quidam Olympus excedit, & luculentius, vtpote & terræ vicinior fulgor, ipſa aſtra reuerberat: in cuius vtiq; veneratione totus orbis merito iam olim coniurat, in huius deſiderio Gregorius ex aſſe inferbuit. Hunc ſemper in corde, hunc in ore gerens, laudem eius vbiq; ſpargebat. Dum vero mentis animum in exercitio virtutum defigeret, caro eius à propriis viribus labaſcebat. Ita quippe mos eſt. Hinc eſt, quod Daniel poſtquam Angelicæ viſionis contemplatione leuatus eſt, à carnis virtute deficiens, per multos dies ægrotauit.

Greg. lib. 2. mirac. S. Martini cap. 33. — *Libenter inuiſit viros religioſos.* — *Præclara S. Martini laus.* — *Dan. 8.*

VII. Hic itaque virtutibus proficiens, ſed viribus corporis intabeſcens, aliquando valetudinem cum febre & puſtulis incurrerat. Qua tandem ita confectus eſt, vt vſu cibi potuſque negato, huius vitæ ſpem amiſerit. Vnum tamen ſupererat, quod eius fiducia Martino innixa, nullatenus vacillabat: quinimmo feruentius flagrans, tanto eiuſdem Martini deſiderio ſuccenſus eſt, vt cùm mors pene caput illi inſerſerit, ad viſendum tamen eius ſepulcrum, iter arripere non dubitauerit. Nec enim ſui dehortari poſſent cum obnixe reſtiterint: quia corporis illa febris, febre vincebatur amoris. Et quidem actis duabus vel tribus manſionibus, itineris occaſione itidem languor inualuit. Sed nec tunc omnino cogi potuit, quin ad propoſitam Martini fiduciam feſtinaret, nomine diuinæ maieſtatis dehortatores obteſtans, vt vel viuum, vel forte defunctum ſe, ante eius ſepulchrum exponerent. Quid plura? Peruenit vtcunq; probata fides, perfectæ ſalutis compos effecta eſt. Et non ſolum ille, ſed & Armentarius quidam ex eius clericis, qui ſenſu penitus caruerat, merito prædictæ fidei ſanatus eſt. Agens itaq; tam pro ſe, quam pro illo gratias, amore Martini exatiatus, vel potius magis ſuccenſus, ad patriam rediit.

Anno 566. Greg. Tur. miracul. S. Mart. libr. 1. c. 32. Baron. anno vbi ſupra. — *Ad ſepulchrum S. Martini ſanatus eſt Gregorius.*

VIII. Aliqvando vero cum iter de Burgundia ad Aruerniam ageret, magna contra ſe tempeſtas exoritur, denſus aër in nubibus cogitur: crebris ignibus cælum micare, validiſque tonitruorum cœpit fragoribus reſonare. Omnes palleſcere, imminenſque periculum pauitare. Sed Gregorius amicus ſanctorum, reliquias (has enim indeſinenter collo ferebat) de ſinu protrahit, & minacibus conſtanter nubibus opponit. Quæ protinus diuiſæ, dextra læuaque prætereuntes, illæſum iter gradientibus præbuerunt. At ſuperbia, quæ plerumque virtutibus nutritur, iuuenili animo protinus irrepſit: priuatim gaudet, ſuiſque meritis præſtitum arrogat. Sed quid tam vicinum ſuperbiæ, quam caſus? Nam equus, cui inſederat, ilico lapſus, hunc ad terram grauiter eliſit, ita vt omni corpore contuſus, vix aſſurgere poſſet; cauſamque intelligens, ſatis deinceps cauit, ne ſe vanæ gloriæ ſtimulus qualibet ſub occaſione deiiceret: ſed quoties per eum aliquid diuina virtus egiſſet, non ſuis meritis adſcriberet, ſed virtuti reliquiarum, quas (vt diximus) perinde ferebat. Quod factum, ſi diſcuſſeris, mirabilius eſt ſuperbiam correxiſſe, quam nubem diuiſiſſe. Erat autem in orationibus aſſuetus, præſertim quietis horis. Solennitas beatæ Mariæ Virginis aduenerat. Siquidem apud Aruernum

Greg. Tur. ibid. c. 33. — *Nota hæc de ſacris reliquiis.* — *Ecce vt Deus in ſancto viro non ſinit inultam inanis gloriæ culpam.* — *Solennitas S. Mariæ.*

num in villa Marciacenſi eius reliquiæ continentur. Tunc forte Gregorius intererat: qui, cæteris alio ſopore depreſſis, ad ſecretam orationem ſuo more proceſſit, conſpicatuſq; eminus, videt oratorium ingenti claritate fulgere. Credit igitur aliquos deuotorum iam ad celebrandas vigilias proceſſiſſe. Viſione tamen luminis attonitus, illo prætendit, cuncta ſilentio data deprehendit. Ad ædificium tranſmiſit: ſed interim oſtium ſponte reſeratur. Ille ad Angelicas excubias reuerenter ingreſſus, diuinam viſitationem illico agnouit. Claritas, quam aforis mirabatur, protinus diſceſſit, nihilq; per virtutem glorioſæ Virginis videre potuit.

Greg. Tur. de mirac. S. Martini lib. 1. c. 32. & lib. 2. c. 1. Anno 574. aſ Euphronius Epiſc. Tur. exceſſit è vita ex calculo Bar. *nono, corrigit Baron. b Vide quã cupiat ſubterfugere Epiſcopatum.

IX. Anno centeſimo ſeptuageſimoſecundo poſt tranſitum Domini Martini, Sigeberto rege anno * duodecimo regnante, beatus a Euphronius, qui inter virtutes conſeneſcens, tanta gratia donatus eſt, vt ei prophetiæ ſpiritus ineſſe viſus ſit: appoſitus eſt ad patres ſuos: tempuſque aduenerat, vt Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, & ad paſtoralis officij miniſterium idoneus Epiſcopus, cathedram eius vice ſua regendam ſuſcipere debuiſſet. Cum igitur beatus Euphronius obiiſſet, Turonici de eius ſucceſſore tractaturi conueniunt. Sed facili diſcrimine ſuaſum eſt cunctis Gregorium in electione præferendum. Perſonam in loco frequentiſſimam iam olim ſciebant, pluraque eius geſta viro digna conuenerant. Tunc vero cunctis in conſona voce coëuntibus, cerneres Deo fauente cauſam proſperari. Nam clericorum turba, nobilibus viris conferta, plebſque ruſtica ſimul & vrbana, pari ſententia clamant, Gregorium decernendum, cum claris meritis, tum quoq; nobilitate pollentem, ſapientia præcipuum, generoſitate primum, principibus notum, ac ſua probitate reuerendum omnibuſq; officiis habilem. Legatio ad regem dirigitur, cum quidem Deo diſpenſante, Gregorius coram reperitur. De b hac igitur cauſa conuentus, quanta humilitate ſe excuſare tentauit, quibus modis ſubducere viſus eſt? Sed quia velle Dei eſt hinc, cætera flectuntur. Hunc rex authoritate cogit, hũc Brunechildis regina perurget. Sed quoniam diſcreta humilitas obedientiam non recuſat, tandem aliquando aſſenſus eſt. Quem, vt credo, ne qualiber occaſione delatus profugeret, ſtatim Ægidius Rhemenſis Archiepiſcopus ordinauit, vt Fortunatus Poëta ſcribens, ait:

> Martino proprium mittit Iulianus alumnum,
> Et fratri præbet, quod ſibi dulce fuit:
> Quem patris Ægidij Domino manus alma ſacrauit,
> Vt populum recreet, quem Radegundis amet.
> Huic Segebertus ouans fauet, & Brunichildis honori.

Turonenſis creatur Epiſcopus.

X. Sedes itaq; Turonica octauodecimo die, poſtquam Euphronium amiſerat, Gregorium ſuſcepit. Turonenſibus vero nouo paſtori triumphanter exilientibus, hoc prædictus Poëta panegyricum carmen procudit:

> Plaudite nunc populi Turoni, vota tenentes,
> Præſulis aduentu ſpes gregis ecce venit.
> Hoc puer exertus celebret, hoc curua ſenectus,
> Hoc commune bonum prædicet omnis homo.

XI. Et cætera, quibus hunc & à Turonenſibus deſideratum, & ad cathedram legaliter ingreſſum oſtendit. Adeptus ergo præſulatum, qualis vel quantus fuerit, vt compendioſe dicatur, & plures Eccleſiæ, quas nouiter conſtruxit, vel quarum ſarta tecta reſtaurauit, inſinuant, & libri in laudem Sanctorum, vel in expoſitione ſanctarũ ſcripturarum editi, quamprimum demonſtrant. Matrem nanq; Eccleſiam, quam Dominus Martinus conſtruxerat, nimia vetuſtate confectam, arcuato ſchemate reparauit, atq; hiſtoriatis parietibus per eiuſdem Martini geſta decorauit. Quod c Metricanorus noſter non tacuit, dicens inter cætera:

Vide cap. 9. lib. 10 hiſt. Frãc. Greg. Turon. vbi quæ in Epiſcopatu egerit breuiter recenſet. c Fortunatum dicunt.

> Martini auxiliis operando Gregorius ædem
> Reddidit iſte nouus, quo fuit ille vetus.

Et item:

> Fundamenta igitur reparans hæc priſca ſacerdos,
> Extulit egregius, quam nituêre prius.

Eccleſia S. Crucis. * for. abſtinuit. 1. Tim. 5. In quibuſdã ſanctis viris aduertit & corrigit vitia quædam.

XII. Sed plures alias (vt diximus) conſtruxit, ſicut in ipſius Chronicis reperitur, vt eſt Eccleſia ſanctæ Crucis, vel in Artenſi villa. In conſtruendis vero ſpiritualibus templis, videlicet in cuſtodia gregis, quam certatim ſeſe impenderit, vel ex hoc animaduertitur, quod nec ab ipſis quidem ſanctis viris ſtudium ſuæ prædicationis * conſtruit. Nam, vt de his taceatur, quorum, vt ait Apoſtolus, peccata manifeſta ſunt, de quibus ſuperfluò quicquam diceremus, ad oſtendendum quantopere circa perfectiores ſolicitus extiterit, duo ſaltem eorum, quos ob ſanctitatis inſignia vix præter Gregorium aliquis arguere præſumeret, ad medium deducantur. Haud longe enim poſt eius ordinationem ſanctus Senoch Abbas de cella egreſſus, ad eum ſalutandum profectus eſt. Quem ſanctus vir magna reuerentia ſuſceptum, mutuoque colloquio ſenſim exploratum, peſte ſuperbiæ mox perſenſit infectum. Sed gratia, quæ in diſcernendis ſpiritibus huic ſuppeditabat, illum ab eadem ſuperbia penitus expurgauit. Nec diſſimili virtute circa beatum quoque Leobardum extitit ſolicitus: quem nequam ſpiritus ita ſiniſtris cogitationibus agitabat, vt propter quandam verborum contumeliam, qua ſe dudum recluſerat, migrare decreuiſſet. Sed nec iſte potuit incurrere caſum, qui Gregorium meruit habere ſubleuantem. Nam cum ſolitò ad maius monaſterium, quaſi ſacra Martini veſtigia deoſculaturus adiret, ſolicitus paſtor qualiter ouis amore Chriſti vinculata ſe gereret, ad eius tuguriũ diuertit. Cui mox ille ſecreta cordis, quæ diabolus quaſi rationabilia confinxerat, eidem reſerauit. Qui protinus, ſagaciſſimo vt erat ingenio, diaboli commenta deprehendit, & non minimo dolore ſuſpirans, increpare hominem cœpit, ac diabolicam calliditatem verbis competentibus denudauit, domumq; reuerſus, libros ad propoſitum monachorum ei congruos pia ſolicitudine tranſmiſit. Quibus relectis, non ſolum ab illa, quam patiebatur, incurſione curatus eſt, ſed etiam in ſenſus acumine multum prouectus. Nihil ergo nunc magnificentius quæras, nihil in laude Gregoriana præſtantius expectes. Si anima corpore melior, ſatius eſſe quenquam in ea ſuſcitari, nec quiſquam mendax negare poteſt. Vox autem eius quam imperioſa fuerit, vel ea quæ dicebat auctorioſa vita ſubditis inculcauerit, diligens lector in ipſius libris explorabit. Verum (vt ſupra retulimus) incommodo corporis frequenter ob iniuriam carnis fatigabatur: ſed quoties corpuſculum, nimio virtutum exercitio fatigatum, languor inclementius pulſauiſſet, ille ad Martinum ſuum decurrens, concite ſanabatur. Hoc ſæpiſſime fiebat. Quando autem & qualiter, in deſcriptione miraculorum ita dirigitur, vt merito dilectionem delectet: ſiquidem vt diſcretus & humilis, corporea medicamenta ſibi primus adhibebat. Sed quando ille humilius experebat, indignum ſe iudicans, cui medela per miraculum dari debuiſſet, tanto diuina largitas hunc ad ſolam ſuæ potentiæ medicinam reſeruabat.

En vt langens vt ſæpe confecto corpore B. Martini interceſſione ſanatus eſt.

XIII. Contigit aliquando, vt ſolita beati Martini virtute ab vnius temporis dolore ſanaretur: cui poſt paululum cogitatio per inſidiatorem ſubiit inrecta, quod pulſus ille venarum, ſanguinis poſſit minutione ſedari. Dum id apud ſe volueret, amborum temporum venæ proſiliunt. Renouatus dolor vndantius irrumpit, ſed ille concitus ad baſilicam properat. Veniam prius pro cogitatione precatur: dehinc palam ſancti ſepulchri capita attigit, & illico ſanus abſceſſit. Multa (fateor) in laudibus diuerſorum iam ingeſſerat: ſed quanuis amore Martini vehementius inferueret, ad ea tamen, quæ de eius miraculis ſcribenda erant, ſe nullatenus dignum iudicabat, donec bis & ter pec

Tactu ſepulchri eius illico curatur.

ter per ſoporem admonitus, ſi taceret, crimen incurrere minaretur. Denique oratorium ſancti Stephani, quod in ſuburbio eſt, iuſſerat prolongare, & altare, vt erat integrum, in antea promoueri: ſed quia nihil de pignoribus ibidem reperit, vnum ex Abbatibus, vt eiuſdem martyris reliquias exhiberet, ad Epiſcopum, claue tamen oblitus, direxit: qui capſam obſeratam reperiens, quid faceret, dubitabat: ſi ad Epiſcopum pro claue rediret, moroſum erat: ſi capſam exhibuiſſet, ob multorum pignora ſanctorum, quæ ibi continebantur, moleſtum ei eſſe ſciebat. Cum igitur apud ſe hæſiſſet, vt diuina gratia cooperatricem ſe Gregorio teſtaretur, capſam exiliẽtibus repagulis adſpicit reſeratam. Tunc gratias agens, reliquias non ſine admiratione multorum Gregorio detulit: qui reuerſus capſam, vt reliquerat, obſeratam inuenit. Miraculum

XIII. Mvlta quidem Gregorius, quæ inſequi longum eſt, in ſalute languentium operabatur, quæ tamen ſub obtentu ſanctorum, quorum reliquias per inde ferebat, à ſuis meritis excludere nitebatur: cum quidem hæc tanto verius per ipſum fiebant, quanto humilius aliis tribuebat, vt eſt illud: Cum aliquando per viam graderetur, & Crucem auream cum reliquiis beatæ Mariæ ſemper Virginis, vel beati Martini, collo geſtaret, procul à via cuiuſdam pauperis hoſpitium incendio conſpicit concremari. Erat autem (vt eſt in vſibus pauperum) totus atque ſurculorum cremiis, ignium videlicet fomentis, contectum: Hac illacque miſeri cum vxore & liberis curſitare & ſtrepere, aquam aduehere. Sed iam flammæ præualuerant, nec poterant mitigari. Tunc vero Gregorius accurrit, & contra flammarum globos Crucem eleuauit: moxque in adſpectu ſanctarum reliquiarum ita totus ignis obſtupuit, vt nec ea, quæ iam apprehenderat, vlta vel admodicum vſtulare poſſit. S. Gregorius multa facit miracula, ſed ea ſanctis adſcribit. Nota hæc. Vide miraculum.

XIV. Cavsa fuerat, qua Rhemenſe oppidum adire debuerat. Cumque ab Ægidio pontifice humanitus fuiſſet ſuſceptus, ibidem noctu quieuit. In craſtinum vero illuceſcente Dominica, ad Eccleſiam, Epiſcopo colloquuturus, venit. Cum autem eius aduentum in ſecretario præſtolaretur, (nolebat in Eccleſia loqui) Sigo ſerendarius quondam Sigeberti, ad eum acceſſit. Quem ille oſculatum ſedere iuxta ſe fecit. Dum aliquantiſper ſecum ſermocinarentur, & ille de ore Gregorij penderet, ſubito auris eius, quæ pridem obſurduerat, cum quodam crepitu reſerata eſt. Ille gratias cœpit agere, & quid ei per Gregorium præſtitum ſit, manifeſtare. Sed vir Domini conſuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æſtimatione ſubducere nitens: Noli, ait, dulciſſime fili, mihi aliquid gratię referre, ſed beato Martino, per cuius reliquias, licet indignus, quas defero, tibi auditus reſtitutus eſt, ſurditas depulſa. Obſerua humilitatẽ.

XV. Virtvs namque charitatis in illo præeminebat adeo, vt ipſis inimicis affectum dilectionis impenderet, vt ſequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum eſt, vt ad venerabilem matrem ſuam in Burgundia properaret. In ſyluis vero abiegnis, quæ trans Verbetim fluuium ſitæ ſunt, latrones incurrit, qui tanto impetu ſuper comitatum eius irruere viſi ſunt, vt non modo expoliare, ſed & occidere velle putarentur. Quorum inſultu Gregorius terreri non potuit, qui præſidio Martini circumſeptus incedebat. Cuius mox auxilium flagitans, ita ſibi adeſſe expertus eſt, vt latrones velocius quam emerſerint, fugam inirent. At Gregorius vſus conſueta pietate, nec in perturbatione turbatus fugiens reuocat ad cibum, & ad potum inimicos inuitat. Sed crederes eos fuſtibus agi, & miſeros equos contra poſſibilitatem calcaribus vrgere, vt nec reuocantem audire poſſint. Ita Gregorius ſuperius auctoris oſtenſus eſt vicinus, & operibus charitatis intentus. En quantũ virtus ſanctorum.

XVI. Fides & deuotio populi valde per Gregorium ſuccreſcebat. At malignus hoſtis nõ modico dolore torquebatur. Vnde factum eſt, vt vim ſuæ malignitatis ferre non ſuſtinens, vel paſtoris, vel gregis fiduciam apertis vocibus dementare conaretur. Ipſa namque Natalis Domini die, cum Gregorius pontificale feſtum in principali baſilica, ſicut mos eſt, ſolenniter celebrare procederet, quidam ex energumenis atrocior cæteris, cœpit nimiu debacchari: & ſequentibus, vel obuiantibus turbis, quæ Gregorium ſepserant, ſe obuium ingerens: Fruſtra, inquit, Martini limina petitis, caſsò eius ædem aditis, qui vos propter multa crimina dereliquit. Ecce vos abhorrens, Romæ mirabilia facit. Hæc & alia plura cunctis, vt erant conſtipati, populis verba diabolus inſibilat. Ad quam vocem non ſolum ruſticorũ corda exturbantur, ſed & clerus, quin & ipſe Gregorius pauore concutitur. Ingredientes autem cum fletu magno baſilicam, omnes pauimento proſternuntur, orantes, vt ſancti viri præſentiam mererentur. Quidam vero, cui ante tres annos ambæ manus cum vno pede contractæ erant ante ſanctum altare cum reliquiis proſtratus, beati Martini auxilium poſtulat: qui ſubito nimia febre circundatus, tanquam in eculeo torquebatur extenſus. Inter hæc, ſancta ſolennia gerebantur. Cumq; ſanctus pontifex fletibus inſiſtens, beati Martini præſtolaretur aduentum, diuino myſterio palla iam ex more cooperto, languidus ad plenum reſtituitur ſanitati. Quare Gregorius admodum gauiſus omnipotenti Deo gratias agit, oculoſque lachrymarum imbre ſuffuſus, in hac ad populum voce prorumpit: Timor à cordibus veſtris, fratres, abſcedat, quia nobiſcum beatus confeſſor inhabitat: nec omnino credite diabolo, qui ab initio mendax eſt, & in veritate non ſtetit. Cum hæc & alia verba conſolatoria adſtantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium, multoque alacriores, quam venerant, ad ſua per Martinum atque Gregorium redierunt. Inuidia maligni dæmonis. Innocatus S. Martinus ſanat contractum. Ioan. 8.

XV.I. Qvia vero Natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquando in hac die pontifici noſtro contigerit, memoremus. Nam ſacroſancta huius Natalis nocte pridianis vigiliis fatigatus, cum pauluinm ſe cubito collocaret, vir quidam ad eum concitus venit, dicens: Surge, reuertere ad Eccleſiam: Ille expergefactus, ſignum Crucis ſibimet imprimens, iterum obdormiuit. Nec deſtitit vir ille, quin hominem ſecũdo moneret. Sed cùm excitus grauem ſe adhuc ſentiret, ruſus obdormiuit. Tum vero ille vir tertio veniens, maxillæ eius alapam impreſſit, dicens: En tu reliquos ad vigilias admonere debes, & tam diu ſopore deprimeris? Qua Gregorius voce perculſus, pernici velocitate ad Eccleſiam eſt regreſſus. Adeo ſupernis oculis gratus extitit, vt nec humanitate cogente, negligẽtiam pati permiſſus ſit ſuæ ſalutis. Viſum eſt hoc inſerere lectioni, qualiter eum Deus arguere voluerit, ne vel aliorũ temeritate peccaret. Nam cum hunc à deſperato languore beatus Martinus ita ſanaret, vt ad Eccleſiam in craſtino properaret, ne ſe in ſolennius Miſſarum fatigaret, vni presbyterorum hæc celebrare præcepit. Sed cum presbyter neſcio quid ruſtice feſtina verba depromeret, nonnulli de circumſtantibus eum irridere cœperunt, dicentes, melius fuiſſe tacere, quam ſic inculte loqui. Nocte autẽ inſequuta vidit virum dicentem, ſibi de myſteriis Dei nequaquam diſputandũ. Satis de hinc apud eũ conſtitit, ne ſtultos & faciles ante ſe permitteret de beatis ſolenniis obtrectãres. Vigiliæ Natalis Domini.

XVIII Sæpivs autem vir Domini, ſicut verus & gregis & ſui met conſultor, vel ſubditorum vtilitate, vel propriæ ſalutis cauſa longius procedebat. Aliquando igitur ſepulchrum beati Hilarij ſupplicaturus adiuit, cum ad videndam quoque ſanctam Radegundem reginam diuertit. Factum eſt autem, cum hi duo tanquam incolæ paradiſi ſecum de cœleſtibus fabularentur, oleum quod ante pignora ſanctæ Crucis guttatim illic defluere ſolebat, ſic in aduentu Pontificis auctum eſt, vt infra vnius horæ ſpatium vltra vnum ſextarium exundaret. Porro cum hæc beata regina ad regem eſſet acceſſenda cœlorum, vir Domini Gregorius de eius tranſitu nuncium accepit. Cumque illa iam eo accurrente migraſſet, ſancta eius membra ſepulturæ locauit. Quo quidem tempore altare ſolenniter benedixit: operculum tamen Epiſcopo, qui tunc forte deerat, reſeruauit. Peregre abit ad ſepulchrum S. Hilarii. Nota rem ſtupendam.

XIX. Cavsa fuerat, qua Germanũ fluuium iuxta Blauienſe caſtrũ tranſmeare debuerit. Sed idem fluuius ita tunc

intumuerat, vt intuentibus non parum horrorem incuteret. Non longè autem ſanctus Romanus presbyter re-
quieſcit, quem noſter, vt vita eius perhibet, Martinus tumulauit. Cum igitur hinc procella ventorum illinc mon-
Sedantur fluctus fluminis. tes vndarum ingens periculum nauigaturo minarentur, oculos ad cœlum erigens, & ad Eccleſiam prædicti Ro-
mani ſubinde reſpiciens, adeo omne pelagus mox complanauit, vt compreſſis fragoribus, in ripam alteram ſine
periculo veheretur.

Anno 590. S. Gregorius Papa. SEXDECIM annos hic in epiſcopatu exegerat, cum æquiuocus eius ille magnus Gregorius in ſede Apoſto- XX.
lica ſubrogatur. Siquidem opinata res eſt, quod dudum alter alteri peculiari ſit amicitia deuinctus. Nec immeritò
tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tanquam ille datus ſit Orienti, Romenſis Meridiei, aſt
It Romam & à Papa humaniſſime excipitur. hic noſter Occidenti. Cum igitur ſacra Apoſtolorum limina expetiſſet, magna cum reuerentia ſanctus eum Papa
excepit. Quem ad beati Petri confeſſionem introducens, à latere conſtitit, præſtolans quò aſſurgeret. Interim au-
tem (vt erat ingenio profundiſſimus) ſecretam Dei diſpenſationem admirans, conſiderabat in huiuſmodi homi-
nem (erat enim ſtatura breuis) tantam gratiam cælitus profluxiſſe. Quod ille mox diuinitus perſentiens, & ab ora-
tione ſurgens, placidoque, vt erat, vultu ad Papam reſpiciens: Dominus, inquit, fecit nos, & non ipſi nos: idem in
paruis, qui & in magnis. Cumque id ſuæ cogitationi ſanctus Papa reſpondere cognoſceret, ipſa ſua deprehenſione
gauiſus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit: ſedemque
Auream cathedram dat ei ſanctiſsimus Papa. Turonicam ita nobilitauit, vt auream ei Cathedram donaret, quæ apud præfatam vrbem in poſterum ſerua-
retur.

IAM vero beatus Martinus hunc alumnum ſuum magnificans, vſquequaque ei ſe propitium multis modis XXI.
demonſtrauerat. Sed cum operibus eius cooperatorem quoque ſe oſtenderet, aliquando præſentiam ſuam, licet
inuiſibili ſuo, quo videri ſolet ſplendore, manifeſtauit. Nam oratorium ex promptuario prædeceſſoris ſui apud
Turonum conſecraturus, reliquias S. Saturnini martyris, ac domini Martini à Baſilica ſuſceptas, cum ingenti vene-
ratione deferebat, (erat enim ſacerdotum ac Leuitarum in albis veſtibus non minimus chorus, & ciuium honora-
torum ordo præclarus, ſed & populi ſecundi ordinis magnus conuentus) radiantibus ſolenniter cereis, Crucibus
Obſerua de cereis & Crucibus. in altum ſublatis. Cum ita veniretur ad oſtium, terribilis fulgor cellulam ſubito perfundens, omnium oculos ni-
mio perſtrinxit ſplendore: qui diutius durans, hac illacque ſicut fulgur diſcurrebat. Omnes nimio pauore perculſi
ſolo iacebant. At Gregorius vt tantæ virtutis conſcius, conſtanter eos exhortans: Nolite, inquit, timere: rememo-
ramini qualiter globus ignis de capite beati Martini egreſſus, cœlum viſus eſt conſcendiſſe, & ob id nos cum his
Pſalm. 117. ſanctis reliquiis ipſum credite viſitaſſe. Tunc vniuerſi magnificauerunt Deum, & ſenior cum electis dicebat: Bene-
dictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

PAVCA hæc de noſtro præſule dicta ſint, non vt miracula eius, quæ reprobis dari ſolent, commendemus, XXII.
ſed vt nec hanc quidem gratiam illi defuiſſe monſtremus. Cæterum ad eius gloriam commendandam illud ſuffi-
ciat, quod humili corde Chriſtum ſequutus eſt, & quod non ſperauit in pecuniæ theſauris, (Hoc vtique eſt, mira-
Anno 595. Sanctus Gregorius excedit è vita. bilia feciſſe) & vt partim ſuperius monſtratur, à peccatorum eſt laqueo cuſtoditus. Super omnem quippe gloriam,
eſt à peccatis protectio. Vigeſimo & primo igitur Epiſcopatus ſui anno, tanquam ſeptenario annorum numero
ter in fide ſanctæ Trinitatis completo, appoſitus eſt ad patres ſuos, non tam dierum, quia ferme tricennalis ordina-
tus eſt, quam perfectione plenus. Qui tamen non vſquequaque videtur clauſus in tumulo, cui reſtat, vt vel lingua
viuat in mundo. Et quia, ſicut credimus, beato Martino in cœlo eſt ſociatus ſancto etiam corpore eſt illi in ſepul-
chro vicinus. Porro Turonicenſes, ne diuinis muneribus videantur ingrati, ſemper neceſſe eſt vt retractent,
Dialogo 2. Sulpitij. quantopere ſint à Deo ſuffulti. Datus namque eſt eis patronus, non qualiſcunque, ſed Martinus, de cuius laude
S. Martinus quanti habitus. quid primum vel ſpeciale dicatur, cum, vt ſcriptum eſt, eius minima, aliorum maximis maiora eſſe manifeſtum
ſit? tamen quanti habendus ſit, teſtantur vniuerſæ, vt ita dicam, mundi nationes, quæ illum ita priuato affectu di-
ligunt, vt etiam in noſtro tempore, quando nimium iam charitas refrigeſcit, multos tam gente, quam lingua igno-
tos, ad eius ſanctiſſimum tumulum confluere videamus, vt merito de eodem Martino dicatur: Cuius vultum de-
ſiderat vniuerſa terra. Quorum vtique ſtudia noſtram, qui vicini ſumus, inertiam iure vehementer redarguunt:
non tamen ſine diuino moderamine conſtat, quod eius amor ita omniũ cor penetrauit, quod eius memoria, velut
Eccli. 49. alterius Ioſiæ, tam dulcis eſt omnibus, & quod per omnes fines terræ ita iam patuit, vt quod Chriſtus habet no-
men, Martinus honorem. Datus eſt eis & Gregorius, vir non ſolum ſanctitate, ſed & doctrina clarus, ne vrbs Tu-
Vrbs Turonica S. Gregorij doctrina nobilitatur & vitæ ſanctitate. ronica obſcurior videretur, ſi ſcriptorum officio caruiſſet: quin potius ſicut vrbs Romulea poſt Apoſtolos illuſtra-
tur in altero Gregorio, ita vrbs Turonica poſt Martinum decoratur in iſto. Quem videlicet, vel apud Deum, vel
apud Martinum aduocatum quendam atque ſequeſtrem habere confidamus, eique noſtras neceſſitates ad expe-
diendum committamus. Verum ille non erit immemor vel ſuæ, vel Martini miſericordiæ, quam nobis tantopere
inſinuare curauit: quippe qui ad huiuc inſinuandum eius miracula digeſſit, vt quique futuri audientes quanta &
qualia viſibiliter operetur, quã deſperatos languores ſanet, de potẽtia vel de patientia eius nullatenus dubitent. Et
ſi pro diſpenſatione temporum contigerit corporea miracula ceſſare, ſemper tamen credamus illum in noſtris a-
nimabus ſuæ virtutis medicinam operari. Gregorius igitur Martini miſericordiæ conſcius, ſemper illi de grege ſuo
ſuggerat, ſemper illum pro ſtatu ſancti loci ſui, ac pro totius regni ſalute interpellet.

Humilem ſibi & abiectum ſepulturæ locum delegit. NEC prætereundum, quomodo conſuetam ſibi humilitatem, etiam in ipſa ſepultura ſua ſeruauerit. Nam in XXIII.
tali loco ſe ſepeliri fecit, vbi ſemper omnium pedibus conculcaretur, & ipſa loci neceſſitas cogeret, ne vnquam in
aliqua reuerentia haberi poſſet. Sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini ſui de loco leuauit, &
edito ſepulcro mauſoleo ad læuam ſancti ſepulcri digna reuerentia collocauit. Obiit autem quintodecimo Ca-
Ecce Martini ſolennitas celebris. lendas Decembris, videlicet inter Martinianam hebdomadam, vt ſolennitatem Martini, quam hîc iam
ægrotans celebrare cœperat, Martino iunctus in cœlo conſummaret: præſtante Domino
Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat Deus per omnia
ſecula ſeculorum, Amen.

VITA

VITA S. HVGONIS LINCOLNIENSIS EPISCOPI, EXCERPTA FERE A QVODAM, CVIVS NOMEN LATET, EX ILLIS V. LIBRIS, QVOS de beatiſſimi huius viri vita ſcripſit Anonymus quidam, qui aliquot annis cum eo vixit familiariter. Nos ſtylum, vbi viſum fuit, nonnihil correximus.

Anno [illegible]

I. SANCTVS Hugo è Burgundiæ prouincia, claris natalibus ortus eſt. Pater eius miles ſtrenuus erat ſecundum ſeculi honeſtatem, & timens Deum, contentus ſtipendiis ſuis: atque iam vxoris ſolatio deſtitutus, Hugonem annorum fere octo puerum militiæ tradidit ſpirituali, vt non ab adoleſcentia, ſed ab ipſa infantia iugum Domini portare conſueſceret. Non longe enim à caſtro eius monaſterium erat canonicorum regularium, quod ſemper affectu coluit, ibique filium obtulit perpetuo Deo ſeruiturum. Suſceptus eſt Hugo, tyro Chriſti nouellus, moxque ei ſenior quidam religione celeberrimus deputatur, vt rudimentis literarum inſtructus, paulatim ad altiora conſcendat. Iocandi ludendique facultas omnis ei interdicitur, & vt puerilis annos morum grauitate tranſcendat, admonetur: Aiebat illi ſenior: Hugo, ego te Chriſto nutrio: iocari non eſt tuum. Proficit interea puer ingenioſus, & ſupra quam facile dici queat, ſpiritu ſapientiæ & intellectus repletur, miniſtrans velut alter Samuel coram Domino, gratus Deo, & charus hominibus. Erat ei ex toto voluntas in lege Domini, in qua meditabatur die ac nocte. Porro eius pater, bono ſpiritu permotus, ſeculo valefecit, & cum filio in eodem monaſterio, quoad vixit, Domino fideliter ſeruiuit. Cum autem Hugo nonumdecimum ætatis annum attigiſſet, petentibus inſtanter fratribus, Leuita ordinatus eſt. In quo gradu cum mirabiliter cunctis placeret, ſtatim ad altiora coactus ſcandit. Iniungitur ei cuiuſdam parochiæ adminiſtratio: qua adeo perfectè functus eſt, vt ſimul omnes dicerent, magnæ eum prudentiæ & ſanctitatis virum fore.

S. Hugo admodum puer degit in monaſterio.

1. Reg. 2.

Pater eius [illegible] in monaſterio eodem.

Parochiæ cura[illegible] ſtrenuè.

II. POST hæc, cum Dominus eum ad altioris vitæ obſeruantiam vocare vellet, contigit vt cum Priore ſuo, pro more deuotionis gratia Carthuſiam adeunte, pariter & ipſe veniret. Ingreſſus autem locum, ſtatim illius ſpiritualis conuerſationis tantum ſuo in pectore ſenſit accenſum amorem, vt nulla ratione tanti incendij flammam cohibere poſſet. Mox inſtat ſecretius, pulſat precibus fratres ſingulos, vt ad ſuam ſocietatem admittere ipſum ne recuſent. Animaduertens autem Prior eius adoleſcentis animum immutatum, lachrymis infuſus ait: O fili chariſſime, ſcio vtique, ſcio, me in grande malum meum, & irrecuperabile eccleſiæ meæ damnum, Carthuſiam te adduxit. Reuerſus inde in domum ſuam, vniuerſis filiis, & præcipuè patri eius conceptam cordis mæſtitiam cum imploratione remedij patefecit. Accurrunt omnes, ſciſcitantur diligentius, & quod latebat in arcano, prodibat in publicum. Quid multa? Cum infinita inſtantia tantum illius animum moleſtabant, vt iuramento interpoſito, promitteret ſe nequaquam eos deſerturum. Verum quantum perplexitate & quibus ſcrupulis fluctuarit Hugonis conſcientia, facile quiuis apud ſe poteſt animaduertere. Vndique anguſtiæ, vtrobique timor. Sollicitauit eum ſpiritus arctiori diſciplina culmen perfectionis appetere: ſed terruit rurſus votum iuramento vallatum. Si enim poſtquam manum miſerat ad aratrum Carthuſiani propoſiti, reſpiceret retrò, timuit ſe aptum non fore regno Dei.

Capitur [illegible] in ſodalitatem fratrum primariæ Carthuſiæ.

III. HIS bigis cùm aliquanto tempore, permittente Deo, egregie agitatus fuiſſet, & iam tanti incendij flammam vltra cohibere non poſſet, clam fugiens Carthuſiam adiit. Videntes autem fratres tantum eius deſiderium, tum perſeuerantiam & inſtantiam atque animi deuotionem, in ſanctam ſodalitatem ſuam eum perbenignè admiſerunt. Requiſitus poſtea, num adhuc quibuſdam ſcrupulis vrgeretur, quod promiſſis non ſtetiſſet, reſpondit: Non dolere de tam ſalubri potius mutatione propoſiti, à qua tot mihi bona prouenerunt. Nouam igitur ingreſſus militiam, noua inimicorum tentamenta expertus innumera: ſed in omnibus, Dei fretus auxilio, vbique triumphauit. Carnis infeſtas tentationes ſupra modum die ac nocte patiebatur, cum tamen virgineæ eſſet puritatis, & magnis abſtinentiis, cæteriſque ſpiritalibus exercitiis eam quotidie domaret. Per crebras tamen orationes tandem, Domino largiente, liberatus eſt. Et ſicut in his & aliis ſupra vires tentabatur, ita etiam ſingulari conſolatione viſitabatur à Domino, vti poſtea dicere conſueuit, cum onere paſtoralis curæ grauaretur.

Recipitur à fratribus Carthuſiæ.

Carnis tentationes moleſtæ ei ſunt.

IV. CVM vero tempus iam adeſſet, quo ſacerdotio initiandus erat, interrogauit eum ſenior, cui ipſe humiliter miniſtrare cõſueuit, an ſacerdos fieri vellet. Mox ille plenus deuotione ac ſimplicitate columbina, ſic fertur reſpondiſſe: Quantum in me eſt, nihil eſt, quod magis velim in hac vita. Cui ſenior. Et tu quomodo, inquit, hoc audes appetere, quod nemo digne, niſi coactus ſuſcipit, etiamſi perfectæ ſit ſanctitatis? Territus Hugo tam dira ſenioris obiurgatione, confeſtim toto corpore humi proſtratus, veniam cum lachrymis precatur. Videns ſenior tantam in eo humilitatem, totis viſceribus præ admiratione concutitur, & permouente eum ſpiritu Dei, voce prophetica dixit: Surge fili, ſurge ne timueris Scio, & vere ſcio, quo ſpiritu, quo affectu locutus ſis verba hæc. Tibi igitur dico, & vere tibi dico: mox quidem ſacerdos, poſtea vero, cum tempus à Deo præſtitutum aduenerit, etiam Epiſcopus eris. Promotus inde ad ſacerdotium, attentiùs ne tanti ſolueret debitum officij, noua atque ac inſolita mens eius deuotione perfundebatur. Domare porro ſeuerius corporis membra ſtuduit, vigiliis, flagellis, ieiuniis, cilicio, vt habet eius ordinis conſuetudo, & potu aquæ cum pane arido. Nihil omiſit de ſeueritate communis regulæ, immo peculiaria plurima ſupererogauit. Tempore ſacro Quadrageſimæ ter qualibet ſeptimana ſolo pane & aqua contentus, ſextam vltima etiam ſabbatum addebat. Abſtinentiæ huic medici tribuebant ſtomachi eius nimiam, quam patiebatur, imbecillitatem & cruditatem, quæ permultas & pene iuges ei attulit moleſtias: cuius tamen etiam illam dicebant eſſe cauſam, quod facultas appetendi maior in illo eſſet, quam concoquendi. Quam perfectè in hoc ſacro inſtituto verſatus fuerit, ex vnico eius verbo ſatis aduerti poteſt, quod dicere ſolebat, cum iam Epiſcopus eſſet, non arrogantèr ſane, ſed conſtanter, ad ſuorum ædificationem pariter & reprehenſionem, ſi quando negligentes eos reperiſſet. Aiebat nanque: Equidem poſtquam Carthuſiam adiui, neſcio ſi vel ſemel vnquam morantia mihi ſubrepſit. Morantiam dicunt monachi eiuſmodi negligentiam, vnde fratrum conuentus expectare cogatur.

Humilitas eius.

Prædicitur ei, quod ſit futurus Epiſcopus.

Abſtinentia eius.

V. VIDENS autem Prior tantam in eo vitæ ſanctitatem, humanitatem & prudentiam, procurationem totius domus ei demandauit, non tamen ſtatim à ſuſcepto ſacerdotio, ſed cum iam decem annos in cella exegiſſet. Quod ille munus tam vigilanter executus eſt, vt velut alter Ioſeph, cuncta ſibi credita gubernaret, & magnam Domini benedictionem ſacer conuentus ille ex eius adminiſtratione perſentiret. Nullus ad eum vnquam pro qualibet cauſa acceſſit, qui non conſilium & conſolationem reportaret. Fama eius interim excreuit vbique, etiam vltra fines prouinciæ illius. Nam Rex Angliæ Henricus ſecundus, audiens quæ dicebantur de eo, confeſtim ſpectabiles miſit legatos ad Carthuſiam, qui illum accerſirent, vt domum Vuithamiæ, quam ille Rex Carthuſiano inſtituto attribuerat, conſummaret. Duo nanque Priores, propter incolarum & vicinorum proteruiam, nil ibi proficere potuerunt. Rurſus pia lis oritur inter fratres, quidnam de dilecto Hugone faciendum ſit, qui tanta Regis inſtantia poſtulabatur. Prior ſeptimum legatis oppoſuit, nolẽs dimittere filium, quem haud ſecus ac propriam diligebat

Procurationis munus ei demandatur.

Gen. 39.

Deſideratur [illegible] Vuithamiæ à Rege Angliæ.

adſpirant, quoniam virtutum genere, quibus morum diuitiis, quibus meritorum ornamentis virum hunc antecedant. Iſte & ſeipſum à vulneribus immunem conſeruare, & aliena vulnera curare tam perfectè edoctus, pabuloque doctrinæ ſalutaris copioſe refectus, intimo cordis affectu tam ſtudioſe ſublimitatem refugit: & iſti impudentes, omnibus pene bonis vacui, cathedram non verentur aſcendere. Horrendum malum, & quo pene omnis ſtatus Eccleſiaſticus euertatur. Sed quia honor fugientem ſequitur, magis illi excuſatione viri ſancti inflammati ſunt. Denuo in Eccleſia Lincolnienſi conuenientes, concorditer illum eligunt, & ne rurſum ordinis ſui alleget impedimentum, præſtantes mittunt nuncios ad Carthuſiam, qui licentiam cum mandato reportarunt. Quid plura? Non ſine grandi labore omnibus, quæ ad rem pertinerent, probe comparatis atque confectis, trahitur, rapitur, & Epiſcopus velit nolit conſecratur. Cum autem è domo Vuitamiæ equitaret, nullam prorſus oſtentationem admiſit. Pelles etiam, vt verus Chriſti pauper, & veſtimenta monaſtica, ſecum ipſe vehebat: nec ioco, nec ſerio permoueri poterat, vt aliquis miniſtrorum ea ferret. Valde namque cauebat, ne ante ſublimioris gradus conſcenſum, quicquam de priſtinæ obſeruationis vſu vel omitteret, vel mutaret. Rex præterea cum vidiſſet deſiderium ſuum impletum, gaudio geſtiens infinito, dona ei pro regia magnificentia obtulit plurima.

Rurſus eligitur. *Cogitur conſentire.* *Vide humilitatem.*

X. FERTVR miri quiddam in diœceſi Lincolnienſi tunc accidiſſe. Nam cygnus quidam non paulo maior cæteris, & nunquam antea ibi viſus, ad caſtrum quoddam aduolauit, eo videlicet die, quo vir ſanctus Lincolniam primum intrauerat. Hic omnes alios cygnos, quos illic reperit plurimos, intra paucos dies occidit, vno tantum fœminei ſexus reſeruato, magis ſolatii, quam prolis propagandæ cauſa. Familiarem ſe nulli exhibebat, niſi ſoli Epiſcopo: de cuius manu, cum primum veniſſet illuc, ſtatim micas accepit. Caput etiam cum collo longo in eius manicam ſatis amplam, quaſi in aquam immerſit: die noctuque apud eum manſit, diligenter eum cuſtodiens & defendens. Cum autem Epiſcopus abſcederet, mox auis regia in ſtagnum recurrit. Aduentum etiam viri ſancti triduo aut quatriduo ante prænunciare conſueuit, volando, clamitando, cæteriſque geſtibus inſolitis: adeo vt famuli ſibi inuicem dicerent, Præparemus ſingula: Epiſcopus mox aderit. Vltimo tamen aduentu eius ante mortem, ſolito more non occurrit: immo per miniſtros vix potuit adduci. Et cum adducta fuiſſet, nullam lætitiæ aut familiaritatis exhibuit ſignificationem: ſed capite pendulo ægram ſe ſimulans, mœſta redibat. Manſit autem poſt obitum viri Dei in eodem caſtro annis multis. Nec potuit vacare myſterio, quod auis candida, imminens mortis periculum cantu nunocians, viro innocenti, pio ac puro, mortiſq; minas nil formidanti, non abſq; nutu diuino tranſmiſſa eſt. Sancti enim mortem habent in deſiderio, & vitam in patientia.

Nota de cygno rara fane. *Sancti mortem habent in deſiderio & vitam in patientia.*

XI. SVSCEPTO itaque præſulatu, prima cura & ſolicitudo ei fuit, vt viros ſapientia & ſcientia inſtructos, atque in timore Dei probatiſſimos, ſuo lateri adhiberet. Horum conſilio & auxilio fretus, paſtorale munus perquam ſtrenuè executus eſt. Homines quieti & pudici ſpiritus impenſius amabat, nec alios ſuo gregi ſciens & prudens præficere voluit, quantalibet induſtriæ aut literaturæ prærogatiua pollerent. Videns autem tyrannidem Foreſtariorum, ait: Rectè quidem Foreſtarij dicti ſunt iſti, quia foris ſtabunt extra regnum Dei. Vſque adeo certe illorum iniuſta erat poteſtas, vt nemo Rege inferior, eorum poſſet vim & importunitatem illæſus euadere. Contra hos primum ei bellum fuit. Nam cum more ſolito contra Eccleſiæ libertatem in ſubditos ipſius debacchari cœpiſſent, mox ſummum Regis Foreſtarium excommunicauit. Quod vbi Rex comperit, magnam animo concepit indignationem. Contigit tunc in Eccleſia Lincolnienſi beneficium, vt vocant, ſiue Præbendam vacare: pro qua ſtudioſe Rex, diſſimulata ira, precabatur, vt viri ex ſeruis eius illam conferret. Fuit hoc exquiſitum quorundam aulicorum conſilium, qui obſequium in hoc ſe præſtare viro Dei putabant, cui dediſſent occaſionem vtcunque mitigandi aduerſus ipſum commotam Regis indignationem. Lectis igitur literis, vir ſanctus diuino timori poſtponens humanum, ita ait: Non [a] aulicis, ſed potius Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiaſtica ſunt conferenda beneficia. Habet dominus Rex, vnde tribuat mercedem ſeruientibus ſibi, nec debet ſummo Regi famulantes priuare prouentibus ſuis, vt inde ſeruis ſuis prouideri poſcat à nobis. Hæc dicens, & regios à ſe nuncios inanes & vacuos remiſit, & Foreſtarium abſoluere noluit. Quibus Rex auditis, grauiter in Epiſcopum commotus eſt, eo præcipue, quod nec per ſe, nec per alios, aut certe per literas veniam peteret, vel factum reuocaret. Acceſſito itaque ad ſe inter cætera dixit [b] Rex: Domine Epiſcope, vbi ſunt gratiarum actiones, quas rependere debuiſti pro tantis beneficiis? Reſpondit Epiſcopus: Noui te, vt Epiſcopus ego efficerer, ſtudioſè laboraſſe. Vt igitur animam expedirem tuam, vbi illi periculum immineret, ſi, quod mei eſſet officij, exequi non curarem, neceſſario id mihi incubuit, vt oppreſſorem Eccleſiæ meæ, cui me conſulere oporteret, per Eccleſiaſticam cenſuram coërcerem, & indebitæ Præbendam ſibi in ea ambientem, nulla ratione exaudirem. Excellentiæ autem tuæ præſentiam pro vtrolibet adire negocio, non modo ſuperfluum, ſed etiam ineptum ſentiebam: cum tuæ prudentiæ pronum ſit, quod ritè geritur, ſapienter aduertere: & voluntati nihilominus tuæ facile ſit, quod rectum eſſe cognoueris, clementer & benigne approbare. Huiuſmodi rationibus Rex, cum, quod contradici poſſet, non reperiret, omnino placatus eſt. Ore etiam ſereno iam eius ſe orationibus commendans, vltra nec addere, nec demere quicquam dictis aut factis eius attentauit. Foreſtarium denique dolentem valde, & virgis cæſum, clementer abſoluit. Hunc poſtea omni reliquo vitæ ſuæ tempore ſpeciali quadam beneuolentia ſibi ſenſit addictum, & ſuorum negociorum fideliſſimum curatorem. Sic in Rege, ſic in ſatellite veridicam eſſe ſententiam experitur, qua dicitur: Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum magis, quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

Foreſtariorum ſæua tyrannis. *Quinā autē fuerint hi Foreſtarii & cur ſic dicti, cōſule epiſt. 95 Pet. Bleſenſ. quam ad Henricū II. Regem Angliæ aduerſus huiuſmodi Foreſtarios ſcripſit.* *a Conſtantia & magnanimitas ſancti viri.* *b Altercatio Regis cum Epiſcopo.* *Rex placatur auditis rationibus ſancti viri.* *Prou. 28.*

XII. PACIS amator & conſeruator intantum fuit, vt bono pacis in hac vita nihil præferendum aſſereret, nec ſeditionis & turbationis peſte quicquam amplius fugiendum. Itaque vitare modis omnibus familiaritatem alio ſpiritu ad ſchiſmata anhelantium, & diſcordias inter fratres ſeminantium admonebat. Conſulente quoque eum Archiepiſcopo Cantuarienſi de ſtructura eccleſiæ beati Stephani, num ſcilicet eam fundare deberet loco illo, quem ſanctæ memoriæ deceſſor eius Thomas illi deputârat, aut certe perſuaderet opus penitus intermittendum, contradicentibus ipſi vehementer monachis Eccleſiæ cathedralis, & aſſerentibus fundationem illam in eorum præiudicium attentari. Hugo reſpondit: Si inter te, domine Archiepiſcope, & collegium tuū prætextu huius fundationis aliquod ſchiſma ſuboriri contingat, iam diſciplinæ vigor illic diſſoluetur & emarceſcet, pariterque minuetur ordinis cenſura. Hinc quanta ſucceſſura ſint animarum pericula, nullus æſtimare poterit. Oportet te præterea nunquam non ſummi Pontificis, Romanæ Curiæ, regis Angliæ, & aliorum principum motus animoſque vereri. Satis tibi ſit, cum ſancto martyre idem propoſuiſſe. Sed non acquieuit ſano conſilio: immo vero totam illam ſtructuram quamprimum abſoluit. Sed nec vnum quidem verbum ex iis, quæ locutus erat vir Dei, in terram cecidit. Nam cum magno rubore & damno Archiepiſcopi, totum ædificium iuſſu Romani Pontificis penitus euerſum eſt. Succeſſori quoque illius in opus ſimile geſtienti, vir ſanctus prædixit id, quod rerum finis edocuit. Monebat indifferenter quoslibet prælatos, vt vnitatis & concordiæ vinculum cum ſuis ſubditis inuiolabiliter conſeruarent, ſuimet illis exemplum proponens: Noui, inquit, me cum filiis meis bonum pacis & vnitatis tenacius obſeruare, & neque Regem, neque quemlibet mortalem mihi timendum exiſtimo: ſed neque internam pectoris perdo ſecuritatem, quæ ſempiternam nobis tranquillitatem conciliat. Nec ideo à dominis meis (ſic enim

canonicos

Studioſiſſimus eſt pacis. *Conſilium dat Archiepiſcopo.* *Archiepiſcopus dat pœnas temeritatis ſuæ.*

canonicos ſuos appellabat) quies mihi iſta defertur, totius ignara diſſidij, quod leuem me ſentiant & manſuetum,
cum ſim reuera pipere aſperior atque mordacior, ita vt eorum præſidens capitulo, ex re leuiſſima non raro excan-
deſcam: ſed faciunt de neceſſitate virtutem, ſcientes talem ſe oportere ſuſtinere, qualem ſua ſponte elegerunt. Gra-
tias ago illis, nunquam vel in vno ſermone mihi reſtiterunt, ex quo primum inter eos reſidere cœpi. Egredientibus
autem vniuerſis, finito capitulo, nullus de noſtra ſibi æſtimat dilectione diffidendum, nec puto me à quouis eorum
non amari.

Quantum ei detulerint Canonici.

Secularibus Angelicæ illius, Carthuſiæ ſcilicet, vitæ ſtatum laudantibus, & de ſuæ mundanæ vitæ impedi- XIII.
mentis cõquerentibus, quos tamen nec velle, nec poſſe ſciret ad perfectiora viuendi inſtituta tranſire, huiuſmodi ad-
hibebat inſtitutionem. Non ſoli, inquit, monachi, ſed nec eremitæ tantum atque ſolitarij regnum Dei conſequentur.
Denique cùm vnumquenque iudicabit Dominus, nequaquam id expoſtulabit, quod eremita non fuerit, aut mona-
chus: ſed hoc potius exprobrabit, quod minime fuerit germane ac probe Chriſtianus. Nam tria quidem illic à quoli-
bet exigentur Chriſtiano: ex quibus ſi vel vnum illi defuerit, nomen Chriſtianum prodeſſe ei non poterit. Nocebit
potius nomen ſine re, quando deteſtabilior eſt falſitas in veritatis profeſſore. Exigit autem vis & veritas beati nominis
huius, vt indeſinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, caſtitas in corpore non fallaciter Chriſtiani: Fœminis
quoque ſententia memorabili & plane mellita, in ſermone familiari dicere conſueuit, vt eas ad feruentius diligẽdum
Conditorem prouocaret: Satis, inquit, à fœmineo ſexu Deus omnipotens diligi promeruit, cum naſci de fœmina di-
gnatus eſt. Præclarum ſane & eximium hoc ipſo ſexui illi priuilegium contulit. Nam cum viro conceſſum non ſit, vt
vel dicatur, vel ſit pater Dei: hoc tamen præſtitum eſt fœminæ, vt ſit parens Dei. Porro etiam permultos peccatores,
& in iis deſperatos quoſdam, orationum ſuarum merito ac pia exhortatione, ad viam ſalutis reuocauit. Vnde ſatis ap-
paret, quanta in eo exhortationis quotidianæ ad populum gratia extiterit.

Verus Chriſtianus qualis eſſe debeat.

Priuilegiũ ſexus fœminei.

In menſa vir ſanctus hilaris & iucundus fuit, ſed non ſine grauitate & modeſtia: ſuoſque ad idem hortabatur, XIV.
ita dicens: Læti ſimus ſecundum faciem ſanctorum. Si quando muſici, aut alij mundana ſolatia afferentes, quauis oc-
caſione intereſſent, tum vel maxime grauitati ſtudebat, ne peregrina conſolatio animum eius ab æternorum con-
templatione auocaret. Itaque pro ædificatione aliorum dicere ſolebat: Ego huius mundi gaudia nunquam attigi, io-
cos nunquam didici, nunquam ſciui: A carnis eſu ſemper abſtinuit: piſcibus crebro veſcebatur: vini vſum moderatum
non reſpuit. Et quia, experientia docente, ſentiebat exercitum Epiſcopalis officij magni eſſe laboris, de victus parſi-
monia nonnihil remittere viſus eſt. Dolores illorum acerrimos crebro patiebatur, qui magnum ei in executione of-
ficij afferebant impedimentum. Affuit nihilominus ei gratia ſingularis fortitudinis, & inſtar miraculi erat videre in
dedicandis Eccleſiis, in ſacris conferendis ordinibus, atque in cæteris officiis Eccleſiaſticis vires omnium inſeruien-
tium illum vincere ac ſuperare. Ad iſta ſurgebat nonnumquam ante lucem, & vſque ad profundas ſequentis noctis
tenebras ieiunus permanebat. Neminem ad ſacra ſinebat officia miniſtrare, qui ieiunium quacunque occaſione fre-
giſſet. Quamplurimi etiam per benedictionem eius ſanitatem ſunt adepti. Infantibus & paruulis lenem & effabilem
ſe præbuit: ſed cum intelligentiæ annos attingerent, ab illa familiaritate arcebat eôs, ne inſoleſcerent. Non raro viſi
ſunt infantes ſupra naturæ facultatem extentis brachiolis ei adiocari. Infirmis & afflictis humaniſſime ſubueniebat,
præcipue vero leproſis, quos cum magno cordis oſculabatur affectu, ſingulis humillime ſe inclinans, dato etiam ſub-
ſidio tam corporali, quam ſpiritali. Contigit aliquando, Vuilhelmum Cancellarium Lincolnienſem tantam in eo
humilitatis gratiam cum admiratione aduertere: ſed ſtatim dubitare cœpit, num qua mentem eius elatio attigiſ-
ſet. Quod cum experiri vellet, dixit ei: Domine, S. Martinus leproſum oſculando ſanauit: tu leproſos, quos oſculatis,
non ſanas. Cui Epiſcopus incunctanter reſpondit: Oſculum Martini, carnem leproſi ſanauit: oſculum vero leproſi,
animam meam ſanat. Tredecim pauperibus, cum tot haberi potuiſſent pedes ſecretius lauare ſolebat. Cumulus ope-
rum miſericordiæ adeo in eo excreuit, vt vir miſerationum merito diceretur.

Cruciatur dolore illorum.

Affectus eius erga ægros & afflictos.

De ſingulari eius cura & ſolicitudine erga ſepulturam mortuorum, id eſt compertiſſimum, tam in nouo quam XV.
veteri teſtamento vix quenquam repertum illi parem in hoc ſtudio & officio humanitatis. Quid multa? Si plures re-
periſſet, plures ſepeliſſet. Spreuit Regum prælatorumque conuiuia: nec corpori pepercit, nec vitæ, quandiu funus ali-
quod non ſepultum didicit. Quandoque famuli Regis ad eum venientes, Dominus Rex, aiebant, iam vltra horam
ieiunus præſtolatur: cur non venis? Quibus ille ait: Satius eſt terrenum Regem abſque me prandere, quam manda-
tum æterni Regis ab humilitate mea negligi. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cælis eſt. Cum
aliquando putidiſſimum cadauer cuiuſdam ebrioſi ſepeliret, & cũcti, qui aderant, nares obſtruerent, propiuſque ac-
cedere formidarent, ſolus Epiſcopus quaſi nihil illic grauiter oleret, familiariſſime tractabat corpus horridum & ni-
gerrimum, donec ſepulturæ illud commendaret: Timentibus poſtea aliis, ne quem forte morbum ex illo fœtore con-
traxiſſet, ſciſcitabantur num quid mali ſentiret. Reſpondente eo, nil ibi inſuaue odoratu, aut triſte ſe ſenſiſſe, & eos
errare omnino putaret, mirati ſunt omnes, benedicentes Deum in ſeruo ſuo. Cum audiſſet aliquando quẽdam è per-
ſecutoribus eius defunctum, ſtatim præparauit ſe, vt illò pergeret, hominemq; ſepeliret. Occurrentibus vero famulis
& dicentibus, certiſſime comparatas eſſe inſidias iuxta viam. Tum demum, inquit ille, iuſte excuſabimur, ſi pedes cõ-
pedibus conſtringantur, & incedendi facultas erepta ſit. Quo dicto, relictis aliis, cum duobus tantum eo ſe contu-
lit, ac funus honorifice curauit.

Erga mortuos ſepeliendos.

Sententia memorabilis.

Non ſentit teterrimum odorem horridi cadaueris.

Magna erga ſubditos humanitate & beneuolentia afficiebatur, adeo vt nec ipſe onus aliquod eis im- XVI.
poneret, nec ab aliis imponi pateretur. Archidiaconos ſuos, cæteroſque prælatos ſeuere compeſcuit, nè à delin-
quentibus mulctam extorquerent pecuniariam, quod munera excæcent oculos ſapientum, & iudicia peruertant
iuſtorum. Dicentibus econtrario illis, plus terrere impios pecuniæ diſpendium, quam excommunicationis pro-
brum, reſpondit: Veſtræ hoc potius negligentiæ aſcribendum eſt, qui remiſſiores eſtis in caſtigandis vitiis, & ſeue-
riores in extorquendis pecuniis: nec tam ſtudioſe curatis, vt illi iniunctam compleant ſatisfactionem, quam vt vo-
bis promiſſos dependant nummos. Rurſum illis interdum pro ſe allegantibus, ſanctiſſimum Archiepiſcopum
& martyrem Thomam eiuſmodi mulctas peccatoribus irrogaſſe, reſpondit: Credite mihi, non idcirco ſanctus
fuit. Alia eum virtutum merita ſanctum exhibuerunt, alio meruit nomine martyrij palmam. Valde enim pa-
ſtor bonus metuebat ouibus ſuis, quibus crebro eiuſmodi diuitum colludio cernebat illudi. Conſuetudines
etiam exactionum, ſub iuſtitiæ prætextu ſimulate introductas, penitus aboleuit. Deceſſores nanque illius, vt
occaſionem haberent à populo pecuniam exigendi, pactum cum Rege fecerant, vti ſingulis annis pallium
quoddam ei darent, ea tamen conditione, vt nummos ad eam rem neceſſarios à vulgo ipſi extorquerent. Si
quid autem ſupereſſet, hoc quaſi pro labore ſuo priuatis vſibus ſeruarent. Iam annos multos facinus hoc tantum
non pro lege habitum erat. Quid faciet vir religioſus, & Deum timens, videns iniquitatem in ciuitate? Num extor-
quebit à populo precium ſudoris & ſanguinis, vt veſtem Regi tribuat, & reliqua ſibi vſurpet? Quid faciet? Forte diſſi-
mulabit, forte dicet: Faciat hoc alius, ne illud ego feciſſe videar. Minime. Non enim hoc docuit Carthuſiana ſoliditas.
Sed fortaſſe manus ſuas excutiet ab omni munere, & Regi pallium vna cum pecuniis tradet? Id vero ſi faciat, non
paſtor, ſed mercenarius erit. Sed quid fecit paſtor bonus, paſtor verus amator iuſtitiæ? Deditne cornu peccatori?

Deut. 16.
Non vult ſubditos grauari mulcta pecuniaria, aliiſve exactionibus.

Exactiones ſimulatas abolet.

Abut.

Abſit. Si vel vnam exactionem ſimulari iuris admiſiſſet, inimicus de vnico triumpho gloriari potuiſſet. At nullam prorſus admiſit: quin immo nocte dieque, non ſine periculo corporis & totius ſubſtantiæ ſuæ, Regi, Archiepiſcopo, cæteriſq; potentibus ſe oppoſuit. Fidelis paſtor, qui animam ſuam toties poſuit pro ouibus ſuis. O quam ex parte talibus columnis Eccleſia Dei fulciretur.

XVII. Commiseratione magna proſequebatur peccatores, pœnitentiam amplecti volentes, nec æquanimiter ferre potuit, ſi quis extremo ſupplicio afficiendis inſultaret. Cum aliquando eſſet in itinere, obuiam habuit turbam magnam hominum, furem quendam ducentium ad patibulum. Intelligens autem fur ille, quod Epiſcopus eſſet, petiuit vt pro benedictione conſequenda propius adduceretur. Adductus vero, traxit ductores ſuos violentia, qua potuit, donec frenum Epiſcopi manibus contingeret. Tum vero obſecrauit eum, vt pro ſolita clementia in tam extrema neceſſitate ipſi ſuccurreret, & à morte imminente liberaret. Paueſcente Epiſcopo, & mirante quid ſibi clamor iſte, populique tumultus vellet, reſponſum eſt ei, furem ad ſuſpendium trahi. Commotus vir pius ad miſericordiam, dixit: Soluite eum, & ſinite abire. Vbi enim Epiſcopus cum fidelium populo congregatus eſt, ibi eſt Eccleſia: nec minor immunitas debetur lapidibus viuis, quam mortuis. Quo audito, libere eum abire permiſerunt, proteſtantes nihilominus contra Epiſcopum, Regis iudicium ab ipſo impediri. Faciebant autem hoc, non ex inuidia aliqua, ſed propter timorem Regis ac ſatellitum eius, ne tanquam præuaricatores punirentur.

Liberat furem à præſentiſſimo periculo.

XVIII Videns Richardus Rex conſtantiam viri Dei, & quod paratus eſſet mori potius, quam ipſi contra iuſtitiam vlla in re conſentire: proceres miſit, vt omnia bona Epiſcopi confiſcarent. Venientes illi ad fines diœceſis eius, tanto terrore concuſſi ſunt, vt contingere quicquam ex iis, quæ illius vel Eccleſiæ eius eſſent, nemo illorum auſus eſſet. Richardus ſucceſſit Henrico, ſed non pari honore virum ſanctum proſecutus eſt. Creditur Henricus Rex, qui illum ſemper dilexit, & eius conſilio cuncta faciebat, benedictus à Domino: Richardus autem, qui ei crebro moleſtus fuit, damna, pericula, bella plurima perpeſſus eſt, & tandem in cor ſictu iaculi percuſſus, miſerabili fine, cum iam paucos regnaſſet annos, è vita deceſſit. Fertur tamen idem Richardus in præſentia ſancti Epiſcopi nunquam durus & aſper fuiſſe. Cum aliquando idem Rex contra Regem Franciæ extra fines regni ſui acriter dimicaret, & militi pecuniam multam erogaſſet, † Archiepiſcopum in patriam remiſit cum mandato, vt Epiſcopis & Prælatis in vnum conuocatis indicaret ſe pecunia habere opus, cuperetque ab illis adiuuari. Sed vir ſanctus accuratius rem ipſam examinans, cum reperiſſet, pauperculam plebem hac ratione grauari, reſpondit: Etiam ſi omnes Regi conſenſerint, at ego tamen nequaquam * illo conſentiam. Vnus etiam ex Epiſcopis, auditis rationibus, quas beatus Hugo propoſe contra illam exactionem afferebat, ei adhæſit. Grauiter hoc Archiepiſcopus accepit, & gradu concito ad Regem abiit, multa ei de ſancto Epiſcopo conqueſturus. Audiens Rex, ſolum Lincolnienſem ſuum retardaſſe conatum, & alium etiam Epiſcopum in ſuam ſententiam pertraxiſſe, præ ira inſaniens, cuidam amico ſuo dixit: Sicut tu meam diligis ſalutem, ita ego tibi præcipio, vt Hugonem cum adhærente ei Epiſcopo penitus extirpare feſtines. Eiectus eſt ergo alter ille, & omnia, quæ poſſidebat, fiſco Regis addicta ſunt, ipſo per aliquot dies à ſede propria & regno exulante. Et certe vix tandem, amicorum adiutus auxilio, ad pedes Regis peruenit, clementiam cum lachrymis implorans, promittenſque ſe deinceps Regi nunquam contradicturum. Sed iuſtus tanquam leo confidens, abſque terrore erit: vtpote qui in deſerto Carthuſianæ celſitudinis non viſus eſt mollibus veſtiri, nec quaſi arundo vento mundani terroris aut fauoris agitari. Reuera non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. Appropinquantes enim milites, vt Lincolnienſem Epiſcopum eadem ratione vexarent, non refugam mercenarium, ſed ſtrenuum paſtorem repererunt. Nam antequam manum ad prædandum extendiſſent, iuſſit omnes in vicinis parochiis pulſatis campanis excommunicatos denunciari. Videntes ergo illi ſolita magnanimitate virum ſanctum ſtare pro ouibus ſuis, nutu diuino territi, diſceſſerunt inanes. Valde enim timebant, ne in ſatanæ poteſtatem traderentur, morteque reproba à diabolo præfocati perirent, ſicuti pluribus iam euenerat, quos ſanctus Epiſcopus percuſſerat anathemate.

Richardus Rex crebro ei eſt moleſtus.

† Cãtuarienſem intelligit.

Nõ vult cõſentire Regi in ſubditorum detrimentum.

** illi.*

Prou. 28.

Vide cõſtãtiam & magnanimitatem ſancti viri.

XIX. Verum perpendens vir Dei inique delatum ſe eſſe apud Regem, metuenſque nè ea cauſa gregi ſuo peiora acciderent, animam ſuam poſuit in manibus ſuis, celeriterque adiuit Regem in longinquis tum conſtitutum. Cum autem appropinquaſſet aulæ, quidam boni viri occurrerunt ei, rogantes vt quamprimum ſeſe ſubduceret, nec vultui Regis præſentaret, verentes, ne, ſicut in diebus ſancti Thomæ, vltio diuina in totum regnum ſe diffunderet, ſi tantus vir abſque cauſa trucidaretur. Sed penitus non acquieuit: quin immo vni ex illis viro bono ſingularique amico, qui ſe ſequeſtrum idoneum fore ſpopondit, ſi vel parum expectare dignaretur, ſic fertur reſpondiſſe: Itane mihi parcam, vt te hæredeſque tuos in diſcrimen coniiciam? Et quid tam gratum atque optatum æmulis noſtris eſſe poterit, quam vt te quoque diſſentientem aſſciant, ſi pro me locutus fueris? Quo dicto, ſtatim in aulam ingreditur. Cumque comperiſſet Regem in ſacello Miſſam audire, protinus pergit illuc, rectaque ad Regem ſe conferens, propiuſque ad eum accedens, conſtanter ei dicit: Da mihi oſculum. Cui Rex: Non meruiſti, inquit. At ille: Immo vero merui, ait: nam via longa veni ad te. Oſculum mihi debes: & fortiter trahens eum per chlamydem, debitum extorſit. Subridens Rex, inclinauit ſe, & oſculo eum impertiit. Cumque omnes Epiſcopi cæterique circunſtantes Hugonem de Rege triumphantem cernerent, præ ſtupore non erat vltra in eis ſpiritus. Videns denique Rex conſtantiam viri, & quod ſpreto loco Epiſcopis aſſignato, iuxta altare humiliter ſe ſubmiſiſſet, vt immortalem Regem liberius adoraret: tum etiam quod minas vniuerſaque pericula pro nihilo duceret, cum ex animo venerari cœpit. Pacis etiam ſymbolum ſibi oblatum, primum Lincolnienſi Epiſcopo perferri iuſſit. Propter hunc honorem ſancto viro delatum, Dominus ei inſignem victoriam paulopoſt meritis eius creditur contuliſſe. Finita vero Miſſa, Hugo retro altare duxit Regem, vt eum maiore libertate reprehenderet. Cumque ſederent pariter, his blandimentis eum aggreſſus eſt: Dic quomodo ſe habeat conſcientia tua. Parochianus noſter es, & tremendo iudici pro te rationem reddituri ſumus. Cui Rex: Satis, ait, bene mihi conſcius ſum, niſi quod inuidia quotidie torqueor contra hoſtes regni mei. At Hugo rurſum cum obiurgatione: Et quid eſt, inquit, quod audio? An non quotidie pauperes opprimis, innocentes affligis, exactiones graues imponere non formidas? Inſuper & fidem tori te violaſſe fama clamitat. Num iſthæc parua tibi videntur? Ad hanc vocem Epiſcopi, immo ſpiritus Dei, qui loquebatur in eo, territus eſt Rex intantum, vt nec ſemel mutire auſus fuerit contra eum. Cumque de his & aliis multis prolixe obiurgaſſet eum, de quibuſdam humiliter ille ſe excuſauit: de aliis veniam poſtulans, emendationem promiſit. Reddente etiam Epiſcopo legitimam rationem coram Rege & omni frequentia, quod cum paſtor eſſet, in grauamen ouium ſuarum conſentire neutiquam debuerit, Rex libenter accepit, ſimul Deo gratias agens, ſi ab vlteriori reprehenſione ceſſaret. Tandem vir Dei Regi benedixit, & imperterritus ad propria remeare cœpit. Eo autem abeunte, Rex conuertens ſe ad ſuos: Si omnes, inquit, Epiſcopi tales eſſent, nihil aduerſum eos poſſent, ſiue Reges, ſiue principes. Dictus eſt propterea vir ſanctus Regum malleus, quod perpetuo de ipſis triumpharet,

Rara ſanctæ admiranda animi virtus & fortitudo.

Vir ſanctus Regem obiurgat.

Regum malleus S. Hugo Epiſcopus.

Fvit vero non minus zeloſus, contra quoslibet alios pauperum oppreſſores, Eccleſiaſticæque libertatis violatores, quos indiſcriminatim abſque vlla perſonarum acceptione arguebat, admonebat, & ni omnino vt ipſe ces perſiſterent, etiam excommunicationis ſententia feriebat. Vere ad nihilum deductus erat in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum, quantumcunque exiles eſſent, tota deuotione glorificauit. Eiuſdem zeli fuit pater eius, itemque duo fratres: qui ſtrenui erant milites, & inprimis iuſtitiæ tenaces. Sæpius ei ſcripſerunt, & cum præſentes eſſent, verbis præclare hortabantur eum, ne in falſorum fratrum, ſeu crudelium dominorum perſecutionibus animo laſſaretur. Aſſerebant etiam, malle ſe natum illum non fuiſſe, quam contra natales ingenuos oppreſſoribus libertatis Eccleſiaſticæ vel ad momentum degeneri animo cedere. Tota virtute ſanctus Epiſcopus id executus eſt, nec in præiudicium Eccleſiæ ſuæ quicquam fieri permiſit. Hortantibus quandoque amicis, vt maioris periculi vitandi cauſa in quadam re parui momenti Regi contra ius Eccleſiæ ſuæ conſentiret, ſic fertur dixiſſe: Aquit, vt perſonæ laicæ, cuiuſcunque etiam dignitatis & eminentiæ, priuilegium Eccleſiaſticæ libertatis infringant. Mihi vero non contingat, vt timore poteſtatis alicuius, aut formidine difficultatis quantæcunque, ius Eccleſiæ dominæ meæ S. Mariæ, quantum in me eſt, deperire ſinam. Cum enim ſit ſatis pudendum, dignitates & libertates ſanctæ Eccleſiæ non augere, quemadmodum olim noſtri fecère maiores: quam eſt turpe & probroſum, ſi ex inertia paſtoris à ſua integritate decidant, quæ per ſtrenuum diſpenſatorem augmentari, & in melius prouehi debuerunt? Inter micantes gladios, nudo capite ſæpius ſtetit imperterritus, & nec ad momentum ab obiurgationibus ceſſauit, vbicunque res poſtulare videretur, pro iuſtitiæ defenſione. Aliquando in menſa, quandoque in Eccleſia, ſola fidei conſtantia fregit & ſuperauit Tyrannos. A ſuis etiam derelictus, ſolus perſtitit tam Lincolniæ, quam in Hollandia Anglicana, atque Nortmania, cædens labiis præuaricatores. Cumque gladios vibraſſent in caput eius, & tantam in eo viderent fiduciam, confuſi abierunt, nil contra manum Omnipotentis facere valentes. Quoſdam ad minas interdum procaciter erumpentes, ſic voce terrifica non deſtitit obiurgare: Quid, inquit, veſtris viribus vel armis contra manum Omnipotentis poſſe vos confiditis, quando nobis etiam indignis & infimis hæc manus adeo potentia contulit arma, vt eis nulla humana poſſit æquiparari? Loricas veſtras iacula noſtra penetrant: enſes veſtros non formido. Noſtris vero enſibus nec caſſides veſtræ, nec thoraces reſiſtere valent. Vos carnem, Deo permittente, ceditis: ſed animam prorſus non attingitis. Gladius vero noſter & corpus perimit, & morti, non momentaneæ, ſed æternæ, eorum, quos percellit, animas addicit. In omnibus hiſce tum perſecutionibus periculoſis, tum arduis negociis tanta fuit animi libertate & ſecuritate, vt nec ſomnus interrumperetur, cum tamen alij omnes vſque adeo timore ſæpè agitarentur, vt ſomnus ab oculis eorum recederet, itemque conſilium omne.

Zelus eius aduerſus libertatis Eccleſiaſticæ violatores. *Pſal. 14.*

Vide quam conſtanter libertatem Eccleſiaſticam defenderit.

Contemnit ſæpè mortē intētatam.

Obiurgat ſibi mortem intētantes.

Mvltvm erat intentus iis, quæ ad Dei gloriam pertinerent, eoque in cunctis à Domino dirigebatur. Hoc vero præcipuum eius ſtudium fuit, vt ſanctorum monachorum & Epiſcoporum vitas diligenter perlegeret, eiſque pro viribus ſeſe conformaret. Quamobrem etiam vita eius, abſoluta quædam norma fuit, ſiue ſpeculum omnium bene volentium monachorum & Epiſcoporum. Experientia nanque edoctus fuerat, quanto accuratius diuina curaret, tanto rerum temporalium ſucceſſus, diſponente Domino, facilius prouenire. Tanta autem fiducia illi ſemper inerat erga Dominum, vt non parum ſe peccaſſe fateretur, ſi vel tenuiter eas ob res formidaſſet, propter quas trepidare & angi ſolet humana infirmitas. Nocte quadam cum graues curæ & ſolicitudines præter morem animum eius diſtraherent & infeſtarent, eaſque præ tumultu earum & importunitate excutere non valeret, admodum cœpit animo perturbari. Sed ilico ad ſe reuerſus, pectus percutit grauiter ingemiſcit, primo mane confeſſarium accerſit, valde ſe peccaſſe pronunciat, quod non ita, vt decet hominem Chriſtianum, omnem curam ſuam iactaſſet in Dominum, ſed perinde ac ſi propriis adinuentionibus fidendum ipſi foret, diſcruciari & angi inaniter cœpiſſet. Reuera tamen in tam periculoſo tum erat itinere, vt ſi præ curis canuiſſet, mirum videri non debuerit. Compertum eſt poſtea, illa eadem nocte mortuum fuiſſe Richardum Regem. Nec myſterio vacauit viri ſancti turbatio tam inſolita, tam vehemens. XXI.

Ingens eius in Dominū fiducia.

Preces canonicas ſtatuto perſoluebat tempore, nec induci poterat, vt aut præueniret illud, aut differret. Itaque in magnis etiam tractatibus, ſicut quidam ad conſultandum ſiue deliberandum egredi ſolent, ſic ipſe immortali regi debitum laudis oblaturus, ſimulatque veniſſet hora, mox exire ſolebat. Nihil diuino officio anteponendum Carthuſiano more vir fidelis didicerat, quod etiam vſque in finem exacte ſeruauit. Contigit, illum aliquando cum Prælatis quibuſdam & clericis per loca infeſta equitare. Conſultantibus ergo illis, quo pacto imminens periculum euaderent, omnium hæc vna ſententia fuit, vt ante lucem ſurgerent, & iter ſuſpectum in tenebris conficerent. Surgunt mane, vrgent Epiſcopum, aiunt non cunctandum, nè à prædonibus capiatur. Quibus ille: Et quid ibimus, inquit, Matutinis precibus nondum abſolutis? Reſpondent illi: Poſtea dicemus illas: iam properandum, nè propter moram capiamur. Tum Epiſcopus: Qui capit, ait, capiat; & qui timet, timeat. Ego hinc non exibo, donec ſolito more preces matutinas perſoluero. Mira res. Solus Epiſcopus poſtquam laudes Deo tractim admodum obtulit, licet cum ſuis per eandem viam æquitaret, nil mali paſſus eſt: Alij autem, quia prudenter ſe facere arbitrabantur, nec conſilio ſancti viri parere volebant, in periculum, quod cauere moliebantur, inciderunt. Quam vero monaſticum ſpiritum vir ſanctus habuerit inter tot turbines rerum mundanarum, ex ſequentibus patebit. Venit aliquando ad domum Atuertam Carthuſiani inſtituti, ea videlicet tempeſtate, cum iam pauloante longum illud iter confeciſſet, in quo pacem conciliauerat inter Franciæ & Iohannem Angliæ Reges, qui Iohannes Richardo ſucceſſerat. Interrogatus vero de modo initæ pacis, non parum contriſtatus, reſpondit verus zelator ordinis ſacri: Rumores audire & referre, etſi licet Epiſcopis, ſed monachis non licet. Cum aliquo proficiſcens equitaret, adeo contemplationi intentus erat, vt præter pilos equi ſui nihil cerneret. Itaque famulum ante ſe equitare voluit, quem vt ductorem ſequebatur. Quod ſi quiſquam alius ſiue de induſtria, ſiue à caſu interceſſiſſet, mox illum ſequebatur, propter nimium internarum ſpeculationum vſum & conſuetudinem, non animaduertens ſe viam pariter & ductorem mutaſſe. Ductor quoq; illius interdum non mediocriter turbabatur, quod cum putaret eum ſequi, inter alios oberrantem, multo labore inquirere cogeretur, nec facile præ turba repertus poſſet. XXII

Preces horarias ſemper abſoluit ſtatis horis.

Contemnit pericula, dū vult Deo ſatisfacere.

Obſerua quam ſit animus eius vbiq; Deo intentus.

Singvlis annis, vt minimum ſemel æſtiuis vacationibus, ad monaſterium ſuum Vuitamenſe ſe conferre ſolebat. Ibi vero tanquam in meſſe fertili, menti ſuæ de ſpiritualibus prouidit frugibus, quas vbertim illic ipſe ſecuerat. Erant tum illic viri valde ſpectabiles, in vita ſtrenui, in contemplatione ſublimes: iique blandimenta ei nulla, tanquam vltra alios Epiſcopos aliquid haberet ſanctitatis, apponebant, ſed potius admonebant vt videret quantum adhuc abeſſet à conuerſatione patrum antiquorum. Tanta autem humilitate in omnibus ſe illis conformabat, vt præter ſolum annulum nil geſtaret, vnde, quod eſſet Epiſcopus, poſſet animaduerti. Quam vero grata illi fuerit ſolitudo Carthuſiana, vel inde perpendi poteſt, quod ſummo ſtudio in id incubuit, vt poſſet ſe Epiſcopatu abdicare. A ſingulis enim Romanis Pontificibus, qui eius tempore Eccleſiæ præfuerunt, id humillime petiit, ſed non obtinuit: immo vero tanquam bene dignus, coactus ab illis eſt ſuo mune- XXIII

Quotannis redit ad Carthuſiā Vuitamiæ.

ſe per-

re perfungi. Nuncios etiam & fautores huius rei durius illi obiurgantes, cum minis remiſerunt, vetaruntque ne deinceps huiuſmodi literas ad Apoſtolicam ſedem adferrent. Grauiora quoque totius prouinciæ negotia ei expedienda delegarunt. Singularem nanque à Domino gratiam acceperat iuſtum ab iniuſto diſcernendi, ita vt peritiſſimi iureconſulti cum admiratione dicerent, nunquam ſe talem virum reperiſſe in decidendis etiam difficilibus ſubtiliſſimiſque cauſis, quamuis ille huiuſmodi praxim nuſquam didicerat. Gaudebant omnes, qui cauſas iuſtas ad eius iudicium afferebant, certi nimirum, quod nec ignauia ſeduci, nec muneribus aut minis corrumpi vel frangi poſſet. Spiritus quoque ſanctus, qui hoc ei contulerat donum, ſermonem illius atque ſententias confirmabat ſequentibus ſignis. Nam cum rebelles quoſdam & contumaces ſatanæ tradidiſſet in interitum carnis, ſubito non comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Epiſcopo ſancto reprehenſus, cum admonitionem eius paruipenderet, nec ſe emendare vellet, mox ab illo excommunicatus eſt. Vſurpabat nanque ſibi bona quædam, quæ incitante eum vxore, quod prolem legitimam non haberet, à veris hæredibus per ſimulationem alienare conſenſerat. Tremenda res. Inuaſit eum diabolus nocte ſequenti, extorquens ſubito animam mendacem. Alius quidam, in eodem ſcelere ei ſuccedens, cum lætus & temulentus lecto exciperetur, ſopori mortem ſocians, etiam miſere extinctus eſt. Foreſtarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri Dei ſententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte deceſſit è vita. Quidam Diaconus, liuore impellente, militem quendam nequiter accuſans de crimine regiæ proditionis, Hugonis ſententia ob ſpem emendationis percuſſus, cum peccatum ſuum non modo non vellet agnoſcere, ſed etiam ab Archiepiſcopo abſolutionem impetraret, rediensq; ad virum ſanctum, purgationis, vt putabat, ſuæ chirographum ſecum afferret, rurſum non obſtante mandato, ab illo excommunicatus eſt. Vt autem Dominus oſtenderet, vtrius ſententiam approbaſſet, Diaconum horrendum in modum percuſſit, nec eum diutius viuere paſſus eſt. Adoleſcentula quædam cum impudenter ſpueret in faciem ſponſi ſui, præſente ſancto Epiſcopo, nec veniam petere vellet, à diabolo præfocata expirauit.

Admiranda in eo æqui & iniqui cognitio.

Terribiliter punit Deus ab illo excommunicatos.

XXIV. Clericvs quidam propter Tyrannidem quorundam potentium ius ſuum, quod ei erat in quadam Eccleſia, obtinere non potuit. Pecuniis quoque ac aliis rebus pene omnibus in curia Romana conſumptis, iam ſumma egeſtate cœpit vrgeri. Audiens vero, ſanctum Hugonem oppreſſorum conſolatorem piiſſimum eſſe, ad illum tandem venit etiam longe extra fines diœceſis ſuæ, & cum lachrymis eius auxilium implorauit. Motus ergo vir Dei, omnes excommunicauit, licet eius iuriſdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam verſi, alij repentina morte extincti ſunt: quorundam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo poſſeſſori reſtituta eſt Eccleſia. Alios etiam viros ſeptem quandoque excommunicauit vir ſanctus, quod furem à cœmeterio dolo abſtraxiſſent, & mox ſine dilatione ſuſpendiſſent. Timentes vero illi, ne accideret ipſis, quod iam multis euenisse conſtabat, ad pedes Epiſcopi pariter venerunt. Sex ſatisfactione dura illa quidem, ſed breui, expurgati ſunt: ſeptimus, quia noluit ſatisfacere, abſolutionis gratiam non impetrauit. Tam vero dura fuit ea ſatisfactio, vt etiam brumali tempore pene nudi furem à patibulo depoſitum, per longum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, vnde illum extraxerant, tumulare compulſi ſint. Res prorſus ſtupenda. Iam ſeptem anni tranſierant, & ecce redit miſerabilis ille, cum lachrymis petens abſolutionem: Domine, inquit, poſtquam ſententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiam Regis continuo perdidi: exulare coactus, ad inopiam redactus ſum: corporis moleſtia contabui, plurimiſque aduerſis caſibus ſubiacui. Sed ne peiora his ſuccedant, dignare (obſecro) vel ſerò pœnitentem releuare. Miſertus ergo vir pius tantæ calamitatis, quod ex fortunato & diuite ærumnoſus & morbidus factus eſſet, clementer eum abſoluit, & ne dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogauit.

S. Hugo oppreſſorum piiſſimus conſolator.

Nota quid acciderit homini fortunato, à ſancto viro plexo anathemate.

XXV. Miracvla per eum plurima, dum adhuc viueret, in eximiæ ſanctitatis eius argumentum edita ſunt. Claudus quidam cum cophinum, quo ſanctus vir lapides conferre ſolebat, ſuis humeris imponi curaſſet, ſtatim melius habuit, breuique totus ſanatus eſt: vtque gratum ſe declararet pro tanto beneficio, eadem ſporta etiam ipſe lapides ferre cœpit. Eccleſiam nanque Lincolnienſem vir ſanctus à fundamentis extruxit nobiliter, & propriis humeris apportans lapides, & ſuæ deuotioni ſatisfecit, & ſubditorum ædificationi. Ciuis quidam Lincolnienſis correptus amentia, vix ab octo viris teneri potuit. Adductus autem ad virum Dei, mox dæmone fugato quaſi mortuus corruit, nec antequam aqua benedicta perfunderetur, & à ſancto Epiſcopo ſanitati integræ reſtitueretur, aliquatenus ſurgere potuit. Mulier quædam duos ei obtulit infantes languidos: qui eius percepta benedictione, ſtatim conualuerunt. Infantulus quidam ferrum acutum manu tenens, in os more puerorum iniecit, & deglutire cœpit. Mox gutture eius ſauciato, tanta ſanguinis copia aliquandiu inde manauit, vt vitam pueri mater penitus deſperaret. Sed patruus pueri ſuperueniens, conſolatus eſt eam, ita dicens: Ne turberis: certus ſum enim non moriturum infantem. In viſione nanque vir quidam ſanctus mihi oſtenſus eſt, qui etiam breui adueniet, vt illum curet. Quod & factum eſt. Venit Epiſcopus, guttur tetigit, locumque vulneris Cruce conſignauit. Iam enim vix palpitare cernebatur. Eo vero recedente, mox puer ſanguinolentum euomuit ferrum, & ſanus apparuit. Quædam fœmina ſpiritum habens Pythonicum, tanta garrulitate cunctos oppreſſit, vt ei ſilentium nemo poſſet imponere. Ea cum viro ſancto fuiſſet oblata, ſpiritum cum magna arguit indignatione, dicens: Age iam, ô infelix, quid noſti diuinare nobis? Ille præſentiam ſancti viri non ſuſtinens, protinus aufugit. Mulier vero plene liberata deinceps taciturna & modeſta ſemper fuit, non ſine grandi admiratione cunctorum, qui factum nouerant. Similiter & alia quædam eius meritis à peſſimo quodam ac improbiſſimo incubo erepta creditur. In villa quadam miſere à dæmonio quidam vexabatur. Accidit tum per eam villam Epiſcopum quendam iter habere. Cumque eſſet iuxta locum, vbi dæmoniacus ille circunſtante populo cuſtodiebatur, accurrunt vndique, rogant Epiſcopum, ſi quo modo præſidium vllum inuenirent apud illum. Ponunt ante pedes eius infirmum, ſi forte manum velit imponere, & ſpiritui comminari. Sed mercenarius ille, cum vidiſſet dolorem eſſe vehementem, præ pauore totus contremuit, equumq; calcaribus vrgens, abire feſtinauit. At pio præſule Hugone non diu poſt per eandem equitante viam, accurrunt iterum vicini, precantes auxilium opportunum illi, qui ſe iuuare non poterat. Itaque vir ſanctus non fugam iniit, ſed protinus de equo deſcendens velocius accurrit: Videnſque dolorem atrociſſimum, nequaquam territus expaueſcit, ſed ſpiritu fremens, ad bellum ſe comparat. Proh nefas, inquit, hæc vtique non recte ſe habent. Quid amplius? Fuſa oratione, lectoq; Euangelio, In principio erat verbum, in aures patientis, vir Dei fidenter abſceſſit. Mira res. Hoſtis, qui tanta crudelitate ſæuierat ante Hugonis aduentum, quique tot cachinnis eius orationes comminationeſq; exceperat, iam illo recedente, quaſi iniectis vinculis eum poſt ſe traheret, ab homine exiuit, nec auſus fuit amplius introire in illum. Quod cernentes qui aderant, pias præ gaudio fuderunt lachrymas, Deum in ſancto ſuo mirifice collaudantes, experto palam in homine illo, quam diſpares ſint etiam Epiſcopi.

Permultis claret miraculis.

Sanat dæmoniacum.

Infantem moribundũ curat.

Curat aliquot dæmonicas.

Ioann. 1.

Hominem furioſum liberat a dæmone.

XXVI. Oratione ſua vir ſanctus ignem compeſcuit, ne tantum vaſtaret, quantum timebatur. Ante vltimum eius receſſum à Vuictamia, placuit Domino etiam in conſpectu fratrum glorificare illum: quod tamen non pro-

pter infidelitatem illorum arbitramur factum, ſed vt tanti viri ſanctitas animis eorum arctius affigeretur. Qui ſi enim vltimum vale eis diceret, non tantum ſermone, verumetiam opere, factæ orationis virtutem illis commendauit. Domus quædam ſtraminea illic erat, quæ igne arrepta, flammas in alium miſit, cunctis circunquaque ædificiis incendium parans. Expauit ea re vir ſanctus, & matutinale officium, quod iam inchoauerat, intermittens, contra ignem ſalutiferæ Crucis ſignum edidit. Cumque periculum ineuitabile, niſi Dei clementia prohiberet, impendere cerneret, mox ante aram ſe proſternens, orationi ſe dedit, inde nequaquam ſurgens, donec flammam ſepultam eſſe, domumque illam abſorptam eſſe audiret. Omnes igitur Deum laudantes pro gaudio duplicato, quod & cætera illæſa manſiſſent ædificia, & à diuturno metu, qui iam euenerat, liberatos ſe viderent, Epiſcopus aiebat: Benedictus Deus qui non ſolum præſentem hac in re timorem noſtrum conſolatus eſt, ſed & futuri metus ſollicitudinem omnem ſub noſtra tandem præſentia amputauit. Quo in facto, ſicut & in multis aliis, ſancto Martino par fuiſſe probatur.

Precibus ſopit incendiũ.

QVANTA autem deuotione fuerit erga reuerendiſſimum altaris Sacramentum, ex hoc ſolo ſatis perpendi poteſt, quod crebro pius Dominus in forma ſpecioſiſſimi pueruli, ſacrificanti illi viſibiliter apparere dignatus eſt: quod quidem religioſis quibuſdam perſonis diuino nutu non raro intueri conceſſum fuit. Quid autem ipſe ſenſerit de quibuſdam miraculis, quæ circa idem præcipue venerandum feruntur contigiſſe ſacramentum, res, quam dicturi ſumus, declarabit. In villa quadam ſacerdos erat valde diſſolutæ vitæ, quem hoc ordine diuina bonitas ad pœnitentiam vocauit: Celebrans ille Miſſarum ſolennia, manibus cœpit indignis regem tractare maieſtatis. Cumque ad illum veniſſet locum, vbi hoſtia frangenda erat, ſanguis protinus emanauit. Territus ille, vitam mutauit in melius, cunctiſque audire volentibus factum publicauit. Accidit autem, beatum Hugonem per eam villam iter facere, ſacerdotemque accerſitum, non propter miraculum, ſed ob vitæ ſanctitatem, de quibuſdam ſpiritalis vitæ ſtudiis interrogare. Tanta enim pœnitentiæ aſperitate priſtinam vitam iam correxerat, vt ſanctum eum fama cunctis proclamaret. Cumque ſancto Epiſcopo narraſſet prodigium, quod ipſi acciderat, hortatus eſt eum, vt cruorem ipſum tanquam veritatis teſtem inſpiceret, Sed penitus non acquieuit, quinimmo famulis ſuis idem ſuggerentibus, ita fertur reſpondiſſe: Habeant ipſi ſigna infidelitatis ſuæ. Nobis autem, qui vere credimus ſub ſpeciebus ſacramentalibus verum corpus & ſanguinem Chriſti contineri, ſigna quid proderunt? Quoſdam etiam abire volentes, vt viderent, durius obiurgabat, quod non deuotione, ſed curioſitate id facerent. Siquidem ſcriptum nouerat: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Sed hoc vulgo perſuadere quis poterit? Quinimmo videmus eos tanta diligentia ad huiuſmodi confluere: qui ſi perfectam haberent fidem, magis vtique ab his ſe elongarent. XXVII.

Chriſtus ei ſacrific. um ſacrificanti ſæpe apparet.
Veritas corporis Chriſti in Euchariſtia.
Ioann. 12.
Curioſitatẽ reprehẽdit, non pietatem.

POST longa tandem huius vitæ certamina, cum iam tempus aduentaret tranſitus eius ad patrem, acri febre corripitur. Morbo autem ingraueſcente, ſæpius orando hæc verba repetebat: O pie Deus, requiem præſta nobis: Bone Domine, Deuſque verax, dona tandem nobis requiem. Quod quidam de adſtantibus audiens, quaſi pro conſolatione dixit ei: Iam Domine quieſces. At ille: O vere, inquit, beatos illos, quibus vel in extremo iudicij die requies inconcuſſa donabitur. Dicente rurſus eo ipſo, illum diem ei futurum, Deo volente, iudicij diem, quo eſſet è vita deceſſurus: cum magna fiducia dixit: Non recte ſentis. Non enim iudicij, ſed gratiæ & miſericordiæ dies erit, quo ego defungar. Cum adhuc eſſet incolumis, & mentio fieret de mortis horrore, dicere conſueuerat: Male profecto nobiſcum ageretur, ſi nunquam mori deberemus. In omni ægritudine ſua, quanuis violentiſſime torqueretur inuicto ſemper permanſit animo, ita vt iret & rediret à lectulo, quocunque eſſet neceſſe. Stupefacti ea re medici, dicebãt: Reuera ſpiritus hominis huius ſuſtentat imbecillum corpus eius. Adſtãs quidã de præcipuis amicis illius, ſic hortabatur eum: Quandoquidem, inquit, domine, multo tempore, tum ordinarius, tum etiam delegatus permultorum iudex fuiſti, diligenter, oro, ſtudeas nedum generatim, ſed etiam ſpeciatim confiteri, quos & quot priuato amore vel odio, aut promoueris, aut depreſſeris parum iuſte. Reſpondit ille: Odio, ſeu amore, ſed nec ſpe quidem vel timore perſonæ vel rei cuiuſcunque, à veritate iudicij me vnquam exorbitaſſe, penitus memor non ſum. Si autem de recto deflexi, hoc vel propriæ ignorantiæ, aut certe aſſiſtentium culpa accidit. Ad verba namque ſua tantam ſemper adhibebat cautionem, ne quid contra veritatem proferret, vt nedum in dubiis, ſed etiam in certiſſimis frequenter hanc adiiceret appendicem: Sic modo nobis occurrit. Eadem per omnia cautela in literis, ſigillo ipſius muniendis, ille veritatis amator ſemper vtebatur. Admonitus etiam, vt teſtamentum pro more faceret, Tædet me, inquit, huius conſuetudinis, iam paſſim in Eccleſiam introductæ. Nec habui quicquam, nec habeo, quod non ſit Eccleſiæ, quam regendam ſuſcepi. Attamen ne fiſcus rapiat, pauperibus tribuatur totum, quod videor poſſidere. XXVIII.

Ecce vitæ eius innocẽtiam.

ORATIONI deinceps mens eius potius intenta fuit, mortemque vicinam prædixit, ſeque inungi voluit. Eodem die, quo Epiſcopus conſecratus fuerat, etiam ſacramentum extremæ Vnctionis percepit, puta feriis B. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ. Ante illum diem nunquam ſacramentum hoc percipere voluit, quanuis crebro lethaliter laboraret. Diſponente tamen Domino, vſque ad decimumſeptimum Nouembris diem mors illius dilata eſt. In quo ſpatio multas propoſuit adhortationes ipſum viſitantibus, ſalutariaque dedit conſilia in negotiis opportunis. Archiepiſcopus quoque ad eum veniens, humiliter veniam petiit, quod multas ei præter fas perſecutiones excitaſſet. Cui vir ſanctus, lætatus pœnitentia eius, alacriter reſpondit: Libenter ignoſco. Quod autem ſæpe te reprehendi, non me pœnitet: ſed quod id crebrius non feci, id potius doleo. Vidi nanque ſecularibus negociis animum tuum plus ſatis implicari, iacturamque non paruam in ſubditis tua negligentia fieri. Cum iam autem ille, quem diximus, Nouembris dies propinquaſſet, lachrymantibus filiis dixit, vt funeri neceſſaria præpararent. Facto denique in ſe ſpiritu Dei, mala grandia futura prædixit & Regi, & regno, inprimis autem Clero. Dicebat proinde libenter ſe velle mori, ne tanta cerneret diſſidia. Et hæc quidem omnia mox ab eius obitu, ſicut prædixerat, euenerunt. In quo, ſicut & in aliis multis, apertiſſime videre licet, eum prophetiæ ſpiritum habuiſſe. Decimoſeptimo Nouembris die, cum ſentiret vires ſibi magis magiſque deficere, iuſſit accerſiri monachos & clericos in obſequium funeris ſui. Et quia Epiſcoporum nullus interesse poterat, ordine inſtruxit eos, quemadmodum funus ipſum curare deberent. Iuſſit quoque, vt non Londoniæ, vbi ægrotare cœperat, humaretur: ſed vt Lincolniam tranſlatum eum in primaria æde ſepelirent. Concilium namque vniuerſale totius regni Lincolniæ celebrabatur, ad quod Epiſcopi omnes conuenerant. Ipſe autem interrogatus, num intereſſe vellet, reſpondit: Etiam. Id vero quomodo accipi voluerit, ex ſequentibus patebit. Aduesperaſcente ergo die, vir pius & miſericors, ſciens quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem totius conſolationis, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: cernenſque vbertim flentes chariſſimos filios, ſuauiſſimis eos ſermonibus conſolari nitebatur. Dextram etiam capitibus ſingulorum diutius imponens, Deo & verbo gratiæ eius eos omnes commendauit. Deinde deficiente voce, cum rogarent eum, vt Dominum pro idoneo paſtore deprecaretur, tandem reſpondit: Deus id faciat. Quo dicto, pauimentum coram eo nudatur, & cinere benedicto in Crucis formam ſparſo, Completorij preces inchoauerunt, Cum autem verſum illum audiſſet, Clamauit ad me, & ego exaudiã eum: XXIX.

Sacramentũ extremæ Vnctionis percipit.
Multa mala ſub obitum futura prædicit.
2. Cor. 1.
... eo.

eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum, imponi ſe cineri popoſcit. Pſallentibus illis feſtinantius, vultu placidiſſimo ſpiritum ſenſim colligebat, quem tunc in manus conditoris tradidit, cum illud Simeonis canticum inciperetur: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Obiit circa annum Domini milleſimum ducenteſimum, cum iam ſexagenarius eſſet, deinceps in ſabbato pacis æternæ quieturus. Tenuit cathedram epiſcopalem annis quindecim, & quinquaginta & octo diebus.

Luc. 2. Anno 1200. Feliciſſime vir piiſſimus in cœlos è corpore proficiſcitur.

XXX. De felici tranſitu eius & gloria immarceſcibili reuelationes multæ diuerſis Deo deuotis hominibus obtigerunt. Quidam etiam ex iis, qui familiarius ei aſſiſtebant, cum adhuc viueret, anxius nimium poſt eius obitum de ſtatu eius, in oratione raptus, tali viſione certior factus eſt: Apparuit ei ſanctus Hugo tanquã in præclaro loco reſidens, gloria mirabili ſublimatus. Audiuit etiam cantica ſuauiſſima, cuiuſmodi in terris nunquam audita eſſent. Cumque viſionem illam admiraretur, & præ pauore loqui non auderet, dixit ei ſanctus Hugo: Non te ſolicitum eſſe decet de ſtatu meo. Cantica melliflua, quæ audis, ab hora illa, qua diſceſſi à vobis, nunquam mihi defuerunt. Deinde eum comiter inſtruxit de quibuſdam perplexis conſcientiæ ſcrupulis, quos antea nunquam potuerat excutere, nec ſatis ab aliquo de ijs edoceri. Itaque tanquam in teſtimonium viſionis eius, deinceps illam non ſenſit animi perplexitatem. Reuelatum, etiam diuinitus fuit cuidam deuotæ perſonæ, quemadmodum pede ſuo vir ſanctus arrogantem quendam Epiſcopum in dorſo percuſſiſſet, quod ad cathedram Eccleſiæ eius non ſtudio boni operis, ſed inanis gloriæ deſiderio adſpiraret: qui eadem hora ſpiritum exhalauit.

Viſio cuiuſdam de eius beatitudine.

XXXI. Videntes autem capellani eius, mortuum eum eſſe, funus ſacratiſſimum, ſicut eis præceperat, curare cœperunt. Cumque leuarent corpus exanime, lacte candidius foris apparuit: intus vero, vitro purius cernebatur. Faciem cum manu dextera perungentes balſamo, reliquum corpus aromatibus condierunt: veſtibuſq; ſacris pugnus venerandum ornantes, loculo impoſuerunt. Quibus omnibus rite peractis, cum magna celebritate & miraculorum gloria, ad ſedem propriam deportatum eſt. Nam poſtquam fama ſanctiſſimi obitus eius inter populares percrebuit, tanta hominum vndique confluxit multitudo, proſequentium ſacrum funus, vt non parua iter accelerantibus remora obiiceretur. Deuotio etiam populi toto illo itinere adeo continuata eſt, vt vix quiſquam ſui proximi recordaretur. Tetigiſſe feretrum, palma ſuprema fuit. Quibus vero hoc denegabatur, ij conſpexiſſe procul & adoraſſe, non vile trophæum ducebant. Fortiores deuotiſſime ſupponebant humeros ad portandum, tametſi nulli, niſi ad breue ſpatium, id priuilegij conceſſum fuit. Per turmas enim, & quaſi certatim ad portandum irruebant, cogentes priores, ne quid vltra id, quod præfixum eſſet, ea in re ſibi vſurparent. Succedentibus autem ſibi viciſſim turbis, venerunt in occurſum ſacri funeris etiam duo Reges, Iohannes Angliæ, & alter Scotiæ, cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & proceribus multis: qui cum ſperarent in deferendo ſacro corpore aliquid ſe priuilegij habituros, humeros deuote ſuppoſuerunt. Attamen pro deſiderio religioſi propoſiti non contigit eis. Irruente enim vulgo, nouiſque portitoribus præparatis, cum vim populi ferre non poſſent, ceſſerunt viritim ſublimes, quanuis inuiti Scotiæ quidem Rex propter nimiam lachrymarum vim & copiam, propius accedere non potuit. Impenſe nanque amauerat illum hominem Dei.

Corpus eius exanimæ quale viſum ſit.

Obſequij viri ſancti ſui, qui funus qui viri proſecuti ſint.

XXXII. Sexto autem die vrbem Lincolnienſem ingreſſi, reliquias ſacras in ſummam pertulerunt ædem, vbi magna fuit populi frequentia, donec humatum eſſet pignus precioſum. Officium denique exequiarum tanta celebritate peractum eſt, vt Epiſcopi lectiones, Abbates verſus recitarint. Fuerunt enim in exequiis illis Reges duo, Archiepiſcopi tres, Præſules quatuordecim, Abbates amplius centum, Comites proceresque plurimi. De reliquis inferioris ſtatus & vulgo, nullus certus facile iniri poſſit numerus. Sic ſic placuit remuneratori omnium bonorum, glorificare ſeruum ſuum fidelem, qui toties erga ſepulturam aliorum ſolicitus fuerat. Impleuit quoque promiſſum ſuum vir ſanctus, quia etſi viua voce, vti ſolebat, negocia concilij non curauit, morte tamen ſua totius Eccleſiaſtici ſtatus regimen mirabiliter illuſtrauit. In medio nanque ſacratiſſimæ ſynodi emortuum corpus eius prophetauit. Clericus quidam præcellenti ingenio cum vidiſſet quæ fiebant, raptim hos verſus compoſuit, & ad pedes ſacri funeris collocauit.

Pontificum baculus, monachorum norma, ſcholarum
Conſultor, Regum malleus Hugo fuit.

Epitaphiũ eius.

XXXIII. Per totum autem illud longum iter ſex dierum, & antequam ſepeliretur corpus ſancti põtificis, multa præclara miracula per ſeruum ſuum Dominus efficere dignatus eſt. Deniq; diuina non ceſſarunt beneficia ad monumentum eius, etiam poſt illius honorificam ſepulturam, in teſtimonium eximiæ ſanctitatis. Candelæ accenſæ, quæ ante funus portabantur, nec vento, nec pluuia poterant extingui, cunctis qui aderant, adſpicientibus & ſtupentibus. Cuiuſdam Bernardi brachium fractum, ab Epiſcopo ſancto reformari per viſionem illi oſtenſum eſt. Itaque expergefactus, illud plane redintegratum reſpexit, dolore ſopito. Quidam vir pius, orans ad feretrum ſancti Hugonis, vt diſſolui & eſſe cum Chriſto meretur, ſequenti nocte, rebus ſuis bene conſtitutis, bona morte deceſſit. Hoc autem vir ſanctus dicere ſolebat inter maxima miracula numerandum, ſi cui meritis ſanctorum in paradiſum ingredi contingeret, cunctis periculis excluſis. Mulier quædam cæca, ad primum ſacri corporis contactum, oculorum lumen recepit. Fur quidam cum crumenam pecunia refertam abſtuliſſet à latere cuiuſdam fœminæ orantis ad corpus ſancti Hugonis, miraculoſe protinus cæcatus eſt. Sentiens ergo diuiná vltionem, ſeipſum publice accuſauit, crumenam reddidit, & viſum recuperauit. Miles quidam, cuius brachium cancer plane corroſerat, ad corpus ſancti Hugonis ſanatus eſt. Puer quidam vita functus, meritis illius reuixit. Vir quidam languidus, à medicis deſperatus, ad ſanctum beati viri ſepulchrum venit, moxque ſanus & incolumis ſurrexit. Denique non longo temporis ſpatio à ſepultura precioſi theſauri, intra paucos dies ad monumentum eius, ſex paralytici ſanitatis beneficium adepti, tres cæci illuminati ſunt, muti duo loquendi facultatem receperunt. Duo quoque contracti, priſtinæ ſunt firmitati reſtituti, & hydropica fœmina eius meritis curata eſt. Mulier quædam cum quatuor feciſſet abortus, admonita eſt ab ancilla ſua, vt puerulum cereum ſancto Hugoni offerret. Quod vbi fecit, non abortiuit vnquam, ſed ſex incolumes pueros enixa eſt. Sunt & alia permulta illuſtria miracula, quibus ſanctum ſuum Dominus mirificauit. Hæc pauca interim breuitatis ſtudio commemoráſſe ſufficiat in laudem & gloriam præpotentis Dei, qui viuit & regnat in infinita ſeculorum ſecula, Amen.

Multa fiũt miracula. Inſigne miraculum. Cæca videt. Geminum in fure miraculum. Puer mortuus excitatur. Multa alia plurima miracula ad eius ſepulchrum fiũt.

XXXIV. Porro anno Chriſti milleſimo ducenteſimo octogeſimo, qui fuit à beati viri obitu fere octogeſimus ſextus, Octobris ſexto die, ſacrum corpus eius eleuatum atque tranſlatum eſt, cum iam ante ab Honorio I I. Pontifice Maximo in Sanctos relatus eſſet. In hac autem eleuatione quaſi integrum repertum eſt corpus eius: loculus vero, in quo illud repoſitum fuerat, magnam puriſſimi olei copiam exhibuit: habitus quoque monaſticus, quo vir ſanctiſſimus, dum viueret, vſus erat, & in quo poſt obitum ſepulturæ mandatus fuerat, integer inuentus eſt. Cumque ſanctiſſimum eius caput, (quod à corpore ſeparatum, poſtea auro, argento & gemmis incluſum eſt) Oliuerus Lincolnienſis Epiſcopus in manibus reuerenter teneret, ex eius maxilla non parum olei diſtillauit. Tandem ſacrum corpus in theca auro, argento & precioſis lapidibus ornata, reconditum eſt, ipſaq; theca loco congruo ſatiſque ſublimi, è marmore ſtructo, honorifice collocata eſt, non longe à ſanctiſſimo eius capite,

Anno 1280. ſacrum eius corpus eleuatur & transfertur. Nota de corpore eius & habitu incorrupto, itemque de oleo

pite, quod iuxta altare beatiſſimi Ioannis Baptiſtæ in Lincolnienſi eccleſia repoſuerũt. Huic vero translationi præter Regem & Reginam Angliæ, itemque Nauarræ, multoſque regni proceres laicos, etiam duo Archiepiſcopi, multi Epiſcopi, Abbates plurimi, compluresque alij interfuerunt: indictumque eſt, vt eius translationis annua celebritas, deinceps tota diœceſi Lincolnienſi haberetur.

Deſcripſit etiam vitam S. Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi F. Petrus Dorlandus Dieſtēſis Carthuſianus lib. 3. Chron. Carthuſienſium. quam ex eo recitat Continuator Baronij anno 1200. n. 20.

An. 240. *VITA S. GREGORII THAVMATVRGI, ID EST, MIRABILIVM OPERVM EFFECTORIS, QVI FVIT EPISCOPVS NEOCÆSAREÆ, PER D. Gregorium Epiſcopum Nyſſenum ſcripta, Gentiano Herueto Gallo, viro doctiſſimo interprete.*

S. Gregorium Thaumaturgum alio nomine Theodorum appellatum teſtatur Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 23. & Baron. an. 233.

17. Nov. S. Gregoriũ à S. Baſilio Magnum appellari conſueuiſſe teſtes ſunt Epiſtolæ eiuſdem ad Neocæſarienſes 61. 63. & 64.

I. HVIVS, quæ in præſentia habetur, orationis & veſtri conuentus vnus idemque eſt ſcopus & inſtitutum. Magnus enim Gregorius, & vobis cauſa fuit vt conueniretis, & mihi de eo propoſitum eſt dicere. Ego quidem exiſtimo eiuſdem eſſe facultatis, ſe ex virtute præclare & rectè gerere, & ſermone, quæ ſunt pulchra & honeſta, referre. Quamobrem idem fuerit inuocandum auxilium per quod ille in vita rectè virtutem exercuit. Id autem eſt, vt ego quidem iudico, gratia ſancti Spiritus, quæ & ad vitam, & ad dicendi facultatem iis vires præbet, eoſque confirmat, qui in vtroque ſtudium poſuere. Quoniam ergo præclara illa & inſignis vita, ſancti ſpiritus virtute recte geſta eſt, orandum eſt, vt ad orationem tantum detur auxilium, quantum illi affuit in vita: vt rerum geſtarum dignitas laudem minime antecellat: ſed talis oſtendatur præſentibus in ea, quæ fit de eo, commemoratione, qualis in ipſis cernebatur factis iis, qui erant illo tempore. Atque ſi inutile quidem eſſet meminiſſe eorum, qui virtute præſtant, & ij qui audiunt, ad id quod eſt bonum, nullus rediret fructus, eſſet fortaſſe ſuperuacaneum & inutile, nullius commodi gratia accedere ad laudationem, cum & ipſe narret temere, & fruſtra auribus exhibeat moleſtiam. Cum autem, ſi ea, quam par eſt adeſſe, adfuerit elegantia & gratia orationis, eſſet commune lumen eorum, qui audiunt, non ſecus atque fax iis, qui in mari nauigant, ad ſeipſam dirigens eos, qui per mare errant in tenebris, exiſtimo opus eſſe vtriſque æquali ſtudio, & vobis ad audiendum, & mihi ad dicendum. Clarum eſt enim, in eius vitam, recte & ex virtute geſtam, facis inſtar per recordationem noſtras animas illuminantem, futuram eſſe viam ad id, quod bonum eſt & honeſtum & ei qui narrat, & eis qui audiunt. Natura enim quodammodo inſitum eſt hominibus, vt ſint apti & accommodati ad omne, quod eſt honeſtum & laudabile, & id poſſidere deſiderent.

II. ATQVI eorum quidem, quæ ſunt dicenda, argumentum eſt eiuſmodi, quod quidem mihi audenti ſuſcipere nulla ex parte imminet periculum, ſiue ſe ad rerum geſtarum magnitudinem extollere potuerit oratio, ſiue non. In vtroque enim horum par erit laus ei, qui laudatur. Nam ſi res quidem geſtas aſſecuta fuerit oratio, earum admiratione aures omnino obſtupeſcent. Sin autem ea à tergo longe relicta fuerit, ſic quoque eius qui laudatur, gloria illuſtratur. Eſt enim maxima laus hominis, ſi oſtenſum fuerit eum eſſe talem, vt omnes omnium laudes ſuperet. Nemo autem ex iis, qui ſunt diuina inſtituti ſapientia, quærat pro more externo, vt qui ſpiritalibus celebratur laudibus, artificioſa encomiorum laudetur ratione. Non eſt enim nobis & aliis ſimile de eo, quod bonum & honeſtum eſt, iudicium. Neque eaſdem de iiſdem inuenerit aliquis opiniones apud eos, qui in mundo viuunt, & eos, qui mundum ſuperárunt. Illis enim videntur magna & digna, in quæ ſtudium conferatur, diuitiæ & gloria, & mundanæ poteſtates, & fabulæ, quæ patriæ ſuæ tradunt originẽ, & quæ iis, qui ſapiunt, fugiendæ ſunt narrationes, trophæa & prælia, & mala, quæ ex bellis proueniunt. Noſtra autẽ oratione vna honorata eſt patria, paradiſus, quæ fuit prima ſedes hominum generis. Vna eſt ciuitas, quæ eſt cœleſtis, & per viuos eſt conſtructa lapides, cuius artifex & opifex eſt Deus. Vna eſt generis claritas, quæ nobis cum Deo intercedit neceſſitudo & affinitas, quæ non caſu alicui euenit, conuenienter ei, quæ in mundo eſt, cognationi, quæ fluens per hanc caſus conſequentiam, ſæpe fertur etiam ad improbos: ſed quæ non aliter parari poteſt, niſi libero ac voluntario animi inſtituto. Quotquot enim, inqt, eum acceperũt, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent. Hac aũt nobilitate quidnam fuerit præclarius?

Aliter mũdo, aliter Deo deditis, de rebus iudicant.

Heb. 11.

Ioann. 1.

SVNT aliis quidem omnibus patria fabulæ & figmenta, & dæmonum fraudes admixtæ fabuloſis narrationibus. Patria autem noſtra nullis indiget narratoribus. Nam qui cœlum adſpexerit, & eam quæ eſt in ipſo pulchritudinem, & creatam omnem naturam mentis acie conſiderauerit, quæcunque potuerit miracula in eo comprehendere, ea inueniet noſtræ patriæ eſſe narrationes: imo verò non patriæ, ſed potius coloniæ, in quam ex vita excelſiore amandi, in mundum præſentem venimus. Si autem talis eſt colonia, conſiderare oportet, quænam fuerit ciuitas, ex qua illa deducta eſt, quænam illius pulchritudo, quales in ea regiæ, quæ beatitudo eorum, qui illam ſortiti ſunt habitationem. Si enim quæ in rebus creatis cernuntur, ſunt eiuſmodi, vt orationem ſuperent: quid exiſtimare oportet id, ꝙ eas ſuperat, quod eſt eiuſmodi, vt nec poſſit oculis apprehendi, nec aure capi, neque mente conijci? His de cauſis à ſpiritali commendatione eorum, qui laudantur, ſecernit inferiores nugas lex diuina encomiorum, turpe eſſe iudicans, vt qui ex iis, quæ ſunt eiuſmodi, ſunt cogniti, de iis glorientur, quæ ſunt precioſa in terris. Quocirca mundanus quidem vir quiſpiam, ad terrenam reſpiciens beatitudinem ex iis, quæ ſunt eiuſmodi, laudem colligat hominibus, nempe, ſi alicui obtigerit patria fertilis pecoribus: ſi mare propinquum per ſe ſuppeditat materiam iis, qui laborant ingluuie, ſi gemmarum frequentes inter ſe conſertæ poſituræ ſtructuras exornant. Ei autem, qui ad vitam adſpicit ſupernam, pulchritudo quidem eſt animæ puritas: diuitiæ autem, nil poſſidere: patria autem, virtus: ciuitas verò, ipſa Dei regia. Quo fit, vt ni rebus terrenis gloriam conſectari, pro probro ſit habiturus. Idcirco nos quoque his relictis, neque patriam adiiciemus laudibus Magni Gregorij, neq; aſſumemus Maiores, vt ferant auxilium illius encomiis, cum ſciamus nullam eſſe veram laudem, quæ non ſit propria eorum, qui laudantur. Proprium autem dicimus, quod omnino manet in perpetuum eiuſmodi, vt non poſſit auferri.

1. Cor. 1.

Veri Chriſtiani pulchritudo, diuitiæ patria & ciuitas, quæ dicantur.

QVONIAM ergo ſeparati ab omnibus, diuitiis, claritate generis, gloria, deliciis, cognatis & amicis, ab ea, quæ eſt ex vitio vel virtute, affectione manemus inſeparabiles, id ſolum eſſe exiſtimandum beatum iudicamus, quod ex virtute geritur. Neque verò exiſtimet aliquis, me, quoniam nihil habeam præclarum, quod poſſim narrare de patria, vel maioribus Gregorij, præ me ferendo hæc contemnere, dedecus latenter effugere. Quis enim neſcit eximium Ponti cognomen, quod eſt genti impoſitum ab hominibus, quod teſtatur virtutem eorum, qui ab initio eum locum ſortiti ſunt? ſolus enim ex vniuerſo mari & vniuerſa terra, Pontus Euxinus nominatur, ſiue in eos, qui illic verſantur, hoſpites ipſo nomine illorum teſtante humanitatem, ſiue etiam quod talis eſt locus, vt non ſolum incolis & indigenis, ſed iis etiam, qui ad ipſum vndequaque veniunt, abunde ſuppeditet, quæ ſunt ad victum neceſſaria. Talis enim eſt natura regionis, vt ſit fertiliſſima omnium, quæ vſui ſunt ad victũ, & nullo careat

Beatum quid.

Pontus Euxinus, omnium rerũ ferax.

ex iis bonis, quæ ſunt apud alios, vtpote quod mare efficiat, vt quæcunque ſunt apud alios, ſint eorum propria. Cum autem ſit tota gens eiuſmodi, vt quamcunque quis eius partem per ſe conſiderauerit, exiſtimet eam eſſe potiorem cæteris, nihiloſecius communi gentis iudicio, quæ circuncirca habitatur, eſt aliarum veluti quidam vertex ciuitas Magni Gregorij, quam quidam inſignis Imperator ex iis, qui Romanorum obtinebant imperium, Cæſar nomine, amore loci captus & deſiderio, voluit vt ciuitas ſuo nomine vocaretur Neocæſarea. Sed hæc nihil faciunt ad noſtrum inſtitutum, vt per hæc exiſtimemus demonſtrare præclariorem illum Magnum inter ſanctos Gregorium, ſi regio abundet fructibus, ſi ciuitas eſt magnificis ornata ædificiis, ſi vicino mari vndequaque quicquid videtur, affatim importetur. Sed nec eius Maiorum, qui eorum in ea (?) præceſſerunt, mentionem faciam in oratione, diuitias & honores, mundanoſq; eorum ſplendores referens. Quid enim hæc ad laudem contulerint, ſepulcrum, columnæ & inſcriptiones, & mortuæ narrationes apud eum, qui ſe ſupra mundum vniuerſum extulerit? Alioqui autem nec fieri poteſt, vt illos ad eius laudis deducamus ſocietatem, quorum is abnegauit cognitionem eius, quæ eſt in anima, affinitatis. Illi enim infatuati fuerant in errore idolorum, Hic autem reſpiciens ad veritatem, ſupernæ cognationi ſeipſum inſeruit per fidem. Sed quemadmodum quidem, aut à quibus natus ſit, aut quamnam ab initio habitârit ciuitatem, vt quæ ad propoſitam narrationem nihil nobis conferant, prætermittemus. Eius autem laudationis ducemus principiû à vita, quam is egit ex virtute. Neocæſarea vnde dicta. Diuitię, honores & omnia mundana vilipendenda.

III. CVM enim in corpore admodum iuuenili eſſet defectus naturali curatione, morte obita à parentibus, quando præ ætate imperfecta, multis intelligentia ab eius, quod bonum & honeſtum eſt, aberrat iudicio, ſtatim oſtendit ab ineunte ætate, qualis, ea iam perfecta, eſſet futurus: Et ſicut generoſa germina quando in primo incremento ramos directos ediderint, agricolis per præſentem ſpeciem oſtendunt eam, quæ poſtea futura eſt, pulchritudinem: Eodem modo ille quoq;, quando alius lubrica & inſtabilis eſt anima, ad ea quæ ſunt vana & ſtulta, vt plurimum labente adoleſcentia, tunc ſtatim per primum ſuum vitæ inſtitutum oſtendit in ſe ipſo, Dauid verum dicere, Iuſtus vt palma florebit. Ea enim ſola arboribus, perfecta verticis craſſitudine è terra enaſcitur: & creſcente augmento longitudinis, nullum in latitudinem additamentum accipit à tempore. Sic ille quoq; floruit à prima germinatione, vitæ inſtituto cõfeſtim exortus perfectus, & excelſis comatus frondibus. A tenera enim ætate omnia relinquens, quæ iuuenilis ætas ſtupet & admiratur, equos, venationem, ornatus veſtes, ludos talorum, omneſq; delicias, ſe totum ſtatim contulit ad parandas virtutes, quod præſenti ſemper ætati eſſet conducibile, deinceps eligens. *Pſalm.* 91. Nota de palma. A puero vixit ſanctiſſime.

PRIMA autem ex virtutibus ei paratur, ſtudium ſapientiæ. Hanc autem tanquam matrem, coniunctus quidam pullus eam ſequebatur, temperantia. Ad vtraque autem erat adiutrix & ſocia, continentia. Vt à faſtu autem & arrogantia, & etiam ab iracundia eſſet omnino remotus, egregie effecerat pecuniæ deſpicientia. Non aliunde enim oritur faſtus & ſuperbia, quam ex auaritia, & plura habendi cupiditate, quæ ſecum hæc inducit vitia. Quomodo autem Patriarcham Abraham tradit ſcriptura, cum Chaldaicæ philoſophiæ habuiſſet ſcientiam, numeroſamque & ordinatam aſtrorum poſituram motumque comprehendiſſet intelligentia, vſum eſſe eorum cognitione, tanquam baſi ac fundamento ad ſupereminentis boni contemplationem: & cum animo reputaſſet, ſi quæ ſenſu percipiuntur, huiuſmodi ſunt, quidnam fuerint ea, quæ ſenſum ſuperant: ſic conſecutum fuiſſe, quod quærebat, vt qui externa ſapientia, veluti euectus eſſet, & per eam euaſiſſet excelſior, adeo vt per eam quodammodo appropinquaret iis, quæ non poſſunt comprehendi: Ita etiam hic Magnus in externa philoſophia ſtudioſe verſatus, per quæ in multis hominibus error confirmatur gentilium, per ea deductus eſt ad intelligendum Chriſtianiſmum: & relicta falſa paterna religione, eorum, quæ ſunt, quærebat veritatem ex iis, quæ ſunt laborata ab externis, doctus, non poſſe conſiſtere dogmata gentilium. Eius ſtudiũ ſapientię, & aliæ virtutes. Abraha eruditio.

QVONIAM autem in opinionibus de Deo, videt in diuerſas ſcindi diſtrahiq; opiniones ſapientiam ſimiliter & Græcam, & barbaram, & dogmatum principes neque inter ſe conuenire, & vnumquemque pro ſe ſedulo contendere, vt ſuum ingenij acumine & rationum ſubtilitate confirmet: eos quidem reliquit, vt qui bello inteſtino ſe viciſſim euertant, & accedit ad firmum ac ſtabile verbum fidei, quod nulla confirmatur verborum curioſitate & artificioſis nexibus: ſed per verborum ſimplicitatem æqualiter prædicatur omnibus, quod eo ipſo, quod ſit ſupra fidem, habet quod ſit fidele ac credibile. Si enim quod dicitur, eſſet eiuſmodi, vt comprehenderetur à viribus humanarum cogitationum, nihil inter eam & Græcam interfuiſſet ſapientiam. Nam illi quoq; quę potuerint comprehendere, illud quoq; eſſe opinantur. Quoniam autem non poſſunt humanæ rationes peruenire ad comprehenſionem naturæ, quæ ſupereminet, ea de cauſa exiſtit fides pro rationibus, quæ ſe extendit ſupra rationem, & comprehenſionem. Propterea vt de Moyſe dicit ſcriptura, eum didiciſſe omnem Ægyptiorum ſapientiam: ita etiam hic Magnus cum percurriſſet omnẽ gentilium eruditionem, & cum cognouiſſet experientia, quam eſſent imbecilla, & quam non poſſent conſiſtere, quæ ſunt apud eos dogmata Euangelij efficitur diſcipulus, & priuſquam duceretur ad myſticam & incorpoream generationem, tam recte vitam egit, vt nullas peccati ſordes deferret ad lauacrum. Fides non firmatur in verborũ curioſitate, ſed ſimplicitate. Fide pro rationibus. *Act.* 7. Præter originale ſcilicet, & veniale peccatum.

IV. CVM [a] autem vitam ageret in Ægypto in magna Alexandri ciuitate, in quam etiam vndique confluebat iuuentus ex iis, qui dabant operam philoſophiæ & medicinæ, graue erat eius æqualibus ſpectaculum, adoleſcens, qui ornamento temperantiæ ſuperabat canitiem. Laus enim eius, qui puram caſtamque vitam agebat, erat probrum eorum, qui fœde & inceſte viuebant. Vt ergo impudicis eſſet excuſatio, ne ipſi ſoli viderentur eſſe tales, ſtudiis inſidiis, ab eis initur ratio, vt illius magni vitæ labes aliqua inureretur. Ad [b] calumniam autem in illum intentandam, producitur ab eis è domo meretrix muliercula, quæ notata fuerat infamia. Cum is autem pro more cum viris eximiis in habitu honeſto diſſereret de re aliqua ex iis, quæ pertinebant ad philoſophiam, accedit muliercula, petulanter & laſciue ſe gerens, & iis quæ loquebatur & faciebat, præ ſe ferens, ſe cum eo habuiſſe ſtupri cõſuetudinem: deinde dicebat ſe mercede eſſe fraudatam, adiiciens etiam cur cauſaretur ſe fruſtratam eſſe mercede. Cum hi autem, qui puram ac caſtam eius vitam cognouiſſent, ægre ferrent, & in mulierculam ira commouerentur, ipſe neque conturbatus eſt vna cum iis, quid ægre ferebant, neque cum calumniis appeteretur, dixit aliquid eiuſmodi, quod conſentaneum eſt ab eo dici, qui iraſcitur. Non ſuæ vitæ citauit teſtes, non inſeruitando illatum ſibi probrum repulit, non eorum, qui aduerſus ſe hæc ſtruxerant, arguit malitiam: ſed quieta & conſtanti voce conuerſus ad quendam ex familiaribus: Heus, inquit, ſolue ei pecuniam, ne amplius moleſtiam exhibens, ter repoſitæ ſtudium interturbet. Cum autem is, cui iuſſum fuerat, didiciſſet à meretrice, quantum ex ipſo peteret pecuniæ: eam protinus numerauit, finemq; acceperunt ab impudicis aduerſus temperantem comparatæ inſidiæ, & in infamis fœminæ manibus iam erat luctum. a Degit Alexandriæ S. Gregorius ſtudiorum cauſa. b Calumnia cõſtruitur. Vide inſignem patientiam.

TVNC autem diuinitus oritur teſtimonium temperantiæ adoleſcentis, & eius æqualium calumniæ refutatio. Nam ſimul atque manu accepit pecuniam, à ſpiritu dæmonis vexata, & ſtridore belluino præter vocem humanam eiulans, prona cadit in medio eorum, qui collecti fuerant. Horrendum & terribile ſpectaculum iis, qui aderant, diſiectis crinibus, & auerſis oculis, & ore ſpumam expuente: neque prius eam remiſit, qui ipſam ſuffocabat dæmon, quàm magnus ille Deum inuocaſſet, & illum ei reddidiſſet propitium. Hæc ſunt, quæ narrantur de huius magni viri adoleſcentia. Vere digna procemia eius vitæ, quæ poſtea ab eo acta eſt. Quanquam tantum eſt hoc miraculum Diuina vltio in eius calumniatricem.

culum

culum, vt etiamſi poſtea nihil poſſet aliud dici, nulli eorum, qui virtute excelluerunt, ex hoc ſolo eſſet in laude ſecundus. Diues adoleſcens, qui ex patriæ finibus exceſſerat, in frequentiſſima ciuitate vitam degens, in qua quoniam ſumma cum licentia ſe voluptatibus dedebant adoleſcentes, probro habebatur pudicorum caſtitas, non matre de eius viuendi ratione ſolicita, non patre eum erudiente quotidiana vitæ officia, ſe per impatibilitatem eouſque ad virtutem ſuſtulir, vt eum, qui præeſt omnibus, & omnia intuetur, vitæ ſuæ teſtem præbuerit, qui mulieris calumniam mala plaga arguit.

Qvidnam maius poſſet excogitari ad argumentum encomij? Quomodo autem poſſet hoc ſatis laudari pro dignitate, quod is natura ratione ſuperata, & iuuentute, non ſecus ac aliquo domito animali, rationi ſubiugata, effectus ſuperior omnibus, qui naturaliter in anima excitantur, motibus, inuidiam quoque, quæ omnia, quæ ſunt pulchra ac præclara, adoritur, in ſe commotam deuicit, vt qui neque ſibi paratas à ſociis inſidias vlciſci ſtatuerit, & eam, quæ illis ad imponendam ſibi maculam inſeruiebat, beneficio affecerit, à vexatione dæmonis eam oratione liberans? Talem fuiſſe Ioſeph nouimus ex hiſtoria, in cuius poteſtate quidem poſitum erat, in Domini vxorem delinquere, cum illa ipſa ſpeciem adoleſcentis inſane deperiret, nec audacis incepti homo eſſet vllus teſtis. Sed ille quoq; Dei oculum adſpiciens, maluit videri malus, quam eſſe, vt qui quæ maleficis & ſceleratis fiunt, potius ſuſtinuerit, quam ipſe fieret maleficus. Habuit enim diuinum oculum, ea quæ fiebant adſpicientem. Sed in hoc licet fortaſſe gloriari vltra illam hiſtoriam. Non enim par eſt ad auerſandum flagitium ſcelus adulterij, & videri in minore delicto ſuſceptum habere dedecus. Cui ergo in mente non verſabatur aliquod ex legibus periculum, ſupplicio formidabiliorem ipſam ex peccato voluptatem eſſe apud ſe iudicans, Ioſephum anteiit miraculi magnitudine, aut certe non iudicabitur omnino ei eſſe ſecundus.

Gen.39.

Sed vitæ quidem tale fuit proœmium: ipſa autem vita quænam fuit? Poſtquam omni percurſa externa ſapientia, incidit in * Firmianum quendam Cappadocem honeſto loco natum, moribus ſibi ſimilem, vt ille oſtendit vita, quæ poſtea eſt conſequuta, vt qui fuerit Eccleſiæ decus Cæſareenſium: & vitæ ſuæ ſcopum ac inſtitutum ſuo amico declarauit, quod ſcilicet ad Deum renderet, & vidit illius ſtudium in eodem congruere deſiderio, relicto omni externæ philoſophiæ ſtudio, cum illo ventitat ad eum, qui illo tempore dux erat Chriſtianæ philoſophiæ. Is autem erat Origenes, cuius ſcripta magni fiunt, & ea ratione oſtendit, non ſolum ſtudium & diligentiam, ſed morum etiam honeſtatem & moderationem. Cum enim eſſet tanta refertus ſapientia, non dedignatus eſt alio vti magiſtro ad diuinas diſciplinas. Cum autem apud magiſtrum tanto tempore eſſet verſatus, quod percipiendis ſatis eſſet diſciplinis, cum multi eſſent, qui eum in externa regione retinerent, & apud ſe eum manere vellent, eam quæ ipſum peperit, regionem omnibus præferens, reuertitur in patriam, ſapientiæ & cognitionis diuitias omne genus importans, quas veluti mercator quiſpiam in externis ſtudiis cum omnibus verſans, qui magnæ erant exiſtimationis, mercatus eſt. Quinquam ei, qui res recte iudicat, ne hoc quidem omnino ad eius laudem paruum eſſe videbitur, tantæ ciuitatis preces, quæ communiter fiebant, deſpicere, & omnium eximiorum, qui in ea erant, virorum, & qui apud eos verſabantur magiſtratuum, vt vir illic maneret, contendentium, ſtudium non admiſiſſe. Quibus omnibus hoc erat propoſitum efficere, vt vir ille magnus apud eos maneret, futurus tanquam ædificator virtutis, & vitæ legiſlator. Sed vndequaque fugiens materiam arrogantiæ, vt qui ſciret vitium ſuperbiæ vt plurimum fuiſſe cauſam & principium malæ ac ſceleratæ vitæ, ad vitam quietam in patria degendam, tanquam in portum aliquem confugit. Cum autem tota gens illa eum virum adſpiceret, & omnes expectarent, vt in publicis conuentibus ipſe ſuam aperiret eruditionem, vt longorum laborum fructum aliquem perciperet, gloriam & exiſtimationem: ſciret autem vir ille magnus, vnde nam oporteat veram philoſophiam publicari ab iis, qui eam vere exercent, nec aliqua ambitione, laudiſque & honoris cupiditate eius ſauciaretur animus, (Grauis enim laus eſt eorum, qui audiunt, cum arrogantia & gloriæ cupiditas frangit & eneruet robur animæ) ea de cauſa oſtentationis loco vſus eſt ſilentio, re ipſa, non verbis, oſtendens theſaurum reconditum. Cumque à fori tumultibus, &, vt in ſumma dicam, à vita, quæ in ciuitate tranſigitur, ſeipſum ſeparaſſet, in quadam ſolitudine ſecum ſolummodo verſabatur, & per ſeipſum cum Deo, vniuerſi mundi & eorum quæ ſunt in ipſo, paruam ducens rationem, non de regnis ſolicitus, non de magiſtratibus anxie curam gerens, aliquidve ſciſcitans, non quomodo ex rebus publicis communiter aliquid adminiſtretur, narrantem audiens, ſed vt anima per virtutem perficeretur curans, ad hoc toto ſtudio contendebat, vitam & quæcunque in ea ſunt, valere iubens, quidam alius Moſes noſtris temporibus reuera cum illius contendens miraculis. Exierunt ambo ab hac turbulenta vita & ſtrepitu referta, Moſes & Gregorius, vterque ſuo tempore priuatim & ſeorſum viuentes, donec vtrique, Deo eis apparente, manifeſtum fuit puræ vitæ lucrum. Sed Moſes quidem, qui fuit contubernalis philoſophiæ, vxorem vna quoq; adiunxit: Gregorius autem ſolam adſciuit virtutem, quæ ſecum habitaret. Cum ergo in vtroq; par fuerit ſcopus & inſtitutũ, (vtriſq; enim finis fuit, vt à vulgo ſecederet, & puriſſimo animæ oculo diuina contemplaretur myſteria) licet ei, qui ſcit virtutem reſpicere, iudicare, vtri maiore impatibilitate vita fuerit roborata, eine, qui deſcendit ad legitimum & conceſſum vſum voluptatum, an ei, qui ipſum quoq; ſuperauit, & materiali affectioni nullum dedit aditum.

*al Firmilianus. Cæſareenſ. antiſtes: Gregorius venit ad Origenem; & eius fit diſcipulus Vide Euſeb. lib.6 c 23 Ruffin. cap. 22 Niceph. lib.5 cap 12. Bar an 233. n 4.7 Superbia principium & cauſa malæ vitæ. Viuit in patria ſolitarius. Exod 3. Exod.2.

Cvm autem Phœdimus, Amaſeæ Eccleſiæ illo tempore præfectus, cui diuinitus ex ſancto Spiritu inerat vis præſciendi futura, omne ſtudium poneret, vt ſi in manus eius veniret magnus Gregorius, eum Eccleſiæ præficeret, ne vir tam præclarus ocioſam & inutilem vitam traduceret: is ſentiens quid cuperet & pararet Epiſcopus, conabatur latere, nunc ad hanc, nunc ad aliam tranſiens ſolitudinem. Quoniam autem nihil non experiens inſignis ille Phœdimus, omnibuſque viens machinis & artibus, non poterat Gregorium adducere ad ſacerdotium, vt qui diligentiſſime obſeruaret & circumſpiceret, ne quando eum ſacerdos manu apprehenderet: erat q; vtrique æquale ſtudium, cum alter quidem capere, alter verò effugere cuperet perſequentem. Nam alter quidem cupiebat Deo ſacrum offerre donarium, alter verò timebat, ne ſibi afferret ad philoſophiam aliquid impedimenti ſacerdotij cura, tanquam graue aliquod onus, eius vitæ impoſita: ea de cauſa diuiniore quodam impetu ad ſtudium propoſitum impulſus Phœdimus, nihil attendens, quod inter eos intercedebat ſpatium, quo remotus erat à Gregorio, qui ab eo diſtabat trium dierum itinere: ſed ad Deum reſpiciens, & dicens, & ſe & illum à Deo hora illa adſpici, pro manu verbum imponit Gregorio, eum Deo conſecrans, qui corpore non aderat, & ei illam ciuitatem attribuens, quam vſque ad ea tempora contigerat teneri tanto errore idolorum, vt cum eſſent innumerabiles, qui & ipſam habitabant ciuitatem, & eam quæ eſt circumcirca regionem, non inuenti ſint plures, quàm ſeptemdecim, qui verbum fidei accepiſſent. VI.

Phœdimus Amaſeæ Epiſcopus. Deſignat Gregorium Epiſcopum Neocæſarenſem abſentem.

Cvm ſic ergo iugum coactus ſubijſſet, omnibus legitimis poſteà in ipſo peractis, & ab eo, qui ſacerdotem ipſum renunciârat, breue tempus petiiſſet ad myſterium accurate conſiderandum, non amplius, ſicut dicit Apoſtolus, exiſtimauit oportere attendere carni & ſanguini: ſed petiit, vt ſibi fieret diuinitus manifeſtatio occultorum: neque prius auſus eſt accedere ad verbi prædicationem, quam per quandam viſionem fuiſſet ſibi reuelata veritas. Nam cum nocturnu aliquando de verbo fidei conſideraret, & omne genus cogitationes verſaret, (erat enim tunc quoque * quidam, qui probabilibus argumentis piam adulterabat doctrinam ſæpe etiam intelligentibus dubiam reddens ve- VII.

Cogitur Epiſcopatũ ſuſcipere. *Galat 1.* *Origenem intelligit.

dens veritatem) pro qua tunc ei vigilanti, & diligenter meditanti reuera apparet quidam, tanquã in figura humana honeſta veſte pontificia indutus, forma ſenili, vultuſque dignitate & honeſtate habitus, magnam virtutem præ ſe ferens. Is vero viſu ſtupefactus, ſurrexit quidem è cubili, rogauitque vt ſciret quiſnam eſſet, & quanam de cauſa veniret. Cum ille autem voce quieta ſedaſſet eius animi perturbationem, & dixiſſet ſe iuſſu diuino ei appar uiſſe propter ea, de quibus dubitabat, vt ei reuelaretur piæ fidei veritas, illius verbis ei confirmatus eſt animus, illumque adſpexit cum quadam lætitia & admiratione. Deinde cum ille manum directò porrexiſſet, & ei rectis digitis veluti oſtenderet id, quod ex obliquo apparebat, ipſe quoque vna cum porrecta illius manu ſuum quoque vultum conuertit, & ex aduerſo eius, quod viderat, aliud vidit ſpectaculum in muliebri figura, quæ formam ſuperabat hominis. Rurſus autem ſtupefactus, in ſeipſum inclinauit, dubioq; ac omnino perplexo fuit animo propter ſpectaculum, vt qui oculis non ferret viſionem. Etenim in hoc maxime conſiſtebat admirabilitas viſionis, quod cum eſſet nox profunda, ſimul cum iis, quæ viſa fuerant, lux reſplendebat, tanquam cuiuſdam lucidi conflagrantis thalami. Quoniam ergo non poterat oculis ferre viſionem, audiuit quendam dialogum eorum, qui à ſe viſi fuerant, explicantium inter ſe inuicem rationem eius, quod quærebatur, per quos non ſolum didicit veram fidei cognitionem, ſed etiam nominatim cognouit eos, qui apparuerant, cum vterque ex his vocaret alterum ſuo nomine. Dicitur enim audiſſe ab ea, quæ in figura muliebri apparuerat, rogante Iohannem Euangeliſtam, vt manifeſtaret iuueni myſteriũ veritatis: illum aũt dixiſſe, ſe paratum eſſe matri Domini in hoc quoq; gratificari, quoniam ei ita placeat. Et ita cum dixiſſet breuem, & quæ facile deſcribi poterat, orationem, ſe ab eius ſubduxiſſe oculis: eum autem diuinam illam myſtagogiam protinus mandaſſe literis, & illo tempore prædicaſſe verbum in Eccleſia, & poſteris veluti quandam hæreditatem, illam diuinitus datam doctrinam reliquiſſe, per quam in hodiernum vſque diem in myſterio inſtituitur, qui eſt apud illos, populus, qui permanſit intactus ab omni vitio hæretico. Hæc ſunt autem verba myſtagogiæ. Vnus Deus Pater Verbi viuentis, conſiſtentis Sapientiæ, & virtutis, & characteris æterni, Perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, character, & imago diuinitatis, Verbum efficax, ſapientia, quæ eorum, quæ ſunt, continet conſtitutionem, & virtus effectrix vniuerſæ creaturæ. Verus Filius veri Patris, inuiſibilis Patris Filius inuiſibilis, & quæ interire non poteſt, eius, in quem non cadit interitus, & qui mori non poteſt, immortalis & æternus æterni. Vnus Spiritus ſanctus, qui ex Deo quod ſit habet, & per Filium ſcilicet apparuit hominibus, Imago Filij perfecti perfecta. Vita, cauſa viuentiũ, fons ſanctus, ſanctitas ſuppeditatrix ſanctificationis, in quo manifeſtatur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus: & Deus filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur. Neque ergo creatum eſt aliquid aut ſeruum in Trinitate, neque aduentitium, tanquam quod prius quidem non eſſet, poſtea autem ſit ingreſſum. Neq; enim Filius vnquam defecit Patri, neque Filio Spiritus, ſed immutabilis & inalterabilis, ſemper eſt eadem Trinitas. Quod ſi quis velit de hac re ſibi fidem fieri, audiat Eccleſiam, in qua verbum prædicabat. Apud eos enim in hodiernum vſque diem ſeruantur beatæ illius manus characteres. An non hæc cum illis tabulis à Deo fabricatis certant gratiæ magnitudine? Illas autem dico tabulas, in quibus diuinæ voluntatis impreſſa eſt legislatio. Quomodo enim Moſen dicit ſcriptura, cum fuiſſet extra id, quod apparet, & intra ea, quæ oculis cerni nequeunt, adyta anima peruenſſet. (Hoc enim ſignificat caligo) & diuina myſteria didiciſſe, & per ſe totum populum in cognitione Dei inſtituiſſe: in hoc quoq; magno viro licet eandem videre œconomiam: cui mons quidem erat, non tumulus aliquis ſenſilis, ſed altitudo verorum dogmatum cupiditatis: Caligo autem id, quod alij capere non poſſunt, ſpectaculum: Tabula vero, anima: Literæ autem, quæ erant in tabulis, vox eius, qui fuit ab eo viſus. Per quæ omnia, & ſibi, & iis, qui ab ipſo inſtituebantur, fuit declaratum myſterium.

Viſione confirmatur & inſtruitur.

S. Ioannes Euangeliſta catechiſta Gregorij.

Doctrina diuinitus reuelata S. Gregorio, Hæc fidei Catholicæ regula ab vniuerſa Eccleſia Catholica comprobata, habetur recitata in Quinta Oecumenica Synodo.

Exod. 31.

Exod. 20.

Postqvam ergo fiducia quadam & audacia per hanc impletus eſt viſionem, non ſecus ac athleta quiſpiam, qui quantum ſatis eſt experientiæ & virium à puerorum, qui exercebantur, magiſtro nactus ad certamina, fidenti & audaci animo ſe exuit ad ſtadium, & in puluere decertat contra aduerſarios: eodem modo & ſuo ſtudio, & eius, quæ ſibi apparuit, gratiæ auxilio, animo ſatis inſtructus, certamina ſic aggreditur. Non oportet enim aliquid aliud vocare, quam certamina & contentiones, omnem vitam, quam ipſe egit in ſacerdotio, in quo per fidem proſtrauit omnes vires aduerſarij. Nam cum ſtatim ſe à ſolitudine mouiſſet, & ad vrbem contenderet, in qua oportebat eum Deo conſtruere Eccleſiam, cum cognouiſſet totum locum à fraude dæmonum obtineri, & veri quidem Dei templum nuſquam eſſe conſtructum, totam autem ciuitatem, & quæ circumcirca ſita eſt, regionem eſſe plenam altaribus, delubris & ſimulacris, vniuerſo populo ſuum in hoc ponente ſtudium, vt ornata eſſent nemora & ſacra idolorum, & inſanus ſimulacrorum cultus maneret apud homines, confirmatus pompis & myſteriis, & eorum, quæ in altaribus mactantur, inquinamentis: non ſecus ac fortis aliquis miles, cum duce exercitus pugna congreſſus, per illum vincit eos, qui parent illius imperio: ita etiam hic vir magnus incipit aduerſus ipſos dæmones ſe præclare gerere, ſed quonam modo?

Totus eius epiſcopatus non niſi certamina.

VIII. Nam cum à remota illa ſolitudine viam vrbem verſus conficeret, nox autem deprehendiſſet, & eum vehementior pluuia retardaret, ſubit quoddam templum cum ſuis comitibus. Erat autẽ illud templum inſigne, in quo qui colebantur dæmones, ad æditu os aperte ventitabant, vt qui illic diuinarẽt, & reſponſa redderent. Cum autem ſubiiſſet templum cum ſuis comitibus, dæmones quidem confeſtim exterruit Chriſti nominis inuocatione: figura autem Crucis aëre expiato, qui erat inquinatus nidoribus, illic manſit, pro more totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, adeo vt eſſet transformatum in domum orationis templum, quod propter cruorem victimarum & ſimulacra erat abominandum. Cum hoc modo totam noctem peregiſſet, mane rurſus cœpit vltra progredi. Cum vero æditu us mane conſuetum dæmonibus cultum exhibuiſſet, apparentes ei dæmones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illic manſerat. Is autem quibuſdam piaculis vtens, & quædam ſacrificia adhibens, per ea conabatur dæmones rurſus in templo collocare. Poſtquam autem eo nihil non experiente, erat ei labor irritus, cum dæmones non amplius pro more exaudirent eius vocationẽ, tunc ira percitus æditu us, magnum illum virum offendit, omnes in eum minas aperte intentans, ſe & eum ad magiſtratus delaturũ, & manus ei illaturum, & audax eius cœptum Imperatoribus eſſe ſignificaturum: quod cum eſſet Chriſtianus, & diis inimicus, auſus ſit templũ ingredi, cuius ingreſſum eſſe auerſatã, quæ in ſacris operatur, poteſtatẽ, nec amplius in eis locis habitare, vt ſolebat, diuinantem dæmonum operationem. Cum is aũt temerariam & inſolentem æditui iram eximia repreſſiſſet prudentia, & oppoſuiſſet omnibus eius minis verum Dei auxilium, & diceret, ſe in eius, qui pro eo pugnaret, viribus tantam poſuiſſe fiduciam, vt poteſtatem habeat expellendi dæmones, vnde velit, & eos collocandi in quibus velit locis, & pollicetur, ſe ea, quæ diceret, iam eſſe demonſtraturum. Admiratus æditu us, & magnitudine poteſtatis obſtupefactus, rogauit vt in ſuſpiſs ſuã oſtenderet poteſtatem, & rurſus in templũ reduceret dæmonia. Cum Magnus autem ille hæc audiſſet, rupit breuẽ quãdam libelli particulã, & eam dedit æditu o, in ea impreſſa quadã voce imperante dæmonibus. Hæc aũt verba cõtinebat ſcriptura: Gregorius ſatanæ: Ingredere. Cũ aũt accepiſſet æditu us libellũ, altari impoſuit. Deinde cũ ei cõſuetos obtuliſſet nidores & inquinamẽta, rurſus

Signo Crucis aërem expiat.

Dæmones non audent ingredi fanum ſuum propter illum.

Magna eius poteſtas in dæmones.

videt

videt ea, quæ prius viderat, antequam à templo eſſent exterminati dæmones. Cum hæc autem facta eſſent, cœpit cogitare diuinam quandam poteſtatem eſſe in Gregorio, per quam viſum erat eſſe potentior dæmonibus. Cum eum ergo rurſus magno eſſet ſtudio conſequutus, priuſquam veniſſet in ciuitatem, rogauit vt ab eo diſceret myſterium, & quiſnam eſſet ille Deus, qui ſibi ſubiectam haberet dæmonum naturam. Cum autem paucis ei dixiſſet Magnus ille myſterium pietatis, ita fuit affectus æditiuus, vt eſt veriſimile eum affici, qui rebus diuinis initiatus, & opinatus eſt rem eſſe viliorem & abiectiorem, quam vt exiſtimaretur Deus per carnem humanam appatuiſſe. Cum is autem dixiſſet eius rei fidem non confirmari verbis, ſed eorum quæ fiunt, probari miraculis, æditiuus adhuc ex eo quæſiit miraculum. Deinde per id quod factum eſt, adductus eſt, vt fidei aſſentiretur. Quo tempore dicitur Magnus ille feciſſe miraculum omnium minime credibile.

Grande ſaxum iubet ſe alio trāſferre.

Huius miraculi meminit S. Gregorius Dial. libr. 1. cap. 7.

Æditiuus credit.

NAM cum requireret æditiuus ingentem quendam lapidem, qui eorum oculis ſe obtulit, manu autem humana moueri non poterat, per ſolam ex fide poteſtatem, iuſſu Gregorij transferri ad alium locum, nihil differens ille Magnus, ſtatim tanquam animato imperauit lapidi, vt tranſiret ad illum locum, quem oſtendit æditiuus. Vbi autem hoc factum eſt, vir ſtatim verbo credidit, & omnibus relictis, genere, domo, vxore, poſſeſſionibus, filiis, amicis, ſacerdotio, focis & penatibus, pro his omnibus delegit cum magno illo viro verſari, & eſſe eius laborum particeps, & diuina illa frui philoſophia & eruditione. Sileat ad hæc omne ſcriptorum artificium, miracula per hiſtoriam augens & amplificans. Non enim in his, quæ dicta ſunt, tale eſt miraculum, vt dicentis eloquentia ſeipſo fiat maius ac minus. Quid enim dicens quiſpiam præter ea, quæ dicta ſunt, additamentum adiunxerit miraculo? Quomodo autem auditorum minuerit admirationem de eo, quod factum eſt? Lapis abducit lapidem, nempe eos, qui ſeruiebant lapidibus. Lapis fit præco fidei diuinæ, & dux ad ſalutem infidelibus, non voce aliqua & verbo diuinam prædicans poteſtatem, ſed iis quæ fecit, Deum eſſe oſtendens eum, qui prædicatur à Gregorio, cui ſubiecta omnis paret creatura eadem honoris æqualitate: neque ſolum quicquid eſt vi ſentiendi præditum, & ſpirat, & eſt animatum, ſed etiamſi quid eſt extra hæc, miniſtri iuſſa capeſſunt, tanquam quæ ſenſu non careant. Nam quis eſt auditus lapidis? qui ſenſus eius, quod iubetur? quænam eſſet in eo poteſtas ſe tranſmouendi? quænam membrorum & articulorum eſt ei conſtructio? ſed hæc omnia, quæ ſunt huiuſmodi, fiunt virtute iubentis. Quam cum vidiſſet ille æditiuus, ſtatim fraudem dæmonum, qua vtebantur ad humanam decipiendam naturam, & animaduertit, & eſt abominatus, & ad verum Deum ſe conuertit, cum per ea, quæ à ſeruo facta fuerant, conſideraſſet inexplicabilem Domini poteſtatem. Si enim talis eſt ſerui poteſtas, vt verbo moueat ea, quæ ſunt immobilia, & vtatur imperio in ea, quæ ſunt nullo ſenſu prædita, & præcipiat rebus inanimis: quantam poteſtatis abundantiam conſentaneum eſt exiſtimare ineſſe in Domino vniuerſi, cuius voluntas fuit conſtructio & vis ipſius mundi, & omnium, quæ ſunt in ipſo, & omnium, quæ ſunt ſupra ipſum? IX.

Comites viri Dei fuerunt virtutes.

DEHINC cum ille magnus cœpiſſet ſe præclare & fortiter gerere aduerſus dæmones, & veluti quoddam trophæum aduerſus deuictos circunducens æditiuum, iam ſui nominis fama perculſa gente, cum bona fiducia ſic ingreſſus eſt ciuitatem, non curribus, & equis, & mulis, & comitatus multitudine ſe iactans, ſed circunquaque ſtipatus virtutibus. Publice autem effuſis omnibus vrbis habitatoribus ad nouum videndum ſpectaculum, & omnibus videre cupientibus, quiſnam ſit ille Gregorius, qui cum ſit homo, tanquam rex quiſpiam habeat poteſtatem in eos, qui apud eos exiſtimantur dij, pro imperio ferens, & agens quocunque voluerit dæmonia, & vndenam voluerit, pro arbitrio expellens, & inducens tanquam mancipia, & illorum ferat cultorem veluti vi quadam redactum in ſeruitutem, deſpicientem quidem honorem, in quo prius fuerat, pluris autem facientem vna cum eo verſari, quam omnia quæ habebat. Omnibus autem eo animo ante ciuitatem illum expectantibus, cum eo acceſſit, omnibus illum fixis oculis adſpicientibus, tanquam materiam inanimam homines præteriens, ad nullum conuerſus eorum, qui occurrebant, & recta pergens in ciuitatem, multò magis eos obſtupefecit, cum eum videntibus famam videretur ſuperare. In magnam enim ciuitatem primum ingredientem, cum nulla ei prius fuiſſet eiuſmodi conſuetudo, non admiratum fuiſſe tantum populum, ſed tanquam incedentem per ſolitudinem, ad ſeipſum ſolum & ad iter reſpicere, ad nullum ſe conuertentem ex iis, qui circa ipſum congregati fuerant, hoc viſum eſt hominibus ſuperare miraculum, quod factum eſt in lapide. Ea de cauſa habita eſt ratio eorum, qui, vt ante dixi, fidem ante eius aduentum acceperant, vtpote vniuerſa ciuitate honorante eius ſacerdotium. Sic ingreſſus eſt vndiq; compreſſus & coarctatus ab iis, qui eum deducebant. Deinde verò ſimulac attigit philoſophiam, ab omnibus, tanquam ab aliquo onere, ſeipſum liberauit, & nihil ei erat ex iis, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, non ager, non locus, nō domus, ſed ipſe erat ſibi omnia: vel potius virtus & fides erat ei patria, & focus, & diuitię. Poſtquam ergo fuit quidem intra ciuitatem, ad quieſcendum autem nuſquam ei erat domus, non Eccleſiæ, non propria: iis, qui erant cum ipſo, tumultuantibus, & quomodo diuerſaretur, & apud quem tegumentum inueniret, dubitantibus: Quid hæc (inquit ad eos magiſter) dubitatis tanquam ſitis extra Dei tegumentum, vbinam veſtra corpora quieti dature ſitis? Vobiſne parua domus videtur eſſe Deus, ſiquidem in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus? Anguſtumne ducitis cœli tegumentum, & ab eo quæritis aliud diuerſorium? Sit vobis ſtudio vna domus, nempe ſua vnicuique vita, quæ per virtutes ædificatur, & in altum erigitur. Hoc ſolum vobis ſit curæ, ne tale habitaculum ſit nobis imparatum. Terreſtrium enim murorum ambitus non afferunt lucrum iis, qui viuunt in virtute: potius autem ab iis, qui vitio inquinantur, parietum vſus iure requiratur, quoniam occultorum probrorum domus ſæpe eſt operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, qui ſuam eorum occultent.

Negligit hominum applauſus, vir mundo plane mortuus.

Nullas prorſus vult habere poſſeſſiones

Act. 17.

Chriſtiani domus

Multi eum ad ſe inuitant.

CVM autem hæc diceret iis, qui cum ipſo verſabantur, accedens quidam vir inſignis, qui genere & diuitiis, reliquiſque copiis & potentia erat inter primos numerandus, nomine Muſonius, cum vidiſſet multos eodem teneri ſtudio, vt Gregorium ſuis ædibus exciperent, occupans aliis præripit hanc gratiam, rogans, vt ille magnus hoſpitio à ſe exciperetur, & ingreſſu domum ſuam honoraret, vt eſſet ſplendidior & glorioſior in futurum, & memoriam huius honoris ad poſteros tranſmitteret. Cum autem concurrentes multi eadem rogarent, æquum eſſe cenſens, eam gratiam concedere ei, qui præuenerat, cum alios benignis verbis proſecutus eſſet, & viciſſim honoraſſet: diuertit ad eum, qui prior inuitârat. Si autem eorum, quæ de ipſo dicuntur, hiſtoria conſiſtit in nuda ac ſimplici narratione, nec ad ſe confirmandam vllis vtitur argumentis, eas quæ excogitari poſſunt, amplificationes noſtra oratione conſultò prætermittente, fuerit hoc quoque iis, qui res recte iudicant, non paruum teſtimonium, quod nihil ſit excogitatum, vt eius, cuius meminimus, augeantur miracula: ſed ad perfectiſſimam laudem ſufficiat rerum ab eo geſtarum memoria, veluti quædam naturalis in facie pulchritudo, quæ nulla curioſa fucandi arte efflorescit. X.

Plurimos ad Dominum Neocæſarienſes conuertit.

CVM autem eſſet exiguus numerus eorum, qui prius in verbo initiati & inſtructi fuerant, antequam dies præteriſſet, & Sol veniſſet ad occaſum, tantus acceſſit numerus in prima congreſſione, vt ad conſtituendam populi congregationem ſufficeret multitudo eorum, qui crediderant. Mane aduenerat, & rurſus aderat populo pro foribus, & ipſi, & vxores, & filij, & ætas confecta ſenio, & ſi quis aut à dæmonibus vexatus, aut ab aliquo alio incommo-

commodo & calamitate corporis, illeque in medio eorum ad viſum eorum, qui conuenerant, congruenter virtuti ſpiritus ſe diuidens, prædicans, examinans, admonens, docens, curans. Hæc enim prædicatione multos maxime adducebat, quod viſus ad auditum accederet, & per vtraque diuinæ virtutis in eo reſplenderent indicia. Aures enim ſermo, oculos verò adducebant in admirationem, quæ in ægroto fiebant, miracula. Qui lugebat, audiebat quod eum conſolaretur. Iuuenis caſtigabatur, & docebatur temperantiam. Senex porrigebatur medicina verbis conuenientibus. Serui docebantur, vt bene afficerentur in dominos. Qui dominatum obtinebant vt eſſent benigni & clementes in eos, qui ſubijciebantur eorum imperio. Pauper, vt ſolas diuitias exiſtimaret virtutum, cuius poſſeſſio eſt in cuiuslibet poteſtate poſita. Is, qui ſe de ſuis iactabat diuitijs, conuenienter admonebatur, vt eorum quæ habebat, eſſet œconomus, non dominus. Mulieribus conducibilia, pueris conuenientia, & patribus ea, quæ decebat, diſtribuens: & factus omnia omnibus, tantum repente populum induxit auxilio Spiritus, vt ad templum ædificandum fuerit incitatus, pecunijs & corporibus omnibus ad id ſuum ſtudium conferentibus. Hoc eſt templum, cuius conſtructionis ille iecit fundamenta, & id cœpit ædificare. Exornauit autem quidam ex ſucceſſoribus pro illius dignitate, quod etiam in hodiernum vſq; diem oſtenditur. Id autem vir ille magnus protinus huic rei incumbens, veluti ſui ſacerdotij fundamentum quoddam & quandam baſim viro ciuitatis clariſſimo commendauit. diuina quadam impulſione & maiori ope ſtudens operi, vt ſequens tempus teſtificatur. Nam cum noſtris temporibus grauiſſimus aliquando terræmotus ciuitatem labefactaſſet, & omnia propemodum funditus periiſſent, & publica ac priuata ædificia omnia corruiſſent, ſolum illud templum manſit infractum & inconcuſſum, vt vel ex hoc ſit manifeſtum, cum cuiuſmodi poteſtate vir ille magnus ea, quæ à ſe erant gerenda, ſuſciperet. Sed hæc quidem multis poſtea temporibus à diuina potentia demõſtrata fuêre ad huius magni viri fidem teſtificandam. Tunc autem cum omnes, tam qui vrbem, quam qui circuncirca poſitam regionem habitabant, Apoſtolica miracula ſtupuiſſent, & quicquid ab eo dicebatur ac fiebat, vi diuina geri & dici crediddiſſent, ne earum quidem controuerſiarum, quæ ad hanc vitam pertinebant, exiſtimabant, vllum eſſe præſtantiorem iudicem: ſed omne iudicium, perplexumque & implicitum negotium illius conſilio expediebatur. Ex quo & bonarum legum obſeruatio, paxque & tranquillitas, & publice & priuatim eis aderat illius beneficio, & magnum bonorum incrementum, cum nullum vitium eorum inter ſe concordiam abrumperet. Non alienum autem fortaſſe fuerit, ſi vnius eius iudicij fecero mẽtionem, vt, ſicut eſt in prouerbio, ex fimbria nobis appareat totus veſtimenti contextus. Etenim diuina ſcriptura, cum Salomon apud ſuos ſubditos multa fecerit iudicia, ſatis habuit per vnum ſuam oſtendere ſapientiam, qñ inter illas duas matres fuit iudex. Quoniam aũt non poterat argui maleficium, cum vtraque earum ex æquo mortuum quidem infantem non admitteret, ſuperſtitem autem ſibi vendicaret, ingenioſè conſtituit occultam inueſtigare veritatem. Quoniam enim ad probandum maleficium nulli producebantur teſtes, & in vtriſque erat æqualis veri & falſi coniectura, produxit naturam ad ferendum veritati teſtimonium, callidis nimis celans ſui animi inſtitutum. Iubens enim viui & mortui corpus inæquales partes enſe diſſecari, & dimidias filiorum partes vtriſque tribui, permiſit naturæ iudicium veritatis. Vbi enim vna quidem quod imperatum fuerat, lubenter excepit, & carnificem induxit: altera vero maternis commota viſceribus, confeſſa eſt ſe eſſe victam, rogans vt parceretur filio, ſeque gratiam habituram, ſi quomodocunque ſeruaretur infans: hoc eſſe veritatis indicium rex decernens, eam quæ ſua ſponte victa fuerat, victricem ſua ſententia pronunciat reputans quod quæ cædi filij non pepercerat, à natura arguatur non eſſe mater eius, ad cuius mortem properabat. Nos ergo huius quoque magni Gregorij aliquod narrabimus iudicium.

XI. DVO quidem fratres ætate iuuenes, qui paternam hæreditatem nuper inter ſe diuiſerant, vnum ſtagnum vendicabant, vterque totum id habere contendens, & non admittens alter alterum in ſocietatem poſſeſſionis. Fit magiſter, cauſæ arbiter, qui cum ad locum perueniſſet, in arbitrio vſus eſt ſuis legibus, hoc agens, vt reconciliarentur iuuenes, & redirent in gratiam, & lucrum pacis exiſtimarent vectigali præſtantius. Illud enim ſemper manet, & viuis & mortuis: hoc autem vſum quidem ad tempus durantem, æternam autem propter iniuriam habet condemnationem: & quæcunque par erat eum dicere, ad reprimendam iuuentutis inſolentiam & immoderationem. Cum autem eſſet inutilis eius exhortatio, & ferueret adoleſcentia, & maiori ita incenderetur, ipſe lucri æſtuans, & vtrinque ex ſubditis pararetur exercitus & magna manus, ita duce ac furore cædem ſpirans, conſtitutum fuit tempus certaminis. Cum autem poſtridie eius diei eſſet vtrinque committendum prælium, permanens homo Dei in ſtagni ripis, & totam noctem agens inſomnem, fecit quoddam Moſaicum in aqua miraculum non ictu virgæ profundum in duas partes ſcindens, ſed eam totam tanquam terram conſolidans, effecit continentem plane aridam, & omni humore vacuam, vt ne in cauo quidem vllo vllas habeat aquæ reliquias, quæ ante orationem inſtar pelagi exundabat. Atque ille quidem cùm diuina poteſtate hanc tuliſſet ſententiam, rurſus domum rediit: adoleſcentibus autem, lata facta ipſis ſententia, diremit contentionem. Cum enim id non eſſet, pro quo bellum inter ſe parabãt, pax itam eſt conſecuta, & rurſus natura inter fratres dedit ſui ſignificationem. Ac tunc quoq; diuinæ illius ſententiæ licet videre ſigna euidentia. Nam circa id, quod olim fuit ſtagnum, in hodiernum diem ſeruantur aliqua veſtigia aquæ inundationis. Quicquid autem erat aquæ profundum, id totum eſt tranſmutatum, vt quod à ſyluis, pratis, agris & habitatione ſit occupatum. Hoc fuit eiuſmodi iudicium, vt ne ipſum quidem longè clariſſimum, & qui eſt maximi nominis, Salomonem exiſtimem velle ſibi primas partes tribuere. Quid.n. ad virtutem tantum eſt, matris an nouerce vberi ſeruare infantem lactantem, cui quod ad ſalutem quidem attinet, perinde erat, ſeu à parente, ſeu ab alia ei alimentum præberetur: & duobus adoleſcentibus procurare ſalutem, qui cum in ipſo flore ætatis & feruore adoleſcentiæ de ijs, quæ ad victum pertinent, contendebant, ad mutuam cædem œſtro quodam iracundiæ percitierant, poſteris vt horrendum oſtendendi ſpectaculum, vt qui ſibi manus inuicem attuliſſent, quos erat veriſimile, vel ambos à ſe inuicem interituros, vel vnum omnino reum futurum fratricidij ſceleris: vt eos omittamus, qui eadem ira cum vtriſque in eadem ſtabant acie, qui hoc vnum ſibi proponebant, hoc vnum concupiſcebant, vt aduerſarios ſuos morte afficerent. Qui ergo mortis ſententiam ductu mali dæmonis in eos confirmatam precatione reſcidit, & naturam ſibi reconciliauit, & mortalem contentionem in pacificam conuertit lætitiam, quanto eſt conuenientius eum propter iudicium haberi in admiratione, quam eum, qui meretricis deprehendit maleficium? Nam quod in aqua factum eſt miraculum, quemadmodum repente in terram mutatum ſit, quod erat nauigabile, & campus, & cauum factum ſit ſtagnum, & quemadmodum quæ in eo loco prius erat inſtar maris, ad fructus ferendos nunc colatur, exiſtimo eſſe ſatius id ſilentio prætetire, quam perſequi oratione, cum non poſſit pro dignitate extollere miraculum. Quid enim didicimus huiuſmodi in ijs, quæ ſcripta ſunt, miraculis, vt poſſit cum hoc conferri? Stetit Ieſus Naue filius fluentum Iordanis, ſed tantiſper, dum arca erat in aqua. Cum autem tranſmiſiſſet populus, & arca tranſiſſet, ſuæ conſuetudini redditus eſt fluuius. Nudatur aqua in rubro mari, id quod ſubiectum erat profundo, mari à ſpiritu in obliqua protruſo. Sed tempus miraculi fuit tranſitus exercitus, qui fuit per ſiccum in profundo. Poſt hoc aũt ſimul cum aqua redit ea, quæ prius erat, ſuperficies, & ꝙ parumper fuerat diuiſum, rurſus coijt. Hic autem, ꝙ ſemel factum eſt, remanſit quale fuit, ne temporis

curriculo

Templum conſtruit.

Solum illud templũ nõ euertit terræmotus.

Theod. l. Collect. lib. 2.

3. Reg. 3.

Lucrum pacis, vectigali præſtantius.

Exod. 14.

Stagnũ mutat in terrã.

Maturo ſuo iudicio in mutuã cędẽ contendentes fratres placat.

Ioſue 3.

Exod. 14.

curriculo fides non habeatur miraculo, quod ea quæ cernuntur, teſtantur in perpetuum. Ea quidem, quæ de ſtagno dicuntur & oſtenduntur, hoc modo ſe habent.

Lycus fluuius.

ALTERVM autem eius poſt hoc tale miraculum oſtenditur & memoratur. Quidam apud eos fluuius præterfluit regionem, ipſo nomine indicans, quam ſit aſperum & immane fluentū. Lycus enim nominatur, quod ſit accolis noxius. Is vel ex ipſis quidem Armeniæ fontibus deſcendit cum magno aquæ impetu, cum per montes qui ei ſuperemineut, lapſus, copioſum fluentum ſuppeditet. Cum in concauis autem locis ſubter præcipitiorum radices vndique præterlabatur, hybernis torrentibus longe euadit violentior, quæ confluunt è montibus, aquas in ſe excipiens. Cum vero in ſupina & humili, quam præterfluit, regione, ſæpe ſuis marginibus anguſtè coërceretur, in aliqua parte ripæ effundebatur, agros omnes ſubiectos, & quicquid erat aliud, ſuo fluento per tranſuerſum inundans, adeo vt eius loci accolis ex improuiſo continua inferret pericula, intempeſta nocte, vel etiam interdiu flumine in agros irruente. Quo fiebat, vt non ſolum plantæ & ſemina, & pecora aquarum impetu interirent, ſed etiam ad ipſos vſque habitatores perueniret periculum, qui ex improuiſo aquæ inundatione domi erant naufragi.

Habitatores Lyco liberationes à Sancto Dei.

Cum ergo quæ à magno Gregorio præclare facta fuerant miracula, totam gentem peruaſiſſent, ſurgentes qui ad illam fluuij partem habitabant, ipſi & vxores & liberi publicè omnes magno fiunt Gregorio ſupplices, rogantes, vt aliqua ratione ab inſperatis eos malis liberaret. Dicebant enim Deum in eo poſſe omnia, quæ nulla ingenij humani ope poſſint fieri. Nihil enim, quod conſilium & vires humanæ præſtare poſſint, ab eis eſſe prætermiſſum, vt qui lapidibus & aggeribus, & ſi quid aliud aduerſus huiuſmodi mala excogitari ſolear, omnia fecerint, nec vi mali potuerint reſiſtere: & vt magis ab ipſis moueretur ad miſericordiam, rogarunt vt ipſe videret calamitatem, & ſciret, nec fieri quidem poſſe, vt tranſmutarent habitationem, & quod propter aquæ impetum eis mors omni ex parte oſtenderetur.

Semper intentus rebus diuinis.

Cum ergo ad locum perueniſſet, (nulla enim cunctatio eius ad bonum ſtudium retardabat, nec vehiculo, nec equis, nec aliquo ex iis, quæ ipſum poſſunt portare, indigens, ſed baculo cuidam innitēs, totum iter confecit, ſimul etiam cum vitæ comitibus de ſpe altiore philoſophans: inter quos ſemper in eo, quod erat principale, immorans, præ maiori illo ſtudio, reliqua omnia faciebat veluti tranſiens) * Poſtquam ergo ab iis, qui eum deduxerant, oſtenſum eſt fluuij diuortium, & idipſum, quod cernebatur, explicauit calamitatem, cum propter aquæ irruptionem eum locum profunda occupaſſet lacuna, hæc dicit ad eos, qui erant congregati. Non eſt hominum, ô fratres, aquæ motum terminis circumſcribere. Eſt ſolius diuinæ potentiæ hoc opus, aquæ motum intra terminos concludere. Sic enim dicit ad Deum Propheta. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur. Soli creatæ naturæ Domino eſt ſubiecta elementorum natura, in quibus locis collocata fuerit, in iis ſemper permanens. Quoniam ergo Deus eſt, qui aquis præſcribit terminos, ſolus ille propria poteſtate poteſt huius fluuij cōpeſcere inſolentiam. Et diuiniore cogitatione veluti à Deo afflatus, & magna voce Chriſtum ad id, quod erat propoſitum, adiutorem ſibi adeſſe precatus, quem manu geſtabat baculum, defigit incorrupto ripæ loco. Cum autem eſſet terra in eo loco madefacta & mollis, facile profundum ſubiit, ſimul & ponderi, baculi & manui eius, qui figebat, cedens. Deinde cum Deum oraſſet, vt hoc eſſet veluti clauſtrum & obſtaculum aquarum violentiæ, rurſus reuerſus eſt, reipſa oſtendens, quicquid ab illo fiebat, diuina fieri poteſtate. Statim enim haud ita longo poſt tempore, baculus quidem, actis in ripa radicibus, arbor euaſit: planta autem fluento poſita eſt terminus, & in hodiernum vſque diem incolæ plantam & vident, & narrant. Quando enim imbribus & torrentibus Lycus ille pro more inundans, magna vi ſonoque fertur rapidus, tunc cum inferiorem partem arboris in ſuperficie leuiter aqua contigerit, rurſus tumeſcens in medium contrahitur alueum, & veluti qui extimeſcat appropinquare arbori, curua vnda locum tranſgreditur. Talis magni Gregorij fuit virtus, vel potius Dei, qui in illo operabatur miracula, & veluti ſubiecta elementorum natura, oſtenſa eſt, prout ei videbatur, mutari eius iuſſis, adeo vt ſtagnum quidem ſit mutatum in agrum frumentarium, aquæ autem lacunæ fuerint habitatæ habitatoribus, baculo fidei iubente, & tutos eos futuros cauente. Nomen autem in hodiernum vſque diem arbori eſt baculus, Gregorij gratiæ & virtutis monimentum, quod in omni tempore ſeruatur ab incolis. Quodnam ex miraculis propheticis vis his opponere, & cum eis conferre? Dicamne Iordanis diuiſionem, quam ouinæ pellis percuſſione fecit Elias ante aſcenſum, & poſtea Eliſæus hæres, & pellis ouinæ, & ſpiritus? Sed in his, ſolis prophetis tempore, quo fuit opus, ſciſſo fluento potuit tranſmitti Iordanes, tantum in ſe diſtracto fluento, quantum ſatis eſſet pedibus prophetarum, vt per ſiccum fundum tranſirent: ſequentibus autem temporibus, & reliquis hominibus talis erat, qualis fuit antea. Ille autem Lycus ab inſolenti & immoderato motu repulſus, nouum in ſempiternum Gregorij miraculum facit omni tempore, quod deinceps conſequitur, talis manens, qualem magni illius viri fides fecit tempore miraculi.

*for * & poſtquam eis, inquam, ab iis qui.*

Pſal. 103.

4. Reg. 2.

Scopus miraculorum quis ſit.

Scopus eorum, quæ fiebant, non erat, vt ij qui videbant, adducerentur in ſtuporem: ſed vt ij, qui propè fluuiū habitabant, ſeruarentur. Quam ob rem vt par ſit miraculum, (nam & propheus, & imitatori prophetarum, ex æquo ceſſit aquæ natura) ſi tamen liberè dicendùm eſt, quod ab eo factum eſt, antecellit humanitate, per quam firma & ſtabilis facta eſt ſalus accolarum, cum fluentum ſic ſemel eſſet compreſſum, & inpoſterum manſiſſet immobile: quandoquidem cum per totam regionem peruaderent hæc miracula, quæ virtute fidei in Chriſtum credita ſunt fieri, cupiebant omnes eſſe illius fidei participes, quam talia teſtabantur miracula: Et in omnem partem procedebat prædicatio, eratque vere efficax myſterium, & ad id quod bonum eſt, creſcebat ſtudium, conſtituto apud omnes ſacerdotio, vt per omnia fides abundaret & creſceret.

Agitur de creatione Comani Epiſcopi Bar an. 233.

MITTITVR ad eum legatio ex quadam propinqua ciuitate, vt ad eos veniret, & per ſacerdotium Eccleſiam XIII.
eorum conſtitueret. Eſt autem ciuitati nomen Comana, in qua magnum Gregorium volebant hoſpitio excipi, publicè gratiam poſtulantes. Cum ergo apud eos fuiſſet, & aliquot dies degiſſet, & iis quæ faciebat & loquebatur, eorum ad myſterium cupiditatem vehementius accendiſſet, cum tempus eſſet, vt eorum legatio ad finem perueniret, & crearetur aliquis pontifex eorum eccleſiæ, tunc quidem ex iis, qui magiſtratus gerebant, quos nouerant, eos curioſe indagabant, qui dicendi facultate, & genere, & reliquis inſignibus ornamentis videbantur excellere. Exiſtimabant enim, quoniā hæc in magno quoque Gregorio inerāt, nec eorum debere eſſe expertem eum, qui ad hanc perueniret gratiā. Cū aūt multiplicia eſſent eorum ſuffragia, & alij alium præponerent, expectabat magnus Gregorius, donec ſibi diuinitus daretur aliquod conſilium ad id, quod erat propoſitum: Et quomodo fertur Samuel non eſſe admiratus pulchritudinem & magnitudinem corporum in regis iudicio, ſed animum requiſiſſe regium, etiamſi ſit in vili & contempto corpore: ita ille quoque deſpiciens ſtudia eorum, qui ferebant ſuffragia, hoc vnum ſolummodo ſpectabat, num quis vel antequam renuncietur, vitæ & virtutis exercendæ induſtria in moribus ferat ſacerdotium. Cū aūt illi eos, quibus ſua dederant ſuffragia, adducerent cum laudationibus, vnuſquiſque eum, qui à ſe eligebatur, proponens: ille vero etiam viliores, iubebat reſpicere, quo ad vitæ honeſtatem: [illegible] eum poſſe, vt etiam in his inueniatur aliquis, iis, qui ſunt illuſtriores, animæ virtus excellior: quidam ex iis, qui præerant ſuffragiis, hanc magni Gregorij ſententiam ex humana eſſe derriſione[illegible], ſi ex iis, qui dicendi facultate, & dignitate, & manifeſto vitæ teſtimonio prælati ſunt aliis, nullo [illegible] ad ſacerdotiū, ex illiberalibus & ſordidis artificibus ad eā g[illegible] exiſtimentur aliqui digniores: & ſimul ironice loquēs, ei ita dicit: Si hæc iubes,

1. Reg. 16.

In Epiſcopo creando vide quid ſpectaut.

vt

vt ij, qui ſunt huiuſmodi, & à tota ciuitate delecti, deſpiciantur, Alexandrum carboniatum voces licet ad ſacerdotium: atq; adeò, ſi videtur, in eum tranſeuntes, ad ei danda ſuffragia conueniamus nos & tota ciuitas. Is quidem hæc loquutus eſt, de eius ſententia detrahens, & per ironicum ſuffragium, quod nullum eſſet de prioribus iudicium, reprehendens.

Alexander carbonarius ioco propoſitus.

Per hæc autem, quæ dicta ſunt, venit illi Magno in mentem, vt cogitaret, num non ſine Dei numine facta ſit Alexandri mentio ab ijs, qui ferebant ſuffragia: Et quis eſt, inquit, hic Alexander, cuius feciſtis mentionem? Deindè cum quidam ex ijs, qui aderant, eum, de quo facta erat mentio, per riſum adduxiſſent, ſordidis laceriſq; pannis indutum, nec id toto corpore, & ſimul ipſa ſpecie opus ſuum oſtendentem, vt qui ex carbonum operatione, & manibus, & facie, & toto deniq; corpore eſſet ſordidatus, reliquis quidem in medio ſtans Alexander riſûs fuit argumentum: perſpicaci autem illi oculo magnam attulit admirationem id, quod fiebat & cernebatur, vir in extrema paupertate, & neglecto corpore ſe ſolum reſpiciens, & veluti ijs exultans, quod erat ineruditis oculis ridiculum. Ita enim habebat, nec propter paupertatis neceſſitatem ad hanc vitam deuenerat: ſed erat vir quidam philoſophus, vt eius poſtea vita ſignificauit, quæ erat cæteris excellior, adeò vt etiam peruenerit vſque ad martyrium, vt qui curſum per ignem conſummauit. Latère autem eſt conatus, vel ſtudui potius, vt cui ea, qui à vulgo ſtudetur, proſperitate longè eſſet ſuperior, & mundi vitam nihil faciens, excelliorem veramque vitam concupiſceret, & vt propoſitum virtutis ſcopum facilius attingeret, conabatur latere. Talis autem cum eſſet, viliſſimo artificio tanquam turpi aliqua perſona occultatus, & alioqui cum eſſet florenti ætate, temperantiæ inſtituto periculoſum ac lubricum exiſtimabat, manifeſtare pulchritudinem corporis, naturæ proſperitati veluti inſultans, & eam inſectans. Sciebat enim eam præbuiſſe multis lapſus occaſionem. Ne ergò aliquid eorum, quæ nollet, ſibi eueniret, nec alienis oculis eſſet cauſa excitandi mali animi motus, ideò ſponte aſſumit artem carbonariam: per quam & corpus ad virtutem exercebatur laboribus, & pulchritudo occultabatur ſub carbonum ſordibus: & ſimul quod ex ſuis redibat laboribus, id ita diſpenſabatur, vt ſeruiret præceptis.

Alexander cur factus ſit carbonarius.

Alexander iſte qualis fuerit in occulto.

XIV. Cvm eum itaq; abduxiſſet à concilio, & ex eo omnia eſſet accurate ſciſcitatus, illum quidem dat ſuis domeſticis, iubens ea, quæ oportebat, facere. Is autem cum rurſus veniſſet ad concilium, eos docebat, qui erant congregati, eis verba faciens de ſacerdotio, & per ea deſcribens vitam ex virtute agendam: Et in tali oratione tandiu eſt immoratus, cœtum detinens, donec ijs impletis, quæ iuſſerat, ij qui ei miniſtrabant, aduenerunt, ſecum habentes Alexandrum, qui & lauacro ſordes ex fuligine contractas aluerat, & magni Gregorij veſtibus erat indutus: hæc enim eis facere iuſſerat. Cum autem omnes eſſent conuerſi ad Alexandrum, & ex eo, quod videbatur, eſſent in magnam adducti admirationem: Nihil vobis noui accidit, (dixit eis magiſter) ſi oculis decepti eſtis, & ſoli ſenſui eius, quod bonum eſt, iudicium permiſiſtis. Veritatis enim eorum quæ ſunt, iudex incertus eſt ſenſus, qui per ſe arcet, nè profundum animi penetretur. Simul autem ipſi quoq; veritatis & pietatis inimico dæmoni gratum erat, vt eſſet omnino ocioſum vas electionis, quod occultabat ignoratio, nec is vir prodiret in medium, qui eſſet futurus euerſor illius potentiæ. Hæc cùm dixiſſet, Deo virum offert per ſacerdotium, cùm eum pro more initiatum gratia conſectaſſet. Omnibusque nouum ſacerdotem intuentibus, is rogatus vt verba faceret ad Eccleſiam, ſtatim ab exordio oſtendit Alexander, non falſum de eo Gregorij fuiſſe iudicium. Erat enim ei plena ſententia oratio, minus ornata dictionis floribus. Quo factum eſt, vt quidam elatus adoleſcens, qui ex Attica apud eos degebat, inornatam irriſerit dictionem, quod non eſſet Atticis exculta ornamentis. Quem dicunt fuiſſe correctum à quadam viſione, cum vidiſſet columbarum gregem, quadam admirabili refulgentem pulchritudine, & quendam audiſſet dicentem, has eſſe Alexandri columbas, quas ille irriſerit.

S. Gregorius Alexandrum carbonarium cõſecrat Epiſcopum.

Quidnam ex his quiſpiam miretur ante aliud? Non reueritum eſſe hunc virum ſuffragium magiſtratuum, & non abreptum eſſe à teſtimoniis eorum, qui præcellebant, an potius eſſe miratum occultatas in carbonibus diuitias, quod ſtatum recti iudicij ſtatim eſt conſequutum à Deo teſtimonium per viſionem oratoris? Mihi enim vtrunque eorum in ſe tale eſſe videtur, vt ea inter ſe quidem contendant: inter omnia autem, quæ propter miraculum commemorantur, primas partes obtineant. Nam & eorum, qui præcellebant, reſtitiſſe deſiderio, eſt immutabilis & excelſi animi argumentum, quo quæcunque in mundo apparebant, ſimiliter ab eo cernebantur, cum & in id, quod eſt maius & illuſtrius, & in id, quod eſt abiectum & humile, æqualiter eſſet affectus: ſolam autem virtutem cæteris præponens, & ſolam, quæ in vitio agitur, vitam iudicans reijciendam, nihil ducebat omnia, quæ in hac vita, vel in honore habentur, vel nihili penduntur. Quod tunc quoque feciſſe oſtenditur. Nam cum quæreret inuenire eum, qui Deo eſſet gratus, non fide dignum exiſtimauit teſtimonium, ſi diuitias accepiſſet, & authoritates, & huius mundi ſplendores: quorum in bonorum catalogis nihil diuina enumerauit ſcriptura. Non eſt ergo hoc ſolum dignum laude & admiratione, quod principum & virorum ſtudia non admiſerit: ſed etiam per ea, quæ deinceps ſunt conſequuta, ipſe ſeipſum ſuperauit. Qui enim ſolum indignum repulit ſuffragium, vſui autem non adiecit id quod deerat, malum quidem prohibuit, bonum autem non fecit. Qui autem præter id, quod non eſt aſſenſus deteriori, inuenit etiam id, quod bonum eſt & honeſtum, per vtraque perfecit id, quod bonum eſt, neque malo concedens aditum, & bonum producens in actum: adeò vt in vtriſque conſtiterit in ciuitatem huius magni viri beneficium, vt qui & quod per ignorantiam ab eis peccabatur, auerterit: & quod apud ipſos erat occultum, bonum per ſe declarauerit.

Excelſus beati viri animus.

XV. Cvm autem magno huic viro omnia ſucceſſiſſent ex ſententia, auxilio ſancti Spiritus non alienum fuerit id quoque narrare, quod in via ab eo obiter factum eſt, vt per omnia oſtendatur gratia, quæ huic viro aderat. Quoniam enim erat omnibus manifeſtum, hoc ipſi eſſe curæ præ cæteris, vt omnia ſpectarent ad ſolatium egentium, ſiue ad lucrum reſpiciẽtes duo quidam ex Hebræis, ſiue etiam aliqua reprehenſionis macula eum adſpergere cogitantes, vt quem eſſet facile decipere, obſeruant eius reditum. Et vnus quidem ex ijs, qui videbatur eſſe mortuus, iacebat ſupinus in via publica: Alter autem miſerabiliter eiulans propter eum, qui iacebat, imitabatur voces lamentantium, & magnum illum prætereuntem magna voce clamando vocabat, dicens hunc miſerum ſubita morte correptum, nudum iacere, nec paratum eſſe aliquid, quo ſepeliretur. Rogabat ergo magnum hunc virum, ne ſancta eius anima ipſum deſpiceret: ſed paupertatis motus miſericordia, ex ijs quæ habebat, præberet vltimum amictum corpori inijciendum. Ille quidem hæc & alia dicens, ſupplicabat. Hic verò nihil cunctatus, diploide, qua erat indutus, iniecta iacenti, perrexit vltra progredi in itinere. Poſtquam autem illo prætergreſſo ſoli erant, qui hæc aduerſus eum fecerunt, deceptor ille in riſum mutata ſimulata lamentatione, iuſſit eum, qui iacebat, ſurgere, præ gaudio cachinnos edens ob lucrum eis ex fraude factum. Is autem in eodem erat, quo prius habitu, nihil audiens ex ijs, quæ dicebantur. Altero autem maiori voce vrgente, & pede ſimul eum excitante, nihilo magis is, qui iacebat, neque vocem exaudiit, nec ictum ſenſit, ſed in ſimili erat figura extenſus. Simul enim ac iniecta eſt veſtis, fuit mortuus, re vera morte functus, quam ſimulabat ad magnum illum decipiendum, adeò vt non fuerit homo deceptus, ſed cuius cauſa fuerat ab eo data veſtis, ad id vtilis fuerit ei, qui acceperat.

Fraus duorum Iudæorum.

Vltio cæleſtis eos mox perſequutur.

Si autem videtur triſte hoc opus magni illius fidei, ne videatur cuiquam hoc alienum, ad magnum Petrum re-

Actor. 3. Actor. 5. Ibidem. 5.

Attende quam ſit periculoſū vti fraude aduerſus S. ſanctum.

ſpicienti. Etenim ille non ſolum beneficijs oſtendit eam, quæ in ſe inerat, poteſtatē, eum qui erat claudus ab ortu, populo currentem oſtendens & ſalientem, aut vmbra ſui corporis curans ægrotos, quam tranſeunte Apoſtolo, per tranſuerſum corporis Sol eis admouerat: ſed etiam eo, quòd morte damnarit Ananiam, qui inhabitantem virtutem contempſerat, vt, ſicut opinor, illo metu adductum, quicquid in populo erat propenſum ad contemnendum, hoc terribili exemplo corrigeretur, ne eodem modo caſtigaretur. Merito ergo Petri imitator, qui multis in benefaciendo miraculis oſtenderat virtutis magnitudinem, eum quoq;, qui aduerſus ſanctum Spiritum fraude vti eſt conatus, effecit vt de ſe vera diceret. Oportet enim, vt exiſtimo, euerſorem mendacij etiam in deceptore mendacium traducere ad veritatem, vt per hoc omnibus eſſet euidens, quòd quicquid ab illo dicebatur, erat veritas: & quod id, quod vt verum acceperat, non erat falſum. Iudæi ergò, qui hoc modo illius Magni virtutem ludificati fuerant, fuerunt alijs documento, nè audeant decipere, cum eos, qui id auſi fuerint, Deus puniat.

Post hæc cum aliquando haberetur conuentus ſub dio in quodam loco in ea regione, & admirarentur omnes XVI.
eius doctrinam, quidam adoleſcens clamauit ad eos, qui aderant, Doctorem non hæc à ſe dicere, ſed ei alium adſtantem verba facere. Adducto autem puero, poſtquam dimiſſus eſſet conuentus, dicitur Magnus dixiſſe ijs qui aderant, adoleſcentem non eſſe mundum à dæmone: & ſimul cum ſibi ſuſtuliſſet velum, quod habebat in humeris, & id oris ſui admouiſſet anhelitui, ſic inieciſſe in adoleſcentem. Cùm hoc autem factum eſſet, conturbatum eſſe, & exclamaſſe adoleſcentem, & cecidiſſe, & ſe dilaceraſſe, & omnia paſſum eſſe, quæ patiuntur, qui ſunt dæmoniaci. Deinde cum ſanctus ei manum impoſuiſſet, & ſedaſſet perturbationem, ab eo quidem euolaſſe dæmonium. Cùm ad ſe autem rediſſet, non amplius dixiſſe, ſe videre eum, qui vna cum ſancto loquebatur. Eſt quidem certe hoc quoque ex magnis illius miraculis, quod non aliquo in curationibus adhibito artificio effecerit miracula: ſed ad expellendos dæmones, & corporis ſanandas ægritudines, ſuffecerit ex eius ore anhelitus, qui per linteum adhibebatur ægroto. Sed omnia quidem illius miracula ordine perſequi, longi fuerit operis & orationis, quæ plus requirat ocij. Si vnius autem, aut duorum, quæ de ipſo dicuntur, fecero mentionem, finem imponam orationi.

Anhelitu ſuo ſanat dæmoniacum.

Iam enim in omnem partem peruaſerat diuina prædicatio, & omnes tam in ciuitate, quam in ea, quæ circum- XVII.
circa ſita eſt, regione ad piam rectamq; dogmatis fidem erant traducti, altariaq; & templa, & quæ fuerant in eis ſimulacra, erant euerſa: expurgata autem erat humana vita ab idolorum inquinamentis, extinctusq; erat ſceleratus nidor ſacrificiorum, ablutusque cruor ex altaribus, & ſordes cæſorum animantium: omnes autem in omni loco in Chriſti nomine templa erigebant oratoria: cùm Romanorum, qui tunc erat, Imperatorem ſubijt ira & inuidia, propterea quod falſa quidem eius patria neglectui eſſet ſuperſtitio: augebatur autem myſterium Chriſtianorum, & per totum orbem terræ multiplicabatur Eccleſia, per eos, qui ſemper verbo adijciebantur, creſcens in magnitudinem. Et cum exiſtimâſſet fieri poſſe, vt diuinæ virtuti ſua reſiſteret acerbitas, & reprimeret quidem myſterij prædicationem, diſſolueret autem cœtus Eccleſiarum, rurſus autem traduceret ad ſimulacra eos, qui ad verbum proceſſerant, ad gentium Præſides mittit edicta, terribiles ſupplicij minas in eos ſtatuens, niſi omnibus probris, contumelijs & cruciatibus eos, qui nomen Chriſti adorabant, & terrore & cruciatibus eos rurſus adducerent ad patrium cultum dæmonum.

Edicta acerba Imperatoris Decij in Chriſtianos.

Poſtquam autem magiſtratibus eſt annunciatum hoc ſceleratum & impium edictum, cùm per totum peruaſiſſent Imperium, qui ad hoc erant conſtituti à Tyrannica crudelitate: & in gentem Ponticam is obtinebat dominatum, cui ad ſceleratum deſiderium non deerat ſumma poteſtas, vt qui feritatem & acerbitatem haberet ingeneratam, & odium in eos, qui verbo crediderant, ab eo publicè proſcribitur, oportere vel fidem abiurare, vel omne genus ſupplicijs & mortibus affici. Neque aliud tunc publicum aut priuatum quicquam agebatur, aut vllum ponebatur ſtudium ab ijs, qui tractabant publica, quàm vt obſiderent & punirent eos, qui fidem ſequebantur. Erant autem non ſolum minæ verborum terribiles, ſed cum ijs varius apparatus ſuppliciorum, nullum non afferebat ſtuporem, & antequam veniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus enſes, & ignis, & beſtiæ, & foſſæ, & inſtrumenta ad torquendum membra accommodata, & ferreæ in igne cathedræ, & ligna erecta, in quibus eorum extenſa, qui perſiſtebant, corpora, proiectis horrendis laniabantur vngulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inuenta ab eis excogitabantur. Vnumq; erat ſtudium ijs, qui hanc habebant poteſtatem, vt nullus eo poſſet oſtendi ſcelere ſuperior. Alij quidem deferebant, alij verò indicabant, alij vero ſcrutabantur eos, qui erant abſconſi, Alii inuadebant eos, qui fugiebant. Alij autem iniectis oculis in facultates fidelium, vt rebus eorum potirentur prætextu pietatis ac religionis eos, qui fidem amplectebantur, expellebant.

Sæuitur in Chriſtianos.

Ita faciunt hodie hæretici.

Erat autem in gente confuſio, perplexaque & inexplicabilis animi dubitatio, cùm eſſent omnes inter ſe ſuſpecti, cùm nec in tanto terrore maneret filiorum in parentes beneficentia, neque paternæ curæ à natura ingenerata fidelitas remaneret parentibus in filios. In varios autem ritus religionis inter ſe ſcindebantur genera. Et filius, qui erat gentilis, erat proditor parentum fidelium: & filium, qui crediderat, pater incredulus accuſabat. Et frater, qui erat ex eadem eſſentia, pugnabat cum natura, ſanctum eſſe exiſtimans, ſumere pœnas de conſanguineo, ſi pietatem amplecteretur. Hinc plenæ quidem erant ſolitudines ijs, qui expellebantur: habitatoribus autem ædes erant inanes: multa autem publica habitacula ad vſum carcerum deſeruiebant. Non poterant enim carceres capere eorum multitudinem, qui propter fidem puniebantur: Foraque omnia, & omnes publici & priuati cœtus, pro conſueta lætitia calamitatis erant talis participes, cùm alij quidem attraherentur, alij vero abducerentur, alij propterea, quæ fiebant, vel riderent, vel flerent. Non erat infantium miſericordia, non honor canitiei, non virtutis reuerentia, ſed perinde atque in captiuitate dedebatur omnis ætas inimicis fidei. Ne fœminis quidem dabat naturalis generis imbecillitas, vt remoræ eſſent ab his ærumnis: ſed vna in omnes æqualis erat lex crudelitatis, eos adducens, qui erant alieni ab idolis, naturam non diſcernens.

Fugiendum in perſecutione.

Cvm tunc ergo imbecillitatem naturæ vidiſſet vir ille Magnus, vtpote quod multi non poſſent pro pietate vſ- XVIII.
que ad mortem decertare, conſuluit Eccleſiæ, vt parumper cederet terribili irruptioni, dicens eſſe melius, fugiendo ſuas conſeruare animas, quàm ſi ſtarent in acie certaminum, eſſent ordinū fidei deſertores: & vt maximè perſuaſum eſſet hominibus, nullum animæ afferre periculum, ſi fuga fidem ſeruarent, ſuo exemplo eis conſulit, vt ſecederent, ipſe ante alios cedens vehementi periculo. Simul autem ijs quoque, penes quos erat poteſtas, hoc maximo erat ſtudio, vt illo tanquam duce exercitus expugnato, omnem fidei aciem frangerent & diſſoluerent. Et ideò inimici magnopere ſtudebant, vt ille in eorum veniret poteſtatem. Ipſe autem cum deſertum quendam collem occupaſſet, ſecum habens eum, qui ex æditūo adductus fuerat ad fidem ab initio, iam Diaconatus gratiæ inſeruientem: cum autem qui perſequebantur, magna multitudine ſequerentur eorum veſtigia, à quopiam eis oſtenſo loco, in quo abſcondebatur, alij quidem vallem colli ſubiectam circunſeptam cuſtodiebant, vt ei nulla ex parte liceret effugere, ſi ad hoc eſſet conuerſus: Alij autem cùm in montem acceſſiſſent, per omnem partem ſcrutantes, iam magno illi viro conſpecti fuerant, recta ad ipſum currentes. Ille autem cum iuſſiſſet ei, qui erat cum ipſo, vt ſtaret

Latitat vir Dei cū ſuo Diacono in quadam valle.

vt ſtaret certa & ſolida in Deum fiducia, & ei ſuam crederet ſalutem, manus tendens ad orationem, & nec etiam ſi propè fuerint inimici, metu excutiatur fides. Præcepti autem exemplum ſe præbuit Diacono, fixo & ſtabili oculo cælum intuens, extenſis manibus rectâ figura. Et hi quidem in his erant: Illi autem cùm ad eos accurriſſent, & omnē locum diligenter inſpexiſſent, omnemque in rupe ſtationem, & omnem rupis acceſſum, & omnem à lacuna effectam concauitatem diligentiſſimè ſcrutati eſſent, rurſus in vallem redeunt, quaſi metu eorum, qui ſcrutabantur, ipſe in fugam conuerſus incidiſſet in manus eorum, qui circunſidebant. Poſtquam ergò nec ab his eſt inuentus, nec erat apud illos, qui locum adſpexerat, in quo Magnus ille degebat, ſignis deſcripſit eum, in quo affirmabant quæſitores, ſe neminem vidiſſe, niſi ſolàs duas arbores, à ſe inuicem parum diſtantes. Cum autem ſeceſſiſſent qui quærebant, relictus index cum illum magnum offendiſſet in oratione, & eum qui cum ipſo erat, & diuinum cognouiſſet præſidium, per quod illi eis vſi ſunt arbores, accidit ad eius pedes, & verbo credit: & qui paulo ante fuerat perſecutor, fit vnus ex fugientibus.

Ex earũ perſequutores conſpiciunt duas arbores, eorum locō

Iis ergò longo tempore manentibus in ſolitudine, (bellum enim inualeſcebat aduerſus fidem) & grauiter furente præſide in eos, qui ad verbum pietatis accedebant, & omnibus in fugam conuerſis, quoniam nulla ſpes relicta erat, fore vt Magnus Gregorius veniret in manus perſequutorum, tunc omni ſua rabie & acerbitate conuerſa in reliquos, vbique per gentem ſcrutabantur omnes ſimiliter, viros, mulieres & pueros, quibus Chriſti nomen erat venerabile, eosque trahebant in ciuitatem, & replebant carceres, pro alio ſcelere intentantes eis crimen pietatis, adeò vt nulli ex rebus publicis tunc vacarent iudicia, niſi huic tantum, quod ijs, qui tunc imperium obtinebant, erat curæ, vt omnes contumelias & omnia tormenta, quæ excogitari poterant, in eos inferrent, qui fidem retinebant. Quo quidem tempore fuit omnibus longè euidentiſſimum, Magnum illum virum nihil conſuluiſſe ſine Dei numine. Nam cum ſe per fugam populo conſeruaſſet, erat commune auxilium omnibus, qui pro fide decertabant. Sicut enim de Moſe audimus, quod ab Amalecitarum acie procul remotus, per orationem ijs, qui erant ſui generis, dabat vires aduerſus inimicos: eodem modo ille quoq; animæ oculo intuens ea, quæ videbantur, diuinum inuocabat auxilium ijs, qui decertabant pro fidei confeſſione.

Oratio iuſti quantū valeat.
Exod. 17.

XIX. Cvmqve aliquando vna cum ijs, qui cum eo erant, pro more Deum oraret, repente angore & animi perturbatione plenus, apertè præ ſe tulit ijs, qui aderant, à ſe ſpectaculum videri alienum, ſeque id ægrè ferre, auresq; obſtruere, tanquam ſono aliquo ad eum perueniente: & non exiguo interiecto interuallo, cum toto tempore, quod interceſſit, inflexibilis manſiſſet & immobilis, tanquam propoſitum ſpectaculum bonum eſſet exitum aſſecutum, ad ſuam redijt conſuetudinem, & clara voce Deum laudauit, hymnum victoriæ & gratijs agendis appoſitum pronuncians, quem ſæpe audimus Dauid dicentem in Pſalmodia: Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Ijs autem admirantibus, & vt ex eo ſcirent, rogantibus quodnam fuerit hoc ſpectaculum, quod eius oculis ſubiectum eſt, fertur dixiſſe, ſe illo tempore magnum vidiſſe caſum proſtrato diabolo à quodam adoleſcente in certamine pro pietate. Ijs autem quod dicebatur, adhuc ignorantibus, narrat eis apertius, quod illa hora quidam nobilis adoleſcens, maiori fretus auxilio, magnis ſudoribus pro fide decertauit, à lictoribus productus ad Præſidem. Nomen quoque adiecit, eum nominans Troadium, & quòd poſt multa, quæ fortiter tulit, tormenta, fuit martyrij corona redimitus. Auditione autem obſtupefactus Diaconus, neq; audens non credere ei, quod dicebatur, & ſimul credens eſſe maius, quam vt cadat in humanam naturam, vt qui procul erat à ciuitate, cùm nemo ei renunciaſſet, dicat ijs, qui cum eo ſunt ea, quæ fiunt, perinde ac ſi intereſſet, ſupplex rogat magiſtrum, vt ſibi permittatur ea cernere oculis, & nè ab eo prohibeatur, ne veniat ad loca ipſa, in quibus factum eſt miraculum. Cum is autem diceret, eſſe pertimeſcendum adeſſe in medio eorum, qui occidunt, ſæpeque diaboli peruerſitate accidere aliquid, quod nollemus, Diaconus dixit, ſe confidere auxilio eius orationum, hac apud eum voce vtens: Tu me Deo commendes, nec me vllus inſequetur metus inimicorum. Cùm is autem per orationem veluti ſocium cum eo miſiſſet diuinum auxilium, confidens viam confecit, ad nullum ſe conuertens ex ijs, qui occurrebant.

Pſal. 123.
Vidit in ſpiritu certamē S. Troadij martyris.

XX. Cvm autem veſpere ingreſſus eſſet ciuitatem, & laſſus eſſet ex itinere, neceſſe eſſe duxit, corpus lauacro reficere. In eo autem loco dominatum obtinebat quidam dæmon homicida, verſans in lauacro, cuius vis exitialis poſt tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de cauſa poſt occaſum ſolis non patebat ad id aditus, neque id exercebatur. Ad quod cum acceſſiſſet, rogabat eum, qui illi præerat, vt id ei aperiret, & non ei inuideret balnei viſum, quo ſe recrearet. Cùm is autem teſtaretur, nullum ex ijs, qui illa hora auſi ſunt aquam ingredi, ſuis redijſſe pedibus, ſed dæmonem omnes veſpere ſuperaſſe, multosq; ob ignorationem paſſos eſſe grauiſſima, quos proſperata recreatione exceperunt lamentationes, eiulatus & ſepulcra. Cùm hæc referret, & quæ ſunt huiuſmodi, ille nihil de ſuo remiſit deſiderio: ſed inſtabat omnino cogens, vt eum intromitteret. Ille autem ſatis ſe lucrifacere exiſtimans, ſi non cum hoſpitis ignoratione vnà veniret in periculum, cùm ei dediſſet clauem, procul recedit à balneo. Poſtquam autem nudatus fuit intus, multiplices terrores & variæ obſtupefaciendi cauſæ adornabantur à dæmonio, nempe omnis generis viſa, oſtendentia naturam igne & fumo mixtam, & quæ in forma hominum & ferarum in oculos incurrebant, in auribus reſonabant, anhelitu appropinquabant, & in orbem circa corpus effundebantur. Ille verò ſe ſignaculo Crucis muniens, & Chriſti nomen inuocans, domos peruaſit illæſus. Interius autem progreſſus, in grauiora incidit ſpectacula, in grauiorem adſpectum transformato dæmonio. Nam & ſimul terræmotu domum exiſtimabat concuti, & perruptum ſolum nudam flammam oſtendere inferius, & ſcintillas ex aquis emitti flammeas. Rurſusq; ei arma itidem fuere ſignaculum & Chriſti nomen. Et quod per magiſtri preces ferebatur auxilium, diſcutiebat quæ videbantur & fiebant terribilia. Aqua autem recreatus, cum properaret egredi, rurſus prohibebatur, fores opponente dæmonio. Sed hoc quoque rurſus impedimentum, pari rurſus virtute eſt ſolutum, foribus ſignaculo cedentibus. Poſtquam autem ei omnia proceſſerunt ex ſententia, dicitur dæmonium voce humana ad eum exclamaſſe, ne ſibi vim illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim, quæ eum commendauit, ei qui cuſtodiebat, præſtitit, vt minimè læderetur. Hoc ergo modo conſeruatus, magnam attulit admirationem ijs, qui loco præerant, cum nullus apparuiſſet viuus ex ijs, qui illa hora aquam auſi eſſent ingredi.

Signo Crucis ſe muniens, omnia dæmonum terricula-menta contemnit diaconus.

Poſtquam autem ei quiſnam eſſet narrauit, & quæ in ciuitate fortiter geſta erant à martyribus, cognouit eo modo ſe habuiſſe, quo Magnus ille in ſolitudine degens priùs narrauerat, cum cæteris, quæ de ipſo narrauit & eius miraculis, adieciſſet quæ vidit, & quæ audijt, & quomodo ipſa in ſe experientia didiciſſet virtutem fidei Magni Gregorij, cui tulit teſtimonium dæmonium: reuertitur ad magiſtrum ſuum, tam ſuis æqualibus, quam poſteris relinquens commune monimentum, vt per ſacerdotes vnuſquiſque ſeipſum Deo commendet: & nunc eſt quidem per vniuerſam Eccleſiam, præcipue autem apud illos, ea vox monimentum auxilij, quod ei datum eſt à Gregorio.

Cum autem diuina ope ſoluta eſſet illa Tyrannis, & humanam vitam pax rurſus excepiſſet, per quam erat omnibus liberum rebus diuinis dare operam, rurſus deſcendens in ciuitatem, & totam in orbem circuiens regionem, ijs, qui erant vbique, populis magnam fecit acceſſionem in Deum ſtudij & pietatis, ſtatuens vt pro ijs, qui pro fide decertarant, agerentur feſti dies & celebres conuentus. Cumque alius alibi corpora martyrum accepiſſent, quotannis, finita anni orbis conuerſione, conuenientes exultabant, diem feſtum celebrantes in honorem martyrum.

Anno 254. Mortuo ſcilicet Decio.
Feſti dies martyrum, in primitiuæ

...ta eccleſia, a ſanctis Patribus inſtituti.

Eſt certe hoc quoque argumentum magnæ eius ſapientiæ, quod cum omne ſimul hominum genus ſuo tempore ad vitam communem componeret, veluti quidam auriga naturam regens, & frenis Dei cognitionis eos iugo ſubiungens, concedebat vt ſub iugo fidei lætitia exilirent ſubditi. Cùm enim animaduertiſſet, quod propter corporeas delectationes in idolorum errore permaneret puerile vulgus & ineruditum, vt interim in eo, quod eſt præcipuum, nempe in Deum, ſe rectè gererent: pro illis inanibus ſuperſtitionis ritibus, permiſit eis, vt in ſanctorum Martyrum memoriis ſe exhilararēt, exultanteſque oblectarent, vtpote quod procedente tempore futurum erat, vt vita traduceretur ad id, quod eſt honeſtius & præſtantius, & fides eos ad id deduceret, quod quidem iam in multis recte ſucceſſit, omni delectatione ab ijs, quæ ſunt iucunda corpori, traducta ad genus lætitiæ ſpiritalis.

Sub obitū viſitat ſuam diœceſin. Vide Baron an. 266.

Feliciſſimè ad cælos euolat

More Saluatoris inquilinus in ſepulchro ſepelitur alieno, inter im tamen in theca prius ta repoſitus, teſte Baron.

Hoc autem modo ſe gerens in Eccleſia, & omni ſtudio incumbens, vt ante ſuum è vita exceſſum, videret omnes ad fidem ſalutarem traductos à ſimulacris, poſtquam cognouit ſuum inſtare obitum, totam circumcirca regionem & ciuitatem eſt perſcrutatus, cupiens ſcire, an eſſent aliqui relicti extra fidem. Vbi autem cognouit omnes, qui permanſerant in antiquo errore, non eſſe plures, quam ſeptemdecim, dicit hoc quidem eſſe dolendum, ad Deum reſpiciens, quod aliquid deſit ad plenitudinem eorum, qui ſeruantur: Veruntamen iure magnas eſſe agendas gratias, quod ſuo in Eccleſia ſucceſſori tot relinquit ſimulacrorum cultores, quot ipſe accepit Chriſtianos. Cum autem precatus eſſet, vt & qui iam crediderant, creſcerent in perfectionem, & infideles conuerterentur, ita ab humana vita migrauit ad Deum, mandans ſuis neceſſarijs, vt nullum proprium locum ei compararent ad ſepulturam. Si enim viuus non ſuſtinuit vocari alicuius loci dominus, ſed inquilinus vixit in alienis, neque poſt mortem pudebit eum eſſe inquilinum. Sed hoc, inquit, narretur poſteris, quod Gregorius neque viuus alicuius loci poſſeſſor eſt nominatus, & poſt mortem fuit inquilinus alienorum ſepulcrorū, ſeipſum ſeiungens ab omni in terra poſſeſſione, adeò vt nec in proprio quidem loco voluerit ſepeliri. Solam enim eam poſſeſſionem iudicauit precioſam, quæ in ſe auaritiæ non ſuſcipit veſtigium. Repentinam autem totius gentis traductionem à gentili vanitate ad veritatis agnitionem nemo miretur, qui hanc legerit orationem, reſpiciens œconomiam, per quam facta eſt tanta mutatio eorum qui traducti ſunt à falſo ad veritatem. Nam quod factum eſt in primis temporibus eius ſacerdotij, quod ad reliqua miracula feſtinans prætertiit oratio, nunc aſſumens narrabo.

Sæuiſſimæ peſtis inuadit inſolentem populum.

XXI. Erat quidam dies feſtus publicus in ciuitate, qui more patrio agebatur cuidam dæmoni ex ijs, qui erant in regione. Ad eum tota ferè gens confluxerat, tota regione vna feſtum agente cum ciuitate. Erat autem theatrum plenum ijs, qui concurrerant, & effundebatur vndique ſuper ſedes multitudo eorum, qui confluxerant. Cumque omnes circa ſpectacula & acroamata ad orcheſtram adſpicere magnoperè cuperent, erat ſcena plena tumultu. Fruſtraq; fuit præſtigiatoribus miraculorum ſuorum oſtentatio, cum tumultus eorum, qui arctè comprimebantur, non ſolum muſicæ vſum interrumperet, ſed nec præſtigiatoribus ſua oſtendere permitteret. Quo quidem tempore à toto populo communis hæc vox erupit, dæmonem inuocantium, cui hunc diem feſtum agebant, & rogantium, vt eis ab illo latius præberetur ſpatium. Poſtquam autem omnibus inter ſe colloquentibus, vox in altum efferebatur, & videbatur totius ciuitatis tanquam vnius oris eſſe oratio, quæ has preces offerebat dæmoni: Erat autem precatio, vt ijſdem verbis à me dicetur: Iupiter, fac nobis locum: cum audiſſet Magnus ille vocem eorum, qui dæmonem nominatim inuocabant, à quo petebant, vt ciuitati fieret latum ſpatium, dicit ad eos, miſſo quodam ex ijs qui adſtabant, mox eis eſſe dandum latius ſpatium, quam precabantur. Hac autem voce tanquam triſti prolata ſententia, publicam illam celebritatem mox peſtis excipit, & in choris ſtatim admixta eſt lamentatio, adeo vt oblectationes conuerterentur in luctus & calamitates, pro tibijs, & quæ ad numerum fiebant, ſaltationibus & plauſibus, lugubri carmine aſſiduè ciuitatem excipiente. Nam cum morbus ſpe citius ingruiſſet hominibus, is peruadebat, ignis inſtar domos depaſcens. Quo factum eſt, vt implerentur quidem templa ijs, qui morbo interibant, qui quidem ſpe curationis ad ea confugiebant: pleni quoque eſſent riui, & fontes, & putei ijs qui præ morbi vehementia maiori ſiti ardebant, quam vt aqua, quæ erat in profundo, flammam eorum extingueret, cum ij, quos ſemel is morbus inuaſiſſet, & poſt & ante aquæ potum ſimiliter ſe haberent: multi autem ſua ſponte fugerent ad ſepulcra: quoniam ij qui erant ſuperſtites, ad eos ſepeliendos minimè ſufficiebant: eſſet autem non inopinata mali hominibus irruptio: ſed cum domui interituræ quoddam viſum apparuiſſet, ita conſequeretur interitus.

Eam peſtē precibus pellit vir ſanctus.

Poſtquam ergo fuit manifeſta omnibus morbi cauſa, nempe quod inuocatum ab eis dæmonium, ſtultorum votum maligne implebat, hanc ſceleratam ſpatij latitudinem morbo ciuitati afferens: eo quidem tempore Magnum Gregorium ſupplices adeunt, rogantes vt vim morbi compeſceret per eum, quem ipſe cognoſcebat & prædicabat, Deum, quem ſolum verè fatebantur eſſe Deum, & habere in omnes poteſtatem. Nam cum illud viſum ante futurum domus interitum appareret, & deſperationem vitæ protinus afferret, vna periclitantibus erat via ſalutis, ſi intra illam domum Magnus fuiſſet Gregorius, & precibus propulſaſſet morbum, qui domui imminebat. Cum autem per eos, qui primi hanc erant ſalutem conſecuti, velox fama per omnes peruaſiſſet, ceſſarunt omnia, quæ prius ab eis magno ſtudio procurabantur, oraculorum ſciſcitationes, piacula, & apud ſimulacra diuturnæ ſupplicationes, adſpicientibus omnibus ad magnum ſacerdotem, & vnoquoque eum ad ſe trahente ad ſalutem totius generis. Erat autem ei merces ab ijs qui ſeruabantur, eorum ſalus animarum. Nam cum tali experientia manifeſtata eſſet pietas ſacerdotis, nulla erat amplius dilatio, quô minus myſterio aſſentirentur ij, qui virtutem fidei docebantur. Sic fuit illis hominibus morbus ſalute præſtantior. Qui enim cum ſani eſſent ad myſterij doctrinam excipiendam infirma erant animi intelligentia, corporis morbo fuerunt confirmati ad fidem. Et ſic confutato errore idolorum, traducti ſunt omnes ad nomen Chriſti: alij quidem per morbum, qui inuaſerat, deducti ad veritatem: alij verò, vt à peſte ſeruarentur, fidem in Chriſtum aſſumentes, tanquam propugnaculum. Sunt autem etiam alia in hodiernum vſque diem memoriæ mandata miracula: quæ quidem auribus patentes non credentibus, ne ij lædantur, qui quod in rerum, quæ dicuntur, magnitudine verum eſt, falſum eſſe putant, ijs, quæ ſcripta ſunt, non adiecimus.

Plura de S. Gregorio Thaumaturgo ſi cupis Lector, conſule Baronii tomum 2. Annalium.

MAR-

MARTYRIVM S. ROMANI DIACONI ET MARTYRIS, EX ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ EVSEBII CÆSAREENSIS LIBRO 8. Cap. 12. interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.

An. 280.

I. ROMANVS, Palæſtinus genere, Eccleſiæ Cæſareenſis Diaconus & exorciſta, cum pariter Antiochiæ in eccleſiarum vaſtatione forte verſaretur, complures viros ſimul cum vxoribus & liberis aceruatim ad idolorum delubra properantes, & iiſdem hoſtias immolantes intuitus, ſpectaculum neutiquam tolerandum arbitratus eſt: & propterea ſingulari pietatis ſtudio incenſus, accedit propius, & magna voce exclamans, eos grauiter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prælienſus, generoſiſſimus, ſi quiſquam alius, teſtis declaratur veritatis. Nam cum iudex mortem illi ignis incendio infligendam pronunciaſſet, ille vultu hilari & animo maximè læto, ſententiam lubens amplexatus, ad ſupplicij locum abducitur. Deindè vbi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coaceruabantur, & hi qui incenderent rogum, Imperatoris iam præſentis ſententiam expectabant, clamauit: Vbi mihi ignis, quæſo?

18. Nov. S. Romanus Diaconus. Obſerua eius zelum.

II. Hæc locutus, accerſitur ad Imperatorem, quo nouum & inuſitatum genus ſupplicij ſuſtineret, vt lingua, nimirum illi amputaretur. Quod fortiſſime perpeſſus, rebus omnibus declarauit, diuinam vim illis, qui aliquid pro pietate ſubeant acerbitatis, opem ſemper apportare ſolere, cum labores & ærumnas alleuando, tum animi alacritatem firme corroborando. Iſte enim ſimulatque nouum illum ſupplicij modum intellexit, præ generoſa alacritate, neutiquam obſtupefactus, lubens extendit linguam, & paratiſſimo animo eam lictoribus quaſi inſtructam præbet. Poſt quod ſupplicium in vincula coniectus, longinquo temporis ſpatio ibi afflictatus, tandem cum vigeſimus annus regni Imperatoris aduentaret, (quo ex decreto conceſſum erat, vt libertas omnibus, qui in vinculis vbique conſtricti tenebantur, palam prædicaretur) ſolus iſte in compedibus iacens, vtroque pede ad quintum foramen diſtracto, laqueo collo circuniecto ſtrangulatus, martyrio demum, ſicut ei erat in optatis decoratur.

Lingua ei amputatur. Diu manet in carcere. Anno 303. qui eſt 20. Diocletiani. Strangulatur.

Scripſit S. Ioannes Chryſoſtomus duas orationes Encomiaſticas in laudem S. Romani martyris quas habes tom. 5. operum editionis Pariſinæ vltimæ, per R. P. Frontonem Ducæum S. I. Theolog.

VITA S. MAXIMI XIX. EPISCOPI MOGVNTINI IVSSV REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ALBERTI ARCHIEPISCOPI Moguntini, à Iohanne Tritthemio, prius Spanheimenſi, tum verò ad S. Iacobum Vuirciburgenſi Abbate, conſcripta.

An. 350.

I. EO tempore, quo Liberius Papa ſub graui perſecutione Arrianorum ſanctam Romanam gubernabat Eccleſiam, ſanctus Lucius Anneus, patria Romanus, apud Moguntiam, nobilem Germaniæ vrbem, decimuſoctauus pontificatum annis tenuit fere vndecim. Quo feliciter vita defuncto, ſanctus presbyter Maximus communi voto populi fidelis in Epiſcopatu ſuccedens anno Dominicæ natiuitatis trecenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, præfuit annis, vt Megenfridus refert in Chronicis, quatuor & viginti, ſub Arrianorum perſecutione grauiſſima, temporibus videlicet Theodomeri & Clodionis Regum Francorum: quo tempore Dagobertus Genebaldi filius, Dux Francorum orientalium apud Wirciburg. Rheno tranſmiſſo, Moguntinos in odium Romanorum grauiter afflixit: vrbem quoq; Treuirorum, quæ tunc parebat Romanis, obſedit, cœpit, ſpoliauit, incendit, funditusq; ſubuertit. Annis quippe nongentis bellum cum Gallis atq; Romanis Franci Reges habuere continuum, quouſq; tandem victores eorum effecti, penè totam Europam ſuo dominio violenter ſubdiderunt.

18. Nov. Is Megenfridus fuit monachus Foldenſis ſub Imperator. Othone 2. & 3. ſcripſitque hiſtoriarum libros 24.

II. SVB his turbationibus Eccleſiæ, multa Chriſtianorum millia propter Catholicæ fidei confeſſionem, ab infidelibus & hæreticis apud Moguntiam & in omnibus terminis eius crudeliter fuerunt occiſa: quorum apud mortales nulla penitus habetur memoria propter malitiam temporum, & penuriam fidelium Scriptorum. Nuſquam erant tuti, nuſquam ſatis in vrbibus & oppidis ſecuri: quando & gladius vbique ſæuiebat gentilium, & non minus perfidia inualuit hæreticorum. Nam etſi pacem habere videretur Eccleſia ab his, qui Romanis principibus fuerunt ſubiecti, vt abnegare Chriſtum iamtunc nemo compelleretur: Arrianorum tamen in tantum illo tempore veſania præualuit, vt nihil aut parum à perſecutione gentium differret. Denique Franci tam orientales, quàm illi, qui ad oſtia Rheni conſederant, occidentales, Gotthicæ quoque nationes & alij pagani, frequentes in Galliam motus & incurſus facientes, Moguntiam, Coloniam, Treuirim, Wormatiam, Spiram, Argentinam, & alias trans Rhenum vrbes nimia crudelitate ſæpius moleſtabant, nulli parcentes gradui, ſexui vel ætati. Quapropter pontifices, & miniſtri Domini ſacerdotes, in quos furor perſequentium crudelius ſæuiebat, in vrbibus & vicis publicè non audentes comparere, quoties perſecutio imminebat, cum ſuis ad nemora ſucceſſerunt, in ſpeluncis & cauernis montium latitantes, inedia, fame ac ſiti vltra, quam credi poteſt, afflicti, longum pro fide martyrium ſuſtinebant.

Catholicorum multorum cædes. Arrianorũ ſæuitia.

III. EA tempora beatiſſimus præſul Maximus incidit, quibus niſi optimus nemo fuit Chriſtianus. Probauit perſecutio fidem, & contulit in paſſione amor Dei conſtantiam. Beatus vero pontifex, vt Megenfridus eſt author in Chronicis, ab Arrianis hæreticis multas & atrociſſimas inſidias & perſecutiones pro fide orthodoxa ſuſtinuit, & ſepties de ſua pulſus Eccleſia, truſuſque in exilium, toties miſerante Deo reuerſus eſt. Nam cum eſſet vir in diuinis ſcripturis longè doctiſſimus, & ſecularis literaturæ non ignarus, malleo ſimilis, durus redargutor Arrianorum extitit: contra quorum veſaniam non ſolùm verbis, ſed etiam ſcriptis multipliciter pugnauit. Scripſit enim, iam dicto Megenfrido teſtante: Contra Arrianos libros quatuor, De Incarnatione Domini libros duos, De Spiritu ſancto libros duos, De conſtantia fidei Catholicæ librum vnum, De martyrio Sanctorum librum vnum, Homilias & ſermones multos & vtiles ad populum. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam noſtræ lectionis peruenire minimè potuerunt. Ciuitas enim Moguntina poſt mortem eius tertio, ſicut † diximus, euerſa & funditus deſtructa fuit. Primo ſcilicet per Francos, ſecundo per Wandalos, & tertiò ſub Attila per Hunnos, qui & ſanctum Aureum pontificem cum Iuſtina ſorore & multis alijs in eccleſia peremerunt. Hac trina Moguntinæ ciuitatis deſtructione haud ſolum multa Chriſtianorum millia fuerunt occiſa, ſed etiam nomina eorundem ſimul & modus cum loco & tempore paſſionis, ad poſteritatis memoriam nequaquam [illegible] potuerunt, eò quod ſcriptoribus nec opportunitas ſcribendi fuit, nec locus, vel tempus. Vnde [illegible] diui Præſulis Maximi lucubrationes vel interierunt ignibus crematæ, vel alicubi ſitu lateant aut puluere [illegible].

S. Maximus multa ab Arrianis patitur. Scripta eius. † In Epiſtola dedicatoria, quam omiſimus, quod nihil fere habe[illegible], quod nõ hiſtoria ipſa cõtineatur.

EADEM eſt calamitate factum, quod præter ſedecim numero, Eccleſia Moguntina ſuorum pontificum, qui

ſanctum Bonifacium Archiepiſcopum & martyrem præceſſerunt, neque nomina, neque ordinem, neque tempora vſpiam potuit inuenire: cùm non ſit veriſimile, in annis ſexcentis quadraginta, non plures extitiſſe, quam ſedecim niſi quis contendat, oues Chriſti apud Moguntiam & ſæpius & diutius, permittente Deo, paſtoris neceſſario caruiſſe ſolatio. Quod ſi quis aſſerit, minimè probabit. Nos enim contrarium ex Megenfrido facile poterimus comprobare: qui temporibus Othonum clarens in humanis, cum eſſet omnium Germanarum diligentiſſimus compilator hiſtoriarum, quadraginta numero fuiſſe ante Bonifacium in Eccleſia Moguntinâ pontifices commemorat: inter quos ſanctum Maximum non, vt neoterici quidam fecerunt incerti authores, ſeptimum, ſed nonumdecimum extitiſſe præſulem aſſerit, beatoque Lucio ſucceſſiſſe Anneo, ac annis, ſicut dictum eſt, præfuiſſe quatuor & viginti. Neoterici autem innominati ſcriptores, Megenfridi Chronicorum notitiam non habentes, ſedecim duntaxat ante ſanctum Bonifacium Eccleſiæ præfuiſſe Moguntinæ pontifices aſſerunt: inter quos Maximum in ordine ſeptimum locantes, beati Aurei martyris, ſub Attila Hunnorum Rege paſſi, ſucceſſorem immediatum extitiſſe contendunt. Sed hoc ratio temporis non admittit. Sanctus enim Lucius Anneus præſul octauuſdecimus, moritur anno Dominicæ natiuitatis trecenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, temporibus Liberij Papæ: cui eodem anno ſanctus Maximus in pontificatu ſucceſſit. Beatus verò Præſul Aureus Moguntiæ ab Attila paſſus eſt ſextodecimo Calendas Iunii, anno Domini quadringenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione Romanorum ſeptima: cui non Maximus, vt iſti putant, ſed Eutropius in pontificatu ſucceſſit temporibus ſancti Leonis Papæ primi. Vides nunc, quod præciſe centum annorum tempus ab inſtitutione Maximi ad pontificatum, vſque ad paſſionem beati martyris Aurei intermediat, quod præter Megenfridum monachum nullus ſcriptorum Moguntinenſium, quos ego legerim, animaduertit. Vnde mihi videtur, ſcriptores ipſos nominum conſonantia fuiſſe deceptos, qui pro Anneo, poſuerunt, Aureum, & Maximum ſucceſſorem immediatum ipſius Aurei martyris opinati ſunt: cuius non Aureus, ſed Anneus fuit anteceſſor, vt oſtendimus, centum ante annos.

Megenfridus egregius hiſtoriographus.

Lucius Anneus Epiſcopus Moguntinus.

NAM ita ſummatim author inquit memoratus: Anno Dominicæ natiuitatis octogeſimo Creſcens à Roma directus in Germaniam, primus Moguntinenſium Epiſcopus ordinatus eſt, & præfuit annis duobus & viginti, vir magnæ ſanctitatis, & martyrio coronatus. Poſt quem Marinus annis ſex: Creſcentius autem præfuit annis octodecim: Cyriacus annis quatuordecim: Hilarius vir ſanctus & martyr, annis viginti: Martinus annis quatuordecim: Celſus martyr, annis vigintiduobus: Lucius annis decem: Gothardus vir ſanctiſſimæ vitæ, annis quindecim: * Suffronius vir ſanctus, annis octo: Herigerus martyr, annis quatuor: Rutherus martyr, annis viginti: Auitus vir doctus atque ſanctiſſimus, annis vigintiduobus: Ignatius martyr, annis tredecim: Dionyſius vir ſanctus, annis vigintiſex: Ruthbertus, annis duodecim: Adelhardus vir ſanctus, annis decem: Anneus Lucius, annis octodecim, vir Apoſtolicæ atq; ſanctiſſimæ vitæ: Maximus (de quo nobis eſt ſermo) præfuit annis vigintiquatuor: Sidonius, annis nouendecim. Sigiſmundus annis ſex: Lupoldus vir ſanctus, annis ſeptendecim: Nicetius annis octo: Marianus annis decem: Aureus martyr, annis ſedecim. Poſt quem ſanctus Eutropius præfuit annis vigintitribus. Poſt quem ordine ſuo vſque ad ſanctum Bonifacium excluſiue, adhuc quatuordecim pontifices extiterunt in Eccleſia Moguntina, quorum iſta ſunt nomina: Adelbertus, Radherius, Adelbaldus, Laudtfridus, Ruthardus, Sidonius ſecundus, Wilibertus, Ludegaſtus, Ruthelmus, † Ruthuualdus, Leouualdus, Richbertus, Geroldus & filius eius Vuiliebus laicus, per Carolum Martellum maiorem domus Francorum, ea ratione pontificatu Moguntino donatus, ſicut & Milo filius ſancti Ludnuini Archiepiſcopatu Treuirorum, & alij multis alijs per Galliam, vt bello intereſſent cum illo contra Saxones, Francorum dominio rebelles. Verùm non multò poſt Vuiliebus laicus, ignarus diuinarum ſcripturarum, propter venationes & homicidium ſententia Gregorij Papæ ſecundi fuit depoſitus, & ſanctus Bonifacius monachus & preſbyter, anno Domini ſeptingenteſimo viceſimo, Indictione Romanorum tertia, in eius locum præſul Moguntinæ Eccleſiæ primus & quadrageſimus ordinatus. quem Zacharias Papa Romanus poſtea in Archiepiſcopum eiuſdem Eccleſiæ ſublimauit. Hæc ideo mihi præmittenda neceſſario videbantur, ne quis eorum, qui olim iſta lecturi ſunt, à Moguntinis ſchedulis diſcordantem me, aut mendacem exiſtimare velit, aut ſine authore certo ab aliorum opinione temerè diſcrepantem. Stultum nempe foret, Megenfridum certum, fixum & ſolidum præterire ſcriptorem, & incertorum ſchedulas ſequi recentium. Propterea iam nominati ſcriptoris decreuimus inhærere veſtigijs, & incertas neotericorum ſententias præterire. V.

Catalogus Epiſcoporũ Moguntinorum. Auentinus hunc referat in hiſt. rerum Moguntiac.

** Septemnus.*

† Lutbuualdus.

S. Bonifacius præficitur Eccleſiæ Moguntinæ.

MAXIMVS igitur beati Lucij Annei presbyter, & in miniſterio verbi Dei ſocius, natione Germanus, patria Moguntinus, & religione Chriſtianus fuit. Cuius temporibus adhuc Romani, ſicuti & prius à multis retrò annis, Moguntiam, Treuirim, Coloniam, VVormatiam, Nemerim, quæ nunc dicitur Spira, cum magna parte Galliæ ſuo ſub dominio tenebant, licet à Francis Germanis, Teutonibus, Saxonibus, Bauaris atque Thuringis incurſiones multas & frequentes paterentur, nunc victi, nunc autem victores. Qui more veterum nimis cupidi ampliare dominium, eas quas ſuperauiſſent gentes, & moribus, & legibus, ſimul ac literis vti Romanis compellebant, quo potentiores cæteris eſſe viderentur. Vnde Germani, circa litora Rheni commorantes, & Galli tandem victi à Romanis, eorum & linguam ſuſceperunt, & modum ſcribendi, ſcholas inſtituerunt publicas per vrbes, in quibus Romanorum exemplo, filij ciuium atque nobilium, literarum ſtudijs imbuerentur. Inſuper quo rectoribus abundantius complacerent Romanis, prætermittentes nomina ſuæ gentis auita, natis ſuis vocabula & Græca impoſuerunt, & Latina: quanquam id poſtea conuerſi ad Chriſtum fecerint multi non ob metum vel dilectionem Romanorum, ſed pro reuerentia potius & amore ſanctorum Apoſtolorum, ac Saluatoris IESV CHRISTI martyrum. Hoc dixerim, ne quis præfatos Eccleſiæ Moguntinæ pontifices, propterea natos vel Græcos exiſtimet, vel Romanos, quod eos illorum nominibus quandoque inuenerit nuncupatos. Variantur hominum cum tempore mores, mutantur nomina, & ſtudia mentium continua volubilitate ſeculorum alterantur. VI.

S. Maximi patria.

BEATVS Maximus, teſtante Megenfrido, honeſtis & Chriſtianis parentibus ortus, in vrbe Moguntina, more gentis adhuc puer ſtudio deputatus eſt literarum: in quo cum tempore adeò profecit, quod ſibi coætaneos pene omnes ſuperauit. Erant in tempore illo plures cum Chriſtianis mixti gentiles, & quemadmodum perſecutione ceſſante nemo paganum cogebat fieri Chriſtianum, ita nec quiſquam impellebat credentem abnegare vel deſerere Chriſtum. Multi tamen inter Chriſtianos ſurrexerunt hæretici: inter quos Arriani, principum Romanorum fauore ſuffulti, multas intulerunt veris Chriſtianis perſecutiones & moleſtias. Vnde cùm publicè non ſemper liceret metu hæreticorum, fideles quique filios ſuos in priuato fidem ſeruare conſtanter orthodoxam vſq; ad mortem docuerunt. Sic nimirum & ſanctus Maximus in his, quæ pertinebant ad fidem & veram religionem, teneris ab vnguiculis parentum & ſacerdotum magiſterio ſufficienter inſtructus, in virum cum tempore magnũ creuit, atq; meritis & doctrina glorioſum. Mox enim, vt per ætatem ſapere ac intelligere cœpit, diuina miſeratione præuentus, non minus, VII.

S. Maximus multũ proficit in literis.

Omnia blãda & dulcia

minus, quam gratia ſemper comitatus, Deo ſe rotum obtulit, pro cuius amore cuncta huius mundi blanda & dulcia contempſit.

huius mũdi contemnit.

VIII. Consvetvdo fuit illo in tempore, valdè neceſſaria clericis ac ſacerdotibus, ſoli Deo vacare, ſacro miniſterio verbi & orationis inſiſtere, ad fidem & iuſtitiam populum non minus exemplo bonæ actionis, quàm ſanctæ prædicationis verbo erudire, mundi honores, diuitias quoque & omnes voluptates morituræ carnis vilipendere, & Chriſtum opere & ſermone ſuper omnia veraciter amare. In quo viuendi genere beatus Maximus in clericatu ſuo perſeueranter enituit, & breui cæteris perfectionis in ſe normam dedit: merito ſanctitatis fuit admirabilis, & diuinarum ſcripturarum interpres & doctor inſignis. Propter quod ordinatus à beato pontifice Adelhardo clericus, vitam per omnia duxit Apoſtolicam, multorumque corda verbo & exemplo in diebus ſuis ad Dominum conuertit. Adelhardo poſt hæc vita defuncto, beatus Lucius Anneus in pontificatu ſuccedens, præfuit annis decem & octo, vir magnarum in Chriſto virtutum, cui ſanctus ipſe Maximus ſtabili ſemper charitate adhæſit, & innumeras Arrianorum perſecutiones pro defenſione Catholicæ fidei ſuſtinuit, ſed adiutorio Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti feliciter vbique triumphauit.

Officia Cleri. S. Maximus fit Clericus.

IX. Postremo tamen ſancto Lucio Anneo prò fide orthodoxa in exilio apud Phrygiam ſtrangulato cum duobus presbyteris Paulo & Creſcentio, ſubordinatione & inſidijs Arrianorum, beatiſſimus presbyter Maximus, per quem pro confirmandis in recta fide populis apud Moguntiam ordinatione diuina reliquerat, fidelium omnium voto communi præſul Eccleſiæ iam dictæ nonusdecimus conſtituitur, & præfuit in tribulationibus hæreticorum multis, quatuor fermè annis atque viginti. Facta ſunt hæc, vt ſuprà diximus, anno Dominicæ natiuitatis trecenteſimo quinquageſimoquarto, decima die menſis Iulij, Indictione Romanorum duodecima. Ordinatus autem pontifex in Eccleſia Moguntina beatiſſimus pater Maximus, per omnia ſe ſtuduit exhibere Domino miniſtrum irreprehenſibilem, paratus amore Dei pro ſalute fidelis populi non ſolum perſecutiones ſuſtinere & carceres, ſed mortem quoque, & ſi quid morte eſſet crudelius, quod ei poſſet occurrere. Vitam in omni puritate ducens continuauit Apoſtolicam, mundi rebus pauper & modicus, virtutibus diues, humilitate profundus. Qui cùm eſſet vir tam in diuinis ſcripturis, quàm in ſecularibus ſcientijs multum peritus atque doctiſſimus, hoc ſummopere curabat in primis, vt vita conſtaret eius doctrinæ conformis, ne alijs bona prædicans, ipſe reprobus efficeretur. Corpus proinde ſuum ieiunijs, abſtinentia multa, & vigilijs penè continuis pro Chriſti Saluatoris amore caſtigauit, ſanctis orationibus, & prædicationi ſalutaris doctrinæ verbi Dei ſine intermiſſione, quoties opportunè licebat, intentus.

Lucius Anneus perimitur ab Arrianis Anno 354. Maximus ei ſuccedit. Docet ſuos non minus factis, quàm verbis.

X. Per vicos circumibat & vrbes, vt plurimùm Apoſtolorum exemplo pedibus nudis, presbytero, diacono & ſubdiacono comitantibus, & cunctis per gyrum populis opportunè & importunè fidem Chriſti, quanta potuit ſedulitate, prædicauit. Fide, actione atque virtute maximus pontifex coram Deo & cunctis fidelibus extitit, qui nihil in hoc mundo aliud, quàm Dei honorem & ſalutem proximi quæſiuit. Mentis deſiderio ſemper in Deum fuit eleuatus, quippe qui ſe in hoc mundo peregrinum & nouit, & exhibuit, & propterea nulla rerum temporalium cupidine vel occupatione detentus, vel implicatus fuit. O ter verè beatum, quaterque beatiſſimum pontificem, cui Deus omnia ſolus extitit, qui mente ſimul & animo nihil aliud quàm Dominum curauit, cuius etiam in amore ſemper occupatum ſe oſtendit. Amator enim Chriſti cum eſſet feruidus, omnia pro honore caduca contempſit authoris: nec vanis laxauit animum, qui ſanctum in ſe Dei meruit ſuſcipere commorantem Patris & Filij Spiritum. Electus Dei pontifex, miniſter Chriſti ſobrius, vir ſanctitate maximus, virtute nitens abintùs, contempſit quicquid cernitur, amauit quod non tangitur, ſed pura mente colitur. O decus tu pontificum, diuini cultor numinis, qui ſine mundi ſordibus, Chriſto vixiſti ſplendidus: Adeſto miris omnibus, te mente recolentibus, nos ſoluens tuis precibus noſtris à ſceleribus. Non eſt eo tempore inuentus apud Germanos pontifex doctior ſanctiorque præſule Maximo, qui tanta ſub innocentia & eruditione ſcripturarum legem conſeruaret excelſi: quoniam & hæreticorum errores verbis & ſcriptis conſtantiſſimè redarguit, & fundatus ſupra firmam petram diuini amoris, nullas eorum perſecutiones formidauit. Septies tempore ſui pontificatus ab impijs Arrianis vrbe Moguntina pulſus eſt, ſepties quoquè diuina prouidentia reſtitutus, nunquam attædiatus mente, nunquam deiectus animo, nunquam victus aut ſuperatus.

Inuocatur S. Maximus. Sanctitas & eruditio eius. Septies pellitur a ſede ſua.

XI. Nam cùm eſſet diuina miſeratione præuentus & illuſtratus, vnum Deum conſubſtantialem & coæternum ſemper Patrem & Filium & Spiritum ſanctum aſſeruit, & ſanctam indiuiduamque Trinitatem perſonarum vnius incomprehenſibilis & impartibilis Dei conſtanter vbiquè prædicauit. Pro huius vero catholicæ orthodoxæquè fidei aſſertione tuenda nec mortem timuit, nec vincula, carcerem aut exilium ſubire formidauit. Docuit publicè, cùm licuit, populum: docuitque, ſi aliter non potuit, occulte gregem Domini, ſuo miniſterio commiſſum: docuit verbis, docuit ſcriptis, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum in Trinitate perſonarum vnum eſſe Deum, in quo nec maius ſit, nec minus, quemadmodum neque prius, neque poſterius. Enimuerò nec Pater maior eſt Filio aut Spiritu ſancto, nec minor: ſicuti neque prior, neque poſterior: quoniam Trinitati perſonarum Deitas vna conuenit, nec tamen trina perſonarum exiſtentia vnitatem confundit. Beatus ergò præſul Maximus, & apud omnem poſteritatem fidelium ſempiterna memoria iure venerandus: qui ſpiritu illuſtrante diuino, per fidem in vera humilitate ſanctiſſimæ Trinitatis incomprehenſibile myſterium commeruit fideliter ſuſcipere, quod Arrius mente in ſuperbiam elatus & arrogantiſſimus, nulla potuit ratione penetrare. Obſcuratum eſt inſipiens cor omnium Arrianorum: qui, cùm eſſent ſtulti, ſuperbi & nimium arrogantes, ſapientiſſimos ſe omnium æſtimabant.

Docet verã & catholicã de S. Trinitate fidem. Arrogantia Arrianorũ.

XII. Cvm autem beatiſſimus Chriſti Præſul Maximus in confeſſione veræ fidei ſynceriter viueret, fideli populo ſe Pontificem per omnia irreprehenſibilem exhiberet, fidem quoquè orthodoxam gentibus non minus, quàm Arrianis conſtantiſſimè prædicaret, multas illi poſuerunt inſidias, & nihil ampliùs, quam ipſum eius ſanguinem ſitiebant. Sed protegente miſericordia Domini famulum ſuum, permiſſi non fuit illum, quod maximè cupiebant, occidere, quamuis idipſum ſæpè iteratis vicibus pertentaſſent. Megenfrido, ſicut diximus, proteſtante in Chronicis de temporibus gratiæ, ſepties eum non ſine iniurijs multis & contumelia manifeſta, cum quibuſdam clericis extra Moguntinam ciuitatem eiecerunt, verberatumque ſæpius crudeliter, interficere minimè potuerunt. At ille ſemper gaudens receſſit ab vrbe eum pleriſque diſcipulis ſuis, religioſiſſimis viris, Sidonio, Achatio & Clemente presbyteris, & alijs, quorum nomina præfatus non commemorat author, Deo gratias agens omnipotenti, quoniam dignus eſt habitus pro recta fide & nomine Ieſu contumeliam pati. Reliquerat tamen ſemper è clericis in ciuitate, vel propè, presbyteros quoſdam, zelo Chriſtianæ fidei conſtantes, qui ſaltem per vicos & domos circumeuntes, occultè præmonerent Chriſti fideles, vt ſeſe ab Arriana impietate ſolicitè cuſtodirent. Quoties enim publicè, ſicut dictum eſt, vtiliter & fructuoſe prædicare verbum Dei non permittebantur in vrbe, ſecretiùs id facere vel in domibus fidelium nocturno tempore clauſis, vel in nemoribus & latibulis montium cogebantur ad tempus. O quantis virtutibus Chriſtianorum fides eo in tempore

Multa ab Arrianis patitur S. Maximus.

claruit, quæ tantis aduerſitatum indeſinenter agitata procellis, non ſolum vinci aut ſuperari non potuit, ſed in tribulatione dilatata, conualeſcens quotidiè, ſeipſa tanto facta eſt conſtantior, quanto gentilium vel hæreticorum perſecutione amplius premebatur.

In teporem noſtrorum temporum

Qvid nos miſeri nimiumque tepidi, & propterea inutiles Chriſti ſacerdotes atq; miniſtri feciſſemus, ſi nos illis contigiſſet vixiſſe temporibus? XIII. Putasne tenuiſſemus in tanta perſecutione conſtantiam, qui nullam aut paruam ſeruamus in pace diſciplinam? Quis in tribulatione vitam pro fide Chriſti exponeret, qui pro eius reuerentia & amore in pace temperare non vult à vitijs & voluptatibus moriturae carnis? Aut quandò mortem pro defenſione religionis ſuæ in perſecutione hæreticorum patienter ſuſciperet, qui pacem habens optimam, eius quam profitetur inſtitutionis fidei normam & præcepta ſalutaria negligit cuſtodire? O morum ingens diuerſitas, quantam cum tempore meritorum diſſimilitudinem inducis mortalibus? In diebus illis ſancta mater Eccleſia pacem bonam in multitudine fidelium habebat interiùs, licet, maximas perſecutiones infidelium crebrò exteriùs pateretur. Nunc autem pacem ab hæreticis & paganis eſt conſecuta exteriùs, ſed quanta patiatur interiùs aduerſa in prauis moribus filiorum, nemo eſt, qui ſufficienter poſſit exprimere. Nam, vt propheta dicit, Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Non eſt in corpore militantis Eccleſiæ, vt olim priſcis fuit temporibus, vera ſalus à vertice capitis vſque ad plantam pedis. Omnes à feruore Catholicæ fidei declinauerunt, inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Heu qualis comparatio hæc ſacerdotum Domini noſtræ tempeſtatis ad illos, qui in Eccleſia priſcis floruêre temporibus, quandò, vt parabolice loquar, ipſi ſacerdotes erant aurei: calices verò, in quibus Domino ſacrificabant, lignei, vitrei, ſiue de cupro, aut viliori metallo fabricati: corda quoque miniſtrorum Eccleſiæ cunctis fuerunt adornata virtutibus, vt merito ſanctitatis lucida, cùm templa materialia eſſent humilia, & rara luce tenebroſa. His autem nouiſſimis temporibus noſtris templa ſunt ampla, pulchra nimis, & feneſtrarum altitudine ſplendida: corda verò ſacerdotum & miniſtrorum altaris vt plurimum ignorantia ſcripturarum & fœditate ſcelerum, proh pudor, omninò tenebroſa. Denique aurei vel argentei ſunt calices, &, ſi dicere audeam, lutei ſacerdotes. Vnde meritò ingemiſcens dicere poteſt ſancta mater fidelium Chriſti Eccleſia: Heu mihi, quia nunc facta eſt in pace amaritudo mea amariſſima: quoniam quæ olim in perſecutione paganorum, multitudine iuſtorum & martyrum florui, his diebus, qui ad pacem ſunt mihi, penè tota in paucitate ſanctorum & multitudine peruerſorum defeci.

Biénio poſt quam hanc edidit hiſtoriam Trithemius, hoc eſt 17. orta eſt hæreſis Lutherana.

Eſa 1.

Pſal. 13.

Fuerunt tamen etiam tûc templa pulchriſſima & ampliſſima.

Matth. 6.

1. Timoth 6

Sectatur paupertatē & vitā Apoſtolicam.

Sed non ſic beatiſſimus Præſul Maximus, qui ſub perſecutione impiorum, fundatus in amore Chriſti, longè cæleſtia præpoſuit terrenis, diuina humanis, ſempiterna caducis. XIV. Vitam in egeſtate peregit Apoſtolicam, ſciens naturam poſſe paucis eſſe contentam, ſi mens Deo credula, bonam adhibuerit in corde voluntatem. Quocircà præcepto magiſtri humiliter obediens, non fuit de craſtino ſolicitus: aurum vel argentum in thecis nunquàm repoſuit: diuitias mundi fallaces nunquam quæſiuit vel amauit. Victum, iuxta conſilium Apoſtoli, habens tenuem, & amictum ſine curioſitate ſimplicem, fuit contentus, ſciens Pontificum opes, virtutem eſſe conſtantiæ: & gloriam, ſalutem & profectum plebis in Domino commiſſæ. Si quid vltra quotidiani victus parci neceſſitatem forſitan ſuperfuit, in craſtinum ſeruari non permiſit, ſed in vſus mox pauperum manu propria expendit. Hic (niſi comparationes dicerentur odioſæ) in eos liberet exclamare pontifices & miniſtros Eccleſiæ ſacroſanctæ, quibus de ſalute animarum populi ſibi commiſſæ, nihil aut parum: de ambitione, ſuperbia & cupiditate rerum temporalium, conſtat ſummo conamine totum: quibus vanitas eſt quotidiano in vſu: auaritia ſemper cæca & inquieta, familiaris: ambitio & contemptus humilium Chriſti, comes vbique: & pauperum negligentia, ſodalis: faſtus dominij temporalis & luxus carnis moriturae citius, iugi frequentatione amicus. Verum cum iſta nihil ad me pertineant, nolo mihi officium docendi vſurpare alienum.

S. Paulinus Epiſcopus Treuirenſis cæditur capite.

Magna fuit diui Maximi temporibus in Eccleſia Catholica Pontificum & ſacerdotum Chriſti perſecutio, & XV. multi Arrianorum non valentes impietati reſiſtere, in eorum dogma perniciofum conſentientes, hæreſi ſubſcripſerunt. Ex illis vero, pro fide orthodoxa qui fortiter ſteterunt, plures fuerunt occiſi, alij cum ignominia in exilium deportati, alij vero in montium cauernis & nemoribus latere compulſi. Inter quos S. Lucius Anneus, Maximi, ſicut diximus, anteceſſor, in Phrygiam deportatus, poſteaquam biennio exulaſſet, noctu Arrianorum inſidiis eſt ſtrangulatus. Sanctus etiam Paulinus Treuirorum Epiſcopus, cum ibidem exulaſſet cum Radiano quodam Epiſcopo annis quatuor, capite truncatus eſt anno pontificatus B. Maximi decimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecenteſimus ſexageſimuſquartus, Indictione Romanorum ſeptima. Beatus quoque Hilarius Epiſcopus Pictauienſis in Gallia, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi & complicum eius Arrianorum, relegatus in Phrygiam, exulauit annis quinque, poſtea in Galliam redire permiſſus. Tanta ſub Conſtantio & Conſtante Romanis principibus eo tempore fuit Arrianis permiſſa in veræ atque Catholicæ fidei aſſertores ſæuiendi poteſtas, quod in ſanctorum Pontificum Eccleſias, quos vel interemiſſent, vel procul expuliſſent, ſui erroris complices ordinarent Epiſcopos, gladijs ſuffulti & armis, qui Spiritus ſancti gratia penitus fuerunt indigni.

Euphrata Arrianus intruditur in ſedem Colonienſem.

Synodus Colonienſis conſule notas R D. Seueri in Binij ad hoc Concil Colon.

** Nemetenſium.*

Euphrata depoṅitur.

Et quia vnius Epiſcopi Arrianorum depoſitio hiſtoriam ſancti Maximi concernit, operæpretium fore arbitror, geſtæ rei ſeriem literis dare. XVI. Poſterorum licentia Imperatorum Arriani hæretici abutentes, quendam è ſuis hominem ſceleſtiſſimum, nomine Euphratam, in Eccleſia nunc metropolitana Colonienſi, ad litora Rheni ſita, Epiſcopum poſuerunt: qui ſua impietate multos à vera religione ſecum abduxit in errorem. Anno igitur Dominicæ natiuitatis trecenteſimo ſeptuageſimoquinto, Indictione Romanorum tertia, qui fuit annus pontificatus beati Maximi Epiſcopi Moguntini viceſimuſprimus, adunatum eſt Concilium Epiſcoporum in memorata ciuitate Colonienſi, furore Arrianorum iamnunc aliquantulum per Dei gratiam humiliato & extincto. Vocati ſunt ad ipſam Synodum plures Epiſcopi fideles, inter quos iſti numerantur fuiſſe præſentes: Maximus Epiſcopus Moguntinus, Bonoſus Epiſcopus Treuirorum, Victor Vangionum Epiſcopus, Ieſſe * Nemetenſium Epiſcopus, Amandus Alſaterſium Epiſcopus, Victorinus Metenſium Epiſcopus, & alii nonnulli ex Gallia Pontifices, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Audiens Euphrata tantorum contra ſe Pontificum aduentum, fugam init: ſed quorundam ciuium Chriſto fidelium induſtria præuentus, redire coactus fuit. Iam enim occulte pergens, tranſierat Rhenum. Reductus autem, & ſancto Concilio præſentatus, eius doctrina examini patrum exponitur, & erronea inuenitur. Qui cum eſſet Arriana loquacitate garrulus, plura contra ſanctos patres pro ſui erroris defenſione in medium propoſuit, quæ ſanctus Maximus diſputator Catholicus, velut araneorum telas ſcripturarum teſtimonio ſubito rationabiliter confutauit. Poſtremò videntes ſancti Patres hæreticum in ſuo errore pertinacem, vt virus peſtiferum à pontificatu per ſententiam depoſuerunt, & ne fidem deinceps maculare poſſet rectè credentium, extra patriam proſcriptum. quantocyus abire compulerunt.

His apud Coloniam pro Chriſti honore peractis, ſanctus præſul Maximus Moguntiam reuertitur, & XVII. ſenio grauatus, paulatim viribus corporis cœpit deſtitui: ſed mente ſana vigens & ſpiritu, nihil tamtunc optabat magis, quam diſſolui, & eſſe cum Chriſto, quem puro ſemper corde amauit. Cumque poſt biennij tempus finem ſibi huius vitæ conſpiceret imminere, ne poſt eius de hoc mundo tranſitum ad patrem, in ouile Chriſti

lupi

lupi proſilirent rapaces, conuocatis ad ſe fratribus, de vnanimi conſenſu omnium, presbyterum quendam Sidonium, per omnia virum Deo charum, Eccleſiæ Moguntinæ poſt ſe futurum deſignauit Epiſcopum, qui fuit in ordine Pontificum Moguntinenſium viceſimus, teſte Megenfrido, & præfuit in multa ſanctitate decem & nouem annis. Maximus autem ſanctiſſimus præſul poſt multa religioſiſſimè geſta, poſt varias pro fide Chriſti perſecutiones & innumeras tribulationes, tandem plenus dierum atque virtutum, ad Dominum feliciter migrauit die menſis Nouembris octauadecima, anno pontificatus ſui viceſimo quarto, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecenteſimus ſeptuageſimus octauus, Indictione Romanorum ſexta. Quo anno poſt feram Auxentij mortem, ſanctus Ambroſius Mediolani Præſul conſtituitur: qui, cùm eſſet in omnibus ſcientijs doctiſſimus, non ſolum diuinarum ſcripturarum, ſed etiam ſecularium literarum, vitæ quoquè merito celeberrimus, breui, miſerante Domino, Eccleſiæ pacem obtinuit, & Arrianos procul effugauit.

Sidonius ſuccedit Maximo.
Anno 378.
S. Maximus abit in cælos.

XVIII Beatissimi verò Pontificis Maximi corpus, à diſcipulis in eccleſia diui præſulis Hilarij, poſteà nuncupata in Dalheim, vbi ciuitas Moguntina eo tempore legitur fuiſſe conſtructa, debito cum honore iuxta tumbam ſancti Creſcentis primi Epiſcopi fuit ſepultum: in quo quidem loco humatum permanſit annis quingentis quinquaginta ſeptem, vſque ad tempora Hildeberti, poſt ſanctum Bonifacium Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi duodecimi: qui anno Dominicæ natiuitatis nongenteſimo triceſimoquinto, Indictione Romanorum octaua, die menſis Martij quartadecima, decem Eccleſiæ Moguntinæ Pontificum oſſa de capella diui Hilarij memorata, ſolenni cum proceſſione Cleri & populi, ad eccleſiam monaſterij diui martyris Albani tranſtulit, & in choro ſumma cum reuerentia collocauit. Inter quæ corpus etiam beatiſſimi Pontificis Maximi, de quo loquimur, annumeratur. Hæc autem ſunt nomina decem Eccleſiæ Moguntinæ Pontificum, quorum oſſa præfatus Archipræſul ex Dalheim tranſtulit ad ſanctum martyrem Albanum: Creſcentis primi Epiſcopi, Martini ſecundi Epiſcopi, Gothardi noni Epiſcopi, viri quondam ſanctiſſimi, qui ſua prædicatione multa paganorum millia conuertit ad Chriſtum: * Suffronij decimi Epiſcopi, æquè viri per omnia ſanctiſſimi: Maximi, de quo nobis ſermo eſt, deciminoni Epiſcopi: Sidonij viceſimi Epiſcopi, doctoris gentium inſignis, & verè ſanctiſſimi: Sigiſmundi viceſimiprimi Epiſcopi, per omnia ſanctiſſimi: Ludegaſti Epiſcopi triceſimiquarti, magnarum virtutum in Chriſto viri: * Ruthuualdi triceſimiſexti Pontificis, Chriſtianiſſimi per omnia in Domino viri: Leouualdi Epiſcopi triceſimiſeptimi, viri quoquè ſanctiſſimi. De hac ſanctorum tranſlatione Pontificum quidam eo tempore carmine ſic ſcriptum poſteritati reliquit.

Anno 935. Hildebertus Archiepiſcopus Moguntinus transfert S. Maximi & aliorum reliquias.
* Sophronij.
* Luthualdi.

A Bonifacio, meruit qui pallia, primo,
Is pater Hiluuertus Archipræſul duodenus,
Compertens oſſa patrum veneranda relicta
Intra baſilicam nunc Hilarij ſacroſanctam:
E quibus hinc denos tranſuexit in ordine priſcos,
Vt locus inſignis conſeruet pignora dignis:
Attendens merita, ſimul ipſorum pia geſta:
Huic vt confratres Aureo collaterales
Efficit, & tumulo ſtricto concluſit in iſto,
Chriſti nongentos X. tèr, ſemèl V. legis annos:
Vt decimamquartam lucem, vult Martius, addam.

XIX. Ea tranſlatione decem Eccleſiæ Moguntinæ præſcriptorum venerabilium Pontificum per Hildebertum Archiepiſcopum, ſicut præmiſimus, facta, remanſit in choro ſancti martyris Albani apud Moguntiam beati Maximi corpus denuò ſepultum annis quingentis ſeptuagintanouem, vſque ad tempora domini Alberti, ex Marchionibus Brandenburgi principis nobiliſſimi, Moguntinæ ac Magdeburgenſis in Saxonia Eccleſiarum inſignium Archiepiſcopi, atque Primatis Germanorum reuerendiſſimi. Is Chriſto deuotiſſimus Archipræſul, cùm cultor, amator & venerator ſanctorum Dei maximus eſſet, reliquias & ſacra buſta eorum ſumma cum veneratione ſemper, vbi licuit, inquiſiuit, de puluere cum honore leuans, auro & argento veſtiuit: honorem quoque debitum ſingulis exhibens, eorum memoriam feſtiuè celebrauit. Mox enim vt ſummi Pontificatus duplicem apud Germanos, Domino prouidente, apicem ſuſcepit, totum ſe Chriſtianæ religioni mancipauit, actus Epiſcopales, præter multorum conſuetudinem Præſulum, in perſona frequenter propria deuotiſſimè miniſtrauit, ordines contulit, Miſſas ad altare ſolenniter ſæpius decantauit, conſecrauit eccleſias, benedixit Abbates, habitum publicè deferebat Pontificalem locis atque temporibus ſuis, & nihil omiſit eorum, quæ ad Chriſtiani antiſtitis * factum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio ſemper in obſequio diuino, in celebrandis ad altare myſterijs ſacroſanctis, in ornandis quoque & venerandis magnificè reliquijs ſanctorum. Vnde cùm anno Moguntini Archiepiſcopatus ſui primo, Magdeburgenſis autem ſecundo, pro Dei amore & reuerentia ſanctorum apud Moguntiam circumeundo ſacras more ſuo viſitaret eccleſias, baſilicam diui martyris Albani deuotus intrauit, & videns decem præſcriptorum Pontificum ſancta corpora ſine honore neglecta, authoritate non minùs Apoſtolica quàm ordinaria vſus, corpus diui Rabani quondam Archiepiſcopi totum, & ſancti Maximi Epiſcopi medium, permiſſione canonicorum inde abſtulit, & in Saxoniam transferens, apud Hallas oppidum in baſilica caſtri ſancti Mauricij ſolenni proceſſionis officio collocauit, anno Dominicæ natiuitatis milleſimo quingenteſimo quintodecimo, Indictione Romanorum tertia: à tranſitu verò ipſius beati Maximi, anno milleſimo centeſimo triceſimoſeptimo: Ad laudem & gloriam Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Albertus Archiepiſcopus Moguntinus.
Summum pontificatum, dicit Archiepiſcopatum.
* ſacrum.
Anno 1515. transferuntur reliquiæ S. Maximi & Rabani in Saxoniam.

VITA SANCTISSIMI PATRIS ODONIS, ALIAS ADE, ABBATIS CLVNIACENSIS II. An. 900.

Edita à domno IOANNE, Monacho Cluniacenſi, Italo, ipſius diſcipulo.

PROLOGVS. DOMINIS & in Chriſto fratribus dilectiſſimis Salernienſibus, ſeruus Chriſti Ieſu Ioannes. Librum quem doctiſſimus Palladius, De vita & virtutibus Beatiſſimorum Heremitarum Patrum, temporibus Theodoſij Imperatoris cópoſuit, ſemel à vobis coactus ſcribere nó graue pertuli, ſed mox ſubnixo corpore, flexiſq; articulis ſcribere curaui, & veſtræ vtilitati cõmodius nil me agere aliquid fore cẽſui. Igitur pulcperis dũ anhelantes ad finem vellem percutere, ſtomachi cœpi dolore vehementer affligi, Intereà contigit die quadam 18. Nov.

quadam mecum adeſſe virum venerabilem domnum Adhelrandum confratrem noſtrum, vnaq; cum eo ſacri Salernitani Palatij exactorem Ioannem. Qui infirmitatis meæ tolerantiam præuidentes, cœperunt mihi Sanctiſſimi Patris noſtri domni Odonis, piam & venerabilē eximiamq; inſerere memoriam, ſcientes prę omnibus ſemper mihi pium eſſe atq; dulce, vel alijs aliquid de eo narrare, vel meæ vtilitati quiddam conferre. Aſt ego non immemor illius quod ſcriptum eſt, Sapientiam Sanctorum narrant populi, & laudem eorum nuntiat Eccleſia; aſſumpto ſermone eius, illis (vt percunctati ſunt) cœpi originem exponere. Quo audito indiderunt mihi, ſi eum, vt tunc profitebar, diligerē: * prolata verbis ſine dilatione, vt bonæ hæreditatis commoda poſteris tranſcripta dimitterem. Itaq; corde volutans, horum virorum vehementer præcepta amans, prius (vt moris eſt Monachorum) conticui ad modicum, veritus ne temerario ore, vitam tanti viri potius narrando dehoneſtarē, quam dignè deſcriberem; & quod nec Grammaticæ artis locutio mea decoraret verba, neque dignus videbar huius Sanctiſſimi viri narrare vitam: etiamſi eloquendi adeſſet facultas.

Eccli 44. — **profiteri.*

Aſſumpto itaq; opere cum medullatis lachrymis, virginis Creatorem & filium inuocare cępi, eiuſq; comparē ſanctum Spiritum, tributorem linguarum, diſtributoremq; ſermonum; qui aperit os mutorum, & diſertas facit linguas infantium, vt qui me dudum voluit frigeſcere ſæculo, & in amorem tanti Patris eſſe accenſum, omni deſtitutum literarum auxilio, facundum eſſe ſuo concedat afflatu. Quapropter, ô dilectiſſimi, quia veſtra exhortatione compulſus, tantum opus audacter aſſumpſi, vt ad finem vſq; perducam, veſtris orationibus me adiuuare dignamini. Sed ſi quis forte hoc legerit, vel alio legente audierit, obſecro ne horreſcat aut irrideat, vel fictum temerario ore dicere pręſumat, & quaſi derelicto à Deo mundo, hactenus talem Eccleſia non valet edere virum, cui dudum, inquiens, promiſit Chriſtus, Ecce ego vſq; ad conſummationem ſæculi vobiſcum ſum. Ego tamen Ieſum teſtor, quia multa de eo mihi præter hæc quæ narro, Magiſter meus Arnulphus iureiurādo ſolitus erat recitare, quibus ſe teſtatus eſt interfuiſſe. Similiter Hucbertus* Tibertinæ Eccleſiæ Epiſcopus, atq; vnus ex noſtris fratribus nomine Landricus; è quibus minimè curaui ſcribere, & non ob aliud niſi quia dum inhianter eius non ſequebantur viam, eorum nolui ſumere teſtimonia. Quæ videlicet ſi voluiſſem deſcribere, ſufficere poſſe arbitror in laudem cuiuslibet antiqui Patris, aut Apoſtolici viri: ea nimirum mihi ſcribere benè placuit, quæ quaſi de alio narrante ex eius ore ſumpſi, & meæ memorię comendaui. Deinde quæ domnus Hildebrandus, vir nempe veridicus, & Cluniacẽ. Cœnobij præpoſitus, in regularibuſq; diſciplinis Præceptor meus, mihi, & multis alijs eſt profeſſus. Interim deprecor, ô Chariſſimi, vt à me progenitorum ſuorum cæterorumq; Gallorum, cum quibus ipſe adoleuit, nomina non requiratis, quos neq; vidi, neque facultas videndi aliquando ſe mihi præbuit. Et quia regularibus diſciplinis tunc eram* arratus, ſaltem nec licuit percunctari, præcipueque cùm me tellus Italica edidit, & intra ſepta Eccleſiæ nutriuit.

Matth 28. — *Vnde Auctor ſua quæ de Odone, hauſerit* — **Tiburtinæ.* — **aſſtatus.*

LIBER I.

I. ODo igitur vir beatiſſimus, ex Francorum proſapia extitit oriundus: ſed intra domum Vvillelmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. Nonodecimo ætatis ſuæ anno apud Beatum Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammaticæ laribus educatus, deinde apud Pariſium Dialectica, Muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus, & triceſimo ortus ſui anno Burgundiam petijt, ibique per quindecim annos, ſub Bernone Abbate, Monaſticam vitam duxit in Balmenſi Cœnobio. Poſtmodum vero Abbas ordinatus, Franciarum, Aquitaniarum, Hiſpaniarumq; partium, atque Romanæ vrbis circumſtantium Cœnobiorum, effectus eſt dux & pater dulciſſimus.

S. Odo tranſit in Clerum. — *Is Berno fuit Abbas ordinis S. Benedicti Gigniacenſis, & Cluniacenſis.*

II. ANNO itaque Incarnationis Dominicæ octingenteſimo triceſimo nono, & eius ætatis ſexageſimo, in Monaſtica Religione triceſimo, Romam veniens, me miſerum terrenis irretitum nexibus, reperit: miſeranſque ſuo rete piſcatus eſt, atque Cœnobium S. Petri, Ticini poſitum, vſque perduxit, paruoque ibi tempore ab Hugone Rege detentus, prædicto viro domno Hildebranno regularibus diſciplinis me tradidit educandum. Non multo poſt Romam veniens, me infelicem dignatus eſt ſibi ſocium aſſumere: & quem Canonicum parentibus abiens rapuit, rediens poſtmodum Monachum reduxit. Illis præterea diebus dum iter carperemus ſimul, loquelis alternantibus, poſtpoſito pudore, & veluti monachico procul poſito tramite, audacter erupi in vocem, atque ſui ortus & habitus vitam conuerſationemque nec veritus ſum ab eo diligenter inquirere, pariterque vt mihi dignaretur exponere, procliuius cœpi rogare: ille quippe (vti ſemper ſolitus erat) paulnlum conticuit, deinde verſo faciei rubore, atque ab intimo ſuſpiria trahens, ſuam mihi originem cœpit exponere: ſed tamen illius verba lachrymis & gemitibus erant plena. Pater, inquit, meus Abbo eſt vocatus, ſed alterius moris eſſe videbatur & actus, quam nunc homines præſentis temporis eſſe videntur. Veterum namque hiſtorias, & Iuſtiniani Nouellam memoriter retinebat; in ſuo namque conuiuio Euangelicus ſemper reſonabat ſermo. Verum ſi quando lis quoquomodo inter parentes fuiſſet exorta, tanta in eum cenſuræ excreuerat veritas, vt vndique omnes ad eum ob diffiniendi proficiſcerentur gratiam. Qua de cauſa omnibus charus erat, præcipueque apud Vvillelmum Comitem robuſtiſſimum, qui eo tempore Aquitaniam, *Gothiamque ſuo iure tenebat. Multò quidem aſſueuerat Sanctorum peruigil celebrare vigilias. Noctem verò illam qua Angelis & hominibus pax reddita eſt, & Chriſtus Dominus mundum viſitans, à virginali vtero eſt egreſſus, tanquam ſponſus de thalamo: ſummo in ſilentio cum lachrymis & orationibus tranſigebat. Dum a ergo has celebraret excubias diligenter, menti ſuæ ſuggeſtum eſt, vt Dominum peteret, ob Virginis partum, ſibi condonari filium: talique inſtantia precum, matrem num denuò iam emortuum meruit ſuſcitare vterum. Sæpius enim retulit pater meus nonnullis, talem fuiſſe ordinem meæ natiuitatis. *Luc. 2.*

Anno 839. Ioannes huius vitæ auctor monaſticam vitam ſubiit. — *S. Odonis pater.* — *Fuit hic Wilhelmus Pius Cluniacenſis monaſterii fundator.* — **id eſt Septimaniam quam hodie Linguadociam vide notas Quercetani.* — *a Odonem parens eius precibus à Deo impetrat.*

III. PER illud namque infantiæ meæ tempus, contigit illum ingredi intra ſepta cubiculi, meque ibi ſuper cunabulum ſine cuſtode reperit, huc illucque circumſpiciens, cum neminem videret, ſuis manibus eleuauit, & corde ſurſum reſpiciens, Suſcipe, ait, gemma Sacerdotum Martine, hunc puerum. Deponenſque me ſuper eundem, à quo eleuauit, ſtratulum, abiens receſſit, ſed quod geſſerat, nemini prodere voluit. Poſt hæc ablactatum cuidam ſuo presbytero remotiori manente loco, me tradidit educandum, & literarum ſtudiis imbuendum. Fatebatur poſtmodum ipſe presbyter, quod his diebus talem vidiſſet viſionem. Videbam, & ecce Eccleſiarum Principes cœperunt mihi puerum petere, etiam exactè. Cumque ſciſcitarer quid de eo fieri vellent, an patris domum reducere? Non ita ſe inquiunt veniſſe, ſed vt in Orientis partibus eum ducerent. At verò Presbyter cum eum dimittere nollet, & eis reſiſtere nequiret, & quid amplius ageret, neſciret, terræ proſtratus, conuertit ſe ad preces, deprecans vt prius in eum vltionem exercerent, quàm puerum tollerent. Nunc vindictam patris ſe dicebat perpeti, nunc ſe à parentibus dicebat vocandum proditorem pueri. Ad hæc ferebatur reſpondiſſe vnus eorum. Ne fortè vindicet pater pueri in presbyterum, dimittamus eum vſque ad tempus. Hanc reuelationem ipſe presbyter addiſcens, reſtituit me quidem meis parentibus. Hæc omnia quæ à me requiris, ô fili: ita ego à patre meo audiui.

S. Martino offert. — *Viſio presbyteri de Odone oblata*

IV. FACTVM eſt ergo cum adoleuiſſem ego, quem modo vetulum intueris ac turpem: ſtrenuum prædicabant & conſpicabilem iuuenem, cœpitque pater meus per incrementa temporum, me ab Eccleſiaſtico ſubtrahere ordine, & militaribus exercitiis applicare. Qua de re, intra domum Vvillelmi me tradidit, ſeruiturum Comiti. Relictis tandem literarum ſtudiis, venatorum, aucupumque cœpi deſeruire officijs. Sed Deus omnipotens qui iniuris latu-

Militaribus exercitiis & aulicæ vitæ traditur.

ſalutem præſtat, & vocat ea quæ non ſunt, quaſi ea quæ ſunt, cœpit me in ſomnis terrere, & vitam meam pronam ad malum oſtendere, & inſuper totam meam venerationem vertebat in fatigationem, nam quanto amplius me ingerebam huiuſcemodi luſibus, tanto redibam mœrens ſine omni effectu & fatigatione confuſus. His vero diebus ſuaſit mihi pater meus celebres habere vigiliarum excubias, quas ipſe celebrare conſueuerat. Euolutis autem aliquot annis, vigilias Natalis Domini me celebraturum præparaui, & cum partem noctis duxiſſem peruigilem, ſubito menti meæ comparauit obſecrare pro vita mea, Domini Ieſu Genitricem. Tunc ſiquidem orans, cœpi dicere. O Domina & mater miſericordiæ, tu nocte iſta mundo edidiſti Saluatorem, oratrix pro me dignanter exiſte; ad tuum glorioſum & ſingularem confugio partum piiſſima: & tu meis precibus aures tuæ pietatis inclina. Vehementer expaueſco ne vita mea tuo diſpliceat filio, & quia Domina, per te mundo ſe manifeſtauit, propter te quæſo abſque dilatione miſereatur mei.

Initia conuerſionis eius.

V. Inter has preces & matutinas laudes, Miſſarumq; ſolemnia, dies craſtinus illuxerat. Et ecce (vt ſolebat) Canonicorum dealbatus affuit Chorus, & dum (vt ſolebat) in laudibus tantæ ſolemnitatis, diuerſarum fieret vocum modulatio, velut impatiens iuuenis, in medio eorum proſiliui, vnaq; cum ipſis, mundi Regem laudare cœpi. Scio enim & confiteor me improbè feciſſe, ſed tamen Dauidicum illud corde quod ſcriptum eſt, retinens: non immerito hoc agere præſumpſi. Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Statim verò capitis me inuaſit nimius dolor, qui pauliſper me contriuit, & receſſi. Perlecta itaq; Euangelica lectione, denuò me inuaſit prædictus capitis dolor, & vtli extenſa brachia ad cancellos applicuiſſem Eccleſiæ, mox à ſummo ſtatu velut exanimis ruerem. In tantum enim excruciabat me dolor ille, vt eo veniente, nec ad momenti ſpatium, vlla ſpes vitæ in me remaneret. Sexto inſtante & decimo ætatis meæ hoc mihi contigit anno, & tribus ſequentibus iſto ſum vomere ſulcatus. Ob hoc parentum reductus ſum domum: & per biennium omne genus curationis adhibuerunt mihi. Nam quanto ampliora & omnigena ſumebam medicamina, toties eminus ſalutis à me remedia fiebant. Illis in diebus cum graui mœrore largoq; ſuſpirio, pater meus prædictus meam huiuſcemodi exponebat fuiſſe natiuitatem, addens inſuper, Ecce beate Martine, quod gratè obtuli, exactè requiris, verè, vt decet, exaudibilis es in voto: ſed carus in negotio. Deſperato tandem ſalutis remedio, vnum fore putaui ſolatium, ſi anhelanter confugerem ad eum; nempe vt cui traditus fui neſciens, depoſita capitis coma, illi ſeruirem ſciens. Quod & ita factum eſt. Ecce habes, ô fili, ortum meę natiuitatis, atq; exordium conuerſationis, animaduerte quia nihil boni egi mea ſponte. Tu tamen de meis prauis moribus, vt dignum videris iudica, dum tamen miſericordiam ſuper me reſpicientem, inceſſanter benedicendo prædices atq; glorifices. Nam tantam poſtmodum deuotionem in beato Martino viſus eſt habere, vt præ cæteris ſanctis eum diligeret, ſuæq; protectioni ſemetipſum cotidie commendaret, illum nempe vbicumq; adeſſet, corde rerentās, ore prædicans, operibus ſequens. Ecce enim ſunt euoluti haud pluſquam ſex anni, dum ante eius corpus vigiliarum excubias diuerſus ordo Eccleſiæ celebraret: contigit vt & ipſe interfuiſſet. Verū quia eiuſdem Officij Antiphonæ (vt omnibus patet) breues ſunt, & eius temporis longiores noctes: volentes Officium ad lucem vſq; protendere, vnamquamq; Antiphonam per ſingulos Pſalmorum verſus repetendo canebant, fiebat namq; eis labor improbus. Denique venientes ad eum, quaſi vno ore dicentes deprecabantur. Diu eſt quod tuum aduentum pręſtolamur Pater, quatenus nos à tanto labore ſubleuares. Nunc verò quia præſto es, alias nobis Antiphonas de vita beati Martini tui Domini precamur inſtitue, quarum prolixitas dignè à nobis harum breuiſſimarum faſtidium tollat. Ille verò cœpit dicere, non ſolum has ſe non poſſe facere, verum etiam diſcendi tempus ſibi ætas omne denegaret, ſi à quouis factæ fuiſſent. Cœpitque inter hæc earum breuitatem laudare, & earum quas petebant, prolixitatem in nauſeam habere. At illi è contra inferebant ſi aliter faceret, Martinum offenderet: addentes, quod talis excuſatio palliatam ſuperbiam ſignificaret. His verbis precibuſque mixtis, Pater noſter Odo conuictus, mox ſuper tanti officium laboris, cum omni anniſu incubuit. Tres verò hymnos in eiuſdem laude compoſuit, è quibus vnius tantum exemplar inſerere huic operi adiudicaui. Rex Chriſte Martini decus, hic laus tua, tu illius, & cætera. Similiter duodecim Antiphonas, ternas per ſingulas habentes differentias. Quarum verba & vocum conſonantia, adeò ſibi inuicem concordant: vt nihil in ſenſu plus minuſve, nihil in ſymphoniæ modulationibus reperiri poſſe dulcius videatur. Retinentur hactenus Beneuenti. Nunquam mane, nunquam veſpere, eius memoria à ſuo pectore labebatur atque ore, illum corde retinens quem promebat ore. O Martine, ô pie, quàm pium eſt gaudere de te, O Martine, & cætera. Sed quia congruè locus ſe præbuit deſcriptæ narrationis, auxiliante Domino cum eius vitam pleniter exponere cœpero, tunc quæ per eum Beatus Martinus operari voluit, enarrabo. Nunc interim reuertamur ad ea vnde digreſſi ſumus.

Pſal. 118.

Dolore capitus biennio laborat

S. Martino eſt deuotiſſimus.

Quid de S. Martino ſcripſerit.

Habes 12. has Antiphonas ſub finem operū Odonis in Bibliotheca Cluniacenſi.

VI. IGITVR vir beatiſſimus nonodecimo ætatis ſuæ anno, confugiens apud Beatum Martinum, Clericatus ſuſcepit officium. Quænam ibi confluxerat turba * Magnatorum, & quanto cum apparatu, ne ſequenti paupertati (qua poſtmodum contentus fuit) iniuriā facere videar, malo ſilere quàm promere. Inter hos verò affuit Comes Fulco, qui eum enutrierat, cui mox Cellam iuxta Beati Martini tribuit Eccleſiam, & cotidianum victum ex eadem Canonica adquiſiuit, eiq; conceſſit. Sed paupertatis amator vir Beatiſſimus, contempta mundi gloria, ſoli Deo placere curabat. Diebus itaq; continuatis lectioni inſudabat, & noctibus orationi vacabat, ſciens eſſe ſcriptum, Qui † ignorat ignorabitur. His prætetea diebus Nauta noſter peritiſſimus, qui nos ſuo ducatu docuit tranſmeare gurgites mundi iſtius, immenſum Priſciani tranſiit tranſnatando pelagus. Nam Virgilij cum voluiſſet legere carmina, oſtenſum fuit ei per viſum vas quoddam, deforis quidem pulcherrimum: intus verò plenum ſerpentibus. A quibus ſe ſubito circumuallari conſpicit, nec tamen morderi: & euigilans, ſerpentes, doctrinam Poëtarum: vas in quo latitabant, librum Virgilij: viam verò per quam incedebat valde ſitiens, Chriſtum intellexit. Interea quanta in eum cœpit poſtmodum emanare virtus patientiæ, ſuccinctè deſcribam. Deinde relictis carminibus Poëtarum, alti edoctus conſilij, ad Euangeliorum Prophetarumq; expoſitores ſe totum conuertit. Cœperunt interea rabido latratu omnes penè, Canonici cornicari contra eum. Quid agere vis? inquiunt. Cur inuadere quæris opus alienum? Hoc opus precij perdidiſti cum flore iuuentutis. Parce tibi, & relictis his inextricabiliter connexis literis, ad Pſalmos abi. Sed iſdem Spiritus qui eum pridem docuerat à bonis ſilere, tunc docebat eum à malis conticeſcere. Ille verò curuato capite, & obturatis auribus, defixiſq; in terrā aſpectibus: illud in corde verſabat Dauidicum: Dixi, cuſtodiā vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiā, cum conſiſteret peccator aduerſū me. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Nec tamen erat immemor Dominici pręcepti atq; promiſſi. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quæ verò reſtant de eius patientia, auxiliante Domino deſcribam in conſequentibus. Nunc tranſcurram ocyùs ad contemptus rerum.

Fit Canonicus Turonenſis.

* Magnatū.

Fulco Comes Andegauenſis cognomento Bonus, eius nutritor.

† 1. Cor. 14.

A Virgilij lectione vt ſit reuocatus, Sacræ ſcripturæ ſe applicat.

Pſal. 38.

Luc. 21.

VII. LAVDENT ergo qui volunt expulſores Dęmonū, curatores cadauerum, cęteroſq; infamatos viros virtutibus. Ego inter omnes exiguus Odonis mei primā patientiæ laudabo virtutē, deinde contemptum rerū, poſthęc animarum lucrum, reſtaurationem Cœnobiorū, veſtimentum cibumq; Monachorum, pacem Eccleſiarum, concordiam Regum & Principum, cuſtodiam viarum omnium, inſtantiam mandatorū, perſeuerantiam vigiliarum & orationū, reſpectus pauperum, correctionē iuuenum, honorem ſenū, emendationem morum, amorem virginum, conſolationem continentium, miſericordiam miſerorum, intemeratā obſeruantiam regularum, ad poſtremū, ſpecimen omniū virtutū. Conſerebat in paruo locello tunc bonus Ieſus ex diuerſis nemoribus monachorū, paradiſū: ex cuius fonte irrigaret

Summa virtutum eius.

Viuit ſolitarius. Matth. 6. Noćte ſepulchrum B. Martini viſitat. Dæmonis terricula menta contemnit. Lupo vtitur comite. 10 Ianuar. cap vlt.

corda fidelium. Contentus denique parua cellula, ſublatuſque ab oculis hominum, ſoli Deo placere feſtinabat. Diſtractis pauperibus vniuerſis, quæ ad vſum temporalem ſecum attulerat, ſecundùm Euangelicum præceptum, de craſtino nihil cogitabat. Noctu verò ab aſpectibus ſe priuabat hominum, & ad ſepulchrum beati Martini, orationis gratia ibat ſolus, quod videlicet ab eadem cellula duobus fere milibus diſtabat. Non Collegæ fultus latere, non baculi corroboratus munimine, ſed duas ſolum tabellas manu baiulans, ſcribendi officio aptiſſimas, fabrili opere ita connexas, vt poſſint patefieri, non tamen diſiungi. Quibus ſcholaſtici dextro femore ſolent vti. Sed bonorum hoſtis tales ei terrores inferre cœpit. Ex lateribus namque viæ vndique egrediebantur vulpes, quæ prius terga illius perſequentes obſeruabant, deinde in eius faciem ſe obiiciebant. Sed cum ardentiſſimum iuuenem à recto, & propoſito itinere vidiſſent ſe declinare non poſſe, gannitum dantes, & hianti ore ſuper eum irruentes, minitabant ſtrangulare. At ille nec aufugit, nec reſtitit, ſed complicatis cruribus, & contracto collo rigido, humeris tantum & brachiis ſe tuebatur. Tradens denique eorum dentibus totum corpus, gula ſolum cauebat lethalem morſum. Et ecce repente rapidiſſimo curſu interuenit lupus, eumque ab earum liberauit incurſionibus, & deinceps illi comes eſt effectus atque domeſticus. Sed ne cui inhoneſtum vel graue eſſe videatur, legat vitam Beati Pauli, à Beato Hieronymo deſcriptam, & ibi reperiet eiuſdem viri ſepulchrum à leonibus fuiſſe præparatum: & ſi illi hoc vnum exemplum nec ſic ſatisfacere videtur, tranſeat ad Beati Ammonis vitam, & eius reperiet cellulam, ob prædones fuiſſe à duobus draconibus cuſtoditam. Deinde reuertetur ad prædictum Hieronymum: & tranſeat ad noſtrum Nortinum Florentinum; cuius vitam in Dialogo ſuo beatus expoſuit Papa Gregorius, ibique reperiet Hieronymum meruiſſe leonem habere cuſtodem aſinorum, & Florentium ferocem vrſum, ob cuſtodiam pecorum. Agebat autem extunc ſenior iter ſuum, & ſemper (bone Ieſu) teſtimonia tua corde retinens, tibique reſultans, ore canebat dicens. Verè namque fidelis es Domine, in omnibus verbis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis. Alleuas omnes qui corruunt: & erigis omnes eliſos. Nam verſa vice tuebatur lupus à comeſtione, quod aliquando comedere ſolet, & terrebat vulpes, à quibus terreri ſolet. Quæ verò & quanta inuiſibiliter Diabolus contra eum ſumpſerit tentamenta, obſecro nullus à me requirat. Ad fidem tamen probandæ rei, quæ potuiſſet per ſuggeſtionem inuiſibiliter tolerando ſuſtinere, deſcriptum viſibile bellum ſufficere ad credulitatem poſſe arbitror omnibus legentibus.

Pſal. 144. Sũma eius paupertas. Regula B. Bened. c. 22. Triennio veſtitus humi cubat. Magnæ vires eius iam ſenis. Silicernium ſene vocat.

Nocte verò cum orationis gratia egrederetur à prædicta qua manebat cellula, non claudebat poſt ſe eiuſdem oſtiola, propterea quia nihil perdere metuebat. Nempe qui ſuper nudam humum, matta ſolum & quibus induebatur veſtibus contentus erat. Contigit interea dum diuerſorum librorum legeret volumina, ad Beati Benedicti perueniſſe Regulam, & curſim eam cum vellet tranſire, impegit in eundem locum, in quo præceptum eſt monachis, vt dormire debeant veſtiti. Nam plene non intelligens eundem ſenſum, per triennium iacuit veſtitus: & necdum monachus, monachorum leue ferebat iugum; iſtius ſancti præcepta obaudire curabat, alterius vitam imitari cupiebat. Iaciebat enim tunc Dominus Ieſus in rudi terra, ſimplicia ſemina, ex qua prouidebat centuplicata recipere frumenta. Sed hoc mirabile eſt, quia candor ipſius corporis non eſt immutatus à nigredine in qua iacebat humi, & virtus ſui animi non fuit extenuata à longa continuatione ieiunij. Prætéritis namque his duobus annis, cum ſimul loca ſanctorum quæ ſunt in terra, extra vrbem Romam orationis cauſa frequentaremus, venerabilem eius ſexagenariam ſenectutem, noſtra non valebat iuuentus non ſolum præire, verumetiam nec ſequi. Sed cum fatigati vt ſibi nobiſq; parceret, rogaremus: dicebat. Certe videtis quia omnem virtutem perdidi, longa enim ſenectus fecit me eſſe ſilicernium, ſunt ecce triginta anni quod talis qualem nunc me videtis, fui. Ipſe vero gemens, ſuam nobis tali modo pronunciabat imbecillitatem. Nos vero cum magno attonitu, eius mirabamur virtutem, & non immerito; vt qui à corruptione non paſſus eſt vinci, à corruptela non debebatur proſterni. Denique paruipendebat quicquid virtutis in ſe videbat. Illud magnopere iudicabat, ſi quid in alio videre poterat.

Victus & potus eius a[illegible] ciuue [illegible]. Turonicæ Eccleſię encomium. S. Odonis optimæ admonitiones. Apoc. 12. 4 Reg. 25. 1. Coronth. 6. Matt. 2. Iob. 41. Matt. 13. Reſpuit munera.

VIII. SVSTENTABATVR per idem infantiæ ſuæ tempus, media panis libra, & fabæ puſillo, atque (quod eſt extra naturam Francorum) perparuo potu. Depoſita itaq; omni corruptibili ſarcina, nudo corpore, vel potius nudo pectore, nudata miles Chriſti præcinctus ferebat arma. Videbatur ab omnibus rudis tyrunculus, ſenum præire cuneos, & confidens in Chriſto, glorioſam de hoſte ſatagebat prædam reducere. Hæc autem omnia, apud Eccleſiam beati Martini Turonis fiebant. Eſt locus ille omnibus virtutibus fertilis, prodigiis mirabilis, diuinijs vber, omnique religione præfulgens: dignum namq; eſt illum eſſe mirabilem, qui tantum meruit habitatorem habere. Non enim Martyr tantum aut Confeſſor opimus: ſed lux ſæculi, & gẽma ſacerdotum. Ibiq; Reges properant, diuerſarumq; gentium Principes, ibi cum muneribus & votis ſæpius frequentant. Contigit interea vt plurimi ex ipſis ad eum introirent, viſitandi gratia. Cogniti, vt notum reuiſerent: ignoti, vt notum eum ſibi facerent. At ille velut fons redundans, deſiderantiſſima cunctis præbebat oſcula: & quaſi ex aperta Bibliotheca, omnibus congrua miniſtrabat exempla. Huic caſtitatem indicens, illi ſobrietatem imponens, hunc contemnere mundum docet, alterũ ne res alterius concupiſcat, admonet. vnicuiq; enim quæquę erant neceſſaria, affluenter miniſtrabat. Flebat miſerrimum hunc mundum, & cito cum ſuis eſſe fatebatur amatoribus ruiturum, vuam deniq; Gomorrham eſſe fatebatur. Ammonebat eos viuere parcè, & malè concupita non amplecti, ventris penitus refrenare ingluuiem, inquiens, qui ventrem farcit, venerẽ nutrit. Libidinoſis præcipitium opponebat draconis dicens. Heu miſeros illos! quia tertiam partem ſtellarum cœli poſt ſe trahit draco. Ebrioſis & comeſtoribus dicebat. Nabuzardan Princeps coquorum deſtruxit muros Hieruſalem. Mollibus & maſculorum concubitoribus opponebat Herodis homicidium, & ſcribæ exilium. Quanto, inquit, melior eſt anima corpore: tanto qui talia agit peior Herode. Ille corpora interfecit, animas cœlo tranſmiſit: hic corpora à Deo ſeparat, & animas æterna morte trucidat. Scriba verò qui probabat tyrones, captiuus ductus eſt in Ægyptum, hic enim poſt mortẽ ducendus eſt in Infernum. Doctorum itaq; flebat præcipitium & dicebat. Aſpice Domine quia facta eſt deſolata Ciuitas, plena diuitijs. Et rurſum aiebat. Væ tibi Behemot, numquam deſit proh nefas, aurum tibi ſternis vt lutum, & radij Solis ſub te ſunt. Hæc illi audientes, terrebatur conſcius delicto ſuo, lætificabatur inſons, ab eius conſolationis verbo, & quaſi ex vno promptuario, diuerſi diuerſos ſumebant cibos. Teſtor Ieſum quia ex ore hominis numquã audiui tantam dulcedinem ſermonis. Complebatur in eo quod dicit Dominus in Euangelio. Simile eſt regnum cœlorum homini patriſfamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Itaq; omnes diuino ſale conditi, & cœleſti ferculo ſatiati, gratias agentes, ad propria remeabant; multa deniq; illi dona offerebant & munera, ex quibus nihil recipere volebat. Quippe qui ſua largiſſima diſtribuerat, ignorabat quo pacto recipere poſſet, vel parua vel aliena. Victus aliquando à prædicto ſuo domino, volens nolenſve centum ab eo miſſos recepit ſolidos. Sed miles Chriſti nec momento paſſus eſt eos apud ſe moram pati: atque vt prius mox eius indigentibus erogauit. Cœpit interea alumnus, cuneos præire præceptorum, & ſubſequentium fieri exemplum.

Pariſiis præceptore vtitur Remigio Antiſſiodorẽſi vt notat Quercetan. in not.

IX. His diebus adiit Pariſium, ibiq; Dialecticam ſancti Auguſtini, Deo dato filio ſuo miſſam, perlegit: & Marcianũ in liberalibus artibus frequenter lectitauit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium. Quo peracto rediit Turonicam. Per illud namq; tempus rogatus eſt à fratribus ſe diligentibus, vt Moralia beati Gregorii Papę ſub [illegible] eis coarctaret volumine, ille autẽ profeſſus eſt ſe hæc minimè facere poſſe, addens etiam ſi facultas agendi ſibi adeſſet; tamen non debere ſe hoc agere, ne tanti viri laborem, tantiq; operis precium, alter commutare, vel aliquid d[illegible]ere vide-

videretur. E cōtra illi opponebant et antea ſubcumbi, quàm tanto labore ſuſtineri, & ſatius eſſe iudicabant funditus eum deſerere, & ad reliquas ſcripturas tranſgredi, quàm ſub eo velut graui mole interire. Cotidie namq; apud eos de hac re non parua fiebat altercatio. Ego tamen ſcio ſuper hac re multos indignatos fore, & ad ſedandos eos hanc libet rationem inſerere, non enim fiebat iſtud propter arrogantiam, ſed diſponente Domino, vt ſuper montem poneretur lucerna; quæ ſub modio erat occultata. In exemplum tamen ſubiunctæ rei, hoc quod diximus manifeſtius apparebit. Illis videlicet perſiſtentibus in hac petitione, factum eſt vt quadā nocte domnus Odo intra Eccleſiam beati Martini conſuetæ orationi inſiſteret, & ecce ſubito in eum ſomnus obrepſit, viditq; in eadem viſione ſanctorum chorum venientem deſurſum, in eandem Eccleſiam deſcendere: & prius benedixerunt Dominum, deinde ordinatim in ſubſellijs ſederunt. Atq; poſt paulum, vnus coram in medium proſiliens, dixit. Quidnam eſt quod hoc in loco immoramur? Cæteri verò, Gregorium Papam expectare ſe, inquiunt. Hoc audiens Pater noſter Odo, velut auidus indagator cœpit huc illucq; circunſpicere, quanam ex parte venientem eum poſſet videre. Deinde eleuatis oculis ſurſum, quaſi è cœlo miſſum videt beatum Gregorium, ſed vltra omnes qui præceſſerant eum, vultu, ſpecieq; & moribus perſplendidum atq; ornatum. Mox veniente illo omnes ſurgunt, & flexis ceruicibus benedictionem petunt. Ille verò non inter eos deorſum vſq; deſcendit, ſed ſuper ambonem Eccleſiæ ſubſtitit, & Patrem noſtrum terratenus proſtratum, inquiens vocauit. Surge frater Odo, noli timere. Qui cùm ſurrexiſſet, vidi veluti more ſcriptoris, ſuper auriculā eius hærentem pennam, & quaſi Doctoris magiſterio productim acuminatam, & in ſummo fixam. Quam ſumēs beatus Gregorius, eamq; illi tradens, ait. Age ergo ſecurus, & perfice tibi opus iniunctum & indictum, quem verò compoſueris librum non delebitur, meus autem ſtabit in æternum. Et continuò euigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum diligenter perlegit, & ſaniorem partem quam præuidit, ſub vno volumine compoſuit, & ſic murmurationem eorum compeſcuit. *Viſio eius.* *S. Gregorij libros Moralium in Iob in Epitomē redigit.*

X. Factvm eſt poſtmodum vt præfatus Comes Fulco de theſauris beati Martini neſcio quo pacto tulerit duo vaſcula auri, ſed camo infrenatus auaritiæ, dum ea reddere nollet, graui plexus eſt vltione. Ad mortem vſq; perductus, ad beati ſe Martini iubet portari ſepulchrū, ibiq; quàm plurima promittens munera, ſed nec ſic ſanitatis recipiebat remediā. Præterea diutiſſimè fatigatus adeo vſq; eſt defectus, vt mortis tantum expectaret exitum. Ad quem cum domnus Odo viſitandi gratia introiſſet, dixit illi Redde miſer vaſcula beati Martini, quæ infeliciter abſtuliſti, & protinus ſaluaberis. Ille autē & illa reddere, & alia ſpopondit conferre, ſi rei fidem dictu actuq; comprobaret. Mox Patris noſtri & obſequentium manibus eleuatus, ad beati Martini corpus perductus, terræq; proſtratus, nec morā pati potuit ſubſidium ſibi promiſſum; ſed qui manibus venerat veluti vehiculo latus, recuperatis artubus remeare cœpit ſuis greſſibus. Siquidē ita factum eſt, vt ille correptus de cætero talia non committeret, & quę promiſerat fideliter adimpleret. Cœpit interea pater Odo eum admonere. vt relicto mundo hoc, tantum ſatageret quemadmodum ſoli Deo placeret. Ille autem reſpōdit. Mihi iſta modo ſuadere non potes. Habeo tamen fideliſſimū militem* Adhegrinum nomine, in armis ſtrenuū & conſilio prouidum, qui ſi te audierit, mox tuæ voluntati obediens erit; quod ita ſequenti tempore factum eſt. Intra paucos verò dies, omni recuperata virtute, domum ſuā reuerſus eſt. Confluētes ad eum vndiq;, eius ſanitati congratulantes, aſſumpto ſermone, quæ & quanta pertuliſſet, illis circumſtantibus cœpit exponere, addens inſuper quàm citatam virtutem in verbis domni Odonis comperiſſet. Vnus autem ex aſſiſtētibus & auditor internus, prædictus erat Adhegrinus: qui mox corde compunctus, diſpoſitis, quæ poſſidebat, omnibus, concitè rediit ad eum. Depoſita itaq; capitis coma, & ſeculari militia, ex tunc Chriſti factus eſt Agoniſta. Sumens igitur pater Odo vniuerſa quæ ſibi ipſe ad temporalem vſum adtulerat, in finibus pauperum erogauit: ſicut pridē de ſuis fecerat. Manſerunt ſimul milites palatini, paruiſſimo tugurio contenti. Videntes deniq; mundum in maligno poſitum, & eius amatores ruinoſam & illecebris plenā tendere vitam, cotidie ad monaſtica feſtinabant ſcandere faſtigia. Interea non fuit locus in Franciæ finibus, vbi audierunt fuiſſe Monaſteriū, in quo aut per ſe non iſſent, aut ſuos perluſtratores nō miſiſſent. Et non inuenientes regionis locum inter eos, in quo requieſcere poſſent, ad prædictum tugurium reuertebantur cum magno dolore. Ob hanc cauſam placuit Adhegrino Romam pergere. Arrepto tandem eundi itinere, deuenit in finibus Burgundiæ, peruenitq; in quandā vallem, quæ Balma dicebatur ex nomine. In ea namq; erat Monaſterium, nūper à Bernone Abbate conſtructū, diuertitq; illuc, & ab eo officioſiſſime ſecundū Regulā beati Benedicti, intra domum Hoſpitum, eſt ſuſceptus, ibique more Hoſpitis aliquo tempore commorari voluit, non tamen vt aliquo eorum indigeret, ſed vt mores habitantium, locique conſuetudines poſſet cognoſcere. Fuerunt autem inſtitutores eiuſdem loci, imitatores cuiuſdam patris Heuticij, cuius vitæ meritum conuerſationiſque qualis fuerit, huic operi inſerere nolui, obitum verò qualem meruerit, veſtræ memoriæ commendare curaui. *Nota quid acciderit Comiti res Eccleſiaſticas vſurpāti.* ** al. Adegrannus.* *Adhegrinus miles adiungit ſe S. Odoni.* *1. Ioan 5.* *Regulæ cap. 53.*

XI. Fvit iſdem vir temporibus Ludouici magni Imperatoris, carus videlicet Regi, omnibuſq; amabilis. Nam cū eſſet laicus, & peregrinis ſtudijs eruditus, deſerens ea vnde ſuperbire ſolet humana fragilitas, totū ſe dedit beatorum Patrum regulis & inſtitutionibus, ex quibus nempe authoritatibus diuerſas conſuetudines ſumpſit, vnoque volumine conligauit. Deinde non multo poſt monachus eſt effectus, & in tanto amore apud Regem habitus, vt intra palatium ſuū illi conſtrueret Monaſterium. Decurſo enim vitæ præſentis ſtadio, circumſtantibus vndiq; fratribus, ſubito emiſit ſpiritū. Contigit interea dum à diſcipulis pii patris pararentur obſequia, ecce rediit viuus, qui fuerat mortuus. Illis verò attonitis & mirātibus, dixit pater Heuticius. Deo gratias, Scitis quia ex his quadraginta, vnum tantū diem non memini me cibum ſumpſiſſe, niſi prius fleuiſſem, hodie namq; ſublato mœrore conſolatus eſt me Dominus, & inter choros Angelorū tribuit mihi requietionis locum. Dicens hæc quieuit perpetuè. Ipſe enim pater Heuticius inſtitutor fuit harum conſuetudinum quæ hactenus in noſtris Monaſterijs habentur. Quas vir venerabilis Adhegrinus intuēs, quantocius patri noſtro Odoni curauit nunciare. At ille ſumptis ſecum centū voluminibus librorum, mox ad idē demigrauit Monaſteriū. Factus eſt ille qui ante fuerat ſequutor, antesignan*. Domnus vero Adhegrinus in vnā ſe coartauit cellulam, & permittente Bernone Abbate, per trienium manſit in ea: nam patri Odoni (qui erat vir ſcholaſticus) laborioſum ſcholę impoſuerunt magiſteriū. Erat autem ætate tricenarius. Fateor, vitam putaui ſanctiſſimi patris noſtri ſimpliciter curſimq; tranſire, ſed noſtrum ingeniolū, veluti repugnator violentus vna cū eius vita, vult enarrare viros, quos intelligit habuiſſe hic ſocios. Quapropter obſecro vt queadmodum me nō piget ſub tanto deſudare labore, nec vobis videatur ad recipiendū oneroſū vel graue. Iuſtum namq; & beneplacitū coràDeo eſſe videtur, vt eorum exēpla ad ornatum locutionis cum ſua deſcribantur vita, quos ab hac peregrinatione, ſuo felici portu tranſuexit ad patriam. *Eutitij vita & exitus.* *S. Odo fit monachus Gigniacenſis.*

X. Venerabilis igitur* Adhegrinus (cuius ſuperius memoriam fecimus) ſumpta poſtmodum licentia heremum petiit, & ibi ſe parua ſubarctatus eſt ſpelunca. Contigit vt die quadam nimis conſtrictus anguſtiis, cum nullus adeſſet qui ei conſolationis verba, aut alicuius patris conferret exempla, vt ait Sapientia, væ ſoli, quia cum ceciderit, non eſt qui porrigat ei manum: more labentis gurgitis, paulominus quod ad deſperationem vſq; non deſcendit. Et ecce ſubitò adſtitit ei ſplēdidiſſimus vir, quē blandè quod haberet, interrogauit, aut cuius rei cauſa accidiſſet illi quod quaſi ad præcipitium ſe vſq; immergeret. Reſpondit dicens Ex quo enim tempore Domino inceſſanter cœpi ſeruire, nullam conſolationem aliquomodo ab eo merui recipere, qua de re coanguſtor vehementer, quia neſcio ſi mea ſeruitus illi placet, an ſi pro tanto labore recipere merebor quandoq; mercedem. Mox ille ſuper collum eius irruit, eumque *Adhegrini vita.* ** Adhegrius Bar.* *Eccle 4.* *Viſio eius.*

M m

oſcu-

oſculans, Crede, inquit, quia de bonis Domini vnquam indignus non eris, & conſolatus eum his verbis, abiens receſſit.

Dæmonis patitur inſidias.

Alio iterum tempore caſus ſe præbuit vt extra cellam in qua manebat, reperiret eum tentator. Moxq; in eum irruit, & ſupra immaniſſimæ rupis præcipitium vexit, indeq; eum omni cum adniſu præcipitare voluit. Sed quid miles Chriſti ageret? Qui recto greſſu illic ſtare nequibat: quomodo reſiſtere poſſet, prorſus ignorabat. Verum cum in ſumo mortis articulo eſſet poſitus, ſubito illi affuit beatus Martinus, apprehendenſq; manũ eius dixit ad eum. Quidnam eſt hoc, & vnde huc aduenisti? Neſcio domine, inquit, deinde confortans eum, reſtituit in locum ſuum. Ante hoc ferè quinqueñium dum Pater Odo Romam pergeret, vt Monaſterium intra Eccleſiam beati Pauli Apoſtoli (vt olim fuerat) reædificaret, cogente ſumo Pontifice, & vniuerſis ordinibus ſedis ſacræ, placuit animo prius prædictum

Eccl. 32.

virum reuiſere, quàm de hac re conſulere, vt fieret quod ſcriptum eſt. Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis. Interea factum eſt dum de hac re ſecum quærerent, & multa de ſpiritualibus rebus diu ſermocinarentur, cœpit eum Pater Odo deprecari, vt quicquid ſibi eo tempore diuinitus reuelatum fuiſſet, familiariter ſibi conferret. Recordans itaq; domnus Adhegrinus ſodalitatis antiquæ, & mox inflammatus charitatis igne, reſpondit dicens. Illo

S. Martinus apparet Adhegrino.

die, illa hora, pſalmodiæ peracto curſu, ſubitò mihi affuit beatus Martinus, cuius præclara facies, & quaſi aſſueta familiaritas, poſt benedictionem mox mihi dedit facultatem. Effariſque ſermonibus aliquantulis, deinde percunctari eum cœpi quò pergeret, aut vnde veniret. At ille reſpondit dicens. Roma venio, & proficiſcor ad Franciam, ad te poſitus penes iter, viſitationis gratia diuerti. Deinde gratias agens, cœpi eum obſecrare, vt quia dignatus eſt peccatorem

Fuit hic Ludouicus Tranſmarinus Caroli Simplicis filius, qui an. 936 vnctus & coronatus eſt vt habet Flodoardus l. 4. hiſt. Rē. c. 26. & 35.

viſitare, dignaretur ſub eiuſdem tugutium vel ad modicum requieſcere. At ille. Hodie, inquit, ordinatio fit Ludouici Francorum Regis, & ad eius vnctionem accelero intereſſe, & idcirco nullam patior moram habere. Adhæc ego reſpondi. Et ſi ita eſt vt abire velis, oro vt prius me benedicere digneris, Et ille. Non, inquam, neceſſe habes benedici à me. Olim quippe qui me benedixit, ſimiliter & tibi. Cumq; inceſſanter eum vrgerē vt me benediceret, mox ille quaſi è contra ſubiunxit, vt eum ſimiliter benedicerē, affirmans inſuper nullo modo ſe adquieſcere mihi niſi viciſſitudinē benedictionis rependerē. Qua de re non parua inter nos amica contētio orta eſt. Ille verò quia nolebat, ideo contradicebat: ego autē quia non præſumebam. Vnde factum eſt vt collata prius inuicem benedictione, mox receſſit abiens, meq; cum magno reliquit mœrore. Ad probandā tamen huius rei fidem, affuit Pater Odo beatiſſimus, & fideliſſimus arbiter, qui die illum & horā adnotari iuſſit, & ita poſtmodum oīa diligenter requirens, facta reperit, vt ipſe prædixit.

SVNT hactenus euoluti, niſi fallor pluſquam triginta anni, ex quo intra ipſam eremum deguit Dominicis tantū XIII. diebus, aut præcipuis feſtiuitatibus ad Monaſterium ſancti Petri quod Balma dicitur, quia fere duobus millibus propè eſt, aſſueuit deſcendere. Sumpta videlicet modica farina, ex qua ſibi panem conficere ſolet, & fabæ paucis granis,

Adhegrini abſtinentia.

mox ad eremum reuertitur. Vino nec aliquando vtitur, adipe verò aut oleo eius cibus non conditur. Patitur nimirū omni tempore frigus, & calorem. Calorem inter ſcapulas, frigus inter manus & brachia. Sed nos vitam perſequentes viri iſtius quantocyus ad propoſitum redeamus, à quo longè digreſſi ſumus. Sed rurſum memini me promiſiſſe vobis prius Patris noſtri Odonis patientiam exponere, quæ eſt virtutum omnium fomes. Deinde per temporis augmentationem, reliquas eius virtutes enarrare. Ideirco auxiliante Domino, prout vires ſuppetent meam pollicitationem feſtinabo adimplere. Erant autem in eodem Cœnobio quidam fratres, quorum vitam moreſq; reperietis in ſequenti

S. Odo quid à falſis fratribus audierit.

narratione. Ij audientes quod domnus Odo conuerſationis gratia illuc adueniſſet, fingunt ſe interrogare. Itaq; cum ab eo de hoc quod ſciſcitabantur, reſponſum accepiſſent, aiunt dicentes. Omnes nos quærimus hanc congregationē fugere, vt poſſimus animas noſtras ſaluas facere, & tu è contra tuam hic velis perdere! Quibus cum reſpondiſſet, quare hoc dicerent? Rurſum adiſciunt. Noſtis conſuetudinem Bernonis Abbatis? At ille Nuſquam, inquit. Et ille. Heu, heu! ſi ſciretis quàm dure ſcit ille monachum tractare! Correptionem vero ſuam ſequuntur verbera, & rurſus quos verberat, compedibus ligat, domat carcere, compedibus affligit, ieiuniis atterit. Et hæc omnia perpeſſus, nec ſic ſuam poteſt miſer impetrare gratiam. Hæc audiens domnus Odo, pedetentim titubare de ingreſſu cœpit. Quem prædictus intuens Adhegrinus, mox proſiliens inquit in medium. Odo pater noli trepidare, iſta verba nō ſunt ſanctis, ſed adminiſtrantis, animaduerte, & quia per eorum ora Diabolus loquitur inde. Mox illi confuſi, retrorſum redeunt. Pater namq; Odo cum Adhegrino collega ſuo, ad ſuauiſſimum Chriſti iugum colla ſubmittunt. Qua de re beatiſſimus Be-

Regulæ. 53.

nedictus, quia erat præſcius futurorum, in Regularibus diſciplinis, præcipit vt cum hoſpite nemo loquatur, niſi fuerit à Priore conceſſum. Quanti enim tali modo decepti, ab initio ſanctæ conuerſationis retrò ſunt reuerſi, atq; à calo-

1. Ioan. 4.

re interni deſiderii, ad torporem reuerſi ſunt prauæ voluntatis. Et quamuis ſcriptura dicat, Probate ſpiritum ſi ex Deo eſt, tamen probatio fidelium, & quærentium Dominum talis eſſe non debet. Videlicet cum Dominus per Prophetā,

Eſa. 21.

his qui Spiritus ſancti calore igniti ſunt, inquiens, præcipiat. Vos qui in Auſtro eſtis, occurrite his qui ab Aquilone veniunt cū panibus. Sed miles Chriſti ſicut blandimenta nō fuit amplexus, ita videlicet nec terroribus eſt cōcuſſus. De

Iob 3.

his autē talibus, rectè ita beatus Iob loquitur. Maledicunt ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.

LIBET intereà Patris noſtri Odonis pauliſper ſeorſum ponere vitam, vt in exponendo eiuſdem loci conſuetudi- XIV.

Conſuet. Cœnob. Clun. cap. de Pueris.

nes, parum mihi aliquid liceat immorari, quatenus ſequens lectio poſſit eſſe lucidior. Mos enim eiuſdem loci fuerat, vt Magiſter ſcholæ ſolus cum ſolo puero, nec quoquam iret, ſaltim nec ad naturæ digeſtionem. Sed nec ſolus puer ſecretius illi loqui præſumeret, ſed propter bonum teſtimonium, alium è pueris, aut vnum ex fratribus in comitatu vel locutione ſemper aſſumeret. Si autem nox foret, vel caſu accidente puer peteret, ſine lucernæ lumine & alio fratre ex-

Regul S. Benedicti cap. 38. Conſuet. Clun.

tra dormitorium pedem non auderet protendere: à tempore verò refectionis, nunquam deerat lectio vtriſq; menſis. Micas verò quæ ex ſectione panum fiebant, vnuſquiſque ante ſe diligenter recolligens, priuſquam lectio finiretur, cum gratiarum actione ſumebant. Finita itaq; lectione, nec eas, nec cibum alium vltra ſumere aliquis audebat. Has autem micas ſacratiores, aliis cibis eſſe fatebantur. Tale namque ferebant miraculum ex eis claruiſſe, eiſdem annis.

Micæ panū diligenter colligi ſolitæ.

Frater quidam in eodem Monaſterio fuit valde idoneus, & omnibus carus. Qui ad mortē vſq; perueniens circumſtantibus fratribus qui eius venerant orando commendare ſpiritum Domino, ſubitò emiſſa voce clamauit dicens. Adiuuate me obſecro domini, propter Deum: Modo, inquit, raptus ſum ad iudicium, ibiq; protulit accuſator humani generis Diabolus contra me ad teſtimonium, de micis panum ſacculum plenum, quas comedere ſecundum conſuetudinem nolui, & de menſa ceciderunt. Atq; poſt puſillum iterū terribiliter clamare cœpit, & dicere. Ecce de quo vobis dixi Diabolus adeſt, deferens prædictum ſacculum. Nam cum territi fratres mirarentur, adiecit rurſum; illo in loco adeſt. At non videtis eum? Deinde iterum ſigno Crucis totū ſe muniuit, & inter verba orationis ſpiritum reddi-

Silentium monaſticum.

dit. Ab illo ergo die omni cum diligentia ſunt collectæ. Eſt & alius inter eos taciturnitatis modus. In incompetentibus namq; horis, nemo intra clauſtra eiuſdem Monaſterij audebat loqui: nec ſe cum alio fratre iungere. Quando verò duodecim celebrantur lectiones, nullus intra prædicta clauſtra, præter ad Capitulū ſequenti die audet loqui. Octaua enim die Natalis Domini, & eius Reſurrectionis ſummum ſilentium noctu dieq; fiebat in illis. Breuiſſimum quippe iſtud, illuc ſignificare fatebatur æternum ſilentium. Nam quoties neceſſarias ad expoſcendum res inſtabat, toties diuerſa ſigna inuicem fiebant, ad perficienda quæ vellent, quas puto Grammatici digitorum & oculorum notas vocare voluerunt. Adeo nempe inter eos excreuerat ordo iſte, vt puto, ſi ſine officio linguæ eſſent, ad omnia neceſſaria ſignificanda, ſufficere poſſent ſigna ipſa. At verò inter cotidianos dies, & reliquas octauas ſanctorum

tatis

talis diſcretio tenebatur. Etenim in cotidianis diebus inter diei noctiſque curſus. Centum triginta octo canebant Pſalmos, ex quibus quatuordecim nos dempſimus propter puſillorum animos, *exceptas peculiares orationes, quas noſtri hactenus frequentant fratres: quæ videlicet modum Pſalterij videntur excedere. Similiter duabus Miſſis, idẽtidem Letaniis. Per ſingulas verò horas Canonicas, bis flectebant genua. In octauis quas diximus ſeptuaginta quinq; tantum canebant Pſalmos inter prædictos curſus, & ſemel flectebãt genua; & bis reficiebant. Sunt namq; alia quamplurima, quæ arbitror propter faſtidioſos lectores huic operi digne eſſe parcenda. Igitur Pater Odo dum ſcholæ magiſterium aſſumeret, mox ſe tempus præbuit opportunum quo eius patientia probaretur. Affuit nox, & ecce quidam de pueris ſigno ſeceſſum naturæ petiit. Erat autem ille locus adeò dormitorio proximus & coniunctus, vt lucerna, quæ ibi regulari authoritate ardebat, perluſtraret eum. Surgens itaq; Pater Odo, vnum ſuſcitans è pueris illo tantum contentus lumine, cum eo abiit. Altera autem die (vt mos eſt) conuenientes ad Capitulum fratres, poſt Martyrologium, & verſu finito, atq; lectione Regulæ: cœperunt illum vehementer increpare, cur ſine cereo tranſacta nocte poſt puerum iiſſet. Verum quia ante veniam, nullus ſuã audet proferre cauſam, nec ſuam poſt veniam defendere ſententiam, illicò in terram corruens veniam petiit, ſufficere inquiens ſibi poſſe dormitorii lucem. Sed tamen ab illis nõ ſolum eſt auditus, verum è contra ſub graui culpa adiudicatus. Vir deniq; beatiſſimus, qui arrepto itinere anguſto ſequi venerat illum, qui cum pateretur, non comminabatur, non indignans aut murmurans, nec obſtantiæ opponens querelas, ſed momentaneos quærens locos, terra proſtratus, veniam eſt deprecatus. Abbas autem ſuus volens probare adhuc patientiam eius, fingit ſe iraſci, & protulit ſententiam excommunicatione connexam, vt illa die ei vltra veniam non peteret. Ille autem Dauidicum illud in pectore voluens, quo dicitur. Vt iumentũ factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Et rurſum. Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, abiens prouolutus fratrum pedibus rogat vt eant, & vice ſua eidem Abbati veniam petant. Quod & factũ eſt. Tandem admirans Berno Abbas tantam in iuuene conſtantiæ patientiam, mox eum conuocat, & more Regulæ ipſam commotionem benedictione ſanat, atq; poſthinc charior factus eſt illi. Erant autem fratres in eadem congregatione mente, & actione iuuenes, quorum ſuperius mentionem fecimus: ij vero vnde proficere debuerant, inde ad interitum ibãt. Nam quotiens locum occaſionemve reperire potuiſſent, diuerſas iniurias & falſas increpationes ei obiiciebant. At verò vir pacificus Odo eos ſeorſum ducebat, & innocens quaſi reus, eorum pedibus ſe proſternebat veniam petens, non tamen metu humano, ſed amore fraterno, nimirum vt patientia corrigeret, quos videbat diuinam incurrere vltionem. Compeſcebantur tandem aliquantulum ab eius patientia, ſed more labentis aquæ, protinus ad propria reuertebantur vitia: illum namq; quem imitari debuerant, è contra inſequebantur. Princeps autem peſtis huius Vvido dicebatur. Sæpius enim cum inſtigaret alter alium vt conuitiarentur ei, aiebat ille qui mittebatur. Quid prodeſt cotidie hæc agere cum eum non poſſimus nec fugare, nec ad contumeliã prouocare? Tu enim noſti, quia doctior eſt nobis, hactenus enim quicquid ab eo diſcere volui, gratanter inſinuauit. Vereor, inquam, ne quandoq; tantis iniuriis confractus, incipiat retrahere poſtmodum inuitus, quod nunc ſponte impendit & largitur. At ille. Non vt aſſeris ita eſt. Talis enim eſt frater Odo, vt non tantum iſta, aut ſimilia, verum & peiora ſuſtineat, atq; poſt hæc quod volueris, gratanter impendat. Siquidem poſt modicum tempus, diuinam vltionem perpeſſi ſunt, & percuſſi iuſto Dei iudicio, quia non potuit eos compeſcere fraterna correptio. Defuncto namq; Bernone, qui erat tunc ipſius Monaſterii Pater, mox depoſito religionis habitu, ad ſæculum reuerſi ſunt, & teterrimum meruerunt poſtmodum obitum. Sanè & hoc miraculum eo tempore, inibi factum fuiſſe Pater noſter narrare ſolet. Erat quidam in eadem congregatione frater, tali vſus conſuetudine: Nam cum ſederet ad menſam, totam mentem ſuam lectione præoccupabat. Die quadam contigit, vt collectis ex more micis, priuſquàm eas ſumeret, præfatus Abbas lectioni finem imponeret, ſed ille quid ageret prorſus ignorabat. Nam eas poſt finitam lectionem non audebat comedere, nec dimittere, ne caſu perirent. Clauſo verò pugillo dignum eſſe cenſuit, cum poſt verſum ab Eccleſia eſſent regreſſi, reſeruandas fore Patri Monaſterij. Factumq; eſt vt ab Oratorio ſunt regreſſi, mox ſe pedibus proſtrauit Patris. Qui cũ interrogaretur, cur veniã peteret, & ille quod factũ fuerat, patula manu vellet oſtendere, omnes prędictæ micæ in margaritarum ſpeciẽ ſunt conuerſæ. Glorificantes igitur Dominũ, mirabiliter ſtupefacti ſunt. Deinde pręcepto patris in quoddã ornamentũ ipſius Eccleſię intentę ſunt. Ille autẽ hęc de ſe quaſi de alio ſolet narrare, & recitare. Ex illo iã tempore cępit infra ſe ipſum ęſtuare propter genitorũ ſuorum ereptionẽ, quatenus eos poſſet ab huius ſęculi nexibus ſubtrahere. Vnde factum eſt, vt nõ multo poſt accepta licentia, ad patrẽ ſuum abiret, eumq; ad Monaſteriũ duceret, atq; monachũ ordinaret. Matrem verò indui fecit ſacro velamine. Cuiusquidẽ vitã ſi licuiſſet ſcribere, magis hiſtoria videretur eſſe quã ſchedula.

** & certas* — *S. Odo accuſatur à fratribus.* — *Pſal. 72.* — *Pſal. 65.* — *Humilitas eius & patientia.* — *Inſigne miraculum.* — *Patrem monachum, matrẽ ſanctimonialem reddit.*

XV. Factvm eſt autem in illis diebus, dum quadam die iam ſero diuertiſſet quieſcendi gratia in domum nobiliſſimi viri cuiuſdam: abſentibus verò Dominis, erat ibi eorum filia, vnà cum familijs, virgo iam quippe adulta. Quę videlicet nimis curioſe per totam veſperam eius actus conſiderare ſtuduit atq; vitam. Deinde compuncto corde latenter per quoddam poſticum irruit ad eum, eiuſq; proſtrata pedibus ſe ream, citò nuptiis tradẽdam eſſe dicebat, addens vt propter Deum cuius ſe profitebatur famulã fore, in eadem nocte eam liberaret. Audiens hoc Chriſti miles, cum ignoraret quid ageret, & quomodo tantæ virginis voluntati ſatisfaceret, intra ſemetipſum cœpit vehementer æſtuare. Pietatem in Deum ſuo more, pietatem ſuper lachrymas virginis habens. Proponebat ſibi iudicium, animæq; illius interitum, rumoremq; contra ſe parentum & populorum, quare talia præſumpſiſſet monachus. Sed amore Dei & virginis ſingultibus victus, tandem in eius ereptione dedit aſſenſum. Nocte verò illa, cum omnes famuli domus quieſcerent: ille (& qui cum eo erant) frater, aſcenſis equis præceſſerunt, iuſſuq; ſuo famuli qui eum comitabãtur, ſumpta virgine ſequuti ſunt. Altera verò die applicuerunt ad Monaſterium. Erat autem propè ipſum Monaſterium, conſtructum Oratorium, vbi nobiliſſimæ mulieres cauſa orationis recipiebantur, ibique eam manere conſtituit, deinde ad Monaſterium perrexit. Sequenti vero die (vt mos eſt) Patri Monaſterij omnia quæ geſſerat ſtuduit indicare. Etenim cum ea quæ de virgine geſſerat audiſſet, turbato aſpectu, cur ſine licentia hæc agere præſumpſiſſet, grauiter eum cœpit increpare. Mox ille in terram proruit, eiuſq; pedibus prouolutus veniam precabatur. Poſt hæc Patris iuſſu à terra eleuatus, pòſt, reiterata interrogatione, reſpondit dicens. Domine Pater, ex quo me miſerum ſuſcipere es dignatus, inquantum conſiderare valui, numquam tibi aliud curæ fuit, niſi de animabus lucrandis. Nam cæteri Abbates hoc ſtudent, qualiter rebus poſſint abundare, & hominibus placere. Tu verò pietate miſericordiaq; fretus, ſoli Deo placere ſatagis, propter lucrum animarum. Qua de re imitator tuus deſideraui eſſe, idcirco hanc virginem volui lucrari ad laudem tui nominis. Quamuis enim me etiam tardè vincerent ipſius lachrymæ, non ſum tamen oblitus tuam increpationem, quam certiſſimè ſciebam me non poſſe euadere. Sed malui potiꝰ pij Patris flagello cædi, quàm reus pro eius anima inueniri. Et vtinam omnes mulieres in hac prouincia commorantes, quæ carnali vinculo retinentur, potuiſſem lucrifacere, & tu me per ſingulas debuiſſes piiſſimo tuo more flagellare. His & ſimilibus verbis Patris commotionem deliniuit, ſed tamen talem obedientiam ei protinus iniunxit. Vade, & quemadmodum ſciſti eam de ſæculo eruere, ita ſcias cotidie alere, ac ſanctis monitis inſtruere, donec intra paucos dies etiam ne pęniteat aliquando, & reuertatur ſuadente Diabolo ad ſeculum. Cœpitq; poſthæc pater Odo per ſingulos dies cibum ei portare, & patrum pręcedentium exemplis eam inſtruere, donec intra paucos dies eam ad quoddam Monaſterium duceret, ac ſa-

Item virginẽ quandam ſeculo ereptam in monaſterium collocat — *Berno Abbas cupidus lucrandi animas.*

cris virginibus ſociaret. Veruntamen hæc omnia propter bonum teſtimonium in præſentia fratrũ fiebant. Factum eſt non multo poſt, vt ipſa dormitionẽ acciperet in Domino, cumq; circumdediſſent eam ſorores, vt orando eius ſpiritũ protegerent, & cùm penè illã præmortuam tenerent, ſubito voce qua poterat cœpit dicere. Adiuuate me obſecro leuare. Interroganteſq; eam cur hęc diceret, Ecce, ait, beatiſſimum Paulum video venientẽ, & illi volo occurrere. Necdum verba cõpleuerat, & extendens brachia vt velocius ſurgere poſſet, eadẽ verba rurſus repetebat, cęteræ namq; inſanire eam putabãt. Interea vi qua potuit ſuper genua ſe eleuauit, & curuato capite benedictionẽ venienti petiuit his verbis. Benedicite. Et mox quieuit perpetuè. Qua de re nulli dubiũ fuit illam ab eo eſſe ſuſceptã, à quo fuerat viſitata.

Virgo feliciter Chriſto reddit ſpiritum.

Prævidens itaq; pater Berno honeſtiſſimum virum fore futurum, promouit eum. Et acceſſito* Epiſcopo ſine XVI. ſuo velle, conſecrare eum fecit ſacerdotem. De quo videlicet Epiſcopo narrare ſolet pater Odo, quia benedictum ab eo cibum nullus canis audebat comedere. Quod ſi caſu cõtigiſſet, mox canis ille moriebatur, veluti pro cibo aliquid guſtaſſet venenatum. Sed obſecro vt nullus me deroget, pro eo quod dixerim, quia abſq; ſuo velle conſecratus fuiſſet, ne forſitan qui hoc attentauerit facere, videatur ex illis eſſe, qui donum Spiritus ſancti emere, aut vendere non verentur. Eadem itaq; nocte, quam ſuæ ordinationis ſecuta fuerat dies, cum ſe poſt noctis ſoporem euigilaſſet, & nec ſui conſecrationem meminiſſet, inueniſſetq; circa collum ſuum (ſicuti mos eſt) ſtolam ab Epiſcopo ſibi collatam, protinus ſe in lamentum dedit, veluti magnum ei aliquid accidiſſet mali. Atq; per multum poſtea tempus, præ nimio pudore neſciebat qua fronte extra Monaſterium poſſet egredi. Vnde factum eſt, vt ad eundem Epiſcopum pater Berno mitteret eum, reperta occaſione quadam. Cumq; Epiſcopus ille pro ſua quodam̃odo conſolatione in longum ſermonem de culmine ſacerdotij traheret, contigit vt de ſtatu Eccleſiæ inter illos ſermo affuiſſet. Tunc pater Odo ex Hieremiæ vaticinio, flebilem illi de ſacerdotibus cœpit ſermonẽ exponere. Quo videlicet expleto cœpit ille Epiſcopus rogare, vt eundem ſermonem ei deſcriberet, & libelli more componeret. Cui è contra Odo pater noſter protulit præceptum Regulæ, in quo continetur, quod abſq; licentia Prioris, nihil monacho liceret facere. At verò iſdem Epiſcopus ob hanc cauſam perrexit ad Monaſterium, & quia erat prædicti Patris ſodalis amic⁹, mox quod voluit obtinuit apud eum. Deinde præcepto illius tres libellos compoſuit, ex Hieremiæ vaticinio. Quorum videlicet textus per diuerſas iam Eccleſias eſt translatus. Per illud videlicet tempus, exitiali languore cœpit decumbere pater Berno. Mox vicinos Epiſcopos acceſſiuit, & ab omni ordine ſe depoſuit: inſuper & flebili voce ſe reũ indignumq; tali miniſterio proclamabat præfuiſſe. Rogabat autem inter hæc verba fratres, vt ſibi quem vellent, Patrem eligerent. Tunc ª manibus fratrum Pater noſter captus, & quaſi violenter conſtrictus, ac proclamantibus omnibus vt ordinaretur, coram Abbate [illegible] eſt d[illegible]ctus, & cum nec ſic vellet cedere & locum Paſtoris ſubire, ſuperatus eſt tandem Epiſcoporum conſenſu & excommunicatione. Ordinatus itaq; ille, intra modicum tempus Pater Berno ᵇ migrauit ad Dominum: Cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

* Turpione ſcilicet Lemouicenſi Sacerdotio initiatur.

Odo ſcribit tres libros, quos occupationum, ſiue vt alii, Collationum libros [illegible] [illegible] e[illegible] [illegible] ratio [illegible] [illegible] Epiſc. inſcripſit, vt notat Quercetan.

ª Creatur Abbas Gig[illegible]acenſis. ᵇ Anno 916. Berno Abbas moritur teſte Quercetan.

Mvltis calamitatibus & crebris lãguoribus affectus, pauca vobis mihi licuit narrare de Patre noſtro Odone, & I. ea tantum quæ geſſit ſub ſuo Abbate. Tamen veſtra induſtria per hæc facilè comprehendere poteſt, à quanta Lib[illegible] ipſe inchoauerit perfectione. Sed quia initium beatè viuere fert ſecum anguſtias & labores, finis verò certaminum II. gloriam & laudem: idcirco per eius beatam vitam & quietam, quaſi per directum tramitem, ad eius obitum quantocyus feſtinabo tranſcurrere.

Igitvr pater Odo electus & Abba * ordinatus, mox contra eum prædicti veterani perſecutores inſurgunt. Ille II. autem malens locum dare, & beatè quieſcere, quam contentioſè viuere, derelicto ᶜ eodem Monaſterio, & quæ ibi fuerant à domno Bernone Abbate parata, atq; ei paterno more tradita, abiit Cluniacum, & cœptum pridem perfecit Monaſterium. Sequuti ſunt autem eum ſeniores loci illius. Per illud namq; tempus defecit omne quod ſecum detulerat ſumptum, in conſtruenda Monaſterii officina. Fiebant autem hæc omnia circa beati Martini natalitia. Eſt autem conſuetudo noſtra octo dierum circulo eam celebrare. Peracta itaq; diei octaui matutina celebritate & necdum aurora illuceſcente, omnes reuerſi ſunt ad propria ſtrata, requietionis potius, quam dormitionis cauſa. Referebatq; Pater noſter cuidam vetulæ perſonæ talem reuelatam fuiſſe viſionem. Aſpiciebat, & ecce vir venerabilis canitie decoratus, ſtolaq; ſplendidiſſima indutus, ſuper quam pallio pluuiali vtebatur. Qui propius accedens ſtructuram eiuſdem Monaſterii circumcirca inſpicere cœpit. Quem cum interrogaſſet quis eſſet, aut cur idem ædificium circumſpiceret, ille: Ego ſum, ait, de quo fratres celebrant ſolemnitatem octaui diei: etenim viſitare eos veni, dicito illis ne deficiant, ſed in incœpto opere perſiſtant. Ad hæc ſubiunxit perſona illa, quia defeciſſet omnis ſumptus quem ſecum detulerat. At ille. Ne timeant, inquit ecce nunc à Roma venio, & Turoniam vado, iter autem meum per † Gutiam, Aquitaniamq; faciam, & ex his partibus tantum eis penſum mandabo, vt hoc tempore eis affluenter abundet, & longo poſt perſeueret. Læti ergo fratres, & de tanti viri promiſſione ſecuri, omni cum hilaritate Deo gratias cœperunt agere. Cuius autem hæc perſona fuerit, profiteri non audeo, quia Patris noſtri mos fuit, vt deliberatiuè ſuam perſonam nunquam adſcriberet: ſed ſi magni aliquid vidiſſet vel parui, tali modo quod viderat dicebat. Vnus è noſtris fratribus, aut, Quædam vetula perſona hoc vidit, vel illud. Nam quoties hæc mihi retulit, toties mihi profeſſus eſt. Poſt hanc reuelationem intra dies paucos ex finibus Gutiæ, pluſquã * tria millia ibi delati fuerunt ſolidi. Tanta namq; & talia ſub tali ſpecie mihi narrare ſolitus fuerat, quæ apud Cænobium ſancti Benedicti, quod dicitur ad Floriacum, geſta fuerunt. Simili modo & apud Cluniacum, quæ ſi auderem ad liquidum enarrare, libelli modus vltra dictatoris ſe facultatulam extenderet. Sed ecce dum beati Martini fideliſſimam promiſſionem enucleatiùs adimpletam narramus, ſubitò ad mentem recurrit ferarum beſtiarum non minimum nec paruum adminiculum. Quod fortaſſis deſcriptum, quibuſdam legentibus incutiat riſum. Sed quia ſpectaculum facti ſumus Angelis, & hominibus: hi qui nos imitari dedignantur, aut nequeunt: habeant de nobis ſaltim excuſſum, videntes nos proficere à bonis in melioribus. Ac tandem relinquentes lugubrem vitam, omni cum exultatione ſequantur nos ad æternã gaudia.

* A Bernuino Biſuntinẽſi Archiep. teſte Quercetan. in not. ᶜ Cedit monachorũ improbitati, & abit Cluniacum.

Viſio cuiuſdam.

† Id eſt, Gothiam, ſiue Septimaniã.

* tres mille.

1. Cor. 4

Igitvr conſtructo Monaſterii Oratorio, eunt fratres, inuitantq; Epiſcopum (vti mos eſt) ad ſacrandum eundem III. locum. Ille autem paruipendens monachorum paupertatem, conſtituto die venit ſtipatus cuneis, fultuſq; miniſtris. Quorũ aduentu cognito, fratres nimio cõfundebantur pudore, non habentes tàm dignos apparatus, quò eos poſſet honeſtè recipere. Mane autem adhuc illo, inſtante crepuſculo, ecce im̃aniſſimus * Singularis de ſylua egreſſus, feſtinãter properabat ad Monaſteriũ, quem videns Eccleſię cuſtos, & quia erat foris Monaſterio, meditans de ordinatu loci illius Eccleſię, fugit, eiuſq; fores contra eũ obſerauit. Ille autem omiſſa feritate, vt ingrediendi aditus à quouis concederetur, prædictas regias diutius pulſauit, atq; oris ſui ſpuma, quò adhærere potuit, liniuit. Reuera cũ nullus adeſſet qui ei ob timorem aperiret, tamdiu ibi ſtetit, quouſq; Epiſcopus cum ſuis venit, quibus ſe ſponte præbuit occidendum: impleta Pſalmographi voce, quæ dicit. Timentes autem Dominum non minuentur omni bono. Et iterum: Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Verè enim aliquando confiſus eſt in Deo, quia ſemper habuit vnde fratres ſuſtentaret: & quod pauperibus largiretur. Nuſquam enim à miſericordiæ ſuæ ſinu pauper receſſit vacuus. Quoties enim cum eo abii, ſemper vnde ſuſtentarentur pauperes, ſi haberemus, diligenter requiſiuit. Deinde quaſi omnia nobis forent neceſſaria, iam ſecurus proceſſit, nihil hæſitans. Et quia omnibus ſe p[illegible]n-tib. omnia dabat, Dei nutu omnia ſuppetebant, illud Tobiæ præceptũ ſemper habebat in promptu. Vide ne auertas

* intelligit Aprum

En vt diuinit⁹ inopiæ fratrum [illegible]itur

Pſal. 33.

Pſal. 36

S. Odonis [illegible]ra in pauperes benignitas.

Lu[illegible]cem

faciem tuam ab vllo paupere, & omni petenti te tribue. Si quis vero attuliſſet aliquod munus, & pauper habitu videretur: mox interrogabat eum quid vellet, aut ſi aliquid ab eo egeret. Si enim quiddam peteret, ſtatim æqua lance munus illud æſtimabat quantum valeret, & duplum illi præcipiebat dari. Quod ſæpius in multis rebus vidi eum hoc facere. Fateor peccatum meum, quia frequenter in talibus fui contriſtatus; & quia eram Prior, quaſi compatiens loci paupertati, & præuidés opportunitatibus fratrum, veluti ſub prætextu inopię dicebam ei, iniuſtum eſſe ſic omnia indiſcretè tribuere. Ego enim putabã ſcienter agere: ſed magis inſipientiæ obuolutus caligine, tenacitatis potius ſtrangulabar mucrone. Ille autem quia erat peritiſſimus Medicus animarũ, quodamodo manu diſcretionis, pulſum mei tergebat, vel tãgebat erroris, & hoc exẽplo vulnus meę curabat mentis. Aiebat ad hęc mihi: Tace, malo tuo hęc dicis.

IV. Fvit quidam iuuenis, & erat deditus literarum ſtudiis, qui nocte quadam hyemis tempore dum ad Matutinum agiliter pergeret, & inter condiſcipulos maturiùs adeſſet, vidit in atrio Eccleſiæ pauperem ſeminudum iacere, cuius compaſſus penuriæ, exuit ſe ſcapulam qua ſuperindutus erat, & vſui pauperis eam tranſiens proiecit. Conſiderans quod fecit; idcircò metum tanti rigoris procul à ſe auertit. Finita laude Matutina, totus iam rigidus ad ſuam reuerſus eſt cellulam. Sed cùm congelata membra voluiſſet lectulo tradere vt calefierent, libram auri ſuper ſuum reperit ſtratulum, ac deinceps quod ſui vſui retineret, & quod aliis tribueret, habuit affluenter. Ego tamen ignoto de quo iſta diceret. His & ſimilibus exemplis cataplaſmabat vulnus meæ mentis & prauitatis. Vellem ad alia tranſire, ſed miſerationes eius multæ compellunt me ſcribere, & iterum de eius largitate pleniùs ſermonem facere. Attamen ſcio quia abſq; meo pudore, hoc nequibo adimplere. Ego tamen ſcribam, & gladium increpationis in memet figam, ac dehinc culpas meas omnibus pandam, & ſi ei modo quia receſſit, hæc confiteri non valeo, ſaltẽ vos apud eum interceſſores obtinebo. In ſuo enim itinere, quoſq; circa viam pueros reperiebat, cantare eos quoddam cogebat, & quaſi eorum ludum remunerans, aliquid eis de ſuis rebus dari præcipiebat; dignos eos eſſe remuneratione non parua dicebat. ille verò vt nos ſua iocũditate lætificaret, & illos miſericordiæ viſceribus reficeret; iſta & his ſimilia dicebat. Verba enim ſua omni exultatione erant plena, locutio verò ſua, præ nimio gaudio ridere nos cogebat. Sed ille habenas moderationis manu tenens, mox Capitulum Regulæ nobis apponebat dicens. Riſum multum aut excuſſum non amare. Et iterum. Monachus non ſit facilis ac promptus in riſu, quia ſcriptum eſt. Stultus in riſu exultat vocẽ ſuam. Iſto namq; & ſimili modo, nos cohibebat à riſu, ſed ſpiritualis eius hilaritas, internum gaudium noſtro cordi inſerebat. Sed ego indignus quid de eo dicere potero, aut quid enarrare de tanto gaudio? Reuera cum menti noſtræ aliter nequibamus ſatisfacere; veſtimenta eius oſculabamur occultè. Sed quid mirũ de nobis, qui indeſinenter adhęrebamus illi? Enimuero quando Eccleſiam ſancti Petri intrabat, Dei famulę, & qui eum oratores arcebant, hinc inde exeuntes poſt eum curſitabant, & birrum quo tegebatur more cappæ, per extremitatem fimbriæ apprehendentes oſculabantur: ille autem concito greſſu iuit confugiens, & ipſi eum ſequebantur veluti perſequutores. Erat enim veluti lapis angularis quadrus, angelicus videlicet & humanus, largus & gratus, ſcilicet vt quotidiè ab eo compleri videretur hoc quod in Pſalmo legitur. Iocundus homo qui miſeretur & cõmodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. Et rurſum ſicut ait Apoſtolus Paulus. Hilarem enim datorem diligit Deus. Cæcos nempe, & claudos Paradiſi aſſerebat futuros oſtiarios, ideo nullus deberet eos pellere à ſua domo, ne Paradiſi eis portas clauderent in futuro. Quod ſi fortaſſis aliquis è noſtris famulis, non ferens, eorum improbitatẽ, aliquod mutum reſponderet eis aſperè, aut mox illis aſſueta beneficia nõ conferret, ſiue eis acceſſum oſtij noſtri papilionis denegaret, ſtatim cõminando increpabat eum grauiter. Deinde illo adſtante, vocabat paupere, eiq; præcipiebat dicens, Cum venerit iſte ad portam Paradiſi, talionem retribue ei. Hoc autem dicebat vt eos terreret, ne ſimilia amplius facerent, & charitatis eos affectu informaret. Si autem ſecus viam (vt ſæpius fieri ſolet) anum reperiſſet aut debilem, ſtatim de ſuo equo deſcendebat, & eum deſuper ſedere faciebat: imperans vt eminus omnes præcederent, adhærebatq; illi vnus è famulis, qui eum contineret ne caderet: ille verò inter nos equitantes incedebat pedeſter, ac ſemper pſallens, cogebat nos pſallere ſecum. Quod ſi præ pudore aut illius timore, aliquis ex noſtris vellet deſcẽdere, protinus imperabat illi, vt quo ſedebat ſederet, ſciens eum pro eius reuerentia, non pro paupere id facere velle. Nam ſæpius eum hoc vidi facere. Illo videlicet tẽpore quo cum Geraldo Regienſis Eccleſię Epiſcopo Corias tranſiuimus Alpes, & Romã venimus pariter, memini eum de quadam muliere dęmoniaca hoc feciſſe, quę ſtatim reddita eſt ſanitati, & vnà nobiſcũ vſq; Senam venit, *diſſenterico morbo infirma remanſit. Poſtea namq; apud ſanctum Paulum ſimul eam Romę vidim⁹, cui mox ſigno denarium dare pręcepit: illa verò cùm ſedens verecundaretur curuato capite, defixis in terrã luminibus, quę eſſet illa mulier interrogaui eum. Ille autẽ reſpondens, Illa eſt, inquit, talis ac talis. Signa mihi, dicens, qualiter eã poſſimus faciliùs cognoſcere. In ipſo namq; itinere vetulus quidam & debilis prędictas Alpes nobiſcũ ſimul tranſibat, erat autẽ oneratus ſacculo pleno panibus & aliis, cæpiſq; ac porris, quarum videlicet herbarum fœtores ego minimè poteram ferre: ſed pius Pater vt eũ illicò vidit, more ſuo ſuper equum ſuum eum ſedere fecit, ſibiq; prędictũ impoſuit fœtidiſſimum ſacculum. Ego autem tantum fętorẽ non ferens, ab eius quem comitabar latere, retro longius retraxi pedem.

Præmium miſericordiæ.

Regulæ cap. 4. cap. 7. Eccl. 21.

Pſal. 111. 2. Cor. 9.

Mira humanitas tanti viri.

Dæmoniaca ſanatur. * vbi, videtur deeſſe.

Inſignis eius charitas & humilitas.

V. Peracto itaq; eminentioris Alpis arctiſſimo itinere, ad decliuum montis incipientes deſcendere, conſpeximus eminus adſtantẽ, ſuumq; cogente paupere equum ſuperaſcendere. Prædictum namq; ſaccum, nec tunc pauperi reddidit, ſed arctiori ſellæ appendit. Ego autem eos qui me præceſſerant antecedebam: & vt appropinquare otius & verecundans ibam, & poſt puſillum accedens ad illum dixit mihi. Accede quoniam ſuperſunt Pſalmi quos debemus cantare. Cui cum ego reſpondiſſem, quod fœtorem illius ſacci ferre non poſſem, protinus mihi, increpando, reſpondit. Heu me, pauper, illud quod tibi fœtet, poteſt comedere, tu eius non potes ferre odorem! Pauper eum poteſt portare, tu eum dicis nõ poſſe videre! Hoc autem dicebat de ſe, quia verus Chriſti pauper erat. His & ſimilibus verbis me increpauit, & odoratus meos ita curauit, vt ipſum fœtorem denuò numquam ſentirem. Sub idem tempus Italiã miſſi ſumus, à Leone ſummo Pontifice, vt pacis legatione fungeremur, inter Hugonem Longobardorum Regem, & Albericum Romanæ vrbis Principem. Poſt nonnulla verò diſcrimina, venimus Sena. Patiebatur autem ipſa ciuitas famis penuriam. Affuerunt autem nobis in profectu tanti tamq; periculoſi itineris, ferè triginta ſolidi argentei, ex quibus pars maxima iam diſtributa erat: ego enim recolens conſuetudinem illius, quia nihil ſibi, omnia noſtro reſeruabat vſui, metuens ne nos, vel equi noſtri fame deficeremus; ſi deeſſet ex quo omniũ emeretur cibus, ſumpſi quod ſupererat de prædictis ſolidis, latenter ab eo diſceſſi, atq; eo ignorante ciuitatem tranſiui. Illo autem introeunte ciuitatem, occurrunt egentes, aſſuetaq; beneficia depoſcentes. At ille circumſpectis omnibus, dum me non vidit, protinus quod geſſeram intellexit. Sciebat enim quanquam præſto non eſſem, non tamen longius fore, idcirco innuit omnibus manu, vt eum ſequerentur, quod & fecerunt. Vidit interea dum tranſiret ciuitatis plateam, tres viros, ſed quamuis quadam honeſtate cooperti, quæ eos ab improbitate egendi alienos reddebat, attamen & eidem penuriæ dediti fuerãt: iſtis namq; & iſtam dedit occaſionem, vt ſuæ benedictionis participes fierent. Erant autem ante oſtia domus eorum, poſitæ ſingulæ ſcutulæ lauri baccis plenæ: ſtatim vnum ex eis interrogauit, prædictas lauri baccas quanti venderentur pretij. At ille ignoro quid vile dixit. Cui Pater noſter reſpondit, Tace, noli dicere vltra precium quod dixiſti: ſed dic tantos denarios. Ille verò ita fecit. Protinus verò mutuò tot accepit denarios, & ſic eos ſub prætextu pretij, ſua benedictione munerauit. Interea dum ego obſeruarẽ egreſſus, vidi illum venientem poſt puſillum à longè, & quaſi pręcinctus

Vide Bar. an. 936.

Mira arte conſulit quorundã occultæ paupertati

cinctus miles ad bellum, incedebat ſtipatus cuneis pauperum. Sed tamen tanta repletus exultatione, vt eo ſalutato noſtro more, vix poſſet me rebenedicere. Deinde finxi me interrogare qui eſſent, qui eum ambiebant incedentes, vel quid quærerent. At ille. Iſti, inquit, ſunt domeſtici Dei, & laboratores noſtri: ergo accelera, & redde illis mercedē. Hoc peracto ruſum interrogaui eum, quid ſibi opus eſſent tantæ lauri baccæ, aut vnde eas tuliſſet? Ille autem cœpit nobis tanta & talia verba dicere, quanta & qualia numquā audiui ab ineunte ætate, nec ſpero vltra audire. Adeò enim omnes exhilarauit, vt præ nimio gaudio, ne quis ex noſtris ſuas lachrymas poſſet continere, vt valeret alter alteri loqui. Necdum terſæ tanti lachrymæ gaudii, cū conquiniſcens eius paternitati, cœpi illū rogare vt baccarum illarum ſarcina nō nos oneraret, ſed venditoribus eas remitteret. At ille. Non, inquit, faciam: quoniam vereor ne fortaſſis poſt nos pretium remittant. Vix tandem id obtinere potui, videl. oſtendendo illi ſequeſtrationem loci & longinquitatē iam peracti itineris: ipſa vero die prædixit mihi Priorem futurum, & multa alia quæ mihi poſtea aduenerunt. Deinde cœpit me inſtruere quemadmodum inter cæteras virtutes, patientiam deberem obtinere, atq; à ſeipſo exordium ſumens, cœpit exponere quanta & qualia ordinationis ſuæ tempore, à ſuis fratrib. pertuliſſet. Quod ſanè nunc non expedit ſcribere, propter ſanctiſſimam poſtmodum eorum conuerſationem. Necdum peracto itinere, & anteà quam funditus noſtra defeciſſet pecuniola, obuium habuimus fratrem noſtrum Petrum, Presbyterum; qui tunc conuerſationis gratia Romam veniebat. Ex cuius ſubſtantia, noſtra ditata eſt inopia, quia ab eo ſumpſimus ex quo iter noſtrum perfecimus. Fiebat autem iſtud duobus menſibus Ianuario videlicet, & Februario. Fuit autem iter noſtrum per * ammiates Alpes. Tanta namq; inundatio niuis illis diebus influxit, vt agnitionem nobis olim cogniti auferret itineris, & ita omnium replebat ſinus, vt frigeſcentes artus, etiam loquendi modulos perderemus. Nam cum ſenilia eius membra tabeſcere cernerem, feci ei agiliter tunicam, quæ eius poſſet tueri & calefacere penetralia.

Ingens gratia verborum eius.

Quædā futura prædicit.

* Vox corrupta.

maritimos.

Peracta itaq; legatione, à noſtratibus coacti ſumus, vt per maritanos reuerteremur fines. Factum eſt autē cum veniſſemus ad locum, qui vulgo Buttianum vocatur, iam Sole Oceanum tegente, obuium habuimus ſeminudu pauperem. Cuius ego ſpeciem ſicut tunc conſiderare non potui, ita nec poſtea recolere valui. Hoc tamē reminiſcor, quia nudis plantis, nudatiſq; lateribus, imēnſitatem ipſius niuis calcabat intrepidus. Cui cum pater noſter appropinquaſſet, greſſum fixit & omnes ſe præcedere cōpellit. Mox ſe expoliauit, & pauperem operuit, mihiq; præcepit tantum ei precium ſuper impendere, vnde poſſet iter ſuum explere. Tunc paulisper ſubſtiti, & eum quò iret, interrogaui: ſciens quia in ipſa vaſta ſolitudine diuertēdi locus non eſſet. At ille inquit, Paſtorale caſtrum perſiſtente die ſe poſſe peruenire. Ex cuius nempe verbis compertus ſum, illum qui apparuit, non fuiſſe hominem purum, quia illud itineris ſpatium, quod ſe ſub vna hora pollicitus eſt peracturum, nos penè per totum diei ſpatium vix peregimus. Cuius rei factum, nihi terribili viſione antecedenti nocte, ordine fuit oſtenſum. Adeo enim ſinus illius dilatatus eſt miſericordiæ, vt non ſolum fidelibus iſta faceret: verumetiam perſecutoribus ſuis manus aperiret, & palmas extenderet. De quo & iſtud vobis retexam exemplum, cuius rei facto interfuit frater Firmus, domni Balduini * Abbatis germanus. Tempore præterito, dum Romulæam vrbem ob inimicitiam Alberici, iam facti principis, prædictus obſideret Hugo Rex, cœpit ille intra extraq; diſcurrere, & pacis concordiæq; monita inter vtroſque diſſeminare, quatenus poſſet furorem prædicti Regis ſedare, & prædictam vrbem tueri à tanta obſidione. VI.

Seipſum veſte ſpoliat, vt tegat pauperem.

* Monaſterii à Pauli Romæ.

Clinam.

Prou. 10.

Regulæ cap 7.

Interea quadam die, dū iuxta Monaſteriū B. Andreæ Apoſtoli, quod Scauri dicitur ex nomine, quidam ruſticus voluit eum propter laguncułam aquæ occidere: etenim ſicut ſcriptura dicit, Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: more ſuo nulli nocēs, nihilq; ſuſpicans, curuato incedebat capite. In tantū enim apud eū vſus inoleuerat regulæ, vt vbicumq; eſſet, ſiue ſtās, ſiue ambulans aut ſedens, ſemper curuato capite, defixiſq; in terrā luminibus incederet. Qua de re à quibuſdā conuerſationis ſuæ tēpore. Foſſorium, ludendo vocatus eſt. Factum eſt autem dū prædictus ruſticus ictu caput illi* appeteret: omnes qui iuxta viam aderāt, emiſſis vocibus percutientis attraxerunt manus. Tunc dulciſſimus Pater, ne fallar, ignoro quos denarios accepit mutuo, eiq; bonū pro malo reddidit, & fœderatū dimiſit. Sed poſtquā hoc ad aures prædicti principis peruenit, amputare manus eius voluit, quo audito obnixiùs ne fieret exorauit, & ruſticum incolumē atq; indemnem abſoluit. Multorū ſane auribus & veſtiis, diffamatū eſt illud, quod cuidam ſuti Pater noſter dudū Romā veniens fecerat, quod magis libet mihi deſcribere, ne aboleatur, quā vt veſtræ induſtriæ inſinuetur. Perſiſtente itaq; illo orationis gratia intra ciuitatē, viſum fuit omnibus, vt frater noſter dōnus Godefredus ſuper paſtores equorum iret in campum. Factum eſt autem vt in ſequenti nocte, cum grauati ſomno paſtores obdormiſſent, & ipſe peruigil orationi inſiſteret, fur affuit, raptumque equum aſcendit, & fugam arripuit: prædictus verò frater maluit equum perdere, quam ſilentium perdere, quod videlicet ſi feciſſet, fur equum dimitteret. Hoc tamen fecit, abiit & tactum vnum è paſtoribus ſuſcitauit, eiq; quod contigerat, ſigno oſtendit. Peracta itaque nocte, & facto mane, viderunt furem eminus vno adfixum in loco ſuper equum ſedere, quem apprehendentes vinctum eum Patri noſtro miſerunt: ſtatimque ei quinq; argenteos ſolidos dari præcepit, dicens iniuſtum eſſe, eum abſque digna mercede dimittere, eo quod per totius noctis ſpacium, multum ſuſtinuiſſet laborem. Sed enim poſtquam Deo trahente ad monaſticam perueni vitam, ac dehinc per incrementa temporum Prior à fratribus ſum electus, ſæpe fratres noſtri furem illum mihi adnotarunt, & quia erat filius noſtri Molendinarii, quotiens pater eius fratrum voluntati contraibat, totiens me prædictos ſolidos repetere cogebant. VII.

Ruſtico necem ipſi intētāti, quid præſtiterit.

Fur diuinitùs detinetur.

Silentii laus

Sed quia de actu ſilentii ſe ſermo intulit, ſine quo videl. pro nihilo ducenda eſt vita monachi, reſtat vt retro redeamus, vt per id aliquantulum peruagemur. Vita enim monachi vſq; adeo eſt aliquid, donec ſub ſilentio ſtuduerit, eo verò remoto, quicquid bene vel honeſtum ſe agere putauerit, ſecundum inſtitutionē Patrum, nihil erit. Tempore igitur quo ſæuiſſima gens Normannorum, Pictauorum, atq; Turonenſium fines cruentis deuaſtabat gladiis: contigit vt duo venerabiles ex eadem congregatione, neſcio qua de cauſa mitterentur Turoniam, vnus eorum Archimbaldus vocabatur, mihiq; bene notus, alter verò ignotus, & dicitur Adalaſius. Viri nempe opinatiſſimi, & multorum monachorum patres effecti. Factum eſt igitur dum tantum carperent iter, & in quendam locum requietionis gratia diuertiſſent, taliter ab eiſdem Normannis capti ſunt eadem nocte. Erat autem quoddam oppidum ſecus locum illum, ſuper quod noctu irruentes, cœperunt. Alia vero Normannorum pars quæ ibat cum pridem capta præda, deuenit in eundem locum, in quo prædicti fratres erant: capere namq; eos, & ligare eorū manus, deinde * minare potuerunt, ſed eorum ſilentium rumpere nequiuerunt. Mane autem facto, applicuerunt in adſignatum locum, in quo ſibi congregandi poſuerant conſtitutū. Prædicti vero fratres paululum ſe ab eis ſequeſtrarant, & ſicut erant ligati, in terrā ſe ſuper facies ſuas dederunt, quatenus peracto Pſalmorum curſu, ſilentio finem imponerent: nondum enim oratione cōpleta, venit pars reliqua, capta multa præda. Inueniens itaq; dux eorum prædictos fratres in terram iacere, interrogauit qui eſſent; at illi retulerunt ei omnia quæ geſſerant, per ordinem, addentes quod nullo modo potuiſſent eos loqui facere. Ille itaq; quia erat barbarica immanitate turgidus; ob nimiam elationem, cum eodem in quo reſidebat phaleratoequo, inclinato velut ad teri[illegible]ndum conto, irruit ſuper eos, metum mortis eis incutiens, volens eos probare, an timerent. Cæterum vulgus vndiq; quod confluxerat ad hoc ſpectaculum, vociferantes barbarico ritu, manibus plauſum dabant. At illi vt erant animo conſtantes, ita & corpore permanſerunt immobiles: & hoc non aliqua [illegible] eos in deluſione, ſed ius faſq; ſanctæ Regulæ, ſub qua videlicet cupiebant mori & viuere, & nunquam ab ea [illegible]are. Sed Omnipotentis manus eorum exhilaratum ſpectaculum protinus conuertit in luctum. Mox [illegible] vt VIII.

* à Gallico mener quod ſignificat, ducere.

En vt olim monachi ſilentii fuerint obſeruantiſſimi.

In barbarū [illegible] [illegible] ſtricta cæleſtis

ad eos barbarus appropinquauit, equus in quo reſidebat in obliquum reſiliuit, ſeſſoremque ſuum in terram ſtrauit atq; colliſit, quam colliſionem ſtatim febris lethalis ſecuta eſt. Continuerunt omnes, & verſi in ſtuporem, cœperunt quærere inter ſe, quid ex his facere deberent. Reperto tandem conſilio, barbarico ritu, dignum eſſe cenſuerũt, vt pro vita Ducis ſui, vnus ex illis cæderetur. Deinde cœperunt ſorte quærere quẽ ex eis deberent interimere. Sed ſuper virtutum gratia & ſorte Chriſti connumeratos, diabolica nullo modo poterat cadere ſors. Obſtupeſcebant itaq; ſuper eos, & admirantes dicebant vltra homines eſſe, ſuper quos ſors eorũ non potuiſſet cadere: ſiquidem iuxta hũc modum interemerũt vnũ ex famulis eorum, alter vero famulus qui ſupererat, optimè ſciebat hoſtium linguã, qui eis omnia quæ loquebantur Latino eloquio clam indicabat, & hunc credimus conſolatorem hominũ ſaluaſſe ad eorũ ereptionem. Tunc accedentes ad eos velociter eorum manus diſſoluerunt, atq; pro vita Ducis ſui obnoxius per interpretem eos rogare cœperunt, & ita demum factum eſt, vt eos nunquam ligare vltra præſumpſiſſent. Sed & hoc fuit mirabile, quia vnus ex prædictis fratribus ferebat auream crucem circa collum, & hanc cum reperiſſent, non præſumpſerunt auferre. Cibo verò, quem voluerunt, & potu apud eos vſi ſunt, quouſque inter eos fuerunt. Sic enim completum eſt in eis illud probatiſſimum gaudium, quod per patientiam operatur, de quo ait orantes Apoſtolus. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia *Rom. 5.* autem probationem, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Et nũc igitur qui Monaſtica fertis indumenta, obſecro vt vna mecum horum virorum intueamini exempla, & *Adhortatio ad ſectandū* ſilentio tandem aliquando operam detis. De hoc namq; bono ſilentio Iſaias dicit. In ſilentio erit vobis ſpes. De ipſo *ſilentium.* iterum loquitur Hieremias. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Et rurſum. Bonum eſt viro cum *Iſa. 30* portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit ſe ſuper ſe. Similiter & Dauid, de eodem inquiens *Thren. 3.* proclamat. Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſi- *Pſal. 38.* ſteret peccator aduerſum me. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Nam & Paulus inquit Apoſtolus. His a. *2. Theſſal. 3.*
IX. qui eiuſmodi ſunt, denunciamus & obſecramus in Domino Ieſu, vt cum ſilentio operantes, ſuum panẽ manducent.

Diximus iſta de antiquis vatibus, vt nullus arbitretur ſilentium modernis temporibus fuiſſe inuentum, ſicut *Approbatur ſilentiū* quidam malè ſuſpicantes fatentur. Hos namq; & N. Teſtamenti Patres, Paulus, Antonius, Hilarion, & Ioannes, ad *Scripturæ* poſtremum beatiſſimus Pater Benedictus, imitati ſunt: hos & alij quamplurimi, quos nominatim propter quorum- *ſacræ & patrum teſti-* dam faſtidium minimè recenſemus. Quorum videlicet ſilentium ſi quis ſtudioſè exquirere voluerit, in eorum cata- *monio.* logo affatim reperire poterit. Ergo vt nobis quilibet non opponat quietem in qua deguerunt ſolitudinis, his omiſſis noſter ſtilus totus ſe conuertat ad inſtitutionem Euangeliſtarum, & de operibus Domini Ieſu ſumat exordium. Primum quidem teſtimonium in Matthæo habemus. Iuſſit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in nauiculam, & præce- *Matt. 14.* dere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, & dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Secundũ in Mar- *Marc. 6.* co. Coegit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere nauim vt præcederent eũ trans fretum ad Betſaidam, dum ipſe dimitteret populum. Et cum dimiſiſſet eos, abijt in montem orare. Tertium in Luca ita continens. Factum eſt autem illis die- *Luc. 6.* bus, exijt Ieſus in montem ſolus orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, &c. Item in eodem. Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamini *Luc. 21.* fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Erat autem docens diebus in Templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocabatur Oliueti. Quartum namq; teſtimonium in Ioanne huiuſmodi ter- *Ioan. 8.* minatur. Ieſus autem perrexit in montem Oliueti diluculo, & iterum venit in templum. Si enim Verbum Dei & creator carnis dum conuerſaretur cum hominibus, & vitæ prædicaret Euangelium, ad tempus ſiluit, quid nobis *Prou. 18.* agendum ſit, facilius comprehendere poteſtis, videlicet cum mors & vita in manu linguæ ſit poſita, & cum Scriptu- *Prou. 10.* ra dicat. In multiloquio non effugies peccatum. Et, vir linguoſus non dirigetur ſuper terram. Si enim prædicti fra- *Pſal. 139.* tres cum cæderentur, & ab hoſtibus tunderentur, atque vincti minarentur, voce ſilentium rumpere non ſunt paſſi, eum imitantes de quo ſcriptum eſt. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe ſine voce, *Iſa. 53.* ſic non aperuit os ſuum. Hi verò qui nullam vim patiuntur, nec à quouis coacti, ſed ſua ſponte Regulæ iura tranſgrediuntur, quid dicturi erunt ſimul poſiti ad iudicium, cum vtrorumque cauſa in conſpectu Dei & angelorum examinabitur? De qua itaq; examinatione, ſancta Eccleſia per beatum Iob terribiliter clamat dicens. Inſtauras teſtes *Iob. 10.* tuos contra me. Semper enim in his grauiſſimè vltio plectitur, qui per teſtes conuincuntur, & illi maledictum legis percipiunt, quia ea quæ legis ſunt ſciunt, & ab eius mandatis temere declinare non metuunt. De quibus Pſalmi- *Pſal. 118.* ſta ait. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Sed his omiſſis iam ad bonorum tranſeamus exempla: ſummatim prauorum tangentes deliramenta. Per illud namque tempus, longè lateq; Patris noſtri nomen veluti clariſſimum ſydus, cœpit [illegible] factus eſt notus Regibus, Epiſcopis familiariſſimus, magnatibus carus. Quæque enim Monaſteria in quorum finibus conſtructa fuerant, iuri Patris noſtri ea tradita conferebant, vt noſtro more ea corrigeret & emendaret atq; [illegible]dinaret.

X. Interea veniens ad quoddam monaſterium habens ſecum paucos fratres in comitatu, ex quibus nos vnum cognouimus, nomine Abdolfum, & ipſe ante hoc bienniũ migrauit ad Dominum. Peracta itaq; illa hebdomada, Sab- *[a] Id eſt, pedum ablutionẽ, quæ* batho veſpertaſcente, cum noſtri fratres cœpiſſent [a] mãdatum Regulæ more præparare, contigit vt vnus ex illis mo- *fiebat cantante Cho-* nachis per eundem locum vbi hæc parabantur, tranſiret. Certè cum vidiſſet prædictum fratrem noſtrum, noſtra cõ- *ro: Mandatum nouũ* ſuetudine ſuos abluere ſubtalares, ira permotus, rupto ſilentio cœpit dicere. Dic mihi in quo loco ſanctus Bene- *do vobis vel* dictus præcepit monachis, ſuos lauare [a] ſubtalares? Ille a. noſtro more ſignum ei fecit vt taceret, quia erat incompetens *de mandatũ* hora: non n. illius recordabatur quod dicit Sapientia per Salomonem. Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit iniu- *nomẽ accepit. Vide* riam. Et iterum. Noli arguere deriſorem ne oderit te. Videns itaq; ſibi non reſpondiſſe, efferatus eſt vehementer, & *Quercet. in* rabido inflammatus igne, iſta cœpit verba euomere. O qui ſolebas negotiando mundi prouincias circuire, nunc ve- *not.* niſti nobis prædicare Regulam, & meliorum tuorum corrigere vitam: Iurando vel periurando more accipitris, ho- *[a] Id eſt, calceos Subtalarium ab-* minum aſſueueras auferre ſubſtantias, & nunc impudenter beatificari nobis appetis, quaſi neſcientibus actiones tuas? non n. ſerpentem me fecit Deus, vt tuo more debeam ſibilare, nec bouem, vt debeam mugire: ſed hominem me *lutionẽ, die Sabbatho* fecit, & vt loquar, linguam mihi tribuit. Hæc & his ſimilia cum inceſſanter oblatraret, concito greſſu receſſit ab eo *vetitã fuiſſe docet Petr. venerabilis* prædictus frater noſter. Sequenti verò die cum hæc omnia ad Capitulum fuiſſent delata & recitata, miſer ille nõ ſolum veniam non petijt, verum etiam bene ſe feciſſe reſpondit, addens inſuper non debere vel decere talem perſonã *in ſtatutis Congreg. Clun.* meliorem ſe increpare. Tunc Pater noſter ſuper eius ſuperbiam indignatus ait cõmotus. Hodie dies Dominicus eſt, ideo nullus cõtriſtari debet, & ideo iſta diſſenſio ſuſpendatur in craſtinum. Factum eſt & poſt puſillũ, omnes à Capitulo ſurrexerunt: ille [a] autem ſubito factus eſt mutus, atque poſt triduum ſine ſermonum abſolutione eſt defunctus. Ecce quantum virus eſt arrogantia. Huius namque mucrone multorum monachorum vitam hactenus legimus & reperimus ſauciatam: quia dum ſe putant ſcire quod neſciunt, in ſuis propoſitionibus ſecundum *[a] Inſolentẽ monachi terribilẽ haut, caſum.*
Rom. 1. Apoſtolum ſtulti efficiuntur, dicente Scriptura, Qui non vult eſſe diſcipulus veritatis, erit magiſter erroris.
Amos 7 De quibus & Dominus per Amos loquitur. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, & facti ſunt arcus doloſus. Horum namque imaginationes proculdubio ij tenere videntur, qui prius vocitari magiſtri, quàm diſcipuli

fiant, nituntur, & antea regiminis arcem ſubire appetunt, quam ſubeſſe noſcant, Enimuero nondũ tyrunculi, brauium, vſurpant victoris, atq; indocta manu arma fortiſſimi militis arripere non verentur, negligẽtes ea quæ dicit Scriptura, Qui regulariter non ſubeſt, regularibus præeſſe non debet. Sed quia legaliter nolunt viuere, à legis præcepto [*Ierem. 2.*] [*Ioan. 3.*] non verentur autem cordis auertere. De quibus per Prophetam loquitur Dominus. Verterunt ad me terga, & non [*Superbiæ ſiue ambitionis duplex gradus*] faciem. Nam & Nicodemus legislator venit ad Ieſum nocte, quia prius voluit inſtrui, vt poſtea alios docere poſſet. Huius namq; morbi malum duplex eſt. Vnum quod clandeſtinâ præſumptione quaſi ſub prætextu ſanctitatis, auctorem ſuum ad arcem inſtigat ſcandere magiſterij. Alterum, quod ipſe deſtructus, alios inſtruere quærit, ſecundũ ſectam ſui erroris. Et quod ſine dolore fateri nequimus ipſi, præcipites quoſdam ſtantes poſt ſe ad præcipitium traherẽ moliuntur. [*Matt. 15.*] De quibus per Euangelium Dominus dicit, Cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autẽ ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt. Horum namq; Conuentus, potius caupona, quam congregatio recte nuncupatur, quia ibi vnuſquiſq; id agit quod libet, & hoc non agit quod non libet. [*Eccl. 21.*] De talibus namq; per Salomonẽ dicitur. Maſſa ſtupæ Synagoga peccantium, [*Regula cap. 1.*] hoc deniq; monachorum genus teterrimũ vocat beatus Benedictus. Eorũ itaq; conuerſationem miſerrimã dicit eſſe, atq; in tantum miſerabilem, vt de ea ſacius taceri cenſeat, quã aliqd loqui. XI.

Ergo his omiſſis reuertamur ad querelam miſerrimi Monachi prædicti, & videamus quid beatus Benedictus præcipiat de rebus Monaſterij: Omnia, inquit, vaſa Monaſterij, cunctaq; ſubſtãtia, conſpiciantur velut Altaris vaſa ſacrata. [*Regula cap. 31 & 32.*] Et iterũ. Si quis autem ſordidè, & negligenter res Monaſterij tractauerit corripiatur, ſi nõ emendauerit, correptioni regulari ſubiaceat. Quid n. ſunt aliud calciamenta vel veſtimenta fratrum, niſi ſubſtantia Monaſterij? Sic n. alibi ſeptimanariis coquinæ idẽ ipſe præcipit, vt vaſa miniſterij ſui munda & ſana Cellerario reconſignent: quæ videlicet ſunt fictilia, atq; vilia, & officiis coquinæ deputata. Quid ergo ſentiendũ eſt de Calciariis, quæ ſunt ſuo pretio cara, & pauimẽto Eccleſiæ adhærenda. Sed ſicut grauis culpa videtur fore monachos ſolicitè aliena prouidere, ita multo magis grauior ſua negligere. Si n. diues reprehenditur, eo quod cotidie ſplendidè epulabatur, procul dubio grauiter reprehenditur ſeruus Dei, qui codice enceniare concupiſcit. Videlicet cum in ſexto humilitatis gradu præcipiat beatus Benedictus, vt omni vilitate vel extremitate contentus ſit monachus, Ob hoc n. ſua non vult lauare calciamẽta, vt in quodam angulo ea proiiciat, atq; à luri pallore marceſcant, & demum nec ſibi nec pauperibus aliquid valeant, cum etiam omnia vetuſta pauperibus præcipiat prædictus Pater eroganda. Hoc namq; dicimus non quod ſqualidi aut luridi, more hypocritarum incedant: ſed vt omnibus ſuis veſtimentis nitidis & lotis vtantur, ſicut per quendam ſapientem dicitur.

Qui cupis eſſe bonus, & vitam quæris honeſtam,
Corporis atq; animæ dilige munditiam:

præcepta enim Patrum, termini ſunt ſequentium; de quibus per Moyſem Dominus loquitur, Maledictus quicumque transgreſſus fuerit terminos proximi ſui. Quem videlicet terminum præcepti, dum iſte monachus tranſgredi non fuit veritus, iure maledictionis ſententiam illuc ſuſcepit in quo præuaricatus eſt, & hoc eſt quod diues ille qui in inferno ſepultus eſſe dicitur, plus ſe in lingua, quam in cæteris membris, ardere fatetur: Vnde eſt illud quod per [*Iacob. 3.*] quendam ſapientem dicitur. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. De quo & Iacobus ait. Lingua, inquit, ignis eſt: vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam [*Pſal. 11.*] natiuitatis noſtræ. Et iterum. Lingua eſt inquietum malum, plena veneno mortifero. De ipſa Pſalmographus dicit. Diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Similiter & per Ezechielem. Linguam tu- [*Ezech. 3.*] am adhærteſcere faciam palato tuo, & eris mutus. Et vtinam lingua mutus, & non à conſortio fidelium ſequeſtratus. [*Excommunicatio quid.*] Quid ergo eſt excommunicatio, niſi à bonorum conſortio ſeparatio? Inter cæterea namq; ſua præcepta beatus Benedictus, illud ſub excommunicatione ligauit, quod de ſilentio dixit, & ſub nullius Prioris arbitrio reliquit. Quare de re, per quæ ad Monaſtica peruenit faſtigia, perpendat quod agat, & ab ipſa excommunicatione alienum reddat. Illud ſemper corde retineat, quod illis duobus contigit virginibus, quæ præceptum beati Benedicti negligenter duxerunt, de quibus beatus Gregorius mentionem facit in ſuis Dialogis. Sed quia ſatis iam in his immorati ſumus, hunc librum debito iam fine concludamus.

EODEM tempore, dum nos pater in regularibus diſciplinis inſtrueret, multorum Monachorum non dico obitum, ſed & miſerabilem exceſſum ſedula relatione nobis aſſueuerat narrare, vt iuueniles in nobis comprimeret I. LIB. III. appetitus, & quaſi ſub timoris virga, more Paſtoris duceret nos ad Paradiſi gaudia. Quadam verò die dum talia nobis exponeret, ſuccumbens paternitati eius, cœpi eum rogare vt nobis diceret, ſi tantum intra Italiæ fines monaſticus ordo corruiſſet: vel ſi in Europæ finibus ſimili modo excidiſſet, & quomodo aut qualiter vel quãdo hoc eueniſſet. Tunc ille aſſumpto ſermone, iſta nobis cœpit exponere. Ante hos itaq; annos perſiſtente monaſtica congrega- [*Monachi Turonẽſes vt prolapſi ſint*] tione, apud Eccleſiam beati Martini quæ eſt Turoniæ, cœperunt modum ſuum conſuetudineſq; relinquere, ac propriis voluntatibus vitam ſuam propoſitumq; corrumpere. Relictis namq; natiuis & aſſuetis veſtimentis, cœperunt fucatas atq; fluxas pallioq; ornatas, circumferre cucullas & tunicas. [*De hoc lapſu vide Chron. Lemouicenſ. ex quo nõ nulla recitat Quercet in not. ad hanc vitam*] Calciamenta quoque, quibus induebantur, adeò erant cocleata ac nitida, vt vitreum colorem viderentur aſſumere. Ad laudes namq; nocturnas, ne aliquo pedem modo offenderent, cum luce diei ſurgebant. Iſta, & horum ſimilia multa, contra regulæ iura faciebant. Quibus rebus cum decreuiſſet Deus finem imponere, nocte quadam omnes quieſcentes, cum vnus ex eis eandem horam inſomnem duceret, vidit duos viros dormitorium ingredi, vnum videlicet gladium manu tenentem, cui alius imperabat indicans ſingillatim eos his verbis, Percute hunc, & hunc percute. Cumq; eum qui hæc intuebatur gladio voluiſſet appetere, emiſſa voce adiurauit eum dicens. Adiuro te per Deum viuentem, vt non interficias me: ſtatim percuſſor gladium contraxit, & ipſe ſolus euaſit ex omnibus. [*Viſio cuiuſdam terribilis.*] Rurſum interrogauit eum, quæ culpa eſſet in monacho, qui pura mente quolibet pretioſo vteretur veſtimento? Ad hæc protinus mihi iſtud oppoſuit exemplum. Per illud namq; tẽpus quo Nortmannorum gladius in noſtris finibus graſſabatur, cœpere multi ex noſtro Ordine, propria relinquere, occaſione hoſtium reperta, & cuncta vſui humano placita repetere, quæ pridem abrenuntiauerant. Pro conſortio namq; fratrum, ſequentia habebant. Parentum, & amicorum, & pro rebus Monaſterij, ſubſtantiis propriis appetebant ditari. [*In monacho quæ damnabilia.*] Fracta tandem veſtimenta cum quibus de Monaſterio exierant, denuo non induebantur ſimilia, ſed colorata, quæ nos vulgo dicimus, blaua. Sub hoc namq; tempore fuit quidam recedẽs ab hac peſte, qui noſtrum petiit Monaſterium, deprecans vt eum reciperemus. Cuius annuẽtes voluntati, protinus omnia quæ acquiſierat, abrenũciauit, & Monaſterio conceſſit. Cui cum fratres indixiſſent, vt iret, & omnia ſimul collecta Monaſterio inferret, ille reſpondit. Ego, inquit, & quæ vſq; modo habui, veſtræ ſubiacent ditioni, requirendi vero ac dimittendi, veſtræ ſit poteſtatis. Qui de re de Monaſterio ſolus non egrediar: ſed cui vobis placet, hoc præcipite vni e fratribus requirere: ego tamen veſtræ obtemperans voluntati, ibo cum illo, & vt melius ſciero, præceptis illius parebo: ſed ſiue hic permanſero, ſiue illuc ambulauero, deinceps omnibus rebus nudatus ero. Renera perſeuerante fratrum ſententia, abiit cum illo fratre, cui hanc iniunxerat obedientiam. Factum eſt autem cum veniſſent ad locum in quo prædictus frater habitauerat, ſubitanea eſt infirmitate addictus, ibiq; defunctus. Illo namq; in extremis poſito, frater qui cum eo ierat, quanto propinquiorem eum morti cernebat, tanto propenſius anima inſtantiſſimas Deo preces fundebat. Sicque

factum

Viſio duorũ fratrum.

factum eſt vt vtriq; iſtam viſionem viderent. Erat enim tronus in excelſo poſitus, ſuper quem videbatur reſidere beatus Benedictus: ante cuius conſpectum adſtabat inæſtimabilis Monachorum exercitus. Aſcenſus autem throni illius palliis videbatur ſtratus eſſe, in cuius ſub[illegible] gradu, ceu veniam petens, iacebat frater ille infirmus: dextram namq; læuamq; prædictus occupabat exercitus. Inter vtroſq; vero vacuum erat aſcendentibus peruium. Porrò cũ p longũ ſpatiũ frater ille iaceret proſtratus, acceſſit vnus ex adſiſtentibus ad beatum Benedictũ, ſupplicans pro illo fratre, dicenſq; indignum videri, & dignum eſſe vt illum ſua viſio leuaret, & diceret quid vellet. Cui ille videbatur reſpondiſſe, hominem ſe videre, habitum vero non agnoſcere, idcirco alterius Ordinis hominum non debere ſe vel cauſam diſcutere, nec vitam diiudicare. Hæc audiens noſtri Ordinis frater, exuit ſe, & veſtimentis ſuis infirmum fratrem induit, eumq; vt iterum veniam peteret, in eadem viſione coegit. Quo peracto vox deſuper venit, quæ ei vt ſurgeret, & ſurſum aſcenderet præcepit. Tunc euigilans à ſomno frater noſter, mox opere compleuit, quod in ſomnis ſe agere credidit, & quaſi iam ſecurus de anima fratris, eius exitum prout valuit, orando protexit, & ſacra communione muniuit. Perpende ergo, fili, ſententiam Apoſtoli dicentis, quia fides ſine operibus mortua eſt. Et ſicut alibi ſcriptum eſt. Qui enim dicit ſe Christum noſſe, debet ſicut ipſe ambulauit, & ille ambulare. Similiter qui ſe profitetur monachum eſſe, opere & mente imitari debet Patrem Benedictum, quia ſcriptum eſt. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores. Non enim ſufficit monacho mentis tantum puritas, ſi defuerint cæterorum operum indicia vel ſigna. De quo Dominus dicit, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. De hoc namq; beatus Gregorius in prima parte Ezechielis, plenius ſermonẽ facit. Ex quibus ſermonibus vnum proferimus teſtimoniũ. Sicut n. duobus modis à Deo receditur, ita duobus modis à Deo apoſtatæ homines fiunt, nam vnuſquiſq; à conditore ſuo, aut fide recedit aut opere. Sicut ergo qui fide recedit apoſtata eſt, ita qui ad ipſum opus quod deſeruerat redit, ab omnipotenti Deo, apoſtata abſq; vlla dubietate deputatur, etiamſi fidem tenere videatur. Vnum n. ſine altero prodeſſe non poteſt, quia nec fides ſine operibus, nec opera adiuuant ſine fide. Ergo nullus abhorreat, eo quod diximus prædictum fratrem non potuiſſe veniam recipere, nec meruiſſe ſurſum aſcendere, priuſquam veſtimentorum facta in eo mutatio fuiſſet. Nulli n. dubium eſt præceptum eſſe in lege, quæ & qualia forent filiorum Leui veſtimenta, ſine quibus Sanctuarium ingredi non audebant. Quis enim audeat dicere quod pro humerali vterentur rationale, vel pro tunica byſſina, Ephot lineo induerentur? Quod vnaquæq; ſuum habet colorem, opus ac varietatem. Nam & Ieſum Sacerdotem magnum tam diu aduerſatus eſt diabolus, quouſq; aliis veſtimentis ab angelo fuit indutus, & Dauid cum ſuper Amalecitarum populum voluiſſet inſurgere, bis Deum conſuluit, & reſponſum eundi non accepit. Tertio Ephot indutus eſt, & protinus imperãtis ſibi audiuit vocem. Hæc ait, & poſt hæc rurſum adiecit. Viſne aliis documentis oſtendam tibi, quia perparuum eſt quod multum dehoneſtat atq; corrumpit? Cui cum ita me omni deſiderio velle reſpondiſſem, & in ſuis authoritatibus me audere cerneret, horum mihi exempla expoſuit ſuccincta relatione.

Non agnoſcit S. Benedictus monachũ, non ferentẽ habitum monaſticum.

Iacob 2. *1. Ioan 2.* *Rom 2.* *Matth 5.*

Duobus modis à Deo receditur & apoſtatatur.

II. His diebus duo fratres ita fuerunt rapidiſſima rapti morte, non tamen vno in loco, nec vno die. Veniens vnus ex eis ad domum cuiuſdã ſuæ ſororis, vehementiſſimè eſurire ſe dixit, & refectionẽ petiit. Cui primus ſoror ſua piſces ſe abũdanter habere reſpondit, vt comederet quales & qua hora vellet. Ille v. quaſi indignans, faſtidire ſe piſces reſpondit: eo quod per tot annos indeſinẽter eos comediſſet, adiecit: & non eos iam ſe poſſe videre dixit. Reſpõdit ſoror ſua: Ecce, inquit, in promptu carnẽ habemus, comede ergo quod placet. Tunc ille armum præcepit ſibi aſſari cuiuſdam animalis. Sed non ferẽs aſſandi moram, portiunculã in prunas proiecit inciſam: deinde vinũ ſibi afferri iuſſit, & carnis morſum auidè ſumpſit. Sed hoc quod ſumpſit, gulã non tranſiit, nec reiicere potuit, ſed vitam cum cibo pdidit. Alter igitur diluculo veniens ad domum ſui parentis, ſtatim ſi haberent quod ei ad comedendũ tribuerẽt inqſiuit. Cui cũ reſpondiſſent quia nondum hora edendi eſſet, adiecit cum indignatione dicẽs: Heu tota nocte equitãdo poſt iniunctã mihi obedientiam laboraui & non ſilui, & nunc ieiunare me cogitis? Afferte ergo mihi ſi aliquid habetis. Cui cũ ſe piſces habere reſpondiſſent, potius indignatus eſt, & faſtu replerus arrogantię, huc illucq; cœpit oculorum intuitus circumferre. Ibat autẽ circa pedes grex cornicum, quas nos gallinas vocamus. Tũc quaſi furẽs quoddam bacillum arripuit, & quam ei placuit percuſſit, ac furibundo ore dixit. Hæc erit hodie mihi piſcis. Cæteri ſiquidem qui circunſtabant cum quodam rubore cœperunt ei dicere, Fortaſſis licet tibi carnem comedere Pater? At ille, Volatile inquit, non eſt caro: volatilia enim & piſces vnam habent originem, & æqualem conditionem, ſicut noſter hymnus continet. Ad cuius verba conticuerunt omnes. Interea appoſita eſt ante eum quã occiderat, iam aſſata gallina, ex qua offam abſtulit, & momordit, quem morſum nec euomere nec glutire potuit, ſed eum vita priuauit. Pugnos tamen & ceruicatos pro mercede ſuæ improbitatis in improbrium antequam moreretur, ſumpſit. Si autem commouetur animus tuus ſuper mortem horum duorum fratrum, ſimili modo vt viuus ſuperius, & nũc tibi exemplo oſtendimus dignos fuiſſe ea morte quã perpeſſi ſunt. Pro paucis lenticulæ granis, Eſau primogenita perdidit. Nam & Iſraeliticus populus dum cibo mannæ aleretur, reuerſi ſunt corde in Ægyptum, concupiſcentes ollas carnium, quas nuper ſub iugo malæ ſeruitutis comederunt. De quibus mentionem facit Paulus Apoſtolus. Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut illi concupierunt, &c. Iſti enim dixerunt faſtidire ſe piſces: illi verò murmurauerunt dicentes. Nihil vident oculi noſtri niſi manna. Et hoc dicimus, non vt cibis imponamus vitium, ſed male vtentibus. Vnde & Paulus dicit. Et carnis curam ne feceritis in deſideriis, id eſt, in concupiſcentiis. Quod in concupiſcentiis denegat, hoc in neceſſitatibus largitur. Tres namq; pueri miſſi in camino ignis Babyloniæ, abdicantes regales cibos, tanto igni euaſerunt illæſi. Ipſe idem ignis quotquot de Chaldæis reperit, combuſſit & occidit. Igitur & Nabuzardam Princeps coquorum deſtruxit muros Hieruſalem. Ergo neminem moueat, quod Helias tempore famis, carne alitus eſt mane & veſp[illegible]. Qui reſp[illegible]eit cibum conſideret miniſtrum, ſæpe n. dæmones horum alituum figuram tenent. Tales enim cibi coruorum apti fuerant miniſterio, & eorum ſaturitas, veſpere & mane meruit eſuriem. At vero quando panem comedit, angelum delatorem habuit, & in tantum confortatus eſt, vt per quadragint[illegible] dies cibi refectione non indigeret. Hæc omnia diximus, vt plenius oſtenderemus non eſſe in cibo vitium, ſed in appetitu. Horum tamen interitus multorum extitit emendatio morum. Sic enim apud nos ordo monachorum recidit, ſicque & correctus fuit, & frequenter multis prodigiis corrigitur, vt Deo auctore perſeueret. Sed dum vitam doctrinamq; Patris noſtri plenius enarrare diſpoſuimus, quaſi improuidi quodammodo nolentes in horum incidimus exceſſibus, & ob hoc à noſtro propoſito longè digreſſi ſumus, ad quem velociter ſtilum vertamus.

Horrendã mors duorum monachorum carnes edere volentiũ.

O nequam monachũ.

Gen 25. *Num. 11.* *1. Cor 10.* *Rom 13.* *Dan. 1.* *Dan. 3.* *3. Reg 17.* *3. Reg. 19.*

III. FATERI autem ſolent fratres noſtri, qui ante nos aſtiterunt illi, quod fuiſſet quidam frater ex Patris noſtri congregatione, qui illicito tempore phlebotomiæ ſibi curationem adhibere ſolebat, ſuper quod factum commotus eſt eius animus, quia quamuis eum neceſſitas coegiſſet, tamen abſque licentia hoc nõ debuit præſumere. Mox verò per quam primus ſanguis effluxerat, diſrupta eſt, vena, & quouſque redderet animam, à quocunq; medicamine non fuit reſtricta. Addebant inſuper quod ſiue proſpera, ſeu aduerſa cuilibet indixiſſet Galatenus illis carere potuiſſet, ꝙ vtinam quidam ex noſtris in ſeipſo expertus non fuiſſet. Sed felices illi qui eius præſentiã cernere meruerunt, quoad vixit. Infelix ego qui nec duobus expletis annis, illi merui famulari. Appropinquante autẽ tempore quo ſecundum

Ad euitandum omnia pericula [illegible] ea quæ a [illegible] mus ſup[illegible] oti ſun[illegible] dicenda.

Dei

Dei diſpoſitionem corporali ſepararemur viſione, & eius abſentia quæ fieri debebat potior menti meæ, amoris inferret ignem, quadam die dum me cerneret nimium triſtem, cœpit me blandè conſolari ſuo more. Sed cum videret miſeræ menti meæ nec ſic ſatisfacere poſſe, more Iacob Patriarchæ, à præteritis exordium ſumens, futura mihi, præſago ſpiritu, ita cœpit exponendo prædicere. Chariſſime fili, auſculta quæ dico tibi. Gratias ago Deo, quia ex omnibus peccatis quæ à iuuentute mea perpetraui in hac vita, iam vltionem recepi: exceptis illis quæ in Abbatem meũ commiſi, & ſemper illum diem & tempus expectaui, deprecans Deum, vt ea non reſeruaret mihi in futurum, & nunc credo me eſſe exauditum, quia quæ in illum egi, hæc rurſum ante recepi. Tibi autem ſcias non reddi ſimplicia, ſed decupla. Eſto namq; fortis & patiens, vt ea valeas tolerando quiete portare. Hæc lachrymans dixit, deinde exoſculans caput meũ, Domino me commendauit. Sed tu Domine omnipotens reddenti mihi verſa vice Cæſario Presbytero centuplicata ac grauiora miſericorditer parce, & ſi aliqua ſuperſunt, meis mœrentibus malis propitiatus auerte. Erant autẽ noſtræ congregationi duo fratres, quorum nomina huic operi non libet intexere, qui pro ſua grauiſſima infirmitate crebius eum aſſueuerant exorare, vt medicinæ illis remedia adhiberi iuberet, præſumentes de ſanitate. At ille non ferens improbitatẽ illorum, conſenſit voluntati eorum, petitoq; medicamine licentiã tribuit Sed prius eos conuocãs, ſub ſimilitudine quadã, dixit illis hoc paradigma. Vidi aliquãdo fratrẽ ſimili veſtro vulnere cruciatum, & prius eſt mortuus quàm priſtinæ ſit ſanitati reſtitutus. At illi nihil de ſe ſuſpicantes, adhibuerunt ſibi medicũ, ſed poſt ſedulos curatus, ſanitatẽ nunquam receperunt. Scio & alium fratrẽ, qui tempore ſuæ conuerſationis, dum ſtuderet præteritas flendo delictorũ tergere maculas, cætera ſtudia reliquit, & nocte, dieq; orationi, compunctioni, & lamentationi inceſſanter deſudabat. Cumq; eũ peritiſſimus Pater requiſiſſet, cùm præſto cum aliis ad docendũ vel diſcendũ non eſſet, veritatem retulit ei, & occulta cordis ſui patulè reſerauit, atq; vt ſibi hoc perficiendi daret licentiã, exorauit. Scias pro certo ſecũdum inſtitutionem regulę, quia quod ſine Patris ſpiritualis permiſſione monachus agit, præſumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Cui Pater noſter ait. Præſtat vt vno vel amplius tẽpore iſte ſpiritus diſcedat à te, quam mens tua ſtimulis vanæ gloriæ ſaucietur. Mox frater ille prædictã perdidit compunctionẽ, & vix poſt medij anni ſpacium, eam rurſum exorando Patrẽ noſtrum meruit recipere Sua namq; verba miro grauitatis põdere erant plena, quia vir ſancto repletus flamine, incaſſum loqui neſciebat. De quo & iſtud vobis narrabo exemplũ. Præteritis his diebus coram noſtris fratribus & aliis qui aderant nobiſcum, retulit domnus Ioannes Nolanæ vrbis Epiſcopus, quod ante hoc triennium, bis Romam iiſſet, & prædicti Epiſcopatus benedictionẽ reſiſtentibus inimicis nequiuiſſet accipere. Interea domnus Odo orationis gratia Garganum ibat, cumque vidiſſet eum triſtem, ſciſcitatus eſt eum quid haberet? Cui ille cum omnia quæ ſibi * aderant retuliſſet, & quaſi ſpe deſolatus, confundebatur tertio Romam reuerti, benedixit ei, & dixit. Perge iterum ſecutus, & ſcias quia complebit Dominus votum tuum. Deinde dimiſit eum. At ille accepta benedictione abiit, & infra ſpatium quindecim dierum, ſicut Pater noſter prædixerat, illi aduenit. Quã de re indubitanter profeſſimus, virum iſtum ſpiritu prophetiæ non caruiſſe, cuius verba tanta ſunt authoritate firmata.

Futura prædicit S. Odo

Non placet Deo quod fit contra obedientiã

Prædicit electo Nolano Epiſcopo a Papa confirmationem.

* aduenerãt.

PER idem tempus cogente neceſſitate noſtri Monaſterij, miſſus ſum Neapolim. Præparatis tandem quæ neceſſitas expoſcebat, competit mihi nauigio Romã reuerti. Et cum applicuiſſem Portuenſem ciuitatem, exceperunt me viri nobiles, & ipſi à Roma venerãt ante ipſum diẽ. Quos cũ de Patre noſtro ſciſcitarer, quaſi de nouo quodã modo gratulantes amico, inter cætera eius opera, iſta me abſente illo tempore narrauerunt feciſſe. Præterito illo Auguſto, ipſa die Aſſumptionis B. Marię in Auentino Monaſterio fuit Pater noſter. Rogatus autẽ à domno Abbate Balduino, vt ipſa die ob amorem ſanctæ Mariæ ibi Miſſam celebraret, & ſuis manibus corpore & ſanguine Domini eos communicaret. At ille, inquit, non ſe hoc poſſe facere reſpondit. Sed illis perſiſtentibus tandẽ conſenſit inuitus. Deinde Eccleſiam eſt ingreſſus, & cum fuiſſet pauliſper oratum, cœpit Eccleſiam egredi: nam volentes eum retinere, Obſecro, ait, ſinite me abire, quia duo noſtri fratres poſiti ſunt in extremo vitæ, & neceſſe habeo velociter ire ad eos, ne exeant me abſente. Deinde adiecit, Ecce ante portã Monaſterij adeſt, qui me compellit ire. Necdum verba compleuerat, & miſſus affuit, vt prædixerat, & eũ veniſſet ad S. Paulum mox abiit, & pro fratre Benedicto Miſſam celebrauit, eiq; corpus & ſanguinem viaticum tribuit, & ſic prædictus frater Domino ſpiritum reddidit. Alter verò frater Gilbertus fuit dictus, mihiq; conſobrinus, qui octaua die eſt eum ſequutus. Nunc ad priſca, quaſi in circulo poſita reuertamur tempora, & aliquantulum per maiora curramus exempla. IV.

Duorum fratrum periculum abſens diuinitus cognoſcit.

MEMINISSE vos volo, fratres, quod præterito anno ille peregrinus, qui ſe de familia Patris noſtri eſſe fatebatur & Hieroſolymam aſcendere feſtinabat, coram vobis de Patre noſtro bis terq; narrauit. Aiebat n. quod iiſdem annis quibus Normannorum gens Turoniæ deuaſtabat fines, die quodam contigit, vt nepotem domni Odonis, necdum renatum fonte baptiſmatis, vna cum nutrice ſua caperent prædicti Normanni. Erat autem Turoniæ prædictus Pater. Cumq; hoc ei ibi nũtiatum fuiſſet, mox orationi incubuit, & tamdiu Dominum orauit, quouſq; liberatum puerũ eſſe cognouit. Non n. potius de illo, quam de cæteris dolebat captiuis, ſed pro eius anima grauiſſimè lamentabatur, timens ne aliquo caſu, ſine lauacro fontis præmoreretur, & eius anima gehennæ traderetur. Sed inter cætera nõ ſunt prætereunda illa, quæ nutrix pueri narrabat. Locus ille, ait, ad quem captiui ducti fuerant, vltra quoddam flumen erat. Cuius tanta * inierat profunditas, vt nullus illud aliter niſi nauigio aut natatu poſſet tranſire. Diſtabat autem à Turonia ſpatium itineris octo dierum Iam vero reuiſendi puerum ſpes fruſtrabatur. Adſtante itaq; muliere in eodem diſcrimine, ſubito inſpirata eſt Dei flamine, vt arriperet puerum & abiret, quod & fecit: etenim tam ſecura per medias hoſtium tranſiuit cateruas, vt non ſolum ab aliquo non fuiſſet retenta, verumetiam nec interrogata. Profunditatem vero tanti fluminis, ſiccis cruribus tranſiuit, & longinquitatem tanti itineris, in triduo peregit, non eſuriens neque ſitiens, donec Turoniam perueniret. Hoc vero factum cuius fuiſſet meriti ſtatim claruit, quia mox vt puer Patri noſtro delatus fuit, ſacro eum fecit baptiſmate tingi. Deinde eleuatis in cælum oculis, vt moreretur orauit, atq; dehinc poſt triduum ſpiritum cœlo reddidit. Pater vero eius factus eſt monachus. Quæ vero ſequuntur, ipſe beatus Pater expoſuit, non tamen vt à ſe, vel pro ſe facta fuiſſent, ſed de quibus periculis eum Dominus liberaſſet, narrabat. V.

Efficacis precum eius.

* erat.

Baptizato puero, precibus ſuis obtinet, è vita exceſſum.

QVODAM tempore dum Rhodani alueum nauigio tranſiret, comitantibus eum Optimatibus regionis illius, VI. contigit vt vnus equus aliũ vellet calce percutere, ictum ferientis tabula nauigij excepit, illo videlicet loco ex quo ramus fuerat, cũ dolaretur, abſciſſus. Mox euulſus vertex, tantã per foramẽ inundatio ingreſſa eſt aquæ, vt ſubito repleretur nauis vſq; ad ſuperficiem Sic tamen plena, Deo gubernante, ad aliam peruenit ripam. Etenim vſq; adeo Pater noſter intro ſtetit, quo omnes fuiſſent egreſſi. Ad poſtremum cum fuiſſet ille egreſſus, nauis abiit in profundum. Qua in re videlicet, cuius meriti vir iſte fuerit, perſpicuè claret, qui hoc ſuis obtinere valuit precibus, quod prius meruerunt Petrus & Paulus, deinde beatus Pater Benedictus.

Nauis periclitata incolumes omnes litori [illegible] O donis meritis.

SVB eodem tempore competit illi Romam orationis gratiã venire. Sed non multò poſt, dũ patriam reuerteretur, inter B[illegible]rdonum Alpes, niuis immenſitate præoccupatum & ſeptum eſt eius iter, qua videlicet mons ille nullo tempore poteſt carere. Secus locum autem illum, habitat quoddam genus hominum, qui Marrones vocantur, & arbitror ex Marronea aquilonali prouincia illud nomen traxiſſe originem. Ij n. accepta mercede, præbuerunt, ei ducatum, VII.

Marrones [illegible] incolæ, q[illegible]

catum, ſicut & alijs facere conſueuerunt, quia aliter hyemis tempore, nemo quidem prædictos montes valet tranſire. Nam antequam Sol lucis terminum clauderet, illud quod ſupererat diei ſpatium, à multitudine niuis verſum eſt in caliginem. Sed illis proficiſcentibus, vt præterirent tetrum & periculoſum locum, ſubito equus ſuper quem ſedebat Pater noſter, tetendit pedem in obliquum, & ambo mergebantur in præcipitium. Tunc Pater noſter, relictis habenis, ambas manus cum caderet erexit ad cœlum, & mox ramum arboris, inter brachia ſua reperit, atq; in eo vſque adeo ſe ſuſpendit, donec eius clamoribus qui præceſſerant reuerſi fuiſſent, & eum ſuſcepiſſent, Ramus ille amplius non fuit viſus, quia arbor ibi numquam videtur, nec naſcitur. Equus vero nuſquam comparuit.

mercede viatores per montes præ rupta deducunt, nomen Gallis & Italis nomen. Stupendum miraculum.

VI. Reverа cum pro pace Regum ac Principum, necnon & correptione Monaſteriorum impatienti amore arderet, & ob hoc huc illucq; diſcurreret, ſæpe ei latrones inſidias parauere. Quodā nempe die quadraginta ſuper eum inſurrexerunt latrones. Cumq; vnus ex eis qui erat inſignior Aimon nomine, vidiſſet eum fratreſq; qui comitabantur illum inceſſanter pſallere, ac pſallendo iter peragere illico compunctus corde dixit ſociis ſuis. Numquam memini tales viros vidiſſe, nec puto alicubi viſos fuiſſe. Diſcedamus ergo ab eis. Eſt & quidam armiger cum eis videlicet ſtrenuus vir, & ideo abſq; noſtro periculo non poſſumus nocere illis. Cui reſpondentes dixerunt. Armigerum illum in acumine lancearum noſtrarum leuemus, cæteros namq; expoliantes abire dimittamus. Ad hæc reſpondit ille. Prius in me arma conuertite, alioquin me viuente, nihil eis debetis facere Sicq; inuicem ſunt diuiſi, & ad propria reuerſi. Latro itaq; quē prædiximus poſt Patrem noſtrum abiit, & reatus ſui pœnitentiam egit, ac dehinc à latrocinij prauitate ceſſauit. Sed non ab re hoc cenſemus fuiſſe factum Tanta n. ſpiritus cui adhæſerat, eum replcuerat gratia, vt eius iocunditas non ſolum iocundos exhilararet, verum etiam & mœſtos veræ lętitiæ redderet, & perennis exultationis participes faceret. Lingua enim eius, vt canit ſcriptura, lignum vitæ, & lingua placabilis ac dulcedo mellis, Fauus diſtillans labia eius, & lex prudentiæ in ſermonibus illius.

Latrones non audent lædere S. Odonem.

Prouer 15. Cant 4.

VII. Quodam namq; die iter agens iuxta prædonum fines, quidam latro iuuenis intuens vultus eius affabilitatem, illicò compunctus corde, eius prouolutus veſtigiis, vt ſui miſereretur, humili precabatur voce. Quem cum interrogaret, quid vellet? monaſtica ſibi deprecabatur ſubueniri miſeratione. Deinde interrogauit eum Pater noſter, ſi aliquis ex eadē Parochia eū cognoſceret? At ille. Omnes, inquit, diſcoli ac nobiles. Vade, ait, hodie, & craſtino duc tecū vnum ex prioribus loci iſtius cum veneris ad me. Quo audito abiit, & ſicut ei imperauerat peregit. Altera verò die cū vtriq; ante eum veniſſent, cœpit Pater noſter virū illum Magnatē de vita moribuſq; prædicti latronis ſciſcitari. At ille. Iuuenis iſte, Pater, inſigniſſimus latro eſt. Quo audito, diſcretus Pater ait latroni. Vade & prius mores tuos corrige, & poſtmodum monaſticū appete diſcipulatū. At ille. Ego, inquit, proiectus à te hodie. vado in perditionē, animæ verò tuæ me Deus requiret. Tunc miſericordia motus pius Pater, præcepit ei, vt arrepto itinere, ad Monaſteriū eum præcederet. Quod & factum eſt. Peracto itaq; aliquo tempore, ſub regulari degens examine, tādem effectus monachus, Cellerario fratri eum ad obediendū ſubdiderunt. Etenim cum idiota eſſet vtrumq; ei impoſuerūt, ſcilicet obedientiæ iugum, & ſtudium litterarum. Quod deuotè ita peragebat vt vnam manū obedientiæ porrigeret, altera vero Pſalterium ferret, Iſraeliticum illum imitans populum, qui cū Hieroſolymam ædificaret, vna manu gladiū tenebat, qua hoſtes pelleret, alteram ſubdebat ad laborem Arcæ. Sicq; frater iſte vitā ſuam peragens, poſt paucum tēpus exilij huius vitæ ſuſcepit finē Nam cum in extremo vitæ laboraret, vocauit pium Patrem, ſingularē ſupplicans locutionē. Cui cum veniam peteret, interrogauit eum, ſi in aliquod peccatum incidiſſet poſt monachatū. At ille. Nudo cuidā, te ignorante, mea culpa tunicam noſtram tribui, & funem pilis contextam de Cellario abſtuli. Quem cum interrogaſſet quid ex ea feciſſet? Refrenando, inquit, ingluuiem, quam dudum malè viuendo contraxi, ventrē meum ex ea circumligaui. Super quod factum ſtupefactus pius Pater, cum vellet eā ab eius viſceribus ſoluere, cutis quæ ei adhæſerat, vnà cum ſanie eſt ſecuta. Adiecit & ait. Hac nocte Pater, in cœlis eleuatus ſum per viſionē. Obuiauit autem mihi glorioſiſſimæ perſonæ & excellentiſſimæ poteſtatis mulier, appropinquanſque, ait mihi. Cognoſcis me? At ego. Nequaqam Domina. Et illa. Ego, inquit, ſum mater miſericordiæ: ſcias. Cui ego. Quid iubes vt faciam Domina? Et illa reſpondit. Poſt triduum venies huc tali hora. Quod & factum eſt. Tertia n. die, hora qua dixerat defunctus eſt. Qua de re patuit perſpicue verum eſſe quod vidit, quia hora qua prædixerat, ab hoc ſæculo migrauit, & inde Pater noſter conſuetudinem tenuit, beatam Mariam matrem miſericordiæ vocare.

Latro inſignis conſpecto tantum mutatur.

Ad Monaſticam diſciplinam recipitur.

Ecce tibi ex latrone egregium monachū.

VIII. Ante hoc triēnium dum eſſemus Romæ apud beatū Paulum, rogauit eum domnus Abbas Balduinus, vt librū quem de vita beatiſſimi Martini Epiſcopi, more Dialogi Gallus & Poſthumianus cōpoſuerunt, ei corrigeret, & gloſſulis elucidaret. Cuius videlicet voluntati ſtatim aſſenſum præbuit, & accerſito fratre Othecario, emendandi operā dedit. Factum eſt dum hæc agerentur, vt veſpertinæ horæ ſignum pulſaretur. Statim ſecundū Regulæ præceptū, relictis quæq; in manibus tenebantur. Eccleſiam ingreſſi ſunt. Codicem verò apertū in loco vbi ſederāt, reliquerūt Præoccupati verò veſpertinis exequiis, codicem obliti ſunt. Erat a. hyemis tempus. Tanta autē eadem nocte inundatio defluxit aquæ, vt omnes noſtri Monaſterij officinas repleret. Locus autem ille in quo liber fuerat relictus, ita eſt poſitus, vt aqua quæ ex ipſius labitur tecto, & ex tribus aliis tectis quæ ſubiacent ſuperiori, quodammodo vna conuerſione collecta more torrentis illo vno in loco deciderit, ibiq; vſq; mane patulus permanſit liber, & tot aquarum inundationes in circuitu eius cecidere. Margo namq; prædicti libri vndiq; fuit lota, ſcriptura verò permanſit intacta. Facto mane appoſitus eſt corā fratribus liber. Cumq; attoniti miraremur, Fratres, ait prouidus Pater, quid admiramini fratres? Sciatis quia vitam B. Martini aqua tangere timuit, & hoc cum aliquo dicebat gaudio. Ad hæc vnus è fratribus, quia erat promptulus ad loquendum accepto codice adiecit. Intuemini & videte, quia codex iſte vetuſtus eſt, & à tineis demolitus atq; ab aquis olim lotus, & vſq; adeo humectatus, vt iam ſqualeat palloribus. En indicia cernite. Et dicit Pater noſter. Dudum totum librum, nunc aquam extimuiſſe tangere? Aliud namq; aliud eſt. Tunc pudicus pater. Tace, inquit, iſta dicere noli: non eſt enim ſimilis Martino, qui poſſit habere laudem in omnes gentes. Sic ea quæ propter eum Dominus fecit, in laudem Martini conuertit.

vide Baron. an 938.

Miraculum de Codice.

Regula cap. 5.

IX. Eodem quoq; tempore, conceſſit nobis iam præfatus Albericus Princeps Monaſterium ſancti Heliæ, qui ſub Pentonia vocatur. De quo B Gregorius in libro Dialogorum mentionē facit. Sed ſicut idem B. Gregorius dicit durū eſſe in mente veteri, noua meditari, hos quos ibi reperimus monachos, non quibamus eos ſubtrahere ab eſu carnis. Ordinauit autē Pater noſter in eodem Cœnobio. Præpoſitum vnum, è noſtris fratribus nomine Theodoardum. Vidit autem ille eo quod virtute, nec ſanctitate ab eodem vicio poſſet eos cohibere, cœpit ex finitimis regionibus piſces emere, vt vel ſic ſatisfaceret voluntati eorum. Qua etenim re penitus equi quos ei dimiſerat Pater noſter defecerant, huc illucq; diſcurrentes. Hanc n. eorum improbitatem, ſuumq; laborem prædictus frater Patri noſtro crebrius ſtuduit innoteſcere. Inter hæc eo à Domino petente, vallis ipſa, cui Monaſterium præeminet atq; interiacet, non multum procul iunctis inuicem monticulis ſe clauſit, & paruiſſimi torrentis qui per eū defluebat, aditum interdixit. Dehinc collecta aquarum multitudine, lacū ex ſe produxit, & laborē fratri abſtulit, quia piſces emere illi vltra non fuit neceſſe Sed hoc factum cuius fuiſſet meriti, quidā imperiti neſcierunt, eo quod publicè qua ratione ſit actū nō viderunt, eo quod Patris noſtri orationem auditu non audierunt. Hoc enim hypocritarum eſt, non fideliū, videlicet non ignorantes qui hæc dicunt, illud quod canit Pſalmographus. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, deſideria cordis eorum audiuit auris tua. Et iterum. Voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet.

Baron. ibid.

Non vulgare miraculum.

Pſal. 9. Pſal 144.

Nam & ſimiliter pridem fecit cum eſſet Franciæ apud B. Benedictum. Cuius rei rationem tanto ſecurius proferimus, quanto ex ea fideliorem teſtem eundem patrem habemus. Sed prius fideli ſermone proferendũ eſt, quemadmodum prædictũ ſuſceperit cœnobium, vt ad ea quæ ſunt ſequenda, quaſi per directam lineam noſter ſtylus perueniat. Poſt finem verò iam factæ perſecutionis, quæ facta eſt ſub Nortmundo ſæuiſſimo Nortmannorum rege in finibus Galliæ, vt adimpleret Dominus Eccleſiæ ſuæ quod per Iſaiam olim promiſerat.

Iſa. 54. Ad punctum, inquiens, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis, abſcondi faciem meam à te parumper, & in miſericordia ſempiterna miſerebor tui. Congregati fratres in idipſum ex cœnobio B. Benedicti, qui hoſtili metu pridem huc illucque fuerant diſperſi, proprium repetierunt cœnobium. Sed quod ſine dolore dicere non poſſumus. Vnita corpora ſciſſis mentibus ſanctiſſimum illum tantum præoccupabant locum, quod ſuccincta locutione tranſcurrimus, ne in talium vita noſter ſtylus immoretur. Reuera hoc patenter narrare ſatagimus, qualiter à B. Benedicto vocatus ſit atq; electus, imò & præordinatus Odo Pater beatiſſimus.

QVADAM die dum prædicti fratres intra clauſtra reſidentes, ſe inuicem corroderent, quidam ex eis ab obedi- X
S. Benedictus apparet cuidam. entia rediens, obuium habuit ante fores Monaſterij Benedictum Patrem. Cui mox imperauit. Vade, inquiens, dicito fratribus quia non me ſinunt quieſcere, ecce recedo ab his ædibus, & ſciant non me reuerſurum in hunc locum quouſq; ex finibus Aquitaniæ talem virum huc deducam, qui ſit ſecundum cor meum. Quem frater ille cum de nomine ſuo vellet inquirere, reſpõdit hæſitationi eius. Ego ſum, ſcias, frater Benedictus. Ait hoc, & ire cœpit. Igitur frater ille fratribus concitè quæ ſibi fuerant imperata nunciauit. Sed miſeri tanto patre orbati, non concurrerunt ad lachrymas & preces, quæ ipſam Domini comminationem ſæpius ſedare ſolet, ſed aſcenſis equis, cœperunt huc illucq; diſcurrere vt eum inuenirent, inuentumq; vi aut prece reuocarent. Sed cum neminem inueniſſent, cœperunt poſtmodum fratri illi indeſinenter illudere.

Per illud tempus vir illuſtris Eliſiardus, qui tunc Comes, nunc verò monaſticum degit habitum, audiens infa- XI.
miam horum monachorum, prædictam Abbatiam à Rodulfo Rege Francorum petiit & accepit. Acceptã Patri noſtro tradidit. Deinde ſumptis ſecum duobus comitibus, itidemq; præſulibus, ſimul cum Patre noſtro profecti ſunt. Quorum aduentu fratres cognito, ſumptis gladiis alij aſcenderunt ædificiorum tecta, quaſi hoſtes ſuos lapidibus

Floriacenſes monachi nolunt ſibi à Odonem præfici & miſſilibus telis iaculaturi, alij munitis clypeis & accinctis enſibus, Monaſterij obſeruabant aditum, prius ſe mori fatentes, quam eos introire ſinerent, aut Abbatem alterius Ordinis ſuſciperent. Interea ad ſe reuerſi dicebant. Ecce videbimus quod nobis nuper minatus eſt B. Benedictus. Heu proh dolor! quare non credebamus fratri noſtro? Omnia nempe quæ nobis dixit, opere cõpleuit. Numquid non iſte eſt Odo ille Aquitanus, de quo frequenter ſuſpicati ſumus dixiſſe B. Benedictum? Heu! quare non prius nos ad eum miſimus, ac ſponte inuitauimus? Interea quærebãt qua ratione eos poſſent propellere, vertentes ſe huc illucq;. Erat autem apud eos frater quidam Wlfaldus nomine, iuuenis, ſed bonæ indolis: hic enim dum inter eos diſcurreret, miſerunt ei quædam præcepta regalia, in quibus continebatur, vt nulli ex alia Congregatione, vllo vnquam tempore liceret eiuſdem loci Prioratum ſubire, & cætera. Cui Pater noſter, inquit. Pacificè veni, adeò ut neminem lædam, nulli noceam, ſed vt incorrectos regulariter corrigam. His & ſimilibus verbis licet per internuncios eorum aſſiduè mulcebat mentes. At illi cum viderent ſuam nullomodo præualere induſtriam, vertebant ſe ad alia argumenta, modo Regem vocabant, modo occidere eum minabantur, hoc enim fiebat per triduum. Ad poſtremum Pater noſter cunctis ignorantibus nobis, aſcendit aſellum, & cœpit ire concitè ad prædictum Monaſterium. Epiſcopi verò & qui cum ipſis erant Comites, ſimul cum ſuis currebant poſt eum clamantes. Quo is Pater? An fortaſſis mortem quæris? Anne vides quia parati ſunt te interficere? Qua videlicet hora ad eos acceſſeris, ſtatim morieris. Vel iſne eis de tuo interitu facere gaudium, & nobis exitialem luctũ?

Prou. 28. Has & huiuſcemodi voces poſt eum mittentes, ſed ſicut Scriptura ait, Iuſtus vt leo confidens abſque terrore erit, ac-
Repente mutati eũ libenter recipiunt. cepto itinere nullomodo eum potuerunt declinare. Mira dicturus ſum. Appropinquante autem illo, & agnitus ab his qui eum prius nouerant, ij qui tunc reſiſtebant, protinus commutati ſunt & immutati, ita vt proculdubio di-
Pſal. 76. cere poſſim, hæc eſt immutatio dexteræ excelſi. Reuera extemplo armis proiectis, exierunt obuiam ei, eiuſq; ſunt veſtigia omnes amplexati. Non parua ſiquidem lætitia ea die eſt facta. Patrem igitur Odonem Cœnobij recepit clauſtrum, reliqui omnes redierunt in ſua.

His præterea diebus cœpit eis ſuadere vt ab eſu carnium recederent, parceq; viuerent, nihilque proprium poſ- XII.
Act. 2 & 4 ſiderent: idipſum quod occulte habebant, Apoſtolorum more coram omnibus renunciarent. Sed quia res Monaſterij nequaquam in commune poſſederant, ſed pro poſſe & libitu eos inter ſe diuiſerant, cum viderent ſibi vltrà iam non licere quod licuerat, maluerunt potius ſuis fautoribus, imò profligatoribus iniuſtè poſſeſſa inique condonare, quam iure regulariter abrenunciare. Nam ſolo prodictu idipſum quod abrenunciauerant moliebantur mandendo conſumere, cum cæteris quæ ſecum Pater noſter detulerat, vt poſt conſumpta omnia ſaltem inuitus
* edere. carnem eis *edi concederet. Quadere, indeſinenter expetebant piſces. E contra pius Pater cuncta illis impendebat competenter, vt ab vno eos cohiberet. Sicque factum eſt, vt ille largiendo, ipſique mandendo penè cuncta conſumerent. Inſtabat nimirum Pater noſter fide intrepitus, ſpe ſecurus, charitate munitus, ſciens ſe ſecundum illud
Matth. 6. Euangelicum, nequaquam deſeri promiſſum. Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini. Interea dum hæc agerentur, cuidam fratri B. Benedictus adeſt in viſione, eiq; inter cætera imperat Patri noſtro dicere, vt pecuniæ defectu minimè trepidaret: ſed nec pro adipiſcendis rebus ſollicitus eſſet, ait: & poſt hæc ad-
Obſerua quam ſint Sanctis cognitæ res noſtræ quãtumq; poſſint præſtare hominibus. iecit. Craſtina die mittam ei centum ſolidos, & ſequenti hebdomada, tanta ei accommodabo diuerſarum rerum ſolatia, vt multis temporibus, ſufficere queant vſibus fratrum. Quod & factum eſt. Præterea cœpere quamplurimi ex circumfluis regionibus ad veſtigia viri beatiſſimi concurrere, eiuſq; magiſterio placitæ obedientiæ viam arripere, quo poſtmodum mererentur polorum ſedes ſcandere. In tantum igitur ſanctitatis eius fama dilatata eſt, vt non ſolum laici ſeu Canonici ad eũ confluerent: verum etiã quidã Epiſcopi proprias ædes relinquerent, eiuſq; congregationi ſe ſociarent. Interea videres locũ illũ, quaſi exulta ſpinis terra, nouas ſoboles, ceu nouas fruges proferre, & quaſi ex tritura areæ, crebris verborũ ictibus tunſis ſequeſtratũ, à vitiorũ palcis, frumentũ conferre ad Dominicũ horreũ.

Alio item tempore, appropinquãte die feſto B. Benedicti, cõplacuit Patri noſtro ex quodã Monaſterio quo tũc XIII.
erat, ad prædictum proficiſci cœnobiũ, quatenus ante corpus beati viri nocturnas deuote excubias celebraret, quod
Idem rurſus etiam hic obſerua. & fecit. Nocte verò illa quæ ſolemnẽ præceſſerat diẽ, contigit vt ante lucis ortũ matutina laus celebraretur. Nã cũ quidam è fratribus nocturna vigilia fatigatus denuo ſe ſopori dediſſet, B. Benedictus ei apparere dignatus eſt. Cui cum ſe prius agnitum reddidiſſet, protinus ſubiũxit. Nuncia, inquiẽs, fratribus, quia hac nocte nõ potui eſſe cum illis, ero pro certo hodie. At ille. Et vbi, inquit, fuiſti domine? Et beatus ait Benedictus. In inſula Britanniæ. Et ille. Quid, inquit,
S. Benedictus fratrẽ quendam è faucibus dæmonis eripit. ibi feciſti? Et ille reſpondit. Frater Litiſfredus, qui propter ſuam ſuperbiam, relinquens hunc locũ, tranſfretauit maria, hac nocte fuit defunctus, & à dæmonibus receptus. Contra quos agonẽ intorſi, eũq; ab eorũ poteſtate liberaui. Quo audito cœpit frater ille ſuper huius rei factum admirari attonitus. Ad quẽ rurſus ait Pater ſanctus. Si ſuper hoc factũ miraris, iterũ audi. Scias pro certo, quia ab illo die quo hoc Monaſteriũ fuit conſtructũ, quotquot fratres hic fuerũt defuncti, æterna requie ſunt recepti. Deinde adiecit, & ait frater ille. Quia domine dixiſti hodie nobiſcũ te eſſe, aduiſe

quis

quis nobis notam faciet horam aduentus tui, vt occurramus tibi? At ille. Nemo, inquit, ſed ego tale ſignum oſtendam omnibus, quo de mea præſentia dubitet nullus. Adiecit frater, & ait. Et qual. cum apparatu tantum Patrem ſuſcipere poterimus? aut quibus obſequiis aſtabimus tibi? Cui beatus reſpondit Benedictus. Si pro lautioribus cibis eſtis ſolliciti, piſces abundanter habebitis. Et ille. Neqnaquam, ait Domine. Et ſanctus. Præcipiatur, inquit, piſcatoribus, vt nequaquam eant in Ligeris alueum ad piſcandum, ſed in hac palude quæ ſecus Monaſterium inſtat. His auditis euigilans prædictus frater à ſomno, cum tempus fuiſſet loquendi, omnia quæ ſibi fuerant imperata fratribus ſtuduit innoteſcere: et ergo fratres de aduentu tanti Patris, & annunciatione Patris noſtri Odonis edocti, vnuſquiſque ſe ſatagebat ſpirituali Patri de corde proprio ſpiritualia offerre munera. Vnde factum eſt vt ipſum diem cum ſpiritalibus hymnis, orationibuſque tranſigerent. Interea famuli Monaſterij, qui piſcandi Officio erant dediti, nequaquam ſicut eis imperatum fuerat abierunt in paludem, ſed in Ligeris fluuium, à quo fuerant ſecreti. Vnde factum eſt vt abſque vllo emolumento licet fatigati fere hora tertia, ad Monaſterium ſunt reuerti. Qui videlicer requiſiti cur vacui rediſſent, confuſi præſumptione inobedientiæ, erubeſcebant confiteri quod fecerant vel egerant. Sed ſilentiũ quod indicebat pudor, hoc reſerabat factus rubor. Quibus ait Oeconomus Scio enim præſumptionem veſtram. Sed quoniam prius imperata tenuiſtis, nunc ſecundo in paludem piſcandi gratia redite. Quod & factum eſt. Reuera ſubito tantos in hac piſcatione traxerunt piſces, vt pene nullus ambigeret, quod ipſe qui in deſerti regione * ortygometras populo tribuerat, & tunc in eadem palude piſces influeret. Etenim vſque adeo ibidem ſuperabundant, vt videlicet nullo tempore ab ea deficiant, ſicque factũ eſt vt palus, quæ prius ranas ebullire conſueuerat, deinceps piſcibus abundaret. Hoc miraculum ipſe Pater noſter in libro quem de aduentu corporis Sancti Benedicti deſcripſit in Aureliacenſi, eodem ſenſu, ſed non iiſdem verbis cum cæteris perſpicaciſſime edidit. Conuenerat igitur ad eandem ſolemnitatem ex circumfluis regionibus, non modica turba hominum, inter quos quamplurimi cæci, & claudi ſeu paralytici, atque diuerſis languoribus dediti, expectantes tempus refectionis. De quibus omnibus imperatum eſt à Patre noſtro, vt ante tempus Miſſæ, nequaquam eis cibum impartirent. Facta autem hora, ingreſſi ſunt omnes ad Miſſam. Tanta eſt magnitudo Eccleſiæ, vt nullus cogatur foris ſtare. Enimuero vt Angelicum cœpere hymnum canere, id eſt, Gloria in excelſis Deo, magno quodam ſtrepitu fores Eccleſiæ ſubito ſunt concuſſæ & reſeratæ ita dumtaxat vt omnes poſt tergum reſpicerent, quodam horrore perculſi. In ipſo autem ſtrepitu, omnes qui illic aderant infirmi priſtinæ ſunt redditi ſanitati. Scilicet vt cœci viſum, ſurdi auditum, claudi reciperent greſſum. Et quidem, & lampades Eccleſiæ omnes fuerunt illuminatæ. Tunc intellexerunt omnes, beatum ibi, ſicut dixerat, aduenisse Benedictum. Intantum enim deuotio ſpiritalis omnium corda repleuit, vt præ immenſo gaudio, à lachrymis ſe continere non poſſent. Nomina vero fratrum qui hæc viderunt, innoteſcere mihi renuit Pater Odo. Quide re dubium eſt vtrum ipſe, an alius fuerit, qui hæc viderit.

Nota vt colendi ſint Sancti.

* Coturnices intelligit. Exod 16. Num 11.

Res admiranda ſane.

Nota lector quæ ſit Sanctorum poteſtas.

XIV. INSTANTE vero iam mortis eius articulo, cum piis eius actibus, vt ſupra retulimus, corona beatæ remunerationis deberetur à Chriſto, Romæ poſitus acuta & continua febre corripitur, membra dolore franguntur, frigidus ignis ipſas cum carne medullas conſumit, diuerſaque & multiplicia genera paſſionum in vno homine ita inſurgunt, vt pro vero indicio eſſet ſe iam iamque à Domino vocari, & terreni hominis indumento expoliari. Quid faceret vir ſanctus? Nimirum Apoſtoli fidelisſ imitator & vicarius, iam reſolui deſiderat, & cum Chriſto viuere, votis omnibus exoptat. Percucurrerat enim ſanctorum certamen laborum, ac totius virtutis egregium compleuerat curſum, vt merito per gratiam diuinæ pietatis, coronam ſibi iuſtitiæ repoſitam eſſe in cælis, tota ſpei certitudine confideret. Præterea dum de hac ſua vocatione ſuſpenſus haberetur, deſiderio ſibi fuit, prius ſuum Martinum, in quo, vt ita loquamur, cum ipſo lacte carnis ardorem inexhauſti amoris, * orationis gratia reuiſere, & ei extremũ ſpiritum cum proprij corporis fauilla conſignare. Quia vero Dei omnipotentis clementia, piis ſemper votis dignatur adeſſe, affuit mox & in hoc noſtro Odone, quem ſibi alterum vas electionis ſegregauerat à matre. Videt enim Deo dilectus inſequenti nocte virum quendam conſpicabilis formæ ſimul & gratiæ, talia ſibi per viſum dicere. O ſancta & Deo dilecta anima, inſtat quidem tua vocatio, & vltima corporis reſolutio, ſed Martinus te precibus differt, & ad patriam reditum & vires miniſtrat. Sed cum illo perueneris, mox tibi vita pro morte dabitur, & beata ſocietas electorum, pro tuo pio labore, à Chriſto recompenſabitur. Viſioni mox ſigna dant fidem, ægritudo corporis aliquantiſper deficit. Salus accelerata redit Itineris continuo difficultatem inuadit, nec reputans ſenilia & præmortua membra, vicit durum laborem, ob nimium in Martino ardorem: tanto iam deuotior in ſpirituali obſequio, quanto ſecurior de præmio. Conſumpta itaque tanti laboris via Turonis ventum eſt, inſtante iam beati Pontificis celebritate, qua ſpiritus victor migrauit à corpore. Fit tunc gemina vrbis exultatio, dum & Martini annua celebritas renouatur, & Odonis conciuis diu deſiderata præſentia, ab omnibus in commune venerabiliter amplectitur. In qua ſancta feſtiuitate vir ſanctus quam deuotus extitit, quas preces fletibus mixtas Martino effuderit, quæ etiam contriti cordis ſacrificia in ara illa ſalutari, tanquam viuens hoſtia mactauerit, non eſt noſtræ facultatis euoluere, quos deprimit ſtoliditas mentis, & ruſticitas ſermonis. De ſua namque vocatione ſollicitus, fixus ad Deum erat animus, & terrena iam oblitus, puro mentis intuitu, tamquam verus Martini vernaculus, cœleſtia tantummodo contemplabatur attentius. Suſpenſus itaque redditur tali expectatione, tota illa beati Pontificis celebritate: ſed quod contra ſpem ſibi accidit, per triduum differri ſibi repromiſſa munera anxius ingemiſcit. Cum ecce quarto die tranſactæ feſtiuitatis, iterum rediuiua febris accenditur, frigidus irrepit mox præcordia ſanguis, atque ſuas conſumit acerbo vulnere vires. Tunc ſui iam voti compos effectus, & de Dei miſericordia certus, ſpiritus quidem feſſus langueſcit ægroto corpore,

Sed mens læta Deum cernit, ſuſpirat, anhelat.
Vltima vox reſonat. Tu Chriſte parce redemptis
Martinum ingeminat, Martinum ſuſpicit, orat.

Monachos vndecumque venientes, & ſuam vocationem irremediabiliter deflentes, inſtruit ſermonibus, conſignat Deo paternis orationibus, protegit benedictionibus, & valedicit piis ſingultibus. Aduenerat vero iam quartadecima dies ante Decembrem, quæ etiam octaua Martinianæ celebritatis habetur, cum beatus ille ſpiritus, diuina illa & ſalutari pinguedine recreatus, & viuificanti poculo vegetatus, corruptibili carne ſolutus, liber ad æthera migrat, & Martino duce, ſibi crediti talenti multiplicem fructum fideliter repræſentat. A quo percipiens & ipſe præmium condignum pij laboris, ſanctorum cœtibus admixtus, reſplendet candore beatæ immortalitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Baron. ann. 944.

S. Odo laborat infirmitate corporis.

Philip 1.

* Locus corruptus.

Viſio S. Odonis.

Venit Turones feriaſque S. Martini colit deuotiſſime.

Anno 943. Munitus Euchariſtia ad Chriſtũ abit, vt teſtatur Frodoardus S. ex cod. Ba[illegible]

Nam & ſimiliter pridem fecit cum eſſet Franciæ apud B. Benedictum. Cuius rei rationem tanto ſecurius proferimus, quanto ex ea fideliorem teſtem eundem patrem habemus. Sed prius fideli ſermone proferendū eſt, quemadmodum prædictū ſuſceperit cœnobium, vt ad ea quæ ſunt ſequenda, quaſi per directam lineam noſter ſtylus perueniat. Poſt finem verò iam factæ perſecutionis, quæ facta eſt ſub Nortmundo ſæuiſſimo Normannorum rege in finibus Galliæ, vt adimpleret Dominus Eccleſiæ ſuæ quod per Iſaiam olim promiſerat. Ad punctum, inquiens, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis, abſcondi faciem meam à te parumper, & in miſericordia ſempiterna miſerebor tui. Congregati fratres in idipſum ex cœnobio B. Benedicti, qui hoſtili metu pridem huc illucque fuerant diſperſi, proprium repetierunt cœnobium. Sed quod ſine dolore dicere non poſſumus Vnita corpora ſciſſis mentibus ſanctiſſimum illum tantum præoccupabant locum, quod ſuccincta locutione tranſcurrimus, ne in talium vita noſter ſtylus immoretur. Reuera hoc patenter narrare ſatagimus, qualiter à B. Benedicto vocatus ſit atq; electus, imò & præordinatus Odo Pater beatiſſimus.

Iſa. 54.

QVADAM die dum prædicti fratres intra clauſtra reſidentes, ſe inuicem corroderent, quidam ex eis ab obedientia rediens, obuium habuit ante fores Monaſterij Benedictum Patrem. Cui mox imperauit. Vade, inquiens, dicito fratribus quia non me ſinunt quieſcere, ecce recedo ab his ædibus, & ſciant non me reuerſurum in hunc locum quouſq; ex finibus Aquitaniæ talem virum huc deducam, qui ſit ſecundum cor meum. Quem frater ille cum de nomine ſuo vellet inquirere, reſpōdit hæſitationi eius. Ego ſum, ſcias, frater Benedictus. Ait hoc, & ire cœpit. Igitur frater ille fratribus concitè quæ ſibi fuerant imperata nunciauit. Sed miſeri tanto patre orbati, non concurrerunt ad lachrymas & preces, quæ ipſam Domini comminationem ſæpius ſedare ſolet, ſed aſcenſis equis, cœperunt huc illucq; diſcurrere vt eum inuenirent, inuentumq; vi aut prece reuocarent. Sed cum neminem inueniſſent, cœperunt poſtmodum fratri illi indeſinenter illudere. X.

S. Benedictus apparet cuidam.

Per illud tempus vir illuſtris Eliſiardus, qui tunc Comes, nunc verò monaſticum degit habitum, audiens infamiam horum monachorum, prædictam Abbatiam à Rodulfo Rege Francorum petiit & accepit. Acceptā Patri noſtro tradidit. Deinde ſumptis ſecum duobus comitibus, itidemq; præſulibus, ſimul cum Patre noſtro profecti ſunt. Quorum aduentu fratres cognito, ſumptis gladijs alij aſcenderunt ædificiorum tecta, quaſi hoſtes ſuos lapidibus & miſſilibus telis iaculaturi, alij munitis clypeis & accinctis enſibus, Monaſterij obſeruabant aditum, prius ſe mori fatentes, quam eos introire ſinerent, aut Abbatem alterius Ordinis ſuſciperent. Interea ad ſe reuerſi dicebant. Ecce videbimus quod nobis nuper minatus eſt B Benedictus. Heu proh dolor! quare non credebamus fratri noſtro? Omnia nempe quæ nobis dixit, opere cōpleuit. Numquid non iſte eſt Odo ille Aquitanus, de quo frequenter ſuſpicati ſumus dixiſſe B. Benedictum? Heu! quare non prius nos ad eum miſimus, ac ſponte inuitauimus? Interea quærebāt qua ratione eos poſſent propellere, vertentes ſe huc illucq;. Erat autem apud eos frater quidam Wlfaldus nomine, iuuenis, ſed bonæ indolis: hic enim dum inter eos diſcurreret, miſerunt ei quædam præcepta regalia, in quibus continebatur, vt nulli ex alia Congregatione, vllo vnquam tempore liceret eiuſdem loci Prioratum ſubire, & cætera. Cui Pater noſter, inquit Pacificè veni, adeout neminem lędam, nulli noceam, ſed vt incorrectos regulariter corrigam. His & ſimilibus verbis licet per internuncios eorum aſſiduè mulcebat mentes. At illi cum viderent ſuam nullomodo præualere induſtriam, vertebant ſe ad alia argumenta, modo Regem vocabant, modo occidere eum minabantur, hoc enim fiebat per triduum. Ad poſtremum Pater noſter cunctis ignorantibus nobis aſcendit aſellum, & cœpit ire concitè ad prædictum Monaſterium. Epiſcopi verò & qui cum ipſis erant Comites, ſimul cum ſuis currebant poſt eum clamantes. Quo is Pater? An fortaſſis mortem quæris? Annon vides quia parati ſunt te interficere? Qua videlicet hora ad eos acceſſeris, ſtatim morieris. Velis ne eis de tuo interitu facere gaudium, & nobis exitialem luctū? Has & huiuſcemodi voces poſt eum mittentes, ſed ſicut Scriptura ait, Iuſtus vt leo confidens abſque terrore erit, accepto itinere nullomodo eum potuerunt declinare. Mira dicturus ſum. Appropinquante autem illo, & agnitus ab his qui eum prius nouerant, ij qui tunc reſiſtebant, protinus commutati ſunt & immutati, ita vt proculdubio dicere poſſim, hæc eſt immutatio dexteræ excelſi. Reuera extemplo armis proiectis, exierunt obuiam ei, eiuſq; ſunt veſtigia omnes amplexati. Non parua ſiquidem lætitia ea die eſt facta. Patrem igitur Odonem Cœnobij recepit clauſtrum, reliqui omnes redierunt in ſua. XI.

Floriacenſes monachi nolunt ſibi à Odonem præfici.

Prou 28.

Repente in virum eū libenter recipiunt.

Pſal. 76.

His præterea diebus cœpit eis ſuadere vt ab eſu carnium recederent, parceq; viuerent, nihilque proprium poſſiderent: idipſum quod occulte habebant, Apoſtolorum more coram omnibus renunciarent. Sed quia res Monaſterij nequaquam in commune poſſederant, ſed pro poſſe & libitu eos inter ſe diuiſerant, cum viderent ſibi vlterius non licere quod licuerat, maluerunt potius ſuis fautoribus, imò profligatoribus iniuſtè poſſeſſa inique condonare, quam iure regulariter abrenunciare. Nam ſolo pro dictu idipſum quod abrenunciauerant moliebantur mandendo conſumere, cum cæteris quæ ſecum Pater noſter detulerat, vt poſt conſumpta omnia ſaltem inuitus carnem eis *edi concederet Qua de re, indeſinenter expetebant piſces. E contra pius Pater cuncta illis impendebat competenter, vt ab vno eos cohiberet. Sicque factum eſt, vt ille largiendo, ipſique mandendo pene cuncta conſumerent. Inſtabat nimirum Pater noſter fide intrepitus, ſpe ſecurus, charitate munitus, ſciens ſe ſecundum illud Euangelicum, nequaquam deſeri promiſſum. Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini. Interea dum hæc agerentur, cuidam fratri B Benedictus adeſt in viſione, eiq; inter cætera imperat Patri noſtro dicere, vt pecuniæ defectu minimè trepidaret: ſed nec pro adipiſcendis rebus ſollicitus eſſet, ait: & poſt hæc addidit. Craſtina die mittam ei centum ſolidos, & ſequenti hebdomada, tanta ei accommodabo diuerſarum rerum ſolatia, vt multis temporibus, ſufficere queant vſibus fratrum. Quod & factum eſt. Præterea cœpere quamplurimi ex circumfluis regionibus ad veſtigia viri beatiſſimi concurrere, eiuſq; magiſterio placitæ obedientiæ viam arripere, quo poſtmodum mererentur polorum ſedes ſcandere. In tantum igitur ſanctitatis eius fama dilatata eſt, vt non ſolum laici ſeu Canonici ad eū confluerent: verum etiā quidā Epiſcopi proprias ædes relinquerent, eiuſq; congregationi ſe ſociarent. Interea videres locū illū, quaſi exulta ſpinis terra, nouas ſoboles, ceu nouas fruges proferre, & quaſi ex tritura areæ, crebris verborū ictibus tunſis ſequeſtratū, à viciorū paleis, frumentū conferre ad Dominicū horreū. XII.

Act 2 & 4

** edere.*

Matth. 6.

Obſerua quam ſint ſanctis cogitares noſtræ quātumq; poſſint præſtare hominibus.

ALIO item tempore, appropinquāte die feſto B. Benedicti, cōplacuit Patri noſtro ex quodā Monaſterio quo tūc erat, ad prædictum proficiſci cœnobiū, quatenus ante corpus beati viri nocturnas deuote excubias celebraret, quod & fecit. Nocte verò illa quæ ſolemnē præceſſerat diē, contigit vt ante lucis ortū matutina laus celebraretur. Nā cū quidam è fratribus nocturna vigilia fatigatus denuo ſe ſopori dediſſet, B Benedictus ei apparere dignatus eſt. Cui cum ſe prius agnitum reddidiſſet, protinus ſubiūxit. Nuncia, inquiēs, fratribus, quia hac nocte nō potui eſſe cum illis, ero pro certo hodie. At ille. Et vbi, inquit, fuiſti domine? Et beatus ait Benedictus. In inſula Britanniæ Et ille. Quid, inquit, ibi feciſti? Et ille reſpondit. Frater Littifredus, qui propter ſuam ſuperbiam, relinquens hunc locū, transfretauit maria, hac nocte fuit defunctus, & à dæmonibus receptus. Contra quos agonē intorſi, eūq; ab eorū poteſtate liberaui Quo audito cœpit frater ille ſuper huius rei factum admirari attonitus. Ad quē rurſus ait Pater ſanctus. Si ſuper hoc factū miraris, iterū audi. Scias pro certo, quia ab illo die quo hoc Monaſteriū fuit conſtructū. quotquot fratres hic fuerūt defuncti, æterna requie ſunt recepti. Deinde adiecit, & ait frater ille. Quia domine dixiſti hodie nobiſcū te eſſe acturū XIII.

Idem rurſus etiam hic obſeruā.

S Benedictus fratrē quendam è fratribus dæmonis eripit.

quis

quis nobis notam faciet horam aduentus tui, vt occurramus tibi? At ille. Nemo, inquit, ſed ego tale ſignum oſtendam omnibus, quo de mea præſentia dubitet nullus. Adiecit frater, & ait. Et qualem cum apparatu tantum Patrem ſuſcipere poterimus? aut quibus obſequiis aſtabimus tibi? Cui beatus reſpondit Benedictus. Si pro lautioribus cibis eſtis ſolliciti, piſces abundanter habebitis. Et ille. Nequaquam, ait Domine. Et ſanctus. Præcipiatur, inquit, piſcatoribus, vt nequaquam eant in Ligeris alueum ad piſcandum, ſed in hac palude quæ ſecus Monaſterium inſtat. His auditis euigilans prædictus frater à ſomno, cum tempus fuiſſet loquendi, omnia quæ ſibi fuerant imperata fratribus ſtuduit innoteſcere: erant ergo fratres de aduentu tanti Patris, & annuntiatione Patris noſtri Odonis edocti, vnuſquiſque ſe ſatagebat ſpiritali Patri de corde proprio ſpiritalia offerre munera. Vnde factum eſt vt ipſum diem cum ſpiritalibus hymnis, orationibuſque tranſigerent. Interea famuli Monaſterij, qui piſcandi Officio operam dedit, nequaquam ſicut eis imperatum fuerat abierunt in paludem, ſed in Ligeris fluuium à quo fuerant ſecreti. Vnde factum eſt vt abſque vllo emolumento licet fatigati fere hora tertia, ad Monaſterium ſunt reuerſi. Qui videlicet requiſiti cur vacui rediiſſent, confuſi præſumptione inobedientiæ, erubeſcebant confiteri quod fecerant vel egerant. Sed ſilentiũ quod indicebat pudor, hoc reſerabat facies rubor. Quibus ait Oeconomus Scio enim præſumptionem veſtram. Sed quoniam prius imperata renuiſtis, nunc ſecundo in paludem piſcandi gratia redite. Quod & factum eſt. Reuera ſubito tantos in hac piſcatione traxerunt piſces, vt pene nullus ambigeret, quod ipſe qui in deſerti regione * ortygometras populo tribuerat, & tunc in eadem palude piſces influeret. Etenim vſque adeo ibidem ſuperabundant, vt videlicet nullo tempore ab ea deficiant, ſicque factũ eſt vt palus, quæ prius ranas ebullire conſueuerat, deinceps piſcibus abundaret. Hoc miraculum ipſe Pater noſter in libro quem de aduentu corporis S. ncti Benedicti deſcripſit in Aureliacenſi, eodem ſenſu, ſed non iiſdem verbis cum cæteris perſpicaciſſime edidit. Conuenerat igitur ad eandem ſolennitatem ex circumfluis regionibus, non modica turba hominum, inter quos quamplurimi cæci, & claudi ſeu paralytici, atque diuerſis languoribus dediti, expectantes tempus refectionis. De quibus omnibus imperatum eſt à Patre noſtro, vt ante tempus Miſſæ, nequaquam eis cibum imparterent. Facta autem hora, ingreſſi ſunt omnes ad Miſſam. Tanta eſt magnitudo Eccleſiæ, vt nullus cogeretur foris ſtare. Enimuero vt Angelicum cœpere hymnum canere, id eſt, Gloria in excelſis Deo, magno quodam ſtrepitu fores Eccleſiæ ſubito ſunt concuſſæ & reſeratæ ita dumtaxat vt omnes poſt tergum reſpicerent, quodam horrore perculſi. In ipſo autem ſtrepitu, omnes qui illic aderant infirmi priſtinæ ſunt redditi ſanitati. Scilicet vt cæci viſum, ſurdi auditum, claudi reciperent greſſum. Et quidem, & lampades Eccleſiæ omnes fuerunt illuminatæ. Tunc intellexerunt omnes, beatum ibi, ſicut dixerat, aduenisse Benedictum. Intantum enim deuotio ſpiritalis omnium corda repleuit, vt præ immenſo gaudio, à lachrymis ſe continere non poſſent. Nomina vero fratrum qui hæc viderunt, innoteſcere mihi renuit Pater Odo. Qua de re dubium eſt vtrum ipſe, an alius fuerit, qui hæc viderit.

Nota vt colendi ſint Sancti.

* Coturnices intelligit. Exod 16. Num 11.

Res admirãda ſane,

Nota lector quæ ſit Sanctorum poteſtas.

XIV. Instante vero iam mortis eius articulo, cum piis eius actibus, vt ſupra retulimus, corona beatæ remunerationis deberetur à Chriſto, Romæ poſitus acuta & continua febre corripitur, membra dolore franguntur, frigidus ignis ipſas cum carne medullas conſumit, diuerſaque & multiplicia genera paſſionum in vno homine ita inſurgunt, vt pro vero indicio eſſet ſe iam iamque à Domino vocari, & terreni hominis indumento expoliari. Quid faceret vir ſanctus? Nimirum Apoſtoli fideliſsimi imitator & vicarius, iam reſolui deſiderat, & cum Chriſto viuere, votis omnibus exoptat. Percucurrerat enim ſanctorum certamen laborum, ac totius virtutis egregium compleuerat curſum, vt merito per gratiam diuinæ pietatis, coronam ſibi iuſtitiæ repoſitam eſſe in cælis, tota ſpei certitudine confideret. Præterea dum de hac ſua vocatione ſuſpenſus haberetur, deſiderio ſibi fuit, prius ſuum Martinum, in quo, vt ita loquamur, cum ipſo lacte carnis ardorem inexhauſti amoris,* orationis gratia reuiſere, & ei extremũ ſpiritum cum proprij corporis famulla conſignare. Quia vero Dei omnipotentis clementia, piis ſemper votis dignatur adeſſe, affuit mox & in hoc noſtro Odone, quem ſibi alterum vas electionis ſegregauerat à matre. Vidit enim Deo dilectus inſequenti nocte virum quendam conſpicabilis formæ ſimul & gratiæ, talia ſibi per viſum dicere. O ſancta & Deo dilecta anima, inſtat quidem tua vocatio, & vltima corporis reſolutio, ſed Martinus te precibus differt, & ad patriam reditum & vires miniſtrat. Sed cum illo perueneris, mox tibi vita pro morte dabitur, & beata ſocietas electorum, pro tuo pio labore, à Chriſto recompenſabitur. Viſioni mox ſigna dant fidem, ægritudo corporis aliquantiſper deficit. Salus accelerata redit Itineris continuo difficultatem inuadit, nec reputans ſenilia & præmortua membra, vicit durum laborem, ob nimium in Martino ardorem: tanto iam deuotior in ſpiritali obſequio, quanto ſecurior de præmio. Conſumpta itaque tanti laboris via Turonis ventum eſt, inſtante iam beati Pontificis celebritate, qua ſpiritus victor migrauit à corpore. Fit tunc gemina vrbis exultatio, dum & Martini annua celebritas renouatur, & Odonis conciuis diu deſiderata præſentia, ab omnibus in commune venerabiliter amplectitur. In qua ſancta feſtiuitate vir ſanctus quam deuotus extitit, quas preces fletibus mixtas Martino effuderit, quæ etiam contriti cordis ſacrificia in ara illa ſalutari, tanquam viuens hoſtia mactauerit, non eſt noſtræ facultatis euoluere, quos deprimit ſtoliditas mentis, & ruſticitas ſermonis. De ſua namque vocatione ſollicitus, fixus ad Deum erat animus, & terrena iam oblitus, puro mentis intuitu, tamquam verus Martini vernaculus, cœleſtia tantummodo contemplabatur attentius. Suſpenſus itaque redditur tali expectatione, tota illa beati Pontificis celebritate: ſed quod contra ſpem ſibi accidit, per triduum differri ſibi repromiſſa munera anxius ingemiſcit. Cum ecce quarto die tranſactæ feſtiuitatis, iterum rediuiua febris accenditur, frigidus irrepit mox præcordia ſanguis. atque ſuas conſumit acerbo vulnere vires. Tunc ſui iam voti compos effectus, & de Dei miſericordia certus, ſpiritus quidem feſſus langueſcit ægroto corpore,

Sed mens læta Deum cernit, ſuſpirat, anhelat.
Vltima vox reſonat. Tu Chriſte parce redemptis
Martinum ingeminat, Martinum ſuſpicit, orat.

Monachos vndecumque venientes, & ſuam vocationem irremediabiliter deflentes, inſtruit ſermonibus, conſignat Deo paternis orationibus, protegit benedictionibus. & valedicit piis ſingultibus. Aduenerat vero iam quartadecima dies ante Decembrem, quæ etiam octaua Martinianæ celebritatis habetur, cum beatus ille ſpiritus, diuina illa & ſalutari pinguedine recreatus, & viuificanti poculo vegetatus, corruptibili carne ſolutus, liber ad æthera migrat, & Martino duce, ſibi crediti talenti multiplicem fructum fideliter repræſentat. A quo percipiens & ipſe præmium condignum pij laboris, ſanctorum cœtibus admixtus, reſplendet candore beatæ immortalitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Baron. ann. 942.

S. Odo laborat infirmitate corpor s.

Philip 1.

* Locus corruptus.

Viſio S. Odonis.

Venit Turones feriaſque S Martini col t deuotiſſime

Anno 941. Munitus Euchariſtia ad Chriſtũ abit, vt teſtatur Frodoardus & ex co Ba o

An. 430.

DE S. ORICVLO ET SORORIBVS EIVS ORICVLA ET BASILICA MARTYRIBVS, EX LIB. I. Hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis Flodoardi, cap. 8.

18. Nov. Oriculus cũ ſororib⁹ à Vvãdalis trucidatur. Decollatus caput ſuum ad ſepulturæ locum defert. Ruſticus fontem S. Oriculi tecto cooperire iuſſus, non parens, morbo corripitur.

SVB Vvandalorum vel Hunnorum perſecutione in Galliis, quidam Dei ſeruus Oriculus nomine Deo vacabat, cum ſororibus ſuis Oricula & Baſilica, in Epiſcopatu Remenſi, in pago Dulcumenſi, vico Sinduno, in Eccleſia quam conſtruxerat: vbi fertur quoque peremptus à Barbaris, cum prædictis ſororibus ſuis. Traditur etiam caput ſuum, poſtquam decollatus eſt, ipſe in quodam fonte lauiſſe: & ſanguine quoque ſuo ſignum crucis, quod adhuc manifeſte apparere dicitur, in quadam petra digito figuraſſe ſuo: & proprium manibus caput ferens, ſepulcrum, quod ſibi condiderat, expetiſſe. Ad quod multa miracula referuntur oſtenſa.

ERAT olim quidam ruſticus ibi manens: cui reuelatio in ſomnis facta eſt, vt fontem, de quo caput ſibi ſanctus II.
Dei, ceu diximus, lauerat, tecto cooperiret. Qui poſtquam bis admonitus id facere diſtulit, in infirmitatem decidit, in qua integro anno ægrotans decubauit. Poſt hæc votis, vt iuſſa compleret, promiſſis conualuit, & fontem ligneis tabulis circundans operuit. Ex quo fonte potantes à diuerſis multi curantur languoribus.

PRESBYTER eiuſdem loci, nomine [a] Betto, balneum ex ipſius puteo, quem infra Eccleſiam hic ſanctus Martyr II.
edidiſſe traditur, ſibi parari præcepit. Quo poſtquam ablutus eſt balneo, ſic elanguit, vt vſque ad anni terminum ægrotus iacuiſſe, nec adhuc perfecte poſtea reuiguiſſe conſtiterit. Quorum Sanctorum [b] corpora vno dudum ſarcofago recondita, tempore Seulfi Archiepiſcopi leuantur è terra, humo prius ſponte patefacta, & loculo, in quo iacebant, vltro ſurſum mirabiliter eleuato.

a Betto preſbyter in puteo eius aqua balneans punitur. b Corpus eius & ſororum eleuatur.

DE S. BARLAAM MARTYRE HOMILIA BEATI BASILII MAGNI, VT EXTAT I. Tomo Operum eius.

19. Nov. Gen. 50. Deut. 34. 1. Reg. 25.

PRIMVM quidem Sanctorum mors planctu ac lachrymis cohoneſtabatur. Vehementer mortuum Iacob, I.
defleuit Ioſeph: & Moſis mortem, Iudæi haud vulgariter planxerunt. Samuelem quoque multis lachrymis ornarunt. Nunc vero, morientibus Sanctis, exultamus. Triſtium namque poſt Crucem Domini immutata eſt natura. Iam non amplius Sanctorum obitus lamentationibus proſequimur, ſed tripudiis diuinis circum ipſorum ſepulcra veluti choreas ducimus. Somnus autem iuſtis eſt mors, immo magis migratio ad vitam meliorem. Hinc eſt, quod martyres exultant, dum trucidantur. Nam deſiderium felicioris vitæ, iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Pericula non reſpicit martyr, coronas reſpicit: plagas non horret, ſed præmia numerat. Non videt lictores interne flagellantes, ſed Angelos ſuperne lætis ominibus acclamantes imaginatur: non ſpectat ad temporaria pericula, ſed ad præmiorum æternitatem. Splendidum & à nobis iam arrhabonem aſſequitur, dum diuinis acclamationibus ipſi applauditur ab omnibus, & innumeros vinctos è ſepulcris connectit & attrahit.

Iuſtis mors ſomnus eſt.

Hoc ipſum ſanæ hodie forti ac ſtrenuo Barlaam vſu venit. Inſonuit enim bellica martyris tuba, & armatos pie- II.
tatis milites, vt videtis, collegit. Athleta Chriſto adhærens prædicatus eſt, & ſtatim excitatum eſt eccleſiæ theatrum. Et quemadmodum fidelium Dominus dixit, Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: mortuus eſt fortis Barlaã, & applaudit illi panegyris. In ſepulcro conſumptus eſt, & ad conuiuium aduocat. Nunc tempus eſt, vt exclametis: Vbi eſt ſapiens? vbi ſcriba? vbi diſceptator ſeculi huius? Agreſtis homo inſuperabilẽ nobis hodie pietatis exuberat doctrinã: quem Tyrannus rapuit quidem, veluti facilem prædam ac venationem nactus, poſtea vero inſuperabilem militem ſenſit: quem tanquam inſana ac delira loquentem riſit, mox vero angelica virtute ſtrenuum horruit. Mores enim hominis non fuerunt cum organo linguæ barbari, nec ratio cum ſyllabis claudicare viſa eſt. Sed erat alter Paulus, cum Paulo dicens: Etiamſi ſermone ſum rudis, non tamen ſcientia. Torpebant iam flagellando lictores, martyr vero robuſtior inueniebatur. Lacerantium manus eneruabantur, verum mens lacerati haudquaquam flectebatur. Neruorum harmonias iam flagra remiſerant, at fidei vigor vehementius ſtringebatur. Perfoſſa latera abſumebantur, mentis vero philoſophia florebat. Maior carnis ipſius portio emortua erat: at ipſe martyr, quaſi nondum inito certamine, firmus erat. Nam quando pietatis amor animum hominis præoccupat, quodcunque illi pugnarum genus ridiculum reddit: & quotquot illum deſideratæ rei gratia conuellunt, delectant magis, quam conſternant. Teſtis mihi eſt, affectus ille ac deſiderium Apoſtolorum, vnde Iudæorum ipſis aliquando flagella iucunda reddita ſunt. Abibant enim, inquit, gaudentes à conſpectu concilij, quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Ieſu contumeliam paterentur.

Iohan. 11. 1. Cor. 1. 2. Cor. 11. Flagellis exditur S. Barlaam. Vis diuini amoris. Act. 5.

TALIS & nobis hodie laudatur miles, qui ſupplicia loco gaudij duxit. Flagellis ſe tanquam roſis impeti arbitra- III.
tus, pietatis obfuſcationem non ſecus atque iacula quædam declinauit. Iudiciarium furorem quaſi quendam fumi offuſionem reputauit. Efferas ſatellitum acies riſit, pericula calcauit; quaſi ſuper roſis tripudiaret. Plagis affectus, lætatus eſt, ac ſi honore afficeretur. In ſuppliciis vehementioribus non ſecus exultauit, quam ſi præclata * brabia acciperet. Nudatos gladios deſpuit: manus lictorum cera molliores ſenſit. Lignum tormento deputatum, veluti ſalutiferum complexus ſalutauit. Carceris clauſura quaſi prato quodam viridi oblectatus eſt: tormentorum adinuentionibus veluti variis floſculis iucundatus eſt. Dexteram habuit igne firmiorem, cuius illi machina poſtremo ab hoſtibus applicabatur. Aræ namque pro more dæmoniaci libaminis, igne impoſito, martyrem adductum ſiſtentes, fucoque incenſo dexteram ſupinam impendere iubentes, manu quaſi æreo altari abutebantur, thure illi ardenti malitioſe impoſito. Sperabant enim ignis vi expugnatam manum, neceſſario ac velociter incenſum thus in aram excuſſuram. Papæ, quam multiiuga ſunt impiorum præſtigia! Quoniam innumeris vulneribus, inquiunt contentioſi, pugilis mentem non fleximus, vel manum illius flamma incendamus. Quoniam variis machinis animum illius haudquaquam permouimus, dexteram igni admotam permoueamus. At ne hac quidem ſpe miſeri potiti ſunt. Nam flamma manum quidem ambedit, perdurauit vero illa, cineris inſtar flammam ferens. Tergum ſæuienti igni non dedit, quemadmodum fugitiui & imbelles ſolent, ſed immotus perſtitit, ſtrenue contra flammam dimicans, & Propheticas martyri voces proferendas adminiſtrans, vt diceret, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Ignis cum manu confligebat, ſed ignis vincebatur. Luctabantur inter ſe flamma ac dextera martyris, ſed dexteræ noua quædam certaminum victoria concedebat, dum flamma quidem per mediam manum exigebatur, ipſa vero manus adhuc ad luctam porrecta erat.

Mira martyris virtus. * brauia. Nota inſidias ſatanæ. Dextera manus eius igne aduritur. Pſal. 143.

QMA-

O manum igne contentioſiorem; ô manum ab igne flecti neſciam. Et ô ignem à manu vinci doctum. Ferrum videtur ignis tyrannide emolliri, æs cedit ignis potentiæ. Solet illo lapidum quoque vinci durities. Nunc vero martyris dexteram extenſam ignis ille combutens non inflexit, cuius vigor omnia domuit. Merito ſane martyr iſte ad Dominum huius gratia clamaret: Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quomodo te, ô ſtrenue Chriſti miles, appellabo? ſtatuam ne vocabo? Sed multum ita de tua tolerantia detraxero. Nam accepiam ſtatuam ignis emollit, dexteram vero tuam adigere non potuit, vt vel videretur aliquouſque moueri. S. ferreum non ominanero, & iſtâ imaginem dexteritate tua inferiorem innenio. Nam tu ſolus flammæ perſtiſiſti, ne manum domaret, tu ſolus dexteram loco aræ habuiſti, tu ſolus ardenti dextera facies dæmonum percuſſiſti: & nunc quidem flammante manu capita illorum I que fecisti: nunc vero eadem incinerata, exercitus illorum peſſundans excæcas. *Pſal. 72.* *Inuicta martyris fortitudo.*

V. Sed quid puerili balbutie victorem extenuo? Quin magnificentioribus laudum ipſius linguis cedamus. Sonſtiores doctorum tubas ad illius præconia aduocemus. Exurgite nunc, ô præclari athleticorum geſtorum pictores. Mutilam Ducis imaginem veſtro illuſtrate artificio, & obſcurius à me depictum coronatum athletam, veſtræ induſtriæ coloribus conſpicuum reddite. Abibo certaminum ac victoriarum martyris à vobis poſita imagine victus: gaudebo, tali hodie per veſtram dexteritatem victoria ſuperatus. Video manus huius luctam, cum igne exactius à vobis depictam: video alacriorem pugilem, per veſtram depictum imaginem: plorent dæmones, & iam martyris in nobis perculſi victoriis: ardens iterum illis ac victrix manus oſtentetur: pingatur in tabula vna & certaminum agonotheta Chriſtus, cui ſit gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

Encomium huius eiuſdem Martyris à S. Iohanne Chryſoſtomo conſcriptum Interprete R. P. Frontone Ducæo S. I. Theologo, habes tomo 5. operum nouiſſimæ editionis.

VITA S. PATROCLI ABBATIS, AVTHORE S. GREGORIO EPISCOPO TVRONENSI, DE VITA Patrum, Cap. 9.

An. 560.

I. CVm egregia Moyſei vatis prudentia diuinæ deſcenſionis tabernaculum, iuxta ipſum oris Dominici præceptum fabricare diſponeret, atque ad hoc, eiuſdemque apparatum multa congerere iuſſu, non haberet cuncta in promptuario, quæ ab ipſo Domino oſtenſa fuerant in montis ardui ſummitate, iuſſit commoneri populum, vt offerret vnuſquiſque pro viribus quiddam muneris Deo, & hoc non ex neceſſitate, ſed ſponte. Offerebant ergo donaria auri, argentique, æris, ac ferri metalla, gemmarum etiam micantiũ pulchritudines, ac fila byſſi duplicati, coccique bis tincti: nonnulli pelles arietum rubricatas, piloſque caprarum. Sed cum hæc omnia doctores Eccleſiarum eſſe allegorica tradidiſſent, & in reliquis donariis gratiarum genera demonſtraſſent, in illis caprarum pilis laudationum verba ſignificari dixerunt. Ita nunc & nos ſteriles ſenſu, imperiti ſtudio, ſqualentes in actu, etſi aurum, argentumque, vel geminas, filaque duplicata, ac torta non offerimus, ſaltem vel pilos caprarum, id eſt, verba, quæ ſanctorum atque amicorum Dei prodant miracula, in Eccleſia ſancta porrigimus, vt legentes eo incitentur ſtudio, quo ſancti meruerunt ſcandere polum. Ergo quia nobis de beati Patrocli vita nuper data relatio, quædam prodidit non omittenda, ea manifeſtanda curaui. Et licet ſermo ſit ruſticus, non tamen occulenda arbitratus ſum, quæ Deus geſſit per famulum ſuum. *19. Nov.* *Exo. 25. &c.* *Exod. 35.*

II. IGITVR beatiſſimus Patroclus Biturigij territorij incola, Aetherio patre progenitus, cũ decem eſſet annorum, paſtor ouium deſtinatur, fratre Antonio tradito ad ſtudia literarum. Erant enim non quidem nobilitate ſublimes, ingenui tamen. Cumque quodam meridie hic à ſcholis, ille à grege commiſſo, ad capiendum cibum paterno in hoſpitio conueniſſent, dixit Antonius fratri ſuo: Diſcede longius, ô ruſtice: tuum eſt enim opus, oues paſcere: meum, literis exerceri: qua de te nobiliorem me ipſius officij cura facit, cum te huius cuſtodiæ ſeruitus vilem reddat. Quod ille audiens, & hanc increpationem quaſi à Deo ſibi tranſmiſſam putans, reliquit oues in campi planitie, & ſcholas puerorum niſu animi agilis atque curſu velociſſimo expetit. Qui primis elementis, ac deinceps omnibus, quæ ſtudio puerili neceſſaria erant, ita celeriter, memoria opitulante, imbutus eſt, vt fratrem vel in ſcientia præcederet, vel alacritate ſenſus, adiuuante diuini numinis auxilio, anteiret. *S. Patrocli pater eum adhibet paſcendis ouibus.* *Dat ſe ſtudiis literarũ.*

III. DEHINC Mumioni, qui quondam cum Childeberto Pariſiorum Rege magnus habebatur, ad exercendum commendatus eſt. A quo cum ſumma amoris diligentia nutriretur, ita humilem atque ſubiectum omnibus ſe præbebat, vt omnes eum tanquam proprium filium in ſumma bonitate diligerent. Regreſſus vero domum, patre defuncto, reperit matrem ſuam adhuc ſuperſtitem. Cui illa ait: Ecce genitor tuus, ô dulciſſime nate, obiit: ego autem abſque ſolatio dego: requiram ergo puellam pulchram ingenuamque, cui copulatus, ſolatium præbeas maternæ viduitati. At ille reſpondit: Non coniungor humanæ coniugi, ſed quæ concepit animus, cum Domini voluntate perficiam. Sed cum genitrix non intelligens, quæreret quid hoc eſſet, prodere noluit, ſed abiit ad Arcadium Biturigæ vrbis Epiſcopum, petiitque ſibi comam capitis tonderi, aſcitique ſe in ordinem clericorum. Quod Epiſcopus, Domino volente, ſine mora compleuit. Multo autem poſt Diaconatus officium ſumens, vacabat ieiuniis, delectabatur vigiliis, exercebatur lectione, ac in oratione aſſidua ita promptus effundebatur, vt nec ad conuiuium menſæ canonicæ cum reliquis accederet clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum, ait: Aut cum reliquis fratribus cibũ ſume, aut certe diſcede à nobis: non enim rectum videtur, vt nolis cum his habere victũ, cum quibus Eccleſiaſticum implere pntaris officium. Non eſt autem ob hæc ſeruus Dei commotus animo, qui iam eremi ſitiebat adire ſecretum: ſed egreſſus ab vrbe memorata, venit ad vicum Nereenſem: ibique ædificato oratorio, ſancti Martini reliquiis conſecrato, pueros erudire cœpit in ſtudiis literarum. Veniebant autem ad eum infirmi, & ſanabantur, atque energumeni nomen eius confitentes, emundabantur. *Reſpuit vxorem.* *In clerum admittitur.* *Nota eius exercitia.* *Miraculis claret.*

IV. VERVM non ei erat ſolitudo, vt voluerat, ſed patefacta virtus publicum vſquequaque reddebat. Tunc pro hoſpitio eligendo quædam conſcripta breuia poſuit ſuper altare, vigilans & orans tribus noctibus, vt quid ei Dominus iuberet, dignaretur manifeſtiſſime declarare. Sed pietatis diuinæ inclyta miſeratio, quæ eum præſciens, eremitam eſſe decreuerat, breue illud accipere iubet, vt ad eremum properaret. Ille autem in cellula, qua degebat, congregatis virginibus, monaſterium inſtituit puellarum, nihil de omni labore ſuo, quod ibidem aggregauerat, cum abſcederet, ſumens, niſi raſtrum vnum, vnamque bipennem, ingreſſuſque altas ſyluarum ſolitudines, venit ad locum, qui dicitur Mediocantus, atque ibi conſtructa cellula in opere, quod ſupra diximus, Deo vacabat. Cum igitur inibi multos energumenos manu impoſita, per ſignum Crucis effugatis dæmonibus, mente integra reddidiſſet, vnus ad eum adductus eſt rabidus, qui rictibus patulis ac ore cruento, quicquid attingere poterat, dentibus proptius laniabat. Pro quo triduum *Inſtituit monaſteriũ virginum.*

dum in oratione proſtratus,obtinuit ab illa diuinæ miſerationis potentia, vt mitigato furore,miſer homo mundare-
tur:immiſſiſque in os eius digitis, fugato feralis atrocitatis ſpiritu,perſonam reſtituit incolumitati. Nullas vero ante
eum vires habere poterat perſuaſionis iniquæ præſtigium.Nam ſicut hos,qui vexabantur,emundabat,ita & quæ im-
mittebat occulte atrocia author criminis,repellebat per Crucis ſacratiſſimæ virtutem.Leubellæ enim cuidam fœmi-
næ cum tempore luis illius inguinariæ diabolus Martinum mentitus, oblationes, quibus quaſi populus ſaluaretur,
ne quiter obtuliſſet , hæ ad ſanctum delatæ,non ſolum,reuelante Spiritu ſancto,euanuerunt,verumetiam ipſe incen-
tor malorum ſancto teterrimus apparens. quæ nequiter geſſerat,confeſſus eſt. Transfigurat enim ſæpe diabolus ſe in
Angelum lucis,vt hac fraude decipiat innocentes.

2 Cor 11.

Sed cum ei multas intentaret inſidias,ne hic aſcenderet,vnde ille corruerat, immiſit ei cogitationem, vt præ- V.
termiſſa eremo, ad ſeculum reuerti deberet. Sed cum ſanctus virus graſſari ſenſiſſet in pectore, in oratione
proſtratus petebat, vt nihil aliud, niſi quod Deo eſſet placitum, exerceret. Tunc apparuit ei Angelus Domi-
ni per viſum, dicens : Si vis mundum videre, ecce columna, in quam aſcendens, contemplare omnia, quæ ge-
runtur in eo. Erat autem ante eum per ipſam viſionem columna miræ celſitudinis collocata. In quam aſ-
cendens, vidit homicidia, furta, cædes, adulteria, fornicationes, & omnia praua, quæ geruntur in mundo : &
deſcendens. ait : Ne, quæſo, Domine reuertar ad has prauitates, quas dudum, te confeſſus, oblitus ſum. Tunc
ait illi Angelus, qui cum eo loquebatur : Deſine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo : ſed potius vade
in oratorium, in quo Dominum depreceris, & quod ibi inueneris, hoc tibi erit conſolatio in peregrinatione tua.
Ingreſſus igitur cellulam oratorij, inuenit regulam fictilem, in qua ſignum Crucis Dominicæ erat impreſſum: a-
gnoſcenſque munus diuinum intellexit ſibi ad omnia mundanæ perſuaſionis incitamenta hoc eſſe inexpugnabile
munimentum.

Ecce quæ in mundo geruntur.

Nota hæc de virtute ſigni S. Crucis.

Post hæc ædificauit monaſterium Columbarienſe in milliaribus quinque à cellula eremi,in qua habitabat:& VI.
congregatis monachis,vt in ſolitudine libero potius fungeretur arbitrio , Abbatem inſtituit,qui gregi monaſteriali
præeſſet. Octauum autem & decimum in hoc eremi loco expleuerat annum. Tum congregatis fratribus tranſitum
ſuum annuncians,obiit in ſenectute bona,& ſanctitate præcipua. Qui aquis ablutus,feretroque impoſitus,ferebatur
ad monaſterium ſuum, vbi ſe viuens ſepeliri mandauerat. Tunc Archipresbyter Nereenſis vici, collecta clericorum
cohorte, voluit vi auferre glebam ſancti corpuſculi, videlicet vt ad vicum ſuum, vnde egreſſus fuerat, ſepeliretur. Sed
cum furibundus veniens,vidiſſet à longe palliam,quæ ſanctos tegebat artus,eximio albere nitore,ita nutu Dei eſt me-
tu perterritus, vt omni velocitate reuocaret ab animo , quod male conceperat leuitatis arbitrio. Coniunctuſque
pſallentibus,in exequiis ſancti progreſſus,tumulauit eum cum reliquis,qui aderant,fratribus in ipſo Columbarienſi
monaſterio.

Condit monaſterium Columbarienſe.

Abit è vita.

Ad cuius ſanctum ſepulcrum Prudentia cæca, cum alia Lemouicina puella, ſimiliter lumine viduata, vt ſepul- VII.
crum ipſum in oratione oſculatæ ſunt,lumen recipere meruerunt. Maxonidius autem poſt quintum cæcitatis ſuæ an-
num,hunc tumulum ſanctum adiit,lumenque recepit. Energumeni vero Luppus, Theodulphus, Rucco,Scopilia,
Nectoriola,Tacihildis,ad hunc ſanctum tumulum ſunt mundati. Sed & puellæ duæ,de Lemouicino venientes,oleo,
quod ipſe ſanctus benedixit , perunctæ , à nequitia , qua obſidebantur , mundatæ ſunt. Et quotidie ibidem
ad corroborandam fidem noſtram , mirabilia operatur Dominus , qui perpetualiter glorificat ſanctos
ſuos.

Miracula ad ſepulcrū eius.

Attēde virtutem ſancti olei.

Meminit huius S. Patrocli idem Greg. Turonenſis lib. 5. hiſtoriæ Francorum cap. 20.

An. 1210.

VITA S. ELIZABETH, ANDREÆ HVNGARORVM REGIS FILIÆ LVDOVICI LANTGRAVII THVRINGIÆ Principis Haſsiæ & Saxoniæ, Comitis Palatini vxoris à Theodorico Turingo Ordinis Prædicatorum libris octo conſcripta, vt habetur tom. 5. Henrici Caniſij. F. Antonius Senenſis in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum tribuit hanc vitam F. Theoderico de Apoldia Erfordienſi, quem claruiſſe aſſerit Anno, 1288.

19. Nov. Quibus auctoribus vſus ſit Theodoricus in hac vita conſcribenda.

a Codex m ſ. Rebd. Marbutch

CVM de vita & moribus & morte miraculiſque beatæ Elizabeth perſcrutari cœpiſſem,oblata ſunt mihi Prol.
quædam ſcripta de prædictis,videlicet Libellus de dictis Quatuor Ancillarum eius confectus. Litera
quoque magiſtri Cunradi de [a] Martburg,quam de vita & morte,& miraculis eius domino Gregorio Pa-
pæ nono ſcripſit. In quibus pura quidem & ſimplex fideique conſona veritas continetur. Veruntamen
fateor,in his meo non eſt affectui ſatisfactum. Non enim in eis perſonæ,& perſonarum genus,nomina,
dignitates, & officia exprimuntur,ſed nec prouinciarum,locorum temporumque varietates, & vocabula ad hiſtoriā
pertinentium ſunt deſcripta. Quæ illi, licet nobis neceſſaria forent nunc,tunc ſibi quaſi notiſſima omiſerunt. Quo-
modo ergo legenti ſatisfacient incompleta ? ſed nec materiæ ad eandem rem pertinentis coniunctio ibi eſt,ſparſim
cuncta poſitis,pro vt occurrerunt memoriæ referentis. Sub iuramento enim narrantium conſcripta ſunt, ſicut dicta
teſtium recipi conſueuerunt. Legi præterea, ſermonem fratris Ortonis de ordine Prædicatorum doctiſſimi
& deuotiſſimi viri : qui ſic incipit: Mulierem fortem. Et cuiuſdam alterius alium ſermonem qui incipit: Ad decus
& honorem. In quibus aliqua de geſtis reperi breuiter introducta. Reſpexi etiam Chronica ſcripta diuerſorum inue-
nire cupiens,quod quærebam. Igitur cum non inuenirem vbi requieſceret pes affectus mei, viſitaui Monachorum &
Monialium monaſteria,iui ad ciuitates,caſtraque,& oppida,interrogaui perſonas antiquiſſimas & veraces. Direxi li-
teras,hiſtoriæ huius integritatem,& rei geſtæ veritatem in his omnibus,& ab his omnibus inueſtigans. Anno autem
incarnationis dominicæ milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, à tranſitu B. Elizabeth quinquageſimonono,ad
laudem eorundem ſcribere incipiens,pauciſſima de his,quæ ſcripta habui depoſui: ſed incompoſita & ſparſa compo-
ſui;inordinata ordinaui,indiſtincta diſtinxi; & ornaui,prout potui,impolita. Multa interſerui,& appoſui,& ſicut con-
gruere credidi,materiæ adaptaui,perſonarum dignitates,nomina & officia,locorum vocabula,& tempora exprimen-
do. Quædam ſicut in ſcriptis reperi de verbo ad verbum poſui,& nonnulla etiam variaui, & vniuerſa & diuerſa in v-
num colligens hoc opuſculum compilaui. Teſtificor coram Deo,& electis angelis eius me nihil in hoc libello poſu-
iſſe,niſi quæ ex ſcriptis probatorum habere potui:& niſi ea, quæ à perſonis religioſis, & multum veracibus intellexi.
Quædam præclara audiui miracula, quæ propter dubios relatores ſcribere formidaui. Digniſſimum quo-
que duxi (quod & feci) aliqua de pietate Illuſtriſſimi Principis Ludouici Landgrauij, eiuſdem bea-

Nota diligentiā eius

An. 1289. orſus eſt de S. Elizabeth conſcribere hiſtoriam.

Proteſtatio eiuſdem.

tæ

tæ Elizabeth mariti, qui omnis bonitatis eius promotor & cooperator fideliſſimus extitit, annotare, quod hoc hiſtoriæ neceſſitas, & perfectio expoſcebat. Adhortantibus itaque quibuſdam honeſtis & deuotis perſonis, ego * Dietricus Sacerdos Frater Ordinis prædicatorum Minimus cum quadraginta duos in ordine compleuiſſem annos præſens opuſculum ſcripſi. Pertractaui autem mente mea, ſolus omnia conſcribens, emendandoque reſcribens plurima ſæpius caligantibus oculis manu mea. Diſtinxi vero ipſum in octo libellos propter multam materiam, ne prolixitas tædium generaret; quæ tamen nondum plene exarata eſt iuxta ſuæ exigentiam dignitatis. Nam præter valde pauca, quæ omnia ad eius tumbam, aliiſque meritis ipſius facta ſunt, innumera miracula prætermiſi. De quibus ſane tam prolixum opus, quam prænotatum eſt, confici poterat, & conſcribi. Poſtremo fateor me indignum inculte & ſemiplene hæc ſublimia & grandia gratiæ opera protuliſſe, optans & ſperans aliquem ſucceſſurum, qui hæc legens & miſerans, eruditiori ſtylo, & elegantiori eloquentia corrigens emendabit.

* Codex manus S. Magno (quem per litteram M. in poſterũ notamus) legit Theodericus.

I. EO tempore quo Philippus Sueuorum Dux, frater Henrici Imperatoris, & Otto Henrici quondam [a] Bauariæ & Saxoniæ Ducis filius à Principibus contentioſe electi, quis eorum arcem Romani obtineret Imperij, periculoſe & hoſtiliter diceptabant, erat in [b] Alemannia Princeps illuſtris valde Hermannus Thuringiæ Lantgrauius vir vtique ſtrenuus, & acer in hoſtes, Ottocari Regis Bohemiæ conſobrinus, qui præfatos Imperatores, nunc iſtũ nunc illum promouens ac prouocans alternatim exacerbauit, & contra ſe in prælium concitauit. In huius palatio & familia fuerunt ſex viri milites, natalicijs non infimi, ingenio excellentes, honeſtate morum virtuoſi, cantilenarum confectores ſummi, ſua certatim ſtudia efferentes. Habitabat tunc in partibus Vngariæ, in terra quæ Septem caſtra vocatur nobilis quidam, & diues trium millium marcarum annuũ habens cenſum, vir Philoſophus, litteris & ſtudijs ſecularibus * à primæuo ætatis imbutus. Nigromantiæ & Aſtronomiæ ſcientijs nihilominus eruditus. Hic magiſter * Glyngſor nomine ad diiudicandas prædictorum virorũ cantiones in Thuringiam per voluntatem & beneplacitum Principum eſt adductus. Qui antequam ad Lantgrauium introiſſet, nocte quadã in Yſenach ſedens, in area hoſpitij ſui aſtra magna diligentia intuitus eſt. Tunc rogatus ab hijs qui aderant, vt ſi qua ſecreta perſpexiſſet, ediceret: Reſpondit [c] Noueritis quod hac nocte naſcitur Regi Vngariæ filia, quæ Elizabeth nuncupabitur, & erit ſancta, tradetur que huius Principis filio in vxorem, de cuius ſanctitatis præconio exultabit, & exaltabitur omnis terra. Ecce qui per Balaã ariolum incarnationis ſuæ prænunciauit myſteriũ ipſe per hunc prælectæ famulæ ſuæ Elizabeth prædixit nomen & ortũ. Regnabat [d] tunc in Vngaria Andreas Rex diuitijs clarus & potentia, cuius vxor Gertrudis nomine nobiliſſimi Ducis Carinthiæ filia, & præmonſtratum fuerat à Domino, peperit filiam generis ſui decus. Quæ in Chriſto regenerata Elizabeth nomen accepit. An. [e] Dominicæ incarnationis M. D. VII. Nec multo poſt dicti Principis Hermanni primogenito Ludovvico optimæ indolis puero electa illa, illa Elizabeth ſancta, adhuc ſugens vbera, Dei nutu deſponſata eſt. Anno igitur à natiuitate Elizabeth quarto miſit Hermannus Lantgrauius ſolemnes ac nobiles vtriuſq; ſexus legatos in Vngariã pro regis filia in Thuringiã adducẽda. Quorũ principales erãt Comes * Menhardus de Mulbrick, & nobilis vir Vvaltherus de Varila, dominaq; * Bertha, relicta Egelolſi de * Beindeliben. Erant procedentes cũ comitatu & familia multa & apparatu copioſo, prout tantæ nobilitatis excellentia requirebat. Qui à principibus & Prælatis atque magnatibus, quorum tranſiere terras & terminos, cum ſumma honorificentia ſunt ſuſcepti, tam in proceſſu itineris, quam regreſſu. Venientes itaque ad caſtrum regis quod Presburg dicitur iocunde & regaliter ſunt recepti.

a Bauariæ. M.
b in aliena via Rebdorf.
* apprime M.
* Clingſor.
c Rebd.
d Præſagiũ Clingſor de S. Elizabeth.
Parentes Elizabeth.
Ann 1107. naſcitur.
Infans deſponſatur filio Lantgrauij.
* Meinhardus M.
* Bertha M
* Bendeleben.

II. ERAT aũt Rex Andreas vir quietus & bonus. Regina vero mulier virtuoſa & fortis, quæ fœmineæ cogitationi virilẽ animũ inferens, regni tractabat negotia, filiæq; trãſmittendæ procurabat neceſſaria. Datis autem nuncijs muneribus regijs, præparatiſq; omnibus, cũ proficiſci properarent, auro & argento de ſericis inuolutã, in cunabulo argenteo reclinatã, illis Paranymphis nobilibus præſentauit regina filiã ſuã dicens: Domino veſtro dicite vt animæ quiorſi & valẽs, & ego cũ maximis diuitijs, ſi dominus mihi vitã dederit cumulabo. Tranſmiſit quoq; cũ filia vaſa aurea & argẽtea multa, & magna & varia & diademata pretioſiſſima, & ornamenta, annulos & monilia, multipliciaq; veſtimentorũ paria, & doliũ argenteũ pro balneo filiæ, lectualia, * culturæ cooperturia omnia de ſerico, purpuras & pãnos ſericos multos, cũ alia ſupellectili innumerabili pretioſa. Addidit inſuper mille marcarũ pecuniæ ſummã, nec non & alia promittens ampliora, ſi viuere cõtigiſſet. Non ſunt allata, nec viſa talia, & tã pulchra precioſaq; ad multa in Thuringia, qualia trãſmiſit Regina cũ filia ſua. Gaudebat namq; & gloriabatur de talis principis nuptijs filiæ procuratis. Regreſſi in Thuringiam magnifice ſuſcepti ſunt. Ipſa quoq; regis filia ſponſo puero infantula appoſita eſt, & quaſi figura quædã futurarũ peragitur nuptiarũ. Enutrita autem eſt cũ omni ſtudio vt oportuit & decebat. Poſt hæc anno euectionis Elizabeth tertio Regina mater ipſius à magnatibus & proceribus regni, in mortẽ ipſius malitioſe cõſpirantibus, crudeliter interfecta eſt. His ita prælibatis ſecundũ ordinẽ de vita & moribus, miraculis & operibus, mortiſq; tranſitu beatiſ. Dei filiæ & famulæ Elizabeth, ad laudem ipſius quæ geſta cognouimus, ſcribendo proſequemur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Iacob Montan. e. vitæ S. Elizab.
Mater cum filia multa Lantgrauio mittit munera.
* culcitras.
Gertrudis Regina Hũgariæ necatur.

III. MIRABILIS in ſanctis & ſanctus in operibus ſuis Dñs Deus noſter, electos ſuos inhabitans operatur & mirabilia in ipſis. Non n. ætatẽ in tẽpore, nec ſexũ diſcernens in corpore, iuxta decretũ inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ perficit in ipſis opera ineffabilis miſericordiæ ſuæ. Ipſo igitur ſine quo nihil eſt validũ, nihil ſanctũ, opitulante, illuſtris & B. Elizabeth adhuc infantula, nondũ doli capax, vel ratione vtens, iã futuræ in ſe perfectionis imaginẽ præferens, frequenter ante altare prouoluta, pauimento ore adhærebat, genuflexioneſq; multiplicans, cõplicatis manibus & erectis oculis, cœleſtibus, prout poterat, intendebat. Ludens ẽt cũ coæuis puellis ſaliendo Capellæ appropiare ſolebat. Et cũ intrare nõ potuit, ſaltẽ limina & parietes contingendo oſculis honorabat. Paribus in ſtatura recõmenſurans, proſternendo occaſionẽ faciendi venias quærebat, velut poſtmodũ recognouit. In ipſis qui pueritiæ congruũt ludis lucrãdi ſpẽ ad Deum contulit. Pauperculis puellis de lucro dabat decimũ, aliaq; munuſcula, eaſq;, per hæc ad dicendã orationẽ Dominicã, & ſalutationẽ angelica obligabat. Agnoſcatur in his operata diuinitas. Nã cũ humanæ naturæ infãtia p varia plerunq;, proh dolor, decurrat inquinamẽta, cuius quæſo hæc in tãtillo corpuſculo, niſi ſancti Spiritus gerebantur adminiculo? His aliiſq; ſanctæ indolis inſignita præludijs nonũ ætatis annũ attigit, in quo Dñs Hermannus pater ſpõſi ſui defunctus eſt.

Iacob Montan. cap. 2.
Elizabeth admirabilis infantia.
Hermannus Lantgrauius moritur.

IV. ELIZABETH a. ſicut corpore, ſic gratia creuit & virtute, in omnibus vijs ſuis Deũ cogitãs, ipſumq; præ oculis mẽtis habens, fideliter inuocabat, dulciter nominabat, & cũ ẽs in ipſũ ſenſus ſuos & actus pariter dirigebat, cultũ & ornatũ corporis, & vanitatẽ ſeculi declinabat. Quotidianũ Deo per orationes votiuas offerebat ſacrificiũ, quibus quandoq; nõ cõpletis, dum dormitũ ire cogeretur, ipſas iacens vigilanter implebat: memor Dñi ſuper ſtratum ſuũ. Videns tũc quomodo Chriſtiani quique venerationis cultu Apoſtolorũ ſibi patrocinia prouiderẽt, pietatis deſiderio accẽſa, caſtitatis amatrix, Ioannẽ Euangeliſtã virginitatis cuſtodẽ optabat habere patronũ. Præmiſſa igitur oratione ſupplici, ad electionẽ cũ alijs humili corde acceſſit. Et ecce nutu Dei iuxta deſiderij ſui votũ primo, ſecũdo, ac tertio Apoſtolus ſe obtulit ei concupitus. Quẽ tota deuotione amanter amplectẽs, omni pietatis ſtudio coluit, adeo vt quidquid ab ea in huius Apoſtoli nomine ſiue in iniurijs relaxãdis, ſeu in beneficijs cõferendis peteretur, nunquã negarẽt, ſed hilari liberalitate mox præſtaret. Sanctificabat ſimplex puella cõuerſionis puritate diẽ ſabbati, dominicis & feſtis diebus aliquid de ornatu corporis ſibi ſubtrahẽs, ſciens, quod non in nitore veſtiũ, ſed in humilitate mentiũ diuinitas hortatur. Ideoque his tẽporibus ante meridiẽ pro Dei reuerẽtia nec Chirothecas induit, nec manicas cõſueto ſtringere cõſueuit. Cotidie ẽt quiddã ſibi detrahendo ſuã ſtuduit frangere voluntatem. Vnde in ludis puerilibus cũ ſucceſſus proſperi eius, vt aſſolet animũ delectarent, cõtinens ſe, Modo, inquit, in optimo ſucceſſu, pro Deo dimittã. In choreis quoque ſemel circuiens Sufficit, ait, mihi vnus pro mundo circuitus reliquos pro Ieſu Chriſti nomine intermittã.

Iacob Montan. cap. 2.
S. Ioannem Euangeliſtam patronũ eligit.
Feſtos dies adhuc infantula ſic coluit.

Iac Mont. cap 3. In Eccleſia coronam deponit.

CRESCEBANT & nutriebantur ſimul Agnes ſoror ſponſi, puella ſpecioſa, & Elizabeth virgo Deo deuota, cultuque conſimili ornabantur. Cumq; decenter cõpoſitæ, & auro & gemmis coronatæ ex more, ſubſequente relicta Henrici domina Sophia ad Eccleſiam proceſſiſſent, & loca ſua tenerent, mox Elizabeth coronã de capite ſuo deponens, & iuxta ſe collocans, ad caput nõ repoſuit niſi diuinis officiis conſũmatis. Et dũ ſuper hoc ſocrus admirans loqueretur, eidẽ reſpondit: Abſit vt in conſpectu Dei, regiſq; mei Ieſu Chriſti, quem ſpinis coronatum aſpicio, ego res vilis & lutea, faſtu elationis coronata appareatn. Vulnerauerat iã tunc charitas tenerũ cor, gladiuſq; dominicæ paſſionis pertranſierat eius animam delicatam, cuius deſpectui tanto opere conabatur ſe conformare. Erant tunc in aula potentes quidam Secretarij, piis eius actibus inuidentes, qui amaris verborum iniuriis eam afficiebant, & proteruis inſultationibus eius teneritudinem perturbabant. Ipſaque ſocrus eius, ſponſiq; ſoror, faſtus ſecularis affectæ honoribus, longe ab humilis Elizabeth moribus diſcrepabant. In quorum omnium medio, velut lilium inter ſpinas, innocẽs Elizabeth, florens & germinans pungebatur aculeis, ſed humilitatis ac patientiæ fragrans ſuauitatis diffundebat odorem. In manſuetudine itaq; improperia ſuſtinens, inclinauit caput ſuum, nec ambulauit in magnis: ſed cum pauperibus ſermocinatio eius, & cum ancillis ſemper & pediſſequis conuerſatio eius fuit. Quis in huius tenellæ ætatis corpuſculo tantũ munus gratiæ, & virtutum opera non obſtupeſcat? qualis putas eſt futura adulta, quæ talis eſt in pueritia? Quis, vt æſtimas, erit in ſapore fructus, cuius odor ſic fragrat vernans in flore? vtique quæ miſit radicem deorſum, faciet fructum ſurſum, afferet fructũ multum, faciet multa opera bona, & maiora horum faciet, & de fructu manuum ſuarum plantabit vineam, palmites meritorum, botroſque gratiarum cum vino ſuauitatis perpetuæ germinantem.

Habet æmulos & obtrectatores.

Iacob Montan. cap. 3.

TRANSACTIS itaque tam innocenter, quam humiliter pueritiæ annis, cum iam adoleſcentiæ confinia cœpiſſet V.
attingere, augebatur, quidem intrinſecus per ſpiritum mentis deuotio, ſed & inſurrexit extrinſecus per ſeculi malitiam valida tribulatio. Nam cum nubilis facta eſſet, & à cognatis, proximis, vaſallis, & conſiliariis ſponſi ſui, qui eam diligere, & ei potius obſequi tenebantur, manifeſtas perſecutiones perpeſſa eſt, Saluatoris exemplo, aduerſus quem impij mala pro bonis, & odium pro dilectione poſuerunt. Machinabantur fruſtra, vt repudiata regi patri ſuo remitteretur, eo quod minus, quàm decuerit dotis acceperit. Aſſerentes quod & dotem pinguiorem, & potiora adiutoria poſſet per filiam cuiuſpiam vicinioris Principis obtinere. Ipſa etiam domina Sophia ſatagebat operoſe, vt in aliquo religioſo Cœnobio Monialium collegio iungeretur. Inter hæc Elizabeth exul à domo patris, & huius mundi peregrina, contemptui ſe haberi perpendens, medullitus ingemiſcens, confugit ad Dominum, tribulationemq; ſuã ante ipſum pronuncians, bonitatis diuinæ diſpoſitioni per omnia ſe ſubiecit. Ancillarum & pediſſequarum ex more gaudebat conſortio, & cooperabatur obſequio, in tantum vt ſocrus ei dedignans diceret: Non in Principum dominantium, ſed in ſeruantiũ famulantium numero fuiſſe debuerat Elizabeth computata. In his aliiſque abundantium opprobriis & ſuperborum deſpectionibus, erat cor Elizabeth fiduciam habens in Domino, qui & in ſe confidenti nõ defuit in auxilio opportuno. Occulta quippe inſpiratione ſua ad dilectionem exulis reginæ cor & affectum Principis ſponſi tam efficaciter inclinauit, vt in ſolitudine ſecreti & mutui amoris loqueretur ad cor eius dulciter dicens ſibi verba bona, verba conſolatoria. Qui nimirum ab initio ſolitus erat cum aliunde rediret eam allatis xeniis honorare, & amplexibus delinire.

Nuptias irritas reddere moliuntur aduerſarij

Eius humilitas:

Iacob Montan. cap 4.

PROPTER diuerſas perſuaſiones, variaq; malignorum conſilia nonnulli de nuptiis Elizabeth dubitare cœperũt. VI.
Erant tamen in Thuringia quidam nobiles viri iuſti, prædictorum machinationibus rationabiliter obſiſtentes. Inter quos fuit Vvaltherus de* Varila, miles, vir bonus, qui à patre huius Principis deſtinatus in Vngariã, beatam Elizabeth adduxerat in Thuringiam. Hic vice quadam ad ſponſum eius iter agentem accedens in campo dixit ſecrete; Placeat tibi vt loquar ad te domine mi, indiceſq; mihi, quod fuero ſciſcitatus, cui benignus Princeps ait: Loquere confidenter, & ego quidquid tibi conueniens fuerit reuelabo. Hic ergo, inquit miles, Obſecro mi, quid de filia Regis facere decreueris? Duces eam vxorem, an patri remittes? Tunc Princeps demonſtrato magno, quem præ oculis habebat monte, dixit: Vere ſi hic, quem vides mons, à radice vſq; ad ſummum aureus eſſet, hunc ego facilius omnino potius contemnerem, quam Elizabeth coniugiũ refutarẽ. Sentiant alij & loquantur inaniter, quod iudicant: Elizabeth ego diligo, eiuſque matrimonio nihil præpono. Tunc miles, Peto, ait, mi domine, vt mihi liceat eidem hoc nunciare. At ille dulciter, Dicei, inquit, & pro ſigno quod ſibi tranſmiſero præſentato. Proferenſq; de burſa ſua dedit nobili illi, quod apud ſe habebat ſpeculum duplex æneis incluſum ſedibus: vna parte ſimplex vitrum, & in parte altera imaginẽ præferens Crucifixi. Quod dũ ſancta virgo ab illo nobili oblatũ caute ſuſciperet, conceptũ inde gaudiũ riſu iocũdiſſimo propalauit.

** Vvargila. M.*

Ludovvici ſponſi eius erga illam amor.

POST hæc cum domino complacuit Elizabeth contemptam ab impiis reſpicere, & afflictam conſolari: diſſipauit VII.
conſilia malorum, reprobauit perſuaſiones magnatorum, & inſpirauit confortans præfatum Principem. Qui votũ ſuum patefaciens, obſtruxit ora contradicentium, & iniqua loquentium. Nulluſq; deinceps auſus eſt nuptiis, & matrimonio Elizabeth verbis vel conſiliis contraire. Ipſa quippe erat quam dominus eius præparauit coniugio. Contra cuius placitum non poterat humanæ malitiæ ſtultitia quidquam loqui, nec valuit hominis ſuperare aſtutia, quos Dei prouidentia coniunxit. Intuere nunc felicem iuuenem ſponſumq; pudicum, qui in contrahendo matrimonio, in conſilio impiorum non ſtetit, & poſt aurum non abiit, nec in theſauris pecuniæ ſperauit, ſciens, quoniam pars bona mulier bona, quæ pro bonis factis proprie datur à Domino viro bono. Perpende propenſius caſti adoleſcentis animum, qui ſponſæ ſuæ, non ad petulantiam alliciens, ſed potius ad gratiam afficiens, donum tranſmiſit, precioſiſſimã imaginẽ Chriſti Crucifixi. Anno ergo ab incarnatione domini* milleſimo duceteſimo vigeſimo primo Ludevvicus Lantgrauius Thuringiæ inclitus dominam Elizabeth virginem caſtam regis Vngariæ filiam nobilem & eximiam duxit vxorem, coniũctuſque eſt Dei nutu vir fidelis cum muliere fideli, ſanctus cum ſancta, innocens cum innocente, & non tam carnale, quam ſpiritualem connubium ſortiti, inuicem ſe in charitate Domini, ſupra quam credi valeat, dilexerunt.

An taat. celebrantur nuptiæ.

** an. 1220. M.*

Iac. Mont. cap 4.

In matrimonio vt ſe geſſerit.

Iacob Montan. cap 5.

ERAT inter eos honorabile connubium, & thorus immaculatus, nõ in ardore libidinis, ſed in coniugalis ſanctimo- Lib. II
niæ caſtitate. Etenim macerabat adoleſcentula ſancta recenter nupta carnem ſuam multis vigiliis, noctibus ſin- I.
gulis conſurgens ad orandum, marito quandoque dormiente, vel etiam diſſimulante. Multoties n. cum ipſa ſurgeret, annuente, eius teneritudini compatiens petiit ab ea ne ſe indiſcrete affligeret. Ad quod cauendum manum eius caſtiſſimus iuuenis ſua tenuit manu, quouſque orabat, exhortans ipſam, & deprecans, vt ad quieſcendum componeret vigiliis laſſa membra. Magna reuera huius iuuenculæ deuotio, quæ à carnalis mariti ſurgens per noctem lectulo, quæſiuit Chriſtum, quem dilexit verum animæ ſuæ virum. Nec minor certe fides in viro, qui tali actioni vxori non obſtitit, imo fauit, feruoremque eius nimium ſuaui prudentia temperauit. Huius igitur pudici amoris mutuæque ſocietatis dulcedine affecti abeſſe ab inuicem non patiebantur diutius vel longius. Sequebatur ergo virum frequenter domina per vias aſperas, & non paruas locorum diſtantias, aurarumque intemperies graues, ſinceritatis potius, quã carnalitatis affectu ducta. Non enim orandi, vigilandi, aut alias benefaciendi præſtabat obſtaculum deuotiſſimæ coniugi caſta pudici mariti præſentia. Congaudebat enim vir pius ſanctis eius moribus in Domino, & fidelis extitit exhortator. Tanto autem feruore Dei famula ad vigilandum in orationibus æſtuabat, vt pediſſequis committeret, inſtruens eas, vt trahendo eius pedicam, ipſam ad orationem, ne ſomnolentia torpeſceret, excitarent. Accidit ergo per errorem vt venerabilis Yſentrudis pedicam traheret viri dormientis. Qui euigilans, coniugiſq; deuotionẽ cognoſcens, ſuſtulit patienter. Itaq; excitata ſurgens, cũ inde feſſis excubaret vigiliis, euenit frequẽtius, vt ante lectũ viri ſuper tapete orãdo

Nocturnæ vigiliæ & preces.

pro.ixius

prolixius, obdormiret. Super quo ab ancillis redarguta reſpõdit: Licet ſẽper orare nõ poſſim, tñ hâc c ... mi meæ violẽtiã infecã, quod auellar interim de lecto. Fugiebat oblectamenta carnalia, & ideo ſtratũ molliorem, & viri cõtubernium ſecretiſſimum, quantum licuit declinauit. Quem quamuis præcordialis amoris affectu diligeret, ... æmulabatur tamen dolens, quod virginalis decorem floris non meruit conſeruare. Caſtigabat etiam plagis multis, ... lacerabat diris verberibus carnẽ puella innocẽs & pudica. In principio quidem diebus quadrageſimæ, ... alias occultas ſolebat accipere diſciplinas, lætam corã hominibus ſe oſtentans. Poſt verò conualeſcens & proficiens in gratia, deſerto dilecti thoro ſurgens, fecit ſe in ſecreto cubiculo per ancillarum manus grauiter ſæpiſſimè verberari, ad lectumq; mariti reuerſa hilarem ſe exhibuit & iocundam. Vere felices coniuges, in quorum conſortio tãta munditia, in colloquio pudicitia reperta eſt. In quibus amor Chriſti concupiſcentiam extinxit, deuotio refrenauit petulantiam, feruor ſpiritus excuſſit ſomnolentiam, oratio curauit conſcientiam, charitas benefaciendi facultatem tribuit & lætitiam. — *Mellitem fugat. Diſciplinæ eius.*

II. In menſa quoque eius aſſidere lateri contra morem aliarum ſublimium fœminarum ſolebat, communicationem matrimonij ſeruans, licet ex hoc nonnulla incõmoda ſuſtineret. Magiſter enim Conradus, cui de conſenſu mariti obedientiæ ſe voto conſtrinxerat, in mandatis ei dederat, ne de quibuslibet bonis niſi iuſtè quæſitis veſceretur. Cui in hac abſtinentia tres pediſſequæ conſentientes, petierant à Principe ſuper hoc ſibi licentiam indulgeri. Quibus benignè annuẽs dixit: Hoc & ego libens facerẽ, niſi aliorũ detractiones, & ſcandala formidarẽ. Adiuuante aũt domino ſtatũ meũ cito aliter ordinabo. Deniq; domina Elizabeth de bonis in dote ſibi ſpecialiter aſſignatis, ſe & ſuam familiã procurabat. Aſſidens verò menſæ Principis coram militibus & miniſtris panẽ aliosq; cibos frangendo & hinc inde diſponẽdo ſe comedere ſimulabat. Cumq; propter huiuſmodi abſtinentiam multã ſæpe penuriã pateretur: ſolis quinq; tortulis melle conditis, ſolo plerumq; pane contenta inter multiplices epulas & fercula ſiti & inedia laborabat. Plus de ancillarũ penuria, quã de propria turbabatur. Scrutabatur proinde curioſius ab Officialibus & Procuratoribus curiæ, & inueniens pro tẽpore potum licitũ dixit ancillis: Hodie bibetis. Aliquando cibum licitũ, & dixit; Modo comedetis. Cum verò vtrumq; licitum ſciuit, exultans & plaudens manibus cũ hilaritate dixit: Bene nobis hodie, comedemus & bibemus. Ipſe etiã pius & dulcis maritus deuotionẽ vxoris cognoſcens, dum quicquam ſcrupuloſum ſciret appoſitũ, præmonuit eam, ne eius ex hoc tenera cõſcientia turbaretur. De huiuſmodi verò ſingulari & inconſueto modo viuendi, multas obiurgationes à ſuis dominus & domina pertulerunt cum multa patientia. Et licet ſic domina abſtineret ab illicitis, tamen vim vel iniuriã paſſis pro viribus ſatis fieri laborabat. Attendat & miretur & imitetur omnis ſexus & ætas, quomodo hæc regis filia in menſa Principis inter tot epulas abſtinens, delicias reſpuit, & in thalamo tam amati coniugis carnales illecebras non quæſiuit. — *Iac. Mont. cap 6. In menſa qui ſe habuerit. Iac Mont. cap 8*

III. Nam præclaris virtutum exercitiis inſignitam famulam ſuam Elizabeth ad ſublimiora dum Deus omnipotens vellet prouehere, accidit vt in quadam ſolennitate magna, precioſiſſimis veſtibus, monilibus gemmiſque multis ornata, & diademate aureo coronata de caſtro *VVarberch deſcendens cũ ſocru aliosq; multo comitatu, eccleſiã quandam ſubiacentis oppidi introijſſet. Eleuans autem oculos, quos ſemper in introitu Eccleſiæ ad Crucem dirigere ſolebat, reſpexit imaginem Crucifixi, & conſiderans nudum & ſpinis coronatum, clauis confixum, compuncta in ſe rediens meditari cœpit, dicens intra ſe: En pendet Deus tuus nudus, & tu homo inutilis veſtibus precioſis operiris. Spinis caput eius pungitur, & tuum caput auro redimitur. Hacq; compaſſione affecta cecidit exanimis effecta. Quo viſo turbati aſtantes tollebant eam, & ad oſtium Eccleſiæ propter refrigerium portauerunt: & reclinantes eam, faciem eius aqua benedicta ... conſperſerunt. Hac viſitatione diuinitus inſpirata propoſuit omnem deinceps ornatũ poſtponere, in quo non neceſſitatẽ agnoſceret aliquam. Quod & poſtmodum omni tempore vitæ ſuæ cuſtodiuit. — ** VVartberch. M. Crucifixi imagine cõſpecta compuncta de ſuorum patitur. Ornatum ſuperfluum reſpuit.*

IV. Corporis exinde proprij magis negligens deuotiſſima fæmina, licet in domibus regalibus nata, educata, ſemperque fuerit conuerſata, omnem tamen ornatum ſeculi, propter amorem ſponſi ſui domini Ieſu Chriſti, quem in cruce conſpexerat, & in corde gerebat, paruipendendo, tanquam ſtercora contempſit. Coloratis peplis, fucatiſque velaminibus capitis, manicis valdè ſtrictis, crinalibus, ſericiſque zonis pro ornatu capillis implicitis, longis veſtibus, aliiſque ſuperfluitatibus vanis non vtebatur, ſciens quod mentis ſordes attrahit appetitus talium. Superfluitatem & precioſitatem veſtium omnino deuitans, laneis, vel cilicio frequenter vtebatur, etiam cum deſuper auratis veſtibus vel purpura tegeretur. Modeſto ſemper & Chriſtianæ religioni congruo proceſſit habitu, quantũ principalis dignitas permittebat. Hoc ipſum etiam matronis ſecularibus ad ſe venientibus, verbis & exemplis prædicabat, precum ſuarum inſtantia ipſis obligans, vt ſaltem in vno aliquo vanitatem ſeculi declinarent. Et cum ad maiora non potuit, ſaltem in minimis eas ſuis precibus & monitis coercebat: dans & mittens eiſdem exemplaria, quibus ſaluis bonis moribus vti poſſent. Sic fidelis Chriſti famula animarũ zelatrix, & pietatis amatrix à multis vanitatibus multas, nonnullas vero ad votũ etiam continentiæ prædicando perduxit. Hæc & his ſimilia adhuc exiſtẽs iuuencula viro nouiter copulata, charitate Chriſti vrgente, eiuſq; gratia cooperante mirabiliter actitabat contra iuuenilis ſtultitiæ appetitũ. — *Laneo & cilicino veſtitu vtitur.*

V. Mulier hæc ſancta placens per omnia viro ſuo, non quæ ſeculi, ſed quæ ſunt Domini iugiter cogitauit. Confidebat in ea cor viri ſui. Reddidit quippe ſibi bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Egrediebatur namq; Principatuum ſuorum coactus negotiis, & per multa frequenter temporum ſpacia in longinquis regionibus morabatur. Cumque egredientem ſequi non potuit, ornatum veſtium ipſo abſente mox depoſuit, capitis velamen immutauit, habitum humilem aſſumpſit, tanquam vidua deuotè & religioſe ſe geſſit. Mundo quippe placere renuit, in vigiliis, genuflexionibus, orationibus, & verberibus noctes deducens dilecti reditum expectabat. Cognoſcens autem quod rediret quem deſiderabat anima eius Princeps pius, ornare decenter & regaliter ſe conſueuit. Dicebat enim: Non pro carnis libidine & mentis elatione, ſed pure pro Chriſti charitate hæc corpori meo ornamenta adhibeo, quatenus diſplicentiæ peccatique occaſionem tollam, vt me ſolam in Domino affectu maritali diligat & licito, ſicque ab eo, qui ſacramentum ſanctificauit coniugij, æternæ vitæ conſortium pariter expectemus. Hoc modo prudens & pia fæmina marito coniugalis conſortij inuiolabilem conſeruauit fidem, vt eo abſente ſemetipſam cuſtodiret irreprehenſibilem Deoque deuotam, & præſenti gratioſam ſe offerret amabilem, ac benignam. Nec defuit ei bonum illud principale matrimonij, quo benedictionem in liberis conſecuta eſt. Dotauit enim Deus eam dote bona, fœcundans vterum eius ſobole nobiliſſima, vt & ſterilitatis careret opprobrio, & liberorum frueretur ſolatio. Peperit enim filium Hermannum nomine, qui ſucceſſor patris Langrauius fuit Thuringiæ. Filiam * quoque quam duxit coniugem Dux Brabantiæ. Itemque aliam filiam, quæ in virginitate permanens in Aldenburch cœnobio famulabatur, domina exiſtens magiſtra ſanctimonialium vſque hodie. Mater verò Chriſtianiſſima impletis purgationis ſuæ diebus, relicto faſtu, quo ſeculo deditæ vti ſolent, laneis ſe induit, aſſumenſque in brachiis quem genuerat paruulum, nudis pedibus clanculo & occulte proceſſit. Ibat ſiquidem per difficilem caſtri deſcenſum via dura & ſaxoſa ad Eccleſiam remotam, portans infantulum propriis vlnis exemplo virginis matris, ſuper altare ſiſtens eum Domino cum candela. Deinde ad caſtrum regreſſa, tunicam & pallium pauperi mulierculæ dare conſueuit. — *Abſente marito vt ſe geſſerit. Iac. Mont. ca 7. Tres eius proles. * Sophiam ... Pap. Lang. ... quid facere cõſueuerit.*

VI. Cernens prudens & deuotus Princeps, quod illuſtris fœmina omnẽ intentionẽ ſuã ad Deũ dirigeret, votis eius in charitate occurrens, eandẽ ad pietatis opera inuitãs, ad omnia, quæ opus Dei & honorẽ reſpiciunt, cõceſſit liberã

*Misericordia eius in pauperes. Magnum veræ pietatis exemplũ Iac Mont. cap 8 * ſanctis viris, M.*

facultatem ipſa igitur ad ſæcularia non abutens libertate conceſſa, ad ſalutaria totis viribus ferebatur, eleemoſynisq; & miſericordiæ pauperum inſiſtens, in iuſtificationibus Domini exercebatur die ac nocte, & omnia charitatis opera in maxima charitate & vultus conſtantia exhibebat. Nam in habitu gloriæ ſuæ quendam mendicum infirmum, horrendum aſpectu, capitis infirmitate laborantem ſecretè aſſumpſit, caput que eius in ſinu ſuo reclinans horridos capillos ipſius ſanctis manibus ſuis totondit, & in occulto pomerij ſui loco caput infirmi lauit, hominum vitare cupiens aſpectum, à peruenientibus tamen correpta pediſſequis ridebat. Nec more aliarum ſublimium fœminarum delicata tractabat & ſublimia vel ſubtilia: ſed manum mittens ad fortia, fuſum apprehendit regis filia: & cum pediſſequis ſuis lanam filabat, telaſq; fieri procurans pro veſtitu * religioſis viris fratribus minoribus tribuebat. Pauperum veſtes, inſuper catechumenorum egenorum proprijs manibus conſuebat: faciens eos baptizari: de ſacro fonte eos leuauit vt compaternitatis occaſione liberius eis benefacere potuiſſet. Pauperculärum parientium frequens fuit conſolatrix & viſitatrix, & vt inſpiciens miſeros ſe ad miſericordiam & cõpaſſionem prouocaret, quantumcunq; diſtarent hoſpitia, & quantumlibet via eſſet lutoſa vel aſpera, eos viſitabat. Intrans viles caſulas nec ſordes abhorrens, attulit neceſſaria, conſolans eos: recepturam ſe ſperans mercedem ex viæ labore, ex mentis compaſſione, & doni largitione.

Amor paupertatis. Iac. Mont. ca 9

INTER cætera gratiarum Dei, quibus hæc beata refplendebat, munera: quod amplius adhuc mirandum eſt, Euangelicæ deſiderium paupertatis, Spiritu ſancto in eius dulciter accenſum præcordijs fortiter æſtuabat. Cum enim principatus dignitate & magnatorum obſequijs honorata polleret, diuitijſq; & circumfluentia temporalium redundaret exterius & intra ſemetipſam ſpiritu pauper mendicitatem præ his omnibus affectabat. Vnde etiam ex deſiderio cordis ſui verba eructans cum ancillis ſuis frequenter de paupertate tractabat. Et quia affectus cordis ſine effectu operis aliquali eſſe non poterit, coram ancillis in palatio veſtibus iocunditatis ſe exuit, vilig; pallio ſe induens, deſpecto panno caput ſuum operuit, & proceſſit tanquam paupercula coram illis, ſic incedens tanquam præſago corde ſui futuri ſtatus Prophetiſſa dixit ad ipſas: Sic incedam, cum pro Deo meo miſerias ſuſtinebo. Quod & factum eſt, vt ſequentia declarabunt. Tunc vero cum prædicta frequentabat flore iuuentutis vernabat in corpore, & vigore virtutis in opere; ſed mundanæ gloriæ flos decidens eius aruit in corde. VII.

Iac. Mont. ibidem

QVADAM die quia non niſi ab intus gloriam quæſiuit, Deus humilium Rex & actator etiam extrinſecus mirabiliter venuſtauit. Nam cum tempore quodam à patre eius rege Vngariæ directi magnati plures ac nobiles ad Landgrauiũ acceſſiſſent, nec ipſa cultũ haberet ſuæ congruũ dignitati, dixit ad eam Princeps: Doleo ſoror cultu condigno præſentibus his nobilibus te carere: & me tempus vt tibi in ornatu prouideam non habere. Cui illa: Non magni pendas hoc dilectiſſime frater mi, quia in veſtitu propoſui nunquam gloriari. Deinde cum in conſpectu illorum fuiſſet nobilium euocata, gloriam & magnum decorem impoſuit Dominus ſuper eam. Ecce enim apparuit ſignum magnũ de cœlo, & viſa eſt mulier illa ſancta omnium oculis hyacinthini coloris veſtibus inſignita, quæ margaritis erant precioſiſſimis adornatæ. Super quo ſtupens & admirans maritus dum ab ea quæreret, pie ſubridens: Talia, inquit, ſcit Dominus cum voluerit operari. IIX.

Diuinitus ornatur dũ ornatũ contemnit.

*Liberalitas eius. Iac Mont. cap 8. Iob 31. * Vvartberch. M.*

LIBERALITATIS virtus ſublimium decus & ſingulare perſonarũ nobilium ornamentum: in hac regis filia quadam gratioſa prærogatiua effulſit. Quam non tam regalis originis ingenuitas, quam votiua deſuper infuſæ gratiæ benignitas cordi eius impreſſerat. Vnde eam non pro tranſitoriæ laudis vanitate, ſed ex internæ miſerationis exhibuit charitate. Ab infantia quippe cum ea creuit miſeratio, & ab vtero matris egreſſa cum ea ad omnem miſerorum aſpectum viſcera eius mouit. Vnde tempore quodam in feſtiuitate magna cum in * Vvartberch ad Principem multitudo nobilium conueniſſet, & in cænaculo grandi congregari ad conuiuium filiæ regis coniugis Principis præſentiam expectarent, ipſam taliter contigit retardari. Procedentem enim ad palatium ſub gradu iacens mendicus, vt ſui miſereretur, importunis clamoribus inuocauit. Tunc de gradu reſpiciens ad pauperẽ. Nec tempus, inquit, nec munus, quo tibi ſubueniam, iam habeo. At ille magis ac magis clamabat, vt aliquid acciperet. Tunc illa pretioſum, quod geſtabat mantellum, exuens tribuit clamanti. Quod ille mira celeritate complicans abſceſſit. Dapifer autem in conſpectu omniũ nobilium aſtans Principi dixit: Iudicet nunc dominus meus, ſi rationi ſit conſonum, quod coniunx eius prædilecta domina noſtra hac vice protrahit eius conuiuium, & tot nobilium impedit tripudium. Veſtiuit enim iam nunc pauperem, pallium ſuũ tradens ei. Tunc mitiſſimus Princeps, ſubridens dulciter cum cœtu nobilium coniugẽ aduocaturus diſceſſit. Quam in cõclaui inueniens, dixit ei. Veniesne ad prandendum nobiſcũ dilecta? Cui illa, Parata ſum, inquit, vt vis frater chariſſime. At ille, Vbi eſt, ait, pallium tuum? Et illa: Ecce in pertica eſt, inquit. Currẽs autem ancillula mantellum, quod pauperi tribuerat, in pertica reperit, cœlitus reportatum. Quo induta cœleſtis fœmina ad conuiuium proceſſit. Sic pater cœleſtis ſuum filiam Elizabeth veſtiuit, quõ nec Salomõ in omni gloria ſua potuit operiri. IX.

Pallium pauperi elargitur.

Miraculum

CIRCA diuina officia Eccleſiaſtica ſacramentaq; affectu piiſſimo & ritu Chriſtianiſſimo ferebatur. In omnibus igitur ſemetipſam Dei miniſtram exhibens, frequentabat Eccleſias deuotiſſime cum reuerentia & timore: ancillaſq; celeri greſſu ad Eccleſiam præueniens, genuflexiones faciebat occultè. Conſueuit ab adoleſcentia ſua cum humilitate maxima ſemper Miſſarum ſacris myſterijs intereſſe. Oculis namq; fidei excellentiam ineffabilẽ intuens Sacramẽti, ad propriæ conditionis paruitatem reſpiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digitorũ, cæterorumq; membrorum infra Miſſæ officium ſoluit & minuit, inclinauit, vel penitus remouit. Hora verò Euangelicæ Lectionis, & Canonis, & qua Dominicum Corpus & Sanguis à Sacerdote immolatur & ſumitur, hanc humiliationem præcipuè ſtuduit exhibere. Flagrabat enim erga Sacramẽtum hoc feruore omnium medullarum: ſtupore admirans grandi, illam chariſſimam dignationem & dignantiſſimã charitatem. Igitur dum ſanctiſſima fæmina die quadam infra Canonem plicatis ſub clamyde manibus intentius orans, feruido in Chriſtum moueretur affectu, lux eam cœlica circumfulſit. Aſtitit autem tunc Sacerdos quidam bonus ſanctæ conuerſationis, opinione & deuotione laudabilis, cuius aperuit Deus oculos, & in hora Conſecrationis Corporis Dominici vidit faciem eius claritate nimia diuinitus illuſtratam, tanquam ſolem radios lucifluos emittentem: vt mirabilis circa mentem illuſtrationis, mira circa corpus illuſtratio teſtis eſſet. Erat autem talis ac tanta cœleſtis illius lucis claritas circumfuſa, vt corporali luce obumbrata ipſam nequaquam poſſet præ ſplendore diuino corporalibus oculis intueri. Stupuit nimis homo ille, glorificãs Deum ſuum. Tandem hoc, quod viderat, ad laudem eius, qui facit mirabilia, enarrauit. X.

Miſſæ ſacrificio quam reuerenter interfuerit Iac. Mont. cap. 10.

Multa luce perfunditur ſub ſacrificio.

OBSERVATIONES ſacras ab Eccleſia inſtitutas, religioſe & ſolicite cuſtodiuit. Nempe quadrageſimalis ieiunij tempus, orationibus, abſtinentia, eleemoſynis inſiſtendo peregit. Corpus nihilominus proprium multis verberibus caſtigando. Feſtiuitates quoque quibus noſtræ redemptionis beneficia recoluntur, quanta veneratione adorauerit, qua charitate amplexa fuerit, qua pietate ſuſceperit, qua fide coluerit, quis digne enarrabit? Audi quid fecerit. Etenim die qua Domini celebratur Cœna filia Regis Regi qui ea die ſurgens à cœna poſuit veſtimenta ſua, ſe conformans, pretioſas veſtes poſt meridiem exuit, popularisq; vel griſeus indumenta ſuſcepit incedens humiliter calceis ... gaudens. Quis vnquam de Regis filia audiuit talia? Solebat inſuper ea die ſemper ſolenne mandatum Chriſti imitatrix exhibere pauperibus. Duodecim enim pauperum pedes lauit, ſingulis nummos duodecim, pannumq; pro veſtimento & panem ſimilaginis tribuens. Collegit præterea anno quodam ipſa die multos leproſos, eorum pedes manibus lauans, & in ipſis loca vlceroſa & horrenda deoſculans, pedibus eorum humillime ſe proſtrauit. Deinceps vbicunque XI.

Ab Eccleſia inſtituta, religioſe obſeruat. Iaco. Mont c. 10. In Cœna Domini 12. pauperũ pedes lauat. Deoſculatur leproſorũ vulnera.

tales

moſynas abũdanter. Tranſacta ſacra illa nocte in orationibus & ex memoria Dominicæ paſſionis, pietatis & humilitatis affectione concepta, mane dixit ancillis ſuis. Hodie dies humiliationis eſt, nullã à vobis volo mihi reuerẽtiam exhiberi. Humilianſq; ſemetipſam & in ſimilitudinẽ pauperũ facta, ordinauit more pauperũ in gremio ſuo lini faſciculos plurimos paruulos, & plenũ thure vaſculũ, de ceraq; lumina parua multa nũmorumq; talenta nõ pauca. Sicq; inter populares mixta ad ſingula ſingularũ Eccleſiarũ proceſſit altaria nudis pedibus, & factis genuflexionibus ad ſingula faſciculum lini paruulum, & thus cum lumine modico obtulit. Et inclinans humiliter diſceſſit. Tranſiens vero in plateis nummos pauperibus largiter erogabat. Ibat ſic & comprimebatur tanquam vna de populo. Reprehenſa autẽ de oblationis paruitate, eo quod Princeps & domina offerre deberet magna: ſed ipſa ſimplicitatem honeſtati prætulit, quo: iam nõ ex tenacitate, ſed ex humilitate prodiit. Et in ſpiritu humilitatis ſacrificium Deus ſuſcepit. In diebus Rogationũ cum quidã contra Sanctorũ decreta facientes precioſis & delicatis veſtibus decorantur: ipſa Princeps regis filia laneis induta, nudis pedibus proceſſionem Crucis & Sanctorum Reliquias deuotiſſime ſequebatur. Verbum quoque Dei auditura Chriſti diſcipula in prædicationum ſtationibus inter pauperrimas fæmina nobiliſſima ſe ſemper locare conſueuit: ſciens quia ſemina in vallibus iactata in ſegetem plurimam vbertim pullulant & excreſcunt.

Dies Paraſceues exercitia eius pia.

Diebus Rogationum quid egerit.

I. LIBRVM oportet hic annectere de Ludeuico Principe glorioſo Thuringorum, vt quemadmodum beatæ Elizabeth in hac vita dignus habitus eſt conſortio, ita nunc expers & alienus non ſit ab ipſius laudis præconio. Omniũ namque beneficiorum eius dulcis fautor, fidelis exhortator, & efficax extitit coadiutor. Sed virtutes eius quis valet enarrare? quis virtutem animi? quis corporis eius pulchritudinem explicet? Extulit eum mediocris ſtaturæ decens valde proceritas, & gratioſi vultus ſerenitas ſpecioſi forma præ filiis hominum imagine, vt aiunt, repræſentans. Nec erat, qui eius aſpectui amabili nõ hæreret. Erat pudicus ſenſibus, carne mundus. Qui die quadã ſtans de feneſtra ſpectabat deſubter ducentes choreã. Cui aſtans aliquis, demõſtrata vna de ducẽtibus choreas fæminis ait: Huius amplexu ſi volueris, mi domine, frui te faciam. Tũc vehementer iratus Princeps, Obmureſce, inquit, & nunquam talia deinceps auribus meis inferas: ſi meam volueris gratiam & amicitiam retinere. Confuſus apud eo ille miſer impudicus, ſtupens tremuit, & obmutuit refutatus. Fuit inſuper eloquio dulcis, moribus ſuauis, animo conſtans, & virilis, exercitiis militaribus ſtrenuus & agilis.

Encomium Ludeuici Langrauij. Iac Mont. cap 13.

Præclara eius caſtitas.

II. ERAT quidam leo in curia Principis, & accidit die quadam, vt mane de ſtratu ſuo cõſurgens linea tm̃ inſuper iniecta veſte, ſotularibuſq; indutus, obuiũ haberet leonẽ contra ſe ſæuientẽ. Cui eleuato pugno cõminatus eſt, viriliter increpãdo. Mox beſtia feritate depoſita, viri pedibꝰ ſe proſtrauit, motu caudæ ſuæ blãdiens iraſcenti. Tandẽ ſaculis vix ſubiugata beſtia magiſtrũ beſtiæ Princeps grauiter reprehẽdit. Hoc factũ nõ tã magnanimitati, q̃ fidei æſtimo deputãdũ.

Leonem increpando cohibet.

III. IN ore eius non eſt inuentũ mendacium, fuitq; ſermo eius, Eſt, eſt: non, nõ. Et verba eius fideliſſima, & vera erãt: quibus tanq̃ iuramento firmatis ab omnibus credebatur. Ad omnes fæminas reuerens extitit, & verecundus: largus & benignus militibus, & familiaribus ſocialis & iocũdus: baronibus & nobilibus venerabilis: Principibus & magnatibꝰ ſpectabilis: cunctiſq; generaliter affabilis, tractabilis, & amabilis. & vt concludamus omnia, Deum timuit, dilexit & coluit. Quotidiè in eius præſentia ſolenniter diuina agebantur Myſteria: vbi deuotus ſemper aſtitit. Deumq; ſuum cũ reuerentia adorauit. In cõſpectu eius pulchritudo erat, & munditia: in actibus magnificẽtia, in omni eius familia diſciplina: Nec audebat aliquis actum præſumere illicitum, vel verbum loqui impudicũ. Quod ſi quiſquam præſumpſerat durius vapulabat. Ob hoc tanquam à capite membrorum ſanitas, manabat omnium inferiorum bonitas. Fuerunt quippe tunc nobiles veraces, & pacifici, milites fideles, ſuis ſtipendiis cõtenti, vel qui de populo humiles & quieti. Fecit enim Princeps iudicium & iuſtitiam, ideoq; erat tunc pax & veritas, bonorũ omnium abundantia, & vbiq; habitabant homines confidenter. Erat tunc ſublimis & famoſa Thuringiæ prouincia, gens acceptabilis & deuota, tanti Principis nomine inſignita, ſanctæq; Elizabeth meritis nominata.

Excellentia morum & ſtatus eius.

IV. INTER cætera virtutũ inſignia, quibus floruit, caſtitas in eo præcipuè, & pudicitia reſplenduit. Nam cũ aliquando vrgentibus negotiis terram longinquam cuiuſdam Principis ſui conſanguinei proximi adiiſſet, cum reuerentia & amicitia multa ſuſceptus eſt ſolenniter. Cumq; poſt epulas & delicitias copioſas ad quieſcendũ perueniſſet, muliercula quædam lecto eius ab impudicis iniecta eſt. Quod præſciens vir caſtus nobili illi & dilecto militi ſuo Vualtero de Varila ſecretè dixit. Amoue cautè à ſtratu meo fæminam hanc, eiq; marcam argenti illico trade. Vere enim dico tibi etiamſi in hoc facto adulterij crimen non abhorrerem, nollem tamen in hoc caſu meam Elizabeth contriſtare. Ecce nouus & admirandus Ioſeph, qui propter fidem oblatum crimen adulterij recuſauit.

Caſtitatis eius exemplum.

V. ERAT in Thuringia miles diuitiis locuples, vxorem habens pulchrã, ſed ſterilem: cuius nõ ex ſe, ſed ex viri defectu ſterilitas cauſabatur. Dolens autẽ miles ad extraneos opes ſuas deuolui hæredes, blãdè induxit coniugẽ, vt ſibi hæredẽ ex adulterio procuraret. Adiit ergò ſtultus Principẽ terræ cum timore multo, dicens ad eum; Mi domine oro, vt benigne, quæ loquor, auſcultes, & diligenter occultes. Cui dum Princeps loquendi fiduciam præſtitiſſet: miſer ille pauens ac tremens turpe mentis conceptum, pudicis auribus inſtillauit, beatũ ſe dicens, & æſtimans ſi de tali perſonæ altiſſimo ſanguine poſſeſſionũ ſuarum meruiſſet hæredem habere. Tunc vtpote verecũdus, & pius infelicis hominis votum impiũ & deſpexit, corde tenus, & voce tenus approbauit rubori ſupplicis condeſcendens. Statutoq; veniendi die ab inuicem diſceſſerũt. Tunc prudens Princeps efficacem illius morbo medicinam, tanq̃ ſibimet neceſſariã præcepit à medicis præparari. Credebant infirmatũ Principem, & medicinã præparant efficacem. Quam paratã aſſumens Princeps, ad locum properat aſſignatum. Suſcipitur iocundè gratus hoſpes, reficitur delicatè. Confidens autẽ illis electuariũ protulit, & militi obtulit ad edendum. Cuius efficaciam miſer illico expertus in ſe, ſeorſum ſumens Principẽ, dixit ei: Obſecro mi dñe, vt quemadmodũ huc veniſti, digneris reuerti: ſentio. n. in me potentiam, q̃ hactenus expertus nũquã fui. Cui Lantgrauius: Nõ reputes ait, ꝙ venerim, vt adulteriũ committerem, ſed ad hoc potiſſimũ, vt te ab hoc opprobrio eriperem, & vxorẽ tuam ab infamia liberarẽ. Venerat autem Lantgrauius ſolus à venatoribus diſcedens. Fuit enim iſte de miniſterialibus, qui loca poſſident nemoroſa. O verè optimum & piiſſimum virum, qui ſe propter amicũ reputari defectuoſum voluit, & ſua quodammodo infamia famam alterius ſtuduit conſeruare.

Qualiter tẽcui uerit adulterium.

VI. ANNO Domini M.D.XXV. proficiſcente in Apuliam ad Imperatorem Fridericum Ludeuico Thuringiæ Landgrauio ad Curiam Cremonenſẽ, per totam Alemaniam ſuborta eſt Cariſtia grauis, & ferè duobus annis durans multos fame peremit. Tunc miſericors Elizabeth miſerorum compaſſione permota, omnem annonam de ſuis granariis collectam in pauperum eleemoſynas erogauit. Quibuſdam, id eſt, multis tantum ſingulis diebus, quantũ neceſſitati opus erat, tribuit, & quantumlibet dabat accipienti, per diem Dei munere ſatis erat. Sub caſtro etiã Vvartberg altiſſimo, vbi tunc etiam morabatur hoſpitale conſtituit, in quo infirmos & debiles plurimoſq; qui generalẽ eleemoſynam expectare nõ poterant, collocauit. Quos non obſtante montis altitudine, ſingulis diebus pluries viſitabat, ſingulorũ deſiderio ſatisfaciens tã in cibo, quã in potu. Abominabiles magis inter eos & debiles quoſdã pauit, quibuſdã ſtrauit, alios in humeros ſuos ſuſtulit, multaq; officia humanitatis impẽdit. Et licet nullã corruptionẽ aëris vbicunq; alias potuerit ſuſtinere, infirmorum tñ etiam in æſtiuo tẽpore fœtores, quos ancillæ grauiter & cũ murmure vix tolerabãt, ipſa ſine omni horrore pertulit: hilariter manibus tractãs eos, faciei ipſorũ ſaliuam, ſputũ, ſordes oris, & nariũ velo ſui capitis detergebat. Præter hos in eadem domo puerulos pauperes nutriuit: tam dulciter ſe eis exhibens, vt eam omnes

Ann 1225. tempore cariſtiæ qui pauperibus ſubuenerit.

matrem

matrē appellarent, domumq; intrantem accurrendo circumdarent ſibi filialiter aſſidēdo. Inter quos ſcabioſos, infir-
mos, debiles, magis ſordidos, & deformes ſpecialiter dilexit: capita eorū manibus attrectans, & in ſinu ſuo collocans.

Miracula nonnulla Iaco. Mont. cap 11
** quædam puerorum ſolatio oportuna xenia. M.*

Ipse autem pietatis amator Deus, in rebus vilibus opus ſuæ magnitudinis demonſtrauit. Cum enim pauperum VII.
hæc nutricia paruulis ſuis infirmis vaſcula fictilia, anulos vitreos & quædā alia * puerorū iocalia oportuna xenia pro-
prio pallio deferret, equo vecta de oppido ſupra caſtrum, omnia illa de rupe altiſſima prærupta ecciderunt. Quæ licet
ad petrā alliſa, merito tamen deferentis, ſana & integra omnia permanſerunt: & ab ipſa ſunt pueris pro ſolatio diſtri-
buta. Præter hoc, de vniuerſitate pauperū pauperiores, & debiliores elegit, quibus ante caſtrū locatis reliquias menſæ
ſuæ propria manu diſtribuit: ſibi & ancillis multū ſubtrahens, vt pauperibus erogaret. Cum autē quadam die, poſt da-
tam eleemoſynam reliquias potus modicæ quantitatis, quæ in vaſe quodā remanſerant, diſtribuens omnibus diuiſiſ-
ſet, fermè nihil imminutū videbatur, ſed quantum prius fuerat, tantum poſtmodum apparebat. Non ſolum in prædi-
cto hoſpitali, omnib⁹ charitatis beneficia petentibus largè exhibuit, ſed & in omnibus finib⁹ dominationis viri ſui, o-
mnes prouentus de quatuor principatibus eius, euacuans in alimoniam pauperū conſumpſit liberaliter, & expendit
pro his alendis. Quidquid mundus pretioſum æſtimat & magnū, poſtpoſuit, vendens ſui corporis ornamēta, vt Chri-
ſti reficeret membra. Pro his quidquid mundus reſpicit, elegit, dum ad mulgendū, vt miſero lac deſiderāti ſatis fieret,
ſe præbuit. Pro his quod mundus abominans refugit ſuo gremio ſuſcepit, dum horrēdos infirmos ſordidoſq; mani-
bus tractans abluit. In prænominato autē hoſpitali viginti octo pauperes infirmos eo modo locauerat, vt vno mortuo
cōtinuò alter eius vteretur lecto. Pro ægroto etiam quodam debitorū ſibi conſcio reddidit debitum, & trepidantem
conſcientiā abſoluit. Sed & nongenti pauperes quotidie in aſpectu eius per miniſtros de conſolatione eleemoſynariē

900. pauperes alit quotidie Iaco Mont. cap.12.

reficiebantur. Cumq; ſic vſq; ad meſſem pauiſſet multitudinē, cunctis laborare valētibus, camiſias, calceos, falceſq;
dedit, vt deinceps de ſuis laboribus paſcerentur. Laborare v. non valentibus, veſtiūculas in foro emptas tradidit. Quæ
omnia libenter propriis manibus diſtribuit. Valedicens aūt recedentibus ſingulis dona obtulit. Et cū pecunia deficе-
ret, pauperculis fæminis pepla, & alia xenia ſerica dabat, dicens. Nolo quod his ad voluptatē ſed vendendo ad veſtiā
vtamini neceſſitatē, & pro viribus iuſtis laboribus inſiſtatis. Inter quas dū vni camiſias, calceos & ſarcorū dediſſet, ex-

Officia erga mortuos

hilarata nimis, clamauit, nunquam ſimile gaudiū fuiſſe in mundo, & præ nimio gaudio corruēs interiam mortua pu-
tabatur. Quæ videns beata fæmina timuit, ſe mortis eius cauſam extitiſſe. Ad mortuorū pauperum ſepulturam veſtes
propriis manibus fecit, ipſoſq; tractans & manibus tangens, eorum humiliter exequiis ſtuduit intereſſe. Ipſa velum li-
neum albiſſimum & magnum in partes conſcidit, & tantum mortuis ſepeliendis impendit. Diuitum quoq; mortuo-
rum corpora nouis linteis & camiſiis non ſinebat inuolui, ſed veteribus, ſuadens meliora dari pauperibus.

Optimus princeps comiter fert eius liberalitatem Iac. Mont. cap. 13.
** Vuartberg tantū & Nuvvenburg.*
Eccl 25.

Hæc & alia multa præclara pietatis & miſericordiæ opera, iunā e viro, deuota mente & indefeſſo corde pere- VIII.
git. Cuius conſenſu & exhortatione ad facienda bona quæq; & eleemoſynas ducebatur. Cū autem poſt multos mē-
ſes ab Imperatore Lantgrauius rediſſet, exultauit tota terra, Principē ſuum cum inæſtimabili gaudio ſuſcipiens læta-
bunda. Gaudebat præcipuè mater & fratres, ſed iocūdabatur domina Elizabeth ſuper omnes. De cuius nimia eleemo
ſynarum effuſione, dū diſpenſatores apud Principē cauſarentur & œconomi: Sinite, inquit piiſſimus, eam benefacere,
& quæcunq; vult pro Deo date * Vuarpperch tantum, & Neuenburch meæ ditioni ſeruate. In prædictis itaq; ſuū dñs
beneplacitū ſacro teſtāte eloquio declarauit, dicens: In tribus beneplacitū eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata corā Deo
& homines, concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier benè conſentientes ſibi. Ambulauit ſiquidē glo-
rioſus Princeps cū ſuis germanis fratribus, dulciter, æqualiter, & benignè: aliis omnibus, maximeq; egenis & paupeti-
dus piam & proficuam exhibens charitatem. Quam bonus verò & ſincerus beati viri cum electa muliere conſenſus
extiterit, huius ſcripturæ teſtimonia lucidè manifeſtant.

Conradi de Marburg laus. Iac. Mont: cap 6.
S Elizabeth aſſentiente marito promittit obedientiā.

Erant eo tēpore inter Epiſcopos & Sacerdotes quidā viri iuſti & perfecti, quorū exemplis & documentis De⁹ IX.
omnipotens ſuā tunc Eccleſiam ſuſtentabat. Inter quos magiſter Conradus de Marburch velut clarū ſidus in Alema-
nia præfulſit. Fuit. n. eruditus ſcientia, conuerſatione purus & vita euangelica: affluens doctrina, zelator Catholicæ fi-
dei, & expugnator validiſſimus hæreticæ prauitatis. Hic diuitias & poſſeſſiones temporales, & beneficia Eccleſiaſtica
habere noluit: ſimplici, modeſto, & humili clericali habitu contentus, grauis in moribus, & maturus, aſpectu auſter⁹,
bonis Chriſtianis gratus, & benignus, prauis aūt & perfidis in iudicando iuſtus & diſtrictus fuit. Prædicabat aūt per to
tā Teutoniā auctoritate Apoſtolica, & ſequebatur eū Cleri & populi innumera multitudo. Metuebantq; eum vt pote
virū ſanctum & iuſtū omnes, alij amore, alij timore. Hunc dñs Ludeuicus Lantgrauius tanto honore coluit & extulit,
vt eidē omnia beneficia, quorū ius Patronatus ad ipſum pertinebat, cōmitteret conferenda. Conſenſit quoq; quod
domina Elizabet vxor ſua ad manus dicti viri votū obedientiæ, & continentiæ emitteret, lege & iure matrimonij ſibi
ſaluo. Factū eſt hoc in ciuitate Yſenacenſi, in Cœnobio Sanctimonialium B. Catherinæ. Cuſtodiuit ergò mulier ſan-

Ecce quam profundè ſe humiliat.

cta obedientiā ſtrictā, & humilē, ſicut vouerat, propter Deum. Accidit ergò vt vocata à Magiſtro ad prædicationē per
Marchioniſſā Miſnenſē viri ſui ſororē, quæ ſuperuenerat, tunc præpedita non veniret. Mandauit ergò ei ſeruus Dei, ꝙ
pp hanc inobedientiā eius deinceps gerere nollet curā. At illa feſtinans die ſequēti venit, receptiq; in gratiā poſtulauit.
Quod dū teneret vir ſerius & ſeuer⁹: ad pedes eius humiliter ſe proſternēs filia Regis, veniā impetrauit. Ancillas v. ei⁹
durius verberibus caſtigauit. Itaq; duob⁹ annis viuēte marito obediētiā exhibuit, poſt mortē v. eius multò ampliorē.

An 1227.
** Vrbani III.*
Ludeuicus Lantgrauius Crucem ſuſcipit cōtra hoſtes fidei
Valedicit ſuis diſceſſurus.

Factum eſt tandē An. M.CC.XXVII generale Paſſagium ad Terram Sanctam, in quo etiam Fridericus Roma I.
nus Imperator transfretauit. De mandato quippe * Pontificis ſummi prædicabatur Crux in ſubſidium Sanctæ Terræ. LIB 5.
Tunc multi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Principes, alijq; Chriſti fideles zelo fidei contra inimicos Chriſti accenſi,
Cruce ipſius ſignati ſunt, contra gentiles fideliter pugnaturi. Ludeuicus verò eximius Princeps Thuringorum Lant-
grauius vir Chriſtianiſſimus habito cum venerabili patre domino Conrado Hildenſemenſi Epiſcopo maturo conſi-
lio ad eodem Cruce ſignatus eſt in nomine Ieſu Chriſti, latereq; vſq; ad tempus opportunū cupiēs, ſignum quod ac-
ceperat veſtimento, vt moris eſt, mox non affixit, ne vxor, quæ eum tenerrimo diligebat affectu, hoc aſpiciens de fu-
tura eius abſentia anxia turbaretur. Quod tādem dum eius marſupium cinguli ſoluto reuolueret, reperiens, nimio ſtu-
pore reſoluta conſternata eſt. Cuius mœſtitiam ſuauiſſimus Princeps diuinis monitis, & dictis dulcibus deliniuit.

** Schmalkalden. M*
** amore.*

Deinde diſpoſita terra, ſuiſq; principatibus ordinatis, viſitauit monachorum & monialium cœnobia, benedi- II.
ctionem ab ipſis accipiens, & eorum ſe orationibus recommendans. Deinde * Schmalchalden oppidum ſuæ ditionis
veniens, inuenit præcordiales ſibi, quibus inſalutatis abire noluit, quos illi iuſſerat congregari. Quibus valefaciens cū
mœrore, cōmiſit ſuis fratribus natos cū vxore, matrēq; deoſculatus filiali * more, vix eā alloquitur cordis præ dolore

Illis mota viſcera, corda tremuerunt,
Dum alter in alterius colla irruerunt,
Expetentes oſcula, quæ vix exceperunt
Propter multitudines, quæ eos compreſſerunt.
Mater tenens filium, vxorque maritum
In diuerſa pertrahunt, & tenent inuitum,
Fratres cum militibus velut compeditum
Stringunt, nec diſcedere ſinunt expeditum.
Erat in exercitu maximus tumultus,

Cum

Cum carorum cernerent alternari vultus,
Flebant omnes pariter ſenex & adultus,
Turbæ cum militibus, cultus & incultus.
Eia quis non plangeret cum videret flentes,
Tot honeſtos nobiles, tam diuerſas gentes
Cum Thuringis Saxones illuc venientes,
Vt viderent ſocios ſuos abſcedentes.
Amico luctamine cuncti certarent,
Quis eum diutius poſſet retinere.
Quidam collo brachiis, quidam inhærere
Veſtibus, nec poterat cuiquam reſpondere,
Tandem ſe de manibus eximens ſuorum,
Magnatorum ſocius & peregrinorum,
Admixtus tandem cœtui cruce ſignatorum,
Non viſurus amplius terram Thuringorum.

Aſcendens itaque ſuper equum ſuum Princeps pacis cum multis Baronibus, Nobilibus, Militibus armigeris, aliiſq; Chriſti fidelibus plurimis, valedicentes terræ & populo remanenti, circa finẽ menſis Iunij per[...] profectus in nomine Domini, ipſum cordibus & vocibus collaudantes. Erat ibi tunc mœſtitudo maxima, luctus & planctus ingens: voces miſerabiles, larga lachrymarum effuſio cum rugitu anxio & clamore. Erat [...] lugens & vox grata benedicentium Deum. O permixtum turbulenta mœſtitia pium tripudium, vbi [...] concentu iunguntur, dum parentes à filiis, & viri ab vxoribus pro charitate fidei ſeiunguntur.

II. SEQVEBATVR non à longe, ſed à prope, corde mœſtiſſimo, mulier fideliſſima, Principem dulciſſimum, amantiſſimum coniugem, peregrè abeuntẽ extra terminos Thuringiæ, ipſum vlterius, proh dolor, non viſura. T[...] vtrunè tenei ſuram vis amoris & ſeparationis dolor retinuit, & ad iter vnius diei progredi compulit [...] ſuffecit progreſſio: proceſſit adhuc diſceſſionis impatiens, diei alterius iter cõplens. Qui[...] ſibi vult [...] vinculum amoris & vis doloris intentionem multiplicant progreſſionis. Rupit tamen moras affectionis, [...] dilecto conditoris. Diſcedunt tandem ab inuicẽ animante Pincerna Rudolfo. Quis putas gemitus, quæ ſuſpiria, qui ſingultus, quæ lachrymæ, quis motus, vel ſtrepitus cordis, vbi tam importuna & vehemens ſciſſio, & tam amata & [...] lenta intercedit ſeparatio? Secedunt tamen & diſcedũt ab inuicem. O intolerabilis & amatiſſima diſceſſio, in qua abſcondita eſt ab oculis omnium intuentium conſolatio! O quantus luctus & planctus omnium, quanta præcipuè dominæ, & cũ ea redeuntium lamenta puellarũ! Pertexit dominus exultans, vt gigas ad currendam viam: redit domina plorans vt vidua, & lachrymæ in maxillis eius. Extra verò veſtibus iucũditatis, viduitatis aſſumpſit habitũ, ſola ſedẽs domina gentiũ, Princeps Prouinciarũ, ad Deũ totaliter ſe conuertit: operibus bonis præcedentibus adiiciens meliora.

Febri corripitur Lantgrauius
* Ortrant.

IV. PORRÒ benè diſpoſitis omnibus, cum gaudio & iocunditate maxima profectus eſt Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius Princeps Haſſiæ & Saxoniæ, Comes Palatinus, de terra ſua eligens exulare pro amore Ieſu Chriſti, vt in cœleſti patria ab ipſo recipi mereretur. Cũ tranquillitate igitur pacis tranſiens Franconiã, Sueuiã, & Bauariã, & trans alpes Italiã, Lombardiã, Tuſciamq; venit in Siciliã, vbi Imperator Fridericus ipſum cũ inæſtimabili gaudio ſuſcepit in ciuitate, quæ Troia nuncupatur. Cum quo per totam viam progrediens, tandem Brunduſiũ peruenerunt. Inde poſt Natiuitatẽ B. Mariæ ſemper virginis cum omni virtute militiæ, aliaq; familia nauigare cęperũt. Sed antequã nauim aſcẽderent, in Inſula S. Andreæ, Imperator & Lantgrauius mutuis colloquiis fruebantur. Ibi proh dolor delicatiſſimus ille & ſereniſſimus Princeps Ludouicus cœpit pauliſper febribus inquietari. Singulares [...] galeolas aſcendentes, ſeque Chriſto cum orationibus cõmmittentes, portũ Brunduſij reliquerunt. Ingreſſi autem ciuitatẽ, quæ * Orcant dicitur, vbi Imperatricẽ inuenerunt, quam Lantgrauius cum debita veneratione viſitans, ſalutauit. Iamq; corpus eius acrius febribus vexabatur, ideoq; ad nauim reuerſus lecto decubuit.

Ann 1227. 11 Sept. red[d]it ſpiritum. Vide c 6 lib 5 Iac. Mont. cap 14.

V. VIDENS igitur, quòd ſibi mortis periculum immineret, vocato Patriarcha Hieroſolymitano ab ipſo Sacræ Vnctionis Sacramentũ accepit, qui vt officium ſolenne hoc perageret, Epiſcopũ de ſancta Cruce cooperatorẽ aſſumpſit. Peracta vnctione, ſacroſancti Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſibi viaticũ tradiderunt. Quod cum fide Catholica & ſincera deuotione ſuſcepit. Sicque vir Chriſtianiſſimus pro Chriſti nomine exul & peregrinus, Chriſti Cruce ſignatus, à peregrinatione vitæ præſentis rediens ad patriã, obdormiuit in Domino tertio Idus Sept. Quidã autem ex ſuis, qui nauigio præceſſerant, audita tam triſti eius mortis fama, turbati ſunt vehementer, & ex dolore cordis intolerabili factus eſt ploratus & vlulatus multus nimis, vt mare concuſſum tremere videretur à vocibus plangentiũ clamore miſerabili & lugentium. O heu, inquiunt, domine, heu inclite, quomodo à te in terra aliena exules derelicti ſumus? Quomodo te amiſimus lumen oculorũ noſtrorum, ducẽ peregrinationis noſtræ! Væ nobis. Renauigantes tamẽ corpus dilecti principis decenter & firmiter inuolutum ſepelierunt, ſolennes exequias celebrantes. Nihilominus tamen iter peregrinationis, quod acceperant, perfecerunt.

VI. REDEVNT nũcij in Thuringiam legationẽ lugubrem de morte intempeſtiua piiſſimi & Illuſtriſſimi Principis tẽ portantes. Prouidebat autem prouidentia diſcretorũ & piorum, ne hæc infauſta & lamentabilis fama ad aures relictæ vxoris importuna narratione vel ſtolida cuiuſpiam deferretur. Viſumq; eſt per matrem defuncti dominam Sophiam hoc magis opportunè poſſe fieri & debere. Quæ aſſumptis quibuſdam nobilibus & diſcretis matronis, Vvartberch ad nurum veniens, reuerenter ab ipſa & benignè ſuſcepta eſt. Quæ cum ſediſſent, dixit ſocrus ad nurum: forti animo eſto filia mea dilecta, nec turberis ſuper eo quod circa virum tuum filium meum diuina diſpoſitione geſtum eſt. Quæ verba ſocrus de captiuitate ſui viri, nequaquam de morte intelligens, reſpondit cum fiducia, dicens. Si captiuus detinetur frater meus, (ſic.n. cõſueuerat eũ nominare) Dei & amicorum noſtrorum poterit liberari adiutorio. Cui ſocrus, Mortuus eſt, inquit. Tũc illa * connodatos digitos ſuper genua mittẽs mœſtiſſima ait: Mortuus? Mortuus eſt mihi mũdus, & omne quod in mundo blanditur. Hoc dicto repentè ſurgẽs cũ fletu celeri greſſu longitudinem palatij cum impetu pertranſit. Extra ſe namq; poſita mẽte vſquequaq; percuſſiſſet, niſi paries obſtitiſſet. Accedẽtes autem, quæ aderãt, eã de pariete cui adhæſerat, abſtraxerunt. Fluebãt oculi omnium, & madebant lacrymis ſuper interitu viri tam amabilis, & cõpaſſione relictæ vxoris tã miſerabilis. Elõgatus eſt cõſolator, & receſſit oĩs conſolatio. Aderat tamen qui pupillũ ſuſcipit & viduarũ conſolator internus Sp. S. conſolans cor viduæ, & mœrentem erigens, & lætificãs gratiæ ſuauitate.

* connodans. M.
Obitum eius valde dolet S. Elizabeth.

VII. NON multo poſt tempore quidam vaſalli defuncti Principis, qui fratrẽ ipſius Henricũ iuuenẽ regere debuerãt, Dei timoris, & iuſtitiæ, propriæ honeſtatis, & diſciplinę obliti perenniſſam à Deo perſecuti ſunt, & ſuper dolorẽ vulneris eius addẽtes, ipſã de caſtro, & cũctis eius poſſeſſionibus eiecerũt. Deſcẽdit ergò de ſublimi filia regis, flens & triſtis, per decliuũ montis cũ ſuis ad ſubiacẽs caſtro oppidũ. In cuiuſdam aũt cauponis hoſpitio recepta cũ ſuis manſit cũ iucunditate multa ſpiritus illa nocte. Media verò nocte ſurgens ad matutinas Fratrũ Minorũ perrexit: rogans eos, vt hymnũ decantarent, angelicum ſcilicet: Te Deum Laudamus: in tribulationibus ſuis glorians, & gratias agens Deo. Cumque

Expellitur caſtro & poſſeſſionibus. Iac. Mont. cap 8.

nullus

nullus auderet eam hoſpitio recipere, confugit ad Dominum cum pediſſequis ſuis, ingreſſa ad Eccleſiam multum morabatur ſedendo in ea. Et cum allati eſſent de caſtro paruuli eius in multa frigoris aſperitate, neſciebat quo cum eis diuerteret, vel vbi eorum capita reclinaret. Neceſſitate ergò coacta domum ſacerdotis introiit, ſe ſuoſque miſerè ſatis paſcens, pignoribus obligatis. Erat in hoc oppido quidam eius æmulus, habitationem habens in qua mulcæ ſtructuræ, & habitacula plurima erant. Quo cum iuſſa intraſſet, in arcto loco compulſa eſt cum tota ſua familia habitare. Cui hoſpes & hoſpita eiuſque familia non charitatis beneficia, ſed hoſtilitatis multa grauamina intulerunt. Egrediēs igitur inde parietibus, qui eam à pluuia & frigore tutauerant, valedixit, dicens: Hominibus libens benedicerem, ſi cur hoc facerem, cauſam haberem. Reuerſaque eſt ad prius ſordens ergaſtulum, aliud in eo oppido non valens habere domicilium. Heu inopinata & infauſta rerum varietas! Heu fallax & inanis huius mundi felicitas! Ecce quæ in palatiis habitare potuit, & aliis imperare: nunc hoſpitium cogitur mendicare, nec valet impetrare. O ſtupenda & inſcrutabilis Dei diſpenſatio! Quæ ſolebat pauperum paruulos, vt mater nutrire, & tanquam nutrix reficere: nunc preſſa inopia, paruulos vteri ſui ad diuerſa loca & remota compulſa eſt à ſe propter alimoniam elongare. Sicq; ibi in paupertate degens id ipſum modicum, quod habere poterat, ori ſuo ſubtrahens pauperibus erogabat.

Barbara quorundā erga illam inhumanitas.

Iaco. Mont. cap. 16

In lutum detruſa hilari fert animo.

FVIT tunc ibidem mulier quædam pauper, infirma, & vetula. Cuius paupertati per eleemoſynam, ægritudini VIII
per medicinales ſpecies, ſenectuti ſolatiis ſuccurrebat. Erat que arcta quædam via, vbi pro luti profunditate lapides fuerant tranſeuntibus collocati. Occurrit ibi benefactrici ſuæ, de qua præfati ſumus, vetula, eiq; nolens cedere impegit ignobilis in nobilem, proterua in manſuetam, beneficij immemor in miſericordem. Corruit ergo in luti profundum Dei famula omnino cum veſtibus omnibus inquinata. Quod cum multa lenitate & patientia ſufferens, eleuata multum riſit, lauitq; cum gaudio veſtes ſuas ſordidas in flumine, animam verò patientem in agni ſanguine. Hæc omnia venerunt ſuper eam: nec oblita eſt Dei, & inique non egit: ſed quanto magis abundabant tribulationes, tanto abundabant conſolationes, per multas diuinas reuelationes, quibus frequenter viſitabatur horis diurnis & nocturnis in orationibus conſtituta.

Viſio eius ſub ſacrificio Miſſæ. Iaco Mont. cap. 16.

*Yſentrudis

Eo tempore in diebus Quadrageſimæ vice quadam cùm Dei famula more ſolito Miſſarum celebrationi- IX.
bus intereſſet, deuotionis feruore ignita, flexis genibus parieti inclinata, & ſupra ſemetipſam mente & ſpiritu eleuata, contemplando diutiſſime defixos oculos habuit ad altare. Perpendit hoc nobilis illa & deuota fœmina * Hyſentrudis beatæ Elizabeth præ aliis ſpecialiſſima. Quæ poſt opportunitate nacta, ſolicitabat eam precibus multis de reuelanda viſione, quam viderat, dum offerretur Hoſtia ſalutaris. Cui felix Elizabeth reſpondit: Ea quæ ego ibi Domino reuelante cognoui, non expedit hominibus enarrari. Hoc tamen latere te nolo, quod anima mea ſuauiſſimo perfuſa fuit gaudio, & admiranda Dei ſecreta interiori conſpexi mētis oculo. Cumq; ad illud ſuum humile de Eccleſia rediiſſet hoſpitium, permodicum valde ſumpſit cibum. Poſt cibum debilis valdè erat erumpente ſudore, in ſinū dictæ Hyſentrudis, excluſis cæteris tanquam ad quieſcendum Dei famula ſe recepit, defixos oculos ad contra poſitum habens locū, & facta hora ſerenata facie, magnaq; hilaritate circūfuſa dulcis in eius ore riſus apparuit & iucundus. Facta aūt diutino interuallo, clauſit oculos, fluebantq; tanquā riui, ex ipſis lachrymæ infinitæ. Iterūq; breui interueniente moderula apertis oculis lætus apparuit vultus vt prius; & in ore eius prius riſus: ſicq; vt dictū eſt, fletū clauſis oculis, & riſū ipſis apertis alternando in contēplatione vſq; ad horam Cōpletorij, plus tñ iocunditati quàm mœſtitudini immorans perdurauit. Poſt hanc ſpeculationem diutinam in hæc affectuoſa verba prorupit, dicens. Vtiq; domine tu vis eſſe mecum, & ego volo eſſe tecum: & nolo à te ſeparari. Quæ verba audiens Yſentrudis venerabilis, in cuius ſinu in hac reuelatione recubuit, admirans vehementer, petiuit inſtantiſſimè ſibi hoc myſterium aperiri. Humilis autem Elizabeth latere malens, indicare renuit. Verum dilectæ dilectricis precibus reſpondit: Vidi, inquit, cœlum apertum, & Dominū meum Ieſum dulciſſimum inclinantem ſe ad me, & conſolantem me de variis anguſtiis meis & tribulationibus, quæ circumdederunt me. Quem dum vidi, iocundabar & riſi. Cum verò vultum tanquam receſſurus auerteret, fleui. Qui miſertus mei iterum vultum ſuum ſereniſſimum ad me conuertit, dicens: Si tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum, & nunquam volo à te ſeparari. Cui ego reſpondi, dicens. Ita Domine, tu vis eſſe mecum, & ego volo eſſe tecum: & nunquam volo à te ſeparari. O fœlix & firma pactio, & fida deſponſatio! O vere grata huius mulieris humilitas, ad quā ſe inclinauit ſumma maieſtatis excellentia! O feruēs charitas, cuius viſioni ſe offert præſentia Deitatis! O ſincera deuotio quam conſolatur ſuauitatis influentia! O quā beata anxietas cui cœleſtis aperitur & patet immenſitas! Hunc theſaurum repertum abſcondere omninò ſtuduit: ne vētus diſpergeret vanitatis, quod gratia congregauerat ſanctitatis.

S. Elizabeth Bābergenſi Epiſcopo adducitur.

* Babynbergenſem. M. Et in margine aſcriptū erat hoc nomen Eckenbertus.

1. Tim. 5.

POST hæc nobilis religioſa fæmina Abbatiſſa de Kitzingen B. Elizabeth ſecundum carnē matertera, miſerta pau- I.
pertatis eius defectum nimium, ipſam allatam honorificè ad dominū * Bambergenſem Epiſcopū euexit. Qui Dei fa- Lib 5.
mulæ auunculus ipſam benignè & reuerenter ſuſceptam, cū omni honeſtate charitateve pertractauit. Sciens autē venerabilis vir, quia ait Apoſtolus: Adoleſcentiores viduas volo nubere, & filios procreare, cogitabat eam alicuius matrimonio collocare. Quod & ipſam non latuit. Cumq; pediſſequæ eius, quæ cum ea continentiæ votū commiſerant, Epiſcopi potentiam formidantes, cū ea ſuper hoc querulando cū lachrymis loquerentur: conſolans eas cōſtanter corde pleno fiducia reſpondit: Inſpector cordium & abſconditorum cognitor Deus nouit votum cōtinentiæ, quod viro meo viuēte emiſi, de puro corde, & ſimplici, fide non ficta proceſſiſſe. Ideoq; de ipſius cōfidens miſericordia, impoſſibile fore ſcio, quod meā non conſeruet contra omne humanum conſiliū, vel violentiam, caſtitatem. Neq; enim ego conditionatū, ſi amicis placeret, & proximis, ſed ſpontaneū, abſolutum, ac liberū edidi votū, ſeruandæ poſt mortē dilecti mei integerrimæ caſtitatis ad gloriam conditoris. Verū ſi ſi contra libertatē matrimonij me inuitā quiſpiam viro tradere præſumpſerit, animo diſſentiam, & ſermonibus contradicam. Et ſi aliam id euadendi viam non reperitē, occultè naſum proprium meis truncarem manibus, vt ſic me omnis abhorreret homo turpiter maculatā. Præfatus autē Epiſcopus præcepit, vt ad caſtrum, quod dicitur Botenſtain cum decenti comitatu Dei famula cū ſuis deferretur pediſſequis, ibi, quouſque eam viro traderet, moratura.

PERREXIT igitur triſtis & inuita. Innotuerat ſiquidem ei Epiſcopi intentio circa eam. Tunc illa pauens, & tre- II.
mens periculū, confugit ad Dominū, & ipſius cuſtodiæ caſtitatem ſuam lachrymoſis orationibus cōmendabat. Audiuit autem vocem eius ſecundum miſericordiam ſuam Deus, & cōuertit luctū eius & triſtitiā in conſolationē, & lugubrem in lætitiā. Et ecce ſubitò venit nuncius Epiſcopi eam ipſam reuocantis in Bamberg. Cū enim mortuus eſſet in Apulia Illuſtriſſimus ille Ludouicus Thuringorum Princeps & Lantgrauius, curauerunt enim nobiles & viri honorati, qui cū eo profecti fuerant, & inuoluentes corpus decentibus & fortibus pannis, honorificè tumulauerunt. Peractaq; peregrinatione, effoſſum corpus decoctione diligenti excoriatū eſt. Quo facto apparuerūt oſſa candida ſuper niuem. Quæ ſcrinijs mundiſſimis impoſita, & incluſa, & reuerenter cooperta, & iumenti dorſo impoſita trāſlata ſunt. Appoſuerunt quoq; Crucē argenteam gemmis ornatā, vtpote Chriſtianitatis cultores, & ſui domini fideliſſimi amatores. Per totam autem viam reditus ſui quacunque ſe ciuitate vel oppido nocturno tempore receperūt, oſſibus in Eccleſia collocatis, orationes & vigilias per totam noctem à deuotis & fidelibus perſonis fieri procurauerunt. Manè autē Miſſa celebrata, & oblatione facta ab ipſis profecti ſunt: ſimiliter in aliis locis facientes. Quæcunque verò ciuitas vel oppidū cathedralem, vel etiam conuentualem habebat Eccleſiam, in ea purpuram, qua tunc pro reuerentia loci oſſa cōtexerant,

Oſſa defuncti eius mariti transferuntur. Iac. Mont cap 17.

texerāt, pro animæ defuncti remedio reliquerunt. O quales exequiæ! O fideliſſimos & clariſſimos viros, executores taliū exequiarum! Quis vnquam Imperatorum vel Principum, vel etiam ſanctorum tales legitur habuiſſe exequias?

III. Cumq; * Bamberg appropinquaſſent, reliquiarū aduentū Bambergenſi Epiſcopo nunciauerūt. Tunc Pontifex filiam ſororis ſuæ reginæ, Dei famulam Elizabeth, defuncti relictam, vt occurreret, & mariti quondā reliquias ſuſciperet, aduocauit. Ordinauit autē prudens pro honeſtate & conſolatione Dei famulæ, vt omnes nobiles & digniores in occurſu funeris eius aſſiſterent lateri, & eā ne deficeret, cōfortarent. Proceſſit itaq; Præſul glorioſus, cū Religioſorū & Cleri ciuitatis multitudine veneranda obuiā tanto funeri orationes & cantus lugubres modulantes. Murmurat campanarum ſonus, ruit confluens vndiq; populus, Religioſorum ac Cleri turba hymnis canora cœleſtibus vſq; in Eccleſiam cathedralem proſequitur. Salubris enim & ſancta eſt exoratio pro defunctis.

** Babynberg.* Qualiter in Bamberg ſuſcepta ſint oſſa. a *Mach.* 12.

IV. Collocatis itaq; ibi reliquiis, ad aſpectum venerabilis viduæ derelictæ, reſerata ſunt ſcrinia, & oſſa reuelata. Quid tunc doloris, & amoris in corde eius fuerit, ſolus ſcire poterit is qui nouit corda omniū filiorū hominū. Ego puto, quod renouatus eſt dolor: cōmota ſunt viſcera, cōtremuerunt oſſa, cū dilecti quondā corporis cōpages diſſolutas, oſſaq; diſſipata cerneret & diſpacta. Tandemq; abſorpta mœrore memor Dei, reſumpto ſpiritu, dixit: Gratias tibi ago Domine, quod ancillæ tuæ, ingens, quod habui deſideriū, in aſpectu oſſiū dilecti mei, adimplere: & afflictā & deſolatā animam meā dignatus es miſericorditer conſolari. Ipſum tibi à ſemetipſo, & à me in ſubſidiū Terræ tuæ Sanctæ oblatū non inuideo: licet eam dilexerim ex corde. Tu ſcis Deus, quod eius deſiderabilem præſentiam, mihi gratiſſimā, omnibus huius mundi deliciis & gaudiis antefertem: ſi ipſum mihi tua benignitas cōceſſiſſet. Optaremq; omni tēpore vitæ meæ in egeſtate & mendicitate viuere, dūmodo eius frui contubernio de tuo beneplacito licuiſſet. Nunc verò ipſum, & me tuæ voluntatis diſpoſitioni cōmitto. Nec enim, etiamſi poſſem, eū ad vitam reuocare minimo mei capitis capillo, præter tuū beneplacitum, vellē. His dictis, repreſſiſq; lachrymarū fluminibus cōticuit. Egreſſaq; Eccleſiam in quodā pratello conſedit: petiuitq; ad ſe ingredi Nobiles illos de Thuringia peregrinos, qui reliquias Principis adduxerant, precioſas cordi ſuo, & deſiderabiles ſuper aurum. Quibus ingreſſis, regalis illa fœmina reuerenter & humiliter aſſurrexit, ſerenaq; facie excipiens eos, & aſſidere ſibi faciens, locuta eſt eis benignè iniurias inter cætera, & moleſtias quas pertulerat, enarrando.

Oratio S. Elizabeth cō ſpectis viſceribus & oſſibus mariti Proceribus Thuringiæ calamitatem ſuam exponit. Iac. Mont: cap 17.

V. Post hæc Epiſcopus cū eiſdem Nobilibus de recuperanda eius dote, & cōmoditate, & procuratione eius condigna & honeſta ordinanda diligenter & fideliter pertractauit. Qui omnia, quæ iuris & honeſtatis ſunt, eidem, vtpote dominæ ſuæ, ſe ordinaturos Epiſcopo promiſerunt. Alias autē Epiſcopus ipſam eis nolebat cōmittere deducendā. Igitur promiſſis acceptis, & exequiis debita veneratione & deuotione celebratis, accepta ab Epiſcopo benedictione, & facta valedictione: hi in ſua: & hi in Thuringiā cū domina relicta, & oſſibus defuncti Principis, itinere proſpero, quāuis lugubri redierunt. Nunciata ſunt hæc in Thuringia: & cō nota eſt terra, & factus eſt planctus & luctus omnium magnus. Occurrerunt autem Comites, & Nobiles, milites, & de ciuitatibus, oppidis, & villis diuites, & pauperes, vtriuſq; ſexus innumera multitudo. Venientibus ad clauſtrū * Reinhartsbrunne, proceſſit obuiam Monachorum religioſa, & clericorū non modica congregatio: & tanti funeris reliquias deuotione cōgrua ſuſcipientes cum orationibus ſolitis, & lachrymoſis modulationibus perduxerunt.

Cum Proceribus & mariti oſſibus in Thuringiā reuertitur. ** Reynhertburn, M. al. Reynhartubrun.*

VI. Deniq; vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis, Miſſarum ſolemniis, & oblationibus, & omnibus ad decorē funeris, & ſalutem animæ pertinentibus, ritè, deuotè, ac ſolenniter conſummatis, nobiles illas oſſiū reliquias in ſepulchro maiorū ſuorum venerabiliter condiderunt. Aderant ibi domina Sophia mater, dominaq; Elizabeth relicta, Hēricus & Cōradus fratres ipſius Principis, eratq; luctus * & mœror, omniumq; triſtitiam nouit, qui ſolus mœrorē conſiderat & dolorem. Mortuus eſt autem ann. Domini M.CC.XXVII. tertio idus Septem. in Sicilia ciuitate, quæ dicitur Otrrat. Tranſlatiſq; oſſibus, vt prædictum eſt, ſequenti anno ſepultus eſt in cœnobio Monachorū ordinis ſancti Benedicti, quod vocatur Reinhartſprunnen. Vbi requieſcat in Dei pace, Amen.

** M.CC. xxxvii. legit M.* Vbi tamen quidam non tam primā numeri denarij induxit.

VII. Post peractam, vt dictum eſt, condignis exequiis tanti funeris ſepulturam, & cunctis in ſua remeantibus, viri illi honorabiles, & præcipui milites, qui cū felicis memoriæ defuncto Principe peregrinaturi terrā egreſſi fuerant, eiuſq; oſſa, venerabiliter reducta, cū debita honorificentia tumulauerunt, relictam ipſius dominam Elizabeth, quā in ſua fide ſuſceperant, curantes, Henricū fratrem defuncti, ſponſionis Bambergenſi Epiſcopo factæ memores, adierunt. Hęc ſunt autem eorū nomina, celebri ſemper memoria retinēda. Rudolphus Pincerna de * Varila, Leutolfus de Berlſtetten, Hartvvigus de Erba, Vvaltherus de Varila; viri vtiq; omni prudentia præditi, & honeſtate conſpicui. Quorum primus, Rudolphus videlicet Pincerna, Principē iuuenculum, aliis aſtantibus, cæteriſq; qui aderant aduocatis, ſic allocutus eſt: Audiuimus a & conturbatæ ſunt mentes noſtræ, & operuit rōfuſio vultus noſtros, pro eo, quod talis vitæ inhoneſtas & impietas eſt inuenta. Eia mi domine, quid feciſti? Fratris tui relictam mœſtiſſimam, filiam Regis nobiliſſimam, quam conſolari, & honorificare oportuerat, ſine cauſa de hoſpitio, & poſſeſſionibus, tanquam turpem irreuerenter eiecisti, & inopem mendicare reliquiſti. Pupillos fratris, quos tu regibernare tutela debuit, à matre propter inopiā ſeparari & elongari oportuit. Vbi tunc fraternus affectus? quid ſexus fragilis, vidua deſolata, mulier afflicta & exul potuit? quid deniq; fœmina ſancta nocere voluit? Proh dolor! Deum irritaſti, perſonam tuam inhonoraſti, Thuringiā confudiſti, famam tuam minuiſti: & vere formido eſt, vindictam Dei, terræ ſuperuenturam, niſi ſatisfeceris placando fœminam tā beatam. Mirabantur qui aderant, quod tā audacter ad Principem vir cōſtantiſſimus loquebatur. Sed verè meritò probata virtus corripit inſipientes. Obſtupuit b iuuenis dum hæc diceret, & reſolutus in lachrymas multū fleuit, dicens. Doleo valdè, quod factum eſt. Ideoque vt in oculis eius gratiam inueniam, omne quod deſiderat Elizabeth, ſoror mea, faciam, & hoc ſecundum veſtræ voluntatis arbitrium paratus ſum pro viribus adimplere: Reſpondit Pincerna: Hoc eſt domine, omnino tuæ neceſſarium æquitati, ſi irā Dei euadere, & ea quæ læſa ſunt, cupieris reparare.

Iaco Mont. cap. 18. ** Vargila, Lutolfus de Berlſtete, Harmundus de Erpha, Vualtherus de Vargila. M.* a Rudolphi Pincernæ inuectiua in Henricū Principem. b Henricus Princeps pœnitens S. Elizabethā reſtituit.

VIII. Cumque hæc ad illuſtrem fœminam per dictos viros relata fuiſſent, reſpondit: Caſtra, ciuitates, & oppida, & terras quibus implicari & diſtrahi oportet, nolo. Verum pro iis, quæ mihi iure debentur, reſpectu dotis, peto exhiberi de gratia fratris mei, quibus vti, habere, & expendere, ad votum liberè mihi liceat pro ſalute dilecti mei defuncti, & propria. Dum hæc venerabilis proferret fœmina, quæ ſurſum ſunt, quærebat, non quæ ſunt ſuper terram. Ferebatur mentis eius intentio ad deſpectum caducorum, ad appetitum æternorum, ad eleemoſynas pauperum, ad miſerationem egenorum. Cumque hæc pertractata fuiſſent, effectu mancipanda, vale facto cunctis, cum gratia & lachrymis, commiſſique Dei gratiæ, ad ſedes proprias ſunt reuerſi. A. venerabilis Elizabeth, quamdiu eum ſororio dignata eſt commorari, reuerenter eam habuit: faciens eam benignè & honorifice pertractari. Ipſa autē Deo plena cognoſcens huiuſmodi commoditates & faſtus Principum ac diuitum, de incōmodis & oppreſſionibus pauperum plerumq; prouenire, ſubduxit ſe: eligens magis affligi cum populo Dei, & inter populares computari, quam regalibus deliciis intereſſe. Accidit ergò vt in paupertate, ſicut prius degeret, & inopia premeretur.

Iac Mont. cap 19. S. Elizabeth reuertitur ad voluntariam paupertatem.

IX. Videntes autem nobiles & magnates, quod mundū & mundi gloriam ſperneret, & nollet: deſpexerunt eam: adeò, vt nec videre eam, nec alloqui dignarentur. Inſultabant autē, & infamabant eam multipliciter tanquam inſanā, & fatuam dicentes: eo quod ſeculi diuitias abiiceret. Quorum blaſphemias contumeliaſq; tā læto animo, & vultu hilari ſufferebat in Domino: ita vt improperarent ei, quod oblita mortis mariti gauderet, cum lugendū magis ei foret, ignorantes

Iac Mont. cap. 20. Nobiles ei inſultant.

Barbara quorundã erga illam inhumanitas.

nullus auderet eam hoſpitio recipere, confugit ad Dominum cum pediſſequis ſuis, ingreſſa ad Eccleſiam multum
morabatur ſedendo in ea. Et cum allati eſſent de caſtro paruuli eius in multa frigoris aſperitate, neſciebat quo cum
eis diuerteret, vel vbi eorum capita reclinaret. Neceſſitate ergò coacta domum ſacerdotis introiit, ſe ſuoſque miſerè
ſatis paſcens, pignoribus obligatis. Erat in hoc oppido quidam eius æmulus, habitationem habens in qua multæ ſtru-
ctuæ, & habitacula plurima erant. Quo cum iuſſa intraſſet, in arcto loco compulſa eſt cum tota ſua familia habitare.
Cui hoſpes & hoſpita eiuſque familia non charitatis beneficia, ſed hoſtilitatis multa grauamina intulerunt. Egrediẽs
igitur inde parietibus, qui eam à pluuia & frigore tutauerant, valedixit, dicens: Hominibus libens benedicerem, ſi cur
hoc facerem, cauſam haberem. Reuerſaque eſt ad prius ſordens ergaſtulum, aliud in eo oppido non valens habere
domicilium. Heu inopinata & infauſta rerum varietas! Heu fallax & inanis huius mundi felicitas! Ecce quæ in pala-
tiis habitare potuit, & aliis imperare: nunc hoſpitium cogitur mendicare, nec valet impetrare. O ſtupenda & inſcrutã-
bilis Dei diſpenſatio! Quæ ſolebat pauperum paruulos, vt mater nutrire, & tanquam nutrix reficere: nunc preſſa in-
opia, paruulos vteri ſui ad diuerſa loca & remota compulſa eſt à ſe propter alimoniam elongare. Sicq; ibi in pauper-
tate degens id ipſum modicum, quod habere poterat, ori ſuo ſubtrahens pauperibus erogabat.

Iaco. Mont. cap. 16.
In lutum detruſa hilari fert animo.

FVIT tunc ibidem mulier quædam pauper, infirma, & vetula. Cuius paupertati per eleemoſynam, ægritudini VIII
per medicinales ſpecies, ſenectuti ſolatiis ſuccurrebat. Eratque arcta quædam via, vbi pro luti profunditate lapides
fuerant tranſeuntibus collocati. Occurrit ibi benefactrici ſuæ, de qua præfati ſumus, vetula, eiq; nolens cedere impe-
git ignobilis in nobilem, proterua in manſuetam, beneficij immemor in miſericordem. Corruit ergo in luti profun-
dum Dei famula omnino cum veſtibus omnibus inquinata Quod cum multa lenitate & patientia ſufferens, eleuata
multum riſit, lauitq; cum gaudio veſtes ſuas ſordidas in flumine, animam verò patientem in agni ſanguine. Hæc omnia
venerunt ſuper eam: nec oblita eſt Dei, & inique non egit: ſed quanto magis abundabant tribulationes, tanto abun-
dabant conſolationes, per multas diuinas reuelationes, quibus frequenter viſitabatur horis diurnis & nocturnis in o-
rationibus conſtituta.

Viſio eius ſub ſacrificio Miſſæ. Iaco Mont. cap. 16.
* Yſentrudis

EO tempore in diebus Quadrageſimæ vice quadam cùm Dei famula more ſolito Miſſarum celebrationi- IX.
bus intereſſet, deuotionis feruore ignita, flexis genibus parieti inclinata, & ſupra ſemetipſam mente & ſpiritu eleuata,
contemplando diutiſſime defixos oculos habuit ad altare. Perpendit hoc nobilis illa & deuota fœmina * Hyſentru-
dis beatæ Elizabeth præ aliis ſpecialiſſima. Quæ poſt opportunitate nacta, ſolicitabat eam precibus multis de reuelã-
da viſione, quam viderat, dum offerretur Hoſtia ſalutaris. Cui felix Elizabeth reſpondit: Ea quæ ego ibi Domino re-
uelante cognoui, non expedit hominibus enarrari. Hoc tamen latere te nolo, quod anima mea ſuauiſſimo perfuſa
fuit gaudio, & admiranda Dei ſecreta interiori conſpexi mẽtis oculo. Cumq; ad illud ſuum humile de Eccleſia rediiſ-
ſet hoſpitium, permodicum valde ſumpſit cibum. Poſt cibum debilis valdè erat erumpente ſudore, in ſinũ dictæ Hy-
ſentrudis, excluſis cæteris tanquam ad quieſcendum Dei famula ſe recepit, defixos oculos ad contra poſitum habens
locũ, & facta hora ſerenata facie, magnaq; hilaritate circũfuſa dulcis in eius ore riſus apparuit & iucundus. Facta aũt
diutino interuallo, clauſit oculos, fluebantq; tanquã riui, ex ipſis lachrymæ infinitæ. Iterũq; breui interueniente mo-
rula apertis oculis lætus apparuit vultus vt prius; & in ore eius prius riſus: ſicq; vt dictũ eſt, fletũ clauſis oculis, & riſũ i-
pſis apertis alternando in contẽplatione vſq; ad horam Cõpletorij, plus in iocunditati quàm mœſtitudini immorans
perdurauit. Poſt hanc ſpeculationem diutinam in hæc affectuoſa verba prorupit, dicens. Vtiq; domine tu vis eſſe me-
cum, & ego volo eſſe tecum: & nolo à te ſeparari. Quæ verba audiens Yſentrudis venerabilis, in cuius ſinu in hac reue-
latione recubuit, admirans vehementer, petiuit inſtantiſſimè ſibi hoc myſterium aperiri. Humilis autem Elizabeth la-
tere malens, indicare tenuit. Verum dilectæ dilectricis precibus reſpondit: Vidi, inquit, cœlum apertum, & Dominũ
meum Ieſum dulciſſimum inclinantem ſe ad me, & conſolantem me de variis anguſtiis meis & tribulationibus, quæ
circumdederunt me. Quem dum vidi, iocundabar & riſi. Cum verò vultum tanquam receſſurus auerteret, fleui. Qui
miſertus mei iterum vultum ſuum ſereniſſimum ad me conuertit, dicens: Si tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum, &
nunquam volo à te ſeparari. Cui ego reſpondi, dicens. Ita Domine, tu vis eſſe mecum, & ego volo eſſe tecum: & nun-
quam volo à te ſeparari. O fœlix & firma pactio, & fida deſponſatio! O vere grata huius mulieris humilitas, ad quã ſe
inclinauit ſumma maieſtatis excellentia! O feruẽs charitas, cuius viſioni ſe offert præſentia Deitatis! O ſincera deuo-
tio quam conſolatur ſuauitatis influentia! O quã beata anxietas cui cœleſtis aperitur & paret immenſitas! Hunc the-
ſaurum repertum abſcondere omninò ſtuduit: ne ventus diſpergeret vanitatis, quod gratia congregauerat ſanctitatis.

S. Elizabeth Bãbergenſi Epiſcopo adducitur.
* Babynbergenſem. M. Et in margine aſcriptũ erat hoc nomen Eckenbertus.
1. Tim. 5.

POST hæc nobilis religioſa fæmina Abbatiſſa de Kitzingen B. Elizabeth ſecundum carnẽ matertera, miſerta pau- I.
pertatis eius defectum nimium, ipſam allatam honorificè ad dominũ * Bambergenſem Epiſcopũ euexit. Qui Dei fa- Lib 5.
mulæ auunculus ipſam benignè & reuerenter ſuſcepiam, cũ omni honeſtate charitateve pertractauit. Sciens autẽ ve-
nerabilis vir, quia ait Apoſtolus: Adoleſcentiores viduas volo nubere, & filios procreare, cogitabat eam alicuius ma-
trimonio collocare. Quod & ipſam non latuit. Cumq; pediſſequæ eius, quæ cum ea continentiæ votũ commiſerant,
Epiſcopi potentiam formidantes, cũ ea ſuper hoc querulando cũ lachrymis loquerentur: conſolans eas cõſtanter cor-
de pleno fiducia reſpondit: Inſpector cordium & abſconditorum cognitor Deus nouit votum cõtinentiæ, quod viro
meo viuẽte emiſi, de puro corde, & ſimplici, fide non ficta proceſſiſſe Ideoq; de ipſius cõfidens miſericordia, impoſ-
ſibile fore ſcio, quod meã non conſeruet contra omne humanum conſiliũ, vel violentiam, caſtitatem. Neq; enim ego
conditionatũ, ſi amicis placeret, & proximis, ſed ſpontaneũ, abſolutum, ac liberũ edidi votũ, ſeruandæ poſt mortẽ di-
lecti mei integerrimæ caſtitatis ad gloriam conditoris. Verũ etſi contra libertatẽ matrimonij me inuitã quiſpiam viro
tradere præſumpſerit, animo diſſentiam, & ſermonibus contradicam. Et ſi aliam id euadendi viam non reperitẽ, oc-
cultè naſum proprium meis truncarem manibus, vt ſic me omnis abhorreret homo turpiter maculatã. Præfatus autẽ
Epiſcopus præcepit, vt ad caſtrum, quod dicitur Botenſtain cum decenti comitatu Dei famula cũ ſuis deferretur pe-
diſſequis, ibi, quouſque eam viro traderet, moraturam.

PERREXIT igitur triſtis & inuita. Innotuerat ſiquidem ei Epiſcopi intentio circa eam. Tunc illa pauens, & tre- II.
mens periculũ, confugit ad Dominũ, & ipſius cuſtodiæ caſtitatem ſuam lachrymoſis orationibus cõmendabat. Audi-
uit autem vocem eius ſecundum miſericordiam ſuam Deus, & cõuertit luctũ eius & triſtitiã in conſolationẽ, & lugu-
brem in lætitiã. Et ecce ſubitò venit nuncius Epiſcopi eam ipſam reuocantis in Bamberg. Cũ enim mortuus eſſet in A-

Oſſa defuncti eius mariti transferuntur. Iac. Mont cap 17.

pulia Illuſtriſſimus ille Ludouicus Thuringorum Princeps & Lantgrauius, curauerunt eum nobiles & viri honorati,
qui cũ eo profecti fuerant, & inuoluentes corpus decentibus & fortibus pannis, honorificè tumulauerunt. Peractaq;
peregrinatione, effoſſum corpus decoctione diligenti excoriatũ eſt. Quo facto apparuerũt oſſa candida ſuper niuem.
Quæ ſcrinijs mundiſſimis impoſita, & incluſa, & reuerenter cooperta, & iumenti dorſo impoſita trãslata ſunt. Appo-
ſuerunt quoq; Crucẽ argenteam gemmis ornatã, vtpote Chriſtianitatis cultores, & ſui domini fideliſſimi amatores.
Per totam autem viam reditus ſui quacunque ſe ciuitate vel oppido nocturno tempore receperũt, oſſibus in Eccleſia
collocatis, orationes & vigilias per totam noctem à deuotis & fidelibus perſonis fieri procurauerunt. Manè autẽ Miſ-
ſa celebrata, & oblatione facta ab ipſis profecti ſunt: ſimiliter in aliis locis facientes. Quæcunque verò ciuitas vel op-
pidũ cathedralem, vel etiam conuentualem habebat Eccleſiam, in ea purpuram, qua tunc pro reuerentia loci ciſta cõ-
texerant,

texerũt, pro animæ defuncti remedio reliquerunt. O quales exequiæ! O fideliſſimos & clariſſimos viros, executores taliũ exequiarum! Quis vnquam Imperatorum vel Principum, vel etiam ſanctorum tales legitur habuiſſe exequias?

III. Cumq; * Bamberg appropinquaſſent, reliquiarũ aduentũ Bambergenſi Epiſcopo nunciauerũt. Tunc Pontifex filiam ſororis ſuæ reginæ, Dei famulam Elizabeth, defuncti relictã, vt occurreret, & mariti quondã reliquias ſuſciperet, aduocauit. Ordinauit autẽ prudens pro honeſtate & conſolatione Dei famulæ, vt omnes nobiles & digniores in occurſu funeris eius aſſiſterent lateri, & eã ne deficeret, cõfortarent. Proceſſit itaq; Præſul glorioſus, cũ Religioſorũ & Cleri ciuitatis multitudine veneranda obuiã tanto funeri orationes & cantus lugubres modulantes. Murmurat campanarum ſonus, ruit confluens vndiq; populus, Religioſorum ac Cleri turba hymnis canora cœleſtibus vſq; in Eccleſiam cathedralem proſequitur. Salubris enim & ſancta eſt exoratio pro defunctis.

* Babynberg.
Qualiter in Bamberg ſuſcepta ſint oſſa.
a Mach. 12.

IV. Collocatis itaq; ibi reliquiis, ad aſpectum venerabilis viduæ derelictæ, reſerata ſunt ſcrinia, & oſſa reuelata. Quid tunc doloris, & amoris in corde eius fuerit, ſolus ſcire poterit is qui nouit corda omniũ filiorũ hominũ. Ego puto, quod renouatus eſt dolor: cõmota ſunt viſcera, cõtremuerunt oſſa, cũ dilecti quondã corporis cõpages diſſolutas, oſſaq; diſſipata cerneret & diſpacta. Tantoq; abſorpta mærore memor Dei, reſumpto ſpiritu, dixit: Gratias tibi ago Domine, quod ancillæ tuæ, ingens, quod habui deſideriũ, in aſpectu oſſiũ dilecti mei, adimplere: & afflictã & deſolatã animam meã dignatus es miſericorditer conſolari. Ipſum tibi à ſemetipſo, & à me in ſubſidiũ Terræ tuæ Sanctæ oblatũ non inuideo: licet eum dilexerim ex corde. Tu ſcis Deus, quod eius deſiderabilem præſentiam, mihi gratiſſimã, omnibus huius mundi deliciis & gaudiis anteferrem: ſi ipſum mihi tua benignitas cõceſſiſſet. Optaremq; omni tẽpore vitæ meæ in egeſtate & mendicitate viuere, dũmodo eius frui contubernio de tuo beneplacito licuiſſet. Nunc verò ipſum, & me tuæ voluntatis diſpoſitioni cõmitto. Nec enim, etiamſi poſſem, eũ ad vitam reuocare minimo mei capitis capillo, præter tuũ beneplacitum, vellẽ. His dictis, repreſſiſq; lachrymarũ fluminibus cõticuit. Egreſſaq; Eccleſiam in quodã pratello conſedit: petiuitq; ad ſe ingredi Nobiles illos de Thuringia peregrinos, qui reliquias Principis adduxerant, precioſas cordi ſuo, & deſiderabiles ſuper aurum. Quibus ingreſſis, regalis illa fœmina reuerenter & humiliter aſſurrexit, ſerenaq; facie excipiens eos, & aſſidere ſibi faciens, locuta eſt eis benignè iniurias inter cætera, & moleſtias quas pertulerat, enarrando.

Oratio S. Elizabeth cõſpectis viſceribus & oſſibus mariti Procerib. Thuringiæ calamitatem ſuam exponit
Iac. Mont: cap 17.

V. Post hæc Epiſcopus cũ eiſdem Nobilibus de recuperanda eius dote, & cõmoditate, & procuratione eius condigna & honeſta ordinanda diligenter & fideliter pertractauit. Qui omnia, quæ iuris & honeſtatis ſunt, eidem, vtpote dominæ ſuæ, ſe ordinaturos Epiſcopo promiſerunt. Alias aũt Epiſcopus ipſam eis nolebat cõmittere deducendã. Igitur promiſſis acceptis, & exequiis debita veneratione & deuotione celebratis, accepta ab Epiſcopo benedictione, & facta valedictione: hi in ſua: & hi in Thuringiã cũ domina relicta, & oſſibus defuncti Principis, itinere proſpero, quãuis lugubri redierunt. Nunciata ſunt hæc in Thuringia: & cõmota eſt terra, & factus eſt planctus & luctus omnium magnus. Occurrerunt autem Comites, & Nobiles, milites, & de ciuitatibus, oppidis, & villis diuites, & pauperes, vtriuſq; ſexus innumera multitudo. Venientibus ad clauſtrũ * Reinharsbrunne, proceſſit obuiam Monachorum religioſa, & clericorũ non modica congregatio: & tanti funeris reliquias deuotione cõgrua ſuſcipientes cum orationibus ſolitis, & lachrymoſis modulationibus perduxerunt.

Cum Proceribus & mariti oſſibus in Thuringiã reuertitur.
* Reynhertburn, M. al. Reynhartsbrun.

VI. Deniq; vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis, Miſſarum ſolemniis, & oblationibus, & omnibus ad decorẽ funeris, & ſalutem animæ pertinentibus, ritè, deuotè, ac ſolenniter conſummatis, nobiles illas oſſiũ reliquias in ſepulchro maiorũ ſuorum venerabiliter condiderunt. Aderant ibi domina Sophia mater, dominaq; Elizabeth relicta, Hẽricus & Cõradus fratres ipſius Principis, eratq; luctus * & mœror, omniumq; triſtitiam nouit, qui ſolus mœrorẽ conſiderat & dolorem. Mortuus eſt autem ann. Domini M.CC.XXVII. tertio idus Septem in Sicilia ciuitate, quæ dicitur Ortrat. Tranſlatiſq; oſſibus, vt præ dictum eſt, ſequenti anno ſepultus eſt in cœnobio Monachorũ ordinis ſancti Benedicti, quod vocatur Reinhartſprunnen. Vbi requieſcat in Dei pace, Amen.

* M.CC.xxxvii. legit M. Vbi tamen quidam notam primã numeri denarij induxit.

VII. Post peractam, vt dictum eſt, condignis exequiis tanti funeris ſepulturam, & cunctis in ſua remeantibus, viri illi honorabiles, & præcipui milites, qui cũ felicis memoriæ defuncto Principe peregrinaturi terrã egreſſi fuerant, eiuſq; oſſa, venerabiliter reducta, cũ debita honorificentia tumulauerunt, relictam ipſius dominam Elizabeth, quã in ſua fide ſuſceperant, curantes, Henricũ fratrem defuncti, ſponſionis Bambergenſi Epiſcopo factæ memores, adierunt. Hęc ſunt autem eorũ nomina, celebri ſemper memoria retinẽda. Rudolphus Pincerna de * Varila, Leutolfus de Berlſtetten, Hartvvigus de Erba, Vvaltherus de Varila; viri vtiq; omni prudentia præditi, & honeſtate conſpicui. Quorum primus, Rudolphus videlicet Pincerna, Principẽ iuuenculum, aliis aſtantibus, cæteriſq; qui aderant aduocatis, ſic allocutus eſt: Audiuimus a & conturbatæ ſunt mentes noſtræ, & operuit cõfuſio vultus noſtros, pro eo, quod talis vitæ inhoneſtas & impietas eſt inuenta. Eia mi domine, quid feciſti? Fratris tui relictam mœſtiſſimam, filiam Regis nobiliſſimam, quam conſolari, & honorificare oportuerat, ſine cauſa de hoſpitio, & poſſeſſionibus, tanquam turpem irreuerenter eiecisti, & inopem mendicare reliquiſti. Pupillos fratris, quos tui gubernare tutela debuit, à matre propter inopiã ſeparari & elongari oportuit. Vbi tunc fraternus affectus? quid ſexus fragilis, vidua deſolata, mulier afflicta & exul potuit? quid deniq; fœmina ſancta nocere voluit? Proh dolor! Deum irritaſti, perſonam tuam inhonoraſti, Thuringiã confudiſti, famam tuam minuiſti: & vere formido eſt, vindictam Dei, terræ ſuperuenturam, niſi ſatisfeceris placando fœminam tã beatam. Mirabantur qui aderant, quod tã audacter ad Principem vir cõſtantiſſimus loquebatur. Sed verè meritò probata virtus corripit inſipientes. Obſtupuit b iuuenis dum hæc diceret, & reſolutus in lachrymas multũ fleuit, dicens. Doleo valdè, quod factum eſt. Ideoque vt in oculis eius gratiam inueniam, omne quod deſiderat Elizabeth, ſoror mea, faciam, & hoc ſecundum veſtræ voluntatis arbitrium paratus ſum pro viribus adimplere: Reſpondit Pincerna: Hoc eſt domine, omnino tuæ neceſſarium æquitati, ſi irã Dei euadere, & ea quæ læſa ſunt, cupieris reparare.

Iaco Mont. cap. 18
* Vargila, Lutolfus de Berlſtete, Harmundus de Erpha, Vvaltherus de Vargila. M.
a Rudolphi Pincernæ inuectiua in Henricũ Principem
b Henricus Princeps pœnitens S. Elizabethã reſtituit

VIII. Cumque hæc ad illuſtrem fœminam per dictos viros relata fuiſſent, reſpondit: Caſtra, ciuitates, & oppida, & terras quibus implicari & diſtrahi oportet, nolo. Verum pro his, quæ mihi iure debentur, reſpectu dotis, peto exhiberi de gratia fratris mei, quibus vti, habere, & expendere, ad votum liberè mihi liceat pro ſalute dilecti mei defuncti, & propria. Dum hæc venerabilis proferret fœmina, quæ ſurſum ſunt, quærebat, non quæ ſunt ſuper terram. Ferebatur mentis eius intentio ad deſpectum caducorum, ad appetitum æternorum, ad eleemoſynas pauperum, ad miſerationem egenorum. Cumque hæc pertractata fuiſſent, effectu mancipanda, vale facto cunctis, cum gratia & lachrymis, commiſſique Dei gratiæ, ad ſedes proprias ſunt reuerſi. At venerabilis Elizabeth, quamdiu cum ſororio dignata eſt commorari, reuerenter eam habuit: faciens eam benignè & honorifice pertractari. Ipſa autẽ Deo plena cognoſcens huiuſmodi commoditates & faſtus Principum ac diuitum, de incõmodis & oppreſſionibus pauperum plerumq; prouenire, ſubduxit ſe: eligens magis affligi cum populo Dei, & inter populares computari, quam regalibus deliciis intereſſe. Accidit ergò vt in paupertate, ſicut prius degeret, & inopia premeretur.

Iac Mont. cap 19.
S. Elizabeth reuertitur ad voluntariam paupertatem.

IX. Videntes autem nobiles & magnates, quod mundũ & mundi gloriam ſperneret, & nollet: deſpexerunt eam: adeò, vt nec videre eam, nec alloqui dignarentur. Inſultabant aũt, & infamabant eam multipliciter: inſanã, & fatuam dicentes: eo quod ſeculi diuitias abiiceret. Quorum blaſphemias contumeliaſq; tã læto animo, & vultu hilari ſuſferebat in Domino: ita vt improperarent ei, quod oblita mortis mariti gauderet, cum lugendũ magis ei foret, ignorantes

Iac Mont. cap. 19.
Nobiles ei inſultant

miſeri, eam habere gaudium, quod non datur impiis. Gaudebat planè mortis non oblita tẽporalis mariti: ſed memor ſponſi vitæ æternæ Chriſti. Gaudebat in tribulationibus ſciens, quod infliguntur diligentibus. Gaudebat, & gratias agebat, quia propter votum caſtitatis digna habita eſt, contumeliam pati ab amatoribus teterrimæ voluptatis. Nam ſi nubere voluiſſet, optima quæq; huius ſeculi, & potiores præſẽtis vitæ dignitates, diuitias, & delicias inueniſſet. At ipſa diuitiis Ægyptiorum præferens improperium Chriſti, & propoſito ſibi gaudio, prælegit Crucem, confuſione contẽpta. Venerabantur tamen ipſam omnes pietatis cultores, tecta ſapientes, in quorum erat oculis. Nã & dominus Papa Gregorius nonus Apoſtolicis eã ſcriptis conſolans, ſanctorũ quoq; exempla ei proponens, & vitam æternã pollicens, ipſam ad caſtitatis perſeuerantiã, & patientiæ conſtantiã benignè ac paternè hortabatur, perſonam ipſius & bona ſub protectione recipiens Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Qui etiã Magiſtro Conrado, ſacerdoti deuoto, & viro corã Deo & hominibus comprobato, eam ſuis literis diligentius recommendans, eundem ſibi inſtituit defenſorem.

Gregor. 9. Papa eam cõſolatur.

Iac. Mont. cap. 10.

Lib. V. I. Dei autẽ famula ab omnibus ſe præſentibus & terrenis auertens, & ſoli Deo placere, & adhærere cupiens, præfatũ virum, qui auctoritatẽ ſuper eam Apoſtolicã acceperat, de ſui ſtatus ordinatione prudenter cõſultauit. Trutinans autẽ in animo monaſticã perfectionẽ, ſolitariamq; reclusionẽ, necnon & aliorũ ſtatuũ meritũ & remunerationẽ, prælegit omnibus in corde ſuo omnimodã paupertatẽ, & publicã mẽdicitatẽ, qua victui neceſſaria pro nomine Dñi peteret oſtiatim. Quod aggrediendũ, dum à Magiſtro Cõrado conſenſum cũ lachrymis, & multa humilitate peteret, indignãter & cũ ſeueritate vir prudens eã repulit: humilitati & imbecillitati prouidẽs muliebri. Videns quod ſacerdos ſuæ petitionis intẽtioni non cõcederet, in feruore Euãgelicis obtẽperandi cõſiliis, dixit ad eũ: Hoc aggrediar: in quo mihi cõtradicere, & à quo me retrahere nõ poteris pater: ſciens, quod non monitis dominicis * cõtraire debeã. Cũ igitur dies Paſſionis * ageiẽtur Dominicæ ante Paſcha, erat Chriſti diſcipula in quodã ſuo oppido, in quo viri religioſi Fratres Minores, quos etiam ibid. ocauerat, habitabãt. Die autẽ Paraſceue dũ pro Myſterio & memoria Saluatoris pro nobis nudi nuda Cruce pendẽtis altaria nuda apparerent: Magiſtro Conrado, & quibuſdã de prædictis fratribus præſentibus, in quadã Capella ponens ſuper nudũ altare manus ſacras, voluntati propriæ, parentibus, liberis, & cognatis, omnibuſq́; huiuſmodi põpis renunciauit, imitatrix Chriſti: & omnino ſe exuit & nudauit, vt & nuda & nudũ paupertatis & charitatis greſſibus ſequeretur. Et cũ poſſeſſionibus etiam renunciare vellet, retraxit eam pius & prudens Magiſter Conradus: volens vt de his, quæ ratione dotis habere poterat, & mariti ſoluerentur debita, & egenis eleemoſyna largiretur.

Vult oſtiatim mendicare victum ſed à M. Cõrado prohibetur.

* contrairet M.

* ageretur. M.

Seculo renunciat.

Iac. Mont. ibid.

II. His itaq; geſtis, timens tumultũ ſeculi, & fallaciã: non multo poſt tẽpore Thuringiã, in qua glorioſe cũ viro vixerat, declinans, in Marburg Magiſtrũ ſecuta eſt. Quo cũ perueniſſet, nec ibi propter quorundã æmulorũ ſuorum perſecutionẽ, conuenienter manere poſſet, ad quandã rurenſem villã ſe cõtulit. Et ne cuiquã eſſet oneri, quandã deſolatã curiã ingreſſa, dũ cõmodiorẽ ibi non inueniret locũ: ſub gradu cuiuſdã caminatæ ſe recepit, frondibus ſe protegẽs & obũbrans. Cibos ibi, prout habere poterat, præparauit, gratias agens Deo: ſolis ardorẽ, ventorũ turbinoſũ inſultũ, fumiq; moleſtiã, eius oculis grauiſſimã, cũ gaudio ſuſtinebat. Interim in oppido Marburg conſtructa fuit ei de materia luti & lignorum domũcula, & habitatio humilis: quã ingrediens ibidẽ cum ſuis in omni humilitate & patientia morabatur.

Nota paupertatem eius & patiẽtiam.

III. Magister v. Conradus, qui eam cõmiſſione Apoſtolica erudiendã ſuſceperat, & regendã: de profectu ſalutis, & ſanctitatis eius ſolicitus: contemptũ ei temporaliũ perſuaſit, & deſpectũ omniũ terrenorũ. Quod Dei famula conſiderans ſe ſuis viribus non poſſe perficere, cõuerſa ad Dominũ, quod cõcupiuit, precibus impetrauit. Nam cũ orationem deuotã fudiſſet ad Dominũ, familiariter dilectis ſibi pediſſequis dixit: Dominus audiuit orationẽ meam. Et ecce omnes mundanæ poſſeſſiones & diuitiæ, quas olim dilexi, ſunt à me tanquã ſtercora reputata. Ipſos etiam vteri mei dilectiſſimos paruulos, quos tenerrimo amplexu affectabã, iã velut alienos intueor, Deo teſte. Ipſi eos obtuli, & cõmiſi, ipſe de eis ordinet, & impleat ſuæ beneplacitũ voluntatis. In calumniis quoq; hominũ, & detractionibus malignorũ, meiq; contẽptu gratulor & delector. Nullã creaturã, ſed ſolũ omniũ diligo creatorẽ. O ſublimẽ animã quæ nec terrũ cupidine, nec prolis dulcedine, nec contumeliarũ amaritudine potuit incuruari. O quàm pura oratio, & quàm ſincera deuotio, quæ tantã gratiæ copiã meruit obtinere. O ſingularis charitas, quæ rãræ virtutis magnitudinẽ opere præualuit exercere.

Quomodo contemptũ mundi à Domino impetrauerit.

Xenodochium inſtaurat.

Iac. Mont. cap. 11.

IV. Et quia charitas, vbicunq; mentẽ impleuerit, operari magna conſueuit, Xenodochiũ inſtaurare cœpit, vbi infirma Chriſti mẽbra colligeret, in quibus ipſi Chriſto Domino ſubſeruiret. Et vt ad ſeruiendũ expeditã ſe & habilẽ redderet, ſecularium indumentorum pondus & faſtũ abijciens, humiliauit Regis filia corpus ſuum, vtpote ancilla Chriſti ſeruilem ſe oſtendens perſonã. Suſcepit itaq; de manu Magiſtri Conradi habitũ humilem & abiectũ, cui obſcuritas in colore & vtilitas inerat in valore. Induta eſt veſtitu conſimili cũ ea armigera eius Guta chariſſima, puella deuotiſſima, & pediſſequa fideliſſima. Incũbebat Dei famula Elizabeth orationi aſſidue: exercebat opera charitatis & miſericordię. Et quos paupertas, debilitas, vel infirmitas plus aliis oppreſſerat, quoſq; deuotio plus commendabat: in ſuo hoſpitio colligẽs, ipſis in perſona propria humillime miniſtrabat. Cernens autẽ Magiſter Conradus, quod huiuſmodi miſerabiles & deſpectas perſonas menſæ ſuæ apponeret, reprehendit. Cui illa anteactam vitam recolligens, dixit: Neceſſario ſe contraria contrariis ſic curare, aſſerens & à talibus ſe gratiam accipere ſingularem. Intelligens igitur vir prudens diſcipulam Chriſti ad ſummæ perfectionis culmen velle conſcendere: omne quod ab hoc propoſito retardare eam putauit, amouere: & quod promouere credidit, ſtuduit adhibere. Ideoq; omnem familiam priſtinã in qua delectari vel ſolatiari conſueuerat, paulatim, ac ſigillatim ab ipſa repulit: quos ſingulos cum dolore gemituq; dimiſit. Tandem venerabilem dominam * Hyſentrudim ei prædilectam ab ea expulit: à qua ſe cum multo cordis grauamine & infinitis lachrymis ſeparauit. Poſtremò Gutam, quæ cum ea ab infantia fuerat, quam ſpecialiſſimè dilexit, ab ea expulit: quam cũ multis fletibus ac ſuſpiriis dereliquit. Proinde autem ſacerdos S. Dei famulam omni humanæ ſocietatis ſolatio deſtituit, vt & obedientiæ eius innoteſceret conſtantia, & adhærendi Deo ſoli præberetur copia.

Quos menſæ conuiuas adhibuerit.

A M. Cõrado egregiè exercetur.

* Yſentradim.

Iac. Mont. ibid.

De victu eius.

V. Remansit autẽ paupercula Elizabeth ſola Deo ſoli derelicta, in humilitate & paupertate multa degens: alimẽto & tegumento viliſſimo ſuſtẽtata. Nam cibos cum ancillis præparabat inſipidos & inſulſos: vtpote cui ad præparationem nec ars nec materia ſuppetebat. Leguminibus, vel cõmunibus oleribus ſæpè in ſimplici aqua de coctis contenta erat, propter nimiam egeſtatem. Et cũ idem miſerabilis cibus eius neglectu aduſtionem ſaperet: pro hoc ancillarũ correptionem cũ gaudio ſuffrebat. Si quid verò quandoq; delectabile habere poterat: hoc ori ſuo ſubtrahens: pauperibus in eius hoſpitio manentibus miniſtrabat. Victum etiam manuũ opere velut quæſtuaria quærere cõſueuit. Linũ quidẽ fuſare neſciebat. Lanã verò de Aldenburg cœnobio Sanctimonialiũ ſibi tranſmiſſam fuſabat: Accipienſq; munus, quam debuit, inde ſe, vt poterat, ſuſtentauit. Hæc de victu dicta ſunt. De veſtimento quid dicemus? veſtis eius vilis & aſpera fuit: pallium eius coloris griſei, quod breue fuit: alterius coloris panno prolongatum fuit. Manicas & tunicæ rupturas alterius coloris panno habuit emẽdatas. Panniculos quoq; viles & abiectos cuiuſq; coloris & vndecũq; collectos aſſumens, propriis manibus, vt poterat, iacturam incendij laris coquinæ reſtaurabat: vetereſq; ſciſſuras atrii amictus ſui reficiens, acu imperita, pannis vilibus obſtruebat.

De veſtimentis.

Iac. Mont. cap. 12.

VI. Accidit eo tẽpore, vt Rex potens Vngariæ, pater huius pauperculæ Elizabeth, ſolennem mitteret nuncium Comitẽ videlicet * Pamã nomine, cũ multo comitatu, vt reuocaret ad terram ſuã Elizabeth filiã ipſius. Audierat Rex glorioſus & diues, quod filia ſua quaſi mendica viuens, omni ſolatio eſſet deſtituta. At præfatus Comes in Marburg oppidũ cũ ſuis veniens: inuenit domini ſui Regis filiam ſedentem ad colũ, & lanam nere. Et præ admiratione Signo ſe Cru-

* Paniam. M. al. Panſam.

ſe Crucis conſignans, exclamauit, dicens: Nunquid hactenus viſum eſt, filiam Regis lanam fuſare? Attentauit autem ille nobilis animum eius flectere, vt ad patrem, & ad regnum, vnde habebat originem, remearet. Verùm illa paupertatem Chriſti regalibus patris diuitiis & theſauris, exiliumq; pro Domino natali præferens ſolo: induci non potuit, vt cũ nunciis patris ad terram natiuitatis rediret. Tunc illi ad regionem ſuam reuerſi ſunt, noſtra verò quæſtuaria ad colum ſuum reſidens apprehendit fuſum: victum ſibi manibus quæritando. Tantoq; ſtudio huic inſtabat operi, quod ſæpius & debilis, & infirma, lectoq; iacẽs lanã fuſabat. Cumq; ancilla colũ de manib⁹ eius, vt ſibi parceret, rapiebat: ne omninò eſſet otioſa ad futurã filationem, lanã trahendo & diſſipando manibus eius præparabat. Sicq; cũ his, quibus fuſabat, egit fideliter, vt aliquando à Magiſtro Conrado, vt veniret *Hyſenach, à Marburg vocata, Sanctimonialibus de Aldenburg cũ aliquanta lana pretium, quod acceptum ab eis nõdum meruerat, remitteret, ne quid vltra debitum retineret.

Reuocata ad patriam, reuerti recuſat.

* Iſenach.

VII. Porrò quam dulciter & humiliter cum domeſticis ſuis ancillis & familia conuerſata ſit, quis enarrabit? à pueritia enim vſq; ad finem vitæ ſuæ cum ſimplicibus, & humilibus, & cum pauperibus conuerſatio & confabulatio eius fuit. Tandemq; poſt mutatum habitum, ab ancillis ſuis, quæ etiam omninò pauperes & degeneres, dominam ſe noluit appellari: ſed ſimplici ſuo nomine tantum, ſicut coæquales vel inferiores conſueuerant vocitari. Cum quibus & cibos coquere ſolebat, ſimulq; ſumere: faciens eas in menſa ad latus ſuum ſedere, & de ſua ſcutella pariter manducare, quarum vna *Hyrinegardis nomine, tantam humilitatis exhibitionem ſtupens, die quadam dixit ei; Tu domina in nobis tuum meritum cumulas, noſtrumq; periculũ perpendere diſſimulas: quæ in tume ſcere poſſumus, quod vna tecum comedimus, & in tuo latere reſidemus. Adhæc ancilla ancillarum Chriſti Ecce, inquit, oportet te in ſinu meo ſedere, & fecit ipſam Hyrinegardim in ſuo gremio reſidere, ſicq; cum eis affabilis, & benigna victitabat tractabilis & manſueta: ſermonibus affluens dulcibus & iocundis, & nihilominus vtilitate fœcundis. Nequaquam enim ſuſtinere poterat, quod quiſquam, ea præſente, verba vanitatis, vel indignationis, & iræ proferret. Verum ſi quando coram ipſa huiuſmodi verbum inſonuit, mox illud gratioſa auctoritate caſtigauit, dicens: Vbi nunc Dominus? de ſe etenim loquentibus conſueuit Dominus ſuam præſentiam exhibere.

De affabilitate eius conuictu.

* Trmingardis. M.

Matth. 18.

VIII. Ibat quoq; cum ancillis ad domus pauperũ, faciens ſecũ deferri panes, carnes, farinam, aliaq; victui neceſſaria: quæ manu propria pauperibus largiens, diligẽter lectos, & veſtes eorum reſpiciens viſitabat: occulte annulos aureos, & pepla ſerica, aliaq; xenia ſecularia vendendo diſtrahens, egenis ibus miniſtrabat. Et quid pauperes deſiderabãt, hæc illis ſtudioſiſſimè prouidebat. Nẽpè ægro deſideranti piſces, cupiens ſatisfacere, procuratorem ſuum inuocans Dominum Ieſum Chriſtum, ad fontem pro. ſus ſterilem, vt aquam hauriret, feſtinauit. Moxq; ad hoſpitium reuerſa piſcem ſufficientem in vaſe reperit, & infirmum refecit. Multa etiam miracula in vita ſua per eam dignatus eſt omnipotens oſtendere: quæ ipſa humilitatis cultrix ſtuduit occultare. Mater quoq; eius iam dudum miſerabiliter ab Vngaris interempta, in ſomnis ei apparens flexis genibus, dixit: Mi dilecta filia ora pro doloribus meis, quos adhuc patior: quia negligenter vixi: potes enim. Euigilans Elizabeth, ſurgit cum fletu: orauit deuotè: & iterum obdormiuit. Adeſt mater denuò & gratias agens ſe aſſeruit liberatam, dicens orationem eius cunctis eam inuocãtibus profuturam. Inter *cætera pietatis opera miniſtra Chriſti Elizabeth, puerum paralyticum, vtroq; parente orbatũ, continuoq; fluxu ſanguinis laborantẽ, quandoq; ſex vicibus, vel pluries ad huius ægritudinis requiſita, brachiis ſanctis noctibus deferẽs, ſuis manibus ſordes abluebat. Quo mortuo, virginẽ leproſam aſſumpſit. Cui in domo ſua abſconditæ omne charitatis impendit officiũ: vt non ſolũ ad cibandum, eiq; ſternendũ, & lauandum, verum etiã ad diſcalceandum eam ſe mulier ſancta Regis filia humiliter exhiberet. Qua per Magiſtrũ amota, puerum pauperculum ſcabioſum, nec pilos in capite habẽtem, curandũ aſſumens: eius in lauando, & medicando, neſcio à quo didicerit curã geſſit. Præterea Elizabeth ancillarũ Chriſti humillima ſuis ſubſeruiens, ollas, ſcutellas lauabat: patellas, cæteraq; vaſa coquinaria mũdabat ſuis manibus & tractabat. Et vt hoc abiectum & ſeruile opus liberius exercere potuiſſet, ancillulas eo tempore de domo emittebat. Quæ regreſſæ, ipſam id agere, vel egiſſe ſæpius inuenerunt. Loquar nunc ad te confidenter, ô nobilis & ſancta fœmina, Quid eſt Elizabeth? quid operaris regis filia? cur inquinaris per hæc vilia? quæ nutriebaris in croceis, cur amplexaris ſtercora? quare ſpernis palatia, & amas tuguria? reſpõde obſecro mihi. Noli mirari quæ facio opera: nõ ego operor illa, ſed in me manens Dei gratia, quæ ego ago, non vilia, ſed Dei mirabilia: nec ſunt inquinamenta, ſed morum medicamenta. Caue ne dicas ſtercora: quibus ſanctificantur pectora. Contempſi mundi palacia: quæſiui enim regna cœleſtia. Elegi vitam quam reputaui deſpectiſſimam: & ſi foret deſpectior, hanc præeligerem vt chariſſimam. Nam per viam arctiſſimam itur ad gloriam ampliſſimam.

Benignitas in pauperes Iac. Mont. cap 23.

Miraculum

Celat miracula ſua.

Animã matris precib⁹ è purgatorio liberat.

*Officia ſingularis humilitatis & charitatis.

LVIII. Post mortem *illuſtriſſimi Principis felicis recordationis Ludeuici Thuringiæ Lantgrauij, relicta ipſius venerabilis Elizabeth, aliquandiu, vt prædictũ eſt, pauperem geſſit vitam, & grauem cum hilaritate multa & patientia pertulit egeſtatem. Tandem Magiſtro Conrado mediante, quem dominus Papa Gregorius nonus eidem dederat defenſorem, à domino Heinrico fratre mariti ſui quandam accepit Dei famula penſionem. Erat quippe idem Heinricus vir benignus, & Magiſtro Conrado ſatis ſubditus, & deuotus. Acceptam verò fidelis diſpenſatrix, & prudens non fodit in terrã, nec in ſudario abſcondit pecuniam Domini ſui: ſed ad menſam dedit eam, & tradidit ad vſuram. Nempè hæc veriſſima Chriſti diſcipula Euangelicis edocta conſiliis obediuit, & omnia quæ habuit, vendidit, pro rebus ſuæ dotis immobilibus res petens, & acceptans mobiles: mobilem per mortem ſe cognoſcens: de mobilibus ſibi ſatagens æterna & immobilia promouere. Iuxta euangelicum verò dictum datura pauperibus iuſſit edicto de circumferentia oppidi Marburg ad duodecim miliaria multitudinem pauperum conuocari. Et vt indifferens ſit, nulliq; præcludatur hæc largitatis gratia, certus locus, & dies cunctis venire volentibus deſignatur.

* m. ſ. Codex Rebdorf. ſereniſſimi & ill.

II. Convenit igitur loco & die præfixo pauperum, debilium, cæcorum, & aliorum egentiũ infinita vtriuſq; ſexus vndiq; multitudo. Aderant viri & famuli robuſti, qui tumultũ compeſcerent, & turbam per loca diſponerent ordinatè. Et vt vulgi ignobilis audacia, & indigentium comprimeretur auiditas ſtolida: lex ſtatuta eſt, poſitaq; pœna, quod ſi quis de loco ſurgeret, vel aliis præiudicium faciens eleemoſynam iteratò accipere præſumeret, capillorum detruncationem confuſibiliter ſuſtineret. Erant inſuper perſonæ fideles, & idoneæ in diſpenſatione huius miniſterij conſtitutæ. Præterea aderat multitudo non minima, quæ videre venerat, quod fiebat. Horum omnium ſtabat medio Regina glorioſa & inclyta, vultu placido, corde iocundo: miſerans in hilaritate, tribuens in ſimplicitate. Ibat ſuccincta inter miſeros conſolatrix miſerorum. Gaudebat in exercitu pauperũ filia Principis. Gratulabatur in aduenis & pupillis hoſpita liberalis: tribuens & diſtribuens, pro vt deſtinauit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: ſciens quod hilarem datorem diligit Deus. Diſtributis itaq; inter tot millia pauperum tot theſauris, marcis videlicet quingentis vna die: redierunt ad loca ſua, Dominũ in famula ſua Elizabeth collaudantes. Remanſerunt autem nocte illa infirmiores & debiliores quiq; in angulis, & in ſepibus hoſpitalis. Quos videns pauperũ miſeratrix collegit: præcipiens ignẽ in longum parari corã eis, paneſq; diſtribui, quorundam pedes lauari, & vngi, ſinguliſq; ſex Colonienſes nummos dari, maioribus, & puſillis. Tunc replerũ eſt gaudio cor eorum, & lingua exultatione: cœperuntq; cantare. Quod audiens huius auctrix lætitiæ, gaudebat cum gaudentibus. Dic obſecro, quis vnquam Imperatorũ, Regum vel Principum, aut etiã ſanctorum, tam copioſam vno die locoq; in tot millia pauperum effudit eleemoſynam? Verè nõ eſt in hac prærogatiua gratiæ inuentus illi ſimilis, ideoq; non immeritò eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.

Magnam pecuniæ vim pauperibus erogat. Iac Mont. cap. 25.

III. Illo quoq; die quo tam larga quingentarũ marcarum fuit eleemoſyna diſtributa, contigit vt puella quædã capillis

Iaco Mont. cap. 25

pillis ornatiſſima, tanquam ſtatutæ legis præuaricatrix dominæ Elizabeth iudicio offertetur. Quæ viſa capillorũ eius pulchritudine, iuſſit eos continuò circumcidi. Quo facto cœpit adoleſcentula alta voce eiulare. Aderant quidam dicentes, eam innocenter punitam. Venerat non eleemoſynam acceptura: ſed ſororẽ ſuam infirmã viſitatura. Quibus domina Elizabeth. Bene, inquit, pro ea factũ eſt: his capillis choreas, de cætero non frequentabit. Quæ cũ vocata fuiſſet, & ad eius veniſſet præſentiam: quæſiuit, ſi quando melioris vitæ propoſitum habuiſſet. Puella reſpondit: Dudũ, inquit, Domino in habitu religionis famulatum exhibuiſſem, ſi non me tantum cæſariei meæ claritas pulcherrima delectaſſet. Ecce quomodo granabat eam cæſaries! Verè cum Abſolone pulcherimorum capillorũ ſuſpendio interiſſet: niſi eam Dominus per famulam ſuam Elizabeth totondiſſet. Quo audito, dixit Elizabeth caſtitatis amatrix. Plus igitur gaudeo de tuorum præciſione capillorum quam de filij mei gauiſura forem in Romanum imperium promotione. O verbum gratiæ, ſermo regalis, de fonte prodiens ſinceriſſimæ charitatis. Aſſumpſit ergo eam piiſſima domina mutato ſeculari habitu in Hoſpitali perpetuò ſeruituram.

Detonſione comæ puellam conuertit.

His ita geſtis: reſiduũ pecuniæ, quam pro dote ſua, Dei famula acceptauerat, in vſus conſimiles charitatis & miſericordiæ ſtuduit erogare. Dilatatum erat cor eius, & manus aperta inopi, & palmæ extentæ ad pauperes. Vnde conſueuit non parcere & pauca, ſed liberaliter & multa miſeris & egentibus elargiri. Quod Magiſter Conradus comperiens, ipſam non ſufficere formidans, nimiam ei effuſionem & prodigiam interdixit: eo quod nihil prorſus retineret, quin pauperibus largiſſimè erogaret. Adiunxerat autem ei quaſdam fœminas auſteras, per quas multas oppreſſiones, & coërciones ſuſtinuit in patientia propter Chriſtũ. Quæ etiam rigidè ſe habentes ad ipſam, & obſeruantes facta eius ad Magiſtrum ea frequentius detulerunt, de obedientia nõ ſeruata, eo quod egenis aliquid daret, vel dari ab alijs flagitaret. Accuſata verò ſic ab illis multa ſæpius verbera à Magiſtro pertulit, ita vt alapas in faciem ei daret: quas tamẽ ex deſiderio optauerat in memoriã alaparũ Domini ſuſtinere. In rebus arduis & difficilibus obedientiã voluntariam & promptiſſimã cuſtodiuit. Nã ad loca quantũcunq; diſtantia à Magiſtro vocata, ſine mora citius veniebat. Amantiſſimis ſuis, & intimis dominæ Yſentrudi & ſorori Gutæ, ad eã quandoq; venientibus: nec pro victu ſaltem quidquã dare: nec audebat ſine licentia ſalutare. In miſericordiis a. pauperum obedientiam parati ſſimã exhibebat. Prohibita namq; ne plus, quam vnum nummum vni daret pauperi, ſigillatim tribuit, quod ſimul largiri non licuit. Nummorũ igitur largitio interdicitur, panis verò conceditur. Verum ſicut in nummis, ſic obediuit in panibus erogandis. Iubetur tandem ne panes integros tribuat, ſed panis particulas tantum tradat. In omnibus his exercebatur obedientia, & prouocabatur miſericordia. Quando prohibebatur eleemoſynas dare, leproſos & alios infirmos ſordidos balneis lauabat. Ipſa languens erat miſerationis affectu in dolore compaſſionis intrinſecus cruciata. IV.

Iac Mont. cap 19. Dum reliquum ſubſtantiæ in pauperes profundere molitur à M Conrado vetatur.

At vir iuſtus videns, quod feruore Sp ſemetipſam non curaret, cunctaq; terrena tanquã ſtercora reputaret: timens teneritudinem nobilitatis eius poſſe morborum contagio infici, vel corrumpi, à talium eam familiaritate arcebat, à tactu etiã & deoſculatione vlcerũ prohibebat. Nempe circa horridos, & fœtidos, & omnibus abominatos miſeros inaudita a ſeculis, & ſtupenda ferebatur ſancti Spiritus vehementia, & incredibili & miranda, cõmanendi, contrectandi, procurandiq; ſtudioſiſſima diligẽtia. Prodigalitatem ei etiam & immoderatam eleemoſynarũ largitatem, quæ neceſſitatibus nil retinere curauit, prohibuit ſeruus Dei. Nec pati ſe dignũ iudicauit, quòd talis perſona ori proprio detrahens, deficeret aliis largiendo. Actũ hunc inſpiratio diuina mentem eius docuerat: quem ſic per ſeruum ſuũ temperandũ decreuerat. Inſtabat tamẽ miniſtrans in hoſpitali & cooperans. Balneatis ſternebat, in lectos deponebat & tegebat: dicẽs ad ancillas: Quam benè nobis eſt, quod dominum noſtrum ſic balneis lauamus & tegimus! Cui vna ex eis, Tibi, inquit, domina benè eſt cum iſtis, neſcio ſi aliis ita benè eſt. O res miranda & digna memoriæ cõmendanda! Nulla ſcriptura loquitur ſanctorum quenquam tanta ſedulitate, tantaq; familiaritate ſordidiſſimorum infirmorum immunditias obſequioſis manibus contractaſſe, tamq; indefeſſo corde omnibus miſericordiæ operibus vſq; ad mortem inſudaſſe. Meritò proindè apud miſericordiarum patrem ſpecialis gloriæ prærogatiua prælucet, cuius miſerationes ſuper omnia opera eius. Quia non ſolum corporalibus commodis, ſed in ſpiritualibus exhortationibus ſtudioſè curauit cũctis prodeſſe fidelibus. Admonebat piè homines ne paruulos negligerent baptizare. Infirmos, vt Sacramẽta Eccleſiæ requirerẽt, & perciperent, verbis & factis efficaciſſimè inducebat. Nã quandam paupercuiã, vt cõfiteretur admonens, non profecit. Iacebat enim miſera illa ſomnolenta & pigra. Quam benigna animarum zelatrix virgis verberauit, & à ſomno negligentiæ verberibus excitatam ad Confeſſionem induxit. His & aliis pietatis exercitiis iugiter intenta maieſtati diuinæ grata extitit & placuit, mundi amatoribus diſplicuit, apud quoſdam etiam pios reprehenſibilis apparuit, nunc autem inter ſanctos tanquam ſol reſplendet. V.

À Magiſtro Conrado prohibetur contagioſos & fœtidos contrectare infirmos.

S Elizabeth adhortationes.

Cvidam pauperculæ vicinæ partui nutrix pauperũ Elizabeth, hoſpitium & in eo iuſſit omne commodũ prouideri. Infanti cum baptizaretur nomen ſuũ Elizabeth imponi voluit. Qualibet die matrem viſitans, benedicebat, paſcens eam piè & dulciter integro ferè menſe. Tandem cum à benefactrice ſua accepiſſet pallium & calceos, quos de ſanctis pedibus exuit, & pepla, lardum, & farinam, & duodecim nummos Colonienſium, & puerum manicis, quas de pellicio famulæ ſuæ tolli iuſſerat inuolutum ſero valefaciens dominæ beneficè receſſit manè cum marito, puero derelicto. Ante matutinas verò dixit miſeratrix Elizabeth ancillæ ſuæ, Defer quas habeo ſpecies pauperculæ illi, quibus vtens confortetur. Quæ veniens inuenit puerum ſine matre. Quod audiens piiſſima. pergens, inquit, cito affer puerum, ne negligatur. Quem allatum cõmiſit vxori cuiuſdam militis procurandũ, accerſitoq; iudice ciuitatis, præcepit, vt per diuerſas vias mater pueri quæreretur. Qua nõ inuẽta dixit ad dominã Elizabeth ancilla. Ora ad Deũ, vt oſtẽdat matrẽ pueri, timebat Magiſtri Conradi iracundiã vehemẽter. Et dixit domina. Non ſcio petere, niſi quod volũtas Domini fiat. Et ecce poſt modicum vir regreſſus proſtratus veniam petiuit. Mulierq; adducta de ingratitudine & offenſa gratiam implorauit. Vterq; verò manifeſte profeſſi ſunt, quod progredi non valentes, tanquã coacti redierunt. Ablatũ autem eſt à muliere ingrata, quod datũ ei fuerat. Sanè pallium collatũ eſt deuotæ virgini, quæ mox in caſtitate ſe vouit Domino ſeruituram. Calcei verò dati ſunt cuidam viduæ, cõpaſſa tamen miſericors Elizabeth, mulieri calceos alios dari iuſſit. Quæ recepto puero diſceſſit. Vide nunc euidenter, quõ triumphat gratia de natura, & ſuper eam præualet excellenter. Nonne conſideras, quod hæc repleta gratia alienos paruulos in Deo cõplectitur, & ſuorũ natos viſcerum à abdicans obliuiſcitur? Nempe paruulum vteri ſui infantulum annum & ſex menſes habentem, ne nimio eum amplecteretur affectu, à ſe omnino elongari fecit, occaſione eius timens à ſpiritualium exercitio præpediri. VI.

Ingrati S Elizabeth progredi non valuerunt.

Postqvam de his, quæ in proximorum & miſerorum neceſſitatibus ſubleuandis, tanquam ſollicita & laborioſa Martha miſericors & benigna perfecit Elizabeth, nunc ad conſiderationem ſpiritualium gratiarum, & diuinorum chariſmatum, quibus eam Deus decorauit, animum & ſtylum pariter conuertamus, quid eius meritis pręſtet Spiritus Sanctus. Quia otium pacatæ contemplationis præcedit laborem iuſtæ actionis. Noſtra de qua loqui intendimus, ſpeculatrix, humillimis ſtudebat operibus, & puſſimus inſudabat laboribus, à quibus dũ vacabat frequentiſſimis & puriſſimis orationibus intendebat. Tanta vero orationum eius virtus, vt non ſolum ſpiritualiter, verum etiam corporaliter ſentiretur. Venit ad eam aliquando matrona nobilis * Gertrudis de Leinbach, viſitandi gratia, & cum ea adoleſcens quidam Bertholdus nomine ſeculariter indutus. Quem ſeculi cõtemplatrix Elizabeth ad ſe vocans, dixit illi: Videris nimis indiſcrete te habere: & quare non ſeruis Creatori tuo? Reſpondit iuuenis: O domina mea ſupplico vobis, vt oretis pro me, vt Dominus det mihi gratiã ſuam ſeruiendi ei. At illa Vellesne, ait, quod ego orarem pro te? Et ille, Vellem VII.

Vis precum eius.

* Leymbach. M.

Exemplo comprobatur.

vt que.

vtiq;. Et ipſa inquit: Oportet vt te ad gratiam Dei habilites ſimiliter orando: & ego pro te libenter orabo. Moxq; prouolutis genibus in loco cōpetenti monaſterij in Vverde, vbi tunc erat, cœpit orare pro iuuene. Ipſeq; iuuenis à longè orationi inſtabat. Et cum vterq; aliquandiu oraſſent, cœpit iuuenis alta voce clamare dicens: O domina ceſſate ab oratione. At illa inſtabat feruentius. Poſtmodū iuuenis altius vociferari cœpit, dicens: O domina ceſſate ab oratione, quia iam deficio. Nimio namq; calore accenſus iuuenis ſudabat, & fumabat, & brachia, totumq; corpus huc & illuc tanquam demens iactabat. Tunc domina ipſius ſeruientis, & duæ B. Elizabeth ancillæ accurrentes, tenuerunt eum, & inuenerunt eum totū incaluiſſe, veſteſq; nimio ſudore madidas. Sæpius autem iterans clamorem, tandem dixit: In nomine Domini oro vt ceſſetis ab oratione, quia iam igne conſumor. Et quæ tenebant eum, vix calorem manibus poterant tolerare. Mox autem, vt ceſſauit oratio, refrigeratus eſt. Accidit itaq; hoc mirum anno ante mortē Dei famulæ: & iuuenis ad ordinem Fratrū Minorum ſe tranſtulit, ſic attractus. Contigit hoc frequentius & aliis, pro quibus ipſa Dominum exorabat. Diſcite, quo charitatis ardore feruebat, quæ calore ſuo fluxum ſecularis concupiſcentiæ ſiccat, & ad amorem æternitatis inflammat.

VIII. DIVINIS myſteriis & miniſteriis cum omni reuerentia aderat, intenta corpore & mente. Sanctorum quoq; geſta & feſta religioſa colens pietate reuerebatur, & ſacras eorū Reliquias condigno & dulci amplectens amore, conſueuit Chriſtiano more candelis ardentibus, & thure accenſo deuotè & venerabiliter honorare. Nummos, quos ad altare pro Dei & ſanctorum reuerentia more catholico deferebat, ſuarum labore manuū acquirebat. Deum mente gerens cum ad quoſdā religioſos paupertatem profeſſos veniſſet, videns in Eccleſia eorum ſculpturas ſumptuoſe deauratas, circiter viginti quatuor aſſiſtentibus ſibi dixit: Sumptus hos fructuoſius veſtro victui adhibuiſſetis & amictui: cum harum veritatem imaginum oporteret nos in corde ſcriptas potiſſimè retinere. Cum autem quidam coram ea de quadam pulchra imagine faceret mentionem, reſpondit, Ego iconam talem opus non habeo: veritatem enim eius in pectore meo porto.

Deuotiſſima erga res ſacras. Iac. Mont. cap. 27

Non diſplicēt ei ſacræ imagines; ſed ſumpt⁹ immoderati.

IX. FREQVENTER cum à pietatis opere vacabat orationi vel contēplationi potius Dei famula cum ſolitaria erat, oculis, manibus, cordeq; ad Deū ſuſpenſis deuotiſſime intendebat. Lachrymas fundens largiſſimè, nunquam tñ vt à flentibus aſſolet, faciem deformabat. Fluebant tanquā de fonte, vultu eius ſereniſſimo & iocūdiſſimo exiſtente. Erat namq; gaudens & iocundiſſima etiā in tribulatione: adeò quod nunquā viſa ſit moleſtiam pati: refulgebat in ea cōuerſatio amabilis, actio humilis, habitus contēptibilis, affectio ſancta, cogitatio ſincera, mundū cor, conſciētia bona, intellectus purus & ſimplex, fides non ficta, ſpes inuicta, charitas perfecta, vita immaculata, contēplatio continuata. Non diſcredas nec mireris in his, quæ audis: luce. n. clarius cuncta patent. Rapiebatur enim in exceſſum & extaſin mentis: ſed nō erat in eius raptu rara hora, & breuis mora, verū multa frequentia & perſiſtētia diuturna: ſiquidem per horas aliquot perdurauit. In illo itaq; diuino lumine conſolata & informata intellexit & didicit, vnde tāta perfectio emanauit. Inde non humanæ infirmitati influit, quo in hac mortali vita prudenter, fortiter, tēperanter, iuſteq; viuatur. Ibiq; angelicas viſitationes, viſiones, & allocutiones, multaſq; reuelationes tā diebus, quā noctibus habere meruit, quæ tñ omni ſtudio occultauit. Ipſum quoq; Dominum Ieſum facie ad faciē, multitudine ſanctorum comitatū vidit, ſe benigniſſimè alloquendo conſolantē, & apparendo confortantē. Quam ob rem cū à ſecreto contemplationis veniret, cernebatur facies eius ſplēdore mirabili refulgere, & quaſi ſolis radij ex eius oculis procedebant. Splēdida quippe fiebat facies eius, dū reſpiceret in eā Dominus. Videnteſq; qui digni erant, claritatē ipſius, mirabantur valde. Cumq; ſicut dictum eſt, per horas aliquot rapiebatur in ſpiritu, poſtmodū diutiſſimè permanſit, quod nullo cibo corporali, vel modiciſſimo paſcebatur. Reficiebatur namq; intus inuiſibili mētis cibo. Multa quidē & alia de hac fœmina dici poterāt, & debuerant: ſed in omnibus faſtidij maior prolixitas eſt cauenda. Nēpè natalium eius generoſitatem, conuerſationis humilitatem, vitæ ſanctitatem, mundi contemptū patientiam aduerſitatū, largitatem eleemoſynarum, mirabilium operum & virtutum effectum vix aliquis ſufficiet enarrare. Hæc autem breuiter paucis verbis perſtricta ſunt ad vtilitatē Eccleſiæ, vt laudetur in ea Ieſus Chriſtus ſponſus eius, qui eſt benedictus in ſecula.

Virtutes eius.

In extaſin frequenter & diu rapta fuit.

Splendore mirabili refulſit poſt contemplationem.

Lr. vii I. CVM B. Elizabeth de ærumnis & laboribus huius mundi ad æternitatis gloriā tranſitura eſſet, apparēs ei in viſu Dominus, vocauit eā, dulciter loquēs ei: Veni dilecta mea in præparata tibi tabernacula ab æterno. Iam v. tunc ægrotauit, vir Dei Magiſter Cōradus de oppido Marburg Sacerdos, & graui infirmitatis moleſtia torquebatur. Et introiuit ad eū viſitandum infirmorū conſolatrix Dei famula Elizabeth. Factum eſt a. dum fabularentur inuicē, interrogauit eā ſacerdos infirmus, dicens: Quō, mi domina & filia poſt mortē meam ſtatum tuū proponis ordinare? Tunc Dei famula de morte ſacerdotis, nil reſpōdens, ſuiipſius obitū eidem indubitanter prædixit, quē Spiritu ſancto præcognouerat reuelante. Et ecce die quarta poſt hæc verba ægritudinē Dei famula incidit, in qua ex hac luce ſubtracta mortē perdidit, & vitā æternā adiit.

Chriſtus ei apparet.

Mortem ſuam M. Conrado prædicit.

II. CVMQ; per dies duodecim, & amplius in ægritudine Dei famula laboraret, aſſidens eius lecto decūbentis die quadam vna ex ancillis eius æquiuoca, audiuit quaſi intra guttur eius vocē dulciſſimam. Poſt puſillum cōuertens ſe ad ancillam (iacuerat. n. ad parietem verſus) dixit. Vbi es dilecta mea? reſpondit ancilla: Adſum, & adiecit, O domina, quam dulciter cantaſti! Quæſiuit ergò ab ancilla, ſi quid audiſſet. Et dixit, etiam. At illa. Dico tibi, quod inter me & parietem auicula quædā mihi iocundiſſimè cantauit. Cuius dulcedine excitata, oportebat & me cantare. Tertia v. die eius obitum præcedente iuſſit à ſe omnes ſeculares excludi perſonas, nec etiā nobiles, qui ad eā frequenter viſitandi gratia venerant, ad ſe voluit intromitti. Requiſita verò, cur aduenientes excluderet; circūſedentibus ſuum ſtratū dixit: Volo de extremo diſtricti iudicij examine, & de meo omnipotēte iudice meditari. Poſthæc dominica ante Octauā Martini proxima poſt cantatas matutinas confeſſionē eius præfatus audiuit ſacerdos: Verū mundū cor, & pura conſciētia nil recoluit, quod nō per verā compunctionē ſæpius fuerit expurgatū. O felic[illegible] conſcientiam, quę non ad extremā vitæ horā ſuam differre voluit pœnitentiā.

De ægritudine eius.

Exomologeſim facit.

III. COMPLETA confeſſione, quæſiuit ſ[illegible]rdos, quid de ſua ſubſtantia & ſupellectili decreuiſſet faciendū. Reſpondit? Omnia quæ iam dudū videbar poſſider[illegible]ant pauperū. Rogauitq; ipſum magiſtrū, vt omnia illis diſtribueret: præter vilē tunicā, in qua voluit ſepeliri. Teſtamen[illegible] non ſtatuit: hæredem propter Chriſtū habere noluit. Sed nec de pompa funeris, & exequiarū ſolenniis cogitauit, te[illegible]entum pacis, hæreditatē immarceſſibilem, immortalitatis ſtolam, ſocietatem angelicam, & cœleſtem quærens habitationē. His & ſimilibus cū magiſtro pertractatis, circa horam primam allata ſunt ei veneranda corporis & ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti ſacramenta, quæ plena fide & deuotione tota deſiderauerat. Qua ſinceritatis affectione, qua mentis puritate, quanto cordis deſiderio, & ſpirituali gaudio hoc ſuaue & internum acceperit epulum, nullū æſtimare poſſe arbitror, præter ipſum, quē in hoc ipſo conuiuatorē, & viaticum, ducemq;, quo pergebat itineris aſſumere digna fuit. Attamen quæ apparuerunt extrinſecus viſibiliter hominibus pietatis indicia interioris gratiæ extiterunt certiſſima argumenta. Ex tunc quippe per totam diem vſque in horam veſpertinam deuotiſſima permanſit: vt potè menſæ cœleſtis particeps effecta, & ſanguine vitæ, qui Chriſtus eſt meraciſſimo, inebriata. Erat illo die in ore eius frequens verbū veritatis, & aperiens os ſuū ſapientiæ, loquebatur de optimis, quæ in prædicatione audierat: eructans de corde ſuo verba bona, & lex clementiæ audiebatur in lingua eius. Loquebatur autem ex abundantia cordis ſui, quomodo beatas illas ſorores Mariam dico &Ættham in ſuſcitatione fratris ſui Lazari Dominus Ieſus conſolari dignatus eſt. Et tractans quemadmodū illis lachrymantibus collachrymatus fleuit ſuper mortuum, memoriā abundantiæ ſuauitatis domini eructauit affectu & effectu. Quædam religioſæ perſonæ, quæ affuerant, audientes hæc verba, per gratiam in eius labiis diffuſam, deuotione accenſæ, lachrymis reſolutæ fleuerunt. Quibus ſancta Dei ad mortem iam tendens, domini ad mortē euntis verba oris eius dulcia memorauit, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper vos. Hoc dicto obticuit. Mira res. Tunc voces ſuauiſſimæ ſine omni motu labiorū in eius gutture audiebantur. Cumq; circumſedentes ab ea quærerent, quid hoc eſſet, requiſiuit ab eis, dicens: Nunquid audiſtis aliquos mecum decātantes? Hic nulli fide-

Sacroſācto Euchariſtiæ ſacramento reficitur.

Ioann. 11.

Audit cœleſtes melodias pariter ipſa cantās.

Iaco Mont. cap. 18.

lium dubitare conceditur, quando ſupercœleſtium agminum eius exitum præſtolantium ſuauem ac mulcebrem, cui cócinuerit tam dulciter, audierit armoniam, cantans cum ipſis gloriam Domini. Deinde à crepuſculo iacuit, quaſi exultans & iubilans, eximiaq; deuotionis ſigna præferens & oſtendens vſque ad galli cantum. Imminente autem gallicinio tanquam iam ſecura in Domino aſſidentibus ſibi dixit: Quid faceremus, ſi ſe nobis inimicus humani generis diabolus oſtenderet? Quo dicto poſt paululum alta & libera voce, quaſi dæmonem repellens exclamauit, dicens: Fuge, fuge.

Idem ca. 19.

Audito autem primo galli cantu Elizabeth dixit: Ecce inſtat hora, in qua Virgo peperit Dominum, & intulit ad præſentes. Modo loquamur de Deo & puero Ieſu, quia inſtat media nox, quando natus eſt Ieſus, & in præſepio reclinatus quieuit, nouamq; ſtellam ſua omnipotentia creauit, quã nunquam aliquis prius vidit. Huiuſmodi loquens, iocundiſſima fuit, tanquam non infirmaretur. Ait namque: Licet debilis ſim nullius tñ infirmitatis moleſtiam ſentio, vel dolorem. Hæc dicens, omnes ſibi aſſidentes Deo deuotiſſimè cómendauit. Itaq; per totam diem illam & noctem, vt prædictũ eſt, ſacratiſſimis mentis affectionibus in Deum eleuata, diuiniſſimis quoq; eloquiis & colloquiis ſpiritu inflammata, tandem iubilando requieuit, & quaſi ſuauiter obdormiens inclinato capite expirauit. Sicq; à dolore mortis extranea, occurrentibus & comitantibus angelis & ſanctorum choris, ad regna euolauit ſidera. Tunc quæ aderant eius famulæ aliæq; deuotiſſimæ fœminæ corpus ſacrum cum reuerentia componentes, tunica, ſicut deſiderauerat, induerunt. Quod à Religioſis & à Clero ac populo in capellam cum canticis & orationibus, & cum multis lachrymis deportatum eſt. IV.

Anno 1231. Suauiſſime obdormit in Domino. Vide Trith. in chron. Hirſaug.

Comperta autem eius morte Monachi Ciſtercienſes, aliiq; Religioſi, & Clerici, diuites inſuper & pauperes ad tã ſacras exequias ex omni parte cum deuotione venerunt. Plurimi verò fidei virtute ſublimes, eius pilos capitis, alij digitorum vngues, alij pannorum particulas præcidebant, & pro ſanctuario reſeruabant. Magnus erat dolor & fletus pauperum, deuotus luctus omnium, maxima præcipuè lamenta infirmorum, tanquam ſi mater omnium extitiſſet. Exigente autem deuotione populi, vſq; in diem quartum ſacrum corpus ſuper terram in medio multitudinis & pſallentium eſt relictum. Erat namq; non horror, ſed honor: non abominabile, ſed amabile, cernere mortuum corpus iſtud, quod nullum omnino præter pallorem ſolum mortis indicium præferebat. Inerat carni quædam, tanquam viueret, teneritudo: & in parte in hinc & inde ad libitum contrectantium leniter flectebatur. Et quoniam hoc ſacroſanctum corpuſculum nõ fuit, nec eſt, nec erit fœdum vitiorum ſtabulum, ſed fuit, & eſt, & erit diuinorum apotheca chariſmatũ, virtutumq; ac gratiarum alabaſtrum: idcirco non de ipſo deteſtãda prauitas fœtoris, quæ præſentes inficeret, verum mirifica ſuauiſſimi odoris iocunditas prodiit: quæ mentes reficeret, ſenſum delectaret. Quis tanti aromatici corporis præſentiam non affectaret? quem huius mundiſſimæ carnis aſpectus non delectaret? V.

Odor ſuauiſſimus ex eius ſpirat corpore.

Quarta tandem die poſt celebrata deuotiſſimè ac ſolenniſſimè Miſſarum Officia puriſſimum illud balſamũ ſuo vaſculo conceptum ſepulturæ tradiderunt, gemmam precioſiſſimam ſub deſpectibili lapide reponentes. Iterum fiebat multarum effuſio vberrima lachrymarum. Factus eſt ploratus & vlulatus. Infundebatur pectoribus compunctio: accendebatur piis deuotionis oratio. Eratq; omnibus in communi vox laudis, & gratiarum actio. Acta ſunt hæc apud oppidum Haſſiæ Marburg in Capella Xenodochij Pauperum: quod ipſa nobilis Regis filia, Chriſtiq; famula eximia S. Elizabeth ſuis ſumptibus conſtruxerat. Interfuerunt Abbates multi, viriq; religioſi, ac populi multitudo, quos ibidem Cleri prouidentia & voluntas diſpoſuerat congregandos cum omni pietate Chriſtiana, ac celebri reuerentia, tã glorioſi funeris exequias conſummantes. Anno incarnationis dominicæ M.CC.XXXI. menſe Nouembri quarto die obitus eius terra condita eſt, ſmigrante anima ad requiem opulentam. Ad quam ipſius ſuffragiis nos perducat Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. Die poſt hanc ſepulturam proxima, acceſſit quidam Ordinis Cyſtercienſis Monachus ad tumulum, inuocans in beata Elizabeth plena fide Dominum Ieſum Chriſtum. Qui à plaga cordis, ac mentis morbo, quo per quadraginta annos & amplius turbulentus languerat, per mœrentium conſolatricem liberatus eſt, & hoc iuramento confirmauit. Acceſſit alter vir nobilis clari ſanguinis ac ſublimis Prælationis, qui horrendis vitiis intricatus, lubrico carnis miſerabiliter & deteſtabiliter laborabat. Hic fœdiſſimorũ criminum, quibus vrgebatur, horrore confuſus, ad confeſſionis præſidium frequentius veniebat. Verum poſt confeſſionis tutiſſimum portum, rurſus tempeſtate tentationis exurta, in altitudinem relabens turpitudinis, ruina deſperabili mergebatur. Is pollutus, & obſcœnus peccatorum ſordibus, tanquam ſus in volutabro volutatus, ad tumbam amatricis munditiæ ſanctæ Elizabeth cum multa deuotione accedens, lacrymarũ fluuios cum intima cordis fundens côtritione, orationi non perfunctoriè, ſed diutiſſime cum feruore valido aſſiſtebat. Nec deſtitit, donec appropinquaret deprecatio eius in conſpectu altiſsimi, & introiret clamor eius in aures eius. Sanè precibus dilectæ ſuæ Elizabeth ſuſcepit Dominus orationem tribulati pauperis, ſenſitq; ſibi quandam ſpiritualis conſolationis ſuper infundi gratiam, per quam deinceps impulſibus obſiſteret vitiorum. Quod poſtmodum venerabili viro Magiſt. Conrado de Marburg in confeſſione cũ magna atteſtatione, aſſeruit: quod ex tunc ſtimulus carnalis lubricitatis ſic in ipſo extinctus fuit, quod poſtmodum non apprehendit eum, vt prius, tentatio vehemens: ſed nulla vel tam leuis, cui facillimè reſiſtebat. Aliis itidem ſpiritu ſuperbiæ inflatis, aut iracundiæ, vel inuidiæ ſtimulis agitatis, ſeu parcitatis aut auaritiæ vinculo ſtrenuatis, & quibuſcunq; vitiorũ ſpiritualiũ morbus, occupatis B. Elizabeth vitiorũ immunditiis, meritis ſuis per Dei gratiam effectum impetrauit virtutis. Hæc ſunt glorioſiſſima miracula. Quibus non tantum ægritudines morborum, ſed morbi ſanantur morum: quibus non moritura corpora, ſed in æternum victura curatur anima. Quæ tanquam digniora & valentiora, quia ſpiritualia, interiorẽ hominem ſanctificantia, non immeritò locum obtinent principalem. Sunt nimirum & alia, quæ non fidelibus, ſed infidelibus in ſignum data ſunt exterioris hominis curationi conceſſa, quibus coruſcat noſtra cœleſtis medica Elizabeth beatiſſima [illegible]er. Nam ad eius tumbam ipſius ſuffragãtibus meritis, cæcis lumen, ſurdis auditus redditur, claudus graditur, mutus [illegible]itur, captiui compedes, & carceres euadunt, paralytici, epileptici, phrenetici curantur, dæmoniaci liberantur: mortui [illegible]gunt, leproſi mũdantur: & cateruatim veniens populus in variis miſeriis optatum côſequuntur præſidium. Quorũ e[illegible]itam narrationem opportuniori tempori reſeruamus: hoc addentes, quod ibi, quod quiſq; cum debita humilitate p[illegible]accipit, quod cum fidei alacritate quærit, inuenit: cum inſtantia deuotionis pulſanti ianua gratiæ aperitur, Domino Ieſu Chriſto præſtante, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. VI.

Sepelitur.

Ann. 1231. Miracula ad ſepulcrũ eius. Prælatus cõcupiſcentia carnis irretitus, ad ſepulcrum eius liberatur.

Animi vitiis laborantes curantur.

Corporeis morbis detenti ſanantur.

Cum ad declaranda famulæ ſuæ Elizabeth merita, in loco vbi corpus eius quieſcit, Deus omnipotẽs virtutum multiplicaret inſignia, conſtructa ſunt in ipſa capella ad laudem eius à fidelibus duo altaria. Quæ dum venerabilis dominus * Seufridus Moguntinus Archiepiſcopus, ſicut euidenter in reuelatione acceperat, ad preces deuoti viri Magiſtri Conradi prædicatoris verbi Dei in die ſancti Laurentij dedicaret. Præfatus prædicator populo qui ex omni parte confluxerat infinitus, intimauit, vt qui aliquam curationis gratiam meritis Dei famulæ Elizabeth percepiſſent, ſequenti die manè Archiepiſcopo ſe præſentarent, quod circa ipſos actum foret per Dei gratiam, per teſtes fideliter probaturi. Conuenit igitur non modica multitudo. Archiepiſcopus autem Moguntinus euidentia conſcribi fecit ſuoq; ac aliorum Prælatorum ſigillis robo[illegible]ta ad [illegible]dem Apoſtolicam transferenda. VII.

* Siffridus, al. Syfridus M.

Citantur teſtes miraculorum B. Elizabeth.

Igitur pater ſanctiſſimus Gregorius Papa nonus de tranſmiſſis à venerabili Seufrido Moguntino Archiepiſcopo beatiſſimæ Elizabeth miraculis facta examinatione diligenti, maturo nihilominus ac prudenti fretus conſilio, & ſuper omnia S. Spiritus [illegible] prouidentia, diſponente clementia, præmonenteq; gratia: decreuit beatam Elizabeth ſanctorum in terris aſcribendam catalogo, quæ in vitæ conſcripta libro cum ipſis exultat in æternæ beatitudinis regno. Lectis ergò coram omnibus, quæ de ſanctitate vitæ & miraculorum gloria B. Elizabeth fuerant recitanda, accenſa multitudinis deuotio in eius canonizationem vnanimiter & ardentiſſimè acclamauit. VIII.

De examinatione miraculorum.

Tunc

IX. TVNC præſentibus venerabilibus viris Hieroſolymitano videlicet & Antiocheno patriarchis, & multis reuerendis Patribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque quam plurimis Prælatis, cum Cleri religioſorumque ac populi innumerabili multitudine, facta proceſſione feſtiua, in die magno feſtiuitatis Pentecoſtes, ſeptimo Calendas Iunij canonizauit illam felicem & benedictam Elizabeth: dans illi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in cælis, & ſanctis nomen eius connumerans, & connominans, ipſam inter ſanctos inuocauit, ac in Sanctorum catalogo annotari præcepit: indicenſque conſtituit per ſcripturam, demandans, vt dies ſacræ migrationis eius annua deuotione inter ſanctorum feſtiuitates ab vniuerſali Eccleſia venerabiliter recolatur. O felicem & religioſiſſimam fœminam, quam cum tot ſanctis Patribus ac ſapientibus viris Apoſtolicæ auctoritatis celſitudo eo honoris faſtigio, quo maiorem militantis Eccleſiæ dignitas non habet, rectiſſime & reuerentiſſime ſublimauit. Et ecce inter ſanctos ſors illius eſt, inter filios altiſſimi computata. Peractum eſt hoc Canonizationis officium Peruſij in conuentu fratrum ordinis Prædicatorum, Anno Incarnationis M.CC.XXXV. Sexto Kalendas Iunij. Conſtitutum eſt autem ibidem Altare in honore ipſius, quod idem ſummus Pontifex Gregorius deuotione pia honorans, dotauit triginta dierum indulgentiam aduenientibus quotidie, & adorantibus miſericorditer relaxando. Fratres quoque illius conuentus feſtum diem beatæ Elizabeth valde ſolenniter recolunt, & deuotum officium tam nocturnum quam diurnum, ſub ritu ſolenni officij patris ſui ſancti Dominici celebriter peragentes.

S. Elizabeth canonizatur.

*Aliàs Kalendas Iunij.

X. ADIECIT adhuc humilium exaltator altiſſimus magnificare ancillam ſuam Elizabeth humilem, & corpus eius ſacrum in infirmitate ſepultum, miraculorum prodigiis crebris celebriter frequentatum, amplioribus ſuæ dignationis beneficiis viſitans, contemptibili vlterius loco recondi noluit: ſed pro laude ſua de puluere pauperem, & egenum voluit de ſtercore ſuſcitari. Poſt tam ſolemnem itaque, quæ per beatiſſimum Papam Gregorium nonum geſta eſt canonizationem, inſpirauit cordibus fidelium Spiritus Sanctus, vt oſſa cum Chriſto regnantis de ſepulchro eleuata humili, ad locum transferrent digniorem, tantæque magis congruum ſanctitati. Igitur die ſtatuto ad indictam ſacroſancti corporis translationem, conuenit Epiſcoporum, Principum nobilium, Prælatorum, Religioſorum, Clericorum, & vtriuſque ſexus populorum innumerabilis multitudo. Tunc effoſſa terra, & tumulo patefacto, non ſecundum morem ſepulchrorum fœtor putredinis, & abominatio corruptionis proceſſit, ſed odor pietatis & mundiciei redoluit, ædificans & lætificans aſſiſtentes. Accedentes vero viri religioſi & deuoti huic miniſterio deputati, oſſa ſacroſancta de terra cum multa deuotione & reuerentia ſubſtulerunt, ea in arca plumbea collocantes, quæ clauſa Epiſcoporum Sigillis eſt fideliter conſignata.

De Eleuatione corporis eius. Iac. Mont. c. 30.

Anno 1236. Kal. Iunij. Vide Trith. in chron. Hirſaug.

XI. EXSPECTABANT autem & affectabant, cum pio deſiderio ambientes, qui aderant, cupientes videre, amplecti, & oſculari oſſa illa ſacra, Sancti Spiritus organa, de quibus tot manabant ſanctitatum chariſmata. O terra ſancta, tanto conſecrata depoſito, tanti cuſtos & conſcia ſacramenti! Huius enim temporis felix ætas, cui ſe talis theſaurus aperuit, tantum munus gratiæ ſe oſtendit. Vere theſaurus inæſtimabilis, in quo pauper, quod iuuet, inueniat: diues, habet, quod delectat. Ibi peccator veniam, ibi ægrotus, ſi poſtulet medicinam inuenit. O ſanctiſſima gleba corpuſculi, tanti ponderis apud Dominum, apud homines tantæ virtutis, vt cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, vitamque mortuis, omnibus præſtet gratiam ſanitatum! Paueat hæreticæ veſania prauitatis, & Iudaicæ cœcitatis perfidia contabeſcat. Hanc inſanam, Elizabethæ monſtrauit fides; illam oſtendunt miracula fore cœcam. Taceat animalis ſapientia huius mundi, quã hæc fœmina ſtulte ſapiens, & ſapienter ſtulta confudit. Cuius loculũ ſepulturæ angeli frequenter viſitant, requirunt populi magnates inſpiciunt, & Romanum imperium ſe inclinauit ad videndum. Quis enim in huius tam ſuaui fragrantiæ odore non currat? Vnguenta virtutum vbique diſtillant, redolent aromata gratiarum: & Elizabeth corpore pullulante fidei reuireſcit amœnitas, ac Eccleſiæ refloreſcentis calore ſpirante redundat odoribus hortus ei. Quem in fœmina tã ſanctæ nouitatis pulchritudo non trahat? Quem non alliciat tam nouæ ſpecies ſanctitatis.

Deſiderium populi ſacra eius reliquias oſculandi cupientia.

XII. ADERAT proinde glorioſiſſimus quidem tunc Fridericus Imperator ſuis Principibus ſtipatus & militibus: ad honorem eius Coronam offerens Auream in titulum Regiæ dignitatis. Henricus quoque Lantgrauius illuſtris Thuringorum Princeps, vna cum fratre ſuo Conrado, & matre domina Sophia, aliiſque vtriuſque ſexus nobilibus lectulum ſepulcri Elizabeth miraculis floridum ambiebant, reuerenter oblationibus condignis & orationibus honorantes. Præterea præclarus vir dominus Seifridus Moguntinus diœceſanus Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, & venerabiles Patres Colonienſis & Treuerenſis Archipræſules cum aliis multis Epiſcopis huius ſacræ Translationis celeberrimum gaudium venerabiliter peregerunt. Ex diuerſis itaque nationibus, populis & linguis talis ac tanta ibi fuit multitudo collecta, qualis in Alemaniæ partibus vno in loco vix vnquam potuit, vel in futurum poterit congregari. Oblationum vero tam abundans & affluens copia erat, quæ non valuit æſtimari.

De ſublimibus perſonis, quæ adfuere, & oblationibus.

XIII. INTVERI libet miſericordiæ diuinæ maieſtatis admirandum in hoc opere ordinem & amandum. Ecce hæc, qui mundi gloriam reſpuit, & in hac vita magnatorum conſortia recuſauit, dignitate Pontificialis officij, & Imperialis Maieſtatis obſequiis magnifice honoratur. Et quæ in hoc tempore nouiſſimum locum eligens, ſedebat in terra, dormiuit in puluere: nunc Regis & Principum manibus in ſublime ſuſtollitur. Et ad locum, quo priorem militans Eccleſia non habet, ſummo cum honore transfertur. Omne enim temporalis gloriæ faſtigium tranſuolat, ſimilem factam eſſe in gloria Sanctorum. Vultum namque eius deprecantur omnes diuites plebis, & Reges munera offerunt, & Principes dona adducunt, adorant magnates, eique ſeruiunt omnes gentes. Nec immerito, vendidit namque omnia, quæ habuit, & dedit egenis; facta eſt paupercula; omnemque ſubſtantiam ſuam pro nihilo computans, hanc ſibi æternitatis margaritam impreciabilem comparauit.

Conſideratio operationis diuinæ circa hoc negotium.

XIV. SVPER hæc omnia magna & præclara, quibus eam in Eccleſia plebis, & apud proximos ſuos exaltauit: adiecit diuina liberalitas magnificare inter electos de plebe ſanctam ſuam raro ac miraculo glorioſo. Aperto quippe die ſequenti ſarcofago, in quo Sanctiſſimi corporis oſſa repoſita, Sigillis Pontificum fuerant conſignata, inuenerunt ipſum ſarcofagum cœleſtis roris benedictione copioſe perfuſum. Illa ſiquidem emanatio omnipotentis Dei fuit dextera. Dominus Ieſus Chriſtus ſalutaris Olei liquorem producens de ſacroſanctis oſſibus iuſſit emanare. Eratque ſacra illius liquoris non modica diſtillatio, ſed abundans, eructans memoriam abundantiſſimæ ſuauitatis. Proceſſit itaque de ipſo odor mirificus tanquam de fracto vnguenti precioſi alabaſtro. Hæc nempe oſſa exercitiorum ſpiritualium, attritione multipliciter diſſipata, & mortificatione fracta ſunt. Vnctionum Sancti Spiritus extiterant organa, & ſunt facta nunc odoriferũ alabaſtrũ. Hoc itaq; ſaluti ferũ profluuiũ & odoriferum ſtillicidium, poſtmodũ fidelibus inſpicientibus liquide patuit oculata fide probatũ. Ex illis etenim ſacratis oſſibus guttæ liquoris ſancti, tanquã roris ſuper gramẽ vel herbam deſcendentis, ſtant, & diſtillant; illiſque deſcendentibus vel abſterſis aliæ paulatim renaſcuntur ſubtiliſſimæ tanquam ſudor de poris corporis euaporans. O vere condignum & congruum & rationi omnino conſonum miraculum, ſpecioſa nempe & pullulans oliua Elizabeth, generoſa virtutum odore, florida vnctionis, paciſque germine fœcunda, luminis nihilominus & medicaminis refectioniſque vbertate prædita, in domo Dei, quod eſt Eccleſia, ſuauiſſimos fructus protulit & ſalubres. Vncta quippe Spiritu Sancto, & virtute, in manſuetudine perficiens opera ſua vnitatem ſpiritus in vinculo pacis ſollicita cuſtodiuit. Per exemplarem quoque vitæ ſanctimoniam ægris mentibus, & per gratiam curationum languidis corporibus exhibuit medicinam. Multa pauperum millia de ſuis panibus ſatiauit, totamque Eccleſiam ſignis & prodigiis perluſtrauit. Merito igitur huius

Oleũ ex oſſibus eius emanat.

dulciflui liquoris, olei oliuæ odoriferæ decoratur miraculo, cuius ſanctitatis tam luculenta puritas excellenter irradiat, lenit ſuauiter, abundanter ſatiat, fragrat redolens opulenter. Multa quidem & alia innumera comperta & probata ſunt miracula, de quibus nullam ſpecialem modo facimus mentionem, ſed tangendo quædam breuiter generaliter duximus annotanda.

Epilogus breuis miraculorum.

XV. PORRO ſicut electa Dei famula Elizabeth beatiſſima mirandis virtutum ſignis in vita claruerat, ſic & à die tranſitus ſui beati vſque in præſens per diuerſas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, diuina eam potentia glorificante, coruſcat. Nã, cœcis, mutis, ſurdis, & claudis, hydropicis, dæmoniacis, & leproſis, naufragis, & captiuis, ipſius meritis remedia conferuntur: omnibus quoque morbis, neceſſitatibus, & periculis ſubuenitur. Sed & multis mortuis, puta ſedecim, per ipſam mirifice ſuſcitatis, innoteſcit fidelibus mirificans ſanctam ſuam magnificentia virtutum altiſſimi. Cui eſt honor & gloria per infinita ſecula, Amen.

Vitam eiuſdem S. Elizabethæ iam ſæpius citatam authore Iacobo Montano Spirenſi, habes apud F. Henricum Sedulium in hiſtoria Seraphica S. Franciſci, cuius tertij ordinis perhibetur fuiſſe.

An.860.
Vide Vitam Oſuualdi Epiſc O-ctob.11.

HISTORIA S. EADMVNDI REGIS ANGLIÆ ET MARTYRIS, AVTHORE ABBONE FLORIACENSI ABBATE: QVI CLARVIT ANNO CHRISTI 970.

Præfatio authoris ad Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem.

20. Nov.
Dorobernenſis Eccleſia, quæ Cantuarienſis.

DOMINO ſanctæ metropolitanæ Dorobernenſium Eccleſiæ Archiepiſcopo Dunſtano, vere moribus & ætate maturo. Abbo Floriacenſis monachus Leuita etſi indignus, à Chriſto Domino irriguum ſuperius & irriguum inferius. Poſtquam à te, venerabilis Pater, digreſſus ſum cum multa alacritate cordis, & ad monaſterium: quod noſti, feſtinus redii, cœperunt me obnixè ij, cum quibus fraterna charitate detentus hoſpitando hactenus degi, pulſare manu ſancti deſiderij, vt mirabilium patratoris Eadmundi Regis & martyris paſſionem literis digererem, aſſerentes id poſteris profuturum, tibi gratum, ac meæ paruitatis apud Anglorum Eccleſias non inutile monimentum. Audierant enim, quod iam pluribus ignotam, à nemine ſcriptam, tua ſanctitas ex antiquitatis memoria collectam, hiſtorialiter me præſente retuliſſet domino Roſenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & Abbati monaſterij, quod dicitur Mealmesbyri, ac aliis circumaſſiſtentibus, ſicut tuus mos eſt, fratribus, quos pabulo diuini verbi Latina & patria lingua paſcere non deſinis. Quibus fatebaris oculos ſuffuſus lachrymis quod eam iunior didiciſſes à quodam ſene decrepito, qui eam ſimpliciter & plene fide referebat glorioſiſſimo Regi Ethelſtano, iureiurando aſſerens quod eadem die fuiſſet armiger beati viri, qua pro Chriſto martyr occubuit.

CVIVS aſſertioni quia intantum fidem accommodaſti, vt promptuario memoriæ verba ex integro recondetes, quæ poſtmodum iunioribus mellito ore eructates: cœperunt fratres inſtantius meæ puſillitati incumbere, vt eorum feruenti deſiderio ſatisfacerem, ac pro virium facultate tantorum operum ſeriem petere non ſinerem. Quorum petitioni cum pro ſui reuerentia nollem contradicere, poſthabitis aliquantulum ſecularium literarum ſtudiis, quaſi ad interiorem animæ philoſophiam me contuli, dum eius, qui vere philoſophatus eſt in throno regni, virtutes ſcribere propoſui: maxime tamen eas, quæ poſt eius obitum ſeculis inauditæ factæ ſunt: quibus nemo crederet, niſi eas tuæ aſſertiones irrefragabilis authoritas roboraſſet. Siquidem tu, cui nix capitis credi compellit, quando referebas, de ea quæ nunc eſt, incorruptione Regis, quidam diligentius requiſiuit, vtrum hæc ita eſſe poſſent. Cuius quæſtionis ambiguum volens purgare tu vaſtæ peritiæ ſacrarium, pro exemplo adiecisti, quod multo magis audientium attonita corda concuſſit, quia ſanctus Domini Cuthbertus, incomparabilis confeſſor & Epiſcopus, non ſolum adhuc expectat diem primæ reſurrectionis incorrupto corpore, ſed etiam perfuſus quodam blando tepore. Quod ego admirans pro argumento habui, quo tandem ad ſancti Regis geſta elucubranda certior acceſſi, fidens de eius & tuis incomparabilibus meritis. Cui primitias mei laboris conſecrans, ſuppliciter obſecro, vt vel vna die vertas mihi tuum ocium in honeſtum negocium, reſecando hinc ſuperflua, ſupplendo hiantia: quoniam ex ore tuo, præter ſeriem vltimi miraculi, omnia veracem ſecutus verax digeſſi, exhortans omnes ad amorem tanti martyris. Vale pater in Chriſto.

Regis Eadmundi corpus incorruptum manet.

Nota lectorem admiratione digniſſimam. Porro autẽ etiam noſtra ætate huius S. Cuthberti corpus integrum repertum eſt. Vide Alani Copi Dialogum 3. cap 29.

I. ASSERTI aliquando in Britanniam precario munere in pernicioſum auxilium tres Germaniæ populi, hoc eſt, Saxones, Iuti, & Angli, primum Britonibus interdiu fuere *præſidij. Qui cum ſæpius bello laceſſiti, ſe & ſuos defenſarent fortiter: illi vero ignauiæ operam dantes, quaſi proletarij ad ſolam voluptatem domi reſiderent, ſiſi de inuicta fortitudine ſtipendiariorum militum, quos ſibi conduxerant, ipſos miſeros indigenas domo patriaque pellere deliberant, factumque eſt: & excluſis Britonibus, ſtatuunt inter ſe diuidere victores alienigenæ inſulam, bonis omnibus fœcundiſſimam: indignum iudicantes, eam ignauorum dominio detineri, quæ ad defenſionem ſuam idoneis poſſet præbere ſufficientem alimoniam & optimis viris. Qua occaſione inducti, orientalem ipſius inſulæ partem, quæ vſque hodie lingua Anglorum Eaſtengle vocatur ſortito nomine Saxones ſunt adepti, Iutis & Anglis ad alia tendentibus, in quibus ſuæ ſortis funiculo potirentur, ne eſſet cum ſodalibus vllum de poſſeſſione litigium, quibus ſuppeteret amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Vnde contigit, vt per regiones & prouincias diuiſa, plurimis primum Ducibus, deinde Regibus, ſufficeret vna eademque Britannia.

for.* præſidio.

Britannia à Saxonibus &c. occupatur.

II. AT prædicta orientalis pars, cum aliis, tum eo nobilis habetur, quod aquis pene vndique alluitur: quoniam à ſubſolano & euro cingitur oceano: ab aquilone vero, immenſarum paludum vligine: quæ exorientes propter æqualitatem terræ à meditullio ferme totius Britanniæ, per centum & eo amplius millia, cum maximis fluminibus deſcendunt in mare. Ab ea autem parte, qua ſol vergitur in occaſum, ipſa prouincia reliquæ inſulæ eſt continua, & ob id peruia: ſed ne crebra irruptione hoſtium incurſetur, aggere ad inſtar altioris muri foſſa humo præmunitur. Interius *vbere glebæ ſatis admodum læta, hortorum nemorumque amœnitate gratiſſima, ferarum venatione inſignis, paſcuis pecorum & iumentorum non mediocriter fertilis. De piſcoſis fluminibus reticemus, cum hinc eam, vt dictum eſt, lingua maris allambit, inde paludibus dilatatis, ſtagnorum ad duo vel tria millia ſpatioſorum innumerabilis multitudo præterfluit. Quæ paludes præbent pluribus monachorum gregibus optatos ſolitariæ conuerſationis ſinus, quibus incluſi non indigeant ſolitudine eremi, ex quibus ſunt ſancti monachorum patris Benedicti cælibes cœnobitæ, in loco celebri hac tempeſtate.

for.* vberis.

millia, pro milliaria

III. SED vt ad propoſitum reuertamur, huic prouinciæ tam feraci, quam diximus Eaſtengle vocabulo nuncupari, præfuit ſanctiſſimus Deoque acceptus Eadmundus, ex antiquorum Saxonum nobili proſapia oriundus, à primæuo ſuæ ætatis tempore cultor veraciſſimus fidei Chriſtianæ. Qui atauis Regibus editus, cum bonis polleret moribus, omnium comprouincialium vnanimi fauore non tantum eligitur ex generis ſucceſſione, quantum rapitur, vt eis præeſſet ſceptrigera poteſtate. Nam erat ei ſpecies digna imperio, quam ſereniſſimi cordis iugiter venu-

Anno 855. 8 Kal Ianuar. S. Eadmundus 15. ætatis anno Rex eligitur, & ab Humberto Epiſcopo conſecratur. Vide Vveſtmonaſt. in Florib hiſt.

venuſtabat tranquilla deuotio. Erat omnibus blando eloquio affabilis humilitatis gratia præclarus, & inter ſuos coæuos mirabili manſuetudine reſidebat dominus abſque vllo faſtu ſuperbiæ. Iamque vir ſanctus præferebat in vultu, quod poſtea manifeſtatum eſt diuino nutu; quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem diuina pietas præſciebat martyrio finiendum.

IV. NACTVS vero culmen regiminis, quantæ fuerit in ſubiectos benignitatis, quantæ in peruerſos diſtinctionis, nō eſt noſtræ facultatis euoluere, qui eius minima, quo conuenit ſermone, non poſſumus expedire. Siquidem ita columbinæ ſimplicitatis manſuetudine temperauit ſerpentinæ callidiratis aſtutiam, vt nec antiqui hoſtis deciperetur ſimulatione fraudulenta, nec malignorum hominum reciperet contra iuſtitiam ſententias, rem quam neſciebat, diligentiſſime inueſtigans. Gradienſque via regia, nec declinabat ad dexteram, extollendo ſe de meritis: nec ad ſiniſtram, ſuccumbendo vitiis humanæ fragilitatis. Erat quoque egentibus dapſilis liberaliter, pupillis & viduis clementiſſimus pater, ſemper habens præ oculis dictum illius ſapientis: Principem te conſtituerunt? noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis. Cumque tā conſpicuis in Chriſto & Eccleſia emineret bonorum actuum ornamentis, eius patientiam, ſicut & ſancti Iob, aggreſſus eſt experiri inimicus humani generis: qui eo bonis plus inuidet, quo appetitu bonæ voluntatis caret.

Lenitas & ſeueritas Eadmundi.
Eccli 32.
Iob 1. & 2.

V. QVOCIRCA vnum ex ſuis membris ei aduerſarium immiſit, qui omnibus, quæ habuerat, vndeunde ſublatis, ad impatientiam, ſi poſſet, erumpere cogeret, vt deſperans, Deo in faciem benediceret. Fuit autem idem aduerſarius, Inguar vocabulo dictus: qui cum altero, *Hubba nomine, eiuſdem peruerſitatis homine, niſi diuina impediretur miſeratione conatus eſt in exterminium adducere totius fines Britanniæ. Nec mirum, cum venerint indurati frigore ſuæ malitiæ ab illo terræ vertice, quo ſedem ſuam poſuit, qui per elationem altiſſimo ſimilis eſſe concupiuit. Denique cōſtat iuxta Prophetæ vaticinium, quod ab Aquilone venit omne malū: ſicut plus æquo didicêre perperam paſſi aduerſos iactis cadentis teſſeræ, quo Aquilonalium gentium, experti ſunt ſæuitiam: quas certum eſt adeo crudeles eſſe naturali ferocitate, vt neſciant malis hominum mitescere: quandoquidem quidam ex eis populi veſcuntur humanis carnibus, qui ex facto Græca appellatione Anthropophagi vocantur. Taleſque nationes abundant plurimæ infra Scythiam prope Hyperboreos montes, quæ Antichriſtum, vt legimus, ſecuturæ ſunt ante omnes gentes, vt abſque vlla miſeratione paſcantur hominum cruciatibus, qui characterem beſtiæ noluerint circunferre in frontibus. Vnde iam inquietando Chriſticolas, pacē cum eis habere nequeunt, maxime Dani, Occidentis regionibus nimiū vicini, quoniam circa eas piraticam exercent frequentibus latrocinijs. Ex eorū ergo genere prædicti duces Inguar & Hubba *Nordanhūbrorum primitus aggreſſi expugnare prouinciam, graui depopulatione totam peruagantur ex ordine. Quorum peſſimis conatibus nullus reſiſtere potuit ex prouincialibus, quin mulctarentur merita ſupernæ indignationis ira, agente miniſtro iniquitatis Hubba: quem præda facta Inguar reliquit ibi crudelitatis ſocium, & à boreali parte orientali ſubito adſtans cum magna claſſe, ad eius quandam ciuitatem latenter appulit: quam ignaris ciuibus introgreſſus, ignibus cremandam dedit, pueros, ſenes cum iunioribus in plateis ciuitatis obuiam factos iugulat, & matronalem ſeu virginalem pudicitiam ludibrio tradendam mandat. Maritus cum coniuge aut mortuus, aut moribundus iacebat in limine: infans raptus à matris vberibus, vt maior eſſet eiulatus, trucidabatur coram maternis obtutibus. Furebat impius miles luſtrata vrbe ardendo ad flagitium, quo poſſet placere tyranno. qui ſolo crudelitatis ſtudio iuſſerat perire innoxios.

Bendicere pro maledicere in ſacra ſcriptura, frequens vſus.
*Stubba Matth. Vveſtmon.
Eſa. 14. Iere 1.
Infra, pro intra.
Dani infeſti Chriſtianis.
*Nordanumbrorum.

VI. CVMQVE iam multitudine interfectorum Achæmeniam rabiem non tantum exaturaſſet, quantum fatigatus in poſterum diſtuliſſet, euocat quoſdam plebeios, quos ſuo gladio credidit eſſe indignos, ac vbi Rex eorum tunc temporis vitam degeret, ſolicitus perſcrutator inueſtigare ſtudet. Nam ad eum fama peruenerat, quod idem Rex glorioſus, videlicet Eadmundus, florenti ætate & robuſtis viribus, bello per omnia eſſet ſtrenuus: & idcirco feſtinabat paſſim neci tradere, quos circuncirca poterat reperire, ne ſtipatus militum agmine, ad defenſionem ſuorum poſſet Rex ſibi reſiſtere, qui morabatur eo tempore ab vrbe longius in villa, quæ lingua eorum Hagliſdun dicitur, à qua & ſylua vicina eodem nomine vocatur: exiſtimans impiiſſimus, vt ſe rei veritas habebat, quia quantos ſuus funeſtus ſatelles præoccuparet ad interitum perducere, tantos, ſi dimicandum eſſet, regius occurſus in exercitu contraheret minus. Claſſem quoque abſque valida manu non audebat deſerere: quoniam velut lupis veſpertinis mos eſt, clanculo ad plana deſcendere, repetitis quantocyus notis ſyluarum latibulis: ſic conſueuit eadem Danorum & Alanorum natio: cum ſemper ſtudeat rapto viuere, nunquam tamen indicta pugna palam contendit cum hoſte, niſi præuenta inſidiis, ablata ſpe ad portus nauium remeandi.

Ann. 870.
Dani crudeliter depopulantur Britanniā.
Vide Flores hiſt. Matth. Vveſtmon.

VII. QVAPROPTER circumſpectus plurimum, accito vno ex commilitonibus, eum ad Regem, huiuſmodi curarum tumultibus expeditum dirigit, qui exploret, quæ ſit ei ſumma rei familiaris, improuiſum, vt contigit, quærens ſubiugare tormentis, ſi eius nollet obtemperare feralibus edictis. Ipſe eum, grandi comitatu ſuccenturiatus, lento pede ſubſequitur, & iniquæ legationis baiulo imperat vt timoris periculo nudus, ita incautum adoriatur: Terra marique metuendus dominus noſter Inguar, Rex inuictiſſimus diuerſas terras ſubiiciendo ſibi armis, ad huius prouinciæ optatum litus cum multis nauibus hyematurus appulit: atque idcirco mandat, vt cum eo antiquos theſauros & paternas diuitias, ſub eo regnaturus, diuidas. Cuius ſi aſpernaris potentiam innumeris legionibus fultam, tuo præiudicio & vita indignus iudicaberis, & regno. Et quis tu, vt tantæ potentiæ inſolenter audeas contradicere? Marinæ tempeſtatis procella noſtris ſeruit remigiis, nec remouet à propoſito directæ intentionis: quibus nec ingens mugitus cæli, nec crebri iactus fulminum vnquam nocuerunt, fauente gratia elementorum. Eſto itaque cum tuis omnibus ſub hoc Imperatore maximo, cui famulantur elementa pro ſibi innata clementia quoniam nouit piiſſimus in omni negocio parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Tyrannus à plebeiis percōtatur vbi Eadmūdus Rex lateret.
Inguar tyrānus ſuperbiſſima mandata ad S. Eadmundū.

VIII. QVO audito Rex ſanctiſſimus alto cordis dolore ingemuit, & accito vno ex ſuis Epiſcopis, qui ei erat à ſecretis, quid ſuper his reſpondere deberet, conſulit. Cumque ille timidus pro vita Regis, ad conſentiendum plurimis hortaretur exemplis, Rex obſtipo capite defigens lumina terræ, paululum conticuit, & ſic demum ora reſoluit: O Epiſcope, viuus ad id peruenimus, quod nunquam veriti ſumus? Ecce barbarus aduena diſtricto enſe veteribus noſtri regni colonis imminet, & quondam felix indigena ſuſpirando gemens tacet. Et vtinam in præſentiarum viuendo quique gemerent, ne cruenta cæde perirent: quatenus patriæ dulcibus aruis, etiam me occumbente, ſuperſtites fierent, & ad priſtinæ felicitatis gloriam poſtmodum redirent. Cui Epiſcopus: Quos, inquit, optas eſſe ſuperſtites patriæ, cum iam hoſtilis gladius vix aliquem reliquerit in plena vrbe? Heberatis ſecutibus tuorum cadaueribus, te deſtitutum milite, veniunt loris conſtringere. Quapropter Rex, dimidium animæ meæ, niſi fugæ præſidio, aut deditionis infauſto patrocinio præcaueas, hîc ſtatim aderūt tortores, quorū nefando obſequio pœnas lues. Ad hæc Rex beatiſſimus: Hoc eſt, ait, quod deſidero, quod omnibus votis antepono, ne ſuperſim meis chariſſimis fidelibus, quos cū liberis & vxoribus in lecto eorū animas furādo perdidit pirata truculētus. Et quid ſuggeris, vt in extremis vitæ deſolatus meo ſatellite, fugiēdo inferā crimē noſtræ gloriæ? Sēper delatoriæ accuſationis calūniā euitaui, nunquā relictæ militiæ probra ſuſtinui, eo quod honeſtū mihi eſſet pro patria mori: & nūc ero mei volūtarius proditor: cui pro amiſſione charorū ipſa lux eſt faſtidio? Omnipotens rerū arbiter teſtis aſſiſtit, quod me ſeu viuū, ſeu mortuū nullus ſeparabit à charitate Chriſti cuius in confeſſione baptiſmatis ſuſcepi annulū fidei, abrenunciato ſatana & omnibus pōpis eius. Qua abrenunciatione contigit, vt ad laudē & gloriā æternæ Trinitatis tertio mererer cōſecrari delibutus ob cōpendiū perēnis vitæ ſāctificati chriſmatis

Conſulit Rex Epiſcopum, Helmſchamenſē Hamberum, quid ſit aduerſario reſpondendum.
Conſtantia optimi Regis pro Chriſto moriendi paratus.

Nota hanc triplicē vnctionem.

perunctione. Primo quidem, accepta ſtola lauacri ſalutaris: ſecundo, per Confirmationem exhibitam maiuſculo pontificali ſignaculo: tertio, vbi veſtra & totius populi communi acclamatione vſus ſum hac regni perfunctoria poteſtate. Sicque vnguento myſticæ conſecrationis tripliciter irroratus, Anglorum reipublicæ decreui plus prodeſſe, quam præeſſe, aſpernando ſubdere colla iugo niſi diuino ſeruitio. Nunc ſimulata beneuolentia prætendit callidus ſuæ machinationis muſcipulam, qua ſeruum Chriſti irretire deliberat, maxime cum promittit, quod nobis largitas ſuperna conceſſit. Vitam indulget, qua necdum careo: regnum promittit, quod habeo: opes conferre cupit, quibus non egeo. Pro his ergo nunc incipiam ſeruire duobus dominis, qui me ſub Chriſto ſolo viuere, ſub Chriſto ſolo regnare, IX.
præſentibus palatinis deuouerim.

Eſa 14.
Reſponſum Regis Eadmundi.

TVNC conuerſus ad eum, qui de conditione regni locuturus, ab impiiſſimo Inguar fuerat miſſus: Madefactus, inquit, cruore meorum, mortis ſupplicio dignus extiteras: ſed plane Chriſti mei exemplum ſecutus, nolo puras commaculare manus, qui pro eius nomine, ſi ita contigerit, libenter paratus ſum veſtris telis occumbere. Ideo pernici gradu rediens feſtinus, domino tuo hæc reſponſa perfer quantocyus: Bene filius diaboli patrem tuum imitaris, qui ſuperbiendo intumeſcens, cælo corruit, & mendacio ſuo humanum genus inuoluere geſtiens, plurimos ſuæ pœnæ obnoxios fecit. Cuius ſectator præcipuus me nec minis terrere præuales, nec blandæ perditionis lenociniis illectum decipies, quem ex Chriſti inſtitutis inermem reperies. Theſauros & diuitias, quas nobis hactenus contulit propitia diuinitas, ſumat, conſumat tua inſatiabilis auiditas: quoniam etſi hoc corpus caducum & fragile confringas velut vas fictile, vera libertas animi nunquam tibi vel ad momentum ſubderit. Honeſtius enim eſt, perpetuam defendere libertatem, ſi non armis, ſaltem iugulis, quam repoſcere amiſſam lachrymoſis querimoniis: quoniam pro altero glorioſum eſt mori, pro altero vero opponitur contumacia ſeruilis, quippe ſeruum, quaſcunque domini conditiones accepit, acceptas ſeruare conuenit. Si eas quamlibet iniquas reſpuit, reus maieſtatis adiudicatur ſeruilibus ſuppliciis. Sed eſto, grauis eſt huius ſeruitutis vſus: at grauior vlceratio, quæ ſolet naſci ex huiuſmodi infortunio. Siquidem vt nouerunt, qui frequentius ratiocinando forenſibus cauſis interſunt, ex repugnantibus facta complexionis conſequentia, certum eſt, quia ſi libertas petitur, procuIdubio dominus ſuo contemptu læditur. Idcirco ſeu ſponte, ſeu inuitus de carcere ſuo meus ad cælum euolet liber ſpiritus, nulla emancipationis aut abalienationis ſpecie contaminatus: quia

Nō vult ſanctus Dei ſubdi pagano Duci amore vitæ tēporalis.

Regem diminutum capite, nunquam Danus videbis ad triumphum ſuperuiuere. Solicitas me ſpe regni, interfectis omnibus meis, acſi mihi tam dira ſit cupido regnandi, vt velim præeſſe domibus vacuis habitatore nobili, & precioſa ſupellectili. Vt cœpit tua ſæua feritas, poſt famulos Regem ſolio diripiat, trahat, conſpuat, colaphis cædat, ad vltimum iugulet. Rex regum iſta miſerans videt, & ſecum, vt credo, regnaturum ad æternam vitam transferet. Vnde noueris, quod pro amore vitæ temporalis Chriſtianus Rex Eadmundus non ſe ſubdet pagano duci, niſi prius effectus X.
fueris compos noſtræ religionis, malens eſſe ſignifer in caſtris æterni Regis.

VIX ſanctus vir verba compleuerat, & renunciaturus miles pedem domo extulerat, cum ecce Inguar obuius iubet breuiloquio vt vtatur, illi pandens per omnia arcana Regis vltima. Quæ ille dum exequitur, imperat tyrannus circumfundi omnem turbam ſuorum interius, ſolumque Regem teneri, quem ſuis legibus rebellem iam cognouerat. Tunc ſanctus Rex Eadmundus in palatio vt membrum Chriſti, proiectis armis, capitur & vinculis arctioribus arctatus, conſtringitur, atque innocens ſiſtitur ante impium ducem, quaſi Chriſtus ante Pilatum præſidem, cupiens eius ſequi veſtigia, qui pro nobis immolatus eſt hoſtia. Vinctus itaque multis modis illuditur, ac [a] tandem fuſtigatus acri inſtantia, perducitur ad quandam arborem vicinam: ad quam religatus flagris diriſſimis diutiſſime vexatur, nec vincitur, ſemper Chriſtum inuocando flebilibus vocibus. Quare aduerſarij in furorem verſi, quaſi ludendo ad ſignū, eum toto [b] corpore ſagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatus crebris telorum ictibus: quoniam vulnera vulneribus imprimebant, dum iacula iaculis locum dabant. Sicque factum eſt, vt ſpiculorum terebratis aculeis circumfoſſus palpitans horreret, velut aſper hericius, aut ſpinis hirtus carduus, in paſſione ſimilis Sebaſtiano egregio martyri. Cumque nec ſic Inguar furcifer eum laniſtis aſſenſum præbere conſpiceret, Chriſtum inclamantem iugiter, lictori mandat protinus, vt amputet caput eius. Ille ſeminecem, cui adhuc vitalis calor palpitabat in tepido pectore, vt vix poſſet ſubſiſtere, auellit cruento ſtipite feſtinus, auulſumque retectis coſtarum latebris præ punctionibus crebris, ac ſi raptum eculeo, aut ſæuis tortorum vngulis, iubet caput extendere, quod ſemper fuerat inſigne regali diademate. Cumque ſtaret mitiſſimus, vt aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam ſeculo, diuinis intentus beneficiis, iam recreabatur viſione internæ lucis, qua in agone poſitus, ſatiari cupiebat attentius. Vnde inter verba orationis eum arrepto pugione ſpiculator vno ictu decapitando, hac luce priuauit. Atque ita duodecimo Calendas Decembris Deo gratiſſimum holocauſtum Eadmundus, igne paſſionis examinatus, cum palma vi- XI.
ctoriæ & corona iuſtitiæ, Rex & martyr intrauit Senatum curiæ cæleſtis.

Anno 870. Sanctus Rex à Barbaris capitur & alligatur.
Vide Matth. Vveſtmonaſt. in Floribus hiſt. Baron. anno vbi ſup.
a Flagris diriſſimis cæditur.
b Telis confoditur.
Caput ei amputatur.

TALIQVE exitu Crucis mortificationem, quam iugiter in ſuo corpore Rex pertulit, Chriſti Domini ſui ſecutus veſtigia conſummauit. Ille quidem purus ſceleris, in columna, ad quam vinctus fuit, ſanguinem non pro ſe, ſed pro nobis flagellorum ſuorum ſigna reliquit: iſte pro adipiſcenda gloria immarceſcibili cruentato ſtipite ſimiles pœnas dedit. Ille integer vitæ, ob detergendam rubiginem noſtrorum facinorum, ſuſtinuit benigniſſimus immanium clauorum acerbitatem in palmis & pedibus: iſte propter amorem nominis Domini, toto corpore grauibus ſagittis horridus, & medullitus aſperitate tormentorum dilaniatus, in confeſſione patienter perſtitit, quam ad vltimum, accepta capitali ſententia, finiuit. Cuius corpus ita truncum & aculeis hirſutum relinquentes, cum ſuo authore Dani miniſtri diaboli, illud caput ſanctum, quod non impinguauerat peccatoris oleum, ſed certi myſterij ſacramentum in ſyluam cui vocabulum eſt Hagileſdum recedentes abſportauerunt, ac inter denſa veprium fruteta longius proiectum occuluerunt, id omni ſagacitate elaborantes, ne à Chriſtianis, quos vix paucos reliquerant, ſacratiſſimum corpus martyris cum capite, pro tumulantium modulo honeſtæ traderetur ſepulturæ. Huic autem ſpectaculo tam horribili quidam noſtræ religionis deliteſcendo interfuit, quem ſubtractum, vt credimus, paganorum gladiis, diuina prouidentia ad manifeſtandum huius rei indaginem reſeruauit, licet omnino ignorauerit, quid de capite factum eſſet, niſi quod cum eo XII.
carnifices Danos interiorem ſyluam petere conſpexiſſet.

Caput eius ſanctiſſimū impii illi in vepres abiiciunt.
Vide eundē Vveſtmonaſt. ibid.

QVAMOBREM quantulacunque reddita Eccleſiis pace cœperunt Chriſtiani de latibulis conſurgere, diligenti inquiſitione ſatagentes, vt caput ſui Regis & martyris inuentum reliquo corpori vnirent, & iuxta ſuam facultatem condigno honore reconderent. Siquidem paganis abeuntibus, & depopulationi* quoquo locorum operam dantibus, illud corpus ſanctiſſimum adhuc ſub dio poſitum, facillimè eſt repertum in eodem campo, vbi Rex occubuit, completo curſu ſui certaminis. Quo, propter antiquam beneficiorum memoriam, & ingenuam Regis clementiam, populi vndique gratuito confluentes, cœperunt mœſto animo grauiter ferre, quod claruiſſent tanta corporis portione. Quorum animis ſuperna inſpirauit benignitas, poſtquam audierunt illius verba vtilia, qui tantæ viſionis, vt dictum eſt, particeps adſtiterat, vt collecta plurimorum multitudine, quaquauerſum per inuia ſyluarum experirentur, ſi ad id loci deuenire contingeret, quo viri ſancti caput iaceret. Pro certo etenim omnibus veræ ſapientibus inerat, quod alienæ ſectæ cultores inuidēdo noſtræ fidei, ſuſtuliſſent caput martyris, quod nō longius intra denſitatē ſaltus abſcondiſſent, aut vili ceſpite obrutū, aut auibus & feris deuorandum. Cumq; inito conſilio omnes pari affectu ad id concurrerent,

*in regione ſcilicet Eſtanglorū, vt habet Vveſtmonaſt.
Inuentio corporis eius.

rent, decreuerunt vt cornibus vel tubis ductilibus ſinguli contenti eſſent, quatenus circuncirca peruagantes, vocibus aut turbarum ſtrepitu ſibi mutuo innuerent, ne aut luſtrata repeterent, aut non luſtrata deſererent. Quod vt factum eſt, res dictu mirabilis & ſeculis inaudita contigit. Quippe caput ſancti Regis longius remotum à ſuo corpore, prorupit in voce abſque fibrarum opitulatione, aut arteriarum præcordiali munere. Veſpillonum ſanè more pluribus pedetentim inuia perluſtrantibus, cum iam poſſet audiri loquens, ad voces ſe inuicem cohortantium, & vtpote ſocij ad ſocium, alternatim clamantium, Vbi es? illud reſpondebat, deſignando locum, patria lingua dicens: Her, her, her: quod interpretatum Latinus ſermo exprimit: Hic, hic, hic. Nec vnquam, eadem repetendo, clamare deſtitit, quoad omnes ad ſe perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrum intra meatus faucium, manifeſtans in ſe Verbigenæ magnalia, qui rudenti aſellæ humana compegit verba, vt increparet Prophetæ inſipientiam. Cui miraculo rerum conditor aliud annexuit, dum cæleſti theſauro inſolitum cuſtodem dedit. Quippe immanis lupus eo loci diuina miſeratione eſt repertus, qui illud ſacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humi, excubias impendens martyri. Nec ſibi depoſitum permiſit lædere quampiam beſtiarum, quod inuiolabile, ſolotenus proſtratus, oblita voracitate, ſeruabat attentius. Quod ſtupefacti videntes qui confluxerant, beatiſſimum Regem & martyrem Eadmundum, illi viro deſideriorum iudicauerunt meritis ſimilem, qui inter eſurientium rictus leonum, illæſus ſpreuit minas inſidiantium.

Nota illuſtre inprimis miraculum. Vveſtmonaſt. ibid.
Iræ cepiſtis.
Num. 22.
2. Pet. 2.
Aliud haud vulgare miraculum.
Dan. 6. & 14.

ſIII. Assvmentes ergo vnanimi deuotione quã inuenerant Inæſtimabilis precij margaritam, cum profuſis præ gaudio lachrymarum imbribus, retulerunt ad ſuum corpus, benedicentes Deum in hymnis & laudibus, proſequente vſque ad locum ſepulcri lupo, earundem reliquiarum cuſtode & baiulo. Qui eis à tergo imminens, & quaſi pro perdito pignore lugens, cum neminem etiam irritatus læderet, nemini importunus exiſteret, nota dilectæ ſolitudinis ſecreta illæſus repetiit: nec vlterius in illis locis lupus, ſpecie tam terribilis, apparuit. Quo tandem recedente, cum ſumma diligentia & omni ſagacitatis ſtudio aptantes, quibus creditum eſt, caput corpori ſancto, pro tempore tradiderunt vtrunque pariter iunctum competenti mauſoleo. Quo loco etiam, ædificata vili opere deſuper baſilica, multis annis requieuit humatus, donec ſedatis omnino bellorum incendiis, & valida tempeſtate perſecutionis, cœpit reſpirare religioſa pietas fidelium, erepta de preſſuris tribulationum. Quæ vbi tempus opportunum inuenit, deuotionem, quam erga beatiſſimum Regem & martyrem Eadmundum habuit, operum exhibitione multipliciter propalauit. Idem namque ſanctus ſub vili tugurio ſanctificatæ domus, cuius eſſet apud Deum meriti, crebris manifeſtabat miraculorum ſignis. Quibus rebus permota eiuſdem prouinciæ multitudo, non ſolum vulgi, ſed etiam nobilium, in villa regia, quæ lingua Anglorum * Bedricesgueord dicitur, Latina vero * Bedrici curtis vocatur, conſtruxit permaximam miro ligneo tabulatu eccleſiam, ad quam eum, vt decebat, tranſtulit cum magna gloria.

Sepultura eius, in loco Heton nũc ab incolis nuncupato, vt habet Vveſtmonaſt.
Miſcul a ad tumulũ ſancti regis.
* Bedrichſvvorr
* Beodrici.

XIV. Sed mirum dictu, cum illud precioſum corpus martyris putrefactum putaretur ob diuturnum ſpatium tranſacti temporis, ita ſanum & incolume eſt repertum, vt non dicam caput redintegratum & compaginatum corpori, ſed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cum reuerentia nominandus ſanctus Rex & martyr Eadmundus, integer & viuenti ſimilimus, ad prædictum locum eſt tranſlatus, vbi adhuc in eadem forma expectat beatæ reſurrectionis gaudia repromiſſa. Tantum in eius collo, ob ſignum martyrij, rubet vna tenuiſſima riga in modum fili coccinei: ſicut reſtari erat ſolita quædam beatæ recordationis fœmina, Oſuuen vocabulo dicta: quæ paulo ante hæc noſtra moderna tempora apud eius ſacroſanctum tumulum ieiuniis & orationibus vacans, multa tranſegit annorum curricula. Cui venerabili fœminæ aut diuina reuelatione, aut nimia deuotione mos inoleuit, vt patefacto beati martyris ſepulcro, quotannis in Dominica cœna eius attondendo præcideret capillos & vngues. Quæ omnia diligenter colligens, & in capſella recondens, non neglexit quandiu vixit, excolere mira affectione, poſita ſuper altare eiuſdem eccleſiæ, vbi adhuc reſeruantur debita veneratione.

Præclarum inprimis miraculũ.
Riga, pro linea
Ecce creſcũt pili & vngues in eius exanimi corpore.

XV. Sed & beatæ memoriæ Theodredus, eiuſdem prouinciæ religioſus Epiſcopus, qui propter meritorum prærogatiuam Bonus appellabatur, quod de incorruptione ſancti Regis diximus, tali ordine eſt expertus. Cum, vt narrare adorſi ſumus, præfato loco, martyris tumulationi congruo, à quibuſque religioſis multa conferrentur donaria, & ornamenta in auro & argento precioſiſſima? quidam malignæ mentis homines, omnis boni immemores, aggreſſi ſunt ſub nocturno ſilentio eandem infringere baſilicam latrocinandi ſtudio. Fuerunt autem octo, qui abſque vlla reuerentia ſancti, decreuerant ſatisfacere ſuæ veſanæ voluntati, rapiendo furtim omnia, quæcunque inueniſſent ſibi vtilia intra eiuſdem monaſterij ſepta. Vnde ſumptis machinis & quibuslibet vtenſilibus, quibus ad id perficiendum habebant opus, quadam nocte aggrediuntur præmeditatum facinus & ſtantes in atrio eccleſiæ, diuerſo conatu vnuſquiſque inſtat conceptæ nequitiæ. Quorum alius ſcalam poſtibus applicat, vt per inſertam feneſtram ſe ingerat: alius cum lima aut fabrili malleo inſtat ſeræ aut peſſulo: alij cum vangis & ligonibus ſuffoſſionem parietis machinantur. Sicque diſpoſito opere, cum ſinguli certatim inſudant pro virium facultate, ſanctus martyr eos ligat in ipſo ſuo conamine, vt nec pedem loco poſſent mouere, nec arreptum officium deſerere: ſed alius cum ſua ſcala penderet ſublimis in aëre, alius palam incuruus foſſor fieret, qui ad id operis furtiuus veniſſet. Intereà quidam matriculariorum, qui intra baſilicam iacebat, ſomno excitus, lecto procumbebat inuitus, quem martyris potentia ſuo conatu vinxerat, ne ſuis obuius factis mirabilibus ſonus fragoris creber, cuſtodis pulſaret aures interius. Sed quid dicam, non poſſe ſurgere, quando nec in vocem poterat erumpere? Tandem mane adhuc perſiſtentes fures in cœpto opere, comprehenſi à pluribus, traduntur vinculis arctioribus, & tandem prædicti ſancti Epiſcopi Theodredi iudicio ſubduntur. Qui inpræmeditatus ſententiam dedit, quam ſe dediſſe poſtea omni tempore vitæ ſuæ pœnituit. Nam omnes ſimul iuſſit affigi patibulis, eo quod auſi fuiſſent atrium ſancti Eadmundi martyris furtiuè ingredi, non reducens ad memoriam, quod Dominus per Prophetam admonet: Eos, qui ducuntur ad mortem, eruere ne ceſſes, factum quoque Eliſei Prophetæ, qui latrunculos de Samaria paſtos pane & aqua, remiſit ad propria, dicens Regi volenti percutere ilico, quod non eos cepiſſet in gladio & arcu ſuo. Apoſtoli etiam præceptum, quod dicit: Secularia negocia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, id eſt, viros ſeculares, conſtituite ad iudicandum. Vnde Canonum authoritas prohibet, ne quis Epiſcopus, aut quilibet de Clero, delatoris fungatur officio: quoniam ſatis dedecet miniſtros vitæ cæleſtis, aſſenſum præbere in mortem cuiuslibet hominis. Quamobrem prædictus Epiſcopus in ſe reuerſus, grauiter indoluit, & ſibi pœnitentiam indicens, diutius ſe grauibus lamentis dedit. Qua tandem peracta pœnitentia, populis ſuæ diœceſeos mandat, mandando conuocat, conuocando ſuppliciter perſuadet, vt triduano ieiunio à ſe diuinæ indignationis iracundiam remoueant, remouendo auertant: quatenus ſacrificio ſpiritus contribulati placatus Dominus, illi ſuam gratiam concederet, qua corpus beati martyris tangere & leuare auderet: qui licet tantis virtutibus floreret in mundo, vili tamen & ſibi incongruo continebatur mauſoleo, factumque eſt: & illud ſanctiſſimi Regis corpus ante dilaceratum & truncum, ita vt iam retulimus, vnitum & incorruptum reperit, tetigit, lauit, & rurſum nouis & optimis veſtibus indutum, ligneo locello repoſuit benedicens Deum, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, & glorioſus in omnibus operibus ſuis.

Obſerua piſcam deuotionem.
Sacrilegi diuinitus puniuntur.
Prou. 24.
4. Reg. 6.
1. Cor. 6.
Corpus S. Regis poſt multa annorum curricula inuenitur vnitum & incorruptum.
Pſal. 67.

XV. Non piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, Leofuſtano vocabulo, qui iuuenilis ætatis impetum non refrenans, ad id flagitij laſciuiendo prorupit, vt ſibi quadam ſingularis potentiæ authoritate præciperet oſtendi

corpus

corpus tanti martyris. Cumque adhiberetur à pluribus, maxime tamen à ſuis fidelibus, prævaluit imperium eius: quoniam propter arrogantiam ſuæ nobilitatis, omnibus erat terrori. Reſerato ergo locello, adſtitit, adſpexit, & eodem momento in amentiam verſum, tradidit illum Deus in reprobum ſenſum: ac pœna ſua didicit, quia præſumpſiſſet quod non licuit. Quod audiens pater eius, vir religioſus admodum, cui erat Alfgarus vocabulum, exhorruit facinus flagitioſiſſimum, ac martyri gratias retulit, filiumque à ſe remouit. Qui tandem ad ſummam inopiam perductus, iudicio Dei vitam finiuit à vermibus conſumptus. Sicque ſanctus Rex & martyr Eadmundus omnibus innotuit, non ſe eſſe inferiorem meritis Laurentij beati Leuitæ & martyris: cuius corpus, vt refert beatus pater Gregorius, cum quidam ſeu digni, ſeu indigni leuare volentes conſpicerent, contigit vt ſeptem ex eis ibidem ſubita morte perirent. O quanta reuerentia locus ille dignus exiſtit, qui ſub ſpecie dormientis tantum Christi teſtem continet, & in quo tantæ virtutes fiunt, & factæ eſſe referuntur, quantas hac tempeſtate apud Anglos nuſquam alibi audiuimus: quas ego breuitatis ſtudio prætereo, ne alicuius faſtidioſi offenſam incurrerem iuſto prolixior, credens iſta poſſe ſufficere, quæ dicta ſunt, ardenti deſiderio eorum, qui præter Deum huius martyris patrocinio nil præferunt. De quo conſtat, ſicut & de aliis ſanctis omnibus, iam cum Chriſto regnantibus, quod licet eius anima ſit in cæleſti gloria, non tamen per viſitationem die noctuque longe eſt à corporis præſentia, cum quo promeruit ea, quibus iam perfruitur, beatæ immortalitatis gaudia. Nam dum in æterna patria ei iungitur, qui vbique totus eſt, de eo habet poſſe, quicquid habuerit & velle, præter id ſolum, quod infatigabili deſiderio concupiſcit, vt per reſurrectionem circundetur ſtola demutatæ carnis: quoniam tunc erit perfecta beatitudo ſanctorum, cum ad id fuerit, Chriſto largiente, peruentum.

Temeritas viri potētis terribiliter caſtigatur

Lib. 3. Epiſt. 30 vbi dicūtur omnes intra decē dies mortui.

Aſſumpto corpore, perfecta erit beatitudo ſanctorum.

Sed de hoc ſancto martyre æſtimari licet, cuius ſit ſanctitatis in hac vita, cuius caro mortua præfert quoddam reſurrectionis decus ſine ſui labe aliqua: quandoquidem eos, qui huiuſcemodi munere donati ſunt, extollant Catholici patres ſuæ relationis indiculo, de ſingulari virginitatis adepto priuilegio: dicentes quod iuſta remuneratione etiam hic gaudent præter morem de carnis incorruptione, qui eam vſque ad mortem ſeruauerunt, non ſine iugis martyrij valida perſecutione. Quid enim maius ſub charitate Chriſtianæ fidei, quam adipiſci hominem cum gratia, quod habet Angelus ex natura? Vnde diuinum oraculum quaſi ſingulari quodam dono repromittit, quod virgines ſequentur Agnum, quocunque ierit. Conſiderandum igitur, quis iſte fuerit, qui in regni culmine inter tot diuitias & luxus ſeculi, ſemetipſum, calcata carnis petulantia, vincere ſtuduit, quod eius oſtendit caro incorrupta. Cui humano obſequio famulantes, ſatagant illi ea placere munditia, quam ei perpetuo placuiſſe manifeſtant membra incorrupta, & ſi non poſſunt virgineo flore pudicitiæ, ſaltem expertæ voluptatis iugi mortificatione. Quoniam ſi illa ſanctæ animæ inuiſibilis & illocabilis præſentia alicuius famulantium ſpurcitia offendatur, timendum eſt, quod Propheta terribiliter comminatur: In terra ſanctorum iniqua geſſit: & ideo gloriam Domini non videbit. Cuius terrore ſententiæ permoti, huius ſancti Eadmundi Regis & martyris imploremus patrocinium, vt nos cum ſibi digne famulantibus expiet à peccatis, quibus meremur ſupplicium, per eum, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. XVII.

Virginitatis priuilegium.

Apoc. 14.

Iſa. 26.

Hoc loco ſequebatur Libellus de Miraculis S. Eadmundi Regis & martyris ſed alio, vt equidem ſentio, authore: qui quòd verboſior eſſet, & non pauca Libelli capita deeſſent, eum ob vitandam prolixitatem omiſimus.

S. Eadmundi Regis martyrij cauſam copioſè deſcriptam, apud ſæpius citatum Matthæum Weſtmonaſterienſem in Florib. hiſtoriarum anno 870. offendes.

An. 520. DE S. SYLVESTRO CAVILLONENSI EPISCOPO, EX DIVI GREGORII ARCHIEPISCOPI TVRONENSIS DE GLORIA CONFESSORUM, CAP. 85.

20. Nov.

Multi ægri meritis ſancti Syluestri ſanantur.

BEATISSIMVS vero Syluester Cauillonenſem rexit Eccleſiam: qui quadraginta duobus annis ſacerdotio miniſtrato, plenus dierum atque virtutum migrauit ad Dominum. Habuit autem lectulum funibus ſubtilibus innexum, ſub quo cum ſemel atque iterum infirmi, ſiue quartanarij, ſiue variis febribus oppreſſi, ſubderentur, ſtatim virtute diuinitus indita ſanabantur. Idcirco hic lectulus in eccleſiæ ſacrarium deportatus, ſimili virtute niteſcit. Multi enim ſicut oculis propriis inſpexi, abſciſſis de funibus illis particulis in longinquum deferebant, ipſiſque ſuper infirmos locatis, ſanitatis adeſſe beneficium contuebantur. Nam mater mea ab hoc deciſam particulam vt puellæ à frigoriis febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplo depreſſo, puellam ſanam adſpexit.

An. 980. VITA S. BERNVVARDI XIII. HILDESHEIMENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI, AVTORE TANGMARO PRESBYTERO. PER R. P. CHRISTOPHORVM BROVVERVM S.I. PRESBYTERVM IN SYDERIBVS SANCTORVM luci data.

20. Nov.

DIVINÆ prouidentiæ ſapientem admirabilemque diſpoſitionem, ratio humana, nec liquide intueri, nec digne ſuppetit admirari. Miris enim diuinæ clementiæ beneficiis, quotidianis ſucceſſibus ſuſtentamur; vt grauis culpa videatur eſſe, Dei laudes tacere, cum manifeſtiſſime ſcriptum ſit. Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt: His itaque angelicis oraculis perſuaſus, imo compulſus, ego peccator & indignus Presbyter Tangmarus, humillimus quoque ſanctæ noſtræ Eccleſiæ Bibliothecarius, & Notarius, magnifica geſta memorabilis viri, Domini ſcilicet Bernvvardi noſtri Epiſcopi colligere aggreſſus ſum, non vanitatis faſtu prouocatus, Deo teſte, ſed ſi quid imitabile Dei clementia, in illis elucerer, diuinæ pietatis gratiam, de cuius rore fluxit, poſteris prædicarem, & illos tali exemplo, ad profectum virtutum incitarem. Et, quia hoc ipſo ignorante, ſubire temerarium ſcini, diu cunctatus, hæc publicè cum illo confabulari, tandem opportunitate nacta, aditum tentaui. Primo itaque forti auctoritate aduerſabatur mihi; nam in cunctis iactantiam & popularem fauorem, ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem, cum ſæpius ingererem, graue peccatum eſſe, bona opera cælare, ne alij tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat, luceat lux veſtra coram hominibus, &c. ceſſit meo arbitratu, quæ compingerem relinquens, quia à puero mecum vſque ad iuuenilem ætatem conuerſatus, quaſi filius, patri familiarius adhæſit, & conuixit, nec aliquid in omni ſtudio eius vitæ meam conſcientiam fraudare potuit, quin pleniſſime ſcirem. Prol.

Tob. 12.

Matth. 5

Tangmarus S. Bernvvardi præceptor.

S. Bernvvardi progenies: Ex comitibus Somerſcenburgenſibus, vt infra tradit Auctor.

ORTVS eſt igitur egregiæ indolis puer Bernvvardus claro noſtræ gentis ſanguine, ex filia Athelberonis Palatini Comitis: & [a] traditur Domino Oſdago noſtro Epiſcopo à ſuo auunculo religioſo Diacono Folcmaro, poſt quoque Traiectenſi Epiſcopo, & amborum diligentia, meæ paruitati, qui Primicerius ſcholæ puerorum præeram, litte- L

[a] Puer Oſdago Hildelheim. Epiſcopo offertur.

ris

ris imbuendus, moribus etiam inſtruendus deputatur. Quem omni deuotione ſuſceptum, intellectus illius capacitatem, primo diuinæ paginæ leuiore lacte, tentandam exiſtimaui. Mox itaque, vt de ſancto Daniele legitur, inueni in illo decuplum in omni intelligentia ſuper coæuos eius. Mirum nempe in modum tenera ætas cæleſti radiata lumine, ſubtili meditatione interiora diuini ſophiſmatis ingenti ſtudio rimabatur: Nunc communi ſtudio cum alijs, nunc, quos diligentiores in ſancto meditamine cernebat, ſecum familiarius aſſumens, propoſitis quæſtiunculis ſcrupuloſa quæq; ad medullam euentilabat; more prudentiſſimæ apis ſingulas lectiones, quas in ſcholis diuerſis libris exponebam, remotiori loco ſedens, intento auditu captabat, quæ tamen poſtea pueris confidens felici furto perlecta docebat; & illorum ſcientiæ imprimebat. Gratanti deniq; affectu amplectebar, felici furto lectionis, puerum indolis; multoq; vigilantius inſtiti ingenium illius ad ſcientiã veri ſophiſmatis excitare. Nihilominus ergo venerabilis Dominus Oſdagus, quodam menti præſagio, magnum quid futurum in illo præuidens, Exorciſtã ordinauit, diligentius me adhortatus, item [a] itemq; curam illius agere, quem etiam mecum interdum in ſeruitium Domini Epiſcopi extra monaſterium excedens, ducebam; vt illius ingenium, quod in multitudine Ephebotum diſcernere, & ad votum meum diſcutere non potui, illis remotis, ſingulari ſtudio ſubtilius diligentiuſq; euentilarem, mirumq; in modum vario virtutum pigmentario, vltra id ætatis reſperſum reperirem. Nam ſæpe totum diem inter equitandum [a] illudendo attriuimus; nunc [b] legendo nõ minus prolixam lectiunem, quã ſi in ſcholis ad hanc vacaremus: nunc poëtiz ludi per viam metro colluſimus; inde ad proſaicam palæſtram alternantes exercitium; interdum ſimplici contextu rationem contulimus, ſæpe ſyllogiſticis cauillationibus deſudauimus. Ipſe quoq; me crebro, etſi verecunde, acutis tamen & ex intimo aditu Philoſophiæ prolatis quæſtionibus ſollicitabat, tanta ergo facilitate capitum eius ingenium mihi applaudebat: pene enim nulla hora, nec refectionis quidem, deſidiæ illum arguebat. Et quanquam viuaciſſimo igne animi, in omni liberali ſcientia deflagraret, nihilominus tamen in leuioribus artibus, quas [c] mechanicas vocant, ſtudium impertiuit. In ſcribendo verò, apprimè enituit. Picturam etiam limatè exercuit. Fabrili [d] quoq; ſcientia & arte cluſoria, omnique ſtructura mirificè excelluit, vt in pleriſque ædificijs, quę pompatico decore compoſuit, poſt quoque claruit. In negotijs verò domeſticis, & ad vſum familiaris rei pertinentibus viuaciſſimus executor, ac iã à puero in eis innutritus, calluit. Huiuſmodi Deo gratæ & hominibus acceptæ indolis gratia, Domino Epiſcopo apud quem verſabatur, omnique congregatione, dignus & familiaris efficiebatur, propinquorumque dilectioni probatiſſimus habebatur. Auus [e] quippe eius Athelbero Palatinus Comes, vir plurima virtutum laude inſignis, qui commiſſæ præfecturæ exactionem magis ex debito, quam ex intentione gerebat, cum, prole vtriuſque ſexus, feliciſſime abundaret, hunc præclarum adoleſcentem primis auſpicijs pubeſcentis decoris florentem, in affectum filij [f] adoptauit. In quo, quia ſalutaris conſilij ſtationem ſaluberrimam reperit, familiarius ſibi adiunxit, vt ne minimum quid, ſine eius conſultu ageret.

Hildeſheimꝫ a Tang mano eru ditur. Ingenio & [illegible] excellit æquales.

Exorciſta ordinatur ab Oſdago. Ingenium Bernvvardi magiſter explorat.

[a] equitando.

[b] Exercitationes variæ diſputationum.

Mechanicis operam quoque dat Bernvvardus.

[d] Architectonice.

[e] Athelbero comes Palatinus Bernvvardi auus.

[f] Nepotem adoptat.

II. Adeptus ergo à VVillegiſo venerabili Archiepiſcopo Subdiaconatus gradum, aliquandiu cum illo conuerſatus eſt, & cum propter morum honeſtatem ac vitæ probitatem, religionis profectum in illo ſentiret, Diaconum illum ordinauit, interiectoq; non longo ſpatio, Presbyterij cũ honore ſublimauit. Reuerſuſq; ad præfatum Comitẽ, ſuũ videl. [g] auum, affectuoſiſſimè ab illo eſt ſuſceptus, plurimumq; rogatus, ne ab eo diſcederet, facile acquieuit. Cui, tanta humilitate ac inſtantia famulabatur, vt cæteris refrigerandi cauſa interdum remotis, ipſe dies noctesque continuans, indefeſſus ei adhæreret, ægri ſenis & æuo pleni imbecillitatem patientiſſime moreſque ſupportaret; Inter ipſum & familiam medius incederet, ſalutaribus monitis quotidie illos ad agenda informans, cum filiorum apud Comitem, vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios totum ſe profudit, magnamque gratiam inter illos conciliabat.

Bernvvardus a VVilligiſo Moguntino Archiepiſcopo gradatim ordinatur Presbyter.

[g] erga auũ pietas.

III. Et quamuis in huiuſmodi familiaritate, inuidia facile ſubrepat, hanc maxima cautela in pleriſque declinabat. Inter patrem quoque & filium, Dominum videlicet Epiſcopum Folcmarum internuntius ſæpe diſcurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipſi quoque Epiſcopo tantum complacuit, vt Dauentrienſi cœnobio, ſua vice, illum præponere vellet, fitque inter Epiſcopum & Comitem de tantæ indolis iuuene religioſa concertatio, vt vterq; pro morum gratia illum ſibi adoptare intenderet. Sed ipſe imbecillis aui infirmitatem ſuſtentare, quam Epiſcopales delicias appetere, malebat. Cum quo vſque ad diem ſui exitus fideli deuotione deſudabat. Quo [a] defuncto, ad Palatium ſe contulit in ſeruitium videlicet tertij Ottonis Imperatoris, qui ſeptennis adhuc puer, cum venerabili & ſapientiſſima matre Domina Theuphana [e] Auguſta rebus præerat. A qua hic venerabilis iuuenis benigniſſime ſuſcipitur, atque in breui ſummæ familiaritatis locum apud illam obtinuit; adeo, vt Dominum Regem † fidei illius literis imbuendum, moribuſque inſtituendum, conſenſu cunctorum procerum, commendaret. In [i] quo ita excelluit, licet quorundam inuidia morderetur, vt puer imperialis in diſcendo mirifice proficeret, & tamen ad cuncta foris obeunda liberaliſſimo negotio eius ingenium feriaret. Et cum alij Regi puero adulando obſequerentur, adeo, vt ludicra, & quæ tenera ætas poſcebat, illi perſuaderent, Imperatrix etiam vera ita affectum filij ſibi præripi, in eiuſmodi fauore in tantum emollita eſſet, vt ad omnia, quæ puerilis ætas illum impelleret ipſa grantiſſimo affectu conſentiret. hic ſolus tanta arte inſtitit, vt à non faciendis metu illum prohiberet, & tamen pleniſſimo affectu eius animũ ſibi colligaret. Interea [k] Domina Theophana Imperatrix apud Neomagum, maximo dolore totius Regni, rebus exceſſit. Vnde Dominus Rex vtroq; parente deſertus, totum ſe regendum in ſtationem fideliſſimi magiſtri contulit. Huius conſilio examinabat, quodcunq; alij adulando perſuadebant; quia, quamuis in puerilibus auſpicijs otiaretur, altiori tamen induſtria quorundam ſimulationes præuidebat. Præcipua itaque familiaritate Magiſtrum ſuum amplectebatur, nec ab vllo inferius tractari patiebatur, quem vniuerſali virtutum decore reſperſum venerabatur.

Folcmarus XVI Traiectenſis Epiſcop. [a] auunculus Bernvvardi offert illi Dauentrienſis cœnobij Præpoſituram.

[h] S. Bernvvardus Palatinus capellanus adſciſcitur.

[i] b Ottone III.

[e] Theophania Theophano & Theophano Aug.

† fidei:

[i] Præficitur Ottoni III [k] Theophano Aug. Neomagi moritur.

IV. Per [l] idem tempus venerabili Domino Gerdago decedente, hic religioſus iuuenis Bernvvardus, votis omnium ad Pontificatum eligitur. Et, cum plerique nobiles clerici Palatina militia diu certantes miſſionem optarent, conſenſus tamen omnium in hunc Deo electum iuuenem concordabat. Communi igitur electione ſancta Hildenſemenſi Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus à [m] VVillegiſo Archiepiſcopo XV. II. Kalen. Februarij Anno Incarnationis Dominicæ, nongenteſimo nonageſimo tertio. Indictione ſexta.

[l] S. Bernvvardus eligitur Epiſcopus Hildenſemenſis.

[m] A VVillegiſo conſecratus Anno 993

V. Adeptus [n] itaque Pontificatum, quanta continentia iuuenile corpus ad virtutum culmen coegerit dici non poteſt; modum in cunctis præcipuè amplectens, iuxta illud viri ſapientis. Ne quid nimis. Morum quoque grauitate mirificè ſenes ipſos ſuperabat; adeo vt ſubditos ſeneritatis cenſura ad agendam pleriſque inſtitueret. Frugalitatem verò in appetendis ciborum delicijs, in eo laudare vix vllus ſufficit. Tempore [o] vero nocturnæ quietis ſtatis compoſitus, lectioni interdum circa galli cantum intendebat; ſæpe ſomnum interrumpens, iugiuè orationi, donec clerici ad Matutinos hymnos conſurgerent, vacabat. Hymnis explens, multoties pſalmodiam in diurnum vſque crepuſculum, extendebat. Deinde aliquantulum pauſans, corpuſculum recreabat, donec item diluculo Canonicum curſum Primæ horæ perſoluebat; Quo expleto, quaſi regulariter ſub diſciplina conſtitutus, Capitulum cum fratribus, qui ſecum conuerſabantur, adijt; feriam quoque & lunationem, uo[illegible] etiam fratrum, quorum annua-

[n] Mores initio Epiſcopatus

[o] Religio in oratione, pſalmodia, ſtudijſque diuinis. Martyrologij recitandi mos.

Publicorũ negotiorũ, & pauperum cura

annualis memoriam imitabar, quotidie recitari iubebat. Oratione vero peracta, circa tertiam horam ad Miſſarum ſolemnia, feſtiue celebrationi procedens, magna animi contritione, ſeipſum Domino profudit. Inde in publicum progreſſus, forenſes cauſas & oppreſſorum negotia breuiter examinabat, quia ingenio ac facundia apprimè callebat, atq; operiebatur Clericum diſpenſatorem, qui eleemoſynæ & pauperibus præerat, quorum multitudinem, centenos videlicet, & eo amplius dietim abundantiſſimè refecit, pleroſq; etiam vel argento vel cæteris ſubſidijs, prout facultas conceſſit, ſubleuabat.

Officinarũ inſpectio. Lectio ſuper menſa. [a] Infirmos reficit. [b] 1. Cor. 9

Inde officinas, vbi diuerſi vſus metalla fiebant, circumiens, ſingulorum opera librabat, donec circa Nonam, omnibus rite peractis, cum timore & benedictione Domini, ad menſam fratrum populiq; ſtipatus frequentia, conſedit, non pompaticè quidem, ſed religioſo ſilentio cunctis ad lectionem honeſtiſſima diſciplina intentis, quæ inter cænandum non breuis legebatur. Infirmis [a] quidem fratribus, & ſenio confectis benedictionem de manu ſua hilariter dirigebat, cum tamen nullum egenum in vrbe vel in ſuburbio, quem ſciret, poſſet huiuſmodi pietate priuaret. Ita quippe, iuxta Apoſtolum, omnia [b] omnibus eſſe deſiderabat, vt omnes in Chriſto lucrifaceret.

Excitat ſtudia diuerſarum artium. Scriptoriæ. Pictoriæ & Cælaturæ. Argentariæ. Muſiuæ.

VI. Arduum & difficile eſt quotidianum eius ſtudium verbis perſtringere, quia, Deo teſte, omni niſu inter diem noctemq; perſtabat in diuinis, nihilominus quoq; cunctos ſibi adhærentes ad huiuſmodi negotium, vt ita dicam, vltra vires impellebat, nec aliquid artis erat quod non attentaret, etiamſi ad vnguem pertingere non valeret. Scriptoriæ namq; non in Monaſterio tantum, ſed in diuerſis locis ſtudebat, vnde & copioſam Bibliothecam tam diuinorum quam Philoſophicorum codicum comparauit. Picturam verò & fabrilem, atq; cluſoriam artem, & quicquid elegantius in huiuſmodi arte excogitari, vel ab aliquo inueſtigari poterat, nunquam neglectum patiebatur, adeo vt ex tranſmarinis & Schotticis vaſis, quæ Regali Maieſtati ſingulari dono deferebantur, quicquam rarum vel eximiũ reperiret, incultum tranſire non ſineret, ingenioſos namq; pueros, & eximiæ indolis ſecũ vel ad curtes ducebat, vel quocunq; longius commeabat: quos quicquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium impellebat. Muſiuum præterea in pauimentis ornandis ſtudium, nec non lateres ad regulam, propria induſtria, nullo monſtrante, compoſuit: Et vt breuiter perſtringam, nec punctum temporis in otio ſuperſedebat: ſed fidelis Dominicæ familiæ diſpenſator conſeruis ſuis neceſſaria ſubſidia fideliter miniſtrabat.

Ottoni III. ſedulo in Reip. adminiſtratione dat operam. Barbaris & Sclauis Saxoniam infeſtantibus occurrit.

Et cum in Chriſti gazophylacio, quæq; idonea ſeruit fideli deuotione congereret, non minus tamen Cæſari ſua, iuxta Euangelium perſoluebat. Nam tertio Ottoni Imperatori, affectuoſiſſimo animo pro ſcire ac poſſe obſequebatur. vnde & multorum inuidiam in ſe commouebat, qui indignabantur illum vigilantiori ſtudio Reipublicæ negotia obire. Saxonia quippe magna ex parte piratarum, cæterorumq; barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incurſionibus ſine intermiſſione patebat. quam peſtem Reipublicæ depellere magno ſui ſuorumq; periculo ſemper inſtabat: & nunc cum alijs, interdum quoque cum ſuis ſolus ſuper eos irruens, fortiter illos atterebat. Sed cum huiuſmodi irruptiones ſedari nullo modo poſſent, quippe cum barbari, qui vtrumq; littus Albiæ, & naues omnes ſua ditione tenebant, nauali euectione per omnem Saxoniam facillimè ſe infunderent, vigilantiſſimus Dei Pontifex curam commiſſæ ſibi plebis agens, quomodo populum Dei de ſæuitia barbarorum eriperet, animo fluctuabat.

Limitem Epiſcopatus præſidio firmat.

Furorem namq; ſui impetus penè Hildenſem vſq; intentabant: & ipſum ſanctum locum prædam ſibi promittebant. Diuino itaq; inſtinctu in extremo fere ſui Epiſcopatus, vbi flumina Alara & Onckara confluunt, munitiunculam admodum munitam exſtruxit, in qua copijs militum diſpoſitis, barbarorum impetum repulit, populumq; Dei ab hoſtili feritate liberauit. Dei namq; gratia tanta ſecuritas pacis per illum in locis illis, fidelibus condonata eſt, vt nihil damni vel periculi poſtea à barbaris paterentur. Hac induſtria Chriſti Sacerdotis barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circũſita loca debacchati ſunt, vnde vigilantiſſimus diuini gregis Paſtor, typo Chriſti ſui Domini aduerſarijs Eccleſiæ, exultans ad currendam viam vt fortis gigas, ſe oppoſuit, & in rure Vorinholt nuncupato, vbi tutiſſima illorum ſtatio fuerat, liberi quoque latrocinij excurſus, quocunq; ſuæ fraudis inſidias intentarent, præſidium munitiſſimum inſtituit: foſſis quoque aquarumque meatibus, per riuum influentibus tutiſſimum reddidit.

Vorinholt hoſt ſe rus fortiore propugnaculo tuetur. [c] Hildenſe. menſem agrum reddit pacatum, & à Lamberto exſtruit in honore ſacellum.

Copias quoque militum victu & armis cæteriſq; neceſſarijs inſtructas, abundantiſſimè collocauit. Diuina [c] itaq; gratia periculoſiſſimum locum populo Dei pacificum fecit & tranquillum: in tantum, vt omni ſpurcitia diabolicæ ac barbaricæ fraudis eliminata, barathrum irruptionis & hoſtilis incurſionis locum faceret orationis: & oraculum Sancti Lamberti Pontificis & Martyris Deo conſecraret: atque ab illo die, ſumma pace Eccleſię Chriſti reddita, ab omni hoſtili impetu Dei populus viuaciſſimi prouiſoris induſtria, quietiſſimè frueretur. Pro [d] his & cæteris beneficijs, quæ deuotiſſimo ſtudio in Rempublicam populumque fidelem exercuit, multorum & maximè Principum in ſe inuidiam & indignationem commouit. Vnde & à Moguntino Archiepiſcopo plura, & miſeranda apertis inimicitijs eſt perpeſſus, cuius animoſitatem patientiſſimè ferens, diuina ac Regalia benigniſſimè adminiſtrabat.

[d] Inuidia eius ſcelerum & rectè facta inſidiatur.

Eccleſiæ fundi & manſiones auctæ.

VII. Et licet plura, copioſiſſimis impenſis, ad repellendam ſæuitiam barbaricam foris impenderet dici non poteſt, quanta in Epiſcopatu ad vſum Eccleſiæ ſuæ contulit. In prædijs namq; tanta congeſſit, vt triginta vel plures præcipuos curtiles cum Litorum ac colonorum famulis, clariſſimis ædificijs prænitentes, cõpararet, cum in alijs innumerabilibus locis decem manſos vel octo, aut minus aut plus, prout caſu acciderat, in poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ conferret. Antiqua quippe loca ab anteceſſoribus ſuis poſſeſſa, quæ ille inculta reperit, optimis ædificijs colluſtrauit, inter quæ quædam elegantiori ſchemate, albo ac rubro lapide intermiſcens, muſiua pictura variè pulcherrimum opus reddidit.

Templum ab eo mirificè exornatum & doratum Codices: Thuribula. Calices: Corona.

Quid dicam, quo ſtudio ſanctum locum noſtrum vel principalem Eccleſiã nobilitauerit? cum ſeipſum & cuncta, quæ habere potuit, in eius vſum imperriri maluerit. Teſtantur eius opera, quæ futuro æuo pium illius animi votum apertis loquuntur indicijs, Eccleſiam namq; miro ſtudio decorare ardenter inſtabat: vnde exquiſita ac lucidã picturã tam parietes quam laquearia exornabat, vt ex veteri nouam putares. Fecit & ad ſolemnem proceſſionem in præcipuis Feſtis, Euangelia auro & gemmis clariſſima: thymiamateria quoque pretij & ponderis magnifici: calices nihilominus plures, & vnum ex onychino, alterum verò cryſtallinum mira induſtria appoſuit. Adhuc autem vnum aureum, valentem libras viginti publici ponderis ex puriſſimo auro, in vſum miniſterij conflauit. Coronam quoq; argento auroque radiantem miræ magnitudinis, in facie templi ſuſpendit, & alia perplura, quæ ſuperſedenda putauimus, ne faſtidium prolixitate ingeramus.

Murorum ambitu Hildenſe mœnia & turribus erigit. [e] S. Crucis Sacellum ædificat et eo ſe ſalutiferi ligni per Ottonem III donauit.

Sanctum quoque locum noſtrum murorum ambitu vallare ſumma inſtantia aggreſſus, diſpoſitis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoauit, vt decore ſimul ac munimine velut hodie patet, ſimile nil in omni Saxonia inuenias.

VIII. Sacellum [e] etiam ſplendidum valde foris, nimirum in honore mirificæ Crucis exſtruxit, cuius etiam aliquantam partem, largiente Domino tertio Otthone Auguſto Imperatore, ibidem clariſſimis gemmis auroq; incluſam condidit, vbi etiam diuina pietas plurima ſuæ pietatis indicia, apertis ſignorum miraculis per virtutem ſanctæ Crucis oſtendit. Inter quæ illud vnicum, quo Dominus Antiſtitis noſtri deuotionem conſolari dignatus eſt, inſerere libet. Nam [f] venerabilis Pontifex Bernwardus, thecam auro gemmiſque lautiſſimam, in qua viuificum lignum includeret, parauit, & cum, ex tribus particulis ſancti ligni, quantam ſi fieri poſſet, excidere tentaret, vt per

[f] Crux Bernvvardi arte, & miraculo elaborata.

vt per ſingulas [a] abſides ſingulas conderet portiones, ne gracilitas vel paruitas, quacunque ex cauſa ſectionem admitteret: cum deuotiſſimus Dei famulus animo fluctuaret; ecce ſubito inter manus ipſius Antiſtitis, quarta pars ſacratiſſimi ligni, angelico, vt creditur miniſterio ſibi delata, apparuit. Mox igitur Præſul Chriſti, lætus lignum ſanctum per quatuor abſides parauit. O quanti inde potantes ardorem vehementiſſimæ febris ſæpius, virtute ſanctæ crucis, reſtinguebant! Multotiens ortam aëris inæqualitate peſtilentiam fideles, hoc viuifico ligno ſe ſuaq; luſtrantes, ſedauerunt. Nimiam etiam ſiccitatem, prolato in publicum [a] hoc ſingulari ligno, pluuijs imperantes, repulimus; multaque virtute, ſanctiſſimi triumphi, fiunt quotidiana remedia, dum quiſque mærens ibi proſtratus prompta percipit ſolatia. Ipſum [b] verò Sacellum ſanctæ Crucis vario decore perfectum dedicauit quarto Idus Septembris anno incarnationis Dominicæ nongenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione nona; Regni verò glorioſiſſimi tertij Otthonis Imperatoris decimitertij imperij primo, ordinationis autem ſuæ quarto: locumq; [c] quondam dumis & vepribus horridum vicinis incolis, gloria tibi Chriſte, ex tuis datis, baptiſmi, ſepulturæ, vnctionis æternum fecit ſolatium.

[a] ſpicas for tè Crucis B-[Bernv]vardi à miraculis & beneficia

[b] Crucem hanc in S. Michaelis Baſilicæ cimelijs adhuc aſſeruari notat Brovverus. [b] Sacelli S. Crucis dedicatio 996. [c] Exornatio.

IX. Pro talibus igitur alijſq; piæ deuotionis actibus; quibus ad Eccleſiæ vtilitatem omni niſu mentis & corporis inſudabat, tam Deo, cordi interius præſidenti, quam Eccleſiæ operis effectum exterius approbanti, felicis memoriæ Præſul acceptiſſimus erat: & ideo conſequens fuit, vt vir beatus, cui, ſicut de ſancto Iob legitur, tunc temporis in terra ſimilis non fuiſſe putabatur, per tentationis incommoda, ſicut aliarum virtutum, etiam humilitatis & patientiæ præconio mirabilis, cunctis oſtenderetur.

S. Bernvvardus diſcutitur aduerſis.

X. Anno itaq; ordinationis ſuæ octauo grauibus inſecutionum moleſtijs pro territorio Gandenſemenſi ab Archiepiſcopo Willegiſo, plane contra Eccleſiaſticas ſanctiones impetitur; ſed eis, minimè à ſolitæ humilitatis, & patientiæ tenaci obſeruantia mouetur. His tamen, quæ Archiepiſcopus non tam iuſtæ rationis executione, quam liberæ poteſtatis præſumptione attentabat, auctoritatis conſtantia, non temeritatis audacia ſagacis ingenij vir obuiabat: & ſecundum illud Pauli, Quamdiu gentium Apoſtolus ſum, miniſterium meum honorificabo, quoaduſq; Eccleſiæ Chriſti paſtoris vice præfuit Epiſcopatus ſui iura in proprij honoris ſtatu conſeruari, ſumma ſolicitudine procurauit, quod & Deo annuente, laborioſè licet, obtinuit. Sed ne ſimilis controuerſia, de ipſa Gandeſemenſi Eccleſia valeat oboriri, omnem diſceptationis ordinem, inter Moguntienſem Archiepiſcopum & venerabilem virum Dominum Bernvvardum hic inſerere commodum duxi. Neceſſarium autem reor iſta paulò altius indagando repetere, quod tamen lectori minimè debet eſſe oneroſum, quia poſteris forſan in multis erit profuturum.

Lis inter ipſum & Willigiſum Archiepiſcopum Mogunt. ſuper Abbatia Gandeſhemenſi.

XI. Territorium Gandenſemenſe, ſitum in Pago Flenechi cum adiacentibus villis ad prouiſionem Hildenſemenſium Epiſcoporum, ex quo primum Epiſcopia per Saxoniam ſunt diſterminata, certum eſt, pertinere. Quod ex hoc cunctis ſcire cupientibus liquidò apparet; [d] quia ab ipſo principio nouellæ Chriſtianitatis, noſtræ gentis, etiam ante conſtructionem præfati Monaſterij ad curã noſtri Epiſcopij pertinebat. Temporibus namq; Domini Altfridi, qui quartus Eccleſiæ noſtræ Antiſtes extitit, Luidolphus Saxoniæ Dux cum religioſa contectrice ſua Oda, magno ſtudio in diuino cultu accenſi, conſilio Antiſtitis præſcripti, Romam perrexit: ibiq; à Domino Sergio Papa magnificè ſuſcepti, cum votum illorum in diuinis agnouit, datis [e] reliquijs ſanctorum Pręſulum Anaſtaſij & Innocentij, cum benedictione à ſe demiſit. Ad patriam itaq; Dei gratia peruenientes conſilio Domini Altfridi, cœnobium virginum Dei, primo Brunesteshuſen adunarunt: filiam quoq; † Dominã Hathumodam duodecim annos habentem, pręfato Epiſcopo in regimen intromittendam aſſignarunt, anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo quinquageſimo ſecundo Rabano Mogontiæ præſidente: omnem autem prouiſionem prædicti loci, & congregationis, Domino Altfrido commiſerunt. Vnde euolutis aliquot annis, Karolo Rabano ſuccedente, anno ſingularis natiuitatis Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſexto, auſpicatus eſt ipſe quendam locum ſuper fluuium Gande, quẽ à fluuio Gandeshem nominauit: ibique, conſentiente Duce, fabricã [f] Monaſterij maiori ambitu inchoauit; Lutberto Moguntino Epiſcopo exiſtente; qui poſt Carolum ſubintrauit. Locus namq; pratorum ac nemorum amœnitate aptior, tutior quoque ſyluarum denſitate, ac paluſtri immunitate ad habitationem Deo militantium, viſus eſt. Defuncti itaque ſunt ante conſummatam fabricam Gandenſemenſis Eccleſiæ, & [g] Dux, ac Domina Hathumod, ſepultique in antiqua Eccleſia Bruneſteshuſen: poſitaque in regimen Gerburgis prima, ſoror Dominæ Hathumod, Altfrido venerabili Epiſcopo mediante, Lutberto quoq; Mogontino Archiepiſcopo, qui Carolo ſucceſſit. Nec multo poſt deceſſit, biennio tantum emenſo venerabilis Dominus Altfridus. Conſedit autem cum Moguntinis Epiſcopis Rabano & Carolo, & duodecim annos cum Lutberto. Conſummata quoq; cum decore Hildenſemenſi Eccleſia, quam [h] ipſe à fundamentis conſtruxerat, & Dei gratia conſecrata, plenus operibus bonis deceſſit: cui ſucceſſit Marcvvardus quintus Præſul noſtræ Eccleſiæ; quatuorque annos tantum ſedens, trabes Eccleſiæ compoſuit. Poſt hunc ſubintrauit Dominus Wigbertus, ſextus Epiſcopus. Hic fabricam conſummauit, & Eccleſiam nihilominus conſecrauit. Hic omnem religionem & diſciplinam cum Domina Oda & Gerburga Abbatiſſa in præfato loco inchoauit & perfecit; eius conſilio omnia diſponebant & agebant. Præerat autem Domina Gerburgis congregationi vigintiduos annos; poſitaq; [h] eſt in noua Eccleſia iuxta Dominam Hathumodam Sororem autem eius Chriſtinam Dominus Wigbertus in regimen intromiſit, & conſecrauit. Domina quoq; Oda centeſimo ſeptimo ætatis anno, omnibus filijs præmiſſis deceſſit, Chriſtina tantum ſuperſtite; poſitaque eſt iuxta filias ſuas. Sed & ipſa Chriſtina ſex tantum annos matri ſuperuiuens, felici deceſſu migrauit ad Dominum. Dominus quoque Wigbertus conſedit cum Mogontinis Epiſcopis Lutberto Sunderaldo & Hattone. Poſt hunc Walbertus ſuccedens ſeptimus Epiſcopus, Roſwitham venerabilem fœminam, de ipſa congregatione electam, in regimen intromiſit: conſecrationes quoq; in Eccleſia prædicta, & ancillarum Dei velationes, & cætera ad Eccleſiaſtica miniſteria fecit pertinentia. Poſt VValbertum Sehardus venerabilis vir Paſtor octauus noſtræ Eccleſię ordinatur. Hic abſq; omni contradictione, quęcunque ad Eccleſiaſticum miniſterium pertinebant, in præfato loco miniſtrauit. Nonus [i] poſt Sehardum Thiothardus Antiſtes nobis præficitur; Friderico Archiepiſcopo Moguntiæ præſidente. Hic conſecrauit nouam Eccleſiam, vbi Monachæ nunc Chriſto militant; & omnia Epiſcopalia in præfato loco rite procurauit, nullo obuiante. Decimus poſt Thiethardum Dominus Otwinus præfuit. Hic Dominam Gerburgam ſecundam in Regimen conſtituit, & conſecrauit; & omnia Epiſcopalia fideliter prouidit, Domino VVilhelmo magni Otthonis filio in nullo ſibi aduerſante. Similiter Hatto & Robertus in nullo ſibi aduerſantes amiciſſimum habuerunt. VVillegiſus [k] quoq; illi ſuccedens, veritus tanti viri ſenectutem, & morum grauitatem, publicè illum percoluit; occultè verò paulò mordacius, quadam animi indignatione illi [*] adbellicabat: nil tamen in Regimine præfati Cœnobij aſperum nec verbis nec factis oſtendit. Hæc itaque ideo propoſui, vt cuncti intelligant, quanta leuitate ac temeritate ſit violatum, quod fere per ducentos annos tot venerabilium Patrum vtriuſque loci Antiſtitum concordia, roboratum, omni Canonica auctoritate fixum, atque ratum durauit. Sed ſecundi Imperatoris Ottonis [l] filia, fomes, vt pace omnium dicam, huiuſmodi diſſenſionis, dum à ſuo Epiſcopo Domino videlicet Oſdago ſacrum velamen accipere ſpernit.

Situs territorij Gandeſemenſis.

[d] Ius Hildenſis Eccleſiæ.

Hæc refer c. 4. vitæ S. Godehardi. 4 Maij.

[e] SS. Anaſtaſij & Innocentij reliquię Ludolfo Romæ donantur à Sergio Papa.

† An. 852. Hathumoda Ludolfi Ducis filia Deo dicatur Abbatiſſa poſt in Gandeſhem.

[f] Gandeſhem conditur Altfrido Epiſcopo Hildeſhemenſi anno 856.

[g] Ludolfus Saxoniæ dux cũ Hathumuda F. ſepultus in Bruneſteshuſen.

[h] Altfridus conditor baſilicæ Hildenſemenſis.

[i] Thiothardus IX. Gandeshem. [...] nouam Eccleſiam dedicat.

[k] Willigiſus M[...] archiepiſcopus [...] nomine

Pp 2 VVille-

vvinum honoris cauſa veneratur. [*] Adlatrabat forte. [l] Sophia

Gandeſhemenſis controuerſiæ origo ſub Oſdago Epiſcopo Hildeſh. a Oſdagi cum Willigiſo expoſtulatio. b Velandarum virginum celebritas, & Sophiæ velatio c Oſdagus poſitu Cathedræ ius ſuum tuetur. d Moniales ceteras ſolus velat e Ab omnibus exigit profeſſionẽ ſubiectionis & obſequij. f Synodus Gandeſhemij à beato Bernvvardo celebrata † G ſilarius.

Willegiſum appetit: indignum æſtimans, niſi à palligero conſecrari. quod ipſe libens annuit, haud conſiderans, quanta antiquia canonum ſtatuta temerauerit, nec fraterna charitate aditum quæſiuit, ſed fratri & coepiſcopo diem imperauit, vt ad velationem ancillarum Dei, in feſtiuitate ſancti Lucæ Euangeliſtæ illi occurreret. Nactus itaque opportunum tempus Dominus Oſdagus Archiepiſcopum ſecretius, qua authoritate id ageret, requiſiuit: cum ille minaci vultu mox acius ad ſuam Parochiam pertinere reſpondit, & ſtatuta die ſe ancillas Dei velaturum, omnemque Epiſcopalem poteſtatem in illo loco ſe adepturum, promiſit. Cum [a] itaque, ad diem ventum eſt, reſtitit illi plena authoritate Dominus Oſdagus, præſente Rege Domino tertio Ottone cum matre Imperatrice Domina Theophano, aſſidentibus quoque Epiſcopis, Rhetario Patherbrunnenſi Epiſcopo, Milone Mindenſi Epiſcopo, Hildewaldo Wormacienſi Epiſcopo, cum alijs Principibus, qui [b] ad ſolennitatem velandarum virginum conuenerant. Cum ergo longa diſceptatio eſſet, Dominus Oſdagus ſimplicis animi vir, diuino monitu incitatus, Epiſcopalem Cathedram ad abſidem altaris poni præcepit, hac tuitione locum ac Regimen ſibi defendens, fauentibus illi fere omnibus; quia Archiepiſcopi animoſitas; etſi metu illius diſſimularetur, cunctis tamen diſplicebat. Deſtitutus [c] itaque Archiepiſcopus, multitudinis fauore, qui prius ſuo iuri omnia promiſit, via Domina Theophano, & Epiſcopis obtinentibus, ipſo quoque, vltra quam credi poteſt ſupplicante, obtinuit, vt ad principale Altare myſteria ipſa die agerent, videlicet, vt Dominę Sophię velationem ſimul agerent, cęterarum verò [c] Dominus Oſdagus ſolus proſpiceret. factumq; eſt inſolitum, nec ante à nobis viſum, vt duo Epiſcopi ex latere Altaris pariter ſederent, Pontificalibus paramentis feſtiue infulati. Ventumq; eſt ad ancillarum Dei conſecrationem, cum Epiſcopus, qui anteà à Pontificali iure timebatur deiectus, ſubito Dei gratiâ eſt erectus. Inter Miſſarum ſolemnia primo Dominum Regem ſi in velationem ſuæ ſororis conſentiret, humiliter requiſiuit, deinde exteros Mundiburdos. Quibus [e] conſenſum fatentibus, primò Dominam Sophiam, ſi ad Hildenſemenſem ſedem ſibi ſuiſq; ſucceſſoribus ſubiectionem & obedientiam profiteretur, interrogauit, deinde alias velandas: quę vnanimi conſenſu Religionem & ſubiectionem profeſſæ ſunt, publiceq; denunciatum eſt omni clero & populo, Archiepiſcopum nil iuris ſibi in illa Eccleſia vendicare præter conſenſum & permiſſum Hildenſemenſis Epiſcopi. Omnibus quoq; ritè peractis, ſumma pace & concordia diſceſſum eſt; ſtetitq; illa vnanimitas ſub Domino Oſdago, & Gerdago, & aliquot annis Domini Bernwardi, adeo, vt eccleſias aliquas præſente Archiepiſcopo ibidem conſecraret; Synodum [f] etiam magnam haberet, præſente Domino Rege tertio Ottone, aſſidente nihilominus præfato Archiepiſcopo, cum tamen nil ſua auctoritate decerneret, præter quod aſſenſum æquè, vt alij fratres, beato Bernwardo, qui Synodo præſidebat, præbuit. Interfuerunt * Iſlarius Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Ludolphus Treuirenſis Archiepiſcopus, Milo Myndenſis Epiſcopus, Hildewaldus Wormatienſis Epiſcopus, Hugo Titienſis Epiſcopus.

g Gandeſheimenſis Abbatię melior ſtatus ab exordio ſuo.

NON tamen rata permanſit huiuſmodi concordia; quia in medium quædam emerſerunt, quæ orientem charitatem falſitatis lolio peremerunt. Odioſum quippe eſt, noſtro tempore, veritate aliquem notare, ſicut à quodam dictum eſt. Veritas odium parit; ſed ſcribentibus grauis eſt culpa, vel falſa dicere, vel vera intermittere; vnde pace cunctorum liceat dicere, quod ſcelus eſt, celare. XII.

ILLA [g] quippe pręclara Ancillarum Dei congregatio, tanto ſtudio, & deuotione Dominorum noſtrorum, parentum, patriæ Ducum, ac Regum, per Altfridum eiuſq; ſucceſſores inſtituta eſt, vt in principio omnibus imitabiles, exemplar humilitatis & charitatis florerent; Epiſcopum ſuum, à Deo ſibi præpoſitum, quaſi Dei nuntium ac patrem audirent, colerent, & amarent; omnes aduentantes, prout cuiq; perſonæ competebat, præcipua benignitate ſuſciperent. Hic illis vſus, hoc ſtudium fuit, hoc ſancto loco reuerentiam, & illis apud omnes gratiam exhibebat: hoc humilitatis priuilegio, cum pro cauſis Eccleſiæ ad Palatium citabantur, habitu non admodum nitido, vel abiecto venientes, vt veræ Dei Ancillæ habebantur, ac venerabantur. XIII.

h Deterior eiuſdem facies i Gerburgæ morbus diuturnior. k Sophiæ regalis Abbatiſſa notata & correpta clementia à S. Bernvvardo l Sophia exaſperat antiquam litẽ apud Williſgiſum

SED [h] poſtquam luxus ac ſuperfluitas acceſſit, morum inſolentia ſubintrauit, obedientia torpuit, repulſa eſt Epiſcoporum reuerentia: quod cuiq; erat placitum, faciebat licitum. Addita eſt quoq; ad augmentum mali, diutina infirmitas [i] Dominæ Gerburgæ eiuſdem Cœnobij venerabilimæ matris, in quam Dominus plurima virtutum inſignia contulit: diſceſſus quoq; religioſarum ſororum, quæ ſub nutrimine antiquæ diſciplinæ inſtitutæ fuerant. Numeroſa autem iuuentus virginum fructificauerat in tyrocinio Chriſti; quæ delicatius enutritæ, in etam prioris diſciplinæ ac ſeueritatis ignorantes, vt eſt humanum, poſt ſua deſideria declinabant. Sophia [k] quoque, Domina Gerburga inuita, multumque renitente, ad Palatium, factione Willegiſi Archiepiſcopi ſe contulit: ibique annum vel biennium commorata, diſſolubilis vitæ tramitem incedens, varium de ſe ſparſit rumorem. Quod venerabilis non ferens Bernwardus, quippe, qui illam ſemper ſummo amore & gratia percolebat, blandius illam admonitam, ad monaſterium redire perſuaſit. Cumq; illa, exteriori auditu vix verba illius admitteret, ſæpius eadẽ repetens, ad cœnobium eam repedare, familiarius admonuit. Illa [l] autẽ eius acceſſum & confabulatum primo declinauit; deinde ad Archiepiſcopum, velut ab illo patrocinanda confugit, amarioribus verbis eius animum exaſperauit; pactum fœdus in ſua velatione inanibus verbis annullauit, dicens ab illo ſe velatam, non ab Hildenſemenſi Epiſcopo; ad prouiſionem beati Bernwardi Epiſcopi minime pertinere, ad ſuam Diœceſim cœnobium Gandenſemmenſe recipere; plures ſe inueniſſe, qui hoc veraciter teſtentur. His & eiuſmodi verbis Archiepiſcopum aduerſus beatum Bernwardum grauiter commouit. Poſt hæc Gandeſem repetit, varia de ipſo Epiſcopo inter ſorores diſſeminauit, niſu quo potuit, illum loco repellere, atque abalienare parabat.

m S. Bernvvardi ad Gandeſheme[illegible] iure ſuo [illegible] & monitio.

INTEREA [m] Epiſcopus cognoſcens talia circa ſe moliri, Gandeſem venit; grauiter tulit ſe abalienari, nec aliquid honoris vel charitatis ſibi, vt anteceſſoribus ſuis, exhiberi, ſed infra extraneos Epiſcopos, ſe tractari; cum tamen ab anteceſſoribus ſuis ad ſanctum locum innumera bona collata ſunt: decimæ quoq; ex ſua parte plures, & antiquitus, & moderno tempore impenſæ; & pro his beneficijs, iniuriam & contumeliam recompenſari: tributa, quæ pro decimis ſoluenda eſſent, imminuta, ſæpe quoq; fraude negata. obedientiam. qua nulla victima Deo gratior eſt, cum humilitate, in ara cordis, perſuadet immolari; patienter ſe omnia poſſe ſuſtinere; paueant tamen Chriſtum, cuius vice fungatur in ſe offendere; nec quicquam ingerant, pro meritis ſibi ſuppetere obedientiam tamen, charitatem, & reuerentiam ſuis anteceſſoribus ab illorum maioribus exhibitam, non auſint ſua leuitate negligere. Hæc, cum paterno animo peroraſſet, maiori odio, peccatis ſtimulantibus illas in ſe concitauit, Sophia vtrobique, ex parte Archiepiſcopi ac congregationis perurgente. Inſtabat [n] autem hora, qua Domina Gerburgis Eccleſiam, quam conſtruxerat, conſecrari depoſcebat. Vnde, quia ipſa diutina infirmitate fatigata, ad obeunda tantæ feſtiuitatis ſolemnia, minime ſufficerat, Sophia, Domina & matre conſentiente, ſtudium tanti laboris aſſumpſerat; & more ſuo proprium Epiſcopum poſtponunt & abijciunt, Archiepiſcopus accerſitur, quo ordinante, cuncta [illegible] Dedicationem pertinentia diſponuntur. Conſecrationis diem ſtatuunt, Exaltationis videlicet ſanctæ Crucis ſolemnitatem. Mittitur autem & Legatus ex litteris Dominę Abbatiſſę, qui beatum Bernvvardum ad Dedicationem inuitet, diemq; denunciet. Sed quanquam plures illum anticipatum Archiepiſcopi aduocatione, obijcerent, leni tamen animo ſufferens, [illegible] præfinitum diem ſe venturum, promiſit. Interea [o] incertum, qua de cauſa Archiepiſcopus ſtatutum mutat diem [illegible]; atque eandem Dedicationem in feſtiuitatem ſancti Matthæi Apoſtoli indicit. Beato quoque XIV.

n Et dedi[illegible] Ec[illegible]

[illegible] o Dies [illegible]

Bernwardo pari poteſtate, vt olim in velatione Sophiæ venerabili Domino Oſdago, legationem dirigit, mandans, vt incunctanter illi ad Dedicationem in præfata feſtiuitate occurrat. Ipſe verò ſuum Legatum atq; ſcripta Archiepiſcopo remittit, aſtruens Imperialibus iuſſis obſtrictum, ſerijs quibuſdam occupari; nec poſſe ad Dedicationẽ, vt iuſſum eſt, ipſa die illi occurrere. In* Exaltatione tamen ſanctæ Crucis Gandeſem venit, Eccleſiam dedicaturus, ſicut Domina Abbatiſſa à principio diſpoſuit, nil paratum reperit, imò aliquos collectos, qui illi reſiſterent, & eum iniuria eijcerent, ſi forte cum ſuis Eccleſiam conſecrare violenter appeteret. hanc enim famam illæ diſperſerant, cum, Deo teſte, nihil huiuſcemodi attentaret, vel mente conciperet. Iam enim tota mente ad Archiepiſcopum confugerant, ſe atque locum eius tuitioni deuouerant; Sophia namque illi aſſiduè cohærens, & cohabitans, hæc interdiu noctuque ambigebat. Miſſarum verò ſolemnia Dominus Epiſcopus, ipſa die ibidem celebrauit, licet maxima congregationis indignatione; eaſdem tamen vt oblationes offerrent, benedictionemque perciperent, admonuit. Plebs quoque, comperto ſui Epiſcopi aduentu, quaſi ad ſolemnitatem conuenit, mœrens, & vltra quam credi poſſit, ægrè ferens, Epiſcopum inſolentia atque inobedientia, loco detrudi. Quos & omnes aduenientes limato ſermone conſolans, lachrymabili queſtu publicè commemorabat, ſe, ipſa die ad Dedicationem Eccleſiæ inuitatum, nil ſibi honoris exhibitum, imò excluſum: vnde conſecrationem Eccleſiæ, quæ ad ſe pertineat, omnibus, ſine ſuo conſenſu, Canonica auctoritate interdicit. Quia de re congregatio ſororum indignata, igne maioris indignationis accenditur; verùm cum ad oblationem ventum eſt, oblatas incredibili furore & indignatione proijciunt, ſæua maledicta Epiſcopo ingerunt. Quo inſolito tumultu perculſus, lachrymis perfuſus Antiſtes, non ſuam iniuriam, quam paruiducebat, penſans, ſed veri paſtoris pro perſecutoribus orantis exemplo, ignorantiam ſeu potius maleuolentiam furentium fœminarum deplorans, ad Altare redijt, miſſa ſuo ordine, magna animi contritione peragit, deinde populum alloquitur, benedicit, & corroborat; deductuſque honorificè ab illis, vnde venerat, repedabat. O dignæ memoriæ virum, omnium ore celebrandiſſimum, cunctorum deuotione intimè amplectendum; apud ſe quidem incredibiliter humilem, ſed apud Deum inſpectorem, eiuſque fideles, verè ſublimem. Quis eum crederet in tanto Pontificalis dignitatis honore, generis nobilitate, miniſtrorum multitudine, contra irrogatas ſibi iniurias patientiæ potius quam potentiæ clypeo, maluiſſe muniri? Sed vir beatus humanæ abiectionis probra non curabat, qui totus diuino amori mancipatus, illius tantum oculis, quem ſingulariter diligebat, placere ſummopere geſtiebat. Hæc pro commendando magnæ humilitatis exemplo ad imitationem audientium inſerere libuit, nunc ad ordinem redeamus.

Willigiſus vt potior iure S. Bernvvardum euocat.
* S. Bernvvardus Gandeshemium inuita Sophia accedit.
Miſſ. cum ſolennia celebrat.
Eccleſiæ cõſecrationẽ proiure ſuo interdicit
Male excipitur a monialibus.
Patientiæ præconium in S. Bernvvardo.

XV. INTEREA Archiepiſcopus & Sophia omnem apparatum ad nouellæ Eccleſiæ conſecrationem neceſſariam diligenter præparant, inconſulto beato Bernwardo Epiſcopo, quem tamen adiungere tentat, ſed veritâ Archiepiſcopum, votis eius obuiare, pertimeſcit. Præterea Archiepiſcopus in vigilia ſancti Matthæi ad præfatum Monaſterium venit cum Epiſcopis Rethario Patherburnenſi Epiſcopo, & Berengero Verdenſi Epiſcopo, Bernhardo quoque Duce, cum alijs plurimis; conſecraturus ſequenti die Eccleſiam. Mittuntur quoque beato Bernwardo Epiſcopo, qui eum ad ſolennitatem Eccleſiæ inuitent. Poſtera verò die adeſt diluculo vice Domini noſtri venerabilis Epiſcopus Ekhardus cum maioribus natu noſtræ Congregationis, & aliquibus primarijs de noſtro Monaſterio. Cui fandi licentiâ datâ, Archiepiſcopum cum omni honore ex nomine beati Bernwardi Epiſcopi deuoto obſequio ſalutauit, dicens: Imperiali illum obſequio detentum adeſſe non poſſe; mirari tamen vehementer, in ſua Parochia & Eccleſia ab anteceſſoribus ſuis abſque omni contradictione ſemper poſſeſſa, ſine ſuo conſenſu Eccleſiæ conſecrationem indici; fraterna charitate deprecari, vt ab huiuſcemodi inuaſione deſiſtat; nec ſe intromittat, niſi quantum Canones concedunt, ſi ſuo iuri, ſingulari priuilegio quiddam ſuffragari æſtimet, ipſum non defuturum, quin communi conſilio fratrum, vbicunque delegerit, iuſtitiam pleniſſimè exequatur. Archiepiſcopus autem acerbiori indignatione inflammatus, mandat, vt primo mane ſequentis diei, quæ tunc dominica illuceſcebat, ad Conſecrationem præfatæ Eccleſiæ incunctanter properaret, ſi venire tardaret, nihilominus Eccleſiam dedicaturum. Hanc autem iram & indignationem Archiepiſcopi aduerſus venerandum Præſulem creauit maximè, præcipua familiaritas Domini Imperatoris; quâ illum ſpeciali deuotione pietatis cæteris familiarius percoluit. Affectuoſiſſimo namque obſequio deuinxit ſibi Imperatorem, quia cuncta, quæ ad gratiam illius competere ſciebat, vigilantiſſimo ſtudio obibat; & ob hoc, animoſitatem & inuidiam plurimorum in ſe commouebat: apprimè quoque Moguntini Epiſcopi, qui indignabatur aliquem præter ſe familiaritatis locum Imperatorem habere. Dominica itaque irradiante, adeſt prædictus Epiſcopus Eckhardus, cum venerando fratrum noſtrorum cœtu & ſenatu voce Domini noſtri directis, qui Canonica authoritate & Patrum ſanctorum priſca conſuetudine obiecta, fortiter Archiepiſcopi cœptis reſtiterunt, atque ſic conſecratio præſcripti Monaſterij intercepta eſt. Ipſe verò Epiſcopus, inter miſſarum ſolennia facto ad populum ſermone Synodum ſuam biduo ante Sancti Andreæ natale, cum Banni approbatione denuntiat; deinde ad Altare regreſſus, in Cathedra ſedens, priuilegia quædam ante incognita mandat recitari; in quibus continebatur, vt nemo de iure illius Eccleſiæ auferret quicquam; hinc in decimis vel prædijs vel villarum* inueſtitura contineret, hoc quoque Banno roborauit, ſicque diſceſſum eſt. Epiſcopi* autem qui aderant, ægrè admodum Archiepiſcopi animoſitatem conqueſti, fratri & Coepiſcopo per nos mandant pertinacem ipſius & temerarium inceptum ſe coercere non poſſe; id vnum ſuppetere, vt Apoſtolicum Imperatoremque adeat, illius cauſam, illorum eſſe communem; nec ſe defuturos, quin de eiſdem vtriſque, Apoſtolico videlicet atque Imperatori, ſcriberent.

* quam * Epiſcopi cæteri a VVilligiſi cauſa alieni.

Willigiſi aduentus ad Dedicationem Bernvvardus pro ſe legatos mittit.
Ekhardus Seleſvvicenſis Epiſc. obrogat Dedicationi.
Willigiſus perſeuerat in propoſito Dedicationis
Bernvvardo officit nimia gratia Ottonis III. & æmulatio collegarum.
Dedicatio per Hildeſemenſem Legationẽ impedita.
VVilligiſus de nouo per ſynodi indictionem obnunciat.

XVI. VENERABILIS* itaq; Bernwardus vltra modum ſollicitè ferens quantulumcunq; Schiſma in Eccleſia graſſari, ſciens quoq; infuſum venenum, niſi apoſtolico & Imperiali antidoto comprimi non poſſe, quanquam graui corporis moleſtia laſſaretur, & tanquam iter imbecilli eius corpori omnimodis eſſet contrarium, tamen vt pacem reformaret, contra vires ſuas ſubire, non recuſauit. Nam iam pridem ardebat miro deſiderio, Dominum Imperatorem, quem vnicè amabat, videre. Paratis itaque tanto itineri neceſſarijs, per vallem Tarenti, quia ea via commodior eſt viſa, iter procurauit, habens ſecum omnium Ciſalpinorum Epiſcoporum ſcripta.

* S. Bernvvardus ad ſedem Apoſtol. ſibi cõfugiendum putat

XVII. PORRO Anno incarnationis Domini Milleſimo † Nonas Nouembris nimio mœrore totius congregationis plebiſque à Monaſterio egreſſus, magna compunctione deducitur; Dei gratia comitatus ad votum rebus cedentibus, ſecundo Nonas Ianuarij Romam ingreſſus eſt. Quod* humillimus ac piiſſimus Imperator audiens, miro affectu dilectum Magiſtrum videndi flagrans ad ſuam præſentiam tamen eum fatigare nolebat; Sed feſtinus à Palatio, fere duo miliaria ad Sanctum Petrum illi occurrit; benigniſſimèque ſuſceptum, inter amplexus familiariſſimè deoſculatum ad hoſpitium deduxit; diuque cum illo confabulatus, ſequenti die illum ad Palatium venire rogauit. Hoc permiſit, vt quantulumcunque de ſuo proprio miniſterium ſuum impenderet, ſed per ſex ſeptimanas, quibus apud illum morabatur, ſufficienter in vſum ſui ſuorumq; cuncta indiga largiter miniſtrari, præcepit. Manè* verò Dominum Apoſtolicum conuocauit, in occurſum chariſſimi hoſpitis; venientem quoq; foris in atrium obuiã procedentes libentiſſimè ſuſceperunt; nec permiſſus eſt ad ſuum domicilium reuerti, ſed iuxtà, vbi ipſe Dñs Imperator habitabat, ſplendidiſſimũ illi habitaculũ exhibebat. Viciſſim quoq; nunc Imparatoris cubiculo, interdũ Epiſcopi cõſiden-

† al. MI Romam proficiſcitur
* Honorifice obuiam itione ab Imp. excipitur.
* A Syluestro Pontifice vna cum Ottone colitur & hoſpitaliter habetur.

ſidentes, & forenſes cauſas & Reipublicæ neceſſaria conferebant. Nam de Archiepiſcopo, & tumultu Gandenſamenſi oborto, ante acceſſum Domini Epiſcopi fama præcurrens, cuncta diuulgauerat; vnde non opus habebat ſingula euoluere, ſed breuiter ſtrictimque, Imperatore interrogante, pauca contexuit.

Willigiſus acta ſua Synodalia Gandeſhemij proſequitur.
Ekhardus Epiſc. Bernvvardi cauſam propugnat.
VVilligiſus de iure ſuo rogat ſententiam Epiſcop.

Sed Archiepiſcopus, quod mente perceperat, actu perfecerat. Quidam enim maligni illum impulerunt; Sophia nihilominus inſtiterat. Venit itaq; biduo ante Sancti Andreæ feſtum, Gandenſem ad Synodum, vt diſpoſuerat, habens ſecum venerabilem Epiſcopum Rhetarium, alioſq; complures extraneos, videlicet de Thuringis & Haſſis, quorum id nihil intererat, nonnullos etiam de ſua Diœceſi, infra Saxoniam. Sed in principio actionis, venerandus Præſul Ekkehardus Archiepiſcopum commonet, vt à Synodo deſiſtat, nec in aliena Eccleſia talia præſumat; præcipuè cum Dominus Epiſcopus, ad quem Eccleſia pertineat, abſit; & cum Domino Apoſtolico & Imperatore conſiſtat. Adhæc, incredibili furore Archiepiſcopus ſuccenſus, toruo vultu ac minaci iubet, vt ſileat, nil ad ſe talium pertinere, vt propriam Eccleſiam habeat, illam gubernet. Contra Ekkehardus, peccatis, inquit, agentibus, termini Epiſcopatus mei Barbaricâ ſunt feritate depopulati, ciuitas deſerta, Eccleſia deſolata; ſedem non habeo, ſeruum me Sanctæ Mariæ & Hildenſemenſis recognoſco, & in cunctis quoad potero loco ſancto prodeſſe ſtudebo. Archiepiſcopus itaq; productis viris, quot adduxerat, requiſiuit Epiſcopos, ſi liceat homines illos banno ſuo ad Sacramenta conſtringere, ad cuius Diœceſim illud Cœnobium pertineat. Illi, quanquam metum illius veriti, aiunt legitimè fieri non poſſe, abſente Epiſcopo. Ekkehardus itaq; Præſul & fratres noſtri, populus quoq; orant inſtanter, Sacramenta ſuſpendi. Qua vnanimitate Cleri & plebis Archiepiſcopus commodius, prædicto Epiſcopo minatur, vt ſileat; vel cum iniuria foras eum eijciendum. Super hoc plures indignati, & aliquanti quos Archiepiſcopus adduxerat, cum propemodum tumultus oriretur, Ekkehardus Præſul ab Epiſcopis rogatus, receſſit, cunctoſque Gandeſemenſis & omnes ad Hildenſemenſem Diœceſim pertinentes ad ſuam ſynodū inuitauit. Ad cuius bannum vnanimiter omnes egreſſi illum ſecuti ſunt, tantūmodo cum Archiepiſcopo ſuis proprijs, quos adduxerat, relictis. Cùm verò de Diœceſi Sacramentis examinarentur, alij Ethrinam * Frideslarenſem fluuium terminum Hildeſemenſis Parochiæ affirmabant, errorem faciente nomine Ederna fluminis, quod Gandenſem alluit; alij certum nil ſe ſcire, niſi quantum aliorum relatu didicerint approbant; nullus aliquid, vel memoria dignum aſſeruit. Archiepiſcopis tamen, ac ſi veritate cuncta fixa conſtarent, Banno, ne quis illi Sacramento retentum Cœnobium auferret, muniuit, ſicque libero errore diſceſſum eſt. Populus verò, quicquid ab Hildenſemenſi Senatu iubebatur, obedienter obiuit.

Suffragiorum fluctuatio.
** Adrano Tacito & alijs alluens Fritesfariū oppidum.*

Romę nunciatur VVilligiſi actio contra Bernvvardum.

Interea Legatus Romam ſuper his Domino Epiſcopo dirigitur; ſcripta quoq; Domino Apoſtolico & Imperatori, lacrymoſo admodum ſtylo ferebantur. Vnde tam Apoſtolicus quam Imperator, & omnes Romani grauiter commoti, Canonum autoritatem, Patrum nihilominus traditionem violatam; contemptum quoque maximum Romanæ Sedi, & Apoſtolico, Imperatori etiam tali præſumptione irrogari; periculoſum ſcandalum in Eccleſia hac inſolentia ſcientes poſſe generare, huiuſmodi vitus penitus exſtirpandum decreuerunt. XIX.

Henricus Dux Bauariæ poſtea Imp. ſ. paci ſtudet Gandeſſemenſi.
a Synodus Romana ſub Sylueſtro in cauſa Gandeſhemēſi, &c.
** Aſſaſtico fontem ad Salutario vel Locutorio.*

Per idem tempus manſit cum Imperatore vnicum decus Imperij, Dominus Henricus, tum temporis Dux potentiſſimus, in proximo quidem Dei pietate Rex futurus, in quem Dominus theſauros diuinæ humanæq; ſapientiæ contulit. Hic grauiter ſemper ferebat Gandēſem obortam controuerſiam; atq; ardenter inſtabat eccleſiam pacificare, & ſub ſignis Chriſti militātes ad charitatem & gratiam reformare. Huius [a] itaq; ſuaſu Cleri plebiſq; coadunata eſt Synodus viginti Epiſcoporum de Romania; aliquanti etiam aderant de Italia & Tuſcia: de noſtris quoque, Sigefridus Auguſtenſis, Henricus Wirciburgenſis, Hugo etiam Iunior Cicienſis, præſidente Domino Gerberto Apoſtolico cum Imperatore in * Palatio, in Eccleſia ſancti Sebaſtiani Martyris, præſente nihilominus ſingularis meriti viro Henrico Duce pacatiſſimo, & Abbatibus, aſtantibus quoq; Presbyteris & Diaconibus, omniq; Romana dignitate. In fronte itaq; actionis poſt Euangelia lecta, & quædam patrum capitula, benedictione data, cum ſediſſent, facto ſilentio, venerabilis Epiſcopus † Bernwardus de loco ſeſſionis ſuæ modicum progreſſus, humiliter Domno Apoſtolico & Imperatori, & Domino Henrico Duci, omniq; Synodo cauſam Eccleſiæ ſuæ climato ſermone expoſuit. Cunctis itaque queſtu eius compunctis, ſapientiſſimus Papa interrogauit Concilium, ſi Synodus habenda vel vocanda eſſet, quam Archiepiſcopus cum ſuis, quos adduxerat, collegiſſet in Eccleſia ab Hildenſemenſibus ſemper poſſeſſa Epiſcopis, præcipue cum Epiſcopus defuerit, & ad Romanam ſedem pro eiſdem cauſis confugerit; vel, quo nomine tale conuenticulum vocitandum ſit, Sanctum Concilium receſſum petit, vt ſecretius inter ſe de his inquirant. Quod piiſſimus Papa libens annuit. Egreſſique ſunt ſoli Romani Epiſcopi & poſtmodum introgreſſi, cum iterum conſediſſent, Apoſtolicus ait. Quid ſancitis, fratres, de Synodo. Sanctum Concilium reſpondit. In [b] aliena Eccleſia, & ab alijs poſſeſſa nil iuris habuit; neque canonicè ibi Synodum celebrare, aut aliquid inſtituere ſine conſenſu proprij Epiſcopi, potuit; nec omnimodis Synodus dici poteſt. Sapientiſſimus Papa dixit. Ergò, quo nomine rite vocari poteſt? Sanctum concilium reſpondit. Schiſma, concilians diſcordias. Sapientiſſimus Papa dixit. Abijcienda ſunt, quæ ibi geſta ſunt? Concilium reſpondit; Canonica authoritate & ſanctorum Patrum, exterminanda ſunt, quæ ibi adinuenta, vel ſtatuta ſunt. Apoſtolicus [c] ad hæc, inquit. Apoſtolorum poteſtate, ſanctorumq; Patrum auctoritate, diſſipamus, & effringimus, & annullamus, quæ, abſente fratre, & coepiſcopo Bernwardo Gandeſem in ſua Diœceſi ab Archiepiſcopo Willegiſo, & ſuis complicibus, adinuenta, & ſacramentis ſtatuta ſunt. Et adiecit. Frater, & Epiſcopus Bernwardus petit ſibi reſtitui ſublatam veſtituram ab Archiepiſcopo; quid ſancitis, fratres? Sanctum Concilium reſpondit. Veſtituram, quam Archiepiſcopus non potuit auferre, non eſt neceſſe illi reddere. Sed, quia hoc ipſe petendo inſtat, ſi Domino Imperatori placeat, Apoſtolatus veſtri ferula, veſtitura ei redintegretur, & corroboretur. Papa reſpondit. Fiat iuxta placitum veſtri. Et [d] tradidit illi Apoſtolicam ferulam dicens. Gandeſemenſe cœnobium, cum adiacentibus villis & terminis, tuo iuri redintegro, & corroboro, & Apoſtolica ſanctorum Petri & Pauli auctoritate interdico, ne aliquis, niſi quantum Canones permittunt, tibi obſiſtat. His finitis, Dominus Apoſtolicus, quid faciendum eſſet, concilium requiſiuit. Reſponſum eſt, ſi vtriſque Principibus id conueniat, ſcripus Archiepiſcopum *, quod tam audax inceptum canonibus patrumq; regulis contrarium, vir ſummæ grauitatis attentarit; ſimul quoque, vt impoſterum à tali controuerſia deſiſtat, nec aliquid ſe intromittat, niſi canonicè emancipet; Synodum [e] quoq; Epiſcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apoſtolici deſtinari, qui Synodo præſideat, complacitum eſt. Locus † Palatij habendæ Synodi diſponitur; dies, vndecimo Kalendas Iulij denuntiatur, Fridericus [f] Cardinalis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, poſtea Rauennæ Archiepiſcopus, Saxo genere, iuuenis ætate, ſed ſenior morum probitate, Vicarius Domini Apoſtolici eligitur atque dirigitur, Apoſtolicis paramentis atque inſignijs non minus infulatus, quam ſi ipſe procedebat. XX.

† Synodi acta S. Bernvvardus cauſam ſuam Synodo exponit. Sylueſtri Papæ quæſtio ſuper VVilligiſi indictione Synod.
b Patrum ſententia de VVilligiſi Synodo.
c Sylueſter reſcindit acta VVilligiſi
d Reſtituit in integrū S. Bernvvardum.
** commonerent*
e Synodus à mandato concil. Rom. & Papæ inducitur
† Palati & Paſſubi poſtea.
f Fridericus Cardinalis

Illis [g] quippe diebus, Dominus Imperator Tiburtinam Ciuitatem, arcta obſidione vallauit. Machinis autem & pleriſq; inſtrumentis ad expugnationem paratis, foſſis etiam miræ magnitudinis, vt aquam à meatu deducerent, cum magnam vim ciuibus ingererent, nec ad deditionem cogere poſſent, Imperator inuitatur. Nec mora; adeſt cum Apoſtolico, & Venerabili Bernwardo Epiſcopo. Cumque, vt in talibus fit, alij augere obſidionem ſuaderent; alij, diuturno ac grandi labore parum ſe profeciſſe dicerent, bonum videri tantum, vt cum honore fiat, obſidionem XXI.

a Sylueſtro in Saxoniam mittitur. g Tiburtina Ciuitas ab Ottone obſidetur. Cauſam huius obſidionis habes 19. Iun. vitæ S. Romualdi cap. 23.

dionem ſolui. Imperator beatum Bernwardum Præſulem ſeorſim abducens, quid agat, conſulit; ægrè admodum ferre ſe cum iniuria, ceptis deſiſtere. Ad quem ille, Non patior, ait, ſuper his vos, anima mi, quem vita chariorem habeo, commoueri. Sed nunc, præcipite, arctiori obſidione vrbem vallari, nam, etſi reditum ad patriam deſidero, non ante à Maieſtate veſtra diuerto, quam vrbem populumque, veſtro iuri ſubactam, Dei pietate, videbo. Ad hæc Imperator lætus, dilecto gratatur Magiſtro, locum arctiori obſidione munit, milites ad expugnationem inſtruit, intrandi vel exeundi licentiam, omnibus, Imperiali auctoritate, interdicit. Aliquot diebus exactis, Dominus Bernwardus & Apoſtolicus præfatam vrbem adeunt. Ciues læti aduentantes, ſeruos Dei honorificè excipiunt, vrbi intromittunt; nec prius deſiſtunt, quam omnes pacatos Imperatoris ditioni, Dei gratia adiuti, ſubdunt. Poſtera namque die nobili triumpho ſubſequente, Epiſcopi Imperatorem adeunt: Nam cuncti primatij ciues prædictæ ciuitatis adſunt nudi, femoralibus tantum tecti, dexterâ gladios, læua ſcopas * ad Palatium prætendentes; Imperiali iure ſe ſubactos; nihil pacisci, nec ipſam quidem vitam, quos dignè iudicauerit, enſe feriat, vel pro miſericordia ad palum † ſcopis examinari faciat; ſi muros vrbis ſolo complanari votis eius ſuppetat, promptos libenti animo cuncta exſequi, nec iuſſis eius Maieſtatis, dum viuant, contradicturos. Imperator pacis mediatores Papam & Venerabilem [a] Bernwardum Epiſcopum, magnificè gratando extollit, atq; ad illorum nutum veniam tribuit; placitoque habito, vrbem non deſtrui in commune deliberant: Vrbani gratia Imperatoris donantur, vt ſe pacificè agant, nec ab Imperatore deficiant, admonentur. Romani denique, indignè ferentes Tiburtinos cum Imperatore pacatos, vrbis [b] quoque ſuæ portas ſeris muniunt, vias obſtruunt, liberè intrandi vel exeundi Romam facultas negatur; vendenti vel emendi mercimonium interdicitur; nonnulli quoque Regis amicorum, immitè perimuntur. Palatini autem à beato Bernwardo Epiſcopo ſalutaribus monitis inſtructi, confeſſione nihilominus purgati, ſacro etiam viatico inter Miſſarum ſolemnia muniti, contra egredi, & hoſtes impetere conantur. Bernwardus [c] Epiſcopus Dominicam haſtam ſubijt; ſe quoque atque omnes viuificæ crucis munimine ſignat, benedictione publicè data, ac vitalibus monitis conſolans & corroborans, ſignifer ipſe cum ſancta haſta in prima fronte aciei egredi parat. [d] Sequenti autem mane, Imperator cum ſuis poſt miſſarum ſolemnia, à venerabili Bernwardo ſacramentis cœleſtibus, ac diuinis exhortationibus conſolati, aduerſus hoſtes certamen inſtruunt, ipſo Antiſtite cum ſancta haſta terribiliter fulminante, cordis verò inſtantia pacem ab Auctore pacis ſuppliciter flagitante. Vnde contigit deuoti militis ſui precibus exoratam pacifici Regis Chriſti mox adeſſe præſentiam, cuius & in natiuitatis ortu primum pacis gaudia nuntiantur, & poſtmodum, eiuſdem pacis amatores, Euangelica [e] veritate, filiorum Dei appellatione cenſentur. Ipſius itaque pietate, totius diſcordiæ rebellione ſopita, hoſtes pacem poſcunt, arma proijciunt; in craſtinum ſe ad Palatium venturos, promittunt. Mane, Dei clementia, adſunt, pacem petunt, ſacramenta innouant, fidem ſe Imperatori perpetuò ſeruaturos promittunt. Interim piiſſimus [f] Imperator, turrim quandam aſcendens, ad illos concionabatur dicens, Auſcultate verba Patris veſtri, & attendite; & ea mente diligenter reponite.

§ Bernwardus cum Sylueſtro Pontifice incolas deditionem ſuadet Tiburtinorũ deditior.
* Scopa caſtigationis ſignata.
† Alligatos ſcilicet ceu in ſcopum ſagittis, an palum virgis cædi.
a Deditis Otto parcit.
b Romanorum ab Ottone defectio.
c Qualis hæc fuerit haſta conſule notas Browerii.
d Otto contra Romanos bellum inſtaurat.
e Romani luctuoſis animis pacem poſcunt.
f Otto III. ex edito loco alloquitur Romanos.

XXII. Vos ne eſtis mei Romani? propter vos quidem, meam patriam, propinquoſque reliqui. Amore veſtro, meos Saxones, & cunctos Theotiſcos, ſanguinem meum proieci; vos in remotas partes Imperij veſtri adduxi, quo patres veſtri cum orbem ditione premerent, nunquam pedem poſuerunt; ſcilicet vt nomen veſtrum & gloriam ad fines vſque terræ dilatarem. Vos filios adoptaui, vos cunctis prætuli. Cauſâ veſtri, dum vos omnibus præpoſui, vniuerſorum in me inuidiam commoui. Et nunc, pro omnibus his, patrem veſtrum abieciſtis, familiares meos, crudeli morte interemiſtis, me excluſiſtis, cum tamen excludere non poteſtis, quia, quos paterno animo complector, nunquam ab affectu meo exulare patior. Scio equidem, & nutu oculorum ſeditionis principes aſſigno; nec verentur, dum publicè omnium oculis notantur, nihilominus etiam fidiſſimos meos, de quorum innocentia triumpho, ſceleratorum admixtione commaculare; nec poſſe diſtingui, monſtro ſimile arbitror. Hac oratione Imperatoris, ad fletus vſque compuncti, ſatisfactionem promittunt: duos corripiunt, Benilonem, & alium quendam, quos crudeliter cæſos, nudos pedibus per gradus tractos, ſemiuiuos in præfata turri, ante Imperatorem proijciunt. Hac autem ſeditione ſedata, venerabilis [g] Pater Bernwardus ad ſanctum Paulum, orationis cauſa acceſſit; apertoque ſarcophago, ſancti Timothei, de quo in vita ſancti Sylueſtri legitur, aſtante cuſtode, quem ipſe Imperator ibi poſuerat, de integro brachium ſancti Martyris abſtulit. Presbyter quoque eius non minimam partem de eiſdem reliquijs ſecum aſportauit.

Romani oratione Imp. permoti, ei faciunt ſatis.
g S. Bernwardus tollit brachium S. Martyris Timothei, cap. 2. & 3. 31 Decemb.

XXIII. Egressi itaque Papa & Imperator, Dominica Exurge, immenſis lacrymis ciuium, non longè ab vrbe, caſtra ponunt. Beatus quoque Bernwardus Epiſcopus, iam pridem antequam vrbe excederent, accepta licentia, ad patriam redeundi, præmiſſis omnibus ſuis, ſimplici tantum veſte, Imperatorem ad duas manſiones comitatus, quinta feria eiuſdem, ab eo dimiſſus eſt. Dici non poteſt, quanto mœrore, quantis vtrorumq; lachrymis fuſis, vt in publicum procedere verrerentur. Mitiſſimus Imperator, quæ ſtylo vel legatario intimare dubitauerat, fido Magiſtro in arcanum mentis ſecretarium, ſapienti trutina liberanda commendat. Reliquias nihilominus, integrum videlicet corpus ſancti Exuperantij Martyris Diaconi, ſancti Sabini Epiſcopi, Goslariæ per illum direxit, ibidem ſua induſtria in celebri loco reponendas. Epiſcopus quoque [h] mellito affamine, magiſte ali moderamine, vt quondam puero alludebat; agenda quæque commemorabat. Fugienda ſuadebat vitia, mores omnium æquitatis lance penſare, patientiam familiariſſimam in cunctis vernaculam ſibi conciliare, ante omnia, nequid nimium pertinaciter intentet. His geſtis vnanimem Magiſtrum in hoſpitium ducens, exquiſitis donis remunerat; deinde Apoſtolico conuocato, benedictione data, chariſſimum Magiſtrum inter oſcula flentes Dei gratia in pace dimittunt. Socios quoque viæ ex ſuis, Imperator cum illo dirigit, qui eum deducant, & ad ſe remeantes ipſius ſalutem, atque itineris proſperitatem exponant. Rebus [i] itaque Dei clementia ad votum cedentibus, Papiam deuenit; vbi eius aduentu Præſules ac Comites totius Liguriæ exſpectabant. Quibus legationem Imperatoris dedit; atque in placido confidens, plura cum illis de Reipublicæ vtilitatibus, contulit. Illius namque conſilio cuncti patebant; quia quantum ab Imperatore diligeretur, ſciebant. Leo quippe Vercellenſis Epiſcopus, vir litteris eruditus, fandi quoque copia exercitatus, ad ſuam ciuitatem, maximo cum honore & affectu inuitauit, vix quoque obtinuit: præuenienſque, collecto maximo Cleri populique cœtu, in laude Dei cunctis pſallentibus, campanis etiam perſonantibus, non minori ambitu quam ſi Papa adueniret excepto, omniaque in miniſterio eius opulentiſſimo luxu, quantum imperatum eſt, impendit; donis quoque eximijs honorauit. Socios [l] etiam cum illo miſit, qui ſequenti die hoſpitium plenis copijs prouidebant. Inde, per diuerſa loca, & ciuitates veniens, plurimorum benignitate in multis locis vſus, Cluſas excedens, Alpibus Dei miſericordia ſuperatis Octodorum prætergreſſus Agaunum abijt; ibique à Rodulpho [m] Rege Burgundiæ liberaliſſimè excipitur; Qui tradit Epiſcopo in proprietatem infra Papiam cum manuſcripto tres curtiles, & ſua ſubſcriptione annulique impreſſione, roborauit. Inde Dei gratia munitus, diuertens proſpero, Deo auxiliante, itinere [n] Hildenſem, cum maximo Cleri plebiſque tripudio, in ſancta feſtiuitate Heroicæ Cœnæ intrauit. Reli-

Ab Ottone comitet ex Italia dimittitur.
Sabini pignora Goſlariam tráſfert.
SS Exuperantij & Sabini pignora.
h Ottonem admonet officij.
i S. Bernwardus Papæ conuentum agit.
k Leo Vercellenſium Epiſcopus eum excipit pontificaliter.
l Cluſæ ſunt anguſtiæ montium, militari opera interclusæ.
m Item Rudulphus Burgundiæ Rex.
n Hildeneſhemium reuertitur.

liquias quoque Sanctorum, quas aduexit, magno honore in Eccleſia condidit; immenſamque pecuniam in altaris ſeruitium atque in vſus pauperum, expendit. Totum æſtiuum tempus in exſtructione murorum ciuitatis, quam Hildenſem inchoauerat, inſtituit, interdum etiam graui ſtomachi moleſtia laborauit.

Friderici Card. Legatio in Saxoniam aduentus. Synodus Palithina, quam Willigiſus turbat.

INTEREA aſſuit ab Apoſtolico & Imperatore vice Papæ directus Cardinalis Presbyter Fridericus, omnibus inſignijs Apoſtolicis, ac ſi Papa procedat, infulatus, equis Apoſtolica ſella, Romano more oſtro inſtratis. Scripta quoque à Papa & Imperatore Epiſcopis & ceteris Principibus mittuntur, vt Romanum Legatum digno honore ſuſcipiant, eiuſq; Legationi indubitanter omnes quaſi Apoſtolicus præſens cernatur, obediant. Conuenerunt itaq; Palati ad Synodum, decimo Kalendas Iulij iuxta decretum Apoſtolici præſcriptum. Legatum verò vario affectu excipiunt, Archiepiſcopus autem, & qui ei fauebant, mira indignatione & execratione illum ſpernebant. Epiſcopus vero Bernwardus, & Lieuezo Hammenburgẽſis Archipræſul, alijq; quam plures, reuerenter eum tractabant, præcipuoque honore colebant. Sed poſtquam ad concilium ventum eſt, vix dici poterit, quanta ſeditione & tumultu agitetur. Nam nec locus ſeſſionis Vicario Apoſtolici idoneus conceditur; horribilis ſtrepitus ingeminatur, ius faſque contemnitur, canonica diſciplina annullatur, Vicarius inter Epiſcopos Lieuezonem & Bernwardum ſedens, Apoſtolici ſcripta & Legationem ad Epiſcopos ſe habere, facultatem exſequendi quæ ferat, ſibi exhiberi, orabat. Imperato denique ſilentio, primo dulci affamine, Epiſcopos de pace & charitate & concordia commonet; deinde Epiſtolam Papæ Archiepiſcopo ſpecialiter directam profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur, Quam, cum Archiepiſcopus tangere vel videre dedignaretur, Epiſcoporum iudicio palam eſt recitata; in qua ipſe Epiſcopus apertè corripitur, & de fraterna concordia, & obedientia, admonetur. Vicarius autem, quamuis Archiepiſcopum irritare magno ſtudio parceret, tamen miti affatu, quæcunque illi obijciebantur, obedienter fratrum conſultu, ſatisfacere, Apoſtolica auctoritate commonet. Super his, etſi indignatus, conſilium à fratribus & præcipuè ab Archiepiſcopo Lieuezone quærit. Adhæc ille: bonum tibi, quia læſus frater, dominorum noſtrorum Apoſtolici & Imperatoris ſuffragia petijt coram vicario, illorum Epiſcoporum iudicio ſatisfaciat. Ianuæ interim Eccleſiæ panduntur, laici intromittuntur, fit ſtrepitus tumultusque validus, Moguntinis exultantibus, arma expoſcunt, immenſas minas ingerunt, aduerſus Apoſtolici Vicarium & Beatum Bernwardum Epiſcopum. Legatus autem, & præfatus Epiſcopus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numeroſiores haberent militum copias, non arma fremunt, ſed ſeditionem compeſcunt. Epiſcopi autem negotium in poſterum diem protelandum ſuggerunt; in fidem ſuam ſuſcipiunt, Archiepiſcopum aduenturum, iuſtitiamque obedienter exſequuturum. Interea Archiepiſcopus nimio furore ſuccenſus egreditur; quem infra coronam fratrum Vicarius inſequitur, & banno Apoſtolicæ authoritatis ad Synodum in eandem Eccleſiam ſequenti diluculo inuitat; ſicque illa actio ſoluta eſt. Matutino itaq; crepuſculo clam Archiepiſcopus, omnibus ignorantibus, cum ſuis abſceſſit. Vicarius autem ſecundam actionem Synodi ſequenti die adorſus, in principio actionis Archiepiſcopum inquirit: quem, quia non aderat, ab omni Epiſcopali miniſterio, vſque ad præſentiam Papæ ſuſpendit: Cunctis verò Epiſcopis Synodum in Natali Domini ad præſentiam Papæ, Apoſtolica auctoritate indicit; Archiepiſcopo nihilominus ſcripta in hunc modum dirigit. Quia Synodo te ſubtraxiſti, & iuſſis Romani Pontificis inobediens fuiſti, auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & illorum Vicarij Papæ Sylueſtri, ab omni ſacerdotali officio ſcias te vſque ad præſentiam illius ſuſpenſum. Sic ſecunda actio terminata eſt. XXIV.

Legati auctoritas à Willigiſo repudiata.

Synodo vis affertur.

Willigiſus loco excedit.

Actio II. Willigiſus à Legato ſuſpenſionis cenſura notatur.

Cardinalis Legatus redit & acta exponit.

VICARIUS autem cum beato Bernwardo aliquantum moratus, præcipuis muneribus, ipſe & omnes ſui remunerati, in pace dimiſſus eſt: Perueniensque ad Apoſtolicum & Imperatorem, Legationis ordinem aperuit. Super quo grauiter indignati, iubent vniuerſos Theotiſcos Epiſcopos circa natale Domini ad illorum [a] præſentiam feſtinare, non ſolum ad Synodum, ſed cum omni ſuo [*] Vaſatico ita conſtructos, vt ad bellum quocunq; Imperator præcipiat, poſſet procedere. Præfatus quoque Fridericus [b] non multò poſt Epiſcopalem Cathedram Rauennæ obtinuit. Propterea beatus [c] Bernwardus ſperans Dei gratia, & vtrorumque Principum clementia, ſumma pace ſe conuerſaturum, Abbatiam Hildewardeshuſenſis Eccleſiæ ſibi ab Imperatore traditam, & ſolemni ab ipſo dedicatione deuotiſſimè conſecratam, & diuino ſeruitio excultam, pluribuſque beneficijs ac donis ab eo ditatam, vbi etiam ſua matertera matris regimen agebat, in præcipua feſtiuitate illarum adire diſponebat, præmiſſo omni apparatu ad tantam ſolemnitatem confluentibus neceſſario. Cum iam omnia parata eſſent, ipſeque in proximo futurus ſuperuenientes nocturno tempore homines Archiepiſcopi, cuncta inuadentes diſſipauerunt, aliquantos vero domeſticos Epiſcopi crudeliter cæſos dimiſerunt; ac, iniuria exacta, venerabilis Præſul [d] Gandenſemenſe Cœnobium adire, & quæque emendanda eſſent corrigere diſponebat, ne quid ſua culpâ eſſet neglectum. Cui obſtitit immenſa multitudo non minus armis inſtructa, quam ſi ad publicum bellum cogerentur. Hos conſciuit Sophia; cunctos videlicet, quos de Vaſatico Archiepiſcopi, vel familiæ illius conuocare poterat, omnes ſuos notos & familiares, manum validam, turres & munitiora loca circa Eccleſiam armato complent milite, & contra vnum hominem ſuum, videlicet Epiſcopum, inermem, & benedictionem illis portantem ita caſtellum muniunt quaſi Barbarico procinctu ſe defendere parent, vt veraciter illud Apoſtoli impletum in illo videatur. Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. His ſanctus Præſul auditis, ſuos quid agat, conſulit. Cuncti periculo cedendum ſtatuunt; dirigunt quoque, qui veritatem diligenter inueſtigent; qui omnia quæ ſparſerant vera, & his maiora annunciant His hoc modo geſtis, Epiſcopi huiuſmodi controuerſiam in Eccleſia graſſari cernentes, ſuper quam tanti virum maledictis & intolerabilibus iniurijs nimium dolentes, conuentum [e] Franconouord poſt Aſſumptionem Beatæ Mariæ experũt. Inuitantur etiam Archiepiſcopi, Colonienſis & Treuerenſis. Ventum eſt ad diem Concilij, præſidentibus Archiepiſcopis Willigiſo Mogonenſi, Heriberto Colonienſi, Ludolpho Treuerenſi cum alijs ſeruis Dei Rethario Pathebrunnenſi, Rotberto Spirenſi, Beringero Verdenſi, Ekkehardo Sleſwicenſi. Sed, quia Ekkehardus Hildenſem hoſpitabatur, Barbarico tumultu ſua ciuitate, & Eccleſia depopulata, beatus Bernwardus [f] Epiſcopus moleſtia corporis impeditus, ad conuentum vice ſua illum direxit, addens illi Notarium Tangmarum Presbyterum & Monaſterij Decanum, qui ſuccenturiatus adeſſet, ſi quid fortè aduerſi ex parte Archiepiſcopi emeriſſet. In principio itaque primæ actionis Archiepiſcopus mitiori relatu fratribus abſentiam Domini Bernwardi conqueritur, iuſtitiam fraterno iudicio, ſi adeſſet, ſe illi facturum aſſerit. E contra, non temeritate vel inobedientia deeſſe refellitur, ſed graui corporis moleſtia impeditum; quæcunque ſacer conuentus, diuino [*] ſtatu illuſtratus deliberet, ſtatuat, vel imperet, obedienter ſe obſequuturum ac ſeruaturum. Sic quoque mutua benedictione data, ipſa die, actio finita eſt. Sequenti die Archiepiſcopus, quibus impellentibus incertum, mordacior ad ſeſſionem progreditur. Aliqui namque & quidam de Epiſcopis fauore illius adducti, beatum Bernwardum Epiſcopum publicè in Synodo requirendum ſuadent. Tangmarus autem Presbyter Epiſcopos commonet, vt Archiepiſcopum pertinaci animoſitate compeſcant. Denique Dei pietate mitior Archipræſul efficitur, inſtantibus tamen cunctis, vt veſtituram Gandoſemenſis Cœnobij beatus Bernwardus poſſideret, nullo modo Epiſcopus conſenſit, ſed vt neuter illorum, donec [*] ad Octauas Pentecoſtes Fridiſlare ad Palatium conueniant, ſe intromittat. Sicque XXV.

[a] Euocantur Epiſcopi Germaniæ ad Synodũ in Italiam.

[*] id eſt, armato Clientum & Feudalium agmine.

[b] Fridericus Card. fit Epiſc. Rauennæ anno 999.

[c] Bernwardus violatur ob aduerſarijs.

[d] Repellitur à Gandeſhenenſi inſpectione.

2. Tim. 3.

[e] Francofurtenſis Synodus.

[f] Mittit ad eam vice ſua B. Bernwardus Ekkehardũ Epiſc. & Tangmarum Decanum.

Acta Synodi.

[*] ſpiritu

Veſtitura Gandeshemẽſ. vtrique ſuſpenditur.

[*] vſque.

Conci-

Concilium, Dei gratia ſolutum eſt. Beatus perinde Bernwardus gemina g[illegible] Italiam ardebat adire, præcepto videlicet Apoſtolici ſatisfacere, & cariſſimum Dominum Regem videre, qu[illegible] p[illegible] tionorem colebat.

XXVII. DIREXIT autem Thangmarum Presbyterum vice ſua, qui & prior [illegible] & peregrinationis eius apud Imperatorem fuerat, qui à primæua ætate ſeu iuuentute vſque ad [illegible] ſcholari ſtudio intentus, nutriendis pueris operam dabat. Tangmarus [illegible] Bernwardo in Italiam ad Papam & Imp. mittitur.

XXVI. HIC ad præſentiam Papæ & Imperatoris cum epiſtolis ac mandatis [illegible] notum beneuolentia, per viam gratia Domini ſui vſus, Imperatorem in Spoletanis partibus reperit, à quo [illegible] Domini Epiſcopi, benigniſſimè ſuſceptus Apoſtolici aduentum præſtolabatur. Quibus conuenien[tibus] [illegible] Leg[atus] [illegible] ſcriptis tradidit, Imperatore clementer apud Apoſtolicum Epiſcopi cauſam proſequente. Deinde [illegible] expectare, quæ apud Tudertinam ciuitatem in Natali Domini futura erat, bonis omnibus ex parte vtriuſq[ue] Principis opulentiſſimè ſuſtentatus. Ad Spoletum ab Ottone & Pontifice præclarè ſuſcipitur.

XXVIII. EODEM tempore quibuſdam Imperialibus obtinentibus frater Beati Præſulis Bernwardi Tamno Comes Imperatori gratus vir certè omnium morum probitate præclarus, ad Regis imperium de Sommerſchenburg paternum munitum valde caſtellum inſedit; cuius ſolertia atque induſtria in illis locis & viciis bene tuebatur Reſpublica. Tammo Comes Sommerſchenburgi Caſtelli [illegible] res frater S. Bernwardi.

XXIX. ANNO ſingularis Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſecundo, Indictione decima quinta, Apoſtolicus cum Imperatore Tudertino Natale Domini celebrauit. Vbi in feſto Sancti Ioannis Euangeliſtæ Concilium coadunatur Epiſcoporum per Romaniam, & aliquorum de Tuſcia & Italia. De noſtris quoque conſederunt, Rotgerus Leodienſis, Sigifridus Auguſtenſis, Hugo Citienſis. Inter Miſſarum ſolemnia itaque conſidentibus ad [illegible] Patribus, præſidentibus quoque Dominis ac principibus vrbis, Papa atque Imperatore, poſt Euangelium recitatis ex decretis Sanctorum Patrum aliquibus Capitulis, ad præſentiam Synodi per oblationarium, Legatus Venerabilis Bernwardi Epiſcopi ſtatutus eſt. Ad quem Apoſtolicus ait. Dic, quâ cauſa ad noſtram præſentiam veneris, vel quid ad Synodum habeas. Mox Legatus, toto corpore ad terram proſtratus, & erectus fauentium manibus, pe[illegible] atque principibus prouolutus; conſurgenſque, ſic ait. Dominus meus, Apoſtolatus veſtri auctoritatem, [Im]peratoriam quoque Maieſtatem magnificè gratatus eſt, pro cunctis in quibus pro ſua Eccleſia clementer laboraſtis. Q[uid] autem Legatus veſter profecerit, aut quid in ſua legatione occurrerit, ipſe, quia præſens eſt, melius exponet. [Po]ſt receſſum autem illius, Epiſcopi dolentes litem & controuerſiam diutius bacchari, conuentum Franconouort[ii] [illegible]; ad quem cum Venerabilis præſul noſter venire non poſſet, graui corporis infirmitate impeditus, vice [ſu]a me direxit. Tandem in communi reuerendi Patres decreuerunt, vt neque Archiepiſcopus nec ſenior noſter de G[andeſ]ſemenſi Cœnobio ſe intromittant, vſque poſt Octauas Pentecoſtes; & tunc Hild[e]ſ[he]ime ad Synodum pro hac cau[ſa] conueniant. Et quia hic ad Apoſtolatus veſtri ſedem delata * veſtris ſcriptis multoties eſt annullata, veſtrum expetit iudicium, vt veſtra authoritas iubeat in quo foro, vel ſub quibus iudicibus, cauſam terminare debeat. Ad præſentiam nihilominus huius ſanctiſſimi conuentus, gratia ſancti Spiritus hic per vos aggregati, paruitatem meam deſtinauit, vt omnis Senatus Apoſtolicæ Eccleſiæ publicè cognoſcat, illum deuotiſſimo affectu, Domino Apoſtolico & Romanæ Sedi obedire & conſentire, & veſtro iudicio adiuuenta vel decreta poſcere, & pro poſſe, perpetuo ſeruare. Ad hæc Dominus Apoſtolicus, obedientia beati Antiſtitis, & deuotionem ac ſtudium magnificè collaudauit. Poſtquam quoque venerabilis Rauennatis Eccleſiæ Metropolitanus Fridericus, & qui Palatii atque in tota legatione ſua illi occurrerint, contexuit. Archiepiſcopi inobedientia, iniuriam, contemptum etiam Romanæ ſedis; & e contra beati Bernwardi benignitatem, charitatem exponit. Et quod ab illo præcipuo honore ſit habitus; & affl[uent]ia omnium bonorum opulentiſſimè refectus. Ad hæc animoſitas Archiepiſcopi ª palam ab omnib. Romanis Epiſcopis improbata, temeritas præſumptionis illius carpitur. In commune tamen cuncti deliberant, Colonienſem Archipræſulem cæteroſque Epiſcopos qui proximè venturi erant, exſpectandos. Mittuntur etiam nuntij, qui in Epiphania Domini, ad præſentiam vtriuſque Principis illos venire iubeant. Sed cum minimè venirent, exſpectantur ᵇ ad tres inducias. Cum autem nullo modo fieri poſſet, vt conuenirent, presbyter Tangmarus, vt abſolueretur, omni niſu inſtitit. * Cauſa. S. Bernwardus Romanæ ſedi deuotus. Friderici Card. de legatione ſua relatio. ª Willigiſi contumacia à Synodo improbatur. ᵇ Epiſcopi Germaniæ fruſtra exſpectati.

XXX. TERTIO itaque Idus Ianuarij Imperator dimiſit à ſe Legatum chari ſui Magiſtri ſæpe dictum Presbyterum largiſſimè remuneratum. Epiſcopo quippe munera præcipua direxit; inter alia onychinum vas magni pretij; ſpecies quoque medicinales diuerſas, pigmenta etiam diuerſa. Tangmarus Legatus ab Imp. donatus Hildeſiem remittitur.

XXXI. IAM vero imminebat miſerabilis dies obitus videlicet mitiſſimi Imperatoris Confeſſus namque eſt prædicto Magiſtro cum ab illo interrogaretur, leuiter ſe febricitare. Ingrueſcente ergò quotidiè morbo, aſtantibus Epiſcopis, communitus Sacramento Corporis & ſanguinis Domini inter verba puræ confeſſionis, decimo Calendas Februarij mitiſſimus ac humilimus Imperator, cum ingenti dolore omnium bonorum, ſpiritum efflauit. Quis valet ſtylo exprimere, vel fando diſſerere irremediabilem dolorem vndique ad exequias confluentium. Funera itaque Teutonum Legio, præparatis cunctis ad [i]ter indigiis, corpus mitiſſimi Domini * Aquis portabant; ſuſceptumque eſt ᵇ ſancto die Palmarum feſtiuo obſequio totius Regni cunctiſq; principibus, præcipuo affectu ad exequias famulantibus, ſepultuſque eſt in medio choro. Anno 1002 Otto III. Imp. pie moritur. Otto eſſer[tur] Aquas ad ſepulturam.

* Aquiſgranum. ᵇ Funeris eius [illegible] ab Italia Aquiſgranum, deſcribit Ditmar. l. 4. Chron.

XXXII. INTEREA vota principum in diuerſa rapiuntur, pleriſque Regni faſtigium ſine reſpectu timoris Dei vſurpare nitentibus. Vnde Princeps quidam Bruno nomine, ſciens venerabilem Bernwardum Epiſcopum Domino Henrico Duci reuerentiſſimo eſſe fidiſſimum, timens, ne cœptis eius aduerſaretur, ſi quid inciperet, quoſcunq; in exitium illius, vel in damnum Hildenſemmenſis Eccleſiæ ᶜ armare poterat, pro viribus inſtitit: hinc prædis & rapinis paſſim bacchatus in loca & homines Epiſcopi Sed ille more ſuo nuſq[uam] [illegible] deſeruerat, quamuis multis ſæpe laceſſitus iniurijs. More autem ſapientiſſimi architecti, prudentiſſim[e] [illegible] fundamina noui regni precum initijs inchoauit. Omnes namque fratrum & ſororum cateruas, quæ diuinis [illegible] ſub eius vexillis militabant, intenta ſupplicatione, intenta rerum neceſſitate, aduigilare monebat. Ipſe quoq[ue] [illegible] tamen cunctos celabat, arctâ Domini clementiam abſtinentiâ exorabat. Vnde fit mirabilis Dei miſericordia [illegible] electum adunatio, vt popularium vota primorum præuenirent ſtudia. Nam ſicubi publici conuentus cog[ebantur], vox vna vulgarium Dominum Henricum debere imperare, ipſum nō alium quemlibet rebus debere præeſſe. Omnibus ergò pari voto in electione illius concordantibus, Willigiſus Archiepiſcopus, & beatus Bernwardus, cum cæteris regni Principibus Dominum Henricum Moguntiam cum ſummo honore ducentes, Dominica Octaua [Pen]tecoſtes regimen & regiam poteſtatem, cum Dominica h[a]ſta illi tradiderunt; ac deinde omnibus ritè peractis, cum maximo tripudio vniuerſorum, ſolenniter eum Dei gratia vnxerunt. Bruno Saxoniæ princeps [illegible] ᶜ S. Bernwardum ſollicitat arma. S. Henricus eligitur Rex Moguntiæ coronatus.

Nouus

Cunigundis regina innung ... a Sophia benedicitur a Willigiſo.

Nouus autem Rex Paderbrunni, Sancti Laurentij Natale celebrauit, ibiq; Domna Cunigunda regalem coronam & benedictionem à Willegiſo Archiepiſcopo accepit. Sophia [a] vero ad Gandenſemenſe Cœnobium electa, more ſuo, velut in ſacro velamine, proprium repudiata eſt Epiſcopum; ita nunc quoq; dedignata à ſuo paſtore, & patre regiminis, & conſecrationem percipere, tumore faſtuq; vanitatis à palligero benedici obtentu Regis & Principum, expetijt: Beatus autem Bernwardus non valens reſiſtere annuit.

Henricus Rex Hildeſhemium venit, ann. MIII.

Anno Incarnationis Domini milleſimo tertio Rex orationis cauſa Epiſcopia & Abbatias, ſancta videlicet loca circuiens, vbi ſerui Dei vel ancillæ religioſius in diuino ſeruitio excubabant, vt ſe regnumq; diuinitus ſibi collatum illorum precibus tueretur, Hildenſenſem adire magnifice deſiderabat. Sed, quia nullus Regum ante illum religione loci id aggredi tentabat, beatū Bernwardum conuenit; qua ratione ſanctum locum viſitare audeat, conſulit. Licentia quoq; ab illo acceptâ, ante ſanctum diem Palmarum præfatam Eccleſiam adijt; ſuſceptusq; eſt ſolemni honore. Ipſe quoq; in altaris ac fratrum miniſterium præcipuam pecuniam largitus, locum ditare & honorare promiſit, atque ex magna parte perfecit. XXXIII

Henrici expeditio in Galliam.

S. Bernvvardi peregrinatio in Galliam

Tertio poſt hoc anno, occidentalibus Gallis Rempublicam infeſtantibus, idem Imperator expeditionem aduerſum illos mouit; Cuius arma beatus Pontifex iuxta præceptum Domini, quæ Dei erant Deo, quæ Cæſaris Cæſari fideliter reſtituens, cum immenſa manu militum, vigilantiſſimo obſequio ad gratiam militabat, Expeditione vero ſoluta, quod prius voto decreuerat, ad ſanctum Martinum tetendit, non tamen abſq; regali licentia fraternaq; Epiſcoporum munificentia. Suos itaq; omnes iter quod diſpoſuerat diligentiſſimè cælabat, quia illorum lacrymas, ne poſſet ſufferre, timebat. Regi tamen commendatus non multis comitatus iter aggreſſus eſt. Pariſijs apud S. Dionyſium aliquot dies conſiſtens, loca ſancta luſtrando, animi magna contritione totum ſe Domino mactauit. Inde Thuronis tendens, magna ſedulitate Rotberti Regis in via vſus eſt, ibi etiam ſeptimana conuerſatus, coram pio patrono, ſua, ſuorumq; commiſſa, quotidianis vbertim lachrymis deflet. Honoratus deniq; à Rege & Epiſcopis preciosiſſimis B. Martini de ſacro corpore reliquijs (nam maximum æſtimabatur, ſi cui aliquantula particula de caſula, ſiue de cæteris paramentis ſancti Confeſſoris poſſet contingere) ipſe cœleſti theſauro remuneratus, & aliorum plurimorum ſanctorum cum benedictione omnium inde digreſſus, Pariſios perueniens aliquot dies conſueto exercitio precum intentus, nihilominus etiam à præfato Principe & Epiſcopis pretioſiſſimi Martyris Dionyſij ſociorumq; eius ſacroſanctis pignoribus perceptis, cum benedictione & gratia ab illis digreſſus, felici curſu ad patriam repedabat. Et quanquam poſt tanti itineris difficilimum laborem, celerem reditum vota omnium præoptarent, vicit tamen affectus; quo ſemper Dominis obſequebatur, & benigniſſimum Regem Aquis poſitum adijt; à quo affectuosè ſuſcipitur; quia iam diu ægrè illum videre cupiebat. Nam Bauēberch regali loco, qui ſibi hæreditario iure à maioribus ſuis competebat, Epiſcopalem Sedem nouiter cupiebat inſtituere; vnde [b] Synodum omnium Epiſcoporum in Franconouord adunauit, vt ſcripta Romani Pontificis ſuper hoc & decreta communi iudicio comprobarēt. Cui taxationi inſignem Dei ſeruum & Antiſtitem Bernwardum primo Regalis Maieſtas, tum Epiſcopalis dignitas intereſſe magnis precibus poſtulabāt. Nec abnuit; quin promptiſſima obedientia Regem honorauit. Reuerſus verò Hildenſenſem, delatas Sanctorum reliquias veneratione condigna ſeruandas locauit, ſemetipſum in ſanctimonia ſolita ſollicitius exercuit. Epiſcopatus ſui terminos antiquit[9] præfixos, labore nimio, & ſollicitudine cuſtodiuit. XXXIV

S. Martini, Dionyſij & aliorum Sanctorum reliquijs donatur

Aquiſgranum ij Regem ſalutatum

[b] Conuenit ſi per Babenbergenſis Eccleſiæ, & Synodi Francofurtenſis negotio.

Incendium Hildeneſhemenſis Cœnobij.

Illis diebus miſerabilis, cunctiſq; ſanctæ matris Eccleſiæ filijs perpetuò lacrymabilis luctus, peccatis noſtris exigentibus, exortus eſt: ita vt duodecimo Kalendas Februarij nobile Monaſterium ſanctæ Hildenenſemenſis Eccleſiæ diabolicæ fraudis faculis noſtrorumq; criminum flammis pene incendio perditum eſt. Nam in eadem nocte primæ quietis tempore cunctis infra vrbem commorantibus magis peccatorum pondere ſopitis, quam ſomni altetius quieti deditis grandis ille dolor nobis miſeris ſuperuenit. Verum ſanctæ Dei genitricis interuentu, ſanctorumq; noſtrorum pio precatu, dominiq; noſtri venerabilis Bernwardi Epiſcopi acerbiſſimo ploratu, omnis ille vehemens ardor, diuini roris infuſione extinctus eſt, & illud venerabile templum manſit incolume, ſeruatum Dei gratia, niſi quod nobis perpetuo eſt lugendum, quod cum precioſiſſimo miſſali ornamento inexplicabilis librorum copia periijt; noſq; ſpiritualium noſtri armorum inermes reliquit. Ipſo quoque anno, beatus Bernwardus [c] ſanctæ Hildenſemenſis ciuitatis patronus, ſequenti omnium Sanctorum feſtiuitatis die, altare ſummum ſanctæ Dei genitricis, quod, proh dolor, peccatis noſtris promerentibus, valida, vt dictum eſt ignis inundatione confractum erat, deuotiſſima mentis intentione, quarto Nonas Nouembris in melius reſtaurauit & benedixit, Deoque acceptius hominibusq; laudabilius, auri argentiq; ac gemmarum claritate effecit. XXXV.

Templo incolumi Bibliotheca perit.

[c] S. Bernvvardus inſtaurat & dedicat altare B. virginis.

[d] Rothegardis Abbatiſſa Hildvvardeshuſenſis piæ mortis memorabilis

Interea Domina [d] Rothegardis dignæ memoriæ Hildewardeshuſenſis Eccleſiæ Abbatiſſa, venerabilis Bernwardi Epiſcopi matertera, diutina corporis infirmitate caſtigata, reſolutionis ſuæ diem ſibi ſemper optabilem, diuino, vt creditur, inſtinctu, inſtare cognouit, Vnde in ſacratiſſima nocte Dominicæ Natiuitatis, ad miſſam, Dominus dixit, in Eccleſiam ſe ferri præcepit; ibique, Dominici Corporis & ſanguinis viaticum percepit. Inde, rite omnibus peractis, denuò ad lectum reportata, conuocatis ſororibus, ita exorſa eſt. XXXVI.

Mortem ſuam vicinam prædicit.

Ex hac vita me hodie cariſſimæ, quo Deus iuſſerit inuitari vobis denuncio: ſed hoc, quia infra maioris Miſſæ ſolemnia futurum eſſe non ignoro, ne qua diuini famulatus fiat interruptio, vos, audita mea morte, minimè turbari depoſco. Dei namq; tanto mihi largius auxilium affuturum eſſe confido, ſi modò nulla eius ſeruitij, mei cauſa, facta fuerit intermiſſio. Diuinis itaq; ſolemnijs ex more completis, ad communiendum exitum meum quantocius occurrere feſtinate; ſuoq; creatori animam precibus attentius commendare curate; veſtriumq; ſemper finem ſuſpectum habentes, in illo tremendo iudicio, dū licitū eſt, per bona opera Deo dignæ inueniri ſatagite. His dictis, eas ſtupentes nimium pariter ac mirantes, abire permiſit. Quod, quia ſpiritu prophetico, præuiderit, rei patenter exitus oſtendit. Nam, vt prædixerat, inter maiorem Miſſam, incipiente Sequentia, ſancta illius anima carnis eſt ergaſtulo ſoluta. Vnde manifeſtè datur intelligi, beatam hanc fœminam, plus aliquid cæteris mortalibus diuinæ gratiæ concepiſſe, cui non ſolum ſuæ carnis abſolutionem tam euidenter conceſſum eſt præſcire potuiſſe, verum etiam eo die, præſentis vitæ miſeriam feliciter euaſiſſe, quod ad eam pro totius mundi ſalute tolerandam, Redemptor humani generis, ex inuiolatæ Virginis vtero ineffabiliter prodiens creditur aduenisse. XXXVII

S. Henrici Regis in ſedandis diſcordijs & pace reconcilianda ſtudium.

Anno autem Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ſeptimo, Rex Venerandus Henricus totius Romani Imperij potentiſſimus, Palithi Natale Domini, cum maxima gloria celebrauit. Quocunq; verò ſapientiſſimus imperator ora ſui ſanctiſſimi vultus circumtulit, ſi quos forte diſſidentes reperit, aut ſtatim aut reconciliabat, vel ſi quicquam obſtitit, vt id non poſſet, efficere nunquam mente feriabat, donec violatam charitatem reformabat. Quod etiam tunc in ipſo Feſto ſingularis Natiuitatis, facere prudenter inſtituit. Nam vetus odium, quod Archiepiſcopus Willigiſus ad Hildeneſſemenſem Epiſcopum beatum videlicet Bernwardum leuibus de cauſis conceptum, ſæpe iratum ſtimulis irremediabiliter ſub mente nutriebat, ſæpius delinire cupiens, animoſitate illius victus, deſtitit. Veruntamen coram multis Epiſcopis, alijſq; Principibus, qui ad Palatium affluxerant, conueniens Archiepiſco- XXXVIII.

piſcopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna inuectione confregit, vt ſe, totamq; controuerſiam illius iudicio, vel fratrum votis * obſtaret. Deinde ſapientiſſimus Rex ſæpius intercepta Gandesſemenſis Eccleſiæ Dedicationem, in Vigilia Epiphaniæ Domini indixit, quæ tunc prima feria Dominicæ Reſurrectionis accidit; Velationem etiam Ancillarum Dei in ipſa ſacra die Epiphaniarum. Venerabilis igitur Bernwardus Epiſcopus Willigiſum Archiepiſcopum & cæteros fratres in auxilium ſui ad conſecrationem prædictæ Eccleſiæ inuitauit. Nec mora, adeſt ſacra ſolemnitas, conſecrationis myſteria ex præcepto beati Bernwardi Epiſcopi diſponuntur; fiunt omnia fraterna charitate, ita vt Archiepiſcopus in aſperſione primum locum teneret, & cum ipſo beatus Bernwardus Epiſcopus. In Eccleſia verò ipſe, cuius Parochia erat, myſteria conſecrationis fratribus diſpenſabat: primum namque gradum ille obtinebat. Expletis itaq; Dei gratia omnibus fraterna charitate, Rex cum Archiepiſcopo & cæteris ad populum progreſſus, ſic locutus eſt. Diuturnam, peccatis agentibus, controuerſiam chariſſimi hodie deponere, & terminare, dignum duximus. Agnoſco enim, & ſcio hanc Eccleſiam & adiacentes villas Hildenſemenſibus Epiſcopis ſemper pertinere, & ab illis abſq; contradictione poſſeſſam eſſe. Ad hæc verba Imperatoris Willegiſus Archiepiſcopus tandem Dei miſericordia in ſe rediens, & quicquid proprio reatu, vel aliorum inſtinctu, in Deum & ſanctam eius Genitricem exercuiſſet, videlicet iniuſta inuaſione Parochiæ Gandeſem ad titulum Hildeſemenſis Eccleſiæ pertinentis publicè confitens, iuri & repetitioni eiuſdem loci abrenuntiauit, & in teſtimonium huius abrenuntiationis, ferulam Epiſcopalem beato Bernwardo tradidit, dicens Frater chariſſime, & Coëpiſcope, ac renuntio iuri huius Eccleſiæ, & hanc paſtoralem ferulam, quam manu geſto, tibi ſub teſtimonio Chriſti & Domini noſtri Regis, & Fratrum noſtrorum trado in teſtimonium, vt hoc neq; ego, neq; vllus ſucceſſor meus, aliquam interpellationē, vel repetitionem de hac re poſſit habere. Sicq; officium Miſſæ ab Archiepiſcopo, conſenſu beati Bernwardi, ſolemniter peractum eſt. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini, velatio virginum ſolemni celebratione præſente Rege omnibuſq; Epiſcopis à Bernwardo venerabili Epiſcopo facta eſt. Sicq; gratia Dei rebus in pace, & charitate, ſapientia mitiſſimi Principis compoſitis, diſceſſum eſt. Archiepiſcopus autem, hac lite ſedata, Præſulem noſtrum omni honore & charitate dilexit, & in noſtro Monaſterio fraternitate honorificè acquiſita, ſummam dilectionem & loco & fratribus præuidit. His itaq; ſe habentibus, idem Archiepiſcopus, quinto poſt hoc anno, plenus dierum bonorumq; operum: ſeptimo Calendas Martij migrauit ad Dominum: poſt quem Erkenbaldus ſubrogatur Mogontino Regimini, prius Abbas Fuldenſis cœnobij; cui nihil deerat Catholicæ fidei; quem beatus Præſul Bernwardus Kalendis Aprilis Mogontiæ conſecrauit. Diuino itaq; reſpectu ſurrexit in Archipræſulem; quia tempore iracundiæ, factus eſt reconciliatio. Qui quoad vſq; vixit prioris diſcordiæ * ſenomnia non habuit; inſuper ordinatorem ſuum conſanguinitate etiam ſibi propinquum, debita deuotione, vt patrem coluit, & paterna caritate tractauit. Quinto deinde anno ᵃ Erkenbaldus Mogōtiæ Metropolitanus plenus dierum, & meritorum, decimoquinto Kalēdas Septembris, pacem Dei Eccleſiæ dereliquit, & animā in manus Angelorum efflauit. Huic ᵇ Aribo Regius capellanus ſucceſſit in regimen, per quem rediuiua reſtaurantur arma diſcordiæ, quæ ſub prædeceſſore ſuo ſopita quieuerunt, præualente gratia concordiæ: quem futurum Pontificem cum in ſacerdotem conſecrare deberet Deo digniſſimus Bernwardus, gladio verbi Dei adſtrinxit, & anathematizauit, præſente Domino Henrico, benigniſſimo Imperatore, & diuerſis Epiſcopis, cum aſtantibus populis & clericis, ne poſt ſuſceptum Regimen ſanctæ Hildenſemenſi Eccleſiæ inferret iniuriam ſuper parochia Gandenesheim, dicta Quod ipſum iterum repetiji, & confirmauit, dum illum, vice ſua in Archiepiſcopum venerabilis Eggehardus conſecrauit Epiſcopus. Sed quod tunc ſubdolè promiſit, graſſante ſtultitia, pòſt fefellit. In ipſa enim promotione ſua Dominum Bernwardum Epiſcopum ficta pace per Legatum ſuum conuenit, & per falſa † ſalutaria, querimoniam ſuper Gandeſem tentauit: Cui beatus Bernwardus, diuina inſpiratione doctus, non eius vaniloquio attendens, obligationis ſuæ anathema retexit, dicens; nil ſibi commune cum illo eſſe, ſi bene vellet niſi ea, quæ Dei eſſent: de parochia verò ſua abſque dubio, nihil ſibi ceſſiſſe. Hac reſponſione obſtruitur machinatio Archiepiſcopi; & ſuper hac re nec mutire quidem auſus eſt in vita beati Bernwardi Epiſcopi.

* *aſſeret.*

Gandeſhemenſis Eccleſiæ dedicatio & Virginum velatio.

Reconciliatio Willigiſi & Bernvvardi.

Willigiſus ſe abdicat iure Gandeſhemenſi per ferulam.

Velantur virgines.

Willigiſi obitus.

S Bernvvardus conſecrat Erkenbaldū Mogun. Archiepiſcopum.

* *Calumniam vel ſomnia.*

ᵃ Mors Erchenbaldi

ᵇ Aribo eius ſucceſſor.

Sedem Gādeſemenſem renouat

† *ſalutatoria.*

Explicit Tangmarus Sequitur ex eodem Codice M. S. veteri & probato, quem ſibi tranſmiſſum à Rdo Ioanne Iackenio S. Michaelis apud Hildeshemium Abbate teſtatur Brovverus.

XXXIX. INTEREA venerabilis Præſul Bernwardus ampliare ſtudens diuinæ ſeruitutis obſequium, in parochia ſui præſulatus ob recompenſationem futuram, Chriſtum elegit hæredem; & quod præcipuum habuit, ſeipſum cum omnibus acquiſitis vel acquirendis rebus Patri omnipotenti, ſicut iam dudum in ſecreto mentis ſtatuerat, in ſacrificium obtulit. Monaſterium itaque in Septentrionali parte ciuitatis in loco quondam ſqualido, feris quoque ſeu brutis animalibus coaptato, tota deuotione, & apparatu decenti inſtituit; quod prædijs ſufficientibus dotatum, cœnobitis Deo famulantibus ibi, delegauit.

S Bernvvardus Abbatiam S Michaelis ordinis S. Benedicti conſtruit.

XL. ANNO vero Incarnationis Milleſimo quintodecimo, Regni autem Domini Henrici pijſſimi Imperatoris decimiquarti, ordinationis Domini Bernwardi venerabiliſſimi Præſulis vigeſimitertij, Indictione decimatertia, tertio Kalendis Octobris, Crypta eiuſdem monaſterij magno decore, Dei gratia conſummata, dedicatur à præfato Antiſtite Bernwardo, & honorabili Sleſwicenſis Eccleſiæ Antiſtite Egghardo, atque venerando Munigardeuordenſi paſtore Thiderico, in honore Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius Beatiſſimæ & glorioſiſſimæ genitricis perpetuæq; virginis Mariæ, ſanctiq; Michaëlis Archangeli, totius quoq; militiæ cæleſtis exercitus, & ſimul ſexaginta ſex reliquiarum ab eiſdem venerabilibus Patribus & Præſulibus ibidem digna veneratione reconditarum.

Anno 1015 Crypta Monaſterij dedicatur

I. ANNO perinde Incarnationis Dominicæ Milleſimo vigeſimoſecundo, Regni autem Domini Henrici Imperatoris vigeſimoprimo, ordinationis verò Beati Bernwardi trigeſimo, Indictione quinta, tertio Kalendis Octobris, ſupradictum Monaſterium ad vtilitatem monaſticæ vitæ conſtructum, multiplicique, velut hodie patet, ornatu perfectum, dedicatum eſt cum omni deuotione Eccleſiaſticæ religionis à venerando eiuſdem Eccleſiæ promotore Bernwardo Pontifice, & ab honorabili Vnewano Archipræſule Hammeburgenſis Eccleſiæ, ab Eggehardo Sleſwicenſi Antiſtite, & à Bennone Aldenburgenſis Eccleſiæ Reuerendiſſimo Antiſtite, in honore Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Genetricis ſemperque Virginis Mariæ ac ſalutiferi ligni adorandæ & viuificæ Crucis, & ad ſpeciale patrocinium Sancti Michaëlis Archangeli, totiuſque militiæ cœli, & ad laudem venerationis omnium Sanctorum Dei. Sed mox eiuſdem Monaſterij habitaculum commiſſum eſt ad regendum Abbatis officio, Goderāmo Cœnobij ſancti Pantaleonis Præpoſito. Tandem verò ſancti Michaëlis Eccleſiam vir Beatus, [illegible] prædijs opulētiſſimè dotauit, præſente Apoſtolici Legato, vno videlicet Cardinalium cum vndecim Epiſcopis, [illegible] non & diuerſarum profeſſionum perſonis, bāni ſui auctoritate roborauit. Hoc ᶜ autem piæ deuotionis opus, [illegible] maturè animo intenderit, quo feruore, nacta opportunitate aggreſſus ſit, qua vigilantia & aſſiduitate inſtiterit, [illegible] catite ſufficientiam exteriorū ei prouiderit, qua libertate conſtruxerit, qua authoritate firmauerit, quantum ē: ipſe interim, diuino tactus verbere, profecerit, ipſius verbis melius proferemus. [illegible] in priuilegio eidē Cœnobio dato.

Anno 1022. Abſoluto Monaſterio dedicatur Eccleſia S. Michaelis.

Goderamnus Abbas Monaſt. S. Michaelis

[illegible] fundatio Monaſterij

ᶜ Exceptum Omnis Priuilegij vel Chartæ fundationis, ſed mutilum,

Omnis creatura, homo, nonne ideo à ſuo condita eſt Creatore, vt iuxta ritum naturæ, potius ſuo ſeruiat Creatori, quam creaturæ. Cuius habitudinis ſtatus dum ſit rerum diſcolor vſus, animum tamen rationis compotem ſemper reflectit ad ſuæ conditionis tramitem. Sed quo amplius quemq; contexerit diuinus hauſtus, tanto diuinius ſe Deo quiſq; obligat in omnibus rebus. Et hoc fieri nequit, niſi vbi valida Dei manus quemq; ſibi attraxerit. Vnde in appe- † *cuique.* titu gratiæ ſe cui † imaginat & conformat, protectio diuinæ miſericordiæ. Cuius rei experimentum dum conſulimus, è veſtigio nobis occurrit diuinum reſponſum, quod peccante Adam, & inde longa exilij diſpendia perferente, credidiſſe Abraham Deo, & hoc illi reputatum eſſe ad iuſtitiam. Cumque, & diuina præueniente clementia tum, & exigentibus meritis accipimus Legiſlatorem, Moyſen, Ducem ac Præceptorem extitiſſe populi Iſrael. Pari examine ſanctitatis, miramur, miraculorum factorem Heliam humani æui nondum cognouiſſe metam, ſed curru igneo * *reſeruatū* ſublatum eſſe, vltimo ſæculorum iudicio. * Excedit mentem nec capiet finem, ſi de his, & horum ſimilibus noſtra ratio vlterius ſe tendere voluerit. Satis indicio eſt, quantus aſſurrexerit in prælijs Dauid manu fortis: & ſole lucidius eſt, ſtructo tabernaculo Dei, quantis religionum ritibus & libaminum myſticis cultibus ſe Deo approxima- Salomon ſanctus uerit. Sanctus Salomon, cuius pœnitentiæ meritis nullus vnquam repertus eſt ſimilis. Quibus omnibus ad habitudinem factorum reuelauit Deus ſecreta meritorum, vt temporaliter merito & opere omnibus ſemper eſſent diſpares, inſuper æternaliter angelicis ſpiritibus fierent coæquales.

Hæc ego Bernwardus conſiderans, Dei prælectione non meritis dictus Epiſcopus, & diuturna meditatio- XLII.
ne voluens, qua meritorum architectura, quoue rerum pretio, poſſem mercari cœleſtia, cum eſſem au[l]icus ſcriba do- S. Bernwardi officia ctus, & beatæ memoriæ tertij Imperatoris Ottonis didaſcalus, ſimul Primiſcrinius, diuina tactus gratia, reatus mei Ipſius de vita futura ſolicitudo. ſuperflua perhorteſcens, diuinamq; gratiam concupiſcens, diſtraxi animum in diuerſa, quomodo æternæ ſatisfacerem miſericordiæ, ſicque remedium meæ obtinerem animæ. Sed in tenuitate tunc meæ qualitatis, quicquid animo proponebam, aut vix inchoandum, aut nunquam perficiendum timebam. Animus tamen magis ac magis ardore ſancti propoſiti deſudabat, licet tunc temporis fortuna quid inchoaſſe vetabat; cum ecce Dei electio, ſenatuumque declamatio, me Pontificalis gloriæ ſolio inthronizandum præligunt; & ne grex Domini turbaretur, ſine Paſtore, ne Eccleſia mater noſtra eſſet quaſi vidua, in electione noui Pontificis, cor vnum & animam vnam omnibus fecit Bennopolis Hildeneſhemium, vide notas Browveri. habere ſpiritus pacis. Inthronizatus Bennipolitanæ Eccleſiæ, quod diu animo conceperam, opere complere volebam, ſcilicet beatæ memoriæ tradere titulum nominis mei, Eccleſias ſtruxiſſe, ac officia Deo ſeruientium inibi ordinaſſe, omnemq; facultatulam meam Domino lucraſſe, qui eſſet pars & hæreditas mea. Et, quia ſunt occulta Dei iudicia, ſemper tamen iuſta, conſenſu & hortatu Chriſti fidelium, nouam Dei Eccleſiam condere cœpi, in qua ad lau- Eccleſia noua S. Michaelis. dem & gloriam nominis Domini, & voti mei propoſitum adimpleui, & ſanctæ Chriſtianitati, adhibitis Deo dilectis fratribus, conſului. Fundato enim nouello opere, & deſignatis eo loci locorum qualitatibus, ne occaſio terrenæ vagationis, eſſet dilatio cœpti operis, gloria tibi Chriſte, tactus febris incommodo, ægrotare [a] cœpi quinquennio: & [a] S. Bernwardi morbus quinquennalis. dum nihil fit in terris ſine cauſa, caſtigans caſtigauit me Dominus & morti non tradidit me, vt credo & confido in Domino, ne abſentia meæ præſentiæ fieret quædam intermiſſio ſpei meæ. Cui loco, Deo, ſanctæque Cruci, perpe Pſal. 17.
tuæq; Virgini Mariæ, Sanctoque Michaëli Archangelo titulato, Monaſtici [b] Ordinis indidi perſonas; quas ea ratio- [b] Monaſticē inſtituit in S. Michaelis. ne coadunaui, vt ſicut iuxta monachicam normam ſunt à ſæculi actibus alieni; ita eſſent ab omni impedimento ſæcularis ſeruitij, liberi. Conſilio itaque ſenioris mei Imperatoris Henrici, & magiſtri mei Erkenbaldi Archiepiſcopi, quem ego cum confratrum meorum conuentu in Archiepiſcopum conſecraui, quicquid terrenarum facultatum in [c] Dotis amplitudo. Donatia principalis Eccleſiæ. curtis, curtilibus, terris, paſcuis, aquis, ſyluis, pratis, Eccleſijs, ſanctorum pignoribus, libris, argento [c] & auro, & quicquid id eſt, quod hæreditario iure poſſedi, aut ſæculari coemptione acquirere potui, exceptis plurimis, quæ altari ſanctæ Mariæ in principali Eccleſia in coronis aureis, calicibus, candelabris, pallijs, alijſque Eccleſiaſtici ordinis ornamentis contuli, totum vſibus fratrum, per manus Aduocati mei, tradidi, Deo & ſanctis eius, pro animabus prædictorum ſeniorum meorum Imperatorum, & mea, omniumq; ſucceſſorum meorum, & eorum, quorum patrimo- Fundatorū pia intentio hic adumbrata nia acquiſiui; quatenus ſeruitores Chriſti, ab omni terreno ſeruitio liberi ſub defenſione & patrociniis ſucceſſorum meorum Epiſcoporum præmuniti, in pace & miſericordia, quieta tempora ducant. Si quis [d] autem mei ordinis ſucceſſor, aut aliqua ſæcularis perſona hoc effringere voluerit, & hæc tyrannice ſibi vſurpare præſumpſerit, gladio [d] Nolent hæc piorū legatorum Autolyci. verbi Dei à Deo & Sanctis eius illum ſubmoueo, vt, incumbente ſuper illum omni maledictione, careat benedictione, ſicque exterminatus à terra & cœlo, partem habeat cum Iuda, & cum his, qui in hereditate poſſident ſanctuarium Dei. Inſuper hæredes, Dei & noſtra licentia in ſuos vſus ſua ſtudeant repetere, dum vident alienum inuaſorem, in ſuis patrimonijs debacchare.

Hæc beati viri dicta conſideranti, facile patebit quanta vel ipſe in Deum deuotione profecerit, vel quanta XLIII.
superni reſpectus dignatio eum aſſumpſerit. Qui enim inſiſtens operi cæleſti verbere merebatur eliquari, manifeſtis S. Bernwardus in Capella, S. Martini Monachū induit. indicijs probatur à Domino diligi. His itaq; piæ deuotionis ſtudijs Deo digne & hominibus laudabiliter omni vitæ ſuæ tempore conuerſatus, anno ordinationis ſuæ trigeſimoprimo cum iam tranſitus ſui diem, quem ſemper optauerat imminere præuideret, capellam inter ſacellum ſanctæ Crucis, & monaſterium ſuum conſtructam, in honore beati Chriſti confeſſoris Martini à venerabili viro Eggehardo Sleſvvicenſi Epiſcopo dedicari fecit: ibidem pro augmento religionis ipſo die habitum priorem mutans, monachicæ profeſſionis iugum ſuſcepit. Tactus deinde in- In eadem ſpiritum pie tradidit. firmitate vltima, cum adeſſe exitus ſui horam ſenſiſſet, in eandem Capellam ſe ferri præcepit, iuſtum eſſe aſſerens, ibidem vitæ terminum ſortiri, vbi ſæcularis abrenuntiationis habitu, ſe contigiſſet inſigniri. Sic itaque beatus vir diutina corporalis moleſtiæ infirmitate tritus, bonum certamen certans, curſum conſummans, fidem ſeruans, viam vniuerſæ carnis ingreſſus, vt credimus, certumq; tenemus, diuinis admixtus ſpiritibus, duce Michaële Archangelo, beatæ immortalitati eſt præſentatus. Qui quoadusq; vixit Domino ſe ſacrificium iuſtitiæ ſacrificauit; ſicq; plurimis mirificatus inſignijs cæleſti pace quieſcit. Obijt duodecimo Kalendas Decembris; ſedit autem in Cathedra triginta Luctus & complorātio in funere Sancti. annis; cuius diſceſſus ad Deum fecit nos pupillos abſq; patre matremq; noſtram Hildenſemenſem ſanctam Eccleſiam quaſi viduam. Nam mox tanti patris exceſſu; tota ciuitas commota, congemuit, & tam cleri quam plebis cætus omnis doluit. Vbiq; vociferatio lugubris exoritur, mœror inconſolabilis cuiusque profeſſionis auditur, & quem ſecum manentem communi affectu ſemper amplectebantur, hunc non immerito decedentem, lamentatione communi proſequuntur. Hinc pauperum, hinc viduarum, orphanorumque turba miſerabili eiulatu patrem ſe amiſiſſe proclamat, hinc patriæ defenſorem, pacis amatorem ac totius Reipublicæ ſagaciſſimum prouiſorem iam nobilium dignitas, quam plebeiorum humilitas concordi dolore ſubtractum eſſe, deplorat. Miru[m] nempe in modum, vir iſte omnibus omnia factus, inter diuites & pauperes, inter claros & humiles auctorabili quadam modeſtia incedebat medius; & vtrobiq;, iuſtè prouidus, nec mitibus intractabilis, nec proteruis deſpicabilis apparebat. Communi ergo, vt dictum eſt querimonia defunctus plangebatur, qui communi dilectionis honore colebatur. Sed ne irrationabiliter, more illorum, qui ſpem non habent, contriſtemur, ſi conſolantem perdidiſſe dolemus in terris, patrocinantem habere gaudeamus in cælis; & ſic corpori compaſſionis officia impendamus, vt etiam ſpiritui feliciter cum Deo regnanti congratulationis debita perſoluamus. Præceperat autem adhuc viuens, vt feretrum, quo ad tumulandum
S. Bernwardi mandata de operiendo feretro [illegible]

pus eius efferebatur, non pallio, vt moris eſt in talis perſonæ funereo obſequio, ſed cilicio operiretur, quod ideo hic inſerendum putauimus, vt cunctis legentibus pateat, quanto vir iſte à Domino etiam temporali honore ſublimatus, ſemetipſum humilitate depreſſerit, cuius viuentis ſpiritus deuotio tam humile obſequium defunctæ quoque carni prouiderit. More itaque Eccleſiaſtico exequijs ritè celebratis, corpus Deo dilecti Præſulis in Crypta eccleſiæ obij quod ipſe fundauerat ante altare ſanctæ Mariæ, maxima cum Chriſti fidelium deuotione ſepelitur. Sepulchrum autem ſancta ſibi deuotione præparauerat, & tale ſolæ humilitatis epitaphium ſuper ſcripſerat.

Pars hominis Bernwardus eram nunc claudor in iſto
    Sarcophago diro, vilis & ecce cinis.
Prohdolor officij culmen quia non bene geſſi,
    Sit pia pax animæ, vos & amen canite.

XLIV. QVID hac re beati viri manſuetudine dulcius, quid abiectione laudabilius? quo enim ſe vilius ſub humilitatis deprimit modio, eo lucidius in Eccleſiæ apparet candelabro. Et quantum ſuo iudicio ſacerdotali honore indignus deputatur, tantum laudabilis vitæ teſtimonio dignus per omnia comprobatur. Piè denique conſideranti modum conuerſationis eius, & ſanctæ à puero inſtitutionis magni meriti luce clarius apparebit, quamuis longè aliter ſe ipſe æſtimauerit. Valles enim ſecundùm pſalmiſtam, frumento abundant, hoc eſt humiles ſpiritu, potioribus diuinæ largitatis muneribus, exuberant. Sed pius Pater Deo plane & Eccleſiæ digniſſimus, & inter cæteras virtutes, quibus adornatus erat, humilitatis cultor præcipuus, quid pro ipſa cordis humilitate conſolationis, quid fidei, ac ſpei conceperit, manifeſtat in titulo, quem his verbis infectionis ſarcophagi inſcripſit loculo.

Titulus S. Bernwardi loculo inſcriptus.

XLV. SCIO quod Redemptor meus viuit & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quæ nimirum dicta eo ſpiritu ab ipſo creduntur repetita, quo primum ea conſtat fuiſſe prolata: ac ſi alijs verbis apertius diceret. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.

Iob 19.

2. Tim 4.

Iſta quæ ſequuntur in pleriſque libris & codicibus inueniuntur de obitu S. Præſulis.

XLVI. TRANSITVS viri Dei ſanctiſſimi Præſulis noſtri Bernwardi nonnullis diuinitus oſtenſus eſt, ſed iſta proſequendo libet priora paululum attendere. Sedebat aliquando vir Dei Bernwardus adhuc viuens cum hoſpitibus ſuis in aula ſua. Scholaris verò quidam pauper ante fores eleemoſynas petendo, pium Præſulem vt ſui miſereretur, inuocauit. Quod audiens homo propheticus, & Spiritu Dei plenus, iuſſit, vt Epiſcopus Colonienſis foris ſtans mox introduceretur. Currentes ergò miniſtri, renuntiauerunt neminem foris eſſe præter illum ſcholarem pauperem. Sanctus autem Bernwardus affirmans ipſum eſſe Colonienſem Epiſcopum, feſtinanter adduci præcepit; adductumque benignè ſuſcipiens, in capite menſæ pauperem renitentem collocauit. Cui, poſt menſam rubore perfuſo & verecundo, pro reuerentia ſibi à tanto Præſule exhibita, vir beatus quod ipſe Colonienſis Epiſcopus eſſet futurus, prædixit; humiliter exorans, vt primam Miſſam, quam in Colonia celebraret, pro paupere Bernwardo decantaret. At ille, cum ſumma deuotione precibus eius annuens, benedictione petita, & accepta receſſit ab eo. Factus igitur Archiepiſcopus, iuxta vaticinium viri ſancti regnante Domino Henrico de Bauenberch, anno Domini milleſimo vigeſimo tertio, duodecimo Kalendas Decembr. ad Altare Miſſam celebraturus accedens, ipſe Colonienſis Epiſcopus, cantoreſque præueniens, Miſſam pro defunctis, omnibus, qui aderant, ſtupentibus inchoauit; nec immemor interpretis ſui Beati ſcilicet Bernwardi, cum veniſſet ad Canonem, deuotiſſimè ſicut promiſerat, memoriam ipſius egit inter viuos. Sed [a] inter ſalutaris victimæ conſecrationem, tranſitus viri Dei diuinitus ei reuelatus eſt; vnde mox etiam in memoria defunctorum nominis eius mentionem fecit; & omnia quæ acciderant, finita Miſſa, fidelibus publicauit. Qui cæleſte miraculum curioſius inueſtigare cupientes, miſſis exploratoribus in Hildenſem, certiſſimè cognouerunt, quod eadem hora, quando Archiepiſcopus hoſtiam noſtræ ſalutis immolauit, anima ſanctiſſima, fidelis & prudentis ſerui Domini noſtri Ieſu Chriſti, cæleſte gaudium introiuit.

Piligrino litterarum ſtudioſo prædicit, Colonienſem Archiepiſcopatum.

Vide notas Brovveri.

Piligrinus ex condicto ſacrificium facit pro S. Bernvardo iam Archiepiſcopus.

[a] Piligrinus fit certior de B. Bernwardi tranſitu.

XLVII. FVIT nihilominus in remotis partibus à ciuitate Lunda ad duodecim milliaria viginti ſex annis quidam in quadam ſylua deuotus Eremita Anſelmus nomine, qui ſolitas Deo preces fundens, ſtatim fuit in ſpiritu: & vidit ipſa die, qua anima viri Dei cæleſtia clauſtra petiuit, cælos apertos cum ingenti lumine; & audiuit inter dulcem melodiam beatorum ſpirituum, hoc carmen ab Angelis iterari. O felix anima Bernwardi; cuius merita hominibus adhuc ſunt incognita, Deo autem & nobis valde nota. Hæc tribus vicibus continuis die depoſitionis vidit, & audiuit. Prædictam reuelationem vir Dei, dum ſæpe eum deuotione reuolueret, vbi tamen illius nominis vir tam beatus habitaſſet, ignoraret, ecce adſtitit ei venerabilis perſona proceræ ſtaturæ, venuſta facie; reſperſa canis, & operimentis Pontificalibus veſtita, dicens ei Ego ſum Bernwardus Epiſcopus Hildenſemenſis, quam trina viſione in choro Angelorum collaudari audiſti. Ego templum in Hildenſem Angelis conſtruxi, & Virginis filium patrimonij mei ſucceſſorem feci, cunctiſque ſæculi voluptatibus renuntiaui; habitum Angelicum ſuſcepi; nunc quoque centuplum omnia recepi; ac in tali iubilo ſicut vidiſti, vitam æternam poſſideo. His ſibi cum alijs quibuſdam reuelatis, cum ingenti lumine diſparuit, & pro gloria ſancti viri ſolitarius, quæ audierat & viderat, fidelibus reuelauit. Obijt itaque ſanctus Præſul anno Domini Milleſimo vigeſimo tertio, vt dictum eſt, & ſepultus in crypta Eccleſiæ ſuæ, quam conſtruxerat. Latuit autem ſub terra, annis centum & ſeptuaginta duobus. Cernitur nihilominus ad dextram partem ſepulchri ſuper columnarium conſcriptio talis.

Eremitæ gloria beatitudinis S. Bernwardi ipſa die Depoſitionis per viſum oſtenditur.

Quidam 1022 melius quemadmodum & Authoritæ S. Godehardi, nam ſedit 30 an. incipiens à 15 Ianuarij ann. 993.

Hae tumuli foſſa clauduntur Præſulis oſſa
    Bernwardi, miri magnificique viri.
Qui patriæ ſtemma, radians vt * gemma ſerena,
    Acceptus populo, † complacuit Domino.
Nam fuit Eccleſiæ condignus Epiſcopus ille,
    Quem Deus Emanuël diligat, & Michaël.
Tandem bis ſenis vndeno menſe Kalendis,
    Felix hanc vitam mutat in Angelicam.

* vel ut inclusa gemma ed. t. Embſeri apud Surium in Beanone

† i. Accepimus Domino compl. pop.

Quantis poſt hæc miraculorum inſignijs Confeſſorem ſuum Dominus glorificauerit, non eſt noſtræ paruitatis, explanare. Sed ne cuncta præterijſſe videamur, pauca de pluribus explicamus.

Diuerſa Miracula

XLVIII. PVELLA quædam de Erpesfordorìunda Hildegardt nomine, cum multa languentium turba, diuerſis ægritudi-

Contracta. gritudinibus vexata Hildenſem aduenit, miſerabilem in modum contracta, ita vt genibus pectori inhærentibus, manu dextra incuruata cubitali menſura, vix à terra ſurrecta, ſe rependo traheret. Quæ, per ſex menſes & eo amplius circa loca Sanctorum reptando, mendicans à Deo ſalutem, à populo ſtipem, admonita, vt ipſa referebat, per ſomnium ad tumulum beati Bernwardi reptando peruenit; & ſuppoſita eidem tumbæ cerea effigie, continuò coram populo, cuius eodem tempore multitudo forte conuenerat, neruorum diſtentione durius cruciari cæpit. Quid plura? Infra biduum erecta eſt, & ſanitati reſtituta. Teſtis eſt ciuitas noſtra, cui, miſeria prodente, erat notiſſima.

Valetudinis deſperatæ. FVIT in noſtra ciuitate miles quidam miniſterialis habitans. Cuius filia ægritudine preſſa ac deſperata. Pater anxius ne ſine Baptiſmi Sacramento migraret, infantula enim erat, Beato viro ſe deuouit; vt, ſi meritis eius ægra ſpatium ad noſtræ ſalutis Sacramentum percipiendum obtineret, ipſe memoriam eius cum oblationibus viſitaret. Nec mora; iuxta votum ſepulchrum Beati Præſulis adijt; inde rediens, infirmam plenè conualuiſſe reperit. X

Oculorum. ALIA puella de Hannouere, tanto cruciabatur oculorum dolore, vt penitus elici orbibus ſuis ipſi oculi putarentur vi doloris. Promiſſa igitur oblatione ad tumbam Sancti Præſulis, illicò, ſoſpitate redeunte, conquieuit vis doloris. L.

Item oculorum. SIMILI paſſione quidam in Runebech vexatus, cum iam penitus oculorum ſalutem deſperaret inuocato ſancti Præſulis auxilio, in ſomnum reſolutus eſt, facto autem diluculo, penitus omni dolore fugato, ſurrexit, eademque die cum teſtibus ſuæ ſanitatis ad tumulum beati viri gratias acturus venit. LI.

Manuum & pedum. FABER quidam de Bokenen Bodo nomine, tactus eſt infirmitate graui per tres ſeptimanas, ita vt manus & pedes iam præmortuos occaſuros à ſua compage arbitraretur. Vocatus ergo Sacerdos, cum iam deſperaretur, aduenit; cuius conſilio cæterorumque propinquorum, vouit, vt ſi intra triduum meliorari cepiſſet, ſepulchrum beati Præſulis gratias acturus, viſitaret. Hæc cum agerentur, feria quarta ante Dominicam Rogationum, ſequenti die ac nocte adeo conualuit, vt proxima ſexta feria nudipes Hildenſem veniret, ſic tamen luridus ore, vt ipſa facies conſpecta viri, audientibus fidem faceret miraculi. LII.

Dæmoniacæ. MVLIER quædam Goſzlarienſis Elmot nomine à Dæmone poſſeſſa, cum veniſſet ad beati Bernwardi memoriam per aliquot dies ibidem horribili modo vexata, precibus ſancti Præſulis curata eſt; ſeptem aut plures dies poſtea nobiſcum manſit, quotidie ſepulchrum Pontificale, cum deuota gratiarum actione viſitauit. Crebrò ibidem corpori & ſanguini Domini communicauit. Inde digrediens, poſt ſeptimanas ſex redijt, & ceream duobus denarijs comparatam tumbæ ſupponés, pro ſanitatis ſuæ perſeuerantia, gratias retulit. Teſtis eſt tota Goſzlaria, vbi pro mercimonij ſui negotio probatur fuiſſe notiſſima. Iuuenis quidam in Bohemia, in ſacratiſſima nocte Natiuitatis Dominicæ cum duobus fratribus ſuis cæteriſque coæuis, ludis quibuſdam inuigilans, diriſſimo dæmoni vexandus eſt traditus, fratribus vtriſque ſubitanea morte præfocatis, cæteriſq; omnibus, qui eiſdem infauſtis intererant ludis, à morte ſubtractis, aut Dæmonum vexationi contraditis. Itaque poſt triennium, durante infelici paſſione, iuuenis idem ignaris parentibus huc illucque curſitans, tandem Hildenſem peruenit. Ibi, dum Completorium caneretur, Monaſterium ſancti Michaëlis ingreſſus, tam dirè ante Altare ſanctæ Crucis vexatus eſt, vt omnes, qui aderant horrore nimio ſtupidi, & miſeratione compuncti redderentur. Introducitur itaque vi impellentium, nimium ipſe renitens, in Cryptam ad Beati Bernwardi tumbam. Vbi diutius furore rotatus, & verba blaſphema garriens, vt quidam linguam eius intelligentes, qui tunc fortè aderant, cum ſtupore pauidi retulerunt, tandem concidit, apertoque ore inhians, liquorem ſpurciſſimum cum fœtore nimio eructans, incolumis ſurrexit. Poſtera die populo præſentatus eſt ſanus: & ex eo, per quindecim ferme dies ſepulchrum frequentans, & pauimentum per circuitum aſſiduè lambendo exoſculans, deuotiſſimè cum lachrymis liberatori ſuo gratias egit. LIII.

Obſeſſis.

Tempeſtate erepti. QVIDAM mercatores Bremenſes; cum in mari verſus Angliam nauigarent, tempeſtate grauiſſima præuenti ſunt, ita, vt rupto fune anchoræ, & naui tota concuſſa, iam vicinum cunctis pelagus intentaret interitum. Cumque ſupplicatio communis, & clamor lachrymabilis concreparet ad Sanctorum patrocinia, repente quidam intulit, quendam ſanctum Pontificem Bernwardum nomine Hildenſem coruſcare miraculis. Eius ergo communi voto ſuffragium poſtulantes, continuo inter medios vndarum vortices, ſine labore, inſolita tranquillitate portum petierunt; & in minori nauicula redeuntes, anchoram ſuam in mari elapſam, retulerunt. Exinde domum reuerſi duos ex comitibus ſuis cum nauicula cerea, ad tumbam Beati viri in feria tertia poſt Dominicam Lætare Ieruſalem, pro gratiarum actione tranſmiſerunt. Ijdem quoque poſtea ſimili periculo per eum liberati, argenteam anchoram per ſemetipſos obtulerunt. LIV.

Thus amiſſum mirè recuperatum. NEGOTIATORIS cuiuſdam Hildenſem habitans, coniunx, cum die Paraſceue loca ſanctorum more quam pluribus conſueto, annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparauit, quam ad beati Bernwardi tumbam ferre deſtinauit. Ergo via, quæ tendit ad monaſterium ſancti Michaëlis, in aqua lutea, quæ per ciuitatem verſus vrbis murum decurrit, pedes lauit, inde ad monaſterium tetendit. Cumque cæmeterium eiuſdem Eccleſiæ conſcendiſſet, agnouit elapſum eſſe thus, quod emerat. Vnde grauiter animo conſternata, excuſſis veſtimentis ſicubi adhæſiſſet, eadem via, qua venerat, vſque ad aquam qua prius pedes lauerat, quærendo reuerſa, nihil inuenit; mæſtaque nimium ad monaſterium redijt. Inde cryptam ingreſſa, ante tumbam Pontificis in oratione cum largo fletu procubuit, reputans apud ſe, ideo ſibi oblationem elapſam, quod quaſi indigna fuerit eam proferre ad ſancti viri memoriam. Finita oratione humili, & lachrymoſa, ſurrexit, thus perditum in manu ſiniſtra reperit; quod tumulo ſuperponens, cum ingenti pauore abſceſſit. quod geſtum erat ſub ſilentio abſcondit, donec quinto aut ſexto die à familiaribus eius proditum, innotuit. Quæ poſtmodum cum rei geſtæ veritatem à quodam fratre noſtro promere peteretur, non ſine lachrymis narrare potuit. LV.

Fiſtula morbus. MILES quidam Thietmarus nomine miniſterialis Regis, in vico Hoya iuxta Wiſeram fluuium habitabat. Huius filius annorum circiter octo, cum per quinquennium fiſtulæ incommodo in maxilla ſiniſtra vexaretur, omniſque medicorum operatio in illo fruſtraretur, tandem ad tumulum ſancti Antiſtitis oblationem ſuam, cereum videlicet caput ferre deuouit, ſi infra nouem dies incolumitas illi, meritis beati viri, redderetur. Igitur infra triduum ante tempus præoptatum puer remedium accepit; & tertia feria infra hebdomadam Pentecoſtes, cum patre matre & auia in teſtimonium receptæ ſanitatis cum votis promiſſis ad memoriam beati viri ſoſpes peruenit. LVI.

Tibia ſanata. ABBAS etiam cœnobij ſancti Michaëlis Conradus nomine, dum quadam die cauſa vtilitatis monaſterij iter ageret, fortè accidit, vt equo labente cui inſederat, tibia colliſa, prorſus debilis, & cruciatus in ſella geſtatoria referretur. Iuſſit itaque ſe ad ſepulchrum beati Pontificis deferri; vbi in oratione proſtratus, cum vouiſſet ſe, quoad viueret candelam nocte & interdiu ibi prouiſurum, incolumis continuò ſurrexit, quique alienis manibus eſt illatus, proprijs eſt pedibus egreſſus. Neq; hoc reticendum videtur, quia plures Deo deuoti tam viri quam fœminæ nocturnæ quietis tempore, ad ſepulchrum beati Præſulis pſalmodiæ cantus ſe audiſſe, & luminaria diuinitus accenſa vidiſſe, & miri odoris fragrantiam ſenſiſſe, teſtati ſunt. LVII.

Pſalmodia & lumen.

MVLIER

LVIII. MVLIER quædam prouinciæ Marahen, de ciuitate Olomuſz, non infimis parentibus orionda ſeptennio nis ſiniſtræ manus digitis in volam contractis, eiuſdem brachij vlna concreta, pectori pene cohærente, debilis aruerat; quæ multa ſanctorum loca ſanitatis gratia frequentare conſueuerat. Venit ergò multo itineris labore fatigata, manè ſeptimo Kalendas Iunij ad ſepulchrum beati Bernvvardi, vbi infra priorem Miſſam poſita, populo inſpectante, priſtinam ſanitatem recepit. Cuius rei teſtes idonei plurimi tunc temporis affuerunt; qui prius illam ſe debilem agnouiſſe teſtati ſunt. Mox ergò omnes, qui huic affuere miraculo, multique de ciuitate accurrentes, Deum, qui tantis famulum ſuum glorificat*, in hymnis & laudibus benedicebant.

Contracta.

* miraculis.

LIX. QVIDAM in Thuringia, manum habens aridam, omnique operis officio priuatam, cum ſe ad beati viri memoriam cum oblationibus ire vouiſſet, ſi meritis eius ſanitatem conſequeretur, inopinata celeritate, quod optauerat, adeptus eſt. Ille autem tantam gratiam paruipendens, & votum implere diſſimulans, eiuſdem manus itemque brachij ſimul debilitate, multatus eſt. Qui, nimio dolore cogente, licet ſero in ſe reuerſus, & cur hoc pateretur haud ignarus, cum promiſſis oblationibus ad ſancti Præſulis auxilium inuocandum, ire cœpit, nondumque peracto itinere, perfectam ſoſpitatem recepit. Vt ergò ad locum peruenit, vbi ſancti Præſulis corpus requieuit, condignas ſanatori ſuo gratiarum actiones perſoluit; nobiſque, qualiter hoc geſtum ſit, cum pluribus ſuæ ſanitatis teſtibus, enarrauit.

Manus arida.

LX. ALTER quidam Volcquardus nomine, omni ciuitati noſtræ notiſſimus, ſimili paſſione vexatus, quodam tempore, cum in beati Michaëlis Eccleſiam introductus fuiſſet, corporaleſque medecinas ſibi adhiberi poſtulaſſet, quidam presbyter à Deo potius ſibi ſanitatem petendam admonuit; & ad beati Bernvvardi memoriam ſpe ſanitatis ire, perſuaſit. Quo facto, vix hora dimidia tranſacta, Cryptam lætus exiuit, ſeque ſanatum fuiſſe, cunctis in Eccleſia conſiſtentibus euidenter oſtendit. Qui poſt ſeptem dies reuocatus, & de perſeuerantia ſanitatis interrogatus, cum ſe nihil doloris habere fuiſſet profeſſus, populo, cuius multitudo aderat, eſt præſentatus; Deuſque ab omnibus magnis eſt laudibus glorificatus.

Alterius.

LXI. RVSTICVS quidam Lunignæ habitans, Romam ad ſanctum Petrum orationis cauſa tendens, in eodem itinere graui cœpit infirmitate detineri. Qui, cum omnimodis à carnium eſu abſtinere ſe vouiſſet, quoadusq; ad beati Bernvvardi ſepulchrum, gratias acturus, veniſſet, ſi per eum à mortis ſe contigiſſet periculo liberari, continuo ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

Morbi depulſi.

LXII. PVELLA quædam paruula Machtildis nomine, de Bauaria nata, ſed apud nos à primis fere annis, in vico Foſſem conuerſata, religioſi cuiuſdam viri Ecberti nomine ſuſtentata eleemoſynis, manum habens contractam venit ad beati Bernvvardi tumbam, quam mox vt attigit, optatæ ſalutis remedium inuenit.

Manus.

LXIII. FVIT quoque Bremis mulier non ignotæ inter ſuos opinionis; cuius facies, ingraueſcente morbo, adeò intumuerat vt narium & oculorum diſcretionem pene funditus ademiſſet. Cumque voti eius beati Bernvvardi compaſſionem implorаſſent, ſuper nimiam eius afflictionem vouentes eam ſepulchrum eius viſitaturam; dolor illico ceſſauit & inopinata celeritate ſanitas priſtina rediјt.

Vultus

LXIV. FVIT in Ritelogon, qui eſt vicus duobus milliaribus diſtans à ciuitate Hildenſem, puella quædam ita diuerſis per quinquennium paſſionibus, & moleſtijs corporis affecta, vt nouiſſimè neruis, ac membris pene omnibus contracta, & ſibi eſſet inutilis, & ſuis efficeretur grauis. Hæc igitur ſexto Nonas Maij, vehiculo adducta Cryptam Baſilicæ noſtræ difficillimo labore duobus innixa baculis, irrepſit; ac ſe ſuper beati viri tumbam inclinauit; ibiq; ab omni, quo laborabat, incommodo, mira celeritate, conualuit. Die ſequenti conuenit incredibilis multitudo populi noſtræ ciuitatis, peregrinorum quoque, & aliorum, qui de diuerſis locis ad ſolemnitatem ſanctæ Crucis eo die confluxerant, non modica turba; acceptoque teſtimonio à parentibus & ciuibus puellæ, de eo quod acciderat, Deum publicis laudibus in ſancto ſuo deuotiſſimè glorificauerunt. Puella verò, eodem die, ad ſua incolumis reuerſa eſt.

Membrorũ paralyſis.

LXV. VIR quidam de ciuitate Lubeck Adelvvardus nomine, ita paralyſis morbo longo tempore diſſolutus iacebat, vt nec in lecto ſemetipſum erigere, nec ad os manum propriam potuiſſet adducere; huius vxori beatus Pontifex Bernvvardus in viſione apparuit, eamq; vt pro ſalute viri candelam iuxta longitudinem ac latitudinem ſepulchri ſui factam, Deo vouere debere, edocuit. At illa de ſomno euigilans, & viſionem retractans, illicò ſurrexit, & aſſumptis duabus fœminis in veſtibulo domus ſuæ ſolo proſternitur, poſtque orationem, & votum promiſſum, ad maritum reuerſa eſt, inuenitque eum pro recuperata iam ſanitate Deo gratias agentem. Qui ab illa hora tam plenè conualuit, vt non longè poſt, ad votum perſoluendum cum vxore, ſancti viri ſepulchrum viſitaret, ac patrati in ſe miraculi relator certiſſimus exiſteret.

Alia.

LXVI. ALIO quoq; tempore iam dicti Patrisfamilias filius adhuc infantulus, cuiuſdam molis deſuperuenientis ruinâ oppreſſus, atque contritus, cum iam pene videretur exanimis, eiulabunda mater ad ſancti Bernvvardi patrocinium confugit; nec ſpe ſua fruſtrata eſt. Nam continuo poſt preces & lacrymas eius ad Deum fuſas, ſub inuocatione ſancti Præſulis puer tanquam ab ipſis mortis faucibus ereptus, vitæ redditus eſt.

Ruina.

LXVII. MILES quidam Hereboldus de villa Hornſem diutina infirmitate conſumptus, ad extrema peruenerat. Cognatis autem & amicis illius, pro amiſſione chariſſimi ſui nimium dolentibus Sacerdos eiuſdem loci ſuggeſſit, vt pro eo patrocinium beati Bernvvardi implorarent, votum facientes, vt ſi vitæ reſtitui, & ſalutem conſequi potuiſſet, ad ſepulchrum Sancti laneis indutus, & diſcalceatus de domo ſua incipiens, venire debuiſſet. Omnibus ergò id fideliter vouentibus, æger melius habere cœpit; & proficientibus melioratio nis ſuæ augmentis, in breui ad plenum conualuit. Qui poſtmodum alterius cauſæ occaſione Brunelwich ciuitate conſiſtens, ex eodem loco ad perſoluendum votum iter arripuit, eo quod breuioris viæ compendio vſus, in ambulando minus eſſet laboraturus. Perueniens itaque ad ciuitatem Hildenſemenſem grauiter infirmari cœpit. Sed tamen cœptum adimplere deſiderans Eccleſiam ſancti Michaëlis, in qua ſanctus Præſul requieſcit, expetijt; ſed ante atrium Eccleſiæ tanquam ab aliquo impulſus, corruit. His autem, qui comitabantur eum, apprehendentibus atque ducentibus; vt ad ianuam Baſilicæ ventum eſt, horrore nimio perculſus, & pauore inter manus eorum collapſus eſt, nec vllo modo aſſurgere, aut intrandi Eccleſiam vires habere, potuit, vſque dum publica confeſſione, omnibus qui aderant, pro quo reatu hac pœna multaretur, aperiret. Receptis ergò viribus, ad ſua reuertens, & inde procedens, voti ſui ordinem tanto iam deuotior, quanto diuino verbere eruditior, expleuit.

Exomologeſis.

LXIIX. MATRONA quædam Bremenſis, in infirmitate poſita, vidit aſſiſtere ſibi quendam reuerendi vultus in habitu ſacerdotali interrogantem eam, vtrum nam agnoſceret, quem aſpiciebat. Quæ reſpondens, vt poterat, vix enim in ſolo pectore vitalis ſpiritus anhelabat, dixit, eum ſibi prorſus incognitum eſſe. At ille, benigniſſimo affatu, quod ipſe eſſet Bernvvardus Hildenſemenſis Epiſcopus, indicauit; &, quia ſaluris cauſa adueniſſet, aſſeruit, admonuit etiam, vt ad ſepulchrum ipſius nummatam vini ad celebrationem miſſarum, recuperata ſanitate, offerret; atque, hoc dicto, diſparuit.

S. Bernvvardus apparet ægrotanti Matronæ Bremenſi.

LXIX. MVLIER verò, quæ morti vicina putabatur, nam ſolo proſtrata, more fidelium ex hac vita migrantium iacuerat,

uerat, erigens ſe pauliſper, omnibus, qui ad exitus eius exſpectationem conuenerant, viſionem enarrauit, atque ab eadem hora ſalua facta eſt. Poſtmodum viſitans ſepulchrum Sancti, oblationem præſcriptam fideliter obtulit, alijſq; fidelibus ad ſequendam huiuſmodi deuotionem, exemplo fuit. Nam multi poſtea tam pium factum imitantes, ſuffragantibus meritis beati Bernwardi, à varijs languoribus & calamitatibus ſunt liberati.

Febricitantis.

Miles quidam, de Ducatu Mekelenborch febre acriter correptus, ad exhortationem aliquorum admonitus, vt ſancto Bernwardo Hildenſemenſium Patrono, votum faceret, & ſine dubio releuamen & ſanitatem recipere non dubitaret, faciliter acquieuit; &, voto facto, mox, vt verba de eius ore exierunt, ſanatus eſt; in cuius euidens teſtimonium miſit idem miles florenum aureum per duos Sacerdotes ad ſepulchrum ſancti Præſulis; qui prædicta ſic contigiſſe fideliter teſtati ſunt. LXX

Aqua de tumba S. Bernvvardi accepta.

Rvsticvs etiam quidam de Diœceſi Hildenſemenſi cum diu febricitaret, aquam de tumba ſancti Præſulis ſibi afferri petijt, quam mox, vt bibere cœpit, febris abſceſſit; & poſt illum diem non comparuit, &, vt ipſe dixit, in ſanitate perſeuerauit. LXXI.

DE TRANSLATIONE S. BERNVVARDI CONFESSORIS PRÆSVLIS DIGNISSIMI.

Cvm ad laudem & gloriam Creatoris & Reparatoris vniuerſorum, & ad proximorum profectum quilibet, quod poteſt, in domum Domini iubeatur offerre, cauendum eſt, ne quis intra ſanctam Eccleſiam fidelium, in conſpectu Dei ſui vacuus appareat, ſed vnuſquiſque, ſecundum collatam ſibi à Deo gratiam, de bonæ voluntatis theſauro, quantum valet, fideliter proferat, & in noſtri Saluatoris gazophylacio ſaltem cum vidua paupercula, duo minuta voluntariè reponat. At nos exigui & imperiti ſermone, quid ad decorem domus Dei dignè poſſimus exhibere, non habentes, valde pertimeſcimus, ne inter ſeruos pigros & inutiles numerari debeamus, conſiderantes tamen, quod ante Dei oculos nunquam vacua eſt manus à munere, ſi arca cordis repleta ſit bona voluntate, quia multis non poſſumus vel ſaltem paucis prodeſſe volentes ad vtilitatem eorum, qui ſe ſacris lectionibus occupare conſueuerunt, & quorum meditatio in lege Domini die ac nocte, conſiſtit, glorioſam ſacri corporis Deo dilecti Præſulis Bernwardi translationem, quam noſtris diebus ſolemni fidelium deuotione celebratam gaudemus, explanare proponimus, de illo vtique præſumentes, qui aperuit os muti, & linguas infantium fecit diſertas. I.

Vervm, cum de conuerſationis eius ſanctitate, geſtorum magnificentia, & tranſitu, laudabili bonæ memoriæ Tangmarus Presbyter, diſerto ſatis ſermone, pleniſſimè narrauerit, nos hoc prætermittentes, ad ea tantum ſtylum vertimus, quæ vel ipſi de miraculis eius vidimus, aut eorum in quibus patrata ſunt, probabili relatione cognouimus, vel quæ adhuc, publica fama celebrante, didicimus II.

Cæleſtini III Laus

Cincius Cardinalis Legatus eius in Daniæ partes quæ hic Dacia.

Terræ ſanctæ & Hieroſolymæ à Saladino captæ clades aliæ reperita in anno 1187. S. Crucis lignum ablatum.

Anno igitur ab Incarnatione verbi Dei Milleſimo Centeſimo nonageſimo tertio, Cæleſtinus Papa tertius, ſanctæ Romanæ præſedit Eccleſiæ, vir ſacrarū litterarum documentis eruditus, habens vtique, vnde proferret noua & vetera, ætate grandæuus, colloquij ſuauitate blandus, &, vt paucis dicamus, ipſum cum ætate matura morum adornabat maturitas. Hic diſcretorum communicato conſilio, venerabilem virum Cincium, Presbyterum Cardinalem in partes Daciæ deſtinandum duxit, vt terram ſpeciali priuilegio Apoſtolorum principi ſubiugatam, Apoſtolorum Principi Vicarij vice, reuiſeret, & Prouinciæ illius Principes, graui ab inuicem diſcordia diuiſos, ad tranquillitatis ſtatum, & pacis vnitatem, reuocaret. Quod Apoſtolicæ Legationis mandatum animo prompto, Deo fauente, prudenter executus, cum eſſet in redeundo, ad ciuitatem Hildenſemenſem, quæ ſe itineri eius offerebat, declinauit, & in Monaſterio Beati Michaëlis à Domino Theodorico, qui tunc temporis eiuſdem Cœnobij curam gerebat, pariter & à fratribus, hoſpitio benignè collectus eſt. His diebus ſancta Ciuitas Ieruſalem, de qua per Prophetam à Domino dicitur, De Ieruſalem Ciuitate quam elegi, veniet vobis auxilium, ciuitas noſtri Redemptoris præſentiâ ſimul, & ſacræ paſſionis eius ac Reſurrectionis dedicata triumpho. inſcrutabili diuinæ permiſſionis iudicio, violenta Saracenorum manu tenebatur captiua; & cuidam Saladino ipſius nefariæ gentis Principi, miſera ſeruitute ſubiugata. Illud etiam viuificum ſanctæ Crucis lignum, in quo Saluator pependit, & quod ſui ſanguinis effuſione ſacrauit, per manus ſceleratorum de ſanctuario ſancti templi ſublatum, & in terram alienigenarum aſportatum eſt. Sepulchrum nihilominus, in quo Redemptor quieuit, & in quo mulieribus Angelicæ viſionis oſtenſa eſt gloria, ſic à Chriſtianorum alienatum eſt poteſtate, vt ipſis cuſtodibus, qui ad hoc obſeruandū fuerant deputati, excluſis, nulli penitus fidelium ad hoc viſitandū acceſſus pateret, qui tributa reddere Saladino recuſaret. Sed, quis huius calamitatis miſeriam per ſingula enumerare ſufficiat? Tota terra illa, cui benedixit Dominus, & in qua filius Dei dignatus eſt naſci, inter homines cōuerſari, pati, mori, reſurgere, cælos adire, & ſuper diſcipulos gratiam Paracliti mittere, ac plura viſibiliter operari miracula, terra, vbi Prophetarum & Apoſtolorum ſacra viguere præconia; cædibus, rapinis, & varijs oppreſſionibus, quæ à ſupradicto tyranno exercebātur, laborabat. Sola ciuitate Tyro ſuperſtite, quæ propter ſui firmitatē & propter adiacentis maris latitudinē ſpatioſam, expugnari non potuit. III.

Tyrus ſuperſtes.

Veruntamen miſerator, & miſericors Dominus, miſericordiam ſuam in ira ſua non continens, qui nunquam obliuiſcitur miſereri, cum populo ſuo, quē diligit, corripit & caſtigat, in hac ſeueritate piè ac miſericorditer egit, multa fidelium millia, magnorum Principum & nobilium cateruas innumeras, ad agendum pœnitentiam de commiſſis, plures eorum ad vitam præſentem termino laudabili concludendam, terræ illius amiſſionis occaſione, clementer inuitans In hoc vtique fact[illegible] ad illius Euāgelici Samaritani exemplar, Chriſtiano populo propter varias plagas criminum, in illis partibus Hieroſolymitanis quaſi ſemiuiuo relicto, conueniens, antidotum cæleſtis medicus renouauit: ſeueritatis vinum ſimul & oleum pietatis apponens: vt qui in arca tabernaculi virgam, & manna poni præceperat; vnde plebem ſuo charactere inſignitam in amiſſione terræ ſanctæ, virga percuteret, inde in agnitione ſuæ fragilitatis ac cognitione proprij creatoris, eam quaſi baculo ſuſtentaret. Hæc ideo huic opuſculo credidimus inſerenda, vt facilius clareſcat, quantis malorum perturbationibus illo tempore totus vbique pene concuſſus fuerit orbis, cum neque Regio aliqua, vel prouincia, nec ciuitas quidem exiſteret, quæ non bellis vel ſeditionibus coram poſitis, laboraret, vel venturas formidaret Nam ſicut omnia corporis membra ſolo capite reguntur, &, infirmato capite, cetera membra ægritudinis incommoda ſentire neceſſe eſt, ita poſtquam ciuitas Ieruſalem, vbi Chriſtianæ religionis exortæ ſunt primitiæ, propheani principis tyrannidi ſubiacuit, per omnes fere fines, in quibus vnius Dei frequētatur cultus, & maximè, apud Saxoniam prouinciam, rapinarū, incendiorum, aliarumq; enormitatum, exercebatur impietas; vt duris paſſionibus capiti ſuo grauato, reliqua ſanctæ Eccleſiæ mēbra non immerito condolere viderentur Tunc igitur data eſt libertas, & reſoluta legum frenis irruit, vt ſi vir ille facūdiſſimus ab inferis emergeret, aptius hoc æuo quā illis diebus exclamaret O mores ô tempora! Hac igitur inexplicabilis aduerſitatis inſtantia totus fere Hildenſemēſis Epiſcopatus deſtitutus iacebat. Verum ſupra memoratus Romanæ ſedis Legatus, tā diræ cladis violētia coactus, in [illegible] per dies aliquot commoratus.

Christianorum in Europa inteſtina bella Saxoniæ tumultus.

Noua Chriſtianorum militia facta.

Nam

Nam quidam ſaniori vſi conſilio illum affectuoſè præmonebant, ne ſine potentis perſonæ conductu procederet, ne forte per quoſdam malitiæ miniſtros, inſidiarum iacula & laqueos abſconditos, qui ſibi tenderentur, incurreret. Eorum igitur monitionibus & conſilijs acquieſcens, Legatos ad Imperatorem pro literis conductitijs ab eo impetrandis direxit, quia Hildenſemenſis Epiſcopus in multis Imperialibus obſequijs detentus erat, & ideo eum talibus auxilio eſſe non poterat. Quibus ad Imperatoriam maieſtatem profectis, vir honorandus in loco tam ſæpe nominato perſiſtens, amplius quam trium hebdomadarum ſpatium compleuit, nullis alijs niſi ſacræ lectionis ſtudijs inuigilãs, vt iam illius Orthodoxi noſtri magnæ videlicet ſanctitatis viri Hieronymi ſpiritalis exercitij videretur imitator, aut legendo ſemper aliquid aut ſcribendo. Ad hunc, quotieſcunq;, qui publicis ſceleribus [a] implicati eſſent, veniebant rogantes, quatenus de iniuncta eis pœnitentia ex conceſſa ſibi auctoritate aliquid relaxaret, in his diſcretè & prudenter ſe agebat, & primo cauſam modumq; delicti diligentius perquirens, iuxta culparum quantitatem condonationis gratiam temperabat. Sæpius etiam ad conuentum Fratrum accedens eos, vt erat vir mitiſſimus, humiliter ſalutabat, cum quibus Monaſterium ingreſſus, huc illucq; deambulando ſitum eius & honeſtam per omnia diſpoſitionem mirabatur. Accidit ergo, vt vna dierum oratorium ſolitò ingreſſus, à fratribus qui præſentes erant, requireret, qui tam magnifici operis [b] fundator exſtitiſſet. Cui à fratribus reſponſum eſt, quod à quodam Epiſcopo magnitudine virtutum egregio, qui ante tempora ſanctæ recordationis Gothehardi Epiſcopi Hildenſemenſis Eccleſiæ regimen tenebat, idem locus conſtructus, conſecratus, & de poſſeſſionibus, quæ ſibi hæreditario iure ceſſerant, dotatus eſſet. Præterea, quod in crypta eiuſdem Cœnobij ſacræ corporis eius eſſent reliquiæ reconditæ, adijcientes, quod quædam quæ de probata ipſius conuerſatione conſcripta eſſent, apud eos haberentur volumina. Qui, dum ſuper tanti viri nomine ſtudioſius requireret, audiuit quod Bernwardus ei nomen fuerit, & quod de claro Saxonum ſanguine extiterit oriundus. His auditis, Deum qui Sanctos ſuos glorificat, benedicens, quædam de potioribus eius miraculis in præſentia ſui recitari præcepit, diligentius inquirens, ſi in eadem congregatione fratres exiſterent, qui aliqua de miraculis eius celebrata vidiſſent. Cui plures è fratribus multa ſe de his frequenter vidiſſe, reſponderunt. Ad hos Apoſtolicæ Sedis Legatus; ſi hæc, ait, quæ dixiſtis, virtutum inſignia in præſentia Summi Pontificis audirentur, non dubium, quin rationabilem & honeſtam petitionem optatus proſequeretur effectus, ſi ab eo beati viri translationem peteretis. Aliquantis dehinc euolutis diebus, cum fratribus [*] capitulum ingreſſus, poſt dulcia exhortationis eius verba, vniuerſi genibus ipſius aduoluti ſupplicabant attentius, vt quia ſua inducti perſuaſione, pro translatione beati Confeſſoris promouenda, Legatos ad Romanam deſtinare proponerent Eccleſiam, eis apud Summum Pontificẽ pius cooperator exiſteret. Illorum precibus admiſſis, conſuluit, vt hi, qui certius aliquid de miraculis ſancti viri vidiſſent, aut certa comperiſſent, relatione [c] in præſentia ſui & Domini Bernonis, qui eo tempore Pontificatus culmen gerebat, iuramento confirmarent: Impoſſibile dicẽs, vt Eccleſia Romana facilè in huiuſmodi negotijs aſſenſum præbeat, niſi de veritate rei plenius antea fuerit inſtructa. Hic, dum in audientia omnium propoſuiſſet, paratos eos & vnanimes inueniens, cum ipſis pariter ad Epiſcopum acceſſit, vbi in facie ipſorum & totius Eccleſiæ fratres, quæcunq; de virtutibus & ſignis Beati viri viderant, aut per idoneos teſtes didicerant, Sacramento præſtito, in ſacroſanctis Euangelijs, vera eſſe conteſtati ſunt. Quam atteſtationem præfatus Cardinalis in ſcriptum redigi, & tam ſuo, quam Epiſcopali ſigillo, diligentius conſignari, mandauit. His ita de conſilio rationabiliter ordinatis, Dominus Cardinalis valedicens fratribus, & de impenſo ſibi ab eis puræ dilectionis obſequio quam plurimum regratiatus, profectus eſt; Domino Epiſcopo debita ipſum conducente reuerentia, & in caſtro ſuo Wincenburch illum hoſpitio excipiente. Cum quo pater Monaſterij vſque ad idem caſtrum proceſſit; & die ſequenti, cum ab eo benedictione petita, ad Monaſterium redire pararet, fideliter conſuluit, vt rebus & impenſis præparatis, ſi forte pro ſæpè dicto negotio Romanam viſitare vellet Eccleſiam, eum quam citius poſſet ſubſequi, non differret. Qui ad conuentum rediens, omnem conſilij formam, quam ex ore viri venerabilis audierat, in communi propoſuit. Deliberatione dehinc habita quis ad hoc negotium exſequendum mitteretur, vniuerſis viſum eſt, vt is, qui Pater congregationis, Legatione fungeretur, congruum eſſe dicentes, vt ſuper tam celebris negotij promotione, perſona celebris, & idonea, mitteretur. Qui primò, infirmitatis ſuæ conſiderationem & itineris difficultatem opponens, ac imparem ſe huic labori per omnia iudicans, quod petebatur humiliter recuſauit. Tandem ad ipſorum cohortationem, & precum inſtantiam, quod virium ſuarum robur ſciebat excedere, concordi & pia peritione deuictus, non dubitauit aſſumere. Ne quis autem ea, quæ de ſacri corporis eleuatione tunc temporis tractata ſunt, caſu, & non potius Dei præordinatione acta fuiſſe affirmare præſumat, non illa caſu, ſed ex diuinæ diſpoſitionis nutu, & de beati viri voluntate proceſſiſſe, declarat reuelatio cuidam religioſæ conuerſationis oſtenſa matronæ, quæ merito vitæ bonæ apud omnes opinionis, bonoque virtutum flagrabat odore.

Cincij Cardinalis Legati vitæ modus.

[a] Criminoſi & pœnitentes ad eum remedij & cõſilij cauſa confugiunt.

[b] in S. Bernvvardi memoriam inquirit.

Miracula eius diſcutit.

[*] Capitulum.

Suadet Romæ petendam tranſlationem, ſeu approbationem ſanctitatis.

[c] Bernonis Epiſcopi atteſtatio & publica fides requiritur.

Cincius VVincenburgi a Bernone Epiſcopo excipitur.

Theodoricus Abbas deſignatur Legatus ad S. A. pro impetranda leuatione S. Bernvvardi.

IV. Hæc ſancti Spiritus edocta vnctione, quamuis habitu ſæculari tegeretur, ſæcularem tamen animum nullatenus gerebat, ſed potius ieiunijs, vigilijs, eleemoſynis alijſque Deo acceptis vacabat operibus. Hæc beati viri memoriam continuis orationibus frequentabat. Accidit ergò, vt nocte ſanctiſſimæ Reſurrectionis Dominicæ, dum ſolitò precibus intenta noctem peruigilem duceret, tandem defatigata, ſic, vt erat in facie proſtrata, iuxta Pontificale ſepulchrum leniter obdormiret: vidit ergò, quaſi aperto ſanctuarij tecto, & lapidum oppoſitione depoſita, ſuper ſepulchri locum olei liquorem cælitus deſcendere largiſſimum, adeo exuberantem, vt magnum Cryptæ ſpatium ſuo ſtillicidio videretur infundere, quæ de rei nouitate mirata, ſubito quod eſſet mirabilius aſpexit, perſonam videlicet reuerendi vultus, pontificalibus præparamentis adornatam, de eadem tumba procedere, & talibus eam verbis affari. Tempus adeſt, mea de terra quo membra leuentur. His dictis, expergefacta, quæ viderat & audierat, non paſſim omnibus, ſed paucis Deumque timentibus ipſius cœnobij fratribus retulit. Quam viſionem omni veritate ſubnixam ſubſequens viſio comprobauit. Anno eodem, quo ſæpius dicta ſancti Præſulis tranſlatio celebrata eſt, quidam de ipſius monaſterio ſeu collegio vir vita laudabilis, vidit per viſum, quaſi Cryptam eiuſdem cœnobij adoraturus intraret, cui apparuit qualiter de loco, in quo ſacri corporis reliquiæ ſeruabantur, fons ſcaturiret puriſſimus, qui iam adeo excreuerat, vt ad oſtium Cryptæ ſuo curſu proceſſiſſet. Miratus ergò, & de ipſo manibus hauriens, & ore deguſtans, mellis dulcedinem ſenſit. Qui currens, vt Abbati fratribus viſa nuntiaret, ipſum monaſterij patrem in conuentu fratrum ſtantem reperit. Cui, dum de noui fontis eruptione narraret, nondum finito ſermone, fons ipſe, vt ſibi videbatur, effluxionis ſuæ largitate, ante faciem ipſorum apparuit; quem videns is, qui Abbati referre venerat. Ecce, ait, Domine, fons ille de quo dixi vobis. Qui vtrique lacrymati præ gaudio flexis genibus, Deum à quo, quicquid ſanctis virtutis datur, venit, & quaſi à lucidiſſimo fonte procedit, benedixerunt. Dehinc poſt longas gratiarum actiones, talem Abbas prorupit in vocem: Meritò, frater, Deum de vniuerſis donis eius benedicimus, quia indubitanter ſcio, quod de gratia largitatis eius, qui diues eſt in omnes, meritis dilecti Patroni noſtri ſuffragantibus, nil nobis de reliquo, ſi Deum timuerimus, deeſſe poterit. Euigilans, quæ viderat, vtpote vir humanæ laudis fauorem omnino declinans, paucis è fratribus retulit, rogans, quatenus audita ſilentio tegerent, donec certius cognoſcerent, quid de ſuæ viſionis myſterio diuinæ ordinationi fieri placeret. Nos verò, qui hominem nouimus, & hæc de ſeipſo referente audiuimus, fidenter quæcunque vidit, literis mandamus, & cum ipſo quaſi

Viſum rarum piæ matronæ obiectum de leuatione S. Bernvvardi è ſepulchro ſuo prodeuntis.

Apparitio fontis ab alio conſpecti per viſum.

Viſionum interpretatio.

cum viro, in quo dolus non erat, rei veritatem conteſtamur. Hæ geminæ viſiones, ſicut pene vno & eodem ordine prodierunt, ita ſub vno interpretationis tenore intelligi poſſunt, quia vnus & indiſſimilis ex his proceſſit effectus. Nam ſiue olei largitas, vel fontis vbertas largitatem ſignabat miraculorum, quæ Saluatoris gratia, & eius electi merito ſic exuberaſſe videmus; vt non iam tantum in ſola Saxoniæ prouincia; verum etiam in multis mundi partibus celebris eius frequentetur memoria, de quibus, quia nos ad cœptum orationis ordinem properamus, in ſequentibus plenius dicemus. Cum ergò, vt ſuperius retulimus, de ſacri corporis eleuatione crebrò fratres conferrent, paucis diebus poſt diſceſſum Cardinalis euolutis, meritis beati Præſulis accidit res mira, pro ſui magnitudinis dignitate ſilentio nullatenus occultanda. Iuuenis quidam non ignobiliter natus in Epiſcopatu Hildenſemenſi erat notiſſimus. Hic in ea, quam præmiſimus bellorum inſtantia, captus ab hoſtibus, in ciuitatem Brunſwich adductus eſt. Qui, dum ab eo quam non habebat extorquere vellent pecuniam, pedes eius compedibus onerantes, manus vinculis vinxere ferreis, non quidem eas conſtringentes, ſed longius à ſe quaſi in eculei ſuſpenſione ab inuicem extendentes, & clauis quibuſdam ſolidis parieti domus tenacius affigentes, quem ſic abſque cibi exhibitione per triduum ſtare coëgerunt, diligenter, ne fuga elaberetur, adhibentes cuſtodes. Anxius ergò quid faceret, cum humano deſtitu-

Iuuenis nobilis Brunſvvicii captus, & aſtrictus mire S. Bernvvardi ope ſoluitur & liberatur.

tus nullum niſi diuinum præſtolaretur ſubſidium, Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, qui erigit eliſos, & ſoluit cōpeditos, notis & amicis ſuis hoc inſpirauit, quatenus cum eo, qui tenebatur in vinculis, voueret, vt ſi à præſentis inſtantia periculi mereretur abſolui beati Confeſſoris memoriam in habitu pœnitentiali viſitaret; & tantum inopiæ pauperum largiretur, quantum appenſum in ſtatera proprij corporis pondus penſaret eleemoſynæ; Voto facto, & ſancti patris auxilio implorato, multa celeritate ruptis vinculis, & ſolutis compedibus, mirum in modum cuſtodibus vt olim Heliſæi hoſtibus cæcitate percuſſis, beati viri Patrocinio & fugæ confidens præſidio, die medio abſceſſit incolumis. Gratiæ dehinc circa ſe in tantæ neceſſitatis articulo exhibitæ non immemor, vota fideliter exſoluit; & taliter, vt diximus, rem circa ſe fuiſſe geſtam, coram fratribus, alijſque, qui aderant fidelibus, in ſacris reliquijs iureiurando conteſtatus eſt, qui Clero & populo præſentatus, vno & eodem narrationis ordine, diuinæ

Eo miraculo accenditur ſtudium venerationis in S. Bernvvardum.

virtutis opus diligentius & ſæpius de mera veritate requiſitus, palam omnibus enarrauit. Omnes igitur in communi Saluatoris gratiam, qui tali ciuitatem ipſorum dignatus eſt illuſtrare patrono collaudantes, hanc optabilem ſancti viri tranſlationem vlterius non debere differri, clamabant, præſertim cum illud Deo, qui in Sanctis ſuis honoratur, & eius electo gratiſſimum eſſe, tam euidentis oſtenſio miraculi declararet. De huius miraculi patratione fratres vehementer in Domino gauiſi, decreuerunt, quatenus hoc celebre factum literis mandatum, & ſuo ſignatum ſigillo Apoſtolicæ ſedis Legato præſentaretur, vt tanto feruentius ipſorum negotijs inſiſteret, quanto illud Sancto Dei gratiſſimum fore, nouitate miraculi, non dubitaret.

Theodericus Abbas Cincium Legatum apud Luxouium conſequitur.

His geſtis Dominus Abbas rebus, & impenſis, quæ ad præfatam Legationem erant neceſſariæ, præparatis, fratrum ſe orationi attentius commendans, peregrinatione a[...]ſumpta, præcedentem ſubſecutus eſt Cardinalem; eumque iam in confinijs Alpium apud monaſterium Schaphus, quod Latinè Luxouium dicitur, reperit; vbi venerabilis pater Columbanus, vt ex geſtis eius colligitur, Deo dignam pauciſque imitabilem conuerſationem duxit. Cuius aduentu comperto, gauiſus valde, in occurſum eius proceſſit, & in amplexibus eius diutius immoratus, gratiſſimum ſe viæ comitem habere, proteſtatus eſt. Qui pariter inde digreſſi, verſus montem [a] Septimium iter direxerunt, quem cum tranſituri eſſent, Andreas quidam Marmoracenſis caſtri, quod huic monti vicinum erat, habitator, armata eis manu occurrens, publicam itineris viam occupauit, eos & res ipſorum hoſtiliter inuaſit; mandatum ſe ab Imperatore fingens accepiſſe, ne perſonam Eccleſiaſticam, Romanum adire Pontificem, quæ litteras illò deferret, nullatenus pateretur. Omnibus dehinc ſub grauis iuramenti interpoſitione comminatus eſt, niſi ſcripta, quæ apud ſe habebant ipſius præſentiæ incunctanter exhiberent, eos mutilare non formidaret. Litteris ergo in communi prolatis, furorem furore cumulauit; & quod dictu nefas eſt, Vicarium eius, cui ligandi ſoluendique poteſtas conceſſa eſt, captiuare non timuit: quo in caſtrum Marmoracenſe contumelioſè abducto, rebuſque ſuis aduerſaria manu diſtractis, qui in comitatu eius erant, eo relicto, montem Septimium pedites tranſierunt. At memoratus Abbas montem, in quo caſtrum idem ſitum eſt, difficulter aſcendens, dictumque malefactorem de ſuæ legationis cauſa humiliter expediens, vix obtinuit, vt rerum ſuarum partem reciperet; data ſponſione, ne ad partes adiret Italiæ, verum ad natale ſolum, ſine retractatione rediret. In tantorum igitur malorum poſiti diſcrimine, dum penitus

[a] Apud Septimium montē ab Andrea Marmoracenſi Cincius Legatus Cardin. capitur & ſpoliatur.

Curienſis Epiſcopi Miniſteriales Prædonem non flectunt.

quid facto opus eſſet, ignoraret, tandem his, qui cum eo erant viſum eſt, vt ad Curienſem Epiſcopum, in cuius Diœceſi iam dictæ crudelitatis miniſter degebat, accederent, ſi forte ipſius authoritate ad ſatisfactionem, & rerum ſuarum reſtitutionem, inclinari potuiſſet. Qui non longè à caſtro digreſſi quoſdam præcipuos eiuſdem Eccleſiæ fratres, & Miniſteriales obuios habuerunt, qui eos fama vulgante, ſiniſtro caſu turbatos, audierant; &, vt ea quæ relatu didicerant, oculata fide cognoſcerent, ad locum patrati ſceleris properabant. Hi compaſſione moti ſuper eos, ad virum execrabilem cum ipſis accedentes, Romanæ ſedis Legatum iam cuſtodia eiectum repererūt; quē ſcelerati raptores inſtanter vrgebant, vt celerius abſcederet, paucis equis & rebus in parua quantitate ſibi reſtitutis. Zelo igitur Dei vehementer accenſi, firmum ſe pro domo Iſrael contra aduerſarios murum oppoſuerunt, grauiterque nefarijs inuaſoribus comminati ſunt; quia niſi viros, quos in animæ ſuæ periculum turbauerant, ſatisfactione competenti placarent, excommunicationis in eos non differrent promulgare ſententiam. Verum, cum obſtinatam eius, vt beſtialem per omnia, mentem, nec lenitas monitionis, nec correptionis aſperitas, permoueret, præpotens

Rotholfus vir præpotens in Alpibus liberat Legatum Cincium cū Abbate Theoder. Mediolanū venit.

quidam, Rotholfus nomine ex eadem prouincia audiens, quæ geſta ſunt, commotus valde, præfato prædoni mandauit; quia, niſi rebus eorum reſtitutis, eos in pace, quò vellent pateretur abire, ipſe tam enorme ſcelus non pateretur inultum; adijciens, ſi iuſſis eius non pareret, diu cum ipſo habitum fœdus reſcinderet, & caſtrum, de cuius munitione confidebat, funditus euerſum ſolo adæquaret. Qui, contrario ſibi accepto nuntio, importabile præſentiens, ſi gratiam ſui demereretur Domini, prudenter apud ſe deliberās, quæ violenter abſtulerat, magna ex parte reſtituens, eos vlterius detinendo, moleſtare non præſumpſit. Rebus ſuis ergò receptis, poſt dies paucos Mediolanum venientes, ap[ud] Eccleſiam beati Ambroſij hoſpitium habuerunt. Vbi certius eis innotuit, quod grauis inter Romanæ ſedis Pontificem, & Imperatorem verteretur diſcordia per totam etiam Italiam [b] Imperatoris edictum pendere, vt quicunque reperti fuiſſent qui cuiuslibet cauſæ obtentu, Romanam adire præſumerent, Eccleſiam, contumelijs affecti, rebuſq; nudari, aut vinculis arctari debere, aut ad propria redire compelli. Quæ perſecutionis procella, in tantum efferbuit, vt [c] Hoſtienſis Epiſcopus à Francia rediens, apud Senam oppidum, à ſatellitibus Imperatoris, omnibus ſuis antea diſtractis, in cuſtodia teneretur. Hoc nuntio ſatis exterriti, ratum duxerunt, vt ab inuicem diuiſi, alius per Papiam; & alter per Placentiam tranſitum haberent, cautius eſſe iudicantes hac ſeparatione, ſi fieri poſſet, manum declinare aduerſariam, quam pariter iuncti hoſtiles denuo experirentur inſultus. Qui cum lachrymarum & ſingultuum amaritudine ſegregati, poſt dies paucos, cum ſenior memoratus Lucam veniſſet, & nulla eis vlterius procedendi daretur facultas, à publico peregrinorum declinans itinere, Piſam [d] ciuitatem opulentiſſimam adijt; vbi cum nobilioribus ciuitatis de conductu locutus, ab eo aliiſque diuerſarum prouinciarum

[b] Cœleſtini cum Henrico V. diſcordia.

[c] Hoſtienſis Epiſcopus apud Senas in cuſtodiam abducitur.

[d] Piſas non itineris errore adit Theodericus Abbas.

Cleri-

Clericis accepta pecunia, fideliter polliciti ſunt, ſecurum & nullius auctoritate infringendum, ſe ipſis præbituros conductum. Hos per loca maritima pariter dierum quatuor ſubſecuti ſunt. Verum, cùm nec eis per loca illa nulla penitus eſſet eundi ſecuritas, eo quod dolo & proditione vnius eorum ductoris, à Domino prouinciæ ipſis inſidiæ tenderentur, habito conſilio, conſultius viſum eſt, propriæ habitationis larem reuiſere, quam feritate gentis illius, & rerum ſuarum amiſſione, periclitari. Quid autem contrarietatis, & moleſtiæ in redeundo pertulerint, quam difficulter multitudinem militum, quam à tergo imminentem viderunt euaſerint, lectoris parcentes faſtidio, ſub ſilentio tranſeundum, putauimus.

VI. Post diuerſos tandem ſiniſtrorum euentuum caſus, poſt ſolutam cuiuſdam caſtri, in quo ſe vt hoſtiles deuitarent impetus, receperant, obſidionem, Piſam reuerſi, plures eorum cauſis, pro quibus iam plurimum laboris & rerum expenderant, renuntiantes, infectis negotiis ad propria repedabant.

VII. Verum iam ſæpe dictus Senior, iuxta illud viri ſapientis eloquium, Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet, ſpem omnem & fiduciam in Deo figens, & ſacri Præſulis, ob cuius honorem in terris ampliandum, Exul in ignotis errabat partibus orbis, ſeſe credens protectioni, dum, quod ſibi faciendum reſtaret, anxio corde reuolueret, nutu Dei, negotiatores quoſdam eiuſdem ciuitatis mercimonij ſui gratia in proximo verſus Neapolim ciuitatem Apuliæ nauigaturos, audiuit. Ad hos accedens, & cauſam ſuæ peregrinationis aperiens, tutiſſimum ſibi exiſtere affirmabant, vt labore nauigationis aſſumpto, eorum Societati ſe iungeret, eo quòd per vicina Romanæ ciuitatis, penè ad ipſas Tyberis fauces applicare deberent. Qui gauiſus, Deoq; , qui no derelinquit ſperantes in ſe, grates exſoluens vberrimas, eorum acquieſcens conſilio, primo quidem periculis latronum, periculis fluminum periculis in falſis ductoribus, poſtremo periculis in mari pene vſq; ad defectum corporis attritus, Deo tandem Duce, vrbem Romanam ingreſſus eſt. Sed, quia ſedis Apoſtolicæ Legatus, de quo ſupra retulimus, necdum adhuc redierat, ipſe literis eius, quas ad Cardinales, qui ei ſpecialis amicitiæ vinculo annexi erant, exhibuit, vbi ex earum ſerie intellexerunt quantū ei præfatus Abbas dilectionis, ac reuerentiæ impenderat, quam plurimū regratiati, polliciti ſunt ſe cauſam, pro qua Romanam viſitaſſet Eccleſiam, omni qua poſſent inſtantia promoturos. Dehinc poſt paucorum dierum curſum, idem Legatus, Dei cooperante gratia, totius penè Romanæ ciuitatis exceptus occurſu, cum in audientia ſummi Pontificis diligentius expoſuiſſet, quanto dilectionis feruore in monaſterio ipſius Abbatis, à fratribus ſeruus fuiſſet, maximum ex hoc fauorem adeptus, non modicum, vt poſt patuit, honoris à Domino Papa conſecutus eſt. Statuta poſtmodum die, ſummus Pontifex de aduentus eius cauſa inter Cardinales librum proponens, qui de vita, & miraculis beati viri conſcriptus eſt, in audientia ipſorum recitari præcepit. Qui, vbi ſanctam eius conuerſationem, & virtutum inſignia, compererunt, Deum, qui in ſanctis ſuis mirabilis, & glorioſus eſt, benedicentes, facilem in tam rationabili, Deoque accepta petitione, præbuère aſſenſum.

Pſal. 54.

Romam attingit.

Cincius Legatus item in vrbem aduenit.

Cæleſtinus Papa vitam & miracula S. Bernvvardi examinat.

VIII. Ad hæc, Dominus Apoſtolicus, præfatum Seniorem taliter alloquitur. Cum te, frater honorande, tibiq; ſubiectos in religionis feruore, & monaſtici ordinis obſeruantia laudabiliter ar[illegible]diamus, proficere, &, cum venerabilem virum Bernwardum quondam Hildenſemenſem Epiſcopum Cœnobij v[illegible] fundatorem, glorioſam & memoratu digniſſimā in terris vitam duxiſſe, & multis coruſcaſſe miraculis, textu vit[illegible]ſpecto, indubitanter ſciamus, auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, dilecti quoq; filij no[illegible]j Cardinalis interuentu mediante qui Legationis ſuæ tempore multa, vt aſſerit, à vobis benignitatis expertus eſt [illegible]menta, iam dictum Reuerendiſſimum virum in Catalogo Sanctorum amodò numerandum, decreuimus, & ſacra[illegible]ſſimum corpus eius de terræ gremio erigendum, & inter Sanctorum memorias, veneratione condigna, collocandum. Ad hæc, Senior lacrymatus piæ gaudio, pedibus eius gratias acturus, proſternitur; ſed aſſiſtentium manibus erectus, in oratorium beatæ Mariæ ſemper Virginis, ducetur; ibiq; , Deo laudibus exhibitis, tam à Summo Pontifice, quam à Cardinalibus, & maxima Cleri, populique frequentia, beatus Confeſſor in Sabbato ante Natale Domini ſolemniter canonizatur.

Cæleſtini de S. Bernvvardi cultu Decretum.

Canonizatio S. Bernvvardi

IX. Literis dehinc teſtimonialibus, de his impetratis, alijſq; ſuis negotijs expeditis licentia, & benedictione à Summo Pontifice accepta, memoratus Abbas, ad propriæ habitationis locū redire maturabat. Cuius † aduentu, ciuitas tota ſpirituali exhilarata gaudio, iucundiſſimi negotij executorem, iucundo ſatis excepit occurſu, perſonæ dilectæ ſoſpitati & proſpero ad vota ſucceſſui multo cōgratulata fauore. Verum, * cum ea, de qua ſupra retulimus totius Prouinciæ necdum ſopita eſſet turbatio, propter multam rerum penuriam, & anguſtiam temporis, vſq; in annū ſequentem placuit ſuſpendi negotium. Sub hac dilatione, meritis Beati Præſulis, ab antiquorum miraculis patrum, non differens, accidit miraculum, eximiæ ſanctitatis eius & pietatis immenſæ manifeſtū ſatis præbens argumentum.

* Tranſlatio & leuatio ob bellicos motus in annum ſequentem dilata.

Bullam canonizationis infra reperies.

† Theoderici Abbatis lætus reditus.

X. In ipſa ciuitate Hildenſemenſi, puer non ignotis ortus parentibus, ſubita ægritudine præuentus, immatura morte deceſſit, vt eſt moris in talibus, funeri exequiæ parabantur. Parentes chariſſima orbati ſobole, poſt gemitus, & lacrymas interni doloris indices, vicinorum, qui aderant, inſtinctu, vouerunt, vt ſi ſuffragio in proximo transferendi Antiſtitis defunctus vitam reciperet, ipſi cum oblationibus eius honorabile ſepulchrum, vna cum ſuſcitato gratias acturi, viſitarent. Quid plura? parentes paruère conſilio, vitæ redditur exanimis, vota ſoluuntur, & beatus Confeſſor debitis ab vtroq; ſexu laudibus extollitur. Qui de facto heſitauerit, multitudinis, quæ aderat, accipiat teſtimonium. Neq; hoc reticebimus, quod anno eodem, ſic maturè frugum aliorumq; ſeminum acceſſit maturitas, vt ſolita metendi tempora longè præueniſſe viderentur, in tantum, vt centenarij ſenes nunquam ſegetes adeo tempeſtiuè ſuo collectas æuo, faterentur, hoc nimirum Deo, cuius omnia nutu reguntur, procurante, vt ad imminentē B. Præſulis feſtiuitatem, actibus exoneratus neceſſarijs longius latiuſq; liberior populus, occurreret & expeditius feriaret: Frequentes † etiam, anno toto, à fratribus alijſq; fidelibus, orationes ad Deum porrectæ ſunt, vt ea, quæ pro electi ſui glorificatione facienda erant, ad honorem & laudem ſui nominis, benigno proſequeretur effectu. Iamq; ſacratiſſimæ Virginis aderat Aſſumptio, cum non ſolum propter ſpecialem Hildenſemenſem feſtiuitatem, verùm etiam pro ſanctarum reliquiarum ſubleuatione, quæ proxima die celebrāda erat, cum diuerſarum Eccleſiarum prælatis, inæſtimabilis multitudo non tantum de propinquis, & cognitis, ſed ēt de remotis terrarum prouincijs certatim confluxerant. Qua die, in Dei laudibus ob venerationem piæ matris eius ritè peracta Dominus Berno Epiſcopus, cuius auctoritate & miniſterio res erat promouenda, ſub ipſius noctis crepuſculo, ſecretius ad monaſteriū, vbi ſacra pignora ſeruabantur, venit; quonam ordine in re diuina procedendum eſſet, cum fratribus alijſq; grauibus perſonis, deliberaturus. Verum, cum pro nimietate popularis frequentiæ, qui præoptatam ſacræ tranſlationis horam, diligentius obſeruabant, nulli penitus ad ipſum ſepulchri locum aditus pateret, placuit, vt remotis omnibus, ipſe Pater Monaſterij cum aliquantis fratribus, alijſq; viris religioſis aſſumptis, lapidem, qui eidē tumbæ ſuperpoſitus erat, facerent remoueri, ne poſtmodum in ſacri corporis eleuatione, maximus ille concurſus, mora detineretur inutili. Quo facto, ianuis Eccleſiæ firmiſſimè ſeratis, & lapide ſublato, ſarcophagum ſatis admodum idoneè ſculptum viderunt; quo, præmiſſis orationibus, patefacto, ſpiritalem & antea incognitū exhalans odorem cœleſtis ille theſaurus, Regalibus vtiq; diuitijs incomparabiliter præferendus, apparuit. Nec defuit ille, qui in ſuo nomine congregatis nunquā deeſſe cōſueuit Ieſus noſter, Ieſus bonus, cuius gratia viſitante cæcitatis humanæ caligo detergitur; cuius illuſtratio-

Mortuus interea puer S. Bernvvardi ſuffragio reuiuiſcit.

Meſſis & frugum vbertas inſolita feſtis ſancti honoribus fauet.

† Orationum aſſiduitas ante ſacri corporis leuationem.

Odor inuſitatus inde manans.

ne, cordis impœnitentis, quo in ſpiritum eius peccatur, duritia mollitur. Videres enim nõnullos eorum, qui aderant, dum ſuas examinant cõſcientias, in lachrymas reſolutos, dumq; ſe cognoſcunt, à meritorũ eius longè diſtare præconijs, artus cœleſtium præceptorũ olim iugo exercitatos, vix audere contingere. Sciebant enim nobilitatẽ carnis, quæ ſuperbiæ fomentum eſt, intuitu conditoris, & propriæ conditionis humilitate, calcaſſe. Accedebat memoriæ, hominem caſtitate Angelicum; nam caſtitas cum humilitate Angelicę puritatis eſt particeps, adeo pudicitiam carnis intra cordis hoſpitia inuiolatam conſeruaſſe, vt ab annis tenerioribus vſq; ad vitæ trãſeuntis occaſum, caſus niuei pudoris inexpertus, merito cum eis, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati ſequatur agnum ſine macula, quocunq; ierit. Legerant nihilominus, Paſtorem pijſſimum, pauperem quidem ſpiritu, æternitatis amore manus ad pauperes extendiſſe largiſſimas. Aduerterunt geminæ charitatis, in qua lex pendet & prophetæ, ſic in eius pectore conualuiſſe vigorem, vt non fratrum affectum tenerrimum, nec propinquorum lineam clariſſimam, non affinium aut amicorum nobilitatem, ſed cœli Dominum, ſui hæredem ſtatuerit. Et nunc iure cum illis, quorum Dominus pars hæreditatis eorum, & quorum funes ceciderunt in pręclaris, centuplum accipiens, immortalitatis dote veſtiatur. Sed quid multis moramur? Quod Deus faciendum pręordinauerat, hominis erat deuotione adimplendum. Excipiuntur tandem de tumulo membra loco celebriori collocanda, & ad inſtar Dominici corporis, famuli ſui corpus ſyndone mũda inuolutum, mane ſequenti, Eccleſia, Prælatorumq; præſente frequentia, reuerenter de terræ puluere ſubleuatur, & ea hora, qua ſpiritus veritatis in linguis igneis diſcipulos viſitaſſe affirmatur, per medium deportatur Eccleſiæ, & tam Cleri quam populi vniuerſitas in eius laudem accenditur: Caſula ét ſerica beati Præſulis, in qua tot annis ſcil. centũ ſeptuaginta duobus ſepultus fuerat, adhuc recens & incorrupta apparuit, cuius etiã tactu, multi infirmi curati ſunt.

Apoc. 14 — *Pſal. 15.* — *Leuatio ſacri pignoris.* — *Caſula ſerica poſt 172. annos incorrupta.*

Miraculum in Dæmoniaca.

Affvit ſtatim quædam, vt præmiſimus, per olei ſtillicidium præſignata circa languentes larga ſanitatum operatio. Nam Dæmone diriſſimo mulier quædam vexata, dum ad tumulum Deo digni Antiſtitis à viris octo, ſpiritu renitente maligno, vix deprimitur, illius mediante ſuffragio, multis præſentibus, & rei euentum præſtolantibus, hoſte fugato fœmina mundatur, vt liquidò pateret, quod is, qui ſpiritu ſemper mundo, quo Deus videtur pollebat, ſpiritibus potenter imperaret immundis. VI.

Exportatur Sanctus ad Cathedralẽ Eccleſiam, ibiq; ſacris peractis refertur.

Corpore dehinc ſacro, cum laudibus & canticis ſpiritualibus ad principalem Eccleſiam deportato, ibique Miſſarum ſolemnijs, pro præſentia tanti Patris feſtiuè celebratis, incredibili ſexus vtriuſq; ſtipatum caterua, denuo ad Monaſterium refertur. Interea munerum diuinorum erga ægrotos multiplicantur beneficia. VII.

Cæca illuminatur

Nempe anus[a] quædam, multo tempore viſu priuata, ob ſpem recuperandi luminis, beati viri præconium interpellabat attentius, ſtatimque ſanie ab oculorum loco largius prorumpente, multis intuentibus, & teſtimonium de diuturna cæcitate perhibentibus, viſum recepit. VIII.

Nobilis vir ipſa die Tranſlationis oculum recepit.

Miles quidam Vdalricus de villa Blithenem principalis Eccleſiæ Miniſterialis, cum in oculo altero ex igne ſacro tumeſcente, nihil eo videns grauiſſime torqueretur, ipſo die tranſlationis, aquam beati Pontificis brachio benedictam, & intinctam ſibi afferri d[illegible] tiuit, eaque oculi tumorem liniens, mira celeritate viſu recepto, & tumore laxato, ſedauit dolorem; Poſ[illegible] de rei veritate requiſitus, eo quo diximus ordine, remedium conſecutum, lacrymis vbertim præ gau[illegible]ous, proteſtatus eſt. IX.

Captiuus & vinctus ab hoſtibus mirè laxatur.

Item alius maioris Eccl[illegible]niſterialis Gerungus nomine, ad idem ſolemne feſtiuitatis gaudium ſcil. tranſlationis, cum vxore & libe[illegible]nerat. Qui, cum poſt diuinæ ſeruitutis officia, redire domum pararet, in ſylua quadam hoſtium, quos plures habebat, incautius feritatem incidit, à quibus captus, & in interiora ſyluæ deductus, ferro ponderoſo ſatis ad arborem eximiæ magnitudinis, conſtrictus eſt. Cum ergò de viro arctiſſimè vincto, ne ſe vllatenus effugere poſſet, ſecuriores exiſterent, & ipſi per nemus liberius paſſim vagarentur, captiuus ille cum beati Patris, cui ſe attentius ea die commendauit, patrocinium obnixius imploraret, ſubito ferro quo vinctus fuerat diuinitus confracto, & vinculis, quibus manus eius à tergo ligatæ fuerant, diſruptis, incolumis abſcedens vxorem ſuam, quæ pro ſui abſentia nimia erat amaritudine confecta, ad propria rediens, ſua ereptione conſolatus eſt. X.

Puer cæcus ſanatur.

Eadem die, ad horam veſpertinam, puer ſeptennis à natiuitate cæcus, ad tumulum ſæpe memorati Præſulis lumen recepit. Sed cum fratribus & pluribus, qui aderant, Eccleſiarum Prælatis, de facto non conſtaret, parentibus pueri, & eis, qui rem nouerant ad medium deductis, eorum teſtimonio plenius certificati ſunt. XI.

Sacerdos incredulus funeſto morbo corripitur.

Sacerdos quidam Gerlacus nomine, Canonicus ſancti Mauritij, cum nimium eſſet incredulus eorum, quæ de ſanctitate & virtutibus ſancti Bernvvardi reſonabant, ex diuina diſpenſatione incidit in languorem. Tandem, cum peritiſſimi medici circumſtantias morbi inueſtigaſſent, ſuaſerunt vt potius de animæ quam corporis ſanitate curam ageret, aſſerentes, quod hæc ſpecies morbi, aut vix aut nullatenus decidi poſſet. Presbyter itaque præfixus, mortem cum ante oculos audiret adeſſe, beatum cæpit inuocare Bernvvardum, vt ei à Deo ſpatium viuendi obtineret. Cumque hac precum inſtantia defatigatus, obdormiſſet, ecce poſtquam euigilauit, inuenit ſe ab omni infirmitate liberatum. XII.

Caſtrum Rauensberg. Nobilis captiuus [illegible] Bernvvardo [illegible]

Qvidam miles deuotus de Padelburne Odalricus nomine, ab inimicis ſuis captus, & in caſtrum quoddam ſublimiſſimum, quod Rauensberch dicitur, perductus, cuſtodiæ ac vinculis mancipatus eſt. Qui videns ſe in magno vitæ diſcrimine poſitum, nec vllum patere effugium, toto corde confugit ad diuinum adiutorium, ſanctumque Bernvvardum ſpecialiter inuocans, lacrymis & ſuſpirijs obſecrauit, vt eum de præſenti liberaret anguſtia, quatenus per hoc amplius mundo innoteſcerent eius beneficia. Quadam itaq; nocte, vbi cuſtodes obdormiſſe aduertit, cõpedem manu tentauit, experiri volens, ſi qua arte vel induſtria eximi poſſet ab illa. Inuenitque ferri duritiem, velut plumbi laminam præter ſpem emollitam. Tunc, nemine ſciente, & abſque difficultate diſſoluens omnia vinculorum retinacula, cæpit quærere vnde facilius euadere poſſet, agnoſcenſq; omnes exitus diligenter obſeratos, committens ſe omnipotenti Deo, cum beati Bernvvardi patrocinio murum ſcandit, & ab alto deſilijt, ſe in nullo penitus eum, vel vallis profunditas, vel ſaxorum ſubteriacentium aſperitas, læſit. Liberatorem ergò ſuum alacriter, & ſine mora expetens, Hildenſem venit, peractum circa ſe miraculum palam omnibus enarrauit, atque in teſtimonium peractæ virtutis compedem ſecum delatam, ſuper beati Pontificis tumbam pependit. XIII.

Curationes pedum & crurium.

Ortvs quidam puer in Hildenſem Erici filius, diſtortum habens pedem, ita vt longior pedica curuata plantæ videretur contigua, pro quo cum parentes votum feciſſent beato Bernvvardo, puer recepto pedum officio, patrem ad ſepulchrum ſanctiſſimi præſulis eſt ſecutus. XIV.

Contigit aliquando, vt reliquiæ beati Bernvvardi ad villam Brandesleue deferrentur, in qua quædam virgo fuit, quæ ab ortu natiuitatis vnius cruris officio erat priuata. Quæ, cum pro ſpe ſanitatis ante reliquias proſternitur, cæperunt contracti cruris nerui tanta vi diſtendi, vt ſonitus audiretur à multis. Ipſa vero doloribus nimijs cruciabatur, ſed poſt vnius horæ ſpatium, integram recepit ſanitatem. XV.

Erat quidam miles in eadem villa, qui habebat filium, qui propter alterius cruris breuitatem, ſine ſuſtentamine impotens fuit ad eundum. Hic ad beati viri tumbam adductus, cruris debilis alteri coæquato, ſalutem recepit. XVI.

Obſeſſarũ.

Obsessa multo tempore à Dæmone mulier quædam, de Traiecto ad beatum Bernvvardum ducebatur. Diabolus autem, cum Hildenſem appropinquaret, clamauit, ſe Bernvvardi domum non intraturum, eo quod ipſe XVII.

hoſtis eſſet acerrimus magiſtri ſui. Fideles verò, cum hæc audiſſent, trahendo & impellendo nihil penitus potuerunt proficere, donec ipſa de manibus trahentium ſe excutiens, in lacum luto repletum deuoluit, vt dæmon ibi fœminam ſuffocaret. Quam extractam, vt mundarent extrinſecus, intellexerunt mundatam interius, & cum ingenti gaudio eum ſuis comitibus ad beati Præſulis ſepulchrum peruenit.

XVIII. NOTIFICATVR hoc miraculum plurimis per ſequens. In Lubek quidã Henricus nomine ſedit in menſa cum coniuge ſua Mechtilda, hæc mox in furiam conuerſa, à multis funibus eſt ligata, ſacerdotes verò & Clerici reliquias apportantes exorciſmos & coniurationes legebant. Tunc Dæmon prorumpens in vocem, clamauit, Clerice quid te fatigas, propter te hinc non recedam; quia in furore ſuo vir eius mihi ipſam tradidit ad inhabitandum. Nam, & ego decem & octo annos in alia muliere manſionem habui, ſed quidam me ad quendam Bernwardum trahere volebant, vnde me relinquere eam oportebat. His auditis, neceſſaria pro itinere ad beatum Bernwardum parauerunt. Omnibus itaque præparatis, Dæmon clamare cæpit: Bernwardum non audire, nec videre audeo, vnde me fugere oportet; & hoc dicto, abſceſſit: ſtatimq; mulier ſenſum recepit, & gratias ſuo liberatori egit.

XIX. ERAT in Thuringia in Denſtede vidua quædam Adeldrud nomine, per viginti annos à Dæmone fatigata; quæ ad patrocinium beati Præſulis confugiens, liberata eſt.

XX. MATRONA quædam in Magdeburch fuit, cuius filia cum in vltimo vitæ ſpiritu agonizaret, ex diuino inſtinctu quædam deuota incluſa eidem perſuaſit, vt in beati Bernwardi memoriam, pro filiæ ſanitate faceret Miſſam decantari. Cum autem Miſſa decantaretur, ipſa infra Miſſam beati Præſulis ſedulò implorauit auxilium. Cui ab Eccleſia reuertenti filia læta & incolumis occurrit; & continuo cum matre ad beati Bernwardi ſepulchrum procedens, quam celeriter eſſet liberata, patefecit. Ægrotanti.

XXI. VENERABILIS quidam ſacerdos in Solſchen fuit, Reinerus nomine, qui, cum quadam die pecora minaret de domo, virgæ particula oculo eius infixa, tanto eum dolore affecit, quod oculum ſe poſſe retinere, minimè credebat, qui abiens in aliam villam ad quandam Dei famulam, vt pro eo oraret, & votum beato Bernwardo faceret; completo itaque voto, ad villam ſuam cum rediret, priſtinam ſanitatem eſt in via conſecutus. Oculi.

XXII. ERAT in ciuitate Mindenſi pauper quidam Henricus nomine, qui quadam infirmitate, ſcil. ſanguinis fluxu, grauiter tactus, ita vt ex hoc mortem ſibi iam vicinam adeſſe formidaret, tandem meritis beati antiſtitis Bernwardi, qui paſtor & pater pauperum, communi vocabulo vocabatur, in vita ſua, cui ſe hic pauper cum deuotione & oblatione cerei commendauerat, gratioſe ſanatus eſt. Qui beneficij accepti non ingratus, hoc quod vouerat ad altare ſancti viri ſcilicet Bernwardi, cuius in brachio argenteo ſeruatur particula, cum debita reuerentia cereo accenſo, multis videntibus & Deum laudantibus fideliter perſoluit. Hæmorrhoidis.

XXIII. CIVIS quidam Mindenſis, in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ ad deuaſtandum caſtrenſes de Vorenholte in Dominio de Lippia, Wiſeram fluuium cum magna populi multitudine per vadum tranſiens ab aquis rapitur, & penè, ſicut alij ſeptem ex ſuis, per aquam ſuffocatis ſubmergitur. Ipſe verò ſentiens, ſibi mortem imminere, beatum Bernwardum, cuius reliquiæ apud ſanctam Paulum in Mindi ſeruantur, inuocans, & ſuum humiliter implorans auxilium; & ecce ſubito rota de curru exiliuit, per cuius adminiculum & beati viri meritis, homo prædictus mortis horrorem, & periculum euaſit. Domum igitur reuerſus, ſtatuam ſiue imaginem ceream rotam manibus tenentem ad altare ſupradictum, prout vouerat, deuotè & humiliter portauit. Submerſi.

XXIV. VIR quidam de Oldendorp de hac felici feſtiuitate rediens, in foueam profundam lapidei montis cecidit; quo extracto, & in curia reuelato, crus in partes confractum apparuit; qui nimio dolore cogente, ſe ad patrocinium beati Præſulis contulit; & ecce mox diuinitus remedium ſentit. Et quarto die ad tumbam rediens, Deo & beato Bernwardo gratias & laudes egit. Cruris ſanati.

XXV. QVIDAM in cellario Hildenſem ferro conſtrictus habebatur; qui ſub inuocatione nominis ſancti Bernwardi ferrum rupit, & ſurgens oſtium, quo clauſus fuerat, apertum vidit; &, nemine ſe prohibente, vel vidente, ac detinente, prædicta die liberatus, ad tumbam ſancti Præſulis cum laude proceſſit. Captiui liberati.

XXVI. INFIRMITATE valida quædam fœmina per biennium fatigata. & ex ſacro igne in tribus locis tantum infeſtata, vt auditu iam penitus eſſet priuata; quæ voto facto ad beatum Pontificem Bernwardum vna parte recepit auditum. Sed, cum votum perſoluere cæpiſſet, in altera etiam parte eſt ſeruata. Sacer ignis

XXVII. VXOR cuiuſdam pauperis apud ſanctum Michaelem in Hildenſem porcellos octodecim dierum ſub ſtrue lignorum ſine matre per hebdomadam amiſerat; quæ, voto facto beato Bernwardo ſine nutrimento porcellos per tot dies manentes, in domum ſuam ſanos & incolumes recepit. Porcelli.

XXVIII. MILES quidem in Elze habitabat, qui per aliquot annos vrinæ incommodo laborauit, nec medicorum remedijs poterat adiuuari. Cuius vxor plena fide, & ſpe ad tranſlationem nouam ob ſpem ſalutis ab eo mittitur, & Eccleſiam ſancti Michaelis ingrediens, ſe ad patrocinium beati Bernwardi contulit; quæ poſt preces deuotas domum rediens, ab omni priori incommodo reperit maritum penitus liberatum. Stranguria.

XXIX. DVÆ mulieres ipſo die tranſlationis, ſpe recuperandi viſum adductæ ſunt; ſed vna in Præſulem ſanctum quaſi durius inuecta, pro eo quod diutius clamanti ſpem paruam haberet, & propterea in vno oculo ſanie prorumpente, quaſi rupta vena viſum recepit: alia autem multis videntibus, & orantibus illuminata eſt in oculis ambobus. Cæca.

XXX. VIR quidam ſatis famoſus & annoſus, Henricus nomine de Haſſia ciuis Caslenſis, pro negotijs ſuis ciuitate exiens, equeſter ad prædium quoddam, quod ſuum erat, viſitandum in meſſis tempore. Hic ex improuiſo inuit in hoſtes ciuitatis nominatæ; & ab illis capitur, & captiuus ducitur ad caſtrum incarcerandus. Sedit igitur mærens in carcere cippo recluſus, & multum famelicus, quia in quinq; diebus nihil ſibi potus aut cibi miniſtrabant; debebat enim fame mori. Hic ſic anxius, conſolatorem nullum habuit: ſed & mortem anxius expectauit. Venit autem eidem ad mentem, qualiter ſanctus Bernvvardus nouiter tunc canonizatus, conſolatus eſt quam plures tribulatos ipſum inuocantes. Ideo etiam ipſe, deuotione qua potuit, voto prius emiſſo, quod cum oblatione notabili nudipes ſepulchrum ſuum viſitare vellet, ſi eum de carcere dignaretur liberare, & nec carnes comedere propoſuit, niſi votum eſſet adimpletum. Facto igitur hoc voto, dormire cæpit in mærore ſuo, & ſic quieuit nocte illa. Deniq; euigilans, inuenit ſe in campo peroptimè ſibi noto non longe à Casle ciuitate ſua, cuius erat ciuis; & compedes pedum ipſius prope eum. Vnde lætus ſurrexit, & ciuitatem gaudens intrauit, & narrauit omnibus, qualiter per merita ſancti Bernvvardi Hildeneſemenſis Epiſcopi eſſet de carcere mirabiliter, & miraculoſe liberatus. Et omnes, qui audierunt cum eo Deum benedicebant, & ſanctum Bernvvardum, cuius meritis reſtitutus erat priſtinæ libertati. Captiuus.

XXXI. IN Driſpenſtede puer quidam vnicus filius parentum ſuorum, in foueam cecidit profundam, totoq; corpore colliſus, & mortuus, extrahitur, vnde parentes multum doluerunt. Mater aũt ipſius ſepulchrum ſancti Bernvvardi, maxima cum feſtinatione & deuotione petijt, & ibidem ſe proſternens, humiliter ſupplicauit ſanctum Bernvvardũ, vt filium ſuum defunctum, precibus & meritis ſuis reſuſcitare dignaretur, & facta oblatione ad domum redijt; & filium, quem mortuum planxerat, viuum inuenit, & ſanum. Deinde parentes vna cum puero reſuſcitato ad ſepulchrum Mortuus puer

vene-

venerunt, & Domnus ſancti Michaelis, nec non & alijs vtriuſque ſexus hominibus, rem geſtam in puero planè narrauerunt, & Deum in Sancto ſuo laudauerunt.

VIR quidem ciuis Brunſwicenſis, dictus Henricus de Bulzem, illo tempore, quo reliquiæ ſancti Bernwardi ad Eccleſiam fratrum Prædicatorum ibidem ſunt delatæ, filium habuit, morbo caduco valde conturbatum; hic audiens prodigia & ſigna, quæ Deus meritis ſancti Bernwardi operari dignatus eſt in mortuis & infirmis, venit cum filio ſuo infirmo ad Eccleſiam antedictam; & ante reliquias ſancti Bernwardi proſtratus in oratione, petijt ab eo cum lacrymis, filij ſui ſanitatem. Denique ſurgens ab oratione, obtulit ſuper altare argenti partem non exiguam; ſicque cum filio ſuo ad propria reuerſus, nunquam deinde morbum caducum paſſus eſt. Quapropter parentes pluſ grates maximas Deo & ſancto Bernwardo retulerunt. XXXII.

Cæcus EODEM etiam tempore, ſcil. anno domini milleſimo trecenteſimo decimoquinto, erat quidam prædiues in Brunſwich nomine Ioannes Grube, hic oculorum dolore ſic turbatus eſt, vt cæcitatem incurreret, & in quatuor annis manus ſuas minimè videret, hic vt percepit, quia reliquiæ de corpore ſancti Bernvvardi ad fratres Prædicatores delatæ eſſent, vocato ad ſe Priore informari petijt, qua reuerentia vel honore ſanctum Bernvvardum accedere poſſet, vt lumen oculorum recipere mereretur; qui à Priore informatus, illuc altera die cum vxore & filijs coram reliquijs ſancti Præſulis humiliter opem ſuam flagitabat. mira res & ſtupenda. Cum enim prædictus cæcus in annis quatuor manus ſuas non vidiſſet, nunc ab oratione ſurgens, clarè vidit omnia; & clarius quam vnquam, ante cæcitatem viderat; & fratres ibidem præſentes ſine baculo viſitans, ſine ductore, & loquebatur ſingulis; & vnumquemque ſalutauit & nomine appellauit proprio. Vnde omnes admirati ſunt, laudantes Dei clementiam, qui meritis ſancti Bernvvardi ſignum fecerat tam euidens, atq; mirificum. Ipſe etiam, qui cæcus fuerat, ſcilicet Bernvvardum, omnibus diebus vitæ ſuæ in reuerentia habuit, & honore; & quicquid in eleemoſynarum largitione & alijs pijs operibus ob honorem ſancti Bernvvardi expendere poterat, nunquam patiebatur neglectum. XXXIII

Proſtituta ad frugem reuocata. FOEMINA quædam fornicaria Hildesheim in lupanari fuerat aliquibus annis. Cui, Deo inſpirante in Feſto Tranſlationis ſancti Bernvvardi ad mentem venit, vt prandio peracto, viſitaret Eccleſiam, & audiret verbum Dei, quod & fecit. Compuncta autem in illo ſermone, de peccatis ſuis cæpit amatiſſimè flere. Sed, & finito ſermone ſurrexit, & flens, ad ſepulcrum ſancti Præſulis properauit, & proſtrata ibidem flet vberius, rogans ſanctum Bernvvardũ, vt eam de flagitioſa illa vita eripere & auertere dignaretur; poſſetq; ſe cum emendatione in melius commutare. Et, completa oratione; ſurrexit & proſtibulum more ſolito eſt ingreſſa, & paruo poſt tempore elapſo, quadam nocte, ipſa dormiente videbatur ſibi aſtare quidam in Pontificali habitu, vultu decoro, ſole ſplendidior; qui, ait ad eam: ſurge filia, & exi ciuitatem hanc, in locum quo te Deus direxerit. Quæ ſurgens mane exiuit per portam indaginis; verſus Hannouer properauit, & vltrà per ciuitates interiacentes pergens, venit ad regalem ciuitatem Lubeck, & inde dirigens viam verſus Yuclandiam ſe conuertit. habebat namque fratrem in vna ciuitatum Yuclandiæ, quæ dicitur Haderſleue, quem viſitare propoſuit, vt eius conſilio ad vitam meliorem ſe diſponeret. Venitque tandem in quandam villam non longè ab Vlenſeborch diſtantem, & pernoctans ibidem, cum quodam diuite Villano permanſit. Qui videns eam obſequioſam, cœnam ei præparauit, & mane facto, eam alloquitur, & pro pretio ſatis competenti in ſuo miniſterio retinuit. Hic autem Villanus priuatus erat vxore, eratque ei ſubſtantia non modica. Qui videns eam virilem, & fidelem, in vxorem eam accepit, diligenſq; eam, dedit ei omnia, quæ habuit, & ſic bono fine ſenio confectus, quieuit. Quæ poſt anniuerſarium viri ſui iuuenem opulentum accepit maritum, cum quo habuit omnem charitatem. Sed & meritis ſancti Bernvvardi hoc in ſe factum nouit, qui eam etiam ab infamia fornicariæ ſuæ vitæ, quam prius habuerat, penitus præſeruauit. Prædicta autem fœmina hoc de ſe retulit cuidam ſacerdoti in Confeſſione anno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, ſequenti ſancti Michaelis die, ad quod Feſtum cauſa deuotionis venerat, vt omni anno facere conſueuit, vt Deo & conſolatori ſuo ſancto Bernvvardo debitas ſolueret gratiarum actiones. XXXIV

A ſuffocatione puer liberatus. CVM puer quidam denarium in ore haberet, & more puerili ludendo, vel in ore voluendo deglutiret, repente præ nimio dolore, & anhelitus diminutione in gutture quaſi ſuffocatus, morti appropinquare cœpit. Cumque candela pro exitu eius accenderetur, & mortem protinus exſpectarent, ſtatim fœmina quædam ſubintulit, dicens; ſanctum Bernvvardum inuocate, & offertorium ei promittite, & proculdubio releuamen percipiet. Quid plura? mater pueri tali admonitioni acquieſcit. Sanctus Bernvvardus inuocatur, & ſtatim puer de clade mortis liberatus denarium eiecit. XXXV.

CETERA Miracula ſparſim ſcripta collectaq; cum ad proxima nobis ſæcula pertinerent, breuitati conſulentes, omiſimus.

BVLLA CANONIZATIONIS S. BERNVVARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS ET CONFESSORIS, QVANDO A CÆLEſtino III. Papa inter Sanctos relatus eſt.

CÆLESTINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Hildenesheimenſi Epiſcopo, & dilectis filijs clero eiuſdem ciuitatis, vniuerſis etiam fidelibus per ſuam diœceſin conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſorum conditor & creator, mirabilis, & glorioſus in Sanctis ſuis, frequenter appareat, & dignetur per eos eius opera ſuis fidelibus reuelare, dignum duximus, & Omnipotenti pariter honorificum, quę in celebris memorię Bernwardo quondam Hildenesheimenſi Epiſcopo per ſuam voluit gratiam demonſtrare, ſuſcipere humiliter & audire, ac præterea eum in Sanctorum collegio numerare. Inde eſt, quod de meritis ipſius ac vita laudabili ac miraculis multiplicibus per dilectum filium noſtrum Centium tituli S. Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem noſtrum Mogontinum Archiepiſcopum, Sabinenſem Epiſcopum Conradum, & alios Epiſcopos. & dilectum filium Thidericum Abbatem Eccleſiæ S. Michaelis, in Hildenesheim, & honeſtas perſonas, ac religioſas eius prouinciæ certiores effecti, & famam illius celebrem, & commendandam memoriæ plenius cognoſcentes, fratrum noſtrorum deliberatione habita diligenti, prædictum Reuerendiſſimum virum in Sanctorum catalogo duximus numerandum; & venerandum corpus eius de terræ gremio erigendum, & inter Sanctorum reliquias collocandum; vt ibi à Chriſti fidelibus aſſidua deuotione officium debitæ venerationis accipiat, & ipſi per interceſſionem eius felicem & Domino complacentem ſuorum delictorum veniam conſequantur. Ideoque vniuerſitate veſtræ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quod de Sancto ipſo à nobis tam celebriter inſtitutum eſt, vos publicantes eundem Sanctum, debitis obſequijs amodo præuenire curetis, vt veſtras votiuas preces, quas omnium Creatori porrexeritis per interceſſionem eius placabilem dignetur per ſuam miſericordiam exaudire. Data Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Idus Ianuarij Pontificatus noſtri anno ſecundo.

CERTA-

CERTAMEN GLORIOSI MARTYRIS AGAPII, EX EVSEBII CÆSAREENSIS ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBRO OCTAVO, An. 290.

cap ſexto decimo, interprete Iohanne Chriſtophorſone Anglo.

I. QVARTO anno perſecutionis in nos graſſantis, ad duodecimum Calend. Decembris, hoc eſt, vigeſimo die menſis, qui Dius vocatur, die Veneris, in eadem vrbe Cæſarea, tale facinus, dignum reuerà quod literarum monumentis commendetur, ipſo tyranno * Maximino præſente (qui eodem die, qui natalis ſuus dies erat, ſpectacula populo, magno cum apparatu ac ſumptu edebat) patratum fuit. Et † quia conſuetudo inueterârat, vt varia, ſpectacula, ſi etiam vnquàm aliàs, præſentibus ipſis Imperatoribus ſumma cum magnificentia ac ſplendore, proponerentur ſpectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaque nouis ac peregrinis formis, præter communem & vſitatum morem variarentur, ſic vt interdùm animalia ex India & Æthiopia, aut aliundè acta in amphitheatrum introducerentur, interdùm viri mimicis corporis geſtibus, permira animorum oblectamenta ſpectatoribus oſtenderent: ob eam cauſam cùm iam Imperator ipſe ludos faceret, eximium quoddam ſpectaculum, & quod multum haberet admirationis, in magnifico eorum apparatu omninò eſſicere oportebat. Quidnam igitur erat iſtud quidem? Martyr & teſtis noſtræ in Chriſto religionis, adducitur in medium, ſtrenuè pro ſola & vera pietate decertaturus, Agapius nomine: quem vnà cum Thecla ſociarum, beſtijſque tradendum ad deuorandum, paulo antè demonſtrauimus. Iſte aliàs è cuſtodia eductus, ſimulque cum maleficis ad ſpectacula populo edenda coniunctus, cùm palàm egregiè ſuas partes in ſtadio egiſſet, idque ter ac ſæpiùs, propterea quòd iudex poſt minas illi varijs temporibus oppoſitas, ſiue illum commiſeratus, ſiue ſpe propoſiti & ſententiæ eius commutandæ inductus, ad alia ſemper noua certamina diſtulerat, tandèm ipſo præſente Imperatore denuò producitur, velut opportunè & commodè in illud tempus reſeruatus: vt hoc dictum ſalutare, quod Dominus diſcipulis ſuis, diuina præſcientia prædixiſſet, (nimirùm quòd coram Regibus adducerentur propter teſtimonium eius) verè in eo compleretur.

20. Nov. Anno 305. vide Baron. hoc anno n. 7 & ſeqq. * al. Maximino. † ſpectacula præſentibus Imperatoribus edi ſolita. S. Agapius in medium adducitur, decertaturus. Matth. 10.

II. PRIMVM igitur in medium ſtadium, cum quodam malefico & ſceleſto homine, quem cædis domini ſui reum fuiſſe ferunt, vnà rapitur. Deindè hic domini ſui interfector, qui beſtijs obijci debuiſſet, miſericordia & clementia imperatoris (propè ad ſimilitudinem Barrabæ latronis, quem Seruatoris loco Iudæi mortis periculo eripiebant,) mox liberatus eſt: & propterea ſtrepitu & acclamationibus totum ideò perſonabat theatrum, quòd homicida imperatoris beneficentia, non ſolùm ſeruatus eſſet, verùm etiam honore & libertate donatus. Cæterùm hic veræ & diuinæ pietatis athleta, primùm à tyranno acceſſitur: deindè inficiationem ſuæ voluntatis & inſtituti rogatus eſt: promittitur ei libertas. at ille magna voce palàm teſtatur, non turpis & nefarij criminis cauſa, ſed pietatis in Deum omnium rerum opificem, libenter & cum voluptate omnia ſupplicia, quæcunque ſibi imponerentur, ſe pacato & tranquillo animo ſubiturum. Atque hoc elocutus, dicto citiùs factum exequitur: & vrſo in illum dimiſſo, ex aduerſo veluti curriculo factus obuiàm, ſeipſum libentiſſimè vorandum dat. Pòſt adhuc ſuperſtes ſpiritum ducens, in carcerem mittitur. vbi vno die in vita commoratus, poſtridiè lapidibus ad pedes eius appenſis, in medium mare demergitur. Tale Agapij martyrium fuiſſe conſtat.

Reus Iudæorum tyrannum. Luc. 23. Iohan. 18. Martyris conſtantia. Vrſo ferociſſimo obijcitur. In mare demergitur.

VITA S. COLVMBANI ABBATIS AB EIVS ÆQVALI IONA ABBATE, QVEM QVIDAM VOCAT DISCIpulorum eius diſcipulum, conſcripta. An. 570.

Præfatio. DOMINIS eximijs, & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis Vualdeberto & * Boleno Patribus, Ionas peccator. Memini me ante hoc ferme triennium, fratrum conniuentia ſtante, vel beati Bertulphi Abbatis imperio iubente, cùm apud eos Apenninis turibus vagans, in † Bobienſi cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi patris Columbani meo ſtuderem ſtylo texere geſta: præſertim cùm ij, qui eo fuerunt in tempore, & penès ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes nos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa, narrent: vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & * Euſtaſium didicimus, quorum primus Bobienſis, ſecundus Luxouienſis cœnobij, quo vos præſules eximiis, eius ſucceſſores fuerunt: qui magiſtri inſtituta ſuis plebibus ſeruanda tradiderunt: quorum vitam vtcunque quiuimus, in poſtmodùm deprompſimus, ſicut plerorumque, quos cluentia memorabiles reddidit. Sed qui ſupradictorum fratrum agapis, vel patris prædicti præceptum coniiciens rebar liquido meatu exuberari, mutum me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquàm indignum iudicaſſem, olim iam ad ea texenda temerario quamuis conatu aggreſſus fuiſſem: quanquam me & per tremulum Oceani per ora vehit, & ſcarbea linteis abacta, ſcalteus molles ſectando vias, madefacit ſæpè & lenta palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi pontificis ferendum ſuffragium: qui his conſtitutus in locis, veteres Sicambrorum errores Euangelico mucrone coërcet. Erit tamen nonnulli operis, venerandi Patres, veſtri arbitrij cultus, vt, ſi aliqua minùs ritè prompta, decore facundi litatis caruerint, veſtris phaleris mentis decorentur, vt legentibus apta fiant: ne, dum mea imperitia in eloquio exhorret, cùm facta dictis non exæquantur, ſanctorum virtutes faſtidioſe ferendo non imitentur: & cùm ad patrum opus oſantes manum retendunt, mox ſentium aſperitate cruentam nitantur ſubtrahere. Quibus dicendum eſt, nantes ſolere rheumate gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cùm alia defuerint ſubſidia, feſtino conamine ſentes apprehendere: & diuitum fauces, cum aliæ dapes redundent, ſæpè agreſtia deſiderare: & pleroſque muſicorum omnium, organi, ſcilicet, pſalterij, citharæ melis aures oppletas, mollis ſæpè auenæ modulamini auditum accommodare. Et ſi me quempiam laudare repererint, qui adhuc ſuperis iunctus ſit, non me adulatorem putent, ſed rei benè geſtæ diſſertorem: nec fauere cuiquam panegyrico carmine, ſed digna memoriæ commendare: nec ideò, ſi ſupereſt, tumeſcat, ſi à me ſibi largita conditoris dona narrata videat, nè elationis ſtimulo ſynceræ mentis ſoliditatem corrumpat.

21. Nov. * Bobolenɜ vel Baboleno. † Ebobienſi. * Euſtaſium. Quære his 10 & 29. Martij. Locus deprauatus.

NVLLI quippè dubium eſt, quòd fauor adulatorum polluat mentes decore plenas virtutum, ſicut ad Iſraël per Eſaiam Dominus loquitur: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Sapientem etenim, vt vulgò dicitur, falſa laus increpat, verax ad meliora tendere prouocat. Adornet ergò eos in eo, quod benè geſſerint, fama laudabilis: increpet, ne maculet admittendo feruorem, tepor vituperabilis. Caueant alij, ſi dignum imitatione quid geſſerint, nec ſibi in poſtmodùm perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis. Inſeruèrim ergò illa, quæ veris aſſertionibus experti ſumus fuiſſe patrata, vel prætermitti negligentiæ deputauimus. Multaque prætermiſſa ſunt, quæ ex toto nequaquam meminimus, & pro parte aliquid ſcribere, nullatenus ratum duximus.

Eſa. 3. Falſa laus ſapientem increpat, verax ad meliora prouocat.

QVÆ

Columba nuncupatur, dicitur etiam Columba.

QVÆ ſunt ergò poſita, duobus libellis interſcidi, vt vno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus beati Columbæ geſta perſtringit: ſecundus, diſcipulorum eius Attalæ, Euſtachij, vel cæterorum, quos memini, vitam ediſſerit. Ea ergò veſtro libramine penſanda cenſemus, vt à vobis ſagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam ſi quædam aliquis non ritè diſtincta, ac deinduſtria corrupta reppererit, reijcienda iudicabit, prætertim ſi doctorum facundia fultus, affatim ſcientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, vt nos paremus doctorum greſſibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madantes, virides campos flore pinxerunt: nobis vix arida tellus arbuſta gignere nouit. Illi dites balſami lachryma ex Engaddi, floreque aromatum ex Arabia: nobis ex Hybernia vix butyrum pingueſcit. Illi piper nardumq; ſumunt ex India: nobis pinifera iuga Apennina, iugi, quæ zephyrijs rigeſcunt frigore flabris, vix tandem ſaliunculam præbent. Illi precioſi lapidis varietate gloriantur: nobis temerarium videtur Galliæ ſuccino gloriari. Illi poma palmarum magnoperè in peregrina dirigunt: nobis, Auſonium iuxta Poëtam, ſunt molles caſtaneæ & mitia poma. Valete almi Patres, viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno.

PROLOG. Vitæ Sanctorum cur a ſanctis Patribus conſcriptæ.

RVTILANTEM, atque eximio fulgore micantem ſanctorum Præſulem, atque monachorum vitam ſolertia nobilium condidit & conſcripſit doctorum, ſcilicet vt & poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſeculis rerum ſator æternus, vt ſuorum famulorum famam commendaret perennem, vtque præterita geſta linqueret futuris exempla: & de præcedentium meritis, vel imitando exempla, vel memoriæ commendando, ventura ſoboles gloriaretur: quorum beatus Athanaſius Antonij, Hieronymus Pauli & Hilarionis, vel cæterorum, quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, Poſthumianus verò, Seuerus & Gallus, Martini egregij Præſulis, noſtris memoriam dimiſere ſeclis, pleriq; aliorum, quos aut fama, aut bonorum operum exempla, vel virtutum commendârunt monimenta, vt ſunt columnæ Eccleſiarum, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſeculi turbines, fluctuante mundo, ſtatum Eccleſiæ ſuſtentarunt: nec illatu aduerſante iniquo, ac hæreticorum procella quatiente, veram fidem aduerſitas macularet. Quorum nos exempla temerario conatu ſecuti, qui nec meritorum ſupplemento, nec facundiæ flore ſuffulti, nec elucubrante ſcientiæ fouore, tanti Patris noſtris ſæculis refulgentis Columbani aggredimur texere geſta. Erit tamen noſtrorum arbiter dictorum, virtutum largitor immenſus, qui illi & grauæ ſuæ munera, & vitæ perennis largitus eſt coronam.

S. Columbani patria

COLVMBANVS igitur, qui & Columba, ortus eſt in Hybernia inſula, quæ eſt in extremo Oceano ſita, & ſpe- I.
ctat Titanis occaſum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in vmbras: vnde denuò peracto curſu noctis irradiat totum rediuiuo lumine mundum. Inſulæ huius ſitus, vt fertur, eſt amœnus, ac aduerſantium exterarum carens bello nationum. Hanc & Scotorum gens incolit, gens quanquam abſq; reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fidem præpollet. Natus ergo hic inter primordia fidei gentis illius eſt, vir iſte beatus, vt fides, quam infœcundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodaliũ ſuorum munimine, cultu vberi fœcundaretur. Sed priuſquàm lucem vitæ præſentis caperet, quid ante eius ortum actum ſit, non eſt ſilendum.

Viſio matris S. Columbani.

Nam cùm eius genitrix aluo grauida teneretur, ſubitò per intempeſtam noctem ſopore depreſſa, vidit è ſinu ſuo rutilantem ſolem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Poſtquàm autem ſopor membra laxauit; & cæcas ſurgens tenebras aurora fugauit, intra ſemetipſam penſare cœpit, quæ viderat: & ancipiti gaudio, tantæ viſionis vim ſagaci animo trutinans, ſolaminis ſupplementum à vicinis petit, quos doctrina ſolertes reddidit, quæriens vt tantæ viſionis myſterium ſapienti corde rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis vtero concepiſſe virum, qui & ſuæ ſaluti vtilia, & proximorum prouideret vtilitati opportuna. Quem mater poſtquàm edidit, tanta cuſtodia ſeruauit, vt vix eum vel cognatis, vel aliorum motibus crederet, quoadusq; vita pueri ad boni cultus operis, duce Chriſto, ſine quo nihil boni agitur, aſpiraret. Nec immeritò ſolem fulgentem è ſinu ſuo mater prodire conſpexit, quia hic in matris vniuerſorum Eccleſiæ membris, inſtar Phœbi fulgore micuit, Domino dicente, Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Sic Debora ſupplici voce ad Dominum Spiritu ſancto monente, olim loquebatur, dicens, Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilabunt. Æthereus etenim axis ſiderum diſtinctione flaueſcens, ſicut de frequentia celebris lucis ſpecioſior eſt, ſicut diei lux, Phœbi aucta ſplendore, mundo amœna refulget: ita corpus Eccleſiæ cum conditoris ſui ditatum opibus, ſanctorum augmentato numero, ſicientiæ religione nitelcit, vt ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et vt ſol vel luna aſtraq; omnia noctem & diem ſuo nitore nobilitant, ita ſanctorum merita ſacerdotum, Eccleſiæ munimenta roborant.

Matth. 13. Iudic. 5.

Dat operam literis.

PERACTIS itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium literarum doctrinis & grammatico- II.
rum ſtudijs, ingenio capaci dare cœpit laborem, quem per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem vberi intentione defixit. Sed cùm eum elegantia formæ, præſertim corporis candor & pubertas nobilis omnibus gratum redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hoſtis lethifera tela relaxare, vt quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis haberis ſi valuiſſet, irretiret.

Diabolus inſidiatur eius pudicitiæ. Et fortiter vir ſanctus reſiſtit.

Aggreſſus eſt igitur laſciuarum puellarum in eum ſuſcitare amorem, præcipuè quas forma corporis, perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos ſolet immergere. Sed cùm ſe egregius miles tantis telis vndique vrgeri conſpiceret, & micantem ſicam callidi hoſtis ſe contrà erigi conſpexiſſet, expertus fragilitatem humanam citò ad procliuia labendo demergi, vt Liuius ait, Nihil eſſe tam ſanctum religione, tamq; cuſtodia clauſum, quò penetrare libido nequeat: euangelicum clypeum tenens læua, enſemq; ancipitem ferens dextra, contra immanes cuneos hoſtium pugnaturus cœpit pergere, ne fruſtrato labore, quo potiſſimo ingenio ſudauerat in Grammatica, Rhetorica, Geometria, & diuinarum ſcripturarũ ſerie, ſeculi illecebris occuparetur: datur ſcil. adhuc ſtimulus vrgẽdi. Cùm hæc iam penes ſe volueret, venit ad cuiuſdẽ religioſæ ac Deo dicatæ, cellulam fœminæ, quam cum priùs humili voce ſalutaſſet, poſteà caſtigare illam iuuenili vt poterat hortamine eſt eggreſſus.

** quindecim*

A virgine quadam ad melioris vitæ inſtitutum animatur:

Quæ videns in adoleſcente vigorẽ, Ego, ait, vtcunq; potui, ad bellũ progreſſa exiui: en duodecim tempora voluuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetij, & nunquã deinceps Chriſto Præſule, manu ſtiuã tenens, retrò reſpexi. & niſi fragilis ſexus obſtaret, mare tranſito, potioris peregrinationis locum petiſſem, tu vero adoleſcentię flãmis æſtuans, natale ſolũ incolis, & ad fragiles voces, velis nolis fragilitate autem accommodas, & viſitare te fœmineum ſexũ liberè credis. Non † reminiſceris ſuaſu Euæ Adam dilapſum, Samſonem à Dalila ſeductum, Dauid à priſtina iuſtitia pulchritudine Berſabæ corruptum, ſapientiſſimũ Salomonem mulierum amore deceptum. Perge, inquit, ò iuuenis, perge, euade ruinam, per quam multos comperis corruiſſe: declina viam, quæ inferi ducit ad valuas. Huius ergo dictis ſtimulatus adoleſcens, & vltrà quàm adoleſcentẽ terreri crederes, grates tales increpanti refert: & ſodalibus valedicens iter arripuit, matreq; eius dolore ſtimulata, precatur vt ſe nõ relinqueret. At ille, Non, inquit, audiſti, qui amat patrem aut matrẽ plus quàm me, non eſt me dignus? Obſtanti matri & limini oſtij inhærenti, poſtulat vt ſe ire ſinat. illa autem eiulans, & pauimento proſtrata, denegat ſe permiſſuram. Ille enim limen matremq; tranſilijt, poſcitq; matrem ſe lætam habeat, illam nunquàm deinceps in hac vita viſuram, ſed quocunq; ſalutis viam iter pandat, ſe progreſſurum. Relicto ergo natali ſolo, quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virum venerabilem nomine Senile perrexit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarum ſacrarum ſcien-

† Geneſ 3. Iudic. 16. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. Matth. 10. Ita faciendum docet S. Hieronymus Epiſt. ad Heliodor.

ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quem cum vir ſanctus ingenii ſagacis eſſe videret, omnium diuinarum ſcripturarum ſtudiis imbuit: ita tamen vt fieri aſſolet, cum ludendo magiſtri diſcipulos ſciſcitari conantur, vt de illorum ingenio cognoſcant, vel flagrantem vbertate ſenſum, vel negligentiæ ſomno torpentem, cœpit ab eo ex difficilium quæſtionum materia ſenſus quærere. At ille pauido quanquam, tamen ſagaci è pectore, ne inobediens magiſtro appareret: non xenodochiæ auctus vitio, ſed magiſtro parendo, verſa vice obiecta ſibi elucubrabat, memor illius Pſalmographi præconii: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Tantum in eius pectore diuinarum theſauri ſcripturarum conditi tenebantur, vt intra adoleſcentiæ ætatem detentus, pſalmorum librũ elimato ſermone exponeret, multaq; alia quæ vel ad cantum ſunt digna, vel ad docendum vtilia, condidit dicta.

Pſalm. 80. Eruditio S. Colũbani.

III. Dedit deinde operam, vt monachorum ſectaretur ſocietati, ac monaſterium, cuius vocabulum eſt Benchor, petiit, in quo præſul virtutum vbertate cluebat beatus Congellus, egregius inter ſuos monachorum pater, quique & religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus & ieiuniis vacare cœpit, & iugum Chriſti, quod ferentibus leue eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſumq; ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: vt qui aliorum doctor futurus erat ipſe quod doctrina didicerat, in ſuo corpore mortificationem ferendo, vberius exemplo monſtraret, quod aliis implendum fore docuiſſet. Peractis itaque annorum multorum in monaſterio circulis, cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Domini imperii ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam monſtrauero tibi. Confeſſus igitur venerabili patri Congello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, Ignem veni mittere in terram, quem volo vt ardeat: tandem patri patefaciebat affectum, ſed non ita patris reperiebat reſpõſum, vt ſua petitio anhelabat: erat enim venerabili Congello arduum tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen aſpirare cœpit, & cordi anteponere, vt non plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quam aliorum vtilitati oportuna pararet: nec ſine omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, vt de eius victoriis glorioſos referret triumphos, lautamque ſupellectilem de cæſorum hoſtium reportaret phalangis: vocatoque eo triſtem licet ſibi, tamen aliis vtilem depromit ſententiam: ſe & pacis vinculum, & ſolaminis ſupplementum, comiteſque itineris, quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto ſane fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragia poſtulat, vt futuro itineri ſolamen largitor pietatis tribuat. Viceſimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus, Chriſto duce ad littus maris accedunt: ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur, vt ſi ſuæ voluntati inhæreant, concepti conſilii effectus perficiantur, agnoſcuntque ſecum clementis iudicis voluntatem adeſſe: carinamque ingreſſi, dubias per freta ingrediuntur vias, & mire ſalum properantibus zephyrorum flabris, pernici curſu ad Britannicos perueniunt ſinus. Pauliſper ibidem commorantes, vires reſumunt, ancipitique animo, anxia cordis conſilia trutinantur. Placet tandem arua Gallica planta terere, & mores hominum feruenti aſtu ſciſcitari: & ſi ſalus ibi ſerenda ſit, quantiſper commorari: ſi autem obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas regionum nationes pertanſire.

Ingreditur monaſteriũ Benchor. *Gen. 12.* *Luc. 12.* Cum 12. ſociis ex Hybernia proficiſcitur.

IV. A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallias tendunt, vbi tunc vel ob frequentiam hoſtium externorum, vel negligentiam præſulum religionis virtus penè abolita habebatur, fides tantum manebat Chriſtiana. Nam pœnitentiæ medicamento, & mortificationis amor, vix vel paucis in illis reperiebatur locis. Agebat autem venerandus vir, vt ad quæcunque loca progrederetur, verbum Euangelicum annunciaret. Erat enim gratum hominibus, quia quod facundiæ cultus adornabat, elucubrante prædicationis doctrina, ſimul & exempla virtutum confirmabant. Tanta enim erat humilitatis vbertas, vt verſa vice, ſicut de honoribus homines ſeculi conantur quærere dignitates, ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum niterentur præuenire: memores præcepti illius, Qui ſe humiliat, exaltabitur: & illud Iſaiæ, Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum, & trementem ſermones meos? Tãta pietas, tanta charitas omnibus inerat, vt vnum velle, & vnum nolle eſſet omnibus: modeſtia atque ſobrietas, manſuetudo & lenitas, æque in omnibus redolebat. Execrabatur ab his deſidiæ atque diſcordiæ vitium, arrogantiæ aut elationis ſupercilium duris caſtigationum actibus feriebatur, iræ ac liuoris noxa ſagaci intentione pellebatur. Tanta itaque patientiæ virtus, charitatis affectus, lenitatis cultus aderat, vt mirem in medio eorum Dominum patule nõ ambigeres habitare. Si quenquam in his labi in vitium repetiſſent, ſimul omnes æquo iure negligentem correptionibus cædere ſtudebant: communia omnia omnibus erant: Si quiſpiam aliquid proprium vſurpare tentaſſet, cæterorum conſortio ſegregatus, pœnitentiæ vltione vindicabatur: nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſperum ſermonem audebat proferre, ita vt in humana conuerſatione angelicam vitam agi crederes. Tanta in beato viro gratia redundabat, vt in quorumcunque domibus quantiſper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Magnus religionis tepor in Galliis. Virtutes S. Colũbani & ſociorũ. *Matt. 23.* *Eſa. 66.* Nihil apud eos licet habere peculii.

V. Pervenit ergo fama beati Columbani ad aulam Sigeberti regis, qui eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum Burgundionumque inclytus regnabat Francis, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus, quæ Gallias incolunt, habetur. Ad quem cum vir ſanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus Regi & aulicis ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo Rex quærere, vt intra terminos Galliarum reſideret, nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret, omnia quæ eius voluntas popoſciſſet ſe paraturũ. Tunc ille ait Regi, Non ſe aliarum opum fore cupidum, ſed Euangelici præconii, in quantũ carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplũ: Qui vult, inquit, poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui talia obiicienti, Rex præbet reſponſum. Si Chriſti crucem tollere, & ipſum ſequi deſideras, potioris eremi ſectare quietem, tantum ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad vicinas pertranſeas nationes: vt & tui præmii augmentum, & noſtræ ſaluti prouideas opportuna. Data itaq; optione, obtemperans Regis perſuaſionibus eremum petit. Erat enim tunc vaſta eremus Voſagus nomine, in qua caſtrum olim dirutum, quod antiquorum traditio Anagrates nuncupabat. Ad quem cum vir Dei veniſſet, licet aſpera eſſent vaſtitate ſolitudinis, & ſcopulorum interpoſitione loca, ibi cum ſuis reſedit paruo alimentorum ſolamine contentus: memor illius verbi, Non in ſolo pane hominem viuere, ſed verbo vitæ ſatiatos affluenti dape abundare, qua quiſq; ſumpta, eſuriem neſciat in æuum.

Intrans Galliam humaniſſime a Rege excipitur. *Luc. 9.* Sigibertus Rex precib. eũ apud ſe retinet. *Deut. 8.* *Matt. 4.*

VI. Eo ergo in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubito vnum è fratribus, vel ob probationem, vel qualibet culpa attrahente, vis febrium cœpit flagellare. ſed cum nulla alimentorum ſolamina adeſſent, niſi corticum & herbarum pabula præberentur tantummodo, cœpit omnium animis aſpirare, vt pro ægri fratris ſoſpitate, ieiunio omnes & oratione vacarent. Tertio die iam peracto ieiunio, nihil habentibus vnde feſſa corpora reficerentur, ſubito conſpiciẽs virum quendam cum panum ſupplemento, vel pulmentorum equos oneratos habentem, ante fores aſtare: qui ſe referebat ſubita cordis admonitione actum, vt eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam pro Chriſto egeſtatem in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaq; viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere, vt vir ſanctus pro coniuge ſua deprecaretur Dominum, quam per anni circulum tantus ignis febrium vrebat, vt iam crederetur ſuperis reddi. Humili ergo & anxio corde poſcenti, noluit vir ſanctus denegare ſolamen, adhibitiſq; ſimul fratribus, pro ea Domini miſericordiam deprecatur: cumque ille cum ſuis orationem compleſſet, ſtatim ea quæ periculum mortis in propatulo habebat, ſanitati eſt reddita. At vero cum vir eius largita ſibi à viro Dei benedictione domum remeaſſet, inue-

Quidã diuinitus admonitus, ei affert alimẽta. Sanat fœminam moribundam.

Columba nus, dicitur etiam Columba.

QVÆ ſunt ergò poſita, duobus libellis interſcidi, vt vno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus beati Columbæ geſta perſtringit: ſecundus, diſcipulorum eius Attalæ, Euſtachij, vel cæterorum, quos meminit, vitam ediſſerit. Ea ergò veſtro libramine penſanda cenſemus, vt à vobis ſagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam ſi quædam aliquis non ritè diſtincta, ac deinduſtriâ corrupta repererit, reijcienda iudicabit, præſertim ſi doctorum facundia fultus, affatim ſcientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, vt nos putemus doctorum greſſibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madante, virides campos flore pinxerunt: nobis vix arida tellus arbuſta gignere nouit. Illi dites balſami lachryma ex Engaddi, floreque aromatum ex Arabia: nobis ex Hybernia vix butyrum pingueſcit. Illi piper nardumq; ſumunt ex India: nobis pinifera iuga Apennina, iugi, quæ zephyrijs rigeſcunt frigore flabris, vix tandem ſaliunculam præbent. Illi precioſi lapidis varietate gloriantur: nobis temerarium videtur Galliæ ſuccino gloriari. Illi poma palmarum magnoperè in peregrina dirigunt: nobis, Auſonium iuxta Poëtam, ſunt molles caſtaneæ & mitia poma. Valete almi Patres, viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno.

PROLOG.

Vitæ Sanctorum cur à ſanctis Patribus conſcriptæ.

RVTILANTEM, atque eximio fulgore micantem ſanctorum Præſulem, atque monachorum vitam ſolertia nobilium condidit & conſcripſit doctorum, ſcilicet vt & poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſeculis rerum ſator æternus, vt ſuorum famulorum famam commendaret perennem, vtque præterita geſta linquerent futuris exempla: & de præcedentium meritis, vel imitando exempla, vel memoriæ commendando, ventura ſoboles gloriaretur: quorum beatus Athanaſius Antonij, Hieronymus Pauli & Hilarionis, vel cæterorum, quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, Poſthumianus verò, Seuerus & Gallus, Martini egregij Præſulis, noſtris memoriam dimiſere ſeclis, pleriq; aliorum, quos aut fama, aut bonorum operum exempla, vel virtutum commendârunt monimenta, vt ſunt columnæ Eccleſiarum, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſeculi turbines, fluctuante mundo, ſtatum Eccleſiæ ſuſtentarunt: ne quâ flatu aduerſante iniquo, ac hæreticorum procella quatiente, veram fidem aduerſitas macularet. Quorum nos exempla temerario conatu ſecuti, qui nec meritorum ſupplemento, nec facundiæ flore ſuffulti, nec elucubrante ſcientiæ fonte, tanti Patris noſtris ſæculis refulgentis Columbani aggredimur texere geſta. Erit tamen noſtrorum arbiter dictorum, virtutum largitor immenſus, qui illi & grauæ ſuæ munera, & vitæ perennis largitus eſt coronam.

S. Columbani patria.

COLVMBANVS igitur, qui & Columba, ortus eſt in Hybernia inſula, quæ eſt in extremo Oceano ſita, & ſpe- I.
ctat Titanis occaſum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in vmbras: vnde denuò peracto curſu noctis irradiat totum rediuiuo lumine mundum. Inſulæ huius ſitus, vt fertur, eſt amœnus, ac aduerſantium exterarum carens bello nationum. Hanc & Scotorum gens incolit, gens quanquam abſq; reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fidem præpollet. Natus ergo hic inter primordia fidei gentis illius eſt, vir iſte beatus, vt fides, quam infœcundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodaliũ ſuorum munimine, cultu vberi fœcundaretur. Sed priuſquàm lucem vitæ præſentis caperet, quid ante eius ortum actum ſit, non eſt ſilendum. Nam cùm eius genitrix aluo grauida teneretur, ſubitò per intempeſtam noctem ſopore depreſſa, vidit è ſinu ſuo rutilantem ſolem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Poſtquàm autem ſopor membra laxauit; & cæcas ſurgens tenebras aurora fugauit, intra ſemetipſam penſare cœpit, quæ viderat: & ancipiti gaudio, tantæ viſionis vim ſagaci animo trutinans, ſolaminis ſupplementum à vicinis petit, quos doctrina ſolertes reddidit, quærens vt tantæ viſionis myſterium ſapienti corde rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis vtero concepiſſe virum, qui & ſuæ ſaluti vtilia, & proximorum prouideret vtilitati opportuna. Quem mater poſtquàm edidit, tanta cuſtodia ſeruauit, vt vix eum vel cognatis, vel aliorum moribus crederet, quoadusq; vita pueri ad boni cultus operis, duce Chriſto, ſine quo nihil boni agitur, aſpiraret. Nec immeritò ſolem fulgentem è ſinu ſuo mater prodire conſpexit, quia hic in matris vniuerſorum Eccleſiæ membris, inſtar Phœbi fulgore micuit, Domino dicente, Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Sic Debora ſupplici voce ad Dominum Spiritu ſancto monente, olim loquebatur, dicens, Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilabunt. Æthereus etenim axis ſiderum diſtinctione flaueſcens, ſicut de frequentia celebris lucis ſpecioſior eſt, ſicut diei lux, Phœbi aucta ſplendore, mundo amœna refulget: ita corpus Eccleſiæ cum conditoris ſui ditatum opibus, ſanctorum augmentato numero, ſcientiæ religione niteſcit, vt ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et vt ſol vel luna aſtraq; omnia noctem & diem ſuo nitore nobilitant, ita ſanctorum merita ſacerdotum, Eccleſiæ munimenta roborant.

Viſio matris S. Columbani.

Matth. 13. Iudic. 5.

Dat operam literis.

PERACTIS itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium literarum doctrinis & grammatico- II.
rum ſtudijs, ingenio capaci dare cœpit laborem, quem per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem vberi intentione defixit. Sed cùm eum elegantia formæ, præſertim corporis candor & pubertas nobilis omnibus gratum redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hoſtis lethifera tela relaxare, vt quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis habenis ſi valuiſſet, irretiret. Aggreſſus eſt igitur laſciuarum puellarum in eum ſuſcitare amorem, præcipuè quas forma corporis, perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos ſolet immergere. Sed cùm ſe egregius miles tantis telis vndique vrgeri conſpiceret, & micantem ſicam callidi hoſtis ſe contrà erigi conſpexiſſet, expertus fragilitatem humanam citò ad procliuia labendo demergi, vt Liuius ait, Nihil eſſe tam ſanctum religione, tamq; cuſtodia clauſum, quò penetrare libido nequeat: euangelicum clypeum tenens læua, enſemq; ancipitem ferens dextra, contra immanes cuneos hoſtium pugnaturus cœpit pergere, ne fruſtrato labore, quo potiſſimo ingenio ſudauerat in Grammatica, Rhetorica, Geometria, & diuinarum ſcripturarũ ſerie, ſeculi illecebris occuparetur: datur ſcil. adhuc ſtimulus vrgẽdi. Cùm hæc iam penes ſe volueret, venit ad cuiuſdẽ religioſæ ac Deo dicatæ, cellulam fœminæ, quam cum priùs humili voce ſalutaſſet, poſteà caſtigare illam iuuenili vt poterat hortamine eſt eggreſſus. Quæ videns in adoleſcente vigorẽ, Ego, ait, vtcunq; potui, ad bellũ progreſſa exiui: en duodecim tempora voluuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum experij, & nunquã deinceps Chriſto Præſule, manu ſtiuã tenens, retrò reſpexi. & niſi fragilis ſexus obſtaret, mare tranſito, potioris peregrinationis locum petiſſem, tu vero adoleſcentiç flãmis æſtuans, natale ſolũ incolis, & ad fragiles voces, velis nolis fragilitate aurem accommodas, & viſitare te fœmineum ſexũ liberè credis. Non † reminiſceris ſuaſu Euæ Adam dilapſum, Samſonem à Dalila ſeductum, Dauid à priſtina iuſtitia pulchritudine Betſabæ corruptum, ſapientiſſimũ Salomonem mulierum amore deceptum. Perge, inquit, ô iuuenis, perge, euade ruinam, per quam multos comperis corruiſſe: declina viam, quæ inferi ducit ad valuas. Huius ergo dictis ſtimulatus adoleſcens, & vltrà quàm adoleſcentẽ tereri crederes, grates tales increpanti refert: & ſodalibus valedicens iter arripuit, materq; eius dolore ſtimulata, precatur vt ſe nõ relinqueret. At ille, Non, inquit, audiſti, qui amat patrem aut matrẽ plus quàm me, non eſt me dignus? Obſtanti matri & limini oſtij inhærenti, poſtulat vt ſe ire ſinat: illa autem eiulans, & pauimento proſtrata, denegat ſe permiſſuram. Ille enim limen matremq, tranſilijt, poſcitq; matrem ſe lætam habeat, illum nunquàm deinceps in hac vita viſuram, ſed quocunq; ſalutis viam iter pandat, ſe progreſſurum. Relicto ergo natali ſolo, quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virum venerabilem nomine Senile perrexit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarum ſacrarum ſcien-

Diabolus inſidiatur eius pudicitiæ. Et fortiter vir ſanctus reſiſtit.

* quindecim

A virgine quadam ad melioris vitæ inſtitutum animatur.

† Geneſ. 3. Iudic. 16. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. Matth. 10.

Ita faciendum docet S. Hieronymus Epiſt. ad Heliodor.

ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quem cum vir ſanctus ingenii ſagacis eſſe videret, omnium diuinarum ſcripturarum ſtudiis imbuit: ita tamen vt fieri aſſolet, cum ludendo magiſtri diſcipulos ſuſcitari conantur, vt de illorum ingenio cognoſcant, vel flagrantem vbertate ſenſum, vel negligentiæ ſomno torpentem, cœpit ab eo ex difficilium quæſtionum materia ſenſus quærere. At ille pauido quanquam, tamen ſagaci è pectore, ne inobediens magiſtro appareret: non xenodochiæ auctus vitio, ſed magiſtro parendo, verſa vice obiecta ſibi elucubrabat, memor illius Pſalmographi præconii: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Tantum in eius pectore diuinarum theſauri ſcripturarum conditi tenebantur, vt intra adoleſ. etiam ætatem detentus, pſalmorum librũ elimato ſermone exponeret, multaq; alia quæ vel ad cantum ſunt digna, vel ad docendum vtilia, condidit dicta.

Pſalm. 80. Eruditio S. Colubani.

III. Dedit deinde operam, vt monachorum nectereiur ſocietati, ac monaſterium, cuius vocabulum eſt Benchor, petiit, in quo præſul virtutum vbertate cluebat beatus Congellus, egregius inter ſuos monachorum pater, quique & religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus & ieiuniis vacare cœpit, & iugum Chriſti, quod ferentibus leue eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſumq; ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: vt qui aliorum doctor futurus erat ipſe quod doctrina didicerat, In ſuo corpore mortificationem ferendo, vberius exemplo monſtraret, quod aliis implendum fore docuiſſet. Peractis itaque annorum multorum in monaſterio circulis, cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Domini imperii ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam monſtrauero tibi. Confeſſus igitur venerabili patri Congello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, Ignem veni mittere in terram, quem volo vt ardeat: tandem patri patefaciebat affectum, ſed non ita patris reperiebat reſpõſum, vt ſua petitio anhelabat: erat enim venerabili Congello arduum tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen aſpirare cœpit, & cordi anteponere, vt non plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quam aliorum vtilitati oportuna pararet: nec ſine omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, vt de eius victoriis glorioſos referret triumphos, lautamque ſupellectilem de cæſorum hoſtium reportaret phalangis: vocatoque eo triſtem licet ſibi, tamen aliis vtilem depromit ſententiam: ſe & pacis vinculum, & ſolaminis ſupplementum, comiteſque itineris, quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto ſane fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragia poſtulat, vt futuro itineri ſolamen largitor pietatis tribuat. Viceſimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus, Chriſto duce ad littus maris accedunt: ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur, vt ſi ſuæ voluntati inhæreant, concepti conſilii effectus perficiantur, agnoſcuntque ſecum clementis iudicis voluntatem adeſſe: carinamque ingreſſi, dubias per freta ingrediuntur vias, & mite ſalum properantibus zephyrorum flabris, pernici curſu ad Britannicos perueniunt ſinus. Pauliſper ibidem commorantes, vires reſumunt, ancipitique animo, anxia cordis conſilia ruminantur. Placet tandem arua Gallica planta terere, & mores hominum feruenti aſtu ſciſcitari: & ſi ſalus ibi ſerenda ſit, quantiſper commorari: ſi autem obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas regionum nationes pertranſire.

Ingreditur monaſteriũ Benchor. *Gen. 12.* *Luc. 12.* Cum 12. ſociis ex Hybernia profiſciſcitur.

IV. A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallias tendunt, vbi tunc vel ob frequentiam hoſtium externorum, vel negligentiam præſulum religionis virtus penè abolita habebatur, fides tantum manebat Chriſtiana. Nam pœnitentiæ medicamento, & mortificationis amor, vix vel paucis in illis reperiebatur locis. Agebat autem venerandus vir, vt ad quæcunque loca progrederetur, verbum Euangelicum annunciaret. Erat enim gratum hominibus, quia quod facundiæ cultus adornabat, elucubrante prædicationis doctrina, ſimul & exempla virtutum confirmabant. Tanta enim erat humilitatis vbertas, vt verſa vice, ſicut de honoribus homines ſeculi conantur quærere dignitates, ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum niterentur præuenire: memores præcepti illius, Qui ſe humiliat, exaltabitur: & illud Iſaiæ, Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum, & trementem ſermones meos? Tãta pietas, tanta charitas omnibus inerat, vt vnum velle, & vnum nolle eſſet omnibus: modeſtia atque ſobrietas, manſuetudo & lenitas, æque in omnibus redolebat. Execrabatur ab his deſidiæ atque diſcordiæ vitium, arrogantiæ aut elationis ſupercilium duris caſtigationum ictibus feriebatur, iræ ac liuoris noxa ſagaci intentione pellebatur. Tanta itaque patientiæ virtus, charitatis affectus, lenitatis cultus aderat, vt mitem in medio eorum Dominum patule nõ ambigeres habitare. Si quenquam in his labi in vitium repperiſſent, ſimul omnes æquo iure negligentem correptionibus cædere ſtudebant: communia omnia omnibus erant: Si quiſpiam aliquid proprium vſurpare tentaſſet, cæterorum conſortio ſegregatus, pœnitentiæ vltione vindicabatur: nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſperum ſermonem audebat proferre, ita vt in humana conuerſatione angelicam vitam agi crederes. Tanta in beato viro gratia redundabat, vt in quorumcunque domibus quantiſper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Magnus religionis tepor in Gallus. Virtutes S. Colubani & ſociorũ. *Matt. 23.* *Eſa 66.* Nihil apud eos licet habere peculii

V. Pervenit ergo fama beati Columbani ad aulam Sigeberti regis, qui eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum Burgundionumque inclytus regnabat Francis, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus, quæ Gallias incolunt, habetur. Ad quem cum vir ſanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus Regi & aulicis ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo Rex quærere, vt intra terminos Galliarum reſideret, nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret, omnia quæ eius voluntas popoſciſſet ſe paraturũ. Tunc ille ait Regi, Non ſe aliarum opum fore cupidum, ſed Euangelici præconii, in quantũ carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplũ: Qui vult, inquit, poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui talia obiicienti, Rex præbet reſponſum. Si Chriſti crucem tollere, & ipſum ſequi deſideras, potioris eremi ſectare quietem, tantum ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad vicinas pertranſeas nationes: vt & tui præmii augmentum, & noſtræ ſaluti prouideas opportuna. Data itaq; optione, obtemperans Regis perſuaſionibus eremum petit. Erat enim tunc vaſta eremus Voſagus nomine, in qua caſtrum olim dirutum, quod antiquorum traditio Anagrates nuncupabat. Ad quem cum vir Dei veniſſet, licet aſpera eſſent vaſtitate ſolitudinis, & ſcopulorum interpoſitione loca, ibi cum ſuis reſedit paruo alimentorum ſolamine contentus: memor illius verbi, Non in ſolo pane hominem viuere, ſed verbo vitæ ſatiatos affluenti dape abundare, qua quiſq; ſumpta, eſuriem neſciat in æuum.

Intrans Galliam humaniſſime a Rege excipitur. *Luc. 9.* Sigibertus Rex precib. eũ apud ſe retinet. *Deut. 8.* *Matt. 4.*

VI. Eo ergo in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubito vnum è fratribus, vel ob probationem, vel qualibet culpa attrahente, vis febrium cœpit flagellare. ſed cum nulla alimentorum ſolamina adeſſent, niſi corticum & herbarum pabula præberentur tantummodo, cœpit omnium animis aſpirare, vt pro ægri fratris ſoſpitate, ieiunio omnes & oratione vacarent. Tertio die iam peracto ieiunio, nihil habentibus vnde feſſa corpora reficerentur, ſubito conſpiciẽs virum quendam cum panum ſupplemento, vel pulmentorum equos oneratos habentem, ante fores aſtare: qui ſe referebat ſubita cordis admonitione actum, vt eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam pro Chriſto egeſtatem in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaq; viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere, vt vir ſanctus pro coniuge ſua deprecaretur Dominum, quam per anni circulum tantus ignis febrium vrebat, vt iam crederetur ſuperis reddi. Humili ergo & anxio corde poſcenti, noluit vir ſanctus denegare ſolamen, adhibitiſq; ſimul fratribus, pro ea Domini miſericordiam deprecatur: cumque ille cum ſuis orationem compleſſet, ſtatim ea quæ periculum mortis in propatulo habebat, ſanitati eſt reddita. At vero cum vir eius largita ſibi à viro Dei benedictione domum remeaſſet, inuenit con-

Quidã diuinitus admonitus, ei affert alimẽta. Sanat fœminam moribundam.

bum opportune reperiant, deferant. Ouantes illi per concaua vallis, Moſellæ tenus peruenerunt, capturamq; piſcium olim à paſtoribus conſeruatam, & vndis oppoſitã cernunt: accedenteſq; quinq; magnos reperiunt piſces, ſumenteſq; tres qui adhuc viuerent, patri præſentandos vehunt, at ille, Cur, inquit, non quinque detuliſtis? Reſpondent mortuos reperiſſe duos, proinde reliquiſſe, & ille, Nequaquam ait, ex his comedetis, niſi quos dimiſiſtis, venerint. At illi miraculo perculſi de prouidentia diuinæ gratiæ, pernici curſu locum repetunt, piſces relictos deferunt; increpantur cur cognoſcere repertum manna reliquiſſent, & ſic cibos parare iubentur: nempe Spiritu ſancto vir Dei plenus, nouerat ſibi à Domino paſſim dapes paratas. Alia quoque vice, cum in eadem ſolitudine moraretur, non tamen eo in loco, iam quinquaginta dies tranſierunt, vnuſq; tantum de fratribus cum eo erat, Gallus nomine: cui ille imperat, vt ad Bruſcam eat, piſceſque capiat. Ille abiit, retimque duxit, vt ad Ligonem amnem pergeret. Quo cum perueniſſet, retimque in alueum iactauiſſet, aſpicit tantam multitudinem áduenire, nec prorſus à rete teneri, ſed velut in parietem impingerent, retro reuerti. Laborauit itaque per totum diem, nec vel vnum capere quiuit. Reuerſus itaque renunciat patri deſruſtratum laborem: ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum locum properaſſet: aitque denuo, Vade citò, & ad denunciatum perge locum. Peruenit itaque, & vndis rete oppoſuit, tantaque piſcium copia impletum eſt rete, vt vix præ multitudine trahi potuiſſet. Hæc nobis ſupradictus Gallus ſæpe narrauit.

Diuinitus cognoſcit abſentia.

Pœna inobedientiæ.

XV. Morabatvr autem alia vice in ſupradicto ſcopuli ſinu, à quo vrſum expulerat, diuque ibi oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit ergo per reuelationem, fratres qui penes Luxouium erant, diuerſis morborum generibus vexari: nec amplius remanſiſſe, quam qui ægrotis adminiſtrabant. Egreſſus itaque de ſpecu, ad Luxouium venit. Cumque omnes afflictos cerneret, imperat vt omnes ſurgant, atque ad meſſem in area virgas cædant. Surrexerunt ergo, quorum conſcientiam obedientiæ ignis vrebat, ad areamque venientes, virga meſſem cædere cum fidei gratia aggreſſi ſunt. Videns ergo pater fidem in filiis & obedientiæ gratiam abundare, ait: Sinite, inquit, feſſa ægritudine membra à labore reficere. Mirantur de ſoſpitate obedientes, nullo doloris veſtigio remanente, menſaſque parare iubet, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpantur deinde inobedientes, ignauia fidei arguitur, longitudo ægritudinis eis denũciatur. Mira vltio: nam ſupra metam anni inobedientes ægritudinis pœna ita vehementer exuſſit, vt vix mortem euaderent, impleueruntque menſuram pœnitentiæ de ſuſcepto inobedientiæ tempore.

Obedientiæ & inobedientiæ diuerſi effectus.

XVI. Interea tempus euenerat, vt copia ſegetum horreis conderetur, nec prorſus vis ventorum nubes compilare ceſſabat. Vrgebat ſane neceſſitas, ne maturæ meſſis ſpicæ in ſtipula germine miſſo perirent. Erat que vir Dei apud Fontanas cœnobium, vbi & meſſium copiam nouus ager locupletem tenebat. Irruebant enim ventorum flabra cum vehementia imbrium, nec omnino nubila cœli dare terris pluuiam quieſcebant. Quid inter hæc vir Dei ageret, anxio corde penſabat. Armauit mentem fides, docuit impetrare opportuna: accerſiuitque omnes, ac ſegetem præcidi iubet. Mirantur illi patris imperium, nec tamen quiſquam patri cogitatum depromit. Veneruntergo omnes, falceque inter diffuſiones imbrium ſecant ſegetem, patremque quid agat conſpiciunt. Ille autem quatuor plenos religione viros, per quatuor angulos meſſi præponit, Comininum & Eunocum, ac Aequonum, ex Scotorum genere, quartumque Gorgonum, genere Britonem. His ordinatis, ipſe cum reliquis meſſem medius præcidebat. Mira virtus: fugiebat imber à ſegete, & vndique pluuia diffundebatur: medios tamen meſſores ſolis ardor torrebat, æſtuſque vehemens, quouſque meſſem conderent, afflauit. Sic fides & oratio meruit, vt pulſa pluuia æſtum inter imbres haberet.

Fides eius quanta fuerit.

Aequonanum.

Gurganum

Inſigne miraculum.

XVII. Erat enim tunc temporis dux quidam, nomine VValdelenus, qui gentes quæ inter Alpium ſepta, & Iurani ſaltus arua incolunt, regebat: huic ſoboles nulla erat, vt Iuuencus de Zacharia & Eliſabeth ait, Gratius vt donũ iam deſperantibus eſſet. Hic cum coniuge ſua Flauia nomine, & genere & prudentia nobili, ad beatum Columbanum ex † Veſocionenſi oppido pergit, precantes ſimul, vt pro eis Dominum deprecaretur, dicenteſque ſe multis opibus eſſe ditatos, ſed cui hæreditatem poſt obitum relinquerent, hæredem non haberent. Quibus vir ſanctus: Si inquit, voti veſtri eſt, vt largitoris donum, eius nomini conſecretis, mihique ex lauacro ſuſcipiendum tradatis, pro vobis Domini clementiam implorabo, vt non ſolum eum, quem Domino voueatis, habeatis: verum quanta volueritis, poſt pignora ſuſcipiatis. At illi læto animo promittunt, ſe eius imperiis pariturros: tamen pro ipſis Domini miſericordiam non deſinat implorare. Spondet vir Dei muneribus plenus, ſe in promptu habere: tantum ne pacti fœdus ſtudeant violare. Mirum dictu, vix domum remeant, donum Creatoris aluo grauida, mater futura expectat. Editum autem puerum ad virum Dei defert, ſuis orationibus largitum munus demonſtrat, grates conditori agit, qui ſic ad petitiones famulorum ſuorum, quæſita dona largiatur. Quem vir ſanctus ſuis manibus receptum ſacrauit, ſacroque lauacro ablutum ipſe ſuſcepit: donatumque nomen imponit, matrique ad nutriendum reddit. Qui poſt aliquus, in eodem monaſterio ſapientia imbutus, Veſocionenſis Pontifex eſt præfectus, nunc vſque ſupereſt eandem cathedram regens. Qui poſt in amore beati Columbani, ex ipſius regula monaſterium virorum conſtruxit, quod Palatium nuncupant, ob veterum munimenta murorum. Addidit poſt eum bonitatis largitor famuli ſui promiſſum, alium filium Ramelenum nomine, qui nobilitate & ſapientia pollens, poſt obitum patris in eius honorem eſt ſuffectus: quamuis ſeculari habitu, tamen in Creatoris amore vigil. Nam & ipſe in amore beati viri, in ſaltu Iurenſi, ſuper Nouiſonam fluuiolum monaſterium ex eius regula conſtruxit, in quo † Agrium Abbatem præfecit: addiditque adhuc duas filias priſtino muneri, & ſeculo nobiles, & Chriſti timori deditos. Poſt iſta munera mater ipſorum Flauia, poſt mariti obitum, monaſterium puellarum conſtruxit in ſupradicta vrbe Veſocionis, & omni munimine robotans, multarum puellarum concionem adunauit. Tanta autem in eis viri Dei gratia flagrauit, vt omnia phaleramenta præſentis vitæ contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent.

† Veſontionenſi.

Sterili matronæ facilè obtinet fœcunditatem.

Donatiũ.

Veſontionenſis.

† Siagrium

XVIII. Hic vero aliqua inſerere nitimur, quæ licet parua hominibus videantur, erunt obtrectatorum latratibus patentia, Conditoris tamẽ largitio æquè in minimis, vt in magnis miſericorditer aſpirat: nec differt in modicis aurũ pietatis accommodare, ſicut in maximis exaudit vota petentis. Quadam etenim die, cum vir egregius Columbanus ad præcidendam meſſem cum fratribus penes Calmem, quam † Baniaricam vocant, veniſſet, & blando commodoque auſtro flante, falce ſegetem ſecarent, euenit vt vnus eorum Theodegiſus nomine, digitum falce præcideret, nec prorſus hæreret, præter paruæ pellis retentaculũ. Itaq; ſtantem vir Dei Theodegiſum cernens à longe, imperat vt cœptum opus cum ſodalibus perficiat. At ille rei geſtæ cauſam promit, celer autem ille ad ipſum properat, digitumque illitum ſaliua, priſtinæ ſtatim ſanitati reſtituit, imperatque vt celer ad cœptum opus vires augeat. Cœpit ergo cum gaudio geminare laborem, ac præ cæteris ad præcidendam ſtipulam vberis vrgere, qui dudum de præciſo membro animum mœroris ſubdiderat. Hæc nobis ipſe Theodegiſus narrauit, digitumque monſtrauit. Et in ſupradicto cœnobio Luxouio tale quid vice alia geſſit ſimile: Nam quidam presbyter ex parochianis, pater Boboleni, qui nunc Bobienſi cœnobio præeſt, VVinicoſus nomine, ad beatum Columbanum venit: eratque ille in ſaltu cum fratribus ob lignorum opportunitates parandas. Cumque ſupradictus † VVinicoſus ſuperueniſſet, mirantique aſpiceret, quanta vi truncum quercus cuneis arieteque patterent, elapſus è trunco cuneus, mediam frontem ſecauit, ac venarum profluas ſanguinis vndas produxit. Videns autem vir Dei Columbanus detectum os, ſanguinem fluentem, ſtatim in terram orans ruit, ſurgenſq; ſaliua illitũ, ſanũ reddidit, vt vix cicatricis veſtigiũ remaneret. Alia vice cum ad cibũ capiendũ veniret beatus Columbanus in ſæpe fato cœnobio Luxouio, tegumenta manuum, quæ Galli VVantos, id eſt, chirothecas vocat,

† Baniaricam.

Saliua ſanat digitum præciſum.

VVinicoſus.

† VVinocus.

Itẽ alterius graue vulnus.

veniret,& orationum ſuarum ſuffragium omni cum humilitate depoſceret. Sigebertus etenim, cuius ſuperius fecimus mentionem, apud [a] Victoriacũ villam publicã, quæ in ſuburbano Attrauienſis vrbis ſita eſt, [b] Hilprici germani ſui dolo, qui apud Turnacum oppidum tunc erat, quem Sigebertus vſq; ad interneeionem perſequebatur, interfectus eſt. Perempto itaq; Sigeberto, [c] Hildebertus filius eius regni ſceptra ſuſcepit annuente matre [d] Brunehilde. Mortuo deinde Hildeberto, infra adoleſcentiæ annos regnauerunt filii Hildeberti duo, Theodebertus & Theodericus, cum auia ſua Brunehilde. Regno Burgundionum Theodericus potitur, regnum Auſtraſionum Theodebertus ſuſcepit regendum. Theodericus ergo, quia in terminis regni ſui beatum Columbanum haberet, gratulabatur non minimè. Ad quẽ [a] cum ſæpiſſimè veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinatum adulteriis miſceretur, & non potius legitimi coniugii ſolamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumq; iam ad viri Dei imperium Regis ſermo obtemperaret, & ſe ab omnibus illicitis ſegregare reſpõderet, mentem [b] Brunehildis auiæ, ſecundæ vt erat Iezabelis antiquus anguis adiit, eamq; contra virum Dei ſtimulatã ſuperbiæ aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theodericum obedire. Verebatur enim, ne, ſi abiectis concubinis, Reginam aulæ præfeciſſet, & dignitatis atq; honoris ſui modum amputaſſet.

XIIX. EVENIT ergo, vt quadam die beatus Columbanus ad Brunehildem veniret (erat enim tunc apud [f] Brocoriacũ villam, cumq; illa eum in aulam veniſſe cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidiſſet, ſciſcitatur quid ſibi vellent. Cui Brunehildis ait, Regis ſunt filii, tu eos tua benedictione robora. at ille: Nequaquam [c] inquit, iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt. Illa furens, paruulos abire iubet. Egrediens ergo vir Dei regiam aulam, dum limẽ tráſiliret † fragor exortus, totã domũ quatiens, omnibus terrorẽ incuſſit: nec tñ miſeræ fœminæ furorem compeſcuit. Parat deinde inſidias moliri, viciniſq; monaſteriis pernũcios imperat, vt nulli eorũ extra monaſteriũ iter pandatur, neq; receptacula monachis eius, vel quæ libet ſubſidia tribuantur. Cernẽs aũt beatus Colũbanus regios animos aduerſũ ſe permotos, ad eũ properat, vt ſuis monitis miſeræ pertinaciæ in tantũ frangat: erat enim tunc tẽporis apud Spiſſiã villã publicã. Quo cũ iã ſole occumbente veniſſet, Regi nunciant virum Dei inibi eſſe, nec in regis domibus metari velle. Tunc ait Theodericus, melius eſſe virũ Dei opportunis ſubſidiis honorare, quam dominum ex ſeruorum eius offenſa ad iracundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna parare, Deiq; famulo dirigi. Itaq; venerunt, & iuxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidiſſet dapes & pocula cultu regio adminiſtrata, inquirit quid ſibi velint iſta. Aiũt illi, ſibi à rege eſſe directa. Abominatus autem ea, ait: Scriptum eſt, munera impiorum reprobat altiſſimus: non enim dignum eſt, vt famulorũ Dei ora cibis eius polluantur, qui non ſolum ſuis, verum etiam aliorum habitaculis, famulis Dei aditum denegant. His dictis, vaſcula oĩa in fruſta diſrupta ſunt, vinaq; ac ſicera ſolo diffuſa, & cætera ſeparatim diſperſa. Pauefacti aũt miniſtri, rei geſtæ cauſam Regi nunciant. Tunc ille pauore perculſus, cum auia diluculo ad virum Dei properat: precantur de commiſſo veniam, ſe in poſtmodum emendare pollicentur. His placatus promiſſis, ad monaſterium rediit: ſed polliciti vadimonii iura non diu ſeruata violantur: exercentur miſeriarum incrementa, ſolitoq; à Rege adulteria patrantur. Quo audito, beatus Columbanus literas ad eum verberibus plenas direxit, comminaturq; excommunicationem, ſi emendare dilatando non vellet. Ad hæc rurſum permota Brunehildis, Regis animum aduerſus beatum Columbanum excitat, omniq; conatu perturbare contendit: orabatq; proceres aulicos, optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarent. Epiſcopos autem ſolicitare aggreſſa eſt, vt de eius religione detrahendo, ſtatum regulæ, quam ſuis cuſtodiendum monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur aulici perſuaſionibus miſeræ Reginæ, Regis animum contra virum Dei perturbant, cogentes vt accederet, ac religionem probaret. Coactus itaq; Rex ad virum Dei Luxouium venit, conqueſtuſq; cũ eſt eo, cur à comprouincialium moribus diſcederet, & intra ſepta ſecretiora, omnibus Chriſtianis aditus non pateret. Beatus itaque Columbanus, vt erat audax atq; animo vigens, talia obiicienti Regi, reſpondit ſe conſuetudinem non habere, vt ſecularibus hominibus & à religione alienis, famulorum Dei habitationis pandat introitum, ſe & opportuna aptaq; loca ad hoc habere parata, quo omnium hoſpitum aduentus ſuſcipiatur ad hæc Rex: Si inquit, largitatis noſtræ munera, & ſolaminis ſupplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei reſpondit: Si quod nunc vſque ſub regularis diſciplinæ habenis cõſtrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuſcunque ſubſidiis, me fore à te ſcias ſuſtentandum: & ſi hanc ob cauſam tu hoc in loco veniſti, vt ſeruorum Dei cœnobia deſtruas, & regularem diſciplinam macules, ſcito tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demergendum. Quod poſtea rei probauit euentus: iam enim temerario conatu Rex refectorium ingreſſus fuerat. His ergo territus dictis, foras celer repedat. Duris poſt hæc viri Dei increpationibus Rex vrgetur. Contra quæ Theodericus ait: Martyrij coronam à me tibi inferendam ſperas: Non eſſe ait tantę dementiæ ſe, vt hoc tantum patraret ſcelus: ſed quæ ſunt potioris conſilii ſe agere, & vtiliora paraturum: vt quia ab omnium ſecularium moribus deſciſcat, qua venerat, ea via repedare ſtudeat. Aulicorũ ſimul conſona voce vota prorũpunt, ſe habere non velle his in locis, qui omnibus non ſocietur. Ad hæc beatus Columbanus, ſe dicit de cœnobii ſeptis non egreſſurum, niſi violenter abſtrahatur. Diſceſſit ergo rex, relinquens virum quendam procerem, nomine [g] Baudolfum. Is enim cum remanſiſſet, virum Dei à monaſterio pellit, & penes [h] Veſocionanſe oppidum perducit ad exulandum, quo ad vſque regalis ſententia, ex eo quod voluiſſet decerneret. Commorans ergo in ibi, audit carcerem eo in loco plenum eſſe damnatorum hominum, mortis damna expectantium. Ad quem vir Dei properat, ingreſſuſq; oſtium nullo obſtante, verbum Dei damnatis depromit: ſpondentque illi, ſi liberarentur emendaturos, & de cõmiſſa noxa pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus, poſt hæc miniſtro Domoali, cuius ſuperius fecimus mentionem, imperat, vt manu ferrum quo compedes irretiti erant, atque innexi, apprehendat ac trahat. Quod ille apprehẽſum trahit, & veluti frutex putrefactus, per partes comminuitur, egredique carcerem damnatos ſolutis compedibus iubet. Peracto autem Euangelici cultus officio, pedes lauit, linteoque abſterſit: imperatque deinde vt Eccleſiã petant, & commiſſi ſceleris pœnitendo, ac fletibus abluendo culpas lauent. Properantes ergo illi Eccleſiæ fores obſeratas reperiunt. Tribunus igitur militum cum vidiſſet virtute Dei per beatum Columbanum damnatorum compedes fractos, & vacuum ſibi tantummodo relictum ergaſtulum, inſequi calces damnatorum, ac ſi à ſomno excitatus cum militibus cœpit. Illi verò poſt tergum appropinquare ſatellites videntes, & fores Eccleſiæ obſeratas cernentes, gemina vallati anguſtia, virum Dei compellant vt eruantur. Ille autem anxio anhelitu ſurſum caput attollit, precaturque Dominum vt ſua virtute ereptos è ferro non ſinat denuo tradi ſatellitum nexui. Nec morata auctoris bonitas, fores firmis obſeratis clauſtris reſerat, atque in anguſtia poſitis aditum pandit, pernicique curſu ingrediuntur Eccleſiã. Fores autem poſt damnatorum introitum in oculis militum abſque humana manu obſerantur, ac ſi cuſtos vſu clauigero, perniciter & reſeraſſet & obſeraſſet. Perueniens ergo beatus Columbanus cum ſuis, ſimulque & tribunus cum militibus, fores obſeratas repererunt: Aſpaſiumque nomine cuſtodem quærunt, vt claues largiatur. Qui cum veniſſet, clauigeroque vſu fores reſerare voluiſſet, ait, ſe nũquam diligentius obſerata clauſtra inueniſſe. Nec quiſquam pòſt auſus eſt damnatis iniuriam inferre, quos diuina virtus eruerat.

XIX. POST hæc vir Dei cernens quod nullis cuſtodiis angeretur, à nulloque moleſtiam ſuſtineret: videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideoque omnes ab eius iniuriis ſegregabantur, ne ſocii culparum forent: aſcendit Do-

Sigiberti Regis cędes.
a Victoriacũ
b Chilprici
c Tornacũ.
d Childebertus.
e Brunechilde.
a S. Columbanus obiurgat Thedericum Regem.
b Ea re offenditur Brunechildis.
f Brocariacum.
c Prædicit filios Regis ad regnũ nõ peruẽturos.
† i. terræ motus.
Eccl. 34.
Reſpuit dapes à Rege miſſas.
Brunechildis altera Iezabel, Regis animũ in virũ Dei cõmouet.
Rex cũ eo expoſtulat.
Prædicit Regi ſuum interitum & totius propaginis eius ruinam.
g Budulphũ
Anno 612. expellitur monaſterio
h Veſoncionenſe.
Vinctos liberat S. Columbanus.
Magno miraculo fores tẽpli & patefcunt & clauduntur

minica die in verticem ardui cacuminis montis illius (ita enim ſitus vrbis habetur, cum domorum denſitas indiſtuſo latere procliui montis ſita eſt, prorumpunt ardua in ſublimibus cacuminibus, qui vndiq; abſciſſi fluminis † Douæ alueo vallante, nullarenus commeantibus viam pandit:) ibiq; vſq; ad mediam diem expectat, ſi aliquis iter ad monaſterium reuertendi prohibeat. Et cum nullus contrarius exiſteret, ipſe per mediam vrbem cum ſuis ad monaſterium regreditur.

† Doua.
Reuertitur ad monaſterium.

Quo audito Brunehildis ac Theodericus, quod ſcilicet ab exilio reuertiſſet, atrocioribus iræ aculeis ſtimulantur, iubentq; militum cohortem vt rurſum virum Dei abſtrahant, & priſtinum prorſus exilium reuocent. Venientes ergo milites cum tribuno, peragrant ſepta monaſterii, virumq; Dei perquirunt. Reſidebat autem ille in atrio Eccleſiæ, librumq; legebat. Vbi cum ſæpè veniſſent, & prope eum tranſirent, ita vt nonnulli in eius pedibus offenderent, & veſtimentis ſuis eum tangerent, ſed obcæcatis luminibus ipſum nequaquam viderent, erat ſpectaculum pulcherrimũ. Ille autem ouans cernebat quærentes, nec omnino videbatur. illi in medio eorum poſitum, cum viderentur ab eo, nõ videbant, venitq; tribunus, intuituſq; per feneſtram, virum Dei vidit inter ipſos læ[t]um reſidere & legere: cernenſq; virtutem Dei ait: Quid tam intentè atria Eccleſiæ peragratis, nec omnino reperitis? Nequaquam amplius inſaniæ errore cor veſtrum decipiatur: non enim vos poteritis eum inuenire, quem virtus diuina tegit. Redite ab hac intentione, & Regi properemus nunciare, quia eum minimè reperiſtis. Datur autem manifeſtè intelligi, tribunũ militum non ſpõtè ad parandum viro Dei iniuriam veniſſe, & ideo ad eum videndum lumen meruiſſe. Renunciantibus ergo illis auribus Regis, ille aut furore miſeræ intentionis, Berrharium Comitem ad eum requirendum aſſeclis virorum cum præſidio, ſimulq; & Baudolfũ, quẽ ſuperius dixexit, deſtinauit. Quo cum veniſſent, beatũ Columbanũ in Eccleſia poſitũ pſallentem, ac orationi deditum, cum omni congregatione fratrum reperiunt: ſicque virum Dei alloquuntur, Vir Dei precamur, vt tam regiis, quam etiam noſtris præceptis obedias, egreſſuſq; pergas eo itinere, quo primum his aduentaſti in locis. At ille, Non, enim, inquit, reor placere conditori, ſemel natali ſolo ob Chriſti timorem relicto, denuo repedare. Cumque nullatenus cernerent ſibi virum Dei obedire, relictis quibuſdam quibus ferocia animi fortior erat, Berrharius abſceſſit. Hi verò qui remanſerant, virum Dei hortantur, vt illis miſereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti, eorumq; periculo conſuleret, qui ſi eum violenter non abſtraherent: mortis periculũ incurrerent. At ille ait, iam ſæpius teſtatum eſſe, niſi vi abſtraheretur, ſe non diſceſſurum. Illi autem gemino vallati periculo, vndique vrgente formidine, pallium quo indutus erat, attingunt: alii genibus prouoluti, cum lachrymis precantur, vt pro tanti ſceleris culpa illis ignoſceret, qui non ſuis deſideriis, ſed regiis obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei periculum aliorum fore, ſi ſuæ ſeueritati ſatisfaceret, cum omnium eiulatu atque mœrore egreditur, deputatis à rege cuſtodibus, qui[g] quouſq; ditionis ſuæ regno pelleretur, non eum relinquerent, ſed pariter cum illo ambularent. Inter quos primus Ragamundus erat, qui cum vniuerſis fratribus velut funus ſubſequentibus, † Nammetis eum perduxit. Anxius itaq; pater tantorum membrorum diſpendio, cœlos reſpicit: Æterne inquiens Conditor rerum, tu nobis locum præpara opportunum, quo tibi tuæ famulentur in ſeculo plebes. Conſolatur deinde vniuerſam ſimul cohortẽ, vt ſpem non præpediant, ſed omnipotenti Deo immenſas laudes rependant: ſe hoc non diſpendium ſuum, vel ſuorum pati, ſed ob multiplicandas monachorum plebes hanc eſſe datam occaſionem: & quicunq; ſe ſequi velint, promptiſſimo animo ad ſuſtinendas iniurias conuenirent: qui verò in ſupradicto cœnobio remanere voluerint, ſecuri in hoc loco remanerent, cito Dominum de eorum mœrore vnctionem daturum. Sed[a] cum æquo animo de cuſtodia paſtoris ſegregari nollẽt, cuſtodes regis inquiunt, nequaquam hinc ſe ſequi alios permiſſuros, niſi eos quos ſui ortus terra dederat, vel qui è Britannicis aruis ipſum ſecuti fuerant, cæteros qui Gallico orti forent ſolo, præceptis eſſe regiis inibi remanſuros. At cum egregius pater cerneret vi à ſe ſua membra diſcerpi, iam ſuus quam etiam membrorum ſuorum dolor multiplicabatur: & pro tanti ſceleris pondere Dominum omnium conſolatorem deprecatur, vt quos à ſe regia pertinacia ſegregabat, ipſe ſua cuſtodia tueretur. Inter quos venerabilis vir, qui poſt in eodem monaſterio pater extitit [b]Euſtaſius, diſcipulus & magiſter ſancti viri, violenter auellitur, intendente ſuper eum † Nugetio auunculo eius, qui Lingononicæ Eccleſiæ pontifex erat. Egreſſus[c] ergo vir ſanctus cum ſuis, viceſimo anno poſt incolatum eremi illius, per vrbem Veſontionũ Auguſtudunumq;, ad Auallonem caſtrum peruenit. Sed priuſquam ad Auallonem perueniret, in via ei cuſtos equorum Theoderici occurrit, lanceaq; virum Dei traiicere voluit, ſed maleuolam animam vltio mox digna præuenit. Nam[d] dextera, quam aduerſum virum Dei leuauerat, torpente, lanceã ante pedes ſuos humo defixit: ipſeq; à dæmonio correptus, ante veſtigia viri Dei ruit. Quem ille cernens vltione diuina percuſſum, die illa noctéq; penes ſe tenuit. Cumq; ſequens rurſus dies illuxiſſet, ad ſe accerſiuit, Deoq; fauẽte curatus à peſte, ad propria remeauit. Deinde ad Caram fluuium properans, ad domum cuiuſdam nobilis & religioſæ fœminæ † Theodemãdæ peruenit. Quo cum [e]peruenisset, occurrerunt ei duodecim viri pleni rabido dæmone, furentes atque ruentes in terram. quos vir Dei protinus oratione curauit. Eadem autem die ad vicum, quem Coram vocant, venerunt: ibique quinque viri phreneſi vexati obuenerunt, vbi & mox ſanati ſunt. Et in † Autiſiodorum properauit, ibiq; allocutus eſt Ragamundum, quia ipſe eum via qua ibat, ducebat. [f]Memento, inquit, ô Ragamunde, quod Clotharium, quem nunc ſpernitis, intra triennium dominum habebitis, at ille: Cur inquit, talia domine mi, ais? ille que ait, Videbis prorſus, quæ dixi, ſi tunc vitam cum ſuperis feras.

Iterum quæritur ad exiliũ S. Columbanus & nõ videtur.
Alios mittit Rex.
[g]Producitur extra regnũ Theoderici S. Columbanus.
† Nannetes Nanci vulgo.
[a]S. Columbanus cogitur recedere à ſuis.
[b]Ab hoc Euſtaſio Itinerarium S. Columbani conſcriptũ, ex quo locus idem receperit tradit Bar ann. 612.
† Nicetio.
[c]Anno 612. vide Baron.
† Auallonẽ.
[d]Punitur ne certo ſancto viro parans
† Theudemanne.
[e]Dæmonia cos 12. & 5. phreneticos curat.
† Antiſiodorum
[f]Prædictio S. Columbani de regno Francorum:

XX. PROGRESSVS ergo exin ab † Autiſiodoro, conſpicit iuuenem à dæmonio correptum, pernici ex aduerſo currere curſu: 20. etenim miliaribus totis viribus cucurrerat. Quo viſo ſubſtitit, quouſque ſanctus homo dæmonis ante veniret: veniensque ante virum Dei ruit ſe diſcerpens. Quem vir Dei orationibus curauit, patrique ſoſpitem reddidit. Deinde ad Niuernenſe oppidum venit, cuſtodibus antecedentibus ac ſubſequentibus, vt Ligeris ſcapha reciperetur, Britannicoque ſinu redderetur. Vbi etiam cum veniſſent, & tardo conamine ſcapham inſilirent, quidam è cuſtodibus arrepto remo, vnum eorum qui Lua dicebatur, percuſſit virum ſanctiſſimum, & omni religione deditum. Vir autem Dei intuens ſua coram ſe membra cædi, Cur inquit, crudelis addis mœrori mœrorem? An non ſufficit ad veſtram ruinam patrati ſceleris malum? Cur feſſa Chriſti membra cædis? Cur contra mitem immitis appares? Cur ſæuitiam in manſuetos prætendis? Memento te diuina vltione in hoc loco percutiendum, in quo Chriſti membrum fatens percuſſiſti. Probauit autem illatæ ſententiæ pœnam, vltio mox ſubſecuta, nam vt ſubſequenti vice rediens ad eũdem portum tranſiturus venit, diuinitus percuſſus, in eodem eſt loco demerſus. Quid cauſæ fuit, vt iuſtus arbiter eandem vltionem in poſtmodum diſtuliſſet, niſi vt tunc ſancti obtutus, de vindicta eius nõ macularẽtur? Inde ad Aurelianenſem vrbem venerunt: quo cum nec aditum Eccleſiarum ſibi ex regiis præceptis pandi videret, cum grandi mœrore ſuper ripam Ligeris, tentoriis contentus paulisper quieſcit. Cumque iam ſumptuum neceſſariis indigerent, duos in vrbem direxit, vt neceſſaria quærerent: quorum vnus erat Potentinus nomine, qui adhuc ſupereſt, & in Armoricano loco, in ſuburbano Conſtantiæ vrbis monachorum cohortem adunauit. Sed cum luſtrantes vrbem illi nihil reperiſſent, quia regio timore omnium corda perculſa manebant, vis qua vrbem intrauerant, repedabant: obuiamque habent mulierem in platea ex genere Syrorum: quæ cum eos vidiſſet, ſciſcitata eſt qui nam eſſent. Illi rei veritate digeſta, aiunt ſe neceſſaria quæſiſſe, nec prorſus reperiſſe. Illa autem infit, Accedite domini mei, ad meatum famulæ veſtræ, & quæ ſunt neceſſaria vobiſcum vehite. Nam & ego aduena ſum, ex longinquo orientis ſolo. Illi enim ouantes, eam ſunt calce ſecuti, veneruntque ad domum eius: ſellaque poſita, quieuerunt donec detulit quod eis eſſet ad victum: etatque

† Antiſiodoro.
Dæmoniacum curat.
Maligno homini diuinã prædicit vltionẽ.
Hoſpitalitas mulieris Syræ.

tarque ſimul in conſeſſu vir eius, olim iam luminibus orbatus: de quo ſciſcitati ſunt, quis eſſet. Illa autem infit, Vir meus eſt ex eodem genere Syrorum, ſicut & ego, quem per multorum circulum annorum lumine priuatum traho. Illi inquiunt, ſi Chriſti famuli Columbæ obtutibus præſentaretur, eius interuentu orationum lumen poſſet recipere. At ille promiſſi muneris, fideique nexibus mentem roborat, ſurgen ſque, eorum eſt proſecutus cum duce veſtigia. Narrauit ergo Potentinus hoſpitalitatis munus in peregrinis. Nec prorſus verba impleuerat, cæcus aſtabat, precaturq; Dei virum, vt ſuis orationibus ei lumen reſtituat. Videns illius fidem, omnes poſcit vt pro cæco orent: pronuſque diu ſupra humum iacuit, ſurgenſque manu oculos attigit, ac poſt crucis ſignum poſtulatum lumen reddit. Gaudens ergo ille reddito lumine, domum remeauit, vt videlicet qui interiorem lucem non amiſerat, exteriori non careret. Sicque exinde turba obſeſſorum, quos dæmones horrido furore torquebant, ad virum Dei curandi gratia properabant, daturque ſalus largita à Domino omnibus per virum Dei beatum Columbanum. His namque virtutibus populus vrbis permotus, virum Dei ſuis facultatibus latenter atque honorificè fulciebat: non enim manifeſtè propter cuſtodes quicquam præbere audebant, ne regis iram incurrerent: deinde arreptum iter peragunt.

Signo Crucis & precibus reſtituit cæco lumen.

Dæmoniaci multi curantur.

XXI. NAVIGANTES ergo per Ligerim, ad Turonenſem perueniunt vrbem: vbi vir ſanctus cuſtodes precabatur, vt ſcapha portui appropinquent, ſeque ad ſepulchrum B. confeſſoris Chriſti Martini ire ſinant. Quod abnuentes cuſtodes, nauigare veloci conatu compellunt, remigeroſque vrgent, vt omni vir ute curſu celeri portum tranſeant: gubernatori imperant, vt medio fluminis alueo ſcapham teneat. Quod videns beatus Columbanus, mæſtos vultus ad cœlum erigit, compellans ſe tantæ mœſtitiæ ſubdi, vt ne ſanctorum ſepulchra viſere permittatur. Vrgentibus ergo omnibus, mox vt contra portum ventum eſt, velut quibuſdam anchoris defixis, ſcapha ſtare cœpit, & ad portum caput dirigere. Quod cum cuſtodes obſtare non valerent, inuiti ſcapham quo velit ire ſinunt: mirum in modum è medio fluminis chilos ad portum ceu pennigero volatu peruenit, portuque recepto viro Dei viam pandit. Gratias autem ille regi refert æterno, qui ſuis ſic obtemperare non dedignatur ſeruis. Egreſſus ſane ad ſepulchrum beati Martini confeſſoris Chriſti accedit, totaque ibi nocte in oratione excubat. Illuceſcente verò die, à Leupario vrbis illius Epiſcopo inuitatus ad eſum, ire non abnuit, præſertim ob ſuorum requiem fratrum, moratuſq; eſt eo die cum ſupradicto pontifice, qui cum hora refectionis cum eo ad menſam reſideret, interrogatus cur rurſò ad patriam repedaret? Reſpondit: Canis me Theodericus, à meis fratribus abegit. Tunc vnus è conuiuis, Chrodoaldus nomine, qui amitam Theodeberti regis in coniugium habebat, regi tamen Theoderico fidelis erat: hic viro Dei humili voce reſpondit, eſſe melius lac potare quam abſynthium. Cui vir Dei ait: Cognoſco enim te regis Theoderici fœderis iura ſeruare velle. At ille fatetur ſe fœdus fidei promiſſæ, quamdiu valeret obſeruare. Cui beatus Columbanus reſpondit: Si inquit, regis Theoderici vinctus es fœderi, amico tuo & domino lætus eris à me legatus directus. Hæc ergo eius auribus infer, & ipſum & ſuos liberos intra triennii circulum eſſe delendos, radicituſque eius ſtirpem Dominum eſſe eradicaturum. Cur inquit, ſupradictus vir, famule Dei talia promis? At ille, Non enim queo ſilere, quæ mihi loquenda Dominus tradit. Quod in poſtmodum omnes nationes Galliæ ſenſere impletum, confirmauitque hoc ſuperius ad Ragamundũ ſententia illata. Sublato deinde prandio, vir Dei ad ſcapham remeat, reperitque ſuos multa triſtitia depreſſos: inquirenſque inuenit præterita nocte, quæ in ſcapha habuiſſent, furto ſe perdidiſſe, ſimulque aureos quos in pauperes non erogauerat, furto ablatos, quo audito ad ſepulchrum beati Martini repedat, queſtuſque eſt ſe non idcirco ad eius excubias iſſe, vt ille ſua, ſuorumque ſineret damna parrati fratrum. Nec mora, is qui ſacellum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis, pœnaſque clamare & dicere, illo & illo in loco ſe aureos occultatos habere. Quod videntes ſocii omnes currunt, furtoque ſublata omnia reddunt: & virum Dei precantur, vt tanti ſceleris culpas ignoſcat. Quod miraculum omnibus terrorem incutit, vt deinceps quicunque iſta audiſſent, velut ſacrata omnia, quæ ad virum Dei pertinebant, attingere non auderent. Præbens itaque neceſſaria † Leuparius viro Dei valedicit. Nauali ergo itinere ouans vſque ad † Nammetenſe oppidum venit, ibique aliquantiſper commoratus eſt. Quo cum quadam die quidam egenus ante fores cellulæ, in qua vir Dei metatus erat, clamaret, illo vocato miniſtro, ait: Præbe cibos alimoniam petenti. At ille, Non eſt nobis panis, ait, niſi paululum tantum farinæ. At ille: Quantum inquit, habes? Teſtatus eſt ille amplius ſe non habere, vt rebatur, quam farinæ modium. Dicit ergo: Da totum, nec quicquam reſerues in craſtinum. Obediens autem miniſter, totum ſimul pauperi tribuit, nihil ad neceſſitatem communem reſeruans. Ieiunantibus ergo illis, tertia dies illuxerat, nihil penes ſe habentibus præter Spei & Fidei gratiam, vnde feſſis ieiunio membris ſubuenirent. Subito autem audiuit quendam fores ſigno terere: cumque oſtiarius ſciſcitaretur, cuius rei neceſſitas poſceret, ſono fragoris fratrum aures inquietari: is qui fores terebat, ait ſe à domini ſua Procula nomine, eſſe directum, quæ diuinitus admonita, vt ſumptus viro Dei Columbæ, atque comitibus eius, qui apud † Nammetenſe oppidum morarentur, dirigeret haberique in proximo: ſeque ideo præueniſſe, vt vaſa quo reciperentur, pararent, centum dicens modia eſſe vini, ducentaque frumenti, ſed & bracis centum modia: quod oſtiarius celeri curſu patri indicare properat. At ille, Sine inquit: fratrumque cœtum adunari præcipit, vt ſimul poſiti pro largitate Dominum precarentur, ſimulque grates referant Conditori, qui ſuos conſolari non deſinit famulos in omnibus neceſſitatibus, & poſt hæc munus oblatum recipiunt. O mira Conditoris pietas: egere ſinit, vt ſua dona egentibus largiendo demonſtret: tentari permittit, vt in tentatione ſubueniens, ſuorum in ſe corda vberius excitet famulorum: ſua membra ſæuis laceranda tradit, vt circa ſanandorum medicamina multiplicata dilectio confirmetur. Alia ſimul nobis fœmina & religioſa, nomine Dola, direxit ducenta frumenti, ac promiſcuè centum modia. Quæ cauſa maximam verecundiam, vrbis illius pontifici excitauit, nomine Soffronio: à quo cum nihil muneris impetrauiſſent, nec quicquam commutando capere potuêre. Ibi cum moraretur quædam mulier, dæmonis peſte plena, cum filia pridem tali atrocitate repleta venit. Quas cum Columba vidiſſet, communem pro eis Dominum exorauit, ſanitatique poſt redditas, metatui ſuo redire præcepit.

En quã ſere moleſte tantus vir non ſibi licere adire tumulum S. Martini.

Leuparius.

Rurſum Regi & liberis eius interitũ prædicit.

Nota quid poſſint ſanctiinuocati.

† Leuparius

† Nannetenſe.

Vide vt curæ ſint Domino fideles ſerui.

† Nannetenſe.

Duas dæmoniacas lauat.

XXII. POST hæc Soffronius † Nammetenſis vrbis Epiſcopus, vna cum Theodoaldo comite, iuxta regis imperium beatum Columbanum naue ſuſceptum, ad Hyberniam deſtinare properabant: vir autem Dei inquit: Si nauis, quæ finibus Hyberniæ reddatur, adeſt, omnem ſupellectilem, comiteſque ſuſcipiat: ego vero interim ſcapha recepta, Ligeris vnda vehar, quo vſque ad alta maris deferat, reperta ergo naui, quæ Scotorum commercia vexerat, omnem ſupellectilem, comiteſque ſuſcepit: Cumque iam remigera arte proſperantibus zephyris, nauis ad alta pelagi tenderet, vndarum moles obuenerat, nauemque ad litus redire coëgit, planeque terris ſalo depulſam reliquit. Collecto itaque fluctu in ſinus equorum quieuit, manſitque per triduum abſque vndis carina. Intellexit ergo dominus nauis, ob viri Dei ſupellectilem, comiteſque receptos ſe eſſe detentum. Fuit tandem conſilium, & reiecit omnia à nauis finibus, quæ ad virum Dei pertinebant. Nec mora, vndarum moles adfuit, carinamque ad alta prouexit. Mirantes itaque omnes, cognouêre non eſſe volũtatem Dei, vt retro amplius repedaret. Ad metatum ergo ſuum, quo prius fuerat, redit, nullo iam obſtante quo vellet ire: ſed magis prout quiſque poterat, virum Dei honoribus ac ſumptibus fulciebat. Nec defuit quicquam præſidii, dum in omnibus Conditoris manebat auxilium: quia prorſus nunquam obdormiet, qui ſub alarum ſuarum vmbra Iſrael degit. Sic nempe omnibus omnia largiendo demonſtrat, vt ab omnibus pro munerum ſuorum glorificetur largitione.

† Nannetenſis.

Vide hic miracula.

Nõ eſſe voluntatis diuinæ vt in patriam redeat, miraculo oſtenditur.

Pſalm. 120.

† Chilperici.
† Brunechildis.
Clotharius Rex honorifice illum excipit.
† Numen.
Prædicit vniuerſæ Galliæ futurum Regem Clotharium.

MORATVS ergo paululum ibidem, poſt ad Clotharium * Helperici regis filium, qui in Auſtraſijs Francis regnabat, in extrema Gallia ad Oceanum poſitis pergit. Porrò Clotharius audierat, quantis qualibusve iniurijs virũ Dei †Brunehildis ac Theodericus fatigauerant: quem cum vidiſſet, velut cœleſte munus recepit, ouanſq; precatur, vt ſi velit, intra ſui regni terminos reſideat, ſeq; ei, prout voluerit famulaturum. At ille, Nequaquam ait, his in locis ſe conſiſtere velle, vel ob ſuam peregrinationem augendam, vel illis inimicitiarum occaſionem ſedandam: Tenuit ergo eum Clotharius quantis potuit penes ſe diebus, caſtigatuſq; ab eo pro quibuſdam erroribus, quibus vix aula regia caret, ſpondet ſe Clotharius iuxta eius imperium omnia emendaturum. Erat enim Clotharius ſolers in amore ſapientiæ: inuictum ergo optatum † munus gratificabatur. Morante igitur eo penes Clotharium, lis oritur inter Theodebertum & Theodericum, diſceptantibus viriſque de regni termino: & vtriq; ad Clotharium legatos dirigunt, vterque aduerſus patrem auxilium poſtulat. Quod Clotharius beato Columbano inſinuare procurat, conſulens vt ſi videretur eius cōſilio, ſe vni conſentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille prophetico repletus ſpiritu ait, neutris eum fore parturum conſiliis, ſuam autem intra triennij tempus in ditionem, vtrorumque regna venire. Videns autem Clotharius à viro Dei talia ſibi prophetico ore dici, neutri parere voluit: ſed promiſſum ſibi tempus fideliter expectans, pòſt potitus eſt triumpho victoriæ. XXIII

Sæuiſſimũ dæmonẽ eiicit vir ſanctus.

POST hæc egit apud Clotharium vir Dei, vt ſibi ſolamen largiretur, quatenus per Theodeberti regnum ſi valeret, ad Italiam, Alpium iuga tranſcendens perueniret. Datis ergo comitibus, qui eum vſque ad Theodebertum perducerent, itinere arrepto, ad Pariſium vrbem peruenit. Quo cum veniſſet, occurrit ei homo in porta, habens ſpiritum immundum, debacchans ac diſcerpens & garrulans, querulo ſciſcitatur virum Dei affamine: Quid his vir Dei agis in locis? Raucoque anhelitu à longe beatum Columbanum venire iam dudum clamabat. Quem cum vir Dei vidiſſet, ait: Egredere peſtifer, egredere, nec corpora Chriſti lauacro abluta, diu obſidere præſumas. Cede virtuti Dei, & Chriſti nomine inuocato contremiſce. Sed cum diu ſæuis atriſque viribus obſtaret, vir Dei manum ori eius iniecit, linguamque attrectat, & in virtute Dei imperat, vt egrediatur. Tunc horrida vi diſcerpens eum, ita vt vix nexibus teneretur, cum viſcerum motione, ac vomituum motu progreſſus, tantum fœtorem adſtantibus dedit, vt ſulphureos ſe crederent facilius tolerare odores. XXIV

† Chagnericus.
Habes ea 3. April.
Magna vis benedictionis eius
† Briennenſem.

DEINDE autem ad Meldenſe oppidum properat: quo cum vir quidam nobilis, nomine † Channericus Theodeberti conuiua, vir ſapiens, & conſiliis regiis gratus, & nobilitatis ſapientia vallatus ineſſet: is virum Dei miro gaudio recepit, ſeque habere curam ſpondet, qualiter ad Theodeberti accederet aulam, non eſſe neceſſe alios comites è regio latere eum habere. Ad hoc enim aliorum differebat ſubſidium, vt virum Dei ſecum quamdiu valeret, teneret, & eius doctrinâ ſua domus nobilitaretur. Benedixit ergo vir Dei domum ſuam, filiamq; eius nomine Burgundoforam, quæ infra infantiæ annos erat, benedicens Domino vouit, de qua poſtea in ſubſequentibus narrabimus. Progreſſus autem inde, venit ad villam quandam Vulciacum, quæ ſupra amnem Matronam ſita eſt: ibi receptus eſt à quodam viro, nomine Authario, cuius coniunx Aiga dicebatur, erantque his filii intra infantiæ annos detenti: quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ergo ille matris fidem, infantulos ſua benedictione ſacrauit: qui poſt, mox vt pubeſcere cœperunt, Clothario regi primum, ac deinceps Dagoberto gratiſſimi habiti ſunt. Sed poſtquam ſeculi gloria fuerant illuſtrati, anhelare cœperunt, vt per gloriam ſeculi, non carerent æterna: quorum maior natu, Ado nomine, ſemet ſuis voluptatibus abdicauit, poſtq; intra Iurani ſaltus, monaſterium ex beati regula Columbani conſtruxit: iuniorque nomine Dado, intra † Briegenſem ſaltum, ſupra fluuiolum Resbacem, ex ſupradicti viri regula monaſterium conſtruxit. Tanta autem in viro Dei gratia redundabat, vt quoſcunque ſacraret, in boni cultus perſeuerantia dies ſuprema inueniſſet: illique iure dictum ſit, vt quos de induſtria monuiſſet, gauiſi ſint poſtea ſe impunitatem meruiſſe. Nec immerito tanti viri fultus adminiculo, paris gratiæ potitus eſt ſupplemento: qui eius doctrinis innexus, noluit à iuſtæ vitæ tramite deuiare. XXV.

Theodebertus Rex comiter eum excipit.
Moguntiã venit.
Ab Epiſcopo recipit omnia ſibi neceſſaria.
Sueuos idololatras ad Chriſtum conuertit.

EXINDE ad Theodebertum regem venit: quem cum Theodebertus vidiſſet, ouans ſuis ſedibus recepit. Iam enim multi fratrum poſt eum ex Luxouio venerant, quos ille velut ex hoſtium præda ereptos ſuſcipiebat: pollicituſq; eſt Theodebertus, ſe reperire intra ſuos terminos loca venuſta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximaſq; ad prædicandum nationes vndique haberi. Ad hæc inquit vir Dei, Si pollicitationis tuæ adminiculum præbes, & vadimonio falſitatis noxa non opponitur, aliquantiſper me commoraturum promitto, ac probaturum, ſi in cordibus gentium fidem ſerere valeam. Dedit ergo Rex optionem, vt quacunque in parte voluiſſet experimento quæreret locum, qui ſibi ſuiſq; placuiſſet: inquiſitumque locum inuenerunt, quem fauor omnium reddebat laudabilem intra Germaniæ terminos: Rheno tamen vicinum oppidum, olim dirutum, quod Brigantium nuncupabant. Sed quid tunc viro Dei, dum per alueum nauigaret, actum ſit, ſilendum non eſt. Dum quodam die per Rheni, vt diximus, alueum ſcapha veherentur, ad vrbem quam Mogontiacum veteres appellarunt, perueniunt: quo cum veniſſet, remigeri qui in comitatu viri Dei à Rege directi fuerant, viro Dei aiunt ſe habere amicos in vrbe, qui neceſſarios ſumptus præberent: iam enim defecerant longo itinere ſtipendia ſumptuum. Quibus vir Dei ait: Ite. Qui cum abiſſent, nihil repererunt: reuerſiq; viro Dei interroganti reſpondent, ſe nullatenus aliquid ab amicis impetrare potuiſſe. Ad hæc ille: Sinite me, inquit, ad meum abire amicum. Mirantibus illis vnde hic illo in loco, quo antea non venerat, amicum haberet, progreſſus ad Eccleſiam pergit: quam ingreſſus, pauimento inhærens, longæ orationis protractione ſuum Dominum pietatis poſtulat auctorem. Nec mora, Epiſcopus vrbis illius domo progreſſus ad Eccleſiã venit, repertumque beatum Columbanum, ſciſcitatur quis eſſet. At ille fatetur, ſe peregrinum eſſe, cui ille: Si, inquit, neceſſe eſt ſumptuum copiam capere, propera domum, & quantum neceſſe fuerit, tecum defer. At ille, cum gratias ſimul Conditori, qui ſibi hoc inſpirauerat, ac illi qui optatam neceſſitatis copiam offerebat, referret, attentius ille coëgit ac imperat, vt omnia opportuna ſumat: pueroſq; feſtinè ad nauem ipſe dirigit, vt omnes veniant, præter cuſtodem vnum dimiſſum, & quæque vellent, ſecum deportent. Quod ne cui caſu eueniſſe videatur, ſolitus erat poſtea idem Epiſcopus proteſtari, nunquam ſe antea ſic attentum in tribuendo neceſſaria fuiſſe: & ſe abſque alia opportunitate ob beati Columbani meritum, diuina admonitione ad Eccleſiam non veniſſe. Deinde autem ad deſtinatum perueniunt locum: quem peragrans vir Dei: Non ſuis placere animis ait, ſed tamen ob fidem in gentibus ſerendam, inibi pauliſper moraturum ſe ſpopondit. Sunt etenim inibi vicinæ nationes Sueuorum. Quo cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos ſacrificium prophanum libare velle, vaſque magnum quod vulgo Cupam vocant, quod viginti modia, amplius nec minus capiebat, ceruiſia plenum in medio poſitum. Ad quod vir Dei acceſſit, ſciſcitaturque quid de illo fieri vellent. Aiunt illi: Se Deo ſuo Vadono nomine, quem Mercurium, vt alii aiunt, autumant eſſe, litare velle. Ille autem peſtiferum opus audiens, vas inſufflat, miroque modo vas cum fragore diſſoluitur, & per fruſta diuiditur, vaſque rapido cum liquore ceruiſiæ prorumpit: manifeſteque datur intelligi, diabolum in eo vaſe fuiſſe occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas ſacrificantium. Videntes autem barbari ſtupefacti, aiunt magnum virum Dei habere halitum, qui ſic poſſet diſſoluere vas ligaminibus munitum. Caſtigatos itaque Euangelicis dictis, vt ab his ſegregarentur ſacrificiis, domum redire imperat. Multi enim eorum tunc per beati Columbani ſuaſum, vel doctrinam ad Chriſti fidem conuerſi, XXVI

baptiſmum

baptiſmum ſunt conſecuti: alioqui quos iam lauacro ablutos error detinebat prophanus ad cultum Euangelicæ doctrinæ monitis ſuis, vt bonus paſtor Eccleſiæ, ſin bus reducebat. Eo itaque in tempore Theodericus atque Brunchildis non ſolum aduerſus Columbanum inſaniebant, verum etiam & contra ſanctiſſimum Deſiderium, Viennenſis vrbis Epiſcopum aduerſabantur. Quem primo exilio damnatum, multis iniuriis affligere nitebatur: ad poſtremum vero glorioſo martyrio coronarunt: cuius geſta ſcripta habentur, quibus & quantis aduerſitatibus glorioſos apud Dominum meruit habere triumphos. Vagante itaque beato Columbano cum ſuis penes Brigantiæ vrbem, durum egeſtatis tempus obuenit. Sed quamuis alimoniæ deeſſent, manebat tamen intemerata atq; incõcuſſa fides, quæ neceſſaria apud Dominum impetraret. Cumque iam tridui ieiunio feſſa corpora ferrent, euenit tanta copia alitum, velut Iſraelitarum caſtra coturnix olim aperuit, ita vt omnem paginam loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit enim vir Dei ob ſuam ſuorumq; neceſſitatem, has dapes terræ diffundi, nec prorſus alibi obuenire, præter eo quo ipſe moraretur in loco. Iubet ergo ſuos prius grates laudeſque rependere Conditori, ſicque alitum dapes capere. Erat enim mirum & ſtupendum miraculum. Capiebantur aues, prout patris imperium vrgebat, nec abſcedere pennigera fuga nitebantur. Manſit ergo alitum manna per triduum diffuſa. Quarto deinde die, quidam Pontifex ex vicinis vrbibus, frumenti copiam diuina monitus aſpiratione beato Columbano direxit: ſed mox omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, vt ſatis adeps aduenit, alitum phalangas imperauit abire. Nam Euſtaſio hoc cognouimus referente, qui eo tempore inter reliquos, ſub viri Dei obediẽtia ibidem tenebatur adnexus, quod nullus in ea fuerit caterua, qui ante talium genera alitum ſe vidiſſe referret: & tantus ſapor in cibo aderat, vt regias dapes vinceret. O mirum diuinæ potentiæ donum, quando terrenæ dapes cultoribus Chriſti deſunt, tunc demum cœleſtia tribuuntur: ſicut de Iſrael dictum eſt, Panem cœli dedit eis: cum autem terrenæ opes ſubuenerint, tunc grates amouentur illatæ. Ipſo itaque tempore, cum ſub quodam ſcopulo, inter vaſta eremi ieiunio corpus conficeret, & nihil aliud præter ruris poma, quorum ſuperius fecimus mentionem, in cibos caperet, venit adſueta abditæ voracitatis vrſus, cœpitque neceſſarios delambere cibos, ac paſſim poma ore detrahere. Cumque hora refectionis aduenisſet, Magnoaldum miniſtrum direxit, vt conſuetam menſuram pomorum deferret. Qui cum abiiſſet, vrſum inter ruris frutices, ruboſque peruagari, ac poma lambendo carpere conſpexit: feſtinuſq; redit patrique indicauit. Ille autem imperat vt eat, partemque fruticum in cibos feræ dimittat, aliamque partem ſibi reſeruare iubet. Abiit ergo Magnoaldus, ac iuſſa patris impleuit: diuiſitque virga frutices, ruboſque quæ poma ferebant, & partem ſuam iuxta imperium viri Dei, ait, vt fera comedat, aliamque partem in vſus viri Dei reſeruet. Mira in fera obedientia. Nequaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſt carpere cibos: ſed in ſegregata & permiſſa ſibi fruticum parte, tantummodo pabula requiſiuit, quoad vſque vir Dei in eo loco commoratus eſt. Interea cogitatio in mentem ruit, vt Veneticorum, qui & † Sclaui dicuntur, terminos adiret, cæcaſque mentes Euangelica luce illuſtraret, ac ab origine per deuia oberrantibus, veritatis viam panderet. Cumque hoc votis patrandum ineſſet, angelus Domini per viſum apparuit, paruoque ambitu velut paginali ſolent ſtilo orbis deſcribere circulum, mundi compagem monſtrauit: Cernis, inquit, quod maneat totus orbis deſertus? Perge dextra læuaque qua eligis, vt laboris tui fructus comedas. Intellexit ergo ille, non eſſe gentis illius in promptu fidei profectus: quieuitque in loco, donec aditus ad Italiam viam pandat.

Brunechildis. S. Deſiderius Viennenſis Epiſcopus poſt exilium martyr effectus, ann. 612. vt habet Sigeb. in chron. & ex eo Baro. ann. vbi ſup. Num. 11. Diuinitus paſcitur cũ ſuis vir ſanctus. Pſal. 77. Vrſus obtemperat iuſſis viri Dei. † Potius Sclauorum qui in Venetiæ prouinciæ partib. degebant.

XXVII. INTEREA inter Theodericum Theodebertumque lis firmatur, ac quiſque aduerſus fratrem vſque ad internecionem deſæuit, vtriſque gentium robore ſuperbientibus: inter quæ vir Dei ad Theodebertum accedit, eique ſuadet, vt cœptæ arrogantiæ ſupercilium deponat, ſeque clericum faciat: & in Eccleſia poſitus, ſacræ ſubderetur religioni, ne ſimul cum damno præſentis regni æternæ pateretur vitæ diſpendia. Quod & regi & omnibus circumſtantibus ridiculũ excitat, aientes ſe nunquã audiſſe † merungũ in regno ſublimatũ, voluntarie clericũ fuiſſe. Deteſtantibus ergo omnibus, beatus Columbanus ait: Si voluntarius nullatenus clericatus honorẽ ſumit, in breui inuitus clericus exiſtit. His ergo dictis, vir Dei ad cellulã remeat, moxq; Prophetici dicti euentũ, res nõ diu dilata affirmat. Nec mora, Theodericus Theodebertũ ad bellũ prouocat, & propter Tullũ deuictũ fugit, poſtq; collecto exercitus robore perſequitur. Simili modo gentiũ multarum Theodebertus robore vallatus, ad Tulbiacenſe caſtrum pugnaturus occurrit: ibi prælio inito, innumeræ gentium phalanges ex vtroque exercitu perierunt, & victus tandem Theodebertus fugit. Eo igitur in tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantum vnius miniſtri Chagnoaldi famulatu. Ea hora ergo qua apud Tulbiacum commiſſum eſt bellum, ſupra quercus putrefactum truncum, vir librum legens reſidebat: quem ſubitus ſopor oppreſſit, & quid inter duos Reges ageretur, vidit. Moxque excitatus, miniſtrum vocat, cruentamque regum pugnam indicat, ac multum humanum ſanguinem fuſum ſuſpirat. Cui temerario conatu miniſter ait: Pater mi, Theodeberto tuis precibus præbe ſuffragium, vt communem debellet hoſtem Theodericum. Ad hæc beatus Columbanus ait: Stultum, ac religioni alienum conſilium adminiſtras. Non enim Dominus ita voluit, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit. Inquiſiuit ergo poſt miniſter temporis diem & horam, reperitque ita fuiſſe, ſicut viro Dei fuerat reuelatum. Perſecutus eſt ergo Theodebertum Theodericus, & ſuorum proditione captum, ad auiam † Brunehildem direxit: quem cum auia recepiſſet, quia Theoderici partibus * Brunehildis fauens erat, furens Theodebertum fieri clericum rogauit. At non poſt multos dies, impie nimis poſt clericatum perimi iuſſit.

† Merouingum. Vaticinium S. Columbani de Theodeberto Rege. Ann. 613. Theodebertus Rex à Theoderico ſuperatur. Vide Baron. ann. vbi ſup. Matth. 5. Theodeberti cædes.

XXVIII PORRO Theodericus penes Metenſe morans oppidum, diuinitus percuſſus, inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt: poſt quem Brunehildis filium eius Sigebertum in regnum ſuffecit. Itaque Clotharius memor Prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines regni, quæ ſuæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigebertus cum hoſtium cuneis pugnaturus aduenit, quem Clotharius captum peremit, fratreſque eius quinque Theoderici filios cum auia Brunehilde cepit, pueros ſeparatim peremit: Brunehildem vero primo ignobiliter camelo impoſitam, hoſtibus gyrando monſtrauit: poſtque indomitorum equorum caudis irretitam, miſerabiliter vita priuauit. Funditus ergo radicituſque deleta Theoderici ſtirpe, Clotharius potitus eſt trium regnorum ſolus monarchia. Quo facto beati Columbæ prophetia in omnibus impleta eſt, vno intra triennium cum omni ſtirpe deleto funditus, alio violenter clerico facto, tertio trium regnorum poſſeſſione ac dominatione dilatato.

Ann. 614. Theoderici dira mors, quẽ veneno ſublatũ à Brunehilde ſcribit Aimon. lib. 3. c. 100. Brunechildis horrenda ſupplicia.

XXIX BEATVS ergo Columbanus cum vidiſſet, vt ſuperius diximus, deuictum à Theoderico Theodebertum, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreditur, vbi ab † Egilolfo Langobardorũ rege honorifice receptus eſt, qui largita optione, vt intra Italiam, quocunque in loco voluiſſet, habitaret. Dei conſultu actum eſt, dum ille penes Mediolanum vrbem moraretur, vt hæreſis eorum fraudes, id eſt, Arrianæ perfidiæ, ſcripturarum cauterio diſcerpere ac diſſecare vellet: contra quos etiã libellũ florentis ſcientiæ edidit. Vir quidã nomine Iocundus ad Regem venit, qui regi indicat, ſe in ſolitudine ruribus Apẽninis baſilicã B. Petri Apoſtolorũ principis ſcire, in qua virtutes expertus ſit, fieri: loca vbertate fœcunda, aquis irrigua, piſcium copiam. Quẽ locũ veterũ traditio Bobium nuncupabat, ob riuum in eo loco hoc nomine fluentem: amnemq; aliũ profluentẽ, nomine † Treuiam, ſuper quem olim Hannibal hyemãs, hominum, equorum, elephantorum, atrociſſima damna ſenſit. Vbi cum vir Dei veniſſet, omni cum intentione baſilicã inibi ſemirutam reperiens, priſco decori renouans reddidit, in cuius reſtauratione mira Domini virtus panditur.

S. Columbanus in Italiã venit. † Agilulpho. † Trebiam. Reparat baſilicã ſemirutam.

Nam

IV. Tvnc profectus eſt Valerianus, & conuenienter ſignis, quæ accepit ab ipſa ſancta Cæcilia, inuenit ſanctum Vrbanum Epiſcopum: qui, cum ſecundo fuiſſet confeſſor, latebat occultus in ſanctorum martyrum monimentis. Cui quidem poſtquam dixit omnia, quæ dixerat Cæcilia, magno gaudio eſt affectus: & genibus humi flexis, & manibus in cælum extenſis, dixit cum lachrymis: Domine Ieſu Chriſte, paſtor ſancte & bone, Cæcilia tua ancilla, tanquam multis laboribus exercita agna, tibi eſt dedicata: quandoquidem ſponſum ſuum, qui perinde ac leo cohiberi non poterat, accepit, & erga te tanquam agnum reddidit manſuetiſſimum. Is enim niſi crediſſet, ad nos non veniſſet. Aperi Domine oſtium cordis eius verbis tuis: vt cum te cognouerit eſſe eius effectorem & Dominum, renunciet diabolo & operibus eius, & dolis eius. Hæc & his ſimilia orante ſancto Vrbano Epiſcopo, ſenex ante eum repente apparuit, indutus candidis veſtimentis ſicut nix, tenens in manibus tabellam, aureis inſcriptam literis. Quem cum vidiſſet Valerianus, ſtupefactus & cadens in terram, factus eſt tanquam mortuus. Tunc ſenex eum erexit, dicens: Lege, ô fili, contextum huius libri, vt dignus habearis, qui purgeris & videas Angelum, cuius conſpectum tibi virgo Cæcilia cum prompto animi ſtudio eſt pollicita. Tunc Valerianus defixis oculis, cœpit in eo legere. Erat autem hæc ſcriptura, quæ erat in tabella: Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma: Vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, Amen.

S. Vrbanus Pontifex.

Epheſ. 4.

V. Postqvam ergo hæc apud ſe legit, dixit ei Sacerdos: Credis, fili, hæc ita eſſe, an adhuc dubitas? Tunc Valerianus clamauit magna voce: Non eſt reuera aliud ſub cælo, cui verius credi poſſit. Poſtquam ergo hæc dixit Valerianus, ille ſenex ex eius oculis euanuit. Tunc S. Vrbanus, cum eum admonuiſſet, & catechiſmo inſtituiſſet, baptizauit eum in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: & cum eum docuiſſet omnem regulam fidei, dimiſit ad Cæciliam, eiiactis optime fundamentis. Cum autem veniſſet Valerianus in indumentis candidis, inuenit Cæciliam orantem in cubiculo, & Angelum Domini ſtantem prope eam fulgentem pennis flammeis, & ſcintillanti ſpecie, duas coronas habentem in manibus refulgentes, roſiſque & liliis ſplendentes. Quarum vnam quidem dedit Cæciliæ, alteram vero Valeriano, dicens: Has coronas corde immaculato & puro corpore cuſtodite: eas enim ex paradiſo Dei ad vos attuli. Hoc autem erit vobis ſignum: Nunquam marceſcent à vobis, neque vnquam amittent ſuauitatem odoris, neque vnquam poterunt ab aliis adſpici, niſi ab illis, quibus ſic placebit caſtitas, quomodo probatum eſt eam vobis placere. Et quoniam tu, ô Valeriane, aſſenſus es conſilio caſtitatis, me ad te miſit Dominus Ieſus Chriſtus, vt eam accipias, quam voles, petitionem. Ille autem cum audiiſſet: adorauit & dixit: Nihil mihi eſt in hac vita dulcius, quam chariſſimi & vnici fratris præſentia. Quamobrem merito arguar impietatis, ſi me liberato ab errore ſimulacrorum, fratrem meum maiorem deſpexero in periculo interitus. Hanc vnam ex omnibus propono petitionem, & ſupplex contendo, vt fratrem meum Tiburtium, ſicut me, dignetur liberare: & faciat nos ambos perfectos in confeſſione eius nominis. Cum hæc autem audiiſſet Angelus, læto vultu ei dixit: Quandoquidem à Chriſto petiiſti, quod eſt honeſtius, is Deum ſicut tu, colet. Quomodo enim te per ancillam Cæciliam lucrifecit Dominus, ita per te fratrem quoque tuum lucrifaciet: & cum ipſo venies ad certamen martyrii.

Valerianus à S. Vrbano baptizatur.

Videt Angelum Dei apud Cæciliam.

Sancta & honeſta Valeriani petitio.

VI. His ergo finitis ſermonibus, forma viſionis Angelicæ aſſumpta eſt in cælos: illiſque in Chriſto lætantibus, & in ædificatione ſancta loquentibus, acceſſit Tiburtius frater Valeriani: & ingreſſus, tanquam ſuam ſponſam, oſculatus eſt caput S. Cæciliæ, & dixit: Valde miror, hoc tempore hic roſas & lilia olfaciens. Nam ſi ipſas roſas & lilia tenerem in manibus, ne ſic quidem mihi poſſent præbere tam ſuauem odorem. Fateor vobis, ô chariſſimi, ita ego ad me redii, vt putem me totum repente eſſe renouatum. Dicit ei Valerianus: Bonum odorem accepiſti, ô frater, cum ego rogârim Deum, vt acciperes. Te autem iam credente, accipies etiam amaranthinam coronam incorruptionis, & lætari in ipſa roſea ſpecie, & mente eum percipere, † cuius in roſis ſanguis floret, & in liliis cuius corpus dealbat & anima. Habemus enim coronas, quas tui oculi non poſſunt percipere, igneo roſæ rubore & niuis candore refulgentes. Dicit ei Tiburtius: In ſomniiſne hæc audio, an veritate hæc dicis, ô frater Valeriane? Reſpondit Valerianus: In ſomnis hucuſque viximus, ô frater chariſſime. Nam iam Dei gratia & voluntate, ſumus in omni veritate, & non eſt in nobis mendacium. Dii enim, quos hucuſque coluimus, reuera ſunt mali dæmones, & immundi. Dicit ei Tiburtius: Quomodo hoc cognouiſti, ô frater? Reſpondit Valerianus: Angelus Dei me docuit: quem tu quoque poteris intueri, ſi fueris mundus ab omnibus ſordibus idolorum. Dicit ei Tiburtius: Si fieri poteſt, vt ego quoq; Angelum Dei intuear, quænam eſt mora purificationis? Reſpondit Valerianus: Nulla: hoc autem ſolum mihi pollicere, quod omnia execranda & abominanda ſimulacra abnegans, credis, vnum eſſe Deum in cælis. Dicit Tiburtius: Non intelligo, quonam ſcopo hæc mihi proponis.

† Christi in roſis ſanguis floreſcit, in liliis eius corpus albeſcit. [illegible]

VII. Dicit S. Cæcilia: Vt intelligas eſſe formas teſtaceas, & gypſeas, & ligneas, & æneas, & cuiuſvis metalli: & non dicas eos eſſe deos, in quibus viuunt araneæ, & volucres ſtercora egerunt: in quorum capitibus ſolent nidificare ciconiæ, quos faciunt condemnati, quando damnati propter maleficia mittuntur in metallum. Cum ergo initium accipiant ex condemnatis, quomodo exiſtimari poſſunt aut credi dii? Inter mortuos enim & ſimulacra, nulla eſt differentia. Quomodo enim mortuus habet quidem omnia membra: ſpiritum autem & vocem non poteſt habere, nec ſenſum: ita etiam hæc vana ſimulacra, deorum quidem habent nomina, cognoſcuntur autem eſſe infelicia, malaque & terreſtria. Quæ quidem oſtenduntur eſſe homines mortui, quoniam ſunt eis etiam membra, ſicut hominum. Quamdiu enim vixerunt, oculis adſpexerunt, & auribus audiuerunt, & pedibus ambularunt, & ore locuti ſunt, & manibus palpauerunt, & naribus olfecerunt: cœperunt tamen à morte, & in mortem æternam permanent, quod oſtendantur nunquam vixiſſe, vel potuiſſe viuere. Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione? Qui ſic non credit, eſt brutum, & non venit in iudicium. Quamobrem ego quoque dico cum omni veritate, non eſſe alium Deum, niſi Deum Chriſtianorum, & me deinceps eum ſolum colere & adorare. Hæc cum diceret Tiburtius, ſancta Cæcilia deoſculata eſt eius pectus, & dixit: Reuera hodie confiteor te eſſe plane meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit eſſe meum coniugem: ita etiam ſimulacrorum contemptio fecit te meum eſſe fratrem. Quamobrem quoniam es paratus credere in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vade cito cum tuo fratre; vt ipſam accipias purificationem per ſanctum baptiſmum: per quem etiam dignus habeberis angelicas perſonas intueri, & omnium delictorum tuorum veniam inuenire:

S. Cæcilia docet Tiburtium, vana eſſe ſimulacra.

Tiburtius credit in Chriſtum.

VIII. Tvnc dicit fratri ſuo Tiburtius: Rogo te, frater, vt mihi dicas ad quem me es deducturus. Valerianus reſpondit: Ad virum perfectum, nomine Vrbanum, in quo eſt ſpecies angelica, ornata canitie, verus ſermo, & inſignis prudentia. Dicit ei Tiburtius: Tu illum dicis Vrbanum, quem Chriſtiani dicunt eſſe ſuum Papam? Eum audio bis iam fuiſſe condemnatum, & rurſus propter eam ipſam actionem, propter quam fuit condemnatus, ſuam religionem cum metu latenter prædicare. Eum ſi contigerit inueniri, citra dubitationem vllam igni mandabitur, & nos quoq; cum eo puniemur, ſi inuenti fuerimus ad eum ambulantes: & dum diuinitatem quærimus, quæ latet in cælis, incidemus in iram, quæ accenditur in terra. Dicit ei S. Cæcilia: Si hæc vita eſſet ſola, & non eſſet alia, iure quæ hîc ſunt, timeremus perdere. Cùm autem ſit alia vita, quæ eſt hâc multo melior & ſublimior, & nunquam poteſt finiri, cur timemus hanc perdere, quando per huius amiſſionem ad illam accedimus? Reſpondit Tiburtius:

Vrbanus Papa Chriſtianorum.

Nunquam

Nunquam antea audiui eſſe aliam vitam, præter hanc. Dicit ei Cæcilia: Nunc hoc certo ſcias, ô chariſſime, quod quandiu in hoc mundo viuimus, vitam laborioſam & dolore plenam agimus, in anguſtiis & afflictionibus: quandoquidem inflammant humores, minuunt labores, valde exiccant febres, rheuma aſſidue inducit aër, cibi inflant, moleſta ſunt ieiunia, ludi diſſoluunt, curæ contrahunt, perdit negligentia, diuitiæ abiiciunt, expellit paupertas, elatos reddit iuuentus, incuruat ſenectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira, & inter hæc omnia mors excindit cum minis, & ſic imponit finem omnibus corporeis lætitiis, vt ab eo, quod eſt eſſe, recedens, ne fuiſſe quidem putetur. Pro nihilo enim de cætero habetur, quicquid non eſt. Illa autem vita æterna, hanc vitam caducam miſeramque & breuem excipiens, cum æternis afflictionibus & tormentis datur malis & iniuſtis: lætitia vero æterna & exultatio præbetur iuſtis.

Mala & incommoda huius vitæ.

IX. Ad hæc reſpondit Tiburtius, & dixit: Et quis eſt, qui illic fuit, & illinc huc veniens, hæc potuit nobis annunciare, vt hæc poſſimus vera eſſe credere? Tunc ſurgens beata Cæcilia, conſtitit, & cum magna ſic dixit audacia: Cæli & terræ & maris & omnium volucrum, quæ volant in aëre, quadrupedumque & reptilium creator, ex ſe, priuſquam omnia faceret, genuit Filium, & produxit ex ſua potentia Spiritum ſanctum: Filium, vt faceret omnia: Spiritum ſanctũ, vt viuificaret vniuerſa. Omnia autem quæ facta ſunt, conſtruxit Filius ex Patre genitus: & omnia quæ fuerant conſtructa, ex Patre procedens Spiritus ſanctus animauit. Dicit ei Tiburtius: Huc uſque dictum eſt, credi oportere vnum Deum eſſe in cœlis. Quomodo autem nunc tres teſtaris eſſe deos? Reſpondit S. Cæcilia, & dixit: Vnus eſt Deus in ſua virtute, quem ſic in ſancta Trinitate partimur, quomodo in vno homine ineſſe dicimus artem, memoriam, & intelligentiam: quoniam arte inuenimus, id quod non didicimus: memoria tenemus, quod docemur: intelligentia comprehendimus, ſi quid nos vnquam contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergo faciemus? Num hæc tria in homine vna poſſidet intelligentia? Si ergo homo in vna intelligentia poſſidet nomẽ trium ſignificatorũ: quomodo non Deus omnipotens, in vna & eadem diuinitate vim obtinet Trinitatis? Tunc Tiburtius, cum in terram cecidiſſet, cœpit clamare & dicere: Reuera, ô chariſſima, non mihi videtur lingua humana dare reſponſum: ſed coniicio Dei Angelum per os tuum eſſe locutum: & magnas egit gratias, quod citò vnum eſſe Deum in tribus perſonis, ei aperte probauerit.

Inſtruit Tiburtiũ Cæcilia in fide Catholica.

X. Conversvs itaque ad fratrem ſuum dixit: De vno Deo mihi fuiſſe ſatisfactum confiteor: ſed meam quæſtionem, ſicut prius inceperam, vellem ſcire. Dixit S. Cæcilia: De ea mecum loquere, quoniam breuitas temporis eſt fratri tuo impedimẽto, quo minus reddat reſponſũ. Me autẽ, quã Chriſti ſapientia docuit à teneris vnguiculis, de quacunque re me volueris interrogare, non poteris inuenire imparatam. Dicit ei Tiburtius: Hoc nuper quæſiui, & nunc quoque quæro, Quiſnam ex iis, qui illic ſunt, huc veniens, oſtendit nobis aliam vitam, quam vos prædicatis? Sancta dixit Cæcilia: Vnigenitum ſuum Filium Pater per ſanctam Virginem Mariam miſit in terram: qui ſtans in ſancto monte, magna voce clamauit, dicens: Venite ad me omnes populi, & ego dabo vobis vitam æternam. Concurrit autem ad eum omnis caro, omnis ætas, omne genus hominum. Tunc dixit omnibus: Pœnitentiam agite propter veſtram ignorantiam: quoniam appropinquauit regnum Dei, quod tollet regnum hominum. Suum autem regnum vult Deus diuidere iis, qui credunt: in quo ille exiſtit ſublimior. Illic ergo peccatores quidem conſummabuntur æternis doloribus & igne, qui nunquam terminabitur: Iuſti autem accipient lucem æternæ gloriæ, & gaudii, quæ nullum vnquam finem accipit. De cætero nolite, ô filii hominum, huius vitæ fugientem quærere lætitiam, vt lætitiam illius vitæ æternam poſſideatis, quæ hanc vitam excipit. In hac enim vita breue tempus viuitis: in illa vero, in omne æuum.

Matth. 4

Præmia impiorum & iuſtorum.

XI. Cvm hæc autem audiiſſent omnes populi infideles, vna voce dixerunt: Et quis illic fuit, & cum illinc huc veniſſet, potuit docere vera eſſe, quæ dicis? Tunc Dei Filius dixit eis: Si oſtendero vobis ſurrexiſſe mortuos, non creditis veritati? Vt autem dubitationis & ſuſpicionis nullum remaneret veſtigium, cum populis profectus eſt ad ſepulcra, & triduanis & quatriduanis & iam fœtentibus mortuis, quam amiſerant vitam, vt Deus reddidit. Tranſmiſit mare, ſuper fluctus ambulans non madefactis pedibus. Imperabat ventis, caſtigabat fluctus, & quæ excitabantur tempeſtates & tumultus, ſedabat. Cæcis viſum reddebat, aridas manus reddebat ſanas, claudis ingreſſum; mutis vocem reddebat, & ſurdis auditum. Paralyticos verbo curabat; leproſos dicto mundabat; infirmis medebatur, lunaticos reſtituebat, & dæmones fugabat. Sed cum mente capti & impii Phariſæi & Pontifices ei inuidiſſent, propterea quod populi, eis relictis, eius ſequebantur veſtigia, ſternentes veſtes ſuas ante pedes eius, & clamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini: in eum ira percití Phariſæi, cuidam Pilato Præſidi eum tradiderunt, vocantes eum magum & impium: & ſeditionem excitarunt in populo, vt eum cruci affigerent. Hoc autem ille præſciens, pro mundi ſalute permiſit ſe apprehendi & illudi, iniuriis affici, flagris cædi & occidi. Sciebat enim vt Deus, quod non aliter niſi per precioſam & intemeratam ſuam paſſionem, eſſet captiuum redditurus diabolum, maliſq; & immundis ſpiritibus malas inferret pœnas.

Miracula Chriſti.

Matt. 21.

XII. Propterea ergo ille fuit comprehenſus, qui peccatũ non fecit, vt liberaretur genus humanũ, quod detinebatur vinctũ in vinculo peccati. Qui eſt benedictus, fuit ſub maledicto vt nos à maledicto eximeret: ſuſtinuit illuſiones, vt nos liberaret ab illuſione dæmonum, qui verſantur in hoc mundo. Spineam coronam accepit in capite, vt capitalem tolleret ſententiam, quæ ex ſpinis peccatorum in nos lata fuerat. Fel in cibo accepit, vt dulcem primi hominis guſtum, vnde mors in mundum fuit ingreſſa, commutaret. Potatus eſt aceto, vt acrimoniam, qua noſter ſanguis ebulliit, in ſe ſuſciperet: & hunc bibit calicem paſſionis; qui noſtris debebatur vitiis. Nudatus eſt, vt noſtrorum parentum nuditatem, quam paſſi ſunt conſilio ſerpentis, niueis tegeret indumentis. In ligno fuit ſuſpenſus, vt ligni tranſgreſſionem, per paſſionem ligni Crucis ſuæ aboleret. Mortem ad ſe venire admiſit, vt ſecum luctantem ſauciaret, & regnum quod inuenit per ſerpentem, amitteret, & cum ipſo ſerpente ſauciata, per Chriſtum fieret captiua. Quamobrem omnia elementa cum vidiſſent ſuum effectorem ſublimè actum in crucem, magno metu contremuerunt. Nam ex vna parte mota eſt terra, & ex altera fracta ſunt templa & petræ, fugit dies, Sol fuit conterritus, & obſcuratus texit tenebris vniuerſum mundum: Luna ſuæ lucis ſplendorem nube cruenta operuit: Aſtra cæli luce reſplendentia, omnia ſimul ſunt mutata. Strıdet terra, & veluti pariens, cœpit multos ſanctos reddere ex ſepulcris; qui quidem hoc dabant teſtimonium, quod Seruatoris deſcenſus ad inferos, diſſoluit regnum diaboli, & mortuus mortem affecit ignominia, & percuſſam vinxit, & ſubiecit pedibus ſeruorum ſuorum. Illinc clarum eſt, quod pro nomine eius puniti gaudemus & gloriamur in perſecutionibus: quod hanc noſtram vitam, quæ ad tempus, & in quam cadit interitus, æterna & quæ nunquam deſinit vita excipit: quam Dei Filius, cum ſurrexiſſet à mortuis, ſuis oſtendit Apoſtolis, quibus adſpicientibus, aſſumptus fuit in cælos.

Exponit rationes eorũ, quæ Chriſtus paſſus eſt.

Matth. 27.

Actor. 1.

XIII. Hoc ergo ſi in trium conuentu oſtendiſſet, intelligentium cogitationes non poſſent dubitare. Quanto autem magis, quod non ſolum duodecim diſcipulis, ſed plus quam quingentis ſimul ſeipſum dignatus eſt oſtendere, ne veſtigium quidem relinquens vllius dubitationis? Illi autem, qui in his rebus teſtes fuerant ordinati, & in omnem mundum miſſi ad prædicandum, ſignis & magnis prodigiis confirmabant ſuam prædicationem. Nam & omnes infirmitates curarunt in eius nomine, fugarunt dæmones, & vitam reddiderunt mortuis. Nullam tibi arbitror remanere quæſtionem,

1. Cor. 15.

Miraculis Apoſtoli cõfirmarunt ſuam prædicationem.

ſtionem, niſi vt hanc vitam animo & corpore deſpicias, & illam vehementer & conſtanter inquiras. Nam qui credit in Dei Filium, & eius adhæret præceptis, quando morietur, eius corpus à morte nulla afficietur iniuria: ſed à ſanctis Angelis in vlnis excipietur, & in locum paradiſi abducetur. Hinc mors cum diabolo efficit, vt diuerſis plantationibus mentes hominum colliget, & in variis non animaduerſis neceſſitatibus occupet: & nunc quidem damni terrore afficit: nunc autem ad gulam excitat, * ex diuerſis abſtrahens ſtudiis, de hac ſola vita facit miſeros homines eſſe ſolicitos, vt ex corpore egredientes inueniat miſeros & nudos, & nihil ſecum portantes præter peccata. Hoc tibi paucis expoſui, ô chariſſime. Si quid autem tibi deeſſe exiſtimas, rurſus quære.

** & diuerſo genere ſuaſionis,*

XIV. Tvnc Tiburtius ad eius pedes prouolutus, dixit cum gemitibus fletuq; & lachrymis: De hac vita decætero ſi vel cogitatione exquiſiero, vel animo agitauero, in illa vita nunquam inueniar. Habeant ergo inſipientes lucrum præſentis temporis: Ego autem, qui in hodiernum vſq; diem vixi ſine ratione abſit vt ſine ratione decætero vitam agam. Et hæc cum dixiſſet, ad ſuum fratrem conuerſus, dixit: Miſerere mei, frater dilecte, & abrumpe tarditatem, quã tranſegi in ignorantia. Quocirca vereor moras. Pondus ferre non poſſum: rogo te, duc me ad hominem Dei, vt me perfecte purificatum, illius vitæ faciat participem. Tunc Valerianus deduxit fratrem ſuum ad ſanctiſſimum Papam Vrbanum, Cui poſtquam narrauit omnia, quæ dicta & facta fuerant, benigno Deo egit gratias. Acceptum autem cum omni gaudio & exultatione Tiburtium, cum admonuiſſet, catechiſmo inſtituiſſet baptizaſſet in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, iuſſit ſecum eſſe, donec ea deponeret, quæ recentis ſunt illuminationis. Quæ quidem cum perfecta fuiſſent eius doctrina, poſt ſeptem dies Christi miles ēreſtituit. Tantam aũt gratiam à Chriſto eſt conſecutus, vt ẽt Dei Angelos videret quotidie: & quæcunq; à Deo petebat, facile impetrabat. Sed quoniã lõgum eſſet omnia ordine exponere, qualia & quã multa fecit Dominus per eos admirabilia, cõueniamus ad glorioſas eorum perpeſſiones.

habeat Latini.

Tiburtius poſt catechiſmũ à S Vrbano baptizatur

** Turgius.*

XV. * Tvrcivs, qui etiam Almachius, cum eſſet præfectus vrbis, & ſanctos Dei martyres occideret quotidie, iubebat eorum corpora relinqui inſepulta. Tiburtius autem & Valerianus ad hoc operam quotidie adhibebant, vt ſanctorum corpora ad ſepeliendum componerent, & humi mandarent, eleemoſynis vacantes & diuino cultui. Cum ij ergo in eis verſarentur, quomodo ſolent boni odio haberi ab improbis, eos mali criminantur apud Almachiũ Præfectum vrbis, omnia referentes, quæ per ipſos Dominus faciebat in egenos: & quod improbe ac malitioſe, quos ille iubebat occidi, iſti mandabant ſepulturæ. Itaq; à militari cohorte comprehenſi, adducuntur ad Almachium Præfectum. Quos quidem Almachius his verbis eſt allocutus: Cum vos character nobilitatis gloria inſignes reddiderit, cur propter, neſcio quam religionem, vos ignobiles redditis & infelices? Nam veſtras facultates in neſcio quas abiectas perſonas audio vos erogantes conſumpſiſſe, & eos, qui caſtigati fuerunt propter ſua ſcelera, cum omni gloria mandare ſepulturæ. Quocirca licet ſuſpicari, vos eſſe initiatos iiſdem myſteriis, quibus ij, quos propter conuiuationem mandatis ſepulturæ. Reſpondit Tiburtius, & dicit Præfecto: Vtinam nos dignentur referre in numerum ſuorum ſeruorum, quorum tu nos coniicis eſſe ſocios: qui quidem reſpuerunt id, eſſe quod videtur & non eſt: & inuenerunt illud, quod videtur non eſſe, & eſt.

Execrtia SS Valeriani & Tiburtij.

Sancti martyres comprehenſi iudici exhibentur.

XVI. Almachivs Præfectus dixit: Et quid eſt, quod videtur eſſe, & non eſt? Dixit Tiburtius: Omnia quæ ſunt in mundo, quæ animas vocant ad mortem æternam per breuis temporis lætitiam. Dixit Almachius Præfectus: Et quid eſt, quod non videtur eſſe, & eſt? Tiburtius dixit: Vita, quæ futura eſt iuſtis: & ſupplicium, quod dabitur iniuſtis, ex vtraq; enim parte cognouimus verum, eſſe ea ventura: & in fauſta * diſtributione, quod oculis cordis noſtri cognoſcimus, id corporis noſtri oculis ſpectandum † referimus, vt * in noſtra conſcientia quæ ſunt bona, malis obumbremus rationibus. Dixit Præfectus Almachius: Non puto te mente tua loqui. Dixit Tiburtius: Non loquor mente mea: ſed illius, quem accepi in viſceribus mentis meæ. Dixit Almachius Præfectus: Nunquid noſti quod dicis? Dixit Tiburtius: Et noui, & didici, & credo, quod omnia, quæ à me dicta ſunt, permanent. Almachius Præfectus dixit: Ergo cur non intelligo, † quod ago, à quo hæc ſunt condita? Tiburtius dixit: Quoniam homo belluinus non ſentit, quæ ſunt ſpiritus. Spiritalis autem diiudicat omnia; ipſe vero à nullo diiudicatur. Tunc ridens Præfectus, iuſſit auferri quidem Tiburtium: coram eo autem ſiſti Valerianum. Cui etiam dixit: Quoniam non eſt frater tuus ſanæ cerebri, tu poteris reſpondere ſapientius. Dicit ei Valerianus: Falluntur aures tuæ, quoniam ſcopum noſtræ orationis non potes intelligere: Dixit Præfectus: Nemo ita errat, vt vos erratis: qui relictis neceſſariis numeris & reſponſis, malos ſequimini: quæ ſunt iucunda reſpuentes, lætitiam nihili facientes, & ea deſpicientes, quæ data ſunt ad vitæ alimentum, maxima beneuolentia illud complectimini, quod ſaluti inuenitis contrarium, & iis quæ ſunt iucunda, inimicum.

** diſſimulatione.*

† ſubducimus.

**, citra conſcientiã noſtram.*

† quo ordine proſequaris?

1. Cor. 2.

XVII. Ad hæc reſpondit Valerianus: Ludentes & ridentes, & in variis deliciis luxurioſe vitam agentes, vidi hyemis tempore per campos tranſeuntes. In quibus campis ſtabant agricolæ plantantes, palmites inſigentes, & ſpinoſos roſarum ramos ingenioſe toto animo componentes. Alij autem olmeta inſerentes: alij vero radicitus imbecilla excindentes, & quæ ſunt opera conuenientia, magno labore peragentes. Tunc illi, qui deliciis fruebantur & lætabantur, cœperunt eos, qui laborabant, ludificari & dicere: Miſeri & miſerabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite, & nobiſcũ lætantes, vos deliciis explete & libidinibus, & cur tanquã inſipientes duro labore diſſoluimini & in veſtræ vitæ tempora negotiis, quæ vos affligunt, conſumitis? Hæc dicentes, ſoluebantur in riſum, & dabant plauſum manibus, magnoque ſono eos cachinnantes irridebant. Hæc autem illis facientibus, pluuios hyemis menſes tranquilliſſima tempora exceperunt: & ecce pulchrorũ & variorum florũ fragrantibus omnis generis odoribus prata exornabantur, & molles botriorum ſeries producebant palmites, & è vario genere arborum rami ſtillantes melle fructus producebant: in quibus animaduertimus vſque in hodiernum diem abundare ſimul & gratiam, & fructum, & decorem. Tunc cum lætarentur illi, qui exiſtimabantur eſſe inſipientes, cœperunt lugere ij, qui exiſtimabantur eſſe * ciues: & qui erant glorioſi in ſua intelligentia, periẽrunt in acri ratiocinatione: & tandem ducti pœnitẽtia, inter ſe murmurantes & gementes dicebant. Hi ſunt, quos habuimus ludibrio: eorum laborem probrum exiſtimabamus: eorũ vitã nihili faciebamus, tãquã miſerabilẽ eorum figurã iudicabamus eſſe indignã, & intelligentiã eorum ſine honore. Ij autẽ inuenti ſunt intelligentes: & nos quidem probamur tunc fuiſſe miſerabiles, inſipiẽtes & ſtulti, quando neq; nobiſipſis operabamur: neq; iis, qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cum eſſemus in deliciis, eos valde irriſimus, & ipſos credidimus eſſe inſipientes, quos quidem nunc reſplendentes animaduertimus & florentes.

Valerianus eleganti ſimilitudine confundit iudicem.

** vrbani.*

Ita fere Sap. 5.

XVIII Ad hæc dixit Præfectus: Te quidem video eſſe ſapienter hæc perſecutum: ſed ad meum reſponſum non videris reſpondere. Valerianus dixit: Dixiſti nos eſſe ſtultos & inſipientes ꝙ facultates noſtras damus egentibus, proſelytos excipimus, viduis ſuppeditamus quæ ſunt neceſſaria, orphanis ſubuenimus, corpora inſepulta tegimus, & cum maximo honore celebramus martyrum depoſitiones. Nos autem inſipientes iudicaſti & delirantes, ꝙ cum iis qui lætantur, nõ lætamur, nec in deliciis viuimus, nec noſtras explemus libidines, nec illiberaliter ſumus laſciuis & impudicis oculis, oſtendentes nos eſſe liberos & ingenuos. Veniet tempus, quo accipiemus millecuplos fructus noſtræ afflictionis, & nobis lætantibus flebunt illi, qui nunc efferuntur lætitiis: eſt enim nunc tempus ſeminandi. Qui ergo in hac vita ſeminant, quæ ſunt ad tempus, lachrymas, in illa beata & æterna vita metent gaudium ſempiternum. Dixit Præfectus. Ergo & nos, & inuicti Imperatores luctum æternum habebimus: vos autem æternum gaudium poſſidebitis? Reſpõdit Valerianus: Quid enim eſtis vos, aut veſtri Imperatores? Impletoenim veſtro tempore in orientes, eo maiorem Deo

Præclara martyris ſententia

Pſal. 125.

eſtis reddituri rationem, quo vobis ab eo maior data fuit poteſtas. Dixit Præfectus Almachius: Quid in verbis voluendis immoramur? Aut dijs thus offerre, & illæſi recedite: aut male eſtis & acerbe morituri. Ambo reſponderunt & dixerunt. Nos nō dijs, ſed Deo quotidie offerimus ſacrificia. Dixit Præfectus: Quis eſt Deus, cui dicitis vos veſtrũ offerre ſacrificium? Sancti reſponderunt & dixerunt: Et quis eſt alius Deus præter ipſum? Cur de Deo nos interrogas? Eſt enim alius Deus, præter vnum? Dixit Præfectus: Quem vnum eſſe dicitis, eius nomē requiro. Dixit Valerianus: Dei nomen non inuenereris, etiamſi poſſis volare pennis. Dixit Præfectus: Iouis ergo nomen non eſt Dei? Dixit Valerian⁹: Eſt nomen corruptoris & adulteri, quem fuiſſe occiſorem veſtri authores memorant, & * accuſatorem noſtræ oſtendunt ſcripturæ. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominaſti, cum Deus dici non poſſit, niſi qui eſt ab omni peccato alienus, qui eſt etiam plenus omnipotentia. Dixit Præfectus: Ergo errat omnis mundus, & tu cum tuo fratre Deum verum cognouiſti? Dixit Valerianus: innumerabilis multitudo Chriſtianiſmi accepit ſanctitatem. Immo vero vos pauci eſtis, qui remanſiſtis tanquam ſciſſæ è naufragio tabulæ ad nihil aliud proficientes, niſi vt in ignē iaciamini.

* criminoſum, habēt Latini.

Valerianus dum virgis cæditur, mire exultat.

Tvnc iratus Præfectus, iuſſit eum cædi virgis. Ille autem confeſtim dum verberaretur, lætus cœpit dicere: Ecce hora, quam valde deſiderabam, & ecce dies omni feſto mihi iucundior. Dum beatus verberaretur, præco magna voce clamabat: Deos & deas noli maledictis inceſſere. Ille autem ad populum clamabat, dicens: Viri ciues Romani, videte, ne hæc plaga vos à veritate auertat, ſed ſtate fortiter, & deos lapideos & ligneos, quos colit Almachius Præfectus, in calcem conuertite. Nam omnes, qui eos colunt, erunt in afflictione & ſupplicio æterno. Tunc qui cum Præfecto conſidebat Tarquinius, qui etiam dictus eſt Laccas, Præfecto dicit in ſecreto: Inueniſti occaſionem domine mi: tolle eos quamprimum à terra. Nam ſi tardaueris, & de die in diem traxeris, omnes ſuas facultates deſtribuent pauperibus, & eis ſupplicio affectis, tu nihil inuenies. Tunc Præfectus, cum ei placuiſſet illius conſilium, iuſſit lictoribus, vt eos abducerent, vbi erat Iouis ſtatua, & iuſſit, vt niſi ambo vellent imagini Iouis ſacrificare, ſimul ſubirent ſupplicium capitis. Tunc venerandi & glorioſi Chriſti martyres Valerianus & Tiburtius abducti ſunt à Maximo Præfecti cubiculario in locum, qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus cœpit eos deflere, & dicere: O precioſa & florens iuuentus. O vinculum magnæ fraternitatis O par pulcherrimum & generoſum. Cur vos in malum & impium finem volentes voſipſos proiicere, & ad maximum tendere exitium, ita feſtinatis tanquam qui ad lætitiam, & magnificam & lautam cœnam vocemini? Tunc dixit Tiburtius: Nos ſi non vere didiciſſemus aliā eſſe vitam æternā, quæ vitā præſentē ſequitur, non gauderemus eam amittere. Dicit eis Maximus: Et quænam poteſt eſſe alia vita? Reſpondit Tiburtius, & dixit: Quomodo corpus induitur indumentis, ita etiam anima induitur corpore. Et corpus quidem tanquam ſemen terreſtre, per libidinem in terrenam matricem immittitur: genitum autem & nutritum, & lapſum in mortis interitum, & in puluerem conuerſum, tanquam Phœnix futuræ lucis ſpecie excitabitur. Anima vero ſi ſit ſancta, feretur in paradiſi delicias, vt florens in delicijs, expectet tempus ſuæ reſurrectionis. Dicit eis Maximus: Vellem ego quoq; hanc vitam reſpuere, ſi de ijs, quæ dicis poſſem fieri certior. Dicit et Valerianus: Quoniam dicis tibi nihil ſupereſſe, niſi vt probes vera eſſe, quæ tibi diximus: ea hora, qua faciet Dominus nos corporis tunicam exuere in glorioſa nominis eius confeſſione, aperiet Dominus oculos tuos, & faciet te adſpicere, cum quanta gloria illa vita redditur, ſi tamen promittas nobis, quod ex toto animo venies ad tui erroris pœnitentiam.

Sancti ad mortem feſtinant tanquam ad magnificā & lautam cœnam.

Tvnc Maximus anathemate ſeipſum deuouit, dicens: Flāmis ignis cōſumar, niſi ab hac hora illũ ſolum Deum cōfitebor, qui facit, vt poſt hanc vitam alia vita ſequatur, hoc mihi ſolũ vos oſtendite, quod eſtis polliciti. Et dicunt ſancti martyres Tiburtius & Valerianus: Iube lictoribus, vt nos in domum tuam abducant, & faciemus, vt illuc ad te veniat purificator: qui hac nocte, poſtquā fueris purificatus, faciet vt videas id, quod tibi promiſimus. Cū autē Maximus iuſſiſſet lictoribus, abduxerũt eos in domũ eius. Quorũ prædicatione ipſe Maximus cũ tota ſua familia & ipſis lictoribus crediderunt in Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ. Tunc ſancta Cæcilia venit ad ipſos noctu cũ ſacerdotibus, & fuerunt omnes baptizati in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Cum autē exoriens matutinũ, nocti finē dediſſet, magno ſilentio facto, dixit ſancta Cæcilia: Eſtote forti & magno animo, ô Dei milites: abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Pulchrũ certamen certauiſtis, curſum peregiſtis, fidē cōſeruauiſtis. De cętero proficiſcimini ad coronam iuſtitię, quam reddet vobis iuſtus Iudex: non ſolum autem vobis, ſed etiam omnibus, qui diligunt aduentũ eius. Locus autē, qui dicitur Pagus, erat ſitus quarto lapide ab vrbe Roma: ad quem erat tranſeundũ prope portam templi, vt quicunq; illac tranſibat, niſi Iouis ſimulacro thus offerret, puniretur. * Cum in eum autem locum veniſſent ſancti Tiburtius & Valerianus, precioſum thus obtulerunt, Deo offerentes ſuos accuſatores: & inflexis genibus, ſunt ęcæſi gladio, & amiſſo hoc caduco & mortali corpore, æternam & quæ non poteſt marceſcere, martyrij coronam accepēre. XXI.

Maximus & multi alij conuertuntur ad Dominum

Rom. 13.

2. Tim. 4.

* Vementibus ſanctis efferuntur thura. & recuſant. Recuſantes ponunt genua feriuntur gladio, ſic Latini.

Tvnc Maximus iurans dicebat: Vidi Angelos Dei tanquam ſolem reſplendentes, ea hora qua gladio ſunt percuſſi, & exeuntes eorum animas è corporibus, tanquam virgines è thalamo, Quas cum vlnis excepiſſent Angeli, ſtrepentibus alis ferebantur in cælum. Hæc Maximo narrante cum lachrymis, multi crediderunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & conuerſi ab errore ſimulacrorum, ſeipſos tradiderunt ſancto Vrbano ſuo magiſtro. Cum autem ad Almachium vrbis Præfectum veniſſet fama, quod Maximus cubicularius cum omnibus ſuis factus eſſet Chriſtianus, iuſſit eum tandiu verberari globis plumbeis, donec ſpiritum emitteret. Quem ſancta Chriſti martyr Cæcilia cũ poſuiſſet proxime ſanctos Dei martyres Tiburtium & Valerianum, depoſuit in arca, & iuſſit vt in arca eius inſculperetur Phœnix, ad oſtendendam eius fidem, qui ſe inuenturum eſſe reſurrectionem Phœnicis exemplo admiſerat. Facta eſt autem poſt hæc inquiſitio. Cœpit enim Almachius Præfectus Amborum fratrum quærere facultates, propter quas volebat etiam quærere ſanctam Cæciliam, vt Valeriani coniugem: & iuſſit eam apud ſe ſiſti. Quæ quidem poſtquam omnia, quæ ſuperfuerant ex eorum facultatibus, fideliter diſtribuiſſet pauperibus, cœpit ille vrgere, vt ea thus offerret. Tunc dixit miniſtris, qui eam vrgebant, vt hoc faceret. XXII.

S. Maximus globis plũbeis cæſus, emittit ſpiritum.

Avdite me, ciues & fratres: Vos eſtis miniſtri veſtri Præſidis, & videtur vobis, quod deſideratis eſſe alieni ab eius impietate. Mihi autē eſt glorioſũ & valde deſiderādũ, omnia pati gratia, pro Chriſti cōfeſſione. Nam cũ hac vita nunquā ſtatui vllā habere amicitiā. Sed ne ſitis de noſtra ſollicitudine, quā omnis eius eſtis experientia redditura. Facite ergo, quod ab iniquo Præſide eſt vobis imperatũ. Tunc illi cœperunt lamentari & conqueri, quod tā electa puella, & tā intelligens & nobilis, cuperet interfici: & eā rogabāt, dicentes, ne talē decorē amitteret, nec q; talem ſpeciē conuerteret ad mortem. Quibus flentibus & dolore vexatis ſic ſancta reſpondit Cæcilia: Hoc, ô fratres, nō eſt perdere iuuentutē, ſed cōmutare: Dare lutũ, & aurũ accipere: dare tabernaculum breue & miſerabile, & magnā ſpacioſamq; & amplā domũ accipere, ex lapidibus precioſis & auro ædificatā: dare angulũ tenebroſũ, & locũ accipere lucidũ, margaritis reſplendentē cæleſtibus: dare poſſeſſionē, quæ perit, & accipere poſſeſſionē, quæ non cognoſcit finē & ignorat mortem: dare lapidem miſerabilem, quem pedibus conculcaris, & accipere lapidē precioſum, qui forma reſplendet in regio diademate. Hodie ſi quis ſic offerat aureos, vt minimam nummorum quantitatem ex iis alacri animo proueniat accipiat: num vos quoq; libenter curreretis ad talem negociationem, & omnes parentes, & notos, & cognatos, dilectoſq; & propinquos, & amicos vobiſcum faceretis currere? Si quis autem vos currentes auerteret, dicendo vos inutiliter omnes veſtros nummos eſſe daturos, num eos eſſetis irriſuri vt ignorantes, & qui nihil cognoſcerent: vos autem ſęculi curreretis, quod cum precioſo auro eſſetis permutaturi ęs miſerabile, & non magni precij? Et vos quidem pondus pro pondere gauderetis accipere: Deus autem nō dat pondus pro pondere: ſed accipit ſimplũ, & reddit cētuplũ: prætereā vero vitā quoq; æternā. XXIII

S. Cæciliæ eximia virtus.

S. Cæcilia docet per mortē temporalē peruenire ad æternā vitā

Deus pro ſimplo reddit centuplum.

XXIII Cvm hæc autem dicta eſſent à beata Cæcilia, aſcendit ſupra petram, quæ erat prope pedes eius, & dicit omnibus: Creditis ea, quæ dixi vobis? Illi autem vna voce dixerunt omnes: Certe credimus in Chriſtum filium Dei, eum eſſe verum Deum, qui te talem habet ancillam. Dicit eis ſancta Cæcilia: Ite de cætero, & dicite infeliciſſimo Almachio, quod ego vnum donum peto, ne nimis acceleret meam decertationem. Ego autem faciam, vt in domum meam veniat ſanctiſſimus Papa Vrbanus, vt faciat vos omnes vitæ æternæ participes, & ſi. Dei prouidentia ego quoque conſummabor. Tunc cum in eius domum veniſſet ſanctiſſimus Papa Vrbanus, baptizauit pluſquam quadringentos, diuerſi ſexus, fortunæ & ætatis. Inter quos erat vir clariſſimus, nomine Gordianus. Is cum Papæ precibus domum ſanctæ Cæciliæ vocanit ex ſuo nomine, vt in occulto ex illo die, ex quo illic Chriſti peractum eſt baptiſma, fieret Eccleſia Dominica: adeo, vt ſanctiſſimus quoq; Papa Vrbanus illic occulte habitaret: indies autem Chriſti redemptionis lucra illic creſcerent, & diaboli eſſent damna innumerabilia.

400 baptizantur a S. Vrbano.

XXIV. Cvm hæc autem fierent, Almachius Vrbis Præfectus iubet coram ſe ſiſti Cæciliam: quam interrogans, ei dicit: Quod eſt nomen tuum, ô puella. Reſpondit ſancta: Cæcilia. Dixit Præfectus Almachius: Cuius es conditionis? Dixit Cæcilia: Ingenua ex clariſſimis. Dixit præfectus: Ego te rogo de religione, non autem de genere. Sancta dixit Cæcilia: Interrogatio tua ſtultum cepit principium, quæ duo reſponſa videtur elicere ex vna quæſtione. Dixit præfectus: Vndenam eſt tibi hæc fiducia? Reſpondit ſancta. Ex bona conſcientia, & fide non ſimulata. Dixit Præfectus: Ignoras quænam ſit mihi poteſtas? Dixit ſancta Cæcilia: Ignoras tu, quęnam ſit tibi poteſtas. Nam ſi tu me rogaueris de tua poteſtate, veris verbis tibi aperiam. Dicit ei Præfectus: Dic, ſi quid nôſti. Sancta dixit Cæcilia: Omnis hominis poteſtas eſt perinde, ac vter vento plenus: quem ſi vna acu pupugeris, omnis tumor eius cito flacceſcit. Quinetiam ſi quod in ipſo aliquid portare, inflectitur. Dixit Præfectus: Cœpiſti à contumelia, & perſeueras in contumeliis. Dixit ſancta Cæcilia: Non dicitur contumelia, niſi in eos, qui pauca peccant, non teneatur moderatio. Quamobrem vel doce contumeliam, ſi falſum ſum locuta: vel teipſum caſtiga, ſubeuntem iudicium. Dixit Almachius Præfectus: Ignoras, quod Domini inuicti Imperatores iuſſerunt, vt qui non negauerint ſe eſſe Chriſtianos, puniantur: qui autem negauerint, dimittantur. Dixit ſancta Cæcilia: Sic veſtri ſemper errant Imperatores, ſicut etiam veſtra celſitudo. Nam quæ ab ipſis proceſſit ſententia, vos quidem teſtata eſt eſſe impios, nos autem eſſe oſtendit innocentes. Si enim malum eſſet hoc nomen, nos quidem negauiſſemus. Vos autem, vt nos confiteamur, omnino coëgiſſetis. Dixit Præfectus: Propter pietate ſua hoc voluerunt ſtatuere, vt ſua benignitate vitam donando, vobis gratificentur. Dixit ſancta Cæcilia: Nihil eſt æque impium, nihil vero tam innocentiæ inimicum, * quam reis omnia inferre ſupplicia ad hoc, vt ſuam inquam teſtentur qualitatem: & de eorum in myſterio ſocius grauiſſimam habere quæſtionem. Nos autem quos innocentes cognoſcitis, nominis ſolum accuſatis. Sed nos, qui ſanctum nomen Chriſti cognoſcimus, id omnino negare non poſſumus. Eſt enim melius mori feliciter, quam viuere infeliciter. Nos enim vera dicentes, vos punimus, quibus eſt perſuaſum, vt falſum audiatis.

Conſtantia S. Cæciliæ.

* *quam vt reis omnibus tormenta adhibeantur Ad confitendum qualitatem ſceleris, locum, tempus, conſcios, ſocios omni examinatione perquiritur.*

XXV. Dixit Almachius Præfectus: Elige tu vnum ex duobus: aut ſacrifica, aut nega te eſſe Chriſtianam, vt delicti tibi detur venia. Tunc dixit ridens ſancta Cæcilia: O Iudicem pudore neceſſitato affectum! Vult me negare, & eſſe me innocentem, vt ipſe me faciat crimini obnoxiam. Si vis accuſare, cur me adhortaris, vt negem? Si autem vis abſoluere, cur non vis inquirere? Dixit Præfectus Almachius: Adſunt accuſatores, qui teſtantur te eſſe Chriſtianam. Si ergo quamprimum negaueris, impones finem eorum accuſationibus. Si autem noluerıs negare, hoc tuæ imputabis amentiæ, quando in te lata fuerit ſententia. Dixit ſancta Cæcilia: Eorum accuſatio eſt mihi deſideranda, & punitio tua eſt victoria. Noli me ergo corrigere tanquam errantem: ſed teipſum increpa, qui exiſtimas fore, vt Chriſtum negem. Dixit Præfectus: Miſera, neſcis vitæ & necis poteſtatem mihi datam eſſe ab Imperatoribus? Cur loqueris cum tanta ſuperbia? Dixit ſancta: Alio modo licet dicere ſuperbum, & alio confidentem. Ego confidenter, non autem ſuperbe, ſum locuta. Nam nos quoq; valde reſpuimus ſuperbiam. Tu autem ſi non times audire veritatem, rurſus docebo te nunc falſa eſſe locutum. Dixit Almachius Præfectus: Quidnam falſi es in nobis aſſecuta? Dixit ſancta Cæcilia: Hoc, quod affirmas tuos Imperatores tibi dediſſe vitæ & necis poteſtatem. Dixit Præfectus: Ergo ſum mentitus? Sancta dixit Cæcilia: Reuera, ſi iubeas, falſum te dixiſſe oſtendam. Dixit Præfectus: Dic. Sancta dixit Cæcilia: Dixiſti tuos Imperatores tibi dediſſe poteſtatem vitæ & necis. Cognoſce namq; tibi ſolum eſſe datam mortis poteſtatem. Nam vitam quidem potes à viuis tollere: mortuis autem non potes dare vitam. Dic ergo, quod Imperatores te voluerunt eſſe miniſtrum mortis. Nam ſi tu amplius dixeris, deprehenderis falſa dicere, & quæ non poſſunt conſiſtere. Dixit Præfectus Almachius. Ne ſis verboſa, ô mulier: ſed de cætero tuam depone audaciam, & veni, & diis ſacrifica. Dixit ſancta Cæcilia: Neſcio, vbinam tuos oculos amiſeris. Nam quos tu dicis deos, ego & omnes, qui ſunt ſanis oculis, videmus eſſe lapides, & æs, & plumbum. Dixit Præfectus: * Contumelias affinis religionem deſpectans philoſophis, non poſſum autem ferre deorum contumelias. Dixit ſancta Cæcilia: Ex quo os aperuiſti, nullum verbum feciſti, quod non te oſtenderet iniuſtum, inſipientem & ſtultum. Sed enim quidnam hoc eſt, quod externis oculis te eſſe cæcum oſtendis, quando quod omnes lapidem eſſe adſpicimus, & lapidem inutilem, tu deum eſſe teſtaris? Do tibi, ſi iubes, conſilium: & eum tanges, diſce eſſe lapidem: ſi non nôſti, id adſpiciens: eſt enim dedecus, à toto te ridere populo. Omnes enim ſciunt Deum eſſe in cælis: hæc autem, vt quæ ſint formæ lapideæ, per igne poſſe melius mutari in calcem, quæ nunc ſuo otio pereunt, & neq; tibi, ſi ſimul pereas, neq; ſi in ignem coniectæ fuerint, ſibi poterunt ſubuenire.

Punitio, Chriſtianorum victoria eſt.

Conuincit Præfectum mendacij.

* *Meas iniurias philoſophando contempſi, habent Latin.*

XXVI. Tvnc valde iratus Almachius, iuſſit eam reduci in domum ſuam, & illic balnei flamma torreri. Cum autem eſſet in aëre balnei ſui incluſa, & ſubtus toto die & nocte magna vis ardentis ligni adhiberetur, tanquam in loco refrigerato illæſa permanſit: & ſalua, Domini gratia: adeo, vt nulla pars omnino ex eius membris vel minimo ſudoris ſigno fuerit humectata. Quod cum audiuiſſet Almachius Præfectus, illuc mittit ad ipſam, vt in ipſis balneis ei caput amputaretur. Quam ſpeculator [a] tribus percuſſit ictibus, & nō potuit ei caput amputare. Sic autem eam ſemiputato capite ferus & crudelis ille lictor reliquit: adeo vt omnes turbæ, quæ per illam crediderant, ſanguinem in linteis tanquam ſpōgiis hauſerint. Tribus autem, quibus ſuperuixit diebus, non ceſſauit omnes, quos aluit & quos docuit, confirmare & corroborare in fide Domini. Quibus etiam diſtribuit omnia, quæ habebat, & ſanctiſſimo Papæ Vrbano commendauit. Cui etiam dixit: Trium dierum mihi tam petini terminum, vt tradam hæc tuæ ſanctitati, & hanc domum meā in ſeculum Eccleſiæ nomine conſecres. Impletis autem tribus, & Deum precante beata Cæcilia, cum eſſent adhuc preces in ore eius, tradidit [b] precioſam & ſanctā ſuam animam in manus Dei viuentis, menſis Nouembris xxij. Tunc ſanctiſſimus Papa Vrbanus, cum glorioſum eius corp⁹ ſubtuliſſet noctu cum Diaconis, ſepeliuit ipſum inter alios collegas ſuos Epiſcopos, vbi ſunt omnes confeſſores & martyres depoſiti. Eius autem domum in æternum conſecrauit nomine ſanctæ Eccleſiæ, & illic perpetuo peraguntur ſancta Domini myſteria vſq; in hodiernum diem in memoriam quidem martyris, gloriam autem & laudem magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria & potentia nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Nihil læditur ab igne. De hoc ſupplicij genere nobilioribus inferri ſolito cōſule Bar in notis Martyrol. 22. Nouembr. lit. A.

[a] Tertiò ceſa in capite, triduo ſuperuixit.

[b] Obijt ...

DE INVENTIONE CORPORIS S. CAECILIAE ET SOCIORVM MARTYRVM, A PASCHALI PAPA ANNO 821, VT SCRIBIT SIGEBERTVS IN CHRONICIS, FACTA, EIVSDEM PASCHALIS PP. LITERÆ Apoſtolicæ, quas recitat Baronius tomo 9. Annalium Conſentit his Anaſtaſius Bibliothecarius eius ſeculi ſcriptor, qui ex his literis hiſtoriam hauſit, habes eam apud Baron. anno vbi ſupra.

* conamen.

CVm ſummæ Apoſtolicæ dignitatis apex in hoc diuino perſpectus nitore dignoſcitur perfulgere, cũ in I.
exercendis, Dei laudibus impẽſius ſtudebit exhibere * certamen: Ad hoc & iniũcta nobis eiuſdẽ Apo-
ſtolicæ paſtoralis cõpulit ſolicitudinis cura, quæ ad ſtabilitatem piorũ pertinere dignoſcitur locorũ,
vberrimũ promulgare, & Apoſtolicæ inſtitutionis cenſura confirmare. Et quia conuenit noſtro Apoſto-
lico moderamini, vt diuerſa corpora Sanctorũ quæ diu inculta iacuerũt, cũ ſumma vigilantia ob ho-
norem omnipotentis Dei intra huius almæ Vrbis clauſtra honeſte congregare, inter quos & corpus beatæ Cæciliæ
Martyris, peruigiles omnino inquirere deberemus: Et quia iam dudũ fama inter quoſdam vulgauerat, q; eiuſdem
B. Cæciliæ corpus ab Aiſtulpho Longobardorum Rege furtim fuiſſet ablatum: idcirco pene obliuionis obrentu
poſtponere credebamus. Vnde tamen Domini annuente clementia, quadam die dum ante Confeſſionem B. Pe-
tri Apoſtoli pſallentium, matutinali luceſcente Dominica, reſidentes obſeruaremus harmoniam, ſopore in al-
quo corporis fragilitatem aggrauante, aſtitit nobis puella pulcherrima, virginali aſpectu & habitu decora. Et ta-
* certamen. lia nobis, intuens, ait: Multas tibi gratias referimus, quod * cunctamen, quod in medium appoſueras, fruſtratoriis
relationibus peruulgatus, ſine cauſa reliquiſti: quia tanto penes me appropinquaſti, quod ore proprio loqui com-
muniter valeremus.

*præſumendo. Et dum à nobis diligenter interrogata fuiſſet, tu quis es, & quod eſt nomen tuum, quæ talia, me * præmo- II.
nendo conaris: Reſpondit. Si de nomine quæris, Cæcilia, inquit, famula Chriſti vocor. Cui ſubiungens dixi: Quo-
Se prodit Cæcilia Paſchali. modo hæc credere poſſumus, cum olim fama relatum ſit, quod idem ſacratiſſimæ Martyris corpus à Longobardis
inde fuiſſet ablatum? Quæ ita reſpondens dixit: Veritas eſt, quòd me multum deſiderauerunt, & quæſierunt, ſed
gratia Dñæ meæ ſemperq; Virginis Dei Genitricis Mariæ affuit, quod nec me inuenire, nec me deportare, ſicut volue-
* perage. rant, hinc longius potuerunt. Sed ſicut cœpiſti, * perge, & ſicut operaris, indeſinenter operare, quia omnipotenti
Deo me tibi placuit reuelare. Et corpus meum cum aliis corporibus ſanctis quæ ſunt iuxta me recondita, in Titu-
lo quem nuper reparari mandâſti, recondere ſtude intra muros Vrbis. Et hæc dicens, abſceſſit.

Corpus S. Cæciliæ inuentum. Tvnc etenim pro huius reuelationis manifeſtatione, omni poſtpoſita difficultate, incunctanter, & abſq; III.
ambiguitate ipſius venerabilis virginis corpus inquirendũ decreuimus. Qui & annuente Deo, eiuſq; ſolito ad-
iuuamine properantes in cœmeteriũ S. Sixti ſeu Prætextati, ſitum foris portam Appiam (ſicut in ſacratiſſima illius
paſſione manifeſte narratur) inter collegas Epiſcopos in aureis indumentis cum venerabili ſponſo reperimus. Vbi
& linteamina, cum quibus ſacratiſſimus ſanguis eius abſterſus eſt de plagis, in quibus ſpiculator trina percuſſione
*inceſſerat. crudeliter ſe * geſſerat, ad pedes beatiſſimæ Virginis in vnum reuoluta, plenaq; cruore inuenimus. Quæ omnia no-
*pertractantes. ſtris manibus * attrectantes, cum venerabili corpore honeſte intra muros huius Romanæ vrbis induximus.

*deuotione. Pro cuius deſiderabili * dilectione Titulum, quem piæ deuotionis affectu S. Papa primus Gregorius do- IV.
ctor eximius dicauerat, laxatum exiſtẽtem, Dei annuente clementia, in meliorem ſtatum à nouis fundamentis fe-
cimus reſtaurari, & ad honorem omnipotentis Dei eiuſdem Virginis corpus cum cariſſimo ſponſo atq; Tiburtio
Titulus reſtauratus & Maximo Martyribus, necnon Vrbano & Lucio, vtriſque Pontificibus, ſub ſacro altari beati Andreæ Apoſtoli
dedicantes collocauimus.

Ann. 80. VITA S. CLEMENTIS MARTYRIS, EPISCOPI ROMANI, DISCIPVLI S. PETRI APOSTOLI: EX SIMEONE METAPHRASTE, TOMO 5. ALOYSII. HABES HVIVS HISTORIÆ ASSERTOREM GREGORIVM Turonenſem lib. de glor. mart. c. 35 & 36. qui ante 1000. propemodum annos ex ea ſcribebat.

23. Nov.

TRAIANI Imperatoris tempore, Torcurianus Comes officiorum, cum innumerabilem multitu- I.
dinem Chriſto vidiſſet credere, acceſſit Præfectos regionum, & datis eis pecuniis, perſuaſit, vt tur-
bam mouerent aduerſus nomen Chriſtianum. Vrbis autem Præfecturam obtinente Mamettino,
Anno 100. Seditio populi aduerſus S. Clementem. excitata eſt populi Romani ſeditio nomine Clementis: & exorta inter ſe inuicem confuſione, alius
aliud in ipſum dicebat. Aliqui autem contra dicebant. Quid enim mali fecit? aut quid non boni re-
cte geſſit? Nam quécunque ægrotorum viſitauit, is ſanitatem ab eo eſt conſecutus. Quicunque ad eum abijt affe-
ctus triſtitia, is lætus eſt reuerſus. Nullum vnquam læſit, omnibus vero profuit. Alij autem diabolico ſpiritu accẽſi,
clamabant: Magicis artibus hæc faciens, deorum noſtrorum cultum euertit. Iouem dicit non eſſe Deum: Hercu-
lem autem noſtrum, cuſtodem eſſe dicit immundorum ſpirituum: ſanctam Venerem refert fuiſſe meretricem: Ve-
ſtam autem magnam deam, igne fuiſſe conſumptam, impie aſſerit. Similiter ſanctiſſimam quoq; Mineruam, Dia-
namque & Mercurium, Saturnumque & Martem calumniatur. Omnia noſtrorum deorum nomina & templa
probris inſectatur & contumeliis. Aut diis noſtris ſacrificabit, aut ipſe delebitur.

Tvnc Mamertinus Vrbis Præfectus non ferens populi ſeditionem, beatiſſimum Clementem iuſſit ad ſe ad- II.
duci. Quem cum vidiſſet, cœpit dicere: Ex generoſa quidem radice proceſſiſti, vt teſtimonium fert Romanus po-
pulus. ſed errorem ſuſcepiſti, & ideo nõ poſſunt in animum inducere, vt taceant. Nam neſcio quemnam Chriſtum
colis, & contra deos admittis. Quamobrem oportet te deponere oẽm ſuperfluam ſuperſtitionem, & colere deos,
S. Clemens Præfecto ſapienter reſpondet. quos de more colimus. Tunc dixit B. Clemens: Optarem excellentiæ tuæ prudentiam attendere meam defenſio-
nem & non propter imperitorum ſeditionem, ſed propter meam doctrinam, me accuſare. Nam etiamſi multi ca-
nes nos allatrauerint & conciderint, nõ poſſunt nobis auferre, quin ſimus homines rationis participes: illi autem,
canes latrantes. Semper enim conſtat, ſeditionẽ proficiſci ab imperitis, vt nihil habeat tutum, nec verum. Quam-
obrẽ quæratur ratio ſilentij, in quo pro ſua ſalute homo particeps rationis, & per ſe incipiat conſultare & diſſerere
vt verum Deum inueniat, cui ſuam fidem honorifice commendet. Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus mittens ad
Traiani reſcriptum de S. Clemente. Traianum Imperatorẽ, detulit nomen B. Clementis, dicens: Hunc Clementem ſeditioſis clamoribus populus non
ceſſat quærere, & non poteſt in eum inueniri fide digna probatio. Tunc reſcripſit Traianus Imperator, oportere
eum vel conſentire ſacrificantem, aut vltra mare Pontum in deſertam ciuitatem quæ prope Cherſonem relegari.

Qvando autem Traiani iuſſus fuit confirmatus, cogitabat apud ſe Mamertinus, quonam modo Cle- III.
mens voluntarium nõ peteret exilium, ſed diis potius offerre libamina, Sed B. Clemens contendebat ipſius quo-
que iudicis animum ad fidem Chriſti traducere, & oſtendere, ſed potius eligere exilium, quam id timere, Dominus

autem

autem Clementi præbuit tantam gratiam, vt Mamertinus vrbis Præfectus defleret, & diceret: Deus, quem tu ſyncere colis, ipſe tibi opem feret in hoc, quo fuiſti damnatus, exilio, nanemq; ei conſtituit: & cum omnia in eam immiſiſſet quæ erant ad vſum neceſſaria, dimiſit. Porro autem multi quoq; ex populo viri pij eum ſunt ſecuti. Cum autē peruenit ad locum, in quem erat relegatus, ad opus fodiendi & cædendi marmoris, illic inuenit pluſquam duo millia Chriſtianorum, qui ad longiſſimum tempus erant condemnati. Qui quidem cum vidiſſent ſanctum & egregiū Clementem, omnes vnanimes cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant: Ora pro nobis ſancte Pontifex, vt efficiamur digni Chriſti promiſſione. Quos cum cognouiſſet ſanctus Clemens propter Chriſtum fuiſſe relegatos, dixit: Non ab re me huc miſit Dominus: ſed vt, eum fuiſſem particeps veſtrarum perpeſſionum, præberem etiam exemplū conſolationis & tolerantiæ.

Præfectus humaniter ſe erga illum gerit in exilium abeuntem.

IV. Ab eis autem accepit, quod à ſex milliaribus portabant aquam ſuis humeris. Statim itaque Clemens rogauit eos, dicens: Precemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt fidei ſuæ confeſſoribus aquæ fontem aperiat: & qui percuſſit petram in terra deſerta Sina, & abunde fluxerunt aquæ, ipſe copioſum nobis præbeat fluentum, vt lætemur eius ſuppeditatione. Impleta autem precatione, in eo loco ad quem adſpexerat, vidit agnum ſtantem: qui dexterum pedem leuauit, veluti ſancto Clementi locum indicans. Tum ſanctus Clemens cogitans eſſe Dominum, quem ipſe ſolus adſpexit, & nullus alius profectus eſt ad locum, & dixit: In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti pulſate in hoc loco & cum omnes circumcirca fodiſſent ligonibus, & non ipſum locum, in quo ſteti agnus, paruo ligone accepto, paruo ictu ſanctus pulſauit locum, qui erat ſub pede agni: vnde repente emerſit fons pulcherrimus aquis ſcaturientibus, qui magno impetu effuſus fecit fluuium. Tunc ſanctus Clemens dixit omnibus exultantibus: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Propter hanc ergo famam accurrit omnis prouincia, & omnes, qui venerant ad doctrinam ſancti Clementis, conuerſi ſunt ad Dominum: adeo, vt quotidie quingenti & plures baptizati recederent. Intra vnum autem annum factæ ſunt illic à fidelibus ſeptuagintaquinque Eccleſiæ: & confracta ſunt omnia ſimulacra, omnia templa regionis, quę erat circuncircà, ſunt diruta: omnes luci, qui erant ad trecenta milliaria, omnino in orbem ſunt conciſi & conſtrati.

Baron. ann. 100
Exod. 17.
Precibus S. Clemens impetrat fontem inſignem.
Pſal 45.
Permultos cōuertit ad Dominum extructis Eccleſiis.

V. Tunc ergo odioſa narratio peruenit ad Traianum Imperatorem, quod illic ad multitudinem innumerabilem auctus eſſet populus Chriſtianorum: & ab eo miſſus fuit Præſes Aufidianus, qui pluſimos Chriſtianos diuerſis tormentis ſuſtulit. Videns autem omnes ad martyrium cum gaudio accedentes, ceſſit multitudini: ſolum autem ſanctum Clementem cogens ſacrificare, & videns eum ſic eſſe firmum & ſtabilem in Domino, & nolle omnino à ſua dimoueri ſententia, dicit lictoribus: Accipite eum, & ducite in medium maris, & proiicite eum in profundum, ne poſſint Chriſtiani tollere eius corpus, & pro Deo eum colere. Cum hoc ergo factum eſſet, vniuerſa multitudo Chriſtianorum adſtans flebat in litore.

Anno 102. demergitur in mare. Vide Baron. an. vbi ſup.

VI. Post hæc autem dixerunt Cornelius & Phœbus eius diſcipuli: Omnes oremus vnanimes, vt oſtendat nobis Dominus martyris ſui reliquias. Orante ergo populo, retroceſſit mare in ſuum ſinū ad tria fere millia, per ſiccum autem ingreſſi populi, inuenerunt in figura templi marmorei paratum à Deo habitaculum, & illic ſitum corpus ſancti Clementis, & ancoram, cum qua fuit proiectus, prope ipſum iacentem. Reuelatum ergo fuit eius diſcipulis, ne reliquias è loco eiicerent: quibus etiam hoc fuit reſponſum, quod ſingulis annis in die ſuæ decertationis, ceſſurum ſit mare venientibus, ſeptem dies ſiccum iter eis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem eius nominis vſq; in hodiernum diem. Hoc autem facto, quod erat præter opinionem, miraculo, omnes gentes circūcircà credidere Chriſto. Quo in loco nullus inuenitur Gentilis, nullus Hebræus, nullus omnino hæreticus. Illic enim plurima fiūt beneficia. In eius feſto cæci illuminantur, dæmones expelluntur, febrientes ſani fiunt: Nephritici, & qui calculo laborant, ſolo contactu eius reliquiarum, & aquæ ſanctificatæ adſperſione & potu, à morbo liberantur: & qui quouis morbo affecti, confugientes ad ſacri martyris auxilium, fruuntur curatione: & permanet gloria eius & laus in æternum, per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum: Per quem & cum quo, Patri gloria cū ſanctiſſimo & viuifico eius Spiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

Multi credūt in Chriſtum propter miraculum.
Miracula in feſto eius.

NARRATIO SANCTI MARTYRIS EPHRÆM EPISCOPI GERSONIS, DE MIRACVLO FACTO IN PVERVM A SANCTO MARTYRE & Apoſtolo Clemente. Habetur apud Simeonem Metaphraſtem.

I. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, opportunum eſt hodie dicere cum Propheta, &: Quam admirabilia ſunt opera tua Domine? &: Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? & tu es Deus faciens mirabilia ſolus. Quod enim præſenti orationi aliud afferam prooemium? Artificioſam enim dicendi artem præſens ſuperat miraculum, cum miraculum multa excellat miracula, & ipſa etiam prophetica miracula exuperet, vt eſt oſtenſura oratio.

Pſal 67.
Pſal. 95.
Pſal. 76.

II. Scio vos cupere ſcire, quodnam & cuiuſnam ſit miraculum, & vrgetis vt dicamus. Id autem eſt primum quidem Dei, à quo omnis datio bona & omne donum perfectum. Præterea autem Clementis Romani, qui poſt Petrum fuit præco veritatis, & eius Romanæ ſedis ſucceſſor fidelis: illius, inquam, Clementis, cuius vſque in hodiernum diem vniuerſa terra vel tacens ſalutiferas clamat fuiſſe doctrinas. Clementis illius, qui fuit veræ palmes vitis Chriſti, per quem nobis expreſſus botrus doctrinæ, pietatis & ſalutis muſtum nobis effudit. Clementis, qui fuit veræ ſcalæ, quæ nos non deducunt ad ſublimem aliquam terræ altitudinem: ſed virtutum aſcenſionibus tanquam aliquibus gradib° nos ad cælum tranſmittunt & cæleſtia, Scalæ quæ iis, quæ à Iacob viſæ ſunt, nihil ſunt inferiores, non oſtendentes nobis Angelos per eas aſcendentes & deſcendentes, ſed hominum animas diuinis admonitionibus, vt quæ à gradibus in gradus per virtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cum non didiceritis, ô pulcherrime & fideliſſime cœtus, quale ſit & quantum, audire, vt viri pij, contendite, & ad audiendam exultate orationem, & aures inclinate, & noſtram arguite tarditatem. De hoc enim gaudeo, ſolum vos rogo, vt vſq; ad finem mihi attentum animum adhibeatis, & nulla cogitatio, quæ ad huius vitæ curam pertinet, mentem veſtram ſubeat, nec promptum veſtrum animi ſtudium ſinatur retardare: ſed hoc vigilanti animo & attento fideliter excipite. Res autem ita ſe habet:

Iacob. 1.
S. Clemens palmes vitis Chriſti. Item ſcala virtutum.
Gen 28.

III. Cum præclariſſimus & beatiſſimus Clemens perfeciſſet doctrinæ curſum & Apoſtolatus, & per conſummationem martyrij hinc exceſſiſſet, vt glorioſi eius martyrij liber declarauit, (quem vos non ignorare eſt mihi perſuaſum) non iuſtum indicauit is, qui eos, qui ipſum glorificant, glorificat, nō ipſum viciſſim glorificare, qui pro amore in eū ſic decertauit: ſed eum valde glorificare & magnifice extollere: & vt in cælo Angelis ita etiam hic hominibus eum reddere clariſſimum, & maxime venerandum per miracula, miracula, inquam, quorum magnitudinem mens non poteſt comprehendere, nec oratio dicere multitudinem, neque manus exprimere infinitatem. Vt ergo ex fimbria, vt eſt in prouerbio, textum pannū poſſitis cognoſcere, id vobis narrabo, quod prius ſum pollicitus. Cum venerandæ ſanctiſſimi martyri Clementis reliquiæ in maris profundū fuiſſent proiectæ ab impiis illis cultoribus ſimulacrorū, & eas

1. Reg 2.
Nota hæc de miraculis S Clementis.

acceptiſſet templum in profundo à Deo ædificatum, hic quoq; maximum facit miraculum Deus admirabilium. Cum enim hoc factum eſſet, & eius diſcipuli flerent cum iis, qui illic erant fidelibus, & vt ſacroſanctas glorioſi martyris reliquias eis oſtenderet, quod etiam factum eſt, Deum ſupplices rogarent, protinus immenſum illud pelagus deſiſtens & retrocedens, effecit vt profundum adiri poſſet à fidelibus vſque ad tria milliaria. Ingreſſi autem, inuenerunt habitaculum inſtar templi marmorei, & illic in capſa lapidea ſanctiſſimas & glorioſiſſimas martyris Chriſti repoſitas reliquias. Qui cum ſtatuiſſent ſanctiſſimas ex profundo tollere reliquias, noctu accedens ſanctus, eos ſic eſt allocutus: Reliquias quidem nolite tollere: hanc autem vobis concedo gratiam, vt ſingulis annis die meæ decertationis ſeptem dies mare retrocedens, præbeat iter per ſiccum ingrediendum huc uſq;. Quod autem dixerat, deductum eſt ad effectum. Ab eo enim tempore vſque in hodiernum diem ſingulis annis fit hoc miraculum. Quid eſt hoc minus faciendum, quam Moſis miraculum? Quid vero Eliſei vilius, aut minus glorioſum? Immo vero eſt longe maius & glorioſius. Ille enim virga & viuus & ſemel mare ſcindens, maris profundum vt iter eſſet, effecit: Hic vero ſimiliter pelle ouilla ſecans Iordanem, ſemel quoq; hoc fecit miraculum: ambabus aquis poſt tranſitum redactis ad ſuam naturam, quibus hoc nunquam factum eſt poſtea. Hic autem poſt mortem, & non ſemel, ſed ab eo tempore vſq; in hodiernum diem. O miraculum & gloriam martyris, quale donum eſt aſſecutus ſingulis annis die glorioſæ ſuæ decertationis? Septem enim dies, ſicut prius diximus, recedens mare illud infinitum, pius præbet iter facile.

Præclara ſane miracula

Quotannis patet iter per ſiccum mare ad eius ſacras reliquias.
Exod. 14
4 Reg. 2.

Cvm hoc ergo ſic factum omnes pij, tam qui erant in regione, quam ciues Cherſonis audiuiſſent, pertexerunt ad contemplandum miraculum. Cum * quibus quidam quoq; vir pius cum pia vxore & filio maſculo, ad ſacroſancti martyris templum viam peregerunt prompto & alacri animo. Cum autem ad locum perueniſſent, & miraculum quod adhuc fiebat, adſpexiſſent, ingreſſi ſunt illud templum quod à Deo ædificatum fuerat in profundo. & cum ad capſam acceſſiſſent, ſupplices ſanctum rogabant, petentes vt per ipſum ſibi daretur venia peccatorum: & precantur, vt filio daretur vita longa, & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & quæ conſentaneum eſt petere parentes filio vnico. Poſtquam ergo preces peregiſſent, & ſancti oſculati fuiſſent reliquias, redierunt. Qui cum egreſſi eſſent, aqua rurſus in ſuum locum redijt. Illi autem conuerſi, & quod prius erat iter, pelagus adſpicientes, huc & illuc circunſpicientes, filium quærere aggrediebantur. Is autem in arca ſancti remanſerat: & hoc non obliuione parentum, ſed Dei voluntate factum eſt, vt in hoc quoq; martyrem faceret magis admirabilem. IV.

Hoc refert c. 35 Greg. Tur. libr. 1. de gloria martyrum
* Multi quotannis ad ſanctas eius conduunt reliquias orationis ergo.

Cvm ergo parentes non inuenirent filium, & cogitaſſent puerum fuiſſe à ſe obliuioni in profundo mandatum, quid opus eſt dicere & patris lamentationes, & matris eiulatus? Præclarum enim illud feſtum conuerterunt in lamentationem. Quid enim non dicebant? Quid non faciebant ex iis, quæ conſentaneum eſt vel ipſum lapidem poſſe mouere ad lachrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, ſancto tales voces emittebat: Hæ ſunt, ô ſancte, tuæ remunerationes? hanc ne reddis gratiam iis, qui tanto tui deſiderio ad te accurrerunt? Hanc ne reddidiſti mercedem pro labore, quem paſſus ſum, ex quo acceſſi? Vbi eſt mihi filius? Vbi nati mei viſcera marina bellua lacerauit? Quiſnam autem vehemens inſurgens fluctus, eum viuum tanquam ſepulcrum operuit? Quemnam modo adſpiciam oculis? Pro quo vero orabo? Quis autem erit meę ſenectutis baculus? Cur, ô ſancte, non feciſti me eſſe ſociam mortis filij mei, vt quomodo ad te acceſſi eum manu tenens, ita etiam eum vlnis ferens, infelix ad inferos deſcenderem? O mare & profundum, quonam tuo ſinu meum tenebis filium? Quomodo autem eum quoque ales? Hei mihi, miſerande fili: fili, rapte ante tempus: fili, quomodo à meis oculis receſſiſti? Quibus pedibus es conuerſus? Quemnam autem tanquam agnum adſpiciam exilientem? Pater vero rurſus & manus & oculos feriens, ſic conquerebatur: Cur, ô ſancte, me repente orbum feciſti liberis? Cur permiſiſti, vt meus filius moreretur morte tam miſerabili? Cur mihi obtigerunt contraria iis, quæ ſperaui? Hac ne fide ad te acceſſimus? Talia ne ſunt dona martyrum in eos qui ad ipſos magno accedunt deſiderio? Reuera non tu, ſed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium. O fili mi, quis tui mortui claudet oculos? Quis te autem componet ad ſepulcrum? Quænam vero theca pulchrum tuum & iucundum teget tabernaculum? An omnino quidem tuos oculos texit mare, & ſepeliuit profundum, & tibi theca fuit venter piſcium? V.

Nota, Præclarum feſtum B. Clementis.

Parentes vnicum filium in templo relinquentes, tanquam amiſſum deflent.

C v m ſic autem plangerent & lamentarentur parentes, quidam ex iis qui illuc conuenerant, vix tandem eis perſuaſerunt, vt ceſſarent à lamentatione. Cum à luctu autem parum ceſſaſſent, domum abierunt. Cum ergo tempus proceſſiſſet, & memoriæ ſancti martyris dies veniſſent, hæc inter ſe dicebant, recordati ſui filij: Agedum proficiſcamur ad ſanctum, vt, ſi vllæ reliquiæ, quod fieri non poteſt, remanſerint noſtri filij, eas accipiamus, & cum ſancto, iudicio contendamus: et ſi fieri poſſit, illic moriamur, mortis ſocietatem ineuntes cum filio. Cum hęc ergo dixiſſent: nondum iis, quæ dicebantur, finem impoſuerant, & cœperunt iter ingredi. Cum vero acceſſiſſent, & ad locum perueniſſent, & mare retroceſſiſſet, Deo hic quoq; honorante martyrē, filij ſui deſiderio ſtimulati, primi profundum inſilierunt, eoſq; ſequens vadebat multitudo. Cum autem perueniſſent ad imprimis venerandum templum martyris, (ô miraculum) vident ſuum filium viuum, lætum & exilientem. Cum ſic autem à miraculis in miraculum incidiſſent, req; inſigni & admirabili eſſent obſtupefacti, primum quidem Deum laudarunt: deinde martyri quoq; egerunt gratias. Deinceps vero adoleſcentem interrogarunt, quomodo eſſet ſeruatus, quonam vniuſ ante, quonam ſeruante, & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manu tenens arcam, altera autem manu digito indicans eum, qui intus iacebat, reſpondit interrogantibus: Hic poſt Deum meus cuſtos & vita & alimentum fuit, & propulſator belluarum marinarum. Hic me quotidie alebat ſplendidiſſime. VI.

Illuſtre in primis & diuinum miraculum in ſui filij inuentione.

Parentes autem admiratione & lætitia affecti, & martyris fide magis confirmati, per quē filium, quē putabāt mortuū, viuentem acceperunt, priores luctus conuerterunt ad gratiarum actionē, ſancto ſic acclamantes: Verè ergo admirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis, & eorum, qui ipſum timent, faciens voluntatem, & audiens eorum precationem. Seruâſti, ô ſancte, noſtrum filium: reddidiſti nobis eum, qui non ſperabatur. O cælum & terra, & tu profundum, quod nos prius execrabamur: admirare magnum hoc opus, quod naturam ſuperat: Eſto autem tu quoq;, ô ſancte, nobis propitius, & ea nobis condona, quæ animo cruciati, in te diximus & fecimus. Ne pro noſtris in te maledictis parem referas gratiam. Filium recepimus: eum, qui erat mortuus, per te nunc in vitam reuocatum accepimus, Senectutis noſtræ baculum, rurſus habemus tuo auxilio. Quid pluribus opus eſt? Non trium dierum, ſed vnius anni mortuum, & non lapide, ſed aqua conditum: & non à vermibus, quod eſt naturæ humanæ proprium, conſumptum, ſed à piſcibus, vt exiſtimabamus, deuoratum, ſaluum per te accepimus. O gratiam, ô gloriam, ô virtutem & beneficentiam ô ſancte. Cum ſic ergo ſanctum cum lachrymis eſſent laudibus proſecuti, accipientes filium, venērunt domum, narrantes omnibus miraculum. VII.

Pſal. 67.
Pſalm. 144.

Eum ſaluū reducunt domum.

Qvidnam ergo cum his conferemus? Aiunt Eliam aliquando filium, qui erat mortuus, viuum matri reddidiſſe: quod quidem eſt magnum, & valde admirabile: Quinetiam ad Eliſei aliquando, vt litteris eſt proditum, monumentum quendam à quibuſdam homicidis interfectum, & in eo proiectum, ſurrexiſſe, & vixiſſe, quod quidem eſt magnum, & valde admirandum. Porro autem Petrus quoque in noſtris libris Petrus, inquam, princeps Apoſtolorum, illam, quæ pauperes alebat, viduam Tabitham mortuam, eadem hora ad vitam ſuſcitauit precibus. Et ſunt hæc quidem admirabilia & longe clariſſima: præſens autem miraculum quantum ea ſuperat? Attentius autem mihi VIII.

3. Reg. 17.
4 Reg. 13.
Act. 9.

conſi-

conſidera miraculi excellentiam. Elias quidem, vt prius diximus, nuper mortuum puerum, & qui nondum ref l-
xerat, ſed adhuc ſeruabat naturæ calorem, ſuſcitauit. Eliſei vero virtus duabus de ca uſis fecit miraculum vnum quidem oſtendens prophetam, qui ignorabatur: altera autem non concedens eidem etiam poſt mortem Petrus vero ſua virtute, & adiutus etiam eorum precibus, quibus vidua fuerant affecti beneficio, ipſe quoque excitauit eam modo mortuam. Sanctus autem martyr Clemens (ô miraculum non recens, ſed iam antiquo vno mi rtuam, vel vt Triplex in melius dicam, in vno quoque puncto, & eius tenuiſſima parte morientem, conſeruauit. Scitis autem omnes, qui puero miraculum. eius feciſtis, periculum, quanto tempore veriſimile erat conſeruari puerum in profundo tam vaſto. Sed nihi dili- gentes conſideranti, non vnũ mortuum, ſed quanto temporis ſpatio ſcimus puerum in aqua ſuffocari, id tempus repetentes & remetientes, inueniemus ſanctum tot ſuffocâſſe mortuos. Quod aũt eſt admirabilius, non ab aqua- rum ſolùm ſuffocatione, ſed à beſtiarum etiam læſione conſeruauit puerum. O gratiam, ô virtutem, quæ vtrumque efficit: nempe & aquas alligat, & propulſat belluas. Ad hæc quid dicitis? Non alia ſuperat miraculum? Nihil quis nos malè reprehendat, quod id extollamus ſupra miracula prophetica. Nulla ea de cauſa in nos cadet reprehenſio. Aperte enim ſcitis ſanctum martyrem eſſe in eadem gloria & iiſdem tabernaculis, in quibus ſancti martyres, Apoſtoli & Prophetæ, & ipſi Angeli.

IX. SED ô martyrum ſplendor & decus ſanctorum, primitiæ Antiſtitum, vide nunc quoque hunc præſentem Inuocatur cœtum pium & religioſum, qui à vitæ fluctibus quotidie obruitur. Eum tuis precibus illæſum cuſtodi & conſerua: S. Clemens. & qui tanquam feræ immanes inſiliunt dæmones, & minantur ſe eſſe deuoraturos animę nobilitatem, tuarum intercesſionum iaculo repelle, ô ſanctiſſime. Sed nos quoque, ô fideliſſime cœtus, rogo, vt per bona & Deo grata opera efficiamus nos dignos ſancti gratijs & donis. Et primum quidem in Deum & internos ipſos ſyncerã & non Quibus ſit perturbatam conſeruemus charitatem. Deinde ab omni maledicto, & omni mendacio, & omni periurio noſipſos d... ſancto- repurgemus. Ante hæc autem & poſt hæc, faciamus eleemoſynam, quæ ſcit Deum magis placare, & propitium rum benefi reddere noſtris peccatis. Quis enim eius oblitus, regnum Dei poſſederit? Nemo noſtrũm prætexat paupertatem, cia prome- nemo viduitatem & liberorum nutricationem. Sunt hi frigidi & pernicioſi prætextus. Nemo veſtrũm eſt illa vi- tenda dua pauperior, quæ nihil aliud habebat, quam pugillum farinæ: idque cum alendi ei eſſent liberi: neque tamen 3 Reg. 17. ſuam aut filij vitam prætulit miſericordiæ. Ne excuſationes quæramus in peccatis, Deus non irridetur. Penaria Gal. 6. noſtra mente intueamur. Videamus an quotidiani alimenti nihil nobis redundet. Ne menſium circulos metia- mur, & annorum ambitus. eſt enim alius qui prouidet, & eorum curam gerit, etiamſi nos ignoretuus. Noſipſos conſtituamus noſtrarum rerum examinatores: etſi, vt prius quidem diximus, quotidiani alimenti noſtri nihil ſu- perſit, ſcit Deus miſereri eorum, qui premuntur inopia. Sin autem viderimus noſtra penaria non ſolum cibo & potu repleta, ſed etiam auro & argento, & alijs, quæ eos conſequuntur, qui diuitijs delectantur & poſſeſſionibus, eſurientibus alijs & frigore enectis, ſciamus quod æternum & qui nunquam deſinit ignem nobis recondimus. Vt In diuites, eum ergo effugiamus, in Dei mandatis pro viribus ambulemus, vt & ſancti martyris fruamur interceſſionibus, & eleemoſy- ineffabilia & æterna Dei bona conſequamur, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria poten nam non tia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. præſtantes.

De S. Felicitate martyre & ſeptem filiis eius, quærat Lector 10. Iulij.

VITA ET MORES P. N. GREGORII, EPISCOPI AGRIGENTINI, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 562.

23. Nov.

I. PVLCHERRIMA res eſt virtus, quæ maximam gloriam, & altiſſimum ornatus cumulum ſui ama- toribus affert. Siquidem non illos ſolùm, poſt mortem remuneratur, ſed viuos atque præſentes il- luſtres efficit. Hanc cum Gregorius omnibus in rebus egregie ad extremum vſque tempus exercuiſ- ſet, non ſolum hæres vitæ perpetuæ eſt inſtitutus: ſed cum adhuc etiam viueret, admirabilem ſe ac celebrem præſtitit. Sicilia quidem oriundus. Siculis enim finibus, vt omnes nôrunt, Agrigentum Agrigentũ continetur) cæterùm cùm ſancta illum Sion ſuſcepiſſet, ac vti plantam quandam apprimè nobilem enutritum, vrbs siciliæ diſertiſſime erudiuiſſet, patriæ rurſus conſpicuum reddidit. Et quidem iucundiſſimum mihi ac æſtimabile valde videtur, eius vitam altius repetitam deſcribere, & tanquam ſpecimen quoddam, & omnis virtutis exemplar, lite- rarum monimentis poſteris conſignare: vobis vero, quibus tam ſplendida audire lubet ac imitari, res iſthæc opta- bilis eſſe, veſtraſque ingenti cum voluptate aures ſubire debet. Quod igitur ille vitæ principium habuit, hoc ipſum noſtræ orationis exordium ſtatuendum eſt.

II. VICVS quidam, qui Prætoria nomine dicitur, Agrigento ciuitati proximus, ſanctum virum edidit. Prius Patria S. quidem ille obſcurus & incognitus: nunc vero tanto alumno clarus & illuſtris emicat. Parentes vero (quæ Dei Gregorij. gratia ac benignitas fuit) viri luculentis ornati diuitijs, ac probata vita florentes, plurima bona ſua pauperibus erogabant. Hi quo marem filium procrearent precibus inſiſtentes, voti tandem ſui compotes fiunt, filiumq; non Parentes natura tantum, ſed animo, marem ſuſcipere: quemadmodum & tempus, quod ille perturbationibus eſt impetitus, eius preci & contra malorum impulſiones altitudo animi poſtulabat: quæ ſane omnia ſermo quoq; ſubſequens indicabit. bus illum Hunc igitur à ſacro baptiſmate vir virtute clarus Potamion, qui tum ſacris ac religioni Agrigenti ciuitatis præerat, impetrant à ſuſcipit. Poſtea verò quam puer octauum ætatis annum attigit, hunc ad diuum Potamionem parentes adducunt, Deo. vt puero ille proſpera omnia precaretur, & præterea ipſum præceptori traderet erudiendum. Qui cum pro pueri Traditur ſalute Dominum (vt par erat) oraſſet, Grammatici cuiuſdam, cui Damiano nomen erat, fidei illum commiſit, di- Grammati- ſciplinisque accuratè ac ſedulo incumbere præcepit. At puer ab ipſis literarum elementis, vt aiunt, præſtantiam ani- co litteris mi præ ſe ferens, vtpote qui ingenij acumine, & acri promptitudine vſus eſt, plures breuiter diſciplinas percurrit. imbuendus. Nam prima ipſa elementa, Odaſque Dauidicas, rationem item ac conuenientiam numerorum, adde etiam Eccle- Miri eius ſiaſticos hymnos, biennij tantum ſpatio didicit. Proinde ob celeritatem, qua tot diſciplinis excultus eſt, omnibus in liter s admirationi fuit. Vbi vero duodecimum annum prætergreſſus eſt, Epiſcopum rurſus ac cæteros Eccleſiæ mini- progreſſus. ſtros parentes adeunt, multiſque hunc ipſum in eorum collegium cooptari precibus orant. Cumque ille æquo animo ſermonem audiſſet (iam enim interiori mentis oculo cernebat, quam ſplendidum ac lucidum oculum regendæ Eccleſiæ eſſet admoturus) in ſacrum cœtum aſciuit, & illum organum ſelectiſſimum fore, ac quicquid in poſterum futurus eſſet, præfatus eſt. Ita diuus Gregorius clericorum co tui additus, Donato Eccleſiæ Archidia- Aſſcitur in conotraditur, qui tum ſacrorum voluminum curam agebat: cuius cum familiari conuictu ac conſuetudine vte- Clerum. retur, longe diſertior euaſit: perſpicuumque fuit poſt deliteſcentem apud ipſum virtutis odorem, diſciplinas qui- dem perluſtrare: mores vero in grauiores ac venuſtiores permutaſſe, atque adeo ſeſe diuinis ſcriptis attentiorem præſtitiſſe, à quibus & animo inprimis illuminatus, & illarum incredibili affectus dulcedine, totum Deo ſe ipſe dedit, viamque, qua illi propius inhæreret, celeriuſque occurrenti ſibi appropinquaret, inire ſtudebat.

III. ILLVM igitur ſacra inuiſendi loca, eorumque ſanctitudinis eſſe participem, cogitatio inceſſit. Cumque ma- gno huiuſce rei deſiderio flagraret, exinde Deum obſecrabat, ne votum ſuum fruſtraretur. Iamque duodeuigeſi-

mum ætatis annum agebat. Quadam verò nocte cum in Archidiaconi, cuius mentionem fecimus, contubernio degeret, ipſe templum ingreſſus, Deum, vt eiuſmodi ſe propoſito liberaret, & ad exitum optata perduceret, precibus obteſtabatur: ac mox humi propè à lecto Donati procumbens, ſomno ſe dedit. Aſſiſtens autem quidam, illum proprio nomine, Gregori, appellauit. Is vero confeſtim Ecce ego domine: & ſtans coram Archidiacono. Quid me (inquit) domine vocâſti? Cui ille, Non te, ait, fili, vocaui. Cumque ille rurſus lecto ſtratus recumberet, mox qui vocârat, ſecundo aſſiſtens, Gregori, dixit. At ille denuo feſtinanter reſiliens, Archidiaconi lecto præſto fuit. Ecce, inquiens, ego domine: quid me vocâſti? Quamobrem Archidiaconus ſub hæc perterritus, vocationem illam cælitus illapſam eſſe non ignorans, ſic illum affatur: Neque ſane nunc te, fili, vocaui. Verumenim rurſum ſi vocêre, percontanti reſpondeas velim: Quid me vis, Domine? quid præcipis ſeruo tuo? Poſtquam igitur tertio, Gregori, aduocans adſtitiſſet, ille vti edoctus fuerat, reſpondit. Porro ſtatim qui vocârat, (Angelus enim is Dei fuerat) Exaudita eſt, inquit, precatio tua. Quocirca ad litus concedas oportet, vt ad loca ſancta tendentibus obuius fias.

Quidam in ſomnis eum appellat, idque crebro per interualla.

IN his Gregorius Deo gratias egit, atque eiuſmodi verbis fidem habens, egreditur, & Archidiaconum necdum ſomno ſolutum reliquit, nauigioque occurrens, vnde illi aduecti, & quo nauigaturi eſſent, percontabatur. At vbi nauigationi accinctos quidem illos, verùm Carthaginem eſſe nauigaturos audiuit, cum iis pariter nauigationem ſubire decreuit. Atque nauis Præfectus, ac rem eius cupiditaté & affectum ſuſpectum habens, ſimulque ad humile veſtimenti genus oculos adiiciens, nunquidnam ille ſeruus eſſet, dominumque refugeret ſuum, interrogauit. Is vero Chriſti ſe ſeruum dixit eſſe, non hominis. Cæterum liberale aut iuſtum in ipſum nihil molitus, eundem in ſeruitutem tradere flagitioſiſſime cogitauit. Atque nauis quidem proſpera vſa nauigatione, Carthagini triduo appulſa eſt. Nauclerus vero ille ſedulo iuuenem obſeruans precibus ac vigiliis totam noctem inſomnem ducere, veritatem ſenſim edoctus eſt, atq; opinionem de illo conſentaneam paulatim induit: nimirum cuiuſuis hominum ſeruum non eſſe, ſed inter primos atque præcipuos Dei miniſtros numerandum. Hinc illum ingens dolor accepit, eiuſq; animum præſumptæ opinionis ſubiit pœnitentia. Lachrymis item, ac amaris eiuſmodi remediis virum ſanctum propitium ſibi reddere ſtudebat, iniuſtæ illi quaſi humanæ cogitationi mederi cupiens. IV.

Venit Carthaginē, volens inde Hieroſolymam proficiſci.

POSTEA vero, quam ciuitatem ingreſſi ſunt, nauclerus hoſpitio domi ſuæ iuuenem excipit, eiq; familiariter pro arbitrio vitam agendi facultatem impertit. Cumq; illi abſurdam ſane cogitationem palam feciſſet, (neque enim perculſa conſcientia, eius ipſius, in quem offenderat, permotus ſanctitate, ſecus facere poterat) obteſtabatur ſibi veniam dari, quam ab animo illo benigno, & ad promerendos homines nato facile conſequitur. Ac ſic quidem ille: Gregorius vero in eo quod dictum eſt, domicilio cæleſti gloriæ intentus, priorem vitæ rationem ac inſtitutum ſeruabat, pſalmis innocenter vacans, biduo ac triduo cibum ſemel capiens, plerumq; etiam totam hebdomadam ieiunus tranſigebat. Proinde hoſpitij Dominus eiuſmodi, quod ipſe ſibi imperaſſet, viuendi ſtudium admiratus, hunc ipſum vrbis Epiſcopo manifeſtum fecit: confeſtimq; coram magno & inclyto viro ſiſtitur. Cui Epiſcopus. Vnde venis, inquit, fili. & quo tendis? Ille, Agrigento ciuitate illuc ſe aduectum, cæterum ſanctam Sion petere, dixit. His auditis, Epiſcopus bona illic precatus, Dominus, inquit, perficiat greſſus tuos, ac iter tuum dirigat. Ille vero pedibus eius non ſine lachrymis prouolutus, Mihi vtinam (reſpondit) ex ſententia tua contingat. Interea vero Epiſcopus conuiuij illum participem admiſit, tandiuq; ſecum verſari voluit, donec feſti dies ſacriq; (neq; enim procul aberant) aduenirent. Cuius ille dicto cum paruiſſet, eſſetq; eius conuictu familiariter vſus, domicilium, in quo prius diuerſabatur, repetit, & conſuetum viuendi inſtitutum capeſſit. V.

Vacat pſalmodię, multumque ieiunat.

PORRO non multis poſt diebus, cum in ſacro illuſtris martyris Iuliani templo ſederet ac legeret, tres quidam monachi, cum moribus venerandi, tum decenti atq; ornato corporis habitu animi præ ſe ſpeciem ac pulchritudinem ferentes, illi apparuêre, quos Gregorius intuitus, mirifice hilaris factus eſt: quippe cuius animus ob illorum præſentiam exiliret: ſiquidem non abſq; magno aliquo bono ad ſe illos veniſſe ſenſit. Cum vero Deum adoraſſent, vnus illorum ſedit: reliqui vero duo magno cum timore, reuerentia item admirabili, illi aſſiſtebant. Hunc Gregorius pariter veneratus, ſeſe aliis adiunxit. In quem monachus, qui ſederat, coniectis oculis: Quid hæc, inquit ad te, Gregori ſerue Dei, qui bonam partem elegiſti, quæ abs te (vt de ſententia Euangelij loquar) non auferetur? Hunc ille ob primam nominis cognitionem admiratus, pedibus eius confeſtim aduoluitur, ac lachrymas ab oculis diſtillās, efflagitabat, vt ſuis ſe precibus dignum faceret. Ille vero hunc erexit, nihilq; circa ſe magni quicquam exiſtimare iuſſit, ac ipſum, aliosq; itidem duos monachos ſecum ſedere curauit. Mox blande illum affatur: Scito, inquit, fili, conſilia tua nobis omnia à Deo prodita eſſe. Verum lætus nos lætos ſequere: quandoquidem horum index Deus, te quoq; in comitatu noſtro ad ſe adducere, & ſacroſancta nobiſcum loca, ad quæ iampridem nos nauigatione contendimus, conſpicere præcepit. Ob hæc Gregorius admiratione ac gaudio perfuſus, ſe ipſe continere nequibat: ſed rurſus aſſurgēs, ac pedes monachi complexatus, lachrymas plures prioribus præ gaudio effundebat, ac lætitia totus geſtiens, quas maiores poterat, in his Deo gratias agebat. Poſtea vero ad domicilium conceſſere, ac hoſpitij Dominus multam in illos hilaritatem ac comitatem oſtendens, omnia ad victum neceſſaria abunde illis appoſuit. Qui cum guſtaſſent, totam noctem cum diuinas laudes canendo, tum ſacros ſermones lectitando, ad diluculum vſq; duxerunt inſomnem. Vbi monachi prudentiam, iuuenis quod tam concinne tute q; ſua omnia enarraſſet, vehementer quidem admirati ſunt. VI.

Tres monachi itineris ſocij a Deo ipſi deſtinātur.

Luc. 10

Diuinitus quibuſdam reuelatum ſui iteris propoſitum.

QVARTVS igitur cum eſſet dies, quo apud illos erat, monachorum primus vitæ mentionem fecit, ac appetēte veſpera, ciuitate vna egrediuntur. Cumq; viginti dies iter feciſſent, Tripolim perueniunt, atq; ad D. Leontij tēplum proficiſcuntur. Proinde venerandus ac ornatus quidam presbyter domi ſuæ hoſpitio illos ſuſcepit, quibus Gregorius miniſtrabat, quod adſpicietes, vti miraculum cenſebant, [illegible] quam bona fide illis præſtaret obſequium, idq; non ſedulo ſolum ac patienter, ſed cum vſq; adeo binis atq; etiam trinis diebus labore ſe confeciſſet, vix ad cibum reſpicere: ac ne tum quidem, niſi monachus ille, ſaneq; moleſtus, hunc ipſum cibum capere compuliſſet: Hic generoſam eius mentem pertentans, ſermonē illi de parentibus iniecit: Age fare (inquiens) Gregori, num dulciſſimi tum parentes, tum affines, tum etiam patria memoriam ſubeuntes tuam, moleſtia te afficiunt? At ille diuina prudentia & ſingulari modeſtia præditus, Valde illa quidem, ô pater, inquit, ſed aliter atque tu opinaris, afficiunt. Siquidem Domino luculenter clamante, Qui amat patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus: &, Qui non valedixerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: necdum horum à me quicquam eſt egregie præſtitum. Veruntamen bonorum ſuppeditator imbecillitatis mihi auxilium, illis vero doloris conſolationem vtinam cælitus afferat. Hæc itaq; ita ſe habent. VII.

Proficiſcitur cum quibuſdā monachis in terram ſanctam.

Matth. 10. Luc. 14.

PORRO triginta dies Tripoli commorati, neminique noti facti, illinc egrediuntur, denuoque iter capeſſunt, ac ad proprium ſe propoſitum accingunt. Quamobrem cum quatuor iam menſibus peregrinati fuiſſent, Hieroſolymam peruenerunt. Locisque ibidem omnibus perluſtratis, quicquid in monaſteriis ac monachis illic degētibus erat præclarum, id totum aſſumentes, cum illuſtrioribus virtute viris conſuetudinem habuêre. In quodam vero ex illis monaſterio, quod à ſancta ciuitate non procul aberat, ſacros Quadrageſimæ obſeruationis dies egêre, in quibus eximius iuuenis Gregorius tale ſui meditatione ac exercitatione mentis documentum præbuit, vt ſtupor VIII.

Vide quid Hieroſolymis vir ſanctus egerit.

mona-

monachorum mentes opprimeret. Atqui hoſpitij præſes, cum eſſet oculis animi perſpicax, [illegible] ea omnia, quæ Gregorio vſuuentura erant, longè ante illi manifeſte prædixit, nempe ad ſacram illam [illegible] ſedem prouectum, ac multis inſultibus, varijſq; impreſſionibus impetitum iri: cæterum non modo iis liberandum [illegible] ſe, ſed luculentum ac inſigne futurum eius præconium. Mox conſentanea quædam ſubdidit, docens oportere [illegible] nino illum Dei timore inſtitui ac informari, non proprio ſenſu intumeſcere, non paupertatem deſpicere, non vilem quemlibet aut abiectum deprimere, ſed afflictiones ac futuras petitiones æquo animo perferre. Talibus monitis Gregorius, non ſecus ac terra fertilis irrigata, ac pulchra ſemina iucunde ſuſcipiens, fœcundam virtutis ariſtam producit.

Prædicũ di[illegible] [illegible]

IX Cvm verò hebdomada, qua Seruator Crucis ſupplicio eſt affectus, aduenisset ipſa dueces res admirandas pe[illegible] vidit, nempe homines in cælos à terra tolli: alios quidem inſtituto ac ratione viuendi nihilo Angelis inferiores: alios item in corpore exiſtentes, perinde ac ſine corpore eſſent, cibi expertes degere. Fluxus vidit lachrymarum, fontium fere flumina ſuperantes. Atq; ita ſtupore detentus, ipſe ſe deplorabat, & animo vehementer angebatur Hei mihi, inquiens, quis ſum ego? Quonam ego pacto cum his viris Dei iudicio ſiſtam! Rurſus nolens deſperationis profundo demergi, Si Dominus, aiebat, prope adeſt iis, qui confracto ſunt corde, & eos, qui deiecto ſunt animo, ſaluos facit: poteſt itidem Deus me ſeruare, ac mercedem, non aliter atq; iis, qui vndecima hora conducti ſunt, qui omnino nihil operis egerunt, impertire. Hunc igitur cùm is, apud quem diuertebatur, cùm etiam monachus, qui hunc ipſum illuc adduxerat, ſic grauiter angi atque contriſtari cernerent, ſeparationem à rebus domeſticis, doloris tam ingentis cauſam illi præbere ſuſpicati ſunt. Itaque conſolatoriis illum verbis ſic alloquuntur: Nè contriſtere, inientes, [illegible] confidimus enim Deo, non multo poſt domeſticos te inuiſurum, latiſque voto tuo facturum eſſe. Quàm procul [illegible] videmini, pater, (illis inquit) à conſiliis meis aberrare. Neque enim iis de cauſis afflictor animo, nempe non licere mihi non parentes, non affines, non denique patrium ſolum intueri, eſt enim mihi vnus horum omnium, atq; adeo pluris cæteris omnibus, oculus Dei: in quem aſpiciens, & ab ipſo inſpectus, triſtem ac afflictum conſolor animum: ſed nihil de illius ſententia egiſſe conſcium eſſe, hoc mihi, idq; ſolum, mœroris cauſam affert. Nam quod ab humanis parentibus abſim, (parum dicere vereor) his ad conſequendum patrem Deum diuitiis cumulatus, magis etiam lætor. Verumenim neceſſe habeo, vt vos (quæ veſtra eſt ſanctitas) pro imbecillitate ac humilitate mea oretis. Hæc cum Gregorius ex animo intimoq; conſcientia dixiſſet, non eum amplius illi conſolari ſunt aggreſſi, quando ipſo abunde quidem alios conſolari poſſe videretur.

Obſerua hic vitã monachorum ſãctiſſimam.

Pſal. 33.

Matt 20.

Deflet ſ[illegible] imperf[illegible] vio[illegible] & [illegible] [illegible] vit ſanctus.

X. Cvm vero dies illa, dierum omnium ac celebritatum facile princeps, qua Chriſtus ab inferis excitatus, humano generi vitam dedit, aduenisset, confeſtim omnes vna cum præſide monachi, Gregorio item, ac tribus illis viris comitibus, in ſanctam ciuitatem aſcenderunt. Porro cum illum locum, vbi Chriſtus à morte ſuſcitatus eſt, introiſſent, cæteraque loca perluſtraſſent ac adoraſſent, D. Gregorius animo gloriabatur, ac tum admiratione, tum voluptate plenus, ſummum illum in hymnis ac diuinis cantibus ordinem atque concentum intuitus, nihil illum ab Angelis diſcrepare credidit. Proinde cũ in D. Macarij Epiſcopi congreſſum atq; colloquium veniſſent, apud illum diuerſantur. Cumque illi ſummo mane Deum (qui perpetuus eſt illis mos) illuſtri laude cumulaſſent, hos reſidens accerſiuit, primumque illos deinceps Epiſcopos ac clericos, alios item, qui præſentes aderant, oſculatos communiter ea eſt allocutus, quæ animo nouit vtilitatem afferre: ac mox reliqua dimiſſa multitudine, accerſitoque monacho, ac iis qui illum aduexerant, Si perpetito lætere, inquit, Marce pater, vndenam tecum ad nos Gregorius Dei ſeruus iuit, qui loca iſthæc ſalutaria nuper adiuit? Cui monachus, Non nos, inquit, iſtum, ſed Chriſtus, ô pater, tuaque aduexit precatio. Verum Gregorius timore perculſus ob ſui ac Marci monachi appellationem, (necdum enim cuipiam ſanctæ ciuitatis innotuerant) rubore ſane ac moderatione quadam animi nihil quicquam auſus loqui, ſtupefactus manebat. Deinde duos alios fratres Patriarcha ille appellans, Domine, ait, Abba Serapion, ac tu Leonti pater, gratias ago Deo, qui veſtros animos illum nauit, talem virum ad ſancta iſthæc loca vobiſcum aſſumere, ſpiritu quidem (vt Apoſtoli more loquar) feruentem, temporiq; ſeruientem, emaculatis præterea precibus ac vitæ innocentiæ ſedulo ſtudentem. Neq; enim nos eius vitæ rationem diu celauit Dominus, vt hæc vobis pariter manifeſta fierent, de quibus opportuno fortaſſe tempore dicemus. Inſtat autem nunc, vt diuinum & arcanum ſacrificium Domino celebremus.

Paſchatis dies celebertimus.

Macarius Epiſcopus Hieroſolymæ.

Diuinitus ille cognoſcit Gregorium & alios.

Rom. 12.

Diuinũ ſacrificiũ, miſſam dicit,

XI. Hæc ille locutus, templum ſacrum, rem diuinam facturus, petit. Porro ipſe quoque diuus Gregorius in dextro altaris latere, Patriacha ſic præcipiente, adſtabat pleraque vero eius animum perturbatione ſubeunte commotus, infra poſitus miniſtrabat, flumina interim lachrymarum ab oculis effundens. Cumque ita ſeſe Gregorius haberet, ingentis animi humilitatis ſpiritu inflammatus, omnia patriarchæ conſilia habuit explorata, & Spiritus ſancti gratiam ipſum adumbrantẽ, vt pleriſq; ille ſecutis temporibus enarrauit, euidenter vidit. Poſtridiè igitur eius diei Marcus monachus Archiepiſcopum precabatur, vt ſe, ac qui cum ipſo erant, monachos miſſos faceret, quo cum cæteris illic agentibus fratribus inſtitutam vitam ſequeretur, & ita recta domum abiret, cum id nihilo ſecius de ſententia ac voluntate illius fieri vellet. Hoc illis cum Archiepiſcopus petentibus annuiſſet, ad nouum ſeſe Dominicum diem reuerſuros pollicentibus, proficiſci domum imperauit. Verum cum hæc haudquaquam Gregorio perſpecta eſſent, quod is tum monachis præſens non affuiſſet, cum illi ſeſe viæ dediſſent, Macarius Gregorium accerſiuit, eiq;, quæ geſta eſſẽt, ediſſerit: addit etiam, nulla ipſum ob id moleſtia affici oportere: maturam enim fratrum reditionem, ac propediem fore. Quod, vbi ſe illis deſtitutum iri reſciuit, moleſtiſſime tulit. Atrum ſeſe, lachrymans, illius ad pedes ac genua proiecit, illumq; hortabatur ac orabat ſe, vbinam illi terrarum eſſent, edoceret. (Exiſtimabat enim, illos procul à locis ſanctis abiiſſe.) Ille vero non plus viginti ſtadiis Romanorum, vicum à ciuitate diſtare dixit, quo non ita pridem illos perueniſſe ſimile veri erat: propterea nihil de illis ſolicitum eſſe, neq; vereri ſe illorum precibus cariturum, monebat. Quamobrem bono animo illum eſſe iuſſit, ſpopondítq; non ſe illos prius huc itineri dedituros, quàm ad te denuo reuertantur. Qui cum eſſet hunc in modum locutus, multum ille de dolore remiſit, & exinde Archiepiſcoporum in precibus, tum in ſacris cœtibus adhæreſcebat: cernenſq; eius vitam, vti quoddam virtutis exemplar, illam apud ſe ſedulo ac diligenter obſeruabat.

XII. Cvm vero dies Domini proximus aduenisset, monachi, vt imperatum illis fuerat, præſto fuere: quos cum D. Gregorius vidit, omni voluptate refertus eſt, ac totam illam noctem, vna cum illis inſomnem pertulit, precibus item ac lachrymis in feruore ſpiritus inſiſtens pro ſe ſanctè Dominum obteſtabatur, vti exercitationis ac meditationis iſtius curſum perficeret, ipſiſque hæreditatem ac partem communicaret. Deinde ita ſimul ſummo mane Archiepiſcopum Marcus adit, eiuſque pedibus prouolutus orabat, vt ſuis ſe precibus tanquam viatico quodam bene inſtructo communitos dimitteret, horum vero ille ſingulis impoſita manu, ac ſublatis in cælum oculis, Deus (inquit) qui cælum, terram ac mare, & quicquid in eis eſt, condidiſti, qui omnia ante ortum illorum probe nôſti, ipſe hos ſeruos tuos, qui ſacroſancti tui nominis cauſa, ſancta iſthæc loca inuiſerunt, fructumque tua dignum maieſtate, Gregorium inquam, qui præſens nobis adeſt, ſeruum tuum attulerunt, conſerua, ac in vias tuorum dirige, ſiquidem ſanctus es in ſecula. Ac cum omnes, Amen, ſubdidiſſent, complexus illos in pace dimiſit. Hos abeuntes Gregorius conſpicatus, acriter animo doluit, ac præpropere feſtinans, illorum ad pedes proiectus, ſolũ ſe ibi relinqui diu[illegible]

S. Gregorius cũ ſociis tota nocte la[chrymis] & precibus [in]ſiſtit,

Dolet vir ſanctus [illegible] [illegible]

relinqui lamentabatur. Heu mihi (inquiens) quis ſum, & quo me vertam? Quonam ego pacto vobis, patres ac ſeruatores deſtituar? Vos ſecundum Deum ſalutis meæ auctores, ipſi boni probatæ mihi vitæ magiſtri fuiſtis, ipſi errantem inueniſtis, inuenientes rectæ viæ reddidiſtis, multis item fluctibus naufragum ac pene demerſum, in tranquillum ac ſecurum portum adduxiſtis: Nunc porro quomodo tam miſerabiliter diuellar à vobis: Quomodo ſeparationem hanc à vobis feram? Hæc cum Gregorius gemebundus dixiſſet, præ ſeque maximam animi turbationem lachrymis ferret, Marcus vir admirandus, tam futuris prædicendis, quàm ſolandis amicis potens, hunc paterne excepit.

AC non ſic tu quidem, fili mi, dixeris (ait) non. Neque enim ſolum te eſſe putabamus, quando præſertim XII.

S. Gregorius commendatur Macario Epiſcopo Hieroſolymitano.

Chriſtus ſua te vocatione ſancta dignatus, in patrum chorum cooptârit. Atque huic te quoque communi & optimo patri, qui, quæ ad te ſpectant, recte adminiſtrabit, & quam fieri poterit, feliciter ſuſcipiet, ipſe commendo. Sic ille loquutus, manum apprehendens, ad Patriarchæ pedes illum ſtatuit: Pater venerande, (inquiens) & hic eſt ex grege Chriſti, iſque fide Eccleſiam fundaturus, ac eam doctrinæ cœleſtis prædicatione, vti clauo, diuinæ gubernaturus eſt. Quamobrem eius animæ curam habeas, illamque tua ſuſtentes doctrina oportet, perſuadeaſque meditationis ac exercitationis laboribus inſiſtere, ſplendentem ſe conſeruare, non pulcherrimum, ac vti Veris tempore florentem adſpectum, iuuenilibus cogitationibus quaſi maculis quibuſdam inquinare. Hæc tum dicebat monachus, cum Gregorius grauis animo irritaretur, ac lachrymas abundantiores effunderet. In quo quidē & qui præſentes aderant, hæc cernentes condoleſcebant: quin & ille ipſe Patriarcha miſericordia permotus eſt, Gregoriumque adhuc iacentem erigens: Video te, inquit, fili horum virorum ſeparatione grauiter affectum. Quare, ſi placet, vt hac noſtra vtaris conſuetudine, nobiſcum eſto, tuaque omnia Chriſtus, vt velle ipſe videris, recte conſtituet: at vero ſi diſcedere magis lubet, in pace cum illis abi. Atqui Gregorius: Non hoc quidem (inquit) domine accidat, auerſeturque Deus, vt hæc loca, quæ videre precatus ſum, & pro quibus hanc tam longam peregrinationem confeci, derelinquam. Verum facere non poſſum, cum vehementer illos diligam, quin aliquantulum afficiar. Quoniam vero illos abire neceſſarium fuit, exiſtimo facias illorum preces vti tutelam quandam ac euentum vitæ inſtar ipſorum, mihi non defore. Confido enim Deo, hac ipſa etiam præſenti vita illos iterum me conſpecturum. Talia locutum monachi circum adſtantes, ac ardenter circumplexi, lachrymis manifeſtam proculdubio ſignificationem fecerunt, quam ægre ab illo ſepararentur: à quo vix tandem auulſi, ac in ordinem compoſiti, inuiti abiērūt.

S. Gregorius terræ ſanctæ monaſteria inuiſit.

PORRO cum Hieroſolymis hic permanſiſſet, veneranda illa ac ſacra loca, necnon monaſteria ac monachorum domicilia perluſtrauit, & operoſam apim ſedulò imitatus, virtutum flores diligenter excerpſit. Atque iis ſeſe ſtudiis Gregorius continebat. Verum monachi cum Tripolim perueniſſent, naui conſcenſa in Siciliam nauigantes, Agrigentum ſunt aducti: monaſterium vero, quod ibi proximum erat, adeuntes, apud præſidem diuerſantur: quem quidem Marcus futurorum præſcius cum nūquam vidiſſet, propr[i]o nomine Paulum appellans, in ſtuporem coniecit. Ac de prædicto ſancto Poramione, quem nunquam antea illi cognitum eſſe exiſtimarat, percontatus, nihilo minorem admirationem iniecit. Itaque cum menſa illis eſſet appoſita, ac panis & aquæ (vti illis moris eſt) mutuo participem feciſſent, viros Epiſcopo manifeſtat, & vt Marcus hominem, quem nunquam viderat, nominatim appellârit, quo ille nuncio mirifice gauiſus eſt, idque inexpectato lucro apponens, ad ipſum confeſtim XIV.

Dies feſtus SS. Petri & Pauli Apoſtolorum.

properat. Porrò cùm illos obuios habuiſſet, complexatus, & per illos, quidnam apud eos ageretur, quinam eſſent, quòve hac peregrinatione contenderent, cognoſcens, & rurſus, cuius rei cauſa nauigationem facerent, cum illis breui commoratus, ac diuina quædam commentatus, ad eccleſiam, myſticum ſacrificium celebraturus: proficiſcitur. Is enim Petri & Pauli ſummorum Apoſtolorum dies feſtus erat.

POSTERA autem die poſt matutinas laudes, cum Epiſcopus illis adeſſet, deque rebus diuinis ac ſalutaribus eum illis familiariter loqueretur, ſtatim Gregorij parentes in vrbem ingreſſi ſunt, vt illi tanquam mortuo parentarent, eodem nanque die mortuus illis viſus fuerat. Atqui cum mater Gregorij æquæuos pueros vidiſſet, filij memoriam ſubiens, viſceribus eſt grauiter interciſa: quippe horum adſpectus, fletus illi cauſam miniſtrauit. Hei mihi (dicens) fili dilectiſſime, fili tam ingens inter æquales ſplendor, quam ſol inter aſtra. Hos quidem tuî cauſa XV.

S. Gregorius à parētibus pro mortuo defletur.

omnes intueor: tu verò vbi es terrarum? Cur es (oro) in lucem editus? Vtinam mortis tuæ genus agnoſcerem. Vtinam locum, vbi occubuiſti. Atque vtinam ſcirem, ſi qui tibi fuerunt mortis authores. Tuæ nanque calamitatis ignoratio mihi dolorem auget, facitque, vt, cum ſic lugere cogar, ignorem, in quo m[...] hiiute ſit lamentandū. Alias enim omne mortis genus ſuſpectum facit, aliàs omnibus compellit diffidere. Num quæ ſyluceſtris te fera rapuit? at ferarum tecta ſunt ſyluæ. Num qui te latrones interfecêre? Sed quis tam dirus atque cruentus animus, & humanæ tam expers naturæ, ac vt reipſa ad crudelitatem lapis eſſet, qui non tuam (obſecro) iuuenilem ætatem vereretur? qui non ob formæ ſpeciem miſericordia flecteretur? Sed quid hæc fruſtra lamentor? Deus, à quo conſolationem infelix inuenio, vbinam ipſe ſis, ſcire ſolus poteſt. Talia cum mater lamentaretur, plerique omnes ciues illuc conuenerant, eiuſque luctu commouebantur.

VERVM cum vlulatus in altum tolleretur, & Marcus eiulantem ſenſiſſet, eius cauſam ſciſcitabatur, multum & ipſe amarèque ingemiſcens, lachrymas verbis commiſcebat. Ego pater, inquit Epiſcopus, grauem tibi caſum ediſſeram. Vir quidam honeſto genere, ex vico noſtræ ciuitati proximo oriundus, cum diuitijs florens, tum mente multo locupletiore præſtans, ſua omnia pauperibus communicabat. At vxorem piam admodum & ornatam ducēs, filium ex ea precum ergò genuit, quem à ſacro baptiſmate ipſe ſuſ[c]epi. Videns igitur pater prolis ſuſceptionem, & preces voto ſtetiſſe, ex eo tempore ab vxore abſtinuit. Porro filium octo iam annos natum accipientes, ad me adducunt, quem ego magiſtro primum grammaticis inſtituendum trado: deinde ipſum tondens, ac in XVI.

Tonſura clericorum.

Eccleſiæ collegium, cui præſum, aſciſcens, in Archidiaconi mei fidem committo, mandans vt quam celeriter fieri poſſet, in diuinam legem accuratè incumberet. Qui ita tum natura adiutus, tum ſtudio, breui in omnibus euaſit conſpicuus, vt nemo per vniuerſam Siciliam illi comparandus inueniretur. Itaque puer vel dæmonis inuidia, vel neſcio qua ſortis malignitate vius, oculis noſtris repente tollitur. nec poſtea tanta eius calamitas cuiuis innotuit, neque ſane quicquam de illo in hunc vſque diem nobis eſt proditum, vtcunque vniuerſam Siciliam diu multumque obiērimus, nihilo plus inuenire aut diſcere quiuimus. Quocirca nos itidem inconſolabili prope illius cauſa dolore cruciamur, nihil nobis hactenus (quæ Dei Opt. Max. voluntas fuit) exploratum eſſe. Sed cum cæteris multò vehementius parentum eius animi dolore conflictentur, nunc lugentes adſunt, eius memoriam hodierno die celebraturi, in quo patres, amiſſo filio appellari deſiērunt.

Defunctorum memoria iam olim celebrata.

HIS auditis, ille diu elinguis factus, ac poſt lachrymis plenus, in medium illos prodire petiit, & quænam hæc eſſet, cur tam grauiter cæderentur, interrogauit. Cumque ij præ triſtitia quamplurimum illos opprimente, interciſam ac impeditam vocem haberent, neque cauſam ipſi fari poſſent, cernens ille affectus vehementiam, ſimulque adſpectus (oculis in Charitonem coniectis) accuratius perpendens, quaſdam non obſcuras ſimilitudines ac veluti characteres agnouit: ſiquidem ipſe quoque valde decorus erat adſpectu, & coma flauus, ac vt paucis expediam, certa ſeruantē ſigna perſpiciens, nihilq; reliquum eſſe, quod non optimè quadraret, ſic cum ipſe colligens: XVII.

Præ[...]ſtat

Præſtat, inquit, vos fratres omnino Deo gratias agere, quandoquidem quicquid vnquam accidit, & abdita illius & incognita iudicia (ipſo probe omnia gubernante) eſt referendum: non autem ſic inconſulto lugere, non fecus ſane, ac ſi filius veſter vobis iampridem penitus abiiſſet, licet enim is vos lateat, nihilo tamen minus Deo eſt manifeſtus. Hæc cum Chariton audiſſet, ac eiuſmodi verba ſui conſolandi gratia fieri in caſſum arbitraretur, Hoc ipſum pater (ait) verum eſſe omnino fateor: ſi enim ex diuinis ſcriptis inferi & interitus Deum non latent, quomodo non etiam hominum corda illi erunt manifeſta? Proinde ſi & filius noſter interiit, eius animam ſaltem Dei manibus côtineri credendum eſt. Atq; hactenus quidem Chariton.

S. Gregorius ... Carthagine omnia ... perſpicit. *Iob 26.*

XVIII PORRO Gregorij mater ad os Marci oculos adiiciens, fixius intuebatur: ac eiuſmodi ſermonem audiens, animo ſuſpenſa, corde nutabat. Deinde cum monachus dixiſſet recte cum illorum filio agi, illiſq; fletum reprimere præcepiſſet, Donatum Archidiaconum confeſtim accerſit, aſſiſtentibus ſilentium vt vitium acriter obiicit: Quid cauſæ (inquit) eſt ô homo, cur nequam illum ſeruum imitatus, talentum Dei magnum in terram abdideris, non illud potius palam feceris, vt ſic voluptatis, non mœſtitiæ, tum parentibus pueri, tum communi huic patriæ & Archipræſuli author fieres? Nunc ergò cuius criminis reus es, & qua pœna plectendus? quippé qui tam ingentis illis mœroris author factus, Dei gratiam, quantum in te fuit, occultaueris? His verbis Archidiaconus pallore infectus eſt, ac artus eius omnes tremor inuadens, illius faciem mutauit: ſeſeque in terram abiiciens, amare flere ac ingemiſcere cœpit: ac Dauidis verba contra ſe pronuncians, Peccaui in Dominum meum, & in vos omnes, aiebat. Data igitur illi venia, humi iacentem erexerunt, ac omnia Gregorij acta accurate illum dicere, nihil omnino prætermittentem, imperârunt. Sed ille exorſus, rem ſingillatim omnem ediſſerit, & quemadmodum cum ſe ſomno dediſſet, quædam vox per quietem puerum inclamauit, & vt ille aſſurgens, ſibi præſto fuerit, quouſque illi vox inſonuit, & demum quæ abs ſe, qualiave didicerit, nempe qui vocârat, è cœlo aduenisſe, ac quemadmodum poſtrema vox appareret, eiuſipſius aures percellens, litus ſibi protinus petendum: futurum enim, vt illic inueniret, quibus cum mare celeriter traijceret. His in excuſationem dictis, finem lachrymis fecit, hanc ſilentij cauſam fuiſſe aſſerens veritum ſe, ne quando fide dignus inueniretur, neve ſimularetur in adoleſcentem mali aliquid fuiſſe moli[illegible]atque Archidiaconus in hunc eſt modum locutus.

Matth 25.

2 Reg 13.

XIX. AT Marcus quę ab illo de puero dicta fuerant, affirmans, ipſe quoque adiecit, Gregorij vitam ſibi eſſe perſpectam ac exploratam, iſque ita loqui cœpit: Cum eſſemus Romæ, inque templo ſummorum Apoſtolorum oraremus, duo nobis formidabiles viri adſtiterunt. qui mihi, Surge, inquiunt, Marce repente cum duobus, qui tecum ſunt monachis, & Carthaginem nauigatione contendite, ibique Gregorium quendam Siculum ab Agrigentina Eccleſia illuc aduectum inquirite. is enim naucleri cuiuſdam, qui Varus dicitur, conuictu familiari vtitur, Deoque totus hæret. Hunc vobiſcum aſſumentes, Hieroſolyma vſque perducatis: quo appulſi, Patriarchæ, cui, quæ illo facere oporteat, iniunximus, illum ſiſtite. His dictis, ab aſpectu atque oculis mihi ſublati ſunt: proinde ego cum à ſomno ſolutus eſſem, ad flumen cum his duobus monachis maturo proficiſci, vbi nauem velis paſſis (Deo ſic annuente) velificaturam Carthaginem, comperi: quam conſcendentes, Carthaginem traijcimus, eamque obeuntes, adoleſcentem ad ædem diui martyris Iuliani, lectioni vacantem, offendimus: quem complexi & allocuti, quæ ſe noſtro oculorum ſenſui obtulerant, edicimus. & quæ ad illum contra pertinerent, omnia cognoſcimus. Tum læti, lætum ipſum accipientes, ad ſacra loca deduximus, tam verborum dexteritate, quam ſplendore morum, omnes ad ſe trahentem. Cum hæc Marcus percurriſſet, res quædam contigit cognitione atque memoria digna. ſiquidem vniuerſa multitudo, hoc ſermone tanquam inſania quadam percita, exilire valde ac iucunde admodum plaudere cœpit. ſublata item voce aërem clamore implentes, Deo ob rem tam admirandam gratias agebant, eiuſque nomen miris laudibus cumulabant. Atque hinc quidem multitudo magna communiter perfuſa lætitia, tum præter tim parentes Gregorij, præ voluptatis vbertate à conſtantia mentis deſciuêre, in terramq; ſemimortui ceciderunt. Vt enim immoderatus dolor plerunque in ſtuporem agit, ſic nihilominus voluptatis magnitudo homines à mente diſcedere compellit, vt vtrinque graue periculum impendere conſtet.

Viſio Marci monachi ... in templo ſummorum Apoſtolorum.

Marcus monachus refert ... quomodo S. Gregorius Hieroſolymam vſque comitatus ſit.

XX. MOX coram Marco aſſurgentes, vixque ſui compotes facti, dictis fidem, idque fortaſſe præ gaudio (iuxta diuina ſcripta, Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio) non habebant. Proinde dictorum fidem, perinde atque iſthæc verba ſomnium eſſent, fieri ſibi poſtulabant. Nunquidnam (aiunt) filius noſter vnigenitus, dilectiſſimus viuit? At ille hunc bene beateque in Deo viuere dixit. Vt verò nihil illis, de quo ambigerent, relinqueretur, formam eius effinxit, adoleſcentem illum ſane quàm decorum, patrem valde referre ſuum, colore fuluum, pulchrum oculos, prædulci voce, acutis auribus eſſe: ac demum mores eiuſdem per omnia recenſebat: quam ille prudens, quam ſciens, humili loco poſitus, mentis oculos in cœlos tolleret, ac vndique fauorabili exceptus plauſu, in diuina ſcripta ſemper incumberet. Ac velox quidem optimis quibuſque tum loquendis, tum audiendis, cum alioqui tardus ad loquendum foret: leuitatis verbo quantulibet minimum, nec dicere nec audire nunquam omnino ſuſtinuit. Riſus, quam qui maxime, continens erat. Aſſiduis præterea laboribus, aſperrimæque exercitationi hærebat. Cum hæc atque his longe maiora monachus loqueretur, illa hominum frequentia lætitiis omnibus inceſſit, puerique laus parentibus pro filio in conſolationem ſtetit. Illum ipſum enim intueri videbantur ſic eius indicia animi atque veſtigia manifeſte percipiebant. Ac de his quidem hactenus. Porro monachi in duo illic commorati, iter ſuũ perſequi inſtituerũt. Quocirca nauim ſubeũtes, Panormo ſecũdiſſimo vento celeriter applicuerunt. Illinc Romã patrium ſolum, ſuumq; ipſorũ monaſterium petunt. Et is quidẽ eorum peregrinationẽ finis excepit.

Luc. 24.

Mores optimi S. Gregorij adoleſcentis.

XXI. GREGORIVS verò Hieroſolymis (vt ſermo ſuperius indicauit) exiſtens, curſumque ſuum conficiens, quin potius ſeipſum vincens, ſecumque ipſe decertans, Diaconus à Patriarcha Macario deligitur: à quo diuus Gregorius commeatum oliuarum montis, patrumque in illa ſanctæ ciuitatis ſolitudine degentium viſendorum gratia petiit, cuius cum arbitrio hoc ipſum permitteretur, iter, quo fertur in interiorẽ eremum, aggreditur. Cumque tres dies iter feciſſet, ad ſextam fere horam monachum conſuetis vacantem precibus reperit. quem cum conueniſſet, in ſermonemque familiarem incidiſſet, quando ille nihil minus hunc ipſum virtutis deprehenderat amatorem, in vitæ ſecum contubernium accepit. Verum cum poſt viginti dies vna cum Gregorio illac iter facerer, locum, in quo monachi domicilium: duæq; palmæ erant, indicauit: Ingens hic, ô fili (locũ digito ſignans, ſubdidit ille) theſaurus eſt abditus, nempe exercitationis laude pater eminentiſſimus, tuuſque, id niſi ipſe detrectes, ſeruator futurus. Proinde accede, & pulſans fores, obuiam tibi prodeuntem habebis, quod ſi pſallendo diſtinebitur, cantum cum illo, foris alioquin ſtans, proſequere: cum vero canendi finem fecerit, hinc tibi curæ ſit, quô minus hac ipſa fruſtreris indagine. Hæc ſane cum ille dixiſſet, eſſetque Gregorium amplexatus, diſceſſit.

S. Gregorius fit Diaconus, & monachum ... inuenit.

XXII. AT vero cum hic flexis genibus, oculos ſurſum in cœlum tollens, oraſſet, ſeſeque Crucis ſigno præmuniiſſet, fidenter gradiebatur. Cumque ad locum pertingeret, canentem quaſi turbam audiuit: ſed cum propius acceſſiſſet, non tum multitudinem, ſed velut vnius canentis audire, ſibi viſus eſt. Quare timore perculſus, ad ianuam ſilens appropinquabat: ſed ille cum cantum intus expleſſet, per feneſtram adſpiciens, voce Gregorium inclamauit. Hic vero multo magis ob nominis appellationem pertimeſcere cœpit, & vocanti parens, ingreditur,

ſeſeque

relinqui lamentabatur. Heu mihi (inquiens) quis ſum, & quo me vertam? Quonam ego pacto vobis, patres ac ſeruatores deſtituar? Vos ſecundum Deum ſalutis meæ auctores, ipſi boni probatæ mihi vitæ magiſtri fuiſtis, ipſi errantem inueniſtis, inuenientes rectæ viæ reddidiſtis, multis item fluctibus naufragum ac pene demerſum, in tranquillum ac ſecurum portum aduexiſtis: Nunc porro quomodo tam miſerabiliter diuellar à vobis: Quomodo ſeparationem hanc à vobis feram? Hæc cum Gregorius gemebundus dixiſſet, præ ſeque maximam animi turbationem lachrymis ferret, Marcus vir admirandus, tam futuris prædicendis, quam ſolandis amicis potens, hunc paterne excepit.

A c non ſictu quidem, fili mi, dixeris (ait) non. Neque enim ſolum te eſſe putabamus, quando præſertim XII.
Chriſtus ſua te vocatione ſancta dignatus, in patrum chorum cooptârit. Atque huic te quoque communi & optimo patri, qui, quæ ad te ſpectant, recte adminiſtrabit, & quam fieri poterit, feliciter ſuſcipiet, ipſe commendo. Sic ille loquutus, manum apprehendens, ad Patriarchæ pedes illum ſtatuit: Pater venerande, (inquiens) & hic eſt ex grege Chriſti, ipſeque fide Eccleſiam fundaturus, ac eam doctrinæ cœleſtis prædicatione, vti clauo, diuinæ gubernaturus eſt. Quamobrem eius animæ curam habeas, illamque tua ſuſtentes doctrina oportet, perſuadeaſque meditationis ac exercitationis laboribus inſiſtere, ſplendentem ſe conſeruare, non pulcherrimum, ac vti Veris tempore florentem adſpectum, iuuenilibus cogitationibus quaſi maculis quibuſdam inquinare. Hæc tum dicebat monachus, cum Gregorius grauis animo ruitaretur, ac lachrymas abundantiores effunderet. In quo quidē & qui præſentes aderant, hæc cernentes condoleſcebant: quin & ipſeipſe Patriarcha miſericordia permotus eſt, Gregoriumque adhuc iacentem erigens: Video te, inquit, fili horum virorum ſeparatione grauiter affectum. Quare, ſi placet, vt hac noſtra vtaris conſuetudine, nobiſcum eſto, tuaque omnia Chriſtus, vt velle ipſe videris, recte conſtituet: at vero ſi diſcedere magis lubet, in pace cum illis abi. Atqui Gregorius: Non hoc quidem (inquit) domine accidat, aueſſeturque Deus, vt hæc loca, quæ videre precatus ſum, & pro quibus hanc tam longam peregrinationem confeci, derelinquam. Verum facere non poſſum, cum vehementer illos diligam, quin aliquantulum afficiar. Quoniam vero illos abire neceſſarium fuit, exiſtimo ſacras illorum preces vti tutelam quandam ac euentum vitæ initar ipſorum, mihi non defore. Confido enim Deo, hac ipſa etiam præſenti vita illos iterum me conſpecturum. Talia locutum monachi circum adſtantes, ac ardenter circumplexi, lachrymis manifeſtam proculdubio ſignificationem fecerunt, quam ægre ab illo ſepararentur: à quo vix tandem auulſi, ac in ordine in compoſiti, inuiti abiêrût.

S. Gregorius comendatur Macario Epiſcopo Hieroſolymitano.

S. Gregorius terræ ſanctæ monaſteria inuiſit.

P o r r o cum Hieroſolymis hic permanſiſſet, veneranda illa ac ſacra loca, necnon monaſteria ac monacho- XIV.
rum domicilia perluſtrauit, & operoſam apim ſedulò imitatus, virtutum flores diligenter excerpſit. Atque iis ſeſe ſtudiis Gregorius continebat. Verum monachi cum Tripolim perueniſſent, naui conſcenſa in Siciliam nauigantes, Agrigentum ſunt aduecti: monaſterium vero, quod ibi proximum erat, adeuntes, apud præſidem diuerſantur: quem quidem Marcus futurorum præſcius cum nûquam vidiſſet, proprio nomine Paulum appellans, in ſtuporem coniecit. Ac de prædicto ſancto Potamione, quem nunquam antea illi cognitum eſſe exiſtimarat, percontatus, nihilo minorem admirationem iniecit. Itaque cum menſa illis eſſet appoſita, ac panis & aquæ (vti illis moris eſt) mutuo participem feciſſent, viros Epiſcopo manifeſtat, & vt Marcus hominem, quem nunquam viderat, nominatim appellârit, quo ille nuncio mirifice gauiſus eſt, idque inexpectato lucro apponens, ad ipſum confeſtim properat. Porrò cùm illos obuios habuiſſet, complexatus, & per illos, quidnam apud eos ageretur, quinam eſſent, quòve hac peregrinatione contenderent, cognoſcens, & rurſus, cuius rei cauſa nauigationem facerent, cum illis breui commoratus, ac diuina quædam commentatus, ad eccleſiam, myſticum ſacrificium celebraturus: proficiſcitur. Is enim Petri & Pauli ſummorum Apoſtolorum dies feſtus erat.

Dies feſtus SS. Petri & Pauli Apoſtolorum.

P o s t e r a autem die poſt matutinas laudes, cum Epiſcopus illis adeſſet, deque rebus diuinis ac ſalutaribus XV.
cum illis familiariter loqueretur, ſtatim Gregorij parentes in vrbem ingreſſi ſunt, vt illi tanquam mortuō parentarent, eodem nanque die mortuus illis viſus fuerat. Atqui cum mater Gregorij æquæuos pueros vidiſſet, filij memoriam ſubiens, viſceribus eſt grauiter interciſa: quippe horum adſpectus, fletus illi cauſam miniſtrauit. Hei mihi (dicens) fili dilectiſſime, fili tam ingens inter æquales ſplendor, quam ſol inter aſtra. Hos quidem tui cauſa omnes intueor: tu verò vbi es terrarum? Cur es (oro) in lucem editus? Vtinam mortis tuæ genus agnoſcerem. Vtinam locum, vbi occubuiſti. Atque vtinam ſcirem, ſi qui tibi fuerunt mortis authores. Tuæ nanque calamitatis ignoratio mihi dolorem auget, facitque, vt, cum ſic lugere cogat, ignorem, in quo mihi mœ ſit lamentandū. Alias enim omne mortis genus ſuſpectum facit, aliâs omnibus compellit diffidere. Num quæ ſyluestris te fera rapuit? at ferarum tecta ſunt ſyluæ. Num qui te latrones interfecêre? Sed quis tam dirus atque cruentus animus, & humanæ tam expers naturæ, ac vt reipſa ad crudelitatem lapis eſſet, qui non tuam (obſecro) iuuenilem ætatem vereretur? qui non ob formæ ſpeciem miſericordia flecteretur? Sed quid hæc fruſtra lamentor? Deus, à quo conſolationem infelix inuenio, vbinam ipſe ſis, ſcire ſolus poteſt. Talia cum mater lamentaretur, plerique omnes ciues illuc conuenerant, eiuſque luctu commouebantur.

S. Gregorius a parētibus pro mortuo defletur.

V e r v m cum vlulatus in altum tolleretur, & Marcus eiulantem ſenſiſſet, eius cauſam ſciſcitabatur, multum XVI.
& ipſe amarèque ingemiſcens, lachrymas verbis commiſcebat. Ego pater, inquit Epiſcopus, grauem tibi caſum ediſſeram. Vir quidam honeſto genere, ex vico noſtræ ciuitati proximo oriundus, cum diuitijs florens, tum mente multo locupletiore præſtans, ſua omnia pauperibus communicabat. At vxorem piam admodum & ornatam ducēs, filium ex ea precum ergò genuit, quem à ſacro baptiſmate ipſe ſuſcepi. Videns igitur pater prolis ſuſceptionem, & preces voto ſtetiſſe, ex eo tempore ab vxore abſtinuit. Porro filium octo iam annos natum accipientes, ad me adducunt, quem ego magiſtro primum grammaticis inſtituendum trado: deinde ipſum tondens, ac in Eccleſiæ collegium, cui præſum, adſciſcens, in Archidiaconi mei fidem committo, mandans vt quam celerrime fieri poſſet, in diuinam legem accuratè incumberet. Qui natura adiutus, tum ſtudio, breui in omnibus euaſit conſpicuus, vt nemo per vniuerſam Siciliam illi comparandus inueniretur. Itaque puer vel dæmonis inuidia, vel neſcio qua ſortis malignitate viſus, oculis noſtris repente tollitur. nec poſtea tanta eius calamitas cuiuis innotuit, neque ſane quicquam de illo in hunc vſque diem nobis eſt proditum, vtcunque vniuerſam Siciliam diu multumque obiêrimus, nihilo plus inuenire aut diſcere quiuimus. Quocirca nos itidem inconſolabili prope illius cauſa dolore cruciamur, nihil nobis hactenus (quæ Dei Opt. Max. voluntas fuit) exploratum eſſe. Sed cum cæteris multò vehementius parentum eius animi dolore conflictentur, nunc lugentes adſunt, eius memoriam hodierno die celebraturi, in quo patres, amiſſo filio appellari deſiêrunt.

Tonſura clericorum.

Defunctorum memoria iam olim celebrata.

H i s auditis, ille diu elinguis factus, ac poſt lachrymis plenus, in medium illos prodire petiit, & quænam XVII.
hæc eſſet, cur tam grauiter cæderentur, interrogauit. Cumque ij præ triſtitia quamplurimum illos opprimente, interciſam ac impeditam vocem haberent, neque cauſam ipſi fari poſſent, cernens ille affectus vehementiam, ſimulque adſpectus (oculis in Charitonem coniectis) accuratius perpendens, quaſdam non obſcuras ſimilitudines ac veluti characteres agnouit: ſiquidem ipſe quoque valde decorus erat adſpectu, & coma flauus, ac vt paucis expediam certa ſeruantē ſigna perſpiciens, nihilq; reliquum eſſe, quod non optime quadraret, ſic cum ipſe colligens:

Prælat

Præſtat, inquit, vos fratres omnino Deo gratias agere, quandoquidem quicquid vnquam accidit, & abdita illius & incognita iudicia (ipſo probe omnia gubernante) eſt referendum: non autem ſic inconſulto lugere, non ſecus ſane, ac ſi filius veſter vobis iampridem peſſum abiiſſet, licet enim is vos lateat, nihilo tamen minus Deo eſt manifeſtus. Hæc cum Chariton audiſſet, ac eiuſmodi verba ſui conſolandi gratia fieri in caſſum arbitraretur: Hoc ipſum pater (ait) verum eſſe omnino fateor: ſi enim ex diuinis ſcriptis inferi & interitus Deum non latent, quomodo non etiam hominum corda illi erunt manifeſta? Proinde ſi & filius noſter interiit, eius animam ſaltem Dei manibus cōtineri credendum eſt. Atq; hactenus quidem Chariton.

Iob 26.

XVIII Porro Gregorij mater ad os Marci oculos adiiciens, fixius intuebatur: ac eiuſmodi ſermonem audiens, animo ſuſpenſa, corde nutabat. Deinde cum monachus dixiſſet recte cum illorum filio agi, illiſq; fletum reprimere præcepiſſet, Donatum Archidiaconum confeſtim acceſſit, aſſiſtenti ſilentium vt vitium acriter obiiciens: Quid cauſæ (inquit) eſt ô homo, cur nequam illum ſeruum imitatus, talentum Dei magnum in terram abdideris, non illud potius palam feceris, vt ſic voluptatis, non mœſtitiæ, tum parentibus pueri, tum communi huic patri & Archipræſuli author fieres? Nunc ergò cuius criminis reus es, & qua pœna plectendus? quippè qui tam ingentis illis mœroris author factus, Dei gratiam, quantum in te fuit, occultaueris: His verbis Archidiaconus pallore infectus eſt, ac artus eius omnes tremor inuadens, illius faciem mutauit: ſeſeque in terram abiiciens, amare flere ac ingemiſcere cœpit: ac Dauidis verba contra ſe pronuncians, Peccaui in Dominum meum, & in vos omnes, aiebat. Data igitur illi venia, humi iacentem erexerunt, ac omnia Gregorij acta accurate illum dicere, nihil omnino prætermittentem, imperârunt. Sed ille exorſus, rem ſingillatim omnem ediſſerit, & quemadmodum cum ſe ſomno dediſſet, quædam vox per quietem puerum inclamauit, & vt ille aſſurgens, ſibi præſto fuerit, quotieſque illi vox inſonuit, & demum quæ abs ſe, qualiave didicerit, nempe qui vocârat, è cœlo aduenisse, ac quemadmodum poſtrema vox apparuerit, eiuſipſius aures percellens, litus ſibi protinus petendum: futurum enim, vt illic inueniret, quibus cum mare celeriter traijceret. His in excuſationem dictis, finem lachrymis fecit, hanc ſilentij cauſam fuiſſe aſſerens veritum ſe, ne quando fide dignus inueniretur, neve inſimularetur in adoleſcentem mali aliquid [illegible]que Archidiaconus in hunc eſt modum locutus.

Matth. 25.
2 Reg. 12.

XIX. At Marcus quę ab illo de puero dicta fuerant, affirmans, ipſe quoque adiecit, Gregorij vitam ſibi eſſe perſpectam ac exploratam, iſque ita loqui cœpit: Cum eſſemus Romæ, inque templo ſummorum Apoſtolorum oraremus, duo nobis formidabiles viri adſtiterunt, qui mihi, Surge, inquiunt, Marce repente cum duobus, qui tecum ſunt monachis, & Carthaginem nauigatione contendite, ibique Gregorium quendam Siculum ab Agrigentina Eccleſia illuc aductum inquirite: is enim naucleri cuiuſdam, qui Varus dicitur, conuictu familiari vtitur, Deoque totus hæret. Hunc vobiſcum aſſumentes, Hieroſolyma vſque perducatis: quo appulſi, Patriarchæ, cui, quæ illo facere oporteat, iniunximus, illum ſiſtite. His dictis, ab adſpectu atque oculis mihi ſublati ſunt: proinde ego cum à ſomno ſolutus eſſem, ad flumen cum his duobus monachis maturo proficiſci, vbi nauem velis paſſis (Deo ſic annuente) velificaturam Carthaginem, comperi: quam conſcendentes, Carthaginem traijcimus, eamque obeuntes, adoleſcentem ad ædem diui martyris Iuliani, lectioni vacantem, offendimus: quem complexi & allocuti, quæ ſe noſtro oculorum ſenſui obtulerant, edicimus, & quæ ad illum contra pertinerent, omnia cognoſcimus. Tum læti, lætum ipſum accipientes, ad ſacra loca deduximus, tam verborum dexteritate, quam ſplendore morum, omnes ad ſe trahentem. Cum hæc Marcus percurriſſet, res quædam contigit cognitione atque memoria digna. ſiquidem vniuerſa multitudo, hoc ſermone tanquam inſania quadam percita, exilire valde ac iucunde admodum plaudere cœpit: ſublata item voce aërem clamore implentes, Deo ob rem tam admirandam gratias agebant, eiuſque nomen miris laudibus cumulabant. Atque hinc quidem multitudo magna communiter perfuſa lætitia, tum præter rem parentes Gregorij, præ voluptatis vbertate à conſtantia mentis deſciuêre, in terramq; ſemimortui conciderunt. Vt enim immoderatus dolor plerunque in ſtuporem agit, ſic nihilominus voluptatis magnitudo homines à mente diſcedere compellit, vt vtrinque graue periculum impendere conſtet.

Viſio Marci monachi in templo Apoſtolorum.

XX. Mox coram Marco aſſurgentes, vixque ſui compotes facti, dictis fidem, idque forſaſſe præ gaudio (iuxta diuina ſcripta, Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio) non habebant. Proinde dictorum fidem, perinde atque iſthæc verba ſomnium eſſent, fieri ſibi poſtulabant. Nunquidnam (aiunt) filius noſter vnigenitus, dilectiſſimus viuit? At ille hunc bene beateque in Deo viuere dixit. Vt verò nihil illis, de quo ambigerent, relinqueretur, formam eius effinxit, adoleſcentem illum ſane quàm decorum, patrem valde referre ſuum, colore fuluum, pulchrum oculos, prædulci voce, acutis auribus eſſe: ac demum mores eiuſdem per omnia recenſebat: quam ille prudens, quam ſciens, humili loco poſitus, mentis oculos in cœlos tolleret, ac vndique fauorabili exceptus plauſu, in diuina ſcripta ſemper incumberet. Ac velox quidem optimis quibuſque tum loquendis, tum audiendis, cum alioqui tardus ad loquendum foret: leuitatis vero quantumlibet minimum, nec dicere nec audire nunquam omnino ſuſtinuit. Riſus, quam qui maxime, continens erat. Aſſiduus præterea laboribus, aſperrimæque exercitationi hærebat. Cum hæc atque his longe maiora monachus loqueretur, illa hominum frequentia lætitiis omnibus inceſſit: puerique laus parentibus pro filio in conſolationem ſtetit. Illum ipſum enim intueri videbantur: ſic eius indicia animi atque veſtigia manifeſte percipiebant. Ac de his quidem hactenus. Porro monachi triduo illic commorati, iter ſuũ perſequi inſtituerũt. Quocirca nauim ſubeũtes, Panormo ſecũdiſſimo vento celeriter appulerunt. Illinc Romã patrium ſolum, ſuumq; ipſorũ monaſterium petunt. Et is quidẽ eorum peregrinationẽ finis excepit.

Luc. 24.

XXI. Gregorivs verò Hieroſolymis (vt ſermo ſuperius indicauit) exiſtens, curſumque ſuum conficiens, quin potius ſeipſum vincens, ſecumque ipſe decertans, Diaconus à Patriarcha Macario deligitur: à quo diuus Gregorius commeatum oliuarum montis, patrumque in illa ſanctæ ciuitatis ſolitudine degentium viſendorum gratia petiit, cuius cum arbitrio hoc ipſum permitteretur, iter, quo fertur in interiorẽ eremum, aggreditur. Cumque tres dies iter feciſſet, ad ſextam fere horam monachum conſuetis vacantem precibus reperit: quem cum conueniſſet, in ſermonemque familiarem incidiſſet, quando ille nihil minus hunc ipſum virtutis deprehenderat amatorem, in vitæ ſecum contuberninm accepit. Verum cum poſt viginti dies vna cum Gregorio illac iter faceret, locum, in quo monachi domicilium: duæq; palmæ erant, indicauit: Ingens hic, ô fili (locũ digito ſignans, ſubdidit ille) theſaurus eſt abditus, nempe exercitationis laude pater eminentiſſimus, tuuſque, id niſi ipſe detrectes, ſeruator futurus. Proinde accede, & pulſans fores, obuiam tibi prodeuntem habebis, quod ſi pſallendo diſtinebitur, cantum cum illo, foris alioquin ſtans, proſequere: cum vero canendi finem fecerit, hinc tibi curæ ſit, quô minus hac ipſa fruſtreris indagine. Hæc ſane cum ille dixiſſet, eſſetque Gregorium amplexatus, diſceſſit.

XXII. At vero cum hic flexis genibus, oculos ſuſum in cœlum tollens, oràſſet, ſeſeque Crucis ſigno præmuniſſet, fidenter gradiebatur. Cumque ad locum pertingeret, canentem quaſi turbam audiuit: ſed cum propius acceſſiſſet, non tum multitudinem, ſed velut tres canentes audire, ſibi viſus eſt. Quare timore perculſus, ad ianuam ſilens appropinquabat: ſed ille cum cantum intus expleſſet, per tranſennam adſpiciens, voce Gregorium inclamauit. Hic vero multo magis ob nominis appellationem pertimeſcere cœpit, & vocanti parens, ingreditur,

ſeſeque

Eremita externus diſcipulis eum vt inſtitueret.

ſeſeque lachrymis ac ſudoribus circumfuſus, illius ad pedes proiecit. Cumq; ab eo, Deum vt pro ſe oraret, petiiſſet, ſibique illud ipſum præſtitum eſſet, apud ſenem commoratur. Grammaticamque & quicquid poetarum libris continetur, Rhetoricam item, ac philoſophiam illam, quæ animo & contemplatione cernitur, (nam quæ in rerum actione verſatur, iam pridem didicerat) edocetur. Siquidem ſenex ab his omnibus belle paratus erat, literarumque Græcarum doctorem ſe præſtabat eximium. Tam affabre Gregorius literarum diuitiis auctus, nec minori morum, atque virtutis, acceſſione facta, illi adhæreſcebat: à quo, quænam ſe vexationes inuaſuræ eſſent, edoctus, (erat enim diuinus ille vir inter cætera venturi præſcius) ruſus ad ſacra loca pergit: in quibus cum per annum vixiſſet, illinc in Antiochiam abit: apud quam moram trahens, annum itidem commoratus eſt. Cumque eſſet plures eruditos ſermones interpretatus, nec paucos ipſe compoſuiſſet, omnibus ſui admiratione iniecta, ad magnam ac regiam Conſtantini ciuitatem conceſſit: quando diuina illum omnino prouidentia eò compelleret, & à cæteris quidem mundi curis abſtractum, ad munus illud, ad quod obediendum vocatus fuerat, hortaretur.

Venit tandem Conſtantinopolim.

S. Ioannis Chryſoſtomi encomium.

XXIII HANC ſubiens, apud monachum, ſapientiæ ſtudioſum, qui Sergij & Bachij martyrum domui olim præfuerat, diuerſatus, rem non paruam quidem effecit, dum Iohannis Chryſoſtomi ſermones aureos percurrit. Nam ſententiarum illius dulcedo ac vbertas, necnon verborũ pulchritudo ipſum illexerat: tum nouam illam ſubinde ſtructuram mirè afficientem, omniaque eius ſcripta, donis plena cœleſtibus, contuitus, hinc illius animi celſitudinem prout poterat, non ſegniter edoctus, ardore quodam animi erat accenſus, & ad eius vitam, vti exemplar quoddam longe pulcherrimum, oculos intendens, imitari illam ſedulo nitebatur. Hinc crebrioribus ſe ieiuniis dedidit, vigiliis inſiſtebat, precibus vacabat aſſiduis. Quæ vero illi circa Iohannem contigêre, eadem domus eiuſdem præſes ſibi circa illum vſu veniſſe comperit. Cum enim & is ieiunium admirabile cerneret (neque enim cibum niſi ſeptem ſingulis diebus, ac tum quidem olera modico condita ſale accipiebat) ac vigilias naturam humanam egredi, nihiloſecius laboribus inuictũ, precibus ac comtemplationi cõſtantiſſime inhærere, ſtupore magno affectus, non continuit, quin hæc ipſa à ſilentio vindicaret, & Patriarcham, cui acta illius omnia manifeſtat, rerum omnium participem faceret. Ille his auditis, gauiſus eſt vehementer, ac ſapientes quoſdam viros, per quos aliquod illius periculum faceret, ad illum legare, ac mox Gregorium ipſum accerſitum apud ſe continere decreuit. Tum enim ſplendor noctis, nempe ſapientes, interire cœperant, ac vno die periiſſe omnes, & ab adſpectu hominum procul viſi ſunt exulâſſe. Mittuntur igitur ad illum Maximus quidam philoſophus, ac Conſtantinus, tum Eccleſiæ librorum cuſtos, viri non modò ipſi eloquentes, ſed qui alios etiam loquentes iudicare poſſent: philoſophia quidem plurimum exculti, atque etiam ad ſententiam ac mores hominum rimandos inſtar Lydij lapides indices. Qui cum ad illum profecti eſſent, ac ſenſus generoſitatemque animi perſpexiſſent, itemque delectabiles mores, ac ſermonem melle ſuauiorem fluere, linguam longè præſtantiorem, quam vt dubitatione aliqua ſibi propoſita vinceretur: (nihil enim ex his, quæ ad Theologiam pertinent, eorumq;, quæ indiſſolubilia eſſe putantur, diſertæ atque cœleſti eius linguæ in quæſtionem reuocantes, reperire potuerunt, in quo non hos magis ille ſolutione percelleret, in maximamque traheret admirationem.) Hæc cum experientia didiciſſent, non inuidia quæ honeſta eſſent occultârunt: quin potius nuncij atque præcones apud omnes, & ipſum inprimis Patriarcham illuſtres facti, Gregorium ſolum inter homines cum ingenio, tum lingua inuictum aſſerentes, reuerſi ſunt.

Nota ieiunia, vigilias, preces &c S. Gregorij.

XXIV VBI vbi vero eximius ille vir haudquaquam ſpernendus viſus eſt, confeſtim ad ſe Patriarcha illum accerſiuit: qui inuitus quidem ducitur, erat enim quietis apprimè ſtudioſus, ſimulq; poſtliminio redire, illincque proficiſci maturabat. Paret nihiloſecius, & coram Archipræſule poſitus, cum moribus eſſet tranquillus, adſpectu venerandus, & alloquij ſuauitate ſirenas haud fabuloſè loquendo vinceret: ita illum vehementer deuinxit, ſibique totum obſtrinxit, vt ſine illo nullo pacto conſiſtere vellet, idque inprimis, quia nihil à ſapientibus proponebatur, quod non ille magna cum perſpicuitate ac ad perſuadendum aptitudine interpretaretur. Proinde viginti illic dies commoratus, interimque cum ſapientia, tum ſingulari manſuetudine ac modeſtia admirabilis omnibus habitus, abeundi ruſus verba fecit. Sed cum Patriarcha nollet ipſum dimittere, quin omni illum ſtudio retinere niteretur, alias cauſas afferens, quibus illi remanendum eſſet, (Monothelitarum enim hæreſis plurimum tum ſerpebat, & hic ſolus nexus illorum facile perfringere poterat) tum ſane, licet inuitus, remanere eſt perſuaſus. Iam vero vbique ad bellum conclamatum erat, ab vna quidem parte Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Cyrus, qui iam hæretici declarati fuerant: ab altera quicunque hæreſim deteſtantes, pro vera pietate ſtabant. Ipſe verò prauè ſentientes, licet procul adhuc poſitos, intortis vibratiſque iaculis fugabat, variis circa dogma ſermonibus editis, quibus omnes illorum opiniones riſus & meras eſſe nugas euidentiſſime demonſtrârat.

Inſignis B. Gregorij ſapientia.

Monothelitarum hæreſis graſſatur.

Eos egregiè confutat S. Gregorius.

XXV. POSTEA verò quam bellum erumpere palam cœpit, tum hæreſeos viri principes occurrerunt, tum ex his, qui recta dogmata ſectabantur, præſtantiores illuc confluxerunt. Aderant Antiochiæ, Alexandriæ ac Hieroſolymorum, ſimulque omnes Orientis præſides, Itemque ab Occidente omnes, præter Romæ antiquioris, & Sardiniæ Præſules. (hos enim grauis morbus intra fines continuerat.) At Romanus hominem ſacris literis eruditum, qui ſuas vices impleret, deſtinauit. Gregorius vero in Sardonij locum ſuffectus eſt. Quocirca cum magnum illo die (vt par erat) de ſacris literis certamen ortum eſſet, aliis quidem rerum, aliis vero verborum fiducia fretis, dum hæretici acri ac ſuaſorio quodam ſermone, quo veritatem occultare opinabantur, vtuntur: ille vere generoſus ac inexpugnabilis lingua, qua tum diuina opitulante gratia plurimum roboratus eſt, ſic eorum nexus tanta vi orationis & ardore ſpiritus fregit, vt eos, qui dicendi laude plurimum præſtabant, mutos omnino redderet, & eorum linguas penitus auferre videretur, ac ij prætetea ipſi ſilentes, ſeſe victos eſſe faterentur. Itaque Patrum quidem ſynodus plaudebat, hæreticorum vero multitudo, alij, & ij quidem illuſtriores, depoſito errore, noſtris adhæreſcebant: alij vero plurimi propter verecundiam in medium prodire non audebant. Hunc exitum Synodus habuit, ſoluſque Gregorius per omnium ora, & præſertim Patrum, volitabat.

V. Synodus œcumenica.

Præclara eius dicẽdi vis & eloquentia.

XXVI AT aliis tum admirantibus, tum vota pro illo facientibus, Archipræſul ſecum illum accipiens, ad Regem adduxit: Hic Rex optime (dicens) Hic, inquam, eſt ille victor, ac noſtræ fidei propugnaculum. Tum Rex ac vniuerſus circumſtans Senatus admiratione ac laudibus hunc exceperunt: Mox Deo gratias agentes, multa cum reuerentia & honore deduxerunt. Deindè Rex ipſum accerſiuit, ſimulque cum illo locutus, quiſnam eſſet, ac vnde gentium veniret, & quas orbis regiones peragrâſſet, quæ illi demum tantæ peregrinationis cauſa, quæ præterea mens fuiſſet, agnouit. Quo factum eſt, vt illum ex animo vehementer admirans, homine multo maiorem æſtimaret, quodq; in eius cõſpectum veniſſet, multas hoc nomine Deo & Archipræſuli gratias debere fateatur. At vero Gregorius priori propoſito innixus, conſuetudinem illam ac honorem ægre admodum ferebat: quin abitum illiuc modis omnibus meditabatur. Hunc deniq; Marciani cuiuſdam, qui Regi perquam familiaris erat, opera conſequutus, cautionibus ac legibus quibuſdam dimiſſus eſt, nimirum inuiſeret Romam: cumque vrbis illius pulchritudinem ac magnificentiam vidiſſet, eſſetque ſummos Apoſtolos veneratus, ruſus quam celerrimè poſſet, reuerteretur, Regis contubernio in poſterum adhæſurus. Porro antequam ille Romam adiret, Epiſcopi quos Pontifex Maximus ad concilium miſerat, eius aduentum anteuerterant, Pontificemq; ipſum, ac omnes regni eiuſdem

Imperator eum plurimi facit.

præſules

præſules in maximam illius admirationem euexerant. Quamobrem illuſtris ille vir expectatus aduenit, & maiorem illis ſua præſentia, quam cuiuſuis ſui prædicatione, ſtuporem induxit. Cæterum turbam vitans, frequenteſque hominum congreſſus declinans, neque temere ſeſe, nec inconſultò in cuiuſuis colloquium dans, iuxta diui Sabæ domicilium commorari decreuit. *Romæ in multa admiratione habetur.*

XXVII C V M hæc interim apud Gregorium agerentur, Theodorus Agrigenti Epiſcopus, qui iam Potamioni ſucceſſerat, vita ipſe pariter defunctus eſt. Inde dum alij alium proponerent, (vt vſu fere in eiuſmodi ſuffragiis euenire ſolet) ſeditio in populo naſcitur, & tumultus à multitudine conflatur. Alij enim Sabinum quendam presbyterum, alij Creſcentinum, alij Archidiaconum Euplum, & alij alios in ſede collocare ſtudebant. Cumque vnuſquiſque deſignatum à ſe authoritate Pontificis firmari, tatumque fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem (vt moris eſt) Pontificis Max. arbitrio permiſſuri. Horum in comitatu Chariton Gregorij pater aderat. Atqui illis Romam accedentibus, cum hinc Sabinus, inde Creſcentinus conſiſteret, Euplus ac reliqui illos ordine ſequebantur. Quocirca interrogati, quemnam ſibi vellent Epiſcopum præfici, aliis Sabinum, aliis Creſcentinum petentibus, Pontifex conuerſus ad eos, qui erant ab Euplo, Quid vobis, inquit, videtur? Ij per Charitonem reſponderunt, ſe illum, qui Deo inprimis, & illius iudicio videretur, ſuſcepturos. Hoc ſane nobis (aiunt) erit optabile, quod enim tuo iudicio probaueris, idipſum quoque Deo placere omnino exiſtimamus. Deinde Pontifex iis, qui à Sabino ac Creſcentino ſtabant, ait: Vnum aliquem ex omnibus, qui vobis cordi magis ſit, vnanimes deſignate. Cæterum prudenter illi nihil reſponderunt: quin tumultuosè agentes, ipſi inter ſe conuiciis turpiter laceſſebant. Propter imprudentem illorum ſeditionem indignatus Pontifex, illorum poſtulata irrita fecit. Verum poſt triduum Euplum ac Charitonem accerſens illos conſilij ſui participes facit. Rurſus illi Dei placitum expectare, & quem ille manifeſte approbâſſet, hunc itidem ſeſe dixerunt eligere. *Tumultuatur Agrigentinæ ſes propter electionem ſui Epiſcopi*

XXVIII Q V A M O B R E M cum Pontifex penderet animi, Deumque aſſiduis precibus oraret, vt quem is probaret, eundẽ perſpicuũ cœlitus faceret, duos homines per quietem ſibi vidiſſet aſſiſtere, ſpecie ac cultu corporis Apoſtolos referentes, qui ſe in hunc modum viſi ſunt alloqui: Cur ob inuicem diſſidẽtium contentionem animo cruciaris? Nam qui ad te, vt eligantur, ab iiſdem adducti ſunt, hoc onere atque conatu haudquaquam ſunt digni. At quidam alius eſt in vrbe hoſpes, vir moribus ornatus ac Deo charus: Gregorio nomẽ eſt illi, hic aliquãdo in diui Sabæ monaſterio hoſpes egit: ſed cum hoſce viros aduentare ad vrbem intellexit, multo magis ſe occultauit, ac nunc in ſacra diui Mercurij æde latet occultus. Hunc accerſe, & Agrigenti Eccleſiæ præfectura inſignitum, in Siciliam primo quoq; tempore tranſmittito. eſt enim vir cum ſacerdotio dignus, tum regundæ illi Eccleſiæ maxime idoneus. His dictis, ſimulque cum lineamentis illum corporis indicâſſent, ab oculis elapſi ſunt. Simulac verò ſomno ille ſolutus eſt, timore ac gaudio perfuſus, cum Marco monacho, quæ ſibi per viſum apparuerant, communicat. Porro hic erat Marcus ille, quem Gregorio comitem itineris miſſum, ac deinde Romam in patrium ſolum reuerſum fuiſſe, ſuperior ſermo demonſtrauit. Hic Pontifici hoc viſum gratulatus, monuit oportere illum iuxta viſionem agere. Tum quidam exploratum mittuntur viri ſelecti, quique illum probe nôrant, ac duo præterea Epiſcopi, qui à concilio antea reuerſi fuerant, quibus alter quidam ſacerdos illi cognitus comes additur. Hi ſimul monaſterium diui Sabæ quamprimum adeunt: vbi intelligentes illum biduo antea egreſſum, ad templum ſeſe diui Mercurij contuliſſe, illuc maturant proficiſci, eumque inde mox digreſſurum inueniunt: qui illos eminus conſpicatus, & qui nam eſſent, de facie agnoſcens, ac demum, quid à ſe vellent, coniectans, in hortum ſe in medijs plantis, fugiens, abdidit. *Per viſum docetur Põtifex quem deleat Agrigentinis dare Epiſcopum.* *Aperit Pontifex viſionem Marco monacho, Gregorij quondam comiti.*

XXIX. C V M vero illi à Præpoſito domicilij eiuſdem Gregorium acriter repeterent, hunc ſi dimitteret, grauiter interminati, ille animo atque cogitatione ſuſpenſus, ab Epiſcopis motæ paululum impetrauit, nec prius acquieuit: donec vniuerſam domum accuratiſſimè ſcrutatus perluſtraſſet. Hortum itidẽ obiens, & oculos arboribus adijciens, medium illis obrutum ac latitantem cernit. Accurrens ergo, manu illius apprehenſa, ſe quærentibus educebat, in illum ſæuiens, clamabat magnis illum (vt apparebat) obnoxium & obſtrictum eſſe criminibus, & propterea ab eiuſmodi viris inquiri: itemque exulem ac profugum, templum illud, vt ibi lateret, petiſſe, ac graue ſibi hoc nomine periculum attuliſſe. Et ille quidem hæc ita ſe habere arbitrabatur: ille contra nihil locutus, quaſi nulla ſubeſſet ſibi ratio ad reſpondendum ſilens egrediebatur. Vbi vero viderunt illum Epiſcopi & agnouerunt, pudore erga illum affecti, eiuſque genibus aduoluti, complexantur, magni ſe nihil agere opinantes, ſi quem à cõcilij patribus, atque adeo à Rege ipſo honorifice exceptum viderant, ipſi quoque ſummo honore complecterentur. Verum enimuero diuus Gregorius, non ſegnius ſe demittens, honorem illis nihilo minorem rependebat. Sub hæc audiens is, qui Gregorium accerſierat, talia nutu Dei regi & adminiſtrari perſuaſus, illos ſequebatur. Dum hæc aguntur, Marcus, qui eiuſipſius à puero vita, quæve innocentes mores fuiſſent, Pontifici Max. narrabat, quemadmodum ex diuina viſione aſſumptum ex Sicilia ad ſancta eum loca aduexiſſet. Identidem Pontifex, quæ à Synodo profectis audierat, Marco communicat, nimirum vt literarum præſtantia coruſcans hæreticorum ora illic obſtruxerit. *Ea vir ſanctus quam eſt honoris minime cupidus.* *Agnoſcitur ab Epiſcopis qui cõcilio cum ipſo interfuerant.*

XXX. I N T E R I M vero dum hæc illi mutuo commentantur, Epiſcopi Gregorium ſecum adducentes redierunt: qui cum propius acceſſiſſent, formæ illius lineamenta ad viſionem, quam in ſomnis viderat, conferens Pontifex, eundem ipſum, qui ſibi in quiete viſus fuerat, intueri eſt perſuaſus. Quare hilariter illum admodum complexatus, Deoque quemadmodum tempus poſtulabat, gratias agens, in ſede locandum præcipit. Aderat & Marcus cæteris aſſidens: quem Gregorius conſpicatus, eius ſunt elicitæ gaudio lachrymæ, ac à ſede, cum primum potuit, exiliens, ſeſe ad illius pedes proiecit, Deoq; multiplices & immortales gratias egit: Te gloria Chriſte Rex, (inquiẽs,) Te gloria decet. En tibi rurſus ſeruator meus, dux meus, ſpei meæ principium. Deinde Marcum ipſum alloquitur: Ecce tuum, pater, iam pridem prædictum vaticinium, nunc finem accepit, fore vt nos denuò, hac etiam præſenti vita, mutuo videremus. His non ſine lachrymis à Gregorio dictis, præſentes omnes mirabantur, gaudijq; participes facti, lacrymas cum illis communicabant. At verò Pontifex Max. præſentes omnes dimittit, ſolos Epiſcopos duos atq; Gregorium retinet, omnia illis (vti ſe habent) acta, tum turbæ ſeditionem, tum dubitationẽ quam habuerat, ediſſerit: eaq; addit, quæ ſibi in ſomniis diuinitus apparuerant, aſſerens illum Agrigentinorum Eccleſiæ Epiſcopum cœlitus electum eſſe. Hæc cum Pontifex loquutus eſſet, Gregorius ſacerdotium detrectare ac recuſare, indignum ſe minuſq; tanto faſtigio idoneum obnixe aſſeuerans. Porro cum Pontifex nihil ob id hortari rurſus ac minitari deſiſteret, Gregorius vir ſanctus, veritus ne quodammodo inſolenter videretur intumeſcere, ac ſuo damno Dei nutibus aduerſari, exigui temporis, quo rem accuratius perpenderet, inducias petit. Interim cum Marco monacho pernoctans, precibus inſiſtebat, neque multo poſt eidem per totam noctem ſomnus obrepſit. *Pontifex eum iubet præfici Eccleſiæ Agrigentinæ.* *Ille vero recuſat.*

XXXI. A V D I E N S autem, quod Chariton pater vna cum aliis Agrigentinis adeſſet, non amplius ſibi in reliquum de negocio contendendum ratus eſt, ſed ad fugam capiendam ſeſe totus conuertit. Cæterum Marcus, eius abſceſſu diuina prouidentia perſpecto, pleraque illi, Deo proculdubio linguam eius moderante, de morandi neceſſitate diſſeruit. Demum diuini ſenis vaticinium in memoriam illi reuocauit, apud quem continuos quatuor annos *Vnde fugam capeſſere.*

(vt ſuperius ſermone perſtrinximus) philoſophię perdiſcendæ cauſa commoratus eſt. An non hæc tibi vir ille dierum antiquus, virtutum plenus, diuinaque ſapientia præditus, ad quem iamdiu diſciplinæ cauſa acceſſiſti: non hæc, inq, tibi iampridem vaticinatus eſt? Tune, Tu ne (oro) ita rationibus tuis male proſpectum volueris? Scilicet pro tantorũ laborũ repoſitis in cœlo præmiis, tu, & pro beneficẽtia execrationem referes? Hæc & alia id genus multa Marcus illi loquutus, vix à propoſito compeſcuit. Hinc nõ multi prætetiêre dies, cũ Pontifex Siculos omnes adeſſe imperauit: qui cum per Marcum cognouiſſet, Charitonem Gregorij patrem eſſe, hominem fixis oculis, idq; quam occultius fieri poterat, intuebatur, & accuratiſſimè conſiderabat, figuramq; & formam conferens mirabatur, quam valde ipſi inter ſe ſimiles eſſent. Reliquæ verò multitudini (ſiquidem frequens aderat) Eia (inquit) canticis ac laudibus ad ſacrum ſummorum Apoſtolorum templum adeamus omnes vnanimes, vna voce ſupplicationes Deo peracturi, & ſuper quem admirabile aliquod ſignum illuxit, proculdubio erit, qui huiuſce populi præfecturam ſuſcipiet. Hæc dixit, protinuſque vniuerſa ciuitas commota eſt, ac omnes cum viri, tum mulieres, tam domini, quam ſerui procedebant.

Marcus ſanctus monachus, ne id faciat, eum deterret.

POSTEA vero quam rem diuinam facere cœperunt, Gregorius Euangelium ſibi in hoc traditum ita concinnè & apte legit, vt Charitonis cæterorumq; auditorum animos voluptate perfunderet. Simulac vero Euangelium impletum eſt, columba ab altari aduolãs, capiti illius inſedit. Quamobrem vniuerſus populus ſtupore (vt par erat) affectus, gaudio & admiratione plenus, non amplius orabat exploratum ſibi fieri, vtrum qui deſignatus pontifex fuerat, nunc Deo creandus videretur. Itaque craſtino die pontifex creatur, traditurque Agrigentinis, immo verò huic iſti, vti probo paſtori, rationales oues à Pontifice Maximo creduntur. Hæc, dum Gregorius Romæ moraretur contigêre. Sane Marcus, cuius meminimus, cum illo frequenter verſabatur, eique priorem vitæ rationem, ac inſtitutum ſuggerebat, & illum ad caſus, à quibus impetendus erat, generoſe perferendos animabat. Quadam nocte cum Charitõ Gregorij pater lecto ſurrexiſſet, (neq; enim filij obliuio illum ceperat, nec dolorem tempus abſterſerat, ſed corde atq; animo fractus vitam agebat) ac tum maxime eius animum chariſſimi filij memoria ſubiiſſet, perinde ac dolore furẽs, ad illos intempeſta nocte properat, ac tum lachrymis, tum ſuſpiriis filium appellabat, & apud Marcum virum prudentem ſuam ipſius deplorabat calamitatem, ſimulq; illorum precibus doloris conſolationem ſibi ſuppetere precabatur. Porro Marcus erecto animo illum eſſe iuſſit, addiditq; oportere ſe reminiſci, quæ olim ipſe de filio eidem dixerat, nimirum ſe filium viſurum eſſe, propterea vt ſperaret, aiebat, ſe promiſſionem ſuam neutiquam fruſtraturum. XXXII.

Colũba eius capiti inſidet ſub ſacrificio. Creatur epiſcopus Agrigentinus.

AVDIVIT hæc Chariton, confeſtimq; corde proſilit, ſpeq; animo fluctuabat, ac tum multo magis angore detinebatur: neq; vero Gregoriũ, quãquam toties viderat, agnoſcere potuit, vſq; adeo qua ætate, qua figura & cultu corporis immutatus erat, ingens enim in omni re cõtinentia, addo etiam malorum tolerantia, omnem abſumpſerat pulchritudinem. At ille non agnoſcentem agnouit, ſermonemq; patris audiẽs, acriter intus affectus animo incaleſcebat, ſe nihilominus ipſe continebat, ſibiq; temperabat à lachrymis: Deinde quærit à Charitone, huiuſce pueri matrem, bone vir (inquiens) vbi interim, vbi agit? Ex quo vero hic periit, quantum intereſt temporis? Ille matrem quidem viuere, ac lugẽtem domi reliquiſſe, cæterum ab amiſſo filio tredecim annos intereſſe dixit. Hic Gregorius (aliquid enim commoueri illum conſentaneum fuit) matris lachrymas animo complectens, qui patrẽ paulo ante lachrymantem viderat, neq; diutius ferens illum tam grauiter angi (patrem enim & ipſe naturali charitatis ardore commotus eſt) ſubito ſuffuſus oculos lachrymis, ſede exiliẽs, pedibus patris aduoluitur: Pater, (inquiens) ego tuus filius: ego, inquam, ſum, pater amantiſſime, Gregorius, quem tantopere inquiris, veſtris precibus in lucem editus, ac, vt voluiſti, ab ipſis cunabulis Deo ſacratus. Verũtamẽ mi pater (obſecro) miſerere, mihiq; quod admiſſũ eſt cõdona, nec me vtpote multarum lachrymarum authorem præ dolore amplius inſectare. Hæc dixit, ſimulq; complexu patrem tenebat. Quocirca lætitia quædam admirabilis cor illius ſubiit, ac incredibili gaudio eiuſ ipſius lingua impediebatur. Deinde ad Gregorium oculos fixius adiiciens, adſpectum eius accuratius veſtigabat, & ſagaciter (vt ita dicam) venabatur. Tum ipſum diuum Gregoriũ dilectiſſimum filiũ eſſe certiſſime perſuaſus, hunc viciſſim cõplexus, ſuauiſſimè oſculabatur, ac cum lachrymante filio ipſe pariter præ lætitia lachrymabatur. Cumq; à lachrymis paulisper temperatum eſſet, Marcus vtrumq; ſuſcipiens, magno Deo gratias egit, illoſque tota nocte ſecum habuit. XXXIII.

Charitõ pater eius eum nõ agnoſcit. Tandem ſe valde mœrenti patri indicat.

BENE autem mane Agrigentini, quibus cum Chariton ac diuus Gregorius erant, Pontifici rurſus aſſiſtunt, ac mutuam voluptatem, quam acceperant, repetentes, magnam eiuſdem tum vultu, tum habitu ſignificationem faciebant. Pontifex ad ea, quæ conſentanea eſſent, populum hortatus, docuit, vt Gregorio in omnibus illos parere, & ab ipſo illi oporteat: Charitoni vero lætitiam gratulatus, filium illi tradidit. Cumq; Felicem Epiſcopum, cuius opera Gregorius in ſede locaretur, ſocium illis adiunxiſſet, lætos lætus ipſe dimiſit. Verum cum Panormum vrbem appuliſſent, vir quidam monachus habitu, leproſus corpore, currens, ac Gregorij pedes complexus, multis cũ lachrymis ac eiulatu morbi leuationem obſecrabat. Ille, Si credis (inquit) nihil eſſe quod Deo non ſit perfactu facile, ecce in nomine eius ſanus eſto. Hæc dixit, leproſuſq; purgatus eſt. Videntes autẽ obſtupuerunt, ac ſublatis manibus, Deum tam admirabilem in ſanctis ac glorioſum celebrabant. Hinc ad flumen, vbi Peripolæum emporium erat, proprio nomine ſic appellatum, deſcendunt. At vbi ciues Epiſcopos ſuos cum Gregorio quodam ſibi prorſus incognito, (necdum enim audierant, quæ circa Charitonem acta eſſent) reuerſos eſſe reſciuere, turbati vehementer, ac dubitatione pleni, (exiſtimarant enim vnum ex iis, quos ipſi deſignarant, electum iri) currunt nihilominus omnes, obuiamq; paſſim illis prodeunt, quibuſcum occurrit etiam præſes ille, qui monaſterium innocenti Virgini Dei matri primus illic nuncuparat. Itaq; Gregorio nauim egredienti, obuij cum turba fiunt. Ille populo ſilentiũ manu indicens, poſitiſq; in terram genibus, orauit, ac mox templum protinus petit. XXXIV.

Cũ patre & aliis abit in Siciliam. Sanat leproſum. Populus ei obuiam currit.

CÆTERVM inter ambulandum monachus quidam errore mentis affectus, qui nec loqui poterat, nec aurium omnino ſenſus particeps erat, obuiam illi profectus, eius ad pedes procubuit. At Præſes procumbentem propellebat, nec ſinebat pedes illius cõtingere. Verũ cum Gregorius hunc nequaquam arcere à ſe præcepiſſet, vehementer ſuſpirans, commiſerationis lachrymas profudit, manuſq; in cælum attollens, Domine Ieſu Chriſte (inquit) Deus noſter, cæli terræq; creator, qui leproſos coram diuina pręſentia tua ſanaſti, ſurdas aures aperuiſti, mutos linguę reſtituiſti, ipſe hunc ſeruum tuum incredibili tua potentia ſana, vt nomen tuum ſanctum laudibus perpetuo celebret. Sic dixit, & apprehenſum monachum confeſtim erexit, ac in nomine Ieſu Chriſti, (ait) qui dæmoni ſurdo ac muto, vt proprio figmento egrederetur, imperauit, perfecte & loquere & audi, Deumq; conditorem tuum lauda. Necdum loqui deſiuerat, cum quod petebat effectum eſt, nam cui antea lingua vincta, & auditus vitiatus fuerat, clamare cœpit, Magna ſunt Chriſte opera tua, quæ per hunc virũ iuſtum edidiſti. Deinde addidit vir ſanctus, Quãtum intereſt temporis, ex quo vox tibi eſt impedita? Ille nunquam ſe vel vocem hominis audiſſe dixit, vel quemlibet paululum affari potuiſſe. Tum monaſterij Præſes octo annos illum agere, cum tonſus eſt: cæterum viginti annos in monaſterio commoratum dixit. In hoc ingens præſentes omnes timor inceſſit, Deuſq; ab omnibus magnifice celebrabatur. XXXV

Curat precibus monachum ſurdũ & mutum. Mar 9.

EGREDIENTI ciuitate, magna quædã multitudo, non gregariorũ quidem, ſed illorũ qui honoribus ac dignitate XXXVI

cæteris

cæteris anteſtabant, occurrit. Eorum enim animos in ſublime euexerat, commouerat, inque Gregorij amorem vehementer inflammarat ſurdus ille, idemque mutus: qui anteuertens, apud omnes, quos habebat obuios, ſemper clamabat, ſeque præconem patrati miraculi præſtabat illuſtrem. Cum igitur Gregorij mater mulier ſancta, aliis filio obuiam prodeuntibus, ipſa cum reliquis ſenioribus fœminis intra portam ciuitatis ſubſtitiſſet (nec enim quæ filio olim contigerant, aliquatenus illam latebant, ſiquidem Chariton vir eius non vſque adeo ſegnis fuit, quin vxorem quanquam longe poſitā, tam ingentis lætitiæ participem faceret) proinde repētino hoc & admirabili nuncio ſuſpenſis adhuc & erectis animis erat, neque dictis acquieſcere poterat. At vbi filium venientem eminus conſpicata eſt, faciem agnouit, patri enim puer adhuc exiſtēs per omnia (vt non ita pridem perſpicuum factum eſt) ſimilis erat: quin & vir factus, veſtigia ſimilitudinis conſeruauit. Quamobrem cum filium probe agnoſceret, & anceps nihil ſibi vnquam relinqueretur, quo minus Gregorius ſuiipſius filius manifeſtus appareret: tum in lachrymas & cordis gaudium effuſa, ita plane ſecum ipſa loquebatur: Non tu mendax, non tu (inquam) mendax fuiſti, qui iampridem hæc mihi dixeras, me hac etiam præſenti vita filium meum cum gloria viſuram: quibus verbis Marcum latenter deſignabat. Porro filius ſecundum carnem, qui tunc eidem iuxta ſpiritum pater erat, vbi cominus appropinquauit, matremque ſe agnoſcentem agnouit, eam ſuauiſſimè ambiens, tantumq; complexatus, (nam quo minus in his diutius immorarentur, tempore excludebantur) vna cum multitudine templum ingreditur: vbi peractis diuinis myſteriis, Epiſcopus qui hunc in ſedem locatum venerat, ac alij præterea viri digni columbam, illi quæ olim cælitus aduolarat, perſimilem rurſus è cælo deuolantem, Gregorium adumbrare conſpiciunt.

Mater eius eū agnoſcit

Rurſus è cęlo columba ad illū aduolat

XXXVII Hæc vbi tum ab iis, qui viderunt, tum qui videntes audierunt, indicata ſunt, ciuitas non diutius cunctata eſt, ſed qualis eſſet ille, probe perſpiciens, quos à dæmone percitos, languidos, vel diuturno morbo detentos habuit ad illum confeſtim omnes adduxit: quos Gregorius magnus ſola precatione ac contactu manuum incunctanter ſanabat. Atque corpora quidem ita curabat: animas vero per hæc affatim ſanabat, nimirum dum doceret illos atq; oſtenderet, pleraque ex his animi culpa oriri: quo in melius conſtituto, corpora quoque celerius curationem ſuſcipiunt. Inprimis vero exemplar ſeſe illis vitæ rectè conſtituendæ pulcherrimum ipſe præſtabat, ſic viuens, vt oratio ſuperius indicauit, ſeipſum tantum ſupereminens, tantumq; vtriuſq; vitæ medium agens, quantum ſibi per dignitatis excellentiam licebat. Poſt hæc etiam viros illis tum ſacerdotes, tum diaconos, à quibus diuina & quæ vltra nos ſunt, peragerentur conſtituit, quos illi intuentes imitanteſq; in viros virtute clariſſimos euaderent. Inter hos ſacros viros complures viri præſtantes fuerunt, in quibus Eraſmus, Platonicus, ac Philadelphus præcipue illuſtres nituere, qui cum illo plurimum verſantes, ac eius vitam, quoad eius fieri poterat, effingentes ac exprimentes, inſignes vt qui maxime apud omnem rempublicam facti ſunt. Hæc ſane quemadmodum expoſuimus, ita ſe habebant.

Permultos ęgros ſanat

Exemplar ſanctæ vitæ omnibus ſe exhibet.

XXXVIII Nonnullis poſt diebus cum D. Gregorius ciuitatem obiret, quo miſeratione paterna ægrotos inuiſeret, alia quidem cum numero, tum magnitudine maiora, quam vt oratio complectatur, edita ſunt. Sed vnum, quod auribus veſtris eſt gratum futurum, largiemur. Sabinus quidam presbyter, filiolam pulchram illam quidem, ac valde gratioſam habuit, cæterum morbo diuturno iam oppreſſam, quæ nouem annis mouere ſe nunquam omnino potuerat. Is cum beatum virum cà tranſeuntem audiſſet, illam vna cum vxore veluti inanimatum quoddā pondus ante veſtibulum expoſuit. (Illac enim vir magnus iter facturus erat) Quo illuc appetente, puellæ mater (vt mos eſt matribus) filiæ pulchritudine ac ætate florentis caſum miſerata, tum vehementer flere ac currere, ſeſeque huiuſce patris ad pedes proiicere. Ille quidopus haberet percontatus, cauſam didicit. eiuſq; ac Sabini calamitatem miſeratus. poſitis genibus orauit, dicens: Domine Ieſu Chriſte Deus noſter, ne (quæſo) auertas oculos à precibus ſerui tui, me q; ne hodie humilem exaudi, atque hanc puellam gratia ac potentia tui ſancti Spiritus erigens inuiſe. His dictis, ſurrexit, ac ſigno Crucis puellam obſignans: In nomine Ieſu Chriſti (ait) exurge, & ſta ſuper pedes tuos. Hæc ille dixit, & puella protinus ſurrexit, atque ſingulares immortali Deo vniuerſi gratias egerunt: aderat enim cuncta ciuitatis multitudo, quæ virum ſanctum ob ea, quæ ab ipſo fiebant, admiratione (vt par erat) perculſa, ſequebatur. Cum q; vniuerſam ciuitatem pertranſiſſet, omnibuſque, quæ illis vſui eſſent, proſpexiſſet, ad Eccleſiam cum Eccleſiaſtico cœtu reuertitur: diuiniſq; peractis ſacrificiis, Eccleſiaſtico cœtui, viduis ac pupullis omnibus menſam appoſuit: quibus ipſe, vili accinctus panno, vna cum tribus diaconis, de quibus mentionem fecimus, Eraſmo, Philadelpho & Platonico, miniſtrabat. Neq; vero illius mater ab eiuſmodi miniſterio aberat: quin ipſa vna cum ancillis, quotquot aderant, viduis pedes illarum lauando, ac omne pietatis obſequium præſtando, miniſtrabant. In hoc autem Gregorius incumbebat, vt ſacris initiatos tum ad virtutem, tum ad eloquia diuina meditanda, informaret, eorumq; ſenſus, quam commodiſſime poſſet, explicaret.

Sabinus presbyter Latinus fuit. ex vxore, poſt ſacerdotiū in ſororē mutata, ante ſacerdotium ſi liā ſuſcepit.

Puellam miſerrimā ſanitati reſtituit.

Obſequia humilitatem.

XXXIX. Sed quando fieri non poteſt, quenquam tam ſedulo virtutem conſectari, vt hoſtis dæmonis declinet inuidiam, inſtat nunc, vt, quæ illum tentationes inuaſerint, perſequamur. Sabinus ac Creſcentinus, quos ſuperius à multitudine Epiſcopos deſignatos fuiſſe demonſtrauimus, ambo inito fœdere, conſpirant, (diu enim mutuas ſimultates geſſerant) Quouſque nos (dicentes) huic impoſtori atque venefico ſubiiciemur, qui ignaris ac ſimplicioribus hominibus admirationem præſtigiis ac impoſturis excitat? An ignoramus quemadmodum hinc effugerit, & cum quodam mago manſerit, à quo nefariam hanc & maleficam artem hauſit, qua hominibus inſtar Simonis illius, dæmon ex hominibus factus, imponit? Non cernis, vt neq; omnino comedat, neque bibat, quod dæmones ſubinde faciunt? Hæc inter ſe commentati, ſecum etiam clericos quoſdam aſſciſcunt, & non exiguam populi partem conuellunt, fidem inter ſe & iuſiurandum dant, captioſum figmentum, arte, quæ ad hoc illos impellebat, inſidioſa dignum comminiſcuntur. Nam mulierem quandam impudicam, alioqui pulchritudine inſignem, Eudociam nomine, conueniunt: quam pecunia corruptam inducunt contra Epiſcopum (proh pudor) palam ſeſe cum illo concubuiſſe teſtimonium dicere: qui cum perfida & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia inſtituerunt, quatenus in Epiſcopum illam inſinuarent. Quare tempus obſeruant, quo vir magnus mediis noctibus vnà cum diaconis illis tribus ſibi familiariſſimis, in templum ad conſuetas preces deſcendere ſolebat. Inſidiatores interim pecunia, cum ianitoribus paciſcuntur, vt puellam in lectum viri magni ſubmittere liceat, & ipſi in angulo conſidunt. Ille ſolutis precibus, cubiculum petit, librumq; manu prehendens, vitam Iohannis Chryſoſtomi, vt clari literis, ita moribus & ingenio maximi, attentiſſime percurrit.

Patitur malignos obtrectatores

Act. 8.

Vide malitiam maligni dæmonis.

Mediis noctibus vacat precibus Vir ſanctus.

XL. Porro puella arctiſſimo paulo ante ſomno detenta, neque ipſa virum magnum aſcendentem ſenſit, neque rurſus ipſe puellam vidit. Vnde (obſecro) iſthæc innocens & immaculata anima ſuſpicari habuit, puellam prout poterat occultari, & lubentem illic latenter coniectam ſe voluiſſe? Ille igitur poſt lectionem ad matutinas laudes ire contendit: quibus expletis, vnà cum omni ſacro ordine, ac aliis ex populo comitantibus reuertitur. Tum hortari illos, ac ſalutaria monere cœpit, illudque laborabat, vt, quod ſingulis fere diebus agere conſueuerat, eorum animos diuinarum literarum lectione reficeret. Tum Creſcentiniani inſtar ferarum agreſtium irruentes, puellam arripiunt, eamque coram populo ſtatuunt, clamore, turbatione, ac tumultu omnia implent: Improbe, ſceleſte ac execrabilis, qui vere nefarij erant, contra virum omnino ſanctum vociferantes, nihil minus ſeſe multitudini oſtendebant. Cæteri talia videntes, admiratione ac dubitatione percellebantur. Nam mu-

Vide laudes matutinas.

Vir ſanctus ecce quid patitur.

lierem illam vitioſam intra cubiculum præſentem cernebant: vitam vero ac mores viri præclari, huiuſmodi ſuſpicionibus maxime aduerſari ac repugnare nouerant. At verò ſycophantæ, iniectis in virum ſanctum manibus, (o inſaniam deteſtabilem) per omnia loca trahebant. Hic multitudo amaris cum lachrymis pariter lugebat, perinde ac ſi quiſque illorum, idem, qui hæc pateretur, exiſteret. Ita hæc omnes, extra paucos longè flagitioſiſſimos, iiſque exceptis, qui impuri atque profani coniurationi conſenſerant, de illo grauiter perferebant. Iſti enim meliora ſecuti, figmentum, vt ſeſe habebat, ſuſpicati, tempus ab ea, quo eſſet in domum introducta, ſciſcitabantur. Illa (vt edocta fuerat) à veſpertinis laudibus ſub primam fere noctis vigiliam, dixit. Ad hæc cum Philadelphus Diaconus propheticum illud reſpondiſſet, Obtumeſcant labia mendacia, quæ veteratoriè iniuſtum loquuntur, Creſcentinus improbus illum inuadens percuſſit. Tum multitudine contra illum cõſertim inſurgente, parum abfuit, quin crudeliſſime necaretur, niſi vir magnus conuerſus eos, adhortatione compeſcuiſſet. Se vero tortoribus prompte trahendum exhibuit. At hæc præcipua cauſa fuit, vt dum ſe ipſe vti reum criminatoribus offert, magnam populo ſuſpicionis occaſionem dederit, ne crimen in ſe recipere videretur, illaque omnino vera eſſent, quæ contra se accuſatores intenderant, & propterea conſcientia illum interior euinceret, vt non ſolum pro ſe aliquid agere, ſed ne loqui quidem contra quicquam auderet. His ſane cogitationibus illorum animi torquebantur.

Pſalm 20. Philadel-phus vero cum ſu defendere Epiſcopum, percutitur.

Traditur in cuſtodiam vir ſanctus.

INTEREA verò improbi homines ſeditione præualentes, virum ſanctum domo exturbant, eumque in cuſtodiam tradunt, lignoque pedibus illius iniecto communiunt. Erat autem illa cuſtodia, qua magnus ille Gregorius Lybis, qui pro Chriſto mortem oppetiit, detentus fuerat. Cum igitur fama apud omnes crebreſceret, ingens quædam multitudo pro foribus carceris hærebat: quorum alij manibus, alij pedibus portas pertingebant, nonnulli ferreis vectibus demoliri ac euertere illas aggrediebantur. Non deerant etiam, qui ſeditione in populo facta, Sabinum ac Creſcentinum interficere cogitabant. Verum cum Chriſti diſcipulus ac imitator hæc illos meditari ſentiſſet, ex carcere ipſos hortabatur. Nequaquam vos filij (aiebat) tale quicquam in illos deliberaueritis. Auerſetur hoc Deus, vt veſtrum aliquis manus & animam propter me tam fœde conſpurcet. Non eouſque, filij, quiſquam infelicitatis deueniat. Præſtat enim me magis eſſe perdendum: ideo permittendi ſunt, vt in hominem miſerum ſæuire poſſint. Ab infringendis verò foribus ab omni tumultu abſtinentes orate, vltionemque à Domino expectate. Quod ſi quis vobis negotium faceſſerit, illic etiam ſuſtinete, mihique hanc iniuriam vigiles mei condonate: non enim contra me feræ iſtæ deterius quicquam ſtatuent. His verbis ſatis liquebat, illum mortem non vereri: ſed hoc ſtudere, vt dum circa carcerem intenti occupantur, à priori illos indignatione retraheret: ſimulque ingentis ac magnifici miraculi, quod ſtatim ſubſecutum eſt, ſpectatores conſtitueret. Cum enim multitudo iuxta viri ſancti ſermonem foris præſtolaretur, ille intus poſitis genibus orabat, & pro omnibus Deo gratias agebat. Porrò intempeſta nocte lucem clariſſimam, quæ totum carcerem circumfulſit, ad ipſum conſolandum Deus cœlitus immiſit, eidemque Angelus aſſiſtens, catenas, quibus vinctus erat, perfregit: cumque verbis confirmaſſet, illum, quò maiorem beneuolentiam indicaret, complexus eſt. Ille quidem hominum obtutus oculorum effugerat, cæterum ianuæ carceris ſua ſponte apertæ ſunt. Quare animaduerſa, tam ingens populum admiratio ſubiit, vt lachrymæ præ gaudio ac admirando facto poſterius elicitæ, ſuperioris lachrymas luctus exciperent. Stupore igitur ac lætitia pleni, ad pedes magni viri procumbunt, dicentes: Nunc Deum tecum eſſe cognouimus: ſimulque paratiores ad recte facta conſtituti, omnia pro ipſo & pati & facere hilariter decreuerunt. XLI

Eius patientia.

Cœleſti lumine & angelica viſitatione cõfirmatur

AC Sabinus Creſcentinuſque ſceleſtiſſimi repente confoſſi ac iugulati fuiſſent, niſi rurſus vir ille vere diuinus eos mox multum obſecraſſet, grauiterque terruiſſet, cædis incommoda, & mala, quæ inde imminerent, ob oculos ponens. Extremum illud addens, ſi tantum facinus auderent, oportere vt ſeſe primum interficerent, ac ſic poſtremo illos inuaderent. Vix his verbis eorum impetum ſedauit. Sabinum autem ac Creſcentinum acceſſens, vt ea quæ geſta eſſent cernere ipſis liceret, Cur me obſecro, inquit, hîc incluſum detinetis, cum in me necis habeatis poteſtatem, vel publico damnatum iudicio, quoquouerſum in exilium mittere liceat? Illi cum hæc omnia audirent, & factorum teſtes ipſi ſibi eſſent locupletes, conſcientia alioqui ſua transfixi, nihil minus de pertinacia & duritie remiſerunt, tantamque verborum manſuetudinem, quod poſt tot tantaque ſigna, erga illum admirabiliter edita, ſe proprij corporis dominos faceret, non magis, quam qui minime, reueriti ſunt: quin præfracte valde ac arroganter illi dicebant, epiſtolas ſe de illo Exarcho principi dediſſe: ſed venturum illum, accurateque de illius crimine quæſtionem habiturum. Idque ita factum eſt. Nam cum Exarchus aduenisset, ac in media ciuitate pro tribunali agens ius diceret, Sabinus vna cum adultera illi ſe ſiſtunt. Sanctus quoque cuſtodibus ac apparitoribus, plerăque item populi multitudine comitatus deducitur. Hi coram Exarcho vocem tollentes, cum alia Gregorij admiranda facta perſequebantur, tum, quemadmodum Sabini ipſius filiam tot annis iacentem redditam ſanitati patri reſtituerit, dixerunt, & quem Iudam alterum appellabant, hunc benefactorem ſuum non ſecus, vt ille fecit, maleficiis compenſare. Illud præterea addebant, quod de cuſtodia nuper acciderat: quod cum tam magnum præſtitum eſſet, ne illi quidem neceſſitatem ſui excuſandi tribui oportere: alioqui ſi ſine concilio iudicaretur, fore omnium iniquiſſimum aſſerebant. Hæc multitudine conclamante, Exarchus palam perterritus eſt. Quocirca de ſede ſurrexit, dixitque ad Pontificẽ Maximum, quò de hac tota cauſa cognoſceret referre oportere. Vt tamen, cum illuc acceſſerit, aliquid relatu dignum habeat, Sabinum ac Creſcentinum adeſſe iubet, puellamque coram ipſis percontatur, an ea, quæ illi de eiuſmodi homine nunciârant, vera omnino eſſent. Illa vero fatetur. Quo dicto, impuro afflata ſpiritu, humi trahebatur, confeſtimque iuxta viri ſancti proſtrata pedes miſerabilis, dentibus ſtridens, atque ore ſpumas agens procumbebat. Tum eos qui aderant, tantus repente terror inualit, vt nihil præterea in fidem dictorum ab Exarcho quærendum eſſe arbitrarentur, præſertim qui erant ſana mente, neque animo valde cæcutiebant. Sabiniani vero improbi ſycophantæ virum inſignem nihil veriti, cauillabantur, aiebantq;: Quid alijs teſtibus indigemus, quando de voluntate ſua Deus nos iam manifeſte certiores faciat? Omnia præſtigiis adſcribebant, & miraculorum vim diuinam; impoſturam appellabant. At Sabini vxor vnà cum filia, quæ cæca ſurdaque paulò antè fuerat, ac plerique alij ex ijs, qui ſanati fuerant, ad beati viri pedes ſeſe flentes proiecêre, & ne contra ſe ob aliorum conuicia ac petulantiam, impiorumque maledicentiam acceptarum iniuriarum indignationem exereret, obſecrabant. Porro eadem Sabini vxor, iuſta de cauſa indignata, virum ſuum toruè adſpicere, ac acriter increpare cœpit, & dicere: Hinc faceſſe ſceleſte, mihi & tibiipſi pariter inſidiator. Hæccine homini benefico, deque nobis optime merito, qui ſolo ſermone filiolam noſtram ſanitati reſtituit, beneficia rependis? Neque te, infelix, talia contuentem nunc vlla cogitationum iſtiuſmodi ſubit pœnitentia? Hæc cum mulier perſequeretur, Sabinus colorem mutauit, ſeque in terram abiecit, vocis omnino expers factus: vſque eo diuina ſeſe vindicta extulit. XLII.

Eius æmuli viſo miraculo nihil de pertinacia deponunt.

Siſtitur coram Exarcho.

Exarchus eum remittit ad ſummum Pontificem.

Cœleſtis vltio in fœminam mendacem.

Item in Sabinum calumniatorem.

Ex quo

XLIII Ex quo vero Exarchus nihil vltra contra ſe ſtatuendum habuit, ruſus vir beatus in cuſtodiam coniectus eſt, donec vniuerſa hæc Pontifici Max. perſpecta fierent. Cæterū ille præibat, & vniuerſus populus ſubſequebatur, hunc quidem maximis laudibus, quadruplatores verò illos innumeris contumeliis proſecutus. Iam vero veſper aduenerat. Proinde cum iam eſſet decretum, virum ſanctum ad Pontificem mittere, viſum eſt Exarcho intempeſta nocte, vniuerſo populo dormiente, per portam, qua tenditur ad mare, hunc clam è ciuitate deducere, animaduerterat enim multitudinem id, ſi reſciuiſſet, non permiſſuram: quod ſane ex ſententia cecidit. Nam occultè ciuitate egreſſus eſt. At parentes eius (neque enim quod fiebat ignorabant) filium flentes ac lamentantes ſequebantur: & licet ex ijs, quæ præceſſerant, quis horum futurus finis eſſet, vti eiuſdem familiares, probè conijcerent, nihilominus, vt parentes, rerum incertitudine corde nutabant. Verum diuinus vir flere illos prohibebat, tutoque ac læto animo eſſe hortabatur. Vbi vero litus propius contigit, eos vt pro ſe orarent, precatus, alacritèr nauem conſcendit. Porro Platonicum ſecum habuit, præterea neminem: qui & ipſe, quæ ad nauigationem neceſſaria erant, eidem inſtruxerat. Cum verò iam ſe nauigationi eſſet commiſſurus, multum de Eccleſia, deque grege illos implorata fide obteſtatus eſt: nempe pro omnibus, in quibus contra ipſam ſæuire ac graſſari pertexerint, Deo rationem eſſe reddituros. Hi ne ſic quidem à nequitia temperârunt ſua: ſiquidem nec Exarchus ipſe in eius cauſa à nequiſſimis illis hominibus quicquam fere diſtabat, cum alioqui à delatoribus tum iudex eſſet delectus. Nullum tibi poſthæc (dixit) Gregori liceat de Eccleſia ſermonem habere. virum enim eiuſmodi in tui locum ſurrogauimus, in quem ne aduerſarij quidem aliquid habent culpare. Hæc autem de Eleuſio quodam hæretico dicebat, qui in Oriente ſæpenumero cum Gregorio de admirandis dogmatibus, deque munere, quod Chriſtus, Dei Patris in terris legatum agens, obierat, acerrime diſputârat, cum nihilo ſecius plane repreſſus ab eo ac victus fuiſſet. Hic iampridem eidem admirabilis habebatur, itaq; tum apud ciuem quendam latitabat, qui delatoribus coniunctus, hanc contumeliæ potionem Gregorio callide commiſcuerat, illiſque omnem actus ſcenam, hoc eſt, flagitij materiam atque ſubiectum miniſtrârat, cui tum illi Epiſcopatum concrediderant. His dictis, nauigationem ille ſubijt. Agrigentini vero viri principes vna cum reliqua multitudine, cum cuſtodiam ſummo manefacto agmine petiiſſent, neque Gregorium repetiiſſent, turbare omnia, commiſcere, ac lamentari cœperunt. Exiſtimantes autem illum clam de medio ſublatum, tumultum ac ſeditionem contra Exarchum, eiuſque aſſeſſorem moleſtiſſimam excitârunt. Ac primum quidem Sabini ac Creſcentini ſycophantarum domos incendunt: deinde illos ipſos interficere adoriuntur: ſed ij ad Eccleſiā fuga ſeſe recipientes, periculū declinarūt. Verū Chariton turbæ illos inſequentis veſtigijs inſiſtens, effecit, ne intra templum iugularentur, vix illos magno clamore ab eiuſmodi petitione ac inſultu comprimens. Itaque ſeditionem eiuſmodi finis excepit. Cum vero vir ſanctus Romam perueniſſet, Pontifex Max. acceptis ab Exarcho literis, ijſque quæ ab ipſo ſcribebantur cognitis, admiratione ac ira plenus, non eſt paſſus virum ſanctum ſuipſius adire præſentiam: quin etiam indicta cauſa tractum illum atque contumelioſè illuſum, manibus prætereа pedibuſque catena vinctum, in carcerem conijciendum imperauit. Cæterum ille ludibrio tam turpiter habitus, in carceremque ac vinculis mancipatus, nihilominus omnibus in rebus ſui ſimilis eſſe perrexit, atque contumelia in magnam agendarum Deo gratiarum occaſionem vſus eſt. Vt vero conſolationis, tot circumſeptus moleſtiis, magis expers eſſet, ne Platonicum quidem diaconum in cuſtodia cum ipſo eſſe permiſerunt: ſed alibi quodam in loco captiuum illum detinent.

Romam proficiſcitur, illic cauſam dicturus apud Pontificem.

Eleuſius hæreticus ei ſubſtituitur ab æmulis.

XLIV Interea dum vir beatus vincula pateretur, precibuſque, vt illi moris erat, mediis noctibus inuigilans, excubaret, lux eum ingens circumfulſit: & ecce tibi viri duo, forma cultuque corporis Apoſtolos referentes, aſſiſtunt, eumque his verbis affantur: Salue Chriſti famule, nobiſque dilecte Gregori: Dominus idcircò nos miſit, vt te vinculis, quibus iniuſte illigatus es, ſolueremus, ac nos quidem ob conſtantiam ac patientiam tuam huc, te vt lætum redderemus, acceſſimus. Oportet enim & hanc vrbem multis abs te ſignis editis frui. Hæc ſimul ac locuti ſunt, vincula tetigerunt, quæ ab eius manibus pedibuſque repente ceciderunt: mox Gregorium aſſurgentem, trementemque, necnon gratias agentem complexi, abeuntes ex oculis eius elapſi ſunt. Deinde ad Platonicum accedentes, ac ipſum ſoluentes, eo vbi Gregorius erat, deduxerunt, ibique illum reliquêre: qui non aliter, ac ſi hæc ipſa per quietem vidiſſet, poſtquam ad ſe redit, Gregoriū intuitus, admiratione ac gaudio affectus eſt, moxq; in agendis Deo gratiis totus eſt conuerſus. Præterea hac ipſa hora aliud contigit. Nam cuſtos carceris filium iamdiu impuro afflatum ſpiritu habuit, quem columnæ illigatum, prope à ſuis ædibus obſeruabat. Tum vero dæmon, quo erat correptus, fractis vinculis puerum impotenter impellens, viri ſancti pedibus illiſit, atque illum à precibus exturbauit, clamanſq; ac ſe volutans, ex ore ſpumam agebat. Ille vero ne ſic quidem ab orando ceſſans, quin potius oculos ac mentem in cælum tollens, eius qui ſpirituum legionem profligare potuit, auxilium implorabat. Deinde manu ſuper ægre affectum impoſita, vti nequam ſeruum Dominus, dæmonem profugere coëgit. Atq; hunc quidem in hunc modum à dæmone liberauit.

Nocte orans, multa luce cingitur, & viſione cæleſti confirmatur.

Mar. 5.

Pellit dæmonem ab homine.

XLV. At vero cuſtos carceris cum ſomno ſolutus ſurrexiſſet, neque filium columnæ illigatum vidiſſet, exiſtimans hunc à ſæuiſſimo ſpiritu lapidibus alliſum, aut aquis præfocatum eſſe, flere amariſſimè cœpit, faciemq; percutiens, illum vti mortuum lamentabatur: carcerem autem accuratius perluſtrans, ac eius patere ianuas, lucem prætereà ipſam cernens, capillos tum lacerare, èque capite conuellere, faciem item plangere, putans virum ſanctum profugiſſe. Poſtea vero quam introſpexit, ac illum inibi vna cum Platonico canentem conſiſtere non ſolum, ſed etiam filium eius decoro ac prudenti adſpectu prope illum poſitum vidit, eius animum ſtupor inuaſit, ac verum coniectans, virum iuſtum admiranda hæc edidiſſe, accurrens, eius pedibus prouolutus, eidem tanquam de ſe optime merito partim gratias agebat, partim veniam pro iis, quæ geſſerat, impoſitis illi vinculis poſtulabat. Exinde multo cum timore ſancto viro miniſtrabat, eique omne obſequij officium præſtare ſedulo nitebatur. Increbreſcente igitur fama, & vbique vagante, mulier quædam, claris orta natalibus, filiolam humi proſtratam habens, hanc ſecum arripiens, virum ſanctum in cuſtodia petit, illiuſque complexa pedes, Miſerere, inquit, filiæ meæ, quemadmodum & Chriſtus, cuius es imitator, mulierem contractam ac inclinatam olim erexit. Ille hoc ſolius eſſe Dei reſpondit. Verumenimuero (inquit) cum te vberem ac locupletem fidem habere videam, (omnia ſiquidem fidelis præſtare poteſt) aptus (nec id ſine immerito) fidei tuæ finis ſubſequetur. Cum ita locutus eſſet, puellæ manum oraturus imponens, confeſtim eam ſanitate donauit, eam mater ſanitati redditam hilariter accipiens, gaudio perfuſa, immortales Deo gratias agebat: rectaque cum ipſa domum perrexit. Pleraque id genus alia Gregorius carcere adhuc detentus edidit. Hic eum omnem eius ætatem ibidem conſtantiſſime victurus eſſet, Pontifex Max. quæ in illum iactatæ fuerant contumelias reminiſcens, Marcum, quem alias ſæpe memorauimus, acceſſiuit. Qui cum præſto affuiſſet, non ſine indignatione omnia contra Gregorium acta narrauit, quemadmodum in adulterio deprehenſus, vinctus ad ſe perductus, inque carcerem à ſe detruſus fuiſſet, vbi hactenus cuſtodiis ſeptus, patienter perduraт. Tum Marcus ingemuit vehementer. Nouerat enim, quæcunque in illum dicerentur: perſpectos ac exploratos illos habebat, qui hæc contra Gregorium con-

Luc 13.

Sanat contractam.

Multa edit miracula in carcere vir ſanctiſſimus.

ſin-

finxerant, ſimulque ab his perſuaſos deplorabat, neque quicquam aliud aiebat, quàm, O vtinam Domine parcent & mihi liceat vnà cum ipſo adire calamitatum, quando ad communis iudicis ſubſellia ſtaturi ſumus. Hunc ſermonem cum Pontifex audiſſet, vti eiuſmodi verbis grauiter offenſus, epiſtolam in Gregorium ſcriptam eidem oſtendit, vt non temere ſe aut inconſulto perſuaſum excuſaret: ſed iis literis tanquam teſtimonio bene locuplete rem tam nefariam iniudicatam noluiſſe. Perlecta autem epiſtola Marcus, ac velut ea, quæ ſcripta erant, irridens rebus ipſis, inquit, ô Domine, iſthæc conuicia ſunt expendenda, diligenterq; quiſnam iuſtitiam ſequatur, diſquirendum. Tum tibi liquidò patebit, qualis vir ſit iſte, an ſcortum aut aliud quid, ne plura dicam, depereat agnoſces & ipſe protinus, ſi volueris, & iam cognouiſti. Eius orationem Pontifex interpellar, ſe, quæ ille dicturus eſſet, ſcire, nempe magnam erga illum Dei beneficentiam extitiſſe, ſed illo fœdè labente, peſſum quoque ipſam abiiſſe. Et hæc ille quidem vt humanus, cum rem vt erat, non perſpiceret, neque cor (vt ſermo diuinus habet) intueretur.

Marcus S. monachus ſtat à beato viro.

Deinde cum, quidnam de Gregorio eſſet ſtatuendum, Marcum in conſilium adhibuiſſet, ille conſilium XLVI.
dedit, non abſque magno ſacerdote, excelſæ, inquam, ciuitatis, eiuſque Rege iudicandum eſſe. Propterea illum dare operam oportere, vt delatores ipſos cum mandatis remitteret, ſimulque mulierem, cuius ſtupri inſimulabatur, ac eum, quem in eius locum ſacerdotem ſubſtituerant, nec non mandatores omnes Byzantium deducendos curaret eaq; quemadmodum ſeſe habebant, quæ contra quenq; dicenda eſſent, præſcriberet. Hæc cum Pontifex Max. vtilia iuxta ac conſentanea omnia cenſuiſſet, hinc mittit, tum qui delatores è Sicilia profectos, ad quæſtionem ac iudicium abducerent: tum qui literas Patriarchæ ipſique Regi Conſtantinopolis afferrent. Hi autem duo erant Epiſcopi, qui antea Synodo etiam interfuerant. Porro Rex itemque Patriarcha, acceptis ac perlectis eiuſmodi literis, falſum & omnino incredibile crimen, cuius Gregorius inſimulatus fuerat, iudicauerunt. Quocirca Rex quendam ab regio armamentario perſane familiarem, Marcianum nomine, vna cum Epiſcopis Romam remiſit. Patriarcha itidem Ancyræ, Cyzici ac Corinthi Præſules, quibus acceſſit Conſtantinus, quem pleriq; à libellis appellabant, cuius mentio ſuperius eſt facta, ſimul deſtinauit: mandantes, vt hi ad latam vſque ſententiam, quæſtionemque perſolutam, Gregorium ſecum haberent.

Epiſcopus Conſtantin. & Mauritius Imperator fuerunt viro ſancto tanquam falsò delato.

Ii cum Romam adiiſſent, contigit Marcianum grauiſſimo morbo affligi, ita vt ſpem de illius vita medici XLVII.
omnem deſtituerent: cuius rei cauſa ingens Epiſcopos dolor inuaſerat. Mox cum omnem curam fata vincerent, extremumque ſpiritum anhelaret, ac ſole ad occaſum vergente, ipſe lucem hanc relicturus videretur, ea mulier, cuius filiam morbo correptam Gregorij precibus curationé nuper accepiſſe diximus, illac vbi Marcianus in lecto decumbebat, præteriens, ſeruorum plangentium ac lamentantium flebilem ac luctuoſam vocem audiuit: cuius cauſam percontata, gratiam non celauit, ſed palam beneficentiam euulgat, & quæ ipſa admirabilia in filia ſit aſſequuta, illis annunciat, ſeruatoriſque præco, & rei geſtæ teſtis claſſicus conſtituitur. Eia agite, inquit, filij, fletu repreſſo, mihi obtemperate, ipſumque ab ipſo lecto tollentes, alacriter me ſequimini. virum enim mihi ab experientia bene cognitum vobis oſtendam, qui vos à luctu facile vindicabit, & dominum veſtrum multa cum celeritate ſanitati reſtituet. Eius ſermoni ſerui parent, dominumque repente tollentes, iuxta cuſtodiam, vbi Gregorius erat, deponunt. Quem ille ardentiſſima febri commotum & inflammatum adſpiciens, miſeratus eſt hominem, lectumque lachrymis irrigabat. Cæterum ſemel illum atque iterum vocans, (eum namque vox atque ſenſus defecerat, nec quicquam loqui poterat, manum quidem illi vir diuinus adiecit, mente verò totus in cœlum erectus, faciemque ſuam & ægrotum lachrymis perfundens, Deum obſecrabat. Atqui preces ſomnum pepererе, ſomnus ægroto ſalutem attulit. Cum enim quinque ſupra viginti dies inſomnis duxiſſet, arctiſſimus tum illi ſomnus obrepſit. Serui verò, qui medijs eidem noctibus aſſiſtebant, febrim receſſiſſe, & ægrotum conualuiſſe repererunt. Hos vir ſanctus monuit, de recepta ſanitate gratias Deo habendas eſſe: ipſe interim precibus ac vigilijs vacabat. Marcianum iucundus denuo ſomnus complexus eſt. Circa verò matutinas laudes, orante viro ſancto, Marcianus lecto proſilit, & qui ſe ſanarat, ex ſe perſpiciens atque cognoſcens, eius ad pedes prouolutus, illos amplexabatur, verbiſque quibus poterat gratioſis beneficium in ſe ſanitatis, quod erat maximum, munerabatur. Subinde verò ſtans, laudes, quæ reliquæ erant, cum illo ſimul proſequebatur. Vbi verò dictio laudum finem accepit, ſedenteſq; loqui cœperunt, mirabatur autem Marcianus, quonam modo vir beatus illic concluſus eſſet, & quomodo ſilens carere ſeſe lumine pateretur, cum alioqui obſeruantem ſe, ibique inhabitantem grauiſſimè poſſet offendere? Et hæc quidem illi inuicem loquebantur.

Marcianus Imperatoris legatus in grauiſſimum morbum incidit.

Precibus ſanat hominem a medicis plane deſperatum.

Porro Epiſcopi, qui ab Rege cum Marciano miſſi fuerant, vt Gregorij cauſam quæſtioni atque iudicio XLVIII
ſubderent, domum vbi Marcianus diuerſabatur profecti, cum illum minime inueniſſent, ſupremo fato conceſſiſſe, hominemque ſepulchro conditum exiſtimantes: ſciebant enim (vt verbis vtar ſcripturæ) ægritudinem eius grauem eſſe: tulerunt grauiter & acerbè, luctuque ac ſqualore obſiti, amici obitum deflebant: ad quam quidem calamitatem non exiguam acceſſionem faciebat, quod arbitrabantur hoc Regem inique admodum eſſe laturum. Cumque ita viri iſti mœrore conficerentur, ecce tibi vnus ex Marciani miniſtris, curſu recta cuſtodiam petens dolorem omnem abſterſit, lætum illis nuncium afferens, dum omnia tum medicum, tum curationis modum ſingillatim percenſet, addens etiam locũ, vbi etiamnum mutuo loquebantur. His auditis, ad cuſtodiam multa celeritate contendunt quo cum perueniſſent, ingreſſi, ambos virum eximium cum Marciano ſedentem offendunt. Ipſum autem agnoſcentes, iuxta pedes illius humi procumbunt, rogantes, vt qui communem cum illo à Chriſto poteſtatem accepiſſent, precationis quoque efficacia potirentur. Aſſederunt & illi, Gregorium cum aliis de cauſis admirati, tum quod tam manſuetum ad calumnias ſe præſtaret, tum etiam quod obſcurus ille ac tenebroſus carcer thalamo cuidam pulcherrimo perſimilis videretur. Interrogantes igitur, ex quo tempore in vincula fuiſſet coniectus, vnum atque alterum annum, quatuor præterea menſes eſſe intellexerunt: quod illi ægrè admodum tulerunt, nimiamque Pontificis crudelitatem improbârunt.

Ecce quanto tempore carceris ſqualores pertulerit vir ſanctus.

Cæterum cum ij virum ſanctum carcere emittere molirentur, ipſe prohibuit, idque ſe, ne quam accu- XLIX.
ſatoribus anſam præberet, facere dictitabat, neve vituperationis alicuius ipſi ſibi notam inurerent. Pontificem ſubinde cum Marciano petunt, qui ordine omnem illi miraculi ſeriem ediſſerit, quemadmodum in morbum, quo prope extinctus eſt, ipſe incurrerat, qualemque fuerit ab ipſo curationem aſſecutus. Hæc illum audientem pœnitentia ſecuta eſt, & quæ in virum ſanctum temere admiſerat, ſui acerrimus accuſator factus, reprehendebat, faciemque ſimul cum conſilio mutauit. Vidiſſes illum animo vehementer eſſe commotum, & graues à ſe, tanquam eius criminis authore, pœnas exigere. Quoniam vero eum accuſatores anteuerterunt, Agrigentini quoque tum principes ciuitatis, tum plebei quamplurimi, cuiuſcunque ordinis viri frequentes vna ſimul ſyncera fide obligati aduenerant: audientes vbinam vir ſanctus vinctus detineretur, ad illum maturant celeriter proficiſci: & tanquam filij chariſſimi eum, qui ſibi pro tempore dilectiſſimus pater extiterat, intuentes, maiori quo poterant honore ac reuerentia proſequebantur. Sed cum omnes eius circumplecti aut tenere pedes nequirent, longe poſiti ſe inclinabant, & tum verbis, tum lachrymis ſolum illud venerabantur, nimiamq; in illum amoris

Non vult educi è carcere.

Agrigentinorum mirum erga eum ſtudiũ & reuerentia.

amoris vehementiam præ ſe ferebant, dicẽtes: Pater, Pontifex, & ſeruator, ne nos deſeras, neq; nobis paucorum prauitas vniuerſæ multitudini fraudi aut vitio detur. Multus nunc tui cauſa luctus vrbem immutauit: lugent orphani, triſtantur viduę, pauperes lamentantur: qui corpore ſunt malè conſtituto, quiq; animum male affectum habent, alij patrem, alij præſidem & patronum, nonnulli beneſactorem, plurimi tum animi tum corporis medicum inquirunt & repetunt. Et hæc quidem eſt præſens ciuitatis facies, quæ tanquam ingenti terræ motu concuſſa, vel turribus iure belli deiectis, deſpecta iacet. Hæc, ſi te in vrbis conſpectũ dederis, omnia reſtitues. Illi autem, tantum ſi volueris, illuceſces. Nos ſiquidem omnes tecum viuere, tecum mori parati ſumus. Hæc quidem multitudo, veri impotenti illius flagrans deſiderio, dicebat.

L. COACTO vero ad ædem diui Hippolyti concilio, qui locus proximus erat carceri, aderant prope centum ac quinquaginta Epiſcopi, quorum nonnulli ab Oriente venerant, inter quos Conſtantinus à libellis, magni Archipræſulis vices obibat. Indigenæque monachi omnes in ordinem redacti, ordo item Eccleſiæ vniuerſus, necnon reliqua fere omnis vrbis multitudo, illuc confluxerat. Omnino autem Marcus, ac alij præterea quinque ſacerdotes, qui Gregorium accerſant, eumque iudicio concilij ſiſtant, deſtinantur. Qui cum præſto affuiſſet, in terram ter ſe inclinans, reorum more ſubſtitit. Porro præſules quicunque paulo clementiores erant, dum quæ agerentur, intuebantur, lachrymis oculos perfundebant. Impuri quoque delatores vna cum Sabino ac Creſcentino, decem ſupra centum aſſiſtebant, quos Pontifex Max. more ius dicentium interrogauit, nunquidnam haberent, quod Gregorio poſſent vitio vertere, quodque crimini nomen eſſet. Illi laſciuiam atque libidinem obiicere aſſeuerabant: quorum orationem Pontifex interpellans, Voſne (inquit) ipſi vidiſtis, an mulierem id audiſtis dicentem? Illi vero commenti principium ordientes, Nos quidem (dixerunt) cum ingrederemur ad ipſum, Deum de more circa auroram laudaturi & adoraturi, hancque in eius lecto cubantem inueniſſemus, comprehendimus. Cæterum ipſa quoque (vt par erat) quæſita, rem nobis atque adeo Exarcho ipſi, multis præſentibus, perſpicuam fecit. Horum nos nihil aliud ſcimus, niſi quod ex quo tempore tam indignum ſcelus admiſit, ſpiritu illa nequam percita, hucuſque grauiſſime torquetur. Ita audaces ac proterui, ſubdolique verſuti dæmonis imitatores, quibus artibus ipſi calumniam texentes plurimum capere ac irretire conſueuerant, iiſdem ipſi mendacium munire ſuum cogitauerant.

Synodus Romana 150. Epiſcoporum.

Vide ſingularem impudentiam æmulorum viri Dei.

LI. AT Præſules illi, præſtantes inuictique veritatis propugnatores, Hæc profectò ſi vera eſſent, aiebant, contrarium magis ſequi oportebat, ac ſcelus quidem celantem & inficiantem ſæuè à dæmone pro pœna ſupplicioque torqueri, à confitente verò crimenque deprecante, & Deum iram cohibere, & dæmona, etiamſi prior inuaſerat, abigi conſentaneum erat. Sic ſæpè porrò dum aperire ſeſe volunt, ſua ipſi calumnia lapſi magis induunt. Tum ipſam puellam, quæ adhuc faciem immutata à dæmone vexabatur, in medium ſtatuunt. Hanc delatores interrogati permittentes, ad Gregorium ſeſe recipiunt, vt illum quæſtionibus obiectis confunderent. At ille multum ſuſpirans, Dauidis illa verba reſpondit: Inſurgentes aduerſum me teſtes iniqui, quæ ignorabam obiecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant. Quæ ſimul ac dixiſſet, puella humi trahitur, & à dæmone vt cùm maximè laniata, iuxta viri ſancti pedes proiecta, ex ore ſpumam emittens, volutabatur. Gregorius vero, vt qui bene inimicis precari didicerat, oculos quidem in cælum, mentem vero ad cæli opificem tollens, ac labra cordis ſilentio mouens, Deum imis ſingultibus obſecrabat, tumq; omnes in illum oculos intendebant. Poſt preces autem puellæ oculos adiiciens, In nomine (inquit) Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, eius mandatis obtemperans, exi dæmon impuriſſime, vt puella reſipiſcens, verum de me fateatur. Porro ſpiritus, cum eam prius dilaniaſſet, confeſtim egreſſus eſt, ipſaq; non ſecus ac mortua iacebat.

Adducitur in medium ſynodum puella.

Pſal. 34.

Expellit dæmonem ab ea.

LII. GREGORIVS igitur ſtatim manu apprehenſam erigit, ac ſtantem, verba quæ Conſtantinus fecerat, interrogauit, quodnam eſſet illi nomen, iſq; illi cognitus omnino eſſet Agrigentinorum vrbis Epiſcopus. Illa Eudociam appellari ſe, illum vero probe cognitum habere dixit, quandoquidem ſæpenumero gradientem, ac mendicos ciuitatis inuiſentem, viduis item ac orphanis victui neceſſaria ſuppeditantem viderat: Quando & ipſa (inquit) infelix vna ex iis, quibus ab eo benigne fiebat, exiſtebam. Rurſus autem interrogabant, num amatoriè illum agnouiſſet, Hic illa amarè ac miſerabiliter ingemiſcens, oculos ſuffuſa lachrymis, voce ita vt omnes exaudirent, inclamauit. Iuro tibi per Dominum Deum, me nunquam homini illi in voluptate fuiſſe. Sed iſti (Sabinum ac Creſcentinum indicans) iſti, inquam, me magna pecunia decipientes, pro teſtimonio in virum ſanctum dicere perſuaſerunt: quibus Dominus ob hæc, quæ circa me iniuſtiſſime cogitarunt, rependit, vt animæ quidem interitu, corpore vero inſania exitiabili duos iam annos, menſes ſex implicati tenerentur. Hæc effata, Epiſcopos omnes circunſpiciebat: videns autem Gregorium, ipſumque cognoſcens, feſtinanter ſeſe illius ad pedes proiecit, lugenſq; vehementer: voces maxime miſerabiles emittebat: deceptionem, calumniamq; in virum ſanctum multum deflens, veniam ſibi dari flagitabat. Ille luctum eius miſeratus, eandemq; illi animi affectionem ineſſe cernens, Peccata quidem condonare, (inquit) ô mulier, non noſtrum, ſed ſolius eſt Dei. Horum igitur ille itemq; omnium, tibi veniam dare poteſt. Ego vero, quæ meæ partes ſunt, pro te orabo, & tibi, quæ in me peccâſti, lubens remittam. Idemq; ilico in preces incubuit, Deuſq; illi propitius fuit: mox manu illam apprehendens, erexit.

Incidunt in ſauram ſceleſti, qui ab ea ſtri dicti ſunt.

LIII. DVM hæc aguntur, admiratione omnes ſtupefacti, Gregorio tanquam ſupra humanam naturam euecto, in poſterum hærebant. Hunc exitum illo die lis & contentio nacta eſt: in hiſque Concilio dimiſſo, mulierem clementia iudicum inultam habuit: delatores vero in medium ſtatuunt, vt grauius illis ſupplicium Pontifex maximus irrogaret. Indignabatur enim ſe ab illis pariter eſſe deceptum. Proinde illos primum offenſis animis & grauiſſimis verbis excepit, ac cum alia ipſorum ac [illegible] ſequutus, tum in primis multa ac varia Gregorij miracula, quæ fuerant in oculis eorum edita, illis grauiter exprobrabat: ac vt à principio quidem ſanctum Spiritum eius caput adumbrantem, poſteà verò ſurdo eidemque muto ſanitatem afferentem viderant, alia præterea, quæcunque vir verè diuinus admirabiliter præſtitit, percenſebat, in ipſumque præſertim Sabinum acrius inuehebatur, cui neque ſilentio curatio linguam compeſcuit, nec à maledicentia vindicauit, quin potius tam tuliſſet acerbe, vt virum de ſe optimè meritum, totque curationum beneficia, ingratitudine ac contumelia compenſaret. Hæc ille loquutus, iuſſit Felicem Epiſcopum omnia, quæ tum viderat, cum ad virum ſanctum in ſede collocandum eſt miſſus, ſingulatim percenſere. Felicem igitur omnia narrantem cum Epiſcopi audiſſent: admiratio illos ac ſtupor inuaſit. nihil enim horum vnquam audierant.

Delatores eius Pontifex grauiſſimè obiurgat.

LIV. CÆTERVM delatores nihil habentes, in quo vel os poſſent ad hæc aperire, ad luctum ac lachrymas confugientes, illa quouis ſermone veriora, ad maledicentiam ac contumeliam detegendam affirmabant. Quamobrem conſcripti Patres illos inter ſe diſgregant, & alios quidem ex imperita multitudine ad octoginta ab vna parte conſtituunt, Eccleſiæ vero miniſtros, ſacriſque ſolum initiatos, ad triginta ab altera ſtare iubent. Atqui Sabino ac Creſcentino exilij mulcta ſtetit, vt hic quidem in Thraciam, ille vero in Hiſpaniam exules mitterentur. Cæteri vero Eccleſiæ miniſtri Rauennam relegati ſunt. At quæ ad Eccleſiam pertinebant, ita peracta fuere. De prophanis verò cognoſcere ac iudicare Marcianus eſt iuſſus, qui eos ſtatim in carcerem coniiciendos, variiſque crucia-

Sabinus & Creſcẽtinus exilio mulctantur. itẽque alij.

cruciatibus ſubiiciendos imperauit. Quare cum illos milites raperent, lachrymis ac lamentis denuo ſe dedentes, viri ſancti enixe auxilium implorabant. Hos porro ille audiens, vehementius, quã qui hæc erãt perpeſſuti, animo conflictatur: protinuſq́; miſericordia motus, lachrymis genas irrigabat, faciemq; percutiebat. Alias quidem ipſi Pontifici, ſeſe illius ad pedes proſternens, ſupplicabat: alias Epiſcopos alios, demiſiſſime ſe inclinans, obſecrabat, dicens: Ne, quæſo, Patres: ne id contingat, vt tam duæ calamitati homines mea cauſa ſubiiciantur. Nam hoc quidem ſtatuo, non præteritorum pœnam, ſed ſupplicium eſſe. Ego enim ſatis habeo Deum à me, cum innumeris alioqui ſim obſtrictus delictis, nullas pœnas expetere, neq́; tot inultum maculis, fœdatum atq; corruptum vulgo oſtendere voluiſſe. Et hæc porro ita ſe habent.

Vir ſanctus delatoribus impetrat veniam, ſed diuinam vltionem non euadũt.

At ſcelerum vltor Deus, haud ſegnis vindex iuſti fuit. Poſtquam enim viri magni ſuaſu imperatum eſt, ne in eos, LV.
qui rei facti, ſuppliciis addicti fuerant, vltra deſæuiretur, ipſiq; vna ſimul conſiſterent, repente nimbus, tenebræ, necnon atrox ventus terræ nimio flantis fragore miſeros inuaſit, tantaq́; obducta caligine illorum adſpectus oppreſſit, vt terram in ſeipſam euerſam atq; colliſam, hos non aliter, atq; Dathan olim & Abiron, deglutire dixiſſes. Qui vero præſentes hæc intuebantur, manus in cælum tollebant, nihilo illis ſecundiorem, quam quæ Sodomitis olim acciderat, fortunam fore ominati ſunt. Non multo poſt caligine turbineq́; deſinente omnes, quanquam non æquè, nigri facie apparuẽre. Alij ſiquidem alteram genam, ambas alij nigras habent: Sabino vero ac Creſcentino non modo facies, verum etiam labia atro colore infecta ſunt relicta, vt nec illa conſtringere, nec iis omnino quicquam loqui liceret. Sic diuina iuſtitia acerbum de iniuſtis ſupplicium ſumpſit. Ad hæc cunctus ſenatus acclamauit: Nũc agnouimus quod Dominus vnctum ſuum ſeruauerit, & exaudierit eum è cælo ſuo ſancto, quodq́; in potentia dexteræ eius eſt ſalus. Hæc cum locuti eſſent, Gregorij genua complexi, ardentiſſime pro illis obſecrabant. Contra vero ille magis ad cuiuſlibet pedes procumbebat, ſeq; miſerrimum omnium, Dauidis illa verba locutus, appellabat. Ego ſum vermis, non homo: opprobrium hominum, & contemptio populi.

Num. 16.
Gen 19.
Pſal 19.
Pſal. 21.

His peractis, cum Pontifex Max. delatores coram ſe ſtatuiſſet, Ecce (inquit) non animo ſolum, ſed forma patri LVI.
veſtro ſathanæ ſimiles facti eſtis. Sed alia præterea à vos miſeriarũ acceſſio manet. Vos enim & poſteri veſtri, ſerui eritis: & quotquot hoc nigrore ſugillati fuerint, Agrigentinis Epiſcopis abſq́; præfinito tempore ſeruietis. Quod ſi quis veſtri generis aliquem ſacerdotij dignitate donauerit, vel Eccleſiæ quoduis munus concrediderit, huius caput diis inferis dicamus ac deuouemus. Hæc ille haud ſerio mea ſententia dixit, Neq́; enim bis in eãdem cauſa pronunciaſſet, cũ Gregorius præſertim non pateretur, qui illorum animos territans, deſperatione plenos moderabatur. Neq́; enim, niſi animo ita affecti fuiſſent, haud adeo vehemens in eos Dei iracundia concitata fuiſſet. Ac ij quidem iis, qui pigerant, traditi, procul à ſuis locis abducti fuẽre. At puella illa Agrigentum ciuitatem non vltra videre ſuſtinuit: ſed omni ornatui vale dicens, cum prius ab Epiſcopis vt pro ſe orarent, impetraſſet, in collegium D. Cæciliæ cooptabatur: in quo duos ac viginti annos aſſidue ac continenter viuens, medicamento pœnitentiæ, vt maxime poterat, priores detergens maculas, ad cæleſtem quem tantopere concupiuerat, amatorem Dei benignitate migrauit. Et hæc quidem hac ratione finita ſunt.

Puella egregie corrigit vitã ſuam.

Deinde Pontifex Max. mandauit, vt Gregorius myſteria ſacra perageret: vbi qui diuinorum ſacrificiorum participes fuẽre, conuiuio ab eodem Pontifice communiter ſunt excepti: ac tum quidem ſic conuiuantibus Pontifex nihil aliud addit. Cæterum poſtridie eius diei Gregorium accerſiuit, ac ei rem quandam exponit, quæ ſolis eius precibus, fiduciaque, qua in Deum plurima flagrabat, indigeret. Id autem hoc genus erat: Ligna quidam maxima in flumen immiſit, vt ſummorum Apoſtolorum templo ornatui ſimul ac ſecuritati eſſent. Hæc vero ita oblique circumacta, ac vtrinque ripas complexa ſunt, vt nullis clauis fixa aut ſuffulta eſſent, vt à nemine, quamuis multorum ſæpius manibus acriter pertentata, dimoueri potuerint. Sed neque nauigium aliquod, aut mercibus aut aliis vſibus accommodum, ſurſum aut deorſum nauigare his obicibus poterat: idcirco non exiguum illa ciuitati detrimentum inferebant. Hoc igitur illi Pontifex enarrat, rogatque ſeſe vt ad locum recipiat, communi in Deum fiducia omnibus contendentibus, vt & is optata perficeret. Facto igitur ſigno, vniuerſa ciuitas, monachi ſimul & ſacerdotes conflruebant, ac ſpecioſa pompa ſupplicationeque ad flumen deſcenderunt. Procedentibus autem illis, mulier quædam in via ignem accendit: ad quam vir ſanctus paululum ſe inclinans, tradi ſibi prunam imperauit. Illa (ad eius enim ſolius imperium attendebat) protinus tradidit. Ac ille in pallium, quo erat indutus, carbones immiſit, quibus deinde thus impoſuit. Ac illi deinceps thuri appoſiti, admirabiliter carbones accenſi erãt, ipſum adolentes, ac in fumum vertẽtes: in ſacra vero veſte frigidiores lapidibus cernebantur. Hæc cùm ſacerdotes ac reliqua turba vidiſſet, non ampliùs de lignis quicquam ambigebant, probè ſcientes eum, qui naturam ignis tam facilè permutare potuiſſet, multo magis certe ligna iuxta naturam nullo labore poſſe permouere. Demum vbi ad locum ventum eſt, non hoc communem omnium erga Deum ſupplicationem expoſcere, ſed eius vnius precibus indigere cuncti dixerunt. Quare potius genibus orauit: mox cum ſurrexiſſet, lignis thure ſuffitis, trahi illa præſentibus mandat: qui iniectis manibus, eum quo antea premebantur, non amplius laborem ſentiebant. Nam ligna ipſa, perinde ac ſi alas haberent, facile trahebantur. Literæ autem illis inſculptæ repertæ ſunt, quæ dicerent, quinque quidem Petro ſummo Apoſtolo, reliqua vero quinque Paulo, organo ſelectiſſimo, eſſe relicta.

Pontifex eius auxiliũ exorat, pro dimouendis ex flumine lignis.

In igni rei tacolo nihil læditur veſtis a prunis

Eximia vis precũ ſancti viri.

His peractis, Romaque admirabili perfuſa gaudio, Pontifex rurſus cogit ſenatum, Siculos item omnes accerſit, illuſtrioremque ac longe magnificentiorem, quam pridem fecerat, ſuorum ipſorum Præſulem, nempe diuum Gregorium, illis reddidit. Porro cum Leucium iſthic degere delatoreſque confirmare ac deliniri, quantum poterat, didiciſſent, illum quidem in Hiſpaniam relegare Agrigenti vero templum ac Epiſcopi domum aliubi conſtruere decreuerunt. Hoc & diuus Gregorius, cum antea altare à ſceleſto Leucio euerſum, ſanctorumque venerandа corpora in mare fuiſſe proiecta, laudauit. Cum igitur rem Epiſcopatus ſic ordinaſſet, illum Eupli Archidiaconi & Eraſmi curæ commiſit. Ipſe interim Romæ morabatur. Siquidem Conſtantinopolim ex Regis decreto primo quoque tempore traiecturus erat. In hiſdem iſto ſenatu, Pontifex ſanctum virum domum ſuam accerſens, rem cum eius pietate, tum Gregorij maieſtate dignam fecit. (Virtutem enim quilibet virtutis amator veneratur & colit) Nam ob ea, quæ præceſſerant, perculſus & grauiter affectus animo, ad pedes illius peruoluitur, nunc gratias agens, nunc precans, in quibus deceptus, calumniis in illum illatis fidem habuerat, veniam petens. Ipſi vero locum non exiguum, à ſubdita ſibi ciuitate abſciſſum, dono dat, ac per ipſum Deo, qui templi, quod extruendum erat, neceſſarios ſumptus illi ſuppeteret.

LVIII

Leucius relegatur in Hiſpaniam

Cæterum Marcianus ac Epiſcopi Gregorium conuenientes, Roma ſimul egrediuntur: deinde regiæ ciuitati applicuerunt. Quorum cum aduentus Regi innotuiſſet, illi diuum quidem Gregorium apud diui Sergij monaſterium diuerſari: Marcianum vero accerſitum, de iis, quæ in concilio acta fuerant, interrogauit. Ille admirandi viri ſancti opera, incomparabilem eius virtutem, & quæ delatoribus iniquitas obtenuiſſet, necnon tolerantiam, modeſtiam, & inſignem ſupra humanos mores animi ſuauitatem ſingillatim edixit. Quæ LIX.

omnia

omnia Rex exaudiens mirabatur, ac Patriachæ omnem miraculi ſeriem identidem enarrabat. Poſtea verò, quàm Gregorius vna cum Epiſcopis vrbem ingreſſus eſt, maxima in illum Regis hilaritatis ac beneuolentiæ ſignificatio extitit, nam & ſolio ſurgens, eum cōplexus oſculabatur. Verum enimuerò cum illi non multos poſt dies in mentem veniſſet nouas ſacerdotibus leges ſancire, quæ etiam poſteris cum tutæ, tum vtiles viderentur, Patriarcham & cum ipſo diuum Gregorium acceſſitos, communicato conſilio, quid facto opus eſſet, conſuluit: qui rem perſanè laudabilem fore, ac rectè de religione ſentientibus vtilem affirmarunt. Itaq; cum ſacrum ieiunij tempus aduenißet, hanc prouinciam, ipſo Rege in conſilium ſecum adhibito, ſuſcepêre, nouaſq; & ſacras leges illi ſanxerunt.

Admodum honorificè accipitur ab Imperatore S. Gregorius.

LX. INTEREA verò Gregorius ſermones doctrina ac pietate refertos, plures edidit: alios quidē in ſacram ieiunij obſeruationem, alios in Petrum & Andream, ac plures item alios compoſuit: qui tum artificio, tum veritate plurimum illi laudis attulerunt. Vbi verò domum diſcedere in animum induxit, rogauit locum ſibi in Agrigenti ciuitate, in quo Epiſcopi domicilium conſtrueret, imperttiri. Cui Rex tanquam acciperet, non erogaret, ita promptè ac hilariter elargitus eſt, vt optata illius ſupergreſſus, dimidium illi Agrigenti ciuitatis dari iuſſerit, quo pro libito vteretur. Deinde amplexatus illum, rogauíque nè ſuî obliuiſceretur, nève grauaretur pro ſe Deum precari, dimiſit. At verò ne Regina quidem circa virum ſanctum ſegnius affecta viſa eſt. Nam & ipſa cum didiciſſet Gregorium amicum Deo ac perfamiliarem eſſe, conſentaneam illi reuerentiam detulit, ac donis quàm potuit magnificentioribus demereri illum conata eſt. Quapropter egreſſus vrbe Conſtantini, Romam profectus eſt: vbi à Pontifice Max. magna reuerentia ſuſceptus, Agrigentum non multo poſt adnauigat, quicum duo diaconi, vt in proprium illum Epiſcopatum reſtituerent, miſſi ſunt. Porrò & illic tam ingens viri ſancti apud omnes conflatur deſiderium, vt illius virtute non obſcurum teſtimonium fecerint, dum pia plebs vniuerſa, cunctuſq; populus extra ciuitatem egreſſi, tum laudibus, tum ſacris cantionibus, vt non facile quanta cum voluptate dixeris, obuiam illi prodiêre.

Multas ſeribit conciones.

Ab Agrigētinis cum laudibus & cantionibus excipitur.

LXI. QVID ad hæc diuus Gregorius? Illos omnes oſculo ſancto humaniter amplexabatur, ac ſingulis manus imponens, benè omnibus precabatur. At patri obuius factus, primum quidem eius pedibus ſeipſum abiecit, mox aſſurgens, brachiiſque collum eius circundans, amplexabatur: vt lachrymæ vtriuſque oculis elicitæ, agendarum Deo gratiarum communiter occaſio fierent. Hoc ipſum erga matrem vſu ſibi veniſſe comperit. Verum enim eius diſcipulus erat, qui parentes præ omnibus colendos præcepit. Denium vrbem ingreſſus, non prius domicilium petiit, non templum videre ſuſtinuit, nec vix alterum oculum adiecit: ſed confeſtim abiens, tabernaculum ſuum in muro ſeptum extra ſimulacrorum templum fixit, vbi cum multitudine in preces incumbens, vigil pernoctabat. Deinde cæleſte conuiuium, prout potuit, repræſentans, venerandam illic Crucem erexit. Itaque dæmonibus, qui ſimulacrorum templo præſidebant, piis erga Deum precibus profligatis, templum reædificauit, ac plurimis ornamentis decorato, ei maximorum ac principum Apoſtolorum nomen indidit: & in quo myſtica ſacrificia offerebat, linguam ſimul & manum opiparè aperiens, præbenſq; panem, quo corda reficiuntur: panem, inquam, qui re ſimul & nomine, Angelorum dicitur, panem eluſientem animas ſaturantem, vtriuſq; mundi creatorem venerabatur.

Exod. 20.

Erigit Crucem, inſtaurat templū, & ornat egregiè.

In his autem ille honeſtis motibus ac rectè factis perſeuerans, vitam ſuam decori ac honeſti tanquam exemplar exhibens, lenitatis animi ac patientiæ, addo etiam in aduerſis tolerantiæ, ſuoipſius documento legem omnibus indixit. Sicq; diebus ac virtutibus auctus, mortali vita perfunctus, ad optatiſſimum Chriſtum emigrauit: Quem decet honor, gloria maieſtas & magnificentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Excidit è vita.

VITA S. AMPHILOCHII ICONII EPISCOPI, EX SIMEONE EX TAPHRASTE, QVÆ EST TOMO V. ALOYSII LIPPOMANNI.

I. IN diebus illis imperante pio & magno Theodoſio Conſtantinopoli, erat quidam Monachus nomine Amphilochius, qui quadraginta annos vixerat in Spelunca. Is fuit vir iuſtus & pius: cibus autem eius fuit vnum paxamidium, & potus eius aqua ſola: oleum verò aut ſal aut aliquid aliud nunquam ſumpſit.

S. Amphilochij cibus

II. ACCIDIT autem vt eo tempore decederet Epiſcopus ciuitatis Iconij: angelus verò Domini vna nocte accedens ad Amphilochium in ſpelūca ei dixit. Amphilochi ingredere in ciuitatem, & paſce oues tuas electas. Amphilochius autem non fuit perſuaſus ab Angelo, cum verò fuiſſet ſecūda vox, rurſus ad eum accedens angelus Domini, dicit ei: Amphilochi vade in ciuitatem, & paſce oues tuas. Ille autem ne ſic quidem ei parebat, ſed dicebat apud ſe. Omnino ipſe quoque Satanas transfiguratur, in Angelum lucis, & decipit ſeruos Dei. Deinde cum fuiſſet etiam tertia nox, rurſus ei apparens angelus Dei, dicit: Amphilochi ſurge à toro tuo, & vade in ciuitatem nihil dubitans aut differens. Surgens autem Amphilochius genua angeli apprehendit & dicit ei: Si reuerà es angelus Dñi, ſtemus ambo in oratione ad Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum. Diuinus verò angelus Domini, capite ſuo inferius inclinato, clamabat dicens: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Sabaoth, plenum eſt cœlum & terra gloria eius, ſtatimque dextera eum apprehendens angelus, duxit eū in ſanctam Eccleſiam, & protinus porta Eccleſiæ eis ſua ſponte patuit, & ingreſſi viderunt in tēplo clara lumina perinde atq; in feſto Domini, erantq; illic viri præclara veſte induti & cincti ſingulari cingulo, quorum non erat numerus. Iij acceptum beatum Amphilochium duxerunt ad aram ſanctam. Vnus autem ex iis manu tenebat Euangelium & id tradidit Amphilochio: & clamauerunt omnes vna voce, dicentes: Dignus is qui eſt vocatus. Dominus Deus erit tecum Amphilochi. Vnus autem ex ſanctis Angelis, qui etiam erat primus ex ipſis, clamauit, dicens: Orate pro me omnes. Diuina enim gratia quæ ſemper curat ea quæ ſunt imbecilla, & implet ea quæ ſunt deflexa, præficit pium noſtrum fratrem Amphilochium Epiſcopum ciuitatis Iconij, ſuffragio & periculo noſtro qui affuimus. Orate ergo pro eo omnes, vt gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit in eo, & ſtatim poſtquam orarunt pro eo, dederunt ei pacem, & cum angeli in cœlum aſcendiſſent, ecce dies illuxit.

S. Amphilochius à cælitibus conſecratur Epiſcopus Iconii.

III. E ſancta autem Eccleſia egreſſus beatus Amphilochius, proficiſcebatur ad ſuum habitaculum. Ecce autem Epiſcopi numero ſeptem à Deo emiſſi, interrogabant ipſum Amphilochium, dicentes. Tu es Amphilochius? Sanctus autem Amphilochius dicit eis. Omne mendacium eſt à malo, ſeu fuerint in re magna, ſeu in parua. Ego ſum Amphilochius peccator. Tunc acceperunt eum Epiſcopi & duxerunt in ſanctam Eccleſiam ad eum conſecrandum Epiſcopum. Sanctus autem Amphilochius dixit eis. Reuerà venerandi patres, veritatem vobis annuntiabo. Hac nocte Angeli Dei venientes me impoſitis manibus conſecrarunt Epiſcopum ciuitatis Iconij. Hæc cum audiſſent Epiſcopi, alter ad alterum accedentes dicebant. Quem Deus conſecrauit per ſanctos ſuos Angelos, ne audeamus nos afficere contumelia: ſed erit benedictus in ſecula, & det ei Dominus Deus omnem gratiam & quietem: & filij iniquitatis non poſſunt ei male facere. Data ergo ei pace Epiſcopi ab eo receſſerunt & cum veniſſent in ſuas ciuitates narrarunt omnia de ſancto Epiſcopo Amphilochio. Illi autem his auditis admirati ſunt, & dederunt laudem & gloriam benigno & clementi Deo noſtro. Tunc beatus Amphilochius venit Dei voluntate in ciuitatem Iconij, & Chriſti ope paſcebat gregem ſuum.

Dum eum Epiſcopi ab angelis cōſecratum intelligunt, vlterius cōſecrare deſinunt.

Cvm

Eunomius Arrius, & Macedonius hæretici, eccleſiæ in ſurgunt.

Cvm autem poſt tres annos ſui Epiſcopatus dies aliquot præteriiſſent, Conſtantinopoli ſurrexerunt lupi IV.
Arabiæ aduerſus Chriſti Eccleſiam, Eunomius, inquam, Arrius & Macedonius: & quæſtionē propoſuerūt de Domini noſtri Ieſu Chriſti quæ in carne fuit diſpenſatione, nec poterat vllus reſiſtere eorum ſermoni & ſapientiæ quę deſtruitur. Tunc Imperator Theodoſius fecit conuenire multos Epiſcopos in hanc claram & maximam ciuitatem ad conuincendum ſceleſtos illos & impios, & non potuerunt. Deinde accedentes ſanctiſſimi Epiſcopi ad Imperatorem Theodoſium, dicunt ei. Domine Imperator audi nos. Mitte in ciuitatem Iconiū, & acceriſe Amphilochium Epiſcopum qui eſt pater noſter, & ſi is accedens nō eos vicerit & deiecerit, omnes quoq; nos victi ſumus. Hæc cum audiſſet Imperator Theodoſius ab Epiſcopis, ſtatim mittit Apocriſiarium cum curſoribus ſuis. Qui cum veniſſet in ciuitatem Iconienſium, dicit Epiſcopo Amphilochio. Pater ſanctiſſime, Epiſcopi omnes qui venerūt Conſtantinopolim, rogarunt Chriſti amantem Imperatorem, vt tu quoq; ad eos vſq; venias. Ille autem dixit eis: Si hæc ita ſe habent ô chari filij, eamus alacriter. Tunc ſanctus, accepto ſecum Theodulo ſuo Diacono, ſedens ſuper pullum ſuum, profectus eſt ad à Deo cuſtoditam Conſtantini ciuitatem, & nec comedit nec bibit iis diebus quibus fuit in itinere, donec ad ipſum veniſſet Byſantium.

S. Amphilochius a Theodoſio Imperatore contra eos acceſſitur.

Cvm autem ingreſſus eſſet ciuitatem circa horam nonam diei, diuerſatus eſt apud quandam viduam, eratq; V.
illic tota nocte glorificans & benedicens Dominum noſtrum, & Deum Ieſum Chriſtum. Sequenti aūt die egreſſus extra diuerſorium viduæ, profectus eſt ad ſanctam Dei Eccleſiam. erant autem tunc omnes portæ diligenter obſeratæ, & humi flexis genibus orauit. Tunc protinus ſua ſponte apertæ eum intromiſerunt. Ingreſſus autem cum in ſanctum ſolum procidiſſet orans dicebat. Domine mi Ieſu Chriſte. Si eſt in me ſermo ſapientiæ. Quid dicam aut quid loquar cum Imperatore & iniquis illis hæreticis neſcio. Hæc cum dixiſſet, eius oculis euidenter apparet Dominus, & dicit ei. Amphilochi, ne timeas, neque formides. Ego enim ſum Ieſus Chriſtus, qui locutus ſum per ſanctos meos Prophetas & Apoſtolos. Loquar etiam per te quæ loqui oportet coram eis. Hæc cum dixiſſet Dominus, ab eo receſſit. Tunc egreſſus beatus Amphilochius è ſancta Eccleſia, rurſus profectus eſt in viduæ diuerſorium.

Obſeratæ portæ Eccleſię ei patent.

Cvm audiuiſſent autem lupi Arabiæ, Eunomius, Arrius, & Macedonius, qui veniſſet in ciuitatem Chriſti ſer- VI.
uus Amphilochius, acceſſerunt ad ipſum volētes eius facere periculum. Primus autem Eunomius irrumpens in petram immobilem: erat enim reuera in petra fidei fundatus magnus Amphilochius, dicit ei Eunomius: Tu es qui diceris Amphilochius Monachus ſeruus Dei? Ille autem dixit: Ego ſum peccator. Eunomius dicit: Et cur tu peruertis Iſraël? Dicit ſanctus Amphilochius: Non ego peruerto Iſraël, ſed tu, & domus patris tui. Dicit Eunomius: Quomodo ergo prima vox dicit in Euangelio In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Ante principium eratne, aliquando, an non erat. Dixit ſanctus Amphilochius: Non vt tu exiſtimas, res creata eſt Filius qui factus eſt ſicut nos: ſed vt voluit, eius diuinitas eſt tranſmutata, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Dicit autem Eunomius: Quomodo ergo dicit in veteri teſtamento. Duo duo, vnum ex aduerſo vnius. Sanctus dicit Amphilochius: Audi me infeliciſſime, Duo duo, quatuor. Ego autem tibi tuo. Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes, quatuor Euangeliſtæ ad vnum Deum ſe referentes & laudem ei tribuentes, qui etiam annunciarunt Euangelium, & ad hominum genus ſalutem attulerunt in toto mūdo. Seruator enim noſter & Deus miſſo vnigenito Filio ſuo in mundum, ſic dixit: Pete à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Paſces eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos. Eunomius dicit: Quomodo ergo Deus dicit per Prophetam Dauid: Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto? Dixit ſanctus Amphilochius: Non enim hic dicit de Chriſto: Non, ſed quando Deus accepto puluere de terra formauit hominem, dixit Deus Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Faciamus ei adiutorium ſicut ipſe, & iniecit extaſin in Adam, & reſoluit in ſoporem, & accepta vna ex eius coſtis, ædificauit eam in mulierē quam dedit ei. Vnde etiam propterea Propheta Dauid tanq̄ perſona Adam hoc locutus eſt dicens: Nō eſt occultatum os meum à te, ꝙ feciſti in occulto.

S. Amphilochij congreſſus cum Eunomio. *Ioann. 1.* *Pſal. 2.* *Pſal. 13.* *Geneſ. 1.* *Pſal. 13.*

VII.
Evnomivs dicit: Quomodo ergo rurſus dicit Deus per ſapientem Salomonē. Dñs creauit me principiū viarū ſuarū ad opera ſua. Vides ꝙ Filius eſt res creata & facta. Dicit Sanctus Amphilochius. Nō hoc dixit de Chriſto: ſed quoniā duabus mulieribus factus eſt obuiam Seruator omniū Chriſtus, cū ſurrexiſſet è ſepulchro, dicebant ei illę quæ exponūtur anima & corpus. Si ſcis vbi poſuerūt omniū noſtrū Ieſū Chriſtū dic nobis, vt tollamus ipſū. Ieſus aūt dixit Mariæ. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meū. Dixit Eunomius: Cras coram Imperatore & toto ſenatu diſſeremus ego & tu. Mirabatur autē tota ciuitas audiens eos diſſerētes, & dicebant apud ſe ciues. Vter vincet ex his duobus? Sanctus autem Amphilochius cum ſurrexiſſet & receſſiſſet ab Eunomio, & ingreſſus eſſet in ſanctam Eccleſiam, orauit Dñm dicens. Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui fer mihi opem. Ne vincat ergo inimicus veritatis tuam inuictam potentiam & à mendacio alienam doctrinam: & hæreſis erroris tuam fidem orthodoxam ſed iube me Domine eum afficere pudore ad gloriam tuam & ſancti tui nominis. Quoniam tu es ſolus Deus glorificatus in ſecula Amen. Tunc egreſſus ex Eccleſia ingreſſus eſt in ſuā manſionē. Vnde per totam noctem orās dicebat. Domine Ieſu Chriſte, imple quæ es mihi pollicitus, vt vbiq; glorificetur ſanctiſſimū nomē tuū in ſecula Amen.

Prouerb. 8. *Ioann. 20.*

Poſt hæc autem accipiens manu Diaconum, dixit ei: Frater Theodule hodie vita & mors eſt nobis propoſita. VIII.
Dixit Diaconus: q̄d eſt ꝙ dixiſti Dñe mi Pater. Dixit ſanctus Amphilochius: Quoniā mos eſt vno aut pluribus Epiſcopis ad Imperatorē ingredientibus Diaconū dicere. Erige; Tu ô fili, me ingrediēte ad Imperatorē exclama magna voce: Erige, ſeu vita ſeu mors ſit nobis ꝓpoſita. Diaconus aūt dixit: Omnino ô Dñe ſi dixero ſicut Imperator me interficiet. Dixit S. Amphilochius: Ne timeas hunc Regē qui eſt ad tempus, qui corpus quidē occidit, animā aūt non poteſt occidere. Potius autē eū time, qui poteſt corpus & animā perdere in gehēnam. Dixit autem Diaconus: Quomodo locutus es Dñe mi pater, ita erit & faciam, ſeu vita ſeu mors eſt nobis propoſita. Tunc manu accipiens Diaconū Amphilochius, iuit in palatiū: & ipſis ingredientibus ſedente Imperatore & eius filio in thronis aureis, Diaconus Theodolus magna voce clamauit illud Recti, adeo vt palatium circūageretur & omnes exurgerēt. Deinde cum ſanctus Amphilochius appropinquaſſet [a] Imperatori adorauit eū dicens. Pax Imperatori, eius autē filium nō adorauit, ſed dixit ei: Salue Dñe. Imperator autē Theodoſius cū vidiſſet ꝙ fecerat ſanctus in ſuū filium, valde fuit iratus: & dicit Epiſcopo Amphilochio. Abba cur meum imperium affeciſti contumelia? qui me quidem ſalutaſti vt mos eſt ſalutare Imperatores, filium autem meum minuiſti: Non eſt is quoq; mecum Imperator? Non eſt indutus purpura & corona in capite ſicut ego? Cur ergo meum filium affeciſti contumelia? Nunc ergo non ſtabit caput tuum ſuper te, quoniam ſic feciſti, & ſic es locutus.

Matth. 10.

a Theodoſio ſ. ilicet & Arcadio. Theod. lib. 5 cap. 6 Sozom. lib. 7. cap. 6. infra Baron. an. 381.

Sanctvs autem Amphilochius reſpondens dixit Imperatori: Bone Imperator, ſi tu q̄ es hodie cōſeruus meus, IX.
& cras nō es, ægre tuliſti & ipſe dixiſti, ꝙ filius tuus afficeretur cōtumelia. Deus cæli & terræ non ægre feret cū contumelia afficiatur eius filius? certe is multo magis vobis iraſcetur. Sed cum ſit benignus & clemēs ſuſtinet & lenitate vtitur ac patientia. Dixit autem Imperator: Cur tu es & ſenex & canis & impudens. Dixit ſanctus Amphilochius Audi hoc quoq; ô bone Imperator, & dicam tibi verum. Senectutem quidem habeo propter tempus impudētiam autem propter inſolentes, Canis autem non quieſcit cum videat tres latrones, Eunomium, inquam, Arrium & Macedonium, quos quidem Deus cito eſt ex mundo ſublaturus, vbi diuinitatem contumelia affecerunt eiq; detraxerunt.

S. Amphilochius redarguit factis verbiſque Theodoſiū.

runt. Hæc cum audiſſet Imperator & ſe collegiſſet dixit. Re vera hic ſenex verum dixit. Si enim ego qui ſum terren* homo, & in quem cadit interitus ægrè tuli quod meus filius afficeretur contumelia: Deus cæli & terræ non nobis iraſcetur, cum eius filius afficiatur cõtumelia? Certè multo magis nobis iraſcetur. Dicit autẽ Imperator iis qui eius parebãt imperio, Detrahite eos ex ſuis ſedibus & nullus ex eis ſeruetur hodierno die. Præſidebãt enim magiſtri interius pꝛę Imperatorẽ. Tunc populus clamauit dicẽs. Iuſtũ eſt iudiciũ apud Imperatorẽ; Iniquorũ & blaſphemorũ capita gladio amputa Domine: aut igne eos exure, aut in profundum maris tranſmitte, vt qui ſanctam & orthodoxam fidem Eccleſiæ Catholicæ abrogent.

Theodoſij ſententia in hæreticos.

X. Sanctvs autem Epiſcopus Amphilochius cũ vidiſſet populi inſurrectionẽ incitari aduerſus ſceleratos, accedẽs & adorans Imperatorẽ rogauit eũ dicens: Non Dñe Imperator, nõ iubeas eos mori, ſed rogo tuã potentiã, iube vnũquemq; eorũ relegari in ſuam patriã. Arium quidẽ in Gothiam. Macedoniũ autẽ Gangrã, & impium Eunomium in Cappadociã in locũ ſuum qui dicitur Daconena. Quomodo autem dixit & beatus & ſanctus Amphilochius, ſic fieri iuſſit Imperator Theodoſius. Tunc cum impium & Dei hoſtem Eunomium veteri camelo non ſtratæ impoſuiſſent, eum duxerunt in triumphum in ciuitate circumagentes & dicentes: Ecce inimicus Dei & Chriſtianorum, & expulerunt eum è ciuitate camelo inſidentem, & deinde venerunt etiam ad alios: & cum eos quoque traduxiſſent, & plagas impoſuiſſent, eos quoque expulerunt ex Regina vrbium in loca eis præſcripta. Seruo[a] autem Dei Amphilochio cum multas dediſſet pecunias ad admirationem & diſtributionem faciẽdam pauperibus: & benedictus fuiſſet ab ipſo ſimul cum filio ſuo, eum dimiſerunt cum magna gloria & honore in ciuitatem Iconij, quæ ab ea paſcebatur, Deum laudantes atque glorificantes. Donã unt etiam pecuniis eius Diaconum.

XI. Cvm autem[b] veniſſet in ſuam ciuitatem, & ab eo tempore tres alios annos vixiſſet ſanctus Amphilochius, quieuit in Domino cũ fuiſſet optimus doctor ſanctæ Eccleſiæ, & verus Paſtor noſtri paſtorũ principis Ieſu Chriſti. Tota autem ciuitas Iconij valde luxit propter doctorem veritatis & bonum ſuum paſtorem. Quamobrem cum nocturnas perfeciſſent preces, ſacro & myſtico peracto miniſterio, ſancto & patienti eius corpori iuſta fecerunt & honorifice ſepelierunt in Eccleſia, cum iis qui ante ipſum fuerunt ſanctis Epiſcopis, Deum glorificantes & laudantes. Dormiit autem ſanctus & beatus Amphilochius menſis Nouemb. viceſimo tertio imperante magno Theodoſio. In Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cui & gloria & potentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Eunomij & Aſſeclarum eius proſcriptio
a S. Amphilochius pecuniis & honoribus auctus Iconiũ reuertitur.
b Moritur. De obitu S. Amphiloch. conſule Bar. an. 394. & notas Martyrol. Rom.

DE S. AMPHILOCHIO EPISCOPO, ET DE LIBERTATE EIVS, QVA ILLE IN ORATIONE AD THEODOSIVM IMPERATOREM VSVS EST, EX SOZOMENI ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBRO SEPTIMO CAP. 6. INTERPRETE SVFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI FRISIO.

An. 380.

I. Adhvc autem iſti quia numero pollebant, Conſtantij atq; Valentis præiudicio freti, ſecurius conueniebant, ac de Deo, eiuſq; eſſentia publicè diſputabant: & vt Imperatoris animum pertentarent, eos ſubornabant quos in aula ſuæ ſectæ fautores habebant. Rebantur enim ſe obtenturos id quod propoſuerant, cum ea conſiderarent, quæ ſub Conſtantio acciderant. Quæ quidem res & Eccleſiæ Catholicæ ſectatoribus formidinẽ ac ſollicitudinẽ incuſſerat: qui tamẽ nõ minime & hinc metuebant, quod conſiderarent, quantũ[c] eſſet Eunomij in diſputando acumen. Hic enim non multo ante ob controuerſiam quã cum Clericis ſuis, imperante adhuc Valente, Cyzici habuerat, ab Arrianis diſceſſione facta, priuatus agebat in Bithynia, è regione Conſtantinopolis, ac frequens ad eum populus traiiciebat: multique aliunde confluebant, partim vt illum pertentarent, partim vt eius doctrinam cognoſcerent. Huius rei fama ad Imperatorem quoq; permanarat, qui iam conueniendi eius deſiderio tenebatur. Cæterum Imperatrix Placilla eum ſtudioſe deprecando cohibuit. Nam cum [d]Niceni Concilij doctrinam ipſa fideliſſimè conſeruaret, metuebat, nè (quod conſentaneum videbatur) maritus colloquio circumuentus, in illius ſententiam deflecteret. Vigente autem adhuc vtrinque huiuſce contentionis ſtudio, Epiſcopis iis qui Conſtantinopoli verſabãtur, palatium Imperatoris ſalutandi gratia (vt moris erat) frequentantibus, etiam Amphilochius quidam ſenex, cum his vna veniſſe dicitur, ignobilis oppidi ſacerdos, ſimplex, ac nullo rerum vſu tritus, ſed in diuinis apprime cordatus. Cum[e] autem cęteri candidè admodum ac religioſe Imperatorem conſalutaſſent, etiam ſacerdos ille ſenex, ipſum cõſimiliter ſalutauit: filio verò Imperatoris qui patri aſſidebat, æqualem honorem non exhibuit, ſed propius accedens veluti puero, Salue (inquit) fili ſimulq; caput illi digito demulcebat. Commotus igitur ira Imperator, & quaſi ob iniuriam filio factam indignatus, quem ille non æqualiter honoraſſet cum patre, foras exturbari cum contumelia ſenem iuſſit. Ille vero cum raptaretur, conuerſus: Ad hunc, inquit, modum Imperator exiſtima, & cæleſtem quoq; patrem excandeſcere in eos, qui filium cum patre non æqualiter honorant, & genitore inferiorem nuncupare audent. Delectatus[f] hoc dicto Imperator, ſenem reuocat: & veniam precatus, verè illum locutum eſſe cõfitetur. Firmior itaq; factus, eos, qui ab hoc diuerſum ſentirent, non admiſit: contentiones etiam & conuentiones in foro habere vetuit: & vt de eſſentia ac natura Dei ſolito more diſputare, tutum deinceps non eſſet, effecit, lata in eam rem lege, & conſtituta pœna.

23. Nouem.
Vide Niceph. cap. 8. & 9 lib. 12. Theod lib. 5 cap 16. Barõ a. 383
c Eunomij in diſputando acumen.
d Imperatrix Placilla orthodoxa. Placillã nõ Placillam nominatã patet ex inſcriptione veteris numiſmatis apud Bar. an. 385.
e Amphilochij cũ Imperatore παῤῥησία
f Theodoſius Imperator orthodoxam fidem amplectitur.

VITA S. TRVDONIS PRESBYTERI ET CONFESSORIS, A THEODORICO ABBATE S. TRVDONIS CONSCRIPTA.

An. 460.

PROOEMIVM AVTHORIS AD GERARDVM ABBATEM.

I. Domino, dignitate patri charitate fratri Gerardo, ſuus Theodoricus ſalutem. Exigis à me vna cum fratribus meis, qui tecum ſunt, monachorum religioſiſſime, religioſorum literatiſſime, vt tuę quondam petitionis, meæque promiſſionis memor, libellum de vita beatiſſimi patris noſtri Trudonis tibi cudam, ac velut vetus ferramentum, noua fabrorum officina excoctum, veteris materiei formam in nouitatis aciẽ transferam. Pium profectò negocium, ſed obtrectatorum, vt ipſe nôſti, querelæ obnoxium, qui præter ea, quæ dedicauit cana antiquitas, quicquid illud ſit, cum faſtidio reiiciunt, & iuxta Flaccum, nil niſi quod Libitina ſacrauit, recipiunt. Sed eorum propoſitum ſtultum, qui intelligendo, vt nihil intelligant, faciunt. Neque enim ſuper veteres, quorum alij circuli, alij vectes facti, in plenitudine ſcientiæ portant arcam Domini, quicquam præſumimus, aut noſtra, quæ penè nulla ſunt, ad eorum innumerabilia conferimus: ſed illis intrinſecus eloquij argento relucentibus, benè nobiſcum agitur, ſi excubantes pro foribus, ſaltem ad impu[…]ibilitatem lignorum Setim pertingimus. Quapropter ſciens per omnia authoritati tuæ morem gerendum, obturata aure Scyllæos canes prætereo, & aſſumptis pennis charitatis, euolo vltra terminos meæ poſſibilitatis. Plus enim eſt debitum, quod repetis, quam vt de noſtro poſſit perſolui. Quicquid tamen in eo potero, tibi æquè ac mihi imputabitur: tibi, qui iuſſeris; mihi, qui paruerim. Scire autem parere, æqualis eſt gloria cum imperante. Igitur vt conſecrem immortalitati noſtram

23. Nov.
Quorũdam moroſitas reprehenditur.

Hæc ſcripſit in exilio, vt ipſe vocat. noſtram antiquam & indeficientem amicitiam, pignus hoc ſchedæ ab exilij noſtri anguſtia deſtinatum accipe: quam
cum relegeris, ſi tibi videtur, doce ianuam non exire, nec in publicum prodire: aut ſi voles eſſe libellum, ne ſine fron-
te ſit, tu ei ex te præſcribe hunc, & authoriza prologum.

SI victoria militis, laus eſt imperatoris, laudi creatoris quædam quaſi damna facit, qui vnde in electis ſuis laudetur, PRÆFATI.
reticeſcit. Neque tamen aut creator laudari, aut electi humano ore egent celebrari: ſed nos vt laudemus, magno-
pere indigemus. Qui enim ſolus nullius eget, eius vt indigeant omnes neceſſe eſt. Hanc in laudando Deo noſtram
indigentiam Propheta intuens, nullumque tacere cupiens: Laudate, ait, Dominum in ſanctis eius. Sed refert, quo-
Pſalm. 150. nam modo quis taceat, culpáne inſcitiæ, an nota ignauiæ. Ille enim, quod non accepit, velut pauidus non præſumit:
iſte, quod accepit, velut piger reddere negligit. Quid horum quis in me retorqueat, mea nil refert. Ego, iubentibus
vobis an paream vt impudens, an negligam velut non præſumens, necdum ſatis mihi perſuaſi. Iniungitis enim, immo
Vita S. Trudonis a quibus olim ſcripta. imperioſa charitate cogitis, vt beatiſſimum ſummi illius capitis membrum Trudonem, quem longe ante Donatus
Diaconus, & poſteà Guikardus Abbas, vtriuſque linguæ vſque ad interpretem vterque periti, Latinitati tradiderunt,
mea quoque opera & ſtylo libratius tradam. Enimuero difficile, & quaſi contra torrentem brachia tendere eſt, eos
vel debere aſſequi, vel poſſe imitari, qui indeficientis Nili caput ingenio deprehenderunt, & ipſam, quam aiunt, Mi-
neruam lactando biberunt. Neq; tamen iubentibus vobis aliquid abnuere ſententiæ eſt, & magnitudo oneris ita cer-
Amos. 4. uicem premit, vt dubium ſit, quid prius timeatur, pondus an caſus. Vereor prætereà, ne officium ambitio, pietas adu-
latio æſtimetur, magiſque de fermento videar laudem ſacrificare, quàm fidi interpretis more, prius dicta in nouum
auditorium repræſentare. Super his tamen omnibus me facile habebunt excuſatum vel defenſum, imperantium cha-
Fides huius hiſtoriæ. ritas, & hiſtoriæ antiquitas: cuius authoritas, quod inprimis omnibus inſinuatum velim, à ſcriptoribus mihi manat re-
ceptiſſimis. Quid enim proprium noſtrum poteſt eſſe in hac materia præter verba, alio decurſu deriuantia, cum, vt
dixi, antiquitati hiſtoria innitatur, & à ſcriptorib⁹ receptiſſimis, penes quos iure dicẽdi fides eſt, litera noſtra fulciatur?
Quapropter lectorem admonitum volo, ne velut de præſenti & nouo tempore editionem noſtram velit librare. Fe-
cimus enim, quod ſolent trapezetæ: qui veſtigia veteris monetæ noua imaginantur incude, quatenus eodem tempo-
re in eadem maſſa & æs nouitatem, & imago repræſentet vetuſtatem. Exhortatione igitur veſtra, quæ vtroq;, vtili vi-
delicet & honeſto, coniuncta eſt, nihil antiquius cum æſtimarem, eo æquius parendum putaui, quod cum poſſetis a-
liunde, maluiſtis ex noſtro horrea veſtra locupletare: quia & gratiores ſunt fructus, quos colligunt de proprio, quàm
quos mutuantur ex alieno. Quæ cum legeritis, ſi quid ornatè & ad perſuadendum compoſite dictum fuerit, non in-
iuria vt de veſtro gaudebitis: ſin alias, bona venia non diffido quin donetis: vtpote qui iam peregrinæ terræ diu inco-
la, acquiſitas merces multo cum ſudore mecum in patriam deueho, animoſque veſtros vetera faſtidientes, nouis &
Pigmenta cum mutãt patriam, odorem & guſtum non amittunt. quaſi aliunde petitis alimoniis recreare venio. Peregrinum, ait Clemens, pene eſt omne, quod morbis occurrit: habẽt-
que & pigmenta hanc vim, vt licet aliquando fractiora, quam natiuus ager peperit, ad nos perueniant, etſi mutent
patriam, ſed odoris & guſtûs non amittant gratiam. Sic cum hunc exulatûs noſtri libellum acceperitis, tranſlatæ vo-
bis materiæ mutatam magis, quam perditam vim vt intelligatis æquo animo adeſtote, rem vt cognoſcatis pernoſci-
te, & contra æmulorum calumniam, qui extremo prodigij genere, quod ipſi nequeunt adipiſci, in aliis ſolent repre-
hendere, vos vobis perſuadete, eundem tranſlationi ſaporem, & integrum editioni perſeueraſſe odorem. Sed quia iã
ſatis ſoluto fune prologi, nauis hiſtoriæ parat dimitti velut ad vndas pelagi, ſanctus mihi inuocandus eſt Spiritus, qua-
tenus vela, quæ in laudem Creatoris erexi, mus, miſericordiæ ſuæ aura impleat, ſicque tribuat inchoatū electiſſimum
ſuum Trudonem, vt in eodem, quem cœpimus, ſine offenſa terminemus ſermonem, domumq; eius obtentu in illo
æternitatis portu, nauigij noſtri componamus ſtationem.

Anno 628. vt habet Molan. in natal. Belg. IN exaltando igitur omnipotens Dominus Eccleſiam fidelium, venerabilis Trudo ortus eſt Haſbanieſi territorio. LIB. I.
Clotarius Chilperici ſucceſſor tunc temporis Francorum regno, Iuſtinus minor cum Sophia coniuge Romanorũ I.
potiebatur imperio. Parentibus ſane Chriſtianiſſimis, & religioſè ditiſſimis editus, in primæua adhuc ſua ætate ita ho-
mo extra hominem vixit, vt velut adeps ſeparatus à carne, ab eo ſtatim inciperet religionis gradu aſcendere, ad quem
alios longo vix vſu ætas durata ſolet perducere. Lineam enim illam nobilitatis, quam ab omnibus retro atauis, Fran-
fort. * eum. corum principum ſanguis, & Auſtraſiorum ducum vena in * eo tranſfuderat, tanta poſthabuit vilitate, vt ſpreta hac,
quam æſtimant, celſitudine, pauper ipſe ad pauperum Chriſti quotidiè deſideraret caſtra euolare. Interim tamen ſub
fort. † quoad. tutoribus poſitus, nec ætati parcere, nec teneritudini acquieſcere: quaſi quod adhuc erat indignatus, & in virile robur
animatus, ieiunia † quod licebat amplecti, vigiliis pro ſomno delectari. Inter byſſum & purpuram, & famulantium
Seruit famulis ſuis. poſitus cateruam, inæſtimabili alacritate ſeruis dominus famulari: aliis mollibus & duplici coopertis, ipſe aſpera &
ſingulari tunica gloriari. Formæ autem & decoris gratia tanta inerat, vt mirum ac ſpeciale in eo Dei figmentum, tã-
Formę præſtantia. quam flos viuus & doni cæleſtis fructus eluceret. Prætereà ingenij, & quicquam optimarum artium natura habet,
ſtudia in eo nihil minus, quam hæc germinabant, ſapienſq; diſſimulator, quicquid in ſe virtutis naſceretur, quotidiè
Rara virtus. ſummo ſtudio occultare, timens quaſi deprædari, ſi theſaurum præactionis non abſconderet auræ populari. Tot tã-
tiſq; virtutum formulis, cum tenellus adhuc puer, acti mollis cera, ad manum ſummi artificis figuraretur ſigillo iam-
tunc expreſſæ ſanctitatis, honorabatur, & contemnebatur ab omnibus amabatur, & ſolus ſe oderat. Hæc tua eſt in ſer-
uis tuis, Chriſte, glorificatio: hæc illorum, pro tui nominis amore, ſui iner abiectio.

CVM autem accedente tempore in annis floreret adoleſcentię, tanquam plus aliquid iam adeptus libertatis, to- II.
to ſpiritus impetu viam curreret ſanctitatis. Neſcio quid vltra hominem meditans, in domo licet parentum, cæleſtia
Molitur quandam templi repræſentationem. ſemper erat contemplans. Hac iugi & indefeſſa nunquam exoccupatum meditatione, contigit vna cum ſuis poſſeſ-
ſionem agrariam prætereire. Vbi cum copiam lapidum reperiret, & quod frequenti animo dudum intenderat, ampli-
us diſſimulare nequiret, tota ſtatim Spiritum ſanctum mente concipiens, lapides diſperſos cœpit colligere, collectos
competenti in loco comportare. Tunc verò quantum ad tempus & ætatem illam, ſapiens architectus tendit funicu-
los, fundamenta iacit, angularitatem lapidum componit, parietes & cancellos ordinat, tandemq; puerilitatis ſuæ
ſtructuram pro voto conſummat. Ingreditur dehinc nouæ ædificationis ſuæ domum, & toto corpuſculo proſtratus
Votum Deo nuncupat. in conſpectu Domini exercituum, quod potiſſimum habebat, diuino altari imponit ſacrificium, cor ſcilicet cõtritum
& humiliatum. Et cum aliquandiu hoc ſuum holocauſtum multo ſancti Spiritus igne conſummâſſet, voto volens ſe
obligat, quod ſi aliquando proprij iuris, & paternæ fieret ſucceſſor hæreditatis, Eccleſiam, quam quaſi imaginauerat,
in effectum transferret, & in ſuo erectam, de ſuo conſummaret, conſummatam ſufficienti dotaret. Cuius voto & de-
uotæ petitioni non defuit manus Domini, quæ pueri ſui affectum tempore ſequenti in omnem perduxit effectum.
A tali autem opere non iniuria talis debuit puer ſanctitatis ſuæ rudimenta initiari, vtpote ſacerdos & ſancti Spiritus
1. Cor. 3. habitatio futurus, ſecundum quod ait Apoſtolus: Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.

SED quia cum omni virtutum acie prima ſemper congreditur peſtis inuidiæ, ecce contra rudem adhuc Chriſti III.
tyrunculum, tota cum armatura veteris inimici egreditur malitia. Cernens enim, pectus illud humilitatis quan-
to conatu ſe erigeret ad arcem pietatis, ſcalam machinatur talis iniuriæ, quæ aſcenſum præſtaret ad impugnandum
præliatorem, adhuc agentem infra annos militiæ. Ad peragendum igitur iniquitatis ſuæ myſterium, præparat

ſib. vas

ſibi vas iræ, aprum in interitum, mulierem ſcilicet, fraudis ſuæ morigerum & familiare mancipium. Quæ cùm tranſiret per poſſeſſionem ſupra memoratam, & lapidum congeriem non fortuitam, ſed ordinata diſpoſitione miraretur diſtinctam, accedit, ſcrutatur, intelligit: ſtatimque peſſimo poſſeſſore perſuaſa, in militem Dei, necdum terminata oratione ſic proiectum, detonat eloquia, fulminat conuicia, eum exprobrans impoſtorem, & arguens ſimulatorem, qui ſub obtentu religionis ſimularet ſanctitatem, prætenderet innocentiam, auſus etiam fingere eccleſiam. Hæc & multa id genus, quæ non modo puerum, ſed & compoſitæ mentis virum mouere poſſent, cum de æſtuanti velut camino fumigaret, & patientiſſimus iuuenis mira cum grauitatis miſeratione omnia portaret, vtpote qui eam ore non ſuo loqui animaduerteret: toto veſaniæ ſuæ ſpiritu concepto intumuit miſerabile mancipium, & irruens in illius puerilitatis ædificium, teneros diſſipat parietes, & pede diſpergit lapides. Sed ad redimendam hanc ſerui ſui iniuriam, omnipotens manus ſtatim terribiliter extenditur, & deſtructrix illa ſubita oculorum cæcitate percutitur: reddensque pœnæ ſuæ teſtes voces inconditas, incerto labans pede, viam conari, quam neſciebat, pluſque eiulatu quàm voce penè totam viciniam euocare. Hunc fragrantiſſimum Domini odorem, qui aliis ad vitam, aliis eſt ad mortem, cum de ſuo Trudone paſſim fama reſpergeret, quodam quaſi tinnitu aures populi repercutiebantur ſuper his, quæ de adhuc puero tam ſtupenda referebantur. Egrediuntur ſanè tam admiratores huius, quam audierant, nouitatis, quàm adoratores in electo ſuo diuinæ maieſtatis. Interrogatur, & fortunam ſuam exponit mulier: quæritur beatus adoleſcens, & ſpontaneus ſe offert. Stabat enim & ipſe, manum Domini pro ſe extenſam cum ſtupore adſpiciens, & reæ ſuæ miſeratione, qua ardebat, compatiens. Rogatus tamen à populo, vt pro ea ſupplicaret Domino, inter duas virtutum principes, timorem & charitatem, aliquandiu hæſit anceps. Ex timore enim dubitabat inuſitata præſumere: ex charitate iam volebat cæcam ſuam illuminauiſſe. Vicit tandem charitas, & temperato timore, orat puer, illuminatur mulier: recognoſcenſque reatum ſuum, ſindonem, quam induebatur, detrahit, & loco, cui paulo antè derogauerat, adorato inprimis illuminatore ſuo, cum reuerentia ſuperponit. Hæc miraculorum B. Trudonis initia, hæc bellorum eius cum inimico prima fuit victoria. Cum quo tanta ſemper poſtea ſolebat congredi fiducia, vt hoc quodam veluti præludio exercitatus, poſſet dicere: Omnia poſſum in eo, qui me confortat, Chriſtus.

Improba mulier euertit ſtructurã eius.

Diuinitus percuſſa luminibus orbatur.

Precibus ſuis eam ſanat.

Phil. 4.

IV. Et iam ætas literale illud afferebat pubertatis biuium, de quo aut ad ſiniſtram cum periculo declinatur, aut ad dexteram cum gloria peruiatur. Ad quod calcandum egregius iuuenis cum intraſſet, tanto velocitatis curſu pertranſiit, vt nec adſpectum retro deflecteret, nec de ſiniſtro quicquam præter ineuitabilia ſecum auferret. Pater autem, cui erat ſingularis, & tenerrimo affectu amabilis, intuens irreuerberatum dulcis filij ad Deum intuitum, frequentibus eum colloquiis attentare, & ad eam, quam putant, ſeculi honorificentiam vt erigeret, toto conatu excitare. Prædia ſpondet, coniugium ſuadet, oſtendit familiam, hortatur ad militiam. Sed quia iam intellexerat, neminem Deo militantem, negotiis ſecularibus implicandum, nec aſſumpto ſemel aratro, retro rurſus adſpiciendum: patris quidem affectum venerari, ſed ante omnia omnipotentis Dei præceptum amplecti. Pro prædiis cœlum, pro coniugio cœlibatum, Angelos pro familia, Dei obſequium reputare pro militia. Adoleſcentulis verò & coæuis nobilibus iaculari, equitare, venari, cæteraque id genus quotidie ſuadentibus, & monachum in laico cum deriſione reprehendentibus, libertima grauitate indignari, & reſpondere, & ſapienti conſilio Chriſtum magis eis hortari & perſuadere: docens ocioſum omne illud negotium, quod non commendaret omnipotentis Dei ſeruitium. Et conuerſus ad pauperum ſuorum notam cateruã, eos conciues, eos amplecti familiares, eorum conuentui frequens adeſſe, & vnumquemque appellans ex nomine, diuiſa pietate ſingulis famulari & prouidere, vnus ipſe omnia omnibus eſſe. Quibus ita iam notus erat, vt miſericordia conuerſa in conſuetudinem, eleemoſynam iam non peterent, ſed magis vt debitum ab hoc ſuo ſtipendiario exigerent. A primæua quippe ætate, adhuc licet poſitus ſub tutore, nunquam calore æſtiuali, nunquam frigore prohibitus eſt hyemali, quin ſtatim vt nudum aut indigentem obuium habuiſſet, ſingularem licet tunicam aut dimidiaret, aut integram erogaret. Et cùm à magiſtris frequens argueretur malè pauperem veſtiiſſe, qui de ſua non erubeſceret nuditate, aut nihil, aut illud beati Iob reſpondebat. Quia mecum creuit miſeratio, & mecum egreſſa eſt de vtero matris meæ.

Pater eum inuitat ad ea, quæ mundi ſunt.

2. Tim. 2.

Luc. 9.

Pauperes miro ſtudio cõplectitur.

Nota lector

Iob 3.

V. In proficiendo ergo beatus Trudo de virtute in virtutem, multiplicabatur & creſcebat in domo Domini, vt palma & cedrus Libani. In cuius ramis pupillus ſuffugium, vidua, cum affligeretur, protectionis inuenit vmbraculum. Erat enim in hoc vno ſanctiſſimo homine res longè diſſimiles videre, mira conuenientia cõcordare: hinc, vt præmiſimus, natalium nobilitatem, honorum dignitatem, viuacis ingenij tantam ſublimitatem, vt nihil ſupra. illinc animi humilitatem, habitus abiectionem, vt nihil infra: & hæc omnia, media charitate conſtrata. Vnum hoc interim ad percurrendam cœpti agonis ſui metam, tyroni ſuo Chriſtus abſcondebat, quod de literarum ſcientia adhuc nihil attigerat. Et cum audiret plerunque in Eccleſia ſacerdotes caſtigato ore de ſcripturis aut diſſerere, aut aliquid docere, velut ſi eorum, quæ ducunt ad Deum, omnino nihil adhuc inchoaſſet, cœpit tædere, & mœſtum animum affligere, reputans quicquid erat, fruſtra eſſe, ſi non & ipſe Deum, quem in ſcripturis Euangelia loquuntur, Prophetæ teſtantur, legendo mereretur agnoſcere. Sapientem venditorem ſi inueniſſet Euangelici conſilij ſapiens ipſe auditor, omnia quæ poſſidebat, ſtatim ex integro vendidiſſet, & pretioſam ſanctarum ſcripturarum margaritam ſine cunctatione aliqua emiſſet. Conuerſuſque ad Deum, clauim omnis ſcientiæ frequentibus non ceſſabat ſuſpiriis exorare, quatenus in cubiculum regis induceret, & libri illius ſignacula ſibi dignaretur reſerare, cuius clauſuram, præter Ieſum, nemo dignus inuentus eſt aperire.

Pſal. 91.

Sublimis eſt & humilis.

Matt. 13.

Cant. 1. & 2.

Apoc. 5.

VI. Eodem ferè tempore, ſedatis iam turbinibus perſecutionum, quæ à Claudio, ſub quo primùm Petrus Romam ingreſſus eſt, vſque ad Conſtantinum Auguſtum, dici non poteſt, quanta crudelitate toto orbe detonuerunt, Chriſtiana reſpublica ſub tranquilla pace commodè agebat. Florebat fides noſtræ religionis, frequentibus propagata conciliis, præter quod in quibuſdam adhuc latibulis ſublatrabat murmurium Arrianæ fæcis, adeò vt Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Cyrum Alexandrinum Epiſcopum, ſocios & aſſertores peruerſi dogmatis haberet. Ad huius peſtis radices rurſus extirpandas, pro patribus filij, pro Apoſtolis ſucceſſerant doctores Catholici, & vinea Domini Sabaoth dilatata propagine, eloquentiſſimos palmites diffuderat à mari vſque ad mare: vt rarus iam terrarum angulus eſſet, qui non fidei noſtræ inſtructiſſimos propugnatores haberet. Sanctiſſimus Papa Ioannes cùm illo longè incomparabili Gregorio, poſtea ſucceſſore ſuo Romæ, Cunibertus Coloniæ, Auſtregiſilus in Burgundia Amandus in Aquitania, Audoënus in Neuſtria, verbo & opere Apoſtolico inſignes habebantur. Venerabilis nihilominus Remaclus Tungrorum Epiſcopus, fide & ſanctitate armatus, pro caſtris Domini ſtabat quaſi ſuccenturiatus: vir, in quo cum authoritate ſcientiæ literalis, ſe infuderat plenitudo gratiæ ſpiritualis. Lambertus ſacerdos & martyr Chriſti futurus, in clericatus apicem iam profecerat. Innumerabiles præterea alij, ſuis quiſque in locis, vigilanter ſtabant ſuper cuſtodias gregis ſui, & paſſim ſuauiter fluebant aromata hortorum Domini. In quorum iam à principio deſignatus collegio amantiſſimus Dei adoleſcens Trudo, cum, vt dictum eſt, ſuper deſiderio literali totus æſtuaret, & intentiſſimæ menti de quotidiana ſolicitudine nihil relaxaret, ecce deſcendit ſuper eum Spiritus Domini, in conſilio & authoritate huiuſmodi.

Floret Eccleſia tranquilla pace.

Viri ſanctitate præſtãtes, ſub quibus S. Trudo floruit.

VII. Qvadam nocte dum afflicti corpuſculi laborem modico ſomno recrearet, quo ita leui & caſtigato plerunq; Quàm par-

co ſomno viſus ſit S. Trudo.

vtebatur, vt dormiens, motu tamen labiorum magis orare putaretur: adeſt Angelus Domini, & quaſi familiarem ſuum recognoſcens, Pax, ait, tibi ſit, ſeruorum Dei deuotiſſime, inter illius cœleſtis curiæ ſenatores ciuis iam deſignate. Multiplex etenimque tibi gratia, quam diffudit in te Spiritus Sanctus ab ipſa infantia. Ego operum tuorum fidele teſtimonium cogitatus & omnis deſiderij tui conſcium, ab omnipotenti miſſus ſum authoritate fluctuantem animum tuum roborare, conſolari & dirigere. Ne deſeras quod cœpiſti propoſitum: eleemoſynæ enim tuæ in cœlis iam collocatæ, orationes in odorem ſuauitatis coram Deo ſunt accenſæ. Nec diffidas de ſuperuenienti in te gratia, quia in proximo eſt, vt replearis ea, quam deſideraſti, literarum ſcientia. Quam quo prouiſore, quo aſſequi debeas miniſtro, tali animaduertes indicio: Surgens, vade ad beatum Remaclum Tungrenſem Epiſcopum, qui non longe abhinc viculo, quem vocant Septembrias, conſiſtit, vir & ipſe plenus ſanctitate, currum Dominici exercitus aurigans in prudentia & æquitate: Huic enim facta reuelatione, manus Domini quaſi præſcripſit de omnibus, ad quæ te mittere prædeſtinauit. Talis autem viri te inclinabis auditorio, ſubdes magiſterio: ab eo vitæ tuæ accipies inſtitutionem, vſque ad videndum omnis conſummationis finem. Hac vir Domini accepta conſolatione, ædificatus viſione, tota ſtatim in conſpectu Domini ſe humiliauit abiectione, tanto ſeuerius humanam in ſe caſtigans infirmitatem, quanto miſer cordius Dei erga ſe conſiderabat ſereni pietatem. Complensque eas, quæ deerant, in ſe Chriſti paſſiones, plus gloriabatur de ſcripto in cœlis ſuo nomine, quàm quod frueretur Angelica viſione. Surgens verò viam, quam ductus erat, arripit, & magiſtrum, quem tanto authore acceperat, audire vadit.

Angelus ei dormienti apparet.

Remaclus Tungrenſis Epiſcopus.

Pſal. 118.

INTEREA & glorioſus antiſtes præuidens aduentum viri Dei ex reuelatione Spiritus Sancti, euocato officio, VIII. Ite, inquit, & chariſſimo fratri noſtro Trudoni, ad nos venienti, occurrite, & qua decet reuerentia ad nos comitatum deducite. Neque enim talis habendus in negligentia, in cuius pectore pariter iam conuenerunt omnis dulcedo & gratia. Nec ſatis fuit curioſo ſuſceptori officium præmiſiſſe, comitatus contuberniali & religioſiſſimo diſcipulatu, ipſe quoque obuiam ſe præparat, omnibuſque exoccupatum, in chari hoſpitis obſequium ſe totum quaſi inclinat. Cumque venientem integra humanitate ſuſciperet & amplectendus iuuenis ſociæ humilitatis memor, reuerentiæ ſacerdotali cedens, pedibus eius ſe demitteret, data dextera cum benedictione erigitur, & frequenti amplexu poſt oſcula ad ſedendum attrahitur. Erat autem cernere duo Spiritus Sancti vaſcula, rorem, quem ex accenſo in ſe diuini amoris igne conceperant, tanta vbertate diſtillantia, vt & venerabilis Pater ſuper dulcis filij ... integri affectus lachrymas effunderet, ille quoque ſe nullo modo continere poſſet, ſed totum ſe in fletum quaſi reſolueret. Paulum & Antonium de Ægyptiorum eremo conueniſſe putares, pia altercatione vtriſque certantibus; & totam penè horam trahentibus, quis de duobus prior accumberet, loqueretur aliquid, præciperet. Hic vt magiſtro diuinitus inſinuato reuerenter cedebat: ille vt æquali, & quem cœlitus ſanctum iam cognouerat, charitatiuè ſatisfaciebat. In hac ſanctiſſima & laudabili humilitatis contentione, ſanctus Pontifex conuerſus ad Dominum: Benedictus es, inquit, Domine conſolator omnium ſperantium in te, qui nos hodie dignatus es in aduentu ſerui tui viſitare. Sit tibi decus & gloria, qui in hoc mortalitatis fictili vaſe virtutum tuarum theſauros abſcondiſti, interim licet abſconditos, ſuo tamen tempore reuelandos, & in ornamentum ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ conſtituendos. Et aſſumpta rurſus ſuper ſuo Trudone prophetia: Benedictus, ait, tu fili mi à Domino, cuius prouidentia cœlis deſtinatus, miſericordia mundo es donatus. Virtute animaberis, ſapientia doceberis, & vſque in Euangelicum fidelem ſeruum creſcens, ad parandum Domino plebem perfectam conſtitueris.

S. Remaclus ei venit obuiam.

Vide vitam S. Pauli eremitæ 10. Ianuar.

S. Remacli de S. Trudone vaticiniũ

POST hanc igitur vel ad Deum gratiarum actionem, vel erga nouum hoſpitem prophetiæ benedictionem, vtrorumque inſimul conſeſſu, beatus Pontifex ſic incipit: Audi, ait, vir deſiderate, & in perpetuam filiationem adoptate. Audi, inquam, humilitatis meæ ad me factam reuelationem, & recognoſce ſanctitatis tuæ etiam tibi oſtenſam viſionem. Notum enim mihi fecit Dominus, quid te facere, quoue ab initio prædeſtinauerit mittere. Nonne ſic & ſic Angelica quieſcenti tibi & penè ſopotato facta eſt viſio? nonne hæc vel illa data ſolicitudini tuæ conſolatio? Et cum de omnibus his Omnipotens manus mihi quaſi præſcripſerit, animaduertere quonam conſilium eius te directum voluerit. Surgens igitur, Mediomatricum, vnam de primis Galliarum vrbibus, accedes, in qua venerabilem fratrem & coepiſcopum noſtrum Glodulphum reperies, virum per omnia dignum ſacerdotio, vtpote plenum fide & Spiritu Sancto. Per manus autem eius omnem iuris tui hæreditatem, quæ te manet in hoc Haſbanienſi territorio, contradet Deo & B. Stephano protomartyri, adſtipulatione ſubnixa, quatenus eius interuentu poſſeſſionem merearis cœleſtium, & videas bona Domini in terra viuentium cum eis, qui de terrenis patrimoniis indeficientem ſibi theſaurum in cœleſtibus collocauerunt. Nec eris immemor voti, quod vouiſti in pueritia, (noſti autem) de fundanda in proprio iure eccleſia, & poſt roboratum traditionis tuæ teſtamentum poſtulabis tibi inſinuari, quæ aiunt elementa literarum. Aderit autem Spiritus Domini, ſerui ſui deſiderio, replens te in omnibus ſapientiæ & intellectus priuilegio. Ipſe plantabit, ipſe rigabit, ipſe dabit incrementum, donec per gradus eccleſiaſticos proficias vſque in ſacerdotium. Debetur enim etiam tibi non modicè Apoſtolatus gentis huius Haſbanicæ, vt cum verbo docueris, exemplo informaueris, ipſe quoque in gaudium Domini tui cum beato Euge inducaris. Hanc vitæ tuæ formam, à Domino Ieſu mihi reuelatam, tuæ trado filiationi: ei te aſſimilabis, & ad perfectum vſque te peruenias, nihil tardabis. Præterea de animæ tuæ cuſtodia & integritate, de corporis non violabili virginitate, de formata iam in te omnis virtutis imagine, nihil minus ſuſpectum velim, quàm ſi nuncietur in vrbibus. Hoſtis eſt pro foribus. Neque enim mors tardat, galeata virtus niſi opponitur, intrat. His & huiuſmodi documentorum ſtillicidiis ſanctus iuuenis interim lætabatur & germinabat, rigabatur & creſcebat, & ad reddendos magiſtræ plantationis fructus, ſenſim proficiebat. IX.

Glodulphus Metenſis Epiſcopus.

S. Trudo futurus Haſbaniæ Apoſtolus.

Matt. 25.

Vigilandũ ſemper contra vitia.

TANTI igitur Pontificis animatus authoritate, roboratus conſolatione, dulcis alumnus de reditu properat, X. charus magiſter lachrymis vix imperat. Viſio niſi vrgeret, & imperium Domini vtrunque niſi cogeret, nullatenus vel ad momentum poterant ſeparari, quos vterus charitatis fecerat in vnitatem quaſi inuiſcerati. Et cum interim abeuntem tota cum reuerentia pontificalis proſequeretur curia, quidam ſtolidorum (Querulum enim ſolet eſſe genus ſeruorum) cum ſtultitia motì, tum inimici inuidia ſtimulati, contracto ſupercilio indignari, & leui grauitate conqueri: Cur, aiunt, hodie Epiſcopus hominem incompoſitum, perſonam mediocrem, conſeſſu dexteræ, colloquio familiari tantopere voluit honorare? Rarus comes, veſtimentorum abiectio, perſonarum deberet eſſe diſcretio. En quo deuenimus, vt peregrina & otioſa paupertas honoretur, domeſtica & officioſa familiaritas contemnatur? Hunc ſi qua diuitiarum aut gloriæ, generis aut formæ prærogatiua commendaret, frequens comes, veſtis pretioſa ornaret. Sed venerabilis ſacerdos, quem vel ex ſpiritu prophetiæ, vel ex intellectus plenitudine puerorum non poterat detractio latere, accerſitos de itinere ægra corripuit grauitate. Væ, ait, vobis cœcum animal, quorum laudes improperium, vituperationes nil niſi virtus ſunt. Vos enim eſtis, quos quaſi circa viles occupatos ſarcinulas pertranſierunt diſcretio & veritas. Forma, genus, veſtis eorum ſunt, qui eis aut delectantur, cum habent; aut contriſtantur, cum non habent. Pars autem mea DOMINVS, quia omnis gloria filiæ regis ab intus. Stulta autem inſimulatione virum DEI reprehendiſtis, cui comites Angeli, genus omnes electi, veſtis miſericordia, diuitiæ paupertas eſt voluntaria. Mihi verò, inquam, tales honorandi, amplectendi & amandi, vt qui DEVM homini conciliare, clauſumque licet cœlum ad diſtillandam miſericordiam verbo ſolent reſerare. Vos potius reprehendendi, & toto miſerationis oculo deplorandi

S. Trudo contemnitur a quibuſdam ob habitus vilitatem

Thren. 3.

Pſal. 44.

Qui homines ſint deplorandi.

deploran-

deplorandi, qui datam homini rationem deperdidit, & in beſtialem amentiam proprio vitio tranſiit. Quos niſi correxerit poſt reatum pœnitentia, vlciſcitur Dominus pro ſerui ſui iniuria. Hac beatiſſimi Remacli correptione prudenti mutatæ animæ, poſt beatum virum cum humilitate accelerant, veniam petunt, & impetrant.

XI. ORDINATA demum re familiari, diſpoſita domo, impedimentorum ſeculi liber, peregrinationis ſuæ æquor venerabilis Trudo ingreditur. Videbatur ſanè ſibi cum beatis quondam illis Patriarchis aliquid iam habere participij, tamquam ſe ipſum conſolabatur gratiarum actione, velut ſi in exilio patriam, apud ignotos affines, charoſque iret penates inuiſere. Prænunciatrix interim, vt ſolet, fama cum de aduentu tanti viri quaſi innotuiſſet, vicatim & de vrbibus confluebant omnis ætas & ſexus, nec paruo ſe reputabat fraudatum, qui non meruiſſet medicinalis manus eius tactū. Dulcis ad diuites familiaritas, hilaris ad pauperes liberalitas, infirmorum præterea, longa licet deuiatione, petita viſitatio & præſtita curatio, feſtinantem morabantur, fugientem magis quàm abeuntem pia importunitate tenebant & proſequebantur. Manus enim Domini erat cum eo, dirigens in omni loco & negotio; & cum vellet latere, palam cogebatur eſſe: quia lucernam, quam toto ſtudio volebat abſconſam ſub modio humilitatis, ſuper candelabrum Eccleſiæ ſuæ exaltabat conſilium diuinitatis. Ferebatur iam tunc per ora Metenſium populorum, & de introitu talis ad ſe hoſpitis viri familiari ſuo inter loquendum quotidie pollicebantur, & præeunte affectu, de mora cauſabantur. Præuiderat econtra etiam ipſe ſibi ſuo illo vſitatiſſimo more, quatenus aduentum ſuum ſilentio tegeret, nec quiſquam niſi ſimplex & infermentata conſcientia ſecum intraret: fruſtranſque obſeruantium excubias, ciuitatem ingreſſus, ad nobilem beati Protomartyris accedit eccleſiam, quæ tempore famoſæ illius animaduerſionis, cum iuxta prophetiam, nec ſcabelli pedum ſuorum in multitudine iræ ſuæ Dominus recordaretur, & perſecutione Vandalica gladius eius totas Gallias demeteret, ſola circumlabentibus incendiis abſque vllius vſtionis nota, illæſa permanſit. Nam ſponte rupto antemurali, turribus & propugnaculis ſine vllo impulſu à radice euulſis, hoſtis non longe poſt diſceſſum auditam magis quàm factam ruinam cum videret, rediensque inſtaurata crudelitate ſanguini incendia miſceret, palam & ipſi pugnatori cognoſcibilis beatus Protomartyr ſuper hoc ſuum oratorium ſtare videbatur, tota ſanctitatis ſuæ armatura indutus, & ad defendendas glorioſi ſanguinis ſui reliquias, quæ inibi florebant, paratus. Hanc igitur tantæ authoritatis domum ingreſſus, quo affectu ſe effuderit, quàm rationabili obſequio hoſtiam viuam & placentem ſeipſum Domino immolauerit, marmora loquebantur, quæ decurrentibus lachrymis quaſi irrigabantur. Crucem inprimis, deinde ſingula orandi loca circumiens, ipſam Hieruſalem, quam auditu quondam didicerat tenere, & campos, in quibus martyr lapidatus eſt, præ oculis ſe exiſtimabat habere, reputanſque ſecum lapidantium ſæuitiam, lapidati conſtantiam, apertos cœlos, benignum Ieſum ſtantem, & piam auxilij manum pro ſe laborantibus porrigentem, non poterat auelli, & dulci mixto ploratu, lætitiæ ſuæ ſpectaculo fruebatur. Suſpiranſque in cœlum, pretioſæ iamtunc mortis admirator, tanto æſtuabat amore martyrij, vt tormentum & cauſa ſi adeſſet, ſine cunctatione ad contumeliam pro nomine IESV ſe ingereret. In hac interim ſuæ contemplationis ſuſpenſus agonia, à curioſis quibuſdam ſpectatoribus deuotaturus recognitus & interrogatus, vſque ad Epiſcopum diuulgatur. Mittuntur ſtatim palatini cum primatu Eccleſiæ, qui euocatum officiali reuerentia ambiant, & ad colloquendum introducant.

S. Trudo Metum peregrinatur.

Cupit latere, nec poteſt.

Thren. 2.

S. Stephanus non ſinit inflāmari oratorium ſuū.

Act. 7.

XII. POST emenſos igitur compendioſi itineris ſui labores, tandem vir Dei ad diu deſideratum magiſtrum, venerabilem ſcilicet * Glodulphum, introducitur, ſalua dignitate vniuerſalis Eccleſiæ, Reginæ illi meritò comparandus, quæ à finibus terræ venit audire ſapientiam Salomonis. Qui Glodulphus S. Arnulphi, ex Duce quondam Epiſcopi, & ex Epiſcopo ſolitarij, cum fuiſſet carnalis filius, tertio nihilominus loco eiuſdem Epiſcopatus ſucceſſor, & paternarum virtutum ſanctiſſimus enitebat æmulator. Statimque primo adſpectu ex operante in ſe gratia, indiſſolubili amoris vinculo colligati, in mutuos ruunt amplexus, alter in patrem, alter in filium adoptantur. Et cum in hanc alteritatem vnus duorum animus ſe quaſi transfunderet, mirum dictu, facies beati Trudonis immutatur, & conceptæ in ſe gratiæ radiis, velut ex repercuſſione ſolis, totus illuſtratur. Non mihi nunc laborandum mutationis huius cauſas exponere, aut talis illuſtrationis myſteria aperire. Pleni ſunt campi ſcripturarum, de quibus, etſi minus nobis ſuppeteret, poſſemus decerpere, & aliorum labores, noſtros vſus facere. Sed ad alia feſtinanti hoc ſolum dixiſſe ſufficiat, quia verè filius lucis fuerit, quem non alia, quàm Spiritus Sancti lux illuſtrauerit. In hac dulcis filij amica contemplatione ſanctus Pontifex aliquandiu delectatus, à turba circumfluenti remotum, in ſecretum colloquium trahit, & de cauſa aduentus, de itineris qualitate, de omni prorſus euentu curioſus ſatis prouiſor inquirit. Iter (ille reſpondet) tam tuis, pater orationibus, quàm beati Protomartyris protectione, proſperum. cauſa autem aduentus, ne præterirem, quod præcepit Dominus. Annunciante enim inprimis Angelo, & ruſus in idipſum reuelationem teſtificante venerabili Remaclo Tungrorum Epiſcopo, beatitudinis tuæ iuſſus ſum adire præſentiam, apud te rudimenta mea deponere, & ad lineam tuæ directionis omnes retrò dies meos corrigere. Præterea vt ad commutationem diuinæ centuplicationis omnem hæreditarij fundi mei poſſeſſionem, quam in territorio Haſbanienſi, loco, qui vocatur Sarchinium, ſuper fluuium Ciſindriam poſſideo, per manus tuæ authoritatis traderem beato protomartyri Stephano, tenore adiecto, quatenus ab hac die & deinceps, tam induſtria tua, quàm omnes retro diebus futuri huius loci Pontifices teneant, poſſideant in vſus Eccleſiæ, cui authore Deo præſides, excluſo refragatore & omni contradictore. Euocantur deinde ad ſubſcribendum † primores & optimates, & facta ſolenni donatione, roborata eſt tota quondam illa ampla & famoſa beatiſſimi Trudonis poſſeſſio in Haſbanienſi territorio, ſanctiſſimo protomartyri Stephano ſub adſtipulatione, priuilegio & iuris ſanctione. Cuius traditionis ordinem & teſtamentum ætas non infirmabit, refragator non diſſoluet: præſertim cum protomartyre & confeſſore in vnam cohæreditatem filiorum Dei collatis, & ex participatione charitatis in eandem & æqualem gloriam translatis, terrenæ quoque huius poſſeſſionis vtrorumque Eccleſia vna & eadem perpetua confœderatione permanſura ſit.

* Glodulphū alij vocant.

3. Reg. 10.

Matth. 12.

S. Glodulphus officioſe excipit S. Trudonem.

S. Trudo filius lucis appellatur.

Multa legat Eccleſiæ S. Stephani S. Trudo.

† primatus.

XIII. CONVERSVS item venerabilis Trudo ad Epiſcopum ſuum, Precor, ait, Pater, quatenus ſupplicantem filium reſpicias, & affectum, qui quodam veluti fune de tam remotis partibus ad te vſque, me pertraxit, conſiderata ratione intelligas. Cum enim toto afficerer deſiderio, quatenus de literarum, quam deſiderabam, ſcientia occaſio ſe offerret, rurſuſque obiecta adipiſcendi difficultate, tamen à propoſito intentiſſimus animus ſe non relaxaret, admonitus ſum poſt conditos traditionis meæ libellos, tuo ſtatim vt ſubderer magiſterio, informarer doctrina & exemplo. Cuius informationis ordo literæ vt ſint, in omnes preces deſcendo: quatenus imperfectum meum diſciplina arguat, litera oſtendat, & quod mihi de me diſplicet, conſiderato ſcripturarum ſpeculo, imago veritatis coërceat & reformet. Præterea & ratio in idipſum ſuadet, vt poſt carnalia noſtra, quæ ſeminauimus, ſpiritualia veſtra metamus. Proficias, fili, reſpondet Epiſcopus, in omnis ſcientiæ plenitudinem, vt videas bona, quæ ſunt in Hieruſalem: quique puerum mox Regem futurum, & ſapientiam magis quàm diuitias petentem, vtroque tamen ſublimauit, te quoque ſapientia impleat, & in pacificum Salomonem ad regendum Eccleſiam ſuam, oleo vngat lætitiæ, & confortet brachio virtutis ſuæ. Tradit deinde eum, præſente Eccleſia, in manus cuidam primario, prudenti & religioſo cum omni grauitate & diligentia erudiendum, & de publico alendum: oſtendens & frequenter ingeminans, qua humilitate docendus, qua eſſet reuerentia ſeruiendus, qui nihil aliud eſſet, niſi virtus: cuius imitabilis vita, doctorum quoque poſſet eſſe ſufficiens doctrina. Quanti putas, ait, eſt, vt vir hic præcipuus hac, quam nos æſtimamus, delectetur ſapientia, cuius vox plus quàm litera,

Cupit literas erudiri.

Pſal. 127.

3. Reg. 3.

Traditur literis imbuendus.

intellectus & operatio plus eſt, quàm liber aut lectio? Sed iactum in ſanctiſſimo nomine omnis virtutis granum, neceſſe eſt inprimis ſub diſciplina moriatur, & rurſus natum litera cum intellectuali fomento oportet vt nutriatur. Nec defuit commendato alumno induſtria ad requirendum, intellectus ad retinendum: & quicquid magiſtra linguæ plantabat exterius, artifex ſtatim ſpiritus cum incremento diſtillatæ gratiæ rigabat interius. Et cum in magiſtrum quotidie proficeret, tanto diſcipulatu ſe comprimebat, vt, quod difficillimum eſt, & alios anteiret, & gloriam ſine inuidia acquireret. Neque verò propter intentiſſimum Scripturarum ſtudium de certaminis ſui palæſtra ſibimet quicquam relaxare: ſed velut ſi tot adeſſent incitatores, quot in manibus literæ, indeficientem itineris ſui curſum ad Deum dirigere.

Multum in illis proficit

ADEST iterum reparatis anfractibus inimica ſerpens, & rediuiuo capite vires induitur, venena inſtaurat. Ac veluti cùm athletam frequenti palma glorioſum in ſpectaculo arenæ vſus victoriæ fecit deſcendere, qui impares viribus ſunt, quadam viciſſitudine ſe ſubiiciunt, vt victo vno alter ſubinducatur, & ſubacto altero, item alter ad expugnationem valentioris ſubſtituatur: quatenus toties quaſi renatis pugnatoribus, qui roboris paritate non vincitur, ſaltem ex crebra ſuccedentium alternitate ſuperetur: ſic in hominum Angelorumque ſpectaculo, Ieſu præſidente, & beato Trudone ad certamen egrediente, cum toto impugnationis ſuæ manipulo inimici impetus prodit, ſi forte molliorem inueniret, quem crebra victoria quaſi laſſis viribus fatigaret. Nam primò in deſtructricis fœminæ ſuperbia, ſecundò in detrahentium puerorum victus iniuria, tertiò nunc pugnacius, fruſtra tamen, ſe obiicit, quia ad ſcindendam tam robuſti pectoris patientiam non pertingit. Sed ne demorer auditores, in longum trahendo ſimilitudinem, œconomus, qui & diſpenſator annonæ publicæ erat, beato viro ad quotidianos ſumptus ſtipendia diſpenſare ſolebat: hunc tanquam ex opportuniſſima occaſione virus illud inimici cum perfudiſſet, & naris inimicitias contra innocentiſſimum iuuenem animaſſet, nec leuiter conceptam malitiam ferebat, nec facile ori imperabat. Quotidie detrahere, & quoties peſtis illa incaluiſſet, nihil minus expectantem crebris non parcebat obloquiis infamare. † Stabat vir Dei, & recognoſcens hanc quoque technam eſſe inimici, Dominum pro inimico deprecari: interdum & ſedata illa tempeſtate, perſecutorem beneficiis aggredi, & quoties deliniſſet, toties ſic gratulari, velut ſi cedente inimico, victor ipſe abiſſet. Sed quia quorundam peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium: quod modo patientia orationis extinguebat, rurſus inſania diaboli in miſerabilem illum accendebat: quatenus & militi Dei non deeſſet tentatio, & tentatorem feſtinata occuparet damnatio. Hoc duorum longè diſſimile certamen aliquandiu cum traheretur, ventum eſt ad clauſulam, & more ſolito captiuus ille euomit blaſphemiam. Circumſtante multitudine, Quid ſibi, inquit, vult aduena iſte, vt de remotis terrarum partibus huc ingratus veniret, & delicioſus abſque opere, alieno cibario ventri morem gereret? Nunquid aut Haſbania præter ſolitum † panes dehabet, aut otioſos nemo niſi Metis ſemper alet? Populus qui adſtabat: Non ſatis ſanè, inquiunt, frater de aduena debacchatis, quem & claritudo generis, & quod vbi huic frequenter compertum eſt, multitudo cōmendat ſanctitatis. Aut cur calumniaris de panis eius inopia, cum beato noſtro Protomartyri tradiderit, quæ terrarum dominos decerent, patrimonia? Cauſam ſi quæris, ea vel maxima eſt, vt exerceatur in Scripturis, quas poſt prima literarum elementa iam inchoauit à Pſalmis. Sed cum ad hanc prudenter incantantium vocem ſurdiſſima aſpis aurem obturaret, & velut draconum calice potato, iterata inuectione, complofis manibus, iurgia furori adderet: Imprecor, cum deriſione ait, vt cum hic memoriter habuerit Pſalterium, pœna in me redundet non alia, quàm dolor dentium. Audiuit Dominus, & prouocatus ad iracundiam, interim tamen ſerui ſui diſtulit † contumeliam. Annus quoque defluxit, & capaciſſimus iuuenis ſecundum operantem in ſe ſpiritum, memoriter perfecit Pſalterium: diſpenſatorem verò ſecundum cor impœnitens, & deuotationem labiorum ſuorum inuaſit dolor dentium. Creſcebat indies malum, extendebatur pœna, vt vel ex tormento cogeretur honorare, quem ex ſpiritu ſuperbiæ non erubuerat infamare. Vox incondita, manus incontinens, præterea totus homo traditus in interitum, teſtabantur in eo magis dæmonium, quàm dolorem dentium. Nec requieuit pœna, donec expleta dierum ſuorum ſufficienti malitia, extorqueretur & anima. Audiant hoc vel exemplum vel pœnam, quos nec patientia Dei ad pœnitentiam, nec dilatio adducit ad veniam. Audiant œconomi & diſpenſatores, & recognoſcant ſe non dominos ſed procuratores: comminiſtros non præiudices, diſcant ſeruire, non detrahere: humiliari, & non ſuperbire. Audiat & lingua, malum procax & venenatum, ſtimulus furoris & antipa ſuperbiæ, & diſcat melius tacere, quàm loqui: orare magis, quàm imprecari. Omnibus in exemplum ſatis eſt œconomus vnus, diſpenſator cum detractione, reprehenſor cum ſuperbia, ad pœnitentiam dilatus, non tamen admiſſus, malum linguæ punctus in vicino dente, dæmoni demum traditus in morte. Hac quoque de inimico accepta victoria, athleta DEI Trudo de campo certaminis ad ſeipſum redit, & ſtupentibus de tali miraculo Epiſcopo cum tota ciuitate, ipſe robur ſuum cum infirmitate, honorem componebat cum humilitate. XIV.

Satan crebro eum nititur in ruinam impellere.

Oeconomū incitat aduerſus eum.

† for. Sciebat.

Eum S. Trudo beneficiis ſtudet lenire.

1.Tim.5.

† dehabet, pro non habet.

Pſal.57.

Vide hominis liuidi amentiam

Videtur deeſſe † vlciſci.

Punitur diuinitus obtrectator

TRANSFERTVR deinde ad liberalium inſtrumenta artium, iactoque inprimis fundamento Grammaticæ, mira facilitate ſuperædificat ſtatim totum illud genus ſcientiæ. Tædio plerunque, vt ſolet, ſi afficeretur, ſolatium ſibi Pſalmos adhibebat: eos intenta mente ruminabat, & mira alternitate laborando, vires reſumebat: elonganſque ſe fugiendo, manebat in ſolitudine, quia à ſtrepitu & Philoſophorum diſputatione penna contemplationis ſublatus, in remota mentis perſeuerabat intentione. Vbi verò ad Eccleſiaſticas ventum eſt ſcripturas, tanto earum amore ductus eſt, vt præterita omnia contemneret, & in adipiſcendo clericatu, totum ſe quaſi expediret. Ingreſſus Eccleſiam beatiſſimi Protomartyris, renunciat ſcholaſticis, manibuſque Epiſcopi ſui tonſuratus, exuit laicum, & indutus clericatum, iuratus in CHRISTI bella miles aſſumitur, & ad expugnandum Pharaonis equitatum, gladio Spiritus Sancti accingitur. Proficiebat interim giganteis, vt ita loquar, paſſibus per gradus Eccleſiaſticos, donec concordi acclamatione omnium peteretur, traheretur ad ſacerdotium. Qui iuſtus, vt ſcriptum eſt, ſui in primordio accuſator, cum admirabili illa myſteriorum perterritus magnitudine, primò reſiſteret, demum ceſſit, & compoſito ad timorem amore, accedit ad quod elegebatur. Cuius ſacerdotium non dignitatis præſumptio, ſed maximæ humilitatis facta eſt imitatio: qui nec gradum præſumere, nec aliorum, cùm poſſet, diſtulit curam aſſumere, non ſua, ſed quæ IESV CHRISTI ſunt, quærens: nec ſibi, ſed patriæ, immo toti orbi genitum ſe credens. In cuius ſanctiſſimo ordinationis die mater Sion, dilatatis terminis, longos fecit funiculos ſuos, & in exaltando hunc vnicum filium ſuum, multitudini prouidit fidelium. In acceſſu enim eius ad cœnam nuptiarum agni, dotis ſuæ magna quædam munera ſtatim in eo transfudit, condens in arca pij pectoris tabulas dilectionis, & virgam correctionis, addito ad vtrunque manna admirabilis doctrinæ. Quibus chariſſimæ matris ſuæ optimis muneribus fidelis filius ita ſemper vſus eſt, vt & omni indigenti ea diuideret, & ſemper integra ad conſepeliendum ſibi reſeruaret. Aret eloquium, & inualeſcente materia, ingenium ſuccumbit. Quis enim digne explicet, quanta non tantum corporis, ſed & animæ munditia, ſancta illa tractauerit, quanta omnis virtutis commendatione illos dies continuauerit? Ieiunia & eleemoſynas ſi loquar, parum eſt: continentiam & ſui met pro CHRISTO contemptum ſi dixero, quanti hæc ſunt? Minima hæc & puerilia eius fuerunt: in his ablactatus, in his XV.

Diſcit artes liberales S. Trudo.

Item Scripturas ſacras.

In clerum aſſciſcitur

Prouer. 18.

Initiatur ſacerdotio.

Non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti.

Corporis & animi munditia.

in his totus eſt educatus. Gratias tibi bone Ieſu, cuius operatiò in ſeruis tuis inenarrabilis, miſericordia eſt incomprehenſibilis.

XVI. MVLTIPLICATIS autem diebus, cum iam in eo eſſet, vt lucrati talenti ſanctiſſimas merces natiua quoque eius terra experiretur, morum & ætatis iam adepta maturitas, de repatriatione admonebat. Venerabilis quoque Pontifex conſiderans commendatum alumnum in Euangelicum iam profeciſſe doctorem, & de multis virtutibus quaſi compactum vnum hominem, in proſpiciendo de gregis Dominici augmento, acceſſitum talibus adorſus eſt: Cum ſis, ait, planè fili chariſſime, ſecundum datam tibi gratiam deſuper, ex omni Sancti Spiritus armario non modicè roboratus, iamque ex officio curæ ſacerdotalis ſcias & poſſis ex aduerſo aſcendere, & oppoſito pro domo Iſrael muro, in prælio in die Domini ſtare, oportet te quoque vnà nobiſcum in Dominicæ plantationis vinea laborare: quatenus qui nūc participamur officio, cùm venerit ille Dominus vineæ, participemur & denario. Si enim de commiſſo arguitur, qui acceptam pecuniam ad menſam Domini non partitur: quanta liberalitatis manu te oportet diſtribuere, quod luce clarius liquet te tui ſolius cauſa non accepiſſe? & cum præeunte ſapientia, ætatem quoque attigeris, ne verearis (quæſo) fieri cuſtos vaſorum Domini: quæ teſtibus Angelis hodie tuæ committo filiationi, vt quantoſcunque ex errore ad viam conuerteris, totidem ſanctificationis vaſa Domino ad inhabitandum acquiſiſſe in finem graruleris. Quapropter accepta authoritate ab Apoſtolatu ſanctæ huius Metenſis Eccleſiæ, accingere in redeundo ad partes Haſbaniæ, quæ magna ex parte adhuc ſeruit ſub idolo, & cultore eget Catholico. Optimam hanc tibi iniunctam velim prouinciam, quatenus vbi abundauit iniquitas & ſuperſtitio, abundet fides & Chriſtiana religio. Diſcant igitur animalia diaboli, te frenante, iugum ferre Domini, vt guſtato ſale, qui in te eſt, qui nunc nil niſi barbarum norunt frendere, tandem in dulce Chriſti melos incipiant verba frangere. Te quoque de te vt admoneam, liber legis ſemper verſetur in ore, rationale imprimatur in pectore: vt iuncta cum omni tua doctrina antiquorum patrum authoritate, ex grauitate vitæ cunctis poſſis innoteſcere, quantam omnis boni rationem portes in pectore. Si enim ex beneficio omnia diſpenſantis Dei, Angeli vocamur, omni ſtudio neceſſe eſt ſcientiā vt cuſtodiamus: vt lex, quæ ex ore ſacerdotis requiritur, Angelo interpretante, efficacius exprimatur: & quos ignorantiæ infirmitas deorſum grauat, Angelicæ ſcientiæ volatus ſurſum trahat. In augmētando præterea populos, nouæ acquiſitionis eccleſiam Domino ædificabis, in qua lucrati gregis incrementum proficiat, & cum fructu bonæ operationis, ad omnipotentis paſtoris perpetuum ouile vnà cum duce ſuo tandem perueniat. Nec graueris de noſtra interim ſeparatione, quorum affectum tempus non imminuet, locus nullus diuidet donec ex æternitatis beneficio vna & eadem nos excipiat ſuperni patris manſio. Hæc & huiuſmodi prudens magiſter cum fideli concionatus alumno, diſſociabiles condunt libellos, & alter frequenter admonendo, alter libenter audiendo, dum motas nectunt in agendo, iterata benedictione, ingeminatis oſculis, vtrorunque lachrymis tandem diſceſſum eſt.

Ezech. 13. *Matt. 20.*

Haſbania magna ex parte adhuc aliena à fide.

Innoteſcere actiuè

Malach. 2. *Ibidem.*

Mittitur in Haſbaniam ad concionandum.

XVII. PROFICISCENTEM autem mixtum genus ſtipato agmine proſequitur. & impedito tumultu pium ſacerdotem ægro affectu mœſta turba inclamant. Egens liberalitatem, diues familiaritatem, infirmus medelam, poſtremo vnuſquiſque beneficium, quo vſi erant, non ſine fletu inculcando prætendebant. Beata, aiunt, patria, tellus felix, quæ in te recipiendo, damno noſtro ditabitur, mœrore conſolabitur. Nos extremæ fortunæ prodigium, quibus de ſemel accepto non conceditur perfrui: aut ſi recedendum omnino erat, concederetur etiam nobis recedentem te comitari. Enimuerò eſſet tolerabilius, & in comparatione mali, beneficium reputaremus, ſi aut inexpertum populus hic non cognouiſſet, aut poſt cognitionem cum abeunte tranſmigrare liceret. Nunc beneficiis noſtris alienus poſſeſſor gratulabitur: nos genus relictum & populus repudiatus, ad rapinam & miſerias exponemur. Sed pius ſacerdos, quem & miſeratio ſuper charos conciues, compungebat, nec tamen affectus inclamantium à propoſito & iniuncta obedientia deflectebat, optima quæ habebat munera, ſuis ſupplicibus diuidit, breuem & ſalubrem exhortationem, addita benedictione: ſicque extremum valedicens, mœſtum agmen omnipotenti Domino commendatum dimittit. Laudent alij Curios, & nomina vana Catonum: mirentur de interſectorum ſanguine victorias, & captiuas animas vinctis poſt tergum manibus triumpho additas, fauorabili ſtrepitu theatra vana remugiant. Plus certè his omnibus athleta Dei Trudo in die Conſulatus ſui, in hac ciuitate Domini virtutum reipublicæ ſuæ intulit: quem Chriſtianorum viuens & libertinus populus proſequitur, pauperumque ſuorum conſolata turba præcedit, nec alias quàm benignitatis & miſericordiæ laudes plaudit. Plus, inquam, intulit, qui nullius vnquam proſperitate fractus eſt, qui nullius ſenſit aduerſa: quem ſemper inuitum ſecutus eſt honor: qui virtutum quadriga inuectus, memoriam ſui in benedictione poſteris reliquit. Illos autem aliud nil manet, quàm tormentum & ignis. Continuato igitur itinere, Tungrenſem deuenitur ad vrbem, quæ omnium Galliæ Belgicæ vrbium quondam vel maxima, vel æqualis; nunc quaſi exeſa & diruta, Vandalicæ deuaſtationis omni futuræ ætati perpetuum & fidele nimis monimentum relinquit. Illic chariſſimum patrem ſuū, venerabilem Remaclum Epiſcopum cum inueniſſet, mira vterque alacritate repleti, gaudia ſua communicant, & de omni euentu & fortuna alter alterum ſolita illa ſua familiaritate docent & inſtruunt. Tum verò Epiſcopus tanti ſacerdotis ſapientiam & profectum ſua lucra reputans, eum in opus Euangelij collegam & quaſi commilitonem ſibi aſſumit. & partito curæ paſtoralis onere, eccleſias ordinare, & verbum Dei in diœceſi ſua iniungit annunciare: vt quoties manus Pontificis pro Iſraël extenſæ cum Moyſe grauarentur, toties ex miniſterio ſacerdotis, tanquam Aaron adminiculante ſuſtentarentur. Et peracto aliquot dierum familiari contubernio, ſanctæ animæ poſt mutuam & ſufficientem ſui conſolationem, ad negotia ſua redeunt, ille ad requieſcendum cum Maria in cœleſtium contemplatione, iſte ad laborandum cum Martha in Eccleſiarum ſolicitudine. Non multo poſt enim ſanctus Epiſcopus pertæſus ſecularium tumultuum, abrenunciatis omnibus, in ſuo Stabulenſi monaſterio monachum profitetur, ibique ſecum habitans, S. Theodardum, poſtea Chriſti martyrem futurum, in Epiſcopatu ſucceſſorem habuit.

Quam charus fuerit Metenſibus S. Trudo.

Redit ad Tungrēſem vrbem incolumis.

Exod. 17.

Luc. 10.

S. Remaclus monachum profitetur, eique S. Theodardus ſuccedit.

XVIII. CVM præteritur interea territorium, viculus quidam fatigato & ieiuniis attenuato homini Dei officioſum ſatis præbet hoſpitium. Humanitate ducta tota illa ruſticana, ſed fidelis multitudo, obuiam prodit, vnuſquiſque pro ſe, omnes autem in communi vnius ſaltem noctis cohabitationem vt mereantur, pro beneficio petunt & impetrant. Ingreſſus ad officioſos hoſpites, ſolita illa ſua conſuetudine inprimis de diuite vena exhortationum deducit fluenta, & irrigans prata mentium, diem trahit vſque in occaſum. Vnus, qui vel potentior, vel erga cultum Dei religioſior, cæteris imperitabat, fuſa prece obtinet, vt recedente multitudine, ſecum in domum declinet, epuletur, & pernoctet. Hortus manſioni erat contiguus, arborum proceritate in nemus excreſcens, qui à fructu deducto nomine, pomarium vt appelletur, vſus obtinuit. In eo lectulus, quali ſolebat vti, non mollitie blandiens, ſed ſomno vix conſentiens, vt ſibi pararetur imperat, vel propter declinandos æſtiui illius tunc temporis parum mediatos calores, vel vt orantem ſua remota ſolitudo iuuaret. Et iam nocte mediante hora declinabat, cum de theſauris omnipotentis Dei miraculum oſtēditur rarum & celebre, & ad commendandam tanti viri ſanctitatem, omnibus retro ſeculis ſufficientiſſimum. Lux enim illa cœleſtis, quæ ſine vllo ſui detrimento ſola lucet in tenebris, ſuper eum incanduit, & diuiſa ad magnitudinem phari partim ad pedes, partim ad caput, totum hominem, depulſa illa caligine, mirabiliter illuſtrauit: nec ad horam, ſed maxima ex parte noctis, cum eo perdurauit. Mulier hoſpita primo gallicinio excita, ſubitæ lucis terrore concutitur, pluſque ſuſpicans periculum, quam ſperans miraculum, lectulo excutitur: foribus reſeratis, domum feſtina egreditur

Ioann. 1.

Lux cœlitus fuſa, immittere cernitur S. Trudoni.

ditur. Neque enim ad morem luminarium, qualia ductili cera artifex manus ſolet effigiare, lux illa erat: ſed ignito iubare Solis quoque, cum in virtute ſua lucet, ſuperans claritatem, non vnius ſanctæ requietionis manſionem, ſed & totam circumquaque illuſtrabat regionem. Recuperato ſpiritu, & hoſpitæ ſanctitatis mulier rememorata, maritum quoque ſtratu elicit, & ad participandum de viſione talis miraculi ſecum pertrahit. Stupore ſuo vterque ædificati, miraculo aliquandiu conſolati, accepta beneficia mira cum alacritate hi in domum ſuam reportant, vir Domini ad palæſtram ſuam ſe erigit: reſiduumque noctis vigiliæ & orationi dedicans, labium ab oratione, mentem non relaxabat à cōtemplatione. O virum omni virtutum præconio laudabilem, cuius ſanctitatem cœlum loquitur, lux incircumſcripta teſtatur. Quem etſi curuæ in terris animæ, & cœleſtium inanes non poſſumus imitari, vtinam ſuo cum auxilio dignè ſaltem valeamus admirari. Mane in lucem ſole nato redibat, & vir Domini de profectione parabat. Adeſt ruſſus tota illa multitudo, hoſpites inprimis cum grege domeſtico, & ordinata quaſi obſidione, cogunt magis quàm poſtulant, diem quoque illam apud ſe vt continuet, pretium hoſpitij docendo turbam recompenſet. Volens vincitur, & benedicens Dominum de feruore Chriſtianæ religionis, omnibus ſe exoccupat, vnam diem totum ſe multitudini donat. Bibebant omnes de ſpirituali, & emendatæ animæ ad fidem roborabantur, & omnipotenti Domino reconciliabantur. Inter cætera admonitus ab hoſpite beneficij, filium eius nuper natum catechizat, & allata aqua ipſe ſanctificat, ipſe immergit & baptizat. Has ſanctitatis ſuæ gazas diuidendo totam diem cum continuaſſet, perſoluto iam fœnore, vicum optimis muneribus ditatum relinquit, conſolatis omnibus vitæ ſuæ ſe reddidit. Populus non immemores beneficij, locum in quo lux illa reſplenduit, in memoriam eius oratorio dedicant, vicum quoque deriuato vocabulo, Trudonecas, appellatum, filijs ſuis in omnem retro progeniem ſic nominandum hæreditariè relinquunt. Plurimus prætereà, & penè innumerabilibus ſanctitatis ſuæ monimentis illud reditus ſui iter cum illuſtrauerit, hoc vnum ideo notum, quia publicum: de cæteris ſecreti obumbratione notitiam ipſe ſuppreſſit. Hæc de glorioſo Chriſti ſacerdore habui hodie quæ dicerem: cætera audietis commodius, ſi, quæ ſuperſunt, alio aggrediamur principio, & dicendi munus aliquanto interim reparemus ſilentio.

Oratorium conditur eo loco, vbi viſa lux fuit.

LIBER SECVNDVS.

Cupidiſſimè excipitur à ſuis.

POSTERA lux oritur, multò gratiſſima patriæ: quæ poſt faſtidioſi deſiderij moras, expectatiſſimi ſui Trudonis aduentum miniſtra fama cum cognouiſſet, noua induitur lætitia, & mutata facie, in occurſum progreditur. Domus I.
omnis, municipia, vici, certantibus ſtudiis cum coniugibus & liberorum agmine, vno officio indiſcreto affectu ſe in obuiam eiiciunt. Satis autem tardus ætate, aut morbo confectus, quem deſiderium non expediret, aut amor recepti patroni occurſui non præpararet. Benedictionem omnes flagitant, tactum requirunt. Sufficit poſtremo multitudini, vel comitatui intereſſe, vel viuæ vocis eius efficaciam audire. Hoc amicæ plebis tumultuario affectu in ſuum Sarchinium inuehitur: ibi vna miſericordia omnibus compatiens, alios caſtigatione emendat, alios conſolatione roborat, omnes poſtremò benedictione confirmat. Præfectoriæ nihilominus dignitatis ſublimitas, & conſanguineorum eius nobile & religioſum genus, dies omnes & noctes cum eo continuant, & exoptatæ eius receptioni ſtudioſum contubernium exhibent. Requieſcebat enim in eo viuificans ille Spiritus Sanctus ad inſtar Apoſtolicæ conformationis, ita vt nec conſcientiæ deeſſet authoritas, nec literis doctrina, & quoties ratio expoſceret, ſtatim miraculum ex meritis coruſcaret. Multiplicabantur interim ſata Euangelij, & creſcente religione, nouus quotidie populus ad Eccleſiarum caſtra conuolabat, & lucratæ animæ in veritate fidei componebantur.

Multos cōuertit ad Dominum.

TVM verò in quotidiana religioſæ multitudinis augmentatione plurimum delectatus, optimum factu arbitratur, Chriſtiano exercitui cœnobiale vallum erigere, vbi cum impugnante ſe inimico, fide magis quàm iaculo, oratione quàm gladio, dimicaret. Et noui non immemor præſidij, ad Chriſtum conuertiture, cooperationis beneficium vt præſtet, deprecatur. Recolens etiam voti ſuæ illius quondam puerilitatis, & quià periculoſe vouetur, quod poſt votum nō redditur, concepta authoritate lineam iacit fundandæ eccleſiæ: in id operis tota animum defigit intentione. Rogatus Dominus, vt ſemper, indefeſſo laboratori ſuo ſe exhibet, & felici ſucceſſu artem dirigit vſque in perfecti operis conſummationem. Dedicata ad votum eccleſia per beatum Theodardum, ſanctiſſimi martyris Quintini, necnon & glorioſi Rhemorum Archipræſulis Remigij memoriæ titulatur, reliquijs honoratur: vt quos pro ſuis meritis receperat cœlum, domus quoque vnius veneraretur obſequium. Dote dehinc ſufficienti ex collatione adiecta, fidelis multitudo adunatur, cœnobium beati Trudonis, ſeipſo authore inchoatur, quo etiam tempore Floriacenſe ſancti Benedicti cœnobium, à Leodebodo Abbate fundatur. Ingrediuntur illuc palatina dignitas & curialium faſtus, cum paupere & ex ſeruitio conuertente, portat iugum Domini, nec diſcreuit ſancta animalia diuitiarum aut paupertatis conditio, quæ ad ſeruitium omnipotentis Dei charitatiua itgauit religio. Multi præterea nobilium, filios cum patrimoniis in commutationem ſupernæ hæreditatis ibidem deuouerunt, felices ſub talis doctoris magiſterio, qui nil præter cœleſtia, nil docebat aliud, quàm ſpretis carnalibus ambire ſpiritualia. Cuius omnis ſermo ſufficienti ſale conditus, & in nationes eloquij eruditionem diffundens, multos ad Deum præmiſit, innumerabiles ad ſequendam magiſtri viam informauit. Factumque eſt, vt qui ſpreta quondam maritantium iugali copula, hæreditate relicta, puer adhuc continentiæ ſe deuouerat in cœlibatus ſui teſtimonium pro coniuge eccleſiam, pro hæreditate Chriſtum ſuſciperet, & quantoſcunque inſtruendos acciperet, totidem quaſi ſpirituales maſculos tabernaculo generaret. Qui cum, vt frequens iam dictum eſt, ſuimet ſecretum magis, quàm notitiam: contemptum, quam honorem ſemper elegerit, inuito tamen illo & tanquam reclamante, qualis fuerit, omnipotens Dominus in ſole poſuit. II.

Templum condit, vt adhuc puer vouerat.

Initia monaſterij S. Trudonis, itéque Floriacenſis.

Vouet Deo caſtitatem adhuc puer.

PAROCHIAM ſupplicantem aliquando viſitaturus, clericorum ſtipatus agmine, itineris laborem & corpuſculi imbecillitatem vehiculo vt leuaret, multis precibus vix obtinuerunt: cum ſubitò itineri infeſtus ſatis viator accreſcit, & furem, quod erat, tota arte diſſimulans, inhæret agmini, iungitur contubernio, hoſpitio participat. Sacerdos ad quod venerat, ſolicitus, exhibita caſtigata exhortatione, ædificatæ plebi de more Miſſam celebrare ingreditur. Occupatis cuſtodibus, vtpote qui magiſtri doctrinæ magis, quàm animalium officio, ſolebant inuigilare, officioſus ille latro maliciam præſumit, & iumentum, quo ſenior ſedere conſueuerat, arripiens interim euadit. Explero negotio, amiſſio vehiculi agnoſcitur. Diſſimulantibus cunctis, vnus præſumpta authoritate, rei familiaris damnum cum querimonia in notitiam ſacerdotis perducit. Ille nihil motus, magis autem, vt ſemper, inter damna hilarior, Patientia, ait, opus eſt, magiſque peccatum deflendum, quam damnum. Aut cur quis queratur de vehiculo, cum æque omnia in manu Domini ſint, ſicut iumentum, ita & homo? Nec diu interceſſit, cum furti reus, captiuante inimico poſſeſſus, peſſimo poſſeſſore ſtimulatur, multis tormentis ad ipſam penè mortem cruciatur: & præſumpta in ſeipſum accuſatione, damnum beati Trudonis, cauſam ſuæ fatetur inuaſionis, eum per omnia proteſtans Dei ſeruum & amicum, cui vel in rebus minimis cœleſtis deſeruiret vindicta. Et cum à parentibus miſerabilis illa captiuitas ferro quoque vincta traheretur, inimicus ſacerdotis timens authoritatem, deliteſcere cupiebat, ſuæque poſſeſſionis miſerrimum vas conquaſſando diſſipabat. Impeditus multitudine, nodoſitate coopertus, tandem quaſi ad tribunal vterque poſſeſſor & poſſeſſus pertrahuntur, ille perpetuæ damnandus captiuitati, iſte neceſſariæ reddendus libertati. Rogatus ſacerdos, miſeratione, qua ſemper totus in Domino redundabat, flectitur, fugientibus quaſi periculum aliis, III

Fur tollit beati viri equum.

Vitio cœleſtis furē perſequitur.

ipſo

ipſe accedit, manu blanda os, faciem, & caput furioſi attrectat, & frequenti totum hominem depingens ſignaculo, in remoto ſacrario ſecum componit: ibi celebri oratione cælo defixus, imperioſa authoritate inimicum eiicit, & liberatam animam Eccleſiæ conuentui reconſignat. Emendatus homo ei reddit gratias, & reliquum vitæ ſuæ tempus ex doctrina liberatoris ſui religione caſtigat. Hoc primum beati Trudonis miraculum enituit, poſtquam ex peregrinatione ſua Sarchinium reuiſit. Quo tota vicinia quaſi præguſtato tanta deinceps auiditate deſiderio ſatisfaciebant, vt quotidie indiſcretum agmen confluerer, & oblita poteſtatis dignitas ſecularis, religioſa fide ad doctrinam excubaret ſacerdotis. Satis honoratus, & inter ſuos ſpectabilis, cuius vel fides mereretur, vel importunitas extorqueret, vt petitioni condeſcendens, domum ſuam viſitaret, familiam benediceret. Nec defuêre quidam, ad quos cum religionis poſtulantium victus deſcenderet, inter cætera etiam miraculis illuſtrarentur.

Curat furē à dæmonē arreptum.

IV. Vir illuſtris, nec minus religione, quam opibus clarus, coniugem habens ſimilem moribus & conuerſatione, frequenti & ſupplicatoria legatione coactum hominem Dei, ad ſanctificandam manſionem ſuam, de monaſterio extrahere laborabat. Quem cum amicum haberet pro morum honeſtate, conſanguinitas quoque ad nodum familiaritatis acceſſerat. Petitionem cum ſine moleſtia recuſare non valeret, data die, cum religioſo diſcipulatu egreditur, expleto itinere peruenitur. Aduenienti competens & officioſa manſio præparatur, ſumptus extruitur: quanto hoſpes ſanctior, tanto minori impenſa, vtpote, vbi plus animæ ſatietas, quā corporis refectio requirebatur. Diffamatum de aduentu tota prouincia præceſſerat, porticus cum atriis ſuis vix ſufficiebant receptui multitudinis. Manſionem totam perpetua aquæ ſterilitas damnauerat, nec niſi aliunde petita vſui proderat. Agro & pecude domus abundans, aquæ penuria affligebatur. Ingreſſus ſenior, doctrinam incipit, & ſtudioſis auditoribus in vſque veſperam exhortationis refectionem trahit. Recedente frequentia, famulantium grege circa negocia partito labore occupato, ipſe cū religioſis hoſpitibus interim circa domui contiguam arboream pomarii plantationem ſe exoccupatum exponit, & leni deambulatione diurnæ fatigationi medetur. Et conſiderata loci opportuna amœnitate, Habilis, inquit hoſpitibus: habitatio hæc, & quam ſitus ipſe commendaret, ſi non aquæ penuria iniuriam irrogaſſet. Quo reſpondente, Etiam domine: miſertus incommodi manſionis, virgam, quam ex occaſione manu gerebat, terræ defigit, illa nimirum vſus fiducia, qua apud conditorem omnium Deum, quicquid collibuiſſet, fuſa prece obtinere ſolebat. Retractam ad ſe virgam ſtatim fons irriguiſſimus, & in amnem ſufficiens, ſubſequitur: quo potata plebecula, vſque in hodiernum diem fons S. Trudonis vt appelletur obtinuit. Sicque ſoluta mercede hoſpitii, duplici bono rure conſolato, in craſtino monaſterio ſe reſtituit. Et ne vetuſtas memoriæ inuideret, hoſpes ille paterfamilias, fauente multitudine, oratorium nomini eius erigit: in quo adhuc ad inuocationem viri Dei, infirmantium recuperat vires debilitas, fortium ſanitas roboratur. Totum prætetea rus Amburia, mutatis literarum penultimis, quaſi Ambullia, hoc eſt, amne bulliens, poſteritati vocabulum fecit.

Prolixè admodū concionatur.

Facilime eli cit fontem è terra.

Fons S. Trudonis.

V. Vnvm adhuc ex plurimis hoſpitalitatis eius monimentum referam, vt ex his lector poſſit agnoſcere, nullum vnquam eius hoſpitium ſine miraculo remanſiſſe. Domeſtica enim eius & quotidiana, quæ ſui multitudine renaſcentes quoque humeros fatigare poſſent, melius arbitror diuinitati commendare, quam parum loqui. Guthmundus quidam bene ingenuus, cuius etiam claros natales religio clariores reddiderat, præſumpta ſpe obtinendi, viſitationem eius ſolicitabat. Filium ex legitima copula vxor ei genuerat, quem rogatus ſacerdos baptiſmate regenerauerat. Vtrunque conſentiens fidei, aduentum non tenuit: vnam diem beneficium eis facit. Illuſtrata domo, erudita familia, de reditu paranti hoſpes, Verrem, ait pater tibi deuoueram: ſed abſentia muneri, feritas voto inuident. Grege recuſato, paſtores negligit, ſaltu vtitur: poſſeſſores ne ſimus, facit. Adde hoſpitibus beneficium, votum quod ex fide vouimus, ne pereat, ſed authoritate tua mutatum pecus, vſui tuo famuletur. Beneuolentiæ, ſenior reſpondet, ex me gratia: voto autē merces à Domino recompenſabitur: cuius imperium faciet, vt mutata feritas, in obſequium ſeruorum ſuorum tranſeat. Erogata benedictione, ad monaſterium reuerſus, ecce votiuum illud pecus in foribus tanta mutatum manſuetudine, vt & manu delectaretur, nec vltra abeſſe vellet. Parum id videatur eis, qui nil niſi elementorum concuſſiones, & mutatas in contrarium naturas rerum, miracula reputant. Mihi certè nihil minus in hoc, quā in cæteris omnibus factis ſuis vir Dei eſt mirabilis. Si enim ipſe ſummus opifex Deus in omnibus creatis æquè eſt mirabilis, vt in Angelo, ſic in verme: vt in camelo, ſic & in culice: cur non & electos eius æque mirabiles prædicemus, ſicut hominum morbis medicantes, ita & beſtiarum feritati imperantes?

Manſueſcit ſubito pecus indomitum.

VI. Qui cum imbecillia vix membra portare valeret, vtpote quæ ex quotidiano ſpiritus labore quaſi in pilam attriuerat, neſcio quid tamen ſemper in ſeipſo vindicabat, & quaſi exquiſito tormento ipſe ſe perſequebatur. Et cum plerunque, vt ſolet, à religioſis quibuſdam, ſuimet vt miſereretur, & pœnam, quam ſibi conſciuerat, vel modice vt temperaret, rogaretur: Omnes vos, aiebat, conſolatores onetoſi, & amici non bene miſericordes. Si enim Apoſtolus tribulationem ſuper tribulationem, ſpem ſuper ſpem ædificabat, dicens: Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit: quanta putatis perſeuerantia elaborandum, vt tribulatione & ſpe perueniamus ad certamen illud legitimum, ſine quo non coronatur ipſe Doctor gentium? Habebat autem vſitatiſſimum memorias Sanctorum frequentare, eas circumeundo debilitati leuamen facere, & quaſi ocium laborem itineris reputare. Quod tamen tanta celabat induſtria, vt die diſſimulans, nocti ſemper magis ſe crederet aliiſque diuturnum tædium nocturna quiete cōſolantibus, ſolus ipſe & ſine arbitris fatigatione ſua perfrueretur. Fundus erat, cui Falmio vetuſtas vocabulum indidit, & in eo memoria beati Martini, tribus ferme millibus à Sarchinio diſparatus. Alius ſimiliter viculus Septemburias, pari diſtans ſpatio, beatæ virginis Genouefæ nomini titulatus. Hos partito labore ita ſibi æquauerat, vt alternatis noctium vicibus, nūc hunc, nunc illum inuiſeret, nec vlla nox prorſus præteriret, quin alterutrum frequentaret. Expleta pſalmorum melodia, mactato ſeipſo ſufficienti holocauſto, die præuenta domum ſe referebat, ne aut fauor bonum conſcientiæ reſpergeret, aut alium, quam Chriſtum, occulti ſui teſtem lux orta admitteret. O ſeruorum Dei conſtantiam! ô robur de cælo, in vaſculis humanæ huius infirmitatis perdurantiſſimum! Quis vnquam ſperaret, cui aliquando perſuaderi poſſet, hominem cum ætate, tum quotidiano ſuîmet cruciatu affectum, tantum laborem poſſe continuare, quantum delicate & ſibimet viuentes ſeculi huius conſolatæ perſonæ, vix aut nullo modo auderent præſumere? Ille quem biduana, aut plerunque triduana affecêre ieiunia, cui raro aut nunquam molliori ſtratu ſomnus irrepſit, qui ſeipſo perſecutore indeficientes pro nomine Ieſu cruces ſibi adſciuerat, vſque ad vltimam tamen huius neceſſitatis diem ex auxilio ſupernæ manus perdurauit, & impoſitum ceruici iugum ad vſque conſummatam Eccleſiaſtici agri lineam ſine vllo defectu portauit. Qui (quod tamen pace Sanctorum omnium dixerim, nihil minus à magnis martyribus cæleſti illi calatho intulit: cui etſi, iam pacata, & in vnitatem fidei compoſita Eccleſia, tyrannus defuerit, ad lilia tamen confeſſionis, ſeipſo tormentante, ſufficientes martyrii roſas addidit. Qui enim ex charitate Dei animam ſuam ſic odio habuit, qui nullo impugnante ſic pugnauit, perſecutorem ſi ratio obtuliſſet, quis vnquam pugnacius reſtitiſſet? quis glorioſius triumphaſſet? Nec caruit martyris præmio, cui affectus non defuit, cum ſatis conſtet, quia quod multi olim ſubiêrūt ex neceſſitate, iſte ſemper portauerit ex voluntate.

Rigidus eſt domitor corporis ſui S. Trudo.

2. Tim. 2.

Nota hîc de Sanctorum veneratione & inuocatione.

Magna laborum tolerantia.

VII. Appendebant interea in cælo teſtes Angeli labores prælantis conciuis ſui, & circa finem certaminis occupato, ipſa imperialis maieſtas Deus immortalitatis nectebat coronam: & cum ſub graui dierum & æſtus pondere penè

Valde cupit diſſolui.

Pſalm. 41.
Mortẽ ſua præuidet.
Nouũ cruciatũ addit corpori.

grauaretur,& deſiderio remuneratoris ſui totus æſtuaret,bis & ter inclamans Ieſum,dicens, Quando veniam & apparebo ante faciem tuam Domine miſericordiſſime? ſtatim conſolatur, & de vicina die & hora obitus ſui præmonetur. Mutatus ſtatim in quandam exhilarati ſpiritus nouam lætitiam,diſcipulos conuocat, iucunditate ſua expoſita, omnium animos triſti mœrore ſaucios reddidit. Tum vero de repoſita ſibi corona iuſtitiæ iam certiſſimus, quoſdam fatigationis eculeos præter conſuetum ſibi addere,in his totus ſuſpenſus,ipſum modicum, qui ſupererat, vitalem calorem mortificare. Acceſſit etiam volenti infirmitatis languor,quo preſſus ſenior, lecto decubuit: & cum per omnes horas quaſi moreretur,hanc, qua ſeculi huius homines ſeipſos conſolantur,ſanitatem tanta abiectione reprehendebat,vt videretur dicere cum Apoſtolo: Quando enim infirmor,tunc fortior ſum & potens,& iterum: Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Arebant membra languore, & ſuperducta cute, rigentibus neruis, conſumpta caro figmentum hominis vix prætendebat. Applicabatur interim & hora tranſplantationis ad radicem ſanctiſſimæ arboris,& cupientem diſſolui, & iam cum Chriſto eſſe, diſcipulorum tamen gemitus,& queruloſa,ne ſe deſereret,ſupplicatio morabantur. Defecerat iam penè ſpiritus, anhelabat in mortem,animamque expectantibus Angelis reddere geſtiens, conſolabatur ſuos, ipſumque reſiduum, & vix in ore palpitantem vitæ motum,admonitioni & doctrinæ expectantium totum impertiebatur. De contemptu mundi,de amore Dei quandam viuæ vocis efficaciam lingua moriens tamen exprimebat. Aſſidebant continuè lectulo venerabiles ſacerdotes cum religioſiſſimo monachorum cœtu,hoc vno mœſtas lachrymas alternatim conſolantes,quod magiſtrum non amitterent,ſed magis ad Deum præmitterent. Et facta hora, allatis viuificis myſteriorum ſacramentis participat, & reiectis oculis, ne circa exteriora hæc amplius occuparentur, conciues ſanctorum choros adueniſſe recognoſcit. Tum verò protenſis manibus toto corpuſculo in obuiam chari exercitus erecto, ingeminato ſignaculo Crucis,Dirige,inquiens,Domine viam famuli tui in conſpectu tuo: in manus Saluatoris caput reclinauit, & immeritus mori, obdormiuit. Obdormiuit plane ad cuius memoriam vſque hodie in teſtimonium glorificati hominis tot & tanta cernimus miracula coruſcare,vt nunc demum credatur viuere, quem ipſa vita Deus tam mirabiliter non ceſſat illuſtrare. Qua illuſtratione cum non tantum terra, ſed & omne mare iam repletum ſit, felix quodammodo ante alia ſancta Sarchinienſis Eccleſia,quæ quod vniuerſitati credentium ſpe ſufficit, reipſa ſola retines,ſeruas,& poſſides. Nil rerum damna,nil ruinæ ligni aut lapidum obeunt: ſolus Trudo cum omni labentis orbis ruina comparatus,præponderat & maior eſt. Filii enim eius,vt ſcriptum eſt,propter eum in æternum manent, & domus non derelinquetur. Cuius ducatu,qui hîc non habemus manentem ciuitatem, vtinam ad illam perueniamus hæreditatem,in qua cum cohæredibus filii Dei verè iam viuens gloriatur,reſpiciens ſe venerantes, & adiuuans inter quæcunque illa ſint pericula,pro amore ſuo perdurantes. Obiit ſanè ſanctus Trudo nono Calendas Decembris, Romæ octuageſimoquinto Papa Sergio, Traiecti præſidente ſancto Lamberto, Francis dominante Theoderico, illuſtris Reginæ Bathildis filio: poſt quem Regibus ſolo nomine præſidentibus,poteſtas & gubernaculum regni penes Maiores domus cœpit haberi.

1 Cor 12.
2.Cor. 1.
Cõſolatur ſuos diſcipulos ſub mortem.
Sub mortẽ munit ſe ſacramentis.
Ad Chriſtũ proficiſcitur.
Eccl. 44.
*Hebr.*13.
Maiores domus alii magiſtros equitũ,alii præfectos palatio vocant.

Fvnvs de more compoſitum, in dilectæ habitationis ſuæ teſtatam & bene hæredem Eccleſiam infertur, & VII.
circumſtipatos pſallentium choros tota ſuorum turba comitatur. Cuius ad Chriſtum felix & liber tranſitus dum ſanctorum omnium fit in cælo feſtiua lætitia,quodam pii mœroris nubilo totum, vt ita loquar, cooperuit mundum. Tota ad exequias prouincia conuenerat, parumque religioſus †, quem cauſa aut occupatio aliqua remoraretur, quin neglectis omnibus ad tanti ſui patroni depoſitionem ſe exoccuparet. Pauperum maxime collecta, tunc verè orphana, & languentium inconſolatus populus præſumptiua authoritate,fuſa in Deum querimonia, ſe nutritium, ſe ſolatium amiſiſſe querebantur. Pendebant ex feretro,& accepta quondam beneficia religioſa inclamatione quaſi improperabant. His portitoribus ante aram ſanctorum Quintini & Remigii,quam ipſe à principio fundauerat, delatus,tota cum reuerentia terræ commendatur,felicior,iuxta magnum oratorem, ciuium lachrymis, quam quiſquam gaudiis ſuis: qui vel hoc vno punit inuidiam,quod tantum ei mors contulit ad gloriam, vt vel in extremo depoſitionis ſuæ die nemo ſit,qui dubitet Angelorum adfuiſſe præſentiam. Nam inter agendum, necdum expleto ſepulcrali aggere, dulciſſimus Dominus Ieſus ſuper compoſitam probatiſſimi militis ſui glebam, illius inenarrabilis ſuæ dulcedinis reſperſit fragrantiam:vt liquidò pateret omnibus,quanto omnis boni odore ſeipſum adhuc viuens incenſum in conſpectu Domini adoleuerit,cuius funeri ipſa maieſtas in tanta dulcedine ſe ſuperfuderit. Quæ ſcilicet dulcedo,qualem oculus non vidit,cor nullum excogitauit,ſicut fumus aromatum ab incenſo igne aſcendens, totam repleuit Eccleſiam,tanta comitante caligine,vt è vicino poſitum quis non agnoſceret fratrem ſuum. Nec ad momentum, ſed per vnius ferè horæ ſpatium perdurauit,donec temperato ſtupore, populus verſa vice pro exequiali planctu laudes mutarent, & de cuius corporali prius flebant abſentia,cæleſti atteſtante miniſterio, de perpetua ſpiritus exultarent præſentia. Verè pius, verè ineffabilis Dominus,qui odorem electorum ſuorum, de quo Apoſtolus glorians. Chriſti, ait, bonus odor ſumus in omni loco, tali pietate remunerat, & dulcis ipſe dulcedini eorum quaſi reſpondet;dum præter depoſitum, quod in illam diem iuſtus iudex reſeruat, interim tamen ex cæleſti ſua fragrantia nobis merita eorum ſic commendat. Vnde in Canticis Canticorum ſancta Eccleſia, Cum eſſet inquit, Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum: quia membris cum capite ſuo Chriſto in ſecreti cæleſtis requie & quaſi accubitu compoſitis,virtutes ſanctorum magnæ ſuauitatis quædam gaudia nobis adminiſtrant. Qui ſicut lilium florentes ante conſpectum Domini,ex admirabili illo odore ſui balſami medicinale mundo porrigunt antidotum, ſanantes languidos,mortuos viuificantes,naſcentibus incommodis vbique ſe opponentes.

videtur deeſſe † putabatur, aut aliquid tale.
Sepultura eius.
Præclarum miraculum
En vt Deus cohoneſtat funus ſancti viri.
2.Cor. 2.
*2.Tim.*1.
*Cant.*1.

Svscitabantvr interim noua quædam miracula ad tumulum in Chriſto ſoporati beati viri,ita vt pene dies IX.
nulla præteriret, quin immortalitatis ſuæ certiſſimum & fidele monimentum mœrenti Eccleſiæ in conſolationem relinqueret. Etiam glorioſæ depoſitionis eius triceſima dies aderat,vnuſquiſque certantibus ſtudiis, quæ ſolent,exequialia charo funeri præparabant. Erat inter cæteros fœmina quædam Vualda nomine, honeſte religioſa, quæ ex doctrina viri Dei in virtutem olim cum profeciſſet,in familiaritatem quoque venerat, obſequio frequens adhærebat. Hæc ſuper amiſſo patrono impatientiſſimi doloris nullum admittens ſolatium, more Euangelicarum fœminarum,vulnerata charitate,cum cereis & thymiamateriis ſe exhibuit,monumentum illud viſitare perrexit,primaque viuentem ſpiritum in mortuis oſſibus inuenire promeruit. Veniens enim ad Eccleſiam, foribus obſeratis impeditum cernens introitum, mœrore ſtatim cum fletu appenſo,manibus in cælum porrectis,O ſanctiſſime, inquit, Trudo,quandiu te viuum habere meruimus, fores huius baſilicæ ſemper apertas habuimus. Inuidit fortuna commodo,beneficium mors abſtulit. Te ſublato,fruſtra iam venimus, obſequium feruenter intrare nequimus. Mira velocitas. Adhuc verba in ore loquentis voluebantur,cum inclamatus ſanctus Dei,quaſi leo apertis obdormiens oculis,ſupplici ſuæ mirabiliter ſe exhibuit. Nam diruptis ſeris repagulo abiecto,repente velut à vehementiſſimo turbine repercuſſæ ſunt ianuæ,& appulerunt ſe portæ parietibus impulſæ. Quanta igitur,putatis, pietatis felicitate peccatis hominum clauſos cœlos poteſt reſerare,ad cuius ſanctiſſimi nominis inuocationem natura vim pati cogitur, & non ferrum,non clauſura lignorum officialem ſeruant modum? Cuius apud omnipotentem efficax potentia miſeris ſuorum compatiatur, peccati dirumpat nodos, & introitum ad illud ſummæ æternitatis tabernaculum ingerat

Multa miracula fiunt ad monumentũ eius
Matt. 21.
*Marc.*16.
Magno miraculo diuinitus reſerãtur fores templi.

nobis

nobis obtineat. Conſolata ſatis mulier, expleto officio, propter quod venerat, fideliſſima miraculorum teſtis regreditur, nomen Domini magnificans, & meritum verè cum Deo viuentis Trudonis, ſine cunctatione aliqua prædicans.

X. Et cum ad tantum omnipotentis Dei circa charum ſibi ſui glebam reſpectum miraculorum vox toto penè orbi quaſi intonuiſſet Germaniæ & Gallorum populus religione ductus confluebat, & ſub tali defenſore ſe committebat. Quapropter & glorioſus ille Pipinus Maior domus, filius Anſigiſi & Carolidarum principum, vna cum Francorum primario, & curialium optimatibus gratia orandi ad propitiabile illud viri Dei ſepulcrum peruectus eſt. Vbi etiam in teſtimonium piæ deuotionis facta ſolenni donatione, quicquid in villa Ekinſalo, quæ tunc fiſcus publicus erat, poſſidere videbatur, contradidit. Similiter & aliam villam, pago Campaniæ ſitam, nomine Ham, in vſus ſeruorū Dei inibi militantium deuote ſub charta & teſte condonauit. Venerabilis quoque eius coniunx Plectrudis, omnis religionis ſufficiens monimentum, quanta ſe inibi deuotione depoſuerit, largitiones eius in teſtimonium ſunt. Quæ etiam regale ſuum aurum in recompenſationem æternæ mercedis appendēs, vocatis artificibus, altare ſanctiſſimi patris auro & gemmis decorabile reddidit. Hæc erga milites tuos, Chriſte, gratiæ iſta eſt retributio, vt poſt mortem cinis facti, ſeruiantur à regibus, qui viuentes pro nomine tuo ſeruierunt pauperibus: fiantq; poteſtatum ſeculi apud te reconciliatores, qui contempta mundi dignitate, humilitatis tuæ ſe exhibuerunt imitatores.

Pipinus princeps multa largitur monaſterio S. Trudonis.

Altare eius Plectrudis ornat auro & gemmis.

XI. Accreſcit ad materiam miraculorum quidam Hartfridus, vir inter ſuos præcipuus & carnis conſanguinitate beato Trudoni coniunctus. Quem in familiaritatem aſſumptum, vir Dei caſtigata exhortatione ſub promiſſione quondam obligauerat, nunquam coniugali alligandum copula, ſed magis ſub cælibatu profeſſum, virginitatis ſuæ munus Domino conſeruaturum. Conſenſit interim, non amore, quem gratia remunerat: ſed timore, quem iuſtitia punire ſolet. Aſſumpto de medio venerabili patre, homo non bene religioſus, quaſi iam adepta libertate, terminum promiſſionis egreditur, coniugium poſtulat, parat vxorari. Dote cumulata, compoſito ſumptu, nuptialis conſummatur copula, promiſſionis de conſeruanda virginitate nulla recordatio. Nox reddita ſomnum facit, cum ecce vir Dei, tota ſanctitatis ſuæ coopertus authoritate, terribiliter ingreditur, tactum hominem taliter increpans: Cur, inquit, neglecto imperio, violata fide, pro miſſi immemor, vxorem ducere non timuiſti? Sed quàm fruſtra non tuum negocium aſſumpſeris, vel ex hoc intellige, quamuis vxoratus, ſemper tamen eris ſine ſobole, neque proficiet in hæredē germen inobedientiæ. Addit deinde pœnam, & virga, quam gerebat, percuſſo in femore, Signum, ait, id ſit neglectæ promiſſionis: qui donec aduiues, curuo crure, inceſſu male prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus ex verbere, recognoſcit authoritatem, peccatum fatetur, mutatuſq; in melius, in baſilicam viri Dei comam deponit capitis, monachum profitetur: & tradita in vſum Eccleſiæ latiſſima, qua pollebat, poſſeſſione, omnes retrò dies religionē ingreſſus, caſtigatè ſatis emendat.

Diuinitus punitur, qui poſt votū continētiæ ducit vxorem.

Reſipiſcit & fit monachus.

XII. Ne pigeat interim de innumerabilibus quædam replicare, quæ ad declaranda ſerui ſui merita, omnipotentem Dominum non piguit operari. Godefridus quidam, vir præfectorius, nec minus religione, quàm opibus clarus, territorio degebat Haſbanienſi: cui acceſſu temporis, debilitas quoque addiderat cæcitatem. Homo cum ætate, tum etiā ſapientia plenus, inæſtimabili patientia flagellum cum culpa reputabat, & inter aduerſa Deum benedicere didicerat. Tobiam illum ex veteri inſtrumento eſſe putares, niſi quod coniunx & filius de medio abierant. Fama illa beatiſſimi patris Trudonis admonitus, quaſi de graui ſomno euigilare cogitur: deſperatus à medico & tempore, hoc tali propitiatorio vt reſpiraret, fidem adhibuit. Duce regente greſſus accedit, dies continuat, quotidie cum prece fidem ad cōparandam oculorum mercem Deo appendit. Inter agenda Miſſarum ſolennia aliquando de more ſe exhibuerat, tacita reuerentia cæteris circumſtantibus, ſolus ipſe clamoſo ſingultu aures maieſtatis inquietabat. Diſtillat ſe euicta miſericordia, redduntur miniſterio oculi, illuminatus homo ſeipſum miratur & ſtupet. Rem interim ſilentio premit: expleto officio, voce Eccleſiam conuocat, vna ſua luce omnes ad videndum Deum commouet, & in laudem cogit. Perſona nobilis, dies feſtus, frequentia popularis, miraculo præſtitē emolumentum.

Tobiæ 2.

Cæcus videt.

XIII. Multa quidem & relatu digniſſima, faſtidioſæ prolixitati conſultum volens prætereo: pauca tamen & de minoribus adhuc vt interſerā cauſa eſt, ne dubitet fides ſperare, quoties ex occaſione aliqua vel de minori ſubſtantia cum fortunæ ludibrio luctamen inire cogitur. Latro quidam præſumpta malitia, tenebris fretus, domo violata bouem auferens, imminuti pecoris damnum monachis fecerat. Puer mancipium gregis, ſpe recuperandi animalis, dum ſub ſequitur, init periculum. Malitiæ commilitonem quendam minus cautum latro ille ſibi aſſciuerat: quo miſſo in obuiam, puerum curioſo oculo veſtigium amiſſi pecoris iam deprehendentem, ſicaria manu vt tranſuerberet, facit. Addunt crimini ſcelus, cadauer exanime tractum, limoſa abdunt palude. Homicidii & furti vterque reus, consummata malitia, domum ſe referunt, iuſtitiæ aut iudicii omnia de cælo proſpectantis Dei reſpectus nullus erat. Monachi duplex interim flebant damnum, pecus aratro, puerum deeſſe officio. Latebat palliata iniquitas: quid potiſſimum pius affectus ſperaret, non habebat. Lotharius tunc temporis vir prudens & religioſus, monaſterio præerat, qui latentis malitiæ ſecretum ab Omnipotente monens quærendum, prece ad ieiunium addita, tamdiu dies continuare facit, donec ſuſpenſum adhuc cæleſtis vindictæ gladium, in vltionem prouocarent. Latrò enim ille, iniquitatis caput, à vehementiſſimo dæmone inuaſus, furtum fatetur, homicidii exponit ordinem, iuſtum in ſe redundaſſe iudicium, terribili contra ſe teſtimonio ipſe vtitur. Nec deſtitit tormentum, donec inuaſor inimicus miſerabile poſſeſſionis ſuæ vaſculum contereret, cœno demerſum vſque ad extinctam animam cruciaret.

Addunt latrones crimini [illegible] quia frequenter peccatum peccatum generat.

Corripitur à dæmone fur occultus, ſeque prodit & perit.

XIV. Tali igitur fine miſerrimo homine in interitum tradito, alter ille iniquitatis comminiſter & homicida, quid aliud ſperaret, quam vt ſibi quoque æquati facinoris pœnam & æquale tormentum timeret imminere? Ex conſilio ergo matris, ſatis prouidæ circa ſalutē qualiſcunque filii, occupata celeritate, tanquam ſtatim capiti ſuperextenſam iam mortem fugiendo, ad monaſterium curritur, apertis foribus maturatur confugium. Sed reum ſuum diuina vltione ab introitu longe repulſum, validiſſimi ſtatim quidam ignes corripiunt, ingeminatiſque horribili cum ſtridore vocibus, Vror, vror, inquit, mater. Tumultuario clamore turba confluit, vltionis quidem teſtes impatientiſſimos fletus audientes, ſed materialis ignis veſtigium nullum conſiderantes. Manibus miſerantium vt inferretur aſſumptus, rurſus elabitur, & temperata vſtione, iterum totis membris in globum contrahitur. Stabat miſera mulier, moriente filio, ſolo affectu iam moret, nec aliud quam exequialia ſemiuiuo iam cadaueri parabat. Contracta tamen membra interim ad ianuas baſilicæ componit: ibi totos ſeptem dies continuat, peccatum filii quodam cruciatu in ſe quotidie vindicans, & ad erogandam miſericordiam ſacratiſſimum illud beati viri ſepulcrum importuna oratione inquietans. Septima demum die frequenti conatu vix filius cum matre ingreditur: ibi inter Miſſarum ſolennia, Eccleſia teſte, erigitur, & integræ ſanitati reformatur. Extinguat etiam in nobis illicitos ardores, erigat ſupplices ſuos in virtutem, cuius meritum eſt, quod ignis inuiſibilis extinguitur, & contracta membra officio & vſui ſuo reſtituuntur.

Quid eius ſocio acciderit.

Sub Miſſa ſanatur.

XV. Minimvm eſt, quod dicturus ſum, pietati tamen conueniens, & in erigendo virtutum culmine bona pars materiæ. Perſona officialis, quem manſionarium appellant, Eccleſiæ contiguam habens habitationem, pecore abundabat. Rapta opportunitate, nocturnus prædo boues eius præſumit & aufert. Homo penuria pecoris motus, primam in ſanctum Dei ſtatim retorquet cum fide querimoniam: dehinc exaudibilem illum ſepulchri locum adiens, damnum cum pietate, mœrorem cum miſericordia talis patroni componit. Res iucunda, nec minus mirabilis,

Fur tota

Fur diuinitus detinetur, ne poſſit boues abigere.

Fur tota nocte fugam dum accelerat, magis moram nectit, multo fatigationis ſuæ itinere fruſtra cõſumpto, ſano quodam errore impeditur. Volebat ſaltem, relicta rapina, latere nec poterat: fugere, & efficacia deerat. Mane reddito, vterque prædo & præda ad fores Eccleſiæ reperiuntur: iuſto poſſeſſori pecus ſuum, authori miraculorũ gratia redditur.

Grodegandus Metẽſis Epiſcopus & fundator Gorzienſis cœnobii.

Illuſtre miraculum.

Iisdem ferè temporibus Grodegandus, ſanctæ Metenſis Eccleſiæ antiſtes, Pipini Regis ex Landrada ſorore XVI.
nepos, & Gorzienſis fundator cœnobii, in Sarchinio animarum exercebat Domino lucrum: vir cui ad gradum tantæ dignitatis, gratia etiam acceſſerat magnæ ſanctitatis. Fortè, plerunq; vt ſolet, puer officialis, neglecta re familiari, ſancita ſententia ad culpæ modum iuſſus erat pœnis plecti. Exponebatur tormento, & ſub extenſo verbere tremulus homo, ſolo metu reatus ſui ſufficientes ſatis pœnas iam ſoluerat. Locus euadendi nullus, à miſericordia tota ſpes remota erat. Tum verò, quantum ad temporis illius neceſſitatem, timor & tormentum anguſtiæ ſatis conſulunt: reus ille ſolubilis vinculi euadens nodum, ad miſericordiam beati Trudonis facit confugium. Sequitur e veſtigio minax tortor, & ira addente ſtimulum, temeratio auſu inconſulta manus pietatis irrumpunt aſylum. Prouocata maieſtas, mirabili cum authoritate ſe exhibet, & delapſo cælitus igne accenſus cereis, qui ſacro adſtabat altari, totos perſecutores metu ſternit. Adſpiciebat miſer miſericordiam pro ſe extenſam, & diuinæ pugnæ ſpectator ocioſus, verſa vice minacibus ſuis miſeretur. Ira in pietatem tranſit, minæ in preces mutantur. Epiſcopus ipſe in teſtimonium miraculi euocatus, ſicut audiuit, ita & vidit in ciuitate Domini virtutẽ: & quod in ſe erat, puero culpam donans, male præſumptum ſuorum in domum Domini introitum caſtigat: de reliquo ſeipſum ſub tam defenſibili tutela humiliat.

† deeſt, filius vel pater.

Sacrilegiũ apud S. Trudonem perpetratur.

Ad hanc operum Domini iucundam relationem accreſcunt & alia, triſti licet principio, vtpote de rerum Eccle- XVII.
ſiaſticarum damno, circa vltimam tamen ſui clauſulam, non minus læta ex tanti prouiſoris beneficio. Tempore enim quo Pipinus, qui fuit Caroli †, apud Francos honeſte agebat in ſceptris, monaſterium ſanctiſſimi patris à latronibus violatum, & theſaurus tali modo exinde eſt ſublatus. Adalbertus quidam latronum peritus, & inter id genus hominum quaſi primipilaris, peregrinum ſimulans, & habitu velans iniquitatem, quorundam qui ſepulcrum beati viri ibant ſalutatum, veluti qui votum haberet, adhæſit contubernio. Aduenienti, ex more monaſterii à fratribus occurritur, præmiſſa oratione, xenodochio inducitur. Poſt aqua, pedes lauant, cibos offerunt, refrigeria commutant in melius. Interim & ille conceptę ſuæ malitiæ ſtrenuus prouiſor, opportunitatem quærere, acceſſus faciles rimari, omnia prorſus curioſo oculo metiri. Nox reddita, in ſomnos trahit: cæteris labori quietem ſoluentibus, iniquus vigil mali pernox opportunitatem capit. Feneſtra erat inconſultius proclinis, ſolotenus in gyrum erecta, clauſura parum prouidè munita, & occaſioni habilis. Hanc ſacrilegus hoſpes irrepit, & temeratis ſacris, prædam facit: Regum donaria & poteſtatum ſeculi in omne æuum memorialem largitionem, inſimul correlam præſumit, & fugam facit. Partim ſtatim male comparato ſumptui diuidit, partim auarus poſſeſſor latebroſæ foueæ credit. Latet interim ſceleratus author, & damnoſo hoſpite, quæſtio vbicunque mota nihil proficit, aſſumptus quærentium labor inuanum perit. Reditur ad ſingulare illud confugium defatigatis hominum ſtudiis: beato Trudoni propriam committunt iniuriam, negocium iniungunt. Et quia neceſſe eſt reuelari operta, & occulta ſciri, quodam mirabili diuinitatis conſilio, quod diu iam erat abſconſum, in palam redit tali modo.

Proditur tandem ſacrilegus, & laqueo necatur.

Sanctis de animabus noſtris magna cura eſt.

Habebat prophanator ille conſanguineum, qui religione ductus, cum alio itinerante, vt orarent, ibat Sar- XVIII
chinium. Qui cum longè porrecto intuitu monaſterium iam conſpicarentur, ex familiari collocutione homo ille conuiatori, Ego, inquit, noui, quis damnoſo introitu Eccleſiam illam violauerit, & abſtracto theſauro, adhuc occultus latet. Fauente illo, & protracta ſodali confabulatione, ſuperuenientibus noctis tenebris, vico ſuccedunt, hoſpitio participant. Mane reddito iter ingreſſi, ex occaſione aliqua aleam contentionis ſubeunt. Multiplicata lite, addito ad querelam ſtimulo, furis ille conſcius armaturam præſumit, & contra minus validum conuiatorem ſuum, parum conſulte inſurgit. Ille, cui potiſſimum in fuga præſidium, rapta celeritate ad monaſterium præcurrit, & effuſo tumultuario planctu, euocata multitudine, Vlciſcimini, ait ô viri, in mea iniuria veſtri quoq; damni occaſionem. Hic meus enim perſecutor, violatoris huius Eccleſiæ conſcius, nam & conſanguineus eius eſt. Exceptus ſtatim iniurioſus homo, negat interrogatus: addictus verberi, fatetur tandem, & Adelbertum furti reum prodit. Qui repertus, & tormentis exhibitus, adiudicante ſereniſſimo Rege Pipino, ad malorum vel pœnam, vel exemplum, ſuſpendio damnatus interiit. Ex induſtria tam religioſi principis, theſaurus vbicunque diuiſus aut diſtractus, egreſſa à ſacris legibus authoritate, recipitur, & Eccleſiæ reformatur. Præterea pars, quæ auaris terræ finibus erat abſcondita, paſtores dum ex cura gregis in paſcualibus occupantur, inſperatè oſtenditur, & ex integro recollecta, dominis reconſignatur. Si hanc ergo affectui ſuorum miſertus benignus pater, in exteriori ſubſtantia exhibuit prouidentiam, quantam putatis de animarum longè incomparabiliori theſauro adhibet diligentiam?

Anniuerſaria S. Trudonis feſtiuitas.

Contracta ſanatur.

fo.† Gratulatur.

Ex annua in orbem reuolutione, feſtiua beatiſſimi Trudonis imminebat dies, & frequens populi fidelis con- XIX
uentus ad pii patroni confluebat memoriam. Qua enim quis occuparetur alia ſtudioſiori occaſione, cum omni eum fide petenti nuſquam ſe præſentius infunderet ſtillicidium diuinæ miſericordiæ? Ad hanc feſtiuam inuitationem, mulier comparato aliorum ſolatio, inter manus portantium inuehitur: cui ad graue illud pondus ſenii, paralyſis quoque importuna accreuerat, & conglobatam hominis materiam, in informem quendam nodum contraxerat. Totus, quicunque eſſet ille motus, ab alio magis, quàm à ſeipſo expectabatur, nec niſi alieno ſuſtentaculo pigra maſſa viuere putabatur. Illata ad propitiatorium, appendit ſingultus, ſolam morabilem lingulam cum fide ad ingerendam maieſtati quandam vim ſufficere reputans. Interea in hora ſancti ſacrificii, quando immortalia illa tractantur, & mediantibus Angelis humana cæleſtibus reconciliantur, importunæ preci ab ipſo miſericordiæ ſolio ſalus reportabatur: noduſitas tota diſſoluitur, contractura diſtenditur, erecta fœmina plus quam ſeipſam portare ſufficit. † G auatur alienum ſolatium, & facilitate quadam mobilis, congregatæ multitudini feſtiuam diem egregiè lætiorem reddit.

Ex imaginatione, dicit deformationem.

Ioan. 9.

Cæcus & claudus curantur.

Dvo quidam longa damnati diſſimilitudine, ex imaginationis ſuæ inconuenientiam, ad hanc artificialis me- XX.
dicinæ manum veniunt reformare. Alterum enim emortua neruorum fila inclaudum contraxerant, alterum pupilla ægrotante, ab ipſo natiuo lucis introitu nox præualens, perpetua cæcitate damnauerat. Quid potiſſimum agerent, duo deformata naturæ ludibria non habebant. Exhauſtis loculis, medico deſperante, incommoda ſua cum quotidiana morte componebant, eam ſolam tormenti finem expectabant. Audita fama, quæ in debilium recuperatione ſatis ſuperque præbebat experimentum efficacis medicinæ, coguntur tanquam de morte reſpirare, & quod natura inuiderat, ex beneficio piiſſimi patris recuperare. Ordinatur huic vehiculum, illi viæ ductor: & præcurrente ſpe, ad alteram, ſed longe curabiliorem, Siloë piſcinam: non vnus, ſed duo ſimul procedunt. Mox ad quem tendunt, ſibi adeſſe confeſſorem ſentiunt, & quo vlterius procedunt, eo amplius viribus valent: Et ſicut ignis feruore amplius caleſcit, quo vicinior quis accedit: ita dum monaſterio appropiant, clementius ambo ægrotant. Vbi autem ad memoriã ſancti ventum & oratum eſt, auro fidei vterq; quæſitas diu merces comparant: iſte laxata neruorum nodoſitate, emortuum languoris ſenio femur in quandam nouæ infantiæ agilitatem mutatum ſtupet & gratulatur: ille reſtitutis in ictũ mobilem palpebris, pupilla reuiuiſcente oculo donatus, lucem haurit, & quæ auditu prius didicerat, læta viſibilitate melius incipit cognoſcere. Homines non obſcuro loco nati & alti, ſui notitia non minimam iucundatæ plebi fidem de recuperata ſoſpitate adſtruunt, & in laudem Domini vna vox omnium ſonat.

XXI. Ne expectes à me Lector, vt omnia, quæ vel fidelis nobis reliquit antiquitas, vel quæ ipſi oculis noſtris vidimus, virtutum ſanctiſſimi huius patroni noſtri, explicare velim, aut valeam: ad quorũ inæſtimabilem multitudinem enumerandã, & Tulliani eloquii fluenta ſiccarentur, & contorte vibrataq; Demoſthenis ſententiæ tardius languidiuſq; ferrentur. Hoc pace ſanctorum omnium dixerim, quod nunquam præſentius cæleſtis medicinæ ſtillicidium vſquam ſe effuderit, nec facilior vbiubi ad diuinum propitiatorium pulſanti peccatori introitus patuerit. Habuerunt certè aliquid noſtra tempora omnibus retro ſeculis inexpertum, cum ſingulis penè diebus (rem toti orbi comperram loquor) plerunq; triceni aut quadrageni, interdum etiam centeni, ab hac medicinali tumba, ſecundum incommodorũ qualitatem, recuperatæ ſoſpitatis beneficia reportarent. Plus eſt, quod mecum tota teſtabitur prouincia, pleriq; viſã à longè beatiſſimi patris Eccleſia, antequam peterent, accipiebant, & ſolo affectu, longo adhuc terrarum remoti ſpatio, fide tamen prope erant, & medius agris tota reſidens languentium multitudo, ibi orabant, ibi ſtatim impetrabant. Et ne de mortuo non ſuſcitato quis calumnietur, quamuis & in hanc quoq; partem, quoties ratio poſtulaſſet, ſufficiens ei gratia non defuerit, meipſum hæc ſcribentem (optimus ipſe, quem loquor, mihi teſtis adeſt) de ipſa, quam calcare intrauerãm, mortis porta retraxit. Languor ad extremum pertraxerat, paratis exequialibus, iam funus efflabam animam, cum ſubitò à circumſtantibus inclamatus ſanctus Trudo adfuit, & efficaci illa ſua potentia ſuſcitatum interim diſtulit. Sed quanti eſt cadauer redanimare, qui quotidie de fœtenti vitiorum ſepulcro, amoto deſperationis duriſſimo lapide, innumeros non ceſſat clamoſa compaſſione ad ſpiritualem vitam reuocare? Sunt qui in breui tabella terrarum depingunt ſitus, & ingentia naturæ corpora breuibus lineis quaſi metiuntur. Sic in paruulo hoc libello eternas adumbrata, non expreſſa, maximarum & incomparabilium virtutum eius inſignia: de quo potiſſimum hoc concluſerim prædicamentum, quia quicquid voluit, cum Deo potuit. Cauendum igitur, & toto ſtudio pertimeſcendum, ne indeficiens iſte cæleſtis paradiſi fons, & viuentium aquarum ſemper manans puteus, à nobis negligatur, & cunctis, qui prope & longe ſunt, bibentibus, hi quibus quotidie fluit, ſitiant: ſanatiſq; aliis, verſa vice ægrotent; qui totum medicũ quaſi poſſideat. Loco enim patris & medici nobis vnicus omnium pater hunc ſuæ dilectionis perdonauit filium, ſub quo & ineuitabilia humanæ infantiæ corrigamus rudimenta, & languentis animæ recuperemus fida ſubſidia. Si conſcientiæ lepra prurit animus, ſi cælum libero intuitu non reſpicit oculus, ſi ad currendam mandatorum viam ſtupens nos impedit neruus, ſi auaritia venarum fila contrahit in manibus, ab hoc tali medico medelam ſola fide merebimur. Age ergo nunc pater pie, pater inclyte, compone cum iudicibus ſeculi cauſas noſtras, rerum damna perpetuis bonis remunera, incendia refrigerio auræ ſpiritualis commuta, graue mortalitatis huius noſtræ exilium, in æternam repatriationem transfer, vt per te ad ſpem vitæ redeamus, & quandoq; deſideratum ducem ad eam omnipotentis Patris ſecuri ſubſequamur manſionem, vbi cum conciuibus Angelis gloriaris & maieſtatis manifeſta contemplatione perfrueris. Quod rogatus cælorum ille arbiter nobis largiatur: cuius imperium in triplici perſonarum proprietate, & inſeparabili Deitatis vnitate omnipotentatus ſui leges toto orbe diſponit, iura moderatur, eadem & incommutabilis exiſtens in ſecula ſeculorum, Amen.

Ingens numerus eorũ qui à S. Trudone curati ſunt.

Author huius hiſtoriæ a morte ferè reuocatus ad vitã.

Quicquid hic ſanctus voluit, cum Deo potuit.

De vera & viua fide dicit

Author inuocat ſanctum Trudonem.

DE TRANSLATIONE SS. TRVDONIS ET EVCHERII, SERMO EIVSDEM THEODORICI ABBATIS: QVÆ QVIdem facta eſt 3. Idus Auguſti, ſed hic reponere libuit, vt maneat hiſtoria comuncta.

I. Glorioſum eſt hodierna die tractare de margaritis ſanctorum, & delectat intueri duas confeſſorum gemmas de theſauris cælorum. Quorum precioſa corporum tranſlatio, animarum noſtrarum facta eſt conſolatio: quia delectat filios patrum participari beneficio. Ipſi enim ex vitæ merito nobis à Deo patres conſtituti nos ab eis filii per gratiam adoptati. Has autem margaritas de millibus electas, & precio proprii ſanguinis comparatas, omnipotens Imperator diademati ſuo inſeruit, ſibi ad congruum honorẽ, nobis ad perpetuam ſalutem. Quantum luminis ſplendorem cæcus ſi ſenſit, illuminatus receſſit; mortuus ſi tetigit, reuixit: claudus ſi tractauit, curſum recepit. Neq; enim aliæ iaſpides diadema debuerunt ornare tanti Imperatoris, quam tales, quæ naſcentibus vbique incommodis ſe opponerent virtute medicinalis ſplendoris. Harum pars precioſior, id eſt, ſpiritus cælo recepti, fragmenta mortalitatis ſuæ nobis reliquerunt, oſſa ſcilicet & cineres ſuos, omni terrarum ſupellectile multo precioſiores: ne egere poſſit filiorũ neceſſitas, quæ in manibus habet talium & tantorum patrum exuuiales diuitias.

Sanctorum reliquiæ quam precioſæ.

II. Iſti etenim, iſti, inquam, ſunt inclyti propugnatores tui, ô redempta Chriſti cruore Eccleſia iſti ſtant pro filiis tuis, ne eos barathro oris abſorbeant toto aëre vagantes corporum inuaſores, & animarum iniqui corruptores. Quãdo enim per te armatis igni & dolo reſiſteres aduerſariis, quæ in propria carne impetum ægrè agis? Sed emeriti teſtes Chriſti, Angelorum ciues, immo conſules pro meritis effecti, etiam nunc iniquitatis ſatellites per te expugnant, quos per ſe vicerunt. Hi eos Deo conciliant orbem portant, tartara ſpoliant, vt Angelorum numerum expleant, & ſupernæ Hieruſalem muros de viuis & quadrata ſoliditate politis lapidibus extruant. Hanc enim efficacem potentiam exercitus ille Domini Sabaoth, alii proprii ſanguinis precio mercati ſunt, alii mundicia cordis, ſine qua nemo Deum videt, promeruerunt: quos quadam æqualitate pares facit in ſupernæ manſionis domo æqualis pro omnibus Chriſti paſſio, & de vno latere profuſi ſanguinis & aquæ commixto.

Sancti quid præſtent nobis.

III. Hinc eſt, quod Petrus & Paulus dominam orbis Romam coronant effuſo ſanguine, Iohannes myſteriorum Dei aquila, & præ cæteris poſſeſſor Chriſti pectoris, Epheſum ſine ſanguine ſanctificat, ſolo ſomno pacis & carnis incorruptione. Sic vnius ſuperni capitis innumerabilia membra ſuis in locis inæſtimabili modo mortem Chriſti quotidiè nobis annunciant, & alii in ara, alii ſub ara clamant: omnes autem ſub throno Dei, conſortia & numerum fratrum ſuorũ, tempore adhuc modico expectant. Alii igitur ſanguine rubent paſſionis, alii aqua candent confeſſionis: quatenus terrenæ quoq; huius Eccleſiæ ſanctiſſimus paradiſus, purpuream roſarum ſuarum ſpeciem nobis proferat, & pulchrè cãdentem liliorum fragrantiam non dehabeat. Ex huius paradiſi fragrantiſſimo odore, inquam, ſicut agri pleni, cui benedixit Dominus, hæc duo perpetui candoris lilia, quorum hodie tranſlationem colimus, Trudonem & Eucherium cæleſtis nobis permiſit munificentia: quorũ verna fragrãtia non deficiet, viriditatis gratia marceſcet, eo quod pro vitæ admirabilis puritate flori ſunt illi incorporati, quem virga de radice Ieſſe nulla alia, quã S. Spiritus, generauit infuſione.

Apoc. 7.

Eſa. 11.

IV. Quorum alterum, id eſt, beatiſſimum Trudonem, vel hoc ſolo germine nulli terrarum inferior, de nobiliſſimorum regum radice edidit Haſbania, & longa carnis & ſpiritus colluctatione, peregrinatione probatum, ſcientia ornatum, ſacerdotio infulatum, miraculis toti orbi manifeſtatum, victorem demum eius ſpiritum cælo deſtinauit, & mortale illud carnis eius indumentum in perpetuam ſui munitionem & ornamentum Eccleſiæ huic committens, vſque in diem Domini ſibi reſeruauit. Alterum, id eſt, venerabilem Eucherium, Franciæ decus & corona vrbium Aurelia generauit, & multiplici virtutum dote vſque in pontificẽ exaltauit. Qui probatus iam miles, Chriſti cõmunicans paſſioni

S. Trudo ſtirpe regia ortus

S. Eucherius à quo in exilium relegatus.

Apoc. 1. *Gene. 39.* paſſionibus, pro Eccleſiarum religione tuenda, optima armatus innocentia, cum Carolum magni Pipini filium, qui Martellus appellatus eſt, de irreligioſitate imperterritè argueret, in exemplũ patientiæ, & probatæ fidei teſtimoniũ, velut Pathmos ille Iohannes, exilio ſponte relegatus eſt. Qui duci cuidam Roberto commiſſus, mirum in modũ Ægyptiam domum quidam Ioſeph illuſtrauit, & frequenti miraculorũ gratia à Domino clarificatus, de exilio ad patriã, non terrenæ huius peregrinationis, ſed ſupernæ ciuitatis aſſumptus, in huius Eccleſiæ gremio, perpetuæ pacis ſomno & hæreditate eſt ſepultus.

Hi ſunt duo viri miſericordiæ, quorum iuſtitiæ obliuionem non acceperunt, cælorum margaritæ, ſuperni dia- V.
dematis gemmæ, terrarum immarceſcibilis flos: quorum animas ſicut ex indiuiſa charitate Omnipotens remunerator in vna compoſuit cæleſti requie, ita & corpora commendauit in gremio vnius eccleſiæ, in diem illã ſibi reconſignanda, & abundantiſſima immortalitatis ſtola induenda. Quorum hodie glorioſa memoria, quæ de libro dextræ Dei nun-
SS. Eucherius & Trudo duæ cæleſtis ædificii columnæ. quam excidet, cælos lætitia ornat, orbis terræ huius ſupplices ſpe & miſericordia donat: ſpe ſcilicet, ne diffidamus: miſericordia, vt præſumamus. Has duas ſuperni ædificii admirabiles columnas, cæli cacumẽ altitudine penetrantes, quicunque Iſrael eſſe volumus, irreuerberato mentis oculo contemplantes ſequamur: quatenus noctium noſtrarũ aduerſitates, ignis ſui ſplendore depellant, & dierum proſperitates nobis ſuæ blandimento componant. Acceperunt enim etiam ipſi ex beneficio ſui Imperatoris, non cum Moyſe, ſed cum Ieſu ducatum Iſraelitici ſui populi. Lex enim, ait A-
Heb. 7. poſtolus, ad perfectum neminem perduxit, donec is, cui repoſitum erat, veniret, & per ſe ſuoſq; orbis terræ princip[illegible]
Pſal. 26. Chriſtianum exercitum ad veram repromiſſionis terram induceret. Cuius terræ promiſſione conſolatus Pſalm[illegible], VI.
Credo, ait, videre bona Domini in terra viuentium.

Horvm igitur ducatu quicunq; fruuntur, iacturam de Amalech non patiũtur: nec cadit coram hoſtibus. quiſq[illegible]
Pugnæ & certamina Sanctorum ſub his pugnat victoribus. Qui & ipſi quondam ſub ſignis fidei militantes, in die certaminis ſui mirabilia nobis reliquêre ſuæ militiæ monimenta: cum ipſo iniquorum omnium capite nihil minus glorioſe dimicantes, quã ſi hab[illegible]ſent Decios & Nerones. Egregiam namq; quandam viciſſitudinem mortuo pro ſe Domino rependerunt, qui ceſſante perſecutore, & ſub titulo Chriſtianæ profeſſionis deſignato iam orbe, ne tamen ſine pugna eſſent, aliam legem
Apocal. 14. in membris ſuis repugnantem expugnauerunt, carnem ſuam & concupiſcentias ſeculi quotidiano martyrio crucifixerunt, ipſumque ſuperbiæ gigantem, cælis bella minitantem diabolum cum omnibus copiis ſuis, miræ c[illegible]nſtantiæ
Sancti de nobis ſoliciti vt ſunt. pede conculcauerunt. Et nunc victoria potiti, immortalitatis lauro coronati, Agnũ Dei ſine macula ſequuntur quocunque ierit. Virgines enim ſunt, & veſtimenta ſua non coinquinauerunt: quia præter ineuitabilia, & ſine quibus vita hæc non ducitur, nullis contagiis nuptialem ſuam veſtem fuſcauerunt. Securi autem ſui, ſolita illa ſua pietate de nobis adhuc ſunt ſoliciti, nobis manum porrigunt, & ad beatitudinis ſuæ inuitant præmium. Quis autem dubitet ſub [illegible] patronis confidere? quis ſequi cũctetur, quò præceſſerunt ſpes noſtræ: Hos quippe gratuita clementia ſua nobis omnipotens Deus defenſores ordinauit: horum nos membris, ſuper aurum & topazion precioſis, mirifice ditauit. Niſi nos multum abiicimus, ſemper nobis eos præſentes ſperare debemus, maxime in die huius ſolennitatis & lætitiæ. Sed cuius lætitiæ? hominum, an Angelorum: Vt fidenter loquar, & hominum, & Angelorum: quia & illi de quotidiano conciuium ſuorum gratulantur contubernio, & nos non modice hilares reddit hodierna gloriæ noſtræ, margaritarum VII.
Dei precioſa tranſlatio.

Digna igitur, fratres mei, laude hanc diem lactemus, & prono vtriuſque hominis obſequio honoremus. Egregium nobis ſit, Angelorũ participari officio. Neq; enim ſola hominũ manu & obſequio, quã hodie recolimus, adminiſtrata eſt feſtiuitas. Adfuerunt vtique inuiſibiles cæleſtium ſpirituum poteſtates, & conciuium ſuorum precioſiſſimas exu-
Angeli ſanctorum reliquiis honorificè adſunt uias: oſſa illa loquor, quæ mundum debellauerunt, venerabiliter excipientes, in ſuæ requietionis locum digna cum reuerentia tranſtulerunt. Vnde enim tot deformata hominum corpora officio ſuo reddita, niſi quia ſuper militum ſuorum corpora totos cælos reſerauit, ſummæ maieſtatis potentia? Et nunc Angelis ſuper his cæleſtis aulæ ſenatoribus tota alacritate gratulantibus, gaudia noſtra, quantum poſſumus, cõferamus immo gaudia eorum geminare ambiamus, & de peccatorum noſtrorum tumulis reſurgendo, in vitæ locum transferamur. Tunc etenim de morte reſurgimus, & Angelis feſtiua gaudia cumulamus, cum Deum exquirimus, & formam vitæ noſtræ ex ſpeculo ſupernæ imaginis corrigimus. Hanc autem feſtiuitatem Deus à nobis exigit, quæ nec torpore relaxet, nec illicitis negociis implicet: ſed tota
Pſalm. 65. ex superni deſiderio amoris pendeat, & holocauſta medullata diuino altari offerat. Quiſquis enim bonum opus agit, ſed omnipotentis Dei amore & deſiderio ardere neſcit, holocauſtum quidem habet, ſed medullam in holocauſto nõ habet. Qui vero bona operatur, & viſioni Creatoris ſui inhiat, ſeq; ipſum ex amore, quo accẽditur, in fletibus mactat, profectò holocauſta medullata Domino libat.

Vnde rurſus per familiare ſuum organum idem Spiritus ſanctus, Conſtituite, ait, diem ſolennem in condenſis VIII.
Pſalm. 117. vſque ad cornu altaris. Solennem namq; Domino diem conſtituit, quiſquis ſe in eius deſiderio affligit. Qui nimirum ſolennitatis dies vſq; ad cornu altaris tendi præcipitur: quia tamdiu neceſſe eſt, vt quiſq; ſe affligat, quouſq; ad ſuperni ſacrificii altitudinem, id eſt, ad æterna gaudia pertingat: Hanc perpetuæ ſolennitatis diem hic inchoant, & ibi perficiunt, quicunq; caſtigato huius humanæ infirmitatis luto, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem ſe exhibent: ſuper quos Deus vultus ſui lumen ſignauit, & annuli ſui formam impreſſit. De quo admirabili ſignaculo ſanctæ Eccle-
Roman. 12. ſiæ à ſponſo ſuo dicitur: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. Sponſus enim in ſignaculum ponitur, quando fidei
Pſal. 4. eius myſterium in cuſtodia internæ cogitationis imprimitur: vt ille infidelis ſeruus, nimirum noſter aduerſarius, cum ſignata fide corda noſtra conſiderat, tentando ea irrumpere non præſumat. Hoc igitur ſignaculum, fratres mei, à Do-
Canti. 8. mino poſtulemus, in amoris eius deſiderio noſmetipſos hoſtiam ſacrificemus. Labilem & prætereuntium mundi huius figuram declinemus, ad cæleſtem patriam toto deſiderio anhelemus. Sancti iſti, quorum hodie tranſlationem colimus, niſi florentem mundum calcauiſſent, nequaquam flos in conſpectu Dei facti fuiſſent. Et nunc cum conciuibus Angelis, & cæleſtis aulæ ſenatoribus quanta, putatis, vernant viriditate, quorum oſſa morina flos ille natus de Virgine, tanta reſperſit fragrantia & dulcedine? Quorũ obtentu idem Deus & creator omnium ſic nobis tribuat bonæ actio-
Eſa. 11. nis flores inchoare, vt ad fructum honoris & honeſtatis mereamur peruenire. Phialæ eorum plenæ odoramentis in reconciliationem noſtram accendantur, quatenus odoratus Dominus placabile eorum ſacrificium, gratiæ ſuæ nobis indulgeat beneficium: Qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Tranſlationem hanc quidam factam annotarunt, Anno ſalutis octingenteſimo octogeſimoprimo, aut circiter, cum Nortmannorum Reges Godefridus & Sigefridus Traiectum, Leodium, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Aquiſgranum & Palatium, Monaſterium quoq; S. Trudonis, Stabulenſe, Malmundarienſe, Prumienſe, multaq; alia loca inflammarunt. Vide præter alios Chronicon Sigeberti Anno Domini 882.

De S. Chrysogono *videat Lector infra Hiſtoriam S. Anaſtaſiæ, die 25. Decembr. in principio.*

De Crescentiano *martyre, videat hiſtoriam S. Marcelli Papæ, 16 Ianuarij cap. 11. & 12.*

VITA S. PORTIANI ABBATIS, AVTHORE GREGORIO TVRONENSI DE VITA *Patrum, Capite Quinto.* An. 610.

I. MVLTA omnipotens Deus ſuo dicatis nomine indulget; multamque eiſdem pro fideli ſeruitio beni- 24. Nov.
gnitatis opem compenſat, magna quidem ſe pollicens redditurum in cælo, ſed quæ accepturi ſunt,
plerunq; declarans in ſæculo. Nam ſæpiùs de ſeruis liberos, de liberis efficit glorioſos, iuxta illud *Pſal. 112.*
Pſalmographi dictum: Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum
cum principibus populi ſui. De hoc & Anna Helcanæ ait: Repleti priùs, pro pane ſe locauerunt & *1. Reg. 2.*
famelici ſaturati ſunt. Ex hoc & ipſa Redemptoris noſtri genitrix virgo Maria dicebat: Depoſuit potentes de ſede, *Luc. 1.*
& exaltauit humiles. Sic & Dominus in Euangelio ait: Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Illicit ergò a- *Matt. 20.*
more ſuo diuina miſericordia inopem, vt de paruis magnos ſtatuat, ac de infimis vnigeniti ſui faciat cohæredes. Præ-
fecit enim de hac mundana egeſtate in cælo, quò ſcandere non potuit terrenum Imperium, vt accedat illuc ruſti-
cus, quò accedere non meruit purpuratus. Sic nunc dicendum de beato Portiano Abbate, quem non modò de one-
re mundani ſeruitij eruit, verumetiam magnis virtutibus ſublimauit, atq; poſt motum & preſſuras ſeculi, in requie
æterna conſtituit, locauitq; eum inter Angelorum choros, de quibus expulſus eſt dominus ille terrenus.

II. BEATISSIMVS igitur Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cæli ſemper etiam inter terrena ſeruitia co-
nabatur. Hic enim ſeruus fertur fuiſſe cuiuſdam barbari. Is cùm plerunque ad monaſterium confugeret, vt eum *S. Portiani*
domino ſuo Abbas redderet excuſatum, ad extremum fugientem aliquando dominus eum de veſtigio ſequitur, & *conditio.*
Abbatem calumniari cœpit, imputans quòd ipſe eum ſeduceret, nè ſibi ſuus famulus deſeruiret. Cumq; de con-
ſuetudine, vt eum redderet, calumniando Abbatem inſiſteret, dicit Abbas Portiano: Quid vis, vt faciam? Et ille:
Redde, inquit, me excuſatum. Cumq; excuſatus redditus fuiſſet, & dominus eius reducere eum domum vellet, ita
cæcatus eſt, vt nihil penitùs poſſet cognoſcere. Cernens autem ſe grauibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens:
Supplica, quæſo, pro me Dominum, & accipe hunc ſeruum ad eius cultum: forſitan promerebor recipere lumen
amiſſum. Tunc Abbas vocato beato ait: Impone, quæſo, manus tuas ſuper oculos eius. Cumque ille refutaret, *Signo Cru-*
tandem Abbatis deuictus precibus, ſuper oculos domini ſui ſignum beatæ Crucis impoſuit: ſtatimq; diſrupta cali- *cis illumi-*
gine, & ſedato dolore, priſtinæ redditus eſt ſanitati. *nat cæcum*

III. AT verò exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo eſt prælatus, vt decedente Abbate, ipſe *herũ ſuum.*
ſuccederet. Qui fertur æſtiuo tempore, cum ardor ſolis vi caloris ſui cuncta conſumeret, & etiam corpora, quæ ro-
buſtiora potu ciboq; erant, æſtu defatigaret, in ieiuniis poſt perditum omnem ab ore humorem, ſalem æſtuans ru-
minaſſe. Ex quo iterùm aſſumpto liquore, arentes gingiuas parumpèr reficere quærens, quanquam palatum ari- *Siti ſe cru-*
dum humectaret, tamen maius tormentum addita corpori ſiti præſtabat. Sal enim, vt nulli occulitur, magis ardo- *ciat.*
rem ſitis concitat, quam extinguat. Sed hic, tribuente Domino, arcebatur ab eo.

IV. His diebus Theodoricus ingreſſus Aruernum terminum, omnia exterminabat, cuncta deuaſtabat. Cumq; *Theodori-*
in Arconenſis vici pratis caſtrametaſſet, antedictus ſenex ad occurſum eius properat, quaſi pro populo rogaturus. *cus Rex de-*
Ingreſſuſq; caſtra manè, Rege adhuc in tentorijs dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habe- *uaſtat o-*
batur, aggreſſus eſt: & dum de hac captiuitate conqueritur, Siginaldus, vt ablutis aqua manibus merum dignaretur *mnes termi-*
accipere, deprecatur, dicens: Magnum mihi hodiè gaudium commodumq; diuina pietas præſtat, ſi intra tentorij *nos Arner-*
mei ſepta, facta oratione, potum dignaris accipere. Audierat enim famam ſanctitatis eius: idcircò & honorem ei *nenſes.*
pro Dei reuerentia impendebat. Qui ſe diuerſis modis excuſans, aſſerebat hoc non poſſe fieri, quia nec hora debi-
ta eſſet, nec Regi dignum præbuiſſet occurſum, & quod his omnibus potius erat, necdùm ipſe Domino pſalmorum
decantationem debitam excoluiſſet. Sed his ſepoſitis, vi eum compulit, allatumq; vaſculum, quo potio teneba-
tur, rogat vt ſanctus, impoſita prius manu, ſanctificaret. Qui eleuata dextera cum ſignum Crucis impoſuiſſet, va- *Nota rem*
ſculum ſcinditur medium, ac vinum, quòd intra tenebatur, cum immenſo ſerpente terræ diffunditur. Quod cer- *memorabi-*
nentes qui aderant, metu exterriti, ad pedes beati viri decidunt, lambunt veſtigia, oſculantur & plantas: mirantur *lem.*
omnes virtutem ſenis, mirantur & ſe ab iniqui anguis viru diuinitùs fuiſſe ſaluatos. Ad iſtud miraculum concurrit
omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum virum, cupiens eius fimbrias manu tangere, ſi oſculo honorare
non poterat. Et Rex exilit de ſtratu ſuo, accurritq; ad beati confeſſoris aduentum, illoq; tacente, cunctos, quos re-
periebat, captiuos abſoluit, & reliquos deincèps, vt voluit, ſic tractauit. Duplex ibi beneficium, Domino coope-
rante, largitum eſt: nam & illos à morte eruit, & hos à iugo captiuitatis exemit.

V. NEC præterire volui, quod cum diabolus diuerſis machinis conatus illudere, cùm videret ſe nihil ei poſſe no- *Diabolus ei*
cere, viſibilibus eum præliis eſt aggreſſus. Nam nocte quadam dum ſe ſopori dediſſet, ſubitò expergefactus, vidit *moleſtias*
cellulam ſuam quaſi incendio concremare, exurgenſq; perterritus oſtium petijt. Quod cum reſerare nequiret, in *exhibet.*
oratione proſternitur, ſignum ſalutare coram ſe, & circum ſe faciens, ac protinus phantaſia flammarum, quæ appa-
ruerat, euanuit, cognouitq; hoc diaboli fuiſſe fallaciam. Id ſtatim reuelatum eſt beato Prothaſio, qui tunc apud *Vi S. Crucis*
Candidobrenſe monaſterium habebatur recluſus. Qui cum ſumma feſtinatione monachum ex cellula ſua ad fra- *eneruat il-*
trem dirigens, hortatus eſt, dicens: Oportet te, dilectiſſime frater, inſidijs diaboli reſiſtere viriliter, & nihil de eius *lum vir Dei.*
doloſitate paueſcere: ſed omnia, quæ intulerit, oratione aſſidua, ac ſigno Crucis econtrà appoſito euincere, quia
talibus ſemper tentationibus ſeruos Dei nititur expugnare.

VI. SENVIT autem vir beatus, & impleto boni operis curſu, migrauit ad Dominum. Cuius nunc tumulus ſæpi- *Migrat ad*
ùs diuinis glorificatur virtutibus. Hæc tantum de ſancto viro cognouimus, non diiudicantes alios, qui maiora de *Dominum.*
eo cognouerunt, ſi voluerint aliqua in eius laudem conſcribere.

VITA ET PASSIO S. FIRMINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS A DOMINO ANTONIO MARIA GRATIANO, A BVRGO S. SEP. *Epiſcopo Amerino ſcripta.* An. 300.

I. QVO tempore Diocletianus Imperator, ad extinguendum ſuppliciis, maliſq; ſubigendum Chriſtianum 24. Nov.
nomen; aut adeo ad illuſtrandam egregiis fidei, conſtantiæ fortitudinis exemplis, chriſtianam pieta-
tem, peruicaci, atque efferato animo incubuerat, Firmina Virgo Romana clara Piſonum gente pro- *S. Firminæ*
gnata, cuius Pater Calphurnius præfecturæ Vrbis honore fulgebat, Agoliani octauo ab Ameria lapi- *patria & pa-*
de, procul ſuorum ſplendore, atque amplitudine vitam in ſolitudine, humili, ac tenui cultu, victuq; agebat. Nam *rentes.*
à prima ætate Ieſu Chriſti amore incenſa, non paternas ſolum opes contempſerat, ſed humanarum rerum omnium *Vide Bar. in*
abiecta cura, ab Vrbe ſeceſſerat, atq; obſcuro in vico vnis Chriſtianæ Religionis ſtudiis dedita, in iis ſeſe aſſidue ex- *not. hac d.*
ercebat, aſſidueq; in cæleſtium rerum meditatione verſabatur. Quod cum delatum Ameriam ad Olympiadem

virum conſularem eſſet, qui prouinciam cum imperio habebat, & ex auctoritate, edictoq; Imperatoris, Chriſtianos ſtudioſe perquiſitos, propoſita mortis pœna, parere legibus, eiurare Chriſtiana ſacra, & ſacrificare Diis adigebat, miſit qui Firminam ad ſe venire iuberent, & tamen, quod patris, ac familiæ dignitas poſtulare videbatur, cum honore deducerent. Cùm illa diuino freta numine hominum vim facile contemnens interrita ac minimè cunctanter paruiſſet, Olympiades benigne, atq; honorifice appellatæ, Imperatoris edictum, voluntatemq; demonſtrat, vt qui Chriſtianorum ſectam ſequerentur omnes, ab ea mente deducti, ad cultum Romanorum ſacrorum reuocarentur; abnuentesq; morte, atq; cruciatibus mulctarentur, puellamq; hortatur, vt patris, ac generis ſui memor, abiectis ſeruilibus Chriſtianorum ſtudiis, ritibuſq;, Imperatoris iuſſis obtemperaret. Id ſi faceret, non vitam ſolum ei, ſed etiam coniugij ſui conditionem pollicetur: nam viſæ ſtatim amore ita exarſerat, non forma ſolum, quæ eximia erat, ſed ipſo quoq; pudore, modeſtiaque, ac ſanctis puellæ moribus faces cupidini eius ſubucientibus, vt ad ſpem illius potiundæ animum protinus adiiceret. At virgo vtriuſq; rei mentionem auerſata, neq; alium ſe Deum ſcire, quam cœli mundiq; conditorem, & humani generis liberatorem, redemptoremq; reſpondit, & ei ſe æterno, incorruptæ, atq; inuiolatæ virginitatis fœdere, deſponſam eſſe. Neq; vero ingenuam honeſtamque decere obſtrictam ſemel ſponſo fidem fallere. Olympiades ſuum ſperni coniugium ratus, ecquis, inquit, ille eſt ſponſus, quem tu mihi anteferendum putes? Is, inquit, virgo, qui non terrenis opibus præſtat, ſed cuncta cælesti imperio moderatur, & continet. Huic ego ſeruio, hunc colo, ab eo non ſolum me mors non dirimet, ſed illi in ſempiternum adiunget. Exigentiq; inde Olympiadi, vt quiſnam ille eſſet tandem promeret, Puella Ieſum Chriſtum Dei filium haud dubitanter reſpondit: deque illius maieſtate, deque Chriſtianorum ſanctis inſtitutis, multa pie, ac ſapienter diſſeruit.

Siſtitur Olympiadi conſulari.

OLYMPIADES cum hæc dicta, aut paruipenderet, aut non ſatis perciperet, & comitate, atq; officio facile pellecturum ſe virginem ſperaret, eo ſermone omiſſo, benigne ad epulas inuitat. Quod cum illa renuiſſet, negans ſibi per religionem cum alienis, & à Chriſtiana diſciplina abhorrentibus, capere cibum licere, ei permiſit Olympiades vt ſeorſum epularetur, & laute, ac ſplendide conuiuium apponi iuſſit. Sed illa omnes aſpernata gulæ illecebras, & inedia, atq; ieiunio gaudens, non corpus eſcis, ſed animum contemplatione diuinarum rerum, & piis, quas poſitis genibus, ad Deum magna mentis contentione fundebat, precibus pauit. At Olympiades cum amoris tandem menſis è conuiuio ſurrexiſſet, & ante amore ſaucius, & tum etiam vino cui large indulſerat, calens, ingreſſus cubiculum vbi Firmina diuinis precibus operata erat, manus inijcere virgini, atque in eius inuadere amplexum eſt conatus: ſed conantem ita vltus eſt Deus, vt ſubita vi manus illi exarefactæ ſunt, ipſeq; magnis correptus doloribus, inclamare, atq; opem poſcere cæperit. Firmina haud ignara id Ieſu Chriſti nutu fieri, eiuſq; ſe tutela, atq; numine defendi, nec tamen tam iniuria ſua offenſa, quam illius miſeratione commota, à quo ſibi iniuria afferebatur, Deum ſuppliciter obſecrare inſtitit, vt miſeri illius mentem cæcam, prauiſq; erroribus inuolutam cæleſti fidei dono, & gratiæ ſuæ lumine illuſtraret, & cum ſanitate membrorum, animæ quoq; ſalutem ei largiretur. Et ille quidem doloris magnitudine victus, Firminam iam etiam dominam appellans, vt ſibi ſubueniret, manuſq; reſtitueret, ſummis humilibuſq; precibus obteſtabatur. Cui illa, quin tu inquit Ieſum Chriſtum Deum confiteris, & baptiſmo procurari in animum inducis, qua deſtinatione, & acerbitatem iſtam, qua cruciaris, depelles, & manuum vſum haud dubie recipies? Cum ille facturum ſe, quæ imperaſſet omnia, dum ſe ris cruciatibus leuaret, & ſibi amiſſam ſanitatem reſtitueret, prolixe polliceretur, Sancta Virgo magna ſpe ſalutem eius animæ afferendi, Chriſtianum Sacerdotem nomine Felicem propere acceſſitum miſit. Qui auctoritate permotus Firminæ, cum ſubito accurriſſet, intrante eo cubiculum tanta repente lux effulſit, vt locum omnem admirabili ſplendore perfuderit; diuino id præmonſtrante numine, vt qui aderant, baptizandiq; mox erant, corporis quoque oculis imaginem aliquam aſpicerent eius luminis quod illorum animis baptiſmi gratia allatura erat. Eo miraculo Olympiades attonitus, nec iam dubitans vera eſſe, quæ de Chriſto Deo Firminam prædicantem audierat, in eius nomine ſacris ſe aquis expiari, baptizariq; magna voluntate expoſcit. Et ſacerdos pia, aptaq; oratione confirmatum, & vt diuino auxilio fideret, intimoq; animo Chriſtum adoraret, hortatus, cupidum aſſentientemq; eius dictis, & inde ſalutem ſibi certo pollicentem, ac fidem, ipſo Sacerdote præeunte verba, ritè profitentem baptiſmo affecit. Qua re peracta exclamat Olympiades, ſanum iam eſſe ſeſe, priſtinumq; manuum vſum redditum ſibi, & omnem depulſum doloris ſenſum. Ac ſimul admiratione tam ſtupendæ rei, ſimul tanto Dei munere lætus, Deo ipſi ſalutis datori gratias agebat. At familiares quoq; eius, aliosq. qui aderant omnes tanta ex tam claro miraculo religio inceſſit, vt protinus iiſdem ablui, ac baptizari aquis expeterent, & baptizati ex omni ætate, ſexuq; octo & nonoginta eadem in domo ſint; omneſq; Firminæ maximè ſermonibus, & exemplo ſanctitatis ad amplectenda Chriſtianæ pietatis ſtudia animati, atq; incitati ſunt. Omnes non multo poſt rem diuinam faciente Felice, de illius manu diuinam Hoſtiam magna religione perceperunt, aliquotq; vnà dies fraterna beneuolentia, atq; coniunctione in ſanctis Chriſtianorum inſtitutorum exercitationibus fuerunt, mutua cohortatione ſeſe ad omnia ſubeunda perferendaque potius quam ſuſceptam fidem deſererent, excitantes.

Olympiades illicito amore captus virginem amplexari volens, punitur.

Olympiades ex eo baptizatur, & reſtituitur.

TAM clari viri aduerſus Principis edictum decretumque tam inſigne facinus, latere ſcilicet diu non potuit, reſque ad Diocletianum atrociter delata, vehementer illius iram commouit. Qui enim in eo totus erat, vt Chriſtianam diſciplinam, ingentibus iam incrementis latè diffuſam, & latius indies manantem penitus opprimeret, & radicitus, ſi poſſet, ex hominum animis extirparet, eiuſque rei cauſa, nulli generi, nulli ſexui, nulli ætati, nulli multitudini immanis illius crudelitas parceret, foueri eam propagarique ab iis, quos conſilii ſui vindices conſtituerat, ingenti dolore accepit. Itaque è conſularium numero virum acrem nomine Megetium exemplo Ameriam miſit, eiq; mandauit, vt non ſolum ſuccederet Olympiadi, ſed eum iniectis catenis, aut redire ad cultum Deorum cogeret, aut publicatis bonis, atque omnibus cruciatibus tortum necaret. Et haud minori ſtudio alios quoque, & ante alios Firminam, cuius blandimentis, præſtigiiſque delinitum, inductumque Olympiadem opinabatur, comprehendi, ac pari ſupplicio affici, niſi ſe à Chriſtianis ſacris auocari paterentur, iubet. Megetius cum Ameriam veniſſet, Imperatoris iuſſa impigre exequitur. Capto Olympiade, quo latiùs terrorem diffunderet, iudiciumque eius loco etiam, atque conuentu hominum nobilitaret, erigi foro in medio tribunal, aduocatiſque Vrbis magiſtratibus, vinctum Olympiadem adduci iubet. Ac primo quidem reprehendit, quod vir ea dignitate, iis honoribus functus, mulierculæ dolis, delinimentiſque capi ſe, atque eo adduci eſſet paſſus, vt à patriis Diis deſciſceret, nouiſque ſe, atque anilibus ſuperſtitionibus implicaret, amiceque inde caſtigatum hortatur etiam, atque etiam, vt iis animo diſpulſis ſuperſtitionibus, priſtinam erga Deos mentem reſumeret, debitamque illis venerationem tribueret: ſpemque facit, ſi reſipiſceret, opes ei ſuas, honoreſque, & priſtinum apud Imperatorem gratiæ locum redditum iri. At contra ſi in errore, atque pertinacia permaneat, tormenta, cruciatus, ac mortem proponit. Olympiade autem negante ſe ab cognita ſemel veritate, vllius metu ſupplicij diſceſſurum, & multiplicium Deorum cultum vt falſum, atque impium execrante, vnumque eſſe Deum cœli ac terræ Dominum Ieſum Chriſtum, in cuius ipſe fidem conceſſiſſet, prædicante & Megetium vt deſipientem, ac vanum impietatis auctorem aſpernante, Megetius acciti tortores, eculeumque afferri imperat, & Olympiadem nihil territum illo ſupplicij apparatu, atq; in ipſo quoq; ſupplicio Ieſum Chriſtum inuocantem, cæliq; eius numini ſe ſaluteinq; ſuam commendantem, crudeliſſimæ totū, laceratumq; occidit, abijciq; inde ſepultum iuſſit.

Diocletianus Olympiadi Megetium ſubſtituit.

Olympiades captus ſiſtitur Megetio.

Conſtans in fide martyrio afficitur

INTER-

IV. Interfecto Olympiade Megetius iudicium aduerſus Firminam inſtituit; & cum eam Agoliani in vico, cui nomen Erubro habitare, & Chriſtianis officiis aſſidue operari cognouiſſet, non ſolum Olympiadis caſu non territam, ſed glorioſa eius de ſatellitibus impietatis victoria, magnopere ad ſimilem virtutem, conſtantiamq; æmulandam, accenſam, non Ameriam ad ſe adduci, ſed domi ſuæ cuſtodiri eam iuſſit, ſiue hoc parentis amplitudini, ſiue puellæ ipſius virginali decori tribuerit. Cauit tamen ne quid illa de bonis, fortuniſq; ſuis dilargiri poſſet. quas ipſe puellæ dignitate, & cupiditate ſua metiebatur: ignarus prorſus quam viles humanæ opes ſint ad cæleſtes diuitias per fidem ac pietatem nitentibus. Firminam quò illa cuſtodia. quò totum Megetii conſilium ſpectaret, nihil fugiebat, inſtareque ſibi optati martyrii diem, mortiſque pro Chriſti nomine occumbendæ gloriam, impenſe lætabatur, atque eo magis diuinis rebus dies atq; noctes intendebat. Et apud multos, qui tum eam officij cauſa viſebant, Ieſu Chriſti in humanum genus beneficia prædicando, dabat operam, vt quam plurimorum animos ad Chriſtianæ fidei cultum traduceret. Nec pauci illius cohortatione, & tanto in puella conſtantiæ, ac ſanctitatis ſpecimine commoti, Chriſtianam pietatem amplexi, & baptiſmo, chriſtiano ritu procurati ſunt. Sed Megetius paucis poſt diebus Agolianum ſe contulit, & cum ad Firminam adiiſſet, quæſiuit ab ea, an quod edictum propoſitum ab Imperatore de Chriſtianis eſſet, accepiſſet. Cui puella, an inquit aliquid tibi Imperator tuus ea de re præcepit? Solane tu inquit Megetius ignoras quod vulgo quoque cognitum, atque omnibus indictum eſt, vt ſuus Romanis Dijs cultus tribuatur, nec quiſquam niſi Romano ritu, Romaniſq; in templis ſacra faciat? Et Virgo, Diis quidem iſtis ipſe vt libet ſacrifica, nam ego eum modo colo Deum, qui viuus, qui verus, qui trinus, & vnus eſt. Cui me quoque ipſam fidei, atque obſequij Hoſtiam immolari, ſummi beneficii loco ducam. Megetius mittere ambages, & animum ad ſacrificandum Diis accommodare iubet, ni, quod Olympiadi accidiſſe intelligeret, vitam in ſuppliciis, & cruciatibus, per ſummum dedecus, relinquere vellet. At Firmina inſcitiæ illum, atque imprudentiæ arguebat, qui Olympiadi mortem pro fide, pro religione, pro Dei gloria oppetitam probro, atque infortunio verteret. Tum Megetius ira incenſus detrahi velamenta, veſteſque, quibus amicta erat, & nudari in omnium conſpectu corpus, ac virgis cædi Virginem imperat. Quod cum fieret, & Tortor, quo vulnera grauius infligeret, dextram altè ſuſtuliſſet, ictum diuina vi interceptum adigere nequiuit, vtque erat extento brachio immotus reſtitit, & ſæuiſſimè torqueri ſe, atque diſtrahi, auellique vi ſumma ſibi ab humero lacertum, inſana vociferatione exclamauit; Firminamque per Deum, quem coleret, obteſtabatur, vt vim remitti, & relaxari ſibi, ac liberari brachium iuberet. Et pia virgo hominis non tam ſua ſponte, quam alieno iuſſu peccantis miſerta, tollens in cœlum oculos non veniam ſolum illi, ſed multo magis vt errorum tenebris animo excuſſis, veritatis, ac fidei lucem aſpiceret, Chriſtum Ieſum precata eſt: Et vtrunque impetrauit. Tantam ſe verè, atque ſanctè colentium precibus vim ineſſe diuina bonitas vult. Ergo recepta ſalute Vrſicinus (id enim Tortori nomen fuiſſe ferunt) clamores iterum tollens, vnum eſſe Deum, quem Firmina coleret, confitebatur, & haud dubiam ab ſe viri ſpeciem, candida veſte, atque auro nitentis viſam, à quo exſoluta ſibi brachii vincula eſſent, affirmabat, eaque conſtantia fidem eſt amplexus, vt non multo poſt ex carnifice Chriſtianorum Chriſtianus martyr effectus ſit.

S. Firmina in custodia aſſeruatur.

Quæſtio de Firmina habetur.

Virgis cæditur & lictoris brachium riget.

Precibus S. virginis reſtituitur, & credit in Deum Vrſicinus.

V. At Megetius eo magis exarſit, quod ſe magicarum artium portentis viſiſq; illudi, ac ludibrio haberi imperium ſuum arbitrabatur. Itaq; iuſſo vinciri, atq; in carcerem condi Vrſicino, veneficarum, ac ſagarum ſuperſtitiones, carminaq; Firminæ obiectans, monet vt vanas, & nihil profuturas artes aliquando abiiciat, ac debitam Diis venerationem tribuat, nec ſibi vltra iam patientia ſua abutendum eſſe exiſtimet. Nam niſi maleficas, & virgine eo loco nata indignas fraudes omitteret, & extemplo cœleſtibus numinibus ſacrificaret, ſe verò à verbis ad res venturum, & lege in eam agi iuſſurum. Ad hæc virgo, næ tu inquit Megeti, quamquā tibi prudens, & callidus videaris, homo inſipiens, ac ridiculus es, qui mihi auctor ſis Deum conditorē mundi, hominumq; redemptorem, ac liberatorem deſerendi, & ære, aut lapide effictis Diis diuinos honores tribuendi, quorum ſimulachra argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum, ſimiles illis fiant, qui faciunt ea. & omnes qui confidunt in eis: ſimul Ieſu Chriſto, cuius inſtinctu hæc reſpuiſſet inanium numinum figmenta, cuius miſericordia patefactum ſibi ad cælum iter eſſet, laudes grateſque agebat. Megetius non conſtantia ſolum, ſed libertate quoq; eius grauiter iam offenſus, talia dicentis os, primò pugnis appeti contundiq;, deinde afflictam ſolo ſæuis concidi plagis verberibuſq; præcepit. Cum ne ſic quidem vinci puellam, & ab ſancto propoſito abduci videret, admiratione tam firmi, ac tam præſentis aduerſus omnes cruciatus, atq; adeo ipſam iam mortem, animi commotus, ne quid prætermiſiſſe videri poſſet, quo ſanari mens eius, & ab illa prauitate (ſic enim impius Chriſtianæ fidei ſanctitatem appellabat) reuocari poſſe crederetur, ſublatam inde ante Iouis ſimulacrum conſtitui, ſi fortè ipſo Dei aſpectu abſterreretur, imperauit; Ac tum demum Deum Deorumq; parentem venerari, & precibus propitiare hortatur. Ipſa verò aſpernantis ac deſpicientis vultu in ſimulachrum verſa, nihil aliud quam halitum in illud efflauit, confeſtimque comminutum, & in putre ac fœdum cœnum reſolutum eſt. Tum agite vero inquit Megetius, hanc execram ad necem vſq; cędite, & quando neq; homines, neq; Deos veretur, experimini an ſua eam incantamenta, veneficiaq; meritis ſuppliciis eximant. Cùm totum iam ſuffuſum ſanguine flueret corpus, & Virgo Ieſu Chriſti nomen ſubinde inuocans, ſæuientium rabiem haud dubie patientia vincere videretur, Megetius abripi eam, & crinibus ſublimem ſuſpendi, atq; inde admotis vtrinq; ardentibus facibus exuri, ac torreri iubet. In his cruciatibus ſanctiſſima Virgo tandem inuictum ſpiritum edidit, atq; in cœlum duplicem Virginitatis, & martyrij palmam ferens euolauit. Adeo non fractè tam ſæuam corporis ſui lacerationem perpeſſa, vt in tanta tormentorum acerbitate, non eo doloris ſenſu affici ſe quem vellet, & quem ſua peccata mererentur, quereretur. Tantus in puella integritatis, atq; innocentiæ amor fuit, vt cum vitam ſanctiſſime, atq; religioſiſſime egiſſet, expiari tamen peccata ſua, quæ nulla erant, acrioribus corporis ſupplicijs præoptaret. Corpus Tyrannus vnco trahi, iactariq; per Erubrum Vicum ad Chriſtianorum contumeliam terroremq; iuſſit. Sed ab Honorio quodam homine Chriſtiano, clam ablatum, & cum Olympiade apud Agolianum ſepulturæ mandatum eſt. Quo in loco Martyris vtriuſq; Reliquiæ, cum quingentos fermè annos ignoratæ iacuiſſent, tandem diuino admonitu inuentæ, & Ameriam deportatæ ſunt, atq, in collis huius vèrtice, loco diuinitus commoſtrato, reconditæ. Vbi pio Ciuium ſtudio hæc Eccleſia ædificata, & Sanctæ Firminæ nomine nuncupata eſt, Cathedrali etiam ſede, quo maior ſanctis Martyribus honor haberetur, in eam translata. Atq; hic ſacrata corpora in hodiernum diem aſſeruantur, & magna populi religione coluntur. Qui ſanctos Martyres, & cuſtodes ſibi patronoſque apud Deum adoptauit, & ſæpe manifeſtam eorum opem tutelamque grauiſſimis Ciuitatis temporibus ſenſit.

Carceribus mancipatur Vrſicinus.

Pſal. 113.

S. Firminæ os contunditur, & corpus plagis cæditur.

Halitu Idolum confringit.

Martyrium conſummat.

DE INVENTIONE, ET TRANSLATIONE CORPORVM SS. MARtyrum Firminæ, & Olympiadis eodem Authore.

An. 780.

I. Fieri perſæpe videmus, vt ad quod quiſq; ſtudium Chriſtianæ pietatis animum vehementius incitarit, ex eo fructum ad communem vtilitatem, remunerante religioſum eius laborem Deo, percipiat. Quod Paſchali Amerino Epiſcopo, homini probo, & antiqui moris, vſu veniſſe accepimus. Is enim cum lectione rerum à ſanctis, & Deo dile-

Paſchalis Amerinus Epiſcopus.

ctis viris, geſtarum impenſe reneretur, præter cæteros Martyres, quorum atrocia ſupplicia, pro fide, ac pro Chriſtiani nominis gloria conſtanter tolerata, lectitare erat ſolitus, in Firmina Romana Virgine præcipuo quodam ſenſu afficiebatur. Seu quia illatum à Diocletiano Cæſare martyrium, admirabili virtute ſuſtinuerat, ſeu quia mortis exactorem Amerinæ Vrbis præſidem habuerat, Amerinaq; in Diœceſi occiſam eam monumenta literarum, quæ ipſe aſſidue in manibus habebat, tradebant. Verum quo in loco illius ſacræ reliquiæ iacerent cum ignoraretur, ſanctus Epiſcopus ingenti deſiderio ardebat eas inueniendi, partim ne tam inſignis Virginis oſſa indigne laterent, partim vt ipſe qua religione beatā illam animam colebat, eam ipſius quoq; corpori tribuere poſſet. Et quę Amerini præſidis impio miniſterio, iudicioq; damnata, & crudeliſſime necata fuerat, ei Amerini Epiſcopi ſtudio, in Amerina potiſſimũ Vrbe debitus ſanctitati, atq; nomini eius, cultus, honorq; reponeretur. Tanta vero huius rei cupiditate Paſchalis afficiebatur, vt cum diu perueſtigando, inquirendoq; fruſtra laboraſſet, perpetuis, & flagrantiſſimis precibus à Deo contenderet, vt ſanctæ Virginis ſepulturam ſibi indicaret, eiuſq; rei cauſa ſæpe diuinum ſacrificium faceret, ſæpe corpus ſuum vigiliis, ſæpe ieiunijs maceraret. Tandem tam pium, tam immotum religioſi hominis ſtudium, diuina quoque bonitas approbauit. Dei igitur inſtinctu viſa in ſomnis Epiſcopo aſtare Firminæ humana maior imago, atq; eum his verbis compellare; Bono eſto animo Paſchalis, nam optati tui compotem faciet te Deus: Ad ea Paſchalis magno perculſus metu, Quis tu, inquit, quæſo es, qui mihi diuinæ voluntatis interpres ades? cui ſancta imago, Firmina ſum inquit, illa ipſa, cuius tu reliquias tam crebro, tam ardenter commonſtrari tibi expoſcis. Epiſcopus cæleſtem veneratus vmbram, cupide ſciſcitatur vbi locorum relictum ab ſe mortale corpus aſſeruaretur. Et Virgo Agolianum, inquit, haud procul Vrbe tua, oppidum pete, ibi è medio loci, qua orientem Solem aſpicit, quaternos è coniectis lapidibus tumulos cernes, crucis in modum extantes, illic terram fode, nec te labor ab incepto deterreat, nam duplici tandem gaudio potieris, atq; his dictis à conſpectu euanuit.

Deſiderio inueniendæ S. Firminæ capitur.

S. Firmina ei apparet & ſepulturæ locum edocet.

Excvsso Epiſcopus ſomno, nec dubius de cæleſti monitu, pergit in templum, & facta re diuina, Deoq;, ac beatæ martyri gratiis, quantas capere animo poterat, actis, Clerum, populumq;, quæ ſibi proxima nocte viſio, quæ ſpecies oblata eſſet, docet. Iubet omnes Deum precibus propitiare, & debitum diuinæ Virgini cultum tribuere, omnibuſq; tridui ieiunia indicit. Exacto triduo Clerum linteis in veſtibus, & cum Clero populum ſequi ſe iubet, & protinus Agolianum petere contendit. Clerus Epiſcopi imperata facit, & populus quoque frequens ſequitur: omnes parendi, ac rei exitum videndi ſtudio magis, quam quod Epiſcopi dictis fidem haberent; cum alii vanas ſomniantium imagines afferrent, alii Epiſcopo in vna cogitatione defixo, non mirum dicerent, ſi dormienti videre viſum eſſet, quod vigilans animo aſſidue volutaret. Multis quoq; ſpectata viri religio magnam ſpem, atq; expectationem fecerat. Cum veniſſet Agolianum, qui locus millia paſſuum octo ab Ameria diſtabat, & quæ diua virgo præceperat, ſedulo omnia exequeretur, monſtratos lapidum aceruos conſpexit, atq; ea re incredibiliter lætatus, omnes iubet ſummiſſis genibus Deum adorare, atq; ipſe cum idem feciſſet, magna contentione mentis precabatur, vt ſibi quo potiſſimum in loco fodiendi initium faceret, commonſtraretur. Ne has quidem preces aſpernata diuina bonitas eſt, & terra ipſa, qua ſacratum corpus obruebatur, in crucis modum viſa micare eſt. Quo oſtento exultans Epiſcopus, arrepto ligone ſcindere terram, egerere humum, & magno conatu aperire locum cæpit. Lata profundaq; foſſa effecta, cum nullum rei veſtigium extaret, & labore iam, & laſſitudine fatiſcerent Epiſcopi vires, non tamen ille de ſtudio operis perficiendi quicquam remiſit, ipſa diuini promiſſi fide vires eius ſuſtentante. Verum incumbentibus pari ſtudio in rem clero populoq;, & altius effoſſa humo, repente è ſepulchro erumpens odor magna ſuauitate omnium nares perfudit. Et Epiſcopus redintegratis, ex certa iam ſpe, viribus, ita inſtitit operi, vt demum non Firminæ ſolum, ſed Olympiadis quoque corpus, qui eodem tempore, ab eodem Diocletiano affectus martyrio fuerat, patuerit. II.

Paſchalis Epiſc. orationes & triduanum ieiunium indicit.

S. Firminæ & Olympiadis corpus inuenit.

Tvm gemino gaudio læti omnes, concinere hymnos, pſalmoſq;, & diuinas celebrare laudes cæpere: & Epiſcopus honoris ſui inſignibus ſumptis, purgato apte loco, vtrunq; corpus adiuuantibus ſacerdotibus, in apertum extulit, & curru quam pulcherrime ſtrato impoſuit. Hunc inde currum, ipſe per vices cum aliis ſubire, ac trahere cum vellet, ſæpe conatu repetito, mouere tamen loco vehiculum nequiuit. Adhibito iuuenum robore primum, deinde adiunctis pluribus ſimul Boum iugis, nulla tamen ope, nulla vi, currus impelli potuit. Ea re territis omnibus, & aduerſari eorum ſtudio Deum iam credentibus, Epiſcopus vim lachrymarum profundens, ipſos deprecabatur Martyres, ne votum ſuum fruſtrarentur, nec ſe ex tanta, ac tam certa ſpe deijcerent, neu cuius Ciuitatis Præſes patratæ olim eorum cædis piaculum ſuſtineret, in ea potiſſimum coli ſe, debitamq; eorum ſacratis oſſibus venerationem tribui, & nefarij hominis immane crimen, pio populi eius ſtudio, ac religione lui, rependiq; ſibi dedignarentur. His fuſis precibus, repente veluti diuino inſtinctus conſilio, magna voce geminas adduci iuuencas, nullum ante iugum paſſas, iubet; adductaſq; iungi currui, & arbitrium ijs quo vellent eundi, agente, aut ducente nemine, permitti. Boues cum iugum nihil detrectaſſent, impauidæ, ac nulla inquietatione viam lento gradu inceſſere, & ſequente cum Clero, ac Populo Epiſcopo, ac procul curru abſiſtere omnes iubente. Ameriam qua maximè rectum iter erat, contenderunt, Portamq; occurrente cum liberis, & coniugibus vniuerſa Ciuitate, & rem fauſtis, ac lætis clamoribus celebrante, intrarunt. Cum porrò per cliuum pergerent, deducere eas de via ad Cathedralem Eccleſiam Sancti Laurentij, vt ibi potiſſimum ſacratæ Reliquiæ conderentur, conati ſunt; ſed detrectantes vaccæ abnuenteſq; nulla vi, nulla arte eo adigi, aut omnino ab inſtituto itinere auerti potuerunt. Demum Epiſcopi iuſſu dimiſſæ, in ſummum collis cacumen, quem vrbs ædificiis circumplectitur, euaſere. Ibi cum conſtitiſſent, atque eo loci non ædis vlla, non ſacellum, non tectum, quo reciperentur eſſet, nec inde vt abducerent currum, cogi vllis ſtimulis, Beſtiæ poſſent, Epiſcopus Dei voluntate perſpecta, depoſitas Martyrum reliquias certis loculis excepit, concluſitque, ac ſtatim miraculorum multitudine, ac varietate, quæ à ſacratis illis oſſibus edebantur, ingentes vicinorum populorum concurſus fieri, atque hoc ipſum cæptum ædificari templum eſt. In quo condita corpora in hanc vſq; diem ſancte aſſeruantur. Acta autem hæc ſunt circa annum octingenteſimum ſeptuageſimum, Adriano Secundo Pontifice Maximo, quingentis amplius annis poſtquam ſancti Martyres victoriæ palma inſignes recepti in cœlum ſunt. III.

Sanctorum corpora Ameriæ tranſferuntur.

An. 851. *VITA ET PASSIO SANCTARVM VIRGINVM FLORÆ ET MARIÆ.*

Authore S. Eulogio lib. 2. memorialis Sanctorum Capite 8.

24 Nov. CVM ad laudem Chriſti pertineat cultus reuerentiæ, qui martyribus exhibetur, reſpondet tamen fidelibus in remedium animarum, quicquid religioſiter in feſtiuitatibus agitur beatorum, præſertim cum per hoc, & per ipſorum patrocinia, martyrum & ſummi Redemptoris acquiritur premium, in cuius honorem virtutem recolunt ſanctorum. Ergo noſtrarum virginum Floræ & Mariæ trophæa digeſturi inſignia, non facundiæ lepôri, non tonantibus euphonijs verborum ſeruiamus, ſed quod fidelibus ſimpliciter rei geſtæ veritatem inſinuet, obſeruemus: quia ſufficere nobis credimus veritatem pura ſimplicitate digeſtam, quam vano inſulatam cultu fallaciam. Et ſat nobis eſt fideliter referre quod fuit, quia non congruit ſub venuſtate ſermonis rem, quæ non extiterit, adhibere. Illibata namq; veritas, quoquomodo proferatur, firmiori greſſu conſiſtit, & ornatiſſime fictum mendacium paululum perſeuerat. Nec patitur Chriſtus aſſertorem iuſtitiæ immunem eſſe benedictionis præmio, cum tamen reatu homicidii aſtringatur prolator mendacii. I.

HARVM

HARVM igitur vocationem virginum, quæ diſpari ſolo progenitæ, & pari mortis occaſu cæleſtibus adunatæ ſunt, ſigillatim exponi neceſſe eſt: & quibus modis vnaquæque earum prædeſtinatæ ſanctificationis culmen attigerit, Deo fautore, ſaltim exili digeramus ſtylo.

II. PRIMVM igitur ſpecie decoris, & venuſtate corporis nimium florens virgo ſanctiſſima Flora, ſed interiori habitu florentiſſima, matrem Chriſtianam habens ex vico Auſinianos, qui ex parte Occidentali milliaribus octo à Corduba diſtat, puriſſimis & nobilibus (vt ita dixerim) perfunctam natalibus, patrem vero gentilem ex oppido habuit Hiſpalenſi. Hi, neſcio qua occaſione proprijs locis exules, Cordubam degendi gratia acceſſerunt. Qui ex vltimo partu ſuo hanc infantulam procrearunt, & ſublato per mortem genitore, fideliſſimæ genitricis tutela ſponſa Chriſti nutritur. Quam pia mater ſacræ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Chriſtum Deum, qui per vterum Virginis Mariæ ad nos vltimo tempore veniens, & per aſſumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem ſuam inuiſibilis, incomprehenſibilis, & inæſtimabilis ſemper extitit. Venerabilis namque puella teneirimis annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis receſſum altare ſanctum conſtruere, quo placita operum bonorum holocaſtomata Chriſto ſemper offerret. Quæ ab ipſis rudimentis infantiæ cunctis ſe vanitatibus ſæculi priuans, totum quod illa ætas (vtpote plenitudine ſcientiæ expers) pueriliter affectat, ſuperno iam delibuta rore conculcat. Nam quodam tempore cum genitricem eius adirem cauſa dignoſcendi principium huius puellæ conuerſationis, ipſa genitrix inquit. In veritate vobis loquor, quod ab ineuntibus annis Chriſti amorem pectore ſuo recondens filia mea, ſæcularium oblectationum cultum vſquequaque ſpreuerit, ac ſemper quæ Dei ſunt, corde meditari ſtuduit: ſemper opera ſancta adimplere non diſtulit. Adeo vt in infantia ſua, cum diebus quadrageſimæ paruitati eius conſulens, ſiue vt illa ætas contigua robuſtius conualeſceret eſu quotidiano, competenti prandij hora cibum ei porrigerem: illa in virtute Domini poſitum habens cor, egentibus eum miniſtrans, furtim beatum exercebat ieiunium. Sicque diebus ſingulis ipſa agente, penè maximum abſtinentiæ tempus elapſum erat, cum clandeſtina infantis deuotio vix quibuſdam reuelatur indicijs. Quam talibus inhibere votis ipſa obnitens, ne priuſquam illud tenerrimum corpus adoleſceret, marcore, abſtinentiæ quaſſaretur, conata ſum iam ad epulum ſuadere diurnum. Eam tamen non potui prouocare ad veſcendum, niſi ſero, & comminatione continua: perfecit tamen votum ſuum electa Chriſti ſponſa.

S. Floræ patria & parentes.

Fides Pueritia.

Quadrageſimæ obſeruatio.

III. Ex eo tempore mater ſolerti vigilantia ſobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Chriſto aſſignatam eſſe conſiderans, nullatenus deinceps contraire pijs puellæ affectibus audet. Venerabilis vero puella Deo duntaxat placere ſtudens, prouida obſeruatrix Euangelij attendebat Chriſto monenti, & dicenti: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ita puriſſimum cœleſtis executione præcepti introrſus præparans habitaculum, nihilominus ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis quotidiano frui meretur aduentu.

Ioan. 14.

IV. VERVM dum exercitio ſanctitatis id, quod clam meditabatur, vberius in amorem Chriſti proficeret, lætareturq; ſe Chriſto per eandem religionem perennius eſſe aſcitam: nec tamen paſſim fidelium intereſſe conuentibus auderet, eo quod fratrem peſtiferi dogmatis perfidum haberet cultorem, qui eius aſſidue conuerſationem exploraret: vt ipſa erat natura prudens, & callens ingenio, didicit à ſapientibus nihil proficere obſcuratam credulitatem, & celatam confeſſionem Trinitatis, præſertim cum ſcriptum ſit: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Et iterum in Euangelio: Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis: & qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis. Igitur inſtructa vtiliter quomodo ſe in confeſſione nominis Chriſti haberet, ſcienſq; non leue eſſe diſcrimen latenter credere Chriſtum, & publice exiſtere vexillo Sathanæ denotatam, matre hinc inconſulta domum relinquens, clam cum ſorore ſua fugam inijt. Seſeq; tutioribus locis inter Chriſticolas collocantibus, ſæuiſſima inſectatione frater earum (quem ſupra meminimus) propter illas Dei lacerat Eccleſiam: adeo vt nonnullos clericorum carceri tradens, conuentum vbiq; religioſarum fœminarum perſequeretur. Et cum agnoſcerent infeſtinationem, quę erga ſortem Domini graſſabatur, indignum diiudicantes ſe eſſe tutas, & Eccleſiam Dei vapulare: illico ſancta Flora, quæ ſe nouerat ad tale prælium diuinitus fuiſſe electam, publico regreſſu in domum reuertens, ait: En ego, quam quæritis, adſum in medio veſtri, pro qua Dei ſortē inſectamini: adſiſto intrepida, Chriſto credula, religioni fauens Catholicæ, ſtigmata crucis gerens, & omniū, quę cultum pietatis inſinuant, affectatrix. Vos modo (ſi poteſtis) hanc eneruate confeſſionem: ſatagite crudelioribus tormentis fidem meā euincere: & (quod fieri omnino dubito) à Chriſto me ſeparari contendite: pro cuius amore quicquid ad ſupplicium meū ſęuus imploderit arbiter, gratiſſimis decreui animis ſupportare. Credo probabitis me inter pœnas fortioris pertinacia, quā nunc in prima congreſſione, Chriſtū Ieſum confiteri.

Flora fratre impius.

Rom. 10.

Matth. 10.

Flora domo fugit.

Domum reuertitur.

V. FRATER autem eius ille peruerſus hæc audiens, cædibus ac minis interdum, & blandis eam nitebatur reuocare ſermonibus. Sed cum cerneret, nihil conatum ſuum proficere, quin imo ſe quaſſo aſpiciens labore conſumi, ad Iudicem eam pertrahit, dicens: Hanc mihi ſororem, ô Iudex, vltimus partus matris eiecit, quæ ſimul mecum ceremonias legis venerabiliter excolens, debitum ſemper erga cultum fidei noſtræ obſequium exhibebat: ſed Chriſtiani crebro eam vrgentes inſtinctu, vatem noſtrum abnegare, ritumq; deteſtari fecerunt, & quadam lenocinatione Chriſtum eſſe Deum credere illexerunt. Quam Iudex vtrum ſe ſic haberet illa delatoris germani quæſtio ſciſcitatur. Extemplo ipſa fratrem impium abnegat, cultumq; Mahometanum ſe nullatenus nouiſſe teſtatur: & adiungit: Chriſtum ab infantia mea noui: ipſius documentis inſtructa ſum: ipſum habere Deum decreui, ipſiq; integritatem corporis mei, eius olim thalamis oblectanda, promiſi. Hæc vbi virgo ſanctiſſima protulit, mox ſacrilegum pectus Iudicis furor immanis exagitat, & in cędem martyris iram admouens, inter vtrumque ſatellitem apprehenſis manibus eam extendi præcepit, diroq; verbere caput eius pertundens, tamdiu flagris inſiſtit, quouſque deciſa cum cæſarie cute, os verticis nudum pateret. Perdurat nihilominus adoleſcens, martyr & virgo in ſua confeſſione. Tunc Iudex ſemiuiuam, & penè exanimem impio fratri eam delegans, admonet, vt confota medicamine, & verbo legis inſtructa ſibi demum, niſi ſe conuerterit, præſentetur.

Frater impius Floram accuſat.

Flora in capite pro Chriſti confeſſione percutitur.

VI. PERDVCTAM deinde in domum ſuam Chriſti virginem hoſtis, non frater, ille iniquus, domeſticis eam fœminis demulcendam fomento, & verbo committit, magnis ſolummodo trabibus catenarum ſeras manſionis obtrudens. Quia ingenti maceria totius prædioli ambitus præmunitus, omnino de nulla euadendi ſollicitudine quemquam arguebat. Ideoq; non poſt multos dies, vulneribus expiata fortis Flora, cum ſe ſoſpitem eſſe ſentiret; quadam nocte per contiguum infra cortem domui hærens tugurium, celſum parietem iuuante Domino ſcandens, inde ſe foris plateali ſolo proiecit. Quæ nullo ſtimulata dolore, cœpit per tenebras noctis angelico comitante ducatu, quo Dominus vellet ingredi: ſicq; cuiuſdam fidelis inter illud chaos nocturnum hoſpitio recreata, cum aliquandiu ibidem commaneret, deinceps præclarum Tuccitanæ vrbis viculum Oſſariam intuitu latendi petens, ibi cum* ſorore ſua vſque ad tempus, quo martyrium conſummauit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego diues iniquitatum, qui à principio martyrij ſui amicitia eius fruitus ſum, combinatis manibus meis cicatrices reuerentiſſimi & delicati illius verticis attrectaui, quum ictibus flagellorum virginalis coma elapſa fuiſſet.

In cuſtodia aſſeruatur à fratre.

Elabitur.

Tuccitanā vrbē fuiſſe vbi nūc Martos oppidū eſt in Betica docet Amb. Moral.

* Baldegotone ſine dubio: ad quam poſt Floræ martyrium ipſe O. Eulogius epiſtolam dedit.

ſum precantes, nos vinculis liberarent: quod ita Deo fautore peractum eſt. Nam illæ octauo calendarum Decembris martyrium conſummantes, nos tertio earundem calendarum compedibus reſolutos, ab ſqualore carceris eruerunt. Et a qua ſupra, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

carcere eductus.
Annus Domini Decembris Nouemb. dies 29.

DE S. ROMANO BVRDEGALENSI PRESBYTERO, EX DIVI GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI DE GLORIA *Confeſſorum Cap. 46.*

An. 318.

I. HABETVR in hoc territorio & ſanctus Romanus Presbyter, quem, vt ſcripta vitæ eius edocent, Martinus noſter ſepulturæ locauit. Eſt autem ſepulcrum eius contiguum Blauienſi caſtello, ſuper litus amnis Garonnæ, in quo ſæpius naufragio perituri, virtute eius ſaluati ſunt, proclamantes inter fluctus torrentis vndoſi: Miſerere noſtri, ſancte Romane Confeſſor Dei. Mox enim, ſedata tempeſtate, optato litore potiti ſunt. Nec enim fas eſt, vllum perire naufragio, qui eius baſilicam amnis de medio contemplari meruerit. Quod & nos in grandi neceſſitate experti ſumus. Nam cum imber creberrimus per multos defluens dies, amnem Garonnam extra litora eieciſſet, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, eleuarenturq; fluctuum montes validi, qui non paruum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confeſſor obtinuit, ſicut credimus, virtutis ſuæ ſuffragio, vt compreſſis fragoribus, planum præberet flumen alueum. Et ſic ingreſſi nauem, ad ripam alteram ſine periculo ſumus deuecti.

24. Nou.
Ecce ſancti inuocatio, & ad inuocationē auxilij exhibitio.

INVENTIO ET TRANSLATIO CLARISSIMI MARTYRIS S. GEREONIS, A RVDOLPHO ABBATE SANCTI TRVDONIS CONSCRIPTA *anno Domini 1121. aut circiter.*

An. 1121.

I. RVDOLPHVS gratia Dei id, quod eſt, omnibus ſanctorum martyrum pie amplectentibus memoriam, ſanctorum martyrum conſortium. Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo viceſimoprimo, turbatis iam ante per aliquot annos eccleſia & regno ſub Imperatore Henrico, cuius pater Henricus Leodij obiit: multi Epiſcoporum & Abbatum, & de omni ordine & gradu clerici & monachi expulſi à ſuis ſedibus, hac illacque ferebantur, propter communionem Imperatoris, quam vitabant: quia excommunicauerat eum dominus Papa Calixtus II. ſecutus in eum ſententias prædeceſſorum ſuorum Gelaſii atque Paſchalis. Hac tempeſtate, eademq; de cauſa, eoque maximè, quia Friderici Leodienſium Epiſcopi electioni & conſecrationi faueram, expulſus ſum & ego de cœnobio beati Trudonis * Idus Aprilis, quarta feria Dominicæ reſurrectionis cum meo indignus præſediſſem duodecim iam annos, & duos menſes, & vt puto, dies quatuordecim. Suſceptusque ſum eodem anno miſericorditer à domino Archiepiſcopo Colonienſi Friderico, eiuſdemque Eccleſiæ ſtudio, & fratrum electione poſitus ſum Abbas in cœnobio beati Pantaleonis extra muros ciuitatis octauo Idus Septembris, cum iam vacaſſet à quatto Calendas Ianuarij.

24. Nou.
* Videtur deeſſe numerus, aut certe Idibus legendum.

II. Nec multò poſt ſubſequentibus diebus, petente quodam Dei ſeruo & prædicatore magno Nortberto vnum de corporibus martyrum Thebeorum, qui iacent in monaſterio ſancti Gereonis: apertum eſt vnius eorum ſepulcrū in eodem monaſterio, iuxta medium pilarum ad meridianam plagam, præſentibus tota nocte ad vigilias & ad fodiendum religioſis clericis, & monachis, atque Abbatibus, cum omni obſequio & reuerentia atque deuotione. Inter quos & ego peccator mandatus adfui. Eleuato ergò ſuperiori lapide de ſarcophago, poſt octingentos & aliquot plures annos martyrij Thebæorum, inuentum eſt in eo corpus magnum, per ſcapulas amplum per pectus brachia toroſum, indutum chlamyde militari coloris purpurei: quæ ampla vtrinque veſtis appendebat vſq; ſubter genua eius quaſi tribus digitis, genus pallæ non ignobilis. Super eam aliam habebat veſtem breuiorem, ignotam quidem nobis nomine, ſed cognitam filo ſerico, & colore nobilioris purpuræ. Subtus ad carnem nihilominus veſtis ſerica, albi maximè coloris, ſed tamen ſubrubea. Corpus totum intactum adhuc videbatur à mento, quod tantum de capite ſupererat, vſq; ad pedes, indiſſoluta adhuc ſuperficie veſtium, caligatum atque calceorum. Nam vt conijcere verius potuimus, ſic caſu pertranſierat inter caput & mentum perſecutoris gladius. Pars tantum illa, vbi ventris mollities fuerat, aliquantulum, modeſte tamen ſubſederat: quam veſtis ſubſecuta, indiſſoluta permanſerat. Tali ſuppreſſione, pectus & oſſa femorum videbantur magis turgere. Supra pectus illius, ſignum Dominicæ Crucis inuentum eſt de aurifrigio factum, ſicut conſiderari potuit, ſubmicantibus adhuc in eo auri metalli ſcintillulis. Aurifrigij longitudo penè vnius pedis extiterat, latitudo vix vnius digiti.

Monaſterium S. Gereonis hodie collegium Canonicorum.
Nota de inuento corpore.
Nota hoc de ſigno crucis Dominicæ contra impios hoſtes illius.

III. A genu eius vſque ad pedes, tibiæ ex directo & integro decenter compoſitæ, habentes adhuc caligas integras de palla, rotundis floribus ad modum oculorum caudæ pauonis circunquaque diſtinctis. In ipſis ſubtalaribus iuncti ſicut prima die, & à talo ſurſum erecti pedes adhuc continebantur: & quantū ad ſuperficiem veſtis, nihil de toto corpore videri poterat, quod adhuc corruptum ſiue commotum vnquam fuiſſet. Sub veſtibus tamen, ſicut poſtea exitus probauit, ipſa caro iam prorſus in cinerem reſoluta fuerat cum oſſibus, exceptis paucis de maioribus: ſed fauillæ ſuperextantis incommota integritas, carnis quoq; integritatem oculis admirantium figurabat. O quam glorioſum erat, videre magnanimi militis Chriſti venuſtam formam, magnificeque veſtitam, & quaſi viuentis adhuc viribus plenam: cuius caput ſi ſub ſimili corporis incorruptione adeſſet, dormire eum potius, quàm mortuum, crederes. Ad caput eius cæſpes erat gramineus locatus, à capite vſque ad cingulum, ab vtraque parte laterum, inter corpus eius & ſarcophagum. Qui cæſpes, immo qui cæſpites (nam plures fuerant) ſanguinei toti adhuc erant, ſicut perfuſi in terra fuerant fluente ſanguine martyris, quando percuſſus in terram cecidit.

IV. SED & in aliorum trium martyrum ſarcophagis, hac occaſione apertis, in eadem magnalia Dei vidimus. Pili herbarum in ipſis cæſpitibus adhuc rigebant, ſicci tamen, ſed concreto ſanguine integri & rubei tenebantur. Teſtes mihi ſunt ipſi martyres, quia propria, ſed indigna, manu tenui, oculis propriis adſpexi, & aliis videre porrexi, ipſi quoque domino Epiſcopo aſſidenti, multumq; præ gaudio & deuotione lachrymanti. O quantum ſtudium, quantus Chriſti amor, quanta deuotio fidelium tunc temporis Chriſtianorum, qui in tanta perſecutione nec ipſos ſanguineos cæſpites tollere neglexerunt. Quid moror? Iſta nocturnis horis acta ſunt, ſub magna quidem religioſorum virorum & fletu & cantu. Manè facto, cùm res tam glorioſa & deſiderabilis audita fuiſſet à ciuibus, & oſtenſa pluribus illorum, (nam apertum tantum ſarcophagum palla tantùm tegebatur) tota ciuitas ſtatim infremuit, clamantes ſe malle mori, quàm tanto theſauro, tanto patrono priuari. Erant etiam inter eos, qui corpus inuentum, ipſum eſſe ſanctum Gereonem dicebant, propter habitus venuſtatē & corporis formoſitatem. Vndè maior & maior fiebat tumultus in populo, contradicebaturq; ab omnibus domino Nortberto. Vix tandem ſedatus eſt tumultus, Præpoſito ſanctæ Mariæ Theodorico de Gradibus pulpitum aſcendente, & populum mitigante,

Vide res admirandas.
Obſerua lector prīſcorū Chriſtianorū deuotionem.
Sarcophagum dicit neutro genere.

& quòd rei huius conſilium eſſet differendum, promittente, vſque ad præſentiam domini Archiepiſcopi. Tunc nihilominus ad ſatisfaciendum populo, decretum eſt à maioribus, vt ſepulcrum lapide ſuperpoſito clauderetur, conſiderata priùs diligenter integritate corporis à fidelibus, ne quid furto de eo tolleretur. Acta ſunt hæc tertio Idus Octobris, anno ſupradicto Dominicæ incarnationis. Interea die & nocte vſq; octauum Calendas Decembris cum magna deuotione & multo lumine ſepulcrum cuſtodiebatur, die circunſedentibus cum pſalmodia, electis ad hoc eiuſdem eccleſiæ aliquibus clericis, nocte vigilantibus nihilominus cum pſalmodia quibuſdam alijs, interdumque iuuantibus eos fratribus de ſanctis Apoſtolis. V.

IGITVR poſt aliquot ita interlapſos dies, octauo, vt diximus, Calendas Decembris vocatus adfuit dominus Archiepiſcopus, Abbates, Præpoſiti & omnes congregationes ciuitatis: populus verò innumerabilis. Magna reuerentia, magniſque laudibus ſecundò apertum eſt ſepulcrum, & integrum repræſentatum corpus ſanctum: tamen ex magni lapidis concuſſione caro, quæ ſub veſtibus in fauillam verſa fuerat, per plurima loca ſubſederat, ſicut etiam in talibus ſolet contingere, infuſo poſt tot tempora occultis corporibus nouo aëre. Ponuntur duo Abbates, induti veſtibus albis & ſtolis, vnus ad caput, alius ad pedes. Quorum vnus ego peccator, ad caput eius ſedi, quamuis, vt ſuperius dixi, de capite nihil præter mentum haberetur, ſicut percuſſoris illud abſentauerat gladius. Applicuerunt ſe etiam alij duo presbyteri clerici ſancto leuando corpori, nihilominus induti veſtibus albis & ſtolis. Qui ſacras manus piè apponentes, primum veſtes collegerunt, non integras, quia vetuſtas non patiebatur: ſed per grandes & minores partes, ſicut poterant diligentius. Circa ſcapulas verò, & ſupra totum pectus, & vſque ad ipſum cingulum, multus inueniebatur ſanguis ſuper globatus, ſicut abſciſſo capite, ex collo & venarum meatibus ſparſim potuit emanare.

Multus ſanguis inuentus in martyris corpore.

VI.

COLLECTÆ igitur ſunt diligenter omnes eius veſtes, ſed iſtæ diligentius, craſſo ſanguine, ſed ſicco, graues, & per ſe in ſcriniolo vno, decenter ad hoc parato, poſitæ tenerenter. Cum quibus & balteus eius militaris de nigro corio, inuentus & repoſitus eſt, penè vnius vlnæ longitudinis, adhuc integras habens partes. A ſiniſtro latere, iuxta latus eius & balteum, inuentus eſt nodus ferreus ad modum qui, rubigine propè conſumptus: quem capulum gladij eius fuiſſe credimus: ſed de gladio fruſtum nullum inuenimus. Diligentius tamen poſtea quidam attendentes, in ipſis partibus reliquiarum, quas inde exorauerant, particulas ferri mihi proteſtati ſunt ſe inueniſſe. Subtalares, magnis partibus integris, eodem ſcrinio reconditi ſunt. Caligæ prorſus in cinerem reſolutæ. At vbi ſuſceptis veſtibus, ad carnem & oſſa colligenda ventum eſt, vix de ipſis oſſibus, & hoc de magnis, aliquid ſolidum apparuit, quod prorſus in cinerem, aut in paruas particulas vetuſtas redegit.

Res admiratione digna
Apoc. 7.
Ibidem.
for. * puluerem.
Feretrũ pro theca

VII.

MIRA res, & valde glorioſa. Teſtor ipſos ſanctos martyres, teſtor & ipſam ſanctam multitudinem religioſorum virorum, qui diutius hoc viderunt: Totus cinis carnis & oſſium, quaſi calx nouiter fuſa, candebat per totum ſarcophagum. O quoties ibi cantatum cum multis lachrymis fuit, Et in ſanguine agni lauerunt ſtolas ſuas. O quoties ibi repetitum, Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſangnine agni. Tandem collectus eſt cinis, & cæſpes ſimul ſanguineus, & ipſe in * puluere, ſed terrei atque ſubrubri coloris, propter ſanguinem reſolutus: ſuſceptuſque in munda palla & precioſa, in alio ſcrinio maiore reconditus eſt. Tunc eleuatis vtriſque ſcrinijs, multa oblata ſunt ad fabricandum feretrum ſancto martyri. Dominus Archiepiſcopus obtulit ſcutellam argenteam: deinde ſinguli quique, prout deuotionem habebant. Acta eſt etiam proceſſio magna die illa circa clauſtrum & circa monaſterium, pulſantibus ſignis, & cantantibus clericis & monachis, laicisq; Teutonice in concrepationibus ſuis. Qua proceſſione finita, & ſanctis reliquiis in loculis ſuis ſuper altare in medio monaſterij collocatis, Miſſa de eiuſdem ſanctæ legionis martyribus incepta eſt, & iubente domino Archiepiſcopo, à me peccatore cantata. Ante Canonem verò, finito Euangelio, dominus Archiepiſcopus ſermonem fecit ad populum de ijs, quæ tunc præ oculis habebantur & manibus, & quæ ad ſalutem animarum pertinebant, de ſanctis Thebæis martyribus. Finitaque Miſſa, dimiſſus eſt populus cum lætitia magna.

Studio domini Hermanni Præpoſiti corpus S. Gereonis tranſlatum eſt.

VIII.

Ex huius ſancti martyris reliquiis, cura & deuotio fratris noſtri Ecberti poſtea partes aliquas noſtro interuentu impetrauit à Præpoſito eiuſdem monaſterij Hermanno, cuius ſtudio & deuotione reuelatum corpus tranſlatum fuit. Reliquiæ autem hæ ſunt: De veſte illa ſubtiliori, quam ad carnem ſuam habuit indutam. De balteo eius militari, qui circa lumbos eius inuentus eſt, nigri corij. De ferro, vt videbatur, eius gladij, confuſo cum ſanguine, & cineribus veſtium, & corporis illius: vbi quaſi in media vagina ferrum adhuc patenter ſublucere videtur. De ſanguine eius concreto cum puluere carnis & oſſium eius. Cum adhuc per ſe iaceret, ſimilimus erat calcis nouæ, aut farinæ candidæ. Poſtquam verò collectæ ſunt partes veſtium, quæ integrè colligi potuerunt, & oſſa, quæ penitus reſoluta non fuerunt, cætera omnia in vno puluere collecta ſunt: hoc eſt, puluis ſanguinei cæſpitis, puluis oſſium, puluis carnis, puluis veſtium. Quæ omnia ſimul confuſa, album quoq; illum colorem confuderunt.

Puluis eius ſimilis calci nouiter fuſæ.

IX.

HÆC ideo tam diligenter exprimimus, quia puluerem carnis & oſſium, colorem calcis nouiter fuſæ diximus habere: vt cum alius color in iſto puluere inuentus fuerit, nemo tamen dubitet, quin de vera carne & oſſibus eius ſit: immò ſimul quoq; de ſanguineis cæſpitibus, atque de eius ſimul veſtibus. Has ſcilicet reliquias cum mihi frater Ecbertus allatas repræſentaſſet, recognoui eas, ſicut antè in ſepulcro videram: & ex earum præſentium occaſione ordinem inuentionis, ſicut hic legitur, aggreſſus ſum fideliter deſcribere, ſecundum quod vidi & manibus proprijs, licet indignus, tractaui. Itaq; prius eas vobis per eundem fratrem miſi, transferendas in eccleſiam beatæ Mariæ in Dune: quatenus in hoc noſtro ſcripto, & ex earum præſenti contemplatione nulli modò, vel in poſterum dubium ſit, quod ex corpore martyris de ſancta legione Thebæorum martyrum ſumptæ ſunt. Hortamur ergò & rogamus, atq; præcipimus, vt fratres noſtri, qui morabuntur in Dune, diem feſtum martyrij eorum in die S. Gereonis cum duodecim lectionibus amodo agant, & diem aduentus iſtarum ad eos reliquiarum. Hæc ego peccator Rudolphus, fratres mei & filij chariſſimi, qui eſtis in cœnobio beati Trudonis in Haſbania, ſcripſi vobis de cœnobio beati Pantaleonis iuxta Coloniam.

An. 240.

CERTAMEN S. MARTYRIS MERCVRII, EX SIMEONE METAPHRASTE, VT HABETVR QVINTO TOMO Aloyſii.

25. Nov. Anno 253

IMPERANTE illo tempore Decio & Valeriano in magna vrbe Roma ij communi decreto ſtatuerunt, vt omnes ſacrificarent & dijs libarent. Conuocato ergò toto Senatu, ei expoſuerunt, quæ communi conſenſu à ſe decreta fuerant: & cùm eos inueniſſent ſuæ aſſentiri ſententiæ, magna affecti ſunt lætitia. Statim ergò literis imperatorijs cum ſubſcriptione Senatus, iuſſerunt ea exponi, quæ communiter eis viſa fuerant. & proponi in Capitolio, quarum hoc eſt exemplum: I.

Impia decreta Imp.

Imperatores triumphatores, victores, Auguſti, pij Decius & Valerianus ſimul cum Senatu hæc communi conſilio

filio: Cùm deorum beneficia & munera didicerimus, & ſimul etiam fruamur victoria, quæ nobis ab ipſis data eſt aduerſus inimicos: quin etiam aeris temperatione, & omne genus fructuum abundantia. Cum eos ergo didicerimus eſſe benefactores & ea ſuppeditare quæ ſunt in commune vtilia: ea de cauſa vno decreto decernimus, vt omnis conditio liberorum & ſeruorum, militum & priuatorum, diis expiantia offerant ſacrificia, procidentes & ſupplicantes. Si quis autem voluerit diuinum noſtrum iuſſum violare, qui communi ſententia eſt à nobis expoſitus, eum iubemus conijci in vincula: deinde variis tormentis ſubijci. & ſi ſic quidem fuerit perſuaſus, non leues à nobis honores conſequetur. Sin autem contradixerit, poſt multa tormenta, enſe ſubibit ſupplicium: aut in maris profundum iacietur: aut auibus & canibus dabitur deuorandus: præcipuè vero ſi fuerint inuenti aliqui ex religione Chriſtianorum. Qui autem diuinis noſtris decretis obedierint, maximos honores & dona conſequentur. Valete feliciſſimè.

ratorũ Decij & Valeriani,

II. PROPOSITO ergò edicto imperatorio, conturbata fuit tota ciuitas, quod in tota ciuitate fuiſſet propoſitum impium hoc edictum. Accidit autem, vt cum illo tempore bellum fuiſſet à barbaris motum aduerſus Romanos, pararent Imperatores ſuum exercitum, vt acie cum eis confligerent, iubentes numeris militum, qui erant in omnibus ciuitatibus, vt venirent in auxilium. Ex ijs autem, qui ab vnaquaque ciuitate & regione veniebant ad hunc belli apparatum, venit etiam legio eorum, qui dicebantur * Martenſes, qui ſunt ſub prima Armenia, ſub tribuno nomine Saturnino. Egrediente autem ad bellum Decio, degebat Romæ Valerianus. Commiſſo verò inter Romanos & barbaros prælio, durauit conflictus longo tempore. Permanentibus autem ijs in illa congreſſione, apparuit viſio cuidam ex legione Martenſium, qui ſunt ſub prima Armenia, nomine Mercurio: apparuit, inquam, vir quidam ingentis magnitudinis, indutus albis veſtibus, in dextera manu tenens rhompheam, & ei dicens: Ne timeas, nec formides: Sum enim miſſus, vt tibi opem feram, & te reddam victorem. Accipe ergò hanc rompheam, & irrue in barbaros: & cùm viceris, nè obliuiſcaris Domini Dei tui. Ille autem, vt qui à ſe diſceſſiſſet, exiſtimabat eſſe vnum ex principibus Imperatoris. Quam cum accepiſſet, & ſe incitaſſet, impetum fecit in barbaros: ijsq; fractis, eorum Regem occidit, & multos alios, adeò vt defeſſum eſſet ei brachium, & ex ſanguine eius manui adhæreret rhomphea. Sicque fuſi & fugati ſunt barbari à Romanis.

Legio Martenſium.
**al. Fretenſes.*
Viſio offertur Mercurio.
Anno 251. Decio aduerſus Perſas proficiſcente victoria petitur

III. TVNC Decius cum reſciuiſſet ſingulare eius certamen, eum accerſitum donauit dignitate ductoris exercitus, conſtituens vt præeſſet caſtris: & arbitratus Decius ſe deorum prouidentia à bello fuiſſe ſuperiorem, valdè lætabatur: & cum militibus multum erogaſſet pecuniæ, vnumquenque miſit in locum ſuum: ipſe autem ingrediens vnamquanque ciuitatem, magna faciebat conuiuia, Romam proficiſcens. Vna autem nocte cum dormiret dux exercitus, ad eum accedit Angelus in prima, in qua apparuerat, figura: & puncto eius latere, eum excitauit. Ille verò cùm eum vidiſſet, timore affectus, manſit mutus. Dicit ei Angelus: Mercuri memento quid tibi dixerim in conflictu prælij: vide nè obliuiſcaris Domini Dei tui. Oportet enim te pro ipſo certare legitimè, & coronam victoriæ accipere in glorioſo regno cum ſanctis omnibus. Hæc cùm dixiſſet, euanuit Angelus. Ille autem cum ad ſe rediſſet, & eſſet recordatus, Deo egit gratias. Sciebat enim à maioribus fidem Chriſtianorum. Nam pater eius Gordianus, cùm eſſet Primicerius eius legionis, ſæpe dicebat: Beatus eſt, qui Regi cœleſti militat. ei enim donat regnum cœlorum. Ille enim Rex verbo omnia eſt fabricatus: & ille eſt, qui eſt viuos & mortuos iudicaturus, & vnicuiq; redditurus ſecundum ſua opera. Cùm ad ſe ergò rediſſet, & patris verborum meminiſſet, & conſideraſſet viſionem, quæ ſibi apparuerat, compunctus à ſancto Spiritu, cœpit eum lachrymis confiteri & dicere: Hei mihi peccatori, quòd cùm eſſem ramus germinantis arboris, exarui non habens radicem Dei cognitionis.

Mercurius cæſis hoſtibus fit dux exercitus.
Iterum Angelus ei apparet.
Rom. 2.
Conuerſio eius.

IV. DVM ipſe autem hæc diceret, miſſus eſt ab Imperatore ſilentiarius cum plurimis alijs, vt eum vocarent ad Imperatorem. Cum is verò ſe excuſaſſet. Imperator diſtulit concilium. Die autem ſequenti eum rurſus accerſit Imperator, vt veniret cum eo, quo par eſt, honore. Cùm is autem acceſſiſſet, dimiſſo iam concilio, dicit ei Imperator: Eamus ſimul in templum Dianæ, & offeramus ei ſacrificium. Sanctus verò ſe reprimens, iuit in ſuum Prætorium. Quidam autem ex proceribus eum accuſat apud Imperatorem, dicens: Pie triumphator & victor, à dijs probate, vt adminiſtres imperium, dignare placidè me audite. Qui à veſtra imperatoria eſt honoratus dextera, & cui gloria fuit tributa à veſtro imperio, quod res Romanorum placidè & tranquille adminiſtrat, is non fuit nobiſcum in templo magnæ Dianæ, ſacrificium oblaturus pro veſtra potentia. Dixit Imperator: Quis hic eſt? Dixit Catulus conſularis: Mercurius quem magni feciſtis & ornaſtis diuerſis dignitatibus. Is alios quoq; euertit, nè deos colant: exitum autem vobis oſtendet eius ad vos reſponſio. Dixit Decius: Aliqua fortaſſe in eum motus inuidia, hæc in eum locutus es. ſed te non audiam, niſi eo præſente vera cognouero, fide autem digniores iudicabo teſtimonij oculos, quam aures. Tace ergò, & cum eo nullum verbum loquere: & ſi calumniandi quidem animo vſus in eum hæc dixeris, non leue dabis ſupplicium. Sin autem vera apparuerint ea, quæ à te dicta ſunt, à me honores & dona conſequeris, vt qui beneuolum in deos & in nos animum oſtenderis. Imperator autem iuſſit eum venire cum eo, quo par erat honore.

Accuſatur apud Decium à Catulo cõſulari,
Decius ei non credit,

V. CVM is autem acceſſiſſet, dixit ei Decius: Non ego te hac ornaui dignitate, te exercitus ductorem conſtituens coram omnibus meis principibus, propterea quod Dei voluntate à te victum fuerit prælium? Quomodo autem meum honorem nihili ducens, accepiſti modum quendam malignitatis, & vis meos honores nihili pendere, deos non adorans, ſicut iam audiui ab aliquibus? Generoſus autem Chriſti miles, cùm conuenienter ei, quod dicit Apoſtolus, veterem exuiſſet hominem cum ſuis actionibus, induit nouum, qui eſt creatus ſecundum Deum per baptiſmum, & confidenter ei dixit: A me tolle hunc tuum honorem. Ego enim non, vt arbitror, ad id veni ex debito, qui barbaros in bello vicerim per Dominum meum Ieſum Chriſtum. Sed accipe quæ à te, vt dixiſti, mihi data ſunt. Nudus enim egreſſus ſum ex vtero matris meæ, nudus etiam reuertar in illum mundum.

Epheſ. 4.
Iob. 1.

CVM itaque exuiſſet lenam, & ſoluiſſet zonam, iecit ad pedes Imperatoris, clamans & dicens: Sum Chriſtianus: audite omnes, ſum Chriſtianus. Decius autem ſimul & ira valde percitus, & dicendi libertatem admiratus, eiusque pulchritudine & magnitudine obſtupefactus, iuſſit eum conijci in cuſtodiam, dicens: Hic homo non conſiderauit nec intellexit honorem. Sed ſi ſenſerit probrum & ignominiam, puto fore, vt eum ad piam traducam cogitationem. Cùm is autem abduceretur in cuſtodiam, lætabatur martyr & exultabat, Deum laudans & gloriam ei tribuens. Nocte autem illa Angelus Domini ei apparet, dicens: Confide Mercuri, & nè timeas: Crede in Dominum, quem es confeſſus. Ipſe enim poteſt te redimere ex omni afflictione. Viſione autem Angeli valdè fuit confirmatus.

Conſtantia S. Mercurij:
Traditur lætus in cuſtodiam.
Angelus eũ confirmat.

VI. Die verò ſequenti cùm præſediſſet Imperator in tribunali, iuſſit eum ſiſti, & dicit ei: Hic honor te decet propter tuum peſſimum animum. Dixit martyr: Me decet hic honor. accepiſti enim ea, quæ prætereunt: pro ijs autem accipiam, quæ permanent in æternum. Dixit Imperator: Dic mihi genus tuum & patriam. Dixit Mercurius: Si vis ſcire genus meum & patriam, dicam tibi: Pater meus vocabatur Gordianus, Scytha genere: militabat verò in legione Martenſium. Patria autem mea, ad quam propero, eſt cæleſtis Hieruſalem, quæ eſt ciuitas Regis cæleſtis. Dixit autem Decius: Hoc ne nomine vocatus es à parentibus, an in exercitu appellatus fuiſti Mercurius? Dixit

Genus & patria ſancti Mercurij

martyr:

martyr: Militiæ à tribuno vocatus ſum Mercurius. Dixit Imperator: cur non facis ſicut iuſſum fuit omnibus hominibus, & deos adoras, priorem tuum honorem recipiens? mauis ne mori in tormentis? Dic citò, ſciens te eſſe vocatum propterea. Dixit Mercurius: Ego, vt dixiſti, ideò veni, vt te vincerem, & diabolum omnis vitij inuentorem: & coronam victoriæ accipiam ab agonotheta Ieſu Chriſto Domino meo. Noli ergò tardare nec differre: ſed in me imple, quæ tibi veniunt in mentem. Habeo enim loricam fidei & clypeum, per quæ vincam omnem inuentionem quæ aduerſus me excogitata & mota fuerit.

Sancti Martyris in dicendo libertas.

Tvnc dixit Imperator ira plenus: Quoniam dicis te habere loricam fidei & clypeum, iubeo te nudum extendi ad quatuor palos, & ſublimem tolli à terra. Cùm hoc autem factum eſſet, dicit Imperator: Vbi ſunt arma tua bellica? Per Iouem maximum deorum valdè fuiſti extenſus. Sanctus autem Mercurius in cœlum adſpiciens, dixit: Domine Ieſu Chriſte, fer opem ſeruo tuo. Rurſus iuſſit Imperator acuto gladio ſcindi eius corpus, & poſtea ignem ſubſterni vt ipſe paulatim vreretur. Sanguinis autem multitudine rogus fuit extinctus. Sanctus verò forti & generoſo animo ferebat hoc tormentum. Decius autem iuſſit eum ſolui, ne citius moreretur, & in quadam obſcura domo tutò includi. Eum itaque portantes, proiecerunt in domunculam, quæ paruam habebat reſpirationem, exiſtimantes fore vt paulo poſt moreretur. Illa autem nocte ei apparet angelus Domini, dicens: Pax tibi generoſe athleta: & eum reddidit ſanum: curans vulnera eius corporis, adeò vt ſurgeret, & gloriam redderet Deo, qui ei apparuerat. VIII.

Extenditur ad quatuor palos

Corpus eius gladio ſcinditur.

Angelus eũ ſanat.

Rvrsvs ergò Decius iuſſit eum ſiſti: & cum eum vidiſſet, dixit: Qui mortuus fuit à nobis ablatus, quomodò IX.
nunc per ſe ambulat? fortè nec vibicem quidem habet in ſuo corpore. Iuſſit autem ſatellitibus, vt viderent. Illi verò ei dicunt: Per diuiniſſimam tuam pietatem, corpus habet adeò delicatum, & omni macula vacuum, perinde acſi ne fuiſſet quidem tactum. Dixit Decius: Eſt omnino dictus, Chriſtus meus me curauit. Neminem introduxiſtis, qui eum curaret in cuſtodia? Illi autem ei dixerunt: Per veſtram potentiam, quæ regit vniuerſum orbem terræ, nemo eum ne adſpexit quidem, putabamus enim eum eſſe moriturum. Quomodo autem ſanus & valens nunc aſſiſtat, neſcimus. Dixit Imperator. Videte artem magicam Chriſtianorum. Qui heri quidem putabatur eſſe mortuus, hodie adſtat ſanus. Iratus itaque dixit ei: Quis te curauit? dic cum veritate. Nam ſine præſtigiis & arte magica non puto te fuiſſe curatum. Dixit ſanctus Mercurius: Sicut prius dixiſti nolens, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, verus medicus animarum & corporum, ipſe me curauit. Veneficos autem, & incantatores, & ſortibus diuinantes ſimul cum iis, qui adorant ſimulacra, abdicat, eoſque vinculis ligatos, tradit igni gehennæ, propterea quod non agnouerunt verum Deum, qui fecit ipſos. Dixit Imperator. Corpus tuum rurſus conſumam ſuppliciis. Videamus autem, an te curet Chriſtus tuus, quem confiteris. Dixit Mercurius: Credo in Dominum meum Ieſum Chriſtum, quod quæcunque mihi intuleris ſupplicia, non potes me iniuria afficere. Ipſe enim dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non poſſunt occidere: ſed eum timete potius, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna: qui poſt mortem me rurſus ſuſcitabit in terribili die iuſti iudicij.

Impius Imperator adſcribit eius curationẽ magicæ arti.

Matt. 10.

Cvm autem torqueretur & vreretur generoſus Martyr, pro nidore ſuauis quidam odor aromatum manabat X.
ex eius corpore. Cum is verò fuiſſet cruciatus, & ne ingemuiſſet quidem, dixit Decius. Vbi eſt tuus medicus? Nunc veniat, & te curet. Dixiſti enim, quòd etiam poſt mortem poteſt te ſuſcitare. Dixit ſanctus Mercurius: Fac, quod velis. Habes poteſtatem corporis mei, animæ autem Deus. Nam etſi corpus meum interierit, permanet anima mea, in quam non cadit interitus. Rurſus iubet Imperator eum ſuſpendi præcipitem, & eius collo alligari grauiſſimum lapidem: vt à lapide ſuffocatus, citò moreretur. In gratia autem Domini confirmatus martyr, longo tempore manſit in tormento. Cum vidiſſet verò Decius eum forti & magno animo reſiſtere tormentis, & nihil graue eum tangere, iuſſit quidem lapidem deuolui ab eius collo: afferri autem flagellum æri alligatum, & eum tandiù flagellari, donec eius ſanguis ſolum impleret. Ille autem planè adamas perſtitit, ſe fortiter gerens, & dicens: Ago tibi gratias Domine, quòd me pro tuo nomine dignatus ſis flagris cædi.

Alia rurſus ei torméta adhibentur

Immane ſupplicium fert generoſe.

Item alias pœnas.

Cvm autem cognouiſſet Imperator eum eſſe planè immobilem, & perſuaderi non poſſe, vt à ſua dimoueretur ſententia, conuocato concilio, (properabat enim ire Romam) tulit in eum ſententiam, dicens: Mercurium, qui deos nihili fecit, & venerandum decretum noſtræ manſuetudinis nihili putauit, iubet pia noſtra potentia duci in regionem Cappadocum, & ei caput amputari ad exemplum multorum. Nam quicunque reſiſtit Imperatori, poſt multa tormenta ſubijcietur gladij ſupplicio. Cum itaque eum accepiſſent ij, quibus fuerat mandatum, duxerunt animal, & portantes eum, impoſuerunt vinctum vtrinque valide, erat enim corpus martyris admodum diſſolutum. Et venientes in diuerſorium, eum ſenſim deponentes, faciebant quieſcere. Sicque cum paucis diebus longum iter confeciſſent, venerunt Cæſaream. Ad eum autem accedens Dominus, dixit: Mercuri, adeſdum & quieſce. Curſum conſummaſti, fidem ſeruaſti, accipe coronam tuæ decertationis. Conſtitutum enim eſt, vt tu hic conſummeris. Martyr autem Seruatoris viſione corroboratus, dicit ijs, qui erant cum ipſo: Facite quod vobis fuit imperatum, nihil cunctantes. Dominus autem, qui vocat omnes ad pœnitentiam, vos quoque ſua gratia dignabitur. Nam cùm ſit diues, affatim donat bona ſua ijs, qui accedunt. Hæc cum dixiſſet, caput fuit ei amputatum, conſummatuſq; fuit in confeſſione Seruatoris noſtri Dei. XI.

Chriſtus ei apparet.

Anno 254.

Capite punitur. Vide Baron an vbi ſup.

Factvm eſt autem, quod præter opinionem eſt, Dei miraculum menſis Nouembris viceſimoquinto: Poſt eius XII.
conſummationem factum eſt corpus martyris album ſicut nix, emittens ſuauem odorem vnguentorum & ſuffituum: & propter hoc ſignum multi facti ſunt Chriſtiani. Depoſuerunt autem ſanctum in loco inſigni, vbi fiunt multæ curationes ad gloriam Dei Patris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſimul cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum, Amẽ.

Inſigne miraculum.

An. 290.

MARTYRIVM S. PETRI EPISCOPI ALEXANDRINI, VT HABETVR IN MS. CODICIBVS, INTERPRETE, FORTE, ANAſtaſio Bibliothecario, qui alicubi teſtatur ſe tranſtuliſſe paſſionem præcipui doctoris & martyris Petri, Alexandrinæ vrbis Patriarchæ.

25. Nov. Græci. Latina Martyrologia eam habent 26. An. 310 vide Baron. vbi ſup.

AD corroboranda corda credentium, & mentes fidelium confirmandas, omnipotens Deus dignum paſtorem beatum Petrum plebis ſuæ Epiſcopum ordinauit. Hic per doctrinam ſuam multos ab idolorum cultura ſeparans, Chriſti Eccleſiæ ſociabat. Audiens igitur Maximinus, quod multi per eum à dæmonum ſimulacris ſegregarentur, & in Chriſti nomine baptizarentur, furore commotus, ſtatim deſtinauit Tribunum quendam ad ciuitatem Alexandrinam, qui eum comprehenderet. Accepta itaque tribunus authoritate, cum ſuis militibus ad vrbem ſuperius memoratam perrexit. In quam ingreſſus, beatiſſimum Petrum cum ingenti Chriſtianorum multitudine * ſanctorum commemorationem celebrantem. Quem I.

* anctorum A. eſſ...

ſtatim

I. g. t Ado. Alexandrinorum erga Epiſcopum ſuum amor.

ſtatim comprehendens, vinculis alligauit, & cuſtodiendum carceri deputauit, damnauitq; compedum mortifera ruina. Hoc videntes Chriſtiani, in lamentationem maximam conuerſi, vna cum ſuo paſtore in cuſtodia carceris permanebant. Non enim patiebantur, vt ſalutis doctor, mali aliquid pateretur. Hac opinione Maximinus comperta, literas deſtinauit Tribuno, vt eius vitam celerius auferret. Quibus lectis, Tribunus ad cuſtodiam carceris cum manu armatorum pertexit. Videntes autem populi, qui ante carceris ianuam pro fide & amore ſui paſtoris perdurabãt, quod eum per vim de carcere voluiſſet ejicere atq; interficere, dixerunt: Prius nos, ſi tibi à tuo Rege præceptum eſt, interfice, & ita demum valebis in noſtrum patrem manus inijcere. Scias enim nos nullatenus permittere, vt doctor & medicus animarum noſtrarum, aliquid patiatur.

II. Audiens Tribunus hos ſermones, & videns non tantum populos diuerſæ ætatis, ſed etiam illuſtres viros, monachos quoque religioſos ac virgines, in cuſtodia carceris permanere cum ſancto viro, agebat ſilentio moderatè, qualiter beatum Petrum ſine vllius ſanguinis effuſione foris eiectum percuteret, ſicut & Maximini tyranni ſententia manifeſtabat. In tali itaque dum eſſet cuſtodia poſitus, fama certaminis Petri, quo cum diabolo dimicabat, vſq; ad infeliciſſimum Arrium diſcurrendo peruenit, qui ante aliquantos dies pro zizaniorum doctrina, quam aduerſus Chriſtum Dei filium in agro Dominico ſeminauerat, culpatus ſæpius, increpatus atq; excommunicatus fuerat, & quia ſanctis monitis acquieſcere noluit, ſemetipſum eouſq; perduxit, vt à ſancto Petro clericatus officio priuaretur. Cognita ergò infelix Arrius ſententia, quam Tyrannus aduerſus venerabilem ouium Chriſti paſtorem dederat, gaudens atque exultans ad Chriſti Eccleſiam cum omni velocitate peruenit, & cœpit in dolo quoſdam de presbyteris atq; laicis obſecrare, vt ei à ſancto Petro veniam atque indulgentiam peterent. Propterea vero conabatur ſui Epiſcopi communionem recipere, vt poſt illius vitæ terminum ipſe ſucceſſor exiſteret. Sed qui cordis cognitor eſt, omnipotens Deus, in quem grauiter peccauerat, diuiſiones in ſancta Trinitate faciens, non celauit beato Petro iniquum Arrij propoſitum, quod habebat in animo.

Arrius à S. Petro excõmunicatus.

III. Eadem namq; nocte apparuit beato Petro, in cuſtodia carceris quieſcenti, & ei nequiſſima infelicis Arrij conſilia manifeſtauit. Cum igitur alio die venirent ad eũ viri magni atq; religioſi, quos eũ presbyteris idem nefandus direxerat, ingredientes carcerem, proiecerunt ſe ad genua beati Petri, obſecrantes eum cum lachrymis, vt Arrium à vinculo damnationis abſolueret, & cum in ſancta Eccleſia presbyteri miniſterio reſtitueret. Dans autem eis beatiſſimus Petrus manum, eleuauit eos, dicens: Quid vultis, dilectiſſimi mihi fratres, aut quid quæritis? At illi reſpondentes, dixerunt: Precamur beatitudinem tuam, venerabilis pater, vt digneris veniam præſtare infeliciſſimo Arrio, & abſoluas eum à vinculo, quo eum vinxiſti: quoniam ecce iam glorioſa tibi martyrii corona in cœlis paratur: quia non ſolum per doctrinam tuam, vniuerſam illuſtraſti prouinciam noſtram, ſed & per confeſſionem martyrij multo amplius nobis & perfectius ſalutem fidei contuliſti. Propter quod credimus, quoniam tibi pro labore iſto duplex in cœlo palma præparabitur.

Apparet S. Petro Dominus, Arrij conſilia iniqua ei indicans.

IV. Tunc venerabilis Petrus cum ingenti gemitu lachrymans, ait: Pro Arrio me obſecraſtis, dilectiſſimi fratres, qui ſponſam Chriſti violare conatur? An neſcitis, quia pro omnibus ſemper dolui & condoleo, & omnibus indulgentiam præſtans, neminem aliquando paſſus ſum de Eccleſia Chriſti perire? Sed magis pro omnibus diligenter interuenio, omnipotentis Dei exorans elementiam, vt ſalutis veniam ſemper ab eo conſequi mereantur? Hic autem Arrius, pro quo rogatis, ſoli Deo mortuus eſt, & à facie illius hic & in futuro ſeculo proiectus. Vnde & à ſacroſancto altari eius, non mea, ſed ipſius eſt iudicij ſententia ſeparatus: quoniam non in homine, ſed in Domino grauiter peccauit, impiè agens in Trinitatis myſterium, vbi Cherubim & Seraphim non audent reſpicere, qui inceſſanter vocibus proclamant Deo, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Cum etiam & virtutes cœlorum ipſum canentes, dicunt: Pleni ſunt cæli & terra gloria tua: ille impia & execrabili mente auſus eſt blaſphemias irrogare, & diuiſiones facere inter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Quemadmodum ergò audeam illi veniam dare, cui omnis creatura iraſcitur & maledicit? Quomodo poteſt veniam promereri à me dilectiſſimi fratres? Hæc verò dicente beatiſſimo Petro, viri qui pro indulgentia eius venerant petere, proiecerunt ſe ad pedes eius, & veluti muti ſunt effecti, nec quicquam de eo illi amplius locuti ſunt.

Hæretici violant ſpõſam Chriſti id eſt, Eccleſiam.

Terribilis ſententia.

Eſa. 6.

Ibidem.

V. Videns autem beatiſſimus Petrus ita eos pauore perterritos, apprehendit duos ex ipſis ſeniores presbyteros Achillam & Alexandrum, & ducens eos ſeorſum in parte carceris, vbi erat recluſus, dixit eis: Ego quidem, etſi peccator ſum, ſcio me vocatione cæleſti ad hunc agonem martyrij eſſe vocatum. Vobis autẽ, qui poſt me futuri eſtis columnæ in ſancta Eccleſia, cupio confiteri myſterium Dei, quod mihi reuelatum eſt à Deo meo in hac nocte: quoniam poſt finem martyrij mei tu venerabilis pater Achilla presbyter, throni me ſedem Epiſcopatus conſecuturus es: poſt te verò hic amabilis nobis Alexander presbyter ipſo ſacerdotio honorandus. Hoc mihi pro certo à Domino promiſſum eſt. Ideoque ne me velitis æſtimare immiſericordem eſſe, aut contra delinquentes crudelem. Quia omnis offenſa humana, carnis, vitio peracta, quamuis ſit grauis & periniqua, tamen multo leuior eſt, quam huius Arrii iniqua offenſa, & ideò illis, quæ ad hominis fragilitatem pertinent, facilius eſt nobis indulgentiam dare: hunc autem maledicto, pro quo rogatis, quomodo poſſum veniam dare, cuius interiora dolo & blaſphemia plena ſunt? ex cuius corde abyſſus tenebrarum prorupit, blaſphemiam irrogando aduerſus omnipotentem Dei Filium, aſſerens eum creaturam, qui creator eſt omnium viſibilium & inuiſibilium, qui à Prophetis atque Apoſtolis & Euangeliſtis eſt prædicatus? Et nunc per iſtum diabolus zizania ſeminauit, per quem multus populus à recta fide auerſus, & in profundum erroris deuolutus eſt. Sæpius à me monitus atque correptus, vt ab hac ſacrilega doctrina recederet, nequaquam ſermonibus acquieſcere voluit. Cuius rei cauſa abiectus atque depoſitus eſt deorſum ab ordine presbyterij. Et nunc quemadmodum iubetis me obtemperare petitionibus veſtris, cum ille meis admonitionibus noluerit acquieſcere, præſertim cum in hac cauſa non meo iudicio ſententiam aduerſus eum dederim, ſed diuinitus inſpiratus hoc fieri iuſſerim?

S. Petrus futura prædicit.

Qua blaſphemia Arrius filium Dei affecerit.

VI. Nam in hac hora noctis cum ex conſuetudine debita ſacras Deo orationes offerrem, ecce ſubito video apparare mihi in habitu pueri Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cuius claritatis ſplendore nimio illuſtratus, non valebam vultum tantæ maieſtatis inſpicere. Qui indutus erat *tunicam lineam, candidam nimis, ſed conſciſſam à ſummo vſque deorſum: quam ambabus manibus conſtringebat circa pectus ſuum, cooperiens quodammodò nuditatem ſuam. Quem cum ſic vidiſſem, timor magnus irruit ſuper me, & cum ſummo timore deprecans eum, dixi: Domine, Domine, quid eſt hoc? Quare ſic video tunicam tuam à ſummo vſque deorſum conſciſſam? Qui reſpondit mihi: Quotidiè ipſam tractas in eccleſia, & neſcis quomodo ſciſſa eſt? Arrius mihi hanc ſcidit, quia ſeparauit à me populum meum, quem mihi in hæreditatem acquiſiui per Crucis patibulum. Et nunc per ipſum, ſchiſma factum eſt in populo meo: & ideò apparui tibi, præcipiens & monens, ne forte velis eum in communionem ſuſcipere. Iniqua enim meditatur contra me & populum meum. Ecce enim venturi ſunt ad te quidam, quos ipſe cum hypocriſi direxit, qui te rogent pro eodem, vt ei veniam præſtes. Tu autem cum omni cautela vigila, & ne acquieſcas petitioni eorũ, ne ſchiſma fiat in populo meo, pro quo ego Crucẽ pertuli, & mortem guſtaui, & tertia die reſurrexi. Omnia quæ mãdo tibi obſerua, & manifeſta hunc ſermonẽ meũ Achillæ & Alexãdro, qui poſt te futuri ſunt Epiſcopi quibus

** Ado habet colobiũ, q̃ eſt tunica ſine manicis.*

Vtinam hæc attenderent hæretici, qui in multas ſectas diſtrahunt populum.

quibus præcipe, vt & ipſi anathematizent eum à conuentu ſuo coram omni populo, vt audientes terreantur, & diſcedant ab eo. Ideoq; hæc omnia, quæ mihi præcepta ſunt & iuſſa à Domino meo, manifeſtaui vobis & cognita feci. Ex hoc mundus ero ab omnibus, quæ mandaui vobis, ſi non fuerint cuſtodita.

Scitote autem & vos, quòd in omni tempore, quo inter vos conuerſatus ſum, nunquam ceſſaui monendo atq; exhortando vos, tam voce, quam litteris meis, cum eſſem in inſula Tyri & Phœniciæ, in Paleſtinæ quoq; inſula relegatus, nunquam ceſſaui ſcribens confortare vos in virtute Spiritus ſancti, orans ac deprecans Deum die ac nocte pro populo mihi credito. Solicitudinem quippe magnam gerebam, æſtuans iugiter in corde meo pro ſalute eorum, vt non aliquis deſit à conuentu Eccleſiæ: nec vnquam ceſſaui ſuggerendo beato Epiſcopo Heſychio atq; Theodoro, in cuſtodia pro fide Chriſti recluſis: qui digni vocati ſunt pro gratia Domini noſtri, participes facti paſſionum Chriſti. Ipſe ſcribens ad Meſopotamiam, ſæpius deſignaui, qualia ab inimicis nobis inferebantur ſupplicia. Dolor nanque magnus & ſolicitudo ſtringebat me pro populi mei ſalute, ne fortè aliquis ſubuerteretur à prædicatoribus falſis. Amplius enim, quàm ſexcenti ſexaginta viri de clericis vel laicis anathematizantes ritum gentilium, in carceribus retruſi, & diuerſa ſuſtinentes ſupplicia, coronam martyrum meruerunt. Quorum victoriam ego audiens, lætus adoraui Dominum Deum meum, qui eos confortauit, & elegit in numero martyrum ſuorum. Mihi verò quanta oſtenſa ſunt in Lycaonia ab hæreticis, credo quia nec vos latet: quomodo Meletius Chriſtianorum gregem ab Eccleſia ſepararit, pro quo Dei filius animam ſuam poſuit, & effudit ſanguinem precioſum. Aduerſus quem Meletius impiè repugnans, ſanctos Epiſcopos ac religioſos viros in carcerem claudebat, ac tribulabat, cogens eos præuaricari. VII.

Hi fuere Ægyptij Epiſcopi.

600. martyres.

Hic Meletius ſibi ipſi temere arrogauit Epiſcopatũ, factus hæreſiarcha.

Propter quod, chariſſimi mihi, moneo vos, atque hortor viſcera mea, cuſtodite fidem, in qua renati eſtis: videte nè Arrij vel ſociorum eius deceptionibus conſentiatis. Videtis me, quomodo ob vinculum charitatis Domini noſtri in cuſtodia ſim clauſus, in eaipſius miſericordiam expectans. Comperi autem, quod impius Meletius contra me multa mala teſtificetur, vt amplius tyranni Maximini furor excitetur, & me interficiat. Quam ego mortem pro Chriſto meo libenter die ac nocte expecto, vt in pace merear de hoc ſeculo, in fide mea conſummatus ad Chriſtum tranſire: quia non facio animam meam precioſiorem, quam me, (ſecundum Apoſtolum dico) ſed Domino meo eam commendo, in cuius manu pendet ſpiritus meus: vt celerius impleam curſum martyrij mei, ſecundũ quod mihi prædixit Dominus meus. Et nunc pro certo ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam in corpore iſto. Propter quod teſtificor vobis, quia mundus ego ſum ab omnibus. Cauete vobis à doctrina Arrij & Meletij. Domini noſtri Ieſu Chriſti tantum præcepta ſeruate. Eſtote ſoliciti pro populi ſalute, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit paſtores & Epiſcopos Eccleſiæ ſuæ. Scio nanq;, quod poſt finem meum exurgent multi tam de clericis, quàm de laicis, & loquentur peruerſa, ſubuertentes animas innocentium, vt eos ſeparent à fide Chriſti. Propterea rogo, vigilate ab Arrij intentione. Scio quia in tribulationem maximam habetis intrare: ſed credo, quia labor veſter non erit inanis apud Dominum Deum veſtrum. Noſtis quanta pericula ſuſtinuit pro Chriſto, qui me nutriuit, pater meus Theonas Epiſcopus ab his, qui idolis ſeruiebant, vt eos ſua prædicatione ſaluaret. Poſt cuius finem & tranſitum ego ſedem eius ſuſcepi, mores eius & vitam imitatus ſum. VIII.

Ecce ardens martyrij deſiderium in viro Dei. Act. 20.

Theonas Epiſc. Alexandri multa perpeſſus à paganis.

Qvid autem dicam de Heraclio, & Demetrio, vel Dionyſio beatiſſimis Epiſcopis, quales tentationes & pericula ſuſtinuerunt ab iis, qui ſchiſma faciebant in conuentu Eccleſiæ Chriſtianorum, & conturbabant plebem Dei? Pro quorũ ſalute de loco in locum ſe inuicem literis monebant, nè recederent à fide Chriſti, quam acceperant. Ecce ſudorem & laborem pertulerunt pro animabus noſtris boni paſtores animarum noſtrarum. Sed illa gratia, quæ illis iugiter adſtitit, cum eis vſq; in finem perſeuerauit. Nunc ergò commendo vos Deo & verbo gratiæ eius, qui potens eſt vos ædificare, & immaculatos per omnia conſeruare. Et hæc dicens B. Petrus Epiſcopus, inclinans genua ſua, orauit: & completa oratione, dixit. Orate pro me fratres, & omnes circum adſtantes dixerunt, Amen. Ea hora Archillas & Alexander complexantes & oſculantes manus eius, lachrymantes flebant, eo quod dixerat eis. Amplius faciem meam non videbitis, & ita venerunt, vbi erant populi ſtantes clerici atq; laici: & locutus eſt eis de doctrina fidei, quę eſt in confeſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti & orans, iterum ſalutauit eos in pace. Qui recedentes, ſecreto nunciauerunt vniuerſo populo Chriſtianorum, quæcunque Dominus B. Petro de Arrij blaſphemijs reuelauerat, vel quæcunque facere commoniti fuerant, vt eum coram omnibus anathematizarent, & in eccleſiam ingredi nunquam ſinerent. IX.

Achillas & Alexander populo verba ſui paſtoris referũt.

Præterea cognoſcens beatiſſimus Petrus Epiſcopus quod Chriſtianorum populus Tribuno non permitteret, vt illum iuxta tyranni ſententiam pro Chriſti nomine gladio decollaret, volens præparatam ſibi diuinitus martyrij coronam celeriter accipere, vocauit vnum de miniſtris ſuis, qui ei vnanimis fuerat, & miſit eum ad Tribunum, dicens: Si vis Maximino tuo parere, venies ad carcerem ſecreto noctis, & facies in pariete modicum foramen, quantum vnius hominis eſt capacitas: per quod ingreſſus tuus carnifex, amputabit caput meum gladio, & tranſmittes illud tyranno principi tuo, & erit tibi victoria in conſpectu eius. Huic conſilio Tribunus deſeruiens, eo tempore, quo Chriſti martyr dixerat, caput eius gladio deſecauit. Fit commemoratio eius die Calendarum Septembris. Requieſcit nunc in pace ſub ara Domini Chriſti Saluatoris: Cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. X.

Vltro ſe offert Tribuno percutiendum S. Petrus. Ceditur gladio in Bucula loco, vbi S. Marcus quoque martyrium conſummauit.

Plura de hoc Martyre ex Actis eiuſdem fuſioribus ab Anaſtaſio Bibliothecario, (vt putat Baronius) in Latinum conuerſis, recitat idem in Annalibus an. 310 n. 2. & ſeqq.

An. 220.

MARTYRIVM SANCTAE MARTYRIS ÆCATERINÆ, EX SIMEONE METAPHRASTE. HABETVR QVINTO *Tomo Aloyſii.*

25. Nov.

IMPERANTE impio * Maxentio, vniuerſum imperium Romanorum amplectebatur impium cultum dæmonum. Is enim Alexandriæ præſidens in excelſo & ſublimi tribunali, emiſit hoc impium edictum, vt omnes ſimul, qui erant in eius poteſtate ac ditione, ſimulacris ſacrificarent. Vnde etiam per vniuerſum Romanum imperium manifeſta fuerunt, quæ decreta fuerant, literis ita ſe habentibus: Imperator * Maxentius omnibus, qui ſunt in mea ditione, ſalutẽ. Magnum a conſecuti beneficium à deorum benignitate, veluti quandam huius munificentiæ remunerationẽ, cenſuimus nos eis oportere offerre ſacrificia. Omnes ergo, ſi fieri poteſt, ad nos venientes, oſtendite veſtram in magnos deos beneuolentiam: Scientes quòd qui hoc noſtrum edictum contempſerit, & ad aliam à nobis prohibitam adſpexerit religionem, & excidet ab ipſa magna deorum beneuolentia, & ſubijcietur à nobis malis extremis. I.

* Maximi[illegible] legendum [illegible] fuit Orientis, Maxentius Occidentis, Imperator. * Maximino a literæ im[illegible] tyranni.

Cvm hæ literæ in omnem partem peruaſiſſent, licebat videre confluentem ad ipſum multitudinem metu minarum: quorum alij quidem adducebant oues & boues: alij autem varia genera auium. Neq, erat vllus immunis, II.

ſed

ſed erant omnes intenti in apparatu ſacrificii. Nam qui erant valde diuites, conſtitutum erat, vt magna animalia adducerent ad ſacrificium: parua autem pauperes, prout vnicuiq; ſuppetebant facultates, & erat vniuſcuiuſq; in deos beneuolentia. Ad magnificentiam autem eos maximè incitabat Imperator, afferens ad ſacrificandum centum & triginta tauros. Cum omnes ergo ad ipſum conueniſſent Alexandriam, valde lætatus eſt, videns multitudinem populi & ſacrificiorum: adeo vt nec alterum quidem tempus expectarit, ſed protinus ſurrexerit, & citiſſime ad templum proceſſerit, & ipſum peregerit ſacrificium. Cum eo autem currebat omne genus & omnis ætas, & vniuerſus ſenatus, & omnes magiſtratus, plebſq; & vulgus hominum, quæ ad ſacrificium pertinebant, vnuſquiſq; afferens: adeo vt propter multitudinem eorum, qui confluebant, anguſta eſſet ipſa ciuitas, anguſtum templum: clamore vero brutorum animantium circumſonaret tota regio circumcirca: nidore autem ſacrificiorum ipſe quoque aër inficeretur.

Innumera hominum multitudo venit Alexā drā, dæmonibus ſacrificatura.

III. Cvm hæc ſic fierent, mulier quædam pia, nomine Æcaterina, ætate iuuenis, pulchra ſpecie, quæ genus ducebat ex ſanguine regio, omnem autem & externam & noſtram ſcripturam perlegerat, multis ancillis comitata degebat Alexandriæ, & ſic aſſeruabatur in ædibus regiis, & ſolum Chriſtum nôrat ſponſum, & ei animæ ſeruabat pulchritudinem: & in eum ſolum erat cor eius amore inflammatum. Hæc ſic videns homines grauiſſimum ſubire naufragium, & venire in extremum interitus periculum, animo grauiter affecta, & pro Domino æmulatione ac zelo incitata, tunc maxime ſtatuit ſuum oſtendere deſiderium, & ardentem pro fide zelum: & cum nonnullos ſecum accepiſſet famulos, protinus profecta eſt in templum, in quo erat multitudo cum Rege ſacrificans: & ſtans in limine, aliorum quidem vultus ad ſe attrahebat, vt quæ inſigni eſſet pulchritudine, & internam ſpeciem oſtendebat per externam. Senſim autem ſua munda labia aperiens, dixit ſe habere neceſſarium aliquid, quod diceret Imperatori. Qui itaq; nunciis referendis præerant, Imperatori de virgine annunciant. Cumq; ille iuſſiſſet, ſtatim introducitur. Quæ cum ſtetiſſet coram impudenti Tyranno, cum ille adhuc vacaret ſacrificio, conſtanter & liberè ſic ei eſt locuta:

S. Catharina degit Alexandriæ.

Non fert idololatriæ flagitium.

IV. Oportebat quidem, ô Imperator, te ex teipſo tuam videre deceptionem, quod hominum, in quos cadit interitus, ſimulacris, tanquam diis, offers ſacrificia: & gentilem hanc ſtultitiam & dedecus abiicere. Quoniam autem ſiniſtro pārens dæmoni, ad adeo manifeſtam cæcutis veritatem, oporteret omnino ſapienti ſaltem, qui eſt apud vos, Diodoro credentem, cognoſcere quidnam ſint veſtri dii: & non tam inconſideratè, quæ non decent, velle facere: & non deos putare ſimulacra hominum, qui vitam miſerè finierunt. Ille enim dicit & deos fuiſſe homines, & propter aliqua beneficia nominatos fuiſſe immortales. Scribit autem ipſos quoq; habuiſſe proprias nominum appellationes, & imperaſſe quibuſdam regionibus & ciuitatibus. Dicit verò homines deceptos ignoratione, eos vocaſſe deos, & retuliſſe in numerum immortalium. Porro autem alius quoque ſapiens apud vos ex iis, qui conſcripſerunt hiſtorias, dixit illum Sarrum inueniſſe primum res gentilium. Eos enim, qui priſcis temporibus, aut fortitudinis, aut amicitiæ, aut alicuius alterius virtutis opus, dignum quod memoriæ mandetur, aut in quod ſtudium conferatur, oſtenderunt, dicitur honoraſſe ſtatuis ac ſimulacris. Qui autem maiorum mentem ignorarunt poſteri, quod eos ſolum memoriæ gratia, vt qui rem aliquam laudabilem fecerant, honoraſſent, eiſque imagines & ſtatuas poſuiſſent, ad homines interitui & omnino ſimilibus obnoxios affectionibus acceſſerunt: & vt eis fierent ſacrificia, honoreſque haberentur, & dies feſti celebrarentur, prouiderunt. Eos veſter quoque ſapiens Plutarchus Cheronæus arguit, dicens eos inducere errorem imaginum, quibus oportet te quoque credere, ô Imperator, Non enim alienis omnino, ſed tuis credes: & non tam multas animas inducere in extremum barathrum interitus. Pro quibus ipſe miſere lues pœnas, & æternum ſubibis ſupplicium, gehennam, inquam, ignis, quæ nunquam deſinit, ſed maiorem ſemper flammam accendit. His ergo perſuadearis, ô Imperator, & perſuaſus agnoſce verum Deum ſolum, qui dedit tibi hoc imperium, & præterea ipſam quoque vitam præbuit. Qui cum eſſet Deus æternus & immortalis, propter nos homo quoque factus eſt, crucemque & mortem elegit, nos faciens ſurgere à morte inobedientiæ, & vt ipſe ſcit, noſtram procurans ſalutem. Is & eorum, qui errant, eſt ſeruator, & eos quos pœnitet, benignè & clementer excipit.

Obſerua ſanctiſſimæ virginis dicēdi libertatem.

Oſtendit Ieſū Chriſtū verum eſſe Deum.

V. Ad hæc ira impletur † Maxentius, & cum feruens ſanguis ad cor eius modicum affluxiſſet, vox quoque ei fuit extincta, & nec potuit quidem omnino reſpondere. Cum autem ad ſe vix tandem rediiſſet, & quæ à Martyre dicta fuerant, vidiſſet eſſe validiora, quam vt contra ea dici poſſet, Nunc quidem, inquit, ô mulier, ſine peragere ſacrificium: paulo poſt autem de iis, quæ dicis, audiemus apertius. Peracto ergo ſacrificio, & feſto per hæc ſoluto, in regiam reuerſus, acceſſit beatam. Poſtquam autem ea adſtitit, Dic nobis, inquit, quænam es, aut quænam ſunt ea verba, quæ es nobis locuta? Illa autem, Neſcis, inquit, ô Imperator, quænam ego ſim? Sum filia Imperatoris, qui te præceſſit: vocor autem Æcaterina. Sum verò exercitata in omni diſciplina rhetoricæ & philoſophiæ, geometriæ & aliarum ſcientiarum. Sed illa omnia nihili ducens, veni vt deſponderer immortali ſponſo Chriſto, qui locutus eſt per Prophetam: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.

Furore inflāmatur Tyrannus.

† Maximinus.

S. Catharina coram illo ſiſtitur.

Eſai. 29.

VI. Cvm autem Imperator admiratus eſſet, quæ dicta fuerant, & in eam intentius defixiſſet oculos, & exiſtimaſſet eam non eſſe vnam ex iis, quæ natæ ſunt è terra: ſed ſe deorum aliquam videre viſionem, loquentem in habitu humano: cum ſic putaſſet, & eam perperam eſſet allocutus, beata ſermonem excipiens, dicit ei: Verè dixiſti, ô Imperator. Dæmones enim, quos deos nominas, reuera vos ſpectris decipiunt dæmoniacis, & vos prouocant ad libidinem & intemperantiam, & ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cuiuſmodicunque ſum, ſum puluis & lutum, effecta in hanc formam, & eius honorata imagine. Quamobrem hinc magis conuenit admirari ſapientiam opificis, quod in luto & in materia tam vili potuerit tantam extruere pulchritudinem. Quæ quidem ægrè ferens Imperator, Noli, inquit, diis maledicere, qui & ipſi ſunt immortales, & gloriam habent immortalem. Martyr autem: Inuenies, inquit, tu quoq;, ô Imperator, quidnam ſunt dii tui, ſi velis ſolum tuam abiicere parumper deceptionem: verum quoque Deum agnoſces, qui eſt æternus & immortalis: cuius vel ſolum nomen pronunciatum, vel crux etiam figurata in aëre, tuos deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipſa veritate apertam faciamus demonſtrationem.

Dii gentiū ſuos cultores ad libidinem prouocant.

Vis expreſſæ crucis.

VII. Cvm itaque Imperatori ſuſpecta fuiſſet libertas martyris, timeretque ne ſe vndiq; circumſiſteret, & implicaret demonſtrationibus, ipſe autem non poſſet reſpondere & reſiſtere, ſeq; & ſuos deos aperto dedecore afficeret, ipſe quidem nec eam tantum audire ſuſtinet, præ ſe ferens non decere, vt cum fœmina diſſereret: Ad te autem, inquit, à me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes & propoſitiones abundè confutabunt: vt cum tu quoq; abundè didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, adſpicias ad id quod eſt vtile, & noſtro pareas dogmati. Hæc dixit, & ſanctam quidem iubet ſeruari in cuſtodia: ipſe autem ſtatim emittit epiſtolam in hæc verba: Imperator † Maxentius omnibus, qui ſunt meæ ditionis ſalutem. Quicunque deorum ſapientiſſimi Mercurii curam geritis, inuocatis Muſis, quæ ſunt cauſæ cognitionis, venite ad nos vſq;, ſapientiſſimæ mulierculæ, quæ nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obſtructuri, ne magnos deos irrideat, neque fabulas eſſe putet, quæ ſub falſo teguntur probabili. Sic enim & patriam ſapientiam omnes admirabuntur, & nos veſtram dicendi facultatem & artē laudantes, & acceptam

S. Catharina ducitur in cuſtodiā.

† Maximinus.

habentes,vos magnis donis remunerabimus. Cum eæ ergo literæ breui per totum ſuum peruaſiſſent imperium, con-
50 Oratores veniunt Alexandriã. uenerunt ad ipſum electi numero quinquaginta oratores,qui erant acres ad inueniendum , & multum valebant in
dicendo. Quos cum prox mè ſiſtendos curâſſet † Maxentius,vt familiaritate eos magis acueret & incitaret : Quæ,
† Maximinus. inquit,à nobis ad vos miſſæ ſunt literæ,ſignificarunt cauſam veſtri huc aduentus. Vos ergo pulchrè voſipſos pareti
& inſtruatis. Neque quod ſit aduerſaria fœmina,ſegnius aut negligentius veniatis ad certamen: ſed tanquam contra
fortiſſimum aduerſarium,generoſo & excelſo animo,& cum omni apparatu in eam inſurgatis. Nam ſi viceritis qui-
dē,non videbimini multis partum erexiſſe trophæum. Sin autem,quod abſit, vos vinci contigerit, magnum dedecus
vobis conciliabitis,& ridebimini ab omnibus. Adſpicientes enim ad ſexum,quod ſit mulier,eam eſſe exiſtimant in
dicendo imbecillam,& eius eloquentiæ nullas eſſe vires arbitrantur,eamq; nih.l generoſum ac forte poſſe aut facere,
Platonis laus. aut dicere. Ego autem,vt qui eius accuratam habeam experientiam,opinor ab ea ſecundum futurum Platonem, qui
tulit primas partes ſapientiæ. Voſq; ſic velim eſſe paratos,perinde ac ſi aduerſus illum ipſum eſſetis decertaturi. Eſt e-
nim melius,magna expectantes inuenire minora,quam parua ſperantes,incidere in fortiora.

Ad hæc d xit vnus ex oratoribus,qui erat eximius inter omnes,qui erant cum ipſis: Conſentaneum eſt , ô Im- VIII.
perator,hæc ita ſe habere,& intelligentem eſſe mulierem,& acuti ingenii. Sed non videtur mihi fore,vt ſuſtineat ve-
nire in conſpectum oratoris,nedum vt cum eo ineat certamen diſputationis, & aut aliquid proponat , aut opponat.
Quid eſt enim mulier ad artem rhetoricam? Veniat tamen ſolum,te iubente,& videbis quæ deinceps conſequuntur.
† Maximinus. Cum ergo oratorem adeo tumidum vidiſſet † Maxentius,ad voluptatem & lætitiam ſtatim fuit conuerſus , ſperans
ſtultus linguam adeo intemperantem & audacem perſuaſuram linguæ moderatæ & plenæ ſapientia. Iubet ergo ante
ſe ſiſti martyrem. Collecta quoq; fuerat frequens multitudo,concurrens ad ſpectaculum certaminis , vt ſcirent,ex
Angelus cōfirmat S. Catharinam. vtra parte ſtaret victoria. Nondum peruenerant ad cuſtodiam ii,qui iuſſi fuerant eam adducere,cum Angelus Domi-
ni ei apparens , Noli timere , ait , Dei puella. Ecce enim præter tuam ſapientiam tibi dabitur à Deo ſapientia,
& perſuadebis quinquaginta oratoribus. Neque ſolum perſuadebis , ſed & ipſos, & multos alios , qui ſunt cum
eis , ad Deum adduces. Deinde tu quoque eris redimita corona martyrii. Hæc ille quidem cum d x.ſſet,
abiit. IX.

Ingreditur in diſputationē cum 50. oratoribus. Cum eam autem accepiſſent ii,qui miſſi fuerant,adducunt ad tribunal Imperatoris. Et ſtatim egregius ille o-
rator,quem prius diximus,torue intuens,& ſuperbè loquens: Tu es,inquit,quæ deos noſtros tam impudenter & a-
deo inſolenter iniuria afficis? Martyr autem valde leniter & placide reſpondit, Ego ſum: ſed non impudenter & in-
ſolenter,vt dixiſti,ſed moderatè potius & verè ſum locuta. Dixit vero orator: Cum magni poëtæ deos altos illos
nominent,quomodo tu in eos linguam moues,& tam inſolenter audes in eos inſultare? ſi,vt fertur,tu quoq; eorum
Pſal. 110. guſtaſti ſapientiam,& fuiſti particeps dulcedinis. Illa autem prudenter reſpondens: Habeo quidem,inquit,ſapientiã,
ſicut mei Dei donum,qui eſt ſapientia & vita, & quem timere & eius mandata ſeruare , eſt initium ſapientiæ ſ eſſe-
ctioris & maioris. Res autem veſtrorum deorum cum ſint ridiculæ , & plenæ multa deceptione , nondum vllam
pro meritis aſſecutæ ſunt vituperationem. Verumenimuerò dic nobis , quiſnam ex tuis magnis, vt dicis, poëtis,&
quomodo deos ipſos nominauit? Orator autem,Primum quidem,inquit,ſapiens poëta Homerus Iouem precans,ſic
dicit: Iupiter glorioſiſſime,maxime,& alii dii immortales. Deinde inſignis quoq; Orpheus in ſua Theogonia, ſic gra-
tias agens Deo Apollini, dicit: O Rex filius Latonis , eminus feriens, potens Phœbe. Qui omnia intueris,& im-
peras mortalibus & immortalibus S l,qui in altum pennis aureis extolleris. Atq; ſic quidem præſtantiſſimi & primi
ex poëtis,ipſos honorabant,& deos aperte vocabant. Neq; tu ergo decepta, Crucifixum attendas tanquam Deum,
quem nullus ex veteribus ſapiens inuenitur nominaſſe,neq; ſcite,an eſſet Deus.

Virgo reſpōdet oratori, & ſuo eum enſe iugulat. Martyr autem dicit. Res deorum fateor ita ſe habere: neq; contradixerim. Sed illa adiiciemus. Nam Ho- X.
merus quidem,quem dixiſti præſtantiſſimum poëtarum , ille ipſe rurſus maximum omnium deorum Iouem, innu-
merabilibus ſubiicit abſurditatibus,alicubi quidem mendacem & peruerſum,vafrumq; vocans & deceptorem: ali-
cubi autem à Iunone, Neptuno & Minerua præter rationem coniectum in vincula. Niſi enim à Thetide ei ſignifica-
tæ fuiſſent inſidiæ ,& Ægeum præfeciſſet cuſtodiæ ſuæ ſalutis,deorum & hominum pater fortè tibi iacuiſſet ſupinus,
vinctus,à mulieribus & Neptuno illuſus. Rurſus Orpheus muſicus,vos,qui eos colitis,magnæ amentiæ damnauit &
Sophocles vt irriſerit cultū deorū ſtuporis,& maxime in libro,quem,vt dicis, ſcripſit de ortu deorum & creatione mundi,ſic veſtram vanitatem ſignifi-
cans & ignorantiam,dicit: Neq; aduentans malum homines intelligunt,neq; cum aduenerit, malum poſſunt auer-
tere. Cui etiam adſtipulatur ſapiens veſter Sophocles,dicens: Eſt Deus,qui cælum fabricatus eſt & longam terram , &
ponti glaucos fluctus,& ventorum violentias. Mortales autem corde valde errantes,bellatorum ſtatuimus ſolatia , &
deorum imagines,ex lignis & lapidibus auro ſtructis figuras. His autem ſacrificantes,& dies feſtos nouos celebrantes,
propterea nos pios eſſe ducimus.

Quod autem Crucifixum ne ſolum quidem nomen dixiſti habere apud veteres, oportet quidem non eſſe nimis XI.
curioſum,neq; de eo humanas ſcrutari rationes;quod ſit Deus verus, opifex cæli,& terræ,& maris,& ſolis,& lunæ,&
Sibylla quid habeat de Chriſto. aſtrorum,& vniuerſi hominum generis,incomprehenſibilis,inſcrutabilis,interminatus, ineffabilis. Vt vero res eius
ex veſtris quoq; confirmem , (ſic enim fuerit omnino à ſuſpicione alienum teſtimonium) audi ſapientiſſimam inter
mulieres Sibyllam,generationem eius ſecundum carnem , & eius in nos prouidentiam & curam ineffabilem apertè
Ironia. ſignificantem. Si vis autem,ipſa quoq; verba audiemus: Vix tandem autem veniet quidam in hanc multifidam ter-
ram,& abſque lapſu fiet caro. Indefeſſis autem terminis diuinitatis ſoluet corruptionem affectionum immedicabi-
Apollinis de Chriſto ſententia lium. Et ei erit inuidia in incredulo populo,& in alto ſuſpendetur , tanquam reus mortis. Hæc autem omnia leniter
patietur. Vide quoq; vatem à mendacio alienum Apollinem,oblitum ſolitæ ſuæ obſcuritatis & obliquitatis , & nu-
dam,etiamſi nolit,edentem veritatem. Vnus,inquit,me cogit cæleſtis,qui eſt lux tripliciter refulgens. Qui vero paſ-
ſus eſt Deus,non paſſa eſt autem ipſa diuinitas. Ambo eſt enim,& mortali corpore,& alienus à corruptione. Ipſe iam
Deus eſt vir,omnia ferens in mortalibus,crucem,contumeliam,ſepulturam. Qui etiam ex ſuperciliis calidas aliquã-
do fudit lachrymas. Qui quinq; millia impleuit frumento. Velle enim eſt diuina potentia, Chriſtus eſt meus Deus,qui
in ligno fuit extenſus , qui mortuus,qui ex ſepultura in cælum eſt ſublatus.

Hæc refert Apollo deus tuus,etenim cum ſit,eſt expers principii,& coæternus cum Deo, qui genuit, princi- XII.
pium,radix & fons bonorum vniuerſorum: & cum quæcunq; ſunt,ex nihilo produxiſſet,eaque ornaret ac regeret, &
Geneſ. 3. Chriſtus cur factus homo. ſua manu contineret,noſtrum genus eſt fabricatus,& nobis multas vias muniit ad ſalutem. Cum eos autem vidiſſet
ſupplantatos tranſgreſſione,& amiſiſſe ipſum caput ſalutis, nempe obedientiam,ipſe rurſus facit id , quod eſt caput
ſalutis: & qui eſt eiuſdem naturæ,cuius pater,fit propter nos id, quod ego,& verſatur ſimul cum hominibus , & obit
terram, caſtigans,admonens , docens , omnia faciens & procurans. Deinde etiam ſubit mortem pro ingratis fa-
mulis, eamque ignominioſiſſimam , conſpuiturque & colaphis cæditur , & ſuſtinet creator omnia , quæ con-
demnati: & facta ſunt hæc omnia propter nos , vt ſolueretur prima condemnatio , & de medio tolleretur tyran-
nis diaboli , & cæli portæ nobis rurſus aperirentur , quas male nobis clauſimus. Et nec hucuſque quidem ſtetit:
ſed

ſed cum etiam tertio die ſurrexiſſet, & in cælos aſcendiſſet, vnde venit, ineffabilem ſancti Spiritus nobis donauit gratiam, & miſit diſcipulos, illius mandata prædicantes: qui ipſi quoque omne periculum ſubibant, & mortem quotidie ſuſtinebant, vt animæ mortem à nobis depellerent, & omnem errorem à nobis abducerent, & vniuerſum orbem terræ ad eum adducerent. Propterea oportet nos quoq; omnia peruadere, & eſſe participes eius perpeſſionum, complantatos ſimilitudini mortis eius, vt reſurrectionis & regni ſimus cum eo participes. Oportet ergo te quoq; his perſuaderi, & ipſum verum Deum agnoſcere & ei familiarem effici, qui dicit: Venite omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quod ſi non his, at iis ſaltem, quæ dicta ſunt à diis tuis & poëtis. Omnino enim tibi & ſapiens Plato, & muſicus Orpheus, qui ſua lyra, vt fertur, mouebat etiam inanimata: præterea autem egregius quoq; ille purus Apollo cum tibi vel inuiti confitentur, & veritatis aliquid ab eis eſt oſtenſum, vt omnis impiis tolleretur occaſio, etiamſi ipſi ſunt infatuati, & videntes non viderunt, & audientes non intellexerunt.

Apoſtolorũ & diſcipulorum Chriſti labores. *Rom. 6.* *Matth. 11.* Ironiâ.

XII. His obſtupuiſſe oratorem, & eius linguam plane obmutuiſſe cum vidiſſet Imperator, ad oratorium reliquum cœtum conuerſus, hortatus eſt, vt ipſi quoque aggrederentur martyrem. Illi autem ſtatim detrectant certamen, dicentes: Non poſſumus, ô Imperator, aliquid opponere contra ea, quæ dicit: & maxime, quod eum, qui eſt inter nos præſtantiſſimus, tam grauiter videmus ab ea ſuperatum. Tunc † Maxentius non potens ferre furorem, iubet ſtatim rogum accendi in media ciuitate, & in eum iniici quinquaginta oratores. Illi autem hac audita ſententia, procidunt ad illius beatæ pedes, & eam vehementer obſecrant & ſupplicant, vt ab illius Deo eis ignoſceretur, ſi quid ab eis peccatum ſit ignorantia: & vt diuino dignarentur baptiſmo & dono ſancti Spiritus, & quoad eius fieri poſſet, illi coniungerentur. Ad hæc Martyr diuina repleta lætitia: Eſtis, inquit, vere beati, quod relictis tenebris, ſecuti eſtis lucem veritatis: & relicto Rege, qui in terris interit, acceſſiſtis ad eum, qui eſt in cælis ab interitu alienus & immortalis. Ignis enim, quem impii illi vobis ſunt minati, erit quodammodo vobis baptiſma & ſcala ad cælum, ſi qua ſit macula, ſi quæ ſordes, eam expurgans, & tanquam lucidas quaſdam ſtellas, vos ad illum ipſum Regem ſurſum ducens, & efficiens iucundos & amabiles. Et ipſa quidem cum eis hac ſpe & ſermone animum addidiſſet, & vnicuique arma inexpugnabilia, nempe Chriſti ſignaculum, immiſiſſet, cum gratiarum actione & lætitia dimittit ad martyrium. Spem autem conſecutus eſt euentus, & cum eos accepiſſent milites, lætos quidem iaciunt in flammam ignis ſeptimodecimo menſis Nouembris. Veſperè autem quidam ex piis egreſſi ad colligendas reliquias, inueniunt eas ſanas & ſaluas, adeo vt nec pilus quidem earum à flamma omnino ſit conſumptus: hoc primum ſignum illorum cum Deo coniunctionis, præbente prouidentia.

Oratores ſuperantur. † *Maximinus.* Baptiſmus ſanguinis. Oratores 50. in igne illæſi reddũt animas.

XIV. Cum ergo, vt par erat, Deo egiſſent gratias, & inopinato miraculo multos attraxiſſent ad agnitionem veritatis, eas præclare & ſancte deponunt in quodam loco. Imperator autem † Maxentius totam cogitationem defigebat in Martyrem, & de illa erat perpetuo ſolicitus: vt eam lucraretur, vel ipſam curam imperii poſtponebat. Cum itaq; vi dicendi & diſputationibus deſperaſſet ſe eam poſſe inducere, eam blanditiis aggreditur illicere, & apud egregiam Martyrem verbis eſt vſus eiuſmodi: Crede mihi, pulchra filia, qui tibi conſulo, tanquam tibi bene volens pater. Magnis diis ſacrifica: maxime autem Muſarum præſidi Mercurio, à quo profecta eſt hæc tua magna cognitio, & qui te exornat tanta dicendi gratia: & meum tecum diuidam imperium: ſciant dii omnes: & mecum habitabis in regia. Illa vero, vt quæ eſſet magno & excelſo animo ad excipiendam amicorum dicendi libertatem, & rurſus acerrimi ingenii ad deprehendendam adulationem, etiamſi maxime contexeretur vafris & variis labyrinthis: Depone, inquit, ô Imperator, fictionem: neque referas & imiteris dolum vulpis. Ego enim ſemel dixi tibi, me eſſe Chriſtianam, & veni vt eſſem ſponſa Chriſti: & eum habeo ſolum ſponſum & conſiliarium, & ornamentum virginitatis, ſtolamq; martyrii longe præfero cuiuis purpuræ regiæ. Imperator autem adhuc præ ſe ferens, ſe eius curam gerere: Ne cogas me, inquit, vel inuitum hanc tuam præclaram purpuram iniuria afficere. Illa autem, Fac, inquit, quod velis. Nam per hanc, quæ eſt ad tempus & cito diſſoluitur, conciliabis mihi veram & immortalem gloriam: & magna quoq; alia, vt arbitror, multitudo: & maxime tui palatii, per me Chriſto credent, & ipſi quoq; me proſequentur, ad ſacros illius thalamos magnifice tranſeuntem.

† *Maximinus.* Tyrannus blanditur Martyri. Contemnitur ab ea.

XV. Hæc illa quidem dixit: Deus autem deſuper annuit, & deduxit ad effectum ea, quæ dicta fuerant. † Maxentius autem his valde iratus, iubet martyrem exui regali illa purpura, & boum neruis cædi crudeliſſime. Cum hoc autem factum eſſet, vt iuſſerat, & Martyris corpus vel niue candens crebrioribus flagris intolerabilibus duas horas valde cæditur: & cum venter ſimul verberaretur, lauabatur virginale quidem illius corpus ſanguine, & multis ex iis, qui aderant, aperte ciebat lachrymas: ipſa autem tam conſtanter & fortiter reſiſtebat intolerabili illi & vehementi vi Tyranni, vt propemodum videretur eius corpus eſſe lapideum, niſi eius naturam fluuij ſanguinis arguiſſent. Vix tandem autem fera illa immanis, caligans ad plagarum ſpectaculum, martyrem includit in cuſtodia, iubens vt ea tuto aſſeruaretur vſque ad diem duodecimum, vt conſideret, quomodo & quibuſnam generibus ſuppliciorum eam conſumat. Hæc quidem ita ſe habuerunt: Martyr vero coniecta in carcerem, rurſus reſeruabatur ſecundo tribunali.

† *Maximinus.* Sancta virgo neruis boũ diriſſimè cæditur. Fert patientiſſime. Truditur in carcerem.

XVI. Avgvsta autem vxor Imperatoris cum audiſſet de Martyre, & eſſet animo in eam bene affecta, deſiderabat videre eius faciem, & eam audire loquentem, de qua talia narrari audiuerat. Deſiderans autem, id minime aſſequebatur: & non aſſequi, quod deſiderabat, erat ei grauiſſima calamitas. Cum ad eum autem aliquando ingreſſus fuiſſet Porphyrio, (is vero erat Dux exercitus, & manu fortiſſimus, & in bello optimè exercitatus, & in eo primas partes obtinens) Cum ergo Imperatrix aliquando eum ſolum inueniſſet, tanquam ei arcanam aliquam narratura actionẽ, prius Porphyrionem adſtringit iureiurando, & fidem ab illo accipit, fore vt nullus ab eo reſciret arcanum. Deinde illa ei exponit ſuum deſiderium, & quemadmodum deſiderabat, inſcientibus omnibus, conuenire Martyrem. Cum beatam autem illam vocem audiuiſſet, reſpondet Porphyrio: Ego, inquit, ô domina, faciam tibi quod deſideras: eſto ſolum parata. Cum vero adeſſet veſpera, & Auguſtam accepiſſet Porphyrio cum ducentis militibus, pecunia corruptis cuſtodibus, cum ipſa ingreditur ad beatam. Auguſta autem cum vidiſſet illum optatum vultum martyris, admirata diuinam, quæ in ea florebat, gratiam, & ſplendidum qui illinc emittebatur, radium, procidit cito ad pedes eius, & ei effundit lachrymas lætitiæ, & hæc locuta eſt cum lachrymis: Nunc ego ſum reuera beata & Imperatrix, quod ſum tali dignata ſpectaculo, & video meum deſiderium conſecutum eſſe effectum, ego enim iamdiu tui magno tenebar deſiderio, vt tuo, inquam, fruerer adſpectu & ſermone, ô ſerua Dei: & vel ipſam animam libenter amittens cũ imperio, nunc ſum potita deſiderio. Si deinceps ergo vel mors acceſſerit, non me amplius dolore afficiet, vt quæ ſim aſſecuta id quod deſiderabam, & amori meo ſatisfecerim. Lætor ergo corde, & animo ſum optimè affecta, tam iucundum ſplendorem ex tuo vultu accipiens. Es itaq; beata & felix merito exiſtimanda, quod Chriſto adhæſeris, à quo tam multa dona & gratiæ tibi ſuppeditantur.

Imperatrix venit ad eã in carcerẽ.

XVII. Ad hæc dixit Martyr: Tu quoque es beata, ô Imperatrix, quod in Angelorum manibus video coronam tui capitis in altum elatam, qua poſt tertium diem per id, quod te manet, ſupplicium redimita, proficiſceris ad verum Regem, regnans perpetuo. Sed ſum timida, dicit beata Imperatrix, & timeo tormenta: maxime autem Imperatorem, quod ſit ſæuus & immanis, & inſultet hominibus. Martyr autem dicit ei: Sis bono animo: habebis enim Chriſtum in corde tuo habitantem; & te non attinget tormentum, hic enim parumper caſtigabitur tuum corpus,

Prædicit Imperatrici martyriũ eius.

& immortaliter illic rurſus quieſcet. Hæc cum ſancta diceret, excipiens Porphyrio: Rogo te, dic mihi, inquit, Quid mihi dabit Chriſtus, ſi in illum credam? ei enim ipſe quoque iam volo militare. Martyr autem: Nondum, inquit, legiſti aut audiuiſti ſcripturam Chriſtianorum? Nunquam, inquit Porphyrio, qui ab ineunte ætate ſemper fuerim in bello occupatus, & nunquam curam conuerti ad alia. Illa vero: Et quænam, inquit, lingua narrarit bona illa, quorum fiueris: Fieri enim non poteſt, vt complectatur oratio, quæ ab illa benigna dextera ſunt parata iis, qui ipſum diligunt. Propter hæc gaudio repletus Porphyrio, ipſe quoque credit Chriſto cum ducentis militibus: & cum Imperatrix & ipſi valedixiſſent martyri, & cauiſſent ſibi à cuſtodibus ſecreta futura ea, quæ ab ipſis facta fuerant, media nocte illinc egrediuntur. Chriſti autem martyr Aecaterina, habens Dominum patre magis beneuolum, magnam ab eo curam ſui eſt conſecuta. Totis enim illis duodecim diebus, in quibus eam habebat cuſtodia, per columbam alimentum accipiebat à ſuperis. Deinde ipſe quoque egregius Agonotheta Chriſtus cum iis, quæ circa ipſum erant, copiis & gloria ſua apparens, magis confirmauit eius fortitudinem, & impleuit audacia, dicens: Ne extimeſcas, ego enim ſum tecum: nec te attinget tormentum: ſed cum per tuam tolerantiam ad nomen meum multos adduxeris, multas quoque conſequeris remunerationes.

Porphyrio dux exercitus credit in Dominum, cum militibus 200.
Chriſtus Martyri apparet.

Cvm hæc vltima nocte ei Chriſtus mandaſſet, mane † Maxentius præſedit in tribunali, & beatam iuſſit adduci: & aſſiſtens Martyr cum gratiis ſpiritalibus, & dulci illa alacritate, adeo vt ii quoque, qui aderant, nitido ſplendore refulgerent, grauiter admodum terret Imperatorem. Ipſe autem ei dicit malitioſe & fallaciter: Te, inquit, decet imperium, ô filia. Age ergo, cum diis ſacrificaueris, impera nobiſcum. Neque velis, rogo, videre interire tormentis tantam pulchritudinem. Illa autem: Eſt, inquit, ſolum terra & cinis: & id tibi rurſus dico, ô Imperator: tempus vero facit eam efflorescere, & morbus tabefacit, vt quæ nihil firmum habeat, nec ſtabile. Interim autem dum Martyr hæc ei diceret, quidam Præfectus, nomine Churſaſadem, acris quidem ad iram, promptus autem & ingenioſus ad puniendum, cum hæc audiret, partim dolens vicem † Maxentii, partim autem ſuæ beneuolentiæ dans experientiam, cum ſe paruo tempore ſuſtinuiſſet, tanquam apud ſe meditans & inquirens, dixit: Ego tibi, ô Imperator, non parua cura adhibita, inueni, quomodo poſſis vel ei cito perſuadere, vel eam perdere. Modus autem eſt eiuſmodi: Iube ſub vna fibula fieri quatuor rotas, & vnicuique rotæ infigi ſerras & clauos acutos. Deinde machinam funibus & paruis rotis trahi ante eius oculos. Et ſi, cum eam quidem viderit ferri maximo impetu ac ſtrepitu, perſuaſa fuerit, & nobiſcum diis ſacrificauerit, conſequetur promiſſa: Sin minus, in rotas iniectæ miſerabiliter per vim ei erumpet anima. XVIII.

† Maximinus.
Siſtitur corā tyranno.
† Maximini.
Præfecti iniquiſſimum conſilium.

Atqve hæc quidem dixit Præfectus: cum autem eius ſermonem arripuiſſet Imperator, dat quidem Martyrem cuſtodiendam, & rurſus iubet machinam fieri in tertium diem. Cum hoc autem factum eſſet, Martyr rurſus adducitur: & Pare mihi, dicit ei Imperator, & diis ſacrifica: Sin minus ego te huic tormento ſubiiciam, iubens nouam illam machinam trahi ante eius oculos. Quæ quidem cum magno impetu & ſtrepitu moueretur, rurſus ei dicit Imperator: Vides? inquit, ea te, ſi non pareas, excipiet. Illa autem, Sæpe, inquit, meum animum tibi dixi, ô Imperator, & eum tibi aperui. Ne ergo cuncteris, ſed facias quæ tuo ſedent animo. Imperatorem autem ſpes quædam adhuc decipiebat, futurum forraſſe, vt perſuaderetur & mutaretur, & multis apud eam rurſus vſus eſt adulationibus. Cum autem cognouiſſet ſe fruſtra laborare, iubet quidem alligari rotis generoſam Martyrem, ipſas vero moueri celerrime, vt motus vehementia mortem ſubiret grauiorem, ſed iis, quæ meditabatur, contrarius diuinæ erat gratiæ euentus. Martyr enim ſimul omnino ſoluta fuit à ferro, & rotis, & illis vinculis, quod Angelus deſuper ad eam aduolaſſet: rotæ autem ſua ſponte volutatæ, interemerunt multos ex infidelibus, adeo vt exclamarent quidam ex circumſtantibus propter inopinatum, & quod erat contra opinionem, ſpectaculum, Magnus eſt Deus Chriſtianorum. Propter hæc magna ira fuit rurſus accenſus † Maxentius, & furore qui minime poterat cohiberi: & grauiora rurſus ſupplicia parabantur Martyri. Sed coniunx Auguſta repentè apparens ex cubiculo Imperatoris, & eum ad ſe attrahens, diſſoluit conſilium: immo vero ſuſtulit inſidias. Alicunde enim venit tanquam ſpiritus: Abſolue, dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum, tenera enim deſipis, decertans aduerſus Deum viuum. Quamobrem maiore ira feruens Imperator, maxime quod nec familiariſſimos haberet ſecum conſentientes, interim prætermiſſa Martyre, vniuerſum furorem immittit in coniugem. XIX.

Fruſtra & terret, & blāditur ei tyrannus.
Diuinitus liberatur admirabiliter à rotis.
† Maximinus.

Cvm ergo arcam maximam curaſſet afferendam, & plumbo eam humi affixiſſet, ita vt ſtabilis eſſet & immobilis: mamillas, proh dolor, ſuæ coniugis configit aculeo ſubiecto operculo tabulæ. Deinde iubet operculum deorſum ferri vehementius, & non prius ſiſti, quam ipſas mamillas omnino abſcidiſſet, diuturnitate ſupplicii grauiorem ſenſum ei doloris afferens. Cum hoc autem factum eſſet, vbi vidit illas miſerabiliter abſciſſas, immitis ille & vel ipſis feris immanior, veluti rem leuem arbitratus, quod ſpectat ad dolorem, infert adhuc grauiorem, & pronunciat ſententiam, vt eius caput amputetur gladio. Auguſta ergo, lubenter accepta ſententia, læta dixit Martyri, Ora pro me. Illa vero, Vade, inquit, in pace, in æternum enim regnabis cum Chriſto. Atque illi quidem iuſſu Imperatoris amputatur caput extra ciuitatem viceſimotertio Nouembris. Sed neque Dux exercitus Porphyrio & qui cum eo erant, hoc beatum iter deſeruerunt. Sed quomodo illic Auguſtæ duces fuerunt ad martyrem, ita etiam pie ſecuti ſunt eam abeuntem ad communem Dominum. Nam cum ipſi quoque ſe ſtitiſſent pro tribunali, Ego quoque ſum Chriſtianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoque, qui ſunt mecum, ſunt inſignis ad Deum adductus exercitus. Hoc non ſuſtinuit audire † Maxentius: ſed cum ex profundo corde eiulaſſet, Perii, inquit, cum perdiderim admirabilem virum Porphyrionem. Deinde etiam conuerſus ad ſuos milites: Vos autem, inquit, quanam de cauſa deos patrios habuiſtis contemptui? Cum illi vero nihil reſpondiſſent, Porphyrio: Cur dimiſſo, inquit, capite, ô Imperator, pedes interrogas? Eſt tibi mecum loquendum. Ille autem: Malum, inquit, caput, tu es eorum caput? & cum eum plura loqui non permiſiſſet pudor, eos quoque ſtatim morte condemnat, & ipſi quoque conſummantur viceſimo quarto Nouembris, effectumq; aſſecuta eſt prædictio, quam Martyr prædixerat Imperatori, cum dixit: Multi ex tuo palatio Deo per me credent. XX.

Tyrānus immaniter ſæuit in cōiugem ſuam.
Imperatrix decollatur.
† Maximinus.
Porphyrio cū 200 militibus interficitur.

Ille autem cum rurſus beatam ſiſtendam curaſſet Aecaterinam, & in eam omnem mouiſſet improbitatem, & nihil non eſſet machinatus, vbi nec promiſſis, nec minis eam omnino vidit poſſe expugnari, iubet ipſam quoque duci ad mortem. Cum ergo eam accipientes milites eduxiſſent è ciuitate, & duxiſſent ad locum martyrii, circunſiſtens magna multitudo, maxime autem mulierum, quæ erant claræ & inſignes, acerbe plangebant & lamentabantur, & lugebant vltimum illum deceſſum. Illa autem vultu conſtanti & nequaquam perterrito, petit tempus ad orationem. Quod ei concedunt milites. Illa vero cum & manus & animum ad cælos ſuſtuliſſet, dixit: Domine Ieſu Chriſte Deus meus, ago tibi gratias, quod ſtatuiſti ſupra petram pedes meos, & direxiſti greſſus meos, & nunc extende palmas, quæ pro me in cruce fuerunt ſauciatæ, & ſuſcipe animam, quam ſacrificaui pro te & tua confeſſione. Memento, Domine, quod ſumus caro & ſanguis & ne permittas, vt, quæ à me facta ſunt per ignorantiam, in apertum proferant acres rerum noſtrarum examinatores ante tuum terribile & incorruptū tribunal: ſed quem pro te effudi ſanguinem, eo meas maculas ablue. Da aūt, vt hoc meum corpus, quod pro te fuit conſciſſum, XXI.

Precàtio martyris ſub mortē.

non poſſit adſpici ab iis, qui quærunt: & qua prouidentia finxiſti corda noſtra, adſpice ex alto ſancto tuo Domine, ad hunc populum, qui te circumſiſtit, & deduc eos lumine tuæ agnitionis. Da autem iis quoque, qui per me inuocant ſanctum tuum nomen, petitiones quæ ſunt eis conducibiles, vt per omnia laudentur tua magnalia nunc & in ſecula. Cum ſic precata eſſet, iuſſit milites facere, quod fuerat imperatum. Vnus autem ex eis ſtricto gladio beatum eius caput amputat viceſimoquinto menſis Nouembris.

Caput ei amputatur.

PORRO autem hîc quoque facit Deus aliquod miraculum, honorans ſuam martyrem, & ad effectum deducens illius preces. Nam qui aderant, viderunt lac fluens pro ſanguine: & Angeli cum venerandum illius corpus compoſuiſſent, in ipſo tempore conſummationis, viſi ſunt deducere in montem Sina, ad gloriam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui ſunt vna diuinitas & regnum: Cui conuenit honor & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

Pro ſanguine manat lac. Transfertur in montem Sina ab Angelis.

AN. 1200.

DE VITA S. SYLVESTRI ABBATIS AVXIMATIS, ORDINIS QVI DE MONTE FANO, SEV SYLVESTRINORVM DICITVR, FVNDATORIS

libri tres, Auctore D. Andrea Iacobi Fabrianenſe, Monacho, olim Abbate Generali eiuſdem Ordinis à fundatore quarto, qui eadem, qua S. Syluester vixit ætate.

I. IN ea Italiæ parte, quâ non admodum longè lateque patet Picenus ager, & caſtigatorum leuiter collium amœnitate diues, & omni genere frugum vbertate lætus, Auximum non admodum faſtigiato in colle ſitum eſt, ad quinque millia paſſuum ab vrbe Laureta, beatiſſimæ Virginis domicilio toto orbe terrarū celeberrimo nobilitata, diſiunctum. Eius diuo ac fertilis ager, ad ſuperum vſque mare ſe porrigitur: Vrbs inter cæteras eius oræ oppida, & diuitiarum copia, & inſignium virorum fœcunditate nobilis. In ea inprimis clara eſt, multaque recenſet ſecula Guz[illegible] familia, cui non exiguum ornamentum attulit Chiſlerius, & rerum gerendarum ſcientia, & diuini humanique iuris prudentia ornatus; qui æquè præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium duxit. Porrò inter eos, quos ex ea ſuſcepit liberos, Syluester cenſetur is, quem religioſa noſtra familia, & ordo, parentem atque inſtitutorem agnoſcit. His ergo parentibus Syluester natus eſt anno ſalutis humanæ circiter MCLXXVII. Pôtifice Romano Alexandro III. Conſtat eum ab ipſa pueritia pios admodum hauſiſſe ſpiritus, & creſcēte ætate bonis tum moribus fuiſſe, tum literis imbutum; vt iam tum in ipſo eius ætatis flore cerneretur virilis quædam & robuſta maturitas. Mox vbi adoleuit Bononiam à patre miſſus vt iuris ſcientiæ operam daret; quibus ſtudiis vix deguſtatis, quod animum ab honeſtiſſimo rerum diuinarum, plus quam par eſſet, ad humana negotia abducere viderentur, diuinæ diſciplinæ cupiditate incenſus, emenſo Philoſophiæ curriculo, ad ſtudium ſacræ Theologiæ ſe cōtulit: quo tempore, cum ea eſſet ætate, quâ plerique mortalium per abrupta vitiorum feruntur, nihil ipſe de ſtudio pietatis vnquā remiſit; vt quidquid temporis à Theologiæ ſtudiis reliquum eſſet, id totum in religioſis piiſque exercitationibus collocaret. Hæc, & alia huiuſmodi accepta traduntur à Venerabili Benuenuto Auximanæ vrbis Epiſcopo, qui cum Syluestro Bononiæ familiariſſimè vixit, quemque in ſtudiis harum, quas diximus diſciplinarum, habuit condiſcipulum.

26. Nouem. Parentes. naſcitur 1177. Adoleſcentia. A iuris ſtudio ad Theologiam transfert.

II. THEOLOGIÆ ſtudiis diuino beneficio feliciter abſolutis, Syluester in patriam reuerſus, excipitur ea, qua par eſt animi voluntate, & ingenti bonorum omnium gratulatione. At pater ſimul atque cognouit, Syluestrum poſthabito iuris ciuilis ſtudio, Theologicas diſciplinas auidè arripuiſſe, enimuerò id ægerrimè tulit, atque ita exarſit, vt, quod ſic filio aditus ad honores claudi, vel impediri maximè viderentur per decennium ſua illum conſuetudine, colloquioque priuauit. Porrò Syluester, quod diuino quodam inſtinctu, ad ea ſe ſtudia impulſum eſſe intelligeret, patris indignationem iniuria conflatam forti animo tulit. Cumque increbeſcente fama pietatis atque doctrinæ ipſius, omnium ſibi animos exemplo vitæ, & honeſta quadam conſuetudine conciliaret, in Canonicorum cathedralis eccleſiæ numerum, ingenti omnium conſenſu ac lætitia cooptatus eſt: tum verò Sacris initiatus ad prædicandi contemplandique ſtudium animum appulit, ita interim, vt proximorum ſaluti, tum in priuatis collocutionibus, tum pro concione, cum ad populum verba faceret, quod faciebat identidem, ſed ulò proſpiceret.

Rediit in patriam. Fit Canonicus Auximanus.

III. PER idem tempus Epiſcopus quidam præerat Auximanæ Eccleſiæ; is minus rectè vitam ſuam inſtituens, non æquè oues exemplo, ac verbo paſcere conabatur. Hunc ſibi ex charitatis præcepto adeundum Syluester cenſuit, & ea quâ par eſt modeſtia, atque animi ſubmiſſione commonendum. Suadet igitur, vt videat etiam atque etiam, quo in diſcrimine verſetur, tum ſua ipſius ſalus, à qua multorum vita pendeat, tum quæ ad animarum auxilium plurimum facit boni nominis exiſtimatio; eius ſe miſereri, qui Chriſtianam pietatem ſacramento profeſſus, cæteriſque ad exemplum pietatis, virtutiſque propoſitus, ad eoſdem ſcopulos, à quibus alios arcere, tuerique debeat, adhæreſcat. Huiuſmodi ſermonibus crebro Epiſcopum commonefacere, atque arguere zelo charitatis incenſus Syluester non deſiſtebat. Ille verò ſalutaria monita, non vt amici munera, ſed vt hoſtis iacula ferientis excipere, indignabundus intueri hominem, documenta aſpernari: cumque Syluestri conciones præ ſuis populo probari ſentiret, inuidentia flagrans dare operam cœpit, vt per ſummam iniuriam, Canonicatus beneficio ſpoliaretur. Porro eius indignationem, & illatas contumelias æquo animo tulit Syluester, omneſque vires intendit, vt Epiſcopum, & à deprauata vitæ ratione reuocaret, & eiuſdem tamen exiſtimationem ac dignitatem tueretur.

Monet Epiſcopum vt vitam emendet. Epiſcopus indignè fert admonitionem, eumque perſequitur.

IV. IN hiſce, aliiſque ſanctis functionibus, Syluester ætatis flore conſumpto, vt iam tum præclara quædam emicarent ſanctæ, ac religioſæ mentis indicia, cum annum ageret circiter quinquageſimum, ab omni ſeculi vanitate, ad ſanctiorem vitam, certiuſque ſalutis iter, ſummo Dei beneficio traductus eſt. Eius verò ad Chriſti ſectanda veſtigia conſilij occaſio fuit eiuſmodi. Vir quidam eo tempore nobilis è vita diſceſſerat, huic funebri pompa, vt mos eſt, in ædem maximam, cuius Syluester cum cæteris Canonicis, cultui ac miniſterio præerat, elato, iuſta funebria ritè ſoluebantur: vbi ad ſepulchri parentis oſtium ventum eſt, ad illud (afflatu certè diuino) propius Syluester acceſſit, inſpicienſque curioſius, propinqui cuiuſdam ſui, paucis ante diebus mortui, cadauer agnouit, & tetro pædore obſitum, & horribili ſqualore confectum; cum is alioquin dum viueret, non viribus modo corporis, ſed venuſtate quoque oris, ac forma præſtaret. Enimuerò conſternatus illico, animo exhorruit, mox alta cogitatione defixus, ſecum ipſe reputare cœpit miſerabilem communemque humanæ vitæ conditionem, quæ ſæpiſſimè in ipſo etiam ætatis flore contabeſcit. Ergo ex ea cogitatione ingenti horrore perculſus, ea maximè verba vſurpaſſe dicitur. Ego ſum quod hic fuit, quod hic eſt, ipſe ero: peracto mox funere, compoſitoque cadauere, reuertenti in cellam Syluestro, noua quædam lux oborta eſt, qua & mortalium momenta rerum æqua lance penſaret, & ærumnas, ac miſerias, quibus * propoſita eſt hominum vita, deſpiceret: obuerſabatur item animo identidem præclara illa Domini noſtri de ſe ſequendo ſententia: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. quam vocem cum ad ſe pertinere præcipue cenſeret, ei obtemperare omnino apud ſe ſtatuit; incertus tamen adhuc erat, atque anceps, hancne viam, an illam ad ſectandum Chriſtum inſiſteret: & quidem iam dudum agitabat animo, ſtatim ac liceret, montem quendam, cui nomen Nigro, in ſolitudine vltra ſuperum mare ſepoſitum petere, ibiq; ſine interpellationibus Deo vni, & ſibi vacare. Verum cōſilij

Seculum deſerit. Occaſio mutandi vitam. * for. expoſita. Matth. 16. Diuinitus inſtruitur.

Recinetum vrbs eſt in agro Piceno, cœli clementia, & pulchritudine agrorum ſeceſſui aptiſſima, annuiſque nundinis celebris, intra cuius fines, quod præcipuum videri debet, Lauretanum Virginis domicilium Dei beneficio continetur. Hanc in vrbem cum iidem Legati veniſſent, in Virginum Deo dicatarum cœnobio pium quendam virum Philippum nomine offendunt: cui cum inter legendum de Sylueſtri virtute, religioſoq; inſtituto ſermonē inieciſſent, auctores fuēre, vt ad hominē inueſtigandū ipſe quoq; magno animi ardore properaret. Ergo ad Cryptā vbi vir Dei latebat, itineris functus laboribus peruenit Philippus: quem vbi Sylueſter aſpexit, nimirum diuinitus edoctus, proprio nomine conſalutat; obſtupuit ea nouitate Philippus: cum hominis ſe ſciret nuſquam antea ne de facie quidē notum; quare gratias omniū creatori maximas egit, atq; ab optimo cœleſtis diſciplinæ magiſtro inſtructus, cum apud eundem ſanctè pieq; vitam aliquandiu traduxiſſet, ad ſempiternam illam, ac beatam ſedem, primus tanti doctoris diſcipulus demigrauit.

Philippus primus eius ſocius fit.

IX. CVM rerum à Sylueſtro geſtarum fama permoti complures ad eius ductum atque inſtitutū aggregari cuperent, Sylueſter ad ædificandum cœnobiū animum appulit. Emicat nō longè à Fabiano, (oppidū id eſt in Piceno mercaturà nobile) faſtigiatus admodum mons, anguſtiis ſyluiſq; præcinctus, in eo rupes exciſæ, & pendentia in ſublime immania ſaxa terrorem aſpicientibus incutiunt; latebroſis deinde ſpecubus, dumetis, arbuſtiſque obſitus, locus inprimis horribilis, ad quem difficilis ex omni parte, vel prope nullus patebat acceſſus. Monti à Fano nomen inditū, caſu ne, an quod ibi antiquorum vana ſuperſtitio diis mendacibus fanum extruxerit, incertum mihi, certè indicia nonnulla extabant, dirutorum paſſim murorum reliquiæ, & lemurum, faunorumque multitudo earum loca incolentium, ingenteſque turbas, horrendum in modum, atq; veſana terriculamenta cientium (vt locus hiſce lemurum terroribus, faunorumq; ludibriis infeſtus omnes aditu ſuo prohiberet) hoc itaque in monte, eiecta crucis ſigno dæmonum multitudine, ſacellum B. Benedicti nomine, & primum noſtræ religionis cœnobium, ſuæ poſteritatis domicilium perpetuum conſecrauit. Complures ibi religioſis præceptionibus ex Benedictinorum viuendi ratione excoluit, quos familiaribus ſermonibus, ad demerendos animos aptiſſimis, & ſanctimoniæ ſimul, ac frugalitatis exemplo, è cœno ac luto vitiorum ad tutum virtutis iter, atque à perdita & flagitioſa vita, non modo ad ſobrietatem, ac temperantiam, ſed etiam ad contemptum rerum omnium humanarum, atque adeo ad ſalutaria Chriſti conſilia, intra ſepta illius cœnobij ſectanda conuertit, ex iiſque congregationem noſtram primum inſtituit anno M.CCXXXI. poſt Chriſtum natum: viros quoſcunque religionem poſcentes, quos futuros in ſuſcepto vitæ conſilio, conſtantes animaduerteret, ad ſuum inſtitutum admittebat, & diſciplina religioſa ſumma cura, & prudentia informabat.

Ædificat primū monaſterium ſui inſtituti.

Cruce fugat dæmones.

X. COENOBII viuendi ratio ferme erat huiuſmodi. Antiquiſſima inprimis erat omnibus monachis cœnobij diſciplina, & vitæ religioſæ ſtudium. quæ exterioris hominis ſunt, veſtis admodum vilis, & aſpera, ciborum magna ſimplicitas, non tam ad explendam, quàm ad leuandam famem accommodata; ſuam inopiam, ac voluntariam paupertatem corruptis eleemoſynis leniebant; mira in omnibus religioſæ taciturnitatis obſeruantia, crebras tum ad carnis macerationem, tum ad ſeculi expianda piacula, verberationes & ieiunia identidem vſurpabant, dies noctesque diuinis laudibus chorum perſonabant; mutua vigebant charitatis officia. Quæ interioris hominis ſunt, ſtatutum tempus ſacris lectionibus, ac precationibus tribuebant, eratq; vnuſquiſq; ſui contemptor egregius; neq; hæc ſui contemptio quicquam de bona cæterorum exiſtimatione detrahebat, & ad ſummæ demum Chriſtianæ perfectionis ſtudium incumbebant. Neque verò eorum virtus, & caritas intra illius cœnobij ſepta continebatur, ſed ad externos quoq; deriuabatur, ita vt inter ipſas ſuas ſolitudines, nemorumq; anfractus confluentiū mentes, nefaria dæmonis ſuggeſtione in fraudē vocatas, & carnis illecebra deceptas, à miſerabili errore, ſæuaq; tyrannide, ad veritatē, quæ Chriſtus eſt, & Euangelij libertatem ſermonibus, piiſq; colloquiis reuocarent. Porrò quæ ad cōmunem cœnobij ſpiritualis vitæ rationem attinent, fermè erant huiuſmodi, nullum in illis ad amorē mutuum conciliandum deſiderabatur officium, duce, ac moderatore Sylueſtro, quem omnes, vt parentem eundem, & vnicè diligebant, & valde venerabantur, quæ res tum ad animos vinculo caritatis deuinciendos, tum ad mentes in ſuſcepta prouincia ſtabiliendas plurimum valebat, conueniebant idētidem in vnū locū, & ſuauiſſimos de rebus diuinis, de obſeruantia diſciplinæ, de rerū omniū caducarum deſpiciētia ſermones iniiciebant & ſe mutuo ad ſolidarum virtutum ſtudium, tum ſui ſtatus, tum Dei beneficiorum recordatione, quaſi flabello quodam excitabant, & ob eam rem ſæpè de rebus ſpiritualibus in cōmuni conferebant, à precandi contemplandiq; ſtudio, ſacramentorū frequenti vſurpatione, à quibus quotidiana, vt ita dicā, animorū ſalus, vt à cibo corporis firmitas pendet, nulla ſe vnquā re patiebantur abduci. His igitur aliiſq; eiuſdē generis carnis muniebāt ſeſe intra illius cœnobij parietes, cōtra tentationes, & inſidias dæmonū, quibus eos de ſtatu mentis deturbare, & ab incepto dimouere conabantur.

Viuendi in monaſterio eius ratio.

XI. SYLVESTER ipſe omnium pater, omnes in officio, tum ſumma prudentia, tum eximia in omnes beneuolentia continebat: cœnobij inſtitutis ſuos inprimis informandos, imbuendoſq; curabat, & in omni genere virtutū, earū præſertim, quæ ad animi ſubmiſſionē, & rerū omniū, ſuiq; contemptionem ſpectant, exerceri cupiebat, paupertatis opes omnibus eſſe cariſſimas volebat; adeo pudicitiæ ſectator, mentis corporiſq; mūditiam adamauit, vt omnem à ſuis, vel fictam ſuſpicionem cauendam eſſe cenſeret. Si quis alicubi de recta via deflecteret, ipſis obſtabat initiis, ne tota aberraret via, facilitate primum, & manſuetudine agebat: ſi id minimè è ſententia cederet, in viam illum ſeueritate, atque auctoritate reuocabat. Si quem aliquando cerneret, aliquid de vſitato pietatis ardore remittere, adhibebat illico excitamenta, ne caritatis ignis penitus reſtingueretur. Porrò ne aliqua huiuſmodi rima, atq; labes in religionis ædificio extaret, qua deinde areſcente, ingentem ederet ruinam, diligentiſſimè cauebat. Vbi quis contrà nimio quodam feruore ſe abripi ſineret, illum ſuo ductu agi minimè patiebatur: quare ne laboribus alacritas ſpiritus & vigor opprimeretur, ſi quem immoderatius excurrentem vidiſſet, obedientiæ freno coërcebat, magnam deniq; in omnib. rebus moderationem & æquitatem adhibebat. Precandi, contemplandiq; ſtudium, & ipſe vehementer excoluit, vt diximus, & in ſuis cupiebat eſſe præcipuum, quo nimirum inprimis incaleſcit cor, & in Dei amorem exardeſcit. Atq; ex ardenti Sylueſtri in Deum caritate, egregia illa non modo in ſuos, ſed in omnes etiam homines beneuolentia redundabat: conciones quàm ſæpiſſimè habebat ad populum, in quibus vnam Dei gloriam, & animarum ſalutem ſpectabat, quibus innumerabiles penè commoti, ad ſanitatem mentis, & ad virtutis Chriſtianæ viam redibant: ægrotos tum ſuos, tum cæteros amiciſſimè inuiſebat. eorumq; afflictas mentes piis collocutionibus, inopiam emendicata ſtipe, vel de ſuo, ſeduloq; miniſterio recreabat, nullum fermè diem præterire ſinebat, quin aliquid in pauperes erogaret, nullum deniq; officium prætermittebat, quod ad proximorum auxilium pertinere videretur, iniurias ſibi illatas patienter, & benè ferens, peregrinos amiciſſimè excipiebat, humaniſſimeque tractabat: tanta conſtantia ſuſcepta Chriſti cauſa negotia ad finem vſque perducebat, vt à ſententia ſe, neq; blanditiis, neq; minis dimoueri vlla vnquam ratione pateretur: frons ſemper eadem tum in proſperis, tum in aduerſis: ita in rebus omnibus mentem æquam ſeruabat, vt nulla animi perturbatione, quæ à religioſa dignitate, diſſentiret, agitari poſſe videretur. Mira morum elegantia, & totius corporis conſtitutione, vultuſq; hilaritate, mirum eſt, quantum ſibi omnium animos conciliaret, atq; adeo ad Chriſti ſtipendia emerenda pertraheret.

Sylueſter vt ſuos gubernarit.

Ipſius viuendi ratio.

XII. CVM in dies parente, & cōditore Sylueſtro, auctore ac duce Deo, hæc noſtra religioſa familia latè incremēta caperet, vt plerūq; fit in rebus nouis, ſiue ab inuidis, atq; maleuolis, ſiue ab iis, qui cauere cupiunt Eccleſiæ trāquillitati, in ſuſpicionē vocari cœpta eſt, & partim cultus, ac noua viuēdi rō, nullis adhuc Pōtificiis diplomatib. decretiſq; cōfirmata, partim doctrina; ne qua forte ex ea hæreſis extaret, in crimē adduci, ita vt nō modo de nobis paſſim hoēs detrectarēt, ſed etiā nos bonis omnib. atq; adeo religioſo inſtituto ſpoliare conarētur. Verū ſtatim excitatus hic turbo cōſedit, & cōflata

Inſtitutum eius oppugnatur.

Syluester Romam rēdit, petens ſui inſtituti approbationem, quam obtinet ab Innocen. IV ann. 1248

tempeſtas facile ſedata eſt, ingenti procellam tranquillitate conſequente. Etenim huic Syluester malo obuiam eundum ratus, quod illæ præſertim criminationes, animarum procurationi impedimento eſſe viderentur, ad Vrbem ſe contulit, ac citius inſtituti formulam in capita dilucide redactam Pontifici Maximo (is erat Innocentius Quartus) ſuppliciter expendendam obtulit, auctoritateque Apoſtolica ſanciendam; quam ille vbi perlegit, non modo nostrum ordinem, ſancteque approbauit, atque amplexus eſt, verumetiam diplomate confirmatum, multis priuilegiis auxit anno Domini M.CCXLVIII ab instituto Ordine decimoſeptimo, qui fuit M.DCXXXI. Atque à baſilicæ Apoſtolorum Principis Archipresbytero, reliquiſque Canonicis ad excitandum in Vrbe cœnobium Syluestro attributa eſt domus & ædes Sancti Iacobi, trans Tyberim ſita, quæ à Septiniano nomen accepit, ibique piis hominum ſumptibus, atque eleemoſynis cœnobium extructum, ad opus perficiendum magna hominum frequentia confluente, conuehendis cœmentis atque lapidibus mira alacritate certantium, vt breui cœnobium ad faſtigium culmenque peruenerit.

Atque hæc habui, quæ cum de primorum noſtræ religionis hominum, tum verò potiſſimum de ipſius Syluestri quotidiana, vt ita dicam, vita, atque moribus ſcriberem, ſeu potius leuiter obumbrarem; deinceps ad ea, quæ à Syluestro diuinitus ſupra naturæ vires geſta ſunt, in ſecundo libro fideliter breuiterque recenſenda accedam.

Res miras à Syluestro geſtas hoc ferè toto libro complectemur, & multa quidem de eo mirabilia prædicantur, Lib. II
quæ viri ſanctimoniæ argumenta, & iudicia non obſcura eſſe cenſentur; licet enim non ex miraculis, ſed ex charitate potiſſimum in Deum, ceteriſque ſolidis Chriſtianiſque virtutibus ſpectanda ſit cuiuſque probitas, ea tamen quoniã ferè Deus per miniſtros ſuos, homines ingenti animi ſubmiſſione, & candore mentis ornatos edere ſolet, ſequatur inde neceſſe eſt, ea ferè eſſe ſummæ perfectionis indicia. Nonnulla igitur huic hiſtoriæ intexemus, quæ Syluestro diuinitus accidiſſe narrantur.

Dæmonis ſtudium cōtra nouos religioſos.

Non deſtitit auctor malorum dæmon, monachorum mentes lactantes adhuc, vt ita dicam, grauioribus prælijs, & occultis artibus ſollicitare, quibus ſæpe incautas mentes hominum ad præclara contendentium, ſi vel ſuis confidunt viribus, vel proprio ſenſu ducantur, facile in fraudem impellit: ſed irriti omnes eius conatus Deo annuente ceſſere. Hac ratione doli cuniculoſque oppugnandi poſthabita, vbi ſe nihil proficere intelligit, irruptione, & aperta vi graſſari conſtituit, tanto minus periculoſo certamine, quanto plus videtur habere terroris. Ergo nocte quadam, prima quietis hora, tanto ſtrepitu fores ianuæ concuſſit dæmon, vt non modo ianitor ipſe, ſed cuncti propè Monachi tam crebris, ac ſonoris ictibus excitati ſint, vehementique trepidatione commoti: Ianitor, cui nomen Proſpero, illicò ſurgens ad portam aduolat, & per feneſtellam cuncta rimatus, neminem cernit, compellanti reſpondet nemo; cedit in cubiculum, iterum ingeminantur ictus maiori quàm antea debacchatione, excitat tempeſtas illa vniuerſum cœnobium; ianuam cum quibuſdam aliis, repetit ianitor, conſpicatur circumquaque, ſed inſultor dæmon nuſquam apparet. Monachi ingenti tum admiratione, tum metu perculſi in cubicula ſe recipiunt. Tertio ad ludum redit dæmon, nimirum quos videbat ita ſtudio virtutis, ac religionis addictos, vt nulla inde caducorum honorum ſpe, aut voluptatum illecebris auelli poſſet, his inanibus terriculamentis, aſpectus facile perturbatum iri putabat, quaſi eſſet ſibi cum pueris decertandum. Ergo cum tertio maiori adhuc ſtrepitu quàm antea deſæuire cœpiſſet, confeſtim ad eam peſtem auertendam Monachi metu trepidantes, ad Syluestrum intentum precibus, nec reſignatum, tanquam ad ſacram anchoram, communi conſenſu confugiunt; totius rei ſeriem narrant, opem auxiliumque efflagitant: ille ſereno vultu tranquillitate mentis indicante, iubet homines bono eſſe animo, ſibi explorata eſſe dæmonis conſilia, eius terriculamenta nihili ducerent, & ſimul fratribus proſequentibus, ad ianuam profectus, imperterrito animo in dæmonem fertur inuectus: Erubeſce nequam & immunde ſpiritus, ſuperbiæ princeps & auctor, iam demum fractos intellige tuos conatus virtute Dominicæ necis. Ecce, qui te vſque ad ſidera extollebas, tandem intellige, te ſupremo iudicij die ſtultiſſimũ remanſurum; vehementer erras, cum telis quibus nos oppugnas, ipſe vincatis. Recede igitur impudentiſſime dæmon, & ad ſuppliciorum tuorum cumulum redire ne differas. Vix hæc Syluester, cum dæmon illicò vlulans, ac perſtrepens tanto impetu per montis abrupta ſeſe præcipitem dedit, vt totus ipſe mons ſuis conuulſus radicibus, ruinam minari videretur.

Strepitum excitat ingentem.

Syluester cũ pellit.

Emanabat è ſinuoſo flectentis ſe montis Fani cubito perennis fons gelidæ aquæ, quæ piſcinulæ cuiuſdam II.
ſpeciem referebat: hæ Syluestri deliciæ, cum vel feſſum laboribus animum recreare, vel ſitis famiſque moleſtiam ſimplici pane & aqua leuare vellet, vel denique cum ex conſideratione rerum harum creatarum, quæ adeo oblectant animum, in Dei, quod verum animæ oblectamentum eſt, cogitationem amoremque, dulciſſimè raperetur. Hic ſedentem aliquando & hordeaceo pane famem ſedantem, ac frigidæ ſitis ardorem temperantem, tres viri offendunt, qui conueniendi, viſendique hominis cauſa, è propinquo Fabriani oppido diſceſſerant, quorum vnus, dum hæc iam tum ſcriberentur, & ſuperſtes erat, & ſolitus id crebris vſurpare ſermonibus: hos ergo cum vidiſſet Syluester, lupum ſecum commorantem, ac ſuis diuinitus parentem imperiis tantiſper abire iuſſit, qui capite caudaque adblanditus abſceſſit, ex qua Syluester edixit, auiaque & nemora petiit, vt vel hinc intelligi queat, pietatem, ac ſanctimoniam, vel inter ipſas ferociſſimas beſtias, eſſe tutam, ex manſuetudine, atque lenitate non modo frangi debilitarique hominum iras, atque veſanos furores, ſed innatam etiam belluarum ferociam, diuina annuente clementia, mitigari. Ea profecto res non ſugit eorum hominum oculos: Et quæ tibi ſocietas, inquiunt, Pater cum huiuſmodi bellua, quæ omnibus eſſe infeſta ſolet, atque exoſa? Ille cuſtos, inquit, eſt meæ cellulæ fideliſſimus, & eam ab omni ferarum incurſu conſtantiſſime tuetur, ad me a eſt mandata, ita Deo placuit, exhaurienda parat ſſimus; quæ non iubetur, non audet, quæ iubetur, promptè exequitur. Illi rem tacite admirantes, diuinarumque collocutionum epulis refecti, domum præcipuo quodam pietatis ardore incenſi reuerterunt. Neque verò tantopere mirandum eſt, tam feram belluam Dei famulo ſubiectam, qui ſuam ipſe mentem atque animum Deo omni ex parte ſubieciſſet; vt quia Deum in ſe omnino, vt par eſt, dominari ſinebat, ipſe viciſſim in animantia rationis expertia, imperium primorum parentum contumacia amiſſum, recepiſſe videretur.

Nota auctoris ætatem.

Lupum habet ſibi obſequentem.

Et cuſtodē fidum cellę.

Ingens ſaxū crucis ſigno mobile efficit.

Excisvm non longè à cœnobio ſaxum, ac bene dolatum, altaris miniſterio conſecrandum, ab omnibus cœ- III.
nobij Monachis, adhibitis, etiam ad operam externis hominibus, ne loco quidem dimoueri poterat, ac ſi altiſſimas humi radices egiſſet, quippe apparebat pium illorum conatum mali dæmonis artibus eludi, quocirca, cum fruſtra ſe tanto ponderi obluctari cernerent, Syluestrum euocandum cenſent, quo accito, & ſalutari ab eo ſigno crucis adhibito, tam facile lapis ille conuehi cœptus eſt, vt omnes aridum lignum, non molem illum ingentem vectare viderentur, vt exinde apparuerit illuſorem dæmonem deluſum receſſiſſe.

Dæmon illum è gradibus montis deiicit.

Ibat de more Syluester ſub noctem intempeſtam ad vſitatum in Oratorio pſallendi precandique penſum ritè IV.
Deo cum fratribus perſoluendum, cumque inter eundum deſcendere cœpiſſet quoſdam ſcalarum gradus, ſupplantante dæmone, præceps per illas ſcalas datus eſt, ingenti impetu, totiſque ponderibus deuolutus. Luna minimè pernox erat; cœlum ingenti tempeſtate, & aquarum alluuione deſæuiebat; venti inter ſe aduerſi certabant; omnino nox opaca, & horribilis, vt ad viri patientiam Chriſto permittente tentandam; dæmones, cœlum, elementa conſpiraſſe viderentur. Syluester verò afflictus, & conſauciatus ita iacebat humi, vt & propter lubricum ſolum, & debilitatum corpuſculum, conatus ſæpius exurgere, illico cum maiori dolore recideret, vt ne reptando quidem ingredi poſſet. Ergo

fratrum

fratrum auxilium in Choro pſallentium ſæpius implorat, ſed præ concinentium ſtrepitu, præque horriſono imbrium, ventorumque fragore, exaudiebat nemo. Semiuiuus igitur miſerandum in modum iacuerat aliquandiu ſuper frigidã, & luculentam humum, & pluuiæ ventorumque tempeſtate penè obrutus, magnam tamen animi tranquillitatem cõſtantiſſimè retinebat: recrudeſcentibus autẽ propter frigus & nocturnum aërem vulneribus, dubium non erat, quin eſſet in ea calamitate animam efflaturus, niſi ipſe opportunè ad implorandam B. Virginis opem confugiſſet, quam precabatur ſanctiſſimam atque clementiſſimam Dei matrem, vt ne ſe tam ſubito filiis, quos Chriſto genuerat, abſentibus, ex hac vita migrare pateretur: neque enim mortem horrebat, quam ſemper æſtuanti animo peroptarat, cum ſperaret mortis huius beneficio ſe vitam conſecuturum ſempiternam; ſuorum tamen cauſa tantiſper differri: nam etſi dudum ipſe diſſolui cuperet, & eſſe cum Chriſto, atq; adeò ad cœleſtem gratiam tota ſemper mente atque animo ferretur, tunc tamen ſuo poſthabito bono, proximorum vtilitati, & commodis conſulendum eſſe cenſebat: Affuit precanti clementiſſima Virgo, auguſtiſſimo aſpectu, & beatiſſimo lumine fulgens, ac ſe palam incredibili benignitate ſpectandam dedit, eumque non modo incolumem reddidit, vt ſolæ ad omne teſtandum relinquerentur vulnerum cicatrices, verumetiam, ne ſentientem quidem in cellam temporis momento reſtituit, atque extemplo diſceſſit in cœlum. Enim verò obſtupuit Syluester, & B. Virginis benignitatem expertus, in eiuſdem patrocinium, recenti præſertim illius in ſe beneficio, atque miſericordia inuitatus, clientelamque confugit, & arctiori quàm antea, amoris vinculo eidem Virgini ſanctiſſimæ ſeſe obſtrinxit. Hoc etiam idem ſtudium, eandemque pietatem in ſuis cupiebat eſſe præcipuam. Interim fratres mirati nocturnæ pſalmodiæ non adfuiſſe de more Syluestrum, morbum forte ſuſpicati, frequentes ad cubiculum die illuceſcente conueniunt, faciem adhuc ſanguine liuoribusque inſignitam aſpiciunt, cauſam quærunt. Is primùm modeſtè diſſimulans, quaſi ſuis ipſius peccatis accidiſſet, rem tamen omnem poſt aliquot dies multis fratribus enunciauit, quorum nonnulli, cum hæc primum ſunt mandata literis ſuperſtites erant.

Inuocat B. Virginem.

B. Virgo ipſi apparet, eumque in cella ſubito reſtituit.

Ætas auctoris.

V. Non ita multo poſt, adoleſcens quidam, cui nomen Seruulo Fabrianenſis inſtitutum noſtrum ſequi vehementer optabat, id tamen impetrari à ſe non prius paſſus eſt Syluester, quàm adoleſcentis conſtantiam diligenter exploraret, quem tandem, cum ſe is ad moleſtiſſima quæque perferenda paratum eſſe confirmaret, hilariter excipit, & fratrum numero adſcribit. Huius porrò in ordinem ingreſſum ſequutæ, vt ſæpe fit, parentum atque propinquorum querimoniæ, ac turbæ excitatæ complures. Ij enim, quippe qui carnales adhuc, ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, percipere non poſſent, rei nouitate permoti armata manu confeſtim ad cœnobium veniunt, ibi cum planius rem totam cognouiſſent, plangore primum ac eiulatu omnia compleuerunt, ſed fruſtra adhibiti conatus (omnem enim difficultatem vicit ingenuus animus, & pertinax in adoleſcente conſtantia, & quem non auſteritas vitæ, non veſtis aſpera & vilis, non monaſtica diſciplina ab inſtituto deterruit, hunc neque parentum blandimenta, neque propinquorum fratrumque terriculamenta ab incepto curſu non modo non retardarunt; verumetiam quaſi calcaribus additis currentem incitarunt: magnanimi eſt enim in arduis rebus capeſſendis, neutiquam ſinere à ſemel inſtituto curſu ſe abripi, quin potius contra maiores fluctuum impetus ſumma audacia opponere ſeſe, eoſque perfringere atque deuincere.) Hic verò à conſanguineis quidam furore percitus, male preſſum acerbitatis ſuæ virus euomuit: etenim per ſummam audaciam, atq; impudentiam in medio cœtu, & colaphum Sylueſtro palam impegit, & adoleſcentem violentus abſtraxit. Porro Syluester contumeliam tanta animi moderatione, & æquitate pertulit, vt Euangelici memor conſilij, illico maxillam alteram percuſſui cædendam exhibuerit, & non modo verbum acerbius non protulerit, ſed ne minimum quidem ſignũ irritati animi, vel turbatæ mentis oſtenderit: inſigne ſanè manſuetudinis, ac patientiæ documentum, & certiſſimum ſolidæ perfectionis indicium. Verum enimuerò Deus iuſtus iniuriarum, quibus præſertim ſui afficiuntur, vltor, ac vindex, non eſt paſſus tantam temeritatem impunitam, vbi enim ille tam tetro ſe ſacrilegio polluit, turpiſſima repente lepra corripitur, nec prius, adhibitis fruſtra medicamentis, curari potuit, quàm per pœnitentiam reſipiſceret, & ad Sylueſtri pedes prouolutus, veniam commiſſi facinoris gemens & lachrymabũdus expoſceret: orabat ſupplex collo zona proiecta, ne Syluester ſe pœnitentem abiiceret, agnoſcere culpam, & fateri iure ſe illo morbo vexari, curationem verò non niſi à Deo per Sylueſtrum ſperare, non magis ad ignoſcendum, quàm ad hoſtes beneficiis etiam cumulandos paratum, Ergo mœrentem iacentemque Syluester benigniſſimè ſubleuat, piiſque verbis conſolatur, non minori quàm antea manſuetudinis documento; mox fuſis ad Deum precibus, ægro ſalutari crucis ſigno impreſſo, bene precatur. Senſit is continuò diuinam ſibi adeſſe virtutem, & retentis in facie fugari morbi veſtigiis, priſtinæ incolumitati, Dei beneficio, & ſancti viri meritis reſtitutus eſt.

Parentes & amici ob admiſſum nouitium tumultuantur

1. Corin. 2.

Quorum vnus Sylueſtrum percutit.

Matth. 5.

Percuſſor lepra percutitur, & à Sylueſtro ſanatur.

VI. Philippus quidam de Varano vir noſtræ religionis, & Patris noſtri Sylueſtri aliquandiu comes, in grauem difficilemque morbum inciderat, ita vt contractis genibus, omni prorſus officio pedum deſtitueretur, & medicamentum nullum, nulla fomenta prodeſſent: commorabatur is tunc in cœnobio S. Petri de Monte, intra fines Auximanæ diœceſeos; eò Syluester ſe contulit, quo viſo debilis mirificè recreari cœpit, & mox Syluester ad precandi numinis remedia confugit, tum adhibet ad contracta genua ſalutare Crucis inſigne. Res mira, ex tempore ægri genua fragore quodam edito conſtrepunt, diriguntur, firmantur. Philippus igitur doloribus planè liber ac morbo conſtitit, Deo gratias maximas egit, & beneficij memor, Sylueſtrum præcipua obſeruantia perpetuo coluit.

Contractũ ſanat.

VII. Gualdum (oppido id nomen eſt in Vmbria) iter aliquando cum faceret, exceptus eſt nocte perhumaniter ab eius oppidi incolis, qui alioquin Sylueſtrum plurimum obſeruabant, mane verò vt illuxit, iter inſtitutum cum comitibus arripit, cum ecce tibi mulier oppido egreſſa, tanquam altera Chananæa inclamat, & inquit, Serue Dei præſtolare me: cum ille ſubſtitiſſet, accurrit fœmina cum filio, cuius facies morbo quodam inſanabili exedebatur, ac gemebunda Sylueſtrum orat atque obſecrat, niſi opem ferat, filium omni ſpe ſalutis deſtitutum. At ille, Væ tu, inquit, mulier falleris, Apoſtolorum iſta ſunt opera, non mea; his verbis incenſa potius, & audacior effecta mulier inſtare vehementius, vrgere, efflagitare, maternum animum, miſericordiam, charitatemque obiicere. Quare Syluester, qua erat lenitate, & charitate, precibus ſe vinci paſſus eſt, ne illam ſua fide, maiori Deum laude fraudare quodammodo videretur: Itaque ſalutis noſtræ ſigno ſuper ſemiuiui pueri faciem deſignato, huiuſmodi verbis diuinam clementiam implorauit: Omnipotens Deus, ne reſpicias ad peccata mea, ſed ad huius fœminæ fidem, & in eius filium affluentes tuæ bonitatis fontes aperias, vt graui hoc morbo fugato, tua in ſanato puero virtus potentiſſima cognoſcatur; cumque ipſius comites ad hæc verba reſpondiſſent, Amen, illico diuina virtus, tum ſalutare ſignum, tum B. Viri precationem ſubſecuta, puerum incolumitati reſtituit.

Puerum ab incurabili morbo liberat.

VIII. Primaria quędam fœmina ciuis Fabrianenſis, acerbiſſimo capitis dolore diu laborauerat, & adhibitis fruſtra remediis, omnem ſpem prorſus recuperandæ valetudinis abiecisset, niſi illi radius diuinæ gratiæ per Sylueſtrum affulſiſſet; illa enim cogitatio eius animum ſubiit, fore, vt ſi vel capillum capitis, vel barbæ pilos aliquot viri ſanctiſſimi capiti ſuo applicare poſſet, grauiſſimo illo dolore liberaretur: cumque id palam tentare non auderet, clam accerſitum tonſorem, qui capillum Dei viro tondere conſueſſet, rogat, vt ad ſe nonnullos ex illius barbæ pilis primo quoq; tempore, nemine prorſus, ne ipſo quidem Sylueſtro conſcio tranſmittat: tonſor Correſunus nomine, tantam fœminæ fidem & pietatem demiratus, facile precibus permouetur. Vbi primum fuit illi Sylueſtri barba tondenda, clam pilos aliquot ad fœminam tranſmittit; illa ſpei iam, & gaudij plena, ſuſceptos magna cum veneratione pilos, capiti ſuo malè

Pilis barbæ eius mulier liberatur à dolore capitis.

affecto

affecto admonet. Res mira, vix pili caput attigerunt, cum repente dolor omnis abſceſſit, vt neſcias, quid magis mire-
ris, fidem fœminæ, an Syluestri virtutem.

Incendium pane a ſe benedicto extinguit.

HAVD ita multo poſt, cum Fabriani verſaretur, per imprudentiam ancillæ cuiuſdam factum, vt ſub multam IX.
noctem in ædibus filiorum Rainaldi Rigubij viri primarij ignem plurima materia (ſarcinæ erant prope ſexcentæ) con-
ciperet, qui primùm paulatim ſerpens alimenta largius ſumebat, impellente præſertim vento vehementiori, deinde
verò tantum dare cœpit incendium, vt flamma altiſſimæ turris eiuſdem domus faſtigia exæquaret, & oppido vniuerſo
vaſtitatem minitari videretur; conclamatum illico eſt de more ad ignem ære campano, lamentationibus, vociſera-
tionibus, edictis; quod communis propemodum res ageretur, & omnium ſalus, & fortunæ in diſcrimen adduceren-
tur: maximi illò concurſus facti, fruſtra adhibiti omnes conatus, cum Sylueſter rumore ac ſtrepitu excitus, ac ſuſpica-
tus id quod erat, miſericordia commotus illicò prodit: ecce autem obuium habuit nuncium à Bertoldo, Corradoque
Rainaldi filiis, Sylueſtrique amicis, qui Sylueſtro rem ex ordine nunciaret, opem etiam atque etiam peteret, nec prius
rediret quin exoraret; in eo poſitam eſſe ſpem, non modo ſuam ipſorum, ſed oppidi totius: his precibus magis incen-
ſus Sylueſter, eo ſtatim ſe contulit, ac benedictum à ſe panem, quem ab eis acceperat, in flammam aduerſam, ea lege, &
conditione Dei nomine coniecit, ne quid amplius præter panem illum liceret abſumere, & in ſe ipſe deficeret: paruit
ignis, & in exiguos redactus cineres nihil præter coniectum panem abſumpſit, reliqua enim vt Sylueſter iuſſerat, inta-
cta reliquit.

Aliud incendium ſigno S. Crucis extinguit.

NON abſimile huic eſt illud, quod eidem Sylueſtro contigit in cœnobio non procul ab oppido (Serra Sancti X.
Quirici appellatur): commoranti, vbi Sylueſter templum Deo, beatoque Bartholomæo dedicarat; conceptus ignis, cō-
ſpirantibus ventis, toto propè oppido graſſabatur, cunctaſq; ferè ædes inuadebat impune: ſtrepitu igitur, ac tumultu
excitatus Sylueſter accurrit, & rei nouitate miſerabilique ſpectaculo permotus, precatus tacitè eſt Deum, ne ſua illos
ope deſtitutos eſſe vellet; cumque ita aliquandiu conſtitit, igni ſignum crucis oppoſuit: ille ac ſi fluuius ingens in eum
irrumperet, retro agi primum cœpit, mox etiam penitus euanuit, nulla poſt illam crucem in aëre à Sylueſtro deſcri-
ptam, ne minima quidem re, vti diligenti cura eſt animaduerſum, vlla ex parte læſa. Creuit mirum in modum hoc Dei
beneficio erga Sylueſtrum oppidanorum ſtudium, amor, obſeruantia, vt eius deinde laudum egregij præcones exti-
terint.

NON minoris faciebat Sylueſter ſi homines è cœno vitiorum ereptos, in tuto collocaret, & animarum ægritu- XI.
dines morboſque curaret, atque diuina ope ab omni labe peccati detergeret, quam ſi claudis greſſum, ægrotis valetu-
dinem, lucem cæcis reſtitueret. Ita tamen vt dum præcipuè ſtudium curandorum animorum coleret, morem interim
in patrandis miraculis, ſanandiſque corporibus, vbi & amor erga proximos, & maior Dei gloria poſtularet, non omit-
teret. Non ita multo poſt quam Serram ſancti Quirici, oppidum, vt ſupra docuimus, ab incendio diuinitus vindicaſ-
ſet, frequentes in eodem oppido conciones habebat, animoſque ad omnem pietatem inflammabat. Intererat aliquā-

Claudum ſanat.

do cōcioni Claudus quidam, ita pedum miniſterio, vel ab ipſo vtero deſtitutus, vt genibus ac manibus reptare cogere-
tur; hic perſuaderi ſibi à quibuſdam facile paſſus eſt, vt cum ſpe certa ſalutis recuperandæ ad Sylueſtrum propius con-
cionantem accederet, ad quem vbi perueniſſet, quo is nitebatur, baculum ſumma fide prehendit manu; quod vbi a-
nimaduertiſſet Sylueſter, oculiſque inter concionandum in claudum defixis, mox ad propitiandum numen, defixo in
Deum mentis obtutu, bis claudo dixiſſe fertur: Surge fili, ſurge fili: ille confeſtim corroboratis cruribus in medio cō-
ſtitit. Magna eſt conſecuta gratulatio, omniaque gratiarum actione perſonabant, cum pateret vera eſſe, quæ Sylueſter
doceret, quippe quæ à Deo prodigiis comprobarentur.

De eius humilitate.

MIRÆ fuit ſolertiæ, atque vigilantiæ in excitandis ad pietatem mortalium animis, & à dæmonis tyrannide ad XII.
ſuaue Chriſti Domini iugum traducendis, ita tamen proximorum ſalutem necabat, vt ſuæ interim, & ſalutis, & ſtudij
perfectionis non obliuiſceretur; animi ſubmiſſionem adamabat inprimis, ac de ſe ſuiſque rebus adeo humiliter, ac
demiſſe ſentiebat, vt cæteris omnibus de pietate ac virtute concederet; honores multos, & ſæpe oblatos vltro reſpuit
magna animi conſtantia; lectitabat identidem ſumma cum auiditate ſacros vtriuſque Teſtamenti libros, ac tanquam

Nota quō Scripturæ difficiliorū locorum ſenſum quæreret.

ex amœniſſimis hortis flores varios decerpebat: ſicubi locus obſcurior, & ad explicandum difficilior, occurreret, ad
eas tenebras fugandas, eliciendumque ſenſum verum ac tutum, vel ad pias preces lachrymaſque, vel interdum etiam
ad ſimplicem aliquem è ſuis Monachis, eundemque humilem, & contemplationi precationique deditum, ſumma a-
nimi demiſſione confugiebat; etenim exiſtimabat non minus cognitionis rerum diuinarum, homines imperitos ac
rudes, dummodo in ea inſcitia, candida quædam ſimplicitas, & ardens in Deum caritas eluceret, quam ſapientes ipſos
aſſiduo ſtudio, & acumine ingeniorum, omnes conſequi poſſe. Factum eſt aliquando, vt cum de more Ieremiam Pro-
phetam attentius legeret, in quendam locum difficilem incideret, cumque diu ſecum ipſe fruſtra meditatus eſſet, ad
precandum Deum confugit, in eaque precatione plures dies conſtantiſſimè perſtitit, verum tamen ſenſum vllum ex-
piſcari non potuit. Degebat per idem tempus in cœnobio Altæ rupis, vt dicitur (is vicus eſt qui à monte Fano, in quo

De Simone indocto, ſed magnæ virtutis monacho.

primum cœnobium à Sylueſtro excitatum diximus, triginta circiter paſſuum millibus diſtat) Simon quidam, Sylueſtri
in ſtudio perfectionis diſcipulus, miræ vir innocentiæ ac ſimplicitatis, & licet alioqui rudis, ac literarum penitus igna-
rus, ſumma tamen tum pondere orationis, tum morum elegantia, apud omnes auctoritate: hunc ſibi Sylueſter humi-
lis magiſtrum deligendum, & conſulendum putauit. Ergo arrepta inter loquendum occaſione, eum blandè alloqui-
tur, ac ſumma animi ſubmiſſione Dei nomine atteſtatus, vt quid de ſenſu loci illius ſentiret, exponeret, facturum ſe
exiſtimaret rem gratam ſibi, & Deo. Ille demiratus viri humilitatem, inſcitiam ſuam cœpit obiicere, munus illud eſſe
literatorum & ſapientum hominum, in quorum numero eſſet etiam ipſe Sylueſter; quod ſi ſui periculum ea ratione
faceret, ſe gratias ingentes agere. Sylueſter contra inſtare vehementius, non tamen ſe hominis virtutem, ſed illi loco
lucem expoſcere. Simon tanta animi ſubmiſſione ſuperatus, exorari ſe paſſus eſt, ne quod inobedientiæ fortè crimen
incurreret, pariterque in cœlum oculis menteque defixis; atque diuino implorato auxilio, diuina ſubito oborta luce,
omnes, quod ad ſententiam illam ſpectabat, tenebras à Sylueſtri mente diſcuſſit, qui mirificè recreatus, ad cœnobiū
montis Fani reuertitur. & ſui contemptor egregius, & æquiſſimus fraternæ virtutis æſtimator, cui non tam ingenij ſub-
tilitas, quàm merita humilitatis, ſacrarum literarum ſenſa abdita ita patefecit, vt neſcias hac in re cuius magis humi'i-
tatem mireris, huius ne qui ſciſcitando, an illius qui eam ſubterfugiendo præ ſe tulit. Porrò Simon hic, quem dixi, &
prophetiæ dono admirabili, vt in præſenſione mortis cuiuſdam fœminæ, & miraculis etiam poſt mortem enituit: ma-
gna item fuit, vt ſupra diximus, vitæ ſanctimonia, & morum ſimplicitate conſpicuus. Nam ex conſideratione inter-
dum vel minuti floſculi, in Dei amorem, & contemplationem ſuauiſſime ferebatur. Ceraſus arbor floribus veſtita
prætereunti aliquando Simoni, intuentique, & in Deum ex intuitu illorum florum pulchritudine rapto, ſe venera-
bunda quodammodo, ac ſuis diffuſa ramis, multis inſpectantibus, ad terram vſque demiſit.

Sylueſter dono prophetiæ claruit.

AC ne prophetiæ quidem inſigni dono videtur caruiſſe Sylueſter, ſiquidem ea tempeſtate nobiles viri duo eam XIII.
Piceni regionem, quam fluuius Aeſis præterfluit, latrociniis & rapinis infeſtam reddebant: ſi quod periculum adeſſet,
ſe in muniriſſimum quoddam caſtrum recipiebant, quod exædificatum erat inter Rubeæ ſaxa (nomen eſt fluuij) quà
Aſium itur, Vrbem olim totius Piceni caput: illac aliquando cum Sylueſter iter faceret, vt cœnobium quoddam viſe-
ret, de

ret, de Inſula Iſaac vocitatum, infames hoſce latrones inſigni crudelitate nobilitatos, obuios habuit; ac de more ad eas lucrandas animas omnes vires intendere, atque huiuſmodi fermè oratione cœpit homines admonere: Cur ô miſeri ſinitis tanta vos crudelitate conſtringi? cur Dei iudicium non pertimeſcitis quod vobis impendet? Deſinite agere peruerſa; diſcite rectè agere, reſipiſcite tandem, & ad Deum celeri veraque pœnitentia reuertimini; alioqui citò in vos Dei iudicium atque ira deſæuiet, ipſe enim vltor eſt ſcelerum. Illi tam ſalutaria optimi Patris monita reſpuere potius, atque horrere, quàm ferre viſi ſunt. Ergo miſeri ad ſuum Inſtitutum atque domicilium redeunt, triduoque poſt à ſuis ipſorum conſanguineis miſerè necantur. Huic rei, præter duos alios Monachos, Pater Benedictus de Fabriano vir integer, & magnæ auctoritatis interfuit, huius vaticinij poſtea locuples teſtis, ac præco.

Cæcam illuminat ſigno crucis.

XIV. FOEMINA Fabrianenſis oculis capta, non ſecus ac ſi fuiſſet ab ortu ipſo cæca, nihil omnino cernebat; ac tanto propterea mœrore iacebat, vix vt cæcitatis moleſtiam ferre poſſet. Ergo multos iam annos in ea calamitate conduxerat, cum illi radius conſilij ſalutaris affulſit. Iam tum Syluestri, & vitæ innocentia, & in patrandis miraculis virtutis fama, nō Fabriano ſolum, verum etiam vniuerſa prouincia percrebuerat; quare occaſionem fœmina non eſſe prætermittendam rata, plena ſpei ad cœnobium S. Benedicti, quod erat in Monte Fano, ſe perducendam curat, & ad Syluestri pedes prouoluta ſuppliciter orat, vt ſibi oculi lucis huius vſura destituti, ſalutari ſigno à Syluestro ſignentur. Afflictæ fœminæ morbum, & calamitatem Dei famulus miſeratus exertis digitis contra eius oculos Crucem efformat, & mulier, inquit, vade in pace, quòd ſi quod hodie à Domino beneficium acceperis, nemini patefacias; verum illi gratiā habe, qui cæcorum tenebras illuſtrat. Illa cum certa ſpe reuertens, antequam domum perueniret, diuinitus vim facultatemque cernendi recepit, & repentino miraculo ſtupefacta, oblitaq; quidnam ſibi eſſet à Syluestro interdictum, cœpit rem totam paſſim celebrare, Deoque ac Syluestro gratias maximas agere.

Trabem breuiorem, reddit longiorem.

XV. ÆDES quaſdam in cœnobio Montis Fani exædificandas curabat ſuorum commoditati Syluester, conductis ad id operis & architectis. Accidit autem, vt cum ad culmen parietes excreuiſſent, ad tectum imponendum, ſuſtentandumque nonnullis trabibus eſſet opus, faber lignarius trabis cuiuſdam, antequam illa ad contiguationem ſuſtentandam parietem vtrumque coniungeret, particulam, qua menſuram excedere exiſtimabat, præcidere cogitabat. Re animaduerſa Syluester ſuadet homini, ne ante trabis capita parietibus admouere conatur, ne ve quicquam abſcindat, quam rei eiuſdem longitudinem eſſet, diligenterque dimenſus. Ille neglecto ſapientis viri conſilio, ſuo iudicio præfidens, trabem illicò diſſecat, quam deinde cum operæ in deſtinatum locum inſerere, & per parietem foramina vtrinque traiicere vellent, tandem ſentit faber eam multo eſſe breuiorem quàm vt poſſit ad partem vtramque pertingere, tunc ſuam accuſans pertinaciam ad Syluestrum accurrit, & ingenti pudore ſuffuſus veniam precatur. Syluester, qua erat humanitate, iubet hominem bono eſſe animo, trabemque iterum collocare, laturum opem Deum: vrgebat ille Syluestrum, vt ipſe met opem ferret, facilius à Deo impetraturus, & mox vterque iuſſu Syluestri ſeorſim ambo trabis capita comprehendunt, & in contrarias partes diſtrahentibus, trabis extenſio quantum opus eſſet, diuinitus conſecuta eſt, & ſimul omnium, qui aderant, admiratio, cum Dei rerum admirabilium effectoris, & ſancti viri laudatione coniuncta.

De eius eſtaſi & viſione.

XVI. SVMMA quadam pietate, atque ardore animi Chriſti liberatoris noſtri actiones, & ſingularia in nos merita dies noctesque recolebat: præcipuo tamen ſtudio, quæ noſtra cauſa perpeti voluit, identidem ſecum ipſe reputabat; cumque illius verbera, ſpinas, clauos, crucemque contemplaretur, magnam vim lachrymarum profundere ſolitus erat; vt ſæpe quieſcentibus fratribus, vigilaret ipſe, & pſallendo dulcem in ſe Chriſti necis, & cruciatuum memoriam excitaret, flagellisque ſe, ac funiculis acerrimè cæderet, dum pſalmos Dauidis, qui pœnitentiales dicuntur, ſuauiſſimè pronunciaret. Ergo in peruigilio Chriſti Domini reuiuiſcentis, cum verſiculus ille decantaretur: O inæſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti, in altiſſima diuinæ caritatis cogitatione defixus, tanta ſpiritus dulcedine perfundi cor ſueuerat, vt non modo fleret ipſe, ſed fletum cæteris quoque moueret, contigitque aliquando, vt eius mens ita in Patris æterni caritatem raperetur, qui Filium nobis idcirco tradiderit, vt cruciatus acerbiſſimos, cum ſumma ignominia, probroque coniunctos noſtra cauſa perferret, vt abalienatus à ſenſibus aliquandiu, in altiſſimo quodam mentis ſopore perſtiterit, in eoque ſibi Ieroſolymam delatus, & hortum quendam ingreſſus eſſe videretur, in quo auguſtiſſimum Chriſti Domini ſepulchrum, ibidemque tres honeſtiſſimas fœminas candentibus veſtibus ornatas, & in genua prouolutas ante ſepulchrum venerabundas cernere ſibi videretur. Enimuerò rei nouitate permotus, cupiſſe ſe ſcire, quid in viſionis ſuæ tam illuſtria ſymbola ſibi vellent; & ſepulchrum inſcius adhuc attentius contemplatus, inſcriptionem quam antea nuſquam legerat, aut audierat, ſe planè legiſſe narrabat: VICTOREM MORTIS ISTÆ VENERANTVR IN HORTIS: tum demum agnouit illud Dominicum eſſe ſepulchrum, & ingenti partim mœrore, partim animi voluptate perfuſus in genua corruens, religioſe admodum ſepulchrum Domini veneratus eſt; mox vbi oculos circumflexit, tres illas fœminas nuſquam vidit: Ergo ad ſe reuerſus, & de tanto accepto beneficio immenſas Deo gratias egit, & perpeſſionum Chriſti myſteria, quæ altius in eius animo inſederant, cœpit aſſidua quadam commentatione recolere.

B. Virginem colit.

Syluestri alia viſio.

XVII. VENERABATVR iamdudum Syluester præcipuo ſtudio ac pietate Dei genetricem Mariam, recentique eius beneficio incenſus, vt ſupra narrauimus, magis ac magis eius amore caſtiſſimo inflammabatur. Neque verò Mater benigniſſima gratum erga ſe, ac pium Filium deſiſtebat maioribus quotidie muneribus cumulare. Itaque nocte quadam Syluester poſt vſitatas preces, repente leui quodam ſomno correptus, viſus eſt ſibi ad Bethleemiticas rupes eſſe tranſuectus, & præſepe adiiſſe Chriſti Domini natali nobilitatum, mox in quoddam templum perductus, ante altare ſtetiſſe precabundus: precanti auguſtiſſimo lumine fulgens Maria Virgo, non modo ſeſe illi palam oſtendit, verum etiam eum blande allocuta eſt: Et viſne, inquit, fili mi Syluester corpus Filij mei IESV Chriſti recipere? hac viſione atque interrogatione cohorruit primo Syluester, deinde cum ſe collegiſſet, ingenti cum tremore reſpondit; Paratum cor meum Domina, paratum cor meum; impleatur voluntas tua in me. Tum illa verè dulcis Virgo ſua manu puriſſima ſanctiſſimum Chriſti Corpus Syluestro porrexit, cuius nimirum diuina virtute, tanta eſt beati viri mens luce perfuſa, vt ab eo tempore nullus ei planè in ſacris voluminibus locus eſſet obſcurus. Quid mirum? poteratne illi quidquam eſſe abditum, cui & Mater Sapientiæ, & Sapiētia ipſa ſe tam familiariter patefeciſſet? fœlix prorſus ad quem accedit propius Saluatoris Mater, & cuius corpus alias conſauciatum mirabiliter ſanaret, eiuſdem nunc mentem, atque animum cœleſtibus epulis benigniſſimè reficit.

Concionatur frequenter.

Alia eius prædictio.

XVIII QVONIAM igitur lucem diuinitus hauſtam, vir ſanctus nefas eſſe ducebat abditam tenere, ſedulo cœpit eandē aliis quoque crebris concionibus, & cohortationibus impertiri. Ergo à canonicis B. Venantij Martyris Fabriani oppidi ſæpiſſimè, vt ad populum de rebus diuinis verba faceret, aduocabatur: cumque aliquando per templi cœmiterium tranſiret, multis nobilibus viris comitatus, quendam offendit, qui ſepulchrum cuidam parabat, cuius erat iam ſalus à medicis deſperata, quem Syluester cui nam ſepulchrum illud pararet, interrogat, ille verò, Pro Dio te Salue, inquit, id enim erat ægroto nomen; tum Syluester paululū cum proceſſiſſet, cōuerſus ad comites: Inperſcrutabilia prorſus, inquit, ſunt iudicia Dei, & nemo præordinatam eius ſapientiam intelligit. Ecce mortuus viuo ſepulchrum parat. Dictū comprobauit euentus: etenim, qui de ſpe ſalutis deiectus erat, breui conualuit; is verò, quem ægrotanti curare ſepul-

chrum

chrum dicebamus, correptus febribus, paucis diebus extinctus, in idem ſepulchrum illatus eſt, quod alteri ipſe parauerat. Qua re animaduerſa, ij, quos Syluester de morte huius præmonuerat, vaticinium illud, quamuis ipſis antea ſubobſcurum, veriſſimum fuiſſe cognouerunt.

Cœco à natiuitate viſum tribuit.

QVIDAM ab ortu cœcus, miraculorum fama commotus, quæ à Syluestro diuinitus edebantur, ad cœnobium XIX.
Montis Fani ſe contulit, certiſſima ſpe lucis, quam nunquam viderat, aſpiciendæ; vbi ad cœnobium venit, ſupplex petit, vt ſibi Sylueſtrum alloqui liceat, preſtò eſt euocatus Syluester, & è cœco ſciſcitatur, quid nam vellet. Ille audita Syluestri voce, in genua corruens illa verba iterabat: Miſerere mei Pater ſancte, miſerere mei. Syluester hominem iacentem ſubleuat, & iterum quidnam velit, exquirit: nihil aliud, inquit ille, peto Sancte Dei, niſi vt pro me Deum depreceris, & ſigno Crucis meas tenebras munias. Protinus dexteram Syluester extendit, & in eius vultum, diuina implorata clementia, ſignum Crucis effingit: cœcus autem ſubitò lucis beneficio, fugatis cæcitatis tenebris perfrui cœpit. Inter alios, qui huic miraculo interfuêre, cenſetur Ægidius Camaldulenſis familiæ, & Ioannes à Baculo viri religioſiſſimi, fideque digniſſimi. Syluester tamen rem tantam, dum vixit, occultare perpetuo conatus eſt.

Tertiò aquam in vinum conuertit.

NEQVE illud ſilentio prætereundum, quod ſupra naturæ vires, eſt à Deo liberaliſſimè Sylueſtro tributum. Cum XX.
enim aliquando ad xenodochium ſiue hoſpitalem domum Spineti olim, nunc enim ædes eſt B. Catharinæ ſacra, in itinere propè Cingulum oppidum diuertiſſet, magna cum veneratione ab vniuerſa illius hoſpitij familia receptus eſt. Diſcubuit igitur ipſe cum viris primariis permultis, cumque illis aqua defeciſſet, Syluester humaniter illos miniſtros appellans aquam poſcit: illi ad fontem pergunt, vas aqua plenum referunt; mox de more vir Dei lagenam illam Crucem in aëre impreſſa conſignat, & in ciathos iubet infundi; verum ciathi (res mira) non aqua, ſed optimo vino complentur. Hæret miniſter admiratione defixus; exhauſto aquario vrceo recurrit ad fontem; aquam ad Sylueſtrum defert, quam ſimul atque vir ſanctus, vt antea conſignauit, in optimum vinum conuerſum eſſe cernit: & ad miniſtrum: Quid hoc eſt, inquit, fili, quid hoc feciſti? aquam ego poſtulaui, non vinum. At is: Certo ſcias, inquit ô Pater, me aquam hauſtam è fonte puriſſimam, vobis diſcumbentibus attuliſſe. Cui Syluester: Ne te, inquit, fili pigeat ad fontem tertiò reuerti, atque huc aquam vrceo mundo perferre. Morem ille gerit ſedulo, Syluester verò porrecta manu tertiò cunctis inſpectantibus effictà Cruce præmunit: miniſter conuiuis illicò propinare, ſed vinum optimum ab omnibus guſtatur. Huic miraculo multi, vt diximus, viri nobiles adfuêre, in quibus, & frater Albergus eiuſdem hoſpitij cœnobita, qui id peregrinis narrare ſolitus erat, & Vgutius Æſinæ ciuitatis Epiſcopus, qui ſe quoque interfuiſſe crebro teſtatus eſt. Ergo miris laudibus extollitur vir ſanctus ab omnibus, & veriſſimus Dei famulus acclamatur. Verum ipſe humani honoris contemptor, celeriter ſe inde proripuit, tutaſque latebras petiit.

Energumenam liberat.

ENERGVMENA quædam ab vrbe Gallia, iamdudum à malo dæmone frequenter torquebatur, & grauiter ſæ- XXI.
piùs à propinquis ad varia templa fruſtra deducta. Cum aliquando ex eo in exorciſmis quæreretur, cuius tandem ſancti viri meritis finem eſſet mulieris diuexandæ facturus, cum Ieſu Chriſti nomine, cui omne genu flectitur, vrgeretur, huiuſmodi reſponſum dabat: Quid fruſtra laboratis? honos iſte Sylueſtro reſeruatur, quo iubente hinc mihi cedendũ eſt. His verbis energumenæ propinqui vehementer gauiſi, Romam cum illa contendunt, vbi reliquiæ beatiſſimi Syluestri Summi Pontificis aſſeruantur: ibi malus dæmon adiuratus geminata voce reſpondit: Non ab iſto, inquit, non ab iſto ſum, ſed ab altero Sylueſtro, licet inuitus & coactus, eiiciendus. Conflictabantur mœrore cuncti, quippe qui alium Sylueſtrum penitus ignorarent: illam tamen ad altare principis Apoſtolorum ſiſtunt, quam cum aliquandiu dœmon malè torſiſſet, clamare cœpit. A Sylueſtro ſum extrudendus; à Sylueſtro ſum expellendus. Qua re cognita Iordanus quidam, eiuſdem baſilicæ S. Petri Canonicus, & Sylueſtri noſtri apprimè ſtudioſus, eos ad B. Patrem deducit; per eos dies Romæ commorabatur, & cœnobium S. Iacobi à Septimianorum (vt ſupra dictum eſt) piorum hominum ſumptibus ædificandum curabat. Porrò in itinere tantum eſt mulier excruciata à dœmone, vt nunquam antea fuerat. Interim Syluester à Canonico, quem dixi, rogatus, ad oppreſſam fœminam iuuandam, Dei ſpiritu non minus bene paratus, quàm animatus acceſſit; cuius aduentum præſentiens dœmon in ipſo ædis illius ingreſſu, cœpit acrius in eam ſuas vires expromere: frendebat miſella dentibus, ore ſpumas agebat, parturientis inſtar affl ctabatur, neque interim malus tortor vociferari deſinebat: En venit Syluester mihi vim per iniuriam illaturus. verum cum vir Dei aliquandiu cum dœmone decertaſſet, eum tandem, quod iamdiu obtinuerat domicilium relinquere coëgit. Mulier verò ita grauiter eſt à diſcedente veteratore tractata, vt ad horam prorſus exanimata videretur. At cum pauliſper ſe poſtea recepiſſet, ſumpto cibo ad eum à Sylueſtro tranſmiſſo, penitus conualuit, ac Deo liberatori gratias agens læta cum ſuis reuertit in patriam.

Iterum aquam in vinum conuertit.

LOCVS eſt non procul à Fabriano, cui nomen à Crypta, quem ſibi primum ad vitam in ſolitudine agendam, vt XXII.
ſupra diximus, Syluester elegerat: Huc operas mercenarias ad ciſternam ædificandam aliquando conduxit; cumque ibi vinum eis penitus defeciſſet, operarios ægrè ferentes blandè conſolabatur, cum diceret: Equidem filij fateor hodie nihil omnino vini relictum eſſe; quare vos id quæſo propter Deum æquo animo ferte; quod enim hodie deeſt, id alias Dei bonitas ſupplere facilè poteſt, ſtatimque ſuos iuſſit Monachos aquam, ad operas meridiano calore videlicet æſtuantes afferre, à ſe tamen ſigno Crucis antea communitam. At cum illi aquam guſtaſſent repente in vinum optimum commutatam, vehementer admirati: Quid, inquiunt, modo Pater domi vini quidquam eſſe pernegabas? optimum vinum nobis eſt iam tuo iuſſu delatum. Is verò nihil ipſis quidem reſpondit; ſed inde ſe ſubito ſubducens, fratribus rei geſtæ conſciis, ac teſtibus imperat, vt eam rem ſilentio tegant; quippe qui vni Deo placere mallet, quam caducis hominum vocibus celebrari.

Sacras reliquias viſitat & veneratur.

AD Vrbem Syluester ſe aliquando contulerat, vt reuiſeret ſibi ſubiectos filios, cognoſceretque an rectè cum iis XXIII
ageretur, in iis rebus præſertim, quæ ad pietatem pertinent, ac mores religioſis hominibus congruentes. Cum igitur Romæ tunc eſſet, & ſummo ſtudio, ac religione, tum ſacras ædes frequentaret, tum ſanctorum virorum reliquias veneraretur; ad viſendum martyris Cyriaci caput ab eodem Iordano S. Petri Canonico deducitur, cuius antea mentionem fecimus, qui Sylueſtrum plurimum obſeruabat, & ab eodem viciſſim in Domino diligebatur. Quare ad ſacrarũ virginum oratorium, vbi beati caput martyris aſſeruabatur, cum Iordano, duobuſque ſui Ordinis monachis, quorum alter fuit Ioſephus, inſigni vit morum ſanctitate, eximiaque prudentia, qui proximus à Sylueſtro noſtri Ordinis gubernacula magna cum laude tenuit; alter verò Salimbenus is, quem Syluester perpetuum ferè ſibi comitem adhibebat. Rogat ſacras virgines, vt ſibi, comitibuſque liceat beatum illud Sancti Martyris caput aſpicere, ac ritè venerari, facile impetrat: cereas illæ faces albis indutæ veſtibus accendunt, arcam, in qua caput ſacroſanctum conditum erat, aperiunt, &, accede, inquiunt, cum Iordano iam propius ad arcam Pater, atque arculam, qua caput clauditur, tuis manibus cape, quo facilius cerni poſſit ab omnibus. At amicus Dei Syluester, cum ſe indignum duceret, qui ſancti martyris reliquias attrectaret, poſitis genibus, antea Dominum tacitus obſecrauit; ac tum demum ſumma veneratione arculam ſumpſit, & velum quo caput obtegebatur, piè modeſteque manu commouit. Res mira, & ab omnibus Chriſtum piè colentibus prædicanda: remoto enim velo, ex cranio inuicti martyris Cyriaci, quod cum tot annorum ſpacio aridũ cernebatur, Sylueſtro tangente, ſanguis repentè vndique in orbem cœpit abundè diffluere. Ergo ſtupore ſimul, qui aderant, lætitiaque correpti profuſis lachrymis, Sylueſtri virtutem ac pietatem laudibus extollere, & ne ipſe quidem potuit, pie-

Vide prodigioſe ſanguinem è ſacris reliquiis fluentem.

tuit, pietatis nimirum ardore cogente, lachrymas continere, cum admirabilem Dei in ſe beneficentiam, charitatemq́; perſpiceret. Quippe videtur præſtantiſſimus Chriſti athleta Cyriacus tam illuſtri teſtimonio, & argumento, non obſcurè oſtendere voluiſſe, & quam Deo eſſet Sylueſtri in ſanctos Martyres grata religio, & quanta ipſe quoque Syluester cupiditate flagraret, purpuratos illos cœli ciues imitandi vita propter Chriſtum, ac ſanguine profundendo.

Studium eius erga ſanctas reliquias.

LXIV SANCTORVM virorum reliquias (quoniam in eum ſermonem incidimus) religioſe admodum coluit: quo ſtudio in Dei cœleſtis patriæ amorem quotidie magis incendebatur, & ex virtutum egregiarum documentis, quæ ille prudentis inſtar apis, alueario memoriæ ſedulo recondebat, ad illorum ſectanda veſtigia vehementius incitabatur. Diuerterat aliquando ad cœnobium quoddam Ciſterienſis familiæ in agro Piceno. ſanctiſſimi viri Athanaſij Epiſcopi maxilla dentatum; fruſtulum ex ea ſibi ab Abbate depoſuit. Cui Abbas, cupere ſe illi morem gerere, ſed de maxilla nihil vnquam demi potuiſſe; tentatum ſæpius ab Epiſcopis nonnullis, vt vel tenaci forcipe dentem vnum euellerent, nunquam tamen eos, licet omni conatu luctatos, valuiſſe. Experiar ipſe, inquit, Syluester, ſi libet, quis ſcit an & diuinum numen ſit, & Athanaſij voluntas affutura; tum demum eius voluntati ac ſtudio Abbas obſequitur. Quare vbi aliquantiſper oraſſet Syluester, ad ſacram maxillam duos digitos leniter admouet, ac tam facile dentem euellit, vt ſponte ſua in manus exilire videretur: tam ſecundo rei euentu Syluester agit Deo, & cœnobij Abbati gratias, potitusque, vt ipſe aiebat, cœleſti theſauro, in ſuum cœnobium lætus redit.

Nota miraculum.

LIB. III; De eius obitu iam nonagenarij.

I. EXHAVSTIS innumerabilibus Chriſti cauſa iam penè laboribus, & ad ſolidæ perfectionis culmen euectus Syluester, vrgente iam ſenio, quippe nonagenarius lætalem in febrem incidit: cumq́ue ſibi vltimum diem inſtare ſentiret, ſuos conuocatos oratione cohortatus eſt, vt in ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto perſiſterent. Ingraueſcente morbo ſe Eccleſiæ ſacramentis vir ſanctus præmuniuit, & ſpiritum ſuum Domino commendans, virtutum opibus affluens, placidiſſime efflauit animam in cœlo perpetuo regnaturam, prima noctis vigilia VI. Kal Decembris Anno poſt Chriſtum natum M CCLXVII. ætatis ſuæ nonageſimo, ab inchoato ordine XXXVII. à confirmato fermè XX. qui eo viuo maxima incrementa cepit, & in multa cœnobia paſſim extructa diſtributus eſt.

Angeli in eius morte viſi.

II. PER idem tempus ſolitariam agebat vitam non longe ab ipſo Montis Fani cœnobio, Ioannes dictus à Cella noſtri Ordinis, vir magna religione morumq́ue ſanctitate. Is eadem ipſa hora, qua Syluester obiit, vidit Angelorum choros è cœlo delapſos, qui mirabili quadam ratione virum aerem circumquaque colluſtrantes, ad cœnobium deſcenderent, ac felicem CHRISTI Confeſſoris animam in cœlum magno cum gaudio & gratulatione deferrent. Ille tanta Patris ſui gloria lætatus, præ gaudio lachrymas fundere, & ſummas Deo gratias agere. Verum tamen, quæ huius erat beati anachoretæ modeſtia, nonniſi ad ſuum obitum rei ſeriem patefecit.

Item lux magna.

III. HACTENVS Sylueſtri toto vitæ curriculo propoſito, nunc pauca quædam, quæ poſt obitum eius accidere diuinitus, paucis perſtringam. Per idem tempus, quo Syluester exceſſit è vita, frater quidam noſtri Ordinis ex eorũ numero, qui in exterioribus functionibus rem domeſticam procurant, quos vulgo Conuerſos dicimus, cui Iacobo nomen, vir ſumma ſimplicitate, & vita integerrima, duo circiter millia paſſuum à cœnobio Montis Fani, vineæ eiuſdem cœnobij excolendæ operam dabat. Is cum ſub noctem in humilem villam vineæ ſe à diurno labore recepiſſet, iam cœlo denſis tenebris obſito, cubitum diſceſſerat, cum ſemel, iterum ac tertio vocem quandam audit: Surge Iacobe, & quæ geruntur nunc in Monte Fano, quamque admiranda contemplare. Ergo rei nouitate, & inuſitata voce commotus, confeſtim ſe è lectulo proripit, atque aperto domunculæ oſtio circumſpectans neminem videt: quocirca maiori etiam admiratione correptus, in Montem Fanum proſpiciens (erat enim è regione villulæ) cernit illum quaſi ardentibus facibus collucere, & ignarus rei hæret primo admiratione perculſus: mox cupiditate ſciendi quid rei eſſet, audacior factus in viam ſe coniicit, intempeſtæ noctis ſilentio, & quoniam difficilis, atque arduus erat montis aſcenſus, (cœnobium enim in deuexo montis latere ſitum eſt) de multa nocte peruenit, & à ianitore admiſſus, Sylueſtrum eadem obiiſſe hora, qua vocem illam exaudiuerat, recognoſcit.

Videt alius S. Sylueſtri animam ab Angelis in cœlum deferri.

IV. NEQVE illud omittendum cenſeo, quod eodem tempore, cuidam è noſtris Sacerdoti, qui Pater Bonapars dicebatur, in Æſino cœnobio tum degenti, quod à Monte Fano diſtabat minimum paſſuum millia vigintiquinque, diuinitus accidit. Huic enim dormienti per ſpeciem oſtenſæ ſunt ſcalæ, quæ à cœnobio Montis Fani ad cœlum vſque pertingerent, quibus Angelorum chori deſcenderent, & Sylueſtri animam beatiſſimo lumine fulgentem, ſpecie pulcherrima viri niue candidioris in cœlum delatam, Domino ſcalarum cacumini innixo, ingenti gratulatione, atque ſignificatione lætitiæ ſiſtere. Sacerdos hac viſione, ſomno excitatus, conuocatis fratribus, Sylueſtrum diem ſuum obiiſſe nunciat, & oſtenti ſeriem totam enarrat: illi vt crederent nullo pacto adduci potuerunt, donec poſtridie eius diei nuncius de S. Patris obitu, qui in eandem horam inciderat, omnem dubitandi materiam ſuſtulit.

E ſacro eius corpore, odor ſuauiſſimus manat.

V. ANTEQVAM Sylueſtri filij ritè optimo parenti parentarent, defuncti corpus, vt ab omni corruptione vindicaretur, balſamo aliiſque aromatibus condiendum eſſe ſtatuerunt: ad eam rem accerſitus Fabriano Andreas eius oppidi chyrurgus & ſector, attributis nonnullis adiutricibus ex noſtra familia, cumq́ue ſanctiſſimi Sylueſtri corpus exenterãdi, condiendiq́ue cauſa diſſectum eſſet, res noua ſummam viri innocentiam, atque adeò beatitudinem declarauit, ſiquidem tanta ſuauiſſimi odoris fragrantia vniuerſa domus conſperſa eſt, quantum nemo vnquam mortalium facile ſuſpiretur, vt Albertus, Benedictus, & Bonagratia dicere ſoliti erant, homines noſtri Ordinis, qui dum corpus aperiretur, interfuêre: ex aperto igitur corpore excepta viſcera, honeſto ac ſecreto loco recondita. Vulgata eius morte, ingens confeſtim hominum concurſus videndi cauſa, è finitimis etiam oppidis in cœnobium factus, ingenti animorum ſenſu, & ad manus, ac pedes oſculandos certatim contendentium. Itaque vt piorum ſtudiis fieret ſatis, corpus triduo ſeruatum eſt, quo exacto, poſt exequias mira populi frequentia celebratas, in veteri templo cœnobij Montis Fani humatum eſt; accidêre tamen nonnulla illis ipſis exequiarum diebus, quæ ſilentio inuoluenda non ſunt, ne Sylueſtrum ſua gloria fraudare velle videamur.

E mortuo corpore copioſe fluit ſanguis.

VI. ERGO quo die corpus humatum eſt, monialis quædam exequiis intererat, & per ſummam induſtriam occaſione arrepta, particulam pellicei ſiniſtri pedis clanculum abſcidit; abſciſſionem illicò mira vis ſanguinis conſecuta eſt, corpus adhuc viuere diceres; illa metu perterrita, ignara conſilij aufugit, mox audaciam incuſans rem totam patefecit, excepta narratio ſumma omnium acclamatione, Sylueſtri laudes extollentium: atque ita demum ſancti viri corpuſculum honorificè ſepulturæ traditum eſt; cuius egregia virtus, morumq́ue ſanctitas multis ac magnis paſſim miraculis illuſtrata eſt. Nam & cœcis viſus, & ſurdis auditus, & claudis greſſus, & variis morbis laborantibus ſalus reſtituta, & à malo dœmone oppreſſi, Dei beneficio, Sylueſtrique meritis ad eius tumulum liberati.

Claudus ſanatur ad eius ſepulcrũ

VII. QVIDAM ex colle amato, ab ipſo matris vtero claudus, vigeſimum iam annum attigerat; is ad ſepulchrum B. Sylueſtri delatus, triduum in precibus poſuit; tertio demum die dormienti pedum vſum, impetrante Sylueſtro, Dominus benigne reſtituit. Hunc Rolandus Parmenſis per idem tempus Fabriani Præfectus annum ipſum deuotionis, ac pietatis cauſa domi retinuit.

Alius item claudus curatur

VIII. EIVSDEM generis eſt quod puero Matelicenſi accidit. Nam ipſe quoque pedum officio deſtitutus à parentibus ad Sylueſtri ſepulchrum delatus, octauo die poſtquam veniſſet, valetudini reſtitutus eſt, qua hora Monachi cito reficiebantur. Siquidem illis cœnantibus, ingens è templo tintinnabuli ſonitus exauditur; accurrunt aliqui, claudi pueri

patrem oſtendunt humi ſtratum, ac templi pauimentum identidem oſculantem, inuitantemque ingenti clamore Monachos ad agendas Deo, ac beatiſſimo Sylvestro pro reſtituta filio ſuo incolumitate gratias immortales.

Energumenus tertio liberatur.

Cvm Saulus quidam Fabrianenſis, quinque immundis obſeſſus, nequiſſimiſque ſpiritibus, vt ipſimet in exorciſmis fatebantur, ſemel atque iterum ad Syluestri ſepulchrum liberatus, iterum quoque ac tertio ab iiſdem miſerabilius quàm antea torqueretur, tandem exorciſmo coacti dæmones reſponderunt: Quoties hunc hominem Syluestri meritis relinquemus, toties reuerſi acrius torquebimus, niſi ſe ipſe perpetuum adminiſtrum Syluestri fratribus addixerit. Ergo tertio ad Syluest i ſepulchrum è ſæua dæmonum tyrannide ereptus, reliquam vitam ibidem Monachis opera ſua iuuandis religioſe traduxit. IX.

Studioſum Bononiæ curas inuocatus.

Externvs quidam, vel Vltramontanus, vt loquimur, adoleſcens, qui Bononiæ colebat ingenuas diſciplinas, X.
lætalem in morbum incidit, vt corpus totum penitus intumuerit, cumque graſſante vi morbi, medici ſpem omnem ſalutis abieciſſent, ad illud idem vbi decumbebat hoſpitium, Gualderius quidam Fabrianenſis caſu diuertit, Syluestri admodum ſtudioſus, & cultor. Is vbi cognouit afflictam, deſperatamque ſalutem adoleſcentis, miſeratione permotus accedit ad lectulum, ſuadet homini, vt ſanctiſſimi viri Syluestri opem imploret, multos enim eius meritis in ſua patria quotidie ſanari diuinitus. Non fuit æger in obſequendo difficilis. Ergo implorato Syluestri auxilio, eius ſe patrocinio ac tutelæ commiſit. Mirum dictu, eadem ipſa nocte dormienti Sylueſter ſe beatiſſimo lumine circumfuſus oſtendit eodem veſtitu, quo dum viueret, vtebatur, baculum geſtans, quo viuus niti ſolitus erat: ægrotum rogat ecquid velit. Ille tam iucundo aſpectu mirificè recreatus: Hoc vnum peto, inquit, hoc vnum obſecro, vt deſperatæ ſaluti ſubuenias, neque eius deſpicias preces, qui ſe tibi ex animo commendat. Hic Sylueſter benigna manu tumefactum ægroti corpus attrectans, protinus omnem tumorem repreſſit, ac depulit. Et ſurge, inquit, nunquam enim te huiuſmodi morbus inuadet impoſterum. Ergo experrectus adoleſcens tam facile è lecto proſiluit, quàm ſi nunquam æger decubuiſſet, ac totius rei ſeriem ſumma tum aliorum, tum verò Gualderij quem ante dixi, admiratione patefecit: is verò Gualderius non ita multo poſt Fabrianum reuerſus pro concione rem totam, ingenti omnium gratulatione, narrauit.

Dæmon è muliere pellitur.

Energvmena quædam mulier adiurationis cauſa in templum, vbi Syluestri corpus aſſeruabatur, aliquando perducta, cum ad ſecretum quendam veteris templi locum perueniſſet, vbi beati viri viſcera fuerant, vt ſupra dictum eſt, paucis conſciis, terræ mandata; cœpit ibi vehementius multo quàm antea diſtorqueri. Rei cauſam ritè dæmones interrogati frementes: In hoc cœnobio, inquiunt, Monachi quidam, quæ hic recondita ſunt ſciri nolunt. Porrò iterum adiurati dæmones reſponderunt, Syluestri viſcera hic ſita ſunt, quibus aſſiduè vrimur. Poſt hæc verba, Deo iubente, ab obſidione mulierculæ Syluestri meritis receſſerunt. XI.

Mendicatio oſtiatim tollitur.

Celebrata Lugduni generali Synodo Gregorio X. Summo Pontifice, Reuerendus Pater Bartolus, qui tertius à Sylueſtro noſtri Ordinis gubernacula tenuit, ſimul cum fratribus decreuit, vt ab eleemoſynis oſtiatim emendicandis noſtri deſiſterent, & ex præſcripto, inſtitutoque Sancti Benedicti, cuius regulam tenemus, vectigalibus annuis alerentur. Verum quia non ſatis erant, quæ habebant, ad omnes alendos idonea, ad commune Fabriani confugiunt, vbi re deliberata decernitur, vt certa pecuniæ ſumma ipſis ad poſſeſſiones emendas attribueretur. Reſtitit huic decreto acriter Guincellus quidam Bononienſis, qui eo tempore Fabriani ſummum gerebat magiſtratum, quem Poteſtatem vulgo dicimus. Res indies dilata, in graue Monachorum incommodum redundabat, nec ſe Guincellus, vel amicorum ac propinquorum, vel noſtrorum hominum precibus patiebatur de ſententia dimoueri. Bartolus humana ope deſtitutus, confugit ad Dei, Sylueſtrique præſidium, & fratribus conuocatis, Sylueſter promittit, ſi voti compotes fiant, ſe, ſuoſque, ipſi eiuſque reliquiis præcipuum honorem cultumque pro viribus delaturos, ſtatimque profuſis lachrymis in templum ad eius ſepulchrum cum Letaniis ſumma animi pietate procedunt. Inde oppidum repetunt, & rem denuo cum Præfecto fruſtra pertentant. Porro Bartolus cum ſuis ad Syluestri ſepulchrum Deo ſupplicare at denuo pertexit; cum ecce tibi ſequenti nocte poſt Gablicinium Priſcianus Medicus erga Sylueſtrum piè admodum affectus, egreſſus repente domo, quæ noſtræ erat annexa, quam in oppido habebamus, cum ingenti clamore ad nos aduolat, & mira ſignificatione lætitiæ, ergo bono eſſe nos animo iubet, quamprimùm enim voti compotes fore, ſecundum quietem ſe vidiſſe Sylueſtrum baculo nixum, irati ſpeciem referentem, ac ſibi dixiſſe, vt ſecum in Senatum pergeret, quo cùm veniſſet, quæ vellet omnia facile impetraſſe; tum verò ſe experrectum, gaudioq; perfuſum, illico ad nos veniſſe, vt quæ viderat, renunciaret. Noſtri tam fauſta prædictione læti, primo diluculo ad Præfectum redeunt, à quo, vna videlicet nocte diuinitus mutato, perhumaniter accepti, Prioremq; ſe ſecum iuſſi perducere, coacto denuo Senatu, Præfecti iuſſu, decreta ad agros coemendos pecunia donati ſunt. Ita Deo annuente, impetrante Sylueſtro, noſtrorum inopia leuata eſt. XII.

Sylueſter Medico apparet.

Alia multa præterea de Sylueſtro, eaque mira narrantur, quæ quoniam, aut non ſatis comperta, aut mihi minus explorata ſunt, his adſcribi oportere non putaui; præſertim quod inſignium virorum probitatem, non tam prodigia atque miracula, quàm charitas in Deum, & vitæ innocentia declarat. Reliquum eſt, vt omnes quidem tanti viri exemplo ſibi propoſito, huius vitæ fluctus, ac procellas, Deo duce, atque adiutore ſuperare conentur. Nos verò præcipuè (vobiſcum enim ago potiſſimum longè mihi chariſſimi fratres) amantiſſimi parentis prouidentia erga nos, & charitate confiſi, quam ſemel ingreſſi ſumus religioſi inſtituti viam, ad beatam illam, boniſque omnibus affluentem ciuitatem alacres contento curſu pergamus; vbi Sylueſter beatiſſimus viuit, vt eius virtutes, & res geſtæ diuinitus apertè ſatis oſtendunt. Quo nobis eo quoque facilius licebit; commodiuſque peruenire, quo accuratius ſanctiſſimi Patris veſtigia perſequemur. XIII.

An. 935.

VITA S. CONRADI XXIV. EPISCOPI CONSTANTIENSIS; SCRIPTA AB VDALRICO I. CONSTANTIENSI EPISCOPO XXXVIII. AD CALIXTVM II. PONTIFICEM.

*Prolog. 26. Nove. * orationum.*

Domino & Venerabili Calixto Papæ Sanctiſſimo, Vdalricus Conſtantienſis Eccleſiæ famulus, cum vniuerſo gregis Dominici ſibi commiſſo ouili, debita obedientiæ vota, cum * orationum inſtantia. Diuinæ clementiæ reſpectum ſub veſtræ gubernaculo paternitatis dies noſtros multis conſolantem bonis propenſiori gratiarum actione magnificemus. Cum de tranquillo rerum ſtatu, & noua ſanctorum claritate, qua diuerſæ illuſtrantur Eccleſiæ, gaudeamus. Sicut enim ſplendor veri Solis alias mundi plagas Electorum ſuorum meritis, quaſi totidem radiis penetrauit: ita ad noſtrum quoq; vergens Occidentem, per felicis memoriæ Conradi Conſtan. Epiſcopi miraculorum inſignia non impari luce, totam temporibus noſtris Alemanniã perfudit, pro cuius gloria, vt moris eſt Eccleſiarum, canonizanda, cum Sedis Apoſtolicæ præſentiam, crebris iamdudum interpellaſſem literis, hoc immutabilis ſententiæ reſponſum accepi: Vitam eius in Concilio recitandã & cõprobandam fore generali: Teſtes inſuper idoneos ſignorũ, quæ per eum fiunt, ſeu facta ſunt, ibidẽ adhibendos, vt tantis cœleſtium donorum

donorum beneficiis, reuerentia fidelium aſſurgat vniuerſalis, ac per hoc inuidia, quæ nec mortuis parcit, † obſeruetur particularis, cum digito Dei * moleſtia ſuperetur Pharaonis: Quapropter operam dedi, ex patrum ſchedulis, huius viri digniſſimam Deo conuerſationem, potius quàm miracula, quæ nonnunquam reprobis cum ſanctis communia ſunt, continentibus. ſequens opuſculum colligere, veſtræque ſublimitati examinandum dirigere: malens ſtylum ſimpliciorem verecundiæ patere, quàm ciuitatem ſupra montem ponendam, in valle torporis & obliuionis diutius latere. Adieci † tandem ex innumeris, quibus plurimæ ad memoriam eius lætificantur nationes, ſub probabili teſtimonio pauca duntaxat ſigna, ne ſicut videntibus gaudium, ita audientibus nimietate ſui generent faſtidium.

† Obſtruatur.
* maleſici ſuperentur.
† al. tamen.

I. IGITVR Beatus Conradus nobili Alemannorum ſtirpe exortus, in paradiſi vt germen vberius erumpens florem, Illuſtrem nobilium exornat propaginem. Quem enim clarum altior cæteris edidit natiuitas, hunc clariorem atque excellentiorem ſpiritus reddidit generoſitas: Iam in hanc ab ipſis tenerioribus annis totus transfertur. Gratia quippe ſuperna virtutum initiis primordia eius comitabatur, & quantus eſſet futurus, iam pro ætatis modulo non mediocriter in eo formabatur. Denique [a] traditur à parentibus Conſtantienſ. Eccleſiæ fratribus, literarum ſcientia imbuendus. In quorum contubernium, illius ſorte, cuius eſt aſſumptio noſtra, receptus, ad excubias tabernaculi, quod fixit Deus, miniſter [b] initiatur Leuiticus. Nec defuit vnctio ſpiritus alumni ſui præcordiis, quæ fruſtrari non ſinebant labores hominis extrinſecus docentis, dum quælibet liberalis diſciplina docibilis, Dei ardentius reconderet ſemina, multiplici quandoque fructu proferenda. His ſtudiis lubrico ætatis illius gradu tranſcurſo, ſolidioris intellectus, & habitus animum roborat progreſſu, in tantum vt corruptibilis æſtum naturæ diuino temperaret timore: ac per hoc in eius pectore ſedes fundaretur ſapientiæ. Iam tanquam mediocri grauitatis morum ſolio reſidens, mirabatur, ſi retro reſpiceret præcipitium adoleſcentiæ, immuni ſe paſſu euaſiſſe: nec tamen de hucuſque ſeruata præſumens innocentia, vitam arctiori parſimoniæ moderatur obſeruantia.

S. Conradi genus. Patre Henrico, Auo Etichone Comitib. de Altorff, matre comitiſſa de Hohenvvart natū, ſcribit Iacob Manlius in Chron Conſtant.
a Traditur literis.
b Leuiticus ordinatur.

II. PER idem tempus Eccleſiæ Conſtan. Pontifex reuerendus præſidebat Notingus, qui vbi viri huius conuerſationem probabilem & honeſtam comperit, in [c] opus miniſterij ſui eum aſſumpſit, vt inſtar Ioſuæ, populo Dei præferēdus inſtrueretur, qualiter ipſi Præſul tanquam Moyſi ſucceſſurus, ducatu ſpirituali quandoque potiretur. Publicis igitur & priuatis Eccleſiaſticæ curæ inſtans negotiis, vt maior conſilio, vt expeditior verbo, illius gratia, de cuius plenitu-
Ioan. 1. dine omnes accepimus, non ſine admiratione vigilantius auditur ab omnibus, cum in ſingulis cauſis ac perſonis, idem ſibi, diuerſus pro rationis qualitate videretur aliis. Super egenum & pauperem intelligens eorum inopiam, quam diuitiæ parentum alienum à ſe † fuerant, compaſſione experiri deſiderat, ſe miſeriorem, ſe inferiorem reputans, ſi cuique pro viribus non ſubueniat. Cunctis oppreſſis pro ſui releuatione tum temporis Epiſcopum adeuntibus, hic facilis acceſſus, hic non emptus cauſidicus, hic poſtremò adiutor in opportunitatibus. Verum quia tantæ virtutis homo, digniori probandus erat exercitio, in Præpoſitum à fratribus eligitur, ac per hoc cōmuni rerum vtilitati proſpicitur. Nam iuxta adepti culminis honorem quod hactenus voluntate, deinceps operatur bonum ad omnes facultatis liberalitate: præſertim cum ambitionis, quam nimirum generat auaritia, ignoret cæcitates: Sed quanto † magnus ſit, tanto magis ſectetur humilitatem, eò largius charitatis amplectatur benignitatem. Non minus & ipſe honorabilis atque amabilis, tum pro reuerentia dignitatis, tum pro affectu paternitatis, habetur vniuerſis: Qui felix reuera illud æuum arbitrantur, quo tanti vir exempli diuinitus orbi donatur.

c A Notingo Conſtantiē. ſi Epiſcopo Eccleſiæ negotiis præficitur.
† for. fuerant.
Fit præpoſitus Conſtantienſis.
† for. maior.

III. INTEREA præfatus Antiſtes humanæ debitum perſoluens naturæ defungitur, cuius corpus à S. & venerabili Vdalrico Auguſtenſi Pontifice ſepelitur. Hic admirabilis vitæ pater, cum erga viduatam Eccleſiam in eligendo Epiſcopo, pro cœleſti duceretur oraculo, triduanum ieiunium toti clero indixit & populo: dignum aſſerens maiora quæque diuinarum rerum conſilia, maiori deuotione, à Spiritu conſilij fore petenda. Tum die ſtatuta, frequens vtriuſque ſexus & ætatum concurſus, grandis fit omnium expectatio, quem Deo plenus pater Vdalricus idoneum gregi Dominico paſtorem exprimat primus. Ille Spiritu inſtructus, Conradum non modo irreprehenſibilem, ſed & omni, qua Apoſtolus Epiſcopum deſcribit forma perfectum, in hoc opus bonum hortatur aſſumendum. Nec mora, hæc vox in ore vniuerſorum, iuxta generale Votum, Deus dedit nobis Epiſcopum: Renitentem ergo & indignum ſe vociferantem, Cathedra pontificali Conſtantia ſuum exaltat Conradum: Ad cœlum vſque laudibus ſuum attollit electum. Gaudet clerus ſe promeruiſſe talem Præſulem, qui ſibi & ſapientia præeſſe valeat, & prouidentia. Cum alterum eorum hunc præcipuè ordinem reſpiciat, altero ſpecialius indigeat. Quamuis enim filij ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſint, ab illa tamen ſapientia, quæ deorſum eſt, oculus eorum quamplurimum caligat, cuius radij Deo dicatos tanquam proprios filios clarius illuſtrant. Quorum etiam purior obtutus vigilanti præſidentis ſeruandus eſt cura, ne aliqua tenebroſi ſeculi turbetur nebula. Impatiens enim pluuiarum eſt purpura, qua altare aureum tabernaculi fœderis inuoluitur: ſagis verò cilicinis turbinis & imbrium tempeſtas impune excipitur. Sed vt ſtylus ad noui Antiſtitis obſequium, veluti paruulus ad maternum recurrat ſinum.

Notingus Epiſcopus moritur.
Conradus in locum illius omnium votis eligitur Epiſcopus, an. 934.
Luc. 10.

IV. LÆTATVR populus de tam eximio paſtore, cuius voce indeſinenter ad vberrima vitæ inuitatur paſcua, cuius opera à ſalubri nullatenus diſcrepant doctrina. Cum enim ſic ſe imperitum genus hominum habeat, vt ſi ſecus quàm docet prædicator agat, nec vera quidem ſuſpicetur quæ dicat: Hic doctor verax, hic orator iuſtitiæ, operum commendatione, vulgari laude ferebatur: ac per hoc non paucas Deo lucrabatur animas, pauperes verò partem in eo ſe accepiſſe fatentur, quorum miſeriæ caminus ſuis refrigeſcit diebus: Quorum nuditas vel inedia hoſpitalis viri largitate ſolatur continua. Quibus & domum in ipſa Ciuitate ædificauit, in qua ſacrato principum Eccleſiæ numero duodecim pauperes extra ſuperuenientes iugiter paſcendos diſpoſuit. Poſtremo ipſi nobiles ac potentes mundi, exemplis eius ſub potenti manu Dei addiſcunt humiliari: Nec eſt vlla iam vtriuſque ſexus mortalium conditio, quæ ſuo non inſtruatur documento, ſeu reficiatur beneficio. Principalem præterea Genitricis Dei Eccleſiam duplici cumulauit theſauro. Copioſis videlicet vndique collectis ſanctorum reliquiis & Metallorum ex auro & gemmis fulgoribus pretioſis, tres inſuper Baſilicas: Vnam foris murum ciuitatis, duas infra conſtruxit, eaſque dote abundanti dedicauit. Ex quibus in illa quæ ad honorem Beati Mauritij fundatur Sepulchrum Domini in ſimilitudinem illius Hieroſolymitani factum, mirabili aurificis opere gyrum decorauit: vbi & duodecim Clericos datis ſtipendiis ordinauit. Auget quoque fratrum maioris Eccleſiæ numerum ſpecioſum ex propriis, ac memoriale tradens eis allodium, ne ſi militantes Deo grauius paterentur victus aut veſtitus diſpendium illud, tanquam in deſerto murmurantibus, virus irreperet ſerpentinum, quod non niſi per Dominicæ paſſionis fugatur intuitum. Quanquam enim noſſet timentibus Deum nihil deeſſe: cum autem rebus, aut ſola qua penuriam ſuperent, patientia exuberent, nobis tamen omnibus præcauere conatur, ne ſcandalo vel puſilli Ieſu offendantur. Plenus ante & retro oculis, præſentibus proſpicit atque futuris: Nec eſt ſtudium Eccleſiaſticæ traditionis aut religionis, vnde feruente in Deo illius animum enormitas exterreat laboris: pericula maris tertio tentat, vt toties Hieruſalem etſi terreſtrem videat, non pro nihilo ducens, ſi terram promiſſionis, & oculis intueretur carnis, vbi patriarcharum figuris & prophetarum tranſcenſis oraculis, ipſum Deum & hominem, quem præcinebant ſeptem humanitatis ſuæ reſerantem ſignacula, fidei contempletur oculis.

Hoſpitale conſtruit.
Eccleſiam S. Dei Genitricis exornat.
Tres Baſilicas cōſtruit & dotat. Vide Chron Iacob Manlij.
Exod. 32.
Hieruſalem tertio petit.

V. SVPRA memorati Patris Adalrici, vt Dauid Samuelis perfruitur amicitia: exercitatur mutuæ viſitationis frequentia. Nec immeritò: in ipſo quippe ſpiritu Epiſcopus hic per Antiſtitem eligitur, quo rex illic per prophetā vngitur.

Viſio Vdalrici & Conradi Antiſtitum.

Deſcriptio cataractarũ maiorum Rheni.

Eſt autem in territorio Conſtantienſi caſtrum, ex ſitus proprietate, Lauffen denominatum, in quo dum ſimul commorantes, die quadam Rheni maximum velut in abyſſum prouentus, indeq; viſu horribili ebullientis mirarentur impetum, duas vident volucres, circa rupes, è medio fluminis prominentes, inceſſantique volatu gyrantes. Quæ ingruente interdũ rotatus defectu, aquarum voragine præcipitari incipiebant, rurſumque emergentes, miſerabile ſpectaculum intuentibus præbebant. Non diu re inſolita Sancti fruſtrantur, qui in auium ſpecie, animas necdum ad plenum purgatas, illo tormenti genere cruciari, per Spiritum docentur. Feſtinatur ergo ad celeberrima menſæ cœleſtis præſidia: Et prior vt hoſpes accedere cogitur Senior Vdalricus hoſtiam vitæ immolaturus. Qua diuinitus accepta, nonnulli vna cõparet anicula. Altera quoque per dominum domus Conradum affertur ſalutis victima, & altera ſimili translationis modo liberatur anima.

Miſſæ ſacrificio binas è purgatorio animas liberant.

S. Conradus Gebehardo Epiſcopatum prædicit.

Vitam eius habes infra 27 Auguſti.

† for Præmaturè.

Præterea Spiritum prophetiæ beatiſſimo Conrado non defuiſſe, ex his quæ ſequuntur poſſumus colligere. Cauſa extitit, pro qua terminanda, domum, in qua tunc morabatur fortè, egreditur, cum paucis conſilium habiturus, ſuper cuius ſedile in medio relictum, dum optimæ indolis Gebehardus, tertius poſt eum Epiſcopus, non ſeruij gratiæ ſediſſet, repertus in eo, talia à ſuperueniente patre non ſine rubore verba audiuit: † Præmotura, inquit, Gebharde ſedem meam arripuiſti, ante tempus locum Pontificis inuaſiſti: Mihi ſuccedet, qui prior te in hac Cathedra ſedebit. Quod quam verum fecerit exitus rerum probauit. Viro namque Dei à præſentibus ſublato, Gamenoldus quidam vacanti excipitur ſolio. Hoc item ante Luſtri vnius expletionem defuncto, dictum Gebhardum Conſtan. promeruit paſtorem, ſanitatis teuere & motum prædeceſſoris ſui Conradi in omnibus hæredem. De cuius virtutibus retexere aliqua, epiſtolaris minimè permittit anguſtia, maximè cum tantæ credantur, quam ad laudem ipſius materia breuitatis impatiens eſſe videatur. VI.

** actionem.*

Calicem cõſecratũ cum aranea ſumit.

† for. Cerneres.

Araneãm viuam reddit.

Tandem ad tranſitum patris Conradi calamo feſtinanti, de multis quæ ad honorem Dei in ſui Pontificis dici poterant factis, vnum ponatur, quod tam imitatione quàm admiratione relatu non indignum cenſeatur. Paſchalis ſiquidem lætitiæ dies aduenit, in qua vir iſte Agnum, cuius ſanguine tum intentionis noſtræ ſuperliminare, tum poſtes corporis purgantur & animæ, inter Miſſarum * arctiorem Deo Patri obtulit. Accepto ergo Corporis Dominici ſacramento, venitur ad ſanguinis eiuſdem participationem. Calix ex more diſco operitur: aranea vitæ liquori illapſa cernitur. Animal mortis exitium homini exteriori minatur, ſed interim poculo immortali animatur. Quid fecit miniſter cœleſtis conuiuij? Summa accinctus fide nihil in hac re mortale, nihil ducit exitiale, auidius conſumit, & quod Sacramenti & quod ex ermini) fuit, non immemor antiqui ſerpentis venenum, Antidoto paſſionis Dominicæ euacuatum. † Cameras miniſterij huius cooperatores palleſcere, imminens Antiſtiti vt ſuſpicantur necis periculum circumſtantibus innuere. Ab omnibus in commune triſtatur ac timetur, dies gaudij in mœrorem vertitur. Tamen peracta Cõmunionis diſtributione, vltra omnium ſpem, ad menſam artus ieiuniis attenuatos refecturus accedit: ſed non guſtando cibum, aliquandiu ſedit. Percontatur ſecretius, quid eſſet acturus: Expecto, inquit, hoſpitem in proximo venientem. Et reclinato ſuper menſam capite, exitum araneæ, aperto præbet ore: quæ nec mori in homine Dei, nec mortem potuit inferre. Tum quanta conuiuarum exultatio, quanta de viri conſtantia ſuboritur admiratio. Lector potius animo concipiat, quàm exprimendum verbis exigat. VII.

Obitus eius anno 976.

Cæcos illuminat.

Ioann. 15.

Cæterum plenus dierum, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, ſibique repoſitam iuſtitiæ coronam à Deo iuſto iudice recepit. Tranſiit autem de huius exilij tenebris, VI Kalend. Decembr. Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Epiſcopatus ſui quadrageſimo ſecundo, mundi ſcilicet heremo vaſtiſſima, virtutum progreſſibus, tanquam ſub hoc Caſtrorum numero feliciter excurſa, cuius ſigna vel miracula, quibus eum numeroſius in hac credimus fulſiſſe vita, ex ſcriptorum incuria, temporibus noſtris pauca ſunt cognita, ac per hoc quæ minus probabili didicimus relatione, poſteris ſtylò noluimus commendare, præſertim cum antiquis merita non indigeant teſtimoniis, quæ ſemper noua ad ſepulchrum eius gratia totius declarantur ſanitatis. Vt enim quædam ex his dicamus, duos à natiuitate Cæcos ibidem diuerſis temporibus illuminatos vidimus. Et veritatis promiſſa ſunt impleta. Qui, inquit, in me credit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, CHRISTVS enim cæco à natiuitate viſum reddidit: quod Phariſæi calumniantes ſub Moyſe facere nequeunt, Conradus per CHRISTVM poteſt & poterit. VIII.

SEQVVNTVR MIRACVLA.

Claudum reſtituit.

FERTVR quendam vtriuſque pedis officio quatuor annis priuatum, ſex menſibus circa viri huius memoriam, baculorum ſuſtentaculis giraſſe, crebriſque precibus pro adipiſcenda ſanitate noctes dieſque continuaſſe, vbi cum die quadam ligneis ſolito innixus greſſibus, orationi inſtaret attentius, ſubita caligine hebet viſus, obrigeſcunt manus, vires amittuntur, baculis elapſis, labitur homo: circumſtantes occurrunt, erigere lapſum geſtiunt: Sed abſque voce & motu durantem, mortuum credunt: exequias tamen facturi, cadauer leuant: Et ecce oculos ſenſim aperire, ſeminecem aſpiciunt extendere crura, huc vſque curua, lætiores cernunt. Totus ergo in momento reſtitutus homo, & Deo laudem & mortalibus adauxit fidem. Quanquam enim ſigna non fidelibus, ſed infidelibus tribuantur: Nonnunquam tamen credentes, vt in fide creſcant, vt in ſpe æternitatis ac feruore charitatis proficiant, gratia quoque ſanitatum, prouocantur. IX.

Puerum itẽ debilem.

Pver quidam longa corporis moleſtia debilis effectus, extra hominis inceſſum manibus reptabat & pedibus. Hic fama beati viri attractus beneficiorum, patri ſuo quatenus Conſtantiam deferretur, ſupplicat enixius. Qui filij congaudens fidei, annuit petitioni. Nauicula ergo ad optatum deuectus locum, vaſculi canea excipitur, & tanquam immobile quid ante Præſulis tumbam deponitur, vnde oblatione facta excutitur, vt miſeræ conditioni aſtantes cõpatiantur. Videntes quadrupedis more hominem reptare, & quia luminis vel graduum crepidine ſanctuarium ingreſſurus offendebatur, diſtendere genua retorta cogebat. Tali ſcandens conamine, ad genitricis Dei peruenit altare, in quo munuſculum oblaturus, primo hærere, deinde altiora petere manibus cœpit, quouſque vota peregit. Hoc igitur modo animal pronum remanſit erectum, & ex informi, hominem integrum, pater recepit filium. Crederes matrem DOMINI hoc retuliſſe, ſi fides ſimplicior ſanati concordaret: Sed per eam & cum ea Conradum id potuiſſe, nulli dubium, ac per hoc non incongruè vtrique aſcribitur, quod hinc ſpe, hinc re egens conſequitur. X.

Claudam itẽ aliam.

Vidimvs mulierem quandam plantis ſulcantibus nates contractam, circa ſæpe dicendi Patris volutaſſe Mauſolæum, eiuſque omni annitu diebus aliquot flagitaſſe ſuffragium. Quæ priſtino greſſuum ſtatu redintegrato, multis inibi annis curationis adeptæ fuit teſtimonio. XI.

ALTERA

XII. ALTERA quoque decennali ægritudine confecta, ad vſque vlcerum ſaniem, tam ex ſiniſtro latere, quam ex collo periculoſius erumpentem deuenit, tandem aliquantulum fluor ille ſiccatur execrabilis, ſed tabefactum remanet brachium cum *.... eiuſdem lateris. Denique ſæpius in ſomnis videt ſe memoriæ beati viri aſſiſtere, indeque curatam incedere. Euigilans, de imaginaria quidem ſalute triſtabatur, ſed occultiora quadam ſpe conſolabatur. In qua etiam cum aliis, quos illius temporis feſtiuitas attraxerat, ciuitatem ingreſſa, ſociiſque ad eccleſiam properantibus, nuditatis verecundia, hoſpitio retinetur ſola: O mira, O ſtupenda conditoris iudicia. Multi enim neſciunt, & ſaniſſimi diuitiis affluunt: Nudi ſunt iuſtitia, & incedunt ornati gemmis & purpura, hæc verò paupercula diriſſimis afflicta cruciatibus, cum nudo Adam latitat verecundius, niſi quod ille pro Paradiſi eiectione, iſta pro Eccleſiæ merebat ſequeſtratione. Vterque tamen obnoxius morti, ac † pax hoc pudoris confuſioni. Hanc igitur mulierculam à publicis arcente gemino miſera, cum fruſtratæ ſpei tum mendicitatis torquebatur dolore, riuiſque lachrymarum vberrimis nonnullos, qui eam nouerant, ad pietatem flectit compaſſionis. Veſtibus ergo populari vehementia collatis induitur, ad eum cum hactenus in viſu præſentabatur, frequenti turba deducitur. Super cuius Sarcophagum, aridam dextra fulciente offerens manum miſeriæ ſuæ plena fide fecit ſacrificium. Nec diu ſupplicans tardatur, cum manus, cum brachio rediuiuo donata mota retrahitur.

*for. parte

†per

Mulieris brachium aridum curatur.

XIII. ITEM puella confluentem in hunc locum innumeram multitudinem comitabatur, quæ digitis in volam contortis, ex vtero matris cruciabatur, hæc dum protinus curaretur, laſciuior aut ſimplicior, rem celans egreditur. Incommodi ſtatim priori occupatur: manca nimio hæſitans ſtupore periclitatur. Ocior tamen redit, confitetur, quod celauit, mirantibus cunctis, ſanitatem quam amiſit, denuo recepit.

Puella reſtituta, miraculum celās recidiuum patitur, & cō feſſa iterum curatur.

XIV. GALLVS quidam Pictauienſis duodecim annis claudus Conſtantia longæuus viator venit Hic, vt ſolitum eſt, vice pedis alteriuſque baſe lignea nequaquam ſuſtentatur. Tibia quippe cum pede † occefacta, & ferè in fiſtulæ ſubtilitatem redacta, totus in poplite humor nocuus concreuit, ac per hoc, genu in maximum tumorem excreuit. Sex ergo menſibus in vrbe moratur, & viſis tantis curationum beneficiis, ad ſpem recuperandæ ſalutis animatur. Eccleſiam frequentat, vt ſui, iam tempus multum habentis, vt è longinquo venientis, Pater ſanctus miſereatur ſupplex poſtulat. Interea nox ſanctiſſima Pentecoſtes ſuperuenit, in qua excubias circa ſepulchrum eius deuotus egit: Ventum eſt ad matutinorum Vigilias, & nouo cruciatu dicta membra iam dudum emortua incipiunt torqueri, ita vt iam de repentino dolore magis quàm de greſſus affligeretur priuatione. Senſus in breui amittitur: ipſa quoque vox adimitur, hora dicendi cantici, Te Deum laudamus, inſtabat, & homo vires cum inceſſu naturali recuperabat. Duplici ergo laude ſublatur, dum Spiritus paracletus & propria feſtiuitate & hominis liberatione vniuerſos conſolatur.

† for. areſacta.

Claudus greſſum recipit.

XV. PVERVM quendam in claro conſtitutum, ſed in natura paralyſi debilitatum parentes ad hunc deferunt patronum, & quia non de infimis natalibus erant procreati, plures condolentes, tam ſuæ quàm geniti inueniunt oppreſſioni. Non minima ergo plebe ſtipati, debilem ſuum ante viri Dei memoriam exponunt, ſeque in terram pro eo ſupplicaturi mittunt. Quid amplius moror? Fides eorum ex alto reſpicitur, æger Conradi meritis attollitur, Pontifex ſanctus in miniſterio tabernaculi perfectioris honoratur, mirabilis Deus in ſanctis ſuis prædicatur.

Paralyticus ſanitati redditur.

XVI. IN Cœnobio quodam ſanctimonialium, dum Virgines diuerſis laborabant ægritudinum moleſtiis, vna ſiquidem ex vomitus inſtantia, menſibus octo non retinens alimenta deſperatur: Altera paralyſi grauiſſima reſoluta periclitatur Compertis huius Patris virtutum præconiis, ab ipſis clauſtri ſeris pia ſpe trahuntur. Sed tam morbi quàm infirmæ ætatis pudore à publico repelluntur. Nox igitur huic fluctuationi ſatis facturа præſtolatur. In qua naui impoſitæ, prima Vigilia (non enim longè diſtabant) ad vrbem perueniunt: Intromiſſæ Præſidis velut coram poſiti veſtigiis fide pleniſſima proſternuntur, pro diu ſperata ſalute preces cum lachrymis à pernoctantibus funduntur. Eſt autem in eodem loco memorati viri poculum ligneum, non indebita veneratione hactenus ſeruatum: Vnde cum ſumma auiditate modicum aquæ guſtaſſent, vis quædam cœleſtis vndam ſubſequitur, quæ perfectam in eis medicinam operatur. Ad cœlum hincinde laudum voces tolluntur, ipſæ enim quà à clero ciuitatis & populo lætitia proſequuntur virgines, à ſororibus incolumes excipiuntur.

Moniales binæ altera à vomitu, continuo altera à paralyſi liberatur.

XVII. ALIAM vidimus ab infantia paralyticam, ibique iam adulta ætate ſanatam, hæc poſtea immemor gratiæ, petulantior vagatur, amiſſaque virginitate, per quendam ſe clericum profitentem, grauida efficitur. Concepit ergo iniquitatem, & peperit dolorem, quia priſtinæ ſtatim debilitatis induit confuſionem. Cogitur miſera ad pœnitentiam: Reuiſit patris Conradi Clementiam, obtinet denuo per eum curata veniam. Ex integro tamen poſtea minime conualeſcit, vt artus imbecilliores, violatæ mentis deplorent integritatem, iam vir egregius fama trahente, non modo vbi requieſcit à male habentibus frequentatur, ſed etiam vbiuis terrarum auxilium eius in cunctis anguſtiis imploratur & impetratur.

Paralytica curata laſciuiens, priſtino morbo, corripitur & à Sancto denuo reſtituitur.

XVIII SIQVIDEM adoleſcens quidam, dum Thuriæ fluuium veſpertino tempore per incultum vadum aliquando tranſire vellet, fundo repente limoſo, & arborum radicibus vnda congeſtis hæret irretitus. Validiori impellitur torrenti, & quia obſiſtendi, ſeu quoquam diuertendi locus non occurrit hærenti, ad natandum diuaricatur. † Maribus flumen ſulcatur, ſed pedibus immotis aquæ impetu ac frutice caput obruitur. A ſeruantibus in ripa quas nudus depoſuerat veſtes, nimio attoniti clamore iuuenis aduocantur parentes. Res flebilis à ſororibus duabus (hæ enim fratrem ſubmerſum comitabantur) confuſa ſingultibus voce refertur, locus periculi monſtratur, diſcurritur, quæritur nec inuenitur. Tota vociferantium eiulatu perculſa accurrit villa: Et quia quæſitus non comparet, retibus pro ſaltem tumulando cadauere laboratur. Noctis iam tenebræ inſtabant, quæ finem quærendi dabant, ſpem inueniendi negabant. Communi ergo omnium voto ſpecialibus beati Conradi patrociniis ſiue in corpore, ſiue extra corpus commendatur homo, & ſic ad triſtes lares reditur. Tertia parte primæ noctis Vigiliæ tranſacta: Ecce grauior vnda quaſi de obice indignata, in quandam ſe voraginem, circa appoſitum animal collegit, & hoc impetu ſinuoſo prorumpente ad littus è regione aquarum tranſuexit. Ex terra factus, aridam vt à ſe alienam miratur, nullatenus contrariam naturæ aquam, vtpote, quæ eam extinguere non potuit ſuſpicatur, dum creatori ſiue ad mortem ſiue ad vitam ab vtroque elemento indifferenter ſeruiatur, inſuper de rerum permutatione, & has vnde patiatur tenebras, qui clara die ſubierit vndas, ſecum hæſitans, longam ordine tranſpoſito pernicionis moram, æſtimat breuiſſimam: dum è conuerſo breue omne delitioſum & longum ducatur omne periculoſum. In ſe tandem aliquantulum reuerſus domum regreditur, nuditatis ſuæ nec dum memor: vt genitus tamen recognitus, genitorum ſtupentibus excipitur amplexibus: Craſtina illuxit dies, & velut redeuntis ab inferis irruenti turba vallatur, vt alterius ſeculi nuncius, quid ſecum ageretur, qualiter euaſerit, diligentius percontatur. Alter igitur ſaluationis modus non minima inquiſitione facta ignoratur, niſi qui fide omnium exundanti veriſſimus probatur, quod nimirum illius meritis ſit liberatus, cuius fuerit, mortalium deſtitutus auxiliis, ſingulariter commendatus.

† Manibus.

Adoleſcens à ſubmerſionis periculo eripitur.

BVLLA CANONIZATIONIS S. CONRADI CONSTANTIENSIS EPISCOPI, FACTA A CALIXTO II. PAPA.

CALIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Vdalrico Epiſcopo, Clero & populo Cõſtantienſi Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Fratres veſtri, quos ad Apoſtolicam Sedem direxiſtis, multa nobis ac fratribus noſtris, de illius ſancti viri defuncti Conradi veſtri Epiſcopi, actibus retulerunt miracula, & quæ per eum Dominus Omnipotens fecerat certificare ſcriptis, & verborum atteſtationibus ſtuduerunt. Noſtris itaque fratribus Epiſcopis, & Cardinalibus, & aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, ac religioſis qui aderant viris, viſum eſt eundẽ Sanctum apud Deum honorabilem meritis, Nos apud homines quantum nobis fas eſt, honorabilem memoriam facere deberemus, vnde in generali quod celebramus Concilio eius venerationem fratribus omnibus nunciamus. Ad honorem igitur Dei, atque ipſius S. Conradi reuerentiam, largiente Domino conſtituimus, vt ipſius inter Sanctos recordatio futuris temporibus habeatur, & miracula quæ per eum à Deo facta dicuntur: Si vera ſunt, Scripturis & lectionibus memoriter deinceps teneantur. Vos verò fratres & filij dilectiſſimi, apparentium in terra veſtiæ florum odore refecti; ita in poſterum conuerſari, atque ita piè viuere, cooperante Domino ſatagitis, vt & ipſi aliis odorem virtutum reddere, per Sancti Spiritus gratiam valeatis. Omnipotens Dominus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli precibus, & prædicti ſancti viri orationibus ſua nos miſeratione cuſtodiat & ad vitam perducat æternam. Datum Lateran. v. Kal. Aprilis.

An. 600.

VITA S. ALYPII CIONITAE, ID EST, QVI VITAM AGEBAT IN COLVMNA, QVI FVIT CONSVMMATVS

tempore Heraclii Imperatoris Adrianopoli prouincia Paphlagonum.
Habetur in Simeone Metaphraſte, quinto
Tomo Aloyſii.

26. Nouemb. SI multi ſæpe, qui vitam ſcripſerunt ſanctorum Patrum, innumerabiles traducendo ad æmulandam eo- I.
rum vitæ rationem, eos affecerunt beneficio: quemadmodum non exiſtimaremur iniuſti fortè & inui-
di, ſi tantam Sancti Spiritus virtutem mandaremus ſilentio? Scribatur ergo ea quoque à nobis, vt co-
Pſal. 72. gnoſcat generatio altera, filij qui naſcentur, & annuncient ea filiis ſuis: vt ſpem ſuam in Deum collo-
cent, & eandem, quam ipſe, virtutem exerceant. Quamobrem quoad eius à nobis fieri poterit, quæ a-
pertè à diuina gratia in ipſo ſunt cognita, multis ea oſtendemus.
Cap. 2. HIC ergo Chriſti ſeruus Alypius, ſicut multi homines ſciunt, qui id & auditione didicerunt & experientia, ha- II.
S. Alypij patria. buit quidem patriam, ſi patria ſit dicenda in terris, Adrianopolim, quæ eſt vna ciuitas regionis Paphlagonum: vitam
autem, quæ omnium hominum ſuperat viuendi rationem. Quem cum præſciuiſſet & prædeſtinaſſet Dominus: ab i-
Viſio matris eum vtero geſtantis. pſo materno vtero ei benedixit, quibuſdam viſionibus & ſignis oſtendens ſui famuli ad diuiniora profectum & incre-
mentum. Cum enim adhuc eum vtero geſtaret mater, noctu viſa eſt videre formoſum agnum; in cuius cornibus duo
pulchri accenſi cerei, replebant domum lumine: qui non prius reuerſus eſt ad ſuum locum, quàm in lucem prodierit
natus infans, matre liberata à partus doloribus. Non multo poſt autem, quàm mater eſt enixa, ea in gratum ſomnũ
Item alia. eſt reſoluta: & rurſus videt in ſomniis publicè è ſua ciuitate populum in hymnis & canticis & ſupplicationibus venien-
tem vſque ad ſuum infantem, & eum tanquam ſacroſanctum & diuinum quempiam, adorantem. Hæc matris fidelis
ſpectacula eam compunxerunt, vt ad piam veniret cogitationem. Nam cum coniunx iam ex hac vita migraſſet, & to-
Manet vidua ſecundum conſilium Apoſtoli. tos tres annos non fuiſſet ſuperſtes filio, qui ex eo fuerat ſuſceptus, ipſa pulchrè ſtatuit ſoli Deo viuere & filio, & de cæ-
tero ſuum corpus potius obſignare Chriſto, quàm probro ſe afficere, ſi ad ſecundas eſſet deuoluta nuptias; cum & a-
mor chariſſimi filij & cubile mariti in ea valde piè cohabitaret.
CVM ſe diuinè hiſce confirmaſſet cogitationibus, accepto filio, vadit ad eccleſiam, orphanorum & viduarum III.
curatorem ſolum bonum ſciens eſſe Dominum. Cui etiam prompto & alacri animo eum ablactatum ſtatim dedica-
1. Reg. 2. uit, tanquam nouum aliquem Samuelem, dans in manus eius, qui tunc adminiſtrabat archiepiſcopatum. Quem cum
Ab Archiepiſcopo literis eruditur Alypius. ſuis vlnis accepiſſet, tanquam quidam paſtor bonus, ſecundo poſt matrem lacte ſpiritali nutriebat, literis & diuinarum
Scripturarum dulcedine pingueſaciens animæ officinam: vt facilius inueniret eum tempore creſcentem, & cum æta-
te aſcendentem intelligentiam, quod etiam concurrebat cum precibus eius, qui erudiebat. Erat enim puer cuiuslibet
ſcripturæ diuinæ capax, tanquam generoſa planta recens plantata, ſpiritalibus irrigationibus pietatis ferens fructus, vt
non multo poſt oſtendetur.
ACCIDIT ergo, vt illo tempore ſanctæ memoriæ Theodorus, qui à nobis paulò ante dictus fuit, cùm ad finem IV.
vitæ perueniſſet, ſuæ ſedi ſucceſſorem reliquerit, qui erat eiuſdem cuius ipſe nominis, & moribus ſimilis. Quamobrem
ſe tanquam fratrem oſtendens eius, qui præceſſerat, valde dilexit Alypium, de quo à nobis agitur in præſentia. Inuenit
Ecce quibus virtutibus eius ornabatur adoleſcẽtia. enim verè paſtor paſtoris ouem ratione præditam, in bonitate educatam, cuius iuuenta erat munita diuino metu. In-
uenit florem ætatis, qui nullum proprium, quo cognoſci poſſet, oſtendebat ſignum. Nam quod in ipſo quidem cerne-
batur, multis eſſe videbatur iuuentutis. Quod autem ad eius mores propemodum veniſſet, apertè oſtendebat viri ſa-
pientis canitiem: quoniam erat etiam in eo timor Dei, qui principium ſapientiæ efficit in hominibus. Cùm autem pie-
Pſalm. 110. tatis operibus viſus eſſet omnibus antecellere, communi ſuffragio eum eligit ſacer Eccleſiæ cœtus, vt œconomus eſſet
Alypius fit eccleſiæ œconomus & diaconus. fideliſſimus: quoniam hoc credebant futurum omnibus vtile: non quod rerum vllam haberet experiẽtiam, ſed quod
eſſet diuina plenus intelligentia. Quod quidem deſiderans is, qui tunc præerat eccleſiæ, ſimul eum fecit œconomum
& diaconum diuinorum ſacramentorum. Fuerunt hæc ſigna ortus Alypij, qui educebatur ad vitam. Sic facta in ſacris
ædibus fuit ouis nutrita ab iis, quos prius diximus, paſtoribus paſta in pietate. Quiſnam autem & qualis fuerit in ea, quæ
ſequitur, vita non eſſet meum dicere, qui propter dicendi imperitiam, glorioſa eius facta magis diminuam, quàm quã-
tum oporteret, oſtendam veritatem: dicam tamen, in patris mei egregiis dotibus iucundè verſans: & fortaſſe nõnullam
narrabo portionem eorum, quæ ab ipſo rectè & ex virtute geſta ſunt.
HABEBAT Deum in mente Alypius: habebat autem Deus quoque omnino Alypium, & recordatione beato- V.
Matth. 25. rum eius præceptorum, animæ purum & lucidum habens oculum, conſiderabat in vnoquoque tempore, quidnam
agens in præſenti vita, poſſet audire beatam illam vocem, Euge ſerue bone & fidelis. Inuenit autem protinus ſolutio-
Ioann. 10. nem eius, quod quærebatur, ab eo ipſo, quem deſiderabat, Chriſto doctus pietatis ſemitam. Bonus enim paſtor, qui
pro grege ſuam poſuit animam, portam etiam oſtendit iis, qui volebant pulſare, omnia conſtituens ad ſalutem ama-
torum

torum regni cælorum. Primum quidem dicens, vt Deum tota anima diligamus: ſecundo verò, vt ei debitam tribuamus reuerentiam. Deinde ad altiorem pietatem & perfectiſſimam Dei charitatem traducens, venditis omnibus, quæ non conſiſtunt, facultatibus, & in rebus manent inferioribus, eas iubet ſuppeditare pauperibus: & nudam tollendo crucem, eius ſequi veſtigia. Oportebat ergo hominem Dei, oportebat maximum, quod reſtabat ex præceptis, implere ad perficiendam pietatem. Reliqua enim ſeruauit ab ipſa iuuentute. Protinus ergo nihil cunctatus, res omnes mundi iuſſit valere: non triſtis, quomodo nuper diues, qui à Domino audierat, vt ſua venderet & daret pauperibus, vt vitæ æternæ conſequeretur remunerationem.

Matth. 19.
Ibidem.
Omnia ſua dat pauperibus.

VI. Cvm ſolam autem matrem feciſſet conſciam ſui conſilii, idq; propter eius precum deſiderium, Ad Orientem, inquit, ô mater, me proficiſci cupientem, tuis me precibus proſequere: quo in loco multi quietem amplexi, feliciter vixerunt. Illa autem protinus tulit opem propoſito ſui filii, nequaquam affecta muliebriter, vt multæ ſolent, quæ fortè viduitatem prætexunt & ſolitudinem, & quod ferre non poſſunt, videre à ſe diu abeſſe ea, quæ ſunt ſibi chariſſima. Nihil horum dixit ſapiens mulier ad filium retardandum: ſed manibus in cælum ſublatis, totam ſuam mentem collegit ad orationem, cum his verbis confirmaſſet ſui chariſſimi propoſitum: Abi, fili, dicens, quoniam te direxit diuinus gratiæ ſpiritus. Ecce Deus, ô fili, quo viuimus, & cui te commendo, ipſe mittet bonum ſuum angelum ante faciem tuam: & te deducet, vt vult, & quo vult, proſpero itinere pergentem in omnibus, & placentem gloriæ maieſtatis ſuæ: & dabit tibi gratiam in verbo & opere, & te ſeruabit in omni via recta, vt mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te. Induet te lorica iuſtitiæ, & imponet tibi galeam ſalutis. Dabit vt ſemen tuæ operationis cadat in bonam terram, & vt comedas labores fructuum tuorum. Sit vita tua tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet. Acceptæ ſint preces tuæ coram Deo ad ſalutem multorum. Reſplendeat tanquam meridies iuſtitia operum tuorum. Videam te tanquam Luciferum ſplendidè orientem, propterea quod plus, quam parentes, tuum dilexiſti Dominum. Cum itaque poſt orationem irruiſſet filius in collum matris, & mater in collum filii, fleuiſſentq; & ſe inuicem eſſent amplexi & deoſculati, vale dixerunt miſerabiliter. Atq; iuſtus quidem cum preces maternas eſſet aſſecutus, prompto & alacri animo viam confecit: illa autem rurſus eum quiete & ſilentio domum rediit.

Sancta matris virtus rara virtus.
Pſalm. 19.
Pſal. 1.
Relicta patria & matre, in Orientem proficiſcitur.

VII. Cvm autem multis poſt diebus vulgi ſermone celebratum eſſet quod factum fuerat, omnes quidem in miniſterio collegæ, & omnes ciues fuêre triſtes, non ferentes hominis priuationem. Sanctiſſimus autem antiſtes ciuitatis ne vel id quidem audire ſuſtinuit: ſed rectà magna celeritate ſanctum eſt perſecutus, diligenter quærens & inueſtigans, vbinam manſiſſet, & quanam, & quando tranſiiſſet: & licebat videre hominem præ animi ægritudine tanquam vaccam mugientem, quando ſuum quærit pullum, qui aberrauit. Deo verò prouidente meliora, eum aſſequitur Euchaitis, cum celebraretur dies feſtus Theodori martyris: & multis tandem perſuaſum precibus, reduxit ad ſuam ciuitatem, & illic de cætero ſanctus monaſticam vitam diuinè peregit. Sic enim ſic quadam benignitate res noſtras Deus adminiſtrauit, vt qui ex ipſa patria productus fuerat fructus, eum ipſi rurſus patriæ lætitiam dederit ſalutarem. Audiuit certè in ſomnis vir ille iuſtus diuinum conſilium, ne ægrè ferret tanquam, qui à via ſperata aberraſſet. Illic enim eſſe ſancta loca dixit ille, qui noctu apparuerat, in quibus Deum amans quiſpiam eligere poſſet pie viuere. His ergo viſionibus excitatus, obibat hilaris, perſcrutans locum, in quo poſſet figere tabernaculum, remotum à ciuitatibus & pagis, quietumque & à ſtrepitu ſeiunctum. Aſcendit ergo in vnum montem ad meridionalem partem ciuitatis, & cum cognouiſſet pulchrum eſſe montem, & ſublatum in altum, & ab omni turba liberum, ſtans in vertice montis, ſpeculabatur vndique: oculiſq; fuit delectatus, valdeq; lætatus fuit ſpiritu, & acquieuit ei animus, loco autem deerat aqua, & hoc male habebat ſanctum.

Dies feſtus Theodori martyris.
S. Cionaſſit monachus.

VIII. Post vnum itaq; diem accepto raſtro & ligone, in montem rurſus reuertitur. Quæſiuit vero & fodit vſque ad meridiem, & non inuenit, nec erat. Quocirca triſtitia affectus, ſedit poſt laborem, & ſedens obdormiit: in viſione autem vidit virum locum oſtendentem, & ei conſulentem, vt ibi foderet. Surrexit, & fodit, ecce autem quædam parua pinguedo: & perrexit fodere profundius, & aqua erupit, ipſe vero exultauit animo, & Deum rogauit, qui facit miſericordiam ſuam in eos, qui ad ipſum confugiunt: & properè cucurrit ad ſuum Antiſtitem, & rem ſignificauit, & petiit vt aræ figeret fundamentum, cum ipſe benedixiſſet. Ille autem cum hoc reſciuiſſet, ſancto quidem aſſenſus eſt, vt omnia faceret. Clam verò mittens, obſtruxit os fontis, vt tædio affectus, montem quidem relinqueret, vt aſcenſu difficilem, & qui aſperum & arduum ad eum aſcendere volentibus haberet aſcenſum: inferius autem habitaret campos, qui ſunt circa ciuitatem, vt ad quos omnibus facilis pateat aditus. Omnia vero luſtrabat & circuibat ſanctus, locum inueſtigans ſeparatum & remotum. Videt autem ante ciuitatem quandam ſolitudinem, quæ erat plena ſepulcris antiquiſſimis: in quo loco magnum agmen ſpirituum deliteſcens, eam reddebat tetram & horrendam omnibus hominibus. Ad quam Chriſti miles primum & primus auſus eſt accedere, magno ſtupore perculſis viris illis, cum quibus obibat conſiderans & quærens locum quietis. Neque enim Dei amor ſcit vnquam ſuſpectum habere periculum, vt qui ad id, quod videtur, ſpe potius agatur meliore. Inter ſe autem omnes ad ipſum viri voces emittebant, procul diſtantes & clamantes: Quiſnam dæmon te à nobis ſic raptum illuc tranſtulit, ô homo? Heu heu recede, egredere ex hac mala ſolitudine, qua ſoli delectantur dæmones, & ad ſe rurſus conuerſi dicebant: Hic eſt emotæ mentis: deſipit ſic ſeipſum tradens malis dæmonibus. Hæc ſæpè clamantes, & ſuas dexteras extendentes, annuebant vt fugeret, & illinc citò diſcederet. Sanctus autem vix tandem, multis eorum conuerſus clamoribus, ſuauiter & placide eos intuens, ſubtiſit, quod præ timore quidem clamarent, non auderent autem propius accedere, & opem ferre ei, qui apud eos veniret in periculum.

Viſio ei obtingit.
Inquirit locū ſolitariū in quo commoretur.

IX. Cvm illi verò aliquantulum in eo loco eſſent morati, volentes ſcire finem, poſtquam eum adſpexerunt ſublime ſtantem ſuper vnum ex iis, qui illic erant, tumulis, ipſi quidem in domos ſuas reuerſi ſunt fugientes. In ſummo autem vertice tumuli ſtabat columna, poſitum habens Tautoleonem. Ad eum tanquam animatum & vix tandem viſum amicum, exultans accedit, & ardentiſſime eum complexus, ſuauiter & comiter eum alloquens, dicebat: Salue, ô lapidum merces mihi precioſiſſima. Sic enim te reprobatum, & ab iis qui ædificarunt ad ſepulcrum, & ſepulcri ſignum deputatum, ſalutare conſtitui, mihi potius factum ad caput anguli, adeo vt ſatis aptè poſſim dicere, me credere & putare eum eſſe factum à Domino, & eſſe mirabilem in oculis noſtris. Salue mihi, ô petra, propter Chriſtum. Salue tu, quoniam vera quoque petra Chriſtus, quæ labefactari non poteſt, vis eſt appellatu, ſuper quam pedibus meis firmiter inſiſtere cupiens, elegi hoc habitaculum ad æternam requiem. Hæc & his plura cum dixiſſet præ gaudio, ad ſuam excurrit ciuitatem. Cruce autem accepta & vecte ferreo, ſtatim reuerſus, leoni ſubiecit vectem ferreum erat enim prægrandis & valde grauis: ſeipſum autem vecti: gemenſque & laborans, vix tandem potuit humi deiicere ſtatuam (erat enim beatus ille fortis, vt qui eſſet in ipſo vigore iuuentutis) eius verò loco erigit & extollit potentiſſimum ſignum, nempe Crucis trophæum: vt tyranni bellica officina diuinarum virtutum operatione ſecurè nunc videatur, & habeatur ludibrio. Sic vas aureum & electum, armis omni ex parte munitum, in eo loco iam ſecurus ſe ſopori dedit. Videt autem duos viros, ſacerdotalem præ ſe ferentes dignitatem, ad eum accedentes, & eum leniter reprehendentes & increpantes, dicendo. Quouſque ſiuiſti nos expectare, ô homo Dei? Si tu es ipſe Alypius à Deo prædeſtinatus, vt

Intrepidus ſibi habitationē inueſtigat in locis infeſtis.
1. Cor. 10.
Erigit potē tiſſimum ſignū & trophęū Crucis
Viſio eius.

hæc loca ad pietatem traducas & religionem, ne differas ſacere, quæ te manent. Hi etiam, quando magnæ martyris Euphemiæ ædis cœpit iacere ſundamenta, ſancto apparuerunt. Vnus quidem eorum manu tenens thuribulum, definitum quendam locum circumſcripſit. Oſtendebat aūt eam, quæ fuit poſtea, Eccleſiam. Alter leni voce acclamabat: Oſanna huic loco. Et quinam eſſent quidem hi viri, nulli aperte indicarunt: eorum aūt reliquiæ aliquo poſt tempore inuentæ ſunt tales, quales ſancto in ſomnis apparuerant, ſuaui odore locum implentes: vt mirarentur, qui illo tempore in eas inciderant, quæ in hodiernum vſque diem ſeruantur integræ in atrio templi magnæ Euphemiæ martyris, cum ſic beatus ille iuſſiſſet. Quomodo aūt & quando & vbi apparens, in certaminibus exercitatiſſima Euphemia, acerrimum excitat ſancti zelum ad ſacram ædem ei extruendā, oportet nos dicere, nec eos qui legent, fraudare narratione. X.

Periculoſū verſari in vrbibus.

S Euphemia ei apparet.

Ad regiam propter quædam negocia tunc ibat huius Antiſtes. A quo etiam ſimul iter ingredi, vt qui eſſet Diaconus eccleſiæ, iuſſus eſt vel inuitus, vt cui minime eſſet gratum verſari in ciuitatibus, cum ſic facilè ad voluptatē & vitia inclinetur animus. Propter Pontificis tamen reuerentiam Chalcedonē vſq; eſt conſecutus. Illic cū clā ſe ſubduxiſſet, dum eſſet Epiſcopus mare tranſmiſſurus Conſtantinopolim, vbi iuxta mare eſt poſitum martyrium Baſſæ martyris id ingreſſus, ſub vno ex ſcamnis, quæ illic erant, dormiens latebat. Cum ſenſim aūt in ſomnis martyr ei apparuiſſet, & iuberet eū cito ſurgere: ille vero eius decorē & honeſtatē eſſet admiratus, & lubentiſſime interrogaret, quiſnā eſſet, & quare iuberet ſurgere: dicit ei: Ego, quam vides, ſum Euphemia, Chriſti ancilla & martyr. Surge aūt, &, ſi velis, eamus in tuam patriam. Simul enim tecum vado, eroq; tibi in itinere, ſi Deus velit, ſocia & adiutrix. Vigilanti aūt deſiderium cum Martyr beato immiſiſſet Alypio, lætum compulit in patriam, nequaquam oblitum ſuæ patronæ, eam enim ſemper habebat in memoria, contemplans quam ſuauiter eum ſit allocuta, quam benignè ſeipſam oſtenderit, adhortans vt ingrederetur viam, quæ ducit ad vitam agendam cum Angelis, & ad æterna fruendum lætitia.

Matth. 10.
Luc. 10.

2. Cor. 6.

Propter hæc in nomine ſanctæ fundauit martyrium, breue quidem tunc, & quod ſatis eſſet ad implendum Martyris deſiderium. Non enim habebat conuenienter ſuo magno animi ſtudio, quæ ad magnificentiora poſſet tranſire, poteſtatem. Nam diuinis obediens præceptis, non habebat peram, non zonam, quæ æs conſeruabat, non duplicē tunicam, & quod eſſet ad vſum ſuperuacaneum: ſed viuebat in ſua ſponte ſuſcepta paupertate, gratam fidem oſtendēs in eum, qui ipſum fecerat, & conuenienter Apoſtoli præcepto, omnia poſſidens in eo, quod nihil haberet. Vnde etiā ſumptum quoque, qui fiebat in columna, quidam ex familiaribus, & iis, qui ſciebant eum nihil poſſidere, alacri animo offerebant, perinde ac ſi Deo gratum offerrent holocauſtum, propter ſuam in eum reuerentiam, quod viderent virū creſcere in iis, quæ ſunt ad Deum, aſcenſionibus, & ex ſancto Spiritu puras illuminationes mente puriſſima ſuſcipere, ieiuniis & vigiliis ſuum corpus redigentem in ſeruitutem, & non permittentem, vt inſurgeret aduerſus appetitiones ſpiritus: vt qui apertè ſciat, quod qui pro virtute certare ſtuduerunt, debent eſſe integri & perfecti ſpiritu: non aduerſus ſanguinem & carnem contendentes, ſed aduerſus principatus & poteſtates & huius mundi principes: cum quib. colluctatio eſt difficilis iis, qui ſecundum carnem viuūt. Hinc fit, vt à ſuo ſcopo non aberret, ſed vincat eos, qui ſunt carnis expertes, is, qui in carne refulſit: & aduerſus eos inſignem victoriam ſit conſecutus: vt per eos, qui in veritate glorificant ſeruum eius, Deus glorificetur, & per fideles ſeruos ſuos ſuam oſtendat maieſtatem. Quæ enim per ipſum & in ipſum conſpecta ſunt fieri, diſcite, ô fideles, & mecum Dominum magnificis laudibus extollite. XI.

Ecce quomodo corpus ſuum ieiuniis & vigiliis caſtigauerit.
Epheſ. 6.

Dæmones irritati oppugnant eū.

Fruſtra ei laqueos tendunt.

Templū S. Euphemiæ dedicatum

Nam cum vellet beatus Alypius diuinè in columnam aſcendere, ſenum ductus conſiliis, ingreditur tunc in cellam, quæ erat humilis & valde breuis, triginta annos natus, cùm laboribus exercitationis ſe biennio pulchrè exercuiſſet, tanquam quidam Imperator, qui eſt acie congreſſurus cum hoſtibus. Illic enim ſtatim aduerſus ſanctum inſurrexerunt ſpiritus, eos enim irritabat valde, pſallens, & paulatim percutiens ignitis dictis diuinorum eloquiorum. Quocirca furore perciti, penitus ſurgentes tanquam ex aliquibus inſidiis, impetum fecerunt in cellam, vniuerſam concutientes ex fundamentis, exiſtimantes ſe ab initio magis poſſe ſuperare beatum virum, ſi terrore ſpectrorum eum perculſum inuaderent. Sed ii quidem vt improbi inſurrexerunt & receſſerunt, vt qui ſanctum potuerint nulla afficere iniuria. Stabat enim tanquam mons Sion, confidens in Dominum, ègregia munitus lorica precationum, & magna Crucis lancea. Cum autem à cella receſſiſſent, rurſus inuaſerunt oratorium. Nondum enim eius facta fuerat dedicatio. Poſtquam certe id viderunt conſectari, dolo quoſdam ſonos emittentes, & horribilem rugitui leonis ſimilem vocem edentes, adeo vt vniuerſa, quæ eo conuenerat, multitudo diſperſa ferè fugiſſet huc & illuc, niſi eius timorem ad fiduciam, quod præceſſit, traduxiſſet Euangelium. Poſtquam enim Diaconus acclamauit illud, Secundum Matthæum, reſpondens illud conſuetum, Gloria tibi Domine: in templum totus populus proſilijt, non ferente amplius aduerſaria poteſtate ſanctitatem eorum, quæ fiebant, ſed fugiente cum quodam ſono & ſtridore, perinde ac ſi à graui flagello torqueretur. Atq; ſic quidem eiecti tunc fuerunt ſpiritus, vt non amplius auſi ſint accedere ad Martyrium. Sic autem ipſum conſectatum, fuit dedicatum martyri, vtpote quod ipſa prius ſanctum incitaſſet ad certamina pro virtute ſuſcipienda, ſicut antea oſtendimus. XII.

Perpetuo ſtat S. Alypius in columna.

Deinceps autem ab eo tempore vnuſquiſque, tam paruus, quam magnus, verſabatur ſecurè in illis locis ſe oblectans: & apud beatum virum aſſidue frequentes erant, ſeu vir quiſpiam, ſeu mulier, ſeu puer, ſeu ſenex vellet cum eo verſari, & comedere, & beatis eius frui ſermonibus, erat enim iucundus omnibus, nec vllum capiebat vnquā eius tædium. Sed cum hoc inueniſſet afferre animæ detrimentum, quod negligerentur preces & ſtatus ſpiritalis, valedicens terrenis omnibus, & amicis, & negociis, aſcendit ſeipſum affigens columnæ, paucis tabulis concluſus in capite columnæ, adeo vt nec ſufficeret quidem ad hoc, vt parum poſſet ſanctus recumbere aut ſedere: ſed perpetuo ſtaret in ipſa tanquam ſtatua ænea, luctans cum imbribus, cum æſtu & frigore, nubibuſque ſimul & ventis & tempeſtatibus, quibus & lapis & ferrum inanima materia & ſolida, ſæpe tempore diffluunt & diſſoluuntur, & ad perfectum veniunt interitum. Hæc ergo fortiter tulit vir ille magnus, ſanctorum ſocius, & qui plus, quam ſancti, decertauit, plus, quam quiuis raptor & latro, violentus poſſeſſor regni cælorum. Nam illi quidem fortaſſe hoc cupientes iniuſti, pœnam dolorum recuſaſſent, meliorem partem conſecuturi. In huius autem ore perpetuo erat Dei laudatio: vniuerſa vero eius vita à tenera ætate fuit confeſſio. XIII.

Dan. 3.

Vide vitam 40 Militū ex Metaphr. Martii 9. cap. 7.

Lapide petitur à dæmonib., ſed contemnit.

Quisnam ergo ex martyribus tam multa certamina afflictionis & malorum perpeſſionis pro Chriſto vnquam ſubiit ſeptuaginta annos? Tres illi pueri flamma Babylonia viſi ſunt aliquando ſuperiores, ſua in Deum fiducia, præclare ea ardentiores. Sed aduerſus vnum elementum, nempe ignem, decertarunt, & vno die. Hic autem perpetuo æſtus flammam, æſtiuis ſolis lāpadibus vehementer vrentibus, fortiter ſuſtinuit. Nox vna aliquando hiberna & gelu, vnū ex numero militari diuellit à quadraginta, qui ſpe balnei à tota ſpe miſerabiliter excidit. Hic aūt tot annorū glacie, & ventorum flatibus grauiter ſpirantibus concretus, nunquam fuit animo labefactatus, quotidie, vt ſemel dicam, morte affectus, & rurſus reuiuiſcens. & inſultibus decertationis fortiter & generoſe reſiſtens. Si autem aduerſus feras agreſtes & immanes decertauit ſanctorum aliquis: & nemo, ſicut hic vir præclarus, depugnauit aduerſus dæmonia nequitiæ. A quibus in aſtro nocturno, tanquam à funditore aliquo ſtans in columna, in humero fuit percuſſus lapide. Ille autem ſtatim manus in cælum extollens, & aſtris & ipſis oſtendit dæmoniis, ſe nihil timere: ſed hæc liberè dixit: Quid vobis mecum rei eſt, ô pernicioſi, & hominibus infeſti dæmones? Quid fruſtra conturbamini, & in Dei ſeruos incaſſum exercetis inimicitias? Videte enim lapidem, quem vos in me coniecistis. Is erit mihi teſtis veſtræ improbitatis, XIV.

probitatis, quem oſtendam coram Chriſto meo in die eius aduentus. Vt autem ſciatis, me telum infantium reputaſſe
plagas veſtras: ecce humi deiicio tectum, quod eſt ſupra caput meum, quod ſæpè arcet iactus lapidum, & non ſinit me
eadem pati pro Domino, quæ Stephanus primus martyr, & eandem quàm ille coronam accipere, quem vos Iudaicis
manibus interfeciſtis: cum quibus etiam ſubibitis æternum gehennæ ſupplicium. Illi cum hæc verba audiſſent, & *Acto. 7.*
cognouiſſent illum iuſtum audere omnia pati pro Chriſto, aufugerunt protinus. Hoc enim illa nocte auditum eſt Dæmones
à quibuſdam, qui iter faciebant, quod in quodam loco itineris occurriſſent dæmonibus deflentibus ſuam fugam, victi fugiũt
& apertè clamantibus: Alypius nos expellit à noſtro habitaculo. Quo ibimus, cum non habeamus locum, in quo conſiſtamus?

XV. EGREGIVS autem Chriſti miles poſt preces matutinas, fingens ei opus eſſe, à ſua matre petiit ſecurim. Quam Manet ſem
accepiſſet, ille ſepti tectum à quatuor locis diſſoluit, & humi diſiecit: & manſit ſub dio vſq; ad extremum diem ſuum. per ſub dio.
Mater verò eius poſtquam ſenſit ſonum tabularum, eaſque vidit humi fractas, dextera frontem accipiens: Cur
hoc feciſti, inquit, ô fili? Cur euertiſti ſalutem tuæ cuſtodiæ? Quomodo feres nimias hiberni temporis? aut vernarum
pluuiarum vehementes inundationes, & æſtatis meridionales & ardentes radios? Non conſideraſti ventorum
terribiles impetus, lethiferas à mari plagas: fulmina, quæ repentinam multis mortem afferunt: & eorum, qui aduerſantur,
violentiam, quæ non cadit ſub adſpectum? Matri autem ſuæ ſapienter reſpondens iuſtus, dixit: Propter Encomion
quem hæc omnia pati opto, eſt Chriſtus viui Dei filius & Deus, certa eorum quæ ſunt, vita, pro quo quiduis minimum matris eius.
pati, eſt res beata. Non nunc quidem, ô mater, lubenter horrorem patiemur, vt illinc ad lucem inacceſſam accedamus?
Non feremus hic æſtum diei, vt labore dignam mercedem accipiamus, & æterni ignis fugiamus ſupplicium?
Cum hæc & alia multa his ſimilia dixiſſet, perſuadet matri, vt propemodum ſuaderet, non ſolum abiicere
tabulas propter Chriſtũ, ſed etiam tunicã, & corpus præterea exuere. Neſciebat enim miſereri filii, etiamſi eſſet valde
amans liberorum, qui hîc propter Chriſtum patiebatur. Negabat naturam præter naturã, vt nato præponeret eum, qui
genuerat: licebatque videre rem iucundam & gratam omnibus fidelibus: matrem, quæ lætabatur ob chariſſimum
filium: & filium, ob matrem filiorum amantem: & Deum, qui propter ipſos verè & ſyncerè glorificabatur. Quis
enim illius honeſtæ & admirabilis mulieris non benedixit filium? aut quis rurſus huius fructus radicem, tanquam
ſanctam non beatam pronunciauit? Nam præter alia bona, quibus erat ornata, permanebat etiam apud filium, ei
inſeruiens & ſubminiſtrans, quæ erant neceſſaria, tabernaculo fixo apud columnam. Quo in loco cum renunciaſſet
omnibus, quæ ſunt in vita iucunda, tanquam in paradiſo referta deliciis, propriis manibus acquirebat, quæ ſunt ad
vſum neceſſaria, vt vidua & quæ maritum non habebat: tanti faciens eleemoſynam, vt miſerabile eſſe putaret duos
aſſes poſſidere.

XVI. ALIQVANDO certè accidit, vt aliquis tertiam partem offerret numiſmatis. Quam cum accepiſſet rogatu fi- Quã illa ſue
lii, circuiuit ad ciuitatem, vt eam in minutas æris partes commutatam, conſumeret ad vſus ſui victus. Cum autem, rit b. erogat
poſtquam hæc feciſſet, teneretur, fracta pauperum adiurationibus, vniuerſum diſtribuit. Deinde cum eam vidiſ- in paup.
ſet filius nihil habentem in manibus, Vbi eſt, inquit, minuta moneta? Opus enim habemus ad ſumptum. Deo, inquit,
ô fili, & pauperibus nos credidi. Non enim pium eſſe ſtatui propter nos deſpicere iuramenta pauperum, & peierare
Deum viuentem: credens fore, vt nos quoque eorum, qui miſericordiam conſecuti ſunt, precibus aſſequeremur
miſericordiam. Propter hoc factum benedixit matrem, & accepit lætus quod factum fuerat, vt qui illius eſſet infans Euphemia
& fœtus. Quamobrem Deus eos etiam in altum in terra ſuſtulit, dans bona in terra, & quæ ſunt in cælis meliora. illuſtris ma
Nomen enim ſancti, & gratia Dei, quæ vbique propter ipſum prædicabatur, multas animas vocabat ad pœnitentiam trona vi ie
virorum & mulierum. Primam autem Euphemiam quandam, quæ erat vna ex illuſtribus fœminis ciuitatis ſancti A- duxites,
lypii, tantum incitauit zelus in Deum, vt mariti & liberorum, amicorumq; & cognatorum nullam curam ducens, ſe
in viliſſima incluſerit domuncula propter beati columnam, arctæ portæ fortiter tranſmittens anguſtias, & nunc affatim
ſe explens vitæ æternæ deliciis.

XVII. POST eam autem Dei quoque amor compulit magnam illam inter mulieres, & primam muliebris ædis ducem Itẽ Eubule.
Eubulem: quæ ad tantam peruenit menſuram virtutis, vt media nocte aliquando ſuſtiens (erat enim hoc ei in more
poſitum) plurimas horas, ita vt oculis adſpiceretur, aduerſus dæmonem concertauit: qui non ſinebat ſanctam tranſire,
ſed depugnabat, ne mediæ noctis preces Domino redderet, vt conſueuerat. Quæ & vitæ facultatibus, & multa
gloria viduata, in vita, quæ ex virtute agitur, ita refulſit, vt paucæ ex iis, quæ erant in terra. Eis autem paulopoſt fiunt
ſimiles & Maria ſancti patris ſoror, quæ ipſa quoque renunciauit omnibus, quæ ſunt in terra: marito, inquam, & iis,
quæ ſunt ad tempus, deliciis: ſe tam fortiter gerens in exercitatione, vt illius continentia ſit reliquis exemplum ex iis, Item Maria
quæ decertant, vſque in hodiernum diem: & aliæ complures, quæ colligebantur tam peregrinæ, quam indigenæ: quæ ſoror Alypii
res ſuas humi iacientes, ad ſancti patris genua ſupplices procidebant, dicentes: Perte ſaluæ fiamus, ſi curtis propter
coronam, in quam non cadit interitus. Nos quoque fortes euademus & viriles. Nam etſi ſexu ſimus imbecilliores,
veſtra tamen imagine ſumus nos quoque ornatæ ab eo, qui eſt potentior, pro virtute eadem valentes facere. Non
eſt enim maſculus & fœmina apud Chriſtum. Quæ intelligentia percipitur, precioſiſſimam mercemur margaritam: *Gala. 3.*
Simus ſociæ negociationis. Veſtra ſit maxima pars lucri: efficiamur nos ſolum participes negociationis. Ne nos ti- *Matth. 13.*
mueris, ô pater, quod ſimus genus humile, & facile inclinemur. Mundum cognouimus: per iucunda tranſiuimus: omnium
fecimus periculum, & omnia vana eſſe cognouimus. Vnum ſolum ſcimus Chriſto viuere, & eius præceptis parére.
Huic pulchro amatori crede nos eſſe deſponſas.

XVIII HÆC cum audiuiſſet ſanctus, illachrymauit, diligens feruorem earum in Deum propoſiti: & fixis oculis adſpiciens
cæli altitudinem, toto corde Deum orauit, dicens: Benigne Domine, qui pœnitentia curas delicta hominum, Eleuatis o-
aſcendant verba ſeruorum tuorum coram te, & fiat eis ſicut crediderunt: & da vires ſeruo tuo, vt ſatisfaciat culis in cæ-
animabus eorum, qui confugiunt ad fontem tuæ miſericordiæ: & eas exhibeat in die aduentus tui caſtas abſque vllo lum orat.
dedecore, indutas operibus lucis & iuſtitiæ ſanctitatis, ad gloriam magnificentiæ ſanctitatis tuæ. Et hæc quidem orauit:
à ſe inuicem autem diſtinctas duas ſacras ædes extruxit, in quibus vtriuſque ſexus corpora diſtribuit, (non enim
dixerim ſpiritus & animas) dans regulam & præceptum ſanctis fœminis, vt maſculorum oculis nunquam adſpice- Nota cau-
rentur: vtpote quod ſit valde periculoſum iis etiam, quæ ſunt valde probatæ. Quæ quidem id vſque adeo inuiolatum tionẽ ſancti
ſeruauerunt, vt cum beatus Alypius eis ſæpè permiſiſſet, quod in mortis veniſſent periculum, vt viderentur viri.
ab eorum parentibus ſecundum carnem, noluerint: vt continentia in Deum, naturæ quoque vinculo fierent
ſuperiores.

XIX. CVM his ſancti quoque mater ſimul verſans, eandem quoque ſeruabat regulam, habitum autem nequaquam
acceperat monaſticum, à ſancto ſæpè rogata: idem eſſe dicens Diaconiſſam, quod monacham, ſed ei perſuadet Viſio matris
ſomnus, & diuina quædam reuelatio, vt ſanctum oraret, vt ei imponeret habitum exercitationis. Viſa eſt in ſo- eius.
mnis audire ſymphoniam ſacroſanctarum mulierum, quæ diuinos & modulatos hymnos canebant in Regem
ſuum

ſuum & Deum: & delectata ſpiritu, cum voluiſſet domum ingredi, in qua modulabatur choros ducentium cœtus, & cum eis canere & Deum laudare, non fuit ei permiſſum ab eo, qui præerat ianuæ, & ſeruabat aditum, qui dicebat: Non intrabis, neque poteris verſari cum venerandis Dei ancillis, cum ſis hoſpes, & imperita earum habitus exercitationis. Propter hæc pudore & magno animi angore fortè affecta, eſt experrecta, & ſancto genu flexit, & rogauit eum vt habitum acciperet, exponens omnia quæ viderat in ſomnis. Eum autem cum mane accepiſſet, animo læta facta eſt & exultauit, nulla re de cæterò defecta, quæ pertineret ad perfectionem. Quæ quidem cum multos & varios fœtus ſeminaſſet iuſtitiæ, nunc fruitur fructibus, in quos non cadit interitus.

Habitum monaſticũ illa induit.

XX. ATQVE ſic quidem ſeorſum & ſeparatim effecit beatus ille habitare homines & mulieres: In Deum autem & in reliquo vitæ inſtituto, tanquam germanos in Chriſto fratres, nihil omnino differre: ſed vnanimem inter ſe inuicem conſeruare charitatem, vna voce benefactorem & vitæ ſuppeditatorem noctu & interdiu laudare ſepties: vt concorditer extollendo concentum canticorum, Regem creatæ naturæ verè & ſyncerè placent. Deo autem & Angelis & ſanctis iucundum quidem erat audire pſallentes: iucundius autem, videre hominem Dei, intra cælum & terram affixum columnæ, tanquam Angelum æthereum, in altum extenſis manibus, per tres claſſes glorificare Trinitaté. Nam ſimul cum eis † pſallebant, qui erant incluſi ad baſim columnæ. Seorſum rurſus chori multitudinis monachorum, & chori rurſus mulierum alibi. Talis laudum in Deum erat gratia, vt ſæpenumero nonnulli ex iis, qui prætergrediebantur, hæc audientes cantica, ad tantam venerint compunctionem, vt relictis actionibus, quas ſtudebant exequi, in eo loco totum diem remanſerint, donec ceſſarit pſalmodia.

Vide hic ſeptem horas canonicas.

† pſallebat, legendum puto.

XXI. VENIO poſt hæc ad magna dicenda miracula, quæ Deus fecit in ſuum famulum. Nemo autem ſit, qui fidem non adhibeat, ante multorum enim oculos ſæpè, cum fieret, apparuit. Id autem erat lux è cælo deſcendens ſuper ſancti verticem in columna, & manens aliquamdiu. Id verò tunc accidebat, quando nox erat & continuæ voces tonitruũ, quando fulgurum crebræ coruſcationes, quando imbrium inundationes, propterea quod non auderent omnino, vt arbitror, intueri gloriam arcanorum. Locus aũt vſque adeo refulgebat ſplendore lucis, vt qui erant cõtẽplationis ignari, exiſtimarent globum omnino inflammari. Ipſe autem in tremore exultans, ſenſim dicebat arcanum traditionis cœnæ myſticæ, dicens etiam reliqua ante aduentum & poſt aduentum, minimè volens agnoſci miraculum, humanam vitans gloriam, quæ eſt ad tempus. Illius autem lucis aduentum præſignificabat Crux, quæ erat in vertice affixa tabulis: quæ quidem valdè mouebatur in globo, & emittebat quendam ſonum ſtridentis ſibili, donec rurſus redacta in formam columnæ ignis venientis vſque ad nubes, rediret ad cælorũ altitudinẽ. Hoc autem viderunt, non vnus, duo, aut decem, aut ſolũ quinquaginta, ſed etiam plures alii: adeo, vt ad ipſam vſq; regiã tranſiret viſio tanti miraculi.

Lux e cælis lapſa inhæret vertici S. Alypii.

κλονῦβω.

XXII. MVLTIS certè precibus, quæ tunc erat Imperatrix, à Dei ſeruo contendit: multas quoq; pecunias partim miſit, partim etiam ſe eſſe miſſuram eſt pollicita, ſi Crucem, quæ erat ſuper columnam, mitteret in regiam. Cui quidem literis ad eam reſcriptis perſuadet, vt parum expectans, id aſſequeretur, cuius ſtudio tenebatur: vt qui puro mentis oculo præuidiſſet fore, vt Imperatrix è vita excederet. Nam hoc quoq; dono dignatus fuerat à patre luminum, vt tanquã præſentia futura prædicaret, vni quidem diadema imperii, alteri autem ſanctæ cathedræ rectionem. Oratio autem paulo poſt fuit ipſa re confirmata. Hinc rurſus factum, vt ad eum concurrerent: nonnulli quidem de longa amicorum aut cognatorum abſentia, tanquam à propheta, certum ſcire volentes, an ſupereſſent: alii vero morbi diuturni cupientes aliquod accipere remedium. Hoc enim habebat, quod nullus ex doctis & peritis medicis, id autem erat, pro ægrotis effundere lachrymas, vt qui laborabant, ex alto haberent curationem. Alii autem quærentes de vi principum & magiſtratuum, & violentiorum contractuum iniquitate: quorum nodos & captioſos plexus hic diſſoluebat: non in ijs, quæ doceri poſſunt, humanæ ſapientiæ verbis: ſed in ijs, quæ doceri poſſunt ſancti Spiritus: vt nullus huius mundi, qui gloriantur in ſapiẽtia, omnia faciens & cogitans per orationẽ & deprecationẽ, vt omnino aliquos & ante omnes Chriſtũ lucrifaceret, ad alios quidẽ ſcribens: alios aũt monens: pluribus etiã donans: omnes aũt, qui propter inimicitias, litemq; & grauẽ furorẽ enſes ſæpè contra ſe inuicem ſtrinxerant, cũ apud ipſum fuiſſent, concordes & ſe cõplexi exierunt, fratres animo, coniuncti affectione: adeo vt quilibet homo iuſtus glorificaret & laudaret Dominum miſericordem. Ipſe enim beatæ filiorum Dei partis veluti pacificator, appellationem ſuam lætus lucrifaciebat. Ille & in paupertate ſpiritus & in perſecutionibus, gratia Dei, tanquam regnum Dei poſſeſſurus, erat beatus.

Prædicit futura.

Omnium nodos & quæſtiones diſſoluit.

ἀλύπιος. alienus a moleſtia.

XXIII. SI autem ii quoq; qui lugent, ſunt conſolationem accepturi tanquam beati: quis eſt illo beatior, qui pro commiſeratione & miſericordia & amore apud Deum effudit tot riuos lachrymarum? Porro autem fuit vir ille adeo Domini & Chriſti amans, vt quotannis eius paſſionis legens Euangelium, (is enim erat mos eius) pro probris & contumeliis, quibus fuerat affectus, lachrymaretur & diſcerperetur: adeo, vt putaret ſe videre Dominum in ipſis paſſionibus. Quod autem eſſet inter mites enumerandus, planum factum eſt, cum terram poſſederit. Pro eleemoſyna autem tantam conſequetur miſericordiam, quantum miſericors fuit ſupra præceptum. Quidnam autem ſit hoc, opus eſt dicere: Petiit aliquando mendicus ab eo indumentum. Ille verò nihil dubitans, in cordis hilaritate, cum ſibi ademiſſet, qua indutus erat, tunicam, & dextera inuoluiſſet, deiecit à columna, ſiniſtræ manui arcano non credito. Deo enim faciebat, qui non vult tuba cani pietatem. Et qui miſericordiam fuerat quidem conſecutus, cum quod petebat impetrâſſet, receſſit, Deo agens gratias, quod curam gereret indigentium.

Matth. 5.

Seipſum nudat tunica, & dat pauperi.

Matt. 6.

XXIV. IPSE autem tamdiu perſeuerauit in aëre congelatus, donec quidam vir religioſus ex iis, qui erant incluſi, cum in eum intendiſſet oculos, ſic dixit ei: O ſacra & beata anima; quænam vis dicendi, aut quot linguæ doctorum poterunt explicare tuam diuinam virtutem? ab ortu benedictum tuæ vitæ progreſſum? intelligentiam canæ iuuentutis? ſenectutis quæ non poteſt damnari tolerantiam, manſuetudinem, & in omnes comitatem: Quis pater vnquam tanto ſtudio defendit filium, quanto tu quemlibet, qui afficiebatur iniuria? Quis, contritis maxillis iniuſtorum, è medio dentium prædam rapuit, ſicut tu? Quis autem ſic conſeruauit pauperem à manu potentis? Orphano verò, cui non erat adiutor, quis ſicut tu, opem tulit? Os autem viduæ & pauperum, quemnam ſic vnquam benedixit, ſicut te iuſtum? Hæc quæ ſunt pii & iuſti Iob, ſunt quoque veſtræ. Nam vos quoque eſtis ſicut Iob, & fortè etiam ſupra Iob. Nam ille quidem in calamitatibus diem ortus ſui eſt execratus, dicens: Pereat, & non ſit inter dies annorum. Tu autem non ſic, qui fortiter omnia ſuſtinuiſti: quando te hyems terribilis multa niue texit multos dies, non permittens vt ſurgeres, premens & frigore congelans, quæ ſunt intima corporis: quo tempore concurrebat etiam naturalis ſenectutis refrigeratio, qui à iecore ſuppeditabatur, calorem non accipiens amplius, vt eſt rationi conſentaneum: & contractis neruis circa tibias, fibrarũ vires emarcuerant, naturalẽ pedũ ſtatum non amplius accipientes. Sed nõ dixiſti: Pereat nox, in qua dictum eſt, Ecce maſculus: neque Imprecatus es, aſtra illa nocte fuiſſe obſcurata. Neque dixiſti, Cur non ſum mortuus in vtero: è vulua autem ſum egreſſus, & non ſtatim perii? & cur concurrerunt mihi genua, quæ ſunt diſſoluta adeo immiſericorditer, concreta frigore? Quid autem dixiſti? Iuſtus Deus, & iuſte caſtigauit. Quid enim mihi opus eſt pedibus, qui ſum cruci affixus, & habeo manus, quas extendam ad preces, & os ad confeſſionem laudemq; & gloriam eius, qui creauit, per quæ ſit ſalus credentibus? Abeant pedes poſt octoginta & quinque annos, qui corporis miniſterio ſatis inſeruierunt. Paulo poſt enim omnino requieſcet tabernaculum, puluere reuerſo in puluerem. Cum ſic autem gratias egeris, ò diuinum & ſacrum caput, ſi fuiſſent tibi liberi, iis priuari eodem modo tuliſſes: & ſi iuga boum, came-

Eximiæ laudes eius

Iob 29.

Iob 3.

Nota vitã duriſſimam

Ibidem.

Ibidem.

Mira patiẽtia.

cameloſque & aſinos paſcentes amiſiſſes. Quibus enim tua ſponte propter Chriſtum renunciaueras, iis priuatus æquo animo toleraſſes: quoniam per arctam & anguſtam portam conſtitueras mala perpeti. Propterea extenſi ſunt palmites tui à mari, & vſque ad fluuios peruenerunt tuæ propagines. Quomodo enim quando quiſpiam generoſæ arboris fructum viderit, ex ea ſtudet ſurculos ſuæ arbori inſerere: ſic reliquæ ciuitates, tanquam à diuina & electa radice, virtuoſos auellentes diſcipulos, ſacros Antiſtites & eruditores ſuis patriis acceperunt, tanquam donum magnificentiſſimum.

Ex diſcipulis eius facti Epiſcopi.

XXV. Porro autem ego quoque, qui ſuæ plantationis viliſſima, ô pater, & tarda propago, hanc funebrem orationem auſus ſum tibi dedicare, cum ſelegiſſem paucas ex multis tuis actionibus, in quarum plurimas incidi: vt qui ex tuis didicerim certaminibus, quod tentata iuſti anima, tanquam aurum in conflatorio, ſuæ pulchritudinis non perdit probationem. De te enim olim diſceptabam ſtultus ego, hæc cogitans de tuis calamitatibus: Cur poſt quinquaginta tres annos, cum aëre & quæ in eo ſunt malis luctatus, cum eſſes iuſtus & iuſtitias faciens, priuatus fuiſti media parte corporis? Cur præter hæc quatuordecim annos non vſus es pedibus, ſed ſuper vnum latus perpetuo recubuiſti quod etiam iis, qui in lectis recumbunt ſuper veſtem mollem ſtragulam, eſt moleſtum: & non poſſunt ne vnam quidem horam ferre, quin conuertantur. Percuſſus enim fuiſti etiam malo vlcere, nempe vltima tu quoque Iob plaga, teſta ferè expurgans ſaniem tui corporis. Hæc mihi ſic dubitanti, diuinæ vocis ad Iob per procellam & nubem mihi venit in mentem, non alia de cauſa te, ſanctum hæc paſſum eſſe, quam vt iuſtus, vt ille, appareres. Credo autem ſapienti quoque Salomoni, qui de virtute præditis animabus ſic docuit: Iuſtorum animæ in manu Dei, & non tanget eas tormentum. Viſæ ſunt in oculis inſipientium mori, & reputata eſt afflictio eorum exitus: Illi autem ſunt in pace. Nam etſi puniti fuerint in conſpectu hominum, ſpes eorum eſt plena immortalitate: & parum caſtigati, afficientur magnis beneficiis. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & tanquam holocauſtum ſacrificii eos accepit: & in tempore viſitationis eorum reſplendebunt, & tanquam ſcintillæ in calamis diſcurrent. Iudicabunt gentes, & dominabuntur populis: & Rex eorum erit Dominus in ſecula. Ergo etſi nos moleſtia affecit tua, quæ fuit ad breue tempus, imbecillitas, vt qui nõ inueſtigaſſemus iudicium laudabilis tuæ tolerantiæ, quod operetur probationem: at nunc nouimus, quod corpus poſt animæ hinc exceſſum, proprium honorem conſequetur ab eo, qui creauit. Nullus enim fuit nec ex ciuibus, nec ex regionis hominibus, qui non diligenti ſtudio, eius tanquam ſancti inhærentes amplexibus, eum ſalutauerit. Mulieres autem, pueros & lactentes infantes, impellentes & repulſæ, irrumpentes & inſurgentes, flenteſque ad reliquias efferebant, animo valde anxiæ: ne ſi fortè ablatum fuiſſet corpus, priuarentur benedictione, quæ erant eis chariſſima. Atq; ſic quidem ciues & mulieres ciuitatis vix conceſſerunt, vt tollerentur reliquiæ.

Obſerua hæc lector. *Iob 2.* *Sap. 3.* *Rom. 5.* *Ecce antiquorum de vnctione erga ſanctas reliquias.*

XXVI Cum miraculorum autem poſtremum & maximum dixerimus, cum beata, ô pater, tua dormitione finiemus orationem. Quis enim neſcit, quod cum quatriduanæ iam eſſent reliquiæ, adoleſcens quidam captus fuit à dæmone. Qui cum meridiè tibi occurriſſet, & ad tuum actus eſſet ſepulcrum, & valde diſcerperetur, ipſo die fuit liberatus à maligni vexatione. Et hoc quidem ô beata anima, cum dixerimus quod fuit vltimum & magnum ex tuis miraculis, finiſimus orationem. Tu autem, qui euolaſti ad ea, quæ ſunt ſupra mentem, rationem & ſenſum, & ſortitus es ea, quæ ſunt meliora, memento tuorum filiorum & filiarum: eiſque adſis, & eos conſerua & cuſtodi, deducens ad luminoſa bona operum: vt ſequentes veſtigia, perueniant ad tuam beatam manſionem. Nequaquam obliuiſcaris, ô ſancte ouium tuæ mandræ: ſed etſi frueris gloria eorum, quæ carent materia, circa diuinitatis verſans pulchritudinem, nos adſpice & noſtri miſerere, quos & congregaſti & orphanos reliquiſti, apertè dicens: Pacem Chriſti do vobis: valete & cõferuemini, ô filii, & non formidet nec turbetur veſtra anima. Ego enim rogabo pro vobis, & mittetur vobis Spiritus ſancti conſolatio & auxilium validum: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & potentia cum Patre & ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen:

Dæmoniacus liberatur ad ſepulcrum eius. *Author inuocat S. Alypium.*

VITA S. ALEXANDRI EPISCOPI ET MARTYRIS EX ADONIS MARTYROLOGIO.

Ann. 130.

I. ROMÆ natale ſancti Alexandri Epiſcopi & martyris ſub Antonino Imperatore. Cui beato Epiſcopo, cum eſſet famoſiſſimus in miraculis, quodam tempore delatus eſt quidam mortuus. Cuius parentes cum hortaretur ſanctus vir vt crederent in Chriſtum, ſpoponderunt ſe facturos, ſi iiſdem mortuus ſuſcitaretur. Tunc ſanctus vir oratione facta, conuerſus ad corpus dixit: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ſurge. Qui ſtatim ſurgens, clamare cœpit: Audite parentes & populus vniuerſus: ductus à duobus Ægyptiis vultu teterrimis, iraque plenis, poſitus ſum in obſcuriſſimo loco, vbi erat puteus, ſubitoque veniente quodam iuuene nimio ſplendore coruſco, totus ille locus contremuit: & exclamauit iuuenis ille ſplendidiſſimus: Remittite puerum, quia vocatur à famulo Dei Alexandro. Et ecce reductus ſum in corpore. Nunc domine Alexander baptiza me in nomine Dei tui, ne vltra videam, quod hodie vidi. Vocabatur is Lucius: cum quo baptizati ſunt alii centum viginti quinque.

26. Nov. *ordinatione S. Damaſi Papæ.* *Oratione ſanctus vir mortuum ſuſcitat.* *Lucius cum ſuis baptizatur.*

II. Cumque rumor beatum Alexandrum vbique ſpargeret, Antoninus direxit Cornelianum Præſidem, vt Alexandrum Epiſcopum ei exhiberet. Qui inuenit eum die Dominica in Eccleſia docentem, & Miſſas agentem, & ſicut Imperator iuſſerat, apprehenſum perduxit Romam. Secuti ſunt autem eum Creſcentianus presbyter, Bonifacius & Vitalis. Præſes verò ligatis manibus eius retro, obtulit eum Antonino: à quo interrogatus, cum de Chriſto conſtantiſſimè perorarer, fuſtibus iuſſus eſt mactari, & grauiſſimè cædi, deinde in cuſtodiam claudi. Quo cum à militibus duceretur, Antoninus poſt illum clamauit: Quatuor dierum à me tibi dantur induciæ, vt depoſito cultu † natiuitatis tuæ vltroneus aduenias. Cui ſanctus vir reſpondit: Quatuor dies iam æſtima præteriiſſe, quod deſideras, hodie comple.

Vides Miſſã non eſſe nomen nouum, vt nugantur nõnulli. *S. Alexãder fuſtibus cæditur.* *† vanitatis*

III. Misso igitur illo in cuſtodiam, beatus Creſcentianus ſedens ſub arbore cœpit plorare, & præ triſtitia ſoporatus dormire. Cui viſus eſt Angelus Domini, & dixit ei: Iam fui ad Alexandrum, & ſolui vincula eius, & cõfortaui eum: & nunc ne ſedeatis ſub hac arbore, ne forte Tyranno nunciemini. Eductus igitur de cuſtodia beatus Alexander, iterum ſiſtitur Antonino, & ſuſpenſo in eculeo, iubente imperatore, lampades ardentes circa latera eius appoſitæ ſunt, & vngulis eius corpus abraſum. Deinde ex eculeo depoſitus, ductus eſt ad templum Apollinis. In quod ingreſſus ſtatim vt orauit, pars aliqua templi, & ſimulacrum Apollinis cecidit. Antoninus verò hoc factum magicis artibus deputans, ſedens pro tribunali, ſanctum Epiſcopum ad beſtias damnauit. Et cum nulla eum tetigiſſet, fornacem igneam parari iuſſit: & beatum virum in eam iactari. Vt autem ſanctus martyr expanſis manibus in medio fornacis orauit ad Dominum, totus ignis ita extinctus eſt, vt nec veſtigium caloris remaneret. Tunc Antoninus de fornace ſanctum virum eductum decollari præcepit. Cumque iam duceretur à militibus, quidam iuuenis ex officio Antonini,

Iterum grauiſſime torquetur. *Beſtias & ignes ſuperat.*

ronini, Herculanus nomine exclamauit dicens: Antonine inſenſate tyranne, cur cæcus & ſurdus perduras? Ecce famulus Dei poſt virgas, poſt eculeos tuos, & lampades, atque vngularum attactus, poſt templi & idoli tui ruinam, poſt leonum, & vrſorum rabiem deuictam, poſt fornacis ignem extinctum, nunc ad decollandum gaudio repletus vadit. Quis dubitet verum Deum eſſe, qui ita ſuos confortat? Antoninus hæc audiens, Infelix, inquit, iuuenis, quid tibi factum eſt, vt tales ſermones loquaris? Et iratus iuſſit iuuenem teneri, quem cum diuerſis cruciatibus afflixiſſet, gladio conſummauit. Beatus verò Alexander cum duceretur, obuiauit ei quædam vidua, quam beatus martyr rogauit dicens: Commoda mihi orarium. At ille præſtitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri: Perdidiſti orarium tuum. Facto itaque ſigno Crucis, expoliauit ſe beatus Martyr tunica, & in linea ſtans, texit ſibi de orario oculos, dein poſitis genibus ſuſcepit gladium, via Claudia, XX. miliario ab Vrbe. Et factus eſt terræmotus, & vicus & thermæ ceciderunt.

Herculanus credit.

Is detruncatur.

SANCTVS autem Creſcentianus, & hi qui cum illo erant, reuelante martyre, tulerunt ſanctas reliquias, & ſepelierunt in loco vbi orans fornacis ignem extinxerat. Et poſuit ſcriptum ſupra marmor continens: Hîc requieſcit ſanctus & venerabilis martyr Alexander Epiſcopus. Cuius depoſitio celebratur vndecimo Calendas Octobris. Cui Papa Damaſus poſtmodum cryptam condignam faciens, illic eum ſexto Calendas Decembris tranſpoſuit, quando & feſtiuitatem ei dicauit. Orarium porro illud ſibi præſtitum, vnde ſibi martyr oculos texerat, mox vt decollatus eſt, mulieri quidam puerulus detulit, quem Angelum fuiſſe non eſt dubium. Quod illa non ſine grandi ſtupore recepit, & verè martyrem confeſſa Alexandrum, Chriſto credidit. IV.

Reuelante martyre, tulerunt ſanctas reliquias eius & ſepelierunt.

Nota feſtiuitatē dicatā S. Alexandro per Damaſum Papam

An. 567.

VITA S. BASIOLI CONFESSORIS A FLODOARDO REMENSI PRESBYTERO CAP. III. LIB. II. HIST. Remenſ. conſcripta.

26. Nov. S. Baſoli patria. Remis venit duce Angelo. Ægidius Remenſis Epiſcopus. Monaſterium intrat & literis dat operam.

SANCTVS Domini Baſolus ex territorio Lemouicino, regione Armoricana nobili proſapia oriundus, à partibus Aquitaniæ, patrocinia beatiſſimi Remigii deſiderabiliter appetens, Remenſem deuenit ad vrbem. Cui aduenienti comes itineris apparuiſſe traditur Angelus Domini, quem conſtat habuiſſe præducem, dum deſtinatam ingreditur vrbem. Hunc digniſſimè Præſul Ægidius ſuſcipiens, cognito peregrinantis deſiderio, petituſque ſecretioris conuerſationis habitaculum concedere, libentiſſime ceſſit, ſicubi ſibi placitum Dei famulus infra Epiſcopium Remenſe valuiſſet reperire. Inuenit tandem ſuperna diſponente gratia locum ſibi congruum in vico Viriziaco, ad radices montis Remorum, quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetium. Eo loci tunc temporis erat cœnobium numero duodecim monachorum. Hîc igitur benignè ſuſceptus à fratribus, traditur ab Abbate literis imbuendus. Nec longum, ſic doctrina emicuit, vt coætaneos & contubernales ſapientiæ luce præiret. Nulla illi propenſior cura, quam aut in lectione vel ſermone de Deo, aut in oratione loqui cum Deo. Tranſitoria deſpiciens & æterna concupiſcens, victus penſam pauperibus erogabat, pauxillum ſibi duntaxat reſeruans ad infirmitatem corporis ſuſtentandam. I.

Solitariam vitam appetit

ITA virtutum creſcens culmine, ſolitariam concupiſcit vitam: faſtigiumq; ad ſecretius habitandum contigui deligit montis. In quo cellulam cum oratorio conſtruit, vbi liberius cœleſti deſeruiret contemplationi. In qua incluſionis habitatione per XL. traditur annos Deo militaſſe, & contra ſerpentis antiqui tentamenta viriliter dimicaſſe, ieiuniis, eleemoſynis, vigiliis, orationibus, atq; lectionibus indeſinenter vacans, & ad ſe venientes doctrinæ ſanctæ luce perfundens. II.

Oratione ſua fontem elicit.

DVM hic igitur almifica conuerſatione decertat, placuit ſupernæ pietati virtutem ſui militis euidentibus oſtendere ſignis. Nam orante illo Dominus aquam ei montis in vertice produxit è ſilice. Quæ ſub Sancti ſepulcro fertur exilire, ac per Eccleſiæ fundamenta quaſi de vaſculo ſeſe profundere, hauſtu dulcis, & ad potandum ſalubris. De quo videlicet fonte multi ſanitatum remedia, potantes, vel balneis vtentes, ſeu capita diluentes, conſequuntur ægroti. III.

Cæco pueto viſum reſtituit.

QVODAM denique tempore, cum puer quidam priuatus oculorum ab ætate primæua lumine, Annegiſelus nomine, ante fores excubaret ipſius, duodecimo cæcitatis anno, lapſa virtute cœlitus, orante viro Dei, luminis eſt honore donatus. Quod diuinæ claritatis miraculum comperientes monachi, magnis gratiarum actionibus Deum glorificant in clarificatione fidelis ſerui ſui. IV

Nota de apro miraculum,

ACCIDIT etiam: quodam venatore, Attila nomine, in ſaltu eius cellulæ contiguo aprum inſequentē, vt vſque ad ipſius præſentiam fera perueniret, & quaſi liberandam ſe per ipſum credens, ad pedes eius depoſita feritate procūberet, caneſque naturalis obliti ſagacitatis eam inſequi parcerent. Exinde mos, immo virtus Chriſti, ad honorem dilecti famuli ſui adhuc modo ſeruatur, vt permota quælibet venatio, ſi aggeſtum in circuitu ſyluæ ipſius prominentem fuerit ingreſſa nec canum vlterius inſequatur auiditate, nec venatorum appetatur audacitate. V.

Ragenulfū ſuſpenſum rupto laqueo, liberat.

FERTVR & aliud non contemnendæ rei miraculum huius beati Confeſſoris ſui meritis à Domino prærogatum: quod ſuſpenſus laqueo quidam, nomine Ragenulfus ab aduerſariis, cum in ſupremo mortis periculo oculos ad cœlum intenderet, inuocato voce lacrymabili beato Baſolo, mox à morte dira rupto meruit liberari laqueo. Poſt multa denique pietatis inſignia in vita ipſius ab eodem patrata, prænoſcens per ſpiritum ſuæ vocationis imminere ſibi tempus, miſit ad nepotem ſuum, nomine Balſennum, qui eum ad ſe à Lemouicina regione perduceret, ſignificans illi, quod poſt obitum ſuum in prædicto ſuæ conuerſationis habitaculo deberet vitam ducere, iuxta quod reuelatum ſibi fuerat à Domino. Cuius ſalutaribus præceptis vt bonus filius obtemperans, & ad ſupernam hereditatem peruenire deſiderans, vſque ad exitus ſui diem in eadem permanſit habitatione. Deceſſit autem beatus pater Baſolus VI. Kal. Decemb. ſupernis aggregatus ciuibus. Ad cuius ſepulcrum multa poſtea monſtrata ſunt miraculorum inſignia: quæ tamen per negligentiam, & ob ſui frequentiam non ſunt literis comprehenſa. VI.

Moritur S. Baſolus,

Pœna horrēda calumniatoris,

PROCESSV denique temporis, poſt obitum ſancti viri, aduenit huc homo quidam natione nobilis, ſed ferox tumore mentis: qui poſt orationem baculum huius beati patris accipiens, & illum ſuper pedem ſuum ponens, vt erat procerus corpore, quaſi ſubſannando protulit dicens, en manifeſtat iſte baculus, quam paruæ ſtaturæ fuerit Baſolus. Nec mora, pes idem cui ſuperpoſitus ſancti baculus fuerat, emarcuit: quoque putrefacto, diuina vir idem perculſus vltione cum graui decedit labore. Cuius corpus ad tumulandum ferri diſponitur ad huius Sancti Dei monaſterium: ſed aggrauatum nullo modo valet moueri feretrum. Proponitur ferri ad cæmiterium ſancti Remigii, ſed nec ſic poteſt moueri. Cogente tandem neceſſitate, in Catalaunicum defertur territorium, ibique demum permittitur habere ſepulcrum. VII.

Benedicti abbatis encomium.

NON longè valdè à noſtra ætate, tempore ſcilicet Domini Ebonis Archiepiſcopi, eius ordinatione quidam vir religioſus, Benedictus nomine, Abbas conſtituitur huius Abbatiæ. Qui cum modeſtia familiam ſancti Baſoli tractans & in ſim- VIII.

& in ſimplicitate Domino ſeruiens, diuerſis Eccleſiam donariis ornauit, & poſt non modica vitæ ſuæ ſpatia diuina præceptione vocatus ad Dominum tranſiit. Cui carne frater cognomine Speinus Abbas in eodem loco ſubrogatur, qui moribus fratri diſſimilis, & diræ facibus ardens cupidinis, dum temulentus aliquando ſederet, cœpit dicere, quod frater ſuus de illa Abbatia nihil boni ſciuerit habere, præcipiens villarum procuratoribus, in craſtinum ſibi ruricolas exhibere, quos variis faceret ſuppliciis torqueri, vt facultates ipſorum ab eis poſſet extorquere. Audientes ergo villarum incolæ, quantæ intentabantur ſibi pœnæ, omnes ſancti Baſoli ſuppliciter expetunt ſuffragium, ne tam crudeli lanio traderentur ad dilacerandum, lugubreique in gemitu pernoctantes, non ceſſabant ſancti Baſoli implorare ſolatiũ. Nec tenuit audire Sanctus Domini querelas ſuæ plebis. Nam facto mane Speinus idem reperitur mortuus, quem lecto nitentibus extrahere ſuis, crepuit medius, tantuſque fœtor eundem locum repleuit, vt nemo inibi remanere valuerit. Sicque familia ſancti Baſoli trepidatis eripitur defenſa ſuppliciis.

Spern⁹ eius ſucceſſor.

Repentina eius mors dũ familiã S. Baſoli aggredi vult crudelius.

IX. AVVNCVLVS matris meæ, Flauuardus nomine, duos filios in huius ſancti viri cœnobio Deo ſeruientes habuit: quorum iuniorem nomine Tetbertum caritate ſupra vires etiam exuberantem vidimus, qui preſbyter dudum apud nos obiit. Is denique de patre ſuo quod dicturi ſumus, narrare nobis ſolebat: cui rei teſtis adhuc ſupererat nuper Ratoldus Preſbyter, horum tertius frater. Conſueuerat ſiquidem ſemel in anno vir præfatus ad hoc monaſterium venire, fratribuſque de ſuis facultatibus miniſtrare, qui cum aliquando de more veniret, latrones eum properantes inuadunt, caballum cui ſedebat, cum cæteris quæ ſibi viſa ſunt, ſed & pecunias, quas ſeruis Dei diſtribuẽdas ferebat, ornamenta quoque vxoris ſuæ pariter auferuntur. Cumque de præda lætantes aliquantulum proceſſiſſent, vxor eius, quæ ſimul aderat, ingemiſcens pro iniuria querceloſis ſanctum Baſolum cœpit clamare vocibus, dicens, non vltra ſe venturos in eius vel famulorum ipſius ſeruitium, ſi ſic eos abiiceret non ferendo præſidium. Poſt quas lamentationis voces, equi latronum, qui cum ſpoliis concite ferebantur, ſubitò defiguntur, nec vllo modo promoueri poſſunt ad gradiendum. Ipſos quoque latrones caligo quædam perfudit, vt quonam ſeſe verterent, ignorarent. Reſipiſcentes tandẽ prædones conferunt inter ſe ob innocentum factam iniuriam ſibi talia contigiſſe: initoq; conſilio, ad eos, quos rebus iniuſte priuatos dimiſerant, reuertuntur, ſua illis cuncta reſtituunt, & vt veniam facinoribus ſuis deprecentur, expoſcũt. Ita conſolatione, domini Baſoli ſuffragante ſibi patrocinio, recepta, rapacibus ire dimiſſis, deuotiores ad deſtinatum properant cœnobium: gratias Deo & ſancto ſuo Confeſſori pro indultis ſibi beneficiis referunt: & læti ſeruis Dei miniſtrare ſatagunt, pecuniis honorant, ac deinceps annis ſingulis idem promptiores quod cœperant, peragunt.

Flauuardus a latronib. ſpoliatur.

S. Baſolus inuocatus adeſt.

Latrones rapta reſtituunt.

X. QVANDO nuper hæ Galliarum patriæ, peccatis noſtris impellentibus, Hungarorum gladiis dilacerandæ ſunt traditæ, quidam Barbarorum ſancti Baſoli monaſterium ingreſſi, dum clerici iam cum patroni pignoribus ad ciuitatẽ confugiſſent, habitacula cœnobii hominibus penè vacua reperiunt, ibiq; metatum ſuum conſtituentes, hinc vndecumque prædatum reuerti cœperunt. Quorum quidam in Eccleſiæ ſignorum turricula deaurata conſpiciens relucere metalla, cupidus auri pecuniæ, tectum conſcendit baſilicæ, niſuſque diſſipare turriculam, ſubito delapſus ad terram corruit, & membris confractis interiit. Alius horum ſuper aram ipſius Eccleſiæ, in honore beati Martini conſecratam, conatus aſcẽdere, dum manum ſuprà cornu altaris appoſuiſſet, ipſa manus eius ita inhæſit marmori, vt nullomodo ab eo poſtea poſſet auelli. Et quia hìc eũ ſui noluerunt relinquere, partẽ lapidis circa manũ ipſius bipennibus abſcindentes, eum ſecum particulam marmoris, quæ in manu eius adhæſerat, iunctè ferentem deduxerunt. Qui etiam, vt captiui qui reuerſi ſunt referunt, vſque ad terram ſuam, arente iam brachio hunc lapidem ferens, & Baſoli virtute factum clamans, reuerſus eſt.

Pœna in Eccleſiã ſancti violentium.

VITA SS. BARLAAM EREMITÆ ET IOSAPHAT INDIÆ REGIS, AVCTORE S. IOANNE DAMASCENO, INTERPRETE IACOBO Billio Prunæo.

ANN. 383.

S. Ioan. Damaſcenum huius vitæ auctorem pluribus probat Roſweydus in notis ad hanc vitam numer. 5.

27. Nov.

PROLOG. QVICVNQVE ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, vt ait Apoſtolus. Illud porrò Spiritu ſancto donari, & filios Dei fieri, expetendorum omnium extremum eſt, & quo cum ventum fuerit, conquieſcit omnis contemplatio, quemadmodum diuinis literis proditum eſt. Hanc igitur excellentem, & expetendarum omnium rerum ſupremarum beatitudinem, ſancti omnes, qui ab æuo condito extiterunt, per virtutum cultum ac ſtudium diuino beneficio conſecuti ſunt, vt qui partim martyrium ſubierint, atq; ad ſanguinem vſque aduerſus peccatum in acie ſteterint, partim religioſæ ac Deo deuotæ vitæ certamen exantlarint, arctamq; vitam tenuerint, animique deſtinatione martyres extiterint.

Rom. 8.

Nazianz. Orat de Athanaſ.

QVORVM luculentas virtutes ac præclara facinora (hoc eſt & eorum qui martyrio perfuncti ſunt, & eorum qui per religioſam exercitationem angelicum vitæ genus imitando expreſſerunt) literarum monumentis commendare, atque ob virtutis exemplum ad poſteras ætates tranſmittere, à diuinis apoſtolis, & beatis patribus Chriſti Eccleſia accepit: hoc videlicet, ad noſtri generis ſalutem velut latâ lege promulgantibus. Etenim via ea quæ ad virtutem ducit, aſpera eſt atque ardua & permoleſta, iis præſertim qui nondum ſeſe totos ad Deum tranſtulerunt, verùm adhuc vitiorum animique perturbationum tyrannide conflictantur. Quo fit, vt multis ad eam illecebris indigeamus, nimirum & conſiliis ac cohortationibus, & exemplis eorum qui hanc viam priores inierunt.

Religioſa exercitatio angelicæ vitæ imitatiŏ.

ID quod etiam minore cum moleſtia ad eam attrahit, efficitque ne ob vitæ difficultatem animis frangamur, ac deſperatione afficiamur. Siquidem ei quoque, cui ardua & difficilis via ineunda eſt, non perinde quiſpiam monendo ac cohortando, vt eam ingrediatur, perſuaſerit. At cum multos oſtendit, qui eam confecerint, ac tandem percommodum diuerſorium nacti ſint, tum vero magis eum adducet, vt eandem quoq; viam capeſſat.

Exẽplis potiùs quàm præceptis ad virtutis ſtudiũ trahimur.

HVIC igitur ipſe quoque regulæ inſiſtens, ac præterea impendens ignauo illi ſeruo periculum metuens, qui talentum à Domino acceptum in terram abdidit, quodque ei quæſtus faciendi cauſa datum erat, ita occultauit, vt nihil ex eo lucri faceret, hiſtoriam animabus vtilem, ad me vſque allatam ſilentio minimè præteribo, quam mihi pii quidã viri interioris Æthiopiæ (quos Indos vocant) ex veris commentariis tranſlatam narrauerunt. Hæc porrò ad hunc modum ſe habet.

Matth. 25.

Hiſtoria hæc ex commentariis Ind. accepta.

I. INDIA, quæ ingens ac frequentiſſima eſt regio, procul ab Ægypto diſtat, atque vndique ab Ægypti parte mari alluitur: à continente autem ad Perſidis fines accedit. Ea porrò atra idololatriæ caligine olim obducebatur, atque extrema barbarie ſcatebat, nefariiſque flagitiis addicta erat. Poſteaquam autem vnigenitus Dei Filius, qui eſt in ſinu Patris, figmentum ſuum peccati ſeruitute oppreſſum indigno animo cernens, miſericordia erga ipſum commotus, inſtar noſtri excepto peccato apparuit; ac Patris throno relicto, noſtræ ſalutis cauſa (hoc eſt vt nos in cælis habitaremus, atq; à veteri lapſu excitaremur, ac peccato liberati priorem adoptionem reciperemus:) in Virginis corpore habitauit, atq; expletis omnibus carnis propter nos aſſumptæ muneribus, crucem ac mortem ſuſcipiens, ac terrenis mirandum in modum cum cæleſtibus coniunctis, à morte ad vitam rediens, & cum gloria in cælos aſcendens, & in Patris dextra magnifice ſedens, Spiritum paraclitum diſcipulis, à quibus conſpectus fuerat, pro eo ac promiſerat, in ignearum lingua-

India idolis dedita.

Ioan. 1.

rum forma miſit, ipſoſq; ad omnes gentes legauit, vt eos qui in ignorantiæ tenebris ſedebant, illuminarent, atq; in Patris & Filij & Spiritus ſancti nomine baptizarent, adeò vt deinceps illi, partim Orientales ſedes, partim Occidentales regiones, quæ ipſis obtigerant, circumirent, ac Septemtrionalia & Meridionalia climata peragrarent, vt imperatū munus exequerentur, tum ſanctiſſimus quoq; Thomas, vnus ex duodecim Chriſti Apoſtolis, in Indiam, ſalutiferæ doctrinæ illic prædicandæ cauſa miſſus eſt. Domino autem cooperante, ac ſermonem per ſequentia ſigna confirmante, Gentilitiæ ſuperſtitionis tenebræ depulſæ ſunt, atq; illi ſimulacrorum ſacrificiis & cultu liberati, ad rectam fidem ſe adiunxerunt. Sicq; Apoſtolicus manibus velut refecti, Chriſto per Baptiſmum conciliati ſunt: ac tacitis incrementis augeſcentes in fide, ab omni labe aliena proficiebant, eccleſiaſq; per totam regionem extruebant.

Apoſtoli in omnes orbis partes diſperſi. Thomas in Indiam mittitur. Marc. vlt.

Cvm autem etiam in Ægypto monaſteria exædificari, ac monachorum ingentia agmina cumulari cœpiſſent, atq; eorum virtutis & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis, fama orbis terrarum fines peruaſiſſet, atq; ad Indos vſque perueniſſet, ipſos quoq; ad eiuſdem vitæ ſtudium excitauit: adeo vt complures ipſorum relictis omnibus rebus in ſolitudines concederent, atque in mortali corpore, eorum qui corporis expertes ſunt vitæ rationem ſuſciperent. Cum igitur res præclaro ſtatu eſſent, atque aureis pennis, vt dici ſolet, in cælum plerìq; conuolarent, exurgit quidā Rex in eadem regione, Abenner nomine, vir opibus quidem ac potentia, victoriiſq; & bellica fortitudine, corporiſq; proceritate inſignis, ac præterea vultus elegantia clarus, atq; ob mundanos ocyſſimeque marceſcentes rerū ſucceſſus inſolenter ſe efferens, ceterum, quantum ad animam attinebat, extrema paupertate laborans, ac multis malis conſtrictus & enectus, quippe qui Gentilium partes teneret, ac ſuperſtitioſo idolorum errori magnopere addictus eſſet. Porro cum Rex in magnis deliciis ac vitæ oblectamentis & voluptatibus verſaretur, nec res vlla eſſet, quæ non ex ipſius voluntate ac cupiditate ſuccederet, vnum id demum erat, quod ipſi lætitiam interrumperet, animumque ipſius curis pulſaret, nimirum ſterilitatis malum. Nam cum filiis careret, hæc eum cura ſollicitum habebat, quonam pacto his vinculis ſolueretur, ac ſuſceptis liberis patris nomen obtineret: quo videlicet apud plerosque nihil eſt optatius. Atque huiuſmodi Rex hic erat, eaque mente ac ſententia.

Monachorū vita angelicæ vitæ imitatio. Abenner Indorū Rex idolis deditus. Dolet quod liberis careat.

At illuſtriſſima Chriſtianorum natio, & monachorum cateruæ, regis cultum ac venerationem pro nihilo ducentes, nec ipſius minas metuentes, per Dei gratiam ampliſſimos progreſſus faciebant, vt qui in multitudinem omni ſermone maiorem excreſcerent, ac paruam omnino regis rationem haberent, iis autem rebus, quæ ad Dei cultum pertinebant, ſingularem in modum dediti eſſent. Ac propterea permulti ex iis, qui ad monaſticum ordinem ſeſe contulerant, omnia quidem ea quæ in vita iucunda ſunt, peræquè contemnebant, ſoliuſque pietatis amore tenebantur, ac mortis pro Chriſto ſubeundæ ſiti, futuræque beatitudinis cupiditate flagrabant. Eoque nomine, non timido ac dubitante animo, verum per quam fidenti ac libero ſalutiferum Chriſti nomen prædicabant, Chriſtumque vnū in ore habebant, atque fluxam & caducam præſentium rerum naturam, futuræq; vitæ firmitatem & immortalitatem omnibus palam aperteq; demonſtrabant, ac velut ſubſidia quædam, & ſemina ipſis porrigebant, quorū ope ad Deum ſeſe conferrent, vitamque in Chriſto abſconditam conſequerentur. Ex quo effectum eſt, vt multi ſuauiſſima illa doctrina percepta, ab acerbis erroris tenebris abſcederent, atque ad dulcem veritatis lucem ſeſe adiungerent: vſq; adeo, vt nonnulli etiam illuſtres viri ac ſenatores, abiectis huius vitæ ſarcinis, in monachorum album ſeſe adſcriberent.

Chriſtiani & monachi intrepidè Chriſtum prædicant. Coloſſ. 3. Ex Indis ſenatoribus multi monachi fiunt.

Rex autem vbi hæc intellexit, ingenti iracundia commotus, atq; indignatione feruēs, ſtatim edicto ſanxit, vt Chriſtiani omnes pietatem eiurare cogerentur. Ac deinceps noua ſuppliciorum genera comminiſcebatur, atque inuſitata mortis genera minabatur, literaſq; ad omnes regionis ditioni ſuæ ſubiectæ partes mittebat, quibus & præfectis & ducibus imperabat, vt tormentis atq; iniquis cædibus in homines pietate præditos graſſarentur. Præſertim aūt, in præſtantiſſimos quoſq; monaſtici ordinis excandeſcebat, atque implacabile aduerſum eos bellum excitabat. Ob eamq; cauſam piorum plerìq; animo vacillabant: alii aūt, quia cruciatibus ferendis impares erāt, nefario ipſius imperio parebāt. At vero monaſticæ claſſis duces atq; antiſtites, partim ipſius iniquitatē coarguentes ac reſutantes, martyrio vitam finiebant, atq; ad ſempiternam beatitudinem perueniebant, partim in ſolitudinibus & montibus ſeſe occultabant, non tormentorum, quæ ipſis denuntiabantur, metu, verum diuiniore quodam conſilio ac prouidentia.

Rex Abenner monachos perſequitur.

Cvm itaque huiuſmodi caligo Indorum regionem inuaſiſſet, ac pii & ſancti viri vndique vexarentur, impietatis autem propugnatores opibus ac potentia florerent: atque cruoribus & victimarum nidore ipſe quoque aēr inficeretur, vnus e regiorum ſatraparum principibus, animi fortitudine, corporiſque magnitudine ac pulchritudine, ceterisque aliis rebus, quibus corporis elegantia & animi generoſitas, tamquam certis quibuſdam notis exprimi ſolent, alios omnes antecellebat. Quamobrem cum impium illud edictum audiſſet, inani hac atque humi ſerpente gloria & deliciis valere iuſſis, ad monachorum cœtum ſeſe aggregauit, atque in locis ſolitariis exulans, ieiuniis & vigiliis, ac diligenti oraculorum diuinorum meditatione ſenſus ſuos appri me repurgabat, animūque ab omni [illegible] affectione ſolutum & abductum, ea luce, quam tranquillitas à vitioſis affectionibus parit, illuſtrabat. Rex aūt, cum eum maiorem in modum diligeret, atque in honore ac pretio haberet, vt hoc audiuit, de amici iactura dolorem animo cepit, vehementiuſque aduerſus monachos exarſit. Atque cum homines ad eum conquirendū quaquauerſum miſiſſet, & quemadmodum vulgo dicitur, nullum non lapidē mouiſſet, quo eum inueniret, aliquāto poſt illi, qui ad eum inueſtigandum miſſi fuerant, vt eum in ſolitudine commorari ſenſerunt, ita perſcrutati ſunt, vt tandē eum arriperēt, atque ad Regis tribunal ſiſterent. Rex autem, cum eum, qui quondam ſplendidis veſtibus vtebatur, atq; magnis deliciis vitam exigebat, tam viliter & abiectè amictū, ac rel gioſæ exercitationis aſperitate afflictum, vitæque [illegible] ſigna haud obſcurè geſtantem conſpexiſſet, mœrore ſimul atque iracundia implebatur, atque ex vtroque affectu temperato ſermone, ita eum allocutus eſt: O vecors & demens, quid te adduxit, vt honorem cum ignominia, & [illegible] gloriam cum turpi ac dedecoris pleno habitu commutares? Siccine tu, qui regno meo præeras, atque in copias meas imperium militare obtinebas, te ipſum puerorū ludibriū effeciſti, ac non modo meæ amicitiæ memoriam ex animo procul eiecisti, verū etiam aduerſus ipſam naturam impetum feciſti, ac ne tuorum quidē filiorum miſeratione affectus, tū opes, tum omnē vitæ ſplendorē pro nihilo putaſti, tantamq; ignominiam tā luculenta gloria potiorem & præſtabiliorem habuiſti? Quidnam te ad hoc impulit, cuiuſnam lucri ſpes, vt eū, qui Ieſus nominatur, omnibus diis atque hominibus anteponeres, ac durā hanc & ſuperſtitioſam vitæ rationē ſuauiſſimæ huiuſce vitæ oblectamētis anteferres? Hac oratione audita, vir ille Dei, lepida ſimul ac placida & æquabili voce ad hunc modum reſpondit: Si ſermones mecū conſerere in animū inducis, ô Rex, fac hoſtes tuos è medio tribunali ſubmoueas: tū de his rebus, quas intelligere cupis, tibi reſpondebo. Illis autem præſentibus, nullus mihi ad te ſermo erit. Citra ſermonem aūt excrucia, obtrunca, fac denique quidquid lubet. Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo, vt ait meus magiſter. Cūque Rex dixiſſet: Quinam tandem ſunt hi hoſtes mei, quos me hinc ablegare iubes? Iracundia, inquit ille, & cupiditas. Nā eæ primum quidem ab omniū rerum parente atque architecto ita productæ ſunt, vt naturæ opitularentur, ac nūc etiā eandem iis operam præbent, qui non vt carni, ſed vt ſpiritui conſentaneum eſt, viuunt. In vobis autem, qui protſus carnales eſtis, nec vllam ſpiritus partem habetis, aduerſariæ exiſtiterunt, eaque quæ inimicis & hoſtibus conueniunt, exſequuntur. Cupiditas etenim, cum ei à vobis opera datur, voluptatem excitat: cum autem aboletur, iracundiam. Proinde faceſſant ipſæ hodierno die abs te, præſint autem ad eorum, quæ à me dicentur, auditionem ac iudi-

Princeps quidam Indicus monaſticā vitam ſuſcipit. Veſtitus aſperitas in monachis, & dura conuerſatio. Regis [illegible] mund[illegible] dicti gratia. [illegible] Gal. 6. Ira & cupiditas à tribunalibus ablegandæ.

ac iudicium, prudentia & iuſtitia. Nam ſi iracundiam & cupiditatem de medio ſuſtuleris, atq; earum loco prudentiam & iuſtitiam induxeris, vere omnia tibi dicam. Atq; Rex his verbis eſt vſus: En petitioni tuæ ceſſi, atq; cupiditatem & iracundiam è concilio eiiciam: daboq; operam, vt prudentia & iuſtitia interponantur.

Iam igitur abſq; vllo metu mihi expone, vnde tibi hic error obortus ſit, vt ea quæ in vana ſpe poſita ſunt, iis rebus quæ manibus tenentur, atq; oculis cernuntur, anteponas. Reſpondens autem eremita dixit:

Si intelligere cupis, ô Rex, vnde hoc primum mihi animo iniectum fuerit, vt caducas res contemnerem, ac me torum ſempiternarum rerum ſpei traderem, audi. Olim, cum adhuc iuuenili ætate eſſem, bonum ac ſalutare verbum audiui, cuius vis maiorem in modum me rapuit, ipſiuſq; memoria, diuini cuiuſdam ſeminis inſtar, pectori meo inſita ita permanſit, vt numquam à me diuelli potuerit: adeo vt & radices egerit, & germen ediderit, ac maturo tempore fructum in me tulerit. Huius autem verbi hæc vis erat: Excordes, inquiebat ille, ac ſtolidi homines, animo ita comparati ſunt, vt ea quæ ſunt, perinde ac ſi non ſint, aſpernentur: ea autem quæ non ſunt, perinde ac ſi ſint, amplectantur, ac mordicus retineant. Qui autem eorum quæ ſunt, dulcedinem minime degnſtauit, is eorum, quæ non ſunt, naturam perfectam habere non poterit, hanc porro niſi explorata habuerit, quonam modo ea contemnet ac pro nihilo putabit? Porro per ea, quæ ſunt, hæc oratio ſempiternas res, atq; à iactatione alienas intelligebat: per ea autem quæ non ſunt, hanc vitam & delicias, ac mendacem proſperitatem: quibus, ô Rex, heu! cor tuum male affixum eſt, egoq; item quondam ea complectebar. Verum huius ſermonis vis, animum meum ſine vlla intermiſſione vellicans, mentem, quæ mei principatum tenet, ad id quod melius erat, eligendum excitabat. Ceterum lex peccati, cum mentis meæ lege pugnans, ac velut quibuſdam compedibus me vinciens, per affectum erga res præſentes, captiuum tenebat. Principis reſponſio.

Cvm autem Saluatoris noſtri benignitati ac bonitati me ex hac acerba captiuitate vindicare placuit, atq; ipſe menti meæ ad ſuperandam peccati legem robur addidit, oculoſq; meos aperuit, vt mali ac boni delectum haberem, tum ſcilicet, tum, inquam, animaduerti ac vidi, præſentia omnia vanitatem & afflictionem ſpiritus eſſe, quemadmodum etiã ſapientiſſimus Salomon quodam loco dixit. Tum peccati velamen è corde meo ſublatum eſt, atq; obſcuritas ea, quæ ex corporis craſſitie animo meo incumbebat, diſcuſſa & diſſipata: atque cuiuſnam rei cauſa procreatus ſum, agnoui: mihiq; faciendum eſſe, vt per mandatorum obſeruationem, ad ſummum illum rerum omnium effectorem aſcendã. Quapropter relictis omnibus rebus, eũ ſecutus ſum. Gratiaſq; Deo per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrũ ago, quod me ex luto & lateritio labore, ac crudeli & peſtifero tenebrarum huius ſæculi principe liberarit, viamq; mihi compendiariam & procliuem oſtenderit, per quam in hoc fictili corpore angelicam vitæ rationem amplexari poſſim. Cuius adipiſcendæ ſtudio, arctam hanc & anguſtam viam ingrediendam mihi duxi, ſic videlicet animo conſtitutus, vt præſentium rerum vanitatem atq; inſtabilem earum iactationem & conuerſionem vehementer improbem, neq; adduci poſſim, vt credam aliud quidquam, præter id quod verè bonum eſt, bonum appellandum eſſe. A quo tu, ô Rex, miſere te abrupiſti ac ſeiunxiſti. Eaq; de cauſa nos etiam à te diſiuncti ac diſtracti ſumus, quoniam tu in perſpicuum & indubitatum exitium ruis, ac nos in idem periculum præcipites ferri cogis. Nam quamdiu in ſola mundi militia cenſebamur, nullam officii partem prætermittebamus. Ac tu quoq; optimus teſtis eris, nos nec negligentiæ, nec ſocordiæ nomine vnquam eſſe notatos ac reprehenſos.

Eccl. 2. Per mandatorũ obſeruationé, nõ per ſolã fidé, ad Deũ aſcendendũ. Matth. 7. Monachiſmus via cõpendioſa per quã angelicã quis poteſt ducere conuerſationem.

Posteaqvam aũt id quoq;, quod omnium bonorum caput eſt, hoc eſt pietatem, nobis extorquere, Deiq; detrimento (quod detrimentorum omnium extremum ac grauiſſimum eſt) nos afficere ſtuduiſti; nobiſq; interim honores ob eam cauſam in nos collatos, atq; ampliſſima beneficia in memoriam reuocas: quî fieri poteſt, vt nõ optimo iure te veri boni inſcitia laborare dicam, vt qui omnino hæc inter ſe componas, pietatem ſcilicet erga Deum, cum humana amicitia & gloria inſtar aquæ defluente? Quonam item modo in hac re ſocii tibi futuri ſumus, ac non contra tũ amicitiam, tum honorem, tum liberorum amorem, & ſi quid aliud maius eſſet, aſpernabimur, cum te, ô Rex, in Deum ſcelerate gerere conſpiciamus, qui tibi ipſum eſſe & ſpiritum ducere præbuit; qui eſt Chriſtus Ieſus omnium Dominus: qui cum principio careat, eiuſdemq; cum Patre æternitatis ſit, cæloſq; ac terram ſermone procreatit, hominem tamen ſuiſmet manibus effinxit, eumq; immortalitate coornauit, Regemq; omnium rerum, quæ in terra ſunt, conſtituit, eique, quod omnium rerum præſtantiſſimum erat, hoc eſt paradiſum, tamquã regiam quamdam aulam, attribuit. At ille inuidia deceptus, & in fraudé inductus, & voluptatis illecebris delinitus, his omnibus miſerè deiectus eſt: & qui prius beatus cenſebatur, miſerum ſpectaculum præbebat, lacrymiſq; ob acceptam calamitatem dignus erat. Verum enimuero is, qui nos effinxerat ac procreauerat, benignis rurſum oculis manuum ſuarum opus conſpicatus, nullam diuinitatis ſuæ mutationem ſuſcipiens, noſtræ ſalutis cauſa, id quod nos ſumus, citra peccatum factus eſt, atq; crucẽ & mortẽ ſponte ſubiens, hoſtem eum, qui iam inde ab initio generi noſtro inuidebat, proſtrauit, noſq; acerba illa captiuitate liberatos in priorem libertatem, pro ſua erga nos bonitate, reſtituit, eoq; rurſum, vnde nos inobedientia exturbauerat, ob ſuam erga nos humanitatem reduxit, maioreq; quam antea honore proſecutus eſt. Gen. 3. Sap. 2.

Hvnc igitur, qui noſtra cauſa tot cruciatus pertulit, tantiſq; rurſum nos beneficiis affecit, hunc, inquam, ipſe teiicis, atq; eius Crucem dicteriis inſectaris, totuſq; corporis deliciis, ac pernicioſis affectibus affixus, ignominioſa ac turpitudinis plena ſimulacra deos appellas. Nec teipſum dumtaxat à cæleſtium bonorum coniunctione abſtraxiſti, verũ etiam omnes, qui tuis imperiis obtemperant, ab ea remoues, atque in animæ periculum coniicis. Quocirca velim noſcas, me minime commiſſurum, vt tibi pateam, in eademq; tecum erga Deum ingratitudine verſer, atq; eum, qui præclare de me meritus eſt, mihiq; ſalutem attulit, abiurẽ, etiamſi feris me lacerandum & abſumendum obiicias, aut gladio, aut igni me addicas: quæ quidem in tua poteſtate ſita ſunt. Neque enim mortem extimeſco, nec præſentia expeto: quippe quæ perquam imbecilla & vana eſſe compertum habeam. Quid enim in ipſis vtilitatis eſt? quid quod ſtabile ſit ac diuturnum? Neque id ſolum: verum etiam, tum quoque cum adſunt, ingens ipſis ærumna coniuncta eſt, ingens mœror, ingens & perpetua ſolicitudo, ſiquidem eorum voluptati ac perceptioni nihil non mœſtitiæ ac doloris adnexum eſt: ipſorum diuitiæ, paupertas ſunt: ipſorum ſublimitas, extrema deiectio. Quiſnam autem eorum mala enumerando conſequi poſſit? Quæ quidem paucis verbis Theologus meus mihi demonſtrauit, his verbis vtens: Totus mundus in maligno poſitus eſt, ac rurſum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Quoniam omne, quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Hanc igitur ego bonam Dei voluntatem quærens, omnia pro derelicto habui, cum iiſque me coniunxi, qui eadem cupiditate tenentur, atque eundem Deum expetunt. Inter quos non ſimultas eſt, non liuor, non mœrores & curæ: ſed omnes idem curriculum obeunt, vt ad ſempiternas eas manſiones perueniant, quas luminum pater iis, à quib. amatur, præparauit. Hos ego pro parentibus, hos pro fratribus, hos pro amicis & familiaribus habeo. Ab iis autem, qui quondam amici mei ac fratres erant, elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, Deum exſpectans qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

Præſentium rerum vanitas & inſtabilitas. 1. Ioan. 5. & 2. Iacob. 1. 1. Cor. 2. Pſal. 54.

Hæc cum ita commode ac iucunde à Dei homine dicta eſſent, Rex iracundia quidem impellebatur, ac ſanctũ virum acerbis ſuppliciis excruciare cupiebat: rurſum autem ſe reprimebat, atque id aggredi cunctabatur, venerãdam

rum forma miſit, ipſoſq; ad omnes gentes legauit, vt eos qui in ignorantiæ tenebris ſedebant, illuminarent, atq; in Patris & Filij & Spiritus ſancti nomine baptizarent, adeò vt deinceps illi, partim Orientales ſedes, partim Occidentales regiones, quæ ipſis obtigerant, circumirent, ac Septemtrionalia & Meridionalia climata peragrarent, vt imperatũ munus exequerentur, tum ſanctiſſimus quoq; Thomas, vnus ex duodecim Chriſti Apoſtolis, in Indiam, ſalutiferæ doctrinæ illic prædicandæ cauſa miſſus eſt. Domino autem cooperante, ac ſermonem per ſequentia ſigna confirmante, Gentilitiæ ſuperſtitionis tenebræ depulſæ ſunt, atq; illi ſimulacrorum ſacrificiis & cultu liberati, ad rectam fidem ſe adiunxerunt. Sicq; Apoſtolicis manibus velut refecti, Chriſto per Bapriſmum conciliati ſunt: ac tacitis incrementis augeſcentes in fide, ab omni labe aliena proficiebant, eccleſiaſq; per totam regionem extruebant.

Apoſtoli in omnes orbis partes diſperſi. Thomas in Indiam mittitur. Marc. vlt.

Cvm autem etiam in Ægypto monaſteria exædificari, ac monachorum ingentia agmina cumulari cœpiſſent, atq; eorum virtutis & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis, fama orbis terrarum fines peruaſiſſet, atq; ad Indos vſque perueniſſet, ipſos quoq; ad eiuſdem vitæ ſtudium excitauit: adeo vt complures ipſorum relictis omnibus rebus in ſolitudines concederent, atque in mortali corpore, eorum qui corporis expertes ſunt vitæ rationem ſuſciperent. Cum igitur res præclaro ſtatu eſſent, atque aureis pennis, vt dici ſolet, in cælum pleriq; conuolarent, exurgit quidã Rex in eadem regione, Abenner nomine, vir opibus quidem ac potentia, victoriiſq; & bellica fortitudine, corporiſq; proceritate inſignis, ac præterea vultus elegantia clarus, atq; ob mundanos ocyſſimeque marceſcentes rerũ ſucceſſus inſolenter ſe efferens, ceterum, quantum ad animam attinebat, extrema paupertate laborans, ac multis malis conſtrictus & enectus, quippe qui Gentilium partes teneret, ac ſuperſtitioſo idolorum errori magnopere addictus eſſet. Porro cum Rex in magnis deliciis ac vitæ oblectamentis & voluptatibus verſaretur, nec res vlla eſſet, quæ non ex ipſius voluntate ac cupiditate ſuccederet, vnum id demum erat, quod ipſi lætitiam interrumperet, animumque ipſius curis pulſaret, nimirum ſterilitatis malum. Nam cum filiis careret, hæc eum cura ſollicitum habebat, quonam pacto his vinculis ſolueretur, ac ſuſceptis liberis patris nomen obtineret: quo videlicet apud pleroſque nihil eſt optatius. Atque huiuſmodi Rex hic erat, eaque mente ac ſententia.

Monachorũ vita angelicæ vitæ imitatio. Abenner Indorũ Rex idolis deditus. Dolet quod liberis careat.

At illuſtriſſima Chriſtianorum natio, & monachorum cateruæ, regis cultum ac venerationem pro nihilo ducentes, nec ipſius minas metuentes, per Dei gratiam ampliſſimos progreſſus faciebant, vt qui in multitudinem omni ſermone maiorem excreſcerent, ac paruam omnino regis rationem haberent, iis autem rebus, quæ ad Dei cultum pertinebant, ſingularem in modum deditι eſſent. Ac propterea permulti ex iis, qui ad monaſticum ordinem ſeſe contulerant, omnia quidem ea quæ in vita iucunda ſunt, peræquè contemnebant, ſoliuſque pietatis amore tenebantur, ac mortis pro Chriſto ſubeundæ ſiti, futuræque beatitudinis cupiditate flagrabant. Eoque nomine, non timido ac dubitante animo, verum perquam fidenti ac libero ſalutiferum Chriſti nomen prædicabant, Chriſtumque vnũ in ore habebant, atque fluxam & caducam præſentium rerum naturam, futuræq; vitæ firmitatem & immortalitatem omnibus palam apteq; demonſtrabant, ac velut ſubſidia quædam, & ſemina ipſis porrigebant, quorũ ope ad Deum ſeſe conferrent, vitamque in Chriſto abſconditam conſequerentur. Ex quo effectum eſt, vt multi ſuauiſſima illa doctrina percepta, ab acerbis erroris tenebris abſcederent, atque ad dulcem veritatis lucem ſeſe adiungerent: vſq; adeo, vt nonnulli etiam illuſtres viri ac ſenatores, abiectis huius vitæ ſarcinis, in monachorum album ſeſe adſcriberent.

Chriſtiani & monachi intrepidè Chriſtum prædicant. Coloſſ. 3. Ex Indis ſenatoribus multi monachi fiunt.

Rex autem vbi hæc intellexit, ingenti iracundia commotus, atq; indignatione ferueñs, ſtatim edicto ſanxit, vt Chriſtiani omnes pietatem eiurare cogerentur. Ac deinceps noua ſuppliciorum genera comminiſcebatur, atque inuſitata mortis genera minabatur, literaſq; ad omnes regionis ditioni ſuæ ſubiectæ partes mittebat, quibus & præfectis & ducibus imperabat, vt tormentis atq; iniquis cædibus in homines pietate præditos graſſarentur. Præſertim aũt, in præſtantiſſimos quoſq; monaſtici ordinis excandeſcebat, atque implacabile aduerſum eos bellum excitabat. Ob eamq; cauſam piorum pleriq; animo vacillabant: alii aũt, quia cruciatibus ferendis impares erãt, nefario ipſius imperio parebãt. At vero monaſticæ claſſis duces atq; antiſtites, partim ipſius iniquitatẽ coarguentes ac refutantes, martyrio vitam finiebant, atq; ad ſempiternam beatitudinem perueniebant, partim in ſolitudinibus & montibus ſeſe occultabant, non tormentorum, quæ ipſis denuntiabantur, metu, verum diuiniore quodam conſilio ac prouidentia.

Rex Abenner monachos perſequitur.

Cvm itaque huiuſmodi caligo Indorum regionem inuaſiſſet, ac pii & ſancti viri vndique vexarentur, impietatis autem propugnatores opibus ac potentia florerent: atque cruoribus & victimarum nidore ipſe quoque aer inficeretur, vnus è regiorum ſatraparum principibus, animi fortitudine, corporiſque magnitudine ac pulchritudine, ceteriſque aliis rebus, quibus corporis elegantia & animi generoſitas, tamquam certis quibuſdam notis exprimi ſolent, alios omnes antecellebat. Quamobrem cum impium illud edictum audiſſet, inani hac atque humi ſerpente gloria & deliciis valere iuſſis, ad monachorum cœtum ſeſe aggregauit, atque in locis ſolitariis exulans, ieiuniis & vigiliis, ac diligenti oraculorum diuinorum meditatione ſenſus ſuos apprime repurgabat, animũque ab omni [illegible] affectione ſolutum & abductum, ea luce, quam tranquillitas à vitioſis affectionibus parit, illuſtrabat. Rex aũt cum eum maiorem in modum diligeret, atque in honore ac pretio haberet, vt hoc audiuit, de amici iactura dol[illegible] em animo cepit, vehementiuſque aduerſus monachos exarſit. Atque cum homines ad eum conquirendũ qua[illegible] ſum miſiſſet, & quemadmodum vulgo dicitur, nullum non lapidẽ mouiſſet, quo eum inueniret, aliquãto poſt illi qui ad eum inueſtigandum miſſi fuerant, vt eum in ſolitudine commorari ſenſerunt, ita perſcrutati ſunt, vt tandẽ eum arriperẽt, atque ad Regis tribunal ſiſterent. Rex autem, cum eum, qui quondam ſplendidis veſtibus vtebatur, atq; [illegible] magnis deliciis vitam exigebat, tam viliter & abiectè amictũ, ac religioſæ exercitationis aſperitate afflictum, vitæque [illegible] ſigna haud obſcurè geſtantem conſpexiſſet, mœrore ſimul atque iracundia implebatur, atque ex vtroque affectu temperato ſermone, ita eum allocutus eſt: O vecors & demens, quid te adduxit, vt honorem cum ignominia, & [illegible] gloriam cum turpi ac dedecoris pleno habitu commutares? Siccine tu, qui regno meo præeras, atque in copias meas imperium militare obtinebas, teipſum puerorũ ludibriũ effeciſti, ac non modo meæ amicitiæ memoriam ex animo procul eiecisti, verũ etiam aduerſus ipſam naturam impetum feciſti, ac ne tuorum quidẽ filiorum miſeratione affectus, tũ opes, tum omnẽ vitæ ſplendorẽ pro nihilo putaſti, tantamq; ignominiam tã luculenta gloria potiorem & præſtabiliorem habuiſti? Quidnam te ad hoc impulit, cuiuſnam lucri ſpes, vt eũ, qui Ieſus nominatur, omnibus diis atque hominibus anteponeres, ac durã hanc & ſuperſtitioſam vitæ rationẽ ſuauiſſimæ huiuſce vitæ oblectamẽtis anteferres? Hac oratione audita, vir ille Dei, lepida ſimul ac placida & æquabili voce ad hunc modum reſpondit: Si ſermones mecũ conſerere in animũ inducis, ô Rex, fac hoſtes tuos è medio tribunali ſubmoueas: at tũ de his rebus, quas intelligere cupis, tibi reſpondebo. Illis autem præſentibus, nullus mihi ad te ſermo erit. Citra ſermonem tũ excrucia, obtrunca, fac denique quidquid lubet. Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo, vt ait meus magiſter. Cũque Rex dixiſſet: Quinam tandem ſunt hi hoſtes mei, quos me hinc ablegare iubes? Iracundia, inquit ille, & cupiditas. Nã eæ primum quidem ab omniũ rerum parente atque architecto ita productæ ſunt, vt naturæ opitularentur, ac nũc etiã eandem iis operam præbent, qui non vt carni, ſed vt ſpiritui conſentaneum eſt, viuunt. In vobis autem, qui prorſus carnales eſtis, nec vllam ſpiritus partem habetis, aduerſariæ exſtiterunt, eaque quæ inimicis & hoſtibus conueniunt, exſequuntur. Cupiditas etenim, cum ei à vobis opera datur, voluptatem excitat: cum autem aboletur, iracundiam. Proinde faceſſant ipſæ hodierno die abs te, praſint autem ad eorum, quæ à me dicentur, auditionem

Princeps quidam Indicus monaſticã vitam ſuſcipit. Veſtitus aſperitas in monachia, & dura conuerſatio. Regis [illegible] mund[illegible] dicti orat[illegible] [illegible] Gal. 6. Ira & cupiditas à tribunalibus ablegandæ.

acumẽ

ac iudicium, prudentia & iuſtitia. Nam ſi iracundiam & cupiditatem de medio ſuſtuleris, atq; earum loco prudentiam & iuſtitiam induxeris, vere omnia tibi dicam. Atq; Rex his verbis eſt vſus: En petitioni tuæ ceſſi, atq; cupiditatem & iracundiam è concilio eiiciam: daboq; operam, vt prudentia & iuſtitia interponantur.

Iam igitur abſq; vllo metu mihi expone, vnde tibi hic error obortus ſit, vt ea quæ in vana ſpe poſita ſunt, iis rebus quæ manibus tenentur, atq; oculis cernuntur, anteponas. Reſpondens autem eremita dixit:

Pii principis reſponſio.

Si intelligere cupis, ô Rex, vnde hoc primum mihi animo iniectum fuerit, vt caducas res contemnerem, ac me totum ſempiternarum rerum ſpei traderem, audi. Olim, cum adhuc iuuenili ætate eſſem, bonum ac ſalutare verbum audiui, cuius vis maiorem in modum me rapuit, ipſiuſq; memoria, diuini cuiuſdam ſeminis inſtar, pectori meo inſita ita permanſit, vt numquam à me diuelli potuerit: adeo vt & radices egerit, & germen ediderit, ac maturo tempore fructum in me tulerit. Huius autem verbi hæc vis erat: Excordes, inquiebat ille, ac ſtolidi homines, animo ita comparati ſunt, vt ea quæ ſunt, perinde ac ſi non ſint, aſpernentur: ea autem quæ non ſunt, perinde ac ſi ſint, amplectantur, ac mordicus retineant. Qui autem eorum quæ ſunt, dulcedinem minime degustauit, is eorum, quæ non ſunt, naturam perfectam habere non poterit, hanc porro niſi exploratam habuerit, quonam modo ea contemnet ac pro nihilo putabit? Porro per ea, quæ ſunt, hæc oratio ſempiternas res, atq; à iactatione alienas intelligebat: per ea autem quæ non ſunt, hanc vitam & delicias, ac mendacem proſperitatem: quibus, ô Rex, heu! cor tuum male affixum eſt, egoq; item quondam ea complectebar. Verum huius ſermonis vis, animum meum ſine vlla intermiſſione vellicans, mentem, quæ mei principatum tenet, ad id quod melius erat, eligendum excitabat. Ceterum lex peccati, cum mentis meæ lege pugnans, ac velut quibuſdam compedibus me vinciens, per affectum erga res præſentes, captiuum tenebat.

Eccl. 2.
Per mandatorũ obſeruatione͂, nõ per ſolã fidẽ, ad Deũ aſcendendũ.

Cum autem Saluatoris noſtri benignitati ac bonitati me ex hac acerba captiuitate vindicare placuit, atq; ipſe menti meæ ad ſuperandam peccati legem robur addidit, oculoſq; meos aperuit, vt mali ac boni delectum haberem, tum ſcilicet, tum, inquam, animaduerti ac vidi, præſentia omnia vanitatem & afflictionem ſpiritus eſſe, quemadmodum etiã ſapientiſſimus Salomon quodam loco dixit. Tum peccati velamen è corde meo ſublatum eſt, atq; obſcuritas ea, quæ ex corporis craſſitie animo meo incumbebat, diſcuſſa & diſſipata: atque cuiuſnam rei cauſa procreatus ſum, agnoui: mihiq; faciendum eſſe, vt per mandatorum obſeruationem, ad ſummum illum rerum omnium effectorem aſcendã. Quapropter relictis omnibus rebus, eũ ſecutus ſum. Gratiaſq; Deo per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrũ ago, quod me ex luto & lateritio labore, ac crudeli & peſtifero tenebrarum huius ſæculi principe liberarit, viamq; mihi compendiariam & procliuem oſtenderit, per quam in hoc fictili corpore angelicam vitæ rationem amplexari poſſim. Cuius adipiſcendæ ſtudio, arctam hanc & anguſtam viam ingrediendam mihi duxi, ſic videlicet animo conſtitutus, vt præſentium rerum vanitatem atq; inſtabilem earum iactationem & conuerſionem vehementer improbem, neq; adduci poſſim, vt credam aliud quidquam, præter id quod verè bonum eſt, bonum appellandum eſſe. A quo tu, ô Rex, miſere te abrupiſti ac ſeiunxiſti. Eaq; de cauſa nos etiam à te diſiuncti ac diſtracti ſumus, quoniam tu in perſpicuum & indubitatum exitium ruis, ac nos in idem periculum præcipites ferri cogis. Nam quamdiu in ſola mundi militia cenſebamur, nullam officii partem prætermittebamus. Ac tu quoq; optimus teſtis eris, nos nec negligentiæ, nec ſocordiæ nomine vnquam eſſe notatos ac reprehenſos.

Matth. 7.
Monachiſmus via cõpẽdioſa per quã angelicã quis poteſt ducere conuerſationem.

Posteaquam aũt id quoq;, quod omnium bonorum caput eſt, hoc eſt pietatem, nobis extorquere, Deiq; detrimento (quod detrimentorum omnium extremum ac grauiſſimum eſt) nos afficere ſtuduiſti; nobiſq; interim honores ob eam cauſam in nos collatos, atq; ampliſſima beneficia in memoriam reuocas: qui fieri poteſt, vt nõ optimo iure te veri boni inſcitia laborare dicam, vt qui omnino hæc inter ſe componas, pietatem ſcilicet erga Deum, cum humana amicitia & gloria inſtar aquæ defluente? Quonam item modo in hac re ſocii tibi futuri ſumus, ac non contra tũ amicitiam, tum honorem, tum liberorum amorem, & ſi quid aliud maius eſſet, aſpernabimur, cum te, ô Rex, in Deum ſcelerate gerere conſpiciamus, qui tibi ipſum eſſe & ſpiritum ducere præbuit; qui eſt Chriſtus Ieſus omnium Dominus: qui cum principio careat, eiuſdemq; cum Patre æternitatis ſit, cæloſq; ac terram ſermone procreatit, hominem tamen ſuiſmet manibus effinxit, eumq; immortalitate coornauit, Regemq; omnium rerum, quæ in terra ſunt, conſtituit, eique, quod omnium rerum præſtantiſſimum erat, hoc eſt paradiſum, tamquã regiam quamdam aulam, attribuit. At ille inuidia deceptus, & in fraudẽ inductus, & voluptatis illecebris delinitus, his omnibus miſerè deiectus eſt: & qui prius beatus cenſebatur, miſerum ſpectaculum præbebat, lacrymiſq; ob acceptam calamitatem dignus erat. Verum enimuero is, qui nos effinxerat ac procreauerat, benignis rurſum oculis manuum ſuarum opus conſpicatus, nullam diuinitatis ſuæ mutationem ſuſcipiens, noſtræ ſalutis cauſa, id quod nos ſumus, citra peccatum factus eſt, atq; crucẽ & mortẽ ſponte ſubiens, hoſtem eum, qui iam inde ab initio generi noſtro inuidebat, proſtrauit, noſq; acerba illa captiuitate liberatos in priorem libertatem, pro ſua erga nos bonitate, reſtituit, eoq; rurſum, vnde nos inobedientia exturbauerat, ob ſuam erga nos humanitatem reduxit, maioreq; quam antea honore proſecutus eſt.

Gen. 3.
Sap. 2.

Hunc igitur, qui noſtra cauſa tot cruciatus pertulit, tantiſq; rurſum nos beneficiis affecit, hunc, inquam, ipſe reiicis, atq; eius Crucem dicteriis inſectaris, totuſq; corporis deliciis, ac pernicioſis affectibus affixus, ignominioſa ac turpitudinis plena ſimulacra deos appellas. Nec teipſum dumtaxat à cæleſtium bonorum coniunctione abſtraxiſti, verũ etiam omnes, qui tuis imperiis obtemperant, ab ea remoues, atque in animæ periculum conicis. Quocirca velim noſcas, me minime commiſſurum, vt tibi paream, in eademq; tecum erga Deum ingratitudine verſer, atq; eum, qui præclare de me meritus eſt, mihiq; ſalutem attulit, abiurẽ, etiamſi feris me lacerandum & abſumendum obiicias, aut gladio, aut igni me addicas: quæ quidem in tua poteſtate ſita ſunt. Neque enim mortem extimeſco, nec præſentia expeto: quippe quæ perquam imbecilla & vana eſſe compertum habeam. Quid enim in ipſis vtilitatis eſt? quid quod ſtabile ſit ac diuturnum? Neque id ſolum: verumetiam, tum quoque cum adſunt, ingens ipſis ærumna coniuncta eſt, ingens mœror, ingens & perpetua ſolicitudo, ſiquidem eorum voluptati ac perceptioni nihil non mœſtitiæ ac doloris adnexum eſt: ipſorum diuitiæ, paupertas ſunt: ipſorum ſublimitas, extrema deiectio. Quiſnam autem eorum mala enumerando conſequi poſſit? Quæ quidem paucis verbis Theologus meus mihi demonſtrauit, his verbis vtens: Totus mundus in maligno poſitus eſt, ac rurſum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Quoniam omne, quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Hanc igitur ego bonam Dei voluntatem quærens, omnia pro derelicto habui, cum iiſque me coniunxi, qui eadem cupiditate tenentur, atque eundem Deum expetunt. Inter quos non ſimultas eſt, non liuor, non mœrores & curæ: ſed omnes idem curriculum obeunt, vt ad ſempiternas eas manſiones perueniant, quas luminum pater iis, à quib. amatur, præparauit. Hos ego pro parentibus, hos pro fratribus, hos pro amicis & familiaribus habeo. Ab iis autem, qui quondam amici mei ac fratres erant, elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, Deum exſpectans qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

Præſentium rerum vanitas & inſtabilitas.
1. Ioan. 5. & 2.
Iacob. 1.
1. Cor. 2.
Pſal. 54.

Hæc cum ita commode ac iucunde à Dei homine dicta eſſent, Rex iracundia quidem impellebatur, ac ſanctũ virum acerbis ſuppliciis excruciare cupiebat: rurſum autem ſe reprimebat, atque id aggredi cunctabatur, venerãdam

 ipſius

ipſius dignitatem ac ſplendorem veritus. Sermonem verò excipiens, his eum verbis eſt allocutus: Vndique, ô miles, ei x tio tuo ſtuduiſti, vt qui ad ipſum, fortuna, vt videtur, te impellente, tum mentem, tum linguam acueris, ac proinde obſcuram quandam atque inanem verborum næniam effuderis. Ac niſi ſermonis principio me tibi facturum recepiſſem, vt è medio concilio iracundiam depellerem, nunc carnes tuas in ignem conieciſſem. Quoniam autem ipſe ante-
Ephes. 6. uertens, vbiq; cauens, huiuſmodi verbis me obuinxiſti, audaciam tuam, ob priſtinam meam erga te amicitiam fero. Quamobrem exurge, atque ab oculis meis profuge, non iam te videbo, ſed male mactabo.

Ita egreſſus Dei homo in ſolitudinem ſeceſſit, mœrore quidem eo nomine affectus, quod martyrium minimè obiiſſet, cęterum nullo non die, quantum ad conſcientiam attinet, martyrio fungens, atque aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, aduerſus ſpiritalia nequitiæ, vt ait beatus Paulus, dimicans. Cum igitur ille abiiſſet, Rex grauiore iracundia concitatus, acriorem perſecutionem aduerſus monaſticū agmē exercere, maioreque honore ſimulacrorum cultores ac ſacerdotes afficere cœpit.

Regi naſcitur filius Ioſaphat. Cvm autem rex in tam graui errore atque impoſtura verſaretur, naſcitur ei elegantiſſima forma filius, atque ex ea pulchritudine, quæ ipſi affuſa erat, id quod futurum erat præſignans. Sic enim ſermone ferebatur, in illa terra puerum, pari pulchritudine ac venuſtate nuſquam extitiſſe. Rex autem ob pueri natiuitatem maximo gaudio perfuſus, eum Ioſaphat nominauit: atque ad idolorum templa demens ſe contulit, vt dementioribus ſacrificia offerret, laudeſq; ad edendam grati animi ſignificationem perſolueret: ignorans nimirum, quiſnam bonorum omnium verè auctor eſ-
Ob natalē Ioſaphat ſacrificia offert. ſet, ad quem ſpirituale ſacrificium adhiberi deberet. Ille igitur rebus inanimis & ſurdis filii ortum acceptum ferens, quaqua verſum miſſis nuntiis plebem ad eius natalitia celebranda cogendam curabat. Ac cernere erat omnes Regis metu confluentes, ſecumq; ea, quæ ad ſacrificium accommodata erant, afferentes, pro cuiuſque ſcilicet facultatū modulo, atque erga eum beneuolentia. Præſertim autem ipſe ſtimulos eis ad munificentiam admouebat, vt qui quāpluримos & maximos boues mactandos offerret. Atque ad hunc modum luculentiſſimo feſto peracto, omnes, tam qui Senatorii ordinis erant, magiſtratuque fungebantur, quam militum manum, atque etiam plebeios & ignobiles ampliſſimis donis proſequebatur.

In ipſo autem natalitiorum filii ſolemni die, delecti viri circiter quinquaginta, qui in ea Chaldæorū ſapientia, quæ in conſpiciendis notandiſque ſideribus verſatur, ſtudium atque operā collocarant, ad Regē conuenerunt. Quos
Rex Aſtrologos de filio conſulit. cum Rex propius ad ſe accedere iuſſiſſet, de ſingulis percunctabatur, quidnam puer in lucem editus futurus eſſet. Illi aūt longa conſideratione habita, futurū dicebant, vt opibus ac potentia floreret, atque omnes, qui regnū ante ipſum obtinuiſſent, ſuperaret. Vnus verò Aſtrologus, qui ſocios omnes ſuos eruditione anteibat, his verbis vſus eſt: Quantū ex ſiderum curſu addiſcere poſſum, ô Rex, filii, qui nunc ex te ortus eſt, amplitudo atque profectus non in tuo regno
Vnus dicit Chriſtianū fore erit, ſed in altero præſtantiore, atque incomparabiliter excellentiore. Atque ipſum Chriſtianorum quoque religionē, quam tu inſectaris, arrepturum exiſtimo: nec eum ab hoc ſcopo ac ſpe aberraturum puto. Hæc ſcilicet dixit Aſtrologus,
Num. 23. vt olim Balaam: non quod Aſtrologia veritate nitatur, ſed quod Deus, vt omnis impiis excuſatio amputaretur, veritatem per ipſos aduerſarios oſtenderet.

Rex aūt, vt hæc intellexit, eiuſmodi nuntium grauiter ac moleſto animo excepit, voluptatemque ſuam mœſtitia interrumpi ſenſit. Nihilominus tamē, in priuata quadam ciuitate, pulcherrimo palatio extructo, ſplendidaque domo elaborata, illic filium collocauit, iuſſitq; vt exactis primis ætatis annis, nullis ad eum acceſſus pateret. Atq; pædagogos ipſi & miniſtros ætate florentes eximiaque forma præditos conſtituens, hoc ipſis mandauit, vt nihil eorū quæ in
Rex omnes moleſtias [illegible] ſi [illegible] arcere ſtudet. hac vita moleſta ſunt, perſpectum ipſi facerent, non mortem, non ſenectutem, nō morbū, nō paupertatē, nō quidquā aliud moleſtiæ, quodque ipſi oblectationē interpellare poſſet: verū omnia iucunda, & cum ſuaui fructu cōiuncta proponerent, vt in his ipſius animus cum voluptate ac deliciis verſans, nihil omnino rerum futurarū cogitatione complecti poſſet, ac ne verbo quidē tenus de Chriſti religione, ipſiuſq; decretis quidquam audiret, nam hoc præ omnibus rebus ipſi occultare in animo habebat, Aſtrologi nimirū vaticiniū veritus. Quod ſi miniſtrorum aliquem in morbū incidere contigiſſet, eū ſtatim illinc eiici iubebat, alterumque nitidum optimeque valentem ipſi ſubſtituebat: vt ne quid omnino ſalebroſi atque acerbi in filii oculos incurreret. Ad hunc modum ſe Rex gerebat, atque hæc cogitabat, & agebat. Videns enim non videbat, & audiens non intelligebat. Cū autē certior factus fuiſſet, monachos nōnullos (quorū ne veſtigium quidem vllum reliquum eſſe putabat) adhuc ſupereſſe, iracūdia æſtuabat, atq; acerrimo impetu in eos ferebatur, ac præcones paſſim tota vrbe & regione procurſare imperabat, qui edicerent, ne monaſtici ordinis quiſquā vſquam omnino poſt triduum inueniretur: quod ſi inueniretur, flammis addiceretur. Hi enim ſunt, inquiebat, quorū auctoritate populus adducitur, vt eū, qui cruci affixus eſt, pro Deo colat. Interea autem huiuſmodi quiddam accidit, quod maiorem ipſi indignationem excitauit, eumque monachis infenſiorem reddidit.

Inter homines dignitate præditos quidam erat, qui primas in aulā obtinebat, vir eleganti vita, ac fidei pietate,
Quidā princeps occultè Chriſtianus. quique ſaluti ſuæ operam ſummo ſtudio dabat: occulte tamen, ob Regis metum. Quamobrem nonnulli, ob eam, qua apud Regem pollebat, auctoritatem ipſi inuidentes, eum criminari ſtudebant ac ſummopere laborabant. Et quidem cum Rex aliquando ſatellitum manu pro ſuo more ſeptus, ad venationem profectus fuiſſet, in venatorū numero probus ille vir erat. Cum aūt ipſe ſolus ambularet (diuino, vt opinor, conſilio ita ferente) hominem inter denſas arbores humi proſtratum, ac pede à fera quadam grauiter cōtritum, offendit. Qui quidem ipſum prætereuntem intuens, precibus ab eo contendebat, ne ſe præteriret, verùm calamitatis ſuæ miſeratione afficeretur, atque in domū ſuam abducēdum curaret. Simul etiam illud adiunxit, ſuam operam ipſi non prorſus inutilem atque inanem fore. Præclarus autem ille vir ei dixit: Equidem ipſe virtutis ſtudio atque amore te aſſumam, tuique quā maximam potero curam geram, verū
Pauperem à pede miſerū ſuſcipit. quæ tandem eſt hæc vtilitas, quam abs te ad me redituram eſſe ais? Pauper autem ille & imbecillis: Ego, inquit, ſermonibus læſis medeor. Nam ſi quando in verbis aut colloquiis vulnus aliquod aut afflictio inueniatur, conſentaneis medicamentis ea curo, ac ne malum vlterius ſerpat, prohibeo. Pius itaque ille vir, quāquam id quod dixerat, nullius momenti duceret, tamen diuini mandati cauſa eum in domum ſuam deferri, eique quam par erat, curā adhiberi iuſſit. At inuidi illi & liuore perciti homines, de quibus ante locuti ſumus, improbitatem, quam iam pridem parturiebant, in lucem proferentes, ipſum apud Regem hoc nomine accuſant, quod non ſolum amicitiæ ipſius oblitus, deorum cultū neglexiſſet, atque ad Chriſtianam religionem animum inflexiſſet, verū etiam aduerſus ipſius maieſtatem grauia moliretur, popularem ſcilicet turbam peruertens omniumque beneuolētiam ſibi concilians. Quod ſi pro certo ſcire cu-
Accuſatur callide ab æmulis. pis, inquiunt, nihil nos fingere atque comminiſci, priuatim ei, tentandi ipſius cauſa, dic te relicta patria religione ac regni gloria, Chriſtianam fidem amplecti, habitumque monaſticum, quem olim tamquam parum honeſtum perſecutus es, induere velle. Nam qui hæc aduerſus virum illum ſcelerate confingebant, ipſius animi inſtitutum ad compunctionem propenſiſſimum exploratum habebant: nec dubitabant, quin ſi hæc verba à Rege audiret, ſtatim ipſi quod præſtātius eſſet ſuadens, auctor futurus eſſet, vt iis quæ recte cōſulta eſſent, nullā morā afferret, atq; hinc vera eſſe, quæ dicebant, inuenirentur. Rex aūt, qua vir ille erga ſe beneuolentia eſſet, minimè ignorans, ea, quæ dicebantur, probabilitate omni carere, ac falſa eſſe cēſebat. Neq; ſibi faciēdū eſſe ducebat, vt ea temerè ſuſciperet, verū rē ipſā, atq; obiectū crimen

crimen exploraret. Quapropter cum eum remotis arbitris accivisset, tentandi ipſius cauſa ita eum eſt allocutus: Noſti, ô amice, quonam modo adverſum eos, qui monachi dicuntur, atque adeo adverſus omnes Chriſtianos me geſſerim: nunc autem eo nomine pœnitentia ductus, atque præſentium rerum pertæſus, ad ſpes illas, quas eos commemorare res audiui, nempe immortalis cuiuſdam regni, quod in alia vita futurum eſt, me conferre cupio: (nam præſens regnum morte omnino interrumpitur,) illud autem me nullo alioqui modo conſequi, ac voti mei compotem eſſe poſſe exiſtimo, niſi Chriſtianus fiam, regniq; mei gloriæ ac reliquis huiuſce vitæ iucunditatibus & voluptatibus dicta extrema ſalute, illos religioſæ vitæ cultores, & monachos, quos inique & ſcelerate expuli, quocumque tandem in loco ſint, inquirens, ipſis me admiſceam. Ad hæc, quid ipſe ais? & quid mihi faciendum cenſes? dic quæſo, per veritatem iſtam te obteſtor. Non enim me fugit, te ſupra omnes mortales veri ſtudioſum, atq; animi probitate præditum eſſe. Bonus autem ille vir, vt hæc audiuit, abſtruſam fraudem nullo modo agnoſcens, animi compunctione affectus eſt, lacrymiſque perfuſus, ſimplici animo reſpondit. Rex, æternum viue: bonum & ſalutare conſilium iniſti. Quoniam etiamſi cælorum regnum ægre inueniri poteſt: tamen ipſum omnibus viribus quærendum eſt: Qui enim quærit, inquit ille, ipſum inueniet. Præſentium autem rerum fructus licet in ſpeciem oblectet ac voluptatem afferat, pulchrum tamen eſt eum propellere ac propulſare. Etenim noſter tum demum eſt, cum eſt: & quos oblectat, multo magis rurſum excruciat. Nam & ipſius ſuauitatis & moleſtiæ vmbra imbecilliores ſunt, ac velut nauis in mari curſum tenentis, aut auis aërem peragrantis veſtigia quam ocyſſime euaneſcunt. Contrà, futurorum ſpes, quam Chriſtiani prædicant, firma ac tutiſſima eſt, tametſi in mundo preſſuram habeat. Ac iucunditates quidem eæ, quibus nũc fruimur, breues ſunt: illic autem nihil omnino præter ſupplicium, ac numquam finiẽdos cruciatus accerſunt. Harum enim rerum ſuauitas fluxa & temporaria eſt, acerbitas autem ſempiterna: Chriſtianorum contrà labor quidem temporarius eſt, voluptas autem & vtilitas immortalis. Quamobrem feliciter velim cedat bonum tuum conſilium. Pulchrum eſt enim, ac valde pulchrum, ea quæ interitu obnoxia ſunt, cum ſempiternis commutare.

Callida regis oratio ad pium principem.

Rex monachum ſe velle heri ſimulat.

Pii principis pia reſpõſio

Luc. 11.

Sap. 5.

Ioan. 16.

HIS verbis auditis, Rex vehementer quidem indignatus eſt: ceterum iracundiam compreſſit, neque ipſi tum quidquam locutus eſt. At ille, vt qui prudens ac ſagax eſſet, Regem ſua verba grauiter & moleſtè accepiſſe animaduertit, verſutoq; animo id dumtaxat egiſſe, vt ipſius animum exploraret: domumq; reuerſus, in mœrore atque languore verſabatur, addubitans videlicet, quonam modo Regis animum mitigaret, atq; impendens ſibi periculum effugeret. Cum autem inſomnis noctem totam exigeret, eius, qui pedis infractione laborabat, in mentem ipſi venit: eumq; ad ſe accitum ita eſt allocutus: Memoria teneo, te mihi hoc dixiſſe, quod noxiis verbis medearis. Ille autem, Eſt ita, inquit: & ſi opus eſt, ſcientiæ meæ ſpecimen edam. Senator autem ſermonem excipiens, ipſi veterem ſuam erga Regem beneuolentiam & auctoritatem, quam apud eum obtineret, expoſuit: recenſuitq; item ſibi verſuto animo adhibitum ſermonem, & quemadmodum ipſe quidem probe reſpondiſſet, ille autem ipſius ſermonẽ moleſto animo accipiens, per vultus mutationem, iram in intimo pectore latitantem oſtendiſſet.

Rex iram premit.

PAVPER autem ille & infirmus, re cum animo ſuo conſiderata, dixit: Noſcas oportet, vir illuſtriſſime, Regem malam ac ſiniſtram aduerſum te opinionem concepiſſe, nempe quod ipſius regnum occupare ſtudeas: atque tentandi tui ſtudio ea dixiſſe, quæ dixit: quamobrem fac exurgas, ac tonſo capite, ſplendidiſque his veſtibus abiectis, atq; induto cilicio, cum primum luxerit, ad Regem adeas, hoc autem ſciſcitanti e quidnam ſibi hic habitus velit, reſponde: De iis rebus, de quibus mecum heſterno die collocutus es, ô Rex, en adſum, paratus te in hac via, quam ingredi conſtituiſti, ſequi. Nam etſi deliciæ ac voluptates iucundæ ſunt: abſit tamen vt eas poſt te retineam. At verò virtutis iter, quod ingredi paras, licet arduum & aſperum ſit, tamen, modo tecum ſim, facile & procliue ac iucundum erit. Vt enim me oblectamentorum huius vitæ ſocium habuiſti, ita etiam moleſtiarum habiturus es: quo etiam in futurorum bonorum ſocietatem tecum veniam. Præclarus igitur ille vir infirmi hominis verba comprobans, fecit quemadmodum ipſe monuerat. Eum itaq; Rex videns atque audiens, hac quidem de cauſa delectatus eſt, ipſius nimirum erga ſe beneuolentiam admirans: atq; falſa eſſe, quæ aduerſus eum ad ſe delata fuerant, intelligens, maiore eum honore atq; apud ſe auctoritate ac familiaritate donauit. Ceterũ aduerſus monachos rurſum ira exarſit, eorum ſcilicet hæc præcepta eſſe dicens, vt homines ab huiuſce vitæ voluptatibus abſtineant, atq; incerta ſpe, tamquam per ſomnium ſeſe illudi ſinant.

Pauper pió principi dat conſiliũ.

CVM autem rurſus ad venationem egrederetur, duos monachos hos per deſertum iter facientes cernit. Quos ſtatim comprehendi, & ad currum ſuum adduci iuſſit. Atq; iracundis oculis eos intuens, ignemq; vt dici ſolet, ſpirãs, An non audiſtis, inquit, ô impoſtores & circumſcriptores, præcones meos aperte proclamantes, ne quis veſtri diabolici inſtituti, poſt triduum in vrbe aut vlla regni mei regione inueniretur, aut alioqui prorſus igni cremaretur? Monachi autem, En, inquiunt, pro eo ac iuſſiſti, ex vrbibus tuis ac regionibus excedimus. Verum cum longum nobis iter propoſitum ſit, vt ad fratres noſtros proficiſcamur, ac cibo careamus, hac via incedimus, vt nobis viatica ſuppetãt, nec fame abſumamur. Rex autem inquit: Qui mortis minas metuit, huic cibos comparare minime vacat. Monachi autẽ, Recte dixiſti, ô Rex, inquiunt: qui mortem metuunt, id curant, quonam pacto eam effugiant. Quinã autem hi ſunt, niſi qui fluxis rebus intabeſcunt, eaſque ad ſtuporem vſque mirantur? Qui quidem cum in altera vita quidquam boni ſeſe conſecuturos eſſe deſperent, à præſentibus diuelli nequeunt, ob eamq; cauſam mortem timent. At nos, qui iam pridem mundum, & ea quæ in mundo ſunt, odio proſequimur, arctamq; & anguſtam viam Chriſti cauſa ingredimur, nec mortis metu, nec præſentium rerum cupiditate afficimur: verum futurarum dumtaxat rerum deſiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infers, ad ſempiternam & præſtantiorem vitam tranſitus efficitur, idcirco cupiditati potius nobis eſt quam terrori.

Rex duos monachos capit.

Quib. mors terrori eſſe ſoleat.

Mors pii tranſitus eſt ad vitam.

HIC Rex per ſolertiam, videlicet monachos arripere cupiens, dixit: Quid? An non paulo ante vos ſecedere dixiſtis, vt meo imperio pareatis? Quod ſi mortem minime timetis, quid eſt quamobrem fugam ineatis? En hæc quoq; fruſtra & inaniter iactantes, mentiti eſtis. Reſponderunt monachi: Nõ idcirco fugimus quod denuntiatam nobis abs te mortem pertimeſcamus: verum tui miſeratione commoti, ne grauiorem condemnationem tibi accerſamus, ſecedere in animum induximus. Nam alioqui, quantum ad nos attinet, nullo minas tuas expaueſcimus. Ad hæc Rex ira commotus ipſos exuri iuſſit. Sicq; Dei famuli extremo vitæ die functi, martyrii coronam per ignem adepti ſunt. Statimq; edictum promulgatum eſt, vt ſi quis monachus inueniri poſſet, ſine vlla inquiſitione trucidaretur. Atq; ita nullus huiuſmodi ordinis in illa regione reliquus factus eſt, niſi qui in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ ſeſe occultarant. Verum hæc hactenus.

Cur pii interdũ graſſante perſecutione ſecedant

Duo monachi igne cremantur.

AT Regis filius, de quo initio nobis oratio inſtituta eſt, in palatio quod ipſi exſtructum fuerat, ita manens, vt à nemine adiri poſſet, iuuenilem ætatem tandem attigit (cum interea omnem, tam Æthiopum quam Perſarum doctrinam percepiſſet) prudens & cordatus, atq; omnibus virtutum dotibus illuſtris. Qui naturales etiam quæſtiones præceptoribus ſuis proponebat: adeo vt ipſi quoque adoleſcentis ingenium animiq; acumen admirarentur, rexq; etiam ipſe ex vultus ipſius venuſtate, animiq; habitu, in ſtuporem raperetur. Mandabat autem his, qui cum eo verſabãtur, vt darent operã, ne quid prorſus quæ eorũ in hac vita moleſta ſunt, intelligeret, nec omnino quod mors præſentes voluptates exciperet. Ceterum inani ſpe nitebatur, atq; (vt prouerbio dicitur) in cælum ſagittas mittere conabatur. Quo-

Regis filii ſtudia.

nam enim modo mors humanæ naturæ incognita eſſe poſſet?itaq; ne pueri quidem cognitionem effugit. Nam cum
animum ſumma ſagacitate ornatum & inſtructum haberet,ſecum ipſe conſiderabat,quidnam patrem adduxiſſet,vt
ipſi omnium aditum interdiceret,nec quẽlibet ad ſe accedere pateretur. Per ſe enim intelligebat, hoc citra patris im-
perium non fieri. Ceterum ipſe interrogare verebatur,tum quod minime vero conſentaneum eſſe diceret,quin pater
ea,quæ ipſi conducerent,animaduerteret:tum quod illud ſecum reputaret,ſi id de patris voluntate fieret,quantumli-
bet ipſe percontaretur,ſe tamen rei veritatem minime intellecturum eſſe.Quapropter ex aliis,ac non à patre hæc ſci-

Rogat quâ de causa exire ſibi non liceat.

te conſtituit.Itaq; cum vnum è pædagogis reliquis chariorem ac familiariorem haberet, eumq; maiore adhuc bene-
uolentia ſibi deuinxiſſet,atq; ampliſſimis muneribus affeciſſet,ab eo ſciſcitabatur,quidnã Regem impuliſſet,vt eũ in
hoc ſepto incluſum teneret.Illud etiam adiungebat: Si mihi apertè hoc expoſueris, omnibus te anteponam, perpe-
tuæque amicitiæ fœdus tecum feriam. Pædagogus autem,vt qui etiam ipſe prudens & cordatus eſſet,puerique ſagaci-
tatem ac numeris omnibus abſolutam prudentiam exploratam haberet,neque ſibi ab eo periculum vllum conflatum

Reſpondetur,ne Chriſtianus fiat.

iri exiſtimaret,omnia ei ſigillatim expoſuit,nempe & perſecutionem aduerſus Chriſtianos, ac potiſſimum aduerſus
eos,qui ſe pietati colẽdæ totos deuouiſſent,promulgatam:& quemadmodum ab omnibus finitimis locis expulſi &
eiecti fuiſſent:atque item ea,quæ ipſo in lucem edito Aſtrologi prædixiſſent. Ne igitur,inquit,audita eorum doctri-
na,eam religioni noſtræ præferas,idcirco à Rege data opera eſt,ne multi tecum conſuetudinem haberent,ſed pauci o-
mnino.Ac nobis etiam atque etiam mandauit,vt ſtuderemus,ne quid huiuſce vitæ moleſtiarum per nos intelligeres.

Hæc vt adoleſcens audiuit,nullum alterum verbum adiunxit.Ceterum ſalutaris ſermo ipſius pectus tetigit,ac
Paracliti gratia ſpirituales ipſius oculos aperire aggreſſa eſt,eum ad verum Deum, tamquam porrecta manu ducens,
quemadmodum orationis progreſſu demonſtrabimus.Cum autem Rex ipſius pater crebrò eum viſeret, (ſingularis
etenim ipſius erga eum amor erat)quadam die his verbis ad eum filius vſus eſt:O here ac Rex,aliquid ex te ſcire cupio,
cuius cauſa perpetuus mœror,atque omnis intermiſſionis expers ſollicitudo animum meum exedit ac conficit. Pater
autem ex hoc ipſo ſermone intimis viſceribus diſcruciatus,ait:Dic mihi,chariſſime fili quisnam ſit hic mœror, qui te
obſidet,ac ſtatim eum in gaudium commutare ſtudebo. Tum puer,Expone,inquit,quidnam cauſæ ſit, cur hic deti-
near,atque inter muros & ianuas abs te concludar,eoque ſtatu ſim,vt à nemine adiri ac cerni queam, Quoniam,ô fi-
li,inquit Rex,nolo quidquam videas,quod pectori tuo moleſtiam afferat,tibique voluptatem interpellat.Siquidem
hoc ago ac ſpecto,vt in perpetuis deliciis,atque omni gaudio animique voluptate,omne vitæ tempus traducas. At
velim ſcias,ô here,inquit filius ad patrem,me hoc modo non in gaudio atque animi voluptate,ſed potius in afflictio-
ne atque ingenti anguſtia vitam agere: adeo vt ipſe quoque cibus ac potus faſtidio mihi & acerbitati ſit: etenim geſtit

Petit à patre vt egredi poſſit.

animus ea,quæ extra has ianuas ſunt,perſpicere.Quamobrem ſi me lætè ac iucunde viuere cupis, iube me arbitratu
meo foras progredi,atque earum rerum,quarum proſpectus mihi negatur,ſpectaculo animum oblectare.

Hæc vt Rex audiuit,mœſtitia affectus eſt,illudq; cogitabat fore,vt ſi illi quod petebat denegaret, maiorẽ ei

Concedit pater.

mœrorem ac ſolicitudinem afferret. Quocirca ſe,quæ grata ipſi eſſent,facturum dixit.Ac ſtatim eximios equos ac ſa-
tellitum manum regiæ dignitati congruentem parari iuſſit,eique foras,quoties vellet,progrediendi poteſtatem fecit.
Iis autem,qui cum eo verſabantur,ſummopere mandauit,vt curarent,ne quid iniucundi obuiam haberet:verũ quid-
quid pulchrum & amœnum ac iucundũ eſſet,ipſi oſtenderent,choreaſque in viis agitarent,ſuauiſſimiſque cantioni-
bus operã darent,ac varia ſpectacula conſtituerent,vt ipſe mentẽ his rebus occuparet atq; oblectaret.Cũ igitur regis fi-

Ioſaphat leproſum eũ. ſpicit & cæcum.

lius ad hunc modũ foras crebro progrederetur,quadã die miniſtrorum obliuione factum eſt,vt duos viros perſpice-
ret,quorũ alter lepra,alter cæcitate laborabat. Quos conſpicatus,atq; animi mœſtitia affectus,ab iis qui ſecum erant,
quinam hi eſſent:& quodnam graue hoc ſpectaculum eſſet,percontatus eſt:illi aũt,cum id,quod in ipſius aſpectũ ve-
nerat,occultare non poſſent,has humanas calamitates eſſe reſponderunt,quæ ex corrupta materia,& corpore vitioſis
humoribus pleno,mortalibus contingere ſolent. Tum ille,Cunctiſne hominibus hæc accidere conſueuerunt? Non
cunctis,inquiunt illi,verum iis duntaxat,quorũ valetudo propter improbos humores deprauata ſit.Rurſum igitur ſci-
ſcitari pergexit adoleſcens:Si non omnes homines in has calamitates incidere conſueuerunt,ſed quidam dumtaxat.
exploratum ne eſt,quinam ſint,quos malorum acerbitates arrepturæ ſint,an contrà citra vllam diſtinctionem atq; ex
improuiſo conſtantur?Et quis tandem hominum,reſponderunt illi,futura perſpicere,ac perfecte intelligere queat?
Hoc enim humanæ naturæ captũ excedit,ac ſolis immortalibus diis attributũ eſt. Hic percontandi quidem finẽ fecit
Regis filius:verũ ex huiuſmodi ſpectaculo dolorẽ animo cepit,reiq; nouitate ita affectus eſt,vt oris ipſius forma im-
mutaretur. Rurſum aũt foras progrediens,in capularẽ quemdã ſenem incidit,rugata facie, fractis ac diſſolutis tibiis,
curuo corpore,capite prorſus cano,qui præterea dentibus carebat,atq; conciſum quiddam & interruptum loqueba-

Miratur decrepitum ſenem.

tur.Stupore itaque correptus,cum hominem eum propius ad ſe adduci iuſſiſſet, eos, qui tum aderant, interrogabat,
Ecquidnam tam inſolens ſpectaculum eſſet.Illi autem dixerunt:Hic ætate valdè prouectus,ac paulatim decedentib.
ipſi viribus,membriſq; imbecillitatem contrahentibus,ad hanc quam cernis ærumnam peruenit. Et quiſnam,inquit
ille,ipſius finis eſt?Nihil aliud,inquiunt illi,quam mors ipſum excipiet. Omnibúſne hominibus,inquit ille,hoc pro-
poſitum eſt,an quibuſdã dumtaxat contingit?Reſponderunt illi:Niſi mors anteuertens aliquẽ hinc abducat,fieri non

Mors, naturale debitũ eſt.

poteſt,quin temporis progreſſu ſtatus huiuſce periculum non faciat. Tum adoleſcens:Quoto anno hoc cuipiam con-
tingit?atq; prorſúſne mori neceſſe eſt,neq; ars vlla eſt,qua mortem effugiamus,atq; in hanc calamitatem minimè in-
cidamus?Dicunt ei:Octogeſimo,aut centeſimo anno ad hanc ſenectutem homines perueniunt, ac deinde moriun-
tur:nec aliter fieri poteſt.Debitum enim naturale mors eſt,hominibus ab initio impoſitum: neq; vlla ratione ipſius

An moriturus ſit rogat

aduentus vitari poteſt.Hęc omnia,vt ſagax ille ac prudens adoleſcens audiuit atq; intellexit,intimo corde ingemiſcẽs,
dixit:Acerba hæc vita eſt,atq; omni dolore ac mœſtitia plena,ſi res ita ſe habet. Et quonã modo quiſpiam in incertæ
mortis exſpectatione,cuius aduentus non modo vitari non poteſt,ſed etiã,vt dixiſtis,incertus eſt, ſecuro animo erit?
Abiitq; hæc ſecum voluens atq; aſſiduè conſiderans,mortiſq; memoriam identidẽ animo repetens, ac deinceps in
dolorib. animiq; conſternatione viuens,atq; in perpetuo mœrore degens. Atq; apud ſe dicebat: Ergône mors me ali-
quando corripiet?Et quiſnam erit,qui mei poſt mortem meminerit,cum tempus omnia obliuione contriuerit? Nũ

Apud patrẽ diſsimulat.

præterea morte functus in nihilum diſſoluar:an contra,altera quædã vita eſt,& alter mundus? Hæc, & his ſimilia per-
petuo cogitans pallore conficiebatur. Præſente tamen patre,ſi quando ad eum veniret,hilarem ac mœrore vacuũ a-
nimum præ ſe ferebat:quod ſcilicet ea,quæ cogitabat,ad ipſius cognitionem venire nollet Incredibilem autẽ in mo-
dũ aliquem nanciſci cupiebat,qui ipſius pectori certam fidem faceret,ac bonũ ſermonẽ ipſius aurib. inſtillare poſſet.

Qvocirca de pædagogo eo,cuius ante mentionẽ fecimus,rurſum quærit,nũ quem norit,qui ad eã rẽ,cuius cupi-

Quærit qui ſe inſtruat

ditate flagrabat,adiumẽto ipſi eſſe,ipſiuſq; mentẽ,grauibus cogitationibus æſtuantem,atq; huiuſmodi curam abijce-
re nequeuntem,confirmare poſſit. Ille autem ea quæ prius dicta fuerant,in memoriã rurſus ipſi reuocans,dicebat: Iam
quoq; prius tibi expoſui,quemadmodũ pater tuus ſapientes illos viros,ac pietati colendæ deuotos,qui de huiuſmodi
rebus diſputant,partim obtruncarit,partim irato atq; infenſo animo expulerit: nec vllum eiuſmodi in tota hac vndiq;
regione cognoſco Quoquidẽ nomine magna ille moleſtia impletur,grauiq; animi vulnere affectus,ei ſimilis erat, qui
ingentem theſaurum amiſit, atque in eius inueſtigatione mentem totam occupatam ac defixam habet. Ac proinde in

perpetuo

perpetuo languore & ſollicitudine verſabatur, omneſque mundi iucunditates & voluptates in ipſius oculis piaculi cuiuſdam & execrationis inſtar erant. Cum autem hoc animi ſtatu eſſet, ac magno cum gemitu bonum inuenire cuperet, inſomnis ille oculus, qui omnia cernit, atque omnes ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire vult, ipſum aſpexit, ſuamq; ipſi conſuetam benignitatem oſtendens, quodnam iter tenendum eſſet, hoc modo demonſtrauit. 1.Tim.2.

VI. Erat enim eo tempore monachus quidam diuinarum rerum peritus, vitaque ac ſermone ornatus, atque in omni monaſtica viuendi ratione ſummoperè verſatus: vnde oriundus, aut ex quo genere, dicere nequeo, verùm in ſolitudine quadam Sennaaritidis terræ domicilium habens, ac ſacerdotij dignitate præditus. Huic porro ſeni Barlaam nomen erat. Hic igitur cum diuino quodam admonitu, quonam ſtatu Regis filius eſſet, comperiſſet, è ſolitudine egreſſus, ad cultam & habitabilem terram profectus eſt: mutatoque habitu ſuo, atque indutis mundanis veſtibus, & conſcenſa naui, ad Indorum regnum ſe contulit, ac mercatorem ſe eſſe fingens, in eam vrbem in qua Regis filius palatium habebat, ingreditur. Permultoſque dies illic commoratus, qui rerum ipſius ſtatus eſſet, diligenter exquiſiuit, & quinã eſſent qui propius ad eum accedere ſolerent: cum igitur pædagogum eum, de quo ſuperius à nobis mentio facta eſt, ipſi omnium familiariſſimum eſſe intellexiſſet, ſeorſim eum conueniens, his verbis vſus eſt:

Barlaam monachus in Sennaaritide terra. Barlaam diuino admonitu in Indiam proficiſcitur.

Scias velim, domine mi, me mercatorem eſſe, atque ex longinqua regione veniſſe; eximijque pretij lapidem habere, cui nullus vnquam ſimilis inuentus eſt: Quemque nemini adhuc oſtendi. Tibi autem hoc declaro, quod te prudentem ac cordatum virum eſſe videam, vt me ad Regis filium introducas, ipſique eum dono dem. Siquidem bona omnia incomparabiliter antecellit. Nam & iis qui cordis oculis capti ſunt, ſapientiæ lucem affert, & ſurdis aures aperit, & mutis vocem impertit, & ægrotantes in ſanitatem aſſerit, & ſtultos ſapientia donat, & dæmones pellit, ac deniq; quidquid pulchrum & expetendum eſt, domino ſuo vberrimè ſuppeditat. Ait ad eum pædagogus: Te quidem hominem grauis atque conſtantis animi eſſe video, ceterùm verba tua immodicam quandam iactantiam præ ſe ferunt. Quot enim excellentes atq; ingentis pretij lapides & vniones viderim, quonam modo enumerando recenſere queã? nec tamen vnquam aut vidi, aut audiui, qui eas quas commemoraſti, vires haberent. Veruntamen eum mihi oſtende, ac ſi talis eſt, qualem ais, ſine vlla cunctatione ad Regis filium te introducam; qui te maximis honoribus ac beneficiis ornabit. Priuſquam autem per ipſum oculorum obtutum, qui falli nequit, dicta tua confirmaris, fieri non poteſt, vt domino meo ac Regi de re incerta & incognita, hæc tam immodica ac prætumida renuntiem. Dixit autem Barlaam: Rectè dixiſti, te huiuſmodi vires ac facultates nec vnquam perſpexiſſe, nec audiſſe. Etenim oratio ad te mea non de re vulgari, ſed ingenti quadam & admiranda eſt. Quod autem eum cernere quæſiuiſt, audi quid dicam.

Regis filij pædagogũ conſulit. Regis filio lapidẽ pretioſum ſe daturũ promittit.

Lapis hic ſummi pretij, præter eas quas dixi vires & facultates, hanc etiam habet. Eum n. promptè ac facile proſpicere non poteſt, qui ſanum ac firmum oculum, corpuſq; purum atq; ab omni ſpurcitie alienũ non habet. Nam ſi quis his duabus rebus nõ rectè cõparatis, in hunc pretioſum lapidem oculos temerè ac petulanter iniiciat, ipſa quoq; ſcil. qua præditus eſt, cernendi vi ac mente inſuper mulctabitur. Ego porrò, vtpote medicinæ minimè rudis & ignarus, oculos tuos partim ſanos eſſe conſpicio: ac proinde vereor, ne hanc quoq; quam habes, cernendi facultatem amittas. Verùm de Regis filio audiui, eum tum vitæ caſtitate præditum eſſe, tum pulchros ac perſpicaces oculos habere. Quocirca theſaurum hunc ipſi oſtendere minimè dubitabo. Quamobrem ne commiſeris, vt hoc negligas, ac te tanti momenti dominum tuum priues. Ille autem ad eum dixit: Si hæc ita ſe habent, ne mihi lapidem oſtendas: ſiquidem plurimis peccatis vita mea inquinata eſt, ac præterea ne oculos quidem ſatis ſanos habeo. De hac autem te dominum meũ Regem certiorem facere minimè cunctabor. Hoc ſermone habito, ad Regis filium ingreſſus, omnia ei ſigillatim expoſuit. Ille autem vt præceptoris verba audiuit, ſpirituali quadam lætitia & voluptate pectus ſuum afflari ſenſit: ac velut numine correptus, hominem celeriter introduci iuſſit.

Lapis hic nonniſi caſto oculo videri poteſt.

Vt igitur ingreſſus eſt Barlaam, eiq; quam conueniebat, pacem dedit, ſedere iuſſus eſt. Cumq; præceptor receſſiſſet, Ioſaphat ad ſenem dixit: Velim mihi pretioſum illum lapidem oſtendas, de quo magna & admiranda abs te commemorari præceptor meus mihi narrauit. Barlaam autem ſuam ad eum diſputationem ad hunc modum auſpicatus eſt: Haudquaquam æquum eſt, ô Rex, ad illuſtrem tuam excellentiam quidquam falsò & inconſideratè à me dici. Omnia n. quæ de me ad te allata ſunt, vera atq; ab omni dubitatione aliena ſunt. Verum niſi prudentiæ tuæ prius periculum fecero, nefas eſt hoc myſterium tibi declarare. Ait enim Dominus meus: Exiit qui ſeminat, ſeminare. Et dum ſeminat, alia quidem ceciderunt ſecus viam, & volucres cœli comederunt illa. Alia ceciderunt ſuper petroſa, vbi non erat terra multa, & confeſtim exorta ſunt, eò quod non haberent terram multam, Sole verò exorto æſtuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt inter ſpinas, & ſurgentes ſpinæ ſuffocauerunt ea. Alia poſtremo ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum centuplum. Quocirca ſi in corde tuo frugiferam ac bonam terram inuenero, diuinum ſemen in te coniicere, atq; ingens myſterium tibi aperire minimè dubitabo. Si autem petroſa ea & ſpinea fuerit, viaq; à quolibet calcata, omnino ſalutare hoc ſemen haudquaquam ſerere, ipſumq; auibus & feris, ante quas margaritas proiicere mihi prorſus interdictum eſt, in prædam obiicere præſtiterit. Verùm de te meliora ac ſaluti viciniora confido: nempe quod & lapidem qui pretium omne ſuperat, videbis, ac per luminis ipſius ſplendorem hoc conſequeris, vt ipſe quoq; lumen efficiaris, fructumq; centuplum feras. Etenim tua cauſa longam viam conficere ſtudui, vt quæ nunquam vidiſti, tibi oſtenderem, atq; ea docerem, quæ nunquam audiiſti.

Barlaam Regis filio accedit. Matth.13. Quibus pia doctrina prædicanda ſit.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: Equidem ipſe, venerande ſenex, incredibili quodam, atq; eiuſmodi, quod nullo modo coërceri queat, deſiderio teneor, nouum quendam ac bonum ſermonem audiẽdi. Atq; ignis in pectore meo incenſus eſt, qui me ad neceſſarias quaſdam quæſtiones intelligendas vehementer inflammat. Ceterùm adhuc hominem nanciſci mihi non licuit, qui de hac re certam mihi fidem facere poſſet. Quod ſi ſapientem quendam, & doctrina præditum virum nactus fuero, ac ſalutarem ſermonem audiero, nec auibus, vt opinor, nec feris eum tradam: nec rurſum petroſus & ſpineus, vt tuis verbis vtar, ero. Quin potius & candido ac ſincero animo eum excipiam, & eruditè ac diligenter conſeruabo. Tu verò ſi quid eiuſmodi noſti, ne quæſo id reticeas, verum mihi narres. Quamprimum n. è lõginqua regione te veniſſe audiui, animi voluptate affectus ſum, atq; in bonam ſpem veni fore, vt opera tua id quod cupiebam, conſequerer. Eoq; nomine ſtatim te ad me introduxi, comiterq; tanquam familiarium meorum & æqualium aliquem excepi. Atq; vtinam ſpe mea minimè fallar. Dixit autem Barlaam: Præclarè, atq; vt regia magnificentia dignũ erat, hoc feciſti, vt non ad externæ vilitatis ſpeciem animum adiiceres, verùm abſtruſæ ſpei teipſum traderes.

Erat enim aliquando magnus quidam & illuſtris Rex, cui, cum in aureo curru, ſatellitum manu regiæ maieſtati digna cinctus iter faceret, contigit, vt duos viros, laceris ac ſordidis veſtibus, atq; ore macie confecto, ac maiorem in modum pallido, obuios haberet. Regi porrò exploratum erat, eos corporis afflictatione, ac vitæ Deo conſecratæ laboribus carnes ſuas ita confeciſſe. Vt igitur eos vidit, è curru ſtatim deſiliens, atque humi proſtratus, eos adorauit: ac deinde ſurgens, amiciſſimè complexus eſt, & ſalutauit. Proceres autem ipſius ac præfecti hoc moleſtè tulerunt, eum facinus regia gloria indignum admiſiſſe exiſtimantes. Verùm cum coràm ipſum reprehendere minimè auderent, cum germano ipſius fratre agebant, vt Regem admoneret, ne diadematis amplitudinem & ſublimitatem ad hunc modum dedecore ac contumelia afficeret. Cum itaq; ipſe hæc fratri dixiſſet, atq; intempeſtiuam & præpoſteram ipſius humilitatem accuſaſſet, reſponſum ipſi Rex dedit, quod à fratre minimè intellectum eſt.

Rex quidã duos religioſos honorat.

Tuba mortis præco.

MOS enim Regi erat, vt cum aliquem morte mulctaret, præconem cum tuba, quæ quidem mortis idcirco dicebatur, ad ipſius fores mitteret; atq; ex tubæ illius clangore omnes ei moriendum eſſe intelligebant. Itaq; cum adueſperaſſet, letalem tubam ad fratris ſui fores clangorem edituram Rex miſit. Vt igitur ille hanc tubam audiuit, deſperata ſalute per totam noctem domeſticis rebus conſuluit. Mane autem atra ac lugubri veſte indutus, cum vxore ac liberis ad palatij fores flens ac lamentans profectus eſt. Cùm autem Rex ipſum ad ſe admiſiſſet, atque ita eiulantem vidiſſet, his verbis vſus eſt: O ſtulte ac demens, ſi fratris tui, cum quo idem tibi genus & par honor eſt, in quem nullius omnino ſceleris tibi conſcius es, præconem ita extimuiſti; quonam modo mihi reprehẽſionis notam idcirco inuſſiſti, quod Dei mei præcones, qui mortem, ac Domini, in quem, me multa & grauia ſcelera perpetraſſe ſcio, pertimeſcendum aduentum mihi quauis tuba vocalius altiuſq; denunciant, humiliter ac demiſſe ſalutarim? En igitur, vt tuam dementiam coarguerem, hac ratione vſus ſum: quemadmodum etiam eos, qui tibi, vt me reprehenderes, in animum induxerunt, ſtatim ſtolidos & amentes eſſe demonſtrabo. Atq; ita curatum & vtiliter inſtructum fratrem ſuum, domum remiſit.

Mortis præcones religioſi.

IVSSIT autem è ligno quatuor arcas effici: quarum cùm duas vndique auro contexiſſet, fœtidaque cadauerum oſſa in eas inieciſſet, aureis ſeris eas obfirmauit: reliquis autem duabus pice ac bitumine oblitis, pretioſiſque lapidibus & exquiſitis vnionibus, omniq́ue vnguentaria fragrantia impletis, aſperiſq́ue funibus conſtrictis, proceres eos, à quibus ob virorum illorum occurſum reprehenſus fuerat, ad ſe acciuit, ipſiſq; quatuor has arcas propoſuit, vt quanti hæ, quantiq; illi pretij eſſent, æſtimarent. Illi autem duas eas quæ inauratæ erant, maximi pretij eſſe aſſerebant: neq; enim aliter fieri poſſe inquiebant, quin in ipſis regiæ coronæ ac cingula recondita eſſent. Eas cõtra quæ pice ac bitumine oblitæ erant, viles omnino ac nullius pretij eſſe aiebant. Rex autem ipſis dixit: Ne me quidem fugiebat, vos hoc dicturos eſſe: nam ſenſibilibus oculis, ea quæ in ſenſum cadunt, perſpicitis. Atqui non ita faciendum eſt: verùm interioribus oculis ſiue pretium, ſiue vilitatem & fœditatem, quæ intus condita ſunt, ſpectare oportet. Ac protinus inauratas arcas aperiri iuſſit, quibus patefactis, grauis quidam ac teter odor exhalauit, atque iniucundiſſimum ſpectaculum oculis obiectum eſt.

Homines non ex habitu externo æſtimandi.

AIT itaq; Rex: Hic eorum typus eſt, qui cum ſplendidis & illuſtribus veſtibus vtantur, atq; ob ingentem gloriã & potentiam inſolenter ſe efferant, intus tamen fœtidis cadaueribus ac flagitiis pleni ſunt. Poſt autẽ, cum eas quæ pice ac bitumine oblitæ erant, aperiri iuſſiſſet, omnes eos qui aderant, ſplendore atque odoris ſuauitate, quæ in ipſis recondita erat, oblectauit. Dixitq́ue eis: Scitis cuinam rei hæ arcæ ſimiles ſint? humilibus nimirum atque abiectis illis viris, vilibuſque veſtibus indutis, quorum vos externum habitum intuentes, contumeliæ ac probro mihi duxiſtis, quod ante eos in terram me abieciſſem. Ego autem eorum dignitatem, atque animorum pulchritudinem ſpiritualibus oculis conſiderans, ex ipſorum contactu gloriam contraxi, eoſque quauis corona & quauis regia purpura præſtantiores exiſtimaui. Ad hunc igitur modum pudorem ipſis incuſſit, eoſque in his rebus, quæ in aſpectum cadunt, minime oberrare docuit, verum iis animum adiungere, quæ intellectu percipiuntur. Itaque ad pij & ſapientis Regis ſimilitudinem ipſe quoque acceſſiſti, vt qui bona ſpe nixus me ſuſceperis, quæ quidem, vt opinor, minimè te fallet. Dixit autem ad eũ Ioſaphat: Hæc omnia pulchrè atq; concinnè dixiſti. Verum illud ſcire aueo, quiſnam ſit tuus Dominus, quem tu orationis initio de illo ſeminatore verba feciſſe dicebas.

Quibus ſimiles qui externè tantũ pulchri.

Barlaam fidem Ioſaphat exponit.

RVRSVS igitur ſermonem aſſumens Barlaam, dixit: Si, quiſnam Dominus meus ſit, intelligere cupis, Dominus VII.
Ieſus Chriſtus eſt, vnigenitus, inquam ille Dei Filius, ille beatus & ſolus potens, ille Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, ac lucem habitat inacceſſibilem, qui cum Patre & Spiritu Sancto glorificatur. Neque enim ex eorum numero ſum, qui multos hos & petulantes deos colunt, atque hæc animæ expertia & ſurda ſimulacra venerantur: verum vnum Deum agnoſco & confiteor, qui in tribus perſonis, hoc eſt Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, atque vna natura & eſſentia, in vna gloria & regno minimè diuiſo glorificatur. Hic igitur in tribus perſonis vnus Deus, principij ac finis expers, ſempiternus, increatus, immutabilis, corpore vacans, inuiſibilis, circumſcriptione carens, animi comprehenſionem fugiens, ſolus bonus ac iuſtus eſt, qui omnia, tam quæ oculis cernuntur, quàm quæ oculorum obtutum fugiunt, ex nihilo in ortum produxit.

1. Tim. 6.

Rerum creatio.

Naz. 2. orat. de Paſch.

PRIMVM ſcilicet inuiſibilium ac cœleſtium virtutum innumerabilem quandam multitudinem à materia & corpore ſecretam, hoc eſt adminiſtros diuinæ maieſtatis ſpiritus: deinde autem mundum hunc in aſpectum cadentem, hoc eſt cœlum, ac terram, & mare, quem etiam lætiſſima luce coornant, cœlum nempe Sole ac Luna & ſideribus, terram autem omnis generis ſtirpibus ac variis animantibus, mare denique numeroſiſſimis piſcium generibus. Hæc omnia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Poſt autem hominem ſuiſmet manibus effingit, ſumpto nimirum à terra ad corporis compoſitionem luto, anima autem rationis & intelligentiæ participe per ſuam inſufflationem ipſi tributa, quæ quidem ad Dei imaginem & ſimilitudinem effecta eſſe ſcripta eſt, ad imaginem videlicet, propter vim intelligendi, atque arbitrij libertatem: ad ſimilitudinem autem, propter virtutis ipſius, quoad eius fieri poteſt, imitationem. Hunc porro hominem, arbitrij libertate atque immortalitate donatum, eorum quæ in terra ſunt, regem conſtituit, atque ex ipſo fœminam, quæ ipſi auxilio eſſet, ipſi ſimilem effecit.

Pſal. 148.

Geneſ. 1.

Homo creatur cum libertate arbitrij.

CONSITOQVE in Eden ad Orientem paradiſo, voluptatis omnis atque oblectamenti pleno, hominem, quem effinxerat, in ipſo collocauit; ſic quidem, vt diuina bonitas omnia ligna, quæ illic erant, ſine vllo impedimento eum percipere iuberet, vnius autem duntaxat deguſtatione ipſi interdiceret (quod quidem lignum ſcientiæ boni & mali appellatum eſt) his verbis vtens: Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Enimuerò vnus ex prædictis angelicis copiis, qui vni agmini præerat, cum naturalis virij ne minimum quidem veſtigium à creatore accepiſſet, verũ boni cauſa procreatus fuiſſet, libera mentis inductione à bono in malum deflexit, atq; inſolentia elatus, aduerſus Dominum, ac Deum rebellare voluit. Ac propterea ex ordine ſuo ac dignitate expulſus eſt, atque pro beata illa gloria & angelico nomine, diaboli ac ſatanæ nomen conſecutus eſt. Deus enim ipſum, & cœleſti gloria indignum, præcipitem è cœlo exturbauit. Cum eo porrò ſimul auulſa & eiecta eſt ingens angelorum qui ipſi ſuberant, multitudo: qui quidem mentis inductione mali effecti, ac boni loco principis ſui defectionem ſecuti, dæmonum nomen, vt impoſtores ac circumſcriptores acceperunt.

In paradiſo cõſtituitur.

Diaboli à Deo defectio.

DIABOLVS igitur, abiurato prorſus bono, malaque natura aſſumpta, inuidiam aduerſus hominem concepit, propterea quod ſeipſum è tanta gloria eiectum, illum autem ad tantum honorem ſubuectum perſpiceret: eumque è beata illa viuendi ratione deiicere moliebatur. Quare ſerpentem impoſturæ ſuæ officinam nactus, per eum fœminam conuenit. Cumq́ue eam ſpe diuinitatis adduxiſſet, vt interdictum lignum deguſtaret, per eam poſtea etiam Adamum (nam hoc primo homini nomen fuit) in fraudem impulit. Porrò autem, vt primus homo contra diuinum imperium interdictam plantam deguſtauit, à ſummo parente atque architecto è deliciarum paradiſo exterminatur, atque beatæ illius & ab exitio immunis vitæ loco in hanc (heu!) miſeram vitam incidit, ac poſtremo morte mulctatur. Atque hinc vires nactus diabolus, & victoria elatus, aucto hominum genere, omne improbitatis genus ipſis in animum iniecit. Ex quo factum eſt, vt Deus ingentem peccati impetum coërcere, ac reprimere volens, terræ diluuium induxerit, atque omnem animam viuentem extinxerit. Cùm autem vnum duntaxat in illa ætate iuſtum virum inueniſſet, hunc cum vxore ac liberis in arca quadam ſeruatum, ſolum in terra conſtituit. Poſteaquam autem rurſum homines numero augeri cœperunt,

Diaboli in hominem inuidia.

Sap. 2.

Diluuium.

Gen. 7.

tiperunt, Dei obliuione capti ſunt, atque ad grauiorem impietatem proruperunt, vt qui diuerſis peccatis in ſeruitutem ſe addixerint, atque in varia errorum genera diſtraxerint.

Varia falſæ religionis genera.

Alii enim caſu ac fortuito omnia ferri, prouidentiæque experria eſſe cenſuerunt: tanquam ſcilicet nullus Dominus ſit, qui ea regat ac moderetur. Alij fatum inuexerunt, natalitiisque ſideribus omnia commiſerunt. Alij multos deos malos, ac multis vitioſis affectionibus laborantes coluerunt: quo videlicet ſuarum affectionum & grauium flagitiorum defenſores & patronos eos haberent. Quorum etiam formas pictura exprimentes, ſurdas ſtatuas, ac ſenſu carentia ſimulacra in altum erexerunt, eaq; in templis incluſa coluerunt & adorarunt, ſeruientes nimirum creaturæ potius quàm creatori. Quidam enim Solem & Lunam ac ſidera, quæ Deus ad lucem terreno huic mundo afferendam poſuit, coluerunt: quæ quidem anima & ſenſu carent, ac creatoris prouidentia illuminantur & conſeruantur, non autem quidquam per ſe virium habent. Alij autem ignem & aquam ac reliqua terræ elementa, quibus nec anima nec ſenſus ineſt. Neque eos qui anima & ratione præditi ſunt, eiuſmodi rebus cultum adhibere puduit. Alij feris, & reptilibus, & pecudibus, & quadrupedibus animantibus venerationem tribuerunt: hinc ſcil. ſeſe rationis magis expertes oſtendentes, quàm ea ipſa quæ colebant. Alij turpium quorundam & abiectorum hominum formas depinxerunt, eoſque deos appellarunt, partim maſculos, partim fœminas, quos etiam ipſimet adulteros, & homicidas, & iracundos, & inuidos, & furioſos, & parricidas, & fratricidas, & fures, & raptores, & claudos & debiles, & veneficos, & inſanos eſſe tradiderunt, atque horum nonnullos mortem obiiſſe, nonnullos fulmine percuſſos fuiſſe, nonnullos hominibus ſeruiiſſe, atq; exules extitiſſe, nonnullos vulnera accepiſſe, ac lamenta edidiſſe, atque ob improba & fœda flagitia in animalia ſeſe immutaſſe. Quo fiebat, vt homines ab ipſis diis occaſionem ſumentes, omni impuritatis genere ſeſe contaminarent. Ac tum horrenda quidem caligo genus noſtrum tenebat, neque erat qui intelligeret, nec qui Deum requireret. *Pſal.* 13.

Abraham ex rebus cõditis conditorem agnoſcit.

Ea autem ætate Abraham ſolus inuentus eſt, qui animæ ſenſum firmum ac valentem haberet, atque ex rerum conditarum proſpectu conditorem agnoſceret. Nam cùm cœlum ac terram, & mare, Solem item & Lunam ac reliqua conſideraſſet, huiuſmodi ornatum concinnitatis plenum admiratus eſt. Cumq; mundum, & ea quæ in ipſo ſunt, conſpexiſſet, non caſu ac fortuito ea extitiſſe atque conſeruari exiſtimauit. Nec rurſum terræ elementis, aut inanimis ſimulacris ornatus huiuſcemodi cauſam aſcripſit: ſed Deum verum per hæc agnouit, atque vniuerſi effectorem & cõſeruatorem eſſe intellexit. Deus autem eius probitatem animi atque candorem, rectumque iudicium comprobans, ſeipſum ei patefecit (non quidem vt natura eſt; neque enim fieri poteſt, vt creata natura Deum cernat: verùm per diſpenſatorias quaſdam Dei viſiones, quemadmodum ipſe nouit) plenioremque ſui cognitionem in ipſius animo inſerens, gloria eum affecit, ſibique famulum adſciuit. Qui quidem per ſucceſſionem his qui ab ipſo promanarunt, tranſmiſſa pietate, eos veri Dei cognitione inſtruxit. Eamq; ob cauſam Dominus ſemen ipſius in infinitam multitudinem excreſcere voluit, populumque ſibi peculiarem appellauit, eoſq; Ægyptiæ gentis, ac tyranni Pharaonis ſeruitute preſſos, editis horrendis atque admirandis ſignis & prodigiis per Moyſen & Aaronem, viros ſanctos ac prophetiæ dono præditos eduxit. Quorum etiam opera Ægyptios, pro eo atque ipſorum improbitas merebatur, excruciauit: & Iſraëlitas (ſic enim populus ille, qui ab Abrahamo ortum duxit, vocabatur) ſiccis pedibus per rubrum mare, ſciſſis videlicet aquis, atque tum à dextra tum à ſiniſtra muri inſtar effectis, traiecit. Cum autem Pharao & Ægyptij à tergo eos ſequerentur, reuerſæ aquæ eos prorſus deleuerunt. Ac poſtea, cum per maxima miracula diuinoſque proſpectus, quadraginta annorum ſpatio populum in deſerto deduceret, ac cœleſti pane eum aleret, Legem (quæ futurorum typus atque adumbratio erat) lapideis tabulis diuinitus inſcriptam dedit, eamque Moyſi in monte tribuit. Quæ quidem ab omnibus ſimulacris & flagitioſis actionibus abducebat, ſolumque verum Deum venerari docebat. Sic igitur per ingentia miracula ipſos in bonam quandam terram induxit, quam olim Patriarchæ illi Abrahamo ſe ipſius ſemini daturum receperat. Ac longum eſſet commemorare, quot quamque magna & admiranda & illuſtria atque eximia beneficia, quæ numerum omnem excedunt, in eos contulerit. Quibus omnibus id agebatur, vt ab omni nefario cultu & flagitio genus humanum abſtraheret, atque in veterem ſtatum reuocaret. Nihiloſecius tamen adhuc natura noſtra erroris libertati ſeruiebat, ac per diaboli tyrannidem mors in homines regnum obtinebat, omneſque diuina ſententia condemnatos in infernum tranſmittebat.

Genef. 15.
1 *Petr.* 2.
Exodi 15.
Exod. 31.

Deus vt naturâ eſt, à nemine videri poteſt.

Legis Moſaicæ effectus.

Lex verus ſolum docet verum colere Deum, & bonis operibus inhærere.

Chriſti incarnatio.

Cvm igitur in eiuſmodi calamitatem ac miſeriam veniſſemus, minimè nos deſpexit is, à quo effecti atq; in ortum producti fueramus, neque manuum ſuarum opus funditus perire ſiuit. Verùm benigna Dei ac Patris voluntate vnigenitus Filius, & Dei Verbum, qui eſt in ſinu Patris, ille, inquam, eiuſdem cum Patre ac Spiritu Sancto ſubſtantiæ, ille æuo omni antiquior, ille principij expers, qui in principio erat, & apud Deum ac Patrem erat, & Deus erat, ad ſeruos ſuos indulgenter ſe demittit: & quidè ita, vt hæc demiſſio nec verbis declarari, nec mente cõprehendi poſſit. Nam cum Deus perfectus eſſet, perfectus homo ex Spiritu Sancto & S. Maria Virgine Dei genitrice efficitur, non ex viri ſemine aut voluntate aut concubitu, in labis omnis experte Virginis vtero conceptus, ſed ex Spiritu Sancto, quemadmodum ante conceptionem Archangelorum vnus miſſus eſt, qui nouam illam & admirandam conceptionem Virgini nuntiaret. Etenim Dei Filius ex Spiritu Sancto ſine ſemine conceptus eſt: compactaque ſibi in Virginis vtero carne animata anima rationis ac mentis participe, prodiit in vna perſona, & duabus naturis, perfectus Deus, & homo perfectus, matris virginitatem etiam poſt partum ab omni labe conſeruans. Atque iiſdem omnino quibus nos, excepto peccato, paſſionibus obnoxius effectus, infirmitates noſtras ſuſcepit, ac morbos noſtros portauit. Quoniam enim per peccatum mors in mundum introierat, neceſſe erat, vt qui redemptionis munere perfuncturus erat, ab omni peccato purus eſſet, peccatiq; ne morti minime obnoxius.

Ioann. 1.
Hebr. 4.
Iſai. 53.
Roman. 5.

Trigint a porrò annis cum hominibus verſatus, in Iordanis vndis à Ioanne viro ſancto, ac prophetarum omnium præſtantiſſimo, baptizatus eſt. Eoque baptizato vox eiuſmodi de cœlo à Deo Patre delata eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: atque Spiritus Sanctus columbæ ſpecie in ipſum deſcendit. Ac deinceps magna & admiranda ſigna efficere cœpit, mortuos videlicet ad vitam reuocans, cæcis lucem afferens, dæmones in fugam vertens, ſurdos & claudos curans, leproſos purgans, atque inueteratam naturam noſtram vndique renouans, operibuſque erudiens, ac virtutis viam edocens, atque à corruptione abſtrahens, & ad ſempiternam vitam iter monſtrans. Vnde etiam duodecim diſcipulos elegit, quos Apoſtolos nominauit, ipſiſque negotium dedit, vt cœleſtem vitæ rationem prædicarent, quam vt in terra oſtenderet, ac nos humiles & terrenos per Incarnationem ſuam cœleſtes efficeret, venerat.

Luc. 3.
Chriſti miracula.
Matth. 19.

At verò admirandæ ipſius ac Deitati conſentaneæ vitæ atque infinitorum miraculorum inuidia & furore commoti Iudæorum Pontifices ac principes, apud quos ſcilicet commorabatur, & ad quorum vtilitatem admiranda huiuſmodi ſigna & prodigia perpetrarat, beneficiorũ omniũ immemores, eum morte mulctarunt, vno nimirũ ex ipſius diſcipulis ad ipſum prodendũ arrepto, cõprehenſumq; ipſum Gentibus dediderunt, ipſum, inquam, qui omniũ vita erat, ac ſponte hæc ſuſcipiebat. Hac n. de cauſa venit, vt noſtra cauſa omnia perpeteretur, quo videlicet nos à vitioſis affectionib. in libertatẽ vindicaret. Cũ aũt miſera in eũ ſuppliciorũ genera exercuiſſent, eũ ad extremũ cruce condẽnarũt. Atq; omnia in carnis, quã ex nobis aſſumpſerat, natura pertulit: diuina interim ipſius natura ab omni perpeſſione libera manen-

Chriſti crucifixio.

manente. Nam cum duplici natura præditus eſſet, hoc eſt diuina, & ea quam à nobis aſſumpſerat; humana quidem natura perpeſſa eſt, diuinitas autem perpeſſione immunis & immortalis erat. Cruci igitur in carne affixus eſt innocens Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; proindeque morti obnoxius non erat. Quandoquidem, vt iam dixi, mors per peccatum in mundum introiuit. Verùm noſtra cauſa carne mortem oppetiit, vt nos à mortis tyrannide redimeret. Deſcendit ad inferos, iiſque contritis, eas quæ ab orbe condito illic incluſæ tenebantur, animas liberauit. In ſepulcro conditus, tertia die ſurrexit: cum ſcilicet mortem ſuperaſſet, victoriamque nobis aduerſus eam donaſſet, atque immortalitatis largitor immortalitatem carni conciliaſſet, diſcipulis viſus eſt, ipſiſque pacem impertiuit, ac per eos vniuerſo mortalium generi.

Iſaiæ 53. Rom. 5. Chriſti reſurrectio. Ioann. 20. Act. 1. Pſal. 61. Chriſti aſcenſio. Spiritus Sancti miſſio. Matth. 28.

Post quadraginta autem dies in cœlos aſcendit, atque in Patris dextra ſedet, rurſumque venturus eſt iudicaturus viuos & mortuos, ac redditurus vnicuique iuxta opera ſua. Poſt glorioſam autem ſuam in cœlos aſcenſionem, ſanctiſſimum Spiritum ad ſanctos ſuos diſcipulos in ignis ſpecie miſit: cuius inſtinctu peregrinis linguis loqui cœperunt, quemadmodum ipſe dabat eloqui illis. Hinc igitur per ipſius gratiam in omnes Gentes diſperſi ſunt, atque orthodoxam fidem prædicauerunt, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & docentes ſeruare omnia Saluatoris præcepta. Ad hunc igitur modum Gentes à recta via aberrantes illuſtrarunt, ac ſuperſtitioſum idolorum errorem de medio ſuſtulerunt. Quamuis autem hoſtis, cladem ſuam indigniſſimè ferens, nunc quoque bellum aduerſus pios excitet, ſtultis videlicet ac ſtolidis perſuadens vt idolorum cultum adhuc retineant: imbecilla tamen ipſius vis effecta eſt, atque ipſius frameæ per Chriſti potentiam in finem defecerunt. En tibi Dominum meum ac Deum & ſalutis auctorem paucis verbis declaraui: plenius autem eum cognoſces, ſi ipſius gratiam in anima tua acceperis, diuinoque beneficio tibi contigerit, vt ipſius ſeruus fias.

Ioſaphat lumen fidei accepit.

Hæc verba vt Regis filius audiuit, ipſius animus lumine perſtrictus eſt, ac præ lætitia è ſolio ſuo exurgens, Barlaamque complectens, dixit: Fortaſſe, niſi me coniectura fallit, vir præſtantiſſime, hic eſt inæſtimabilis ille lapis, quem non abs te occultum tenes, nec cuilibet promiſcuè oſtendis; verum iiſdemum, qui ſanis ac firmis animi ſenſibus præditi ſunt. Ecce enim vt hæc verba auribus excepi, ſuauiſſima lux pectus meum ſubiit, & graue illud mœroris velamen, quod iam pridem animo meo vndique incumbebat, ſtatim ſublatum eſt. Si igitur recte coniicio, fac quæſo ſciam. Sin autem aliquid his, quæ abs te commemorata ſunt, præſtantius noſti, ne cuncteris id mihi rurſus aperire. VIII

Coloſſ. 1. Heb. 11.

Rursum igitur reſpondit Barlaam: Ita ſanè, mi domine ac Rex, hoc eſt illud magnum myſterium, quod abſconditum eſt à ſæculis & generationibus; in extremis autem temporibus hominum generi patefactum. Cuius declarationem olim per Spiritus diuini gratiam multi Prophetæ ac iuſti viri prædixerunt, multifariam multiſque modis edocti, atque alta voce annuntiantes. Cumque ſalutem omnino futuram proſpicerent, eiuſque cernendæ cupiditate tenerentur, non tamen eam perſpexerunt; verùm vltima hæc generatio diuino beneficio ſalutis auctorem ſuſcepit. Quamobrem qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

Marc. 16.

Dixit autem Ioſaphat: Omnia ea, quæ abs te dicta ſunt, ſine vlla dubitatione credo, eumque, quem annuntias, Deum gloria afficio. Hoc vnum peto, vt ſine vllo errore cuncta mihi declares, quidque mihi faciendum ſit, exactè doceas. Atque etiam quidnam Baptiſmus ſit, quem ab iis, qui fide præditi ſunt, accipi ais, deinceps fac intelligam.

Baptiſmus Chriſtianæ fidei radix.

Ille autem ad eum reſpondit: Sanctæ huius & incontaminatæ Chriſtianorum fidei velut radix ac certum fundamentum diuini Baptiſmi gratia eſt, vt quæ omnia à natiuitate contracta peccata expiet, atque ea inquinamenta, quæ ex vitio conflata ſunt, prorſus expurget. Sic enim Saluator mandauit, vt per aquam ac Spiritum regeneremur, atque ad veterem dignitatem redeamus, per orationem videlicet ac ſalutarem inuocationem, ad aquam accedente Spiritu Sancto. Baptizamur igitur iuxta Saluatoris ſermonem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Atque ita Spiritus gratia in eius qui baptizatur anima, immoratur, eam illuſtrans, ac diuinam reddens, atque imaginem illam ac ſimilitudinem Dei, ad quam condita eſt, ipſi inſtaurans. Ac deinceps, veteribus omnibus vitij operibus abiectis, nouæ vitæ cum Deo pactum inimus, ac puriorem viuendi rationem auſpicamur: quò nimirum etiam cohæredes eorum efficiamur, qui ad immortalitatem regenerati ſunt, ac ſempiternam ſalutem conſecuti ſunt. Citra Baptiſmum autem fieri non poteſt, vt quiſquam bonam ſpem conſequatur: quamlibet etiam pios omnes pietate antecelluerit. Sic enim Deus Verbum, qui, vt generi noſtro ſalutem afferret, humanitatem ſuſcepit, dixit: Amen dico vobis, niſi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Quamobrem ante omnia te rogo, vt animo fidem accipias, ac ſtatim ardentiſſimo quodam deſiderio ad Baptiſmum accedas, nec vllam omnino moram adhibeas. Periculoſa ſiquidem eſt dilatio: propterea quod præſtitutus morti dies incertus eſt. Ioſaphat autem ad ipſum dixit: Et quæ nam bona illa ſpes eſt, cuius fieri poſſe negaſti, vt quiſnam citra Baptiſmum compos fiat? Quidnam etiam illud eſt, quod cœlorum regnum appellas? Vndenam item Dei humanitate induti verba audiuiſti? Quinam rurſus eſt incertus mortis præſtitutus dies, de quo ingens ſollicitudo pectus meum ſubiens, mœroribus ac doloribus carnes meas conficit, atque adeo ipſum oſſium robur exedit? Denique vtrum morientes in nihilum dilabimur, an contra poſt præſentem peregrinationem alia vita ſupereſt; hæc & his conſentanea ex te ſcire aueb am.

Matth. 28. Baptiſmi effectus. Nazianz. Orat. de ſ. Bapt. Sine Baptiſmo nulla bona ſpes eſſe poteſt. Ioann. 3. Periculoſa eſt ſalutis dilatio.

Barlaam huiuſmodi reſponſum his verbis dedit: Bona ea ſpes, de qua locutus ſum, regni cœleſtis eſt. Ea autem eſt eiuſmodi, vt nulla omnino humana lingua explicari poſſit. Ait enim Scriptura: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt, præparauit Deus diligentibus ſe. Cum autem abiecta hac craſſa carne, beatitudinem illam diuino beneficio conſecuti fuerimus, tum ille, cuius beneficio ſpes noſtra nos minimè fefellerit, nos docebit, efficietque, vt bonorum illorum gloriam, omnem mentis captum ſuperantem, lucem illam, quæ nulla oratione exprimi poteſt, vitam illam, quæ morte non interrumpitur, ac deniq; illam cum Angelis vitæ conſuetudinem cognoſcamus. Nam ſi hoc diuinitus conſequamur, vt cum Deo, quantum humanæ naturæ fas eſt, conſuetudinem habeamus, omnia ea, quæ nunc nobis ignota ſunt, ab eo ſciemus. Hoc enim, Scripturis diuinitus inſpiratis edoctus, omnium maximè cœlorum regnum eſſe duco, nempe ad ſanctæ, & quæ vitæ initium dedit, Trinitatis contemplationem accedere, atque incomparabili ipſius lumine purius illuſtrari, ac reuelata facie ipſius gloriam omnem verborum facultatem ſuperantem contueri. Nec vero mirandum eſt, gloriam illam lucem & arcana bona nullis verbis declarari poſſe: neque enim ampla & eximia eſſent, ſi nos terreni & mortales, ac grauem hanc & affectionibus obnoxiam carnem geſtantes, ea tum cognitione percipere, tum verbis exprimere poſſemus. Quæ cum explorata tibi ſint, ea fide ſola citra vllam dubitationem accipe, atq; ab omni fictione abhorre: illudq; ſtude, vt per bona opera immortalem illam gloriam accipias. Quæ cum tibi potiri contigerit, perfectius hæc cognoſces.

Iſaiæ 64. 1. Cor. 2. Cœlorum regnum in quo te potiſſimum conſiſtat. 2. Cor. 3. Fide & bonis operib. ad æternam gloriam pervenitur.

Qvod autem ex me quæſiuiſti, quonam modo nos incarnati Dei verba audierimus: hoc habeto, nos per ſacroſancta Euangelia, ea, quæ ad theandricam, hoc eſt, Dei cum homine coniuncti, diſpenſationem pertinent, didiciſſe. Nam ita ſanctus ille liber appellatur, vt qui immortalitatem & ſtatum à corruptione alienum, & ſempiternam vitam, & peccatorum remiſſionem, & cœlorum regnum, nobis qui mortales interituque obnoxij ac terreni ſumus, fauſtè annuntiet. Quem quidem ſcripſerunt, qui ſpectatores ac miniſtri Verbi fuerunt. De quibus ſuperius dixi, quod Saluator noſter Chriſtus diſcipulos & apoſtolos elegerit. Qui quidem nobis poſt glorioſam Dei in cœlos aſcenſionem, ipſius in terra vitæ rationem, & doctrinam ac miracula, quantum ab hominibus præſtari poterat, litterarum monumentis mandarunt.

Fides Chriſti hauritur ex Euangeliis.

darunt. Sic etenim in extrema libri ſui parte eximius ille inter diuinos Euangeliſtas dixit: Sunt & alia multa, quæ fecit *Ioann. 21.*
Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum eos qui ſcribendi ſunt, capere poſſe libros.

In hoc igitur diuino Euangelio, tum incarnationis tum declarationis, tum miraculorum, tum præceptorum ipſius hiſtoria, Dei ſpiritu exarata continetur. Ac deinde ſupplicij illius ab omni labe remoti, quod Dominus noſtra cauſa ſubiit, ſanctæque triduo poſt reſurrectionis, atque in cœlos aſcenſionis, ac denique illuſtris ac metuendi ipſius ſecundi aduentus mentio habetur. Rurſum enim Dei Filius cum gloria, omni ſermone præſtantiori atque ingenti cœleſtis *Luc. 21.* militiæ multitudine in terram venturus eſt, vt de mortalium genere ſententiam ferat, atque vnicuique pro eo ac geſſit, rependat. Etenim cum Deus hominem ab initio effinxiſſet (quemadmodum etiam iam tibi expoſui) inſufflauit in *Gen. 2.* eum ſpiraculum vitæ: quæ quidem anima rationis atque intelligentiæ particeps appellatur. Quoniam autem morte damnati ſumus, omnibus nobis mori neceſſe eſt: nec fieri poteſt, vt hic calix hominem vllum prætereat. Nihil autem *Quid ſit* eſt aliud mors, quàm animi à corpore diſiunctio. Ac quidem illud corpus, quod è terra effictum eſt, poſteaquam ab a- *mors.* nimo ſeiunctum eſt, in terram, ex qua ſumptum fuerat, reuertitur, ac corruptum diſſoluitur. Anima autem immorta- *Gen. 3.* lis cùm ſit, eò proficiſcitur, quo ſummus ille effector imperat, vel vt rectius loquar, quemadmodum ipſa ſibi, cum ad- *Eccli. 3.* huc in carne verſaretur, hoſpitium præparauit. Vt enim quiſque vitæ munere hic functus fuerit, illic recepturus eſt. *Merita vitæ*

Denique confectis longis temporum curriculis, Deus noſter cum metuenda & ſermonis facultatem ſupe- *Iudicium.* rante gloria ad iudicium de orbe ferendum veniet. Cuius metu cœlorum virtutes cõmouebuntur, atq; omnis Ange- *Luc. 21.* lorum exercitus tremore correptus coram ipſo adſtabit: tum videlicet, cum in Archangeli voce ac diuina tuba mortui *1. Theſſ. 4.* ad vitam redibunt, ac tremendo ipſius throno ſiſtentur. Eſt autem reſurrectio, animæ rurſus cum corpore coniunctio. *Reſurrectio* Quocirca hoc ipſum corpus, quod interit ac diſſoluitur, ita reſurget, vt deinceps interire nequeat. Nec verò huic rei fi- *1. Cor. 15.* dem vllo modo abrogare in mentem tibi veniat. Neq; n. ei, qui ipſum primum è terra effinxit, poſteaquam in terram, ex qua ſumptum eſt, rediit, iuxta Creatoris ſententiã rurſus ad vitam excitare impoſſibile eſt. Nam ſi, quod Rex Deus ex nihilo in ortum produxerit, tecum reputes, iſtud ſatis magno argumento tibi futurum eſt. Etenim ſumpta terra, quæ *Gen. 2.* prius non erat, hominẽ procreauit. Quonam igitur modo è terra homo factus eſt? Quonam modo ipſa ex nihilo producta eſt? Quonam item fundamento nititur? Quonam denique modo ex ipſa, infinita tum brutorum, tum ſeminũ, tum ſtirpium genera producta ſunt? Quinetiam in noſtro quoq; ortu velim hoc conſideres. An non enim perexiguum ſemen in terram, hoc eſt in vuluam ipſum excipientem emittitur? Vnde igitur hæc tanta animalis effectio?

Qvamobrem ei, qui omnia ex nihilo produxit, atque etiamnum producit, minimè impoſſibile eſt, corpora ea, quæ morte extincta atque corrupta ſunt, è terra ad vitam reuocare, vt vnuſquiſque conſentaneam operibus ſuis mer- *2. Cor. 5.* cedem recipiat. Laboris n. eſt, inquit ille, præſens tempus: futurum autem, mercedis. Alioqui, vbinam Dei iuſtitia erit, *Pſal. 61.* niſi ſit reſurrectio? Siquidem multi probi viri, cum in hac vita multas calamitates ac multa ſupplicia tuliſſent, per vim tandem de medio ſublati ſunt. Nonnulli contrà impij ac facinoroſi homines, in delitiis ac proſperis rerum ſucceſſib. *Dei iuſtitia* præſentem vitam conſumpſerunt: at Deus, vt qui ſimul & bonitate & iuſtitia præſtet, reſurrectionis ac referendarum *ſine reſurre-* rationum diem conſtituit: vt, cum quæque anima corpus ſuum receperit, improbus quidem & ſceleratus, qui hic om- *ctione con-* nia ſecunda ac læta habuerit, illic ſcelerũ pœnas luat: probus contra eorum quæ inique geſſerit, pœnis in hac vita per- *ſtare non* ſolutis, illic bonorum hæreditatem conſequatur. Audient enim, inquit Dominus, qui in monumentis ſunt, vocem Fi- *poteſt.* *Ioan. 5.* lij Dei. Et exibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Quo *Dan. 7.* ſcilicet tempore ſedes quoque collocabuntur, atque Antiquus dierum, rerumque omnium parens & architectus præſidebit. Ac libri aperientur, in quibus omnium noſtrûm actiones, ſermones, cogitationes inſcriptæ continentur. Atq; igneus fluuius rapido curſu voluetur, cunctaque quæ in abſtruſo deliteſcunt, patefient. Non illic patronus, aut verborum lenocinium, aut falſa excuſatio, aut opum potentia, aut dignitatum faſtus, aut ampliſſimæ munerum largitiones rectum iudicium ſupprimere poterunt, verum incorruptus ille ac verus iudex, ad iuſtitiæ lancem omnia perpendet, hoc eſt, & actionem & ſermonem, & cogitationem. Ac proficiſcentur, qui virtutibus operam dederunt ad ſempiternam vitam, & lucem omnem orationis vim excedentem, vt cum Angelis oblectentur, atque arcanis bonis fruantur, ſanctæque Trinitati purè aſtent. Qui autem turpibus flagitiis ſeſe deuinxerint, atque omnes impij & peccatores ad ſempiternum cruciatum, qui quidem gehenna dicitur, & exteriores tenebræ, & inſomnis vermis, & ſtridor dentium, aliaq; innumera tormenta.

Qvorvm omnium nullum æquè graue & acerbum eſt, atque à Deo abalienari, & à dulciſſima ipſius facie abiici, gloriaque illa, quæ nullis verbis exponi poteſt, orbari, atque inſpectante vniuerſo orbe traduci, & ignominia, quæ *Grauiſſima* nunquam finem habitura ſit, notari. Poſteaquam enim horrenda illa ſententia edita fuerit, omnia deinceps immuta- *pœna dam-* bilia, & conuerſionis omnis expertia manebunt: ſic videlicet, vt nec vita læta iuſtis finem habitura, nec afflictio & pœ- *natorum* na peccatoribus terminum acceptura ſit. Neque enim ſublimior poſt eum alter iudex eſt, nec per ſequentia opera pur- *eſt viſione* gatio. nec præſtitutus emendationis terminus, nec alia vlla iis qui in cruciatu verſabuntur, ars & ratio: quippe cum ſup- *Dei carere.* plicium vnà cum ipſis in ſempiternum duret.

Qvæ cum ita ſint, quales tandem nos in ſanctis conuerſationibus ac piis actionibus eſſe oportet, vt digni habea- *2. Petr. 3.* mur venturas minas effugere, atque à dextris Filij Dei ſtare? Nam hæc iuſtorum ſtatio eſt: quemadmodum contra miſerrima ad ſiniſtram pars peccatoribus aſſignata eſt. Poſt autem Dominus iuſtos Patris ſui benedictos vocans, in per- *Matt. 25.* petuum regnum introducet: peccatores autem cum ira & execratione à ſuaui & tranquilla facie ſua abiectos (quo nihil grauius & acerbius excogitari poteſt) ad ſempiternam pœnam ablegabit.

IX. Iosaphat autem his ad eum verbis vſus eſt: Magnas quaſdam & admirandas res, magnoque metu ac tremore dignas mihi, ô homo, narras, ſi quidem hæc ita ſe habent, atque poſtquam fatis conceſſerimus, & in cinerem ac puluerem diſſoluti fuerimus, reſurrectio & regeneratio futura eſt, rerumque in vita geſtarum examen ac merces. Verùm quo argumento hæc probas? & quonam etiei, quæ nondum oculis perſpecta eſt, auditæ atque intellectæ vſque adrò firmam & indubitatam fidem adhibuiſtis? Nam quæ iam geſta ac reipſa declarata ſunt, etiamſi ipſi minime videritis, at ab iis qui ea viderunt ac memoriæ prodiderunt, audiuiſtis. Quonam autem modo de rebus futuris tam magna & prætumida prædicantes, certam de iis fidem nacti eſtis? *Ioſaphat fu-* *turorum ra-* *tionem ex-* *quirit.*

Respondit Barlaam: Ex iis, quæ iam contigerunt, de futuris etiam certam fidem nactus ſum. Nam qui hæc prædicarunt, nec vlla in re à vero aberrarunt, verum per ſigna & prodigia, variasque virtutes ſermonibus ſuis robur cõ- *Probantur* ciliarunt, iidem etiam de futuris nos admonuerunt. Quemadmódum igitur hic nihil præpoſterum ac fictum docue- *futura ex* runt, verùm omnia ea quæ ab ipſis dicta & facta ſunt, Sole clarius effulſerunt: eodem quoque modo illic verè omnia *præceden-* tradiderunt. Quæ quidem etiam ipſe Dominus noſter ac herus Ieſus Chriſtus, tum ſermone, tum opere confirmauit. *tibus.* *Ioann. 12.* Amen enim, inquit, dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Ac rurſum: Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt *Luc. 20.* in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionẽ iudicij. Ac rurſum ait: De mortuorũ aũt reſurrectione nõ legiſtis ꝙ dictũ eſt vobis à Deo, dicente: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob? Deus porrò mortuorũ

Deus

Matth. 24. Luc. 8. Deus non eſt, ſed viuentium. Vt enim colliguntur zizania, & comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi huius. Mittet Filius Dei Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis; illic erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum.

Ioann. 11. 1. Cor. 16. HÆC dicens, addidit: Qui habet aures audiendi, audiat. His igitur pluribuſque aliis verbis Dominus corporũ reſurrectionem declarauit. Re ipſa autem ſermonibus ſuis fidem aſtruxit, cum mortuos ad vitam reuocauit, ac ſub terreſtris vitæ ſuæ cataſtrophen Lazarum quendam amicum ſuum, qui iam quatriduo mortuus erat, ac fœtebat, è monumento vocauit, eumque qui animam efflauerat, viuum exhibuit. Quin ipſe quoq; Dominus perfectam, nec iam morti ſubiectam reſurrectionem auſpicatus eſt: quippe qui morte in carne deguſtata, triduo poſt ad vitam rediit, ac mortuorum primogenitus effectus eſt. *Qua ratione Chriſtus reſurgentiũ primitiæ.* Quanquam enim alij quoque à morte ad vitam excitati ſunt: morte tamen rurſus functi ſunt, nec futuræ veræ reſurrectionis imaginem exhibere potuerunt. Solus autem ipſe reſurrectionis illius auctor ac princeps extitit, vt qui immortali reſurrectione ad vitam redierit. Hæc illi etiam, qui ab initio ſpectatores ac miniſtri verbi fuerunt, prædicarunt. Ait enim beatus Paulus, qui non ab hominibus, ſed è cœlo vocatus eſt: *Gal. 1. Roman. 4.* Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod annunciaui vobis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quod CHRISTVS mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & quod ſepultus eſt, & quod reſurrexit ſecundum Scripturas. *1. Cor. 15.* Si autem CHRISTVS prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam, quod reſurrectio mortuorum non eſt? Nam ſi mortui non reſurgunt, nec CHRISTVS quidem reſurrexit. Si autem CHRISTVS non reſurrexit, inanis eſt fides veſtra. Adhuc eſtis in peccatis veſtris. Si in hac tantum vita ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, per hominem autem reſurrectio mortuorum. Vt enim in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Et paucis interiectis: Oportet enim, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Deſtruetur autem prorſus ac delebitur mortis potentia, vt quæ iam vim ſuam non exerat, verùm deinceps hominibus immortalitas atq; incorruptibilitas ſempiterna concedatur. Erit igitur, erit, inquam, ſine vlla dubitatione mortuorum reſurrectio: idque certiſſime credimus. Quin etiam rerum in vita geſtarum, examen ac præmia & pœnas fore *1. Petr. 2.* perſpectum habemus, in metuendo videlicet aduentus Chriſti die, in quo cœli igne ſoluentur, & elementa ardore cõtabeſcent, vt Theologi cuiuſdam verbis vtar. Nouos autem cœlos, ac nouam terram ſecundum ipſius promiſſionem *Operũ merces aſſeritur in die iudicij.* exſpectamus. Nam quod illic operum præmia & pœnæ ſint, nihilque omnino bonorum vel malorum negligatur, verum & actionum, & verborum, & cogitationum merces recondita ſit, ex his Chriſti verbis conſtat: Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam. Ac rurſum *Matth. 10. Matth. 25.* ex his: Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum vobis paratum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Cur his verbis vtitur, niſi quia beneficia, quæ à nobis in egentes conferuntur, ſibi aſciſcit? Et alio loco ait: *Luc. 12.* Omnis quicunque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cœlis.

Merces ac præmia bonorum operum aſſeruntur ex hiſtoria De Lazaro & epulone. Luc. 16. EN per hæc omnia, ac plura alia, firma & certa eſſe bonorum operum præmia declarauit. Quemadmodum etiam contra improbarum actionum pœnas illic reconditas eſſe denuntiauit, per admirandas ſcilicet & eximias parabolas, quas ille ſapientiæ fons, prorſus ſapienter expoſuit. Etenim diuitem quendam inducit, purpura & byſſo indutum, ac quotidie ſplendidè epulantem, tenacem autem atque à miſericordia remotum, adeo vt pauperem quendam, Lazarum nomine, ad fores ſuas iacentem deſpiceret, ac ne ipſas quidem menſæ ſuæ micas ei impertiret. Vtroque igitur extremo vitæ die functo, pauper quidem ille atque vlceroſus in Abrahæ ſinum delatus eſt (quo nempe vocabulo proborum virorum ſedem declarauit) diues contra acerbiſſimo flammæ ſupplicio in inferno addictus eſt. Ad quem etiam Abraham his verbis vtebatur: Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem ipſe conſolatur, tu verò cruciaris.

Item ex parabola de Rege qui nuptias filio fecit. Matt. 22. RVRSVM alio loco cœlorum regnum homini Regi ſimile eſſe ait, qui filio ſuo nuptias fecit. Per nuptias porrò futura lætitia & claritas indicatur. Etenim ad humiles ac terrenis affectibus imbutos homines verba faciens, ab iis rebus quæ ipſis vſitatæ ac familiares erant, parabolas ducebat, non quod nuptias & menſas in æuo illo eſſe oſtenderet, ſed ad eorum craſſitiem ſeſe demittens, his vocabulis vtebatur, vt futura ipſis perſpicua faceret. Omnes itaque, inquit, Rex ille ſublimi præconio ad nuptias inuitauit, atq; vt bonis illis ad ſatietatem vſque fruerentur.

MVLTI autem eorum, qui inuitati fuerant, ire neglexerunt: verum ſeipſos partim in agris, partim in negotiationibus, partim in vxoribus nuper acceptis occupantes, nuptialis thalami ſplendore caruerunt. Illis autem ſua ſponte à ſuauiſſima illa lætitia excluſis, alij vocati ſunt, atque impletæ ſunt epulæ diſcumbentibus. Ingreſſus autem Rex vt videret diſcumbentes, vidit illic hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et dixit ei: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis pedibus ac manibus eius, tollite eum, & *Explicatio ſuperioris parabolæ.* mittite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium. Per hos porrò qui nuptiis intereſſe recuſarunt, nec ei, à quo vocabantur, vllo modo morem geſſerunt, illi ſignificantur, qui ad Chriſti fidem minimè accurrerunt, verùm aut in idolorum cultu, aut in aliqua hæreſi perſtiterunt. Per eum autem, qui veſte nuptiis conſentanea carebat, is demum intelligitur, qui fide quidem præditus fuit, ceterùm ſpiritualem veſtem impuris flagitiis conſpurcauit, meritoq; proinde à nuptialis thalami lætitia ſubmotus eſt.

Item ex parabola decẽ virginum. Matth. 25. Oleũ quid ſignificet. QVIN aliam quoque huiuſmodi parabolam eodem pertinentem attulit, propoſitis nimirum decem quibuſdam virginibus, quarum quinque prudentes erant, & quinque fatuæ. Quæ quidem fatuæ acceptis lampadibus ſuis nõ ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes autem ſumpſerunt. Hoc autem loco per oleum proborum actionum poſſeſſionem ſignificauit.

Quid media nox. MEDIA autem nocte, inquit, clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Porrò per mediam noctem diei illius incertitudinem indicauit. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & quæ paratæ erant, exierunt obuiam ſponſo, & intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Quæ autem imparatæ erant (quas etiam idcirco non abs re ſtultas appellauit) cum lampades ſuas extingui perſpicerent, ad oleum emendum ſeſe contulerunt. Poſteaque clauſis iam foribus accedentes, clamabant dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Ipſe autem reſpondens, dixit eis: Amen dico vobis, neſcio vos. Ex his omnibus perſpicuè conſtat, improbis actionibus, atque adeo ſermonibus, ipſiſque etiam cogitationibus, ſuam eſſe mercedem conſtitutam.

Matth. 12. Matt. 10. Ex Scriptura noui Teſt. DIXIT enim Saluator: Dico vobis, quod omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Ac rurſum: Veſtri verò & capilli capitis omnes numerati ſunt. Quo ſcilicet loco per capillos minutiſſimas etiam conſiderationes, animique cogitationes ſignificauit. Conſentanea autem his quoque B. Paulus

tradit

tradit: Viuus eſt, inquit, ſermo Dei, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ & corporis, ſpiritus quoq; & compagum ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt in oculis eius: ad quem nobis eſt ſermo. Hebr. 4.

Hæc etiam Prophetæ longis ab hinc temporibus, Spiritus ſancti gratia illuſtrati, apertiſſime nuntiauerunt. Ait enim Iſaias: Ego opera illorum noui, & reddam eis. Ecce venio vt congregem omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam: & erit cælum nouum, & terra noua, quæ ego faciam manere coram me. Et veniet omnis caro, & adorabit me in conſpectu meo, dicit Dominus: & exibunt, & videbunt cadauera hominum, qui præuaricati ſunt in me. Nam vermis eorũ nõ morietur: & ignis eorum non extinguetur. Et erunt vſq; ad ſatietatem viſionis omni carni. Ac rurſum de die illo ait: Et inuoluetur cælum ſicut liber, omnes ſtellæ cadent ſicut folium de vinea. Ecce enim dies Domini venit plenus furore & ira, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos ex ea. Quoniam ſtellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Et obtenebrabitur ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Ac rurſus ait: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum. Vę qui dicitis malum bonum, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Qui declinatis iudicium pauperum, & diripitis ſubſtantiam egenorum, vt ſit vobis orphanus in prædam. Et quid facietis in die viſitationis? & ad quem confugietis in auxilium? & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne in viſitationem incidatis? Propter hoc, ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germẽ eorum vt puluis. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſraël blaſphemauerunt.

Ex Prophetis.
Iſa. 66.
Iſa. 13.
Iſa. 5.

Eodem accedit, quod ait alius Propheta: Iuxta eſt dies Domini magna & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo malignos, & ambulabunt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpus eorũ ſicut ſtercora. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die furoris Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram. Inſuper etiam Dauid Rex & propheta ad hunc modum clamat: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocabit cælum deſurſum, & terram diſcernere populũ ſuum. Ac rurſum: Exurge Deus, inquit, & iudica terram: quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Ac rurſum: Tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua. Complura autem etiam alia huiuſmodi, tum Pſalmiſta, tum omnes prophetæ diuino Spiritu edocti, de futuro iudicio ac mercede prædicarunt. Quorum ſermones Saluator quoq; certiſſimè confirmans, nos mortuorum reſurrectionem, rerumq; in vita geſtarum mercedem, atque immortalem futuri ſæculi vitam credere docuit.

Soph. 1.
Pſalm 49.
Pſalm. 77.

Iosaphat autem ingenti ob hæc verba animi compunctione plenus, lacrymis perfundebatur, atque his ad ſenem verbis vſus eſt: Omnia mihi perſpicue declaraſti, ac horrendam hanc & admirandam narrationem luculenta oratione complexus es. His itaque nobis propoſitis, quid tandem faciendum eſt, vt ea ſupplicia, quæ ſceleratis hominibus parata ſunt, effugiamus, ac iuſtorum gaudium conſequamur?

Ioſaphat quid ſibi faciendum inquirit.

Respondit Barlaam: Literis ſacris proditum eſt, quod cum Petrus, qui apoſtolorum princeps vocatus eſt, plebem doctrina inſtrueret, corde compuncti ſunt: quemadmodum ſcilicet tu quoque hodierno die. Cumq; dixiſſent: Quid faciemus? Petrus ad eos dixit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. En igitur ipſe miſericordiæ ſuæ diuitias in te effudit, teq; qui animo ac voluntate procul ab eo diſſitus eras, & alienus, non dicam diis, ſed peſtiferis dæmonibus, & ſurdis ac ſenſus expertibus ſtatuis cultum adhibebas, acciuit. Quocirca ante omnia ad eum, qui te vocauit, accede: à quo veram tam eorum quæ oculis cernuntur, quam quæ ab oculorum ſenſu remota ſunt, cognitionem conſequeris. Quod ſi poſteaquã vocatus es, accedere recuſas, aut moras nectis, iuſto Dei iudicio exheres eris, ac repudiaberis, quia ipſe repudiaſti. Ad hũc enim modum ipſe quoq; apoſtolus Petrus ad quemdam diſcipulum dixit: Ego autem credo, quod & obediuiſti vocationi, & adhuc ſincerius obediens, crucem tolles, Deumq; ac Dominum te vocantem ſequeris, qui te à morte ad vitam, & à tenebris ad lucem inuitat. Nam profectò Dei ignoratio, animæ caligo ac mors eſt: & ſimulacra colere ad naturæ exitum, amentiam omnem excedit.

Act. 2.
Barlaã eum ad pœnitentiã & Baptiſmum hortatur.
Hæc ex libro quodã apocrypho ſumpta videntur.
Dei ignoratio animæ caligo eſt.

Qvos quidem homines cuinam rei ſimiles eſſe dicam? & quanam imagine eorum ſtoliditatem tibi ob oculos ponam? Sed tamen exemplum quoddam tibi proponam, quod mihi à viro quodam ſumma ſapientia prædito commemoratum eſt. Aiebat enim, ſimulacrorum cultores aucupi ſimiles eſſe, qui cum luſciniam, perexiguam auiculam, cepiſſet, gladiumq; arripuiſſet vt eam iugularet ac comederet, ea, cõceſſa ſibi articulatâ voce, ad aucupem dixit: Quidnam, ô homo, ex mea nece ad te vtilitatis rediturum eſt? neq; enim per me ventrem tuũ explere poteris. At ſi me vinculis liberaueris, tria præcepta tibi tradam: quibus ſi parueris, magnis per omnem vitam commodis afficieris. Ille autem ex ipſius ſermone admiratione commotus, ſeſe facturum recepit, vt ſi nouum aliquid ab ea audiret, ſtatim eã libertate donaret, ac miſſam faceret. Conuerſa itaq; luſcinia, homini ait: Numquam rem, quam cõſequi nequeas, aggredere. Numquam rei præteritæ te pœniteat. Rei incredibili numquam fidem adhibe. Hæc tria mandata ſerua: & præclarè tecum agetur. Ille autem horum verborum ſagacitatem ac prudentiam admiratus, eam vinculis ſolutam in aërem emiſit. Luſcinia itaq; periculum facere cupiens, an ille verborum eorum, quæ audierat, vim intellexiſſet, atque aliquam ex ipſis vtilitatem percepiſſet per aërem volitans, ad eum dixit: Prô quam nihil eſt in te conſilii, ô homo! qualem theſaurum hodie amiſiſti! Eſt ſiquidem in meis viſceribus vnio, ſtruthionis ouum magnitudine excedens. Quæ vt ille audiuit, mœrore conturbatus eſt, eumq; pœnituit quod luſcinia ex ipſius manibus effugiſſet. Atq; eam rurſum arripere tentans, dixit: Veni quæſo in ædes meas: atque vbi præclare & humaniter à me accepta fueris, honorificè te dimittam. Luſcinia autem ipſi dixit: Nunc plane te ſtolidum ac væcordem eſſe ſcio. Nam poſteaquam ea, quæ ad te dicta ſunt, prompto animo excepiſti, ac libenter audiſti, nihil ex eis emolumenti conſecutus es. Admonui enim te, ne ob rem præteritam pœnitentia ducereris: & ecce mœrore conturbatus es, propterea quòd è manibus tuis fuga me ſubduxerim, pœnitentia videlicet ob rem præteritam affectus. Præcepi tibi, ne ea, quæ aſſequi non poſſes, aggredereris: & tamen arripere me conans, cum iter meum aſſequi nequeas. Ad hæc id quoq; tibi edixi, ne incredibili ſermoni fidem arrogares: & tamen in viſceribus meis vnionem, ſtaturæ meæ modum excedentem ineſſe credidiſti: neq; tantulum tibi prudentiæ fuit, vt intelligeres, me totam ad oui ſtruthionis magnitudinem minimè accedere. Quonam itaque pacto tantum vnionem corpuſculum iſtud caperet?

Cui ſimiles ſint idolorũ cultores, egregio de luſcinia apologo docet.

Ad hunc igitur modum illi quoque in ſumma ſtultitia verſantur, qui in ſimulacris confidunt. Nam ea manibus ſuis effecerunt, & opera digitorum ſuorum adorant, dicentes: Hi opifices noſtri ſunt. Qui fit igitur, vt eos quos effece-

Idololatrarũ vęcordia

runt &

ſunt & condiderunt, opifices ſuos eſſe cenſeant? Quin etiam cũ ea magno ſtudio cuſtodiant, ne à furibus ſurripiantur,
tamen ſalutis ſuæ cuſtodes nuncupant. Atqui, quæ hæc ſtultitia eſt, illud non intelligere, fieri non poſſe, vt qui ſibiipſis
Pſalm. 113. opem ferre ac ſe tueri nequeunt, alios tueri ac ſeruare poſſint? Ac præterea opes ſuas effundunt, dum ſtatuas & ſimula-
cra dæmonibus excitant, eoſq; bonorũ datores eſſe nugantur: ab iis ea ſibi dari, quæ nec ipſi vnquam habuerunt, nec
vnquam habituri ſunt. Eoq; nomine ſcriptum eſt: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Qui
quidem artifice mercede conducto ſimulacrũ manu effecerunt, ac prono corpore ipſum adorarunt. Humeris illud
tollunt ac proficiſcuntur: ſi autem ipſum vſpiam collocarint, illic manet, nec moueri poteſt. Et quantumlibet quis ipſi
Deut. 32. clamauerit, non exaudiet, nec ex calamitatibus eum eripiet. Quamobrem confundantur qui in ſculptilibus confidunt
& qui dicunt iis quæ conflata ſunt, Vos dij noſtri eſtis. Immolauerũt enim dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabãt.
Noui recenteſq; venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Generatio enim peruerſa eſt, nec iam fides ipſis ineſt.

Dii falſi multi. Ex hac igitur peruerſa & incredula generatione Dominus te vocat, his verbis vtẽs: Exi de medio eorũ, ac ſeparare,
& immundũ noli tangere: verũ à generatione hac peruerſa te eripe. Surge & ambula: quia non habes hic requiem. E-
Numer. 16. tenim multiplex deorũ, qui à vobis coluntur, principatus præpoſterus eſt, & cum diſſidio coniunctus, atq; eiuſmodi,
Mich. 2. qui nullo modo conſiſtere queat. Apud nos aũt non ſunt dij multi, nec Domini multi, verum vnus Deus Pater, ex quo
omnia, & nos in ipſum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, qui eſt imago Dei inuiſibi-
Verus vnus lis, primogenitus omnis creaturæ, & omniũ ſæculorum, quoniã in ipſo creata ſunt omnia, tam quæ in cælis quam quæ
1 Cor. 8. in terra, tam viſibilia quam inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates. Omnia per i-
Coloſſ. 1. pſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt: & vnus Spiritus ſanctus, in quo omnia, qui Dominus eſt,
& viuificat, qui Deus eſt, & diuinitatẽ affert, Spiritus bonus, Spiritus rectus, Spiritus paraclitus, Spiritus adoptionis fi-
Ioan. 1. liorum. Horum vnuſquiſq; Deus eſt, ſi ſeparatim conſideretur: vt Pater, ſic Filius: vt Filius ſic Spiritus ſanctus. Vnus autẽ
Deus in tribus perſonis, vna natura, vnum regnum, vna potentia, vna gloria, vna ſubſtantia: quæ perſonarum ratione
Trinitatis myſterium. diuiditur, ſed Deitatis reſpectu vna eſt. Vnus enim eſt Pater, cui proprium eſt genitum non eſſe. Vnus item vnigenitus
Filius, cui propriũ eſt genitũ eſſe. Vnus deniq; Spiritus ſanctus, cui propriũ eſt proceſſiſſe. Sic enim nos ex lumine, hoc
Pſalm. 35. eſt, ex Patre, lumen, id eſt Filium, in lumine, hoc eſt Spiritu ſancto, cernentes, in tribus perſonis vnã diuinitatẽ laude ac
Rom. 11. gloria afficimus. Atq; ipſe verus ac ſolus Deus eſt, qui in Trinitate agnoſcitur: quoniã ex ipſo, & per ipſũ, & in ipſo om-
nia ſunt. Huius beneficio & gratia ipſe quoque, cum de tuo ſtatu certior factus eſſet, miſſus ſum, vt ea te docerem quæ
Marc. 16. didici, atq; ab ineunte ætate vſq; ad hanc canitiem ſeruaui. Quocirca ſi credideris, & baptizatus fueris, ſaluus eris. ſi au-
Res mundi fluxæ ac breui perituræ. tem non credideris, condemnaberis. Nã ea quæ hodierno die cernis, & quibus gloriaris, hoc eſt, gloria, & deliciæ, & o-
pes, & omnis huiuſce vitæ impoſtura, iam iamq; præteribunt, teq; inuitum etiam ac repugnantem hinc eiicient.

Ac corpus quidem perexiguo ſepulcro includetur, ſolum relictum, atq; omni amicorum & cognatorum cœtu
Barlaã pœnia terret Ioſaph. deſtitutum. Faceſſent autem mundi iucunditates, atque ingens quædam inſuauitas ac fœtida corruptio præſentis pul-
chritudinis & fragrantiæ loco tibi vndiq; ac affundetur. Anima verò tua inferno addicta, in inferiores terræ partes vſ-
que ad poſtremam reſurrectionem conijcietur. Quo ſcilicet tempore anima recepto corpore ſuo à Domini facie pro-
iicietur, ac gehennæ, cuius flamma ſempiterna eſt, mancipabitur. Hæc tibi, atque etiam longe his grauiora cõtingent,
ſi in infidelitate perſtiteris.

Præmiis inuitat. Si autem ei, qui te ad ſalutem inuitat, prompto animo parueris, atque ad eum cupido & læto animo accurrẽs,
ipſius lumine ſignatus fueris, eumque ita ſequaris, vt à tergo minime reſpectes, atque omnibus rebus abiectis & con-
Pſalm. 4. temptis, ipſi ſoli adhæreas, quantam inde fiduciam ac lætitiam conſequeris, audi: Si ſederis, ſecurus eris: ſi dormieris,
iucunde conquieſces: nec timebis terrorem ſuperuenientem, nec impiorum dæmonum impetus, verum confidenter
Prou. 3. vt leo incedes, ac cum lætitia & ſempiterna exultatione viues. Etenim ſuper caput tuum exultatio & laus & lætitia te
Prouer. 28. comprehendet. Effugiet dolor, & mœror, & gemitus. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius o-
Iſa. 58. rietur. Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clama-
Iſa. 43. bis, & dicet: Ecce adſum. Ego enim ſum, qui deleo iniquitates tuas, & non memorabor. Tu verò memor eſto, & indi-
Iſa. 1. cemur. Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Si fuerint peccata tua vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint
rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Os enim Domini locutum eſt.

Ait ad eum Ioſaphat: Hæc tua verba præclara & admiranda ſunt: eaq; credidi, & credo, omnemque idolorum
cultum ex animo odi ac deteſtor. Etenim prius etiam quam ad me accederes, oblique quodãmodo ac dubitanter er-
ga ea afficiebatur animus meus. Nunc autem poſteaquam eorum vanitatem, hominumque qui ea colunt ſtultitiam
Ioſaphat Baptiſmũ petit. ex te intellexi, perfecto odio ea inſector, ac Deo vero me in ſeruitutem addicere geſtio, modo me ipſe, hominem indi-
gnum, ob iniquitates meas minimè ſubmoueat: verum pro ſua, vt doces, benignitate mihi omnia condonet, meque
ſeruum ſibi adſciſcere dignetur. Iam itaque Baptiſma ſuſcipere paratus ſum, atque omnia quæ præſcripſeris, ſeruare.
Quidnam autem mihi poſt Baptiſmum faciendum eſt? Satiſne eſt ad ſalutem, credere ac baptizari? an etiam alia quæ-
dam adiungere neceſſe eſt.

Præter Baptiſmũ neceſſaria bona opera. Dixit autem ad eum Barlaam: Audi quid tibi poſt Baptiſmum faciendum ſit: nempe vt ab omni peccato, & ab
omni vitioſa affectione abſtineas, atque orthodoxæ fidei fundamento virtutum ſtudium ſuperſtruas. Quoniam fides
ſine operibus mortua eſt: quemadmodum etiam opera remota fide. Ait enim Apoſtolus: Spiritu ambulate, & deſide-
ria carnis ne perficiatis. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt adulterium, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum
ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, auaritia,
Iacob 1. maledictiones, amor voluptatum, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniã
Gal. 5. qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, longanimitas, be-
nignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, ſanctificatio animæ & corporis, cordis afflictatio & contritio, elee-
moſyna, iniuriarum obliuio, humanitas, vigilia, ſincera de omnibus præcedentibus peccatis pœnitentia, compũctio-
Virtutes velut ſcalæ quædam cæli ſunt. nis lacrymæ, luctus tum pro ſuis tum pro aliorum peccatis, aliaque eiuſdem generis: quæ quidem tanquam gradus &
ſcalæ inter ſe cohærentes, atque aliæ ab aliis ſuffultæ, animum in cælum ſubuehunt. En hæc ſunt quæ poſt Baptiſmum
amplecti iubemur, atque ab aliis, quæ cum his pugnant, abſtinere.

Quod ſi poſt acceptam veritatis cognitionem priora mortua opera rurſum arripiamus, ac canis inſtar ad noſtrũ
vomitum reuertamur, illud nobis vſu veniet, quod à Domino dictum eſt: Cum enim, inquit, exiuerit immundus ſpi-
ritus ab homine, (per Baptiſmi ſcilicet gratiam) ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit. Permo-
2 Pet. 2. leſte autem ferens ſe diutius tecti ac laris expertem eſſe, ait, Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit
Luc. 11. eam ſcopis mundatam & ornatam, ceterum inanem ac vacantem, vt quæ gratiæ cultum atque operationem mini-
me ſuſceperit, nec ſe ipſam virtutum opibus cumularit. Tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores
Quid agat Baptiſmus. ſe, & ingreſſus habitat illic. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Siquidem Baptiſmus priorum qui-
dem omnium peccatorum ſyngraphas aqua obruit, ac prorſus delet & oblitterat, atque in poſterum firmiſſimus no-
bis murus eſt ac turris, & forte telum ad prælium cum hoſte conferendum. Non tamen arbitrii libertatem tollit,
neque peccata ea, quæ poſt Baptiſmum contrahuntur, remittit, nec ſecundam in piſcinam immerſionem continet.

Vnum

Vnum enim Baptiſma confitemur:ac proinde ſumma diligentia cauere debemus, ne in nouas ſordes incidamus, verum Domini mandata capeſſamus. Nam cum ipſe apoſtolus dixiſſet, Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non hic conſtitit, verum adiecit, Docentes eos ſeruare omnia quæcumque præcepi vobis.

Quid poſt cauendum. *Marc.16.*

Mandavit porrò vt ſpiritu pauperes ſimus (tales enim beatos, cæleſtiq; regno dignos eſſe pronuntiat.) Deinde vt in præſenti æuo lugeamus monet, quo videlicet in futuro conſolatione afficiamur. Mox vt mites ſimus, ac iuſtitiæ fame & ſiti teneamur: Tum vt miſericordes & liberales, atque ad commiſerationẽ propenſi ſimus. Cordis item puritate præditi, atque ab omni inquinamento carnis & ſpiritus abſtinentes. Pacifici etiam cum erga alios, tum ipſi cum animis noſtris, nimirum id quod deterius eſt præſtantiori ſubiicientes, atq; inteſtinum ac perpetuum bellum recto iudicio comprimentes. Poſtremò, vt omnem perſecutionem & afflictionem & probrum iuſtitiæ cauſa pro ipſius nomine nobis illatum ſuſtineamus, quo ſempiternum gaudium in præclara illa donorum diſtributione cõſequamur. Quinetiam cùm adhuc in mundo verſaretur, ad hunc modum ſuos hortabatur. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Matth. 5. *Matth. 5.*

Etenim Moyſis quidem lex antiquitus Iſraëlitis data dicebat, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falſum teſtimonium dices. Chriſtus autem ait: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa reus erit iudicio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. Ac rurſum Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Et quicumque viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo (ſi ſurrectionem nimirum animæ, ac libidinis aſſenſum, adulterium vocans.) Ad hæc, cum lex periurium prohibeat, Chriſtus iurare omnino vetat, nec quidquam aliud permittit, quam, Eſt, eſt, Non, non. Oculum pro oculo, & dentem pro dente, illic: hîc autẽ, Quicumque percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Et qui tecum vult iudicio contendere, & tunicã tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei. Et volentem à te mutuari ne auertas.

Differentia legis antiquæ & nouæ

Avdistis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuũ facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Dimittite, & dimittetur vobis. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini: ſcit enim Pater veſter cæleſtis, quoniam his omnibus indigetis. Quare qui animam & corpus dedit, prorſus etiam cibum & indumentum dabit: ille inquam qui cæli aues nutrit, & agri lilia tanta pulchritudine ornat. Quærite autem primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ſolliciti eſſe de craſtino: nam craſtinus dies ſibi ipſi ſollicitus erit.

Luc. 6. *Matth. 6.*

Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Intrate per anguſtam portã: quia lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quoniam anguſta eſt porta, & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt. Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, nõ eſt me dignus. Et qui diligit filium aut filiam plus quam me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucẽ ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. En hæc omnia, & his ſimilia, Saluator apoſtolis mandauit, vt fide præditos docerẽt. Atque hæc omnia nobis obſeruanda ſunt, ſiquidem nobis cordi ſit perfectionem adipiſci, & iuſtitiæ coronas ab omni corruptione alienas conſequi, quas reddet Dominus in die illa iuſtus iudex omnibus his qui ipſius aduentum dilexerint.

Luc. 18. *Matth. 7.* *Luc. 13.* *Matth. 7.* *Matth. 10.* *2. Tim. 4.*

Dixit autem ad eum Ioſaphat: Ergo cum tam perfecta doctrina puriſſimam vitam deſideret, dic quæſo, ſi mihi ab vno vel duobus mandatis aberrare contigerit, an propterea toto ſcopo aberrabo, ſpeſque mea omnis inanis futura eſt?

Respondit Barlaam: Non eſt quod ita exiſtimes: Nam Deus Verbum, qui ſalutis noſtræ cauſa humanitatẽ induit, ingentem naturæ noſtræ imbecillitatem & ærumnam exploratam habens, ne in hac quidem parte nos incurabili morbo laborare permiſit: verum, vt ſapientiſſimus medicus, lubricæ noſtræ ac peccandi cupidæ voluntati pœnitentiæ medicamentum admiſcuit, eam videlicet ad peccatorum remiſſionem prædicans. Poſteaquam enim veritatis agnitionem ſuſcepimus, ac per aquam & Spiritum ſanctificati, atque ab omni peccato & ſpurcitie ſine vllo labore purgati ſumus, ſi nobis in aliqua peccata labi contigerit, nõ quidem ſupereſt iam altera per Baptiſmum regeneratio, quæ in piſcinæ aqua per Spiritum comparatur, ac perfectè nos inſtaurat (hoc enim beneficium ſemel duntaxat cõceditur) verum per aſperam pœnitentiam, & calentes lacrymas, & labores ac ſudores, propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri, purgationem ac peccatorum remiſſionem conſequimur. Etenim per Domini gratiam lacrymarum fons Baptiſmus appellatur: tametſi alioqui labore ac tempore opus habeat. Ac complures è multis peccatis eripuit: quoniã nullũ peccatum eſt, quod Dei benignitatem vincat, ſi quidem prius reſipuerimus, ac delictorum maculas lacrymis eluamus: ne alioqui mors antreuertens, nos ſcelerum maculis inquinatos hinc eiiciat. Non enim eſt in inferno pœnitentia nec confeſſio. Quamdiu autem vitæ vſura fruimur, dummodo orthodoxæ fidei fundamentum firmum maneat, etiamſi trabium aliquid aut tecti labefactetur, quod per peccata corruptum eſt, pœnitentiæ adiumento ſarcire ac renouare licet. Neque enim miſerationum Dei multitudo numerari poteſt, nec miſericordiæ ipſius magnitudo in menſuram cadit. Peccata contrà, quæcunq; tandem illa fuerint, menſuræ ac numero ſubiiciuntur. Quo fit, vt ea, cum in menſuram ac numerum cadant, immenſam Dei miſericordiam, atq; innumerabiles miſerationes vincere nequeant.

De pœnitẽtia diſſerere incipit. *Hebr. 6.* *Pœnitentiæ lacrymæ Baptiſmi nomẽ obtinẽt* *Pſalm. 6.* *Pſalm. 144*

Ac proinde ob peccatorum multitudinem animũ deſpondere minimè iubemur, ſed Dei bonitatẽ agnoſcere, ac peccata noſtra condemnare: quorũ remiſſio propter Chriſti benignitatẽ propoſita eſt, qui pro ſcelerib. noſtris ſanguinẽ ſuũ effudit. Porrò cũ ex multis Scripturæ locis pœnitentiæ vim addiſcamus, tũ potiſſimum ex Domini noſtri Ieſu Chriſti actionibus ac parabolis. Ex tũc enim, ait, cœpit Ieſus docere, & dicere: Pœnitentiã agite: appropinquauit enim regnum cælorũ. Quin etiã in parabola filiũ quemdã inducit, qui cũ acceptis paternis opibus in longinquam regionẽ profectus fuiſſet, eaq; in omni luxus atq; intemperantiæ genere conſumpſiſſet, poſtea, regione illa fame laborãte abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius Qui etiam illum in agrum, vt porcos, hoc eſt aſperrimum & execrandum peccatum, paſceret, miſit. Cum itaque multis calamitatibus affectus fuiſſet, atque in tantam miſeriam veniſſet, vt ne porcorum quidem ſiliquis ipſi ventrem ſuum implere liceret, tandem aliquando hanc vſque adeo grauem ignominiam agnoſcens, vitamque ſuam lugens, dicebat: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ſuus, & miſericordia motus eſt, ac accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, atque in

Ob peccata minimè deſperandum eſt. *Matth 3.* *Luc 15.* *Filius prodigus.*

priſtini honoris locũ reſtituit, & ob ipſius inuentionem lætiſſimum feſtum celebrauit, occiſo vitulo ſaginato. Et hanc parabolam de iis, qui à peccatis reſiliunt, atque ad pœnitentiam accurrunt, nobis commemorauit. Qui etiam bonũ quendam paſtorem rurſus inducit, qui cum centum oues haberet, atq; vnam amiſiſſet, relictis nonagintanouem, ad conquirendam eam, quæ aberrabat, profectus eſt, donec eam inueniſſet, atque humeris ſublatam, cum iis quæ minimè aberrauerunt, coniunxiſſet. Qui etiam hoc nomine amicos ac vicinos ad conuiuium ob eam inuentam celebrandum inuitauit. Ita, inquit Saluator, gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia: Atque adeo diſcipulorum princeps Petrus, illa inquam fidei petra, ipſo ſalutiferæ paſſionis tempore certo quodam conſilio aliquantiſper à Deo deſertus (nempe vt humanæ imbecillitatis vilitatem ac miſeriam perſpectam haberet) eo peccati prolapſus eſt, vt Dominum abiuraret. Poſt autem confeſtim, inquit, verborum Domini recordatus, foras exiuit, & fleuit amarè, ac per calentes illas lacrymas acceptum detrimentum ſarciuit, victoriamq; in alteram partem inflexit. Nam cum rei militaris peritus eſſet, etiamſi cecidit, non tamen animo fractus eſt, nec ſalutis ſuæ ſpem abiecit: verum reſiliens, acerbiſſimas ex oppreſſo pectore lacrymas profudit, ac ſtatim vt eas hoſtis conſpexit, non ſecus atque vehementiſſimæ cuiuſdã flammæ ardore ambuſtis oculis, pedem retulit, procul fugiens, atque horrendum in modum eiulans. Contra autem ille principem rurſum locum tenuit: quemadmodum totius orbis magiſter inſtitutus fuerat, ita etiam pœnitentiæ exemplar effectus. Poſt reſurrectionem autẽ, cum Chriſtus tertio ad eum dixiſſet, Petre, amas me? triplicem abiurationem correxit, reſpondens ſcilicet, Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.

De bono paſtore. *Luc. 15.*
Cur Petrus labi permiſſus ſit. *Luc. 22.*
Petrus orbis magiſter, & principem locũ tenet.

Ex his igitur omnibus, aliiſq; quamplurimis, atq; adeo numerum omnem ſuperantibus exemplis, lacrymarum ac pœnitentiæ vim intelligimus. Tantum opera detur, vt ipſa quemadmodum rationi conſentaneum eſt, fiat, hoc eſt ex affectu peccatum execrante, ipſumq; odio inſectante, atque condemnante, ac lacrymas emittente: quemadmodũ ait propheta Dauid, Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Ac tum peccatorum purgatio per Chriſti cruorem in miſericordiæ ipſius magnitudine, ac miſerationum multitudine continget. Ipſius enim hæc verba ſunt: Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: ſi autem vt vermiculus, quaſi lana alba erunt.

Pſalm. 6. Quomodo agitur vera pœnitentia. *Iſai. 1.*

OPERÆPRETIVM eſt itaque, vt poſteaquam veritatis cognitionem accepimus, atq; regenerationẽ & filiorũ adoptionem conſecuti ſumus, diuinaq; myſteria percepimus, omni ſtudio ac diligentia prouideamus, ne corruamus. Neq; enim cadere athletã decet: quandoquidẽ multi cum cecidiſſent, ſeſe erigere minimè potuerunt. Etenim alii, cũ ianuas vitioſis affectionibus aperuiſſent, atque arctiſſimo nexu ipſis hæſiſſent, non iam ad pœnitentiam ſeſe conuertere potuerunt. Alii autem morte prius abrepti quam contractas vitiorum ſordes per pœnitentiam abſterſiſſent, condemnati ſunt. Propterea periculoſum eſt, in vitium, quodcumque tandem illud ſit, labi. Ceterum, ſi labi contigerit, ſtatim enitendum eſt, vt reſiliamus, rurſumq; ad præclarum certamen obeundum ſtemus. Et quoties cadere contigerit, toties etiam ſtatim vſq; ad extremum vitæ diem curandum eſt, vt reſurgamus, atque in procinctu ſtemus. Conuertimini enim ad me, & ego conuertar ad vos, ait Dominus.

Periculoſum in peccatũ lapſũ eſt.
Zachar. 1.

AD hæc autem Ioſaphat dixit: Quanam igitur ratione ſeipſum quiſpiam poſt Baptiſmum ab omni peccati labe purum ſeruabit? Nam etſi peccantibus, vt ipſe ais, pœnitentia patet, tamen labore & fatigatione, ac fletu & luctu opus eſt: quæ quidem eiuſmodi mihi eſſe videntur, vt non ea multi facilè conſequi poſſint. Quocirca viam potius nancisci cuperem, qua ſincere atq; exactè Dei præcepta ſeruarem, nec ab iis deflecterem, nec poſt priorum peccatorum veniam impetratam, ſuauiſſimum illum Dominum ac Deum ad iracundiam prouocarem.

Inquirit Ioſaphat de via tutiore.

RESPONDIT aũt Barlaam: Rectè hæc dixiſti, domine mi ac Rex, atque hoc mihi pergratum eſt, verũ arduum eſt, ne dicam impoſſibile, vt quiſpiam in igne verſetur, nec tamen fumo offundatur. Eodem item modo arduum eſt ac perquam difficile, vt qui huiuſce vitæ negotiis tamquam vinculis quibuſdam aſtrictus tenetur, eiuſq; curis ac tumultibus diſtinetur, atq; in opibus ac deliciis viuit, ſine vlla inflexione mandatorum Dei viam peragret, purumq; ſeipſum atq; incolumẽ ab iis ſeruet. Ait enim Dominus. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnũ odio habebit, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Quin etiã charus ipſius diſcipulus Ioannes Euangeliſta & Theologus in epiſtola ſua ait: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mũdo ſunt. Quoniã omne quod eſt in mũdo, aut cõcupiſcẽtia carnis eſt, aut cõcupiſcentia oculorũ, aut ſuperbia vitæ: quæ nõ eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit & concupiſcentia eius. Qui aũt facit voluntatẽ Dei, manet in æternũ.

Difficile eſt, inter mũdi tumultus ſaluti ſtudere.
Matth. 6.
1. Ioan. 2.

HÆC igitur cum diuini ac diuinitus inſpirati patres noſtri animaduertiſſent, atque illud Apoſtoli audiſſent, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, in id omni animi contentione incubuerunt, vt poſt Baptiſmum, immaculatum ac labis omnis expers incorruptionis indumentum conſeruarent. Ac proinde quidam eorum alterum etiam Baptiſmum inſuper aſſumpſerunt, hoc eſt, eum, qui in ſanguinis profuſione, ac martyrio ſitus eſt, Baptiſmus enim hic quoq; appellatus eſt, & quidem præſtantiſſimus, ac ſumma veneratione dignus: neq; enim poſterioribus peccati ſordibus inquinatur. Quem etiam Dominus meus accipiens, Baptiſmum meritò nuncupauit. Deinde ipſius imitatores effecti, primum quidem ipſius ſpectatores & diſcipuli, atque apoſtoli, deinceps autem vniuerſus ſanctorum martyrum chorus, idolorum cultoribus, Regibus ac Tyrannis ſeipſos pro Chriſti nomine obiicientes, omnia ſuppliciorũ genera ſuſtinuerunt, feris videlicet obiecti, atq; igne cremati, & gladiis obtruncati. Cumq; præclaram confeſſionem edidiſſent, & curſum conſummaſſent, ac fidem ſeruaſſent, iuſtitiæ palmam conſecuti ſunt, Angelorum contubernales, & Chriſti coheredes effecti. Quorum virtus vſq; adeo emicuit, vt in omnem terrã eorum ſonus exierit, & in fines orbis terræ fulgor eorum, quæ rectè cum virtute geſſerunt, rutilarit. Horum non verba dumtaxat & opera, ſed ipſe quoq; cruor & oſſa, omni ſanctitate plena ſunt. Dæmones namque per vim in fugam vertunt: atque iis qui cum fide accedunt, incurabiles alioqui morbos profligant. Quin veſtes quoque ipſæ, & ſi quid aliud ad pretioſa eorum corpora propius acceſſit, omnibus venerationi ſunt. De quibus longa oratione nihil opus eſſet, ſi præclara eorum facinora ſigillatim exponere vellem. Poſteaquam autem crudeles illi ac bellnini Tyranni miſerè, vt eorum improbitas merebatur, perierunt, perſecutioq; finem accepit, ac pii Imperatores totius orbis imperio potiti ſunt, ſuccedentes alii, ac zelum illum, diuinamq; cupiditatem ſibi imitandam proponentes, eodemq; timore ſauciã animã habentes, illud optimè ſecum conſiderabant atque ſpectabant, vt ab omni ſpurcitie puram animam ac corpus Deo exhiberent: ſic nimirum ſe comparantes, vt omnes vitioſarum affectionum actiones amputarent, ſeipſoſq; ab omni carnis & ſpiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non alia ratione, quam per mandatorum Chriſti obſeruationem, à ſe præſtari poſſe intelligebant, mandatorum porrò obſeruationem ac virtutum cultũ in mediis mũdi tumultibus ægrè conſequi ſe poſſe perſpiciebant, nouum quoddam atq; ab aliis diuerſum vitæ genus ſibiipſis inſtituerunt, ac iuxta diuinam vocem relictis omnibus rebus, hoc eſt parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, deliciis, cunctiſque mundi commodis contemptis, in ſolitudines, tamquam exules quidam, ſeſe contulerunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ, ac ſeipſos ab omnibus terrenis iucunditatibus & voluptatibus procul remouentes, atq; adeo panis etiam & veſtimentorum graui penuria laborantes.

Act. 14.
Martyrii baptiſmus omnium præſtantiſſimus.
Pſalm. 18.
Martyrum reliquiæ ad varia efficaciſſimæ.
2. Cor. 7.
Cur monaſtica vita à piis viris ſuſcepta.
Hebr. 11.

QVOD

QVOD vt facerent, duplex eos cauſa impellebat; altera, vt vitioſarum affectionum materias minimè cernentes, earum cupiditates radicitus ex animis ſuis euellerent, earumq; memoriam oblitterarent, ac diuinarum & cœleſtium rerum amorem & deſiderium in ſeipſis insererent: altera, vt per afflictionem corpus conficerent, animoq; ac voluntate martyres effecti, ea gloria, quam ij qui martyrio perfuncti ſunt obtinent, minimè carerent, verùm cū ipſi quoq;, quantum in ſe eſſet, Chriſti paſſionem expreſſiſſent, ipſius quoq; regni participes eſſent. Ad hunc igitur modum optima cōſideratione adhibita, monaſticam ac ſolitariam vitam conſectati ſunt.

ATQVE alij quidem ſub dio durantes Solis æſtu, atq; aſperrimis frigoribus ac pluuiis, & ventorum turbinibus affligebantur. Alij conſtructis tuguriis, aut in ſpeluncis & antris ſeſe occultantes, vitam agebant. Sicq; virtutem colentes, omnem carnalem conſolationem & quietem ad extremum vſq; repudiarunt, crudis oleribus & herbis, aut pomis, aut etiam ſicco ac duriſſimo pane vitam tolerantes: nec ſuauium ciborum qualitati duntaxat nuntium remittentes, ſed præ exuberanti quadam continentia magnitudinem animi ſui ad ipſam quoq; quantitatem extendentes. Tantulū nāduntaxat, etiam ex ipſis vilibus maximeq; neceſſariis cibis percipiebant, quantum ad tolerandam famem ſatis eſſet. Quidam enim eorum integram hebdomadam per inediam tranſigentes, Dominico demum die cibum admittebant. Quidam bis tantum hebdomada quaq; ipſius meminerant: alij alternis diebus ſub veſperam edebant, ſic vt cibū duntaxat deguſtarent: precibusq; ac vigiliis propemodum cum Angelis quoque certantes, atque auri & argenti poſſeſſione, emptionibusque & venditionibus prorſus valere iuſſis, inter homines omnino ſe eſſe obliuiſcebantur.

Monaſtica vita quoddam martyrij genus eſt.

Ciborum delectus.

Ieiunia, orationes, & vigilia, paupertas voluntaria, & vitæ innocentia.

INVIDIÆ autem & animi elationi, quæ potiſſimum bonorum operū comites eſſe ſolent, locus inter eos nullus erat. Neq; enim is qui in vitæ monaſticæ exercitationibus inferiorem locum tenebat, aduerſus eum, cuius illuſtrior virtus erat, liuoris cogitationem in animum admittebat: nec rurſus eum qui virtutibus pollebat, arrogantia & faſtus aduerſus imbecilliores efferebat, atque in hanc fraudem impellebat, vt proximum nihili penderet, aut de religioſa exercitatione gloriaretur, ob eaque quæ cum laude præſtitiſſet, magnificè atque arroganter de ſe ſentiret. Nam qui virtute alterum antecellebat, id totum non ſuis laboribus, ſed Dei virtuti adſcribens, humili mente hoc ſibi perſuadebat, ſe nihil omnino efficere, verùm multò plura ſibi præſtanda eſſe, iuxta illud quod ait Dominus: Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quæ debuimus facere fecimus. Ac quidam etiam hoc ſibi perſuadebant, ſe ne ea quidem vllo modo feciſſe, quæ ipſis à Deo præcepta eſſent, verùm multo plura eſſe quæ ſibi deeſſent, quàm quæ iam præſtitiſſent. Rurſum is, qui in religioſa exercitatione ob corporis fortaſſe imbecillitatem inferior erat, ſeipſum nihili pendebat, ac miſerum dicebat, animi ſcil. ignauiæ, ac non naturæ imbecillitati defectum ſuum aſſignans. Ita alij aliis, atque omnes omnibus modeſtiores ſe præbebant. Inanis porro gloriæ affectus, aut hominibus placendi ſtudium, quonam tandem pacto in illis ineſſet, quippe qui hac de cauſa orbem fuga reliquerant, atque in deſertis morabantur, vt virtutes ſuas non hominibus, ſed Deo, à quo virtutum quoque præmia ſperabant, demonſtrarent. Illud quippe probè norant, religioſa exercitia, quæ inanis gloriæ cauſa obeuntur, mercede carere: vt quæ non Dei, ſed humanæ laudis cauſa fiant. Ac proinde huiuſmodi homines duplici detrimento afficiuntur; dum nimirum corpus cōficiunt, nec tamen mercedem vllam ferunt. Qui autem cœleſtis gloriæ deſiderio flagrant, atque ad eam omni celeritate contendunt, terrenam omnem & humanam aſpernantur.

Luc. 17.

Cur monachi de mundo fugiebāt

Opera quæ laudis humanæ ſtudio fiunt, mercede carent.

Ex huiuſmodi porrò hominibus alij ſic degunt, vt in receſſu ac ſolitudine pietatis certamen obeant, & ab hominum contubernio per omne vitæ tempus ſeſe remoueant, atque ad Deum appropinquent. Alij procul inter ſe cōſtructis ædiculis, Dominicis diebus ad vnam & eandem Eccleſiam pergunt, ac diuina myſteria, hoc eſt incruentum puri corporis ac pretioſi ſanguinis Chriſti ſacrificium percipiunt. quæ quidem Dominus piis in peccatorum remiſſionem, ac tum animi tum corporis illuminationem & ſanctificationem donauit. Atque diuinorum oraculorum exercitatione, mirabilibuſque conſiliis & cohortationibus mutuò ſeſe paſcentes, & occulta hoſtium bella patefacientes (ne quis videlicet luctandi adhuc ignarus ab iis ſuperetur) domum rurſus ſinguli redeunt, virtutis mel in pectorum ſuorum fauis ſtudioſe recondentes, ſuauiſſimumque fructum ac cœleſti menſa dignum excolentes: alij autem cœnobiacam vitam conſectantur.

Euchariſtiæ effectus.

Monachorum in deſertis cōſuetudo.

QVI quidem maximo numero in vnum coacti, vnius præfecti atque antiſtitis (qui omnibus virtute præſtat) imperio ſeipſos ſubdunt: ac voluntatem ſuam obedientiæ mucrone prorſus truncantes, ſeque velut emptitia mancipia vltrò reputantes, non iam ſibi ipſis viuunt, ſed ei, cui ob Chriſti amorem ſeſe ſubmiſerunt, vel vt aptius loquar, viuunt iam non ſibiipſis, viuit autem in his Chriſtus, quem rebus omnibus abiuratis ſecuti ſunt. Nam in hoc demum receſſus à mundo conſiſtit, vt propter earum rerum quæ natura ſublimiores ſunt cupiditatem, voluntarium ſuiipſius odium quiſpiam concipiat, ac naturam abiuret. Hi igitur Angelorum inſtar in vita verſantur pſalmos videlicet & hymnos cōcordibus animis Domino canentes, & Confeſſorum nomen propter obedientiæ certamina obtinentes. In quibus etiam Dominicum illud oraculum expletur: Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio illorum. Quibus verbis non hoc duntaxat numero eos qui in ipſius nomine congregantur, circumſcripſit; verùm per duos aut tres indefinitum numerum ſignificauit. Nam ſiue pauci ſiue multi ob ſanctum ipſius nomen in vnū conueniant, eique ardenti amore cultum adhibeant, illic eum in medio ſeruorum ſuorum adeſſe minimè dubitamus.

Monachorum obedientia.

Gal. 2.

Quid ſit ſecedere à mundo.

Matth. 18.

PER hæc exempla, & per huiuſmodi coitiones & actiones, terreni cœlitum vitam imitati ſunt: vt qui in ieiuniis, & precibus ac vigiliis, in calentibus lachrymis & luctu ab omni animi diſtractione libero in peregrinatione ac mortis memoria, in lenitate animique affectu ab iracundia remoto, in labiorum ſilentio, in paupertate atque inopia, in caſtitate ac pudicitia, in humilitate & quiete, ac denique in perfecta erga Deum & proximum charitate præſentis vitæ curriculum confecerint, Angeloſque moribus expreſſerint. Ob eamque cauſam Deus miraculis ac ſignis, variiſque virtutibus eos exornauit, effecitque vt admirandæ eorum vitæ rationis ſono, ipſi quoque orbis terrarum fines perſonent. Ac ſi vnius ipſorum, hoc eſt Antonij, qui etiam monaſticæ vitæ auſpex ac princeps extitiſſe dicitur, vitam tibi ſigillatim exponerem, nimirum ex vna arbore fructum eorum, qui eiuſdem generis ac ſpeciei ſint, dulcedinem prorſus intelligeres, quod namque ille exercitationis religioſæ fundamentum iecit, & quodnam faſtigium ſtruxit, & quantas à Saluatore gratias conſecutus eſt. Plerique etiam alij poſt eum eodem certamine perfuncti, ad eaſdem coronas & eadem præmia peruenerunt.

Antonius monaſticæ vitæ princeps.

BEATI certè illi ac ter beati, vt qui Dei amore flagrarunt, atque ob ipſius charitatem omnia pro nihilo duxerūt. Siquidem lacrymas profuderunt, diuque ac noctu in luctu verſati ſunt, vt perpetuam conſolationem adipiſcerentur: ſeipſos vltrò depreſſerunt, vt illic in altum attollerentur: carnes ſuas fame ac ſiti & vigiliis confecerunt, vt illic paradiſi deliciæ & exultatio ipſos exciperent. Spiritus Sancti tabernaculum per cordis puritatem extiterunt, quemadmodum ſcriptum eſt: Inhabitabo in ipſis & inambulabo. Seipſos mundo crucifixerunt, vt ad Chriſti dexteram ſtarent: lumbos ſuos in veritate ſuccinxerunt, atque in promptu ſemper lampades habuerunt, immortalis ſponſi aduentum exſpectantes. Nam cum mentis oculis præditi eſſent, horrendum illum diem ſemper proſpiciebant: atque tum futurorum bonorum, tum futuri ſupplicij contemplationem ita in corpore defixam gerebant, vt ab ipſa nunquam diuellerentur: Atque hic laborare ſtuduerunt, vt ſempiternæ gloriæ compotes eſſent. Perturbationum expertes, non ſecus atque Angeli fuerunt: ac nunc cum illis quorum vitam imitati ſunt, choreas agunt. Beati illi ac ter beati, quoniam ſic-

Deſcriptio vitæ monaſticæ.

2. Cor. 6.

Ephes. 6.

Matth. 25.

mis mentis oculis præſentium rerum vanitatem, atque humanæ proſperitatis incertitudinem & inconſtantiam perſpexerunt, eaque reiecta, ſempiterna bona ſibi ipſis cōdiderunt, ac vitam eam, quæ numquã occidit, nec morte interrũpitur, arripuerunt. Hos igitur admirandos & ſanctos viros nos quoq; indigni ac deſpicabiles imitari ſtudemus, verũ eorũ vitæ cæleſtis faſtigiũ minimè aſſequimur, ſed pro infirmitatis noſtræ ac miſeræ facultatis modulo eorũ vitã exprimimus. Atque ipſorum habitum gerimus, etiamſi opera non aſſequamur. Etenim diuinam hanc profeſſionem peccatum propulſare, atque incorruptionis per diuinum Baptiſma nobis conceſſæ ſociam & opitulatricem eſſe perſpectum habemus. Ac beatorum illorum virorum ſermonibus adducti, caducas atq; interitui obnoxias huiuſce vitæ res magnopere cōdemnamus, in quibus nihil firmum & æquabile, quodq; eundem ſemper ſtatum retineat, inueniri poteſt, verum omnia vanitas ſunt & afflictio ſpiritus, multas temporis puncto mutationes ferens: ſiquidem in ſomniis, & vmbris, ac ventis aërem perflantibus, imbecilliora ſunt. Quorum parua & breuis voluptas eſt, imò non voluptas, ſed fraus quædam & impoſtura peruerſitatis mundi, quem nullo modo diligere, verum potius ex animo odiſſe atque inſectari docemur. Ac ſane odio ac deteſtatione dignus eſt: nã quidquid amicis ſuis dono dat, idẽ rurſus animo irato eripit, atq; omni bono ſpoliatos, ignominiaque indutos, grauibuſq; ſarcinis onuſtos ad ſempiternam calamitatem transmittit. Et quos in ſublime attollit, extremæ humilitati atq; afflictioni obnoxios quamprimum reddit, hoſtiumq; ſuorum ludibrio exponit. Huiuſmodi enim ſunt ipſius beneficia, huiuſmodi ipſius munera. Amicorum enim ſuorum hoſtis eſt, omnibuſq; qui ipſius voluntatibus obſequuntur, inſidias ſtruit: horrendum videlicet in modum eos qui ipſi innituntur, conturbans, & eorum qui fiduciam ſuam in eo collocant, neruos omnes elidens. Cum ſtultis fœdus ſancit, falſaſq; pollicitationes init: hoc tantum animo, vt eos ad ſe pertrahat. Illis autem ſincero animo ſeſe ad ipſum adiungentibus, improbus ipſe ac mendax eſſe comperitur, nihil eorum quæ pepigerat, præſtans.

Certus monachorum habitus

Vanitas rerum huius vitæ.

Eccl. 5.

Mundus fallax in promiſſis.

1. Ioan. 2.

NAM cum iucundis cibis eorum fauces hodie deliniuit, cras eoſdem hoſtibus ſuis deuorandos obiicit. Hodie Regem aliquem creat, & cras eundem in miſeram ſeruitutem addicit: hodie innumeris bonis florentem reddit, cras mẽdicum & mancipiorum mancipium: hodie inſignem coronam ipſius capiti imponit, cras ipſius faciẽ terræ allidit: hodie ipſius collum ſplendidis dignitatũ honoribus exornat, cras eundem ferreis catenis vinctum deiicit. Ad breue tẽpus omnium amorem ac beneuolentiam ipſi conciliat, aliquanto pòſt autem eidem omnium odiũ & execrationem conflat. Hodie ipſum voluptate afficit, & cras eundem luctibus ac lamentis conficit. Quemnam autem etiam ipſis finem imponat, audi. Incolas enim gehennæ, eos à quibus adamatus eſt, miſerandum in modum efficit. Hæc ſemper ipſius mens ac ſententia eſt, hoc inſtitutum. Nec eos qui præterierunt luget, nec eorum qui relicti ſunt commiſeratione afficitur. Illis enim graui detrimento mulctatis, tectibuſq; ſuis incluſis, ad hos rurſus artem ſuam transferre nititur, neminem videlicet qui periculoſos ipſius laqueos effugiat, eſſe cupiens.

Mundi inconſtantia.

QVAMOBREM eos, qui tam peſtifero ac crudeli domino ſeruiunt, quiq; à bono ac benignò per ſummam dementiam ſeipſos remouentes, rebus præſentibus inhiant & intabeſcunt, nec futura vllo modo cògitant, verum ad corporeas quidem voluptates ſine vlla intermiſſione ſeſe conferunt, animas aũt ſuas fame confici, & innumeris malis conflictari ſinunt, homini à furentis vnicornis facie fugienti ſimiles eſſe cenſeo, qui cum clamoris ipſius ſonum atq; horrendos mugitus ferre nequeat, magno impetu, ne ipſi in prædam cedat, aufugit. Dum autem celeriter currit, in ingentem quamdam ſcrobem ruit, ac ruendo manus extendens, arborem quamdam arripit, eamq; arctiſſimè retinet, atq; gradu quodam affirmatis pedibus, pacata deinceps omnia, atque ab omni periculo aliena eſſe arbitratur. Reſpiciens autem, duos mures cernit, alterum candidum, alterum atrũm, arboris illius, quam arripuerat, radicem perpetuo corrodentes, iamq; penè eam amputantes. Atq; inſuper coniectis in imam ſcrobem oculis, horrendum draconem conſpicit, aſpectu ipſo ignem ſpirantem, ac toruis oculis ipſum intuentem, horrendeq; ipſi deuorando inhiantẽ. Ac rurſum in gradu illo, cui pedes ipſius innitebantur, oculorum acie defixa, quatuor aſpidum capita videt, è pariete, in quo conſiſtebat, prominentia. Surſum aut oculos conuertens, nonnihil mellis ex arboris illius ramis ſtillans perſpicit. Quapropter calamitatum earum, quibus vndiq; obſidebatur & vrgebatur, omiſſa conſideratione, nimirum quonam pacto externe quidem vnicornis vehementi furore percitus eum deuorare quæreret, ab inferiore aũt parte acerbus draco eum deglutire vehementer expeteret, ac rurſus arbor ea, quam arripuerat, iam iamq; amputanda eſſet, pedes deniq; ipſius lubrico & infido gradui innitetentur. Horum inquam tantorum periculorũ oblitus, in exigui illius mellis dulcedine percipienda ſeipſum occupauit.

Eleganti parabola mũdi amatorũ ſtultitia oſtenditur.

Homo captus exiguo mellis ſuauitate periculum neglegit.

HÆC eorum, qui præſentis vitæ ludibriis intabeſcunt, figura eſt: cuius quidem explanationem protinus tibi exponam. Vnicornis igitur mortis typum gerit, quæ ſemper mortalium genus perſequitur, atq; arripere cõtendit. Scrobs autem mundus eſt, qui omnis generis malis ac mortiferis laqueis ſcatet. Arbor ea quam compreſſis manibus tenemus, & quæ à duobus muribus indeſinenter arroditur, cuiuſq; hominis vitæ curriculum eſt: quod quidem per diei ac noctis horas abſumitur & conficitur, ac paulatim ad exciſionem accedit. Quatuor aut aſpides, humani corporis ſuper quatuor lubrica & inſtabilia elementa conſtitutionem deſignant: qui cum immoderate ſe habent ac perturbantur, corporis compages diſſoluitur. Ad hæc: igneus ille ac truculentus [a]draco, horrendum inferni ventrem adumbrat, qui præſentes voluptates futuris bonis anteponunt. [b]Mellis verò guttula diſtillans, mundi iucunditatem & dulcedinem ſignificat, per quam ille amicos ſuos ludificans, eos ſaluti ſuæ proſpicere minimè ſinit.

Vnicornis eſt mors.

Scrobs, mundus.

Arbor, vita.

Duo mures, nox & dies.

Quatuor aſpides, quatuor corporis elementa.

a Draco infernus.

b Mellis gutta, mundi ſuauitas.

HANC parabolam maiorem in modum comprobans Ioſaphat, dixit: Quam verus hic ſermo eſt, ac concinnitatis omnis plenus! Quamobrem [c]ne te quæſo huiuſmodi figuras mihi aſſidue demonſtrare pigeat: quo certò intelligã, qualis noſtra vita ſit, & quas res amicis ſuis accerſat. Dixit aũt ſenex: Similes rurſum ſunt ii, qui voluptatum huius vitæ amore capti, earumq; ſuauitate deliniti, res fluxas & imbecilles futuris atq; à iactatione alienis antiquiores habuerũt, homini, qui tres amicos habuit, ex quibus duos quidem ingenti animi affectu colebat, ac vehementer amabat, adeo vt ad mortem vſq; pro ipſis dimicare, ac pericula quæuis adire minime recuſaret, tertium aũt admodum aſpernabatur ita vt nec honorem vnquã, nec quam par erat beneuolentiam ipſi præſtaret, ſed exiguam quamdã dumtaxat, eamque fictam ac ſimulatam amicitiam exhiberet. Venerunt aũt quodam die immanes atq; horrendi milites, qui eum ſumma cum feſtinatione ad Regem traherent, vt decem millium talentorum, quæ debebat, rationem redderet. Ille igitur in ſummam anguſtiam redactus, aliquem quærebat, qui in metuenda illa rationum apud Regem redditione opem ipſi ferret. Currens itaq; ad primum, omniumq; aliorum chariſſimum amicum, ad eum ait: Non te fugit, ô amice, quemadmodum tua cauſa vitam meam ſemper in diſcrimen adduxerim: nunc aũt hodierno die, vrgẽte neceſſitate, ope tua atque auxilio indigeo: Ecquid ergo te mihi auxilio fore polliceris? & quænam in te, vir chariſſime, ſpes mihi conſtituta eſt? Reſpondens autem ille, ait: Amicus tuus non ſum, ô homo, nec qui ſis. Sunt enim mihi alii amici, quibuſcum hodie oblectari me oportet, quoſq; in poſterum pro amicis habiturus ſum. Quare duo tantum cilicia tibi porrigo, vt ea in via, qua pergis, habeas, quæ etiam ipſa nihil tibi emolumenti allatura ſunt: nec eſt quod à me quidquã exſpectes. Hæc ille audiens, ac de auxilio, quod ab eo exſpectabat, ſpem omnem abiiciens, ad ſecundum amicum ſe confert, ad eumq; ait: Recordare amice, quantum à me honoris & beneficiorum acceperis. Hodierno autem die in maximam calamitatem & afflictionem prolapſus, opitulatore aliquo opus habeo. Quidnam igitur adiumenti nunc mihi afferre queas, fac ſciam. Ille autem ait. Hodie mihi per negotia tecum certamen ſubire minimè licet. Curis enim & ſollicitudinibus,

c Fallax mũdi vanitas alia parabola triũ amicorum oſtẽditur.

Primus amicus duo cilicia offert.

tudinibus vndiq; vrgeor, atq; in afflictione ſum. Paulùm tamen tecum pergam: quamuis nihil hinc commodi ad te rediturum ſit: ac poſt ſtatim domum reuerſus, negotiis meis operam dabo.

Secundus comitatur parum.

INANIBVS igitur manibus homo inde reuerſus, atq; omni ex parte auxilio deſtitutus, de vana ſpe, quam in perfidis & ingratis amicis ſuis collocarat, & de inutilibus laboribus, quos pro ſuo erga eos amore ſuſceperat, ſeipſum deplorabat. Pergit autem etiam ad tertium amicum, quem nec vllo vnquam loco habuerat, nec lætitiæ ſuæ ſocium adſciuerat. Atq; ad eũ pudibundo & in terrã deiecto vultu his verbis vſus eſt. Vix mihi ad te loquendi facultatẽ os concedit. Etenim illud perſpectiſſimũ habeo, me numquã tibi benigne feciſſe, nec amico erga te animo fuiſſe. Ceterũ, quoniam grauiſſima calamitate oppreſſus in reliquis meis amicis nullam ſalutis ſpem inueni, ad te accedo, teq; rogo atque obſecro, vt ſi exiguam aliquam opem mihi afferre queas, ne id, ingratitudinis meæ memor, facere recuſes. Ille autem hilari & amœno vultu ait: Sane ſinceriſſimum amicum meum te eſſe profiteor: atq; exiguæ illius tuæ erga me beneficentiæ memor, eam tibi hodierno die cum fœnore rependam. Quocirca ne metuas ac pertimeſcas. Nam ego ante te proficiſcar, Regemq; tuo nomine obſecrabo, ne te hoſtium manibus dedat. Quare fac bono animo ſis, vir amiciſſime, nec te mœrore excrucies. Tum ille compunctione affectus, & lacrymis perfuſus, dicebat: Heu me miſerum, quidnam prius deflebo ac lamentabor? Vanámne meam in immemores & ingratos falſos illos amicos beneuolentiã condemnabo? an potius inſanam eam ingratitudinem, qua in hunc verum & ſincerum amicum vſus ſum, inſectabor.

Tertius fidelis amicus.

IOSAPHAT autem hunc ſermonem non ſine admiratione ſuſcipiens, eius explicationem requirebat. Dixit itaq; Barlaam: Primus amicus, opum copia eſt, & diuitiarum amor, ob quẽ homo in ſexcenta pericula incidit, ac multas ærumnas perfert. Cum autem extremus vitæ dies clauſus eſt, ex illis omnibus opibus, præter inutiles quoſdam pannos, qui ad funus adhibentur, nihil omnino ſecum accipit. Secũdus autem amicus, vxor ac liberi ſunt, ceteriq; cognati & familiares, quorum affectione ac beneuolentia conſtricti tenemur, vt ab his diuelli vix queamus, ac præ eorum amore corpus etiam & animam noſtram negligamus. Ex ipſis porro nemo in mortis hora vtilitatis aliquid percipit, niſi quod ad ſepulchrum vſq; dumtaxat cadauer comitentur, ac protinus domum reuerſi, ſuis curis ac negotiis operam dant, memoriam eius, qui quondam ipſis charus erat, non minus obliuioni, quam corpus ſepulcro relinquentes. At verò tertius amicus, qui contemptui ac faſtidio erat, cuiuſq; aditum horremus & auerſamur, optimorum operum chorus eſt, hoc eſt, fides, ſpes, charitas, miſericordia, benignitas, reliquuſq; virtutum cœtus: qui quidem ante nos, cum è corpore excedimus, proficiſci, ac noſtra cauſa Deum precibus inflectere, atq; ab hoſtibus noſtris & horrendis exactoribus, qui de referendis rationibus acerbam nobis in aëre litem mouent, ac crudeliter nos arripere contendunt, liberare poteſt. Hic nimirum eſt candidus ille ac probus & gratus amicus, qui quamlibet etiam exiguum bonum noſtrum opus memoria tenet, ac cum fœnore nobis illud rependit.

Parabolæ explicatio. Primus amicus, opes. Secundus, parentela. Tertius, bonorũ operũ chorus.

RVRSVM igitur Ioſaphat dixit: Vtinã tibi à Domino Deo tuo omnia fauſta & iucunda ſint, hominum ſapientiſſime. Siquidem optimis tuis aptiſque ſermonibus animum meum exhilaraſti. Quocirca vanitatis huius mundi rurſum imaginem mihi exprime: & qua ratione hanc vitam in pace ac ſecuritate peragrare queam.

Excipiens igitur ſermonem Ioſaphat, ait: Huiuſce quoque quæſtionis ſimilitudinem audi. Vrbem quamdam magnam extitiſſe accepi, in qua ciues hoc in more atque inſtituto poſitum habebant, vt peregrinum quemdam & ignotum virum, ac legum & conſuetudinum ciuitatis omnino rudem & ignarum acciperent, eumque ſibi ipſis Regem conſtituerent, penes quem per vnius anni curriculum rerum omnium poteſtas eſſet, quique libere & ſine vllo impedimento quidquid vellet, faceret. Poſt[a] autem, dum ille omni prorſus cura vacuus degeret, atque in luxu & deliciis ſine vllo metu verſaretur, perpetuumque ſibi regnum fore exiſtimaret, repente aduerſus eum inſurgentes, regiamque ipſi veſtem detrahentes, ac nudum per totam vrbem tamquam in triumphum agentes, in magnam quamdam ac longe remotam inſulam eum relegabant, in qua nec victu nec indumentis ſuppetentibus, fame ac nuditate miſerrime premebatur, voluptate ſcilicet atque animi hilaritate, quæ præter ſpem ipſi conceſſa fuerat, in mœrorem rurſus præter ſpem omnem & exſpectationem commutata.

Pulchra parabola de bonis per eleemoſynã in cælũ præmittendis.
[a] Quis ſibi male cauit.

Contigit ergo, vt pro antiquo ciuiũ illorum more atque inſtituto, vir quidam magno ingenij acumine præditus ad regnum adſciſceretur. Qui ſtatim ſubita ea felicitate, quæ ipſi obtigerat, haudquaquã præceps abreptus, nec eorum, qui ante ſe regiã dignitatem obtinuerant, miſereque eiecti fuerant, incuriam imitatus, animo anxio ac ſollicito id agitabat, quonã pacto rebus ſuis optime conſuleret. Dum ergo crebra meditatione hæc ſecũ verſaret, per ſapientiſſimum quemdã conſiliarium, de ciuium conſuetudine, ac perpetui exilij loco certior factus eſt: quonã pacto ſine vllo errore ipſe ſibi cauere deberet intellexit. Cum igitur hoc cognouiſſet, futurumque propediem, vt ad illam inſulam ablegaretur, atque aduentitium illud & alienum regnum aliis relinqueret; patefactis theſauris ſuis, quorum tunc promptũ ac liberum vſum habebat, aurique atque argenti, ac precioſorum lapidum ingenti mole famulis quibuſdam, quos fidiſſimos habebat, tradita, ad eam inſulam, ad quam abducendus erat præmiſit. Vertente autem anno ciues commota ſeditione nudum eum, quemadmodum ſuperiores Reges, in exilium miſerunt. Ac ceteri quidem amentes, & breuis temporis Reges, grauiſſima fame laborabant: ille contra qui opes ſuas præmiſerat, in perpetua rerum copia vitam ducens, atque infinita voluptate fruens, perfidorum ac ſceleratorum ciuium metu prorſus abiecto, ſapientiſſimi conſilij ſui nomine beatum ſe prædicabat.

Quis ſibi melius prouidit.

Hic porro per ciuitatem, vanũ hunc atque impoſtorem mundum intellige. Per ciues autem, principatus & poteſtates dæmonum, ac mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, qui nos per voluptatis molliciem ineſcant, atque in animum nobis inducunt, vt de rebus caducis & interituris, velut de immortalibus cogitemus, tanquam ſcilicet earum fructus nobis perpetuus ac ſempiternus futurus ſit. Cum igitur ad hunc modum decepti atque in fraudem impulſi fuimus, nec de certis illis ac ſempiternis vllum vmquam conſilium iniimus, nec nobis in futurum æuum quidquam recondidimus, repentinus nobis mortis interitus ingruit. At tum demum nudos nos, atque omnibus huius vitæ rebus ſpoliatos improbi illi ac ſæui tenebrarum ciues accipientes, vt qui tempus illis omne impenderimus, in terram tenebroſam & obſcuram abducunt, in terram ſempiternæ caliginis, vbi lux non eſt, nec mortalium vitam intueri licet. Per probum vero conſiliarium, qui prudenti ac perquàm ſapienti illi Regi omnia vere aperuit, ac ſublata conſilia tradidit, me vilem & humilem homunculum intellige, qui huc idcirco venio, vt tibi viam bonam & ab omni errore liberã commonſtrem, teq; ad ſempiterna & nunquam finienda bona traducã, illucq; oĩa tua recondere ſuadeã, contraq; te ab impoſtore hoc mũdo abducã. Quẽ quidem ipſe quoq; aliquando miſere amabam, eiúſq; voluptates & oblectamenta complectebar. Ceterum cum rectis mentis oculis animaduertiſſem, quemadmodũ in his rebus vniuerſa mortalium vita conteritur, aliis nimirũ accedentibus, aliis decedentibus, nec vllo omnino firma & ſtabili ſede conſtituto, hoc eſt, nec diuitibus & copioſis in opibus, nec potentibus in potentia, nec ſapientibus in ſapientia, nec iis quibus proſperè res ſuccedunt, in proſperitate, nec luxui deditis in luxu & cupediis, nec iis qui ſecurè ſibi viuere videntur, in inani ſua & imbecilliſſima ſecuritate, nec in vlla alia re ex iis quæ laudibus efferuntur. Verũ hæc res torrentiũ aquarũ in profundũ mare labentiũ tranſitui ſimilis eſt: eodẽ enim modo fluxa ſunt & fragilia oĩa præſentia. Hinc ſcilicet hæc omnia vana eſſe, neq; quidquã vtilitatis habere intellexi. Quin potius quẽadmodũ priora oĩa obliuione obruta ſunt (ſiue gloriã dixeris, ſiue regnũ, ſiue dignitatũ ſplendorẽ, ſiue potẽtiæ amplitudinẽ, ſiue tyrañorũ audaciã, ſiue quid aliud eiuſdẽ

Parabolę ſuperioris explanatio.
Prou 3.
Nihil in mundo firmum ac ſtabile.
Res huius vitæ torrenti ſimiles.

generis) eodem modo præſentia quoq; tandem vetuſtas obſcurabit. Quorum in numero cum ipſe quoq; ſim, conſulæ immutatione prorſus ſubijcior. Vt enim ijs, qui ante me extiterunt, præſentium rerum voluptatibus perpetuo frui minimè conceſſum eſt, ſic ne mihi quidem concedetur. Animaduerti enim, quemadmodum tyrannus hic ac turbulentus mundus homines tractet, eos nimirum hucatq; illuc inuertens, hos ſcilicet ex opibus ad egeſtatem, illos rurſus ex grauiſſima paupertate ad gloriam, hos è vita ducens, illos rurſum eorum loco in vitam inducens: ſapientes quoſdā & ingenioſos viros improbans ac reiiciens, eoſq; qui in honore ac ſplendore erant, contemptos & deſpicabiles reddens, alios contra inſipientes ac ſtolidos in gloriæ throno collocans, eoſq; qui abiecti & obſcuri erant, ita euehens, vt ipſis ab omnibus honor tribuatur.

Quo pacto mundus cum hominibus agat.

Ac cernere eſt, hominum genus ita comparatum eſſe, vt ante crudelem ipſius tyrannidem nihil omnino firmū ac ſtabile habeat. Quemadmodum enim columba aquilam aut accipitrem fugiens, locum ſubinde commutat, ac nūc quidem in hac arbore, nunc autem in illo frutice, ac deinde in rupium cauernis, ac variis ſpinis pedem affigens, nec tutum vſquam perfugium inueniens, in perpetua iactatione atq; ærumna verſatur. eodem modo ſe habent, qui res præſentes ad ſtuporem vſq; mirantur. quippe qui inconſiderato quodam impetu miſere laborent, nec quidquā omnino firmum aut ſtabile habeant, nec ad quem finem peruenturi ſint, intelligant, nec quo tandem vana vita, cui, perquam infeliciter ac miſere mala bonis præferentes, ac probitatis loco vitium conſectantes, ſeſe ſubiecerunt, eos ducat, nec quiſnam fatigatos multorum ac miſerorum laborum ſuorum fructus excepturus ſit, hoc eſt, propinquuſne an alienus, ac perſæpè ne amicus quidem aut notus, verum inimicus & hoſtis.

Similitudo columbæ quæ accipitrem fugit.

Hæc inquam omnia, & quæ his conſentanea ſunt, cum ipſe in animæ meæ foro diſceptaſſem, totius vitæ meæ, quam in rebus vanis conſumpſi, ac terrenis laboribus addictus tranſegi, odium me cepit. Cumq; eorum amorem ex animo excuſſiſſem & eieciſſem, ea ſeſe oculis meis obtulerunt, quæ verè bona ſunt, hoc eſt, Dei metu præditum eſſe, atque ipſius voluntati obſequi. Nam hoc bonorum omnium caput eſſe compertum habui. Hoc enim ſapientiæ initium eſſe dicitur, atque adeo perfecta ſapientia. Etenim mœroris expers vita eſt, atque ab omni offenſione libera iis qui eam amplectuntur, & qui ei tanquam Domino innituntur, tuta & ab omni periculo immunis. Cum itaq; animū meum ad erroris omnis expertem mandatorum Domini viam adiecissem, nihilq; in ipſis obliquum & anfractuoſum ac voraginibus & ſcopulis & ſentibus & tribulis plenum eſſe certò cōperiſſem, verum eam omnino planam & æquabilem eſſe, eorum quidem, qui hanc ingrediuntur, per clariſſimas contemplationes oculos oblectantem, pedibuſque pulchritudinem conciliantem, atq; eos ad præparationem Euangelii pacis calceantem, me ipſum prioris impoſturæ ac ſtolidæ fraudis nomine miſerum exiſtimaui, ac per rectam illam incedere aggreſſus ſum: quam etiam optimo iure rebus omnibus antetuli, atque collapſam & dirutam animæ meæ domum inſtaurare cœpi.

Quænā vera bona exiſtimanda ſint. *Pſal. 110.* *Prouer. 1.* *Vitæ ſanctæ ſuauitas.*

Cum ergo ad hunc modum rebus meis conſulerem, ac mentis lubricum corrigere ſtuderē, ſapientis cuiuſdam magiſtri vocem audiui, hęc mihi inclamantis: Egredimini, inquit, omnes, quos ſalutis cupiditas tenet, atq; à mundi vanitate vos remouete, tranſit enim ipſius figura. Iam iamque, & ecce non erit. Irretortis oculis excedite: nec tamen inanes & vacui, verum ſempiternæ vitæ viatica ferentes. Etenim longum iter vobis ineundum eſt, quodq; multo huiuſcē vitæ viatico opus habeat, atque ad ſempiternum locum, duas regiones, in quibus manſiones multæ ſint, habentem, peruenietis. Quarum alteram quidem Deus iis qui ipſius amore flagrant, eiuſq; mandatis obtemperant, præparauit, omnibus bonis florentem & circumfluentem.

1. Cor. 7. *1. Cor. 2.* *Cœleſte iter multo viatico opus habet.*

Ad quam qui diuino beneficio admittuntur, in ſempiterna incorruptione degunt, vt qui immortalitate interitus omnis experte fruantur, vnde effugit dolor, triſtitia & gemitus. Altera autem, quæ tenebris, & calamitate, ac dolore conferta eſt, diabolo & angelis eius parata eſt. In quam etiam conicientur, qui per flagitioſas actiones eam ſibi conciliauerint, atq; ab interitu aliena & ſempiterna bona cum præſentibus commutarint, totoſq; ſeſe ignis æterni pabulum effecerint.

Iſa. 35.

Hac ego voce audita, atq; ipſius veritate intellecta, in hoc vnum opus incubui, vt ad illud hoſpitium peruenirem, quod omni dolore & mœſtitia vacat, tantaq; contra ſecuritate, ac tantis bonis ſcatet: quorum cognitio nunc mihi dumtaxat ex parte eſt, vt qui ſpiritualis ætatis ratione puer ſim, ac velut per ſpecula dumtaxat & ænigmata res futuræ vitæ perſpiciam. Cum autem venerit quod perfectum eſt, ac facie ad faciem cognoſcam, tum demum euacuabitur quod ex parte eſt. Quocirca gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Etenim lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, à peccati & mortis lege me liberauit, oculoſq; meos aperuit, vt carnis affectum mortem eſſe, ſpiritus autem affectum vitam & pacem, liquidò cernerem. Quemadmodum igitur ego præſentium rerum cognita vanitate, perfecto odio eas habui: eodem modo, vt de ipſis exiſtimes, te moneo, atque erga eas, non ſecus ac alienas, & quam primum diffluxuras afficiaris: atq; hinc ereptis omnibus facultatibus, immortali æuo, ad quod tibi ſine vlla mora proficiſci neceſſe eſt, theſaurum, qui furto compilari nequeat, & opes quæ exhauriri nullo modo poſſint, tibi recondas: vt cum eò acceſſeris, haudquaquam penuria labores, verum opibus circumfluas, quemadmodum tibi aptiſſimam imaginem ſuperius propoſui.

1. Cor. 13. *Rom. 8.* *Luc. 32.* *Matth. 6.*

Dixit autem Ioſaphat ad ſenem: Quanam igitur ratione pecuniarum theſauros illuc præmittere queam, vt eorum, cum hinc abſceſſero, fructum ab omni furto & interitu alienum nanciſcar: quonamq; item pacto meum in res præſentes odium demonſtrare, reſq; ſempiternas conſequi poſſim, aperte mihi velim explices. Ait igitur Barlaam: Diuitiæ ad ſempiternam regionem per pauperum manus præmittuntur. Ait enim quidam ſapientiſſimus propheta, Daniel nomine ad Regem Babylonis: Propter hoc, Rex, conſilium meum tibi placeat, & peccata tua eleēmoſynis redime, atque iniuſtitias tuas in miſerationibus pauperum. Quin etiam Saluator his verbis vtitur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Multaq; de eleēmoſyna & largitione erga pauperes, in Euangelico volumine inculcat. Ad hunc ſcilicet modum quam tutiſſime fortunas tuas omnes per egentium manus illuc præmiſeris. Nam quidquid in eo beneficii contuleris, Dominus ſibi adſciſcens, magno cum fœnore tibi rependet. Etenim eos, qui ipſius amore præditi ſunt, beneficiorum remunerationibus ſemper ſuperat. Ad hunc inquam modum huius ſæculi, cui diu iam non ſine ingenti afflictione ſeruiſti, ſurreptis theſauris, ex his præclarē viaticum tibi in futurum comparabis, atq; alieno eos eripiens, tibiipſi prius recondes, per fluxa nempe & caduca hæc bona, ea quæ firma & ſtabilia ſunt emens. Deinde autem, Deo tibi opem ferente, huius mundi incertitudinem & inconſtantiam perſpicies: omnibuſque rebus valere iuſſis, ad futurum te transferes, atque ea quæ prætereunt ipſe prætteriens, iiſque rebus quæ in ſpe poſitæ ac firmæ ſunt, te addicens, tenebraſq; cum mortis vmbra relinquens; odioque tum mundum tum mundi principem inſectans, carnemq; interitui obnoxiam hoſtem tibi eſſe ducens, ad lucem inacceſſibilem accurres, cruceq; humeris ſublata, Chriſtum irretortis oculis ſequeris, vt etiam cum ipſo glorificeris, vitæq;, non iam caducæ & fallacis heres efficiaris.

Diuitiæ ad cælum per pauperum manus mittendæ. *Daniel. 4.* *Luc. 16.* *Matth. 25.* *Quidquid in pauperes confertur, Chriſtus ſibi adſciſcit.* *1. Tim. 6.*

Ioſaphat itaque ad eum ait: Iſtud ipſum, nēpe omnia pro nihilo putare, atque vſque adeo aſperum vitæ genus ſuſcipere, quemadmodum ſuperius dixiſti, veruſne inſtitutum eſt, ab Apoſtolorum doctrina manans, an récens mentis veſtræ ſolertia excogitatum, tamquam ſcilicet hoc, vt melius ac præſtantius, vobis amplexandum duxeritis?

Senex

SENEX autem ait: Non recens inductam legem tibi affero (abſit iſtud.) verum antiquitus nobis traditam. Dixit enim Dominus ad diuitem quemdam, qui ex ipſo percontabatur, quidnam ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam conſequeretur, iactabatque ſe cuncta, quæ in lege ſcripta erant, ſeruaſſe, Vnum tibi deeſt, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ac ſublata cruce me ſequere. At ille his auditis mœſtitia affectus eſt. Erat enim admodum diues. Cum igitur Ieſus eum mœrore affectum vidiſſet, dixit: Quam difficile ii, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei, facilius enim eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Hoc igitur mandato audito, ſancti omnes id ſtuduerunt, vt ab huiuſmodi opum difficultate ſeſe abſtraherent, ac per largitionem erga pauperes, diſperſis omnibus facultatibus, ſempiternisque diuitiis ſibi ipſis recõditis, crucem ſuſtulerunt, Chriſtumque ſecuti ſunt: ſic nimirum vt quidam, velut iam à me dictum eſt, martyrio perfungerentur, quidam autem religioſæ vitæ exercitatione concertarent, atque, quantum ad veræ huiuſce philoſophiæ rationem attinet, nihilo illis inferiores eſſent. Quocirca illud ſcias velim. Regis noſtri ac Dei mandatum hoc eſſe, per quod homines ſempiternorum bonorum participes redduntur. Cum igitur, inquit Ioſaphat, iam antiqua & neceſſaria huiuſmodi philoſophia ſit, quid cauſæ eſt; quamobrem hodierna die pauci ſint, qui hanc vitam imitentur?

Vetus derẽrũ abdicatione doctrina.
Marc. 10.
Luc. 18.
Euangeliũ cõſulit pro priarũ rerũ abdicationem.

RESPONDIT ſenex: Multi quidem eam imitati ſunt, & etiamnum imitantur. At multo plures cunctantur, ac moras nectunt. Pauci enim ſunt, vt ait Dominus, qui per arctam & anguſtam viam incedant: qui autem per facilem & latam, quamplurimi. Nam qui ſemel pecuniarum cupiditate, & vitiorum, quæ ex voluptatibus oriuntur, amore correpti, vanæque & inani gloriæ addicti ſunt, vix ab ipſis diuelli poſſunt, vt qui alieno domino, quique omnia, contra ac Deus, imperat, atque ipſos tamquam catenis quibuſdam vinctos tenet, vltra ſeipſos mancipárint. Animus quippe, cum ſemel ſalutis ſuæ ſpem abiecerit, habenas ſuas auerſis à ratione cupiditatibus permittens, quaquauerſum fertur. Ac proinde Propheta offuſam huiuſmodi animis amentiam deplorans, caliginiſque ipſos vrgentis craſſitiem lugens, his verbis vtebatur: Filii hominum, vſquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quemadmodum etiam quidam ſapientum magiſtrorum noſtrorum, vir rerum diuinarum peritiſſimus, eandem cũ Propheta cantilenam canens, ac quædam à ſeipſo adiungens, tamquam ex alta quadam & editiſſima ſpecula omnibus inclamat: Filii hominum, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, magnum nimirum aliquid hanc vitam, & delicias, & exiguam gloriolam, & mendacem proſperitatem eſſe exiſtimantes? quæ quidẽ non magis eorum ſunt qui fruuntur, quam qui ea in ſpe habuerunt: nec rurſus horum magis, quam eorum, qui ne ea quidem vmquam exſpectarunt, & quæ non ſecus ac puluis à turbine ad alios atque alios ſubinde perflantur, ac viciſſim iactantur, aut fumi inſtar defluunt, ac velut in ſomniũ homines ludificantur, & vt vmbra retineri nequeunt, ac denique ita natura comparata ſunt, vt nec cum abſunt, ea ſe habituros eſſe homines deſperent, nec cum adſunt, poſſidentibus certa & ſtabilia ſint.

Matth. 7.
Luc. 13.
Pſalm. 4.
Naz. Orat. de ſuis ſer. & ad Iulium Exſoequ.
Rerũ mundanarum vanitas.

CVM igitur ad hunc modum Saluator præcipiat, prophetæ & apoſtoli prædicent, ac ſancti omnes viri tum reipſa tum ſermone ad virtutis viam ab omni errore maxime immunem nos impellant, etiamſi pauci hanc teneant, cõtrà autem multi latam atque in exitium ducentem ſibi deligant, non tamen propterea diuinæ huius philoſophiæ inſtitutum minoris æſtimandum eſt. Vt enim ſol, cum illuminandi cauſa exoriens radios ſuos affluenter emittat, omneſq; ad excipiendum lumen cohortetur, ſi quidam clauſis oculis ſplendorem ipſius intueri nolint, non propterea reprehenſionem meretur, aut à reliquis negligi debet, nec ſplendoris ipſius gloria ob illorum ſtultitiam in contemptu verſatur: quin potius illi quidem ſeipſos lumine orbantes, tamquam cæci, parietes palpant, atque in multas ſcrobes præcipites ruunt, multiſque ſpinis eorum oculi pungũtur, ſol contra ſplendorem ſuum retinens, eos illuſtrat qui ipſius lumen detecta facie contuentur: ad eumdem quoque modum Chriſti lumen omnibus quidem illucet, ſplendoremque ſuum nobis affatim impertitur, verò pro ſua quiſque cupiditate, animique alacritate ipſum percipit. Nam nec ille iuſtitiæ ſol vllum ex his qui oculorum aciem in ipſum intendere cupiunt, beneficio eo priuat, nec rurſum his vim infert, qui ſuapte ſponte tenebras eligunt: verum ſuæ quiſque liberæ voluntati & electioni, quamdiu in hac vita eſt, relinquitur. Cum autem Ioſaphat, quidnam arbitrii libertas atque electio eſſet, quæreret, reſpondit ſenex: Arbitrii libertas, eſt animæ ratione vtentis voluntas, ſine vllo impedimento ad id quod vult, hoc eſt ſiue ad virtutem ſiue ad vitium, incitata, atque à ſummo illo parente & architecto ita effecta. Rurſum, Arbitrii libertas eſt intellectualis animæ pro ſuo arbitratu agitatio. Electio autem eſt earum rerum quæ in arbitrio noſtro ſitæ ſunt, cum conſilio coniuncta appetitio. Siquidem rem eam, quæ inito conſilio melior iudicata eſt, eligentes appetimus. Conſilium, eſt inueſtigatrix appetitio de rebus gerendis, quarum penes nos poteſtas eſt. Deliberat enim quiſpiã, expediatne aliquid agere, nec ne. Deinde quod præſtantius eſt, iudicat, ac iudicium efficitur. Mox autem afficitur, atq; id quod ex conſilio iudicatum eſt, amat; ac ſententia dicitur. Nam ſi ita iudicet, vt tamen erga id quod iudicatum eſt, minimè afficiatur, hoc eſt, id minimè amet, ſententia haud quaquam appellatur. Tum poſt affectionem fit electio. Nã electio nihil aliud eſt, quam è duabus rebus propoſitis alteram præ altera amplecti & eligere. Atque illud vel ex ipſa etymologia perſpicuum eſt, electionem eſſe conſilium cum diiudicatione cõiunctum, προαιρετὸν enim eſt alterũ præ altero electum. Nemo porrò quidquam adhibito iudicio alteri præfert, niſi prius conſilium inierit: nec rurſum eligit, niſi prius iudicarit. Nã quoniam non ea omnia quæ nobis recta & præclara eſſe videntur, in opus perducere ſtudemus; tum denique electio & eligendum efficitur id quod ex conſilio propoſitum eſt, cum appetitionem comitem adſciuerit. Ex quo concluditur, electionem eſſe appetitionem cum deliberatione coniunctam, earum rerum quæ in noſtra poteſtate ſitæ ſint. Etenim id quod ex conſilio præpoſitum eſt, eligentes appetimus. Omne quippe conſilium actionis cauſa & propter actionem ſuſcipitur. Ita conſilium quidem electionem antecedit, electio autem omnem actionem. Quocirca non modo actiones, ſed ea etiam quæ animo agitantur (quæ quidem electiones exhibent) tũ coronas tum pœnas acceſſunt. Etenim electio in his rebus quæ in arbitrio noſtro ſitæ ſunt, verſans, tum peccati tum iuſti operis origo eſt. Nam quarum rerum facultates penes nos ſunt, harum etiam actiones facultatibus cõſentaneæ penes nos ſunt. Quamobrem cum facultates virtuti conſentaneæ in noſtra poteſtate ſint, in noſtra quoque poteſtate virtutes ſint neceſſe eſt. Propriè enim in arbitrio noſtro conſiſtunt ea omnia, quæ animam attingunt, & de quibus deliberamus. Ad hunc igitur modum liberè conſultantibus hominibus, ac libera item voluntate eligentibus, quatenus quiſpiam eligit, hactenus quoque diuinam lucem percipit, atque in philoſophiæ ſtudiis progreſſus facit. Varia enim electionum ſunt genera. Et quemadmodum quædam aquarum fontes è terræ viſceribus ſcaturientes, partim è ſuperficie terræ oriuntur, partim aliquanto profundius, partim profundiſſime: atque harum aquarum, aliæ è propinquo emanant, guſtuq; dulces ſunt, aliæ ex imo exeunt, ac ſalſæ aut ſulphureæ ſunt, atq; item aliæ vberrimè profluũt, aliæ paulatim ſtillant, Eodẽ modo in electionibus quoq; cogita, alias celeres ac perquã feruidas eſſe, alias ſegnes & frigidas, ac rurſũ alias ad virtutẽ omnino propẽſas, alias ad vitiũ omnib. viribus inclinatas. Igitur quales earũ affectiones ſunt, tales quoq; ad agendũ impetus conſequuntur. Dixit aũt ad ſenẽ Ioſaphat: Sũt ne etiã alii nõnulli, qui eadẽ quæ tu prædicẽt, an vero tu hodierno die ſolus es qui hæc doces, ac præſentẽ vitã vſq; adeo auerſandã, atq; odio inſectãdã eſſe mones? Ille aũt ad hũc modũ reſpõdit: In hac veſtra infeliciſſima regione nemini ẽ noui. Nã patris tui tyrãnis innumeris mortis generib. eos mulctauit, deditq; operã, ne prorſus inter vos diuinæ cognitionis prædicatio audiretur. Apud reliquas

Simile de eo, qui ſolẽ aſpicere renuit.
Quid ſit liberum arbitrium.
Conſilium, quid.
Quid ſit electio.
In hominis poteſtate virtus eſt, præſuppoſita tamen diuina gratia.
Simile à fõtiũ aquis.

Vna eſt veritas in tota Eccleſia & per vniuerſū mundū.

quas autem nationes hæc cantantur ac celebrantur, ab aliis quidem rectiſſima ratione, ab aliis autem peruerſe: quippe cum animarum noſtrarum hoſtis nos à recta via tranſuerſos egerit, atque in alienas opiniones diuiſerit, eoſque loca quædam diuinæ Scripturæ, aliter quam germanus ſenſus ferat, interpretari docuerit. Ceterum vna eſt veritas, quæ ab illuſtribus apoſtolis & diuinis patribus prædicata eſt, & in catholica, atq; ab extremis orbis finibus ad extremos vſque fines diffuſa Eccleſia ſole ſplendidius lucet. Quam quidem ego vt tibi prædicarem ac traderem, ad te miſſus ſum.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: Nihilne horum pater meus vnquam didicit.

Matth. 19.

Respondit ſenex: Perſpicuè quidem, atque vt par erat, nihil didicit. Occluſis enim ſenſibus, bonum de induſtria repudiat, atq; in malū libera animi inductione propendet. At vellem, inquit Ioſaphat, ille quoq; hac doctrina imbueretur. Reſpōdit ſenex: Hæc apud homines ſunt impoſſibilia: apud Deum autem nihil eſt quod fieri non poſſit. Ecquid enim ſcis, futurumne ſit, vt patri tuo ſalutem afferas, atq; admirando modo patris tui pater tandem voceris? Narratum enim mihi eſt, Regem quemdam extitiſſe, qui præclare admodum regiā ſuam dignitatem adminiſtrabat, leniterq; ac placide populum, qui ipſius ditioni atque imperio ſuberat, tractabat, in hac autem vna re labebatur, quod diuinæ cognitionis lumine careret, atq; idolorum cultu conſtrictus teneretur. Erat autem ei probus quidam conſiliarius, ac tum erga Deum pietate, tum ceteris virtutibus ornatiſſimus, qui cum Regis errore angeretur, eumq; per moleſtè ferret, atq; ipſum hoc nomine coarguere in animo haberet, tamē hac de cauſa ſeſe reprimebat, quod vereretur, ne & ſibi & ſociis ſuis perniciem accerſeret, eamq; vtilitatem quæ ex ipſo ad alios promanabat, amputaret. Occaſionem autem nihilominus quærebat, qua commode ipſum ad bonum pertraheret. Dixit igitur nocte quadam ad eum Rex: Adeſdum, egrediamur, ac ciuitatem circumeamus, num forte aliquid quod in rem futurum ſit, perſpiciamus. Cū autem illi per vrbem obambularent, lucis ſplendorem per foramen quoddam radiantem cernunt: cui, cum oculos adieciſſent, ſubterraneum quoddam & cauernoſum domicilium conſpicantur, in quo præſidebat vir quidam extrema inopia laborans, ac vilibus quibuſdam & laceris pannis indutus. Aſtabat autē ipſius vxor, vinū ipſi temperans. Cumq; ipſe poculum manibus accepiſſet, illa ſuaue quoddam carmen canens, voluptatem ipſi afferebat; ſaltans nimirum, ac maritum laudibus deliniens. Rex igitur aliquantiſper hæc perſpiciens, mirabatur, quod cum tanta egeſtate premerētur, vt nec domus nec veſtis ipſis ſuppeteret, tamen vſque adeò lætam & hilarem vitam ducerent. Atq; ad primarium ſuum conſiliarium his verbis vtitur: O rem miram, ô amice! quod ſcilicet, nec mihi, nec tibi, vita noſtra, quamuis alioqui tanta gloria & deliciis & voluptate vndique collucens, vſque adeo vnquam placuerit, vt vilis hæc & ærumnoſa vita vecordes iſtos oblectat & exhilarat, vt quæ, tametſi alioqui aſpera & auerſanda, facilis ipſis ac blanda videatur. Opportunam autem horam nactus princeps ille conſiliarius, inquit: Tu vero, ô Rex, cuiuſmodi tandem horum vitam eſſe exiſtimas? Omnium, inquit ille, quas vnquam viderim, inſuauiſſimam & miſerrimam, exſecrationeque dignam & auerſandam. Tum ait ad eum primarius ille conſiliarius: Ad eundem ita modum mihi, ô Rex, ac multo etiam acerbior vita noſtra iis eſſe videtur, qui ſempiternam illam gloriam, ac bona illa quæ omnem mentis captum ſuperant, contemplantur atque cognoſcunt. Atq; auro rutilantes ædes, ac præclara hæc indumenta, ceteræq; vitæ deliciæ, iis qui cæleſtium tabernaculorum non manu factorum, veſtiſq; diuinitus contextæ, ac diadematum corruptionis omnis expertium, quæ rerum omnium architectus ac Dominus diligentibus ſe præparauit, ſtercoribus & cœno fœtidiores videntur. Quemadmodum enim iſti iudicio noſtro ac ſententia deſipiunt: ita etiā, ac multo magis nos qui in mundo oberramus, atq; in mendaci hac gloria, ſtultiſq; deliciis nobis placemus, in eorum oculis, qui bonorum illorum dulcedinem deguſtarunt, luctu & lacrymis digni ſumus.

Quæ in hoc mundo magni æſtimātur, piis contemptui ſunt

1 Cor. 2.

His autem verbis perculſus Rex, inquit: Quinam igitur illi ſunt, qui præſtantiorem nobis vitam agunt? Omnes, inquit ille, qui ſempiterna caducis & fragilibus prætulerunt. Cumq; Rex rurſum, quænam ſempiterna illa eſſent, quæſiuiſſet, reſpondit ille: Regnum ab omni ſucceſſione alienum, ac vita morti minime obnoxia, & opes egeſtatem non metuentes, lætitia item & oblectatio ab omni mœſtitia & dolore ſeiuncta, paxq; perpetua, & ab omni inimicitia & contentione libera. His bonis, quibus diuinitus frui contigerit, beati illi ac ſæpè beati: vitam enim omni labore & mœſtitia vacuam in omne æuum ducent, omnibus regni Dei iucunditatibus & oblectamentis ſine vllo labore fruentes, ac cum Chriſto in perpetuum regnantes. Cumq; Rex dixiſſet: Quiſnam tandem hæc conſequi promerebitur? reſpondit ille: Omnes qui viam illuc ducentem arripuerint: aditu enim prohibetur, qui modo voluerit. Tum Rex, Et quænam, inquit, eſt via, qua illuc itur? Reſpondit ille præclari animi vir: Cognoſcere ſolum verum Deum, & Ieſum Chriſtum vnigenitum ipſius filium, & ſanctum ac viuificum Spiritum.

Ioan. 17.

Rex igitur, regia ſane prudentia præditus, ad eum inquit: Et quidnam hactenus te prohibuit, quo minus mihi hæc exponeres? Neque enim hæc cunctatione ac dilatione mihi digna eſſe videntur, ſi quidem vera ſunt. Quod ſi dubia ſunt, ſedulo & accuratè inueſtigandum eſt, quoaduſque ea citra vllam ambiguitatem ac dubitationem inueniamus. Non negligentia & ſocordia factum eſt, ait ille, vt tibi hæc exponere cunctarer, cum vera ſint atque ab omni dubitatione remota: verum quod excellentem gloriæ tuæ magnitudinem vererer, atque illud metuerem, ne tibi grauis ac moleſtus eſſem. Quocirca ſi mihi famulo tuo hoc imperas, vt te de his rebus in poſterum ſubmoneam, imperio tuo obſequar. Sane, inquit Rex, non interdiu ſolum, ſed etiam qualibet hora mihi harum rerum memoriam renoua. Neque enim negligenter ac perfunctoriè, verum ſummo ſtudio ac feruore his rebus animum intendere oportet. Audiui igitur, ait Barlaam, hunc Regem deinceps piè ac religioſe vitam inſtituiſſe, præſentiſque vitæ curriculo placidè ac tranquille confecto, ſempiternam beatitudinem conſecutum eſſe. Quamobrem ſi quis etiam patrē tuum de his rebus tempeſtiuè admoneat, fortaſſis intelliget atque exploratum habebit, quantis malis implicitus teneatur, atque ab iis ſeſe auertens, quod bonum eſt, amplectetur. Nam in præſentia quidem cæcus eſt, & manu tentās, vt qui vero lumine ſeſe orbarit, atque ad impietatis tenebras transfugerit.

2. Pet. 1.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: De patre meo, quod Dominus iuſſerit, fiat. Nam ipſi, velut etiam abs te dictum eſt, ea omnia poſſibilia ſunt, quæ apud homines impoſſibilia eſſe videntur. Ego verò per eximios ac ſingulares tuos ſermones, vanitatis præſentium rerum pertæſus, ab his quidem omnino animum abducere conſtitui, ac tecum, quidquid mihi vitæ supereſt, traducere: ne per fluxa & fragilia ſempiternorū bonorum & omni interitu alieniorum fructu excidam. Reſpondit ſenex. Si hoc feceris, prudentiſſimo cuidam iuueni, quem copioſis atq; illuſtriſſimis parentibus natum eſſe intellexi, ſimilem te præbebis. Cui cum pater nobilis cuiuſdam atq; in primis copioſi viri filiā inſigni pulchritudine præditam deſpondiſſet, ac de huiuſmodi matrimonio cum filio ſermonem conſeruiſſet, quidq; in animo haberet expoſuiſſet, hæc vt ille audiuit, quaſi abſonum quiddam ac præpoſterum, huiuſmodi rem excutiens, relicto patre profugit. Cumque iter faceret, apud ſenem quemdam pauperem, vt à diei æſtu ſeſe recrearet, diuertit.

Pulchra parabola, de eo qui vitā religioſam amplexatur

Filia porrò ſenis illius, quæ vnica illi virgo erat, pro foribus ſedens, manibus operabatur, ore autem Deum ſine vlla intermiſſione laudabat, ex intimo pectore gratias ipſi agens. Ipſius autem laudem iuuenis audiens, ait: Quodnam, ô puella, tuum inſtitutum eſt? Et quam ob cauſam, cum in tanta vilitate & inopia verſeris, tamquam ob ingentia beneficia accepta, horū auctorem laude afficis? Ipſa aūt ad eum reſpondit: An neſcis quod quemadmodum exiguum pharmacum è magnis plerunque morbis hominem eripit, eodem modo etiam ob paruas res Deo gratias agere, ingentia bona conciliat? Ego igitur pauperis ſenis filia, ob exigua hæc gratias ago ac Dominum laudibus afficio, illud nimirum ex-

Simile de pharmaco.

rum exploratum habens, quod qui hæc dedit, maiora quoq; dare poteſt. Atq; hæc quidem de rebus externis ac minimè noſtris, ex quibus nec his qui multa poſſident, fructus vllus, imò etiā ſæpè damnū oritur, nec his qui pauciora acceperunt, incōmodum vllum ac detrimentū exiſtit: quippe cum vtriq; eandem viam obeant, atq; ad eundē finem contendant. At in iis quæ magis neceſſaria maioriſq; momenti ſunt, multis maximiſq;, atq; adeo innumeris beneficiis à Deo affecta ſum: etenim ad Dei imaginem condita, ipſiuſq; cognitione imbuta, & ratione præter omnia animātia exornata, & ex morte, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ad vitam reuocata ſum, ac percipiendorum ipſius Sacramentorum poteſtatem accepi. Deniq; paradiſi porta patefacta eſt, liberum mihi, ſi quidem voluero, aditum præbens. De tot igitur ac tantis beneficiis, quorum pauperes æquè ac diuites participes ſunt, dignas Deo gratias agere prorſus nequeo. Quod ſi exiguā hanc quoq; laudē, ei qui me tot muneribus cumulauit, minimè obtulero, quā tandem excuſationem habitura ſum? Iuuenis autem ingentē hanc prudentiā admirans, accito ipſius patre, Da mihi, inquit, filiam tuā: (ſiquidem ipſius prudentiam ac pietatem amore complector.) Senex autem ait: Non licet tibi, qui diuitibus & copioſis parentibus ortus es, hāc pauperis viri filiam accipere. Rurſum autem iuuenis ait: Certè hanc accipiam, niſi tu prohibeas: Etenim filia quædam nobilis ac diues mihi deſponſa fuerat: verum ea repudiata atq; abiecta, in fugā me dedi. Contrà filiæ tuæ, ob ipſius erga Deum pietatē ac prudentiam amore correptus, matrimonio cum ea iungi paratus ſum. Senex autem ad ipſum ait: Eam tibi dare nequeo, vt in paternam domum abducas, atq; à meis vlnis abſtrahas: vnica enim mihi eſt. At ego, inquit iuuenis, apud vos manebo, veſtramq; vitæ rationem ſuſcipiam: ac poſtea, luculenta veſte abiecta, ſenis illius veſtes petiit, iiſq; ſe induit. Cumq; ille ipſum diu multumq; tentaſſet, variiſq; modis ipſius animum exploraſſet, vt eum mentis grauitate præditum eſſe cognouit, nec ſtulto quodā amore obſeſſum filiam ſuam in matrimoniū petere, verum pietatis ſtudio pauperem vitam amplexari, eamq; gloriæ ſuæ ac nobilitati anteferre, arrepta ipſius manu in conclaue ſuum eum introduxit, & ingentes opes illic reconditas, atq; innumerabilem pecuniarum molem, quantamq; iuuenis ille nunquam viderat, ipſi commonſtrauit. Atq; ad eum: Fili hæc omnia tibi dono do: propterea quod mearū opum heres eſſe in animū induxiſti. Qua hereditate percepta, ille oēs terræ diuites & claros homines ſuperauit.

Præcipua Dei erga nos beneficia.

Præcipua Dei beneficia diuitib. & pauperib. communia ſunt.

Dixit autem Ioſaphat ad Barlaam: Aptè ſanè hæc etiam narratio rerum mearum ſtatum exprimit, ac proinde de me quoq; hæc abs te dicta eſſe exiſtimo. Verum quodnā tandem eſt illud experimentum, per quod animi mei conſtantiam exploratam habere cupis? Reſpondit ſenex: Equidem ipſe etiam periculum feci, & intellexi, quanta in te mētis prudentia atq; conſtantia, quamq; rectus & integer tibi animus ſit. verum actionis tuæ finis hæc confirmabit. Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum noſtrum, qui in Trinitate celebratur, ad eum inquam, qui omnia, tam quæ aſpectu ſentiuntur, quam quæ oculorū ſenſum fugiunt, procreauit: qui verè ac ſempiternè eſt, nec glorioſi ſtatus ſui aut principium vnquam habuit, aut finem habiturus eſt: ad illum inquam metuendum atq; omnium rerum præpotentē, bonumq; & ad miſerationem propenſum, vt cordis tui oculos illuminet, detq; tibi ſpiritum ſapientiæ & reuelationis ad ipſius agnitionem, vt cognoſcas quæ ſit ſpes vocationis tuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis ipſius in ſanctis, & quæ ſupereminens illa magnitudo potentiæ ipſius in nos qui credidimus, vt iam non ſis hoſpes & aduena, ſed ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, ſuperædificatus ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.

Epheſ. 4.

Barlaā orat pro ſalute Ioſaphat.

Epheſ. 1.

Epheſ. 2.

Iosaphat autem ingenti animi compunctione affectus, dixit: Hæc ſcilicet omnia ipſe quoq; ſcire geſtiens, abs te peto, vt & diuinæ gloriæ diuitias, & ipſius potentiæ excellentiam mihi declares.

Dixit autem ad ipſum Barlaam: Deum ſupplex rogo vt hæc te doceat, atq; huiuſmodi rerum cognitionem animo tuo inſerat. Quandoquidem apud homines ipſius gloria ac potentia nullo modo commemorari poteſt, quāuis etiam omnes omniū hominū, tam qui nunc ſunt quam qui aliquando fuerunt, linguæ in vnum coëant. Deū enim, inquit Euangeliſta & Theologus, nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Eius porrò qui oculorum obtutum fugit, atq; immenſus eſt, gloriam & maieſtatem, quis tandem eorum qui è terra concreti ſunt, comprehenſam habere queat, niſi ipſe arbitratu ſuo eam patefecerit, quemadmodum ſcilicet prophetis ſuis & apoſtolis patefecit? Nos autem tum ex eorum prædicatione, tum ex ipſa rerum natura, quantam aſſequi nobis datur, eam didicimus. Ait enim Scriptura: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentū. Ac rurſus: Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ipſius potentia & diuinitas: Quemadmodum enim quiſpiam domum præclare ac ſumma arte conſtructam, aut vaſculum eleganter concinnatum perſpiciens, architectum aut fabrum ſtatim ob animum ſibi proponit: ſic etiam ego ex nihilo effectus, atque in ortum productus, etiamſi fictorem ac productorem meum cernere nequeam, tamen ex aptiſſima maximeq; admiranda mei ſtructura ad ſapientiæ ipſius cognitionem veni, nō quatenus eſt, ſed quatenus intelligere queo: nempe quia non caſu ac fortuito productus ſum, nec à me ipſo extiti, verum ipſe arbitratu ſuo me effinxit: ſic nimirum vt me rerū omnium conditarum principem conſtitueret, quibuſdam autem inferiorem fecerit, ac continuum etiam diuino ſuo imperio me ex hac vita educens, ad alteram vitam finis expertem ac ſempiternā transferat. Quibus omnibus in rebus prouidentiæ ipſius viribus obluctari nequeo, nec mihi quidquam, vel quantum ad ſtaturam, vel quantum ad formæ figuram attinet, adiicere aut ſubtrahere, nec ea quæ in me vetuſtate cōfecta ſunt, renouare, nec quæ labefactata & corrupta ſunt, in integrū reſtituere. Neq; enim mortalium vllus vnquam fuit, qui horum quidquam efficere poſſet, non Rex, non ſapiens, non diues, non potens, non deniq; alius quiſpiam humana ſtudia conſectans. Nullus enim, inquit ille, Regum, aut eorum qui in ſublimitate ſunt aliud habuit natiuitatis initium. Vnus enim eſt omnium introitus ad vitam, & idem exitus. Quamobrem ex iis quæ ad me pertinent, ad magnificentiæ ſummi illius architecti cognitionem velut porrecta manu ducor. Præterea autem aptiſſimam rerū omnium conditarū ſtructurā atq; conſeruationē conſideraui, nempe quod ſuapte quidem natura cuncta mutationi atq; conuerſioni ſubiecta ſunt, nimirum ea quæ mente prædita ſunt, ratione voluntatis, progreſſuſque in bono aut receſſus à bono, ea aūt quæ in ſenſum cadunt, ratione ortus & interitus, accretioniſque, & imminutionis, & mutationis eius, quæ in qualitate poſita eſt, ac denique localis motus. Ac per ea tacitis quibuſdam vocibus prædicant, ſe à Deo creatore ac mutationis omnis & conuerſionis experte procreata eſſe, atque contineri & conſeruari, ſemperque gubernari. Quonam enim alioqui modo naturæ inter ſe pugnantes ad vnius mundi ornatum omnibus numeris abſoluendum in vnum coiiſſent, ac diſſolutionis expertes permanſiſſent, niſi vis quædam omnipotens hæc & copulaſſet, & ſemper à diſſolutione aliena conſeruaret. Quonā enim pacto, niſi volūtas ipſius ita tuliſſet, aliquid māſiſſet? aut quonā pacto, vt Scripturæ verbis vtar, quod ab eo minimè vocatū eſt, cōſeruari potuiſſet? Nā cū nauis remoto gubernatore cōſiſtere nequeat, verū ſtatim periclitetur, nec vlla, quantūlibet exigua, domus ſtare poſſit, niſi ſit aliquis, qui ipſius curā gerat, quonā tandē pacto mundus, opus vſq; adeo ingens, atq; ita præclarū & admirandū, ſine eximia aliqua & ingenti atq; admiranda gubernatione ſapientiſſimaq; prouidentia, tā diuturno tēporis ſpatio conſtitiſſet? Ecce enim quantū iā tēporis fluxit, ex quo cælū eſt, nec tamē obſcuritatē cōtraxit, nec terræ vis ſādiu parens elanguit, nec fontes, ex quo orti ſunt, ſcaturire deſtiterūt, nec mare tot fluuios excipiēs menſurā ſuā exceſſit, nec ſolis ac lunæ curſus immutationē vllā ſubierunt, nec diei ac noctis ordines inuerſi ſunt. Ex his nimirū omnibus Dei potentia & magnificētia, quæ omnē orationis facultatē ſuperat, nobis declaratur, prophetarū atq; apoſtolorū teſtimonio confirmata. Verum ipſius gloriam nemo vnquā pro dignitate cogitare aut collaudare poterit.

Dei diuitiæ nullis verbis exponi poſſunt.

Ioan. 1.

Pſalm. 18.

Rom. 1.

Simile, quo modo ex rebus cōditis conditor agnoſcitur.

Sap. 7.

Item, ex rerum conſeruatione.

Simile de naui ſine gubernatore.

Siquidem

2.Cor. 11. Siquidem diuinus Apoſtolus, ille inquam qui Chriſtum in ſeipſo loquentem habebat, cum ea omnia, tam quæ intel-
lectu percipiuntur: quàm quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, cum animo ſuo conſideraſſet, dixit, Ex parte cognoſcimus, & ex
1.Cor. 13. parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Ac propterea ex immen-
Rom. 11. ſis ſapientiæ ipſius opibus admiratione ac ſtupore perculſus, aperte exclamauit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ &
ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!

2.Cor. 12. QVOD ſi ille, qui ad tertium vſque cælum peruenerat, atque arcana verba audierat, huiuſmodi voces emiſit,
ecquis mei ſimilium in hanc arcanorum myſteriorum abyſſum oculos aduertere, atque aliquid pro dignitate, non dicam
dicere, ſed ne quidem cogitare poterit, niſi ipſe ſapientiæ ſubminiſtrator atque inſipientium corrector dederit? Ete-
nim in ipſius manu & nos & ſermones noſtri ſunt, & omnis prudentia ac ſolertiæ ſcientia. Atque ipſius beneficio ve-
ram earum rerum, quæ ſunt, cognitionem habemus, mundique concretionem intelligimus, elementorum vires, tem-
porum initium & medietatem & finem, partium anni viciſſitudines, ac tempeſtatum mutationes: quoniam omnia in
Sap. 11. modo & menſura conſtituit. Siquidē multum poſſe, ipſi ſemper præſto eſt: & brachii ipſius robori quis reſiſtet? Ete-
nim tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante eum orbis terrarum, & tamquam gutta roris matutini, quæ deſcendit
in terram. Sed miſeretur omnium, quia omnia poteſt, & diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Nemi-
Daniel. 3. nem enim ex iis qui ad ipſum accurrunt, execratur, nec auerſatur ſolus ille bonus, atq; animorum amans Dominus.
Benedictum ſit nomen gloriæ ipſius ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in ſæcula, Amen.

DIXIT autem ad eum Ioſaphat: Si diuturno tempore tecum reputaſſes, vir ſapientiſſime, quonam pacto pro-
poſitarum quæſtionum ſolutionem mihi perſpicuam redderes, meo quidem iudicio id melius præſtare non potuiſſes,
quam ea mihi, quæ nunc expoſuiſti, commemorans: quippe qui omnium quidem rerum effectorem & conſeruato-
rem Deum eſſe docueris, maieſtatiſq; ipſius gloriam omnem mentis humanæ captum excedere, clariſſimis rationi-
bus demonſtraris, neq; vlla alia ratione quemquam eam conſequi poſſe, niſi cui ipſe arbitratu ſuo eam patefaciat. Quo
quidem nomine eloquentiſſimam tuam ſapientiam maiorem in modum admiror.

SED illud vellem mihi dicas, vir beatiſſime, quanam ipſe ætate ſis, & quibus in locis commoreris, quoſq; philoſo-
phiæ ſocios habeas: ſiquidem anima mea tuæ arctiſſime hæret, atq; per omne vitæ tempus ne latum quidem vnguem
à te diſcedere cupio.

AIT autem ſenex: Annos ni fallor, quinq; & quadraginta natus ſum, atq; in terræ Sennaar deſertis vitam dego.
Commilitones porrò eos habeo, qui ad superni itineris curſum mecum laborant ac certant.

QVID ais, inquit Ioſaphat? Mihi enim ſeptuaginta annos excedere videris. Quid igitur eſt, quamobrem te qua-
draginta quinq; tantum annos habere dicas? neq; enim hac in re mihi vera loqui videris.

DIXIT autem ad eum Barlaam: Si annos meos ab ipſo vitæ ortu noſſe quæris, rectè ſane eos pluſquam ſeptua-
Quænā ve- ginta eſſe coniecisti. At mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos cenſentur, qui in huius mundi vanitate
ra vita exiſti- conſumpti ſunt. Nam cum, peccatis in ſeruitutem addictus, carni viuerem, quantum ad interiorē hominem attinet,
manda ſit. mortuus eram. Quamobrem mortis annos vitæ annos numquā appellarim. Ex quo aūt mundus mihi crucifixus eſt, &
ego mundo, atque exuto veteri homine, qui ſecundum erroris deſideria corrumpitur, non iam carni viuo, ſed viuit
Gal. 6. in me Chriſtus: quod autem viuo, in fide viuo Filii Dei, qui dilexit me, & pro me ſeipſum tradidit: hos vitæ annos &
Epheſ. 6. ſalutis dies optimo iure vocauerim. Quos quidem quinque & quadraginta eſſe aſſerens, conſentanea ratione, ac non
abſurde, horum numerum tibi dixi. Quin tu quoq; ea ſemper mente ac ſententia ſis velim, nimirum vt eos, qui quan-
Mundo ad- tum ad omne probum opus mortui ſunt, peccatis autem viuunt, atque eorum qui humi prouoluti ſunt principi ob-
dictos mor- ſequuntur, & in voluptatibus ac peſtiferis cupiditatibus vitam abſumunt, nullo modo viuere exiſtimes, verum eos
tuis habēdū. extinctos eſſe tibi perſuadeas, vitæq; functioni mortuos. Nam peccatum immortalis animæ mortem eſſe, ſapiens qui-
Peccatū ani- dam non immeritò pronuntiauit. Atque etiam his verbis Apoſtolus vtitur: Cum ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſti-
mæ mors. tiæ. Quem ergo fructum habuiſtis in his, in quibus nunc erubeſcitis? Finis enim illorum mors eſt. Nunc autem libera-
Rom. 6. ti à peccato, ſerui autem facti iuſtitiæ, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem vitam æternam. Sti-
pendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtrò.

DIXIT autem ad eum Ioſaphat: Quandoquidem vitam quæ in carne ducitur, vitam eſſe minime cenſes, par eſt
igitur, vt ne mortem quidem hanc quam omnes ſubeunt, mortem eſſe cenſeas.

RESPONDIT ſenex: Sine vlla dubitatione de his quoq; ita cenſeo, quippe qui temporariam hanc mortem mi-
Mors hæc nime pertimeſcam, imo nec omninò mortem eam appellem, ſiquidem me per diuinorum præceptorum viam ince-
temporaria dentem arripuerit: quin potius tranſitum à morte ad præſtantiorem & perfectiorem vitam, atque in Chriſto abſcon-
proprè nō ditam. Cuius quidem conſequendæ cupiditate flagrantes optimi viri præſentem hanc vitam permoleſtè ferebant.
eſt mors. Vnde etiam Apoſtolus: Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluitur, ædificatio-
Coloſſ. 3. nem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem no-
2.Cor. 5. ſtram, quæ de cælo eſt, ſuperinduі cupientes, ſi tamen veſtiti & non nudi inueniamur.

NAM & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt
Rom. 7. abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Ac rurſum: Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?
Philip. 1. Et alio loco: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et propheta Dauid: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?
Pſalm. 41. Quod autem ego quoque omnium infimus corporeā mortē nullo modo extimeſcā, hinc facile tibi intelligere licet,
quod patris tui minis contemptis ac pro nihilo habitis intrepide ad te acceſſerim, vt ſalutiferam doctrinam tibi expo-
nerem: tametsi alioqui compertiſſimum haberem fore, vt ſi hæc reſciſceret, ſexcentis me, ſi fieri poſſet, mortibus affi-
ceret. Verum ego Dei ſermonem omnibus rebus anteponens, ipſoq; frui cupiens, nec temporariam hanc mortem per-
Matth. 10. horreſco, nec eam huiuſmodi nomine apellandam duco. Domini ſcilicet mandato obtemperans dicentis: Nolite ti-
mere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt animam &
corpus perdere in gehennam.

HÆC, inquit Ioſaphat, veræ veſtræ philoſophiæ præclara facinora, terrenorum hominum quia præſenti hac vita
vix auelli poſſunt, naturam longe multumq; ſuperant. Ac vos beati, qui hac ſtrenuiſſima mente præditi eſtis. Quinam
porrò tibi ac ſociis tuis in huiuſmodi ſolitudine victus ſit, atque item vnde & cuiuſmodi vobis veſtes ſuppetant, verè
mihi expone.

De victu & BARLAAM autem dixit: Victus quidem nobis ex pomis, & ſtirpibus, quas ſolitudo, cæleſti rore perfuſa, &
veſtitu Bar- creatoris imperiò parens, alit, nobis ſuppetit. Ob quæ nemo eſt qui aduerſum nos pugnam ineat atque contendat,
laā & ſocio- maioremque partem, vt auaritiæ lex præſcribit, arripere quærat: verum vberrime omnibus illaboratis cibus, & ex-
rum eius. temporalis menſa proponitur. Quod ſi quando piorum fratrum, qui nobis vicini ſunt, aliquis panis benedictionem
Aſperitas afferat, hunc tamquam ad eorum qui cum fide obtulerunt, benedictionem à diuina prouidentia miſſum ſuſcipimus.
veſtitus mo- Veſtes autem nobis ex aſperis ciliciis & ouium pellibus ſunt, vetuſtæ omnes, atque ex variis pannis conſutæ, imbe-
nachorū an- cillam noſtram carnem atterentes. Etenim eadem nobis eſt tum æſtatis tum hyemis veſtis. Quam etiam vt ſemel in-
tiquorum. duimus, exuere poſtea nobis non licet, quouſque vetuſtate confecta prorſus deleatur. Ad hunc enim modum & fri-
goris &

gotis & æſtus moleſtiis corpus affligantes, futuræ immortalitatis veſtem nobis comparamus. Cumque hîc Ioſaphat quæſiuiſſet, vndenam veſtem illam, qua indutus erat, ſibi comparaſſet, reſpondit ſenex: A quodam piorum fratrum eam, cùm ad te profecturus eſſem, vtendam accepi: neque enim par erat, vt cum ea quam ferre ſoleo, veſte accederem. Quemadmodum enim quiſpiam chariſſimum quendam cognatum in alienam regionem captiuum abductum, illinc educere cupiens, abiecta veſte ſua, atque hoſtium ſuſcepta perſona, ad eorum regionem ſeſe confert, variiſque artibus propinquum ſuum ex acerba tyrannide in libertatem aſſerit: eodem modo ego quoque de tuis rebus certior factus, hoc habitu ſuſcepto veni, vt diuina prædicatione pectus tuum conſererem, atque à truculenti principis mundi ſeruitute te vindicarem. Ac nunc per virtutem diuinam, quantum quidem in me fuit, miniſterio meo perfunctus ſum. Etenim ipſius cognitionem tibi annuntiaui, ac Prophetarum & Apoſtolorum prædicationem expoſui, vereque ac ſine vllo errore præſentium rerum vanitatem demonſtraui, quantiſque malis hic mundus ſcateat, eos qui ipſi obtemperant in fraudem inducens, variiſque modis irretiens. Deinceps igitur, eò vnde huc veni, reuertendum eſt, ac tum alieno habitu depoſito, meum induam.

Simili, cur veſtem mutauerit, docet.

OBSECRAVIT autem ſenem Ioſaphat, vt ſe ipſi cum conſueta veſte oſtenderet. Cum itaq; Barlaam veſtem eam, quam gerebat, exuiſſet, horrendum Ioſaphat ſpectaculum ſeſe obtulit. Etenim tota carnis ipſius * qualitas abſumpta erat, ac pellis ex Solis æſtu atque ardore circum oſſa tenſa erat, non ſecus ac ſi quis pellem ſubtilibus calamis tetendiſſet. Pannoſo porrò ac perquam aſpero cilicio è lumbis vſque ad genua cingebatur, idemq; pallium humeris gerebat. Admiratus itaq; Ioſaphat huiuſmodi vitæ duritiam & aſperitatem, atq; ex ingenti ea & ſingulari tolerantia ſtupore affectus ingemuit, profuſiſque lachrymis ad ſenem ait: Quoniam ea tibi huc veniendi cauſa fuit, vt me ex acerba diaboli ſeruitute extraheres, beneficio tuo extremam manum impone, atq; animam meam de cuſtodia educ, ac me itineris tui ſocium adhibe: vt mundi impoſtura prorſus liberatus, tum deniq; ſalutaris Baptiſmi ſigillum accipiam, ſociumq; me tibi admirandæ huius philoſophiæ atq; eximiæ exercitationis præbeam.

** πάχος fortaſſe legendũ, id eſt pinguedo.*

Pſal. 141.

Optat Ioſaphat comitari Barlaã.

DIXIT autem ad eum Barlaam: Capreæ hinnulum diues quiſpiam olim alebat: cum autem ipſe creuiſſet, naturali affectu pertractus ſolitudines expetebat. Egreſſus igitur quodam die, caprearũ gregem paſtui operam dantem inuenit, atque ad eas ſeſe adiungens, per agros & campos oberrabat, ac ſero quidem domum ſe referebat, mane autẽ famulorum negligentia foras egrediebatur, atque cum ſilueſtribus capris ſe aggregabat. Porrò cum illæ pabulatum longius proceſſiſſent, ipſe quoque eas comitatus eſt. At verò diuitis illius viri famuli, re cognita, conſcenſis equis eas à tergo inſecuti ſunt, ac ſuam quidem capream viuam captam, domumque reductam poſthac ita tenuerunt, vt nulli ad eam aditus pateret; reliquum autem gregem partim trucidarunt, partim malè mulctarunt. Eodem modo ne nobis accidat metuo, ſi mihi te comitem adiungas. Hoc eſt, ne & tuo contubernio priuer, & ingentes ſociis meis calamitates, ac ſempiternam patri tuo condemnationem acceſſam. Vult itaque te Dominus nunc quidem diuini Baptiſmi ſigillo conſignari, atque hic manentem omni pietatis generi ſtudere, præceptiſque ſuis operam dare. Poſteaquam autem illius bonorum omnium datoris munere occaſio ſeſe obtulerit, tum demum & ad nos venies, & per reliquum omne huiuſce vitæ tempus nobiſcum deges. Ac Domini benignitate fretus, haudquaquam dubito, quin in futura vita ita coniungamur, vt nunquam diuelli poſſimus.

Parabolã valde ad rẽ accommodatã diſſuadet id Barlaam.

IOSAPHAT autem lachrymis rurſum perfuſus, ad eum ait: Si Domino ita placet, ipſius voluntas fiat. Quocirca cum diuino Baptiſmate me initiaueris, pecuniasque à me & veſtes, tam ad tuum quàm ad ſodalium tuorum victum ac veſtitum acceperis, in religioſæ exercitationis locum, diuinæ pacis præſidio ſeptus, abſcede: meaque cauſa ſine vlla intermiſſione Deum roga, vt ne ſpe mea fruſtrer, verùm primo quoque tempore ad te peruenire, atq; in alta quiete vtilitatem ex te percipere poſſim.

Ioſaphat offert munera.

BARLAAM autem ait: Quin Chriſti quidem ſigillum accipias, nihil eſt quod prohibeat. Quare teipſum iam adorna, ac Deo iuuante Chriſtianæ fidei ſacris initiaberis. De iis autem pecuniis, quas te tum mihi tum ſodalib. meis daturum dixiſti, qui tandem fieri poſſet, vt tu qui pauper es, diuitibus eleemoſynam impertias? Siquidem diuitum eſt de pauperibus bene mereri, non autem contra pauperum de locupletibus & copioſis. Nam ſodalium omnium meorum poſtremus, opibus omnino te ſuperat. Verùm diuinis miſerationibus fretus, hoc mihi perſuadeo, te propediem locupletiſſimum fore. Quod cùm contigerit, minime ad largiendum promptus ac procliuis eris. Dixit autem ad eum Ioſaphat: Expone mihi, quæſo, quonam pacto ſodalium tuorum extremus opibus me antecellat, cum paulò antea eos in magna inopia viuere, atque extrema paupertate conflictari dixeris. Quidnam item ſit, quamobrem nunc me pauperem appelles: cum autem ampliſſimis opibus præditus fuero, minime liberalem fore dicas, qui nunc ad largiendum promptus ac propenſus ſum.

Barlaam ea reſpuit.

RESPONDIT Barlaam: Non eos paupertate conflictari dixi, ſed inexhauſtis potius opibus florere. Nam opibus opes ſemper adiungere, nec cupiditatem tanquam fræno coërcere, verum ſine vlla ſatietate plura appetere, extremæ paupertatis argumentum eſt. Contra, qui ſempiternarum rerum cupiditate præſentia omnia contemnunt, eaq; pro ſtercoribus ducunt, vt Chriſtum ſolum lucrentur, omniq; re ciborum & indumentorum excuſſa atque in Deum proiectã curã, maiorem ex inopia voluptatem capiunt, quàm quiſquam eorum qui mundi amore flagrant, ex opum & pecuniarum abundantia capiat, quique ampliſſimas virtutum diuitias ſibi aggeſſerunt, atque immortalium bonorũ ſpe ſeſe alunt, hos ego optimo iure, te, atque adeò quouis terreno rege locupletiores dixerim. Quod ſi Deo tibi fauente, tu quoque ſpirituales huiuſmodi diuitias arripueris, eas ſummo ſtudio ac diligentia ſeruabis, ac ſemper, & quidem meritò, augere cupies, nec vllam omnino earum partem effundere ſuſtinebis. Nam in hoc demum veræ diuitiæ ſitæ ſunt. Earum autem opum quæ in ſenſum cadunt, moles detrimento potius quàm commodo amicos ſuos affecerit. Quare non abs te eas extremam paupertatem appellaui, quas cœleſtium bonorum amatores, rebus omnibus remiſſo nuntio, ita fugiunt, vt quiſpiam ſerpentem fugit. Si verò eum hoſtem, quem mei piæ exercitationis ſocij & commilitones iam obtruncarunt, ac pedibus proculcarunt, viuum rurſus abs te acceptum ad ipſos detulero, bellorumq; ac perturbationum cauſa ipſis fuero, prorſus ipſis exitioſus nuntius ero. Quod quidem abſit vt faciam.

Auari ſemper pauperes.

Qui verè diuites ſint.

Philipp 3.

IDEM autem de indumentis etiam intelligas velim. Nam eos, qui vetuſtatis labem & corruptelam exuerunt, atq; inobedientiæ veſtem, quantum in ipſis fuit, depoſuerunt, Chriſtum autem tanquam veſtimentum ſalutaris, & pallium lætitiæ induerunt, quonam tandem modo rurſus pelliceis tunicis induerem, ipſiſque ignominiæ amictum imponerem? Quin potius, cùm ſodales meos, vt qui pia & religioſa ſolitudinis exercitatione contenti ſint, eamque pro veriſſimis delitiis ducant, nullis omnino eiuſmodi rebus indigere cõpertum habeam, pecuniis & veſtibus, quas te ipſis daturum dicebas, in pauperes diſtributis, fac tibi eiuſmodi theſaurum in futurum recondas, qui nullo modo ſurripi poſſit, Deum ſcil. in ipſo per illorum preces opitulatorem tibi adiungens. Sic enim hoc cõſequêris, vt opes ad optima quæq; tibi adiumento ſint. Ac deinde, cum Spiritus armaturam acceperis, & lumbos in veritate ſuccinxeris, ac iuſtitiæ loricam indueris, & ſalutis galeam capiti tuo impoſueris, & pedes in Euangelij pacis præparationem calcearis, fideiq; ſcutum ac Spiritus gladium, quod eſt verbum Dei, manibus ſumpſeris, atq; vndique te præſtantiſſimis armis inſtruxeris ac [illegible], ita demũ fidenti animo ad bellũ cum impietate committendũ egredere, vt ea in fugam verſa, atq; ipſius duce diabolo in terrã alliſo, à dextra Dñi manu quæ vitæ principiũ affert, victricẽ coronã cõſequaris.

Veſtes recuſat Barlaam Chriſto veſtitus.

Epheſ. 6.

Quo pacto mundus cũ hominibus agat.

generis) eodem modo præſentia quoq; tandem vetuſtas obſcurabit. Quorum in numero cum ipſe quoq; ſim, conſultæ immutatione prorſus ſubijcior. Vt enim ijs, qui ante me extiterunt, præſentium rerum voluptatibus perpetuo frui minimè conceſſum eſt, ſic ne mihi quidem concedetur. Animaduerti enim, quemadmodum tyrannus hic ac turbulentus mundus homines tractet, eos nimirum huc atq; illuc inuertens, hos ſcilicet ex opibus ad egeſtatem, illos rurſus ex grauiſſima paupertate ad gloriam, hos è vita ducens, illos rurſum eorum loco in vitam inducens: ſapientes quoſdã & ingenioſos viros improbans ac reijciens, eoſq; qui in honore ac ſplendore erant, contemptos & deſpicabiles reddens, alios contra inſipientes ac ſtolidos in gloriæ throno collocans, eoſq; qui abiecti & obſcuri erant, ita euehens, vt ipſis ab omnibus honor tribuatur.

Similitudo columbæ quæ accipitrem fugit.

Ac cernere eſt, hominum genus ita comparatum eſſe, vt ante crudelem ipſius tyrannidem nihil omnino firmũ ac ſtabile habeat. Quemadmodum enim columba aquilam aut accipitrem fugiens, locum ſubinde commutat, ac nũc quidem in hac arbore, nunc autem in illo frutice, ac deinde in rupium cauernis, ac variis ſpinis pedem affigens, nec tutum vſquam perfugium inueniens, in perpetua iactatione atq; ærumna verſatur. eodem modo ſe habent, qui res præſentes ad ſtuporem vſq; mirantur. quippe qui inconſiderato quodam impetu miſere laborent, nec quidquã omnino firmum aut ſtabile habeant, nec ad quem finem peruenturi ſint, intelligant, nec quo tandem vana vita, cui, perquam infeliciter ac miſere mala bonis præferentes, ac probitatis loco vitium conſectantes, ſeſe ſubiecerunt, eos ducat, nec quiſnam frigidos multorum ac miſerorum laborum ſuorum fructus excepturus ſit, hoc eſt, propinquuſne an alienus, ac per ſæpè ne amicus quidem aut notus, verum inimicus & hoſtis.

Quænã vera bona exiſtimanda ſint.

Psal. 110.

Prouer. 1.

Vitæ ſanctæ ſuauitas.

Hæc inquam omnia, & quæ his conſentanea ſunt, cum ipſe in animæ meæ foro diſceptaſſem, totius vitæ meæ, quam in rebus vanis conſumpſi, ac terrenis laboribus addictus tranſegi, odium me cepit. Cumq; eorum amorem ex animo excuſſiſſem & eieciſſem, ea ſeſe oculis meis obtulerunt, quæ verè bona ſunt, hoc eſt, Dei metu præditum eſſe, atque ipſius voluntati obſequi. Nam hoc bonorum omnium caput eſſe compertum habui. Hoc enim ſapientiæ initium eſſe dicitur, atque adeo perfecta ſapientia. Etenim mœroris expers vita eſt, atque ab omni offenſione libera iis qui eam amplectuntur, & qui ei tanquam Domino innituntur, tuta & ab omni periculo immunis. Cum itaq; animũ meum ad erroris omnis expertem mandatorum Domini viam adieciſſem, nihilq; in ipſis obliquum & anfractuoſum ac voraginibus & ſcopulis & ſentibus & tribulis plenum eſſe certò cõperiſſem, verum eam omnino planam & æquabilem eſſe, eorum quidem, qui hanc ingrediuntur, per clariſſimas contemplationes oculos oblectantem, pedibuſque pulchritudinem conciliantem, atq; eos ad præparationem Euangelii pacis calceantem, me ipſum prioris impoſturæ ac ſtolidæ fraudis nomine miſerum exiſtimaui, ac per rectam illam incedere aggreſſus ſum: quam etiam optimo iure rebus omnibus antetuli, atque collapſam & dirutam animæ meæ domum inſtaurare cœpi.

1. Cor. 7.

1. Cor. 2.

Cœleſte iter multo viatico opus habet.

Cvm ergo ad hunc modum rebus meis conſulerem, ac mentis lubricum corrigere ſtuderẽ, ſapientis cuiuſdam magiſtri vocem audiui, hęc mihi inclamantis: Egredimini, inquit, omnes, quos ſalutis cupiditas tenet, atq; à mundi vanitate vos remouete, tranſit enim ipſius figura. Iam iamque, & ecce non erit. Irretortis oculis excedite: nec tamen inanes & vacui, verum ſempiternæ vitæ viatica ferentes. Etenim longum iter vobis ineundum eſt, quodq; multo huiuſcẽ vitæ viatico opus habeat, atque ad ſempiternum locum, duas regiones, in quibus manſiones multæ ſint, habentem, peruenietis. Quarum alteram quidem Deus iis qui ipſius amore flagrant, eiuſq; mandatis obtemperant, præparauit, omnibus bonis florentem & circumfluentem.

Isa. 35.

Ad quam qui diuino beneficio admittuntur, in ſempiterna incorruptione degunt, vt qui immortalitate interitus omnis experte fruantur, vnde effugit dolor, triſtitia & gemitus. Altera autem, quæ tenebris, & calamitate, ac dolore conferta eſt, diabolo & angelis eius parata eſt. In quam etiam conijcientur, qui per flagitioſas actiones eam ſibi conciliauerint, atq; ab interitu aliena & ſempiterna bona cum præſentibus commutarint, totoſq; ſeſe ignis æterni pabulum effecerint.

1. Cor. 13.

Rom. 8.

Luc. 32.

Matth. 6.

Hac ego voce audita, atq; ipſius veritate intellecta, in hoc vnum opus incubui, vt ad illud hoſpitium peruenirem, quod omni dolore & mœſtitia vacat, tantaq; contra ſecuritate, ac tantis bonis ſcatet: quorum cognitio nunc mihi dumtaxat ex parte eſt, vt qui ſpiritualis ætatis ratione puer ſim, ac velut per ſpècula dumtaxat & ænigmata res futuræ vitæ perſpiciam. Cum autem venerit quod perfectum eſt, ac facie ad faciem cognoſcam, tum demum euacuabitur quod ex parte eſt. Quocirca gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Etenim lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, à peccati & mortis lege me liberauit, oculoſq; meos aperuit, vt carnis affectum mortem eſſe, ſpiritus autem affectum vitam & pacem, liquidò cernerem. Quemadmodum igitur ego præſentium rerum cognita vanitate; perfecto odio eas habui: eodem modo, vt de ipſis exiſtimes, te moneo, atque erga eas, non ſecus ac alienas, & quam primum diffluxuras afficiaris: atq; hinc ereptus omnibus facultatibus, immortali æuo, ad quod tibi ſine vlla mora proficiſci neceſſe eſt, theſaurum, qui furto compilari nequeat, & opes quæ exhauriri nullo modo poſſint, tibi recondas: vt cum eò acceſſeris, haudquaquam penuria labores, verum opibus circumfluas, quemadmodum tibi aptiſſimam imaginem ſuperius propoſui.

Diuitiæ ad cælum per pauperum manus mittendæ.

Daniel. 4.

Luc. 16.

Matth. 25.

Quidquid in pauperes confertur, Chriſtus ſibi adſciſcit.

1. Tim. 6.

Dixit autem Ioſaphat ad ſenem: Quanam igitur ratione pecuniarum theſauros illuc præmittere queam, vt eorum, cum hinc abſceſſero, fructum ab omni furto & interitu alienum nanciſcar: quonamq; item pacto meum in res præſentes odium demonſtrare, reſq; ſempiternas conſequi poſſim, aperte mihi velim explices. Ait igitur Barlaam: Diuitiæ ad ſempiternam regionem per pauperum manus præmittuntur. Ait enim quidam ſapientiſſimus propheta, Daniel nomine ad Regem Babylonis: Propter hoc, Rex, conſilium meum tibi placeat, & peccata tua eleëmoſynis redime, atque iniuſtitias tuas in miſerationibus pauperum. Quin etiam Saluator his verbis vtitur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Multaq; de eleëmoſyna & largitione erga pauperes, in Euangelico volumine inculcat. Ad hunc ſcilicet modum quam tutiſſime fortunas tuas omnes per egentium manus illuc præmiſeris. Nam quidquid in eo beneficii contuleris, Dominus ſibi adſciſcens, magno cum fœnore tibi rependet. Etenim eos, qui ipſius amore præditi ſunt, beneficiorum remunerationibus ſemper ſuperat. Ad hunc inquam modum huius ſæculi, cui diu iam non ſine ingenti afflictione ſeruiſti, ſurreptis theſauris, ex his præclarẽ viaticum tibi in futurum comparabis, atq; alieno eos eripiens, tibi ipſi prius recondes, per fluxa nempe & caduca hæc bona, ea quæ firma & ſtabilia ſunt emens. Deinde autem, Deo tibi opem ferente, huius mundi incertitudinem & inconſtantiam perſpicies: omnibuſque rebus valere iuſſis, ad futurum te transferes, atque ea quæ prætereunt ipſe prætertens, iiſque rebus quæ in ſpe poſitæ ac firmæ ſunt, te addicens, tenebraſq; cum mortis vmbra relinquens; odioquẽ tum mundum tum mundi principem inſectans, carnemq; interitui obnoxiam hoſtem tibi eſſe ducens, ad lucem inacceſſibilem accurres, cruceq; humeris ſublata, Chriſtum irretortis oculis ſequeris, vt etiam cum ipſo glorificeris, vitæq;, non iam caducæ & fallacis heres efficiaris.

Iosaphat itaque ad eum ait: Iſtud ipſum, nẽpe omnia pro nihilo putare, atque vſque adeo aſperum vitæ genus ſuſcipere, quemadmodum ſuperius dixiſti, vetúſne inſtitutum eſt, ab Apoſtolorum doctrina manans, an recens mentis veſtræ ſolertia excogitatum, tamquam ſcilicet hoc, vt melius ac præſtantius, vobis amplexandum duxeritis?

Senex

Senex autem ait: Non recens inductam legem tibi affero (abſit iſtud.) verum antiquitus nobis traditam. Dixit enim Dominus ad diuitem quemdam, qui ex ipſo percontabatur, quidnam ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam conſequeretur, iactabatque ſe cuncta, quæ in lege ſcripta erant, ſeruaſſe, Vnum tibi deeſt, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ac ſublata cruce me ſequere. At ille his auditis mœſtitia affectus eſt. Erat enim admodum diues. Cum igitur Ieſus eum mœrore affectum vidiſſet, dixit: Quam difficile ii, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei, facilius enim eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Hoc igitur mandato audito, ſancti omnes id ſtuduerunt, vt ab huiuſmodi opum difficultate ſeſe abſtraherent, ac per largitionem erga pauperes, diſperſis omnibus facultatibus, ſempiternisque diuitiis ſibi ipſis recōditis, crucem ſuſtulerunt, Chriſtumque ſecuti ſunt: ſic nimirum vt quidam, veluti iam à me dictum eſt, martyrio perfungerentur, quidam autem religioſæ vitæ exercitatione concertarent, atque, quantum ad veræ huiuſce philoſophiæ rationem attinet, nihilo illis inferiores eſſent. Quocirca illud ſcias velim. Regis noſtri ac Dei mandatum hoc eſſe, per quod homines ſempiternorum bonorum participes redduntur. Cum igitur, inquit Ioſaphat, tam antiqua & neceſſaria huiuſmodi philoſophia ſit, quid cauſæ eſt, quamobrem hodierna die pauci ſint, qui hanc vitam imitentur?

Verum de terū abdicatione doctrina.
Marc. 10.
Luc. 18.
Euangeliū cōſulit propriarū rerū abdicationem.

Respondit ſenex: Multi quidem eam imitati ſunt, & etiamnum imitantur. At multo plures cunctantur, ac moras nectunt. Pauci enim ſunt, vt ait Dominus, qui per arctam & anguſtam viam incedant: qui autem per facilem & latam, quamplurimi. Nam qui ſemel pecuniarum cupiditate, & vitiorum, quæ ex voluptatibus oriuntur, amore correpti, vanæque & inani gloriæ addicti ſunt, vix ab ipſis diuelli poſſunt, vt qui alieno domino, quique omnia, contra ac Deus, imperat, atque ipſos tamquam catenis quibuſdam vinctos tenet, vltro ſeipſos mancipatint. Animus quippe, cum ſemel ſalutis ſuæ ſpem abiecerit, habenas ſuas auerſis à ratione cupiditatibus permittens, quaquauerſum fertur. Ac proinde Propheta offuſam huiuſmodi animis amentiam deplorans, caliginiſque ipſos vrgentis craſſitiem lugens, his verbis vtebatur: Filii hominum, vſquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quemadmodum etiam quidam ſapientum magiſtrorum noſtrorum, vir rerum diuinarum peritiſſimus, eandem cū Propheta cantilenam canens, ac quædam à ſeipſo adiungens, tamquam ex alta quadam & editiſſima ſpecula omnibus inclamat: Filii hominum, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, magnum nimirum aliquid hanc vitam, & delicias, & exiguam gloriolam, & mendacem proſperitatem eſſe exiſtimantes? quæ quidē non magis eorum ſunt qui fruuntur, quam qui ea in ſpe habuerunt: nec rurſus horum magis, quam eorum, qui ne ea quidem vmquam exſpectarunt, & quæ non ſecus ac puluis à turbine ad alios atque alios ſubinde perflantur, ac viciſſim iactantur, aut fumi inſtar defluunt, ac velut in ſomniū homines ludificantur, & vt vmbra retineri nequeunt, ac denique ita natura comparata ſunt, vt nec cum abſunt, ea ſe habituros eſſe homines deſperent, nec cum adſunt, poſſidentibus certa & ſtabilia ſint.

Matth. 7.
Luc. 13.
Pſalm. 4.
Naz. Orati. de ſuis ſer. & ad Iulium Exſorem.
Rerū mundanarum vanitas.

Cum igitur ad hunc modum Saluator præcipiat, prophetæ & apoſtoli prædicent, ac ſancti omnes viri tum re ipſa tum ſermone ad virtutis viam ab omni errore maxime immunem nos impellant, etiamſi pauci hanc teneant, cōtra autem multi latam atque in exitium ducentem ſibi deligant, non tamen propterea diuinæ huius philoſophiæ inſtitutum minoris æſtimandum eſt. Vt enim ſol, cum illuminandi cauſa exoriens radios ſuos affluenter emittat, omneſq; ad excipiendum lumen cohortetur, ſi quidam clauſis oculis ſplendorem ipſius intueri nolint, non propterea reprehenſionem mereretur, aut à reliquis negligi debet, nec ſplendoris ipſius gloria ob illorum ſtultitiam in contemptu verſatur: quin potius illi quidem ſeipſos lumine orbantes, tamquam cæci, parietes palpant, atque in multas ſcrobes præcipites ruunt, multiſque ſpinis eorum oculi punguntur, ſol contra ſplendorem ſuum retinens, eos illuſtrat qui ipſius lumen detecta facie contuentur: ad eumdem quoque modum Chriſti lumen omnibus quidem illucet, ſplendoremque ſuum nobis affatim impertiat verò pro ſua quiſque cupiditate, animique alacritate ipſum percipit. Nam nec ille iuſtitiæ ſol vllum ex his qui oculorum aciem in ipſum intendere cupiunt, beneficio eo priuat, nec rurſum his vim infert, qui ſua ſponte tenebras eligunt: verum ſuæ quiſque liberæ voluntati & electioni, quamdiu in hac vita eſt, relinquitur. Cum autem Ioſaphat, quidnam arbitrii libertas atque electio eſſet, quæreret, reſpondit ſenex: Arbitrii libertas, eſt animæ ratione vtentis voluntas, ſine vllo impedimento ad id quod vult, hoc eſt ſiue ad virtutem ſiue ad vitium, incitata, atque à ſummo illo parente & architecto ita effecta. Rurſum, Arbitrii libertas eſt intellectualis animæ pro ſuo arbitratu agitatio. Electio autem eſt earum rerum quæ in arbitrio noſtro ſitæ ſunt, cum conſilio coniuncta appetitio. Siquidem rem eam, quæ inito conſilio melior iudicata eſt, eligentes appetimus. Conſilium, eſt inueſtigatrix appetitio de rebus gerendis, quarum penes nos poteſtas eſt. Deliberat enim quiſpiā, expediatne aliquid agere, necne. Deinde quod præſtantius eſt, iudicat, ac iudicium efficitur. Mox autem afficitur, atq; id quod ex conſilio iudicatum eſt, amat, ac ſententia dicitur. Nam ſi ita iudicet, vt tamen erga id quod iudicatum eſt, minimè afficiatur, hoc eſt, id minimè amet, ſententia haud quaquam appellatur. Tum poſt affectionem fit electio. Nā electio nihil aliud eſt, quam è duabus rebus propoſitis alteram præ altera amplecti & eligere. Atque illud vel ex ipſa etymologia perſpicuum eſt, electionem eſſe conſilium cum diiudicatione cōiunctum, προαιρετὸν enim eſt alterū præ altero electum. Nemo porrò quidquam adhibito iudicio alteri præfert, niſi prius conſilium inierit: nec rurſum eligit, niſi prius iudicarit. Nā quoniam non ea omnia quæ nobis recta & præclara eſſe videntur, in opus perducere ſtudemus; tum denique electio & eligendum efficitur id quod ex conſilio propoſitum eſt, cum appetitionem comitem adſciuerit. Ex quo concluditur, electionem eſſe appetitionem cum deliberatione coniunctam, earum rerum quæ in noſtra poteſtate ſitæ ſint. Etenim id quod ex conſilio præpoſitum eſt, eligentes appetimus. Omne quippe conſilium actionis cauſa & propter actionem ſuſcipitur. Ita conſilium quidem electionem antecedit, electio autem omnem actionem. Quocirca non modo actiones, ſed ea etiam quæ animo agitantur (quæ quidem electiones exhibent) tū coronas tum pœnas acceſſunt. Etenim electio in his rebus quæ in arbitrio noſtro ſitæ ſunt, verſans, tum peccati tum iuſti operis origo eſt. Nam quarum rerum facultates penes nos ſunt, harum etiam actiones facultatibus cōſentaneæ penes nos ſunt: Quamobrem cum facultates virtuti conſentaneæ in noſtra poteſtate ſint, in noſtra quoque poteſtate virtutes ſint neceſſe eſt. Propriè enim in arbitrio noſtro conſiſtunt ea omnia, quæ animam attingunt, & de quibus deliberamus. Ad hunc igitur modum liberè conſultantibus hominibus, ac libera item voluntate eligentibus, quatenus quiſpiam eligit, hactenus quoque diuinam lucem percipit, atque in philoſophiæ ſtudiis progreſſus facit. Varia enim electionum ſunt genera. Et quemadmodum quædam aquarum fontes è terræ viſceribus ſcaturientes, partim è ſuperficie terræ oriuntur, partim aliquanto profundius, partim profundiſſime: atque harum aquarum, aliæ è propinquo emanant, guſtuq; dulces ſunt, aliæ ex imo exeunt, ac ſalſæ aut ſulphureæ ſunt, atq; item aliæ vberrimè profluūt, aliæ paulatim ſtillant, Eodē modo in electionibus quoq; cogita, alias celeres ac per quā feruidas eſſe, alias ſegnes & frigidas, ac rurſū alias ad virtutē omnino propēſas, alias ad vitiū omnib. viribus inclinatas. Igitur quales earū affectiones ſunt, tales quoq; ad agendū impetus conſequuntur. Dixit aūt ad ſenē Ioſaphat: Sūt ne etiā alii nōnulli, qui eadē quæ tu prædicēt, an vero tu hodierno die ſolus es qui hæc doces, ac præſentē vitā vſq; adeo auerſandā, atq; odio inſectādā eſſe mones? Ille aūt ad hūc modū reſpōdit: In hac veſtra infeliciſſima regione nemini ē notū. Nā patris tui tyrānis innumeris mortis generib. eos mulctauit, deditq; operā, ne prorſus inter vos diuinæ cognitionis prædicatio audiretur. Apud reli-

Simile de eo, qui ſolē aſpicere renuit.
Quid ſit liberum arbitrium.
Conſilium, quid.
Quid ſit electio.
In hominis poteſtate virtus eſt, præſuppoſita tamen diuina gratia.
Simile à fōtiū aquis.

quas

Vna eſt veritas in tota Eccleſia & per vniuerſũ mundũ.

quas autem nationes hæc cantantur ac celebrantur, ab aliis quidem rectiſſima ratione, ab aliis autem peruerſe: quippe cùm animarum noſtrarum hoſtis nos à recta via tranſuerſos egerit, atque in alienas opiniones diuiſerit, eoſque loca quædam diuinæ Scripturæ, aliter quam germanus ſenſus ferat, interpretari docuerit. Ceterum vna eſt veritas, quæ ab illuſtribus apoſtolis & diuinis patribus prædicata eſt, & in catholica, atq; ab extremis orbis finibus ad extremos vſque fines diffuſa Eccleſia ſole ſplendidius lucet. Quam quidem ego vt tibi prædicarem ac traderem, ad te miſſus ſum.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: Nihilne horum pater meus vnquam didicit.

Matth. 19.

Respondit ſenex: Perſpicuè quidem, atque vt par erat, nihil didicit. Occluſis enim ſenſibus, bonum de induſtria repudiat, atq; in malũ libera animi inductione propendet. At vellem, inquit Ioſaphat, ille quoq; hac doctrina imbueretur. Reſpõdit ſenex: Hæc apud homines ſunt impoſſibilia: apud Deum autem nihil eſt quod fieri non poſſit.

Barlaã alterius Regis exemplo Ioſaphat docet.

Ecquid enim ſcis, futurumne ſit, vt patri tuo ſalutem afferas, atq; admirando modo patris tui pater tandem voceris? Narratum enim mihi eſt, Regem quemdam extitiſſe, qui præclare admodum regiã ſuam dignitatem adminiſtrabat, leniterq; ac placide populum, qui ipſius ditioni atque imperio ſuberat, tractabat, in hac autem vna re labebatur, quod diuinæ cognitionis lumine careret, atq; idolorum cultu conſtrictus teneretur. Erat autem ei probus quidam conſiliarius, ac tum erga Deum pietate, tum ceteris virtutibus ornatiſſimus, qui cum Regis errore angeretur, cumq; per moleſtè ferret, atq; ipſum hoc nomine coarguere in animo haberet, tamẽ hac de cauſa ſeſe reprimebat, quod vereretur, ne & ſibi & ſociis ſuis perniciem acceſſeret, eamq; vtilitatem quæ ex ipſo ad alios promanabat, amputaret. Occaſionem autem nihilominus quærebat, qua commode ipſum ad bonum pertraheret: Dixit igitur nocte quadam ad eum Rex: Adeſdum, egrediamur, ac ciuitatem circumeamus, num forte aliquid quod in rem futurum ſit, perſpiciamus. Cũ autem illi per vrbem obambularent, lucis ſplendorem per foramen quoddam radiantem cernunt: cui, cum oculos adiecissent, ſubterraneum quoddam & cauernoſum domicilium conſpicantur, in quo præſidebat vir quidam extrema inopia laborans, ac vilibus quibuſdam & laceris pannis indutus. Aſtabat autẽ ipſius vxor, vinũ ipſi temperans. Cumq; ipſe poculum manibus accepiſſet, illa ſuaue quoddam carmen canens, voluptatem ipſi afferebat, ſaltans nimirum, ac maritum laudibus deliniens: Rex igitur aliquantiſper hæc perſpiciens, mirabatur, quod cum tanta egeſtate premerẽtur, vt nec domus nec veſtis ipſis ſuppeteret, tamen vſque adeò lætam & hilarem vitam ducerent. Atq; ad primarium ſuum conſiliarium his verbis vtitur: O rem miram, ô amice! quod ſcilicet, nec mihi, nec tibi, vita noſtra, quamuis alioqui tanta gloria & deliciis & voluptate vndique collucens, vſque adeo vnquam placuerit, vt vilis hæc & ærumnoſa vita væcordes iſtos oblectat & exhilarat, vt quæ, tametſi alioqui aſpera & auerſanda, facilis ipſis ac blanda videatur. Opportunam autem horam nactus princeps ille conſiliarius, inquit: Tu vero, ô Rex, cuiuſmodi tandem horum vitam eſſe exiſtimas? Omnium, inquit ille, quas vnquam viderim, inſuauiſſimam & miſerrimam, execrationeque dignam & auerſandam. Tum ait ad eum primarius ille conſiliarius: Ad eundem ita modum mihi, ô Rex, ac multo etiam acerbior vita noſtra iis eſſe videtur, qui ſempiternam illam gloriam, ac bona illa quæ omnem mentis captum ſuperant, contemplantur atque cognoſcunt. Atq; auro rutilantes ædes, ac præclara hæc indumenta, ceteræq; vitæ deliciæ, iis qui cæleſtium tabernaculorum non manu factorum, veſtiſq; diuinitus contextæ, ac diadematum corruptionis omnis expertium, quæ rerum omnium architectus ac Dominus diligentibus ſe præparauit, ſtercoribus & cœno fœtidiores videntur. Quemadmodum enim iſti iudicio noſtro ac ſententia deſipiunt: ita etiã, ac multo magis nos qui in mundo oberramus, atq; in mendaci hac gloria, ſtultiſq; deliciis nobis placemus, in eorum oculis, qui bonorum illorum dulcedinem guſtarunt, luctu & lacrymis digni ſumus.

Quæ in hoc mundo magni æſtimãtur, piis contemptui ſunt

1. Cor. 2.

His autem verbis perculſus Rex, inquit: Quinam igitur illi ſunt, qui præſtantiorem nobis vitam agunt? Omnes, inquit ille, qui ſempiterna caducis & fragilibus prætulerunt. Cumq; Rex rurſum, quænam ſempiterna illa eſſent, quæſiuiſſet, reſpondit ille: Regnum ab omni ſucceſſione alienum, ac vita morti minime obnoxia, & opes egeſtatem non metuentes, lætitia item & oblectatio ab omni mœſtitia & dolore ſeiuncta, paxq; perpetua, & ab omni inimicitia & contentione libera. His bonis, quibus diuinitus frui contigerit, beati illi ac ſæpè beati: vitam enim omni labore & mœſtitia vacuam in omne æuum ducent, omnibus regni Dei iucunditatibus & oblectamentis ſine vllo labore fruentes, ac cum Chriſto in perpetuum regnantes. Cumq; Rex dixiſſet: Quiſnam tandem hæc conſequi promerebitur? reſpondit ille: Omnes qui viam illuc ducentem arripuerint: aditu enim prohibetur, qui modo voluerit. Tum Rex, Et quænam, inquit, eſt via, qua illuc itur? Reſpondit ille præclari animi vir: Cognoſcere ſolum verum Deum, & Ieſum Chriſtum vnigenitum ipſius filium, & ſanctum ac viuificum Spiritum.

Ioan. 17.

Rex igitur, regia ſane prudentia præditus, ad eum inquit: Et quidnam hactenus te prohibuit, quo minus mihi hæc exponeres? Neque enim hæc cunctatione ac dilatione mihi digna eſſe videntur, ſi quidem vera ſunt. Quod ſi dubia ſunt, ſedulo & accuratè inueſtigandum eſt, quoadusque ea citra vllam ambiguitatem ac dubitationem inueniamus. Non negligentia & ſocordia factum eſt, ait ille, vt tibi hæc exponere cunctarer, cum vera ſint atque ab omni dubitatione remota: verum quod excellentem gloriæ tuæ magnitudinem vererer, atque illud metuerem, ne tibi grauis ac moleſtus eſſem. Quocirca ſi mihi famulo tuo hoc imperas, vt te de his rebus in poſterum ſubmoneam, imperio tuo obſequar. Sane, inquit Rex, non interdiu ſolum, ſed etiam qualibet hora mihi harum rerum memoriam renoua. Neque enim negligenter ac perfunctoriè, verum ſummo ſtudio ac feruore his rebus animum intendere oportet. Audiui igitur, ait Barlaam, hunc Regem deinceps piè ac religioſe vitam inſtituiſſe, præſentiſque vitæ curriculo placidè ac tranquille confecto, ſempiternam beatitudinem conſecutum eſſe. Quamobrem ſi quis etiam patrẽ tuum de his rebus tempeſtiuè admoneat, fortaſſis intelliget atque exploratum habebit, quantis malis implicitus teneatur, atque ab iis ſeſe auertens, quod bonum eſt, amplectetur. Nam in præſentia quidem cæcus eſt, & manu tentãs, vt qui vero lumine ſeſe orbarit, atque ad impietatis tenebras transfugerit.

2. Pet. 1.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: De patre meo, quod Dominus iuſſerit, fiat. Nam ipſi, velut etiam abs te dictum eſt, ea omnia poſſibilia ſunt, quæ apud homines impoſſibilia eſſe videntur. Ego verò per eximios ac ſingulares tuos ſermones, vanitatis præſentium rerum pertæſus, ab his quidem omnino animum abducere conſtitui, ac tecum, quidquid mihi vitæ ſupereſt, traducere: ne per fluxa & fragilia ſempiternorũ bonorum & omni interitu alienorum fructu excidam. Reſpondit ſenex. Si hoc feceris, prudentiſſimo cuidam iuueni, quem copioſis atq; illuſtriſſimis parentibus natum eſſe intellexi, ſimilem te præbebis. Cui cum pater nobilis cuiuſdam atq; in primis copioſi viri filiã inſigni pulchritudine præditam deſpondiſſet, ac de huiuſmodi matrimonio cum filio ſermonem contuliſſet, quidq; in animo haberet expoſuiſſet, hæc vt ille audiuit, quaſi abſonum quiddam ac præpoſterum, huiuſmodi rem excutiens, relicto patre profugit. Cumque iter faceret, apud ſenem quemdam pauperem, vt à diei æſtu ſeſe recrearet, diuertit.

Pulchra parabola, de eo qui vitã religioſam amplexatus

Filia porrò ſenis illius, quæ vnica illi virgo erat, pro foribus ſedens, manibus operabatur, ore autem Deum ſine vlla intermiſſione laudabat, ex intimo pectore gratias ipſi agens. Ipſius autem laudem iuuenis audiens, ait: Quodnam, ô puella, tuum inſtitutum eſt? Et quam ob cauſam, cum in tanta vilitate & inopia verſeris, tamquam ob ingentia beneficia accepta, horũ auctorem laude afficis? Ipſa aũt ad eum reſpondit: An neſcis quod quemadmodum exiguum pharmacum è magnis plerunque morbis hominem eripit, eodem modo etiam ob paruas res Deo gratias agere, ingentia bona conciliat? Ego igitur pauperis ſenis filia, ob exigua hæc gratias ago ac Dominum laudibus afficio, illud nimirum ex-

Simile de pharmaco.

rum exploratum habens, quod qui hæc dedit, maiora quoq; dare poteſt. Atq; hæc quidem de rebus externis ac minimè noſtris, ex quibus nec his qui multa poſſident, fructus vllus, imò etiã ſæpè damnũ oritur, nec his qui pauciora acceperunt, incómodum vllum ac detrimentũ exiſtit: quippe cum vtriq; eandem viam obeant, atq; ad eundẽ finem contendant. At in ijs quæ magis neceſſaria maiori ſq; momenti ſunt, multis maximiſq;, atq; adeo innumeris beneficiis à Deo affecta ſum: etenim ad Dei imaginem condita, ipſiuſq; cognitione imbuta, & ratione præter omnia animãtia exornata, & ex morte, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ad vitam reuocata ſum, ac percipiendorum ipſius Sacramentorum poteſtatem accepi. Deniq; paradiſi porta patefacta eſt, liberum mihi, ſi quidem voluero, aditum præbens. De tot igitur ac tantis beneficiis, quorum pauperes æque ac diuites participes ſunt, dignas Deo gratias agere prorſus nequeo. Quod ſi exiguã hanc quoq; laudẽ, ei qui me tot muneribus cumulauit, minimè obtulero, quã tandem excuſationem habitura ſum? Iuuenis autem ingentẽ hanc prudentiã admirans, accito ipſius patre, Da mihi, inquit, filiam tuã: (ſiquidem ipſius prudentiam ac pietatem amore complector.) Senex autem ait: Non licet tibi, qui diuitibus & copioſis parentibus ortus es, hãc pauperis viri filiam accipere. Rurſum autem iuuenis ait: Certè hanc accipiam, niſi tu prohibeas: Etenim filia quædam nobilis ac diues mihi deſponſa fuerat: verum ea repudiata atq; abiecta, in fugã me dedi. Contrà filiæ tuæ, ob ipſius erga Deum pietatẽ ac prudentiam amore correptus, matrimonio cum ea iungi paratus ſum. Senex autem ad ipſum ait: Eam tibi dare nequeo, vt in paternam domum abducas, atq; à meis vlnis abſtrahas: vnica enim mihi eſt. At ego, inquit iuuenis, apud vos manebo, veſtramq; vitæ rationem ſuſcipiam: ac poſtea, luculenta veſte abiecta, ſenis illius veſtes petiit, iiſq; ſe induit. Cumq; ille ipſum diu multumq; tentaſſet, variiſq; modis ipſius animum exploraſſet, vt eum mentis grauitate præditum eſſe cognouit, nec ſtulto quodã amore obſeſſum filiam ſuam in matrimoniũ petere, verum pietatis ſtudio pauperem vitam amplexari, eamq; gloriæ ſuæ ac nobilitati anteferre, arrepta ipſius manu in conclaue ſuum eum introduxit, & ingentes opes illic reconditas, atq; innumerabilem pecuniarum molem, quantamq; iuuenis ille nunquam viderat, ipſi commonſtrauit. Atq; ad eum: Fili hæc omnia tibi dono do: propterea quod meariũ opum heres eſſe in animũ induxiſti. Qua hereditate percepta, ille oẽs terræ diuites & claros homines ſuperauit.

Præcipua Dei erga nos beneficia.

Præcipua Dei beneficia diuitib. & pauperib. communia ſunt.

Dixit autem Ioſaphat ad Barlaam: Aptè ſanè hæc etiam narratio rerum mearum ſtatum exprimit, ac proinde de me quoq; hæc abs te dicta eſſe exiſtimo. Verum quodnã tandem eſt illud experimentum, per quod animi mei conſtantiam exploratam habere cupis? Reſpondit ſenex: Equidem ipſe etiam periculum feci, & intellexi, quanta in te mẽtis prudentia atq; conſtantia, quamq; rectus & integer tibi animus ſit. verum actionis tuæ finis hæc confirmabit. Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum noſtrum, qui in Trinitate celebratur, ad eum inquam, qui omnia, tam quæ aſpectu ſentiuntur quam quæ oculorũ ſenſum fugiunt, procreauit: qui verè ac ſempiternè eſt, nec gloriosi ſtatus ſui aut principium vnquam habuit, aut finem habiturus eſt: ad illum inquam metuendum atq; omnium rerum præpotentẽ, bonumq; & ad miſerationem propenſum, vt cordis tui oculos illuminet, detq; tibi ſpiritum ſapientiæ & reuelationis ad ipſius agnitionem, vt cognoſcas quæ ſit ſpes vocationis tuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis ipſius in ſanctis, & quæ ſupereminens illa magnitudo potentiæ ipſius in nos qui credidimus, vt iam non ſis hoſpes & aduena, ſed ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, ſuperædificatus ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.

Ephes. 4. Barlaam orat pro ſalute Ioſaphat.

Ephes. 1.

Ephes. 2.

Iosaphat autem ingenti animi compunctione affectus, dixit: Hæc ſcilicet omnia ipſe quoq; ſcire geſtiens, abs te peto, vt & diuinæ gloriæ diuitias, & ipſius potentiæ excellentiam mihi declares.

Dixit autem ad ipſum Barlaam: Deum ſupplex rogo vt hæc te doceat, atq; huiuſmodi rerum cognitionem animo tuo inſerat. Quandoquidem apud homines ipſius gloria ac potentia nullo modo commemorari poteſt, quãuis etiam omnes omnium hominũ, tam qui nunc ſunt quam qui aliquando fuerunt, linguæ in vnum coẽant. Deũ enim, inquit Euangeliſta & Theologus, nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Eius porrò qui oculorum obtutum fugit, atq; immenſus eſt, gloriam & maieſtatem, quis tandem eorum qui è terra concreti ſunt, comprehenſam habere queat, niſi ipſe arbitratu ſuo eam patefecerit, quemadmodum ſcilicet prophetis ſuis & apoſtolis patefecit? Nos autem tum ex eorum prædicatione, tum ex ipſa rerum natura, quantam aſſequi nobis datur, eam diſcimus. Ait enim Scriptura: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentũ. Ac rurſus: Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ipſius potentia & diuinitas. Quemadmodum enim quiſpiam domum præclare ac ſumma arte conſtructam, aut vaſculum eleganter concinnatum perſpiciens, architectum aut fabrum ſtatim ob animum ſibi proponit: ſic etiam ego ex nihilo effictus, atque in ortum productus, etiamſi fictorem ac productorem meum cernere nequeam, tamen ex aptiſſima maximeq; admiranda mei ſtructura ad ſapientiæ ipſius cognitionem veni, nõ quatenus eſt, ſed quatenus intelligere queo: nempe quia non caſu ac fortuito productus ſum, nec à me ipſo extiti, verum ipſe arbitratu ſuo me effinxit: ſic nimirum vt me rerũ omnium conditarum principem conſtituerit, quibuſdam autem inferiorem fecerit, ac conſtitutum etiam diuino ſuo imperio me ex hac vita educens, ad alteram vitam finis expertem ac ſempiternã transferat. Quibus omnibus in rebus prouidentiæ ipſius viribus obluctari nequeo, nec mihi quidquam, vel quantum ad ſtaturam, vel quantum ad formæ figuram attinet, adiicere aut ſubtrahere, nec ea quæ in me vetuſtate cõfecta ſunt, renouare, nec quæ labefactata & corrupta ſunt, in integrũ reſtituere. Neq; enim rationalium vllus vnquam fuit, qui horum quidquam efficere poſſet, non Rex, non ſapiens, non diues, non potens, non deniq; alius quiſpiam humana ſtudia conſectans. Nullus enim, inquit ille, Regum, aut eorum qui in ſublimitate ſunt aliud habuit natiuitatis initium. Vnus enim eſt omnium introitus ad vitam, & idem exitus. Quamobrem ex iis quæ ad me pertinent, ad magnificentiæ ſummi illius architecti cognitionem velut porrecta manu ducor. Præterea autem aptiſſimam rerũ omnium conditarũ ſtructurã atq; conſeruationẽ conſideraui, nempe quod ſuapte quidem natura cuncta mutationi atq; conuerſioni ſubiecta ſunt, nimirum ea quæ mente prædita ſunt, ratione voluntatis, progreſſuſque in bono aut receſſus à bono, ea autẽ quæ in ſenſum cadunt, ratione ortus & interitus, accretioniſque, & imminutionis, & mutationis eius, quæ in qualitate poſita eſt, ac denique localis motus. Ac per ea tacitis quibuſdam vocibus prædicant, ſe à Deo creatore ac mutationis omnis & conuerſionis experte procreata eſſe, atque contineri & conſeruari, ſemperque gubernari. Quonam enim alioqui modo naturæ inter ſe pugnantes ad vnius mundi ornatum omnibus numeris abſoluendum in vnum coiiſſent, ac diſſolutionis expertes permanſiſſent, niſi vis quædam omnipotens hæc & copulaſſet, & ſemper à diſſolutione aliena conſeruaret. Quonã enim pacto, niſi volũtas ipſius tranſtuliſſet, aliquid mãſiſſet? aut quonã pacto, vt Scripturæ verbis vtar, quod ab eo minimè vocatũ eſt, cõſeruari potuiſſet: Nã cũ nauis remoto gubernatore cõſiſtere nequeat, verũ ſtatim perſũ eat, nec vlla, quantumlibet exigua, domus ſtare poſſit, niſi ſit aliquis, qui ipſius curã gerat, quonã tandẽ pacto mundus, opus vſq; adeo ingens, atq; ita præclarũ & admirandũ, ſine eximia aliqua & ingenti atq; admiranda gubernatione ſapientiſſimaq; prouidentia, tã diuturno tẽporis ſpatio conſtitiſſet: Ecce enim quantũ iã tẽporis fluxit, ex quo cælũ eſt, nec tamẽ obſcuritatẽ cõtraxit, nec terræ vis tãdiu parens elanguit, nec fontes, ex quo orti ſunt, ſcaturire deſtiterũt, nec mare tot fluuios excipiẽs menſurã ſuã exceſſit, nec ſolis ac lunæ curſus immutationẽ vllã ſubierunt, nec diei ac noctis ordines inuerſi ſunt. Ex his nimirũ omnibus Dei potentia & magnificẽtia, quæ omnẽ orationis facultatẽ ſuperat, nobis declaratur, prophetarũ atq; apoſtolorũ teſtimonio confirmata. Verum ipſius gloriam nemo vnquã pro dignitate cogitare aut collaudare poterit. Siquidem

Dei diuitiæ nullis verbis exponi poſſunt.

Ioan. 1.

Pſalm. 18.

Rom. 1.

Simile, quo modo ex rebus cõditis conditor agnoſcatur.

Sap. 7.

Item, ex rerum conſeruatione.

Simile de naui ſine gubernatore.

goris & æſtus moleſtiis corpus affligantes, futuræ immortalitatis veſtem nobis comparamus. Cumque hic Ioſaphat quæſiuiſſet, vndenam veſtem illam, qua indutus erat, ſibi comparaſſet, reſpondit ſenex: A quodam piorum fratrum eam, cùm ad te profecturus eſſem, vtendam accepi: neque enim par erat, vt cum ea quam ferre ſoleo, veſte accederem. Quemadmodum enim quiſpiam chariſſimum quendam cognatum in alienam regionem captiuum abductum, illinc educere cupiens, abiecta veſte ſua, atque hoſtium ſuſcepta perſona, ad eorum regionem ſeſe confert, variiſque artibus propinquum ſuum ex acerba tyrannide in libertatem aſſerit: eodem modo ego quoque de tuis rebus certior factus, hoc habitu ſuſcepto veni, vt diuina prædicatione pectus tuum conſererem, atque à truculenti principis mundi ſeruitute te vindicarem. Ac nunc per virtutem diuinam, quantum quidem in me fuit, miniſterio meo perfunctus ſum. Etenim ipſius cognitionem tibi annuntiaui, ac Prophetarum & Apoſtolorum prædicationem expoſui, rerúmque ac ſine vllo errore præſentium rerum vanitatem demonſtraui, quantiſque malis hic mundus ſcateat, eos qui ipſi obtemperant in fraudem inducens, variiſque modis irretiens. Deinceps igitur, eò vnde huc veni, reuertendum eſt, actum alieno habitu depoſito, meum induam.

Simili, cur veſtem mutauerit, docet.

Obsecravit autem ſenem Ioſaphat, vt ſe ipſi cum conſueta veſte oſtenderet. Cum itaq; Barlaam veſtem eam, quam gerebat, exuiſſet, horrendum Ioſaphat ſpectaculum ſeſe obtulit. Etenim tota carnis ipſius * qualitas abſumpta erat, ac pellis ex Solis æſtu atque ardore circum oſſa tenſa erat, non ſecus ac ſi quis pellem ſubtilibus calamis tetendiſſet. Pannoſo porrò ac perquam aſpero cilicio è lumbis vſque ad genua cingebatur, idemq; pallium humeris gerebat. Admiratus itaq; Ioſaphat huiuſmodi vitæ duritiam & aſperitatem, atq; ex ingenti ea & ſingulari tolerantia ſtupore affectus ingemuit, profuſiſque lachrymis ad ſenem ait: Quoniam ea tibi huc veniendi cauſa fuit, vt me ex acerba diaboli ſeruitute extraheres, beneficio tuo extremam manum impone, atq; animam meam de cuſtodia educ, ac me itineris tui ſocium adhibe: vt mundi impoſtura prorſus liberatus, tum deniq; ſalutaris Baptiſmi ſigillum accipiam, ſociumq; me tibi admirandæ huius philoſophiæ atq; eximiæ exercitationis præbeam.

* πιότης forcaſſe legendũ, id eſt pinguedo.

Pſal. 141.

Optat Ioſaphat comitari Barlaã.

Dixit autem ad eum Barlaam: Capreæ hinnulum diues quiſpiam olim alebat: cum autem ipſe creuiſſet, naturali affectu pertractus ſolitudines expetebat. Egreſſus igitur quodam die, capreaũ gregem paſtui operam dantem inuenit, atque ad eas ſeſe adiungens, per agros & campos oberrabat, ac ſero quidem domum ſe referebat, mane autẽ famulorum negligentia foras egrediebatur, atque cum ſyluestribus capris ſtagg egabat. Porrò cum illæ pabulatum longius proceſſiſſent, ipſe quoque eas comitatus eſt. At verò diuitis illius viri famuli, re cognita, conſcenſis equis eas à tergo inſecuti ſunt, ac ſuam quidem capream viuam captam, domumque reductam poſthac ita tenuerunt, vt nulli ad eam aditus pateret; reliquum autem gregem partim trucidarunt, partim malè mulctarunt. Eodem modo ne nobis accidat metuo, ſi mihi te comitem adiungas. Hoc eſt, ne & tuo contubernio priuer, & ingentes ſociis meis calamitates, ac ſempiternam patri tuo condemnationem accerſam. Vult itaque te Dominus nunc quidem diuini Baptiſmi ſigillo conſignari, atque hic manentem omni pietatis generi ſtudere, præceptiſque ſuis operam dare. Poſteaquam autem illius bonorum omnium datoris munere occaſio ſeſe obtulerit, tum demum & ad nos venies, & per reliquum omne huiuſce vitæ tempus nobiſcum diges. Ac Domini benignitate fretus, haudquaquam dubito, quin in futura vita ita coniungamur, vt nunquam diuelli poſſimus.

Parabolã valde ad rẽ accommodatã diſſuadet id Barlaam.

Iosaphat autem lachrymis rurſum perfuſus, ad eum ait: Si Domino ita placet, ipſius voluntas fiat. Quocirca cum diuino Baptiſmate me initiaueris, pecuniaſque à me & veſtes, tam ad tuum quàm ad ſodalium tuorum victum ac veſtitum acceperis, in religioſæ exercitationis locum, diuinæ pacis præſidio ſeptus, abſcede: meaque cauſa ſine vlla intermiſſione Deum roga, vt ne ſpe mea fruſtrer, verùm primo quoque tempore ad te peruenire, atq; in alta quiete vtilitatem ex te percipere poſſim.

Ioſaphat offert munera.

Barlaam autem ait: Quin Chriſti quidem ſigillum accipias, nihil eſt quod prohibeat. Quare teipſum iam adorna, ac Deo iuuante Chriſtianæ fidei ſacris initiaberis. De iis autem pecuniis, quas te tum mihi tum ſodalib. meis daturum dixiſti, quî tandem fieri poſſet, vt tu qui pauper es, diuitibus eleemoſynam impertias? Siquidem diuitum eſt de pauperibus bene mereri, non autem contra pauperum de locupletibus & copioſis. Nam ſodalium omnium meorum poſtremus, opibus omnino te ſuperat. Verùm diuinis miſerationibus fretus, hoc mihi perſuadeo, te propediem locupletiſſimum fore. Quod cùm contigerit, minime ad largiendum promptus ac procliuis eris. Dixit autem ad eum Ioſaphat: Expone mihi, quæſo, quonam pacto ſodalium tuorum extremus opibus me antecellat, cum paulò ante tu eos in magna inopia viuere, atque extrema paupertate conflictari dixeris. Quidnam item ſit, quamobrem nunc me pauperem appelles: cum autem ampliſſimis opibus præditus fuero, minime liberalem fore dicas, qui nunc ad largiendum promptus ac propenſus ſum.

Barlaam ei reſpondet.

Respondit Barlaam: Non eos paupertate conflictari dixi, ſed inexhauſtis potius opibus florere. Nam opibus opes ſemper adiungere, nec cupiditatem tanquam fræno coërcere, verum ſine vlla ſatietate plura appetere, extremæ paupertatis argumentum eſt. Contra, qui ſempiternarum rerum cupiditate præſentia omnia contemnunt, eaq; pro ſtercoribus ducunt, vt Chriſtum ſolum lucrentur, omniq; re ciborum & indumentorum excuſſa atque in Deum proiectâ curâ, maiorem ex inopia voluptatem capiunt, quàm quiſquam eorum qui mundi amore flagrant, ex opum & pecuniarum abundantia capiat, quique ampliſſimas virtutum diuitias ſibi aggeſſerunt, atque immortalium bonorũ ſpe ſeſe alunt, hos ego optimo iure, te, atque adeò quouis terreno rege locupletiores dixerim. Quod ſi Deo tibi fauente, tu quoque ſpirituales huiuſmodi diuitias arripueris, eas ſummo ſtudio ac diligentia ſeruabis, ac ſemper, & quidem meritò, augere cupies, nec vllam omnino earum partem effundere ſuſtinebis. Nam in hoc demum veræ diuitiæ ſitæ ſunt. Earum autem opum quæ in ſenſum cadunt, moles detrimento potius quàm commodo amicos ſuos affecerit. Quare non abs re eas extremam paupertatem appellaui, quas cœleſtium bonorum amatores, rebus omnibus remiſſo nuntio, ita fugiunt, vt quiſpiam ſerpentem fugit. Si verò eum hoſtem, quem mei piæ exercitationis ſocij & commilitones iam obtruncarunt, ac pedibus proculcarunt, viuum rurſus abs te acceptum ad ipſos detulero, bellorumq; ac perturbationum cauſa ipſis fuero, pro rſas ipſis exitioſus nuntius ero. Quod quidem abſit vt faciam.

Auari ſemper pauperes.

Qui verè diuites ſint.

Philipp 3.

Idem autem de indumentis etiam intelligas velim. Nam eos, qui vetuſtatis labem & corruptelam exuerunt, atq; inobedientiæ veſtem; quantum in ipſis fuit, depoſuerunt, Chriſtum autem tanquam veſtimentum ſalutaris, & pallium lætitiæ induerunt, quonam tandem modo rurſus pelliceis tunicis induerem, ipſiſque ignominiæ amictum imponerem? Quin potius, cùm ſodales meos, vt qui pia & religioſa ſolitudinis exercitatione contenti ſint, eamque pro veriſſimis deliciis ducant, nullis omnino eiuſmodi rebus indigere cõpertum habeam, pecuniis & veſtibus, quas te ipſis daturum dicebas, in pauperes diſtributis, fac tibi eiuſmodi theſaurum in futurum recondas, qui nullo modo ſurripi poſſit, Deum ſcil. in ipſo per illorum preces opitulatorem tibi adiungens. Sic enim hoc cõſequêris, vt opes ad optima quæq; tibi adiumento ſint. Ac deinde, cum Spiritus armaturam acceperis, & lumbos in veritate ſuccinxeris, ac iuſtitiæ loricam indueris, & ſalutis galeam capiti tuo impoſueris, & pedes in Euangelij pacis præparationem calceaueris, fideiq; ſcutum ac Spiritus gladium, quod eſt verbum Dei, manibus ſumpſeris, atq; vndique te præſtantiſſimis armis inſtruxeris ac muniueris, ita demũ fidenti animo ad bellũ cum impietate committendũ egredere, vt ea in fugam verſa, atq; ipſius duce diabolo in terrã alliſo, à dextra Dñi manu quæ vitæ principiũ affert, victricẽ coronã cõſequaris.

Veſtes recuſat Barlaam Chriſto veſtitus.

Epheſ. 6.

Ante Baptiſmi ſuſceptionem ieiunandum & orandū.

CVM Barlaam huiuſmodi doctrinis ac ſalutiferis ſermonibus, Regis filium imbuiſſet, atque ad diuinum Baptiſmum præparaſſet, eque, vt conſuetudo fert, ad aliquot dies ieiunare ac precibus incumbere præcepiſſet, ad eum crebro ventitare non deſinebat, atque omnia orthodoxæ fidei dogmata ipſi tradebat, diuinumque Euangelium exponebat, ac præterea Apoſtolicas cohortationes & Prophetarum loca ipſa explanabat. Nam cum vir ille diuinitus tradita doctrina polleret omnem tam veteris quàm noui Teſtamenti Scripturam memoriter recitabat. Cumque diuino Spiritu incitatus ferretur, adoleſcentem veræ Dei notitiæ luce colluſtrauit. Eo autem die quo baptizandus erat, XIX.

Oratio Barlaami ad Ioſaphat.

docendi cauſa his ad eum verbis vtebatur: En Chriſti ſigillum accipere, atque Dominici vultus lumine conſignari, Deique filius, ac viuifici Spiritus templum effici properas.

Pſal. 4.
Inſtruit eū fidei Nicenæ ſymbolo.

QVOCIRCA in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum crede, ſanctam, inquam, ex qua vita initium duxit, Trinitatem, quæ in tribus perſonis & vna diuinitate celebratur, ac, quantum quidem ad perſonas & perſonales proprietates attinet, diſtincta eſt, quantum autem ad eſſentiam, coniuncta & copulata: vnum Deum ingenitum agnoſcens, atque vnum Filium vnigenitum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, lumen de lumine, Deum verū de Deo vero, genitum ante omnia ſæcula. (Etenim ex bono Patre bonus Filius genitus eſt, & ex vnigenito lumine ſempiternum lumen effulſit, & ex vera vita viuificus fons prodiit, & ex ipſamet potentia, Filij potētia emicuit, qui eſt ſplendor gloriæ, & Verbum verè ſubſiſtens, qui in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, principij expers & ſempiternus, per quem omnia facta ſunt, tam quæ oculis cernuntur, quàm quæ cerni nequeunt.) Et vnum Spiritum Sanctum, ex Patre procedentem, agnoſcens, Deum perfectum, & vitam afferentem, ac ſanctitatem præbentem, eadem voluntate præditum, omnipotentem, eandem æternitatem habentem, vere ſubſiſtentem. Ad hunc igitur modum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum adora, in tribus perſonis ſeu proprietatibus, atque in vna diuinitate Communis enim his tribus eſt diuinitas, atque vna ipſorum natura eſt, vna ſubſtantia, vna gloria, vnum regnum, vna potentia, vna auctoritas. Commune autem eſt Filio & Spiritui Sancto, quod ex Patre ſunt; at verò Patri proprium eſt, ingenitum eſſe, Filio, genitum eſſe, Spiritui denique, proceſſiſſe.

Heb. 1.
Ioan. 1.

Non inquirēdum quo pacto vel Filius genitus ſit, vel Spiritus proceſſerit.

SIC igitur hæc crede, at generationis aut proceſſionis modum comprehendere minime ſtudeas, (neque enim comprehendi poteſt) verum integro corde ac ſine vlla ſuperuacanea inueſtigatione illud tene, nimirum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum omnibus modis vnum eſſe, excepta ingeniti proprietate, & generatione, & proceſſione: illudque item, vnigenitum Filium ac Dei Verbum, & Deum, ſalutis noſtræ cauſa Patris decreto, ac Spiritus Sancti adiuncta opera, in terram deſcendiſſe, ſine ſemine in ſanctæ Virginis ac Dei genitricis Mariæ vtero per Spiritum Sanctum conceptum, ac ſine vlla labe genitum, perfectumq; hominem effectum: illudq; præterea, ipſum perfectū Deum ac perfectum hominem eſſe, ex duabus naturis, hoc eſt diuinitate & humanitate, ac in duabus naturis intelligentia & voluntate & operatione & arbitrij libertate præditis, atque omni ratione perfectis, iuxta normam ac rationem vtriusque naturæ, hoc eſt diuinæ & humanæ conſentaneam, vna autem compoſita perſona. Hæc, inquam, ſimpliciter atq; ſine vlla curioſa inueſtigatione accipe: nec illud intelligere ſtude quonam pacto Dei Filius ſeipſum exinaniuerit, atq; ex virgineis ſanguinibus homo ſine ſemine atq; corruptione factus fuerit: aut quonam pacto duæ naturæ in vnam perſonam conuenerint. Nam hæc quæ diuinitus nobis à Scriptura ſancta dicta ſunt, fide tenere docemur: modum autem neſcimus, nec exponere poſſumus.

Chriſtus omnes humanas affectiones, quæ vitio carent, ſuſcepit.

CREDE Filium Dei, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ homo factus eſt, omnes eas humanas affectiones, quæ naturales ſunt, nec vitio dantur, ſuſcepiſſe. Fame enim, quantum ad humanam naturam attinet, ac ſiti laborauit, & dormiuit, & in angore verſatus eſt, & pro noſtris iniquitatibus ad mortem ductus, crucíq; affixus, ac deguſtata morte ſepultura affectus eſt, diuina interim natura ab omni perpeſſione ac mutatione libera manente. Nullam enim omnino perpeſſionem ipſius naturæ ab omni perpeſſione alienæ attribuimus: verū in ea natura quam aſſumpſit, eum paſſum & ſepultum eſſe agnoſcimus, ac diuina gloria à morte ad vitam & immortalitatem excitatum eſſe, atque in cœlos aſcendiſſe, tandemque rurſum cum gloria venturum eſſe, vt de viuis ac mortuis ſententiam ferat, atq; vnicuique pro eo ac meritus eſt, rependat. Reſurgent enim mortui, & excitabuntur, qui in monumentis ſunt. Atq; illi quidem, qui Chriſti mandata obſeruauerint, & in recta fide ex hac vita exceſſerint, ſempiternam vitam hæreditariò poſſidebunt; qui autem in peccatis ſeſe corruperint, atq; à recta fide deflexerint, ad ſempiternum ſuppliciū abituri ſunt. Crede nec vllam mali eſſentiam, nec regnum vllum eſſe: nec principij expers illud eſſe ſtatue, aut in ſeipſo extitiſſe, vel etiam à Deo ortum traxiſſe (procul à te ſit hæc abſurditas:) verum opus noſtrum ac diaboli hoc eſſe, quod noſtra incuria & negligētia obrepit, propterea quod libero arbitrio præditi ſumus, ac ſponte noſtra tam bonum quàm malum eligamus. Ad hæc vnum Baptiſma ex aqua & Spiritu Sancto in peccatorum remiſſionem confitere.

Matth. 16.
Apoc. 22.
Ioan 5.
Aduerſus Manichæos

Quid de Euchariſtia credendum.

ATQVE inſuper ab omni labe pura Chriſti myſteria accipe, certiſſime credens, Dei noſtri corpus & ſanguinem eſſe, quæ hominibus fide præditis, ad peccatorum veniam donò dedit. Chriſtus enim ea nocte qua tradebatur, Teſtamentum nouum diſcipulis ſuis & Apoſtolis, ac per eos omnibus qui in ipſum credituri erant, in hæc verba ſanxit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorū. Eodemq; modo ſumptum calicem ipſis porrexit, dicens: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam cōmemorationem. Ipſe igitur Dei ſermo viuus & efficax, atq; ſua virtute nihil non efficiens, per diuinum ac ſacroſanctum ſermonem, ac Spiritus S. aduentum, ex oblationis pane & vino corpus ſuum ac ſanguinem efficit, atq; immutat, & iis, à quibus cupido animo percipitur, ſanctitatem & lucem offert.

1. Cor. 11.
Hebr. 4.

De imaginibus honore afficiendis. Baſil lib. de Spiritu Sancto cap. 18

VENERANDAM characteris Domini, hoc eſt, Dei Verbi, humanitate noſtra cauſa induti, effigiem adora, cum fide exoſculans, atq; ita exiſtimans, te ipſummet creatorem in imagine contueri. Siquidem imaginis honor, vt à ſancto viro proditū eſt, ad exemplar refertur. Exemplar porrò eſt id, cuius imago effingitur, atq; ab eo deriuatur. Etenim cum picturā in imagine cernimus, ad veram formam, cuius imago eſt, mentis oculis tranſimus eum qui noſt a cauſa carnem ſibi adiunxit, piè adorantes: nō ipſi quidē picturæ diuinitatē attribuentes, verùm vt incarnati Dei imaginem pro noſtro erga eum; qui noſtra cauſa etiam vſque ad ſerui formam ſeſe exinaniuit, amore ac beneuolentia complectentes. Eodemq; modo etiam puræ ipſius Matris, atq; omnium Sanctorum effigies, eadem ratione complectens, atque item viuificæ ac venerandæ Crucis typum fide adorans, exoſculare, ob Chriſtum videlicet ac Deum & mundi ſeruatorem, qui ſalutis noſtræ cauſa carne in ipſa ſuſpenſus eſt, nobisque ad victoriam aduerſus diabolum obtinendam hoc ſignum dedit. Cohorreſcit enim ille ac tremore afficitur, ipſius vim intueri minime ſuſtinens. In his dogmatibus, atq; huiuſmodi fide baptizaberis, eam mutationis omnis expertem, atq; ab omni hæreſi puram vſque ad extremum vitæ ſpiritum retinens: omnem autem doctrinam, atque omnia dogmata, quæ huic irreprehenſione alienæ fidei aduerſantur, execrare, atque abalienationem à Deo eſſe exiſtima. Ait enim Apoſtolus: Etiamſi Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Neq; enim aliud eſt Euangelium, aut alia fides, præter eam, quæ ab Apoſtolis prædicata, atq; à diuinis Patribus in variis Conciliis confirmata eſt.

Chriſti effigies.

Diabolus crucis ſignū timet.

Galat. 1.

Baptizatur Ioſaphat. Barlaam Miſſam priuatam celebrat.

HÆC cùm dixiſſet Barlaam, atq; illud fidei ſymbolum, quod in Nicæno Concilio editum eſt, Regis filio expoſuiſſet, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, eum in piſcina, quæ in ipſius horto erat, baptizauit, ac ſuper eum Spiritus S. gratia venit. Cumq; ad ipſius cubiculū reduxiſſet, atq; incruenti ſacrificij factū peregiſſet, immaculata Chriſti

myſteria

myſteria ipſi impertiuit. Poſteaq́ue ille ſpiritu exultabat, Chriſtum Deum laude atque gloria afficiens. Dixit autem ad eum Barlaam: Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro ingenti ſua miſericordia regenerauit te in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis in Chriſto Ieſu Domino noſtro per Spiritum Sanctum. Hodierno enim die à peccato liberatus, accepto ſempiternæ vitæ pignore, Deo mancipatus es, ac relictis tenebris lumen induiſti, adoptatus in libertatem gloriæ filiorum Dei: Quotquot enim, inquit ille, receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ita, ut non iam ſeruus es, ſed filius & hæres Dei, per Chriſtum in Spiritu Sancto. Quocirca, chariſſime, id ſtude, vt mũdus & immaculatus ipſi inueniaris, ſupra fidei fundamentum proba opera extruens. Fides enim ſine operibus mortua eſt, quemadmodum & opera ſine fide.

1. Petr. 1. — Poſt Baptiſmum de vita Chriſtiana Ioſaph. admonet. — Ioan. 1. — Galat. 4. — 2. Petr. 5. — Iacob. 2.

ATQVE, vt iam prius, me ad te dicere memini, depoſita iam omni malitia, veterisque hominis, qui ſecundum erroris deſideria corrumpitur, operibus omnibus odio habitis, tanquam modo genitus infans, rationabile & ſine dolo virtutum lac ſugere concupiſce: vt in eo creſcas, atque ad mandatorum Dei cognitionem peruenias in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt non iam ſis paruulus ſenſibus, vitioſarum affectionum fluctibus ac tempeſtate iactatus & circumactus, verum malitia quidem paruulus ſis, ad bonum autem firmam ac ſolidam mentem habeas, atque vt dignum eſt ea vocatione qua vocatus es, in mandatorum Domini obſeruatione verſeris, excuſſa nimirum atque à te remota prioris vitæ vanitate, quemadmodum gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, obſcuratum habentes intellectum, alienati à gloria Dei, cupiditatibusque ſuis & motibus à ratione auerſis ſubiecti. Tu verò quemadmodum ad Deum viuum & verum acceſſiſti, ſic etiam vt filius lucis ambula. Fructus enim Spiritus eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate. Atque illud operam da, ne nouum eum hominem, quo hodie indutus es, priori poſthac vetuſtate labefactes: verùm quotidie in iuſtitia & ſanctitate & veritate renouetis. Nam hoc nemo non poteſt, ſi velit: quemadmodum audiſti, quod poteſtatem dederit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quapropter non iam hoc dicere poſſumus, nos virtutes adipiſci minime poſſe. Procliuis enim ac facilis via eſt, atq; etiã ob corporis afflictionem arcta quodammodo & anguſta dicta eſt, tamen ob futurorum ſuorum ſpem iis recta & clara eſt, qui non ſtultè ambulant, verùm Dei voluntatem exactè intelligunt, atque ad dimicandum aduerſus diaboli hoſtis verſutias ipſius armaturã induunt, & in oratione atq; obſecratione, cum patientia & ſpe in hoc ipſum inuigilant.

Epheſ. 4. — 1. Pet. 2. — Epheſ. 4. — Galat. 5. — Ioan. 1. — Qua ratione facilis in cœlum via ſit.

Ac proinde facito, vt quemadmodum à me audiſti & eruditus es, firmumque fundamentum iecisti, in ipſo abundes, creſcens videlicet & proficiens, ac boni militis officio fungens; fidem habens, & bonam conſcientiam proborum operum teſtimonio confirmatam: iuſtitiam colens, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, lenitatem; vitam ſempiternam, ad quam vocatus es, apprehendens: omnem autem voluptatum ac vitioſarum affectionum cupiditatem, non modo quantum ad actionem, ſed etiam quantum ad cogitationem, procul à te remouens: vt animam tuam ab omni ſpurcitie puram Deo exhibeas. Non enim actiones duntaxat, verùm etiam cogitationes noſtræ apud Deum in numerato ſunt, coronasq; aut ſupplicia nobis conciliant. Siquidem Chriſtum ſimul cum Patre ac Spiritu Sancto in puris cordibus habitare perſpectum habemus. Ac rurſum illud non ignoramus, quod quemadmodum fumus apes, eodem modo prauæ cogitationes diuini Spiritus gratiam à nobis propellunt.

Matt. 11. — Epheſ. 6. — 1. Tim. 6. — Cogitationes noſtræ apud Deum in numerato ſunt. — Simile.

QVAMOBREM ſummo ſtudio in hoc enitere, vt omni vitioſa cogitatione ex animo tuo extincta & deleta, optimas quasq; cogitationes in ea inſeras, templumq; Spiritus Sancti teipſum efficias. Siquidem per cogitationes ad actiones ipſas venimus: atque omne opus à cogitatione animiq; agitatione progrediens, paruum primò initium arripit, ac deinde tacitis incrementis augeſcens, ingens ad extremum efficitur. Ob eamq; cauſam, nullo modo permitte, vt improba conſuetudo tibi dominetur: verùm donec recens eſt, paruam radicem è pectore tuo euelle; ne alioqui cũ pullularit, ac radices ſuas altè infixerit, poſtea non niſi longo tempore, ac magno cum labore extirpari poſſit. Ob id enim maiora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas noſtras imperium obtinent, quoniam iis quæ minora eſſe videntur, hoc eſt improbis cogitationibus, inhoneſtis ſermonibus, malisq; colloquiis conſentanea correctio minime adhibetur. Vt enim in corporibus qui parua vulnera negligunt, ſaniem plerunque ac mortem ſibiipſis accerſunt: ad eundem modum etiam in animis hoc vſu venit, vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, grauiora ſibi inuehant. Quatenus autem grauiora peccata ipſis obtiunitur, contracto tandem habitu anima in contemptũ cadit. Impius enim, inquit ille, cum in profundum venerit, contemnit. Ac deinceps, vt ſus in cœno volutari gaudet, ſic etiam anima illa prauæ conſuetudini immerſa, ne peccatorum quidem fœtorem ſentit, verùm potius ipſis gaudet & oblectatur, vitiumque inſtar boni cuiuſpiam arctiſſimè retinet. Atq; vt etiam aliquando, recepta meliori mente, ſcelerum ſuorum ſenſu afficiatur, non tamen ſine magno labore ac ſudore à praua conſuetudine, cui vltrò ac ſponte ſe in ſeruitutem addixit, liberatur.

Per cogitationes ad actiones venimus. — Cauenda peccãdi conſuetudo. — Simile de vulneribus. — Prouer. 8. — 2. Pet. 2.

QVOCIRCA omnibus viribus ab omni mala cogitatione atque omni vitioſa conſuetudine te remoue, ac potius virtutibus aſſueſce, easq; ita cole atque exerce, vt earum habitus tibi comparetur. Nam ſi paulum laboris in ipſis ſuſceperis, atque earum habitum contraxeris, poſtea, Deo iuuante, citra laborem vllum proficies. Siquidem virtutis habitus animæ inſitus, vtpote naturalem cum ea cognationem habens, Deique ope adiutus, vix omnino mutationem vllam recipit, atq; inprimis firmus eſt, quemadmodum vides fortitudinem & prudentiam, temperantiamq; item ac iuſtitiam, vix omnino mutationem vllam admittere, propterea quòd animæ habitus & qualitates & operationes ſint, eam penitus penetrantes. Nam cùm vitij affectiones, quæ nobis non naturales ſed aduentitiæ ſunt, poſteaquam ad habitũ peruenerint, vix omnino dimoueri poſſint: quid afferri poteſt, quin virtus, quæ & naturaliter nobis à ſummo illo parente & effectore inſita eſt, ipſiusq; ope & adiumento nititur, ſi nobis nonnihil laborantibus per habitum in anima radices egerit, multo minus immutari queat?

Virtus ad habitum perducta vix euelli poteſt.

XX. VNDE etiam mihi quidam ipſius cultor rem huiuſmodi narrauit: Cùm, inquit, firmiſſimum diuinæ contemplationis habitum mihi comparaſſem, ipſiusque meditatione anima mea tincta eſſet, huius rei periculum aliquando facere cupiens, mentẽ meam ita continui, vt eam pro ſuo more meditationi ſeſe adiungere minime ſinerem. Quod quidem id eam perægrè ac permoleſtè ferre intellexi, atque ad eam efferenata quadam cupiditate properare, nec ad contrariam vllam cogitationem vllo modo inflecti poſſe. At cum habenas ipſi nonnihil permiſiſſem, ſtatim ad ſtudium ſuum & operam celerrimo curſu ferebatur: extabatq; id quod ait Propheta: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Ex his igitur omnibus demonſtratum eſt, in nobis hoc ſitum eſſe, vt virtutem adipiſcamur: idque noſtri arbitrij ac poteſtatis eſſe, eamne amplecti, an contra peccatum ipſi anteferre velimus. Et quidem ij, qui vitio in ſeruitutem ſe addixerunt, ægrè ab eo abſtrahi poſſunt, quemadmodum à me ſuperius dictum eſt.

Virtutis habitu præditus ſpontè in opus fertur. — Pſal. 41. — In nobis virtutem adipiſci ſitum eſt, accedente tamen Dei gratia.

TV verò, qui per viſcera miſericordiæ Dei noſtri eo liberatus es, ac per Spiritus diuini gratiam Chriſtum induiſti, fac te totum ad Dominum transferas, nec vitioſis affectionibus ianuam vllo modo aperias, verùm animam tuam ſuaui virtutum odore ac ſplendore exornatam, S. Trinitatis templum reddas, atque in ipſius contemplatione omnes mentis tuæ facultates occupes. Nam cum is qui cum terreno Rege degit atq; colloquitur, beatus ab omnibus prædicetur, nõ eſt dubiũ, quin is, cui diuino beneficio cõtigit, vt mente cum Deo colloquatur, conſuetudinemq; cũ eo ha-

Qua ratione quiſpiā cum Deo colloquatur.

beat, omni beatitudine cumuletur. Quæ cùm ita ſint, eum ſemper ob oculos tibi propone, atque cum ipſo colloquere. Quanam autem ratione cum Deo colloqueris? nimirum per orationem & obſecrationem ad Deum appropinquans. Nam qui ardentiſſimo deſiderio ac purgato pectore orat, atque ab omnibus rebus ex materia concretis & terrenis abducta mente, tanquam coram Deo aſtat, ac cum metu & tremore preces ad eum adhibet, hic nimirum cum eo conſuetudinem habet, facieque ad faciem cum eo colloquitur.

Pſal. 33.

Oratio futuræ beatitudinis præludium

Quænam vera oratio cenſenda ſit.

SIQVIDEM bonus noſter Deus ac Dominus vbique adeſt, eos qui ſincero ac puro animo ipſum precantur, exaudiens, quemadmodum ait Propheta: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Quo fit, vt patres hominis cum Deo coniunctionem, orationem eſſe definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ præludium appellent. Siquidem in hoc potiùs quàm in vllis aliis rebus ſitum eſſe cœlorum regnum cenſent, vt quis ad ſanctam Trinitatem appropinquet, eamque contempletur. Quam quidem ad rem cùm precandi aſſiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius præludium ac velut effigies quædam appellata eſt. Verùm non omnis oratio eiuſmodi eſt; ſed ea demum hoc nomine nuncupanda eſt, quæ Deum, qui orationis materiam ſuppeditat, magiſtrum habet, quæque ſupra terrena omnia aſſurgit, atq; cum Domino Chriſto ſine vlla intermedia re verſatur.

Ira orationi maximo impedimento eſt.

HANC velim tibi acquiras, atque in ea prouehi contendas. Etenim ipſa hanc vim habet, vt te à terra in cœlos ſubuehere poſſit. Ceterùm non temerè, ac ſine vlla præparatione in ipſa progreſſus facies: verùm ita demum, ſi animā tuam ab omnibus vitioſis affectionibus prius repurgaris, eamque ab omni improba cogitatione deterſam, puri cuiuſdam ac recens abſterſi ſpeculi inſtar effeceris, & ab omni iniuriarum recordatione atque ira (quæ maiori quàm reliqua omnia impedimento eſt, quo minus preces noſtræ ad Deum ſublimes ferantur) teipſum procul remoueris, cunctiſque qui te læſerint, offenſionem ex animo remiſeris, atque per eleemoſynas, & pauperum miſerationes, orationi velut pennas quaſdam addideris, eam Deo cum calentibus lachrymis obtuleris. Ad hunc quippe modum orans, iiſdem verbis vti poteris, quibus beatus ille Dauid, qui Rex erat, ac ſexcentis curis diſtrahebatur, nihiloque ſecius tamē

Pſal. 118.

animam ſuam à vitioſis affectionibus perpurgauerat, ad Deum vtebatur, dicens: Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer. Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine; iuxta eloquium

Iſa. 58.

tuum da mihi intellectum. Sic videlicet clamante te, Deus exaudiet, & adhuc loquente te dicet: Ecce adſum. Quocirca, ſi huiuſmodi orationem adeptus fueris, beatus eris. Neq; enim fieri poteſt, quin is qui cum huiuſmodi animi alacritate Deum orat atque obſecrat, quotidie nouos in virtute progreſſus faciat, atque omnes hoſtis laqueos ſuperet. Nam qui mentem ſuam, vt cuiuſdam viri ſancti verbis vtar, excalefecit, animamq; ſuam erexit, atq; in cœlum ſe tranſtulit, ſicq; Dominum ſuum inuocat, ſceleraq; ſua in memoriam reuocat, ac de eorum remiſſione cum Deo colloquitur, calentiſſimiſque lachrymis eum obſecrat, vt pro ſua benignitate propitium ac facilem ſe ipſi præbeat, ex huiuſmodi ſermonum & cogitationum vſu & conſuetudine hoc conſequitur, vt omnem huiuſce vitæ curam deponat, atq; humanis affectionibus ſuperior exiſtat, dignuſq; habeatur, qui Dei congerro appelletur. Quo quid beatius aut ſublimius contingere poſſit? Vtinam itaque Dei beneficio beatitudinis huiuſce compos fias.

Actu. 20.

ECCE enim mandatorum Domini viam tibi demonſtraui, nec quidquam ſubtraxi, quominus omne Dei conſilium tibi annuntiarem. Ac iam quidem ego miniſterium meum abſolui. Supereſt, vt ſuccinctis lumbis mentis tuæ, inſtar Sancti illius qui te vocauit, ipſe quoq; in omni vitæ tuæ ratione ſanctum te præbeas. Sancti n. eſtote, quoniā ego

Leuit. 19.

ſanctus ſum, dicit Dominus. Atq; etiam Apoſtolorum princeps ad hunc modum loquitur: Si Patrem inuocatis eum, qui ſine perſonarum acceptione ſecundum cuiuſq; opus iudicat, in timore incolatus veſtri tempore conuerſamini,

1. Petr. 1.

ſcientes quoniam non corruptibilibus auro & argento liberati eſtis de vana veſtra conuerſatione paternarum traditionum, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti.

Iſai. 40.

HÆC igitur omnia in mente condita ſine vlla intermiſſione recordare, Dei metum & horrendum ipſius tribunal, & ſplendorem eum quem iuſti in futuro æuo accepturi ſunt, ac contra peccatorum in teterrimis tenebris mœrorem, præſentium item rerum imbecillitatem & vanitatem, ac futurorum æternitatem ſemper ob oculos habens: illudq; præterea, quod omnis caro fœni inſtar eſt, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exſiccatū eſt fœnum, & flos

1. Tim. 4.

Philipp. 4.

eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum. Hæc ſemper meditare, & pax Dei tecum ſit, quæ te illuminet, & ſapientia inſtruat, & ad ſalutis viam ducat, improbamque voluntatem procul à tua mente depellat, atq; animam tuam crucis ſigno imprimat, ne vllum peruerſi ſpiritus ſcandalum ad te propius accedat, verùm diuino beneficio in omni virtutum perfectione futurum illud ac finis & ſucceſſionis expers regnum adipiſcaris, ac beatæ & vitæ initium afferentis Trinitatis, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu S. glorificatur, lumine colluſtreris.

CVM huiuſmodi doctrinis ad mores informandos accommodatis, præſtantiſſimus ſenex Regis filium inſtru- XXI.
xiſſet, ad ſuum hoſpitium ſe contulit. At adoleſcentis miniſtri & præceptores frequentem ipſius in palatiū ingreſſum perſpicientes, admiratione afficiebantur. Vnus autem ex iis qui priorem inter eos locū obtinebat, & quem Rex velut fideliſſimum ac ſui ſtudioſiſſimum filij ſui palatio præfecerat, Zardan nomine, Regis filium his verbis allocutus eſt:

Zardan monet Ioſaphat de Barlaam extero homine ablegando.

Non te fugit, here, quanto patris tui metu afficiar, quaq; erga eum fide ſim; eoq; etiam nomine me tanquam fidiſſimū famulum tibi adminiſtrum eſſe iuſſit. Nunc autem exterum hunc virum crebrò tecum colloqui videns, illud vereor, ne Chriſtianæ religionis, quam pater tuus ingenti odio inſectatur, cultor ſit, ſicque ego capitali ſententiæ obnoxius reperiar. Proinde vel de eo patrem certiorem fac, vel poſthac cum eo colloqui deſine; vel certe, ne in reprehenſionem incurram, à facie tua me ablega, atque alium, qui mihi ſubrogetur, à patre tuo poſtula.

REGIS autem filius ad eum dixit: Hoc primum, ô Zardan, faciamus. Velo quodam obductus ſta, ipſiuſque ad me ſermones audi: atque ita, quidnam tibi faciendum ſit, exponam.

Zardane audiente exponitur ſumma doctrinæ Chriſtianæ

Matt. 22.

CVM igitur Barlaam ad ipſum acceſſurus eſſet, Zardane intra velum introducto, ad ſenem ait: Diuinam tuam doctrinam mihi ſummatim repete, quo firmius pectori meo inſeratur. Excepto igitur ſermone, Barlaam longam de Deo, atq; erga eum pietate orationem habuit, quodq; eum ſolum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente amare, ipſiuſq; mandata cū timore ac deſiderio obſeruare oporteret: quodq; ipſe eſſet, qui omnia, tam quæ in cernēdi ſenſum cadunt, quàm quæ ab oculorū ſenſu remota ſunt, cōdidiſſet. Ac deinde primi hominis effictionē, mandatūq; ipſi datū, latamq; in eum, ob violatū edictū, à creatore ſententiam cōmemorauit. Deinceps bona ea recenſuit, quibus nos reiecto ipſius mandato noſmet excluſimus. Mox earum moleſtiarū mentionem fecit, quæ poſtquā ab illis bonis excidimus, miſerè nos inuaſerunt. Tum aūt ea, quæ ad benignitatē & amorem erga hominū genus pertinebant, ſubiunxit, nempe quonam modo ſummus ille opifex ſalutis noſtræ curam gerens, magiſtros ac prophetas Vnigeniti incarnationem prædicantes miſerit. Deinde etiam ipſius deſcenſum, Incarnationem, beneficia, miracula, toleratoſque pro nobis ingratitudinis vitio laborantibus ſupplicia, crucem, lanceam, voluntariam mortem, ac deniq; noſtram in integrum reſtitutionem & reuocationem, atq; ad primum bonum reditum: ac poſtea cœlorum regnum, quod homines eo dignos manet, reconditum improbis cruciatum ignem nunquam extinguendum, perpetuas tenebras, immortalem vermem, cæteraſque omnes pœnas, quas ij qui peccati ſeruituti ſe conſtrinxerunt, ſibiipſis aggeſſerunt. Hæc cum oratione proſecutus eſſet, ac ſub finem in doctrinam ad mores accommodatam delapſus fuiſſet, multaque

de vitæ

de vitæ puritate verba feciſſet, præſentiumque rerum vanitatem damnaſſet, eorumque qui his totos ſe addicunt, miſeriam coarguiſſet, orationem tandem precatione concluſit, a Deo nimirum ipſi firmam & conſtantem orthodoxæ fidei confeſſionem, vitamque ab omni reprehenſionis nota immunem, ac purißimam muneris ſui adminiſtrationem optans. Ac poſtea precationi fine impoſito, ad hoſpitium ſuum rurſus ſe recepit.

Explorat Ioſaphat mentem. Zardanis.

Regis autem filius accito Zardane, quid animi haberet, periclitans, dixit: Audiiſti, quæ mihi fabula iſte dixerit, me videlicet inani ſuo verborum lenocinio in fraudem inducere ſtudens ac iucunda hac oblectatione & amœnitate priuare, atque ad peregrini Dei cultum traducere? Zardan autem: Quidnam, inquit, tibi viſum eſt, ô Rex, famulum tuum tentare? Perſpectum enim habeo, viri ſermones pectus tuum altißime penetraſſe, Nam niſi ita eſſet, non tam lubenter ac perpetuo cum eo ſermones miſceres. Et quidem nos iſtiuſmodi prædicationem haudquaquam ignoramus. Verum ex quo tempore pater tuus atrociſſimam aduerſus Chriſtianos perſecutionem excitauit, illi hinc expulſi ſunt, atque ipſorum prædicatio conticuit. Quod ſi tibi dogma hoc arridet, ipſiuſque duritiem & laborem ſubire potes, fauſtum ſanè ac felix ſit id quod animo tuo inſedit. Ego autem quid tandem faciam, qui huiuſmodi duritiem ne aduerſis quidem oculis intueri poſſum, ac Regis metu animum doloribus atque acerbitatibus diſtractum habeo? Quanam apud eum excuſatione vtar, qui ipſius imperia neglexi, atque huic viro ad te aditum permiſi?

Dixit autem ad eum Regis filius: Equidem nihil aliud, quod ingenti tuæ erga me beneuolentiæ ſatis præmij afferret, agnoſcens, hoc vnum beneficio tuo maius reperi, nimirum vt tibi bonum illud, quod naturam ſuperat, perſpicuum reddere ſtuderem, hoc eſt, vt quem ad finem procreatus ſis, intelligeres, ac creatorem agnoſceres, relictiſque tenebris ad lucem accurreres. Atque in hac ſpe etiam, fore, vt ſimul atque de ea aliquid audiiſſes, ardentiſſima quadam cupiditate illam ſequereris. Verùm ſpe mea, vt video, falſus ſum, vt qui ad ea quæ dicta ſunt, tepide affectum te conſpiciam. Regi autem ac patri meo ſi hæc indicaueris, nihil aliud hinc conſequêris, quàm vt ipſius animum curis ac mœroribus conficias. Verùm ſi candido ac ſincero in eum animo es, caue ne ipſe antequam commoda occaſio ſe obtulerit, quidquam huiuſmodi ex te reſciſcat. Hac oratione ad eum habita, tanquam in aquam ſeminare videbatur. Neque enim ſapientiæ ad ſtolidum animum aditus vnquam patebit.

Barlaam diſcedendi poteſtatem à Ioſaphat petit.

Postridie autem Barlaam ad eum accedens, de diſceſſu ſuo ſermonem ingerebat. Ille autem ab eo diuelli minimè ſuſtinens, animo excruciabatur, lachrymiſque totus perfundebatur, Senex verò cum longum ad eum ſermonem habuiſſet, eumque vt firmiſſimus in bono perſtaret, obteſtatus eſſet, verbiſque ad cohortandum accommodatis ipſius pectus confirmaſſet, precibus ab eo contendebat, vt læto atque hilari animo diſcedendi poteſtatem ſibi faceret. Illud etiam adiungebat, eam breui inter ſe coniunctionem mutuam fore, quæ diſſidij omnis expers eſſet. At Regis filius, cum nec diutius ſeni negotium faceſſere, nec eum expedito itinere prohibere poſſet, ac præterea metuens ne Zardan ille Regem de eo certiorem faceret, ac ſupplicijs eum afficeret, his ad eum verbis vſus eſt. Quandoquidem ita tibi hoc animo inſidet, ſpiritualis pater ac præceptorum optime, mihique omnis boni auctor, vt me in mundi vanitate verſantem deſeras, atque ad ſpiritualis quietis locum proficiſcaris, non vltra te retinere, atque impedimento tibi eſſe audeo. Abi igitur Dei pace ſeptus, ac meæ miſeriæ in præclaris tuis ad Dominum precibus memoriam ne intermittas, quo tandem ad te peruenire, ac faciem tuam perſpicere queam.

Inuitè eam concedit Ioſaphat.

Vnam autem rem à te poſtulo, nimirum vt, quoniam pro tuis religioſæ vitæ ſodalibus nihil accipere voluiſti, ſaltem pro te exiguum aliquid pecuniæ in victum ac veſtem tu indumentum accipias. Ille autem ad eum reſpondit: Cum pro fratribus meis nihil à te acceperim (neque enim illi aliquid ex huius mundi rebus, à quibus vltrò ſeſe remouerunt, accipere opus habent) quonam tandem pacto mihi id acquiram, quod ipſis interdixi? Nam ſi pecuniarũ poſſeſſio bona eſſet, illis certè ante me eas impertiiſſem. Quoniam autem exitioſam earum poſſeſſionem eſſe ſcio, nec illos, nec me item huiuſmodi laqueis implicabo.

Barlaam à regis filio nihil accipere vult. Hoc intelligẽ de diuitiis, quibus aliquis abutitur.

Cvm igitur ne hoc quoque ipſi perſuadere potuiſſet, ad alteram petitionem curſum ſe conuertit, ſupplexque ab eo petiit, ne preces ſuas omnino negligeret, nec ſe omni mœſtitiæ genere profligaret, verùm vt detritum illud & aſperum ac vetuſtate confectum pallium (tum ad religioſæ magiſtri ſui vitæ refricandam memoriam, tum ad præſidiũ aduerſus omnes ſatanæ afflatus ſibi relinqueret, atque ipſe pro eo aliud acciperet: quo ſcilicet, inquit, id quod à me datum fuerit, perſpiciens, humilitatis meæ memoriam retineas.

Ait autem ſenex: Vetus meum ac detritum pallium tibi dono dare, aliudque nouum indumentum accipere, mihi non licet, ne exigui mei laboris mercedem hic recepiſſe diuina ſententia pronuntiet. Ceterùm, ne tuam animi alacritatem retundam, vetuſta, nec à meis quidquam diuerſa, ea indumenta ſint, quæ mihi abs te porrigantur. Regis itaque filius, cùm aſperos quoſdam ac vetuſtos pannos quæſiuiſſet, eoſque ſeni dediſſet, ipſius veſte inuicem accepta, magnam inde lætitiam concepit, quauis purpurâ ac regio ornamento, citra omnem comparationem præſtantiorem eam exiſtimans.

Ioſaphat quauis purpura meliorem æſtimat veſtem Barlaam.

Divinissimvs autem Barlaam iam iamque diſcedere cupiens, ea quæ ad diſceſſum pertinebant, loquebatur, poſtremamque hanc ipſi doctrinam adhibuit. Chariſſime frater, inquit, ac ſuauiſſime fili, quem ego per Euangelium genui, ſcis cui Regi nomen dediſti, & cum quo pacta iniuiſti. Quare firma ea ſerues neceſſe eſt, atque omnia militiæ munia, quæ in huiuſmodi pactorum charta, præſente ac teſtante atque etiam pacta ipſa literis mãdante vniuerſo cœleſti exercitu, promiſiſti, alacri animo exequaris. Quæ quidem ſi præſtiteris, beatus eris. Quocirca tibi prouidendum eſt, ne quid præſentium rerum Deo, ipſiuſque bonis anteponas. Quid enim rerum præſentium tantum terroris afferre poteſt, quantum ignis æterni cruciatus, qui ita ardet, vt interim lucis omnis expers ſit, nec vnquam exurendi finem faciat? Ac rurſum, quodnam eſt huius mundi bonum, quod tanta animum voluptate perfundat, vt Deus ſeipſum iis, à quibus diligitur, donans: cuius & pulchritudo ſermone omni præſtantior eſt, & potentia inuicta, & gloria ſempiterna, & cuius bona ea, quæ ipſius amicos manent, omnia quæ oculis cernuntur, incomparabiliter antecellunt: quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? Quorum vtinam tibi, robuſtiſſima Dei manu ſepto ac munito hæredem eſſe contingat.

Poſtrema Barlaami ad regis filium oratio. 1. Cor. 4. Nullum bonum cum Deo conferendum. 1. Cor. 2.

Regis autem filius lachrymis perfuſus, angebatur, ac ſumma moleſtia afficiebatur: vt qui ab amantiſſimo patre ac præſtantiſſimo magiſtro relinqui minime ſuſtineret. Et quiſnam, inquiebat, ô pater, tuas partes explebit? aut quem tandem huiuſmodi paſtorem ac ducem conſequi potero? & quonam ſolatio deſiderium tui lenibo? Ecce enim me improbum ac rebellem ſeruum ad Deum adduxiſti, atque in filij & hæredis claſſe collocaſti: ac me perditum, atq; omnibus beſtiis in prædam expoſitum, exquiſiſti, & cum iis Dei ouibus, quæ minime aberrauerant, copulaſti, atque compendiariam veritatis viam mihi demonſtraſti, meque de tenebris & vmbra mortis eduxiſti, ac pedes meos è lubrica & exitioſa, ac peruerſa & curua via extraxiſti. Magna & admiranda mihi à te bona orta ſunt, atque eiuſmodi, vt ſingularem eorum magnitudinem nulla oratio conſequi poſſit: magnorum igitur ipſe quoque pro me exiguo homunculo ipſius beneficiorum vtinam ſis particeps! atque id quod meæ gratiarum actioni deeſt, expleat Dominus, qui ſolus beneficiorum relatione, eos qui ipſius amore præditi ſunt, ſuperat.

Luc. 15. *Pſal. 85.* *Luc. 1.*

Barlaam autem, ipſius lamentationes amputans, ſurrexit, atque ad orandum ſe comparauit, manibuſque in cœlum ſublatis, his verbis vſus eſt: Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ea quæ prius tenebris obducta erant, luce

Oratio Barlaami pro Ioſaphat.

luce perfudiſti, atq; res omnes conditas, tam quæ aſpectu ſentiuntur, quàm quæ ab oculorum ſenſu remotæ ſunt, ex nihilo produxiſti, qui figmentum tuum conuertiſti, nec nos poſt inſipientiam noſtram abire permiſiſti. gratias tibi agimus, ac tuæ potentiæ ac ſapientiæ, hoc eſt Domino noſtro Ieſu Chriſto, per quem etiam ſæcula feciſti, noſq; prolapſos & iacentes excitaſti, & delinquentibus peccata remiſiſti, errore vagantes reduxiſti, captiuos redemiſti, morte extinctos per Filij tui ac Domini noſtri pretioſum ſanguinem ad vitam reuocaſti.

Hebr. 1.

Te igitur inuoco, atque Vnigenitum Filium tuum, & ſanctiſſimum tuum Spiritum. Reſpice in ratione prædictam hanc ouem, quæ per me indignum hominem ad altare tuum accedit: atque ipſius animam per virtutem ac gratiam tuam ſanctifica. Viſita vineam hanc, quæ per Spiritum Sanctum tuum plantata eſt: atq; hoc ei da, vt iuſtitiæ fructum ferat: corrobora eum, pactum tuum in ipſo confirmans, ac per boni tui Spiritus ſapientiam eum à diaboli fraude atque impoſtura eripe. Doce eum facere voluntatem tuam, & auxilium tuum ab eo ne auferas. Atque & ipſi & mihi ſeruo inutili, bonorum tuorum quæ finem neſciunt, hæreditatem conſequi beneficio tuo contingat. Quoniam benedictus es & glorioſus in ſæcula, Amen.

Pſal. 142. Ibidem. Pſal. 50. Dan. 3.

ABSOLVTA autem oratione conuerſus, ipſum iam cœleſtis Patris filium exoſculatus eſt, pacemq; ipſi ac ſempiternam ſalutem precatus, ex aula exceſſit, lætuſq; abiit, gratias Deo agens, cuius fauore iter ipſi ex animi ſententia ſucceſſerat.

Poſt Barlaami diſceſſum Ioſaphat orationi ſe dat. Pſal. 69. Pſal. 9. Pſal. 85. 2 Tim. 1. Pſal. 142.

IOSAPHAT autem, poſteaquam exiit Barlaam, precibus ſeſe dedit, calentiſſimiſq; lacrymis profuſis ad hunc modum locutus eſt: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Quoniam tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor. Reſpice in me, & miſerere mei, qui omnes vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Serua me, quæſo, indignum licet homunculum, atque corrobora, vt in ſanctorum mandatorum tuorum via ambulem. Quoniam ego imbecillis ac miſer ſum, nec iis viribus, vt boni quidquam facere poſſim. Tu verò ſalutem mihi afferre potes, qui omnia, tam quæ oculis cernuntur, quàm quæ cerni nequeunt, contines atque conſeruas. Ne me poſt improbas carnis meæ voluntates abire ſine: verum doce me facere voluntatem tuam, atque in ſempiternam ac beatam vitam me conſerua. O Pater, & Fili, & diuine Spiritus, conſubſtantialis & diuiſionis expers Diuinitas, te inuoco, te gloria afficio. Te enim laudat quidquid creatum eſt: ac te gloria afficiunt intellectuales ac corpore vacantes virtutes in ſæcula, Amen. XXII.

Pſal. 133. Zardan diſcedit ab Ioſaphat & ſimulat morbum.

DEINCEPS igitur quàm diligentiſſimè ſeipſum conſeruabat, atque ita comparabat, vt & animæ & corporis puritatem acquireret, atque in continentia & orationibus, obſecrationibuſq;, per totum noctis curriculum ſeſe prorogantibus, vitam duceret. Nam cum plerunque diurno tempore, tum ob eorum qui cum ipſo verſabantur, contubernium, tum etiam interdum ob Regis ad eum acceſſum, aut quod ipſe ab eo acciretur, ſeſe interrumpi videret, nox ipſi quod diei deerat, ſupplebat: vt qui in precibus & lachrymis ad diluculum vſque ſtaret, ac Dei opem imploraret. Vnde etiam prophetica illa vox in ipſo implebatur: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Zardan autem ille, cum huiuſmodi ipſius vitæ rationem intellexiſſet, ſummaque inde mœſtitia afficeretur, grauibuſq; animi curis vexaretur, nec quid faceret, haberet, ad extremum mœrore oppreſſus, ſimulato morbo in ſuas ædes conceſſit. Quod vt Rex comperit, alium quendam ex his, quos fidiſſimos habebat, miſit, qui ipſius loco filiò miniſtraret. Ipſe autem valetudinis Zardanis curam gerens, celeberrimum ad eum medicum mittit, eumq;, vt ſummam ad ipſius curationem ſollicitudinem adhibeat, rogat.

MEDICVS igitur, quoniam eum Regi gratum & acceptum eſſe perſpiciebat, ſedulò eum inuiſebat. Cumq; ipſius ſtatum accuratè conſideraſſet, Regi confeſtim indicauit, ſe nihil, quod morbum ipſi accerſeret, in eo reperire potuiſſe: ac proinde ita exiſtimare, eum aliquo animi mœrore affectũ, in morbũ incidiſſe. Rex aũt his verbis auditis, hoc arbitratus eſt, eum à filio aſperius acceptum fuiſſe, atq; hac de cauſa concepto mœrore receſſiſſe. Quidnam autem id eſſet deinceps ſcire cupiens, Zardani ſe eum, vt oborti morbi cauſam intelligeret, craſtino die inuiſurũ ſignificauit.

Regem adit.

ZARDAN autem huius promiſſi certior factus, ſtatim vt diluxit, indumentis acceptis ad Regem proficiſcitur, eumq; ſimulatq; ingreſſus eſt, humi proſtratus adorauit. Rex autem: Quid, inquit, tibi vim attuliſti, vt ad me accederes? Nam ipſe ad te proficiſci, meumq; erga te amorem omnibus declarare in animo habebam. Ille autem reſpondit: Morbus meus, ô Rex, non ex eorum numero eſt, quibus homines laborare ſolent, verùm ex animi mœſtitia & anxietate corde in dolorem prolapſo corpus quoque condoluit. Amentiæ potiùs mihi ducendum eſſet, ſi cum ita me haberem, non vt ſeruum decet, ad te accederem; verùm vt regia tua maieſtas ad me famulum veniens ſeſe fatigaret, expectarem. Percontante autem Rege, quidnam eum in hunc mœrorem conieciſſet, reſpondens Zardan, Magnum, inquit, periculum mihi impendet, magniſque ſupplicijs ac multis mortis generibus dignum me agnoſco, quoniam præceptis tuis negligenter obſequendo ingentem tibi iam iamq; mœrorem acceſſiui.

Omnia de filio aperit. Rex Arachẽ ad ſe accerſit.

RVRSVM autem ex eo quærente Rege, quænam huiuſmodi negligentia eſſet, in quam incidiſſet, quodque periculum illud in quo verſatur: In cuſtodia domini mei filij tui, inquit, negligentem me præbui. Improbus enim quidam ac præſtigiator ingreſſus, de Chriſtianæ religionis doctrina ad eum verba fecit. Poſteaq; Regi, quos ad ipſius filium ſenex ſermones habuiſſet, ſigillatim expoſuit, quantamque ille ex ipſis voluptatem cepiſſet, quodque prorſus Chriſto ſe addixiſſet, quin etiam ſenis nomen ipſi indicauit, Barlaam ipſum nuncupari dicens. Nam etiam antea Rex de Barlaam, ac ſumma religioſæ ipſius vitæ aſperitate, multa auditione acceperat. Vt autem hæc ad Regis aures peruenerunt, tantus ei mœror obortus eſt, vt totus concuteretur, iracundia æſtuaret, atque hoc nuncio penè exanimaretur. Ac ſtatim Arachen quendam, qui etiam ſecundum ab eo dignitatis gradum obtinebat, primuſque in omnibus arcanis conſcius erat, ac præterea Aſtrologiæ ſcientiam tenebat, ad ſe acciuit, eiq; magno cum mœrore atq; animi conſternatione quod acciderat, narrauit. Ille autem ipſius perturbatione animiq; confuſione conſpecta: Mœſto inquit, ô Rex, ac perturbato animo eſſe deſine: neq; enim meipſum de ſententia deducturum diffido: quin potius illud certiſſimum habeo, breui fore, vt ille impoſtoris illius doctrinam abiuret, tuæq; voluntati morem gerat.

Arachis cõſilium vt Barlaam quæratur.

CVM igitur his verbis Araches Regem ad animi hilaritatem conuertiſſet, ad huiuſmodi negotij conſiderationem animum adiecit. Ac primum, ô Rex, inquit, hoc agamus: demus operam, vt peſtiferum illum Barlaam arripiamus. Quod ſi conſequamur, à ſcopo, mihi crede, non aberrabimus, nec ſpe noſtra fallemur. Nam ille ipſe, aut verbis ad perſuadendum accommodatis, aut variis tormentorum inſtrumentis impulſus, inuitus etiam ac repugnans, falſa & erroris plena verba ſua eſſe confitebitur, atq; dominum meum filium tuum de ſententia dimouebit, adducetq; vt patris dogmatibus hæreat: ſin autem illum arripere nequeamus, alium ego ſenem eremitam noui, Nachor nomine, qui Barlaamo ita prorſus ſimilis eſt, vt vix ab illo internoſci poſſit. Hic porrò eandem nobiſcum doctrinam profitetur eumq; in Mathematicis magiſtrum habui. Ad hunc igitur ego noctu me conferam, eiq; omnia ſigillatim exponam, ac deinde rumore hoc ſparſo, Barlaamum ſcil. comprehenſum eſſe, ipſum exhibebimus. Qui etiam ipſe Barlaami ſibi nomen attribuens, ſe Chriſtianorum ſacra colere ſimulabit, eaq; intueri ac defendere præ ſe feret. Ac poſtea longa diſputatione habita, tandem fractus manus dabit. Quod cum filius tuus perſpexerit, hoc eſt, Barlaamum victum eſſe, ac doctrinam noſtram palmam tuliſſe, non eſt dubium, quin ad victorum partes ſeſe adiuncturus ſit. Quam etiam ad rem illud magni momenti eſt, quod ille maieſtatem tuam veretur, tibiq; obſequi magnopere ſtudet. Adde quod ille etiã qui Barlaami perſonam geret, reſipiſcet, ſeque in errore verſatum eſſe affirmabit:

Hoc

Hoc ſermone Rex delectatus eſt, hominiſque conſilium optimum eſſe iudicauit, inani videlicet ſpe nixus. Quocirca cum Barlaamum nuper receſſiſſe comperiſſet, eum comprehendere feſtinabat. Itaque militibus ac centurionibus miſſis, varios itinerum exitus occupauit, ea autem via, quam ex omnibus ſuſpectiorem habebat, ipſe conſcenſis equis, cum omni celeritate perſequebatur, atque omni ratione aſſequi cogitabat. Ceterum cum ſex totos dies inani labore ſeſe fatigaſſet, ipſe quidem in regio quodam palatio, quod illic ſitum erat, remanet. Arachen autem cum equitibus haud paucis ad ipſam vſque Sennaaritidem ſolitudinem conquirendi Barlaami cauſa miſit. Qui cum ad eũ locum perueniſſet, omnium incolarum animos perturbauit: atque cum illi virum eum à ſe viſum eſſe negaſſent, in ſolitudinem, vt pios viros venaretur, ſeſe contulit. Cumq; ſolitudinem illam magna ex parte peragraſſet, ac montes circuiſſet, vallesque quaſdam minime tritas, & acceſſu difficiles, cum ea hominum manu quam ſecum habebat, pedibus peruaſiſſet, ad tumulum quendam profectus, in eius faſtigio eremitarum turmam inambulantem cernit, nullaq; interpoſita mora, eos ad ſe adduci iubet. Milites itaque celerrimo curſu, atque alij alios anteuertere contendentes, tumulum petunt. Eoque cum perueniſſent, circumdederunt eos tanquam canes multi, aut tanquam peſtiferæ quædã & immanes beluæ: atque ipſos tum oris ſpecie, tum habitu venerandos, ſolitariæque exercitationis notas in vultu ferentes, comprehendunt, raptatosq; Arachi exhibent, ſic animo comparatos, vt nec vllo modo perturbarentur, nec ignauum aliquid ac triſte vel præ ſe ferrent, vel loquerentur. Qui autem ipſos omnes tanquam antiſtes præibat, ex cilicio contextam peram, quorundam ſanctorum Patrum, qui ex hac vita diſceſſerant, reliquiis confertam geſtabat.

Pſal. 21.

Antiſtes peram ſecum deferebat, plenam reliquiis ſanctorum Patrum.

Conſpectis autem ipſis Araches, vt Barlaamum minimè vidit, (nam eum norat) mœrore conturbatus eſt, atque ad eos dixit: Vbinam eſt impoſtor ille, qui Regis filium in errorem induxit? Is autem qui peram geſtabat, reſpõdit: Non eſt ille inter nos, abſit (ſiquidem Chriſti gratiâ pulſus, à nobis fugit,) verum apud vos domiciliũ habet. Eum ergo, inquit Dux, noſti? Certè inquit eremita, eum qui impoſtor dicitur, noui, hoc eſt, diabolum: qui in medio veſtri habitat, atque à vobis adoratur & colitur. Hic Dux: De Barlaam ego quæro, deque eo percontabar, vbi nam eſſet. Monachus autem: Cur igitur, inquit, præpoſterè locutus es, de eo, qui Regis filio impoſturam fecit, me interrogans? Nam ſi Barlaamum quærebas, omnino ita loqui oportebat, Vbinam ille eſt, qui Regis filium ab errore in vitam reduxit, ac ſalute donauit? Nam ille frater noſter eſt, ac religioſæ exercitationis ſocius. Multi autem iam dies ſunt, cum eum non vidimus. Tum Araches: Domum illius, inquit, mihi demonſtra. Reſpondit monachus: Si ipſi vos videre cordi eſſet, obuiam vobis ipſemet prodiiſſet: nobis autem ipſius domum indicare minimè licet.

Qua de cauſa indignatione percitus Dux, atque irato ac furioſo vultu eum intuens, ad eum dixit: Nouis & inuſitatis vos mortis generibus nunc mactabo, niſi ſtatim Barlaamum mihi exhibueritis. Et quid, inquit monachus, in nobis perſpicis, cuius ſtudio & amore ab hac vita ægrè diuellamur, mortemque à te nobis inuehendam pertimeſcamus? Quin potius gratiam tibi habituri ſumus, quod virtutis ſtudio hærentes è vita eduxeris. Neque enim incerta exitus alea paruum nobis metum inicit, quod ſcil. quo ſtatu nos arreptura mors ſit, minime compertum habeamus: ne forte aut voluntatis lubricum, aut quidam diaboli impetus inſtituti noſtri conſtantiam inflectat, aliterque nobis, quàm vt pactis cum Deo à nobis initis conſentaneum eſt, aut ſentire aut facere perſuadeat. Quocirca cum ea, quæ vobiſipſis pollicebamini, conſequi iam omnino deſperetis, ſine vlla cunctatione, quod lubet, facite. Neq; enim pij fratris noſtri domicilium, quamuis nobis cognitum, oſtendemus, nec alia vlla vobis ignota monaſteria prodemus, vt videlicet hac ratione mortem turpiter effugiamus: quin potius præclare mortem oppetemus, vt prius virtutis ſudores, ſic nunc fortitudinis animi cruorem Deo offerentes.

Monachorum conſtantia.

Hanc eorum ſermonis libertatem ſceleratus ille minimè ferens, verùm ex huiuſmodi animi magnitudine grauiſſimâ iracundiâ commotus, multis eos verberibus ac tormentis affecit. Quæ tamen illi ſic pertulerunt, vt eorum animi robur ac fortitudo ipſi quoque tyranno admirationem moueret. Cùm autem multis illatis ſuppliciis eos tamẽ flectere non potuiſſet, nec quiſquam inter eos inuentus eſſet, qui Barlaamum ipſi oſtendere ſuſtineret, arreptos eos ad Regem duci, atque interea eundum percuti contumeliiſque affici iubet, reliquiarum etiam peram interim geſtantes.

Flagris cæduntur monachi.

XXIII Interiectis itaque haud paucis diebus, ad Regem ipſos adduxit, deque eorum ſtatu eum certiorem fecit, ac deinde ipſi acerbiſſimâ iracundiâ inflammato eos ſiſtit. Quibus perſpectis, ipſe indignatione æſtuans, furentis hominis ſpeciem præbebat. Cumque ipſos crudeliſſime cædi iuſſiſſet, poſteaquam plagis atrocem in modum conciſos vidit, vix tandem ex ingenti furore emergens, carnificibus verberandi finem facere imperauit, atque ad eos ait: Quanam de cauſa hæc mortuorum oſſa geſtatis? Si eorum, ad quos pertinent, deſiderio hæc fertis, hac ipſa hora vos etiam cum illis collocabo, vt votorum veſtrorum compotes effecti, gratiam mihi habeatis. Diuinæ autẽ illius cohortis dux atque antiſtes regias minas pro nihilo ducens, perinde ac ſi nihil ipſi aduerſi contigiſſet, libera voce ac ſplendido vultu, gratiamque in ipſius anima inſidentem ſignificante, ad hunc modum reſpondit: Hæc pura & ſancta oſſa idcirco circumferimus, vt admirabilium virorum, quorum ipſa ſunt, deſiderium vtcunq; leniamus, eorumq; religioſam exercitationem, Deoq; charam vitam nobis in memoriam reuocemus, atque ad eiuſdem vitæ ſtudium noſipſos excitemus, ac requiem eam, & delitias eas, in quibus nunc verſantur, ob oculos nobis proponentes, ipſos quidem beatos prædicamus, nos autem ad ſequenda eorum veſtigia noſipſos mutuo acuimus. Quinetiam mortis memoriam, quæ permagnam vtilitatem affert, atque ad religioſæ vitæ certamina promptos nos ac velut pennatos reddit, nobis hinc comparamus, ac præterea ex eorum contactu ſanctitatem haurimus.

Monachi ſiſtuntur Regi.

De Sanctorũ reliquiis diſputatio.

Quintuplex reliquiarum vtilitas.

Rursum igitur Rex: Si, inquit, mortis recordatio veſtra ſententia vtilitatem parit, quidnam cauſæ eſt, cur nõ in corporum potius veſtrorum oſſibus, quæ veſtra ſunt, ac propediem interibunt, quàm in his alienis atque corruptis hanc memoriam vſurpatis?

Respondit monachus: Cùm quinque cauſas attulerim, quamobrem reliquias circumferamus, tu ad vnam duntaxat reſpondens, cauillis in nos vteris. Verùm expreſſius, mihi crede, eorum qui iam deceſſerunt, oſſa mortis memoriam repræſentant, quàm eorum qui huius vitæ vſura fruuntur. Ceterùm quoniam tu de his ita ſtatuis, atque oſſa mea, quæ in carne tua ſunt, mortem tibi oculis obiiciunt, qui fit, vt ipſe iam iamque venturæ mortis memor, tuis rebus rectè non conſulas, verum animam tuam omni flagitiorum generi addictam habeas, Dei aut cultores ac pietatis ſtudioſos, qui te nihil læſerunt, nihil præſentium rerum tecum commune habent, aut tibi eripere contendunt, immanem & crudelem in modum de medio tollas?

Rex autem ait: Vos vt peſtiferos homines ac populi ſeductores ſuppliciis afficio: quoniam omnes in fraudem impellitis, atque à vitæ iucunditatibus auocatis, ac pro dulci vita & ſuauiſſima cupiditate huc eos adigitis, vt duram & ſordidam atque ærumnoſam hanc vitæ rationem amplexentur, deorumque honorem Ieſu tribuendum eſſe prædicatis. Quocirca, ne populus impoſturam veſtram ſequens, deſertam terram relinquat, atq; à patriis diis deficiens, alienum adoret, ſuppliciis vos ac morte mulctare dignũ eſſe iudicaui. Monachus autẽ inquit: Si omnes bonorum huiuſce vitæ participes eſſe cupis, cur non omnibus ex æquo delitias & opes tuas impertis? Verum alij quidem quamplurimi paupertate cõflictantur, tu verò ipſorum facultates per vim ereptas tuis adiungis? Ex quo perſpicuũ eſt, te ſalutis populi cura minimè tangi, verum carnem tuã ſaginare, materiã videlicet corroſuris vermibus præparantẽ. Hac propter eã

Rex mortẽ monachis minatur.

Egregia abbatis libertas & conſtantia.

omnium Deo abiurato, eos qui non ſunt, & qui omne flagitiorum genus inuenerunt, deos appellaſti: vt dum ad eorum imitationem libidinoſè ac flagitioſè viuis, id aſſequaris, vt deorum imitator eſſe prædiceris. Nam quid afferri poteſt, quin quæ veſtri dij fecerunt, eadem quoque homines, qui ipſis animum adiiciunt, faciant? Quapropter in magno profectò errore verſaris ô Rex. Veremur autem, ne quoſdam populares tuos adducamus, vt noſtris decretis aſſentientes, à tuo imperio deſciſcant, atque ad eius, qui omnia continet ac tuetur, partes ſe adiungant. Cupis enim multos te auaritiæ tuæ adminiſtros habere: vt ipſi quidem ærumnas ſubeant, tibi autem eorum e opera quæſtus augeantur: quemadmodum videlicet ſi quiſpiam canes aut aues prædam cicuratas alens, eos quidem ante prædam demulceat, poſteaquam autem aliquid arripuerint, ex ore prædam ipſis extorqueat. Ad eundem enim modum tu quoque multos habere cupiens, qui tibi partim è terra, partim è mari tributa & vectigalia deferant. Ais quidem tibi eorum ſalutem curæ eſſe, ceterùm ſempiternum ipſis, priuſque etiam tibi ipſi exitium acceſſis, tibique illud ſatis eſt, vt opes quouis ſtercore ac cœno viliores tibi affluant: nec animaduertis, te luminis loco tenebras complecti. Verùm ex hoc graui ſomno, quæſo, emerge, clauſoſque tuos oculos aperi, ac Dei noſtri gloriam, omnibus vndique illucentem, cerne, tandemque aliquando ad teipſum redi. Intelligite enim, inquit, inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Illud ſcias, alium deum non eſſe præter Deum noſtrum; nec vllam, niſi in ipſo ſalutem.

Simile à canibus & auibus venaticis.

Pſal. 39.

Pſal. 17.

Rex autem: Stultis, inquit, his tuis nugis finem impone, ac mihi protinus Barlaamum oſtende: aut alioqui eiuſmodi pœnarum inſtrumenta experieris, quorum nunquam abs te periculum factum eſt. Fortiſſimus autem ille, ac præſtanti animi magnitudine monachus, cœleſtiſque philoſophiæ amator, ob regias minas nullo modo de ſententia dimouebatur, ſed intrepido pectore ſtans, dicebat: Ea quæ à te iubentur, ô Rex, facere minimè à nobis induct̃ũ eſt, ſed quæ à Domino noſtro imperata ſunt, qui nos temperantiæ ſtudere, atque omnes voluptates & cupiditates in poteſtate tenere, fortitudinemque colere, ac laborem omnem & afflictionem iuſtitiæ cauſa ſuſtinere docet. Quo igitur grauiora nobis pietatis cauſa mala intuleris, eò præclarius de nobis meritus fueris. Quocirca quidquid lubet, fac: neque enim committemus, vt aliquid quod à recto abhorreat, faciamus, ac peccato nos addicamus. Nec enim leue hoc ſcelus eſſe putes, ſi colluctatorem ac commilitonem noſtrum tibi in manus tradamus. Verum hoc nomine minime nos irridebis, quamuis etiam ſexcentas mortes nobis inferas. Neque enim adeò ignaui ſumus, vt tormentorum tuorum metu philoſophiam noſtram prodamus, atque aliquid diuina lege indignum perpetremus. Adueſtus hæc, quæcunque tormentorum inſtrumenta noſti, ea expedias licet. Nobis quippe viuere Chriſtus eſt, ac mori præſtantiſſimum lucrum.

Philip. 1.

Ob huiuſmodi verba Rex furore inflammatus, theologis eorum linguas amputari iubet, oculoſque erui, manuſque ſimul ac pedes truncari. Quâ ſententiâ pronuntiatâ, lictores & ſatellites circumſtantes inhumanè ac crudeliter ipſos demutilabant. Ac linguas quidem eorum vncinis ex ore extractas belluinâ quadam feritate abſcindebant, oculos autem ferreis vnguibus eruebant, ac denique inſtrumentis quibuſdam eorum manus ac pedes luxantes, amputabant: at beati illi ac venerandi & generoſi viri, tanquam ad epulas vocati, ſtrenuo & forti animo ad cruciatus accedebant, mutuis cohortationibus ſeſe acuentes, atque ad mortem pro Chriſto ſubeundam forti atque intrepido animo pergentes.

Septendecim monachor. cædes

In huiuſmodi variis ſuppliciis ſacroſancti monachi, numero decem & ſeptem, fortes ac tolerantia præditas animas ſuas Domino commendarunt. Ex quo perſpicuè conſtat, animum pietate præditum vitioſis affectionibus imperare, quemadmodum quidam à noſtris decretis alienus prodidit, ſenis ſacerdotis ac ſeptem filiorum certamina commemorans, qui vnà cum matre pari omnino ſententia prædita pro patriæ legis defenſione dimicarunt. Quibus tolerantia & animi magnitudine nihilo inferiores hi eximij Patres ac ſupernæ Ieruſalem ciues extiterunt.

Quod ratio affectibus imperet. Ioſephus,

His igitur piâ morte perfunctis, Rex ad primarium conſiliarium ſuum Arachen dixit: Quoniam prius conſilium minime ſucceſſit, ad poſterius animum adiice, ac Nachorem acceſſendum cura. Araches igitur intempeſta nocte ad eius ſpeluncam ſe contulit: ſiquidem in ſolitudine habitabat, diuinationi operam dans. Cum que ipſi conſtituiſſet id omne, quod cepiſſent, declaraſſet, ſimulatque diluxit, ad Regem ſe recepit. At tum quæſitis rurſus equis, ad inueſtigandum Barlaamum ſeſe abire ſimulauit. Cum autem exiſſet, ac loca ſolitaria perluſtraret, virum vnum ex vorágine quadam egredientem conſpicit. Quem cum perſequi iuſſiſſet, ipſius comites eam celeritatem adhibuerunt, vt hominem arriperent, eumque ad ipſum adducerent. De quo cum quiſnam eſſet, quamque religionem coleret, & quonam nomine vocaretur, quæſiuiſſet, Chriſtianum ille ſe eſſe profeſſus eſt, Barlaamumque nuncupari (quemadmodum videlicet ab ipſis inſtructus fuerat:) quo nomine gaudio perfuſus Araches, vt quidem præ ſe ferebat, accepto eo quamprimum ad Regem reuertitur, eique ipſum exhibet. Atque Rex audientibus iis, qui aſtabant: Tune es ille dæmonis adminiſter Barlaam? Ille autem reſpondit: Dei adminiſter ſum, ac non dæmonum: quamobrem ne me conuitiis inceſſas. Plurimas enim mihi gratias agere debes, quoniam filium tuum errore atque impoſtura liberatum ad Dei cultum erudiui, atque cum vero Deo in gratiam reductum omni virtutis genere inſtitui. Rurſum autem Rex irati animi ſpeciem præferens, dixit: Par ſanè erat, vt tibi ſermonis omnis ac defenſionis facultate præciſa, ſine vlla interrogatione te morte mulctarem. Verum pro mea humanitate tantiſper te fero, quouſque ad certum diem de re quæſtionem habuero. Ac ſi quidem mihi obtemperandum duxeris, veniam obtinebis: ſin minus, peſſimam mortem oppetes. Hæc locutus, Arachi eum tradit, mandatque vt eum quàm diligentiſſime cuſtodiat. XXIV

Nachor ab Aracho ſubornatur, vt ſe Barlaam ſingat.

Nachor Regi ſiſtitur.

Poſtridie autem illinc ad palatium ſuum reuerſus eſt. Repente igitur captum eſſe Barlaamum rumore ferebatur, adeò vt ipſe quoque Regis filius hac re audita grauiſſimo animi dolore afficeretur, nec vllo modo lacrymis moderari poſſet, verum gemitibus ac luctibus Deum obſecraret, ipſumque vt ſeni opem ferret obteſtaretur. Nec verò lugentem eum bonus ille Deus deſpexit: benignus enim eſt iis, qui ipſius opem in die tribulationis exſpectant, atque eos qui ipſius metu præditi ſunt, agnoſcit. Vnde etiam iuueni per nocturnum viſum omnia declarat, rebuſque ipſi addit, atque ad pietatis certamen eum confirmat. Experrectus itaque cor ſuum paulò ante mœſtitia ac dolore profligatum, lætitia ac fiducia ſuauiſſimoque lumine perfuſum reperit. Rex autem his ita geſtis, atque inita huiuſmodi cogitatione, gaudebat, præclara conſideratione ſe vti exiſtimans, ampliſſimamque Arachi gratiam habens. Verum vt diuini Dauidis verbis vtar, mentita eſt iniquitas ſibi: atque iuſtitia aduerſus iniquitatem palmam tulit, prorſus videlicet eam ſternens ac deiiciens, perijtque memoria eius cum ſonitu (quemadmodum ſermonis progreſſu à nobis oſtendetur.)

Ioſaphat Regis filio Deus omnia reuelat.

Pſal. 29.

Pſal. 9.

Biduo quippe poſt Rex ad filij palatium acceſſit, eoque ipſi obuiam prodeunte, patrem eum ſuo more minimè oſculatus eſt, verum indignanti atque irato ſimilis, in regium cubiculum ingreſſus, mœſto vultu conſedit. Ac deinde accito filio, his ad eum verbis vtitur: Fili, quænam hæc fama eſt, quæ ad aures meas permeauit, animumque meum mœrore conficit? neque enim exiſtimo vllum vnquam hominem ob filij ortum tanto gaudio perfuſum fuiſſe, quantam ego tua cauſa voluptatem percepi: nec rurſum vllum vnquam tantum mœroris ex filio contraxiſſe credo, quantum nunc ex te contraxi. Meam enim canitiem dedecore affeciſti, ac lucem oculorum meorum abſtuliſti, neruorumque meorum robur excidiſti. Timor enim, quem tua cauſa timebam, euenit mihi: & quod verebar, accidit mihi. Factuſque ſum hoſtibus meis in ludibrium, & in riſum aduerſariis meis. Stulta mente ac puerili animo impoſto, & verbis fi-

Regis ad filiũ oratio.

Iob 3.

bis fidem adhibuiſti, atque improborum & maleuolorum hominum conſilium conſilio meo antiquius habens, ac deorum noſtrorum cultum relinquens, ad alieni Dei cultum te contuliſti. Quidnam tibi fili, in mentem venit, vt hæc faceres: ac tu, quem in omni ſecuritate alere me ſperabam, quemque ſenectutis meæ baculum ac robur habiturum, optimumque regni mei ſucceſſorem relictum iri exiſtimabam, inimici atque hoſtilis in me animi argumentum exhibere minimè dubitares?

AN non conſentaneum erat, vt mihi potius parères, meaque ſecreta ſequereris, quàm verſipellis ac putidi ſenis nugis ſtultiſque ſermonibus cederes, qui tibi hoc in animum immiſit, vt pro dulci vita acerbam ſuſciperes, ac pro ſuauiſſimis delitiis duram illam & aſperam viam, quam Mariæ filius tenere admonet, ingredereris? An non autem etiam ſummorum deorum iram pertimeſcis, ne fulmine te feriant, aut tonitruo interimant, propterea quòd repudiatis ac pro nihilo habitis iis, qui nos tot tantiſque beneficiis affecerunt, ac regio diademate ornarunt, genteſque numeroſiſſimas ditioni noſtræ atque imperio ſubiecerunt, ac denique vt precum mearum & orationum opera gignereris, ac dulciſſimæ huius lucis particeps fieres, præter ſpem effecerunt, ei qui cruci affixus eſt, arctiſſimè te coniunxiſti, inanibus videlicet ipſius cultorum promiſſis deceptus, qui noua quædam ſecula confingunt, mortuorumq; corporum reſurrectionem nugantur, aliaque ſexcenta, vt ſtolidis hominibus fucum faciant, introducunt?

VERVM nunc ſaltem, chariſſime fili, ſi quid mihi patri tuo obtemperandum putas, prolixis his nugis longum valere iuſſis, benignis diis quæſo ſacrifica, atque eos plurimis victimis & ſacrificiis placare ſtudeamus, vt irati veniam ab ipſis impetres: ſiquidem hanc vim illi habent, vt & beneficiis & ſuppliciis afficere poſſint.

AC nos eorum quæ diximus, exemplum tibi ſumus, qui ipſorum beneficio ad hoc imperium peruenimus, atque hanc ipſis beneficij vicem rependimus, vt & eorum cultoribus honorem tribuamus, & eos qui adduci nequeũt vt ipſis ſacrificent, ſuppliciis excruciemus. Multas igitur huiuſmodi nugas commemorante Rege, ac noſtra quidem dogmata ſugillante & traducente, idolorum autem cultum laudibus & encomiis proſequente, diuiniſſimus iuuenis rem eo loci eſſe videns, vt non iam angulum & latebras, verùm candelabrum potius ac ſpeculum deſideraret, quo omnibus in perſpicuo eſſet, libertate ac fiducia plenus, ad hunc modum locutus eſt:

Matt. 5.

QVOD à me factum eſt, ô here, haudquaquam inficias iuerim. Tenebris enim fuga relictis ad lucem accurri, ac relicto errore ad veritatem me adiunxi, nuntioque dæmonibus remiſſo, ad Chriſti ordines me contuli, qui Dei Patris Filius ac Verbum eſt, cuiuſque verbo omnia ex nihilo in ortum producta ſunt, quique efficto è terra homine vitalem ipſi ſpiritum inſufflauit, eumq; in voluptatis paradiſo, vt illic degeret, collocauit. Cumq; ipſius mandatũ violaſſet, morti que proinde obnoxium ſe reddidiſſet, atque horrendi mundi principis poteſtati ſubieciſſet, non tamen omnia facere deſtitit, quo eum ad priſtinam dignitatem reuocaret. Ac propterea ille rerum omnium conditarum effector, generiſque noſtri architectus, noſtra cauſa homo effectus eſt, atque in terram veniens, & è ſancta Virgine naſcens, cum hominibus conſuetudinem habuit. Ac pro nobis ingratis ſeruis Dominus mortem ſubiit, & quidem mortem crucis: vt videlicet peccati tyrannis de medio tolleretur, priorque condemnatio deleretur, ac cœli portæ nobis rurſum paterent. Nam illuc naturam noſtram euexit, atque in gloriæ throno collocauit, regnumque finis expers, iis qui ipſius amore præditi ſunt, donauit, bonaque omni ſermone atque auditu præſtantiora. Ipſe enim eſt fortis ille, ac ſolus potens, Rex regum & Dominus dominantium, cuius robur inuictum eſt, & potentia eiuſmodi quæ omnem ingenij coniecturam excedat: qui ſolus ſanctus eſt, & in ſanctis requieſcens: qui cum Patre & Spiritu Sancto glorificatur: in quorum nomine baptizatus ſum, & quos confiteor, celebro atque adoro, vnum Deum in tribus perſonis, conſubſtantialem, ac confuſionis expertem, increatum, immortalem, ſempiternum, infinitum, ab omni circumſcriptione remotum, corpore vacantem, à perturbationibus & mutatione atque conuerſione alienum, omni termino carentem, bonitatis & iuſtitiæ ac ſempiternæ lucis fontem, rerum omnium conditarum, tam quæ cerni poſſunt quàm quæ oculorum ſenſum fugiunt, effectorem, atque omnia continentem & conſeruantem, omnibus proſpicientem, atque in omnia regnum & imperium obtinentem. Neque enim ſine ipſo res vlla facta eſt, nec ſine ipſius prouidentia quidquam conflari ac conſiſtere poteſt. Ipſe ſiquidem eſt omnium vita, omnium coagmentatio, omnium illuminatio, totus dulcedo, ac totus ſine vlla ſaturitate deſiderabilis, omniumque rerum expetendarum ſummus vertex. Quocirca Deum hunc, qui tanta bonitate ac potentia præditus eſt, relinquere, atque impuros dæmones vitiorumque omnium architectos colere, ſurdiſque ac mutis ſtatuis, quæ nec aliquid ſunt, nec erunt, cultum ac venerationem tribuere, cuius tandem, ô Pater, ſtultitiæ ac dementiæ fuerit? Ecquando enim vox ab ipſis audita eſt? Ecquando vel exiguum iis, qui preces ad ipſos adhibebant, dederunt? Ecquando ambularunt, aut ſenſum vllum acceperunt? Nam neque hi, qui ſtabant, ſeſſionis vnquam meminerunt: nec qui ſedebant, ſtantes vnquam viſi ſunt. Horum turpitudinem ac fœtorem & ſtuporem, atque etiam dæmonum in ipſis operantium, ac per ipſos imposturam vobis facientium, infirmitatem atque imbecillitatem, cum à viro ſancto intellexiſſem, eorumque improbitatem reieciſſem, ac perfecto odio inſectatus fuiſſem, ad Deum viuum ac verum me adiunxi, ipſique ad extremum vſque vitæ ſpiritum ſeruiam, quo etiam in ipſius manus ſpiritus meus veniat.

Filij ad patrem pia reſponſio.

Baruch 3.
Philip. 2.
1. Cor. 2.
Apoc. 19.
Cant. 5.

Idola deſpicit Ioſaphat.

CVM igitur tanta bona, quæque nulla oratione explicari poſſint, mihi occurriſſent, gaudebam quidem me improborum dæmonum ſeruitute liberatum, atque ab horrenda captiuitate reuocatum, ac Dominici vultus lumine colluſtratum eſſe: illud autem me angebat, animumque meum diſtrahebat, quod tu, dominus ac Pater meus, huiuſmodi beneficiorum minimè particeps eſſes. Verum animi tui in ſententia tua pertinaciam metuens, mœrorē meum pectore premebam, quod tibi ſtomachum mouere minime vellem. Deum autem orare atque obſecrare non intermittebam, vt à longinquo exilio, quod tibi ipſi accerſiuiſti, cum pietatis fugitiuus, vitijque omnis & impietatis miniſter effectus es, te reuocaret. Quoniam autem tu ipſe, ô Pater, res meas in apertum protuliſti, quæ mea omnino ſententia ſit, audi: Pacta cum Deo meo inita non frangam: non inquam, per eum, qui me pretioſo cruore ſuo à ſeruitute vindicauit. Quamobrem, cum quid animi habeam, tibi exploratum ſit, negotium tibi ipſi faceſſere deſine, à præclara confeſſione me deducere moliens. Nam quemadmodum ſi cœlum manu arripere, aut totum mare exſiccare in animum induxeris, irritus atque inutilis tibi hic conatus fuerit: eodem modo hoc quoque irritum tibi fore perſuade. Ac propterea, aut ipſe conſilio meo obſequens, ad Chriſtum te adiunge, vt bona ea, quæ cogitationem omnem ſuperant, percipias, ſocijque inter nos, vt naturæ ita etiam fidei ſimus, aut à tua filietate, mihi crede, abſcedam, puraq; conſcientia Deum meum colam.

Pſal. 4.

Filius perſtat in ſententia.

HÆC igitur omnia vt Rex audiuit, impotenti furore confeſtim percitus, iracundè ad eum loquebatur, dentibuſque furentis inſtar frendens, his verbis vſus eſt: Quiſnam alius mihi tantorum malorum auctor eſt, vt ego ipſe, qui te tanto amore complexus ſum, eaque tua cauſa feci, quæ nullus vnquam pater fecit? Quæ etiam de cauſa mentis tuæ peruerſitas ac peruicacia, ex licentia mea collectis viribus, vt in meum caput inſanires, fecit. Non abs te igitur in ortu tuo Aſtrologi malum & improbum virum atque arrogantem, & aduerſus parentes contumacem, te fore dixerunt. At ſi nunc quoque commiſeris, vt conſilium meum fruſtra cadat, hoſtilem in te animum geram, atq; ita te mulctabo, vt ne in hoſtes quidem ſuos tantæ ſæuitiæ ſpecimen quiſquam exhibeat.

RVRSVM autem ille: Quidnam eſt, ô Rex, cur iracundiâ inflammeris, eoque nomine diſcrucieris, quod tanta

bona

Pater appellandus non eſt, qui filij ſalute angitur.

bona diuinitus ſim conſecutus? Et quis vnquam pater filij felicitate dolere atque angi viſus eſt? Aut quonam modo pater ille, ac non potius hoſtis vocandus ſit? Quocirca nec ego poſthac te patrem appellabo, verum à te abſcedam, non ſecus atque is qui ſerpentem fugit: ſiquidem te ſaluti meæ inuidere, meque in exitium per vim impellere perſpectum habueto. Nam ſi mihi vim afferre, ac tyrannicè mecum agere velis, quemadmodum etiam dixiſti, nihil aliud, mihi crede, hinc lucri facies, quàm vt patris loco, tyrannus & carnifex appelleris. Quandoquidem facilius tibi fuerit aquilæ veſtigia conſequi, ac per ipſum aërem volare, quàm me de mea in Chriſtum fide, ac præclaro fœdere cum ipſo inito, deducere. Verum intellige, ô pater, atque iſta oculorum mentis lippitudine & caligine diſcuſſa, ſuſcipe, ac Dei mei lumen, omnes vndique colluſtrans, intuere: atque ipſe tandem aliquando ſuauiſſimo illius ſplendore illuminare. Vt quid enim teipſum carnis affectionibus ac voluptatibus totum te tradidiſti, nec vllo modo ex ipſis emergis? Illud intellige, quod omnis caro fœnum eſt, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exſiccatum eſt fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini mei, quod omnibus annunciatum eſt, manet in æternum.

1 Petr. 2.

Voluptates mundi ſeu amaritudine digeruntur

QVID igitur ita perditè atque inanè gloriam eam retines & amplecteris, quæ inſtar recentium florum marceſcit atque delетur, & execrandas ac fœdas delitias, ventrisque & eorum quæ infra ventrem ſunt affectiones, quæ quidem ad aliquod tempus ſtultorum ſenſus oblectant, ceterùm amarius felle poſtea digeruntur, tum nimirum cum vmbræ iſtæ, atque inanis huiuſce vitæ inſomnia præterierint, atque in perpetuo ignis nunquam extinguendi ac tenebroſi cruciatu eorum amatores, & qui iniquitati operam dant, prouoluentur, vbi inſomnis vermis abſque vllo fine ipſos corrodet, ac perpetuus ignis in infinita ſæcula eos concremabit? Inter quos, ô rem grauem, tu quoque concluſus, ob ſcelerata conſilia tua graui pœnitentia afficieris, atq; hos dies multum requires, meorumque verborum recordaberis. Verùm nihil ex eiuſmodi pœnitentia vtilitatis percipies: ſiquidem in inferno pœnitentiæ atque confeſſioni locus non eſt.

Sera impiorum pœnitentia.

Pſal. 6.

Pergit Ioſaphat ſeriò monere patrem.

NAM præſens tempus labori præſtitutum eſt, futurum autem mercedi. Ac profectò etiamſi præſentes voluptates fluxioni & interitui minimè ſubiectæ eſſent, verum cum dominis ſuis in æternum durarent, non tamen proptereà eas Chriſti beneficiis, ac bonis omni cogitatione præſtantioribus anteferre oportebat? Nam quantò Sol profunda nocte clarior eſt atq; ſplendidior, tantò quoq; atq; etiam multò magis bona ea, quæ Dei amore prædiıs promiſſa ſunt, quouis terreno regno illuſtriora & magnificentiora ſunt. Proindeque omnino conſentaneum erat, ea quæ maiora & præſtantiora ſunt, inferioribus ac vilioribus antiquiora habere. Cum autem omnes huiuſce vitæ res & corruptioni obnoxiæ ſint, & inſomnij atque vmbræ inſtar prætereant ac deleantur, adeò vt inſtabilibus potius auris, & nauis per mare currentis veſtigiis, quàm hominum proſperitati fides habenda ſit, quæ tandem ſimplicitas, vel vt rectius loquar, ſtultitia & dementia hæc eſt, ea quæ caduca & imbecilla, corruptionique obnoxia ſunt, imò nihil prorſus ſunt, iis quæ à corruptione aliena ac ſempiterna ſunt, potiora ducere, ac propter caducarum rerum fructum, bonorum illorum fructu ab omni ſucceſſione remoto priuari? An non hæc, ô Pater, intelliges? An non prætereuntia præteribis, atque ad ea quæ fixa & certa ſunt, animum adiunges? An non patriam peregrinationi antepones, lucem tenebris, ſpiritum carni, vitam æternam vmbræ mortis, ea quæ non dilabuntur, fluxis & fragilibus? An non ex atroci hac horrendi mundi principis, hoc eſt peruerſi diaboli ſeruitute, fuga te ſubduces, teque ad bonum & ad miſericordiam propenſiſſimum Dominum conferes? An non à multorum commentitiorum deorum cultu teipſum abduces, atque vni viuo, ac vero Deo cultum adhibebis? Nam etſi in Deum peccaſti, cum multas in eum blaſphemias effudiſti, atque ipſius ſeruos grauibus tormentis excruciatos necaſti: non tamen dubito, quin te ad meliorem mentem redeuntem ſuſcepturus ſit, omniaque delicta tua è memoria electurus. Non enim mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, ille vult, qui vt nos à recta via aberrantes requireret, ex ea ſublimitate quæ nullis verbis exponi poteſt, deſcendit, crucemque & mortem noſtra cauſa pertulit, ac nos qui ſub peccato venditi eramus, pretioſo ſuo ſanguine redemit. Ipſi laus & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Iob 14.
Pſal. 143.
Ezech. 18.
Rom. 7.

Ira & admiratione te pitur pater

REX autem ſtupore ſimul atque ira correptus eſt: illud nempe, ob filij prudentiam, atque eiuſmodi ſermones, qui nullo pacto refelli poſſent, hoc autem, quia ipſius deos traducere ac criminare non deſinebat, totamque ipſius vitam ſuggillabat ac proſcindebat. Atque huiuſmodi quidem ſermonis ſplendorem ob internam tenebrarum craſſitiem haudquaquam admiſit. Cum autem ob amotis à natura inſiti affectum in ipſum animaduertere, aut eum malo aliquo mulctare non poſſet, rurſumque ipſum de ſententia dimouere ſe poſſe prorſus deſperaret, veritus ne ſi pluribus eum ſermonibus laceſſeret, eo liberè ac fidenter loquente, deoſque ſugillante atque cauillis inſectante, maiore ipſe iracundiâ inflammatus, hoſtile aliquid in eum deſignaret, irato animo ſurgens ſeceſſit, his duntaxat verbis vtens: Vtinam nunquam natus fuiſſes, nec in lucem prodiſſes, ſiquidem futurum erat, vt in deos tam impius & contumelioſus eſſes, atque à paterna amicitia & admonitione abſcederes. Verum aduerſarij deos, quorum inuictum robur eſt, non perpetuo ſubſannabunt, nec diu gaudebunt, nec eorum præſtigiæ vim habituræ ſunt. Nam niſi mihi dicto audientem atque erga deos gratum te præbueris, multis prius ac variis tormentis affectum acerbiſſima morte te de medio tollam, nec tecum vt cum filio, ſed vt cum hoſte aliquo ac rebelli agam.

Minatur mortem filio

Egreſſo Rege, Ioſaphat diuinam opem implorat

Oratio Ioſaphat ad Deum.

XXV. HIS minis cum in eum pater vſus eſſet, atque iratus receſſiſſet, filius in cubiculum ingreſſus, ſublatis ad ſui certaminis arbitrum oculis, ex intimo corde exclamauit: Domine Deus meus, dulcis ſpes, minimeque mendax promiſſio, ac firmum eorum qui ſe tibi totos deuouerunt perfugium, propitio ac benigno oculo pectoris mei contritionem cerne, nec me derelinquas, nec diſcedas à me: verum iuxta pollicitationem tuam ab omni mendacio alienam, mecũ, hoc eſt, cum indigno atq; abiecto homunculo ſis. Te enim rerum omnium conditarum effectorẽ & gubernatorem agnoſco & confiteor. Quocirca in hac præclara confeſſione velim me confirmes, vt ad extremum vſque ſpiritum in ea permaneam. Reſpice in me, & miſerere mei, mihiq; aſta, illæſum atq; incolumem ab omni ſatanæ operatione me conſeruans. Reſpice, ô Rex: ſiquidem anima mea vehementi tui deſiderio flagrat, atque ita incenſa eſt, tanquam in ſitis ardore in terra inaquoſa, te immortalitatis fontem concupiſcens. Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi & animæ pauperis tui ne obliuiſcaris in finem. Verum mihi beneficio tuo contingat, vt per omnem vitæ curſum pro tuo nomine, tuaq; confeſſione omnia perpetiar, meq; totum tibi immolem. Te enim robur afferente, imbecilles etiam viribus pollent: quoniam tu ſolus inuictus es propugnator, ac Deus miſericors, quem quidquid creatum eſt, benedicit ac celebrat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſal. 37.
Pſal. 24.
Pſal. 62.
Pſal. 73.

Totam noctem in precibus abſumpſit.

HAC oratione functus, diuinam conſolationem in pectus ſuum illabi ſenſit: fiduciaque perfuſus, totam noctem in precibus traduxit. Rex autem cum de filij ſtatu cum Arache ſermones contuliſſet, ipſiq; rigidam ipſius libertatem animiq; in ſententia peruicaciam declaraſſet, hoc conſilium capit, vt quàm fieri poſſet amiciſſimè atque obſequioſiſſime cum eo colloqueretur, blanditiis videlicet perfecturum ſe ſperans, vt eum ad ſe pertraheret. Craſtino itaque die ad filium ſe confert, ac propius ſedens, ipſum accerſit, atque complectitur & exoſculatur, leniterque ac placide irrepens: O chariſſime & amantiſſime fili, inquit, patris canitiẽ honore affice, precibusq; meis auditis accede, ac diis ſacrificium adhibe. Sic enim & illos benignos & faciles habiturus es, & dierum diuturnitatem, gloriamque omnem, & inoffenſum regnum, omniaq; generis bona ab ipſis percipies, & mihi patri tuo per omnem vitam charus eris: ac denique hoc aſſequeris, vt omnes homines te in honore habeant, laudibusque efferant. Siquidem ad laudem adipiſcẽ-

Regis ad filium blanda oratio ex conſilio Arachis.

d. n. ma-

dam magni intereſt patri obedire, ac præſertim in iis rebus, quæ ad bonum & ad deorum beneuolentiam ſpectant. Quidnam autem, fili, cenſes, vtrum ne me conſulto ac de induſtria à bona via deflexiſſe, atque contrariam ingredi maluiſſe, an verò boni ignoratione & imperitia meipſum peſtiferis dogmatibus dedidiſſe? Certè ſi me ſponte ac de induſtria, contrà quàm vtile ſit, mala bonis præferre, mortemq; vitæ potiorem habere exiſtimas, vehementer, ô fili, à recto iudicio mihi aberrare videris.

An non vides, quot ærumnis & afflictionibus meipſum perſæpè tradam, tum in expeditionibus aduerſus hoſtes, tum in publicorum negotiorum procuratione meipſum occupans, adeò vt famem etiam ac ſitim, cùm ita neceſſe eſt, præferam, ac pedibus ambulem, humiq; ſomnum carpam? Opum autem & pecuniarum tanta in me contemptio ac deſpicientia eſt, vt interdum profuſa manu palatij mei theſauros exhauriam, quo ampliſſima diis delubra extruam, omniq́ue ornatu illuſtrem, aut pecuniarum aggeres militibus liberaliſſime diſtribuam. Cum itaq; tantus in me voluptatum contemptus, tanta in periculis tolerantia ſit, ſi Galilæorum religionem, ea quam manibus tenemus præſtantiorem eſſe cognoſcerem, an non ſummo ſtudio id agerem, vt contemptis omnibus rebus, ſalutem mihi compararem? Sin autem mihi boni ignorationem atq; imperitiam vitio vertis, illud tecum reputa, quot noctes inſomnes exegerim, quæſtione aliqua propoſita, & quidem interdum haud admodum neceſſaria, nullam omnino mihi requiem concedens, priuſquam perſpicuam & accommodatiſſimam ipſius ſolutionem inueniſſem.

Qvocirca cum caducarum harum rerum ne minimam quidem contemnendam ducam, verùm omnino conducibiliter, atque ad omnium vtilitatem eam excutiam & abſoluam: (ſic enim inter omnes conſtare arbitror, neminem omnium qui ſub Sole ſunt, arcanarum rerum cognitionem accuratius vnquam inueſtigaſſe, quam ipſe fecerim) quo nam pacto res diuinas, & ea quæ veneraris, ac deorum honore afficere oportet, contemnenda duxiſſem, ac non potius omni ſtudio, omnibus viribus, toto denique animo ac tota mente in eorum inueſtigatione tempus atque operam poſuiſſem, vt quæ vera & maximè conſentanea ſunt, inuenirem? Etenim magno cum labore ſic ea quæſiui vt & multas noctes ac multos dies in his conſumpſerim, & multos item ſapientes & eruditos viros ad conſilium adhibuerim, atq; etiam cum multis eorum, qui Chriſtiani appellantur, ſermones contulerim. Ac per impigrã conquiſitionem & ardentem inueſtigationem, via veritatis à me inuenta eſt, ſapientum virorum, atq; tum doctrina tum ingenio præditorum teſtimonio confirmata. Quorum hæc ſententia eſt, nullam aliam eſſe, præter eam quam hodierno die tenemus, ſummos deos colentes, ac dulcem & cum voluptate coniunctam vitam omnibus hominibus ipſorum munere conceſſam, ac iucunditate animiq; oblectamento perfuſam arctiſſime complectentes. Quam quidem Galilæorũ duces & antiſtites ſtultè repulerunt, adeò vt ſuaue hoc lumen, atque omnes voluptates, quas nobis fruendas dij conceſſerunt, alterius cuiuſdam incertæ vitæ ſpe prompto animo abijciant, neſcientes videlicet, nec quid dicant, nec de quibus affirment. 1.Tim.1.

Tv verò chariſſime fili, patri tuo, qui per accuratam ac veriſſimam inueſtigationem id quod verè bonum eſt, inuenit, obtempera. En enim demonſtratum eſt, me nec ſponte nec per ignorationem à bono aberraſſe, verùm & illud inueniſſe & accepiſſe. Cupio autem te quoq; in ſtulto errore minimè verſari: verùm meis veſtigiis hærere: quamobrem fac patrem tuum verearis. An neſcis quantum bonum ſit patri obtemperare, atq; ipſi in omnibus rebus obſequi: quemadmodum contrà quàm exitioſum & execrandum patris animum exacerbare, ipſiusq́ue iuſſa pro nihilo habere? Omnes enim qui hæc fecerunt, malo mortis genere interierunt. Quo in numero, fili, vtinam ne cenſearis! verùm ea, quæ parenti grata ſunt, faciens, bonorum omnium compos ſias, regniq́ue mei hæres ſis.

Magnanimvs autem, ac verè nobilis adoleſcens, cum ſuperuacaneam patris orationem ac ſtultum conſilium audiſſet, atque flexuoſi ſerpentis artes animaduertiſſet, nempe quod à dextris laqueum pedibus ipſius paraſſet, id ſcil. agens ac moliens, vt diuinam ipſius animam inflecteret, atque ipſi ad propoſitam palmam impedimentũ afferret, illud Domini præceptum ſibi ante oculos poſuit: Non veni mittere pacem, ſed gladium. Veni enim ſeparare filium aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & quæ deinceps ſequuntur. Illudq́ue item: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Ac rurſum illud: Quicunque me negauerit coram hominibus, negabo etiam eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Hæc cùm ſecum ipſe reputaſſet, diuinoq́ue metu animam conſtrinxiſſet, illud Salomonis dictum perquam tempeſtiuè vſurpauit? Tempus amandi, & tempus odiendi: tempus belli, & tempus pacis. Ac primum quidem mente ad hunc modum precatus eſt: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui bene fecit mihi, ac reliqua quæ deinceps in Pſalmo ſequuntur.

Fraudem filius intelligit. *Matt.10.* *Eccleſ.3.* *Pſal.56.*

Post autem ad patrem his verbis vſus eſt: Patrem quidem colere, atque ipſius imperiis parère, ipſiq́ue amico & beneuolo animo inſeruire, communis magiſter noſter docet, vt qui naturalem huiuſmodi charitatem in animis noſtris inſeuerit. At cum parentum amor atque erga eos beneuolentia animæ ipſi periculum creat, eamq́ue à ſummo illo effectore procul remouet, hunc affectum prorſus exſcindere iubemur, ac nullo modo iis qui nos à Deo abſtrahunt, cedere ac manus dare, verùm eos odiſſe & auerſari: quamuis etiam is, qui execranda præcipit, pater ſit, quamuis mater, quamuis Rex quamuis denique penes eum vitæ noſtræ poteſtas ſit. Quæ cùm ita ſint, paternæ beneuolentiæ cauſa Dei iacturam facere prorſus nequeo, ac proinde tum tibi ipſi, tum mihi negotium faceſſere deſine: verùm mihi morem gere, ac viuum & verum Deum ambo colamus. Nam quæ nunc veneraris, ſimulacra ſunt, hominum manibus effecta, ſpiritus expertia & ſurda, nihilq́ue omnino aliud quàm exitium & ſempiternum cruciatum cultoribus ſuis accerſentia.

Ioſaphat patri reſpondet *Exod.20.*

Sin autem id recuſas, quidquid lubet, mihi infer: ſeruus enim Chriſti ſum. Ac neque blanditiis, neque tormentis ab eius amore deſciſcam: quemadmodum etiam pridie tibi dixi, Domini mei nomen interponens, ac ſermonem interpoſito iureiurando confirmans. Quod autem nec te ſponte male agere, nec rurſum ignoratione à bono aberrare dixiſti, verùm ingenti ac laborioſa inueſtigatione hoc cognouiſſe, nempe bonum eſſe ſimulacra colere, ac libidinum voluptatibus affixum eſſe, certè te ſponte male agere, dicere haud nequeo. Quod autem magna inſcitiæ caligine circumfuſus ſis, ac tanquam in tractabilibus tenebris ambulans, ne minimum quidem luminis ſplendorem perſpicias, ob idq́ue recta via amiſſa in præcipitia & barathra oberres, id verò certiſſimum ac compertiſſimum habeo, teq́ue etiam, ô pater, id intelligere cupio. Ac propterea tenebras lucis loco tenens, ac mortem vitæ inſtar cõplectens, vtilia conſilia iniiſſe, fructuoſaſque cogitationes ſuſcepiſſe tibi videris. At non ita eſt, non, inquam, eſt ita. Nam nec ea quæ veneraris, dij ſunt, ſed dæmonum ſtatuæ, omnem eorum execrandam operationem intus continentes, nec rurſum vita ea, quam ſuauem & voluptuariam appellas, iucunditatiſque omnis & hilaritatis plenam eſſe cenſes, eiuſmodi naturam habet: ſed ſi veritatis iudicio ſtandum eſt, execranda ac modis omnibus auerſanda eſt. Quamuis enim ad aliquod tempus fauces deliniat, poſt tamen, vt à magiſtro meo dictum eſt, felle amarius digeritur, gladioq́ue ancipiti acutior eſt.

Improborũ vita nil verę iucunditatis habet.

Et quonam tandem pacto eius mala tibi recenſere poſſem? Dinumerabo ea, & ſuper arenam multiplicabuntur: diaboli enim hamus eſt, execranda voluptate, tanquam illecebra quadam obductus, per quam eos qui in fraudem inducuntur, ad imum inferni gurgitem trahit. Bona autem à Domino meo promiſſa, quæ quidem tu incertæ vitæ

Pſal.138. *Præſens vita diaboli hamus eſt.*

ſpem

ſpem nuncupaſti, ab omni mendacio & mutatione aliena ſunt, finem neſciunt, corruptioni ſubiecta non ſunt: denique nulla eſt oratio, quæ illius gloriæ & iucunditatis, illius inenarrabilis gaudij ac perpetuæ lætitiæ magnitudinem exprimere queat. Omnes enim, quemadmodũ ipſe vides, morimur, nec eſt homo qui viuat & mortem viſurus non ſit: futurum eſt autem, vt rurſum ad vitam redeamus, tum nimirum, cum Dominus Ieſus Chriſtus Dei filius in gloria, quæ nullis verbis declarari poteſt, ac tremenda potentia veniet, ille, inquam, Rex regum, ac Dominus dominantium, cui omne genu flectetur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum: quiq; tantum omnibus pauorem commouebit, vt etiam ipſæ cœleſtes virtutes obſtupeſcant. Aſtabunt porrò ei cum timore millia, & decies centena millia Angelorũ & Archangelorum, cunctaq; metu ac tremore plena erunt. Vnus enim Archangelorum buccinâ clanget: ac ſtatim cœlum ſicut liber inuoluetur, terra autem effracta omnium hominum, qui vnquam à primi hominis Adami ortu vſque ad diem illũ fuerunt, corpora ſurſum emittet, actum omnes, qui ab orbe condito morte functi ſunt, in ictu oculi ad Domini tribunal ſiſtentur, atque vnuſquiſque rerum in vita geſtarum rationem reddet. Tunc iuſti, qui in Patrem & Filium ac Spiritum Sanctum crediderunt, atq; in probis actionibus præſentis vitæ curriculum confecerunt, Solis inſtar fulgebunt. Quonam autem pacto gloriam eam, quæ ipſos exceptura eſt, tibi commemorabo? Nam etiamſi ipſorum ſplendorem ac pulchritudinem Solis lumini, aut etiam clariſſimæ fulgetræ comparem, nihil tamen, quod huic ſplendori par ſit, dixero. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus in cœlorum regno, in incõparabili luce, in arcana & finis experte gloria, iis qui ipſius amore præditi ſunt, præparauit. Ac iuſti quidem eiuſmodi bona atque eiuſmodi beatitudinem conſequentur.

2. Reg. 14. Pſal 88. Matt. 25. Apoc. 19. Philipp. 2. Luc. 21. Dan. 7. 1. Cor. 15. Matt. 13. Non tantũ credere, ſed & operari neceſſe eſt. 1. Cor. 2.

Impiorum miſeria

QVI autem verum Deum abiurarunt, ac fictorem & opificem ignorarunt, impuroſque dæmones coluerunt, ac ſurdis ſimulacris venerationem tribuerunt, voluptatumque huius vanæ vitæ cupiditate flagrarunt, atque in vitioſarum affectionum cœno porcorum inſtar ſeſe voluitarunt, ſuaſq; animas vitij omnis officinam effecerunt, nudi & aperti ſtabunt, ignominia ſuffuſi, mœſti, ac tum geſtu, tum reipſa miſerabiles. Atq; omnes ipſorum ſermones, & actiones, & cogitationes ante ipſorum ora venient, ac deinde poſt grauiſſimam ignominiã, atq; intolerandũ illud probrũ, gehennæ igni nunquam extinguendo, ac lucis omnis experti exterioribus tenebris, dentium ſtridori, ac venenato vermi addicentur. Hæc illorum portio erit, hæc hæreditas: in his per ſempiterna ſæcula verſabuntur, ſcelerum pœnas dantes, propterea quod bonis iis quæ in pollicitatione recondita erant, propter breuem voluptatem repudiatis & abiectis, æternum ſibi ipſis ſupplicium accerſiuerunt. Pro his igitur, hoc eſt, vt & gaudium illud omni ſermone præſtantius conſequamur, & arcana illa gloria fruamur, Angeloſque ſplendore adæquemus, ac bono & dulciſſimo Domino fidenti animo aſtemus, atque atrociſſimas & nunquam finiendas pœnas, & acerbiſſimam illam infamiã effugiamus, quas non pecunias, quæ non corpora, imò etiam ipſas animas profundere par fuerit? Quis tam ignaui animi eſt, quis tam excors, quin ſexcentas temporarias mortes ſubire in animũ inducat, vt à ſempiterna & finis omnis experte morte liberetur, beatamq; & ab omni interitu remotam vitam hæreditario poſſideat, ac ſanctæ & vitæ initium afferentis Trinitatis lumine colluſtretur?

Regni cœleſtis cauſa nullus dolor recuſandus.

HÆC verba cum Rex audiiſſet, filijque firmitatem atque conſtantiam perſpexiſſet, nec blanditiis, nec ſermonũ XXVI
lenocinio, nec denique ſuppliciorum minis cedentis, orationis quidem illius probabilitatem, ac reſponſa quæ refelli nõ poſſent, admirabatur, atq; etiam à propria conſcientia, quæ ipſum vera & iuſta dicere demonſtrabat, coarguebatur: verùm à praua conſuetudine, atque à vitioſis affectionibus quarum habitum contraxerat, & quæ eum velut camo & fræno coërcebat, nec veritatis lumen perſpicere ſinebat, in diuerſum trahebatur. Ac propterea nullum non lapidem, vt dici ſolet, mouens, in eo quod prius ſibi propoſuerat, hærebat, conſilium nimirum, quod cum Arache ceperat, in opus perducere cupiens. Itaq; ad filium ait: Oportebat quidem, fili, te meis imperiis omnibus in rebus ſimpliciter obſequi. Quoniam autem pro tua duritia atque contumacia mihi ita vehementer reſtitiſti, hoc vnum contendens, vt tua ſententia maioris apud te, quàm omnia alia, ponderis atque auctoritatis eſſet: age, inani contentione valere iuſſa, rationibus ad perſuadendum aptis agamus. Ac quia Barlaam à quo tibi fucus factus eſt, vinctus à me tenetur, ampliſſimo cœtu habito, atq; omnibus tum noſtris tum Galilæis in vnum coactis, præconibuſque diſertis verbis edicere iuſſis, ne quiſquam Chriſtianorum vllius periculi metu afficiatur, verum omnes omni metu vacui per ſodalitia & cognationes in vnum coeant, communi conſilio rem conſideremus. Atque aut vos & veſter Barlaam, nobis in ſententiam veſtram adductis, ea quæ optatis conſequemini: aut contra vos in ſententiam noſtram adducti, iuſſis meis ſponte ac prompto animo parebitis. Prudens autem reuera & cordatus iuuenis per viſum quod diuinitus ipſi contigerat, Regis verſutia cognita, ait: Domini voluntas fiat, ſitq; quemadmodũ iuſſiſti. Ipſe autem bonus Deus ac diuinus hoc nobis concedat, ne à recta via aberremus: nam in ipſo confidit anima mea, & ipſe mei miſerebitur. Tunc igitur Rex, omnes tam idolorum cultores, quàm Chriſtianos in vnum conuenire iubet, litteris nimirum quaquauerſum miſſis, ac præconibus qui per omnia oppida proclamarent, ne quis Chriſtianorum, tanquam inopinati aliquid perpeſſurus, in metu verſaretur; verùm omnes per ſodalitia & cognationes in vnum coirent, quod veritatis ſtudioſa, ac non coacta & violenta inquiſitio vnà cum eorum duce atque anteſignano Barlaamo futura eſſet. Eodemq; modo idolorum etiam cultores ac ſacerdotes, Chaldæorumq; & Indorum ſapientes, qui in vniuerſo ipſius imperio erant, quoſdamq; etiam augures, & præſtigiatores, ac vates conuocauit, vt aduerſus Chriſtianos victoriam obtinerent.

Pater compungitur, ſed non conuertitur.

Diſputatio indicitur.

ET quidem ingens ad Regem execrandæ ipſius religionis multitudo confluxit: Chriſtianorũ autem vnus tantum, Barachias nomine, inuentus eſt, qui Barlaamo (vt quidem exiſtimabatur) ſuppetias ferret. Nam pij viri partim extremo vitæ die functi fuerant, a furioſis ſcil. vibinm prætoribus obtruncati: partim impendentium periculorũ metu in montibus ac ſpeluncis delitеſcebant: partim denique Regis minas pertimeſcentes, in lucem prodire minimè audebant, verùm nocturni pietatis cultores erant, in occulto duntaxat Chriſtum colentes, non autem liberè ipſius fidem profitentes. Ille autem ſolus, vtpote generoſo animo præditus, ad propugnandam veritatem acceſſit. Cum igitur Rex in alto atq; edito ſolio conſediſſet, filium vnà ſedere iuſſit. At ille pro ſuo erga patrem honore ac reuerentia id facere recuſauit, atque in terra non longè ab eo ſedit. Aſtiterunt igitur viri infatuatæ à Deo ſapientiæ periti, quorũ vt Apoſtoli verbis vtar, inſipiens cor erat. Putantes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilium hominum, & quadrupedum, & ſerpentium. Hi, vt cum Regis filio, atque iis qui ab ipſius partibus ſtabant, ſermonem conſererent, in vnum conuenerunt. Atq; in eis illud adagium implebatur, Caprea cum leone pugnam iniit. Etenim ipſe Altiſſimum poſuerat refugium ſuum, & in alarum ipſius vmbra ſperabat. Illi autem in huius ſæculi Principibus qui deſtruuntur, ac mundi principe tenebrarum, cui ſeipſos miſerè ſubiecerunt, fiduciam ſuam collocabant.

Prodit pro filio Barachias Chriſtianus vnus.

1. Cor. 2. Rom. 1. Pſal. 90. Pſal. 56. Epheſ 6.

PRODVCITVR itaq; Nachor, qui Barlaamum ſe eſſe ſimulabat. Ac Rex quidem hoc ſibi propoſitum habebat: verum ſapiens Dei prouidentia cœlitus aliud adminiſtrabat. Aſtantibus n. his omnibus, Rex ad oratores ſuos & philoſophos, vel potius plebis ſeductores & ſtolido corde præditos, ait: En vobis certamen, & quidem maximũ propoſitum eſt. Duorum enim alterũ vobis continget, nempe vt vel doctrina noſtra cõfirmata, erroreq; cõuicto Barlaamo ipſiuſq; ſociis, maximam gloriam & honorem cum à nobis, tum à ſenatu conſequamini, ac victricibus coronis ornemini, vel fracti ac ſuperati, cum omni ignominia grauiſſimam mortem oppetatis, atque omnes veſtræ [illegible]

Rex diſputationi legem ſtatuit.

popu-

populo addicantur, quo memoria veſtra prorſus à terra deleatur. Nam & corpora veſtra beſtiis deuoranda obiiciam, & liberos veſtros perpetua ſeruitute mulctabo. Hac oratione à Rege habita, ipſius filius his verbis vſus eſt: Æquam ſententiam hodierno die tuliſti, ô Rex, eamq; velim Deus confirmet: atq; ego eadem magiſtro meo dico. Conuerſuſq; ad Nachorem, qui Barlaam eſſe putabatur, ad eum ait: Non te fugit, ô Barlaam, in qua gloria, quibuſque deliciis me inueneris. Tu tamen permultis ſermonibus me adduxiſti, vt à patriis legibus & inſtitutis abſcederem, atq; ignotum Deũ colerem, arcanorum quorundam videlicet ac ſempiternorum bonorum ſpe mentem meam ad ſequenda tua dogmata, & exacerbandum patris mei ac domini animum me pertrahens. Quocirca ita exiſtima, te nunc velut in trutina ſtare. Nam ſi ex propoſito certamine ſuperior diſceſſeris, eam ſcilicet quam mihi tradidiſti doctrinam veram eſſe demõſtrans, atque eos qui hodierna die nobis aduerſantur, in errore verſari oſtendens, tu quidem maiorem quam vllus vnquam habuerit, gloriam referes, ac veritatis præco vocaberis: atq; ego in tua doctrina perſtabo, Chriſtumq;, quemadmodum prædicaſti, ad extremum vſque ſpiritum colam. Sin autem, ſiue dolo ſiue ſerio ac verè ſuperatus, ignominiam mihi conflaueris, contumeliam meam ſtatim vlciſcar. Etenim meiſmet manibus cor tuum ac linguam euellam, eaq; cum reliquo tuo corpore canibus in prædam dabo: vt tuo exemplo omnes Regum filiis impoſturam minimè facere condiſcant.

Filii verba ad falſum Barlaam Nachor.

His verbis auditis, Nachor ingentem triſtitiam ac mœrorem concepit: vt qui ſeipſum in foueam quam fecerat, incidere, ac laqueo quem abſconderat, implicari, ſuoq; gladio ſe confodi perſpiceret. Cum igitur rem ſecum reputaſſet, ad filii Regis partes, vt impendens vitæ diſcrimen effugeret, ſeſe potius adiungere, ipſiuſque dogmata confirmare ſtatuit, quod videlicet ille optimo iure ſupplicio eum afficere poſſet, ſi quidem ipſius animum offendiſſet. At id totũ diuinæ prouidentiæ erat, quæ religionis noſtræ decreta ſapienter per aduerſarios confirmabat. Nam cũ idolorum antiſtites & Nachor ſermones conſerere inciperent, vt Barlaam ille, cum ſub Balaac Iſraelem quondam execrari ac diris deuouere conſtituiſſet, multis tamen eum ac variis benedictionibus cumulauit: ad eumdem etiam modum. Nachor inſipientibus ac ſtolidis ſapientibus vehementer obluctabatur. Cum enim Rex in throno ſederet, atq; ipſius filius, vti iam à nobis dictum eſt, ipſi aſſideret, eiq; etiam ſtulti rhetores aſtarent, qui vt gladium linguas ſuas ad opprimendam & euertendam veritatem acuerant, quique, vt cum Iſaia loquar, laborem parturiunt, & iniquitatem pariunt, plebis etiam ad certaminis ſpectaculum innumerabilis multitudo confluxiſſet, vt vtra pars victoriam adipiſceretur, cognoſceret, rhetorum vnus, qui omnibus doctrina præſtabat, ad Nachorem dixit: Tunè es ille vſq; adeo audax, atq; in deos noſtros contumelioſus Barlaam, qui chariſſimum Regis filium in eiuſmodi errorem conieciſti, eumque crucifixum colere docuiſti? Reſpondit Nachor: Sane, ego ſum Barlaam, qui deos tuos, quemadmodum dixiſti, nihili pendo: quique Regis filium non in errorem conieci, ſed errore liberaui, atque ad verum Deum adiunxi. Tum rhetor ille ad hunc modum locutus eſt: Quoniam magni & eximii viri, à quibus omnis ſapientia & ſcientia inuenta eſt, ſublimes deos atq; immortales eos nuncupent, omneſq; orbis terræ Reges & illuſtres viri ipſos colant ac venerentur, quonam modo ipſe linguam aduerſus eos acuis, atq; omnino eo audaciæ prorumpis, vt hæc proferas: Quonam item argumento probas eos deos non eſſe, ſed eum qui cruci affixus eſt? Excipiens autem ſermonem Nachor, rhetorem quidem illum nullo reſponſo dignatus eſt: verum cum plebi ſilentium manu indixiſſet, atq; os ſuum, tamquam illa aſina Balaam, aperuiſſet, ea quæ dicere minime inſtituerat, prolocutus eſt, aitq; ad Regem: Ego, Rex, Dei prouidentia in mundum veni: cõſpectoq; cælo, terra, mari, ſole, ac luna, reliquiſq; eiuſmodi rebus, earum ornatum admiratus ſum. Mundum autem, eaq; omnia, quæ ipſius complexu continentur, neceſſario moueri conſpiciens, eum à quo mouetur & conſeruatur, Deum eſſe intellexi. Etenim quidquid mouet, eo quod mouetur fortius eſt: & quod continet atque conſeruat, fortius eſt eo quod continetur & conſeruatur. Quocirca ipſum Deum eſſe dico, qui omnia procreauit atque conſeruat, quiq; principii expers eſt, & ſempiternus & immortalis, & nulla re indigens, omnibuſq; perturbationibus ac defectibus ſublimior, hoc eſt ira & obliuione atq; ignorantia, reliquiſq; omnibus rebus generis eiuſdem. Per ipſum autem omnia coagmentata & concreta ſunt. Nec verò ſacrificiis aut libaminibus, aut vlla alia re in aſpectum cadente opus habet: verum contrà omnes eo opus habent.

Tranſit Nachor ad partes filii. *Numer. 22.* *Pſalm. 63.* *Iſaia 59.* *Diſputationis initium* *Nachoris oratio.* *Ex creaturis vnus Deus agnoſcẽdus* *Pſalm. 15.*

His ita de Deo commemoratis, quemadmodum ipſius beneficio mihi de ipſo loqui conceſſum eſt, ad humanũ genus veniamus, vt quinam ipſorum veritatis, quinam erroris participes ſint, conſpiciamus. Illud enim, ô Rex, inter nos conſtat, tria in mundo hominum genera eſſe, nimirum eos qui apud vos deorum cultores dicuntur, & Iudæos, & Chriſtianos. Ac rurſum eorum qui multos deos colunt, triplex genus eſſe, nempe Chaldæos, Græcos, & Ægyptios, nã hi reliquis nationibus plurium deorum cultus & adorationis duces ac magiſtri fuerunt. Quocirca quinam ipſorum in veritate, quinam in errore verſentur, videamus. Ac Chaldæi quidem Deum ignorantes, poſt elementa aberrauerunt, reſq; conditas creatoris loco colere cœperunt: quarum etiam cum formas quaſdam effeciſſent, eas, cæli, & terræ, & maris, & ſolis, ac lunæ, reliquorumque elementorum & ſiderum figuram appellarunt: eaſq; res in templis concluſas adorant, ac deos appellant. Quos etiam diligenter ac ſtudioſe ſeruant, ne à furibus ſurripiantur. Nec illud ipſis in mẽtem venit, quidquid ſeruat, eo quod ſeruatur maius eſſe, & item eum qui aliquid efficit, eo quod efficitur præſtantiorem eſſe. Nam ſi ipſorum dii ea imbecillitate ſunt, vt ſaluti ſuæ conſulere nequeant, quonam tandem pacto aliis ſalutem afferent? Itaque magno errore Chaldæi lapſi ſunt, mortuas & vtilitatis expertes ſtatuas venerantes. Atq; etiam mihi mirari ſubit, ô Rex, quonam modo ii qui apud eos philoſophorum nomen obtinent, illud haudquaquam animaduerterint, elementa quoque interitui obnoxia eſſe. Quod ſi elementa interitui omnino obnoxia ac ſubiecta ſunt, qui tandem dii eſſe queant? Quod ſi elementa dii non ſint, quonam modo ſtatuæ, quæ eorum nomine conſtruuntur, dii erunt?

Actor. 17. *Tria in mũdo religionis genera, Gentiles, Iudæi, Chriſtiani.* *Multorum deorum cultus ab Ægyptiis fluxit.* *Elementa deos nõ eſſe*

Ad ipſa igitur elementa, ô Rex, accedamus, vt ea deos eſſe nõ demõſtremus, ſed corruptioni ac mutationi ſubiecta, atque ex nihilo in ortum veri Dei iuſſu producta eſſe, qui quidem corruptionis & immutationis expers eſt, & inuiſibilis, contraq; ipſe omnia cernit, & arbitratu ſuo immutat atque conuertit. Quid igitur de elementis dico?

Qui cælum deum eſſe arbitrantur, errant. Nam ipſum conuerti, ac neceſſario moueri, atque ex multis rebus cõſtare videmus: propterea enim κόσμος, id eſt mundus appellatur. Mundus porrò artificis cuiuſdam conſtructio eſt. Quod autem cõſtructum eſt, principium ac finem habet. At cælum vna cum ſideribus ſuis neceſſario mouetur: ſiquidem aſtra certo ordine ac ſpatio impulſa à puncto in punctum, partim occidunt, partim exoriuntur, certiſq; temporũ ſpatiis iter ſuum obeunt, vt æſtates & hiemes, quemadmodum ipſis à Deo imperatum eſt, efficiant. Nec leges ſibi iuxta ineuitabilem naturæ neceſſitatem conſtitutas cum cæleſti ornatu infringunt. Ex quo perſpicuum eſt, cælum non deum, ſed Dei opus eſſe. Qui autem terram deam eſſe cenſent, errant. Videmus enim eam ab hominibus iniuria affici, & eorum imperio ſubiectam eſſe, effodi etiam & contaminari, atque inutilem fieri. Nam ſi igne torreatur, emoritur: ſiquidem ex teſta nihil oriri poteſt. Ac præterea ſi imbribus nimium perfundatur, tum ipſa, tum ipſius fructus corrumpuntur. Quin ab hominibus reliquiſque animantibus proculcatur, interfectorum ſanguine inquinatur, effoditur, cõpletur, cadauerum theca efficitur. Quæ cum ita ſint, fieri non poteſt vt terra dea ſit, ſed res à Deo ad hominum vſum effecta.

Cælum deũ nõ eſſe. *Terrã deã non eſſe.*

Eodem modo, qui aquam deam eſſe putant, errant. Nam ea quoque ad hominum vſum procreata eſt, eorumq;

dominationi ſubeſt. Contaminatur etiã & labefactatur, & cũ igne cocta eſt, immutatur: alios atq; alios ſubinde colores ſumit, vtpote quæ & frigore concreſcat, & ex cruore ſpurcitiem contrahat, & ad impuratum omniũ rerum ablutionẽ adhibeatur. Ex quo liquidò conſtat aquam deam eſſe nõ poſſe ſed Dei opus. Iam verò, qui ignem deum eſſe arbitrantur, ipſi quoq; errant. Etenim ignis ad hominum vſum creatus eſt, ipſorumq; dominationi ſubeſt, & ab ipſis ad omnis generis carnes, partim elixandas, partim aſſandas, atq; etiam ad mortua corpora concremanda, è loco in locũ circumfertur, atq; inſuper multis modis corrumpitur, & ab hominibus extinguitur: ac proinde ignis deus eſſe non poteſt, ſed Dei opus eſt. Ad eundem etiam modum, qui ventorum flatum deum eſſe exiſtimant, errant. Perſpicuum enim eſt, ventum alteri inſeruire, atq; hominum cauſa ad tranſuehendas naues ac frumenta comportanda, reliquoſq; ipſorum vſus à Deo conditum eſſe. Huc accedit, quod pro Dei iuſſu atq; imperio tum augeſcit tum imminuitur. Quare fieri non poteſt, vt ventus deus ſit, verùm Dei opus.

Ignem deũ non eſſe. *Ventos deos non eſſe.*

Solem deũ non eſſe. PORRO qui ſolem deum eſſe putant, ipſi quoq; errant. Siquidem eũ neceſſario moueri perſpicimus, atq; à puncto in punctum migrare & cõmutari, & occidere & exoriri, vt ad hominum vtilitatem ſtirpes & plantas calore afficiat: atque inſuper eum diuiſionẽ cum reliquis ſideribus habere, ac multis partibus cælo minorẽ eſſe, luceq; interdum deficere, nec vllum imperium & principatum obtinere. Ex quo illud planum eſt, fieri non poſſe, vt ſol deus ſit, ſed Dei opus.

CONSIMILI etiam modo ii, qui lunam deam eſſe opinantur, errant. Nam ipſam neceſſario moueri & immutari videmus, atq; à puncto in punctum migrare, & ad hominum vtilitatẽ nunc exoriri nunc occidere, ac ſole minorẽ eſſe: augeri etiam atque imminui, ac deliquia interdum pati. Quare fieri non poteſt, vt luna dea ſit, verùm Dei opus.

Lunã deam non eſſe. *Hominem deũ nõ eſſe.*

Denique qui hominem deum eſſe arbitrantur, errant. Nam eum neceſſario moueri, & ali, & inuitum etiam ſeneſcere videmus, atq; interdum delectari, interdum mœrore affici, ciboq; ac potu & veſte indigere. Iracundum etiam atq; inuidum eſſe, & libidine incitari, & pœnitentia duci, ac multis defectibus laborare. Verùm multis etiam modis corrumpitur, nimirum ab elementis, & animantibus, ac poſtremò à morte, ipſi imminente. Ex quo efficitur, vt homo deus eſſe nequeat, ſed Dei opus. Quocirca ingenti errore Chaldæi lapſi ſunt, dum opinionum ſuarum commenta ſequuntur. Elementa enim, in quæ interitus cadit, ac mortuas ſtatuas venerantur, nec ſe in deorum numerum ea referre ſentiunt.

Diſputatio aduerſus Græcos.

AD Græcos iam veniamus, vt ſi quid fortè de Deo rectè ſentiãt, videamus. Græci igitur ſapientiæ laudẽ ſibi arrogantes, ſtultiores etiã Chaldæis ſe præbuerunt, complures videlicet deos inducentes, partim maſculos partim fœminas, vitioſorũ omnis generis affectionũ ac ſcelerum architectos. Etenim ridicula, & ſtulta, & impia, ô Rex Græci induxerunt, eos qui non ſunt, iuxta peruerſas ſuas cupiditates deos appellantes: vt nimirum eos vitii patronos ac defenſores habentes, adulteria perpetrent, rapiant, trucident, atque atrociſſima quæque ſcelera committant. Nam cum ipſorum dii huiuſmodi flagitia deſignarint, quonam pacto ipſi quoque non eadem perpetrabunt? Ex his igitur erroris ſtudiis & inſtitutis, hominibus bella & cædes, atque acerbas captiuitates crebrò experiri contigit. Quin etiam, ſi de ipſorum diis ſigillatim verba facere velimus, ingentem abſurditatem perſpecturus es.

De Saturno

SIQVIDEM Saturnum ipſi ante omnes deum inducunt, eiq; filios ſuos mactant. Qui quidem ex Rhea multos filios habuit, quos etiam ipſe furore percitus deuorabat. Aiunt autem Iouem ipſi genitale membrum abſcidiſſe, atque in mare proieciſſe: ex quo Venerem ortam eſſe fabulantur. Iupiter autem patrem ſuũ vinculis conſtrictum, in tartarũ præcipitem dedit. Vides errorem ac libidinem, quã aduerſus deũ ſuum inuehunt. Nũ enim fieri poteſt, vt Deus catenis vinciatur, ipſiq; genitales partes amputentur? O ſingularem amentiam! Quis mente præditus hæc dixerit?

De Ioue

SECVNDVS Iupiter inducitur, quem in omnes deos ſuos regnum tenere aiunt, atque in varias animantium figuras immutari, vt mortalibus mulieribus ſtuprum inferat. Etenim eum in taurum ſeſe immutaſſe tradunt, vt Europa poteretur: in aurum, vt Danaë: in cygnum, vt Leda: in Satyrum, vt Antiopa: in fulmen, vt Semela. Ac poſtea multos ex iis filios extitiſſe, Bacchum ſcilicet, Zethum, Amphionem, Herculem, Apollinẽ, Dianam, Perſeum, Caſtorem & Pollucem, Helenam, Minoëm, Rhadamanthum, Sarpedonem, & nouem item filias, quas Muſas nuncupant.

De Ganymede

Ac demum de Ganymede ſermonem inducunt. Hinc itaque, ô Rex, hominibus contigit, vt ad dei ſui imitationem hæc omnia imitarentur, atq; adulteri eſſent, & inſano maſculorum amore tenerentur, & alia horrenda flagitia perpetrarent. Quonam igitur modo fieri poteſt, vt Deus adulter ſit, aut pædico aut parricida?

De Vulcano

QVIN Vulcanum etiam quendam deum eſſe tradunt, eumq; claudum, malleumq; ac forcipem tenentem, & ferrariæ arti victus cauſa operam dantem. Ergo rerum penuria laborabat. Atqui à Deo abhorret, claudum eſſe, atq; hominum ope indigere.

De Mercurio.

ADHÆC Mercurium etiam nobis deum inducunt, qui cupidus ſit, & fur, & auarus, & magus, & verſipellis, ac ſermonum interpres. Quod quidem item in Dei naturam minime cadit.

De Æſculapio.

ÆSCVLAPIVM inſuper in deorum numero habent, qui medicus erat, & pharmaca conficiebat, atque emplaſtra, victus parandi cauſa (nam in egeſtate verſabatur) componebat, poſt autem eum propter Tyndarei Lacedæmonii filium à Ioue fulmine percuſſum interiiſſe narrant. Quod ſi Æſculapius, cum deus eſſet, ac fulmine percuteretur, ſibipſi opitulari nequiuit, quî tandem aliis opem ferre potuerit?

De Marte

MARS etiam ab iis deus belli ſtudioſus & iracundus, ac pecudum aliarumq; rerum cupidus inducitur. Quem item poſtea, cũ Venerem conſtupraret, à puero Cupidine ac Vulcano vinculis aſtrictũ fuiſſe dicunt. Qui igitur deus is eſſe queat, qui cupiditate flagrat, ac bellis delectatur, adulteriumq; perpetrat, ac vinculis conſtringitur?

De Baccho.

RVRSVM autem Bacchum inter deos numerant, nocturna feſta celebrantem, temulentiæ magiſtrum, aliorumque vxores abſtrahentem, furore æſtuantem, fugientem, ac poſtremò à Titanibus obtruncatum. Quod ſi Bacchus cum interimeretur, ſibipſi opitulari non potuit, verum & furore præceps agebatur, & ebrietati ſtudebat, & profugiebat, quonam pacto Deus eſſe queat? Tum autem Herculem inducunt, qui ſeſe vino obruat, atq; in furorem ruat, ſuoſq; filios iugulet, ac deinde flammis abſumptus intereat. Qui autem Deus eſſe is queat, qui ſe vino obruit, ac liberos ſuos obtruncat, ignisq; ardore conflagrat? Aut quo tandẽ modo aliis auxilio eſſe poterit, qui ſibi auxiliũ afferre non potuit?

De Hercule

De Apolline

Præterea Apollinem inducunt, inuidia laborantem, atque arcum & pharetram, ac nonnunquam etiam citharã & tibiam tenentem, hominibuſque quæſtus cauſa vaticinia edentem. Egebat igitur. Atqui fieri non poteſt, vt Deus egeat & inuideat, & citharœdus ſit.

De Diana.

EODEM etiam modo Dianam ipſius ſororem inducunt, venationi ſtudentem, atq; arcum & pharetras habentem, ſolamq; cum canibus vagantem, vt ceruum aut aprum intercipiat. Quonam igitur modo dea erit venatrix mulier, & cum canibus oberrans?

De Venere.

POSTREMO Venerem etiã deam eſſe adulterã dicunt. Aliquando enim cum Marte concubuit, aliquando cum Anchiſe, aliquando cum Adonide, cuius etiam mortem deplorat, amaſium ſuum requirens. Quin etiam eam ad inferos deſcendiſſe aiunt, vt Adonidem à Proſerpina redimeret. Vidiſtine vnquam, ô Rex, dementiam hac maiorẽ? deam nimirum inducere, quæ adulterii crimine ſe obſtringat, & ploret ac lamentetur.

De Adonide

ADONIDEM autem etiam deum venatorem inducunt, eumq; ab apro percuſſum violenta morte interiiſſe aiunt, nec in huiuſmodi calamitate opem ſibipſi afferre potuiſſe. Quonam itaq; pacto hominum curam geret adulter & venator, quiq; violenta morte interiit?

Hæc

HÆc omnia ac multa alia eiuſmodi, adhuc fœdiora & ſceleratiora, ô Rex, de diis ſuis Græci inducunt, quæ nec dicere, nec memoria vllo modo vſurpare fas eſt. Vnde homines à diis ſuis occaſionem arripientes, omne ſceleris & libidinis atq; impietatis genus perpetrarunt, horrendis flagitiis ſuis terram & aërem contaminantes.

Aduerſus Ægyptios diſputat.

ÆGYPTII autem eos ſtultitia & ſtoliditate ſuperantes, grauius quam vllæ aliæ nationes aberrarunt. Neque enim Græcorum deos venerari ſatis habuerunt: verum inſuper bruta animantia, tam terreſtria quam in aquis degentia, tam ſtirpes quam plantas in deorum numero habuerunt, atq; omni inſaniæ ac libidinis genere grauius quam vllæ teræ nationes ſeſe conſpurcarunt. Antiquitus enim Iſidem colebant, virum ſimul ac fratrem Oſiridem habentem, qui à fratre ſuo Typhone obtruncatus eſt. Eaque de cauſa Iſis cum filio ſuo Oro in Byblum Syriæ fugit, Oſiridem quærens, atque acerbe lamentans, quoad tandem Orus creuiſſet, ac Typhonem de medio ſuſtuliſſet. Ergo nec Iſis fratri ſuo ac viro ſuppetias ferre potuit, nec Oſiris, cum à Typhone trucidaretur, ſibiipſi auxilio eſſe potuit, nec deniq; Typhõ fratricida, cum ei ab Oro & Iſide exitium afferretur, ſeipſum à morte vindicare. Et tamen cum hi ob huiuſmodi calamitates ad hominum notitiam perueniſſent, à ſtultis Ægyptiis dii habiti ſunt.

De Iſide.

Ægyptiorũ impietas.

QVIN neq; his aut reliquis Gentium numinibus contenti, bruta etiã animantia inuexerunt. Nonnulli etenim ipſorũ ouem, alii hircum, alii vitulũ & ſuem, alii coruum & accipitrem, alii vulturem & aquilã, alii crocodilum: quidã felem, & canem, & lupum, & ſimiam, & draconem, & aſpidem: alii cepas, & allia, & ſpinas; ceteraſq; res conditas coluerunt. Nec homines miſeri nihil omnino virium his omnibus rebus ineſſe ſentiunt. Nam cum deos ſuos ab aliis hominibus & comedi, & igne cremari, & iugulari atq; corrũpi videant, non tamen proinde eos deos non eſſe intellexerunt. Quocirca magno errore tũ Ægyptii, tũ Chaldæi, tũ Græci lapſi ſunt, deos huiuſmodi inducẽtes, atq; ipſorũ ſtatuas efficiẽtes, ſurdaq; & ſenſus expertia ſimulacra pro diis habẽtes. Ac demiror, quo pacto, cũ deos ſuos ab artificibus ſecari, & dolari, ac truncari, atq; temporis longinquitate inueteraſcere & immutari, atq; igne conflari cernerẽt, hinc eos minimè deos eſſe non animaduerterint. Nam qui in ſuæ ſalutis negotio nullam vim habent, quonam tandem modo hominum ſaluti conſulent? At verò poëtæ ipſorum, & philoſophi tam Chaldæorum quam Ægyptiorum, cum verſibus ſuis ac literarum monumentis deos ſuos exornare ſtuduerunt, eorum ignominiam magis detexerunt, nudamq; omnium oculis propoſuerunt. Nam cum hominis corpus, quamuis alioqui multis partibus conſtet, nullum tamen membrorũ ſuorũ abiicit, verùm firmiſſimam cum ipſis omnibus coniunctionem habens, ſecũ ipſum concordat, qui tandem in Dei natura tanta pugna & diſcordia futura eſt? Nam ſi vna Deorum natura eſſet, deus deum inſectari, aut obtruncare, aut malo aliquo mulctare minime debebat. Quod ſi dii à diis vexati, & interempti, & ſpoliati, ac fulmine percuſſi ſunt, non iam vna eorum natura eſt, ſed diſtinctæ voluntates, atque omnes exitioſæ ac peſtiferæ.

Mutua deorũ inter ſe pugna, eos deos nõ eſſe oſtendit.

Ex quo concludendum eſt, neminem eorum deum eſſe. Perſpicuum eſt igitur, ô Rex, omnem eorum de deorũ natura diſputationem erroris plenam eſſe. Quonam autem pacto ii, qui apud Græcos ſapientiæ atque doctrinæ fama floruerunt, illud minime intellexerunt, eos qui leges tulerunt, ſuiſmet legibus iudicari? Nam ſi leges iuſtæ ſunt, iniuſti omnino ipſorum dii ſunt, qui contra legum præſcripta mutuo ſeſe interfecerint, atq; in veneficia, & adulteria, & furta, & præpoſteras libidines proruerint. Sin autem rectè fecerunt, leges certè iniquæ ſunt, vtpote aduerſus deos conſtitutæ. Nũc autem leges præclaræ ac iuſtæ ſunt, vt quæ & virtutes laudent, & vitia prohibeant: deorum autem, quos ipſi colunt, iniqua ſunt opera, quare iniqui etiam ipſorum dii ſunt, omneſq; impii ac morte mulctandi, qui eiuſmodi deos inducunt. Nam ſi ea, quæ de ipſis literarum monumentis prodita ſunt, ficta & fabuloſa ſunt, nihil aliud ſunt, quã meri ſermones: ſi autem naturalia, non iam dii ſunt, qui hæc fecerunt ac perpeſſi ſunt: quod ſi allegorico ſenſu ea dicuntur, fabulæ ſunt, ac nihil præterea. Demonſtratum eſt itaque, ô Rex, hos omnes cultus, qui multis diis tribuuntur, erroris atque exitii opera eſſe, (neq; enim deos appellare conuenit, qui videntur, ac nõ vident: verum eum, qui cum ipſe cerni nequeat, omnia cernit,) Deumque, qui omnia condidit, colendum eſſe.

Aduerſus Iudæos diſputat.

VENIAMVS igitur, ô Rex, etiam ad Iudæos, vt quidnam ipſi quoque de Deo ſentiant, videamus. Nam ipſi ab Abraham, Iſaac, & Iacob oriundi, Ægyptum incoluerunt. Illinc autem Deus eos in manu potenti & brachio excelſo, per Moyſen ipſorum legislatorem eduxit, ac per multa prodigia & ſigna ſuam ipſis potentiam declarauit. Verum ipſi quoque perfidos atq; ingratos ſeſe præbentes, Gentium deos ſæpenumero adorarunt, prophetaſq; ad ſe miſſos ac iuſtos viros morte affecerunt. Ac deinde, poſteaquam ita Dei voluntas tulit: vt Filius ſuus in terram veniret, eum contumelia affectum, Pontio Pilato Romanorum duci tradiderunt, cruciſq; ſupplicio cõdemnarunt, nulla videlicet ipſius beneficiorum atq; innumerabilium miraculorum, quæ inter ipſos deſignarat, habita ratione, ſuoq; ſcelere perierunt. Nam nunc quoque, ſolum quidem omnipotentem Deum colunt, ſed non ſecundum ſcientiam. Siquidem Chriſtum filium Dei negant, Gentilibuſq; ſimiles ſunt, etiamſi ad veritatem, à qua procul ſe remouerunt, propius aliquanto accedere videantur. Ac de Iudæis hactenus.

Rom. 10.

Chriſtianorũ doctrina

AT Chriſtiani à Domino noſtro Ieſu Chriſto doctrinæ ſuæ originem ducunt. Hic autem Dei altiſſimi Filius in Spiritu ſancto creditur. Qui quidem humanæ ſalutis cauſa de cælo deſcendit, atque ex ſancta Virgine genitus eſt, ac ſine ſemine & corruptione carnem ſuſcepit, hominibuſq; apparuit, vt eos à falſo multorum deorum cultu reuocaret. Atque admiranda incarnationis ſuæ diſpenſatione perfunctus mortem ſponte, atque ingenti quodã conſilio, per crucem deguſtauit. Triduo autem poſt reſurrexit, atque in cælos aſcendit. Cuius præſentiæ gloriam ex Scriptura, quæ apud eos Euangelica vocatur, ſi eam legere in animum induxeris, perſpicere licet, ô Rex. Hic duodecim diſcipulos habuit, qui poſt ipſius in cælum aſcenſum in orbis terræ prouincias exierunt, ipſiuſq; auguſtam amplitudinem promulgarunt: quemadmodum etiam vnus ex ipſis regiones noſtras peragrauit, vt veritatis dogmata prædicaret: vnde etiamnum ii, qui prædicationis eorum iuſtitiæ adminiſtram opem nauant, Chriſtiani appellantur. Atque hi ſunt, qui veritatem ſupra omnes terræ nationes inuenerunt. Siquidem Deum rerum omnium conditorem atque architectum in Filio vnigenito & Spiritu ſancto agnoſcunt, nec præter eum vllum alium Deum venerantur. Habent autem Domini Ieſu Chriſti mandata cordibus ſuis inſculpta, eaq; cuſtodiunt, mortuorũ reſurrectionẽ ac futuri ſæculi vitam exſpectantes. Non adulterii, non fornicationis crimine ſeſe deuinciunt, non falſum teſtimonium dicunt, aliena non concupiſcunt, patri & matri honorem tribuunt, proximos amant, iuſtum iudicium ferunt, quæ ſibiipſis fieri nolunt, aliis non faciunt, eos, à quibus læduntur, obſecrant, ac ſibi eorum amicitiam conciliant. Inimicos beneficiis afficere ſtudent, lenes & faciles ſe præbent, ab omni iniquo concubitu atq; ab omni impuritate abſtinent, viduam non contemnunt, pupillo mœrorem non inferunt, qui habet, non habenti prolixè ſubminiſtrat. Peregrinum ſi viderint, tecto admittunt, eiuſq; non ſecus ac veri & germani fratris aduentu delectantur. Non enim carnis, ſed animi ratione fratres ſe vocant. Vitam ſuam Chriſti cauſa profundere parati ſunt: nam ipſius præcepta firme obſeruant, ſanctè videlicet ac iuſte, quẽadmodum Dominus Deus ipſis imperauit, viuentes: gratias ipſi omni hora in omni cibo & potu, ac reliquis bonis agentes. Verè enim hæc veritatis via eſt, quæ quidem eos qui eam ingrediuntur, ad ſempiternum regnum, quod à Chriſto in futura vita promiſſum eſt, tanquam porrecta manu ducit. Atq; vt intelligas, ô Rex, me hæc ex cerebro meo minime fingere, ſi ad Chriſtianorum ſcripturas oculos adieceris, me nihil à veritate alienum loqui reperies. Quare præclare filius tuus intellexit, optimoq; iure Deo viuo cultum adhibere didicit, vt in futuro æuo ſalutem obtineat. Magna etenim atq; admiranda ſunt, quæ à Chriſtianis tum dicuntur tum geruntur. Neque enim hominũ, ſed Dei verba proloquuntur,

Thomas in Indiã profectus eſt. Supra c. 1.

Veterum Chriſtianorum notæ.

Epheſ. 5.

loquuntur, reliquæ aũt nationes errant, ac ſibi ipſis impoſturã faciunt: ſi quidẽ in tenebris ambulantes, ebriorũ inſtar in ſeipſos impingunt. Atq; hic ſit, ô Rex, meæ ad te orationis finis, quã quidẽ veritas in mente mea dictauit. Deſinãt itaq; væcordes tui ſapientes aduerſus Dominũ nugari. Nã vobis Deũ creatorẽ venerari, atq; ipſius verbis ab interitu alienis aurẽ accõmodare expedit, vt condemnationẽ ac ſuppliciũ effugiẽtes, vitam interitus expertẽ hereditariò poſſideatis.

Muti ſtant qui a parte Regis.

Hæc poſteaquã à Nachore cõmemorata ſunt, Rex iracundia æſtuabat: rhetores aũt ipſius & ſacerdotes muti ſtabant, vt qui nihil contra, præter infirmos quoſdã ac nullius momenti ſermunculos afferre poſſent. At vero Regis filius ſpiritu exultabat, atq; hilari vultu Dominũ celebrabat, qui iis quorũ fiducia in ipſo poſita eſt, in rebus perplexis & impeditis exitũ dãt, qui[q]; etiã per inimicũ & hoſtẽ veritatẽ confirmabat, efficiebatq; vt & qui erroris antesignanus erat, rectæ doctrinæ patronũ ſe præberet. Rex porrò, quãuis alioqui Nachori vehementer iraſceretur, nullo tamen eũ malo afficere potuit, propterea quod lege corã omnibus ante promulgata, ei pro Chriſtianis libere verba facere permiſiſſet. Ceterũ ipſe perſæpe ſermonibus ipſius obluctans, eũ per ſigna quædã admonebat, vt illã pugnandi acrimoniã remitteret, atq; rhetorũ diſputationi manus daret. At ille vehemẽtius inualeſcebat, oẽs ipſorum propoſitiones atq; argumẽta refutãs, erroriſq;, quo tenebantur, fraudẽ ac fallaciã detegens. Cũ aũt penè ad veſperã vſq; diſputatio producta fuiſſet, Rex concionẽ ſolui iuſſit, tanquã ſcilicet poſtridie rurſum de hac re agitari vellet.

Ioſaphat à patre Nachorẽ ſociũ poſtulat.

Ioſaphat aũt Regem ita eſt allocutus: Vt primo iuſte oĩa geri iuſſiſti, ô Rex, ita iuſtitiæ quoq; finem impone, duorũ alterum faciens, nempe vt vel magiſtrum meũ hac nocte mecũ manere permittas, vt de his rebus, de quibus craſtina die cum iis qui nos bello laceſſent, verba facienda ſunt, vna diſpiciamus, ac tu itẽ tuos aſſumens, arbitratu tuo cum illis ea quę in rem futura videbuntur, mediteris: aut tuos mihi hac nocte concedens, meũ accipe. Quod ſi vtriq; apud te ſint, meus nimirũ in afflictione & mœrore, tui aũt in lætitia & animi remiſſione, æquum mihi iudicium iſtud eſſe non videtur, ſed principatus licentia, & pactorum violatio. Rex itaq; huius orationis lepore victus, aſſumptis ſapientibus & ſacerdotibus ſuis, Nachorem filio conceſſit, hac nimirum ſpe fretus, fore, vt ea quæ pollicitus fuerat, præſtaret. Regis itaq; filius in palatium ſuũ proficiſcitur, non ſecus atq; Olympicus quidã victor ſuperatis aduerſarius, ſecũ Nachorẽ habens.

Ioſaphat ſecum Nachorẽ abducit.

Quem cũ remotis arbitris acciuiſſet, his ad eũ verbis vſus eſt: Ne me, qui ſis, ignorare exiſtimes. Certiſſimũ enim habeo te diuiniſſimum Barlaamũ haudquaquã eſſe, verum Nachorem Aſtrologum. Ac miror, quid vobis in mentem venerit, vt huiuſmodi fabulam fingeretis, atque hoc vobis perſuaderetis, vos eas clariſſima die oculis meis tenebras obiecturos eſſe, vt pro oue lupum acciperẽ. Verum nõ abs re prouerbio fertur, Cor ſtulti vana cogitare. Atq; hæc quidem cogitatio & conſiliũ veſtrum rancidum ſane prorſus ſtolidum erat, opus aũt quod ipſe egiſti omni prudentia & ſagacitate plenum eſt. ac propterea gaude, o Nachor, & exulta. Multas enim tibi hoc nomine gratias habeo, quod veritatis patrocinium hodierno die ſuſcepiſti, nec ſceleratis verbis ac verſuta ſimulatione labia tua contaminaſti: quin potius ea multis ſordibus expurgaſti, falſorum nimirum deorum errore confutato, atq; Chriſtianorum dogmatum veritate confirmata

Agit gratias quod pro veritate ſteterit.

Ego verò duplici de cauſa, vt te mecũ adducerem, operam dedi: altera, ne te Rex priuatim tenens, ſupplicio afficeret, propterea quod non ea es locutus, quæ ipſi grata eſſent: altera, vt hodierno tuo beneficio gratiam tibi rependam. Quonam aũt tandem pacto iſtud? Nimirũ te admonens, vt à praua & periculoſa hac via, quam ad hunc vſq; diem tenuiſti, deflectas, ac rectã & ſalutarẽ ſemitam ingrediaris: quam quidem non ignoras, ſed ſponte malum amplectens, effugiſti, in iniquitatis barathra & præcipitia teipſum impellens. Intellige itaq;, ô Nachor, cum prudens & ſagax ſis, ac Chriſtũ ſolum, & vitã apud ipſum abſtruſam eluctari ſtude, fluxis his & caducis contemptis ac pro nihilo habitis. Non enim in æternum viues, ſed cum mortalis ſis, iamiamq; hinc abiturus es, quemadmodũ & omnes, qui ante te extiterunt. Atq;, ô te miſerum, ſi, vbi iuſtũ iudicium, ac iuſta operũ merces eſt, grauem peccati ſarcinam tecum ferens abeas, nec eam prius abieceris, cum abiicere procliue ſit. Nachor itaq; ob huiuſmodi ſermones animo compunctus his verbis vſus eſt: Recte dixiſti ô Rex, rectè inquam. Nam

Nachor ſerò reſipiſcit.

ipſe quoq; verum & ab omni mendacio alienum Deum, per quem omnia facta ſunt, noui, atq; item futurũ iudicium ſcio, ex multis videlicet Scripturæ ſacræ verbis id edoctus: verum improba conſuetudo, atq; antiqui ſupplantatoris verſutia cordis mei oculos excæcauit, denſaſq; animo meo tenebras offudit. Nunc aũt ad verbum tuũ abiecto tenebroſo velamine, ad vultus Dominici lucem accurram: fortaſſe enim mei miſerebitur, pœnitentiæq; ianuam mihi improbo ac rebelli ſeruo aperiet. Quanquam mihi fieri non poſſe videretur, vt peccatorũ meorum, quæ arena grauiora ſunt, & eorum, quæ tum ſciens tũ ignorans perpetraui, veniã obtineam. Hac oratione audita, Regis filius ſtatim exurgit, atque

Illum Ioſaphat in ſpem erigit.

Ioan. 8.

animo incaleſcit, animumq; Nachoris ad deſperationem propendentem recuperare atq; erigere incipit. Nulla enim, ô Nachor, inquit, nulla de hac re dubitatio animum tuum ſubeat. Scriptum eſt enim, poſſe Deum etiam ex his lapidibus excitare filios Abrahæ. Quod quidem, vt aiebat pater Barlaam, quid aliud eſt, quam quod homines deploratæ improbitatis, atq; omni iniquitatis genere contaminati, ſalutem conſequi poſſint, Chriſtiq; filii effici: qui pro ſua ſumma & incredibili humanitate omnibus ſeſe ad meliorẽ frugem recipientibus cæleſtes portas patefecit? Neq; enim cuiquam omnino ſalutis aditũ præcluſit: Verum eos, quos ſceleſti pœnitet, miſericordi animo ſuſcipit, ob eamq; cauſam iis, qui hora prima, & tertia, & ſexta, & nona, & vndecima ad vineam acceſſerunt, æqua merces attribuitur, quemadmodũ Euangelicis ſcriptis proditum eſt.

Matth. 20.

Ac proinde etiamſi ad hunc vſque diem in peccatis conſenueris: tamen ſi feruenti animo accedas, eadem quæ ii qui ab adoleſcentia certamen ſubierunt, præmia conſequeris. Hæc & multa alia cũ diuiniſſimus iuuenis ad Nachorem in malis inueteratũ de pœnitentia locutus fuiſſet, ipſique veniam ſpopondiſſet, Chriſtũque facilem ac propitiũ ipſi fore promiſiſſet, illudq; pro certo affirmaſſet, eum pro ſua bonitate ſemper peccatoris pœnitentiã ſuſcipere paratũ eſſe, ægram ipſius animam tanquam medicamentis quibuſdam emolliens, ipſum prorſus in ſanitatem aſſeruit. Statim enim ad eũ Nachor dixit: Tu quidẽ, ô animo ẽt quã corpore nobilior, qui admirabilibus his myſteriis præclare imbutus es. ad extremũ vſque in præclara confeſſione velim maneas: nec eam aut vllum tẽpus, aut

Nachor Ioſaphat ad cõſtantiam hortatur.

vllus modus è tuo pectore euellat. Ego aũt hac ipſa hora proficiſcar, vt ſalutẽ meã quæram, mihique Deum, quẽ ad iram prouocaui, per pœnitentiã propitiũ ac facilẽ reddam. Non enim poſthac, niſi tibi aliter videatur, Regis faciem conſpiciam. Ingenti aũt animi lætitia affectus Regis filius, atq; hunc ſermonẽ libenter excipiens, ipſum complectitur & oſculatur, attentiſq; ad Deum fuſis precibus, cum è palatio emittit.

Nachor abit in eremum.

Egreſſus autẽ Nachor, animo compunctus in denſiſſimã ſolitudinẽ cerui inſtar proſilijt, atque in monachi cuiuſdã, qui ſacerdotii dignitate ornatus erat, ſpeluncã ſe cõfert: in qua ille propter imminentẽ metum delitescebat. Atque ante ipſum ferueniſſimo pectore humi ſeſe prouoluit ipſiuſque pedes, inſtar videlicet veteris illius meretricis, lacrymis perfundit, ac diuinum Baptiſmum expoſcit.

Luc. 7.

Sacerdos itaque, vtpote diuina gratia plenus, ingentẽ animo voluptatẽ cepit, eumq; confeſtim, vt mos ferebat, per dies haud paucos Chriſtianæ fidei rudimentis inſtitutum, diuino Baptiſmate perficit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Baptizatur.

Marc. vlt.

2. Pet. 3.

Ezech. 18.

Regii animi anxietas

Manſit autem cum illo Nachor, perpetua ob ea peccata quæ perpetrarat, pœnitudine ductus. Deumque benedicens, qui neminẽ perire vult, verum omnium reſipiſcentiam exſpectat, atque eos qui pœnitentiam agunt, humane ac benigne excipit. Rex autẽ, cum de Nachoris rebus mane certior factus fuiſſet, ac ſpe ſua excidiſſet, & præterea ſapiẽtes ſuos ac ſtolidos oratores nullo negotio ſuperatos fuiſſe cõſpexiſſet, in magna animi anxietate verſabatur: eoſq; etiam cum graues prius contumelias ac dedecora ipſis intuliſſet, ac nonnullos etiam bubulis neruis atrocem in modum laceraſſet, ipſorumque oculos fuligine illeuiſſet, à ſe ablegauit. Ipſe autem falſorum deorum imbecillitatẽ damnare incepit, etſi alioqui nondum ad Chriſti lucem plenè ac perfectè oculos conuicere in animum induceret. Etenim denſa caligantes nubes ſu-

bes ipſi vndiq; affuſa cordis ipſius oculos adhuc tenebat. Ceterum non iam ſacerdotes ſuos in honorem habebat, nec feſta & libamina ſimulacris ſuis peragebat, verum animo in vtramq; partem vacillabat: hinc nimirum deorum ſuorũ imbecillitatem improbans, illinc autem Euangelicæ vitæ ſinceritatem reformidans, prauaq; conſuetudine ita conſtrictus, vt ab ea vix auelli poſſet. Siquidem corporearum voluptatum ſeruituti maiorem in modum addictus erat, vitioſiſque affectionibus prorſus operam dabat, captiui inſtar ductus, atq; abſq; vino, vt Iſaiæ verbis vtar, ebrius, & ab improba conſuetudine tanquam fræno quodam retractus. *Iſai. 51.*

CVM igitur Rex cum duplici cogitatione ad hunc modũ luctaretur, nobiliſſimus ipſius filius, ac vere regio animo præditus, in ſuo palatio quietus degebat, naturæ ſuæ generoſitatẽ, modeſtiamq; & conſtantiam per opera cunctis declarans. Nam theatra & equorum certamina, & venationum exercitationes, & inania omnia iuuenilis ætatis ſtudia, & impoſturas quibus ſtulti animi deliniuntur & ineſcantur, nihil omnino ducebat: verum ex Christi mandatis omnino pendebat, ac diuino amore ſauciatus, eum expetebat, qui verè expetendus eſt, totus ſuauis ac totus deſiderabilis, atque eiuſmodi, vt ſine vlla ſaturitate expetatur. In memoriã aũt rediens magiſtri ſui Barlaam, atq; ipſius vitam ſibi ante oculos proponens, ipſius amore animum ſuum demulceri ſentiebat, ac quonam pacto ipſum videret, ſummo ſtudio curabat: atq; ipſius ſermones ſine vlla intermiſſione in corde ſuo circumferens, erat tanquam arbor ſecus aquarũ decurſus plantata, perpetuoq; irrigata, ac tempeſtiuos domino fructus afferens. Multas enim animas è diaboli laqueis eripuit, Chriſtoq; ſeruatas obtulit: ſiquidẽ multi ad eũ ſeſe conferentes, ſalutaribus ſermonibus fruebantur. Ex quib. nõ pauci, fuga relicto errore, ad ſalutarem doctrinam accurrebant. Alii aũt rebus huius vitæ longum valere iuſſis, monaſticam palæſtram capeſſebant. Ipſe autem orationibus & ieiuniis operam dabat, identidemq; hanc vocem ad Deum mittebat. O Domine mi, ô Domine mi ac Rex, cui ego credidi, ad quem ego profugi, atq; errore liberatus ſum, dignã famulo tuo Barlaamo mercedem repende, pro eo quod mihi oberranti, te, qui via, vita, & veritas es, demonſtrauit. Ac mihi hoc concede, vt rurſum illum in corpore angelum, quo mundus dignus non eſt, conſpiciam, atq; cum eo, quod mihi vitæ ſupereſt, conficiam, vt vitæ ipſius veſtigiis inſiſtens, tibi Deo ac Domino placeam.

Cant. 5.

Ioſaphat orationibus vacabat & ieiuniis.

Ioan. 14.

Hebr. 11.

Eo autem tempore publicum falſorum deorũ feſtum in vrbe illa erat. Regem porrò huic feſto intereſſe, ac copioſiſſimis victimis illud exornare oportebat. Verum cum ſacerdotes ipſum in deorum cultu ſegnem ac tepidum eſſe cõſpicerent, id verebantur, ne ad templũ venire negligeret, ſicq; ipſi muneribus iis, quæ à Rege accipere conſueuerant, ceteriſq; prouentibus orbarentur. Surgentes itaq;, ad ſpeluncam quandam in vaſtiſſima ſolitudine ſitam proficiſcuntur, in qua vir quidam magicis artibus deditus, atq; falſi idolorum cultus acerrimus propugnator habitabat, Theudas nomine, quem etiam Rex ſingulari honore complectebatur, charumq; magiſtrum exiſtimabat, ipſius nimirum vaticiniis regnum ſuum omniũ rerum copia florere, atq; in dies augeri dicens. Cũ igitur ſacerdotũ cultores ad ipſum veniſſent, eius opem atq; auxilium implorabant: eiq; deorũ improbationem, in quam Rex inciderat, exponebant: quæq; Regis filius feciſſet, & quemadmodũ Nachor ad ipſius volũtatem atq; ſententiam concionem habuiſſet. Ac niſi tu ipſe venias, inquiebant, nobiſq; opem afferas, ſpes omnis extincta eſt, omniſq; deorum cultus ac veneratio periit. Nam tu vnicum nobis calamitatis ſolatium relictus es, atq; in te vno ſpes omnes noſtras poſitas habemus.

Theudas magus ab impiis ſacerdotibus acceſſitur.

Theudas itaq; cum ſatanico eo exercitu, quem ſecum habebat, in expeditionem pergit, atq; aduerſus veritatem arma comparat: accitis nimirum multis prauis ſpiritibus, quos ad res improbas promptè ac libenter auxiliarem manũ afferre nôrat, & quos ipſe ſemper miniſtros adhibuerat, his comitatus ad Regem accedit.

Theudas ad regem ſe confert.

VT autem ipſius aduentus Regi nuntiatus eſt, atq; ipſe palmarum virgã manu tenens, ouinaq; pelle indutus ingreſſus eſt, Rex è throno ſuo exiliit, ipſiq; obuiam prodiit, eumq; oſculatus eſt. Cumq; cathedram afferri iuſſiſſet, ipſum propè ſe collocauit. Poſteaq; Theudas his ad Regem verbis vtitur: Rex in æternum viue, maximorũ deorum fauore ac beneuolentia ſeptus. Ad me enim allatum eſt, te ingens certamen aduerſus Galilæos iniiſſe, ac luculentiſſimam palmã retuliſſe. Eoq; nomine huc veni, vt ad edendam grati animi ſignificationem, feſtum vna celebremus, atq; eleganti forma præditos adoleſcentes ac formoſas puellas diis immortalibus immolemus, tauroſq; centũ, ac plurima alia animalia ipſis offeramus: quo eos quoq; impoſterum inuictos adiutores habeamus, qui nobis vniuerſum vitæ curriculũ planum & æquabile reddant. Ad hæc Rex: Minimè verò, inquit, ô ſenex, vicimus, minime inquam vicimus: verum nullo potius negotio victi ſumus. Nam qui à nobis ſtabant, repente aduerſum nos extiterunt, ac velut furore & inſania laborantem atq; imbecillam noſtram aciem nacti, prorſus eam fregerunt ac proſtrauerunt. Nunc autem, ſi qua tibi facultas & vis ſuppetit, qua tu humi iacẽti religioni noſtræ opitulari, eamq; rurſum excitare queas, velim exponas. Theudas autem Regi ad hunc modum reſpondit: Galilæorum contentiones atque inanes ſermones ô Rex, minimè pertimeſce. Quæ enim ſunt ea, quæ ab ipſis afferuntur, quantum quidẽ ad viros ratione ac prudentia præditos attinet? Meo quidem iudicio facilius deiicientur, quã foliũ à vento excuſſum. Neq; enim vel conſpectũ meũ ſuſtinebunt, tantum abeſt vt ſermones conſerant, atq; ad mecũ diſputandum pedem conferant. Ceterum, vt & propoſitũ iſtud certamen, & quidquid aliud in animo habuerimus, recto curſu feratur, reſque nobis ex animi ſententia ſuccedant, fac publicum hoc feſtum exornes, deorumque beneuolentiam, tanquam firmiſſima quædam arma induas, ac tũ fauſta omnia habiturus es. Hæc cũ ille iactaſſet, qui, vt cũ Dauide loquar, in malitia potens erat, atque iniquitatem tota die meditabatur, turbidamq;, vt Iſaiæ verbis vtar, ſubuerſionem amico ſuo propinabat, improborũ ſpirituũ, quos ipſe comites habebat, ope atque adiumento perfecit, vt Rex cogitationes eas, quæ ipſum ſaluris ſubmouebant, prorſus è memoria eiiceret, eiſdemque, quibus ſolebat, ſtudiis ſedulo hæreret. Ac proinde cũ regiæ literæ quaquauerſum cõmeaſſent, quib. omnes ad execrandũ deorũ feſtũ conuenire iubebantur, cernere erat ingentem hominũ multitudinem confluentem, atque oues & boues, variaque animalia ſecum adducentem. Cũ igitur omnes coiiſſent, ſurgens Rex vna cum impoſtore Theuda ad templũ profectus eſt, vt tauros ac permulta animantia immolarent. Sicque nefariũ & execratione dignũ feſtum celebrabant: adeo vt & brutorum animantiũ mugitibus tota vrbs perſonaret, & victimarum nidore ipſe quoque aër inficeretur. His ad hunc modũ confectis, cũ improbi ſpiritus de Theudæ victoria maiorem in modum gloriarentur, ſacerdoteſque gratias ipſi habuiſſent, Rex rurſum ad palatiũ ſe recepit, atq; ad Theudã: En quemadmodum iuſſiſti, nihil omnino ſtudii à me prætermiſſum eſt, quod quidem ad feſti ſplendorem, & ſacrificiorum magnificentiã pertineret. Iam itaque tempus eſt, vt quæ mihi promiſiſti expleas, filiumq; meũ, qui à religione noſtra deſciuit, à Chriſtianorum errore vindices, ac cum benignis diis in gratiã reducas. Nã ego cum artem omnem adhibuerim, atque omnem lapidem mouerim, nullam tamen morbi medicinã reperi, ſed ipſius mentem omnib. rebus ſuperiorem eſſe perſpexi. Nam ſi blande ac leniter cum eo agere inſtitui, ne ſic quidem eum mihi vllo modo animum adiicere comperi. Rurſum ſi ſeuere atq; acerbe eum accepi, in peruicaciam potius inde ipſum attolli conſpexi. Quamobrem calamitatẽ eam, quæ mihi accidit, ſapientiæ tuæ cõmitto. Ac ſiquidem ea, ope tua & auxilio liberatus, filium meum mecum rurſus deos meos colentem, atque voluptuariæ huius vitæ cupiditatibus ac regni voluptatibus fruentem videro, auream tibi ſtatuam erigam, efficiamq; vt poſthac in ſempiternum idem tibi, qui diis, honor à cunctis tribuatur. Theudas igitur attentam aurem diabolo ſubiiciens, atque ab illo improbum ac peſtiferum conſilium edoctus, ipſiq; linguæ atq; oris operam nauans, ad Regem ait: Si filium tuum in poteſtatem tuam redigere, ipſiuſq; in pugnando peruicaciam inanem reddere cupis, ars à me excogitata eſt, cui obluctari nullo modo poterit, verum durus ipſius animus facilius emollietur

Theudæ ad regẽ impudẽs oratio.

Pſal. 51.

Memor æ lapſus. eſt a Habac.

Rex cum Theuda diis ſacrificat.

quam cera ingenti rogo admota. Rex itaq; vanũ hominem inani tumore inflatum vidẽs, ad voluptatẽ ſtatim animiq; lætitiam ſeſe conuertit, ſperans videlicet, petulantẽ illã & audacem linguam animũ diuinitus edoctũ ac philoſophiæ plenum ſuperaturã eſſe. Cumq;, quænam illa ars eſſet, ex eo ſciſcitaretur, tũ Theudas, tanquã nouacula acuta dolũ co-

Pſalm. 67.

texit, callideq; pharmaca cõparat. Atq; improbam technam, diaboliq; conſilium, quæſo, perſpice: Omnibus, inquit, ô

Suadet Theudas dandas filio in miniſteriũ feminas pulchras

Rex, qui filio aſtant atq; inſeruiunt, ab eo procul diſiunctis, pulchra & perquã eleganti forma præditas mulieres, atq; ad pelliciendos animos adornatas, cũ eo perpetuo verſari, ipſiq; miniſtrare, vitæq; conſuetudinẽ & contuberniũ cum eo habere iube. Ego aũt vno ex iis ſpiritibus, quos ad res huiuſmodi cõparaui, ad eũ poſtea ſubmiſſo, acriorẽ voluptatis ignem excitabo. Ac ſimulatq; vel cum vna ſola huiuſmodi muliercula rem habuerit, niſi tibi omnia ex animi ſententia fluant, erit iam cur me contemnas, atq; vt nullius vſus hominẽ, non honoribus, ſed maximis ſuppliciis afficiendum ducas. Nihil enim maſculorũ animos perinde allicere ac demulcere ſolet, vt feminarũ cõſpectus. Atq; vt ſermo-

Theudas fabulam narrat

nibus meis fidem adhibeas, hiſtoriã hanc velim audias. Rex quidam cũ maſcula prole careret vehementer animo angebatur, eamq; calamitatẽ haud paruã exiſtimabat. Hoc igitur cum ſtatu eſſet, filiũ in lucem edidit: eoq; nomine ſumma voluptate perfuſus eſt. Dixerunt aũt ad eũ eruditi quidam medici, fore, vt ſi puer intra duodecim annos ſolem aut ignem videret, lumine prorſus orbaretur, id enim ex oculorum ipſius ſitu deſignari. Quæ cum pater audiſſet, cubiculũ quoddam obſcurum ex rupe quadã cõdidiſſe, filiumq; illic vna cũ nutricib. incluſiſſe fertur, nec ante duodecim annos exactos vllum omnino ipſi lucis ſplendorem oſtendiſſe. Confecto aũt huiuſmodi temporis curriculo, filium, qui nihil omnino rerũ mundanarũ ad hunc vſq; diem perſpexerat, ex hoc cubiculo educit: ac tum ipſi omnia, iuxta ſuum quodq; genus exhiberi ac demonſtrari iubet, viros nimirũ in vno loco, in alio feminas, aliunde aurũ, alia ex parte argentum, vniones & lapides exquiſiti pretii, veſtes luculentas & elegantes, currus inſigni pulchritudine ſimul cũ regiis

Quid amor feminæ.

equis aureo fræno inſtructis, cũ aulæis purpureis, ac ſeſſoribus armatis, boum item armenta, & pecudum greges: atq; , vt ſummatim dicam, omnia certo ordine puero demonſtrabat. Percontante aũt eo, quonã ſingulæ res nomine appellarentur, regis ſatellites ac ſtipatores vniuſcuiuſq; nomen exponebant. Cum aũt mulierum nomen ſcire cuperet, tum regis armiger lepide ac feſtiue, dæmones eas appellari dixit, à quibus hominum mentes in errorem traherentur. Pueri aũt pectus earum amore atq; cupiditate vehementius quam vllius alius rei deſiderio illectum ac delinitum eſt. Cum igitur omnibus rebus peragratis ad Regem eum adduxiſſent, ac Rex ex ipſo, quidnam ex omnibus rebus quas vidiſſet ipſi magis arrideret, quæſiuiſſet: Quid, inquit, aliud quam dæmones illi, qui homines in fraudem inducunt? Neque enim vllius rei ex his omnib. quas hodierno die vidi, perinde atq; eorũ amore animus meus incẽſus eſt. Atq; hunc pueri ſermonem Rex ille admiratus eſt, quamq; violenta ac tyrannica res feminarum amor eſſet, hinc iudicauit. Quocirca

Puellæ ad Ioſaphat introducuntur.

tu quoq; non vlla alia ratione, quam iſta, te filium tuũ in poteſtatem redacturum putes. Rex hoc conſiliũ excipit, atq; egregia forma induuntur. Quas etiã cũ ipſe eleganti ornatu illuſtraſſet, atque omnino ad pelliciendũ iuuenis animũ inſtruxiſſet, oẽs ipſius famulos, & miniſtros è palatio eiicit, eaſq; in eorũ locum ſubſtituit. Hæ itaq; ipſi vndiq; hærebãt, eumq; cõplectebantur, atq; ad nefariũ concubitũ extimulabant, per oẽs videlicet geſtus ac ſermones ipſum ad voluptatem prouocantes. Neminẽ aliũ habebat quem conſpiceret, cũ quo colloqueretur, aut cœnaret, ipſæ enim omnia repleuerant. Atq; hæc quidẽ Rex faciebat. Theudas aũt rurſum ad peſtiferam ſuã ſpeluncã profectus, libros, qui res huiuſ-

Theudas euocat ſpiritum fornicationis.

modi efficere poterãt, in manus ſumit: euocatũq; vnũ ex improbis ſpiritib. ad Chriſti militẽ bello laceſſendum emittit, neſciens ſcilicet miſer ille, quantũ ſui riſũ excitaturus, quantãq; ſimul cũ vniuerſa ſua diabolica cohorte infamiæ notã ſubiturus eſſet. Improbus aũt ſpiritus aliis inſuper nequiorib. ſpiritib. aſſũptis ad generoſi adoleſcẽtis cubiculũ ſe cõfert, eumq; impetũ facit, vehemẽtiſſimã carnis fornacẽ ſuccẽdẽs. Ac diabolus quidẽ internas ipſi flãmas admouebat, puellæ aũt, corporis pulchritudinẽ inſignes, ſic animo deformes improbã materiã externè ſuppeditabant. At verò pura illa anima peſtiferi ſpiritus impetũ agnoſcens, ac præpoſterũ cogitationũ bellũ, quod magno ac vehementi aduerſũ ſe impetu veniebat, conſpiciens, perturbabatur, tantoq; malo liberari, puruſq; ſeſe Chriſto exhibere cupiebat, nec ſanctã

Amori impudenti amorẽ diuinũ obiicit Ioſaphat.

illam ſtolã, qua eũ Baptiſmi gratia induerat, libidinis cœno contaminare. Conteſtim itaq; amori amorẽ, hoc eſt impudico diuinũ opponit, ſibiq; pulchritudinẽ illam ac gloriã omni ſermone præſtantiorẽ, quã puræ animæ in Chriſti ſponſi nuptiis, ex quibus illi qui nuptialẽ tunicã conſpurcarunt, eiicientur, vinctiſq; manib. & pedibus in exteriores tenebras protrudentur, habituræ ſunt, in memoriã reuocat. Hæc cũ animo ſuo conſiderans, & lacrymas profundens, pectus ver-

Matth 22.

berabat, improbas illas cogitationes, non ſecus ac fucos quoſdã in fugã vertens. Deinde ſurgens, ac manus attollens, calentibus lacrymis ac gemitibus Dei opẽ atq; auxilium implorabat, hiſque verbis vtebatur: Omnipotens Domine, qui

Orat Ioſaphat aduerſus ingruentem carnis tentationẽ.

ſolus viribus polles, atque ad miſericordiã procliuis es, Domine inquã, ſpes deſperatorũ & eorũ qui auxilio carent, mei quæſo, inutilis tui ſerui nunc recordare, facilíq; ac propitio oculo me intuere, animamq; meã à diabolica framea eripe, ac de manu canis vnicã meã: nec me in hoſtiũ meorũ manus incidere permittas. Nõ ſupergaudeant mihi, qui oderunt me inique: nec me in iniquitatibus corrũpi ſinas, corpuſque meũ, quod tibi caſtũ exhibere promiſi, probro & contumelia afficere. Te enim concupiſco, teque adoro, Patrẽ, & Filiũ, & Spiritum ſanctum, in ſæcula. Cumq, Amen ſubiunxiſſet,

Pſalm. 21.

diuinã conſolationẽ cælitus ipſe ſibi aduenire ſenſit, atque improbæ cogitationes ſeſe ſubduxerunt. Ipſe aũt ad matuti-

Pſalm. 34.

nũ vſq; tempus in precibus perſtitit: intellectiſq; verſipellis hoſtis technis atq; artibus, corpus ſuũ tũ cibi penuria, tum ſiti aliiſq; afflictionũ generibus premere cœpit, in orationibus erecto corpore pernoctans, ſibiq; ipſi pacta ea quæ cũ

A Deo accepit ſolatiũ.

Deo inierat, in memoriã reducens, atq; tũ eorũ qui iuſtitiã coluerint, futurũ ſplendorẽ animo & cogitatione informãs, tũ denuntiatã improbis gehennã aperte ſibi ob oculos proponens. Quod ſcilicet ea de cauſa faciebat, ne hoſtis inermẽ ac ſolutã ipſius animã nactus, prauas cogitationes ipſi nullo negotio inſereret, animique ipſius puritatẽ turbaret & inficeret. Cum igitur hoſtis omnino mente concideret, ſeq; ſtrenuũ iuuenẽ deiecturũ prorſus diffideret, ad aliã callidiorẽ fraudẽ ſeſe confert. (vt qui ſemper malus ſit, nec vnquã aliquid moliri, atq; incõmodum aliquod & detrimentũ afferre

Alia fraus diaboli.

intermittat) in id omni ſtudio incumbens, vt quæ ſibi à Theuda mandata fuerant, exequatur. Itaq; rurſus huiuſmodi pharmaca cõparat. Ad iuuenẽ enim ex puellis illis vna omniũ formoſiſſima ingreditur, quæ ẽt Regis cuiuſdã filia erat, captiuaq; à patria ſua abducta, Regi Abenner, præſtantiſſimi cuiuſdã muneris inſtar, oblata fuerat: quã pater, vt eximia

Nazianz.

pulchritudine præditã, ad labefactandũ ac deiiciendũ filii animũ miſerat. Hãc impoſtor ille ſubit, ipſiq; eiuſmodi ſermones oẽs ſuggerit, qui animi ipſius prudẽtiã ac ſapientiã perſpicue declararẽt: ſiquidẽ diabolus oẽs ad vitiũ accõmodatas artes facile ac prompte exercet. Poſteaq; Regis filiũ à dextris adortus, puellæ amorẽ ipſi inſerit, ob ipſius videlicet prudentiã & grauitatẽ, atq; etiã ob eã cauſam, quod cũ ea nobilitate eſſet, atq; è regia ſtirpe prodiiſſet, patria tamen ſimul ac gloria orbata eſſet. Adhæc huiuſmodi quoq, cogitationes ipſi ſubſerit, vt eã ab inſano idolorum cultu liberaret Chriſtianamque efficeret. Hæc autẽ omnia verſuti draconis technæ erant. Nã cum Regis filius animo ita cõparatus & conſtitutus eſſet, vt nullã obſcœnã cogitationẽ aut libidinoſum amorẽ ad puellã vacillantẽ in ſeipſo perſpiceret, verũ ipſius duntaxat calamitate animo æque extrio ſe cõmoueri ſentiret, rẽ hanc diabolicum cõmentũ eſſe minime animaduertebat. Siquidẽ tenebra caligo ille eſt, ac lucẽ aſſimulat. Vt enim Regis filius puellã alloqui, diuinæq, cognitionis oracula ipſi exponere cœpit, Agnoſce, inquiens, ô mulier, Deum in omne æuum viuentẽ, nec te idolorũ errore detineri ſine, verũ Dominũ rerũ omniũ effectorẽ intellige, ac beata eris, immortali ſponſo adiuncta. Multa, inquã, eiuſmodi cum ipſe dixiſſet, ſtatim improbus ſpiritus mulieris in mentẽ immittit, vt fraudis laqueos explicaret, ac Deo charã animã ſubi-

ad libidinis foueam præcipitem traheret, quemadmodum videlicet olim generis humani auctorẽ Euę opera ẽ paradiſo ac Deo miſere exterminauit, eumq́; beatæ atq; immortalis vitæ loco morti addixit. Poſteaquam igitur puella verba illa omni ſapientia referta audiuit, pro ſua ſtultitia ea non intellexit, verum huiuſmodi reſponſum edidit, quale ab ea edi conſentaneum erat, quæ diaboli lingua atq; os erat, atq;. Si ſalutis meæ, ô domine, curã tangeris, ac me Deo tuo conciliare, abiectáq; animæ meæ ſalutem afferre ſtudes, fac tu quoq; vni meæ petitioni annuas, ac ſtatim patriis omnibus diis meis repudiatis, Deo tuo me adiungam, ipſiq́; ad extremum vſq; ſpiritum colam. Ita tu ſalutis meæ, atq; ad Deum conuerſionis mercedem referes. Cum aũt ille, quænã hæc petitio eſſet, quæſiuiſſet, tunc illa & habitu, & aſpectu, & ſermone, ac denique omni ex parte ſeſe ad alliciendum ipſius animũ comparans, Matrimonio, inquit, mecũ coniungere, atq; ego imperiis tuis lubens obſequar. At ille, Incaſſum, inquit, ô mulier duram huiuſmodi petitionem mihi propoſuiſti. Nam quamquam ingenti ſalutis tuæ cura teneor, teq; ex mortis & exitii voragine extrahere cupio: mihi tamen corpus meũ per fœdum concubitũ inquinare nimis graue eſt, imo prorſus impoſſibile. Illa vero planã ipſi viam ad ſcelus ſternens, Ecquid, inquit, huiuſmodi ſermone vteris, qui omni ſapientiæ genere polles? Ecquid, inquam, hanc rem ſpurcitiem ac fœdũ concubitũ appellaſti? Neq; enim ipſa quoq; Chriſtianorũ librorũ ignara atq; expers ſum: verũ & multos in patria mea libros perlegi, & ſæpe cũ Chriſtianis ſermones contuli. Quid igitur? Nonne in quodã librorũ veſtrorum ſcriptũ eſt: Honorabile connubiũ & torus immaculatus? Ac rurſum: Melius eſt nubere quã vri? Ac rurſum: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet? Nonne omnes veteres iuſti, tam patriarchæ quã prophetæ legitimo matrimonio copulatos fuiſſe Scripturæ veſtræ docent? Nonne Petrus ille, quem apoſtolorũ principem fuiſſe prædicatis, vxorem habuiſſe ſcribitur? Quid igitur te adduxit, vt rem huiuſmodi ſpurcitiẽ appellares? Magnopere ſane mihi à dogmatũ veſtrorũ veritate aberrare videris. Cui ille reſpondit: Ita profectò, mulier, hæc ſe habent, quemadmodũ abs te dictũ eſt. Licet enim quibuslibet matrimonio copulari, exceptis tamen iis, qui virginitatẽ Chriſto ſemel promiſerunt. Ego enim ab eo die, quo per diuini Baptiſmi lauacrũ à iuuẽtutis & ignorantiæ meæ peccatis purgatus ſum, purũ meipſum Chriſto exhibere pollicitus ſum. Quonã igitur modo pacta ea, quæ cum Deo ſanxi, diſſoluere atq; infringere audebo? Rurſum aũt ad eum mulier his verbis vſa eſt: Sit ſane de hac re, vt ipſe vis. At exiguã alteram, ac nullius momenti cupiditatẽ meam exple, ſi quidem animæ meæ ſalutem afferre tibi cordi eſt. Hac duntaxat nocte mecum rem habe, atque effice, vt & ego tua pulchritudine fruar: ac tu rurſũ formæ meæ elegantia expLearis. Quod ſi feceris, hoc tibi polliceor, me ſimulatq; dies illuxerit, Chriſtianam religionẽ ſuſcepturam, atq; omnem deorũ meorũ cultum fuga relicturã eſſe. Atq; ob huiuſmodi conſiliũ, non modo veniam, ſed etiã beneficia, ſalutis meæ cauſa, à Deo tuo conſequeris. Gaudiũ enim, inquit Scriptura tua, eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Nã ſi ob ſcelerati hominis reſipiſcentiam lætitia in cælo excitatur, quid afferri poteſt, quin huius reſipiſcentiæ auctori magnum præmium debeatur? Ita certe res ſe habet: nec eſt quod dubites. Quid? An non apoſtoli quoq; religionis veſtræ duces, complura certo conſilio faciebant, diuinum præceptum maioris præcepti cauſa interdum violantes? An non Paulus Timotheum, præſtantioris conſilii cauſa, circumcidiſſe dicitur: atqui circumciſio apud Chriſtianos in crimine cenſetur, nec tamen ille hoc facere dubitauit. Atq; alia huiuſmodi permulta in Scripturis tuis reperies. Quocirca ſi verò animæ meæ ſalutẽ afferre cupis, exiguam hanc meam cupiditatem exple: & ego, quanquam alioqui perfecto matrimonii nexu tecũ copulari cupiens, tamen quoniam id tibi minime gratũ eſt, non iam tibi vim afferã, verum quidquid animo tuo inſederit, poſthac faciã. Tu igitur ne me quoq; prorſus abiicias & execreris, verum in hac vna re mihi obſequens, ſalutẽ mihi affer, atq; à ſuperſtitioſo errore me libera: tu autem deinceps per omnem vitæ curſum, quæ tibi viſa fuerint, facias licebit. His verbis vtẽs (nam & habebat qui ipſi ſuggereret, cui etiã aures clam admouebat: atq; Scripturarum penitus eſt ille vitii artifex diabolus) his inquam verbis vtens, eumq; demulcens, ac retia & laqueos ipſi tum à dextris tum à ſiniſtris vndiq; nectens, animi ipſius turrim labefactare, inſtitutiq; ipſius neruos debilitare, ac voluntatem & ſententiam emollire incipiebat. Virtutũ aũt ſator, ac proborũ virorũ hoſtis, labantem ipſius animum conſpiciens, ac ſumma inde lætitia perfuſus, ſtatim peſtiferos ſpiritus, qui vna cum illo aderant, appellat: Cernite, inquiens, quonam pacto puella iſta ea perficere contẽdat, quæ à nobis perfici nequiuerunt. Agite igitur, acriter nunc in eum impetum faciamus. Neq; enim ad explendam eius à quo miſſi ſumus, voluntatem aliud æque opportunum tempus nanciſcemur. Hæc cum verſipellis ille ad ſocios dixiſſet, in Chriſti militem inſiliunt, omnes animi ipſius vires perturbantes, atq; acerrimum puellæ amorem ipſius pectori inſerentes, vehementiſſimumq; libidinis ignem in ipſo inflammantes.

A puella regia in maritu expetitur Renuit Ioſaphat.

Hebr. 13.
1. Cor 7.
Matth. 16.
Luc. 4.

Votum caſtitatis.

Ad fornicationẽ à regia puella illicitur.

Luc. 19.

Act. 16.

Dæmones ſocios adhortantur.

Ille autem cum ſeipſum vehementer vri, captiuumq; ad peccatum trahi perſpiceret, atq; cogitationes ſuas, puellæ ſalutem conuerſionemq; ad Deũ ipſi proponentes, flagitiũ tanquam hamũ quendam eſca occultare, hoſtiſq; inſtinctu ſibi negotium faceſſere, perinde videlicet ac ſcelus minimẽ eſſet, ſeruandæ animæ cauſa cum muliere ſemel rem habere, in huiuſmodi animi anxietate conſiliiq; penuria alto pectore ingemiſcens, ſeipſum ſtatim ad orationem confert, atq; vberes lacrymarum riuos ex oculis profundens, ad eum, qui ſalutem iis qui in ipſo confidunt, afferre poteſt, clamabat: In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum: neque irrideant me inimici mei, dexteræ tuæ hærentem: verum hac hora pro tua voluntate mihi adſta, vias meas dirigens, vt ſanctum tuum & glorioſum ac formidandum nomen in me famulo tuo illuſtretur, quoniam benedictus es in ſæcula, Amen.

Oratione ſe præmunit contra tentationes.

Pſalm. 30.
Pſalm. 24.

Cum aũt per aliquot horas cum lacrymis preces fudiſſet, genuaq; perſæpe flexiſſet, in terrã ſe proſtrauit, paulumq; obdormiſcens ſeipſum à quibuſdam horrendis viris arripi videt, regionibuſq; quibuſdam, quas nunquã viderat, peragratis, in ampliſſimum campum perduci, pulchris floribus atq; ingenti ſuauitate præditum; vbi & plantas omnis generis cernebat, inuſitatis quibuſdã & admirandis fructibus, tũ viſu iucundiſſimis, tũ perceptu ſuauiſſimis redundãtes. Arborũ porrò folia ex tenuiſſima quadã aura dulcem ſonũ edebant: ac dũ impellerentur, inexplebilem odoris fragrãtiam emittebant. Quin etiam ſedes illic ſitæ erant, auro atq; ingentis pretii lapidibus ſtructæ, luculentũ ſanè ſplendorẽ afferentes: lectiq; item illuſtres, miris quibuſdã ſtragulis, atq; elegantia omnẽ oratio nis facultatem ſuperante coornati. Adhæc aquæ profluebant perquam limpidæ, oculoſq; ipſos oblectantes. Tum aũt per ingentẽ atq; admirandum hunc campũ horrendi illi viri eum in vrbẽ quandã introduxerunt, inenarrabili ſplendore rutilantẽ, ex pellucido quidem auro muros, ex lapidibus aũt à nemine vnquam viſis pinnas ac propugnacula extructa habentẽ. Et quis tandẽ eſt, qui vrbis illius pulchritudinẽ ac ſplendorẽ ſermone conſequi poſſit? Lux porrò ſuperne radiis identidem micans, omnes ipſius vicos implebat, atque alati quidem exercitus, lucidi ciues in ea morabantur, eiuſmodi cantũ edentes, quem nunquã mortalis auris audiuit, vocemque dicentẽ audiret: Hæc eorũ qui iuſtitiã coluerunt, eſt requies: hoc eorum qui Domino ſuæ vitæ rationes probarunt, oblectamentũ. Hunc aũt ex illo loco eductũ terribiles illi viri retrorſum ducere velle dicebant. At ipſe iucunditate illa lætitiaq; animi omnino captus: Ne me quæſo, inquiebat, ne me inquã hac lætitia, quæ nullis verbis exprimi poteſt, priuate: verum hoc mihi concedite, vt in vno ampliſſimæ huiuſce ciuitatis angulo degam. Illi autem ad hunc modum reſpondebant: Fieri nunc minimẽ poteſt, vt hic ſis: hoc autem multis laboribus ac ſudoribus tandem conſequeris, ſi quidem tibi ipſi vim intuleris.

Viſio Ioſaphat.
Ducitur ad loca amœna.

Hoc ſermone habito, ac maximo illo cãpo rurſus peragrato, eũ in tenebroſa loca, omniſq; mœroris plena, atq; cũ eo ſplẽdore, quẽ prius cõſpexerat, ac lætitia illa è diametro pugnantia, duxerũt. Erat enim obſcura prorſus ac tenebroſa caligo erat, atq; afflictione ac t[illegible] redũdabat. Illic ignis fornax accẽdebat, & carnificũ vermiũ genus ſerpebat,

Ducitur ad loca tetra.

pebat, vltriceſq; virtutes fornaci imminebant. Ac nonnulli miſerum in modum igni conflagrabant, voxq; huiuſmodi audiebatur: Hic ſceleratorum locus eſt, hic eorũ cruciatus qui fœdis flagitiis ſeipſos contaminarunt. Poſt aut ab h[illegible] qui eum illuc introduxerant, [illegible]o loco eductus eſt. Statimq; ad ſeſe rediens, toto corpore contremiſcebat, lacrymæ [illegible] fluminum inſtar ex ipſius oculis fluebant: atq; omnis impudicæ illius puellæ, reliquarumq; aliarum, pulchritudo q[illegible]uis cœno & ſanie fœtidior ipſi viſa eſt. memoriaq; ea, quæ viderat recolens, tum bonorum illorum cupiditate tum d[illegible]lo[illegible]ũ illorum metu correptus, in lecto iacebat, ſic affectus, vt nulla ipſi exurgendi poteſtas eſſet. Vt aũt de aduerſa fi[illegible] v[illegible]etudine ad Regem allatum eſt, ſtatim ad eum profectus, quidnam ipſi accidiſſet, percontabatur. Ille autem, q[illegible] [illegible]ridiſſet, exponit, aitq;: Cur pedibus meis laqueum paraſti, & incuruaſti animam meam? Niſi enim Dominus adiu[illegible]ſſet me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Verum quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde, qui [illegible] eripuit humilitatem meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus. Sed viſitauit me Deus ſaluator me[illegible], mihiq; quantis ii, qui eum ad iracundiam prouocant, bonis ſeſe priuent, quantiſq; rurſum tormentis obnoxios ſe [illegible]dant, demonſtrauit. At nunc, ô pater, quoniam tu aures tuas occluſiſti, ne vocem meam bona atq; vtilia tibi occ[illegible]rem audires, ne me ſaltem quo minus rectam viam capeſſam, impedias. Hoc enim cupio, hoc expeto, vt omnibus [illegible] liberatus, ad ea loca contendam, in quibus Barlaam Chriſti famulus habitat, ac cum eo quod mihi reliquum eſt vi[illegible]e conficiam. Quod ſi me per vim retinere in animum induxeris, quam primum me mœrore ac tædio extinctum videb[illegible]. Ita fiet, vt nec tu pater iam appelleris, nec me filium habiturus ſis.

Ad ſe redit. Aegrotat. Pater eum viſitat. Pſalm. 56. Pſalm. 39. Pſalm. 27. Admonet patrem.

Rurſum igitur ingens Regem mœſtitia inuaſit, rurſum omnem vitæ ſuæ ſpem deſpondere cœpit, atque acerb[illegible] ſe[illegible]ũ animo agitans, in palatiũ ſuũ abiit. At verò improbi illi ſpiritus qui aduerſus diuinũ iuuenem à Theuda miſſi fuer[illegible]nt, ad eum pudore ſuffuſi redeunt, atq; quamuis alioqui mendacio gaudeant, acceptam tamen cladem cõfitentur. Quippe perſpicua cladis ſigna in ſcelerato ſuo vultu gerebant. Ille autem, V[illegible] queadeone, inquit, imbecilles ac miſeri eſtis, [illegible]t adoleſcentem vnum vincere minime potueritis? Tunc improbi ſpiritus virtute diuina excruciati, veritatem inuiti [illegible] lucem protulerunt, his verbis vtentes: Chriſti potentiæ, ac paſſionis ipſius ſigno, quod Crucem appellant, ne tantillũ quidem obluctari poſſumus. Nam cum ea effingitur, ſtatim quotquot aëris principes ac mundi rectores tenebrarum ſumus, quam celerrime fugimus, ac prius etiam quam ea plene ac perfectè expreſſa ſit, propulſamur. Quamobrẽ ne[illegible] quidem in hunc iuuenem impetu facto, grauiter eum perturbauimus: verum ille cũ Chriſti opem implorasſet, ac crucis ſigno ſeipſum muniuiſſet, nos irato animo propulit, atque firmiſſimum ſibi præſidium cõparauit. Ac proinde nul[illegible] interpoſita mora inſtrumentum illud arripuimus, cuius opera etiam princeps noſter primum hominem aggreſſus eſt, eumque poteſtati ſuæ ſubiecit. Et quidem profectò nos quoq; vanam adoleſcentis ſpem pro nihilo ducebamus: verũ ad auxilium rurſus accitus Chriſtus, cæleſtis iræ igni nos exuſtos in fugam vertit. Quare ſtat ſententia, non vltra ad eum accedere. Ad hunc ſcilicet modum improbi ſpiritus Theudæ ea quæ contigerant perſpicue declararunt. Rex autem omni ex parte animo hærens, conſilioq; deſtitutus, Theudam rurſus accerſit, ad eumque ait: Omnibus iis quæ docuiſti, vir ſapientiſſime, perfectis & abſolutis, nihil tamen vtilitatis conſecuti ſumus. Nunc igitur, ſi quod tibi aliud conſilium ſupereſt, illud experiamur. Fortaſſe enim aliquam depellendi mali rationem nanciſcemur.

Crucis ſignũ dæmonibus terrori eſt. Epheſ. 6.

CVM autem Theudas, vt cum ipſius filio in colloquium veniret, petiiſſet, mane Rex, eo ſecum aſſumpto, ad viſendum filium proficiſcitur. Cumque prope eum conſediſſet, eum alloqui, ac probris inſectari, atque ipſius contumaciam animiq; rigiditatem accuſare cœpit. Illo vero recta dogmata rurſum confirmante, Chriſtique amore nihil antiquius habendum eſſe clamante, Theudas in medium prodiens, his verbis vſus eſt: Quidnam, ô Ioſaphat, quod in immortalibus diis noſtris reprehendendum ſit, inueniſti, vt tu ab eorum cultu diſcederes, ac Regis patris tui animum ita offendendo, totius populi odium tibi commoueres? An non ab iis vitam accepiſti? An non ipſi patri te dono dederunt, auditis videlicet ipſius precibus, eoq; ſterilitatis vinculis ſoluto? Cum autem multos inanes ſermones, ac multas inutiles quæſtiones ille inueteratæ improbitatis homo proponeret, atque de Euangelii prædicatione argumenta necteret, hoc videlicet animo, vt eam ſuggillaret, atque idolorum cultum confirmaret, ille ſuperni Regis filius, atque illius vrbis, quam non homo, ſed Deus conſtruxit, ciuis, poſteaquam ſeſe paulisper continuiſſet, tum demum ad Theudam ait: Audi, ô impoſturæ vorago, ac palpabilibus tenebris caliginoſior, ſemen Babylonicum, atque Chalanicæ turris extructorum, quorum cauſa mundus confuſus eſt, nepos, vane inquam atq; inſelix ſenex, qui grauioribus, quam quinq; illæ diuino igne concrematæ vrbes, ſceleribus te conſtrinxiſti. Ecquid ſalutis prædicationem, per quam ea quæ tenebris circumfuſa erant, lucem acceperunt, per quam errantes viam inuenerunt, per quam ii qui perierant, ac miſera ſeruitute premebantur, in priſtinum ſtatum reſtituti ſunt, cauillis infectari conaris: Cedò vtrum tandem ex his duobus præſtantius eſt, nempe omnipotentem Deum cum vnigenito Filio & Spiritu ſancto colere, Deum inquam increatum & immortalem, bonorum omnium fontem, cuius nec imperium ac robur coniectura percipi, nec gloria mente comprehendi poteſt, cui angelicorum ac cæleſtium ordinum millia millium, & decies millia millium aſtant, cuius gloria cælum & terra plena ſunt, per quem omnia ex nihilo in ortum producta ſunt, per quem mundus continetur ac conſeruatur, ipſiuſque prouidentia gubernatur, colere ac venerari, an vero peſtiferos dæmones atque inanima ſimulacra, quorum laus & gloria adulterium eſt, ac puerorum conſtupratio, ceteraque flagitia, quæ de diis veſtris in ſuperſtitionis veſtræ voluminibus conſcripta ſunt? Non vos pudet, miſeri, atque ignis ſempiterni cibus, Chaldaicique generis ſimilitudinem gerentes, non vos inquam mortuas ſtatuas humana manu extructas adorare pudet? Cæſum enim lapidẽ aut lignum ac fabrili arte politum, deum nuncupatis: ac deinde eximium taurum, aut aliud fortaſſe ex pulcherrimis cuiuſque generis animantibus aſſumentes, mortuo numini, qua væcordia eſtis immolatis. Atqui victima deo tuo præſtantior eſt. Nam illum elaborauit, Deus autem animal procreauit. Ac propterea etiam brutum animal te, qui ratione præditus es, prudentia & ſagacitate antecellit. Illud enim eum à quo alitur nouit, tu contra eius, à quo ex nihilo productus es, cuiuſque beneficio viuis & conſeruaris, ignoratione laboras. Ac deum appellas, quem paulo ante ferro verberari, atque igne conflari, & malleis tundi videbas: quem argento atque auro cinxiſti, atque à terra in altum [illegible]: poſteaque in terram abiectus abiecti lapidis abiectior es adorator, non Deum adorans, ſed mortua & a[illegible] ex[illegible]a manuum tuarum opera. Imo vero, ne mortuum quidem æquum eſt ſimulacrum appellare: verum nouum [illegible] ac tanta amentia dignum nomen excogitare par eſt. Nam lapideus comminuitur, teſtaceus confringitur, lig[illegible] rumpitur, æreus rubigine inficitur, aureus & argenteus igni conflatur. Quinetiam dii tui partim exiguo ac v[illegible], [illegible] ſummo pretio venduntur. Neque enim ipſis diuinitas, ſed materia pretium dat. Atqui Deum quiſnam en[illegible] re[illegible]dere queat? Iam quonam pacto Deus appellatur qui motus expers eſt? An non illud cernis, nec eum qui ſtat [illegible] ſedere, nec eum qui ſedet vnquam ſtare?

Theudas rurſus oppugnat Ioſaphat. Hebr. 8. Egregie reſiſtit Ioſaphat. Gen. 11.

Pudeat te, ô væcors: manum ori appone, ô ſtulte, qui res huiuſmodi laudas. Etenim à veritate auerſus, f[illegible] deciperis atq; in fraudẽ induceris, ſtatuas videlicet effingens, t[illegible]abuſq; manu tua effectis Dei nomen attrib[illegible] piſce miſer, atq; illud intellige, te deo abs te facto antiquiorẽ eſſe. Cuius tandẽ furoris iſta ſunt? Huccine tibi p[illegible] te, cũ homo ſis, Deũ efficere poſſe: Qui tandem iſtud fieri queat? Quocirca non hominẽ efficis, verum homin[illegible] cuiuſpiam animantis formam, non lingua, non faucibus, nõ cerebro, nõ vlla aliqua interna parte præditam: a[illegible] pr[illegible] hominis q[illegible] aut animãtis ſimilitudo eſt, ſed inutilis omnino res ac vanitatis plena. Quid igitur teb[illegible]enſu[illegible]

Idololatrarũ amentia.

bl[illegible]

blanditiis? Quid mente carentibus & inutilibus aſſides? Niſi latomi, aut architecti, aut malleatoris ars adeſſet, deū non haberes. Niſi cuſtodes præſto eſſent, deum tuum amiſiſſes. Nam quem ſæpè ſtolidorum hominum copioſiſſima vrbs tanquam deum, vt ab eo cuſtodiatur, obſecrat, cum eo ipſo pauci cuſtodes, ne ſurripiatur, remanent. Ac ſi quidem ex argento vel auro conſtet, diligenter cuſtoditur: ſi autem ex lapide, aut argilla, aut alia quadam viliori materia, ſeipſum cuſtodit. Ita de veſtra ſententia valentior eſt is, qui ex argilla, quam qui ex auro conflatus eſt.

An non igitur optimo iure vos ſtultos & cæcos ac ſtolidos homines irridere, vel potius luctu proſequi poſſumus? Quippe opera veſtra furorē potius quā pietatem redolent. Nam qui rei militari ſtudet, ſtatuam ad militaris ſpeciei ſimilitudinem expreſſam, ac certo loco poſitam, Martem nuncupat. Qui autem mulierum amore ad inſaniā vſq; flagrat, animæ ſuæ cupiditatem pictura informans, vitium ſuum deum efficit, Veneris ſcilicet nomine eū appellans. Alius rurſus temulentiæ ſuæ cauſa, effícto ſimulacro, Bacchum ipſum nominat. Eodemq; modo aliorum vitiorum cupidi, eorum ſimulacra conſtituerunt, vitiiſq; ſuis deorum nomen imponunt. Eaq; de cauſa apud eorum aras libidinoſæ ſaltationes exiſtunt, ac meretricii cantus, furioſiq; impetus. Quiſnam autem execrandum eorum flagitium deinceps commemorare queat? Aut quis fœdiſſimam ipſorum libidinem oratione complectens, os ſuum conſpurcare ſuſtineat? Verum hæc omnibus perſpicua ſunt, etiamſi ipſi taceamus. Hi tui dii ſunt, ô ſtatuis tuis ſtupidior Theuda. Hos vt adorē, hos vt venerer, admones. Tuæ profectò improbitati ac ſtultæ ſententiæ conſentaneum eſt iſtud conſilium: at ſimiles ipſis tu fias, atq; omnes qui confidunt in eis. *Pſalm.113.*

Ego autem Deum meum colam, meq; totum ipſi conſecrabo: Deo inquam creatori, ac rerum omnium gubernatori, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſpem noſtram, per quem etiam ad luminum Patrem in Spiritu ſancto acceſſum habuimus, per quem ab acerba ſeruitute in ipſius ſanguine liberati ſumus. Niſi enim ipſe etiam vſq; ad ſeruilem formam ſeſe abieciſſet, haudquaquam id conſecuti eſſemus, vt in filios adoptaremur. Quippe noſtra cauſa ſe ipſe abiecit, nec Deitatem rapinam arbitratus eſt, ſed quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit. Conſuetudinem cū hominibus habuit, carne ſua in crucem aſcendit, triduo in ſepulcro conditus eſt, ad inferos deſcendit, inde eos, quos ſub peccato venditos horrendus mundi princeps vinctos tenebat, eduxit. Quidnam igitur hinc detrimenti tulit, quod eo nomine eū cauillis inſectari videris? An non perſpicis, in quot fœda & obſcœna loca radios ſuos ſol demittat, quotque fœtida cadauera conſpiciat? An hinc labem aliquam contrahit? An non potius ea quæ ſordida ac putrida ſunt, exſiccat atq; cōſtringit, quæ caliginoſa ſunt illuminat, atq; interim ipſe prorſus incolumis, ac labis omnis expers manet? An non item ignis ferrum quod ſua natura nigrum ac frigidum eſt, aſſumens, prorſus inflammat atq; candefacit, nec interim ferri proprietates vlla ex parte recipit? Nō enim eo malleis contuſo aliquid perpetitur aut detrimenti quidquā accipit. Quocirca ſi hæc quæ creata ſunt, eamq; naturam habent, vt aliquando intereant, ex viliorum ac deteriorū rerum contagione nullo incōmodo afficiuntur, qua tandem ratione, ô ſtolide ac ſaxeo corde prædite, irridere me ideirco audes, quod Filium ac Deum Verbum à paterna gloria nullo modo diſceſſiſſe, ſed cum Deus eſſet, humanæ ſalutis cauſa corpus humanum aſſumpſiſſe dicam, vt homines diuinæ ac ſpiritualis naturæ participes efficeret, noſtramque ſubſtantiam ex ſubterraneis inferni partibus eductam, cæleſti gloria exornaret, atq; itē vt tenebrarū huius ſæculi principem, ſuſceptæ carnis tanquam illecebris quibuſdam ineſcatum ſuperaret, genuſq; noſtrum ex ipſius ſeruitute ac tyrannide liberaret? Vnde etiam crucis tormentum ſine perpeſſione ſubiit, duas videlicet ſuas naturas declarans. Vt enim homo, in crucem agitur: vt Deus autem, ſoli tenebras offundit, terram quatit, ac multa corpora morte functa e ſepuleris excitat. Rurſum, vt homo moritur: vt autem Deus, ſpoliato inferno, ad vitam redit. Ob idque etiam clamauit Propheta: Infernus in amaritudine fuit, occurrens tibi deorſum. Siquidem in amaritudine fuit atq; illuſus eſt, cum nudum hominem ſeſe accepiſſe putans, in Deum incidit, ac repente inanis & captiuus extitit. Reſurgit itaq; vt Deus atq; in cęlū, vnde nullo modo degreſſus fuerat, aſcēdit, ac noſtrā deſpicabilē atq; omnib. inferiorē, naturā omnib. ſuperiorē reddidit, immortaliq; gloria rutilantem in gloriæ throno collocauit. Quidnā igitur hinc Deo Verbo detrimenti cōflatū eſt, quod tu eū maledictis atque contumeliis inſequi nō erubeſcis? Vtrū quæſo ex his duobus præſtantius eſt, nempe hæc confiteri, atq; hunc bonum hominumq; amantem Deum venerari (qui iuſtitiam mandat, continentiam præcipit, puritatem præſcribit, ad miſericordiam propenſum eſſe docet, fidem præbet, pacem prædicat, ipſamet veritas & nominatur & eſt, ipſamet charitas) hunc inquam venerari, an contra improbos & plurimis flagitiis deuinctos, ac tam rebus ipſis quam nominibus fœdos & obſcœnos deos tuos? Væ vobis, ô ſaxis duriores, & brutis amentiores, atq; exitii filii, ac tenebrarum heredes. Beatus autem ego ac Chriſtiani omnes, qui bonum ac benignum Deum habemus. Nam qui ei cultum adhibent, etiamſi ad breue aliquod tempus in hac vita rebus aduerſis eorum affligentur, at immortalē tamen mercedis fructum in ſempiternæ ac diuinæ beatitudinis regno percipient. *Laudat fidē Chriſtianā.* *Ephеſ.2.* *Philip.2.* *Baruch.3.* *Duæ in Chriſto naturæ.* *Luc.23.*

Dixit autem ad eum Theudas: En illud perſpicuum eſt, multos & magnos & ſapientes viros atque interpretes, ac tum virtute tum doctrina admirabiles, religionem noſtram inſtituiſſe, omneſq; orbis terræ Reges ac principes eā vt præclaram atq; omni periculo vacuam excepiſſe: Galilæorum contra doctrinam ruſticos quoſdam ac pauperes & abiectos viros, eoſq; perpaucos, nec plures quam duodecim, prædicaſſe. Num igitur ignobilium ac ruſticorum prædicatio, multorum ac magnorum virorum, quiq; tanta ſapientiæ laude floruerūt, legibus atque inſtitutis potior habenda eſt: Quid autem habes, vnde hos vera dicere, illos mentiri demonſtres. *Theudas Chriſtianis paupertatē & ruſtici atē obiicit.*

Rurſum igitur Regis filius reſpondit: Aſinus es, ô Theuda, vt dici ſolet, lyram audiens, atque intellectus expers manens, vel, vt rectius loquar, aſpis, aures obturans, ne præclare incantantiū vocem exaudias. Recte igitur de te à Propheta dictum eſt. Si mutare queat Æthiops pellem ſuam, ac pardus varietates ſuas, tu quoque ſtulte & cæce, benefacere poteris, cum mala didiceris. Quin te vis veritatis ſenſu afficit? Nam hoc ipſum quod ais à multis admirabili ſapientia præditis viris nefarios tuos cultus laudari, atque à multis Regibus confirmari, contraq; Euangelicā prædicationem à pauperis atque obſcuris viris prædicari, id vero tu religionis noſtræ vim, tū improborū veſtrorū dogmatū imbecillitatē ac pernitiem demonſtrat: quippe cum doctrina veſtra quamuis eruditos patronos ac firmos adiutores habeat, debilitetur tamen & extinguatur, noſtra aūt religio, licet omni humano ſubſidio careat, ſole tamen clarius luceat, orbemq; totum occupārit: nam ſi ab oratoribus & philoſophis edita fuiſſet, Regeſque ac principes adiutores habuiſſet, diceres fortaſſe, vt improbe potuiſſes humanā potentiā id totū præſtitiſſe. Nunc vero tantū Euangeliū à vilibus piſcatorib. conſcriptū atque ab omnibus tyrannis vexatū, nihilo tamen ſecius totū orbē obtinere perſpiciens (in omnem enim, inquit ille, terrā exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū) quid iam aliud dicere poſſis, quam diuinam & inuictā potentiā eſſe, ſalutis humanæ cauſa cultum ſuum cōfirmantē: Ecquod autem, ô vecors, argumentum iis quæ iā allata ſunt, præſtantius quæris, quo tuos mentiri, noſtros vera loqui probem? Nam niſi tua oīa nugæ ac figmēta eſſent, profecto cum tantis humanis viribus nitantur, minime imminuerentur ac debilitarentur. Vidi enim, inquit ille, impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. De vobis, qui inſani idolorum cultus propugnatores eſtis, hæc dixit Propheta: Iam iamque enim, & non inuenietur ipſius locus: ſed ſicut deficit fumus, deficiet, & quemadmodum deficit cera à facie ignis, ſic peribitis. *Pſalm.57.* *Ierem.13.* *Argumentū Theudæ in eū retorquet Ioſaphat.* *Pſalm.18.* *Rom.10.* *Pſalm.36.* *Pſalm.67.*

Contra de Euangelica Dei cognitione dixit Dominus: Cælū & terra tranſibunt, verba autē mea non tranſibunt. Ac rurſum Propheta his verbis vtitur: In principio tu Domine terrā fundaſti, & opera manuū tuarū ſunt cæli. Ipſi peribūt, tu autem *Luc.21.* *Pſalm.101.* *Euangelii duratio.*

Act. 5. *1. Cor. 1.*

tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ac diuini quidem aduentus Chriſti præcones, & ſapientes orbis terrarum piſcatores, qui ex erroris ac fraudis voragine omnes extraxerunt (quos quidem tu, qui peccati verè ſeruus es, aſpernaris ac nihili pendis) per ſigna & prodigia ſolis inſtar in mundo fulſerunt, cæcis lucem donantes, ſurdis auditum, claudis greſſum, mortuis denique vitam impertientes. Nam vel eorũ dumtaxat vmbræ omnes hominũ morbos profligabant. Dæmones quos vos vt deos metuitis, non modo ab humanis corporibus depellebant, ſed etiam crucis ſigno ex ipſo terrarũ orbe fugabant: cuius ope atq; adiumento omnẽ quidem magiã deleuerunt, veneficiaq; omnia irrita reddiderunt. Atq; illi quidẽ humana infirmitate per Chriſti virtutem ad hunc modũ ſanati, rebuſq; omnibus conditis renouatis, tanquam veritatis præcones ab omnibus iis qui ſapientia præditi ſunt, laudantur, admirationiq; habentur. Quid autem habes, quod de ſapientibus atq; oratoribus tuis, quorum Deus ſapientiam ſtultam fecit, de illis inquam diaboli patronis in medium afferas? Quid memoria dignum mundo reliquerint, expone. Quid de ipſis quod prædices, habes, niſi dementiã ac turpitudinem, inanemq; artem, verborum elegantia fœtidæ ſuæ religionis cœnũ contegentem? Quinetiam ex poëtis tuis, quicunq; ab ingenti furore atq; inſania vel tantulũ emergere potuerunt, id quod verum erat, dixerunt, nempe eos qui dii appellantur, homines extitiſſe, ac propterea quod quidam eorum vrbibus ac regionibus imperarunt, quidam autem aliud quiddam nullius penè momenti, dum viuerent, effecerunt, homines errore lapſos, deorũ nomine eos appellaſſe. Principiò enim Seruch ille ſtatuas inueniſſe literarum monumentis proditus eſt. Siquidẽ eos qui antiquitus vel ſtrenui animi, vel amicitiæ, vel cuiuſpiam alterius virtutis opus memoria dignum edidiſſent, ſtatuis ornaſſe dicitur. Poſteri aũt maiorũ mentẽ ignorantes, nẽpe quod memoriæ dũtaxat cauſa, iis qui laude dignũ aliquid effeciſſent, ſtatuas & columnas erexiſſent, dæmonis vitii auctoris opera paulatim aberrantes, homines iiſdẽ paſſionibus obnoxios ac corruptioni ſubiectos, tanquam immortales deos adorarunt, ſacrificiaq; ipſis ac libamina excogitarunt. dæmonibus videlicet in ſtatuis habitantibus, atq; huiuſmodi honorem & ſacrificia ad ſeſe pertrahentibus. Illi itaque eos, qui Deum in notitia habere minimè probant, duplici de cauſa, vt ſe deos eſſe exiſtiment, adducunt: altera, vt ipſi hoc nomine celebrentur, gaudent enim ipſi, vtpote faſtu atq; arrogantia pleni cum ipſis tanquam diis honor tribuitur: altera, vt eos, quos in fraudem induxerint, ad præparatum ſibi ſempiternum ignem trahant. Eoq; nomine omni flagitii ac turpitudinis genere ipſos erudierunt, adeo vt eorum fraudi atq; impoſturæ ſemel addicti homines, mentis tenebris circumfuſi, atq; ad malorũ colophonem venientes, ſui quiſq; vitii ac ſui cupiditatis ſtatuam fixerint, deumq; nominarint. Qua quidem in re cum erroris ſui nomine execrandi ſint, tum verò ob earũ rerum quas adorant abſurditatem maiori execratione dignos ſe præbuerũt. Id aũt tamdiu locum habuit, quoad Dominus per viſcera miſericordiæ ſuæ nos qui ipſius fide præditi ſumus, ex improbo ac peſtifero huiuſmodi errore liberauit, veraq; Dei cognitione imbuit. Neq; enim in alio vllo ſalus eſt, nec præter ipſum ſolum qui mundum effecit, ac virtutis ſuę verbo omnia portat, alius deus aut in cælo aut in terra eſt. Verbo enim Domini, inquit ille, cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum: atq; omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

Seruch ſtatuarum inuentor.

Rom. 1.

Act. 5. *Heb. 1.* *Pſalm. 32.* *Ioan. 1.*

Theudas oratione Ioſaphat ad fidem adducitur.

THEVDAS aũt cum hæc verba audiuiſſet, atq; huiuſmodi ſermonem diuinitus infuſa ſapientia plenũ eſſe cerneret, tanquã tonitrui ſono perculſus, ſilentio tenebatur. Tandem aũt aliquando miſeriã ſuam agnoſcens (obtenebratos enim cordis ipſius oculos ſalutaris doctrina tetigerat) ingenti anteactæ vitæ pœnitudine affectus eſt: atq; condemnato idolorũ errore, ad pietatis lucẽ accurrit, ac deinceps à ſcelerata & execranda vitæ ratione vſq; adeo ſeſe remouit, tantumq; cũ turpibus animi affectionibus magiciſq; artibus bellum geſſit, quantũ ante amoris fœdus cum ipſis fecerat. Nam tum in medio concilio ſtans, præſidente Rege, magna voce exclamauit: Verè, ô Rex, ſpiritus Dei in filio tuo habitat, verè fracti ac ſuperati ſumus, nec defenſionem vllam habemus, nec ad ea quæ ab ipſo cõmemorata ſunt, vel oculos ipſos obuertere poſſumus. Magnus igitur re vera Chriſtianorum Deus eſt, magna ipſius fides, magna myſteria.

Luc. 15. *Ibidem.* *Luc. 5.* *Ezech. 33.* *Iſai. 1.* *Pſalm. 32.*

CONVERSVS itaq; ad Regis filium, ait: Dic quæſo, ô claro ac illuſtri animo prædite, Deuſne me excepturus eſt, ſi ab improbis actionibus abſcedens, ad eũ me conuertero? Sane, inquit veritatis præco, ſane inquã te excipiet, omneſq; item qui ad ipſum ſeſe conuerterint. Nec verò vulgari modo excipiet: verũ vt filio è longinqua regione redeunti, hoc eſt, à ſcelerata vitæ ratione ad meliorem frugem ſeſe conuertenti, obuiam prodibit, eumq; amplectetur & exoſculabitur: ac peccati fœditate detracta, ſtatim ipſi veſtimentum ſalutaris imponet, clariſſimaq; gloriæ ſtola eũ induens, myſticum ſupernis virtutibus epulũ peraget, ob receptam videlicet ouẽ perditã feſtũ diẽ celebrans. Ipſemet enim Dominus ingens in cælo gaudiũ eſſe dixit ſuper vno peccatore pœnitentiã agente. Ac rurſum: Nõ veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. Et per Prophetã: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ peccatoris, ſed magis vt cõuertatur à via ſua, & viuat. Conuertimini à via veſtra mala: & quare moriemini domus Iſrael? Iniquitas iniqui nõ nocebit ei, in quacumq; die conuerſus fuerit ab iniquitate ſua, & fecerit iuſtitiã, & in mandato vitæ ambulauerit, vita viuet, & non morietur. Omnia peccata quæ admiſit, non memorabuntur, quia iudiciũ & iuſtitiã fecit: in ipſis viuet. Ac rurſum per alterũ Prophetã exclamat: Lauamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationũ veſtrarũ ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere. Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinũ, tanquã nix dealbabũtur: & ſi fuerint rubra velut vermiculus, ſicut lana alba erunt. Cũ igitur hæ pollicitationes, iis qui ad meliorẽ frugem ſeſe receperint, à Deo propoſitæ ſint, ne cuncteris, ô homo, nec morã vllã adhibeas: verũ ad Chriſtum benignũ Deum noſtrũ accede, & illuminare, & facies tua non confundetur. Nã ſimulatq; in diuini Baptiſmatis piſcinã immerſus fueris, tota veteris hominis ſpurcities; atque vniuerſa ſcelerũ ſarcina in aqua ſepelietur, atque in nihilũ dilabetur: tuque nouus illinc ac recens, atque ab omni labe purus conſcendens, nullã peccati labẽ aut rugã ſecũ ferens. Ac deinceps in te ſitũ erit, vt purgationẽ per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hinc contractã tuearis, atq; conſerues. Theudas igitur his verbis inſtitutus, ſtatim ex aula excedit, atq; ad ſceleratã ſpeluncã ſuã profectus, magicos libros ſuos tanquã ſceleris omnis primitias, ac diabolicorũ arcanorũ theſauros, exuſſit. Ipſe aũt ad ſacroſancti illius viri, ad quẽ etiã Nachor perrexerat, antrũ ſeſe confert, rerumque ſuarum omniũ ſtatum ipſi exponit, capiti ſuo terrãm aſpergens, graueſque gemitus edens, ac ſeipſum lacrymis perfundens, nefariaq; ſua flagitia ſeni ordine commemorans. Ille autem, vt qui ſalutis animæ afferendæ, atque ex verſipellis draconis faucibus eripiendæ peritiſſimus eſſet, ſalutaribus verbis eum demulcet, ac velut excantat, veniam ſpondet, ac propitium & facilẽ ipſi iudicem fore pollicetur. Ac poſtea cũ eum Chriſtianæ fidei rudimentis imbuiſſet, multorumq; dierum ieiunium ipſi indixiſſet, eum diuino Baptiſmo luſtrauit. Ac deinceps per omnem vitæ curſum ille ſincero animo de admiſſis ſceleribus pœnitentiam egit, lacrymiſque ac gemitibus Deum placare ſtuduit.

Baptiſmus omnia peccata prorſus eluit.

Libros magicos exurit Theudas.

Ad ſacerdotẽ Baptiſmi cauſa adit.

Ieiuniũ indictum pro peccatorũ cõmiſſorũ ſatisfactione.

QVÆ cũ ad hunc modũ eueniſſent, Rex conſilii inopia vndique deſtitutus, in graui planè mœrore verſabatur, animoq; magnopere iactabatur. Coacto aũt rurſum ſenatu, quidnã de filio ſuo faceret, diſpiciebat. Cũ aũt multi multas ſententias in mediũ protuliſſent Arachès ille, de quo ſuperius mentionẽ fecimus, qui & ducũ omniũ clariſſimus erat, & principẽ in ſenatu locũ obtinebat, his ad Regẽ verbis vſus eſt: Quidnã, ô Rex, filio tuo facere oportuit, quod nõ fecerimus, vt ad ſequenda noſtra dogmata, deoſq; noſtros colẽdos eũ induceremus? Verũ, vt video, impoſſibilia aggredimur: ſiquidẽ à natura ipſi, aut etiã fortaſſe à fortuna, pertinacia & animi durities inſita eſt. Itaq; ſi ipſũ ſuppliciis ac cruciatibus afficere in animũ induxeris, tũ ipſe naturæ hoſtẽ te præbebis, patriſq; nomẽ amittes, tũ ipſius iacturã facies, vt qui pro Chriſto mortẽ oppetere paratus ſit. Reliquũ eſt igitur, vt hanc rationẽ ineas, nempe vt regnũ cũ eo partiaris, eique in

Quid de filio Ioſaphat faciendum, rex deliberat.

que in eà parte, quæ ad eum attinuerit, regii muneris adminiſtrationem committas. Ac ſi quidem negotiorum natura, rerumq; mundanarum cura eum ad inſtitutum noſtrum vi æq; genus amplectendum pertraxerint, res nobis ex ſententia ſuccedet. Mores etenim in animo vehementer corroborati, ægre expungi atque obliterari poſſunt, verborumq; potius blanditiis, quam vi cōmutantur. Sin aūt in Chriſtianorum religione perſtiterit, illud ipſum certè, quod filio nō ſis orbatus, mœrorem tuum aliqua ex parte mitigabit. Hanc orationem cum Araches habuiſſet, omnes ipſius ſententiam comprobarunt: ac proinde Rex ſe ita facturum aſſenſit.

Inueterati mores vix poſſunt per vim euelli.

ITAQVE poſtridiè cum illuxiſſet, filium acciuit, eumq; ita eſt allocutus: Hic mihi, ô nate, poſtremus ad te ſermo eſt, cui niſi quamprimū parueris, atque in hac ſaltem re pectoris mei dolorem leniueris, non vltra, mihi crede, indulgenter tecum agam. Percontante autem illo, quid ſibi hoc ſermone vellet: Quoniam, inquit ille, multis ſuſceptis laboribus præfractum & contumacem te ad omnes reperi, vt qui nullis vnquam ſermonibus meis parendum tibi duxeris: age, diuiſo imperio meo id faciam, vt tu ſeparatim degas, ac regnum geras. Ita iam tibi, quam cupis, viam ingredi tuto licebit. Diuina autem illa anima quanquam alioqui Regem hoc ſibi labefactandi ſui inſtituti cauſa proponere compertum haberet, obtemperandum tamen duxit, hoc ſcilicet animo, vt ex ipſius manibus elapſus, viam quam expetebat, ingrederetur. Sermonem igitur excipiens, ad Regem ait: Equidem ipſe diuinum illum virum, qui mihi ſalutis iter commonſtrauit, quærere geſtiebam: rebuſq; omnibus valere iuſſis, cum eo, quidquid mihi vitæ reliquum eſt, traducere. Verum quoniam per te, ô pater mihi ea, quæ cordi ſunt, facere minimè licet, hac in re tibi morem gero: ſiquidem in iis rebus, in quibus perſpicuum exitium atq; abalienatio à Deo non proponitur, patri obtemperare pulchrum eſt.

Rex filium regni participem facit.

REX itaque ſumma lætitia perfuſus, regionem omnem imperio ſuo ac ditioni ſubiectam in duas partes diuidit, filiumq; Regem creat, ac diademate exornat, regiaq; omni gloria inſignitum in eam regni partem, quæ ipſi attributa erat, cum luculenta ſatellitum manu emittit: principibus autem ac ducibus, reiq; militaris præfectis & ſatrapis, ſi quorum voluntas ita tuliſſet, cum filio ſuo ac Rege proficiſcendi poteſtatem facit. Atque ingentem quandam ac numeroſiſſimam vrbem, in qua regiam ſedem haberet, aſſignat, omniaq; ea quæ Regibus conueniunt, ipſi impertit. Tum igitur regiam auctoritatem ac poteſtatem nactus Ioſaphat, cum ad eam vrbem, in qua ea quæ ad regnum gerendum pertinebant parata erant, veniſſet, Dominicæ paſſionis ſignum, hoc eſt, venerandam Chriſti crucem in ſingulis vrbis turribus collocauit. Idolorū aūt delubra & aras deiecit, atq; à fundamentis ipſis eruit, nullas videlicet impietatis reliquias linquens. Atq; in media vrbe ingens ac præclarū templū Chriſto Domino excitauit, plebiq; imperauit, vt ad eū locum crebro cōmeans, Deo per crucis adorationē cultū adhiberet. Ac tunc ipſe ante omnes in mediū prodiens, intentiſſimo animo preces fundebat, omneſq; eos qui ſub ipſius poteſtate ac ditione erant, monebat, obſecrabat, nihil deniq; prætermittebat, quo ipſos à ſuperſtitioſo errore abſtraheret, atq; ad Chriſtū adiungeret: idolorum cultus fraudem atque impoſturam indicabat, Euangelii prædicationem exponebat, Dei verbi plenam indulgentiæ demiſſionē commemorabat, aduentus ipſius miracula prædicabat, crucis ſuppliciū, per quod ſalutē conſecuti ſumus, declarabat, reſurrectionis vim atq; in cælos aſcenſionē narrabat, deniq; tremendum illū diē annuntiabat ſecundi ipſius horrendi aduentus, atq; tū recondita piis bona, tū eos cruciatus qui impios ac ſceleratos manent. Hæc omnia per quam lenibus ac blandis verbis cōplectebatur. Neq; enim tā poteſtatis amplitudine ac regia magnificentia, quā moleſtia & lenitate venerationem ac terrorem ſibi cōmouere cupiebat. Quæ etiam res omnes ad eum magis pertrahebat, nimirum quod vt vita & actionibus admirandus, ita etiam animo facilis ac modeſtus eſſet. Ex quo effectum eſt, vt potentia magnum à modeſtia & manſuetudine ſubſidium nacta, omnes eo adduceret, vt ipſius verbis parerent.

Parentis in diuiſione morē gerit.

Erigit crucē in regni auſpicis.

Templum Chriſto ædificat.

Omnes ad ſe trahit.

SIQVIDEM in tam breui adeo temporis curriculo, plebs omnis ipſi ſubiecta, tam oppidani quam finitimi, diuinis ipſius ſermonibus in Chriſtiana religione inſtituebantur, ac falſum multorum deorum cultum eiurabant, & ab idolorum ſacrificiis & execrando eorum cultu ſeſe abrumpebant: atque ad fidem et totis expertem ſeſe conferebant, ipſiuſque doctrina innouati, ad Chriſtum adiungebantur. Omnes autem ſacerdotes & monachi, ac nonnulli epiſcopi, qui ob patris ipſius metum in montes & ſpeluncas ſeſe abdiderant, è latibulis ſuis exeuntes, læto animo ad eum proficiſcebantur. Ipſe verò iis qui Chriſti cauſa tantis moleſtiis & acerbitatibus, totque calamitatibus affecti fuerant, obuiā prodiens, eos honorifice excipiebat, atque in palatium ſuum introducebat, pedes ipſorum lauans, ſqualidam comam abſtergens, atque omni officii genere ipſos complectens. Poſt aūt Eccleſiā recens à ſe conſtructam dedicandam curat, atque epiſcopū quemdā, qui fidei Chriſtianæ cauſa multis ærumnis conflictatus fuerat, ſuumq; epiſcopatus thronū amiſerat, antiſtitem in eo inſtituit, virū inquam ſanctū, & eccleſiaſticorū canonum peritum, diuinoq; zelo prorſus flagrantem. Ac tū piſcina ex tempore facta, eos, qui ad Chriſtum ſeſe conuerterant, baptizari iubet. Et quidem principes ac magiſtratus primi baptizati ſunt: poſt autem, qui militaris ordinis erant, ac reliquum vulgus. Ac qui Baptiſmum ſuſcipiebant, non modo animarū ſanitatem conſequebantur, verū etiam quicūque corporis morbis & febribus laborabant, abiecta omni aduerſa valetudine, tū animo puro, tū integro corpore è piſcina reuertebantur, percepta videlicet tū animorū tū corporū ſanitate. Ob eamq; cauſam ingens hominū multitudo ad Regē Ioſaphat vndecumq; confluebat, pietatis doctrina ab eo imbui expoſcens, atq; omnia idolorum templa euertebantur, omniſq; opes ac pecuniæ in fanis reconditæ abſtrahebantur, eorumq; loco ſacroſancta templa Deo exædificabantur, opeſque illas, ingentiſq; pretii veſtes ac theſauros Rex Ioſaphat ipſis aſſignabat: vilem ſcilicet ac ſuperuacaneā illā materiā hac ratione vtilē ac fructuoſam efficiens. Execrādi porrò dæmones, qui in fanis illis & altaribus commorabantur, atrociſſimū in modū vexabantur, ac fugabantur, contramq; ſibi calamitatem audientibus multis clamabant. Atque finitima illa vniuerſa regio tenebroſa ipſorum fraude atque impoſtura liberabatur, ac Chriſtianorū fide ab omni labe ac reprehenſione liberæ luce colluſtrabatur. Siquidē ipſe quoq; Rex omnibus virtutis exemplar erat, ac permultos ad eandē voluntatē & ſententiā excitabat & inflammabat. Huiuſmodi quippe principatus atq; imperii natura eſt: ſemper enim ſubditi ad eū qui rerū potitur ſeſe cōponunt, eaq; amare ac conſectari ſolent, quibus principē delectari ſentiunt. Hinc Deo adiuuā te pietas ipſis augebatur, nouoſq; indies progreſſus faciebat, ac Rex in Chriſti mandatorū obſeruationē totus incumbebat, atq; ex ipſius charitate pendebat. Eratq; verbi gratiæ diſpenſator, ac multarū animarū gubernator, ad Dei portū eas appellens. Etenim illud exploratū habebat, omniū regiorū munerum hoc primariū & præſtantiſſimū eſſe, vt homines ad Dei metum ac iuſtitiæ cultū erudiat: quod et iā ipſe faciebat, ſeipſum videlicet ad imperio tenendas animi perturbationes comparans, ſubditoſq; ſuos admonens, atq; optimi naucleri inſtar iuſtitiæ clauum ſedulo tenens. Nā hæc demum veri regni lex ac norma eſt, nimirum voluptatibus imperare, iiſq; dominari quemadmodum ipſe etiam faciebat. Quippe nec de maiorū nobilitate, nec de regia gloria, in qua verſabatur vllo modo ſeſe efferens (quandoquidem luteum omnes generis auctorem habemus, eiuſdemque argillæ pauperes æque ac diuites ſumus) verum in humilitatis abyſſum mentem ſuam aſſidue conjiciens, futuramque beatitudinem animo & cogitatione cōplectens, inquilinum hic ſeipſum eſſe ducebat, ea autem propria eſſe ſtatuebat, quibus poſt huius vitæ peregrinationem frueretur. Cū autem hæc præclare geſſiſſet, atque omnes quibus præerat, à veteri atque à patribus tradito errore liberaros, eius qui nos pretioſo ſuo ſanguine ex mala ſeruitute redemit, ſeruos effeciſſet, poſtea id animo agitare cœpit, vt benefi ētiæ ac largitionis virtutem excoleret. Nam temperantiam quidem ac iuſtitiā numeris iā omnibus abſoluerat, vt qui & tēperantiæ corona redimitus, & iuſtitiæ purpura conueſtitus eſſet. Illud igitur animaduertebat, terrenarū opū incōſtantiā profluentium

Qui ſe abdiderant, prodeunt.

Ab epiſcopo curat ſe dicari eccleſiam.

Sanantur baptizati a morbis in firmitate.

Dæmones lugent.

Subditi principes imitari ſolēt.

Quodnam præcipuum regis munus ſit.

Voluptatibus imperādum docet.

Pecuniaſs in pauperes diſtribuit. profluentium aquarum curſum imitari: quocirca illic eas recondere properabat, vbi neque tinea neque rubigo demolitur, nec fures effodiunt ac furantur, itaque ſine vlla parſimonia pecunias omnes in pauperes diſtribuere cœpit. Illud enim perſpectum habebat, ei, qui ad ingentem potentiam peruenerit, curandum eſſe, vt eum, cuius beneficio potentiam conſecutus ſit, pro viribus imitetur.

Hac porrò ratione eum ad Dei imitationem acceſſurum eſſe, ſi nihil miſericordia potius atque antiquius ducat. Quamobrem pietatis opes, quæ & hic futuræ voluptatis ſpe animum oblectant, & illic ſperatæ beatitudinis fructu animum exhilarant, ſuper aurum & lapidem pretioſum ſibi aggerebat. Poſtea carceres ſuos perſcrutans, tum iis qui ad metalla damnati erant, tum iis qui à creditoribus ſtrangulabantur, ac denique omnibus omnia copioſe ſubminiſtrabat. Orphanorum omnium & viduarum ac pauperum pater erat, indulgens inquam ac benignus pater, atque ita comparatus, vt ſeipſum beneficio afficere exiſtimaret, cum in eos beneficii aliquid conferret. Nam cum animo liberaliſſimo ac verè regio præditus eſſet, egentibus omnib. affatim tribuebat, quod ſcilicet infinitis partibus maiorem mercedem hinc ſperaret, cum tempus illud aduenisset, quo merces actionibus rependenda eſſet.

Cvm autem huiuſmodi ipſius fama breui quaquauerſum ſparſa eſſet, omnes ad eum tamquam aliquo vnguenti
Dan. 7. odore concitati, quotidie confluebant, vt tum corporum tum animarum paupertatem excuterent, atque ipſe omniAugetur domus eius, & patris decreſcit. bus in ore erat. Neque enim terror ac tyrannica vis populum pertrahebat, verum deſiderium ac ſincerus erga eum amor, qui quidem diuinitus atque ex præſtantiſſima ipſius vitæ ratione in omnium animis inſitus erat. Tum igitur, tum inquam ii quoque, qui ſub patris ipſius imperio erant, ad eum potius ſeſe adiungebant, omnique abiecto errore veri-
2. Reg. 3. tatem prædicabant. Ac domus quidem Ioſaphat creſcebat & inualeſcebat, domus autem Abenner decreſcebat ac debilitabatur, quemadmodum ſcilicet de Dauide ac Saule in Regum libro proditum eſt.

Rex Abenner reſipiſcit. Hæc Rex Abenner conſpiciens, tandem aliquando recepta mente, falſorum deorum ſuorum atque inanis impoſturæ imbecillitatem condemnauit. Ac rurſum coactis ſenatorii ordinis principibus, quæ ipſe in animo haberet, in
Luc. 1. lucem protulit. Omnibus autem eadem confirmantibus (viſitarat enim eos Oriens ex alto, hoc eſt, Saluator, exaudita videlicet famuli ſui Ioſaphat oratione) Rex de his rebus filium certiorem faciendum eſſe cenſuit. Itaque poſtridiè epiſtolam ad eum ſcribit, hoc exemplo:

Regis ad filium epiſtola. Rex Abenner chariſſimo ſuo filio Ioſaphat ſalutem.

Cogitationes multæ, ô chariſſime fili, animum meum ſubeuntes, eum grauiſſimè conturbant. Etenim noſtra omnia inſtar fumi deficere atque euaneſcere, ac contra religionem tuam ſole clarius fulgere conſpiciens, ea quæ à te mihi dicta ſunt, vera eſſe ſenſi: quodque denſæ ſcelerum & impietatis tenebræ nos ita obruebant, vt in veritatē oculos conicere, atque omnium rerum parentem & architectum agnoſcere minime poſſemus, verum lucem vſque adeò ſplendidam abs te nobis demonſtratam, occluſis de induſtria oculis perſpicere recuſaremus, atque te multis malis afficeremus, & (ô me miſerum!) haud paucos Chriſtianos crudelem in modum trucidaremus: qui quidem inuicta potentia ipſis opem ferente corroborati, ad extremum vſque ſpiritum aduerſum immanitatem noſtrā dimicarunt. Nūc vero detracta ex oculis noſtris craſſa illa caligine, exiguum quemdam veritatis radium cernimus, priorumque vitiorū pœnitudo animum ſubit. Verum hunc quoque ſplendorem alia horrendæ deſperationis nubes exoriens opprimere atque extinguere conatur, mihi videlicet peccatorum meorum multitudinem ob oculos proponens, quodque iam ego Chriſto odio atque execrationi ſum, eaque in cauſa, vt iam ab ipſo recipi nequeam, vt qui aduerſus eum rebellarim, ipſique bellum indixerim. Quid igitur ſpe, ô ſuauiſſime fili, ad hæc dicas, fac quamprimum ſciam, ac quid mihi patri tuo faciendum ſit doce, atque ad eius, quod in rem meam futurum ſit, cognitionem me tanquam porrecta manu, fac ducas. Vale.

Procumbit ad imaginē Chriſti Ioſaphat. Hanc epiſtolam cum Ioſaphat accepiſſet, quæque in ea continebantur legendo peragraſſet, voluptate ſimul & admiratione animus ipſius impletus eſt. Atque in cubiculum ſuū confeſtim ingreſſus, & ante Dominicam effigiem in faciem abiectus terram lacrymis perfundebat, ſimul & Domino gratias agens, & ad ipſius laudationem exultationis labia mouens, hiſque verbis vtens:

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Magnus es Do-
Pſal. 144. mine, & laudabilis valde, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Et quis loquetur potentias tuas? auditas faciet omnes lau-
Gratiarum actio pro patris conuerſione. des tuas? Qui conuertiſti petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. En enim etiam rupes hæc, ac rupe durius patris mei pectus, tua volūtate ceræ inſtar emollitum eſt. Potes enim etiam ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Gratias tibi ago, benigne Domine ac Deus miſericordiæ: quoniam in peccatis noſtris lenitate viſus es, atq; etiamnum
Pſal. 105. vteris, & ad hunc vſque diem impunitos nos reliquiſti. Nam nos quidem iam pridem à tua facie abiici merebamur, at-
Pſalm. 113. que in hac vita publica infamia notari, quemadmodum ſcelerati illi Pentapolitæ, qui igni ac ſulphure conflagrarunt. At patientia & incomparabilis lenitas tua benignè nobiſcum egit. Gratias tibi ago indignus ego ac deſpicabilis, etiamſi benignitati tuæ laudandæ ac celebrandæ impar ſum. Ac te Domine Ieſu Chriſte, inuiſibilis Patris Fili ac Verbum, qui
Matth. 3. omnia verbo produxiſti, ac voluntate tua contines & tueris, qui in ligno extenſus es, ac fortem vinxiſti, iiſque qui ab
Baſil. libr conſt. cap 1 eo vincti tenebantur, ſempiternam libertatem attuliſti, te inquam per miſerationes tuas obteſtor, vt nunc quoq; inuiſibilem & omnium rerum effectricem manum tuam extendas, ac ſeruum tuum & patrem meum ex graui illa dia-
Geneſ. 19. boli captiuitate prorſus liberes, teque ſempiterna vita præditum, & verum Deum ac ſolum immortalem & æternum
Matth. 12. Regem eſſe apertiſſimè ipſi oſtendas. Contritionem quæſo animi mei propitio ac placido oculo aſpice, ac pro ea tua pollicitatione, in quam mendacium non cadit, à meis partibus ſta, qui te rerum omnium effectorem, conditorem, &
Ioan. 4. gubernatorem confiteor & agnoſco. Fluat in me ſaliens aqua tua, deturque mihi ſermo in apertione oris, ac mens
Epheſ. 6. in te angulari lapide rectè defixa: vt ego inutilis ſeruus tuus patri meo incarnationis tuæ myſterium, vti par eſt, exponere, atque à vano peſtiferorum dæmonum errore per potentiam tuam ipſum abducere, tibique Deo ac Domino, qui
Ezech. 18. non vis mortem peccatorum, ſed eorum reſipiſcentiam ac pœnitentiam exſpectas, conciliare queam. Quoniam tu glorioſus es in ſæcula ſæculorum.

Cvm ad hunc modum oraſſet, atque hoc ſibi perſuaſiſſet, ſe voti ſui compotem futurum, Chriſti miſericordia
Ad patrem proficiſcitur. fretus, illinc cum regio ſatellitio exceſſit, atque ad patris palatium ſeſe contulit. Vt autem pater de filii aduentu certior factus eſt, ſtatim obuiam ei prodit, atque ipſum complectitur & exoſculatur, deque ipſius aduentu maxima voluptate afficitur, publicumque ac ſollemne feſtum celebrat. Quid autem poſtea? Remotis arbitris vna conſident. Et
Pater eum excipit. quis tandem eos ſermones, quos tum filius ad Regem habuit, & quanta cum ſapientia diſſeruit, vlla oratione complecti queat?

Qvid enim aliud loquebatur, quam quæ ipſi à diuino Spiritu, per quem piſcatores vniuerſum mundum Chriſto irretierunt, & literarum expertes eruditis viris doctrina præſtiterunt, inſtillabantur? Per eius gratiam ipſe quoque eruditus & inſtructus, ad Regem verba faciebat, ſcientiæ luce eum colluſtrans. Ac prius quidem, cum vt patrem à ſuperſtitioſo errore abſtraheret, diu multumque laboraſſet, nihil non dicens aut faciens, quo ipſius animum ad ſe alliceret, fruſtra tamen canere ac ſurdo loqui videbatur. At cum Dominus afflictionem ſerui ſui Ioſaphat inſpexit, atq; ex-
Pſal. 144. auditis ipſius precibus clauſas patris ipſius ianuas patefecit, (voluntatem enim, inquit ille, timentium ſe faciet, & de-

precationem

precationem eorum exaudiet.) tum denique Rex ea quæ dicebantur, facile intelligebat, adeò vt opportunum tempus nactus filius, per Chriſti gratiam aduerſus improbos ſpiritus, qui patris animo dominabantur, victoriam adipiſceretur, ipſumque illorum errore atque impoſtura omni ex parte liberaret, ſalutaremque doctrinam perſpicuè ipſi traderet, ac cœleſti & viuo Deo ipſum conciliaret.

Quam rationem tenuerit Ioſaphat in erudiendo patre.

Principio enim altius exorſus, ipſi magnas & admirandas res, quas prius nec intellexerat, nec cordis auribus perceperat, annuntiauit. Etenim longam ad eum de Deo orationem habuit, piamque doctrinam ipſi oſtendit: (nempe, quod non ſit alius deus ſurſum, præter vnum Deum, qui in Patre & Filio ac Spiritu Sancto agnoſcitur:) ac multa item Theologiæ arcana ipſi aperuit. Poſteaque etiam ea, quæ ad rerum conditarum tam inuiſibilium quàm viſibiliũ procreationem attinebant, expoſuit: nimirum in quo pacto ſummus ille parens & opifex rebus omnibus ex nihilo productis, hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam effinxerit, ipſumque arbitrij libertate donatum, eorum quæ in paradiſo pulchra erant, participem fecerit, vnius tantum arboris guſtu ipſi interdicto, hoc eſt ligni ſcientiæ. Quo quidem mandato violato, eum è paradiſo exterminauit. Vnde & ipſe, & vxor, eâ quam cum eo habebant coniunctione lapſi, in hos multos errores inciderunt, peccato videlicet in ſeruitutem addicti, mortique per diaboli tyrannidem obnoxij effecti. Qui quidem hominibus ſemel in poteſtatem ſuam redactis, hoc egit, vt Dei ac Domini obliuione prorſus caperentur: ipſiſque perſuaſit, vt per execrandam idolorum adorationem ſibi cultum adhiberent.

Lapſus Adami.

At verò Deus creator noſter miſeratione commotus, benigna Patris voluntate ac Spiritus Sancti adiunctâ operâ, ex Virgine ſanctâ noſtri inſtar in lucem edi voluit: cumque cruciatu affectus fuiſſet, is qui à perpeſſione immunis erat, triduo poſt à morte ad vitam excitatus, nos à priori mulcta & condemnatione liberauit, præſtantiorique gloriâ donauit. Siquidem in cœlum aſcendens, ſimul nos eò vnde deſcenderat, euexit. Quem etiam rurſus venturum credimus, vt figmentum ſuum ad vitam reuocet, atque vnicuique ſecundum ipſius opera reddat. Poſtea de illo cœlorũ regno, quod eos qui id promerentur manet, verba fecit, atque arcana illa bona, reconditamque item improbis pœnam propoſuit, nimirum ignem nunquam extinguendum, exteriores tenebras, immortalem vermem, cæteraq; tormentorum genera, quæ peccati ſerui ſibiipſis recondiderunt. Hæc omnia quamplurimis ſermonibus, ac Spiritus Sancti gratiam abunde ipſi ineſſe teſtantibus, proſecutus, tum demum inperueſtigabile diuinæ benignitatis pelagus enarrauit, quamque ille eorum, qui ad eum ſeſe conuertunt, pœnitentiam libenter exſpectet, quodque nullum ſcelus ſit, quod ipſius miſericordiam ſuperet, ſiquidem ad meliorem frugem redire in animum inducamus. Quod cum multis exemplis ac Scripturæ teſtimoniis declaraſſet, orationi finem impoſuit.

XXXV. Rex autem diuinitus traditâ hac ſapientiâ compunctus, ingenti voce ac feruentiſſimo animo Chriſtum Saluatorem confitetur, atque ab omni ſuperſtitioſo errore abſcedit, viuificæque crucis ſignum inſpectantibus omnibus adorat, & audientibus omnibus Deum verum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum prædicat. Atq; commemoratâ priori ſuâ impietate, & aduerſus Chriſtianos crudelitate & immanitate condemnata, ingens ad pietatem portio efficitur. Extabatque id, quod à Paulo dictum eſt. Vbi abundauit iniquitas, illic & ſuperabundauit gratia. Cùm igitur ſapientiſſimus Ioſaphat etiam ad rei militaris duces & ſatrapas, atque ad omnem denique populum de Deo atq; erga ipſum pietate multa verba faceret, & quaſi ignea lingua præclarum aliquid ac modulatum caneret, ſuperueniens Spiritus Sancti gratia omnes ad celebrandam Dei gloriam excitabat: ita vt vniuerſa multitudo vnâ voce clamaret: Magnus Chriſtianorum Deus eſt, nec præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu Sancto glorificatur, alius Deus eſt.

Rex Abenner inſpectãtibus omnibus ſignum crucis adorat.

Rom. 5.

Diuino porrò zelo impletus Rex Abenner, in aurea illa & argentea idola, quæ in ipſius palatio erant, acri animo impetum facit, eaque omnia deiicit, poſteaque in minutas partes redacta, pauperibus diſtribuit: ſic nimirum vtilia ea reddens, quæ prius vtilitate omni ac fructu carebant. Quin etiam ipſe cum filio idolorum templa & aras omnes obſidens, à fundamentis ipſa eruit, eorumque loco templa Deo extruait. Nec verò in vrbe dumtaxat, ſed etiam in tota regione eandem operam ſedulo nauabant. Peruerſi autem ſpiritus, qui in aris domicilium habebant, cum vlulatu pellebantur, inuictamque Dei noſtri potentiam tremulo clamore teſtabantur: omniſque vicina regio, ac multæ item finitimæ gentes ad piam fidem ſeſe conferebant. Tum igitur, cum diuiniſſimus ille Epiſcopus, de quo ſuperius verba fecimus, acceſſiſſet, Rex Abenner fidei Chriſtianæ elementis imbuitur, ac diuino Baptiſmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, perfi itur. Ac Ioſaphat ex diuina piſcina ipſum excipit: res ſanè omnium maximè noua. Patris enim pater exiſtit: & ei, à quo carnali modo progenitus fuerat, ſpiritualem regenerationem conciliat. Etenim cœleſtis Patris filius erat, diuinæque profecto radicis diuiniſſimus fructus; radicis, inquam illius, quæ clamat: Ego ſum vitis, vos palmites.

Idola euertit.

Templa Deo ædificat.

Baptizatur.

Filius patris patrinus.

Ioan. 15.

Ad hunc modum Rex per aquam ac Spiritum regeneratus, eiuſmodi voluptate, quæ nulla oratione explicari poteſt, afficiebatur: ſimulque etiam cum ipſo vniuerſa ciuitas ac finitima regio diuino Baptiſmate donabatur, luciſque filij exiſtebant, qui prius in tenebris verſabantur. Atque omnis morbus, & omnis à dæmonibus inuecta calamitas procul ab iis, qui fide præditi erant, propellebatur, omneſque tum animis tum corporibus integri atque incolumes erant. Multaque item alia miracula fidei confirmandæ cauſa edebantur, eccleſiæ etiam ædificabantur, & epiſcopi qui metu delitelcebant, in lucem prodibant, ſuaſque Eccleſias recipiebant. Ac præterea alij, tum ex ſacerdotum, tum ex monachorum ordine, ad paſcendum Chriſti gregem inſtituebantur. Porrò Rex Abenner ad hunc modum ab improba & flagitioſa vitæ ratione ſeſe remouens, ac de perpetratis ſceleribus pœnitentiam agens, regium omne imperium filio tradit, ipſe autem in ſolitudine degens, caputque cinere ſine vlla intermiſſione aſpergens, & graues gemitus edens, ac ſeſe lachrymis abluens, ſolus cum eo ſolo qui vbique præſens eſt, colloquebatur, noxarum ſuarum veniam ab eo petens. Quin in tantam compunctionis atque humilitatis abyſſum ſeſe demiſit, vt ipſum quoque Dei nomen labiis vſurpare recuſaret, ac vix tandem à filio admonitus, illud pronuntiare auderet. Tanta autem ac tam præclara in eo vitæ commutatio fuit, ac tanta cum laude virtutis iter tenuit, vt priorum iniquitatum ignorantiam pietatis magnitudine ſuperaret. Cùm autem quatuor annos hoc pacto in pœnitentia & lachrymis atque omni virtutis genere tranſegiſſet, in lætalem morbum incidit. Cum autem ipſi vitæ finis immineret, in metu animique anxietate verſari cœpit, mala ea quæ à ſe perpetrata fuerant, in memoriam reuocans. At Ioſaphat conſolatoria oratione coortum ei mœroris onus ſubleuauit, his verbis vtens: Quare triſtis es ô pater, & quare teipſum conturbas? Spera in Deo, & confitere ipſi, qui eſt ſpes omnium finium terræ, & in mari longè, qui per Prophetam clamauit: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: diſcite benefacere. Et ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, tanquam lana alba erunt. Quocirca ne timeas, ô pater, nec dubio animo ſis, neque enim eorum qui ad Deum ſeſe conuertunt, peccata, immenſam ipſius bonitatem vincunt. Illa enim quocunque tandem numero fuerint, ſub menſuram cadunt: hanc autem nec metiri nec numerare quiſquam poteſt. Quocirca fieri non poteſt, vt quod menſuræ ſubiicitur, id, quod nulla menſura comprehendi poteſt, ſuperet.

Rex agit pœnitentiam.

Satisfactionis opere priora peccata compenſauit.

Ioſaphat patrem conſolatur.

Pſal. 41.

Pſalm. 64.

Iſai. 1.

Huiuſmodi verbis ad conſolandum accommodatis, ipſius animum leniens, ac velut excantans, eum ad bonam ſpem reuocauit. Deinde Pater extenſis manibus gratias ipſi agebat, ac bene precabatur, diemq; eum, quo ipſe in lu-

Pater Deo & filio gratias agit. in lucem editus eſſet, laudibus efferebat, his verbis vtens: Dulciſſime fili, fili, inquam, qui non tam meus es quàm cœleſtis Patris, quamnam tibi gratiam referam? quibus te benedictionibus proſequar? quas Deo tua causâ gratias agam? Perieram enim, ac tuâ operâ inuentus ſum: peccato mortuus eram, & reuixi, hoſtis & perduellis Dei, & in gratiam
Luc. 15. receptus ſum. Quid igitur tibi pro his omnibus rependam? Deus eſt, qui ſatis amplis præmiis te remunerari queat.
Pſal. 30. Hoc ſermone habito, cùm charisſimum filium ſæpius exoſculatus fuiſſet, ac deinde preces fudiſſet, atque, In manus
Moritur Abenner Rex. tuas, o benigne Deus, commendo ſpiritum meum, dixiſſet, in pœnitentia animam ſuam Domino reddidit.

Cum cilicio ſepelitur. Filius autem Ioſaphat patrem mortuum lachrymis proſecutus, iuſtisque ipſi perſolutis, corpus eius in piorum virorum ſepulcris condidit. Nec tamen ipſius corpus regiâ veſte obuoluit, ſed pœnitentiæ veſtimentis exornauit. Atque ipſe in ſepulcro ſtans, ac manus in cœlum tendens, lachrymasque ex oculis fluuij inſtar profundens, his verbis ad Deum clamauit:

Oratio Ioſaphat pro patris anima. Gratias tibi ago Deus Rex gloriæ, qui ſolus potens & immortalis es, quoniam orationem meam minime deſpexiſti, nec lachrymas meas pro nihilo duxiſti: verùm ſeruum tuum ac patrem meum à ſcelerata viuendi ratione auocarum, ad te omnium Saluatorem pertrahere voluiſti, eum videlicet ab idolorum errore abducens, atq; ipſi hoc donans, vt te Deum verum ac benignum intelligeret. Ac nunc, ô Domine Deus, cuius bonitatis pelagus peruestigari nequit, in loco paſcuæ, in loco refectionis, vbi vultus tui lux ſplendet, eum colloca: nec antiquarum ipſius iniquitatum recordare, ſed pro ingenti tua miſericordia peccatorum ipſius chirographum dele, ac debitorum ipſius chartas conſcerpe, ſanctosque tuos, quos & igne & gladio de medio ſuſtulit, cum ipſo in gratiam reduc, eisque ne ipſi in-
Pſal. 78. fenſos & iratos ſeſe præbeant, impetra. Omnia quippe tibi omnium Domino poſſibilia ſunt, hoc vno excepto, quod
Deo impoſſibile eſt pœnitentium nō miſereri. quin te eorum qui ſeſe ad te conuertunt, miſereat, facere non potes. Miſericordia enim tua in omnes diffuſa eſt, atque iis à quibus inuocaris, ſalutem affers, Domine IESV CHRISTE, quoniam decet te gloria in ſæcula, Amen.

Septem dies ieiunat pro anima patris. Huiuſmodi preces & orationes Deo offerebat, ſeptem dies à ſepulcro omnino non diſcedens, nec cibi quidquam aut potus admittens, nec rurſus ſomno corpus recreans, verùm & lachrymis ſolum rigans, & cum luctibus omnem orationis facultatem ſuperantibus in oratione perſtans. Octauo autem denique die in palatium reuerſus, opes omnes ac pecunias pauperibus diſtribuit: adeò vt nullus iam qui rerum inopia premeretur, ſupereſſet. Paucisq;
Pſal. 141. diebus in huiuſmodi miniſterio exactis, omnes theſauros exhauſit: id videlicet agens, ne anguſtam portam introire paranti pecuniarum moles impedimentum afferret.

Obſeruat memoriam obitus patris. Oratio Ioſaphat. AT verò quadrageſimo à paterni obitus die memoriam ipſius celebrans, magiſtratus omnes ac militaris claſ- XXXVI.
ſis & plebeij ordinis haud paucos conuocat: atque in regio throno ſedens, cunctis audientibus hanc orationem habuit: En, vt ipſi cernitis, Abennet Rex ac pater meus, haud ſecus ac pauperum quiuis mortem obiit. Ac nec diuitiæ, nec opes, nec regia gloria, nec rurſum ego patris amantiſſimus filius, nec reliquorum ipſius amicorum ac cognatorum quiſquam opem ipſi & auxilium adferre, atque ab ineuitabili ſententia ipſum eximere potuit: verùm ad illud tribunal, vt præſentis vitæ rationem reddat, proficiſcitur, neminem omnino, qui ipſi opituletur, ſecum ducens, iis duntaxat exceptis (quæcunque tandem illa fuerint) quæ ab eo geſta ſunt. Hoc autem ipſum quoque omnibus qui mortalem naturam nacti ſunt, contingere naturâ comparatum: neque aliter fieri poteſt. Nunc igitur audite me, ô filij ac fratres, plebs Domini, & ſancta hæreditas, quos Chriſtus Deus noſter pretioſo ſanguine ſuo redemit, atque à veteri errore, & aduerſarij ſeruitute in libertatem vindicauit. Vos meam inter vos vitæ rationem noſtis: nempe quod, ex quo tempore Chriſti cognitionem conſecutus, diuinoq; beneficio ipſius ſeruus effectus ſum, omnibus aliis rebus cōtemptis atque odio habitis, ipſius duntaxat cupiditate flagraui, idq; vnum mihi in votis fuit, vt ex huius vitæ tempeſtate, atque inani perturbatione ac tumultu egreſſus, ſolus cum ipſo ſolo conſuetudinem haberem, atq; in ſumma animi tranquillitate Deo meo ac Domino ſeruirem. Verùm me patris mei in diuerſum nitentis voluntas retinuit, præ-
Deut. 5. ceptumq; illud, quod patribus honorem haberi iubet. Vnde Dei gratiâ & adiumento incaſſum minimè laboraui, nec huiuſmodi dies fruſtra conſumpſi: verùm & illum, & vos omnes, Deo conciliaui, eumq; ſolum Deum verum, ac rerum omnium Dominum cognoſcere docui, non quidem ego iſtud faciens, ſed gratia Dei mecum, qui me etiam è ſuperſtitioſo errore, atq; idolorum cultu eripuit, ac vos, ô plebs mea, graui & acerba captiuitate liberauit. Iam igitur
Vota perſoluere geſtit. tempus eſt, vt ea quæ Deo pollicitus ſum, expleam. Tempus inquam, eſt, vt, quo ipſe me ducet, proficiſcar, eaq; vota, quibus me ipſe obſtrinxi perſoluam. Nunc itaque vobiſcum ipſi conſiderate, quem vobis præeſſe, ac regnum obtinere velitis. Iam enim in Domini voluntate perfecti eſtis, nec quidquam ex ipſius præceptis vobis occultum eſt. In his ambulate, nec vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinate. Ac Deus pacis velim ſit cum omnibus vobis.

Hæc vt plebs audiuit, tumultus ſtatim ac ſtrepitus, ingensq; clamor & confuſio exorta eſt, plorantib. omnibus, atque orbitatem ſuam deplorantibus. Quin etiam præter luctus & eiulatus illud etiam iureiurando affirmabant, ſeſe illum minimè dimiſſuros, ſed retenturos, nec ſecedendi poteſtatem vllo modo ipſi facturos. Sic clamante populo, atque omnibus magiſtratibus, excipiens Rex populares compeſcit, ſilentiumque ipſis imperat, ſeque illorum contentioni cedere atque obtemperare aſſerens, eos, quamuis alioqui mœrentes atque eiulatus ſigna in genis ferentes,
Ioſaphat Barachiæ regnū offert domum remittit. Ipſe autem vnum ex principibus, quem ipſe tum pietatis tum vitæ ſanctitatis nomine pluris omnibus faciebat, admirationeq; ſe proſequebatur, hoc eſt Barachiam, cuius etiam ſuperius, cum Nachor Barlaamum ſe eſſe ſimulans cum Philoſophis diſputauit, verba fecimus, quemque ſolum zelo diuino penitus flagrantem ab ipſius partibus ſtetiſſe, atque ad diſputationem aduerſus illos ineundam paratum fuiſſe diximus) hunc inquam, remotis arbitris aſſumptum, blandè ac leniter allocutus eſt, obnixisque precibus, vt regnum acciperet, atque in timore Dei plebem ſuam regeret, obſecrabat, quo ipſe ad expetitum iter ſe accingeret.

Vt autem eum renuentem, atque iſtud omnino repudiantem vidit, hiſque verbis vtentem: O Rex, quàm iſtud tuum iudicium iniquum eſt, quàm tuus ſermo diuino mandato parum conſentaneus. Nam cum proximum non ſecus ac teipſum amare docearis, quâ tandem ratione ſarcinam eam, quam tu abiicere ſtudes, mihi imponere feſtinas? Nam ſi regio munere fungi bonum eſt, ipſe quod bonum eſt, retine. Sin autem offendiculum iſtud ac ſcandalum animi eſt, quod mihi illud obiicis, ac me in fraudem inducere cupis? Vt inquam, eum his verbis vtentem & aſſeuerantem vidit, cum eo quidem colloqui deſtitit: ipſe autem intempeſtâ nocte epiſtolam ingenti ſapientia plenam, atq; ad
Relinquit epiſtolam. Clam fugit. omne pietatis genus impellentem, ad populares ſuos exarat, nempe quam de Deo ſententiam tenere, quam ipſi vitam, quas laudes, quas denique gratiarum actiones offerre deberent, præſcribens. Ac poſtea, ne quenquam alium præter Barachiam ad regiam dignitatem admitterent, prohibebat. Hac epiſtola in cubiculo ſuo relicta, inſcientibus omnibus egreditur. Nec tamen efficere potuit, vt ipſius diſceſſus ad extremum vſque incognitus eſſet. Nam ſimul atque illuxit, ea res audita perturbationem ac luctum plebi attulit, omnesque ſumma celeritate ad eum inueſtigandum perrexerunt, ipſius fugam omni ratione occupare cogitantes. Quo etiam factum eſt, vt ſtudium ipſius fruſtra minime ceſſerit. Nam cum itinera omnia occupaſſent, ac montes omnes obſediſſent, inuiasque valles peragraſſent, in torrente quodam ipſum manus in cœlum tendentem, ac ſextæ horæ precationem perſoluentem inuenerunt.
Ioſaphat ex eorū manibus

Con-

Conſpecto autem eo, circumfuſi ſtatim, cum lachrymis eum obſecrabant, ac diſceſſum ipſi obiectabant. At ille: Quid, inquit, inanem laborem ſuſcipitis? Nec enim eſt, quod vos me Regem vltra habituros eſſe ſperetis. Nihilo ſecius tamen eorum ingenti contentioni cedens, ad palatium reuertitur, coactiſque in vnum omnibus, quid in animo haberet, declarauit, ac poſtea interpoſito etiam iureiurando ſermonem confirmauit, nempe ſe poſthac ne vnum quidem diem cum ipſis fore: Ego enim, inquit, meo erga vos miniſterio perfunctus ſum, nec quidquam prætermiſi, nec ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis, ac docerem teſtificans omnibus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fidem, ac pœnitentiæ viam oſtendens. Ac nunc ego viam hanc ineo, quam iam pridem expetebam, nec vltra faciem meam quiſquã veſtrûm videbit. Quapropter, vt diuini Apoſtoli verbis vtar, conteſtor vos hodierno die, ꝙ mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrûm. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis conſiliũ Dei.

orationem ſextæ horæ perſoluens inuentus. Reuertitur.
Actor. 20.

Hæc illi audientes, ac ſententiæ ipſius firmitatem exploratam habentes, nempe quod eum à ſuſcepto cõſilio reuocare minime poſſent, orbitatem quidem ſuam deplorabant, nec tamen vllo modo eum de ſententia deducebant. Tum autem Rex Barachiam illum, de quo ſupra locuti ſumus, manu tenens: Hunc, inquit, ô fratres, hunc vobis Regem creo. Cumq́; ille eiuſmodi rei vehementer obluctaretur, inuitum eum ac repugnantem in regio throno collocat, ipſiuſq́; capiti diadema imponit, atq; annulum regium ipſi in manum præbet. Atq; ad Orientem ſtans, pro Rege preces fudit, hoc videlicet à Deo poſtulans, vt Dei fidem conſtanter teneret, ac Chriſti mandatorum iter ab omni flexu alienum inueniret. Ad hæc pro clero etiam atque vniuerſo grege precatus eſt, opem videlicet & auxilium ac ſalutem ipſis à Deo petens, atque vt quidquid ipſi poſtularent, ad vtilitatem moderaretur.

Barachiam Regem conſtituit.

Hac oratione habita, conuerſus ad Barachiam, ait: En tibi frater, hoc præcipiam, quod Apoſtolus teſtatus eſt: Attende tibiipſi, & vniuerſo gregi, in quo te Spiritus Sanctus Regem poſuit, vt Chriſti populum, quem proprio ſanguine acquiſiuit, regas. Et quemadmodum Deum ante me cognouiſti, eumque puro animo & conſcientia coluiſti, ita nunc quoque maiori ſtudio in hoc incumbe, vt ipſi vitæ tuæ rationes probes. Qui enim maius à Deo imperium conſecutus es, eò quoq; maiora ipſi rependas oportet. Ac proinde gratitudinis debitum ei, cuius beneficiis auctus es, perſolue, ſancta ipſius præcepta cuſtodiens, atque ab omni via in exitium ducente deflectens. Vt enim in iis qui nauigant, cum nauta quiſpiam peccat, exiguum iis qui ſimul nauigant, detrimentum affert; cum autem gubernator, vniuerſæ naui exitium acceſſit: ita etiam in regno víu venit, vt cum quiſpiam eorum, qui ſubſunt, peccat, non tam alium, quàm ſeipſum lædat, ſin autem Rex ipſe peccet, totum regnum labefactat ac detrimento afficit. Quapropter, vt ingentes rationes redditurus, ſi quid eorum quæ opus ſint, prætermiſeris, magno ſtudio, magnaq́; cura teipſum in bono cuſtodi: voluptatem omnem ad peccatum te pertrahentem odio inſectare. Ait enim Apoſtolus: Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum. Rerum humanarum circulum animaduerte, quo pacto videlicet in orbem voluatur, alias atque alias, alio atque alio modo eas ferens ac torquens: illudq́; ſtude, vt in varia earum mutatione pium animum conſtanter retineas. Siquidem vnà cum rebus commutari, dubiæ atque inſtabilis mentis argumentum eſt. Tu verò fac in virtute firmus ſis, ac proſus ſtabilitus. Ob temporariam & caducam gloriam inani tumore minimè inſoleſce: verum repurgato animo naturæ tuæ vilitatem cogita, vitæque huius breuitatem atque adiunctam carni mortem cogita. Hæc enim ſi conſideres, in ſuperbiam haudquam incides, ſed Deum verum ac cœleſtem Regem metues, ſicque præclarè ac feliciter tecum agetur. Beati enim, inquit ille, omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Ac rurſum: Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Quæ iam autem præ cæteris præcepta tibi ſeruanda ſint, audi: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur. Ac rurſum: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Hoc enim præceptum ab iis potiſſimum expoſcitur, qui in ſummo imperio conſtituti ſunt.

Oratio Ioſaphat ad Barachiam.
Actor. 20.
Simile à naucleris.
Hebr. 12.
Pſal 127.
Pſal. 111.
Luc. 6.

Ac ſanè qui magnam potentiam nactus eſt, eum à quo huiuſmodi potentiam accepit, pro viribus imitari debet. Hac porrò te Deum maximè imitabitur, ſi miſericordia nihil potius antiquiusq́; habeat. Huc accedit, quod ſubditos nihil æquè ad beneuolentiam allicit, vt beneficij gratia egentibus conceſſa. Nam obſequium illud quod ex metu oritur, adumbrata eſt adulatio, per fictam honoris vocabulum eos qui animum ipſi adiiciunt, ludificans ac circumſcribens. Atq; is, qui inuito animo paret, oblatâ occaſione ſeditionem excitat: qui autem beneuolentiæ vinculis conſtrictus tenetur, firmam ei qui rerum potitur obedientiam præſtat. Quæ cùm ita ſint, da operam, vt egentibus facilis ad te acceſſus ſit, iiſque qui inopiâ conflictantur, aures tuæ pateant, vt tu quoq; apertas Dei aures inuenias. Nam quales noſipſos conſeruis præbuerimus, talem etiam erga nos Dominum nanciſcemur, & quemadmodum audierimus, audiemur; & quemadmodum viderimus, à diuino & omnium rerum conſpectore oculo videbimur. Quamobrem ante miſericordiam conferamus, vt ſimile per ſimile recipiamus.

Deum maxime imitatur miſericors.
Quales erga alios, talis erga nos Deus.

Qvin etiam aliud quoque præceptum cum ſuperiore iſto coniunctum, ipſiq́; cognatum audi: Dimittite, & dimittetur vobis. Quòd ſi non remiſeritis hominibus delicta ipſorum, nec Pater veſter cœleſtis peccata veſtra vobis remittet. Ob idq́;, ne iis à quibus offenſus fueris, iniuriæ memorem te præbeas: verùm cùm ipſe peccatorum tuorum veniam poſtules, iis etiam qui in te peccant, ignoſce. Remiſſioni enim remiſſio rependitur: & ſi cum noſtris conſeruis in gratiam redeamus, Dominus quoq; ſuam in nos iracundiam comprimet. At contra noſtra aduerſus eos, qui aliquid in nos admiſerunt, ſæuitia hoc efficit, vt peccatis noſtris nulla venia tribuatur. Quemadmodum audis, quidnam illi qui decem talentorum millia debebat, acciderit, nempe quod ob ſuam in conſeruum crudelitatem, tanti debiti exactionem ſibiipſi renouarit. Quare magnopere nobis prouidendum eſt, ne hoc quoq; nobis víu veniat. Quin potius debitum omne remittamus, atq; omnem iram è pectore eiiciamus: vt nobis quoq; multa noſtra debita remittantur. Præter hæc omnia, ac præ omnibus rebus bonum depoſitum cuſtodi, hoc eſt piam fidei doctrinam, in qua inſtitutus & eruditus es. Illudq́; caue, ne vllum hæreſis zizaniũ in vobis enaſcatur: verùm purum ac doli expers diuinum ſemen conſerua, vt vberem atq; amplam ſegetem Domino exhibeas, cùm ad expoſcendam rerum ab vnoquoq; in vita geſtarũ rationem, conſentaneamq́; actionibus noſtris mercedem referendã veniet. Quo quidem tempore iuſti fulgebunt ſicut Sol, ſceleratos autem caligo ac ſempiterna ignominia obruet. Ac nunc, ô fratres, Deo vos commendo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ſuperædificare, & dare vobis hæreditatem in ſanctificatis omnibus.

Remittẽdæ iniuriæ.
Matt. 18.
2. Tim. 1.
Ab hæreſi cauendum
Matt. 13.
Actor. 20.

Hæc cùm dixiſſet, poſitis genibus ſuis, quemadmodum ſcriptum eſt, cum lachrymis rurſum orauit, atq; conuerſus Barachiam, quem Regem deſignârat, omneſque eos qui magiſtratu fungebantur, exoſculatus eſt. Tum verò res lachrymis ſanè digna contigit. Omnes n. ipſum circumſtantes (non ſecus ac ſi hoc duntaxat viuerent, ꝙ cum eo eſſent, ac ſimulatq; ab eo diſiungerentur, vitam amiſſuri eſſent) quid non dicebant quod ad ciendam miſericordiam pertineret? aut quid relinquebant, quo eorum luctus augeri poſſet? Ipſum exoſculabantur & cõplectebantur, mentiſq́; impotes præ dolore erant. Væ nobis, clamabãt, quàm graui calamitate opprimimur! Dominũ eum appellabant, patrem, ſalutis auctorem, bene de ſe meritũ. Per te, inquiebant, Dei cognitionẽ accepimus, errore liberati ſumus, ab omnibus malis cõquieuimus. Quid iam nobis poſt diſceſſum tuũ futurũ eſt? Quænam mala nos arripient? Hæc cum dicerent, pectora feriebant, eamq́; quæ eos inuaſerat, calamitatem deplorabant. At ille cõſolatoriâ oratione ingentẽ eorum eiulatum comprimens, illud pollicebatur, ſe (quoniam corpore iam non poterat) ſpiritu cum illis fore. Hoc ſermone habito, ſpectantibus omnibus è palatio excedit: ac ſtatim omnes deſperato reditu eum ſequebantur,

Rurſus orat

Pater Deo & filio gratias agit. *Luc. 15.* *Pſal. 30.* *Moritur Abenner Rex.*

in lucem editus eſſet, laudibus efferebat, his verbis vtens: Dulciſſime fili, fili, inquam, qui non tam meus es quàm cœleſtis Patris, quamnam tibi gratiam referam? quibus te benedictionibus proſequar? quas Deo tua causâ gratias agam? Perieram enim, ac tuâ operâ inuentus ſum: peccato mortuus eram, & reuixi, hoſtis & perduellis Dei, & in gratiam receptus ſum. Quid igitur tibi pro his omnibus rependam? Deus eſt, qui ſatis amplis præmiis te remunerari queat. Hoc ſermone habito, cum chariſſimum filium ſæpius exoſculatus fuiſſet, ac deinde preces fudiſſet, atque, In manus tuas, ô benigne Deus, commendo ſpiritum meum, dixiſſet, in pœnitentia animam ſuam Domino reddidit.

Cum cilicio ſepelitur.

Filius autem Ioſaphat patrem mortuum lachrymis proſecutus, iuſtisque ipſi perſolutis, corpus eius in piorum virorum ſepulcris condidit. Nec tamen ipſius corpus regiâ veſte obuoluit, ſed pœnitentiæ veſtimentis exornauit. Atque ipſe in ſepulcro ſtans, ac manus in cœlum tendens, lachrymasque ex oculis fluuij inſtar profundens, his verbis ad Deum clamauit:

Oratio Ioſaphat pro patris anima.

Gratias tibi ago Deus Rex gloriæ, qui ſolus potens & immortalis es, quoniam orationem meam minime deſpexiſti, nec lachrymas meas pro nihilo duxiſti: verùm ſeruum tuum ac patrem meum à ſcelera â viuendi ratione auocatum, ad te omnium Saluatorem pertrahere voluiſti, eum videlicet ab idolorum errore abducens, atq; ipſi hoc donans, vt te Deum verum ac benignum intelligeret. Ac nunc, ô Domine Deus, cuius bonitatis pelagus peruestigari nequit, in loco paſcuæ, in loco refectionis, vbi vultus tui lux ſplendet, eum colloca: nec antiquarum ipſius iniquitatum recordare, ſed pro ingenti tua miſericordia peccatorum ipſius chirographum dele, ac debitorum ipſius chartas concerpe, ſanctosque tuos, quos & igne & gladio de medio ſuſtulit, cum ipſo in gratiam reduc, eisque ne ipſi infenſos & iratos ſeſe præbeant, impera. Omnia quippe tibi omnium Domino poſſibilia ſunt, hoc vno excepto, quod quin te eorum qui ſe ad te conuertunt, miſerear, facere non potes. Miſericordia enim tua in omnes diffuſa eſt, atque iis à quibus inuocatis, ſalutem affers, Domine Iesv Christe, quoniam decet te gloria in ſæcula, Amen.

Pſal. 78. *Deo impoſſibile eſt poenitentium nō miſereri.*

Septem dies ieiunat pro anima patris *Pſal. 141.*

Huiuſmodi preces & orationes Deo offerebat, ſeptem dies à ſepulcro omnino non diſcedens, nec cibi quidquam aut potus admittens, nec rurſus ſomno corpus recreans, verùm & lachrymis ſolum rigans, & cum luctibus omnem orationis facultatem ſuperantibus in oratione perſtans. Octauo autem denique die in palatium reuerſus, opes omnes ac pecunias pauperibus diſtribuit: adeò vt nullus iam qui rerum inopia premeretur, ſupereſſet. Paucisq; diebus in huiuſmodi miniſterio exactis, omnes theſauros exhauſit: id videlicet agens, ne anguſtam portam introire paranti pecuniarum moles impedimentum afferret.

Obſeruat memoriam obitus patris. *Oratio Ioſaphat.*

At verò quadrageſimo à paterni obitus die memoriam ipſius celebrans, magiſtratus omnes ac militaris claſ- XXXVI.
ſis & plebeij ordinis haud paucos conuocat: atque in regio throno ſedens, cunctis audientibus hanc orationem habuit: En, vt ipſi cernitis, Abenner Rex ac pater meus, haud ſecus ac pauperum quiuis mortem obiit. Ac nec diuitiæ, nec opes, nec regia gloria, nec rurſum ego patris amantiſſimus filius, nec rel quorum ipſius amicorum ac ecgratorum quiſquam opem ipſi & auxilium adferre, atque ab ineuitabili ſententia ipſum eximere potuit: verùm ad illud tribunal, vt præſentis vitæ rationem reddat, proficiſcitur, neminem omnino, qui ipſi opituletur, ſecum ducens, iis duntaxat exceptis (quæcunque tandem illa fuerint) quæ ab eo geſta ſunt. Hoc autem ipſum quoque omnibus qui mortalem naturam nacti ſunt, contingere naturâ comparatum: neque aliter fieri poteſt. Nunc igitur audite me, ô filij ac fratres, plebs Domini, & ſancta hæreditas, quos Chriſtus Deus noſter pretioſo ſanguine ſuo redemit, atque à veteri errore, & aduerſarij ſeruitute in libertatem vindicauit. Vos meam inter vos vitæ rationem noſtis: nempe quod, ex quo tempore Chriſti cognitionem conſecutus, diuinoq; beneficio ipſius ſeruus effectus ſum, omnibus aliis rebus cōtemptis atque odio habitis, ipſius duntaxat cupiditate flagraui, idq; vnum mihi in votis fuit, vt ex huius vitæ tempeſtate, atque inani perturbatione ac tumultu egreſſus, ſolus cum ipſo ſolo conſuetudinem haberem, atq; in ſumma animi tranquillitate Deo meo ac Domino ſeruirem. Verùm me patris mei in diuerſum nitentis voluntas retinuit, præceptumq; illud, quod parentibus honorem haberi iubet. Vnde Dei gratiâ & adiumento incaſſum minime laboraui, nec huiuſmodi dies fruſtra conſumpſi: verùm & illum, & vos omnes, Deo conciliaui, eumq; ſolum Deum verum, ac rerum omnium Dominum cognoſcere docui, non quidem ego iſtud faciens, ſed gratia Dei mecum, qui me etiam è ſuperſtitioſo errore, atq; idolorum cultu eripuit, ac vos, ô plebs mea, graui & acerba captiuitate liberauit. Iam igitur tempus eſt, vt ea quæ Deo pollicitus ſum, expleam. Tempus inquam, eſt, vt, quo ipſe me ducet, proficiſcar, eaq; vota, quibus me ipſe obſtrinxi, perſoluam. Nunc itaque vobiſcum ipſi conſiderate, quem vobis præeſſe, ac regnum obtinere velitis. Iam enim in Domini voluntate perfecti eſtis, nec quidquam ex ipſius præceptis vobis occultum eſt. In his ambulate, nec vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinate. Ac Deus pacis velim ſit cum omnibus vobis.

Deut. 5. *Vota perſoluere geſtit.*

Hæc vt plebs audiuit, tumultus ſtatim ac ſtrepitus, ingensq; clamor & confuſio exorta eſt, plorantib. omnibus, atque orbitatem ſuam deplorantibus. Quin etiam præter luctus & eiulatus illud etiam iureiurando affirmabant, ſeſe illum minimè dimiſſuros, ſed retenturos, nec ſecedendi poteſtatem vllo modo ipſi facturos. Sic clamante populo, atque omnibus magiſtratibus, excipiens Rex populares compeſcit, ſilentiumque ipſis imperat, ſeque illorum contentioni cedere atque obtemperare aſſerens, eos, quamuis alioqui mœrentes atque eiulatus ſigna in genis ferentes, domum remittit. Ipſe autem vnum ex principibus, quem ipſe tum pietatis tum vitæ ſanctitatis nomine pluris omnibus faciebat, admirationeque proſequebatur, hoc eſt Barachiam, cuius etiam ſuperius, cum Nachor Barlaamum ſe eſſe ſimulans cum Philoſophis diſputauit, verba fecimus, quemque ſolum zelo diuino penitus flagrantem ab ipſius partibus ſtetiſſe, atque ad diſputationem aduerſus illos ineundam paratum fuiſſe diximus) hunc inquam, remotis arbitris aſſumptum, blandè ac leniter allocutus eſt, obnixisque precibus, vt regnum acciperet, atque in timore Dei plebem ſuam regeret, obſecrabat, quo ipſe ad expetitum iter ſe accingeret.

Ioſaphat Barachiæ regnū offert.

Vt autem eum renuentem, atque iſtud omnino repudiantem vidit, hiſque verbis vtentem: O Rex, quàm iſtud tuum iudicium iniquum eſt, quàm tuus ſermo diuino mandato parum conſentaneus. Nam cum proximum non ſecus ac teipſum amare docearis, quâ tandem ratione ſarcinam eam, quam tu abiicere ſtudes, mihi imponere feſtinas? Nam ſi regio munere fungi bonum eſt, ipſe quod bonum eſt, retine. Sin autem offendiculum iſtud ac ſcandalum animi eſt, quod mihi illud obiicis, ac me in fraudem inducere cupis? Vt inquam, eum his verbis vtentem & aſſeuerantem vidit, cum eo quidem colloqui deſtitit: ipſe autem intempeſtâ nocte epiſtolam ingenti ſapientia plenam, atq, ad omne pietatis genus impellentem, ad populares ſuos exarat, nempe quam de Deo ſententiam tenere, quam ipſi vitam, quas laudes, quas denique gratiarum actiones offerre deberent, præſcribens. Ac poſtea, ne quenquam alium præter Barachiam ad regiam dignitatem admitterent, prohibebat. Hac epiſtola in cubiculo ſuo relicta, inſcientibus omnibus egreditur. Nec tamen efficere potuit, vt ipſius diſceſſus ad extremum vſque incognitus eſſet. Nam ſimul atque illuxit, ea res audita perturbationem ac luctum plebi attulit, omnesque ſumma celeritate ad eum inueſtigandum perrexerunt, ipſius fugam omni ratione occupare cogitantes. Quo etiam factum eſt, vt ſtudium ipſius fruſtra minime ceſſerit. Nam cum itinera omnia occupaſſent, ac montes omnes obſediſſent, inuiasque valles peragraſſent, in torrente quodam ipſum manus in cœlum tendentem, ac ſextæ horæ precationem perſoluentem inuenerunt.

Relinquit epiſtolam. Clam fugit.

Ioſaphat ex eorum manibus

Con-

orationem ſextæ horæ perſoluens inuenitur. Reuertitur. *Actor. 20.*

CONSPECTO autem eo, circumfuſi ſtatim, cum lachrymis eum obſecrabant, ac diſceſſum ipſi obiectabant. At ille: Quid, inquit, inanem laborem ſuſcipitis? Nec enim eſt, quod vos me Regem vltra habituros eſſe ſperetis. Nihilo ſecius tamen eorum ingenti contentioni cedens, ad palatium reuertitur, coactisque in vnum omnibus, quid in animo haberet, declarauit, ac poſtea interpoſito etiam iureiurando ſermonem confirmauit, nempe ſe poſthac ne vnum quidem diem cum ipſis fore: Ego enim, inquit, meo erga vos miniſterio perfunctus ſum, nec quidquam prætermiſi, nec ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis, ac docerem teſtificans omnibus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fidem, ac pœnitentiæ viam oſtendens. Ac nunc ego viam hanc ineo, quam iam pridem expetebam, nec vltra faciem meam quiſquã veſtrûm videbit. Quapropter, vt diuini Apoſtoli verbis vtar, conteſtor vos hodierno die, ꝙ mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrûm. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis conſiliũ Dei.

Barachiam Regem cõſtituit.

HÆC illi audientes, ac ſententiæ ipſius firmitatem exploratam habentes, nempe quod eum à ſuſcepto cõſilio reuocare minime poſſent, orbitatem quidem ſuam deplorabant, nec tamen vllo modo eum de ſententia deducebant. Tum autem Rex Barachiam illum, de quo ſupra locuti ſumus, manu tenens: Hunc, inquit, ô fratres, hunc vobis Regem creo. Cumq; ille eiuſmodi rei vehementer obluctaretur, inuitum eum ac repugnantem in regio throno collocat, ipſiusq; capiti diadema imponit, atq; annulum regium ipſi in manum præbet. Atq; ad Orientem ſtans, pro Rege preces fudit, hoc videlicet à Deo poſtulans, vt Dei fidem conſtanter teneret, ac Chriſti mandatorum iter ab omni flexu alienum inueniret. Ad hæc pro clero etiam atque vniuerſo grege precatus eſt, opem videlicet & auxilium ac ſalutem ipſis à Deo petens, atque vt quidquid ipſi poſtularent, ad vtilitatem moderaretur.

Oratio Ioſaphat ad Barachiam. *Actor. 20.*

HAC oratione habita, conuerſus ad Barachiam, ait: En tibi frater, hoc præcipiam, quod Apoſtolus teſtatus eſt: Attendite tibiipſi, & vniuerſo gregi, in quo te Spiritus Sanctus Regem poſuit, vt Chriſti populum, quem proprio ſanguine acquiſiuit, regas. Et quemadmodum Deum ante me cognouiſti, eumque puro animo & conſcientia coluiſti, ita nunc quoque maiori ſtudio in hoc incumbe, vt ipſi vitæ tuæ rationes probes. Quo enim maius à Deo imperium conſecutus es, eò quoq; maiora ipſi rependas oportet. Ac proinde gratitudinis debitum ei, cuius beneficiis auctus es, perſolue, ſancta ipſius præcepta cuſtodiens, atque ab omni via in exitium ducente deflectens. Vt enim in iis qui nauigant, cum nauta quiſpiam peccat, exiguum iis qui ſimul nauigant, detrimentum affert; cum autem gubernator, vniuerſæ naui exitium accerſit: ita etiam in regno vſu venit, vt cum quiſpiam eorum, qui ſubſunt, peccat, non tam alium, quàm ſeipſum lædat, ſin autem Rex ipſe peccet, totum regnum labefactat ac detrimento afficit. Quapropter, vt ingentes rationes redditurus, ſi quid eorum quæ opus ſint, prætermiſeris, magno ſtudio, magnaq; cura teipſum in bono cuſtodi: voluptatem omnem ad peccatum te pertrahentem odio inſectare. Ait enim Apoſtolus: Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum. Rerum humanarum circulum animaduerte, quo pacto videlicet in orbem voluatur, alias atque alias, alio atque alio modo eas ferens ac torquens: illudq; ſtude, vt in varia earum mutatione pium animum conſtanter retineas. Siquidem vnà cum rebus commutari, dubiæ atque inſtabilis mentis argumentum eſt. Tu verò fac in virtute firmus ſis, ac prorſus ſtabilitus. Ob temporariam & caducam gloriam inani tumore minimè inſoleſce: verùm repetito animo naturæ tuæ vilitatem cogita, vitæque huius breuitatem atque adiunctam carni mortem cogita. Hæc enim ſi conſideres, in ſuperbiam haudquam incides, ſed Deum verum ac cœleſtem Regem metues, ſicque præclarè ac feliciter tecum agetur. Beati enim, inquit ille, omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Ac rurſum: Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Quænam autem præ cæteris præcepta tibi ſeruanda ſint, audi: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur. Ac rurſum: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Hoc enim præceptum ab iis potiſſimum expoſcitur, qui in ſummo imperio conſtituti ſunt.

Hebr. 12. *Pſal. 127.* *Pſal. 111.* *Luc. 6.*

Deum maxime imitatur miſericors.

AC ſanè qui magnam potentiam nactus eſt, eum à quo huiuſmodi potentiam accepit, pro viribus imitari debet. Hac porrò re Deum maximè imitabitur, ſi miſericordia nihil potius antiquiusq; habeat. Huc accedit, quod ſubditos nihil æquè ad beneuolentiam allicit, vt beneficij gratia egentibus conceſſa. Nam obſequium illud quod ex metu oritur, adumbrata eſt adulatio, per fictam honoris vocabulum eos qui animum ipſi adiiciunt, ludificans ac circumſcribens. Atq; is, qui inuito animo paret, oblatâ occaſione ſeditionem excitat: qui autem beneuolentiæ vinculis conſtrictus tenetur, firmam ei qui rerum potitur obedientiam præſtat. Quæ cùm ita ſint, da operam, vt egentibus facilis ad te acceſſus ſit, iisque qui inopiâ conflictantur, aures tuæ pateant, vt tu quoq; apertas Dei aures inuenias. Nam quales nosipſos conſeruis præbuerimus, talem etiam erga nos Dominum nanciſcemur, & quemadmodum audierimus, audiemur; & quemadmodum viderimus, à diuino & omnium rerum conſpectore oculo videbimur. Quamobrem ante miſericordiam conferamus, vt ſimile per ſimile recipiamus.

Quales erga alios, talis erga nos Deus.

Remittẽdæ iniuriæ.

QVIN etiam aliud quoque præceptum cum ſuperiore iſto coniunctum, ipſiq; cognatum audi: Dimittite, & dimittetur vobis. Quod ſi non remiſeritis hominibus delicta ipſorum, nec Pater veſter cœleſtis peccata veſtra vobis remittet. Ob idq; ne iis à quibus offenſus fueris, iniuriæ memorem te præbeas: verùm cùm ipſe peccatorum tuorum veniam poſtules, iis etiam qui in te peccant, ignoſce. Remiſſioni enim remiſſio rependitur: & ſi cum noſtris conſeruis in gratiam redeamus, Dominus quoq; ſuam in nos iracundiam comprimet. At contra noſtra aduerſus eos, qui aliquid in nos admiſerunt, ſæuitia hoc efficit, vt peccatis noſtris nulla venia tribuatur. Quemadmodum audis, quidnam illi qui decem talentorum millia debebat, acciderit, nempe quod ob ſuam in conſeruum crudelitatem, tanti debiti exactionem ſibiipſi renouarit. Quare magnopere nobis prouidendum eſt, ne hoc quoq; nobis vſu veniat. Quin potius debitum omne remittamus, atq; omnem iram è pectore eiiciamus: vt nobis quoq; multa noſtra debita remittantur. Præter hæc omnia, ac præ omnibus rebus bonum depoſitum cuſtodi, hoc eſt piam fidei doctrinam, in qua inſtitutus & eruditus es. Illudq; caue, ne vllum hæreſis zizaniũ in vobis enaſcatur: verùm purum ac doli expers diuinum ſemen conſerua, vt vberem atq; amplam ſegetem Domino exhibeas, cùm ad expoſcendam rerum ab vnoquoq; in vita geſtarũ rationem, conſentaneamq; actionibus noſtris mercedem referendã veniet. Quo quidem tempore iuſti fulgebunt ſicut Sol, ſceleratos autem caligo ac ſempiterna ignominia obruet. Ac nunc, ô fratres, Deo vos commendo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ſuperædificare, & dare vobis hæreditatem in ſanctificatis omnibus.

Matt. 18. *2. Tim. 1.* Ab hæreſi cauendum *Matt. 13.* *Actor. 20.*

Rurſus orat

HÆC cùm dixiſſet, poſitis genibus ſuis, quemadmodum ſcriptum eſt, cum lachrymis rurſum orauit, atq; conuerſus Barachiam, quem Regem deſignârat, omnesque eos qui magiſtratu fungebantur, exoſculatus eſt. Tum verò res lachrymis ſanè digna contigit. Omnes n. ipſum circumſtantes (non ſecus ac ſi hoc duntaxat viuerent, ꝙ cum eo eſſent, ac ſimulatq; ab eo diſiungerentur, vitam amiſſuri eſſent) quid non dicebant quod ad ciendam miſericordiam pertineret? aut quid relinquebant, quo eorum luctus augeri poſſet? Ipſum exoſculabantur & cõplectebantur, mentisq; impotes præ dolore erant. Væ nobis, clamabãt, quàm graui calamitate opprimimur! Dominũ eum appellabant, patrem, ſalutis auctorem, bene de ſe meritũ. Per te, inquiebant, Dei cognitionẽ accepimus, errore liberati ſumus, ab omnibus malis cõquieuimus. Quid iam nobis poſt diſceſſum tuũ futurũ eſt? Quænam mala nos arripient? Hæc cum dicerent, pectora feriebant, eamq; quæ eos inuaſerat, calamitatem deplorabant. At ille cõſolatoriâ oratione ingentẽ eorum eiulatum comprimens, illud pollicebatur, ſe (quoniam corpore iam non poterat) ſpiritu cum illis fore. Hoc ſermone habito, ſpectantibus omnibus è palatio excedit: ac ſtatim omnes deſperato reditu eum ſequebantur,

atque ex vrbe, vt quam iam conſpicere minimè poſſent, profugiebant. Poſteaquam autem è ciuitate egreſſi ſunt, vix tandem atque ægre acrius eos ipſo admonente, atque etiam aſperiorem interdum obiurgationem adiungente, ab eo diſtracti ſunt, atque inuiti retrahebantur, identidem oculos reflectentes, ac pedibus inter ambulandum offendentes. Nonnulli autem ex iis qui feruentiori animo præditi erant, lugentes eminus ipſum ſequebantur, quoadusq; nox oborta eos inter ſe disiunxit.

GENEROSVS igitur ille vir ex aula egreſſus eſt, perinde lætus atque alacris, vt cum quiſpiam è longinquo ac diuturno exilio in patriam ſe refert. XXXVII Atque externe quidem eas, quibus vti ſolebat, veſtes gerebat, interne autem ciliciū illud, quod Barlaam ipſi dono dederat.

Pauperibus dat veſtes.

Porrò nocte illa in pauperis cuiuſdam viri domunculam ſe conferens, veſtes eas quibus indutus erat, abiicit, poſtremumque illud beneficium egenti tribuit. Cumque ad hunc modum tum illius tum multorum aliorum pauperum precibus Dei opem atque auxilium ſibi acciuiſſet, eiuſq; gratia & præſidio tanquā ſalutis veſtimento ac lætitiæ pallio ſeſe induiſſet, ad ſolitariam vitam exceſſit, non panem, nō aquam, non quidquam aliud ex iis, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſecum ferens, nullumq; aliud indumentum gerens, præter aſperum illud cilicium, de quo paulò ante mentionem feci.

Solum cilicium portat

Etenim ſingulari quodam deſiderio, ac diutino immortalis Regis Chriſti amore ſaucius, toto animo in id quod amabat, incumbebat, totus extra ſe raptus, ac diuinitus immutatus, Deique charitate omni ex parte correptus. Fortis enim, inquit ille, ſicut mors dilectio. Tantam videlicet ipſe ex diuino amore temulentiam contraxerat, tantaq; ſiti æſtuabat, inſtar ſcil. illius, qui dicebat: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Et quemadmodum anima illa, quæ huiuſmodi charitate vulnerata erat, in Cantico canticorum ait: Vulnerata charitate ego ſum. Ac rurſum: Oſtende mihi faciem tuam, & fac me audire vocem tuam, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Cant. 8.
Pſal. 41.
Cant. 2.

Chriſti amor difficultates omnes ſuperat.

HVIVSCE omni ſermone præſtantioris pulchritudinis Chriſti deſiderio, tanquam igne quodam in pectore accepto, Apoſtolorum chorus, ac martyrum agmina, omnia ea quæ oculis cernuntur, contempſerunt, atq; omni huic fluxæ & caducæ vitæ innumera tormentorum & mortis genera prætulerunt, diuinæ pulchritudinis amore flagrantes, atque ingentem Dei Verbi erga nos amorem cum animis ſuis reputantes. Hunc ignem cum præclarus etiam, ac corpore quidem nobilis, ceterùm longe nobiliore ac magis regio animo præditus vir in ſeipſo accepiſſet, terrena omnia prorſus aſpernatur, omnes corporis voluptates proculcat, opes & gloriam, atq; humanos honores pro nihilo ducit, diadema & purpuram abiicit, aranearum telis viliora ea exiſtimans, atq; ad omnia dura & acerba monaſticæ vitæ ſtudia prompto animo ſeſe tradit, illud Pſalmiſtæ clamans: Adhæſit anima mea poſt te ô Chriſte, ſuſcipiat me dextera tua.

Pſal. 62.

Cumq; ad hunc modum, oculis à tergo minime contortis, in intimam ſolitudinem ſe contuliſſet, atq; caducarū rerum confuſionem, tanquam moleſtiſſimam quandam ſarcinam & catenam excuſſiſſet, ſpiritu lætabatur, coniectiſq; in Chriſtum, cuius deſiderio ardebat, oculis, ad eum, tanquam ad præſentem, atq; ipſius vocem audientem clamabat, eumq; alloquebatur, his videlicet verbis vtens: Ne iam, quæſo ô Domine, oculus meus huiuſce vitæ bona videat, nec præſens vanitas mentem meam à ſuſcepto itinere abſtrahat: verùm Domine mi, oculos meos ſpiritualibus lachrymis imple, greſſuſque meos dirige, famulumq; tuum Barlaam mihi cōmonſtra. Mihi, inquam, eum, per quem mihi ſalus parta eſt, oſtende, vt ſolitariæ ac monaſticæ vitæ ſinceritatem per ipſum addiſcam, ac non ob hoſtilis belli imperitiam in fraudem incidam. Da mihi Domine, viam meam nanciſci, per quam te adipiſcar: quoniam anima mea tui deſiderio ſaucia eſt, teque ſalutis fontem ardenter ſitit.

HÆC ſecum perpetuo voluebat, atque ad Deum loquebatur, per orationem ac ſublimiſſimam contemplationem ipſi ſeſe coniungens. Atq; ita contento greſſu, cœptum iter exequebatur, ad locum eum, in quo Barlaam degebat, peruenire contendens. Herbis porrò iis, quæ in deſerto exiſtebant, alebatur. Neq; enim, vt iam à me commemoratum eſt, præter corpus ac pannos illos quibus indutus erat, quidquam aliud ſecum ferebat.

Herbis tantum victitat

Siti laborat

CETERVM cùm exiguum ac nullius omnino momenti victum ex herbis ſibi pararet, aquæ penuriâ prorſus laborabat, quod videlicet ſolitudo illa aquæ expers eſſe. Cùm igitur Sole iam ſub meridiem vehementer ardente iter faceret, vehementius ob æſtum in arida regione ſiti flagrabat, atq; extremâ & grauiſſimâ ærumnâ vexabatur. Verùm cupiditas naturam vincebat, ac ſitis ea diuina, quâ afficiebatur, ſitis aquæ flammam minuebat.

Diaboli tentationibus impetitur.

AT verò ille boni inimicus & inuidus diabolus, huiuſmodi animi inſtitutum, atq; vſque adeò ardentem ipſius erga Deum charitatem indigniſſimo animo perſpiciens, multas ipſi in ſolitudine tentationes excitabat. regiæ nimirū ipſius gloriæ, ſplendidiſſimæq; ſatellitum manus, quâ ipſius latus cingi ſolebat, atq; amicorum item & æqualium memoriam ipſi refricans: illudq; item ipſi ob animum proponens, omnium animas ex ipſius anima pendere: ac reliquas deniq; alias huiuſce vitæ oblectationes ipſi obiiciens. Ac deinde virtutis aſperitatem, atq; ingentes eius ſudores ipſi proponebat: corporis item imbecillitatem & inexpertas atq; inſuetas ærumnas, & temporis longinquitatem, ac præſentem ſitis oppreſſionem, quodque nulla ex parte conſolatio vlla ipſi exſpectanda eſſet, aut tanti laboris tantæque fatigationis finis. Ac deniq; ingentem in ipſius animo, quemadmodum quodam loco de magno Antonio proditum eſt, cogitationum puluerem commouebat.

Vexatur ſpectris.

VT autem ad labefactandum ipſius animi inſtitutum imbecillem hoſtis ille ſe vidit (Chriſtum enim ipſe ſibi ob animum proponens, atq; ipſius deſiderio inflammatus, ſpeq; egregiè confirmatus, ac fide ſubnixus, illius inſtinctus & conſilia pro nihilo ducebat) pudore ſuffuſus eſt, vtpote ad primum, vt dici ſolet, impetum proſtratus. Quapropter alteram viam inire cœpit (multas quippe ipſe vitij ſeruitas habet) ac variis ſpectris eum euertere atque in metum coniicere nitebatur. Nonnunquam enim ater ipſi, vt eſt, apparebat, nonnunquam rurſus diſtrictū gladium tenens, in eum impetum faciebat, ſeque eum, niſi quamprimum ab inſtituto reſiliret, percuſſurum minabatur. Quandoq; rurſus variarum beſtiarum formam ſubibat, aduerſus ipſum rugiens, ac perquam horrendum mugitum & ſtrepitum edens: atque etiam in draconis & aſpidis & reguli formam ſeſe ſubinde immutabat. At præclarus ille ac ſtrenuiſſimus pugil tranquillo animo conſiſtebat, vt qui Altiſſimum perfugium ſuum poſuiſſet. Ac mente excubans, peſtiferumque ſpiritum irridens, dicebat: Non me fugit, ô impoſtor, quinam ſis, qui hæc in me excites: nimirum qui iam inde ab initio mortalium generi perniciem moliaris, nec vnquam improbitati ſtudere, ac nocumentum inferre deſinas. Ac ſanè quàm pulchre tibi hic habitus quadrat! Nam hoc ipſo quod beſtias & reptilia imitaris, mentis tuæ feritatem & peruerſitatem, voluntatiſq; ad noxam ac peſtem inferendam promptitudinem demonſtras. Quid igitur, ô miſer, ea aggrederis, quæ conficere non potes? Ex quo enim has artes atque hæc ſpectra à tua improbitate proficiſci comperi, nulla iam hinc ſollicitudine afficior. Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos. Et ſuper aſpidem & baſiliſcum, quorum tu ſimilitudinem expreſſiſti, ambulabo, atque Chriſti potentia corroboratus, leonem & draconem conculcabo. Confundantur & erubeſcant omnes inimici mei, confundantur & erubeſcant valde velociter.

Pſal. 90.
Pſal. 117.
Pſal. 90.
Pſal. 6.

Vincit crucis ſigno.

HAC oratione vtens, crucíſque ſigno, hoc eſt inuictis armis ſeipſum cingens, omnia diaboli ſpectra irrita reddidit. Confeſtim enim beſtiæ ac reptilia inſtar fumi euanuerunt, &, ſicut fluit cera à facie ignis. Ipſe autem Chriſti potentia confirmatus, læto animo proficiſcebatur, Deoque gratias agebat. At etiam complures ac variæ beſtiæ, varij generis ſerpentes & dracones, quos ſolitudo illa nutriebat, ipſi occurrētes, non iam per inane ſpectrum, ſed reuera ab

Pſal. 67.
Veræ beſtiæ occurrunt.

ipſo

ipſo cernebantur. Ex quo efficiebatur, vt metus quidem ac laboris via plena eſſet, ipſe autem vtrumque animo & cogitatione ſuperaret. Nam & metum charitas, vt Scripturæ verbis vtar, foras mittebat: & laborem cupiditas leuabat. *1. Ioan. 4.* Ad hunc itaque modum cum multis & variis calamitatibus & ærumnis per dies haud paucos colluctatus, ad Sennaaritidem illam ſolitudinem, in qua Barlaam habitabat, peruenit. Vbi etiam aquam nactus, ſitis flammam reſtinxit.

XXXIX IOSAPHAT autem biennium integrum in hac vaſtiſſima ſolitudine manſit, huc atque illuc oberrans, nec Barlaamum inueniens: Deo nimirum hic quoque animi ipſius firmitatem ac ſtrenuitatem explorante. Ac ſic, ſub dio degens, tum æſtu conflagrabat, tum frigore obrigebat, præſtantiſſimum illum ſenem velut quendam ingentis pretij theſaurum quærere nunquam intermittens. Multas porrò peſtiferorum ſpirituum tentationes, ac multa prælia ſuſtinebat, multoſque item labores, ob herbarum, quibus de more victitabat, penuriam perferebat: quoniam ſcilicet has quoque ſolitudo ea, vt quæ ſiccitate laboraret, parcè admodum produceret. Verùm adamantinus atque inuictus ipſius ſpiritus, amore ac deſiderio ardens, huiuſmodi moleſtias facilius ferebat, quàm alij voluptates ferre ſoleant. *Pſal. 39.* Quocirca diuina ope minime caruit: verum ſecundum dolorum ipſius ac laborum multitudinem allatæ à Christo, cuius cupiditate flagrabat, conſolationes, tam noctu quàm diu animum ipſius exhilarabant. Confecto autem biennij curriculo, Ioſaphat quidem perpetuo circumibat, eum quem expetebat, quærens, atque ad Deum lacrymas fluminis inſtar profundens, meditabatur clamans: Oſtende mihi, Domine, mihi inquam eum oſtende, qui mihi tui nominis cognitionem, ac tanta bona conciliauit, nec propter peccatorum meorum multitudinem tanto bono me priua: verùm hoc concede, vt & ipſius conſpectu fruar, & idem cum eo religioſæ exercitationis certamen ſubeam. *Biennio Barlaamum quærit.*

DEI autem fauore ſpeluncam quandam inuenit, peruestigata videlicet eorum, qui eò ſe conferebant, ſemita: atque monachum quendam ſolitarium vitæ genus colentem nanciſcitur, eumque ſe maximo cum animi feruore complexus & oſculatus, vbinam Barlaam habitaret, ſciſcitabatur, ſimulque ei ipſi rerum ſuarum ſtatum expoſuit. Cum igitur ex ipſo, vbi viri illius quem quærebat, domus eſſet, intellexiſſet eò quàm celerrimè, non ſecus ac peritiſſimus quiſpiam venator feram nactus, ſe contulit, peragratiſque alterius cuiuſdam ſenis admonitu aliquot paſſuum millibus, lætus ac ſpei robore ſeptus incedebat, æquè nimirum ac puer, qui patrem, quem iam pridem non vidit, breui ſe conſpecturum ſperat. Nam cum diuinus amor animum ſemel obſederit, multo acrior ac feruentior eo eſſe ſolet, qui à natura manat. *Diuini amoris vis ac potentia.*

ASTAT itaque ſpeluncæ foribus, iiſque pulſatis, Benedic, inquiebat, ô Pater, benedic inquam. Vt autem Barlaam hac voce audita ex antro egreſſus eſt, eum per Spiritum agnouit, qui ob admirandam illam mutationem, quâ à priore illo vultu ac florente iuuenilis ætatis pulchritudine demigrarat, ob externo aſpectu vix agnoſci poterat, vt qui tum ex Solis æſtu atrorem contraxiſſet, & pilis abundaret, ac genas macie confectas, oculoſque altè depreſſos, & palpebras lachrymarum fluentis vndique attritas, atque ingenti famis afflictione peruſtas haberet. At verò Ioſaphat ſpiritualem patrem ſtatim agnouit, vtpote iiſdem oris lineamentis præditum. Confeſtim itaque ſenex verſus Ortum ſtans, Deo precem cum gratiarum actione coniunctam adhibuit. Dictoque Amen, in mutuos amplexus ſtatim ruerunt, diuturnam cupiditatem ſine vlla ſatietate explentes. *Inuenit Barlaamum.*

CVM autem abundè ſeſe complexi fuiſſent, atque conſalutaſſent, ſedentes inter ſe colloquebantur. Ac ſermonem exorſus Barlaam, his verbis vſus eſt: Præclarè feciſti, qui huc veneris, dilecte fili, fili, inquam Dei, ac cœleſtis regni hæres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem dilexiſti, atque caducis & fragilibus bonis non abs re chariorem habuiſti: ac prudentis & ſapientis mercatoris inſtar omnibus facultatibus venditis, margaritam pretium omne ſuperantem emiſti, ac theſaurum qui ſurripi non poſſit, in agro mandatorum Domini abſconditum nactus, omnia dediſti, nec rei vlli ex iis, quæ iam iamque effluxuræ ſunt, peperciſti, quo agrum illum tibi compatares. Det tibi Dominus pro fluxis & caducis æterna, pro iis quæ interitui obnoxia ſunt, ea in quæ nec interitus nec vetuſtas cadit. *Barlaam illi bene precatur. Matt. 13.*

VELIM autem mihi dicas, chariſſime, quonam pacto huc acceſſeris, quique poſt diſceſſum meũ rerum tuarum ſtatus fuerit, atque tuuſne pater Deum norit, an verò nunc quoque eâdem, quâ prius, dementiâ abreptus, à dæmonum fraude atque impoſtura captiuus abducatur. Hæc percontante Barlaamo, Ioſaphat altius repetito ſermone, quænam ſibi poſt ipſius digreſſum contigiſſent, quamque proſperum rebus curſum Dominus ad id vſque tempus, quo rurſum inter ſe conueniſſent, tribuiſſet, ſigillatim expoſuit. *Narrat patris conuerſionem.*

SENEX itaque hæc audiens, voluptate ſimul atque admiratione affectus eſt, calenteſque lachrymas mittens, dicebat: Gloria tibi ſit Deus noſter, qui tui amore præditis ſemper præſto es, atque ipſis opitularis. Gloria tibi Chriſte, Rex omnium ac Deus optime, quoniam benigna tua voluntas ita tulit, vt ſemen illud, quod in ſerui tui Ioſaphat animum ieciſti, centuplicatum fructum afferret, te videlicet, animarum noſtrarum agricola & Domino dignum. Gloria tibi Paraclete bone ac ſanctiſſime Spiritus: quoniam quam tu ſanctis tuis Apoſtolis gratiam tribuiſti, hanc etiam huic impertiendam duxiſti, atque ingentem hominum multitudinem, ipſius opera ſuperſtitioſo errore liberaſti, ac vera Dei cognitione illuſtraſti.

AD hunc modum Deo ab vtroque gratiæ agebantur: ipſiſque ita inter ſe colloquentibus, ac Dei gratia exultantibus, affuit veſpera. Proinde ad orationem conſurgentes, conſuetum precationum penſum perſoluerunt. Ac poſtea cum cibo recreandum corpus eſſet, Barlaam magnificam menſam appoſuit, ſpiritualibus videlicet epulis confertam, eius autem conſolationis, quæ ſenſibus percipitur, quàm minimum ſane participem. Cruda enim duntaxat olera erant, ipſiuſmet manibus conſita & exculta palmaque perpaucæ, quæ in ea ſolitudine inueniebantur, ac denique ſilueſtres herbæ. Cum igitur gratias Deo egiſſent, appoſitiſque epulis corpus refeciſſent, atque aquam è propinquo fonte bibiſſent, ei rurſum, qui manum aperit, & implet omne animal benedictione, gratias egerunt. Ac deinde conſurgentes, poſteaquam nocturnas preces abſoluerunt, ſpirituale colloquium inierunt, ſalutares ac cœleſti ſapientia plenos ſermones per totam noctem contexentes, quoadusque auroræ exortus ad conſuetarum rurſus orationum memoriam ipſos reuocaret. *Barlaam abſtinentia & ciborum delectus. Pſal. 144. Vigiliæ, & nocturnæ orationes.*

MANSIT autem ad hunc modum diuturno tempore cum Barlaamo Ioſaphat, admirabilem hancque humana conditione præſtantiorem vitam colens, ac tanquam patrem & præceptorem cum omni obedientia & humilitate ipſum ſequens: ſic nimirum, vt ad omne virtutis ſtudium exerceretur, atque quonam pacto cum ſpiritualibus & inuiſibilibus ſpiritibus luctandum eſſet, edoceretur. Ex quo illud conſecutus eſt, vt vitioſas omnes affectiones extingueret, carniſque affectum ſpiritui, non ſecus ac ſeruum domino, ſubiiceret: deliciarum omnium animique remiſſionum obliuione caperetur, ſomno tanquam improbo mancipio imperaret. Atque, vt breui perſtringam, tanto ſtudio in ſolitariæ vitæ certamen incumbebat, vt ipſe quoque Barlaam, qui per multum temporis in ea contriuerat, miraretur, ipſiuſque acrimoniæ concederet. Tantulum enim duntaxat illius atque conſolationis carnis ſibi admittebat, vt vitam duntaxat toleraret, nec committeret, vt per vltro acceſſitam mortem præmiis iis ſeſe orbaret, quæ virtutum cultui ac ſtudio tribuuntur. Sic autem naturam nocturnis excubiis ſubiiciebat, ac ſi nulla omnino carnis & corporis parte conſtaret. Oratio porrò perpetuum ipſius ſtudium erat, vniuerſumque vitæ tempus in ſpiritualibus ac cœleſtibus contemplationibus inſumebatur, adeò vt nec horam vnam, immò nec vllum omnino temporis punctum, ex quo *Studium virtutis.*

Verum monachi munus in quo ſitum ſit. in ea ſolitudine habitauit, deperderet. Ac ſanè hoc demum verè monaſtici ordinis munus eſt, nunquam à ſpiritus ſtudij opere vacuum inueniri. Quod quidem generoſus ille & expeditus, cœleſtis itineris curſor egregiè præſtitit, atque animi ſui ardorem ab initio ad extremum vſque perpetuo conſeruauit, aſcenſiones in corde ſuo per dies ponens, ac de

Pſal. 83. virtute ad ſublimiorem virtutem tranſiliens, deſiderium que deſiderio, ac ſtudium ſtudio indeſinenter adiungens, quoad tandem ad ſperatam & exoptatam beatitudinem peruenit.

Cvm itaque hoc pacto Barlaam & Ioſaphat vitam exercerentur, ac pulchro inter ſe certamine contenderent, ab omni cura & huiuſce vitæ perturbatione immunes, mentemque ab omni confuſione puram ac liberam habentes, poſt multos ab ipſis pietatis cauſa ſuſceptos labores, quodam die ſenex accerſito ſpirituali filio, quem per Euangelium genuerat, huiuſmodi ſpiritualem ſermonem aggreſſus eſt. XXXIX.

Iam pridem, ô amice Ioſaphat, te in hac ſolitudine habitare oportebat, atque hoc mihi oranti Chriſtus dederat pollicitus fuerat, fore, vt te ante extremum vitæ diem viderem. Vidi itaque, quemadmodum cupiebam: vidi, in-

Mortem prædicit. quam te à mundo & mundi rebus auulſum, ac Chriſto minimè dubio ac vacillanti animo coniunctum, atque ad perfectam plenitudinis ipſius menſuram progreſſum. Nunc igitur, quandoquidem mortis meæ tempus inſtat, atque

Timet purgatorium, ideo petit preces. collactanea & mihi æqualis ea cupiditas, quæ vt cum Chriſto eſſem ſemper me tenuit, iam expletur, tu quidem corpus meum terræ conde, puluerique puluerem redde. Poſt autem ipſe in hoc loco hære, ſuſceptum ſpiritualis vitæ genus perſequens, meæque tenuitatis memoriam retinens. Vereor enim ne tenebroſum dæmonum agmen animo meo propter ignorantiarum mearum multitudinem impedimentum afferat.

Tv vero fili, ne religioſæ exercitationis laborem metuas, neque ad temporis longitudinem ac dæmonum inſidias elangueſcas: quin potius ipſorum imbecillitatem, Chriſti virtute communitus, audax irride: ad laboris autem duritiam, ac temporis diuturnitatem animo ita comparato eſto, tanquam quotidie diſceſſum è vita expectans,

Mortis memoriam illi inculcat. atque eundem diem tibi vitæ monaſticæ tum initium tum finem eſſe exiſtimans. Sic ſemper ea quæ à tergo ſunt, obliuiſcens, atque ad ea quæ à fronte ſunt, teipſum extendens, ad deſtinatum perſequere, ad brauium ſupernæ vo-

Philip. 3. cationis Dei in Chriſto Ieſu, quemadmodum ſanctus Apoſtolus his verbis hortatur: Non deficiamus, ſed licet is qui

2. Cor. 4. foris eſt homo noſter corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Nam quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna.

Pſal. 26. Hæc cum animo tuo reputans, vir chariſſime, viriliter age & confortare, atque vt egregius miles, id da operam, vt ei qui te militem ſcripſit, placeas; nec quamuis imbecillitatis ac languoris cogitationes improbus ille ſpiritus

2. Tim. 2. tibi immittat, inſtituti que tui neruos frangere ac debilitare ſtudeat, ipſius inſidias pertimeſcas, illud Domini præce-

Ioan. 16. ptum cogitans, In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. Quocirca gaude in Domino ſemper, quoniam ipſe te elegit, atque à mundo ſeiunctum ante faciem ſuam poſuit. Ipſe autem, qui te vocatione ſua

Philip. 4. ſancta vocauit, propè eſt ſemper. Nihil itaque ſollicitus ſis, ſed in omni oratione atque obſecratione cum gratiarum actione petitiones tuæ innoteſcant apud Deum. Ipſe enim dixit: Non te deſeram, nec derelinquam. Hæc itaque in vitæ doctrina ac religioſæ exercitationis vtilitate tecum ipſe reputans, in animi voluptate verſare, Domini Dei noſtri

Pſal. 76. memoriam retinens. Memor enim, inquit, fui Dei, & delectatus ſum.

Remedium aduerſus vanam gloriã. Cvm autem rurſum aduerſarius aliud inter belli genus excogitauerit, ſublimes nempe atque arrogantes cogitationes proponens, regnique terreni gloriam quam reliquiſti, cæteraque quæ in mundo ſunt, tibi in oculis collo-

Luc. 17. cans, ſaluiferam doctrinam clypei inſtar obtende, dicentem: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quoniam id quod facere debuimus, fecimus. Et quidem quis noſtrum debitum illud, quo eam

2. Cor. 8. ob cauſam Domino obſtricti ſumus, quod cum diues eſſet, propter nos egenus factus eſt, vt nos eius paupertate diuites eſſemus, & qui à perpeſſione immunis erat, vt vitioſis affectionibus nos liberaret, cruciatus ſubiit, perſoluere

2. Cor. 10. poteſt? Quod enim beneficium eſt, ſeruum eadem perpeti, quæ Dominus perpeſſus ſit? Atqui nos per multum ab ip-

Philip. 4. ſius cruciatibus remoti ſumus. Hæc tecum reputa, cogitationes deſtruens, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigens omnem ſenſum in obedientiam Chriſti. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat cor tuum, & cogitationes tuas in Chriſto Ieſu.

Hac oratione à Barlaamo habita, Ioſaphat ingentem vim lachrymarum profudit, ſic nempe, vt tanquam ex vberrimo fonte ſcaturientes, ipſum prorſus, ac terram in qua ſedebat, proluerent. Atque ipſe huiuſmodi diſſidium

Cum illo mori deſiderat. deplorans, perquam ardenter ab eo contendebat, vt poſtremi illius itineris comitem ſe adhiberet, nec poſt ipſius diſceſſum in mundo iam remaneret, his verbis vtens: Ecquid, ô pater, tui duntaxat, ac non proximi rationem habes?

Matt. 19. & 22. Quonam autem modo hac in re perfectæ charitatis officio fungeris (pro eo atque à Chriſto dictum eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum) cùm tu quidem ad requiem pergas, me autem in oppreſſione atque ærumna relinquas, ac priuſquam in religioſæ vitæ certaminibus, vt par eſt, exercitatus ſim, variaſque hoſtium inſidias cõpertas habeam, ad ſingularem pugnam cum ipſis ineundam me obiicias? Ex quo quidnam aliud contingere poteſt, niſi vt veteratoriis ipſorum artibus proſternar, atque vt imperitis ac timidis gladiatoribus vſu venire ſolet, ſempiternam animæ mortem oppetam? At Dominum, quæſo, roga atque obſecra, vt me quoque tui è vita diſceſſus ſocium adſciſcas, id vt facias, per eam ipſam ſpem quam habes, fore vt laboris mercedem percipias, te obteſtor. Hoc, inquam, à Deo precibus contende, vt ne vnicum quidem diem poſt tuum diſceſſum in hac vita peregriner, atque in denſiſſima hac ſolitudine oberrem.

Conſolatur Ioſaphat. Hæc cum Ioſaphat plorans diceret, ſenex placidè ac leniter ipſum reprimens, Dei iudiciis, inquit, quæ mentis humanæ captum excedunt, obluctari minime debemus. Nam ego, cum de hac re multas ad Deum preces fudiſſem, eumque cui nulla vis afferri poteſt, velut per vim adigere tentaſſem, vt ne inter nos diſiungeremur, ab ipſius bonitate hoc didici, minime tibi nunc conducibile eſſe carnis onus abiicere, verùm in religioſa exercitatione tamdiu permanere, quoad ſplendidiorem coronam tibi texueris. Nondum enim pro ea, quæ tibi parata eſt, mercede ſatis decertaſti: verum paulum adhuc labores oportet, vt lætus in Domini tui gaudium intres. Nam ego quidem iam penè centenarius, annos quinque & ſeptuaginta in hac ſolitudine confeci. Tibi verò, etiamſi non tanta temporis

Matt. 20. mora futura eſt, at certe ad id ſpacium, vt iubet Dominus, propius accedas neceſſe eſt: quo iis nulla ex parte inferior ſis, qui diei & æſtus pondus pertulerunt. Quapropter, ô amice, quæ à Deo decreta ſunt, prompto ac lubenti animo accipe. Nam quæ ipſe decreuit, quis tandem mortalium diſſipare queat? Atque ipſius gratia conſeruatus, tolerantiam præſta.

Mentis puritas ſtudendum. Illvd etiam cura, vt aduerſus inimicas cogitationes animo excubes, ac mentis puritatem, non ſecus ac quendam ingentis pretij theſaurum, ſaluum & incolumem ſerues; ad ſublimiorem actionem & contemplationem in dies teipſum prouehens: vt illud in te impleatur, quod Dominus amicis ſuis promiſit, his verbis vtens: Si quis diligit me,

Ioan. 14. ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus. Hæc ac multo his plura ſanctiſſima illa anima, ac theologica lingua digna locutus ſenex, mœrentem ipſius animum leniuit. De-

ait. Deinde ad quoſdam fratres, longo interuallo ab ipſo diſſitos, eum amandat, vt ea, quæ ad ſacroſanctum ſacrificium conficiendum accommodata erant, afferret. Et quidem Ioſaphat præcinctis veſtibus quàm celerrimè hoc miniſterium exequitur: verebatur enim ne abſente Barlaam debitum naturæ munus perſolueret, ac Domino ſpiritum reddens, graue ſibi detrimentum inferret, ſiquidem & verborum, & extremarum allocutionum & orationum ipſius expers fuiſſet.

Adfert neceſſaria ad ſacrificium.

Cvm igitur longinquum illud iter fortiſſimo animo confeciſſet, atque ea quæ ad ſacroſanctum ſacrificium opus erant, attuliſſet, diuiniſſimus Barlaam incruentum ſacrificium Deo obtulit: perceptiſque Chriſti ab omni labe puris myſteriis, ac Ioſapharo item impertitis, ſpiritu exultauit, ſumptoque de more cibo, ſalutaribus rurſum ſermonibus ipſius animum alere cœpit, his verbis vtens: Non iam, chariſſime fili, nos in hac vita eadem domus ac menſa coniunget: iam enim vltimam patrum meorum viam ingredior. Quocirca tibi faciendum eſt, vt per mandatorum diuinorum obſeruationem, atque in hoc loco ad extremum vſque vitæ diem commorationem, tui erga me amoris ſpecimen exhibeas; ſic nimirum vitæ tuæ rationes inſtituens, quemadmodum didiciſti, nec vnquam abiectæ atque ignauæ animæ meæ memoriam intermittens. Multum itaque vale, atque in Chriſto delectare, atq; exulta, quoniam terrena & interitui obnoxia cum ſempiternis & ab interitu alienis bonis commutaſti, ac propinqua eſt operum tuorum merces, ac iam iamq; adeſt qui mercedem refert. Qui quidem ad inſpiciendam eam vineam, quam excoluiſti, veniet, tibique pro ea exculta mercedem ampliſſimam præbebit. Fidelis enim ſermo, vt clamat diuinus Paulus Apoſtolus, atque omni acceptione dignus: Si commorimur, & conuiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus, in ſempiterno illo ac finis experte regno incomparabili luce colluſtrari, atque verè beatæ ac principis Trinitatis illuminatione donati. Hæc Barlaam ad veſperam vſque, ac per totam etiam noctem, Ioſapharo loquebatur effuſiſſimè lachrymanti, atq; huiuſmodi disiunctionem ægerrimo animo ferenti. Iam autem lucente die manus atq; oculos in cœlum ſuſtulit, Deoque gratias reddens, hoc ſermone vſus eſt:

Barlaam Miſſam celebrat.

Cõmendat tertium ſuã animam.

2. Tim. 2.

Meritum & merces.

Domine Deus meus, qui vbique præſens es, atque omnia imples, gratias tibi ago, quoniam humilitatem meam reſpexiſti, atque hoc mihi conceſſiſti, vt in orthodoxa tua fide, & mandatorum tuorum via huiuſce peregrinationis curſum abſoluerim. Ac nunc, optime Domine, atque ad miſericordiam propenſiſſime, in æterna tabernacula tua me recipe: nec ea memoria retine, quæ vel ſciens vel inſciens in te peccaui. Conſerua autem etiam fidelem hunc ſeruum tuum, cui me inutilem famulum tuum præeſſe voluiſti. Ab omni vanitate atque aduerſarij vexatione ipſum eximito, idque effice, vt nodoſiſſimis iis laqueis, quos diabolus ad eorum omnium quibus ſalus cordi eſt, offenſionem expandit, ſublimior exiſtat. Omnem impoſtoris potentiam, omnipotens Deus à ſerui tui facie dele, atque eas ipſi vires affer, vt peſtiferum hoſtis animarum noſtrarum caput proculcet. Spiritus tui ſancti gratiam ex alto in eum demitte, atque ad inuiſibiles conflictus robur ipſi adde, vt victoriæ coronam à te conſequatur, ac nomen tuum, ô Pater ac Filij tui, & Spiritus ſancti, in ipſo celebretur: quoniam te decet laus & gloria in ſæcula, Amen.

Oratio Barlaam morientis.

Pſal. 50.

Hac precatione habita, cum paterno affectu Ioſophatum complexus, atque oſculo ſancto exoſculatus fuiſſet, ac ſeſe crucis ſigno muniiſſet, pedeſque extuliſſet, ingenti lætitia perfuſus, non ſecus ac ſi amici quidam acceſſiſſent, ad beatum iter, atq; ad recipienda beatæ illius vitæ præmia profectus eſt, ſenex plane, ac ſpiritualiũ dierũ plenus.

Muniens ſe cruce moritur.

XL. Iosaphat autem ſumma cum veneratione atque eiulatu patrem complexus, lachrymiſque abluto ipſius corpore, atque aſpero illo cilicio, quod ab eo in aula acceperat, inuoluto, conſuetos pſalmos recitat, per totum diem ac totam noctem ſimul & canens, & pretioſum beati viri corpus lachrymis rigans. Poſtridie autem eff[illegible] iuxta ſpeluncam ſepulcro, ac ſacro corpore reuerenter admodum geſtato, ſpiritualem patrem egregius & chariſſimus filius inhumauit, ardentiusq; animo inflammatus, atq; ad orationẽ ſeipſum quàm maxime contendens, his verbis vſus [illegible]

Ioſaphat ſu[illegible] patris corpus [illegible] [illegible]

Pſal. 26.

Domine Deus meus exaudi orationem meam, quâ clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me, quoniam te ex animo quæro: exquiſiuit te anima mea, ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: tu autem Domine aſſumpſiſti me. Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam in te proiectus ſum ex vtero. De ventre matris meæ Deus meus es, ne diſceſſeris à me. Quoniam præter te non eſt mihi adiutor. En in miſerationum tuarũ abyſſo ſpem animæ meæ defixi. Vitam meam guberna, qui res omnes cõditas ſapientiæ prouidentia, omni ſermone præſtantiori, moderaris. Et notam fac mihi viam, in qua ambulem: atq; vt bonus ac benignus Deus, per famuli tui Barlaam preces ac ſupplicationes me ſerua, quoniam tu Deus meus es, ac te glorifico Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in ſæcula, Amen. Hac oratiõne perfunctus iuxta ſepulcrum flens conſedit, ac ſedens obdormiuit. Atq; formidandos illos viros, quos prius conſpexerat, ad ſe venientes, ſeque ad maximum illum & admirandum campum ducentes, atq; in illuſtriſſimã illam ac ſplendidiſſimam ciuitatem introducentes, intueri ſibi viſus eſt. Cùm autem ipſe portam ingrederetur, alij ipſi obuiam fuerunt, ingenti lumine perfuſi coronaſq; eiuſmodi pulchritudine collucentes, quæ nulla oratione exprimi poſſit, & quales nunquam mortales oculi conſpexerunt, manibus tenentes. Percontante autem Ioſaphat: Cuiuſnam eſſent ſplendidiſſimæ illæ coronæ quas perſpiceret: Tua quidem vna eſt (reſponderunt illi) tibi ob multas eas animas, quibus ſalutem attuliſti, confecta: nunc verò ob religioſæ vitæ exercitationem, cui das operam, ſtudioſius & accuratius adornata: ſi quidem ſtrenuo animo eam ad extremum vſque peragraris. Altera autem tua quoque ipſa eſt: verum patri tuo, qui ab improba viuendi ratione opera tua deflexit, ſinceroque animo reſipuit, ac ſeſe ad Dominum conuertit, eam præbeas oportet: Ioſaphat autem eam rem moleſte ferre videbatur. Et qui fieri poteſt (inquiebat) vt pater meus vnius dumtaxat pœnitentiæ gratia, paria mihi, qui tot ac tantos labores exantlaui, beneficia conſequatur? Hæc vt dixit, Barlaamum cõfeſtim ſibi videre viſus eſt, velut probris ſe inſectantem ac dicentem: Hi ſunt, ô Ioſaphat, ſermones mei, quos quondam ad te habui: nimirum fore, vt cum ad ingentes opes perueniſſes, non iam liberalis ac profuſus eſſes: ac tu ob id verbum ancipiti animo eras. Nunc autem quonam pacto parem tibi honore patrem eſſe moleſte tuliſti, ac non potius hoc nomine lætitiam animo concepiſti, quoniam multæ tuæ pro eo fuſæ preces exauditæ ſunt? Ioſaphat autem pro eo ac ſolebat, ad eum dixit. Ignoſce pater, ignoſce. Vbinam autem habites, fac intelligam. Tum Barlaam: In hac pulcherrima atque ingenti ciuitate domicilium nactus ſum in medio vrbis vico, immenſo lumine coruſcanti. Rurſum autem Ioſaphat ſibi cum eo agere videbatur, vt ab eo in ipſius tabernaculum abduceretur, comiterque hoſpitio exciperetur. Ille autẽ nondum tempus adeſſe reſpondit, vt ad illa tabernacula veniret, quippe qui corporis ſarcina adhuc premeretur. Quod ſi forti animo, inquit, in ſancto vitę genere, velut tibi mandaui, perſtiteris, aliquanto poſt venies, atq; eadem tabernacula & eamdem lætitiam ac gloriam conſequens, mecũque in ſempiternũ eris. Experrectus autem Ioſaphat, animũ illa luce atq; omni ſermonis facultate ſublimiori gloria perfuſum adhuc habebat: ac multa cum admiratione, ad grati animi ſignificationẽ Deum laudibus efferebat. Manſit autem ad extremũ vſque vere angelicam in terra vitã ducens, ac duriori religioſæ exercitationis genere poſt ſenis diſceſſum vtens. Nam cum anno ætatis vigeſimo quinto regnum terrenũ reliquiſſet, monaſticæque vitæ certamen ſubiiſſet, quinque & triginta annos in vaſtiſſima ea ſolitudine, perinde ac ſi nulla carnis parte conſtaret; humana conditione ſublimiorem vitam egit: ſic nempe, vt multas quidem hominum animas à peſtifero ſer-

Oratio Ioſaphat ad Deum.

Pſal. 26.

Pſal. 24.

Pſal. 7.

Deum orat, vt per famuli ſui Barlaã preces ſe ſeruet.

Viſio Ioſaphat

Videt coronas duas.

De corona patris miratur.

Illum obiurgat Barlaam.

xxxv annos egit in ſolitudine Ioſaphat.

pente prius abſtraxerit, Deóque integras & incolumes ſeruauerit, eaque in te Apoſtolicam gratiam conſecutus ſit, animíque etiam inductione martyr extiterit, ac Chriſtum in Regum ac Tyrannorum oculis & aſpectu fidenti animo confeſſus ſit, vocaliſſimumque ipſius maieſtatis præconem ſeſe præbuerit: multoſque rurſum prauos ſpiritus in ſolitudine profligarit, omneſque Chriſti vi ac potentia ſuperarit, cœleſtiſque beneficij atque gratiæ vberrimè particeps factus ſit. Vnde etiam animi oculum ab omni terrena caligine purum habebat, ac futura tanquam præſentia proſpiciebat, Chriſtuſque ipſi rerum omnium inſtar erat, Chriſtum expetebat, Chriſtum non ſecus ac præſentem cernebat, Chriſti pulchritudinem nunquam non intuebatur: iuxta illud Prophetæ: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Ac rurſum: Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Etenim re vera ipſius anima poſt Chriſtum adhæſit, firmiſſimo nexu ipſi copulata. Neque enim ab admiranda illa operatione defecit, nec religioſæ ſuæ exercitationis regulam immutauit. Quin potius ab initio ad finem vſque, atque ab ineunte ætate vſque ad iam prouectam ætatem eandem animi alacritatem retinuit: immò, vt rectius loquar, ad ſublimiorem quotidie virtutem proceſſit, ac puriorem diuino beneficio contemplationem cõſecutus eſt.

Pſal. 15. *Pſal. 26.*

Mors Ioſaphat.

DENIQVE cum ad hunc modum vixiſſet, & vſque adeo dignam vocatione ſua operam ei à quo vocatus fuerat, reddidiſſet, mundumque ſibi ipſi, ac ſeipſum mundo crucifixiſſet, ad Deum pacis in pace migrat, atque ad Dominum, cuius perpetua cupiditas eum tenuerat, proficiſcitur, vultuique Domini purè ac ſine vllius rei interpoſitu apparet, eaq; iam ipſi præparata gloriæ corona exornatur, idque diuinitus conſequitur, vt Chriſtum cernat, cum Chriſto ſit, Chriſti pulchritudine perpetuo exultet, in cuius manus commendata anima, ad viuorum regionem tranſiit, vbi epulantium ſonus, vbi lætantium habitatio eſt.

Pſal. 41.

PRÆCLARVM autem ipſius corpus vir quidam ſanctus, qui non longè ab eo habitabat, quique iter ipſi ad Barlaamum prius commonſtrarat, diuino quodam admonitu, ea ipſa hora, quà morte functus eſt, affuit, eo ſacroſanctis cantibus ornato, profuſiſque lachrymis, quæ ipſius erga Ioſaphat amoris indices eſſent, aliiſque omnibus ritibus, quæ apud Chriſtianos in more atque inſtituto poſita ſunt, confectis atque abſolutis, in patris Barlaami monumento eum condidit. Par ſiquidem erat, vt quorum animæ in perpetuum ſimul futuræ erant, eorum etiam corpora coniungerentur.

Cum Barlaam ſepelitur.

CVIVSDAM autem formidandi viri, qui id in ſomnis ſeriò imperabat, monachus ille qui ipſum funere extulerat, obtemperans, in Indiæ regnum ſe confert, Regemque Barachiam conueniens, de omnibus Ioſaphati rebus certiorem ipſum facit. Ille autem nullâ interpoſitâ morâ cum ingenti populi multitudine iter init, atque ad ſpeluncam tandem peruenit, ac ſepulcrum intuetur, illicque calentiſſimis lachrymis fuſis integumentum tollit, cernitque Barlaamum & Ioſaphat membra compoſito habitu ſita habentes, corporaq; re nihil à priſtino colore immutata, verùm integra & prorſus incolumia, vnà cum indumentis. Hæc igitur ſacroſanctarum animarum tabernacula, ſuauiſſimum odorem emittentia, nec fœdi quidquam exhibentia, præclaris loculis impoſita, Rex in patriam ſuam transfert.

Per viſionẽ hæc in India iubentur nuntiari.

Corpora integra Rex Barachias in patriam transfert.

VT autem ea res ad plebis aures peruenit, innumerabilis multitudo ex omnibus vrbibus ac finitimis locis ad beatorum illorum corporum conſpectum & adorationem confluxit. Vbi etiam ſacroſanctis hymnis eorum cauſa decantatis, copioſiſque lampadibus accenſis, aptè illic quiſpiam ac perquam accommodatè dixiſſet, Lumina circa luminis filios & hæredes. Luculenter autem ſimul ac magnificè in ea eccleſia, quæ ab ipſis fundamentis à Ioſaphat extructa fuerat, eorum corpora condita ſunt. Multa porro miracula, morborumque depulſiones, tum in corporum tranſuectione, tum in eorum inhumatione, tum etiam poſteris temporibus, Dominus per pios famulos ſuos effecit. Viditque Rex ac vulgus omnes virtutes eas, quæ per ipſos edebantur. Ac pleriquè è finitimis nationibus infidelitatis ac ignorationis Dei morbo laborantes, per ea ſigna, quæ in monumento edebant, ad fidem acceſſerunt. Atque omnes qui ipſius Ioſaphat vitam ad Angelorum imitationem expreſſam, atq; à teneris vnguibus ardentem ipſius erga Deum amorem cernentes atque audientes, admiratione corripiebantur, Deum in omnibus celebrantes, qui ſe amantibus opem & auxilium nunquam ferre deſinit, eoſque ampliſſimis beneficiis remuneratur.

Cum honore ſuſcipiũtur.

Multa miracula in trãſlatione & depoſitione Sanctorum.

HIC præſentis libri finis eſt, quem pro mea virili conſcripſi, quemadmodum à præclaris viris, qui mihi hæc haud falsò tradiderunt, accepi. Vtinam autem vos, qui hanc animis vtilem hiſtoriam legitis atque auditis, ad eorum partem adſciſcamini, qui Deo vitæ ſuæ rationes probauerunt, per orationes & interceſſiones beatorum virorum Barlaam & Ioſaphat, de quibus hæc hiſtoria contexta eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quem decet honor, imperium, maieſtas & magnificentia, cum Patre & Spiritu Sancto, nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum, Amen.

Interceſſio Sanctorum

An. 460.

DE S. MAXIMO EPISCOPO RHEGIENSI HOMELIA, AB EIVS SVCCESSORE FAVSTO EX ABBATE LERINENSI, IN NATALI eius habita Regii, teſte Ioanne Sauaro in Sidonii Epiſtolarum commentariis, epiſt. 3. lib. 9. & in carmine Euchariſtico ad Fauſtum. Baronius eam Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo attribuit.

27. Nov.

LOCVTVRI de perfectione ſummi antiſtitis & confeſſoris, multum veremur, ne merita eius, dum affectus prædicationis inſinuat, tenuitas ſermonis abſcondat. Qui cum à prima ætate nouis virtutibus vſq; I.
ad finem quaſi ſemper inceperit, inter ipſa primordia conſummatus apparuit. Diu ille ſub habitu ſeculari, Chriſti militem geſſit, diu ſanctæ vitæ, quæ ſola deerat, profeſſionem negauit: diu in hunc mundum poſitus, extra mundum fuit: diu ſeductori imposturam fecit, diu mentientem fefellit: & cum iam eum mundus animo non agnoſceret ſuum, vel ſolo tamen corpore tenebat alienum: ac ſic publica conuerſatione ſuſcepta, non tam cœpit eſſe quod non erat, quam prodidit quod latebat. Inter hæc ſtupebat in ſinu ſuo patria ciuem ſuum peregrinari, & intra fines proprios nouæ conuerſationis legibus exulare. Nondum quidem viſibiliter exierat de terra ſua, & cognatione ſua, & de domo patris ſui: ſed iam ſpiritaliter reliquerat terram ſuam, quia nullis inclinabatur concupiſcentiis actibuſque terrenis: iam reliquerat cognationem ſuam, quia nullis iam carnalium neceſſitudinum detinebatur affectibus, nullis vitiorum, quæ per longam conſuetudinem proxima & cognata animæ efficiuntur, velut parentum conſtringebatur amplexibus. Iam reliquerat domum patris ſui, quia in inquiſitione æternæ illius patriæ, ſupernis intentus, exceſſerat.

Adhuc ſecularis quam ſanctè vixerit S. Maximus.

In patria degit peregrinus.

Matth. 19.

TVM itaque patriarcharum in ſe complexurus figuram, ſubitò totum reliquit, vt illum poſſet obtinere, qui II.
totus eſt dicturus cum Apoſtolo: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Omnibus prorſus cupiditatibus, velut indumentis exuitur, abiiciuntur cum ſeculo extranea bona, vt magis propria ornamenta clareſcant. Ita eſt vera & perfecta conuerſio, quando non ſolum poſſeſſio negligitur in rebus, ſed etiam paſſio corporaliter. de domo & de loco ſua diuina vocatione dignus egreditur, tanquam Iſaac à patre, viua Chriſti hoſtia futurus, offertur, & ſuper inſulæ Lirinenſis aram, totis humeris crucem Domini baiulaturus, imponitur: de qua quidem ara multæ piorum animæ in holocauſtum & in odorem ſuauitatis aſſumi in videnda conſummatione meruerunt.

Gen. 22.

rurſum

ruerunt. Super hanc itaque aram per contritionem carnis & ſanguinis, ſemetipſum Deo immolat: & ſicut ille pro Iſaac aries occulta myſterii diſpenſatione ſupponitur, ita hic dum in illa ſancta congregatione de milite confugit, & principem promouetur, ex oue in gregis arietem commutatur.

Poſtea Abbas

III. Legimus beatum Iacob, cum de patria fratrem fugeret, ſine vllo ſubſidio, ſolum in baculo ſuo tranſiſſe Iordanem, & poſt longæ peregrinationis abſentiam, cum magnis opibus, duabus etiam honorabilem coniugibus, vt tunc licebat, ad patriam reuertiſſe: Ita hic ſanctorum eximius, patrem ac fraternitatem ſuam fugiens, ſe ſolum ex omnibus portans, in ſpiritu tanquam in baculo tranſmiſſum, anguſtiſſimo freto deſerit. Lirinenſi † ſedem, immo latebram petit, vbi à mundi, tanquam ab inimici periculis tutus, multis laboribus deſudatis, tanquam in matrimonium ſumpturus, & quaſi annorum hebdomade tranſacta, (nam plenis ſeptem annis ibidem Chriſti gregem pauit) Rachel acquiſiturus, præfertur inſulæ, præparatur Eccleſiæ. Qui quantos ibi Iacob iſte noſter virtutum inſtitutionibus ſacerdotes, quantos in Chriſto genuit patriarchas, quantas ibi, ô pater luminum, meritorum author, donorumq; largitor, quantas ille diuitias vobis ac patriæ reportandas, quantos illic theſauros animabus veſtris, dum in illo camino humiliationis excoquitur, congregauit? Quanta ornamenta, quanta monilia fabricatus eſt? Vobis enim iſte athleta Chriſti in illo agone ſudauit, vobis dum ſe extollit, fructificauit: ſibi illic ferens, vobis colligebat: ſibi quærens, vobis neſcius acquirebat: ſibi paraturus præconia, vobis ſoluturus vſuram: vobis hæc ſpiritalis columba cibum de illa Chriſti menſa, & angelica congregatione capiebat, vobis potum de illo gratiarum fonte ſitiens hauriebat: vt quaſi mater ſolicita eſcas, quas de illo vitæ horreo ſumpſerat, in ſenſus veſtros pleno de corde transfunderet. Vobis prophetica hæc apes, ſalutifera in illo alueario mella confecit: veſtris quidem conſpectibus deerat, ſed veſtris profectibus militabat. Sic lampas magna non ſibi accenditur, ſed lumen ſuum eminus † & circumiecta iaculatur, ſpecioſum fundens flammeum doctrinæ fulgorem, & vniuerſis qui aſſiſtunt, integrum, & ſingulis totum. Merito ſe vobis imputet beata illa inſula ex hoc vno atq; vnico munere, licet multum erubeſcat ex alio: vt ille præcipuus, illic doctus, vt hîc doceret: illic ditatus: vt hîc fœneraret: illic illuminatus, vt hîc fulgeret: illic purificatus, vt hîc ſanctificaret: & vt hîc exercere poſſet confeſſionis curationem, illic quæſiuit aromata & pigmenta virtutum. Sic induſtrius atque auidus negociator, extera atque longinqua expetit, collaturus regionibus ſuis peregrina ac precioſa commercia. Abſentat paulisper à patria, vt nouas opes ac diuitias transmarinas reportet ad patriam.

Gen 32.

† videtur deeſſe, inſulæ aut monaſterij.

Multos ſanctæ conuerſationis fructus colligit.

† ſorãs

IV. Gratias tibi Domine, qui tam conſpicua, ad inquirendum te luminaria in noctem huius accendis, per quæ ad viam ſalutis poſſint venire, qui cupiunt: & excuſationem non poſſint inuenire, qui negligunt. Felix itaque terra, quæ talem genuit, felicior, quæ erudiuit. Sit ſanctificata, quæ reddidit. Beatus & ipſe communis pater, quem & illic Honoratus accepit, & hîc honor rapuit. Dignus, cui primus ille fundator gubernacula Lirinenſis nauis poſt ſe moderanda committeret. Dignus, cui tanquam Elias ad ſuperna migraturus, Eliſæo diſcipulo pallium pietatis & gratiæ, ac præclara meritorum indumenta traderet, & in ſe augendus, & in filio duplicandus. Dignus, inquam, hic, cui ille piiſſimus pater Honoratus, tanquam Moyſi, primi populi primus princeps, ducendi per deſertum Iſraëlis legem traderet, & quaſi fortiſſimo Ieſu Naue, pia iura transfunderet, electo vtrique ac ſatis probato, qui ſacrum ad promiſſa cœleſtia promoueret ac perurgeret exercitum. Hoc itaque duce, ſanctæ congregationis ſplendidiſſima illa die ac nocte columna non defuit: ſed ſemper eos tanquam gemina fidei atque operum lux præceſſit.

Sancti, luminaria ſunt a Deo accenſa.

4. Reg. 2.

V. Quantas hic in illo deſerto, ſicut de Ieſu Naue legimus, nequitiarum ſpiritualium exercitatiſſimus debellator, quantas in conuerſorum cordibus gentes peremit? Quantas nationes inuiſibilium aduerſariorum, quæ Iſraëlem de regno excludere conabantur, extinxit? Studens in homine, velut in terra ſancta, tanquam hoſtem interficere paſſiones, ac tanquam Dei populum introducere ac plantare virtutes & quaſi cultris lapideis, id eſt, fortibus Chriſti præceptis, concupiſcentias reſecare, & circumcidere voluptates, & non minus exemplo quàm imperio, militum pectus armare, atque ad deſiderium ſupernæ hæreditatis accendere. O virum perfecti exercitus idoneum ducem. O virum per omnia Deo dignum.

Multos Chriſto lucrifacit.

VI. Eminebat, vt ſic dixerim, in ipſo habitu animi fortitudo: in ſpecie exteriori ipſam putares expreſſam imaginem ſanctitatis, terribilis inceſſu, reuerendus adſpectu. Crederes quod ſemper inuiſibilem illum hoſtem, ipſa vultus ſui virtute terreret. Metuendus ſeueritate, benignitate venerandus, auſteritatis cenſuram humilitatis manſuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur. Ac ſic conueniente in vno diuerſitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu Illius diſtrictionis, huius erat pietatis æmulator: ita vt cum præſentiam eius vix ſuſtineres, abſentiam ferre non poſſes. Internorum autem bonorum ſuorum formas, ac ſpecies, ſicut nemo ad plenum inſpicere potuit, ita nemo ſufficit explicare. Quas ille ſicut extollere ſtuduit, ita elaborauit occulere: vt de ornamentis ſanctæ animæ ſuæ dictum accipi poſſit: Omnis gloria eius filiæ regis abintus in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Dignè in fimbriis aureis, quia magis ac magis in operum ſuorum fulſit extremis. Dignè, inquam, in fimbriis aureis, quia pretioſior ſeipſo in nouiſſimis fuit. Et ſicut hic dixit, in veſtimentorum fine, ita ille in actuum ſuorum conſummatione plus claruit. Itaque dum illa ſancta congregatione beatus magiſter angelicis ſtudiis ſcholam Chriſti imbuit, ſplendebat omnis inſula, radiata ac repercuſſa ſuorum luce meritorũ: & quicquid ab vno ad vniuerſorum gratiam perueniſſet, rurſum ab vniuerſis ad vnius gloriam reuertebatur, & quaſi nobilitas aquarum ad fontis magnificentiam redundabat. Inter hæc ille cum vellet augeri, nolebat agnoſci: quia hæc eſt natura iuſtitiæ, vt quanto ſtudioſius abſcondi optat, tanto clarius innoteſcat, & occultatio ipſi proditio ſit.

S. Maximus magnã vultu præ ſe tulit ſeueritatem.

Pſal. 44.

Natura iuſtitiæ.

VII. Paſſim per populos conſcientia tantorum bonorum fama volitabat, & odorem amœniſſimæ ſuauitatis lõge lateque fundebat. Eminebat in admirationem omnium velut ciuitas ſuper verticem montis expoſita, nec iam lucerna poterat latere ſub modio, nec recipiebatur, nec continebatur vltra latibulum ſuum exundans ſiderei luminis magnitudo. Ambiebant illum diuerſæ patriæ. ſed vel maximè proxima eremi ciuitas, quæ territorij ac finium ſuorum incolam, velut proprium amplectebatur indigenam. Ambiebat illum proxima eremo ciuitas, quæ inter locũ hunc & inſulam (vt noſtis) interiacet. Qua ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum, ac longinquum meditatur exilium, ſed repentino occupatus aduentu inſiſtentium ſacerdotum, petit (quod licuit ad momentum) amica ſibi ac negotio ſuo condenſa ſyluarum.

Matt. 5.

VIII. Irruentibus fidelium turbis, ventilantur vniuerſa, profunda eremi ſecreta verſantur. Sub nudo axe cœli trium dierum ac trium noctium imbribus verberatur, ſicut & ipſe ſum teſtis. Videntur quoq; mihi nimbi inquiſiſſe latentem. Mœret cuncta inſula periculum patris; plus iam in eum expaueſcit iniuriam, quàm rapinam. Gratias inter hæc cœleſti diſpenſationi, pro ſuis meritis quæritur, pro veſtris non inuenitur. Ipſe interim locus dedit latebram, qui inquirendi intulerat cauſam, & qui collatos exponebat ad gratiam. Non poſt longum tempus (vt meminiſtis) ſancto orbata paſtore populi præſentis Eccleſia, piam ſupplex filiis mandat legationem, repoſcit patria iuſtioribus deſideriis pignus ac depoſitum. Quo ille comperto, inſtructo remige, profugus euolat ex dulcibus locis, atq; ex finibus Gallicanis. Teſtatur violentiores nunc poſt ſe pietatis inſtantia longius abſcedendo.

Habes hic authoris fidem & antiquitatem.

Fugit dum expetitur ad Epiſcopatũ

IX. Qvid te, ſancte atque humilis Chriſti ſerue, tuorum complexibus præcipitem rapis ſine cauſa? Quocunque loci latere arbitratur, quem vbique lumen ſuum ſequitur? Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur?

Sanctos viros ſuum lumẽ ſemper ſequitur.

Quic-

Quicquid libet, agas: incaſſum te patriæ per fugam denegas, cui te nuper fuga ipſa ſeruauerat. Quid honorem quaſi
indignus repellis? Meriti prærogatiua, eſt honoris repulſa. Quo fugis magiſter diſcipulos? Quo pater filios ſanctæ
patriæ tuæ, in te pendentes, & poſt te deficientes? Quanto te plus ſubtraxeris oculis, tanto magis ingeris deſideriis.
Quæ tabernaculum illud Chriſtianorum principibus, id eſt, Apoſtolis ipſe condidit, Eccleſiam in montis huius verti-
ce ineſtimabili labore fundauit.

PARVA hæc ſunt in illius cœleſtibus geſtis. Plus eſt, quod inſinuat vobis: timore diuino & lumine ſupernæ a- X.
gnitionis infuſo in ſe, quaſi ſupra ſpiritalem montem, fidem & ſpem plebis & Eccleſiæ huius erexit, & ſancta in vobis
In Epiſcopatu vixit vt monachus. Deo templa conſtruxit: Et quia ſuperius memorauimus, quàm magnificè inſulano illo ſtadio perfectionis vias cu-
currit, plus eſt, quod hanc inſulam ipſam inſtitutis ac ſtudiis ſuis tranſtulit. Et qui iamdudum in Abbate Pontificem
geſſerat, poſtmodum Abbatem in Pontifice cuſtodiuit, neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens
abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecunia, diues in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia, locuples
in donis Dei: ſic in ſe excoluit gratiam vnamquamq; quaſi ſolam: pauci ſic tenuerunt ſingulas, quomodo ille in ſe imple-
uit vniuerſas: ſemper in operis exercitio, ſemper in compunctionis affectu, ſemper occupatus, & ſemper vacans. Nulla
illi ex omnibus propenſior fuit cura, niſi aut de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur,
& illum velut Moyſes facie ad faciem compellaret in corde, eumque quaſi præſens præſentem ad implenda promiſſa
ſua, voce imi pectoris conueniret. Cum qua voce cognitionis puræ atque pinguiſſimæ, & areſcentis medullæ, atque
continuatis ieiuniis oſſa clamabant, ſtudens, de perſecutore iniquo, longum triumphare martyrio.

QVID inter hæc dicam? Exhauſtorum magnitudinem membrorum prodebat robur antiquum, & ita morti- XI.
† id eſt, voluptatem aut aliquid ſimile. ficationem Chriſti præferebat in cruce, vt reliquias quaſdam videres in corpore. Ita autem mentem eius repleuerat
auiditas futurorum bonorum, & ignea diuini timoris ebrietas, vt abſtinentiam & inediam ſummam duceret. † Tu
erga te fatigas quidem votum, ſed producis affectum. Vno eodemque tempore, dum à patria probaris, patriam pro-
Matt. 7. bas. Tunc impletum eſt circa vos, dilectiſſimi fratres, illud Euangelicæ promiſſionis oraculum: Petite, & dabitur vo-
bis: quærite, & inuenietis. Sicut verum ſacerdotem decebat, prudentia legitur, fide quæritur, pietate reuocatur. Se-
quuntur illum atque comitantur, & ingrediuntur cum illo fines veſtros non extranei, ſed proprij ac domeſtici ſuffra-
Pſal. 110. gatores, id eſt, principium ſapientiæ timor Domini, compunctio, purificatio, perfecta religio, & vniuerſus religionis
chorus, ſanctitas, benignitas, caſtitas, ſapientia, iuſtitia, miſericordia.

ECCE qualiter ambitioſus veſter à vobis, ecce quali pecunia ſacerdotium comparauit. O admirabile nego- XII.
tium, ô cœleſte commercium! Vnde emit, ipſum eſt, quod emit: id eſt, quia verus meritorum honor non alibi, quàm
in ipſis meritis continetur. Vitæ perfectio, propter quam à vobis eſt inquiſitus, ipſa eſt Epiſcopatus. Interuenit autem
in medio huius negotij hæc ipſa illius ſanctitas, & ſalus veſtra. Nemo neget, nemo neſcire ſe ſimulet. Inde vos ade-
mit, vnde vos ſæpius, vt confidimus, à peccatis redemit. Quærebatis magnum, ſed verè ſummum reperiſtis. Probaſtis
Ioan. 12. in illo plane & impleta veſtra, & exuperata iudicia. Plus vobis vita illius reddidit, quàm fama promiſerat. Sicut au-
tem legimus Euangelicam illam ac beatam mulierem, effracto alabaſtro nardi pretioſi, vnguentum ſuper carnem Do-
mini profudiſſe, ita glorioſa illius anima aperuit latentes in ſe diuitias cœleſtium munerum, & de armario ſuaueo-
lentium virtutum, aromata ſanctificationum & gratiarum ſuarum ſupra omnem hanc Eccleſiam, quæ eſt Chriſti cor-
pus, effudit, & ad ipſum caput membrorum iuſtificatione tranſmiſit: & verè, vt dixi, repleta eſt vniuerſa hæc domus
Chriſti ex odore cœleſtis vnguenti.

Pſal. 41. QVID dicam eius voluntatem, vt fierent ei lachrymæ panes die ac nocte, & pro cibo ac potu hæc ſecum inceſ- XIII.
Contemnit præſentia, appetit ſemper manſura. ſabiliter ruminaret: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? vt præter vitam nihil eſuriret, præter iuſtitiã nihil
ſitiret: vt præſentia tanquam inania atque tranſacta, abſentante ſpiritu non videret, & in futuro repoſita, tanquam o-
culis ſubdita concupiſceret, & in latitudine cordis ſui ſpe diſponente atque imaginante depingerentur, vt faſtidio eſ-
ſent, quæ ſe adſpectibus offerebant: deſiderio autem illa, quæ ſe ſenſibus inſerebant: vt quanto amplius de ipſo ſapi-
entiæ fonte libaſſet, tanto ardentius æſtuaret? Habet etenim hanc vim dulcedo cœleſtium pulchritudinum, vt quanto
Eccli. 24. intentius quæritur, tanto intentius deſideretur. Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de ſatietate faſti-
dium: ſicut de ſe ſapientia ipſa teſtatur: Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.

ET ideo loquebatur, credo, ſecuro in conclaui & in cubiculo ſuo beata illa anima: O fragilitas humana, exi- XIV.
Gal. 6. guum eſt, quicquid agis propter ſpem æternorum. Quantalibet acquiſieris, non deſiſtas: quia adhuc ſupereſt, quod
requiras, ac totum ei videbatur parum, quicquid adhuc recipiebat augmentum. Vrgebat ſe Apoſtolicis adhortatio-
nibus, ſicut dicit: Bonum, inquit, facientes, non deficiamus: tempore ſuo metemus, non deficientes. Quid eſt ergo,
Ioann. 8. Bonum facientes? Id eſt: Si homo non impoſuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. Quantum enim
ſerimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Et quia non ad menſuram dat Deus ſpiritum, quantum ſe audi-
Operum merces in cœlis. tas inquirentis dilatauerit, tantum ſe aperiet manus retribuentis ad præmium. Oportet ergo, vt anima in bonorũ de-
ſideriis ſemper exerceatur, quæ nullis in proficiendo terminis coercetur: in comparandis ſibi cœleſtibus ornamentis
nullam patitur legem, cui accedere conceſſum eſt vſque ad diuinæ imaginis dignitatem.

INTER hæc ille exercitio infatigabiliter accinctus, ad noua merita nouus ſemper aſſurgens, corpore in terra XV.
poſitus, conuerſatione in cœlis fuit, & inuictum contra peccati iacula timoris perpetui ſcutum tenuit. Vocem illam
Iob. 31. B. Iob inceſſabiliter ſecum voluebat: Ego autem ſicut fluctus ſuper me tumentes timebam Deum. Felix terra, quæ ta-
lem genuit, ac de alumno patronum, de homine Angelum ad authorem remiſit. Huius ergo tanti ac tam præclari,
quæſo, vt nos & diſcipulos meminerimus, & filios: Rapiat vnuſquiſque quod poſſumus, de bonis inteſtati parentis
Sanctorum virtutes imitandæ. Hic de hæreditate eius aſſumat holoſericam, geſtorum varietate pretioſiſſimam: hic manſuetudinis ac ſimplicitatis
occupet talentum: ille eius pectoris beneuolentiæ ac ſapientiæ monile ſibi vendicet: hic margaritam compunctionis
& theſaurum caſtitatis inuadat. Licet enim ille locupletiſſimus Chriſti amicus quicquid habuit, integrum
ſecum tulerit, & nobis tamen, ſi volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus, bona illius
conſectantes, vt qui in æternam gloriam ſuſcitandus eſt ſub fine
ſeculorum, redditus Eccleſiæ ſuæ, per rediuiua
in filiis merita iam ſur-
rexerit.

EIVSDEM BEATI MAXIMI VITA, AVTHORE DINAMIO PATRICIO, IN QVA NONNIHIL INTERDVM CONATI SVMVS dictionem corrigere.

An. 466.

PRÆFATIO AD VRBICVM EPISCOPVM SERVATO STYLO AVTHORIS.

27. Nov.

DOMINO beatiſſimo Patri, Vrbico Papæ, Dinamius Patricius ſalutem. Cùm Apoſtolicæ pater fidei ardore ſuccenſus, vniuerſa de virtutibus S. Maximi, quæ fidelis relatio geſtorum manifeſtat, ſolicita indagatione perquiris, imperitiam meam pulſare non deſinis: paternis etiam monitis prædicandi authoritate confirmans, quod nõ parum ipſius delicti noxa reus efficiar, niſi omnia in vita eius, quam me ante aliquot annos rurali ſermone conſcripſiſſe conſtitit, ſtudeam addere, quæcunque vos de illius mirabilibus protinus manifeſtum eſt inueniſſe. Vnde ego gemino pudore confundor, cui nec loquendi facultas conceditur, nec ſilendi ſecuritas indulgetur. Si loquar, ſenſum monſtrat detecta ruſticitas imperitum. Nam ſi licuiſſet, vel de ſuccincta poteram dictione placere, cui non poſſunt dogmatis augmenta ſuccurrere. Inter vtramque ergo conſtitutus anguſtiam, præceptis veſtris parere diſpoſui, placiturus obedientia, non doctrina. Vetera vos igitur chartarum indicaſti reuoluiſſe volumina, in quæ quid ex eius operibus beatiſſimi Fauſti antiſtitis prædeceſſoris veſtri ſolertia deuota collegerat, vnde pauca ſenſu potiùs quàm obtutu, vix * decernere potuiſtis. Nam plurima æmulæ vetuſtatis edacitas conſumpſerat, quæ latebant. Quod niſi ſcriptorum meorum ſerie æternæ memoriæ traderentur pauca de pluribus, ſatis eſſe impium cenſuiſtis. Vnde me ex parte vos veſtris ſatisfeciſſe cenſeo, quod in longam ducta propaginem lectio multiplicata ſubſequitur. Quæ quoties audientibus fecerit dudum lecta faſtidium, ad veſtrum poterit pertinere delictum: ſi mercedis præmium contulerit, nihil exinde ad me ſimiliter pertinebit, qui compulſus veſtris imperiis, prolixiora conſcripſi, quàm volui, & refugium breuitatis omiſi. Me ergo, quem ſilentij peplo prudentiſſime paſtor expolias, & tegmine taciturnitatis exuis, ſupplico vt cum vniuerſo populo, diffuſo munias interceſſionis præſidio. Quoties lectionis redigitur longitudo, nec dictio impolita diſpliceat, quam tenor relationis ſanctæ commendat. Nam dubium non eſt, quod quantum integra deuotione cordis, ipſius ſancti Antiſtitis geſta præferis, tantum opera mediteris, vt eius integra auiditate mentis coneris ſequi veſtigia, cuius actionum diligis ornamenta: dummodo diuino beneficio, & ipſius patrocinio tibi concedatur temporalis vitæ prolixa tranquillitas, & ſancti operis expetita facultas, domine verè ſancte, & beatiſſime Papa.

*for. diſcernere.

I. BEATISSIMI Maximi Rhegienſis vrbis Antiſtitis hodie dies ſanctæ ſolennitatis colitur, qui quotannis rediuiuis temporum curriculis renouatur: cuius nos res geſtas pandere pia animi deuotio admonet, & priſca conſuetudo compellit. Niſi enim ea, quæ perſpicua & minime dubia aliorum relatione comperta ſunt, literarũ monimentis conſignentur, quæ antiquitus geſta ſunt, plerunque à nouis authoribus variè referuntur. Nam vt myſticæ actionis eius inſignia nihil habeant ambiguum, nihilque ex iis vulgaris aſſertio fabuloſum efficiat, aut de vanitate ſuſpectum, quæ ab illo facta ſunt & comprobata, veridico ſermone narranda ſunt. Ex quibus ipſis tamen, ne auditori nimia prolixitas afferret faſtidium, permulta reticuimus, annotauimus pauca.

Rhegium de quo hic auctor eſt vrbs in Gallia Narbonenſi.

Quam expediat in ſcripta referri Sanctorum geſta.

II. BEATVS Maximus in vico proprio, cui Decomeco vocabulum eſt, vitæ ſumpſit exordium, Chriſtianis parentibus editus, & factus ilicò Chriſtianus. Ab ipſis verò infantiæ rudimentis ſublimi ſemper humilitate creſcens, ita teneros ætatis annos morum maturitate caſtigauit, vt proprietatem nominis ſui gratia ſanctitatis ſibi vendicaret. Poſtquam autem exceſſit ex ephebis, luxuriæ illecebras & blandimenta animi magiſterio & cenſura edomabat, vt * pollicitatione virginitatis, palmam incorruptæ integritatis obtineret, & in regnis cœleſtibus è carne ſub iugum miſſa triumpharet. Fuit nimirum bonorum omnium ornamentis præditus, eſtque meritò laude ac prædicatione efferendus: quippe vultu venerabilis, blandus adſpectu, ore placidus, animo ſerenus, patientia fortis, magnanimitate conſpicuus, pacis amans, largus erga hoſtes, labentia faſtidiens, cœleſtium ardens deſiderio, temporalibus æterna comparans, temporaria pro æternis vilipendens atque contemnens. Et vt interius diuinæ legis præcepta cognoſceret, naturali ingenij acumine tantum in literis profecit, vt legendi auiditate paſtum quæreret animæ ſuæ, & inſtar apum æternæ ſuauitatis nectar hauriret. Quamuis autem omnia vitiorum carnalium fomenta protereret, & omni ex parte præclara conuerſatione fulgeret, at nihilominus vires corporis abſtinentiæ aſſiduitate frangebat, carnis vitia ante, quàm nata eſſent, perſequens & coërcens: ita vt ei ad martyrium nonniſi percuſſor defuiſſe videatur. Nam ipſe proculdubio martyrem ſe fecit & cruciatu, & merito.

S. Maximi patria.

*pollicita.

Votum caſtitatis.

Catalogus virtutũ eius.

Corpus abſtinentiis edomat.

III. PORRO etiam omnem facultatum ſuarum copiam deſerens, Lirinenſe monaſterium petiit, vbi ſempiternas diuitias iuſtus inueniret: Euangelica ſecutus præcepta, ſciens ſe perfectum fieri non poſſe, niſi venderet omnia ſua, & à cunctis opibus alienum ſe faceret. In ea autem congregatione cum omnes perfecta charitate diligeret, ipſe itidem ab omnibus amabatur. Tantus verò in eo feruor extitit, vt ante, quàm monaſticam viuendi regulam complexus eſſet vel myſtica inſtituta, iam conuerſatione præcipuus videretur, ac deinde ſancto Honorato deceſſori ſuo, ſummis virtutibus ornatiſſimo, qui illic Abbas fuerat, & honore ſuccederet, & meritis æquaretur. Qua in functione cùm gregem commiſſum paſtorali ſolertia cuſtodiret, & ſingulis noctibus, aliis ſomno occupatis, monaſterium luſtraret, præter morem accidit, vt monachus quidam adhuc puer, motus quadam curioſitate vel ſolicitudine, eum ſequeretur. Ecce autem beatiſſimi viri conſpectui diabolus inſidiator forma ingenti atque terribili ſeſe offert. Sed cum illum ſpiritualibus indutum armis terrere non poſſet, nec opinantem monachum tanto affecit terrore, vt trepido gradu ad cellam ilicò reuertentem, ardentiſſima febris mox corripuerit.

Petit Lirin. monaſteriũ

Matt. 19.

Succedit Honorato in Abbatis functione.

IV. RVRSVS pertinax ille impoſtor, ſperans ſe ſanctum virum vel aliqua ratione perturbaturum, ignei draconis ſpecie ſe illi oſtendit. Sed confeſtim Crucis ſigno territus, euanuit. Iam enim inuictus athleta hoſtem ſæpius ſuperatum minimè formidabat. Poſtquam autem totius inſulæ Lirinenſis peragrauit ambitum, ocyus acceſſit ad lectulum ægrotantis monachi, quem diximus in febrem incidiſſe: clamque apud illum intra arcana pectoris ſui, preces Deo fundens, id effecit, vt mox reſtitutus ſit incolumitati priſtinæ, & præda ſua fruſtratus ſit hoſtis eluſus. Itaque obtinuit gemina virtus inuictam victoriam, quando & vires ægroto reddidit, & aduerſarium ſuperauit: deplorante inimico iacturam quam fecerat: lætante monacho ſalute, quam recuperauit. Sic autem ſingulis noctibus paſtor egregius ouile Dominicum circumluſtrans, ne quid aduerſi accideret, ad littus æquoris, quod vocatur Moles, quandoque acceſſit, moxque veterator ille præſtigiis ſuis auſus eſt tanquam nauem onuſtam oculis eius repræſentare, nautaſq; ſuo more feruentes in opere, nauiſque inſtrumenta colligentes: duos verò ex illis ad beati viri latera accedentes, dicenteſq; ſe eò aduenιſſe negotiandi cauſa, quod non ſine ingenti lucro id fore rei euentus declaraſſet. Se noſſe illum Maximum, non minus ſanctitate quàm nomine; eumq; in locis tranſmarinis tantopere deſiderari ab omnibus, vt ſi eum obtinere poſſint, nihil ſint maiori in pretio habituri. Nullum ſe igitur maius facturos compendium, quam ſi ipſum naui impoſitũ poſſint abducere Hieroſolymam, præter opinionẽ ſucceſſu proſpero repertũ. Id verò proculdubio magno ipſi honori & dignitati fore, ſi felici curſu eò aduectus ſit, vbi intantũ votis omniũ expectetur. Sed vir Dei inſidias & malũ dolum inimici cognoſcens, ſanctæ Crucis ſigno ſe cõmunit, cœleſtẽ implorat opem, ac deinde ſpiritali authoritate ſic reſpon-

Crucis ſigno profligat ſatana.

Præſtigiæ dæmonum.

Vir ſanctus ſigno Crucis ſe munit.

reſpondet: Fallere non poteſt milites Chriſti nequitia plani & impoſtoris, nec ſuis fraudibus illis poteſt illudere ma-
lignus quibus Deus id præſtat, vt aduerſa præuidere queant. Hanc verò inſulam vſque adeo beatiſſimi Honorati cō-
munierunt preces, expulſo per eum dracone eius habitatore, vt nullus deinceps nocendi aditus in eam pate[illegible] diabo-
lo. Sub his verbis ab oculis orantis euanuit nauis commentitia: moxque ille reuerſus ad oratorium, hortatus eſt fra-
tres, vt ad vigilias ſurgerent: vnaque cum ſancta illa congregatione ipſe celeberrimas laudes perſolueret, per quem ab
hoſte victoriam reportarat.

Euaneſcūt dæmonum phantaſmata.

Anno 466. creatur Epiſcopus Rhegienſis, vt notat Baronius.

Alius virtutum eius catalogus.

Cvm autem fama inſignium virtutum eius per orbem vniuerſum volitaret, ad Rhegienſis vrbis Epiſcopatum V.
non modo ciuium, ſed etiam ſacerdotum ſiue Præſulum omnium ſtudio non minus raptus, quam electus, & quam-
uis inuitus, iliò conſecratus eſt. Etſi autem iam & re & nomine Maximus, vix habere videretur, in quo amplius cre-
ſceret, ne quid tamen nomini decederet, ſicut opere & factis permanſit maximus, ita & in honore excelluit. Inter cę-
tera igitur tectæ factorum, quę in illo refulgebant, ornamenta, patientia fortis, beneuolentia patiens, libertate alacris,
liberalitate abundans, magnanimitate beneficus, humanitate mitis, ſedulitate diligens, charitate ſuauis, largitate cō-
munis, doctrina præſtans, iuſtitia ſingularis, humilitate ſublimis, opum contemptor, dignitate copioſus & affluens
fuit. Templum in Rhegienſi caſtello in beati Albini honorem, quanta potuit animi deuotione, condidit, cuius co-
lumnas, quas hodieque illic cernere licet, iuga boum eò pertraxerunt, ſed ita tamen, vt nullam ſentirent tanti ponde-
ris moleſtiam, eius ſanctitate id efficiente, quamdiu ille ad templi ſtructuram operatius indefeſſus aderat. Quid ſi ve-
rò abeſſe eum contingeret, nequiſſimi dæmonis occulta machinatione adeò earum pondere premebantur boues
vniuerſi, vt nullis ſtimulis adigi poſſent ad progrediendum. Et ſi plures alij adiuncti eſſent, manebant immoti omnes,
quantumuis atrociter cæderentur atque ſauciarentur. Id vbi celer nuncius beatiſſimo antiſtiti ſignificauit, ille in-
cunctanter atque fidenter veniebat ad locum, nec terrore trepidus, nec mœrore perturbatus. Tum verò hoſtis ne-
quiſſimus eius oculos fallere non potuit, nec ſe ab eius conſpectu ſubducere, qui totius populi oculis conſpici non
poterat. Ait autem vir ſanctus ad illos: Fruſtra vexatis iumenta rationis expertia, dum inimici impedimenta cernere
non poteſtis. Ego verò paruum Æthiopem video, bobus ſeſe obucientem. Inde flexis genibus, orat ſupplex Deu[m], vt
hoſtis inſidias auertat. Eius preces malignus ille ferre non ſuſtinens, ocyus non ſine teterrimo fœtore recedit. Mox a-
motis bobus, qui aliis adiuncti erant, columnæ ſine difficultate vlla ad locum deſtinatum pertrahuntur.

Nequitia dæmonum.

Precib. dæmonem abigit vir Dei.

Neqve illud ob confirmandos Rhegienſium animos omittendum putauimus, quod cum beatiſſimus Anti- VI.
ſtes ad baſilicam ab ipſo conſtructam ſacras reliquias ſummo cum honore pſallendo adduceret, vbi ad vrbis portam
ventum eſt, ab improuiſo verſus ille ordine occurrit: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Vnde proculdubio
colligi poteſt, eius precibus vrbem illam adeò eſſe munitam, vt ſicut hactenus, Chriſto propitio nullus hoſtium incur-
ſus longo temporum interuallo pertulit, ita deinceps quoq; Deo fauente minime perpeſſura ſit. Facile enim eximius
ille paſtor, quem viuere teſtantur facta eius, poſt deceſſum ſuum apud Deum obtinere potuit, vt vrbs illa, in qua ipſe
fuiſſet antiſtes, præclaris meritis ſuis perpetuis temporibus munita ſit virtute corporis ſui in templo ſacratiſſimo, quod
condidit, coruſcante multis beneficiis, quæ illic omnibus præſtantur.

Pſal. 117.

Viuunt ſancti.

Ecce quo modo olim ſancti Patres vigilias celebrarint.

Cvm aliquando in eadem baſilica vir ſanctus inſtantia paſtorali vigilias celebraret, Anſani Diaconi Rhegien- VII.
ſis nepos, id eſt, fratris eius filius, quem paruulum parentes è vita abeuntes reliquerant, & ipſe nutriendum ſuſcepe-
rat, magiſque quàm ſi ſuus eſſet filius, diligebat, cùm in muro vrbis illius cum pueris luderet, è muro prolapſus, cer-
uicibus fractis, expirauit. Eius rei nuncio valde conſternatus Anſanus, accurrit celeriter, raptumque pueri cadauer o-
peruit veſtimentis, & ad beatum Antiſtitem clam deportauit, interim ſecum tractans, quemadmodum illum publi-
ce ad pedes eius deponeret, & vt vitam ei reſtitueret, ſupplex obſecraret. Sed quia nouerat probatiſſimum Chriſti
militem omnino fugere iactantiam, maluit eum perferre ad cubiculum eius, & in lectulo eius repoſitum operimen-
tis illius tegere, prorſus confidens, quod excitare eum poſſet precibus ſuis medicus ſpiritualis, quippe qui ægris con-
ſueuiſſet afferre ſalutem. Inde verò non ſine multo quidem animi mœrore, ſed tamen fiducia plenus, Epiſcopū adiit
in templo vigilantem, & ſtantem in loco ſuo. Eo viſo, clementiſſimus Præſul, vt ea, quæ geſta fuerant, explicaret, ſi-
lentium pſallentibus indixit: precibuſque ſolita deuotione completis, Diaconum illum Anſanum propter ea, quæ
fecerat, acriter obiurgauit. Sed ille non ſolum terroribus abigi non potuit, ſed magis etiam animo compunctus, ad pe
des eius ſe ſtrauit, exclamauitque ſe illos minimè laxaturum, niſi mortuum excitaret, dicens eum id poſſe facile, me,
quandoquidem nullo indicante iam cognouiſſet, quæ de puero facta eſſent. Hac ille importunitate compulſus, &
ratione conſtrictus, cum Anſano voluit ad lectulum ſuum ſecretò ſe conferre: ſed populi frequentiam vitare non
potuit, volentis tantæ rei miraculo intereſſe. Poſtquam igitur venit ad exanime pueri corpuſculum, diuinam cœpit
toto pectore implorare opem, apprehenſaque cum multa fiducia pueri manu, priſtinæ eum ſaluti reſtituit. Exclama-
uit autem populus vniuerſus: Gloria tibi Deus: nec quiſquam eorum inde remoueri ſe paſſus eſt, niſi videret mouen-
tem ſe puerum, & loquentem audiret. Ex quo populi tumultu vix opera clericorum ſuorum ad vigilias reduci po-
tuit. In hoc miraculo & magna Diaconi fides, & illuſtris Epiſcopi virtus enituit.

Mortuum puerum reuocat ad vitam.

Porro etiam cuiuſdam viduæ vnicam filiam adoleſcentem accidit è vita decedere: quam cùm mater miſe- VIII.
rabilis in feretro pro more efferendam compoſuiſſet, ad beatum Antiſtitem trepida properauit, cauſamque doloris
ſui lachrymis potiùs quàm verbis, ei indicauit, orans vt ad corpus exanime preces funderet. Id verò ſanctus Præſul,
pietate motus, nec negare, nec differre potuit: ſed ad cadauer accedens, ſublatis in cœlū manibus, Deum pronus im-
plorat, & vita redditur extinctæ. Confeſtim enim illa, tanquam graui ſoluta ſomno, expergiſcitur, oculos aperit præ-
grauatos, appellata ſurgit, mater eius immenſo afficitur gaudio, populus omnis obſtupeſcit: Epiſcopus qui virtutum
meritis mortis iura reſoluerat, fugiens iactantiam, ilicò ſe ſubducit: ſed populus magnis vocibus laudans Deum, ma-
ximam veſtimenti eius partem, reliquiarum loco eam habitura, ciuili quadam violentia diripit & diſcerpit: ita vt pro-
pter eius declarandas virtutes, id quod ægrè ad humeros eius relictum fuit, hodierna fidelium deuotione aſſeruetur.

Item puellā quandam.

Subducit ſe vitandæ inanis gloriæ cauſa.

Adoleſcentvlvs quidam rabidi canis morſu præfocatus periit. Vidit id populus, abit ad Epiſcopum, IX.
orat vt ad extinctum hominem veniat. At ille ancipiti cogitatione ſuſpenſus, dum hinc non poteſt contemnere lacry-
mas ſupplicantium, inde ab oſtentatione ſibi metuit, tādem pietate vincitur: facit quod rogabatur, venit ad mortuū
hominem, tollit manus in cœlum, pariterque ſtillantes oculos, adſpectante populo excitat defunctum. Adſunt pa-
rentes, pugnis ſua verberant pectora, ora lachrymis vſque adeo rigant ſuper filio, vt è terra ſurgere non valeret, licet
iam rediuiuus. Interim manum vnam patri, alteram matri porrigens, nutantia membra illis erigentibus ſuſtollit. Ac-
clamat populus, Deo gratias: ille vitæ redditus, ad ſuum redit hoſpitium, cui iam ſepulcrum parabatur, parentes in-
credibili exultant gaudio: viuere hominem, qui mortuus fuerat, vix ipſis oculis ſuis credunt. Ecce autem canis ille,
qui & hunc adoleſcentem, & multos alios infeſtis morſibus laniârat, in Epiſcopi conſpectum venit: commotus Epi-
ſcopus, proiecto baculo, erectis ſurſum manibus orat Dominum, mox efflat in canem, iſque vita deſtituitur. Non ta-
ne admirandum videtur, beatum Epiſcopum, dum ſibi commiſſum cupit tueri gregem, eius hoſtem ictu lethifero
perdidiſſe: neque id gladio, aut armata manu, ſed flatu oris ſui. Porrò vulnera, quæ canis ille dentibus ſuis inflixerat
multis è plebe, precibus & Crucis ſigno adeò curauit beatus Epiſcopus, vt nulla eorum veſtigia apparerent.

Alium quendam excitat.

Flatu ſuo rabidū canem extinguit.

X Bos petulans cornu hominem miſerè lacerârat, eius effuſis inteſtinis. Mox illum adducunt quidam ad Epiſcopum. Is tametſi in cūctis miraculis timebat ſibi, nè animi elatione pulſaretur, attamen tā malè ſaucium hominem clementer excipit, calidis fomentis extra eius manibus ſuis pertractata confouet, reponit in locum ſuum per vulnus à boue inflictum, ipſum vulnus adhibita ſpongia leniter obligat, feriò hortatur, nè quis præter ipſum, illud ſoluere auſus ſit. Indè ſeptimo die ligamina auferens, tam ſanum reperit hominem, vt vix vllum vulneris ſignum relictum videretur.

Sanat hominem miſerè ſaucium.

Teneros corporis ſui artus vir ſanctiſſimus perpetua cilicij aſperitate domabat, quo pro interiori tunica vtebatur, nec id crucis ſtudio vnquàm depoſuit, ſed in illo etiam ſe iuſſit ſepeliri. Lauacris vti nunquàm voluit, nè animi conſtantia, qua calcatis carnis oblectamentis & illecebris, martyrium ſuſtinebat, emolleſceret. Cæcus quidam annis quindecim perpetua damnatus caligine, virum ſanctiſſimum continenter deprecabatur, vt ſuis precibus lumen ipſi reformaret. Sed Epiſcopo hoc ob vitandam oſtentationem differente, Ruſticum ſubdiaconum, qui ei ſeruire conſueuerat, cæcus rogauit, vt noctu Epiſcopo eccleſias viſitante, ipſum perduceret ad templi veſtibulum, vndè ille eſſet egreſſurus. Fecit id ſubdiaconus, & vir beatus dum vult excedere è templo, in cæcum pedibus molliter impingit: cæcus eius veneranda veſtigia ſupplex amplectitur, orat viſum ſibi vt reſtituat. Itaque Epiſcopus fidenter obſecrat Dominum, Crucis ſignum imprimit oculis eius, & diù extincta lumina mox reparantur. Oſculatur hominem Epiſcopus, obteſtatur, vt rem apud ſe tacitam habeat, quod tamen ille præ immenſa animi exultatione præſtare non potuit: quanquàm etiamſi celare ille voluiſſet, quod ſecretò factum erat, non potuit tamen manere occultum, quod palàm omnium oculis cernebatur.

Cilicium eius.

Crucis ſigno & precibus cæcū illuminat.

XI. INNVMERA ſunt beatiſſimi antiſtitis miracula, nec poſſunt omnia commemorari, quantumuis prolixa texatur oratio. Facilimum ei erat illuminare cæcos, ſanare claudos, vita functos excitare. Deniqne nihil non efficere poterat, qui intra ſe manentem habebat Spiritum ſanctum. Intereà autem, dum tot claret miraculis & immenſis myſterijs, diem obitûs ſui diuina reuelatione cognoſcit. Tum verò publicè ſumma humilitate ab omnibus contendit, vt ipſi permitterent priùs natale ſolum & propinquos inuiſere ſuos. Quod etſi illis magnum afferret animi dolorem, attamen abijt ille ad ſuos, obitumq; ſuum iam imminere, illis prædixit. Itaq; aduentu ſuo eos mirum in modum exhilaratos, hoc triſtiſſimo nuncio non mediocriter perturbauit. Et ecce dum ille ſe tanquàm ſomnum capturus, in lectulo reponit, inter pſallendum ſub officio diuino, extremum halitum efflat, feliciterque commigrat in cælos quinto Calendas Decembris. Tanta autem illic tum ſuauiſſimi odoris copia extitit, acſi vniuerſi flores verni temporis eum in locum comportati eſſent. Obitûs eius fama velox non modo vrbem, ſed orbem compleuit vniuerſum. Occurrerunt vndiquè fideles populorum cateruæ, certatim cupientes vel operimentum vehiculi eius contingere, eiuſmodi contactum ſalutaris præſidij loco habituræ.

Feliciter exit è vita Vimæ in territorio Taruanenſi teſte Molā. in Natal, & Indic. SS. Belg.

XII. ADOLESCENTVLA quædam è vico, cui Decimæ vocabulum eſt, mortua ad ſepulchrum deportatur, cadauere iam in capſa lignea compoſito, ſed arca ipſa necdùm cooperta. Vt autem audiêrunt illi, qui eam efferebant, voces pſallentium, & ſacrum corpus beati Epiſcopi proſequentium, cum lachrymis petiêrunt, vt feretum quod geſtabant, ſuper puellæ corpus traheretur. Illi verò ardore fidei incenſi, nec dubij de effectu, ſanctas eorum preces minimè reijciendas putârunt. Cumque id fieret, quod illi petiêrant, homines inter ſe colloquebantur, virum Apoſtolicum beatum Maximum, cui nunquàm diuina gratia defuiſſet, quamuis naturæ iam perſoluiſſet debitum, tamen virtutibus & meritis viuere. Simul igitur omnes fidiſſima animi deuotione ſeſe proſtrauerunt, prolixeqne orantes, ac deindè ſurgentes, cùm ſepties Kyrie eleiſon clamâſſent, puellam viderunt rediuiuam. Quamobrem ingens eos terror inuaſit, commixtimque ſtupore & gaudio complebantur. Puella, veſtibus reiectis funebribus, & alijs induta, populi frequentis adiuncta turmis, publica voce ſalutis ſuæ teſtimonium in ſancti Epiſcopi laudem dicebat his verbis: O beatiſſima ſacerdotis merita. O beatum virum, vitamq; beatam Pontificis: qui vt ſe diuina remuneratione æternùm viuere declararet, poſt mortem, mortuam ſuſcitauit.

Mortua puella ad eius exanime corpus reuiuiſcit.

XII. IMPORTATVM deniquè eſt corpus beatiſſimi antiſtitis in oppidum Rhegienſe, & cum multa celebritate humatum in eccleſia beati Petri, quam ipſe condiderat, quæ poſteà ipſius nomine appellata eſt, ob crebra eius patrocinia: vbi quicquid fidenter petitur, Chriſto auxiliante obtinetur. Non ſit igitur fides dubia, cùm ſit virtus infinita. Non diù pôſt, cùm in ſancti viri commemoratione multa referrentur à multis, Cariatto ſubdiaconus, vita ſanctiſſimus, publicè hæc teſtatus eſt: Nemo noſtrûm dubitet, inquit, beatiſſimum Maximum, de cuius virtutibus tam multa, ſuggerente veritate, feruntur, cùm in mortali degeret corpore, non minùs cum Angelis, quàm cum hominibus verſatum eſſe. Quem enim nobiſcum tenebat humana conditio, eum beatis ſpiritibus aſſiduum exhibebat dignitas meritorum. Quadam nocte, imminente celeberrima beati Andreæ ſolennitate, cùm deputatus ego eſſem, qui ad vigilias excitarem, & primo noctis tempore blandus me ſolicitum oppreſſiſſet ſomnus, dulces pſallentium audiui melodias: moxque excitatus, non ſine perturbatione multa è lecto me proripui, quòd putarem me opportunum excitandi tempus neglexiſſe. Tum verò longè etiam dulciores, quàm humanis poſſint ſtudijs effici, ſpiritalium cantionum melodias hauſi auribus meis. Continuò igitur ad ipſius * arcis veſtibulum ſuſpenſo me gradu contuli, atque illic beatiſſimos Apoſtolos Petrum & Andream, ad complendam cum ſancto Maximo orationem, alternis honoribus ſe præuenientes ego peccator audiui. Cumque tandèm iugi oblatione compulſus beatus Maximus, eos diutius differre non poſſet, his verbis compleuit officium: Sit gloria Dei benedicta in æternum & in ſæcula ſæculorum: reliquis reſpondentibus, Amen. Ego verò perquirendi ſtudio propiùs accedens, neminem illic videre potui, præter ſacratiſſimum Maximum, prono vultu & corpore in templi pauimento proſtratum. Ille autem ſurgens, meam indigni peccatoris curioſitatem his verbis reprehendit: Arduum eſt humanæ fragilitati, ſanctorum ſecreta cognoſcere, & temerarium, velle rimari. Audi ergò, quæ tibi præſcius ego iam dicturus ſum: Ea quæ vidiſti & audîſti, caue nè euulges. Quocunque enim die id feceris, ex hac luce migrabis. Id verùm iam euentu rum ſit, ex Dei pendet arbitrio. Ego quidem excellentis eius virtutis memoriam & teſtimonium poſteritati relinquo, vt nè quis mortalium ignoret, quemadmodum iuſti homines ſanctorum poſſint frui commercio & conſuetudine. Huic autem narrationi abundè multam conciliauit fidem, quòd eodem die ſubdiaconus ille, ſicut ei à beato Maximo prædictum erat, deſijt eſſe in humanis: & quia non potuit viuendi producere terminum, nec myſterium celare voluit.

Sepelitur ſanctum corpus eius in eccleſia S. Petri, quā ipſe extruxerat.

* vrbis

Viſio Cariattonis ſubdiaconi.

S. Maximus prædicit ei obitum ipſius.

Nos igitur tota deuotione ſummoq; animi ſtudio rogemus omnipotentem Deum, vt beatiſſimi Præſulis huius patrocinio fretis nobis det veniam peccatorum, animumque noſtrum à lætalibus vitijs purum ſemper conſeruet is, cui præſens celebramus officium: in quo præſtando tales nos exhibeamus præſentia corporum, vt mentes fulgeant lumine charitatis: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum coæterno Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

De miraculis ad ſepulchrum eius fieri ſolitis, agit Greg. Turonenſ. de gloria Confeſſorum cap. 83.

An 760

VITA S. VIRGILII SALISBVRGENSIS EPISCOPI ET KARINTHIÆ APOSTOLI, SCRIPTA à DISCIPVLO S. EBERHARDI EIVSDEM

Eccleſiæ Epiſcopi. Item miracula in eius inuentione & translatione edita. Canonizatus eſt S. Virgilius à Gregorio IX. Pontifice vt ex veteribus monumentis teſtatur Baronius.

27. Nov.

I. AD præſentem beatiſſimi patris noſtri Virgilij memoriam, ſuperna beatorum ſpirituum curia, & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia, quæ dum tantæ prolis felici feliciter aſſumptione dominatur, multorum multo felicius, per eam filiorum quotidie acquiſitione multiplicatur. Exultet & ſupernæ ciuitatis filia, in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum iam ſibi videt in cœlis, quem paſtorem habebat in terris, qui m ſicut in via ducem, ſociumq; laboris acceperat, ſic per eius ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri quod ſperat; præcipua vero ac ſingulari lætitia ad tanti viri præconia, noſtra ſpecialiter concurrat Saltzburgenſis Eccleſia, quam ab idololatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipſe in Karinthia verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fœcundauit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornauit. Ecce ſummi patris agricola, ſicut oliua in domo domini fructifera, quod ſeminauit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot ſpiritales domino filios, verbo ſalutis peperit, quaſi tot animarum manipulos veniens in Reſurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis dominicæ pecuniæ diſpenſator & prudens, in gaudium domini ſui intromiſſus feliciter exultat, quia ſuſcepta verbi menſura familiam domini feliciter aluit, & ſapienter inſtruxit, qui collatum ſibi diuinæ gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum Domino reſtituit, ad cuius vitam temporalem inueſtigandam, miracula, quæ per eum Dominus operatur, nos diligentius hortantur.

Pſalm. 51. Pſal. 125. Luc. 12.

S. Virgilij patria.

II. BEATISSIMVS igitur Virgilius in Hibernia inſula de nobili ortus proſapia, literarum ſtudijs ita animum applicauit, vt inter doctos ſui temporis atq; climatis doctiſſimus haberi potuiſſet. Morum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit, & tamen non virtute relicta, inuidiam quorūlibet placando, dictum illud exoptabile in ſe digne meruiſſet transferri, Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, cuius nomen exquiretur à generatione in generationem. Vt itaq; Dominus miſericordiam ſuam à progenie in progeniem oſtenderet, ſeruum ſuum Virgilium ſtrenuum vtiq; dominicæ vineæ plantatorem, & futurum Karinthiæ Apoſtolum de natali ſolo Hyberniæ ad Franciam miſit. Vbi ab illuſtri Francorum Rege Pipino qui maior domus dicebatur, apud Kariſiacum honeſtè exceptus fuit. Et quia literarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberauit, Rex eum ſicut tubam Euangelicæ prædicationis libenter audiendo, ſecum ferè duobus annis propter Dei amorem retinuit. Temporibus verò Ottilonis ducis Bauariorum, qui tunc cum tota Norica prouincia ſubiectus fuit prædicto Regi Francorum, Saltzburgenſis Eccleſia, q̃ ab antiquo vocabulo à iuuando dicta fuit Iuuauia, proprio carebat Epiſcopo, ſed Rex Pipinus princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ non modico ſuſpirans deſiderio, Epiſcopatū Saltzburgenſem pro debito regiæ magnificentiæ, ſancto conceſſit Virgilio, eumq; prænominato duci Noricorū vtpote amico cariſſimo tranſmiſit, ſummo cum honore excipiendum. Vir itaq; Domini diſſimulata ordinatione fermè duorum annorum ſpacijs, habuit ſecum laboris & coronæ participem Epiſcopum comitantem de patria nomine Dobda ad perſoluendum Epiſcopale officium. Poſtea ad inſtantiam populi, nec non aſſidua coepiſcoporum ſuorum exhortatione inductus, ab ipſis vnctionem Epiſcopalem ſuſcipere conſenſit, ordinatusq; eſt à prouincialib. Præſulib. anno natiuitatis Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo* ſeptimo. XVII. Kal. Iulij. Deinde prout cōmiſſæ diſpēſationis auctoritas exigebat, quod ore dieq; & noctu docuit, operis exhibitione implere non ceſſauit, in vigilijs, in ieiunijs, & in caritate demum non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant vtilitatem prouiſionis, tanto ſollicitius ſtuduit promouere; quanto Status Saltzburgenſis Eccleſiæ, tunc nuper initiatus, & exiguis, poſtea Deo cooperante, vt liquidò apparet religione & poſſeſſionibus famoſiſſimus id expoſtulare videbatur. Quippe † fabricam, monaſteria immenſo opere, & egregia diſpoſitione à fundamento conſtruxit, corpuſque [a] ſancti Rudberti, quod poſt obitum ſuum, in Eccleſia ſancti Petri principis Apoſtolorum requieuit, vna cum ſede Epiſcopali, quæ in prætaxata Eccleſia, ſimiliter per aliquot annos extiterat, diuina communitus inſpiratione, tranſtulit in eum videlicet locum, in quo vſq; ad præſentia tempora perdurauit.

Eccli. 45.

In Frāciam venit & à Pipino Rege excipitur.

Salzburgēſis vnde dicta Iuuauia.

S. Virgilius Saltzburgenſi Epiſcopatu à Pipino rege donatur.

Anno 767. Epiſcopus ordinatur.

* *al. ſexto.*

2. Cor 6.

† *fabricam monaſterij.*

[a] S. Rudberti corpus, & ſedem Epiſcopalem transfert.

Temporibus verò glorioſi Regis Francorum Dagoberti, Samo nomine quidam Sclauus manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illius. Qui venientes negociatores Dagoberti Regis iuſſit interficere, & regia exſpoliauit pecunia. Quod dum comperit Rex Dagobertus, miſſo exercitu ſuo, damnum quod ei Samo contumaciter intulerat, iuſta præcepit vltione puniri, & ſic demum Regis ſeruitio ſubacti ſunt.

Dagobertus Sclauos Quarantanos ſubigit.

Non multo tempore cœperunt [b] Huni eoſdem Quarantanos hoſtili ſeditione grauiter affligere, fuitq; Dux tunc eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos videns interim Bauariis nunciare fecit, rogans eos ſibi in auxilium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes expugnauerunt Hunos, & obfirmauerunt Quarantanos, ſeruitutiq; eos Regum ſubiecerunt, ſimiliter & confines eorum. Duxeruntq; inde obſides ſecum in Bauariam, inter quos erat filius Boruth nomine * Karaſtus, quem Pater eius more Chriſtiano nutriri & baptizari poſtulauit, quod ita factum eſt. Similiter de † Chettumaro filio fratris ſui fieri rogauit. Mortuo autem [c] Coruth iuſſu Francorum, Bauari Karaſtum Chriſtianum factum, petētibus eiſdem Sclauis remiſerunt, & illi eum ducem fecerunt, ſed poſtea ille tertio anno defunctus eſt. Iterum autem permiſſione Domini Pipini Regis, populis idem petentibus Chetimarus Chriſtianus ducatum ſuſcepit [d] Suggerente verò quodam presbytero nomine Maiorano, qui à ſancto Virgilio, in Iuuauo monaſterio manus impoſitionem acceperat, quem ſecum propter doctrinam Chriſtianæ religionis detinuit, ad Iuuauenſe monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſeruitium Dei declinauit, ſingulis annis, quodum vixit, in ſignum ſubiectionis ſuæ aliquod obſequium illuc perſoluendo.

[b] Hunni Quarantanos inuadētes vincuntur.

[c] *Borutho.*

* *al. Cacatius ſic & poſtea.*

† *al. Chetumaro, vt & poſtea.*

[d] *Al. add. Cui & Lupo presbyter, ordinatus Iuuauenſi ſedi, dedit nepotem ſuum nomine Maioranum presbyterum iam ordinatum. Et quia cōpater eius erat idem Lupo presbyter, docuit eum, vt ad Iuuauenſe monaſterium ad Chriſtianitatis officium ſubderet Quem ſuſcipientes ijdem populi Ducatum illi dederunt. Ille vero ſecum habens Maioranū presbyterū, in Iuuauenſi monaſterio ordinatum presbyterum, qui admonuit ipſum ad illud monaſterium ſuum caput declinare in ſeruitium Dei, ille ita fecit ac promiſit ſe ad ipſam ſedem ſeruiturum, ſicut & fecit, atque annis ſingulis ibidem ſuum ſeruitium perſoluebat, & inde ſemper doctrinam & officium Chriſtianitatis percepit vſque dum vixit.*

III. PERACTIS a. aliquantis temporib. prænominatus Dux Karantenorum petijt. ſanctū Virgilium Epiſcopū viſitare populū gentis illius, eoſq; in fide firmiter cōfortare. Quod † etiam ille implere minime valuit, ſed ſua vice miſſo ſuo Epiſcopo nomine Modeſto, ad docendam illam plebē, & cum eo Watronem, Reginebertum, Gozarium atque Latinū presbyteros ſuos, & Ekihardum diaconū cum alijs clericis, dans ei licentiam conſecrare Eccleſias, ordinare iuxta canonum diffinitionem, nihilq; ſibi vſurpare, quod decretis ſanctorum Patrum contrairet. Qui venientes Karantanis, dedicauerunt ibi Eccleſiam ſanctæ Mariæ virginis glorioſæ, & aliam in Liburnia ciuitate, ſua Adundrinas ciuitate, & in alijs quàm plurimis locis, ibiq; Modeſtus Epiſcopus, permanſit, vſq; ad finem vitæ ſuę. Eo igitur defuncto Epiſcopo, poſtulauit iterum Chethmar Dux Virgilium Epiſcopum, ſi fieri potuiſſet, ad ſe venire; quod ille renuit, orta ſeditione quod * Carinula dicimus, ſed inito conſilio dimiſit ibidem Latinum presbyterum.

† *tunc*

* *ſua Adrūcrinas ciuitate abeſt in alio exemp.*

* *Carnula.*

Et

Et non multo poſt orta alia ſeditione, exiuit inde ipſe Latinus presbyter. Ea vero ſedata, mi[illegible] iterum Virgilius [Ep]iſcopus Madelhohum presbyterum & poſt eum [a] Wargiamnum presbyterum. Mortuo autem Ketmaro, & orta [illegible] a ſeditione, aliquot annis nullus presbyter ibi erat, vſq; dum [b] Waltunc Dux eorum miſit * iterū ad Virgilium Epiſcopum, & intentè poſtulauit, vt ad confortandam in fide prædictam terram aliquos deſtinaret presbyteros. petitioni igitur memorati Ducis & incremento & ſanctæ Eccleſiæ conſulens, miſit [c] Hermonem & Reginbaldum presbyteros, atq; Maioranum diaconum, cum alijs Clericis viris [d] vbique religioſis & honeſtæ conuerſationis. Et non multo poſt miſit ibidem iterum eundem Heimonem & Dupliterum ac Maioranum presbyteros, alioſq; Clericos cum eis. Iterum miſit eis Gozarium, Maioranum, Erkenbertum & Auguſtinum presbyteros, [e] poſt eos Rembaldum, Reincharium presbyteros. Item Remboldum, Gimcharium.

S Virgilius ſecūdò ſubmittit Karinthijs doctores.
[a] VVarmānum.
[b] VVatunc.
* Tertia miſſio eiuſdem.

[c] *Inſ. Heimonem.* [d] *vtique* [e] *poſt eos Rem. Reinc presb* deeſt in alio.

IV. His ita geſtis, ad extirpandam funditus & eliminandam, ſi qua [f] in re viſa eſt barbaricæ ſuperſtitionis idololatria, atq; ad confortandum penitus in fide, frequenti prædicatorum diligentia plantatam ſuæ diœceſis Eccleſiam, prouidens, ac prouida circumſpecti paſtoris vigilantia, per villas & prouincias verbum vitæ vbertim ſeminando, diu deſiderabiliter optatam ouibus ſuæ propriæ viſitationis præſentiam exhibuit. O quanta principum cuiuſcunq; religionis obuiam illi cum pompa præcedentium exultatio, quam laudabilis ſpiritalium virorum viciſſim ſtipatim, immo certatim Dominum & Patrem ſuum inuitantium deuotio, quorum profecto petitionibus vir ille ſanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens Eccleſias conſecrauit & per Karinthiam ſenſim tranſeundo ad fines Hunorum vbi [g] Trabus influit Danubium, quo etiam poſtea tempore Arnonis primi Archiepiſcopi territorij Salzburgenſis, termini chronicis attentantibus extendebantur ſaluberrimæ viſitationis vſus officio pertranſijt, palmiteſq; cœleſtis vineæ propagando Clericis ad ſacros ordines promouendis, vt ſingulos arbitrabatur dignos, benedictionis ſuæ manum impoſuit. Inæſtimabilis igitur ſanctitatis & meriti, beatus Dei Præſul Virgilius feliciter ac ſtrenue ſui laboris curſu conſummato, poſt [h] emerſas pelagi mundani tempeſtates, ad metam huius peregrinationis, & ad portum ſalutis Ieſum Chriſtum declinans, diſſolutionem [i] ſui iuxta neceſſitatem conditionis humanæ, imminentem diuinitus ſibi reuelatam longe ante præſciuit, quam Euangelicæ Dominus vineæ ſub perſona patrisfamilias ex conuentione diurni denarij corona immortalitatis remuneraturus, pro temporalibus æterna, pro terrenis felici commercio tribuens cœleſtia, de carnis ergaſtulo liberandus, huiuſmodi vocib. creditur inuitaſſe, Virgili ſeruus meus es tu, quia in te complacuit animæ meæ, ingredere iam in l. c. [k] & l. s. h. [l] Quæ vero miſericordia & ineffabilis diuinæ diſpenſationis effulget prouidentia, quæ dum ſanctum ſuum Iuuauēſi Cathedræ præficiendum, olim ab vltimis occidentalis Heſperiæ partibus aduexerat, ibidem pariter depoſitionis el mauſoleum de medijs Pannoniæ finibus reuertenti præparabat. Rediens itaq; celerius & memoratam illam ciuitatem ſuam intuitus, amariſſime fundendo lachrymas, hunc viſus eſt decantare verſiculum, hæc requies mea, &c. Celebrato deniq; diuini Sacramenti myſterio, leni morbo correptus, anno Dominicæ incarnationis D. cclxxx [m] 4. Kalend. Decemb. obdormiuit in Domino, cuius corpus in latere meridiano monaſterij, cuius ipſe xij annis fabricator, & in tertio decimo conſecrator extitit, prout tantum decuit pontificem, honorifice fuit repoſitum, ſacer autem ſpiritus eius, ciuium conſortio gaudet ſupernorum.

[f] *al vigere, al. in genere.*
S Virgilius Karinthiam viſitat.
[g] *Drauus.*
Obitum ſuum præſciuit.
[h] *emenſas*
[i] *ſui corporis*
[k] *d s. s.*
[l] *Quam vero mira.*
Anno 780. feliciter migrat è corpore
[m] *5. Kal. habes cap. ſeq.*

V. Anno * vero Dominicæ incarnationis M. Clxxxj xiiij. indictione, xiiij. Kalen. Martij, ſub Alexandro Papa III. Apoſtolatus ipſius xxj. & vltimo, regnante ſereniſſimo principe Friderico Romanorum Imperatore Auguſto, anno regni eius xxviii. & conregnante ſibi filio eius Heinrico Romanorum rege glorioſiſſimo Otto de Wittelinſpach inclyto Duce Bauariæ Ducatum tenēte, ſupra memorati fabrica monaſterij, quæ ſchiſmatis perſecutione cōflagrante ante aliquot annos diruta & diruenda deperierat, ſumptibus & iuſſu paſtoris † Chunradi præclariſſimi Saltzburgenſis tunc Archiepiſcopi, Apoſtolicæ ſedis tunc in Allemannia Legati, Cardinalis presbyteri ſancti Marcelli, Sabinenſis Epiſcopi, modo autem Moguntinēſis Archipræſulis, dum à fundamentis cœpit ædificari, ſancti Spiritus cooperante gratia, & diuinæ maieſtatis ſuffragante clementia, corpus beati Virgilij quod ob immenſi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit reuelari. Quadam die [*] factum eſt, vt lapides è muro elapſi aliquantulum intro ſpectandi, aditum tranſeuntibus præbuiſſent; diligentius aliquibus [n] licet ipſum conſiderantibus concauitatis patuerunt indicia & picturæ vetuſtioris deaurata illic viſa ſunt [o] ſtemmata. Porro Canonicis huius rei nouitatem perquirentibus, & latius eiuſdem muri aperturas patefacientibus, inuenta beati Virgilij octaui poſt ſanctum Rudbertum Saltzburgenſis Epiſcopi tumba & depicta imago, eiuſdemque imaginis huiuſcemodi Epigramma:

Virgilius templum conſtruxit ſchemate pulchro.

Et præterea dies obitus eius, [p] 5. Kalend. Decembris iſdem vero dignus Deo Pontifex, vt in annalibus noſtris reperimus maioris Eccleſiæ, & in qua & ſepultus fuit, primus extitit fundator; & beati Rudberti ac ſedis Epiſcopatus in ipſam Eccleſiam, qua nunc eſt, pius tranſlator. Tempus etiam, quo dictus pontifex obierat, anno incarnati Domini D. cclxxx. in eiſdem annalibus inuenimus.

* De inuentione S Virgilij & miraculis & vita ipſius.
† Chūradus Archiepiſcop. Saltzburgenſis.
Corpus eius qui reuelatum.
[n] *hoc*
[o] *ſchemata.*
[p] *4. Kal. cap. præcedenti.*

Ad tantæ igitur rei ſpectaculum plurimis nouarum rerum cupidis, vt fieri ſolet, confluentibus, non pauci à doloribus diuerſis ſunt alleuati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, iuuenis quidam Diaconus & Eccleſiæ eiuſdem Canonicus, inter cæteros dictum locum patefaciens, illa vana curioſitate magis quàm pia deuotione accedens, præſumptuoſe effoſſa humo manum ſiniſtram venerandis oſſibus iniecit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & in proſperum hoc ipſum, ſicut rei probauit euentus, ſucceſſurum non fore aſſerentibus.

Verùm ille hæc omnia corde obſtinato paruipendēs, nihil de ſanctarum violatione reliquiarū, quæ tot annis intactæ, ac decenti veneratione abſconſæ latuerant, curabat. Interea fama inuentionis ſancti Præſulis crebreſcente, mulier de ciuitate Salzburg, cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per reuelationem nocturnam admonita, candelam ad menſuram ſui corporis ſuper famuli Dei ſepulchrum tranſmiſit, candelaq; incenſa, ſtatim puerum enixa conualuit. Quædam [a] autem ipſius mulieris conuicanea, cum irremediabili & diuturno viſcerum dolore torqueretur, fidem eius ſecuta, eodem modo candelam tranſmiſit, & ſubito curata eſt.

Periclitata in partu ſancti meritis enixa, conualeſcit.

[a] Item alia viſcerum dolore cruciata.

Tertio quoq; miraculo mulier quæ manuum contractione detinebatur, ad ſepulchrum viri Dei deferens, in itinere ſanata eſt. Poſt hæc infans cæcus quinq; ab ortu habens hebdomadas à parentibus illius delatus, viſum recepit. Item mulier quædam à lippitudine oculorum curata eſt ibi.

Alia eiuſdē miracula.

Sane Diaconus ille quem præmiſimus horum miraculorum incredulus, obl[illegible] fidelium, quæ iam pia deuotione à plurimis illuc deferebantur rapere, & vſibus ſuis attrahere non timuit, nec [illegible] contentus mulierculam ibidem orantem, ipſe ſanctas reliquias ſubſannans, irreuerenter præſumpſi[illegible] igitur diuina vltione ſtatim correptus à dæmone, oculis terribilibus, ore hianti circumquaq; diſc[illegible], primamq; vexationis ſuæ & veſaniæ notam in quodam presbytero Eccleſiæ theſaurario, q[illegible] ſolum illic repererat oſtentans, ipſum presbyterum pugnis & alapis cæſum, vnguibus quoq; diutiſſi[illegible]

Diaconus ſanctitati Virgilij derogans & contumeliosus, d[illegible]

Superueniente autem vno ex manſionarijs Eccleſiæ cum presbyter præfatus è manibus arreptitij ſublatus, interius ſacrarij cubiculum, oſtio poſt ſe clauſo confugiſſet, ipſe arreptitius dæmone plenus ad ſui ipſius internecion[em] cœpit armari, & cum iam alium non videret, in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus omnibus exutus, vtpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit, plurimiſq; ictibus valido conatu pectus cœpit tranſfodere, presbytero & manſionario prædicto intuentibus, & præ pauore nimio, accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus & manus vulneribus multis cruentaſſet, nec tamen vſquequaq; Deus ipſum ad maiorem & euidentiorem famuli ſui Virgilij oſtentationem reſeruauit, præcordia perforaſſet, collapſus ad terram toto conatu collum & guttur incidere temptabat.

Violentas manus ſibi ipſi affert

Tunc itaq; presbyter & manſionarius, qui prius ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem videntes, audaciter erumpentes ſuper ipſum irruerunt, ferrumq; de manu eius eripiunt. Iam vero plurimi clamore excitati, ad ipſum iuuenem concutiere cœperunt; ſed ipſe elapſus in tenebris, quia erat crepuſculum, curſu velociſſimo, turrim conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, eum * ad alia necis ſuæ conuertitur argumenta, funemq; campanæ laquei vice collo circumdans, de feneſtra turris exiliuit.

** fort. inſtigante.*

Laqueo ſe ſuſpendit

Duo autem ex pueris è veſtigio ipſum inſecuti, vbi turrim aſcendebant, pendentem eum & palpitantem inuenerunt, retractumq; Dei gratia iuuenem à laqueo abſoluunt, & inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porro cũ ad viciniam ſepulchri beati Virgilij eſſet adductus, inter ſemetipſum frendens cœpit obniti, & retrorſum labi & corruere, manumq;, oculis ne ſanctum videret ſepulchrum admouere. Reportatur igitur ad ſacrarium, concurrit Clerus vniuerſus, pſalmi, exorciſmi, letaniæ ſine intermiſſione dicuntur. Cum in ipſis letaniæ precibus nomen ſancti Virgilij inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud poſſederat, auditum * nomen non ſuſtinens ſancti nominis, frendens, & dentibus horribiliter ſtridens, rugitum teterrimum emittebat, iuuenemq; miſerrimum crudeliter diſcerpebat. Euidenter itaq; cunctis, qui aderant, quod ob illatam ſanctis oſſibus iniuriam ita vexaretur, conijcientibus ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatiens, ſpumamq; eiectans refertur, ſonantibusque campanis plebs totius ciuitatis conuenit. Admotus autem ſepulchro, ipſum ſepulchrum conſpuebat, dæmonq; iam aperte incendium quo à ſancto Virgilio pateretur proclamans, ac manum ſepulchri violatricem temptans, & geſtiens dentibus corrodere, niſi ipſa manus abſcinderetur, ſe non exire teſtabatur. Tum verò tantus ab vtroque ſexu clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lachrymis, non poſſe finiri videretur. Effertur deinde ab Eccleſia, & in lecto reponitur; Vbi dæmon à ſacerdotibus per tremendum iudicium, & his * ſimilia adiuratus, curuas Dei in ſuam redegiſſet poteſtatem, in hæc verba prorupit: Ego non ſponte, ſed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei ſepulchro ego abſtuli, & niſi quantocyus ex reſtituantur, magiſter meus cum ſeptem nequioribus intrabit ſpiritibus, & in perpetuum hic manebit. Cum verò candelæ diu quæſitæ rurſum ad dæmonis indicium inuentæ eſſent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miſerabile ſcopis * munde purificatis candelarum cædendum, ipſiq; iuueni, poſt redditam ſanitatem, diebus xx. ieiunandum. Poterat autem in afflicto iuuene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas videri miſera, & vnde non præſentes ſed & abſentes non paruum potuiſſent percipere errorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis, & incenſis, in Eccleſia iuuenis præmemoratus ad ſepulchrum beati Præſulis totius multitudinis precibus & lachrymis, comitatus refertur. Vbi dum ſcopis ſicut oſtenſum fuit, diutius cæderetur, aſtanteſq; vniuerſi auxilium & miſericordiam beatæ Dei genitricis Mariæ, necnon & ſanctorum Nicolai, Rudberti, Virgilij præcipue ſuſpirijs intimis expoſcerent, ſpiritus ille nequam cum ſtrepitu & ſibilo non modico aufugit, multis circumſtantium diſceſſum eius & impetum ſentientibus. Liberatus ille à dæmonio & refectus ſacramento viuifico, ad lectum ſemiuiuus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indicijs manuum & ſcriptis intentionem animi expoſuit, quod lingua non potuit; quia taciturnitas hæc ſicut poſtmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus verò à reuerendis ſacerdotibus, vt fidem circa ſe geſtis adhiberet, & ſanctum Virgilium miraculis clareſcere crederet, manu & ſcripto renuit, & quamdiu renuit, vſum loquendi non recepit. Tãdem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rurſuſq; Dominico ſacramento communicaſſet, & ſacerdos ſubintuliſſet: Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ, ſubito gutture & lingua reſoluta: Credo, exclamauit, ſtatimq; vſum loquendi, cum ſanitate priſtina recepit. Cum autem eo modo ſanatus reſpiraſſet, monaſteria etiam & Eccleſias ſingulas, gratias Deo & ſanctis agens circuiſſet, quia fex eius nondum fuerat exinanita, ad priſtinum reuerſus eſt reatum, ſanctiq; illius meritis ſine intermiſſione in vicina ſepulchri, & in conſpectu populi exprobrãs iterato meruit caſtigari, quia caſtigatus noluit emendari. Interrogatus enim ſi circa ſe geſtorum meminiſſet, contumelioſe ſubiunxit: ſe ſepulchrum ſancti Pontificis, ſi non ab interrogatione quieſcerent prophanaturum, & omnimodis euerſurum. * Hac in hora quaſi percuſſus ad terram decidit, & ab aſſiſtentib. eleuatus aliquantulum conualuit. Nec contentus eo, cum vnus ex Canonicis infirmus, ad ſepulchrum ipſa nocte fuiſſet delatus, ipſe iuuenis cum reliquis Canonicis pro infirmi ſalute illo oraturus occurrit, virum temerariè & cum ſubſannatione vt infirmum ſanaret orauit. Alioquin ſe non crediturum aliquos meritis ipſius ſancti liberari. Sed & his ſimilia adijeiens non orando ſed ſubſannando, opem allato infirmo flagitabat. Confeſtim igitur tumulo ſupereminens tectum cum fragore maximo ita * intremuit, vt lapidibus grandinis concuſſum eſſe videretur. Iuuenis etiam ille, qui à dæmonio liberatus, & pro ſua quoq; frequenter præſumptione caſtigatus, adhuc in ſua pertinacia permanebat, iam denuo percuſſus coram omni plebis multitudine proſtratus, incendio ſe conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaq; ab Eccleſia, tamdiu intolerabili dolore eſt detentus, donec ſe in ſanctum Dei peccaſſe confitẽs, ad plenum credidit, & ad plenum liberatus eſt. Curatus autem, demum ea quæ prius celauerat, vexationis ſcilicet ſuæ ordinem expoſuit; quod nimirum tempore illo, quo ſicut prædictum eſt, mulierem à ſepulchro ſancti repulit, ſpiritus ille immundus cum vento vehementi in ſpecie veſpertilionis os eius introiuit. Deinde cum tempus curationis eius adeſſet, beatum Nicolaum quem ipſe ſpecialiter venerabatur, & prætetea ſanctum Virgilium aduenitſſe, velumq; nigerrimum & longiſſimum, & nigerrimum vtroſq; ab ore eius protraxiſſe, ſanctumq; Nicolaum ſubintuliſſe: In fratrem noſtrum grauiter peccaſti, veruntamen pro tua apud Dominum interceſſimus ſanitate.

Exorziſatur

** ſancti nominis non ſuſtinens.*

** ſimilibus.*

** numero.*

Ad ſepulchrum eius liberatur.

Confitens S. Virgilium Dei famulũ loquelæ & ſanitati redditur.

** Nec mora*

** intremuit*

Contumacia eiuſdem Diaconi iteratò punitur

Denuò curatus firmiter credit.

ISTIS admirandis & plura admiranda ſunt addita, quod mulier de * Luen cæca & clauda ad ſepulchrum viri Dei, & viſum recepit & greſſum. VI.

Cæca & clauda curata.

** Louffen.*

Item mulier de ciuitate Salizburg, neruis crurium longo tempore contractis, greſſum retinere non valens, nocte diuinitus admonita, ad tumbam ſancti Præſulis venit, & curata eſt.

Contracta item

Alius quidam de ipſa ciuitate dorſum habens inclinatum & omnino ſurſum non valens reſpicere, manus etiã & pedes habens debiles, hoc quoq; tormento annis XII. detentus, ad ſepulchrum iam dictum repente ſanatus eſt.

Item alius curatio

Item alius ciuis † Luffenſis ex quadam neruorum diſſolutione carens greſſu, ad tumulum reptans manibus deuenit, & aliquandiu viri Dei auxilium implorans, plantis conſolidatis ſanus effectus eſt. Alia.

† Louffenſis

Item homo quidam de * Pemningen eodem morbo laborans ad ſepulchrum prætexatum effectus eſt incolumis. Alia.

** Punningen, ſeu Prunningen)*

Mulier quædam de villa Gretich manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem cum magno omnium gaudio & admiratione ſanata receſſit. Alia.

Dux

Duæ prætereà mulieres conuenerunt, vna de ciuitate Salzburg, altera de * Auena villa, ambæ oculorum lumine priuatæ, prior quidem annis xx. ſubſequens autem tribus, ad ſepulchrum cum magna deuotione accedentes, viſum repente vtræq; receperunt.

Luminibus captæ reſtituuntur

* al. Anena, al. Anena. (ſeu Aniſſ.)

Alio item tempore mulier † Pongodonenſis tribus annis contracta, & plurimis infirmitatibus detenta, ad iam dictum locum magno labore deducta, ſanata eſt. Ipſo tempore quidam infans de Halle pedibus contractus erectus eſt. Item homo quidam Saltzburgenſis nota perſona, pluribus annis cæcus, ibidem illuminatus eſt, quatuor deinde mulieres cæcæ, ſingulæ plurimis aſtantium notiſſimæ, viſum ibi receperunt, quarum vna de ciuitate Saltzburgenſi, reliquæ de viculis adiacentibus aduenerant, de Viſchahe & Glaes & Alben, inter quas quæ de Alben aduenerat xx. annis cæca fuerat. Subſequente igitur tempore duæ mulieres, vna cæca, altera dorſum ad genua habens inclinata, curatæ ſunt. Ipſo tempore puella cruribus contracta, & mulier ſurda & muta, ſanatæ ſunt. Dehinc alia mulier cæca, viſum ibi recepit.

† Pongounenſis.

VII. Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus per merita ſancti Virgilij, eodem tempore operari dignatus eſt. Hic enim ex veracium teſtimonio andiuimus virorum; frater quidam apud Rottenhaßlach an plius annis xl. in habitu monachico religioſiſſimè conuerſatus eſt, Herniosus & circa inteſtina ruptus, multo fuerat tempore, eaq; paſſione vires ſuas excedente, humano auxilio deſtitutus defecerat; cum interim fama ſignorum beati Præſulis Virgilij, ad aures ipſius venit cœpitq; Dominum intimis deuotiſſimè ſuſpirijs deprecari, vt per merita famuli ſui Virgilij priſtinæ ſanitati mereretur reſtitui. Hæc eo orante, inteſtina cœperunt ad ſuperiora ad locum antiquum paulatim relabi, vt triduo vix expleto totus factus eſt incolumis, modum ſuæ curationis omnibus aduenientibus prædicaret.

Curationes meritis S. Virgilij exteris collatæ.

Alio item tempore paralyticæ duæ ad tumulum ſancti viri delatæ, mulier ſcilicet, ætatis prouectæ de Seekirchen/ & puella duodennis de Walwes/ ſanitatem priſtinam receperunt. Quidã de pago * Kyemgaw/ cæcus ad ipſum tumulum veniens, cum deuotiſſimè viro ſancto ſe commendaſſet, domum rediens in media itineris ſui viſa viſum recepit. Quædam etiam puella de † Marſer curuam à natiuitate habens manum, ibidem in præſentia Cleri & totius multitudinis curata eſt. Item puella de Perndorff manum habens aridam & curuam ſanata eſt. Item puer de Tuſendorff annos quatuor habens ab ortu, & adhuc prorſus incedere non valens, à patre delatus eſt ad tumulum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit. Puer quinquennis, de Wo‑tenburg/ mutus & cruribus contractus à natiuitate, deportatus ad tumulum à matre, & vſum recepit loquendi & greſſum. Quidam puer de Fůchten mutus & paralyticum habens brachium, vt nec ori poſſet applicare ad comedendum, optabilem recepit vtriuſque mali curationem. Clericus quidam Diaconus de Piene/ meritis beati Virgilij derogare præſumens, dicebat, nulla Dominum pro eo vel propter eum operari miracula; ſtatimq; correptus à Dæmonio, tamdiu caſtigatus eſt, quouſq; ad ſepulchrum viri Dei tractus, diuina miſeratione & inſtanti fidelium ſupplicatione meruit liberari.

* Chiemgavv.
† Marſee.

Adoleſcens quidam filius Henrici de Laymingen/ idemque Chunonis ex ſorore nepos, à natiuitate ſurdus, ad ſepulchrum beati Virgilij auditum recepit. Item infans de Tuſendorff contractus pedibus à matre ſua ſepulchro ſuperpoſitus, greſſu recuperato ſurrexit curatus. Puer quidam de Winheringen curuus, diſtantia locorum venire præpeditus, ad tumbam beati Virgilij per itinerantes miſit candelam ad menſuram ſui corporis factam, qua allata & incenſa, ſoſpitatis ille conſecutus eſt beneficia.

Quidam ciuis Hallenſis cambiendos ferens denarios, dum * etiam vectus ad ciuitatem Saltzburg tenderet, ſepulchrum ſancti Virgilij viſitare, & pro facultate ſua oblationem ponere ſecum tacitus propoſuit. Veniens autem vel negotij occupatione aut obliuione diſtractus, inſalutatis reliquijs domum redire cœpit. Dum igitur ab vrbe longius proceſſiſſet, equus licet calcaribus vrgeretur, non tantum progredi recuſauit, ſed & reſtitit, quinimo ad ciuitatem regreſſus, hoſpitium vnde exierat redijt. Hoſpita vero domus qua nunc cauſa rediſſet interrogante, cuiuſdam negotij agendi gratia ſe reuerſum confeſſus eſt. Rurſus iter arripiens, domumq; tendens, non longe progreſſus ab vrbe, ſicut antea factus retrogradus hoſpitium ſuum iteratò petijt. Hoſpita iterum ſciſcitante cauſam ſui reditus, & ſatis mirante finxit aliud ſibi ſuperfuiſſe negocium, ſimili reditu diſpenſatione diuina, in tertia vice indicauit demq; rei veritatem, quo accepta via totiens, reuocatus fuiſſet: quoniam iuxta propoſitum ſuum beato Virgilio votiuam * hoſtiam offerre neglexiſſet, quo facto recto calle domum perrexit.

* equo
Nota de nõ reddente votum miraculum.
* precum hoſtiam.

Item duo milites ſepulchrum beati Virgilij viſitaturi, clientulum quendam auditu carentem, † terras moderatorem & aurigam ducebant, quibus ad ſancti Virgilij tumulum oblationes ſuas præſentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus miniſter eorum, ſimul cum illis aſtabat; & quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ipſe præ dominis audiri meruit. Auditum enim ſine mora recepit. Quidam ciuis Hallenſis puerum habens calculoſum, medico aduocato rogauit eum, vt ferro lapidem excideret, ſicq; dolorem filij ſui finire temptaret. Qui dum cultrum & alia inſtrumenta * cœpiſſet, dictus puer vtpote difficultatem medicinæ ſuſtinere non valens, ad fletus quoq; patrem commouit. Miſeriæ igitur pueri dolentis, affectu paterno compatiens, amoto medico & infecto adhuc negotio ſanctum Virgilium obnixe & humiliter cœpit inuocare, vt cuius meritis innumerabiles per Dei clementiam eſſent curati, ſuus quoq; filius priſtinæ redderetur ſanitati. Nec mora inter ipſa precantis verba, calculus à puero elapſus, in manibus patrijs apparuit.

† per terras, al. currus.
Calculoſus miraculoſe curatus.
* applicare cœpiſſet.

Quidam puer de * Krarburch à Dæmonio vexatus, & à matre ſua ad ſepulchrum beati Virgilij delatus, precibus fidelium, & maternis fletibus meruit liberari.

* Kraynburch.

Seruiens Ratiſponenſis Epiſcopi in die paſchali communione Dominici Corporis ſuſcepta, eadem die videlicet Dominica tabernam præſumpſit intrare, vbi potationib. & ebrietati deditus laſciuiæ potatorum interfuit. Meritam pro factis pœnam recipiens, in tantam verſus amentiam vt octo continuis diebus nec cibum caperet, nec mentis veſaniam deponeret. In viſu deniq; noctis à beato Virgilio ſalubriter admonitus, modum reformandæ ſanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tumbam iam dicti Præſulis humili prece viſitaret, ſicq; aſpirante Dei clementia, ſanitati priſtinæ reſtitui non deſperaret. Qua viſione quibuſdam expoſita, iuſſu domini ſui Ratiſponenſis Epiſcopi cuſtodibus ſibi deputatis, ad ſepulchrum beati ductus eſt Pontificis. Cui ſuperincumbens & preces quas poterat Domino effundens, ſimul etiam lachrymis fidelium aſtantium adiutus, omnimodæ ſoſpitati panem ibidem oblatum nihil hæſitans comedit, & ſenſus vigorem recepit.

Dæmoniacus item, Amens iſ &

Quædam mulier de Selehuben grauiſſimo dolore præuenta, tanto languore præuenta eſt, vt omnibus de vita ipſius deſperatis, in extremo mortis articulo agonizaret; Quæ dum pro ſe Deum implorare, vtpote rationis & vocis beneficio deſtituta minimè ſufficiſſet, aſtantium multitudo fidelium Domini ac ſaluatoris noſtri pro ipſa cœpit inuocare auxilium, facta quoq; commemoratione beati Virgilij cum ſumma deuotione. Vnde factum eſt, vt in ipſo momento mulier de lecto ſurgere, & priſtina ſanitate recuperata, ſequenti ſtatim die ſepulchrum beati Virgilij cum laudibus & gratiarum actione viſitaret.

Agonizans reſtituta.

Cum infinita Chriſtianæ profeſſionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerent, vt à varijs

animæ vel corporis curarentur languoribus, quidam homo de Megellingen, diues & notiſſimus incolis de vicinia regionis ad ſepulchrum beati Virgilij tendentibus, ſolus ipſe neglexit venire, hoc videlicet in animo * retractans, quod nullis premeretur aduerſis, vtpote ſuis rebus domeſticis in ſumma proſperitate cópoſitis. Hæc eo cogitante, vnum quem habebat filium VIII. annorum, vis tanta paralyſis ſubito corripuit, vt ipſum voce & greſſu priuaret. Vir ergo præfatus flebiles heu mœſtos cogitur inire modos, & licet nimio dolore pro inopinato malo penè deficeret, ex ratione ſibi cóſulens, doctoré ſuum plebanum aduocauit, & inter verba confeſſionis ei totã ſeriem rei geſtæ veraciter expoſuit, vt digna Deo ſatisfactione promiſſa, & ſuſcepta pœnitẽtia, conſilio plebani ad ſepulchrũ beati Virgilij vna cum puero iter arripuit, atq; dũ irent, languidus ille infirmitatis inuenit remedium. Homo quidã de Owe paralyticum habens filium, vouit eum ad tumbam Virgilij perducendũ, & continuo in eodem loco priſtinæ ſanitati meruit reſtitui. Quidam puer de Vohendorff quinquennis cæcus & contractus, ſecus tumulum viri Dei vtriuſq; incommodi beneficium recepit. Quidã homo de Erlach curuus, inuocato nomine Virgilij in eodem loco redditus eſt ſanitati.

pertractans.

Paralytici curati.

His prædictis omnibus, & hoc memoratu dignum æſtimamus, qualiter homo quidam grandæuus de villa VIII.
ſancti Hippolyti ad viſitandum beati viri ſepulchrum iter arripuit, & voti compos effectus, dum inter verba ſacerdotis exhortationis ad populum aſſiſteret, habitu priuationé ſecuto cæcitatis oculorũ tenebras amiſit. Mulier quædam audiens quantas Dominus virtutes operatus ſit per famulum ſuum Virgilium, ſecus tumbam eius diuinum implorat auxilium, per interceſſionem viri Dei in redeundo domum viſus recuperauit beneficium. Item fœmina quędã de Aquilegia à viro ſuo minus cauto quacumq; rei cauſa in cubito non mediocriter cultro ſauciata, ſectiſq; neruis manum habens curuam & contractam à multis eiuſdem regionis incolis comitata, beati Pontificis tumulum cum debita reuerentia ſuppliciter acceſſit, ſed quia tempus miſerendi eius nondum aduenit, Omnipotens Deus admirationem diſtulit, infectoq; negocio domum repedare cœpit. Iter autem cœptum peragens, dum in villa quadam ſecus Thaurum montem pernoctaret, deuotiſſime nomen beati Virgilij cum fletu vberrimo inuocauit, & in eodem loco curuitate manus depoſita, priſtinæ ſanitatis vigorem meruit conſequi.

Cæci illuminati.

Manus manca curatur.

Claudus item.

Puer quidam de Linchharde contractis cruribus officio greſſus deſtitutus, adminiculo parentum ad ſepulchrũ beati Pontificis deportatus eſt, cui etiam ſuperpoſitus in ſomnum ſalutiferæ dormitionis corruit; euigilans autem vſu greſſibilitatis reſtituto, cum magna admiratione aſtantium ambulauit. Item fœmina de Matſee dorſum habens incredibili curuitate tortuoſum, diuinam clementiam flagitauit, quatenus meritis beati Virgilij, cuius tumbæ accũberet, ſperatæ curationis inueniret remedium, ſtatimq; fidei ſuæ commodum ſortita eſt effectum. Quidam puer de Roſpach crurium contractione ambulationis carens beneficio, communi more aptiſſime ſolidatis precibus fidelium pro ipſo beato Virgilio omnen inuocantium perfectæ ſoſpitati reſtitutus eſt.

Curua itẽ dorſo.

Contractus ſimiliter.

Et quoniam omnibus ſe inuocantibus conſuetæ pietatis opem beatus Dei famulus ſingulis pro neceſſitatibus IX.
ſuis ſemper exhibuit, quiddam mirabile & ſatis memorabile ſubnectendum eſt, quod monachus quidam de Rotenhaſlach diutino languore ſcapulæ laborãs, dum in comitatu Abbatis ſui quodam tempore iter ageret, prætaxata paſſione grauiter correptus accepta via defecit, viribus corporis deſtitutus. Cæterũ iuxta monachicæ regulæ rigoré forte diem in quo flagella carnis monachi de more ſuſcipiunt, adeſſe contigit, & cum cæteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram domino Abbate proſternitur caſtigandus, partemq; dorſi videlicet ſaniorem plagis exponens, cum bene exaratam ſenſiſſet, alteram quoq; cui pepercerat, in honore ſancti Virgilij flagellari ſuppliciter poſtulauit, poſt cuius petitionis effectum plenariæ ſalutis adeptus eſt præſidium. O prædicanda & laudanda Chriſti pietas, quæ tanta celebritate merita B. Virgilij longe lateq; declarauit, vt eius fama omnes cis marinas nationes impleuerit. Si ergo fidei conſtantia vel recuperandæ ſalutis gratia Saxones atq; Bohemi ad tumbam viri Dei de longe innitantur, mirari non oportet. Nam mulier quædam de * Grace ſicut lumine corporis exterius orbata, ita pię deuotionis lampade cordetenus irradiata, longo itinere laborioſe conſummato ſepulchro beati Præſulis humiliter aduoluta eſt, & inter ipſas ſupplicationis lachrymas illuminata cæcitatem depoſuit. Plebanum de Theras ætate grandæuum bonæ cóuerſationis virum & honorabilem paralyticæ paſſionis morbus incurabilis adeo depreſſerat, vt dextri lateris pes atque manus corporis debitum non poſſent impendere ſeruitium, imo quod erat grauius lingua continuum perurgebat ſilentium. Conſolationis igitur diuinæ fiducia roboratus, reliquias B. Virgilij viſitauit, quibus decenti veneratione ſalutatis, pedis officium magnalia Dei prædicando recepit, manus quoque languorem in bona parte alleuiatum, omnibus euidenti veritate innotuit.

Mirabilis monachi curatio.

*Degernſee

Vir quidam de * Jonſtdorff paruum habens filium, tãta ægritudinis mole grauatum, vt ſine ſubleuante nequaquam loco moueri poſſet, audito quanta Deus omnipotens per B. Virgilium operatur miracula, votum vouit vt ad tumbam dicti Præſulis puerum deferret. Nec mora; iter arripiens inclinata iam die villam hoſpitandi gratia intrauit, vbi paruulum præ nimia debilitate deficientem, & quaſi moribundum relinquere popoſuit. Eadem igitur nocte candelam ſtaturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam conſtanter emenſurus pro ſalute filij ſui viuentis vel morituri ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem mane facto diſceſſurus omnimodo ſpopondit, ſoſpitati reſtitutum inuenit.

* Vonſtorff.

Puer deſperatus ſoſpitati redditur.

Sacerdos quidam cum inter ſacramenta Miſſæ plebem admoneret, vt in die placito ad viſitandas ſeruorũ Dei reliquias beati Virgilij & Eberhardi vnanimiter conuenirent, à voto conſentientis populi quædã & honorata mulier non ſolum diſſenſit, ſed etiam prorumpens ſe nullatenus ſepulchra famulorum Dei viſitaturam aperte proclamauit. Huius præſumptionis contumaciam Dei patientia non ſtatim repreſſit, ſed poſtquam à liminibus excluſa eſt Eccleſiæ in amentiam conuerſa, domum ſuam deducitur, vbi inuſitata & mirabili inſania, correpta, facie humotenus bruti animalis inſtar, * humillima, geſtus & proprietates porci ſimillimas expreſſit, vt iam non humana ratione, ſed pecuali ſenſualitate vteretur.

Pœna fœminæ contumacis.

humiliata

Omnibus autem qui aderant vehementi ſtupore repletis, à quibuſdam altioris conſilij viris, Sacerdos nomine Ioſeph aduocatur, per cuius largas Pſalmorum lectiones, & efficaces benedictiones, quantulamcunq; rationis partem recuperauit, vt & verba confeſſionis recitaret, & in ſanctum Dei Virgilium ſe peccâſſe recognoſceret, plenariam exinde ſatisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati Præſulis viſitare celebri voto propoſuit, ſtatimque Dominica communione percepta, priſtinæ mentis redintegrato vigore, ſecum omnibus ſuis, & præfatum ſacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Eccleſia ſanctæ Mariæ manum curuam habens pręſente magna frequentia hominum, ad tumulum beati Virgilij delatus, omnibus pro ſanitate eius ad Dominum orantibus carne rupta & neruis crepantibus incolumitati eſt redditus.

Et quomodo ceſſet lingua carnis magnificentiam Saluatoris extollere, qui de lapidibus procreauit filios A- X.
brahæ? Innouando enim ſigna & immutando mirabilia, Prophetam nobis & Archiatrum diuina bonitas ſuſcitauit, cuius virtutum potentia de lapidibus filios Abrahæ, id eſt, de incredulis fideles, de peruerſis compunctos reformauit. Quis autem videntium prodigia, quæ fiunt in populo, veteris fermenti vitia non exuat? quis pœnitentiæ fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat?

Matth. 3.

Cum

Cum puero cuidam de Hardſpach/in articulis manuum contracto, interceſſio beati Virgilij in ipſa monumenti ſui præſentia ſoſpitatem priſtinam repenſat. Cæci ergo accedite ad eum & illuminamini, & qui in gradibus paralytici iacetis, ipſo confortante glutinamini, quia ne longe exempla perantur; Puerum quendam de Mulſtatt/ decem annorum curuum & cæcum à natiuitate: Nec non de Celle in * Cyllarum puellam quindecim annorum paralyticam, plenarie curatos oculata fide conſpeximus.

* Cylarn.

Quantus ergo noſtra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus eſt exiſtimandus, per cuius inuocationem fœmina quædam de Aſpach manibus contracta & alia mulier de Suben in * viroq; brachiorum ſimili morbo debilitata, cœleſtis remedij ſenſerunt efficaciam. Nunc & omne genus humanum Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicit clementiam, de cuius munere venit, vt beatus Pontifex Virgilius omnibus ſibi deuotis aſſit propitius. Nam ex tumba eius oleum ſanitatis cuidam puellæ manibus & pedibus contractę largiter emanauit & eiuſdem ſalutiferæ vnctionis gratia, quidam paruulus de pago * Klenko/mutus à natiuitate vocis organum recuperauit. Adoleſcens quidam de Dirnſtein in vicinia Frieſaci manum habens aridam & inutilem, exoratam & optatam à ſancto Virgilio ſuſcepit valetudinem.

* vno.
* Klenkaw.

De ciuitate Ratiſpona inſtitores ad nundinas per alueum Danubij in loco qui dicitur Ardaghet cum naue maxima mercibus onuſta deſcendentes in periculum illud ex concitatione fluctuum aſſidua vocatum Spilberg inciderunt; nec mora procellarum impetuoſiſſima vertigine inuoluti, multotiens girando aquarum violentia ſcopulum in medio gurgitis eminentem, à quo cauſa tempeſtatis illius procedit, vellent nollent ſtatim pallidi naufragiũ acceſſerunt; vbi demum tanta fluminis importunitas æſtuantis, miſeris incubuit, vt turbo voraginis proram carinæ aqua ſemiplenæ ſorbendo puppim in ſublime attolleret, omneſq; vniuerſaliter tam nautas quam cæteros adeò de vita deſperatos redderet, vt armamenta reintegrandi, tanquam nihil penitus conferentia proijcerent, & quod ſolum reſtabat in articulo mortis conſtituti, Dominum redemptorem mundi pro ſalute animarum ſuarum inſtantiſſime flagitarent. Tum vero gens illa inter confuſos naufragij tumultus clementiſſima Domini ſaluatoris dignatione commonita, mitiſſimi Confeſſoris & antiſtitis ſancti Virgilij, de cuius miraculis & virtutibus plurimis ante non pauci didicerant, omnes vnanimi ore cordeq; ſuppliciter inuocabant auxilium, quatenus ille cœleſtis atq; ſupremus humani generis inſtaurator, qui omnium, Pontificis nomen implorantium, velox & copioſus eſt propiciator, per merita famuli ſui, ſolitam & neceſſariam tribulatis exhibet ſuæ conſolationis præſentiam. Ad huius ſupplicationis ſuffragium memorata nauis ſubmerſione ſua mortis exitium breuiter cunctis impoſitura, ſuper vndas altius eleuata ſuſtollitur, & contra ictum fluuij decurrentis veluti funibus alligata traheretur, ſine detrimento rerum & hominum ſecreto quodam & potenti nauclero ad ripam vſque perducitur.

Periclitata nauis naufragium euadit.

Miles quidam de Pilſtein ab alio milite captiuatus filium ſuum bonæ indolis iuuenem obſidem pro ſe depoſuit, qui per xx. hebdomadas, & amplius duriſſimis vinculis in carcere compeditus, laborioſam & miſerabilem vitam exegit. Memoratus autem iuuenis videns ſe parentum adiutorio deſtitutum, in commemoratione beati Virgilij confeſſoris mitiſſimi cœpit dominicum ſubnixius implorare præſidium, de cuius miſeratione confeſtim poſt expletam orationem à vinculis abſolutus, ſine mora dilationis vrbem Salzburg adijt, reliquias ſanctorum viſitaturus, & condignas Deo liberatori ſuo, ſanctiſq. omnibus, præcipuas verò ſancto Virgilio referens gratias. Rem geſtam nobis expoſuit veracius. Diffuſo itaq; rumore, hoc virtutum odore placantur audientes, vt balſamo, accurrunt fide ſitientes ad domum gratiæ, & ſecundum multitudinem dolorum ſuorum conſolatione percepta, refecti ſunt in ſaturitate. Regna multa prouocant, quæ per ſanctum Virgilium fiunt magnalia, & velut Bethſaidæ aquis, ſic eius beneficijs ſanitatis cauſa ſe immergit multitudo copioſa.

Captiuus liberatur.
Ioan. 5.

Vnde & quædam in Vngariæ finibus nobilis matrona, cum iam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios ſuos ad ſanctam direxit, vt viam complerent, quam ipſa non potuit, vt ſub eorum oratione impetrarent, quod credidit. At illi continuo iniunctum conſummant obſequium; iter arripiunt, & itinere proſperantes Iuvauum citius peruenerunt. O quàm commendabile miraculum! Quadam ſexta feria cum iam opus fieret diuinum, obtulerunt filij, & eadem hora lux reddita eſt matri. Mirum in modum vna & eadem hora ſanctus Dei præſentem ſuſcepit hoſtiam, & abſentem illuminauit cæcam. Huius rei neſcij diſcedunt confeſtim filij. At illis in obuiam nunciatur, quod lux reddita ſit matri. Hora vero inquiſita & cognita Deum laudant & benedicunt, mirabilem & glorioſum in virtute ſua. Vere laude dignus in Domino conſiſtit, qui vbiq; præſens adfuit, vt hic filiorum ſuſciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate ſua. Sed quid referam?

Cæca videt

In Auſtria per ſanctum Dei patratum fuiſſe multorum relatione cognoui. Quidam à iudicibus captus eſt patriæ, in quadriga ligatur, diſtenditur, & ſic in ciuitatem quandam plectendus ducitur. At ille præ timore pœnitens infeliciter lamentatur, ad beatum Virgilium vertit ſuſpiria, ab illo petit protegi, à cuius ope nullum credidit refutari. Vice igitur Ieſu Chriſti latroni crucifixo miſeretur & releuat, diſtentum ſoluit & liberat, fugientem ne capiatur confortat. Vere laudandus eſt Chriſti confeſſor, qui mortis reum à morte ſaluat. Noluit enim mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Qui taliter ouili dominico hominem reſtaurat ne pereat. Quomodo etiam ouem ſuam eſuriente lupo illæſam cuſtodierit fidelis attendatur.

Alius item captiuus liberatur.

In confinio quoq; noſtro in villa, quæ dicitur Quintele, populus inter ſe beato Virgilio collectam fecit, & ille vitulum; ille agnum, quilibet prout potuit attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit, & concito fugiens ſecum ad ſiluam famelicus prouexit. Vnde non modicum doluit, cuius animal fuit; hinc ſeipſum indignum iudicat, ſe ſimul & ſua ſancto diſplicere formidat. A filio igitur ſuo agnum expetijt vt reddat. At ille patris damna ſubſannans negat. Sed ecce mirabile cum iam craſtina dies illuxit, coram oculis aſtantium in medio gregis lupum aries traxit. Quo relicto arripuit filium, qui ſanctis oblata reprobans non condoluit patri. Patet ideo quod leuiter ab hoſtili manu defendat hominem, qui ſic eſurienti lupo illæſam cohabitare fecit ouem. Huic miraculo concordat illa prophetia quæ dicit: Habitabit lupus cum agno &c.

Lupus ablatũ arietẽ reſtituit
Eſa. 11.

Item quidam homo de ſancto Hyppolito per duos annos & fere dimidium cæcitate percuſſus, cum iam audiſſet quæ fiebant per Sanctum, lumen petiturus acceſſit, ſed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Vnde non modice dolens, pœnitentia ductus mente cœpit compungi, pœnam quam patitur ſuis commiſſis imputat, & confeſtim Deo & ſacerdoti ſeipſum deuotus accuſat. Pœnitentem itaq; infixit, pœnam indicens emeritam. At ille altius ſeipſum iudicans ab eſu carnium annilem petit abſtinentiam, vt eo purior effectus meritis Sancti ſalutem mereretur conſequi optatam. Humanam verò fragilitatem confeſſor conſiderans vix rogatus conceſſit. At ille libens ſuſcepit, inchoauit & fœliciter conſummauit. Euoluto ferme anno cæcus petit Iuvauum, ſed ecce in via veniens ſancto præſtante Virgilio lumen recepit optatum.

Cæcus viſum recipit

Quidam miles de villa quæ dicitur Diengé/cum eſſet cæcus, audita fama viri Dei ſpe ſimul & fide, præueniens ſanctum petijt Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens optabile lumen recepit. Cum itaq; ſancti Virgilij longe lateque fama diffuſa crebreſceret, ex diuerſis nationibus confluxerunt languidi, & ex eius conſolatione finem dabant mœrori. Inter quos vnus de Erphesfort acceſſit, vtraque contractus tibia, ſed ab ipſo quem fide portat, vt iam in via melius haberet veniendo portatur, & in die ſancti Virgilij aduenien s, plene ſanatus eſt. Reuertitur ſaltem qui

Item alius.
Claudus greſſum recuperat.

claudicabat aduenìens, plene ſanatus eſt, & qui antea infirmus fuerat, iam ſanus glorificabat Deum, in omnibus quę audierat & viderat. Sicut ille de occidente, ſic alter de Auſtria, quæ eſt in oriente cæcus aduenit, ſed ſancti meritis illuminatus videns abſceſſit. Simile huic cito contigit, quia in inuentione S. Virgilij quædam Ratiſponenſis cæca lumen recepit. Et pulchre in die Inuentionis ſancti illuminatur, vt quanta meritorum luce reſplendeat qui inuentus eſt, in hoc miraculo teſtificetur. Item quidam ciuis Friſacenſis Ruge nomine miniſterialem quendam ducis de Stire Ottonem ſcilicet de Gratzen / quatenus neſcio offenderat, à quo vindictæ cauſa inſidijs circumuentus, quid faceret neſciebat. Cum ecce humanum deſperans auxilium, velat ſe ſcuto fidei, & ad beatum Virgilium peregrinando confugiens, ſua petit virtute defenſari. Vnde mirum in modum redeunti obuiat aduerſarius, ſed ecce per ſanctum compeſcitur, nudum pertimeſcit armatus, in tantum vt ita deficeret quaſi continuo moriturus. Vocato igitur ſacerdote, confeſſus pœnituit, pacis fœdus cum ciue miles pepigit, & ſic S. Virgilium petens conualuit. Sicque contigit quod metuens ſecurus, & qui fortior factus eſt timidus, pauperi ſubdidit diuitem: & principi præpoſuit impotentem.

Cæcus lucẽ. — *Filius ab inimici inſidiis liberatur.*

An. 550. DE S. SIFFREDO EPISCOPO CARPENTORATENSI, ALIAS VENDACENSI EX MONACHO SACRÆ INSVLÆ LERINENSIS. EX MSS.

peruetuſti codicis dicti cœnobij, edita à Vincentio Barrali in Chronologia dicti monaſterij, floruit circa annos Domini 550.

Nov 27. Matth. 11. — *In comitatu Auenionenſi.* — *Fit monachus Lerinenſis.*

I. TEMPORE quo florebant ſtadia Lerinenſis cœnobij in partibus Galliarum cœpit vndique religio Chriſtiana ſub iugo Domini creſcere, quod portantibus leue eſſe dignoſcitur, atque ſtudijs literarum ſeſe committere, quo in loco paſtor præerat egregius ſacerque Chriſti Cæſarius famulus, qui poſtea Arelatæ Epiſcopus extitit. Cumque ad eum omnes vnanimiter concurrerent pro ſalute animarum, ſiue ſtudijs literarum, quidam miles de partibus Campaniæ oriundus, ſed intra ciuitatem Albanum nutritus, quæ ſibi iure hæreditario media debebatur propinquitatis ſucceſſione, Lerinum veniens cauſam pandit, ſeque Monachum cum filio Siffredo magnopere optat fieri, inibiq; humaniter ſatis ſuſcepti, vitam arduam anguſtamque viam ſumunt. Miles cœnobij obedientia mancipatur, filius verò literarum ſtudijs traditur, qui in paruo temporis ſpatio viguit luculentiſſimè in Grammatica, Rhetorica, Dialectica & in bonis actibus tam ſtudioſe vixit, vt meritò ſecundus à magiſtro prædicaretur: magis verò ac magis in domino proficiens, ita vt viſitatione ſuo fratres à lecto ægritudinis releuaret, vexatione febrium fugata. Tollitur interim à Domino ex huius vitæ ergaſtulo pater eius, atque meritò bonæ conuerſationis, ſeptimo Calandas Auguſti in cœlis collocatur.

Fit Epiſcopus Vendacenſis. — *Illuminat cæcum.*

II. POST verò non multùm temporis tam audax contra dæmones filius eius Siffredus inuenitur, vt omnes ſibi exhibitos dominica oratione expelleret. Omnes itaque prouinciæ Galliarum clerici Epiſcopum, Monachi ſibi poſcebant Abbatem in cœnobio Lerinenſi: cumque ætate iuuenili triginta ſcilicet polleret annorum, petitur vir ſanctus Siffredus à vicinis clericis Vendacenſis ſedis, quia illorum paſtor caſtiſſimus iam in Domino obierat. Recuſat ſe vir ſanctus non poſſe onus tanti ponderis ferre, nec tantæ ſanctitatis, non tanti meriti, non tanti honoris: at præualuit electio populorum, præualuit adunatio clericorum, coactus tollitur in Vendacenſem Epiſcopum, & Arelatem deducitur, ibique à magiſtro ſancto Cæſario benedicitur more Præſulum, acceptaque conſecratione, cum ſumma humilitate ſe ad ſacrificium Deo celebrandum nouus ſacerdos præparat. Cumque ex more pacem omnibus daret, oſculatur cœcum cui dominicam crucem oculis imprimens, ſtatim ille lumen recepit tunc omnis populus in laudem noui Pontificis cœpit clamare, gloria, inquiens, tibi Chriſte, qui talia famulis præſtas. Hoc denique peracto, turmis clericorum atque populorum præcedentibus, deducitur ad propriam ſedem Vendacenſem, vbi quantæ ſanctitatis fuerit, quantæque virtutis, non eſt noſtrum dicere. Cœpit ſanctæ conuerſationis & inſtitutionis normam prædicare, quo liquidò clareſcerent ſacræ Inſulæ Lerinenſis ſtudia, quid quantumque valerent. Ædificauit ergo ſibi Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, itemque baſilicam ſancti Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini miro ſtudio, opereque non modico; tertiam verò conſtruens in Carpentoratenſi caſtro in honorem ſancti Antonij Abbatis, vbi die noctuque Deo ſeruiens aſſiduis orationibus permanebat.

Liberat energumenum.

III. QVÆDAM vidua de Maſſilia ciuitate ad eum deueniens precatur, vt ſibi ſubuenire dignetur; filius enim ſuus à peſſimo dæmonio vexabatur, qui cum ante præſentiam viri Dei exhibitus fuiſſet, cœpit furibundè dæmon proclamare, ô Siffrede cur me inſontem perſequeris, cur quod meum eſt quæris? de Inſula Lerinenſi me expuliſti, de meo habitaculo quoque eijcere tentas. Ad hæc ſanctus Dei ingemuit, procumbens in oratione: Domine, inquiens, Ieſu Chriſte ſaluator exaudi me peccatorem ad te clamantem, exaudi propitius ſeruum tuum, vt antiquus inſidiator non gaudeat de ouibus tuis, quas tuo pretioſo ſanguine redemiſti. Hæc dicens tetigit manum pueri, & dixit, Exi malignus ſpiritus ab hoc plaſmate Dei: mox dirus ſerpens, cum vlulatu magno, exijt & puer ſanus eadem hora reſedit.

Contractũ ſanat. — *Ezech 33.* — *Iohan. 16.* — *Reſuſcitat mortuum.* — *Rom 12.* — *Narrantur eius virtutes.*

IV. ALIO quoque tempore, quidam homo ſe in grabato iacentem exhiberi fecit, conſtrictis neruis & curuus quem vir Dei oleo ſancto perungens, priſtina ſanitate recepta, ad propria repedat liber à corruptione conſtrictionis neruorum. Alius quidam clericus boni meriti vir, malè ſe habens diem præſtolabatur extremum, qui familiaritate coniunctus viro Dei, à cunctis valdè diligebatur, cum eſſet in mortis limine annuens, vt poterat, manibus quo à ſuo charo domino & magiſtro viſitaretur, citiſſimè Præſuli ſancto nunciatur clericus moriturus. Ille orationis cauſa parumper ſubſiſtit, & interim viam vniuerſæ carnis expetijt ægrotus, ſodales hoc viſo flentes, ad epiſcopum concitè pergunt, vt ſaltem ad ſepulturam chari fratris venire dignetur precantes. Cognita fratris morte vir Dei, ad oratorium ſancti Ioannis Baptiſtæ, quod ipſe conſtruxerat, currens ſe cum lachrymis in orationem dedit. Domine, inquiens, Ieſu Chriſte exaudi me peccatorem & indignum famulum tuum, tu enim dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; &, omnia quæcumque petieritis à patre meo accipietis, reddatur obſecro anima quam tuliſti huic defuncto, quatenùs omnis mundus cognoſcat, quia tu es viuificator & reſuſcitator omnium mortuorum. Hæc dicens cum ſumma feſtinatione, ad loculum chari diſcipuli venit, ibique proſtratus diutiſſimè orauit, ab orationeque ſurgens, manum defuncti tenuit eique taliter affatur, ſurge frater, ſurge à mortuis, ſuſcitat te Ieſus Chriſtus. Statim is qui mortuus iacebat ſurgens, ſanus ſtetit, tuncque fit non minimus concurſus omnium clericorum, populorum vtriuſque vulgi, magnalia Dei prædicantes manus ad cœlum voluentes. Et poſteà idem clericus, plurimis viuens diebus, feliciter gregi iunctus eſt, viri Dei. Sanctus Pontifex poſtmodum in tanta corporis abſtinentia ſeſe arctauit, vt meritò ſecundùm dictum Apoſtoli fieret hoſtia viua mortificando carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs. Panem, itaque mediocrem ſumens neceſſitate potius, quam voluntate, quam ad menſuram, tam paruo edulio lenticulæ corpuſculo præbebat. Miſſarum quoque ſolemnia magnifice celebrabat, ſine intermiſſione egregij prædicatoris munus adimplebat, infirmos viſitans, eis largiter ſtipendia larga dabat, pauperes alebat,

alebat, nudis tegumenta præbebat, actibus ſæculi ſe extraneum faciens; nunquam in foro, nunquam in vico, niſi animarum lucris videbatur. Tanta ergo gratia in illo redundabat vt quoſcunq; dextera benediceret, in boni cultus perſeuerentia vltimam diem inuenirent.

V. POST longa autem annorum curricula, ſeruus Chriſti beatus Siffredus, cùm iam eſſet canitie venerandus, & vitam inter homines Angelicam duceret, pauperem Chriſtum, pauper ipſe ſequi cupiens, iuxta baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipſe ædificarat, domunculam conſtruens, vbi in lege Domini die ac nocte meditans indefeſſis precibus Dominum exorabat, exactoribus Epiſcopi domum commendans, ipſe in orationibus continuis peruigil, omnibus infirmis ad ſe venientibus, Dei fultus auxilio, orante ſubueniebat, mœſtis lætitiam: deſolatis conſolationem exhibebat. De ſeculo, ſiue craſtino nihil cogitabat, conuiuium ſuum abſq; paupere nunquam inueniebatur; & pauperibus & egenis ſua ſemper ianua patebat: Chriſtus ei in ore, Chriſtus in voce aſſiduè reſonabat, ſine miſericordia & pietate pauperes non iudicabat. Quidam maligno ſpiritu præuentus de ſanctæ Mariæ, quam ipſe fundauerat, baſilica reliquias furto abſtulit, quo vir Dei perſpecto, latronem coram omnibus ſic eſt allocutus: Frater, quidem neſcio quis latro, ſacrilegium in noſtra baſilica fecit, & furtum in tali & tali loco poſuit, vade ergo, & illud noſtris conſpectibus repræſenta: deprehenſum ſe latro perſentiens, abijt, furtumq; in præſentiam omnium deportat, ſicq; vir ſanctus ſtuduit peccatorem corrigere, non latronem prodere, qui ſtatim confuſus ad pedes ſancti corruit, eumq; deprecatur dicens: Domine vir Dei Siffrede, ſuſcipe pœnitentem, accipe * larronis confeſſionem, nec perditi hominis aſpicias peccata, ſed pœnitenti ignoſce clementer, da veniam reo, ſolamen mœſto, ſpem afflicto. Quem vir Dei intuens, benignè à terra leuauit, indictaq; pœnitentia, culpam & furtum abſoluit, ſicque mulctatum ſalutiferè abire præcepit. Idioma Gallicum, Gallicè enim larron furem ſignificat.

VI. POSTMODVM reuelatione diuina cognouit ſanctus in breui ſe ex hoc ſæculo receſſurum, conuocatiſq; clericis & populo, diem ſui obitus omnibus pandit. Fit concurſus vtriuſq; ſexus & conuentus lachrymantium & dicentium: Non nos, pater, adhuc deſeras, de tua enim familia ſumus, cur ſine patre relinquis, confidimus in te, rogamus ne nos tuos filios, quos in Chriſto genuiſti, deſeras, gregem enim tuum, te abſente, perſuaſores Lupi inuadent. His aliiſque querimonijs motus ſacerdos Dei Siffredus, eis vt poterat, dicit; Saluator noſter, qui pro peccatoribus deſcendit de cœlis, ipſe vos eruet de formidoloſis laqueis inimicorum, non vos minæ illorum terreant, non vos fraudes illorum decipiant: ſed monita Dei mementote, vt vos in illa die tremendi iudicij in filios habeam, meq; patrem poſſideatis, & vos Deo repræſentare poſſim, reuerentiam Eccleſijs, eiuſq; miniſtris exhibete, de pauperibus curam agite, quodq; vidiſtis me facientem patrem, vos imitando filij facite: feritatem prouincialium deponite, gentium immunditias, idolorum culturas abijcite. His, alijſq; ſanctis admonitionibus omnes exhortans viam experijt vniuerſæ carnis ſpiritum ab omni colluuione huius ſæculi in manus reddit Creatoris, quinto Calend. Decembr. tanta mox fragrantia locum illum expleuit, vt cuncti mira ſuauitate ac dulcedine replerentur, ſepultuſq; eſt, in baſilica, quam ipſe conſtruxerat in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vbi beneficia quotidie præſtantur poſcentibus in nomine Domini Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen. Annunciat obitum ſuum. Migrat ex hac vita.

SERMO IN CELEBRITATIS DIE S. SIFFREDI EPISCOPI CARPENTORAtenſis & monachi ſacræ Inſulæ Lerinenſis, ex MS. vetuſt. codice eiuſdem monaſterij.

I. BEATISSIMI patris Siffredi, atque glorioſi Pontificis proſequens à natiuitatis exordio laudabilem vitam, immenſam omnipotentis Dei depoſco clementiam adeſſe meæ fragilitati, vt qui ſuæ gratuitæ miſerationis dono illi inſigni, & beato largiri dignatus eſt tantæ efficaciam ſanctitatis, & virtutum operationem, mihi etiam bonorum indigo, effectus enarrandi ea conferat facultatem, quo & in ſerui ſui ipſe Dominus meritò famulatu laudetur, & ipſe ſanctus in ipſo noſtræ exiguitatis precum ſuarum voto ſuffragator ſentiatur. Aggrediar iam nunc, qua vigeo, denotare ſancti viri vitam induſtria, nec differam votis cultorum propalare, quæ fida proborum teſtium, ac ſcriptorum relatione, notuêre mihi; & quæ nec per inertiam ſucceſſorum quin noteſcant intercipi potuêre.

II. TEMPORE igitur quo à Theodorico Rege nefario, quædam pars Galliarum improbè regebatur, ſub venerabili atque nobiliſſimo tunc patre Cæſario, poſt vero Arelatenſis præſulatum Eccleſiæ digna ſeſſione regente, mortuo iam præceſſore ſuo Eonio, cuius electione idem Cæſarius ad Pontificatus acceſſit honorem, omnium virtutum ſtudia apud Cœnobium Lerinenſe florebant. Ad quod quaquaverſum à Chriſtiana religione confluere cœpit, animi deſtinatis, & quiſque tantorum inibi degentium patrum veloci alarum remigio, fama longè lateque diffuſa, regnorum iura luſtrante comperta, alium præuenire, ac ſub iugo Dominicæ culturæ proficere, quod vltrò ferentibus leue eſſe dignoſcitur, atque ſanctæ diſciplinæ exercitijs, certatim ſeſe committere, geſtiebat. De quo loco, præfixo videlicet Lerinenſi, præbita occaſione, parum quid inſidet animo ſub digreſſione liceat titulare. Quanquã mi Abba, veſtri cordis medirullio pateant liquidiſſimè præſignata, vtpote per exilis indagatoris auidam ſolertiam, cum ſint portoribus, quam exigi voluminibus exquiſita. Quem locum maris magni proceloſis omni de parte ſeptum marginibus, nullatenus remus callis ſemita adire, quempiam fas eſt. Quo quidem heros non minus operum executione, quam nomine Honoratus, renunciatis omnibus quæ poſſint impediri ſolicitudinibus, accinctus Chriſti militiæ cingulo, virtutúmve aſſumptis armis, inuiſibilem debellaturus hoſtẽ, futurus victor introiuit. Vbi monſtruoſorum animalium genere diuerſo repentia, horrore inexperto poruerit formidare, ſed vir Domini amabilis Honoratus, & honorandus fidei fiſus auxilio, propulſis exitialibus, ad omnium inibi virtutum exercitia promouetur. Ibique inſtructis orationum locis, præuius ductor multorum fortium extitit monachorum. Huius diſcipulatui hærentes magni meriti futuri ſacerdotes, Venantius ei frater germanus, Hilarius quo nemo honorabilior, eiuſq; Honorati aſſeclis, Maximus ac Illadius, Cornelius, Leontius, Spanelaus, & eius frater Heumeneſilius, Capraſius, & prædictus Cæſarius cum Porcario, alijſq; millibus ſtiparis copioſa ſanctorum caterua. Aliquot præclari diſcipuli S. Honorati.

III. HVIC patri Cæſario in prædicto Cœnobio ex Campaniæ partibus oriundus adhæſit, quidam miles adueniens, cum filio ſuo, nomine Siffredo. Hic namque miles Romanorum nobilium proſapia natus, ſed intra ciuitatem Albanum alitus, ſumpſit corporis incrementum. Vbi pubeſcentes emetiens annos, non diſparem ſtemmate, impellentibus proximis, ſortitur vxorem. Ex qua occulta Dei operatione ſumens humanam prolem, paucis deliberauit cum ea temporum cultibus occupari. Sed quia ipſius ciuitatis municipium medietas iure hæreditariæ poſteritatis, ex ſuorum annoſa parentum ſucceſſione deuenerat illi, hac occaſione, & proximorum affinitate præuentus, morari cogebatur, proſequentium grauioris noxæ reum alienatione latifundi, ac vxoris, & ſuſcepti liberi. Ille verò cui iam præſentia faſtidio erant, & viuere Chriſtus, hæc ſurda aure adulantium verba ſub nulla reputans, non iugalis molli amplexu, non affinium querelοſo affectu, non honoris corruptibilis ambienda poſſeſſione, miles tantus à concepta ſpe, quam intra præcordiorum clauſtrum matura iam meditatione ſignauerat, aut verſatilem reuelli quiuit: ſed deſtinat animam ad eundem initium, quo ſe diuinum auxilium conferat abeuntium. S. Siffridi origo.

AVDITA

AVDITA denique prædicti Cœnobij, ab his qui experimento probauerant, fama opinionis, clandeſtinar- III.

Pater eius cum S. Siffrido Lerinenſe cœnobium petit.

nanciſcitur horam, & cum vnico ſibi Siffredo, omnibus expeditus curarum negotijs, iter admouit, truciſque pe-
go Carbaſa librans, proſpero vſus flamine venti, ad præoptatum properat portum. Rate relicta, anchora fixa, cū
vnico nato, ſe duxit ad clauſtra, quæritque Prælatum Abbatem beatum, pandit ſecretum iam olim conceptum,
precatur vt citò ducat ad effectum, & tam longè remotum habentem hoc votum, cum ſobole chara ne ſpernat
hortatur, & cingulo liber militiæ mundi, quo hactenùs complex, noxia quæque contraxerat, inde ſe malle abſte-
micorum auſtero rigore vinciri, diuiniſve vacare officijs, ſi Deo authore præceptorum eius compos effici mere-
retur. Non diſtulit Cæſarius militem neophitum cum filio ſancto mancipare collegio. Vbi magnifica admira-
tione ſuſcepti, vitam arduam, auguſtamque viam, arcta virtutem perceptione aſſumunt. Miles ſynaxis officia da-
ri, & obedientiæ ſeruitutem ſibi prompto depoſcit amore, & auidus prouiſor exercet, iniunctum competens vtili-
bus opus, filiuſque illius eruditionis ſacræ ſtudijs annectendus ſubditur pedagogo, ad plenum literas edocendus.

Prouectus eius in literis.

In quo itaque diſcendi ſtudio, paruo temporis ſpatio emerſo, ita luculentiſſimè viguit in Grammaticæ artis diſci-
plinis rationabilibus, ac Dialecticorum predicamentorum argumentis exilibus, & Ariſtotelicis difinitionibus, nec
non Rhethoricorum facundis protelationibus, manans inexhauriendis oppoſitionum fluctibus, vt conſiliorum
polleret exemplis. Extra perceptis mandatis internis, ita in bonis actibus ſuum applicuit ſtudium, vt meritò ſe-
cundus magiſtro, à cunctis prædicaretur, nec ſignorum efficacia Deo fauente, in quo profecerit, bonorum capie-
bat augmentum caruit: qui viſitatione ægrotantium fratrum ſollicitus, cum ad eos viſendos ingrediebatur, extem-
plò fugatis febrium vexationibus, & priſtinis donati viribus, à lectis ægritudinum incolumes ſoluebantur. Interea

Pater S. Siffredi diem claudit extremum Lerinæ.

genitor ipſius, à Domino perfectionis primam ſuis ſtudiis debitam percepturus, de ergaſtulo vitæ præſentis aſſumi-
tur, & meritò bonæ conuerſationis, ſeptimo Calend. Auguſti in cœleſtibus collocatur lætus, & omnimodis geniti
profectibus exultans.

INDE vnica proles ſumma proficiens auiditatis efficacia, diuino ſeptus auxilio, tam audax ad ſpiritum ne- IV.
quam effectus eſt propulſionem, vt ad ſe vndecumque exhibitos, data ſuper herili oratione, à ſedibus exturba-
ret: & quia huius nec vſpiam ad effectum oratio vacuabatur, nec petita ſalus differebatur, erat ad eum aſſiduus ad-
uentantium excurſus, vnde nomen ipſius, fama ferente, celebre per ipſius regni fines innotuit. Galliarum ſi-
quidem ſedium honorandi gradus, votis ſibi in animis allegauerant, eius fama commoti, vt ſi ſuo quiſque pri-
uaretur paſtore, hunc feſtina petitione poſcendum, qui ſe priorem popoſciſſe libera potuerit profeſſione fateri.
Ipſius namque capite cœnobialis fraterna commixtio, & ſtemmate renitentem, & morum probitate pollentem,
& præeminentium ſtudiorum compotem fida aſſertione notatum, poſſe, & debere ſibi præfici patrem ſignabat.

* Alias Vendacenſis, ſeu Charpētoracenſis.

Cúmque non votis fidelium diſſentiret ætas, annorum videlicet probatorum triginta, Eccleſia * Vennacienſis pro-
prij opilionis priuatur ſolamine, cuius procuratorum ſumma prouiſio, in vnum conceptum contulit votum, &
S. Siffredi paternitatem optantes fratres, patris Cæſarij Arelatenſis Antiſtitis præſentiam adeunt, Pontificem pe-
tituri, quereloſiſque affatibus ſuum deceſſiſſe paſtorem, ſeque minimè abſque rectoris ſolertia viuere velle vel
poſſe, congeminant, ſeque eis electum, quem petunt, debere donari ſine dilatione Siffredum. Horum ſummus
prouiſor, optimus, ſuum accumulans votis adeſſe, ſanctum deliberat eligendum Siffredum: Recuſat vir Dei, non
ſe ad hoc aiens adſciri debere, nec ſuam mentem ignauam, inertemque ſenſum, velle vel poſſe, poſt per incu-

Creatus Epiſcopus Vendacenſis.

riam lapſus ad tanti honoris cauſam, vllo modo eſſe mouendum. Renitentem ſubijt admota patrum prouiſio,
& tandem præualuit popularis electio, & præcipuè prælati Arelatenſis, viuida cum Clero propalanda exhorta-
tio: Coactus inuenitur, & patri Cæſario benedicendus, in ſedis ſanctæ Vennacenſis Epiſcopio eligendus ſtatui-
tur. More Præſulum benedicto, ad reddendum ſacrificium laudis, rudis ſacerdos aptatur. Cumque in ſacro-
ſancta actione, vt moris eſt, pacem omnibus offerret, præſto quidem aderat cœcus, & in pacis mora ſe quoque

Cæco viſum reſtituit.

oſculandum præſtolabatur, quem intuetur Pontifex nouus, & cæco adſtanti, ore porrecto, cuiuſque ocellis po-
ſito ſigno procul amaro, ocyùs vmbra olim negata lux noua ſurgit. Qui circumſtant lætantur, videntemque
ſolantur, & vno ſub tripudio, compreſſis vocibus, vt in noui Pontificis proſiliat laudem, incitantes affantur.
Gloria tibi Chriſte ſit, laus, iubilatio ſemper, qui famulis proprijs miracula talia præſtas. Hoc denique peracto,
turmis clericorum ac populorum præcedentibus, & ſubſequentibus, deducitur ad propriam ſedem. Fit per omnium
animis exultatio, in protelatione ſacrati vulgique ſubdendi exultatio reboabat, excepti Præſulis laudem. Fun-
denſque ſuam in omnes, omnium meruit benedictionem, ex ouibus paſtor, profecit Præſule vulgus, & prece pro-
lata vicibus pia corda beantur. Inde vir amabilis Deo qualem quantùmve ſe præbuerit, ſicut ſuorum ſecretorum
neminem conſcium paſſus eſt habere, haud ſecus quiuis cognitor poterit edocere, illi tantum innotuit, quod in-
numeram, ſignorum exhibitionem patrauit. Cœpit denique ſanctæ inſtitutionis normam prædicare, quo li-

Eccleſias conſtruit.

quidò clareſceret, quid ſacræ Inſulæ Lerinenſis exercitia poſſent: Ædificauit ergo vbi Eccleſiam ſanctæ Deigeni-
tricis, item baſilicam ſancti Baptiſtæ Ioannis domini præcurſoris, ornatu miro, non opere modico. Poſt aliquot
annorum ſpatium, tertiam intra Carpentoratenſe caſtrum condidit in honorem ſancti Antonij, vbi creberrime ſa-
cris inſtitutis inſiſtens, aſſiduus orationibus permanebat.

Dæmoniacum liberat.

TVNC temporis quædam vidua apud Maſſiliam commorans erat, cuius filius peſſundatus à dæmone tur- V.
piter vrebatur, hæc illum adiens pro filio precabatur, vt ſibi ſubuenire dignaretur; qui vexatitius cum ante præ-
ſentiam viri Dei exhibitus fuiſſet, cœpit furibundè dæmon per os eius proclamare dicens: O Siffrede cur me
inſontem perſequeris? cur quod mei iuris eſt, tuum eſſe quæris? ex Inſula dudum me expuliſti, & nunc de diu
poſſeſſo me habitaculo eijcere ſatagis? præiudicor, non ſunt ita tui, quæ das mihi iuſſa magiſtri, ille aliena ve-
tat ſemper præſumere quenquam. Ad hæc ſanctus vir procumbens in oratione ingemuit, & orans dominum
dixit: Domine Ieſu Chriſte creator omnium cum Deo Patre & Spiritu ſancto, & redemptor humani generis, vo-
luntate Patris exaudi peccatorem ad te clamantem, exaudi propitius ſeruum tuum, vt antiquus inſidiator non
gaudeat de ouibus tuis, quas tui precio ſanguinis redemiſti. Hæc dicens tetigit manum pueri, & dixit: Exi maligne
ſpiritus à plaſmate Dei, exi ô pellax profligator, omnium nequitiarum incenſor, non pro te Dominus dignatur con-
dere carnem, ſed potiùs pro ſe quo iuſtè ſeruiat illi. Abſque mora ſerpens vlulans diſceſſit ab illo, & iuuenis ſanus

Contractus & debilis ſanitate potitur.

præſente matre reſedit. Alio quoque tempore quidam homo curuus ac debilis, defectu virium & conſtrictione
morborum, diſſutus neruis, adſtrictis compaginibus, à ſe prorſus alienatus, ſe ſancto exhiberi precatur, quem vir
Dei intuitus, triduo retinendum mandauit, in quo olei ſacrati vnguine litus, priſtina ſanitate recepta, liber ad pro-
pria repedauit.

ALIVD hoc præmiſſum ſequitur miraculum, quod poſteritati mandamus memorandum. Quidam clericus VI.
boni meriti vir, ex ipſius Præſulis domeſticis, graui lapſus infirmitate, diem præſtolabatur extremum, qui in familia-
ritate ſancti Dei à cunctis diligebatur. Cumque iam eſſet in limine mortis, annuens vt poterat manibus, quo à ſuo
Domino & magiſtro viſitaretur, hortatur: paſſibus ergo citiſſimis, nunciatur clericus moriturus. Vir Dei audito
patientis nuncio, orationis cauſa parumper ſubſiſtit, & morato in oratione, viam ægrotus expetijt vniuerſæ carnis,

hoc

hoc adſtantes viſo, flentes referre factum Præſuli pergunt, rogantes vt ſaltem exequijs intereſſe fratris domeſtici d[illegible] [illegible]aretur, cognito pater obitu fratris, ad oratorium S. Ioannis Baptiſtæ, quod ipſe conſtruxerat cucurrit, ſeq; ſuffuſum imbre maxillas, ſolo procumbens enixè orauit, atq; precatur Dñm dicens. Domine Ieſu Chriſte, in cuius manu omnium eſt poteſtas, & omnis diſpoſitio rerum, exaudi me clamantem ad te, indignum famulum tuũ, Tu enim dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: & omnia quæcumq; petieritis à Patre meo accipietis, reddatur oro anima iſti defuncto, quatenus omnes cognoſcant circumſtantes, quia tu es viuificator, ac reſuſcitator omnium mortuorum: Hæc dicens feſtinus ad lectulum venit, ibiq; procumbens lachrymas fudit ac diutiſſimè proſtratus orauit; ſurgens manum defuncti tenuit dicens: ſurge cito frater, te Chriſtus ſurgere mandat, ſurge ſede viuens, excuſſo* funere mortis, te iubet vt ſurgas qui mortis vincula fregit, ſi ſine ſis macula ſemper victurus abibis, & compos regni retinebis iura ſuperni. Extemplo defunctus, anima vtribuſque reſumptis ſurrexit, ſtuporemque gaudio mixtum, patri cæteriſque fidelibus non minimum fecit. Huius miraculi rumore circumquaq; diffuſo, fit multorum vtriuſq; ſexus & conditionis concurſus populorum ad hoc ſpectaculum inuiſendum, magnalia Domini prædicantium. Poſtea clericus is plurimis viuens diebus feliciter coniungitur fidelis gregi opilionis, inſtabilibus fruiturus, ac denuò moriturus.

Orat. S. Siffredi pro reſuſcitatione defuncti. — *Ezech. 33.* — *Ioan. 16.* — **Alias excurſo* — *Defunctus viuit.*

VII. SANCTVS itaque Præſul inſequentibus tanta ſeſe corporis maceratione conſtrinxit, vt, iuxta Apoſtolum, mortificando carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs, hoſtiam ſe Chriſto viuam offerret in odorem ſuauitatis æternæ; panis & aquæ edulium, exigua lenticulæ commiſtione, corpori præbens, neceſſitate potiùs quam voluntate, abſtemiorum rigorem auſterum, inſectabilem, admiranda potiùs, quàm imitanda perceptione, inuincibili vigore præibat. Et quia præcipui Patriarchæ pediſſecus in exterarum nationum migrationem procul amoto ambiguo non diffidebat, ſi quid fixa mente tenebat eſſe iniuſtitiam reputandum, cum & prophetiali merito decorabatur inſigni, vt in ſequentibus aſtrui facillimum eſt, motu geſtuq; ad ſummum Apoſtolorum faſtigium pertingere ſatagens, abrenuntiationis perfectionem ſummo venerabatur amore: qua & magiſtri omnis diſciplinæ diſcipulatum, & cenſuram charitatis ambiendæ adipiſci mereretur. Non Chriſtus proprium voto frandauit alumnum, inquiens. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet Ecce fidem faciunt virtutum ſigna patrata: Nouerat probè in aſſiduitate ſacrificiorum non paruam purgationem peccatorum, Miſſarum ſolemnia iugiter celebrabat, ſine intermiſſione egregij prædicatoris dicta orabat, infirmos viſitans ſtipendijs largiter fouens alebat: Pauperibus panes, nudis tegumenta miniſtrans, captiuos redimens, conſolabatur amicos: carcere compreſſis, precibuſq; ergaſtula rupit: & cunctos miſerans, eſt omnibus omnia factus: Nec meritis fidum quemquam vacuauit amicum, diſtulit haud cuiquam ſi nouit quidq; neceſſe. Actionibus autem interrumpendis ita ſe omni de parte ſeptum probitatibus, extraneum reddidit, quo ne cuiuſquam adulationis verbis facerè compoſitis, ſuas ſuper omnium virtutum inſita deijci fundamina quiuiſſent. Nuſquam in foro, nec vbi intercipientium ventilatio rerum inuiſebatur, ſe miſceri paſſus eſt, aut in vicis quicquam vanis ſpebus hætens exercuit, quod cœnodoxiæ omninò cauendæ dijudicandum foret, niſi animarum lucris habile prouideret. Tanta ergo in illo diuini muneris largitas affluens, & gratia viſceribus excolendis cœlitus infuſa redundabat, vt quoſcunq; benedixit, in boni cultus perſeuerantia dies inueniret extremus. Ne vnquam inſidiatorum procacitatibus reuelli ab intimis præcordiorum ſedibus poſſet, ſi quid iactutę aut damnabilis caſus emerſum improbi præſtigatoris ſuaſu ſorte refflueret, ſolius boni oculis eluendum in conquiniſcentis reliquit. In temporalium rerum damnis auctori Deo omni niſu gratias agens conquexit; & quod turgenti tumidum faſtu tepeiiſſe fuit, obice charitatis reflexit: conabatur præuenire exterminabiles laqueos inimici munificentia fidiſſimæ largitionis, querimoniarum emerſiones ac cautionem diuerſarum curioſitates, forenſeſque conuentus aufugiens, ſuis oppoſitoribus ventilanda procul linquebat auulſus. Quod omnifaria laude extollendum noſtris abſurdis conatibus memorare molimur, cùm ſi omnis facundiæ affluentia exuberatemus, non vnius illius venerandi Pontificis meritum capeſſendum quiuiſſemus edicere. Non Arcadici rudientis ſtrepitus, aut apum bombice penetrare ſidera norunt, quæ gratia imitandi patris curſus egerit finem, hæc ſtylus addat inops, non ſegniter abdat in antro occulenda vitæ, & blaterans laudis taceat nunc gloſſa loquelis.

Roman. 12. — *Abſtinentia eius.* — *Ioan. 14.* — *Virtutes.*

VIII. POST longa autem annorum curricula, ſacerdos Dei Siffredus, cum iam eſſet canitie venerandus, & terris poſitus angelorum duceret vitam, pauperem pro nobis Chriſtum, pauper & ipſe ſequi cupiens, ſpiritualium diuitiarum redditibus abundaret, vt copia ſuperi præcelſa palatia regni, iuxta baſilicam ſanctæ Mariæ, quam ipſe conſtruxit, domunculam ſtatuit, vbi in lege Domini die ac nocte meditans, indefeſſis precibus Dominum exorabat, exactoribus Epiſcopij domum commendans, ipſe in orationibus continuò peruigil permanebat, Chriſtus ei in ore, Chriſtus in vocis ſono, & contritione ſpiritus aſſiduè prædicabatur ab eo, ſine pietatis miſericordia in iudiciũ pauperum non mouebatur, optimè nouerat ſanctum Prophetam miſericordiæ amatorem, priùs Domino miſericordiam ceciniſſe & poſt iudicium, quoniam miſericordia ira ſedatur, in iudicio ſeueritas exacerbatur. Quidam homo furtifero ſpiritu præceptus, de ſanctæ Mariæ, quam ipſe fundauit baſilica, reliquias furto abſtulit, hoc vitium Dei in ſpiritu nõ latuit, ſed* latronem præueniens, coram omnibus taliter eſt allocutus, frater neſcio quis latro ſacrilegium noſtræ baſilicæ fecit, & furtum in tali, & tali loco poſuit, vade ergo tu frater, & illud noſtris conſpectibus defer: deprehenſum ſe latro perſentiens, & latenter propalatum ad hoc quod abſtulerat occultandum veritus abijt, furtumque concito greſſu in præſentiam omnium deportauit, ac in conſpectu ſacri pontificis expoſito, delator ſacrilegus, adoranda pignora geſtans, ſacratis incumbens veſtigijs ſternitur, veniam ex amiſſo ſacrilegio periturus, & futtiſet corrigendus, cunctis quos latuerat liquidò innotuit Præſulémve præſagum allocutus, taliter infit: Licet, mi domine vir Dei Siffrede, ſim præſtigiatoris aſtutia in admiſſione furti delapſus, graui perfoſſus iaculo, tamen tuo præuentus ſpiritu flagito enixè, ne ad animæ miſeræ meæ furti facinora queant interitum deuenire.* Nunc, à te ſemper prolata charitas remediabilis miſerationis tuæ, intueri abnuat manifeſtum amiſſi peplo nudatum, ſuſcipe pœnitentem, & ſummi magiſtri clientelæ pediſſecus, attende latronis confeſſionem, iam perditi ſacrilegi peccata non aſpicias; ignoſce clementer, vide pœnitudinem, da veniam peccatori, mœſto infer ſolamẽ, ne prorſus peſſi netur; ingere lætitiam lurido cauſatori, querela ſpectacula comitanti ſpes temeet deſperato, cui ſolum ſupereſt buſto caput abdere triſte, viuat adhuc anima precioſa morte redempta: ecce benignè Dei miſerans me cerne protetuum, aduehe per lapſum male fida mente procacem excipe pœniſum non vltra velle latere, & meritò deditam diſtricti iudicis iram, quæ palam eſt miſeri fidei confeſſio flectat: Confiteor culpa ſi vis tranſibit inulta, & furti facti, me debita damna lucrabor, ora ne tetri me ſentiat ignis auerni, non vltra caſu reuehes per furta labantem, ferto præcipitem da lapſam ſiſtere mentem, mitis vt ignouit latronem more remouit, dant confeſſorem ſubeundo furta latronem, & recreant fidum veracis pacis amicum. Dixi nunc cœpi, dexteræ mutatio celſi, ſicque vir Dei ſaluseffectus eſt rei, ſolo remoto furto abſoluit, & conſcio facti culpam pepercit, iniuncto ne peccaret, abire præcepit. Fuit itaque furtum dum latuit hoſtis auctori ſuo, in propatulo fuſum correctio criminoſi, terminuſque peracti mali, ſic quoque reus alter ex altero factus, in ſua ſatisfactione remiſſionem promeruit, & ſui correctoris meritum dilatauit, multis in exemplum deinceps profuturus.

Pſal. 100. — *Furem quoque ad cognitionem facti reduxit.* — **Latronem pro fure.* — **for. Nec.* — *Pſal. 76.*

SICVT

De tranſitu S. Siffredi Epiſcopi.

SICVT inde notando impoſſibile omninò probatur omnipotentis Dei poſſe magnalia comprehendi, cum nullius meditatio ſenſum eius penetrare quiuerit, haud ſecus reor cuiuſpiam argumentum, cœlitus inſperata poſſe virorum Dei corda rimari, quia multiplicia ſunt, quæ ab illis occultè geruntur, quorum ipſi ſunt conſcij, & quibus eſt cordi ſuam in ſupremis locare conuerſationem, nec quicquam dignantur intrare mundanum, quam quæ humana nanciſci facillimè queant. Nos verò, quia pauca de pluribus vtcumque digeſta, vobis intimaſſe poſſibile fuit, in vita ſancti Siffredi Pontificis, qualiter relictis corruptibilibus ſit adeptus æterna, indiguus neceſſariorum ſtilus depingere promit. Cùm iam igitur veneranda canicies, annoſam gereret temporum metam, hac albentes ſancti vertices canos, ſuperni palatij curialibus deſiderij immẽſitate, & toto niſu ſatageret * veſtitis in albis, nihilq; per omnia probatæ actionis impedimenta † faſſeſcer experiri poſſe pupillis fuſcari inimicalibus regnis; præuentus gratuitè Dei dono benedictionis, ſpirituali reuolutione ſuam de mundo vocationem percepit, qua & internus remunerator, iuſtis competentem ſtudijs, repoſitam ſeruando mercedem, ſuum militem muneraret; mileſq; diurni meritum laboris, denariam ſumpturus abſq; murmure poſſidet diuinitùs notum coactis in vnum, vtriuſq; conditionis fidelium cateruis ſui exitus diem cunctis audientibus pandit. Indicens eis, iuſto per abrupta mundi debere progredi calle, præuidendum ſtadio curſum, in iuſtitia diſcretionem, in creditis cuſtodiam, in correptione cenſuram, in diſciplina modum, in aduerſis gratias, in proſperis timorem, in impenſis charitatem, in augmento largitionem, in monone ſoliditatem, in exceſſibus ſolicitudinem cauendam; ſpem bonorum in mente ſeruandam, nec poſſe perire meritum rependendum. Hac pij opinionis gregi fidelis exhortatione ſuſpenſus, erupit in lachrymas, & alium quiſque in fletu ſupergredi certat alterna in commune diſpendium querela, huiuſmodi clamore ſuſpenſi vociferabantur: Ecce pater tuum virtutum ſtudijs præmunitum ab ipſis infantiæ incrementis immaculatum tranſitum hactenùs præſignaſti, nec diutiùs tua, noſtris calamitatibus neceſſaria, vt apparet, fruemur præſentia. Memento puſillorum gregum fidei ductoris indigorum, & quos ſolidioris paſcuæ pinguibus apparatibus alendo fouiſti, non incautos deſeras inimicorum iaculis vulnerari; non, quibus vitalium ſeminum grana ſeuiſti, ſinas interſeri zizania, ſed abige luporum rictus in ſimplices greges hiantes, præuide tranquillos ſinus auidus propagator, para relictis tuæ, quam percipies à pio Domino requietionis portum, arce rabiem truculentam infeſtiſſimi peruaſoris, compeſce quietorum per innumeros meandros cordium agitatores tuarum munimine orationum, vt quos omnis deuotionis diligenti cura nutritos ad Catholicæ matris gremium humero baiulo prouexiſti, & ad beatorum prouehas gaudia præmiorum, certus de propria, eſto ſollicitus de noſtra, obtentu pio nobis requie præparanda: habemus enim certæ ſpei confidentiam ſanam, ſi tuæ ſit curæ paternitati, quod non prorſus fruſtrabimur tibi repoſitis delitijs ſempiternis, expedies iter tuum liber proficiſci paratus; nobis nunc vſque curam adhibitam profectus precamur impende, corpore debitum factum ſoluente immortalis quod oramus ſpiritus nobis poterit obtinere, his alijſque querimonijs motus Dei ſacerdos Siffredus, circumſtanti familiæ prout potuit ait: Saluator, mei fratres, qui pro peccatoribus deſcendit de cœlis, ipſe vos eruet de formidoloſis laqueis inimicorum, non vos illorum minæ terreant, non vos fraudes decipiant, ſed momentote monitorum meorum, vt vos in die tremendi iudicij, in filios habeam, meque patrem poſſideatis, vt vos Deo repræſentare valeam. Honoris Eccleſiarum reminiſcimini, pauperum curam agite, quodque vidiſtis me patrem facientem, vos imitando filij facite, feritatem prouincialium deponite, gentium immunditias execramini, idolorum culturas abijcite; his necnon & alijs exhortationibus admonens omnes, ſumpto viatico, viam expetijt humanæ conditionis ſanctum Domino ſpiritum commendans, quinto Calend. Decembris. Hoc viſo circumſtantium multitudo, ſua quiſque damna deplorans, dum in parando quæ competerent exequijs defunctorum animos affectarent, tanta mox fragrantia locum illum occupauit, vt omnes mira ſuauitate, miraque dulcedine replerentur, & oblitis quæ mentes lamentis obſederant, in ſolam conceptam dulcedinem rapiuntur, & ſedato dolore, diffuſo odore, de ſancti ſepultura ſumma peragitur cura, ſepultus eſt in baſilica, quam ipſe conſtruxit in nomine ſanctæ Trinitatis, vbi beneficia eius exuberant vſque in hodiernum diem, Regnante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Deo Patre & Spiritu ſancto eſt omnis honor & gloria, laus, virtus, poteſtas & imperium per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen. IX.

Obitum ſuum prædicit & ſuos exhortatur.

*for. veſtitus.

†for ſas eſſet.

Moritur.

TRANSLATIO CORPORIS SANCTI SIFFREDI EPISCOPI A VENDACO *Carpentoratum, ex manuſcriptis Eccleſiæ Carpentoratenſis deſumpta, quæ celebratur Dominica tertia poſt Paſcha.*

POST deceſſum inclitæ recordationis beatiſſimi patris Siffredi, multorum annorum curriculis euolutis, fama interim crebreſcente vbique de clariſſimis miraculorum inſignijs, quæ virtute diuina de ſacri corporis pulueribus pullulabant, ad ſepulchri locum quacumque infirmitate detentæ innumerabiles turbæ languentium confluxêre, quæ ſolita ſoſpitate recepta, in iubilo diuinæ laudis redeuntes ad propria, Deum in ſancto ſuo mirabilem dignis honoribus extollebant. Placuit itaq; illi, qui vbi vult, ſpirat ſpiritum, & ſecundùm beneplacitum incomprehenſibilis prouidentiæ ſuæ omnium ſapientiſſimus ordinator exiſtit, vt ſuæ aliquando inſpiraret Eccleſiæ, eiuſque miniſtris, & filijs, locũ eligere aptiorem, vbi beatiſſimi corporis pulueres cuſtoditi ampliori religione à fidelibus colerentur, vnde, nec caſu, nec fortuitò, ſed nutu diuino, ſicut perhibet antiquorum fama celebrior, contigiſſe putatur, vt feliciorem arcam, quæ arcam in ſe contineret ſecretorum, corpus videlicet beatiſſimi patris, quo tanquam organo ad omne opus bonum Spiritus ſanctus eſt vſus, è ſanctę Trinitatis baſilica, ſepulchro effoſſo, fures nocturni tollerẽt, & de Vendacenſi vrbe ad amnem, quæ lateri adiacet Carpentorati oppidi, deportarent, vbi diuinitus corporali cæcitate perculſi, vlterius progredi non valentes, ab incolis loci per vias & inuia cernuntur, & inueniuntur quodam vago & incerto circuitu aberrantes, qui continuò capti, intelligentes per diuinam potentiam quod rem feciſſent illicitam redargutos, & quod theſaurum inæſtimabilem auſu nefario contingere præſumpſiſſent, ſui latrocinij crimen prodere & confiteri publicè diuino iudicio ſunt compulſi, quo percepto, per loci clerum & populum ſacratiſſimo corpore tanquam ab iniuſtis & violentis poſſeſſoribus irreuerenter accepto, atq; in hac ſua Eccleſia cum gaudio & diuinis laudibus collocato. Ipſi ſacrilegi non immerito pœnitentes, per merita ſancti, cuius rapuerant & aſportabant reliquias, oculorũ ſuorum lumen ſolitum receperunt: cum autem locus ipſe pridem nuncupatus vocabulo cenſeretur felici deinde commutatione ſortitus eſt, & poſſidet nomen vrbis quæ reuera corporis inibi translatione facta, effecta eſt famoſior & nobilior, non tam epiſcopali honore claret, quam & mirabilium emicat coruſcatione ſignorum, & ex tunc vrbs Vendacenſis ciuitas eſſe deſinit, & priſcorum fulgore miraculorum pollere ceſſauit, nimirum ſignis tam claris, tamq; pellucidis corpus illuſtre ſolita & nulla maiora miracula ſunt ſecuta, decuit enim vt translatis miraculis connumeratis corporis venerandi transferretur etiam pontificij principatus, & vbi corpus exiſteret, illuc congregarentur & aquilæ, & virtus & honos ſuperni numinis, & nunc & in perpetuum inibi refulgeret. Sic itaq; in propatulo claruit veritatis teſtimonium per opera clariora, ſic effulſit lumen in tenebris, vt quaſi ad ſolemnes epulas inuitati vndique circumferrentur ægroti, & ad ſanandam infirmitatem virtus, quaſi de viuis pulueribus emanaret, X.

Fures corpus S. Suffredi effodiunt.

Cœcitate percutiuntur.

Defertur Carpentoratum.

Viſum recipiunt fures.

Matth. 24.

nacet, ô quam magnifice, probant oſſa felicem illius animam præpotentem eſſe in Domino, quæ corpus in terris mortuum ſic æternè viuere facit in tam admirabili virtute, quod iam fluxerunt anni plurimi, nec beneficia defecerunt, ſed curſu & ordine continuato vſque nunc validius perſeuerant.

PSELLI ORATIO ENCOMIASTICA IN SANCTVM SIMEONEM METAPHRASTEM. HABETVR IN METAPHRASTE, ET IN TOMIS ALOYSII.

An. 850.

I. CVm & vita & dicendi facultate magnum Simeonem laudare ſtatuerim, cuius per vniuerſum orbem terræ eſt nomen & res geſtæ celebratæ, neſcio quibuſnam verbis vtar in eo laudando, vel quidnam dicturus ex omnibus, ſufficientem præbebo laudationem. Hic enim vir, non ſolum erat ornatus eloquentia, & mentem habebat promptiſſimam ad gignenda præclara cogitata, & linguam tanquam Nili fluentum, non poſt longum temporis curriculum, ſed quotidie riuis ſcatentem eloquentiæ, & inundantem opportuniſſime: ſed & morum temperatione, & quod omnes virtutes erat complexus, & quod erat exemplum iis, qui volebant honeſte & moderate viuere, gloriam inſignem ſibi comparauerat. Hunc ergo virum clariſſimum, ſuo tempore, vt ita dicam, produxit Conſtantinopolis, prima primum pulcherrima ciuitatum, pulcherrimum (vt ita dicam) patronum ciuitatis. Quæ cum ei dediſſet, vt ex ipſa naſceretur, & tali ortu eum ornaſſet, ab eo hoc viciſſim accepit, quod eum produxerit, qui vel ſolus ſuffecerit ad ei dandum pulcherrima præmia ciuitatum. Et fuit honor, quem ex illo habuit, priore maior & magnificentior, quod tunc quidem pulchritudine ſuperabat alias ciuitates, veluti quidam locus paradiſi, ambitu & circuitu: poſtea autem propter illum, floribus quoque ibi genitarum virtutum alias longo interuallo ſuperauit: adeo vt etiamſi non ſic fuiſſet ornata ab initio, ei ſuffeciſſet fœtus hic admirabilis, vt ſe poſſet conferre cum præſtantioribus.

27. Nov.
Ingeniū & eloquentia Simeonis.
Virtutes.
Patria.
Encomium ciuitatis Conſtantinopolitanæ

II. ET vires quidem incomparabiles ſtatim & à primo, vt ſemel dicam, ortu etiam florente capillo, oſtendebat, non ſecus atque leonum catuli oſtendunt protinus ſupercilium & denſam colli iubam. Ei enim flores pullulabant intelligentiæ, & habebat prudentia profundam quandam radicem, & quodam admirabili fulgore mens micabat. Hæc aliis quidem ſuffeciſſent ad abſolutionem: in illo autem agnoſcebantur veluti quædam prius deſcriptæ figuræ, quæ præſignificabant perfectam eius naturam. Quomodo ergo arbores, quæ germināt præter naturā, parum egentes manu, quæ earum curam gerat, ſi aliquam acceperint irrigationem, & pulchritudine & magnitudine adhuc magis augentur: ita etiam illi quoque erat celerrimum ingenium, & quod protinus in altum erigebatur. Quamobrem is ſua ſponte præbebat ſe* oratori, ad philoſophiam autem profundus animæ ſinus copioſa ſenſa dabat & cogitata.

Intelligētia & prudētia,
for.* oratorem.

III. POSTQVAM autem adſpexit ad ſcholas philoſophorum, & illinc quædam accepit principia, quæ eſſent adiumento ad inuentionem eorum, quæ quæruntur, repente aſſurrexit & euaſit ſublimis, & ex radiis inuenit ſolem, vel à ſole, vt ita dicam, adſpexit ad radios: partim quidem ex poſterioribus priora ratiocinatione colligens: partim autem ex prioribus, quæ natura ſunt ſecunda concludens. Cum autem ſciret, quod* perfecta noſtra naturalis duobus eſt ornata, nempe fœtibus mentis & linguæ fluentis: & quod ex illis, qui eum præceſſerunt ſapientibus, alij quidem conſummauerunt mentem per philoſophiam: alij vero per dicendi facultatem linguam expurgauerunt: & præter vnum aut duos, reliqui ad alterutram declinauerunt: & aliis quidem, denſis epicherematibus lingua fluxit inſtar fluuij: alios autem celebrarunt præclara mentis ſenſa & cogitata, adeo vt hi quidem eſſent propemodum elingues, illi autem à perfectiore diſerti intelligentia: ille inter vtroſque medius, fuit veluti quoddam vinculum eorum, qui tunc erant diſiuncti, & menti linguam adiungens, & verbis mentem adhibens: & arti quidem dicendi adiiciens philoſophiam, ad efficaciorem & apertiorem operationem: philoſophiæ autem artem extollens, & ambo inter ſe contemperans ſua pulchritudine, vocalem, vt ſic dicam, mentem, & linguam effecit mente præditam. Philoſophabatur itaque cum morali probabilitate, & fungebatur munere oratoris cum philoſophica profunditate: & erat vtriſque generibus ex æquo accommodatus, & neque philoſophus odio habebat argumentum ciuile, videns id eſſe coloratum tincturis philoſophiæ: neque orator ægre ferebat ſcientiam, artificio dicendi ſibi placens.

for.* perfectio.
Mediam tenet viā, quæ tutiſſima eſt

IV. HINC veluti quædam lampas* omiſſa, & in altum ſublata è Byzantio, viſa eſt veluti quædam fax in aëre omnibus ciuitatibus: & erat reuera locus, veluti mundus quidam cæleſtis, reſplendens omni genere doctrinæ: & per vnum, qui facem ferebat, partim quidem illuſtrans vniuerſum orbem terræ: partim autem præter lucem propriam alienis quoque coruſcans fulgoribus: & quod eſt admirabilius, & propter quod illum quiſpiam magis fuerit admiratus, cum eſſet genere clarus, & ex illuſtri familia natus, & abundaret diuitiis, & iis, quæ ſegniorem effecerint quempiam ad diſciplinas, (multi enim ſibi proponunt doctrinam & eloquentiam, tanquam opū parandarū materiā, non vt aſſequantur ea, quæ ſunt meliora, ſed ei ſtudentes, vt ſe in rebus vanis voluptate expleant) ille externis fortunæ adminiculis vſus eſt ad philoſophiam. Hinc factum eſt, vt nec eos æmularetur philoſophos, qui erant nimis ocioſi: nec oratores, qui nimis redundabant. Nam illi quidem veluti immenſo lumine circunfuſi radiis philoſophiæ, ſtatim clauſerunt oculos, & virtutem nequaquam deduxerunt ad actionem, neque magnifice vſi ſunt dogmatibus, neque duces fuerunt ciuitatum, neque quæ didicerunt, propoſuerunt in medio populo: ſed promiſſas quidem barbas alebant, tanquam meſſes inutiles, & vultu triſtes erant & ſeueri.

for.* emiſſa
Simeon Metaphraſtes ex illuſtri familia natus
Taxantur philoſophi ocioſi.

V. DEINDE alij quidem, cum non opus eſſet, per forum currentes, intemperanti vſi ſunt dicendi vbertate: alij autem dolia quædam habitarunt, ſe eis circunſcribentes. Alii autem in dialecticis interrogationibus vitam ſuam conſūpſerunt. Alii autem quæſierunt de naturalibus poſitionibus, quaſdam inutiles contradictiones & lites in vitam afferentes. Et hoc ipſum euenit plurimis ex oratoribus, qui prudentem artem fecerunt occaſionem inſipientiæ: & cum oporteret eos eligere & meditari, quæ ciuitatibus ſunt conducibilia, illi, partim quidem ipſi fingentes, partim autem vtentes tanquam rebus repoſitis, nouam quandam ſcenam tragicam in vitam introduxerunt. Sed ille non ſic: longe quidem ab eo abfuit: ſed neque veſtem mutans, neque aliquid remittens de magnificentia, nec huiuſmodi nouitatibus genus ſuum dedecore afficiens, neque ciuiles cauſas fingens & refingens, neque inaniter fungens munere rhetoris, generis quidem decore vtebatur omnino ad benefaciendum: virtutem autem, quam ſibi parauerat ex diſciplinis, habuit protinus occaſionem ſplendoris & magnificentiæ. Nam cum Imperatoribus euaſiſſet amabilis, eius fidei committuntur, quæ ſunt omnium maxime honorabilia, vt qui prope tribunal quidem ſtaret, propter ſapientiam: reipublicæ autem adminiſtrationem, propter ingenii ſolertiam, & rerum curam accepit.

Magnæ ei functiones demandantur ab Imperatore.

ET primum quidem præfuit rebus magis arcanis, & ſecretorum conſiliorum fuit particeps cum Imperatoribus.
VI. Poſtquam autem eius fides fuit in his rebus ſpectata & prædicata, ſimul cum adytis mundanas quoque curas ſuſcepit, adeo vt Imperatori renunciaret ea, quæ afferebant exteri, & rurſus exteris ea, quæ iubebat Imperator: & erat veluti quoddam accuratum vinculum adminiſtrationis. Atque orbis quidem ſolaris, pars quidem eſt alibi, pars vero eſt apud

nos.

Verſatile eius ingenium.

nos. Ille vero ipſe, totus erat apud Imperatorem, & in ipſis negociis. Quomodo enim ſuperius ſignificauit oratio, verſatile & ad omnia accommodatum habuit ingenium, adeo vt & prius conſultaret & exequeretur ea, quæ conſultata fuerant, & barbaros procul propulſaret à finibus Romanorum: alios autẽ ſuperaret aut copiis aut artibus, & gentes in ſuam redigeret poteſtatem, temporibuſque & rebus dexterrime vti poſſet, quod mutaretur, quando oportebat: quod innouerat, quando expediebat: quod eandem ſeruaret ſpeciem, quando bonum videbatur. Sed neque erat vix expers gratiarum & lepôrum. Sed ad omnem lepôrem ac gratiam, conueniente doctrina temperatam, erat ei lingua inſtructa & animus. Cum autem eſſet ei magnificus & amictus & habitus, ſimul cum inceſſu mores quoque mutabat ad id,

Habitus & amictus eius.

quod videbatur: vt qui eſſet gratioſus & affabilis. & eo ipſo omnes ſubridens ad ſe attraheret. Pius erga autem manu quoque minime erat parcus, vtpote quod duæ res eam extenderent, nempe diuinæ & voluntas. Habebat autem ita quoque vt oportebat, nonnullas partes ex iis, quæ conſueuerunt noſtram fidem conſtituere. Hæ autem erant. ſed cur non perfectius vtor oratione, neque eum ad capitale reduco principium, quod eſt maximum caput rerum illius? Vado ergo ad primum argumentum, ſi antea ea quæ ſunt dicenda nonnulla præmiſero.

Martyrum præclara certamina.

Gloriosa quidem ſunt certamina, quæ ſuſcepta fuerunt à martyribus aduerſus inimicos, partim aperte, partim obſcure. Quidni enim, cum fuerit eorum præclara fiducia, & mens inexpugnabilis: & interruptos fuiſſe eorum habitus, & neglexiſſe naturam, & telorum ſectiones & eiectiones, & poſtremo vitæ contemptus? His autem nihilominus refulſit vita quoque monaſticæ exercitationis. Nam hic quoque eſt carnis conſumptio, & deliciæ, non ſe dedere deliciis in iis, in quibus non oportet, & à mundo ſeparari, & ad Deum cum ipſis euolare corporibus, & innatis reſiſtere affectionibus, & iis, quæ à malis ſpiritibus affluunt extrinſecus. Eſt ergo amborum præclara vita, & olim quidem fuerit, & erit rurſus: ſed non clare interim fuerat cognita eorum hic remuneratio: ſed arcani quidem libri, quos multis in eorum reſtitutione legent angeli, accurate monimenta continent eorum martyrij & exercitationis. Qui autem ante hunc beatum virum, res geſtas illorum ſcripſerant, non ſunt aſſecuti illorum magnificentiam: ſed partim quidem de eis ſunt mentiti: partim autem cum non poſſent rebus eorum reſpondentem afferre orationem, bonum illis conſcripſerunt, quod nec erat vlla elegantia ornatum, nec laude proſequendum: vt qui pulchram ſubiecerint ſententiam, nec eam verbis ornarint decentibus, neque accurate deſcripſerint ſæuitiam ac atrocitatem eorum, qui punierunt, neque martyrum in dandis reſponſis prudentiam. Quinetiam monachorum adulterarunt exercitationem, ſimpliciter ac quaſi temere & vt accidit referentes, quæ ſtudioſe ab illis facta ſunt.

Encomium vitæ monaſticæ.

Vitæ ſanctorum à quibuſdam negligenter ſcriptæ quid effecerint.

Hinc factum eſt, vt nonnulli ne vel legere quidem ſuſtinerent ea, quæ ſunt literarum mandata monimentis: aliis IIX.
autem ea, quæ dicebantur, præberent ridendi materiam, & compoſitionis inelegantia, & ſententiæ abſurda & nulla conſequentia, & dictio vilis & abiecta, erant iis, qui audiebant, inſuauia, & odio habebantur potius, quam admittebantur, & propter eos, qui conſcripſerant, nobis ludibrio habebantur admirabilia Chriſti ſeruorum certamina & trophæa. Et omnes quidem aperte ſcripta inſectabantur maledictis: eorum autem loco afferre meliora, aliis quidem propter animi ſocordiam, aliis autem, vt quod eſſet opus perfectiſſimum & maximi ſtudij, & cui ne tota quidem viri vita ſuffecerit, neque vires aderant volentibus: nec iis qui poterant, voluntas. Sed non etiam admirabilis Simeon eodem modo, quo ij, fuit affectus, Sed cum eis procedens ad ſcriptorum vſque reprehenſionem, deinde proceſſit vlterius, & iuuenile aggreditur facinus, vel felicem potius actionem, quam nullus omnium geſſit feliciter: per quam ille euaſit clarior omnibus, qui ſunt vbique, eruditis: & Deo conſecrauit ea, quæ ſunt omnium pulcherrima, martyrumque certamina & curſus, & monachorum abſtinentiam atque patientiam ornauit ac decorauit: & eandem quam illi, adhibens beneuolentiam, gratias viciſſim accepit ab omnibus.

Vtilitas eorum, quæ de ſanctis ſcripſit Metaphraſtes.

Qvid enim cum hoc opere contulerit quiſpiam? Quamnam antiquam gentilium narrationem, aut vniuerſæ IX.
terræ dimenſionem? An quæ à Perſis geſta ſunt, & ante illos à Babyloniis, & quæ poſtea ab Alexandro Macedone fortius peracta fuere certamina? Nam hæc quoque laudem & honorem afferunt iis, qui ea ſcriptis ornate & eleganter mandarunt. Sed multi quidem in eorum lectionem ſtudium ſuum conferunt, propter compoſitionem eorum, qui ſcripſerunt. Quæ autem hic vir egregius cum eo, quo decet, ornatu orationis ſcriptis contexuit de iis, qui martyrium ſuſceperunt, & iis, qui ſe in virtute exercuerunt, duplicem habent æmulationem, nempe & imitandæ eius compoſitionis, & morum ad ea, quæ ſunt optima, transformandorum. Dixerim autem tertium quoque, quod non eſt his inferius, ſed accuratius etiam & excelſius: videlicet quod eorum quæ conſtituunt ac confirmant Euangelium, ſanctorum ſcriptis mandata memoria, eſt caput aliorum præcipuum. Atque quod ille quidem elegerit hoc ſcribendi argumentum, eſt id certiſſimum teſtimonium illius prudentiæ. Quod autem talibus vſus ſit ſententiis, & dictione, quæ eſt dilucida, & probabilitatem ac veritatem habet velut innatam, eſt quidem argumentum illius quoque ſapientiæ: maximum autem huius ſignum ſtatuerit quiſpiam, quod ſe pulchre accommodauerit temporibus & auditoribus.

Et vt de hac parte dicam, & aliqua vtar digreſſione: Non ignoro huius viri opera non eſſe magno ſtudio, nec iis, X.
qui linguæ ornamento vtuntur nimis rhetorice: nec iis, qui ſuum ſtudiũ poſuerunt in diſciplinis: ſed nec iis, qui ſtuduerunt naturæ contemplationi: quod nec in iis dicendi generum mixtio eluceat, nec figuræ dicendi ſint apertæ, neque vlla naturæ dubitatio & ſolutio, neque lineares demonſtrationes cum importunis nominibus, neque philoſophicæ ſententiæ, quæ ſubiectum verbis in altum euehant. Volunt enim, qui ſunt ſapientiæ ſupra me dum dediti, omnia ſcribi ad oſtentationem, non ad morum correctionem. Ego autem dico, huius viri ſcripta nullo horum eſſe priuata. Sed quoniam non ad oſtentationem comparabatur eius ſcriptio, ea non ponuntur frequentia, neque ſtatim à principio, neque vbique, neque apud omnes: ſed quando res dat ei occaſionem, vſus iis, quę poſtulat oratio, redit rurſus ad ſcopum propoſitum. Eius enim oratio neque ad ſophiſticam innitetur iactationem & forenſem apparatũ, neque ad artificioſam naturalium rerum excogitationem, neque ad linearum contemplationem, aut curioſiorem numerorum intelligentiam: Sed neque eſt ei ſtudio cæli motus, aut quemadmodum inerrans mundus procedat circa ſtellas erranes. Sed neque ſunt ei curæ conſonantes aut ſemiuocales, neque qui per eas fit concentus. Propterea hæc quidem amandat tanquam ſuperuacanea, nonnunquam tamen eis vtens & in tempore: veritati autem adhæret & à falſo alienæ narrationis. Dictionis autem ſciebat quidem multos modos: vſus eſt autem eo, qui ſufficiebat ad auditionem ſimul & bonorum & vulgi: & vtriuſque partibus ſimul ſatisfacit. Nam dictionis quidem numero & pulchritudine eruditum attraxit auditorem, & ſatis deliniit gratiarum illecebris, eò autem, quod eſſet clara & ſucculenta oratio, effecit vt autes imperitorum ab eius voce penderent: ambos rurſus induxit breuitate & probabilitate.

Metaphraſtæ ſermo & oratio quid ſpectet.

Dictio eius cuiuſmodi ſit.

Ego enim, vt nihil dicam celans quod ſit vero minus, ſcio quidem eſſe multà dicendi genera pulchriora: perfectiorum, inquam, oratorum, & quorum exemplar non eſt vulgo propoſitum ad imitandum, propter ſonum & nume- XI.
rum orationis: præſtantiorem autem dicendi formam iis ſcriptis, quæ componere ſtatuerat, neſcio an quiſquã ex omnibus vnquam adaptauerit. Sed & ſi quis ex illis, qui & dictione excellunt & ſententia, eiuſmodi argumenta ſuſcepiſſet, accuratiorẽ quidem & elaboratiorem effeciſſet orationem. ſed non itidem dico omnibus auditoribus congruentem & conuenientem. Nam & proœmia eius orationum ſtatim attingunt ſubiectum, & parum procedens oſtendit ſui ſcripti ſcopum & in nonnullis orationibus cum totam argumentum recepiſſet in ſummam, id ſtatim in partes diuidit,

Accommodat ſe in ſuis

ſe

ſe autem accommodat perſonis & temporibus. Et eſt quidem omnibus idem color orationis, & vna qualitas dictionis: morum autem varia eſt mutatio, &, vt dixerit quiſpiam, artificioſa: non per artem res mutans, ſed quod vnicuique & perſonæ incidenti conueniebat, interpretans. Tanquam autem ad archetypa exemplaria ad res antiquiores intuens, nec ab illis recedit, ne videatur aliquid aliud facere: & ad exemplar quoque totam tranſmutat dicendi formam, non diuerſam faciens materiam, ſed quod in dicendi genere peccatum erat, corrigens: neque ſententias innouans, ſed conuertens figuram dictionis. & ei incidens oratio in diuerſitatem narrationum, & varietatem argumentorum, non confunditur neque perturbatur, ſed tanquam optimus gubernator, cum ei nauis agitaretur fluctibus, ſtabat quietus, clauum tenens artificioſiſſime.

ſcriptis perſonis & temporibus.

XII. PORRO autem in nonnullis quoque orationibus deſcribit patriam eorum, qui laudantur, ab vniuerſa terra ſeparans & deducens ad vnam partem. Deinde loquitur etiam nonnihil de fluminibus, & de eorum principiis diſſerit naturaliter, & de opportunitate ciuitatum, & de temperatione aëris & de temporũ conuenientia, etiamſi ij, qui ſunt reuera auribus paulo ſurdioribus, ea quæ dicuntur, non exaudiunt. Multifariam quoque tractat partes orationis, alias quidem maiori contentione: alias vero lenius & ſedatius. In gratia autem narrationum quis ex omnibus cum eo contenderit? Quis in compoſitione? Quis in numerorum ſuauitate? Quis in concinnitate in omnibus congruente? Atque volo quidem contendere, quod non ſit ampla & grandis eius oratio: nuncio autem, eius orationibus ne hanc quidem deeſſe gratiam, ſed alicubi quidem eas eſſe amplas & redundantes, in pluribus autem graues & temperatas. Cum has autem duas vias ſibi propoſuiſſet, martyricam conſtantiam, & monaſticam in exercitatione tolerantiam: currit quidem in vtroque ſtadio, non cum pedum pernicitate, ſed cum celeritate orationis. Maxime autem monaſticum percurrens curriculum, euadit ſeipſo robuſtior & fortior. Aures quidem certe mihi pinguefacit, quando eius oratio aſcendit quidem montes, ſubit autem ſpeluncas: ſub pinu autem aut quercu aliqua collocat exercitatorem: & vile alimentum, & illaboratum ei offert ex herbis, & potum ex fontibus, eiuſmodi enim narrationes ornat quibuſdam florentibus pulchre dictionibus & variis roſis figurarum, & ea quæ tunc fiebant, quaſi ſubiicit oculis. Virum ergo laudo quidem propter eiuſmodi facundiam & gratiam: non minus autem, quod pulchre tractarit argumenta. Nam etſi à me multa quoque de multis ſcribuntur, non habent eorum opera talem zelum & imitationem: ſed viris quidem fortaſſe doctis videbuntur digna, in quæ ſtudium conferatur, & ea æmulabuntur propter dictionem & varias figuras: multi autem contemnent, quod non ſint eis curæ quæſtiones & ſententiæ nimis arcanæ.

Præcipua dexteritas & gratia in narrationib' eius, &c.

Quæ ſibi potiſſimũ propoſuerit in hiſtoriis ſacris.

XIII. PORRO autem dicunt eum leuiter & quaſi aliud agentem, hanc rem eſſe aggreſſum: neque ipſum id ſibi propoſuiſſe, vt faceret quantum vellet: ſed Imperatoris adhortationes eum ad hoc adduxerunt, & ij, quibus curæ erat doctrina & intelligentia: & promptus ei fuit apparatus, & non paruus orbis eorum, qui primo dictionem notis excipiebant: & eorum, qui poſtea tranſcribebant: & alius poſt alium, ille quidem prima faciebat, hic vero ſecundo exſcribebat: & poſt hos alij, qui, quæ ſcripta fuerant, pulchre intelligebant: vt quod ſcriptores latuerat, ad propoſitam corrigeſent ſententiam. Nã propter ſcriptorũ multitudinem non licebat ei ſæpe eadẽ reuoluere & intueri. Sed etſi fuerit multus labor, & maior, quam par eſſet ſolicitudo, imo vero digna, quæ in hoc adhiberetur: ſementem tamen longe vicit ſpica & ſeges, qualis nondum fuit vſque in hodiernum diem. Quocirca etiamſi nihil aliud à viro illo fuiſſet elaboratũ, & non alia omnia, quæ vel ſingula ſufficiunt ad laudem conciliandam: opus tamen tale ſuſcepiſſe, & id tam præclare effectum reddidiſſe, viro pro quouis ad laudem ſuffecerit.

Multorum opera vſus.

XIV. ATQVE ego quidem nolo conferre eius opera cum ſcriptis externorum ſapientum. Quid enim, ſi ex his alij quidem compoſuerunt Parathenaica, alii autem prelium Peloponeſiorum & Athenienſium magnifica dictione compoſuerunt: & alii quidem contra oratores decertarunt, alii vero pro oratoribus: in quibus eſt quidem inſignis & manifeſtus redundans verborum ornatus, eſt autem breuis & imbecilla vtilitas. Cum his ergo nollem ego meum conferre athletam. Sed ſi quis mihi hoc dederit, ego eum ex æquo ueterim iis, qui laborarunt in conſcribendo Euangelio, & profundum verbi ſunt interpretati. Quorum enim ſunt fines æquales, eorum ſunt etiam principia ſimilia: & ſi ſalus animarum apud vtrunque eſt finis argumentorum, quidni etiam fuerint cauſæ inter ſe pares, & ſteterint ſcriptores in eadem trutina, aut, vt dicam quod noſtrum eſt, fuerint etiam ex æquo hæredes? Quam multis autem fortis viri coronis non fuerit coronandus hic vir admirabilis, imo vero quibus non eſt iam coronatus, cum ad Deum aſcenderit, & apud illos ducat choros, quorum mores & vitam hic circumſcripſit? Nam vel in fine oſtendit, qualem vitam egerat. Non enim eum veluti abſciſſum aut diuiſum fuiſſe dicunt ii, qui viderunt: ſed videbatur veluti à quodam vinculo liberari, & hilari nutu ſe extendere ad ducentes Angelos, & quodammodo ſeipſum tradere illorum manibus, vt cito emigraret è corpore.

Sanctorum animæ in cælis ſunt.

XV. ET ſi quidem eſt mortuus: fuerunt autem ſtatim omnia, & non tunc ſolum, ſuaui odore plena: nec in diem tertium, ſed etiam in multos dies poſtea, donec fuit ſolus conditus in ſepulcro: & loculus perpetuo talem emiſiſſet odorem, niſi ſe aliqui tam inique geſſiſſent, vt aliud corpuſculum propter eum deponerent. Simul atque enim hoc magno illi viro accidit, deſiit fons ille ſuauis odoris. Atque hic quidem contractus, ô virorum omnium optime & eruditiſſime, ſatis ſuperque oſtendit puritatem tuam & ſanctitatem. Nam alia quoque tibi ſufficiunt ad accuratiſſimam virtutis conſummationem. Tu autem ſis mihi propitius, ſi non perfecte expoſui omnem tuam virtutem, neque ex omnibus tuis bonis tibi parem attuli laudationem, nec mihi iraſcaris propterea, quæ ſunt à me prætermiſſa: ſed eorum quæ ſcripſi, memineris, ſi eorum, qui hic ſunt, eſt vlla memoria veſtris puriſſimis & diuiniſſimis animis: In Chriſto Ieſu Domino noſtro: cum quo Patri cum ſancto Spiritu gloria, honor & potentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Odor ſuauis in multos dies ad exanime corpus Metaphraſtæ.

PASSIO S. IACOBI INTERCISI, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MS. CODICIBVS, QVIBVS CONSENTIVNT MARTYROLOGIA ET COMpendium certaminis eius quod habetur in Nicephoro Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libro Decimoquarto Capite vigeſimo.

An. 400.

27. Nov.

I. IACOBVS martyr cognominatus Interciſus nobilis genere ſed fide nobilior, ex regione Perſarum & ciuitate Elape oriundus fuit. Hic ex Chriſtianiſſimis parentibus ortus eſt, & vxorem Chriſtianiſſimam habuit: Eratque notiſſimus Regi Perſarum, & inter optimates primus. Accidit autem vt à principe nimio amore ſeduceretur, & ad colenda idola flecteretur. Hoc autem mater & vxor audientes, protinus ſic ei ſcripſerunt: Obediendo mortali, deſeruiſti eum qui vita eſt: placendo futuræ cito putredini, deſeruiſti ſempiternum odorem. Veritatem in mendacium commutaſti, & mortali obtemperans, viuorum ac mortuorum iudicem reliquiſti. Noueris igitur nos amodo à te futuras extraneas, nec tecum decætero

Iſdigerdem hunc appellat Nicephorus.

aliquatenus moraturas. Cum autem has literas Iacobus legiſſet, amarè flens ait: Si mater mea quæ me genuit, & vxor mea extraneæ factæ ſunt: quanto magis à me extraneus factus eſt Deus meus? Cum ergo pro errore ſuo ſe plurimum afflixiſſet, nuncius venit ad principem, qui diceret Iacobum Chriſtianum eſſe. Quem princeps aduocans, ait: Dic mihi Nazaræus es? Cui Iacobus: Etiam, Nazaræus ſum. Et ille: Ergo magus es. Cui Iacobus: Abſit à me magum eſſe. Cum ergo ei multa ſupplicia minaretur, dixit Iacobus: Non me perturbant minæ tuæ, quia tanquam ventus flans ſuper petram, furor tuus aures meas cito pertranſit. Cui princeps: Noli imprudenter agere, ne graui morte pereas. Cui Iacobus: Hæc mors non mors ſed ſomnus potius eſt dicendus, cum poſt modicum reſurrectio tribuatur. Cui princeps: Non te ſeducant Nazaræi dicentes, mortem eſſe ſomnum, quia magni Imperatores timent eam. Cui Iacobus: Nos non timemus mortem, quia de morte ad vitam tranſire ſperamus.

Accuſatur apud Regẽ quod ſit Chriſtianus.

Mors tẽporalis, Chriſtianis ſomnus eſt.

II. TVNC princeps amicorum conſilio, hanc ſuper Iacobum tulit ſententiam, vt ad aliorum terrorem membratim Iacobus puniatur. Cum autem quidam ex compaſſione ſuper eum flerent, ille ait: Nolite ſuper me flere, ſed ſuper voſipſos flete: quia ego ad vitam pergo, & vobis ſupplicia æterna debentur. Tunc carnifices pollicem manus eius dexteræ abſciderunt. & exclamans Iacobus ait: Liberator Nazarene ſuſcipe ramum arboris miſericordiæ tuæ: Nam à cultore vineæ ſarmentum abſcinditur vitis, vt potius germinet & vberius creſcat. Cui carnifex: Si aſſentire vis, adhuc tibi parco & medicamenta adhibeo. Cui Iacobus: Nonne perſpexiſti ſtipitem vitis, quia cum amputantur ſarmenta, ille nodus qui remanet, ſuo tempore, cum terra incaleſcere incipit, per ſingula abſciſſionis loca producit germina? Si igitur vitis putatur viciſſitudine temporis vt germinet, quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Chriſto compactus eſt? Tunc accedens carnifex ſecundum abſcidit digitum. Beatus autem Iacobus dixit: Suſcipe duos ramos quos plantauit dextera tua, Domine. Abſcidit & tertium: & dixit Iacobus: De triplici tentatione liberatus, benedicam Patri & Filio & Spiritui ſancto: & cum tribus ereptis pueris de camino, confitebor tibi Domine, & in choro martyrum pſallam nomini tuo Chriſte. Abſciſſus eſt & quartus: & Iacobus dixit: Protector filiorum Iſrael, qui in quarta benedictione pronunciatus es, ſuſcipe à ſeruo tuo quartam confeſſionem quarti digiti, tanquam in Iuda benedicti. Abſciſſo quinto, dixit: Completum eſt gaudium meum.

Mẽbratim inter ſcinditur corpus eius.

Iohan. 15.

Chriſtus viti comparatur.

Dan. 3.

Gen. 49.

III. TVNC carnifices ei dixerunt: Parce iamnunc animæ tuæ, ne pereas: nec contriſteris ſi vnum manum amiſeris, quoniam multi ſunt vnam tantum habentes, & multis diuitiis & honoribus abundantes. Beatus Iacobus dixit: Quando paſtores incipiunt pecora tondere, nunquid tantum dextrum vellus auferunt & ſiniſtrum dimittunt? Si ergo pecus, quod animal brutum eſt, totum vult vellus auertere, quanto magis ego homo rationalis non dedignabor pro Deo occidi? Accedentes ergo impij ad ſiniſtram manum, digitum minimum inciderunt: & Iacobus dixit: Tu Domine cum eſſes magnus, paruus & minimus pro nobis fieri voluiſti. Et idcirco tibi reddo corpus & animam quam creaſti & proprio ſanguine redemiſti. Abſcinditur & ſeptimus digitus, & ait: Septies in die laudem dixi tibi Domine. Abſcinditur octauus, & ait: Octauo die circumciſus eſt Ieſus Chriſtus, & octauo die circũciditur Hebræus vt tranſeat ad legales cæremonias, & mens ſerui tui Domine tranſeat ab his incircumciſis & coinquinatum habentibus præputium, vt veniam & conſpiciam faciem tuam Domine. Inciditur nonus digitus, & ait: Hora nona tradidit Chriſtus in cruce ſpiritum. Vnde & ego Domine in dolore noni digiti tibi confiteor & gratias ago. Inciditur decimus, & ait: Decimus numerus eſt in præceptis: & Iota, prima litera nominis Ieſu Chriſti. Tunc quidam de adſtantibus dixerunt: O dilectiſſime quondam noſter, profitere tantum coram conſule, vt valeas viuere: Licet enim abſciſſę ſint manus tuæ, ſunt tamen peritiſſimi medici, qui tuis doloribus valeant ſubuenire. Quibus Iacobus dixit: Abſit à me nefanda ſimulatio. Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.

S. Iacobi in tormentis conſtantia.

Pſal. 118.

Luc. 2.

Gen. 17. 21.

Matt. 27.

Mar. 15.

Exod. 20.

Luc. 9.

IV. TVNC indignati carnifices, acceſſerunt & pollicem dextri pedis abſciderunt, & Iacobus dixit: Pes Chriſti perforatus eſt, & ſanguis exiuit. Abſcinditur ſecundus digitus pedis dextri, & ait: Magnus mihi dies eſt hic præ omnibus diebus. Hodie enim ad Deum fortem conuerſus ibo. Abſciderunt & tertium, & ante ipſum proiecerunt. Et ſubridens Iacobus, dixit: Vade tertie digite ad ſocios tuos, & quemadmodum granum tritici multum fructum affert, ita & tu in nouiſſimo cum ſociis tuis requieſces. Abſcinditur quartus, & ait: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Abſcinditur & quintus, & ait: Nunc incipiam dicere ad Dominum, quoniam dignum me fecit ſocium ſeruis ſuis. Tunc accedentes ad pedem ſiniſtrum, digitum paruum abſciderunt, & dixit Iacobus: Digite parue confortare: quia paruus & magnus vnam habent reſurrectionem. Capillus capitis non peribit, quanto minus à ſociis tuis ſeparaberis: Abſcinditur ſecundus, & Iacobus ait: Deſtruite veterem domum, quia ſplendidior paratur. Abſcinditur tertius, & ait: Tunſionibus firmatur incus. Abſcinditur & quartus, & ait: Conforta me Deus veritatis, quoniam in te confidit anima mea. Abſcinditur & quintus, & ait: Ecce tibi Domine vicefies immolor.

Pſal. 41.

Paruis & magnis vna eſt reſurrectio.

Lu. 12. & 21

Pſal. 56.

V. TVNC accedentes, pedem dextrum abſciderunt: & dixit Iacobus: Nunc offeram munus cæleſti Regi, pro cuius amore hæc patior. Abſciderunt & pedem ſiniſtrum: & B. Iacobus dixit: Tu es qui facis mirabilia, exaudi Domine & ſalua me. Abſciderunt dextram manum, & ait: Miſericordiæ tuæ adiuuent me. Ad ſiniſtram ait. Tu es Deus qui facis mirabilia. Abſciderunt dextrum brachium, & ait: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero. Abſciderunt & ſiniſtrum, & ait: Circundederunt me dolores mortis, & in nomine Domini vindicabor eis. Tunc accedentes, abſciderunt ſuram dextri pedis, ſcindentes vſque ad femur. Tunc B. Iacobus ineffabili dolore grauatus exclamans, ait: Domine Ieſu Chriſte adiuua me, quia circumdederunt me gemitus mortis. Et ait ad carnifices. Carnem nouam induet me Dominus, quam veſtra vulnera maculare nequibunt. Iam carnifices defecerant eo quod à prima hora diei vſque ad nonam in eius inciſione ſudaſſent. Tunc iterum accedentes, ſiniſtri cruris ſuram abſciderunt vſque ad femur. Tunc exclamans B. Iacobus dixit: Dominator Domine exaudi me ſemiuiuum, viuorum & mortuorum Deus. Digitos Domine non habeo, vt ipſos ad te porrigam: nec manus, vt eas ad te extendam. Pedes mei truncati, & genua mea demolita ſunt, vt tibi genua flectere non valeam, & factus ſum velut caſura domus ablatis quibus ſuſtentatur columnis. Exaudi me Domine Ieſu Chriſte, & educ de carcere animam meam. Hoc cum dixiſſet, vnus de carnificibus acceſſit, & caput eius amputauit. Chriſtiani igitur occulte acceſſerunt, & corpus eius rapientes honorifice ſepelierunt. Paſſus eſt autem quinto Calend. Decembris.

Ecce martyris patientiam in amputatione ſingulorũ mẽbrorum

Pſal. 71. 76

Pſal. 145.

Pſal. 17. & 144.

Oratio eius ſub mortẽ.

Caput ei ad vltimũ amputatur.

DE EODEM S. IACOBO INTERCISO, EX NICEPHORI CALLISTI ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIB. XIV. CAP. XX.

I. INFINITA vero alia ab audacibus & impiis illis quoq; tẽtata ſunt. Quale videlicet & illud eſt in Iacobo Perſa patratũ. Is n. cum Chriſtianus antea fuiſſet, propter intercedentem ſibi cum Iſdigerde Perſarum Rege amicitiam, paternam religionem reiecerat. Poſtquam autem per matrem & coniugem rurſus ad fidem Chriſti admonitus reuertit, & eam rem princeps ægre tulit, acerbam quandam, & propter nouitatem admirandam, poſt ſupplicia multa ſubiit mortem,

Iacobus Perſa ex Chriſtiano ethnicus.

Idẽ denuo Chriſtianus

tem. Nam vbi articulis & iunctu iis quibuſque, in commoda & apta totius corporis membrorum conformatione, ex manibus, brachiis, pedibus & ſuris ei reſectis, reliquum nihil quam vna cum ventre caput ſolu habuit. quoniã re tum quidem fidem in Chriſtum abiecit, & idipſum poſtremo ferro amputatum eſt. Minime vero mirandum, ſi eorum vniuerſarum Dominus feritatem illorũ ſuſtinuit. Nam & qui Conſtantini imperiũ præceſſerunt principes, rabiem ſuam aduerſus veræ pietatis amatores euomuerunt. Inprimis vero Diocletianus omnium grauiſſimus, ipſo auguſtæ & venerandæ Paſſionis die, eccleſias ſub imperio Rom. vbique omnes euertit. Et nouem elapſis annis, illæ quidem ad priorem florentes redire ſtatum, ac potius & pulchritudinem, & amplitudinem multo præſtantiorem recepêre. Diocletianus autem poſtremo [a] diſperiit, & cum impietate extinctus eſt.

Luculẽtiſſi. mum eius martyrium: Deus per lõ ganimitatẽ ſuam Eccleſiæ tyrannicos perſecutores ſuſtinet. a Diocletiani interitus.

VITA S. BILHILDIS VIDVAE ET SANCTIMONIALIS, VT HABETVR IN BREVIARIO MOGVNTINO RECENSE MENDATO.

An. 630.

I. TEMPORE, quo Clodoueus Francorum potiretur imperio, fuit in Orientalis Franciæ oppido Hocheimio vir clariſſimus, Ibertinus nomine, qui ex * Mechtilda coniuge ſua Bilhildem filiam ſuſcepit. Qua ætate cum in Gallia & Germania Gentilium etiamdum ſuperſtitio apud pleroſque vigeret, parentes beatæ Bilhildis occulte Chriſtianorum ſacris fauebant. Quo factum eſt, vt in ipſis infantiæ annis filia Vuirceburgum delata, ibidem catechumena quidem facta ſit, ſed baptiſmum tamen non conſecuta. Accedente autem ætate, licet ignoraret puella ſe regenerationis lauacro carere, putum nihilominus in ſuo pectore Chriſto domicilium parare ſtudebat: corpus ab omni ſpurcitia continens, & parſimonia cæteriſque virtutum quibuſuis ornamentis exercens ac componens.

27. Nov. * Alij Matildem habent. Parentes S. Bilhildis.

II. QVOD quidem vt rectius perficeret, in virginitatis propoſito perſeuerare omnibus modis conabatur: ſed victa parentum voluntate, nupſit cuidam viro nobili & militari. Etſi autem matrimonij legibus eſſet ſubiecta, Chriſti tamen, quem toto corde dilexerat, obſequiis ſedulo incumbebat. Non multo inde elapſo tempore, cum iam vnius prolis mater eſſet, marito in bello defuncto, prole etiam paulo poſt viuis exempta, ex conſilio Sigeberti Epiſcopi Moguntini ſui auunculi, Moguntiam commigrat: renuncianſque patrimonij ampliſſimis cenſibus, vt pauper & expedita Chriſtum ſequeretur, areolam ibidem eſt adepta, in qua eccleſiam in honorem Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ conſtruxit.

Cogitur S. Bilhildis nubere. Sigebertus Epiſcopus Moguntin.

III. QVO in loco ſanctarum fœminarum conuentu numeroſo collecto, quantum ſufficere poſſet prædiorum ad communem ſuſtentationem, iis contulit. In quibus ipſa quoque pie viuens, non ſolum corpori eis neceſſaria, ſed etiam ſanctæ conuerſationis exempla ſuppeditabat. Interim miſericors Deus, famulam ſuam diutius in vanum laborare non permittens, quibuſdam ſanctis eiuſdem monaſterij virginibus eam tantum catechumenam eſſe, necdum baptiſmi gratiam percepiſſe, reuelat. Hoc illa cognito, Epiſcopum conſulit: qui & ipſe diuina reuelatione edoctus, eam regenerationis aqua cenſuit abluendam. Baptiſmo igitur percepto, multo feruentior illa Dei laudibus & piis exercitiis inſtabat: donec graui tacta infirmitate, præſens ſeculum reliquit quinto Calendas Decembris. Sepulta à clero & populo Moguntino in baſilica, quam ſuis ipſa ſumptibus exædificari curauerat: Vbi deinceps plurimis miraculis claruit.

S. Bilhildis condit monaſterium. Abit è vita.

VITA S. NICONIS ARMENI MONACHI, EX ACTIS EIVS AB ABBATE MONASTERII S. NICONIS ANN. 1150 Græce ſcriptis, interprete Iacobo Sirmundo Aruerno Ricomagenſi S I. profeſſore, ex Cæſaris Baronij Annalium tomo decimo collecta: obſeruata interpretis dictione, duobus tantummodo locis perpaucis additis ex eodem Baronio ad connexionem hiſtoriæ.

An. 960.

I. ORTVS eſt ſanctus Nicon in Ponto Polemoniaco parentibus honeſtiſſimis, iiſdem inſciis, vbi adoleuit, fugam arripiens, ad monaſterium Auteæ petræ dictum, ſitum in finibus Ponti & Paphlagoniæ, religione ſanctiſſimum ſeſe contulit: ibique ſub eius monaſterij Abbate viro religioſiſſimo, ad duodecimum annum monaſticam vitam omnibus numeris perfectionis excoluit. Cum vero diuinitus admonitus eius Abbas, ipſum ad plurimarum gentium conuerſionem vocatum è monaſterio abire cogit ad Apoſtolatus ſui munus implendum: vt plane de eo illud Ioannis elogium haud incongruè vſurpari poſſit: Fuit homo miſſus à Deo. Vbi vero Dei omnipotentis miſericordia, Creta inſula eſt recuperata à Chriſtianis, ad eius culturam idem Nicon ab Oriente euocatus, à Deo mittitur.

27. Nov. Niconis Apoſtolatus. Iohan. 1.

II. CVM igitur regiones non paucas Orientalium partium peragraſſet, & publica pœnitentiæ prædicatione innumeras gentes ad ſalutis portum per pœnitentiam, meliorıſque vitæ mutationem perduxiſſet: ad Cretam inſulam nauigandum ſibi eſſe intellexit. Illuc enim diuino quodam nutu vocabatur. Etenim ſimulatque Inſulam ingreſſus eſt ab Agarenorum iugo nuperrime liberatam, Romanoque Imperio reſtitutam per Nicephorum, fœdis autem deteſtandæ Agarenorum ſuperſtitionis veſtigiis adhuc plenam & refertam, cuius ſcilicet incolæ diuturna atque aſſidua cum Sarracenis conſuetudine, ad illorum mores, proh dolor, abrepti, nefanda etiam & profana eorum orgia fuerant amplexi: Vt igitur eo delatus, ſolenne illud ſuum, * Pœnitentiam agite, inclamare cœpit; attoniti peregrino & inaudito prædicationis genere Inſulani, animiſque incenſi, vehementer in eum commoti ſunt: adeo quidem, vt manus etiam inferre cogitarent; manifeſtum enim ad furorem illos adegerat res noua & inuſita, præoccupatos nimirum, deditoſque [vt diximus] ſuperſtitioſis Sarracenorum cæremoniis.

Nicon in Creta prædicat. Inde μετανοεῖτε appellatum tradit Baronius.

III. VIDENS ergo immitis atque intractabilis gentis ingenium, ſentienſque tantam duritiem, niſi prudenti quadam arte perdomari non poſſe: ſecundam (quod aiunt) nauigationem priore omiſſa, inſtituit, ſapientumque medicorum exemplo, eorum curationem appoſitè ſimul ac ſolerter aggreſſus eſt. Habebat enim Paulum in ea re ducem ac magiſtrum. Itaque miſſam faciens inſolitam illam prædicandi rationem: quod ex vſu futurum in eo iam elucens perſpicax futurorum gratia præmonebat, ſeorſum aliquos abducens, quos reliquis intelligentiores, & ad bonum excipiendum

Eius ratio inſtituti in prædicatione.

para-

Verſatile eius ingenium.

nos. Ille vero ipſe, totus erat apud Imperatorem, & in ipſis negociis. Quomodo enim ſuperius ſignificauit oratio, verſatile & ad omnia accommodatum habuit ingenium, adeo vt & prius conſultaret & exequeretur ea, quæ conſultata fuerant, & barbaros procul propulſaret à finibus Romanorum: alios autẽ ſuperaret aut copiis aut artibus, & gentes in ſidem redigeret poteſtatem, temporibuſque & rebus dexterrime vti poſſet, quod mutaretur, quando oportebat: quod innouerat, quando expediebat: quod eandem ſeruaret ſpeciem, quando bonum videbatur. Sed neque erat vix expers gratiarum & lepôrum. Sed ad omnem lepôrem ac gratiam, conueniente doctrina temperatam, erat ei lingua inſtructa & animus. Cum autem eſſet ei magnificus & amictus & habitus, ſimul cum inceſſu mores quoque mutabat ad id,

Habitus & amictus ei.

quod videbatur: vt qui eſſet gratioſus & affabilis. & eo ipſo omnes ſubridens ad ſe attraheret. Præterea autem manu quoque minime erat parcus, vtpote quod duæ res eam extenderent, nempe diuitiæ & voluntas. Habebat autem ita quoque vt oportebat, nonnullas partes ex iis, quæ conſueuerunt noſtram fidem conſtituere. Hæ autem erant: ſed cur non perfectius vtor oratione, neque eum ad capitale reduco principium, quod eſt maximum caput rerum illius? Vado ergo ad primum argumentum, ſi antea ea quæ ſunt dicenda nonnulla præmiſero.

Martyrum præclara certamina.

GLORIOSA quidem ſunt certamina, quæ ſuſcepta fuerunt à martyribus aduerſus inimicos, partim aperte, par- VII.
tim obſcure. Quidni enim, cum fuerit eorum præclara fiducia, & mens inexpugnabilis: & interruptos fuiſſe eorum habitus, & neglexiſſe naturam, & telorum ſectiones & eiectiones, & poſtremo vitæ contemptus? His autem nihilominus refulſit vita quoque monaſticæ exercitationis. Nam hic quoque eſt carnis conſumptio, & deliciæ, non ſe dedere deliciis in iis, in quibus non oportet, & à mundo ſeparari, & ad Deum cum ipſis euolare corporibus, & innatis reſiſtere affectionibus, & iis, quæ à malis ſpiritibus affluunt extrinſecus. Eſt ergo amborum præclara vita, & olim quidem fuerit, & erit rurſus: ſed non clare interim fuerat cognita eorum hic remuneratio: ſed arcani quidem libri, quos multis in eorum reſtitutione legent angeli, accurate monimenta continent eorum martyrij & exercitationis. Qui autem ante hunc beatum virum, res geſtas illorum ſcripſerant, non ſunt aſſecuti illorum magnificentiam: ſed partim quidem de eis ſunt mentiti: partim autem cum non poſſent rebus eorum reſpondentem afferre orationem, bonum illis conſcripſerunt, quod nec erat vlla elegantia ornatum, nec laude proſequendum: vt qui pulchram ſubiecerint ſententiam, nec eam verbis ornarint decentibus, neque accurate deſcripſerint ſæuitiam ac atrocitatem eorum, qui punierunt, neque martyrum in dandis reſponſis prudentiam. Quinetiam monachorum adulterarunt exercitationem, ſimpliciter ac quaſi temere & vt accidit referentes, quæ ſtudioſe ab illis facta ſunt.

Vitæ ſanctorum à quibuſdam negligenter ſcriptæ quid effecerint.

HINC factum eſt, vt nonnulli ne vel legere quidem ſuſtinerent ea, quæ ſunt literarum mandata monimentis: aliis IIX.
autem ea, quæ dicebantur, præberent ridendi materiam, & compoſitionis inelegantia, & ſententiæ abſurda & nulla conſequentia, & dictio vilis & abiecta, erant iis, qui audiebant, inſuauia, & odio habebantur potius, quam admittebantur, & propter eos, qui conſcripſerant, nobis ludibrio habebantur admirabilia Chriſti ſeruorum certamina & trophæa. Et omnes quidem aperte ſcripta inſectabantur maledictis: eorum autem loco afferre meliora, aliis quidem propter animi ſocordiam, aliis autem, vt quod eſſet opus perfectiſſimum & maximi ſtudij, & cui ne tota quidem viri vita ſuffecerit, neque vires aderant volentibus: nec iis qui poterant, voluntas. Sed non etiam admirabilis Simeon eodem modo, quo ij, fuit affectus. Sed cum eis procedens ad ſcriptorum vſque reprehenſionem, deinde proceſſit vlterius, & iuuenile aggreditur facinus, vel felicem potius actionem, quam nullus omnium geſſit feliciter: per quam ille euaſit clarior omnibus, qui ſunt vbique, eruditis: & Deo conſecrauit ea, quæ ſunt omnium pulcherrima, martyrumque certamina & curſus, & monachorum abſtinentiam atque patientiam ornauit ac decorauit: & eandem quam illi, adhibens beneuolentiam, gratias viciſſim accepit ab omnibus.

Vtilitas eorum, quæ de ſanctis ſcripſit Metaphraſtes.

QVID enim cum hoc opere contulerit quiſpiam? Quamnam antiquam gentilium narrationem, aut vniuerſæ IX.
terræ dimenſionem? An quæ à Perſis geſta ſunt, & ante illos à Babyloniis, & quæ poſtea ab Alexandro Macedone fortius peracta fuere certamina? Nam hæc quoque laudem & honorem afferunt iis, qui ea ſcripturis ornate & eleganter mandarunt. Sed multi quidem in eorum lectionem ſtudium ſuum conferunt, propter compoſitionem eorum, qui ſcripſerunt. Quæ autem hic vir egregius cum eo, quo decet, ornatu orationis ſcriptis contexuit de iis, qui martyrium ſuſceperunt, & iis, qui ſe in virtute exercuerunt, duplicem habent æmulationem, nempe & imitandæ eius compoſitionis, & morum ad ea, quæ ſunt optima, transformandorum. Dixerim autem tertium quoque, quod non eſt his inferius, ſed accuratius etiam & excelſius: videlicet quod eorum quæ conſtituunt ac confirmant Euangelium, ſanctorum ſcriptis mandata memoria, eſt caput aliorum præcipuum. Atque quod ille quidem elegerit hoc ſcribendi argumentum, eſt id certiſſimum teſtimonium illius prudentiæ. Quod autem talibus vſus ſit ſententiis, & dictione, quæ eſt dilucida, & probabilitatem ac veritatem habet velut innatam, eſt quidem argumentum illius quoque ſapientiæ: maximum autem huius ſignum ſtatuerit quiſpiam, quod ſe pulchre accommodauerit temporibus & auditoribus.

ET vt de hac parte dicam, & aliqua vtar digreſſione: Non ignoro huius viri opera non eſſe magno ſtudio, nec iis, X.
qui linguæ ornamento vtuntur nimis rhetorice: nec iis, qui ſuum ſtudiũ poſuerunt in diſciplinis: ſed nec iis, qui ſtuduerunt naturæ contemplationi: quod nec in iis dicendi generum mixtio eluceat, nec figuræ dicendi ſint apertæ, neque vlla naturæ dubitatio & ſolutio, neque lineares demonſtrationes cum importunis nominibus, neque philoſophicæ ſententiæ, quæ ſubiectum verbis in altum euehant. Volunt enim, qui ſunt ſapientiæ ſupra modum dediti, omnia ſcribi ad oſtentationem, non ad morum correctionem. Ego autem dico, huius viri ſcripta nullo horum eſſe priuata. Sed quoniam non ad oſtentationem comparabatur eius ſcriptio, ea non ponuntur frequentia, neque ſtatim à principio, neque vbique, neque apud omnes: ſed quando res dat ei occaſionem, vſus iis, quę poſtulat oratio, redit rurſus ad ſcopum

Metaphraſtæ ſermo & oratio quid ſpectet.

propoſitum. Eius enim oratio neque ad ſophiſticam intuetur iactationem & forenſem apparatũ, neque ad artificioſam naturalium rerum excogitationem, neque ad linearum contemplationem, aut curioſiorem numerorum intelligentiam. Sed neque eſt ei ſtudio cæli motus, aut quemadmodum inerrans mundus procedat circa ſtellas errantes. Sed neque ſunt ei curæ conſonantes aut ſemiuocales, neque qui per eas fit concentus. Propterea hæc quidem amandat tanquam

Dictio eius cuiuſmodi ſit.

ſuperuacanea, nonnunquam tamen eis vtens & in tempore: veritati autem adhæret & à falſo alienæ narrationi. Dictionis autem ſciebat quidem multos modos: vſus eſt autem eo, qui ſufficiebat ad auditionem ſimul & bonorum & vulgi: & vtriuſque partibus ſimul ſatisfacit. Nam dictionis quidem numero & pulchritudine eruditum attraxit auditorem, & ſatis deliniit gratiarum illecebris, eò autem, quod eſſet clara & ſucculenta oratio, effecit vt aures imperitorum ab eius voce penderent: ambos rurſus induxit breuitate & probabilitate.

EGO enim, vt nihil dicam celans quod ſit vero minus, ſcio quidem eſſe multa dicendi genera pulchriora: perfe-
ctiorum, inquam, oratorum, & quorum exemplar non eſt vulgo propoſitum ad imitandum, propter ſonum & nume- XI.
rum orationis: præſtantiorem autem dicendi formam iis ſcriptis, quæ componere ſtatuerat, neſcio an quiſquã ex omnibus vnquam adaptauerit. Sed & ſi quis ex illis, qui & dictione excellunt & ſententia, eiuſmodi argumenta ſuſcepiſſet, accuratiorẽ quidem & elaboratiorem effeciſſet orationem, ſed non ſimilem dico omnibus auditoribus congruentem & conuenientem.

Accommodat ſermonem ſuum.

Nam & procemia eius orationum ſtatim attingunt ſubiectum, & parum procedens oſtendit ſuũ ſcripti ſcopum. & in nonnullis orationibus cum totam argumentum recepiſſet in ſummam, id ſtatim in partes diuidit,

ſe autem accommodat perſonis & temporibus. Et eſt quidem omnibus idem color orationis, & vna qualitas dictionis: morum autem varia eſt mutatio, &, vt dixerit quiſpiam, artificioſa: non per artem res mutans, ſed quod vnicuique perſonæ incidenti conueniebat, interpretans. Tanquam autem ad archetypa exemplaria ad res antiquiores intuens, nec ab illis recedit, ne videatur aliquid aliud facere: & ad exemplar quoque totam transmutat dicendi formam, non diuerſam faciens materiam, ſed quod in dicendi genere peccatum erat, corrigens: neque ſententias innouans, ſed conuertens figuram dictionis. & ei incidens oratio in diuerſitatem narrationum, & varietatem argumentorum, non confunditur neque perturbatur. ſed tanquam optimus gubernator, cum ei nauis agitatetur fluctibus, ſtabat quietus, clauum tenens artificioſiſſime.

Scriptis perſonis & temporibus.

XII. Porro autem in nonnullis quoque orationibus deſcribit patriam eorum, qui laudantur, ab vniuerſa terra ſeparans & deducens ad vnam patrem. Deinde loquitur etiam nonnihil de fluminibus. & de eorum principiis diſſerit naturaliter, & de opportunitate ciuitatum, & de temperatione aëris & de temporũ conuenientia, etiamſi ij, qui ſunt reuera auribus paulo ſurdioribus, ea quæ dicuntur, non exaudiunt. Multifariam quoque tractat partes orationis, alias quidem maiori contentione: alias vero lenius & ſedacius. In gratia autem narrationum quis ex omnibus cum eo contenderit? Quis in compoſitione? Quis in numerorum ſuauitate? Quis in concinnitate in omnibus congruente? Atque volo quidem contendere, quod non ſit ampla & grandis eius oratio: nuncio autem, eius orationibus ne hanc quidem deeſſe gratiam, ſed alicubi quidem eas eſſe amplas & redundantes, in pluribus autem graues & temperatas. Cum has autem duas vias ſibi propoſuiſſet, martyricam conſtantiam, & monaſticam in exercitatione tolerantiam: currit quidem in vtroque ſtadio, non cum pedum pernicitate, ſed cum celeritate orationis. Maxime autem monaſticum percurrens curriculum, euadit ſeipſo robuſtior & fortior. Aures quidem certe mihi pinguefacit, quando eius oratio aſcendit quidem montes, ſubit autem ſpeluncas: ſub pinu autem aut quercu aliqua collocat exercitatorem: & vile alimentum, & illaboratum ei offert ex herbis, & potum ex fontibus, eiuſmodi enim narrationes ornat quibuſdam florentibus pulchre dictionibus & variis roſis figuratum, & ea quæ tunc fiebant, quaſi ſubiicit oculis. Virum ergo laudo quidem propter eiuſmodi facundiam & gratiam: non minus autem, quod pulchre tractarit argumenta. Nam etſi à me multa quoque de multis ſcribuntur, non habent eorum opera talem zelum & imitationem: ſed viris quidem fortaſſe doctis videbuntur digna, in quæ ſtudium conferatur, & ea æmulabuntur propter dictionem & varias figuras: multi autem contemnent, quod non ſint eis curæ quæſtiones & ſententiæ nimis arcanæ.

Præcipua dexteritas & gratia in narrationibus eius, &c.

Quæ ſibi potiſſimũ propoſuerit in hiſtoriis ſacris.

XIII. Porro autem dicunt eum leuiter & quaſi aliud agentem, hanc rem eſſe aggreſſum: neque ipſum id ſibi propoſuiſſe, vt faceret quantum vellet: ſed Imperatoris adhortationes eum ad hoc adduxerunt, & ij, quibus curæ erat doctrina & intelligentia: & promptus ei fuit apparatus, & non paruus orbis eorum, qui primo dictionem notis excipiebant: & eorum, qui poſtea tranſcribebant: & alius poſt alium, ille quidem prima faciebat, hic vero ſecundo exſcribebat: & poſt hos alij, qui, quæ ſcripta fuerant, pulchre intelligebant, vt quod ſcriptores latuerat, ad propoſitam corrigerent ſententiam. Nã propter ſcriptorũ multitudinem non licebat ei ſæpe eadẽ reuoluere & intueri. Sed etſi fuerit multus labor, & maior, quam par eſſet ſolicitudo, imo vero digna, quæ in hoc adhiberetur: ſementem tamen longe vicit ſpica & ſeges, qualis nondum fuit vſque in hodiernum diem. Quocirca etiamſi nihil aliud à viro illo fuiſſet elaboratũ, & non alia omnia, quæ vel ſingula ſufficiunt ad laudem conciliandam: opus tamen tale ſuſcepiſſe, & id iam præclare effectum reddidiſſe, viro pro quouis ad laudem ſuffecerit.

Multorum opera vſus.

XIV. Atque ego quidem nolo conferre eius opera cum ſcriptis externorum ſapientum. Quid enim, ſi ex his alij quidem compoſuerunt Parathenaica, alii autem prelium Peloponeſiorum & Athenienſium magnifica dictione compoſuerunt: & alii quidem contra oratores decertarunt, alii vero pro oratoribus: in quibus eſt quidem inſignis & manifeſtus redundans verborum ornatus, eſt autem breuis & imbecilla vtilitas. Cum his ergo noll'em ego meum conferre athletam. Sed ſi quis mihi hoc dederit, ego eum exæquauerim iis, qui laborarunt in conſcribendo Euangelio, & profundum verbi ſunt interpretati. Quorum enim ſunt fines æquales, eorum ſunt etiam principia ſimilia: & ſi ſalus animarum apud vtrunque eſt finis argumentorum, quidni etiam fuerint cauſæ inter ſe pares, & ſteterint ſcriptores in eadem trutina, aut, vt dicam quod noſtrum eſt, fuerint etiam ex æquo hæredes? Quam multis autem fortis viri coronis non fuerit coronandus hic vir admirabilis, imo vero quibus non eſt iam coronatus, cum ad Deum aſcenderit, & apud illos ducat choros, quorum mores & vitam hic circunſcripſit? Nam vel in fine oſtendit, qualem vitam egerat. Non enim eum veluti abſciſſum aut diuiſum fuiſſe dicunt ii, qui viderunt: ſed videbatur veluti à quodam vinculo liberari, & hilari nutu ſe extendere ad ducentes Angelos, & quodammodo ſeipſum tradere illorum manibus, vt cito emigraret è corpore.

Sanctorum animæ in cælis ſunt.

XV. Et ſi quidem eſt mortuus: fuerunt autem ſtatim omnia, & non tunc ſolum, ſuaui odore plena: nec in diem tertium, ſed etiam in multos dies poſtea, donec fuit ſolus conditus in ſepulcro: & loculus perpetuo talem emiſiſſet odorem, niſi ſe aliqui tam inique geſſiſſent, vt aliud corpuſculum propter eum deponerent. Simul atque enim hoc magno illi viro accidit, deſiit fons ille ſuauis odoris. Atque hic quidem contractus, ô virorum omnium optime & eruditiſſime, ſatis ſuperque oſtendit puritatem tuam & ſanctitatem. Nam alia quoque tibi ſufficiunt ad accuratiſſimam virtutis conſummationem. Tu autem ſis mihi propitius, ſi non perfecte expoſui omnem tuam virtutem, neque ex omnibus tuis bonis tibi parem attuli laudationem, nec mihi iraſcatus propterea, quæ ſunt à me prætermiſſa: ſed eorum quæ ſcripſi, memineris, ſi eorum, qui hîc ſunt, eſt vlla memoria veſtris puriſſimis & diuiniſſimis animis: In Chriſto Ieſu Domino noſtro: cum quo Patri cum ſancto Spiritu gloria, honor & potentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Odor ſuauis in multos dies ad exanime corpus Metaphraſtæ.

PASSIO S. IACOBI INTERCISI, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MS. CODICIBVS, QVIBVS CONSENTIVNT MARTYROLOGIA ET COMpendium certaminis eius quod habetur in Nicephoro Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libro Decimoquarto Capite vigeſimo.

An. 400.

27. Nov.

I. Iacobvs martyr cognominatus Interciſus nobilis genere ſed fide nobilior, ex regione Perſarum & ciuitate Elape oriundus fuit. Hic ex Chriſtianiſſimis parentibus ortus eſt, & vxorem Chriſtianiſſimam habuit: Eratque notiſſimus Regi Perſarum, & inter optimates primus. Accidit autem vt à principe nimio amore ſeduceretur, & ad colenda idola flecteretur. Hoc autem mater & vxor audientes, protinus ſic ei ſcripſerunt: Obediendo mortali, deſeruiſti eum qui vita eſt: placendo futuræ cito putredini, deſeruiſti ſempiternum odorem. Veritatem in mendacium commutaſti, & mortali obtemperans, viuorum ac mortuorum iudicem reliquiſti. Noueris igitur nos amodo à te futuras extraneas, nec tecum decætero

Iſdigerdem hunc appellat Nicephorus.

tem. Nam vbi articulis & iuncturis quibuſque, in commoda & apta totius corporis membrorum conformatione, ex manibus, brachiis, pedibus & ſuris ei reſectis, reliquum nihil quam vna cum ventre caput ſolū habuit. quoniā ne tum quidem fidem in Chriſtum abiecit, & idipſum poſtremo ferro amputatum eſt. Minime vero mirandum, ſi rerum vniuerſarum Dominus feritate in illorū ſuſtinuit. Nam & qui Conſtantini imperiū præceſſerunt, principes, rabiem ſuam aduerſus veræ pietatis amatores euomuerunt. Inprimis vero Diocletianus omnium grauiſſimus, ipſo auguſtæ & venerandæ Paſſionis die, eccleſias ſub imperio Rom. vbique omnes euertit. Et nouem elapſis annis, illæ quidem ad priorem florentes rediere ſtatum, ac potius & pulchritudinem, & amplitudinem multo præſtantiorem recepēre. Diocletianus autem poſtremo ᵃ diſperiit, & cum impietate extinctus eſt.

Luculētiſſimum eius martyriū: Deus per ſuā longanimitatē ſuam Eccleſiæ tyrannorum perſecutoreſtituſtinet. ᵃDiocletiani interitus.

VITA S. BILHILDIS VIDVAE ET SANCTIMONIALIS, VT HABETVR IN BREVIARIO MOGVNTINO RECENSE MENDATO.

An. 630.

I. TEMPORE, quo Clodoueus Francorum potiretur imperio, fuit in Orientalis Franciæ oppido Hocheimio vir clariſſimus, Iberimus nomine, qui ex * Mechtrida coniuge ſua Bilhildem filiam ſuſcepit. Qua ætate cum in Gallia & Germania Gentilium etiamdum ſuperſtitio apud pleroſque vigeret, parentes beatæ Bilhildis occulte Chriſtianorum ſacris fauebant. Quo factum eſt, vt in ipſis infantiæ annis filia Vuirceburgum delata, ibidem catechumena quidem facta ſit, ſed baptiſmum tamen non conſecuta. Accedente autem ætate, licet ignoraret puella ſe regenerationis lauacro carere, purum nihilominus in ſuo pectore Chriſto domicilium parare ſtudebat: corpus ab omni ſpurcitia continens, & parſimonia cæteriſque virtutum quibuſuis ornamentis exercens ac componens.

27. Nov. *Alij Matildem habent. Parentes S. Bilhildis.

II. QVOD quidem vt rectius perficeret, in virginitatis propoſito perſeuerare omnibus modis conabatur: ſed victa parentum voluntate, nupſit cuidam viro nobili & militari. Etſi autem matrimonij legibus eſſet ſubiecta, Chriſti tamen, quem toto corde dilexerat, obſequiis ſedulo incumbebat. Non multo inde elapſo tempore, cum iam vnius prolis mater eſſet, marito in bello defuncto, prole etiam paulo poſt viuis exempta, ex conſilio Sigeberti Epiſcopi Moguntini ſui auunculi, Moguntiam commigrat: renunciatiſque patrimonij ampliſſimis cenſibus, vt pauper & expedita Chriſtum ſequeretur, areolam ibidem eſt adepta, in qua eccleſiam in honorem Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ conſtruxit.

Cogitur S. Bilhildis nubere. Sigebertus Epiſcopus Moguntin.

III. QVO in loco ſanctarum fœminarum conuentu numeroſo collecto, quantum ſufficere poſſet prædiorum ad communem ſuſtentationem, iis contulit. In quibus ipſa quoque piè viuens, non ſolum corporis neceſſaria, ſed etiam ſanctæ conuerſationis exempla ſuppeditabat. Interim miſericors Deus, famulam ſuam diutius in vanum laborare non permittens, quibuſdam ſanctis eiuſdem monaſterij virginibus eam tantum catechumenam eſſe, necdum baptiſmi gratiam percepiſſe, reuelat. Hoc illa cognito, Epiſcopum conſulit: qui & ipſe diuina reuelatione edoctus, eam regenerationis aqua cenſuit abluendam. Baptiſmo igitur percepto, multo feruentior illa Dei laudibus & piis exercitiis inſtabat: donec graui tacta infirmitate, præſens ſeculum reliquit quinto Calendas Decembris. Sepulta à clero & populo Moguntino in baſilica, quam ſuis ipſa ſumptibus exædificari curauerat: Vbi deinceps plurimis miraculis claruit.

S. Bilhildis condit monaſterium. Abit è vita.

VITA S. NICONIS ARMENI MONACHI, EX ACTIS EIVS AB ABBATE MONASTERII S. NICONIS ANN. 1150 Græce ſcriptis, interprete Iacobo Sirmundo Aruerno Ricomagenſi S. I. profeſſore, ex Cæſaris Baronij Annalium tomo decimo collecta: obſeruata interpretis dictione, duobus tantummodo locis perpaucis additis ex eodem Baronio ad connexionem hiſtoriæ.

An. 960.

I. ORTVS eſt ſanctus Nicon in Ponto Polemoniaco parentibus honeſtiſſimis, iiſdem inſciis, vbi adoleuit, fugam arripiens, ad monaſterium Auteæ petræ dictum, ſitum in finibus Ponti & Paphlagoniæ, religione ſanctiſſimum ſeſe contulit: ibique ſub eius monaſterij Abbate viro religioſiſſimo, ad duodecimum annum monaſticam vitam omnibus numeris perfectionis excoluit. Cum vero diuinitus admonitus eius Abbas, ipſum ad plurimarum gentium conuerſionem vocatum è monaſterio abire cogit ad Apoſtolatus ſui munus implendum: vt plane de eo illud Ioannis elogium haud incongruè vſurpari poſſit: Fuit homo miſſus à Deo. Vbi vero Dei omnipotentis miſericordia, Creta inſula eſt recuperata à Chriſtianis, ad eius culturam idem Nicon ab Oriente euocatus, à Deo mittitur.

27. Nov. Niconis Apoſtolatus. Iohan. 1.

II. CVM igitur regiones non paucas Orientalium partium peragraſſet, & publica pœnitentiæ prædicatione innumeras gentes ad ſalutis portum per pœnitentiam, melioriſque vitæ mutationem perduxiſſet: ad Cretam inſulam nauigandum ſibi eſſe intellexit. Illuc enim diuino quodam nutu vocabatur. Etenim ſimulatque Inſulam ingreſſus eſt ab Agarenorum iugo nuperrime liberatam, Romanoque Imperio reſtitutam per Nicephorum, fœdis autem deteſtandæ Agarenorum ſuperſtitionis veſtigiis adhuc plenam & refertam, cuius ſcilicet incolæ diuturna atque aſſidua cum Sarracenis conſuetudine, ad illorum mores, proh dolor, abrepti, nefanda etiam & profana eorum orgia fuerant amplexi: Vt igitur eo delatus, ſolenne illud ſuum, * Pœnitentiam agite, inclamare cœpit; attoniti peregrino & inaudito prædicationis genere Inſulani, animiſque incenſi, vehementer in eum commoti ſunt: adeo quidem, vt manus etiam inferre cogitarent; manifeſtum enim ad furorem illos adegerat res noua & inuſita, præoccupatos nimirum, deditoſque [vt diximus] ſuperſtitioſis Sarracenorum cæremoniis.

Nicon in Creta prędicat. Inde μετανοεῖτε appellatum tradit Baronius.

III. VIDENS ergo immitis atque intractabilis gentis ingenium, ſentienſque tantam duritiem, niſi prudenti quadam arte perdomari non poſſe: ſecundam (quod aiunt) nauigationem priore omiſſa, inſtituit, ſapientumque medicorum exemplo, eorum curationem appoſitè ſimul ac ſolerter aggreſſus eſt. Habebat enim Paulum in ea re ducem ac magiſtrum. Itaque miſſam faciens inſolitam illam prædicandi rationem: quod ex vſu futurum in eo iam elucens perſpicax futurorum gratia præmonebat, ſeorſum aliquos abducens, quos reliquis intelligentiores, & ad bonum excipiendum

Eius ratio inſtituti in prædicatione.

paratiores nôrat blandis primum verbis illorum ferocitatem lenire, duritiemque animi emollire cœpit, deinde ſenſim c... permouere, occulta vniuſque facta (vt meus Ieſus olim Samaritanæ) vitæque flagitia redarguens. Quo factum eſt vt eximiam eius virtutem agnoſcentes, confeſtim iras ponerent, animorumque impetus reuocarent, & quem malè nunc affecerant, eundem magno ſuo bono venerarentur: propoſitamque ab eo rectam fidem amplectentes, ad ſummum ad beneuolentiæ profectuſque ſui cumulum conuerterent. Conſuetudo enim (vt ait ille) ad maiora & perfectiora viam munit. Itaque ſapiens, ſi minus verborum copia, ac veritatis facultate piſcator erat, hominum animas venari ſciens, eaſque ad immortalitatem diuinis eloquiis, & non humanæ ſapientiæ, ſed Spiritus ſancti doctrina traducere. Ex illo igitur tempore Cretenſes Niconem tanquam à Deo miſſum Apoſtolum habuerunt, totamque Inſulam eius fama complêrunt. Confluebant ad eum vniuerſi, & ſicut Deo, illi adhærebant, ita vt vim legis quidquid præceperat, obtineret.

Cretenſium conuerſio. QVARE cum ſecuro iam animo ad ſolitam prædicationem rediiſſet, ad baptiſmum omnes, veræque Fidei diſciplinam perpulit. Tum errore omni è medio ſublato, Eccleſiis per totam Inſulam ædificatis, ſacerdotibus, diaconis, æditiuiſque deſignatis, reliquis etiam ritibus & cæremoniis aptè diſtributis, viuendi legibus deſcriptis, omnibus denique quæ in animo erant, ne quem Cretenſium boni expertem relinqueret, ordine conſtitutis, Gortyna diſceſſit, triumque dierum iter progreſſus, quodam in loco ſub noctem conſtitit, vbi antiquiſſimi templi, quantum ex ruderibus conijcere erat) veſtigia cernebantur. Hoc in loco cum nocturno hymno ritè decantato, & cruciger o baculo humi defixo, ſomno ſe dediſſet: lucernarum quaſi lumen ante baculum in aëre libratum videre viſus eſt: At ſomno decuſſo cum ſurrexiſſet, non iam ſomnium, ſed vera viſio obiecta eſt. Diuina quædam lampas haud materialis à Cruce irradians, ad diluculum vſque aſtanti & oranti, Deoque gratias pro tanto munere agenti lumen exhibuit. IV.

Photinæ martyris apparitio. CVMQVE iterum, Deo (vt patuit) ſic volente, ſomno indulſiſſet, ornatæ mulieris ſpecies apparuit, quæ dirutum templum inſtaurari iubebat, omnium Domino ſic placere confirmans. Illo autem interrogante, quænam eſſet quæ talia pro imperio iuberet: Photina ſum, inquit, martyr & famula Chriſti. Quod niſi reipſa quod volo expleueris pedem ex Inſula non efferes. Experrectus ad hæc ſanctus, propter viſionis varietatem, ambiguo animo erat, vt inanè potius inſomnium fuiſſe crederet, quam diuinæ gratiæ illuſtrationem. Quare quæ audierat contemnens, cœptum iter tenebat. Cum repentè acceptam ſibi oculorum aciem ſenſit: eoque tandem indicio diuini numinis imperium id fuiſſe cognouit: quod vbi iuſſa exequi conſtituit viſum mox recepit. Sed quoniam nec ligo in promptu erat, nec pala, nec adiutor vllus, ô mira, Domine, & arcana opera tua! nocte inſecuta, finitimis loci accolis ignea ibi columna per tenebras lucens apparuit: prodigioque exciti, ſubitò accurrerunt, & cum ex Nicone quæ viderat, didiciſſent, ſuam quiſque operam conferre, iuſſi communi omnes conſenſu imperio paruerunt. Itaque ſedula eius ſolicitudine, vigilantia, alacritate, opus exactum, templumque Martyris biennij ſpatio perfectum eſt. In qua poſtea aram erigendam, ac ritè conſecrandam curauit, ſacerdoteſque in ea inſtitui, ſimulque omnia iuxta Eccleſiaſticos ritus peragi præſcripſit. Omnibuſque poſt hæc valere iuſſis, nauigium conſcendit, ac ſecundo curſu prouectus Epidaurum, quod Damalam incolæ cognominant, die quinto peruenit. (Dein vniuerſam Græciam pœnitentiam prædicando peragrauit, pluraque miracula operatus, atque vberes fructus ex ſua prædicatione collegit. V.

Anno 981. Vide Baró. BASILIVS cognomento Apocaucus Prætoris munere auctus, Corinthi verſabatur, Iſthmumque illum præſidio contra Bulgaricos incurſus tuebatur. Grauiter autem illum angebat non ſolum moleſtus ac difficilis morbus quo tenebatur, ſed multo magis vigens metus & pauor Bulgaricæ incurſionis, fama gliſcente, gentem illam tota Epiro graſſatam, in Helladam atque in Pelopponeſum copias conuertere. Proinde miſſis Spartam nuntiis Apocaucus Niconem auocarat. Enimuero compleuerant eius aures quæ de illo paſſim narrabantur, præcipuè quæ de ſumma illius in Deum fiducia & libertate acceperat. Ex quo autem virtutis eius illecebris capi cœperat, beatum eius vultum cernere, vocemque audire, votis omnibus geſtiebat. Semper enim apud omnes gentes in pretio & veneratione fuit vera philoſophia. Diuinus quidem vir charitate præſtans, Apocauci petitionem propenſo animo accipiens, antiquius nihil habuit quam vt Corinthum celerrime contenderet. Quo appellens, non ſolum morbo ægrum ſua præſentia liberauit, ſed metu etiam & terrore Bulgarorum, illos alio curſum ſuum flexiſſe ſignificans. Ita omni ex parte facta eſt iucunda Baſilio Niconis oratio. Cum ergo dies ſeptem illic poſuiſſet, malorumque impendentium illius per eum diſcuſſa & ſublata formido eſſet, domum reuertit. VI.

Precibus S. Niconis Bulgari propulſati.

Vide Baró. anno 982. ANNO nongenteſimo octogeſimo ſecundo præter bella ciuilia & externa aliaque mala quibus Oriens affligebatur, peſte etiam laborauit, cum ad eam curandam Lacedæmonij, deſtituti humano auxilio, ad opem diuinam implorandam aſſurgunt, legationemque decernunt ad Niconem virum ſanctiſſimum, de qua in rebus ab ipſo præclare geſtis iſta narrantur: Tranſactis in ea ſpelunca diebus octo, à morbo recreatus, Spartam venire abnuens, Amyclas contendit. Quod vt ſenſere Lacedæmonij, feſtinè ad illum primarij ciues, & alij è plebe certatim conuolarunt enixè orantes, vt Spartam vſque venire velit: inuaſerat enim ciuitatem peſtifera lues, & plurimos incolas abſumebat: propterea venire illum cupiebant, quod ſe diuinis eius precibus liberandos confiderent, ille vero, & cætera miſericors, & in eo maximè, qui eius populus, & ſors futuri eſſent, tanquam futura præſagiens, eoſque in illos propenſior, & legationem benignè excepit annuitque petitioni, & ingruentis mali propulſionem ſpopondit, ſi modo ipſi Iudaicā gentem ex vrbe ſua pellerent, ne execrandis eorum (vt aiebat) moribus piaculiſque religionis ſuæ diutius eam contaminarent. In his, ait, ſi me audieritis, & peſtis à vobis recedet, & ego quod ſupereſt vitæ, ducam vobiſcum. Quibus verbis monita alia adijciens, ſacras etiam Ieremiæ voces ſubinde aſpergebat: Viæ tuæ fecerunt hæc tibi, & iniquitates tuæ præualuerunt & duro ludo percuſſa es. Cumque illi eius oratione commoti ſeipſos condemnarent: atque omnia quæ iuſſerat, facturos promitterent: nihil amplius cunctatus, cum Legatis illis profectus eſt, non cantherio, aut lectica vectus, nec multo comitatu ſtipatus, ſed ſolo virtutū choro circumſeptus. Ad eius porro aduentum lues ceſſauit, & Iudæi vrbe pulſi ſunt. Nec vero Lacedæmone amplius excedendum, ſed in ea perpetuo manendum conſtituit: ita vt non facilè pedem alio efferret, niſi cum neceſſaria res quæpiam aliquo vocaret, & tunc quoque gradum citius referebat. Videres igitur accurrentes quotidie ex vniuerſa Peloponneſo ægrorum omnis generis cateruas: quibus ille non minus animæ quam corporis curam impendebat: mellitis enim adhortationibus ad pietatis zelum eas accendebat, ad ſalutem cuique ſuam pœnitentiæ ope diſponebat. Fortunata vero Lacedæmon qui talem medicum ciuemque ſortita es, cuius diuinis præceptis ac diſciplinis ad omnem virtutis formam multo certius rectiuſque quam manibus olim Lycurgi legibus effingebare! Subiicit his de ſtructura templi, tum eius hortatu elaborare, cui aduerſatus eſt, Ioannes quidam cognomento Aratus Iudæorum patronus, quæ ſit paſſus, ab eodem auctore ſic accipe. VII.

Qua lege S. Nicon cunctis promittat peſtem.

Ierem. 4.

Lues à S. Nicone curatur.

De Arato Iudæorum patrono. HIC (inquit) ſolis inuidiæ ſtimulis cōcitatus, aut dæmonis potius ſcelere ac fraude impulſus, ira & odio aduerſus Niconem inſaniebat, diuini operis argumentum ad probrum & iniuriam ſuam rapiens: procliuior ſiquidem eſt malitia, vt ad peiora feratur quam vt melioribus inhæreat. Non ceſſabat egregius ille Sancto in os obloqui cœptoque operi, IIX.

nè

nè colophonem adderet, omni ope prohibebat. Prorſus enim cum reliquis Laconibus ibi non conueniebat: vnde & Iudæorum fugam iniuria & immerito factam affirmabat: eamq; cum ciuibus vitio vertere, atq; illos hoc nomine ſugillare & traducere non verebatur.

IX. Cvmq; opificij cuiuſdam obtentu, quo poliri & illuſtrari textilia ſolent, Iudæorum vnum in vrbem introduxiſſet: interceſſit ilico Nicon, bellatorq; iuxta Prophetam factus, conſueta lenitate paulùlum intermiſſa, leoninum animum induit, & fuſte qui propter iacebat, arrepto, Iudæum malè acceptum foras extruſit, formidabiliorq; hoſtibus, quam Hercules ille ſua claua viſus eſt. Iudæorum enim gentem vſq; adeò auerſabatur, vt nec lingua, nec auribus vſurpare illorum nomen vellet, veluti in illum Dauidis verba conuenirent: Qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam: perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi, propterea nomina eorum labiis meis non commemorabo.

Fuſte S. Nicon Iudæū pellit. *Pſalm. 138.*

X. Hæc verò cum audiſſet à furore nomen trahens Aratus, rabie tumens (vt ſemper litium amans & impudens, atque ad immania præceps eſt improbitas) in Sanctum anhelans irruere cœpit, conuiciis onerare, proſcindere, quanquam inanis hæc illi ſtrepitus erant, & pro laruæ terriculis habebantur. Qui leni ad eum voce: nec enim contendere prorſus, nec altercari norat: Abi, inquit, & ad te redi, infelix. Defle ſcelera tua: breui enim ſenties, quis arrogantiæ fructus, & qualia nequitiæ ſint præmia. His dictis & tanquam in mortui (quod aiunt) aures effuſis, ad monaſterium regreſſus eſt: hominis enim animum verba non penetrarant. Quare non deſtitit amens ab incœpto, quin aduerſus Sanctum de more fremeret, proſcindens illum, figenſq; tota vrbe dignis furore & inſania ſua probris & contumeliis, quin etiam minas intentabat: neſciens ſtupidus & vecors, quod non glorietur malitia aduerſus virtutem, nec proficiat inimicus contra electos Dei, vt ſcriptum eſt: Et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Quid tum autem conſecutus eſt? Tantum abfuit, vt eius minis ac maledictis auocaretur: vt in his potius, Domini exemplo, tamquam laudibus triumpharet. Dominus autem de cœlo auditum fecit iudicium, & malitiæ iuſtiſſimas pœnas dedit. Verba in rem miſero abierunt: nam dignos amentiæ ſuæ fructus triſti & miſerabili vitæ exitu percepit. Nec tarda fuit vindicta, qualis ſæpe numero diuina bonitate conuerſionem præſtolante contingere ſolet: ſed è veſtigio, de repente, nec opinantem, vt mox dicam, oppreſſit:

Aratus in ſanctum contumelioſus. *Pſalm. 88.*

XI. Nocte proxima obiecti ſunt infelici duo ſenes in ſomnis, quos alij duo ſequebantur, forma quidem eunuchi, ſed longè quam humana præſtantiore. Ab his vero flagris cædi ſibi videbatur, & his verbis increpari: Quomodo tu eo es prouectus audaciæ, vt ſeruum Dei contemneres, & conuiciis appetere non dubitares? deinde in obſcurum poſt verbera carcerem detrudi. Et cum veniam multis orasset: vix tandem cædendi finem feciſſe, nec tamen è cuſtodia dimiſiſſe. Experrectus igitur, grauem ſtatim in febrem incidit: accitoq; Nicone, ad eius pedes aduolutus, miſericordiam implorauit. Cui beatus: Quæ in me perpetraſti, ait, ea tibi frater, quantum in me eſt, condonabuntur. Sed quoniam vitæ finis tibi cæleſti decreto præſtitutus eſt: nemo erit de cætero, quemadmodum ait Propheta, qui Dei conſilium diſſipare poſſit. Et his dictis ad monaſterium reuerſus eſt. Illi vero tertia poſt dies infelici morte vitam eripuit. Ex quo metus ingens ac trepidatio Lacedæmonios inuaſit: nec repertus eſt quiſquam è minimis & maximis, qui ad Niconem non aduolaret, eiuſq; iuſſis pareret. Fidem enim fecerat omnibus exemplum, qui Chriſti ſeruos ludibrio habent: quoniam vtiq; eſt fructus iuſto, & Deus iudicans eos in terra.

Dat pœnas Aratus. *Pſalm. 32.* *Pſalm. 57.*

XII. Gregorio Prætori & de Scleri Bardæ rebus, & poſt eius è Babylone reditum, audire cupienti (nec enim abdita intuendi gratiæ exortem illum eſſe Prætor arbitrabatur) narrauit Nicon, Sclerum quidem ad Imperatorem reconciliatum feſtinaſſe: eius verò cognominem alterum ipſius audaciæ ac rebellioni ſucceſſiſſe. Attamen nec illi profuturam tyrannidem, nec Imperatoribus ſuperiorem fore. His ergò prædictionibus conſentaneus fuit euentus & eũ qui prædixerat, admirabilem declarauit. At Prætoris quidem Gregorij Sanctiq; res hoc modo ſe habent.

Belli ciuilis in Oriente ſucceſſum Gregorio Prætori prædicit.

XIII. Peragebantvr aliquãdo veſpertinæ laudes: prima autem hebdomadis dies erat, cum Sphæriſtarum aperto gymnaſio, iuuenum frequẽs manus infra ſacram ædem conſtitit, atq; inter alios Prætor Gregorius pars ipſe certaminis, cum indigenis ludens: Ludi enim amans erat, ludicriſq; ſupra modum capiebatur. Et quoniam inconditæ clamantium voces, tam ludentium, quam ſpectantium exaudiebantur, adeoq; perſtrepebant, vt è ſacris hymnis auocarent, & mentem in illis figere non ſinerent: zelo Dei percitus Nicon celeriter approperat, belluinamq; hominum barbariem libera voce, qua iuſtos decet, libertate caſtigat. At Prætor vir amari alias ingenij, & tum maximè ludo intentus, vt qui à paribus ſe vinci doleret: impotenti aduerſus Sanctum actus rabie, proſcindere maledictis, manuſq; ad vindictam auſus attollere, vrbe deniq; expelli iuſſit. Iamq; ducebatur hilari, pacatoq; vultu, Domini ſui exemplo, leuiuſq; iniuriam, quam cæteri maximos honores ferebat.

Bar. an. 987. Greg. Prætor in S. Niconẽ audax.

XIV. Cæterum nec ſera, nec pedibus (vt Poëta dixit) tarda fuit vltio, quin velocius, iunctiſq; veſtigiis contumelioſũ ſecuta eſt. Nam cum primum ad excipiendã ſphæram manum ſuſtulit: paralyſi repente icta eſt. Idem porro membris omnibus ſtatim ſolutus & eneruatus, ad Catholicam Eccleſiam aliorum manibus delatus eſt. Vbi acutiſſimis & grauiſſimis doloribus excruciatus, mortem præ illis in lucro ponens, lamentabiles queſtus edebat. Cumq; magna medicorum ſedulitate curaretur, & remedia omnia infra malum eſſent, ita vt inanis & vana omnis ab illorum arte ſpes eſſet: cauſam exquirit Epiſcopus, cur eum repentinus morbus inuaſiſſet: erat enim & ipſe medicæ artis peritiſſimus. At ille, quæ in Niconem admiſerat, vel inuitus expoſuit: hunc mali ſui fontem & caput eſſe non diſſimulans. Quo cognito Epiſcopus obiurgauit ille quidem hominis temeritatem non leuiter. Tum opportuno conſilio auctor fuit, vt faſtũ poneret, & à Nicone ſupplex illatæ iniuriæ veniam peteret. Norat enim, vnde certa medicinæ ſpes eſſet.

Vltionem citam experitur.

XV. Parvit ille, abiectoq; faſtu, ac prætoriæ poteſtatis ſupercilio, Niconem multis precibus per nuntios acceſſit. Qui quidem acceptę iniurię oblitus, dicto citius affuit: didicerat enim vt contumelias pati, ſic eaſdem vltrò remittere, aut potius benefactis & officiis compenſare. Prætor autem vt illum vidit, ad eius pedes ſe abijcit, & qui modo turgidus, animiſque ferox iras tantum & iniurias ſpirare videbatur: ſupplex factus, erroris veniam lugubri voce rogat, eiuſque preces, vnicum ſalutis ſuæ pharmacum implorat. Semper nimirum imbecilla res eſt vitiũ, fortis autem & ſtabilis virtus. Quid ergo ad hęc diuina mens? An exprobrauit homini amentiã, effrænatamq; audaciam? aut aſpernari orantem, & tantiſper abnuere viſus eſt? minime gentium. Qui enim faceret, qui diſcipulus, aut acerrimus potius mitis illius & pacifici imitator erat ad benefaciendum magis quam ad plectendum natura comparati? Itaque non ſolum veniam dedit, ſed ſanitatem etiam precibus ſuis, admota manu reſtituit. Ita vt ſtatim cibum ſumeret incolumis, & liberè atque expedite loqueretur, miraculo vel oculis ipſis qui ſpectabant, fidem vix faciente.

Greg. Prætor pænitẽs curatur.

XVI. Ab improbis quibuſdam, maleuoliſque hominibus per calumniam, accuſatus eſt Ioannes Malacenus nobilitate generis ac ſplendore, necnon ſummæ ſapientiæ laude non inter Lacedæmonios modò, verumetiam tota Hellade ac Peloponneſo facilè princeps: accuſatus autem apud eum, qui tum Imperij ſceptris potiebatur, Baſilium ſcilicet Romani minoris filium, Regum omnium fortunatiſſimum, cuius & vita illuſtris, & Imperij ſpacium longiſſimũ fuit, & victoriæ & trophæa de hoſtibus quamplurima, per quem & Bulgaricæ gentis Princeps [vt memorant hiſtoriæ] Samuel ille, viribus & robore inexpugnabilis; in Creta cum innumerabili multitudine Bulgarorum fractus & ſubactus eſt.

Malacenus iniuſte accuſatur. Bar. an. 998.

Mittvntvr itaque ab Imperatore Satrapæ duo, militum legionem trahentes, vt Malacenum ex improuiſo XVII. comprehendant, vinctumque ad reginam vrbium ducant: defectionis enim & perduellionis in eum crimen concinnantes æmuli. Imperatoris a[illegible] falſæ accuſationis calumnia oppleuerant. Vt ergò in Lacedæmona peruenerunt, & virum cuius cauſa miſſi fuera[illegible], cōprehenderunt: euocat ille confeſtim virum Dei Niconem, quem ob egregia facinora præcipuo in honore habebat: grauique dolore anxius: ora, inquit, ora pro me miſero, ſerue Dei, ne Imperatoris ira malè peream. Quem Sanctus blandis contra, mellitiſque verbis reſpondens, confirmare animum iuſſit, nihilque triſtius formidare. Tum eximia quadam vi charitatis menſæ ſimul accubans, & lætitiæ poculum, ceu poëticum illum Gygeona, malorum omnium obliuionem mærenti propinás, oraculum adiecit: Regiam potius beneuolentiam adepturum, vitam anteacta beatiorem acturum, altiores ad honorem gradus conſcenſurum, de omni denique moleſtia & calamitate triumphaturum: & me [inquit] videbis, & in patriam ſub finem vitæ reuerteris. Nam & hæc quoq; Nicon (vt ſupra dictum eſt) à Patre luminum gratia ornatus erat, vt futura æque ac præſentia præuideret. Atque omnia ſanè, vt prædixerat, euenerunt.

Prædictio S Niconis Malaceno.

Malacenvs ergò tanquam à prophetica & diuinitus agitata lingua hæc audiens, nihilq; penitus ambigens, vehementer exhilaratus eſt, nauigationemq; ſalutato Nicone, ſecuro animo exorſus eſt. Poſtquam ad Imperatorem peruenit, & conficta ab æmulis criminatio veritatis luce, ſed Niconis maximè precibus, diſcuſſa eſt; maiorem deinceps apud Imperatorem gratiam, ampliores honores, gloriam & famam adeptus eſt, adeò vt principem in Senatu locum obtineret. XVIII.

Malacenus liberatus & honoribus auctus.

Transacto poſt hæc tempore non breui, cum Malacenus Conſtantinopoli adhuc eſſet, Nicon ad immortalem beatamq; ſortem tranſiit. Quod ille cum accepiſſet, & dulcem illam ſpem, qua futurum ex eius verbis non dubitarat, vt optabilem eius vultum aſpiceret, ſibi quodammodo ereptam ſentiret: vehemẽter angi animo, varijsq; cogitationibus æſtuare cæpit, grauem præterea vitam ducere, niſi quod ille promiſerat: perfici videret. XIX.

Fide igitur confirmatus (neq; enim illius expers erat ſcientiæ, qua cognoſci Dei myſteria ſolent) quid agit? quo XX. ſe conuertit? Pictorẽ aduocat, arte manuq; inſignem, & qualis habitu, veſte, capillis Sanctus fuiſſet, verbis deſignat: tū aptis coloribus in tabula totam eius imaginem exprimi iubet. Reuerſus domum pictor, operæ pretiumq; ratus quod iuſſus fuerat, quam accuratiſſimè poſſet, exequi: poſt varios conatus, fruſtra tandem ſe laborare animaduertit: nec enim ex ſola narratione poterat, quamuis peritiſſimus artis & exercitatiſſimus eſſet, quem nunquam viderat, ad veram ſimilitudinem exprimere. In hac igitur cura verſanti, vehementerq; dolenti, quod oris lineamenta effingere non poſſet: ante oculos repente extitit monachus quidam, qui in ædes clam penetrarat, ſtatura procerus, habitu eremitico, obſoleta veſte amictus, coma ſqualens, capillitio, barbaq; niger, in omnibus deniq; beato viro ſimillimus: nam & virgam manu gerebat, cuius apex in crucem deſinebat. Qui pictore comiter ſalutato mœroris, ſolicitudiniſq; cauſam ſciſcitatus eſt. Ille verò & cauſam mox aperuit, & operis difficultatem demonſtrauit. Tū leni ad eum voce monachus: Me, inquit, aſpice, frater mihi per omnia ſimilis eſt, quem depingis. Vt ergò acrius in illum oculos intendit pictor, penitusq; circumſpexit: illum ipſum eſſe agnouit, quem Malacenus verbis deſignârat. Quare ad tabulam reflexus, vt cōſpectam formam imitaretur, ô rem admirandam! ſacram ter beati effigiem in tabula ſuis lineamentis ſuapte expreſſam ſponte videt. Cumq; miraculo obſtupefactus ad Sanctum ſubito, Kyrie eleiſon, cum horrore inclamans, ſe vertiſſet, illum amplius non vidit. Iam enim auolauerat. Itaq; ad delineatam diuinitus formam reliqua colorum pigmẽta adiiciens, perfectam imaginem, qualis hodieq; in ſacro Beati templo ſuſpenſa viſitur, omnibus num[illegible] abſ[illegible]uit, ſtatimq; ad ſpectabilem Malacenum cum illa properans: omnia illi, vt acciderant, ordine percenſuit. Quibus ille auditis, cum ex oblata pictore Niconis ſpecie: ne in hac quidem parte inanem fuiſſe eius prædictionem, animaduerteret: ingenti gaudio perfuſus, mirabilium Dei operum laudes, & quantam à Spiritu ſancto gratiam ſortitus Nicon eſſet, prædicare nunquam deſtitit: ſed Malaceni quidem, & ſacræ imaginis hiſtoria ſic ſe habet.

Malacenus compos fit imaginis S. Niconis.

Venit Cubicularius quidam ab Imperatore aurei tributi cauſa miſſus: qui, vt pecuniæ, turpiſq; lucri percupidus XXI. erat, magnas cum cæteris ciuibus tum Sancti in primis cænobio moleſtias exhibebat. Solent enim ciuitatum [illegible] & exactiones non æquis & benignis, ſed durioribus, vt plurimum, & inhumanioribus delegari. Fruſtra autem monachi, quibus auri nihil erat, immitem, ferumq; linire precibus ſtudebant, qui aurum ſitiens, velut aſpis ad incantantiū voces obſurdeſcebat, & tanquam ſpinarum ſonum ſub lebete [quod ſcriptum eſt] omnia illorum verba contemnebat, quin & ferocius inſoleſcens, poſt atroces minas in carcerem eos detruſit ac monaſterium ipſum expilare, deprædariq; vecors meditabatur. Quod cæteri audientes qui in eo exercebantur, ad Sanctum precibus exorandum ſe conuertunt, præſentemq; eius opem ſine mora experti ſunt.

Vltio diuina in tributorum exactorem.

Etenim proxima nocte, minaciq; indignabundo vultu ad Cubicularium veniens S. Nicon, multis eum ver- XXII. beribus excepit. Eò quod inquiens [eius enim verbis vtendum eſt] monaſterij curatores, cum ipſi nihil deliquiſſent, vinculis mancipaſti: quod niſi eos ſtatim exemeris, acerbus præterea te vitæ exitus manet. Profuit palatino ad ſaniorē mentem hæc afflictio. Manè igitur & vinctos eduxit & ad templum properans, ſacræ thecæ aduolutus cum lac[illegible]ymis audaciæ ſuæ veniam à Sancto petiit, diſceſſurum ex templo Lacedæmone promittens, & ciuibus aurum quod exegerat, relicturum, quod re ipſa præſtitit. Nam aureis * ſeptuaginta duobus ad beati loculum abiectis, conſcenſo equo protinus abſceſſit. Aurum ergo, qui monaſterio tum præerat, Conſtantinopolim miſit ad Præpoſitum. Is verò [illegible]ēmptis hoc pretio ſacris pyxidibus, aliiſq; pretioſis vaſculis non paucis, ad monaſterium omnia detulit, quæ ad hunc vſque diem templi vſibus percommoda cernuntur, & ſplendorem illi non paruum addunt, variis alioqui & egregiis omnium generum ornamentis referto, cura in primis ſtudioque eiuſdem Præpoſiti. Hic enim vir optimus & magnificentiſſimus diuino zelo ſucccenſus, omnẽ operam poſuit, vt templi vetuſtatem abſtergeret, eiuſq; ſpeciem penitus renouaret, quod & donariis deinde quamplurimis auxit, columnarum fulgore, politorū lapidum coloribus variis, picturarumq; præſtantiſſimarum varietate condecorauit, porticibus etiam & veſtibulis, gradibuſq; circumcinxit: ad eam deniq; dignitatem extulit, quæ hodie ſpectatur, & præclarum diuini viri conſilium, pietatemq; tacito præconio declarat.

* ſeptingentis.

Sed ad impium Antiochum conuertenda eſt oratio. Præerat is ducis poteſtate Ethnicorum regionū. Eo autem XXIII. inter cætera vitæ flagitia proceſſerat amentiæ, vt ipſum Beati teſtamentum violare non dubitaret. Itaq; finitimū Ethnicorum oræ prædium inuadens, ſedem in eo, reclamantibus monachis, tentoriumque fixit. Et ne quid ſceleris deeſſet, cum locum perfuſo circumcirca cruore, contaminaſſet, impuro in libidinum cæno, nefandiſq; flagitiis ſuo illic more volutabatur, quoad dignos temeritatis ſuæ fructus à Sancto percepit. Is ergò per noctem formidabili truciq; ore illi aſtans, poſt horribiles incuſſos terrores, crucigero demum baculo latus lethali plaga percuſſit. Qua excitus, cum exeuntem è tentorio percuſſorem notaſſet: famulis quidem, vt eum comprehenderent, cruda & lamentabili voce imperabat, verum illi neminem videbant. Ex quo demum mali fontem miſer agnoſcens, Sanctum fuiſſe intelligebat, qui vulnus inflixerat inuaſoremq; ſuum ex ſuis ſedibus pellere ſatagebat. Quare conſcenſo mox equo, Lacedæmonem contendit. Sed ſtadia haud amplius triginta proceſſerat, cum doloris acerbitate victus, ex equo deſcendens, media in via turpiter in ſuorum manibus exanimatus interiit, reque in eo, quod in Prouerbijs legitur, expletum eſt:

Scelestus Antiochus à S. Nicone percuſſus.

eſt:[a] Animæ iniquorum immaturæ peribunt, & peruerſi in morte repentino. Miſerum porrò illius cadauer Spartam delatum, ſequenti nocte (vt conſtans fama eſt) ignis, incertum vnde, in loculum irrumpens, vtrumq; ſimul conſumpſit, & in cinerem redegit. a Prou. 5. ſec. lxx.

XXIII. Non minus pauendum eſt quod ſequitur. Michaël ille Chætoſphactes, vir ſcilicet illuſtris, nulliq; inter Lacedæmonios noſtros honore, gloria, opibus ſecundus: ad hæc facundia, indole, forma, ſuauitate morum, ſapiētia, aliiq; omni laude præſtans erat, adeò vt in ore omnium cum ſuauitate iſſi non ſenſu verſaretur. Sed quàm difficile eſt humanæ naturæ hoſtis inſidiis nunquam ſuccumbere, rectaq; iter vſq; ad finem inoffenſo pede decurrere? Deflexit vir incomparabilis, & inuidiæ face accenſus contra monaſterium impudenter exarſit, leuiſſimo cuiuſdam agri prætextu, quem læſere monaſterij pecora dicebantur. Ergò collecta facinoroſorum hominum manu, cum ad locum veniſſet, primū quidem Zoſimum monachum annis grauem, qui monaſterij res procurabat, nihil eius canos, nec virtutem veritus, veſte ſua ſpoliatum, atq; in terram proſtratum, pugnis fuſtibuſq; ita vexauit, vt tantum non exanimatum reliquerit, deinde Syracuſanum illum Dionyſium imitari volens, in agreſtes etiam operas famuloſq; ſæuire parabat, niſi fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſent. Tum verò monaſterij res omnes Nyſiorum prædæ expoſuit, non caulis ipſis, pecorumq; ſeptis parcens, quibus etiam flammas ſubiecit, ne quid eſſet quo tegi capræ, oueſque & à furum ferarumque inſidiis defendi poſſent. Ita demum, quaſi parta victoria, ouans, in equo triſer exultabat, cum ſubitam illatæ Sancto iniuriæ vindictam expertus eſt. Michael ſæuiens in monachos dat pœnas.

XXIV. Nocte inſecuta, terribili, vt in his ſolebat, aſpectu dormienti S. Nicon ſe obiicit, grauiſſimiſq; & acerrimis verbis increpans: Quid tibi mecum, ait, vt tantum audaciæ, furoriſq; concipere, & contra nos, Deumq; ipſum inſurgere non formidares? Sed diuturni arrogantiæ huius conatus non erunt: ſentieſq; tandem haud optabilem exitum fore, ac docebit experientia quantum mali ſit temeritas, & proiecta in Deum, eiuſq; ſeruos arrogantia, atq; his dictis receſſit. Michaëlem verò ardentiſſima illicò febris inuaſit, & cum febre paralyſis. Ita domum relatus, mortem expectabat. Cum iterum ipſi tanquam in mentis exceſſu oblatus Nicon, ſuccenſebat porrò, eademq; cum minis exprobrabat. Vnde ad conſanguineos qui aderant, conuerſus: Non videtis, ait, monachum iſtum, qui mihi dira omnia minitatur? Tum expelli & abigi eum rogabat atque iubebat.

XXV. Verum illi, quia neminem videbant, amplius morabantur. Paulo poſt cum ad ſe quodammodo rediiſſet: ex vtriuſque viſi argumentis mali ſui cauſam coniectans, ſtultitiam ſuam reprehendere, calamitatemq; lamentari cœpit: Heu, heu, inquit, quia mihi nunc contrà quàm Iob contigit: Timor enim, quem non timebam, euenit mihi, & quod non verebar, accidit. Deinde ſceleris emendationem pœnitentia promittens, & quod tum cætera quæ incōſulto egerat, corrigeret, tum caularum cancellos ferreis repagulis obuallaret: morbi finem vnicè deprecabatur. Cæterum eius preces à Deo exauditæ non ſunt, Dominus enim, qui finxit ſigillatim corda noſtra, prauum fictumq; hominis animum intuens, qualis in pleriſq; ſolet eſſe mortalium: qui tempore quidem afflictionis Dei recordantur, aſpernantur autem cum expertes malis fuerint: irritam atq; inanem abire eius orationem paſſus eſt. Quare, ingraueſcente vi morbi in luctuoſis illis vocibus oppreſſus eſt: graui ferocibus, ſuperbiſq; documento, vt ira ſua moderatè vti diſcant, Deiq; iudicia reformident. Iob 3.

XXVI. Prætoris munere præcipua cum laude perfunctus Baſilius Apocaucus, quem ſupra memorauimus priuſquā rediret in patriam Lacedæmonem venit, vt ſacram Beati thecam adoraret ſuumque in illum amorem & ſtudium teſtaretur, diſcedens autem collectum vaſculo ſacro vnguentum, quod ſanctificationi, maliſque morbis omnibus depellendis proficuum eſſet, domum tulit. Domi ergo quendam ex famulis, quem in intimis habebat, graui lethalique morbo decumbentem, ac deſperata per medicum valetudine, deploratum nactus diuino quod gerebat vnguento Gregorium (id enim ſeruo nomen erat) certa fide ſpem fulciens inunxit. Res mira! ſub mediam noctem è lecto repētè deſiliens æger, ſuiſq; pedibus gradiens, ſonora voce qui modo elinguis erat, vxorem vocat. Apocaucus ad vocis ſonum excitus, accurrit, & ſanitati, aut vitæ potius reſtitutum cernens, modum cauſaſq; interrogat. Tum ille: monachū ſibi quendam affuiſſe ait, inſignem cruce, virgam manu gerentem, cultuq; corporis eremitico, & lethalem morbum protinus depuliſſe. Aſtans enim mihi, aiebat, monachus ille (cuius etiam vultus lineamenta ſignabat, ex quibus Apocaucus Sanctum fuiſſe didicit) manuq; prehendens: Deus inquit propter Apocauci fidem vitam tibi Metonoitæ precibus largitur, & cum hoc dicto ſtatim abiit. Ego vero integram valetudinem adeptus ſum. Bar an. 981. Apocauci ſeruus Gregorius vnguento è corpore eius manante ſanitati reſtituitur.

VITA S.P.N. STEPHANI IVNIORIS, QVI MARTYRIO FVNCTVS EST TEMPORE CONSTANTINI COPRONYMI PROPTER SANCTARVM imaginum honorem & adorationem, deſumpta ex Reginæ matris Bibliotheca, interprete D. Iacobo Billio Prunæo, S. Michaëlis in Eremo Abbate doctiſſimo. Habetur in operibus Ioan. Damaſceni auctis, poſt tres de Imaginibus orationes, vbi idem Billius ad pium Lectorem ſequentem ſubiecit præfatiunculam. An. 759.

Poſt tres Damaſceni de Imaginibus orationes commode me facturum exiſtimaui, ſi Stephani Iunioris, qui pro earundem imaginum cultu ac defenſione, Conſtantini Copronymi tempore, hoc eſt, non multo poſt Damaſceni obitum, crudeliſſima morte affectus eſt, vitam pridem a me de Græco in Latinum conuerſam, ac nunc primum editam ſubnecterem: quo Chriſtianus Lector de eadem re, non modo literis conſignatum, ſed etiam ſanguinis profuſione confirmatum teſtimonium præſto habeat.

VITA.

I. Divina quædam res eſt virtus, ac digna quæ plurimis laudibus efferatur: non eo tantum nomine, quod ampliſſimam iis, à quibus amatur, mercedem rependit, ſed etiam quia vel ſola ſui commendatione auditores ad ſe pertrahere, ac zeli aculeum in eorum animis infigere poteſt. Operæ precium eſt igitur eos, qui virtutis amore præditi ſunt, beatos prædicare, atque eorum vitam omnibus narrare. Sic enim & erga eos debito munere perfungemur, & alios ad ſuauem ipſius amorem excitabimus. Quoniam itaque vndique optimus ille ac præſtantiſſimus Stephanus, cuius nūc vitam commemorandam ſuſcepimus, ex eorum numero extitit, qui virtutem inſigniter amārunt, ſummoque ipſius deſiderio flagrârunt, exponamus oportet primum, quinam ipſi ortus, quæque diſciplina atque inſtitutio extiterit: (nam ne ea quidem eiuſmodi eſt, ex qua nulla ad pios viros vtilitas & oblectatio reditura ſit:) deinde monaſticas ipſius palæſtras, ac demum quæ in martyrio ſuo luculenter ac præclarè geſſit. Tulit igitur egregium hoc germen domina verè ac regina vrbium Conſtantinopolis. Noſtrum enim atque indigenum germen hic eſt, ac diuinus ipſius fœtus & planta Stephanus: quæ & prima virtutis ipſius fructus deguſtauit, & nunc etiam vtilitatem metit, ac miraculis ſumma cum voluptate fruitur, alumno videlicet ſuo iucundiſſimè acquieſcens. Natus eſt autem Anaſtaſij tempore, qui tum imperij ſceptrum tenebat, atque alio etiam nomine Artemius vocabatur. Pij porrò ipſi parentes fuerunt, atque integerrima fide præditi: qui cum opibus ac faculta- 28. Nov. Vtile eſt probos viros laudare. Patria S. Stephani & natiuitatis tempus.

tibus

forma à Deo Verbo ex ſancta & pura Virgine ſuſcepta, cum omnis dæmonum cultus extinctus eſt, tum omnis idolorum adoratio abſceſſit. At verò theandricæ ſimilitudinis imago Chriſti adoranda nobis & colenda perſpicuè tradita eſt, itemque illius, quæ eum modo omni ſermone præſtantiori peperit, & ſanctorum, quorum vita ipſi grata atque accepta fuit. Ex quo enim ille in forma noſtra ad nos acceſſit [abhinc autem ſeptingenti triginta ſex anni iã fluxerunt] Patres intereà ac Doctores, quorum ſumma virtus fuit, venerandarum imaginum, cultum nobis perſpicuè tradiderunt. Ne longe abeam, poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem, mulier illa, quæ ſanguinis profluuio laborabat, ab eo ſanitati reſtituta, ipſius imaginem, velut acceptum beneficium referens, exſculpſit. Ac prius etiam ab ipſomet Chriſto, ipſiſſima Patris imagine, diuino linteo facies ipſius impreſſa eſt, ac toparchæ Abagaro, id poſtulanti, Edeſſam miſſa. Demum ab Euangeliſta Luca picta eſt. Quin ab Hieroſolymis quoque Virginis Dei genitricis imago miſſa eſt. Ob eamque cauſam diuina ac ſacroſancta Concilia variis temporibus, ac locis coacta, non vt ex calcarentur, ſed vt adorarentur, edixerunt. Velim itaque hoc ſcias, Imperator, quod ſi iniquum hoc dogma confirmare atque conſtabilire in animum induxeris, me primum nullo modo aſſentientem habiturus es, ſed promptum ac paratum, qui pro Chriſti imagine animam meam profundam, pro qua ille, vt collapſam atque proſtratam imaginem meam inſtauraret, cruorem ſuum effudit. Perſpicuum eſt enim ignominiam eam & contumeliam, quæ Chriſti imagini infertur, ad exemplar ipſum redundare. Quocirca nobis faciendum eſt, vt gratorum ſeruorum officio fungentes, pro Domini honore periculum adeamus.

* viginti ſex.

Picturarum imaginum antiquitas.

IV. HANC liberam orationem arrogans illa anima ne extremis quidem, vt ita dicam, auribus attrectare ſuſtinens, milites gladiis accinctos mittit, qui ſanctum virum contumelioſe habitum, ac plagis malè mulctatum, throno exturbarent. Ipſe itaque ſtatim ad monaſticum & quietum vitæ genus ſe contulit. At contra Eccleſiam inuaſit ille verè perſecutor & contumelioſus, eamque miſerum in modum peruaſtans, ac magno mœrore implens, non modo ob egregij Paſtoris ereptionem, ſed etiam ob eius, quem in ipſius locum ſubrogauit, immanitatem. Confeſtim enim ſceleſtus, hoc eſt eiuſdem, vt dici ſolet, figlinæ hominem ſufficit, nimirum læuum Anaſtaſium, qui in omnibus rebus ipſi aſſentiens, ac turpiſſimum obſequium perſoluens, atque omnia ea, quæ ab ipſo gerebantur, ſeruilem in modum laudans, huic quoque pernicioſo dogmati patronum ſe adiungebat. Ac primum [ô ingentem, Chriſte, patientiam tuam!] aduerſus tuam imaginem audaciſſima illa anima graſſatur, eamque, quæ ſupra portam fixa erat, ac vulgo ærea dicebatur, theandricam tuam formam deiici atque obliterari iubet. Cum autem ad hoc facinus perpetrandum miſſus ſatelles impoſita iam ſcala conſcenderet, diuino zelo incenſæ mulieres, præclariſſimumq; ac generoſiſſimum virtutis ſpecimen edentes, arreptam manibus ſcalam in terram deiiciunt, vnaque eum, qui hoc facinus aggrediebatur, præcipitem agunt: qui ſtatim hanc præſtiti ad hoc miniſterij mercedem tulit, vt vita orbaretur. Sanctæ autem illæ mulieres ob Chriſtum, cuius zelo flagrabant, opportunè ab ecto atq; contempto pudore, curſu effuſo in Eccleſiam feruntur, atque impium Patriarcham, qui tum illic erat, illam, inquam, vt Chriſti verbis vtar, deſolationis abominationem, in loco ſancto ſtantem, lapidibus inceſſunt, mercenarium non Paſtorem, lupum non paſtorem, Eccleſiaſticarum denique ſanctionum ac dogmatum proditorem appellantes. Ille autem pudore ſimul ac metu correptus, confeſtim ad Imperatorem confugit, eique quod factum fuerat, narrat, atque ad mulierum cædem eum extimulat. Huiuſmodi enim boni illius, ac pacifici Paſtoris ſtudium erat, tanquam videlicet per ea, quæ agebat, docere cupienti, malum pro bono rependendum eſſe. Mox igitur gladio necantur, ac pro pietatis præmio mortem ferunt.

Anno 715 [illegible] 7 Id. [illegible] Germanus ſua Epiſcopali ſede exturbatur, Vide Bar. an vbi ſup. 11. Kal. Feb. vt ex Theophane habet Bar.

Leo Iſauricus bellum indicit imaginibus.

Matth. 24.

Sanctæ mulieres aliquot, pro iuſtitiæ zelo gladio necantur.

V. Ac tum videre erat multos eorum, qui orthodoxam fidem arctè complectebantur, patrium ſolum tanquam inimicum & hoſtile fugientes, atque ad ſolitudines & deſerta perfugij cauſa ſe conferentes, tutiuſque cenſentes cum feris habitare, quam cum viris huiuſmodi verſari. Cum quibus tametſi admirabilis quoque Stephani parentes patriam relinquere conſtituiſſent, tamen hoc eorum cupiditatem morabatur, quod Stephani ætatem expectarent, vt pollicitationem eam, quam de eo fecerant, minime fallerent, ſed eam ad finem perducerent. Cum autem id ſecum vna perpendiſſent, haudquaquam vtile eſſe eum in Byzantinis monaſteriis detondere, ad Auxentij montem ſe conferunt. Situs eſt porrò hic mons è regione Byzantij, circa Bithyniæ prouinciam: vicinoſque omnes montes altitudine longè ſuperat: nomenque ab eo Patre traxit, qui primus in eo domicilium ſibi fixit. Hic autem locus ad vitæ tranquillitatem non parum iis adiumenti affert, qui eius cupiditate tenentur: vt qui ab omni turba ac tumultu immunis ſit. Eſt enim in ipſius faſtigio antrum quoddam, in quo Patres, ſede per ſucceſſionem ſibi conſtituta, tandem hinc in paradiſum migrarunt. Siquidem poſt diuini viri Auxentij è vita diſceſſum, Sergius ipſius diſcipulus, tum vitæ generi, tum antro ſucceſſit. Hunc ſecutus eſt vir admiranda virtute ornatus Bendianus. Demũ ſanctus Gregorius. Ac denique ille Stephani anteceſſor, ac ſingulari mẽtis perſpicacia præditus Ioannes. Ad quem beati huiuſce viri parentes filium, quem ex promiſſione acceperant, cum duxiſſent, precibus ab eo contendebant, vt ipſum exciperet, ac monaſtica veſte donaret. Quem vt ſenex intuitus eſt, ac perſpicaciſſimis animæ oculis diuinam animæ ipſius pulchritudinem cognouit, morumque in tam tenera ætate grauitatem atque conſtantiam animaduertit, prompte eum ſuſcipit, leniterque ac placide ad ipſius parentes Verè, inquit, Dei ſpiritus in hoc puero requieſcit. Quocirca cum nocturnæ Dei laudes de more peractæ eſſent, accitum puerum pro foribus antri ſiſtit, ac plurimis verbis eum erudit, ad ſpirituales palæſtras acuit, monetque nè parentum amorem pluris quam Deum faciat. Hic enim, inquit, & finxit, & ſeruauit: illi autem perſæpe quos adamarunt, perdiderunt, atque in pœnam coniecerunt. Hæc cum ille, aliaq; huic ſcopo conſentanea monuiſſet, ac tanquam in optimam terram ſemina ieciſſet, eum tondet, ac monaſtica veſte induit, decimumſextum iam vitæ annum agentem.

Auxentianus mons monaſticæ [illegible]

Parentes Stephani [illegible] donari veſtem [illegible]

Quorundã parentum ſtultitia.

VI. PROTINVS igitur Stephanus ad monaſtica certamina ſeſe accingens, nullum continentiæ genus prætermiſit. Nam & ieiunio ac vigiliis corporis impetus coërcebat, & omnes voluptatum illecebras ſuperabat, & iracundiam imperio tenebat. Ab iniuriarum autem acceptarum recordatione vſque adeo abhorrebat, vt non modo eum, à quo moleſtia affectus eſſet, non vlciſceretur, ſed etiam beneficiis contra afficeret. Tanta rurſus obedientiæ laude præſtabat, atque ad obſequendum adeò promptus erat, vt ob exuberantem obedientiæ atque humilitatis magnitudinem iis potiſſimum rebus delectaretur, quæ cum labore & moleſtia coniunctæ eſſent. Cui rei, vt alia multa omittam, iſtud teſtimonio fuerit. Nam cum longo ab ipſis, ac difficili interuallo, aqua ea, qua vtebantur, diſſita eſſet, (erat enim in admirandi viri Auxentij cœmeterio, quod quidem ille adhuc ſuperſtes extruxerat, atque in ſanctarum mulierum monaſterium conſecrarat, ac Trychinariam, vel ob itineris aſperitatem ac difficultatem, vel etiam ob veſtium ipſarum rigiditatem appellarat) cum, inquam, longo interuallo aqua diſſita eſſet, Stephanus eam quotidie ad antrum, tam æſtate, quam hyeme deferebat. Cumque non modo aquam, ſed & alia omnia, quæ neceſſaria erant, illinc transferret, nunquam tamen aut deſidia languere, aut querulum vllum verbum emittere, aut conſuetam regulam negligere viſus eſt, ſed ſemper eodem, quo magiſter, greſſu incedere, atque ipſius veſtigiis hærere. Qui quidem ob eximium ſuum erga Deum amorem, omnibuſque numeris perfectam & abſolutam virtutem frequentes gratias diuinitus conſecutus eſt, & quidem eiuſmodi, vt etiam

Monachus factus [illegible] gelio S. Stephanus.

[illegible] magiſter [illegible] ſemper [illegible] ſanctitate frequens.

iam brutis animantibus imperaret, eiſque tanquam miniſtris vteretur. Canis enim ipſi de more in monte aſſidebat. Qui quidem, ſi quando Stephanum abeſſe contigiſſet, [vt ſi forte quidam è vicinis monachis ad ſanctum virum veniſſent: ſiquidem quamplurima tum erant in illis montibus monaſteria, quæ tyrannus, partim quia immodico nationis ſtudio tenebatur, partim quia monachorum veſtem, vt quæ duræ aſperæque vitæ monimentum ac ſymbolum eſſet, ac voluptuarios & delicijs deditos homines moleſtia enecare poſſet, infenſe oderat, prorſus de medio ſuſtulit] canem illum de nomine vocabat, atque in charta quadam, ea quæ neceſſe erant, conſcribens, eamque canis collo appendens, ita demum eum ad monaſterium deſcendere iubebat, ac literis illis ad præfectam perlatis quam ocyſſimè reuerti. Ille autem, non ſecus atque animal quoddam rationis particeps, ſtatim imperata faciebat, ac ſumma celeritate ad monaſterium pergens, præfectæque cellæ adſtans, aduentum ſuum latratu ſignificabat. Ac tum ij, qui in illo domicilio conſuetum ipſius miniſterium agnoſcebant, ad eum properabant, ac perlecta charta, quæ ea poſtulabat, exequebantur. Atque ita iuſſis perſunctus canis ad dominum rurſus ſe referebat.

Bruta animantia obediunt eius Abbati, Ioanni ſcilic.

Contigit autem aliquando, vt Stephanus ex aliquo miniſterio reuerſus diuinum illum Ioannem poſito ad ſpeluncæ feneſtram capite acerbiſſimè flentem oſtenderet. Cum autem ipſe defixa humi fronte ab eo nequaquam, vt ſolebat, benediceretur, perdiu ad hunc modum humi proſtratus, ſecum ipſe reputabat, quorſum tandem hæc patris lamentatio ſpectaret. At perſpicaciſſimus ille vir cum animo ſuo verſans, ac deinde ſe erigens. Tua cauſa, inquit, chariſſime fili, tua, inquam, cauſa in hoc luctu fui. Planè enim hoc noui, fore, vt hic locus tua tempeſtate incrementum capiat: ac rurſus ab impiis Imaginum hoſtibus euertatur. Ad quæ cum Stephanus admodum dolenter imo corde ingemuiſſet. Quid autem, inquit, honorande Pater, an illud quoque fore proſpexiſti, vt vna ipſe peream, atque à peruerſa doctrina vincar? Tum ille, Bona verba fili, inquit: nunquam hoc accidat. Cæterum, vt Apoſtoli verbis vtar, vide quemadmodum cautè ambules. Scriptum eſt enim, eos demum ſalutem eſſe conſecuturos, qui ad finem vſque perſeuerauerint. Hæc & alia monendi cauſa locutus, ea quæ ipſi in poſterum euentura erant, apertiſſime prædixit. VII.

Iconoclaſtarum furorē Abbas prævidet.

Eph. 5.

Matth. 24.

Igitur eo tempore, cum ſacerrimus Stephanus patrem ſuum carnalem ad Dominum proficiſci reſciuiſſet, ſpiritualis huiuſce patris hortatu Byzantium petit, ac iuſtis ipſi perſolutis, diuenditiſque omnibus ipſius facultatibus, ac matre atque vna ſorore aſſumptis [altera enim iam ante in Byzantino quodam cœnobio monaſticæ vitæ cauſa comam abiecerat] ad montem redit. Cumq; ipſius opera illæ à diuino ſene benedictionem accepiſſent, ad mulierum monaſterium ductas eas detondet, ac Dei cultui conſecrat: matriſque carnalis atque item ſororis pater ſpiritualis efficitur. Etenim hoc demum verè amoris ac conſanguinitatis argumentum eſt, iiſdem rebus gaudere, atque idem vitæ genus complecti. Nam alioqui maiore ex parte homines ſanguinem ementiri, ac generis propinquitatem adulterate compertum habeo. Poſteà autem reuerſus, in priſtino vitæ inſtituto perſtabat. Non multum temporis interceſſit, cum diuinus Ioannes ſuam ad Deum profectionem imminere ſentiens, multis magnum Stephanum præceptis inſtruxit, atq; extremum oſculatus, debito iuſtis ſomno conquieuit, ſpiritumq; ſuum immortalibus manibus commendauit. Statim itaque præſtantiſſimus Stephanus, Patris morte per teſſeram ſignificata, monachorum greges, tanquam ceruos ad fontes conuocauit: qui cum beati Ioannis corpus conſpectum religioſe ac reuerenter exoſculati eſſent, orbitatemque ſuam deploraſſent, in reliquiarum loculo ipſum condiderunt. VIII.

In quo verus amor ſitus ſit.

Ioannis Abbatis obit.

At enimvero nec imperfectus eorum, qui congruentem diuinæ legi vitam ducunt, nec ſucceſſorum expers eſt numerus. Nam & vita functo Moſe locum ipſius expleuit Ioſue: ac rurſus recepto in altum Elia ſucceſſor Eliſæus, atque tum ipſius meloræ, tum duplicis gratiæ hæres deſignatus eſt. Ad eundemque modum beato hoc Ioanne ad Deum profecto, ſtatim & ſpeluncæ, & gratiæ, non duplicis ſolum, ſed multo etiam amplioris, hæres ſpiritualis ipſius filius Stephanus extitit. Ergò anguſtiſſimam illam ſpeluncam ingreditur, annos natus aliquanto plus quam triginta. Atque apiculæ more in antrum ſeipſum includens, dulce virtutis mel conficiebat: ſic nimirum ſe comparans, vt & laboribus ſe exerceret, ac per actionum ſedulitatem fauos certo ordine, ac congruenti menſura componeret, & iis à quibus adibatur, illuminationem ſimul ac dulcedinem impertiret. Atque actuoſas quidem ipſe quoque, Apoſtoli ritu, manus habebat, conficiendorum ſcilicet retium, vt ille, artem colens. Atque inſuper egregiè ſcribendi peritiam conſecutus, deſcribendis libris operam impendebat: vt qui non modo nemini oneri eſſe vellet, ſed etiam habere cuperet, vnde egenti ſubſidium afferre poſſet. Ac ſpiritus fructus cernere erat in ipſius animo, tanquam in fœcunda terra, florentes, hoc eſt charitatem, gaudium, pacem, manſuetudinem, longanimitatem, benignitatem: quos quidem fructus pleriſq; eorum, qui ad eum ventitabant, optimè impertiebat. Permulti quippe ipſius virtutes imitari cupientes, contubernium cum eo habere, ac ſub eo præceptore viam in cœlum ferentem tenere voluerunt. Quibus primum quidem repugnabat, eoſq; contubernales habere renuebat, vt qui & moleſtiam ipſi faceſſere, & ipſius animum diſtrahere poſſent. Tandem tamen eos admittebat: vt qui foras eum, qui ad ſe veniret, eijciendum non eſſe, à Chriſto didiciſſet. Primum igitur Marinum, probum virum, ac ſuauiſſimis moribus præditum ſuſcepit, deinde Ioannem & Chriſtophorum, poſteà Zachariam, pium hominem, diuinumq; vitæ genus ad ſummum vſq; gradum conſectantem, tum item improbum illud par Sergium & Stephanum, [de quibus inferius verba faciemus] ac ſex inſuper alios, quorum nomina in eorum, qui in Chriſto viuunt, libro perſcripta continentur. IX.

Ioſue. 1.

4. Reg. 2.

Stephanus Ioanni Abbati ſucceſſit.

Act. 18.

More Apoſtoli manuali vacat operæ.

Gal. 5.

Ioan 6.

Multi eius ſanctitate celebres diſcipuli.

Ad hunc itaq; modum aſperrimus ille mons vrbis cuiuſdam inſtar extructus eſt, ac præclari cuiuſdam cœnobij locum tenebat: neceſſariis nimirum omnibus rebus Dei prouidentia ipſis, quantum ſat erat, ſubminiſtratis. Qui etiam diuinitus afflati Patris cognomento, tanquam opibus quibuſdam, ornabatur: vt qui ad hunc etiam vſque diem Auxentij mons nuncupetur. Quem quidem Deo inuiſus Tyrannus, ſancti viri odio percitus, ſolo æquauit, atq; Auxentianum collem potius nuncupari voluit. Quandiu igitur in eo Stephanus præceptoris munere fungebatur, ex hoc antro, tanquam ex ſacroſancto quodam adyto, proſpiciens, huic ſancto diſcipulorum choro ea præcepta ac documenta dabat: quibus animus ad virtutem erudiitur. At cum diſcipulorum numerus excreſceret atque ad viginti vſque progreſſus fuiſſet, ipſe maioribus dignum ſe cenſens (illecebroſa enim res virtus eſt, ſuique ſtudioſis maioris incrementi cupiditatem ſemper iniicit, non ſecus atque auaris pecunia) atque etiam aliquid tranquillam & ab omnibus negociis feriatam vitam vnicè amans, ac denique aſperiori vitæ generi corpus addicere conſtituens, prædictum illū Marinum eorū antiſtitem ac moderatorem creat: ipſe autem peragrato prorſus montis cacumine, cellulam ſpelunca illa longè minorem extruit, latitudinis non plus quam ſeſquicubitum habentem, longitudinis autem cubitos duos. Ad orientalem autem partem conchæ formam effingit, ea altitudine, vt curuato corpore vix illic ſtare poſſet: reliquam autem partem tecti expertem relinquit. X.

Illecebroſa res eſt virt.

Marinum ſuis diſcipulis præficit, vt liberius Deo vacet.

Iam autem duos & quadraginta annos natus, vna ex ſacratiſſimis noctibus, cum Marinum clam vocaſſet, eique, quid in animo haberet, aperuiſſet, (necdum enim cuiquam exploratum erat, cur locum illum extruxiſſet) vna cum eo profectus, in parua illa & ſepulchri ſimilitudinem referente domuncula ſeipſum includit. Sic igitur, cum monachi omnes matutinis precibus perfuncti, ad ſpeluncæ veſtibulum veniſſent, flexiſque capitibus paternam ſibi benedictionem, vt mos ferebat, ſibi donari poſtulaſſent, nec vox Patris vſquam exaudiretur, in magna animi perturbatione verſari cœperunt. In ſpeluncam itaque, videndi illius deſiderio, inſiliunt. Quem vt minime repere- XI.

Preces matutinæ à veteribus perſolutæ.

verterunt, luctibus & querelis ſeſe affligebant. Ac poſtea, alii alio diſperſi, gemitibus & lachrymis Paſtorem veſtigabāt. Quorum curſitationem ac fletum diuinus ille vir ſentiens, leni & amica voce agnos vocauit. Illi itaque ad eum currentes, atque illud anguſtia permoleſtum domicilium conſpicientes, Ecquid hoc eſt (calentes lachrymas ex oculis emittentes dicebant) ecquid inquam, hoc eſt, Pater? Cur tantis vitæ aſperitatibus teipſum addicis, præmaturam nobis velut orbitatem moliens? Tum ille, Qui tandem aliter facerem, inquit, ô filii, cum arcta, vt Scriptura docet, atque anguſta ſit via, quæ in cælum ducit? Quod vt illi audierunt, nil aliud adiecerunt, hoc tantum ab eo petierunt, vt cellæ ſuæ tectum adderet, ac non ita ſub dio vitam traduceret. Qui rurſus, cum tecti cuiuslibet loco ſibi cælum ſufficere reſpondiſſet, ad hunc modum perſtabat, contrarias inter ſe aëris mutationes ferens. Nam & per æſtatem ſolis ardore flagrabat, & per hyemem frigore rigebat. Ad hæc etiam vna melota, eaq; parua ac vili, tegebatur, ac ſtoream ſolam ad breuem ſomnum adhibebat. Quinetiam, tanquam huiuſmodi ærumna non ſatis plena ac perfecta eſſet, ferro quoque totum corpus cingebat.

Quā ſit arcta via regni cæleſtis, verbo & operibus docet.

Aſperitas vitæ eius.

XII. QVONIAM igitur fieri non poterat, vt (quod vehementer expetebat) tanta ipſius virtus in obſcuro deliteſceret (quinam enim iſtud, cum ne vnguenti quidem odorem occultare facile ſit?) multi ad eum ſeſe conferebant, atque prius etiam quam vllum verbum emitteret, ex ſolo ipſius aſpectu non paruam vtilitatem percipiebant. Quo in numero mulier quædam illuſtris & honeſta, marito haud ita pridem orbata, feſtinanter ſanctum virum adiit: cumque ſe viduam ac liberorum expertem, proindeque ſolam eſſe ipſi narraſſet, nihil aliud ſibi ſupereſſe dicebat, quam vt monaſtica veſte, cuius ſe incredibili quodam deſiderio teneri aſſerebat, indueretur. Ille autem eam longa oratione inſtructam, ac ſalutiferis præceptis ſedulo eruditam dimiſit, his verbis ad extremum vtens, Vide cum quo paciſceris: ac ſi qua te animæ cura tenet, id quod promiſiſti, mox præſta: ne te cunctantem ac moras nectentem mors inuadat. Igitur pia illa mulier ad matrem rediens, ac Patris ſermones in intimis cordis penetralibus abditos tenens facultates omnes ſuas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confeſtim parentes, propinquos, vicinos, amicos relinquens, ad diuinum Stephanum ſe confert, non paruam auri illius portionem ſecum geſtans. At ille aſperiori orationis genere ad eam vtens, Cum tu, inquit, ex Saluatore ipſo audiueris, eum diſcipulum ipſius eſſe minime poſſe, qui non bonis omnibus ſuis renunciauerit, quonam modo, contempto ac pro nihilo habito hoc præcepto, partem aliquam mundi retines? Hæc vt mulier audiit, ipſius perſpicaciā ad ſtuporem vſque admirans, Non me, inquit, honorande Pater, auara, ſpiritualis potius, niſi me animus fallit, cupiditas impulit, vt auri aliquid mihi reliqui facerem: quod videlicet id per tuas ſanctas manus erogari, maioremque mihi tua opera vtilitatem comparari cuperem. Tum ille: Alienorum delictorum ſcintillas manibus meis extinguere nullo modo ſuſtineo. Vereor enim ne qua earum furtim ſuccendatur, maximumque in animo meo incendium excitet. Id enim nonnullis, dum non ſatis animum attendunt, vſu venire compertum habeo. Illud autem omnino perſpicuum eſt, quod qui ſeminat, idem ſuis quoque manibus metet. Hæc locutus, eam quidem rurſus ad matrem redire haud quaquam vtile eſſe iudicauit: cæterum, vt vicinis locis vna cum pio Marino peragratis, ipſamet ſuis manibus pecuniam illam diſtribueret, imperauit. Quo munere cum perfuncta fuiſſet, tum deniq; monaſtica eam veſte induit, atq; ad mulierum monaſterium tranſmittit, antiſtitæque etiam atq; etiam mandat, vt ſummam ipſius curam gerat, manumq; ei ad virtutis ſtudium amplexandum porrigat, ſeduloq; opituletur. Atque hæc quidem ita ſe habuerunt.

Multi melioris inſtituti propoſito ad eum confluunt.

De hac vidua Anna habes infra c. 22 & ſeqq.

In ſalutis negotio abiicienda eſt omnis mora.

Matronæ cui ā imperat vt omni facultate pauperibus diſtributa, ſequatur nuda nudum Chriſtum.

XIII. CVM autem ille zizaniorum ſator Chriſti Eccleſiam ſemper quidem oppugnari, nunquam tamen ſubigi & expugnari, ſed externos hoſtes nullo negocio frangere ac profligare cerneret, inteſtinum ipſi bellum excitare inſtituit. Ac primum, vt iam dictum eſt, ferinum illum hominem, Leonis nomen ferentem, qui à Syris genus ducebat, ac præſtigiis quibuſdam (vt quidam homines opinabantur) multa prodigioſe perpetrabat, atque eiuſmodi erat, vt ſimplicioribus hominibus impoſturam facere poſſet, aduerſus eam immiſit. Qui aduerſus ſanctas Imagines rabido & belluino animo ſæuiens, Chriſti ouile maximis detrimentis afficiebat: Poſtquam verò à præclaro illo Eccleſiæ Paſtore Germano reprehenſus ac depulſus eſt, ſimulque & hanc vitam & ſempiternam amiſit, immanis illius belluæ immanior catulus (Conſtantinum Copronymum dico, illum inquam, vt quiſpiam dixerit Achab ex Achas, vel potius Herodem ex Archelao, illud libidinis omnis mancipium) perinde videlicet atque in id omni animi contentione incumberet, vt paterna facinora parua & leuia, ac velut quædam duntaxat magnorum improbitatis ipſius fructuum ſemina fuiſſe oſtenderet, Eccleſiam populatur, deiicit, euertit, omnes Chriſti & Sanctorum imagines delet, ac flammis tradit. Deinde à pietatis amatoribus eximiiſque monaſtici ordinis viris reprehenſus atque conuictus, implacabile aduerſus eos bellum excitat, præclarum illum habitum † tenebrarum indumentum vocans, (cum ipſe dæmonibus proculdubio tenebroſiorem animam haberet) atque † immemorandos eos appellans, cum ipſe nec diuina vlla, nec humana memoria dignus eſſet: ac præterea idololatras, ob venerandarum Imaginum adorationem omnes nuncupans, cum ipſe aurum potius quam Chriſtum adoraret, atque auaritiæ & impietati peræque ſtuderet. Igitur ſtolidam omnem illam ſapientiæque expertem multitudinem, quæ ipſius imperio ſubiecta erat, in concionem aduocat, ac veneranda Crucis ligna vna cum diuinis Dominici corporis & ſanguinis myſteriis, atque ab omni labe puris Euangeliis (in quibus Dei filius Chriſtianis, ne iurent, prorſus interdicit) palam proponit: atque ita per ea vniuerſos iureiurando adſtringit, nunquam ſe diuinas Imagines adoraturos, quin ea potius idola vocaturos (cum ipſe potius impietatis idolum verè eſſet) ac ne communionem quidem à monacho accepturos, nec ſalutantibus quicquam humanitatis viciſſim exhibituros, verum ſi quiſquam eorum monachum aliquem vſpiam obuium habuiſſet, † Tenebricoſum eum & Immemorandum, & idolorum cultorem appellaturos, ac demum (ô horrendum furorem! ô ingentem tuam, Chriſte, patientiam ac lenitatem!) lapidibus ipſum petituros. Quinetiam ſacri ordinis quendam nactus, cui & nomen cum ipſo idem, & eadem fidei ſententia erat, (iam enim vt anima, ita corpore quoque Anaſtaſius interierat) ei, proh ſceleſtum facinus, Eccleſiæ curam adminiſtrationemque committit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico ſuffragio atque decreto, ſed tyrannica potius poteſtate, antiſtitem ipſum inſtituens. Etenim, non ſecus ac ſi in ſcena apertè luderent, ac non ſeriò agerent, ambo in pulpitum aſcenderunt: ac deinde Imperator manibus impuris diploidem ſacram nefario homini profanè imponit, dignum Epiſcopatu eum eſſe clamans, qui graui potius ignominia & vituperatione dignus erat, O importunam & abſurdam audaciam! O execrandum facinus! Qui enſe accinctus erat, antiſtitem ſacrum creabat: qui bellis ac cædibus per omne vitæ tempus operam dederat, initiatoris ſacri munere fungebatur: qui cum tribus mulieribus flagitioſiſſime ſeſe contaminarat, ſceleratos pontifices inſtituebat (id quod ne apud Gentilium quidem ſacerdotes vnquam perpetratum fuiſſe repertum eſt:) ita vt illud Scripturæ ſacræ hic locum haberet. Qualis populus, talis ſacerdos.

Inteſtina bella Eccleſiæ magis nocius quā externa.

Cōſtātinus Copronymus magis quam Leo pater eius in ſacras ſæuit imagines.

† σκοτίας ἔνδυμα.

† ἀμνημονεύτους.

Matth. 5.

Ecce impiū impii Copronymi iuramentum.

σκοτινόν, hoc eſt tenebroſe veſtitum.

Nefarius Copronymus Epiſcopū ſibi ſimilē tyrānica poteſtate creat.

Eſa. 24.

XIV. CVM itaque ad hunc modum obſcœnum iſtud par coiiſſet, atq; Attagas, vt vulgo dici conſueuit, Numenio ſeſe adiunxiſſet, literæ ad omnes vrbes ac prouincias commeabant, quibus Epiſcopi ad imperialem vrbem confeſtim accerſebantur. Id autem eo fiebat, vt Concilium aduerſus venerandas Imagines cogeretur. Cernere igitur erat audaciſſima illa facinora, atque impietatem omnem excedentia, quæ ſine vllo metu perpetrabantur. Nam[a] & ſacroſancta vaſa ob venerandarum Imaginum picturas pedibus obterebantur, & templorum decor ac pulchritudo, quam ſacrarum

Verum paræmia cū duo nequiſſimi ſimulcoeūt.

De hoc conciliabulo

Hhh Imagi-

conſule 7. Act Concil Nicæni. & Baron. an. 754 a Ecce noſtrorum Caluiniſtarum præcurſores Iconomachos

Imaginum picturæ pariebāt, partim abradebatur, partim etiam calce illinebatur. Etenim vbi Chriſti aut matris illius aut Sanctorum imago erat, vel in ignem coniiciebatur, vel in puluerem redigebatur, vel etiam albario opere induebatur. At vbi arborum, aut auium, aut beſtiarum effigies, aut etiam circus ac venationes pictæ erant, his nimirum parcebatur, ac ſumma cura proſpiciebatur. Quocirca Eccleſia tota eo ornatu, quē ipſi ſacræ Imagines afferebāt, ſpoliabatur, ac tanquam ſponſa coniuge orbata, mœſta & ſquallida atque incompta cernebatur. Quis autem illius temporis calamitatem ſatis digne deplorare queat? Quæ lingua ea, quæ perpetrata ſunt, vlla oratione complecti poſſit? Quæ auris placide ac ſedate huiuſmodi narrationem excipiet? Tempeſtiuum ſcilicet tunc erat Prophetæ verba cum lachrymis vſurpare, Periit ſanctus à terra, & qui rectè agat, inter homines non eſt. In ſecuri etenim & aſcia Eccleſiæ Chriſti portas perfregerunt, atque igni ſanctuarium ipſius incenderunt. Quænam enim alio myſtico ſenſu porta hic eſſe queat, quam diuinarum imaginum pictura? Nam ea menti aditum ad exemplar aperit, ac per ea, quæ in ſenſum cadunt, ad ea, quæ intellectu percipiuntur, introducit. Nam alioqui materiam non adoramus, quemadmodum impiis facere videmur: ſed ſpiritualem adorationem ad eam rem, quæ figura exprimitur, per picturam referimus. Siquidem Imaginis honor, vt cum Baſilio Magno loquar, ad exemplar aſcendit. Atque hac ratione Crucem, ex quacunque tandem materia conſtructa ſit, adorare ita didicimus, vt non ipſi materiæ, ſed ei affixo cultum tribuamus. Huius porrò venerandæ Crucis imago eſt omnis ad exemplaris formam depicta materia. Neque enim illud duntaxat lignum, cui Chriſtus affixus eſt, adorare didicimus, verum alia quoque omnia, quæ ad Crucis formam expreſſa ſunt. Quamobrem aut diuini ligni formæ cultus negetur: aut etiam Chriſti & Sanctorum imaginibus honor habeatur. Atque hæc à me velut per digreſſionem dicta ſint, vt iſtos ab orthodoxa doctrina procul aberrare demonſtrem. Nunc eo, vnde huc deflexit, oratio reuertatur.

Mich. 7. Pſalm. 73. Imaginum vtilitas. Libro de Spiritu ſancto cap. 18. Chriſti & Sanctorum Imaginibus honor exhibendus.

Ad hunc igitur modum Eccleſia laborante, ac malè affecta, piorum multitudo in ſumma conſilii inopia & mœrore verſabatur: ac potiſſimum ſacrum monachorum agmen, vtpote quod orthodoxam fidem arctius amplecteretur. XV.
Itaque tanquam ex compacto, tum Byzantio, tum reliquis Europæ vrbibus ac Bithynia excedentes, ad Auxentianum montem ſe contulerunt: ac beatum Stephanum adeuntes, ab eo petebant, vt ducem ſe illis præberet, eoſque conſilio iuuaret. Loquere, inquiebant, ô Pater, ſi quis in te conſolationis ſermo eſt: menteſque ingenti mœſtitia oppreſſas cohortare. Titubantem animum fulci: ne humano metu labefactatus, de ipſo ſalutis capite periclitetur, ac pietatem prodat. Ille autem eos lubenti animo ſuſcipiens, atque charitati conſentaneam hilaritatem præ ſe ferens, Nihil, inquit, ô Patres, nihil inquam, mentem pietatem ſerio colere cupientem viribus antecellit. Itaque futurum confido, vt per Chriſti gratiam veſtra quoque ſententia pietatis fundamento nixa & ſtabilita, immobilis perſtet, nec hoſtium impetu frangatur. Ob eamque cauſam vos potius oro atque obſecro, vt me conſilio veſtro iuuetis, animumque meum dolentem recreetis. Nam ipſe quoque, vt cernitis, grauiſſimo mœrore vrgeor. Defecerunt oculi mei, vt cum Scriptura loquar, propter contritionem filiæ generis mei. Video enim incontaminatam Chriſti ſponſam ab horrendo ac belli cupido dæmone, qui tantum ei bellum excitauit, acerbe & crudeliter oppugnari. Quemadmodum enim primum aduerſus primam imaginem furore percitus, verſutè hominem adduxit, vt mandatum violaret, & effectoris ſimilitudinem amitteret: ſic nunc aduerſus Chriſti & Sanctorum imaginem, non iam ſubdole ac per cuniculos, ſed aperto marte graſſatus, huiuſmodi caliginem ac tempeſtatem nobis offudit. Ac nunc, tanquam in nocturno prælio, membra inter ſe confligtantur, aliaque aduerſus alia ſtant: mutuoque (ô grauem calamitatem!) nosipſos impetimus, atque in obſcuro ſauciamus. Inter ea perueſſus ille ſedet, ingentem ex miſeriis noſtris riſum excitans, vt qui nos Gentilium ſimul ac Iudæorum ſpectaculum effecerit, ſubſannationem & deriſum his, qui in circuitu noſtro ſunt. Ac nunc filii Sion, nos inquam, precioſi, & auro æquiparandi, reputati ſumus in vaſa teſticea, figlinaque opera contrita. Siquidem, vt diui Prophetæ verbis vtar, caligine obtexit Dominus in ira ſua filiam Sion, proiecit è cælo in terram decus Iſrael: nec recordatus eſt ſcabelli pedum ſuorum in die iræ. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo te filia Sion? Procul enim à me receſſit, qui conſolabatur me. Ac proinde clamabo ad eum ſolum, qui percutit & ſanat: vociferabor ad eum, qui ſolus clemens & humanus eſt: ac ſublata voce dicam, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. quoniam repleti ſumus deſpectione. Transfer opprobrium à nobis, & da contemptionem ſuperbis, qui aduerſus Eccleſiam tuam, ſanctaſque Imagines tuas inſolenter exultant, idola eas appellantes, noſque, qui eas adoramus, idolorum cultores. At tu renoua nos vt diluculum matutinum. Amplificetur recta & vera fides tua. Ecce enim gemitus cordis noſtri multiplicati ſunt, & oculi noſtri defecerunt: quoniam deſtruxiſti maceriam hæreditatis tuæ: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit nos aper de ſylua: & ſingularis ferus nos depaſtus eſt, ille, inquam, crudeliſſimi Leonis crudelior catulus. Conuertere, Domine, & viſita vineam tuam: & perfice eam, quam plantauit dextra tua. At enimuero in lachrymas & fletus ob incumbentem & paſtoribus & ouibus impietatis caliginem, prolapſus, meiipſius oblitus ſum, ac lamentationem vltra modum produxi. Sic enim mihi perſuadeo, Deum probra Eccleſiæ ſuæ illata minime neglecturum, ſed retributionem ſuperbis propediem redditurum, atq; Eccleſiam ſuam lætitiæ ſtola conueſtiturum, ac priſtinam ipſi elegantiam impoſiturum.

Hier. 6. Eccleſia Chriſti ſponſa acerbè à dæmone oppugnatur. Pſalm. 43. Thren. 2. Hier. 9. Deut. 32. Pſalm. 122. Pſalm. 79. Poſt lamentationem, prædicit Stephanus, Eccleſiæ ornatū reſtituendum.

Multi fideles ad ſanctum Dei Stephanū confluūt vt ab eo conſolentur. Nihil homine verè pio fortius.

His atque aliis huiuſmodi ſermonibus ad monachorum, qui & ipſi lachrymis madebant, cæteruam vſus Stephanus, hæc verba inſuper adiecit. Ad has tres partes, quæ nefariæ hæreſis labem minimè contraxerunt, vt fugiatis cenſeo. Neque enim alius locus eſt, qui quidem ſub draconis huius imperio ac poteſtate ſit, qui ab eius veneno purus manſerit, quam ea quæ ad accliue Ponti Euxini ſunt, hoc eſt, Zechiæ, & Cherſonis, & Boſphori, & Nicopſis, & Gotthiæ, atque ea item quæ ad Parthenium mare ſe porrigunt: quin & quod in antiquioris Romæ decliui eſt. ac Nicopolitana & Neapolitana Metropolis, quæque ad Romanum vſque flumen protenduntur: ſed & Lyciæ prouinciæ climata, hoc eſt, ex Silæi ficu, ac denique Cypria inſula, quæque è regione ipſius ſunt vſque ad Tyrum & Ioppem. Hæ, inquam, partes ab execrando hoc dogmate puræ perſtiterunt. Antiſtites autem ipſi, hoc eſt Romæ & Antiochiæ, ac Hieroſolymorum & Alexandriæ, non modo dogma iſtud ac dogmatis authorem grauiſſimo odio proſequuntur: ſed etiam per inuectiuas epiſtolas de ipſo triumpharunt, apoſtatam eum ac Dei hoſtem vocantes, vtpote aduerſus Chriſti imaginem malè ac peſtiferè concitatum. Conſimili quoque modo ille lepida lingua præditus ac pius presbyter Iohannes, quem ille petulanti ac maledica lingua tyrannus: atque eruditione quidem anguſta, cæterum ad vituperandum copioſa & peracuta, Manſur appellabat, in multis epiſtolis eum acerrimè perſtrinxit, nouum Mahometum eum appellans, Chriſtique hoſtem ac ſanctorum inimicum, atque Epiſcopos qui eadem ſentiebant, ἐπιγαστρίους potius, hoc eſt, tenebriones ac ventris mancipia nuncupans, vt qui ventris cauſa nihil non ſibi dicendum ac faciendum cenſerent. Atque, vt breui complectar, omnes eos, qui væſanæ ipſius ſententiæ ſubſcribebant, tanquam Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, ac velut ſynagogam Abiron, execrandos Deoque inuiſos reputabat. XVI.

Quatuor præcipui patriarchæ eo nomachorū Sectam cōdemnāt. Item Ioannes Damaſcenus. Pſalm. 82.

Hæc verba vt pius ille cœtus audiit, piumque virum velut extremum allocutus atque complexus eſt, ad ea loca, quæ cuique commodiora viſa ſunt, ſeſe contulerunt: in hoc quoque videlicet Chriſto obtemperantes: quippe qui XVII.

pe qui eos, qui perſecutionem patiuntur, ex vna vrbe in aliam profugere iubeat. Quandoquidem minime conuenit, vt ipſi noſmet vltro in pericula conijciamus: quemadmodum contra, reprehenſione non caremus, ſi in periculis conſtituti, animum deſpondeamus. Spectabatur itaque Byzantium velut in expugnatione quadam captiuitate oppreſſum, monaſticoque habitu priuatum, ac tanquam in ſqualorem redactum: ſublato nimirum atro colore, qui prius ad vrbis ornatum albo admixtus erat. Etenim alius ad Euxinum pontum nauigabat, alius ad Parthenium pelagus omni feſtinatione contendebat, alius Cyprum petebat, alius ad antiquiorem Romam properabat. Ac ſic variè quiſque, à ſuis monaſterijs auulſi, hoſpites & aduenæ in diuerſis locis degebant. At verò ille non minus à mente quàm à pijs dogmatibus auerſus tyrannus, grauiter adhuc aduerſus venerandas Imagines ſpirans, ac velut ſuæ in huiuſmodi rebus amentiæ colophonem imponere geſtiens, inſigne illud, quod Blachernis eſt, Deiparæ templum, eximia quadam ac penè incomparabili pulchritudine præditum, & lapillis aureis in vtroque pariete arte ſumma coornatum, abraſit & immutauit, deletis videlicet omnibus Imaginum formis. Etenim eximio ac pereruditо artificio carnalis Christi natiuitas, & diuina ipſius miracula, & venerandorum myſteriorum traditio, ac denique per ipſius Crucem in infernum deſcenſus, & reſurrectio, picta illic erant. Quibus omnibus horrendum in modum abraſis atque deletis, ille perditionis filius arborum ſpecies, atque omnis generis auium formas eorum loco ſculpendas curauit. Ac tum ſanè quiſpiam non incommodè illud Dauidis dixiſſet, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam: Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ, hoc eſt venerandas ac ſacras martyrum reliquias: quas partim igni, partim mari, partim denique (ô facinus orbi vniuerſo damnum ferens!) præcipitiis tradiderunt.

Matth. 10. Nemo debet vltro ſe in periculũ conijcere.

Impius Copronymus templũ Dei genitricis imaginibus denudat.

Pſalm. 78. Iactãt ſãctorũ reliquias.

XVIII. In hoc igitur prorſus venerando templo conſceleratus Tyrannus, vna cum impio ac ſacrilego illo gregis mercenario, ac non minus execrandis epiſcopis, qui cum ipſo erant, inſidens, improbum conſeſſum cogens (ecquis enim Concilium hoc appellarit?) ſtatuas (ô rem grauem!) & idola, ſacras Imagines vocat. Ac deinde illi iniquitatem ſuam iniquitate, ac malum, vt dici ſolet, malo cumulantes, orthodoxum illum Germanum anathemati per ſummum furorem ſubiiciunt, ea ſcilicet facientes, quæ ipſi pari merebantur, idolorum eum ac lignorum cultorem appellantes, cum ipſi verè dæmonum cultores & amici eſſent. Quonam pacto, Chriſte, lenitatem illam tuam, quæ nullis verbis explicari poteſt, non admirer? Quonam pacto benignitatis tuæ, quæ vim ſermonis omnem ſuperat, abyſſum exponere queam? Adhæc porrò audaciſſimæ illæ linguæ eo proruperunt, vt ingens quoque iſtud & improbum eloqui non dubitarint, nimirum illam ipſam Dei genitricem virginem inutilem quandam poſt mortem, ac commodi omnis expertem rem eſſe, nec cuiquam omnino adiumento ac præſidio eſſe poſſe. Ac denique, quod poſtremum illorum & grauiſſimum malum eſt, ſcelerati certè ac vineæ Chriſti exitioſi ſacerdotes (de quibus Propheta prædixit, Egreſſa eſt iniquitas à ſacerdotibus Babylonis: ac rurſus: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meã) hi, inquam, inter ſanctum & prophanum minimè diſtinguentes, poſteaquam è peſtilenti illo conſeſſu exurrexerunt, populum eum, qui poſt eos à recta doctrina aberrarat, manus in altum tollere iubentes, lætum ſtrepitum excitarunt, atque horrendum illud atque omnem furorem excedens protulerunt: Hodie ſalus mundo, quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati ſumus. O prophanas linguas, quæ nefariam illam vocem emiſerunt! Quibus illud Dauidis plane quadraret, Iniquitatem in excelſo locuti ſunt, Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Exiſtimarunt enim robuſtæ improbitatis ac nobilis impietatis homines ſe nihil magni ac præclari facturos, ſi ea loquerentur, quæ aures ferre poſſent, audaciæq; ſuæ modum aliquem conſtituerent, ac non omnium, tam qui vnquam fuerunt, quam qui vnquam erunt, maximè impios ſeſe præberent.

Definitio pſeudoſynodi huius integra recitatur Act. 7. Concil. Nicæni 2 vbi & refutatur.

Germanus orthodoxus Antiſtes ab Iconomachis anathemate feritur.

Dan. 13. *Hier. 12.*

Horrenda Iconomachorũ vox.

Pſalm. 72.

XIX. Hæc cum ita & dicta & perpetrata eſſent, ac propemodum & os omne impium iſtud dogma profeſſum fuiſſet, & manus omnis profeſſionem ſcripto confirmaſſet, Imperator huiuſce Stephani virtutem audiens, ſecumque iſtud perpendens, quod ſi hunc quoque retibus ſuis includeret, fauoremque ipſius ac præſidium ſibi adiungeret, execrando ſuo dogmati magnum ob ingentem virtutis illius claritatem atque ſplendorem robur conciliaret, Calliſtum quendam, patricii ordinis, ſumma ſecum familiaritate deuinctum, atque & ſuam hæreſim apprimè callentem, & eximia dicendi facultate præditum, ad ſe accerſit, eumque ad ſanctum virum legat, his verbis vtens: Ad Auxentianum montem contende, ac Stephano, qui illic delitеſcit, atq; ex †Immemorandorum claſſe ac numero eſt, perſuade, vt Concilii decretis aſſentiatur, & ſubſcribat. Sicque eum alloquere: Pii ac rectiſſime de religione ſentientes Imperatores, Conſtantinus & Leo, beneuolentia erga te, quia virtute ac vitæ ſanctitate delectaris, impulſi, te orthodoxi Concilii decreto nunc edito ac promulgato ſubſcribere iubent. Tu verò & caricas ipſi & palmas feres, amygdala item, aliaq; nonnulla, quibus vir colendæ pietatis ſtudio deuotus ali conſueuit. Norat enim & ipſe, quanta eſſet illius continentia, penè vt etiam de hoc virtutis genere cum ſpiritibus à materia remotis contenderet. Calliſtus itaque quam celerrime poterat, ad montem profectus, ſancto viro Imperatoris mandata exponit, eaque omnia, quæ illiciendi atque inflectendi vim habebant, in medium profert, ipſumque ad ſubſcribendum pertrahere conatur. Verum pietatis corona erat Stephanus, zeloque ac virtute Protomartyre haud inferior. Tanquam enim, qui Dominum à dextris ſuis eſſe ſemper prouideret, ac propterea nullo hæreſis impetu concuteretur, ad pernicioſum illum nuncium his verbis vſus eſt: At ego nec huic decreto ac falſi huius Concilii vaniloquio ſubſcribam, nec illud vnquam comprobabo, nec amarum dulce, ac tenebras lucem dicam: ne Prophetæ maledictionem in caput meum pertraham. Sacrarum autem Imaginum cauſa promptum mihi ac procliue eſt mortem oppetere, Imperatoris minas, qui has delere auſus eſt, nihil moratum. Hæc vbi dixit, cauam manum ſtatim oſtendens, Etiamſi mihi, inquit tantulum duntaxat ſanguinis eſſet, id tamen pro Chriſti imagine profundere minime dubitarem. Quos verò ab eo ad me cibos attuliſti, referas ſanè licet: quoniam vt cum diuina Scriptura loquar, bonorum eius non egeo. Oleo peccatoris non impinguetur caput meum: nec hæreticorum cibis guttur meum deliniatur.

Nititur impius tyrãnus S. Stephanũ in ſuã ſententiã attrahere.

Vide Bar. ann. 761.

† Sic monachos vocare ſolitum Copronymum habes infra cap. 47.

Nullis illecebris flecti poteſt S. Stephanus.

Pſalm. 15. *Eſa. 5.*

Ardens in eo martyrii deſiderium.

Pſalm. 15. *Pſalm. 140.*

XX. Hac oratione audita Calliſtus maximo pudore ſuffuſus reuertitur, atque Imperatorem adiens, omnia ei narrat. Ille autem iræ ac furoris nube obducitur, ac ſtatim ſicarios vna cum Caſtillo mittit, eiſque imperat, vt ſanctum virum à cella ſua abſtrahant, ac protinus ad inferius monaſterium deductum, illic cum ſumma cura ac vigilantia incluſum teneant, quoad arbitratu ſuo de eo conſtituerit. Sic igitur dicto citius id quod imperatum fuerat exequi contendentes, ad ſpeluncam veniunt, ac ſanguinario animo inſiliunt, oſtioque ſtatim calcibus effracto pium virum per vim foras trahunt. Ac cernere erat rem proborum oculis admiratione dignam ac memorandam. Etenim ex ingenti quadam continentia, & domicilii humilitate atque anguſtia, tibiæ ipſius ita femoribus adhæſerant, vt nec vllo modo ſtare, nec moueri poſſet. Quod cum amentes homines perſpexiſſent, ſumma admiratione perfuſi ſunt, atque ex ſæuitia & feritate animos ad commiſerationem inflexerunt. Ac duo quidam ex ipſis (ſunt enim etiam inter malos ac flagitioſos homines ſeminali quidam, atque eiuſmodi, vt eorum improbitati remedium afferri poſſit) concepta ex tanta ſancti viri ærumna commiſeratione, conſertis manibus acceptum eum ſufferebant. Mox autem ad Patris Auxentii

Admiranda S. Stephani auſteritas.

Imaginum picturæ pariebāt, partim abradebatur, partim etiam calce illinebatur. Etenim vbi Chriſti aut matris illius aut Sanctorum imago erat, vel in ignem coniiciebatur, vel in puluerem redigebatur, vel etiam albario opere induebatur. At vbi arborum, aut auium, aut beſtiarum effigies, aut etiam circus ac venationes pictæ erant, his nimirum parcebatur, ac ſumma cura proſpiciebatur: Quocirca Eccleſia tota eo ornatu, quē ipſi ſacræ Imagines affereābt, ſpoliabatur, ac tanquam ſponſa coniuge orbata, mœſta & ſquallida atque incompta cernebatur. Quis autem illius temporis calamitatem ſatis digne deplorare queat? Quæ lingua ea, quæ perpetrata ſunt, vlla oratione complecti poſſit? Quæ auris placide ac ſedate huiuſmodi narrationem excipiet? Tempeſtiuum ſcilicet tunc erat Prophetæ verba cum lachrymis vſurpare, Periit ſanctus à terra, & qui rectè agat, inter homines non eſt. In ſecuri etenim & aſcia Eccleſiæ Chriſti portas perfregerunt, atque igni ſanctuarium ipſius incenderunt. Quænam enim alio myſtico ſenſu porta hic eſſe queat, quam diuinarum imaginum pictura? Nam ea menti aditum ad exemplar aperit, ac per ea, quæ in ſenſum cadunt, ad ea, quæ intellectu percipiuntur, introducit. Nam alioqui materiam non adoramus, quemadmodum impiis facere videmur: ſed ſpiritualem adorationem ad eam rem, quæ figura exprimitur, per picturam referimus. Siquidem Imaginis honor, vt cum Baſilio Magno loquar, ad exemplar aſcendit. Atque hac ratione Crucem, ex quacunque tandem materia constructa ſit, adorare ita didicimus, vt non ipſi materiæ, ſed ei affixo cultum tribuamus. Huius porrò venerandæ Crucis imago eſt omnis ad exemplaris formam depicta materia. Neque enim illud duntaxat lignum, cui Chriſtus affixus eſt, adorare didicimus, verum alia quoque omnia, quæ ad Crucis formam expreſſa ſunt. Quamobrem aut diuini ligni formæ cultus negetur: aut etiam Chriſti & Sanctorum imaginibus honor habeatur. Atque hæc à me velut per digreſſionem dicta ſint, vt iſtos ab orthodoxa doctrina procul aberrare demonſtrem. Nunc eo, vnde huc deflexit, oratio reuertatur.

Mich. 7. *Pſalm. 75.* — Imaginum vtilitas. — Libro de Spiritu ſancto cap. 18. — Chriſti & Sanctorum Imaginibus honor exhibendus.

Ad hunc igitur modum Eccleſia laborante, ac malè affecta, piorum multitudo in ſumma conſilii inopia & mœ- XV
rore verſabatur: ac potiſſimum ſacrum monachorum agmen, vtpote quod orthodoxam fidem arctius amplecteretur. Itaque tanquam ex compacto, tum Byzantio, tum reliquis Europæ vrbibus ac Bithynia excedentes, ad Auxentianum montem ſe contulerunt: ac beatum Stephanum adeuntes, ab eo petebant, vt ducem ſe illis præberet, eoſque conſilio iuuaret. Loquere, inquiebant, ô Pater, ſi quis in te conſolationis ſermo eſt: menteſque ingenti mœſtitia oppreſſas cohortare. Titubantem animum fulci: ne humano metu labefactatus, de ipſo ſalutis capite periclitetur, ac pietatem prodat. Ille autem eos lubenti animo ſuſcipiens, atque charitati conſentaneam hilaritatem præ ſe ferens, Nihil, inquit ô Patres, nihil inquam, mentem pietatem ſerio colere cupientem viribus antecellit. Itaque futurum confido, vt per Chriſti gratiam veſtra quoque ſententia, pietatis fundamento nixa & ſtabilita, immobilis perſtet, nec hoſtium impetu frangatur. Ob eamque cauſam vos potius oro atque obſecro, vt me conſilio veſtro iuuetis, animumque meum dolentem recreetis. Nam ipſe quoque, vt cernitis, grauiſſimo mœrore vrgeor. Defecerunt oculi mei, vt cum Scriptura loquar, propter contritionem filiæ generis mei. Video enim incontaminatam Chriſti ſponſam ab horrendo ac belli cupido dæmone, qui tantum ei bellum excitauit, acerbe & crudeliter oppugnari. Quemadmodum enim primum aduerſus primam imaginem furore percitus, verſutè hominem adduxit, vt mandatum violaret, & effectoris ſimilitudinem amitteret: ſic nunc aduerſus Chriſti & Sanctorum imaginem, non iam ſubdole ac per cuniculos, ſed aperto marte graſſatus, huiuſmodi caliginem ac tempeſtatem nobis offudit. Ac nunc, tanquam in nocturno prælio, membra inter ſe confligantur, aliaque aduerſus alia ſtant: mutuoque (ô grauem calamitatem!) noſipſos impetimus, atque in obſcuro ſauciamus. Interim peruerſus ille ſedet, ingentem ex miſeriis noſtris riſum excitans, vt qui nos Gentilium ſimul ac Iudæorum ſpectaculum effecerit, ſubſannationem & deriſum his, qui in circuitu noſtro ſunt. Ac nunc filii Sion, nos inquam, precioſi, & auro æquiparandi, reputati ſumus in vaſa teſtacea, figlinaque opera contrita. Siquidem, vt diui Prophetæ verbis vtar, caligine obtexit Dominus in ira ſua filiam Sion, proiecit è cælo in terram decus Iſrael: nec recordatus eſt ſcabelli pedum ſuorum in die iræ. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo te filia Sion? Procul enim à me receſſit, qui conſolabatur me. Ac proinde clamabo ad eum ſolum, qui percutit & ſanat: vociferabor ad eum, qui ſolus clemens & humanus eſt: ac ſublata voce dicam, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quoniam repleti ſumus deſpectione. Transfer opprobrium à nobis, & da contemptionem ſuperbis, qui aduerſus Eccleſiam tuam, ſanctaſque Imagines tuas inſolenter ex[illegible]runt, idola eas appellantes, noſque, qui eas adoramus, idolorum cultores. At tu renoua nos vt [illegible] matutinum. Amplificetur recta & vera fides tua. Ecce enim gemitus cordis noſtri multiplicati ſunt, & oculi noſtri defecerunt: quoniam deſtruxiſti maceriam hæreditatis tuæ: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit nos aper de ſylua: & ſingularis ferus nos depaſtus eſt, ille, inquam, crudeliſſimi Leonis crudelior catulus. Conuertere, Domine, & viſita vineam tuam: & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Atenim vero in lachrymas & fletus ob incumbentem & paſtoribus & ouibus impietatis caliginem, prolapſus, meipſius oblitus ſum, ac lamentationem vltra modum produxi. Sic enim mihi perſuadeo, Deum probra Eccleſiæ ſuæ illata minime neglecturum, ſed retributionem ſuperbis propediem redditurum, atq; Eccleſiam ſuam lætitiæ ſtola conueſtiturum, ac priſtinam ipſi elegantiam impoſiturum.

Multi fideles ad ſanctum Dei Stephanū confluūt vt ab eo conſolentur. — Nihil homine verè pio fortius. — *Hier. 6.* — Eccleſia Chriſti ſpōſa acerbe à dæmone oppugnatur. — *Pſalm. 43.* — *Thren. 2.* — *Hier. 9.* — *Deut. 32.* — *Pſalm. 122.* — *Pſalm. 79.* — Poſt lamentationem, prædicit Stephanus, Eccleſiæ ornatū reſtituendum.

His atque aliis huiuſmodi ſermonibus ad monachorum, qui & ipſi lachrymis madebant, cæterum vſus Ste- XVI
phanus, hæc verba inſuper adiecit. Ad has tres partes, quæ nefariæ hæreſis labem minimè contraxerunt, vt fugiatis cenſeo. Neque enim alius locus eſt, qui quidem ſub draconis huius imperio ac poteſtate ſit, qui ab eius veneno purus manſerit, quam ea quæ ad accliue Ponti Euxini ſunt, hoc eſt, Zecchiæ, & Cherſonis, & Boſphori, & Nicopſis, & Gothiæ, atque ea item quæ ad Parthenium mare ſe porrigunt: quin & quod in antiquioris Romæ decliui eſt, ac Nicopolitana & Neapolitana Metropolis, quæque ad Romanum vſque flumen protenduntur: ſed & Lyciæ prouinciæ climata, hoc eſt, ex Silæi ſinu, ac denique Cypria inſula, quæque è regione ipſius ſunt vſque ad Tyrum & Ioppem. Hæ, inquam, partes ab execrando hoc dogmate puræ permanſerunt. Antiſtites autem ipſi, hoc eſt Romæ & Antiochiæ, ac Hieroſolymorum & Alexandriæ, non modo dogma iſtud ac dogmatis authorem grauiſſimo odio proſequuntur: ſed etiam per inuectiuas epiſtolas de ipſo triumphatunt, apoſtatam eum ac Dei hoſtem vocantes, vtpote aduerſus Chriſti imaginem malè ac peſtiferè concitatum. Conſimili quoque modo ille lepida lingua præditus ac pius presbyter Iohannes, quem ille petulanti ac maledica lingua tyrannus: atque eruditione quidem anguſta, cæterum ad vituperandum copioſa & peracuta, Manſur appellabat, in multis epiſtolis eum acerrimè perſtringit, nouum Mahometum eum appellans, Chriſtique hoſtem ac ſanctorum inimicum, atque Epiſcopos qui eadem ſentiebant, σκοτεινοὺς potius, hoc eſt, tenebriones ac ventris mancipia nuncupans, vt qui ventris cauſa nihil non ſibi dicendum ac faciendum cenſerent. Atque, vt breui complectar, omnes eos, qui veſanæ ipſius ſententiæ ſubſcribebant, tanquam Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, ac velut ſynagogam Abiron, execrandos Deoque inuiſos reputabat.

Quatuor præcipui patriarchæ Iconomachorū Sectam cōdemnāt. — Item Ioannes Damaſcenus. — *Pſalm. 82.*

Hæc verba vt pius ille cœtus audiit, piumque virum velut extremum allocutus atque complexus eſt, ad ea XVII
loca, quæ cuique commodiora viſa ſunt, ſeſe contulerunt: in hoc quoque videlicet Chriſto obtemperantes, quippe qui

pe qui eos, qui perſecutionem patiuntur; ex vna vrbe in aliam profugere iubeat. Quandoquidem minime conuenit, vt ipſi noſmet vltro in pericula coniiciamus: quemadmodum contrà, reprehenſione non caremus, ſi in periculis conſtituti, animum deſpondeamus. Spectabatur itaque Byzantium velut in expugnatione quadam captiuitate oppreſſum, monaſticoque habitu priuatum, ac tanquam in ſqualorem redactum: ſublato nimirum atro colore, qui prius ad vrbis ornatum albo admixtus erat. Etenim alius ad Euxinum pontum nauigabat, alius ad Parthenium pelagus omni feſtinatione contendebat, alius Cyprum petebat, alius ad antiquiorem Romam properabat. Ac ſic variè quiſque, à ſuis monaſteriis auulſi, hoſpites & aduenæ in diuerſis locis degebant. At verò ille non minus à mente quàm à piis dogmatibus auerſus tyrannus, grauiter adhuc aduerſus venerandas Imagines ſpirans, ac velut ſuæ in huiuſmodi rebus amentiæ colophonem imponere geſtiens, inſigne illud, quod Blachernis eſt, Deiparæ templum, eximia quadam ac penè incomparabili pulchritudine præditum, & lapillis aureis in vtroque pariete arte ſumma coornatum, abraſit & immutauit, deletis videlicet omnibus Imaginum formis. Etenim eximio ac pereruditо artificio carnalis Chriſti natiuitas, & diuina ipſius miracula, & venerandorum myſteriorum traditio, ac denique per ipſius Crucem in infernum deſcenſus, & reſurrectio, picta illic erant. Quibus omnibus horrendum in modum abraſis atque deletis, ille perditionis filius arborum ſpecies, atque omnis generis auium formas eorum loco ſculpendas curauit. Ac tum ſanè quiſpiam non incommodè illud Dauidis dixiſſet, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam: Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ, hoc eſt venerandas ac ſacras martyrum reliquias: quas partim igni, partim mari, partim denique (ô facinus orbi vniuerſo damnum ferens!) præcipitiis tradiderunt.

Matth. 10.
Nemo debet vltro ſe in periculũ conиcere,
Impius Copronymus templũ Dei genitricis imaginibus denudat.
Pſalm. 78.
Item ſanctorũ reliquias.

XVIII In hoc igitur prorſus venerando templo conſceleratus Tyrannus, vna cum impio ac ſacrilego illo gregis mercenario, ac non minus execrandis epiſcopis, qui cum ipſo erant, inſidens, improbum conſeſſum cogens (ecquis enim Concilium hoc appellarit?) ſtatuas (ô rem grauem!) & idola, ſacras Imagines vocat. Ac deinde illi iniquitatem ſuam iniquitate, ac malum, vt dici ſolet, malo cumulantes, orthodoxum illum Germanum anathemati per ſummum furorem ſubiiciunt, ea ſcilicet facientes, quæ ipſi pati merebantur, idolorum eum ac lignorum cultorem appellantes, cum ipſi verè dæmonum cultores & amici eſſent. Quonam pacto, Chriſte, lenitatem illam tuam, quæ nullis verbis explicari poteſt, non admirer? Quonam pacto benignitatis tuæ, quæ vim ſermonis omnem ſuperat, abyſſum exponere queam? Adhæc porrò audaciſſimæ illæ linguæ eo proruperunt, vt ingens quoque iſtud & improbum eloqui non dubitarint, nimirum illam ipſam Dei genitricem virginem inutilem quandam poſt mortem, ac commodi omnis expertem rem eſſe, nec cuiquam omnino adiumento ac præſidio eſſe poſſe. Ac denique, quod poſtremum illorum & grauiſſimum malum eſt, ſcelerati certè ac vineæ Chriſti exitioſi ſacerdotes (de quibus Propheta prædixit, Egreſſa eſt iniquitas à ſacerdotibus Babylonis: ac rurſus: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meã) hi, inquam, inter ſanctum & prophanum minimè diſtinguentes, poſteaquam è peſtilenti illo conſeſſu exurrexerunt, populum eum, qui poſt eos à recta doctrina aberrarat, manus in altum tollere iubentes, lætum ſtrepitum excitarunt, atque horrendum illud atque omnem furorem excedens protulerunt: Hodie ſalus mundo, quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati ſumus. O prophanas linguas, quæ nefariam illam vocem emiſerunt! Quibus illud Dauidis plane quadraret, Iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Exiſtimarunt enim robuſtæ improbitatis ac nobilis impietatis homines ſe nihil magni ac præclari facturos, ſi ea loquerentur, quæ aures ferre poſſent, audaciæq; ſuæ modum aliquem conſtituerent, ac non omnium, tam qui vnquam fuerunt, quam qui vnquam erunt, maximè impios ſeſe præberent.

Definitio pſeudo ſynodi huius integra recitatur Act. 7. Concil. Nicæni 2 vbi & refutatur.
Germanus orthodoxus Antiſtes ab Iconomachis anathemate feritur.
Dan. 13.
Hier. 12.
Horrenda Iconomachorũ vox.
Pſalm. 72.

XIX. Hæc cum ita & dicta & perpetrata eſſent, ac propemodum & os omne impium iſtud dogma profeſſum fuiſſet, & manus omnis profeſſionem ſcripto confirmaſſet, Imperator huiuſce Stephani virtutem audiens, ſecumque iſtud perpendens, quod ſi hunc quoque retibus ſuis includeret, fauoremque ipſius ac præſidium ſibi adiungeret, execrando ſuo dogmati magnum ob ingentem virtutis illius claritatem atque ſplendorem robur conciliaret, Calliſtum quendam, patricii ordinis, ſumma ſecum familiaritate deuinctum, atque & ſuam hæreſim apprimè callentem, & eximia dicendi facultate præditum, ad ſe accerſit, eumque ad ſanctum virum legat, his verbis vtens: Ad Auxentianum montem contende, ac Stephano, qui illic deliteſcit, atq; ex † Immemorandorum claſſe ac numero eſt, perſuade, vt Concilii decretis aſſentiatur, & ſubſcribat. Sicque eum alloquere: Pii ac rectiſſime de religione ſentientes Imperatores, Conſtantinus & Leo, beneuolentia erga te, quia virtute ac vitæ ſanctitate delectaris, impulſi, te orthodoxi Concilii decreto nunc edito ac promulgato ſubſcribere iubent. Tu verò & caricas ipſi & palmas feres, amygdala item, aliaq; nonnulla, quibus vir colendæ pietatis ſtudio deuotus ali conſueuit. Norat enim & ipſe, quanta eſſet illius continentia, penè vt etiam de hoc virtutis genere cum ſpiritibus à materia remotis contenderet. Calliſtus itaque quam celerrime poterat, ad montem profectus, ſancto viro Imperatoris mandata exponit, eaque omnia, quæ illiciendi atque inflectendi vim habebant, in medium profert, ipſumque ad ſubſcribendum pertrahere conatur. Verum pietatis corona erat Stephanus, zeloque ac virtute Protomartyre haud inferior. Tanquam enim, qui Dominum à dextris ſuis eſſe ſemper prouideret, ac propterea nullo hæreſis impetu concuteretur, ad pernicioſum illum nuncium his verbis vſus eſt: At ego nec huic decreto ac falſi huius Concilii vaniloquio ſubſcribam, nec illud vnquam comprobabo, nec amarum dulce, ac tenebras lucem dicam: ne Prophetæ maledictionem in caput meum pertraham. Sacrarum autem Imaginum cauſa promptum mihi ac procliue eſt mortem oppetere, Imperatoris minas, qui has delere auſus eſt, nihil moranti. Hæc vbi dixit, cauam manum ſtatim oſtendens, Etiamſi mihi, inquit tantulum duntaxat ſanguinis eſſet, id tamen pro Chriſti imagine profundere minime dubitarem. Quos verò ab eo ad me cibos attuliſti, refetas ſanè licet: quoniam vt cum diuina Scriptura loquar, bonorum eius non egeo. Oleo peccatoris non impinguetur caput meum: nec hæreticorum cibis guttur meum deliniatur.

Nititur impius tyrãnus S. Stephanũ in ſuã ſententiã attrahere
Vide Bar. ann. 762.
† Sic monachos vocare ſolitum Copronymum habes infra cap 47.
Nullis illecebris flecti poteſt S. Stephanus.
Pſalm. 15.
Eſa. 5.
Ardens in eo martyrii deſiderium.
Pſalm. 15.
Pſalm. 140

XX. Hac oratione audita Calliſtus maximo pudore ſuffuſus reuertitur, atque Imperatorem adiens, omnia ei narrat. Ille autem iræ ac furoris nube obducitur, ac ſtatim ſicarios vna cum Calliſto mittit, eiſque imperat, vt ſanctum virum à cella ſua abſtrahant, ac protinus ad inferius monaſterium deductum, illic cum ſumma cura ac vigilantia incluſum teneant, quoad arbitratu ſuo de eo conſtituerit. Sic igitur dicto citius id quod imperatum fuerat exequi contendentes, ad ſpeluncam veniunt, ac ſanguinario animo inſiliunt, oſtioque ſtatim calcibus effracto pium virum per vim foras trahunt. Ac cernere erat rem proborum oculis admiratione dignam ac memorandam. Etenim ex ingenti quadam continentia, & domiciilii humilitate atque anguſtia, tibiæ ipſius ita femoribus adhæſerant, vt nec vllo modo ſtare, nec moueri poſſet. Quod cum amentes homines perſpexiſſent, ſumma admiratione perfuſi ſunt, atque ex ſæuitia & feritate animos ad commiſerationem inflexerunt. Ac duo quidam ex ipſis (ſunt enim etiam inter malos ac flagitioſos homines ſemimali quidam, atque eiuſmodi, vt eorum improbitati remedium afferri poſſit) concepta ex tanta ſancti viri ærumna commiſeratione, conſertis manibus acceptum eum ſufferebant. Mox autem ad Patris Auxentii

Admiranda S. Stephani auſteritas.

milis) ac deinde per cubicularium quendam hæc ei ſignificabat: Parce tibi ipſi mulier, animumque induc honeſtè viuere, atque abiecto hoc tenebrarum, indumento cum Imperatrice vitam degere. Cæterum craſtino die, cum interrogaberis, fac coram omnibus vera dicas. Præſto enim eſt ancilla tua, quæ, etiamſi ea quæ perpetrata ſunt inficiari volueris, te conuincet. Ego autem veritatis patronus ac propugnator, membratim ac fruſtratim carnes tuas lacerabo, faciamque vt intelligas, quantum Imperator, qui te hæc monet, valeat, quantum rurſus Immemorandorum antiſtes Stephanus. Sin autem hoc tibi perſuaderi ſinas, vt nomen eius apertè deferas, ipſiuſque voluptates ac libidines palam prodas, maximos à nobis honores ac munera conſequeris. Hæc vt pia Anna audiuit, nihil aliud quam meras nugas hæc omnia eſſe ducens, breue reſponſum dedit, hoc vnum inquiens, Dei voluntas fiat. Ac Imperator, cum ingentem hominum cœtum ante palatii carcerem poſtridiè mane collegiſſet, vt qui ſe ipſi quod volebat perſuaſurum eſſe confideret, nudam eam in omnium conſpectu ſiſti iubet, virgarumque falce in ipſius oculis & adſpectu poſito, Hæc, inquit, non ad ſpectaculum duntaxat, incutiendumque tibi terrorem adhibui: ſed & tergum tuum & ventrem iis conſcindam, niſi execrandus Stephani concubitus hodierno die in apertum proferas. Ad quæ cum caſta illa mulier, animique magnitudine præſtans, ad Chriſti exemplum obticuiſſet, Tyrannus oculos in eam iracundè coniiciens, ac meretricem eam, quæ pudicitiæ amore tenebatur, ſceleſto ore appellans, flagris eam crudeliter affici iubet. Cum itaque ipſa à quatuor valentiſſimis hominibus diſtenta fuiſſet, ac perdiu & tergo & ventre tunderetur, nihil aliud ex ipſa audiri poterat, quam hoc ſolum, Non noui hominem, quemadmodum ipſe ais, non noui: Domine miſerere. At verò verſipellis illa ancilla, atque animo etiam adhuc magis ſeruili ac ſceleſto, Imperatoris iuſſu in ipſius conſpectu ſtans, manus aduerſus eam protendebat, ac ne conſpuere quidem ipſam verebatur. Cumque nonnulli ipſius calamitate ſeſe commoueri fingerent, atque in aurem inſuſurrantes, ipſam admonerent, vt ea, quæ Imperatoris voluntati conſentanea eſſent, diceret, atque ad hunc modum cruciatibus eximeretur, ipſa in priſtina animi fortitudine ac tolerantia perſtans, à vero minimè deſciſcebat. Vt autem eam verberum multitudine confectam, ac penè ſpiritum exhalantem Tyrannus vidit, ſubſellio exurgens, celeri curſu in palatium ſe abdidit, eam in vno quodam vrbis monaſterio includi iubens, & quidem ita, vt omni corporis cura deſtitueretur. Ipſe autem varios ac multiplices inſidiarum modos, animo verſare non deſinebat, quo ſanctum virum morte afficeret.

Anna tetertimo carceri includitur.

Virgis acerrime cæditur.

Verſipellis eius ancilla in eam conſpuit.

XXVI. QVOCIRCA poſtridiè, cum Georgium quendam cognomento Synceletum, nitidum ac vigentem iuuenem, ipſique chariſſimum, acciuiſſet, priuatim eum ita alloquitur: Quantam, ô Georgi, tui erga me amoris vim eſſe ais? Infinitam, inquit ille, Imperator, nec in menſuram vllam cadentem. Tum Imperator: Audeaſne igitur pro hac tua erga me beneuolentia mortem oppetere? Et quidem libenter, inquit ille, ac ſumma cum animi voluptate iſtud fecerim. Hic Imperator lætiſſimo animo ipſum oſculatus, En, inquit, nouum quoque Iſaac. Ac deinde, Nec vt mea cauſa mortem ſubeas, Georgi, nec vt membrum aliquod tibi adimi ſinas, nec denique vt quicquam aliud eiuſmodi ſuſtineas, nunc iubeo: verum hoc vnum, vt ad Auxentianum montem properè te conferas, cumque omni memoria indigno Stephano agas, eique perſuadeas, vt tibi monaſticum habitum imponat, ac te in ſuorum album adſcribat. Quod cum contigerit, ſtatim ad nos quam celerrimè poteris, redeas. Ille autem hunc ſermonem prompto ac lubenti animo excipiens, atque ad hanc fraudem obeundam ab eo (vt erat in huiuſmodi rebus ingenioſiſſimus) plurimis verbis inſtructus & eruditus, confeſtim ad montem aſcendit, ac ſub nemoroſo quodam ac virgultis pleno loco deliteſcens, media nocte, dæmonibus non abſimilis, egreditur, atque ad monaſterium accedens, voces ad miſericordiam ciendam comparatas emittebat: Miſeremini mei, inquiens, miſeremini, Chriſtiani omnes qui hic habitatis: nec me à feris abripi, aut in præcipitium vel voraginem ruere ſinite. Oberraui enim in via, nec quid faciam habeo. Hæc & alia quædam cum ſimulatiſſimo animo quereretur, Stephanus, vir humanus, & ad miſericordiam propenſus, exaudiens, Marinum monachum accerſit (rei enim commentitiæ ſimplex illa ac fuci & malitiæ expers anima fidem adhibebat) atque, Abi propere, inquit, ac lugentem iſtum, quicunque tandem ille ſit, huc admitte, ne pereat. Ille igitur confeſtim admiſſus, ad ipſius genua ſe abiicit, atque, ô Deus bone, quanta cum ſimulationis larua impurus ille & execrandus vſitatum illud, Benedic Pater ſummè venerande, pronunciauit! Poſteaquam autem ſanctus vir ipſi benè precatus eſt, ipſumque exurgere iuſſit; tum ab indumentis, tum à facie ac genis prorſus abraſis eum agnouit. Siquidem eraſo mento erat. Nam id omnibus tyrannus edixerat, in hoc nimirum Deo aduerſam legem ſanciens, ad Moſem videlicet dicenti, Loquere ad populum, ac prohibe ne barbam in rotundum radat, aut eam impexam gerat. Etenim vt in aliis omnibus rebus, ſic in hac quoque ipſi aduerſari contendebat. Atque omnibus tam iuuenibus quam ſenibus barbam ad cutim vſque radere præceperat: vt qui eos, tanquam ſalaces equos, ad benè ſemper curandam cutim, atque ad laſciuiæ ſtudium extimularet. Cum igitur hinc eum ex Imperatoris claſſe eſſe conieciſſet, percunctabatur ex eo, vndenam eſſet, & quo pergeret. Ille autem (ac vide quæſo hominis malitiam) quin ex aulicorum numero eſſet, minimè inficias ibat: cæterum, inquit, dum flagitioſiſſimi Imperatoris ſententiam; & ego & ſocii mei ſequimur, penè in Iudaiſmum præcipites abrepti ſumus, atque in ingens animæ periculum iam incidimus. Ego vero quo in malo verſarer, tandem aliquando perſentiſcens, ad tuæ ſanctitatis pedes, vt vides, properanter veni, vt angelicum hunc habitum, cuius deſiderio teneor, à te obtineam. Quocirca ne me quæſo abiicias, honorande Pater, nec tametſi indignum, à præclara hac ſpelunca remoueas. Tum ille nomini ſuo reſpondens Stephanus, Nequeo, inquit, fili, huiuſmodi rem aggredi: ne quid mihi periculi à Tyranno creetur. Ille autem ſtatim figmentum ſuum ac ſimulationem adaugens, atque id omni ſtudio contendens, vt fabulam eam, quam agebat, quoad eius fieri poſſet, ab omni ſuſpicione vindicaret, ac præterea quo ſanctum virum ad id quod expetebat alliceret, Rationem, inquit, Deo pro anima mea reddes, niſi me hodierno die ſine vlla cunctatione detonſum in monachorum ordinem adſcribas. Nihil enim mihi alioqui ſupereſt, quam vt ſtatim ad prioris vitæ inſtitutum reuertar. At venerandus ille vir hoc ſermone commotus (Norat enim omnia pro nihilo ducere, cum de animæ ſalute agi exiſtimaret) Etiamſi periculum in hac re ſitum eſt, inquit, tamen quia te ſincero animi affectu acceſſiſſe dixiſti, non committam, vt contra Dominicum præceptum te foras eiiciam. Cæterum attento animo ſis oportet, pectuſque tuum aduerſus omnem ærumnam præmunias. Sic enim ſuos Dominus explorare ſolet. Hoc ſermone habito, mundanam veſtem ipſi detrahit, atque obedientiæ veſtimento eum induit: Atque ita impoſtor ille ad tertium vſque diem perſtitit, non tam decipiens, quam ipſemet à dæmone, qui eum ad huiuſmodi facinus abripuerat, deceptus.

Ecce quid doli molitur latro ille Copronymus, vt ſanctum virum morte afficiat.

Ecce columbinam Stephani innocentiam, & miſericordē animum.

Cōſtātinus aulicos oēs imberbes eſſe voluit.

Leuit. 19.

Georgius aulicus, doloſe habitū monaſticū à viro Dei expoſtulat.

Ioan. 6.

In ſui perditionem impoſtor ille à Stephano recipitur.

XXVII. NEC verò ſubdolum Tyrannum hoc fugit: verum interim dum hæc peragebantur, ingentem hominum multitudinem in theatro colligens, ac gradus eos, in quibus purpuratorum corona ſtare conſueuerat, inſcendens, mœroreque profligati ac perditi hominis laruam induens; Nulla mihi vitæ reliqua pars eſt, inquit, præ

Cōſtantini iniquiſſima diſsimulatio.

Conſtantinus Copronymus vatis famam affectat.

Prou. 2.

veteratoria Deo inuiſi Immemorandorum horum agminis nequitia. Cum autem populus ad iſtud exclamaſſet. Quonam modo hæc, cùm huiuſce habitus ne veſtigium quidem vllum in tua vrbe ſuperſit? ille editiore voce, Inſidias eorum, inquit, nullo pacto ferre queo. Omnes enim meos ſubdolo animo circumuentos ad ſe pertraxerunt, atque adamatis ſuis tenebris mancipatunt. Nunc autem, tanquam ne nunc quidem iis, quæ perpetrarunt contenti, grauiora prioribus adiecerunt, ac Georgium eum, quem, vt ſcitis, amore complectebar, à latere meo abreptum auulſumque, monachum (ô terra, & Sol!) effecerunt. Hæc me intolerando quodam mœrore excruciant. Cæterum cura noſtra in Dominum coniicienda eſt, nobiſque ad eum preces adhibendæ: atque ille breui, quod expetimus, in apertum proferet. Ad hunc modum præſtigiator ille ac vanus, quod, pro eo atque impetârat, ac veteratorio animo molitus fuerat, iam iamque euenturum erat, ante prædixit, vt vatis famam conſequeretur, qui denſiſſimis tenebris ac ſcelere plenus erat. Cum autem ii qui aderant, quique nihil ad veritatem, ſed ad gratiam omnia ſua tum facta tum dicta referebant, tritum illud ac peruulgatum dixiſſent, Cor regis in manu Dei eſt, &, Orante te, Deus omnino exaudiet: concionem ſoluerunt.

Prou. 11.
Sap. 1.
Redit antedictum monachi ſimulacrum ad Imperatorẽ.

XXVI Porro admirandus Stephanus execrandum illum, ac mali malum diſcipulum, poſt tertium diem acceſſit, pluriniſque præceptis inſtructum detondet, ac monaſtico habitu adornat, atque, vt Salomonis verbis vtar, inaurem auream nari porcinæ impenit. Ille autem nihil diuina illa præcepta moratus) qui enim, cum in malenolam animam ſapientia intrare profecto nequeat?) montem, tanquam ignauus quiſpiam ac fugax miles, relinquens, ad aulam abiit. Imperator verò lubenter eum excipit, ac læto animo amplectitur, non ob ſanctum habitum, vt oportebat, ſed ob id potius, quod eum abieciſſet, hincque ipſe iuſti viri de medio tollendi anſam nactus eſſet. Confeſtim igitur omnibus cuiuſuis ætatis hominibus ad publicum theatrum ſub matutinum tempus ipſius iuſſu coactis, ſtans ille eodem quo prius loco, alta quadam voce, ac mira lætitia perfuſo animo, Vicit, inquit, fortuna mea: preceſque meas Dominus exaudiuit. Papæ, cuius hominis? Imo verò earum potius princeps tenebrarum auditor extitit. Cum autem multitudo pro ſuo more ipſi applauſiſſet, atque iſta ad gratiam & obſequium comparata rurſus dixiſſet, Quando autem, ô here, te Dominus non exaudiuit? ipſe hoc ſermone delectatus, ac iucunde arridens, Reuelauit, inquit, mihi Deus quem quærebam: quem ſi vultis, hodierno die vobis commonſtrabo. Ac ſimul ſpectandum eum produxit. Promiſcua itaque illa multitudo, ſimulatque ipſum conſpexit, quo tempori magis adhuc obſequeretur, Hunc, inquit, male de te meritum, malum ac nefas eſt intueri. Obtruncetur ergo quamprimum execrandus iſte, obtruncetur. Quæ cum dicerent, id quidem dicebant, quod illum pati oportebat: cæterum ab Imperatoris mente ac ſententia prorſus aberrabant. Quocirca ſtatim, tyranno ita iubente, ſacram ipſi epomidem detrahunt, eamque ad populum vna cum cucullo (nam ita appellari conſueuit) abiiciunt: quæ extemplo ab impuris illis ac ſceleratis conculcata ſunt. Vt autem Cruciferum quoque analabum, hoc eſt redimiculum, vt etiam ipſum deiicerent, nefario illi demere cœperunt, manibus acceptum illum Imperator vndique contorquebat, quidnam iſtud eſſet, ſciſcitans. Tum Senator quidam, vt nomine, ita etiam re Dracontius, Proiiciatur, inquit, Imperator, hic quoque Satanici laquei funis, dignus ipſe proculdubio eiuſmodi laqueo. Quod etiam cum illico factum fuiſſet, is quoque à plebe protrinus cernebatur. Et quidem res præclaræ indigno homini recte detrahebantur: at non item rectè à ſceleſta ac ſacrilega multitudine per contumeliam obterebantur. Poſt autem, quatuor homines prono corpore arreptus prophani illius veſtibus, tanquam pelle aliqua ipſum ſtatim exuunt, atque eius loco militarem veſtem imponunt, caputque ipſius galea cingunt. Cumque eum prius inſpectante turba vndis eluiſſent (ad expiandam ſcilicet ſpurcitiem eam, quam ex ſacro illo habitu contraxerat) ac Iudam in modum (quid enim aliud dicam?) ipſi quoque res diuinas & ſacras ludibrio habuiſſent (ô quonam pacto hæc vel aures duntaxat ferent!) tum denique ſuiſmet manibus Imperator enſe ipſius humeris appenſo, eum Hippocomi dignitate ornat. Atque hanc Georgius abnegati magiſtri mercedem tulit, quemadmodum Iudas pro negato Chriſto triginta talenta.

Pſeudomonachus ille populo cõſpiciendus exhibetur.

Eccleſiaſticis indumẽtis indigniſsime proteruntur.

Imperator ſceleſtum illũ Hippocomi dignitate ornat.

Matth. 26.

S. Stephanus inhumaniſſimè ab impiis tractatur.

Iohan. 18.

Gaudet impius Imperator cũ male fecerit, & exultat in rebus peſſimis

Hæreſiarchæ iconomachi.

Patriarcha Iconomachorũ diſputationẽ cũ S. Stephano detrectat.

XXVIII Confestim itaque multitudo impetu facto ſancti viri diſcipulos diſturbat, ac monaſterium vna cum templo igni abſumit, ſanctumque virum illum latronum inſtar è ſpelunca abreptum ad Chalcedonis nauale abducit. Quænam autem lingua calamitates eas, quas in tam longo itinere perferendas habuit, oratione complecti queat? Alii cum magno impetu trahebant: alii fuſtibus à tergo feriebant: alii in vallem eum deuoluebant: alii tibias ipſius calcibus laniabant. Erant etiam qui in venerandam ipſius faciem ſpuerent. Erant item qui teneriores virgas amputantes, ſacrum ipſius caput verberarent: quo nimirum hac ratione plauſum ac riſum & voluptatem impuris hominibus excitarent. Alii deniq; petulantiori animo præditi, cæſis palmarum ramis ante ipſum incedebant, cachinnantes, & illudentes, ac ſexcenta in eum dicteria iacientes. Quidnam porrò hæc ab impio Iudæorum furore diſtabant? Vt autem nullo in eum contumeliarum genere prætermiſſo ad litus peruenerunt, tum demum lembo impoſitum ad Philippici monaſterium (id autem Chryſopoli haud longè à Byzantio ſitum eſt) fortem virum abducunt. Vbi etiam illum cuſtodientes, de ipſius ſtatu Imperatorem certiorem faciunt. Quem, vbi atrocem illam huiuſce viri raptationem & contumelias, incenſumque monaſterium audiiſſet, lætitiam inde concepiſſe aiunt, atque edictum ſtatim promulgaſſe, quo capitalem pœnam in eum ſanciebat, qui ad Auxentianum collem vel ſolum appropinquare auſus fuiſſet. Poſtea autem, cum hæreſiarchas illos, qui eandem cum eo doctrinam tenebantur, acciuiſſet (erant autem illi Theodoſius Epheſi Epiſcopus, Conſtantinus Nicomediæ, Nacolius Nacoliæ, Siſinnius item ac Baſilius, quorum alter Paſtillæ, alter Tricacabi cognomentum habebat, ac præterea Calliſtus, de quo ante verba fecimus, & Comboconon, qui in ſcribarum numero tum erat, ac denique Maſaras, qui eadem cum Saracenis de religione ſentiebat) ad Patriarcham, qui cum non modo nomen idem, ſed etiam eoſdem mores, ac doctrinam eandem habebat, eos mittit. Hac autem de cauſa id faciebat, vt vna cum ipſis ad Philippici monaſterium nauigaret, atque cum diuinitus inſpirato Stephano diſputationem iniret. At ille, quæ Stephani, tum doctrina, tum ſanctitas eſſet, minime ignorans, quodque præ eo ne prope quidem, vt dici ſolet, iacularetur, diſputationem recuſauit, eam potius ipſis, ſi poſſent, permittens. Inter Conſtantinum enim, inquiebat, & Stephanum, quod ad dicendi vim attinet, plurimum intereſt. Siquidem mihi ſermo duntaxat præſto eſt: illi autem vna cum ſermone diuini quoque ſpiritus potentia. Cæterum etiam atque etiam attendendum eſt. Quid enim amplius vos ab eo audituti eſtis?

XXIX Illi verò aſſumpto falſi illius concilii decreto, hoc eſt ficulneo, vt vulgo dicitur, auxilio, ad prædictum monaſterium veniunt: atque in balnei gradibus manentes, ſanctum virum accerſunt, ſuæ nempe dignitati potius conuenire cenſentes, vt ille ad ſe accederet, quam vt ipſi ad eum ſeſe conferrent. Quoniam autem, tum ob eas, quas ſuperius diximus cauſas, tum etiam quia ferreis catenis adſtrictus erat, pedibus ſuis ingredi non poterat,

rerat, duobus viris innixus ad eos proficiſcitur. Primus itaque Theodoſius Epheſinus Epiſcopus ad hunc modum eum alloquitur: Quonam tandem modo, ô homo Dei, animum induxiſti nos omnes in hæreticorum numero reponere? teque ſupra Imperatores, ſupra Patriarchas, ſupra Epiſcopos ac cæteros Chriſtianos, ſapere iudicaſti? An nos omnes id molimur, vt noſtrarum ipſimet animarum iacturam faciamus? At iuſtus vir leni ac placida voce, Aduerte, inquit, quid de Elia Propheta Scriptura prodiderit, nimirum quemadmodum ad Achab dixerit, Non conturbo, inquit, ſed tu & domus patris tui. Neque enim ego nunc ſum qui conturbo: verum ii, qui contempta veterum Patrum traditione nouum quoddam dogma in Eccleſiam inuexerunt. Nam ſi quicquid antiquitate præſtat, veneratione dignum eſt, vt quidam vir ſapiens dixit, recentia vtique hæc atque adſcititia vehementer abſurda atque imbecilla ſunt. vt quæ per picuè adulterini Eccleſiæ Catholicæ fœtus ſint. Ac proinde non intempeſtiuè propheticum illud mihi dicere in mentem venit, Reges terræ & principes vna cum mercenariis paſtoribus, ac gregis proditoribus, conuenerunt in vnum, atque aduerſus Chriſti adminiſtrationem inania meditati ſunt. Hæc cum ad hunc modum Stephanus protuliſſet, Conſtantinus Nicomedienſis Epiſcopus, vt erat truculentia & impudentia ſingulari, ſtatim è ſubſellio ſuo exiliit, atque nil à calcitronibus aſinis diuerſum faciens, aduerſus ſanctum virum impetum fecit, eique humi ſedenti calces in faciem incuſſit. Ac prætera vnus ex ſæuis ſatellitibus imum ipſius ventrem calcibus impetens, reſupinum in terram proſtrauit. Ac deinde continenter ipſius pectus pede feriebat. At diuinus Stephanus, Dominico præcepto obtemperans: ſeipſum ei ad libidinem feriendum prompto animo præbebat. Hæc porro Calliſto Senatori minimè æqua atque honeſta viſa ſunt. Ob eamque cauſam, cum prophano illi Conſtantino ſilentium indixiſſet, ad Stephanum his verbis vſus eſt: Duabus tibi propoſitis conditionibus, nempe vt vel pareas, ac concilii libello ſubſcribas, vel mortem ſubeas, vt qui Patrum ac diuinitus eruditorum Imperatorum legem repudies atque proſcribas, vtram è duabus malis confeſtim elige. Rurſus ergo ille diuinitus afflatus Stephanus, attento ad verba mea animo eſto inquit, domine Patrici. En enim cum magno Paulo ipſe quoque clamo, Mihi viuere Chriſtus eſt, & pro veneranda ipſius imagine mori, lucrum. Quocirca & ſemel iam dixi, & rurſus dicam, Si hemina mihi ſanguinis eſt, ea quoq; pro Chriſto fundatur. Cæterum facite, vt mihi concilii veſtri decretum recitetur, quo intelligam, quibus tandem rationibus adducti, diruendas ac delendas diuinas Imagines cenſuiſtis.

Theodoſii Epiſcopi Epheſini ad Stephanũ oratio.

3. Reg. 18.

Baſil. Homil. 1 de Ieiun.

Pſal. 2.

Impudens facinus Nicomedienſis Epiſcopi.

Patientia S. Stephani.

Philip. 1.

Eligit Sanctus Dei potius mori quã iniquæ ſententiæ ſubſcribere.

XXX. PROTINVS igitur Conſtantinus Nacoliæ Epiſcopus libellum illum recitandum ſuſcepit. Cum autem initio ſic legiſſet, Decreta ſancti & œcumenici ſeptimi concilij; ſanctus vir ſilentio manu ſignificato, O ſingulare mendacium, inquit. Infirmo etenim ac caduco fundamento caducum quoque profecto & imbecillum ædificium repoſuiſtis. Quonam enim modo ſanctum exiſtimari queat, quod ſancta prophanare minime dubitauit? Quid enim? An non ſancta à vobis protrita ſunt? An non, cum in concilio veſtro ſederetis, libellus vobis à piis quibuſdam viris oblatus eſt, qui Epiſcopum quendam eo nomine deferret, quod lancem ſanctam, in qua Chriſti, ac Dei genitricis Imagines ſculptæ erant, contriuiſſet? Vos autem contritionis illius crimen Imaginibus adſcribentes, ipſum quidem omni crimine ſoluiſtis, pios autem viros ab Eccleſiæ cœtu proſcripſiſtis, idolorum vindices eos appellantes. Quo quid audacius flagitioſiuſque fingi poſſit? An non etiam ſacram ſupellectilem ſanctis Imaginibus exornatam concerpſiſtis? An non adiectiuum hunc, Sanctus, ab omnibus iuſtis, ab omnibus Apoſtolis, à Prophetis, à Martyribus, piſque viris abieciſtis? Sancitum enim à vobis eſt, ô generoſi viri, vt cum quiſpiam ad horum aliquem abiret, ex eoque quæreretur quo iret, reſponderet, Ad Apoſtolos, ad quadraginta Martyres: ſi vnde veniret, itidem reſponderet, Ex templo martyris Theodori, ex templo martyris Georgii. An non hæ veſtræ doctrinæ ſunt? Quonam ergo pacto, qui ſancta proſcripſiſtis, ſanctum concilium coëgiſtis? O ſingularem abſurditatem! Iam qui œcumenicum iſtud concilium vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes, citra cuius authoritatem nullo modo fieri poteſt, vt res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec denique Hieroſolymitanus? Vbinam eorum libelli ſunt? aut quinam per diuerſa loca miſſi ſunt, quibus falſum veſtrum concilium confirmaretur, vt hac ratione œcumenicum cenſeri poſſit? Tum autem quonam modo ſeptimum dicatur, quod ſex priora concilia minime ſequitur? Quicquid enim ſeptimum eſt, ſextum & quintum, eaque quæ antecedunt, ſequatur neceſſe eſt, vt ſeptimum eſſe queat. Cum igitur vos ſex conciliorum ſanctiones abrogaueritis, quid eſt quamobrem concilium veſtrum ſeptimum appelletis? Ad quæ cum Triccacabus dixiſſet, Et quodnam tandem è ſex illis conciliis decretum à nobis abrogatum eſt: Quid? inquit vir ſanctus, an nõ ſex omnia concilia in ſacroſanctis templis coacta ſunt, primum nimirum in Niceæ metropoli, atque ampliſſimo vrbis illius templo: ſecundum, apud Conſtantinopolim in ſanctæ Pacis templo: tertium in pulcherrimo illo Theologi templo, quod in Epheſina metropoli ſitum eſt. quartum in ſanctiſſima metropolitanæ noſtræ Chalcedonis æde: quintum autem ac ſextum Conſtantinopoli ſurſum, alterum nempe in Auguſtiſſimo Sophiæ templo, alterum autem in palatii æde, quam Oatum vulgo appellant? Quid igitur? an non in omnibus hiſce templis Imagines pictæ erant? Quodnam autem ex prædictis Conciliis, quemadmodum veſtrum, deiiciendas eas ac delendas eſſe cenſuit? Reſponde ad hoc Epiſcope. Cum autem ipſe rem ita ſe habere dixiſſet, ſublatis in cælum oculis ac manibus, grauique gemitu imo pectore emiſſo, vir ſanctus alta voce exclamauit: Si quis Dominum Ieſum Chriſtum in Imagine, quantum ad humanitatem attinet, circumſcriptum, non adorat, anathema ſit, cum iiſque partem habeat, qui dixerunt, Tolle, tolle, crucifige eum. At illi ob præclaram hanc ipſius in dicendo fiduciam ſtupore defixi, cum beata illa lingua adhuc loqui, ac veritatis hoſtes fortiter inſectari pararet, firmiſſima verborum tela, tanquam ſagittas in manu potentis, illi mentientes, ſtatim eum quidem in cuſtodiam coniici præcipiunt, ipſi autem obiectis præ pudore vultibus ad aulam abierunt.

Nõ patitur vir Dei iniquorum conuenticulũ ſanctum concilium vocari.

Iconomachi pios vi. roſ in Chriſto defunctos ſanctos dici nolunt.

Ecce authoritatem Romani Pontificis.

Item aliorum triũ Patriarcharum.

Concilia in ſanctis templis celebrãda ſunt.

παῤῥησία Stephani.

Iohan. 19.

Pſalm. 126.

XXXI PERCVNCTANTI igitur Imperatore quidnam ipſi perfeciſſent, atque Epiſcopis cladem ſuam occultare conantibus, Victi ſumus, ait Calliſtus, ô Imperator, victi ſumus. Magnus in doctrina vir ille eſt, magnus in diſputando. Incomparabilis ipſius virtus eſt & animus intrepidus. Non modo minus ſuperior eſt: ſed ipſam quoque mortem contemnit. Imperator autem ob hæc ita percitus, Stephanum ad Helleſponti partes. hoc eſt ad Proconneſum exilii cauſa mittit. Vbi ille ſeptem & decem integros dies in illius loci monaſterio ita conſumpſit, vt nihil prorſus cibi attingeret: tametſi alioqui Imperator plurima ad eum alimenta mitteret. Nam ea ille rurſus remittebat, nullum prorſus ex iis deguſtans. Per hos autem dies grauiſſimo morbo correptus huiuſce monaſterij præfectus, quantum quidem ad medicos attinebat, vitæ ſpem omnem abiecerat. Mittit itaque ad ſanctum virum, eumque, vt ad ſe veniat, rogat: Quo, inquit, alter alteri extremam ſalutem dicamus. Incertum eſt enim, an nona hora apud viuos adhuc futurus ſim. Quod vt ille audiit, ſtatim ad eum acceſſit. Ac deinde, cum manu collum eius tenuiſſet, labia quidem ipſe precationis cauſa mouebat, febris autem, quæ morbum pepererat, à corpore profugiebat. Quid poſtea? Poculum ſuum vino mero impletum ei bibendum

Mittitur exilii cauſa ad Helleſponti partes.

Morti proximũ priſtinæ ſanitati reſtituit S. Stephanus.

bibendum porrigit. Quod cum exhauſiſſet, ſtatim plurimus ſudor ex ipſo manauit, ac dicto citius ſanitati reſtitutus eſt. Cum igitur ei non tam extremum, quam iucundum oſculum præbuiſſet, illinc excedens, protectionem ſuam, vt cum Propheta loquar, in mari ſtatuit, atque in eam nauem, quæ parata erat, aſcendens, exulatum profectus eſt. Cumque deſertiſſima quæque inſulæ loca peragraſſet, in ſpeluncam admiratione dignam incidit (Ciſſudam eam incolæ nuncupabant) in qua Chriſti auiæ Annæ templum erat. Hac re igitur oblectatus, atque huiuſmodi locum non ſine numine diuino ſeſe inueniſſe ratus, domicilium in eo ſibi conſtituit, herbarum, quæ illic enaſcebantur, radices luculentæ cuiuſdam & opiparæ menſæ inſtar habens.

Templum ſanctæ Annæ.

AT vero omnes ipſius diſcipuli ab Auxentiano monte depulſi, tanquam oues vndique oberrabant, paſtorem ſuum quærentes. Tandem autem eum, cum in Proconneſum veniſſent, inuenerunt, duobus duntaxat exceptis, qui à præclariſſimo illo ouili, vt à diuino duodenario Iudas, vel potius vt à Paulo Demas & Hermogenes, ſeſe auulſerant, ac pro monaſtico habitu mundanum induerant, nimirum Sergio, de quo ante verba fecimus, (qui etiam inuectiuum atque execrandum aduerſus ſanctum virum volumen condidit) ac ter miſero Stephano, qui cum Presbyter, ac ſupradicti Calliſti miniſter primum extitiſſet, ac deinde à ſancto viro in monachorum album adſcriptus fuiſſet, atque in montis monaſterio ſacerdotis munus obiiſſet, poſtea tamen & monaſticum habitum, & Deum eiurauit, atque ab ipſomet tyranno mundana veſte indutus (quem prius vitam abiicere oportebat) nefariam illam vocem emiſit, (ô ſcelerata labia! ô impuram & fœtidam linguam!) Hodierno die, Here, à Satanicis faucibus opera tua ereptus, ac tenebroſo amictu exutus, ſplendidum pallium indui. Cuius execrando ſermone tyrannus ſummopere delectatus, Sophiani palatii miniſtrum eum conſtituit. Quo etiam crebrò commeans, gaudii patrem eum, qui multis luctibus dignus erat, appellabat. His itaque ſolis ab ouili ſacroſancto auulſis, cæteri omnes ad Proconneſum, vt à me dictum eſt, appulſi, monaſterium conſtruxerunt. XXXII.

Marc. 14.
2. Tim. 4.
Nefaria apoſtatæ vox

Quin à philoſophica iſta vitæ degendæ ratione ne diuini quidem Stephani mater abfuit: verum vna cum ſorore inſulam illam adiens, contubernium ipſius amplexa eſt. Illic itaque diuinus Stephanus extructa columna, ac ſupra eam anguſtiſſima quadam ædicula, in ea ſeſe concluſit, annos iam nouem & quadraginta natus. Pe[illegible] d[illegible] autem ac [illegible] magnos Deo conſecratæ vitæ labores tum primum iniiſſet, ita ſeipſum aſperrimis quibuſque certaminibus dedebat: non ſecus videlicet àc ſi certamen ipſe ſecum inſtituiſſet, atque id contenderet, vt vna cum ætate labores quoque nouis incrementis cumularet. Quam etiam ob cauſam diuina quoque miraculorum gratia ipſi inſedit, atque admirabilium operum admirabilis effector extitit. Cæcus etenim quidam, iuxta illum à natiuitate cæcum, ad eum adiens, ſupplicesque eaſdem voces vna cum pari fide mittens, lucem, quam nemo non expetit, obnixe ſibi dari rogabat. Ipſe autem, vt qui modeſtè atque humiliter de ſe ſentiret, primum detrectabat. Cum verò ille ſupplex inſtaret, Si fidem (ad eum inquit) in Deum habes, ſi imaginis ipſius cultores, lucem, ac rerum ab eo admirabili modo conditarum pulchritudinem intuere. Vix hæc dixerat, cum ille apertis oculis, ac perpurgata ea, quæ ipſis offuſa erat, cæcitate, lætus ac lucem cernens ambulabat, teſtiſque omni exceptione maior miraculi à Stephano editi. Atque hoc primum & maximum in ea inſula beati viri miraculum extitit.

Mater S. Stephani cũ ſorore monaſticã inſtitutum amplectitur.
Cæcum à natiuitate illuminat.

ALTERVM autem, atque eo poſterius (quanquam haud ſcio an potentia inferius cenſeri debeat) huiuſmodi fuit. XXXIII. Fœminæ cuidam haud obſcuro loco natæ, quæ Cyzici degebat, filius erat nouennis, à malo ſpiritu diuexatus. Quo ſecum aſſumpto mater in inſulam profecta eſt. Vt autem ipſe admirandi viri cubiculum vel ſolum perſpexit, tumultuari & æſtuare, ac nunc ſublimis in altum ferri, nunc rurſus in terram allidi cœpit, inconditas quaſdam voces ad ſanctum virum emittens, dæmone nimirum, dum mouebatur, ipſum mouente, vimque ei, dum vim ipſemet pateretur, afferente. At mater, cuius viſcera, non minus quam illius, diſtorquebantur, (quid enim aliud, cum mater eſſet?) tum lachrymas internæ flammæ indices profundebat, tum voces, quibus miſericordiam moueret, emittebat: Miſereat te mei, inquiens, miſereat te eius, quæ longe grauiori mœroris dæmone conflictatur. Vnigenitus enim mihi hic eſt, atque hoc vno ſpes omnis mea nitebatur. Hunc ſenectutis bacillum mihi fore ſperabam, hunc generis ſuſcitabulum, hunc vitæ ſolatium. At nunc, quo ſtatu eſt, ſatius mihi fuerit eum extinctum quam viuum intueri: quandoquidem ipſius vita morte grauius animam meam perturbat. Ac me rurſus orbitatis aculei diſcruciant, materniſque viſceribus exuror, atque in ſumma animi perturbatione verſor. In te vero calamitatis huiuſce meæ depulſio ſita eſt. Tibi præſentem tempeſtatem precibus comprimere atque ſedare procliue eſt. Duas animas miſerare: duobus vno eodemque tempore periclitantibus facilem & exorabilem te præbe. Hæc cum amaro ac gemente animo protuliſſet, ad ſancti viri matrem (nam tum illic aderat) accedit; atque eius genua complectitur, Mater, inquiens, tu quoque extitiſti: partus dolores ſubiiſti: lacte filium aluiſti. Noſti quinam naturæ ſint ſtimuli: noſti quantus liberorum amor in matrum pectoribus inſitus ſit. Te quæſo vnigeniti mei miſereat, te, inquam, miſereat, ô verè egregiæ ſobolis parens, ac felix mulier. Hunc miſerum puerum in pœnam meam excruciatum commiſerare. Huius igitur luctibus commotus Stephanus, vni diſcipulorum imperat, vt Crucis ſignum vniuerſo pueri corpori adhibeat. Ipſe autem intra ſe collectus, atque animæ oculum attollens, eum, qui celerrimè ſalutem afferre poterat, inuocabat. Atque ipſe quidem lachrymis perfuſus precabatur: ille autem humi magno cum impetu deiectus, amiſſa voce iacebat. Ipſe ſurgere eum, atque ad ſe venire iubebat: ille iuſſis obſequebatur. Demum eum, adorata Chriſti imagine, matri ſuæ ſanum atque incolumem tradit. Atque ita cernere erat illud Dauidis impletum, Matrem nimirum ſuper filio lætantem. Ac quidem huiuſmodi fuit iſtud facinus, tamq; admirandum. Aliud autem, quod neutri e duobus vi ac facultate cedit, narraturus accedo.

Mater filiũ à malo dæmone obſeſſũ offert ſancto Dei viro curandum.
Signo Crucis & oratione curat dæmoniacũ.
Pſalm. 112.

MVLIER quædam Heracleâ, quæ Thraciæ vrbs eſt, oriunda, ſeptem iam annos ſanguineo fluxu (quemadmodum hæmorrhoiſſa illa, in qua ſananda Chriſtus quondam miraculum edidit) contabeſcens, ad eximium hunc medicum ſe contulit, morbum ſuum oſtendens, morbi diuturnitatem indicans, calamitatem ſuam lachrymis exponens, medicinam denique flagitans. XXXIV. Cuius miſeria commotus vir ad miſerationem propenſiſſimus, eam in ſanitatem aſſeruit: & quidem ita, vt ad eius curationem nil præter preces adhiberet, atque in ea tres tantum dies inſumeret. Nec vero morbo duntaxat laborantibus, aut arreptitiis medicinam gratuitam afferebat: ſed nauigantibus etiam, ac ventis aſperrimis conflictantibus prompte ſuccurrebat. Perſpicuum autem iſtud eſt ex plurimis viris, qui iam ipſius beneficio ſalutem conſecuti ſunt. Nam cum ventorum impetu mare grauiter exaſperabatur, ac fluctus vehementer intumeſcentes cernebat, ſtatim diſcipulos ad orationem vocabat, ac propheticum illud vna cum illis pſallebat, Ne in fluminibus iraſcaris, Domine, ne in fluminibus ſit furor tuus, vel in mari indignatio tua. Orabat igitur, ac ſtatim velut incantatione quadam maris feritas in tranquillitatẽ vertebatur, atque illi, qui è periculo erepti fuerant, accedentes, atque, vt fieri ſolet, ſuæ ſalutis modum exponentes, partim ſe eum flagrante periculo ſecum vna nauigantem, ac nauem ſubleuantem, partim clauum tenentem ac nauem quàm tutiſſime dirigentem vidiſſe dicebant.

Matt. 9.
Luc. 8.
Mulierem ſanat a fluxu ſanguinis.
Habac. 3.
Oratione marinos fluctus ſedat, & periclitãtes liberat.

AD hunc itaque modum diuino viro in ea inſula collucente, ſecundo exilii ſui anno egregia ipſius mater, & quam à filio quiſpiam, quemadmodum & ab ea filium, certiſſimo indicio agnoſcere potuiſſet, XXXV.

finium

*lium ſimulac mundum relinquens, ad communem Patrem conceſſit, his ante ad filiam ſuam verbis vſa: Non eſt
quod plores: nam tu quoque mecum profectura es. Nec verò plures quam ſeptem dies interceſſerant, cum Theo-
dota quoque (nam hoc filiæ nomen erat) relicto mundo ad matrem ſuam, quemadmodum ipſa prædixerat, abſceſ- Anno 765.
ſit. Eodem autem tempore miles quidam, nomine Stephanus, genere Armenius, ab Europæ partibus profectus, vide Bar.
qui dimidia ſui parte contabuerat, totuſque præ morbo humi vergebat, cum magna illa miracula, quæ à magno hoc
viro deſignabantur, intellexiſſet, ad eum perrexit, atque ad eius pedes accidens, ea poſtulare cœpit, quæ & ipſe accipe- Ad Chriſti
re ſummopere optabat, & ille facilè præbere poterat. At ille qui fide erga Dominum ac beneuolentia præditus erat, & martyris
miraculum ad ipſum transfert: cumque ei, qui ægrotabat, vt & ipſius & matris imaginem adoraret, imperaſſet, atque eius imagi-
ille id faceret, ſanum eum prorſus ac valentem reddidit. Vt igitur ad commilitones ſuos ſe recepit, quærebatur ex eo, nem debilis
quanam ratione conualuiſſet. Ille autem eam minimè reticebat: verum, Monachus quidam, dicebat, Stephanus quidam cu-
nomine, qui apud Proconneſum in anguſtiſſima quadam ædicula degit, duas me Imagines adorare iuſſit, vnam quæ ratur.
Chriſti, alteram quæ Deiparæ dicebatur: ac protinus conualui, corpuſque omnino erexi. At impii illi & conſcelera-
ti, manus non ſine magno terrore complaudentes Væ tibi, inquiunt, qui in idololatriam prorupiſti. Confeſtim ita-
que eum apud ſummum Thraciæ præfectum deferunt: qui cum de eo quæſtionem habuiſſet, nulla interpoſita mora
eum ad Imperatorem miſit. Is vero cum accuratius eum examinaſſet, an recuperatæ valetudinis modum intellexiſ- Militis ſa-
ſet, pro ea qua laborabat ſtoliditate, non intellexit: verum, quod ipſi ſummo ſtudio erat, percontabatur eum, qui nati leuitas
morbo liberatus fuerat, an in ſimulacrorum cultu perſtaret. Qui cum & ingenti promptitudine ſe abſtinere, atque huiuſmo- & perfidia.
di ſimulacra execrari dixiſſet, tyrannus, vt ei impietatis mercedem referret, centurionem eum creauit. Cæterum vin- Is miſere
dex Dei iuſtitia è veſtigio ingratum illum perſecuta eſt. Nam cum ſtatim ab aula reuerteretur, atque equum conſcen- periit.
dere pararet, ille ſubito ſaltitans in terram ipſum proſtrauit, atque contriuit, nec calcibus in eum inſilire deſtitit, quoad
ille ingratam animam euomuiſſet.

XXXVI. Tyrannus igitur, tanquam hinc arrepta anſa, ſanctum virum quamprimum è Proconneſo
ad ſe adduci iubet, illud addens, quod ne exilio quidem mulctatus, ſibi temperaſſet, quin plebem ido-
lis cultum adhibere doceret. Cum ergo illinc adductus eſſet, vt in Phialæ perquam obſcuro ergaſtulo tum S. Stepha-
vinctis ferro manibus, tum pedibus ad lignum arctiſſimè adſtrictis, includeretur, edixit. Interiectis au- nus ab exi-
tem quibuſdam diebus, ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantum primarii ordinis viris comitatus, ſan lio ad tribu
ctum virum præſto eſſe iubet. Cum autem ad eum adductus fuiſſet, à pio quodam viro nummum petiit, eumque nal Impera
cucullæ ſuæ furtim impoſuit. Tyrannus itaque, vt eum vidit, exclamare cœpit, O vim mihi illatam, ô cala- toris reduci-
mitatem, ô arrogantiam! Videte à quonam imperium meum contumelia afficiatur, à quonam ludibrio habeatur! tur.
Cum autem vir ſanctus nihil omnino reſpondiſſet, verum humi defixus hæreret, tyrannus eum iracundè proſpiciens, Præſcius fu
ignemque, vt dici ſolet, ſpirans, atque vt ipſi in more poſitum erat, manum in orbem torquens, alteque exclamans, turorũ nu-
Non mihi reſpondes, inquit, ſceleſtum caput? At ille, Si me ita leniter condemnare in animo habes, Imperator ſup- mum exigit
plicio quam celerrimè affice. Sin autem huc me idcirco adeſſe iuſſiſti, vt me interroges, ac viciſſim audires, iracun- vir Dei.
diam lenitate tempera, atque æquo animo & interroga, & audi. Tum Imperator: Dic age, quibuſnam paternis decre-
tis minime paruimus, vt apud te in hæreticorum numero cenſeamur? Quoniam, inquit ille, venerandarum Imagi-
num picturam, multis ante temporibus à diuinis Patribus traditam, ſceleratè ab Eccleſiis eieciſtis. Tyrannus autem,
Ne has, inquit, Imaginum picturas dicas (neque enim ſunt) ſed planè idolorum picturas. Quidnam porrò idolis cum Diſputatio
ſanctis commune eſt? Hic verò ſanctus ille vir, Non, inquit, cum Imagines adoramus, materiæ cultum ac veneratio- Conſtanti-
nem tribuimus: verum Imaginis honor ad exemplar tranſit, quemadmodum à Baſilio dictum eſt. Quid? inquit Ty- ni Copronymi cum ſan
rannus, æquumne eſt ea, quæ à Patribus ante prædicata ſunt, quæque & multa & perobſcura ſunt, ac neque mente com- cto Stepha-
prehendi, neque verbis vllis explicari poſſunt, per colores in ſenſum cadentes exprimere, atque in materia adorare, no.
cum eorum eſſentia nemini, niſi quantum ad infinitatem, vt Gregorii verbo vtar, attinet, explorata ſit? Minimè ve-
rò, ait vir ſanctus. Ecquis enim mortalium, qui quidem mentis compos ſit, diuinitatis naturam, quæ & materia ca-
ret, & omnem mentis captum fugit, coloribus è materia conflatis pingi poſſe dixerit? Cuius enim forma ne mente
quidem deliniari poteſt, quonam tandem modo ipſa coloribus exprimi queat? At nos, cum Chriſtum in imagine
pingimus, diuinitatis naturam haud quaquam pingimus: verum theandricam eam formam, quæ in noſtra ſpecie ap-
paruit, quamque Apoſtolicæ manus contrectarunt, quemadmodum alicubi ait Theologus, Quod vidimus, & ma-
nus noſtræ contrectauerunt. Quod ſi mihi dictum illud Moſis in medium protuleris, Non facies tibi ſimilitudinem
vllius rei, tam ex his quæ in cælo, quam ex his quæ in terra ſunt, hunc ipſum Moſem tibi oſtendo duorum Cherubim 1. Ioan. 1.
effigiem auro efficientem. Quibus de rebus ad hunc quoque modum diuinus Apoſtolus diſſerit, Et Cherubim ob- Exod. 20.
umbrantia Propitiatorium. Quin ipſum quoque Propitiatorium, & Tabernaculum teſtimonii, & Sancta ſanctorum,
an non cæleſtium figuram exprimebant? quemadmodum idem Apoſtolus rurſus ait, Vmbræ cæleſtium deſerui- Exod. 25.
mus. Quid igitur ſceleris admittimus, cum Chriſti formam humanitus adſpectam in imagine pingimus & adora- Hebr 9.
mus? Quid autem? An cum Crucem etiam, ex quacunque tandem materia confecta ſit, adoramus, rei condi-
tæ cultum adhibere videmur, adorationem materiæ tribuentes? Sed & pepla ſancta, & ſacroſancta vaſa à nobis Hebr. 8.
adorata nullam nobis reprehenſionis notam inurunt. Siquidem ea per Chriſti inuocationem in ſancta mutari per-
ſuaſum habemus. Quid? An tu quoque corporis & ſanguinis Chriſti antitypa ab Eccleſia proſcribes, vt quæ imaginem Figura &
ac veram illorum figuram teneant? quæ & adoramus, & oſculamur, & eorum perceptione ſanctitatem conſequi- imago quo
mur. Vos igitur inter ſanctum ac prophanum minimè diſtinguentes, Chriſti imaginem, non ſecus atque Apolli- modo appelletur cor
nis ſtatuam, Deiparæque item non ſecus ac Dianæ, idolum appellare minimè horruiſtis. Quin ipſam quoque pe- pus & ſan-
dibus protriuiſtis & exuſſiſtis. Ad hæc Imperator, O cæca mente prædite, inquit, ac ſupra omnes Immemoran- guis Chriſti docet
dos obliuione digne, his Imaginibus proculcatis Chriſtumne proculcauimus? Tum vero ille, verè in diuinis re- Dam. aſcen.
bus ſolers Stephanus, in morem eorum, qui bellica laude præſtant, aduerſarium ſuomet telo ferire, ac per ea i lib 4 de fide
pia quæ dixerat, profligare cupiens, manum in cucullam immittens, atque inde nummum, in quo impius ille ſcul- Orthod
ptus erat, extrahens, eumque quemadmodum Chriſtus olim Cæſaris nummum Iudæis oſtendens, Cuiuſnam, cap 14.
inquit, eſt hæc imago & ſuperſcriptio? Eo autem mirante, ac reſpondente, Cuius tandem alius, quàm Im- Matth 22.
peratorum? Quid, inquit vir diuinus, ſi quiſpiam eum contumelioſe in terram proiectum pedibus terat, pœ- Egregiè cõ
naſne aliquas luet? Quidni autem, dixerunt ii, qui adſtabant, cum Imperatoriam effigiem proculcet? Ad hæc uincit Im-
vir ſanctus, grauem quendam ex imo pectore gemitum emittens, ac magno cum animi dolore exclamans, O peratorem
immanem, inquit, cæcitatem! Si pro mortalis Imperatoris forma & effigie grauiſſimas pœnas irrogandas eſſe dixi- vir ſanctus
ſtis, quas tandem pœnas eum ſubiturum eſſe putatis, qui Filii Dei ac matris ipſius effigiem conculcarit, ignique tradere per ſimilitudinem.
minime dubitarit?

enim oratione quiſpiam illius, qui tum Aſiam cum imperio obtinebat, furorem complecti poſſit? cui Lachanodracon quidem cognomentum erat, verum ipſius fel atque iracundia draconis quoque virus amaritudine ſuperabat. Ad quem beatus Stephanus, Narra, quæſo, Pater, nihil omittens eorum, quæ tum contigerunt, verum omnia oratione proſequens. Etenim per huiuſmodi exempla, tum animi promptitudine, tum robore impleti, ad eundem zelum præparamur: ſiquidem voluntas Dei hoc tulerit, vt pro diuina ipſius imagine nos quoque certamen ſubeamus. Tum igitur Theoſterictus inchoatum ſermonem ad hunc modum proſequitur. Cum incruentum ſacrificium in monaſterio noſtro celebraretur, (erat autem veſpera ſanctæ ac magnæ quintæ feriæ, in qua Chriſtus Iudæis tradendus erat) hic draconis nomen habens, tyranni iuſſu cum magna militum manu in monaſterium impetum facit. Ac myſticum quidem ſacrum euertit, myſticis videlicet hymnis protinus ſilentio compreſſis: lectiſſimos autem monachos duodequadraginta vinculis ferreis adſtrinxit. Reliquos vero partim verberibus crudelem in modum lacerauit, partim eorum barbam pice illitam exuſſit, naribus prius amputatis. Quorum numerum ipſe quoque augeo, quemadmodum faciei meæ notæ certiſſimè teſtantur. Quibus impius ille nondum expletus, vniuerſum monaſterium poſtea inflammauit, ipſas quoque Eccleſias vna cum reliquis ædificiis concremans. Mox autem prædictos duodequadraginta Patres ad extremos Epheſi fines relegauit: vbi cum eos in veteris balnei fornice concluſiſſet, ac deinde aditum obſtruxiſſet, ad hunc modum eos è vita migrare coëgit.

Incruentũ ſacrificium Miſſa dicitur.
38. monachi pro imaginum defenſione necantur.

XLI. CVM vſque adeo triſtes tragœdiæ narrarentur, atque omnes in gemitus & lachrymas prorumperent, rogatus à Patribus Stephanus, vt ad mitigandum eorum mœrorem orationem aliquam haberet, intimo corde ingemiſcens, Gratias, inquit, Deo agere par eſt, Fratres ac Patres, gratias, inquam, ei agere de omnibus rebus, quæ præter voluntatem accidunt. Etenim gratiarum actio cum patientia coniuncta coronas nobis nectere conſueuit. Quocirca etiamſi igne, aut gladio, aut maris profundo, aut præcipitio, aut alio quodam mortis genere nos mulctent, qui impietatis ſcelere ſeſe deuinxerunt, prompto atque alacri animo cuncta perferamus. Habemus enim velut exemplar quoddam, in quod intueamur, claros illos Patres, qui ante nos extiterunt, ac per martyrium Deo vitam conſecrarunt, nimirum ſanctum illum Petrum Blachernis in vincula coniectum, qui cum ſpectante Imperatore pro Chriſti imagine neruis atrociſſime concideretur, nullum ignaui ac timidi animi ſpecimen in eo cruciatu edidit, verum acerbioribus eum verborum plagis lacerauit, Iulianum alterum & apoſtatam appellans. Atque ita in his tormentis, gratias Deo agens, animam exhalauit. Habemus item Iohannem Monagriæ Præfectum quem Tyrannus, cũ eũ nullo omnino terrore afficere potuiſſet, neque adducere, vt Chriſti matriſque ipſius imaginem pedibus protereret, ſacco incluſit, grauique ipſi ſaxo appenſo in profundum mare deiecit. Sed quis tandem eſt, qui ea omnia facinora enumerando recenſere poſſit, quæ per omnes tyranni prouincias Prætores, qui eum crudelitate ſuperabant, aduerſus ſanctos viros deſignarunt? Immo vero quis eſt, qui ſanctorum aduerſus eos contentionem, atque ad extremum vſque ſpiritum patientiam vllo ſermone referre queat? Quorum ſi nos exemplum ſequamur, beati profecto erimus, vt qui ex ſuis laboribus ampliſſimas opes nobiſipſis aggeramus. Neque enim condignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hæc & alia his plura, ad excitandos & acuendos eorum animos, qui vna cum eo vincti tenebantur, accommodata, cum dixiſſet, orationi ſuæ finem impoſuit.

Oratio S. Stephani ad ſuos cõmilitones martyres.
Petrus quidã propter imaginum cultum occiditur.
Item Ioannes Monagriæ præfectus
Rom. 8.

XLII. NON multi dies interceſſerant, cum ipſe ſuam à terra ad Deum migrationem animæ oculo proſpiciens, quadrageſimo ante mortem ſuam die præclaram illam mulierem, illam inquam hoſpitalitatis laude florentem, ac nouam Iſdandulam, atque eorum, qui in vinculis erant, miniſtram acceſſit, ad eamque his verbis vtitur: Tuæ erga me hoſpitalitatis fructum velim tibi cum fœnore Chriſtus rependat. Bellè enim mihi, atque vt ipſi gratum eſt, miniſtraſti, ac me recreaſti. Deinceps autem ad quadraginta vſque dies prorſus mecum ipſe verſari, ac memet excutere cupio. Peto igitur abs te, vt panẽ eum & aquã, quæ ad me afferre conſueueras, per hos dies ne afferas. Vt aũt eo nomine mœrentem eã vidit, atq; huiuſce rei cauſam ſcire cupientẽ. Noui, inquit, mihi vitæ finẽ imminere. Ac propterea monaſticæ exercitationis rigorẽ etiam atq; etiã intendere geſtio. Ceſſit his auditis hoſpitalis illa, ac præſtãti fide mulier. Per oẽs itaq; noctes & dies nõ deſinebat vir ſanctus Patres eos, quos carceris ſocios habebat, monere, docere, ſalutaribus præceptis erudire, atq; id efficere, vt toto penè nocturno tẽpore in canendis Dei laudibus verſarentur: adeo vt ciues etiã nõnulli, qui ſanctioris vitæ ſtudiũ colebant, vilibus pannis obuoluti clam ad eum ingrederentur, atq; ipſius benedictione atq; doctrina, nõ ſine magna animi voluptate fruerẽtur. In his igitur muneribus cũ quadraginta illi dies abſumerẽtur, ac iã octauus & tricesimus inchoaret, hoſpitalem illam mulierem rurſum accerſitam audientibus Patribus ita alloquitur: Deus qui ſe piis omnibus laborum fructus centuplicato redditurum promiſit, benigno oculo te ex alto & ſancto ſuo adſpiciat, ac pro tuo in me officio longè copioſiorem tibi mercedem referat. Ipſius enim verè diſciplina extitiſti, qui dixit, Quicquid feciſtis vni ex minimis his meis, mihi feciſtis: &, Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet: &, Qui potum dat calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam. En itaque tuæ erga me voluntatis merces expleta eſt, quam tu eiuſmodi à Deo habitura es, vt ea tibi nunquam eripi poſſit. Ac poſtea ſacris Imaginibus oſtenſis, Accipe, inquit, præclarum hoc tuum depoſitum, quod quidem tibi & in præſenti hac vita aduerſus omne malum præſidii loco ſit, & in futura tuæ erga Deum beneuolentiæ, atque orthodoxæ fidei pignus. Hæc vbi dixit, alte rurſus ex imo pectore ingemiſcens, aperte hoc extulit: Craſtina luce ex hac vita migrans, ad alium mundum atque Imperatorem proficiſcar. Ipſa igitur, cum amarum quendam & acerbum gemitum edidiſſet, extremamque ei ſalutem dixiſſet, receptaſque eas, quas vtendas dederat, Imagines linteo quodam obuoluiſſet, domum poſtea ſe recepit. At diuinitus afflatus Stephanus, conuocatis rurſum Patribus, eos in diuinis laudibus concinendis pernoctare iubebat.

Præd[…]
Matth. 19.
Matth. 25.
Sacræ Imagines aduerſus omne malum præſidii loco ſunt.

XLIII PORRÒ autem ille Deo prorſus inuiſus tyrannus, præter alia, quæ Deo odio atque execrationi erant, facinora, nè Brumaliorum quidem cæremoniam contemnebat, verum eam quoque ſplendidè ac luculenter celebrabat, vt qui Brumum quendam ac Bacchum in his Gentilium ritu colere in animum induxiſſet, eoſque vt frugum ac vini curam gerentes, atq; ad maturitatem ea perducentes, ſummis honoribus afficeret. Parabat itaq; tertiæ quoq; vxoris ſuæ Eudociæ Brumalium poſtridie iuxta quinti elementi circunductionem celebrare. Progreſſus autem, atque ad ſcholarum porticus ſedens, vna cum ſymmiſtis ſuis Satanicas quaſdam cum organis ac citharis cantiones, aduentanti feſto congruentes, addiſcebat. Hoc igitur ab impiis quibuſdam viris ad eum delatum eſt, Stephanum ex Prætorio monaſterium effeciſſe, eumque totas noctes illic in cantillandis Pſalmis traducere, ac præterea complures ciues illuc proficiſcentes, Idolorum cultum ab eo edoceri. Hæc ille vt audiit, grauiore ira inflammatus, ſtatim militi cuidam, qui in Proximi ordine adſcriptus erat, hoc imperat, vt ſanctum virum è carcere eductum extra vrbem obtruncet, illic nempe vbi prius eximiæ martyris Mauræ templum ſitum erat: poſt autẽ locus ille carnificina factus eſt, templo ſcilicet illo à tyranno funditus euerſo, & ſolo adæquato, ac Maura nuncupato. Quo etiam in loco fœdera cum dæmonibus occultè ſanciebat: tametſi non ad extremum vſque ſcelus hoc ipſius obſcurum fuerit. Prodidit enim id, quod clam ab eo perpetrabatur, Suphlamii filius, ipſis ſacrificii loco dono datus: de quo nunc conſulto ſermonem ſilentio comprimemus.

Brumalia feſta.
Anno 769. condemnatur ſanctus Stephanus capitali ſupplicio.

CVM igitur ſanctum virum morti addixiſſet, confeſtim edictum huiuſmodi per totam vrbem promulgauit: Quiſquis amicum, aut affinem, aut omnino genere coniunctum habere, eumque occultare, aut etiam pullam veſtem ferre deprehenſus fuerit, hic poſt varia tormentorum genera exilio mulctabitur. Cernere igitur erat vrbem grauiſſima calami-

Crudele Copronymi edictum.

Impius tyrannus depictiones Conciliorũ eradicari iubet. Reuocatur S. Stephanus à loco ſupplicij ad prætorium grauiori pœna afficiendus. *Pſalm. 90.*

calamitate laborantem. Neque enim inimici duntaxat inimicos apud Imperatorem facillime accuſabant, ſed etiam amici amicos, & fratres fratres, & ſerui dominos: atque, vt breui complectar, in grauiore luctu ac planctu tota vrbs verſabatur, quam cum Iulianus & Valens imperii Romani clauum tenerent. Ac verò carnifex ille, qui miſſus fuerat, ſancto viro à Prætorio aſſumpto, colloque ipſius ac manibus ligno alligatis, ad cædem properabat. Eo autem die tyrannus è Palatio progreſſus in Milii porticu ſtabat: vbi prius ſex illa œcumenica Concilia depicta erant, poſt autem crudelis Imperatoris iuſſu inducto albario opere deleta fuerant, atque eorum loco circus ille, quem amabat, ac plurimi faciebat, atque auriga is, quem in deliciis habebat, atque Vraniacum, hoc eſt cæleſtem, cum ne terra quidem dignus eſſet, appellarat, picti cernebantur. In hoc igitur loco cum ſuperbè ſtaret, omneſque eum fauſtis ominibus proſequerentur, Nulla mihi, inquit, requies eſt: ita Immemorandi iſti exitium vitæ meæ afferunt. Hic vero quidam ipſius factionis: Et vbinam tandem vllus eorum delituit, aut veſtigium vllum ipſorum in hac vrbe tua, aut in vlla alia ciuitate vel regione occultatum eſt, cum omnes funditus deleti ſint? En enim imperii quoque tui hoſtem, hoc eſt Auxentianum Stephanum abduci hodie vidi, vt quas meritus eſt, pœnas ſubeat. Tum Imperator: Et quid iucundius Stephano accidere queat, quam vt gladio vitam finiat? Verum huius deſiderii minime cõpos futurus eſt. Multo enim grauiore mortis genere mulctabitur. Nunc quippe Imperatrix non mediocriter aduerſum nos ſtomachabitur, ſi feſtum ipſius diem in cæde conficiamus. Quocirca nouus hic Herodes, atq; vxoris mancipium, reduci quamprimum eum in Prætorium iubet. Quod cum contigiſſet, rurſus cum iis Patribus qui in vinculis erant, Dauidicos Pſalmos canebat, Qui habitat in adiutorio altiſſimi, & quæ deinceps ſequuntur.

Duo præclari fratres à tyrãno miſſi ad flagellandum ſanctũ Stephanum, ei pepercerunt.

XLV. Tyrannvs autem cum veſperam totam in tibiarum & cithararum cantu tranſegiſſet, poſtridiè inſtructa ſplendidiſſima cœna, cũ iis, qui ſuæ factionis erant, epulabatur. Cumque duos quoſdã Fratres, tum dignitate claros, tũ corporis ſimul atque animi pulchritudine florentes (quos poſtea inuidiæ œſtro percitus interfecit) ſeorſum acciuiſſet, Ite ad Prætoriũ, inquit, ac meo nomine ad Auxentianum Stephanũ hæc dicite. Vides quanta tui cura afficiar, vt qui tibi ex ipſis mortis faucibus erepto vitam conceſſerim, Quocirca tandem aliquando animum inflectens, voluntati meæ obſequere. Non quidem me fugit, quin homo contumax & durus, ad contumelias potius nobis inferendas proruptu rus ſit. Vos verò, ſi ſermonum illecebris ipſius animum inflectere potueritis, rem gratã mihi feceritis, ac miniſterium iſtud veſtrum comprobabo. Sin iſtud ei perſuaderi nequeat, tamdiu eum à vobis & à fronte & à tergo verberari volo, quoad miſerè animam efflauerit. Igitur præclari illi duo fratres, poſtquam ad Prætorium venerunt, furioſam quidem illam tyranni ſententiam ſancto viro exponunt, verum nullo eum malo prorſus affecerunt. quin potius, vbi eum ſermonibus ad cohortandum accommodatis confirmaſſent, ab eoque benedictionem accepiſſent, ad reditum ſe accinxerunt. Quæ autem ad Imperatorem dixerunt, huiuſmodi fuêre. Imperator, miſerum illum in priſtina ſententia perſtantem, tuumque imperium infauſtis omnibus proſequentem offendimus. Ac proinde tot plagis eum proſcidimus, vt penè ſpiritus omnis expers iaceat, nec certum ſit, an craſtino die inter viuos futurus ſit. Qua quidem ex re cum mirificam lætitiam ferinus ille concepiſſet, atque ingentem riſum effudiſſet, luxui, quo nihil ipſi charius erat, operam dare poſtea pergebat, vt qui ventris, & eorum, quæ ventre inferiora ſunt, ſeruus eſſet.

Impius ſemper gaudet cum male fecerit.

XLVI. At vero diuiniſſimus Stephanus ſub auroram ad ſe coacto monachorum agmine, poſtremum hunc ad eos ſermonem habuit. Valete Patres ac Fratres, valete: atque in orthodoxa fide conſtantiſſime perſeuerate: ac pro mea tenuitate preces quæſo fundite. En enim iam iamque adeſt mortis meæ tẽpus, ac pro foribus iam corona eſt. Quamobrem vereor ne caliginoſa dæmonum multitudo propter ignorantiarum mearum multitudinem mihi impedimento ſit. Ob quæ cum omnes amnis cuiuſdam in modum lachrymas profunderent, tolli ſibi ſacram epomidem, ac deinde analabum cum loro iuſſit. Cum autem cucullam quoque abiicere pararet, ne id faceret, Patres prohibebant, negantes conuenire vt ſine precioſo hoc indumenti genere dierum ſuorum finem videret. Ad quos diuinitus afflatus ille vir, Athletam, inquit, nudum luctari decet. Ac præterea ne æquum quidem eſt precioſam hanc rem à furente populo contumelia affici, ac prophanis pedibus proculcari. Hæc cum locutus eſſet, omnes ei morem geſſerunt. Itaque cucullam quoque exuit, ac cum pelliceo duntaxat pallio vna cum monachis ſedebat, de his rebus, quæ ad ſalutem pertinebant, ſermonem ad eos habens. Verumenimuerò fieri omnino non poterat, vt quæ in carcere acta fuerant, & quo pacto duo illi pii fratres admodum benignè atque indulgenter cum diuino Stephano egiſſent, tyrannus ignoraret. Quare cum de his omnibus à dæmone aliquo, vt vero conſentaneum eſt, certior factus fuiſſet, hora diei ſecunda è ſomno experrectus, leoninum quiddam rugiens, atque ad aulæ veſtibulum feſtinanter proficiſcens, O vim mihi illatam, exclamauit! O inſignem mei contemptum! Nemo eſt qui mihi opituletur: nemo qui ſubſidium ferat. Quid mihi cum Tenebricoſis, & Immemorandis iſtis? Sic enim ipſi vſitatum ac familiare erat monachos appellare. Cum autem ii, qui voluptatibus ac deliciis dediti erant, vltro ad intemperantem illam menſam currerent, perturbatiſſimo animo ipſis occurrens, magno cum clamore quærebat. Quo pergitis, & quem quæritis? His autem reſpondentibus, Ad te benignum noſtrum dominum imus: tum ille altiore voce, Non ſum, inquit, dominus veſter, non ſum Imperator. Alius dominus veſter eſt, alius Imperator: ad cuius pedes voſipſos prouoluitis, contactiſque ipſius veſtigiis ab eo vota preceſque ſupplices petitis. Nemo in me obſequioſus eſt, vt illo de medio ſublato animum meum reficiat ac recreet. His vero animi anxietate laborantibus, ac quiſnam ille eſſet ſciſcitantibus, quiſq; ille quem ipſi ei anteferrent, aut quemnam alium Imperatorem agnoſcerent: tum ipſe contrà, Stephanus Auxentianus eſt, inquit.

Præclarum Stephani dictum.

Fideles monachi ab Imperatore Tenebricoſi & Immemorandi vocantur.

S. Stephanus more Chriſti, ſuis occiſoribus ſeſe offert. *Ioan. 28.*

XLVII. Nondvm integrum nomen in eorum aures influxerat, cum ſubito impetus quidam, & clamor promiſcuus, & vox quædam incondita perſonabat: omnibus, vt erant, ad Prætorium currentibus. Mox truculentorum leonum inſtar in carcerem inſilientes, Date nobis (cuſtodibus inquiunt) Auxentianum Stephanum. At ille conſtanti atque intrepido animo, velut in hoc ipſum paratus, ad eos decoro geſtu ac vultu ab omni perturbatione libero egreditur, & quemadmodum olim Chriſtus Iudæis, ipſius cædem anhelantibus, Ego ſum quem quæritis, inquit. Illi autem ilico eum arripiunt, atque in terram allidunt, ferreiſque vinculis, quibus ipſius pedes adſtringebantur, ab eo extractis, ad publicam viam raptim eum educunt, calcibus in eum inſilientes, ſaxis impetentes, fuſtibus ferientes, nullum denique ſupplicii contumeliæque genus omittentes. Cum autem per primam Prætorii portam non tam duceretur quam raptaretur, ac iam in templi Theodori martyris veſtibulo eſſet, manibus humi fixis, ac ſublato aliquantum capite vltimum adorationis munus martyri perſoluebat. Etenim hic in tanta quidem calamitate pietatis amorem ex animo ſuo eiecerat. Quem ex ſanguinariis hominibus quidam, Philommatius nomine, conſpicatus, præcipiti quodam furore percitus, Videſne, exclamauit, Immemorandus iſte tanquam martyr mori cupit. Atque hoc ſermone habito, †ad ſiphones, qui illic erant, quique ob ea incendia, quæ interdum oboriuntur, adhiberi ſolent, excurrit, auulſumque ab iis haud paruũ lignum trahit, ac ſanctum virum, quam vehementiſſime poteſt, in cerebri membrana ferit, ſicque protinus interemptum, martyrem quidem illum profectò, ſeipſum autem, quod omnium grauiſſimum ſcelus eſt, martyris carnificem reddit. Ac vide quæſo vim illam Dei vltricem. Non enim, quemadmodum plerunq; ſolet, moram vllam interpoſuit, ſed celeri pede proceſſit. Etenim, ſimulatq, ferit, ipſe quoq; in terram, diabolica plaga percuſſus, ruit, dentibus horrendum in modum ſtridens, atq; ore ſpumam emittens. Atq; ita graue illud flagellum permanſit, ad extremum vſque ſpiritum miſerum illum comprimens, atque caſtigans.

Calcib. impiorum ſubiicitur, ſaxis ac fuſtibus feritur.

† Siphõ eſt canalis ſi. ſtula.

Occiditur.

Diuina vltio in percuſſorem eius.

Ac

XLVIII. Ac ne ſic quidem tamen furibundum illud vulgus animorum impetum remiſit: verùm per publicam viam adhuc eum raptabat. Et quidnam tandem ex ſacroſanctis illis Stephani membris coronæ expers relictum eſt? Nam & manus ac pedes ad ſaxa offendentes conterebantur, & digiti vnà cum vnguibus auellebantur, atq; in terram ſpargebantur, & venter diſrumpebatur, atque inteſtina omnia profluebant. Siquidem è ſceleſtis illis hominibus vnus grauiſſimum lapidem vtraque manu acceptum in ipſius ventrem inieci: vnde confeſtim abdita omnis viſcerum cõpages aquæ ritu in terram effuſa eſt. Nam & mortuo Stephano per ſummum furorem inſultabant, nec contumeliis in eum debacchari ceſſabant, circumdantes eum tanquam canes multi, atque omni modo raptantes ac diſcerpentes, ſaxiſque per totam viam incellentes, non viri duntaxat, ſed etiam mulieres. Quin ne puerilem quidem ætatem ſanguinarij huius impetus expertem reliquerunt. Nam ipſi quoque literario ludo relicto (ſic enim Imperator iuſſerat) lapides manibus geſtabant, iiſque Stephanum inſectabantur. Ac quiſquis in eum, dum raptaretur, incidens, lapidem non ieciſſet, pœnas luebat, atque Imperatoris hoſtis cenſebatur. Quin etiam cum ad bonis locum, martyrem raptantes perueniſſent, caupo quidam piſces coquẽs, vt eum raptari vidit, vitæ vſura adhuc eum frui arbitratus, aſſumpto flagrante titione in caluaria ipſum ferit, ac repentè perfracto occipitio cerebrum effluere cœpit. Theodorus autem quidam vir pius, à tergo ſequens, illudque è capite fluere videns, ſimulato lapſu ſuſtulit, ac linteo furtim impoſitum in ſinu abſcondit. Atque ita deinde ad ſpectaculum rurſus properabat, nimirum cernere cupiens, quonam tandem ſedato furore reliquias martyris proiicerent. At verò ſanguinaria illa turba ſanctum virum raptans, cum ad Monocionis monaſteriũ acceſſiſſet, in animo habebat B. viri ſororem (illic enim diuinum vitæ genus colebat) per vim eiicere, eoque ipſam adigere, vt fraternum corpus tot certaminibus defunctum ſaxis peteret. Verùm illa hoc prænoſcens, atque in obſcurum quoddam ſepulcrum ſeſe abdens, huiuſmodi facinus effugit. Illi igitur ſpe hac ſua deiecti, rurſus martyris cadauer trahentes, in Ethnicorum reorum foueam proiiciunt (vbi prius quidem diui Pelagij martyris templum erat, verùm poſtea vetuſtate labefactatum impius Imperator euerterat, atque in ſepulcra redegerat, ac Pelagij ſepulcretum nuncuparat) adeò vt tunc quoque locum illud haberet. Cum iniquis vir iuſtus deputatus eſt. Poſtmodum læti redeuntes, qui latronum ſæuitiam crudelitatis ſuæ immanitate ſuperauerant, lætum tyrannum adeunt, velut dæmonis cuiuſdam intemperijs diuexati, qui ſceleratiſſime in ipſo pugnauerant. Quos quidem lubenti animo ſuſceptos ad menſam ſuam eduliorum copia onuſtam adhibuit. Cumque illi ærumnoſiſſimam martyris mortem referrent, audiens ille magnopere ridebat ac lætitia diffundebatur, hominis, ne quid amplius dicam, cruciatus & calamitates in voluptatis materiam trahens. Atque hæc quidem ad hunc modum ſe habuerunt.

Impij exitu ctum eius cadauer, multis contumelijs afficiunt. — *Pſal. 21.* — *Cerebrum capitis eius effuſum, à pio Theodoro colligitur.* — *Corpus eius in foueam Ethnicorũ reorum iniicitur.* — *Eſa. 53. Luc. 22.* — *Copronymi impietas quanta*

XLIX. MARTYRIO porrò perfunctus eſt ille egregius ſanè luctator Stephanus tertio & quinquageſimo ætatis ſuæ anno, Nouembris menſis octauo & viceſimo die. Ceterùm ne ea quidem miracula ſilentio præterire conuenit, quæ ab ipſo (illius videlicet beneficio, qui dixit: Ego glorificantes me glorificabo: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles) etiam poſt mortem patrata ſunt. Eo enim ipſo die, quo ſanctum virũ, vt Scripturæ verbis vtar, aggreſſi viri ſanguinum, tanquam arietem inſignem de medio ſuſtulerunt, cum tranquillum cœlum eſſet, ac radiis ſolaribus collucerct, hora tertia ad orientalem aulæ partem ignea nubes in montis vertice (vbi vir egregius monaſticæ vitæ certamina exantlabat) repente coorta, ac deinde ad ſummas vrbis partes excurrens, vniuerſum aërem horrenda caligine infecit & obſcurauit: atque, vt cum Propheta loquar, cernere erat diem ac non diem, & tenebras ac non noctem. Cumque vnà cum ea vehemens turbo excitatus eſſet, ingens vis grandinis, magnitudiniſque haud facile credendæ, cecidit, idq; circa palatium duntaxat: hincque multi in diſcrimen vitæ venerunt. Hæc ſcil. ſanctorum Deus prodigioſe patrare nouit, dum impios reipſa coarguit: eos autem, qui ipſius metu præditi ſunt, gloria afficit.

Anno Chriſti 767. Vide Baron. — *1. Reg. 2.* — *Obſcuratũ eſt cœlum tempore mortis S. Stephani. Miraculum*

L. PORRO autem pius ille Theodorus, qui confractam capitis ſancti viri partem ſuſtulerat, cum ad beati Dij monaſterium profectus eſſet, eiusque antiſtitem remotis arbitris conueniſſet, et quæcunque in ſignis athleta Stephanus eo die pertuliſſet, expoſuit. Ille autem acerbè ingemiſcens, ad quoddam protomartyris Stephani oratorium, quod ad dextram templi monaſterij partem erat, eum ducit: atque vrnam quandam educens, in ea diuinas illas reliquias collocat, præſente puero quodam monaſterij, ac quæ fiebant inſpectante. Ambo autem adorationis munere perfuncti, tanquam theſaurum quendam ingentis pretij, intra altare occultant. Interiecto verò aliquo tempore accuſatur apud Imperatorem Theodorus. Nam ne eum quidem à tentatione liberum atque immunem liuor reliquit: verùm, vt Imaginum adorator, exilio mulctatur, atque in Siculam inſulam vnà cum vxore ac liberis ablegatur. Quem, cum diuturno tempore exilij cauſa illic commoratus fuiſſet, in patriam rurſus reduxit iuſtus iudex Deus. Reductionis autem modus huiuſmodi fuit. Etenim adoleſcens ille, de quo proximè verba fecimus, ad maturam ætatem prouectus, cum antiſtite agebat, vt diaconus crearetur. Quod cum ab eo impetrare nõ poſſet (vt qui & iuuenilem ipſius ætatem perſpiceret, & vitæ ſocordiam exploratam haberet) ſe grauiſſimo eum malo affecturum comminatus eſt. Itaq; vrnam illam occultè ſurripit, atq; ad Imperatorem currit, eique rem totam exponit: Antiſtes enim meus, inquit, vnà cum Theodoro, qui in Siciliam exilij cauſa miſſus eſt, damnatorũ, quos tu vt nocẽtes & facinoroſos morte afficis, oſſa colit atque adorat: te autem tyrannum ac nouum apoſtatam appellat. His auditis Imperator ira inflammatur, atq; antiſtitem quidem illum correptum, ac vinculis firmiſſime adſtrictum in carcere cuſtodiri iubet: Theodorum autem è Sicilia reductum dignas huiuſmodi facinore pœnas ſubire: puerum deniq; ad vtrunque conuincendum aſſeruari. Reducitur itaque à Sicilia Theodorus. Statimque & eum & antiſtitem in medium producit Imperator, atque in faciem ipſis puerum ſiſtit, vt quod factum fuerat, indicaret. Cùm autem illi nihil ſe huius rei ſcire aſſererent, vrnam afferre iubetur adoleſcens. Atque (ò ingens miraculum!) euaneſcit illa, nec huc vſque reperiri poteſt. Itaque vacuis manibus reuertitur: Imperator pudore ſuffunditur, atque id quod contigerat, premere atque occultare conatur, ne illuſtriorem etiam, quàm ante, ſancti viri gloriam reddat. Neque enim ipſum fugiebat, quin diuinum Stephanum omnes pene ſanctum confiterentur. Iuuenem autem illum, vt calumniatorem, multis verberibus laceratum exilio mandat. Sic nimirum Deus iuſtos è tentationibus eripere, impios autem eorum loco tradere nouit.

Diuinæ eius reliquiæ in vrnã quandam reconduntur. — *Pius Theodorus exilio mulctatur.* — *Deteſtabile cuiuſdam inuidioſi facinus.* — *Stupendum miraculum.* — *2. Petr. 2.*

LI. QVIN ne verſuta quidem illa ancilla, quæ & ſanctum virum, & heram ſuam accuſauerat, iuſtum Dei iudiciũ effugit. Nam cùm trans turbam ad Aulicalamum perueniſſet, ſeque fabulam detecturam eſſe confirmaret, & quonam modo, vt ſancto viro calumniam strueret, ſubornata fuiſſet, niſi ipſe quod promiſerat, expleret, id ille metuens, cuidam eorum, qui legendis Bithyniæ tributis præerant, eam in matrimonium collocat. Prægnans autem facta, gemellos filios in lucem edit. Ceterùm ſub mediam noctem repente conturbati infantes illi, arreptis maternis mamillis, horrendumque in modum exeſis, eam protinus necant, atque vnà cum ea viperini illi fœtus extinguuntur. Tales pœnas ſycophantæ pependerunt: talem ea mercedem tulit, quæ ſanctum virum falſi criminis reum egerat. Hæ ſunt clariſſimi Stephani monaſticæ palæſtræ, hæc athletica certamina: quibus, cum non modo aduerſus carnem & ſanguinem, ſed etiam aduerſus principatus & poteſtates dimicaſſet, ampliſſimum præmium reportauit, nimirum vt ipſi Trinitati laureatus adſtet adhuc monaſticis ſudoribus & athletico cruore geſtatus: cui vtinam nos quoq; ipſius precibus atque interceſſione adſtemus, per Chriſti gratiam ac miſericordiam, quem decet omnis gloria, vnà cum principij experte Patre, & viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Diuinitus punitur ancilla quę dominam ſuã & S. Stephanum falſo accuſauerat — *Epheſ. 6.*

An. 240.

HISTORIA S. SATVRNINI PRIMI EPISCOPI TOLOSANI, ET MARTYRIS, DOCTE ET GRAVITER SCRIPTA. EXTAT IN PERuetuſtis MSS. Codicibus. Conſentiunt antiquiſſima Martyrologia.

PROLOGVS AVTHORIS, CVIVS NOMEN CODICES NON HABENT.

29. Nov.

Honoramus Sanctos & dies eorũ natalitios, vt Ecclesia vocat.

SANCTORVM beatiſſimorumque Martyrum paſſiones debito obſequio veneramur, quos procul à ſedibus noſtris non tantum remotarum immenſitate terrarum, verumetiam marinorum quoque fluctuum interpoſitione ſecretos, famæ deferentis officio & audimus, & credimus felici martyrio conſecratos: atque illos dies, quibus in Dominici nominis confeſſione luctantes, beatoq; ie obitu regnis cœleſtibus renaſcentes, in eius Domini laudem, cuius in decertatione viribus adiuuantur, & poſt ictum eius munere coronantur, vigiliis, hymnis, ac ſacramentis etiam ſolennibus honoramus, vt eorum patrocinia atque ſuffragia in conſpectu Domini orando & honorando mereamur. Specialius verò ſanctum iſtum diem ſolenniter venerari debemus, & gaudiis excolere, in quo vir beatus Saturninus, & Epiſcopus Toloſanæ ciuitatis & martyr, in eadem ciuitate geminatam coronam, Deo teſte, promeruit, & de ſacerdotij dignitate, & de honore martyrij, vt quem iam venerabilem vita fecerat, etiam paſſio interius conſecraret.

Pſal. 18.

* tardoque.

TEMPORE illo, quo poſt corporeum Domini & Saluatoris aduentum, exortus in tenebris Sol ipſe iuſtitiæ, I.
ſplendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat, quia ſenſim & gradatim in omnem terram ſonus Euangeliorum exiuit,* pariq́ue proceſſu in regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio coruſcauit: cum raræ in aliquibus ciuitatibus eccleſiæ paucorum Chriſtianorum deuotione conſurgerent, & crebra miſerabili errore gentilium nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent: ante annos ſatis plurimos, id eſt, Decio & Grato conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum & ſummum Chriſti Toloſa ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Cuius fide atque virtute eorum, qui in vrbe eadem colebantur, cœperunt dæmonum vaticinia ceſſare, commenta nudari, artes detegi, & omnis illorum apud Gentiles potentia, omniſque fallacia, Chriſtianorum fide creſcente, decreſcere. Cumque ſupradicto Epiſcopo ad Eccleſiam id temporis paruulam * iuxta Capitolium, quod inter domum ſuam & domum Dei erat medium, frequens itus eſſet ac reditus, ſancti viri præſentiam ſuſtinere fallax dæmonum turba non potuit: & vt erant muta ſimulacra, * nullis adumbrata phantaſiis, ad ſacrilega obſequia, & ſolicita conſulentium vota cœperunt in ſilentio permanere.

Saturninus primus Toloſanus Epiſcopus.

* fanum Gentilium.

* nonnullis.

Deorũ ora clauduntur, ſancti viri præſentia

CVNCTI itaque ſacrilegæ ſuperſtitionis antiſtites, tantæ rei nouitate permoti, inter ſe inuicem quærere, vnde II.
numinibus ſuis veniſſet tanti temporis inuſitata taciturnitas, quiſnam ita garrula ora clauſiſſet, vt nec inuocantium precibus excitata, nec fuſo cruore taurorum & tantis hoſtiis delinita, aliquod conſulentibus afferrent reſponſum. Audiunt à quodam noſtræ religionis inimico, nouam neſcio quam ſurrexiſſe ſectam, ſuperſtitioni gentilitatis inimicam, quæ Chriſtiana appellaretur, & in deorum ſuorum excidium niteretur. Huius etiam fidei eſſe Saturninum Epiſcopum, cuius crebro iuxta Capitolium tranſitu, à conſpectu viri eius exterrita deorum ſuorum ora ſiluiſſe, nec facile poſſe reſerari, niſi Epiſcopum illum mors maturata ſubtraheret. O ter infelix error, & cœca dementia. Audiunt deis ſuis hominem eſſe terrori: & à delubris atque à ſedibus ſuis dæmones ad tranſitum ipſius exulare, non ſolum audiũt, ſed etiam intelligunt. Et hunc virum, adoratis ſibi idolis etiam ſine præmiſſa interminatione terribilem, interficere potius quàm honorare definiunt miſeri, non conſiderantes, quod nullum magis, quàm illum colere deberent, cuius ſerui ſuis numinibus imperarent. Quid enim ſtultius, quàm timere metuentes, & illum, qui dominatur dominantibus, non timere?

Ecce paganorum cœcam dementiam.

INTER hæc ergo conquirentium & ſtupentium ſtudia; cum paulatim magna fuiſſet multitudo hominum cõgregata, & omnes ſtudioſius vellent, parato ad victimam tauro, certi aliquid de his, quæ dicebãtur, agnoſcere, & deos III.
ſuos litatione iam ingentis hoſtiæ vel reducere cuperent, vel propitiare: ecce ipſum Saturninum, ad officium ſolenne venientem vnus ex illa malignantium turba cominus agnoſcit, & dicit: En ipſum aduerſarium cultibus noſtræ religionis ſigniferum, qui deſtruenda prædicat templa, qui deos noſtros dæmonum appellatione condemnat: cuius poſtremo præſentia conſueta nos prohibet obtinere reſponſa. Itaque quia ipſum nobis opportuno in tempore debitus ipſi finis exhibet, noſtram pariter deorumq́ue noſtrorum vindicemus iniuriam, quos iam nunc, compellentibus nobis, aut ſacrificando placet, aut moriendo lætificet. Ad quem ſacrilegæ vocis impulſum, omnis ſanctum virum inſanientium turba circumdat, ac presbytero vno ac duobus diaconibus, qui obſequiis eius adhæſerant, per fugam lapſis, ad Capitolium ſolus attrahitur: & cum immolare dæmonibus cogeretur, clara voce teſtatur: Vnum & verum Deum noui: huic laudis hoſtias immolo: deos verò veſtros dæmones eſſe ſcio: quos incaſſum non tam hoſtiis pecudum, quàm animarum veſtrarum mortibus honoratis. Quomodo autem vultis, vt ego eos timeam, à quibus, vt audio, dicitis me timeri?

S. Saturninus comprehenditur à paganis.

AD hanc vocem ſancti Epiſcopi, omnis ille ſacrilegæ multitudinis tumultus incanduit, tauroque illo, qui fuerat victimæ præparatus, fune lateribus circumacto, & poſt terga dimiſſo, ad miniſterium ſuæ crudelitatis vtuntur. Poſtrema enim parte funis eius, qui ad poſteriora tauri ipſius defluebat, ſancti viri pedes alligabant, actumque ſtimulis acribus taurum, de ſuperiori Capitolij parte in plana præcipitant. Nec mora: inter primos deſcenſus ipſius gradus capite colliſo, cerebroq; excuſſo, & corpore omni membrorum parte lacerato, dignam Deo animam Chriſtus excepit, vt quam pro nomine ſuo fideliter dimicantem ſuppliciis furor gentilis extorſerat, ſuis poſt victoriam laureis coronaret. Exanime tamen corpus neque obnoxium iam vllius iniuriæ, vſque ad eum locum, tauro furente, perductum eſt, vbi fune diſrupta, tumultuariam eo tempore meruit ſepulturam. Nam paucis id temporis Chriſtianis, ipſiſque propter furorem gentilium ſancti viri corpus humare metuentibus, duæ tantum mulierculę, ſexus infirmitatem fidei virtute vincentes, & viris omnibus fortiores, & ſui ſacerdotis exemplo, credo, ad tolerantiam paſſionis animatæ, beati viri corpus ligneo feretro immiſſum, quàm maximè in profundo loco actis ſatis ſcrobibus condiderunt: vt venerandas ſanctaſq́ue reliquias non tam ſepelire, quàm abſcondere viderentur: ne forte ſacrilegæ mentis homines, ſi aliquid conditi corporis tumulo viderent honoris adhiberi, effoſſum ſtatim corpus in fruſta diſpergerent, & eriperent etiam ipſam tenuem ſepulturam. IV.

Crudeli ſupplicio perimitur.

Meminit eius martyrij Greg. Turo. hiſt. li. 1. c. 30. de Glor. mart. c. 48. infra.

Venerandæ ſanctæque eius reliquiæ.

MANSIT verò aliquandiu ſub vili cæſpite, omnibus quidem inhonoratum, ſed honoratum à Deo martyris corpus; donec S. Hilarius, poſt multum tempus in Toloſa vrbe Epiſcopus ordinatus eſt: Qui de anteceſſoris ſui & obitu inſtructus, & merito, effoſſa vſque ad ipſum ſepulcrum ligneum terra, ſanctas veritus commouere reliquias, tranſuolutionem deſuper multo labore diligenter extruxit: baſilicam etiam paruulam vilibus tignis ad locum tantum orationis adiecit. Procedente dehinc tempore, cùm multorum ad baſilicam ipſam fideliter à ſeculo recedentium, pro ſolatio propter corpus martyris gratia quieſcendi deferrentur exequiæ, & locus omnis tumulatorum corporum multitudine fuiſſet impletus: ſanctus Epiſcopus Syluius, Epiſcopatum ſupradictæ vrbis indeptus, pulchram & ſpecioſam baſilicam magnis ſumptibus venerandis & transferendis illuc martyris reliquiis parans, ante cõſummationem cœpti V.

Hilarius Toloſæ Epiſcopus.

Syluius Epiſcopus Toloſanus.

operis receſſit è ſeculo. Poſt cuius obitum ſanctus Exuperius in ſummum ſacerdotium cooptatur, vir abſq; vllius præceſſorum iniuria, abſq; vllius, qui id temporis Eccleſias regere videbantur, inuidia, non ſolum nulli ſecundus, verum etiam ipſi beato martyri virtutum meritis comparandus, baſilicam, quam deceſſor ſuus fideliter inchoauerat, inſtantiſſime cōſummauit: & feliciter dedicauit. Qui cum transferre illuc ſancti martyris reliquias, non pro ſua incredulitate, ſed pro ipſius honore dubitaret, admonitus per quietem eſt, nè infideliter negligeret, quod fideliter credidiſſet: nullam fieri vel diminutionē cinerum, vel commotione mēbrorum ſpiritibus iniuriam: quia manifeſta res eſſet credentibus, hoc martyribus proficere ad honorem, quod profuiſſet credentibus ad ſalutem. Statimq; tali viſione firmatus, religioſis Imperatoribus precem detulit, ac ſine mora vlla quod tam piè popoſcerat impetrauit: vt translatas ad baſilicam omni ſtudio præparatam ſancti viri reliquias, non tam temeraria violaret audacia, quam ambitioſius venerantis colerent obſequia.

Item Exuperius.

Baſilica S. Saturnini.

VI. QVOD nunc huic opuſculo ſupereſt, omnes legentes, omnes intelligant audientes, cauſam ſalutis noſtræ in fide ſtare, neq; ſine cauſa Deum Euangelica voce dixiſſe: Credis hoc? Cui cum reſponſum fuiſſet, Credo: ait: Fiat tibi ſecundū fidē tuam. Non quod Dominus ſcrutator cordis & renū, de illius credulitate neſciret: ſed vt de his, quæ de Dominicis virtutibus dicerentur, aut in his, quæ nobis tribui poſceremus, non debere nos dubiè credere commoneret. Vnde quia & ipſe Saluator de talibus viris dixit. Si feceritis voluntatem meam, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: & idem ſub prophetali voce teſtatus eſt: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, & iterum. Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, qui ſequuntur agnum. de quorum beatitudine dictum eſt: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt, & iterum: Pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorū eius, & iterum: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius: quibus non ſolum credere in Chriſtum, ſed & pro Chriſto pati, ac ſtatim poſt reſolutionem corporum cum Chriſto eſſe donatum eſt. Amicos Dei ac dilectos Deo non negligamus vt mortuos, ſed honoremus vt viuos: quia non dubia fide certum eſt, quod ſi eorum fideliter ſuffragia poſtulemus, fideliter patrocinia ſentiemus. Quia etiamſi illorum ſtudia ceſſarent, ille optata præpararet, qui cogitationum non ſolum præſentium inſpector, verum etiam cognitor futurorum, dum rogantur ſui, ſe intelligit honorari: Qui eſt benedictus in ſecula ſeculorū Amē.

Ioan. 11. Pſalm 7. Ioan. 15. Pſal. 138. Apoc. 7. Pſalm. 91. Pſal. 115. Pſal. 149. Nota.

DE EODEM S. SATVRNINO, EX GREGORII TVRONENSIS DE GLORIA MARTYRVM CAP. XXXXIIX.

SATVRNINVS martyr, vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in vrbem Toloſatium eſt directus. Qui impulſu paganorum, bouis petulci relegatus veſtigiis, per gradus Capitolij præcipitatus, præſentem finiuit vitam, capitis compage diſperſa.

S. Saturnini martyrium.

CVIVS reliquiæ cum à quibuſdam religioſis in regionē alteram transferrentur, itineris ordo contulit vt Briuatenſis pagi ſitum in Aruenno territorio terminum præterirent: ſole quoq; ruente, ad hoſpitium cuiuſdam pauperis diuertunt, manſionis poſtulando neceſſitatem. Recepti quoq; ab homine, quid exhibeant narrant. At ille humanitatis intuitu, & Dei timore commonitus, capſam cum reliquiis in cellam penariam ponit, ac ſuper annonam quæ erat in vaſe condita, locat. Mane quoq; dato, viri acceptis pignoribus gratias agentes homini, iter quod cœperant abierunt. Sequenti verò nocte admonetur vir ille per viſum dicēte ſibi quodam: Sine ne maneas in hoc loco: ſanctificatus eſt enim à pignoribus martyris Saturnini: ille quoq; paruipendens viſionem, nihil de his vt habet ruſticitas, quæ admonitus fuerat retractauit. Nec mora, irruit in tædium, ac paruitas facultatis eius, cœpit paulatim minui: vxor verò illius ab alio languore tabeſcere. Quid plura? infra vnum annum in tantam reductus eſt exiguitatem, vt nihil ei vnde ali aut tegi poſſet, ſicut humana depoſcit neceſſitas, remaneret. Tandem cōuerſus ad ſe dixit ad coniugem: Peccaui coram Deo & ſanctis eius, qui ab hoc hoſpitiolo, ſicut ſum admonitus, non receſſi. Et ſcio quod ob hoc nobis mala quæ patimur, acceſſerunt. Nunc autem pareamus viſioni quam vidimus, & remoueamus hoc hoſpitiolum à loco iſto, vt ſaluemur. Tunc amoto tugurio, oratorium ex ligneis formatū tabulis collocauit: in quo quotidie orationem fundens, opem B. Martyris flagitabat. Tandem ceſſantibus plagis, aptanti manus ad operam, tanta fructuum conſequentia fuit, vt in modico temporis ſpatio amplius quam perdiderat, repararet. Hæc infra noſtrum territorium geſta ſunt.

Viſio neglecta.

Templum violare paſtans punitur.

SED nec hoc ſilebo ad comprimendam malorum ſuperbiam, quod Plato quidam Clotharij Regis tempore, ad Pauliacenſe monaſterium accedens, in cuius oratorio huius ſanctæ reliquiæ continētur, pro eo quod munus aliquod ab Abbate non accepiſſet, dixiſſe fertur: Ego faciam ab hac Eccleſia domum Regis, in cuius vno angulo equites alantur. Et cum furore diſcedens, dum ad Principem abire diſponit, comprehenſus febre, die tertia ſpiritum exhalauit, deſcenditq; velociter ad infernum domū Dei reliquit ad cultum eius, cuius prius fuerat nomine conſecrata.

Martyrium alterius Saturnini & Siſinnii Diaconi, quorum feſtū hac ipſa die agitur, quære in geſtis Marcelli Papæ 16. Ian. c. 2. & ſeq.

VITA S. RADBODI VLTRAIECTENSIS EPISCOPI, PER Fr. LAVRSVRIVM EX MS. CODICE, MVTATO STYLO, PRESSIVS DESCRIPTA. AVthoris nomen necdum comperi, ſed fide dignus eſt.

An. 890. 29. Nov.

BEATVS Radbodus è nobili Francorum ſtirpe progenitus, parentes Chriſtianiſſimos habuit, & ipſe ſuis meritis magno ornamento mundo fuit. Nam ab ipſis prope incunabulis ſe animo tendebat ad cœlos. Nomen eius myſterio non vacat, quod conſilij nuncium Latine poſſis reddere. A Chriſto enim mittendus erat optimi conſilij legatus: ad Friſios, à quibus maternum duxerat genus, quibus certè optime conſuluit. Dux Friſonum Radbodus, quem alij Regem vocant, matris eius atauus fuit, cuius nomen ei mater impoſuit. Cum primum diſcendi capax eſſe viſus eſt, diſcendis literis admotus eſt. Primæ ætatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum, auunculum ſuum, literis operam nauans. Sed cum illi Epiſcopo res aduerſæ acccidiſſent, puer egregiæ indolis, hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus, (quippe quem Dei gratia, qua præditus erat, omnibus charum efficeret,) primo ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij aulam ſe contulit: non quod palatinos ambiret honores, ſed quod intra Regis palatium liberalium diſciplinarum ſtudia præclare colerentur. Præerat autem gymnaſio illi * Manno philoſophus, cui ſanctus puer, feruens diſcendi ſtudio, ſedulus adhærebat.

Radbodus theutonicis conſilij nuncium ſonat.

S. Radbod' dat operam literis.

* Nanno Diſcēdi cauſa degit in aula regē.

ERANT autem ei condiſcipuli Stephanus & Mancio, ætate quidem ſuperiores, ſed non tamen ſtudio. Itaq; inter illos extitit pia quædam æmulatio, conabaturq; alter alterum excellere, non honoris ambitu, ſed humilitate, charitate, legendi & diſcendi diligentia. Quorum virtus eo progreſſa eſt, vt non multo poſt vterque Epiſcopus creatus ſit, Stephanus quidem Tungrenſis Eccleſiæ, Mancio verò Cabilonenſis. Radbodus autem venerabilis adoleſcens, inſtar apis ſedulæ literarum floribus inſidens, multam inde eruditionis copiam collegit, donec omnium iudicio

 non

Pugnat fortiter aduerſus vitia.

non mediocriter doctus eſt exiſtimatus. Interim virtute animi adoleſcentiæ motus comprimebat, carnis rebellionem parſimonia edomabat, mundum & mundana omnia cæleſtium amore contemnebat, ſpiritualibus inhiabat delicijs, rebus caducis omnibus nuncium remittere plane conſtituebat. Aetas quidem necdum matura erat, ſed maturis & canis erat moribus, illecebras omnes reſpuens, ſoliq; Deo placere contendens. Nocte ac die ſpiritalibus vacabat epulis, & iamtum affectu atq; deſiderio conſectabatur, quod poſteà opere præſtitit. III.

Eius patria.

Nec vero Regem eius latebat virtus. Nam quanto ille ſtudioſius occultare ſe connitebatur, tanto eius fama, vel maximè inuito illo, latius populi ore diffundebatur. Fit charus Regi propter morum integritatem, proceribus regni venerabilis, acceptus & probabilis populo, vt qui non obſcure Deo gratus, & amabilis videretur. Poſtquam autem Carolus, ſub quo adoleſcentiæ annos exegit, è vita deceſſit, ſuos volens inuiſere, Lomaganium (ſic enim vulgo eius patria dicebatur) adiit. Porrò etiam Hugoni, ſummæ dignitatis Abbati, & ea tempeſtate inter Abbates præcipuo, ſeſe adiungens, doctrinæ palmam præ cæteris tulit: ſimul etiam virtutum ſcalis ſemper ad altiora ſcandens, vt lampas cæleſtis præclarè vbiq; refulſit.

Egilbertus Epiſcopus Vltraiectenſis.

Interea Egilbertus Vltraiectenſis Eccleſiæ Præſul vitam cum morte commutat. Tractatur de ſubſtituendo IV. idoneo paſtore, miraq; Cleri & populi conſenſione, non ſine nutu Dei, Radbodus omnium digniſſimus cenſetur. Idem eſt Arnulphi, qui tum regni moderabatur habenas, itemq; principum de eo iudicium. Itaque Cleri, Regis, principum, populi ſtudio & voluntate vir ſanctus, primo quidem huius rei ignarus, poſtea verò diu reluctans, Epiſcopus creatur. Ea re non mediocri animo dolore affectus, diu hæſitabat quid faceret. Tandem honorem fugere dum vult, vel inuitus rapitur ad cathedram honoris. Percepta igitur benedictione, æterni Regis miles proceſſurus ad pugnam, armis ſpiritalibus animo virili ſe accingit, mutat habitum, moribus addit maiora etiam ornamenta, Chriſtiq; doctrinæ obtemperans, anguſtam valde complectitur viam, perfecteq; regularis fit monachus: neq; à carnium duntaxat eſu, ſed ab omni ciborum voluptate abſtinens, biduanis triduaniſq; ieiuniis animum paſcit, corporiſq; imbecillitatem, vix oſſibus hærens, naturæ neceſſariis, iiſq; vilibus ſuſtentabat alimentis: interim tamen vultu hilaritatem præ ſe ferens, & ita ſe comparans inter ſuos, acſi delicatis cibis veſceretur. Voluit enim, quoad fieri potuit, omnes latere abſtinentiam ſuam, paucis tantum eius conſciis. Quam cum laicus quidam, Epiſcopo familiaris & crebrò cum inuiſens, experiri vellet, aliquando et ad menſam aſſidens, & more viſitato cum eo colloquens, tandem petit ſibi, copiam fieri bibendi ex poculo, quod erat pro conſuetudine illi appoſitum: quod quidem erat ex onyche factum, congruenterq; ornatum auro, ſed aqua plenum. Vbi quid tum miri per ſeruum ſuum effecerit Deus mirabilis in ſanctis ſuis, res ipſa ſileri non patitur. Non ſinit Epiſcopus, vt ille ex poculo bibat: nolebat enim in aliorum notitiam deduci, quid in illo eſſet: ſed tamen oblata quadam opportunitate, alter clam arripit poculum, Epiſcopus verò id aduertit: ſed cum prohibere non poſſet iá quin biberet, ſuſpirat ad Deum & ingemiſcit. Et ecce antiquo renouato miraculo, aqua mutatur in vinum optimum. Id ſentiens explorator ille, ad pedes ſancti antiſtitis aduoluitur, petit veniam, ſpondet ſe deinceps nihil tale attentaturum. Etſi autem Præſul ſanctiſſimus celare id voluit, non tamen par erat celari opus Dei, conuenienter illi ſententiæ Raphaëlis angeli, dicentis ad Tobiam: Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum eſt.

S. Radbodus fit Epiſcopus Vltraiectenſis. Matth. 7. Monachū profitetur. Abſtinentia eius. Pſalm. 68. Ioan. 2. Aqua in vinum mutatur. Tob. 12.

Quotidiana eius conuerſatio, quo ad in corpore vixit, quam grata Deo, quam optata & ſuauis hominibus V. fuerit, quotidiana illo virtutum augmenta capeſſente, tametſi explicare nos pro dignitate non valemus, tamen vel pauca commemorabimus, accepta ab illis, qui rebus geſtis interfuere, vt facilius Lector fidem nobis adhibeat. Quicquid ex rebus mundi huius habere potuit, accurate in pauperes erogauit: cumq; omnium bonorum operum floreret exercitiis, attamen in benignitate erga pauperes nulli ſecundus fuit. Quotidiè, demptis paucis ſolennitatibus, ſuis manibus lauabat pauperum pedes, præbebat eis victum, nudos veſtiebat, infirmos viſitabat, claudis & pupillis curam adhibebat. Eiuſmodi ſtudiis & officiis humanitatis & miſericordiæ diu noctuq; incredibili vigilantia & ſolicitudine indefeſſus vacabat, nec vnquam id genus fatigebatur laboribus, id planè in lucris ponens, quicquid in miſerorum ſolatia contuliſſet. Nulla apud eum viſebantur ornamenta, aut inanis mundi pompa, non illi inerat auri ſacra fames. Nec fas putabat, eiuſmodi oblectari. Itaq; contempto mundo, & quicquid is præſtare poteſt amicis ſuis, cæleſtium amore feruebat, ſolo corpore degens in terris.

Benignitas eius eximia in pauperes.

Cum autem Traiectenſem Eccleſiam Dani vaſtaſſent, ſæpius Dauentriæ morabatur, animo tamen ſemper Traiecti habitans: quo etſi, reddita pace, crebrò ſe conferret, non parum dolebat & ipſi, & aliis, quod res & tempus non ſinerent eum illic perpetuò reſidere. Proponebat ſibi in animo ad imitandum multos ſanctos patres, eos præſertim, qui einſdem Eccleſiæ fundamenta in firma petra Chriſto primo collocârunt, puta ſanctos Vuillibrordum & Bonifacium, meritis & ſanctitate præcipuos, quos ardui itineris, quo illi præceſſerant, duces ſibi elegit, imitandoſq; ſuſcepit: quos etiam in ſuperliminaribus pectoris ſui depinxit, intentaq; animi contemplatione ſemper incumbebatur. Qui morum ſanctitate & optimis exemplis, meritorumq; patrociniis etiamnum ſummi Regis familiam ſubleuant. Quorū alter in pace confeſſione, alter ſanguinis effuſione clarus, ambo ex hoſte triumphantes, cæleſtis militiæ conſortio perfruuntur. In horum igitur veſtigiis inſiſtens, ſemina fidei ſpargebat commiſſo gregi, ſeipſum quotidiè viuam hoſtiam immolabat Deo, toto pectore adſpirabat ad cæleſtem patriam, moriebatur mundo, viuebat Chriſto, totus verſabatur in cœlo. Erat lucerna Chriſti ſuper candelabrum poſita, lucens omnibus, qui in domo Dei erant, interim apud ſe coram Deo humilis. VI.

Singulari deuotione colit SS. Vuillibrordum & Bonifacium Hollandiæ Apoſtolos. Matth. 5.

Nec deerat illi prophetiæ ſpiritus. Multa enim, vt prædixerat, citò euenerunt: multa non longe poſt acciderūt. VII. Semper animo Domini legem meditabatur, nec eo contentus, etiam opere exequebatur eam: factus iam victor animi, doctor charitatis, cultor caſtitatis, pauperum ſuſtentator, mœrentium conſolator, Clero ſpes inuicta ſolatij, populo indefeſſum leuamen, ſuis omnibus à facie inimici turris fortitudinis, iuſti adeò tenax, vt nec proſperis nec aduerſis adduci poſſet, vt ab eo deflecteret. Nunquam ab eius ore Chriſtus abfuit, quem etiam animo perpetim, quicquid ageret, affixum habuit. Nunquam vel lectionis, vel orationis ſtudio fatigabatur, nunquam miſericordiæ officiis & operibus ſatiabatur, ieiuniis & vigiliis ſemper addictus. Eius labia ſemper ſtillabant dulcedinem, ſerebant pacem & ſalutis remedia: ſemper Chriſtum eius eloquia ſonabant. Præcedentium patrum, vt diximus, exempla cupidiſſime ſectabatur, eorum memoriam legendo, audiendo, colloquendo, vel quidpiam de eis componendo incredibili auiditate vſurpabat. Texebat de illis hymnos & encomia, quæ in eorum ſolennitatibus depromerentur. Et ne quis putet nos à vero aliena dicere, extat integrum beatiſſimi Martini Epiſcopi officium, ab ipſo compoſitum. Illum enim præ cæteris ſpecialem ſibi patronum delegerat, nihil dubitans eius ſe patrociniis adiutum iri. Nullis vnquam frangebatur aduerſis caſibus, nullis circumuentus eſt rugientis hoſtis inſidiis: vndiq; firmiſſimo Dei præſidio communitus, non cuiuſquam hoſtilia arma, non quoſcunq; caſus aſperos reformidabat.

Multa futura prædicit. Multæ eius virtutes. Cōponit totum officium S. Martini.

Visitans aliquando creditum ſibi gregem, in Friſiam profectus eſt, vt ſi qui illic priſtini erroris emergerent ſurculi, X. radices, eos ſpiritali vomere extirparet, doctrinaq; fidei credentium animos irrigaret. Occurrunt autem Dani, eiuſq; conatus impediunt. Sed ille tamen nihil mortis periculo abſterritus, ſalutares eis adhortationes adhibet, vt repudiatis erroribus, complectantur veritatis viam. At illis obduratis animis in malitia perſiſtentibus, mortemq; ipſi minitantibus,

tibus, anathematis in eos ſententiam vibrauit. Tum vero diuina vltio confeſtim eos perſecuta eſt. Nam peſte horrenda tanquam fulminis ictu percuſſi, omnes fere extincti ſunt. Nec vnquam impune tulerunt, quoties Traiecti moleſtia eum affecêre. Eueſtigiò enim Dei iudicio plectebantur, vt perſæpe teſtati ſunt ex illis pauciſſimi, qui ſe viuos euaſiſſe lætabantur.

Dani eius plexi anathemate, peſte pereunt.

IX. PER id tempus Baldricus egregius adoleſcens, Ricfridi Comitis filius, interdum ad beatum virum venire ſolebat. Itaque quandoque præſente illo, vocauit ad ſe Nitgerum presbyterum & Richardum militem, atque ad illos ſpiritu prophetico: Adoleſcens hic, quem cernitis, mihi in Epiſcopatu ſuccedet, & per eum Deus ſedem hanc inſtaurabit Eccleſiæ res multum augebit, deſtructa & diruta reparabit. Neque id ſemel atque iterum, ſed crebro de illo adoleſcente prædixit. Vera autem dixiſſe eum, toto orbe teſte, res ipſa declarauit.

Baldricū ſibi ſucceſſurū prædicit.

X. ALIQVANDO Miſſam beatus vir celebrans, cum Apoſtolus recitaretur, accitis ad ſe Eliolpho & Rotguito presbyteris cœnobij Embricenſis, ita ait: Equidem non diu poſt hac victurus ſum. Diligenter ergo honorem habetote huic iuueni Baldrico. Ego enim poſt annos tres & menſes ſex hinc è vita abiturus ſum, & hic ſine dubio obtinebit ſedem meam. Illi his auditis, ſtant attoniti, non mediocriter admirantes eius vaticinium. Non diu poſt idem iuuenis eo tempore, quo ſolent ſacri conferri ordines, duos ſuæ ditionis clericos Bennonem & Saxonem ad virum Dei adducit, orans vt ſacros ordines ab eius manibus accipiant. Cui vir ſanctus, vt ſemper erat iucundo ore, ſubridens: Noli, inquit, fili, fruſtra me ad hanc rem inuitare. Tuum eſt id, quod me rogas, præſtare, non enim meis, ſed tuis, manibus iſti ordinabuntur: idque poſt annos duos & menſes ſex. At Baldricus iuuenis animo conſternatus, fundit lachrymas, omnia vel tuta timens, nec credens fore, quod vir ſanctus aiebat. Cernens autem beatus Epiſcopus non mediocriter eum diſcruciari, blande conſolari eum cœpit: Ne timeas, inquit, Baldrice, nec animus generoſus ignauia frangatur. Res Eccleſiæ, quæ nunc pauper & inops habetur, per te donis Dei innumeris locupletabitur, & rerum facies inopinatò mutabitur. Tu ædes Epiſcopi, iam multis annis Traiecti Danorum vaſtatione euerſas, priſtinæ dignitati reſtitues. Hæc aliaque eius id genus plura vir ſanctus euentura prædixit, quæ non ſecus, atque ab illo dicta ſunt, vt iam ab omnibus cerni licet, poſtea completa ſunt: ita vt verbis fruſtra fidem iis facere videamur, quæ ſuis quiſque oculis vera probare poteſt.

Prædicit tēpus mortis ſuæ.

Prophetia eius.

XI. CVM à Rege inuitaretur, vt aliquid ei præſtaret officij, comiter reſpondere ſolebat: Iuſtum eſt, ſublimioribus obedire poteſtatibus: ſed Epiſcoporum non eſſe, ſecularibus implicari negociis, in quorum caſtris milites Chriſti militant, quiſnam ambigit? Debent illi ſpiritaliter induti armis Eccleſiaſticis, pro Regis & populi ſalute, pace & ſtabilitate cum ſuis Dominum deprecari, continuis precibus animarum lucra quærere, non ſectari terrena. Milites, militiæ regiæ cingulo præcinctos, beneficiiſque cumulatos, id præſtare par eſt. Atque ita inſpecta lege perfectæ libertatis, nec blanditiis dimoueri potuit à ſententia, nec minis vllis, ſi quæ eſſent intentatæ: ſoli Deo placere malens, quam hominibus.

Rom. 13.

Non debēt Epiſcopi ſecularibus fungi officiis.

XII. CVM ſic autem longe ante præſciret obitum ſuum, dubitare nemo poteſt, quin ardenti lucerna præparauerit ſe Domino, à nuptiis redeunti. Vigilauit plane, vt confeſtim aperiret pulſanti: triticique menſuram Domini ſui familiæ tanto diligentius erogauit, quanto certius nouerat ſe breui rationem illi redditurum. Nec formidabat mortem, cui mori lucrum, & viuere Chriſtus erat. Ad pacis, concordiæ, charitatiſque ſtudium, ita vt ſolitus erat, hortabatur ſuos: ſe ipſum vero pauperem ſpiritu, meritis diuitem, à terrenis alienum, cæleſtibus familiarem, quantum humana ſinit imbecillitas, efficere connitebatur. Ieiuniis, pſalmodiarum deliciis, vigiliis, eleemoſynis magna animi contentione mortem ſuam communire curauit.

Luc. 12.

Ibidem.

Ad mortem vt ſe præparatit.

XIII. NON eſt hic prætereunda ſublimis illa viſio, quam ipſe ſibi obtigiſſe quibuſdam è ſuis indicauit. Cum aliquando grauiter decumberet, ita vt viuendi ſpem omnem abiiceret, beatiſſima Dei genitrix ſemperque Virgo Maria, ſubſequentibus ipſam ſanctis virginibus Tecla & Agne, cum multa luce ei apparuit, totum habitaculum ſplendore perfundens. At ille tanta viſione valde perterritus, loqui præ timore nihil potuit, & propemodum exanimatus eſt. Tum vero porta ſalutis, Domina mundi, conſolationis medicinam ei adhibens, omnemque non modo timorem, ſed etiam languorem depellens: Ne timeas, inquit, Radbode: certus eam te intueri, cui crebro ſupplices offers preces. Non ego te mea dedignor conſolari præſentia, qui in tuis ad Deum precibus mei ſemper memoriam vſurpas. Noueris autem, nihil ex hoc morbo tibi imminere periculi: ſed curatum te iri, nec tamen diu poſtea in carne victurum. Securus eſto tui: vigilare & operari ne ceſſes, ſed perge, vt cœpiſti. Sub his verbis repente ſplendor ille diſparuit, ſed permanſit diu odor ſuauiſſimus: morbus omnis plane ablatus eſt. Hæc cum ille clam quibuſdam è ſuis expoſuiſſet, (neque enim, ſe viuente, voluit cuiquam ea innoteſcere) ſimul etiam formam habitum, ornatum ſanctiſſimæ matris Dei illis explicauit, addens, pulchritudinem eius neminem ſatis poſſe admirari: ſanctas autem virgines Teclam & Agnen, tam ex vultu, quam veſtitu, potuiſſe dignoſci.

Beatiſſima virgo Maria ei apparet.

Ecce quam ſit ſalutiferum, crebro inuocare Deiparam virginem.

XIV. PORRO exactis triennij & ſex menſium ſpatiis, de quibus ſupra dictum eſt, in pago Trente febre correptus, ocyus iubet ſuos inde ſecum proficiſci, ne febre inualeſcente, manere illic cogeretur. Hyeme enim non facile ex eo pago poteſt quiſpiam exire. Ille vero ſciebat adeſſe jam tempus migrationis ſuæ. Etſi autem morbo eius omnes affligerentur, tamen morem illi gerentes, cœperunt iter habere ad Oetamarſem, vbi ſi ſui permitterent, ſepulturæ locum ille ſibi delegerat. Paruum tum illic oratorium erat, vbi ſæpe ille manere ſolebat, quod amœno loco ſitum eſſet. Illic ergo pro voto rebus ſuis conſtitutis, non Dei famulatu defeſſus, non morbi vi fractus: ſed vultu hilaris, mortem nihil metuens, quippe ad Chriſti conuiuium inuitatus, corpore iam præmortuo, ſpiritu magis magiſque viuificabatur. Nec quieſcebant labia, cum extremas duceret horas, mirumque in modum ita pſalmos depromebat, vt iis, qui aderant, lachrymarum imbres exprimeret. Planeque gaudenti ſimilis, quoad lingua moueri potuit, & halitus relictus erat, inter pſalmos identidem repetebat Antiphonam illam. Ecce læti &c. quæ eſt prima in beati Martini Confeſſorum principis ab ipſo compoſitis Reſponſoriis. Nec dubium erat interim vallatum beatiſſimis Angelicis ſpiritibus, nihil tenebrarum pertimuiſſe monſtra. Sed neque credimus longe abfuiſſe Martinum eximium Præſulem, ſpecialem patronum eius, quem toties canora voce ſalutare videbatur. Tandem menſe Nouembri ad extrema rendente, ipſe quoque diem clauſit extremum, feliciſſime migrans ad Dominum. Sanctum autem corpus mox feretro impoſitum, Clerus & populus omnis cum hymnis & pſalmodiis inprimis reuerenter & honorifice Dauentriam perduxerunt. Cumque iam oppido appropinquarent, incolæ eius omnes mœſtis animis obuiam proceſſerunt: atque ita permixtis lugentium & pſallentium vocibus, ſacrum corpus in eccleſiam importatum, ea parte, quæ Septemtrionem ſpectat, humatum eſt: ſpiritu exultante & perfruente gaudio Dñi ſui, cui in hac vita ſeruierat: Cui eſt honor, & poteſtas, & gloria per infinita ſecula, Amen.

Magna eius in extrem. precandi inſtantia.

Animā reddit creatori.

Sepelitur Dauentriæ.

PASSIO S. ANDREÆ APOSTOLI, PER PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIARVM ACHAIÆ SCRIPTA. HABETVR APVD ALOYSIVM.

An. 40.

I. PASSIONEM ſancti Apoſtoli Andreæ, quam oculis noſtris vidimus, omnes presbyteri & diacones Eccleſiarum Achaiæ, ſcribimus vniuerſis Eccleſiis, quæ ſunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione, in Chriſti nomine conſtitutis: Pax vobis, & vniuerſis, qui credunt vnum Deum in Trinitate perfectum, verum Patrem ingenitum, verum filium vnigenitum, verum * ſpiritum ſanctum procedentē 30 Nov.

* Græciſ... ex hunc ... pſiſſe, cum ſic in antiquis MSS. exemplaribus haberi neget Bar. hoc die.

Si vnus & idem Spiritus in Patre & Filio, et qui ab vtroque procedit.

ex Patre, in Filio permanentem, vt oſtendatur vnus ſpiritus eſſe in Patre & Filio: & hoc eſſe vnigenitum Filium, quod eſt & ille, qui genuit. Hanc fidem didicimus à ſancto Andrea, Apoſtolo Domini noſtri Ieſu Chriſti: cuius paſſionem, quam coram poſiti vidimus, prout poſſumus, explicamus.

S. Andreas conſtanter ſe opponit Ægeæ proconſuli.

PROCONSVL itaque Ægeas Patras ciuitatem ingreſſus, cœpit compellere credentes Chriſto ad ſacrificia idolorum. Cui occurrens S. Andreas, dixit: Oportebat vt tu, qui iudex eſſe hominum comprobaris, iudicem tuum, qui eſt in cælo cognoſceres, & agnitum coleres, & colendo eum, qui verus Deus eſt, ab his, qui veri dij non ſunt, animum reuocares. Cui Ægeas dixit, Tu es Andreas, qui deſtruis templa deorum, & ſuades hominibus ſuperſtitioſam illam ſectam, quam nuper detectam Romani principes exterminari iuſſerunt? Andreas dixit. Romani principes nondum cognouerunt hoc, quod pro ſalute hominum veniens Dei Filius, docuerit iſta idola non ſolum deos non eſſe, ſed eſſe dæmonia peſſima, & inimica humano generi: quæ hoc docent homines, vnde offendatur Deus, vt dum offenſus fuerit, auertatur, & non exaudiat: & cum auerſus fuerit, & non exaudierit, habeantur à diabolo ipſi captiui, & tandiu eos deludat, quandiu de corpore exeant rei & nudi, nihil ſecum præter peccata portantes. II.

Myſterium Crucis.

Mors Chriſti ſpõtanea

Luc. 18.

Matt. 16.

Ioan. 10.

Matt. 62.

ÆGEAS dixit: Iſta ſuperſtitioſa & vana verba Ieſus veſter dum prædicaret, Iudæi illum crucis patibulo affixerunt. Andreas reſpondit: O ſi velles ſcire myſterium Crucis, quam rationabili charitate author humani generis pro reſtauratione noſtra hoc Crucis patibulum non inuitus, ſed ſponte ſuſcepit. Ægeas dixit: Cum traditus aſſeratur à ſuo diſcipulo, & à Iudæis tentus, & Præſidi adductus, & ad petitionem Iudæorum à militibus Præſidis crucifixus, quomodo tu dicis eum ſpontaneum Crucis ſubiſſe patibulum? Andreas reſpondit: Ideo ego dico ſpontaneum, quoniam ſimul cum ipſo fui, eum à ſuo diſcipulo traderetur: & antequam traderetur, dixit nobis, quod tradendus eſſet, & crucifigendus pro ſalute hominum: & die tertia reſurrecturum ſe eſſe prædixit. Cui cum frater meus Petrus diceret: Propitius eſto tibi, Domine, non fiat iſtud: Indignatus, ſic ait Petro: Vade retro ſatana, quia non ſapis ea, quæ ſunt Dei. Et vt plenius nos inſtrueret, quomodo ſponte paſſionem ſuſciperet, dicebat nobis. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Ad vltimum dum cœnaret nobiſcum, & diceret: Vnus veſtrum me traditurus eſt, & ad iſtam vocem omnes contriſtaremur: ne ſuſpenſos cogitatio trucidaret, ait: Cui dedero panis fragmentum de manu mea, ipſe eſt. Et cum dediſſet vni ex condiſcipulis noſtris, & futura quaſi iam præterita narraret, docuit ſe voluntate fuiſſe traditum, eum nec traditorem fugiendo deſeruit, & in loco, quo illum ſciebat venturum eſſe, permanſit. III.

Ioan. 13.

Non expaueſcit Crucis ſupplicium Apoſtolus

Pſal. 115.

Pſal 33.

ÆGEAS dixit: Miror te prudentem virum, iſtum velle ſectari, quem quoquo pacto, aut ſponte, aut inuitum, Cruci tamen confiteris affixum. Andreas reſpondit: Hoc eſt, quod etiam me dixiſſe iam retines, Magnum eſt myſterium Crucis: Quod ſi forte volueris audire, retexam. Ægeas dixit: Myſterium non poteſt dici, ſed ſupplicium. Andreas dixit. Ipſum ſupplicium, myſterium reſtaurationis humanæ, ſi patienter audias, comprobabis. Ægeas dixit: Ego quidem patienter te audiam: ſed tu ſi me obtemperanter non audieris, ipſum Crucis myſterium in teipſo excipies. Andreas reſpondit: Ego ſi Crucis patibulum expaueſcerem, Crucis gloriam non prædicarem. Ægeas dixit: Inſanus ſermo tuus prædicat gloriam ſupplicij, qui per audaciam pœnam non times mortis. Andreas reſpondit: Non per audaciam, ſed per fidem, pœnam non timeo mortis. Mors enim iuſtorum, precioſa eſt: mors vero peccatorum, peſſima. Et ideo audire te volo Crucis myſterium, vt agnitum forſitan credas, & credens ad reſtaurationem tuæ animæ quoque pertingas. Ægeas dixit: Reſtauratur hoc, quod periiſſe docetur. Nunquid anima mea periit, vt ad eius me reſtaurationem venire per fidem, neſcio quam, tu aſſeras? IV.

Gen 3.

Docet Aegeam myſterium S. Crucis

ANDREAS reſpondit: Hoc eſt, quod te diſcere deſiderabam, vt dum perditas animas hominum docuero, iſtam reſtaurationem earum per Crucis myſterium pandam. Primus enim homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & neceſſarium hoc erat generi humano, vt per lignum paſſionis, mors, quæ ingreſſa fuerat, pelleretur. Et quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat: neceſſarium fuit, vt de immaculata Virgine natus Chriſtus perfectus homo, qui eſt Dei filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet: ac de ligno Crucis lignum concupiſcentiæ excluderet: panderet in Cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extenſis: pro ſuaui cibo arboris vetitæ, eſcam fellis acciperet: & in ſe ſuſcipiens mortalitatem noſtram, ſuam nobis immortalitatem offerret. V.

Præclarum teſtimoniu ſacrificij Miſſæ, & veri corporis Chriſti in Euchariſtia

Vere animalis homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus Dei

ÆGEAS dixit: Iſta verba illis narrare debes qui tibi credunt: mihi autem niſi hoc conſentias, vt ſacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipſa cruce, quam laudas, te faſtigatum affigi præcipiam. Andreas reſpondit: Omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, ego omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem: ſed immaculatum agnum quotidie in altari Crucis ſacrifico: cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus: & cum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes eius manducatæ ſint à populo, & vere ſanguis eius ſit hauſtus, tamen (vt dixi) integer permanet, & immaculatus, & viuus. Aegeas dixit. Quomodo poteſt hoc fieri? Andreas reſpondit: Si vis diſcere, quomodo hoc poteſt fieri, aſſume formam diſcipuli, vt poſſis doceri, quod quæris. Aegeas dixit: Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam. Andreas dixit: Miror te hominem prudentem tam ſtulte locutum. Ergo tu tormentis putas me diuina tibi pandere ſacrificia? Audiſti myſterium Crucis, audiſti myſterium ſacrificij. Si credideris Chriſtum filium Dei, qui crucifixus eſt à Iudæis, verum Deum eſſe, pandam tibi quo ordine occiſus viuat regnans: qui cum ſacrificatus fuerit, & comeſtus, integer tamen & immaculatus in ſuo regno permanet. Aegeas dixit: Cum ſit occiſus, & ab omni populo (vt aſſeris) deuoratus, quomodo integer perſeuerat, & viuus? Andreas reſpondit: Si credideris ex toto corde tuo, diſcere poteris: ſi non credideris, penitus nunquam tu ad indaginem huius veritatis attinges. VI.

S. Andreas in carcerem ducitur.

Eſa 42.

Matt. 12.

Conſolatur ſuos Apoſtolos.

TVNC iratus Aegeas, iuſſit eum in carcerem retrudi. Vbi cum eſſet clauſus, venit ad eum multitudo pene totius prouinciæ, ita vt Aegeam vellent occidere, & Andream Apoſtolum, fractis ianuis carceris liberare. Quos ſanctus Andreas his verbis admonuit: Nolite quietem Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſeditionem diabolicam excitare. Nam traditus Dominus omnem patientiam præbuit: non contendit, neque clamauit, nec in plateis aliquis eum clamantem audiuit. Habete ergo ſilentium, quietem & pacem: & non ſolum meum martyrium nolite impedire, verumetiam voſipſos quaſi athletas Domini præparate, vt vincatis minas intrepido animo: plagas autem per tolerantiam corporis ſuperetis. Si enim terror timendus eſt, ille eſt vtique timendus, qui finem non habet. Nam humanus timor fumo ſimilis eſt, & ſubito, cum excitatus fuerit, euaneſcit. Et ſi dolores timendi ſunt, illi ſunt formidandi, qui ſic incipiunt, vt nunquam finiantur. Iſti enim dolores aut leues ſunt, & tolerantur: aut graues ſunt, & cito animam eiiciunt. Illi autem dolores æterni ſunt, vbi eſt quotidianus fletus, & mugitus, & luctus, & ſine fine cruciatus, ad quem Proconſul Aegeas ire non timet. Eſtote ergo magis parati ad hoc, vt per tribulationes temporales ad æterna gaudia pertingatis: vbi ſemper lætemini, ſemper floreatis, ſemperque cum Chriſto regnetis. VII.

Rurſus ad tribunal ducitur.

HÆC, & his ſimilia ſancto Andrea Apoſtolo per totam noctem populum admonente, dum lux diei in matutino prorũperet, miſit Aegeas, & adduxit ad ſe ſanctũ Andreã, ac ſedens pro tribunali, dixit: Exiſtimaui te nocturna cogitatione IIX

tione

tione reuocare animum tuum à ſtultitia, & à Chriſti tui laude ceſſare, vt poſſes nobiſcum non amittere gaudia vitæ. Stultum eſt enim, vltro velle ad paſſionem Crucis ire, & ignibus ac flammis teipſum peſſimis deſtinare. Andreas reſpondit: Gaudia tecum habere potero, ſi credens Chriſto, dimittas culturas idolorum. Chriſtus enim me miſit ad iſtam prouinciam, in qua non paruum populum ei acquiſiui. Ægeas dixit: Ideo te ſacrificare compello, vt iſti, qui per te decepti ſunt populi, relinquant vanitatem tuæ doctrinæ, & ipſi dijs offerant grata libamina. Nulla enim remanſit in Achaia ciuitas, in qua templa deorum derelicta non ſint, & deſerta. Nunc ergo per te reſtauretur cultura deorum, vt & dij, qui contra te irati ſunt, placari poſſint, & in noſtra poſſis amicitia permanere. Sin aliàs, diuerſa pro defenſione deorum patieris ſupplicia, & poſt omnia Crucis, quam laudâſti, patibulo ſuſpenſus deficies. Andreas reſpondit: Audi fili mortis, & ſtipula æternis parata incendiis, audi me ſeruum Domini, & Apoſtolum Ieſu Chriſti. Nunc vſque mitius tecum egi cenſura fidei, vt rationis capax, & veritatis defenſor effectus, idola vana contemneres, & Deum, qui in cælis eſt, adorares. Sed quia in impudentia tua perdurans, me putas minas tuas poſſe formidare, quicquid tibi videtur in ſuppliciis maius, excogita. Tanto enim meo Regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis confeſſor.

In quantũ effecerit in Achaia S. Andreas.

Magna libertas & cõſtantia eius.

IX. Tunc Ægeas iuſſit eum flagellis cædi extenſum. Qui cum ſeptem terniones tranſiſſet, eleuatus eſt, atque adductus ante eum. Cui Ægeas dixit: Audi me Andrea, & ab effuſione ſanguinis conſilium reuoca. Quod ſi non feceris, Crucis te faciam interire patibulo. Andreas dixit: Ego Crucis Chriſti ſeruus ſum, & Crucis trophæum optare potius debeo, quam timere. Tibi autem cruciatus æternus qui debetur, poteris euadere, ſi poſtquam probaueris perſeuerantiam meam, vel ſic credideris Chriſto. Ego enim de tuo interitu timeo: non de mea paſſione conturbor. Paſſio enim mea aut vnius diei ſpatium occupat, aut duorum, vt multum: Tuus autem cruciatus nec per millia annorum poteſt peruenire ad finem. Vnde deſine iam miſerias tuas augmentare, & ignem ipſe tu tibi æternum accendere noli. Tunc indignatus Ægeas, cruci eum affigi præcepit, mandans hoc quæſtionariis, vt ligatis pedibus & manibus, quaſi in eculeo tenderetur, ne clauis affixus, cito deficeret, ſed cruciaretur potius longo cruciatu. Cumq; eum carnifices ducerent, vt crucifigeretur, concurſus factus eſt populorum, clamantium ac dicentium: Iuſtus homo & amicus Dei, quid fecit vt ducatur ad crucem? Andreas vero rogabat populum, vt non impedirent paſſionem eius. Gaudens enim, & exultans ibat, & à doctrina non ceſſans.

Dirè flagellatur.

Condemnatur.

X. Cumque perueniſſet ad locum, vbi Crux parata erat, videns eam à longe, exclamauit voce magna, dicens: Salue Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti: modo vero amorem cæleſtem obtinens, pro voto ſuſciperis. Sciris a credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me diſcipulũ eius, qui pependit in te: quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita & aliquando iam concupiſcenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicens, expoliauit ſe, & veſtimenta ſua tradidit carnificibus. Qui accedentes, leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (ſicut eis iuſſum fuerat) ſuſpenderunt. Adſtantes vero erant turbæ ad viginti millia hominum, inter quos erat frater Ægeæ, nomine Stratocles, qui ſimul clamabat cum populo, iniuſto iudicio ſanctum virum hoc pati. Sanctus vero Andreas confortabat mentes credentium Chriſto, & hortabatur ad tolerantiam temporalem, docens nihil eſſe dignum paſſionis ad æternam remunerationis compenſationem.

Ecce tibi Apoſtolum ad Crucem tãquam ad epulas properantem.

In cruce ſuſpenditur.

XI. Interea vadit omnis populus cum clamore ad domum Ægeæ, & omnes pariter clamantes, dicebant: Virum ſanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modeſtum, rationabilem non hoc debere pati, ſed debere deponi de cruce: quia iam ſecunda die in cruce poſitus, veritatem prædicare non ceſſat. Tunc Ægeas pertimeſcens populum, & promittens ſe eum deponere, ſimul cœpit ire. Quem videns ſanctus Andreas, dixit: Quid tu ad nos, Ægea, veniſti? Si vis credere Chriſto, ſicut promiſi, aperietur tibi via indulgentiæ. Si autem veniſti ad hoc tantum, vt me ſoluas, ego penitus hinc de iſta cruce viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meũ video, iam adoro, iam conſpectui eius conſiſto. Sed de tuis miſeriis doleo: quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miſer, dum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cùm non poteris. Mittentes autem manus ad crucem carnifices, non poterant penitus contingere eum. Et ſubinde alij & alij ingerentes ſe, vt ſoluerent eum, & nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant enim brachia eorum, quicunque ſe extendiſſet ad ſoluendum eum.

C[illegible]ægeas à populo vult eum de cruce deponere.

Fruſtra conantur eum carnifices de cruce deponere.

XII. Tunc voce magna ſanctus Andreas dixit: Ne permittas, Domine Ieſu Chriſte, me famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, ſolui: nec permittas eum, qui iam per crucem tuam, cognouit magnitudinem tuã, ab Ægea, homine corruptibili, humiliari: ſed ſuſcipe me tu, magiſter meus Chriſte, quẽ dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem cernere deſidero, in quo ſum quod ſum. Suſcipe Domine Ieſu Chriſte ſpiritum meum in pace: quia iam tempus eſt, vt veniam, deſiderans te videre. Suſcipe me Domine Ieſu Chriſte, magiſter bone, & iube me de iſta cruce non deponi, niſi prius ſpiritum meum ſuſceperis. Et cum hæc dixiſſet, videntibus cunctis, ſplendor nimius, ſicut fulgur de cœlo veniens, ita circumdedit eum, vt penitus præ ipſo ſplendore oculi eum humani non poſſent adſpicere. Cumque permanſiſſet ſplendor ferè dimidiæ horæ ſpacio, abſcedente lumine, emiſit ſpiritum, ſimul cum ipſo lumine pergens ad Dominum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Vide pectus Chriſti amore flagrantiſſimum.

Reddit ſpiritum.

XIII. Quædam verò fœmina, nomine Maximilla, ſenatrix in ſpecu poſita, diligens pudicitiam & ſanctitatem, ſtatim vt cognouit Apoſtolum perrexiſſe ad Dominum, acceſſit ad crucem, & ſuorum ſolatio cum omni reuerentia depoſuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco, quo ſe conſtituerat ſepeliendam, illic eum ſepeliuit. Ægeas verò iratus contra populum, diſponebat conteſtationem publicam facere, & ad Cæſarem accuſationem contra Maximillam & populum deſtinare. Sed dum ordinat, in conſpectu officij ſui à diabolo arreptus eſt, & in medio foro ciuitatis volutatus expirauit. Nunciatum eſt fratri eius, cui nomen erat Stratocles, & miſit ſeruos ſuos, dixitq; eis, vt inter Biothanatos ſepelirent eum. Ipſe autem de facultatibus eius nihil quæſiuit, dicens: Non mihi permittat Dominus meus Ieſus Chriſtus, cui credidi, vt ego de bonis fratris mei aliquid cõtingam, ne polluat me crimen eius, quia Apoſtolum Domini auſus fuit pro amore pecuniæ occidere.

Maximilla eũ ſepelit.

Ægeæ interitus.

Hæc autem geſta ſunt apud Achaiam prouinciam ciuitate Patras, pridie Calendas Decembris: vbi etiã præſtantur glorioſa eius beneficia vſq; in præſentem diem. Tantus autem timor inualit omnes, vt nullus remaneret, qui non crederet Saluatori noſtro Deo: qui vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. 1.Tim.2.

Encomium S. Andreæ Apoſtoli per S. Ioannem Chryſoſtomum, & ſermones duos B. Petri Damiani de eodem, habes in eorum operib.

DE S. TROIANO, SANTONICÆ CIVITATIS EPISCOPO: EX GREGORIO TVRONENSI DE GLORIA CONFESSORVM CAP. 39.

30. Nov.

Globus luminis ingẽs apparet S. Troiano.

TROIANVS Pontifex ipſius Santonicæ ciuitatis, ſancto Bibiano coniunctus cælo, vicinus ei eſt & tumulo. I.
Magnæ enim virtutis fuiſſe dicitur hic ſacerdos. Quodam vero tempore, dum inter obſcura noctium tempora loca ſancta, quæ nunc in circuitu vrbis habebantur, vno tantum ſubdiacono comite circuiret, apparuit ei globus magnus luminis, quaſi de cælo deſcendens. Cognita autem vir Dei re, ait comiti: Ne ſequaris penitus, donec ego te vocem. At ille terræ deuolutus, ſpectabat haud procul, quidnam miraculi ageret Dei ſeruus, erat enim ager publicus, in quo conſtiterat. Appropinquante vero lumine, cucurrit ſacerdos ad occurſum eius, & vſque ad terram ſe humilians, ait: Benedic, quæſo, mihi, beate Pontifex. Cui ille, qui aduenerat, ait: Tu mihi benedic, ſacerdos Dei Troiane. Et dato ſibi oſculo, facta oratione, locuti ſunt diutiſſime ſimul. Subdiaconus vero Antonius ſpectans, vidit lumen, quod apparuerat, eadem, qua venerat, via reuerti. Vocans itaque ad ſe ſubdiaconum Epiſcopus, ait: Accede nunc, vt explicemus cœptum iter ad viſitanda ſanctorum loca. Tremens vero ſubdiaconus, ait: Quæſo, domine, ne deſpicias humilitatem meam: ſed indica mihi quæ videris, animaduerti enim neſcio quid fuiſſe diuinum. Cui ille: Dicam tibi, ſed tu nemini dixeris. nam ſcito, quod in quacunque die hæc publicaueris, ab hoc mundo migrabis. Sanctum, inquit, Martinum Turonicum vidi, & ipſe locutus eſt mihi. Caue ergo, ne cui vulgare audeas arcana Dei. Igitur ſacerdos impleto vitæ huius curſu, obiit. Subdiaconus vero plenus dierum, ægre ferens quod virtus ſancti Troiani occuleretur, conuocato Epiſcopo, clericis ac quibuſdam ſenioribus, omnia, quæ à ſancto audierat, & qualiter myſterium luminis viderat, quo manifeſtiſſime fidem Troiani, Martiniq; gloriam patefecit, ex ordine reſerauit, nec quicquam ex iis occuluit, adiiciens hæc: Et vt probetis vera eſſe quæ loquor, finito ſermone, finem facio vitæ. Quibus dictis, clauſis oculis obiit, non ſine admiratione adſtantium. Magnæ igitur (vt diximus) virtutis fuit B. Troianus Antiſtes, & honorabilis inter cunctos ciues vrbis ſuæ.

Is fuit S. Martinus

Nota priſcorum deuotionem erga reliquias.

Hic fertur, dum eſſet in corpore, ſi nouum, vt aſſolet, amphibalum induiſſet, cum quo procedens, diœceſim circumiret: fimbriæ huius veſtimenti à diuerſis diripiebantur: ſalubre enim omnis homo computabat, quicquid ab eo rapere potuiſſet. Qui ſepultus in terris, cœlo ſe viuere multis virtutibus manifeſtat. Nam energumeni, frigoretici, cæterique infirmi, plerunque ad eius tumulum exorantes accepta incolumitate, recedunt. II.

FINIS MENSIS NOVEMBRIS.